UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

urn:nbn:de:hbz:466:1-95437

Visual Library

~~S VII~~
~~[illegible]~~
S
195 Th. 934 a.



POLITICORVM LIBRI DECEM

in quibus

DE PERFECTÆ REIPVBL. FORMA, VIRTVTIBVS, ET VITIIS,

Institutione ciuium, Legibus, Magistratu Ecclesiastico, civili, potentia Reipublicæ;

itemq;

Seditione et bello, ad usum vitamq; communem accommodatè tractatur

AVTHORE

R. P. ADAMO CONTZEN SOCIETATIS IESV Doctore Theologo, et SS. Literarum in Archiepisc. Academia Moguntina Collegij Soc. Iesv Professore. Paderborna

Ad invictissimum

FERDINANDVM II. Imperat. August.

Permissu superiorum et Priuileg. S.C.M.tis.

Excudebat Balthasar Lippius

MOGVNTIAE

Sumptibus

IOANNIS KINCKII

Bibliopolæ Coloniensis.

1621

FERDINANDO SECVNDO, IMPERATORI AVGVSTO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO, GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c. REGI, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLAE ET VVIRTEMBERGAE, &c. COMITI TIROLIS, &c.

ADAMVS CONTZEN è Societate IESV.

HVmanorum operum, Imperator Auguſte, maximum eſt, maximéque neceſſarium Imperium: neque enim poteſt ſine iubendi ac parendi ordine genus humanum conſiſtere; dein DEI imago eminentiſsima eſt Princeps, qui immenſam numinis maieſtatem, mediâ quadam, inter Deum & homines, maieſtate repręſentat; quocirca Deus etiam dicitur, quia Dei vicariatu ſublimis eſt, & ſacroſanctus. Principatus autem vim dignitatémque non opum apparatu, non honorum ſplendore, non Imperij latitudine, non ſatellitio æſtimare oportet; ſed altiſſimâ ſapientiæ Dei prouidentiâ, immutabilíque decreto, quo vniuerſum hoc gubernare inſtituit.

Cogitatione equidem & intelligentiâ nemo complecti poteſt, vnde ſit, vt tot hominum centena millia, quos inter pauci boni, multi alieni, ſuperbi, contumaces, ac præ-

fracti, vni homini sint dicto audientes. Cur munitæ vrbes, bellicosæ gentes, latissima regna, homini vni, etsi aliquando sapienti, & iusto; sæpè tamen vel ætate inualido, vel moribus deprauato, naturæ verò conditione erroribus obnoxio, non pareant modò, sed opes etiam, quarum auarissima est tenacitas, vitámque ipsam, cuius retinendæ omnes auidi sunt, ad nutum imperantis impendant. Iudicium de communi bono tam constans nequaquam ex congenito priuatim cuiusque, insitóque affectu nascitur; hunc enim si consulamus, vnumquemque sibi ita conciliatum inueniemus, vt propria commoda, & sui conseruationem rebus omnibus anteponat. A summo igitur numine præter appetitiones propriæ saluti necessarias, indita est animo cuiusque boni communis, & societatis humanę conseruandę voluntas, quæ in optimis quibuscunque adeò firma est, vt obedientiam vitâ potiorem arbitretur. Huius etiam rei in mutis elementis energiam cernimus, & multò clariorem in membris vnius corporis experientiam. Etenim ne soluto nexu, obstructóque mutuo influxu, rerum mundanarum consociatio, ac communicatio tollatur, ne artificiosissima machina vspiam hiatu, & inanitate fatiscat, omnia contra naturæ suæ indolem, propensionémque succurrũt, leuia deorsum, grauia sursum tendunt: membra verò singula vri, & secari pro capitis incolumitate patiuntur. Cùm autem in Regibus colendis, tuendísque omnium gentium etiam barbararum, omnium sæculorum consensum videamus; facilè intelligimus, non ab opinione, institutione & doctrina, sed ex diuina ordinatione tantam conspirationem esse.

Duo nobis præbet documenta illa Reipublicæ consideratio, quæ sunt pacis publicæ & humanæ societatis solida necessariáque fundamẽta. Alteri Princeps, alteri subditus

insistet.

insistet. Intelligit Princeps esse se tot hominum rerúmque vinculum, esse sibi in omnes eam potestatem, quæ est capitis in membra. Incolumitatem suam ac decus omnium membrorum sanitate, vigore, robore contineri. Quemadmodum autem nunquam fando auditum est, vnum aliquod membrum à capite odio haberi, præ cæteris premi; ita nunquam prudens & bonus Princeps cõmittet, vt personarum acceptor, subditorum alios ab alijs opprimi vexaríque permittat; sed quemque pro statu suo aureâ iustitię æqualitate indemnem & securum reddet.

Alterum priuatis præcipitur: Meminerit quisque se non hominem esse duntaxat, sed in magno Reipublicæ, & societatis humanæ corpore membrum, idqúe non rogatis, latísque ab homine legibus, sed ordinatione diuinâ, quę omnium auribus inclamat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Monstrum est, si membrum capiti repugnet, & quemadmodum phreneticorum, & epilepticorum contra voluntatem motus omnibus horrorem incutiunt; ita in Republica quicquid inuito Principe tractatur, habet cum deformitate periculum, & partis ægrotantis opus est. Si quis igitur discordiâ, secessione, seditione, bello ciuili concitato ordinem nexúmque ciuilem dissoluere machinatur, perinde facit, ac si caput inter & membra tumultum conciat, nec minùs insanit, quàm si situs, & stationes elementorum commutare, & inania quędam seu intermundia efficere laboret, ne mutuo cõtactu & influxu operentur; tam enim æterni legislatoris decreto roboratus in Republica regentium & parentium est ordo, quàm mundi elementaris semper sibi cohærens, & nusquam interrupta compago. Potuit sanè manus omnipotens creato-

ris ita mundum condere, vt singulæ partes absque aliarum syzygia & consortio solitariè consisterent; atque in ea hominem vnumquemque sibi sufficientem; sed aliter visum est, nihil solitarium, nihil non aliorum indigum, alia ex alijs, omnia ex se pendere voluit.

Hæc summi Numinis sanctissima, summéque authentica constitutio (Inuictissime Imperator) me sacras literas in Moguntina Academia docentem silentia rumpere coegit, & de Republica vniuersa scribere; etenim post primos fidei articulos, quorum ignorantiam nulla causatio excusat, maximè, frequentissiméque inculcandum est omnibus animabus, *omnem animam potestatibus sublimioribus esse subditam.* Ea etiam est nunc Europæ constitutio, vt nullo sæculo, nullo loco magis, aut fuerit, aut sit magis necessaria huius doctrinæ solida, atque assidua tractatio, quæ nisi obtineat, turbæ & confusiones rerum politicarum, etiam aliarum rerum ordinem penè inutilem reddant, cùm Christianæ pietati maximè pax & concordia conueniat.

Non ignoro omnium gentium Respublicas sæpè querelis, secessionibus, seditionibus, rebellionibus, bellis ciuilibus agitatas; causæ enim motuum semper fuêre, auaritia, ambitio, libidines, & quædam generis humani infelicissima inquietudo; dum nec Magistratibus Imperij, nec ciuibus est libertatis modus; dum illinc nimia dominatio, hinc nimia licentia appetitur. Verùm hoc malum est omnium temporum: ego de nostri sæculi infelicitate queror singulari, & quidem Europæ nostræ; nego enim vllo æuo, vllo loco, tantam parendi contumaciam, tantam licentiæ & anarchiæ cupiditatem fuisse, quanta hodie turbat, collidítque Europæ nationes. Plures olim, & immaniores seditiones fuêre; at causæ, etsi non iustæ & legitimæ,

gitimæ, graues tamen & magnæ fecerunt illas excusatiores; erant enim Magistratuum dura, auara, contumeliosa, iniusta, crudelia plerunque imperia, quibus etiam modestus populus ad rebellionem irritabatur, atque exardescebat. Nostro æuo quæ concitantur rebelliones, nec excusationem habent, nec prætextum. Regna enim Europæ moderatissimis legibus administrantur, iureiurando omnium Principum non licentia modò restringitur, ne malum possit; verùm etiam multorum libertas inhibetur, ne id possit, ad quod factus est Princeps. Hinc omnia Imperia lenia sunt, multa lenissima; & tamen in tanta mansuetudine, paritate, & seruitute regnantium, à liberrimis populis, ab optimatibus suorum Regum penè dominis, nullâ necessitate, vel vtilitate; sed solâ libertatis, per nimiam felicitatem luxuriantis intemperantiâ, cum exitio gentium, & barbaræ seruitutis ante oculos positæ periculo, grauissimæ rebelliones concitantur. adiungunt se ad asperandas turbas, augendas vires, liberrimæ vrbes, magnatésque nullâ re, ne verbo quidem læsi, ciues suos exhauriunt, æraria expilant, opibus, consilióque rebelles adiuuant, sola Imperij, & quietis impatientiâ. Multis exemplis id Europæ miseria docet, ego contentus ero recentissimo, & quod tua Maiestas experitur. Toto orbe liberiores subditi non sunt, quàm qui Augustam domum vestram, Potentissime Imperator, mite sceptrum, aquas Siloë fluentes cum silentio reiecerunt, oppugnârunt. Edant causas tantorum malorum, quæ prima in eos redundârunt. Non tributorum acerba exactio, non libidines probrosæ, non crudelitas, non aliud malum, sed fictæ, & in vulgus sparsæ suspiciones; hinc mox barbaræ Magistratuum, inauditâ causâ, negatâ defensione, cædes.

Religionem facinori nonnulli prætexebant ; at nullius conscientiæ illata vis est , nulla in Europa gens liberiorem religionem habebat. Quin ipsi satis ostenderunt, nequaquam religionis causâ tantos se motus conciuisse: cùm enim in prouincijs illis sint Catholici , Augustanæ Confessionis assertores , Caluiniani , Anabaptistæ , Ariani, Athei, seu Epicurei ; Antiregem tamen elegerunt Caluinianum , qui mox initio , Iconoclasmo sic omnes terruit, vt plerique, qui Caluiniani non erant, de suæ religionis libertate desperarent. Et iam spontè multi religionis mutatione , & transitu fauores aliorum aucuparentur.

Constat igitur hoc tempore, animos hominum, ad detrectandum iusta imperia pronos esse , maximè eos, qui cùm se regiâ iurisdictione exemptos esse cupiant , subditis suis tamen pro mancipijs vtuntur ; & quàm contumaciter superioribus resistunt , tam impotenter inferioribus dominantur. ex quibus non pauci vtriusque rei sceleris ab agricolis suis interfecti graues nimiùm pœnas luerunt.

Tam magni & periculosi mali , in magna probra , nî compescatur, aliquando exituri, duas scaturigines, & quasi fontes inuenio: Doctrinam seditiosam , & exempla : vtrumque malum inualuit. Pseudotheologi falsâ religionis specie, Pseudopolitici publici boni prætextu Rempublicam euersum , Reges oppugnatum eunt. vtrosque iuuat exemplum eorum , quibus rebellio benè cessisse existimatur.

Doctrina Pseudotheologorum exitium est , pestísque Reipublicæ & pacis. Multi enim cùm Ecclesiasticam Monarchiam perturbârunt, cùm Archiepiscopos, Episcopósque exegerunt , annuos aut menstruos Præsides instituerunt,

erunt, eandem Democratiam, seu, vt ipsi appellant, paritatem, in Rempublicam inducere conantur ; vt ipsi tanquam tribuni plebis in regno suo dominentur. Vocantur illi Puritani genus hominum per omnes Europæ angulos magnâ gentium pernicie sparsum : de illis luculentum extat Sereniſsimi Regis Britanniæ testimonium ; libro enim secundo scribens filio testamentum , ita pronunciat: Hic (in Scotiâ) è ministerio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum diuinarúmque rerum confusione , tam gratiosi ad plebem facti sunt , vt degustatâ dominationis dulcedine, cœperint democraticam Reipublicæ sibi formam somniare: & primò auiæ, deinde matris meæ subuersione elati, (& nimiùm sanè blandiebatur ijs successus) postremò pupillari meâ ætate ad Democratiæ suæ stabilimentum diu abusi , iam potestatem tribunitiam spe certâ deuorauerant : vt in populari Republica, cùm plebem, quò vellent, facilè circumducerent, omnium negotiorum momenta soli temperarent.

Itaq; nulla in pupillari mea ætate , vel pòst seditio contigit, quin hos homines sui furoris , & amentiæ patronos seditiosi facere conati sint. Crebræ aduersus me in tribunitijs concionibus calumniæ spargebantur, nõ quòd crimen aliquod designassem , sed quia Rex eram , quod omni crimine peius habebatur. Ac quoniam hanc odij causam palàm profiteri pudor erat , sollicitè in vitam meam morésque inquirebant , minima quæque errata augentes in immensum , rumoribus etiam falsis ad calumniam arreptis: & quanquam omninò videri volebant culpam ab officio, & vitium ab homine distinguere; larua tamen incautis nonnunquam decidebat ; & consilia , quæ tanto studio tegebant , suo prodebant indicio ; nempè omnes Reges , & Principes Ecclesiæ libertati esse inimicos,

& iu-

& iugum Christi non ferre æquanimiter. hac doctrinæ salubritate suos illi greges pascebant. Quoniam verò è ministerio Viri eruditi & probi, quos temeritatis huiusce & audaciæ pudebat, reuocare nitebantur temerarios ad consilium, abnormes ad modestiam, nec minùs exemplo, quàm voce malesanos corrigere, tũ verò homines factiosi vnum furoris sui præsidium in paritate collocârunt; quâ freti homines improbi, audaces, imperiti, pios, sapientes & modestos redarguerent. Est hæc paritas mater confusionis, inimica vnitatis, quæ est ordinis parens: quod genus si vt in Ecclesia, ita quoque in Republica obtineret, omnia certò certiùs miscerì necesse foret. Si vtramque ames, ex vtraque pestem hanc egere, Puritanos inquam, quos nec beneficijs deuincias, nec iureiurando fidos facias, nec promissis constringas; sine modo ambitiosos, sine causa maledicos; nec quicquam spirantes nisi seditiones & calumnias; quibus vna conscientiæ regula est, non diuini verbi auctoritas, sed commentorum suorum vanitas. Testor illum magnum Deum (nec testamentum condenti fas est mentiri) nunquam inter Montanos aut Limitaneos nostros latrones maiorem ingratitudinem, aut perfidiam reperiri posse, quàm inter hos phanaticos nebulones. nec patere, si pacatè viuere decreueris, vt hi eâdem tecum patriâ fruantur, nisi fortè patientiæ experiendæ ergò, vt Socrates vixit cum Xanthippe.

Minus est, quicquid de Puritanis dicere, vel suspicari audet animus, quàm quod Serenissimus ille Rex publicè, eodem in regno, illis ipsis viuentibus iudicauit. Hi ex Britannica, Gallica, Belgica, Germanica praxi sub vmbra imaginarij Regis, veram omnium rerum confusionem machinati sunt, præcipites, audaces, ignei, ad plebem gratiosi, somniantes dominatum, populum circumducen-

tes,

tes, in omni seditione patroni, apud quos omni crimine peius erat te Regem esse. Hæc talia sunt, vt sola possint populo mutationum auido persuadere, melius esse populi regimen quàm Monarchiam. Accedunt tamen illis Pseudopolitici, oleúmque camino, hoc est, publici boni opinionem superstitioni adiungunt. Eorum hæc est sententia: sub Regibus non florere ciuitates, non esse in pretio ingenia, virtutésque, omnia in libertate posita: quos contra in Opere ipso disputo, nunc fontes mali recludo. Hi per seditiosos Theologos adiuti, vbi ad magisterium tribus, curiam, syndicatum, aliúdque munus adrepserint: Primùm populi gratiam aucupantur, magistrátum in odium contemptúmque adducunt, & si fortuna cœptis se accommodet, è sublimi præcipitant; scelera vtilia esse in curia, in cœtu proclamant, quæ sanguinarij Theologi religiosa esse in templis docuerant. Duobus igitur flabris, superstitione & priuati spe commodi populum in facinus impellunt; deinde contagione sceleris imbutũ quæstui habent, donec extremo exitio inuoluant. In hos enim vno semestri plùs, quàm toto decennio in Dominos legitimos impendit.

Altera mali origo est exemplum eorum, qui ex rebellione felices habentur. Maximum illud est allectamentum, cùm conscientiam & religionem Iurisiurandi Theologi suppresserunt, lucellum Politici ostentârunt: si eos, qui à suo Principe defecerunt, florere, & potentes esse demonstrent: vnius porrò nationis bonus successus plus ad inflandos animos stultorum facit, quàm decem eorum, qui rebellione perierunt, ad deterrendos valeant. Atque hæc de doctrina Reipublicæ corruptrice; de qua liberè confidentérque loqui, quandoquidem libri publicè prostant, concessum est. De altero, quo Monarchiæ petuntur; nempe iactatione felicitatis Aristocraticæ, & Democraticæ

breui

breuiùs dicam, quia res ita clara est, vt quidquid verbis dicitur, eò quòd in facto relucet, sit obscurius. De vtroque queritur Serenissimus Angliæ Rex *libro de Iure liberæ monarchiæ:* vulgi enim errorem ab ijs, qui sapientiæ magistri haberi voluerunt, profectum, florentissimis rebus publicis exitium, cæteris metum attulisse. Deinde exemplo rebelliones stabilitas ait: Blandiens fortunæ impietas, quæ non rarò seditiones aduersus Reges concitatas prospero donauit successu, permultos in hoc errore confirmauit. Author est Machiauellus (quem contra libro primo disputo) nullas res publicas nisi liberas florere, monarchias vrbibus esse pernicioſas. Eius vestigia sectati plurimi, ita eorum opes, felicitatémque extollunt, qui ex regio imperio in aliam Reipublicæ formam migrârunt, vt omnes ad imitationem inuitent. Cum Oratoribus, Historicis, Scriptoribus eorum mihi res est, de Republica ipsa mihi nec iudicium sumo, nec alienam litem meam facio. In medio sunt Belgici fœderati prouinciæ, eas ita prædicant, vt regna gentésque in mutua fœdera, societatémque quasi gentis fortissimæ allectare conentur; exiguum Europæ cum Oceano luctantis angulum aiunt libertatis vsurpatione in eam potentiam excreuisse, vt Regibus vel inuidenda sit eius potentia, vel formidanda. Illustrissimos & potentissimos Ordines appellant, omnia eorum in immensum extollunt, aliorum deprimunt. Exemplo sunt non libri modò, & orationes, sed negotiatorum quoque, & agentium in rebus ingentes spiritus, sua mirantium, aliena spernentium. Germaniam antiquam suam Ordinibus dedicat Philippus Cluuerius: primam ac maximam causam ita recenset: Quòd nominis Germanici, ait, iam antiquissimis temporibus ob libertatis auitæ immensum studium, ac fortissimam defensionem Romanis iuxtà ac Græcis monumentis

tis celebratissimi claritudinem VOS NVNC VNI, cum vicinis & fœderatis vestris ijsdem rebus, quibus olim maiores vestri per vniuersum terræ orbẽ apud omnes gentes, populos, atq; Reges sedulò summa cũ laude ac gloria tuemini. Ecce quàm ille basilicè? qui suos NVNC VNOS ESSE Germanos putat, alios vel vmbras, vel barbaros. Atq; in eã sententiam omnes eorum scriptores, institoréſq; loquuntur; vt vulgò iã multis locis persuasissimum sit, eorum esse potẽtiam maximam, opes infinitas, societate illorum inuictos omnes fore. Hinc nouæ spes, noua consilia, mutandæ Reipublicæ in quibusdam Europæ partibus, quã dira, tam calamitosa cupiditas. Hinc bella ciuilia, sed odio barbaro grassantia, cædes, & belluinæ crudelitatis multis locis exẽpla vidimus; dum per fas & nefas ad potentiam, quam in finitimis mirantur, sese accendunt. Hac in doctrina exemplíſq; falli pleroſque, in tractatu meo ex præstãtissimorum virorum sententia, atq; omnium ætatum cõsuetudine, vsúque docebo. Ad Ordines Batauos, quorum felicitas cæteros ad audendum irritare videtur, quod attinet, me dubiũ faciunt duorum virorum, Sereniſsimi Regis magnæ Britãnicæ, & Barneueltij, aliter sentientium iudicia; duorum inquam, in quorũ altero est authoritas Regia, in altero summa illius Reip. notitia. Regis hæc sententia est voce publicâ anno 1609. in regni Comitijs omnium animis, deinde typis commissa. Ita ille Scotos suos alloquitur; Quod ad confœderatas prouincias attinet, ibi sanè post nuperas inducias, nostrámq; cum Hispano pacẽ humanis omnibus diuinísque permistis ordo Reipub. penè abijt in anarchiam: nec id sine cœlestis Iustitię nutu: Qui enim nostros recipiebãt schismaticos, homines suis opinionibus addictos, & ab Ecclesiæ nostræ vnione auersos; quíq; omnibus religionũ hydris quasi asylũ aperiebant, hi ex tã multiplici cõtagione

nunc

nunc eò redacti sunt, vt quam religionem ipsi tueantur, vix habeant dicere. Itaq; partium nullarum iam facti sunt, sibíque inuicem hostes, quibus antea facilè erat eâdẽ sacrorum pacísque communione nobiscum contineri.

Barneueltij mentem ex Apologia ab illo edita quiuis facilè intelliget. Queritur ille anno 1586. inuenisse se ordinẽ inuersum, ciuitatũ rectores erga Ordines malè animatos, Prędicantes multos non agnouisse Status, plebẽ alienã fuisse, duodecim pro centũ in fœnus & duos nũmos proxeneticis datos, Lycestriũ maiorem quã Status auctoritatẽ habuisse, reditibus fuisse maiora grauamina, plebem & magistratus vrbiũ pacem optasse, multã pecuniam à Frãciæ Britannicæq; Regibus condonatã, eò tamen deuentum, vt expensarũ grauamina omne censuum ac cõtributionum genus quãtumuis adauctarũ, viginti sex millionibus excederent. Deniq; omnia ita aucta, vt Quæstores referrent, sumptus sustineri nõ posse, patriã ad desperationem redigendã, ideò induciarũ suasorẽ se fuisse. Hæc si senex ille inter suos, & rerũ gnaros, tam verè, quã fidenter dicit, valdè mihi illius Reipub. felicitatẽ suspectam facit; cui licèt Reges finitimi plus ducenties & quinquagies centena millia librarũ donârint, ita tamẽ grauârit ciues suos, vt Hollandia & Frisia occidentalis, quę initio vix decies octies cẽtena millia florenorũ conferebant, sub finẽ quadragies cẽtena millia librarum & duos præterea milliones soluere, & tamẽ æs alienum cõtrahere cogerentur. Hæc enim ille omnia profitetur.

Contra hæc tam multa incommoda tenere constanter Rempublicam, hominésq; vel superstitione, vel cõmodorum spe aliorsum actos in viam reducere difficilimum est, quod mihi propositũ fuit, cùm politica aggrederer; id antè me multi fecerunt, quorum vt pleraque præclarissima dicta veneror, ita tres quasi aberrationes & scopulos inuenio,

ad

ad quos ita impingunt, vt aliqui malitiâ, alij affectu, alij verò imprudentiâ Rempublicam offendant. Malitiâ Principem euertunt, qui eum versutum, callidum, obscurum, suspicioſum, maleuolum efficiunt; dúmque cauere & timere iubent, ita eum instruunt, vt quasi feras incluſas contineat ſubditos; quos libros dum ſubditi legunt, indignantur, & dum munire ſe è contrario nituntur, rebelliones concitãtur. Alij nimio affectu pro ſua forma, & idea, quam conceperunt, ita belligerantur, vt alias omnes contemnant. Natus eſt quiſpiam in Democratia, orbem ruiturum arbitratur, niſi de infima plebe ſint cõſules. Si patria eius Ariſtocraticè regitur, vix eos homines putat, qui ſtemmate carent. Vidi nuper ſcriptorem Britannum, qui probare conabatur, omnes gentes, quæ regio imperio non gubernarentur, à lege naturali recedere. Horum ſcripta etſi vnam Reipublicæ formam commendent, in alijs tamen ciuitatibus pernicioſa ſunt. Plurimi imprudentiâ labuntur: nam in Principum vitijs carpendis operoſi ſunt, in legibus præſcribẽdis toti verſantur, ſubditos ad parendum non inſtruunt: cùm parùm referat rectè gubernare, niſi imperanti recta pareatur. Hæc igitur omnia breui complexus, Inuictiſsime Imperator, tuæ Maieſtati dico, dedicóq;, non vt tibi proſint, ſed vt Auguſtæ Maieſtatis titulo nobili iuuentuti commendentur, quam optimis ſaluberrimíſque politices præceptis à teneris imbui oportet, vt aliquando Rempublicam in parte ſibi commiſſa gubernare poſsit. Tuæ verò Maieſtati, quæ in ſupremo orbis terrarum faſtigio locata eſt, opus politicum deberi nemo ambigit, cùm optimi Imperatoris in te exemplar expreſſum intueamur.

Duæ virtutes ſunt in Rege præcipuæ, Pietas & Iuſtitia; Pietatem rerum gerendarum felicitas, Iuſtitiam caritas

fidésque subditorum sequitur. Pietatem tuam non subditi modò, sed hostes etiam persæpè laudârunt. Illa Reges Deo iungit, vt à Deo pendeant, ad Deum omnia referant, ad eius cultum dilatandum maiestatem suam famulam faciant. Duplicem cultum Deo debent; primum, quia Christiani; alterum, quia Reges. Bona sectantur, mala euitant, quia Christiani; bona iubent, mala vetant, quia Reges. Hac regiâ viâ regnãdi ingressum auxilio suo protectionéque te Deus prosecutus est; ita enim magna apud te beneuolentiæ pignora deposuit, vt nusquam paria; ita singularia, vt paucissima similia reperiantur. Archiducem te potentes, pecunioſi, grãdi exercitu subitò imparatum hostes aggressi sunt, pertinacitérque etiam alieno anni tempore institutum bellum continuârunt. In re inopina animum nequaquam despondisti, causam tuam iustæ & omnipotenti Numinis dexterę commendasti, auxilium postulasti. Dedit ille, nec in arcto posito distulit, nec modò bello explicuit, sed stante fato, circumsonantibus periculis, domi nondum securum in Bohemiæ regnum extulit; quod eò admirabilius visum est, quò manifestior apparuit hostium tuorum, & diuini consilij conflictus. Premere fortunam tuam nitebantur, ne in regna, prouinciásque hæreditarias tibi aliquando aditus esset. At habitator cœli, susceptor tuus exaltauit caput tuum, proceréque Bohemiæ permouit, vt te graui bello implicitum, medio in discrimine & belli & æmulorum, Regem coronarent. Noua planè res, nec facilè vlla in historia memorata; vt alieni belli contagione, sumptu & periculo se implicare vellent illi, qui dilato negotio, spectatores esse poterant; sed periculoso tempore id Deus fieri voluit, cùm vt te tam præsenti beneficio erigeret, tum vt hostibus tuis ostenderet, eos contra stimulum calcitrare. Sopito tandem bello, Regem Bohemiæ

Vngari

Vngari petebant, agitabantur magnis planè motibus illa Comitia, cùm ecce in medio rerum tumore clades tristis ex Bohemia adfertur, proceres fidem exuisse, magistratum violasse, magnis animis arma parare; clam, palã, dolis, vi tentabant Vngaros in societatem tæterrimi facinoris impellere. Et sanè nemo fore putabat, vt Vngari in proposito perseuerarẽt, cùm bellum cernerent contra vicinos suscipiendum, si Regẽ coronarent, quẽ viderent ius suum bello persecuturũ. Verũ illi nihil alienâ defectione moti per ipsos te fluctus Deo clauũ tenẽte extulerũt, solióq; celso locârunt.

Necdum periculorum finis, quò & Tuæ Maiestatis constantia, & æternæ Maiestatis erga te beneuolentia inclarescceret. Defecerat Bohemia, finitimæq; prouinciæ; Vngaria subito quasi torrẽte inundabatur, nutabat Austria, sollicitabantur hæreditariæ ditiones, tota in te barbaries concitabatur. His tamẽ omnibus grauior erat hostiũ insolentia, insultationésq;. Deus autẽ protector Regum, iuris vindex, & æqui, tã turbida consilia, tã multiplicẽ potentiã ad nihilum redegit, & tua tibi pericula glorioſa fecit. Cùm enim in Vngaria Bohemiáq; bello premereris, cùm ex Batauia, Britanniáq; minæ iactarentur, tota Germania esset maximo metu euentorũ suspensa: Principes Electores Dei nutũ secuti, tuâ virtute cõfisi vnanimi cõsensu, omnibus suffragijs Augustum te, Dominúmq; rerũ cõstituerunt; & Imperij diademate, insignibúsq; ornato fidẽ iureiurãdo astrinxerunt. Idq; tanto animo, ac si omnia illa regna magnatésq; Imperium tibi per legationes popposcissent. Nec modò illi, quorũ de tua virtute verũ erat iudiciũ, & constans beneuolẽtia obseruantiáq;, cõsensu elegerunt, sed ille quoq;, qui Bohemorũ electionẽ admisit, suffragiũ tibi negare à Deo permissus nõ est, singulare prorsus atq; insigne diuini fauoris argumentũ. Mihi nihil admirabilius videri solet, quã misera illa

hostium tuorum in consilijs vacillatio. Tunc, cùm vel paruo, vel nullo labore nocere plurimum potuissent, in camo & freno ora eorum sunt constricta, eóq; ipsi adducti, vt id facerent, quod diuina manus fieri decreuit, cùm iam vires eorũ fractæ, tuæ firmatiores essent, liberiores habenas permisit, ne lateret quid cogitassent. Quid enim Vngari facere potuerint, Te Bohemicis bellis implicato, ex eo constat, quod postea fecerunt, cũ ęmulos tibi opposuêre, & rebellârunt tanquã alieno. Quàm admirandũ est Vngaros, alióſq; ad famam Bohemicæ defectionis nec fidem, nec suffragia mutasse? at sanè ille transitus rebus securè nouandis opportunus erat. Quin etiã est insigne diuinæ benignitatis argumẽtum, quod nec tergiuersatione, nec tumultu Comitia Imperij vel differre, vel impedire potuerũt; sed omniũ stratagematũ obliti, summâ te Imperij auctoritate & potentiâ armârunt, vt mundo cõstet vniuerso, se non modò iniusta bella cõtra innocentem, sed etiã impia contra Dominũ suum Imperatorẽq; gerere. Deniq; omnia illa insigni victoriâ, de qua tibi orbis terrarũ gratulatur, ornauit auxiliator tuus, & dona sua sine pœnitẽtia esse ostendit. Ecce tibi fructũ pietatis, quæ fructũ habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

Altera virtus Imperatoria est Iustitia, cui seruandę Princeps est constitutus, aliæ virtutes singulares sunt, Iustitia aliorum est. Principis fidei est commissa Iustitia, eius contemptus pestis est ciuitatis. Atque hæc fuit, quæ omnium tibi animos conciliauit, de cura iuris & æquitatis, quam in priuatorũ causis præstitisti, quæ tanta fuit, vt contra tribunal tuũ nemo questus sit, vt etiã illi, qui Religionem tuam non amabant, te vt Iustitiæ patronum sibi Principem poscerent; nunc fileo. Insigne est illud Iustitiæ trophæum, & vniuersæ Europæ amabile, quòd causam status & regnorũ disceptationi permittere maluisti, quàm bello agere, & sangui-

sanguinem fundere. Quocirca videmus causam tuam non modò pleriſque Principum Imperij, ſed exteris etiam, Frã-co, Polono, Dano, Sueco, imò & inimici tui ſocero probatam, qui pernicioſo exemplo, etiam ſibi periculoſo, generum in regnum alienum euehi noluit.

Amorem erga te ſuum fideles ſubditi ſatis, ſupérque declarârunt, qui quamuis decepti, & præſidijs preſsi, vt primùm potuerunt, tuis ſe ducibus dediderunt, quin agricolæ, quorum eſt de iuſto & æquo Principe ſincerius iudiciũ, & integerrimus amor, vbi tui exercitus auxilia ſensêre, mox ſeſe iunxerunt, multos tibi infideles, ſibi graues occiderũt, milites aduerſarios, quibus ira victoris pepercerat, innoxios diſcedere non permiſerunt. Partâ victoriâ non minùs Auguſtanæ Confeſsionis conſortes, quàm Catholici triumphârunt, quòd tyrannide Caluinianâ ſe quoque liberatos aduerterunt.

Magno igitur animo iuſtitiam tuere & reſtitue. Maxima hominũ pars amica eſt iuſtitię, illa amore tui, beneficióque deuincta Imperium tuum ſecundùm Deum muniet. In hac quoq; turba ego fauſta tibi apprecor, atq; indies oro: *Domine ſaluum fac Regem.* Tu verò accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſsime. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatẽ, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię prę conſortibus tuis. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiã, & deducet te mirabiliter dextera tua. Procede igitur proſperè & regna. Hoc votum meum eſt, & votum omnium veræ pacis iuſtitiæqúe amantium. *Moguntiæ Anno* 1620. *die* 17. *Decembris, quo publica lætitia pro recuperata Bohemiacũ ſubditis ſuis DEO OPT. MAX. gratias agebat, & tuæ Maieſtati gratulabatur Reuerend.mus & Illuſtr.mus Ioannes Swikardus ſanctæ Sedis Moguntinæ Archiepiſcopus, tuus per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, & pro tua totiúſque Imperij incolumitate noua vota nuncupabat.*

FACVLTAS
REVERENDISSIMI DOMINI,
D. STEPHANI WEBERI EPISCOPI MYSIENSIS, REVERENDIS.mi
ET ILLVSTRIS.mi ARCHIEPISCOPI MOGVNTINI
Suffraganei, SS. Theologiæ Doctoris &
librorum Censoris.

OBLATI *sunt nobis decem libri Politicorum, à R. P. Adamo Contzen Societatis IESV sacerdote, & in alma nostra Academia Moguntina Doctore, & Professore ordinario compositi; atque ab eiusdem facultatis Theologis, alijsque censi, & approbati: Quare vt ad communem vtilitatem typis mandentur, permittimus. Cùm verò in eisdem de vniuersæ Reipublicæ institutione, causis, fine, legibus, Magistratibus, potentiâ, seditionibus etiam, & bellis auctor disputet: & tam ex diuinis literis, sacris Concilijs, Patrum scriptis, Theologiæ, & Canonum decretis, quàm naturali ratione, iure ciuili, Principum instítutis, & factis, Regnorum consuetudinibus, & priscæ, recentisque historiæ exemplis, Reipublicæ feliciter administrandæ regulam, modumque demonstret, eos priuatis pariter, & in Magistratu positis vtiles fore confidimus. Moguntiæ Anno 1621. 6. Maij.*

Stephanus VVeberus Episcopus Mysiensis,
Suffraganeus Moguntinus, qui suprà, in fidem subscripsit.

APPROBATIO.

HOs decem Politicorum libros à P. ADAMO CONTZEN Societatis nostræ Theologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis lectos & approbatos, ego IOANNES COPPERVS, Societatis IESV apud Rhenum Prouincialis, concessâ mihi potestate ab Admodum R. P. N. MVTIO VITELLESCIO, Societatis nostræ Præposito Generali, typis mandari permitto. Moguntiæ die 22. Aprilis, Anno 1620.

Ioannes Copperus.

PRIVILEGIVM
CAESAREVM.

CVM Sacræ Cæsareæ Maiestatis decreto omnibus ac singulis Typographis, & Bibliopolis, ac alijs quamcunq; librariam negociationem exercẽtibus seriò firmitérque inhibeatur, ne quisquam vllos libros à nostris Patribus hactenus editos, vel in posterum edendos, intra S. Rom. Imperij, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Maiestatis hæreditariorum fines, simili, vel alio characteris genere, aut formâ, siue in toto, siue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, vendere & distrahere, clam, seu palàm, citra iudicium ac testimonium supradictorum Patrum audeat, vel præsumat: Concedo ego Ioannes Copperus, Societatis IESV per Rheni prouinciam Præpositus Prouincialis (potestate mihi ad id factâ ab Admodum R. P. N. Generali Mutio Vitelleschio) Ioanni Kinchio Ciui & Bibliopolæ Colonienſi facultatem excudendi hos decem Politicorum libros à Patre Adamo Contzen, Societatis nostræ Theologo conscriptos, atque à deputatis ad id Theologis lectos & approbatos. In quorum fidem hoc ei testimonium manu nostrâ subscriptum, & sigillo munitum dare voluimus. Moguntiæ die 22. Aprilis, Anno 1620.

Ioannes Copperus.

CATALOGVS
PRÆCIPVVS AVCTORVM HOC OPERE CITATORVM, OMISSIS HODIERNI TEMPORIS SECTARIIS.

A.

Abdias Babylonius.
Adradius.
Ægidius Romanus.
Ælianus.
Ælius Lampridius.
Æmilius Probus.
Æneas Syluius.
Æschines.
Æschylus.
Agapetus.
Agathias.
Agellius.
Albertus Krantzius.
Alexander ab Alexandro.
Alexander I. Papa.
Alexander III. Papa.
Alphonsus à Castro.
Alphonsus Salmeron.
Aluarus Pelagius.
Ambrosius.
Ammianus.
Anacletus Papa.
Andreas Fornerus.
Andreas Masius.
Andreas Vega.
Anicetus Papa.
Antigonus.
Antiochenus.
Antoninus.
Antonius Gueuara.
Antonius Minander.
Antonius Senensis.
Apollonius.
Appianus.
Aquila.
Aristeides.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Arrianus.
Athanasius.
Athenæus.
Augustinus Aurelianensis Episc.
Augustinus Triumphus.
Auicenna.
Ausonius.

B.

Bacchylides.
Boëtius.
Barbatus.
Bartholus.
Basilius Magnus.
Beatus Rhenanus.
Bembus.
Bernardus Abbas Clar.
Bernardinus Mendoza.
Bias.
Bodinus.
Bonesius.
Bonfinius.
Bonifacius Archiepiscopus Mogunt.
Bozius.
Buccardus.
Budæus.

C.

Cælestinus.
Cæsar Baronius.
Caietanus.
Callistus Papa.
Canus.
Cardanus.
Caroli Magni constitutiones.
Carolus Sigonius.
Casaubonus.
Cassianus.
Cassiodorus.
Cato.
Cedrenus.
Chalcondylas.
Chares Mityl.
Choniates.
Christianus Adrichomius.
Chrysostomus.
Cicarella.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Clemens I. Papa.
Codinus.
Cœlius Rhodiginus.
Columella.
Conciliator.
Concilia.
Agathense.
Ancyranum.
Antiochenum.
Arelatense.
Aquileiense.
Aquisgranense sub Stephano V.
Augustanum sub Ottone.
Aurelianense II. & III.
Basileense.
Bracarense.
Carthaginense III. & IV.
Chalcedonense.
Claromontanum.
Colonienſe I. & II.
Constantiense.
Constantinopolitanum.
Dilingense.
Emeritanum.
Epaunense sub Gelasio I
Ephesinum.
Florentinum.
Gerundense.
Granatense.
Laodicenum.
Lateranense I.
Lateranense sub Leone X.
Lateranense sub Innocentio. III.
Lateranense sub Alexandro III.
Londinense.
Lugdunense sub Gregorio X.
Matisconense.
Mediolanense. I. II. III. IV. & V.
Meldense.
Moguntinum sub Carolo Magno.
Moguntinum sub Rabano.
Moguntinum sub Richolpho.
Moguntinum sub Sebastiano.
Nannetense.
Nicenum I. II.
Oxonienſe.
Parisiense.
Pictauiense sub Paschali.
Rauennatense sub Honorio IV.
Romanum sub Martino.
Romanum IV. sub Symmacho.
Romanum sub Nicolao II.
Romanum sub Gelasio.
Salisburgense sub Gregorio X.
Senense Prouinciale.
Sardicense.
Taraconense.
Toletanum I III. IV.
Treuirense sub Ioanne.
Tiburiense.
Tridentinum.
Trullanum.
Valentinianum.
Venetum sub Leone I.
Viennense sub Clemente V.
Constantius Presbyter.
Cordubensis.
Cornelius à Lapide.
Cornelius Tacitus.
Couarruuias.
Crispus Salust.
Cromerus.
Ctesias.
Cuiacius.
Curopalata.
Curtius.
Cyprianus.

Cyria-

Cyriacus Papa.
Cyrillus.

D.

DAmasus Papa.
Delrio.
Democritus.
Demosthenes.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.
Dio Nicæus.
Dion Prusiensis Græcus.
Dioscorides.
Dionysius Areopagita.
Dominicus Bannes.
Dominicus Iacobatius.
Dominicus Soto.
Donatus.
Driedo.
Dubrauius.

E.

EGnatius.
Emmanuel Sa.
Ennius.
Epictetus.
Epicurus.
Epiphanius.
Euagrius.
Eunapius.
Eurypides.
Eusebius.
Eustathius.
Eutropius.

F.

FAber.
Festus.
Flauius Iosephus.
Flauius Vopiscus.
Florus.
Forcatulus.
Franciscus Soarez.
Franciscus Turrianus.
Frontinus.
Fulgentius.
Fulgosius.

G.

GAbriel Biel.
Gabriel Vasquez.
Galenus.
Gelasius Papa.
Gellius.
Gerson.
Gesnerus.
Godescalcus Stevvegius.
Gorionides.
Gregoras.
Gregorius de Valentia.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.
Gregorius VII.
Gregorius Tolosanus.
Gregorius Turonensis.
Guilhelmus Parisiensis.
Guilhelmus Tyrius.

H.

HAimo.
Halicarnassæus.
Hector Boëthius.
Hegesippus.
Heliodorus.
Henricus Henriquez.
Henricus Kalteisen.
Hermogenes.
Herodianus.
Herodotus.
Hieronymus Abbas.
Hieronymus Ecclesiæ Doctor.
Hieronymus Manfredus.
Higynus Papa.
Hilarius.
Hincmarus.
Hippocrates.
Hippolytus.
Hirtius.
Historia Armeniæ.
Homerus.
Horatius.
Hormisda Papa.
Hostiensis.
Hugo Victorinus.

I.

IAcobus Gaulterus.
Iacobus Gretserus.
Iacobus Pontanus.
Ignatius Martyr.
Innocentius Papa.
Ioannes Cochleus.
Ioannes de Salas Castellanus.
Ioannes Magnus.
Ioannes III Papa.
Ioannes Polemar.
Ioannes Roberti.
Ioannes Sacroboscus.
Ioannes Turricremata.
Iosephus Scaliger.
Irenæus.
Isidorus.
Isocrates.
Iulianus Episcopus Coënsis.
Iulius Capitolinus.
Iulius Cæsar.
Iulius Clarus.
Iulius Scaliger.
Iustinianus.
Iustinus Martyr.
Iustus Lipsius.
Iuuenalis.

L.

LActantius.
Laërtius.
Lælius Biscíola.
Læuinus Torrentius.
Laurentius Surius.
Leonardus Lessius.
Leonicerus.
Leo Papa.
Lindanus.
Lorippus.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.
Ludouicus Granatensis.
Ludouicus Viues.

M.

MAchiauellus.
Macrobius.
Mamertinus.
Marcellinus.
Marcellus Papa.
Marcianus Palladia.
Marcus Tullius Cicero.
Mariana.
Martialis Papa.
Martianus.
Martinus Becanus.
Martinus Laudensis.
Maximilianus Sandæus.
Medina.
Menander.
Minutius.
Modestinus.
Mœcenas.
Molina.
Moschus.

N.

NAumachius.
Neubrigensis.
Nicephorus.
Nicetas.
Nicolaus Bellus.
Nicolaus I. Papa.
Nicolaus Serarius.
Nicolaus Trigautius.
Nonius.

O.

OLaus Magnus.
Onuphrius.
Oppianus.
Optatus Mileuitanus.
Origenes.
Orosius.

P.

PAmmelius.
Panormitanus.
Papinianus.
Paulinus.
Paulus Castrensis.
Paulus Diaconus.
Paulus Ægineta.
Paulus Æmilianus.
Pausanias.
Persius.
Petrus Chrysologus.
Petrus Damiani.
Petrus Iarricus.
Petrus Rebuffus.
Philastrius.
Philemon Comicus.
Philippus Cominæus.
Philo.
Philostratus.
Phocylides.
Pindarus.
Pius I. Papa.

Plato.

Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pollux.
Polyænus.
Polydorus.
Pomponius.
Possidius.
Prateolus.
Priscus.
Proclus.
Procopius.
Prosper.
Prudentius.
Publius Ouidius Naso.
Publius Valerius Martialis.
Publius Virgilius Maro.

Q.

Q Vinctilianus.

R.

R Abanus Archiepiscopus Mogunt.
Radulphus Tungrensis.
Ranzouius.
Regulæ Societ. Iesu.
Robertus Bellarminus.

S.

S Abellicus.
Saluianus.
Sanderus.
Seneca.
Seuerinus Binius.
Sibrandus Lubbertus.
Sigebertus.
Silius.
Simocatta.
Sixtus I. Papa.
Sixtus Senensis.
Socrates Philosophus.
Socrates Historicus.
Sozomenus.
Spartianus.
Statius.
Strabo.
Stobæus.
Suetonius.
Suidas.
Syluester.
Syluester Papa.
Symmachus.
Synesius.

T.

T Elesphorus Papa.
Tertullianus.
Theocritus.
Theodoretus.
Theodorus.
Theodotion.
Theognis.
Theophilus.
Theophrastus.
Theophylactus
Theopompus.
Thesaurus polit. de Turc. Imp.
Theulphus.
Thomas Aquinas.
Thomas Sanchez.
Thomas Waldensis.
Thrithemius.
Thucydides.
Tibullus.
Titus Liuius.
Trebellius Pollio.
Trebonius.
Turnebus.

V.

V Alerius Maximus.
Valerius Reginaldus.
Varro.
Vegetius.
Vesalius.
Victor.
Vida.
Villalpandus.
Vincentius Beluacensis.
Vincentius Lyrinensis.
Vitruuius.
Vlpianus.
Volaterranus.
Volcatius.
Vrbanus I. Papa.

X.

X Enophon.
Xystus Papa.

Z.

Z Onaras.
Zosimus.
Zepherinus Papa.



INDEX
CAPITVM DECEM LIBRORVM POLITICORVM.

POLITICORVM LIBER primus.

Caput I. Scribendi de Republica causa.
Cap. II. Doctrinæ ciuilis necessitas, vtilitas, dignitas.
Cap. III. Reipublicæ definitio.
Cap. IV. Causa materialis Reipublicæ.
Cap. V. Rempublicam non à fato, nec casu aut fortuna, sed à Deo esse.
Cap. VI. Rempublicam à Deo dependere, sacræ Scripturæ sententijs probatur.
Cap. VII. Ex Danielis prophetia probatur Regna à Deo dependere.
Cap. VIII. Rempublicam à Deo dependere testimonijs Christianorum ostenditur.
Cap. IX. Rempublicam à Deo esse & dependere ex prædictionibus aliys cognoscitur.
Cap. X. Regna à Deo gubernari, ex dictis impiorum & infidelium ostenditur.
Cap. XI. Ratione docetur prouidentiâ diuinâ omnia gubernari.
Cap. XII. Rempublicam à Deo regi, exemplis ostenditur.
Cap. XIII. Obiectiones Atheorum dissoluuntur.
Cap. XIV. Forma Reipublicæ, eaq; varia.
Cap. XV. Prima Reipublicæ species est Monarchia, eaq; multiplex.
Cap. XVI. De vitiosa Monarchiæ forma, quæ Tyrannis dicitur, eius ortus, proprietates, delectatio.
Cap. XVII. Aristocratiæ definitio & consideratio.
Cap. XVIII. De Oligarchia, quæ est ex corrupta Aristocratia.
Cap. XIX. De politia præsè sumpta, seu populari forma Reipublicæ.
Cap. XX. De Democratia, quæ est vitium politiæ præsè sumptæ.
Cap. XXI. Optimam Reipublicæ formam esse Monarchiam ex Aristocratia, & politia temperatam.
Cap. XXII. Rationes pro Optimatum, & populari regimine infixmas esse.
Cap. XXIII. Opinio Machiauelli de Monarchia, & eius rationes refutantur.
Cap. XXIV. Magistratum patriæ obligatum esse.
Cap. XXV. Præstat principem esse hæreditarium, quàm eligi.
Cap. XXVI. Fœminarum imperia, sed rarò admittenda.

POLITICORVM LIBER secundus.

Cap. I. Connexio & ordo duorum sequentium librorum.
Cap. II. Finis Reipublicæ est illius beatitudo.
Cap. III. In Republica virtutem necessariò colendam esse.
Cap. IV. Impia Machiauelli doctrina refellitur.
Cap. V. Sine vera virtute & pietate non posse Rempublicã gubernari, docetur ex sacris litteris.
Cap. VI. Omnes viri sancti felicitatem Reipublicæ ex virtute æstimarunt.
Cap. VII. Sanctis Patribus consentire principes pios.
Cap. VIII. Iuris ciuilis testimonijs docetur in Republica religionem seriò colendam esse.
Cap. IX. Iudicio hominum impiorum omnem priuatam & publicam felicitatem à virtute esse.
Cap. X. Ex natura virtutis docemur, eam esse Reipublicæ necessariam.
Cap. XI. Amicitia & concordia sine virtute esse non potest.
Cap. XII. Exempla docent impijs infeliciter, bonis prosperè res cessisse.
Cap. XIII. Simulationem virtutis & præcipuè religionis esse noxiam Reipublicæ.
Cap. XIV. Superstitionem ex Republica tollendam.
Cap. XV. Machiauelli imprudentia & superstitio demonstrata.
Cap. XVI. Princeps in Religione nihil statuat.
Cap. XVII. Ratio veræ religionis conseruandæ.
Cap. XVIII. Modus reducendæ veræ religionis.
Cap. XIX. Alia minora pro reducenda vera religione adiumenta.

POLITICORVM LIBER tertius.

Cap. I. Omnes virtutes morales in bene cõstituta Republica requiri.
Cap. II. Prudentia Reipublicæ necessaria, eiusque munus, ac functio.
Cap. III. Magno esse in errore qui principes, magistratumq; prudentes, ciues imprudentes, stolidos, & vt aiunt, simplices malunt.
Cap. IV. Astutiam prudentiæ imitatricem Reipublicæ noxiam esse.
Cap. V. Prudentiæ diligentiam iungendam esse.
Cap. VI. Iustitia principi præcipuè commendata est.
Cap. VII. Rempublicam debere fidem seruare omnibus.
Cap. VIII. Rempublicam erga bene meritos debere esse gratam.
Cap. IX. Principem & Rempublicam oportere esse liberalem.
Cap. X. Reipublicæ necessariam parsimoniam, perniciosam esse prodigalitatem.
Cap. XI. Affabilitatem insigne esse ciuium, & principum ornamentum.
Cap. XII. Pudicitiam magnæ curæ in Republica esse oportere.
Cap. XIII. Moribus bonis, ac pudicis spectacula obesse, ideoque tollenda, aut sola, quæ ad virtutem excitant, retinenda.
Cap. XIV. Sobrietatem Reipublicæ esse firmamentum.
Cap. XV. Iram regnantibus ex æquo, & subditis noxiam esse.
Cap. XVI. Clementiam in omni Republica colendam esse.
Cap. XVII. Omnes in Republicæ ad fortitudinem esse instituendos.
Cap. XVIII. Fortitudinem cruentis spectaculis non acquiri.
Cap. XIX. Rempublicam quamuis potentem, & diuitem, oportere modestia esse tenacissimam.
Cap. XX. Magnanimitatem Reipublicæ, & præcipuè Magistratibus commendatam esse oportere.
Cap. XXI. Omnium virtutum Reginam in Republica maximi faciendam, nempe caritatem.

POLITICORVM LIBER quartus.

Cap. I. Instituenda iuuentutis summa necessitas.
Cap. II. Præcepta institutioni iuuentutis necessaria omnibus data.

Cap.

Cap. III. Curam infantium quoq; conuenire Reipublicæ.
Cap. IV. Infantes institutione quoq; indigere, & quæ illa sit.
Cap. V. Institutio puerorum iam adultiorum, & quibus in rebus illa versetur, & de moribus.
Cap. VI. Iuuentuti præficiendos esse probos, & doctos Magistros.
Cap. VII. Magno delectu ad artium liberalium, & scientiarum studia admittendos esse discipulos.
Cap. VIII. Certa morum Regula studiosis præscribenda.
Cap. IX. Professores scientiarum in honore habendos esse.
Cap. X. Pœnis & plagis moderatis iuuentutem in officio continendam esse.
Cap. XI. Eruditionem Reipublicæ honorificam & necessariam esse.
Cap. XII. Litterarum studium non obesse politicæ prudentiæ siue togatæ, siue militari.
Cap. XIII. Academias, & Gymnasia publica instituenda esse.
Cap. XIV. Professoribus & studiosis priuilegia danda, & quæ conueniant.
Cap. XV. Plurima alia priuilegia studiosorum esse, & quænam illa.
Cap XVI. gradus & honores legitimè cõferri eruditis, eosque magni faciendos esse.
Cap. XVII. Enumeratio eorum quæ discenda sunt.
Cap. XVIII. Grammaticæ institutiones quomodo docendæ.
Cap. XIX. De Poësi.
Cap. XX. Eloquentia solutæ orationis.
Cap. XXI. Ratio, & methodus discendæ eloquentiæ.
Cap. XXII. Posse principem professores habere, qui hæc omnia præstent.
Cap. XXIII. Philosophia vtilis est Reipublicæ, & quomodo docenda.
Cap. XXIV. De studio Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Matheseos.
Cap XXV. Medicinæ curam esse oportere maximam.

POLITICORVM LIBER quintus.

Cap. I. Ratio instituta de legibus disputationis.
Cap II. Definitio legum, & diuisio.
Cap. III. Legum necessitas atque vtilitas.
Cap. IV. Materia legum varia est.
Cap. V. Legislator Magistratus est, aut tota Respublica.
Cap. VI. Finem legis esse facere viros & ciues pariter bonos.
Cap. VII. Legem communitati impositam esse, & propter commune bonum.
Cap. VIII. Effecta legis exposita & officia.
Cap. IX. Non omnibus legibus etiam iustis conscientias obligari, quibusdam verò æqualiter astringi.
Cap. X. Leges pœnales necessarias esse, variéque obligare.
Cap. XI. Leges paucas esse optimum est.
Cap. XII. Leges iustas, æquabiles, moderatas esse oportere.
Cap. XIII. Leges haud facilè mutandas esse.
Cap. XIV. Legem æternam esse aliquam, & omnium legum fontem esse.
Cap. XV. De adiunctis legum humanarum, & inprimis de interpretatione.
Cap. XVI. Leges quandoque cessare, quamuis non abrogentur.
Cap. XVII. Legem iustam de causa abrogari posse.
Cap XVIII. Priuilegia concedenda, sed meritis & moderatè.
Cap. XIX. Legislatori summam rationem consuetudinis habendam.
Cap XX. Princeps legibus astringitur.
Cap. XXI. Veterem legem moribus, & politiæ vtilem fuisse.
Cap. XXII. Antinomos Republicâ pellendos esse.
Cap. XXIII. Legem diuinam scriptam Reipublicæ necessariam à Catholicis solis rectè intelligi atque obseruari.
Cap XXIV. Iniuria nos de praua versione, & interpretatione diuinæ legis accusari.
Cap. XXV. Sectarios habere veram Dei legem non posse.
Cap. XXVI. Legem diuinam scriptam verè difficilem esse.
Cap. XXVII. Lectionem diuinæ legis à nobis non prohiberi.
Cap. XXVIII. Legi scriptæ traditam legem coniungi.
Cap. XXIX. Iuris studium principibus & priuatis commẽdatum.

POLITICORVM LIBER sextus.

Cap. I. Magistratus sine adulatione instruendi sunt.
Cap. II. Magistratum Reipublicæ necessarium esse.
Cap. III. Magistratus duplex, Ecclesiasticus, ciuilis.
Cap. IV. Sacrificium Christianum, eiusque ratio.
Cap. V. De primario Sacerdotij Christiani officio, & veritate SS. Eucharistiæ.
Cap. VI. Psallendi in Ecclesia officium esse Clericis demandatum sanctéque colendum.
Cap. VII. Horas canonicas, & vigilias in Ecclesia vsitatas fuisse & esse.
Cap. VIII. Ecclesiasticos posse rerum & controuersiarum ciuilium esse iudices.
Cap. IX. Contra sectarios Prælatorum iurisdictio ciuilis defenditur.
Cap. X. Vita Ecclesiasticorum laudabilis commendata.
Cap. XI. Reformationem Cleri ad normam Apostolicam seriò vrgendam esse.
Cap. XII. Reformationis ratio facillima est delectus ordinandorum.
Cap. XIII. Doctrina, aliæque dotes ordinandorum.
Cap. XIV. Visitationes frequentes esse oportere.
Cap. XV. Ratio visitationis in concilio Mediolanensi 4. præscripta.
Cap. XVI. Clericorum delicta seuerius puniendi, quàm Laicorum.
Cap. XVII. Ad bonos mores Ecclesiasticorum facere plurimum vitam communem.
Cap. XVIII. Capitula disciplinæ causâ instituta esse, & eorum modus.
Cap. XIX. Varij Ecclesiasticorum ordines.
Cap. XX. De Pontifice Romano.
Cap. XXI. Immeritò multi odio Romani Pontificis à vetere Ecclesia secessionem faciunt.
Cap XXII. Aliæ causæ, cur à nobis recesserint, iniustæ.
Cap. XXIII. Angelus Apocalypsis 14. 6. Lutherus non est, nec is contra Pontificem audiendus.
Cap. XXIV. Verbis Danielis cap. 7. 21. & 8 vers. 23. non describitur Romanus Pontifex.
Cap. XXV. Papa non putat, quòd possit mutare tempora & leges.
Cap. XXVI. Tradi in manus per tempus, & tempora, & dimidium temporis ad Pontificem non pertinet.
Cap. XXVII. Capite 8. vers. 23. de Pontifice non prophetat Daniel.
Cap. XXVIII. Quæ Danielis Cap. 11. vers. 31. & sequentibus dicuntur, ad Pontificem non pertinent.
Cap. XXIX. Ex eo, quòd dicatur Antichristus fore in concupiscentijs fœminarum, non rectè Pontifex accusatur.
Cap. XXX. Deus Maozim non est sacrificium Missæ.
Cap. XXXI. Reges Austri contra Papam pugnaturi non sunt.

Cap.

Cap. XXXII. Pontifex non est collocaturus tabernaculum inter duo maria, & capturus AEgyptum.
Cap. XXXIII. Bestiæ Apocalypticæ c. 13. ad Pontificem non pertinent.
Cap. XXXIV. De ijsdem Bestijs, ex cap. 13. Apocal. à versu 11.
Cap. XXXV. Pontifici ad consilia gubernationesq; iungi Cardinales.
Cap. XXXVI. Patriarcharum dignitas proxima est Pontificiæ, deinde Primatum & Archiepiscoporum.
Cap. XXXVII. De opinione sectariorum ordinem Hierarchicum vel admittentium vel repudiantium.
Cap. XXXVIII. Metropolitanorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Chorepiscoporum officia moribus & Reipublicæ necessaria, vtilia.
Cap. XXXIX. Episcoporum officium summè necessarium, varium, eius dignitas, &c.
Cap. XL. Præpositorum, Decanorum, Primiceriorum, aliorumque munia.
Cap. XLI. Canonicorum instituta in Ecclesia laudabilia, & leges de illis salutares.
Cap. XLII. Opes Ecclesiarum magnas religioni & politiæ vtiles esse.
Cap. XLIII. Contra Ecclesiarum diuitias quæ obijci solent.
Cap. XLIV. Multitudinem cleri probandam esse.
Cap. XLV. Parochiæ augendæ, ornandæ.
Cap. XLVI. Monachorum varia instituta Reipublicæ vtilia esse, & eorum modus ac ratio.
Cap. XLVII. Sacrarum virginum cœtus, leges, gubernatio.
Cap. XLVIII. Epilogus, & cohortatio ad clerum, vt perfectæ Euangelicorum præceptorum obseruationi studeat.

POLITICORVM LIBER septimus.

Cap. I. Varia Magistratuum ratio.
Cap. II. Monarchæ creandi ratio.
Cap. III. Monarcharum vnctio, & coronatio rectè vsurpatur.
Cap. IV. Regibus magnos honores exhibendos.
Cap. V. Alij honores regibus exhiberi soliti.
Cap. VI. Potestas principum magna, sed varia.
Cap. VII. Reipublicæ præcipuam curam esse, vt idoneis mandet dignitates & magistratus.
Cap. VIII. Ratio viros bonos ad gubernationem erudiendi.
Cap. IX. Visitandos esse magistratus.
Cap. X. Magistratus haud facilè mutandos.
Cap. XI. Tales creandos magistratus minores, qui possint promoueri ad dignitates maiores, & non contemnendos honores inferiores ab ijs, qui gesserunt maiores.
Cap. XII. Generalis magistratuum diuisio ex modo practico Reipublicæ.
Cap. XIII. Senatum idoneum legendum esse, eiusque leges, itemque de consiliarijs.
Cap. XIV. In monarchia magistratus qui esse soleant post regem.
Cap. XV. Cæsares alijque magistratus proximi Monarchis.
Cap. XVI. Aulæ Regiæ constitutio.
Cap. XVII. Comitum consideratio.
Cap. XVIII. Romani consulatus consideratio.
Cap. XIX. Magistratus consulatui similes.
Cap. XX. Dictaturæ & censuræ consideratio.
Cap. XXI. Magistratuum prouincialium ordo, & officia.
Cap. XXII. Iudicum in Republica ratio constituta.
Cap. XXIII. Aliarum Rerumpublicarum iudicia Tribunalia.
Cap. XXIV. Iudicum administri.
Cap. XXV. Cancellariatus consideratio.
Cap. XXVI. AEdilium magistratus & officia.
Cap. XXVII. Annonæ præfectos magna cura constituendos.
Cap. XXVIII. Tribunorum plebis consideratio.
Cap. XXIX. Quæstorum & administratorum ingens cura.
Cap. XXX. Ministri magistratuum.
Cap. XXXI. De regno Sinensi.
Cap. XXXII. Catalogus magistratuum, & officiorum Imperij Romani, aliarumque Rerumpublicarum quarundam.

POLITICORVM LIBER octauus.

Cap. I. Potentiæ humanæ definitio, eius imbecillitas.
Cap. II. Potentia acquirendæ & augendæ princeps studere debet.
Cap. III. Potentia duplex: domestica, externa.
Cap. IV. Potentia in quibus consistat, & de eius capite, quod est auctoritas.
Cap. V. Diuitias principi quærendas esse.
Cap. VI. Varij modi diuitiarum acquirendarum.
Cap. VII. Tributa legitimè pendi, eorumque modus.
Cap. VIII. Munera personalia non minus vtilia tributo.
Cap. IX. Honesta ad opes via, nec cuiquam molesta, bona Oeconomia.
Cap. X. Mercaturam augendam.
Cap. XI. Agriculturam ante omnia curandam, & ornandam.
Cap. XII. Principi fossilium rerum precia conquirenda esse.
Cap. XIII. Parsimoniam summum vectigal esse.
Cap. XIV. Potentiam legibus sumptuarijs mirabiliter augeri.
Cap. XV. Aliæ honestæ, & subditis vtiles rationes, quibus opes Reipublicæ firmantur.
Cap. XVI. Modi pecuniæ colligendæ ab Aristotele lib. 2. Oeconom. recensiti, alijque similes.
Cap. XVII. Modi iniquè congerendi pecunias.
Cap. XVIII. Alio modo eos, qui mutuo egent, adiuuandos.
Cap. XIX. Aliæ quoque rationes cogendæ pecuniæ, vsitatæ & damnatæ.
Cap. XX. Nobilitatis defensio principem potentem facit.
Cap. XXI. Potentiam commeatibus in vsum comportatis stabilem esse.
Cap. XXII. Potentia præcipua in ciuitatibus firmis, & populosis.
Cap. XXIII. Arces ad potentiam conseruandam vtiles & necessarias esse.
Cap. XXIV. Fœdera ad potentiam facere plurimum.

POLITICORVM LIBER nonus.

Cap. I. Damna Rerumpublicarum multa, & grauia esse, & quæ ad politicum præcipuè pertineant.
Cap. II. Seditionem grauissimum malum esse.
Cap. III. Seditiones esse frequentissimas.
Cap. IV. Seditiones, & coniurationes tempore Monarchiæ.
Cap. V. Constantinopolitanum imperium seditione, rebellioneque agitatum esse.
Cap. VI. Aliarum Rerumpublicarum seditiones.
Cap. VII. Osmanidarum seditiones.
Cap. VIII. Seditionum, & tumultuum causæ ex parte Rectorum.
Cap. IX. Seditionum causæ ex subditis.
Cap. X. De seditionibus ex Religione vberius disputatum, & Reipublicæ ac religionis status anno 1617.
Cap. XI. Status Religionum Europæarum, fidoctrinam & doctores spectes.
Cap. XII. Seditionum improuisa & ex paruis rebus origo.
Cap. XIII. Fortuita interdum seditionis causam præbere.
Cap. XIV. Ordo, & via seditionum concitandarum.
Cap. XV. Remedia contra seditiones, & bella ciuilia.
Cap. XVI. Variæ rationes coërcendarum seditionum à diuersis vsurpatæ.

Cap.

Cap. XVII. Pax publica non à Catholicis, sed à sectarijs seditionibus turbata est.
Cap XVIII. Pacem ciuilem in Romano Imperio obtineri vix posse, quàm diu Prædicantes pacem Ecclesiasticam turbant.
Cap. XIX. Experientia docet, religionum diſsidia pacem Reipublicæ turbare.
Cap. XX. Concordia religionum Principi commendata.
Cap. XXI. Discordiarum suarum incommoda ipsos Sectarios sentire.
Cap. XXII. Posse pacem Religionis constitui in Germania.
Cap. XXIII. Non posse esse pacem in mistione Religionis, & politica quadam moderatione.
Cap. XXIV. Non posse seditiones ex Religionibus ortas Syncretismo tolli, ex natura fineque eius docetur.
Cap XXV. Scopum Syncretismi primarium esse, vt violata religionis pace Catholici mactentur.
Cap. XXVI. Secundarium Syncretismi scopum esse duplicē, euersionem Lutheranorum, & seruitutem principum Calumnianorum.
Cap. XXVII. Exemplis Patrum, Catholicorum, Lutheranorum non probari Syncretismum.
Cap. XXVIII. Lutheranos improbare Syncretismum, Catholicos ad tolerandā mala paratos esse oportere.
Cap. XXIX. Ciuilem vnionem quorundam principum non esse pro Syncretismo in Religione adducendam.
Cap. XXX. Ad pacem esse necessarium, petulantiam ingeniorum coërceri.
Cap. XXXI. Arbitros affectibus liberos in pacis tractatione eligendos esse.
Cap. XXXII Interim, dum de pace tractatur, mendacia, & calumnias Prædicantium esse coërcendas.
Cap. XXXIII. Colloquia rectè instituta ad pacē conducere.
Cap. XXXIV. Scriptiones de controuersijs institutas, etsi eristicæ sint, ad pacem tamen vtiles esse.
Cap. XXXV. Certissimam & compendiosam ad pacem viā esse generale Concilium, ostenditur ex scripturis.
Cap. XXXVI. Morem Ecclesiæ esse, vt contra hæreses concilia colligat, atque ita sentire SS. Patres.
Cap. XXXVII. Commodissimam ad pacem viam conciliū, ipsos sectarios sentire.
Cap. XXXVIII. Sectarios nostri temporis concilium habere non posse.
Cap. XXXIX. Amplius ostenditur, nouatores nec synodum, nec pacem habere posse.
Cap. XL Formam concilij ad pacem faciendam collecti oportere sumi ex veteri Ecclesiæ consuetudine.
Cap. XLI. Rationes esse graues, cur Catholici, non aduersarij concilium probent.
Cap. XLII. Concilium Tridentinum suscipiendum esse, vt pax Germaniæ reddatur.
Cap. XLIII. Exceptiones contra concilij auctoritatem inanes esse.
Cap. XLIV. Pacis ineundæ ratio.
Cap. XLV. Pœnæ seditiosorum & rebellionum graues constitutæ sunt.
Cap. XLVI. Bonum ciuem interdum alteri, interdum neutræ parti se iungere.

POLITICORVM LIBER decimus

DE BELLO.

Cap. I. Togatum & Sacerdotem de bello disputare conuenienter posse.
Cap. II. Belli definitio & detestatio.
Cap. III. Bellum esse licitum.
Cap. IV. Iustum bellum esse oportet, & ab eo, qui ius bellandi habet, indici.
Cap. V. Causæ iustæ, ob quas bellum suscipi potest.
Cap. VI. Causæ iustæ, ob quas bella moueri possunt.
Cap. VII. Causæ belli quædam specialiùs expositæ.
Cap. VIII. Causæ bellorum iniquæ.
Cap. IX. Si hostis satisfactionem offerat, mitiùs agendū est.
Cap. X. Maturo & lento consilio ad bella procedendum.
Cap. XI. Bellum etiam iustè gerendum esse.
Cap. XII. Finem belli legitimum & honestum esse oportere.
Cap. XIII. Bellū auxilio Dei, summaq; pietate gerendū esse.
Cap XIV. Bellum parandum maturè & in pace.
Cap. XV. Arma quæ curanda.
Cap. XVI. Arma quibus hostem lædimus cominus.
Cap. XVII. Arma quibus hostem lædimus eminus.
Cap. XVIII. Arma viua.
Cap. XIX. Machinarum bellicarum consideratio.
Cap. XX. Delectum magna cura habendum.
Cap. XXI. Delecti militis virtutes.
Cap XXII. Ducis boni officium & artes.
Cap. XXIII. Princeps aut Rex magno bello ipse interſit.
Cap. XXIV. Disciplina belli commendata.
Cap. XXV. Parato opus esse celeritate.
Cap. XXVI. Militares Magistratus.
Cap. XXVII. Alij in militia Magistratus.
Cap. XXVIII. Militem internum præstare externo: nec tamen negligendum externum.
Cap. XXIX. Ordinarios milites quosdam alendos esse.
Cap. XXX. Romanorum militum diuisio.
Cap. XXXI. Ad victoriam equitem plus facere quā peditē.
Cap XXXII. Castra composita more veterum.
Cap. XXXIII. Castrorum munitiones necessaria.
Cap. XXXIV. Castrorum veterum leges & consuetudines.
Cap. XXXV. Iter militare.
Cap. XXXVI. Fluminum transitus.
Cap. XXXVII. Acies instituenda.
Cap. XXXVIII. Stratagemata pugnantium.
Cap. XXXIX. Aliæ formæ acierum.
Cap. XL. Exemplā acierum varia.
Cap. XLI. Hortatio militaris & responsa exercitus.
Cap. XLII. Antiquam aciem nostro tēpore seruari nō posse.
Cap. XLIII. Præcepta generalia aciei instruendæ, & prælij.
Cap. XLIV. Hostem domi non exspectandum, sed in suo infestandum esse.
Cap. XLV. Non esse boni Imperatoris pugnandi necessitatem imponere.
Cap. XLVI. Stratagemata obsidentium.
Cap. XLVII. Stratagemata obsessorum.
Cap. XLVIII. Fugere interdum licitum est, & quæ in fuga obseruanda.
Cap XLIX. Fugam hosti non facilè intercludendam.
Cap. L. Nauale belli ratio.
Cap. LI. Exploratoribus vtendum esse.
Cap. LII. Proditores quomodo tolerandi.
Cap. LIII. Stipendia moderata & certa constituenda.
Cap. LIV. Commeatus & stipendiorum ratio.
Cap. LV. Missiones militum Romanorum non probandæ Principi.
Cap LVI. Inducias interponi & seruari oportere.
Cap. LVII. Præmia virtutibus distribuenda.
Cap. LVIII. Pœnæ militares.
Cap. LIX. Vetus militia cum nostra cōparata, quò ad arma.
Cap. LX. Comparata disciplina militum nostrorum cum Romanis.
Cap. LXI. Victoriā seriò, iustè, moderatè vtendum.
Cap. LXII. Victo quid agendum.

POLITICORVM

LIBER PRIMVS.

REIPVBLICÆ CAVSA EFFICIENS, MATERIA, FORMA, GENERA.

CAPVT I.

Scribendi de Republica causa.

Veritatis multi hostes.

DOCTRINAM ciuilem mihi tradere instituenti paratam esse accusationem, atque de ipso titulo causam dicendam non ignoro: cum enim honestis se conatibus malcuolorum semper liuor opponat, nec hoc seculo tam vitiorum, quam virtutum fœcundissimo, vllus sine multorum obtrectatione recte vel doceat, vel agere queat, mirum nemini debet videri, si his in disputationibus, quæ non modo iudiciis, censuris, cauillationibus, reprehensionibus legentium, & scribentium, sed vindictæ etiam regnantium, si erratum fuerit, obnoxiæ sunt, dura iudicia, auersosque multorum animos sentiamus.

Obiiciuntur docentibus varia.

§. 2. Quatuor autem sunt, quæ in ipso operis vestibulo; atque aggressu obices ponuntur. Primo enim religionis, in quam nomen dedi, professio, rerum secularium tractationem, studiumq; vetare atque interdicere penitus videtur. Quid enim tu, cui mundus crucifixus est, aut esse debet, mundanam ordinas Rempublicam? Cur tu, qui mundo crucifixus es (nisi religionem mentiris) de cruce tua pendens leges regibus, & regnis figis? Quæ tuæ in aula, in curia, in tribunalibus, quæ etiam in seditionibus, & bellis esse partes possunt, quorum omnem tibi memoriam excutere ardor precandi, & sacrarum scripturarum studia debebant? Deinde periculosæ plenum opus aleæ est, non modo leges præscribere dominantibus, sed & consilia, *multis enim magno bona consilia steterunt.* Quam vero facilis sit in hac causa, quamuis absit culpa, & error, offensio; quicunque ignorat, is ad scribenda politica nunquam idoneus est. Tertio. Nimium videtur superba, aut potius insana professio, velle docere senatum, principes, Reges, Imperatores, Pontifices: obtemperare enim illis imperantibus, non imperii leges scribere boni ciuis est. Denique qui nullam vnquam Reipublicæ partem attigit, de Republica tamen administranda consilia, legesq; scribit, Phormionis Ephesii irrisionem

Inexperti doctrina

effugere nunquam poterit; *eum autem omnium senum stultissimũ Hannibal iudicabat,* qui corã veterano, & multorum triumphorũ imperatore, de metandis castris, instruenda acie, prælioq; declamaret. Haud minor sane stultitia videtur, si mundi rectoribus, quos educatio ad imperium formauit, vsus exercuit, varietas euentuum erudiuit, canities, & prudentia firmauit, moderandæ Reipub. rationem modumq;e obtrudatis, qui ne Formiis quidem, aut in Alpibus prætor fuerit. Si enim cunctis artibus, aut artificibus maximum decus vsu venit, si experiendo tantum discitur, quam arduum, quam subiectum fortunæ sit cuncta regendi onus; cur non consideras audientium personas, ne prius irredearis, quam audiaris? Non vereris ne intempestiua sapientia sit potentibus tædio, sapientibus ludibrio? Ego vero nequaquam ista vereor, nec profecto vereri debeo, causas, tu, quicunq; hæc lecturus es, mecum perpende.

calumniis obnoxia.

§. 3. Initio quidem de Regum, Principumque, ac subditorum mutuis officiis, obligationibus, ac vniuersæ Reipublicæ gubernatione tractare, à Societate nostra non modo alienũ non est, sed ita illi proprium, atque connexum, vt munus hoc nec defugere, nec alteri delegare possit, modo constitutionum suarum normis, & patrum vestigiis insistere porro velit. Scripturam Sacram, & vniuersam Theologiam Scholasticam priuatim & publice interpretamur, at tam scriptura sacra, quam Theologia Scholastica Rempublicam accurate format, nec pacis munia duntaxat, sed belli etiam iuste gerendi, vel omittendi rationem præscribit. Nec humana iudicia moramur, vbi diuinum oraculum nobis præit, quod ad Sacerdotes, & Theologos Reges ablegat; Deut. 17. 18. *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuitica tribus, & habebit secum, leget que illud omnibus diebus vitæ suæ: vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse & filii eius super Israel.* Qui igitur scripturam explanat, de iure regni æquo, & iniquo, quale [1. Reg. 8. 11.] proponitur, disputationem instituere debet, nec priuatis modo, & insipientibus, sed magistratibus etiam, & sapientibus debitor est, quicunq; do-

Sacerdotis officium est, docere subditos & magistratus.

Reges à Deo ad sacerdotes mittuntur docendi.

cendi munus publicum in se suscepit. Quod si reges audire, & discere iubentur, docere etiam Theologis conuenit. De regibus eorumque disciplina sic ipsa sapientia pronunciat. c. 6. 2. *Melior est sapientia, quam vires & vir prudens, quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo; qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniã cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neq; secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimũ in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Magna igitur cura instituendus est ex diuinus literis magistratus, vt iudicet populum Dei in iustitia, & pauperes Dei in iudicio; *Vt speret in Domino, & in misericordia altissimi non commoueatur.*

Principes præ omnibus indigẽt disciplina.

§. 4. Hinc est, quod regibus Deus Prophetas, ac sacerdotes, instructores, monitores, recte factorum laudatores, scelerum vero interritos censores semper adiunxerit. Sauli Samuel, Dauidi Natan, Roboamo Semeias, Ieroboamo Ahias, Basæ, Hanani, Achabo Elias, Ioramo Helisæus, Ezechiæ Isaias, Ezechiæ posteris Ieremias, alii aliis additi fuerũt, q de republica recte gubernãda pcepta tradebant, & quis illi extraordinario legationis munere fungerentur, non tamẽ idcirco ordinariorũ doctorum vacabat industria, nã & magistratũ illi monebant, & cum officium docendi, reprehendendique in silentium, vel adulationem conuerterunt, tanquam rei læsæ maiestatis æternæ accusantur, damnanturq; & animarum pereuntium sanguinem de manu pastorum cœlestis iustitia reposcit. Nec vnquam Christianis regibus piorum Theologorum defuit institutio, vide S. Athanasii, Ambrosii, Chrysostomi, Leonis, Gregorii, Remigii, aliorum tum scripta, tum facta, inuenies præcipuam eis fuisse semper Reipublicæ curam. Nec alia Scholasticorum Theologorum mens fuit, eorum de Republica, & in primis D. Thomæ Aquinatis de regimine principum opus, & in politica Aristotelis commentarii, in manibus versantur: atque vtinam illi potius tractatores sinceri, & Christiani, quam noui intestabiles, athei, Epicurei principum aulis offerantur.

Regibus Deus apposuit prophetas, & doctores.

Doctrina in adulationem versa reipublicæ exitium est.

Si igitur vitio mihi vertitur cura reipublicæ, amor patriæ, principum, subditorumque institutio, mecum pariter in causam vocanda tam magna, & sancta nomina, Prophetæ, Sacerdotesque, & doctores in reos referendi: neque enim in pari causa me damnari, absolui alios æquum est; neque de mundanis imperiis, & sæcularibus negociis disputans, à spiritali cura, officioque discedo, quando quidem ita Rempublicam temporalẽ ordinare animus est, vt bonum & felicitatem terrenam in spiritalem, ac cœlestem conferat. Scopus enim & finis instituti mei est, vt ostendam quomodo omnia humana tam priuata, quã publica in summum bonum, ac vltimum finem dirigenda sint. Quemadmodum igitur Apostolus spiritaliter nos instruit, cum ait (1. Tim. 2. 1.) *Obsecro primũ omniũ fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate; hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo*; ita quoque Spiritalis censenda est doctrina, qua reges, & qui sublimitate imbuti, sic armis, legibus, exemplo subiectos continent, instruunt, trahunt, vt quietam ac tranquillam vitam agant, in omni pietate ac castitate: itaque non immerito sperare possum, hunc meum laborem bonum & acceptum fore coram Saluatore nostro Deo, & cunctis, qui eo vti volent, salutarem.

De negociis sæcularibus etiam religiose loqui possumus.

§. 5. Quod si alias Societatis nostræ functiones inspicere, atq; expendere velis, hoc illi studium maxime consentaneum esse tute ipse fatebere: in Gymnasiis, in templis, congressibusque de omni genere officii nobis pene omnibus, & quotidie tractandum est, instituendi, monendi, firmandi ad virtutem, vitamque beatam omnes; subiecti docendi vt magistratui pareant, ius superiorum, suamque ad obtemperandum obligationem agnoscant; monendi magistratus, vt iure suo ad obedientium incolumitatem, non propria commoda vtantur, ne potestas sit iniuriosa, sed iniuriarum expultrix, ac vindex, æqui & honesti armata conseruatrix. Hæc se cura latius, quam ad priuatos extendit, publica etiam complectitur, nam ex Reipublicæ recta constitutione, ac gubernatione priuatorum quoq; œconomia moresq; dependent. Frustra profecto teneros adolescentes ad prudentiam, modestiam, pietatemq; intra Scholarum parietes laboriose formamus, si postquam emancipati fuerunt, publicorum vitiorum violentia, in communia mala abripientur. Pauci in publica licentia virtutem colunt, multi diu constantes, tandem blanditias admittunt, postremo etiam scelera perpetrant. Sed hac de re erit proprius dicendi, vel potius lachrymandi locus, nunc satis est intelligere omnes, sine optima ciuitatis gubernatione, sine publica disciplina, vitiorum inimica & vindice, parum habere virium hominum religiosorum adhortationes. Si enim ad illecebras sua dulcedine, quasi visco tenaciter hærentes, exempla plurium, impunitas, mos patrius, auctoritas publica vel probatrix, vel dissimulatrix, vel certe vitiis impar accedat, quis negabit esse conclamatum?

Societas Iesu de Repub: agere ex officio debet.

Publica vitia adolescẽtes etiam bonos deprauant.

§. 6. Si tamen me Theologia ciuilibus disputationibus excludet, alia via regrediar, & mediis me consiliis Historiæ, & Philosophiæ professor ingeram. Ad hoc enim historias legi, & auditoribus exposui, vt ciuilem prudentiam iucunda facilitate adolescentes haurirent. Philosophia autem vitiorum expultrix, virtutumque commendatrix, præclarissimum opus habet; leges condere, Reipublicæ ordinem constituere, inæqualem regentium, parentiumque æqualitatem, ad vtrorumque pacem, vtilitatem, felicitatemque inuenire. Quis veterum Philosophorum de Republica non disseruit? Quis leges non condidit? Ne per exempla sit eundum, vide Platonem, & Platonis discipulum Aristotelem, qui plus operæ in morali philosophia illustranda, quam in dialectices argutiis, aut naturæ arcanis indagandis collocarunt. Quid igitur Aristoteles? Scripsit Ethicorum Nicomacheorum libros decem, Ethicorum magnorum libros duos, Eudemiorum libros septem. De virtutibus librum vnum, De republica libros octo. De Oeconomicis libros duos, De nobilitate librum vnum. Sed hæc forte exigua sunt. Quid autem mirabilius, quam id quod auctores fide digni tradunt? Diogenes Laertius in catalogo librorum Aristotelis. Πολιτειῶν (inquit) πόλεων διυοῖν δέουσιν ἑξήκοντα ἢ ἑκατόν. Καὶ ἰδιᾷ δημοκρατικαὶ, ὀλιγαρχικαὶ, ἀριστοκρατικαὶ, τυραννικαί. *Politiæ vrbium centum sexaginta minus duabus, & seorsum Democraticæ, Oligarchicæ, Aristocraticæ, & Tyrannicæ.* Ammonius in vita Aristotelis, *eum, ait, vsque ad Brachmanas comitatum, ibi constituisse ducentas quinquaginta quinque politias.* Quin & Tullius testatur libro 5. de finibus, eum plurima de hisce scripsisse. *Omnium fere ciuitatum, non Græciæ solum, sed etiam Barbariæ, ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, à Theophrasto etiam leges cognouimus.* Et Varro l. 6. de lingua latina citat Aristotelis, νόμμα βαρβαρικά. *Scita barbarorum.* Omnia illa perierunt, citantur tamen de nonnullis libri, nempe de Republica Athenienſium, Ægineratarum, Ætolorum, Agragentinorum, Ambraciotarum,

Philosophi & historici Politicen profitentur.

Aristoteles politicus.

Multus in politiis Aristoteles.

rum, Argeiorum, Arcadum, Bottiæorum, Geloorum, Deliorum, Euboeorum, Epirotarum, Theſſarorum, Ithacorum, Himeræorum, Carum, Corcyræorum, Ciorum, Cyoniorum, Cymæorum, Cypriorum, Lacedæmoniorum, Leucadiorum, Locrorum, Maſſilienſium, Megarenorum, Methonæorum Melienorum, Nuxiorum, Opuntiorum, Orchomenorum, Samiorum, Samothraciæ, Sicyoniorum, Syracuſiorum, Tarentinorum, Tegeatarum, Tenediorum, Troezeniorum, Tyrrenorum, Phoceorum, Hæ cum paucæ ſint, & nonnullæ obſcuriores, non eſt dubium in claris, & illuſtribus eum fuiſſe magis operoſum. Si igitur hoc Ariſtoteli laudi datum eſt, cur mihi vitio vertatur? Quod ſi etiam in ipſa Ariſtotelis Politica commentarios meditater, gratiam mihi adoleſcentes, & forte politici deberent, & grauium auctorum exempla me defenderent, Thomæ Aquinatis, Iacobi Fabri, Bernardi Senenſis, Antonii Montecaniti, Cyriaci Strozzæ, Dionyſii Lambini, Donati Acciaioli, Guilelmi Gregorii, Ioannis de Fabriano, aliorumque, nec non pro me cauſam dicerent ſectarii, nam Camerarius, Melanchton, aliique multi, etiam iſto in puluere ſudarunt! Sit igitur & mihi liberille campus, nec Societati bene docendi occaſionem inimicorum maleuolentia præcidat, vel amicorum timiditas impeditiorem faciat.

Ariſtotelis commentatores politici.

Societas inimicorum acerbitate à labore nõ deterretur.

§. 7. At periculoſum eſt. Quaſi vero vllum munus noſtra Societas ſine periculo obire queat, quæ inter continua pericula perpetua conſtantia incedit; hinc ſepta apertis inimicis, inde perita clandeſtinis æmulis, qui amicitiam præferunt verbis, & fronte, re ipſa vero, & animo manifeſtis hoſtibus tanto ſunt nocentiores, quanto occulta odia valentiora ſunt profeſſis. Itaque nullum mihi hac in cauſa ſingulare periculum impendet, neque enim metus eſt, ne mea ratis ſcopulo illidatur, ſi curſum teneat, qua hactenus tot incolumes iêre, & redière carinæ. Nec video quid formidare debeam, niſi forte ſi principum poteſtatem minuam, vel contra populorum libertatem durius loqui videar; quod facile cauero, ſi media via incedens ea, quæ pro principum maieſtate, & iure populi ſunt certa, proponam, quæ ambigua, & calumniis obnoxia iuriſperitis relinquam.

Tam reſpublica docẽda eſt quam ſingulis.

§. 8. Nec timenda eſt mihi ſuperbiæ ſuſpicio, ſi magiſterium mihi Reipublicæ ſumam, ſi enim de Sacra ſcriptura, ſi de cœleſtibus mihi loqui non modo licitum eſt, ſed ex officio neceſſarium eſt, cur crimen fuerit, ſi de terrenis loquar? Egent profecto reges, & principes, atque Rerumpublicarum ſenatores inſtitutione, conſiliis, & crebro grauibus monitis in ordinem redigendi ſunt, cum nimium licere ſibi volunt: non alio fato naſcuntur magnatum liberi, quam pauperum, vt imbecillitate corporum, & mortalitate, ſic ignorantia, affectibuſque prauis detinentur; vide imperia, & verum ſenties. Errores imperantium ſpecta, acta conſule ab ipſo Iulio vſque ad Conſtantinum, & ab hoc vſque ad Carolum magnum, alios in paucioribus, alios pluribus, pleroſque in prauiſſimis, fœdiſſimiſque rebus deliquiſſe, imperiumque auare, crudeliter, libidinoſe, &, quod ad rem præſentem attinet, ſine vllâ politices ratione ſtultiſſime adminiſtraſſe. Si tamen indignatur quiſpiam regibus quocunque modo leges ſcribi, hæc mea ita accipiat quaſi principum, magnatum, nobilium, ſenatorum liberis, quorum inſignem numerum, humanitatis, & ſapientiæ ſtudiis noſtra Societas erudit, dictata ſint. Legant illi, & diſcant, vt cum ad gubernacula admoti fuerint, nihil deſit niſi experientia; quę etſi multum põt, ſola tamen nõ ſufficit, cum ad ipſa iudicanda, quæ conſiliis, rebuſq; a cẽdis interueniunt, opus ſit accurata ratione, & prudentia multiplici. Experti ſunt mali principes coniurationes ſuorum, & odia ingentia, quorum fons, & origo, crudelitas erat, ſed illi omnia alia ſuſpicati, cauſas in alios reiecerunt, crudelitatem, quaſi eo ſolo remedio poſſent machinis aduerſariorum occurrere intenderunt, interitumque ſibi maturarunt.

Rectores boni pauci.

Experiẽtia niſi ratione nitatur, ruina eſt.

Quid igitur? De gubernanda ciuitate audes ſcribere, nec vllam vnquam gubernaſti? Vide quam facile ad quæſtionem, quæ difficilis videtur, reſpondeam. Reipublicæ clauum tenent interdum adoleſcentes, nonnunquam imperiti, omnes aliquando inexperti rexerunt, quia regimen inchoarunt; Solus Deus abſque principio æternum tenuit imperium: ſi igitur inexpertum ad regnum admittis, cur à conſilio ſemoues? Maiore omnino periculo medelam facit imperita manus, quam ſuadet inexpertus animus, conſilium enim negligi, aut corrigi poteſt, pharmacum noxium nunquam ſine ægroti pernicie exhibetur. Deinde circumſpice orbem Chriſtianum, & ex tot millibus qui principibus à conſiliis ſunt, numera eos, qui Rempublicam, aut partem eius gubernarunt. Hos vbi aulis omnibus exegeris, me quoque à ſcribendo deterrere poteris. Ego nec Platonem, nec Ariſtotelem, nec Lipſium, nec alios Rempublicam gubernaſſe certo ſcio. Eorum tamen ſi conſiliis reges obſequerentur, næ illorum multi propriæ incolumitati, diuturnitati, famæ, & quod caput eſt, populorum ſaluti prudentius conſulerent. Oneroſum eſt fateor, & prope ſuperbum docere velle expertos, forte etiam periculoſum docere principes, tamen *etiam ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent.* [Cicer. Philip. 7.] Scitum eſt illud ἐρέτην χρὴ πρῶτα γενέσθ', πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. *Remigem prius eſſe oportere, quam clauum tenere:* [Ariſt. Equit.] claros tamen nauarchos nouimus, quorum manus remo non occaluerunt. Non facile de artibus iudicat, qui artes ignorat, nam artificibus dum laborant quædam ſe ſponte aperiunt, quæ alios latent: Vere tamen dixit Fulgentius: (Ep. 2.) *Vita mala immaturos ſenes demergit in tartara, bona iuuenes maturos perducit ad regnum.* Non cœleſte modo, verum etiam ad hoc terrenum, quod tamen datur bonis, & malis. Regnum itaque iuuenum eſt, & ſenum. Vſus eſt magiſter egregius, ſed melior, recta ratio. Sæpe melius iudicat de republica, qui multa de ea legit, audiuit, multa vidit, quam is qui experimentum eius cepit. Vere Iſoc. (panath.) Πάντες ἄνθρωποι πλείους ἐπιστήμας ἔχουσι δι' ἀκοῆς, ἢ τῆς ὄψεως. *Omnes homines plures ſcientias auditu, quam viſu hauſere.* Medici morbos omnes ſcientia complectuntur, & arte ſanant, paucos, aut ſæpe nullos ſenſerunt, illi vero qui morbis torquẽtur, medendi rationem ignorant: poterit igitur & reipublicæ ſanitatem, hoc eſt, pacem, tranquillitatẽq; tueri, mõrbos, hoc eſt, ſeditiones & bella ſedare, atque compeſcere, qui malis illis conflictatus non ſit, modo ex ſapientum dictis, factiſque idonea remedia didicerit, ſapienterque reipublicæ admouerit. Experientiam laudo, ſed lectionem, hiſtoriam, cognitiõnem præferõ. Quis enim omnia experiri poteſt? In vno regno, in vno oppido, in vna aula ætas conteritur, & frequenter in vnica functione: ſui principis, ſuæ gentis, ſuorum collegarum mores nouit, hæc ſi ad alios transferre quis cogitat, perinde faciet, ac ſi quis Veneriis equeſtrem, Noribergæ nauticam exercere velit. Quod vero Hannibal Phormionem dementem exiſtimat, quod coram imperatore de bello diſſerat, cum caſtra nunquam ille vidiſſet, nunquam tubę ſonum niſi in ſpectaculis audiſſet, confidentia ſui, & punica ſuperbia aberrauit; multo melius Antiochus qui probauit. Quam multa enim docere Hannibalem etiam in bello potuit

Inexpertus ex aliena experientiâ docere poteſt.

Contumacia eſt, non experti, nolle moneri.

Quorundã initia bona fuerunt.

Experiẽtia vita, eruditio experientiæ magiſtra eſt.

Experientissimi Hannibalis errata.

Phormio? Ne scilicet perfide ageret, ne crudelis esset in victos, inexorabilis in deditos, vt victoria vteretur, ne militem campanis deliciis enervaret, ne cũ Scipione sine aliquo suo commodo depugnaret, ne omnia in discrimen vnius prœlii coniiceret. Denique necesse erat, eũ, qui Romanos Antiochi viribus, & vellet, & posset vincere, vt comitate, si adulationem fugiebat, regẽ demereretur; at ille barbaro fastu, regem mollibus suorum sermonibus assuetum à se abalienauit, & vno dicterio Romanos sumnis periculis exemit, cum enim illi Rex exercitum vestitu precioso, armisque fulgentem ostentaret, atque ex Hannibale: *Anne hæc Romanis satis fore arbitraretur? quæreret; Plane*, inquit, *etiam si sint auarissimi*: qua inurbanitate regiũ apparatũ, omnes eius duces, atq; adeo Antiochũ ipsum cum irrisisset, ab indignantibus contẽptui habitus est, atq; ita vno dicterio plus ille Romanis, quam tot legionibus Scipio profuit. Quod si copias illas approbasset sensimq; exercuisset, nouũ militem legisset, non difficile fuisset tantis opibus Romanum imperium pessum dare. Sed fugit magnos viros sæpe in maximis negociis ratio, & politicos exercitatissimos veræ politiæ ratio, quod Hannibali omnino contigit, popularis Reipublicæ gnaro, regum inexperto; dum enim exul ea libertate regem tractat, quasi Carthaginis Consul cum æmulo senatore contenderet, sui, patriæque liberandæ pulcherrimam occasionem perdidit. Nec me mouent bullata turba, acumen responsionis admirantium, & experientiam Hannibalis extollentium, cum experientiam intra vnicam Carthaginem, quasi in lacum angustum inclusam, fateantur in Oceano, & varietate Rerumpublicarum, ac nationum cursum tenere non posse. Quicquid enim Hannibal post egerit, nunquam obtinere id potuit, vt suo arbitrio bellum administraret. Experientia itaque quamuis laudabilis, tamen semper mutila est, sæpe in ea Republica, in qua nemo sapiens est, in qua, ob gẽtis stuporem, in prouerbium senatus venit.

Hannibal Romanos vincere potuisset, nisi inurbanitate peccasset.

Speciosa dictu, exitu pernitiosa.

Atque hæc ad meam excusationem sufficere arbitror. Quod si necessitatem harum disputationum, quam nostrorum licentia temporum adfert, animo perpendam⁹, omnes profecto intelligemus, iure merito, planeq; necessario hũc me laborẽ susceptisse. Etenim non vnum genus hominum hoc tempore Respublicas euertit, sed plurimi, qui se tamen politicos haberi, & dici postulant. Quidam sine literis, sine experientia, suo sensu nituntur, nouaque ac mira quædam excogitant, qui ideo minus obsunt; quod in ipsa rerum molitione, & initiis fere concidunt. Nonnulli ita veterum institutis inhærent, vt nihil nisi ex Atheniensi spartana, Romana Republica probent, magnis in erroribus illi versantur: nam primo necesse est, vt omnes post Augustum natos, regnandi & consulendi ignaros esse iudicent, adeoque ipsum Augustum, qui vetera statuta cuncta pene mutauit, quanquam nomina, speciemque, vt populo imponeret, fere retinuerit. Quis enim nescit quid inter consulem Cæsaris assclam, adulatoremque; & consulem illibatæ libertatis interfit? Qui igitur in ipsam veritatem oculum mentis intendet, multa in veterum Republica haud proba, pleraque in nouis regnis, & vrbibus meliora inueniet: Errant plerique etiam sæpe iudicio, & affectu, nunc hunc, nunc illum laudant, & sunt in partibus; plerique victoribus patrocinantur, & quod vsitatum est moribus humanis, ad felicem parietem inclinant, multi vt delectent, & operi admirationem concilient, speciosa, quam vera malunt dicere, & scribere.

Varii politici.

Veteracum iudicio audienda, nulla enim sæcula sunt ἀναμάρτητα.

Hodierno autem tempore inualuit, & pene multis locis prævaluit detestabile genus pseudopoliticorum, qui pro vera republica & legitima πονηρόπολιν, hoc est, impiorum, perditorum, ac nefandissimorum hominum ciuitatem exstruunt, quibus patrum sæculo facẽ, qua multa regna adussit, Nicolaus Machiauellus prætulit. Cum enim religionem imperio accommodare, cum vitia, errores q; regni causa probare, iustitiã vtilitati præponere, factiones admittere aliaque de quibus suis locis agemus, docet, quid agit aliud, quam vt principem iniustum, impium, versutum, simulatorem, atq; hypocritam efficiat? Qua quidem in re ab vltimo fine recedit, ideoque ruinam ædificat, & cum in continuo errore versetur, diuina sapientia destitutus, ne humana quidem prudentia principem informat, cum neq; hypocrisin perpetuo celare possit, nihil enim simulatũ potest esse diuturnum, & patefacta semel perfidia, simulatioq; in perpetuũ fidem auferat. Imperiũ aũt is, cui nec subiectorũ nec vicinorum vllus credit, tenere nemo diu põt: Hos contra, veram, solidam, diuinis legibus fundatã naturali ratione constitutã, vera prudẽtia, religione, virtute armatam regnandi artem, potentiamque demonstrare mihi constitutum est, nec meo tamen solius sensu, verum ex diuinis literis, sanctorum patrũ institutis, legitimorum principum legibus, iusta consuetudine, rerumpublicarum ordine ac modo, probata historia, exemplis, & ratione, iudicioq; hominũ naturali, atq; ita quod ad securitatem gubernationis & maiestatem, ad tranquillitatem commodaq; subditorum, ad omnium vero, tam rectorum, quam populi salutem, ac felicitatem pertinere iudicauero, in medium proferam.

Athei pseudopolitici noxii.

Athei à fine vltimo deficiunt.

CAPVT II.

Doctrinæ ciuilis necessitas, vtilitas, dignitas.

§. 1. QVædam, non quia dubia sunt, sed ordinis causa disputãtur: tale est, quod de necessitate, vtilitate, dignitate doctrinæ ciuilis dictur⁹ sum, quam ego inter omnes vel maxime necessariam iudico. Cum enim natura sua homines ad societatem, mutuamq; communicationem ferantur, aliorũ hominum beneuolentia, auxilioq; vtantur, (neq; enim viuere more Schytarum, Hamaxobiorum, aut ἀπροσδίων Arabum humanum genus in vniuersum, quanq̃ nec barbarorum illa feritas sine imperio esse omnino potuit, à Deo est permissum,) Respublicas constitui oportuit. Societatem igitur inierunt inter se homines, & rempublicam instituerunt. In ea necessarius est τῶν ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων, *imperantium, & parentium* ordo, vicissitudoque. Ordo tam necessarius, vt potestatem malis permittere, quam nulla potestate contineri homines Deus maluerit; adeoque vni impio multos subesse iustos, q̃ nulli subesse melius duxerit. At vero si politia necessaria est, etiã politice necessaria est; quomodo enim vel recte imperabitur, vel parebitur, si gubernandi parendique prudentia destituantur? Regnorum fere clades, & felicitas ex imperantis errore, vel prudentia nascitur. *Illi* vt docet Augustinus (lib. 5. ciuit. c. 19.) *qui vera pietate præditi, bene viuunt, si hanc scientiam regendi populos consectati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quam si Deo miserante, habeãt potestatem.*

Vt societas viuendi est necessaria, ita eius Societatis cognitio.

Ordo necessarius.

Necessitatem illam declarant etiam amplius morosa subiectorum ingenia, adeo quidem vt multo facilius sit inuenire virum fortem, qui hostem vincat, quam prudentem, qui ciuem regat. Δύσκολόν ἐστι τὸ τρέμμα ἄνθρωπος, *morosum & difficile animal est homo*, neque seruitutem, neq; libertatem ferre potest, sub leni imperio lasciuit, sub aspero fatiscit, sub vtroque contra imperantem insurgit, aut si conatus metu seuerioris potentiæ compescitur, querelis se vlciscitur, & consolatur. Quãta igitur opus est arte, vt hoc animal

Felicitas reipublicæ bonus rex.

Difficilis res imperiũ

mal ferox, superbum, varium, instabile, præfidens, nulli minus æquũ quam ei, cui parere cogitur, ad recti normam incedat, vt tot hominum millia eodem tendant, & quidem per tam diuersa itinera vnicum, eumq; optimum finem consequantur? Agrum, & vineam non nisi perito cultori permittimus, nemo se nauclero credit ignaro maris, & fluctuum, ne imperitum quidẽ tibicinem conuiuiis adhibemus, & grãdem illam nauem, tot animas ferentem vnius inscitia, ignauiaq; periclitari patiemur? Imperium igitur necessariũ est, & imperii administrandi scientia, quæ difficilior est, quia bonis & malis viuendi legem, modumq; præscribere cogitur, & bonus quidem quisq; facilime regitur, malus difficilime; sed tamen & ille regendus est, ne noceat bono, ne quamuis malus esse non desinat, nõ possit tamen, quæ vult, mala facere. Hic perpetua vigilia opus est, vt scaturigo vitiorum obturetur, ne in probra profundatur, & insigni dexteritate, ac sciẽtia agendum, vt si venenum effuderit, ita auertatur, vt quã minima aliorum noxa, defluat.

Imperantẽ fatigat malorum prauitas.

Magistratus insignis medicus est.

§. 2. Magna est ac diuina plane scientia medicorum, qui corpus humanum, tot, tamq; variis mẽbris concinnatum, tam contrariis muneribus organa destinata, venis, arteriis, visceribus, musculis, humoribus, spiritibus constantem machinam ita curant, vt omnium partium ad omnes partes analogiam, symmetriam, amicum consensum tueantur, atq; hoc cõsequantur, vt omnium temperatura ac constitutio omnibus suauis sit, ac propitia, quodlibet membrum à quolibet foueatur; at vero in principe tanto illa scientia est operosior, quanto maius est, atq; à se magis dissidens corpus reipublicæ, quam corpus humanũ; tanto sublimior est; quanto dignius est consulere omnibus quam singulis. Prudenter magnus Philosophus infelicis Cæsaris infelix magister: *Omne hoc quod vides vnum est, membra sumus corporis magni.* Tuum est ô princeps corporis magni, corporis liberi, membrorum à se distantium, mẽbrorum sibi mutuo infestorum, membrorum contra caput suum, hoc est, rectorem, rebellantium, seruare concordiam, tranquillitatem, vnitatem, amorem, hoc quam exquisiti artificii sit, quam illuminatæ prudentiæ, nos docet eorum paucitas, qui hoc potuerunt, & multitudo eorum qui non potuerunt. Exemplis certare si libeat, singulis opponam centena. Magna vis est ordinationis diuinæ, vt sit in mundo potestas, & potestas à Deo, etiam cum à bonis defertur malis, vel bonis à melioribus, sed magna temeritas sine regendi scientia potestatem exercere.

Turbata republica priuata pereunt.

§. 3. Cum male respublica administratur, cætera omnia suis finibus destituuntur, nam mercatura in fraudes, & impostura desinet, nauigatio in piraticã, agricolatio in discordias, iudicia in rapinas, militia in latrocinia, artes liberales in desidiã, religio in superstitionem, sacra in nudas & inanes cærimonias; publicum enim vitium virus suum omnium priuatorum actionibus communicat, atq; ipsa ornamenta ad exitium ciuitatis vertũntur. Huius igitur scientiæ necessitas, & necessitati inclusa vtilitas est demonstrata, de dignitate pauca dicẽda; pro dignitate enim nihil satis dici potest.

Politice scientiarum humanarũ est præstantissima.

§. 4. Cum imperandi scientiam nominamus satis eam laudasse videmur: Est illa omniũ artium domina, omnium actionum ciuilium moderatrix, societatis humanæ conseruatrix, omniũ humanarum scientiarum maxima. Ita philosophorum prudentissimus iudicat Arist. l. i. pol. c. 1. *Quandoquidem*, inquit, *omnem ciuitatem videmus societatem quandam esse, & omnẽ societatem boni alicuius gratia coalitam esse, (eius enim, quod bonum videtur, causa omnes omnia faciunt,) manifestum est omnes societates ad bonum, tãquam scopum aliquem tendere, μάλιστα δὲ, καὶ τὸ κυριωτάτου πάντων, ἢ πασῶν κυριοτάτη, καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ καλουμένη πόλις, καὶ ἡ κοινωνία ἡ πολιτική. Eam vero quæ est omnium societatum princeps ac domina, hoc bonum sibi propositum habere, quod omnium est præstantissimum, hæc vero est, quæ ciuitas, seu Respublica appellatur, seu societas ciuilis.* Societatis igitur humanæ instituendæ ac conseruandæ scientia præstantissima sit oportet; quæ scilicet propositum habeat sibi publicum bonum. Hinc & diuina maiestas tantum regno splendorem circumdedit, tot ornamenta affinxit, vt ostenderet maximum opus esse mũdum gubernare, hinc Deorum nomine principes dignatur, quod diuinæ potestatis participes sint. Sed nolo hac in re diutius versari. Satis est inquieta multorum ambitio, etiamsi laudando regna non irritetur: vtinam cognitionem & facultatem imperandi, ante imperia ipsa sibi comparare studeat. Verum fieri aliter vt plurimum experimur. *Τυραννὶς χρῆμα σφαλερὸν πολλοὶ δὲ ἀνῆς ἐρασταὶ εἰσιν. Imperium est res quidem lubrica, sed eius multi sunt amatores.* Clarus regni nitor fulgore falso oculos aufert, honoris exordia læta sunt, dum publica gratulatione æger animus titillatur, mox consequitur cura, & verus laborum æstus. Verum decepti laudant maiestatem, & imperium, vident enim vt recte iudicauit Socratis discipulus, *τὸ μὲν πρόσωπον ἡδὺ, πρὸς δὲ ἐν δόμοις λυπηρά. Frontem quidem & vestibulum blandiens, quæ vero intra domum sunt, misera.*

Potestas à Deo ornata.

Imperare prudentibus est gratum, fatuis gratum.

§. 5. Tam ingentem curam, laborem, miseriam, tolerãtiam bonis quidem principibus æterna maiestas, quæ sine anxietate mundum administrat, mundani honoris specie, & supermundanæ gloriæ veritate compensabit, mali vero rectores inanibus inhiantes sola vanitate contenti, imperium, hoc est, alienæ salutis curam cum odio sæpe publico suscipiunt. Misera quidem res, sed vsitata, tot mala nullo fructu, ne spe quidem boni alicuius suscipere.

Hoc etiam lectorem monendum duxi, in politicis disputationibus non posse nec debere eam, quæ in Physicis, aut Mathematicis adhiberi solet, ἀκρίβολογίαν tenuem, acutam, demonstratricem facundiã; neque enim Principem, vt in Scholis disputet, sed vt populos regat instituendum suscepi, neque in rebus moralibus, & humanis, quibus ὀπτέκεια, conniuentia, clementia, sæpe etiam seueritas, & grauiores veris minæ interueniunt, apodicticæ ostensiones vsurpari rei natura, & ratio tractandi permittit.

Morales disputationes sine dialecticis argutiis tractandæ.

§. 6. Denique nec hoc celandum existimo. Optimam quidem Rempublicam quærere me, eam religione, virtutibus, institutione, legibus, magistratibus Ecclesiasticis, ciuilibus, potentia togata, & bellica contra internum externumque hostem munire, non tamen Rempublicam Platonicam constituere; ille enim, qualis optari potest, ciuitatem nobis describit, non quæ in hoc mundo, hoc est malorũ congerie & prouincia improbitatis esse potest; neq; enim de illis quæ nunquam fuerunt, nec erunt, sed de Rebuspublicis, quæ sunt, aut esse possunt, sermonem instituam. opto quidem ego Rempublicam in qua optimus, & sapientissimus princeps semper amore, & æquitate ciuibus vti pater liberis imperet, in qua boni ciues inter se concordes, principi obtemperantes, omnes honesta cupiant, ac sequantur. Verum illę Respublicæ in Outopia sunt, ego de nostris agere constituí; Eas instruere in quibus pauci optimi, multi mediocres, & magis extra vitia, quam cum virtutibus, non pauci pessimi, qui solo timore legum continentur, neque publice sint crimiosi. Aliam meliorem Rempublicam Sol nec oriens, nec occidens vnquam vidit, sed multas sæpe deteriores; quorsum igitur ideis, & superuacuis speculationibus indulgeam, quibus nec præsentia bona defendi, & promoueri, nec insitis iam malis medicina fieri, aut in-

Rempublicam, quæ esse potest, non ideam abstractam docebo.

stantibus occurri potest? Statum ergo reipublicæ vt recte monet Aristoteles lib.4.pol.c.1. Τὸν δυνατόν, eum qui esse potest, consideremus. Eumque si optimum facere non possumus, à pessimo tamen quam longissime abducamus. Alioqui si talem rempublicam vnquã fuisse constaret, sperari etiam iam posset. Non omnino vanum est, quod ait Seneca Ep. 90. *Meliora mundus nondum effœtus dedit.* Et Poeta sæculi sui osor, & irrisor:

Vetustiora videntur meliora.

Aliter tunc orbe nouo, cœloque recenti
Viuebant homines.

Et forte Plato aliquando tam sanctam rempublicã fuisse suspicatus est; οἱ παλαιοὶ, inquit, κρείττονες ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες (Pol. 2.) *Prisci meliores nobis fuerunt, & propius Deos habitarunt.* De multis concesero, de pluribus nego; memini duobus fratribus, mundi hæreditatem angustam fuisse, deinde orta bella Gigantum, & mox totum genus humanum relictis in semen octo animabus, hausturn vndis & inter hos tamen irrisorem Chamum, Bella regum ante ipsam arcam, & senem Noe; Sodomæos ignes, Chananæorum, Horræorumque excidia. Fuerunt igitur & tum vitia, & vitia plurima, atrocia, & nostris sceleratiora tempora; dum historiam lego, suorum quemque temporum accusatorem intelligo, laudatorem veterum, sed profecto causa est, quod mala nostra cum dolore, & metu sentimus, præterita fallendi temporis causa legimus.

Prisca sæpe peiora.

Fugere pudor, verumq; fides q;,
In quorum subiere locum fraudesque, doliq;.

Cur prisca laudemus.

Fugere hæc tria bona, sed inde, vbi fuere, multis nãque locis nec pudor, nec veritas, nec fides, nisi in paucis admodum fuit. De republica igitur acturus, ita rationes componam, vt statuam in ea multos esse malos, omnes autem bonos maiore in periculo esse, ne fiant mali, malos autem minore in spe, vt fiant boni: principem vtrisque consulere oportere.

Caput III.

Reipublicæ definitio.

§. 1. Nomen Reipublicæ latissime accipio, vt Monarchiam, Aristocratiam, & Πολιτείαν proprie dictam, seu populi regimen complectatur. Neque in latitudine imperandi, aut arctis terminis regnorum discrimen statuo. Nam & paruum oppidum Rempublicam vocare non dubito, & vnius ciuitatis dynastam, regem. Græca dictio πολιτεία non eodem modo accipi consueuit, nam aliquando presse dicitur pro ea reipublicæ forma, q̃ popularis est; Aristoteles lib.4.pol.c.8 vocat μίξιν ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας, *temperaturam ex paucorum, & multitudinis dominatu.* Et lib.1.pol.c.1. ὅσοι μὲν οὖν οἴονται πολιτικὸν, καὶ βασιλικὸν, καὶ οἰκονομικὸν, καὶ δεσποτικὸν εἶδος τὸν αὐτὸν εἶναι καλῶς λέγουσι. *Qui Politicum, Basilicum, Oeconomicum, & Despoticum eundem esse aiunt, non recte dicunt.* Hos enim non multitudine modo, & paucitate, sed etiam specie differre existimat. *Politicum, ait, qui vicissim imperat, & paret, Basilicum qui solus imperat, & non paret,* aliam tamen esse ait in ipsa reipublicæ gubernatione diuersitatem, atque ita dicitur πολιτεία presse sumpta. Aliis tamen locis Aristoteles pro omni Republica Politiam interpretatur. Nam libro 3.pol.c.14. ἴσως δὲ καλῶς ἔχει μὴ τὰς εἰρημένας λόγους μεταβῆναι, καὶ σκέψασθαι περὶ βασιλείας, φαμὲν γὰρ τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν μίαν εἶναι ταύτην. *Rectum fortasse fuerit post hanc orationem alio transire, de q; regno tractare. Bene enim institutarum Politiarum vnam, dicimus esse regnum.* Quin ipse acceptionum differentiam diserris verbis expressit, de moribus lib.8. c.1. Πολιτείας δὲ τρεῖς εἶναι φαμὲν, ὅσαι δὲ καὶ παρεκβάσεις αὗται φθοραὶ τούτων, εἰσὶ δ' αἱ μὲν πολιτεῖαι, βασιλεία τε καὶ ἀριστοκρατία. Τρίτη δὲ, ἣ ἀπὸ τιμημάτων, ἣν τιμοκρατικὴν λέγειν οἰκεῖον φαίνεται, πολιτείαν δ' αὐτὴν εἰώθασιν οἱ πλεῖστοι καλεῖν. *Politiæ tres sunt species, totidemque ab illis aberrationes seu corruptiones bonæ politiæ. Sunt autem politiæ, regnum, & optimatum gubernatio, tertia vero, quæ est ex censu, quam proprie τιμοκρατικὴν apparet appellari, hanc plurimi politiam vocare consueuerunt.* Duplex igitur politia est prior quæ tres species continet, & quæ trium specierum est vltima, quod monere debui, ne de verbis lis deinceps nobis intendatur. Quin & ciuitatis nomen sic vsurpant latini. Plin.lib.7. *Regiam ciuitatem AEgyptii, popularem Attici, &c.* Et Cicero lib.3. de legibus. *Sed quoniam regale ciuitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni, quem regis vitiis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis mutatum, res manebit, si vnus omnibus reliquis Magistratibus imperabit.*

Politiæ duplex significatio.

Ciuitas latinis quid?

§. 2. Politian igitur seu Rempublicam Aristoteles definit lib.3.pol.c.6. in hunc modum. ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. *Politia seu Respublica est ciuitatis ordo ac magistratuum tum aliorum, tum præcipue eius, qui omnium supremus est.* Plutarch. *Respublica est corpus quoddam concinnatum membris, quod diuini muneris beneficio animatur, & summæ æquitatis agitur nutu, regiturque quodam lumine rationis.*

Politia ordo est.

Scipio apud Ciceronem, referente S. Augustino lib.2.de ciuit.Dei cap.21. *Rempublicam* dixit *esse rem populi. Populum autem non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum iuris consensu, & vtilitatis communione sociatum esse determinat.* Hinc colligit, tunc esse rempublicam, id est rem populi cũ bene ac iuste geritur, siue ab vno rege, siue à paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo. Populus autem continet omnes qui in republica sunt, cum enim absolute populus dicitur, etiam rex, & senatus in populo censentur. Obscura hæc est definitio. Nam ager, mœnia, ærarium, porticus, aliaque sunt res populi, nec rempublicam tamen illam constituunt, sed Reipublicæ ornamenta, vel adiumenta, quin & æs alienum, similiaque detrimenta res populi sunt. Deinde populus ipse est pars Reipublicæ materialis, cum cœtus vocetur, nec populus tamẽ recte dicetur res populi, si vero in abstracto, vt vocant definire malis, minus erit pars Reipub. populus. Iustus Lipsius lib.2.c.1. *Vitam ciuilem definit, quam in hominum societate mixti degimus, ad mutua commoda, siue vsum.* Eius rectores nominat prudentiam & virtutem, recte sane ne commoda, & vsus, ad solam vtilitatem & iucunditatem, sed præcipue ad honestatem referantur, has ego definitiones verbis magis, quam sententia discrepare arbitror quia autem nõ Stoicis, aut Spartiatis, sed politicis, & populo scribo, visum est mihi definitionem quæ omnes causas contineat, eamque in concreto, vt facile percipiatur, dare. *Est igitur Respublica hominum cœtus, iuris consensu, & vtilitatis communione ad bene beateque viuendum naturæ ductu sociatus.*

Respublica est res populi.

§. 3. Causa efficiens est naturæ ductus quidam & instinctus à Deo insitus, ideo & Deus causa est, quæ enim à natura, & in natura sunt ad Deum referuntur. Quapropter recte concluſit Aristoteles, διὸ πᾶσα πόλις φύσει ἐστί. *Ideo omnis ciuitas natura est.* Et polit. 1. cap. 2. *Ex his igitur constat, ciuitatem in iis rebus quæ natura constant, numerandam esse, & hominem ciuile animal esse natura, & eum qui naturæ impulsu, non fortunæ culpa ciuitatis sit expers, aut esse improbum, aut homine meliorem, vt is, in quem ab Homero hoc maledictum coniectum est.*

Respublica secundum naturã est.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος.
Sine curia, sine iure, sine lare.

Qui

Qui socialem naturã exuerunt, vix homines sunt.

Qui igitur μισάνθρωποι, hominumque osores fuere, magnitudine vitiorum naturalem στοργὴν, affectumque obruerunt, qualis græculus ille Timon, & Tyranni, qui omnem populum habere vnam ceruicem optabant, qui se flagellum Dei nominarunt, qui hostem occisum bene olere, melius ciuem putarunt. Causa materialis est, hominum cœtus. Plebs, senatores, nobiles, principes, reges. Seruos autem excludo, neque enim pars sunt reipublicæ, sed organa, & instrumenta quædam animata; quia tamen & illi homines sunt, & homines sæpe dominis suis præstantiores, eorum quoque curam respublica suscipiet, & contra crudeles, atque iniuriosos dominos tuebitur.

Seruorum habenda cura.

§. 4. Forma est ratio iuris in quod populus consensit, hoc est, ordo imperantium atque parentium imperio, ex qua forma triplex respublica consurgit. Quo etiam ex loco apparet, cum consensus ille desit, non esse Rempublicam, sed alium aliquem cœtum, vt pote seruorum in potestate domini alicuius viuentium. Itaque Turcarum imperator Rempublicam proprie dictam non habet: cum enim in subditos, adeoque supremos belli duces habeat absolutum ius vitæ, & necis, cum omnes prædicent facultates suas omnes, seque ipsos mancipio magni imperatoris addictos, illudque ius maius sit, atque impotentius quam olim fuerit dominorum in seruos, non est hic aliud regimen, quam δεσποτικὸν, nullo modo ciuile, ciuitates enim quamuis habeat, non tamen regit eas iure ciuium, sed absoluto dominationis arbitrio, nihil aliud igitur magnæ illæ ciuitates sunt, quam capaciora quædam ergastula; magni autem Bassæ, & Beglerbeii quasi atrienses quidam serui, ad nutum domini nullo legum, aut iuris præsidio morituri.

Turcarum non est proprie respublica.

Finis Reip. beata vita.

§. 5. Finis est bene beateque viuere. Hoc ita Aristoteles explicuit. *Perfecta autem Societas ex pluribus vicis conflata, ciuitas est, quæ terminum habet omnis αὐταρκείας, quæ scilicet sibi sufficit omnino, & perfecte. Oriens quidem viuendi causa, constans autem & perseuerans bene viuendi causa.* Finis autem omnium est beatitudo, quæ cum in virtute collocatur, bonam Rempublicam efficit, cum in voluptate, diuitiis, honoribus quæritur, Respublica quidem fuerit, sed vitiosa, inquieta, brevis, & dum falsam felicitatem persequitur, veris se calamitatibus inuoluet. Audire hac in re iuuat seruum sapientem.

Bona vita Reipubl. necessaria.

Quid id quod vidisti, vt munitum muro tibi visu 'st oppidum,
P. Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror.
Perfidia, & peculatus ex vrbe, & auaritia sic exulant;
Quarta inuidia, quinta ambitio, sexta obtrectatio,
Septimum periurium. S. Euge. P. octaua indiligentia,
Nona iniuria, decimum, quod pessimum aggressu, scelus.
Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.

Ars est summa regendi, bona vita regentis.

Consignabo hoc sententia Platonis. ἔστιν ἄρα ταὐτὸ ὃν ἔοικε, βασιλεὺς, τύραννος, πολιτικὸς, οἰκονόμος, δεσπότης, σώφρων δίκαιος, καὶ μία τέχνη ἐστὶ, βασιλικὴ, τυραννικὴ πολιτικὴ, δεσποτικὴ, οἰκονομικὴ, δικαιοσύνη, σωφροσύνη. *Idem igitur vt videtur sunt, Rex, tyrannus, politicus, oeconomus, dominus, temperans, & iustus, & vnica ars est, regia, tyrannica, politica, dominans, oeconomica, iustitia, & temperantia.* Vno verbo. Magna arte Rempublicam gerit, qui temperanter & iuste vivit, & imperat.

CAPVT IV.

Causa materialis Reipublicæ.

§. 1. RESpublica ex pagis seu vicis componitur, vici ex domibus, domus ex coniugibus, ita natura & experientia nos edocet.

Tria hominum genera Reipub. necessaria.

Tria autem hominum genera ad Rempublicam necessaria sunt, Agricolæ, artifices, milites. Socrates agricolas, magistratus, & milites requirit. Verum potest esse Respublica, in qua magistratus sit ex agricolis; nam & ab aratro vocatus est ad dictaturam Cincinnatus, & post victoriam ius suum exercuit triumphalis agricola, & Regulus cum rem optime in Africa gereret, populum Romanum agelli sui cultorem habuit, ne ex medio cursu victoriarum ad tenue rusculum auocaretur. Possunt igitur esse in magistratu agricolæ, iidemque artifices, & milites. Sed tamen diuersa ratio est: Magistratibus opus est paucis, satis enim est si centesimus quisque præsit, artificum & militum necessaria est copia, itaque hos ab agricolis diuersos esse fere necesse est, cum procul domo milites frequenter agere oporteat, & incerta sint temporum momenta, quis hostis repellendus, aut petendus est.

Agricolæ boni imperatores.

Quidam barbari nõ egent artificibus.

§. 2. Neque modo illa differentia in constitutis rebuspublicis, sed in barbaris etiam requiritur; nam & Garamantes qui sine magistratu viuebant, & nunc Brasilii, & Floridæ habitatores, munia militibus, & agricolis diuidunt, artificibus vero, vt pote nudi, clauis, & arcubus armati vix egent. Nec recte veteres Rempublicam ex similibus coalescere censuerunt, quo enim maior est varietas munerum, laborum, artium, statuum, eo est respublica copiosior, atque instructior. Accurate hoc Aristoteles, vt cætera perpendit, l. 2. pol. c. 2. cum ait; *non modo ex pluribus hominibus esse ciuitatem, sed ex specie differentibus, non enim potest esse ex similibus*; aliud enim est ciuitas, aliud symmachia, & belli Societas, plurium enim ciuitatum auxilia vnum exercitum conficiunt, ex eodem hominum genere. Sed de varietate hominum in ciuitate dicam suo loco.

Rempublicam debere sibi sufficientem esse.

§. 3. Cum vero Aristoteles ciuitatem definiat tam numerosa, & instructa ex pagis compositione, vt habeat πέρας αὐταρκείας, culmen abundantiæ, & quasi cornu copiæ, quo ex se sibi sufficiat, non immerito à prudentibus quæritur, de quanam αὐταρκείᾳ, aut sufficientia intelligendus esse videatur. Si enim de rebus ad victum, vestitum, defensionem, offensionemque necessariis loquitur, nusquam eiusmodi Respublica ostenderetur; voluit enim Deus propter Societatis humanæ conseruationem, aliorum hominum ope alios indigere. Regna quædam sibi ea ratione sufficerint, vt Ægyptus, Italia, ciuitates nequaquam, ne duræ quidem sobrietatis cultrix Sparta; Remiges enim, pecuniam, machinas aliunde petere eam oportebat, hoc vero tempore potentissimas, & celeberrimas vrbes vel maxime alienis præsidiis egere cernimus. Neque satis rem declarauerit, si quis eam ciuitatem appellet, quæ aut ipsa ex se sufficientiam habeat, aut ad eam acquirendam idoneas vires, & facultates. Hoc enim & diuites familiæ possunt, & multo magis pagi, alia ergo sufficientia quærenda, qua ciuitas seu Respublica constituatur, non enim opibus, nec hominum multitudine, nec mœnibus à pagis Respublicæ distinguuntur, cum Sparta paupertate claruerit, nec supra duo ciuiũ millia censuerit, nec mœnibus se munierit, multis tamen opulentissimis vrbibus imo toti Græciæ, ipsisque adeo μεγαπόλεσιν Athenis magni vrbib⁹ Athenis, multis annis imperauerit. Αὐτάρκειαν igitur siue sufficientiã ex vicorum coniunctione coalitam definio, cũ gens aliqua,

aut populi cœtus ita sociatus est, vt omni externo dominio libera, absoluto & perfecto imperio vtatur, & à nullo dependens libere de se statuere possit. Si enim alieno imperio sit obnoxia, non erit integra ipsa respublica, sed alterius Reipublicæ, vnde magistratus, & iura mutuatur, pars, atque accessio. Ita sentire ac docere Aristotelem perspicuum est, l. 3. pol. c. 1. Postquam ciuitatem τῶν συγκειμένων, compositorum, esse docuit, quærendum esse ait, quis sit ciuis? *Ciuitas enim ciuium*, inquit, *multitudo est.* Ciuem deinde non opibus, aut habitatione definit, sed τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς, *Eo quod iudicandi & imperandi communione potiatur.* Tandem enim rem totam hisce verbis decidit, ᾧ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς, ἢ κριτικῆς πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι τῆς τοιαύτης πόλεως· καὶ ἱκανὸν ὡς εἰπεῖν αὐτάρκειαν ζωῆς. *Cui potestas collata est, vt particeps sit magistratus ad consultandum, & iudicandum pertinentis, ciuem eius ciuitatis esse dicimus. Ciuitatem talium ciuium multitudinem, quæ illa habeat, quæ ad vitam sufficientia sunt.* Ad vitam nempe politicam, quæ in re maxima, & libertate à nullo dependente cernitur.

Sufficiens sibi dicitur, si ab alio non dependet.

Ciuis quis Aristoteli?

Ex his igitur ciuitas constitui debet, vocaturque libera respublica siue regnum sit, siue aristocratia, siue presse dicta politia, si supremi magistratus, & iudiciorum ex sese, & in se potestate prædita sit. Hoc est vnum corpus seipsum mouens, sese nutriens, non alieni corporis pars, atque in hac republica magnitudo, aut paruitas nullum discrimen efficit, quemadmodum enim non minus omnibus suis partibus absolutum est formicæ compactum, & laboriosum corpusculum, quàm vasta moles elephanti, ita quoque suam perfectionem parua Respublica obtinere potest, nec cedere ingentibus monarchiis, legum, magistratuumque iusta ordinatione, atque administratione, si ciuium singulorum atque omnium vtilitas spectetur. Ea est enim florentissima respublica in qua singuli florent. Quemadmodum corpus sanum, forte, formosum est, si humorum omnium legitima est temperatura, membrorum modus, naturæ conueniens symmetria, & coagmentatio, coloris suauitas, ita in republica omnium partium inter se apta connexio, & vita quædam iuris, administrationisque integritas omnes florentes, diuites, pacatos, felices efficit.

Floret ciuitas cũ singuli florent.

Caput V.

Rempublicam non à fato, nec casu aut fortuna, sed à Deo esse.

§. 1. Fatum appello non diuinam ordinationem, præscientiam, permissionem, sed quod à rerum nexu necessario, quod à mundo, à positu siderum dependere volunt, de quo exclamat impie disertus poeta:

Heu fatis superi certasse minores.

Si nonnulli auctores boni, & orthodoxi nomine fati vtuntur, cum recte de diuina prouidentia, libertateque arbitrii sentiant, non reprehendo sententiam, malo tamen loquendi modum corrigere eos, quam periculose propter multorum infirmitatem disputare; consilium Augustini illi audiant, l. 5. de ciuitat. Dei, c. 8. *Qui vero non astrorum constitutionem, sicuti est, cum quidque concipitur, vel nascitur, vel inchoatur, sed omnium connexionem seriemque causarum, qua fit, omne quod fit, fati nomine appellant; non multum cum iis de verbi controuersia laborandum, atque certandum est: quandoquidem ipsum causarum ordinem, & quandam connexionem Dei summi tribuunt voluntati, & potestati, qui optime & veracissime creditur cuncta scire antequam & fiant, & nihil inordinatum relinquere: à quo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnium voluntates. Ipsam itaque præcipue Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum sic probatur: Annæi Senecæ sunt, nisi fallor, hi versus:*

Fatum reiicitur.

Fati nomen recte quidã vsurpant, sed periculose.

Duc me summe pater altique dominator poli,
Quocunque placuerit, nulla parendi mora est.
Assum impiger: fac nolle, comitabor gemens:
Malus patior, facere quod licuit bono:
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

§. 2. Fatum Mathematicorum insuperabili siderum vi inclusum, Fatum Priscillianistarum, Bardesanis, aliorumque Deo ipso omnipotente potentius detestamur. Suauem prouidentiam Dei per medias causas, pro earum captu euenta ordinantem, & sinentem, liberis voluntatibus sua arbitria non excutientem agnoscimus, itaque hæc, quæ ab impiis profano sensu dicuntur, repudiamus. Vt:

Fatũ Mathematicum.

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege,
Manet hæc ab origine mundi
Fixa dies bello populique in prælia nati.
Tantumne aliquis sibi posse videtur,
Fata quoque vt superet?

Hæc nisi benigna interpretatione leniantur, tolerari non possunt. Hac de re pluribus disputare me cogit Atheorum importunitas, qui dum fata illa iam olim sepulta renouant, atque è tenebris educunt, non modo Reges & Respublicas pessimis artibus implicant, sed vatibus, astrologis, magis obnoxios faciunt, vt sceleratissimis perditissimisque hominum se, ac Rempublicam committant: Ecce tibi hominem quem merito Christianum negaueris, cui si credas citius regnum amiseris, quam vera didiceris. Lib. 2. de repub. c. 29. ita loquitur: Si rerum vicissitudinem contemplemur, comperiemus multa accidere ex fato ita vrgente, vt iis obuiam ire nemo possit, *quamuis in promptu remedia fuerint. Et si populo Romano talia quædam acciderunt, in quo omnis generis virtutes emitebant, & religionis imprimis, ac rei militaris studium vigebat: cui mirum videri debet, si aliis Rebuspublicis, prouinciisque etiam eueniant, in quibus nullæ harum virtutum tantopere elucent? Imprimis igitur habenda ratio est earum rerum, quæ fato ipso, seu astrorum influxu, euenire videntur: & quibus vt resistamus, fortuna non permittit. Quarum exemplum luculentissimum est id, quod populus Romanus in clade Gallica accepit.*

Machiauellus impium fatum comminiscitur.

§. 3. Fatum igitur ille astrorum influxum appellat, & fatum ex astris ineuitabile. *Hoc vnum*, inquit, *pronunciabo de fortunæ viribus, & fati necessitate, quod historias omnis generis percurrenti facile apparebit, homines fati necessitatem euitare non posse; sed faciliorem euentum iis, quæ ab eo impendent efficere, eumque promouere, adeoque Parcarum telas texere, non retexere aut rumpere.* Et in principe suo c. 25. *Haud illud mihi obscurum est, eius sententiæ complures esse, ac olim fuisse, ita rerum humanarum procurationem à fortuna omnino, ab ipsoque Deo teneri, vt ab hominum prudentia nulla ratione corrigi queat: imo nullo posse occurri remedio. Ob id existimari posset, in iis rebus non multum laborandum esse, sed quo fortuna impellit, eo se ferri permittendum. Hæc opinio maiori persuasione his nostris temporibus, propter rerum multiplicem conuersionem, recepta est: quod nunquam non visa sint, quotidieque videantur mutationes, extra omnem humanam, quæ posset capi, coniecturam. Hoc ego nonnunquam animo cum cogitassem, aliqua ex parte eo inclinaueram sententiæ. Sed ne arbitrium nostrum extinguatur, eam opinionem sequor, vt alteram nostrarum rerum partem fortunæ arbitratu iudicem procurari, alteram vel paulo minus administrandam relinqui. Fortunam enim montano flumini omnia prosternenti comparare soleo, quod cum præceps fertur, in agros effunditur, arbores sternit, conuellitque domos; hinc terræ multum abripiens, alio idem illud regerit, omnia item pra se agit; omnia*

omnia eius conspectum fugitant, omnia illius furori cedunt, sublata omni, qua posset ratione reprimi:

Fortunam ecce montano flumini comparat, cui nulla vi, arte, ratione possit obsisti.

Siderum cursus, & fortunæ cõtemnendus.

Meus princeps, senatus, ciuitas, exercitus, vni, vero, bono, iusto se Deo committet, siderum seu errores, seu statas periodos, & iussos à Deo circuitus, ad se nihil pertinere, nullam in suam vel aliorum libertatem habere iurisdictionem, aut efficientiam certo sibi persuadebit. Ita nec in malis animo dejicietur, memor Deum esse, qui rebus tristibus finem statuit, nec prosperis efferetur, nescius occulti consilii, quo subito superbia plectitur. Hoc modo magna ac recondita, sed nunquam iniqua efficacitate, momento fit cinis, diu sylua; ad sonum tubæ cadauerum fit congeries, quæ castra fuerant. Fateri hoc ipsum cogit, vel inuitum, vel ignorantem veritas. Quid enim est quod ait, Parcarum nos telas posse texere? non igitur illa cœlorum, & constellationum aspectus inexitabili necessitate vehunt, sed suæ quisque fortunæ est faber, vt in prouerbio dicitur. Si enim necessitas illa causas habet astrorum positus, aspectus, eleuationes, retrogradationes, domicilia, inclinationes, triangulos, ἐπισκιάσεις & obscurationes, obliquitates, coniunctionumque tam vanas, quam innumerabiles συζυγίας, & quasi connubia; non est in hominum potestate magis fata sua texere, quam citatissimos siderum cursus inhibere, cum incommutabili, atque insuperabili nexu, vinculis adamantinis fata cœlis fixa trahantur. Deinde quomodo faciliorem euentum iis quæ ab eo impendent efficere, atque promouere potest homo, qui totus fato agitur? Vtar exemplis Machiauelli. Inexpugnabili fatorum necessitati tribuit, Trium Fabiorum, qui legati missi fuerant, vt pacem Clusinos inter, & Gallos componerent, pugnam, qua Gallos in Romanos concitauerunt, Camilli exilium eidem fato imputat, ne resisti Gallis à tam insigni imperatore posset. Imo etiam stellæ fecerunt, ne dictatorem dicerent, ne Tribuni castra munirent, ne Deorum memores essent, ne auspicato, ne litato instruerent aciem, ne Romam clauderent, ne inermem turbam fugere sinerent, ne Romam exscinderent. Hæc absoluta necessitate astra vehebant, vt ille sentit. In quibus hoc primum quæro, quomodo vel Camillus, vel Manlius meliorem his fatis euentum efficere potuerit? Vel enim melior ille euentus, quem in humana prudentia, ac cautione collocat, extra vim fati, siderumque conspirationem fuit, vel is quoque eadem necessitatis catena alligatus, stabat sub ictu fati, & tormento fortunæ. Si melior euentus à fato fuit, non igitur eum efficere ac promouere Camilli fides, atque industria potuit, non magis quam illa quæ fato iam acciderant. Si extra ius ditionemque fati ac fortunæ melior euentus in Camilli arbitrio fuit, cur non & reliqua eodem loco reponit? Si enim aliqua fato liberat: quo iure cætera fatis addicit? Parum considerati hominis est, calamitates fato inscribere, meliorem euentum nobis, si enim necessitate improuisa, atque inflexibili eueniunt, non possumus nos ea in vllam partem aliam detorquere. Tam enim in fatis est, vt ictum graui pondere libratum, nudo pectore excipiam, quam in fatis est, vt saucier. Si enim cladem fata ferunt, magnitudinem etiam eius demensam, modumque, & circumstantiarum momenta sub numero tenent. Si feriunt, destinato feriunt; nec quicquam iam nostrum est nisi pati; quanquam & quantum doleat, id quoque, si consequenter initiis philosophabitur, fatis assignabit. Si enim cœli Iulio cruentam mortem fatarunt, etiam viginti tria vulnera, primum à Casca sub iugulo, secundum & solum letiferum sub pectore, cætera leniora, decreuerunt. Vanum igitur est, & propriæ sententiæ aduersum, quod de fato Machiauellus asserit.

Fati Mathematici necessitas arbitrium tollit.

Fatum si in vna re detur, ab aliis non potest excludi.

Si euenta sunt à fato, etiam inde sunt circũstantiæ.

Hoc quidem, vt ostendi, imprudentis est. Illud vero quod fato vetitos iudicat, ne deorum memores essent, ne auspicato, ne litato aciem instruerent, peculiarem habet cum stultitia impietatem. Nam si, vt fati defensor, & astrologus loquitur, quid præsidii in Deis esse poterat, cum *fatis* illi *sint certare minores?* cum Iupiter ipse preces, & iras Iunonis iniquas fatis subiiciat?

Si fatũ est, non sunt dij curandi.

Fata viam inuenient, inquit.

Auspicia, extispicia, miserarum pecudum viscerationes, fissum iecur, decolora victimarum intestina, sinistræ aues, & captata vocum omina, non possunt fatorum violentiam flectere, si igitur in fatis erat vinci Romanis, nullæ aues, nullæ Hecatombæ malum auertere poterant.

Auspicia damnat religio Christiana.

Si Christianus est, quo modo à fato venisse censet, quod auspicato, & litato, acies instructa non sit? Si consultationes magicas, tripudium Solistimum, resultum escæ voracis ore pulli proiectæ fata fieri vetuerunt, iam aliquid boni fatis adscribit, quia ne per tales quidem præstigias vincere pulchrum fuit: Sed quis sensus illius est, quæ religio, qui tot scelerum, quorum caput magia, & idololatria fuit, impedimentum putat fuisse cladium, & amissæ vrbis? Tu Christianus es, & tamen inter causas afflictæ reipublicæ, ac in extremas angustias redactæ etiam hoc refers, quod ex dæmone consilia non exquisierint? illi nefaria sacrificia non obtulerint? non litarint? Tot exercitus Deorum contemptores victoriam consecuti sunt, non auspicato, non litato pugnantes, cur igitur hoc in Romanis reprehenditur? Verum de illa controuersia latius disseramus, est enim necessarium Deo omnium regnorum salutem ascribere, omnia sunt à Deo. *Peruersa sunt omnia quæ non sunt à Deo.* Tert. de cultu fœm. Nam *habet Deus testimonia, totum hoc, quod sumus, & in quo sumus.* Idem Tertull. l. 1. contra Marcion. Ille omnia quæ sunt verbo, ratione dispensat, virtute consummat. *Salus hominum in Dei tutela est*, dixit ille etiam, qui de Deo dubitauit l. 3. de finibus. Nemo regum intumescat, omnes serui sumus, dominum enim habemus Deum. Tot vrbium, tot regnorum, in quibus tu operosius, quam Deus, coleris, dominus est Deus, vsumfructum & incerti temporis vsuram tibi relinquit. Tot tibi populi seruiunt, tu vni Deo, qui tibi hos subiecit, serui. Nulla est reipublicæ pestis perniciosior, nulla clades vitalia magis oppressit, quam cum magistratus auctoritas, & imperii maiestas infringitur. Maior tamen est calamitas cum princeps, aut respublica summæ maiestatis læsæ rea est.

Omnia à Deo.

CAPVT VI.

Rempublicam à Deo dependere sacræ scripturæ sententiis probatur.

§. 1. MIhi hæc disputatio est aduersus Atheos, diuinæ prouidentiæ, & benignitatis inficiatores blasphemos, qui dæmonibus non litasse, noxiũ Reipublicæ arbitrantur, quos contra rationẽ, & sæcularibus literis potius quã scripturis diuinis pugnandum non ignoro: Non tamen omittenda etiam hæc arma existimaui, quæ si non lædant hostem refugientem, tamen fatigabunt, & terrefacient. Causa vero mihi quadruplex: principio principibus & consiliariis orthodoxis vtilis erit, & grata atque ad detestandum Machiauellismum efficacissima cõtemplatio. Deinde pluribus quos inter pietatem, & simulationem ambigua tenet ἀπορία atq; hæsitatio, proderit: necesse est enim scripturam tam antiquam, tam venera-

Contra Atheos etiam sacræ literæ possunt vsurpari.

venerabilem, tot annorum millibus commendatam auctoritatis aliquid etiam apud incredulos obtinere. Tertio, latens est in verbis Dei vis quædam, & efficacia penetrabilior omni gladio ancipiti, quæ sæpe etiam in impiorum cordibus conuersionem operatur, quam causam arbitror, cur crebro sancti patres diuinarum literarum oracula contra gentes disputantes illarum fabulis opposuerint. Denique historia sacra, si prophetarum oracula adiungas non fideles modo, sed gentes, atque atheos, conuincit, Deum esse, & in manu eius esse omnia regna terræ. Sacris ergo literis & hic vtar: *Cui enim magis de Deo, quam Deo credam?* [Amb. contra Symm.] Conjiciam vero testimonia in tres classes, nam aliquando Deus ipse dicitur omnia gubernare. Deinde aliquando dare regna, auferre, transferre, denique omnem Regnorum mutationem iam olim prædixit. Si igitur Deus omnibus omniũ regnorum administrationibus interest, atque adeo præest, si regna se dare, & transferre profitetur, si euersiones vrbium, commutationes monarchiarum multo ante quam eueniant, denunciauit, quomodo ab eo non pendent omnia, qui omnia creauit? omnia prænouit, cui etiam curæ fuit, vt omnia amicis suis prophetis aperiret?

§. 2. Tota scriptura sacra in eo est, vt à Deo omnia dependere, omnia eius regi arbitrio demonstret. Quid rerum molitio, & mundi constructio aliud, quam auctorem loquitur? Singula attendisse eum, sacrificia duorum fratrum docent, quorum aliqua aspexit, aliqua neglexit. Mundi deinde primogenii scelera vndis vltricibus, cum vniuerso hominum genere mersit, nec tamen iustum Noe cum familia sua eadem pœna inuoluit. Idem Deus quanta Ægyptiis damna intulit? nec modo aquas maris Rubri duxit & reduxit, sed ranis, muscis, & tenebris afflixit, haud minor artifex in paruis, quam in magnis, itaque vilissimis bestiolis impiæ gentis superbiam castigauit, & edomuit. Vide vnius noctis stragem & centum octoginta quinque millia funerum in castris assyriis regnante Ezechia, & nega Deum Israeli tum propitium, Assyriis intensum fuisse. Deo igitur credamus, regni sui testis ille optimus est.

Dominum regnare. §. 3. Exod. 15. 18. Dominus regnabit in æternum & vltra.

Deut. 17. 20. *Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & Filius eius super Israel.*

1. Regum 8. 7. *Dixit autem Dominus ad Samuelem, Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.*

1. Regum 12. 12. *Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum nos, dixistis mihi, nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.*

1. Paralip. 29. 11. *Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes Principes. Tuæ diuitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium: in manu tua magnitudo & imperium omnium.*

Iob. 34. 18. *Qui dicit regi, apostata: qui vocat duces impios?*

Iob. 34. 24. *Conteret multos, innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.*

Lucæ 1. 33. *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Isaiæ 24. 23. *Et erubescet luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.*

Ezechiel. 20. 33. *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Et educam vos de populis: & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis, in manu valida, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos.*

Ieremiæ 23. 5. *Ecce, dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium, & iustitiam in terra.*

Dan. 4. 31. *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generatione & generatione.*

Dan. 4. 14. *In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum & petitio: donec cognoscant viuentes quoniam dominatur excelsus in regno hominum; & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.*

Psal. 47. 9. *Quoniam rex omnis terræ Deus, Regnabit dominus super gentes.*

Psal. 93. 1. *Dominus regnauit, decorem indutus est.*

Psal. 97. 1. *Dominus regnauit, exultet terra.*

Psal. *Dominus regnauit, irascantur populi.*

Princeps cum Deo regnans inuictus est.

§. 4. Si domini igitur est regnum, si ille est, qui dat potestatem super gentes, vt regat eas in virga ferrea. Apocalyps. 2. 27. & 19. 15. Si in Deum non cadit imbecillitas, ipse regni est, & protector, & cum offensus est, euersor. Nec principi cuius rationes à Deo pendent, timendus hostis est: *Non enim plus ad deijciendum potest terrena potentia, quam ad erigendum tutela diuina.* Cyprian. l. 2. ep. 6. *Nulla vis humana diuinis resistit.* Sen. Et reuera bene Philo: *Quicunque cum Deo fœdus habet, felicitatis tenet fastigium.* Ita habeant principes; supremum moderatorem Deum esse: Et sicut Deo offenso nihil est, quod illis possit suffragari, ita Deo propitio illis nulla nocebit aduersitas. Quos enim omnipotens tutela defendendos suscipit, etiam si mundi totius viribus petantur, vinci tamen non poterunt, quia Deus, qui cum ipsis, & quo cum ipsi regnant, inuictus est.

§. 5. Testatur idem Deus, se non modò regnare, & imperia moderari, sed dare, auferre, augere, minuere. 1. Regum 15. 18. *Et ait ad eum Samuel, scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.*

Sapient. 10. 10. *Hæc autem, profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum, honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius.*

Sapient. 10. 14. *Et in vinculis non dereliquit illum donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculauerunt illum & dedit illi claritatem æternam.*

Isaiæ 10. 10. *Quo modo inuenit manus mea regna Idoli, sic & simulacra eorum de Ierusalem & de Samaria.*

Isaiæ 13. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.*

Isaiæ 14. 16. *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient, Nunquid iste est vir qui conturbauit terram, qui concussit regna: Qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?*

Isaiæ 60. 12. *Gens enim & regnum quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabuntur.*

Isaiæ 62. 3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

Ezechiel. 32. 1. *Et factum est, duodecimo anno, in mense duodecimo, in vna mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens, Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem AEgypti, & dices ad eum; Leoni gentium assimilatus es, & draconi, qui est in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina eorum. Propterea hæc dixit Dominus Deus; Expandam super te rete meum in multitu-*

multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea. Et proijciam te in terram, super faciem agri abijciam te: & habitare faciam super te omnia volatilia cæli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ. Et dabo carnes tuas super montes, & implebo colles tuos sanie tua. Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & valles implebuntur ex te. Et operiam cum extinctus fueris, cœlos: & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus. Et irritabo cor populorum multorum, cum induxero contritionem tuam in Gentibus super terras quas nescis. Et stupescere faciam super te populos multos, & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eorum: & obstupescent repente singuli pro anima sua in die ruinæ suæ. Quia hæc dicit Dominus Deus, Gladius regis Babylonis veniet tibi, in gladijs fortium deijciam multitudinem tuam, inexpugnabiles omnes Gentes hæ: & vastabunt superbiam Aegypti, & dissipabitur multitudo eius. Et perdam omnia iumenta eius quæ erant super aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis vltra, neque vngula iumentorum turbabit eas.

Dan. 2. 21. Et ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam.

Dan. 5. 18. O rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiam, gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. Et propter magnificentiam quam dederat ei, vniuersi populi, tribus & linguæ tremebant, & metuebant eum, quos volebat interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat. Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est.

Dan. 5. 28. PHARES: *diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.*

Dan. 7. 14. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.

§. 6. Tertium est argumentum à prædictionibus desumptum. Abrahamo, Isaaco, Iacobo, cæteris patriarchis multo ante omnia, quæ euentura fuerunt, posteris indicata sunt, Mosi & Iosue ducibus omnia futura panduntur, cæterisque prophetis: prouidentia Dei igitur regna stant, caduntque.

Vide Num. 24. 7. *Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas, tolletur propter Agag, rex eius, & auferetur regnum illius.*

Deut. 3. 21. Iosue quoque in tempore illo præcepi, dicens, oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis ad quæ transiturus es. Ne timeas eos: Dominus enim Deus noster pugnabit pro vobis.

3. Reg. 11. 11. Dixit itaque Dominus Salomoni. Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo Filio tuo propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi.

2. Reg. 3. 10. Sic faciam cum eo, vt transferatur de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid super Israel, & super Iudam, à Dan vsque Bersabee.

Dan. 2. 39. Et post te consurget regnum aliud minus te: & regnum tertium aliud æreum: quod imperabit vniuersæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit & domat omnia: Sic comminuet & conteret omnia hæc.

Est igitur efficax contra Politicorum Atheismum antidoton futurorum præsensio & prædictio. Si enim regnorum interitus, & regum punienda scelera tanto ante seruis dei, & per ipsos impio mundo denunciauit Deus æternus, dubitare nemo potest, oculatissimâ prouidentia, & immutabili iustitia mundum administrari.

§. 7. Philosophorum veterum exquisita quædam argumenta, cur esset diuinatio, collecta fuisse docent multorum libri, & vetustissimorum à posteriorib. relatæ sententiæ. Et omnium quidem, qui Deos esse dicebant, excepto Xenophane Colophonio, & Epicuro, in diuinatione astruenda consensus fuit, vt auctor est l. 2. de Diuinat. Cicero: Omnium, inquam, qui aliquid sciri posse concederent; nam Academici qui nihil sciri contenderent, adeo vt ne hoc quidem scire se, quod nihil scirent, omnium ambigui, semper ἐπέχοντες, profiterentur, illi inquam diuinationem quomodo probarent, qui esse se nescirent! Cæterorum, qui Deos esse putarent hæc erat ratiocinatio; si sit diuinatio, deos esse, & si dii sint, diuinationem esse. Hæc enim inter se reciprocari. Veteres illos improbarunt, qui proxime sunt eos insecuti: Natura enim sine Deo futura significari posse putabant, & posse esse eos deos qui humano generi diuinationem nullam tribuerent. *Diuinationem philosophi concedunt.*

Verum & hi, & illi ignari veritatis, varia se fraude & superstitione obligarunt, eoque rem adduxerunt, vt tam illi qui Deos, religionemque à se defendi arbitrabantur, quam illi, qui superstitionem gloriabantur se tollere, ex æquo diuinandi omnem vim facultatemque eneruarent, aut magnis sceleribus infamarent. Quam futili enim ratione Chrysippus, Diogenes, Antipater pro rerum futurarum cognitione pugnant? Si sunt dii (inquiunt 2. de diuinat. apud Tullium) neque ante declarant hominibus quæ futura sunt: aut non diligunt homines, aut quid euenturum sit ignorant: aut existimant nihil interesse, hominem scire, quid sit futurum: aut non censent esse suæ maiestatis, præsignificare hominibus quæ sint futura: aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos: sunt enim benefici, generisque hominum amici, neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta & designata sunt: neque nostra nihil interest, scire ea quæ futura sunt, erimus enim cautiores, si scierimus: neque hoc alienum ducunt maiestate sua: nihil est enim beneficentia præstantius: neque non possunt futura prænoscere, non igitur sunt dii, nec significant nobis futura: sunt autem dii, significant ergo. *Sed cum multis erroribus.*

Sunt quidem in hac ratiocinatione vera nonnulla, si ad vnicum, verumque Deum referantur, qui in nos beneficentissimus est, qui prior dilexit nos, ita vt pro reconciliatione totius mundi vnigenitum suum dederit, qui omnium rerum quamuis arcana reconditaque prænouit euenta, & quæ eius voluntate accidunt, & quæ eius permissione non carent. Non tamen inde suas prædictiones probare gentilitas potest, cum multa adeo latere voluerit, etiam optimos atque amicissimos.

Allatis deinde vatum suorum exemplis partim manifeste falsis, partim ambiguis, & flexiloquis rem inter ipsos dubiam, irrisionibus Atheorum obnoxiam reddiderunt, dum extis, auibus, ominibus, fulgure, somniis, ac postremo furoribus euentuum certitudinem denunciant. Quid facilius quam fabulas de Tage exarato vate, de anguibus Gracchi, de Passeribus Calchantis, De Aio Locutio, de nouacula Tarquinii, tripudio Solistimo, Epimenide Cretensi, Babylonijs annorum quadringentorum septuaginta millium obseruationibus, cæterasque refutare, quandoquidem ab ipsis gentilibus irrideri vt plurimum consueuerunt? Vani igitur, superstitiosi, & sæpe furentes Ethnicarum diuinationum sunt approbatores & defensores. *Ethnicorum vana diuinatio.*

§. 8. Nec

§. 8. Nec tamen è contrario probabilis fuit eorum ratio, qui omnem rerum futurarum præsensionem, & prædictionem sustulerunt, hi enim ius suum Deo, præscientiamque auferentes sacrilegi fuerunt, nec vllius sunt momenti in re grauissima rationes. Quod enim omnium rerum enumeratione probare conantur, nõ esse posse prophetiam, aut quamcunq; fortuitorum prænotionem, in singulis aberrant. Argumentum omniũ Atheorum est apud Ciceronem, lib. 1. de diuinatione: Quæ sensibus percipiuntur, arte tractantur, quæ in Philosophia de officiis statuuntur, quæ in Physicis, Dialecticis, medicina traduntur, non sunt aruspicum, aut vatum, nulla igitur diuinatio. Ratio tamen ostendet in his omnibus esse veras prædictiones, & licet rationes nullæ appareãt, cur ista eueniant, non illa, diuina tamen patefactione à vate cognoscitur, quod in se cognosci non poterat. Et miranda est hominum alias acutorum in prænotione futurorum exagitanda hebitudo. Cum enim in hominis sit potestate, quæ ipse facere statuit, futura prædicere, cur non possit esse suorum consiliorũ reuelator, qui est omnipotens auctor? omnium itaque rerum illarum potest esse diuinatio, quia omnes à certo euentu pendent. Alii ideo diuinationem inficiantur, & præscientiam, quia fatum stoicum execrantur. Putant enim non dissociabili vinculo præscientiam, prædictionem, fatumque coniungi, atque ita deuinciri, vt aut hoc concedendum, aut illa neganda sint, ita quidem Cicero libris suis de diuinatione conscriptis. *Et notauit S. Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 9.*

Homo quæ agere statuit, potest prædicere, cur non Deus?

Cicero diuinationem & fatum putat esse connexa.

Hos Cicero ita redarguere conatur, vt non existimet aliquid se aduersus eos valere, nisi auferat diuinationem. Quam sic conatur auferre, vt neget esse scientiam futurorum, eamque omnibus viribus nullam esse omnino contendat, vel in Deo, vel in homine, nullamque rerum prædictionem. Ita & Dei præscientiam negat, & omnem Prophetiam luce clariorem conatur euertere vanis argumentationibus, & opponendo sibi quædam oracula, quæ facile possunt refelli: quæ tamen nec ipse conuincit. In his autem Mathematicorum coniecturis refutandis eius regnat oratio, quia vere tales sunt, vt se ipsæ destruant, & refellant. Multo sunt autem tolerabiliores, qui vel sidera fata constituunt, quam ille, qui tollit præscientiam futurorũ. Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est. Quod & ipse cum videret, etiam illud tentauit asserere, quod scriptum est: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus: Sed non ex sua persona, vidit enim quam esset inuidiosum & molestum, ideoque Cottam fecit disputantem de hac re aduersum Stoicos in libris de Deorum natur. & pro Lucilio Balbo, cum Stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre sententiam pro Cotta, qui nullam naturam diuinam esse contendit. In libris vero de diuin. ex ipso apertissime oppugnant præscientiam futurorũ. Hoc autem totum facere videtur, ne fatum esse consentiat, & perdat liberam voluntatem. Putat enim concessa scientia futurorum ita esse consequens fatum, vt negari omnino non possit. Verum tam clarum ac manifestum est aliquam prophetiam esse futurorum, & occultorum, vt quicquid ad illud probandum assumitur minus videatur esse clarum. Multarum enim prædictionum plena est omnis historia, sacra, profana, neque omnes fictæ sunt, aut fallaces, quæ dæmonum ope vere, sed fallaciter factæ sunt. Vt enim plurima vana fictaque sint, certe non excedunt spirituum istorum facultatem pleraque, quæ narrari solent, ne longius rem extraham, quæ Augustinus lib. 1. contra Academicos de Albicerio recenset in medium afferam.

§. 9. *Hic Licentius, quem post istam definitionem diu putabam quæsturum esse quid diceret, subiecit statim, cur ergo non sapientem vocamus flagitiosum illum hominem, quem ipsi bene nouimus per innumera scorta solere dissolui: Albicerium dico illum, qui apud Carthaginem multos annos consulenti bus mira quædam, & certa respondit: Innumerabilia commemorare possem, nisi & apud eos loquerer, qui experti sunt, & paucis nunc satis sit, ad id quod volo. Nonne cochlearium, (mihi autem dicebat) cum domi non inueniretur, tuo iusso percunctatus, non solum quid quæreretur, verum etiam nominatim cuius res esset, & vbi lateret, citissime verissimeque respondit? Item me præsente, omitto illud quod in eo quod rogabatur nihil omnino falsus est, sed cum puer qui nummos ferebat, certam earum partem cum ad eum pergeremus, furatus esset, omnes sibi numerari iussit, coegitque illum ante oculos nostros quos abstulerat reddere, priusquam omnino ipse aut eosdem nummos vidisset, aut quantum sibi allatum fuerit audisset è nobis. Quid quod doctissimum & clarissimum virum Flaccianum mirari solitum esse abs te accepimus? qui cum de fundo emendo esset locutus, ad illum diuinum rem ita detulit, vt quid egisset, si potis esset, ediceret. Atque ille statim non modo negotij genus, sed etiam, in quo ille vehementer clamabat admirans, ipsum fundi nomen pronunciauit; cum ita esset absurdum, vt vix eius Flaccianus ipse meminisset. Iam illud sine stupore animi non queo dicere, quod amico nostro discipulo tuo sese volenti exagitare flagitantique insolenter, vt diceret, quid secum ipse tacitus voluerer: Virgilij versum eum cogitare respondit. Cum ille obstupefactus negare non posset, perrexit quærere, quis nam versus esset. Nec Albicerius qui Grammatici scholam vix transiens vidisset aliquando, versum ipsum securus, & garrulus canere dubitauit. Nunc igitur aut res humanæ non erant, de quibus ille consulebatur, aut sine rerum diuinarum scientia tam certa consulentibus & vera respondit? At vtrumque absurdum est, nam & humanæ res nihil sunt aliud quam res hominum vt argentum, nummi, fundus, postremo ipsa etiam cogitatio: & res diuinas quis non recte arbitretur esse, per quas homini diuinatio ipsa contingit? Sapiens ergo fuit Albicerius, si sapientiam rerum humanarum diuinarumque scientiam esse illa definitione concedimus. Hic ille: Primo inquit, Ego scientiam non appello, in qua qui eam profitetur, aliquando fallitur. Scientia enim non solum comprehensis, sed ita comprehensis rebus constat, vt neque in ea quisquam errare, nec quibuslibet aduersantibus impulsus nutare debeat. Vnde verissime à quibusdam Philosophis dicitur, in nullo eam posse nisi in sapiente inueniri, qui non modo perceptum habere debet id quod tuetur ac sequitur, verum etiam inconcussum tenere. Scimus autem illum, quem rememorasti, multa sæpe falsa dixisse, quod non solum aliis mihi referentibus comperi, sed præsens aliquando ipse percepi. Minime igitur scientem vocem, cum sæpe falsa dixerit, quem non vocarem si constanter vera dixisset? Hoc me de Aruspicibus & de auguribus & de his omnibus qui sidera consulunt, & de coniectoribus somniorum dixisse putarote. Aut aliquem ex hoc genere hominum proferte, si potestis qui consultus nunquam de responsis suis dubitauerit, nunquam postremo falsa responderit. Nam de vatibus nihil mihi puto esse laborandum, qui mente loquuntur aliena. Deinde res humanas esse, vt concedam res hominum, quicquam tu existimas nostrum esse, quod nobis vel dare, vel eripere casus potest? aut cum rerum humanarum scientia dicitur, ea dicitur, qua quisquam nouit vel quot, vel quales fundos habeamus, quid auri, quid argenti, quidque denique alienorum carminum cogitemus? illa est humanarum rerum scientia, quæ nouit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, institiæ sanctitatem. Hæc enim sunt quæ nullam fortunam meruentes, vera nostra dicere audemus: quæ si Albicerius ille didicisset, nunquam mihi tam luxuriose, deformiterque vixisset, quod autem dixit quem versum voluerit animo ille, à quo consulebatur, neque hoc puto inter res nostras esse numerandum: non quo negem honestissimas disciplinas ad possessionem quandam nostri animi pertinere, sed quia versus alienum etiam imperitissimis canere, ac pronunciare concessum est, ideoque talia cum in*

Magicæ prædictionis exemplum.

Vates gentium sæpe errant.

cum in memoriam uestram incurrerint, non mirum est, si sentiri possunt ab huius aeris animalibus quibusdam vilissimis, quos dæmonas vocant à quibus nos superari acumine ac subtilitate sensuum posse concedo, ratione autem nego. Atque fieri nescio quo modo secretissimo atque à nostris sensibus remotissimo. Non enim si miramur apiculam melle posito, nescio qua sagacitate, qua hominem vincit, vndecunque advolare, ideo eam nobis præponere, aut saltem comparare debemus. Itaque vellem magis iste Albicerius ab eo, qui discere cuperet, interrogatus ipsa metra docuisset, vel coactus à quopiam consultorũ, dere sibi statim proposita versus proprios cecinisset. Quod eundem Flaccianum sæpe dixisse soles commemorare, cum illud diuinationis genus magnæ mentis altitudine derideret, atque despiceret, idque nescio cui abiectissimæ animulæ, sic enim dicebat, tribueret, quo ille quasi spiritu admotus vel inflatus hæc respondere solitus esset. Quærebat enim vir ille doctissimus ab iis, qui talia imitarentur num Grammaticam, vel musicã, vel Geometriam Albicerius posset docere? Quis autem illum nosset & non istorum omnium imperitissimum fateretur? Quamobrem ad extremum hortabatur, vt animos suos ij, qui talia didicissent, illi diuinationi sine dubitatione præferrent, darentq; operam his disciplinis instruere atq; adminiculari suam mentem, quibus veram istam inuisibilium animantium naturam transilire, & eam superuolare contingeret. IAM res diuinæ, cum omnibus concedentibus, meliores augustioresque multo quam humanæ sint, quo pacto ille eas assequi poterat, qui, quid esset ipse, nesciebat. Nisi forte existimas sidera, quæ quotidie contemplamur, magnum quiddam esse in comparatione verissimi & secretissimi Dei, quem raro fortasse intellectus, sensus autem nullus attingit, hæc autem præsto sunt oculis nostris. Nec ista igitur sunt illa diuina, qualia se sola scire sapientia profitetur: cætera autem quibus isti, nescio qui, diuinantes, vel ad vanam iactantiam vel ad quæstum abutuntur, præ sideribus profecto viliora sunt. Non igitur Albicerius rerum humanarum ac diuinarum scientiæ particeps fuit, frustraque abs te isto modo definitio nostra tentata est. Postremo, cum, quidquid præter res humanas atque diuinas est, nos vilissimum ducere & omnino contemnere oporteat, quæro in quibus rebus quærat ille tuus sapiens veritatem? In diuinis, aut ille: nam virtus etiam in homine, sine dubitatione, diuina est. Has igitur Albicerius iam sciebat quas tuus sapiens semper inquiret? His igitur relictis, de vera diuininatione agamus.

Vaticinia gentium sunt vilissimarũ animarum.

§. 10. Deinde videmus quanta sit in medicis, Philosophis, aliis sagacitas, quanta ex re parua in animis prudentum præsagitio; quid igitur causæ esse dicemus, cur non mens illa creatrix, omnium causarum arcana permeans atque gubernans eventa possit pernoscere? si cognoscit cur communicare non possit? Quod narrare sodali potest amicus, non possit id homini significare Deus?

Deus omnia potest indicare.

§. 11. Tertio. Scripturarum auctoritas omnem omnino dubitationem tollere potest, etiam gentibus, nemo enim adeo rerum humanarum est imperitus, nemo tam contumax, vt vniuersam historiam generis humani, vel in dubium vocet, vel contemnat. cum vero Rerumpublicarum commutationes illæ, quas mundus magna sui dilaceratione expertus est, cum grassantibus quasi in diuersa incendiis, vtrimque vexaretur, cum Assyrios Chaldæi, hos Medi & Persæ exciperent, Persas cum Asia quasi vna ruina inuolueret Macedo suis adulatoribus, gentium funeribus solitus parentare, cum illa inquam adeo diserte distincteque prædicta, nominatus etiam Cyrus, descriptus Alexander, & eius principes, non potest in occulto esse vaticinium, quod orbis repetita concussione, multarum gentium sanguine scriptum est. Vsus est illo olim argumento D. Augustinus, & cætera euentura docuit, quod maior pars iam euenisset.

Gentium historiæ in scripturis prædicuntur.

Hæc ergo cum prædicta sint, à Deo regi discimus, quorum tam multa impleta conspicimus, vt recta pietate futura esse cætera confidamus.

CAPVT VII.

Ex Danielis prophetia probatur regna à Deo dependere.

§. 1. IAm ex scripturis satis me demonstrasse arbitror regna terrena non fortuna, aut casu, nec fato, sed Dei voluntate inchoari, augescere, conseruari, deprimi, hærere tamen sic animus est, & hanc prouidentiam in re clara, historia notissima, quasi in exemplum cæterorum producere. Verba Danielis c. 8. ita habent. *Anno tertio regni Baltasar regis, visio apparuit mihi. Ego Daniel, post id quod videram in principio, vidi in visione mea, cum essem in Susan castro, quod est in Aelam regione: vidi autẽ in visione esse me super portam Vlai. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & vnum excelsius altero succrescens. Postea vidi arietem cornibus ventilantem, contra Occidentem & contra Aquilonem, & cõtra Meridiem: & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius: fecitque secundum voluntatem suam, & magnificatus est. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos. Et venit vsq; ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ. Cumque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries resistere ei: cumque eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque creuisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud, per quatuor ventos cæli. De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli: & deiecit de fortitudine, & de stellis & conculcauit eas. Et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius.*

Exemplo discimus imperium Dei in reges esse.

§. 2. Et versu 19. & sequentibus. *Dixit que mihi. Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suũ. Aries quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum. Porro hircus caprarum, rex Græcorum, & cornu grande quod est inter oculos eius: ipse est rex primus. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius. Et post regnum eorum cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & supra quam credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur. Et visio vespere & mane, quæ dicta est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit. Et ego Daniel langui & egrotaui per dies: cumque surrexissem faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.*

Expende hæc, & tecum puta, quam accurate Darius & Alexander describantur, eorumque gesta, & translatio monarchiæ in angulũ Græciæ ignobilem. Aries est Darius, qui stat ante paludem, seu ante fluuium, hebraice לפני האובל *Liphne haubal* in conspectu Vbal; nam etiam reliqua Asia amissa, in fluminibus, & stagnantibus aquarũ paludibus ex Euphrate, & Tigri spem collocabat Darius, Mediam enim Persidem, Assyrios & totam cum Bactris barbariem tenebat. Hic igitur fidenter stat Aries.

Prædictio hæc cũ circumstantiis.

Cornua excelsa sunt regnum Mediæ, & Persidos; quanquam enim plurima regna Dario parerent, Medi tamen & Persæ dominabantur. Cornu autem excelsius fuit Persicum regnum, quod multo inferius Medico, post Cyrum inualuit, & Medorum regno præstantius fuit, ideoq; dicitur succrescere, seu ascendere in nouissimo. Cyrus cum Persicum imperium ipse Persa hæreditarium, Medicum vero dorale possideret,

Persicum regnũ Medico maius.

sideret, Persas Medis prætulit; Ideoque ab auctoribus Monarchia Persica, non Medica solet appellari.

Aries ille *ventilat cornibus*, מנגח *menagag*, hoc est, cornu petit, κερατεῖ, vt Exodi 21. 28. & v. 31. & 32. de regibus violenter prouinciam opprimentibus dicitur. vt Deut. 33. 17. *Cornua Rhinocerotis, cornua illius.*

Contra occidentem, hebraice ימה *iamma*, πρὸς δύσιν θαλάσσαν, ad mare, nempe mediterraneum sic vocare occidentem Iudæi consueuerunt, quod Palæstinæ occidentale latus clauderet mare. Persarum autem imperium vix mari terminabatur. In occidente Persidos fuere, Babylonii, Syri, Armenorum pars, Insulæ maris Mediterranei. In meridie Arabiam, Ægyptum, Libyæ partem, Ammonios, & Indos Meridionales vicerunt. In aquilone Armeniæ partem, Pontum, Colchos. Hæc exponunt Herod. l. 1. Xenoph. Pædia Cyri. & ἀναβάσει. Halicarnas. l. 1. Curtius, Ctesias in Persicis, alii innumeri.

Nemo resistere poterat, nempe Asiaticarum gentium, Græci enim Schytæque restiterunt, quamuis maximis cladibus affecti.

Rex Iauan græciæ.

Regem aut regnum indicari non ignorabat Daniel, quis tamen ille esset nondum cognoscere poterat. Sed ecce venit Hircus caprarum, rex Græciæ, מלך יון *Melech Iauan. Rex Iauan*, seu rex Ionum, nam græcis ἰὼν, qui Hebræis יון. quia iot consonantem Hellas non agnoscit, vnde celebris græcis ciuitatibus Ionia. Iauan porro filius fuit Iapheth, frater Madai.

Persa aries.

Persa Aries est, quia vt Theodoretus ait, Imperium opibus, sagina, luxu iam graue, & sui vix potens, certe rex illis rebus quibus maxime abundabat, vt pecunia, à Græcis vincebatur, quod præfectorum auaritia milites negligerentur. Itaque hoc tempore velut aureum pecus, aureo vellere aliis fere proderat, iam dudum viribus vrsi deficientibus. Græcorum enim duces vel pecunia conducebant, vel corrumpebant, ita vt iam non sibi, sed aliis vellera aries ille ferret.

Græcus Hircus.

Rex Græcorum est hircus caprarũ. Hircus-hircus, dicitur in Hebræo, duobus tamen verbis. והצפיר השעיר *vehatzaphir heschaair, & hircus caper.* Septuaginta tamen vocant Τὸν τράγον τῶν αἰγῶν, alii legunt *hircum pilosum*, noster & 70. interpretes legerunt additum in fine ת hoc modo. חצפיר השעירת *hatzephir haschehiroth* hircus caprarũ: ita pleriq; iuterpretantur, & idem vocatur v. 5. צפיר העזים *zephir hahazim, hircus caprarum.* Perinde quasi dicat è grege caprarum, aut filium capræ, sic Leu. 4. 28. dicitur שעירת עזים Hirca seu capra caprarum. Nonnulli putant hoc additamento maternam originem indicari; nam Philippo mortuo sola mater Olympias superstes erat, illi quam patri gratior fuit, adeo vt conscius paternæ necis fuisse putetur, certe Olympias adeo gaudium de morte mariti conceptum celare non potuit, vt Pausaniæ parricidæ in cruce pendenti coronam noctu imposuerit, non angura tam infame scelus, nisi filio placiturum putaret, qui tandem etiam Philippum patrem negauit, & eius laudatores occidit. Sed malo tamen eum phrasi hebræa Hircum caprarum nominari, quam incertam expositionem sectari.

Celeritas Alexandri.

Hircus est, qui celeri assultu quasi terram nõ tangeret, magna regna quasi peruolaret; Darius non vane iactauit tantum terrarum sibi adhuc esse, quantum perambulare, non vincere modo operosum foret. Senescendum, (inquit apud Curtium) fore, tantum terrarum vel sine prælio obeunti. At ille, vt capræ solent, de rupe in rupem se librat valle non transita, atq; ita sexennio tantam monarchiam sublegit. Primo anno multas gentes rebellantes compescuit, & seditiones exstinxit, inde citato gradu profectus dux Græciæ constituitur, dum bellum Persicũ apparat in ipso molimine nunciatur Athenienses, Thebanos, Lacedæmonios ad Persas defecisse, tracturos auctoritate & potentia, totam Græciam, eodem tempore ad Istrum contra Barbaros belligerandum fuit. Quibus motibus occursurus tanta celeritate, instructo, paratoque exercitu Græciam oppressit, vt quem venire non senserant, videre vix crederent.

§. 3. Deinde in campis Adrastiis siue ad Granicum, 600000 Persarum fugauit, 120000. equitum cecidit, cum de eius exercitu 9. pedites, 120. equites occisi essent. Gessit plura bella cum Darii præfectis, quos terrore nominis sui vicit, tribus præliis post pugnam Issicam eos arriuit, cum montem Taurum transiret 500. stadia, hoc est 15. milliaria Germanica cursu confecit. Tyrus impetum paulum est morata, plus enim negocii exhibuit, quam totum regnum Persarum, sed ea capta Ægyptus, Cilicia, Rhodus in ditionem sine certamine concesserunr, interim quasi per ocium Ammonium Iouem salutat, Alexandriam condit, & demum ad Gaugamella Darium vincit, & sepelit. Ea causa Hircus celerrimus dicitur, qui terram non tetigerit.

Hircus etiam dictus est, qui asper, inhumanus, libidinosus, cruentam non modo aulam, sed etiam conuiuia habebat, amicissimorum cædibus, & periculis infamis. Curtius l. 6. curis laxatum excepisse voluptates, ludosque, & greges pellicum. Qualis in vrbium expugnationibus fuerit, docet Eleadas captiuus post victas Thebas. *Nunc senum*, inquit, *fœminarumque sicut infirmum, ita innoxium restare vulgus, quod ipsum stupris contumeliisque vexatum esse, vt nihil amarius vnquam sint passi.* Nec dissimiles Alexandro fuere Græcorum sequentes reges, libidinibus, superbia, crudelitate insignes, & orbem terrarum afflixerunt, perpetuis inter se bellis infesti. Ita enim de regibus loquitur, vt corpus regni vniuersum complectatur.

§. 4. Venit autem Hircus ad Arietem cornutum בעל קרנים *bahalkeranaim, dominum cornuũ in impetu fortitudinis suæ*, ἐν ὀργῇ ἰσχύος αὐτοῦ, ait Græcus, quod Hebræus בחמת כחו *Bachamath cocho*, in feruore, vel excandescentia fortitudinis suæ. *Alexander in Darium efferatus.*

Cum autem appropinquasset prope Arietem efferatus est in eum, ἐξηγριώθη, cum ante animal esset domesticum, & cicur, nunc in beluam ferocem, & sæuam commutatur, hebræus ויתמרמר *vaithmarmar*, & *efferauit seipsum*, iras totas in vnum collegit. Quis non putet Danielem ista scribentem gestis interfuisse? Diu quidem officiis certarunt, & humanitate quamuis durante bello, sed tamen cum ad rem ventum est, furiis agitur. *Alexander* (inquit Iustinus) *periculosissima quæque aggrediebatur, & vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper immergebat, periculaque sua non militum esse volebat.*

Appropinquauit, tres ducum exercitus cecidit, deinde ipsum fugauit, secundo prælio rex vterque vulneratus, tertio Darius interiit. Verum de efferato animo Alexandri in Darium audiamus Curtium l. 4. *Impia enim bella suscipitis* (sic Legatis Darianis exprobrat Macedo) *& cum habeatis arma, licitamini hostium capita, sicut tu proxime talentis mille, tanti exercitus rex, percussorem in me emere noluisti, repello igitur bellum, non infero. & quia titulum regis Darius omiserat, de cætero cum mihi scribes, memento non solum regi, sed etiam tuo scribere. Sed nihil magis efferasse eum, quam literæ* de quibus c. 4. Curtius. *Interceptæ deinde Darij literæ sunt, quibus græci milites sollicitabantur, vt regem interficerent, aut proderent, ideoq;* Alexander in responsione ad Legatos, *Quod si saltem pacem bona fide peteret, deliberarem forsitan an darem. Verum enim vero cum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam sollicitet, ad internecionem, mihi persequendus est, non vt iustus hostis, sed vt percussor & veneficus.*

§. 5. Ecce tibi efferatum Hircum, & sine respectu

propriæ

propriæ salutis in Arietem graui impetu ruentem. Nonne Deus qui hæc tam longe ante prædixit, qui ab æterno præuidit, munire Arietem, hircum auertere potuit? Comminuit vero duo cornua eius, *Hoc prælio*, inquit Iustinus, *totam Asiam rapuit, quinto post acceptum regnum anno: cuius felicitas tanta fuit, vt post hoc nemo rebellare ausus sit, patienterque Persæ post imperium tot armorum iugum seruitutis acceperint.* Post Persepoli deleta, Medi etiam ne resistere quidem conati sunt.

Cur Deus arietem deseruit?

Omnes bestiæ non potuerunt resistere ei, neque liberari de manu eius. Causa quia iam à Deo desertus erat Aries, itaque ne semel quidem tot habitis prælijs vicit. Excreuerant enim iam iniquitates Persarum & Medorum, nec mundo amplius tolerabiles erant, neque id ignorabat Alexander. Apud Iustinum l. 11. ita res narratur: *Priusquam vlla nauis littore excederet, hostias cædit, petens victoriam bello, quo toties à Persis petitæ Græciæ vltor electus sit, quibus longa iam, & satis matura imperia contigisse, quorumque tempus esse, vices excipere melius acturos.* Ita fieri non potuit vt resisteret, aut duceret saltem bellum Persa, sed destitutus auxilio & sapientia, omnia in manus victoris tradidit.

Darius in errã productus.

Cum missilibus in terram conculcauit. Persecutus erat vt percussorem, & veneficum; Darius cum vinci suos videret mori & ipse voluit, sed à proximis fugere compulsus est, vt Iustinus refert. Deiectus ergo in terram est, cum adhuc Hircania, Bactra & dimidia pars regni superesset. A Nabarzane & Besso prætoribus suis vincitur, aureis catenis, in currum pellibus contectum conjicitur, demum iussus ascendere equum, cum recusaret comitari parricidas, *Tum vero*, inquit l. 5. Curtius, *ira quoque accensi, tela iniecunt in regem multisque confossum vulneribus relinquunt.* Iumenta quoque, ne longius progredi possent, conuulnerantur, duobus seruis, qui regem comitabantur, occisis. Hæc Hirco capratum omnia tribuuntur, quia is omnium causa, & fugienti initans, dicebat; *In illo corpore posita est victoria nostra.* Sed eum in terra iacentem nobis quasi ipsa Danielis verba recitans Curtius l. 5. demonstrat. Artabazum vltimum illum visurus amplectitur, perfususque multis lachrymis inhærentem sibi auelli iubet: Velato deinde capite, ne inter gemitus digredientem velut à rogo intueretur, IN HVMVM SE PRONVM ABIECIT. Sic abiectus & conculcatus miserrime vitam amisit: Conculcata deinde est Persis, per ludibrium incensa, ad nutum meretriculæ, Persepoli; occisi captiui, quos precium sui miserabiles fecerat. Victores enim diuites vilissimos captiuorum occidere, quam vendere malebant.

Cornu insigne Alexander.

Cornu insigne ἐπσήμον inter oculos est Alexander non primus rex Macedoniæ, sed primus dux vniuersæ Græciæ, & Monarcha Asiæ. Potentior successoribus suis, in fronte eminens, inter oculos, hoc est, oculatissimos parentis duces; *nemo enim facile ordines nisi Sexagenarius duxit.* Est igitur Hircus & ipse Rex, & regnum Græciæ.

Fractum est autem cornu magnum, vel ebrietate, vel Babylonio veneno excussum, cum annos duodecim steriisset.

§. 6. Eo fracto quatuor reges surrexerunt, Hebræus quatuor מלכיות *Malchiuoth*, regna vocat: noster pro זה *vth* legit מ *mem*, nempe מלכים *melachim*, de vera prisca lectione non potest ex verbo iudicium statui, est enim יעמדנה *iaghamodenna*, cuius initium habet notam masculini, finis autem generis est fœminini, cui simile non inuenio, itaque vel in hebræo error est, vel indicium est, de regibus & regnis, seu de personis, & rebus sermonem esse.

Successores Alexandri.

Plures fuere reges, & regna, sed præcipua de quibus hic agitur quatuor duntaxat, Macedoniæ, Ægypti, Asiæ, Syriæ. Regum præcipui, Philippus seu Aridæus, Antigonus, Ptolomæus Seleucus. Ex his concludo, Prouidentiam esse omnia dirigentem, omnia illi obnoxia, Dei arbitrio omnia stare, omnia cadere, non modo prouideri, & prædici.

Non minus illa consideranda sunt, quæ capite 11. dicuntur, cum nempe *tres reges in Perside staturos* ait, Cyrum, Cambysem, Darium, (nam Smerdem vt paucorum mensium tyrannum omittit) *& quartum* magnum scilicet Xerxem *ditandum opibus maximis, & eum, cum inualuerit, diuitiis suis omnes concitaturum in* bellum aduersus Græciam. Deinde surget Alexander rex fortis & dominabitur potestate multa, è Macedonia ad Ammonios vsque & Indias; parto autem regno, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos, in quatuor regna præcipua, & multa alia minora, sed non in posteros eius, omnis enim eius posteritas intra annum duodecimum exstincta est, neque secundum potentiam illius, neque enim quisquam successorum vel decimam partem eius potentiæ obtinuit.

Miseræ progenies Alexandri.

Misera felicitas Alexandri cognato sanguine iturus in Persas se contaminarat, post mortem eius à Cassandro obsessa Olympias, & hostis à Macedonibus iudicata, publico iudicio iussa mori; Barsane, & Roxane cum liberis occisæ, Pars quædam, & nomen regni concessa Aridæo fratri, sed mox ille etiam exstinctus.

Duces Alexandri omnes absumpti.

§. 7. Laceratum regnum etiam in externos, qui scilicet ex Macedonum proceribus non erant. Laceratum inter domesticos, laceratum inter externos. Liuius l. 45. *Maximum in terris Macedonum regnum, nomenque morte Alexandri dissractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, laceratis viribus a summo culmine fortunæ, ad vltimum finem, 150. annos stetit.* Nonne commentarium ille in Danielem scribere videtur. O altitudo sapientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Post mortem Alexandri eius duces imponunt sibi diademata, & multiplicata sunt mala in terra, vnius illius prædonis felicitatem luunt, mater, frater, vxores, liberi, omnes fere duces principesque, & orbis spoliis opimi Argyraspides intra annum sextum decimum mutuis vulneribus conciss, & absumpti sunt. Olympias Aridæum, Olympiadem & duas nurus, cum duobus nepotibus Cassander, Cassandrum & totam eius domum, quasi Alexandri familiæ parentaret, exstinxit Demetrius. Perdiccas Meleagrum, Ptolomæus Cleomenem, & Perdiccam, alios; Philotes Phitona, Antigonus Eumenem, & Argyraspidas, exstinctis iam 34. ducibus, Alexandri commilitonibus postremi Seleucus & Lysimachus concurrerunt. *Res fœdissimi spectaculi* (inquit Orosius) *erat, duos reges quorum Lysimachus natus annos 74. Seleucus autem 77. de eripiendis alterutrum regnis occurrere, in acie stare, arma gerere, vltimum quidem bellum hoc Alexandri commilitonum fuit, sed quod ad exempli summæ miseriæ fuerit reseruatum; quippe cum orbem terrarum extinctis iam 34. ducibus Alexandri, soli possiderent, & angustissimos senectutis ac vitæ suæ terminos non aspicientes, angustiores imperio suo totius mundi terminos arbitrabantur. In eo bello amissis antea variis casibus 15. liberis, Lysimachus non instrenue moriens postremus domus suæ ruinæ cumulus accessit. Latus tanta victoria Seleucus, & quod maius victoria putabat, solum se de cohortibus Alexandri magni remansisse, victoremque victorum extitisse, non humanum opus esse, sed diuinum gloriatur, ignarus prorsus non multo post fragilitatis humanæ se ipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum septem à Ptolomæo, cuius sororem Lysimachus in matrimonia habuerat, per insidias circumuentus occiditur, regnumque Macedoniæ quod Lysimacho eripuerat cum vita pariter amittit. Itaque qui cædibus, ambitione, stupris totum orbem fœdarant hoc fine, perierunt igne vltionis diuino trono e-*

Lysimachus & Seleucus extremi cõmunt.

rumpente, hæc quidem inter domesticos. Externi vero quid? Indi mox audita morte Alexandri occisis eius præfectis se in libertatem vindicarunt, nec vltra Persidem & Mediam diu imperarunt Seleucidæ. Iustinus l.41. Arsacem Parthum defeciſſe, simul mille Bactrianorum vrbes, narrat Theodorus, & eorum exemplum secutos totius Orientis populos, & pari ratione Ponticas, Schyticasque gentes, vnde noua postea regna, & Respublicæ emerserunt.

Potentia Ptolomæi. *Et confortabitur rex Austri*, Ptolomæus Lagi filius, qui regni Macedonici meridianam partem Ægypti obtinuit, vir prudentissimus vt historicus ait. *Sed Ptolomæus in Aegypto solerti industria magnas opes parabat, quippe & Aegyptios insigni moderatione in fauorem sui sollicitauerat, & reges finitimos beneficiis, obsequiisque deuinxerat; terminos quoque imperij acquisita Cyrene vrbe ampliauerat, factusque iam tantus erat, vt non tam timere hostes, quam timendus ipse hostibus esset.* Videantur quæ de eo in Atticis Pausanias; fuit autem in cæteris ducibus inter se certantibus occasio crescendi habenti regnum firmum, nec incursibus vllis obnoxium, à Rhodiis dictus est Soter quod contra Demetrium auxiliatus sit. Iudæorum captis Ierosolymis centum & duodecim millia cepit, sed humanissime habuit, vt multi ex Iudæa vltro in Ægyptum sint profecti, illis arces, & vrbes credidit, quod iuramenti seruantissimos sciret ex Iaddi ad Alexandrum responso.

Vnus ille *ex principibus eius est*. Ptolomæus Philadelphus fratrum insidiantiũ interfector, cui peditum centum millia, curruum duo millia, Elephanti quadringenti, nauium longarum centum quinquaginta, onerariarum mille, argenti talenta annua quatuordecim millia octingenta. denique decies quinquies centena millia artabarum frumenti, artaba modios tres, & vnam tertiam continet.

Alia gesta prædicta. *In fine autem annorum post multa* & molesta certamina, inter Asiæ & Ægypti reges, filia regis Austri, Ptolomæi Philadelphi regis Ægypti filia Berenice veniet ad Regem Aquilonis Antiochum θεὸν, vt amicitiam conciliet, cum magna dote, vt & φιλοπάτωρ nomen inuenerit. Sed *non tenebit fortitudinem brachij*, nec firmum erit duorum regnorum vinculum; Laodice enim prior vxor Antiochi maritum veneno occidet, Seleucum Callinicum regem constituet, Berenicen cum filio Antiochiæ principibus occidendos tradet. Imo qui eam adduxerunt, auctoresque matrimonii fuerunt, pariter occidentur. Stabit autem de germine radicum eius, nempe Ptolomæus, Euergetes, frater Berenices, qui pene vniuersum regnum Seleuci occupauit. Historiam narrat Iustinus l.27. *Mortuo Syriæ rege Antiocho (Deo scilicet) cum in locum eius Seleucus succeſſisset, hortante matre Laodice, quæ inhibere deberet, auspicia regni à parricidio capit, Quippe Berenicem nouercam suam, sororem Ptolomæi regis Aegypti, cum paruulo fratre ex ea suscepto, interficit, quo facinore perpetrato, & infamiæ maculam subijt, & Ptolomæi bello se implicuit. Porro Berenice cum ad se interficiendum missos didicisset, Daphne se claudit, vbi cum obsideri eam cum paruulo filio, nunciatum ciuitatibus Asiæ esset, recordatione paternæ, maiorumque eius dignitatis, casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei omnes misêre, frater quoque Ptolomæus periculo sororis excitus, relicto regno cum omnibus viribus aduolat, sed Berenice ante aduentum auxiliorum, cum vi non posset expugnari, dolo circumuenta trucidatur; Indigna res omnibus visa, itaque cum vniuersæ ciuitates quæ defecerant, ingentem classem comparassent, repentino exemplo crudelitatis exterritæ, simul & in vltionem eius, quam defensuri fuerant, Ptolomæo se traduni, qui nisi in regnum domestica seditione reuocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset.*

Berenice.

Ptol. Euergetes.

Historia à Propheta narratur. Itaque apparet cur dicat Daniel: *Insuper & Deos eorum, & sculptilia, vasa quoque preciosa argenti, & auri captiua ducet in Aegyptum*: Historici aiunt illa quæ olim Cambyses extulerat reduxisse. Seditione enim domestica reuocatus, 40000. talentorum auri, 2500. Deorum secum auexit, omnia autem vsque ad Euphratem occupauit.

§.9. Reliquorum expositione supersedeo, quibus si nomina regum adiungas, ex prophetia perfectam historiam conficies. Tu lector Dei præscientiam accuratissime omnia acta, omnes animos omnium perspicientem considera, omnium euentuum conscium numen reuerere. Atq; omnia à Deo esse, à Deo conseruari, sine Deo consilia humana in irritum cadere, atque in summas calamitates verti inuenies, potentium illæ nuptiæ, primo reges, reginas, liberos deinde ipsa regna internecino bello collisserunt.

Futurorum igitur prænotio certissimum est diuinitatis omnia imperia moderantis, & nunquam fallax signum. Sic Isaiæ 41. *Annunciate nobis quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.*

Quas inter etiam illam de Cyro manifestissimam refero, quæ illi post ducentos annos regnum adepto ostensa est. vt Ioseph. c.11. antiq. c.1. narrat.

Caput VIII.

Rempublicam à Deo dependere testimoniis Christianorum ostenditur.

§.1. Sveruacaneum videri hoc possit, cum patrum multi integros ea de re tractatus conscripserint, sed tamen ex his pauca delibare ad institutam disputationem haud fuerit inutile.

Tertullianus apol. contra gentes c.17. *Quod colimus nos, Deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorũ, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suæ.* Et c.18. *Videte igitur ne ille regna dispenset, cuius est & orbis, qui regnatur, & homo ipse qui regnat, ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit, & seculum corporum tempus fecit, ne ille ciuitates tollat, aut deprimat, sub quo fuit aliquando sine ciuitatibus genus hominum.*

Tertullian. Deus omnia regna disponit.

S. Basilius Hexem. hom. 7. *Nemo homo stellarum scientia præditus, nemo Chaldæus procellas ex ortu siderum coniectans aeris turbelam erinaceum docuit: sed marium dominator, atque ventorum, huic etiam animanti paruo immensæ suæ sapientiæ vestigium euidens, & apertum impressit. Nihil est prorsus quod sub prouidentiam Dei non cadat. Nihil est omnino, quod à Deo neglectum sit: omnia explorat, omnia conspicit oculus ille perugil: omnibus adest, facultatemque salutis cuique præstat. Si erinaceum Deus à sua prouidentia non excludit, ea quæ ad te pertinent non explorat? non conspicit?*

Basilius. Deus etiam animantiũ curam suscipit.

Et in hæc verba Psalmi 32. *Non saluatur rex per multã virtutem. Non exercitus militaris, non quantauis munitio, non ciuitatum mœnia, non peditum phalanx, non equestris turma, non naualis muniminis præparatio, regi salutem parit.* Κύριος καθίζει, καὶ μένει βασιλεύς, *Dominus constituit, & destituit reges.* Seruatur ergo rex non per multam virtutem, sed per diuinam gratiam.

Deus seruat & deijcit reges.

Athanasius oratione contra Gentes: *Ita quoque in vniuersitatis istius ordine & harmonia, necesse est, vt animaduertamus omnium istorum principem esse Deum, eumq; vnum & non plures. Nam ille dispositionis ordo, & rerum omnium consentiens harmonia, non multos, sed vnum sibi ducem, principemque declarat esse, nimirum verbum Dei.*

Deinde in eadem oratione. *Ipse igitur omnipotens, omnino integer, sanctus ipsius Dei sermo, & ratio omnibus incumbens, & vbique suas vires explicans, illustrans omnia, tum quæ oculis apparent, tum quæ oculos subterfugiunt. Vniuersa in se continet, & constringit, nihilque desertum à sua potentia relinquit, sed omnia in omnibus, singula in singulis, publico vniuersa*

vniuersa viuificat, & conseruat, initia, elementaque omnis sensibilis substantiæ.

Irenæus. *Irenæus aduersus hæres. lib. 3. cap. 41. Prouidentiam autem habet Deus omnium, propter hoc & consilium dat: consilium autem dans adest his, qui morum prouidentiam habent.*

Gentes etiã hoc cognouerunt. *Necesse est igitur ea quæ prouidentur & gubernantur, cognoscere suum rectorem: quæ quidem non sunt irrationabilia, neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de prouidentia Dei. Et propter hoc Ethnicorum quidam, qui minus illecebris ac voluptatibus seruierunt, & non in tantum superstitione idolorum abducti sunt; prouidentia eius moti, licet tenuiter, tamen conuersi sunt, vt dicerent fabricatorem huius vniuersitatis Patrem omnium prouidentem, & disponentem secundum nos mundum.*

Augustin. Cuncta præscit Deus. *Augustinus de ciuitate Dei, lib. 5. cap. 10. Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper viuere, & cuncta præscire: sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori, falique non posse. Sic enim hoc non potest, vt potius si posset, minoris esset vtique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori, & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens.*

Augustinus de ciuitate Dei lib. 4. cap. 28. Sicut autem potuerunt aureã pecuniam habere Romani, quamuis Deum Aurinum non colerent: Sic & argenteam habere potuerunt, & æream, si nec Argentinum, nec eius patrem colerent Aesculanum: & sic omnia quæ retexere piget. Sic ergo & regnum inuito quidem Deo vero nullo modo habere possent, Diis vero istis falsis, & multis ignoratis, siue contemptis, atque vno illo incognito, & fide sincera ac moribus culto, & melius hic regnum haberent, quantumcunque haberent, & post hoc acciperent sempiternum, siue hic haberent, siue non haberent.

Augustinus de ciuitate Dei lib. 5. cap. 1. Iam consequenter videamus, qua causa Deus, qui potest & illa bona dare, quæ habere possunt etiam non boni, ac per hoc etiam non felices, Romanum imperium tam magnum tamque diuturnum esse voluerit. Quia enim hoc Deorum falsorum illa, quam colebant, multitudo non fecit, & multa iam diximus, & vbi visum fuerit opportunum esse dicemus. Causa ergo magnitudinis imperij Romani, nec fortuita est, nec fatalis, secundum eorum sententiam siue opinionem, qui ea fortuita dicunt esse, quæ vel nullis causas habent, vel non ex aliquo rationabili venientes: & ea fatalia, quæ præter Dei & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingunt. Prorsus diuina prouidentia regna constituuntur humana.

Romanum imperium non fortuitum.

Petrus Chrysologus. *Potentia Domini non est maior in regno potentissimo confirmando, quam in tugurio pauperis euertendo. Quis enim in Græcia potentior fuit Alexandro? Ei tamen successisse legitur, non suus, sed saltatricis filius.*

§. 2. Vere igitur Augustinus l. 5. de ciuitat. Dei, c. 11. *Deus itaque summus & verus cum verbo suo, & spiritu sancto, quæ tria vnum sunt, Deus vnus, omnipotens, creator, & factor omnis animæ, atque omnis corporis: cuius sunt participatione felices, quicunque sunt veritate, non vanitate felices: qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore: qui eum peccantem nec impunitum esse permisit; nec sine misericordia dereliquit: qui bonis & malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit, à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo; à quo est mensura, numerus, pondus: à quo est quicquid naturaliter est, cuiuscunque generis est, cuiuscunque æstimationis est: à quo sunt semina formarum, formæ seminum, motus seminum atque formarum. Qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis fœcunditatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam: qui & animæ irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum: rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non solum cœlum, & terram, nec solum angelum, & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec auis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium conuenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo est credendus regna hominum eorumque dominationes & seruitutes, à suæ prouidentia legibus alienas esse voluisse.*

Sane tam magna nunquam negliget, cui tam parua curæ sunt, Numerauit capillos nostros, imo vt notat Tertullianus setas porcorum: non numerauit prouincias regum, vrbesque terrarum?

S. Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 19. idem pulcherrime describit, & malos non sine prouidentia regnare ostendit. *Sed qui contemnit iudicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem: quorum tamen, si vere bonus est, non contemnit salutem: quoniam tantæ iustitiæ est, qui de spiritu Dei virtutes habet, vt etiam ipsos diligat inimicos: & ita diligat, vt susurrones, vel detractores velit correctos habere consortes: non in terrena patria, sed superna. In laudationibus autem suis, quamuis paruipendat, quod eum laudant, non tamen paruipendit, quod eum amant: nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes. Ideoque instat ardenter, vt potius ille laudetur, à quo habet homo, quicquid in eo iure laudatur. Qui autem contemptor gloriæ, dominationis est auidus, bestias superat, siue crudelitatis vitijs, siue luxuriæ. Tales quidam Romani fuerunt. Non enim curã existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tamen fuisse, prodit Historia. Sed huius vitij summitatem, & quasi arcem quandam Nero Cæsar primus obtinuit: cuius fuit tanta luxuries vt nihil ab eo putaretur virile metuendum: tanta crudelitas, vt nihil molle habere crederetur, si nesciretur. Etiam talibus tamen dominandi potestas non datur, nisi summa Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re vox diuina est, loquente Dei sapientia: per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram.*

Concludit igitur S. Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 21.

Quæ cum ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis: regnum vero terrenum & pijs, & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.

CAPVT IX.

Rempublicam à Deo esse & dependere ex prædictionibus aliis cognoscitur.

§. 1. MINVS est hoc argumentum firmum apud sinceros iudices, & orthodoxos, quam id, quod ex sacris literis deprompsimus, apud Pseudo-politicos tamen, qui scripturæ sacræ non credunt, cum omnino historiam humani generis negare non audeant, multum ponderis habeat necesse est. Si enim est diuinatio, igitur etiam est prouidentia alicuius numinis; Si prouidentia, igitur administratio rerum ad numen pertinet, non igitur casu, aut humanã duntaxat ratione res humanæ gubernantur. At verò rerum futurarum prædictionem esse ostendunt, non illa modo, quæ ex sacris scripturis disseruimus, sed multa quoque in vita communi acciderunt, atque etiamnum eueniunt, quæ eam ita confirmant, vt nemo nisi plane ab omni humanitatis & historiæ cognitione abhorreat, negare illa possit.

Historia generis humani non credere ponegare non audeant, multum ponderis habeat neliticum non est.

§. 2. Prophetia & oracula vera, apud quoscunque reperiantur, non nisi Deo loquente, contingenter futura pandunt, vel occulta manifestant, quæ nemo nisi solus Deus indicare potuit: Natura-

Nihil verè occultũ sine Deo cognoscitur.

les enim προγνώσεις, & coniectandi peritiam quam politicis, medicis, Philosophis concedimus, nisi præstantior, & diuinior lux affulgeat, à prædictionibus de quibus agimus, omnino remouemus. Qui dæmonum ope, in occultorum scientia, vel quorundam futurorum præsensione, abutuntur, eos vt impios & crebro fallaces detestamur. Qui vero (vt est apud Tullium l. 2. de diuinatione) halitu quodam terræ, ad futurarum rerum præsensionem excitari, vegetarique animos vatum putarunt, quamuis id quoque Plutarchus, libro quo quærit causas, cur oracula cessarint, sentiat, eos nos longissime à ratione vera abire iudicamus, & prope insanire. Quam enim cognationem, analogiam, aut causæ rationem habere potest, tætra vligo terrarum, aut speluncarum mephitis, cum illis rebus, quæ ex Dei voluntate, & libero hominis arbitrio dependent?

Aliæ causæ diuinationis reiiciuntur.

Dæmones sola cohibet diuina prouidentia.

Hæc igitur excludo, atque vniuersum illud oraculorum genus, quod totum mundum olim afflixit. Ex eo tamen ipso colligimus etiam diuinam prouidentiam. Si enim sunt dæmonum sæpe vera vaticinia, quia res longe dissitas intuentur, vel occulta hominum consilia, & causas euentuum certas norunt, ex eo etiam prouidentia regi mundum discimus, cum enim mali sint illi, & malefici spiritus, prouidi tamen, callidi, fortes; necesse est, maiore vi ac metu eorum vim nequitiamque cohiberi, id vero à nullo hominum, sed à Deo fieri potest, cum vel vnus tanta agilitate, robore, cognitione omnium rerum naturalium, maxime inaspectabilis, & inuulnerabilis perdere homines vniuersos possit. Horum impostura spirituum gentium fere superstitiones nitebantur, verum postea manifesti fraudum vates auctoritatem, & precia mendaciorum perdiderunt, postremo etiam dæmones ipsi elingues sunt facti.

§. 3. Præcipua auctoritas fuit librorum Sibyllinorum, cæteros fere prudentior ac cultior ætas repudiauit. Suetonius in Augusto. *Quicquid fatidicorum librorum Graci Latinique generis, nullis vel parum idoneis autoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia contracta vndique cremauit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoq; delectu habito condiditque duobus forulis auratis sub palatini Apollinis basi.* De illis eisdem libris Augustinus libro 18. de ciuitat. Dei, c. 22. mentionem facit, cum probat Sibyllam Erythræam de Christo domino etiam multa prædixisse.

Nec solum de futuris Deus monere sanctos ac pios noluit, sed cum illi pauci essent, & in multis populis vix vlli, impiorum voce vsus est. Vt Balaami Numer. 22. & 23. Hinc quoque innumera sunt apud gentes vera ostenta, atque indicia rerumpublicarum, & regnorum, vel de nouo constituendorum, vel mutandorum. Exempla sunt apud Lipsium in monitis, & in omnibus scriptoribus præcipue posterioris ævi, maxime in imperii Constantinopolitani variis variorum euentuum prædictionibus.

Plurima vero historiæ martyrum, ac sanctorum patrum referunt, quæ quamuis profanitas pseudopoliticorum ridere consueuit, non tamen quicunque prudenter, & sine præiudicio eorum virorum acta, doctrinamque perpendit fraudis aut imposturæ quicquam potest suspicari. Plurimis certe prædicta sunt imperia, & victoriæ, quibus ea consecuti sunt. Constantino magno dictum: In hoc signo vinces: aliis alia sunt, nec sine effectu prædicta.

Marcianum aquila imperii insigne dormientem obumbrat, iterumque id fit in Africa, mirantibus Barbaris, & captiuo libertatem vltro dantibus. Theodosio deinde mortuo, mox Augusta coniuge, & imperio ornatur.

Admirabile quod l. 1. monit. recenset post alios Lipsius. Compar istis, quod patrum auo Ludvico *Hungariæ regi accidit: cui bellum Soleimannus Turcarum Princeps parabat, atque ipse pariter se accingebat. Prandebat in arce Budæ, foribus tunc regiæ de more clausis. Astat ad portam quispiam humana specie, sed claudus, distortus, & habitu cetero cultuque fœdo: qui acri & stridula voce clamat, poscitque colloquium Regis. Negligitur, & putabant mendicabulum hominis esse: cum magis magisque inclamat, & opus conuento rege, nec alio, esse. Re ad regem delata, mittit è splendidioribus aulicis, iussum nomen, & personam suam præferre, & hoc quicquid esset elicere. Venit, & appellat claudum de arcano qui inspecto, abnuit hunc regem esse: & quoniam, inquit, audire aspernatur, abi, nuncia breui & certo periturum. Et cum dicto ex oculis adstantium euanuit. Nimis vera comminatio fuit, rex ad Mohatrium vrbem, grandi prælio victus, & fugiens in paludes incidit: & dum enititur, equo super eum corruente obteritur, aut suffocatur. Annum agebat vigesimum primum.*

Caput X.

Regna à Deo gubernari ex dictis impiorum & infidelium ostenditur.

§. 1. Quamuis recte dixerit sapiens huius sæculi, & cuius doctrina in multis ad verum proxime accessit, *Semper humanum genus de Deo male meruisse*, male enim & stulte de Deo sentit. Sunt tamen animis insitæ ἀπολήψεις præconceptiones, & magni luminis, quod in primæuæ gratiæ puro refulgebat, quædam scintillæ inter densissimarum caliginum nubila emicantes, quæ mentem suis tenebris obsessam, & sæpe ignorantiæ suæ amantem in finem suum dirigunt, aut sane ociose, & secure vitiis suis indormiscere, atque veterno graui obtorpescere non sinunt. In his fere mundus impiorum cum viris optimis consentit, quamuis deinde in electione magna sit iudicandi agendique diuersitas. Pericula subita, grandia, fidelibus religionem incutiunt, eosque ad pietatem, orationem, peccatorum detestationem conuertunt, impiorum superstitionem accendunt, atque ad atrocia scelera impellunt. Ieiunant, orant Niniuitæ, & Bethulienses, cum excidium ante oculis obuersatur, at Rex Moabitarum primogenitum in mœnibus immolat, & miserabilius liberatur, quam vinceretur. Curtius se pro legionum periculo præcipitat, Romani Græcum, & Græcam, Gallum & Gallam defodiunt, Carthaginenses selectæ formæ, & indolis patricios pueros Satanæ in holocaustum exurunt. Omnes numen aliquod ἀποτρόπαιον, quod calamitatibus auertendis, malisque minuendis idoneum, & beneficum esse naturaliter sentiunt, placare se, & auxiliare habituros esse confidunt, omnes ex alio se suasque res pendere agnoscunt, solum in eius designatione aberrant. *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem.*

Natura homo vera docetur.

Pericula bonos faciunt meliores, hypocritas atrociores.

Tertullian. apol. c. 40. Sic in sanguinem innocentem conclamabunt nocentissimi, quod omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causas, vel existimarent, vel prætenderent. Hoc igitur nostri sæculi apostatas occultos, simulatores perfidos, vel maxime percellere debet, quod inter gentilium impietates ipsorum atheismus

simus fuerit rarissim⁹. Non ignoro plurima egregie ab illis dici, sed tamen erroribus, & falsis vera misceri. Vt apud Platonem libr. 4. de legibus. Ὡς θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεοῦ τύχη, καὶ καιρὸς τὰ ἀνθρώπινα διακυβερνᾶσι ξύμπαντα. *Deus omnia, & cum Deo fortuna, & occasio gubernant vniuersa.*

Plato Deũ & fortunã rectores mundi putat.

Cur Deo fortunam, quæ nihil est, aut si est, temeraria, cœca, Deo subdita, est, συμβασιλεύουσαν, & quasi consortem regni obtrudit? cur καιρὸν occasionem, cum omnis opportunitas sit à Deo? Sed valere tamen contra nostras Pseudopoliticos etiam auctoritas errantium debet, cum vera dicunt, quia adeo à vero est eorũ remotus sensus, vt in tantam impietatem paucissimi aberrarint. Certe Platonicos Deum intra mundum constituisse docet in Apol. Tertullian. & exemplo naucleri intra illud, quod gubernat considere. Nec à Platone, qui Ciceroni pro quodam Deo est, recessit ipse magnus illius admirator. ita enim loquitur lib. 1. de natura Deorum. *In mundo est Deus aliquis, qui regit,* Ipse idem lib. de leg. *Nulla gens nec tam immansueta, nec tam ferrea, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Et libro 2. Prouidentia Dei mundum, & omnes eius partes ab initio constitutas esse, & omni tempore administrari, & singulis à Deo consuli demonstrat.

Cicero.

§. 2. Habuit ille hæc ex Platone libro primo de legibus, vbi asserit. *Rempublicam sine diuini numinis adiutorio non posse gubernari.* Quemadmodum enim bestiæ animantesque rationis expertes, sui curam habere nequeunt, neque per se ipsæ se regere possunt, sed ad illas moderãdas hominis imperio opus est, ita homines ad felicitatem deduci non possunt, nisi Deus ipse moderetur, & manuducat. Ita est profecto, nam timidæ sunt, & incertæ prouidentiæ nostræ.

Aristoteles.

§. 3. Aristoteles ipse, lib. 11. Metaphys. cap. 10. *Vnum esse Deum docet, omnium administratorem.* Et lib. de mundo. *Quod in naui gubernator, quod in curru agitator, quod in Choro præcentor, quod denique lex in ciuitate, & dux in exercitu, hoc Deus est in mundo.* Vere omnino. *Deus omnia etiam priuata administrat.* Ἔστιν γὰρ ἡ θεόνοια ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, καὶ παντῇ. *Diuina prouidentia in priuatis, in publicis, vbique gentium cernitur.* Mutuatus hoc ab Aristotele Philo videtur. *Credendum est, sicut in curru aurigam, aut in naui Gubernatorem, ita in rebus omnibus superstare eũ, qui præest corporibus, animabus, animantibus, mentibus, Angelis, cunctis, quæ terra, vel aere, vel cœlo continentur naturis tum visibilibus,* *Philo.* *tum inuisibilibus. Totum enim mundum ex se pendentem regit.*

Seneca.

Rectissime Seneca de prouident. cap. 1. *Quis enim credat sine custode tantum opus stare? & hunc siderum cursum, discursumque fortuitos impetus esse?* Imo vero etiam qui pereunt illi curæ sunt, μέλουσί μοι ὀλλύμενοί περ, *curæ Deo sunt, etsi pereant.* Plato in Epinomide, *Deos magna, parua, curare asserit, nec illi esse quæ subito accidunt, improuisa;* nam & Ecclipsis repentina luminis obscuratione efficitur, & ante multa tamen sæcula in certam horam, & horæ momentum est descripta.

Plato.

Cambyses Cyro pietatem commendat.

§. 4. Pulchra est & regia plane oratio quam Cambyses ad filium in Medos profecturum habuit. *Hoc vnum,* inquit, *præcipue commendo, idque tanquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tua memoria recondi cupio. Dei esto amicus, in eundem pius, nihilq; aggrediare, nisi diuino numine implorato. Imbecilla est enim & hebes mortalium natura: Nihil autem Dei sapientiam latet, omnia ex sententia cedunt iis, quibus illa præsto est.*

Mouet hæc omnia ipse immobilis, semper sibi similis, & præcipue mouet per vicarios suos: Præclare hoc Lipsius præfatione in lib. de militia Roman. exposuit. *Sicut vnus in superis Deus est, qui machinam hanc totam moderatur, & temperat: sic in terris velut curatores & vicarios quosdam suos constituit, qui in partibus eam tueantur, & administrent: Atque horum quosdam crescere voluit in magnas opes, copias, opera: quid nisi in imagine ostendens cœlestem illam, & sine fine ac modo potentiam, quam ipse habet & per riuulos ac canales illos deducit, vt igitur cœlum & micantia illa astra cum intuemur ab iis ad puram primã & inaccessam quandam lucem ducimur: sic ab humana ista magnitudine ad auctorem illius, & fontem Deum.* Et Seneca: *Prope Deus est, tecum est, intus est, ita dico Lucili, sacer intra nos Spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum obseruator & custos.*

Deus vbiq; est.

§. 5. Insigne est sane proœmium legum Locrensium à Zaleuco latarum, si de vno Deo loqueretur, quod refert sermone 42. Stobæus: *Omnes qui orbem, aut regionem incolunt persuasos esse oportet, Deos esse, quod manifestum sit ex cœli, & totius mundi inspectione, rerumque in ipsis dispositione pulcherrima, & ordine.* Materiæ enim vniuersæ fictrix est, & moderatrix prouidentia, Cicer. libr. 3. de na. Deorum. *Omnium,* inquit, *nec enim magnarum duntaxat, sed etiam minimarum.*

§. 6. Discrimen hominum ex errore, & tenebris ad veritatis lucem emergentium, nobis Epictetus tradidit. *Quod ad Deos attinet, sunt qui negent vllum Numen esse. Sunt qui esse donent, sed ignauum, incurium, & nulli rei prouidere. Sunt tertii, qui & esse, & prouidere, sed non nisi magnis & cœlestibus, terrenorum autem nulli. Quarti, & cœlestibus, & terrestribus; sed vniuersis dumtaxat, non autem singulis, & vnicuique seorsim. At quinti, in qua parte Vlysses & Socrates, asserunt statuuntque. Quod te ô Deus* NEQ IN MINIMO MOTV *lateam aut fallam.*

Itaque nec iure, nec vere libr. 4. Acad. Stoicos culpet Cicero, quòd Dei maiestatem ad apium & formicarum perfectionem deducant, neque enim hæc facit, sollicitus, anxius, negocios⁹, à maioribus rebus abductus, sed sine labore, cura, & vt Clemens Alexandrinus ait. ὁ μεριζόμενος, οὐκ ἀποτεμνόμενος, ὁ μεταβαίνων ἐκ τόπου εἰς τόπον, πάντη δὲ ὢν πανταχοῦ, καὶ μηδαμοῦ περιεχόμενος, ὅλος νοῦς, ὅλος φῶς, ὅλος ὀφθαλμὸς πάντα ὁρῶν, πάντα ἀκούων πάντα εἰδώς. *Non diuisus, non dissectus, non transiens de loco in locum, sed vbique semper existens, & nusquam circumscriptus, totus mens, totus lux, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens.*

Hunc qui agnoscit, qui in eius conspectu omnia peragit, facile bona consilia dare, & vt illa παντοκράτωρ magnus confirmet, successumque det, exspectare potest.

CAPVT XI.

Ratione docetur prouidentia diuina omnia gubernari.

§. 1. TESTIMONIA hucusque aliena produxi, nunc Atheos, Epicuræos, & Diagoristas domi suæ conueniam, & conscientiam eo vsque agitabo, donec confessionem veritatis, aut assensum extorqueam.

Mundus ipse clamat se Dei artificis opus esse.

Rationem primam malo Philosophi eximii verbis, quam propriis adducere. Seneca de prouidentia: *Superuacuum est in præsentia ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, & quæ casus incitat, sæpe turbari & cito arietare: hanc inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem; tantum clarissimorum luminum & ex dispositione lucentium: non esse materiæ errantis hunc ordinem: neque quæ temere coierunt, tanta arte pendere, vt terrarum grauissimum pondus sedeat immotum, & circa se pro-*

perantis cœli fugam ſpectet; vt infuſa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminum ſentiant, vt ex minimis ſeminibus naſcantur ingentia. Ne illa quidem quæ videntur confuſa & incerta, pluuias dico nubeſque, & eliſorum fluminum iactus, & incendia ruptis montium verticibus effuſa, tremores labantis ſoli, & alta quæ tumultuoſa pars rerum circa terras mouet, ſine ratione, quamuis ſubita ſint, accidunt: ſed ſuas & illa cauſas habent non minus, quam quæ alienis locis conſpecta miraculo ſunt, vt in mediis fluctibus calentes aquæ, & noua inſularum in vaſto exſilientium mari ſpatia. Iam vero ſi quis obſeruauerit nudari litora pelago in ſe recedente eademque intra exiguum tempus operiri, credet cæca quadam volutatione modo contrahi vndas, & introrſum agi, modo erumpere, & magno curſu repetere ſedem ſuam: cum illæ interim portionibus creſcunt, & ad horam ac diem ſubeũt ampliores, minoreſque, prout illas lunare ſidus elicuit, ad cuius arbitrium oceanus exundat.

Quam vero cauſam omnium mutationum dicemus, niſi ab vno aliquo incipiant, atque in vnum finem omnino tendant? ſidera atque eorum orbes incitatiſſima velocitate, quamque nulla intelligentia poſſumus aſſequi, rapiuntur, nec illo tamen ſuo motu proprium aliquod bonum accipiunt, ſed mundo inferiori, atque hominibus miniſtrant, non ſua voluntate, aut ſcientia, ſed ſummæ cuiuſdam intelligentiæ, potentiæque vi ac decreto.

Nihil à ſeipſo eſt.

§. 2. Alia ratio quam nobis tum Metaphyſici, tum etiam Theologi explicant. Totum enim vniuerſum, atque rerum omnium quæ in eo ſunt congeries, non poteſt eſſe à ſeipſo, nec res ſingulæ ſua ſe vi crearunt, ſed ab alio eſſe cœperunt, ideoque ab alio conſeruantur, & ad finem ſuum diriguntur. Tot cauſarum actionibus, ac concurſu ad rerum ſingularum effectionem, conſeruationem, atque augmentum opus eſt, quomodo eſſe igitur poſſent à ſeipſis? aut quomodo deficere, ſi à ſe, hoc eſt, per eſſentiam ſuam exiſtunt? Quod ex ſeſe eſt, vt permaneat eſſe, alieno adiutorio non eget. Si igitur ab alio, hoc eſt à Deo omnia ſuas habent origines, à Deo eſſe, conſeruari, regi, ac gubernari neceſſe eſt. Hoc enim ius ἀνωτέρω, & opifici in opera ſua negare nemo poteſt, à caſu autem non eſſe iam prima ratione docui.

§. 3. Si regna potentia, & prouidentia diuina non adminiſtrantur, ne poſſunt quidem ſic regi. Si enim Deus eſt, neceſſario eſt, & ab eius nutu omniũ rerum humanarum ſtabilitas ac viciſſitudo pendet. Si Deus non eſt, neceſſario non eſt. Fieri enim Deum ex illis eſt, quæ eſſe non poſſunt: Cum igitur Dei quandam generalem & omnibus inſitam conceptionem natura dederit; omnis enim anima naturaliter Chriſtiana, cum res aduerſæ premunt, vel pericula inſtant, Deum inuocat, à Deo auxilium exſpectat; non igitur ille omnibus animis innatus, atque à natura infixus ſenſus ita fallitur, vt ἀδύνατα, quæque in rerum natura eſſe nequeunt, perſequatur. Si enim Deus non eſt, nihil tam alienum à ratione, tam cogitatu abſurdum, tam contradictorium fingi poteſt, quam eſſe Deum. Tam vero ſeipſam implicans, ſeque euertens opinio, non poteſt omnibus eſſe naturalis.

Quod natura omnibus inſitum eſt, vt credant, non eſt impoſſibile.

Documẽto ſunt homines improbiſſimi, qui cum nemeſin, & meritarum pœnarum imminere cohortem cernunt, à Deo ſibi tanta parari mala intelligunt. Vide Antiochum nobilem iam ſero ſeruili timore pietatis vmbram oſtentantem. Audi Romarum Tyrannum querentem, *Indies ſe à Deis perdi, etiam peius, quam ſentiat.* Vide alium, omnia tonitrua fugientem, ad omnia fulgura pauidum, concamerationibus ſubterraneis, & vituli marini pelle ſe male tegentem.

Impij meticuloſi.

Cur igitur mens aliqua omnium domina, increata & creatrix eſſe non poteſt? cum mens impiorum contra factorem ſuum tam argute diſputet? vnde vis illa tibi eſt, qua abſcondita comprehendis, in memoria recondis, alia atque alia ratiocinando colligis? Nemo mentem tam capacem, tam nobilem, omnia intelligendo penetrantem, alia cupientem, alia liberrime refutantem, ab alio quam à præſtantiſſima quadam mente, atque intelligentia originem habere, pronunciabit. Quomodo enim tantam intelligendi ſentiendique ſolertiam, tam celeres appetendi motus efficere, atque ordinare res bruta, & rationis expers poterit?

Mens noſtra teſtis eſt, diuinorem eſſe mẽtem.

§. 4. Plurima hinc abſurda ſequi, ſi Deum eſſe negemus, docet lib. de prouidentia doctiſſimus noſter Leſſius ratione 12. Verba eius ſunt. *Si nullum eſt numen, nullaque prouidentia, qua res humanæ gubernentur; multa profecto ſequuntur abſurda, & ab omni ratione, ſanoque iudicio aliena; quæ clare conuincunt illud nullo modo ſtatui poſſe. Nam primo ſequitur, Primam ac ſupremam veritatem de numine & prouidentia, aperire portam mortalibus ad omnem vitæ impuritatem, ad omnem iniquitatem & iniuſtitiam, ad omnem ſuperbiam, arrogantiam, tyrannidem, denique ad perfidiam, periuria, ſacrilegia, & omne ſcelerum genus. Nihil enim eſt tam immane, vel iniquum, vel impium, quod metu numinis ſublato, mens humana non auſit aggredi, & perficere, iuxta illud Pſalmiſtæ: Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus, &c. Ecce fructum illius doctrinæ & perſuaſionis, omnium ſcelerum turpitudo & abominabilis enormitas. Illud ſequi eſt manifeſtum. Sicut enim, ſi eſt aliquod numen, prima & ſuprema veritas eſt, eſſe Deum qui mundum regat: ita ſi nullum eſt numen, prima & ſuprema veritas erit nullum eſſe Deum qui mundum regat. Erit enim veritas de eo, quod apprehenditur ab omnibus eſſe ſupremum ac primum omniũ principium. Hæc autem veritas extinguet in animis hominum omnem numinis metum & reuerentiam: ſublato autem metu, patet via ad omnia ſcelera. At quid abſurdius dici vel cogitari poteſt, quam primam & ſummam veritatem, & maximum diuinitatis arcanum ab hominibus cognitum vel apprehenſum, ad omne nefas & flagitium viam aperire, eoſque ſceleratiſſimos & impuriſſimos efficere? Secundo ſequitur, id quod eſt falſum & impoſſibile, & mera chimæra, eſſe cauſam omnis religionis, pietatis, iuſtitiæ, temperantiæ, modeſtiæ, benignitatis, patientiæ, denique omnis virtutis & honeſtatis: pacis inſuper & tranquillitatis in Republica, & omnis boni in genere humano. Perſuaſio enim numinis, eiuſque amor & timor, hæc omnia bona pariunt: & quo illa maiora & vehementiora fuerint, eo maiora bona ex illis in animis hominum, & ſtatu politico oriuntur. Vnde nunquam extitit Reſpublica bene inſtituta, in qua Religio, & perſuaſio prouidentiæ numinis non viguerit: & priuatim quo quiſque fuit erga numen reuerentior & religioſior, eo probitate & vitæ innocentia fuit illuſtrior. E contrario quo quis numen minoris eſtimauit, eo fuit ſceleratior: vt ex vtraque hiſtoria tam prophana quam ſacra conſtat.*

Cauſa virtutum, non eſt res fictitia.

At cuius amentiæ eſt credere, falſo & impoſſibili figmento tantam ineſſe vim ad omnem virtutem; ſolidæ autem veritati tantam illecebram ad omne flagitium & perniciem? Tertio ſequitur, veram & ſummam ſapientiam extinguere omnem virtutem, & homines efficere peſſimos: ſummum vero errorem & amentiam excitare ad omnem virtutem, & homines efficere optimos: Si enim nullum eſt numen, ſummus error & amentia eſt, certo credere eſſe numen, & prouidentiam; ſumma ſapientia, credere hæc nihil eſſe niſi hominum figmenta & Chimæras. Item conſequitur, veritatem & ſapientiam eſſe homini & Reipublicæ maxime pernicioſam; errorem vero maxime ſalutarem: veritatem & ſapientiam eſſe maxime ocultandam tanquã venenum animorum, & omnis Reipublicæ; errorẽ vero omnib. modis promouendũ tanquã omnis boni fontẽ: lucẽ ſummã intellectꝰ sũmas adferre tenebras animorũ; & sũmas tenebras

bras intellectus gignere lucem & pulchritudinem animorum. Quæ omnia plena sunt furoris & amentiæ. Quarto sequitur, omnes eos qui sapientia, vitæ sanctitate, miraculis, prophetico spiritu maxime illustres vnquam fuere, deceptos fuisse in re maxima, nec potuisse veritatem circa numinis rationem assequi, hi enim omnes diuinitatem & prouidentiam agnouere, & summe venerati sunt: qui vero impietate, turpitudine vitæ, & omni scelerum immanitate erant infames, eos solos hoc arcanum reprehendisse; tales enim fuerunt omnes numinis contemptores. Omnium ergo mortalium pessimi fuere sapientissimi, omnium vero optimi, insipientissimi, & tenebris maximis ignorantiæ, & errorum obsiti. Quinto sequitur, Amare Deum, timere vindictam, offerre sacrificia, orare numen, hymnis & laudibus illud celebrare, seruare iusiurandum, non esse bona, sed inania, stulta, impia, & rectæ rationi aduersa: non secus ac amare, timere, colere, laudare Chimæram, vel aliud humani capitis figmentum. Si enim diuinitas est figmentum sicut Chimæra, manifestum est, non amplius illi deferendum quam chimeræ. Sexto sequitur esse impium, sacrilegum, blasphemum, numinis contemptorem, non esse malum, aut rectæ rationi aduersum; sed hæc esse bona & laude digna, cum veræ doctrinæ de numine sint consentanea. Si n. nullū est numē, omnes illi actus quibus eo temnitur, & ignominia afficitur, boni sunt: tum quia sunt protestationes quædam arcanæ veritatis: tum quia valent ad falsam persuasionem hominibus de prouidentia & numine eximendam. Sicut contumeliæ in idola gentilium sunt laudabiles, quia illis testamur nullam idolis ineſſe diuinitatem. nihil contemptibilius eo quod nec est, nec esse potest. Septimo sequitur, Mundum esse instar nauis in salo fluctuantis, quæ gubernaculo & gubernatore est destituta. Item instar maximæ Reipublicæ ex omni hominum genere constatæ, in qua nullæ sunt leges, nullus Iudex, nullus rector, nullus tranquillitatis & boni publici curator. Si ita est, quomodo mundus potest consistere, præsertim cum rebus tam dissaribus, & contrariis, & pugnantibus constet? Sicut enim nauis absque gubernatore huc illuc fortuito impetu iactatur, donec illidatur in scopulos, vel impingat in breuia, vel fluctibus hauriatur; & Respublica absque rectore cædibus & seditionibus se ipsa conficit: ita necesse erit mundū inordinatissime ferri, & contrariorum pugna dissolui, si nullus est rector, qui dirigat, & pugnantia in concordiam conspirare faciat. Octauo sequitur, Hoc vniuersum, & partium eius formationem ac dispositionem casu extitisse, & in hanc formam ac speciem coaluisse. Si enim nulla est mens, quæ singula eius partes formauit, & in hanc structuram, quam videmus, digessit ac composuit; necessario fatendum est casu id totum accidisse, iuxta sententiam Democriti, qui ex fortuito impetu & concursu atomorum omnia formata statuebat. At quid hoc est aliud quam mera fatuitas & rationis inopia. Quomodo quod summa ratione constat, casu fieri potuit? videt quispiam splendidissimum & summa arte perfectum palatium, cuius structuram omnes Architecti mirantur, quærit, quis artifex hoc instruxerit: respondetur ei, à nullo artifice exstructum sed olim ibidem extitisse montem arboribus consitum, quo per terræ motum corruente partes dissilierint: & hoc lapsu ac collisione singulas partes ita formatas, in hanc speciem substructionis & palatii formā, loco informis cumuli, repente coaluisse, quis adeo vecors erit, vt hoc credat? Hæc & alia multa, eo principio posito, manifeste consequuntur. quæ omnia quam ab omni specie veri sint aliena, rationis luci aduersa, & dictu horrenda, nemo non videt. Quare & illud principium, quod fons est talium scatebrarum, oportet à veritate esse alienissimum. Dicet aliquis falsam persuasionem in religionibus sæpe maximam vim habere ad hominum animos à sceleribus absterrendos, & ad probitatem ac iustitiam impellendos. Ethnici enim qui plures Deos pro multitudine & diuersitate rerum humanarum statuebant, eorumque prouidentia res humanas geri & mortalibus præmia vel supplicia pro meritis decerni putabant (quæ tamen omnia falsa erant, & impossibilia) nihilominus ex hac animi conceptione abstinebant a multis iniuriis & sceleribus, quibus illa numina credebant offendi, ne in illorum iram incurrerent, & pœnas siue in hac vita, siue in futura darent. Itaque argumentum illud quod supra secundo loco numero 141. adduximus, alicui videri possit minime firmum. Respondeo, Persuasionem Ethnicorum fuisse quidem falsam in particulari (quatenus sentiebant hos vel illos esse numina, & curare res humanas) non tamen in genere, quatenus sentiebant esse aliquod numen, cui res humanæ sint curæ, quodque factorum exigat rationem. Vnde quando vel metu numinis offendendi vel affectu placendi, abstinebant à malo, vel faciebant aliquid boni, impellebantur non vi persuasionis, qua falsa erat de tali numine, sed qua vera in genere. Solum enim errabant in re subiecta, tribuentes rationem numinis & prouidentiæ illis quibus minime oportebat, eamque in illis venerantes. Itaque non tollebant ipsam rationem formalem numinis & prouidentiæ, sed eam statuebant: ac proinde retinebant aliquo modo iustitiæ politicæ verum fundamentum. At vero si nullum est numen, nulla prouidentia, ipsum fundamentum in genere penitus est falsum & fictitium: ac proinde fieri non potest vt aliquam vim habeat ad vitæ probitatem: aut si aliquam vim habet, vt experientia constat habere maximam, perspicuum est non esse rem fictitiam, sed veram. Hæc summi Theologi verbis referre volui, quia neque breuius, neque neruosius, & clarius dici posse existimo.

Si Deus non est, multas virtutes vitia esse necesse est.

Si Deus non est, nemo impius est, nisi Dei contemptor.

Si Deus non est, omnia sunt à casu.

Gentes generatim esse numen crediderunt.

§. 5. Hæc adeo sibi constant, vt quisque in foro mentis suæ testimonium Deo reddat. Nouum testimonium (inquit Tertull. lib. de testimonio animæ) aduoco, imo omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id est, totum quod est hominis. Quid igitur postulat ab anima? Non placemus, ait, Dominum prædicantes, hoc nomine vnico vnicum, à quo omnia, & sub quo vniuersa. Dic testimonium, si ita scis. Nam te quoque palam, & tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris audimus ita pronunciare: Quod Deus dederit. Et: Si Deus voluerit. Ea voce & aliquem esse significas, & omnem illi confiteris potestatem, ad cuius spectas voluntatem: simul & cæteros negas Deos esse, dum suis vocabulis nuncupas, Saturnum, Iouem, Martem, Mineruam. Nam solum Deum confirmas, quem tantum Deum nominas, vt & cum illos interdum Deos appellas, de alieno, & quasi pro mutuo vsa videaris. De natura quoque Dei, quam prædicamus, nec te latet: Deus bonus est, Deus benefacit, tua vox est. Et deinceps: Hinc ergo tibi anima de conscientia suppetit domi ac foris, nullo irridente, vel prohibente prædicare, Deus videt omnia, & Deo commendo, & Deus reddet, & Deus inter nos iudicabit. Vnde hoc tibi non Christiana? Miratur vero Tertullianus in ipsis templis dæmonum eos Deum iudicem implorare, ideoque exclamat: O testimonium veritatis, quæ apud ipsa dæmonia testem efficit Christianorum?

Omnis anima instus pro Deo testimonium dicit.

Hæc testimonia animæ, quanto vera, tanto simplicia, tanto vulgaria; quanto vulgaria, tanto communia: quanto communia, tanto naturalia, quanto naturalia, tanto diuina. Non putem cuiquam friuolum, & frigidum videri posse, si recogitet naturæ maiestatem, ex qua censetur auctoritas animæ. Quantum dederis magistræ, tantum adiudicabis discipulæ, magistra natura, discipula anima. Quicquid aut illa edocuit, aut ista perdidicit, à Deo traditum est, magistro scilicet ipsius magistræ. Quid anima posit, de principali institutore præsumere, in te est æstimare de ea quæ in te est. Senti illam, quæ vt sentias efficit: recogita in præsagiis vatem, in omnibus augurem, in euentibus prospicem. Mirum si à Deo data homini nouit diuinare. Tam mirum si eum, à quo data est, nouit. Etiam circumuenta ab aduersario meminit suis auctoris, & bonitatis, & decreti eius, & exitus sui, & aduersarii ipsius. Sic mirum, si à Deo data, eadem canit, quæ Deus suis dedit nosse. Sed qui eiusmodi cruptiones animæ non putauit doctrinam esse naturæ, & congenitæ, & ingenitæ conscientiæ tacita commissa, docet potius de vētilatis in vulgus opinionibus publicatarum literarum vsum iam, & quasi vitium coroboratum taliter fermocinandi. Denique, Omnium gentium, ait, vnus homo nomen est, vna anima, varia vox; vnus Spiritus, varius sonus, propria cuique genti loquela, sed loquelæ materia communis. Deus vbique, & bonitas Dei vbique, dæmonium vbique, & maledictio dæmonii vbique, iudicii diuini reuocatio vbique, mors vbique & con-

Omnis Dei contemptor est inexcusabilis.

& conscientia mortis vbique, & testimonium vbique omnis anima suo iure proclamat, quæ nobis ne mutire conceditur. Merito igitur omnis anima rea, & testis est: in tantum & rea erroris, in quantum testis veritatis, & stabit ante aulas Dei, die iudicij, nihil habens dicere. Deum prædicabas, & non requirebas: dæmonia abominabaris, & illa adorabas.

§. 6. Denique Deum esse factorem, atque rectorem omnium imperiorum, adeoque totius mundi, omnia in fines suos ordinatissime tendentia ostendunt. Quæ enim ars, quæ intelligentia, actiones, instrumenta, tempora, locum, circumstantiaque & coniuncta tam concinne, tam sine errore ordinare potest? at res ipsæ nihil horum agnoscunt, naturæ quodam instinctu atque impetu efficiuntur atque efficiunt, suæ molitionis ignaræ. Vide granum sinapis, quod inter semina paruum, & tamē minima eius portio est viuida, & pingui, oleoso que humore in arborem exitura, in minima autem minimi seminis particula, varietas partium maxima est, aliud enim firmatur in trūcum, & quasi lignum, aliud in medullam emollescit, aliud tenditur in corticem, aliud in folium se explicat, aliud in florem, aliud deorsum in terram succos hausturum sese deprimit, nec in has modo partes, sed in partium particulas quoque scinditur; nam trunco, cortici, foliis, floribus, suæ sunt carnes, ossa, venæ, tunicæ, adeo vt nulla arbor sit quam nō facile in centenas heterogeneas partes diuiseris, quomodo igitur tanta, in tam tenui corpusculo virtus, partes tam distinctæ, earum tam mira efficientia, vt crudos terræ humores, tam vario fine, in tam diuersa dispensent? Partem enim spissant, & indurant in lignum, partem in corticem, in florem, in folia. Quæ hæc operatur nisi insignis, & omnium architecta sapientia? Et hæc omnia in vnum finem deducit, nempe hominum vtilitatem. *Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animalium, quæ ratione vtuntur, hi sunt Dij, & homines, quibus profecto nihil est melius,* Cicero lib. 2. de nat. Deorum, & Lactantius de ira cap. 13. *Vera est sententia Stoicorum qui aiunt nostra causa mundum esse constructum. Omnia enim quibus constat, quæque generat ex se mundus, ad vtilitatem hominis accommodata sunt.* Optime Seneca si vnum DEVM agnosceret, libro sexto de benef. cap. 23.

Deum esse ostendit natura rerum omnium in fines suos tendētium.

Multi falso Deos animalia putarunt.

Adiice nunc, quod non externa cogunt Deos, sed sua illis in legem æterna voluntas est. Statuerunt, quæ non mutarent. Itaque non possunt videri facturi aliquid, quamuis nolint: quia quicquid definere non potest perseuerare voluerunt, nec vnquam primi consilii Deos pœnitet. Sine dubio stare illis & desciscere in contrarium, non licet: Sed non ideo, quia vis sua illos in proposito tenet, ex imbecillitate permanent: sed quia non licet ab optimis aberrare, & sic ire decretum est. In prima autem illa constitutione, cum vniuersa disponerent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt. Itaque non possunt videri sua tantum causa decurrere, & explicare opus suum: quia pars operis sumus & nos. Debemus ergo & Soli, & Lunæ, & cæteris cœlestibus beneficium: quia etiamsi potiora illis sunt, in quæ oriuntur, nos tamen in maiora iuuant. Adiice, quod destinato iuuant, ideoque obligati sumus, qui non in beneficium ignorantium incidimus, sed hæc quæ accipimus, accepturos scierunt: & quanquam maius illis propositum sit, maiorque actus sui fructus, quam seruare mortalia: tamen in nostras quoque vtilitates à principio rerum permissa mens est, & is ordo mundo datus, vt appareat curam nostri non inter vltima habitam. Debemus parentibus nostris pietatem & multi non vt gignerent, coierunt. Dij non possunt videri nescisse, quid effecturi essent, cum omnibus alimenta protinus, & auxilia prouiderint: nec eos per negligentiam genuere, quibus tam multa genuerant. Cogitauit enim nos ante natura, quam fecit: nec tam leue opus sumus, vt illi potuerimus excidere. Nonne omnino Christianus videri posset, si vni vero Deo, hæc tribueret?

Qui nostra omnia gubernat, etiā nos regit.

Si nostri igitur causa tanta moles vertitur, si tam parua tanto constant artificio prouidentiaque, vt in vno pene grano non minor sit admirandi materies, quam in vastissimis cœlorum orbibus, certe hominum societatem, imperandi parendique vices, præmiorum & pœnarum cuncta DEVS idem moderatur.

Quomodo enim præstantissimæ creaturæ negligat gubernationem, qui olerum, vt ita dicam, Rempublicam, tam concordibus, tam plenis nascendi, crescendi, florendi, frustificandi, seminandi legibus instruxit, idque eum in finem, vt homini seruirent? Si igitur bruta seruitia, si fundas, si iumenta tanta cura dignatus est, quis miretur eum nos dignos habuisse, quos regeret, qui nostra omnia gubernat? Neque enim stolidos parentes imitatur, qui agros, pecuniam, domos, familiam liberis suis parant, ipsos negligunt.

CAPVT XII.

Rempublicam à Deo regi exemplis ostenditur.

§. 1. LIBRO secundo proprius huic disputationi locus erit. Nam improbos puniri, bonos principes foueri, ac defendi ostendam.

Lento passu, sed graui diuina vindicta procedit, quamuis propere nonnunquam pœna repræsentetur. Hæc vero iudicii diuini in delinquentes exercitum vigorem vel maxime demonstrat. Quamuis peccantium nemo euadit, sed vel mox ducitur, vel differtur, nisi pœnitentia, & benefactis vltricem numinis manum anteuertat, maxima tamen pars pœnarum in futurum seruatur; interim tamen æterna illa mala, tot mala temporaria antecedunt, vt dubitare nemo possit, Deum esse, qui res mortales regit, iudicat, bonos remunerat, impios vlciscitur. Iudicat ille orbem terrarum in æquitate, & populos in veritate sua. Quod enim necessitatem fati esse, quod fortuitum euentum quidam interpretantur, Dei iudicium est. Hinc miræ & inopinatæ rerum conuersiones. Nullus annus est, non insignis potentium ruina, aut morte, imo nulla dies, quæ non aliquos vesperi iacentes videat, quos mane viderat superbos: non facit hoc

Seu propera, seu lenta vindicta sit, semper prouidentiam ostendit.

Sidus, & occulti miranda potentia fati,

sed Deus, Deus inquam, quia *sidera vocat, & dicunt, adsumus*; qui non ad suum ministerium, sed hominum vtilitatem luces illas effecit.

§. 2. Iudicio illo perculsus fratricida primus perpetuo pauore vagus, actremens sceleris indicia mundo circumferebat; illo iudicio diluuium terras inundauit, Sodomitas cœlestis flamma exussit, Ægyptios rubrum mare oppressit, Chananæos Israel deleuit. Hoc iudicio Core, Dathan, Abiron, & multa millia in deserto ceciderūt, multos annos Israel vicinorum regum tyrannide pressus postremo sub regibus suis afflictus, septuaginta annorum seruitute damnatus est. Sed maiora videamus, Assyriorum auaritia totam Asiam exhaurire Deus permisit, hos per Chaldæos spoliauit, Chaldæorum luxum per Medos & Persas ingenti ruina oppressit, Medas & Persas latissime imperantes, etiam summo fastigio sublatos vitiaque eximo imperio maiora, propalam ostentantes, per sordidissimam Græciæ gentem Macedones iugum seruitutis accipere coegit. Hos vero in se collisos Romanis debellandos, conterendos, exossandos obiecit.

Iudiciorum Dei synopsis.

Cum Romanorū deinde peccata excessêre modū, vt nec tolerari amplius, nec medicinam ferre posset,

eos primum mutuis cœdibus attritos, deinde Cimbris, Herculis, Gothis, Wandalis, Longobardis, aliisque barbaris diuisit, nunc tota Asia, præstantior Africæ portio, & nobilis Græcia contemptæ religionis pœnas sub acerbo & duro dominio Ottomanidarum luit.

Omnes clades quæ vel vniuersum, vel partes orbis per vices exercuerunt diuinorum iudiciorum executiones sunt. *Legimus,* (inquit, Tertullianus in apol. cap. 40.) *Hierapolim, & Delon, & Rhodon, & Coon insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse. Memorat & Plato maiorem Asiæ & Africæ terram Atlantico mari ereptã. Sed & mare Corinthium terræ motus ebibit. Et vis vndarum Lucaniam Italiæ abscisam in Siciliæ nomen relegauit.* Antiquissimæ fuere pœnæ, sed antiquiora tamen scelera quæ pœnã comitem traxere. Narrant veteres Phaëthonte rege impio, Græciam, Æthiopiamque incendiis vastatam, ipsum regem fulmine extinctum. In vltionem adulterii regnum Priami, & opulentia barbarica concessit in rogos, Sardanapalus Assyrius cum grege turpium virorum, & mulierum, immensæ luxuriæ finem fecit incenso palatio. Tullum Hostilium regem Romanorum iustissimum fulmen contriuit, incendia Ierosolymorum, Athenarum, Romæ, Sidonis, Tyri, Thebarum, Persepolis, Sagunti, Corinthi, Carthaginis, Numantiæ, Byzantii, Nicomediæ, Aquileiæ, Parauii, Antiochiæ, Basileæ, Venetiarum, aliarumque vrbium & crebro repetita legimus; terræmotus, aliaque incommoda taceo. Magna pietati regum ac populorum data præmia ostenderem, vt hac etiam parte regnum suum Deo astruerem, sed ad eam partem qua de pietate tractaturus sum relegare malo; nam nulla res luculentius diuinum in republica imperiũ, quam virtutis præmia demonstrant.

Libro secũdo explicatur.

CAPVT XIII.

Obiectiones Atheorum dissoluuntur.

§. 1. MVLTA sunt quæ Athei serio, imbecilles & imperiti discendi causa contra prouidentiam, ac Dei gubernationem obiicere consueuerunt. Cum enim mundus sit, vt Euseb. lib. 15. definit. Σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ θαλάττης, καὶ τῶν ἐν τούτοις φύσεων. Systema siue compages ex cœlo, aëre, terra, aqua, atque illis quæ in his sunt, naturis; cum sit communis hominum atque Angelorum ciuitas, ita vt vna ex toto orbe Respublica conficiatur, adeo vt Stoici cœlum proprie ciuitatem dicant; nostras quas incolimus, dici quidem, at non esse ciuitates affirment. Si igitur Respublica hæc ab optimo, prouidentissimo, sapientissimo principe, Deo gubernatur, optime etiam ac tranquillissime eam regi necesse est, & bonis bene, malis male esse oportet. Præmia bene meritis, supplicia impiis constituta sint. At vero inquiunt, in illa Republica mundi, in vasta illa ciuitate maior est sæpe malorum felicitas, nec modo humiles, & cœlestium insciæ animas telum illud ferit, sed fortibus etiam, & munitis pectoribus figitur. Quare bonis viris aduersa eueniunt, malis prospera? Hic prouinciam spoliauit, & in lucem bibit, & *fruitur* ut, inquit, ille *Dis iratis.*

Felicitas malorum clades bonorum non tollunt prouidentiam.

Marmoreo Licinus tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo; credimus esse Deos?

Ita apud Dauidem Psalmo 72. 9. *Posuer... in cœlo os suum: & lingua eorum transiuit in terra. Et dixerunt: Quod scit Deus? & si est scientia in excelso. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Existimabam vt cognoscerem hoc: labor est ante me. Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum.*

Vetus hæc igitur est querela:

Τολμῶ καπωεῖν, μὴ ἔποτ' ὄντως εἰσὶ θεοί;
Κακοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ὀνᾶλίσκουσί με.
Audeo dicere, suntne Dei?
Mali enim felices attonitum me reddunt.

Alterum argumentum est, quod fere industriæ, labori, consiliis, astutiæ, & humanæ prouidentiæ euenta respondent, non igitur ad alia conuerti hominum animos oportet, sed suo quemque ingenio, prouidentiæque fidere. Hinc Spartani monebant, *Admota manu fortunam inuocandam,* & Attici Σὺν ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει, *cum Pallade, & manum moue.* Nondum hi longe aberrant, peius ille.

Industriã nihil sine Deo.

Nullum numen abest, si sit prudentia.

Humanam enim, hoc est, miserrimam prudentiam numinis loco ponit. Et alii. *Quare Deus tam iniquus in distributione fati fuit, vt bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera præscriberet?* Itaque si Deus non facit, error, imprudentia, ignauia efficit. Romani orbem subegerunt, sed labore, audacia, patientia, iustitiæ specie, prudentia. Lacones imperium Græciæ tenuerunt, sed sua industria; omni in re si stratagemate vtaris, non est, quod alium Deum quæras. Hinc impia & Deo pugnantia verba. *Sapiens ille plenus gaudio, hilaris, & placidus, inconcussus, cum Diis expari viuit.* Seneca Ep. 509. *Nec ex pari modo, sed nec egens Deo.* Idem Epist. 31. *Hoc est summum bonum, quod si occupas, incipis Deorum socius esse, non supplex.* Vt vero insaniæ summum apicem conspicias audi Sextium apud Senecam Ep. 73. *Solebat Sextius dicere, Iouem non plus posse, quam bonum virum. Plura Iupiter habet, quæ præstet hominibus: sed inter duos bonos, non est melior, qui locupletior non magis, quam inter duos, quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui maius specio susque nauigium est.* Et Seneca eo loco. *Iupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est.* Hæc illi, & exclamant: *Hac itur ad astra.* Hic non modo sapientia, sed etiam felicitate homines Deo exæquant, adeo vt minus scelerate quidam dixerit. Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Impij nos Deo egere negant.

Tertium argumentum. Quia indignum est diuinam maiestatem ad omnia etiam vilissima deuocare, ad vermium & formicarum fœtus, ad opera hominum quorum plurima aut vitiosa sunt, aut vitiis coniuncta.

Quartum argumentum est; Natura eodem cursu omnia peragit, circuitus cœlorum stati sunt, mutationes mundi inferioris suo modo etiam non admodum diuersæ, animalium, & fruticum nascendi, moriendique perpetuæ vices, & hominum etiam puritia, adolescentia, virilis ætas, & senecta in omnibus pari modo succedens, ostendit naturam sibi sufficere, omniaque illa naturali quadam lege, & necessitate fieri, non autem alia quadam mente, quæ dominatum in naturam ipsam exerceat.

Quintum argumentum. Monstra nascuntur, erat igitur illa sapientissima mens, & in opere suo deficit. Hinc bicipites, tricorpores, centimani, sedigiti, & contrario errore, vnoculi, vnimani, quin etiam naturarum insociabili coniunctione, semiboues homines, semihominesque, boues, fœtus canino ore, simiarum manu, capripedes. Erratur & aliis modis, distorsione membrorum, magnitudine aliquorum membrorum, vel totius corporis, itaque Macrocheires, Gigantes, nanos sæpe producit operatrix fessa, vel exuberans. Quorsũ tot serpentium, herbarumque venena? tot ferarum formidines, insectorumque molestiæ, si nobis à Deo prouisum est? Atque hinc tam multæ multorum contra opera Dei sunt querelæ. Hinc est quod Cotta academicus lib. 3. de natura Deorum, omnia Deo negat aut

omnia

omnia mala tribuit, etiam ipsa scelera. *Si enim rationem, inquit, hominibus Dii dederunt: & malitiam dederunt. Est enim malitia, versuta & fallax nocendi ratio.* Ex hisce conficiunt, Fortunam prudentiam, astutiam, scelera felicia, humanam vitam ac negocia omnia moderari, diuinioris prouidentiæ rationem nullam esse ducendam.

§. 2. Vetera hæc sunt non ab vno proposita, sed tamen vera, & solida dari responsio non modo à sanctis prophetis, sed patribus, & à philosophorum etiam præstantissimis consueuit.

Malorum felicitas summum est impiis scandalum.

§. 3. Primum vero argumentum plurimos semper mouit, ipsi Philosophi apud Ciceronem, & ipse Cicero lib. 3. de natura Deorum, vix Deos defendere possunt. Querelas ore Ciceronis proponam ac respondebo. *Telamon, inquit, autem vno versu locum totum conficit, vtrum dij homines negligant.*

Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest. Debebant illi quidem omneis bonos efficere, siquidem hominum generi consulebant. Sin id minus: bonis quidem certe consulere debebant. Cur igitur duos Scipiones, fortißimos, & optimos viros in Hispania Pœnus oppreßit? cur Maximus extulit filium Consularem, cur Marcellum Hannibal interemit? cur Paulum Cannæ sustulerunt, cur Pœnorum crudelitati Reguli corpus est præstitum? cur Affricanum domestici parietes non texerunt? sed hæc vetera, & alia permulta. Propiora videamus, cur auunculus meus vir innocentißimus, idemque doctißimus, P. Rutilius in exilio est? cum sodalis meus interfectus domi suæ Drusus? cur temperantiæ, prudentiæque specimen, ante simulacrum Vestæ, pontifex Maximus est, Q. Scæuola trucidatus? cur etiam ante tot ciuitatis Principes à Cinna interempti? cur omnium perfidiosißimus, Caius Marius, Q. Catulum, præstantißima dignitate virum, mori potuit iubere? Dies deficiat, si velim numerare quibus bonis male euenerit: nec minus, si cõmemorarem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter, septimum consul, domi suæ senex est mortuus? cur omnium crudelißimus tam diu Cinna regnauit? at dedit pœnas. Prohiberi melius fuit, impedirique, ne tot summos viros interficeret, quam ipsum aliquando pœnas dare. Summo cruciatu, supplicioque Q. Varius homo importunißimus, periit: sed, quia Drusũ ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conseruari melius fuit, quam pœnas sceleris Varium pendere. Duodequadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentißimæ, & beatißimæ ciuitatis. Quam multas ante hunc in ipso Græciæ flore Pisistratus, ac Phalaris, ac Apollodorus pœnas sustulit, multis quidem ante cruciatis & necatis! Et prædones multi sæpe pœnas dant: nec tamen possumus dicere, non plureis captiuos acerbe, quam prædones necatos. Anaxarchum Democritium à Cyprio tyranno excarnificatum accepimus: Zenonem Eleatem in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cuius morti illacrymari soleo, Platonem legens. Videsne igitur, Deorum iudicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viueret. Dionysius, de quo ante dixi, cum fanum Proserpinæ Locris expilauisset, nauigabat Syracusas; isque cum secundißime cursum teneret; Videtisne, inquit, amici, quam bona à diis immortalibus nauigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, cum bene, planeq; percepisset, in eadem sententia perseuerabat. Qui, cum ad Peloponensum classem apulisset, & in fanum venisset Iouis Olympii, aureum et detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubiis Carthaginensium tyrannus Gelo. atque in eo etiam cauillatus est æstate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: eiq; laneum palleum iniecit, cum id esse aptum ad omne anni tempus diceret. Idemq; Aesculapii Epidauri barbam auream demi iußit, neque enim conuenire, barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Iam mensas argenteas de omnibus delubris iußit auferri: in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, Bonorum Deorum, vti se eorum bonitate velle dicebat. Idem victoriolas aureas, & pateras, coronasq; quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat: eaque se accipere, nõ auferre, dicebat: esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus, & dantibus nolle sumere. Eundemq; ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, & per præconem vendidisse: exactaque pecunia edixisse, vt quod quisque à sacris haberet, id ante diem certam in suum quidq; fanum referret, ita ad impietatem in Deos, in homines adiunxit iniuriam. Hunc igitur neque Olympius Iupiter fulmine percußit, nec Aesculapius misero, diuturnoque morbo intabescentem interemit: atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis regum illatus est: eamq; potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam, & legitimam, hæreditatis loco filio tradidit.

Concludit tandem hunc in modum. *Improborum igitur prosperitates secundæque res redarguunt*, (vt Diogenes dicebat) *vim omnem Deorum ac potestatem.*

Quos optimos iudicant, sæpe sceleratißimi sunt.

§. 4. Primo quidem respondeo, multis in hominibus falli humanum iudicium, quos enim Cicero optimos vocat, & sanctißimos, eos multis sceleribus implicitos fuisse, & vt supplicia paterentur, meruisse constat Scæuola, Catulus, Drusus, Metellus, & alii, quos vt sanctißimos viros ab importunißimis cum cruciatu trucidatos deplorat, mihi non multo videtur, inimicis suis fuisse meliores, ne Socratem quidẽ scelerum, & omnis contumeliæ turpißimum doctorem. Quis vero Romanos innocentes dicet, si eos quotidie arenæ spectaculis assidentes iubere mortes sontium & insontium considerat? Vre, verbera, seca, occide: erant hæc verba solennia, & totius caueæ, quid maius Phalaris fecit? aut Pisistratus? qui pauciores ad suam tutelam, quam Romani illi viri optimi ad voluptatem occiderunt?

Humanæ bona, nec felices, nec mala faciunt miseros.

Secundo: Non sunt humana bona talia, quæ momentum adferunt ad felicitatem, nec mala quæ miseros facere queant. Nam paupertas, exilia, quomodo grauia sunt, nisi sola æstimatione? An miser Fabricius, cum ad focum ipsas radices, quas in agro repurgando triumphalis senex vulsit, cœnabat? an, vt ad nostra veniam, Patriarcha Iacobus cum noctu lapidem capiti supponeret, an Paulus & Antonius miseri ad fontem pane vescentes. Error est, iudicare nõ esse felices, nisi in ventrem longinqui litoris pisces, & transmarina aucupia congerant, nisi exoticis condituris stomachi nauseantis pigritiam erigant, vt noua voluptate dapes nocituras accumulent? *Vir bonus dives non est, improbus abundat.* Quid igitur? Frugaliter hic viuet, ille flagitiose. Mullum quatuor librarum, & mediæ Tiberius Cæsar vendidit, Apicius, & P. Octauius licitati sunt. Octauius emit quinque millibus HS. hoc est, centum vigintiquinque Philippicis. Sen. Ep. 95. An hic felices illi Ganeones, qui emerunt delicias, quas Cæsar vendidit? An miser vir bonus si emere non possit, quod Cæsar non concupiuit?

Caligula centies Sestertio cœnauit, & omnium ingenio opus fuit, vt mediocris prouinciæ vectigal vna cœna fieret, precium vero ad nostram monetam, est ducenta quinquaginta Philippûm millia. Audiamus vel ipsos Gentiles, & diuites: Seneca cons. ad Heluiã. *Quid tam multa conquiritis? scilicet maiores nostri, quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum: quibus terra cubile erat: quorũ tecta nondum auro fulgebant: quorum templa nondum gemmis nitebant. Itaque tunc per fictiles Deos religiose iurabatur: qui per illos inuocauerant ad hostem morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minus beate viuebat dictator noster, qui Samnitum legatos audit, cum vilißimum cibum in foco ipse manu sua verset: illa, qua iam sæpe hostem percusserat, laureamq; in Capitolini Iouis premio reposuerat. quam Apicius nostra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando Philosophi velut corruptores iuuentutis, abire iußi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua seculum infecit: cuius exitum nosse operæ pretium est. Cum sestertium millies in culinam congeßisset,*

cum

tum tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal singulis commissationibus exsorbuisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Supersuturum sibi sestertium centies computauit: & velut in vltima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, non animi. Sestertium centies aliquis extimuit: & quod alii voto petunt, veneno fugit.

Non igitur in his Dei iudicium reprehendēdum cum is felix sit, qui minus cupiat, infelix, cuius im-, mensum incomprehensibile arbitrium est. Cuius cupiditati nihil satis est.

§. 5. At multi bonorum in fame, siti, carcere, seruitute, tormentis vitam exigunt, dum interea omnibus suauitatibus improbi circumfluunt. Durior est eorum conditio fateor, sed tamen, hoc quoque diuinam prouidentiam nobis approbat magis, quā conuellit. Magna est, etiam in publico talium exemplorum vtilitas. Ratio hoc docuit infideles quod fides Christianos, nos probationes dicimus, illi exercitia. Omnia aduersa sapiens exercitationes putat. Marcet sine aduersario virtus, quid possit, patientia ostendit.

Seneca de prouidentia cap. 2. *Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos, ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt: at matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt: nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus aduersus bonos viros animum, & illos fortiter amat: & ,operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur. Languēt per inertiam saginata: nec labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt. Non fert vllum ictum illaesa felicitas, at vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit; nec vlli malo cedit: sed etiam si occiderit, de genu pugnat.* Hæc Romanus sapiens.

§. 6. Deinde sunt medicamenta, atque à vitiis auocamenta, prosunt illis ipsis qui patiuntur. Audi Hieronymum in Ezechielem: *Quæ putatur pœna medicina est.* Sed quia cum Atheis mihi res est: audiant eos quos ratio eo duxit, vnde illi à fide excidentes prolapsi sunt. *Pro ipsis est,* inquit Seneca de prouident. cap. 3. *in exilium proici, in egestatem deduci, liberos, coniugem efferre, ignominia affici, debilitari? si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro & igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaueris tecum, remedii causa quibusdam & radi ossa & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ sine totius pernicie corporis hærere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi, quædam incommoda pro his esse, quibus accidunt, tam me hercules, quam quædam quæ laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectauerunt: simillima cruditatibus, ebrietatibusque, & cæteris quæ necant per voluptatem.*

Et paulo post: *Veniamus ad Regulum, quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt autem claui, & quocumque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. Vis scire, quam nō pœniteat hoc pretio æstimasse virtutem? Respice tu illum, & mitte in senatum, eandem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & morosæ vxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lenē resonantium, quæritur? Mero se licet sopiat, & aquarum fragoribus auocet, & mille voluptatibus mentem auxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce.*

Calamitas virtutis occasio est. Hos itaque Deus probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet. Eos quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim si quem iudicatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse dilatus est. *Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut aliis incommodis, afficit? Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut præsidium loco deiiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit. Male de me Imperator meruit: sed, bene iudicauit. Idem dicant quicumque iubentur pati, timidis ignauisque flebilia: Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias, fugite eneruatam felicitatem, qua animi permadescunt, nisi aliquid interuenit, quod humanæ sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti. Quam specularia semper abadflatu vindicarūt, cuius pedes inter fomenta subinde, mutata tepuerunt, cuius cænationes subditus & parietibus circumfusus calor temperauit, hunc leuis aura non sine periculo stringet. Cum omnia, quæ excesserunt modum, nocent; periculosissima felicitatis intemperantia est. Mouet cerebrum, in vanas mentem imagines euocat, multum inter falsum ac verum mediæ caliginis fundit. Quidni satius sit, perpetuam infelicitatem, quæ aduocat ad virtutem, sustinere, quam infinitis atque immodicis bonis rumpi? Leuior ieiuno mors est: cruditate dissiliunt. Hanc itaque rationem dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis præceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Nunquid tu inuisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? ipsi illos patres adhortantur, vt ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semanimes rogant, perseuerent vulnera præbere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos Spiritus Deus tentat? nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos & lacerat fortuna? patiamur, non est sæuitia: certamen est, quo sæpius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens vsus agitauit. Præbendi fortunæ sumus, vt contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciet, contemptum periculorū assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora, ferendo mari dura: agricolis manus tritæ: ad excutienda tela, militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum potentiam, animus patientia peruenit: quæ quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis & inopia fortioribus, labor præstet.*

Quare tamē bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? (Seneca de prouid. l. c. 6.) *Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis remouit, scelera & flagitia, & cogitationes improbas, & auida consilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam: ipsos tuetur ac vindicat. Nunquid hoc quoq; à Deo aliquis exigit, vt bonorum virorum etiam sarcinas seruet? remittunt ipsi hanc Deo curam: externa contemnūt. Democritus diuitias proiecit, onus illas bonæ mentis existimās: quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir boni. quidni, cum aliquando & ipsi occidant? In exsilium mittuntur: quidni, cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquunt? Occiduntur. quidni, cum aliquando ipsi sibi manus asferant? Quare quædam dura patiuntur? vt etiam alios pati doceant, nati sunt in exemplar.*

§. 7. At mali felices sunt? vide sapientem eūdem. *Isti, quos pro felicib. aspicitis si non qua occurrūt, sed qua latent videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietū suorum extrinsecus culti. Non est ista solida & sincera felicitas: crusta est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suum ostendi, nitent & imponunt: cum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet quantum altæ ac veræ saditatis alienus splendor absconderit.*

Si placet audire pios & sanos doctores, rectius & liquidius illi prouidentiæ rationem nos edocebunt. Augustinus de Gen. ad literam, libr. 11. Cur & hoc (tentari) permittit Deus? *An quia probatur, & exercetur virtus, & palma glorioſior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari? cum etiam ipsi qui deserto creatore eunt post tentatorem, magis magisque tenent eos, qui in verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem deuitationis*

exemplum, & incutiant contra superbiam timorem pium? Vnde dicit Apostolus : Expendens te ipsum, ne & tu tenteris. Mirum est enim, quantum ista humilitas qua subdimur creatori, ne tanquam eius adiutorio non egentes, de nostris viribus præsumamus, per scripturas omnes diuinas cura continua omnibus commendatur. Cum ergo etiam per iniustos iusti, ac per impios pij proficiunt, frustra dicitur : Non crearet Deus quos præscibat malos futuros: cur enim non crearet, quos præsciebat bonis profuturos, vt & vtiles eorum voluntatibus exercendis; admonendisque nascantur, & iuste pro sua voluntate puniantur.

§. 8. Tu malorum prosperitati inuides, aut etiam illacrumaris? quæ causa est tantorum tumultuum, nonne etiam gladiatores sagina distenduntur, vt speciosius pereant, nonne in publico supremum cœnant bestiarii? Quæstionem soluit Dauid, sed *in sanctuario Dei, & in nouissimis eorum.* Quia mali cum hic differuntur, ad pœnas sine fine reseruantur; & boni, cum hic laborant, exercentur, vt in fine hæreditatem consequantur.

Mali felices æternis pœnis reseruantur.

Huius tanti præmii tam ardua maiestas, tam pura, atque honesta suauitas, tam secura atque inuariata æternitas est, vt per liberrimos agendi patiendique labores, non per delicias, & terrena præmia tendere eo oporteat. Totum hoc quod vocatur genus humanum, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad examen, ventura ad libram, appendentur ibi opera hominum cuncta. Modo nubes inuoluit, sed Deo cognita sunt merita singulorum. Noluit Deus auro iustitiam remunerare. Qualis enim iustitia quæ propter aurum habetur? quasi preciosius sit aurum, quam ipsa iustitia, aut cum quisquam negat res alienas, magis damnum patiatur cui negat, quam ille qui negat: ille perdit vestem, ille fidem.

Pro æterno præmio labores subeundi sunt.

§. 9. Ad prouidentiam etiam vel maxime spectat, vt Deus causas, quas creauit, suis proprietatibus, & potestatibus relinquat, vt quas liberas fecit, in agendo libertatem illis permittat, hinc suum vnusquisque sibi defectum, non Deo imputare debet; neque enim laus virtutis est, nisi labor sponte, & honesto fine suscipiatur, neque vitati criminis vlla gloria, nisi illecebris voluntate contemptis. Qui timore innocens est, non est innocens, multo minus qui necessitate malus, aut bonus est, virtutis aut vitii laudem meretur.

Spontanea virtus sola laudatur.

§. 10. Veruntamen huius blasphemiæ vnica causa est, cur dicant Deum oculos auertere ab operibus fidelium, malos autem beneuolentia prosequi, quod morte omnia finiri arbitrantur, nec post fata superesse animæ vitam, vel ad meritorum præmia, vel pœnas delictorum. At vero vel hoc primarium est æternitatis iudicium, quo cognoscimus omnia hominum facta tandem æquari, quæ hic tam inæquali pœna, & præmio censentur; Miraris non continuo occidi Neronem, annos quadraginta sæuire Siculum tyrannum. Miserrimum eum iudica, cui tot anni in maiora tormenta verterint.

Impiis lenta vindicta excusationem aufert, pœnitentibus dat tempus emendandi. Velles cum primum scelus quispiam admisit, pœnam repræsentari, inde ne pauci diu viuant, time ne te quoque celeri vltione sustulisse debuerit.

Quædam mala & bona Deus.

§. 11. Denique communia mala esse quædam Deus, & obuia cunctis secunda esse voluit. Tertullianus in Apolog. cap. 41. *Qui enim semel æternum iudicium destinauit post sæculi finem, non præcipitat discretionem, quæ est conditio iudicii, ante sæculi finem. Aequalis est interim super omne hominum genus & indulgens, & increpitans, communia voluit esse & commoda profanis, & incommoda suis, vt pari consortio omnes & seueritatem experiremur; qui æquitatem didicimus apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus seueritatem: vos contra vtramque despicitis: & sequitur vt omnes sæculi plagæ nobis si forte in admonitionem, vobis in castigationem à Deo obueniant. Atqui nos nullo modo lædimur: inprimis, quia nihil nostra refert, in hoc æuo nisi de eo, quam celeriter excedere: de hinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed & si aliqua nos quoque perstringunt vt vobis cohærentes, lætamur magis recognitione diuinarum prædicationum, confirmationum scilicet fiduciam & fidem spei nostræ. Sin vero ab eis quos colitis, omnia vobis mala eueniunt nostri causa, quid colere perseueratis tam ingratos, tam iniustos? qui magis vos in dolore Christianorum iuuare & asserere debuerant, quos seperare deberent à meritis Christianorum.*

§. 12. Mirum mihi sæpius videri solet, malos tanta supplicia luituros, in hoc etiam sæculo plerunque, & anxios viuere, & grauissimis conflictari calamitatibus, exitus vero horribiles sortiri. Sed tamen etiam in hac parte diuinæ iustitiæ seueritas elucet, neque enim peccatores præsentibus bonis securos degere permittet, quandoquidem multas futurorum metus parum contineret, & certa impunitas maximam ad crimen illecebram adferret.

§. 13. Secundum argumentum, in quo sibi mirifice placet argutia humanæ prudentiæ, erat ab euentu industriæ, ordinarie enim bona consilia felices exitus habent, stolida autem calamitosos, non est igitur alia prouidentia humanorum consiliorum moderatrix, aut emendatrix. Verum ista etiam ratio specie veri illudit. Neque enim omnia bene consulta feliciter ceciderunt, vt merito successibus careat, si quis ab euentu consiliorum integritatem æstimandam censeat.

Cõsilia quæ prudenter videntur instituta sæpe sunt perniciosa.

Neque tamen, si omnia quæ consilio ac ratione in administranda Republica geruntur, prudenter instituuntur, ad optatos semper fines perducerentur, nec vlla vnquam temeraria cœpta in bonum verterentur, ideo partes suæ Deo in ciuitatis gubernatione adimendæ forent. Vtriusque experientia, & ratio manifesta est. Consilia sæpe optime instituta res minima conturbat, nec modo in vtilia, sed etiam perniciosa reddit, 1. Cor. 1. 19. *Scriptum est enim perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens, vbi scriba? vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* Magnam sapientiæ opinionem habuit Ægyptus, quæ à Iosepho erudita, Græciam excoluit, quis enim sapientium, cum Ægyptiis non egit? quid tamen Deus? Isa. 8. 10. *Inite consilium, & dissipabitur.* & 19. 13. *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens. Quomodo dicitis Pharaoni filius sapientum ego, filii regum antiquorum? Vbi nunc sunt sapientes tui? annuncient tibi, & indicent, quid cogitauerit dominus exercituum super Aegyptum.* Cur vero insipiens? quia vt num. 3. ait, *consilium eius præcipitabo.* Sed quia Athei sacris literis fidem non habent, sua ipsorum sapientia confutandi sunt. Quam magna sapientia multi legum latores Rempublicam fundarunt, ornaruntque, & in illis tamen legibus, quam misere laborare ciuitatem, & inter se collidi ciues coegerunt? Adeo vero multa sunt, vt Patriarcha Pseudopoliticorum libr. 2. disput. cap. 29. *Fortunam dicat animis hominum tenebras obiicere, ne vim suam ingruentem refringant,* impie ille quidem, qui diuinam vltionem qua sapientiam illis negat, fortunæ adscribit, accommodate tamen ad institutum, vt cognoscamus nunquam non euenta consiliorum humanorum in ancipiti esse.

Machiauellus fortunam ait tenebras hominibus obiicere.

Multa enim interueniunt, quæ curas, & fallaces spes incidunt. Callida fraus erat Metii, sed vno eam verbo irritam fecit Tullus, *cum suo iussu factum esse* mentitus est. Dionysium à sceptro ad ferulam lupus redegit; nam literas cum carne è vidulo dormientis

Magna cõsilia paruis momentis cadunt.

tabel-

tabellarii intercepit. Claudium protraxit miles, & casu imperatorem fecit. Commodi maturata mors fuit, quia Philocommodus chartam in qua descripta erant neci destinatorum nomina pueriliter extulit. Quot prælia, quot exercitus vna vox perdidit? & omnia consilia in nihilum redegit?

Medias causas sine summa causa considerant impij.

§. 14. Causa erroris blasphemi est, quod imperiorum initia, conuersiones, & interitus per causas intermedias ad eos fines valde idoneas, contingere videamus. Hinc enim totum euentum tribuunt causis quæ apparent, causam æternam etiam mediarum moderatricem ignorant. Cum ad occasum, & velut mortem suam vasta regnorum corpora tendunt, iam ante signa & criteria multa prudentibus apparent, quibus certo præsagio de futura ruina vaticinantur. Cum iam in lubrico staret Persarum imperium, immanis luxus, ignauia, disciplina militaris omissa, duces belli imperiti, ignaui, nec vllus cui fideres, nisi è Græcia, auaritia, contumeliæ in subiectos, ambitio, & inde discordia consiliorum, populorum alienatio, omnia mala accelerabant; fortitudinis, prudentiæque dona tam sceleratis, tam arrogantibus diuina iustitia subtraxit.

Maiestas diuina omnibus interest.

§. 15. Quod tertio loco adferebatur, non debere exiguis rebus adesse maiestatem infinitam, hoc neminem mouere potest, qui diuinum numen dicerit mentem esse infinitæ efficientiæ, quæ omnes arenas maris, omnes vniuersi particulas in numerato habeat; Deum esse, qui nihil anxius agat, nihil distractus, qui omnium rerum cognitione ac gubernatione, à singularum tutela non auocetur, cui omnes nostri capilli numerati sunt, à cuius cura nihil eximi potest, quemadmodum esse sine eo non potest. Non defuere veteres, qui rerum minimarum curam à Deo alienam ducerent. Plin. libro secundo, cap. 7. Irridendum, agere curam rerum humanarum illud, quicquid est, summum. An tam multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusne? Multo melius Epictetus: *Te Deus nec in minimo fallo.*

Firma ratio est, si enim maiora Deus administrat, debet eius etiam esse potestas in minutis, igitur & prouidentia; nam ex minutis illis maxima constant. Non potuit mundum Deus creare qualem videmus, nisi eum ante totum pernouisset, totum cognoscere non potuit, nisi singulas partes inspiceret, quomodo enim animal crearet, si non venas, arterias, fibras, poros, omnium actionum instrumenta animo percepta, ac comprehensa teneret? Indignum igitur illa maiestate foret, rem vel minimam ignorare, minimam non semper clarissima luce intueri, esse aliquid quod vel ad momentum eius sensum cognitionemque effugiat, si enim aliqua latere & breui tempore latere Deum posse statuamus, non est causa cur non plurima, & longissimo tempore, imo omnia & semper latere dicamus. Cur enim illa quidem norit, hæc nesciat? Dicam id quod ex hac ratiocinatione consequitur omnium impiissimum dogma.

Si quædam Deus ignorat, etiam omnia ignorat.

Nempe Deum si quædam ignorat, & fallitur, cum sit immutabilis, ne posse quidem illa vnquam discere: ideoque Deum illum, à cuius maiestate paruarum rerum procurationem alienam censent, ne DEVM quidem esse, sed truncum, qui omnium rerum sit ignarus. Pollui maiestatem Dei rerum sordidarum contagio dicis, & solis radios sine contaminatione sui omnibus cloacis, & lacunis pestilentibus allucere negare non potes. Egregie Diuus Augustinus libr. 9. de ciuit. *Qui profecto incontaminabilis DEVS, absit, vt contaminationem timeret ex homine, quo indutus est, aut ex hominibus, inter quos in homine conuersatus est,*

§. 16. Quartum argumentum Dei regimen fortissime asserit: Non enim nisi incredibili sapientia, status omnium motuum ordo, elementorum pugnæ & paritas quædam seruatur, quomodo n. fortuna aut casu semper eadem ratione nascuntur, aut intereunt? Qui vero ex corporum lineamentis colligunt animam esse mortalem, cur non potius ex animi perspicacitate, agilitate, mirabilique cogitandi, & ratiocinandi natura potius concludunt, tam spiritalem, ac diuinam vim corporatam non esse, nec morte corporis posse corrumpi?

Statarerũ vices diuinam prouidentiam asserunt.

§. 17 Quintum erat de erroribus naturæ, seu monstris, ea enim videntur esse non posse, si vniuersum hoc à Deo administratur, omnis enim erroris expers sit, necesse est.

Respondeo nihil contra communem Dei prouidentiam facere, naturæ in partibus suis aberrationem: *Deus est*, inquit S. Augustinus, lib. 16. de ciuit. c. 8. *qui vbi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipse nouit.* Causam insinuat: *Sciens vniuersitatis pulchritudinem, quarũ partium, vel similitudine, vel diuersitate contexat.* Sed qui totum inspicere non potest, tanquam deformitate partis offenditur: quoniam cui congruat, & quo referatur ignorat. Constat igitur, sua causa Deo, cur hos in rebus creatis permittat defectus, omnia enim illa quæ occultis mundi causis fiunt, sub prouidentia illa constituta sunt. Monstra hominum fabulosæ historiæ narrant, alios esse monophthalmos, alios versis post crura plantis, Sciopodas, Pygmæos, Astomos Onopthalmos, Cynocephalos, alioque ipsa raritate mirabiles. Quos ego esse, aut fuisse, non adducor vt credam. Sed videntur historici illi de sua curiositate gloriantes, impunita vanitate mentiti. Si tamen talia fuerunt, & si homines fuerunt, placet mihi de illis S. Augustini iudicium lib. 16. de ciuit. c. 8. *Sed si homines sunt, de quibus illa mira conscripta sunt: quid si propterea Deus voluit etiam nonnullas gentes ita creare, ne in his monstris, quæ apud nos patet ex hominibus nasci, eius sapientiam, quæ naturam fingit humanam, velut artem, cuiusuis iam minus perfecti opificis putaremus erraſſe? Non itaq; nobis absurdum videri debet, vt quemadmodum in singulis quibusque, gentib. quædam monstra sunt hominum, ita in vniuerso genere humano quædam monstra sunt gentium.*

Monstra multa ficta sunt.

Nec Aristoteles aliter sensit: δεῖ γὰρ τὸ τέρας πρὸς φύσιν π. πρὸς φύσιν ὑ πᾶσαν, ἀλλὰ πρὸς ὡς ἐπὶ πολὺ, πρὸς γὰρ τὸν ἀεὶ, ἢ τὸν ἐξ ἀνάγκης οὐδὲν γίνεται πρὸς φύσιν. *Monstrum est aliquid præter naturam, sed non omnem, sed eam quæ vt plurimum est vsitata. Nam præter naturam quæ æterna est, & quæ ex necessitate est, nihil vnquam fit.* Itaque Deus, cum monstri aliquid nascitur, non ipse errat, sed causæ secundæ ob materiæ defectum, exuperantiam, intemperiem, & circumstantium impedimentorum violentiam nouum aliquid, aut rarum edunt, quod vniuersi varietatem exornat, quamuis in suo genere deformitatem habeat. Neque his magis Dei culpanda sunt opera, quam ea quæ in omnibus hominibus est, corporum magnitudo, paruitas, forma, quem enim ita omnibus membris temperatum ad amussim effinxit, cui non aliquid sit, quod in alio est decentius? quemadmodum igitur in tanta vultuum dissimilitudine diuinum artificium admiramur, ita nequaquam defecisse eius industriam dicimus, cum quosdam informes esse voluit. Causas naturales ita direxit, vt secundum vires sibi insitas, id, quod Deus vult, efficiant. Quantum sit artificium parua docent, rade supercilium quantum decoris corpori detrahitur? oculum paululum peruerte, formosissima facies deformis erit. Hæc igitur, vt occultis causis gignẽtiũ eueniunt, ita quoque occulta diuina prouidentia gubernantur. Optime S. Augustinus lib. 11. de ciuit. cap. 22. *Hanc tamen causam, id est, ad bona creanda, bonitatem Dei, hanc inquam causam, tam iustam atq; idoneam, quæ diligenter considerata, & pie cogitata, omnes controuersias*

Monstrum non est præter omnem naturam.

quærentium mundi originem terminat, quidam hæretici non viderunt: quia egenam carnis huius, fragilemque mortalitatem, iam de iusto supplicio venientem, dum ei non conueniunt plurima offendunt: sicut ignis, aut frigus, aut fera bestia, aut quid huiusmodi. Nec attendunt quam vel in suis locis naturisque vigeant, pulchroque ordine disponantur: quantumque vniuersitati rerum pro suis portionibus decoris tanquam in cõmunem Rempub. conferant, vel nobis ipsis, si eis congruenter atque scienter vtamur, commoditatis attribuant: ita vt venena ipsa quæ per conuenientiam pernitiosa sunt, conuenienter adhibita in salubria medicamenta vertantur: quamque à contrario etiam hæc quib. delectantur, sicut cibus & potus, & ista lux, immoderato & importuno vsu noxia sentiantur. Vnde nos admonet diuina prouidentia, non res inspienter vituperare, sed vtilitatem rerum diligenter inquirere: & vbi nostrum ingenium vel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut erant quædam, quæ vix potuimus inuenire: quia & ipsa vtilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio, cum omnino natura nulla sit malum nomenque hoc non nisi sit priuationis boni: sed à terrenis vsque ad cœlestia, & à visibilibus vsque ad inuisibilia sunt aliis bonis alia bona meliora sed hoc inæqualia vt essent omnia. Deus autem ita est artifex magnus in magnis, vt minor non sit in paruis: quæ parua non sua granditate, nam nulla est, sed artificis sapientia metienda sunt: sicut in specie visibilis hominis, si vnum radatur supercilium, quam promemodum nihil corpori, & quam multum detrahitur pulchritudini, quoniam non mole constat, sed paritate & dimensione membrorum.

§.18. Concludam hanc de Deo Reipublicæ gubernatore disputationem insigni discursu S. Aug. de quo licet supra quoque actum sit, ab illo tamen viro omnium ingeniosissimo neruosius mihi exponi videtur.

De Gen. ad literam, lib. 5. c. 22. sic disputat. *Et certe isti qui hoc negant, nec sanctis eloquiis tantæ auctoritatis acquiescunt, sim hac mundi parte quam putant fortuitis mortibus perturbari, potius quam sapientia diuinæ summitatis regi: & hoc vt quasi probent, gemino abutuntur argumento, vel quod supra commemorauimus, de inconstantia tempestatum vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quod non pro vitæ meritis accidunt. viderent tantum ordinem, quantus in membris carnis cuiuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui hæc propter suæ artis necessitatem diligenter patefacta & dinumerata rimati sunt; sed cuilibet mediocris cordis & considerationis homini: nonne clamarent, nepuncto quidem temporis Deum, à quo est omnis mensurarum modus, omnis paritas numerorum, omnis ordo ponderum, ab eius gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quã eam totam esse vacuam nutu & regimine prouidentiæ, cuius extrema & exigua videas tanta dispositione formari, vt aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem: Et cum animæ natura naturæ corporis antecellat, quid est dementius quam putare nullum esse diuinæ prouidentiæ iudicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta eius solertiæ clareant & demonstrentur indicia? sed quia hæc minima in promptu sunt sensibus nostris, & ea facile in vestigamus, elucet in eis ordo rerum: at illa quorum ordinem videre non possumus, inordinata arbitrantur qui esse non putant nisi quod videre possunt, aut si putant, tale aliquid putant, quale videre consueuerunt. Nos autem, quorum gressus, ne in illam peruersitatem incidamus, eadem diuina prouidentia per sanctam scripturam regit, ex ipsis quoque operibus Dei eodem adiuuante indagare conemur, vbi hæc simul creauerit, cum à consummatis suis operibus requieuit, quorum species per ordinem temporum, vsque nunc operatur. Consideremus ergo cuiuslibet arboris pulchritudinem in robore, ramis, frondibus, pomis, hæc species non vtique repente tanta ac talis est exorta, sed quo etiã ordine nouimus. Surrexit enim à radice, quam terræ primum germen infixit: atq; inde omnia illa formata atque distincta creuerunt. Porro illud germen ex semine: in semine ergo illa omnia fuerunt primitus; non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiaq; causali. Nã illa magnitudo copia terræ humoris congesta est. Sed illa in exiguo grano mirabilior præstantiorq; vis est, qua valuit adiacens terræ commixtus humor, tanquam materies verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem, ac figuram in fructuum formas & opulentiam omniumq; ordinatissimam distinctionẽ. Quid n. ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum atque depromptum est? At illud semen ex arbore, licet non illa sed altera, atque illa rursus ex altero semine. Aliquando autem & arbor ex arbore, cum surculus demitur atque plantatur. Ergo & semen ex arbore, & arbor ex semine, & arbor ex arbore. Semen autem ex semine nullo modo, nisi arbor interueniat prius. Arbor vero ex arbore, etiamsi semen non interueniat. Alternis igitur succesionib. alterum ex altero, sed vtrumque ex terra, nec ex ipsis terra. Prior igitur eorum parens terra. Sic & animalia, potest incertum esse, vtrum ex ipsis semina, an ipsa ex seminibus. Quodlibet tamen horum prius, ex terra certissimum est. Sicut autem in ipso grano inuisibiliter erant omnia simul quæ per tempora in arborem surgerent: ita & ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creauit, habuisse simul omnia quæ in illo & cum illo facta sunt, quando factus est dies: non solum cœlum cum sole & luna & sideribus, quorum species manet motu rotabili, & terra & abyssus, quæ velut inconstantes motus patiuntur, atq; inferius adiuncta partem alteram mundo confernnt, sed etiam illa quæ aqua & terra produxit potentialiter atque causaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis iã nota sunt in eis operibus, quæ Deus vsq; nunc operatur.*

Caput XIV.

Forma Reipublicæ, eaque varia.

§.1. De partibus, & membris quæ Rempublicam constituunt, deq; eius auctore Deo, & natura, iam nisi fallor, dictum est satis. Nunc de ipsa eius forma quęq; ab ea oriuntur, diuisionibus agendũ est.

Quid forma Reip.

Forma, siue vt vocat Aristoteles, & Plato, τὸ εἶδος species, seu ipsum τὸ εἶναι, hoc est, Essentia est, quæ ex hominibus cætum constituit, qui Respublica dicitur. Est vero ea, ordo imperantium, atq; parentium, harmonia quædam atque anima; diuersa ingenia, functioneſq; complectens, vinciens, vegetans. Hæc cum vna atq; eadem perseuerat, manere eadem Reipublicæ species dicitur; hæc si mutetur, quamuis ędificia, mœnia, suburbia, atque adeo homines maneãt iidem, non eadem tamen Respublica manere potest. Alia Romæ instituta est Respublica cum pulso Tarquinio penes consules imperium fuit; alia, cum lege Regia in vnum iterum delapsa est potestas.

Forma mutata respublica mutatur.

§. 2. Formam Reipublicæ tripertitam facere est omnibus consuetum auctoribus. Est enim Monarchia, Aristocratia, Politia, seu populi regimen. Sumpta hæc ex Platone: εἰτ' ἐκ δίδα, ὅτι τῶν πόλεων αἱ μὲν τυραννοῦνται, αἱ δὲ δημοκρατοῦνται, αἱ δὲ ἀριστοκρατοῦνται. *Si tibi non constat, vrbium quasdam ab vno, quasdam à populo, quasdam ab optimatibus administrari. Magistrum imitatus Aristoteles* l. 3. pol. c. 7. *Necesse est imperare aut vnum, aut paucos, aut multos.* Receptissima hæc est partitio. In qua tamen animaduertas licet, non esse diuisionem τῶν ἀμέσων, membrorum scilicet pari amplitudine dissidentium; ideoque Plato aliquando duas species cõstituit. Nam Rempublicam gubernat vel vnus, vel plures, si vnus Regnum, aut Monarchia nominatur: si plures, vel ii pauci sunt, vel totus populus: ex quo duæ species ἀρχῆς τῶν πλειόνων, *imperij plurium*, consurgunt, optimatum, & populare regimen. Sed Platonẽ audiamus, de leg. l. 3, *Sunt politiarum quasi matres duæ, ex quibus qui alias omnes progenitas dixerit, rectè dixerit. Et hãc quidem appellari Monarchiam rectam, illam vero democratiam, seu populi regimen, & illius quidem summum Persarum natio, huius nos tenemus.* Et lib. 5. ἐσὸν γὰρ δυὸ πολιτείας εἴδεα. *Sunto igitur duæ politiæ species.* Idem in politico, septem administrationis formas constituit, Regiam, tyran-

Triplex Reipub. forma.

Duæ formæ Septem formæ.

tyrannicam, optimatum imperium, & paucorum, populare secundum leges, & populare contra leges, atq; illæ sex sunt species, tres legitimæ, tres vero minime. Optima ab his seiuncta, nempe Monarchia seu vnius principatus bonis scriptionib⁹ deuinctus, hoc est, legibus. Monere ista oportuit, vt Reipublicæ natura, partesque omnes penitus inspiciantur. Verumtamen maneat, quando ita receptũ est, tres esse Reipublicæ formas legitimas, tres earum à bona gubernatione discessiones, de quibus singulis deinceps dicemus.

Omnes species hoc tẽpore mistæ sunt.

§ 3. Nunc hoc statuimus, tres illas Reipublicæ species ita fere hoc tempore temperatas esse, vt nusquam vel Monarchia pura, vel Aristocratia, vel Politia reperiatur. Omnes enim Imperatores, Reges, Principes, (de Turca, Moscoque non loquor) & si q̃ similem formam habent, certis legibus potestatem habent circumscriptam, multis se sacramentis suæ Reipublicæ obstrinxerunt, & multo magis, qui inter optimates, & è populo magistratus capessunt. Itaq; omnia pene regna Christianorum sunt Monarchiæ Aristocraticæ, & politicæ. Imperium ipsum Romanum admirabilem habet trium Rerumpublicarum commistionem, summum caput est Imperator Augustus, cui ius est in omnes, sed secundum leges iudicare debet. Optimates sunt electores septem, aliique principes, nec desunt nobilitati sua decora, & multis imperatorũ priuilegiis firmata libertas. Nec populus excluditur; ciuitatum liberarũ sunt gubernacula, illarum in comitibus publicis suffragia audiuntur, ad summos quosdam magistratus plurimis aditus patet. Non potest imperator opprimere principes, nec hi nobilitatem, cui ex nobilitate sint multi principes suæ nationis patroni. Sed neque ciuitates manente Imperatoris auctoritate vicinorum principum potentiam extimescunt. Heluetii Democratiam imitantur, & olim nobilitatem aut expulerunt, aut in ordinem redegerunt; optimates tamen rem administrant. Veneti ducem vnum habent quidem, sed tota potestas est penes optimates, seu nobilitatem, quæ triplex esse refertur, vetus, media, noua. Multis tamen ciuium ad minores dignitates via patet, verum nobilium suffragio ac decreto omnia peraguntur.

Regna Christianorum sunt fere Monarchiæ Aristocraticæ.

Romani imperij ordines.

Cum est vna forma absoluta facile mutatur.

§. 4. Hanc vnicã causam arbitror, cur nunc formæ Rerumpublicarum Christianarum rarius commutẽtur, cum videamus olim Romæ, Athenis, Carthagine, perpetuo nouis rebus maximã partem studuisse; quia alterius partis excessu peccabatur. Quẽadmodum ægra corpora in continua iactatione versantur, & mutatione loci leuationem doloris quærunt: quia enim malum visceribus inhærens excutere nequeunt, varietatem dolendi amplectuntur, ita se habet Reipublicæ valetudo, cum enim vna eius pars, vel Princeps ipse, vel optimates, vel plebs infima præter leges, & cum aliorum membrorum damno, presslusque crescit, totum corpus concutitur, atq; conuellitur, mutationemque affectat: si enim potestate sua præter ius princeps vtatur, non tam principem; quam mores principis detestari optimatum imperia malunt; at cum collata in paucos potentia vident pro vno tyranno nouos in diem succedere tyrannisços, regem reposcunt, aut populi regimen; sed in eo plura etiam incommoda sentientes, tribunos oderunt, & nomine libertatis oppressam libertatem multo acerbius ferũt; sed in eo perpetuo peccant, quod cum totam rempublicam corrigere volunt, non hoc agunt, vt æquatis legibus in vnam cõcordiam, atq; amicitiam coalescant, sed eam partem quæ premere alias videbatur, præter modum exagitant, penitus opprimere, atq; elidere conantur, eius deinde vires in aliam partem conferunt, quam priore faciunt insolentiorem; nec enim æquare libellam, nec moderari ciuitatem, sed alteram partem deprimere, & vincere propositum habent. Neq; memini vllam Remp. correctã, in qua hæc facta non fuerint.

Error in corrigenda repub.

Aristocratia bona est si ciuitas opus habet equitatu.

§. 5. Superest, vt, quæ Reipub. forma conueniat diuersis nationibus, exponã. Natura enim hominũ, ingenioq; intellecto facile legislator de forma Reipublicæ statuet, & magistratus sine discrimine moderabitur. Arist. l. 6. c. 7. polit. Aristocratiam eo in loco constituendam censet, vbi opus est milite grauis armaturæ, vti equitatu; nam equos bello alere, & grauem armaturam curare, non est tenuium, sed diuitum. Si igitur diuites pericula sustinere, sumptum belli in se suscipere, patriam tueri coguntur, iustum etiam est, vt in honoribus ac magistratibus capiedis primas partes obtineant, vt sint penes eosdem commoda, & pericula. E contrario vbi opus est velitibus, crebris excursionibus, populi regimen est accommodatius. Hoc enim spectandum est, vt illi qui in armis exercentur, dignitatem in Republica obtineant; neque enim diu armati inermibus obtemperare, nec missa facere, nisi cum visum est, solent; cogi enim non possunt. *Arma tenenti omnia dant, qui iusta negant.*

Politia commoda est, vbi velites, & pedites opus est.

§. 6. Spectandæ inclinationes animorum sunt, & mores. Quidam enim Regem malunt, vt Persæ post cædem Magorum, Israelitæ tempore Samuelis, alii regium statum, atque etiam nomen abominantur, vt Romani post Tarquinios vibe pulsos. Gracia reddita per Quinctium libertate, plausu, ac clamore aues attonitas cœlo deiecit, aceruos florum in Proconsulem proiecit; at Parthi plurescque aliæ gentes Regem ab eodem populo petierunt.

Diuersæ populorum inclinationes.

§. 7. Nec expedit quidem omnibus populis, esse liberos; itaque etiam Augustus, multas ciuitates libertate multauit, quod ea non recte vterentur. Ipse populus Romanus iam sui dissimilis cum in eo vitia excreuissent, vt maiorum virtute non possent amplius sustentari, libertatis suæ arbiter esse non poterat, cum iam precio, & studiis, non ex æquo honores diuideret,

Annua venali redeunt certamina campo,

ipsorum illis senator exprobrat. Perspexit hoc S. Augustinus lib. 1. de libero arbitrio. *An potest aliquando iniustum esse, vt mali miseri sint, boni autem beati sint? aut vt modestus, & grauis populus ipse sibi magistratus creat, dissolutus vero, & nequam ista licentia careat. Video hanc æternam esse, atque incommutabilem legem; simul etiam se videre arbitror, in illa temporali nihil esse iustum, atq; legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines deriuauerint: Nam si populus ille quodam tempore iuste honores dedit, quodam rursus iuste non dedit, hac vicissitudo temporalis vt iusta esset, ex illa æternitate tracta est, qua semper iustum est, grauem populum honores dare, leuem non dare.* Hac veluti trutina expendemus, cui genti, quæ forma Reipublicæ, quæ magistratuum sit ratio consentanea.

Multis populis non expedit libertas.

§. 8. Exempla ponam de longinquis aut priscis, ne nostra vitia tangam, quæ singularum nationum ita propria sunt, vt cum ab aliis populis omnibus exprobrentur, illi tamen domi suæ foueant, nec agnoscant. Qui intra tropicos aut proxime tropicos incolunt, timidi natura sunt, ex timore præcipites, temerarii, & cum dominantur crudeles. Omnes pene seruili indole, præcipue qui ob calorem sunt atro corpore. Nimio æstu namque calor insitus euocatur, spiritus vitales, & quos animales vocant, attenuantur, debilitanturque, vt nec affectus integri maneant, nec ratio constet. Itaq; qui circa promontorium Bonæ Spei incolunt, Brasilienses, aliique populi si Europeis comparentur, bruta potius quam homines censeri possent, nihil his melius, optatiusque denuo dederit, quam bonum & clementem Regem, sett

Gentium peculiaria errata ab omnibus irrisa, domi ignorãtur.

Populi intra tropicos stupidi & seruiles.

absolutam Monarchiam, ipsi enim ad obtemperandum nati sunt, multi eorum non immanes modo sunt, sed etiam anthropophagi. At quos Boreæ penetrabile frigus adurit, audacia valent, sed inconsulta, ideo & illi minus idonei sunt Aristocratiæ, nisi externis misceantur, aut diligenter instituantur. Temperatæ regiones vt saniora corpora, ita meliora & moderatiora ingenia producunt, atque adeo aptiora vt ciuiliter vel regant, vel regantur. Sane si vetusta repetimus, Germani, Franci, ante eos Cimbri, Heruli, Gothi, Wandali, post eos Nortamnni, Hunni, Dani, à Septentrione maxima multitudine egressi audacia, sæuitiaque incredibili fuere, postea magna prudentia, & moderatione rempublicam instituerunt.

Arctoi audaces.

Emporiis aut Monarchia aut politia opus est.

§. 9. Quid vero de illis vrbibus quæ negociatione multiplice opulentæ sunt? Aut vnius principatū, aut populi regimen amplectentur. Si enim sint in vasto regno, facile & commercia distrahent, & tutā habebunt negociationem, experientia enim docuit, vrbes sui iuris, & opulentas, quæ habent vicinos principes potentes sæpe periclitari; itaque etiam vrbes sub vmbra Imperii florentes, & liberæ, antiquitus principes patronos, & protectores sibi delegerunt. Imperium optimatum emporia magna vix ferunt, cuius ratio est, quia ex infima plebe plurimi celerrime ad magnas diuitias, auctoritatemque diuitiarum comitem euehuntur, optimates & nobiles annuos prouentus habent, qui ad negociationum fructus nullo modo pertingunt. Duorum igitur incōmodorum alterum accidat necesse est vt vel nobiles lautissimos mercatorum imitati, ęs alienum contrahant, patrimonia accidant, egenteſq;, & dignitatis suæ tamen retinentes ad malas artes, peculatus, concussiones, & calumnias se vertant. Aut si pares facultatibus, sumptus faciant, à plurimis subditorū, liberalitate, splendore, familia, potentia vincantur, ideoq; contemnantur, contemptum autem sequitur status euersio. Seruatur tamen auctoritas, si vni pareant, vt fit in Imperio Germanico, vbi magistratus auctoritatem tuetur Imperator.

Nobilitas mercatoribus paupertior vrbem haud facile regit.

Hoc ita intelligo, vbi nō est vrbi annexa prouinciarum subditarum gubernatio, quemadmodum apud Venetos, nam vbi foris etiam imperant, sat multa habent ad potentiam, & auctoritatem prædia.

Quanquam & alia ratione Veneta Respublica vtitur. Nam aliquando trecentos vna vice ciues opulentos in nobilitatis corp⁹ pari iure transcripsit, quo facto, & ærario succurrit, & seditionum causas præcidit, adscitis in suas partes ciuibus potentioribus, & aliis spe paris dignitatis iniecta.

CAPVT XV.

Prima Reipublicæ species est Monarchia, eaque multiplex.

Monarchia vnius principatus.

§. 1. MOnarchia est vnius principatus, cui cæteri omnes parent. Eum bifariam diuidit Aristoteles l. 3. polit. c. 7. In βασιλείαν seu *regnum*, & τυραννίδα, *tyrannidem*. Βασιλείαν definit, Τὴν μοναρχίαν τὴν πρὸς κοινὸν ἀποβλέπουσαν, *eam quæ communem respicit vtilitatem*. Lipsius. *Vnius imperium moribus, aut legibus delatum, susceptum, gestum, parentium bono*. Tyrannidem autem ait, esse μοναρχίαν πρὸς τὸ συμφέρον ἴδιον μοναρχοῦντος. *Esse Monarchiam vtilitatem Monarchæ spectantem.*

Hoc igitur inter legitimum regnum & tyrannicum generale discrimen est, quod rex subditorum, tyrannus priuatum spectat bonum. Vel enim libido dominandi, qua conteritur genus humanum, vel alia quæ videntur bona, tyrannum fascinant, regem subditorum salus excitat; quæ tamen & hoc requirit, vt interdum dominationem assumat, ea enim causa, vt auctor est Tranquillus: *Vrbium quasdam fœderatas, sed ad exitium licentia præcipites libertate Augustus priuauit.* Recte, & prudenter, si non vt ipse dominaretur, sed illæ ne perirent. Arcta sane lex est omni magistratui posita, in tanta copia, in tam licentiosa potentia, in tanta amicorum importunitate sua quærentium: alienorum, & sæpe ingratorum, atque aliquando hostium commodis inuigilare. Est vero vtile, quod nobis Plato definiuit, Δίκαιον τὸ τῆς καθεστηκυίας ἀρχῆς συμφέρον, *Iustum est, constituti imperii vtilitas*. Atque hoc est, quod filium suum iuueniliter exultantem Antigonus admonuit. *Scito fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem.* Optime, si verbis facta respondissent; nam seruus domini vtilitatem, non suam spectat.

Augustus vrbes quasdam libertate priuauit.

Verus rex publicus est seruus.

§. 2. Regni autem genera sunt admodum varia, non tam potentia, & latitudine imperii, quam more lege, vsuque diuersa. Quædam enim hæreditario iure ad filios & agnatos deuoluuntur, vt Regna Hispaniarum, Galliarum, Britanniæ, multique principatus Europæ, alia electione dantur, vt Romanorū, Polonorum, principatus Ecclesiastici. Alia sunt regna libera; ita vt penes vnum regem sit omnium rerum potestas absoluta. Belli, pacis, sacrificiorum, iuris dicundi. Hoc regnum παμβασιλεία nominatur, estque sine lege vlla. Cætera regna legibus constituta sunt.

Regnorum varietas.

§. 3. Παμβασιλείαν definit Aristoteles, ὅταν ἡ πάντων κύριος εἷς ὢν, *cum omnium dominus est, vnus existens*, aut, cū omnib. imperat secundū suam voluntatē rex. Comparat hoc regnum ipse cum œconomia; est n. vt œconomicū regnum, domus, sic politicum regnum, ciuitatis. Tale regnum describitur Dani. 5. 19. *Quos volebat interficiebat, & quos volebat, percutiebat: & quos volebat exaltabat; & quos volebat, humiliabat.* Ita, Chaldæus ille, siue iure, siue iniuria. Nec multum ab eo Persarum regnum aliquando abfuit, etsi legibus fundatum, sed leges interdum potentia violenta opprimebat. Xerxes Asiaticis principibus conuocatis, vt de bello Græcis inferendo consultarent, se solum Monarcham ostendit. *Vocasse se eos affirmat, ne suo solius consilio vteretur, cæterum scirent sibi magis parendum, quam suadendum esse.* Neque vero multo diuersum est imperium Turcarum; subditis, si vllum vnquam, sæuum, & graue. Absolutū enim dominum vitæ, necis, omniumque fortunarum se tyrannus ille pronunciat. Moscus suos etiam plane despotice, quasi mancipia gubernat. Notum est illud Machometæ Vesiri, *Moscum & Turcam solos esse regnorum suorum dominos.* Non dissimilis tyrannis fuit olim Ingæ in Brasilia, vbi nemo rem propriam habebat, sed Ingæ beneficio, nec ea res ad hæredes transibat. Mosco tamen principi leges nonnullæ datę sunt, sicut & Turcæ; sed vbi tanta potestas est, fere licentia ex lex regnat. Fuere tamē olim Heroicis temporibus huiuscemodi imperia legitima & iusta. Si quis enim artem multitudini tradidisset, si seruitute liberasset, si sparsos congregasset, aut insigni aliquo beneficio affecisset, à voluntariis reges creabantur, & quia rari boni ac iusti habebantur, sine pactis, & legibus eorum se prudentiæ, virtutique vltro committebant; neque enim iuris, & legum præsidia parabant, vbi nullam contumeliam, nullam iniuriam suspicabantur.

Absolutum regnum.

Heroicis tēporibus absoluta imperia.

Nec deerat ratio qua reges suos illi defenderent. Nempe; τὸ καθόλου μόνον λέγειν τὸν νόμον, ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ πρόσπιπτοντα ὀπιτάττειν. *Legem vniuerse loqui duntaxat, non autem ad ea, quæ eueniunt accommodate, itaque in quauis arte secundum scripta iudicare, stultum esse.* verum

de ea re ſuo loco dicam, nunc in exponendis regnorum diuiſionibus pergamus.

Regnorum quæ legibus adminiſtrãtur varia genera.

§. 4. Regnorum quæ ſummæ poteſtati leges certas præfiniunt, variæ etiam formæ, & olim fuerunt, & nunc viſuntur. Quatuor præcipuæ ſunt. Nam aliquando princeps ius belli indicendi, & gerendi, iuris dicendi, ſacrificiorumque habebat. Idemque erat Imperator, Iudex, Rector, Pontifex. Quibuſdam locis ius dicebat, & ciuibus imperabat, belli gerendi ius non habebat. Nonnullis locis tantum ſacrificiorum curam gerebat.

Reges qui illa omnia, ſed ex legum præſcripto præſtitere, plures fuere, nam Romulus, eiuſque ſucceſſores Rempublicam adminiſtrarunt ex legibus. Deinde reges & duces Iudæorum, qui poſt captiuitatem Babylonicam floruere, Imperatores, Iudices, Rectores, pontifices fuerunt. Ea fere ratio eſt omnium, quæ hodie ſunt, imperiorum, niſi quod ſacerdotio abſtinent. Sed tamen magna quoque in his varietas eſt, prout cuique Reipublicæ eſt viſum ſibi contra regnantium licentiam cauere.

Regna ſoli bello facta. Dictatura.

§. 5. Regna quæ ſolo bello durarent perpauca & rara fuere. Romæ ſummis in periculis Dictatorem dicebat Conſul, qui geſto bello ſe magiſtratu abdicabat; erat vero imperium plane regium, & pene ſine legibus, ſed tamen à populo moderante pendebat; nam aliquando Dictatori magiſtrum equitum æquarunt. Apud Spartiatas perpetua fuit dictatura, quantum ad moderanda bella pertinebat. Nam domi ſumma poteſtas penes Ephoros erat, non regem; ille enim vitæ & necis ius in ciues nullum habebat, niſi in caſtris; dictatori Romano ciuem etiam indicta cauſa occidere licebat. Plato tam leni æquabilitate temperatam poteſtatem in Epiſtolis vehementer commendat, nempe populi, & libertatis ex inſtituto Græcorum amator; alioqui ille ordo maximas res impediit, & Spartanis cauſa claudium fuit. Ariſtoteles lib. 3. politic. cap. 14. militare imperium appellat. ἄντικυ ἡ βασιλεία, οἷον στρατηγία τις αὐτοκρατόρων, καὶ ἀϊδιὸς ὅτι. *Hoc igitur regnum eſt quaſi præfectura militaris aliqua imperatorum, & perpetuum eſt.*

Philippus dux Græciæ.

Nomine tam lenis imperii, ne liberis Græciæ ciuitatibus titulo Regio inuiſus eſſet Philippus Macedo, tyrannidem ſuam ſtabilire conatus eſt; In concilio enim Græciæ, vt decerneretur Dux belli, effecit, quaſi tantum pericula contra Perſas ſuſcepturus eſſet, libertatem Græciæ nequaquam violaturus. Olim ſimilis poteſtas erat Agamemnoni, cum Europa & Aſia lento duello colliſa eſt. Nam in concionibus, & regum conuentu maledicta, & conuitia tolerabat; etiam Therſites, & teterrimus quiſque Δημοβόρον βασιλέα, *populi voratorem* regem appellabat, at vero extra concionem, in prælio, in expeditionibus, καὶ κλεῖναι κύειν ἦν, occidendi ius habebat: Id ipſe profitetur, iliad. 2.

Ὃν δὲ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης, — οὐ ὁ γε
Ἄρειον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, ἠδ' οἰωνούς
Πρὸς γὰρ ἐμοὶ θάνατος.

Quem vero ego pugna exceſſiſſe cognouero, non erit illi facile canes, & volucres fugere, penes me enim necis eſt poteſtas. Hoc genus imperii nec belli, nec pacis tempore eſſe vtile, ipſe Homerus ſatis indicat, dum contentionibus concionariis Imperatori auctoritatem detrahunt, & non niſi pro arbitrio pugnant; hinc Achyllis ira factum, vt tota Græcia pene perierit, nec ad pugnam tamen cogere eum Agamemnon potuit.

Αἰσυμνῆται.

§. 6. Aliud regum genus memoratur ab Ariſtotele, quos l. 3. politic. c. 14. vocat Αἰσυμνήτας, fuerunt que priſcis Græcis ſæpe vſurpati. Cum nempe ſuffragio ſuo principes aliquos eligerent, vel vt tota vita, & ſemper præeſſent, vel ad certum tempus, vel ad certa negocia, vt cum Mitylenæi Pittacum elegerent aduerſum exules. Videtur autem αἰσυμνητεία ex eiſdem fere cauſis orta quibus dictatura, vt libere alioqui, & populares Politiæ facilius vnius imperio componerentur, & diſcordiæ ſedarentur.

Reges ſacrorum.

§. 7. Reges ſacrificiorum duntaxat cauſa raro creatos legimus, nec regum nomine digni cenſentur. Romæ Rex ſacrorum creabatur. Cauſam Liuius l. 2. & Dionyſ. l. 5. reddit. Verba Liuii ſunt: *Regibus exactis, & parta libertate, rerum deinde diuinarum habita cura, & quia quadam publica ſacra per ipſos reges facilitata erant, nec vbi regum deſiderium eſſet, regem ſacrificulum creant, id ſacerdotium pontifici ſubiecere, ne additus nomine honos, aliquid libertati, cuius tunc prima fuit cura, officeret.* Dionyſius à Pontificibus, & Auguribus deſignatum, Agellius l. 15. c. 27. comitiis centuriatis factum. Huius non modo nulla erat Politica, ſeu regia dignitas, ſed ne magiſtratum quidem capere licuit; imo nec alloqui quidem populum, quin etiam ante comitium facto ſacrificio fuga ſe proripiebat. Ludibrium igitur regum electorum potius, quam rex erat.

CAPVT XVI.

De vitioſa Monarchiæ forma, quæ Tyrannis dicitur, eius ortus, proprietates, delectatio.

Tria Reipub. vitia.

§. 1. OMNIA imperiorum genera, cum à fine ſuo declinant, & vel regentium, vel parentium vitio, à iuſto recedunt, Rempublicam admirabiliter conturbant, & plerunque in extrema exitia impellunt. Sunt autem quemadmodum Reipublicæ legitimæ formæ tres, ita quoque ab illis totidem declinationes. Regiæ poteſtatis abuſus eſt Tyrannis: Ariſtocratiæ, Oligarchia: Politicæ, Democratia. Generale nomen tribus his vitiis non eſt poſitum, vocari poſſet κακαρχία, mala ſeu vitioſa Reipublicæ adminiſtratio. Definitio eius; Ἀρχὴ πρὸς τὸ συμφέρον τῶν ἀρχόντων. *Imperium quod ſpectat vtilitatem imperantium.* Nomine imperantium intelligo etiam eos, qui imperantibus ſunt coniuncti; multi enim magis cognatorum, filiorum, certæque partis, quæ eſt in Republica, quam cauſa ſua tyrannice agunt. Explicationem igitur finitionem tradet, ſi quis dixerit, *Eſſe imperium quod ad imperantium, aut alicuius partis in Republica vtilitatem reſpicit.* Sulla opes nobilitatis ſtabilire, Marius plebis potentiam tueri conabatur, Cæſar ſuum, nemo totius Reipublicæ bonum ſpectabat: nec melior aliorum, qui in partibus erant, animus; prædas, proſcriptiones, haſtam, inimicorum ruinam in occulto agitabant, bonum reipublicæ prætendebant.

Mali imperii definitio.

Pauci bonũ publicum quærunt, omnes prætexunt.

§. 2. Cum igitur finis Monarchiæ mutatus eſt, pro regno Tyrannis inducitur. Eſt enim Τυραννὶς μοναρχία πρὸς τὸ συμφέρον τῷ μοναρχοῦντι. *Monarchia ad vtilitatem Monarchæ.* Eius tria genera facit Ariſtoteles libr. 4. politic. cap. 10. Barbarorum, Æſymnitarum, & tertium quod maxime tyrannis eſt, ἀνυπεύθυνον τῇ βασιλείᾳ, quæ regno oppoſita eſt. Recte hanc maxime tyrannidem vocat, reliqua enim imperia poſſunt eſſe iuſta, quamuis raro, quia pauciſſimi fuere ſancti reges, qui ſine lege pro arbitrio omnia moderati, nulli iniuriam fecerunt.

§. 3. Sed tertium tyrannidis genus grauiſſimum

rannis ingens malũ.

est malum, malum violentum, & late patens. Eius ortus multiplex, sed ad trium generum aliquod referri potest. Nam sæpe legitimi principes mutatis moribus, mutantur in tyrannos. Deinde principum potentes amici in ipsos dominos insurgunt, & regnum occupant. Tertio in politia demagogi, & leues populi ductores tyrannidem in deceptos vsurpant.

Reges sæpe mutantur in tyrannos.

§. 4. Prima igitur & vetustissima tyrannidis origo est regum in peius mutatio. Ambitio, auaritia, libido potestatis comites sunt, & pestes. Etenim vt nemo fere principum est, qui non initiis mansuetudinem, clementiam, liberalitatem præ se ferat, ita plurimi firmato imperio virtutis simulationem, multi virtutem exuunt. Hæc mutatio humanæ imbecillitati familiaris est, & animos ad deteriora propensos magno momento potestas impellit.

Scelera si nesciant
Regnum docebit.

Ita Atreus; dum filios scelerum consortes facit. Hinc vsu venit vt quemadmodum

Mitissima sors est
Regnorum sub rege nouo:

Sic tristissima sub Tyranno nihil timenti, & adulationibus efferato. Magna est in regno vis ad vitia; quia magna licentia, veri insolentia; mali approbatio. Saul diuino testimonio, & suffragio rex dictus est, & eum tamen potestas mutauit, ac Satanæ tradidit. Sapientiam Salomonis diu florentem tandem licentia regia perdidit. Asa, Amasias, Ioas, alii fortuna & felicitate in transuersum acti, multa tyrannice egerunt, quamuis initia eorum præclarissima fuerint. Externa videamus. Romulus initio comis eo tandem insolentiæ, & crudelitatis progressus est, vt inter patrum manus discerperetur, ipsi patres Romani quamdiu cupiditates metu Tarquiniorum continuere, moderate egerunt, illis sublatis, ciues suos opprimere ceperunt. Decemuiri legum scribundarum vno tantum anno virtutem simulare potuerunt.

Tiberius simulator.

Tiberius profundissimus simulandi, dissimulandique magister, diu negauit se imperium, quod tamen gerebat, accipere; esse magnam beluam, esse seruitutem miseram, & onerosam; nec minus tamen posita persona ciuilem se gessit, & quasi priuatum, at quanta postea sæuitia regnarit, nemini est incognitum, vt merito iactatum de illo sit:

Regnabit sanguine multo
Quisquis ab exilio venit ad imperium.

nam post lenia initia, exardescente calumniandi, atque accusandi furore, eius imperium non nisi nobilium carnificina fuit, vt præsagium Augusti euentus comprobarit, miserebatur ille populi Romani, *qui sub tam lentis maxillis futurus esset.* Suet. Tac. alii in Tiberio.

Caius magno gaudio exceptus est, studia hominum omni genere popularitatis sibi conciliauit, damnatos absoluit, exules restituit, reis ignouit. at paulo post in suum ingenium immigrauit, ac quantum summa vitia in summa fortuna possent, ostendit.

Claudius alioqui fatuus, & stipes, comitate & beneficentia breui sibi tantum amoris conciliauit, vt cum profectus Hostiam, periisse nunciatus esset, populus militem quasi proditorem, & senatum quasi parricidam diris execrationibus incessere non dubitarit: Sed breuis vsuram gaudii magnis calamitatibus stolidissimus, & ex metu crudelissimus princeps mature pensauit.

Neronis prima dicta, & gesta aureis, argenteisque columnis insculpenda iure optimo senatus censuit, & quinquennium eius non multi principes attigerunt, reliquam eius ætatem vix vllius vitia superarunt. Neque Galba, nec Vitellius, ne Domitianus quidem aspera initia habuit. Dioeletianus etiam, & Maximinianus, atque adeo ipse Iulianus exordia regnandi incruenta habuerunt.

Mutantur principes adulatorũ blanditia, & procerũ vitiis.

Mutantur igitur animi principum, & magnis cladibus Rempublicam primo, deinde seipsi inuoluunt; nec mirum eos mutari cum omnes ad læta, & iucunda, pauci ad honesta, & dura inuitent. In culpa tamen crebro sunt proceres, populusque, dum dicteriis, seditionibus, conspirationibus principes exasperant, coguntque esse alienos, deinde prætextu cauendi crudeles. Multis principibus regna benignis vterentur, si mediocria eorum vitia, nec in cladem subditorum, nec publicum dedecus erumpentia ciuiliter ferre, aut dissimulare possent, quæ dum importune carpunt ac traducunt, nec illa emendant, sed, vt vulnera vexata, deteriora faciunt, & principem à se alienant.

Timendus est regi, qui eo ascendit, vnde deijci non potest.

§. 5. Alter exortus tyrannorum est ex principum ignauia, vel indulgentia, dum amicos quosdam negociis præficiunt, vnde ad ea incrementa perueniant, vt iam pares sint principibus, aut etiam superiores, certe firmiore sint gradu, quam vt dejici queant. Mirari libet regum & principum in nimia potentia amicorum fouenda cõsuetudinem, quos cum ad par pene fastigium euexerint, timere, vel æmulari, sæpe etiam odisse incipiunt. Exempla apud omnes pene sunt principes; Seianus, Germanicus, Felix, Plautianus, sed vt notiora persequar, Rufinus, Eutropius, Stilico, Alaricus, Aetius, Narses, Belisarius, Aristonicus, qui potentes cum essent, imperatores offenderunt, miserere, aut inglorii perierunt. Quod si tyrannos intueamur, magnam partem esse inde discemus. Galba, Vitellius, Vespasianus, Seuerus, Macrinus, Philippus, Caius, Diocletianus, Iulianus, & plures quam centum tyranni inter horum imperia grassati ex potentia, quam ab Imperatoribus acceperant, tyrannidem inchoarunt, & beneficia contulerunt ad euertendos auctores. Magnum semper principibus periculum à magnis imminet. Itaque principis potestas quæ in ipso est vna atque vnita, mox à principe in multos æquales diuiditur, quod si vnus sit dignitate à principe secundus, aut tertius, ita tamen illius moderanda potentia est, vt plus honoris, quam virium ex eo consequatur. Quod si in vnum omnia conferantur, iustitia conturbatur, principi tribuunt mala quæ vnus ille patrat, nemo libere sententiam dicit. Vnus ille cum sit multis inuisus, neque id ignoret, conatur multos euertere, principem amicis spoliare, in difficultates conjicere, vt iam obligatum teneat, & obnoxium. Verum quomodo hoc caueat princeps dicam suo loco, nunc fons & origo tyrannorum ostenditur.

Post principem non in vnum, sed multos potentia conferatur.

Hinc igitur cum multæ tyrannides exortæ sunt, plures tamen populi eas sibi ipsi imposuerunt. Fuit hoc priscis temporibus vsitatissimum, vt docet Aristoteles l. 5. polit. c. 10. *Tyrannus vero ex populo & multitudine sumitur aduersus nobiles, atque illustres viros, ne quam populus ab iis iniuriam accipiat. atque hoc ex euentis intelligere licet. Nam plerique omnes fere tyranni ex leuibus populi custodibus ac ductoribus facti sunt (si dicere fas est) fidem apud populum consecuti claris & illustribus viris falsò criminandis, & calumniandis.*

Populus credulo sibi Tyrannos imponit.

No alia ratione tyrannidem affectarunt Manlius, Gracchi, & consecuti sunt Marius, Cæsar. Et in minorib⁹ imperiis, Panætius Leontii, Cypselus Corinthi, Pisistratus Athenis, Dionysi⁹ Siracusis, & posterioribus sæculis multi in vrbibus Italiæ, Florentiæ, Senis, Genuæ, Mediolani, Pisis, atque aliis plurimis vrbibus, quæ multa varietate administratæ sunt, & sub crudelissimis Demagogis egerunt, donec ad moderata, & legitima imperia reuocarentur. Vt plurimum

mum se malis suis populus implicat, nam cum ciues populus plus iusto effert, illi dominationem adepti, eosdem contra ius opprimunt.

Signa autem quibus principatum tyrannicum à legitimo discernas multa sunt.

Tyrannidis signum simulatio.

§. 6. Primum virtutum simulatio, maxime iustitiæ, & clementiæ. Quanquam enim omnis tyrannis grauis est, & odiosa, alius nihilominus tyrannus alio est humanior, cuncti tamen virtutes, quas non habent, saltem aliquando ostentant. Rari enim sunt extreme mali, vt Nero, *qui iactabat nullum principem sciisse, quid sibi licuisset.* detestabilis itaque tyrannidis institutor est, quicunque principem docet, simulare virtutes, amplecti vitia. Simulationem deprehendes, si in quibusdam clementiam, ac iustitiam exhibeant, in alios crudelitate, & violentia vtantur. Andronicus Commenus nullo discrimine dignitatum noxæ conuictos damnabat, laudari poterat iustitia, nisi in maximis rebus ipse maximas iniurias adferret. Aliquando clemens fuit Alexander, sed magnam tamen amicorum partem occidit. Cæsar quam clemens visus est Ciceroni? & tamen vndecies centena millia bello non semper necessario, sed quod ambitione, & auaritia illectus gessit, trucidauit. Octauiani clementia laudatur,

Cum vni parcitur, in multos seuitur, ficta clementia est.

qui Corocottæ famoso latroni ignouit, sed crudelem fuisse proscriptio acerbius quam à collegis exercita ostendit: totque equites ad Iulianam aram immolati, & fera vox, qua vna deprecantibus occurrebat: *Moriendum est*, animum crudelissimum demonstrant. Nero cum damnationi duorum militum subscribere rogaretur, *Quam vellem*, inquit, *nescire literas.* An nos hoc monstrum immane, ingens, lutum sanguine subactum idcirco clementibus accensebimus? Hæc igitur si spectemus, non facile veras esse virtutes credemus, quarum interdum vestigia timor, spes, ambitio imprimit: Vitia enim sæpe virtutum imitamenta efficiunt.

Tyrannus alta demetit fastigia.

§. 7. Alterum tyrannidis signum est, vt ait Aristoteles l. 5. polit. c. 11. Τὸ τοὺς ὑπερέχοντας κολύειν, καὶ τοὺς φρονημάτας ἀναιρεῖν. *Eminentes viros minuere, & prudentes ac magni spiritus homines è medio tollere.* Sic Periander Thrasybulo dum spicas eminentiores amputat, sic filio Tarquinius papauerum amputatione suasit.

Cur tyranni & optimates nunquam amici.

Causam enim litis perpetuam habent magnates, & tyranni: nam quasi eiusdem artis æmulationem inter se exercent, imperare summo iure tyranni nolunt, parere nolunt, nisi ciuiliter, optimates. Itaque proprium tyrannidis est, odisse virtutem: trucidare fortes, omnibus inuidere. Tyrannorum sæuitiam maxime sentit nobilitas; nam senatum Romanum, equitesque fere Imperatorum Romanorum, qui sanguine multo regnarunt, crudelitas absumpsit: nec vnquam tam insignite improbis consilia defuerunt; Regulo, variæ, & carptim iussæ mortes, nimis operosæ videbantur; Neronem itaque monuit; *Vniuersum senatum vna voce posse deleri.*

Fera vox Reguli.

§. 8. Tertium tyrannidis indicium est, subiectos facere μικροψύχους, homines pusilli animi, seruiles, abiectos, ne quis de libertate asserenda cogitet, hinc tot mortes in Republica Romana iussæ, si quis *priuato maiora videretur agitare.* Duo sunt hoc tempore potentes Monarchæ, Hispaniarum rex, & Turcorum imperator, diuersa studia vtriusque, hunc tyrannum, illum regem legitimum ostendunt. Hispanus academiis, mercatura, arte bellica, nauigationibus, plurimo sumptu subditos exercet, ad magna excitat, & tantas opes, ad principum dignitatem, ad nobilitatis splendorem, animos alendos ac firmandos impendit; Ottomannides vero inscitia, pauperie, seruitio tot populos

Hispani regis, & Turci diuersa studia.

premit, Timariotas & Ianizaros veluti satellites prouinciarum spoliis saginat, nec illos tamen ad maiora quam quotidianarum rapinarum, & voluptatis spem erigit, hacque impunitatis illecebra, quæ terrimi cuiusque est auctoramentum, tenet. Itaque quanquam multos audaces, & temerarios habeat milites, duces tamen prouidos forteisque nequaquam habet, imo nec milites; sed mancipia vitæ prodiga. Nec Moscorum principes alia ratione imperium auctoritatemque tuentur. Vt enim solum principem mirentur, nemini exteras regiones obire permittunt, ne prudentiores, instructioresque, quam tam despotico imperio prosit, domum redeant; nullas scholas, nisi in quibus legere, & scribere addiscant, admittunt, nec in literis progrediendi desiderium ostendisse periculo vacat, id ideo, ne quis ipso plus sapiat, aut principi par sit; itaque cum de re grandi, & recondita quæritur, prouerbio dicunt: *Deus hoc scit, & magnus dux.* Tyrannicum igitur est, quicquid habet subditus, amplum, egregium, pulchrum, siue in rebus mobilibus, siue etiam ingenio & dotibus animi, id sibi soli vindicare. Seneca in extremo periculo fuit, quod visus esset eloquens Caio; alius quod conspectiore veste, alius quod cincinnorum comptu oculos in se conuertisset, occisus est.

Moscus suorum stultitiam fouet.

§. 9. Quartum signum tyrannidis, vt vocat Aristoteles ἀδυναμία τῶν πραγμάτων, rerum agendarum ablata potestas. Eo enim modo securam se putat, si nemo agere quicquam possit, quomodo enim Tyrannidem euertet, si nullam habet in Republica potestatem? Itaque tyrannus amicis non fidit, nouit omnes quidem velle, solos pene amicos posse tyrannidem exstinguere. Hinc eos varie commutant, persequuntur, occidunt.

Tyrannus rerum gerendarum potestatem aufert.

§. 10. Quintum signum, si subditos, amicos, principesque inter se committant, sibique mutuo reddant suspectos, Aristoteles libr. 5. politic. cap. 11. hoc vtile tyranno iudicat; nempe, si inter se male conueniant, calumnientur, discordiæ sint inter amicos, ciues à nobilibus sint alieni: cum enim omnis tyrannis ex se sit infirma, (est enim tyrannis Regni vitium, atque error) natura sua est breuis; quapropter alienis discordiis, atque imbecillitate magis, quam suo robore fulcitur, & durat. Pernicioſum hoc consilium esse suo loco ostendam, nunc tantum signa cognoscendæ tyrannidos exhibeo.

Tyranno subditorum concordia videtur esse conspiratio.

§. 11. Sextum tyrannidis indicium est; Homines ambitiosos, auaros, crudeles ad honores, & dignitates euehere. Eosdem deinde bonis, vitaque exuere; Vtuntur hominibus improbis veluti spongiis, quos aridos ac sitibundos in prouinciarum opes, sanguinemque immergunt, plenos deinde exprimunt, atque alieno nomine prædantur. Vtres plenos Dionysius suspendebat, vacuos abiiciebat. Quid atrocius illa voce beluæ, quæ haud temere cuiquam magistratum demandabat, nisi adderet; *Scis quid nobis opus sit*, Et: *Hoc agamus, ne quisquam quicquam habeat.* Late patet illa per Turciam tyrannis, neque enim facile quisquam Bassis, & Begis opulentior inuenitur, neque tamen nisi raro bona in hæredem transeunt, sed in fiscum fere redeunt. Sunt alia, quæ, quia à bonis regibus rectę nonnunquam fiunt, non sunt propria criteria tyrannorum; Vt alere externum militem, timeri, exploratoribus, & Corycæis vti, vectigalia magna exigere, seuere in delinquentes animaduertere, de quibus suo loco agam.

Tyranni ministris vt spongiis vtuntur.

§. 12. Vtinam, vtinam quam serio tyrannidem, & tyrannum omnes detestantur, ita sedulo fugiant.

Sirvlla

Tyrannidis deteſtatio.

Si vlla res eſt orbi pernicioſa, ſibi grauis, illa eſt tyrannis: Tyrannorum ſtatus eſt laborioſus, rara lætitia, infelix exortus, miſerrimus exitus. Quotus enim quiſque ſuo fato functus eſt? Vere Iuuenalis Satyra 10.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni.

Omnis tyrannus in metu eſt.

§. 13. Cauſæ tyrannorum morte ſublatorum, iniuſtitia, metus, contumelia, quas Ariſtoteles l. 5. polit. c. 5. recenſet.

Oculos per orbem vniuerſum circumfer, & ſpecta non minutos illos oppidorum tyranniſcos, Alexandrum Pheræum, Dionyſium Siracuſanum, Phalarin Agrigentinum, Hannonem Pœnum, Elearchum Heraclienſem, Nabidem Chalcedonium, Hipparchum Athenienſem, Piſiſtratos, Periandros. Neque tyrannos poeticos; Diomedem Thracem, Phineum, Erycem, Antæum, Mezentium, Cyclopas, ſed magnos regum nomine tyrannos, Antigonos, Seleucos, Antiochos, Perdiccas, Lyſimachos, Caios, Nerones, Vitellios, Galbas, Othones, Domitianos, Commodos, Maximinos, Michaeles, Phocas, Mauritios, Ariſtonicos, Inuenies omnes perpetuo in metu verſatos, omnes quos terruerunt, timuiſſe, metum in auctores rediſſe, pleroſque, quamuis muniti gladiis vixerint, exercitus & arces tutelæ ſuæ adhibuerint, ferro, aut fœdiore nece periſſe.

Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeia manu
Scindi tyranni.

Tyrannus enim quemadmodum omnibus libertatem, omnibus quietem, ita ſibi præcipue ſecuritatem aufert. Quî enim pacate, ſecure, quiete viuere is poteſt, ob cuius calliditatem, violentiam, iniuſtitiam nemo ſecurus eſt? Cuius ſub ictu tremunt omnes? Quam meticuloſus Conſtantius Auguſtus, poſtquam regnum paternum in tyrannidem verterat? Quicquid concrepuiſſet, ad ſalutis diſpendium eſſe exiſtimabat. Marcellin. l. 14.

Agnoſcunt ipſi interdum ſua merita, ita Adonibezec (Iudic. 1. 7.) *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum ſummitatibus, colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias: ſicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Et Conſtantinopoli Mauritius, *Iuſtus es Domine.* Accedit & illud ad miſeriam tyrannorum, quod quocunque modo cædantur, etiam per fraudem, & iniuriam, magna tamen in laude apud improbos ſint illi, qui hoc auſi ſunt, etiamſi per ſcelus, & contra iurisiurandi religionem facinus patrarint: Hoc ſane ad cumulum miſeriarum pertinet, etſi iniuſta ſit cædes, multis ſit tamen grata. Cauſam reddit princeps Philoſophorum l. 2. polit. c. 7. *Enimvero maximas iniurias propter immoderatas cupiditates homines inferunt, & non propter res neceſſarias: Verbi gratia, tyrannidem occupant, populumque impio dominatu opprimunt, non vt ne algeant, ſed vt ſuas libidines impune expleant. Idcirco magna præmia propoſita ſunt, non ei, qui furem: ſed qui tyrannum occiderit.* Nec alius ſenſus eſt nefariorum tyranni ſatellitum, & miniſtrorum. De Caligula audax factum ſenatoris narrat Dio. *Interfecto Caio prætoriani milites conturbati, concurſantesque quærebant, quis eum occidiſſet?* Hos Valerius Aſiaticus vir conſularis præter opinionem ſedauit. Aſcendit enim in excelſum, atque oditum locum, atque inde vociferatus. *Vtinam*, inquit, *eum ego interfeciſſem.* Quibus verbis obſtupefacti, tumultuari deſierunt. Prætoriani milites, & Prætoriani Caiani omnium ſcelerum ſocii, atque adminiſtri, libidinum, & rapinarum participes vnica voce moti vindictam omittunt, & facto oſtendunt ſibi iure cæſum videri. Cum igitur tyranni quemadmodum leones, tigrides, vrſi, aquilæ, laniatu ac raptu viuant, ideoque ſe norint omnium odiis eſſe obnoxios, omnium inſidiis ſe peti, ad inſtar beluarum loca prærupta, & ſpeluncas amantium, ipſi arces, caſtra, arma quibus tegantur, apparant, quantumque poſſunt, ſeſe recondunt. Deo pariter & hominibus exoſi. Ideo ille etiam qui eos per ſcelus occidit, apud iniuriam paſſos ſæpe gratus eſt.

Tyrannicida iniuſtus in laude eſt apud populum.

Miniſtri tyrannorum de eorum nece gaudent.

Caput XVII.

Ariſtocratiæ definitio, & conſideratio.

§. 1. Altera Reipublicæ ſpecies eſt, cum plures imperant. Ea bipertita, vel enim pauci, & optimates, vel totus populus eſt imperii particeps.

Optimatũ Reſpub.

Ἀριστοκρατίαν dictis conuenienter definire licet, Τὴν ἀρχὴν τῶν ἀείσων πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων συμφέρον. *Optimorum regimen quod vtilitatem parentium ſpectet.* Ariſtoteles l. 4. polit. c. 7. Simpliciter in hac gubernatione optimos poſcit. Ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν καλῶς ἔχει καλεῖν, πρὸς ἃς διήλθομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις, τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς, κατ' ἀρετὴν πολιτείαν, καὶ μὴ πρὸς ὑπόθεσιν τινα ἀγαθῶν ἀνδρῶν, μόνην δίκαιον προσαγορεύειν ἀριστοκρατίαν. ἐν μόνῃ γὰ ἁπλῶς ὁ αὐτὸς ἀνὴρ καὶ πολίτης ἀγαθός ἐστιν. *Ariſtocratiam igitur appellare liceat, (de qua prius egimus) Politiam quæ ſit ex viris ſimpliciter, & ſecundum virtutem optimis, non qui ex hypotheſi, ſeu ad certum aliquem finem ſint boni. In hac enim ſola Republica idem eſt & vir ſimpliciter bonus, & bonus ciuis.*

Optimorũ electio.

Difficilis ſane fuerit non eius definitionis explicatio, ſed vſus, ſi res humanas ſpectemus. Quis enim optimos ſolos agnoſcet, quis ad magiſtratus euehet? Cato repulſam tulit. Ariſteides oſtraciſmo pulſus eſt. Ἄριστοι igitur huiuſcemodi potius nulli, quam multi imperant. Occurrit tamen Philoſophus l. 3. c. 7. Ἀριστοκρατίαν dici, διὰ τὸ τοὺς ἀρίστους ἄρχειν, ἢ διὰ τὸ πρὸς τὸ ἄριστον τῇ πόλει, καὶ τοῖς κοινωνοῦσιν αὐτῆς. *Vocari ariſtocratiam ſeu regimen optimatum, vel quod optimi imperent, vel quod omnia ad id, quod ciuitati, illiuſque municipibus optimum eſt, referant.* Poteſt tamen & hoc aliis conuenire formis, nam in regno, & populari regimine optimum quæritur. Et poteſt hoc ſibi propoſitum habere vir non optimus, nec tamen iniuſtus.

Optimi minus mali.

§. 2. Optimos igitur dicemus, qui aliorum comparatione minus mali ſunt, aut in quibus plura quam in plebe virtutum argumenta reperiuntur. Cum vero electio virorum ſimpliciter optimorum ſit difficilis: nam facilime per ſimulationem probitatis nequiſſimus quiſque gubernaculis adrepit, & male tecta vitia, in poteſtate cum exitio Reipublicæ manifeſtat, non eſt vt vitioſa reprehendenda adminiſtratio, ſi nobiles, diuiteſque frequenter præteritis è plebe melioribus, & prudentioribus magiſtratum capeſſant. Nam quam diu ratio boni communis habetur, manet legitima Reipublicæ forma. Nobilium vero & diuitum ratio habenda eſt. Nam genere, inſtitutione, indole, potentia præualent, maior igitur illis animus ad hoſtes arcendos, actior ad patriam defendendam ſtimulus in qua fortunas, & honores habent, qui in publico periculo priuatim perdere plus timent, neque enim oppreſſa vel exciſa patria alibi tam eſſe poſſunt honorati. Pauperum alia eſt ratio, neque enim qui labore ſuo, & induſtria victitant, multum ſe patriæ debere arbitrantur, & facile patriam aliam reperiunt, vbi labori & arti alimenta præſtentur. Cum igitur amantiores patriæ ſint nobiles, fortio-

Nobiles & diuites ſæpe habentur optimi.

res,

res, fideliores, eorumque interfit Reipublicæ statum manere, merito optimates illi censentur, vt plurimum, qui his præstant.

§. 3. Reipublicæ Aristocraticæ paucæ fuere, nec diuturnæ. Spartana optimatum fuit, sed tamen ita permista cum regia, & populari, vt nullo modo pura fuerit Aristocratia, Carthaginiensis, diuturnitatem, potentiamque coniunxit; rarum opus; & quod nulla hactenus imitari, nisi Veneta, potuit, nec illa tamen pura Aristocratica est: Sed potius ex omnibus formis Harmonia; Principatus potestas in vno duce, principe senatus, Grande consilium seu senatus, ex nobilitate constat; ad hoc omnes nobiles cum annum vicesimum quintum attigerunt, admittuntur, ad varia tamen iudicia, & officia plebes quoque assumitur.

Aristocratiæ paucæ.

Carthaginiensis & Veneta optimatum Respub.

Ciuitates liberas Germaniæ Noribergam, Vlmam, Francofurtum quæ à patritia nobilitate gubernantur, omitto, quia non sunt absolutæ Respublicæ, sed partes Romani imperii, atque Imperatori parent.

Romana Aristocratia exiguo tempore durauit, à Tarquiniis pulsis ad mortuos; nam sublato regum metu in oligarchiam degenerauit, accensa deinde patrum iniuriis plebes, tribunos variis seditionibus, magistratusque, & imperium extorsit.

Aristocratia Romæ exiguo tẽpore.

Ad Aristocratiam defendendam, multa necessaria sunt; quia plurimæ sunt causæ cur pereat. Ideoq; non facile diuturna.

§. 4. Primum igitur conandum est, & enitendum summa vi optimatibus, vt vere, ac reipsa sint ἄριστοι, optimi; virtuti enim numen æternum fauet, eamque promouet, nec à melioribus homines regi dedignantur, atque hoc fundamentum est, sine quo cæteræ politicorum artes non nisi ruinam struunt. Iure igitur, æquitate, clementia, comitate, liberalitate, erga ciues vtantur, inter se, concordibus sententiis, bonum publicum spectent. Quia tamen in Republica multi sunt semper improbi, ambitiosi, inquieti, omnesque procliues sunt, vt imperantibus obtrectent, virtus quoque consiliis politicis vtitur, & stratagemate non inhonesto, submouet à clauo imperitos, & pernicioſos rectores, quod tamen ita faciendum moneo, vt virtutis prima ratio ducatur, & simulatio omnis tanquam labes, & pestis remoueatur. Aberrant enim multi eorum, qui optimatum Rempublicam instituere satagunt, non modo in eo quod nimium tribuant opulentis, sed etiam in opprimenda, & diuexanda plebe; temporis autem successu, vt ex bonis falsis verum malum oriatur necesse est; nam diuitum opes, & prærogatiuæ, Rempublicam facilius dissoluunt, quam plebis, vt vere monet Aristoteles l. 1. polit. c. 12. Consilia igitur bona seruandæ Aristocratiæ sunt ex virtute profecta, & ad commune bonum tendentia.

Optimates sint optimi.

Populo etiã committi aliqua munia poßunt.

§. 5. Alterum est, vt multis è populo pars aliqua magistratuum, officiorum & functionum honoratarum committatur, quæ tamen eiusmodi sint, vt vel sumptu grauent eos, qui sustinent, quem tamen facile diuites præstent, honoris dulcedine inescati, vel inuidiæ quippiam habeant; deinde nihil potentiæ, aut fauoris apud populum concilient. Multa sunt etiam quorum administratio dignitatem non habet, sed lucrum, ea ciuibus industrius, & sibi obligatis demandari conuenit, neque enim quicquam periculosius est, quam paucos ad se omnia attrahere. Præclarum est Philosophici politici monitum l. 3. polit. c. 11. *Nullos autem eis mandare magistratus, neque eos vllius esse participes, horribile ac formidolosum est. Cum enim multi honoris expertes & pauperes sunt, plena hostium sit ciuitas necesse est. Reliquum est igitur vt consultandi & iudicandi sint participes. Quocirca & Solon, & nonnulli alij latores legum, eos comitiis magistratuum creandorum, & rationibus ab iis qui gesserunt magistratus repetendis præficiunt. gerere autem magistratum per se, & solos, non sinunt. Omnes enim collecti & congregati satis multum sensum habent, & permixti cum melioribus, prosunt ciuitatibus, quemadmodum victus non purus cum puro coniunctus, omnem efficit vtiliorem pauco. vnusquisque enim seorsum in iudicando imperfectus, & mancus est.*

Hinc enim illa commoda consequuntur, primo, vt populus non existimet esse Aristocratiam, sed popularem rempublicam, cum contribules suos participes Reipublicæ vident. Deinde multi spe allecti optimatibus fauent, illisque fidi sunt, vt à quibus & ipsi exspectãt paria. Huiusce modi sunt, Cura annonæ, vini, frumenti, tabernarum, viarum, iudiciorum, & litium priuatarum, in quibus collegæ esse optimatum possunt. Videre licet exemplum in Republica Veneta. Quamuis enim tota auctoritas, & potestas, hoc est, censendi, & iubendi ius est penes senatum, hoc est duo millia quingentos circiter nobiles, ad multas tamen functiones, & honores, etiam plebeios admittunt, vt quarundam artium præfecturas, scribarum, & secretariorum munera, quorum tamen officiorum illa est ratio, & per illa nobilitati magis magisque obligentur, & quasi mancipentur.

Nec hoc Venetorum nouum est institutum, vti sunt olim Romani, Carthaginenses, & nunc quoq; id faciunt, quæ sub Imperii aquila domesticam Aristocratiam tuentur, liberæ ciuitates.

§. 6. Tertium est, vt annonæ prospiciatur. Hoc enim arctissimum est, quo multitudo continetur, vinculum. Romanos mores non probo, nam dum è publico panem multitudini præbebant, ærarium exhauserunt, & inutilem, vitiosissimamque turbam aluerunt, sed moderatam curam suadeo. Senatus Venetus magnam in singulis annos pecuniam impendit, vt quæ ad victum necessaria sunt, & copiose inuehantur, & vili precio comparentur. Nulla pene res magis imperium stabilit; nam cum eos populus, qui commodis fere ducitur, tam paterne consulere ciuitati animaduertit, filiorum more eos veneratur ac amat. Quin & hociustitiæ est vel maxime consentaneum. Cum enim optimates, ad summos honores euehantur, & maxima habeant ex magistratibus emolumenta, æquũ est ex bonis publicis aliqua etiam ad ciues tenues, populumque summi honoris exortem deriuari.

Annonæ cura populum continet.

§. 7. Cauenda inolitum nobilitatis malum, superbia: Nihil enim magis exasperat inter pares, aut pene pares. Cauenda in filiis etiam, & nepotulis, ne contubernales & ciues contemnere assuescant. Romæ nobilitati consulatum excussit mulierculæ risus: duæ sorores erant, altera patritio, altera plebeo nupta, hæc illam inuiserat, dum vero maritus Consul domum redit, lictorque de more ostium fascibus pulsat, ad insolitum strepitum, illa quæ in plebeo matrimonio erat, expauescit, atque à sorore, cum ignobilis coniugii exprobratione, videtur: Nec mora, maritum ad sperandos, ambiendosque magistratus, vxor impellit, ille ciues suos, atque ita Aristocratia iam inclinans in Democratiam conuertia est. Hoc nisi cauetur, fit seruorum & dominorum ciuitas, non liberorum: & hominum partim inuidentium, partim contemnentium, quæ ab amicitia & societate, communioneque ciuili distant plurimum; Societas enim est communio ad amicitiam pertinens. Neque enim cum inimicis societatem itineris inire volumus.

Superbia Reip. pernicies.

Exigua res summam Romæ mutationem fecit.

§. 8. Plurimum etiam momenti habet liberalitas, quæ est priuatorum; vt tenuioribus vsum rerum suarum

Liberalitas optimatum

probanda est. suarum concedant. Præclarum vero est, etiam Tarentinorum consilia imitari. Illi enim iumentis, & possessionibus cum egentibus ad vsum communicatis, multitudinis sibi beneuolentiam comparabant. Vtentur itaque nobiles ciuium industriorum opera in villis, agrisque & cæteris rebus curandis, eosque liberali, & honesto stipendio prosequentur, mensæ adhibebunt, qua ratione si singuli optimates vtantur, magnam ciuitatis partem sibi obstrictam rei familiaris communicatione tenebunt.

Tarentinorum humanitas.

Bello ditandi. §. 9. Si potens sit respublica, si bellum gerat, si variis prouinciis imperet, magna occasio est beneficiendi in magna fortuna, ditare etenim plurimos poterunt, ita fecisse Carthaginenses testis est Aristoteles l. 6. polit. c. 5. cuius verba sunt: *Tali autem quodam modo Carthaginenses rempublicam administrantes populi erga se beneuolentiam collegerunt. Semper enim cum aliquos de plebe ad vrbeis circumpositas dimittunt, eos locupletant. Est autem hoc quoque humanitate politorum & venustorum, & cordatorum nobilium, egentibus inter se distributis suppeditare eis adiumenta rei faciendæ, eosque ad opus faciendum cohortari & excitare.*

Nec aliud Romanorum iudicium, qui Coloniis sentinam vrbis, & exercitus exhauriebant.

Politicum stratagema. §. 10. Alud consilium tanquam callidum nobis Philosophus proponit. Nempe si tribus diuersæ sint, & ex illis ius dicendæ sententiæ in concilio facultatem aliqui habeant, æquitas in speciem seruetur, vti nobiles, diuites adesse cogantur, aut pignus capiatur, excusatio non accipiatur, deinde rogatos, sententiam suam, atque animi sensa exponere necesse sit, cæteri nec conuenire, nec si adsint dicere sententiam cogantur, nec excusatio, nec multa exigatur.

Consequuntur illo stratagemate, vt ciues se meliore conditione esse arbitrentur, quam nobiles; quia ius veniendi, decernendique par habent, obligationem veniendi nequaquam habent. Itaque suis rebus vacare pro arbitrio possunt; & si venire libuerit, in re inuidiosa, aut odiosa tacere, in alus dicere sententiam liberum est: In speciem igitur ea lege subleuari pauperes, grauari diuites videntur. Sed reuera arte res agitur, id enim quæritur, vt nobiles frequentes conueniant, in republica exerceantur, plebs per speciem priuilegii excludatur. Solent vero frequentissime senatum conuocare, tempus extrahere dicendo, de minimis rebus consulere, donec tædio, & contemptu ciues sese sistere desinant, actum per occasionem de summa republica tractare. Hoc si in fraudem Reipublicæ faciant, iam non optimates, sed oligarchi, & in sua politia tyranni dicendi sunt. Si illa consilia eo dirigantur, ne homines imperiti, turbulenti, & improbi suffragio suo leges violent, Rempublicam in discrimen adducant, sine iniuria illa statuuntur. Legis enim illius hoc ius est: Vt sapiens atque integer senator consilio iuuare patriam iubeatur, imperitus & improbus lege iudicandi solutus sit.

Aliæ leges ancipites. Eodem cætera spectant. Vt, Nobilis, aut Diues magistratum ne recusanto, aut multam grandem pendunto, plebeo ciurare omnem magistratum liberum esto.

Nobilis iudicare causas coguntor, ciues non nisi volentes, lubentes assumuntor.

Nobiles arma gestanto, in illis exercentor, in hostē primi eunto, ciues alii domus suæ curam habento.

Non sunt hæc iniqua, si legitimum finem habeant; nam pauperes labore, onere, inuidia liberantur, non tamen arcentur magistratu, iudiciis, militia.

In periculo optimi in magistratum assumantur. §. 11. Stratagema par est, vt vbi Aristocratiæ plebs insidiatur, atque aliquos è suis interseri nobilitati desiderat; id agant optimates, vt optimi quique, & gratissimi ex nobilitate sint competitores, è plebe autem contemptiores, sic enim reuerebuntur magnatum dignitatem, & aliorum in comparatione vilitatem contemnent, atque insuper paribus inuidebunt.

Factum id Romæ; Tribuni militares consulari potestate creabantur, ad eum magistratum tam plebeis, quam patritiis patebat aditus. Patritii vt verecundiam plebi incuterent, primos atque eminentissimos patrum candidatos producebant, ita sæpe euicerunt, vt nullus à plebe plebeius designaretur. Verum non est hoc firmum; nam sæpe dignitas optimatum odia, & inuidiam excitat, sola sua luce oculos malignos perstringens. Romæ etenim quamuis initio patritios plebs crearet magistratus, contenta quod sui ratio esset habita, sensim tamen audacior è suo corpore aliquos admiscuit, aliquando omnes è suo genere legit, frequenter etiam homines audaces, callidos, & quos patritiis maxime aduersaturos sperabat, suo suffragio adiuuit. Magnam tamen vim habet ad securitatem, & auctoritatem optimatum, si constet alios non esse aptiores, fore alios homines, non alios mores. Insigne est quod decad. 3. l. 3. narrat Liuius de Pacuuio Calauio. *Is cum eo forte anno, quo res male gesta ad Thrasymenum est, in summo magistratu esset: Iam diu infestam senatui plebem, ratus per occasionem nouandi res magnum ausuram facinus, vt si in ea loca Annibal cum victore exercitu veniisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis, improbus homo, sed non ad extremum perditus, cum mallet incolumi quam euersa Repub. dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio ciuitatem crederet, rationem iniit, qua & senatum seruaret, & obnoxium sibi, ac plebi faceret. Vocato senatu, cum sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium fuisset, præfatus esset: quippe qui liberos ex Appij Claudy filia haberet, filiamque Romæ nuptum Liuio dedisset: cæterum maiorem multorum, magisque timendam instare, nunc enim per defectionem ad tollendum ex ciuitate senatum plebem spectare: ac per eadem senatus vacuam rempubl. tradere Annibali ac Pœnis velle. eo se periculo posse liberare eos, si se permittant sibi, & certaminum in Republ. obliti credant. Cum omnes victi metu permitterent: Claudam in curiam vos, inquit, & tanquam & ipse cogitati facinoris particeps, approbando consilia, quib. nequicquam aduersarer, viam saluti vestræ inueniam, in hoc fidem, quam vultis ipsi, accipite. Fide data egressus, claudi curiam iubet, præsidiumq; in vestibulo reliquit, ne quis adire curiam iniussu suo, neue inde egredi posset. Tunc vocato ad concionem populo: Quod sæpe, inquit, optastis Campani, vt supplicij sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc non per tumultum expugnantes domos singulorum, quas præsidiis clientium seruorumque tuetur, cum summo vestro periculo, sed tutam habetis, ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: nec quicquam raptim aut forte temere egeritis, de singulorum capite vobis ius sententiæ dicendæ faciam, vt quas quisque meritus est pœnas pendat, sed ante omnia ita vos iræ indulgere oportet, vt potiorem ira salutem atque vtilitatem vestram habeatis. Etenim hos (vt opinor) odistis senatores. nam senatum omnino non habere non vultis: quippe aut Rex, quod abominandum: aut quod vnum liberæ ciuitatis consilium est, senatus habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt vobis, vt & veterem senatum tollatis, & nouum cooptetis. Citari singulos senatores iubebo: de quorum capite vos consulam: quod de quoque censueritis, fiet. Sed prius in eius locum, virum fortem ac strenuum nouum senatorem cooptabitis, quam de noxio supplicium sumatur. Inde consedit, & nominibus in vrnam coniectis, citari quod primum sorte nomen excidit, ipsumque è curia produci iussit. Vbi auditum est nomen, malum & improbum pro se quisque clamare, & supplicio dignum. Tum Pacuuius: video quæ sententia de hoc sit data: ejcitur pro malo atque improbo, bonum senatorem, & iustum eligite, primo silentium erat, inopia potioris subjciundi: deinde cum aliquis omissa verecundia*

Insigne stratagema Pacuuij.

cundia quempiam nominasset, multo maior extemplo clamor oriebatur: cum alij negarent nosse, alij nunc probra, nunc humilitatem, sordidamque inopiam, pudendæ artis aut quæstus genus obijcerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio senatore est factum, vt ipsius pœnitere homines appareret: quem autem in eius substituerent locum, deesse, quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos: & multo humiliores obscurioresque cæteri erant eis, qui primi memoriæ occurrebant. Ita dilibi homines, notissimum quodque malum maxime tolerabile dicentes esse, iubentesque senatum ex custodia dimitti.

Sapienter sane Pacuuius homo alioqui improbus, plurimi enim magistratum in ordinem redegerunt, paucissimi rempublicam emendarunt, hic ciuibus senatum approbauit, eumq; modestiorem fecit.

Patronorũ & clientum necessitudo.

§. 12. Septimum est, Patronorum clientiumque iura mutua, & tanta necessitudo, vt sexcentorum annorum spacio dissensiones inter patricios, & plebem ad sanguinem vix deuenerint: sed postquam illa quoque vincula sublata sunt, & fraus innexa clienti, cædibus Respublica mutuis interiit, & ad vnum tyrannum delata est. Necdum ea apud Venetos consuetudo exoleuit; manet etiamnum in Germania Protectorum nomen, & ius antiquum, quod fuit apud veteres, quo multæ prouinciæ in potentium familiarum clientela esse dicebantur.

In Germania: Schutzherren.

Ordinata diuersitas Aristocratiam iuuat.

§. 13. Consultum est, varios ordines constituere, & discrimina ciuium, ea tamen moderatione, ne cuiquam iniuria inferatur. Ita erat

Martia Roma triplex equitatu, plebe, senatu.

Facit illa multitudo, & diuersitas ne facile conspiretur, idque in omni Reipublicæ forma, præcipue tamen in Aristocratia. Nam medius ordo seu equitum vehementer optat senatus auctoritatem sartam tectam conseruari, si enim senatum plebs è medio tollat, aut, ut illius imminutum eat, omnis etiam equestris ordinis dignitas pessum dabitur, nec plebs tam insurget in senatum facile, à quo longo interuallo distat, quem equitum turmis vallatum cernit. Sed neque equestrem ordinem timere optimates debent, si enim ille quippiam moliatur, non difficile fuerit cum aduocata in auxilium plebe coercere. Fateor tamen ordinum illam diuersitatem multarum litium, seditionumque esse seminarium, verum hoc ex gubernantium erroribus nascitur, dum ius inæqualiter dicitur, dum alter supprimitur, alter cum detrimento aliorum extollitur. Atque hæc fere in Aristocratia seruantur, in qua hoc præcipue seruandum est, vt sic pauci imperent, ne plures statum ciuitatis oderint, & detestentur. Breuis enim est potestas, quæ multos inuitos violenter continet, omnis itaque aristocratia breuis est, vbi tamen illa est, alios duos ordines esse, quam vnicum præstat.

Caput XVIII.

De Oligarchia, quæ est ex corrupta Aristocratia.

Oligarchia diuitum, & nobiliũ bonum spectat.

§. 1. Oligarchiam interdum pro Aristocratia vsurpant, sed proprie & presse ab Aristotele definitur: Ἀρχὴ πρὸς τὸ συμφέρον τῷ ἐυπόρων. Imperium ad diuitum vtilitatem institutum. l. 3. c. 7. & 8. ὅταν κύριοι ὦσι τῆς πολιτείας οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες. Cum in Republica dominantur, qui rem possident. Rectius forte, ἐυποριαρχία, seu πλουτοκρατία nominaretur, cum diuitum vtilitatibus consulatur, non totius Reipublicæ. Fieri certe potest vt in Republica aliqua plures diuites sint, quam mediocres, aut pauperes, vt Colophone fuisse ante bellum Lydorum testis est Aristoteles; Si igitur plures alibi sint diuites, quam pauperes, nihilominus dicetur oligarchia paucorum dominatus, quia etsi paucorum non sit, cum tamen institutus est, primum fuit paucorum, & nunc quoque in omni Republica diuitum numerus exiguus, mediocrium, & tenuium maximus.

§. 2. Cum ex corporum proceritate aut forma, vt olim apud Æthiopes, magistratus creantur, non est oligarchia, quia tam mediocrium, & tenuium, quam diuitum dona illa esse possunt. Nomen tamen illi conuenit, necesse est enim paucorum esse potestatem; nam dignitate corporum paucissimi excellunt. Hi vero si commune bonum spectent Aristocratia, si vnius partis tantum, oligarchia dicetur. Quanquam ergo si soli diuites imperent, sit dicenda ἀρχὴ ἰῶν ἐυπόρων, Imperium diuitum, potest tamen etiam esse ἀειστοκρατία, si non imperent ad vtilitatem diuitum, sed vniuersorum. Prudentissime hoc Plato animaduertit. ὅταν ἄρα οἱ φαῦλοι ταύτην μιμῶνται. τότε ἀειστοκρατίαν καλῶμεν τὴν τοιαύτην πολιτείαν, ὅταν δὲ τῶν νόμων μὴ φροντίζωσι, ὀλιγαρχίαν. Quando igitur diuites illam imitantur, tunc ἀειστοκρατίαν vocamus illam Rempublicam, *quando autem negliguntur leges, oligarchiam.* Leges autem negliguntur, cum ad sua commoda cupiditatesque diuites omnia referunt.

Non est igitur iniustus paucorum dominatus, & diuitum, si scopum teneat, qui est omnium salus; nam æquum est eum, qui pro Republica decem aureorum millia expendit, præferri alteri, qui decem duntaxat in commune confert. Nec tamen ille qui patriæ tantum præstat, commodis tenuioris ciuis obstare debet.

Oligarchia cum ex censu legitur Senator.

§. 3. Quatuor genera oligarchiæ Aristoteles (libro 4. cap. 5. politicorum) agnoscit. Primum est cum ex censu legitur magistratus, vt pauperes excludantur. Romæ senatus censu legebatur, si haberet sestertium octingenta millia, periere quidem sic vitæ precia, sed tamen augustissimi ordinis splendorem etiam domesticis facultatibus augendum putabant. Itaque etiam censu imminuto, & senator & eques dignitatem amittebat.

Secundum genus est, cum ex censu eliguntur nonnulli, sed illi alios sibi allegant, siue ex censu, siue ex optimis, siue ex omnibus.

Tertium cum patri filius succedit, vt fere fit apud Venetos, vbi nobiles omnes qui 25. annorum sunt habent ius veniendi in Senatum. Veruntamen in his non est vitiosa oligarchia, si bonum publicum spectetur, sed vel Aristocratia, vel Politia, quemadmodum enim in regno vnus succedere vni potest, nec tamen tyrannidis notam subibit, ita in Aristocratia plures pluribus, seruata optimæ gubernationis integritate.

Quartum itaque est genus oligarchiæ vitiosæ, cum lege non agitur, seu regentium placitis, & ad potentium commoda omnia administrantur, quod reginimis genus pernitiosissimum est; quia pro vno tyranno plures, eosque crudeles, & egentes habet tyrannisicos. Hæc gubernatio vt improba est, ita diuturna esse nequaquam potest, cum maxima pars Reipublicæ minimam oderit, & perisse expetat. Neque fugienda est tantummodo iniuria, sed etiam iniuriæ suspicio. Alioqui contra eos dux esse quilibet potest, quantumuis inualidus, neque in eorum euersione quicquam difficilius est, quam prima vox. Initio superioris sæculi multæ ciuitates imperii in magistratum suum insurrexerunt, cædes & direptiones factæ sunt. Perinde autem est, verene an falso de Senatu suspicentur.

Oligarchia breuis est.

Recens est tumultus Francofurtensis recordatio,

cuius principes fuere homines abiectissimi, sed populi fauore prævalidi; quia exosum erat imperium optimatum. Et plus nocere poterant, si modestius seditionem inceptassent. Olim Massiliæ, Heracleæ, diuites contra paucos sunt tumultuati, & Reipublicæ formam commutarunt. Aristoteles libro 5. cap. 6. politicorum.

Pessimæ oligarchiæ leges.

§. 4. Facilimo itaque negocio plurium tyrannis euertitur, sed nunquam facilius, quam inter eos discordiæ oriuntur, aut cum ex illis quispiam secreta reuelat, aut popularis efficitur. Quod faciunt vel iniuria affecti, potentiam affectantes, vel cum res suas fregerint, ac delapidarint, publico malo priuata dedecora contegere satagunt: quo vero sæuiores, ac importuniores sunt, eo breuior est eorum gubernatio. Et fœdis exemplis periere, quorum est iniquissima coniuratio, qualem meminit fuisse quorundam Aristoteles libr. 5. politic. cap. 9. *Nunc enim in nonnullis oligarchiis ita iurant. Et in populum male animatus ero: & populo quicquid potuero mali incogitabo. At opus eos, & existimare, & præ se ferre, ac simulare contrarium, significanteis in iurisiurandi præscripti verbis, se nullam populo iniuriam illaturos.*

Iurant igitur se inimicos fore populo, & amicos fore peierant.

Caput XIX.

De Politia presse sumpta, seu populari forma Reipublicæ.

§. 1. Πολιτίαν vocat interdum Aristoteles, & alii Δημοκρατείαν. Sed quia nunc partes distinguimus, proprie ac presse de vtraque agendum. Sic & Aristoteles lib. 3. cap. 7. politicor. ὅταν δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύηται συμφέρον, καλεῖται κοινὸν ὄνομα πασῶν πολιτειῶν, πολιτεία. *Quando vero multitudo in publicum bonum ciuitatem administrat, vocatur ea forma Reipublicæ communi nomine omnium Politiarum, Politia.* Definiri igitur Politia debet, ἀρχὴ τοῦ πλήθους πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον. *Imperium multitudinis communem vtilitatem spectans.*

Politiæ fundamentum libertas, & æqualitas.

§. 2. Huius administrationis fundamentum est, & scopus libertas, deinde æqualitas. Et libertatem quidem facile obtinet populus, æqualitatem difficilime. Quamuis enim in eo pares sint, quod omnes vicissim imperent, & pareant, imperandi tamen vices ad pauciissimos perueniunt. Libertas autem in eo versatur, non vt viuas pro arbitrio, sisque omnino tua in potestate, sed vt viuas iuxta leges, subditus tuo magistratui, atque ea conditione, vt tibi quoque sit imperandi potestas: Sic enim est omnibus par ciuitatis ius, atque honor.

Perfectissima Politia est periculosissima.

§. 3. Varii sunt Politiæ gradus ac formæ, illa est perfectissima cum sine generis, opumue discrimine omnes dignitates, ac magistratus omnibus demandari possunt. Hæc inquam in suo genere perfectissima est, nempe accuratissima libertatis, & æqualitatis conseruatrix. Infirma tamen, & tumultuosa, & hominum terrimorum promotrix.

§. 4. Aliæ temperatiores sunt; cum enim in Republica sint varia hominum genera, vt artifices rerum necessariarum & vtilium, artifices rerum voluptuariarum, & fastui seruientium, agricolæ, pecuarii, negociatores, milites, Diuites & nobiles è censibus suis viuentes, literati, sacerdotes, cum sit etiam magistratuum, & ciuilium functionum magna diuersitas; nam magistratus alii sunt primarii, alii secundarii, nonnullæ functiones honoratæ, sed sumptuosæ, aliæ difficiles sed lucrosæ, hinc magna oritur Politiarum constituendarum varietas. Non enim omnibus omnes functiones demandant, sed cum discrimine diuersis; honoratas, & sumptuosas nobilibus ac opulentis; negocioſas industriis; iuridiciales æquis, peritis ac prudentibus; qua ex distributione magnæ varietates gubernandi exurgunt; nam magistratus esse penes alios, iudicia ita penes diuersos esse nihil impedit. Quibusdam populis satis est magistratus legendi ex optimatibus habere potestatem, nonnulli contenti sunt, si ratio honorum gestorum sibi reddatur.

§. 5. In populari forma conseruanda, ne tyrannidem vnus, aut oligarchiam pauci instituant, plurimum laboratur, ideoque fere in vitium quod Democratia dicitur administratio recidere solet.

Leges Politicæ.

Primum est, vt ad clauum Reipublicæ fere medii assumantur. Illi enim nec ea sunt potentia, vt tyrannidem vnus possit arripere, & nimis multi pro oligarchia constituenda, nec propter paupertatem, & domesticas difficultates turbulenti sunt. Monuit hoc Aristoteles libr. 4. politicor. cap. 12. *Oportet porro latorem legis semper in reip. administratione medios assumere. Nam siue leges oligarchiæ conuenienteis ferat, ad medios leges dirigere debet: siue democratiæ congruentes, hi legibus adiungendi sunt. Vbi vero mediorum multitudo superat aut vtrosque extremos, aut alterutrum tantum: hic fieri potest, vt reipubl. administrandæ forma sit firma & stabilis. Non est enim metuendum, ne vnquam diuites cum pauperibus in hos consentiant & conspirent: nam nunquam alteri alteris seruire volent.*

Habet enim aliquid moderatio illa mediorum, & boni ciues censentur, qui medii sunt. Ideo & Phocylides iudicio Philosophi sapienter dixit:

Πολλὰ μέσοισιν ἄεισα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.
Multa mediis optima sunt, medius in vrbe nolo degere.

Optimi ex populo legendi in magistratum.

§. 6. Secundum est, vt in ipsa Politia & potestate populi hoc agatur, ne pessimo cuique atque audacissimo parata sit ad honores via, sed habeatur magna ratio optimæ partis in populo; nam quemadmodum in Aristocratia, nisi optimus quisque magistratum sortiatur, breui commutatur forma gubernationis, ita etiam populo pars optima, atque integerrima quærenda est. Βέλτιστος δὲ ὁ δῆμος, ὁ γεωργικός ἐστι. *Optimus autem populus*, inquit Philosophus, *est qui agriculturam exercet.* Ita rem habuisse olim nemo dubitat, hinc tribus rusticæ honoratæ in vrbe fuerunt; vrbanæ vero, contemptu, & nota non caruere; in eas enim tribus fæx populi, & subroſtrani coniecti fuere. Causa cur fuerit corruptior vrbana plebs ab Aristotele adfertur, quod assueta ocio, & concionibus, callida, ac fraudulenta, rerum nouarum auida, atque ambitiosa euadat; rusticana vero agricolatione, aut pastu pecorum occupata, raro conciones adit, raro seditiosos cœtus accedit. Fuit olim alia etiam causa, quod ociosa plebecula concionibus, theatris, spectaculis assueta, voluptatibus euicta, vix ad honesti, & æqui considerationem cogitationes attolleret, nunc vero in vrbibus bene moratis, alia ratio est; Ciues enim tribuniciis concionibus, detestandis spectaculis, & publicis morum corruptelis minus inficiuntur, deinde in scholis, in templis, ad virtutem, pietatemque erudiuntur, rusticana plebs minus culta est, & crebro minus religiosa; itaque mutatis temporibus, vrbana plebs melior habenda, ita vt censeam, docent florentissimæ Europæ ciuitates, quarum in tribubus, quæ negociatoribus & artificibus fere constant, iustitiæ, publicæ honestatis, pietatis summa ratio tenetur, ex his præsertim liberis in ciuitatibus viri graues, prudentes, moderati ad rempublicam regendam quotannis leguntur, nam veterum corruptionum causas procul habent, quot enim

Plebs rustica olim melior, quam vrbana.

Nostro tempore plebs vrbana melior est.

enim millia inter eos sunt, qui à puero sacris concionibus, piis lectionibus, Christianæ fidei institutionibus eruditi, theatrales fœditates, arenæ crudelitates, turbulentas declamationes ne semel quidem oculis, auribusue hauserunt? Quin etiam criminosos, & infames non admittunt, admissos ejiciunt.

Locum itaque non habet quod lib. 6. cap. 3. monet Philosophus, *nunquam conuocandam multitudinem vrbanam, sine rustica*, de veteribus illis scurris, qui aliud non spectabant, *quam panem, & Circenses*, concessero, qui pecuniam ærarii, qua classis alenda erat, pro mercedibus theatri expendendam censebant, qui poetas quod obscenis verbis abstinuissent, mercede priuabant, qui omnes improbos, & seditiosos stipabant. Hos ad nullam Reipublicæ partem plebs vrbana admittit, hi ne in tribubus quidem locum habent.

Turbæ comitiorum vitentur.

§. 7. Tertium est, vt magistratuum electio fiat comitio omnium, more Romano; nec enim ibi turbæ, pugnæ, ambitiones, corruptiones euitari possunt, sed placeat vetusta Mantineensium ratio, apud quos quidam (αἱρετοὶ κατὰ μέρος) electi secundum partem populi, magistratus mandabant. Vidi Monasterii Westphaliæ insigni & polita ciuitate, primo ab vniuerso populo quosdam legi, qui alios designarent, à quibus Senatus legitur quotannis, est illa ratio penitus popularis; nam omnium consensu ac suffragio censores illi constituuntur; deinde ea cura electio fit, vt nemo scire possit, qui vltimi lectores sint; illi vero more Cardinalium includuntur, ac de toto senatu constituunt, & cum ante noctem eligunt. Nulla hic potest esse munerum corruptela, nulla honoris prensatio, Censores autem illi ad suam existimationem pertinere arbitrantur, ne vllum nisi spectatæ virtutis, & prudentiæ virum concilio suæ ciuitatis immisceant, quod si vnum, alterumue fauor, aut cognatio ad aliquem nominandum induceret, cæteri tamen resisterent, nec famam suam pro alieno honore paciscì vellent. Hæc sane ratio multis partibus præstat Romanis comitiis.

Quieta ratio legendi Senatus Monasterij in Westphalia.

Censores magistratus tanta cura leguntur, quanta ipse magistratus.

§. 8. Quartum est, Vt multos, & graues viros, qui à magistratibus reipublicæ administratæ rationem reposcant, eamque tribubus exhibeant, non minore cura constituant, quam ipsos magistratus. Τὸ γὰρ ἀπαναγκέμαθον, καὶ μὴ πᾶν ἐξεῖναι ποιεῖν, ὅπ ἂν δόξῃ, συμφερόν ἐστιν. *Nam ab alieno arbitrio dependere, neque licere omnia, quæ libet facere, vtile est.* Neque enim maior illecebra peccandi vlla est, quam peccati impunitas. Atque hæc res tanti momenti est, vt ex ea Reipublicæ Venetæ incolumitatem maxima ex parte dependere putem; omnium enim vrbium præfecti ita gubernationem instituunt, vt rationem reddendam sibi certo sciant. In vitam eorum priuatam, in acta publica, in iudicia inquiritur. Hoc in Politia facilius est, atque efficacius, quam in Venetorum Aristocratia; nam in popularì forma, qui in magistratu deliquerunt facile puniri possunt, quia medii sunt, nec opibus, nec clientibus, aut potentia eminentes, vt leges eludere possint, vel infringere; in Aristocratia aliquid nobilitati, affinitati, maioribus, & spe paris impunitatis indulgetur.

Magistratus peccata punienda.

Plebs in Politia nobiles honoret.

§. 9. Quintum est, ne optimates & nobilitatem offendant, aut irritent, sed in honore, atque æstimatione habeant, ac venerentur, plurimos ipsis magistratus, & honoratissimos demandent, & cum plebeos illis collegas dederint, primas tamen patriciis deferant. Sic enim erga plebem optime afficientur, seque illi probare contendent. Neque arbitror vllam hactenus Politiam interisse, nisi prius mutata in Democratiam, iniuriis, contumeliisque optimates, & diuites vexarit. Ex eo enim occasionem aliqui è nobilitate acceperunt, vt sese vindicarent; magni enim animi homines, & contumeliarum impatientes, cum de rebus suis desperarunt facile totam rempublicam euertunt, & quemadmodum cum reges in tyrannos degenerant, multi sunt, qui laudem occisi tyranni etiam cum periculo capitis quærunt, nec aliorum supplicijs deterrentur, ita cum Politia à lege discedit, nec communem, sed tenuiorum vtilitatem quærit, nobilesque & optimates seruitio premere, & expilare incipit, multi vindices oriuntur; est enim illa Respublica tyrannis multorum capitum, quæ vt vno ictu confici non potest, ita lacerari per partes, & diuidi potest. Lege historias Græcas, latinas, & cessante, aut inclinato imperio, Italicas; inuenies summas calamitates ab exulibus allatas esse; Exules autem orti sunt ex ciuium in se mutuo sæuientium conflictibus; pugnæ vero ex Reipublicæ vitiosa administratione. Atque vt vno verbo complectar; optima forma Reipublicæ popularis est, in qua summa potestas est penes populum, summus honor penes optimates, summaque cura tenues adiuuantur; In qua optimatum dignitas pendet à populi suffragiis, in qua honor defertur optimatibus à populo volente: quia vbi illa moderatio adhibetur, nulla pars ciuitatis, mutari Reipublicæ formam optabit: ac proinde consensu præsentem statum tuebuntur.

Pleraque mala ex nobilium afflictione oriuntur in politijs.

Caput XX.

De Democratia quæ est vitium Politiæ presse sumptæ.

Democratia breuis est natura, & fere in vnius imperium recidit.

§. 1. Democratia est ἀρχὴ πρὸς τὸ τῶν ἀπόρων συμφέρον. *Imperium quod pauperum, seu tenuiorum vtilitatem spectat.* Finis huius imperii è diametro oligarchiæ opponitur, illa enim diuitum causam agit, hæc eorum qui pauperes, siue tenues sunt, neutra totius Reipublicæ.

Nulla vnquam Democratia diuturna fuit, aut si qua aliquandiu durauit perpetuis discordiis agitata est, & vel in tyrannidem vnius, vel in oligarchiam desiit. Sæpius tamen in tyrannidem, quia populi fæx, cum in se diuisa præualere non potest, vni se committit, à quo præmia datæ potestatis exspectat; sed ab eo deinde opprimitur. Cur administratio illa diuturna esse non possit, causa est, quia cum tenuiorum ciuium commodis prospicitur per iniurias honestiorum, necesse est præcipuam ciuitatis partem, sine qua esse alia non potest, molestiam pati. Si enim contumeliis exagitatur nobilitas, aut ciuitatis status ita iactatur in manibus pauperiorum, vt rerum suarum sint incerti diuites, quis dubitare potest, quin illi vel tandem potestatem ad se attracturi sint? vel Rempublicam in qua sordidissimo cuique ludibrio, & prædæ sunt deserturi? Nec diu, in eo periculo cessabunt, cum facultatem vlciscendi magnam habeant.

Democratia interdum esse potest, vbi minor est pauperum numerus.

§. 2. Democratia esse potest etiam vbi pauperum est minor, quam diuitum numerus, si ad paucorum arbitrium commodaque clauus administrationis vertitur, plerunque tamen maior est pars tenuium, & qui rem, vel non habent, vel exiguam habent. Olim tamen in vrbibus militaribus sæpe penes infimos summa potestas residebat: ad hanc enim formam accensenda sunt illa Romanæ

Reipublicæ tempora, cum plebs subrostraria leges ferebat, cum annua venali venderent suffragia campo, cum milites Prætoriani, vel paucæ legiones contempta senatus, ac populi auctoritate, donatiua, & prædas, licentiamque pacti monstra hominum ad augustum fastigium eueherent, eosdemque mox nefario scelere occiderent.

§. 3. Ex hac Reipublicæ forma tyrannis nascitur facilime. Optime Plato: ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν, οὐκ εἰς ἄλλο τι, ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτῃ καὶ πόλει. εἰκὸς γάρ, εἰκότως τοίνυν ἐκ τούτου οὐκ ἐξ ἄλλης πολιτείας τυραννὶς καθίσταται, ἢ ἐκ δημοκρατίας. ἐξ (οἶμαι) τῆς ἀκροτάτης ἐλευθερίας, δουλεία πολλὴ τε καὶ ἀγριωτάτη. *Mutari enim assueuit nimia libertas, in grauissimam seruitutem, tam priuatis, quam vrbibus. Ita enim fieri solet, meritoque dixi, non ex alia republica tyrannidem oriri, quam ex Democratia, ex summa libertate maxima atque immanissima seruitus.*

Cur autem is cui se populus permisit, tyrannide eum premat, causa est. Quod aliter saluum se esse posse diffidat; cum multi improbi multa petant, cum terreant, non potest eos amore sui tenere, ideo vim parat.

Quatuor genera Democratiæ.

§. 4. Sunt autem quatuor genera Democratiæ. Prima cum honestior pars ciuitatis, quæ mediocres opes habet, exclusis diuitibus consultat, & magistratus mandat, tam diuitibus, quam mediocribus. Hæc forma quia plus tribuit magnatibus firmior est, neque enim diuites, nobilesque à Republica repellit, & quos candidatos, & supplices habet, eorum se fidei regenda committit.

Altera forma est, cum omnibus licitum est administrare Rempublicam, quantum ad genus attinet, non tamen vllus admittitur, nisi cui licet esse ocioso. Hæc administratio fere etiam optimatum est. Nam artifices, negociatores, aliique remouentur.

Tertia forma est, cum lege etiam illi qui ocioſi esse nequeunt ad gubernacula admittuntur; quia tamen ab rebus suis ocium non habent, nec cum rei domesticæ incommodo publicis vacare volunt, sponte magistratibus abstinent.

Quarta est Democratiæ species, seu potius tyrannis multorum, vt iudicat Aristoteles lib. 5. c. 11. politicor. Cum pauperes non admittuntur modo ad gubernationem, sed merces illis datur, vt ociari possint, multis modis illa res iustitiam lædit. Viri enim honesti, nobiles, & ad gerendam Rempublicam idonei, sordibus tam indecoris, atque adeo extremis ne patriæ consulant, arcentur. Deinde cum ad ocium pauperum alendum opus sit pecuniam ex Reipublicæ visceribus conferri, iniuria afficiuntur nobiles, & diuites, vt qui cogantur sua pecunia emere sibi magistratus, atque adeo suis opibus efficere, ne venire ad honores possint, quo nihil est acerbius. Denique eiusmodi homines vt plurimi sunt rerum imperiti, cupidi, & potentia abutuntur.

Multi magistratum idcirco tantum suscipiunt, vt indignos excludant.

Cum autem nec pecuniæ, nec honoris causa imperium gerere vir bonus velit, hoc tamen oneris suscipere solet, ne ipsi deterior imperet. Necessitatem namque summam arbitrantur gubernaculi suscipiendi, ne imperitis committatur, atque ea causa omnes periclitentur. In hac vero democratica tyrannide, per violentiam legesque & precium agitur, ne viri honesti præsint Reipublicæ, sed teterrimus quisque, atque egentissimus imperet.

§. 5. Leges porro Democraticæ contra optimates variæ sunt à popularibus excogitatæ, quæ tamen ipsum populum oppresserunt, & libertatem sub nomine libertatis in tyrannidem conuerterunt. Quamuis nullius vnius tyrannis sit æquanda populo furenti. Et prima quidem lex est, Magistratum ex omnibus esse, quam sit illa pernicioſa tum exempla, tum ratio docet. Quid enim à vera ratione alienius, quam ex imprudentissimorum iudicio ac sententiis Reipublicæ rectores præfici? Ex fæce hominum seligi, qui summos honores, summamque potestatem habeant? Nemo vineam imperito cultori, agrum ignaro colono committit, quæ vero prudentia est, corpora, fortunas, libertatem, hominum sua commoda quærentium arbitriis committere? Quod aiunt populares, plebem in delectu magistratuum non fere aberrare, id omnino aliter habet. Nemo suæ libertatis minus est idoneus arbiter, quam populus, nemo illa magis vlla in re abutitur, quam in creandis magistratibus. Omnes quem sibi commodum arbitrantur, non quem vtilem Reipublicæ, quærunt. Credamus Romano populo, cuius instar Euripi comitia in diuersa commutabantur, Cato bis repulsam tulit, Clodius, Vatinius, Piso, Antonius curuli sella consederunt.

Democratia nullum arcet magistratu.

Populus libertatis suæ acerrimus, sed inconsultus est custos.

§. 6. Altera lex. Vicissim imperare, crebroque imperia mutare. Hanc populus amat, sed ducit ad anarchiam, & licentiam, quis enim è plebe natus, breui, iamque exspiratura potestate præditus, homines improbos, atque audaces à ciuium iniuria arcebit? legum pœnarumque metu ac vi continebit, quos crastino die, vertente rota comitiorum, in summo conspecturus sit? Quem hodie potens irritaueris, cras dominum experiere. Inimicum tuum publica auctoritate armatum priuatus excipies. Vt nota referam, vel vnicum Ciceronem spectа. Consulatu suo tam glorioso, conseruator patriæ potentissimorum ciuium in se odia concitauit, quæ tantum potuerunt, vt in exilium pelleretur.

Democratia mutat magistratus crebro sed male.

§. 7. Tertia lex. Damnatorum bona plebi diuidere. Id si populus iudicet, manifeste iniquum fuerit, vt lib. 6. cap. 5. monuit Aristoteles. Quis dubitet iudicem egentem adduci haud difficulter posse, vt reum damnet, cuius exitio rem suam augere constituit? Si illa iudicia penes optimates, præda vero penes plebem sit, quanquam minus periculi sit, non tamen æquum multam publicam vnius partis commodis impendi. Deinde neglectis laboribus, calumnias diuitibus intendere incipient.

Rapiunt Democratici.

§. 8. Quarta lex. Nobilium & fortium virorum criminationes frequentes esse. Nihil Athenis vsitatius, & hac ex causa cecidere.

§. 9. Quinta lex. Sortito legi magistratus. Qua quidem lege nihil ad Rempublicam euertendam aptius.

Calumniantur diuites.

§. 10. Sexta lex. Vectigalia in eos, qui ad concionem veniunt, distribui.

§. 11. Septima lex. Locupletes pro iudicandi labore nullam, tenues largam mercedem accipere.

§. 12. Octaua lex. Nullam artem impedire, quo minus imperes.

§. 13. Nona lex. Neminem, nisi raro, vllum magistratum bis gerere.

§. 14. Decima lex. Posse hoc tamen in bello periculoso fieri.

§. 15. Vndecima lex. Nullum magistratum esse perpetuum, imo omnes esse breuissimos, vt plures imperent.

§. 16. Decima tertia lex. Aduenas etiam ad honores admittere.

§. 17. Decima quarta lex. Nobilitatem occulte premere, in speciem colere, ampla quædam, & sumptuosa illis committere.

§. 18. Decima quinta lex. Cauere ne irritentur.

§. 19. Decima sexta lex. Eos in se mutuo accendere, & simultatibus atterere, eos qui è nobilitate habent

habent multos inimicos, honoribus, & potentia munire, ac defendere.

§. 20. Decima septima lex. Plurimas tribus instituere, eas quam maxime miscere.

§. 21. Decima octaua lex. Varia sodalitia opificum, negociatorum aliorum consociare.

§. 22. Decima nona lex. Licentiam permittere viuendi, vt quisque vult. ἥδιον γὰρ τοῖς πολλοῖς τὸ ζῆν ἀτάκτως, ἢ τὸ σωφρόνως. Dulcius est enim multitudini inordinate, quam temperanter viuere.

§. 23. Vicesima lex. Magistratus omnes sepire aliorum magistratuum custodia, ne quid possint inuito populo, sic Romæ Tribuni plebis optimis sæpe consiliis intercesserunt, & specie defendendæ plebis Rempublicam turbarunt.

Nulla arte ea quæ putrefacta sunt diu fulciri possunt.

Omnes illæ leges si originem, rationem, exempla perpendamus parum firmare statum democraticum possunt, quocirca nulla democratia firma fuit vnquam, nec sine perpetuis motibus. Præter Atheniensem & Romanam legi poterit historia Reipublicæ Florentinæ à Frederici temporibus, in quam maximas, celerrimasque rerum commutationes, prælia intestina, & ex turribus pugnas cum admiratione leges.

Caput XXI.

Optimam Reipublicæ formam esse Monarchiam ex Aristocratia, & Politia temperatam.

De optima Reipub. forma varij disputant.

§. 1. Quæstionem propono non in curia modo, & concione populi, sed in exercitationibus etiam scholasticis agitatam. Causa est quod vberem hominibus ingeniosis ac facundis materiam præbet contra tyrannidem, anarchiam, seruitutem, pro libertate & æquitate dicendi. Alii itaque vnius nimiam potentiam, alii parium ambitionem, & discordias, alii vulgi confusionem, ac temeritatem exagitant; idque eo maiore plausu, quod rerum male administratarum nullo sæculo desint exempla, plerisque etiam abundent. Verum nos hac de re politice, atque ad instituta Reipublicæ accommodate dicamus.

Certa analogia facienda est cõparatio.

§. 2. Principio cum tres Reipublicæ formas inter se comparamus, atque optimam inquirimus, prudenti atque conueniente analogia id constat esse faciendum, neque enim vnius regiminis vitia ac damna, cum alterius virtutibus commodisque conferenda sunt, sed bona bonis, mala malis, minora bona minoribus, maiora maioribus, itemque mala æqua lance pensanda sunt. Optima Monarchia cum optima Aristocratia, ac Politia: mediocris cum mediocri, pessima cum pessima comparari debet. Cum eodem igitur gradu res steterit, vtra melior, firmior, felicior sit Respublica? quæritur. An scilicet gubernatio illa quæ describitur Iud. 2. 6. Dimisit ergo Iosue populum, & abierunt filii Israel, vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam: *Seruieruntq; domino cunctis diebus eius, & seniorum qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera domini quæ fecerat cum Israel.* An illa seniorum Aristocratia sit præferenda monarchiæ Dauidis, aut Salomonis, aut alterius regis commune bonum spectantis?

§. 3. Deinde non esse in hac disputatione minutim omnia, & mathematice disputanda; sed quia de Republica agimus, morali & ciuili modo tractanda. Frustra enim ciuitatem aliquam Platonicam aut Vtopicam cogitatione informamus, & construimus, si nostris vrbibus in quibus multi sunt imprudentes, improuidi, improbi, & tales sæpe etiam illi, quorum officium est iustitiam æquitatemque tueri, consilia damus. Neque enim hominem vnum, aut certum, definitumque tempus Reipublicæ institutor spectare debet, sed vniuersum tempus complecti; quanquam enim vnum aliquem optimum principem esse contingat, & optimates aliquando laudabiles, crebro tamen & mores in potestate mutantur, & crebrius bonis rectoribus mali succedunt. Itaque ea forma Reipublicæ constituenda, in qua magistratibus plurimum boni, minimum mali liceat, vt suis legibus, non virtute vnius hominis saluus sit populus. Non igitur legislator multa, & excellentia bona deserere timebit, vt periculosissima mala auertat. Nec ciuitatis illius præstantissimam formam arbitrabitur, in qua vnum aliquid egregie comparatum est, nisi ab omnibus vndique prouisum fuerit. Omnia mediocria potius eligenda, quam extrema cum periculo magno, nam vt Respublica constituatur in qua nullum sit periculum, in tantis hominum cupiditatibus, perfidia, ambitione fieri non potest. De reipublicæ igitur optima forma dicam distincte.

In republ. constituenda nõ vnus homo, sed totum tempus spectandum.

In republ. multa bona deserenda sunt, vt mala vitentur.

§. 4. Primo. Forma Reipublicæ despotica, cum omnium rerum absolutus dominus est princeps, illaudabilis est, iniqua, nec diuturna. Despoticam voco eam, qualis est hodie Turcici imperatoris, olim fuisse videtur Nabuchodonosoris, Regum Ægyptiorum, & nunc quorundam Barbarorum est. Incolæ Turcici imperij mancipia se imperatoris sui nominant, nemo fortunarum, aut vitæ securus est, omnia de nutu crudelissimi, superbissimi, libidinosissimi tyranni dependent, ipsam adeo auram, quam ducunt, magno domino referunt acceptam.

Παμβασιλεία reprobatur.

Turcicum imperium.

Rationes adferre nihil est necesse, nemo enim est, qui non seruitutem fugiat, libertatem amplectatur, at in illo imperio omnes, etiam vxores & filii seruitutem seruiunt. Quin etiam diuina scriptura in maximis pœnis numerat; Seruitute premi, in libertatem autem asseri summi beneficii loco habet. Isaiæ 19. 4. *Et tradam AEgyptum in manu dominorum crudelium.* Et cum Iudæos Deus subiecisset Sesaco, siue Sesostri Ægyptio, *Veruntamen,* inquit, *seruient ei; vt sciant distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum.* Neque occurrere potest fautor tyrannidis, & dicere: Posse absolutum dominum boni communis rationem habere, eamque rempublicam fore quasi magnam familiam. Nam si dominus est, suæ igitur vtilitati mancipia impendit, & omnes subditi, magni domini possessio sunt. Ideoque domini, non sua commoda curare tenentur. Non ignoro quarundam gentium eam esse barbariem, ex natiua tarditate, & ingenii stupore, vt ad seruitutem geniti videantur, quæ si bello captæ sint iusto, vt in seruitutem redigi possint, non nego quin eundem habere regem, & dominum eas oporteat. Sed hoc ad paucos pertinet, cum in magna gente quamuis multi sint dedititii, seruitutem tamen meriti sint pauci. Toti autem genti more regio est prouidendum, vt in religione, in humanitate, ac politia recte instruantur. Barbarorum autem est miserorum imbecillitate, & stoliditate ad compendia sua abuti.

In illo regno omnes serui sunt excepto vno.

Integræ gẽti prouidere debet magistratus, & non seruiliter eam premere.

§. 5. Non potest esse diuturnum hoc imperium, quia violentum, quia omnes illud detestantur, etiam illi qui summo in honore, ac deliciis viuunt. Extrema tentant, quorum miserrima fortuna est, & cum omnia meliora putent, illis, quæ patiuntur, leui momento impulsi, magnum aliquid audent, atque inopinum; quia etsi nihil sperant, non tamen habent, quod desperent, cum afflictissimo in statu manere sit desperantium, mouere ali-

quid, & turbare, animi non degeneris indicium.

Reuera sapienter à Seneca dictum: *Non diu potest, quæ multorum malo exercetur, stare potentia.* lib. 3. de ira. cap. 16. Phalaris supra annos 32. regnauit, sed postquam primus furor exsæuiit, iustitiam & clementiam coluit. Ingenio & vi pollebat ad occupandum, moderatione opus erat ad retinendum. Quanquam autem omnes id mordicus teneant, *Pedibus tractum, non insidentem equo, relinquere tyrannidem oportere.* Liuius lib. 24. Plerique tamen nimia potestate abusi deiecti, & facile sunt excussi. Cum enim homo animal sit politicum, absolutissima Monarchia sit dominatus violentus, & conuenientior beluis, non est secundum naturam, ideoque perpetua esse non potest. Denique tanta potestas cum facile excedat limites rationis, populosque conterat, fit vt corrumpat ipsam rempublicam. Natura liberi omnes sunt, seruitutis nomen clades induxit, ideo respublica in qua nulla libertas est, naturæ contraria est.

§. 6. Turcium imperium obiici solet, quod in Ottomannidarum familia multos iam annos perseuerat, & subiectos tamen illi omnes iniquo ac graui dominatu premunt. Quo in regno nemo demissius, nemo periculosius seruit, quam is qui maxima in dignitate, potentiaque versatur.

Imperium Turcicum 300. annos stetit.

Equidem ferreum esse iugum Asiæ populis, multisque Europæ, & Africæ partibus impositum ab Ottomannis, & iam pene inueterasse, vt iustum imperium videri possit, tot gentium querelæ, vrbiumque gemitus testantur, Trecentos annos illa tyrannis iam perseuerat: anno enim 1300. Ottommanni industria, & fraude constituta est. Sæuum igitur & diuturnum est imperium, nec desunt, prô pudor! è Christianis qui suis principibus Machometana consilia suggerant, vt principatuum robur, & diuturnitatem tam barbaris exemplis stabiliant.

Scelera gẽtium tam sæua tyrannide Deus punit.

§. 7. Verum ego nequaquam illius Mónarchiæ firmitatem iustæ ac barbaræ dominationi tribuo, sed imprimis iustæ numinis vindictæ, gentes impias, apostatrices, impuras, regi nescias virga ferrea regentis, & conterentis, qui & sæuire tyrannum finit, & miseris gentibus consilia corrumpit, animosque adimit, ne in vltionem assurgant.

Deinde vicinorum mutuæ simultates ac bella Monarchiam illam omnibus formidabilem exercerunt. Quia vero multorum politicorum oculos, Turcorum diuturna potentia perstringit, rem penitius considerare mihi animus est. Anno 1300. Ottomannus Turcorum regulos discordia imbecilles variis prœliis cecidit, & è multorum spoliis magnus factus est ipse imperator, annos 27. imperio præfuit, vir magni consilii, & cum subitæ res occurrerent, temerariæ, sed felicis tamen audaciæ. Ottammanni filius Orchanes, à parricidio duorum fratrum maiorum natu imperium auspicatus est, quod aliquanto melius gessit, quam incepit, magnam Imperii Constantinopolitani partem suo regno adiecit, non sua virtute, sed Andronicorum aui & nepotis, deinde Cantacuzeni, & Palæologi diuturnis dissidiis, ciuilibusque bellis adiutus, nam illis scelere, perfidia, cæde mutua certantibus, facile destitutas auxilio regiones occupauit, & in auxilia partium tractus, quod magnatibus vsitatum est, vicinorum calamitates in occasionem crescendi conuertit. Orchani successit Amurathes, ambitione, laborum tolerantia, calliditate, disciplina militari, robore, æquitate, comitate, moderatione, blanditiis omnibus Turcorum ducibus superior, faciles ad illum aditus, mitis vultus, in honoribus distribuendis, compellandoque summa humanitas: Alia erat itaque ea tempestate imperii facies, & sub crescente monarchia si non illibata libertas, magna tamen securitas, nec tamen suo marte imperium Constantinopolitanum fregit, sed vocatus à Palæologo, quem Græci proceres Bulgarorum auxilio adiuti premebant, eos deuicit, deinde iterum eius miles auaritia naucleri Christiani in Europam vectus facilem de Græcis victoriam habuit.

Initia Ottomannorum ex alienis dissidiis.

Initia & progressus

Turcici imperij blandiora fuerunt.

Amurathis filius Baiazetes fratris Solymanni interfector, ferocior fuit, Sigismundum regem Hungariæ castris exuit, sed in eo prœlio tam à nostris potius peccatum est, quam fortiter à Turcis actum. Galli enim dum inuitis ducibus inconsulte procurrunt ab equitatu circumuenti occidione deleti sunt. Hic anno 1394. à Tamerlane victus, & caueæ inclusus fuit, magna tum clade Turcicum imperium affectum est, nam præter 140000. qui in acie occubuerunt, centum viginti millia ab equitatu obtrita sunt.

Græci iterum iuuant Turcas.

Res collapsas Calepinus Baiazetæ filius restituit, collectis veteranis, & à Græcis principibus adiutus, firmauit deinde felici prœlio contra Sigismundum Hungariæ, nam equitatus Christianorum temerario impetu in hostem delatus, antequam à pedite auxilia ferri possent, in fugam actus est, & pedestrem aciem turbatam hostilibus sagittis conficiendam præbuit.

Tyrannidem aggrauare cœpit Calepinus.

Calepini filium Orcanem Moses insidiis circumuentum occidit, Mosen Machometes, qui primus regnum vtcunque hactenus politicum durius, atque atrocius effecit, Regulos enim & principes Turcorum sibi quacunque causa suspectos, vi, fraude, armis oppressos ditionibus spoliauit, lateque patuit ea clades, vt paulo post principes nulli fuerint, sed mera mancipia, mortuus ille est anno 1419. Ex quo colligas ad illud vsque tempus monarchiam Turcicam optimatum potentia temperatam fuisse. Sequitur alter Amurathes quem Ioannes Hunniades quinque prœliis vicit, quem Scanderbeius Crozæ obsidione depulsum mori coëgit. Clades intulit Græcis, sed eorum tanta erat ignauia, vt pugnaturi nullum è sua gente ducem, sed Mustapham Amurathæ patruum deligerent, & eo victo, alium Mustapham Amurathæ fratrem adolescentem annorum 13. exercitui præficerent. Quid igitur mirum, si cæteris Christianorum ociosis, aliis etiam prodentibus, Græcis vero imperii sui fortunam in exulem puerum conferentibus, creuit Amurathes?

Imperium Turcicum annos 119. optimatum regimine temperatum.

Perfidia Christianorum victor Turca.

In perfectam tyrannidem degenerauit hoc imperium sub Machomete secundo, qui Constantinopolim anno 1453. occupauit. Non suorum Turcorum virtute, sed Illyricorum, Walachorum, Dardanorum, Seruiorum, Bulgarorum perfidioso labore, & auaritia, hæ enim gentes illi militatum spe prædæ venerant. Ille in suos sæuus, omnis iuris, & iurisiurandi, numinumque contemptor, absolutissimum tyrannum egit, sublato æmulo rege Constantinopolitano, mortua est illa belua anno 1487. ac tum patuit, quam nullo consilio regnum illud fuerit institutum. Nam de successore purpurati Bassæ, & Ianizari dissenserunt, vt ad pugnas, & cædes veniretur: Ianizari Baiazethen, adnitentibus generis illius, imperatorem dixerunt. Alii Baiazethis filium Corchutum elegerunt, vt puero rege, ipsi rerum domini essent. Sed patri cessit adolescens, & largitione placati milites. Non minus bellum ei frater Gemes mouit, & tribus prœliis victus, ad Christianos profugit. Clades multas intulit Barazethes Venetis, sed mox repressus pacem facere coactus

coactus est; à Persis vero maiores pertulit, vt parum abfuerit, quin vna expeditione Asiam septentrionalem amitteret. Interim tres eius filii, Selymus, Acomathes, Corchutus de imperio certant, Selymus ope Ianizarorum obtinuit, & veneno patrem necauit, fratrum filios, non modo fratres interfecit, Persas attriuit, sed amissis 100000. suorum.

Selymum secutus Solimannus, & Solimannum Selymus tertius, qui sæuitia, & rapacitate maiores superarunt.

Aetas tyrannidis Ottomannicæ.

§. 8. His bene perspectis annos 160. durasse hoc imperium comperiemus, ab eo tempore, quo absolutissimum, & plane tyrannicum esse cœpit. Sed tamen infelicissimum fuit. Primo in ipsa stirpe Ottomannica, ex qua vnus regno destinatur, vel pellicis alicuius blanditiis, vel tumultu militari, cætera omnis domus sua morte securitatem regnanti præstare cogitur. Fratrum, & nepotum turba mactatur, vt vnicus sine metu imperet. Nec id tamen vnquam contigit. Nam filii Baiazetes, & posteri bellis ciuilibus atque externis attriti sunt.

Miseriæ domus Ottomannicæ.

Mala itaque perpetua sunt in hoc regno. Nam primo cum multi sint filii, vt pote in magna plurium coniugiorum licentia, omnes tamen spem imperii concipiunt, vel de fauore parentis, vel militum prætorianorum, deinde spem illam acuit, adiunctus mortis timor, cum inter solium, & sepulchrum, inter diadema, & laqueum nihil in medio sit relictum. quid igitur metuant morituri? Timor extremus fiduciam parit, & honestæ glorioseque mortis ambitum. Tertio, Metus ille, & spes, filios patri suspectos, & infensos efficit, cum enim vnum præferri aliis minimo signo didicerint, iam à patre se morti addictos arbitrantur. Addo quod totam domum imperatoriam ad vnum caput redigant, cui si humanius aliquid contingat, iam aut nullus, aut puer hæres futurus sit. Subditorum vero innumeræ ex eo calamitates oriuntur, agricultura omnino deseritur, regiones ita spoliant, vt vix vitæ necessaria illis relinquantur, nemo agricolarum de peculio cogitat, tam nobiles, tam fertiles agri longe lateque siluescunt, & iniuria regnantium omnia ad vastitatem tendunt. Arma omnibus adimuntur, solum paucis quasi latronibus omnia permittuntur. Ex quo constat regnum hoc debilissimum esse, & vicinorum discordia stetisse, si stetisse est tot calamitatibus, & cœdibus fœdatum esse. Concludo igitur Monarchiam illam absolutam, & de spoticam pernicioſam, breuem, metus, & sanguinis plenam esse, omnibus inuadentibus obnoxiam.

Domus Ottomannica carnificinâ à se incipit.

Monarchia Aristocratiopolitica probatur.

§. 9. Alterum igitur statuendum est, Monarchiam temperatam, in qua optimatum, siue senatus valeat auctoritas, in qua ciuitatum atque aliorum ordinum sit nonnulla potestas, præferendam esse. In qua tamen hoc cauendum ne precario rex imperet; sed vbi iuste, & secundum leges iudicarit, summa illius sit potestas; si enim vigor potestatis summæ marcescat, necesse est subditorum res agi, & ferri; cum sine metu legum continno potentiorum iniuriæ crescant.

Ratio prima est, quia sic videmus plerosque censuisse sapientes. Plato in Politico. Aristot. lib. 3. polit. cap. 5. & lib. 8. cap. 10. Herod. libr. 3. Quin omnibus illud Homericum probatum est:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.
Non est bonus plurium dominatus, vnus dominus esto.

Pro Monarchia est sapientum sententia.

Philo libro de confusione linguarum, Plutarchus in septem sapientum conuiuio, item de Monarchia, Oligarchia, & Democratia, Demosthenes contra Androcionem, & Timocratem, Mœcenas apud Augustum, Philostratus apud Vespasianum, Isocrat. in Nicocle, Strobæus sermone 45. Eadem etiam sententia fuit sanctorum Patrum. Iustin. Exhortatione ad gentes, Cyprian. de Idolorum Vanitate, Athanasii oratione aduersus idola. Hieronymus epistol. ad Rusticum Monachum, D. Thom. libro quarto, contra gentes. Neque vero facile dissentientem inuenias, etiam ex illis, qui in libera Republica educati honores, & Magistratus gesserunt. Cicero sane, *Olim vnius imperium ciuitati placuisse fatetur,* nec regale ciuitatis genus regni, sed regis vitiis repudiatum esse. lib. 3. de legibus.

Ita olim in vsu fuit.

§. 10. Nec modo ea est sapientium mens & consensus, sed orbis vniuersi vsus. Omnes enim gentes antiquæ primum regibus paruerunt. Cicero libr. 3. de legibus. Iustinus libr. 1. *Principio rerum gentiumque imperium penes reges fuit.* Seneca, *Secundum naturam esse regale ciuitatis genus* arbitratur libr. 1. de clementia. *Natura enim commenta est regem: quod ex aliis animalibus licet cognoscere & ex apibus, quarum regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco. Præterea onere caret, exactor alienorum operum, & amisso rege totum dilabitur examen.*

Initia regnorum.

Idem nobis antiquitas, sacra ac profana historia, auctoritate sua consignauit. Postquam enim viuentibus adhuc Noe, eiusque filiis linguarum confusionem insanæ turris machinatio induxit, singulæ familiæ reges habere cœperunt. Quin etiam Nemrod filius Chus, nepos Cham ad ipsam arcam genitus, quæ totum genus humanum angustis spaciis incluserat, regnum meditatus est in finitimos. Ille enim *potens esse cœpit in terra, & robustus venator coram Domino.* certe à diluuio vsque ad Phaleg anni sunt 101. at ex eo nomen ille accepit, quod in diebus eius diuisa sit terra. Genes. 10. 25. à Phaleg ad Abraham anni sunt 191. at tum iam omnia plena regibus, & vrbibus erant, imo iam regum fœdera noscebantur, & seruitia. Reges enim Chananitidis annis duodecim seruierunt Chodorlahomor regi Elamitarum, cui erat rex Sennaar, seu Babylonis confœderatus. Elamitæ autem Persæ sunt, vt mirum sit Noacho, atque adeo Elemo, Iapheto, & Chamo superstitibus, imo Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg qui sub vno auo, sub vno tecto educati erant, spectantibus, tanta bella gessisse nepotes, vt à Perside vsque venerint cum exercitu hostili, Raphaim, Carnaim, Zuzim, Emim, Chorrhæos percusserint, vsque ad solitudinem Pharan proruerint.

Cum igitur non amplius sub vero patrefamilias viuerent, non tamen sine vnico magistratu esse voluerunt, sed viros quorum integritati, prudentiæ, fortitudini fidebant, sibi præfecerunt. Nec ea consuetudo postea esse desiit; ita 1. Reg. 8. Israelitæ regem postulant. *Constitue nobis regem, sicut & vniuersæ habent nationes.* Libertas rerumpublicarum in Græcia, & paucis Italicis, ac Punicis vrbibus fuit. Pauci enim libertatem, magna pars iustos Dominos volunt.

Monarchiæ stabiles sunt

§. 11. Altera ratio qua nobis Monarchia commendatur, est diuturnitas. Assyriorum regnum 1240. Medorum 260. Persarum 233. & post Græcorum abolitam potentiam 480. Spartæ 500. Moabitarum, Ammonitarum, Ægyptiorum plurimos annos perseuerarunt. Omnium vrbium quæ Aristocratiam, aut Politiam tenuerunt, breuissima fuit gubernatio, secuta tyrannis vel exitium. Crudelitate, auaritia, contumelia infames tyranni in Græcia, Italiaque fuerunt, quia breuem

populi potentiam graui seruitio atterendam putabant.

Romæ perpetuo tumultuatum est.

Libere fuere Siculæ ciuitates, sed per temporum interualla tyrannis in prædam datæ. Quoties Athenæ, Corinthus, aliæque Græcorum vrbes tyrannos passæ sunt? Roma vero annos quadringentos, quibus inter reges, & Cæsares libertatem se habere professa est, nonne quasi in perpetuo certamine, ac tumultu vixit? hinc secessiones, hinc fracti consulum fasces, & odio imperatoris hosti prædita victoria. hinc tribunitia potestas, coniugiorum, & honorum communicatio, Tribuni militares, Decemuiri legum scribundarum, dictatores magistri equitum. Quis annus absque tumultu, nisi cum partibus ab hoste communis timor impenderet, transactus est? Inter se itaque collisi sunt Romanæ vrbis incolæ, donec ad vnum Respublica perueniret. Sola Venetorum respublica cum optimatum sit, iam annos mille numerat, quod est vnicum Aristocratiæ diuturnæ exemplum. Verum cum ducem, quem magnum vocant, habeat perpetuum, tam mihi Monarchicum, quam Aristocraticum imperium videri solet.

Veneta Respub. specie Monarchiæ tenet.

Quanquam enim penes senatum seu grande cõsilium decernendi, & iubendi sit auctoritas, Dux tamen est senatus, & totius Reipublicæ caput. Ac primõ quidem magistratus ille seu principatus est perpetuus, quod sane Aristocratiæ amatores plurimum reformidare solent, quamobrem Antonius ad hominum conciliandas voluntates dictatoris nomen & potestatem in perpetuum lege lata sustulit, quod Iulius Cæsar perpetuam dictaturam recepisset. Deinde, Ducis Veneti est senatum cogere, & consulere: quanquam ipse nihil nisi ex decreto senatus statuat, quod perinde est ac si Romæ perpetuum consulatum gereret. Quod sane genus Reipublicæ de regio gubernandi genere plurimum trahit. Tertio, cum Venetiis sint facile se xaginta nouem siue Consilia, siue Tribunalia, & iudicum ordines, his omnibus dux interesse, & præesse potest, quod quanti sit in Republica, nemo ignorat. Quarto, Honos illi regius, siue comitatum publicum, siue aliorum erga eum obseruantiam spectes, defertur. Denique quanta sit ducis potestas, optimatum timor ostendit. Nam ætate profectum, moderatum, Reipublicæ amantem, atque animi ciuilis hominem ad hoc fastigium euehere solent, ac summa cura eniti, ne vel populi fauore sibi conciliandi, vel principum amicitiis aucupandis potentior effici queat. Si enim Sylla, vel Marius, vel Iulius quispiam eam qua Venetiarum dux præditus est, auctoritatem consequeretur, haud difficili euentu totam sibi Rempublicam subderet, qua in re haud parum adiuuaretur ipsa decretorum forma, quæ omnia ducis nomine perscribuntur, atque euulgantur. Hæc qui perpenderit, Aristocratiæ diuturnitatem, ex Monarchiæ coniunctione esse, facile intelliget; Nam perpetuitas dignitatis, ius conuocandi, & consulendi senatus, ius omnia consilia, conuentusque iudicum, cum dignitate ac prærogatiua adeundi, honos ac splendor principalis, decretorum suo nomine edendorum potestas tam sunt propria Monarchiæ, vt Romani singula, quasi regia detestati sint. Quid aliud Pompeius, quam princeps senatus sed regnantis esse cupiuit? Quid Cæsar, nisi vt absentis ratio haberetur? Quanta inter Socerum Generumque bella exorta sunt, quia ferre non poterat

Potestas ducis Venetorum.

Venetiæ cõparatæ Romanis Monarchiam habent.

Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem?

Cur tot vulneribus ante statuam Pompei immolatus Cæsar? Quia dictaturam perpetuam retinebat. At vero magnus dux Venetiarum, seu consul, seu dictator perpetuus haberi merito debet, cuius nomine omnia peraguntur, ad quem in Concilio suam legati orationem dirigunt. Cui etsi non omnino dictatoria est potestas, regius est tamen honor.

Itaque hac in re Venetam Rempublicam præpono Romanæ, libera est enim innumeris periculis, quæ ex ambitiosorum concertationibus oriebantur, neque in illa

Annua venali redeunt certamina campo.

Veneta Respub. melior est Romana.

§. 12. Tertia ratio cur Monarchiam præferam est, quod in ea maxime, facilime que concordia, coniunctioque animorum conseruari queat. Nulla respublica sine concordia potest consistere, vix vlla sine discordia interiit. Sub vno facile seruatur vnitas. Itaque etiam in Ecclesia sua Deus voluit vno gubernatore, ac capite constituto dissensionem ac schismatum occasiones tollere. Eadem fuit etiam mens ac sententia politicorum. Tacitus 1. ann. *Discordantis patriæ non aliud remedium esse, quam si ab vno regeretur.* Causam nobis natura ipsa dictat. In optimatum namque regimine, sparsa est in plures potentia, quæ cum diuersis sententiis, atque affectibus iactetur, Rempublicam distrahit, vbi vnus imperat, singulorum animi se dictis illius accommodant, nec ciuitatem diuidere queunt, vni maiori imperio subiecti.

Potentia diuisa inter discordes Rempub. euertit.

Romæ & Athenis perpetuæ discordiæ.

Optimatum discordias in vrbe Romana si spectemus, eas & perpetuas, & pernicios issimas inueniemus. Athenis vbi populare ciuitatis genus præualuit: tanta fuit principum discordia, ac simultas, nemo ex optimis viris vt exilium, aut multam effugerit. Semper enim potentium certamina sunt, nisi singulorum vires, cupiditatesque maior aliqua potestas coerceat, ac vinciat, raro duo consules collegæ, rarissime decem tribuni concordes fuerunt. Ciuitates autem Italicæ Friderici temporibus, & deinceps continuis magistratuum contentionibus pene exhaustæ sunt, dum inuicem exilia patiuntur, atque inferunt. Florentiæ vicini contra vicinos è turribus pugnabant, Mediolani nobiles & plebs in se mutuo sæuiebant, Parauini, Veronenses, aliique populi odio, ac fastidio suorum ciuium, exteros iudices malebant.

Iustitiam non recte administrant optimates.

§. 13. Quarta ratio. Nec modo concordia facilius custodiri potest, sed etiam iustitia, si vnum imperii corpus vna anima regatur? Cum enim optimates imperant, sese mutuo respectant, sibi ignoscunt, aliis alii indulgent, vt pari ipsi impunitate fruantur, interim

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Reges facile iudices continent.

Regibus maior est cura, efficacior auctoritas ad iustitiam conseruandam, minor causa eius violandæ. Nam vel ius princeps ipse dicit, atque ita haud facile ab integritate, ac rectitudine discedit, vel iudices constituit, quos rationis reddendæ cura facile in officio continet, nec opprimere reum, nec gratificari agnatis, aut potentibus possunt, cum appellatio ad principem, & sententiæ latæ examen legum obseruantiam non modo suadeat, sed prævaricatori etiam pœnam præsentem denunciet. Nam improbos iudices facilime plectunt principes, quamuis nec ipsi iustitiæ amantes sint: cuius rei causa est quia summa gloria sua, in eos tanquam publicos latrones animaduertunt; deinde amorẽ quoq; subiectorum sibi conciliant, tanq̃ præsidum, quos omnes oderũt, sint & ipsi inimici, deniq; ærariũ mortibus & con-

confiscationibus pecuniosorum magistratuum locupletare antiquum est. Cum igitur à regibus cõstituti iudices, non ignorent sibi aliquãdo subeundum iudicium, magnopere cauent, ne sua damnatione famam principis celebrare, & fiscum augere cogantur. Durum est despoticum Ottomannidarum imperiũ, sed tamen in tam cruda tyrannide, prouinciarum atque vrbium præfecti, omnem iniustitiæ speciem vehementer reformidant, multique in singulos annos ob minimas noxas publicatis bonis trucidantur, quæ sæuities crudelitatem Tyranni populis facit tolerabiliorem, cum tyrannidis administros puniri intelligunt.

Plebs gaudet cum ministri principum puniuntur.

Quanta vero indignitate, violentiaq; inter optimates iustitia, legesque vexentur, nemo facilius æstimarit, quam is qui Romanorum gesta perpenderit, qui gentium iustissimi habebantur. Quid passa sit apud illos terrarum Dominos iustitia ex Romano consule audiamus. *Inueterauit,* (inquit, Orat. 5. in Verrem) *iam opinio pernicioſa reipublicæ, vobisque periculosa; quæ non modo Romæ, sed & apud exteras nationes, omnium sermone percrebuit, his iudiciis, quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quamuis sit nocens, neminẽ posse damnari.* Nec sine causa iactabat Verres; *Illis esse metuendum, qui quod ipsis solis satis esset, surripuissent; se tantum rapuisse, vt id multis satis esse posit: Nihil esse tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia posit.*

Iudicia Romana infamia.

Nec dubitauit ille hoc publice apud Quirites profiteri cum pro lege Manilia disputaret. *Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos, cum imperio misimus, iniurias, ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris, nostris magistratibus religiosum, quam ciuitatem sanctam, quam domum satis clausam, ac munitam fuisse? Vrbes iam locupletes ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur.* Et: *Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios, atque amicos? Quæ ciuitas est in Asia, quæ non modo Imperatoris aut legati, sed vnius tribuni militum animos, ac Spiritus capere posit.* Exclamat idem ille. *Nulla in iudiciis seueritas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia.* Nihil vero magis iudicia corrupta ostendit, quam quod Cicero Romæ pro concione commemorare ausus est. *Arbitrari se, fore vti nationes exteræ legatos ad populum Romanum mitterent, vt lex de pecuniis repetundis, iudiciumque tolleretur. Si enim iudicia nulla sint, tantum vnumquemque ablaturum putant, quantum sibi ab liberis suis satis esse arbitretur: nunc quod eiusmodi iudicia sint, tantum vnumquemque auferre, quantum sibi, patronis, aduocatis, prætoribus, iudicibus satis futurum sit. Hoc profecto infinitum esse, se auarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimæ victoriæ non posse. O commemoranda iudicia, præclaramque existimationem nostri ordinis, cum socii populi Romani iudicia de pecuniis repetundis fieri nolunt, quæ à maioribus nostris, sociorum causa comparata sunt.* Ita consul Romanus de sua Republica.

Causa tantę improbitatis ac turpitudinis fuit forma Reipublicæ Aristocratica: Cum enim optimates vel sibi cognatione, vel affinitate iuncti essent, cum iisdem in culpis hærerent, aut ab aliis sibi indulgeri desiderarent, cum auari, egentesque, & prodigi viuerent, denique cum per flagitia, & adulationes fauorem potentium sibi conciliarent, populum, prouincias, Rempublicam, postremo se ipsi perdidere. Neque enim orbis terrarum, qui cuiusuis etiam auarissimi cupiditatem explere posset, tot millibus sufficiebat, præsertim cum in singulos annos noui prædones mitterentur, qui effusis patrimoniis, ius vexandarum, spoliandarumque prouinciarum populi suffragio se obtinuisse arbitrabantur. Difficilis est igitur res in optimatum, & populi imperio iustitia, facilius illa etiam sub iniquo rege custoditur. Vnus etiam vel copia, vel fastidio frenat cupiditatem facilius, quam multi.

Ex Aristocratia sunt nata illa iudiciorum dedecora.

§. 14. Sexta ratio. Quanquam vetus sit querela de raritate principum bonorum, & aut malignitate vulgi libenter magistratui obtrectantis, aut veritate iactetur: *omnes bonos principes vni annulo inscribi posse*; plures tamen respublicas à regibus, & Monarchis, quam optimatibus, aut populo recte administratas inuenio. Nam facilius vnus recti honestique tenax inuenitur, quam multi. Catonis imprudentiam Cicero reprehendit, quod tanquam in Platonis republica, ita in fæce Romuli sententiam diceret.

Raritas bonorum principum, sed maior optimatum.

Quis ergo in tam vasta curia, in tanto numeroso patrum conscriptorum exercitu vir bonus erat? Egone Catonem quidem ipsum in bonis numerauero, idque facio Tullio consentiente, qui in Epistolis Catonem in se malignum fuisse queritur, at bonus senator non est, qui in patrem patriæ malignus est. Cum igitur magna sit bonorum, constantium, prudentium raritas, necesse est, vbi ad magistratus adhibentur multi, ab improbis, leuibus, stolidis vt plurimum eas respublicas administrari. Idque eo magis quod ambitu, largitione, fraude, audacia, violentia, viam sibi mali aperiunt, boni sola virtute nituntur, quæ tamen crebro calumniis opprimitur sæpe exosa est. Quod vero insignium virorum multitudinem hodie videmus in quibusdam Rebuspublicis, id Christianum fidei opus est, non politicæ disciplinæ.

Forma senatus Romani.

§. 15. Septima ratio ducitur ex natura populi, qui timere regem, inuidere optimatibus solet. Rex enim quasi Deus quidem supra inuidiam positus videtur, optimates ciues, & suo modo æquales videntur; liuor autem inter ὁμοτέχνους, & similes exardescit. Hinc in populum melius animatus esse rex solet, quam optimates, & è contrario populorum mirabiles in suos reges affectus historiæ tradunt. Quanto eos gaudio excipiunt, quo fletu mortuos prosequuntur? Nempe illis fidunt, optimates suspectos habent. Regis est enim populum tueri, & fere non nisi potentibus formidabilis est. Βούλεται δὲ (inquit Aristoteles) βασιλεὺς εἶ φύλαξ, ὅπως οἱ μὲν κεκτημένοι τας οὐσίας, μηδὲν ἄδικον παίχωσι, ὁ δὲ δῆμος μὴ ὑβρίζεται μηδέν. *Regis officium est, vt curet, ne opulenti iniuriam patiantur, populus vero nulla in re contumelia afficiatur.* Hoc vt plurimum faciunt principes, cum in alio Reipublicæ genere, diuites per tenuiorum vexationes contumeliasque ad immensas opes aspirent, at vero cum firmior, meliorque sit illa ciuitas, in qua rector, & subditi mutua caritate concordiaque iunguntur, quam illa in qua magistratus oderunt subiecti, non est dubitandum, quin Monarchiam cæteris Reipublicæ formis præferri oporteat.

Rex timetur, optimatibus inuidetur.

Regem populus amat.

Optimatibus inuidet.

§. 16. Octaua ratio. Nihil turpius, nihil perniciosius est in republica, quã magistratuum contemptus, is in regno rarissime, in populari ac magnatum regimine semper locum habet. Princeps si lenis, stolidus, pauper, meticulosus, libidinosus est, contemni solet. hæc enim vitia populorum magis dicteria, & despicientiam quam odia excitare solent, quia tamen hisce improborum, & seditiosorum audacia roboratur, facile princeps ille euertitur. Precario enim imperat, cuius viri boni miserentur, quem despiciunt mali. Sed in principe seu Monarcha quanquam hæc omnia insunt, non tamen facile agnoscuntur, aut æstimantur.

Optimates facile contemnuntur.

Multa

Multa per se, multa per suos animose prudenter, magnifice, caste agere potest, quæ famam honesti, & regni firmitatem concilient.

Alexander Magnus homo turpissimus Darii coniuge, ac filiabus, pudice asseruatis magnam laudem assecutus est. Claudius leuis, stolidus, timidus, magnitudine imperii multo tempore tutus fuit; nam tantam potestatem etiam in contemptissimo homuncione venerātur, ita initio regni sane gratissim⁹ fuit. Quod si in optimatibus ista dedecora deprehēsa fuerint, sine metu vulgantur ab æmulis, auidissime accipiuntur à populis, & cum nihil sit, quo auctoritas retineatur, summo apud omnes sunt contemptui, idque adeo etiam magis in Democratia, cum vitia inter domesticas sordes nata, clauum reipublicæ inuadunt, & mimos ac scurras potius, quam rectores populis ostentant.

Monarchiæ vires vnitæ. §.17. Nona ratio. Monarchia vires vnitas habet, alia reipublicæ genera dissipatas. Themistocles inuidet Aristeidæ, & eius trophæis angitur, Pompeiū vrit Cæsaris gloria, & vel Galliarum amissione socerum perderet, Cato Scipionem allatrat, Hanno Hannibalem, maluntque victoria carere, quam ciuem victoria gloriosum cernere. Hinc nunquam Respublica optimatum, aut popularis sibi αὐτάρκης sufficiensque est, sed cum opus est potentiam exerere, cum tumultu aut bello petitur, Monarcham designant. Bello ducem vnum præficiunt: in periculo dictatorem consul dicit. Hanc igitur partem concludamus, ac nobiscum statuamus. Vnum in mundo Deum, vnum solem, vnum in vna republica ducem esse oportere. Sed nunc tamen eos qui aliter sentiunt audiamus.

Caput XXII.

Rationes pro optimatum, & populari regimine infirmas esse.

Tyranni Monarchiā infamant, §.1. Vt multa contra regum, principumque imperia à viris doctis, & politicis adferantur, faciunt tyrannorum importuni mores, & vitia, quasi ego Mezentios, Phalaridas, Nerones, Vcilinos, ac similia humanæ naturæ dehonestamenta defendam, quorum memoriam ne quidem hærere in principum animis oportebat. Itaque principem benignum, moderatum, prudentem, & frugi malo, quā nobilium aut plebis dominatum. Tyrannum detestor, absoluta Scytharum, Persarum, Turcarum imperia, & παμβασιλείας repudio, temperatam legibus, astrictam moribus, fultam optimatum auctoritate, obnoxiam iustis populi boni voluntatibus Monarchiam prædico, obligatam reciproco iureiurando fidem probo. Et vt verbo dicam. Hanc rempublicā probo, in qua quam plurimum boni potest princeps, & quam minimum mali, in qua leges plus possunt, quam potentia, in qua cum rege æquo iure priuatus contendere potest, in qua cadere causa, & possessione priuata deiici summa potestas non iudicat sua maiestate indignum. Magna est illa, ac plane regia dignitas Francorum, quod cum de possessionibus lis oritur, æquo iure respondeant subditis, eumque regem qui primus legem tam salutarem tulit, supra regnum fuisse existimo. Hæc si recte perpendimus; pleraque iam argumenta contra Monarchiam concidisse reperiemus.

Potestas legibus parēt.

Francica lex egregia.

Sdd nunc optimatum & plebis, vt videri volunt, defensores causam dicant.

§. 2. Primo obiicitur nobis auctoritas diuina, Deus enim Iudæis regem petentibus grauissime iratus scitur. *Audi,* inquit *Deus,* 1.Reg.8.7. *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua quæ fecerunt, à die qua eduxi eos, de Aegypto, vsque ad diem hunc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi.* Et cap. 11. 16. *Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est hodie. Inuocabo dominum, & dabit voces, & pluuias; & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis in conspectu Domini petentes super vos regem.* Et populos quoque delictum suum tempestate, & tonitru attonitus agnouit. *Ora,* inquit, *pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuersis peccatis malū, vt peteremus nobis regem.* Malum igitur est regem petere, & regnum à Deo non est, nisi irato, & puniente. Et sane grauis est, quæ additur ratio. *Me abiecerunt, ne regnem super eos.* Cum igitur in regnum exaltatur homo mortalis, à regno Dei receditur, & rex immortalis throno suo deturbatur.

Iudæi regē petendo pec carunt.

Ius regni datum est Iudæis.

§. 3. Haud difficilis est hæc quidem in causa responsio. Diuino enim oraculo constituendi regis conceditur facultas, Deut. 17. 15. Et Gen. 17. 49. Promittitur Abrahamo fore vt ex ipso *reges nascantur,* non esset autem promissionis vlla gratia, si omne regnum esset iniustum, & reges instar latronum detestabiles. Denique non iussit Israelitas ad Aristocratiam, vel Democratiam redire, sed regnum esse iussit, multosque reges insigni virtute, regnandique scientia dedit. Quid igitur petendo regem peccarūt? Primo in Samuelem Prophetam, ducemque suum ingrati erant, quem optime de se meritum, optimeque gubernantem Rempublicam, potestate se abdicare coegerunt, & regi subdiderunt. Deinde à Dei voluntate, imperioque recesserunt, cuius iussu atq; auctoritate tum Samuel, tum alii iudices dati erant, quorum minor erat, quam regia potestas; nam quāuis Monarchicum hoc esset regimen, valde tamen magna erat optimatum & populi libertas, adeo vt *quisque quod sibi rectum esse videbatur, id faceret.* Formam Reipublicæ igitur à Deo constitutam importune mutare cupierunt. Tertio causa mutandæ reipublicæ sufficiens non fuit. Quanquam enim filii Samuelis à patre degeneres, non ambulauerunt in viis eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium, poterant tamen illi à Samuele & republica corrigi, de dignitate deiici, iudicesque, quorum esset spectata integritas, sanctitasque, constitui, non autem necesse erat, eam ob causam, nouam Reipublicæ formam inducere. Quasi non possent & reges iudicium peruertere. Quarto, Deo diffidebant, eiusque beneficiis erant ingrati, vano enim timore Ammonitarum regem popposcerunt. Exprobrat hoc illis Samuel 1.Reg.c.12. Nunc ergo state vt iudicio contendam aduersum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris, quomodo Iacob ingressus est in Ægyptum, & clamauerunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocauit eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Christianorum, & in manu regis Moab, & pugnauerunt aduersum eos. Postea autem clamauerunt ad Dominum & dixerunt, peccauimus, quia dereliquimus Dominum, & seruiuim⁹ Baalim & Astaroth; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi. Et misit Domin⁹ Ierobaal & Badan & Samson, & Barac, & Iephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidēter. Videntes autem ꝙ Naas rex filiorum Ammon

Iudæi Samuelī ingrati fuere.

Deo non fidebant.

venis-

veniſſet aduerſum vos, dixiſtis mihi; Nequaquam, ſed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus veſter regnaret in nobis. Nunc ergo præſto eſt rex veſter, quem elegiſtis & petiſtis: ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Dominum, & ſeruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaſperaueritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum. Si autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.

Denique regem, vt habebant omnes in circuitu nationes, poſtulabant, vt nempe illo externo ſplendore oculos paſcerent, atq; ad inſignem potentiam, licentiamque peruenirent. Magnates enim honores ſibi & aulicas dignitates, populus opes, & luxum meditabatur, atque ita omnes præſentium faſtidioſi, & futuris inhiantes regem petebāt. Quaſi nullum Gedeonem, aut Sampſonem excitare amplius Deus poſſet; qua re grauiter deliquerunt, Deum ſummum imperatorem ſuum, qui iudices, & belli duces conſtituere ſolitus erat, reiiciendo, & ſpecialiſſimam eius, ac beneuolentiſſimam prouidentiam, qua ipſe populum ſuum gubernabat, & ſuaui imperio ſine tributis, exactionibuſque moderabatur, contemnendo.

§. 4. Secundo obiiciunt. Prudentia maior eſt in multis: apud principes ſumma eſt penuria veritatis. Præſtat igitur multorum conſiliis, quā vnius, quantumuis prudentis iudicio populorum ſalutem fortunaſque committi.

Principes ſæpe ſapientia deficit.

Reſpondeo id quidem optandum, vt vnus multorum inſtar, imperet, vt reges prudentia, conſilioq; valeant, ac diuino imprimis Spiritu ipſi, vt Dauid, & Salomon gubernentur; verum nec ſemper ſceptrum ſapientia comitatur, & faſtus purpuræ crebro Spiritum ſanctum excludit. Hinc temeraria frequenter conſilia, & ſine conſiliis negociorum præcipitationes; non regni vitio, ſed regum. Non tamen video, cur non & reges prudentia, vſuq; ſpectatos conſiliarios habere queant, & optimatum magnam ſæpe partem rudem conſtat eſſe. Nunc profecto in Germania, Italia, cæteriſque Europæ regnis ſapientum, & fortium virorum copiam eſſe eximiam videmus.

Conſiliarij multi & boni adiumēto ſunt principi.

Quamuis igitur principem, vel ingenium, vel eruditio, vel prudentia ex parte deficiat, de conſilii tamen ſententia ſalutaria multa decernet, quodque decretum fuerit, quia ab vno pendet, celeriter effici poteſt. in optimatum conſultationibus quamuis conſenſio ſit, ob æmulationem tamen, fauores, aliaque incommoda, tarde, & non ſine altercationibus ad executionem peruenitur. Quod igitur in conſiliis poſſet habere præcipuum multitudo ſuffragiorum, hoc perdit tarditas, & impedimenta rerum gerendarum.

§. 5. Tertio obiiciunt. Plures difficilius corrumpuntur, incorruptius iudicāt, vnum facile eſt in fraudem illicere.

Reſpondeo contrarium me capite præcedente docuiſſe, corruptiora fuiſſe in Ariſtocratia, & Politia, quam in regno iudicia, quod exemplo Romanorum patuit. In populari autem Republica documētum nobis dant artium omnium inuentrices, & altrices μεγαλοπόλεες ἀθῆναι, magni vrbes Athenæ, vt monſtri ſimile videatur, in ea vrbe, in qua literarum, artiumque cultus, & Philoſophia ſupremum verticem fixit; in eadem corruptiſſima, iniquiſſima, & vere latrocinantia fuiſſe iudicia. Areopagum non accuſo, quamuis, & illius iudicia auctoritatem amiſerint, nec iudicium tamen fidei, ſed nocti, & tenebris, atque adeo reorum ignorationi integritatem ſuam debet. De populi iudiciis loquor, quibus nihil turpius, perniciosius, iniuſtius. Qui viros bonos, iuſtos, etiam incognitos oſtraciſmo afflictabant, atque exiliis agitabant. qua in re omnem barbariem cultiſſima Attica ſuperauit. Cauſas vt optimatum, & populi iudicia facile corrumpantur, ſupra attuli. Nunc de munerum corruptione loquar, quæ multo facilius penetrat domos iudicum auarorum, egentium, quā regum, quorum immenſæ opes faciunt, vt ſordida priuatorum munera ſpernantur. Si enim, aliquid generoſitatis vel animo gerat, vel moribus præferat princeps, nemo facile oſtendet ſe eum adeo deſpicere, vt precio eum ſibi coemere, atque in turpe obſequium prodendæ iuſtitiæ pertrahere poſſe glorietur.

Facili munere iudex, rex non niſi ingenti corrumpitur.

Cū igitur parua & mediocria dona in ampliſſima regum fortuna, non faciant momentum, cum difficilis ſit, & periculoſus ad eos aditus, ſinceriora ab illis iudicia exſpectare licet. In ciuium penates etiam pauculi nummi, iuuenci, lepuſculi, caſeoli, & arbutei fructus illati, Themidem, pro nefas, in ſuo ipſius ſacrario, hoc eſt, Tribunalibus opprimunt. De iudicio Clodiano corrupto, conſtupratoque probationem ex Cicerone adducerem, niſi me verecundia retraheret. Verum ad reſpublicas appello. Quis hodie principes aut reges accuſat quaſi ſint munerum captatores? de his, qui in minoribus ſubſelliis ius dicunt, hæc querela eſt; Minor, ſi principes ſeueri ſint, & rigidi iuſtitiæ defenſores: ſi iudici corrupto nunquam ignoſcant. Maior, ſi principes indiligentes ſint, & lenti. Maxima, cum nullus maior magiſtratus inquirit, aut ſi cenſura illa detur cognatis, affinibus, obnoxiis, & contra eos qui aliquando prætaricatricem cenſuram geſſerunt, aut, tanquam geſturi ſint, timentur. Quæ fere in optimatum regimine cōtingunt: Vnde tot leges in vrbibus, cum tot fraudibus luctantur. Ne duo fratres, ne pater & filius, ſocer & gener in eodem iudicio ſedeant.

Iuſtitia ſeruatur, ſi cēſuram principis iudex exſpectat.

§. 6. Quarta obiectio. Principem errantem nemo monere, multo minus reprehendere, aut docere audet; quod ſi vera, & fortia quis audeat, facile aſſentatorum multitudine victus in alteram partem concedere, aut cedere aula cogitur. Moneri putant idem eſſe, quod vinci, maieſtatem læſam putant, niſi quis & vitia regum laudarit. At vero in alia Reipublicæ forma cū vnicuiq; optimatum aduerſarius è regione immineat, omnia delicta non modo notantur, ſed in iudicium etiam trahuntur. In omni Ariſtocratia ſunt partes, & quia multi ſunt æquales, omnes ab omnibus obſeruantur, & in officio continentur; Themiſtoclem formidat Ariſteides, Æſchinem Demoſthenes, Pompeius Cæſarem, vtrunque Craſſus, Cicero Clodium, Catonem Scipio, omnes metuūt multos, nullus periculi exors eſt. Metus autem ille mutuus auaritiam continet, libidines cohibet, iram compeſcit.

Reſpondeo miſerrimum eſſe principem, apud quem vera tacentur, miſeriorem, cuius & mala laudantur, nec ex hac tamen cauſa regnum inferius Ariſtocratia eſt, aut ſi principum ἀυθάδεια, & monitionum inſcius faſtus conſilia ſæpe reſpuit, non tamen deſunt alia bona, quibus hoc malum compenſetur, vt iam dudum explicatum eſt.

Malum adiacet ſummæ poteſtati moneri nolle.

Verumtamen maligne & inuidioſe paucorum mores in omnes conferuntur, multos reges nouimus, qui non modo tempeſtiuos monitores non ſunt auerſati, ſed eorum ſinceram libertatem beneficentia proſequuti ſunt, & dignitatibus ornarunt, multi etiam rumores, ſcommata, & vulgi dicacitatem leni, & ciuili animo tulerunt, ſatis eſſe arbitrati, ſi id conſecuti eſſent, *ne male facere quiſquam illis poſſet.*

In politia peſſima iudicia.

Qua

Qua quidem in re vehementer Augusti Cæsaris commendanda est moderatio, qui historicum domo prohibere contentus fuit, à quo grauiter læsus fuerat. Sed cum de virtutibus agam, de ciuilitatis hac laude tractabo.

Christiano principi multi sunt monitores.

Nunc id certum est, principum multos esse monitores. Nam & libros veterum, & viuentium, quâuis in illis sua interdum errata legant, sine offensa tenent, & conciones sacras audiunt, & suam ipsi conscientiam examinant, atque rationem à seipsis exposcunt. Denique nullus principum adeo infelix est, qui non multos habeat, qui libere consulant, quos adulatio, seruitusque indecora offendat. Præcipue si Christiani sint, apud quos deesse non possunt, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Gregorii, quorum libertas regnantium peccatis possit obsistere. Tantum monitio publica, acerba, & exprobrationi atque irrisioni non absimilis è medio tollatur, tum quia monitoribus sunt periculosæ, tum quia potestates exasperatas ad excusationem, defensionemque erroris, ne victi videantur principes, non ad emendationem, quæ etiam in priuatorum reprehensione finis esse debet, excitant. Importuna enim libertas, stulta temeritas est, nec corrigit errantem, cum semper ipsa egeat venia, raro eam impetret. Doctor autem, & emendator principis esse non potest, quo cum præclare agitur, si supplicium euadat, si alium monendo se ipse non euertat. Laudat populus libere dicta, & principum conuitiis delectatur; Sed idem de eorum qui sic agunt interitu non miratur, imo in principis sæuientis postea laudes effunditur. Merito periisse eum existimat, qui sic locutus est, vt merito illi princeps iratus fuerit. Quis probauit Galbę temeritatem, cum in foro Iulio dictatori diceret: se de pecunia, cuius pro genero illius Pompeio Magno sponsor esset factus, appellari? Sic enim Cæsari generum occisum, & hastæ subiecta bona exprobrabat, non sæuiit tũ Cæsar, sed mirata est tamen Roma hãc Galbæ audaciam vltimam non fuisse. Poterat n. priuatim, poterat per libellum agere. Vulgus obstupescit vecordem Theodori Cyrenæi asperitatem, cũ enim Lysimacho minitanti mortẽ, respondisset, *Magnifica tibi res obtigit, quia Cantharidis vim assecutus es.* Prudentes vero improbant. Quid enim attinebat tyrannum sua sponte crudelem, contumacia in rabiem agere, atque occasionem dare, vt iure sæuire videretur? Et sane in crucem actus, didicit interesse, humine, an sublime putresceret. Hac peruersitate monendi, principes multi faciunt deteriores, qui cum laudem potius constantiæ, & libertatis quærunt, quam bonum Reipublicæ, aut principum emendationem, procul à principibus arcendi sunt; quia eos exasperant, & prauissima, pernicioſissimaque eos opinione imbuunt, quasi à subiectis populis non amentur, quos è contrario, & illi odisse incipiunt, multo vero magis inardescunt, cum intelligunt, ea quæ in se dicta sunt, iucunde & cum plausu à ciuibus accipi. Sed de monendis principibus, suo loco consilium dabo; hoc enim malo, quam monere principes, & ni fallor, tutius est.

Vana specie libertatis multi principes offendunt, non mouent.

Galbæ temeraria audacia.

Caute monẽdus princeps.

§. 7. Quinta obiectio. Leges anima sunt Reipublicæ, vbi leges vel non sunt, vel à potentioribus vexantur, vitiosa est Respublica: at principem quis legum cancellis includat?

Princeps legibus pareat.

Respondeo cum magno imperatore, *ad maiestatem imperantis pertinere, vt legibus pareat.* Ideoque iam ante παμβασίλειαν, & absolutum vnius in cæteros dominatum excusi. Nec tamen est dominatus ille grauior, q̃ sit optimatũ in cæteros absolutum imperium. Nam in illo tot sunt tyranni quot capita. Quid enim illos boni ciuibus allaturos censebimus, qui in senatum cooptati iurabant, vt ait Aristoteles, ὁπ τῷ δήμῳ κακόνους ἔσονται; *quod in plebem malo animo sint futuri.* Certe Romani ciues id senserunt, cum in montem sacrum secederent, cum consilio Coriolani annona negaretur. Quæ legum erat æquitas Romæ, cũ etiam ipsi tribuni multas ferrent rogationes coniunctim? quod Appius Claudius perinde esse ait. *Vt si quis ei, quem fames vrgeat, venenum ponat cum cibo, & aut abstinere eo quod vitale sit, iubeat, aut mortiferum vitali admisceat.* Collige omnia quæ in Romana republica laudata sunt, & ostende vnquam senatum, optimates, imo ipsos legum scribundarum decemuiros legibus coerceri potuisse.

§. 8. Obiectio sexta. Libertas par omnibus est, ea frui quisque debet. vbi autem plures participes sunt libertatis, ibi iustior est respublica. Ita enim sapientissimus Reipublicæ institutor Ari. lib. 2. polit. cap. 2. διόπερ τὸ ἴσον, τὸ ἀνταπεπονθὸς σώζει τὰς πόλεις. ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς ἐλευθέροις τὸ ἴσον ἀναγκη τοῦ εἶναι. *Quapropter æqualitas, & reciproca vicissitudo seruat ciuitates, in liberis enim, & æqualibus necesse est eam esse.* At nusquam minor æqualitas, quam in Monarchia. Vbi vni omnia parent.

Respondeo Aristotelem pro nobis dicere sententiam. Δῆλον, inquit, ὡς τὸν ἄνδρα ἀεὶ βέλτιον ἄρχειν. *Manifestum est eosdem semper imperare melius esse.* Neque hic iniustitia illa deprehenditur, nam æqualitas non nisi æqualibus, & inæqualitas inæqualibus conuenit; contra ius enim est æqualia tribuere inæqualibus. Nec vlla est respublica in qua omnes imperare possint.

Libertas etiam sub principe est.

Deinde male æstimatur libertas, cum ea sub principe esse denegatur. Quidam enim libertatis extremam licentiam consectantur, quæ est extremæ seruitutis initium, alii se nisi imperent, esse liberos non arbitrantur. alii ne leges quidem, & magistrum ferre possunt. Falluntur profecto. *Libertas est quidem illa potestas viuendi vt velis,* sed necessarium tamen est, vt iuste, & recte velis. Non est enim libertati aduersum iustum imperium neque legum scriptarum coercitio. Nulla autem ratio est, cur populum Romanum cum patritiis suis rixantem liberum dicamus, Iudæos sub Dauide, & Salomone seruos appellemus. Nec idcirco qui sub regibus sunt, seruorum appellatione censeri debent, quia à malis & iniustis regibus seruilem in modum premuntur, quia sub optimatibus nunquam æqua conditione vixere plebes. Nos in Germania proprie vrbes quasdam liberas, ciuesque liberos vocamus, quamuis à Cæsare regantur, illũque summum caput, ac dominum appellent. Tam igitur peccant, qui libertatem ἀναρχία, & Nomadum vagabunda licentia, quam qui scelerum impunitate metiuntur.

§. 9. Obiectio septima. Principes viros, & claros è medio tollunt, quia eos timent, prudentes & integros vitæ tanquam molestos luxuriantis aulæ censores oderunt, at inter optimates, & in plebe hi soli ad fastigium euehuntur. Virtutem igitur premit vnius summa potentia, vbi vero plurium est regimen, quia virtuti tanquam merces honor, & magistratus dantur, probitas, industria, fortitudo acuitur.

In repub. ascendit sæpe pessimus.

Responsio. Neque principes nisi plane tyranni viros bonos persequi solent, & in Republica pluriũ sæpius fraus, atq; audacia quam virtus populi fasces obtinet. Quis enim excusset Athenienſium Ostracismos, exiliaque virtutum à populo iussa; cum enim crebrò libertatem amisissent, & grauissimã seruitutem ex repentino libertatis occasu experirentur ideo in omnes in quibus virtus, industria, eloquentia, opes eminere visæ sunt insurgebant, nec vitia, sed vitiorum & periculorum suspiciones sustulerunt. De Romanis locupletem testem T. Quintiũ habemus apud Liuium. *Discordia ordinum, est venenum huius vrbis:*

vrbis. Patrum & plebis certamina, dum nec nobis imperii, nec vobis libertatis est modus; dum tædet vos patriciorum, nos plebeiorum Magistratuum, sustulere illi animos. Pro Deum fidem: quid vobis vultis? Tribunos pleb. concupistis: concordiæ causſa concessimus. Decemuiros desideraſtis: creari paſsi sumus. Decemuirorum vos pertæsum est: coegimus abire Magistratu. Manente in eosdem priuatos ira vestra, mori, atque exulari nobilissimos viros, atque honoratissimos paſsi sumus. Tribunos plebis iterum creare voluistis: creaſtis. Consules facere vestrarum partium, etsi Patribus videbamus iniquum: patricium quoque Magistratum plebi donum fieri, vidimus. Auxilium tribunitium, prouocationem ad populum, scita plebis inuncta Patribus, sub titulo æquandarum legum: nostra iura oppressa tulimus, & ferimus. Quis finis erit discordiarum? ecquando vnam vrbem habere, ecquando communem hanc patriam esse licebit? Victi nos æquiore animo quieſcimus, quam vos victores. Satisne est, nobis vos metuendos esse? Aduersus nos Auentinus capitur, aduersus nos sacer occupatur mons. Esquilias quidem ab hoste prope captas, & scandentem in aggerem Volscum hostem nemo submouit in vos viri, in nos armati estis. Agite dum, vbi hic curiam circumsederitis: & senatum infestum feceritis, & carcerem principibus impleueritis: iisdem istis ferocibus animis, egredimini extra portam Esquilinam: aut si ne hoc quidem audetis, ex muris visite agros vestros ferro ignique vaſtatos, prædam abigi, fumare incensa paſsim tecta. At n. communis res per hæc loco est peiore: ager vritur: vrbs obsidetur: belli gloria penes hostes est. Quid tandē priuatæ res vestræ, quo in statu sunt? iam vnicuique ex agris sua damna nūtiabuntur. Quid est tandem domi, vnde ea expleatis? Tribuni vobis amiſsa reddent, ac reſtituent? vocis verborumque quantum voletis, ingerunt, & criminum in principes, & legum aliarum super alias, & concionum. Sane Camillum exulem, Tarquinium Collatinum solo nominis odio ciuitate deiectum, Valerium quod in Velia, loco eminentiore domum exſtruerer, ſuſpectum; Scipiones in agro contabefactos alioſq; ingratæ patriæ vitio miſerrimos habuiſſe exitus monumenta tradunt, vt principes moderati censeri debeant, ſi æmulationem, & malignitatem ciuium praua iubentium ſpectare libeat. Inuidiam principatus auxerunt illi, qui vrbem adhuc Spiritus priſcæ libertatis retinentem violenta, & ſæua dominatione ſeruire coegerunt indignis, quin & dominorum aſperitatem, coniurationes, ſeditiones, ſarcaſmata calumniæ incenderunt. Nunc in Europa alia facies est, quanta est inter reges potentiſſimos contentio, vt viros fortes, nobiles, prudentes ſibi iungant? Vnum Hiſpaniarum regem tot habere viros vſu, ingenio, ſapientia præſtantes arbitror, vt vel centum nobis Scipiones præbere poſſet. Duces, equitum magiſtros, Tribunos numerate, & tantæ Monarchiæ ſtabilimenta admiramini. *Reges,* inquiunt, *viros fortes oderunt, eos è medio tollunt.* Hiſtoriam noſtri ſæculi appello, & viros præſtantes tyrannide regum trucidatos inquiro. Nego vel vnum dari poſſe, niſi eos deplorare libeat, qui iniuſtitiæ, rapinarum, maieſtatis, proditionis conuicti meritas pœnas dedere. Nam de illis quos propter fidem religionemque veterem reges, aut principes nouarum opinionum ſectatores excruciatos necauerunt, nunc non agimus quamuis plures populus, & tyranniſci occiderunt.

Roma diu non vna vrbs.

Post tumultus vacui domum redeunt ciues infelices.

Romæ adhuc cruda ſeruitute coniurationibus eſt aſperata tyrannis.

§. 10. Obiectio ſeptima. Rempublicam æque nihil affligit, atque conuellit, quam legum, actionumque varietas, & inconſtantia. Nam rectoris auctoritatem omnino tollit; deinde omnes ſuarum rerum facit incertos, ideoque principi infenſos; quemadmodum enim in ſolo, quod crebris terræmotibus quatitur, nemo prudens arcem exſtruit, ita à principe, qui in diuerſa rapitur, quia ſua beneficia facile euertit, amicoſque commutat, omnes alienantur atque recedunt, etiam qui beneficia acceperunt, timent enim ne quod potius proiecit, quam dedit mox mutata mente retrahat, damnumque ac contumeliam inſuper adiiciat. In populo vero maiorem eſſe conſtantiam probare nititur Nicolaus Machiauellus libr. 1. de Rep. comparat autem principem ſolutum legibus cum populo, qui nullis vtitur legibus, & principem qui ex legum præſcripto Rempublicam adminiſtrat, cum populo qui bonis legibus vtitur, & vtrimque præfert populi adminiſtrationem. Nam Romani quadringentos annos regnum infenſiſſime oderunt. Populus raro homines manifeſto improbos honore afficit. Populus lenius ſæuit, facilius placatur. Cauſa vero cur populi incōſtantia à ſcriptoribus traducatur, non eſt illa, quod populus magis quam principes, peccet, ſed quod populi vitia exaggerare tutius eſt, quam principum. Nullus enim ſingulatim hic carpitur.

Popularis regiminis commendatio.

Reſpondeo primo fateri Machiauellum ſe contra omnes ſcriptores loqui, ac docere. Inconſtantem, variam, ac mutabilem eſſe populi multitudinē, cum Liuius multis in locis, tum cæteri ſcriptores teſtantur omnes vno fere ore. Quod igitur omnes ſcriptores, omnes rectores populorum teſtantur, negare vnus Machiauellus non debuit. Multo minus grauí omnes accuſatione percellere, quaſi populi delicta exaggerent, ad principum vitia conniueant. Maligna eſt illa, & perſpicue falſa calumnia. Nam qui in libero populo vixerunt, id teſtantur, quibus Monarchiam laudare, populum vituperare periculoſum fuit. Plato, *Populus ingratus est, leuiter alicuius rei satur, mutabilis, crudelis, inuidus.* Sed ſummū populi patronū, ſummis à populi acceptis beneficiis cōtra ſuū populū detonantē audiamus Tulliū. *In imperita multitudine est varietas, & inconstantia, & crebra tanquā tempestatum, sic sententiarum commutatio.* Pro domo ſua, & pro Planc. *Non comitiis iudicat semper populus, sed mouetur plerunque gratia, cedit precibus, facit eos, à quibus est maxime ambitus; denique si iudicat, non delectu aliquo, aut sapientia ducitur ad iudicandum: sed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperque sapientes, ea quæ populus fecisset, ferenda, non semper laudanda, duxerunt.* Et pro Murena. *Nullum freum, nullus Euripus, tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habet ratio comitiorum. Dies intermissus vnus, aut nox interposita sæpe turbat omnia, & totam opinionem paruā nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam sine vlla aperta causa, sit aliud atque existimamus, vt nonnunquam ira factum esse, etiam populus admiretur, quasi vero non ipse fecerit.*

Popularis regiminis incommoda.

Populus inconſtans eſt.

Stultitia populi tanta eſt, vt ſe credat illis, non quibus fidit, ſed qui rogant.

Hæc Cicero de populo gentium Domino, de populo qui oratores, & homines prudentiſſimos de Republica concertantes quotidie audiebat, atq; illis auditis, quod fieri volebat, ſuprema poteſtate iubebat. Cauſa vero tantę mutabilitatis ab eodem recte pronunciatur: *Quod ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat.* Pro Roſc. Amerino. *Quod honestum putant id quòd à multis laudatur.* Cum igitur imperitia ſæpe peccet, cum opinione ducatur, cum audiat homines imprudentes, & leues, neceſſe eſt ſæpe mutari, ſuiſque tribunis honori, & quæſtui eſſe.

Qui opinione ducitur, ſæpe mutare ſententiam debet.

At conſtans fuit populi Romani in affectatores regni, atque acerbum odium. Ita omnino, quia tyrannidem metuebant, id adeo libro de legibus Cicero teſtatus eſt; regnaturus enim erat ſanguine multo, qui Romæ dominatum occupaſſet. Verum duo in Republica Romana obſeruaui, quæ ciuitati tyrannorum odiū ingerebant. Primum exempla Sicularum, & multarum in Græcia vrbium, quæ barbara, atque immani tyrannide torquebantur, florebant tempore libertatis Romanæ Perſarum res, in Sicilia Gelo, Dionyſii, in Græcia Periander, Thraſybulus, Alexander

Inconſtantia principis omnes inſidos facit

Cur Romani regnum oderint.

Pheræus, Triginta Tyranni Athenis, & vix eo tempore sine effera crudelitate ciuitas vlla regnabatur; hinc tantum odium regum, & in populo bellicoso prompta manus, & suspectorum vix audita causa, certe lite pendente, repræsentata supplicia. Subleni enim & iusto rege non admodum desideratur extrema libertas, sed quiete, & tutela rerum plerique cõtenti viuunt, at cum sub ictu tyranni furentis impalescunt, qua occasio libertatis proxima aperitur, ea se, quamuis magno periculo, effundunt.

At populus etiam iratus, leuius sæuit. Imo vero nulla belua est populo crudelior. Romanæ plebi obiiciũt legati patrum, eos crudelitatis odio in crudelitatem ruere, prius quam liberi sint, dominari in aduersarios velle. Si populi crudelitatem aduertere animus est, vide Lemnios, Hetruscos, Samios, Athenienses. Lemniorum crudelitas in prouerbiũ abiit, vt quod immanissime factum est, Lemnia manu factum dicatur. Hetrusci viua corpora mortuis iungebant, nõ enim solius hoc Mezentii facinus fuit. Samii Athenionsium frontibus noctuam, Athenienses Samiorum frontibus Samænam insculpebant, fœdo exemplo inter cultissimos populos repensata crudelitate. De Romanis vis dicam? Crudeles fuere, & monstra quædam hominum primi imperatores, nullum excipio, nec Augustum, nec Titum: At illis tamen populos crudeliores fuit, totos dies cruciatibus, & mortibus amphiteatri delectatus; deinde illa ipsa monstra nonne ex ciuibus erant? An optimates Romani mites? Fimbria, Sylla, Telesinus, Catilina, Pompeius, Pollio, Marius, quique fuere Marianarum, aut Syllanarum partium, id est omnes Romani. Pauci reges procerum Romanorum crudelitate æquarunt. Sed omnes hos populus Romanus superauit, horrendis in Nerone, Caligula, Galba, aliisq; principibus editis exemplis, in punienda crudelitate crudelissimis. Excessit medicina modum, periere nocentes, & innocentes. Est igitur & populus inconstans, & crudelis. Inconstantię causa est, qui non iudicat, nec nisi leuibus mouetur, ideoque & in alteram partem mouetur, & quanquam sæpe etiam delirent reges, maior est tamen ignorantia populi, cuius maxima pars priuatis rebus occupatur. In populi iudicio nemo suum proprium dedecus metuit, aut laudem sperat, si male cedant consulta, aliis vnusquisque potius, quam sibi imputat; Cur enim sordidissimos hominum tangat reipublicæ fama? At vbi princeps est, ille & veretur statuere, quod continuo sit mutandum, & subitas rerum conuersiones, leges figendi refigendique libidinem, necessario vt pestem Reipublicæ auersatur.

Popi lus Roman us crudelio r imperatoribus suis.

In populi iudicio quisq; sui securus detrimenta imputat aliis.

Caput XXIII.

Opinio Machiauelli de Monarchia, & eius rationes refutantur.

§. 1. HOminis, qui proprii potius, quam prudentis iudicii est, opinionem describam & expendam, vt cunctis pateat, eum non modo ratiocinatione vti infirma, sed contra historiæ fidem etiam peccare, atque ex illis, quæ penitus falsa sunt, conclusiones & consectaria deducere, libro 2. cap. 2. de Repub. ita scribit. *Difficilem arduamque de vicinis & aliis quibusdam populis victoriam populo Romano fecit amor conseruandæ libertatis, qui tunc multis gentibus insidebat. Eã enim tanto studio defendere conabantur, vt non nisi singulari quadam virtute vinci & superari potuerint. Cuius rei argumentum habes tot periculorum exempla, quæ adire eius defendendæ ac recuperandæ causa voluerunt: tot tamque horrenda supplicia de iis sumpta, qui illius amittendæ causam præbuissent. Sed neque obscurum est ex lectione historiarũ, quanti facienda sit libertas, & quantum & quam difficile sit populo iugum seruitutis. Aetate nostra vnica gens superesse videtur, in qua liberæ ciuitates sint: olim per omnes mundi plagas extabant populi liberrimi. In Italia certe inter Alpes, quæ Galliam Cisalpinam à Tuscia diuidunt & extremã Italiæ oram, multi liberi populi habitabant, Tusci, Romani, Samnites, & alij: nec mentio sit vllorum Regum, qui tunc imperarint in Italia, præter Reges Romanorum & Porsennam. De cuius stirpis excidio, etsi historiæ nihil memoriæ prodiderint: constat tamen Tusciã, cui Porsenna imperauerat, liberam fuisse eo tempore, quo Romani aduersus Veios bellum susceperunt, & libertate quidem tanta cum voluptate vsam, tantoque odio Monarchiæ appellationem habuisse, vt cum Veii defendendi sui causa Regem creassent, & auxilium à Tuscis contra Romanos petiissent, Tusci re diu deliberata, tandem censuerint non ferendas iis esse suppetias, donec regem haberent: neque enim decere, iis auxilium ferre, qui patriã vnius viri imperio subiecissent. Sed neq; sine causa insidet populo omni libertatis amor. Testatur enim experientia, nullam ciuitatem suos ciues ditare, nisi tempore libertatis, neque etiam imperium comparare, aut publicas opes quocunque modo augere. Admiratione summa dignum est Athenienses Pisistrati tyrannide liberatos, centum annorum spatio, vires atque potentiam suam tantopere augere potuisse. Et longe magis stupendum adhuc, Romanorum Rempublicam: expulsis Regibus, ad tantum fastigium peruenire potuisse. Eueniunt autem hæc omnia, quoniam non priuatorum opes, sed quæ publica communiaque sunt, Rempublicam augẽt: neque habetur ratio boni publici, nisi in liberis ciuitatibus, in quibus id, quod ex æquo prodesse potest omnibus aut quam plurimis, semper decernitur, nec habetur ratio paucorum quorundam, quibus nocere forte posit id, quod vniuersis prodest. Contra quam accidit in iis ciuitatibus, quæ principis alicuius imperio parent. Nam in iis plerumque fit, vt quod principi prodesse potest, vniuersis ciuibus noceat. Quo fit, vt si libera Respublica sub tyrannidem alicuius redigatur, inter leuissima detrimenta, inde sibi orta, hoc numerare queat, quod iam neque opibus, neque imperio amplius augeri queat: sed decrescere etiam paulatim incipiat. Nam etsi concedamus Tyrannum hunc, sub cuius imperium redacta est, virum esse industrium & bellica virtute præstantem: tamen id, quod ille comparat, in suum priuatum commodum, non in vsus publicos conuertit: cumque neque ex subditis suis, quibus tyrannice imperat, deligere ausit excellentissimos quosque, vt eos præficiat rebus gerendis, metu nimirum vindictæ. Quod si quas præterea vrbes occupabit, non certe huic tributarias faciet: cum tyranni scop⁹ sit, non augere potentiam subditorum: sed subditam sibi conseruari, & vires, quibus aliquando iugum excutere queant, opprimere. Quã de re multa præclare apud Xenophontem, in libro de tyrannide leguntur. Quæ cum ita se habeant, nemini mirum videri debet, veteres tanto libertatis studio flagrasse, & tyrannorum nomen tanto in odio habuisse: vt cum nuncius olim ad exercitum peruenisset, de interfecto Hieronymo Hieronis Syracusani nepote, ac milites omnes fremerent aduersus coniuratos: tamen cum paulo post nuntiaretur, proclamari libertatem publice Syracusis: deposita iracundia contra coniuratos, de modo conseruandæ libertatis deliberare cœperunt. Ob easdem causas ingentibus suppliciis persæpe affecti sunt ij, qui amittendæ libertatis autores esse voluerunt. Quorum exempla cum plurima extent, hoc loco vnum tantum, idque horrendum & memorabile adducam, quod in Corcyra accidit, tempore belli Peloponesiaci. Nam cum tunc vniuersa Gracia in binas factiones diuisa esset, quarum vna Athenienſium, altera Spartanorum amicitiam retinere conabatur: & in Corcyra optimates superiores facti, populo libertatem semel eripuissent: factum est postea, vt populus Athenienſium auxilio adiutus denuo optimates deuicerit. Itaq; seruitutis iugo excusso, optimates omnes in magnum quendam carcerem incluserũt: ex eo denos deinde sigillatim educentes, tanquam illos in exilium mittere vellent, variis suppliciis afficiebant. Cuius rei tã dem certiores facti reliqui in carcere, decreuerunt, quocunque modo se à tam fœdis suppliciis defendere: facto igitur impetu in eos,*

Machiauellus sui iudicii est, non prudentis.

Cupido libertatis apud veteres.

Vrbes liberæ diteſcũt

Crudelitate vindicata libertas.

eos, qui carceres ingrediebantur, illos repellebant, & aditu prohibebant. Sed ea re cognita populus, concitato tumultu, tabulatum carceribus impositum aperuit, & ruina murorum vniuersos simul suffocauit. Huiusmodi crudelitatis exempla, pro defensione libertatis tunc plura quoque alia euenerunt: maiori tamen cum impetu solent homines ereptam libertatem vindicare: quam in eos, qui eam eripere voluerunt, ferri. Sed non immerito posit quisquam hoc loco admirari causam cur antiqui illi longe magis laborasse videantur, pro libertate publica, quam id ætate nostra fieri videamus. Ego vero ob eandem causam id fieri puto, propter quam iidem illi fortiores viri erant, quam nostri: atque illam maiore ex parte pendere ex ipsa educatione, & religionis illorum nostræque diuersitate. Nam cum ex religione nostra veritatem rerum intueamur: discimus ex illa statim honores & pompam huius mundi contemnere. Sed Ethnici hæc omnia magni faciebant, & in iis summum bonum situm esse putabant: quapropter promptiores ferociores que erant huiusmodi rerum defensores. Id ex multis eorum institutis apparet: nam si vel eorum sacrificia cũ nostris conferas: in illis magnificentiam quandam horrendam in nostris delicatam quandam molliciem cernes. In illis, Pompæ & magnificentiæ cædes multorum animalium adiungebantur, qui terribilis aspectus homines etiam feroces reddebat, nostra his omnibus caret. Ethnicorum religio non reddebat homines beatos aliis rebus quã gloria & laude virtutis, pro reb. bene feliciterque in bello aut pace gestis: ex nostræ religionis institutione, beatiores putantur humiles, & qui rerum diuinarum contemplationi dediti sunt, quam qui res mágnas gesserunt. Summum præterea bonum statuit in humilitate & contemptu rerum huius mundi. Ethnici omnia cotrario modo se habere credebant: nam summũ bonum existimabant in magnitudine animi positum esse, & corporis viribus cæteris q3 omnibus, quæ à fortissimis viris fieri solent. Hæc vitæ institutio Christianorũ orbẽ imbellem fecisse videtur vt sceleratis ac perfidis principibus certa præda esse soleat. Nam plerique mortaliũ spe vitæ beatæ cogitant potius de tolerandis miuriis, quã de iisdem vindicandis: tanquam si oporteret cœlum sine armis vllis solo otio comparare: sed non caret errore ista Religionis nostræ explicatio, & qui illam ita sunt interpretati, abiecti homines fuere, quibus otium potius quã virtus cordi fuit. Nihil enim religioni Christianæ aduersatur patriæ defensio, imperiiq3 eius per legitimum modum auctio: permittitur omnibus patriam amare, in honore habere, & ad illius defensionẽ se præparare. Sed inepta illa educationis ratio efficit, vt si per vniuersum orbem ætate nostra percurras, neutiquam tot populos liberos, tot liberas Respub. vt olim erant, inuenire queas, nec homines libertatis amatores, atq3 eiusdem acres defensores. Equidem Romani imperii magnitudo non parum etiam ad id fecit, cũ per vniuersum orbem liberas Respub. sub suum iugum subiecerit: sed neq3 destructo imperio Romano, tamen potuere pristinam libertatem recuperare, nisi perpaucæ quædam. Quo tẽpore augebatur Romanum imperium, inueniebantur in omnibus regionibus multi liberi populi, multæ liberæ Respub. præclare institutæ: & libertatis defensores acerrimi: nec proinde à populo Romano absq3 singulari virtute vinci, ac superari potuerunt. Exemplo esse possunt vel soli Samnites: quos Liuius testatur tam potentes pace ac bello fuisse, & tam acres libertatis defensores, vt quadraginta sex annos bellum cum Romanis gesserint, nec vinci omnino potuerint, ante tempora Consulatus Papirij Cursoris, qui Papyrii primi filius fuit, quamuis infinitas strages perpessi fuissent. Quo magis miseratione dignum est: si quis eã regionem ætate nostra propemodũ desolatam videat, quæ olim à tot liberis hominibus incolebatur, tot liberis & præclare institutis ciuitatib. exornata erat. Quæ omnia diuersitatis suæ causam habent ex libertate & seruitute. Quæcunq3 enim ciuitates ac regiones libertate fruuntur, augentur opibus & imperio, & hominum multitudine. Quis enim non libentius procreet homines in iis locis, vbi matrimonia & opes liberæ sunt, quã vbi metus est, ne si quid labore tuo ad educandos liberos comparasti id tibi à tyranno aliquo auferatur? vbi libertas est, non modo tibi polliceri potes liberos fore non seruos, quos procreas filios, sed, siquidem virtuti operam dant, etiam ad Reipub. gubernationem adhibendos iri. Augentur opes hic, non ex agricultura modo, verum etiam ex omnibus aliis honestis artibus, quod omnes ita affecti simus, vt eo loco libenter acquiramus, quo speremus, reb. partis tuto frui posse: In huiusmodi locis omnes certatim, cum publicorum, tum priuatorum cõmodorum rationẽ habent, eaq3 augere conantur. At vbi seruitutis iugo oppressi sunt homines, contrario modo eueniunt omnia, idq3 tãto magis quanto durior seruitus fuerit. Durissima videtur seruitus earum ciuitatum atq3 regionum, quæ imperio liberæ Reipub. parent. Primum enim diutissima esse solet, vt nulla spes consequendæ libertatis proposita sit. Deinde solent liberæ Respub. augendarum suarum virium gratia: subiectarum imperio suo ciuitatum potentiam imminuere, & succum omnem propemodum exugere, secus quã solent principes nõ omnino barbari quales sunt ætate nostra orientales omnis vitæ ciuilis corruptores. Cæteri humanis artibus instituti, æquiores esse solent, & subditos diligere consueuerũt, permittuntq3 non solũ, vt consuetis artibus rem faciant: sed statuta antiqua & leges relinquũt integras, vt si ob hanc seruitutẽ incrementũ amplius acciperẽ nequeunt, conseruare tamen possint res prius à se partas. Et hoc quidem loco de principatu loquor, qui ab extero homine occupatur: de tyrannide quem patriæ ciuis inuadit, supra locuti sumus. Quæ omnia si diligenter cõtempleris, haud mirum videri debet, Samnites eo tempore, quo libertate fruebantur, ad tantã potentiam peruenisse: amissa illa ad extremum fuisse redactos. Qua de re Liuius in bello Punico inquit, Samnites vnica Romanorum legione apud Nolam, vsq3 adeo oppressos fuisse, vt legatos ad Annibalem impetrandi auxilii causa mittere coacti fuerint: Legatos etiam de sua miseria apud Pœnum conquestos, se esse illos, qui propriis viribus cum populo Romano tentũ annos gesserint bellũ, & sæpe binos exercitus cõsulares sustinuisse: nunc eo miseriæ redactos, vt vnicã legionem sustinere nequeãt.

Superstitio & cruenta sacrificia fortes reddere putat Machiauellus.

Christianã institutionẽ facere imbelles sent. Machiauelli.

Cur liberæ vrbes ditescant.

§. 2. Pronunciata Machiauellica sunt. 1. Nostra ętate vnicã supesse gentẽ, in qua liberę ciuitates sint, olim innumeros fuisse populos liberos. 2. Non aliã Rempublicam suos ditare ciues aut imperiũ acquirere nisi liberam. 3. In Monarchia fieri ordinarie q3 commodo sit principibus, noceat ciuibus. 4. Cum aliqua libera Respublica vrbes alias seruitio premit, eam seruitutem esse & diuturnam, & durissimam. 5. Non habere rationem boni publici nisi in liberis ciuitatibus. 6. Christianam religionem efficere ne sint homines libertatis amatores, ad hoc etiam imperium Romanum non parum contulisse.

Pronunciata Machiauelli.

§. 3. Hæc ex ratione atq; experientia sunt consideranda. Nam Romanis imperium obtinẽtibus negat ipse gentes fuisse liberas, nisi pauciss imas. Si antiquiora tempora spectemus, docent nos sacræ literæ toto oriente fuisse reges, idque à tempore Abrahami, vsque ad Romanum imperium. Italiam habuisse liberos populos tempore regum, & consulum Romanorum satis docẽt Romana bella, nec omnes tamen liberi, sed multæ quoque vrbes reges suos habebant. Gallia & Germania nisi cum spartim habitarent, regibus, & regulis gubernabantur, itemque Hispani, & præter Carthaginenses, Afri. Nunc vrbes liberæ sunt Venetiæ, Genua, Rachusa, Heluetiæ, Hollandiæ, imo & Germaniæ, Regnum Poloniæ, quamuis regem habeat. Verum libertatis nomine abutuntur multi: cur enim liberæ sint Venetiæ, quia multæ ciuium myriades à paucis nobilibus ita gubernantur, vt dicto audientes ésse cogantur, nec tamen vicissim ipsi imperent, non autem libera Vbiorum Colonia, quæ à suis ciuibus ita regitur, vt parẽdi, & imperãdi vicissitudines habeat, moderata magistratuum imperia, & ciuium in obtemperando alacritatem, quamuis summum caput agnoscat imperatorem? Sed imperatorem qui secundum leges, & recepta iura controuersias cognoscat, ac decidat. Hæc, si ratio examinabitur, plurimas in Europa liberrimas vrbes reperiemus. Varia est enim libertas, & quæ maxima putatur, estq; in Democratia, plane

Plerique populi reges habuerunt.

Libertas vera quærenda.

Varia libertas.

est omnium deterrima. Hanc Romana plebs ad exitium sui libertatem extorsit. Primo quidem leges, deinde Tribunos, tandem communicationem magistratuum, & coniugiorum, donec iam omnia in eius essent potestate, ita Venetum populum liberum negaret populus Romanus. Ille enim contra Patres auxilium Tribunitium quæsiuit, tenuitque, Venetus populus manet in potestate nobilium.

Sub regibus etiam opulentæ sunt vrbes:

§. 4. Secundo ait: *Nullam rempublicam ditare ciues, nisi quæ libera sit.* Si de libera Republica loquitur, qualis Romana fuit, vel Athenienſis, vbi summa fuit potestas penes populum, iam nulla igitur Respublica libera est, nulla populum suum ditat, omnes enim à principibus vel optimatibus, nisi Heluetios excipere lubeat, gubernantur; at vero multæ sunt, & nobiles æuo nostro ciuitates, atque olim fuere, quas ad magnas opes euasisse sub regū imperio videmus. Intuere insignes Europæ ciuitates sub Imperatore, Franciæ, Hispaniæ, Poloniæ, Britanniæ regibus, & ostende mihi olim in Græcia pari cultu, pari felicitate, opibusq; liberas ciuitates. In Italia in Samnio, in Campania, in Latio erant liberi populi, at certe ciuitates exiguæ, rusticæ, pauperes, & vt vere dicam barbaræ potius, quam liberæ. Florus Romanæ historiæ compendiator suos quirites rusticam vitam egisse; rustica spolia, pecora Volscorum, greges Ægnorum duxisse, donec Asiam ingressi opes, luxuriamq; domū aduexerint. In Asia vero quæ & quales vrbes, à regibus conditæ, munitæ, ornatæ, opibus supra modum onustæ fuere? Babylō, Niniue, Ecbatana, Persepolis, Sidon, Ierusalem, Damascus, Tyrus, Memphis, Sardes, Diuitias Tyri nobis in vrbis felicis exemplum describit Spiritus S. apud Ezechielem. At in Italia Roma tum maxima, deinde Capua. Nam cū de Tarento & Pirrho triumphatum est, prima diuitiarum experimenta ceperunt, *Ante hūc diem* (inquit Florus l. 1. c. 28.) *nihil, nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma, vidisset: tum si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atq; Lucanus, si Pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæq; delicie. Sed nihil libentius Populus Romanus aspexit, quam illas, quas timuerat, cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus, victores equos sequebantur.* Ignaros fuisse diuitiarū Asiaticarū docet nos ipse Romanus consul, cum de vetustis Romanis loquitur. *Romani tres solū vrbes, in terris omnibus, Carthaginem, Corinthum, Capuā statuerunt posse imperii grauitatē ac nomen sustinere.* Falsum igitur est, q̄ tertio loco Machiauellus refert: *In Monarchia omnia ad principis vtilitatem referri,* nam legitimus princeps populi cōmodum salutemq; spectat, atq; hoc fine à Tyranno distinguitur. Quanquam & populos opulentos habere, principis est vtilitas, dignitasque. Itaq; & Romana ciuitas sub regibus creuit, itemq; cæteræ Italicæ vrbes, Corinthiorum res sub ciuili, & humana tyrannorum administratione creuerunt. Qui igitur principes in suam duntaxat vtilitatem intentos esse criminatur, omnes vno calculo tyrannidis damnat, nisi extraordinarie clementes sint, & liberales.

Olim populi Italiæ barbari.

Tres summæ vrbes iudicio Romanorum.

Regibus est cura publici commodi.

§. 5. Cōsectarium itaq; est, & illud esse falsum, q̄ ait, *In solis liberis ciuitatibus publici cōmodi rationem haberi.* Itane vero? An qui populos defenderunt, sanguinem non cupiditate imperii, sed ad patriæ defensionem profuderunt, tot vrbium, tēplorum, academiarū fundatores, nihil pro publico bono egerunt? Cerdones scilicet, & aliptæ dū annuo imperio extolluntur publici boni rationem habent, reges & principes suis tantum rebus studeant. Cōtra itaq; statuendū est, in regimine optimatum & populi, quemq; proprii magis cōmodi, q̄ publici studiosum esse. Optimates enim maiestatem imperii commodumq; in se vertere conantur, adeoq; vt Romæ duas esse ciuitates to-

Optimates Romæ suorum commodorum studiosi.

ties inuidiose & vere Tribuni clamitēt. Plebs sua cōmoda, leges agrarias, nouas tabulas, conciones spectabat, panem & Circenses, donatiua candidatorum petebat, nulla mētio publici cōmodi, nisi vbi magni tudo periculi ēt priuata damna minabatur. Exprobrat hoc suis ciuibus animose T. Quintius capitolinus. At enim communis res per hæc loco est peiore: ager vritur, vrbs obsidetur, belli gloria penes hostes est. *Quid tandem priuatæ res vestræ, quo in statu sunt? Iam vnicuiq; ex agris sua damna nuntiabuntur. Quid est tandem domi, vnde ea expleatis? Tribuni vobis amissa reddent, ac restituent? Vocis, verborumq;, quantum voletis, ingerent, & criminum in principes, & legum aliarum, super alias, & concionū, sed ex illis concionibus nunquam nostrum quisquam re fortunaq; domum auctior rediit. Ecquis retulit aliquid ad coniugē, & liberos præter odia, offensiones, simultates publicas, priuatasque, à quibus semper non vestra virtute, innocentiaq;, sed auxilio alieno tuti sitis. At Hercules cum stipendia nobis consulibus, non Tribunis ducibus, & in castris nō in foro faciebatis in acie vestrum clamorem hostes, non in concione patres Romani horrebant.*

§. 6. Deniq; religionem Christianā fatemur efficere vt min⁹ sint hōines libertatis amatores, idq; nō modo, quia res fluxas, & caducas suo precio æstimāt, è seruitute n. & ergastulo in libertatem filiorū Dei se asserendos aliquando diuinis oraculis edocti sperāt. Credunt & sequuntur Apostoli monitum. *Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat: seruus vocatus es? non sit tibi curæ, sed si potes fieri liber, magis vtere. Qui n. in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Precio empti estis, nolite fieri serui hominum.* 1. Cor. 7. 21. Sed minus horrent principū imperia, imo iis se libēter cōmittunt, quia & illi norunt, seruos se esse Christi, moderateq; & clementer tractant conseruos suos, memores in conspectu cōmunis Domini sese consistere. Vbi n. Christianos principes veterum nota, & vsitata fœuities, ac rapinæ inueniūtur? Nostrā vero religione molles facere, nō fortes calumniam esse ostendā, cum de fortitudine tractabo. Nunc impiam Pseudopoliticam Tertulliani testimonio, & ratione refutabo. Si n. Christiani tam mortem ac tormenta contemnunt, q̄ fortes essent in prælio, quibus honestæ mortis est tanta cupido? Tot ingenia carnificum ferunt, cū vno se verbo eximere vexationibus valeāt, si dicant: Christianus non sum. *Certe si velim Christianus sum, tunc ergo me damnabis, si damnari velim. quum vero quod in me potes, nisi velim non potes iam meæ voluntatis est, quod potes, nō tuæ potestatis. Proinde & vulgus vane de nostra vexatione gaudet, proinde & nostrum est gaudiū, quod sibi vendicāt, qui malumus damnari quam à Deo excidere. Contra illi qui nos oderunt, dolere, non gaudere debebant, confectis nobis quod elegimus.*

Christianæ religio ex vero æstimat seruitutem.

Vera causa cur reges nō horreant Christiani.

Christiani fortes, quia voluntate patiuntur.

Certe qui mori paratus est, qui tormenta videt, non est ille bello inidoneus. Et in Apologetico ca. 5. *Ergo, inquitis, cur querimini quod vos insequamur, si pati vultis, cū diligere debeatis per quos patimini quod vultis? plane volumus pati: verum eo more quo & bellum miles: Nemo quippe libens patitur, cum & trepidare & periclitari sit necesse, tamen & prælator omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet qui de prælio querebatur, quia & gloriā consequitur & prædā. Prælium est nobis quod prouocamur ad tribunalia, vt illic sub discrimine capitis pro veritate certemus. Victoria est autē pro quo certaueris obtinere. Ea victoria habet & gloriā placendi Deo, & prædā viuendi in æternum. Sed obducimur certe cū obtinuimus: ergo vicimus, cum occidimur: deniq; euadimus, cum obducimur. Licet nunc Sarmenticios & Semaxios appelletis, quia ad stipitem dimidij axis reuincti Sarmentorū ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triūphamus, merito itaq; vicis non placemus. propterea n. desperati & perditi existimamur. Sed hæc desperatio & perditio penes vos in causa gloriæ & famæ, vexillum virtutis extollit. Mutius dextram suam libens in ara reliquit. O sublimitas*

mitas animi! Empedocles totã sese Cathanensium Ethneis incendiis donauit, ô vigor mentis! Aliqua Carthaginis conditrix rogo se secundum matrimonium dedit, ô præconium castitatis! Regulus, ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. ô virum fortem, & in captiuitate victorem! Anaxarchus quum in exitium Prissanæ pilo cõtunderetur; Tunde, tunde, aiebat, Anaxarchi follem! Anaxarchum enim nõ tũdis. ô philosophi magnanimitatem, qui tali de suo exitu etiam iocabatur! Omitto eos qui cum gladio proprio alioue genere mortis mitiore de laude pepigerunt. Ecce enim & tormentorũ certamina coronantur à vobis. Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremo linguam suã comestam in faciem tyranni exputt, vt expueret & vocem, ne conuratos consiteri posset, si etiam vitta voluisset. Zeno Eleates consultus à Dionysio, quidnã Philosophia præstaret, quum respondisset, cõtemptum mortis: impassibilis flagellis tyranni obiectus sententiam suã ad mortẽ vsq; signabat. Certe Laconum flagella sub oculis etiam hortãtium propinquorum acerbula tantum honorem tolerantiæ domui conferunt, quantum sanguinis fuderint. O gloriam licitã, quia humanam, cui nec præsumptio perdita, nec persuasio desperata reputatur, in contempta mortis, & atrocitatis omnimodæ, cui tãtum pro patria, pro imperio, pro amicitia patet permissum est, quantum pro Deo non licet, & tamen illis omnibus & statuas defunditis, & imagines inscribitis, titulos inciditis in æternitatem, quantum de monumentis potestis: scilicet præstatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem hanc, qui veram à Deo sperat, si pro Deo patitur, insanus est?

Non igitur causa cur reges suos ament Christiani, est mollities, sed Dei ordinatio, imperantis moderatio, parentium virtus. Neq; n. Romani reges suos, nisi ob vitia repudiarunt. Testis ipse Florus l. 1. c. 8. *Postremo superbi illius importuna dominatio, nonnihil, imo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur.* Sapientissime itaq; Tertullianus fortes esse Christianos, & ferre imperia, qui martyria ferre possent. Ego paulo aliter concludã. Si Christiana religione facti sunt, tot Mutii, tot Anaxarchi, tot Zenones, tot Lacones, & omnes in meliore causa, non eneruat hominum robur religio Christiana, sed confirmat. Vérum de his suo loco. Nunc contra Pseudopoliticũ hoc moneo, me cum iustum iusti principis imperiũ laudo, non agere contra libertatem. Inestimabile bonũ est, fieri suum: Est aũt, vt ait Arist. 1. Met. c. 2. liber sui causa, non alterius. Grauissimam omnes iacturam libertatis arbitrantur, & cum plausu cecinit Poeta, ὑπὲρ ἐλευθερίας. *Non emoritur libertatis amor.* Recte & Strabo. Ἐλευθερία μόνη ἱδρῶτα ποιεῖ τῶν κλιναμένων τ' ἀγαθά. Τὰ δ' ἐν δουλείᾳ τῶν ἐχόντων ἀκ ἀσχομένων ἔστ. *Sola libertas bona possidentibus propria esse facit, quæ vero seruitute sunt, imperantium, non parentium sunt.* Sed iam ostendi parere iusto, & secundum leges imperio non esse seruitutem, sed tutissimam libertatem. Quod si à iustitia recedat princeps, & leges rumpat auaritia, ira, libidine, non tamen vnius tyrannis grauior erit, quam multorum dominorum sæuities, ac contumeliæ.

Religio Christiana fortissimos facit.

Libertas res preciosa.

Caput XXIV.

Magistratum patriæ obligatum esse.

§. 1. PRoponi solet hæc de principe quæstio, sed quia non principem duntaxat, sed senatũ etiam populumq; informandum suscepi, de omnibus generatim disputãdum mihi fuit. Sic autem accepta quæstio bipertita est. Quæritur enim: An magistratus summus plus possit, quam vniuersa Respublica? Deinde in quib⁹ reipublicæ sit obligat⁹ magistratus?

Media tutissimus ibis.

Prima quæstio difficilis est, & forte periculosa: si enim magistratum plus posse dixeris, forte tyrannidem accendes, si Reipublicæ supremam potestatem tribueris, reges in ordinem redigere videberis. Inuenienda est igitur ratio, qua & magistratui, qui vt caput, ita pars est Reipublicæ, sua auctoritas asseratur, & Reipublicæ ius suum conseruetur.

Electũ magistratum leges vinciant, sitque aliquid, quod ei non liceat.

§. 2. Primum igitur respondeo. Omnem rempublicam quæ sibi magistratus præficit, seu regem eligat, vt olim Romani, & nunc Germani, Poloni, seu optimatum curiam, & consilium publicum, vt fecerunt exactis regibus Romani. Siue ex vniuerso populo rectores designent vt etiam Romæ factum legimus, communicatis plebi patriciis magistratibus; nunc Heluetii, & fœderatæ Belgii prouinciæ in more habent. Hanc, inquam, Rempublicam qualemcunque magistratum eligat. Eum certarum legum præscripto astringere oportere, & nonnullarum rerum potestate priuare, eamque sibi reseruare, alioqui dominatum pene despoticum sibi inducet, vt nunc in Moscouia, Turciaque factum videmus; eã reipublicę formam, vt pernicioſam iam supra reiecimus. Deinde huiuscemodi imperiis nulla prouincia nunc in Europa conflictatur, neque eam Christianī principes, aut magistratus videntur affectare. Si tamen talis sit tliqua respublica, vti nunc est Turcarũ, dubium non est, quin penes vnum sit summa potestas, neque aliorum quisquam, neque vniuersi sese opponere iure possunt: Non magis, quam serui Dominis obsistere. Verum illa Respublica est Ergastulariorum, non ciuium.

Magistratus est summa potestas.

§. 3. Secundo ita statuo: In republica legibus constituta, ius summum est penes magistratum; cum quia omnibus priuatis eminet, tum quia quibusdam in rebus plus potest, quam tota respublica. Ideo recte simpliciter eius potestas est maxima; neque ex eo timenda est tyrannis: nam summa potestas esse potest, etsi non omnia possit. Sed ea summa dicitur, qua secundum leges non est par, aut maior. Regem itaq; maiorem vniuersa multitudine appello. Nam nulla respublica regem suum throno deiicere potest, & quamuis liberrimis suffragiis eum designarint, non tamen, cum suam in eum potestatem transtulerunt, pro arbitrio reuocare possunt. Deinde iuris regii vsum, functionesque legitimas, ne tota quidem respublica impedire, aut remorari valet, neque enim imaginarium, aut pictum regem instituit, sed gladium illi, & vsum gladii concessit. Tertio, Non potest magistratum suum cogere Respublica, vt etiam in parte iuri suo cedat, sed integrum illi, nec vi, nec fraude imminutum conseruare tenetur. Deniq; in administratione iustitię, defensione innocẽtum, condonatione delictorum, etiamsi principes, consilium, populusque à rege dessentiat, eum tamen sequi, adiuuare, & adesse cogitur. Neque enim principem tota reliqua cogere potest respublica, vt noxiũ dimittat, insontis causam deserat, reum, cui alioqui indulgere posset, secundum leges puniat. Egregio & ad imperii firmitatem conspicuo exemplo rem demonstrare animus est. Camillus Consul bello Samnitico dictatorem dixit L. Papyrium Cursorem, ille magistrum equitum dixit Fabium Maximum, profectusque Romam ad repetenda auspicia, mandauit ne se absente Fabius pugnaret, at ille nactus occasionem rei bene gerendæ, cum hoste confligit, & insignem victoriam reportat, recenti militum gaudio ac gratulatione venit dictator, Magistro equitum necem intentat, spoliari eum, virgas, ac secures expediri imperat, sed militum fidem implorantem Triarii recipere, ac texere, proque magistro equitum nunc etiam victore, exercitus orabat. Sed seuerum, & nimis imperiosum dictatorem non mouerunt, altero die adesse iussus, cum intellexisset infestiorem se iudicem esse habiturum, Romam profugit, primores patrum appellat, & intercessione senatus à sæuitia dictatoris immunem se sperabat; perstat tamen

Rex qua re maior sit tota respublica.

Dictator plus potuit quam tota respub.

men in sententia Papyrius, donec tandem Fabii pater ad populum prouocat: sic autem apud Liuium perorat: *Quandoquidem apud te nec authoritas senatus, nec ætas mea, qui orbitatem paras, nec virtus nobilitasque magistri equitum à te ipso nominati valet, nec preces, quæ sæpe hostem mitigauere, quæ Deorum iras placant: Tribunos plebis appello & prouoco ad populum, eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti senatus iudicium, iudicem fero: qui certe vnus plusquam dictatura tua potest, polletque. Videto, cessurusne prouocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit.* Quid vero Papyrius post Fabii inuidiosissimam oratione? Adhuc in incepto perseuerat, & magistrū equitum ad pœnam deposcit. Quid hic senatus Romanus, populꝰ Romanus, & ipsi Tribuni plebis? Populus orare cœpit, Tribuni plebis item, vt venia adolescentiæ Fabii donaretur, vt pœna magistri equitum sibi remitteretur, Pater Fabii in genua prouolutus pro filio deprecabatur. Tum vero Papyrius damnatum populo, & Tribunitiæ potestati se donare est professus. Verba eius sunt: *Bene habet, Quirites: vicit disciplina militaris: vicit imperii maiestas: quæ in discrimine fuerunt, an vlla post hunc diem essent. Noxa non eximitur Q. Fabius qui contra edictum imperatoris pugnauit, sed noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiæ potestati, precantium, non iustum auxilium ferenti. Viue Q. Fabi, felicior hoc consensu ciuitatis ad tuendum te, quam qua paulo ante exultabas victoria. Iuisti id facimus ausus, cuius tibi ne parens quidem, si eodem loco fuisset, quo fuit L. Papyrius, veniam dedisset. Mecum vt voles, reuerteris in gratiam: Populo Romano, cui vitam debes, nihil maius præstiteris, quam si hic tibi dies satis documenti dederit, vt bello ac pace pati legitima imperia possis.*

Tota respublica est dictatori supplex.

Imprudens Papyrii, sed felix audacia.

Papyrii seueritatem in reiiciendo supplice temerariam, neque vlli principum imitandam existimo. Sed iure tamen, & secundum leges egisse iudico. Neq; senatus, neq; populus, neq; Tribuni, iuste damnatū à dictatore pœna eximere potuerūt, fuit tota illa popularis, & Aristocratica respublica supplex dictatori. Quod si temporarius ille magistratus maior erat tota republica, quis miretur id in Monarchia admittere. Quod si à populo senatus, aut à senatu populoque in administratione iustitię dependeat princeps, quid inde nisi appellatio ad populum, frustrationes legum, æternæ lites orientur? Deinde in contemptum & irrisum auctoritate imperantis venire necesse est, si eius iudex sedeat populus, & quod recte iudicatum est, irritum faciat. Neque video quomodo sit vlla Monarchia, si in omni regimine suprema potestas est penes vniuersos. Video sane id quoque vsu in Romano imperio receptum, vt quamuis principes Germani modum ac limites statuerint Augustæ potestati, eius tamen in iudicando auctoritatem sartam tectam habeant, quocirca cum nonnulli principum hoc ius imminutū irent, & aliud quoddam principum iudicium obtrudere conarētur, grauiter à Catholicis principibus moniti sunt, ne vim ius, ac grauitatem imperii conuellerent, ac eneruarent: Ipsum etiam Augustum Matthiam hortati sunt ius imperii integrum, inuiolatum, ac sacrosanctum tueretur. Maneat igitur: ius summū apud principem residere, quamuis n. legibus ac iuramento suis sit ciuibus obstrictus, illarum tamē legum est ipse custos.

Princeps in administratione iustitiæ à populo non pendet.

Germani summum iuris arbitrium Cæsari relinquunt.

§. 4. Tertio certissimum est, Non modo vniuerso populo vtile, ac salutare esse, sed magistratui quoque ad quietem & diurnitatem necessarium; vt multa non possit, sed plus eo possit minor magistratus, & populus. Primo, ne noua tributa indicere, noua vectigalia constituere possit, incōsulta republica, quod in Hispania, Germaniaque, atque aliis in regnis sapientissime constitutum est. Nulla enim re grauius peccatum est, nusquam grauiores turbæ, quam nimia, atque austera tributorum ac vectigalium exactione, quæ cum singulos attingat, æquum est, consentiente republica potius à volentibus darinon, ab inuitis, cum execrationibus, dirisque in principem, & pauperū gemitu, extorqueri. Merito igitur in hac causa frenū ponitur principali licentiæ, & ministrorum auiditati, qui dum fisco principis atque ærario patrocinari sese profitentur, sua compendia non inusitatis artibus quærunt. Multos patronos habet fiscus, & multis ipse patrocinatur.

Ius vectigalium constringendū.

§. 5. Deinde legum condendarum, antiquandarumque auctoritatem penes Rempublicam, non vnum magistratum, siue principatus ille sit, siue senatus optimatum, oportere esse, maxime legibus bonę ciuitatis est consentaneum. Qua de re, cum acturus sim libro de legibus, hic causas adferre supersedeo.

Legum potestas sit penes totam Rempub.

§. 6. Tertio, Nec in potestate principis vnius sit successorem deligere, quod quidem in omnibus prouinciis vbi electione, & suffragiis principatus confertur seruari puto; vbi vero ex hereditate succeditur, id legum norma, ac consuetudine, non principis arbitrio faciendum est, & si de hæredibus controuersia oriatur, hanc vniuersa Respublica dirimet. Plus enim posse debet, quam dubius hæres, est enim res omnium grauissima. Cur vero vbi electione princeps constituitur, nolim principis quamuis moderati, & prudentis valere iudicium, causa est: Quia per simulationem, & fraudem se pessimus quisque insinuabit, æmulos, aut in quibus spem regni esse suspicabitur, insidiis, calumniis, ferro submouebit: De hærede dubitabat Augustus, & quem instituisset is rerū Dominus futurus erat. Quas clades, quas Tragœdias dedit illa potestas? Germanicus, eiusq; stirps per muliebres artes è medio tollitur, & tandem successor ab exilio eligitur, qui regnaturus erat sanguine multo, ipse Augustus dolere se dicebat vicem populi Romani, qui sub tam lentis maxillis futurus esset. Fecit tamen Imperatorem Tiberium, seu necessitate, velut impar illius potentiæ, seu voluntate, quo successoris immanitate cōmendatior, ac desiderabilior ipse redderetur. Nec melior Tiberii cōditio, quē occisis vario euētu melioribus Caligula excepit.

Principis arbitrium non sit in hærede constituendo.

Augusti in successore deligendo peccatum.

§. 7. Quarto de pace & bello etiam ius Reipublicæ potius, q̄ principis esse mallem, quamuis video id regibus vt plurimum iuris esse, vt bellorum, pacisq; arbitri sint. Ratio est, quia tardius sic bella inchoabunturcitius finientur. Principes sæpe laudis auidi, vindictę ptinaces, leues ob causas ad arma ꝓsiliunt, incitant eos Tribuni nobiles, ꝓponunt exēpla Alexandrorum, Scipionum, Cæsarum, & quasi ignauos increpant, qui domi desideant, nihil gerant. Magno ferocium hominum errore, quasi vero non omnium maximum opus sit, tot hominum millia, tot improborum centurias in pace continere, atque vt sine aliorum iniuria iuuant, auctoritate, & metu cogere. Belluarum illa laus est, eam fortissimam esse, quæ pluribus cædibus oblita sit; princeps hominibus seruandis eligitur, alioqui quieto principe famosus latro glorioſior dicetur. Cum vero plurimi optimi, ditissimique subditorum pacem optent, poscantque, eorumque interſit quam maxime, vitam fortunasq; non cōmitti incertæ bellorum aleæ, æquitas postulat, vt eorum etiam consensus exquiratur, idq; principi inprimis conducit. Nam eos fidos adiutores experietur, qui iam ante bellum decreuerūt. Cum vero tępore belli maxime principum fama proſcindatur, nec id vnquam aliter fieri possit, nā ab hostibus, & ab amico milite quæ dāna accipiunt, omnia principi imputant; studioſe curandum est, vt omniū iudicio bellum, sumptusque in bellum decernatur, quo quidem facto non omnes quidem obtrectationes, & calumnias princeps effugiet, cōsequetur tamē ne oēs habeat aduersarios, sed quosdam approbatores.

Pacis & belli ius sit penes Remp.

Expedit non solum principem esse arbitrum belli.

§. 8. Quinto,

Æs alienũ suo arbitrio ne contrahat princeps.

§.8. Quinto, Valde probo, quod in multis Germaniæ prouinciis præsertim Ecclesiasticis statutum est, ne æs alienum contrahere liceat principi insciis, aut inuitis subditis. Nam hoc modo pars regni alienis oppignoratur, vires dissipantur, & alio nomine noui tributi necessitas imponitur, dum aut fors, aut fœnus dissoluendum est. Imo tolerabilius iudico leni aliquo tributo principis necessitatibus succurrere, quam fœneratoribus obnoxiam reddere patriam, & principis maiestatem ludibrio exponere. Hæc præcipua sunt, quæ prudenter Reipublicæ quasi peculia quædam reseruantur. Sunt alia peculiaria multis regnis; Licere principum conuentus iniussu regis congregare, Tribunal à rege liberum statuere. Nullum esse ius regis in puniendis principum, aut nobilium delictis, appellationem à rege ad minores magistratus dari. De his suo loco agam, nunc tantum hoc doceo. Omnino vtile esse principum potestatem ita legibus septam esse, ne exorbitare, & in tyrannidem facile migrare possit, ita liberam vt coercendis malis, tuendis bonis sufficiat, hostibus sit terrori. Multæ enim prouinciæ dum principum auctoritatem nimis acciderunt, euersæ sunt; improbi enim homines precariæ, & quasi seruæ potestatis contemptores, sursum deorsum omnia miscent.

Non nimis accidenda principum potestas.

§.9. Altera magistratus obligatio in officio ipsius præstando cernitur. Præclare Cicero, & vt puto, ex animo dixit; *Duo se optare, primum vt moriens populum Romanum liberum relinqueret, alterum, vt quo quis in patriam esset animo, ea quoque fortuna vteretur.* Neutrum ille consecutus est, nam captiuam patriam moriturus vidit, & eius defensores amorem patriæ morte, exiliisque luerunt; qualem tamen principem esse, qualem ciuem vellet, nobis ostendit; nempe amantissimum patriæ, totius inquam, & singulorum in patria ordinum, singularum partium, oppidorum, vicorum, hominum. Si enim tantus est amor patriæ etiam in priuatis, *vt omnes omnium caritates patria vna complexa sit*, vt idem Cicero l. 1. de off. Si ad eius amorem ostendendum finxerunt Vlyssem sapientissimum virũ patriam immortalitati prætulisse.

Amor patriæ, & singulorum principi cõmendatur.

ἱέμενον τὸν καπνὸν ἀποβρώσκοντα νοῆσαι
ἧς γαίης
Cupientem videre fumum de patriis focis ascendentem.

Si natura nihil est coniunctius patria, οὐδὲν γὸ ἐστιν οἰκειότερον πατρίδος. Si pro patria nemo bonus mori dubitat, si ei profuturus sit. Si pro ea mori, & nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus, quanto amore, studio, erga eam affici debet magistratus, princeps, rex, qui non modo patriam amare, cui gratis omnia præstare debet, sed eam patriam à qua habent tot pignora mutuæ caritatis, à qua ad honores, opes, gloriam euecti sunt?

Patria magistratui multũ præstat, cum illis fidit.

Singularissima enim est, & grauissima principum obligatio. Nam principio eorum caritati, fidei, diligentiæ, iustitiæ se patria commisit: nemo adeo barbarus est, qui eum non amet, cuius in se tantum amoris, & tam præclarum iudicium expertus est. Deinde magnificentissime ac sumptuosissime principem alit patria, inter tot millia pauperum, inter tot myriadas duro labore vitam tolerantium, principi non ad necessitatem duntaxat, sed ostentationem, magnificentiam, recreationem abundantissime omnia suppeditantur. De industria negociatorum, de vigiliis artificum, de sudore rusticorum, de ærumnis metallicorum aliquid deciditur, quod in delicias dignitatemque absumat princeps. Non est autem, nec esse debet patriæ is sensus, aut voluntas, vt has opes in vnum conferat, aut paucos, vt de labore omnium luxurientur magnates, sed vt caritate, prudentia, labore, etiam periculis, & morte vniuersos

Sumptus in principem facti laborem requirunt.

& singulos tutos, indemnesque præstent. Militi si munia castrensia obire nolit, si in acie stare formidet, stipendium Imperator subtrahet; at princeps si religione, & conscientia ducitur facile intelligit, tanto honore, tantis opibus se fultum, vt prosit patriæ, regium comitatum, purpuram, coronam, honores delatos, splendorem aulæ, epularum exquisitissimarum delicias, thesauros, obsequia populorum laboris esse stipendium, auctoramentum vigiliarum, maximarum curarum delimimentum, incitamentum vt patriæ bona augeat, eius mala in se transferat, grauissimum flagitium existimet in ea curanda negligentiam. Optime Aristoteles l. 5. polit. c. 9. *Tria autem debent habere ij, qui magistratus totius ciuitatis amplissimos, & penes quos est summa reipub. potestas, gesturi sunt: primum in reipub. statum beneuolentiam: deinde eius magistratus, quem gerunt, munerum obeundorum facultatem maximam. tertio loco virtutem & iustitiã in vnaquaq; reipub. administrandæ forma, pro cuiusq; reipub. administrandæ forma.*

Officia magistratus.

§.10. De officio quidem magistratuum agam singulari libro, Nunc hoc moneo: Summam in principe requiri in omni genere rerum curam, industriam diligentiam. Arbitror autem multos principes alioqui inculpatos, & iustos apud regem regum, & dominum dominantium seuerissima quæstione examinandos, tristissima sententia damnandos, quod in officio suo ea qua oportebat diligentia versati non sint; tempus seriis negociis, & saluti publicæ debitum ludicris dedicarint. Si enim aduocati negligentia, causa cliens cecidit, si vinitoris secordia auctumnus intercidit, si militis somnolentia oppidum in periculum deductum est, venia negatur in minore delicto; quid si principis incuria tota respublica detrimentum patiatur, quis ignoscet? Æstimare facilius est labores, & miserias principis, quam exponere, si muneris sui magnitudinem, errorumque discrimina ipse intelligat, *Ærumnosum est, & curarum innumerabilium est, fieri principem, nam cum ad singula singuli teneantur, vniuersa curarum moles principi incumbit.* Moles ponderosa principi etiam gentili, molestior Christiano, qui officii sedulitatem, integritatemque Deo approbare se debere credit. Hoc tanto rerum pondere, pressos, necesse est, aut lassari, viribusque pene deficere, aut obstupuisse, vt oneris grauitatem non sentiant. Laudatus historicis, sed impius, & Christianæ pietatis immanis persecutor fuit Septimius Seuerus, ex milite gregario, per omnes honorum, & laborum gradus ad Augustum fastigium elatus, is moriens, cum vitæ acta omnia relegeret; *Omnia*, inquit, *fui, & nihil expedit.* Omnium principum eam vocem esse non dubito. Procedat in medium mihi annosus princeps, qui iam in hæredem sceptra transcripsit. Dicatque, quomodo à suis offensus, & contemptus fuerit, quas ministrorum noxas dissimulare coactus sit, quot insidiis inimicorum, quot calumniis maleuolorum appetitus sit. Quoties in fraudem inductus sit, quam importune vexatus, nullus dubito si totum vitæ cursum sine fuco recenseat, fore vt ipse admiretur, tanta se perferre potuisse. Quod si etiam princeps sit, cui pietas cordi, qui iustitiam æmuletur, rempublicam diligat, de omnibus rationem Deo reddendam sciat, quo horrore sese examinabit? An omnia quæ Deo, quæ pauperibus, quæ diuitibus præstanda fuerunt, prompte, diligenter, mature, sine damno, sine precio, exhibuerit? Regnum, sceptra, maiestas Dei beneficia sunt, quæ quanto maiora sunt, tanto grauiora peccantibus iudicia constituta sunt. Quo enim est indulgentior liberalitas, eo inexcusabilior est largitatis abusus. Dona augentur, & crescunt donorum rationes. Quantum maiestatis accedit, tantum seruitutis, & periculosissimæ seruitutis exigitur.

Grauis culpa principum negligentia.

Aerumnosa res principatus.

Claudam hanc partem sententia D. Augustini. *In hoc seruiunt reges Deo, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeant, non solum, quæ pertinent ad societatem humanam, sed quæ ad religionem diuinam.*

CAPVT XXV.

Præstat principem esse hæreditarium, quam eligi.

Varietas sentientiũ & regnantium.

§. 1. DIFFICILEM non altercationes modo disputantium, sed imperiorum etiam maximorum iudicia, ac vsus quæstionem faciunt. Germani qui Augustum imperium obtinent, Poloni, aliique reges eligunt; Hispani, Franci, Angli, ac plerique alii hæreditarios habent dominos. Quorum igitur instituta, legesque probandæ sunt? an me decet de antiquis regnorum pactis, ac consuetudinibus iudicare? Decet vero, si reipublicæ consilium dare est propositum, nec ægre ferent hæredes regnorum me præferre electos, quia amici sunt electorum, nec electi irascentur laudanti hæreditaria regna, cum & illi multa hæreditaria possideant. Si enim vel Imperator, vel Electores Imperatorum malunt omnia liberis suffragiis constitui, ipsi de suis hæreditatibus ditionibusque cedant, atque electionis arbitrio committant. Meam itaque sententiam perspicue breuiterq; paucis propositionibus explicabo.

Politia electione constituit magistratum.

§. 2. Propositio 1. Politia seu populare regimen necessario electionem desiderat, cum enim omnibus ciuibus ad honores aditus patere debeat, & pauci possint esse qui imperent, electione faciendum est discrimen.

§. 3. Propositio 2. In Aristocratia etiam electio necessaria est; sunt enim plures optimates, quam esse possint in magistratu; si autem nascendi iure nonnulli dignitates obtinerent, cæteri excluderentur, & respublica desineret in dominatũ paucorum.

§. 4. Propositio 3. In vniuersum hæreditariam successionem electioni præpono:

Rationes quæ me vt ita sentiam inducunt, sunt variæ, quas considerandas omnibus in medium profero.

Pro successione est antiquitas.

§. 5. Prima ratio. Antiquitus nati sunt, non electi reges, quod autem in republica antiquissimum id haud facile migrandum. Regum enim dignitas patriæ potestati similima est; qui enim inter patres prudentiores erant familiam regebant; deinde primogeniti erant *domini fratrum suorum, & incuruabantur ante eos filij matris eorum.* Iacobo, Isaac oculis caligans, sed diuino oraculo seruiens, dominatum in fratrem dedit, quem exigua nascendi mora supplantator antecesserat. *Dominum tuum, inquit, illum constitui, & omnes fratres eius, seruituti illius subiugaui*, Genes. 27. 37. De Ruben quoque idem ait, *Prior in donis, maior in imperio*, quia & ille primogenitus erat, sed dignitate per incestum exciderat. Capita ergo familiarum erant primogenituræ æstimatione, non electione fratrum, & prima regna non erant nisi magnæ familiæ. Ismaeli etiam nati sunt duodecim principes tribuum suarum, Genes. 25. 17. Eodem etiam tempore Horræi in monte Seir hæreditate ducatum adibant, vt constat ex Genes. 36. 20. Quin & postea illa consuetudo mansit, nam rex Moabitarum filium *primogenitum arripuit, qui regnaturus erat pro eo, & obtulit holocaustum super murum.* Regna etiam Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum, Medorum, Persarum erant hæreditaria. Diuino etiam munere de stirpe Dauidis principes nati sunt, & apud Israelitas in ipso schismate tyrannorum filii patrum fuere successores, nisi cum alio tyranno vrgente ante imperium adeptum trucidati sunt. Non tamen fuit ignota electio regum ne illo quidem sæculo. Nam Genes. 36. à versu 31. numerantur Idumæorum reges octo, quorum nemo regnum hæreditate obtinuit, nec credibile est omnes adoptione, aut tyrannide regnum gentis bellicosæ consecutos, itaq; electi sunt.

Prima regna erant vt nunc magnæ familiæ.

Heroicis temporibus nascebantur reges.

§. 6. Non audiendi igitur viri prudentes, & magni, qui electionem volunt antiquiorem, & heroicis illis temporibus vix aliter factos reges, principatus pace, aut bello, virtutis, aut roboris prærogatiua assignatos. Naturæ enim esse deteriora potioribus subiiittere. Hinc Brasileenses ad Carolum nonum Franciæ regem adducti, paruo, & tenello regi validos, & proceros Heluetios parere mirantur. Errant viri illi magni, nam Heroicis temporibus videmus eos qui ad Troiam pugnant, reges regum filios fuisse, ad Deos etiam plerique progeniem referebant. Si res fabulis definienda est, & Semidei adducendi sunt, in Ægypto colligam per quindecim dynastias, annis 3317. multos reges, & primos octo continua successione liberorum hæredes, post etiam lege lata ad successionem mulieres admissæ sunt. Sed illa prætereo, Tempore Mosis Troiæ regnauit Dardanus, eius posteri sunt, Euchthonius, Trosillus, Laomedon, Priamus, quis Troiæ imperium negarit esse hæreditarium? Reges Tyri Abibahal, Hirom, deinde Astarthus, Asserimus, Pheles. Reges Mycenarum, Pelops, Eurystheus, Atreus, Agamemnon, Orestes, Penthilus vltimus Pelopidarum. Athenienſium reges, Euchthonius Vulcani filius, cuius familia annos 285. imperium tenuit, ad Melanthum deinde translato imperio quatuordecim reges habuit, vt semper filius patri succesſerit. In Spartano plus variatum pulsis hæredibus per tyrannos, sed multa docent fuisse & illud ex successione, nec modo hæreditarium sed etiam dotale fuit, Menelaus enim filius Atrei ducta Helena pro dote Spartam accepit. Post vero Heraclidarum regnum diutius non interrupta nepotum seria quam vllum aliud durauit. Apud Corinthios quoque heroum tempore reges nascebantur; Sisiphus Æoli filius, Ornition, Thoas, Damophon, Propodas, Doridas; annos autem 259. regnarunt Sisiphidæ. De Iano, Saturno, Fauno, Pico Latino aboriginum regibus dicere fugio, ne fabulis rem seriam stabilire velle videar; sed euellenda vetus illa opinio quorundam, qui olim electione reges factos affirmant, & regnum fuisse virtutis, aut roboris prærogatiua donatum, certe negarent id ipsi reges, dicerentque *filius sapientum ego, filius regum antiquorum.* Non tamen omnem electionem tolle, nempe si nouum regnum inchoarent, si regia stirps deficeret, si inidoneus regno hæres iudicaretur.

Exempla vetera successionum.

Electio tumultu & metu plena est.

§. 7. Secunda ratio ex ipsa electione sumitur, quæ tumultui, & nouis machinationibus seditiosorum obnoxia est. Transitus enim rerum malis conatibus opportuni sunt. Et cum futurus euentus incertus est, multorum animi eriguntur, multorum spes inflantur, quæ omnia cohibentur, si successor non sit in incerto. Iactationes comitiorum Romanorum cum Consul, imo ædilis eligebatur, turbulentæ, & cum sanguine fuere, cum tamen annuus esset ille magistratus: quid si pro perpetua dictatura decertassent? Quanto in periculo sint ditiones, nouæ electionis tempore ipsa hominum sollicitudo demonstrat, & tot exempla hactenus docent. Et miserum sane est non in Politico tantum magistratu, sed Ecclesiasticis etiam officiis, sacrisque hominibus electionem aliquando non sine magno Ecclesiæ ac Reipublicæ vulnere peragi posse. Electio vero in Romano imperio, quas clades mundo intu-

do intulerit, nemo gnarus historiæ ignorat. Nero Romæ bachatur, Galba ex Hispania sæuitiam auaritiamque defert, Vitellius ex Gallia, Otho ex vrbe proficiscitur, pares erant viribus, & vitiis; interea Vespasianus alia in parte eligitur. Antoninorum, Gallienique tempora si spectes, triginta simul tyranni imperium inuasere. Dum enim fortuna sinit, dum sperare licet, quilibet quod fieri potest, aggreditur, & quod vigilans somniauit, adeptum se putat.

Natis regibus est maior auctoritas.

§. 8. Tertia ratio. Imperii firmamentum, & salus est auctoritas imperantis, extrema pernicies est contemptus; at maior est dignitas, maior auctoritas eorum, qui à regibus nati sunt. Qui aliorum suffragio, hoc est beneficio, regnum debet, multa tribuere, multa indulgere suæ maiestatis auctoribus cogitur, in eorum delictis ne ingratus videatur, dissimulare. Multis etiam pactis, cautionibusque libertati suæ electores prospiciunt, vt quam minimam in se potestatem illi tribuant, quem eligere statuerunt; quantum de potestate minuunt, quantum suis priuilegiis arrogant, tantum de auctoritate detrahunt; Instabilis enim est auctoritas, quæ solida potestate non fulcitur. Deinde tanti eum non faciunt, quem aliquando parem, aliquando se minorem viderunt. Tiberium contempsere Romani, quem exulem, & palliolatum Græculorum ritu viderant, inde ortæ suspiciones, calumniæ, coniurationes, & nobilium laniena. Galba contemptui fuit, vt qui prius ære alieno obstrictus vix Romæ manere potuerit, ideo & illi breuissimum imperium, fœdissimus exitus contigit. Ælium Pertinacem, Macrinum, Maximinum, Balbinus: Pupienum, Tacitum, Probum, Carum cum filiis, milites quasi per ludibrium occiderunt, quemadmodum crearunt imperatores; neque erga eos maior quam commilitones, qui fustuarium meruissent, erat reuerentia. Augusti enim insignibus, & nomine detracto, cum nec virtutis, nec generis vllo decore, aut prærogatiua antecellerent, velut extremos hominum, nocentissimosq; exquisitis plerosque supplicijs mactarunt. Contemptus igitur ex æqualitate, ex eo, cum durius imperator aliquid, indignatio, doloriſque sui cum aliis communicatio, insidiæ, & exitium alterius partis, & sæpius vtriusque.

Cur electi cõtemnantur!

Timide imperat qui minor fuit.

Tertio, Necesse est regem, nisi insigni animi robore sit, timide imperare, simultates, & inimicitias potentium, & audacium hominum non frustra metuentem. Cum enim vitæ breuitatem, cum fortunæ varietatem perpendit, non facile eos quantumuis merentes offendet, quos aliquando imperaturos suspicatur, familiæ suæ, filiis, & vxori hostes relinquere multos non putabit esse sapientis. Ex quo sequitur magnatum magna potentia, maior impunitas, inferiorum oppressio, & contumeliæ, iudiciorum lentitudo, causarum dilatio, difficilis sententiarum pronunciatarum, & rei iudicatæ exe-

Nemo libẽter offendit eum, quem dominum habere potest.

cutio. Non ignoro regum, qui animo heroico, & intaminata iudicandi æquitate pollent, prouidentia omnium prauis conatibus obsisti posse, sed quid ex natura electionis consequatur moneo. Quarto, si filios habeat is qui Reipublicæ suffragiis electus est, quis non videt patrem, pro filiis omnes qui ius suffragii habent, prensaturum, omniaque illa facturum quæ solent facundi, & humiles candidati? Cicero à suo tempore alienissimum putabat, accusare Verrem, cum magistratum peteret, omnes enim Verræos amicos petitioni suæ aduersaturos, & principem qui filium sibi successorem suffragiis aliorum destinat, necesse est sæpe posita maiestate, subditis suis parem aut inferiorem se gerere. Quod si parum firmato sit animo, magisque patrem se, quam regem esse cogitet, multa sæpe concedet, multa dissimulabit, vt filio suffragatores paret, multa etiam per filium candidatum regni à patre postulabuntur, quæ mos, ratio, æquitas præstare prohibebit, nec quicquam facile negabitur illi, à quo regnum petitur. Nec deerunt reges, qui vltra donando, indulgendo, sanguinis sui potiorem, quam iustitiæ rationem habeant.

Dum familiæ regnum paratur facile bella oriuntur.

§. 9. Quarta ratio. Quid si ne tutus quidem sit eius regni status in quo rex se familiæ vltimum fore metuit. Natura ita comparatum est, vt in liberorum honoribus procurandis non minus industrii sint, & acres parentes, quam propriis. Ptolomæus Ægypti rex cum filium suo loco regem constituisset, inter satellites eius custos astitit, adeo augustius quiddam arbitrabatur patrem regis, quam regem esse. Seuerus omnes quos noui aliquid molituros suspicabatur in filiorum gratiam trucidauit. Gordianus audito filium à Maximinis occisum, mœrore victus, laqueo sese suffocauit. Neronis mater vita sua bene filii imperium emptum iudicabat; cum enim vates prænunciassent, fore vt si imperaret, matrem occideret: *Occidat*, inquit, *dum imperet.* Demetrius filio amanti vxorem cessit, trium insigni contumelia. Cum igitur tanta vis sit humanitatis, & sanguinis, vereri certe debent, ne pater vi, dolo, blanditiis, id agat, vt filius arceri regno non possit, nec video cur hoc sit arduum, & si filius se idoneum regno præstet, & pater procerum partem in suam sententiam trahat.

Successionis commoda.

§. 10. Quinta ratio. Vtilitatem regni si spectes, multa commoda habet successio, quibus electio destituitur. Qui hæredes maiestatis suæ se relicturum sperat; omnia regni negocia velut propria curat, hæredibus prospicit, ærario, armamentariis, incolumitati ciuium consulit. Dauid sic omnia pro Salomone accurate disponit. At qui sua morte imperium suæ familiæ finiturus est; causam magnam non habet, vt regni tutelæ, & dignitati in longum prouideat, quod mox in aliorum, forte etiam inimicorum manu futurum est. Omnem potius cogitationem eo conferet, vt liberis suis, ac familiæ, cui inuidiam, & multorum simultates relinquit, præsidia, securitatemque præstet, ne iam priuati præter ludibria, & imperia noui regis, etiam rerum necessariarum penuria laborent.

Natorum ministri meliores.

§. 11. Sexta ratio. Eorum qui electi sunt, officiales, & ministri minus fidi sunt, & quodammodo rapaciores; nam dum cum principis vita suas quoq; functiones emorituras esse non ignorant; ad opes, & honores festinanter aspirant. Mutato enim & translato in aliam familiam principatu, veteres ministri aut dimittuntur, aut postponuntur. Quod suos quisque, quos priuatus fidos & amicos habuit, merito iudicet etiam domini sui honoribus frui oportere.

Hæreditarius magis amatur.

§. 12. Septima ratio. Maior est in principem hæreditarium caritas, vt à quo non solo, sed maioribus quoque & posteris beneficio priuatus quisque exspectat. Nouos antequam amare incipiant, fastidire solent, & post omnia beneficia multum consequuntur, si ciuiliter succedor, & alterius familiæ decus exspectetur.

Cur non optimi semper eliguntur.

§. 13. Octaua ratio. Vnica ratio pro electione datur, quod optimum, prudentissimum, fortitudine, & iustitia spectatissimum liceat è millibus eligere. Sed ea res tam sæpe olim fefellit, & nunc quoque vereor, vt raro firma sit. Nolo suffragatores culpare, quasi malos elegerint, imbecillitas humana, subita felicitas, fastus ex tenuitate insolentior, suspiciones, opinio contemptus, timor successoris mentem etiam probe fundatam de mente dejicere potest.

poteſt. Scelera ſi neſcierunt regnum docuit, adulator inſtillauit, miniſter induxit, multos bonos regna fecere malos, in regno pauci facti meliores. Cauſa cur perperam elegerint, amor, odium, ſpes; qui affectus in omnia comitia allati ſunt, nec in poſterum facile exulabunt. Alexius ſine hærede moriturus de ſucceſſore deliberabat; *Igitur alij, atque alij varie nominabantur, ſed omnes, qui ſibi opportuni, atque vtiles eſſent, nominabant. De eo autem eligendo, qui optime & ex vſu publico imperaret, nulli cura aut cogitatio erat.* Choniat. de Alexio.

Neronianæ electionis excuſatio.

Honeſtior apud Romanos electionis Neronianæ excuſatio, apud Tacitum lib. 13. *Contra alij melius euenisse dixerunt, quam ſi inualidus ſenecta & ignauia Claudius militiæ ad labores vocaretur, ſeruilibus iuſſis obtemperaturus, Burrhum tamen, & Senecam, multarum rerum experientia cognitos: & imperatori quantum ad robur deeſſe? cum octauo decimo ætatis anno Gn. Pompeius, nono decimo Cæſar Octauianus ciuilia bella ſuſtinuerit. Pleraque in ſumma fortuna auſpiciis, & conſiliis, quam telis, & manibus geri. Daturum plane documentum, honeſtis, an ſecus amicis vteretur. Si ducem amota inuidia egregium, quam ſi pernicioſum & gratiæ ſubnixum per ambitum deligeret.* Hæc excuſatio de Nerone eſt modeſtior, & ſpe aliqua nititur, alioqui vix vllæ ſucceſſiones ſenatus, aut miſſum calculo deſignatæ fuere laudabiles. Claudius ſtipes & monſtrum, & tantum, cum duci iuberet inauditos, viuidus; Nero à ſenatu; Galba, Otho, Vitellius à milite, Titus patri ſucceſſit, atque adeo inter bonos principes; Neruam vires, & ætas non malignitas defecit. Traianus & turpiſſimus & crudelis fuit, ſequentia monſtra colligere non eſt animus. Melior fuit Carolus magnus eiuſq; progenies. Nunquam tot boni imperatores vna in ſerie, quam ab Alberto ſecundo ex vna familia ad Matthiam primum, nunc imperii decus ſuſtinentem. Electionem igitur qui probant, magna in Republica certamina concitant. Omnia venalia reddunt cum mores corrupti ſunt. Iulianus, non apoſtata ille, ſed qui Seuerum anteceſſit, propalam prætorianis pecuniam ſpopondit, ſi eligeretur, Otho profeſſus eſt, *id ſe demum habiturum quod milites ſibi reliquiſſent.* Seuerus militem coli iuſſit, cæteros contemnere ſuaſit. Milites non niſi teterrimum quemque, & ſub quo licentius agerent, ad imperium euexerunt. Scio excipi Probum, quem dixere principem, ſed mox probitate offenſi interemere. Scelus tamen ſuum, & imperatoris integritatem Epitaphio ſignarunt: *Hic ſitus eſt Probus imperator, vere probus*, ſe improbos igitur fatebantur, qui probum ſuſtuliſſent. Quid turbatius quam in Italia Gothorum electi reges Athalaricus, Theodazatus, Vitiges, Ildobaldus, Araricus, Totilas, Teias, omnes mali, male electi, male regnarunt, male perierunt, à ſuis interfecti, à quo dedecore Vitigem captiuitas liberauit. Gothi qui in Hiſpania fuerunt, reges Italicis longe deteriores habuerunt. Ad exempla igitur prouoco, & electione non optimos ſemper ad regale ſolium educi exemplorum multitudo, ſæculorumque vetuſtas edocuit.

Electio corruptis moribus eſt periculoſa.

Milites in deligendo imperatore licentiam ſpectant.

§. 14. Varia mihi obiici non ignoro. Primo. Regum filii inter delicias, & adulationes educati, ſuperbia inflantur, voluptatibus franguntur, ſubditorum æſtimare neceſſitates neſciunt. Secundo, facile in tyrannidem erumpunt, & regnum quaſi patrimonium, ſubditos velut ſeruos habent. Tertio, in electione virtuti campus aperitur, & ſe patriæ probare conabuntur multi, ſi viris bonis ad ſummum imperium patere aditum videant. Quarto ſucceſſio ex adulatione initium duxit, & malis artibus. Quinto, ex ſucceſſione ſæpe princeps habendus puer, fœmina, ſtolidus, auarus, crudelis. Bonus certe eligi poteſt, hoc eſt in poteſtate eligentium. Sexto æquum eſt, vt imperaturus omnibus, eligatur ex omnibus. Septimo. Florentiſſimum regnum, viris virtutibuſque diues, & bellatrix Polonia regem electione creat, & ſæpius externum. Auguſtum imperium Germaniæ electorum ſuffragio datur, & optimis tamen legibus regitur. Octauo, hæreditariæ ſucceſſiones certa ſua, & magna vitia habuerunt, fere enim Heroum filii noxæ, Salomon à pietate Dauidis, Roboam à ſapientia Salomonis deficit. Intercedit Ioſaphat rex bonus, ſed Ioram, Athalia, Ioas, Amaſias impii fuere. Ioathan Deum timet, ſed Achar à Deo, & religione ſeceſſionem fecit. Ezechias rex ſanctiſſimus, Manaſſem, & Amonem, filium, & nepotem habuit nequiſſimos. Laudatur Ioſiæ feruens pietas, ſed poſteritas eius degener ſcelera ſua exitio, & captiuitate luit. Denique nuſquam tanto ſucceſſionis abſque ſeditione procurandæ ſtudio laboratur, quam in Monarchia Turcarum, ſed nuſquam illa eſt infelicior, vt pauca recenſeam. Baiazetes ſecundus fratris fugientis filios trucidat, Baiazetis filii viuo patre de ſucceſſione belligerantur, tandem victor Selymus, patrem abſentem, fratres & eorum filios ſupplices in conſpectu ſuo laqueo perimit, nunquam in illam tyrannidem ſine conſanguineorum cæde peruenitur, præſtare igitur ſucceſſione hæreditaria videtur electio.

Exempla infelicis ſucceſſionis.

§. 15. Ad hæc ex parte reſponſum eſt, ſed rem clarius exponam.

Propoſitio quarta. Quibuſdam potius conuenit electio, quam ſucceſſio, non quod huic illa ſimpliciter præferenda ſit, ſed vel ratione morum, & regionum, vel ratione partium Reipublicæ iam olim conſtitutæ, quam mutare non eſt viri boni, ideo nec politici. Itaque eligi regem vnum aliquem in valde lato regno non eſt conueniens, neque illa incommoda habet omnia quæ ſupra memoraui. Si regnum illud multos principes, & quaſi reges minores complectatur, quod in Germania vſu venire videmus. Etenim cum primum hoc imperium in Germaniam translatum eſt, non eſt viſum alligare ad vnam aliquam domum, ſed beneficium commune eſſe cunctis. Incommoda tamen electionis plurima hactenus fuere, diſcordiæque & bella, ſed plurimas diſſenſiones tollit electorum paucitas; Sex enim ſunt, & ſi par ſit ſuffragiorum numerus arbiter & elector accedit Rex Bohemiæ. Ex his tres ſunt Archiepiſcopi, qui ad regnum aſpirare non poſſunt, ſeptem electores ſæculares, qui & ipſi poſſunt eligi, ſemper autem inter eos aliquis eſt, qui ob ætatem, aut alias cauſas eligi non poſſit. Itaque minime turbulenta eſt electio, necalii principes, quanquam potentes, excludi ſe à ſuffragiis indignantur, ſed legibus acquieſcunt. Deinde coniuncta eſt electio Germanorum cum ſucceſſione, non iure, aut conſuetudinis præſcripto, quod vim legis obtineat, ſed principum electorum prudentia, modeſtia, & in patriam caritate. Recenſeamus antiquitatis monumenta, nullum filium imperatoris quieta electione præteritum inueniemus, quamuis adoleſcentes eſſent; neque facile futurum puto, vt alii in poſterum quam imperatoris filio ſummum imperium deferatur. Olim Auguſtus, Tiberius, alii, adoptionibus priuignorum aut nepotum in ſua familia diadema retinere conati ſunt. Imperatorum filii imperarunt, Titus, Domitianus, Commodus, Caracalla, Heliogabal⁹, Gallienus, Carinus, Numerianus, Conſtans, Conſtantin⁹, Conſtantius, Gratianus, Valentinianus Iun. Arcadius, Honorius, Theodoſius iun. deinde progenies Caroli magni, & Othonum, pauci alii, nunc Auſtriacorū: itaq; in Romano miſta eſt ſucceſſioni electio, ſic plerunque abfuerunt

In magno regno interdū conueniens electio.

Electio in Germaniæ valde prudenter inſtituta.

quartæ,

quartæ, & quintæ rationis incommoda, Imperator enim si filios habeat, imo si sine liberis est, modo fratres habeat dignos imperio, de successione certus esse videtur; ita nec sollicitus imperii vigorem imminuet, nec res imperii quasi alienandas à sua familia negliget.

Germani contemptũ demunt electis.

§. 16. Contemptum etiam imperantis tollunt Germani, nam plerumque principes potentissimos, clarissimique nominis eligunt, vt Maximilianum primum, ducem Austriæ &c. Carolum quintum potentissimum totius Europæ Monarcham, Ferdinandum, alterum Maximilianum, Rodulphum, Matthiam, illos enim principes nobilissimos, ac potentissimos esse constat.

Cum igitur electionis ordo accurate seruetur, cum electioni successio, quamuis sine præiudicio liberrimæ electionis, adiungatur, cum magni principes eligantur, multa electionis detrimenta euitant, & multa eius commoda consequentur. Sed hoc gentis grauitati, sinceritati, amori pacis, studio patriæ tribuendum est; præcipue, quia Germaniæ principes, quamuis sui iuris ac dignitatis sint retinentissimi, non tamen alieni sunt appetentes, vel ambitiosi. Itaque moribus, non electionis naturæ, aut formæ reipublicæ pacem concordiamque debemus. Turcarum mores intuere, vide mutuas fratrum calumnias, cædes, vide decrepitos patres in conspectu iugulare filios, ab illis veneno hos tolli. Quantæ discordiæ, quæ ducum, ac militum corruptiones, si in illos mores incideret electio? Exemplum nobis sit augustissimæ domus Austriacæ moderatio. Viuit Imperator Matthias, frater eius Maximilianus, alterque frater Albertus princeps prouinciarum Belgicarum, Imperator Ferdinando iam cessit regno Bohemiæ, Silesia, Morauiaque, reliquis mox cessurus, Maximilianus & Albertus, quorum proximum ius est, ac successio, eam cessionem adiuuant. Ipse Carolus quintus, & Philippus Rex Hispaniarum olim eas regiones cesserant Ferdinando. Confer his veterum cupiditates, fraudes, cædes, vide Romulum, & Remum, quorum vnus focus erat regnum, & ciuitatis rusticanæ spes duntaxat, & tamen

Bonis moribus pacis-cam electionem debemus.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Quanquam autem ea moderatio, prudentia, grauitasque Germanorum principum sit, non tamen efficiunt, ne interregni tempore, omnes in magno sint metu, ne bella grauissima patriam aliquando atterant, Henricos, Ludouicos, Fridericos, Albertos memoria recole, videbis

Multa incommoda tulit imperium Romanum ex electione.

Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Externus de nobis scriptor Nicetus ita iudicat. *O quanto deterius est multorum suffragium & electio, quam vnius. Tu inclytum Romanum imperium, & gentibus adoranda maiestas, quos tyrannos pertulisti? quales te amatores petierunt? quibus substrata tui copiã fecisti? quales corona, & diademate, & purpurea veste exornasti?* Verum querelæ cessent, pro illis Deo vota pendamus, moresq; præstemus tales, qui bonos principes mereantur, & ferant.

Polonorum electio.

Poloni quoque electionem probarunt, sed reuera, illi quoque ingentia sæpe passi sunt damna, destituti ab Henrico Galliæ rege, & contrariis studiis aliquando duos eligendo. Verum hac etiam in parte Poloni moderate, prudenterque rem gerunt. Primo nunquam hæredem excluserunt, aut præterierunt, nec regnum in aliam familiam transtulerunt, nisi cum Ladislaum deposuissent, substituto in eius locum Wenceslao Bohemo, Ladislaum tamen post restituerunt. Non minus prudenter etiam, quam humaniter filiarum regiarum rationem duxerunt. Heduigis ex stirpe familiæ regiæ emortuæ in matrimonium collocata est, Iagelloni, qui princeps erat Lituaniæ, vt ea saltem ratione erga reges affectum

Poloni in eadem familia cum hæres fuit regnum reliquerunt.

suum ostenderent, factum illud anno 1380. à Iagellonica familia non recesserunt, quamdiu ex ea hæredes vixerunt, quibus defunctis, id quoque actum, vt Anna quæ reliqua erat è stirpe regia, Stephano insigni Heroi nuberet. Sigismundum tertium illis commendabilem fecit, quod natus esset Catharina Annę sorore. Miscent igitur prudenter electionem successioni, vt quamuis liberrima sint eligentium suffragia, tantus tamen manet affectus in regum suorum liberos, quasi hæreditarium regnum esset, qua vna re pacem, & tranquillitatem, decusque regni, & maiestatem tuentur. Nec incommodis tamen ingentibus caruere; cum enim nobilitas sit magnanima, & bellatrix, si regem hæreditarium, & cuius regnum proprium esset, pati vellent, faciliore negocio, quam vlla gens omnia ad Pontum, Euxinum occupare, & aut Istro transito agrum Constantinopolitanum, aut Ponto transmisso Asiam inuadere possent. Et hoc sane Turca metuit, ideoque damna à Polonis illata, quantum potest, dissimulat, pacem, quocunque modo redimere contentus.

Poloni regiarum filiarum rationem ducunt.

Turca Polonos timet.

§. 17. De electione & successione differui, nunc respondendũ illis est, qui electionis libertatem præferunt. Quos non ita refellam, vt non concedam multa esse electionis emolumenta, quibus successio destituatur, sed vt commodis omnibus, detrimentisque in vnum collatis, ostendam in electione plura detrimenta, in successione plura commoda esse.

Primo sine causa objicitur fastus, & deliciæ regum qui nati sunt, & in purpura educati. Eorum qui ex priuata fortuna ad regnum venerunt intolerabilior superbia fuit, Repentina enim, & insueta in altum eductio tumidos facit. Et quemadmodum illis, quibus à somno surgentibus magna subito lux circumfunditur, hebescunt oculi, ita priuati nouo inexpertæ maiestatis fulgore attoniti, sui obliuiscuntur, & vero ita natura comparatum est, vt radii solares in obuersam faciem incidentes memoriam excutiant, præcipue vmbræ assuetis. Ita nos quoque Aristoteles haud malus regum doctor admonet l. 5. Politic. c. 8. *Communis conseruandæ omnis Reipublicæ ratio est, neminem ornare supra modum: sed exiguos potius & diuturnos honores tribuere, quam* Celeriter Magnos, *his enim talibus deteriores fiunt. Et ferre secundam fortunam non omnes possunt.* Profecto non omnes, imo vero pauci. *Otho optimus seruus ante imperium, pessimus dominus fuit,* vt de eo prouerbio iactatum est. Prudenter contra se locutus est ille imperator, qui è duce ad augustum fastigium impetu militum euectus, clamabat: *Bonum ducem ô commilitones, amisistis, nec bonum tamen imperatorem feciſtis.* Non inficior in regum liberis esse periculum: *Minus cupiditatibus suis plerique imperant inter obsequia fortunæ.* Curt. l. 8. Sed tamen quia facilime tenera concitantur ingenia ad honesti, rectique amorem, eaque est hominis indoles, vt ab ipsa stirpe bonus non nascatur, nec malus (de ea malitia loquor, quæ extra hæreditariam originis noxam est) sed ad vtrunque procliue ingenium adeptus sit, omnes cura, & opera, atque indefesso labore etiam contra naturæ inclinationem meliores effici possunt.

Electorum fuit maior superbia quam natorum.

Qui secundæ fortunæ impar est, quomodo ferat regiã.

§. 18. Principum tamen liberi nostro sæculo minimum semper licentiæ habuerunt, olim ratio illa valuit, cum tenella ætas sanguinem non modo in amphitheatro, sed in conuiuio etiam spectare cogebatur, cum inscius in scena omnium morum nocumenta exhiberentur. Nunc tanto fere iudicio principes eligunt, qui liberos instituant, quanto multæ respublicæ nè principem quidem sibi præficiunt. Docentur interim temperare affectibus, amare iustitiam, misereri supplicum, omnibus benefacere. Sed de educatione alio agendum loco, ad alteram obiectionem venio, quæ est de tyrannidis periculo.

Hoc tempore principũ liberi sollicite educantur.

Tyranni-

Hæreditarius minus exigit.

Tyrannidem in omni imperii genere timeri supra dixi; etiam hoc addidi: Electum principem plus causæ habere, vt principatum mutet in tyrannidem, quam is, qui iure hæreditario imperat; alter enim auidius tondet, & deglubit, iam abiturus, alter sequentis etiam anni prouentum exspectat, inseritque pyros nepotibus carpendas.

Virtus non est sperare mercedem recte factorum regnū.

§. 19. At tertio, aiunt, Electione virtutibus campū aperiri. Primò, quot sperare possunt? Ex centum myriadibus vix vnus imperat, deinde quæ virtus est, regnum sperare virtutis mercedem? Simulatores, & purpuræ candidatos, spes illa, non veræ pietatis & iustitiæ cultores efficiet. Quid vero si bonis præteritis pessimi deligantur? Non loquor de æthiopibus qui ex forma corporum, re fallace & fluxa regem sibi perficiebant; nec aliis qui mole, & magnitudine corporū eam dignitatem æstimabant; eos enim facile est ridere, quemadmodum & auruncanos Peruuiæ populos, qui pluribus graue lignum humero imponebant, qui diutius illud antequam succumberet, baiulasset, rex conclamabatur. Nos tamen barbarorum irrisores hæc, & fœdiora in cultissimis populis cernimus. Romulum fratricidam elegere Quirites; omnes latrones, & qui asylo supplicium euaderent. Illo mortuo Sabinis Numam magum, atque impostorem accersierunt. In Tullo Hostilio species fortitudinis fuit, facta latronis, cum nullo iure moueret reſides in arma viros. Ancus hominum sui temporis ambitiosissimus arte regnum accepit. Priscus quoque Græcis artibus rusticano populo imposuit. Seruius, vere seruus, dolo regnum obtinuit, eum Tarquinius interemit. Septem fuere reges, Romul⁹ mutatus est in tyrannum, & à senatu discerptus est. Numa simulatione pietatis occupauit imperium. Tullus tyrannice administrauit. Priscus præstigiis sese ingessit, Seruius fraude muliebri, Tarquinius cæde soceri: Ecce hæc considera, & virtuti fac spem honoris. Vide Claudium vnius militis clamore in castra sublatum imperare, Othonem paucis nummulis mundi imperium emere, Vitellium Ionus deligit, & militum stupor sequitur. Probus, dum commendatur exercitui, vt fortem, clementem, probum imperatorem nominent, nominis prærogatiua fit Augustus. Regillianus ex nomine, Proculus ex ludo, orbi imponuntur prædones potius, quam principes.

Barbaræ & ridiculæ electiones.

Minima re multitudo temere Imperatores facti sunt.

§. 20. Quod loco quarto dicitur ex adulatione successionem ortam, id supra refutaui, cum ostendi antiquissimam eam esse, & in Dei populo etiam approbatam. At sæpe puer tanto oneri impar purpuram induet. Rarum id erit, sed tamen, & Salomon puer erat, fratres viros habebat, cum eius prudentiam totus Israel miraretur; & pueritia regum, matrum, tutorum, agnatorum prudentia regi potest, *Ioas etiam puer fecit rectum coram domino, cunctis diebus, quibus docuit eum Iocada sacerdos.* Ipsius Neronis quinquennium multos bonos principes, Seneca, & Burrho ductoribus superauit. Imperare possunt & pueri, sed adminiculo & ductu senum. Puer erat Theodosius iunior, sed quis principum pueri gubernationem æquauit? Periculum ætatis reformido, & Deum audio dicentem: *væ terræ cuius rex puer est.* Sed Banias, Ioiadas, Senecas, Burrhos, Pulcherias fulciendæ infirmitati adiungo. Quocirca non simpliciter teneram ætatem rejicit scriptura, sed duabus rebus terræ infelicitatem metitur, nempe, *si rex puer est & principes mane comedunt.* Si enim adolescentiæ in ludicra, & delicias procliui, principes voluptarios, illecebrarumque artifices apponas, næ illam ipsa salus seruare non possit.

Puer imperare potest, sed sapientia senum regendus est.

§. 21. Septimum erat, æquum esse, vt omnibus imperaturus, ab omnibus eligatur. Plebeium hoc est, & vt loqui solet Aristoteles ἀρχεῖον. Sumptum est ex declamationibus tribunitiis, nunc legibus, vsu, ratione, atque ipsa reipublicæ vtilitate refutatum. Nullum esse populum qui principem totus eligat, nisi forte inter Peruenos, Canibales, aut vagos Æthiopes, certo constat; neque vnquam illi ὀχλοκρατίᾳ recte cessit. Atque hæc generatim ita esse pronuncio, non enim principes optimos è plebe lectos, Sardanapalis, & Porphyrogenitis pestibus postponendos vnquam duxi. Alioquī est nobilitati quædam indoles ad magna, & si poliatur, honesta. Effigies maiorum in tabulario vident, vt imitentur. Magnum ad virtutem est incitamentum, & *pater Æneas, & auunculus Hector.* Generosè Euryp.

οὐκ ἔστι τοῖς δὲ παισὶν κάλλιον γέρας,
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ καὶ μεγαλόπολιν πόλιν.

Nullum pulchrius decus filiis, quam bono ac honesto patre ortos esse. Sed ita tamen, vt non minus virtutis sit, quam sanguinis progenies; alioqui magnitudo patris filium non producit, sed obruit. Falsum est, & inuidosum, sed pronis vulgi auribus acceptum, quod ait Spartianus: *Neminem fere magnorum virorum, optimum & vtilem filium reliquisse. Plerosq; tales, vt melius fuerit sine posteritate discedere.* Falsum; multi bonos, multi mediocres reliquere, multi errore, multi neglectu educationis corruperunt, nonnulli sponte. Heliogabalus monstrum imperii. *Si habuero*, inquit, *hæredem, dabo illi tutorem, qui illum hæc facere cogat, quæ ipse feci, quæque facturus sum.* Culpa ergo patrum frequenter est, sæpe filiorum prauitas omnibus educandi laboribus est contumax.

Multorum bonorum parentum boni filij.

CAPVT XXVI.

Fœminarum imperia, sed raro admittenda.

Mulieres sine graui causa non regnent.

§. 1. FOEMINAM imperium in viros tenere nisi singulari in periculo, aut heroica virtute viris ipsis fœmina exemplo sit, æquum non iudico. Non tamen iniuria, & contumelia sexus, à Republica rejiciuntur fœminæ, sed quia infirmiores sunt; *Consilium mulieris est inualidum, pueri imperfectum*, ait Aristoteles lib. 1. polit. In matrem suam sunt iniuriosi, qui fœminas omnes malas, omnes in eodem ludo edoctas ad malitiam clamant. Non mirum in eum sexum omnes dicere, qui à nullo defenditur. Politico more rem pensemus, & humano. Acerbum est enim quod procax fœminarum insectator ait:

Irrisores infirmi sexus à politico reijciendi.

Γυναῖκες εἰς μὲν ἐσθλ' ἀμηχανώτατοι
Κακῶν δὲ πάντων τέκνον σοφώτατοι.
Mulieres quidem sumus ad bona ineptissimæ,
Ad mala vero omnia artifices callidissimæ.

Nulla fœmina ambidextra.

§. 2. Primo quidem naturalis est fœminarum imbecillitas; viri, quia fortes & ambidextri sunt, regere possunt, & regi, at fœminæ reguntur duntaxat, viris enim subditæ sunt. Et verum aiunt, quod Hippocrates aph. sect. 7. c. 44. docet. γυνὴ ἀμφιδέξιος οὐ γίγνεται; *Fœmina ambidextra non fit.* Id quoque Plin. lib. 7. c. 17. Hanc naturæ infirmitatem consiliorum quoque imbecillitas consequitur. Sane legibus Romanis tutor, & curator illis datur, quamuis valde adultis, imo post mariti mortem. Cicero pro Flacco: Non licere *mulieribus, sine tutorum, & procuratorū consilio quicquam agere.* & Pro A. Cæcinna. *Quod mulier sine tutore auctore promiserit, non deberi.* Et pro L. Murena. *Mulieres omnes propter infirmitatem consilij, maiores in tutorum esse potestate voluerunt.* Athenis, negociationis illis modus lege præscribebatur, is autem sex hordei modiis definiebatur. Hoc quoque ad Romanos translatum videtur, *Maiores nostri* (inquit Cato lib. 4. bell. Maced.) *ne priuatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt.* Multo magis igitur sceptris

sceptris arcendæ sunt. Iudicii ille & prudentiæ defectus est, ex quo voluntatis quædam oritur inconstantia, & in lapsum procliuitas, affectuumque impotentia. Itaque nec auctoritatem habent, nec exequi sine aliis pleraque possunt, loqui etiam in publico non conuenit.

Γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
Mulieris ornatus est silentium.

Barbari sæui in fœminas.

§. 3. Has ob causas Parthi, & Thraces mancipiorum instar mulieres tractabant, mitius Lydi, & Numidæ, apud quos domi fœminæ, foris viri imperabant. Mitius, non recte tamen, naturæ ac rationi conuenientius Romuli lex, qua vxor pudica, & marito morigera, erat familiæ domina, æque vt vir. Nam cum fœmina viro sit addita, dictumque sit, *sub viri potestate eris*, cum vere canat Lucretius lib. 5.

Longe præstat in arte,
Et solertius est multo genus omne virile.

Iniqui barbari in fœminas.

Æquitas eiusdem naturæ paria iura desiderat, vt vir more patrisfamilias, non asperitate domini imperet. Ingrati in naturam sunt, qui eas ex quibus cum dolore nati sunt, quarum lacte enutriti in seruarum conditionem dejiciunt, quas, ne seruirent, etiam periculo capitis in libertatem asserere oporteret. Quod si ideo, quia ignobilior est earum, quam virorum natura, libertatis societate priuandæ sunt, *Τὸ χεῖρον δὲ ἀνάγκη νικᾶσθαι ὑπὸ τοῦ κρείττονος, ὅπως χρεῖόν ἐστι.* *Nam quod deterius est, vinci abeo, quod melius est necesse est, vbi melius est.* Viros quoque vitiis, viribus, mente debiles capite minuamus, & ergastulis mancipemus. *Sunt enim mulieres multæ multis viris ad multa præstantiores*, vt Plato l. 5. de Rep. Mulierum igitur est non minus libertas, ius in familiam, & honor defendendus, quam pudicitia, quam fama. Nam etiam lex Christiana, vt vasculis infirmioribus abundantiorem honorem circumdari iubet, 1. Cor. 12. 23. Sed eatenus vt sociæ sint, & administræ, non dominentur. Apud Achæos quidem dominium erat, & negociorum tractatio penes fœminas residebat, vnde & apud Hom. Iliad. μ. per contumeliam vocantur, Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτι ἀχαιοί, *Achaides, non amplius Achiui.* Lycios etiam muliebribus imperiis obnoxios fuisse historiæ tradunt. Et quod doleam, de Germanis inuictis Tacitus. *Fœmina dominatur: in tantum non modo à libertate, sed etiam à seruitute degenerant.* Romæ summæ contumeliæ erat viuere vitam Achaïcam, verissime enim Plutarchus: *ἡ φύσις ἀβλαβῶς γυναικοκρατουμένη, Naturæ præuaricatio est, à muliere gubernari.*

Achæi γυναικοκρατούμενοι.

Fœmina nec seruiat, nec regnet.

§. 4. Mediam itaque viam probo. Fœmina & serui eodem loco ne habeantur, vt fit apud Barbaros teste Aristotele. Nec in eos ius necis habeat maritus, vt apud Gallos, vt docet Cæsar l. 6. multo minus vendantur vetulæ, vel laboribus opprimantur, aut viuæ etiam sepeliantur, vt fieri solebat apud Barbarorum immanissimos, Parthos, & Thraces. E contrario nollem ad illas imperium humana lege deferri, nisi magna ratio id exigat, si enim maritus parere fœminam honestam oportet, quî conuenit, vt exercitibus, & regnis imperet? Vir famosus redditur, si vxori paret, vxor infamis, si viro imperat.

Non omne dominium fœminæ negandum.

§. 5. Magnum hoc est contra fœminarum scept ra præiudicium, non tamen iudicium, quo omnis illius gubernandi potestas, ac ius abdicetur. Quanquam enim marito parere leges iubeant, familiæ tamen, hoc est ancillarum, & seruorum domina est, & in vrbes ac ditiones suas ius retinent fœminæ illustres.

Iusta & vtilis gubernatio matris pro filiis hæredibus.

§. 6. Legitimum igitur fœminæ imperium esse censeo, & vtile Reipublicæ, cum marito defuncto hæredes sunt liberi, minore ætate, quam vt imperium administrare possint, tum cum tutoribus matrem non ad consortium tantum regni, sed etiam præ tutoribus cum præcipua auctoritate educandi filii, & gubernandi admittendam existimo. Est enim materfamilias, & cura prolis negari illi non debet, illa vero annexam habet curam hæreditatis, hoc est regni, nec sufficiet materna auctoritas regendo filio, filiique ministris, nisi etiam illi constet iusta in regno potestas. Deinde magna pericula infantem regem circumstant, & eius ætate multi ad iniuriam vtuntur, multi res nouas moliuntur, qua in necessitate nemo, matre sagacior, nemo filio fidelior, præsertim cum filii periculum matrem quoque tracturum sit. Atque hoc vsus habet nobilissimorum regnorum. Gallia fœminas regni hæredes esse non sinit, nec fere vlla pars Germaniæ, Reginæ tamen matres, & principes matronæ in Germania filiorum amantissimæ tutrices, & adiutrices præcipuo semper in honore habentur, & de publicis negociis consuluntur, idque prudentissime fieri multas ob causas arbitror. Nam primo diuinæ legis scitum est, filius vt matrem honoret, adire igitur, consilium quærere, in rerum communicationem admittere consentaneũ est coniunctioni, & obligationi naturali, cui enim princeps fidet, si matri, cuius dolore natus est, cuius ab vberibus pependit, cuius salus filii incolumitate nititur, non fidit? Deinde nulli administrorum vtile est, matrem à rerum administratione separari, iam princeps adolescet, auctores alienationis agnoscet, ministros vel fastidiet, vel certe in aliquo errore deprehensos abjiciet, nec deerunt inter multos errata, & si illa desint, non tamen delationes effugient, interim mater filio reconciliabitur, ipsi inconsultæ temeritatis pœnas dabunt. Quod si matrem principis consciam, & auctorem negociorum habeant, non erit difficilis tali commendatrice ratio, nec in delicto, tali deprecatrice venia. Omnibus igitur expedit, matribus principum auctoritatem manere.

Cui fides, si non matri.

Matrem honorare præcipue debet princeps.

Periculosum est ministris principis matrem offendere.

§. 7. Secundo, Fœminæ imperium probo, cum secundum regni leges ipsa hæres est. Si enim fœminæ villa, si castrum eripi non debet, quia fœmina est; nec igitur regnum, nisi regni legibus à sceptro sexus inferior arceatur. Hac tamen lege, vt patria consentiente, aut non obsistente in leges, domumque mariti veniat; interea ipsa Rempublicam gerat. In quo duo seruanda, patriæ vtilitas, & religionis integritas ostendunt. Primo, ne ipsa sponsum patriæ ingratum, aut suspectum amet; deinde ne patria odiosum hæredi obtrudat, sed mutuo consensu, & bonum maritum, & bonum principem deligant. Hac ratione Hispaniæ, in tantam magnitudinem creuerunt, & optimus poeta Romanam maiestatem à dotali regno inchoat, cum sola *tantæ seruaret filia sedes.* Sed hoc fœminæ regnum breue esse oportet, nam multi solent esse competitores, cum vxor tantam dotem trahit, nonnulli etiam eo impudentiæ progrediuntur, vt bello, & sanguine nuptias adornent. Pleraque enim bella, quæ cum Carolo Geldriæ duce Franciscus Galliarum rex gessit, quanquam aliæ causæ prætexerentur, eo tendebant, vt Carolus sibi è Galliæ principibus generum adsciscret, adeo vt interdum rex ipse, & Carolus veram, & intimam belli causam ignorarent, vt Comminæus prudentissimus regum consiliarius scriptum reliquit.

Cum fœmina hæres est, sponsum vtilem patriæ deligat.

§. 8. Tertio, si spectata constantia, pietate prudentia sit matrona, regio genere, habens studia vulgi, & procerum, præsertim, si alioqui seditiones, & indignorum promotiones timeantur. Pulcheria sane viuo fratre Rempublicam seruauit, & mortuo egregie vindicauit, vocato in consortium Marciano viro forti æque, & iusto.

Fœminarũ heroica virtus interdũ vires vincit.

§. 9. Quæ scelera fœminarum in administrandis imperiis politici enumerant, minus causæ habent, vt omnibus Republica interdicamus. Impia fuit Iesabel, Athalia crudelis. Laodice Cappadocis coniux

Fœminæ scelerata.

sex filiorum ex se natorum interfectrix, multo quam Medea sæuior. Cleopatra luxuriosa, & in fratrem immanis. Messalina, & Faustina, & Fredegundis monstra scortorum, hæ enim regiæ fœminæ adducuntur. Sed eo si argumento vtimur, ne viros quidem imperare ius ducemus, plures & plura illi peccarunt. Pro vna Iezabele oppono cum omnibus regibus Israel apostatis Achabum, pro Athalia Abimelec qui omnes fratres suos viros septuaginta occidit super lapidem vnum. Indignantur Laodicen in filios sæuam fuisse, faciunt id Turcæ quotidie, non enim ignorant legem, & consuetudinem, qua vni imperium, aliis mortem decernunt. Messalinam, Faustinam, Fredegundem imperasse negamus, scorta potentia, & veneficæ fuere, & viris administris vsæ sunt haud se melioribus. Messalinam Nero, Faustinam Commodus filius superauit. Nos certe egregias heroinas recensere possumus, & supra virile robur constantes in medium producere.

Exempla Heroinarũ.

Prima est Iahel *vxor Haber Cinæi, benedicta in tabernaculo suo, aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Sinistram manum misit ad clauum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Siseram, quærens in capite vulneri locum.* Altera Debora *quæ iudicabat populum, nam ascendebat ad eam omnis Israel in omne iudicium.* Iud. 4. 5. *Surge, surge Debora, surge, surge & loquere canticum, saluatæ sunt reliquiæ populi, dominus in fortibus dimicauit. Duces Issachar fuere cum Debora; & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit.* Ego ne quidem mulierem illam sapientem à regno excluderem, quæ grauissimam seditionem eloquio suo composuit, 2. Reg. 20. *Egressa est enim ad populum, & locuta est eis sapienter, qui abscissum caput Sebæ filij Bochri proiecerunt ad Ioab.* Plus illa præstitit, quam victoria ipsa, quam fortissimus exercitus Dauidis. Iudith quoque & Hestheris historiæ notæ sunt, ad alias propero, Alexandri matrem Mammeam, Placidiam, Pulcheriam, denique Mathildem quæ quanquam impari potentia, summa tamen constantia, fide, pietate, prudentia contra reges potentissimos Italiam, Ecclesiamque defendit. Addo illis Isabellam Ferdinandi vxorem, Irenem Augustam. Inprimis Libussa Bohemorum regina, cuius imperium quietum, iustum, forte. Deinde non socordia aut tyrannide, sed rectum iudicium populo faciens regnum amisit, vt refert Æneas Syluius. *Contendebant coram eo duo ex optimatibus de possessione agrorum: sententia ex bono & æquo dicta: potentior humiliori damnatur. Ille tanquam iniuria esset, potentiorem in iudicio succumbere, populares appellans, indecorum esse indignumque ait, tantum populum, tot proceres, tantum imperium, vnius fœminæ subesse arbitrio. Ad cuius vocem excitata multitudo, muliebre regimen accusare, vicinarum gentium mores in medium adducere, virum qui sibi dominetur expetere. Libussa, indicto silentio, desiderium se populi animaduertisse dicit, neque se illos eo frustraturam, imperium subditis, non sibi, post patris obitum tenuisse. Iubet ad diem posterum redeant. Obtemperatum est, itum atque reuentum. Libussa in concione vbi adesse multitudinem vidit, Ego vobis, inquit, Bohemi in hanc vsque diem, placide, molliterque, vt mulieribus mos est, imperaui: nullum quod suum esset eripui: nullum læsi. Matrem experti estis, non dominam. At vobis mei regimen ingratum. More humani ingenij mecum agitis. Nihil diu placet homini. Pium, iustumque principem desiderant populi magis, quam ferunt. Estote ergo iudicatu meo liberi: virum qui vobis præsit, quique suo arbitratu capita vestra iudicet, sicut optastis dabo. Ite, albicantem equum meum sternite, atque in campo late patentem, adducite, liberum effrenemque ibi dimittite: sequentes eum quocunque ierit. Curret equus aliquam diu, denique ante virum subsistet, in mensa ferrea comedentem: ille mihi coniunx erit, vobis princeps. Gratus sermo concioni fuit. Emissus equus decem millia passuum percurrit. Postremo ad flumen Bieli ante aratorem consistit, nomine Primislaum. Secuti proceres populusque postquam stantem equum, & aratori blandientem adulantemque viderunt, accedentes propius, salue, inquiunt, bone vir, quem nobis superi dederunt principem, solue boues, atque ascenso equo nobiscum venito. Libussa te virum, Bohemia ducem poscit. Primislaus, quamuis agrestis, nuncios benigne excipit, facturumque postulata respondit.* Ita breuissime ex Syluio vir doctissimus.

Libussa mater subditorũ non domina.

Quod si nondum placet eorum ratio, qui fœminas quoque in spem regni, hæreditatemque admittunt, sane audiant, alia multa haud pœnitenda regna. Semiramis Babylonem auxit, Themyris imperii fines late propagauit, & quod insigne est decus, Cyrum occisum sanguine exsatiauit. Rhodogune patriam vindicauit, & eius virtute delectati Persarum reges, Rhodogunes imagine, dissectis capillis ac ventilantibus attonitæ signabant. Audita enim suorum defectione, cum lauaret, non absterso capillis contra rebelles profecta, iureiurando etiam se obstrinxit, non loturam capillos, nisi victoria de hostibus reportata. Zarina Sacarum regina prudentia, clementia, gentem suam ad mitiorem, ac humaniorem cultum adduxit, multas vrbes condidit, tantaque fuit inter suos gloria vt à Medis ad eam Parthi defecerint, insigni muliebris imperii commendatione; nam eius iustitiam, humanitatemque præferebant Medorum insolentiæ, & tantas in fœmina esse vires putabant, vt ab ea contra veteres dominos defendi se posse non dubitarent. Quanta virtute Blanca Franciæ regina, Diui Ludouici mater, & regnum administrauit, & filium educauit? Margarita Angliæ Regina, vxor Henrici sexti, marito quietis studio, animum ab Republica abducente, pace & bello par magnis regibus omnia administrauit; Henricum ab coniuratis captum, bello in libertatem restituit, ejecta regno animo indefatigato ter illud classe repetiuit. Poloni fortissimi populorum Vendæ heroinæ imperium detulere; illa cum diceret: Malle se principem, quam principis vxorem esse, cœlebs vixit, de Marcomannis triumphauit. Quis ferocior, quis fastuosior populus, quam Longobardi? illi tamen mortuo Anthari cum de successore, vt fit, in factiones iretur, seditioque & intestinum bellum gliscceret, imperium Theodelindæ Bauaræ Antharis vxori detulere, ea lege, vt quem maritum illa cooptasset, illum quoque regem gens vniuersa veneraretur, ita factum Agilulfum nominauit, & ab eius imperio gens illa cultior ac humanior esse cœpit. Atque hæc de primis Reipublicæ causis, efficiente, materia forma, nunc de fine agamus.

POLI-

POLITICORVM

LIBER SECVNDVS.

DE RELIGIONE IN REPVBLICA TENENDA.

CAPVT I.

Connexio & ordo duorum sequentium librorum.

§. 1. DE causa principe Reipublicæ Deo, à quo est omnis potestas, & in quem desinit, deque hominibus è quibus corpus illud politicũ, quasi membris suis concinnatur, & mouetur, agitque; atque adeo multiplici eius forma primo libro tractauimus: nunc de causa, quæ prima in mente agentis, vltima est in operis executione, instituendus est sermo; de fine nempe Reipublicæ. Ille cum in actione virtutis, & honesti meditatione consistat, de virtutibus magistratuum, & subditorum in posterum dicendum: Cum vero omnium virtutum fundamentum sit, *Vera in Dei fides*, de illa præcipue libro secundo, de cæteris libro tertio tractabo. Quanquam vero ad singulos potius, quam Rempublicam doctrina illa pertinere videri posset, memor tamen instituti mei, ad magistratus formandos, subditosque qua ciues, & membra sunt magni corporis, omnia præcepta virtutum accommodabo; vt omnibus plane constet, quibus rebus imperiorum maiestas creuerit, quibus afflicta, & in exitium data sit.

Finis Reipublicæ viuere cum virtute, felicem esse.

De fide primo agendũ.

CAPVT II.

Finis Reipublicæ est illius beatitudo.

§. 1. BEATITVDO singulorum hominum, atq; Vniuersæ Reipublicæ finis est. Hanc omnes expetunt, in hac omnia sunt, quæ felicem faciunt. Esse multi possunt, qui non quærant esse diuites, reges, fortes; nemo est, qui velit esse miser, nolit esse felix. Hanc veteres deam crediderunt, verum sero, nam Lucullus primus ædem illi constituit. Sed felix esse nemo potest, qui pro Deo dona Dei colit.

Felicitas omnium finis est.

Felicitatem omnes expetunt.

§. 2. Beati ergo esse omnes expetunt, sed qua in re beatitudo est? Si enim in opibus, voluptatibus, indolentia, honoribus, ad ea bona est instituenda respublica, si in virtute ad hanc exercendi sunt animi hominum. Hac igitur sententia stare, aut cadere rempublicam oportet. Τὸ τέλος enim scopus, cynosura, norma est, qua omnes publicæ, priuatæque rationes diriguntur. *Quid est in vita tantopere quærendum, quam quis sit finis? quod extremum, quod vltimum, quo sint omnia bene viuendi, rectèque faciendi consilia referenda.* Seneca ep. 71. *Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum, voles scire: Ad summum bonum, & propositum totius vitæ respice. Illi enim consentire debet, quicquid agimus. non disponet singula, nisi cui iam vitæ suæ summa proposita est. Nemo, quamuis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi iam constet, quid velit pingere. Ideo peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere & moderari manu telum.*

Felicitas Romanis Deæ.

Felicitas & finis primo considerandæ.

De summa Reipublicæ primo deliberandum, deinde de partibus.

Hæc cum in vita priuata vim maximam habeant, in republica tanto maiorem, quanto grauior est magnorum corporum lapsus. Si enim Epicureus, aut Aristippeus quispiam finem ponat ciuitati, omnes in voluptates dissoluentur, Sicyonios, Sibaritas, Babylonios præstabunt. Omne honestum, ac denique ipsam Rempublicam euertent.

Nunc quidem veterum philosophorum persequi sententias importunum est. Quis enim nunc ita amens est, vt in voluptate, in diuitiis summum bonum collocet, quamuis ita viuat, vt præter pastum, libidinemque nihil agnoscere boni videatur? Hæc philosophis in sua phrontisteria remitto. Politicum nego vllum esse posse, nullum bonum ciuem esse affirmo, qui ad suam vtilitatem, voluptatemque omnia referat. Ius non tuebitur, innocentem supplicio non eximet, fame pereunti cibum non porriget, multo minus arma induet, in arenam non descendet nisi voluptatis gratia; omnem societatem humani generis, ciuilemque communionem ea feritas, & bruta stultitia tollent è medio.

Etiam Epicurei in flagitiis loquendi honestatem seruant.

Epicurus Rempublicam, & omnem humanam societatem è medio tollit.

§. 3. Humanior est, & quodam modo astutior aliorum ratio, qui magnam felicitatis partem esse putant imperare adeoque imperium sui causa esse. Dionysius sane Corinthi ferulam sceptro substituit, & ne non imperaret, regnum Scholasticum ambiuit, neque alia mens Cæsaris, qui in Alpino oppidulo primus, quam Romæ secundus esse maluit. Sed nec ille est error tolerabilis, recte D. Augustin. lib. 5. de ciuit. c. 24. *Neque enim nos Christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipubl. domuerunt, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnosæ, vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, vel* Rex non regno, sed virtute beatus est. *velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt.*

Imperium non est sui causa.

§. 4. Si rem quoque humana ratione expendamus, facile occurret: Non esse regnum, posse imperare, sed officium. Neque enim principatus sui causa est, neque princeps sibi finis est, sed vtriusque supremum bonum est, *salus est, tutela populorum.* Nemo prudens senserit, Tot vrbium, populorumque millia, quæ Hispaniarum regi parent, propter ipsum esse, sed propter populos regem esse,

Salus populi suprema lex esto.

& regis officium esse omnium saluti prospicere, omnium malis mederi.

Regnũ seruitus. Cum itaque seruitus non sui, sed domini causa sit, regnum autem seruitus sit, non est sui causa: vt prudentissime filio insolentius, & ferocius se gerenti Antigonus dixit: *Scito fili regnum nostrum splendidam esse seruitutem.* Regia etiam vox Sopatris ad Hemetrium fratrem apud Stob. serm. 44. *Vide vt imperio dignus sis, non Reipublicæ statu, sed virtutis, atque studij erga subditos excellentia: quos vero ante non agnoscebas, nec pertinere ad te quicquam arbitrabaris amplius, quam quiuis homo ob communem omnium naturam, princeps factus reuereri debes, vt iam notos, & familiares.*

Subditos rex vt familiares reuereatur.

Vtinam omnes reges imitati hominum mitissimum in terris Mosen, suos amarent. Num. 11. 11. Et ait ad dominum: *Cur afflixisti seruum tuum, quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantem, & defer in terram pro qua iurasti patribus eorum.* Moses à Deo princeps constitutus pondere populi premitur, & quam vastum esse clementiæ principalis sinum oporteat, Deus ostendit. *Porta eam*, inquit Deus, *porta sicut nutrix, sollicite, molliter, mihi parenti redditurus rationem.* Ad eum sensum recte dixit & alius. *Rex bonus est seruus publicus.* Et Antoninus Philosophus regiam adoptionem tristis excepit, non ignarus quot curas, periculaque vna fascia colligaret. Felicitas itaque in regno non est, nisi opinione, quæ cum fallat, tollit omnem felicitatem, error enim miseros facit. Si etiam credimus expertis, ne optandum quidem magistratum esse comperiemus. *Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus*, solebat Pompeius dicere; sed nisi sero eam odisset, tam miserando interitu ipse, & filii eius, triumphatis gentibus, non parentassent.

Princeps nõ est, quem cura populi non premit.

Experti potentiã magnam raro descendunt.

Themistocli vix crederem, nisi summo ingenio præditus, suam ipse ambitionem damnare potuisset. *Malle se ad sepulchrum, quam ad tribunal ire iactabat*, (Ælian. lib. 6.) Magna vtique seruitus, sed quia splendida, & honorata, diligitur; præcipue quia in vita priuata contumeliæ timentur.

§. 5. Tam magnus ergo labor, curaque non est beati, sed negocioſi. Seleucus dicere solebat: *Si sciret vulgus, quam laboriosum sit, legere, ac scribere tot solum epistolas, diadema ne humo quidem tollere dignaretur.* Pulchrum est fateor admittere in animum totius Reipublicæ curam, & populi fata susципere, oblitumque quodammodo sui, gentibus viuere. Accipere innumerabiles vndique nuncios, totidemque mandata dimittere, de tot vrbibus, nationibus, & prouinciis cogitare: Noctes dieſque omnes perpeti sollicitudines, pro salute omnium cogitare. Pulchrum hoc est, beatum non est. Beatitudo enim non est laboriosa, non est anxia, non erogat se alienis commodis, sed quicquid agit, sine vlla molestia perficit. Cladis hoc solatium habuit Antiochus, quod victus à Romanis, & iussus intra Taurum regnare, grandi se cura liberatum professus est, quod modicis regni finibus inclusus esset. Henricus septimus Frederici secundi filius rebus assidue incumbebat, & cibi sumendi sero recordabatur, monitus vt vires & valetudinem cordi haberet. Respondit. *Priuato quidem homini omne tempus cibi esse, cum id lubet, aut solet: at regi si nomen suum non abdicat, id solum, quo vacat.* Expertus id est Alphonsus Aragoniæ rex; nam cum in cœna quidam importunius instaret: *Asinos regibus beatiores esse dixit, illis enim dum comedunt, clitellas agasones auferunt, mihi vero senex iste cœnanti imponit.* Testatus est serũm se Tiberius, ficta mente, sed voce bonis regibus æmulanda. *Dixi, & nunc sæpe, & alias P. C. bonum, & salutarem principem, quem vos tanta, & tam libera potestate instruxistis, senatui seruire debere, & vniuersis ciuibus, sæpe ac plerunque etiam singulis, neque id me dixisse pœnitet.* Dixit Tiberius, non ita fecit; Carolus quintus & dixit, & verbis pondus addidit; facto enim ostendit quid esset regnum, tot enim regnorum dominus, quot alii vix vrbium, priuatus voluit mori, cumque in Philippum filium Belgicas prouincias transferret, *O fili, inquit, magnum tibi onus impono. Ego enim toto tempore principatus mei, nunquam quadrantem horæ magnis curis, & anxietatibus vacuum habui.*

Pulchra est functio magistratuũ, beata nequaquam.

Qui regnũ minuit, laborem leuat.

Dignæ magno rege vox.

Aut populis consule, aut ne regna.

Magni animi est regnũ deponere.

Si igitur veri nominis imperator est, si non specie tenus, & nomine officium suum perpendit, nec purpuram, sceptrum, diadema, sed rem populi considerat, nunquam suus est, semper Reipublicæ; sæpe etiam singulorum, quod egregie vt alia multa Rudolphus primus præstitit, cum enim à stipatoribus pauperiores arceri videret, exclamauit. *Per Deum, sinite homines ad me venire, non enim ideo sum ad imperium vocatus, vt in arcula includar.*

Princeps se comem exhibeat, populis impendat.

§. 2. Graues sunt illæ, & molestæ occupationes, quia tamen imperandi dulcedine, & maximi honoris delinimento miscentur, à leuibus amantur, à grauibus tolerantur, ideoque minus officere felicitati putantur. At vero si pericula, & mala aspiciant, miserrimos se esse fatebuntur, id vero malis euenire principibus consueuit, nam quia Reipublicæ curam deponunt, timore premuntur, quin & bonum principem vt perpetuus labor, ita malum peius labore, metus exercet. Audite oraculum viri sapientis, imperium fugientis, (Vopisc. in Proculo) *Nescitis amici, quid mali sit imperare. Gladij & tela nostris ceruicibus impendent, imminent hastæ vndique, vndique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro authoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas in imperio reprehenditur. Senex est quispiam, inhabilis videtur: sin minus, inest furor. nam quod Imperatorem me cupitis, in necessitatem mortis me trahitis. Sed habeo solatium mortis, solus perire non potero.*

Mala imperij.

§. 3. Quas furias, quæ tormenta Heliogabali animum lancinasse credemus. Ælius Lamp. ita de illo scribit. *Et prædictum eidem erat à sacerdotibus Syris, Biothanatum se futurum. Parauerat igitur funes, blatta & serico, & cocco intortos, quibus, si necesse esset, laqueo vitam finiret. Parauerat & gladios aureos quibus se occideret, si aliqua vis vrgeret. Parauerat & in cerauneis, & hyacinthis, & in smaragdis venena, quibus se interimeret, si quid grauius immineret. Fecerat & altissimam turrim, substratis aureis gemmatisque ante tabulis, ex qua se præcipitaret, dicens, etiam mortem suam pretiosam esse debere, & ad speciem luxuriæ, vt diceretur nemo sic perisse. Sed nihil ista valuerunt. Nam (vt diximus) & occisus est per scurras, & per plateas tractus est sordidissime. Hic finis Antoninorum nomini in republica fuit, scientibus cunctis istum Antoninum tam vita falsum fuisse, quam nomine.*

Princeps impius in mala mansione est.

Hunc si quis vel in rosa, vel aromaticis piscinis videns natantem, putat beatum fuisse, non minus, quam ipse gladiator insanit. Securus certe non est; Cum tamen prima felicitatis portio sit boni securitas. Si nouit instantia pericula, anxius est; si ignorat, stolidus; nusquam beatus. Sapientem igitur regem, quæ in aperto est adulatio non inflabit, sed quæ in occulto semper est inuidia; quæque timeri semper debet, conspiratio, salutari timore continebit.

Princeps malus vt periturus semper cœnat in publico.

§. 4. Quæ igitur est felicitas reipublicæ, finis, & quod aiunt, summum bonum? Respondeo.

Reipublicæ finem esse, summum bonum, publicum

Finis Reipublicæ.

blicum bonum, Vniuersorum, & singulorum beatitudinem, ciuilem, humanam, in virtutis actionibus, consistentem; etiam diuinam, ad quam humana tendit; & sine qua humana vix obtinetur; his adiungo ordinem externum, pacem, aut præsidia belli, abundantiam opum, effluentiam commeatus. Cum singuli sibi non sufficiant, in vnum conspirant, vt honeste, pacate, facile, & copiose viuant. Non aliter nobis bonum publicum Aristoteles describit. Ἐστὶ δὲ πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον. Τοῦτο δὲ ἔστι τὸ κοινῇ συμφέρον. *Bonum ciuile est ius, seu iustum, hoc enim omnibus conueniens est.* Intelligenda vt illa verba de insigni parte felicitatis; nam fere vbi iusta est administratio, respublica maxime floret. Alioqui idem Aristoteles lib. 7. politicor. cap. 2. Eandem hominis vniuscuiusque, & ciuitatis beatitudinem esse affirmat. Verba eius sunt. *Vtrum autem beatitudo sit eadem dicenda vniuscuiusque hominis, atque ciuitatis, nec ne, reliquum est vt explicemus. At etiam hoc in promptu est. Omnes enim eandem esse vno ore concesserint. Nam quicunque in diuitiis bene viuere de vno homine ponunt, hi etiam ciuitatem, si sit locuples & copiosa, beatam prædicant, & quicunque vitam tyrannicam cæteris omnibus anteponunt, hi etiam ciuitatem plurimis imperantem, beatissimam pronuntiarint: & si quis vnum aliquem virtutis nomine maxime admiratur & probat, hic & ciuitatem, quo erit virtute ornatior, eo dixerit esse beatiorem. Sed hæc iam sunt duo, quæ considerationis indigent: vnum vtra vita sit magis expetenda, ea quæ in communione reipubl. administrationis & ciuitatis traducatur, an potius peregrini propria & à ciuili societate segregata ac soluta: alterum, quæ reipubl. administrandæ forma, & quæ ciuitatis affectio, siue ordinatio, siue (vt ita dicam) dispositio, optima sit locanda, siue omnibus optabile sit & expetendum, in ciuili societate versari: siue aliquibus quidem minime, sed plerisque etiam.*

Iustitia primaria pars felicitatis publicæ.

Iudicium ex priuata vita in Rempublicam transfertur.

Et cap. 3. εὐδαιμονίαν ait esse πρᾶξιν, *felicitatem esse actionem*, concluditque tandem, eandem vitam optimam esse finem singulatim vnicuique homini, & toti reipublicæ.

Felicitas ciuitatis imperfecta.

§. 5. Duo tamen hic obseruanda propono. Primum est, Felicitatem quam definimus, admodum esse imperfectam, vix nomine felicitatis indigitandam; nam & inconstans, & insincera, multorum malorum interuentu ac mistione est contaminata; via potius ad veram felicitatem, felix tamen & ille dicitur, qui in via est felicitatis, ita quoque Propheta regius pronunciat. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas eius.* Ea tamen felicitas in bonis voluptatum, opum, & honorum non est, qua à bono mentem auocant, non ad finem deducunt.

Felicitas sine externis bonis in Republica esse vix potest.

Secundum monitum est. Inchoatæ felicitati, seu actionibus virtutum iungere me pacem, opes, munitiones, dignitatem; non quasi sine his felices esse non possint. Certe pauperes, afflicti, martyres, horum contemptu, atque amissione feliciores fuerunt. Sed quia hæc in Republica quæruntur; bene & cum virtute seruantur; nam paucorum est illa fortitudo, vt lubentes volentes sustinere calamitates possint. Omnium igitur incolumitati studendum est. Quamuis autem Stoici integritatem membrorum, sanitatem, robur, honorem, opes, bona esse negent, sancti tamen patres, etiam ista inter bona Dei dona, quæ & petere, & pro quibus gratias agere oporteat, recensent. Nam his ad veram beatitudinem præsidiis vti licet, & cum absunt, ista sæpe ob inopiam in scelera miseri præcipitantur.

Felicitas terrena ad supernã dirigi debet.

Hic igitur finis Politicus est, sed vlterius tamen tendit, & vberiorem felicitatem vestigat, cœlestem nempe. Ad hoc enim instituta est terrena ciuitas à Deo, vt Quirites suos cœlesti ciuitati transcribat. Hinc fit, vt separari non debeat terrena Respublica ab Ecclesia, sed oporteat summam esse vtriusque coniunctionem. Neque naturale bonum quisquam obtinebit, & virtutes morales, sine diuinioris gratiæ adiutorio.

Opus gratia Dei, etiam ad perfectionem virtutum moralium.

Nemo id fieri doceat, non est hactenus factum; omnia plena vitiis, & sceleribus fuere, vbi gratia Dei agnita non fuit. Docet Christiana nos religio sine speciali diuinæ bonitatis affluxu, nec ad perfectas virtutes, etiam humanas, & morales peruenire, nec diu peccata cuitari. Ipse Aristoteles lib. 1. Ethicor. cap. 9. & lib. vlt. cap. vlt. *Virtutes assequi diuinum munus esse docuit.* Sed ea de re deinde suo loco agemus. Nunc hoc statuamus cum Aristotele lib. 7. politicor. cap. 18. Εὐδαιμονίαν εἶναι ἐνέργειαν, καὶ χρῆσιν ἀρετῆς τελείαν. Felicitatem esse actionem, & vsum virtutis perfectum: Additis illis adiumentis, quæ virtuti publice conducunt.

Caput III.

In Republica virtutem necessario colendam esse.

Virtus ardua est, & facile tollitur.

§. 1. Virtvtem è Republica nemo conetur tollere; res ardua est, angustus ad eum trames ducit, duce opus habet animoso, & docto re, vitia sine magistro discuntur, & pronos in decliue trahunt. Virtutem vt summum Reipublicæ thesaurum Regibus, optimatibus, populoque commendo. Virtus regna, vrbes, prouincias, temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos, liberosque dispensat officia. Virtutem sectentur principes, populusque; Sed præcipue princeps; cuius virtus tria habet insignia, nam & plurimis prodest; & conspectissima est, & exemplo, non facto duntaxat, rempublicam instruit, conseruat, corrigit.

Ex moribus magistratus fortuna fere populi pendet.

Prodesse plurimum nemo ignorat, cum legamus magna vitia cum summa potentia orbem perdidisse, vnius boni principis virtute cunctos esse recreatos. Quod enim sunt diluuia, incendia, fames, & pestilentiæ, hoc sunt magistratus improbi, vtque tempestates & publicum latrocinium ferre coguntur prouinciæ, ita damna malorum principum: quod autem est fertilitas terræ, quod mari ventus secundus, quod sol mundo, hoc præstat Reipublicæ princeps virtute præditus. Qui ita secum loquitur. *Ego ex omnibus mortalibus placui, electusque sum, qui deorum (Dei) in terris officio fungerer: ego vitæ, necisque gentibus arbiter: qualem quisque statum, sortemque habeat in mea positum est manu, hoc igitur agam, ne cuiquam noceam, prosim omnibus.* Res sacra est patria, nocere illi sacrilegium est, sed patriæ nocet, qui singulos offendit, qui autem est in patria cum potestate, nisi singulos adiuuat, potestate non recte vtitur.

Magna vis exempli in principe, sed efficacior ad mala.

§. 2. Verum præcipuum principum decus est in exemplo. Fidelissimum præcipiendi genus est, exemplis docere; Exemplo enim monstratur virtus, non suadetur. Heliotropion, & aliæ nonnullæ herbæ ad motum solis perpetua conuersione flectuntur, & populus in principum ac optimatum mores intentus exemplo trahitur; Sed validus, cum à virtute receditur; quia illecebræ à tanta auctoritate venientes pudorem secum non adferunt, sed habentibus abstergunt. Vere dixit Nazianzenus: *Subditos facilius præfectorum vitia, quam virtutes imitari.* Itaque & illud verum est; Plus exemplo nocere principes, quam peccato. Solent enim esse castra

simillima regi, & quia videntur magistratuum gesta improbare, qui contrariam vitam sectantur, ideo periculosissime peccant magnates, quorum scelera in aliorum ruinas nascuntur. Valde itaque laudabilis est bonus princeps, cuius illa est conditio, vt recta facta habeant, ex aliorum ædificatione duplicem mercedem, & delicta ex subditorum depravatione maiorem pœnam. Nec tamen excusandus ciuis, quamuis illius vitiis princeps exempla præstiterit, quamuis alieno facto vulnerata respublica in vitia præcipitauerit; nam & ille, quia membrum est, suo morbo non solus sibi grauis est, sed totam Rempublicam facit deteriorem, & suæ tabis contagione vicinos inficit. Quanquam autem grauior morbus est, qui descendit à capite, molestior tamen sæpe est ille, qui hæret in membris. Videmus indies quomodo priuata augeantur, & externa vitia in Republica pullulent. His nihil validius opponi potest, quam exempla magnatum, & grauiorum ciuium, quæ pœnis, & legibus fortiora sunt. Quæ autem solet esse in principe mutatio, eadem in populo consequitur, sed celerius quæ est ad malum.

Principis virtus duplicem mercedem, vitia duplicem pœnam habent.

Multos trahit, sed nullum excusat exemplũ malum.

Deinde principes ac totam Rempublicam in hoc incumbere magnopere conuenit, vt inter contraria vitia maxime ad virtutem eluctentur, nisi enim sedulo principis obstet, & Reipublicæ seueritas, totum populum quasi torrens, consuetudo in liberum vitiorum campum deferet. Multi solent esse in aulis, athei, impii, simulatores, ambitiosi, ita cauendum tanto magis principi, ne consuetudine eorum deterior fiat. Nam qui inter malos bonus perseuerat, eum egregie bonum esse oportet.

Sine exemplo etiam vitia discuntur.

§. 3. Pudet dicere, nec tacendum tamen est, in aulis principum Christianorum eas esse sæpe corruptelas, vt vitiorum procuratores, & libidinum, ebrietatis, vanitatis institores sedem in illis collocasse videantur. Quoties audiui ex aulicis, non posse se vitam eam tolerare diutius, continuo potandi vsu vires obrui, ingenium dilui, mortem celerari, querebantur, & bibebant; magnamque tædiorum, & febrium cohortem ebibebant. Hoc est malum in aulis summum, quod exempla manant in vulgus. Lata fuit publicis comitiis necessaria Germanis lex, de non propinando; non ad æquales haustus adigendo, seruari poterat, sed in prima voce oppressa est, aulai licentia; nec deinde nisi per ludibrium vsurpata.

Aulæ Christianorum principum sæpe officinæ scelerum.

Bonas leges aulæ licentia opprimit.

Vtinam non id in nostram Rempublicam conueniat, quod in Romanos mores, de quibus Tacitus. *Vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum, quicquam probi moris reseruetur.*

§. 4. Reipublicæ etiam prima diuini cultus cura esse debet; quia sub vno Deo est, ab eo solo corrigi potest; cuius si venerationem, timorem, amoremque publice repudiet, non est, quo in viam deducatur, vitiosam se esse parui pendet; si impune abiturum peccatum arbitretur. Nec alia res perdidit summas potestates, quam libertas peccandi. Hanc in priuato libertatem, paupertas, legum metus, imminens accusator, vicinus irrisor coercet, ac frenat, in magistratibus, nisi Dei reuerentia compescatur in publica dedecora erumpet. Sub Deo igitur solo agonotheta, & iudice stant, qui respicit

Deum colat Respublica.

Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,
Hoc cedo, admoueant templis, & farre litabunt.

Non enim cærimonias, sed incontaminati pectoris puritatem diuinum numen exposcit; agnouit & illud eloquentia magis, quam vita excultus animus illius, qui dixit:

Non bone mactato cœlestia numina gaudent,
Sed quæ præstanda est, & sine tuste, fides.

§. 5. Quarto, finem quærimus, ille in virtute est, dum viuimus, in præmio virtutis, dum morimur, aut potius dum ad immortalitatem transimus. Hanc si respublica negligat, præter viam currit, & laborat quidem, sed fructu laboris excidit, sibi denique molesta, & in se collisa, vel vitiis suis opprimetur, vel externo hosti cedet in seruitutem. Hic exitus fuit omnium, omnium inquam Rerumpublicarum, cum in suam potestatem leges mali mores redegerunt, cum leges sine efficacia ad parietem figebantur, mali mores miseris illis insultabant, & sublato vexillo, quadrato agmine, arcem libertatis ingrediebantur.

Ciuitas dũ virtutem deserit sine suo excidit.

§. 6. Denique ad virtutem complectendam, vitiumque fugiendum naturale conscientiæ nostræ iudicium impellit; neque enim iucundissimo fructu vnquam opus bonum priuatur, nec sine morsu sæuo scelus admittitur; nam admissi demum magnitudo, atrocitasque intelligitur. Violati enim quocunque modo officii tristis cogitatio mentem angit, exprobratque; seruati iuris & honesti cum quiete & gaudio approbatio erigit, & ad meliora inflammat. Neque hæc aulelli ab impiis potest, quin surdo semper verbere pulset, adeo vt non animum modo, sed corpus insuper vastet, atque affligat.

Conscientia boni malique iudex est.

Testimonia sunt illa cunctis omni exceptione maiora; quia sibi quisque illa denunciat, sibi quisque ita loquitur, & conuinci se sentit. Vere Seneca Ep. 105. *Securitatis magna portio est, nihil iniqui facere. Confusam vitam, & perturbatam impotentes agunt: tantum metuunt, quantum nocent: nec vllo tempore vacant. Trepidant enim cum fecerunt, hærent, conscientia aliud agere non patitur, ac subinde respicere ad se cogit. Dat pœnas, quisquis exspectat: quisquis autem meruit, exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia præstat, nulla securum. putat enim se, etiam si non deprehenditur, posse deprehendi: & inter somnos mouetur, & quoties alicuius scelus loquitur, de suo cogitat. Non satis illi obliteratum videtur, non satis tectum. Nocens habuit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam.*

Nullæ latebræ cõscientiam tutam faciunt.

§. 7. Tuta igitur ab homine scelera esse possunt, secura non possunt, à Deo autem nec tuta esse possunt. Epicurus ipse inter vina vim illam sentit. Ita scribit ad Menœcea. οὐκ ἔστι τὸν λάθρᾳ τι ποιοῦντα πιστεύειν ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ὑπὸ ἀνθρώπων λανθάνῃ. μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον, εἰ καὶ λήσει. Quod ita Seneca exprimit Ep. 97. *Potest nocenti contingere vt lateat, latendi fides non potest.* Οὐδεὶς οὕτως ὕπτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς, οὔτε κατηγόρ@ δεινὸς, ὡς ἡ σύνεσις, ἣ κατοικοῦσα τοῖς ἐκείνων ψυχαῖς. *Nullus testis adeo formidabilis, neque accusator tam vehemens, quam omnium mentibus insidens conscientia.*

In Eculeo est, quæ torquet conscientia.

Hanc aufer à priuato, à senatore, à rege, omnes in malam mansionem compegeris. Anter à republica, vnam facies ex tot gentibus carnificinam. Quod igitur ipsa natura loquitur, hominem exuit, qui negare sustinet. Principem autem volo, qui non modo se non metuat, sed in publico etiam viuat, qui latere non desideret. Qui id sibi frequenter inculcat; *quod secretum putas, rumor populi est*, postremus intelligis factum, quod impeditum oportuit. Audi princeps Romani principis Consiliarium, Senecam Ep. 43. *Tunc felicem te esse iudica, cum poteris in publico viuere, cũ te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis iudicamus, non vt tutius viuamus, sed vt peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros, vix quemquam inuenies, qui posit aperto ostio viuere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit.*

Princeps publica persona sit in publico.

Sic

Sic viuimus, vt deprehendi sit, subito adspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum aureſque vitare? Bona conscientia turbam aduocat, mala etiam in solitudine anxia, atque solicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire cũ tu scias? O te miserum si contemnis hunc testem.

Virtutem igitur colite, cuius hæc etiam est prærogatiua, vt qui eam non imitantur, tamen admirentur & suspiciant, vt calamitate non tollatur, sed inter vtramque fortunam immobilis perſistat.

CAPVT IV.

Impia Machiauelli doctrina refellitur.

Vitia in proclivi sunt, cadere nemo docet, & tamen quotidiani sunt lapsus.

§. 1. VITIA magistro opus non habent; quia exempla obuios semper feriunt, omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles sumus; quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite, præcedit: Non proni sumus ad vitia tantum sed etiam præcipites. Imo vt exprobrat Demetriano Cyprianus: *Inter ipsa aduersa, quibus vix coartata & concluſa anima respirat, vacat malos esse, & in periculis tantis non de te magis, sed de altero iudicare. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni male viuendo mereamini, quasi non omnia ista, quæ accidunt, minora adhuc sint, & leuiora peccatis vestris.*

Turpis vitiorum doctor Machiauellus.

Verum hoc peculiare malum est nostri sæculi, habere publicum vitiorum doctorem, & suffragantibus multorum moribus etiam celebrem. Ille est Machiauellus. Qui ita principem ad virtutem instituit, vt tamen & vitia permittat, & virtutibus illa velut regno vtiliora anteponat. Eum igitur audiamus. In principe, cap. 15. *Nemo*, inquit, *non fatebitur scio, fore rem summis laudibus celebrandam, si omnibus his princeps esset ornatus, quæ ex iam dictis bona existimantur.*

Vitia noxia sunt omnia.

Verum cum nec haberi, nec aduersante humanæ vitæ conditione, seruari possint, necessarium est vti ea prudentia, qua eorum vitiorum infamiam fugiat, quibus illi imperium adimi posset. Caueat etiam ab iis, si fieri possit, quæ nihilominus non auferent: sed si effici non possit, minore detrimento omitti possunt. Nec multum sane laboret, si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus dominatum facile tueri posset.

Peccata quivtilia æstimat infra Philosophos est.

Nam si diligenter animo vsquequaque reputabitur, reperientur quædam, quæ virtutem præ se ferre dicantur, quæ tamen si sequaris, id tuo magno malo fiet: contra vero nonnulla deprehendentur aspectu vitiosa, quæ si assumas, in tuam securitatem, & incolumitatem sint reditura. Et cap. 16. *Atque iterum si quis diceret multos extitisse principes, qui suis exercitibus res magnas gesserunt, qui tamen illa beneficentia excelluerunt: dicendum est Principem vel de suis, vel de aliorum bonis sumptus facere.*

Si primum, parcus esse debet: si secundum, necesse est vt nullam partem libertatis prætermittat. Atqui Principi in expeditionem exercitus educenti (qui exercitus præda, direptionibus, tributis sint alendi) alienaque tractanti, necessaria est hæc liberalitas, alioquin milites illum non sequerentur. Quod autem non est tuum, nec tui populi, id liberalius conferri potest: vti à Cyro, Cæsare, & Alexandro factum constat. Non enim id, quod de alienis bonis insumis, tibi existimationem adimit, imo cumulatiorem reddit: sed à propriis opibus absumptus tibi detrimentum venit.

Hannibalis felicitatem ex sæuitia esse tradit.

Cap. 17. Suadet vt id agat, vt potius metuant, quam ament. Et principi ait, iam in exercitu versanti, atque multitudinis procurationem habenti, omnino statuendum est, vt inhumanitatis nomen pro nihilo ducat. Itaque etiam gestas res Hannibalis illius efferæ sæuitiæ tribuit. Cap. 18. Fallere etiam docet, & simulare.

Hæc pronis auribus hauriuntur, quæ olim etiam sine doctore peragebantur, sunt tamen omnino falsa, & reipublicæ perniciosa, de quibus hoc, & sequenti libro sæpius agendum erit.

§. 2. Nunc ex eo ipso contra ipsum agam. Lib. de rep. cap. 9. *Bono euentu, qui ex cæde Remi secutus est, factum Romuli putat excusari.* Statuamus hæc in mores induci, ipsumque Machiauellum occidi, vt eius collega solus sit Florentinæ Reipublicæ à secretis. Sit etiam ius alios occidere, rapere, peierare regni causa, nec modo hoc regibus, sed prætoribus, senatoribus, nobilibus concedamus, quæ potest esse pax in tanta perturbatione Reipublicę? Decidat sententiam ipse, cap. 17. contra semet distortus. *Nisi reges statim fuissent expulsi Roma, necesse erat, vt mihi certe videtur, vrbem debilitari, & pristinam virtutem roburque amittere. Considera enim quam prauis corruptisque moribus essent iam tum reges illi. Quod si eadem corruptela ad tertium vsque successorem propagata fuisset, facile serpsisset etiam in populum, eoque infecto, nunquam potuisset ciuitas restaurari, & vires, virtutemque suam recuperare. Sed quoniam pernicies hæc occupauerat quidem Reip. caput, membra cætera nondum infecta erant: potuere, sublato pernicioso illo capite, reliqua membra sanari, & parta libertas conseruari. Pro certo enim statuere oportet, ciuitatem eam, quæ principis imperio consueuerit parere, & in qua mores hominum plane sunt depraui, non posse conseruare sibi libertatem, si eam occupauerit, ne quidem si vniuersa eius principis familia extirpetur: sed subinde nouis Dominis parere cogetur, qui se mutuo expellent: absque principe vero nunquam subsistet: nisi vnus aliquis forte in ea ciuis, extiterit: cuius tum virtus heroica, tum bonitas illam aliquamdiu conseruet. Sed neque id quidem diutius durare poterit, quam vita eius, qui illam conseruat: vt Syracusanis occidisse nouimus: qui Dionis, & Timoleontis virtute diuersis temporibus libertatem conseruarunt: sed iis vita functis, sub antiquum tyrannidis iugum redierunt. Omnium vero euidentissimum est exemplum Romanorum, qui ejectis Tarquiniis, rationem conseruandæ libertatis statim apprehenderunt: sed interempto C. Cæsare, sublatoque C. Caligula, atque Nerone, vna cum tota Cæsarum stirpe, nec conseruare libertatem, nec eius aliquod principium introducere potuerunt. Cuius diuersitatis ratio ex eo tantum pendebat, quod Tarquiniorum tempore non essent corrupti populi Romani mores, sicuti postea C. Cæsaris, Caligulæ, atque Neronis ætate fuerunt. Id autem vel ex eo colligere potes, quod tunc ad conseruandum populi aduersus tyrannidem studium sufficiebat iusiurandum, quo iurauit nunquam se consensurum, vt quis Romæ regnaret: sed interfecto C. Cæsare, nec Bruti autoritas, atque fecueritas, neque legiones ad Orientem dispositæ, populum permouere potuerunt, vt libertatem quam ad primi illius Bruti imitationem in vrbem introduxerat, constanti firmoque animo defenderet. Tanta scilicet corruptela infecti iam erant populi Romani mores, præsertim eorum, qui Marianæ factionis fuissent: in qua cum C. Cæsar principatum obtinuisset, plebem sibi conciliauerat, sensimque subiecerat, tanto artificio, vt iugum quod ceruicibus eorum imponebatur, non sentirent. Hoc Romanorum exemplum propositæ disputationi conuenientissimum est: sed neque desunt exempla eorum populorũ, quibus idẽ quod Romanis, nostra quoque ætate accidit. Nam Mediolanenses & Neapolitani, quocunq; modo seruitutis iugo liberentur, libertatem nunquã conseruare possunt: idq; illis accidit ob deprauatos corruptosque omnium mores. Mediolanenses ipsi, mortuo Philippo vicecomite libertatem consequuti erant: eiusque conseruandæ ratione introducere voluerunt, sed conseruare non potuerunt. Romanis ergo faustum fortunatumque fuit, quod eorum reges mox insolescere, & deprauatis moribus esse cœperint: nam ita factum est, vt expulsi fuerint antequam illa morum corruptela etiam in populum serpere otuerit: quæ si eum etiam infecisset, non potuissent tot plebis senatusque contentiones postmodum ortæ, tam felicem finem sortiri, vt vrbi profuerint potius, quam damnum vllum attulerint.*

Virtute sublata non potest tolli libertas.

Vnius virtus magnũ, sed breue subsidium libertatis.

Improba nobilium populorum accusatio.

§. 3. Quin etiam cap. 18. negat posse populo restitui libertatem, si moribus corruptis sit. At ego pari modo concludo, nec regnum, cum summa est morum corruptio, posse conseruari. Cur enim non potest populi libertas in summa corruptela conseruari? Respondet ille. *Quia vix vllæ leges populi summam corruptelam frenare queunt. Nam neque boni mores in ciuitate absque bonis legibus: neque bonæ leges, nisi per bene moratos homines conseruantur.* Optime plane, sed pro veritate, contra propria statuta. Bonæ igitur leges egent bono custode, bono vindice, ille autem non est princeps malus. Tempore Caligulæ summa erat corruptela, bonæ leges, pessimi mores; accessit princeps turpissimus, qui ærarium exhausit, ducenta militum millia occidit, senatum concidit, quid si diutius viuere, & imperare potuisset, premente inopia, crescentibus libidinibus, efferata crudelitate, nonne Romam in solitudinem redegisset? Vitia ergo Rempublicam perdunt, virtutes conseruat, ac muniunt. Naturæ vocem audiamus, testabitur illa contra Deum, & naturam esse vitia, ideoque non posse, nisi virtutibus misceantur, consistere. Duo sunt autem peccatorum genera, alia enim in corruptelis flagitiorum, alia in facinoribus nocendi cernuntur. Vtraque malitia sua rempublicam euertunt, celerius illa, quæ in alios iniuriosa sunt. Hæc enim cum odiosa sint, & offendant, necessario caritatem violant, inimicitias, & bella concitant, odioque & furori genus humanum committunt. Itaque hinc oritur læsorum vindicta; vel fuga, si vindicta desperatur, aut caro statura creditur. Dominum, aut exercitum ostende dissidentem, ciuitatem in se conuersam, non nisi facta pace seruari posse intelliges; at crimina omnibus molesta sunt, sæpe etiam illis quibus prosunt. Si igitur virtus exulat, sint omnes in republica iniusti, auari, libidinosi, meticulosi, iudicia prætoria, lege victæ, non potest hisce vitiis stare ciuitas. Elegãter & sapienter Seneca lib. 2. de ira cap 31. *Nefas est nocere patriæ: ergo ciui quoque, nam hic pars patriæ est. Sanctæ partes sunt, si vniuersum venerabile est: ergo & homo homini. nam hic in maiore tibi vrbe ciuis est. Quid si nocere velint manus pedibus? manibus oculi? Vt omnia inter se membra consentiunt, quia singula seruari, totius interest: ita homines singulis parcent, quia ad cætum geniti sumus. Salua autem esse societas, nisi amore & custodia partium non potest. Ne viperas quidem & natrices, & si qua morsu aut ictu nocent, effligeremus, si vt reliqua mansuefacere possemus, aut efficere, ne nobis aliisue periculo essent. Ergo ne homini quidem nocebimus, quia peccauit, sed ne peccet: nec vnquam ad præteritum, sed ad futurum pœna referetur. non enim ira scitur, sed cauet. Nam si puniendus est, cuicunque prauum maleficumque ingenium est, pœna neminem excipiet.*

Bonæ leges sine bono custode manere non possunt.

Vitia consistere non possunt, nisi virtutes multorum adsint.

Virtus consensum efficit, vitia pugnas.

§. 4. Rationẽ iuuat experientia. Si semel vitia admittuntur, probanturq; quia aliquando profuisse putantur, certe crescentia ferri nõ possunt. Prisco sæculo in exigua Romana luxuries aquã ludebat, gestasse aureum annulum, exstruxisse suburbanum, cœnasse decem assibus magnum erat. At postea vniones calcabantur, in mare moles regiæ iaciebantur, prouinciarum vectigalia in vnam cœnam congerebantur, ita fastus, ita rapinæ, ita crudelitates creuerũt. Quid? anne etiam tam adultis, tam grandibus malis regnantibus salua esse respublica potest? Si non potest, initiis occurratur, quia corroborata aut vincunt, aut maiore detrimento vincuntur. Habent hoc ciuitates, & regna, vt cum longius à virtute recesserint, velut nimium inflata corpora rumpantur: Habent hoc vitia vt non consistant. Regnare nequitiam, in deterius labi res humanas, & in omne nefas ruere, antiqua est querela. Non stant loco vitia, sed vsu, & impudentia fiduciam capiunt, segnia sunt vitia, non nisi aliena iniuria aluntur, procedunt, augenturque, donec diuina vindicta opprimantur. Cum igitur natura virtutem suadeat, atque adeo vim suam in nobis iudicet, vt etiam, quod facere non possumus, aut nolumus recte tamen factum in aliis iudicemus. Et vere dixit Iuuenalis:

Nunquam aliud natura, aliud sapientia dicet.

Pugnat igitur cum natura, cum omnium sapientum sensu, qui in Rẽpublicam scelera, & virtutis simulationem inducit.

Vitia in mediocritate non seruãtur.

Si naturã vitia destruunt, quãto magis Rempublicam.

Caput V.

Sine vera virtute & pietate non posse Rempublicam gubernari, docetur ex sacris literis.

§. 1. Sine vero de Deo sensu, & cultu, sine religione, sine iustitia prudentia, temperantia, fortitudine, atque vno verbo, sine vera, solida, ac genuina virtute, non posse esse vllam Rempublicam, diu felicem, sed cum multis seditionibus, bellis, incommodisque, conflictari constat eoque, magis, quo magis à virtute recedit, minora vero experiri eam mala; si virtutum quarundam possessionem vtcunque tueatur.

Quo maiora sunt vitia eo maiora Reipublicæ damna.

Primum ea de re Deum audiamus, numen sanctum, Deum quem esse, & remuneratorẽ esse credimus, qui vero id non credunt, vltorem sentient. Hoc tamen volo. Non régna semper ob iustitiam dari, cum truculentissimos hominum videam imperitasse; sed non esse nisi miserrima regna, in quibus vitia magna dominantur; & per vitia regna euerti. Monet Israelitas Dominus, Deut. 9. 4. *Ne dicas in corde tuo, cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo. Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietatem suam istæ deletæ sint nationes.*

Non sunt regna semper præmia iustitiæ.

Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui, ingrederis vt possideas terram earum; sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt. Grauia erant Israelitarum scelera, vt mortem mererentur, nedum terrarum omnium optimam; sed propter Abrahamum & Patriarchas, Mose deprecatore venia, & Palæstina data est, deletæ vero gentes numerosissimæ, & fortissimæ, propter impietatem, quæ iam completa erat, nam tempore Abrahami nondum fuisse completas, docet idem oraculum, Gen. 15. 16. *Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.*

Minus malis sæpe datur quod eripitur pessimis.

§. 2. Huc tota pertinet illa Mosis Concio, quæ est Deut. 11. 12. 13. & præcipue cap. 28. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus quæ vertantur in terra. Venientque super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te: si tamen præcepta eius audieris, Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructus que iumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedicta reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populũ sanctũ, sicut iurauit tibi: si custodieris mãdata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius. Videbunt que omnes terrarum populi quod nomen Domini in-*

Præmium virtutis imperium.

Et opes.

qui invocatum sit super te & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructum vteri tui, & fructum iumentorum tuorum, fructum terræ tuæ quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris, ac non declinaueris ab eis nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris Deos alienos, neque colueris eos. Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter ad inuentiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra ad quam ingrederis possidendam. Percutiat te Dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereas. Sit cœlum quod supra te est, æneum: & terra quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ. Sitque cadauer tuum in escam cunctis volantibus cœli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. Vxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adiuuet. Filii tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo, Videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, & stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui. Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus, & in suris, sanarique non possis à planta pedis vsque ad verticem tuum. Ducet te Dominus, & regem quem constitues super te, in Gentem quam ignoras tu & patres tui: & seruies ibi Diis alienis, ligno & lapidi.

Et eris perditus, in prouerbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus. Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia defluent, & deperibunt. Filios generabis & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captiuitatem. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet. Aduena qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior. Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec seruasti mandata eius & ceremonias quas præcipit tibi. Et erunt in te signa atque prodigia, & in semine tuo. Vsque in sempiternum: eo quod non seruieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam. Seruies inimico tuo quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria; & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te conterat. Adducet Dominus super te Gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu; cuius linguam intelligere non possis. Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges Terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium: donec te disperdat, & conterat in cunctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni Terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni Terra tua quam dabit tibi Dominus Deus tuus: & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus. Homo delicatus in te, & luxuriosus valde inuidebit fratri suo, & vxori quæ cubat in sinu suo, ne det eis de carnibus filiorum suorum quas comedet; eo quod nihil aliud habeat in obsidione & penuria qua vastauerint te inimici tui intra omnes portas tuas. Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter mollitiem & teneritudinem nimiam, inuidebit viro suo qui cubat in sinu eius, super filii & filiæ carnibus, & illuuie secundinarum quæ egrediuntur de medio seminum eius, & super liberis qui eadem hora nati sunt. comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam, in obsidione & vastitate qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas. Nisi custodieris & feceris omnia verba legis huius quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen eius glorioſum & terribile, hoc est Dominum Deum tuum: augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseuerantes, infirmitates pessimas & perpetuas, & conuertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi. Insuper & vniuersos languores & plagas quæ non sunt scriptæ in volumine legis huius, inducet Dominus super te, donec te conterat: & remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cœli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Et sicut ante letatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subuertens, vt auferamini de Terra ad quam ingrederis possidendam. Dispergetque Dominus in omnes populos à summitate terræ vsq; ad terminos eius: & seruies ibi diis alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices, Quis mihi det Vesperum? & Vespere, Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quæ tuis videbis oculis. Reducet te Dominus classibus in Aegyptum per viam de qua dixit tibi vt eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in seruos & ancillas, & non erit qui emat.

Peccatorũ pœnæ.

Peccata morbi consequuntur.

Seruitus peccati est.

Peccatis vrbes vastantur.

Hæc vrbiũ extidia historiæque docent.

Peccator in perpetuo tremore est.

His si mundus crederet, si hæc priuatim & publice auribus regum consiliariorumque insonarent, iam constitutam rem teneremus. Callida illa, prudentiaque consiliorum defluerent ad hoc tonitru. Regnasse impios non ignoro, nam Chananæi quoque iam Abrahami tempore dominabantur, sed labentibus in deterius moribus calamitates impietatis comites increuere, donec penitus delerentur, nec aliorum regna fuere ex merito, sed vt malos castigarent. Regna autem (inquit Cyprian. de Idolorum vanitate) non merito accidunt, sed forte variantur: Cæterum imperium tenuerunt & ante Assyrii, & Medi, & Persæ, & Græcos & Ægyptios regnasse cognouimus. Ita vicibus potestatum, Romanis quoque vt & cæteris imperandi tempus obuenit. Cæterum si ad originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis, & nocentibus congregatur, & asylo cõstituto facit numerum impunitas criminũ; vt Rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida. Atque vt matrimonium faciat, rem concordiæ per dissordias auspicatur.

Contra fulmen non facit fucus, nec contra Deum calliditas.

Regna sæpe emergunt noua ad alia castigãda.

§. 3. Pu-

Opes Romanorum imperatorum spectata, & breuem vsuram nec pensatam.

§. 3. Puniunt mali malos, colliduntur impiis impii, & vtriq; franguntur, nec mirum, testarum enim, & luti pugna est. *Hæc est pars hominis impij apud Deum & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur panibus, qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabunt. Si comportauerit, quasi terram argentum, & sicut lutum præparauerit vestimenta. Præparabit quidem, sed iustus vestietur illis: & argentum innocens diuidet. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas, Tollet eum ventus vrens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo,*

Deus, inquit Dauid, *destruet te in finem, & euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentum.* Et Psalm. 91. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi.*

Patriarcharum felicitas à virtute.

Pereunt igitur impii, quamuis celeri germinatione spectatissime efflorescant. Verum hoc loco hærere nihil necesse est, tota scriptura nobis hoc indicat, Abrahamus exul patria Deum sequitur vocantem, & defenditur, incrementum eius etiam regibus est terrori, idem Deus tributum Isaaco & Iacobo, felix fuit illa respublica cum eum Iosue, & iudices pii administrarent, cum autem fecerunt malum in conspectu Domini, vicinis regibus traditi sunt in seruitutem. Historiam regum legamus, & pro cuiusque moribus fortunam. Dauid vir secundum cor Dei regnum ad summum fastigium euexit, quod tamen ob eius peccata clades passum est. Salomon pacifice & felicissime administrauit, donec vitiis suis Adad Idumæum concitauit, & Ieroboamo decem tribus resignauit, Roboami & Abiæ vt temeraria, & impia facta fuerunt, ita calamitates etiam nouæ, capta vrbe, spoliato templo, regia dignitate ab auro ad æs translata. Asa virtutem secutus impuros sustulit, & matrem in ordinem redegit, Zaram Æthiopem decies centena millia trahentem vicit sed tandem à Deo deflectens arthritide vexatus, solus sua culpa mortuus est. Filius Asæ Iosaphat, pius fortis, & inclytus fuit, sed hæredem habuit degenerem Ioram, qui paracidio, idololatria regnum fœdauit, ideoque Idumæi, aliæque nationes vectigales desciuerunt. Sed ex ipsa scriptura audire præstat vindictam Dei in impium regem. Par. 2. 21. 12. *Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia Propheta, in quibus scriptum erat. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui, & in viis Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab; insuper & fratres tuos domum patris tui, meliores te occidisti: Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis, vniuersa que substantia tua. tu autem ægrotabis pessimo languore veteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies. Suscitauit ergo Dominus contra Ioram spiritum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt Aethiopibus. & ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eã: diripuerunt que cunctam substantiam quæ inuenta est in domo regis, insuper & filios eius, & vxores: nec remansit ei filius, nisi Ioachaz, qui minimus natu erat. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore insanabili. Cumque diei succederet dies, & temporum spatia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem conbustionis, exequias, sicut fecerat maioribus eius.*

Regum Israheliticorum sors ex vita.

Ioramí regis infelix Exitus.

Vt virtutũ & vitiorũ, ita prosperitatis, & calamitatis sunt vices.

Secutus inde Ochozias, Athalia, Ioas, Achas miseros cum regni totius cõcussione exitus sortiti sunt. Ezechias pietate sua omnia restituit, Manasses amisit; Iosias iterum auum imitatus, felicitatem reduxit pristinam, posteri eius impietate perierunt.

Vna victoria multis cladibus obruta non facit felicẽ.

§. 4. Promptum fuerit forte aliarum gentium obiicere in summis sceleribus felicitatem; verum ad omnem historiam appello; vna in re quapiam successus est, in tota republica felicitas nulla est. Quod in exemplum felicitatis humanæ adduci solet regnũ Macedoniæ, si lubet, intueamur. Gesto in Græcia bello occisis fratribus, & propinquis, Asiam Alexander ingreditur, annos duodecim in summa cura, dolore, multis vulneribus, furore, domesticorum sanguine, conspirationibus, timore, calamitosissime transegit, donec crapula vel veneno periret; paulo post omnis eius posteritas exciſa est, nec modo illa, sed principes eius, & quos Orientis Spoliis onerarat, Argyraspides. Nulla autem felicitas est annos duodecim furere, vt tota nobilitas pereat. Qui historiam cum prudentia legerit, regnum Macedoniæ rege Alexandro, & eius principibus concurrentibus infelicius fuisse intelliget, quam fuerit regnum Israelis, etiam tum cum pro malis moribus pœnas luit. In quo & hoc memorabile, tot principes præter Ptolomæos, & Seleucidas cum vniuersis familiis exciſos. Verum de regno Israelis & Iuda hic agimus, de quibus ita 4. Regum 17. 6. *Anno autem nono Oseæ, cepit rex Assyriorum Samariam. & transtulit Israel in Assyrios: posuitque eos in Hala, & in Habor iuxta fluuium Gozan, in ciuitatibus Medorum. Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Aegypti, de manu Pharaonis regis Aegypti, coluerunt Deos alienos. Et ambulauerunt iuxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel, & regum Israel: quia similiter fecerant, Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum: & ædificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis à Turre-custodum vsque ad ciuitatem munitam. Fecerunt que sibi statuas & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum: & adolebant ibi incensum super aras in morem gentium quas transtulerat Dominus à facie eorum: fecerunt que verba pessima irritantes Dominum, & coluerunt immunditias de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc. Et testificatus est Dominus in Israel & in Iuda per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens, Reuertimini à viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea & cæremonias iuxta omnem legem quam præcepi patribus vestris: & sicut misi ad vos in manu seruorum meorum prophetarum. Qui non audierunt sed indurauerunt ceruicem suam iuxta ceruicem patrum suorum, qui voluerunt obedire Domino Deo suo. Et abiecerunt legitima eius, & pactum quod pepigit cum patribus eorũ, & testificationes quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, & vane egerunt: & secuti sunt Gentes quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis vt non facerent sicut & illæ faciebant. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: fecerunt que sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cœli: seruierunt que Baal, & consecrauerunt filios suos, & filias suas per ignem: & diuinationibus inseruiebant & auguriis: & tradiderunt se vt facerent malum coram Domino, vt irritarent eum. Iratus que est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo. Sed nec ipsa Iuda custodiuit mandata Domini Dei sui: verumtamen ambulauit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. Proiecitque Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium donec proiceret eos à facie sua:* Diuina igitur sapientia, quæ fons omnium est bonorum, felicitatem religione, & virtute definit.

Maximi principes Alexandri cum familiis exciſi.

Exilium perpetuum Israelis ob scelera.

Desperata salus est, cũ non corriguntur monitis.

CAP.

CAPVT VI.

Omnes viri sancti felicitatem Reipublicæ ex virtute æstimarunt.

Religio & iustitia fundamenta gubernationis.

§. 1. OMnium sanctorum est consentiens, veraq; sententia, duo esse fundamenta politicæ societatis, iustitiam, & religionem, principemque cum primum à Deo recesserit, in se quoque summi rebellionem experiri. Sola vera pietas satis est principibus ad salutem; sicut è contrario, absque illa nihil prosunt exercitus, equi, satellites, ensium vis, virorumque immunerabiles copiæ, aurum item, & argentum, & quicunque præterea est alius apparatus. Telæ aranearum ista sunt, nisi pietate consistant.

Inter sanctos quidem recensere Tertullianum fas non est, quia quamuis recte cœpit, magno tamen Ecclesiæ scandalo cecidit. Ille tamen præ cæteris in Apologetico in hoc argumentum incubuit. Iudicium hoc gentium erat; si *Tiberis ascendit in mœnia, Nilus non ascendit in arua, cœlum stetit, terra mouit*, fames aut lues orbem inuaserunt, continuo Christiani vt rei scelerum petebantur ad leonem; ille vero præcipue gentiles causas dare probat, & nunc mala illa leuiora esse, cum sunt apud Deum deprecatores Christiani; communis itaque mundi sententia erat, delictis pœnas infligi.

Deum cohentibus prospera negligentibus aduersa contingunt.

S. Cyprianus etiam libro de Idolorum vanitate, Iudæorum clades pœnam impietatis fuisse docet. *Iudæis primum erat apud Deum gratia: sic olim iusti erant, sic maiores eorum religionibus obediebant. inde illis & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo prouenit: sed illi negligentes indisciplinati & superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati, dum diuina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta fit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui etsi voce tacent, exitu confitentur: dispersi & palabundi vagantur soli, & cœli sui profugi, per hospitia aliena iactantur.*

Et S. Hieronymus in c. 15. Ierem. *Dabo eos in seruorem, siue commotionem, & Angustias vniuersæ terræ, & sub Babylonijs ex parte completum est, & nunc expletur in toto: quando pessimum regem, & qui repleuerit Ierusalem à porta vsque ad portam cruore iustorum, populus imitatus est impius. Ex quo discimus regum ac principum & præpositorum scelere populos plerunq; deleri.* Summa ergo pernicies, princeps impius.

Regum scelere populus plerunque deletur, sed uitator.

§. 2. Sanctus Ambrosius in cap. 4. Ionæ, vnicam seruandæ patriæ rationem, aut esse ciuium probitatem, sicut eorum peccata sunt causa euersionis. *Tantæ fuerunt Niniuitæ sapientiæ, vt non alienis se præsidijs defenderent, sed propria deuotione saluarent. Nam non statim desperauerunt de salute sua, quia audierunt à Propheta cum ciuitatis se manibus subuertendos: sed quando proximum annuntiabatur excidium, tanto magis religiosis actibus armabantur: nec reliquerunt euertendam ciuitatem suam, sed in ea potius permanserunt sapientes scilicet, vt quæ ciuium vexabatur peccatis, ciuium orationibus saluaretur: & cui perditionem mala conuersatio intulerat, ei salutem deuotio religiosa conferret. Iustum enim erat vt quos fuerat passa peccatores, eosdem haberet proprios defensores. Ciuitati enim non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine ergo peccare, & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? si vis saluus esse, tua potius peccata subterfuge. Si tu peccare desieris, victus est inimicus. Dicit ad Abraham scriptura diuina per decem iustos patriam posse saluari. Igitur si iusti sunt qui saluam faciant patriam, vtique iniusti sunt qui relinquunt. Et si illi propter præsentiam suam consequuntur gratiam: necesse est vt ij propter desolationem mereantur offensam. Iniustus plane & impius est filius, qui periclitantem deserit matrem. Mater enim quodammodo dulcis est patria, quæ te genuit, quæ nutriuit, quæ vt fugere possis diuitem te fecit.*

Niniuita pietate seruarunt, quæ peccando amissuri erant.

Patria misera non deserenda, sed iuuanda.

Et S. Augustinus in Psalm. 118. præcipue principibus inculcat virtutem. *Magnopere curandum est, vt qui regendis hominibus præfertur, apud se intra sacrarium mentis in cathreda præsideat humilitas, cumque iudicanti ei à cæteris foris assistitur, vigilanti oculo incessanter aspiciat, cui quandoque iudici ipse de his iudicandus assistat.* Merito sane omnibus enim quocunque iure damnatis ad Deum salua est appellatio, quicunque causa cecidit, ad magnum illud tribunal in integrum restituitur, & aliquando ad honorem sui iudicis euehitur.

Sententia iudicum Deo iudicãda sistitur.

Romam Rempublicam malis moribus periisse testis est idem Augustinus lib. 2. de ciuitate Dei, c. 23. *Illa igitur respublica malis moribus cum periret, nihil Dij eorum, pro dirigendis, vel corrigendis moribus egerunt, ne periret. Imo deprauandis & corrumpendis addiderunt moribus, vt periret.*

Dii Romanorum mores, quibus perierunt, non correxerunt.

Denique libr. 19. de ciuitat. cap. 21. docet sine iustitia Rempublicam esse non posse. *Breuiter enim rempublicam definit esse rem populi. Quæ definitio si vera est, nunquam fuit Romana respublica: quia nunquam fuit res populi: quam definitionem voluit esse reipublicæ. Populum enim esse definiuit cœtum multitudinis, iuris consensu & vtilitatis communione sociatum. Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat: per hoc ostendens geri sine iustitia non posse rempublicam: vbi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit. Quod autem sit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manauerit: falsumque esse, quod à quibusdam non recte sentientibus dici solet: id esse ius, quod ei qui plus potest, vtile est. Quocirca vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse, & ideo nec populus: iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem. Et si non populus, nec res populi, sed qualiscunque multitudinis, quæ populi nomine digna non est: ac per hoc si resp. res populi est, & populus non est, qui consensu non sociatus est iuris; non est autem ius, vbi nulla iustitia est: procul dubio colligitur, vbi iustitia non est, non esse rempublicam. Iustitia porro ea virtus est, quæ sua cuique distribuit. Quæ igitur iustitia est hominis, quæ ipsum hominem Deo vero tollit, & immundis dæmonibus subdit?*

Vbi iustitia non est, nec Respublica est.

§. 3. Orosius etiam religioni & pietati Christianum tribuit, quod mundus leuioribus malis concutiatur, Arnobius vero ex professo id probare contendit. Tantum pietati & virtuti illi tribuerunt. Hippolytus martyr grauissimas calamitates magno agmine orbem inuasuras prædixit, tum cum solutis moribus, latissime est regnaturus Antichristus, cum omnium regnorum iura concident, & pro dolor ad ea mala sunt iam apparatus, & præambula. Hoc modo ad virtutem hortantem Leonem imperatorem Episcopi Phœniciæ. *His bene dispositis, manus hostium vertitur in timorem, & quipridem imprudenter resistere didicerant, propter vestræ fidei magnitudinem confusi venient ad ruinam. Imitatores enim eorum principum constituti, qui iustitia & æquitate claruerunt, facilime rebus præsentibus præualebitis;* Et Episcopi Mesopotamiæ: *Hæc cum sacerdotibus Christi pietas vestra tenens, atque confirmans in pace Imperii gubernacula moderabitur.*

Et Iulianus Episcopus Coënsis: *Martianus amoris diuini diademate coronatur, spiritualem quoque suscipiens veritatem, festinauit Apostolorum dogmata confirmari à præsulibus Ecclesiæ, desiderio fidei accensus Orthodoxæ, quæ cum vestra pietas imitatur, & victoriam contra barbaros adipiscitur, & veritatis quoque destruit inimicos.* Synodus sexta, ad Constantinum quartum promittit fore, vt pro pietate eius, Deus omnes actus illius felices & prosperos faciat, qui in suis sacris Euangeliis

pro

promittit, inquiens: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Synodus septima ad Constantinum, & Ioannem. *Saluator omnium Deus, & qui nobiscum regnat Ecclesiæ suæ pacem pro præmio suo tribuat, vestrũ autem imperium cum senatu, & ducibus, & fidelissimo militum exercitu in multos annos conseruet, & victoriam nobis concedat. Ipse enim dixit: Viuo ego, dicit Dominus, glorificantes me glorificabo; ipse est, qui accingens vos potentia omnem hostilem impressionem à vobis auferet, obedientiam autem apud vos conciliabit.* Synod. Toletana ad Sisenandum. *Multa regna terrarum cœlestis iracundia ita permutauit, vt pro impietate fidei, & morum alterum ab altero solueretur. Vnde nos, & cauere oportet casum huiusmodi gentium, ne similiter plaga feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli.*

Fides seruat imperium.

Verissime Ambrosius Epist. 31. ad Valentinianũ. *Hæc est caritas exspectanda, hæc est caritas maior imperio, si fides tuta sit, quæ seruat imperium.*

Peccata Christianorum Turcicas vires augent.

§. 4. Experimur & nos in Græcia atque Vngaria, quod de suis tẽporibus quæstus est Hieronymus in Epitaphio Nepotiani. *Nostris peccatis barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus superatur exercitus. Infelices nos qui tantum displicemus Deo, vt per manus barbarorum illius in nos ira desæuiat. Ezechias egit pœnitentiam, & cẽtum octuaginta quinque millia Assyriorum, vna nocte ab vno Angelo deleta sunt: Iosaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudãte superabat: Moyses contra Amalech non gladio, sed oratione pugnauit.* Si erigi volumus, prosternamur. Pro pudor, stolida vsque ad incrudelitatem mens: Romanus exercitus, victor orbis, & Dominus, ab his vincitur, hos pauet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent; qui si terram tetigerint, se mortuos arbitrantur. *Et non intelligimus prophetarum voces, fugiũt mille vno persequente, deamputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur.*

Hęc vtinam omnium cordibus imprimantur hodiernis in calamitatibus, quibus etsi insistere multi satagant, tamen vitia, propter quæ illas patimur, pauci deserunt.

Constantini felicitas cum pietate.

Sanctus Augustinus libr. 5. de ciuitate cap. 25. *Bonus Deus, in homines, qui eum crederent propter æternam vitam colendũ, has sublimitates, & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi Dæmonibus supplicaret, quod hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum imperatorem non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam concedere ciuitatem Romani imperii sociam velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo Dæmonum templo simulacroque concessit, diu imperauit, vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrãdis, & gerendis bellis victoriosissim⁹ fuit, in tyrannis opprimendis, per omnia prosperatus est, grandæuus ægritudine & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus oratione ad Iulianum impietate euerti imperium docet. *Salutifera doctrina (Christi) longe lateque fusa, ac circa nos maximè vigente, religionem Christianam inuertere, & labefactare conari, nihil aliud fuerit, quam Romanorum imperium conuellere, omnibusque Reipub. partibus pericitari, eaque, quibus ne hostes quidem grauius quidquam nobis imprecari possint, à nobis metipsis accipere.*

Nulla clades, nisi comes iniustitiæ,

S. Chrysostomus in Isaiam. *Haud rite se habent principum negotia, de his plerumque loquimur. Ingens periculum, quid autem in causa est? eorum* inquiunt, *qui principatum gerunt, incogitantia. non est principum incogitantia, sed nostra iniustitia pœna est pro nostris sceleribus exacta. illa nihil non sursum deorsum, miscuerunt, illa quicquid est calamitatum, inuenerunt, illa armarunt hostes, illa fecerunt vt victi descenderemus, non aliunde malorum examen inundauit, quam ex hac causa.*

Hodie quoque quam multi inter lites, vsuras, odia, ebrietates, adulteria accusant principum socordiam, cum peccatis ipsi suis pœnam trahant, nec alia de causa pacem optent, quam vt vitiis suis secure, & deliciis indulgeant.

Verum ne plura consecter, legi potest S. Cyrillus de recta in Dominum nostrum Iesvm Christvm fide, ad Theodosium. Hilarius in Psalm. 137. Gregorius ad Theodoricum Francum. S. Leo ad Theodosium, & Pulcheriam Augustam, Athanasius ad Constantinum, & Iouinianum, Ioannes ad Iustinianum. Concilium Meldense ad Carolum iuniorem Francum, Symmachus ad Anastasium. Cõcilium Parisiense ad Lodouicum, & Lotharium. S. Bernardus ad Lodouicum. Hormisda ad Iustinum. Nicolaus ad Michaelem, Episcopi Hispaniarum in coronatione regis.

Caput VII.

Sanctis patribus consentire principes pios.

Diuina testimonia sufficiunt credẽtibus, humana mouent dubitantes.

§. 1. Credere tantę auctoritati merito debemus, cum nullam fallendi occasionem, aut causam habuerint. Eos reges qui sunt in scriptura omitto, quia humanis testimoniis magis cedunt, qui diuina oracula non agnoscunt. Omnes tamen principes, prudentes, id dictum sibi existimarunt, quod Dauidi diuinum oraculum denunciauit. *Si custodierint filii tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua non auferetur tibi vir de solio Israel.*

Pœnitentia non semper incommoda temporaria amolitur.

Philippus Arabs cum se parricidio adeptum imperium non ignoraret de religione melius edoctus, iussu Fabiani pontificis inter pœnitentes ante Ecclesiam supplex steterit, & facto ostendit, nulla scelere parta imperia esse diuturna, mox enim & ille interfectus est.

Constantini felicis pietatis exemplum.

Inter principes vix vlli maior gloria, quam Constantino obtigit, nam & latissime imperauit, & Religionem præ cæteris coluit, tẽpla dæmonum clausit, vero Deo struxit, Rempublicam fouit. Ille tamẽ omnia pietati accepta retulit, atque in iudicio religionis omnia Concilio Niceno retulit. Iouinianus maximo animo, & qui ipso Augusto imperio celsior esset, ante confessor, deinde successor illius, quem tyrannum passus fuerat, negauit *se exercitui, qui falsos Deos coleret, imperare velle, cum esset Christianus*, quod in tantis flagitiis nullam Reipublicæ felicitatem esse posse existimaret.

Iouiniani fortissimũ factum.

Theodosii, Caroli, &c.

Theodosius & Valentinianus ad Synodum Ephesinam scripsere, per ea, quæ ad pietatem, religionemque conseruandam pertinent; cætera quoque se assequi posse. Ipse itaque Theodosius Psalmos canere, preces dicere cum Eudoxia coniuge, & Pulcheria sorore solitus diu feliciterque regnum tenuit.

Eadem est sententia Iustini ad Hormidam, Honorii ad Arcadium. Iustiniani secundi, Caroli Magni ad Episcopos Hispaniæ. Cæterorumque, quorum est in historia commendatio, & apud posteros memoria.

Verum hac in re clarior, efficacior, & multis sæculis probatior non potest ratiocinatio produci, quã ius Romani imperii, hoc est ius publicum orbis terrarum, quod iam tot gentibus acceptum, tot regibus firmatum est, vt eius primariam partem velle conuellere, sit res humanas turbare, atque rempublicam euertere.

CAP.

CAPVT VIII.

Iuris ciuilis testimoniis docetur in Republica religionem serio colendam esse.

Religio sit quam D. Petrus docuit.

§. 1. IMp. Gratian. Valentin. Theod. *Cunctos populos quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quãque pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, vt secundum Apostolicam disciplinam, euangelicamque doctrinam, patris & filij & Spiritus sancti vnam Deitatem sub pari maiestate & sub pia trinitate credamus.*

§. 2. Nec modo iidem ita sentiunt, sed suas ipsi leges, si quæ contra religionem obrepserint, iubentes, atque vltro abrogant, ad Eutropium præfectum prætorio. *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiam si quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito, ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ. vnius autem summi Dei nomen vbique celebretur. Nicenæ fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis testimonio atque adsertione firmatæ obseruantia semper mansura teneat.*

Rescripta contra veterem religionem imperator facit irrita.

Contra veteres Synodos disputare lege vetatur.

Optima omnino fide Marcianus Palladia præfect. præt. *Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana, publice turbis coadunatis & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam & iniuriam facit iudicio reuerendissimæ Synodi, si quis semel radicata ac recte dispositæ reuoluere & publice disputare contenderit: cum ea, quæ nunc de Christiana fide à sacerdotibus, qui Chalcedone conuenerunt, per nostra præcepta statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones, vt institutæ Sanctorum patrum trecentorum decem & octo in Nicæa, & centum quinquaginta in hac regia vrbe definita esse noscantur.*

Tutela regni ex cultu S. Trinitatis, & precibus sacerdotum.

Iustinianus vero: *Omnem adhibentes prouidentiam circa sanctissimas Ecclesias in honorem, & gloriam sanctæ & incorruptæ homousiæ Trinitatis, per quam & nos & communem rempublicam saluos fore credidimus, insistentes etiam doctrinæ sanctorum Apostolorum, de creandis irreprehensibilibus sacerdotibus, qui quidem ob id potissimum ordinantur, vt suis precibus benignitatem humanissimi Dei rebus adquirant communibus, præsenti lege sacimus.*

Imperium per Ecclesias sustinetur.

Et ad Epiphanium: *Omnem semper adhibentes prouidentiam circa sanctissimas Ecclesias: per quas & nostrum imperium sustineri, & communes res clementissimi Dei gratia muniri credidimus, nec non & nostras & cæterorum omnium animas studentes saluari: & eam ob rem solliciti assidue, ne commoda sanctissimarum Ecclesiarum, in quacunque ciuitate sint constitutæ, aliqua ratione minuantur: neue, quæ in ipsis siunt, diuinæ liturgiæ ex Deo amantissimorum sacerdotum absentia impediantur, aut non conuenienter curentur, ac ne etiam sanctissimarum Ecclesiarum consumantur res tam propter itinerum, quam etiam commeantium huc sacerdotum & comitantium clericorum impensas.*

Et ad Ioannem præf. præt. *Deo nobis auxilium præbente, omnia, quæ pro honore sanctæ Ecclesiæ Catholicæ ad Dei placitum fieri properamus, legibus constituere, & operibus adimplere desideramus. Et iam quidem multa cum eius auxilio statuimus, quæ Ecclesiasticæ doctrinæ atque statui conueniunt.*

Canones sacri maiore cura, quã leges ciuiles obseruand.

Egregie hoc exposuit insignis legum lator Iustinianus Nouell. Constit. 137. *Si ciuiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmat ab omnibus custodiri ad obedientiam securitatemque studemus, quanto plus studii adhibere debemus circa sacrorum canonum & diuinarum legum custodiam, quæ super salute nostrarum animarum definitæ sunt? qui enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adutorio digni sunt: qui autẽ eos transgrediuntur, ipsi semetipsos iudicio reddunt obnoxios. Maiori igitur condemnationi subiacent sanctissimi Episcopi, quibus concreditum & commissum est & canones inquirere & conseruare, si quod eorum prætermissum fuerit, indemnatum atque impunitum reliquerint. Sane cum hactenus canones obseruati non recte fuerint, diuersas ex eo passi sumus interpellationes contra Clericos & Monachos, & quosdam Episcopos, vt qui secundum diuinos canones non viuerent, & quidam etiam inter eos inuenirentur qui nec ipsam quidem vel sanctæ oblationis vel sancti baptismatis orationem tenerent aut scirent. Dei igitur intelligentes, & animo infigentes iudicium singulorum quæ nobis delata sunt, inquisitionem simul & correctionem iussimus canonice procedere. Si enim illæ quæ à laicis peccantur, generales leges non concedunt extra inquisitionem & vindictam manere, quomodo à sanctis Apostolis & patribus super omnium hominum salute canonice statuta despici patiemur? sane multos ex eo maxime deprehendimus in peccata fuisse prolapsos, quod non sunt factæ synodi sanctissimorum sacerdotum iuxta ea quæ à sanctis Apostolis & patribus definita sunt. Si enim hoc fuisset obseruatum, quilibet metuens grauem in Synodo accusationem, studuisset vtique & sacras edíscere liturgias, & temperanter viuere, ne condemnationi diuinorum canonum subiaceret. Illud quoque nihilominus quibusdam peccandi occasio fuit, quod absque examinatione, & rectæ fidei atque honestatis vitæ testimonio ordinantur Episcopi, presbyteri, diaconi, & cæteri clerici. Nam si ad orandum pro populo destinati, indigni diuino ministerio inueniantur, quomodo pro transgressionibus & delictis populi Deum propitiare poterunt? Plane ordinationes sacerdotum cum omni diligentia & rigore fieri oportere docet nos & qui inter sanctos censetur Gregorius Theologus, sequutus sanctos Apostolos, & diuinos canones. Sic enim in magno Apologetico, Quis autem (inquit) secundum Pauli canones & definitiones seipsum dirigens, quas de Episcopis & presbyteris constituit, vt sicci siue sobrii sint, modesti non vinolenti, non percussores, ad docendum idonei, irreprehensibiles in omnibus, non conuersantes malis: non multum aberrare se inueniet ab illa canonum rectitudine? Idemque rursum loquitur in hæc verba: Mundari (inquit) oportet plurimũ, ac deinde mũdare: sapere ac deinde sapientiã docere: lucem fieri, & postea illuminare. propinquari Deo, tũ alios adducere: sanctificari tum sanctificare: manuducere cum manibus, consiliare cũ consilio. Et rursus idẽ sanctis connumeratus Gregorius, de iisdem in eadem oratione istud scribit: Quis instar siguli vno ipso die fictilia sua tornantis, ita repente singat veri cultus antistitem, tum angelis stantem, & cum Archangelis laudes canentem, & Christo consacrificantem? Et per hæc quidem indicat ille Theologus qualesnam oporteat ad sacerdotium promoueri. De his autem qui ordinantur indigni, idem hæc dicit in eadem oratione. Qui cum nihil (inquit) ad sacrum Dei altare & sacerdotium attulerint, nec in virtute & pulchro prius insudarint & elaborarint, simul discipuli & præceptores pietatis ostenduntur: & priusquam purgati sint, purgant, heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra sacra; hodie præsules mysteriorum: veteratores malitia, nouitii pietate: qui sunt opus atque fabrica humanæ gratiæ, non Spiritus sancti. Quod autem diuini canones prohibent clericos esse, qui secundum vxorem duxerunt, & inter sanctos Basilius docens, sic ait: Digamos canon ministerio exclusit (inquit) & ex iis progenitos. Et hæc quidem sanctus Basilius. In tantum autem patribus sacerdotum cura fuit, vt qui Niceæ conuenerunt, Canonem ediderint ita habentem: Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui, omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem aut sororem aut amitam, vel eas personas tantum quæ suspiciones effugiunt.*

O Deus, his tu malis medere.

Nihil studio pietatis sæ regibus antiquius:

§. 3. Nec minorem verbis pietatem præfert constitutio Tiberii Constantini. *Cum opera sint quæ Deo conueniant, simulque eundem cum humano genere ortum*

habeant, insupplices beneficum esse, maleficia extirpare, & quæcunque subditis vtilia sunt, ea & meditari & facere: tum ea ipsa nos præcipuum Imperatoriæ Maiestatis insigne esse arbitrati, ex quo Deus nobis reipub. imperium atque gubernacula dedit, nulla (vt ita loqui liceat) neque die neque nocte quicquam earum rerum studio antiquius cariusque habuimus.

Qui in fastigio sunt impensius Deum colant.

§. 4. Legis etiam vim obtinere debet, quod in Synodo Tolet. 3. Reccaredus rex monet. *Quamuis Dominus Deus omnipotens pro vtilitatibus populorum, regni nos culmen subire tribuerit, & moderamen gentium non paucarum regiæ nostræ curæ commiserit: meminimus tamen nos mortalium conditione perstringi, nec posse felicitatem futuræ beatitudinis aliter promereri, nisi nos cultui veræ fidei deputemus, & conditori nostro saltem confessione, qua dignus est ipse, placeamus. Pro qua re, quanto subditorum gloria regali extollimur, tanto prouidi esse debemus in his quæ ad Deum sunt, vel nostram spem augere, vel gentibus nobis à Deo creditis consulere.*

Precibus sacerdotum crescit Respublica.

Iustinianus c. t. 4. *Certissime credimus, quia sacerdotum puritas, & decus, & ad Dominum Deum & Saluatorem nostrum Iesum Christum feruor, & ab ipsis missæ perpetuæ preces, multum fauorem nostræ reip. & incrementum præbent. per quas datur nobis & barbaros subiugare, & in dominium redigere illos, quos antea non obtinuimus. & quanto plus rebus illorum accedit honestatis & decoris, tanto magis & nostram rempub. augeri credimus. Si enim hi prætulerint vitam honestam & vndique irreprehensibilem, & reliquum populum instruxerint, vt is ad illorum honestatem respicens, multis peccatis abstineat: planum est, quod inde & animæ omnibus meliores erunt, & facile nobis tribuetur à maximo Deo & Saluatore nostro IESV CHRISTO clementia conueniens.*

Hanc ob causam tanta bonis imperatoribus cura fuit veræ religionis tuendæ, hæresem Iudæorum, Gentilium superstitiones abolendi, vt Episcoporum negligentiam ambitionemque, quantum in ipsis fuit, cohibere conati sint.

§. 5. Hæreticos percellunt pluribus legibus Imperatores, vt ostendant non posse conseruari Rempublicam in tanta religionum varietate & impiorum licentia.

Hæreticis priuilegia ablata.

Constantin. Constans Constantius: *Priuilegia quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantum legis obseruatoribus prodesse oportet. Hæreticos non solum ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed etiam diuersis muneribus constringi & subiici.*

Gratian. Valentin. & Valens aaa. *Omnes vetitæ legibus diuinis & imperialibus constitutionibus hæreses perpetuo quiescant. Nemo vlterius conetur, quæ repererit profana præcepta vel docere, vel discere. Nec antistites eorundem audeant fidem insinuare, quam non habent: nec ministros creare, qui non sunt. Nec per conniuentiam iudicantium, omniumque, quibus per constitutiones paternas super hoc cura mandata est, eiusmodi audacia negligatur, & crescat, Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis, & tramite detecti fuerint deuiare.*

Docere vetantur.

Quos hæreticos leges perstringat.

Et deinde: *Ariani, & Macedoniani, Pneumatomachi, Apollinariani, Nouatiani, seu Sebatiani, Eunomiani, Tetraditæ, seu Tessareskædecaditæ, Valentiniani, Pauliani, Papianistæ, Montanistæ, seu Priscillianistæ, vel Phryges, vel Pepuzitæ, Marcionistæ, Barboritæ, Messaliani, Euchitæ, siue Enthousiastæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparastatæ, Tascodrogitæ, Batrachitæ, Hermogeniani, Photiniani, Pauliniani, Marcelliani, Ophitæ, Encratistæ, Carpocratitæ, Saccophori, & qui adimam vsque scelerum nequitiam peruenerunt Manichæi, & nusquam in Romanum locum conueniendi morandique habeant facultatem. Manichæis etiam de ciuitatibus pellendis, & vltimo supplicio tradendis; quoniam hic nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria.*

Sic t. 7. l. *Curiales*, Nestorianos iidem Augusti Theod. & Valentin. condemnant. Pariter etiam Marcianus, Eutychianos, *l. quicunque.*

Hæreticorũ defensores infames.

§. 6. Vt vero etiam appareat, quam cordi res illa fuerit posteris imperatoribus audire constitutionem Frederici Imperatoris operæ precium est. *Credentes præterea, receptatores, defensores & fautores hæreticorum damnamus, firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus: satisfacere contempserit intra annum: ex tunc ipso iure sit infamis: nec ad publica officia, seu consilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur: neque ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocunque negocio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit: eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si vero fuerit aduocatus: eius patrocinium nulla tenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per ipsum confecta, nullius penitus momenti censeantur.*

Testari vetantur.

§. 7. Quanta vero in apostatas seueritate vsi sint, codex imperatorius t. 7. demonstrat. Sic Imperatores Theod. & Valent. L. *Apostatarum sacrilegum nomen singulorum vox continua accusatione incesset, & nullis finita temporibus huiuscemodi criminis arceatur indago. Quibus quamuis præterita interdicta sufficiant: tamen etiam illud iteramus, ne postquam à fide deuiauerint, testandi aut donandi quippiam habeant facultatem sed nec venditionis specie facere legi fraudem sinantur: totumque ab intestato Christianitatem sectantibus propinquis potissimum deferatur. In tantum autem contra huiuscemodi sacrilegia perpetuari volumus actionem: vt vniuersis ab intestato venientibus, etiam post mortem peccantis, absolutam vocem insimulationis congruæ non negemus. Nec id patiemur obstare, si nihil in contestationem profano dicatur viuente productum. Sed ne huius interpretatio criminis latius in incerto vagetur errore: eos præsentibus insectamur oraculis: qui nomine Christianitatis induti, sacrificia sacrilega, vel fecerint, vel facienda mandauerint: quorum etiam post mortem comprobata perfidia, hac ratione plectenda est, vt donationibus testamentisque rescissis, hi: quibus hoc deferret legitima successio, huiusmodi personarum hæreditate potiantur.*

Iudæis occurrendum.

§. 8. Iudæorum quoque improbitati occurrunt. tit. 9. *Iudæi & bonorum proscriptione, & perpetuo exilio damnabuntur, si nostræ fidei hominum circumcidisse eos, vel circumcidendum mandasse constiterit.*

Iudæus ne habeat mãcipiũ Christianum.

Et c. tit. 10. l. *Iudæus seruum Christianum nec comparare debebit, nec largitatis, vel alio quocumque titulo consequetur. Quod si aliquis Iudæorum mancipium vel Christianum habuerit, vel sectæ alterius seu nationis crediderit ex quacumque causa possidendum & id circumciderit: non solum mancipij damno multetur, verum etiam capitali sententia puniatur, ipso seruo pro præmio libertate donando.*

§. 9. Paganorum quoque impietatem vsu & viribus præualidam legibus & pœnis ingentibus impugnarunt, presseruntque.

Templa paganorum claudenda.

Sic Imperator Constantius: *Placuit omnibus locis atque vrbibus vniuersis claudi protinus templa, & accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis adnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quod si aliquid forte huiusmodi perpetrauerint, gladio vltore sternantur. facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari: & similiter puniri rectores prouinciarum, si facinora vindicare neglexerint.*

Superstitio tollenda.

Et Imper. Valent. & Mart. *Nemo venerandi adorandique animo delubra, quæ olim iam clausa sunt, reseret. Absit à sæculo nostro infandis execrandisque simulacris honorem pristinum reddi, redimi sertis templorum impios postes, profanos aris arcendi ignes, adoleri in hisdam thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco existimari sacrilegium. Quisquis autem contra hanc serenitatis nostræ sanctionem,*

nem, & contra interdicta sanctissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere tentauerit: apud publicum Iudicem reus tanti facinoris legitime accusetur, & conuictus proscriptionem omnium bonorum suorum & vltimum supplicium subeat. Conscii criminis ac ministri sacrificiorum eandem pœnam, quæ in illum fuerit irrogata, sustineant: vt hac legis nostræ seueritate perterriti, metu pœnæ desinant sacrificia interdicta celebrare. Quod si vir clarissimus rector prouinciæ post accusationem legitimam, & post crimen in cognitione conuictum, tantum scelus dissimulauerit vindicare: quinquaginta libras auri ipse Iudex, quinquaginta etiam officium eius confestim fisco nostro inferre cogatur.

Nemo ea, quæ sæpius Paganæ superstitionis hominibus interdicta sunt, audeat pertentare, sciens, quod crimen publicum committit, qui hæc ausus fuerit perpetrare. In tantum autem huiusmodi facinora volumus esse resecanda, vt etiamsi in alieno prædio vel domo aliquid tale perpetretur, scientibus videlicet Dominis prædium quidem vel domus sanctissimis iuribus ærarii addicentur: Domini vero pro hoc solo, quod scientes consenserint sua loca talibus contaminari sceleribus, siquidem dignitate vel militia quadam decorantur, amissione militiæ vel dignitatis, nec non rerum suarum proscriptione plectentur: priuatæ vero conditionis vel plebeia constituti, post cruciatus corporis, operibus metallorum, aut perpetuo deputabuntur exilio.

Si quid datum fuerit aut relictum locis, aut personis, aut ad constructionem Paganici erroris: vrbs illud accipiet, in qua personæ habitant, aut sub qua loca subiacent, at expendentur ad similitudinem imperialium redituum. Paganorum autem impietates puniunt præsides: & quæ super suam potestatem erunt, referunt imperatori.

Qui post sanctum baptismum in errore paganorum manent, vltimo supplicio plectuntur. Qui vero nondum sunt baptizati: ipsi cum liberis & coniugibus, & omnibus suis perducant se ad sanctas Ecclesias: vt suos paruulos liberos sine mora baptizari curent: maiores vero prius scripturas secundum canones doceantur. Si vero propter militiam, vel dignitatem, vel facultates habendas, fingant baptizari, & liberos aut coniuges ipsorum, aut domesticos suos in errore reliquerint, & eos, qui sibi attinent, & necessitudine iuncti sunt: publicantur & competenter plectuntur, & rempublicam non attingunt. Si vero non sint baptizati: nec participes erunt in vlla parte reipublicæ, neque Domini erunt rerum mobilium vel immobilium, sed fiscus ipsas vindicabit, & congrue punientur, & exulabunt. Si autem apparuerint sacrificantes, aut idololatrantes, vt Manichæi: puniuntur. Non docent autem Pagani qualemcunque doctrinam, neque publica fruuntur annona, nec secundum sacram quidem formam.

Hæc omnia eo diriguntur, vt cum omnes pietatem præferunt, vera inducetur, falsa aboleatur.

Caput IX.

Iudicio hominum impiorum omnem priuatam & publicam felicitatem à virtute esse.

Impij pro pietate testimonium dicunt.

§. 1. TAnta est causæ fiducia, vt aduersario arbitrium deferam, dicat ille pro nobis contra se testimonium, non potest causa mala videri cui ex aduersis castris præbetur auxilium. Ob læsam pietatem suos principes ad dementiam redactos, profani auctores referunt. Tiberium aspice apud Tacitum lib. 6. annal. *Quid scribam vobis P.C. aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore? Dij me, deæque peius perdant, quam perire quotidie sentio, si scio. Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici lauiatus & ictus, quando vt corpora verberibus, ita sæuitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur.*

Impij indies perire se sentiunt.

Est enim inter omnia mala peccatorum hoc maximum, quod omne scelus sibi supplicium sit. *Omne peccatum sibi pœna est.*

Plato decimo de repub. *Postulo, inquit, vt exponatis, quam mercedem iustitia referat à diis & hominibus, vt & palmam ab opinione, & manifesta existimatione reportet, qua cultores suos ipsa quoque decorat, postquam aperte visa est etiam ipsa suo conspectu beneficia nobis conferre, neque eos decipere, qui vere posident.*

Debita postulas: Primum quidem hoc mihi reddetis, quod, qualis vterque eorum sit, & iustus & iniustus, Deos non latet. Reddimus: si Deos id non latet. Hic quidem à Deo amabitur: ille odio habebitur, id quod à principio confessi sumus. Est ita. Duorum amico omnino (quoad fieri potest) à Diis optima tribuuntur, nisi quid mali ex priori delicto, & necessitate quadam immineat. Omnino: sic itaque de iusto viro existimandum est, siue paupertati, siue morbis, siue quibusuis aliis, eorum quæ mala videntur, obnoxius sit: huic demum, vel viuenti, vel mortuo ad bonum aliquod ita conducere: neque enim à Diis vnquam negligitur, quicunque iustus euadere: virtutisque officiis quoad homini licet Deo similis fieri conabitur, decet enim talem virum à simili non contemni. De iniusto autem contra omnino est sentiendum.

Et l. 4. de legibus, multo pluribus ea inculcat, vt mirum sit in Philosopho gentili tantam virtutis, & pietatis cognitionem floruisse.

§. 2. Eadem plane Aristoteles, cui solus sapiens felix est, & qui eam Rempublicam felicissimam proclamat, in qua maxime virtus colitur. Quod adeo verum est, vt nec absque Dei reuerentia prosint bonæ leges, nec vlla seruetur disciplina, ideoque necessario imperiorum ruina consequatur. *Sine Dei timore leges non seruantur.*

Valer. l. 1. *Non dubitant sacris imperia seruire. Nam acer sui numinis vindex est Deus.* Quamuis enim pœnæ maleficiis aliquando seræ, nunquam tamen irritæ sunt. *Sacris imperia seruiunt.*

§. 3. Adeo quidã religiosi hinc facti sunt, vt in superstitionem desierint. Hinc Herculis simulachrum in pugnam contra Porum præfertur, Curt. l. 8. Hinc Germani effigies, & signa lucis detracta in prælium ferunt. Hinc innumera, quæ sacris, & profanis historiis narrantur pietatis imitamenta.

Beas cum Prienæis leges fert. *Princeps* (inquit) *Prienensium religiosus esto, & ædium sacrarum summus defensor, alioqui si Deum ille non reueretur, non est quod ab eo ius se impetraturos homines sperent.* *Impius in Deum ergæ homines iustus non est.*

Et Xenoph. de vectig. Σὺν θεῷ πεπλομένων, εἰκὸς καὶ τὰς πρόξεις προϊέναι ἐπὶ τὸ λῷον ἀεὶ τῇ πόλει. *Si cum Deo res inchoent, consentaneum est negocia ad vrbis vtilitatem cessura.*

§. 4. Quãta vero cura fuerit gentib⁹ de religione ostẽdit Plutarchus l. aduersus Colotem. *In legum constitutione. Primum est & maximum, de Diis opinio. Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Ion antiquos Athenienses, & Deucalion Græcos fere vniuersos Diis consecrarunt, votis, sacramentis, vaticiniis, omnibusque eos ob spem ac metum Diis deditos obnoxiosque reddentes. Et si terras obeas, inuenire possis vrbes muris, literis, Regibus, opibus, numismate carentes; gymnasiorum & theatrorum nescias: vrbem templis diisque carentem, quæ precibus, iureiurando, oraculo non vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, nemo vnquam vidit. Sed facilius vrbem condi sine solo puto, quam opinione de Diis penitus sublata ciuitatem coire aut constare.* *Consensus gentium est Deum colendum.*

Itaque & recte Pap inianus. Summa ratio est, inquit, quæ pro religione facit. *Facilius est condi vrbẽ sine solo, quam sine sacris.*

Socrates ad Regem Nicoclem. *Religionem*, ait, *quã à maioribus accepisti, conserua: solemneque & pulcherrimum sacrificium & cultum maximum existima, si ipse sis optimus & iustissimus. Maior enim spes est eiusmodi boni aliquid à Diis impetraturos, quam qui aras delubraque adrasicant.* *Bonus animus optim⁹ Dei cultus.*

Imitamini hoc magistratus, & principes.

Varro l. 14. c. 7. Romæ quotiescunque senatus cogebatur, nulla de re prius, quam de religione agebatur.

Lege Octauii etiam cautum erat, vt thure prius, & mero supplicaretur. Et sane Plutarchus in vita Marcelli testis est existimasse Romanos plus religionem ad conseruandam Rempub. quam arma valere.

§. 5. Ex eo fonte manauit in Christianos odium, quasi pietatis essent inimici. Sacrilegio (inquit superstitiosus) hic annus exæstuit: necesse fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.

Claudianus veræ religionis hostis victoriam tamen à pietate pendere canit:

Pietate sublata societas humani generis interit.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antro
Æolus armatas hyemes, cui militat æther
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Nec male Tullius, si personas mutet: *Pietate aduersus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & vna excellentissima virtus, iustitia tollatur, necesse est.* Pietas igitur in Republica seruetur. Nam quemadmodum vniones, tametsi in mari nascantur, tamen plus habent cognationis cum collo, cuius faciem reddunt: ita pia ac generosa Respublica, magis à cœlo pendet, cuius ducit originem, quam à terra, in qua viuit.

Pessime vero consultum rebus esset humanis, si à virtute & pietate gubernatio reipub. & felicitas non penderet. Vt nec domus, nec Respublica ratione quadam, & disciplina designata videatur, si in ea, nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: sic mundi diuina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum. Verum relictis illis, qui Deum aut non agnouerunt, aut non coluerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, aliis armis contra atheos pugnemus.

Caput X.

Ex natura virtutis docemur, eam esse reipublicæ necessariam,

Sine prudẽtia geri non potest respublica.

§. 1. Si officia, functionesque virtutum spectemus, si vitiorum infinitas cupiditates, atque exorbitationes, facile concludemus sine virtutum cultura, & vitiorum fuga pœnisque non posse Rempublicam vllam consistere. Constituamus hominem multis fortunæ muneribus ornatum, eloquentia, robore, forma, opibus, insignem, sed stolidum, quasi Nabalem quendam, & aureum veruecem, is certe nõ Rempublicam administrare, non domum regere, non vtilis amicis esse poterit, agnatis ille commendatur, ne omnia illa in opprobrium suum atque amicorum suorum conuertat. An igitur sine prudentia ciuitas gubernari, bellum geri, regnum teneri potest?

Prudentia sine iustitia non prodest.

Deinde sit quidem Respublica prudens, sed iustitiæ desertrix, an stare illa poterit? Aliquandiu, vel ut nonnulli latronum cœtus, durabit. Si absit iustitia, spoliabit fortior inferiorem, hoc ille à maiore patietur, spoliatis arma supererunt. Nunc inter virgas, secures, laminas, equuleos, rogos, cruces, exultat nequitia, malis plena sunt omnia, innocentiæ pene interiit nomen, quia ἀλλ' ὅπου ῥᾴδιον ὡς τὸ ἐπὶ πᾶσι κακόν. Inuenit æmulos infelix nequitia; quid si floreat, vigeatque? Tertio, sine fortitudine etiam & constantia non potest esse ciuitas, imo nec iustitia; si enim pauidus est iudex, contra potentem sententiam non pronunciabit. Ante tubam fugiet, & incruenta præda hosti se committet. Quid de temperantia dicam? sit sapiens, iustus, fortis. Si ebrietatis, aut libidinum sit mancipium, felix esse non poterit. Robur Samsonis infregit luxuries, sapientiam Salomonis depressit libido, & eius comes idololatria. Babyloniorum, Tyriorum calamitosos exitus docent, imo plurium mundi partium; libidine plurima euersa regna, adulter vnus Asiam & Europam commisit, incestique iterum thalami, Troianos Latinosque. Hæc igitur vitia si roborentur, atque inualescant, si in mores transeant, atq; in alteram naturam, desinet esse remedio locus, cum autem virus adeo interiora occupauit, vt medelam respuat contagio, non nisi morte atque exitio mala finiuntur, vt in Sardanapalo, Nerone, Gallieno, Heliogabalo cæterisque pestibus generis humani, quas in scelerum detestationem horrendi exitus exemplo Deus esse voluit.

Troiam mulier peregrina vertit.

§. 2. Cum virtutes igitur illæ ad Rempublicam omnino necessariæ sint, nec tamen sine vera pietate ac timore Dei esse stabiles possint. (Nam religio omnis virtutis fundamentum est) qui clauum Reipublicæ moderatur, necesse est, vt perpetuo ob oculos positum habeat supremum rerum omnium Dominum cui sit reddenda etiam recte factorum ratio: alioqui cum occasiones se obtulerint, etiam bonorum principum facilis erit in peiora lapsus. Sed neque subditi sine metu æterni supplicii, aut spe præmii in officio contineri poterunt. Nam metus legum, & quæ fontibus pœnæ solent infligi parum efficaces sunt ad scelerum terrorem, ac impedimenta, multi enim mortem contemnunt, aut non ita timent, vt ea cogitatione frenare cupiditates in animum inducant: Fallere etiam, & euadere se pœnas, donec in ipsis vinculis sint, posse sperant. Qui igitur pietatem abiecit, non modo cum latendi spes erit, quæcunque conceperit, audebit facinora; sed in carceres, in vincula, in eculeum, & rogos scelerati animi facinorosa desideria adferet, nec emendabitur flagellis, sed exasperabitur; nec crimina damnabit, sed euentus infelices; seque vt cautius, & latentius delinquere possit, in futurum comparabit.

Etiam boni principes facile in deteriora labuntur.

Caput XI.

Amicitia & concordia sine virtute esse non potest.

Amicitia sanitas Reipublicæ, vt corporum est temperatura.

§. 1. Amicitia ciuium, vti membrorum contemperatio, in corpore, ad salutem Reipublicę necessaria est, nulla est enim congregatio, nullus cœtus sine amicitia. Amicitia, inquam, gratuita, non venalis, non sui commodi callida spectatrix. At vera amicitia non est sine virtute, nec esse potest, nec ergo Respublica.

Amicitiam primo esse oportet vsu creditam; & expensam documentis, à suspicionibus alienam; eius tenacissimum est vinculum similitudo morum: Fouetur alloquio, obsequiisque. At vero si omnia sui quisque causa agit, si finis cuique est proprium commodum res omnium post virtutes pulcherrima concidit, nempe amicitia. Recte Cicero docet, Epicuræos, qui omnia suæ voluptatis causa facere se dicerent, amicitiam vniuerse abstulisse. Itaque præclare Plato docuit: *Amicis & fidis carere viris, maius esse vitii signum, quam aliud vllum esse posse, & abundare amicis virtutis indicium.* Ep. 7. Maxime vero amicitiis indiget diuites, & qui in principatu sunt ac potestate, vt monet Ethic. 8. cap. 4. Aristot. Tanta vero est amici-

Boni mores vinculum amicitia.

Carere amicis animi mali indicium.

amicitiæ necessitas, vt ea sapiens etiam egere videatur, certe amicos quisque cupit habere plurimos. Amicitia autem vera est, ad quam nulla hominem fert vtilitas, neque naturalis propensio, sed honesta ratio bene de alio merendi. Innata est nobis amicitiæ dulcedo, & natura stimulus quidam ad amandum inditus, & de amicitia gaudium. Quorum nihil in republica atheorum esse potest. Si tyrannus rapit, & sæuit, si sapientia veræ dilectionis examinatrix abfit, si iustitia negligatur, si voluptate sua quisque omnia metiatur, nullus amabit alterum. Nouumque venenum domos, & potentum familias permeabit, & naturales parentum, & liberorum affectus contra se mutuo concitabit. Epicuri, & politicorum atheorum sententia est; Virtutis præmium non esse, sui causa quemque omnia facere. Epicuri verba apud Laërtium sunt. Ἔναι τὴ γίνεδαι τὼ φιλίαν δι' αὐτὴν χρείας. Adeo vt libro de amore in liberos Plutarchus clamore theatri hoc Epicuri flagitiosum dogma refutatum testetur.

Epicurus omnia sui causa quẽque agere docuit.

Μισδὸς γὰρ ἀνδρώπου τὶς ἄνδρωπον φιλεῖ.
Mercede enim hominis, quis hominem amat?

Hoc ait theatris admirationi esse, at iuxta Epicurum sic patrem, matremque amare filium, sic ipsos liberos amare parentes.

Amicitia gratuita.

Multo cordatius Seneca, Ep. 9. *Sapiens etiam si contentus est se, tamen habere amicum vult, si ob nihil aliud, vt exerceat an icitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ob hoc quod Epicurus dicebat in hac ipsa epistola, vt habeat qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula coniecto & inopi: sed vt habeat aliquem, cui ipse ægro assideat, quem ipsum circumuentum hostili custodia liberet. Qui se spectat & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet.*

Amicitiæ finis.

Parauit amicum aduersus vincula laturum opem: cum primum crepuerit catena, discedet. Hæ sunt amicitiæ, quas Temporarias populus appellat. Qui causa vtilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet: circa euersos ingens solitudo est: & inde amici fugiunt, vbi probantur. Hac re ista tot nefaria exempla sunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Necesse est initia inter se & exitus congruant. Qui amicus esse cœpit, quia expedit; placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si vllum in illa placet pretium præter ipsam. In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exsilium sequar, cuius me morti opponam & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia: quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat.

Amicitia igitur necessaria est, sed illa, vt tanquam certum statuit Philosophi, *nisi in bonis esse non potest.* Stoici, φυλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπυδαίοις εἶ, δι' αὐτὼ ὁμοιότητα. *In solis bonis esse, idque ob similitudinem.* Cum autem in improbis non sit amor amicis, nec sit in eo quod alter probet, necesse est per vitia improborum Rempublicam penitus interire; quia omnes suam priuatam, nemo publicam causam agit.

CAPVT XII.

Exempla docent impiis infeliciter, bonis prospere res cessisse.

Exempla ad multos, metus ad omnes pertinet.

§. 1. EXEMPLA colligere vix operæ pretium est, præstitit id prolixe & operose Thomas Bozius libris octo de ruinis gentium. Ad hoc omnes appello, & moneo si cui verba non faciunt satis, ad totius mundi exempla contremiscat. Magis paucis mouemur exemplis, quam verbis plurimis, at nunc plura sunt exempla, quam vllum volumen verba contineat. In exemplis illis quisque imaginem sui periculi contemplatus, vitiis abstineat.

Romana Respublica plena calamitatum.

§. 2. Omittam ego illa nota, Cataclysmum, & mundi primogenii vitia in vndas confedisse, Pentapolitanos ignes, Chananæos deletos, gentes quinquaginta populi electi vexatrices excisas. Omnium pene veterum vrbium cadauera, aut tenues reliquias, omnium regnorum cum vniuersi orbis concussione mutationes. Vnam Rempublicam videamus, non totam tamen eius periodum, sed breue, nec tamen calamitosissimum tempus. Iulius Cæsar hominum flagitiosissimus vndecies centena millia in Galliis variis præliis cecidit, bella ciuilia deinceps, & ipse per paucos annos hosti suo seruatus, dum in conspectu senatus multis vulneribus immolatur. Augustum & Tiberium ex domesticorum insidiis venena, Caium gladius vltor, Claudium boletus, Neronem sua manus vlta est, nec minus qui secuti sunt vasa iræ, exempla cœlestis vindictæ fuere; Vitellius, Otho, Galba, idcirco ad imperium euecti videntur, ne cruentos eorum, & horrendos exitus historia faceret. Vespasiano vis morbi & desperatio vitæ finem attulit, Titus fraterno veneno moribundus pene viuus sepultus fuit, Domitianum domesticorum, inter quos & vxor, conspiratio oppressit. Neruam morbus & mœror, Traianum in esca datum venenum, Hadrianum ex cruciatuum impatientia, sponte susceptra inedia exstinxit, & de sanguine Christiano vindicauit. Lucium Verum apoplexia, M. Aurelium fame voluntaria sustulit. Omnium sceleratissimus Commodus additis ludibriis trucidatus est, eius successor Pertinax cum dies 82. imperasset, à prætorianis suis imperio, & vita exutus est. Seuerus ab Antonino Caracalla filio sæpe petitus insidiis, & aperto parricidio tentatus, mœrore defunctus est. Ipse Caracalla postquam Getam fratrem in sinu matris occidisset, à suo centurione confoditur. Erat enim parricida, incestus, patris, matris, fratris, & Dei imprimis inimicus. Militum deinde suorum manibus ceciderunt Macrinus, & Diadumenus imperatores, Heliogabali occisi corpus rapratum; atque in Tiberim proiectum est, ne Alexandro quidem nonnulla pietas profuit, ne à Maximino necaretur. Hic vero cum filio obtruncatus est, capita in solatium vrbis afflictæ missa Romam, Balbinum, & Pupienum ad imperium à senatu euectos, milites ludibrio affectos, & dirissime cruciatos occiderunt. Gordianum Philippus collega, immemor beneficii, crudelissime atque indignissime interemit. Philippum cum filio, licet mutatis moribus iam Christianus, in vltionem tamen delictorum à Decio percussus est, Pater Veronæ, filius Romæ. Horum successor, & Parricida Decius trucidato per Trebonianum ducem filio, dum militis sui gladium fugit, vna cum equo palude absorptus est. Gallus, & Volusianus dum aduersum Æmylianum tendunt à militibus interempti, & ab iisdem post menses quatuor Æmilianus. Valerianus in Perside seruitutem seruiit, filius illius Gallienus cum fratre, & filiis à suis ducibus confectus est. Claudius lue fractus occubuit, eius frater Quintillus à militibus factus imperator die 17. ab iisdem occisus est; eadem pœna fuit Aureliani, nec diuersa fortuna Probi, cui milites Parricidæ Epitaphium posuerunt: *Hic Probus imp. situs est, vere probus.* Carum Deus de cœlo fulminauit, Carinus in vltionem adulterii prælio victus, deinde à familiari confossus est, Numerianus ab Apro socero, Aper à Diocletiano interfectus est. Diocletianus mœrore, Maximiania-

Iulius. Augustus. Tiberius. Caius. Claudius. Nero. Vitellus. Otho. Galba. Vespasian⁹. Titus. Domitian⁹ Nerua, Traianus. Adrianus. L. Verus. M. Aurelius Commodus Pertinax. Seuerus. Geta. Caracalla. Macrinus. Diadumen⁹ Heliogabal⁹ Alexander. Maximin. Filius eius. Balbinus. Pupienus. Gordianus Philippus. Eius filius. Decius. Gallus. Volusianus. Aemylian. Valerianus Gallienus. Claudius. Quintillus. Aurelianus. Probus. Carus. Carinus. Numerian. Aper. Diocletianus.

Maximianus. nianus Herculeus laqueo vitam finiuit. Ecce tibi in nobilissima, potentissima, legibus instructissima Monarchia, ordine continuato succedentes sibi imperatores annorum trecentorum omnes violenta morte functos, nullum sua die, nullum suo fato exstinctum, vnum excipere tibi permitto Antoninum Pium, quem morbo interisse tradunt. *Ecce ira Dei reuelatur super omnem impietatem & iniustitiam,* neminem opes aut maiestas tutantur. Cur tam conspicuo exemplo, tam diu sic improbos Deus vltus est? Nempe ne quis ignoraret, scelerum pœnas repræsentari, ne priuatus impunitatem speraret, cum orbis terræ capita tam longa serie carnifici destinata videret.

Tot mortes imperatorũ violentæ carefletere mundo. Tot mortes imperatorum intuere, sed prius immania, turpia, & naturæ rerum inimica scelera, deinde plurium tyrannorum, qui cum illis belligerarunt, senatorum qui occisi, vrbium quæ euersæ casus mirabiles consideremus, vt nobis clarissime appareat, quomodo ira Dei reueletur super omnem impietatem, & iniustitiam hominum, veritatem Dei in iniustitia detinentium.

Imperatores enim & capita populorum summo orbis concussu, per latera principum, & populorum exitia ceciderunt.

Caput XIII.

Simulationem virtutis & præcipue religionis esse noxiam Reipublicæ.

Perniciosissima res est simulatio virtutum. §. 1. Lavdant interdum etiam virtutem Pseudopolitici, sed cum serio illa in principe exigitur, cum senatorius ordo, populique tribus ad eam informantur, vmbram & mortuum virtutis simulachrum pro ipsa nobis virtute proponunt. Simulare iustitiam, temperantiam satis esse ducunt. Ciuitatem nobis effinguut, quæ sit Helena foris, intus Hecuba. Principem ita erudiunt, vt preces in hęc verba concipiat.

Da mihi fallere, da iustum sanctumque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Senatores autem, & tribunos principi non dissimiles

Οἱ τ' ἓν μὲν λαλέουσι κακῶς δ' ὅπιδεν φρονέουσι.
Qui bene quidem loquuntur, at post male machinantur.

Vir bonus etsi in periculo sit, minore tamen est quam malus. Machiauellus certe negat Principem posse bonum esse. Cap. 15. *Nam tantum abest ratio, qua homines viuunt, ab ea, qua æquum esset vt viuerent, vt qui negligit quod fit, sequuturus quod esset faciendum, is sibi ruinam potius in addiscendo accersit, quam quod suæ saluti consultum velit. Qui enim se virum bonum omnibus partibus profiteri studet, eum certe inter tot non bonos periclitari necesse est. Necessarium est itaque Principi, vt perceptum habeat (si se saluum velit) qua ratione posit esse non bonus, idque pro rei necessitate, in suum conuertat, vel non conuertat vsum. Quapropter posthabitis, quæ de principe duntaxat animo sunt efficta, deque iis quæ vera sunt differens, dico omnes homines (cum de his est sermo) principes præsertim, quod editiore in loco positi sunt, harum rerum notari aliqua solere: vt alius liberalis, restrictus & tenax alius dicatur: quidam munificus, raptor alius; nonnulli crudeles, alij clementes: aliqui fœdifragi, religiosi alij; partim effœminati & molles contra alij viri fortes & feroces, multi humani, superbia tumidi alij; complures libidinosi, castitate præditi nonnulli: in non paucis vitæ integritas, fraus nocentissima in multis cernitur: moribus asperi sint quam plurimi, facilitate & lenitate quidam ornati, nonnulli graues & seueri, ex contrario qui leues sint, dissoluti: pietatem colant multi contra sunt qui plurimum aduersantur, & his similia.*

Cum igitur bonum esse posse neget, monet tamen, *vt caueat infamiam eorum vitiorum, quibus illi imperium adimi posit,* de aliis non multum laboret, sine quibus dominatum non facile tueri possit. Et cap. 18. *Qui vero sagacior fuit, vt vulpium ingenium melius exprimeret, ei felicius omnia ceciderunt. Verum, cum duo sint genera decertandi, vnum iure legum, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum ad posterius, si non satis est vti superiore. Proinde necessarium est, vt Princeps rectum vtriusque, & belluæ & hominis vsum teneat.* *Improbi astutiæ tribuunt felicitatem.*

Inuolucro quodam hæc pars principibus est à veteribus scriptoribus tradita, asserentibus Achillem complureſque alios ex priscis illis principibus, Chironi centauro educandos, atque in eius disciplinam fuisse creditos. In eo enim quod præceptorem mixti generis, & hominis & belluæ habuisse dicunt, nihil quam principi fore necessarium docent vtriusque naturæ vsum. Cum itaque principem magni referat belluinum ingenium scite inducere, ei tum vulpis, tum leonis mores assumendi erunt. Nam leo sibi à laqueis non cauet, lupos vero vulpecula reformidat. Quo itaque laquei sentiantur, vulpeculam agere oportet; lupi vero quo deterreantur, leoninum ingenium est subeundum. Qui igitur leonis vestigiis simpliciter insistunt, ij sane rem ipsam non tenent. Princeps propterea qui sapientia sit præditus, debet ea promissa vitare, quæ suis commodis contraria fore videt. Atqui homines si probi fuissent omnes, præceptum hoc plane fuisset inutile: verum cum improbi sint, diligenter eorum improbitas perfidiaque erit eludenda. Iam vero nunquam hominibus dejuturæ sunt causæ, quibus in violatam fidem colorem inducant. In hanc rem fere infinita possent recentia proferri exempla, atque ostendere quot pacis fœdera, quot promissa & conuenta fuerint perfidia irrita & vana: Verum hanc naturam plurimum refert, vt quis recte norit colore vestire cum simulando, tum dissimulando: homines enim adeo simplices sunt, adeo præsentibus necessitatibus obsequentes, vt qui fallax, & simulationis artificio eruditus sit, statim sit habiturus qui se illi decipiendum tradat, quo magis tales homines cauendi erunt, eorumque artificium arte frustrandum.

Atqui vt alia nulla dixerit ille vitiorum doctor; certe hæc ad euertendam rempublicam abunde sufficiunt.

Iam simulationes adeo notæ sunt vt alteri vix vllus, nonnulli sibi vix credant. §. 2. Nihil fœdius simulatore, cui etiam serio agenti non potest credi nisi ab insano. Nunc quidem contra hypocrisin, fallacemque simulandi, dissimulandique artem pleraque omittam. Sed ea præcipue quæ ad politiam pertinent attingam.

Simulationem, dolum, hypocrisin vehementer displicere Deo Spiritus sanctus frequenter inculcat, Iob 8. 13. *Spes hypocritæ peribit, Non ei placebit vecordia sua, & sicut tela Aranearum fiducia eius;* Et Iob. 36. 13. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei.* Et Psam. 5. 7. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Eadem repetuntur, Iob 15. 34. & 20. 5. Psalm. 54. 24. Matth. 7. 5. Luc. 16. 15. Magnitudo huius sceleris quatuor ex causis sumitur. *Simulatio exosa Deo.*

§. 3. Primo enim Deum grauissime offendit; quia duo semper scelera coniungit, & copulat; nam vt inquit S. Augustinus in Psalm. 36. *Simulata innocentia non est innocentia, & simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio.* Pulcherrima causa reddita, id Alphonsus explanauit, cum enim ex Africa victor in Ænariam insulam venisset; audissetq; Antonium Piceñ insignẽ simulandi artificem, ob blasphemias, & hypocrisin à vermiculis corrosum miserrimo modo vitam finiuisse, ideo Deo tam exosos esse hypocritas dixit, *quod mortales fascinarent, fallerentque, & huius sceleris ac perfidiæ Deum facerent mediatorem, & prætextu tantæ maiestatis facinora*

Hypocritæ in hac vita puniuntur, quia Dei numine ad præstigiarū fallacias abiuntur.

facinora susciperent; quocirca non modo æternis post mortem pœnis addici, sed plerunque in conspectu hominum arte deceptorum puniri ac cruciari. Itaque fieri videmus, cum, quod in tenebris factum est, Deus producit, & palam facit in conspectu solis huius, errorem tolli: nisi enim tam seuere in improbos illos animaduerteret diuina iustitia sinceritatis incommutabilis exactrix, assuetudine fallendi homines etiam Deum se fallere posse arbitrarentur. Nec defuisse consiliarios & politicos pereuntis Iudææ, qui ita sentirent, testatur Isaias cap. 29. 15. *Væ, qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, non intelligis. Nonne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur?*

Simulatores politici etiam Deo se imponere posse confidunt.

Simulator nec moneri, nec instrui potest.

§. 4. Secundo. Simulator ipse, & facile labitur, & suis artibus præcipitatur, vt nunquam euadere queat: admoneri enim & corrigi non potest, ipse enim tanquam innocens, & iustus castigationes præoccupat, quasi aliorum dux, atque auctor. Sepulchra sunt, sed clausa, & quamdiu possunt fœtorem cohibent. Tales fuere in Syria & Ægypto Monachi quos Sarabaitas nominant, Hieronymus Remoboth appellat, habitu, gestu, solitudine sanctitatem mentiti, animis nequissimi. Hoc ipso in malo contumaces, quod quicquam boni iubentur facere, id simulent.

Simulatio omniū odio digna censetur, ideo potens est natura ad regna destruenda.

§. 5. Tertio, quod nulla re magis homines offendi solent, quam simulatione iustitiæ, & pietatis; quemadmodum sinceritate & fide delectantur. Oraculum est S. Ambrosii lib. 22. de officiis, *ad omnia abundat directa animi simplicitas, satisque se ipsa commendat.* Itaque in Republica nihil damnosius quam simulationis suspicio, quæ omnia beneficia, facit irrita, omnem comitatem, omnem humanitatem exosam reddit. Sine opinione fidei & pietatis non potest gubernari respublica, si autem simulatio intelligatur, extrema odia, contemptusque sequitur. Nihil fictum & fucatum, veræ virtutis esse opus, certum est; quin etiam & diuturnum esse non solet. In principio vernat, in processu tanquam flosculus, dissipatur, & soluitur, quod autem rectum ac sincerum est, alta radice fundatur. Non possunt ne quidem ipsi simulatores, & improbi ferre artis suæ æmulos hypocritas. Certe poeta quidam ne oculos lædat, fugam meditatur, tam grauis erat illi simulationis aspectus. Iuue. Satyr. 2.

Simulatione etiam beneficia exosa redduntur.

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui curios simulant, & Bacchanalia viuunt.
Indocti primum: quanquam plena omnia gypso
Chrysippi inuenias. nam perfectissimus horum est,
Si quis Aristotelem simulem, vel Pittacon emit
Et iubet Archetypos pluteum seruare cleanthos
FONTIS *nulla fides, quis enim non vicus abundat.*

Fœda res simulatio virtutis.

Tristibus obscenis?

Sed quo fugias? forte & ipse vltra glacialem Oceanum tecum veles hypocritam, forte & tuo corde pus aliquod velatur, & fronte polita tætrum scelus tegitur. Vultus forte est agni, interiora Draconis sunt. Quam odiose illa perstringit Seneca (Hippolyto)

Vbi vultus ille, & ficta maiestas viri?
Atque habitus horrens, prisca, & antiqua appetens?
Morumque senium triste, & aspectu graue?
O vita fallax, abditos sensus geris.
Animisque pulchram turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum, vera fallaces probant,
Simulantque molles dura.

Summum simulationis artificium in Tiberio.

§. 6. Simulandi artificio an Tiberium vllus superarit principum dubito, Describit eius ingenium Dio Nicæus, *Tiberius, patricius erat & doctus, sed ingenio & moribus peculiaribus rarisque. Nam ita omnes animi affectus occultabat, vt quæ cupiebat, nunquam fere diceret pugnaretque cum oratione voluntas eius & desiderium. id enim detestabatur quod expetebat maxime, & quod oderat dissimulabat. Irascebatur nulla re conturbatus: tratus, tranquillissimo æquissimoque animo esse putabatur. Commiserabatur eos, in quos grauiter animaduerterat: & quibus veniam dabat, succensebat non vnquam. Sic amplexabatur inimicissimos homines, vt sibi familiarissimos & coniunctissimos: Contra autem cum amicissimis non re aliter se gerebat, quam cum alienissimis hominibus. Deniq; putabat principis animum nemini cognitum esse oportere. Quod si id in Tiberio tantum fuisset, haud obscura esse potuisset eius voluntas iis qui tentassent studuissentque eam habere cognitam: quippe omnia in contrariam partem accepisset. Nam & quum se aliquid velle negauisset, tum id eum desiderare maxime, & quum cupere se dixisset, tum eum id nolle existimassent. Sed præterea quæ supradixi, grauiter ferebat dum suspicabatur aliquem esse conscium, & participem consiliorum suorum, multosque non aliam ob causam interfici iussit, quam quod diceret ab iis voluntatem suam animaduersam, & perspectam esse. Itaque is solus fere tutus erat (quod tamen perraro accidit) qui neque ingenium eius ignoraret & mores, neque patefaceret cognitos. Nam eo pacto qui ei parerent, non decipiebantur, nec propterea in odium eius veniebant, quod ostenderet, se ea quæ ageret, percepisse. His moribus præditus Tiberius, quasi statim imperium adeptus esset, non modo ad exercitum, sed etiam ad nationes omnes Roma litteras misit, in quibus tamen non scripsit se Imperatorem esse factum, propterea quod id nomen sibi vna cum ceteris nominibus decretum à senatu repudiauit, hæreditatemque Augusti, non cognomen admisit.*

Hoc ingenium principis, ad dissimulandum, simulandumque facti. At nunc quæ inde secuta sunt intueamur. Primo cum imperium recusaret, *Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat:* Idcoque quidam objiciebat, *alios quod promitterent, tarde præstare, Tiberium, quod præstaret, tarde promittere.* nam tantum cum in senatu loqueretur, cunctator erat.

Simulatori quamuis artifici non creditur.

§. 8. Secundo, Iam vsque adeo simulationi assuefecerat animum, vt sincera verba promere non posset. *Tiberioque* (inquit lib. 1. an. Tacitus) *etiam in rebus quas non occuleret, seu natura, seu assuetudine suspensa semper & obscura verba: Tunc vero, nitenti vt sensus suos penitus abderet, in incertum, & ambiguum magis implicabantur.* Quantum vero cum dedecore detrimentum est, in omni principis sermone dolum, & mendacium apparere, semperque vulpinam emicare?

Assuetudine simulandi eo veniunt, vt sincera verba non suppetant.

§. 9. Tertio. Nihil tanto artificio actum est, nam & histriones seu hypocritæ, quanto maiore ingenio theatricis nugis vocem gestumque accommodant, magisque ficta veris assimulant, tanto meliores habentur hypocritæ, *(Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronunciatores alienarum personarum, vt Augustinus Serm. Dei in monte & Bas. Hom. de ieiunio)* ita & magistratus quanto maiore artificio beneuolentiam, iustitiam, pietatem simulant, tanto callidiores, & fraudulentiores existimantur. Tiberio enim nemo credidit. Vide enim subditorum miseriis sub illa simia. Tacit. ann. 1. *At patres, quibus vnus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effundi, ad Deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere.*

Simulatores quo propius vero sunt, hoc magis suspecti.

Nec immerito. *Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem, nam verba, vultus in crimen retorquens recondebat.* Magnum periculum animis sic consternatis, sic dubiis. Si enim vel vnus tum vir animi Brutiani aut Cassiani fuisset, vno verbo tanto metu patres omnes liberare poterat. Sane princeps ille nullum amicum verum habuit, omnium hominum fucatus amicus, verus inimicus, ipse in omnium diro odio contabuit.

Summo in periculo fuit simulator.

Simulata nulla latent.

§. 10. Quarto. Non modo quæ in aperto simulabat, & de quibus laborabant, ne intelligere viderentur, sed omnia eius secreta publicabantur. *Marcellum Bithyniæ prætorem quæstor Crispinus maiestatis postulauit, eumque insimulauit, sinistros de Tiberio sermones habuisse. Ineuitabile crimen, cum ex moribus principis, fœdissima quæque deligeret accusator, obrectaretque reo. Nam quia vera erant, etiam dicta credebantur.* Arcana igitur omnia patebant, & quod tanto artificio tegebatur, iam fama erat. Suetonius cap. 66. *Vrebant insuper anxiam mentem varia vndique conuitia, nullo non damnatorum omne probri genus coram vel per libellos in orchestra positos ingerente. Quibus quidem diuersissime afficiebatur, modo vt præ pudore ignota & celata cuncta cuperet, nonnunquam eadem contemneret, & proferret vltro atque vulgaret. Quin & Artabani Parthorum regis laceratus est literis, parricidia, & cædes, & ignauiam, & luxuriam obijcientis, monentisque vt voluntaria morte, maximo iustissimoque ciuium odio quamprimum satisfaceret. Postremo semet ipse pertæsus, talis epistolæ principio tantum non summam malorum suorum professus est, &c.*

Videô princeps simulationis exitum, summam infamiam, cum summo odio.

§. 11. Quinto. Nunquam ea simulatione securus fuit. Seruus Agrippæ Clemens non contemnendam manum in vltionem domini comparatat, & clam ei multi opitulabantur. L. Scribonius Libo res nouas moliebatur, seditio militum in Germania, & Illyrico, postremo Romæ omnibus detestabilis, insulæ sese inclusit, & quis fuerit in eum animus hominum, morte detectum est; ita enim morte eius lætatus est populus, vt *ad primum nuncium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim trahi clamitarent, pars terram matrem deosque manes orarent, ne sedem vllam mortuo, nisi inter impios darent, alij vncum, & Gemonias cadaueri minitarentur.* Et vitam quoque perpetuo in metu degebat. Timore enim Seiani, cum res in incerto esset, apparatis nauibus ad quascunque legiones fugam meditabatur, speculabundus ex altissima rupe identidem, signaque, ne nuntii morarentur, tolli procul, vt quidque foret factum, mandauerat. Verum & oppressa coniuratione Seiani, nihilo securior, aut constantior per duodecim proximos menses, non est egressus villa quæ vocatur Iouis.

Cœtra vulpes plures tendiculæ.

Odium populi.

Summus rerum simulator in perpetuo est carcere, anxiusq; carnificem exspectat.

§. 12. Sexto. Hinc in senatu nulla erat Reipublicæ cura, etsi extrema imperii dehonestarentur; nam pauor internus obsederat. Interim Tiberium ne quidem iam morientem simulatio deseruit, nam etiam deficiens conuiuium instaurari iussit, donec Macro prætoriæ cohortis præfectus iniecto multæ vestis senem obrui iussit, ita factum, vt nullum amicum nisi simulatum habuerit. Iusto, veroque Dei iudicio, vt suis artibus interiret, qui toto imperio hoc egerat, vt nemini pectoris arcana detegeret, qui multos ea duntaxat causa occiderat, quod voluntatem eius, ac consilia sensisse viderentur.

Domi omnia incerta curas longinquas impediunt.

Simulatione caritatis simulator suffocatur.

§. 13. Inutilis igitur imperio, semper pernicioſa principi est simulatio; natura enim ita comparati sunt hominum animi, vt eum quem suspectum habent, quem diffidentem vident, continuo oderint, nec illi se committant, nec sint fidi; mutua enim fides obligat fidem. Neque diu tegi simulatio potest in principe, multa enim temporis progressu facienda sunt, quæ tecta fuerant, & contraria simulata, itaque fieri non potest, quin plerosque vnius anni obseruatio, & experientia satis de ingenio principis instituat. Dum agi in exilium, dum trucidari vident, quos paulo ante in sinu gestare videbantur, non possunt dubitare, in altum idcirco sublatos, vt grauiore casu eliderentur. Hoc ergo pro bono principe monitum volo.

Annus vnus ingenium principis detegit.

Tu rectè viuis, (imperas) *si curas esse quod audis.*

Pro simulatore vero.

Ἐχθρὸς γὰρ μοὶ κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
Ille mihi æque atque inferorum portæ odio est,
Qui aliud mente recondit, aliud loquitur.

§. 14. Quantum malum hypocriseos summum est. Quod omnia scelera clam tegit, fouet, auget. Ideoque cum tenui, incerta, mutabili simulatione falsi boni, tot vera mala celentur; necesse est, ea arte Rempublicam interire.

§. 15. Manent in sententia tamen Athei, idemque posse opinionem & veritatem defendunt. Minos Cretensium rex Ioue se ortum finxit, in specus prælatum vetustissimæ superstitionis, quasi leges à Ioue accepturus descendere solitus erat, eius exemplo Numa nocturnos sibi cum Ægeria congressus esse, credi volebat, ab ea se edoceri, sacraque à diis immortalibus accepta tradere.

De simulationis exemplis in religione.

Minos, Numa, Lycurgus, Zaleucus, Scipio, Sertorius.

Lycurgus simili commento, Apollinem legum suarum rogatorem ferebat. Zaleucus Mineruæ consilio se vsum Lorensibus persuasit. Scipio Africanus ad negocia non egrediebatur, nisi in sella Iouis moratus esset, Sulla simulachrum paruum Apollinis ante prælium complecti & rogare, vt promissa maturaret. Stolidius omnino Sertorius Lusitanos gentem ea tempestate ferocem & barbaram, nunc omnium cultissimam, candidæ ceruæ, cicuris & familiaris quasi fatidicæ circumductu fefellit. Simulata igitur religione princeps vti interdum potest.

Equidem teneri superstitione vulgus, & fortius interdum quam vera religione moueri in confesso est. Quemadmodum qui pica laborant, in cibos inhumanos, & obscenos ardentius feruntur, quam in salubres illi, quos naturalis appetentia acuit, ita populus corruptis iam moribus religionis vmbra, & vanitate ducitur, sed regno hoc esse inutile, non tantum impium, cum de superstitione agetur, ostendam.

Superstitio grauius sæpe quam religio tenet populum.

At quia exemplis vtuntur, illa quoque refellenda sunt. Nego enim vel hisce, vel aliis vnquam bene religionis fictæ sacrilegia cessisse.

Nunquam religionis simulatio profuit legislatoribus.

§. 16. Minos Cretensium animos superstitione deuinxit, vt leges quasi è Iouis diphthera susciperent. Ita sane, sed neque leges seruarunt Cretenses, & duas ob res infames fuere, atque inter tria pessima cappa censi; nempe quod fraudulenti, & contentiosi essent; inde malitiosæ astutiæ est nomen Cretismi, & fraudulentæ pacificationis ex more significatio, syncretismus. Ipse Minos simulationis pœnas dedit; cum enim se Iouis alloquio frui, deque omnibus rebus moneri, futurorum etiam præscium iactaret, domestica probra nescivit, adeoque ille simulator infelix fuit, vt vxorem adulteram, hoc est simulatricem, vel si fabulis fides est, nefandissimæ Veneris sectatricem haberet, nec vllum domi fidelem, qui Dædali artes detegeret; at neque cum Theseus dotali regeret vestigia filo, filiamque abduceret, Iupiter parens monuit, neque quod magis ad salutem regis pertinebat, cum in Siciliam iret vltum iniurias à Dædalo acceptas, mortem infelicem prænunciauit. Siue enim à Siculis mulieribus occisus est, vt

Κατάδολοι, μιλιακες, κρῆτες τέκα κάπηα κάκιστα.

Minoa refellit in felix & fœda domus.

Minoi nemo domi fidus, nec vxor, nec filia, quia simulatorem horret fides.

Hero-

Herodotus, siue à Cocalo calore balnei suffocatus, vt Diodorus vult, insigne documentum dedit, simulatæ religionis vltorem esse Deum qui non nisi vera, & sincera religione vult honorari. A subditis etiam pro fatuo habitus, qui futurorum præscius, vxoris & filiæ libidines ignoraret.

§. 17. Numa & Lycurgus Minoem imitati sunt. Numa quidem Magus superstitionem Romæ firmauit, de eo prudenter Augustinus libr. 3. cap. 9. de ciuitat. Dei. *Illi vero homini pro tanto otio gratulandum fuit, si modo id rebus salubribus scisset impendere, & perniciosissima curiositate neglecta, Deum verum vera pietate perquirere. Nunc autem non ei dij contulerunt illud otium: Sed eum minus fortasse decepissent, si otiosum minime reperissent. Quanto enim minus eum occupatum inuenerunt, tanto magis ipsi occupauerunt. Nam quid ille molitus sit, & quibus artibus Deos tales sibi, vel illi ciuitati consociare potuerit, Varro prodit. Quod si Domino placuerit, suo diligentius differetur loco. Modo autem quia de beneficiis eorum quæstio est, magnum beneficium est pax: sed Dei veri beneficium est, plerunque etiam sicut sol, sicut pluuia, vitaque alia subsidia super ingratos, & nequam. Sed si hoc tam magnum bonum dij illi Romæ vel Pompilio contulerunt, cur imperio Romano per ipsa tempora laudabiliora id nunquam postea præstiterunt? An vtiliora erant sacra, cum instituerentur, quam cum instituta celebrarentur? Atqui tunc nondum erant, sed vt essent, addebantur: postea vero iam erant, quæ vt prodessent, custodiebantur. Quid ergo est, quod illi quadraginta tres: Vel, vt alij volunt, triginta nouem anni in tanta pace transacti sunt, regnante Numa: & postea sacris institutis, dissque ipsis, qui eisdem sacris fuerant inuitati, tam præsidibus atque tutoribus, vix post tam multos annos ab vrbe condita vsque ad Augustum vnus pro magno miraculo commemoratur annus post primum bellum Punicum, quo belli portas Romani claudere potuerunt.*

Dij Numæ ociosæ cogitationes fuerunt.

Dij Numæ inutiles.

Itaque Numa infelicem fecit vrbem simulando, cui postea nemo credidit: omnes enim fatentur colloquia Deorum eum simulasse.

Verum multi postea additi sunt, nec Numæ Diuis contenti fuerunt, & tot numinibus grauata Roma in perpetua clade vixit.

§. 18. Lycurgus etiam & Zaleucus laudantur. Verum in vtroque vt nonnulla laude digna concesserim; ita vaticinandi gloriam vane affectatam improbo. Dedit leges Lacedæmonijs Lycurgus: sed quibus nulla ciuitas vti voluit, quæ cito exoleuere. Omnes quidem iureiurando astrinxit seruaturos se leges, dum rediret, ne vero reditu suo eos iuramenti religione solueret, exilium voluntarium elegit, & ne tædio peregrinationis aliquando ipse patriam repeteret, vitam sibi ipse abstulit, non modo morte sua infelix, sed etiam legibus, quas mox magna ex parte Lacedæmon vel vsu, & moribus, vel contrarijs sanctionibus abrogauit. Non igitur sapiens Lycurgus, vt constat ex eius legibus, quæ sunt apud Xenophontem libro de republica Spartiatarum. Deinde si patriam amaret, ipse rediret, & bonas leges in mores reduceret; nam etiam præsens iuramento adigere poterat; Quod si redire noluisset, cur se ipse interfecit? quid de se tam male meritus ipse erat, vt contra insitam à natura legem sibi carnifex esse vellet? Tam ne parum fidebat sibi? tantum erat patriæ videndæ desiderium? quod non nisi morte poterat sopiri? Quinquam alij, quod potius credo, eum dolore, iraque, quod leges suas violari intelligeret, incensum, illi contumeliæ se fato subducere voluisse tradunt.

Lycurgus stolida religione obfuit Spartanis.

Error maximus Lycurgi.

§. 19. Zaleucus Locrorum legislator, hypocriseos etiam pœnas dedit; cum enim statuisset, vt adultero oculi effoderentur, eamque pœnam filius eius meritus esset; ipse ne filius omnino cœcus esset, supplicium cum eo partitus est, vt alter filio, alter sibi oculus erueretur. Sed non multo post omnes leges neglectæ, adulteria impunita fuerunt. Sed de Zaleuci exitu res est occultior, de Locrorum tamen cladibus multa passim in historia docent, eos simulatione legislatoris felices non fuisse, de Lycurgo testatur, ex Plutarcho, Herodoto, Strobæo. Mihi sat erit adscribere quæ libro 5. cap. 3. habet Valerius Maximus. *Neminem Lycurgo aut maiorem aut vtiliorem virum Lacedæmon genuit: vtpote cui Apollo Pythius oraculum petenti respondisse fertur: nescire se vtrum illum hominum an Deorum numero aggregaret. Huic tamen neque vitæ summa sinceritas, neque constantissima erga patriam amor, neque leges salutariter excogitatæ auxilio esse potuerunt, quo minus infestos ciues experiretur: Sæpe enim lapidibus petitus, aliquando furore publico eiectus, etiam priuatus oculo: ad vltimum ipsa patria pulsus est: Quid aliæ faciant vrbes; vbi etiam illa, quæ constantiæ, & moderationis, & grauitatis eximiam sibi laudem vendicat, tam ingrata aduersus tam benemeritum extitit.* Ecce tibi fictæ sanctitatis & simulationis insignem antistitem, & pœnam violatæ religionis repræsentatam. Quomodo ergo inter hæc simulatione felix Lycurgus?

Exitus hypocriseos Lycurgiana.

Hypocrisin ciues ipsi puniunt?

§. 20. De Scipione, constat minime fuisse superstitiosum, & eam illius simulationem Romæ ab aduersarijs irrisam, & contra Hannibalem virtute, non superstitione certasse. Pœnas tamen dedit, nam contemptus, offenso populo in agello suo consenuit, & mœrore contabefactus obijt. Sulla etiam certe minime felix abdicata dictatura Puteolis à vermibus consumptus est. Sertorii diuinationes exitus elusit, nam à suis inter epulas occisus, Lusitanos docuit prophetam se non fuisse. cur enim fera illa omnium agendorum tempus modumque prædixit, de morte Sertorii, quam vniuersæ nationis seruitus subsecuta est, nihil monuit?

Scipio ob simulationes irrisus.

Sulla à vermibus deuoratus.

Sertorius ab amicis occisus.

§. 21. Vana est igitur & odiosa virtutum simulatio, imo plerunque exitiosa est. Cuius causa est, quod quamuis rudis plebecula vanis ducitur, inter ciues tamen multi sunt, qui ista & agnoscunt, & rident. Quis nescit Proculum peieraſſe, cum diceret, à se visum Romulum proficisci in cœlum, & Quiritem vocari? Dictum est cum periurio; Prusillam, & Augustum & Tiberium isse ad Deos, *nemo tamen illis pro tam bono nuncio credidit.* Hæc enim deridi solent, quod si quorundam stupor ad talia implicatur, & trepidat; facile tamen hominum facetorum dicteriis instruitur, vt pro impostoribus habeantur, qui sanctitatis famam per præstigias aucupabantur. Quod si eos in re quapiam errare & labi contingat, vt est humana imbecillitas, iam magna pars auctoritatis concidit. Denique hoc sibi princeps, magistratus, populusque fixum habeant, vitream esse famam quæ stultorum opinionibus iactatur, sed eam semel fractam, nec apud sapientes, nec stultos posse reparari, talem autem esse gloriam, quæ non est ex vero. Oraculum est illud Tullii. *Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur, ficta omnia tanquam flosculi cito decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.* Deprehensa autem fraude summum in contemptum veniunt optimates. Matronam grauem, si illi desit formæ gratia, nemo ridet, si tamen fucata purpurissa & stibium defluxerint, vulgi fabula efficitur, quod præter decorum ætatis, lenocinium affectarit. Sic minus est detestabilis magnatū impietas, si velo pietatis careat. Plausum illi est, qui dixit; *fraudem in principe fœdiorem esse, quā violentiam.* Merito sane, addo etiā, fraudem principū violentam esse. Si enim circumuenire te dolo malo sublimior potestas volet, minore periculo decipi te patieris, quam

Simulatio natura sua odiosa, sola latendi astutia valet, sed nunquā omnes, nec diu.

Falsa opinio ex simulatione in probrum irreparabile discedit.

Simulatio principum violenta, deprehensi irascuntur.

quam intellectam fraudem indicabis. Deceptus enim damnum duntaxat feres, si fraudi occurras; quasi peccati principis conscius, inter inimicos censeberis.

CAPVT XIV.

Superstitionem ex Republica tollendam.

Impietas, & superstitio ex æquo fugienda.

§. 1. DVo scopuli sunt ad quos religio & pietas, si à recto deflectat cursu, alliditur, & crebro frangitur, vnus à longe prospici potest, supra fluctus enim exstat, & dorsum immane maris, exerte & palam nauigantibus minatur; alter sub vndis latet, & incautos excipit, ideoque non nisi à peritis, & vigilantibus vitatur. Scopuli illi sunt impietas, & superstitio. Hinc duo genera eorum qui Rempublicam administrant, alterum plane atheorum, alterum superstitiosorum. Qui athei omnino sunt, Politicos se nominari gaudent, falso omnino nomine, nihil enim magis obstat ciuili prudentiæ, quam Atheismus, deique ignoratio, & contemptus. Atheorum tamen siue Pseudo-politicorum duplex est sententia de Republica gubernanda. Quidam enim palam omnem non modo religionem, verum etiam superstitionem è medio tollunt. Epicuræos, Diagoramque secuti, vt Mezentius:

Atheismus Politicen euersit.

Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro.

Et Mezentio vetustior Capaneus, qui mediis in astris sic loqui auditus est. Theb. lib. 10.

Deum in prælia vocant impij.

Nullane pro trepidis (clamabat) numina Thebis?
Statis? vbi infandæ segnes telluris alumni
Bacchus & Alcides? piget instigare minores
Tu potius venias, (quis enim concurrere nobis
Dignior.) En cineres semeleaque bastia tenentur.
Nunc age, nunc totis in me connitere flammis
Iupiter. An pauidas tonitru turbare puellas
Fortior? & soceri turres exscindere Cadmi?

Tales canit nobis vetustas Gigantes, Aloidas; sed nunquam illa hominum piacula defuerunt. Dionysius per iocum fana spoliabat, Brennus item Delphos, aliique. Nec Christianis temporibus defuerunt, Fridericus secundus. *Tres, dixit, fuisse impostores insignes, qui genus hominum seduxerint, Mosem, Christum, Mahometem:* eodem nunc multi tendunt, dum enim in tam magna religionum varietate nullam eligere possunt, omni carent. Contra hos iam dudum ago. Illi enim de pietate, iustitia, innocentia populorum suorum parum solliciti, satis habent, si illis subditis vtantur, si arbitrio ipsorum pareant. Imo flagitiis eos deuotos, libidinibus eneruatos esse cupiunt, ne contra imperium monere aliquid audeant, voluptatibus vnice addictos. Apud eos vnicum peccatum agnoscitur, & punitur, crimen læsæ maiestatis humanæ. Verum errant illi, & errore suo se, atque Rempublicam euertunt, fieri enim non potest, vt molliter regant populum, superbia, luxu, ira, auaritia depraua tum, duro igitur, & imperioso rectore tales indigent, vt equi indomiti, & oris contumacis acriore freno, & duris lupatis coercendi sunt. Deinde ex licentia nascitur sumptuum magnitudo, inde egestas, cuius proles est iniuria, furta, rebellio, & commouendæ, aut euertendæ Reipublicæ cupiditas.

Athei ex multitudine hæreseon nascuntur.

Magna vitia duros exigunt principes.

Athei nullũ numen agnoscentes, alios mfini-

§. 2. Alterum genus atheorum est, qui nulla quidem ipsi superstitione tenentur, inanibus tamen numinum terriculamentis plebeculam premendam censent, cærimonias illi cærimoniis addunt, & diuos, diuis, variarum religionum conditores irreligiosi. Fecere hoc plurimi ciuitatum magistratus, & iam olim fuisse in more positum Varro docet. *Multa* inquit *esse vera, quæ non modo vulgo scire non sit vtile, sed etiam tametsi falsa sint, aliter existimare populum expediat, & ideo Græcos Teletas ac mysteria taciturnitate clansisse.* Hic certe, inquit, Augustinus lib. 4. cap. 31. totum consilium prodidit, velut sapientium, per quos ciuitates, & populi regerentur, & cap. 32. *Dicit etiam de generationibus Deorum magis ad poetas, quam ad physicos fuisse populos inclinatos, & ideo & sexum, & generationes deorum maiores suos id est, veteres credidisse Romanos, & eorum constituisse coniugia. Quod vtique non aliam ob causam factum videtur, nisi quia hominum velut prudentium & sapientium negotium fuit populum in religionibus fallere, & in eo ipso non solum colere, sed imitari etiam dæmones, quibus maxima est fallendi cupiditas. Sicut enim dæmones nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt: Sic & homines principes non sane iusti, sed dæmonum similes, ea quæ vana esse nouerat, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos ciuili societati velut arctius alligantes, quo similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus & indoctus euaderet simul fallaces, & principes ciuitatis, & dæmones?*

tis diis onerant.

Quæ vanæ sunt, sola taciturnitate secura sunt.

Principes fallaces similes dæmonibus.

Nec iniuriam illis ab Augustino fieri, docet Cicero libr. 1. de natura Deorum. *Quis tam cæcus in contemplandis rebus vnquam fuit, vt non videret species istas hominum collatas in Deos, aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum à vitæ prauitate conuerterent: aut superstitione, vt essent simulacra, quæ venerantes, Deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem poetæ, pictores, opifices. Erat autem non facile, agentes aliquid, & molientes Deos, in aliarum formarum imitatione seruare.*

Sapientia est insipiens omnia turbare.

§. 3. Hoc igitur totum genus superstitionis explodendum est, parum enim interest, per superstitiosum aliquem, an per atheum superstitio in Rempublicam inducatur.

Athei, & superstitiosi simul religionem tollent.

Magna sunt vero superstitionis detrimenta, primo, quia ipsa est affectatrix, & interpolatrix veræ religionis, & errore mentes, quasi vinculis captiuas tenet. Miratur Plutarchus in Camillo. Ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ὄφιν οὐκ ἔχουσαν ἀλλ' ὑποφερομένην, ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δ' εἰς ὀλιγωρίαν τοῦ θεῖου, καὶ περιφρόνησιν. Humanam imbecillitatem miratur, finem non habentem sed exorbitantem, alibi in superstitionem & fastum, alibi in neglectum Deorum, & contemptum: Timidarum igitur, & pusillarum mentium est superstitio, facitque respublicas impostoribus obnoxias. Quin homines imagine pietatis, non seruiles modo, sed pueriles etiam efficit.

Magna vitia duros exigunt principes.

§. 4. Deinde nimia Deum colendi, timendique sollicitudo anxios animos efficit, imo homines ineptos, & ridiculos; itaque barbaros, mulierculas, & quorum ex adolescentia, vel senectute discernendis rebus infirmum est iudicium; præcipue infestat. Scio apud Romanos iam cultos, fuisse superstitionem magnam; sed fere ludibrio erant eius commentatores, Numerius Atticus iurauit quidem vidisse se Augustum in cœlum ascendere, sed nemo illi credidit, ne Liuia quidem, quamuis pro tam infami periurio decies sestertium homini numerauerit.

Superstitio pueriles facit.

§. 5. Tertio, Cultores vanorum numinum, & superstitionibus addicti, in medio nunquam consistunt, sed in vana, absurda, horrenda, flagitiosa abeunt. Dira enim res est superstitio, nec vllum flagitium adeo fœdum dictu, aut factu immane est, in quod non impulerit animos falsæ religioni obnoxios, veritati aduersos.

Vanita-

Vanitatem miseram, & ridendam tamen, proponit Augustinus libr. 6. de ciuitate Dei, cap. 10. *Libertas sane quæ* huic (Senecæ) *defuit, ne istam Vrbanam theologiam theatricæ similimam, aperte sicut illam, reprehendere auderet, Annæo Seneca, quem nonnullis indiciis inuenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. Affuit enim scribenti, viuenti defuit. nam in eo libro quem contra superstitiones condidit, multo copiosius, atque vehementius reprehendit ipse ciuilem istam & Vrbanam theologiam, quam Varro theatricam atque fabulosam. Cum enim de simulachris ageret, sacros inquit, immortales inuiolabilesque Deos in materia vilissima, atque immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumque & piscium, quidam vero mixto sexu diuersis corporibus induunt: numina vocant, quæ si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur. Deinde aliquanto post, cum theologiam naturalem prædicans, quorundam philosophorum sententias digessisset, opposuit sibi quæstionem, & ait: Hoc loco dicet aliquis: Credam ego cœlum & terram Deos esse, & supra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit Deum sine corpore, alter sine animo? Et ad hoc respondens, quid ergo tandem, inquit; Veriora tibi videntur T. Tatij, aut Romuli, aut Tulli Hostilij somnia? Cluacinam T. Tatius dedicauit Deum, Picum, Tiberimumque Romulus: Hostilius pauorem atque pallorem tæterrimos hominum affectus: quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis: nec morbus quidem, sed color. Hæc numina potius credes, & cœlo recipies? De ipsis vero ritibus crudeliter turpibus, quam libere scripsit? Ille, inquit, viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Vbi iratos Deos timent, qui sic propitios merentur? Dij autem nullo debent coli genere, si & hoc volunt. Tantus est perturbatæ mentis & sedibus suis pulsæ furor, vt sic dij placentur, quemadmodum ne homines quidem sæuiunt teterrimi & in fabulas traditi crudelitatis. Tyranni lacerauerunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regiæ libidinis voluptatem castrati sunt quidam: sed nemo sibi ne vir esset, iubente Domino, manus intulit. Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet, quæ faciunt, quæque patiuntur, inueniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, vt nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent: nunc sanitatis patrocinium insanientium turba est. Iam illa quæ in ipso capitolio fieri solere commemorat, & intrepide omnino coarguit, quis credat nisi ab irridentibus, aut furentibus fieri? Nam cum in sacris AEgyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum fuisse gaudium derisisset, cum perditio eius inuentioque fingatur, dolor tamen ille atque lætitia ab eis qui nihil perdiderunt, nihilque inuenerunt, veraciter exprimatur. Huic tamen, inquit, furori certum tempus est. Tolerabile est, semel in anno insanire. In Capitolium perueni, pudebit publicatæ dementiæ, quod sibi vanus furor attribuit officij: alius numina Deo subijcit, alius horas Ioui nunciat, alius lictor est, alius vector, qui vano motu brachiorum imitatur vegentem. Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos disponant, longe à templo non tantum à simulachro stantes, digitos mouent ornantium modo. Sunt quæ speculum teneant, sunt quæ ad vadimonia sua Deos aduocent. Sunt qui libellos offerant, & illos causam suam doceant. Doctus archimimus senex iam decrepitus; quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi dij libenter spectarent, quem homines desierant. Omne illic artificum genus operantium diis immortalibus desidet. Et paulo post: Hi tamen, inquit, etiam si superuacuum vsum, non turpem nec infamem Deo promittunt. Sedent quædam in Capitolio, quæ se à Ioue amari putant: nec Iunonis quidem, si credere poetis velis, iracundissimæ, aspectu terrentur.*

Vana & tetra superstitionis.

Superstitio omni tyranno immanior.

Superstitionis furor.

§. 6. Ridicula sint ista, at quam turpia alia? Babylonii omnem sexum prostituebant, incultum sui numinis, aliorum turpitudines silentio prætereramalo. De crudelitate superstitionis videamus. Tauricæ Dianæ mactabant hostias humanas, aduenasque ad aram admouebant, nec mitiores Græci quibus dicitur:

Crudelis superstitio.

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica.

Multis etiam exitio fuit, cruentum dæmonis oraculum,

Καὶ κεφαλὰς αἴδα, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα
Et capita Platoni, & patri mittite virum. Lumina.

Romæ imminente periculo Græcus & Græca, Gallus, & Galla viui in terram defossi, Carthagine nobiles adolescentes Saturno exusti, ipse Dei populus filios suos idolo Moloch immolabat. Rex Moabitarum primogenitum filium, & regni hæredem super murum dæmoni obtulit, Heliogabalus, Iulianus hominum immolatorum viscera, & fibras rimabantur, Malabares nullo odio, sed sola superstitione inter se tela spargebant, qui vero illis occumberent felices arbitrabantur, Americani sacerdotes honori solis oculos erutos dabant. Maximi itaque periculi est superstitio, si in senatum, in regem, in principes imperita multitudo moueatur. Quæ vero scelera fugiet Respublica, quam ad tam atrocia religionis, & sanctitatis opinio impellit. Ingens igitur fuit error sapientum, quorum *insipiens cor obscuratum fuit*, tam grandia scelera religionis nomine commendare populis.

Talibus immbuta multitudo quod scelus omittet?

Et obcæcatum est insipiens cor eorum.

§. 7. Quarto, Exempla hoc multa declarant, Daniel. 14. 26. *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis. Quod cum audissent Babilonij, indignati sunt vehementer: & congregati aduersum regem, dixerunt. Iudæus factus est rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit. Et dixerunt cum venissent ad regem, Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuam. Vidit ergo rex quod irruerent in eum vehementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porro in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem.*

Superstitio nec regi parcit.

Deprehensa erat sacrificulorum impostura, disrupta bestia, sed tam vero aduersa, aut incuriosa facti erat superstitio, vt in regem ipsum tota ciuitas consurgeret. Itaque non imperiosa modo, sed seditiosa est superstitio. Magi apud Persas regibus imperabant, sacerdotes Ægyptii non minus regibus formidabiles fuerunt. Romano etiam imperio superstitio ius dixit. Metellus Pontifex maximus Postumium flaminem Martialem, Consulem ne in Africam ad bellum proficisceretur, detinuit, ne Martias cærimonias desereret. Tiberius Gracchus quod vitio tabernaculum cœpisse se diceret, effecit, vt iussu Senatus, C. Figulus è Gallia, Scipio Nasica è Corsica redirent. Publius Clodius Siculus, Marcus Cornelius, Celsegus, & C. Claudius propter exta parum curiose admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diuersis, Flaminio abire iussi sunt, coactique etiam. Liu. l. 26. Innumera horum sunt exempla, at certe si Sullæ, Mario, Cæsari, Pompeio, Antonio ex huiuscemodi nugis imperia abrogarentur, næ illi magna clade omnia pensarent. Et tamen quoties de cœlo seruarunt? quoties auspiciis comitia, bella, pacem turbarunt? vt verissime Augustinus dixerit: *Felicior Roma cum paucioribus diis vixit*, plures enim impleuerunt superstitione animos, domos exhauserunt. Sensit idem Cicero; nam ne domus ei reddi posset, area consecrata est ab inimicis. Quæ Christianis temporibus

Romæ etiã superstitio vehemens fuit.

Summa imperia ob nugas iussi deponere Imperatores.

ribus contigerunt taceo, plurima orbis passus est, ob superstitionem sæuitia & auaritia grassantem, exprobrat in apologetico illud gentibus Tertullianus cap. 44. *At enim illud detrimentum Reipublicæ tam grande quam verum nemo circumspicit, illam iniuriam ciuitatis nullus expendit, cum tot iusti impedimur, quùm tot innocentes erogamur. Vestros enim iam contestamur actus, qui quotidie iudicandis custodiis præsidetis, qui sententiis elogia dispungitis: tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recensentur, quis illic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis etiam Christianus asscribitur? aut cum Christiani suo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes, de vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarij noxiorum greges pascunt. nemo illic Christianus, nisi plane tantum Christianus, aut si & aliud, iam non Christianus.*

Superstitio Christianos innocentes erogat.

Israelitæ in superstitione crudeles.

§. 8. In Iudæorum etiam historia publicæ calamitates superstitionem consecutæ sunt, Ierobahal ducum fortissimus ad supplicium deposcitur, quia destruxit aram Bahal, Ieremias lapidatur, & reliquiæ terræ Israel profectæ sunt in Ægyptum, Machabæorum tempore Saduccæi, & Pharisæi Rempublicam turbarunt, & regiæ familiæ exitio fuerunt. Quid olim Palæologis, quid Bohemis obfuit, nisi error, & falsæ religionis æmulatio? Quid hodie dira Caluinistarum superstitio? nonne rebellionum concitatrix est, & per ciuilem sanguinem sectæ incrementa machinatur? Nulla potest esse in hac secta honestas, in qua lex est mendacium, diabolus religio, opera factiones.

Apud Deũ, & societatem humani generis tantum veris proficitur.

§. 9. Quinto. Deus veritas est, veris tantum apud eum proficitur, societas humani generis ex natura est, ex veritate est, veris tantum in ea proficitur, ideo cum simulatione & fraudibus agitur, parua vsura est mentiendi; inter tot occulatos non diu fallitur populus. Omnis superstitio, quia opinione constat facile commutatur, & quia absurda, atque à ratione aliena opinione, etiam eos qui obstinatissimi videbantur, furoris sui pudet. Quid enim si miseros instruat aliquis, si ostendat non homines à simulachris, sed simulachra ab hominibus seruari? Qui igitur princeps vanis religionibus subiectos dementat, in perpetuo periculo versatur, ne fraus tam nota sapientibus deceptis quoque populis vulgetur, quo errore sublato, quicquid erat in superstitione præsidii, in fumos abibit, imo in odium, & contemptum vertet; nam cum se populus inanibus, & vanis in fraudem inductum intelligit, cum panico metu iacturam feciſſe rerum, vel existimationis, cum sine causa pauitasse, principi, vel optimatibus de ridiculo fuisse, non minus indignatur, quam si carcere, & vinclis constrictus, alieno arbitrio obstrictus fuisset. Ea est enim natura hominum, vt falli nemo velit, deceptus in auctorem vertat iram. Nunquam autem fraus illa latet, quia incremento suo, & mole se prodere cogitur. Dii aliquando à Romanis credebantur esse. Sed postquam proconsulibus decerni aræ cœpere, postquam Smyrnæorum adulatio in Porcio templum statuit, postquam Alabandenses seruilem religionem imitati sunt, quis non rideret nouitios Deos? Præsertim cum illi consecratentur noui cœlites, quos parentes habere nemo sanus vellet. Cum Augustus viuus per aras, & flamines coleretur, cum Liuia mariti sacerdos esset, eumque veneno ex terreno Deo faceret cœlestem, cum omnes prouinciæ hoc imitarentur, & reges, vel sane ad illa cogerentur; Cyzicenis enim obiecta est in curia cærimoniarum Augusti; additis violentiæ criminibus, ideoque libertatem Parthico bello datam amisere. Tac. lib. 1.

Superstitionis vanitas vulgata homines affligit.

Superstitio crescendo perit.

Magna clemẽtia Deus

Quis sapientum non risit, cum Caligulam habitu Herculis, aut Veneris prodire cerneret? cum Augustum fulminibus, & radiis ornatum in ara collocatum? imo domum illam per templa adiri? Sed reuera quod nemo credebat, credere tamen sese dicebant. Ridicule Plinius in panegir. Traiani. *Dicauit cœlo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis crimen reduceret. Claudium Nero, sed vt irrideret Vespasianum Titus, Titum Domitianus, sed ille vt Dei filius hic vt frater videretur. Tu sideribus patrem retulisti, non ad metum ciuium, non in contumeliam numinis, non in honorem tuum, sed quia Deum credis.* Quid ais vir prudentissime, & omnium nisi fallor hominum studiosissime? Tot Deos fecerunt Quirites tui, quos Deos esse non crediderunt. Flamine, & aris

Augustum coluit, vitulo placauit, & agno,
Testantur tituli, produnt consulta senatus,
Cæsareum Iouis ad speciem statuentia templum.

superstitionem in apertum peruentre finit.

Apotheoseon causæ, & magno viro indecora adulatio.

Non credit Plinius eos Deos fuisse, nec credit Romanos credidisse: Traianum tamen ait credidisse patrem suum Deum esse, quid ergo? an Plinius id credidit? Quomodo credit Traiani patrem Deum esse, si nec Augustus, nec Claudius, nec Vespasianus, nec Titus Deus fuit? An etiam, si Traianus ad Imperium non venisset, parens eius pro numine coleretur?

Quomodo Traianus patrem Deũ credidit, nisi nemo retro imperatorum Deus fuit.

§. 10. Vetus hoc malum est, reges diuinos honores ambire. Curtius libro 8. Cleonis hominis abiectissimæ adulationis orationem recenset, qua pro Alexandri diuinitate loquitur. *Persas ait non solum pie, sed etiam prudenter fecisse, miscendis inter Deos regibus suis, quoniam maiestas imperij, salutis est tutela.* Impie fecerunt, & imprudenter. Impie quoniam nefandissimos homines, tanquam sanctissima numina adorarunt. Imprudenter, quia cum inani, falsoque honore eos delectari cernerent, nec mediocri dignos existimarunt, superbos effecerunt, & odiosos populis. Diuinus enim honor sacrilegio regum in homines translatus, tum ipsos, tum regnum afflixit. Cyrum certe nulla diuinitas à morte vindicauit, nec Massagetarum regina Deum existimauit, quando caput eius cum Perico sanguine in vtre cocluſit Cambysem Cyri filium tæterrimis moribus præditum, fratris, & sororis, quæ & vxor erat, interfectorem, nemo Deum credidit, non magis quam bouem Ægyptium, quem Cambyses mactauit, & Deum non esse probauit gladius, qui ex vagina in equum ascendentis decidens femori letiferum vulnus inflixit. Magi paucos menses dominati, nulla numinis regii religione occisi sunt. Secutus Darius moderatior, felicius regnauit. Xerxes cum pene se Deum crederet, montibus literas scriberet, ponto verbera infligeret, occisus est ab Artabano, post septem menses tyrannidis Artabanus pœnas dedit. Longissimum imperium fuit Artaxerxis Longimani, qui vt videtur Dei cultor fuit, nam perfici ædificationem Ierosolymarum & templi imperauit, sanctissimum virum Nehemiam eximie carum habuit, itaque & 40. ipsos annos feliciter regnum administrauit. Sogdiani deinde diuinitas septem duntaxat mensium fuit, Artaxerxes à Cyro, nec fratrem amante, nec Deum metuente, vulneratus est; nec Artaxerxem Darius filius vnquam pro Deo habuit, si enim putasset Deum, nec Aspasiam eius pellicem petisset, nec immisso Tiribazo nefariam cædem patri inferre conatus esset; Sed neq; Artaxerxes Darium filium à se regem creatum Deum putauit, nec principes Persidos, quorum iudicio tanquam parricida trucidatus est. Ochus deinde occisis fratribus ad regnum peruenit, sed à Bagoa duco sub occisus est, ab eo Arsames filius Ochi rex creatus quadriennio post exstinctus est, vltimus regum fuit Darius Codomannus, quem Alexander euertit, ille à suis amicis contumelioſe est habitus, & sæuitia ingenti mactatus.

Apotheosis impia & imprudens.

Persarũ regibus nihil prosuit numinis opinio.

Persarum regum, qui diu haberi noluerunt, exitus.

Nemo hominem credit esse Deum, etsi id affirmat.

§. 11. Hinc

§. 11. Hinc sane iudiciorum diuinorum rectitudinem fidelis addiscet; impius vero & impostor; superstitionem, vanosque metus populo iniectos ad regni tutelam non modo non adiuuare, sed plurimum obesse. Odium enim & contemptum parant. Documento etiam esse possunt Imperatores Romani, quibus viuentibus diuinos largiebantur honores, iurandasque per nomen eorum ponebant aras, quos tamen minima occasione data, nouos Deos suos vnco trahebant; & de Gemoniis præcipitabant. Itaque imprudens Numæ consilium fuit, qui rem putauit efficacissimam ad multitudinem illis temporibus rudem in officio continendam, metum Deorum iniecisse; nam cum vanus ille metus monstrosorum numinum aliquo bono radio insiti à natura luminis dissipatus est, nullum Deum esse arbitrati sunt, & tædio superstitionis omnem religionem exuerunt. Quin multitudo sæua impotensque vbi vana religione capta est, melius quidem vatibus, quam ducibus paret, sed vbi vates intelligit præuaricari, & vt illa, φιλιππίτειν, omnem conscientiam supprimit, nec vllum numen esse arbitratur, quia vbi solum residere illud credebat, ibi meram fraudem inuenit.

Romani in Deos suos, hoc est, imperatores erant crudeles.

Denique superstitio gentes facit inquietas, & mutabiles, idque experientia docuit, vbi autem inquies, & varietas, ibidem etiam seditio est. Causa est, quod omnia falsa & vana sæpe mutentur, & quia exigua in cærimonia cum defectum patiuntur religiones omnia turbata censent. Romani sane minuendis superstitionibus, quibus grauabantur, Sibyllina carmina priuatim haberi, & legi vetabant, Dio. lib. 54. Augustus fatidicorum librorum Græci latinique generis, qui nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia vndique contracta cremauit, hos quoque delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Apollinis Palatini basi. Itaque & peregrinas religiones sæpe exagitarunt, quod patrias ad examen incudemque reuocare non auderent.

Superstitio omnes facit inquietos.

§. 12. Ægyptii suarum superstitionum tenacissimi fuere. De illis vere Cicero lib. 5. Tuscul. q. *Ægyptiorum morem quis ignorat, quorum imbutæ mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam prius subiuerint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut crocodilum violent.* Diodorus Siculus seditionem ex superstitione natam describit. Ptolomæus (inquit) quem Romani in regnum postea restituerunt, cum primo Socius & amicus à Senatu P. Q. Romano dictus esset, magna lætitia publica, & concursus fuit. Erant & Romani in turba: atque inter eos miles casu (non enim sponte) felem occidit. Clamor, ira, tumultus, non inscitia miseri, non Romani nominis reuerentia, non imperium Regis, qui purpuratorum præcipuos miserat ad sedandum & deprecandum: nihil, inquam, horum iuuit, quin ille statim millenis manibus discerperetur, sic vt nec funeri, aut rogo aliquid superesset.

Furor plebis superstitiosa.

De superstitione igitur Ægyptiorum res clara est, de eorum inquietissima vita, cum multa habeant auctores, mihi pauca recensenda sunt, vt extremæ in superstitione contumaciæ appareat summam leuitatem, mutabilitatemque comitem esse. Adriani verba sunt ad Seruianum consulem, quibus testatur, *Ægyptum totam se didicisse esse leuem, pendulam, ad omnia famæ momenta volitantem, esse homines seditiosissimos, ignauissimos, iniuriosissimos.* Causa fuit, perpetuæ in religione dissensiones, & pugnæ. Vrbes enim propter ridiculas res inter sæpe committuntur.

In superstitione cum summa cõtumacia summa leuitas.

Deinde homines illi religiosissimi, qui à regibus ad mutuas lites de numinibus, hoc est alliis, & cæpis, hæc enim in hortis numina nascebantur, quasi gladiatores instituebantur, in reges erant contumelioſi, & infidi. Seneca consol. ad Heluiam, cap. 9. *infidam Ægyptum appellat*, & in eadem oratione c. 17. *Itaq; loquax, & ingeniosa in contumelias præfectorum prouincia, in qua etiam qui vitauerunt culpam, non effugerunt infamiam, velut vnicum sanctitatis exemplum suspexit; & quod illi difficilimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit*, & Herodian. lib. 4. *Ægyptij sunt homines natura dicaces, & facti ad cauillos, aut iocos dicendos. Iaciuntque in eos qui eminent multa, quæ ipsis gratiosa, aut venusta videntur, sed mordent, & pungunt in quos iaciuntur.* Has vero contumelias secutæ sunt innumeræ cædes; & tumultus. Exemplo sunt, reges vocati Philadelphi, Philometores, Physcones, ob fratrem & matrem occisam, ob propenduli ventris adipem, quæ nomina quamuis facinoris contumelias referrent, perpetuo tamen quasi propria, & gentilitia hæserunt. Fl. Vopiscus eos vocat, *ventosos, furibundos, iactantes, iniuriosos, auidosque nouarum rerum. Fallaces* etiam fuisse Alexandrinos Ammianus memorat, *semper alia cogitantes, alia simulantes, ad singulos motus excandescentes, controuersos & reposcones acerrimos.* Hoc testatur & Philo Alexandrinus & testis domesticus, in Flacco. Iuuenalis Satyra 15.

Contumeliæ Ægyptiorum in reges.

Dio de Alexandrinis iisdem: *Alexandrinis quidem ad audienda omnia satis est animorum: naturaque sunt ad temere verbis exsequenda, quæcunque sibi proposuerint, promptißimi. Idem ad bellum, eiusque labores, omnium sunt ineptißimi: quamquam in seditionibus, quæ apud eos & frequentißimæ & maximæ eueniunt, ad cædes subinde deueniant, contendendique de re proposita studio, vitam maxime contemnant, in iisque perire bonum quoddam imprimis expetendum existiment.*

Dicaces, timidi, seditiosi.

Tam igitur fuere Ægyptii leues, discordes, seditiosi, insuper fraudulenti, vt in prouerbium abierit eorum malitiosa callidita. Æschylus:

Δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς αἰγύπτιοι

Egregij sunt ad machinationes concinnandas Aegyptij.

Et Theocritus οὐδεὶς κακίερον

Δαλεῖται τὸν ἴοντα παρέρπον ἀιγυπτιστί.

Hæc vero oriri solita, atque consuetudinem habere ex sacris, & superstitionibus facile est colligere ex illis quæ in Thalia recitat Herodotus. Nam ob ibin, felem, aliasque nugas, ita sæuiebant,

Aspicimus populos quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi.

§. 13. Fontem omnium horum malorum esse superstitionem docet poeta quidem, sed historica veritate, Iuuenalis Satyra 15.

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pauet Saturam serpentibus ibim.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant vbi memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa. nefas illic fœtum iugulare capellæ:
Carnibus humanis vesci licet. attonito cum
Tale super cœnam facinus narraret Vlysses
Alcinoo, bilem, aut risum fortasse quibusdam
Mouerat, vt mendax aretalogus. in mare nemo
Hunc abicit, sæua dignum, veraque charybdi.
Fingentem immanes læstrygonas, & Cyclopas?
Nam citius scyllam, vel concurrentia saxa
Cyanes, plenos & tempestatibus vtres
Crediderim, aut tenui percussum verbere Circes,
Et cum remigibus grunisse Elpenora porcis.

Aegypti seditiosi ex libris de religione.

Tam vacui capitis populum Phœaca putauit?
Sic aliquis merito nondum ebrius, & minimum qui
De Corcyræa temetum duxerat vrna:
Solus enim hoc Ithacus nullo sub teste canebat.
Nos miranda quidem, sed nuper consule Vinco
Gesta super calidæ referemus mœnia copti,
Nos vulgi scelus, & cunctis grauiora cothurnis.
Nam scelus à Pyrrha, quamquam omnia Syrmata voluas,
Nullus apud tragicos populus facit. accipe nostro,
Dira quod exemplum feritas produxerit, æuo
Inter finitimos vetus, atque antiqua simultas:
Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus:
Ardet adhuc combos, & Tentyra. summus vtrinque.
Inde furor vulgo, quod numina vicinorum
Odit vterque locus, cum solus credat habendos
Esse Deos, quos ipse colit. Sed tempore festo
Alterius populi rapienda occasio cunctis
Visa inimicorum primoribus, ac ducibus: ne
Lætum, hilaremque diem, ne magnæ gaudia cœnæ
Sentirent positis ad templa, & compita mensis,
Peruigilique toro, quem nocte, ac luce iacentem
Septimus interdum sol inuenit. horrida sane
Aegyptus: sed luxuria, quantum ipse notaui,
Barbara famoso non cedit turba Canopo.
Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blesis, atque mero titubantibus. inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacunque
Vnguenta, & flores, multæque in fronte coronæ:
Hinc ieiunum odium. Sed iurgia prima sonare
Incipiunt animis ardentibus. hæc tuba rixæ.
Dehinc clamore pari concurritur, & vice teli
Sæuit nuda manus. paucæ sine vulnere mala,
Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus
Integer. adspiceres iam cuncta per agmina volare
Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis
Ossa genis, plenos oculorum sanguine pugnos.
Ludere se credunt ipsi tamen, & pueriles
Exercere acies, quod nulla cadauera calcent,
Et sane quo tot rixantis millia turbæ
Si viuunt omnes? ergo acrior impetus, & iam
Saxa inclinatis per humum quæsita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditione
Tela. nec hunc lapidem quali se Turnus, & Aiax,
Et quo Thydeides percussit pondere coxam
Aeneæ: sed quem valeant emittere dextræ
Illis dissimiles, & nostro tempore natæ.
Nam genus hoc vino iam decrescebat Homero.
TERRA *malos homines nunc educat, atque pusillos.*
Ergo Deus, quicunque adspexit, ridet, & odit.
A diuerticulo repetatur fabula. postquam
Subsidiis aucti pars altera promere ferrum
Audet, & infestis pugnam instaurare sagittis:
Terga fugæ celeri præstantibus omnibus, instant
Qui vicina colunt vmbrosæ Tentyra palmæ.
Labitur hic quidam, nimia formidine cursum
Præcipitant, capiturque: ast illum in plurima sectum
Frusta, ac particulas, vt multis mortuus vnus
Sufficeret, totum corrosis ossibus edit
Victrix turba, nec ardenti decoxit aeno,
Aut verubus: longum vsque adeo, tardumque putauit
Exspectare focos, contenta cadauere crudo.
Hic gaudere libet, quod non violauerit ignem,
Quem summa cœli raptum de parte Prometheus
Donauit terris. elemento gratulor, & te
Exsultare reor. sed qui mordere cadauer
Sustinuit, nihil vnquam hac carne libentius edit.
Nam scelere in tanto ne quæras, & dubites an
Prima voluptatem gula senserit. vltimus autem
Qui stetit absumpto iam toto corpore, ductis
Per terram digitis, aliquid de sanguine gustat.
Vascones, vt fama est, alimentis talibus vsi
Produxere animas: sed res diuersa, sed illic
Fortunæ inuidia est, bellorumque vltima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.
Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
Exemplum esse cibi. Sicut modo dicta mihi gens
Post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
Cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
Pallorem, ac maciem. & tenues miserantibus artus,
Membra aliena fame lacerabant, esse parati
Et sua quisnam hominum veniam dare, quisue deorum
Viribus abnuerit dira, atque immania passis,
Et quibus ipsorum poterant ignoscere Manes,
Quorum corporibus vescebantur: melius nos
Zenonis præcepta monent, nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat. sed Cantaber vnde
Stoicus, antiqui præsertim ætate Metelli?
Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas.
Gallia causidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur iam rhetore Thule,
Nobilis ille tamen populus, quem diximus, & par
Virtute, atque fide, sed maior clade saguntus;
Tale quid excusat: Mæotide sæuior ara
Aegyptus. quippe illa nefandi Taurica sacri
Inuentrix, homines, vt iam quæ carmina tradunt
Digna fide credas, tantum immolat: vlterius nil,
Aut grauius cultro timet hostia. quis modo casus
Impulit hos? quæ tanta fames, infestaque vallo
Arma coegerunt, tam detestabile monstrum
Audere? anne aliam terra Memphitide sicca
Inuidiam facerent nolenti surgere Nilo?
Qua nec terribiles Cimbri, nec Britones vnquam
Sauromataque truces. aut immanes Agathyrsi,
Hac sæuit rabie imbelle, & inutile vulgus,
Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis,
Et breuibus pictæ remis incumbere testæ.
Nec pœnam sceleri inuenies, nec digna parabis
Supplicia his populis, in quorum mente pares sunt,
Et similes, ira, atque fames.

§. 14. Accedit his omnibus maius malum & regnantibus periculosum, nempe curæ futurorum, auspicia, exta, vatumque impostura & lucra. Quibus in summa pericula sæpe integræ gentes missæ sunt. Crœsus oraculo delusus hosti ludibrium fuit, Iulianum in Persidem dæmones mentiendo pertraxerunt. Canebant vates,

Ibimus in Theren superi, victoria certa est,
Mars ego ductor ero, diuum inuictissimus armis.

Nihil præsenti statui perniciosius, quam de futuris inquisitio.

Quin etiam impiæ superstitionis patronus Achab à prophetis suis deceptus, se, exercitum, familiam perdidit. Gallos & Germanos ea res crebro afflixit. Plutarchus in Cæsare. *Magis insuper vaticinia percellebant illos fatiloquarum mulierum, quæ omnium vorticibus inspectis riuorumque gyris & strepitibus notatis futura præcinebant. Hæc signa conferre antequam illuxisset noua luna vetabant. Quibus nuntiatis Cæsar, quum quiescere cerneret Germanos, optimum factu ratus est, vt cum torpentibus potius confligeret, quam illorum expectans tempora desideret. Itaque munimentis eorum & tumulis oppugnandis, quibus confederant, lacessiuit irritauitque eos, vt cum furore ad dimicandum descenderent. Fusos ingenti strage triginta septem millia quingentos passus vsque ad Rhenum insequutus, campum hunc cadaueribus & spoliis totum compleuit.*

Germanorum superstitione Cæsar vsus eos vicit.

Prædictiones illæ quoque Hispaniæ fuere exitiales: rem narrat noster Mariana l. 2. c. 14. de regis institutione: *Illud noxium quod Martinus Barbuda Alcantariæ Magister à Ioanne quodam sago deceptus, qui diu secretam ab omnibus vitam egerat, & quasi diuino monitu victoriam pollicebatur, contra icti recens fœderis leges cum Mauris, collecta specie religionis magna, sed incondita hominum multitudine, in Granatæ fines incurrens hostium accursu circumuentus cum suis omnibus periit. Diesque Christi ad vitam reducis memoria octauus reque & nomine candidus in atrum versus est: atque nobili documento sanctum in extraordinaria spe-*

Sanctitati extraordinariæ non facile credendum est.

via specie sanctitatis inesse sæpe fraudem. Nolumus ergo principem iis hominibus faciles accommodare aures. Nolumus vt totos dies & noctes in precibus & animi anxietate consumat, quod esset non minus noxium. Sed ita se comparare debet, vt neque de futuris euentibus magnopere laboret: in diuino præsidio & pietate salutis spem ponat: ad curandos morbos non alios quam medicæ artis peritos adhibeat, & eorum consilio herbas salutares.

Periculosum est Reipublicæ in mortē principis inquiri.

§. 15. His vero impediri vtilia consilia, oriri seditiones, rerum nouarum spes, & insidias, ita clarum est, vt nullius imperatoris Ethnici tempora illis caruerint, sub quo enim non fuerunt quæstiones contra eos, qui de vita principis, de successore magos consuluissent? Grande autem hoc impietatis mysterium, animos insciæ plebis vehementer infestat. Ad omnem motum, ad omnem progressum, ad vocem, ad occursum vel hominis, vel bestiæ ad cantum oscinis, ad volatum auium, ad casum vbi ex ore pulli, non modo trepidare, sed exercitum educere, vel continere castris, mare transmittere classe, vel in portu consistere, belli & pacis artes regere, tantæ & stultitiæ, vt in hominem cadere non videatur. Iulianus cadente stella terretur, & consulit aruspices, qui suadent ne quid agat. Augustus *circa religiones talis erat*, vt ait Sueton. *Tonitrua & fulgura paulo infirmius expauescebat, vt semper & vbique pellem vituli marini circumferret pro remedio: atque ad omnem maioris tempestatis suspicionem in abditum & concameratum locum se reciperet: consternatus olim per nocturnum iter transcursu fulguris, vt supra diximus.*

Ex leuissimis rebus de grauissimis iudicare hominis non est.

Ad fulgur pauent terrarum Domini.

Augusto etiam miserabilior erat Alexander, *qui ita se gessit, vt nihil esset tam paruum, aut absurdum, si modo insolitum, quod in prodigium, aut omen non verteret; itaque sacrificantium, instrantium, diuinantium regia plena erat.*

Quod si cœlo tonante hostis ingrueret, nonne veteranus imperator in latebras sese abderet? Quod si exercitus pari timore teneretur incruenta præda fieret, ex eo duntaxat, quod fulgure suum indicari exitium falso crederent?

Superstitio trepidos efficit.

§. 16. Superstitio trepidos, imbelles, seruiles efficit, quemadmodum vera religio animosos, fortes, & tutelæ numinis fidentes. Ægyptii superstitiosissimi gentium ad bellum inepti erant, semper pene seruierunt, imo cum regionem haberent tam fertilem, externis vilissimis in rebus ministrabant. Itaque per contemptum vocabantur ἀχθοφόροι, πλινθοφόροι, baiuli, laterum geruli, vasto autem & neruoso erant corpore, quod tamen non armis sed oneribus seruilibus exercebant, quod haberent animos humiles formidine Diuum, depressosque premerent ad terram. Itaque in istos βασάζοντας Aristoph. iocatur:

Et seruiles.

Δὺ ἅρματ' ἐισέδηκε, καὶ νεκρὼ δύω,
Οὓς οὐκ ἂν ἄρειντ' οὐδ' ἑκατὸν αἰγύπτιοι.
Duos currus, duosque mortuos imposuit,
Quos ne centum quidem ferrent Ægyptij.

Superstitio plurimum obest.

Quomodo enim magnus animus esse potest, qui tam viles res pro numine veneratur? Qui in minimis summum bonum constituit? Turcæ quam sunt animo seruili? stellas aiunt è catenis aureis dependere, animalibus superstitiose cibos suggerunt, Indi nonnulli auibus hospitalia, palatiaque exstruunt, homines interim negligunt, Americani, Iaponiique quam superstitiosi? Sed tamen omnes stolidi, imbelles, abiecti, & ad quasi seruiendum nati. Cum enim omnia timere cogantur, non possunt esse magnanimi.

CAPVT XV.

Machiauelli imprudentia & superstitio demonstrata.

Machiauellus Atheus superstitionis vsum principi suadet.

§. 1. QVOD sapienter factum esse multi existimarunt ex Ethnicis, vt multitudinem cærimoniarum metu, & religionis quadam tragœdia continerent, id iam refutaui, sed quia tamen Machiauellus qui videri Christianus voluit, eodem principem suum ducit, examinanda sunt, quæ l. 1. de repub. cap. 11. 12. 13. 14. scripsit. Magnam enim imprudentiam cum summa superstitione coniunctam habent.

Quinam illi Dij?

Cap. 11. *Quamuis à Romulo Roma primam originem traxerit, eumque vt filia patrem merito agnoscere debeat: nihilominus tamen viderunt dij immortales, quod leges à Romulo latæ & institutæ: ad tantum imperium acquirendum non sufficerent. Quamobrem, eo ex hac vita migrante, senatum mouerunt, ad Numam Pompilium successorem eligendum: vt is videlicet ea suppleret, quæ à Romulo neglecta fuissent. Cum is ergo ad imperium peruenisset, populum Romanum ad belli artes institutum, ferocemque deprehendit: quem cum ad pacem & tranquillitatem instituere cuperet, ad religionis cultum instituendum, omne studium conuerterit. Quem tam præclare instituit, vt multis seculis, nusquam gentium tantus timor Dei extiterit, quantus apud Romanos, ex Numæ institutione erat; quæ res omnia illa instituta per multum promouit.*

Numa igitur sanctus & prophetā?

Iuramenti religionem Romani seruarunt.

Probat salutem Romæ à reuerendo illo religionis cultu dependisse. Quia iusiurandum, quod coacti præstiterant, seruare solebant, vt cum post cladem Cannensem Scipio iuuentutem pauefactam, & ad regem aliquem discedere duce Metello cogitantem stricto ferro iurare coegit, quod deserere patriam nollent. Vt cum Titus Manlius Pomponium Tribunum stricto pugione adegit, vt iuraret à patris illius accusatione cessaturum. Itaque plus Numæ quam Romulo debuisse Romanos affirmat. Tandem concludit in hæc verba: *Quæ cum ita se habeant, concludo cultum religionis à Numa Pompilio institutum, vnam è primariis causis extitisse, propter quas Romani in rebus gerendis tam felices fuerint. Nam vbi religio est, locum habent bonæ leges, ac bona disciplina, ex quibus fortunati, felicesque rerum euentus, in expeditionibus præsertim bellicis nascuntur. Sicuti è contra etiam, sublata religione, corruere Remp. oportet: quoniam sublato Dei timore, sequitur impietas, ex eaque ruina imperiorum. Nam etsi princeps ipse fortasse pius sit, & subditorum impietatem virtute sua aliquo modo compenset: quia tamen is est mortalis, & forte etiam vitæ breuis: necesse erit, vt eo moriente, virtus quoque, quæ supererat sensim vna cum imperio labatur.*

Roma cum paucioribus diis melius vixit, cum vno felicissime vixisset.

Patritij occasione plebeios terrent.

§. 2. Cap. 13. *Non absre*, inquit, *facturum me puto, si propositis exemplis ostendam: Romanos ope Religionis sæpe perturbatam Rempub. instituisse, & expeditiones quasdam suscepisse. Huiusmodi exempla cum apud Liuium multa sint, ego tamen pauca hæc tantum adducam. Postquam Pop. Romanus tribunos plebis consulari potestate creasset: iique omnes, præter vnicum plebei essent: orta est eodem anno Romæ pestilentia grauis, atque annonæ charitas, præterea, alia quædam portentosa apparuerunt. Hinc igitur Patricij sumpta occasione, asserebant has calamitates Pop. Romano à diis immortalibus immissas, ob abusum maiestatis imperij & male vsurpatam tribunitiam potestatem, neque eos placari posse aliter, quam si legitima tribunitiæ potestatis ratio restitueretur: qua repauefacta plebs, tribunos omnes ex patriciorum ordine creauit. In Veiorum obsidione longissima etiam, cum milites tædio pertæsi Romam redire vellent, Religionis quodam prætextu, ad obsidionem continuandam à ducibus retenti fuere. Nam cum Albanus lacus excreuisset: Oraculum Apollinis ita sunt interpretati, ac si illa aquarum inundatio vrbem eo anno expugnatum iri nuntiaret: adhibitusque ad Albani huius prodigij procurationem, & placandos Deos, Vates, qui Romæ captiuus tenebatur. Quibus omnibus miles persuasus, patienter belli molestias tolerauit: atque inde factum, vt Camillus Dictator creatus vrbem expugnarit: quam Populus Romanus toto decennio oppugnauerat. Quæ quidem Romani nunquam*

Militem superstitione ad Veios detinent.

Prudentia melius, quã scelere in officio continentur.

tam feliciter perfecissent, neque tribunitiam potestatem ad patricios reuocare potuissent, nisi Religionis prætextu adiuti, cum milites, tum plebem in officio sciuissent continere. His exemplis simile est, quod accidit, tunc cum Terentillus tribunus plebis legem Terentillam, de qua posthea disseremus, promulgare vellet: nam etiam tunc ad sedandos illos motus, quos ea res pepererat, vsi sunt patres religionis quodam prætextu, duplici ratione. Primum enim Sibyllinos libros per duumuiros, adire iusserunt: atque inde nuntiarunt periculum imminere ciuitati, libertatis eo anno amittendæ, nisi seditionibus abstineretur. Quod etsi Tribuni criminarentur, à patribus factum ad impediendam legem: plebis animos tamen vsque adeo permouit, vt Tribunos tanto ardore non amplius sequeretur. Deinde, cum per eosdem tumultus Appius Herdonicus quidam, ope exulum atque seruorum, quos quater mille & quingentos secum habebat, noctu Capitolium atque arcem occupauisset, periculumque esset, ne si aut Arqui aut Volsci Romani nominis hostes perpetui, aduentassent, vrbem essent expugnaturi: nec desinerent etiam tum tribuni, legis promulgationem vrgere: assererent que id quoque à patribus fictum esse, vt legem impedirent: tum è senatu egressus P. Valerius consul, vir grauis atq; disertus, minas argumentis miscens, demonstrauit populo, quæ pericula vrbi ob Capitolium captum imminerent: quam intempestiua illa esset legis ferendæ occasio: tantumque effecit vt iuramento omnes astringerentur, se à Consulis voluntate non discessuros: Eum ergo sequuta plebs Capitolium recuperauit. Sed cum in ea expugnatione P. Valerius fuisset interfectus, eiq; L. Quintius Cincinnatus in Consulatu successisset: ne plebi otium relinqueret, aut ansam præberet eandem Terentillam legem meditandi, atque vrgendi, in Volscos & Arquos legiones ducere decreuit. Sed cum id Tribuni eludere conarentur, quærerentque quonam pacto exercitum educturi Consules essent, quod delectum habere Tribunorum nemo passurus esset? Tum Quintius, nobis vero nihil delectu opus est, inquit, cum quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba iurauerint: conuenturos se iussu Consulis, nec iniussu abituros: edicimus itaque vt omnes qui in verba iuraßis, crastina die armati ad lacum Regillum adsitis.

Iuramenti religione ciues educunt consules.

Quibus dictis etsi Tribuni resisterent, plebemque exoluere religione conarentur, quod id iuramentum non Quintio, qui tunc priuatus homo erat, sed Consuli præstitissent, tamen plebs permota religionis reuerentia, malait consules sequi, quam videri in iusiurandum vlla ratione peccasse: vsque adeo scilicet felicia erant illa tempora, hominesque minime mali: & vt Liuius inquit: Nondum hæc, quæ nostrum tenet seculum, negligentia Deum venerat, nec interpretando sibi quisque iuramentum, & leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad ea accommodabat. Hisce ita constitutis cum Tribuni cernerent, se non posse resistere Cos. in eorum voluntatem & ipsi descenderunt, metu amittendæ dignitatis: pactumque vt toto anni spatio, neque ipsi de lege Terentilla quicquam agerent, nec consules plebem ex vrbe ad bellum euocarent. Atque hic quoque cernis, Senatum religionis ope turbulentos hos tribunitiæ potestatis motus sedasse, & præsentes difficultates superasse: neq; eas sine illa superare potuisse.

§. 3. C. 14. Auspiciis ait vsos Romanos, sed tamen sæpe contra præsagia dimicasse, tum vero contra communem vsum illa interpretatos esse; vt fecit Papyrius contra Samnites, cum enim falso illi tripudium solystimum renunciatum esset, idque imperatori iam in rem intento indicatum esset; respondit internuncio: *Tu quidem macte virtute diligentiaq; esto: Cæterum qui auspicio adest, si quid falsi nuntiat, in semetipsum religionem recipit: mihi quidem tripudium nuntiatum populo Romano, exercituique egregium auspicium est. Quæ cum dixisset, vt euentus suo præsagio responderet, mandauit centurionibus, vt Pullarios inter prima signa constituerent. Itaq; dum signa promouerent aduersus hostes priusquam clamor tolleretur, & concurreretur, emisso temere pilo ictus Pullarius ante signa cecidit, quod vbi consuli nuntiatum est: Respondit, iam omnia bonis auspiciis successura, cum Pullarius suo interitu mendacium expiasset: iamque Deos placatos exercitui ad futuros. Quo loco cernis manifesto, Papyrium ita interpretatum esse auspicia, vt nec pugnandi occasionem omiserit, contra quam illa viderentur suadere: nec tamen quis illi posset etiam obijcere, quod auspicia, & religionem contempsisset.*

Papyrius auspicia eludit.

Dexteritatem illam senatus approbauit, & decretis honoribus publice ratam fecit.

§. 4. Impiam hanc imprudentiam esse quamuis præcedentia ostenderint, nunc tamen ex historiis, & ipsa Republica demonstrabo, & nisi fallor ex ipso Machiauello.

Impie cæcũ dius prouidentiam tribuit.

Primo ait Deos immortales vidisse leges à Romulo latas ad tantum imperium acquirendum non sufficisse, ideo senatum mouisse ad eligendum Numam, vt quæ deessent supplerent. Quid hic primum mirer aut reprehendam? Dî præuiderunt non satis esse leges Romuli? At nec Romuli, nec Numæ numina quicquam non modo præuiderunt, sed ne viderunt quidem. Omnes illi Dii sine fundamentis creuerunt, ideo in ruinam proni fuerunt. Romulus paucos, Numa plures fecit Deos. Sed non erant illi Dii, quorum de humano arbitratu diuinitas pensitabatur, cum homines illi Deo propitii essent, nisi enim decreuissent, nunquam illa turba Deastrorum radio ornaretur, & astris. Melius de hoc negocio Minutius felix iudicauit; *Romani* inquit, *non ideo tanti, quia religiosi, sed quia impune sacrilegi. Sed tamen Dij mouerunt Numam vt numina conderet,* & vt vult Machiauellus simplicem populum deciperet. Non tamen illi posteris suffecerunt. *Nec his sacris* (Augustin. lib. 3. de ciuit. Dei, c. 12.) *tamen Roma dignata est esse contenta, quæ tam multa illic Pompilius constituerat: nam ipsius summum templum nondum habebat Iouis. Rex quippe Tarquinius ibi Capitolium fabricauit. Aesculapius autem ab Epidauro abiit Romam, vt pernitissimus medicus in vrbe nobilissima artem gloriosius exerceret. Mater etiam Deum nescio vnde à Pessinunte. Indignum enim erat, vt cum eius filius iam colli Capitolino præsideret, adhuc ipsa in loco ignobili lateret. Quæ tamen si omnium deorum mater est, non est secuta solum Romam quosdam filios suos, verum & alios præcepit etiam secuturos. Miror sane, si ipsa peperit Cynocephalum, qui longe postea venit ex Aegypto. Vtrum etiam dea Febris ex illa nata sit, viderit Aesculapius, pronepos eius. Sed vndecunq; nata sit, non opinor audebunt eam ignobilem dicere dij peregrini deam ciuem Romanam. Sub hoc tot Deorum præsidio, quos numerare quis potest? indigenas & alienigenas, calites, terrestres, infernos, marinos, fontanos, fluuiales: &, vt Varro dicit, certos atque incertos, in omnibusque generibus Deorum, sicut in animalibus, mares & fœminas? Sub hoc ergo tot Deorum præsidio constituta Roma, non tam magnis & horrendis cladibus, quales ex multis paucas commemorabo, agitari affligique debuit. Nimis enim multos Deos grandi fumo suo, tanquam signo dato ad tuitionem congregauerat: quibus templa, altaria, sacrificia, sacerdotes instituendo atq; præbendo, summum verum Deum, cui vni hæc rite gesta debentur, offenderet. Et felicior quidem cum paucioribus vixit. Sed quanto maior facta est, sicut nauis nautas, tanto plures adhibendos putauit: credo desperans pauciores illos, sub quibus in comparatione peioris vitæ melius vixerat, non sufficere ad opitulandum granditati suæ. Primo enim sub ipsis regibus excepto Numa Pompilio, de quo iam supra locutus sum, quantum malum discordiosi certaminis fuit, quod fratrem Romuli coegit occidi?*

Dii ab hominibus facti homines iuuare non possunt.

Turba Deorum nihil Romæ profuit.

§. 5. Omitto duodecim selectos, viginti cœlestes. Turba illa an erat necessaria, Cautius, Ops, Lucina, Vagitanus, Cunina, Rumina, Statilinus, Mens, Adeona, Volumnus, & Volumna. Bellona, Deus agrestis. Honorinus, Victoria. Æsculanus, Fessonia, Peilonia, Spinienſis, Fortuna, Mutua diua, Agenoria, Stimula, Murcia, Iugatinus, Vallonia, Runcina, Sera, Segetia, Tutilina, Flora, Matura, Ruana, Carda, Limentinus, Forculus, Syluanus, Febris, Pauor, Flora, Quies, & quæ sola iusti nominis est, Cloacina. Hi & plures additi sunt, multos enim omitto, quia honeste nominare

minare non valeo. Horum ergo deorum superstitione si stetisse rem Romanam Machiauellus iudicat, longissime à vero abit. Quid enim Febris, & Pallor de republica præuiderunt?

Iuramenti religio non timore mõstrorum, sed veri numinis seruatur.

§. 6. Secundo, Numæ debetur vt Romani religionem iurisiurandi seruarint, vt Metellus cum sociis, & Pomponius. Verum non illi timore vanorum numinum, sed ratione naturali, & timore quodam de æterno numine, cuius insitam προλήψιν excutere non potuerunt, multo vero magis timore mortis, & infamiæ, iurisiurandi religionem obseruarunt. Per Deos enim suos Apollinem, Mercurium, Venerem, ipsum Iouem peierare, & fallere didicerunt. Hisce pauculis vis turbam periurorum opponam? Primo erat ipse Numa per dolum regnũ occupator, & fraude religionis inductis ciuibus, tanti imperii deprauator. Deinde Tullus Hostilius contra fœdera Albæ, hoc est parenti bella inferens, cum tota domo fulmine est concrematus. Tarquinius Priscus per Anci filios contra præstitam fidem occisus est. Seruius à genero occisus est, Tarquinius Superbus parricida capitolium erexit, & regnauit. Brutus Collegam Collatinum sine causa eiecit, Romani adolescentes contra patriam coniurant pro tyrannide. Quid hic profana Numæ pietas? *Senatus Romanus æquo & modesto iure agitauit, dum metus à Tarquinio, & graue bellum cum Etruria positum est, deinde seruili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo more regio consulere, agro pellere, & cæteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus agitata sæuitiis, & maxime fœnore oppressa plebes, cum assiduis bellis tributum, & militiam simul toleraret, armata manu montem sacrum, atque auentinum insedit. Tuncque Tribunos plebis, & alia sibi iura parauit. Discordiarum & certaminis vtrinq; finis fuit secundum bellum punicum*, ita Salustius. Non igitur pietate religionis sed metu se æquos præstitere patres, & quia metus est non diuturni magister officii, eo sublato ad iniurias plebis itum est. Quid Sergius Galba vir summæ perfidiæ, qui Lusitanorum septem millia partim vendidit, partim trucidauit, cum fide data eos euocasset? Betultum regem Aruernorum perfide captum senatus Albam custodiæ causa relegauit. Non ignoro maiorem Romæ quam vlla in gente fuisse iurisiurandi religionem. Cicero l. 3. de officiis. *Nullum vinculum ad stringendam fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt.* Id laudant Agellius, & Dionys. l. 2. Numæ acceptum refert, Polybius item l. 6. Sed hoc comparatione Pœnorũ, Ægyptiorum, & aliarum gentium perfidiosissimarum. Nam quod ad iuramenti fidem attinet ad auctorem, qui Romanas res melius cognouit, & prudentius æstimauit, quam Machiauellus, appello Augustin. l. 3. de ciuit. Dei, c. 2. *Nescientes igitur tanti dij, Neptunus & Apollo, Laomedontem sibi negaturum esse mercedem, structores mœnium Troianorum gratis & ingratis fuerunt. Videant ne grauius sit, tales Deos credere, quam diis talibus peierare. Hoc enim nec ipse Homerus facile credidit, qui Neptunum quidem contra Troianos, Apollinem autem pro Troianis pugnantem facit, cum illo periurio ambos fabula narret offensos. Si igitur fabulis credunt, erubescant talia colere numina: si fabulis non credunt, non obtendant Troiana periuria, aut mirentur Deos periuria puniisse Troiana, amasse Romana. Vnde enim coniuratio Catilinæ in tanta tamque corrupta ciuitate, habuit etiam eorum grandem copiam, quos manus atq; lingua periurio, aut sanguine ciuili alebat? Quid enim aliud toties senatores corrupti in iudiciis, toties populus in suffragiis, vel in quibusque causis, quæ apud eum concionibus agebantur, nisi etiam peierando peccabant? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos iurandi seruabatur antiquus, non vt à sceleribus metu religionis prohiberentur, sed vt periuria quoque sceleribus cæteris adderentur.*

Multa periuria Romanorum.

Pietas Numæ in regibus apparet.

Et in curia.

Romæ priscæ felicitas.

Roma fidei quam aliæ gentes seruantior fuit.

Dij sibi futura non prouiderunt.

Periuria Romanorum censente Augustino.

Dij Romanorum periuria ridebant.

§. 7. Verum quicquid in iureiurando religionis fuit, id contemptu vanorum minimum, periuria ridentium, & docentium, cito euanuit. Quocirca posteriores per genium Cæsaris iurabant, & Christiani cum ab eis iusiurandum poscebatur, per salutem Cæsaris, Tert. apol. 35. *Iuramus sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est angustior omnibus geniis.* Hoc autem maximum Romæ censebatur iuramentum, non quod religione mouerentur, sed quod vindicta in promptu esset. *Tutius est*, inquit Minutius, *per genium Iouis peierare quam Cæsaris.*

Sacrum iuramentum per genium Cæsaris.

§. 8. Tertio laudat Romanos, prætextu religionis vsos. Nam cũ Tribunos consulari potestate plebeios creassent, persuaserunt populo, pestem quæ grassabatur propter abusum maiestatis imperii immissam, ita plebs tribunos omnes ex patribus creauit. Deinde inundationem lacus Albani, expugnationem Veiorum præsagire finxerunt, vt in obsidione militem continerent. Tertio legem Terentillam primo simulatione librorum Sibyllinorum impedierunt, deinde de religione iurisiurandi astrictos Quirites in Volscos duxerunt.

Verum pro me, & pro veritate testimonium dicent omnes Quiritium centuriæ, videlicet præstigiis illis nobilitatis auctoritatem, viresq; concidisse. Nam omissis Tribunis post quinquennem cõcertationem consules è plebe fecerunt, quorum primus fuit L. Sextius, id actũ adhuc Camillo liberatore viuo, cum deinde noua pestilentia oriretur, per nouas religiones, hoc est ludos scenicos remedium quæsitum est, nõ autem consulatus capessendi iure priuata plebes. Itaque lex Terentilla perlata est, & superstitio excussa, nec hoc modo, sed sacerdotia etiam, auspiciaq; ad se transtulerunt. Videre desideras ô lector fructum tam leuis, tam breuis impostura, lege orationem Decii Muris Consulis. *Quod cum ita se habeat, cui Deorum hominumque indignum videri potest, inquit, eos viros, quos vos sellis curulibus toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoraritis, quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis, pontificialia atque auguralia insignia adijcere? Qui Iouis Opt. Max. ornatu decoratus, curru aurato per vrbem vectus in Capitolium ascenderit: si conspiciatur cum capite ac lituo, capite velato victimam cædat, auguriumue ex arce capiat? cuius imaginis titulo consulatus, censuraque & triumphus æquo animo legetur: si auguratum aut pontificatum adieceritis, non sustinebunt legentium oculi? Equidem (pace dixerim Deum) eos nos iam populi Romani beneficio esse spero, qui sacerdotiis non minus reddamus dignatione nostra honoris quam acceperimus, & Deorum magis, quam nostra causa expetamus, vt quos priuatim colimus, publice colamus. Quid autem ego sic adhuc egi, tanquam integra sit causa patriciorum de sacerdotiis, & non iam in possessione vnius amplissimi simus sacerdotij? Decemuiros sacris faciundis, carminum Sibyllæ ac fatorum populi huius interpretes, antistites eosdem Apollinaris sacri cæremoniarumque aliarum plebeios videmus, nec tum patriciis vlla iniuria facta est, cum duumuiris sacris faciundis adiectus est propter plebeios numerus: & nunc tribunus, vir fortis ac strenuus, quinque augurum loca, quatuor pontificum adiecit, in quæ plebeij nominentur: non vt vos, Appi, vestro loco pellant, sed vt adiuuent vos homines plebeij diuinis quoque rebus procurandis: sicut in cæteris humanis pro parte virili adiuuant. Noli erubescere, Appi, collegam in sacerdotio habere, quem in censura, quem in consulatu collegam habere potuisti: cuius tam dictatoris magister equitum, quam magistri equitum dictator esse potest. Sabinum aduenam principem nobilitatis vestræ, seu Appium Clausum, seu Appium Claudium maiultis, illi antiqui patricij in suum numerum acceperunt, ne fastidieris nos in sacerdotum numerum accipere. Multa nobis cum decora afferimus: imo omnia eadem, quæ vos superbos fecerunt. L. Sextius primus de plebe Consul est factus: Catus Licinius stolo primus magister equitum: C. Martius Rutilius primus & dictator, & censor. Q. Publius Philo primus prætor. Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos iustum imperium & auspicium*

Fraudes nobilitati obfuerunt.

Tribunos plebeios per superstitionem amouent, sed consules plebeios accipere coguntur.

Ciuibus nõ diu fraus obstitit.

Plebs cum sacerdotia accepit, valde auxit potentiam.

Hæc omnia spreta superstitione.

O nihil fictum diuturnum.

domi militiæque: æque adhuc prosperum plebeium, ac patricium fuit, porroque erit. An Romæ vnquam fando audistis patricios primo esse factos, non de cœlo demissos. Sed qui patrem ciere auumque possent, id est, nihil vltra quam ingenuos? Consulem iam patrem ciere possum, auumque iam poterit filius meus: Nihil est aliud in re, Quirites, nisi vt omnia negata adipiscamur. Certamen tantum patricij petunt, nec curant quem euentum certaminum habeant. Ego hanc legem, quod bonum, faustum, felixque sit vobis ac reipub. vti rogati estis, iubendam censeo. Fraus itaque patefacta plus obfuit, quam exiguo tempore latens profuit.

Temeraria vaticinatio.

§. 9. Albani lacus exundationem in prodigium Veiorum eo anno capiendorum verterunt. Mendacium politicum hoc fuit, ad breue tempus, & temerarium; præsertim cum interpretatio captiuo committeretur. Quomodo vero Camillus sui casus iam instantis erat incertus, fata autem patriæ ab effusione vndarum Albanarum prædicebat? Ego potius effusam Senonum multitudinem, quæ Romam vsque, omnia, & Romam, excepto capitolio, vastauit, illo portento significatam, si ariolari liberet, affirmarem.

Ioco omen sinistrum Scipio in cõtrarium vertit.

At Papyrius auspicia dextre interpretatus est; Ita plane est, nec male Claudius, vt *biberent, quando esse nollent*, edixit, & facete Scipio, cum rudi militi ominosa imperatoris è nauj egredientis videretur prolapsio, in faustum auspicium traxit, *cum Africam tenere se dixit.* Sic Augustus cum cometes apparuisset, qui regibus haberi fatalis solet, *ad regem Persarum pertinere*, dixit, *quod ille capillatus esset.* Hæc omnino destruunt auguriorum superstitionem, & occasionem præbent totum hoc genus in vniuersum deridendi. Quemadmodum & libro primo, & secundo facit Cicero, qui augur ipse negat *vel Romulum, vel vllum habere vera auspicia, retineri tamen ad opinionem vulgi, & magnas vtilitates Reipublicæ.* Sed contra Ciceronem recte docet Christianus Cicero lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 5. *Nam illud quale est quod pulcerrimum auspicium fuisse dixerunt, quod commemorauj paulo ante, Martem, & Terminum, & Iuuentutem, nec Ioui regi Deorum loco cedere voluisse, sic enim, inquiunt, significatum est, Martiam gentem, id est Romanam, nemini locum quem teneret daturam: Romanos quoque terminos propter Deum Terminum neminem commoturum: iuuentutem etiam Romanam propter Deam Iuuentutem nemini esse cessuram. Videant ergo quomodo habebant istum regem Deorum suorum, & datorem regni sui, vt ei auspicia ista pro aduersario ponerent, cui non cedere pulcrum esset: quanquam hæc si vera sunt, non habent omnino quid timeant. Non enim confessuri sunt, quod dij cesserint Christo, qui Ioui cedere noluerunt. Saluis quippe imperij finibus, Christo cedere potuerunt, & de sedibus locorum, & maxime de corde credentium. Sed antequam Christus veniret in carne, antequam ista denique scriberentur, quæ de libris eorum proferimus: sed tamen posteaquam factum est sub rege Tarquinio illud auspicium, aliquoties Romanus exercitus fusus est, hoc est, versus in fugam, falsumque ostendit auspicium, quod Iuuentas illa non cesserit Ioui: & gens Martia, superantibus atque irrumpentibus Gallis, in ipsa vrbe contrita est: & termini imperij, deficientibus multis ad Hannibalem ciuitatibus, in angustum fuerunt coarctati. Ita euacuata est pulcritudo auspiciorum, remansit contra Iouem contumacia non Deorum, sed dæmoniorum. Aliud est enim, non cessisse: aliud, vnde cesserat rediisse. Quanquam etiam postea in Orientalibus partibus Hadriani voluntate mutati sunt termini imperij Romani. Ille namque tres prouincias nobiles, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Persarum concessit imperio, vt Deus ille Terminus, qui Romanos terminos secundum istos tuebatur, & per illud pulcerrimum auspicium loco non cesserat Ioui, plus Hadrianum regem hominum, quam regem Deorum timuisse videatur.*

Cicero fatetur non esse auguria.

Termini Romani imperij cessit.

§. 10. Tempus est vt Pseudopoliticum contra semel loquentem audiamus. lib. 1. cap. 12. de republ. Verum cultum requirit. *Quicunque principes atque Respubl. semetipsas conseruare cupiunt, in id vnum præ cæteris, incumbere debent, vt verum religionis cultum recte instituant, & venerentur: nec certius indicium de religionis alicuius ruina atque interitu vnquam habere poteris, quam si in ea, diuinum cultum despectui haberi ac sperni cognoueris. Id vero, vt ita se habere intelligas: obserua cui fundamento Religio innitatur eius loci, in quo vnusquisque nascitur: quod omnis cultus religiosus alicui fundamento insistat.*

Deinde cap. 15. de immani Samnitum coniuratione historiam refert. *Ad angustias redacti, cum extrema quæque tentare decreuissent, & intelligerent tamen se vincere non posse, nisi obstinatissimos haberent ad dimicandum militum animos: ad religionem ceu extremum remedium confugerunt. Nam ex libro vetere, sacerdote Ouio Pacio, homine magno natu, sacrificium ex antiqua Samnitum religione petierunt. Sacrificio perfecto, eorum Imperator per viatorem iubebat acciri nobilissimum quemque. Apparatus sacri talis erat, qui animum religione perfundere posset. Nam locus erat cratibus conseptus in medio castrorum, puteisque ac linteis contectus, patens ducentos pariter pedes in omnes partes: In medio Aræ, victimæque circa cæsæ, & circumstantes centuriones strictis gladiis. Admouebatur altaribus miles, vt victima magis, quam vt sacri particeps, adigebaturque iureiurando, quæ visa auditaque in eo loco essent, non enuntiaturum: deinde iurare cogebatur diro quodam carmine, in execrationem capitis familiæque & stirpis composito, nisi isset in prælium quo Imperatores duxissent: & si aut ipse ex acie fugisset, aut si quem fugientem vidisset, non extemplo occidisset. Id primum quidam abnuentes iurare: obtruncati circa altaria sunt, iacentes deinde inter strages victimarum, documento cæteris fuerunt, ne abnuerent. Hoc sacramento astrictos, vt maiore religione tenerentur, variis etiam signis ornauerunt: nam ex quadraginta millibus, quos collegerant, mediam circiter partem vestimentis albis induerunt, ijsque arma, insignia, & cristatas Galeas attribuerunt, vt inter cæteros eminerent: tandemque ad Aquilonem consederunt. Sed aduersus eos tamen Papyrius Consul dimicaturus, ea omnia parui fecit, & suos ne huiusmodi religioso sacramento tenerentur, alloquens. Non, inquit, cristas vulnera facere, sed per picta, atque aurata scuta transire Romanum pilum, & candorem vestium fulgentemque aciem, vbi res ferro geratur, cruentari. Hæc omnia denique in illorum caput transitura, cum nefando sacro, hominum, pecudumque eadem miscuerint, & ob fracta toties fœdera, Deos, ciues, atque hostes aduersus se irritarint. In conflictu tandem vicere Romani, quod illorum virtus, maiorem Samnitibus metum incussisset, ob memoriam toties acceptæ cladis, quam iis religio potuerit, vel virtutis vel pertinaciæ ad pugnandum infundere. Quod etsi ita sit; videmus tamen manifeste, quod rebus tantopere afflictis, ad religionem tanquam extremum remedium confugerint: nec in vlla alia re tantam spem recuperandæ virtutis posuerint: ex quo intelligere licet quantum præsidij, quis in veræ religionis recto vsu habere queat. Itaque de hac re, hoc loco differendum putaui, tanquam de ea, quæ ex maxime necessariis Romanæ Reipubl. constitutionibus dependebat.*

Samnitum horrendus delectus, & iusiurandum.

Insignia parum iuuant timidos.

Sacra Samnitum tot iuramentis celata, iam in castris hostium celebrabantur.

Cunctari, instruere militem, externa subsidia quærere oportebat.

Ex quibus concludo, nullam religionem fictam esse diuturnam, Romanosque milites tam magnæ religionis contemptores, suorum augurum ineptias ridere potuisse: ideoque inconsideratissimæ esse temeritatis eo fundamento niti, quod vno ictu, leui ioco euerti possit. Fatetur ita esse Consularis Augur, *Errabat*, inquit, *multis in rebus antiquitas, quam vel vsu iam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus.* Cum igitur vsu, & doctrina immutari opiniones illæ soleant, non vtetur illis legislator, qui veram stabilem Rempublicam molitur, quæ quamuis ex vero omnia habeat, hominum tamen vitio solidissima eius fundamenta persæpe concutiuntur, quomodo stabilis esse poterit, si ex stultissimis vulgi, inconstantissimisque opinionibus summa eius, salusque dependeat.

CA-

CAPVT XVI.

Princeps in religione nihil statuat.

Princeps defensor religionis.

§. 1. PRINCIPI tuendę veræ religionis cura commissa est, instituendæ tamen, aut innouandæ nulla est omnino potestas. Nutritius Ecclesiæ est magistratus, gladium portat ad vindictam malorum, tutelam bonorum: Malorum, hoc est furum, incestorum, latronum, blasphemorum, impiorum. Non enim suam duntaxat maiestatem vlciscitur: sed multo magis diuinam, quæ vera est, & immensa maiestas, cuius est ἀπόῤῥωξ riuulus, & vestigium, omnis quæ in purpura & diademate apparet humanis oculis grandis & tremenda maiestas. Decet certe optimum ab optimo coli, numen à principe, regem omnium regum, præcipue ab omnibus regibus. Itaque & Arist. lib. 7. cap. 8. polit. Primam regiam curam ait esse τὴν περὶ θείων ἐπιμέλειαν, *eam quæ circa diuina est sollicitudinem.*

A principe Deum coli præcipue decet.

Certum igitur fixumque maneat, principem & ipsum esse religiosum oportere, & arcem religionis custodem, vigilantem impietatis vindicem.

Discat, non faciat religionē princeps.

§. 2. Hoc tamen sedulo attendet princeps, vt ipse religionem veterem ne innouet, nec vllos nomine reformationis cudat articulos. Non est enim arbiter religionis princeps, sed discipul⁹. Teneat animo, vsuque ostendat, pietatem colendam, non esse politicis edictis perplexam reddendam. Audiat S. Cyprianum Ep. 73. *Nec hoc frater charissime sine scripturæ diuinæ authoritate proponimus, vt dicamus certa lege ac propria ordinatione diuinitus cuncta esse disposita; nec posse quenquam contra Episcopos, & sacerdotes vsurpare sibi aliquid, quod non sit sui iuris & potestatis. Nam & Chore, & Dathan, & Abyron, contra Moysen & Aaron Sacerdotem sacrificandi sibi licentiam vsurpare conati sunt; nec tamen quod illicite ausi sunt, impune fecerunt.*

Multa hac de re sunt non modo S S. Patrum, verum etiam Imperatorum, & regum constituta, quæ persequi omnia, mei constituti non est, ea duntaxat monebo, quæ ad politiam, & gubernationem pertinent.

Religio mutata politia aut turbat, aut mutat.

§. 3. Prima quidem causa est, quia connexa est cum religione Reipublicæ administratio, quemadmodum libro de pace Germaniæ demonstraui, mutata itaque religione, necesse est Reipublicæ commotionem, aut commutationem consequi. Et quidem cum vera religio vnica sit, ab illa autem infinitæ aberrationes, pugnantesque sectæ, principum erit nullum à vera recessum permittere. Cum enim vehemens sit stimulus religionis, multique sint, qui vetera deserere, etiam morte proposita nolint, multorum indignatio, omnium discordia oritur. Deinde reges Ægyptii cum nouas fingunt, aut permittunt superstitiones, regni vires ciuilibus contentionibus dilacerandas dederunt. Nabuchodonosor fidissimis, prudentissimisque se pene principibus priuauit, dum nouæ statuæ dedicatione subditos sollicitat. Antiochus Illustris eadem de causa regnum, & sese perdidit, cum Iudæorum pietatem persecutus est, quam si defendisset, fortissimamque gentem inter tot bella amicam habere voluisset, vniuersæ Asiæ facile imperium obtinere potuisset. Sic Caius, Constantius, Valens, Iustina, Iustinianus, Heraclius, Leo Isaurus, aliique summo detrimento Reipublicæ religionem nouarunt.

Assueta deserere coacti dolent, si audent, repugnant.

Aula variabilis fir-

§. 4. Altera causa sumitur ex natura magistratus, & aulæ, cum enim omnis potestas sit adulationibus obnoxia, facile obrepunt specie sanctitatis, qui mentiendo, assentandoque magnates peruertunt. Sic Constantius ab Eusebio, Valens ab Eusebianis, Leo Isaurus à Venefico Iudæo seductus est. Iustinianum iam senem præstigiator Monothelita deprauauit, quod vero non diuina institutione, sed humanis nititur id totum fluxum est, & momentaneum. Sed nullum clarius exemplar huius est rationis, quam nobis nostri sæculi calamitates exhibent. Quia namque in Germania, lege quadam principes religionē suo arbitrio moderantur, hinc tanta est religionū varietas, ac ignorantia, vt pene nulla religio supersit. Id quia nondum omnino exteris constat nationibus perspicue ac neruose ostendendum est. Annus centesimus est cum veteris fidei, tædio, sim ul fastidio disciplinæ monasticæ, & ambitione ductus Lutherus nouæ hæreseos fundamenta iecit, interea omnia commutata sunt, vt mihi Germania non absimilis veteri Ægypto esse videatur, in qua omnium susterstitionum furor quotidianas turbas, ac bella ciebat: Hoc vno deterior est Germaniæ quam Ægygti conditio, quod perpetua in mutatione Germani versentur, celerrimeque, quæ temere placuere, displiceant, Ægyptiorum constantior fuerit superstitio.

mam religionem non statuit.

Germania plurimas religionis mutationes patitur.

Venit ad me hisce diebus, qui chartam obtulit, *qua inuitatio ad Iubilæum Ecclesiarum γνησιώς (genuine) Lutheranarum continebatur.* Decem enim doctores Lutherani, omnes cæteros ad iubilandum excitant, quod ante annos centum in Pontificem fecerit imperum Lutherus, vide ineptias risu dignissimas, nisi miserationem, & lacrymas miserrimorum hominum cæcitas malitiosa posceret. De hoc igitur gaudio agendum est, vt omnis mundus agnoscat, religionis à principum opinione pendentis, non esse vllā constantiam, qua de causa ante biennium de suo Iubilæo Zvingliani caute tacuerunt, ne risum omnibus præberent, in tot sectas sparsi, quarum multa archetypon Zvinglianum retinet, imo nulla est, quæ non Zvinglium damnare necesse habeat. Quanquam autem tribus libris ea de re à me copiose disputatum est, Iubilæo scilicet Iubilorum, eius apologia, & Coronide: hic non sunt iterandæ patriæ nostræ clades, ex illis videbunt magistratus, quomodo religionum iactatione fides pietasque, & postremo homines ac regna pereant.

Paulo post etiam addita Schedula Caluiniana est.

§. 5. Primo quidem iubilant, & exultant decemuiri illi in rebus pessimis, cum interim cæteri Lutherani ita premantur, vt nisi moderati homines interueniant, periculum sit, ne Veios aut in sacrum montem migrare cogantur. Status enim Ecclesiarum γνησιώς Lutheranarum iam ante annos quinquaginta septem erat miserabilis, & ipsorum iudicio pene desperatus, nunc vero multo est afflictior. Sed totam tragœdiam ab ipsis audire præstat. Nemo in suā contumeliam mentitur, Synodus Mansfeldica in præfatione cum dolore, & gemitu miseriarum suarum facunda prædicatrix, progressum politicæ religionis exprimit.

Quod autem, (inquiunt) cumulantur quotidie fanaticorum hominum opiniones & secta, non est mirandum tantopere.

Primum, quia cum veritas hominibus est ingrata, neque agnoscunt bonitatem Dei, solet Deus ad puniendum hoc peccatum immittere efficaces, & insignes errores, vt credant homines mendacio, vt puniantur ea ipsa causa, quod veritati non credunt, sed delectantur iniustitia. Secundo Thess. secundo.

Sectæ multiplicantur è sectis natæ.

Secundo, necesse est crescere sectas, quia omnes vere Principes & Magistratus officium suum in hac re negligunt, sed petulantiam ingeniorum confirmant, quod cuilibet pro suo ar-

Principum incuria sectæ crescunt

bitratu quam libet falsam opinionem fingendi, licentiam permittunt.

Tertio, pingues illi (vt Psalmus vocat) & potentes doctores, sectarum autores, summa se opera coniungunt, easdem sententias, & eosdem animos mutuo tuentur. Pacifice inter se viuunt, alter alterum defendit & excusat. Ac si quis maxime alterius sectam non approbat, tamen amat eum, vt ita fiat, quemadmodum vulgo dici solet: Parce mihi, vt parcam tibi, conniue saltem, si non vis probare, idem faciam & ego. Ita

Doctores potentes cõspirant.

sæpe accidit, vt hæresiarcha quispiam alterius sectam quam non probat, non tamen oppugnet, & si aliquamdiu aliquid agat tamen non perseuerat. Et de hac causa successus hæreticorum cum dolore conqueritur Dauid Propheta Psalm. 17. cum inquit: Pingues eorum sunt coniuncti.

Quarto, res iam eo rediit, vt multi hoc tempore turpitudinis atque ignominiæ loco habeant, voce vel scriptis opponere se falsis fratribus & sectarum autoribus, cum quidem semper in Ecclesia maximum id fuerit decus, & pro vero Christianæ virtutis documento celebratum.

Dedecus putant obsistere hæresibus

Quinto, quid obstat quo minus hoc tempore variæ nascantur hæreses, cum nullis hominibus maiores tolerandæ sint contumeliæ, iniuriæ, maledicta, cauillationes, quam ipsis illis, qui se fanaticis doctoribus opponunt, ita quidem, vt per conuitium Stoici appellentur, hoc est, duri ac præcipites, qui nihil sibi cum aliis commune volunt, quibus nihil aliorum placet: quasi vero magna sit virtus, omni vento & afflatu falsorum dogmatum leuissime & quidem volentes rapi atque circumferri. Deinde clamosi nuncupantur, hoc est, iurgatores, & rixatores, qui plenis labris, importunisque clamoribus ad seditionem, & tumultum hominum elapsi cauant.

Inuidiosum & periculosum resistere sectis.

Neque vident, quod ipsi vituperant factum, id summam nobis laudem decernere. Tolerabilius est enim & melius, Catonem in his rebus agere & Stoicum, & ad rauim vsque proclamitare, quam turpi silentio omnes fraudibus patefacere fenestras. Non enim silentio sed voce lupus reiicitur. Tacemus, quod ipsa scriptura clamores Prophetarum & doctorum commendat, & è contrario silentium adeo vituperat, vt eiusmodi Silenos & Mutios mutis cambus comparet.

Sexto, satis est fanaticis hominibus occasionum hoc tempore crescendi, quoniam formidine quadam & metu amittendæ tranquillitatis, fortunarum, gratiæ, laudis, etiam sinceri doctores propemodum omnes tacent, languide agunt, horribili temeritate atque securitate permittunt negotium sibi ipsi & fortunæ suæ. Et quamuis inclamant nonnulli, tamen cum deserantur ab aliis turpissime, soli non possunt tanti molem negotii suis humeris sustinere.

Doctores causam suam deserunt.

Septimo, etiamsi qui adhuc supersunt sinceri doctores, necdum infecti fanaticarum opinionum veneno, tamen sunt languidi, meticulosi & animo paulo abiectiori, quam vt veritatis causa periculum incurrere velint: quiescunt igitur, & spectatores sunt eius fabulæ cui tamen ipsi primo applaudere nolint. Sed si bona est Catastrophe alteri parti, nempe clamantibus & scriptitantibus illis: & tibi bonam esse volunt, & partem victoriæ non mediocrem suæ virtuti & constantiæ arrogant. Sin autem (sicut sæpe bona causa per vim opprimitur) diuersum euenit, collum suum reducunt ex nodo, quasi nihil à se actum profitentes, & idcirco propter externam pacem alteris se dedunt, quorum iniusta est causa, contra suam conscientiam. Cum igitur aduertunt hoc hæretici, nos non simul & eadem fide vrgere propositum, animantur & in institutis falsitatibus malitiose ac pertinaciter hærent, & subinde alias nouas comminiscuntur.

Hostibus se iungunt.

Octauo, crescunt etiam sectæ propter nouam illam tyrannidem, quæ suboritur in Ecclesia. Si quis non statim approbet alterius errorem, indignationem & offensionem potentiorum incurrit, ac sæpe de vita periclitatur. Hanc tyrannidem sectarum applausores stabiliunt in alios. Et ipsi adeo non sunt ab hac tyrannide vacui, vt non possint sibi temperare, etiam cum humanissima cum eius colloquia & actiones instituuntur. Atque ita feriunt homines, ne possint amplius libere suam sententiam profiteri: itaque in hoc vnum omnes incumbunt,

Vi hæreses inducuntur

vt errores tyranni vi obtrudant aliis, quod tamen (Deo iuuante) non facient perpetuo, AMEN.

CAPVT XVII.

Ratio veræ religionis conseruandæ.

§. 1. PRIMO quidem hoc vnice agendum est in Republica. Vt vna vera, antiqua scripturis, & traditione apostolica tradita, sanctis patrib⁹ cognita fides omnibus superstitionibus eùlliis, doceatur, ac conseruetur.

Vna religio in vno regno.

Non enim pacem duntaxat diuersę sentientium pugnæ rumpunt, sed fœdera etiam, religionem, ac numinis cum veneratione timorem requirunt. Nemo enim facile amicitias cum eo contrahit, quem Dei nouit inimicum; Laudaturque Theodorici Africæ ducis illustre exemplum; quamuis enim Arianus esset, Diaconum tamen, qui non errore intelligendi, sed adulandi turpitudine in gratiam principis ad Arianismum defecit, è vestigio occidit; neque enim sibi fidem seruaturum esse arbitrabatur, qui Deo violasset. Sine fide igitur amicitia esse non potest, cum sit rerum humanarum, & diuinarum cum caritate consensio. Quæ nulla est, si alius alium impium, & detestabilem esse existimat. Deinde omnes magno quodam desidero suam tueri, & augere religionem conantur, id quod nostra ætas edocet, quæ nullam hæresin adeo tetram, adeo à pietate, & ratione abhorrentem vidit, quam non cupidissime sit amplexa; quamuis, qui mos est valde amantium, celerrime fastidierit. Hinc bella cruentissima sunt, quæ pietatis opinione geruntur, in quibus occidere sanctitas, cadere felicitas existimatur; nullus affectuũ, & cognationum respectus, publica, & domestica pax turbatur, eadem in domo prælia miscentur, magistratus alterutram populi partem necessario, sæpe ambas inimicas habet, non enim nisi vni obsecũdare potest, cadit illius auctoritas, cum à pluribus impius, & profanus iudicatur. Verum hisce de rebus iam supra dictum est. Nunc seruandæ religionis rationes proponamus.

Apostatæ etiam suis viles sunt.

Multæ hæreses, & feruidæ, sed breues.

Cum diuersa est religio, magistratus semper vnam partem, sæpe vtramq; habet infensam.

§. 2. Primum est, & veluti fundamentum veritatis ac fidei seruandæ, vitiis obsistere, subditorum fastum retundere, libidines frenare, auaritiæ modum ponere. Nunquam hæresis sui causa orta est; alicui vitio per nouitatem superstitionis quæsitum est fomentum, vel impunitas. Homo quem flagitia sua premunt, facile in errorem pellitur, & quemadmodum in homine morborum sunt quædam, ita in Republica hæreseon, & superstitionum προγνώσεις, & coniecturæ. Vere Seneca libro 3. de ira cap. 10. *Vetus dictum est à lasso rixam quæri. æque autem & ab esuriente, & à sitiente, & ab omni homine, quem aliqua res vrit. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt: ita animus affectus minimis offenditur. adeo vt quosdam salutatio, epistola, oratio & interrogatio in litem euocent. Nunquam sine querela ægra tanguntur. optimum est itaque ad primum mali sensum mederi sibi: tum verbis quoq; suis minimum libertatis dare, & inhibere impetum. Facile est autem affectus suos cum primum oriũtur, deprehendere, morbum signa præcurrunt. Quemadmodum tempestatis ac pluuiæ ante ipsas notæ veniunt: ita iræ, amoris, omniumque istarum procellarum animos vexantium sunt quædam prænuntia. Qui comitiali vitio solent corripi, iam aduentare valetudinem intelligunt. si calor summa deseruit, & incertum lumen, neruorumque trepidatio est, si memoria sublabitur caputque versatur. Solitis itaque remediis incipientem casum occupant, & odore gustuque quicquid est quod alienat animos repellitur: aut fomentis contra frigus rigoremque pugnatur: aut si parum medicina profecit, vitauerunt turbam & sine teste ceciderunt, proderit morbum suum nosse, & vires*

orthodoxia fundamentum boni mores.

Hæreses omnes è vitiis orta.

Varii affectus sunt, quib⁹ diũ in principio nõ resistitur, in omnia immania erũpunt.

eius

eius antequam spacientur opprimere. *Videmus quid sit, quod nos maxime conci*tet. *Alium verborum, alium rerum contumeliæ mouent. hic vult nobilitati suæ parci, ille elegantissimus haberi cupit, ille doctissimus, hic superbiæ impatiens, hic contumaciæ, ille seruos non putat dignos quibus irascatur: hic intra domum sæuus est, foris mitis: ille rogari, inuidiam iudicat: hic non rogari contumeliam. Non omnes ab eadem parte feriuntur.*

Ob hæc singula hæreses oriuntur, alium spes, alium metus, alium indignatio, alium ebrietas, plurimos libido, ambitioque in nouas opiniones sectasque impulit.

§. 3. Hæc in Republica prudens Magistratus aduertet, & corriget. Superstitionem in decem tribus vnius Ieroboami ambitio induxit, dissidia Pharisæorum, & Saduccæorum partim ambitio, partim odia aulica fecerunt, cum malis artibus adrepere potentibus hypocritæ cœperunt. Est hoc, semperque fuit hæreticorum ingenium, vt ante sceleribus se indignos fidelium consortio, & pœnis obnoxios redderent, quam errore & pertinacia, cum amissione plebis sese separarét. Quod de Nouato scribit Cypr. Ep. 49. in omnes conueuit. *Nam de Nouato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos nobis debeat Nouatus ostēdi, rerum nouarū semper cupidus, auaritiæ inexplebili rapacitate furibund⁹, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, semper istis Episcopis male cognitus, quasi hæreticus semper & perfidus omnium sacerdotum voce damnatus; curiosus semper vt prodat, adhæc adulatur vt fallat, nunquam fidelis vt diligat, fax & ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, hostis quietis, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus.*

Omnes nostri temporis hæretici Nouati mores habent.

Deinde ita describit eius mores, vt iracundiam Hussi, luxuriam Lutheri, crudelitatem Zvinglii, libidines Caluini, & Bezæ, secretas Anabaptistarum cædes exprimere videatur. *Nec hoc, inquit, quisquam miretur in talibus. Feruntur semper mali suo furore dementes, & postquam scelera fecerint, conscientia ipsa sceleratæ mentis agitantur. Nec remanere in Ecclesia Dei possunt, qui Deificam, & Ecclesiasticam disciplinam nec actus sui conuersatione, nec morum pace tenuerunt. Spoliati ab illo populi, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Ecclesiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conspicimus. Pater etiam eius in vtero fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Vterus vxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus. Et damnare nunc audet sacrificantium manus; cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius qui nascebatur, occisus est? Hanc conscientiam criminum iam pridē timebat, propter hoc se non de presbytero excitari tantum, sed & communicatione prohiberi pro arte tenebat: & vrgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa eius ageretur, nisi persecutio ante venisset. Quam iste voto quodam euadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commisit & miscuit, vt qui eici de Ecclesia, & excludi habebat, iudicium sacerdotum voluntaria discessione præcederet, quasi euasisse sit pœnam, præueniisse sententiam.*

Hæresiarchæ dum adhuc est in Ecclesia, eius communione indigni fuerunt.

Hæc talia conueniunt in omnes veteres. Nicolaum Antiochenum libido in hæresin impulit, Cerinthum, Menandrum, Gnosticos, Manichæos, alia causa non abscidit ab Ecclesia, quam portentosæ libidines. De Donatistis, Arianis, Macedonianis, Machemetanis nihil est necesse dicere. De Luthero, Oecolampadio, Carolstadio, Zvinglio, Caluino, Memnone, cæteriſque, ipsi de se mutuo testantur, ingenio, vsu, moribus fuisse corruptissimos. Hoc igitur commendatum sibi habeat magistratus quod Timotheo Apostolus proponit. 1. Timoth. 1. 19. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te Prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymenæus,*

Mutuæ testimonio lege sectariorum de se mutuo.

Mala conscientia naufragium est fidei.

& Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

§. 4. Alterum est, vt magna cura, ac studio in sacram doctrinam inquiratur, doctores idonei constituantur, docere, concionari, catechizare, verbo, & exemplo prodesse laborent. Cum enim fides sit ex auditu. Quomodo credent ei quem non audierunt. Rom. 10. 15. *Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.*

Neque enim alia causa tot errorum fuit, quam quod doctrina sacra negligeretur, eruditorum beneficia, sacerdotia, honores homines imperiti, profani, milites occuparent, paruuli vagientes in cunis Episcopabantur, vix nati iam Abbates erant.

Dum infantes Episcopantur, adulti damnantur, sanguis animarum est in manibus collatorum.

§. 5. Tertium est, quod iam supra monui, vt Episcopos & doctores audiant etiam illi, quorum dignitas vt omni imperio superior, ita quæque monitionum impatiens esse consueuit. Laudatissima est illa Gratian. Valent. Theodos. A A A. lex. T. 2. l. *Omni innouatione cessante, vetustatem, & canones priscinos Ecclesiasticos, qui vsque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici prouincias seruari præcipimus: vt, si quid dubietatis emerserit, id oporteat (non absque scientia viri Reuerendissimi sacrosanctæ legis antistitis Ecclesiæ vrbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur) conuentui sacerdotali sanctoque iudicio reseruari.*

Moneri debent, quibus imperari non potest.

Optime imperatores illi ex mente, & sententia Constantini magni, qui non vt Dominus Concilio Niceno, sed vt discipulus interfuit. Theodosius Ambrosium obsistentem, atque increpantem non modo pluris quam adulatores purpureiuæ fecit, sed etiam amauit. Adulatio enim cum appareat, magnates offendit, quia est exprobratio superbiæ, sinceritas amatur, quia est inducia virtutis. Cum enim Episcopis seuera Dei lege imperatum sit, vt etiam mortis proposita pœna, docere, monere, reprehendere, punire pergant, dubitare nemo debet, quin omnibus imposita sit parendi necessitas, cum illis tam grauis Ecclesiasticæ gubernationis prouincia iniungatur. Ea vero ratione subiata veritas diu defendi non potest. Aurea monita sunt, sed fortia, & fortibus data à fortissimo martyre S. Cypriano Epist. 55. *Quod si ita res est frater charissime, vt nequissimorum timeatur audacia, & quod mali iure, atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant: actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac diuina potestate, nec Christiani vltra aut durare, aut esse iam possumus, si ad hoc ventum est, vt perditorum minas atque insidias pertimescamus. Nam & gentiles, & Iudæi minantur, & hæretici, atq; omnes, quorum pectora & mentes diabolus obsedit, venenatam rabiem suam quotidie furiosa voce testantur; non tamen iccirco cedendum est, quia minantur, aut ideo aduersarius & inimicus maior est Christo, quia tantum sibi vindicat, & assumit in sæculo. Manere apud nos debet frater charissime fidei robur immobile; & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obsistere. Nec interest vnde Episcopo aut terror aut periculum veniat; qui terroribus & periculis vsui obnoxius, & tamen fit de ipsis terroribus ac periculis gloriosus. Nec enim solas gentilium vel Iudæorum minas cogitare & spectare debemus, cū videamus, ipsum Dominum à fratribus esse detentum, & ab eo, quem Apostolos ipse delegerat, proditum: inter initia quoq; mundi Abel iustum non nisi frater occiderit; & Iacob fugientem persequutus sit frater infestus; & Ioseph puer venerit vendentibus fratribus in Euangelio etiam legamus, esse prædictum*

Qui laudat præsentem, superbiam illi exprobrat.

dictum magis domesticos inimicos futuros, & qui prius copulati sacramento vnanimitatis fuerint, ipsos inuicem tradituros. Nihil interest quis tradat, aut saeuiat, cum Deus tradi permittat quos disponit coronari. neque enim nobis ignominia est pati à fratribus, quod passus est Christus: nec illis gloria est facere, quod fecerit Iudas.

Opes Ecclesiasticæ sunt Reipublicæ vtilissimæ.

§. 6. Quartum est, Vt non modo Episcoporum, & doctorum eruditioni, vitæque integritati recte consulatur, sed opibus etiam, atque auctoritate muniantur. Si enim præsidum, & iudicum dignitas firmanda est, vt legitimæ potestatis excellentia controuersias ciuiles dirimant, quanto ampliore maiestate ornandi sunt, qui de rebus cœlestibus & æternis iudicant? Non ignoro multis videri nimias Episcoporum, & Cleri opes, sed ea de re libro de magistratu Ecclesiastico disputabo. Nunc moneo, Reipublicæ prodesse plurimum, si magnæ sint opes Ecclesiarum. Nam primo si religionis antistites admodum tenui crustula victitent, ad rerum corporearum curas vertuntur, nec modo studiorum occasionem perdunt, sed ne libros quidem idoneos comparare queunt.

Romani summo Pontifici Ethnico opes & honores tribuerunt.

Deinde facile non à diuitibus modo, & arrogantibus, sed etiam à moderatis contemnuntur, qua causa Romani apud quos tamen erant magno in contemptu Deorum cultores, & nonnulli etiam infames, Pontifici maximo cum re dignitatem addiderunt. Certe in veteri lege sacerdotii erat non multo minor, quam regni maiestas, quæ etiam tandem cum regno coaluit. Tertio experientia docuit, cum rerum domesticarum sollicitudine tenentur, & circa domus suæ mala districti sunt sacerdotes, doctores ipsos doctrinam sacram obiter tractare, & quasi in secundis habere; prima enim illis cura est viuendi, altera docendi. Hinc si Lutheranos, & Caluinianos intueamur, facile videbimus, postquam primi

Primorum hæreticorũ feruor extimore fuit, ne in ordinem redigerentur.

furoris æstus deferbuit, postquam apostatarum, qui Catholicis in Academiis eruditi, scientiam suam in venena verterunt, multitudo defecit, omnia imperitia, impietate, contentionibus plena esse, iamque contemptissimum esse Ministrorum Euangelicorum nomen; nam plerique cum sint patres familias, pauperes, fame magis, quam pietate ducuntur, vt populo fabulas venditent, hinc metu & spe in omnem partem flexiles sunt, & quod histriones solent, theatro sese accommodant. Famam suam, & constantiæ opinionem vilem habent, dum rei augendæ inhiant.

In coll. Hertzberg. Vxores & liberos habemus, quid facie mus?

Princeps itaque vt religionis præsules doctoresque habeat constantes, bonæfamæ, nobiles, potentes, fideles regno, commoda eorum augebit, arces etiam, & iudicia concredet, vt in Imperio, atque aliis regnis fieri cernimus, cum enim paci dediti sint, procul habeant causas tumultuandi, plurimum iuuant causam Reipublicæ.

Mature hæresibus occurrẽdum.

§. 7. Quintum est, & solidum aduersus nouitatem, discordiasque præsidium, vt contentionum ansæ, & initia præcidantur, ingeniorum petulantia coerceatur, illi qui disputare, quam viuere gloriosius esse iudicant, mature exterminentur. Callide Hollandiæ proceres monebat Britanniæ rex, vt in herba Arminianos opprimerent, quod si illi fecissent, contra tantam segetem depugnare opus non fuisset.

Est hoc malum non in populo, sed primoribus, & olim fuit. Cyprianus Epist. 64. *De contentione autem & dolo quid me attinet dicere; quando ista vitia non in plebe, sed in nostro numero grauiora sunt? Horũ autem morborum mater, superbia est, & humanæ laudis auiditas, quæ etiam hypocrisim sæpe generat.*

Multi sancta arbitrã tur quæ sunt insolita.

Vera querela magni viri est: *Sensi enim sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi, quæ neq; scripturæ sanctæ authoritate, neque vniuersalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum possint terminum peruenire, (tantum quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit, vbi peregrinationem suam quo remotiorem à suis, eo doctiorem factam putat) tam litigiosas excitant quæstiones, vt nisi quod ipsi faciunt, nihil rectè existiment.*

Hoc contendẽdi studiũ cum in Rempublicam, & religionem ingruit, inter familiarissimos summas lites, odiaque concitat, & in contrarium errorem rapit, sic Eutyches oppugnando Nestorium in hæresin impegit.

Nulla lege satis error defendi potest.

§. 8. Consulto olim Fredericus Palatinus Elector, cum Academia Heidelbergensis mutatæ religionis exordio in duas factiones Lutheranam, & Caluinianam scinderetur, vtrique parti silentium indixit. Consulto Hollandiæ proceres inter veteres, & nouos Caluinianos concordiam statuere conati sunt, & ne quisquam alium accusaret, damnaretue impietatis, imperarunt; sed vbi vtrinque de superstitione agitur, non potest esse stabilis concordia, sicut cum errori contra veritatem libertas eripitur. Initio hæreseon emergentium scripturæ auctoritatem & prophetandi, seu interpretandi libertatem omnes quasi iure quodam postulabant. Sed libertas illa errorum, multis modis Rempublicam afflixit. Nam

Libertas errorum noxia.

omnia semper immutat, & quæ mutauit, mox repetit, aut alio vertit. Non ignorauit hoc tyrannus & apostata callidissimus Iulianus, nono enim prorsus genere persecutionis plus damni Ecclesiis intulit, quam sæuiendo. V numquemque enim suo arbitrio

Iulianus licentia errorum permissa tollere religionẽ cogitauit.

viuere, & suo ritu docere permisit, vt licentia augeret dissensiones Christianorum.

Quod si magistratus serio mala emergentia perpendat; facile intelliget, quemadmodum, si furandi, adulterandi, latrocinandi licentia permittatur, omnia mox scelera flagitiaque inundabunt, sic vbi, de Deo sentiendi pro arbitrio, blasphemandi, cæremoniarum impiarum, & rituum fuerit inducta nequitia, liberrime in omnia, & in omnes grassatura, necesse esse concidere Rempublicam.

Vis contra impios adhiberi potest.

§. 9. Sextum conseruandæ religionis præsidium est, prudens Principis, & cuiusuis magistratus secundum leges adhibita vis, & coactio, multæque ac pœnæ. Durum videri scio, mentibus liberis iura dare, conscientiasque constringere. Cum suæ quisque salutis, aut exitii esse arbiter debeat. Nec ad salutem cogere Deus ipse soleat. Imo multis absurdum id videtur, cum illa legum seueritas hypocritas, non veræ pietatis cultores efficiat. Tu minis, & metu tormentorum quemquam cogere te posse arbitraris, vt Deum amet? vt quod falsum esse putat, verum iudicet?

Trahere ad salutem potest princeps, & debet.

Sed tamen non modo ius hoc datum est principi, sed absque officii neglecti scelere, seueritatem aliquam omittere nullo modo potest. Consultus hac de re sanctus Augustinus in hunc modum respondit.

A malo per vim abduci possunt.

Displicet *tibi quia traheris ad salutem, cum tam multos nostros ad perniciem traxeris. Quid enim volumus nisi te comprehendi, & præsentari, & seruari ne pereas? Quod autem in corpore lætus es, ipse tibi fecisti, qui iumento tibi mox admoto uti noluisti, & te ad terram grauiter collisisti. Nam vtique alius qui adductus est tecum collega tuus illæsus venit, qui talia sibi ipse non fecit. Sed neque hoc putas tibi fieri debuisse, quia neminem existimas cogendum esse ad bonũ. Attende quid Apostolus dixerit. Qui Episcopatũ desiderat, bonũ opus concupiscit; & tamen tã multi vt Episcopatũ suscipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ volũt, donec eis adsit voluntas suscipiẽdi operis boni;*

quanto

quãto magis vos ab errore pernicioso in quo nobis inimici estis, trahendi estis, & deducendi ad veritatem vel cognoscendam vel eligendam, non solum vt honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessime pereatis. Dicis Deum dedisse liberum arbitrium; ideo non debere cogi hominem nec ad bonum. Quare ergo illi, de quibus supra dixi, coguntur ad bonum: Attende ergo quod considerare non vis. Ideo voluntas bona misericorditer impenditur, vt mala voluntas hominis dirigatur. Nam quis nesciat nec damnari hominem, nisi merito malæ voluntatis, nec liberari nisi bonam habuerit voluntatem? Non tamen ideo qui diliguntur, malæ suæ voluntati impune & crudeliter permittendi sunt, sed vbi potestas datur, & à malo prohibendi, & ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare Israelita recusantes & murmurantes tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur? si voluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus vbi pessima voluntate qua persequebatur Ecclesiam, sed postratus est vt excæcaretur, & excæcatus est vt mutaretur, mutatus vt mitteretur, missus vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate patereturʔ Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur pater in scripturis sanctis filium durũ non solum verbis corripere, sed etiã latera eius tundere, vt ad bonam disciplinam coactus & domitus dirigatur? Vnde idem dicit: Tu quidem percutis eum virga, animam autem eius liberas à morte. Si mala voluntas semper suæ permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes pastores, & dicitur eis: Errantem ouem non reuocastis, perditam non requisistis? Et vos oues Christi estis, characterem Dominicum portatis in sacramento quod accepistis, sed erratis & pereitis.

Non permittendi homines suæ malæ voluntati.

Oues errantes reuocandæ ad caulas.

Non ideo nobis displiceamus quia reuocamus errantes, & quærimus perditos. Melius enim facimus voluntatem Domini monentis, vt vos ad eius ouile redire cogamus, quam consentiamus voluntati ouium errantium vt perire vos permittamus. Noli ergo iam dicere quod te assidue audio dicere: sic nolo errare, sic nolo perire. Melius enim nos hoc omnino non permittimus quantum possumus. Modo quod te in puteum vt morereris misisti, vtique libera voluntate fecisti. Sed quam crudeles essent serui Dei, si huic malæ tuæ voluntati te permitterent, & non te de illa morte liberarent? Quis eos non merito culparet? quis non impios rectè iudicaret? Et tamen tu te volens in aquam misisti vt morereris; illi te nolentem de aqua leuauerunt, ne morereris. Tu fecisti secundum voluntatem tuam, sed in perniciem tuam; illi contra voluntatem tuam, sed propter salutem tuam. Si ergo salus ista corporalis sic custodienda est, vt etiam in nolentibus ab eis qui eos diligunt seruetur, quanto magis illa spiritalis in cuius desertione mors æterna metuitur.

Pernicioſi libri ſalutariter prohibendi.

§. 10. Septimum est id quod olim vsitatum fuit librorum pestilentium prohibitio, quæ nostris quidem sectariis initio iniusta visa est, sed modo illi ipsi eadem lege vtuntur, nec modo Caluinianorum, sed suorum etiam vetant, querelæ Illyrici, atque aliorum sunt: *VVittembergensibus, & Lipsensibus præla patere, cæteris occludi* Qua de re cum doctissimus noster Iacobus Gretserus accuratissime scripserit ad eum remitto lectorem.

CAPVT XVIII.

Modus reducendæ veræ religionis.

Facilius ſeruatur integritas, quam reducitur.

§. 1. PLERAQVE quæ de conseruatione veritatis, & religionis dicta sunt, etiam ad errantes in viam reducendos valent. Viris tamẽ Politicis aliter, atq; aliter tractãda sunt. Difficulter inuenitur veritas, sed multo difficilius persuadetur erranti. Principis tamen officium est, etiam in hoc incumbere, vt prauæ opiniones tollantur è medio, Deo honor suus restituatur, animarum pereuntium saluti consulatur.

Non impetu agendũ, quia ſic magis obnititur contumacia.

§. 2. PRIMA quidem ratio, quod in fidibus faciunt musici, vt paulatim ad concentum reducant, & in morbis medici, qui humores noxios particulatim, & per interualla subducunt, ita quoque in Republica faciendum, quæ errorum, & superstitionum ægritudine laborat. Non probo tardos, & inefficaces languidorum processus, cum sæpe à conatu desistitur, omnia quæ adhiberi possunt, tentanda suadeo; sed lento, firmoque gradu, ne præcipitetur. Lenia imperia, & monitiones hic plurimum prosunt.

Facile eſt Europæ fidem reddere.

§. 3. Secunda. Nulli principum Europæ, si modo velit, difficile fuerit, animos hominum reuocare ad pristinos maiorum nostrorum ritus, id quod olim fieri nunquam posse putabatur, iam enim veterem religionem plerique amare incipiunt, nec vllis ministrorum calumniis induci possunt, quo minus multi in singulos annos ad vnitatem Catholicam redeant:

Tantum æui longæua valet mutare vetuſtas.

Satietas errorũ inducẽtio eſt ad orthodoxã fidem.

quod ardentissime concupiuerunt, iam fastidiunt; aut etiam oderunt. Fatalis est illa vulgi leuitas noua mirari, vetera contemnere. Cum igitur in cursu hæresis erat, nulla vi sisti aut sufflaminari potuit, postea languidior incessit, & in se diuisa, ac collisa impetũ amisit, postremo retro reuersa est. Multæ Germaniæ prouinciæ plures passæ religiones, iam nullam retinent in dominorum voluntatem intentæ. Causa huius rei, vt dixi, Leuitas est, & ignoratio veri. Altera ratio est, quod hæreseon, & hæreticorum nequiam diu ignorare nequeunt, quodque in singulos pene annos mutari omnia experiuntur. Sponte in diuersa abeunt vt diu stare non possint. Quemadmodum si cœcorum turbam è carcere emittas, facilius est, vt nullus, quam vt omnes ad metam pertingant, hoc argumento si prudenter magistratus vtatur, sponte in viam duci sese sinent, tot auia pertæsi, tot sceleratorum apostatarum fraudes experti.

Tot mutationes faciunt vt omnium incerti ſint.

Quædam hæreſes celeri remedio tollendæ.

§. 4. Hac igitur lenitate agendum est, nisi forte eæ hæreses sint, quæ moram non patiuntur, vt sunt Muncerianorum, atque Anabaptistarum, eorumq; qui in magistratum insurgunt. Ille enim vt morbi acuti medicinæ lentæ locum, & tempus negant, ideo celeri & periculoso remedio opprimendæ sunt.

Tres potentes principes facile religionem mutarunt.

§. 5. Tertio, Hæresiarchæ & doctores errorum Republica pellendi sunt. Vna quidem vice, si commode fieri queat, sin minus sensim & paulatim; Non opus est hac quidem in re probatione; nam turbulentis, & vertiginosis Æolis abactis, mare quod imo fundo exciuerunt, sponte conquiescet. Et error cui patrocinium deerit, sine pugna concidet. Nunquam itaque satis laudati sunt imperatores, qui Arium, Nestorium, Vigilantium alios exilio multarunt, execrandi vero Wandali; qui collectos in Africa sacerdotes, & Episcopos equis obtriuerunt, aut in deserta loca deportarunt. Multæ rationes sunt religionis temeratores exigendi, quamuis fauente populo venena sua spargant, sed faciet id magistratus legitime, & iuste, nec calumniam vllam inferri sinet. Tres potentes Germaniæ principes religionis Lutheranæ in Caluinianam, seu vt ipsi vocant, reformatam, commutationem fecerunt. Palatinus Elector, Hassiæ Landgrauius, & Marchio Brandeburgicus, etiam Elector, & quamuis omnes pene subditi Zvinglianismum odissent, sine vllo tumultu, (nisi quod Berlinum irasci præsumpsit) tralationem illam perfecerunt.

§. 6. His

Praxes mutandæ sine tumultu religionis.

§. 6. His in commutationibus, hæc fere obseruanda ex historia mutatæ in Palatinatu religionis, ex actis Marpurgensibus, & edicto Brandeburgico. Primo quidem mutandæ religionis, & exstirpandi Lutheranismi propositum celauerunt, non quidem vt prudentiores ignorarent, sed ne populus commoueretur. Secundo, Arte Zvinglianorum quidam subornati sunt, qui reformatæ religionis exercitium peterent, idque multis, & mollibus verbis, ne princeps sua sponte in odiosam nouitatem propensus videretur, sed subditorum conscientiis indulgere, libertatem amare, ac fouere. Laudari enim vulgo solet facilitas principis, cum in illis etiam, quæ negare melius erat, se exorabilem præber. Tertio, Templum illis vnum, alterumue petebatur, ne hoc quidem durum populo videbatur, plura retenturo, nec de illis nimium sollicito. Quarto, Hic tamen sese Lutheranorum opposuit Zelotypia, cum templo enim reditus, pastumque detrahi sentiebant, nec ignorabat hoc sagax politicorum prouidentia, itaq; colloquium, & pacificationem machinantur, in aula conuenitur, in consilio principis disceptatur, notarius & testes negantur. Hoc nullo modo probandum est, sed si colloquium instituendum est, sua vtrique parti libertas, & commoda relinquenda sunt. Qui enim alterius potentia pressi loco deteriore fuerunt victores censentur, vt in Hollandia Armeniani, cum illos quos principis fauor tutabatur, si causæ fiderent, pari iure, armisque decertare oporteret. Quinto, Decretum editum est, de non calumiando, non contendendo, non prædamnando aliis, de pace & concordia fouenda. Hoc principum edictum ad institutam religionis mutationem efficax fuit. Sic enim effieiebatur, ne contradicere Caluinistis, Zvinglianis, Sacramentariis quisquam, imo ne nominare quidem auderet. Multum autem profecit error, cum id obtinuit, ne detegatur. Nec tamē ne tum quidem populus quisquam mouit, cum alioqui moderatiores eristicas, & contumeliosas cōciones multi detestentur; hanc igitur ob causam princeps non vt hæreseon fautor proscindebatur, sed vt pacis amator laudabatur, præsertim cum thesin & anthithesin doceri permitteret. Sexto, Disputatio Academica instituta est præside Caluiniano, qui deinceps etiam ordinarius professor constitutus est. Septimo, Ne his quidem omnibus hoc actū esse videbatur, vt Lutheranismo Zvinglianismus succederet, sed vt pax cōstitueretur, nihil enim tum aliud postulabatur, quam vt Lutherani retentis dignitatibus & fructibus cum reformatis in consistorio simul considere, & deliberare de rebus Ecclesiasticis vellent, hoc cum recusarent, quasi superbi, cōtumaces, inobedientes magistratui accusabantur, & meruisse videbantur dimissionem; quia collegas aspernabantur, & pacem.

Propositi dissimulatio.

Mutationē petentium subornatio.

Pauca initio postulata.

Disputatio & colloquia, ex quibus occasio facilis mutandi.

Specie pacis vetita dogmatum propugnatio.

Disputatio publica instituta.

Specie pacis dogmatum quæsita defensio.

Suauibus imperiis populi patientia cedit.

Hæc omnia hactenus ita transacta sunt, vt experirentur quid ferre posset populus, si enim tumultus oriretur, si contutores qui cum Ioanne Casimiro instituti erant eo fine, ne religionem ille mutaret, sese mouerent, speciosa horum actorum erat excusatio. Octauo, cum populus Heidelbergensis pro retinēdis concionatoribus Lutheranis supplicaret, res silentio transacta, atque interim hoc actum, vt concionatores illi velut nimium peruicaces, & cerebrosi traducerentur, facile itaque petitione sua plebs desistit, & si illi qui adorant desplicerent, saltem alios moderatiores, & paci idoneos poscebat. Credebant enim hominum esse offensam, non Lutheranismi odium; sperabant itaque, & cum spes esset precibus obtineri posse credendi libertatem, a vi abstinebant, donec postremo curam Lutheranismi, ac spem deposuerunt. Nono, cum iam tuta omnia viderent, domo Parochiali excedere iussi sunt Lutherani, omnia templa data Caluinianis, nec queri ausi sunt, qui in exilium pellebantur, sed ad curas domesticas versi, posthumam & honorariam mercedem, immunitatem à vectigalibus, similiaque poscebant, effuse ridentibus Caluinianis rem tam magnæ molis ad tā humiles, & abiectas preces deuenisse. Decimo, Cum auditores Academici Lutherani essent, cum illis quoque varia arte tractatum est, stipendiariis, seu alumnis Electoralibus est oblatus Caluinismus, aut repræsentata dimissio, pro Catechismo Lutheri Zvinglianus obtrusus omnibus, ita breui momento maxima conuersio, quasi sine motu contigit; nam prædicantes rurales facile cum principe opiniones mutabant. Vndecimo, In Hassiaca mutatione hoc etiam notaui, quod cum Lutherani tam Academici professores, quam Concionatores officiis & honoribus cedere recusarent; mirari se princeps dixit, cum nondum eos ipse suscepisset, & in possessionem misisset, morte enim defuncti principis eorum quoque loca vacua facta, & iura in sua esse potestate. Duodecimo. Lente etiam & particulatim processum est in Hassia, neque Caluinismus totus proferebatur, sed quædam vt videbatur exigua pars, nempe, redintegratio præceptorum decalogi, fractio panis. Itaque licet initio Marpurgenses ad conciones Lutheranorum quos discessuros audierant, solliciti accurrerent; cœnam caperent, nihil tamen postea mouerunt, sed paulatim ad Caluinismum migrant, multo facilius, si alio vocentur, obtemperaturi, nēpe in Arminianismum, aliamue sectam. Tertiodecimo, Consecutæ sunt scriptiones vtrinque, sed præualuerunt, quarum fauor ab aula erat. Plurimum autem profuit, cognita Lutheranorum ministrorum in moribus nequitia, quocirca quosdam magna contumelia sub patibulo exautorarunt.

Omnibus bris præcedentibus, tuta expulsio doctorū.

Sudiosorū, & alumnorum mutatio.

Plena arrogatio omnium officiorum.

Paucorum articulorū propositio.

Scriptiones institutæ.

§. 7. Quarta ratio est, quam video olim vsurpatam, & nunc quoque vigere, nempe vt qui veræ religioni aduersi sunt, honoribus, dignitatibus, & muneribus publicis arceantur. Neque iniquum est, eum qui Reipublicæ incolumitati obstat, à republica honores, & opes non adipisci. Magnorum rei criminum honoribus arcentur, cur blasphemi, & contemptores veritatis admittantur?

Blasphemos non decet dignitatibus fulgere.

Theodosius ita sanxit: & ante eum tres Constantini magni filii, omnia priuilegia quæ religionis contemplatione data sunt ademerunt hæreticis, de hæret. l. Priuilegia. Fredericus *non hæreticos modo, sed receptatores, fautoresque damnat, & nisi intra annum satisfecerint, infames esse iubet. Nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos iubet adhiberi*, adiungit alias pœnas quæ supra in constitutione notatæ sunt. Multa sunt huius consilii emolumenta; nam si in dignitate sunt aduersarii religionis, multa habebūt, quibus se principi opponunt, subditos insscio principe diuexent; nemo enim cum diuersam à suo principe religionem tuetur, ita illi fidelis est, sicut aliis, quibuscum consentit. Deinde subditi lentius ad veritatem veniunt cum perfidiam suam in consortibus errorum suorū honoratam cernunt. Tertio, sola vera, & Catholica fides persecutione crescit; quia sola spe bonorum futurorum nititur, superstitiones, nisi forte primo impetu, detrahendis commodis minuuntur ac euanescunt. Quanti res illa momenti sit, intellexere quidam Germaniæ principes vltimis comitiis Ratisbonæ institutis: petunt enim vt Cæsar aulicos cōsiliarios pari numero ex diuersa religione legat, cum tamen ipsi Catholicis non vtantur, imo nec Lutherani Caluinistis, nec hi Lutheranis.

Quiprincipem suum putat impium fidelis illi non est.

Potentiæ consortum fidunt.

§. 8. Quinta ratio est, vt cum tota aliqua hæresis exstirpanda est, idque moderate, & ratione agendū, non mero imperio, carpantur primum illa, quæ in vulgus

Summa dedecora sectarum

vulgus male audiunt, quæque absurditatem primo aspectu etiam rudibus ostendunt. Exemplo sunt Caluiniani qui vt facile auctoritatem Lutheranorum attererent, nomen Lutheri sæpe cum veneratione vsurpabant, eos autem Lutheranos quos contra agebant omnes Flaccianos appellabant, Flacci vero inter Lutheranos secta præcipuæ erat stoliditatis & amentiæ. Sic Pareus, qui omnes Lutheranos vnam habere ceruicem exoptat, contra Vbiquitarios violentos veritatis hostes agere se profitetur. Vltraiectenses cum rigidum Caluinismum exstirpare Synodo sua conarentur, quod caput eius erat impietatis edicto vetuerunt; *cauerent omnes ne ea docerent, ex quibus Deus auctor peccati haberi posset.* Magistratus ergo orthodoxus cum postliminio reducere pietatem pristinam volet, sententiarum manifesta flagitia, in quibus maior est etiam impudentium verecundia primum carpenda curabit, multa enim tegunt, multa verbis adumbrant, quibus si rem spectes nulla est venia, hæc protrahenda sunt in lucem, vt odio digno profligentur. Sic enim auctoritas detrahetur fatuis doctoribus, manifesto in crimine deprehensis. Tales enim superstitiones ostendisse, confutasse est.

Cum dissentiunt sectæ, eas quæ vera docent aliqua probare.

§. 9. Sexta ratio reducendæ pietatis, & abolendi erroris est; In rem suam vertere lites errantium. Quis enim non facile Puritanos in Anglia redigat in ordinem, si Episcoporum approbationem ab illis extorqueat, aut eosdem Puritanos ex Belgio, si mitioribus in controuersia feruente adhæreat? Varietas enim credendi facit eos, qui certi sibi videbantur, ancipites, ita cum ad vnam partem disceptantium consensus principis accedit; alteram facile euertit, & integram obnoxiam efficit. Exemplum magnum est Apostolus, qui in consilio quod ex diuersis sectis constabat, vnius sententiam veram approbando calculū absolutionis meruit. Effecitque, vt sua dissensione impediti contra veritatem conspirare non possent. Hoc principi Orthodoxo præcipue suaserim, nam haud minus commode errantium dissidiis, quam recte credentium concordia ad exstirpandos errores vtetur. Quandoquidem etiam in præliis imperatori non modo rei militaris peritia, & robur, sed crebro etiam hostium incuria, vel lapsus, rei gerendæ opportunissimas occasiones obtulerunt. Modo in specula sit, vt momenta videat, & morbis non modo conuenientem, sed opportunam etiam faciat medicinam. Diæta multos curat, olim cum Rigidus Caluinismus tentaretur à Lutheranis in ipso æstu paroxysmi malū exasperatum est, multumque damni attulit subdita coercitio; nunc sponte de rigore durissimam partem Arminiani remiserunt, & Caluinianos impios iudicant, atque in ipsa Academia persequuntur, in aliis oppidis exulare cogunt, plura & attrociora ausuri, ni partis aduersæ vires pertimescerēt. Profecto si Mauritii solius generosa vis pro mollibus staret, Cōtrare monstrantium rigor emolliscerēt, aut frangeretur.

Cruda vulnera mitius tentanda.

Cætus clandestini impediantur.

§. 10. Septima ratio est, si coitiones clandestinæ, publicæque prohibeantur; ita Arcadius Gainæ templum pro Ariana perfidia denegauit; sic Leo & Anthemius imperatores Paganis interdixerūt ne ad impia sacra conuenirent. c. t. 11. *Nemo ea, quæ sæpius Paganæ superstitionis hominibus interdicta sunt, audeat pertentare, sciens, quod crimen publicum committit, qui hæc ausus fuerit perpetrare. In tantum autem huiusmodi facinora volumus esse resecanda, vt etiam si in alieno prædio, vel domo aliquid tale perpetretur, scientibus videlicet Dominis prædium quidem vel domus sanctissimis iuribus ærarii addicentur: Domini vero pro hoc solo, quod scientes consenserint, sua loca talibus contaminari sceleribus, siquidem dignitate vel militia quadam decorantur, amissione militiæ vel dignitatis, nec non rerum suarum proscriptione plectentur: priuatæ vero conditionis vel plebeiæ constituti: post cruciatus corporis, operibus metallorum, aut perpetuo deputabuntur exilio.* Et ante hunc Valent. & Marcianus. *Nemo venerandi adorandique animo delubra, quæ olim iam clausa sunt, reseret. Absit à seculo nostro infandis execrandisque simulacris honorem pristinum reddi, redimiri sertis templorum impios hostes, profanos aris arcendi ignes, adoleri in iisdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco existimari sacrilegium.*

Ipsa loca talium in vsum trahūtur.

§. 11. Octaua ratio est, seueritate legum, & pœnis contumaces ad officium adducere. Religionum violatarum aliubi, atque aliubi diuersa pœna est, sed vbique aliqua. Merito ac iure: Nam quod in diuinam religionem committitur, in omnium fertur iniuriam, quod omnibus nocet, Reipublicæ periculo nocet, ideoque à Republica repelli debet. Quando autem periculose ista docentur, apud eos, quos conscientia quietos esse non sinit, malo toto de eo genere magnum Ecclesiæ doctorem citare ac proponere. Primo eo modo multos esse correctos docet, Ep. 50. *Hoc enim contigit Donatistis, quod accusatoribus S. Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conuersæ sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, nisi quod propter misericordiam Christi, magis pro eis sunt leges ista, quæ illis videntur aduersæ: quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur; & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, & in residuos cum quibus fuerant perituri, iam simili dilectione nobiscum, vt pariter instemus ne illi pereant, excitantur. Molestus est enim & medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelis est. Si enim equus & mulus, quibus non est intellectus, morsibus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales reuocent ad salutem: quanto magis homo ab homine, & frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest quantum sibi præstabatur beneficium, quando se persecutionem perpeti querebatur.*

Seueritate legum errores coercendi sunt.

Medicinæ molestia sanatis grata est.

Caritas benè facit etiam inuito.

Verum hic lex illa valeat, vt coerceat diligendo, non sæuiendo, castiget vt corrigat, non vlciscatur, vt euertat.

Deinde pergit: *Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filii coegerunt alios vt perirent? Quāuis etiam illos quos non coegerunt, sed tantummodo seduxerūt, si per terribiles, sed salubres leges in eius gremio reuocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multo amplius, quā de his quos nunquam perdiderat, gratulatur. An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues quæ non violenter ereptæ, sed blande leniterque seductæ, à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint possideri, inuentas ad ouile Dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare?*

Si ad hæresin cogunt mali, cur non ad veritatem cogant boni.

§. 12. Hæc Augustinus, qui tamen alias in ea sententia fuit, non esse petendum ab imperatoribus, vt hæresin Donatistarum iuberent omnino non esse. Sed postea mutauit; nam mentibus prauis, frigidis, duris necessariam putabat medicinalem molestiam. *Hinc*, inquit, *ergo factum est, vt imperator religiosus & pius perlatis in notitiam suam talibus causis, mallet pijssimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos qui contra Christum Christi signa portarent ad vnitatem Catholicam terrendo & coercendo redigere, quam sæuiendi tantum modo auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere. Iam vero cum ipsæ leges venissent in Africam, præcipue illi qui quærebant occasionem, aut sæuitiam furentium metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuo transierunt; multi etiam qui sola illic à parentibus tradita consuetudine tenebantur, qualem vero causam ipsa hæresis haberet, nunquā antea cogitauerant, nunquam quærere & considerare voluerant;*

Augustinus de pœna hæreticorum sententiam mutauit.

Seueritas timidos roborat, dubios reuocat.

Multi cupiunt videri cogi.

rant; mox vbi cæperunt aduertere, & nihil in ea dignum inuenire propter quod tanta damna paterentur, sine vlla difficultate Catholici facti sunt. Docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium præcedentium authoritatem & persuasionem secuti sunt multi, qui minus idonei erant per seipsos intelligere: quid distaret inter Donatistarum errorem, & Catholicam veritatem: ita cum magna agmina populorum vera mater in sinum gaudens reciperet, remanserunt turbæ duræ, & in illa peste infelici animositate sistentes. Ex his quoque plurimi simulando communicauerunt, alij paucitate latuerunt. Sed illi qui simulabant paulatim assuescendo, & prædicationem veritatis audiendo, maxime post collationem & disputationem, quæ inter nos, & Episcopos eorũ apud Carthaginem fuit, ex magna parte correcti sunt. In quibusdam vero locis vbi pertinacior & impacacior praualuit multitudo, cui resistere non poterant pauciores, quorum erat melior de communione sentẽtia, aut turbæ authoritati paucorum potentiorum subdita in malam partem obtemperarunt, aliquanto diutius laboratum est.

Flagellis perfidia castigatur.

Idem contra literas Petiliani. Petilianus dixit: *Quod si cogi per legem aliquem vel ad bona licuisset, vos ipsi miseri à nobis ad fidem purissimam cogi debuistis. Sed absit, absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem compellamus. AVG. respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus, sed per seueritatem, imo & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen male viuendi vltrix disciplina præposterа est, nisi cum præcedens bene viuendi doctrina contemnitur. Si quæ igitur aduersus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo potest nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera voluntate: timor autem pœnarum & si nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coercet malam cupiditatem. Qui tamen aduersas leges constituerunt quibus vestra comprimatur audacia, nonne hi de quibus dicit Apostolus. Quia non sine causa gladium portant, ministri enim Dei sunt, vindices in iram ei qui male agit?*

Bona facere lex regũ præcipit, & bene facere, sed nemo bonum benefacit, si coactus facit.

§. 13. Quid igitur in omnes iure, & lege aget princeps, & ad fidem coget? Non in omnes, sed tamen pro omnibus aget. Si pauci sint, si sine motu fieri potest iubeat non esse hæreses, magos, idololatras? sed sensim vigor legum exeratur, nisi vbi contagionis periculum est. Qui pernicioſi sunt remoueantur, cæteram turbam principis auctoritas ducet. Multos verecundia, multos timor retinet, pleroſque vero vana securitas quasi melius aliquid non appareat, quod sequantur. Intra paucos annos in Francia supra centum millia ad veritatem conuersi sunt, in Germania plures. Nullus principum Germaniæ qui ad Catholicos adducere suos conatus est, vim expertus est legibus suis contrariam. Belgæ duntaxat rebellarunt, sed nec erat sola causa religio, nec prætexebatur, priuilegia, & libertas obtendebatur, & inuisum semper populis cultis exteræ nationis imperium, decimarum exactio populum ad seditionem concitauit.

Germani in varias religiones principum arbitrio ducti.

§. 14. Manet tamen politicorum aliter sentientiũ decretum. Non esse cogendos; nam sic & impii manent, & simulationem adiungunt impietati, germinantque scelus. Sic purpuræ cultores, non Dei effeceris. Sed errant illi, & Reipublicæ paci, non tantum religioni obsistunt. Primo enim ne mala faciant, ne sacrificiis idololatricis dæmonem colant, ne templa vastent, sacra irrideant, Deum sceleribus suis inscribant, veritatem oppugnent, salutari lege imperatur; quamuis enim inuiti pareant, melius est tamen coactos sola mente, quam mente simul & opere in flagitia ferri. Quemadmodum etiam secularium legum formido multos animo iam & voluntate reos, ab audendo, & potiendo deterret.

§. 15. Nec à malis tantum abduci, sed in virtutis etiam scholam, sacrariumque inducere lex assolet. Honesta enim & pia iubet, prohibetque contraria. Pia inquam iubet, & pie facere, non simulate, hypocrisin suæ quisq; nequitiæ imputet. Honorare magistratum contumaces etiam iubentur, quia recte præcipitur, nec ideo honesta imperare lex nõ debet, quia honesta facta simulator animus vitiat, sed monere vt sponte, quod officium requirit, efficiant. Plerunque tamen cum ad honesta impelluntur sensim ea etiam honeste peragunt, & animos ad virtutem applicant, cum manus operi admouere necesse est: Quod si nõ nullorum durities resistit, consuetudine tamẽ emollitur; ætas vero tenera, nondum imbuta malis recens impietate imbuitur, in senectam boni odoris suauitatẽ deductura; memini sane pueros multis parentibus erroris deponendi fuisse auctores, qui cum adolescunt, & posita prætexta tribum aut curiam ingrediũtur, optimos ciues Reipublicæ se præstant. Quod nunc multa millia in Germania præsertim Bauaria, Stiria, Carinthia, Belgio facere videmus. Itaque & reformatio quę prouectos non adiuuat, ætatem puerilem tamen Catholicam exhibet.

Lex sensim virtutem inducit.

Optima religionis reformatio bona vita præsulum.

§. 16. Nona ratio est, atque inter omnes pene efficacissima, vt Reipublicæ præsides vitæ integritatẽ, morumque puritatem colant. Initio dixi de moribꝰ omnium; nunc peculiariter moneo reformationem tardam, difficilemque fore, nisi Prælati, doctoresque insigni non modo innocentia, sed fama etiam innocentiæ toti Reipublicæ præluceant, Cum enim adeo maligna res sit, & calumniosa superstitio, vt de sanctissimorum virtute, atque existimatione detrahat, inculpatissimos etiam Athanasios fictis criminibus per ora hominum traducat, emptis testium periuriis ad tribunalia trahat, quasi in alieno crimine sat causæ sit, cur hæreses non deserantur, quis dubitet quãdo publica sunt sacerdotum scelera, magno detrimento religionis ea tolerari? Clericorum; Clericorũ, inquam Clericorum; sed malorum vita turpis hæreses fecit; auxit, conseruat. Frequenter cum hæreticis, aut cum illis qui credunt hæreticis in disputationem veni, post argumenta quæ minimo labore soluuntur, & retorquentur, in accusationem Clericorum vertuntur, eaque proferunt, quæ nec negari, nec defendi possunt. Quid igitur hac in re faciet Respublica? Primo adlaborabit, vt Episcopi & prelati casti, liberales, sobrii, fortes, relatores legis diuinæ eligantur, qui mores reforment, ipsi quicquid possunt principes potestatis adiungant, nec difficile remedium; ebriosus, aut concubinarius est Canonicus; aut Parochus accusator opponatur, eius dignitatis & præbẽdæ candidatus accedat alius, conuictus deponatur, & Episcopatum eius accipiat alter. Si inter se dissimulent prælati, nec corrigant suorum vitia, liberam reformandi potestatem regibus, & principibus Christi Vicarius concedat, quod nuper magno prouinciæ bono sereniſſimo cuidam principi commisit. Verum quia ea de re lib. 2. c. 9. de pace Germanię satis egi, & hic locus requirit eadem, malo illa huc transferre, quam aliis verbis hic recensere.

Clericorum vita hæreses fecit.

Facilis correctio cleri.

Qui cum scandalo tenent beneficia, priuentur.

§. 17. Primo loco, vt rem summe necessariam, sine qua pax nulla vnquam constituetur, constituta non perdurabit, Ecclesiasticæ disciplinæ, vbi ea elanguit, restitutionem, vbi riget, conseruationem pono, hęreseon, & persecutionum veterum, & recentium fere causa fuit Christiani Cleri, & populi dissolutio. Antiquum Ecclesiæ vulnus, sed quod nimium renouatur, vt nunquam in toto orbe inueteraſcat, nunquam perfecte sanabitur. *Dominus*, inquit S. Cyprian. *probari familiam suam voluit*, cum scilicet persecutionẽ permisit; (loquitur vero de ea, quæ sub Decio fuit, quam 38. *annorum pax in Africa præcesſit.*) *Et quia traditã nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem,*

Tempore S. Cypriani corrupti multorum in Ecclesia mores.

fidem, & pene dixerim dormientem censura cælestis erexit; cumque nos peccatis nostris pati amplius mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, vt hoc omne quod gestum est, exploratio potius, quam persecutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus inhiabãt. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simpliciũ, callidæ fraudes, circumueniẽdis fratribus subdolæ voluntates. Iungere cũ infidelibus vinculũ matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi. Non iurare tantum temere, sed adhuc etiam peiurare, præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem sibi dissidere. Episcopi plurimi; quos & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias aberrantes, negociationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere. Hæc S. Martyr tractatu de lapsis, ætate Martyrum. Nostris malis grauiores causæ fuerunt, maior disciplinæ iactura, grandior vitiorum dominatio, quæ tandem in rebellionem ac hæresim desierunt. Nec mirum: sine disciplinæ cura non modo pax religionis teneri non potest, sed ne religio quidem ipsa. *Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter Deo viuere, ad promissa cœlestia, & diuina præmia peruenire.* Cyprianus de disciplina & habit. virg. Nihil hoc tempore plerisque magis obstat, quo minus ad veterem religionem redeant, quam quorundam in ea male viuentium exẽpla. Vulgus enim de vita doctrinam æstimat, quem mancipatum diuitiis, ardentem libidinibus, fastu turgentem conspexerit, ab eo doctrinam largitatis, pudicitiæ, modestiæ, se discere recte posse non credit. Miraris non conuerti errantes? miraris sine fructu te laborare? de vita tua dubitant, quia in animo latet, vitia tua sunt in propatulo, plus illa valent ad odium, quam incerta fides ad dilectionem. Cibum verbi Dei promittis esurientibus. Sed manu impura, ac purulenta dum porrigis, suspectum reddis & facis inimicos blasphemare nomen Domini. Est vero *peccatum* tuum *grande nimis coram Domino quia retrahis homines à sacrificio Domini,* non à sacrificio arietum & vitulorum, sed à sacrificio orationum, fidei, pietatis. Auertuntur à Deo, cuius ministrum vident tot vitiis inquinatum. Nulla re magis crescunt hæreses, quam clericorum vitiis, laicorum peccatis, qui vitiis suis prolem ita inficiunt, vt pietati nunquam assuescat; testantur id ipsi hæretici, qui scripturis, & rationibus conuicti, in accusationem curiæ Romanæ, totiusque status Ecclesiastici vertuntur, quibus alio loco respõdebo, neque enim magis excusabiles illi sunt, quam filii Israel, qui sceleribus Ophni, & Phinees retracti à sacrificio Domini colebant Baalim, & Astharoth. Nunc illos moneo, qui cum de Ecclesia viuant, de Christi patrimonio incrassati sint, de stipendio ducis nostri larga donatiua accipiant, sua ignauia, inscitia, ebrietate, turpitudine, castra sua hostibus produnt, de animarum pereuntium exitio nihil soliciti, pacem Ecclesiæ in opulentia, & quiete præbendarum collocantes. O Deus bone, *si expedit ei, qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in te credũt, vt mola asinaria suspendatur ex collo eius, & demergatur in profundum maris,* qui montes poterunt sufficere aut saxa tot ceruicibus alliganda? toties mergendis illis qui nõ modo pusillos, sed mundum vniuersum scandalizant, magnos, & paruos, pusillos qui in te credunt, magnos vt credere desinant, incredulos ne ad fidem veniant. Omnibus Christianis dictum est. *Sitis sine querela, & simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo: verbum vitæ continẽtes ad gloriam meam in die Christi.* Philip. 2. 15 Episcopis vero & prælatis dicitur. *Exemplum esto fidelium in verbo, & in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate.* 1. Tim. 4. 12. Et. *In omnibus præbe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate; verbum sanum, irreprehensibile:* Tit. 2. 7. Et quare? causam addit: *vt is qui ex aduerso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Non verbo solo, sed exemplo vel maxime Apostoli orbem conuerterunt, exemplis iterum ad infidelitatem itur, dum enim conscientiam abnegant, fidei naufragium faciunt. Quia enim in conspectu populi male viuunt, quantum in ipsis est, eos à quibus cognoscuntur, occidunt. *Omnis, qui male viuit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit.*

Quid igitur? an illis in partibus vbi Ecclesiæ disciplina negligitur perpetuum bellum prædicas? Aut bellum, aut seruitutem, aut interitum. Si enim mores emendentur, abusus tollantur, scandala remoueantur, perbreue bellum victoria excipiet solida, si peccatis Deus amplius irritabitur, errantes, in hæresi firmabuntur, hæsitantes, & dubii plane auertentur, excutiet licentiam ac lasciuiam, vt multis iam locis fecit, Deus. Si Episcopi ac prælati impares sunt quorundam vitiis, fortiorem Deus Zelotes mittet vltorem, quo impium simul tollet, & impietatem eius. Sic Asiam, Ægyptum, Græciam Turcæ occuparunt, dum nec Clerus paret Episcopis, & Episcopi à summo pastore defecerunt, dum mores barbarorum nequiciam superabant. Ita fere comparatum videmus, vt cum ad summum vitia ascenderint, omnia pariter ruant, ad summum autem ascendisse credenda sunt, si publica lege, vel consuetudine, & approbatione committuntur, si vim omnem vigoremque legum, si auctoritatem Magistratus elidant. E moritur quod sanari non potest. Peribit in Europa religio, nisi sanctitati religionis morum integritas consentanea sit. Quid igitur reformandum censes? dicet mihi quispiam reformationis & metuens, & indigus. Generatim quicquid deformatum est, quicquid etsi deforme non est, ob circumstantias tamen causa est alicuius in Ecclesia deformitatis.

Ipsos sacerdotes vitia corripuerant.

Prælati exemplum in subditos manat.

Disciplina religionis conseruatrix.

Si prælati emendare possunt impares vitiis, Turca tollet.

Laici causa sunt vitiorũ Cleri, quia sic liberos educant.

CAPVT XIX.

Alia minora pro reducenda vera religione adiumenta.

§. 1. PLurima sunt pro temporũ, locorumq; varietate, quæ prudentia, & pietatis ingeniosus amor suggerit, q̃ pereuntib. adhiberi possunt, vt saluẽtur. Sine admiratione disciplinarũ mathematicarum capiũtur Iapones, moralium rerũ prudenti expositione gaudent, Indorũ plurimi beneficentia, Americani cærimoniis & musica, omnia igitur tentanda sunt, pro salute hominum, cum omnia peruigil illè Draco ad eorum exitium moliatur. Misera est enim Respublica, si magna quidem turba exundat, sed pereuntium.

Omnia pro veritate tẽtanda principi.

§. 2. Primo loco musicam piam ac grauem colloco, q̃ non sola modulatione & harmonia aures mulceat, sed multo magis verborũ, & sententiarum lucemẽtè instruat, sanctitate voluntatè afficiat. Veritas suauitate illa facilime discitur, & retinetur. Exemplo falsa docentium, & hæresiarcharum id claret. Paulus Samosatenus hymnos Ecclesiasticos in fæda, adulatoriaque carmina mutauit, Ariani quoque & Pelagiani hoc errorum auxilio fidem, disciplinãq; perdiderunt; quorundam vero eo vsque est progressa au-

Musica virtutem suauiter docet.

dacia, vt Sosadicos etiam cantus in Ecclesiam inducerent. Nec aliter nostra tempora sectarum multitudine, & fæditate infamata sunt, quam cantionibus suaui modulamine hæresim insinuantibus, & veritatis irrisionem sonantibus. Sic hymni Lutherici, sic Bezani animas plures, quã scripta & declamationes occiderunt. Quid ni igitur hoc ad medicinam vsurpet princeps orthodoxus, quod ad perniciem impostores excogitarunt? Mouerunt illa olim Augustinũ, lib. 10. cap. 33. confess. *Quantum fleui in hymnis, & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces tuæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant mihi lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Et postea. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens canendi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.

Musicæ cura legislatoribus fuit.

Aristoteles libris suis de Republica conscriptis de musica multa præscribit, quæ superuacua, aut etiam grauitati materiæ parum consentanea nonnulli iudicarunt. Sed reuera ita sensit & Plato; & Reipublicę suæ pater, perituque gubernandi artifex Tullius l. 2. de legib. *Assentior enim*, inquit, *Platoni, nihil tamen in animos teneros atque molles influere*, quam varios canendi sonos; quorum vix dici potest, quanta sit vis in vtrãque partem. Nam & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit. Ciuitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum seruare modum, quorũ mores lapsi in molliciem, pariter sunt immutati cum cãtibus, aut hac dulcedine, corruptelaque deprauati, vt quidam putat: aut cum seueritas eorum ob alia vitia concidisset, tum fuit in auribus, animisque mutatis, etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeque doctissimus valde hanc labem veretur; negat enim mutari posse musicas leges, sine mutatione legum publicarum. Docuit hoc Germania, Galliaque; nam pendẽtibus in ancipiti animis, noua musica pro vetere illa suauiter seuera, & virtutis administra, licentior, intercenit, & illecebrosa dulcedine hæreses illitas incautis animis propinauit, nunc igitur prudentis medici officium est, veritatem & sanctitatem maiore cõcentuum suauitate condire, ne mentibus in mollitiẽ prolapsis asperæ incidant, ac repudientur. Quam ob causam ad instar Dauidis, Asaph, & Idithum multi viri doctissimi Psalmos, hymnosque modis musicis ornarunt, plerique etiam Epispopi sacros cantus in Ecclesias vernacula lingua induxerunt.

Connubiorum habẽda ratio.

§. 3. Dulce est hoc, sed tamen salutare remedium, asperius quod sequitur, nec iniquum tamen, nec arduum, vt ante matrimoniorum publicas denunciationes, & contractus tam sponsus, quam sponsa fidei rationem reddere cogantur. Parit res illa non pauca commoda; nam primo instituti, & erudiri ad veritatem per hanc occasionem possunt. Deinde cura quędam religionis cunctis iniicitur, atque ea ratione dum promittunt se in Ecclesia futuros, fidemque vetustam amplexuros, veritati paulatim obligantur & amant. Suis etiam artibus petendi sunt hæretici, cum enim aliquando audirem adolescentes Lutheranos contra Caluinianos dira iactantes, quorum tamen princeps pulso Luthero Zvinglium recipi iubebat, miratus sum eos nõdum in nassam illam pertractos; cumque rogassem, quomodo feruente reformatione ipsis Lutheranismus relinqueretur? Respondere runt; Nunc quidem adolescentiæ se libertate gaudere, nec admodum furentis ministri curare minas, fore tempus cum iugum subeundum videant, vbi enim ad nuptias adspirare inceperint, cedendum esse violentiæ consistoriali; & cum vxore accipiendum esse pudendæ obscenitatis concubinum, nempe Caluinismum. Tam dura est conditio inter hæreticos ducentium nubentiumque, quibus noua lues & pestis in genialem thalamum ducenda est: quomodo igitur se Deo princeps orthodoxus excusabit, si non maiorem ipse salutis rationem ducat, & lege lata edicat, vt cum sacramenti sanctitate, cum indiuiduo coniugii nexu, veritatem religionis sinceræ ac castæ coniungant, præsertim cum in sola fide orthodoxa nuptiale fœdus sine labe culpæ contrahatur.

§. 4. Connexa matrimonio sunt etiam alia, vt nempe ad lauacrum regenerationis non nisi Catholico ritu accedatur, nemo patrinorum iure gaudeat, nisi cuius explorata sit in fide sinceritas, nemo honorem sepulturæ Ecclesiasticæ consequatur, nisi cum iis sacramenta Ecclesiæ participarit.

§. 5. Quod si sensim & arte pia reducendæ sunt in viam animæ errantium, nec dimitti possunt peruersorum dogmatum propagatores, in hoc incumbat magistratus orthodoxus, vt sibi eorũ institutio, præsentatio, confirmatio, examen committatur. Sic enim nocentissimum quemque arcebunt, discordes, & rerum controuersiarum incuriosos, rebus domesticis, aut etiam principi deditos Synagogis illis præficiet, & feruorem hæreseos restinguet, nec indoctos amouebit, sic enim error contemnetur, & cum imperiti sæpe errare soleant, constantia demetur.

Bella hæreticorum pax Ecclesia.

§. 6. Dissensiones errantium doctorum alet, efficietque vt sæpe colloquantur, seque mutuo arguant; ita enim cum omnes intelligent certi nihil apud eos inueniri, facile veritati manus dabunt. Est etiam illa discordia vtilis ad cognoscendos hominum nequissimorum mores; si enim quispiam Lutheranorum libros eristicos contra Caluinistas, vel illorum contra Lutheranos legere velit, non hominum in homines inuectiuas esse, sed dæmonum contra dæmonas furores, & rugitus sibi persuadebit, ex hisce principi iusta causa mutationis offeretur; & in originem tantorum malorum inquirendi, si enim vera repererit, fontes; si falsa calumniatores puniet. Errorum enim veritas in publicum producet.

Clementia amorem principi cõciliat.

§. 7. Multa alia sunt, quæ principi prudens caritas, & cura proximi sponte dictabit. Omnia illa quæ amorem, venerationemque Magistratui conciliant, etiam eo proficiunt, vt principis sententiam in religione facile amplectantur, atque eiusmodi sunt, Tributorum & onerum remissio, prompta cum incendiis aut ruinis deformata est aliqua pars ditionis auxilia, annonæ procuratio. His enim efficitur, vt quicquid Magistratui aduersum putant, oderint. His si cum diuina gratia, orationibusque feruentibus princeps vtatur, breui omnino tempore hæreses extirpabit, quamuis initio legibus ipsis, & Magistratui potentiores esse videantur.

POLI-

POLITICORVM
LIBER TERTIVS.

DE VIRTVTIBVS REIPVBLICÆ NECESSARIIS.

CAPVT I.

Omnes virtutes morales in bene constituta Republica requiri.

VIRTVTEM esse Reipublicæ necessariam iam superiore libro exposui; de fide, Religione que demonstraui: supereſt nunc vt de cæteris agam virtutibus, quæ Principi, Senatoribus, ciuibus necessariæ sunt. De vita ciuili ago, & ad quam nos ipsa finxit, promouetque natura. Quamuis enim in œconomia, priuatisque commerciis, & vita virtus ipsa plurimum valeat, in republica tamen omnino omnis virtus est necessaria. Quocunque loco eius præsidium cessit, eo hostis admittitur. Silentium tacitas euertit Amyclas; libido Colchos, & Cretam: auaritia Romanam vrbem armillis taxauit: credulitas Zopyrum proditorem recepit: ambitione omnia pene regna interierunt. Vbicunque vel paruus à recto excursus est, ictibus patet Respublica: nec tam paruum vitium est vllum, quod non magnis regnis euertendis sufficiat, si contemnas. Oraculum est Pythagoræ.

Qua parte virtutis præsidium deductum est, aditus patet hosti.

Nullum vulnus non letale, si neglegas.

Ἀρετὴ τὸ ἰσχυον μόνον, τὰ δ' ἄλλα λῆρος.

Sola enim *virtus potens est, cætera nugæ sunt*: opes, mœnium, robur, classis, exercitus, auxilia, si extra virtutem sint, aliud non efficiunt, quam vt maiore sonitu terrefaciant cadentium ruinæ. Nondum lapsis moribus ad seruitutem impellere populum ne quidem potuit Manlius, at corrupta republica, etiam Claudio principes adulantur, & Neronem in Diuos referunt. Omnium autem virtutum exempla respublica desiderat, vt omnium artium studiosos, & gnaros. Si enim alicuius virtutis exempla defuerunt per interrupta valla hostis inuitatur.

Opes sine virtute cũ fragore ruunt.

Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruãt.

Mali, sed callidi Imperatoris, qui facilius recte sentiret, & loqueretur, quam faceret, vltima verba fuerunt. *Turbatam Rempublicam vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo. Senex, pedibus æger, firmum imperiũ Antoninis meis relinquam, si boni erunt: Imbecillum, si mali.* Oraculum fuit, mali fuerunt, cito imperium, seque perdiderunt.

Thebæ cum Epaminondas floruere, & defloruere

Parum vero est in tanto corpore vnum sanum esse membrum; Non enim stare ciuitas poterit, quam vnius, aut paucorum virtus erigit, si multitudinis impetus in vitia cogit, & raptat. *Summum* quidem est in rectore momentum ad virtutem, crebro tamen multitudinis vitia præponderant. *Flexibiles quamcunque in partem ducimur à principe, atque vt ita dicam, sequaces sumus: huic etiam cari, huic probati esse cupimus; qui frustra sperauerunt, dissimiles: eoque obsequii continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus.* Plin. paneg. Nullum itaque præstabilius, ac pulchrius munus Deorum veteres putarunt, casto, & sancto, & Diis simillimo principe. Si enim voluptates, & opes anteferat virtuti princeps, necesse est populum celeri contagione fieri vitiosum.

In principe reducent mores ciuitatis.

§. 2. Opus est autem omnium virtutum, vno quasi, & indiuiduo corpore; omnes enim inter se aptæ connexæque sunt, & vt Stoici dicere consueuerunt ἀχώρεισαι, inseparabiles. Non assentior illis, qui vnam virtutem officiis diuersam esse rentur. Stoicum hoc dogma est. Sic enim Chrysippus apud Laertium loquitur. Ταῖς ἀρεταῖς ἀκολουθεῖν ἀλλήλαις, ὃ μόνον πῷ τλῶ μίαν ἔχουσα πάσας ἔχειν, ἀλλὰ πῷ τὸν κ᾽ μίαν ὁπῶν ἐνεργοῦντα κ᾽ πάσας ἐνεργεῖν, ὅτι ἄνδρα τέλειον εἶ, τὸν μὴ πάσας ἔχοντα τὰς ἀρετὰς, ὅτε πρόκειν τελείαν, ὅπῃ ὃ κ᾽ πάσας πρόκειται τὰς ἀρετάς. *Virtutes inuicem comitari, non solum, quod qui vnam habet, omnes habeat; sed quod qui secundum vnam operatur, secundum omnes operetur: Nec virum esse perfectum, qui non omnes virtutes habeat, nec actionem perfectam, quæ non fiat secundum omnes virtutes.*

Vnitæ virtutes, non vna.

Non est tanta virtutum coniunctio, quantam illi comminiscuntur, nulla vt absque alia esse possit, sed tamen nulla in suo statu omnino absque aliarum societate & consortio perfecta est. Nam vna alteri adminiculo est, vt actiones perfectas, & constanter efficiat, vna alteram tutatur, & inuulnerabilem facit, atque hoc est, quod Cicero 5. de finibus, & deinde Hieron. admonet. *Cum sic copulata connexaq; sint virtutes, vt omnes omnium participes sint; nec alia ab alia possit separari, tamen proprium suum cuiusque munus est, vt fortitudo in laboribus, præluſq; cernatur, Temperantia in voluptatibus, prudentia in delectu.* Et Seneca Epist. 67. *Cum aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortasse, cum vna in promptu sit, & maxime appareat, patientia, Cæterum illic est fortitudo: cuius patientia & perpessio, & tolerantia, rami sunt. illic est prudentia, sine qua nullum initur consilium: quæ suadet, quod effugere non possis, quam fortissime ferre. illic est constantia, quæ deiici loco non potest, & propositum nulla vi extorquente dimittit. illic est indiuiduus ille comitatus virtutum. Quidquid honeste fit, vna virtus facit, sed de consilii sententia: quod autem ab omnibus virtutibus comprobatur, etiamsi ab vna fieri videtur, optabile est.*

Virtutes se mutuo tutantur, vt in phalange milites.

Quod vna virtus efficit, omnes probant.

§. 3. Omnes omnium participes sunt. Atque hoc necesse est fieri in republica. Alioqui vni solitariæ virtuti continget, quod militi, quem in acie solum sodales destituerunt, quem fortissime pugnantem à tergo, aut latere, furtiuo vulnere deiicit, etiam ignauissimus hostium. Fortitudo Samsonis castitatis subsidio nudata concidit, atque in vinculis & squalore iacuit. Oziæ regis magnas virtutes sacrilega ambitio à Republica remouit, Ioannem Machabæum intemperantia euertit. Nostros quoque si consideremus, omnes interdum virtutes vni vitio cessisse inueniemus. Quid Tertullianum tanta eruditione, grauitate, sanctitate Ecclesia eiectum Montanistis impegit, nisi superba, suique iudicii nimium tenax peruicacia? Quid Hosium toto orbe clarum iam extrema ætate transuersum egit, nisi tormentorum metus? Tot enim virtutes, laboresque fortitudine destituti vno velut impulsu conciderunt. Origenem iudicandi præcipitatio, & quædam erga ingenium suum indulgentia perdidit.

Solitaria virtus est inconstans.

Vno vitio sæpe omnes virtutes fugantur.

Cum vero rarum sit esse virum in republica omnium

Respublica aliquos in omni virtutum genere habeat Heroas.

nium virtutum comitatu munitum; cum etiam munitissima omnia, aliqua sui parte fragilia sint; in republica tamen necesse est has virtutes omnes esse; aliorum ferocia consiliis prudentium temperanda: aliorum leuitas grauitate coercenda; voluptates castigandæ, ambitio premenda, ita vt nulla virtus sit, quæ non moribus, verbisque doceatur. Cum igitur hæc in vnum aliquem bona raro conueniant; id agat Respublica vt saltem sparsa habeat. Difficilimum est aliquem prælio strenuum, & bonum consilio esse. Haud crebro *par ingenium castrisque, togæque.* Sic igitur ciues suos moderetur legislator, vt alius mentem, alius manum commodet: & bellicosa dextera consilio prudentis feriat, vitetque hostem, quo sit inuicta.

In omni virtute ratio, moderatio, constantia, æqualitas cernitur.

§. 4. Coniunctio etiam, conspiratioque virtutũ in moderatione quadam cernitur, quæ in mediocritate consistit. Est in omnibus quædam firmitas, quæ eo maior est, quo plures adsunt; quemadmodum illa acies firmissima est, quæ & plurimos, & optimos milites habet. Omnes etiam æqualitate aliqua actionum directrice reguntur. Omnes in vna prudentia deuinciuntur: non est enim vlla actio virtutis, nisi quam prudẽtia dixerit. Impetus est non virtus, quod temere fit, & licet bono euentu factum sit, non tamen bene factum est.

Hypocrisis non rẽ modo, sed nomina quoque virtutum corrũpit.

§. 5. De virtutibus igitur politicis instituenda erit oratio, sed de veris: hypocrisin enim simulationemque iam libro præcedente repudiauí. Nunc etiam hoc moneo; quod vetustissimum est, & vltimum erit, nisi fallor ciuitatum malum; vitia virtutum nominibus non esse honestanda. Licentiam appellant libertatem, audaciam putant fortitudinem, auaritia frugalitatis, prodigalitas magnificentiæ, superbia magnanimitatis nomine, velut inuolucro rudibus animis imponunt. In scholis adolescentuli cum æquales, voce ambigua cœperint, aut contorta argumentatione irretierint, veluti victores gaudent, & victi dolent. Sed in ciuitate multos non verba, sed res ipsę implicant, atque in fraudem inducunt. Ingeniosior est ad excogitandum simulatio ipsa veritate. Plin. paneg. Monet & illud Horat.

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Ac faciunt prope plura dolentibus ex animo.

Nocentiora sunt, quæ boni specie lædunt.

Vitia sub virtutum nomine obrepunt, adulatio amicitiam blanditiis vincit, & amicum sæpe pellit adulator, hoc ipso gratiosus, quo lædit. Temeritas si felix est, vt fortitudo laudatur, Timidum, cautum; ignauum, moderatum, blandi inimici vocant. Sæpe enim mala honesti speciem obtulerunt.

Virtus constans, & semper est sibi similis, impetus tẽporarius.

§. 6. Denique hæc ita intelligi cupio, vt virtute opus esse sciant, non impetu. Virtuti inest ordo, decor, constantia, omnium actionum habet inter se concordiam, ipsa diuidit officia, ipsa omnia moderatur. Plurimum obest, quod illi qui historias legunt, subitam agendi cupidinem, quam ὁρμὴν appellant, mox admirantur, & in virtutis censu locant. Multi aliquid generoso, liberali, temperato animo fecerunt; sed semel, iterumque forte, vno facto tota vita discordat, tales periculissime ad Rempub. adhibentur; nam opinionem habent viri boni, vitia perditorum. Gessit aliquid, quod rectum fuit, aut cui recti inest similitudo, sed casus fuit ille, non morum exercitatio. In ciuitate autem forti, constanti, & quæ iudicio, prudentiaque nitatur, virtute opus est.

Historici sæpe temeritatem felicem laudant.

Virtutes autem in Republica requiro, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam, quæque omnia illa continet, cum vera caritate amicitiam. Quæ vt varias in se partes complectuntur, variisque vitiis ex aduerso vrgentur, ita magnam disputandi materiam suppeditant. Sed nunc de prudentia dicamus.

CAPVT II.

Prudentia Reipublicæ necessaria, eiusque munus, ac functio.

Nullũ abest, si sit prudentia.

§. 1. PRVDENTIA est *habitus agendi cum vera ratione circa illa, quæ homini bona sunt, aut mala.* Ari. 6. Ethic. cap. 1. at D. Thom. 2. 2. q. 47. *vocat rectam rationem agibilium,* τῶν πρακτῶν. Clarior est aliorum ex Cicerone definitio. Rerum gerendarum, omittendarumque scientia. Eodem enim recidit illa: *Rerum appetendarum, fugiendarumque scientia,* aut: *Bonarum, & malarum, & neutrarum scientia.* Prudentia igitur latissime patet, & in omnium virtutum actionibus versatur, omnibus limites certos, modumque quasi inculpata dictatrix præfinit,

ἡ σοφία τῶν ἀρετῶν νόμος.

Prudentia lex virtutum.

Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Oculus igitur, cynosura, duxque est omnium virtutum, neque enim temperantia, neque iustitia, neque fortitudo est, nisi quam prudentia moderatur. Οὐκ οἷόντε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως, *non potest bonum esse aliquid proprie sine prudentia,* docet Aristot. li. 6. Ethicor. c. 5. Cum enim virtus omnis in medio, in electione, & modo consistat, sine illa rectrice, & dispensatrice non potest medium eligi, nec modus inueniri; sine hoc perpendiculo non nisi ruina exstruitur; magnes ille cursum nauigationis ad scopum felicitatis immotum dirigit, facemque prælucet, qua exstincta omnia in tenebris sunt. Hunc igitur diuinæ lucis radium Respublica per tantas tenebras inconiuis oculis persequatur. *Vbi enim non est gubernator prudens populus corruet, salus autem, vbi multa consilia.* Prouerb. 5.

Interdum casus implet locum prudentiæ, sed res in incerto est.

§. 2. Prudentiam perfectam omnibus in rebus primas tenere necesse est, ἅπαντα δὴ φρονεῖν καθίστησι, *omnia prudentiæ obtemperant.*

Consilii boni aliquando euentus sinister, sed inter aduersa eius precium manet.

Functiones eius sunt, consilio rem exquirere, in eoque recta intelligere, ac seligere, noxia refutare. Quid ex pluribus potissimum sit agendum? & an omnino agendum sit, constituere? expressit hoc ingeniosissimus Poëtarum:

Tibi dextera bello
Vtilis, ingenium est, quod eget moderamine nostro,
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est,
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atreides: Tu tantum corpore prodes,
Nos animo; quantoque ratem, qui temperat, anteit.
Remigis officium, quanto est dux milite maior,
Tantum ego te supero.

Prudentiã timet hostis, celeritatẽ amat.

Huius igitur si expers sit Respublica, senatus, princeps; quid aliud esse dicemus, quam Cycoplem exoculatum, qui validas vires in ventum effundat? scopulis illidat? & sua tandem mole obruat?

Vis consilij expers moleruit sua.

§. 3. Partes prudentiæ sunt innumeræ, tot nimirum quot virtutum, & rerum faciendarum genera. Solet tamen diuidi in certas species, ordinis & disciplinæ gratia. Alia enim in singulis ac priuatis actionibus cernitur, quæ latissime patet, omnia enim officia complectitur, quæ ad animi compositionem, ornatumque pertinent; alterius munus est, rem familiarem, ac domum administrare, quam vocant Oeconomicam. Quæ vero præstãtissima est, Politica nominatur, q̃ paci, & bello, Regno, Aristocratię, Politiæ, legibus, præsidet; totq; res ac tã magnas, tã dissimiles moderatur, atq; in fines suos deducit, quot opus est eum cognoscere, excipere, disponere, qui morosissimum animal, hominem regit. Hominẽ, cuius natura auida est libertatis, cui adeo molestum est imperium, vt etiam vtilia, iusta, & benigne imperantibus, maligne pareat; οἱ ἄρχοντες μισοῦνται· φιλέυθερον γὰρ τὸ ἀνθρώπινον, inquit Thucyd. Schol. Rectores odio sunt, quia libertatis amans est humanum genus.

Multiplex prudentia, œconomica, & politica.

Etiam cum honesta, & vtilia imperantur, molesta sũt, quia libertati aduersa.

§. 4. In-

Præstantissima virtus multis perficitur.

§. 4. Integram vero prudentiam constituunt octo partes: quarum consideratio omnibus in actionibus magnam vim habet. Memoria, docilitas, ratio, intellectus, solertia, prouidentia, circumspectio, cautio. Ad consilium enim dandum illa fere concurrunt. Primo sane ad sententiam in Republica dicendam, consiliumue dandum multarum rerum memoriam, viuidamq; seu doctrina, seu experientia cõparatam, euentuum, causarumq; recordationem requiro. Qui ea quæ ante ipsum facta sunt, ignorat, semper puer est. Tam multa scripta sunt, tam varia, vt vel truncum instruere possint; verum illa est ingenii humani imbecillitas, vt cum aduersa legunt, & prospera, sibi bene ominentur, & quæ blanda sunt, credant. Memoriam Cæsaris, aut Mithridatis etsi admiror in principe non postulo; rerum tamen insignium, non modo veterum, sed recentium quoq; euenta, prudentię considerauda duco. Non est quidem memoria prudentiæ nomine digna, eximie tamen prudentes quosdam legimus, qui memoria claruerunt. Mithridates Ponticus viginti & duas gentes, sua quamque lingua alloquebatur, Cyrus suorum militum, L. Scipio populi Romani nomina reddere potuit, Cyneas senatũ Romæ, & ordinem equestrem postridie quam Romam venerat, nominatim compellauit. Adrianus, Seneca, Portius Latro, alii excellenti memoria valuerunt, verum illa miracula vix singulis sæculis fuerunt, ea quæ in vsum venire possunt, principi meo propono. Prudens in eo sit, & vtilium rerum cogitatio, cibus cum naturam suam retinet, & indigestus stomacho innatat, oneri est, & valetudinem irritat ac premit, cum in sanguinem iuit, vires ministrat, & venas implet, ita quoq; rerum cognitionem non in memoria tantum residere, sed transire in ingenium oportet, consiliorumq; firmitatem, ac constantiam salutari succo roborare, & fulcire. Nihil magis obest prudẽtiæ, quam imperitorum inconsulta temeritas, qui vel rerũ humanarum nullam partem tenent, vel historiam sine meditatione leuiter attigerunt, quos tamen animaduerti, vel creberrimos in citationibus sese ostentare. Similes eos Caluisio Sabino, & plane geminos iudico, cui in summa memoriolæ inopia, incogitantiaque auidissima erat gloriæ cupido, refert Seneca epist. 27. *Caluisius Sabinus memoria nostra fuit dies: & patrimonium habebat libertini, & ingenui. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, vt illi modo nomẽ Vlyssis excideret, modo Achyllis, modo Priami: quos tam bene nouerat, quam pædagogos nostros nouimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperam tribus, quam ille Troianos, & Achiuos perſalutabat. Nihilominus eruditus volebat videri. Hanc itaq; compendiariam viam excogitauit, magna summa emit seruos, vnum qui Homerum teneret, alterum qui Hesiodum: nouem præterea Lyricis singulos assignauit. Magno emisse illum non est quod mireris, non inuenerat: faciendos locauit. Postquam hæc familia illi comparata est, cœpit conuiuas suos inquietare. Habebat ad pedes hos, à quibus subinde cum peteret versus, quos referret, sæpe in medio versu excidebat. Suasit illi Satellius Quadratus, stultorum diutiũ arrosor, & quod sequitur, arrisor, & quod duobus his adiunctum est, derisor, vt Grammaticos haberet analectas. Cum dixisset Sabinus, centenis milibus sibi constare singulos seruos: Minoris inquit totidem scrinia emisses. Ille tamen in ea opinione erat, vt putaret se scire, quod quisquam in domo sua sciret. Idem Satellius illum hortari cœpit, vt lucubraretur, hominem ægrum, pallidum, gracilem. Cum Sabinus respondisset, Et quomodo possum? Vix viuo. Noli, obsecrote, inquit, istud dicere, non vides quã multos seruos valentissimos habeas?* Caluisio sunt multo illi molestiores, qui varias è locis communibus historias corraserunt, easque sine ordine, sine ratione temporis, sine decore & prudentia recitant.

Memoria præteritorum, magistra est præsentiũ, vates futurorum.

Miracula memoriæ.

Gesta in memoria recondita iudicet.

Scioli historias sine prudentia citant.

Stipes qui aliena eruditione se doctum putat.

Stulta memoriæ iactatio irrisa.

§. 5. Memoriam non semper, sed frequenter tamen comitatur, alterum ad actiones prudentiæ adiumentum, εὐμάθεια seu docilitas, quam hoc loco ad actiones prudentiæ astringo. Magni est animi, cum ex seipso non habeat omnia, sine verecundia discere, nec modo è libris, quod facilius arrogantia facit, quia sibi sola imperitiæ suæ conscia est; Sed à collegis, in curia, in concilio principis, eorum sententias, etiam iuniorum audire, iudicare; tuam quam dixeris sententiam cum meliore commutare. Hac in parte grauissime delinquunt sæpe prudentes, dum non, quod est optimum factum, sed quod optimum ipsi censuerunt, pertinaciter vrgent.

Magnos omnes facit discendi studium, & facultas.

§. 6. Præstantior est docilitate, sed rarior, *solertia*, ἀγχίνοια, cum celeri animi motu ratio, modusque expediendæ difficultatis inuenitur. Subita enim, & breui tempore res arduas componit, nomen & auctoritatem parat. Ita rem omnium intricatissimam, cui nec testes, nec alia documenta aderant, felici solertia Salomon diiudicauit, & sine minis, tormentisque arcana litigantium elicuit, cum enim gladio controuersum infantem diuidi, & cuique partem dari iussisset, mox verus affectus matrem, & crudelitas alienam ostendit.

Solertia præcipua pars prudentiæ.

Solertia Salomonis.

§. 7. Quarta pars est ratio seu intelligentia, quæ scilicet habitus est ex cognitis, perspectique alia cognoscendi, diiudicandique facultas. Qui namque plurima cognouit, in vsum ea, cum opus est, discursu, atq; agitatione mentis, inq; publicum commodum deducat, necesse est. Bellum erat Crotoniatis contra Sibaritas, horum vtpote luxu perditissimorum, equi sic erant condocefacti, vt ad certos modos tubæ, saltum ederent, atque ad choreas verterentur: Crotoniatæ cum ingenium, disciplinamque eam cognitam haberent, in sua commoda verterunt; harmoniam enim sibariticæ saltationis imitati, equitatum saltantem, turbatumque, (iumenta enim consuetæ cantionis auditu ad vsitata iudicta ita impulsa sunt, vt nec ordines seruari, nec regi acies posset) facile obtriuerunt.

Intelligentia prudens ex cognitis argumentatrix.

Stratagema Crotoniatarum.

§. 8. Tria præcipue ratio illa spectat, Primo vt prouide, deinde circumspecte, tertio, vt caute agat.

Prouidentia itaq; pars est prudentiæ, quæ futura prospicit, & præsentia ad illa ordinat. Nam cum futura præuidet, ita præsentia disponit, vt facile illa excipiantur; cum præsentia intuetur, ea quæ euentura sunt, facile coniectat, atq; vt vel auertantur mala, vel mollissime cadant, efficit; vel vt bona opportunissima sint, sua cura, & sollicitudine attendit. Nunquã satis laudata est, & vnicæ in Republica curæ esset debet προνοια, futurorum antequam fiant prouidentia. Quamuis enim timidæ sint, & incertæ prouidentiæ nostræ, vere tamen monet nos hominum omnium sapientissimus: *Callidus videt malum, & abscondit se, parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.* Prouerb. 22. &: *Astutus videt periculum, & absconditur, simplices perrumpunt, & damnum accipiunt.* Improbi sed prouidi tamen regis dictum fuit: cum Romam venalem diceret, si emptorem inuenisset, ex præsentibus euentum prospiciebat, & iam emptores imminebant. Scipio victa Græcia, & Carthagine interitum Romæ prospiciebat, itaque luxui resistendum iudicabat, sed mores vicere curam, & deliciis suis ruit gentium victrix, prædasque orbis terrarum ferocissimis barbarorum reliquit. Sic melius de Fabio cunctatore Hannibal hostis, quam Romæ amici, iudicabat. Cum enim tarditatem cuncti in opprobrium eius interpretarentur, solus eum Hannibal timebat, & nubem illam in monte pendentem tempestates aliquando daturam præsagiebat.

Prouidentiæ officiũ.

Prouidenda excipienda futura, aut transmittenda.

Sapientes multa præuident, de quibus alij ne suspicantur quidem.

In hac rerum præsentium, futurarumque comparatione, dispositioneque circumspecte, & caute iudicandum, agendumque.

Pleraque bona circumstant is mutantur.

§. 9. Prudentia finem bonum, & ea quæ ad finem ducunt, bona, vel adiaphora proposita habent. Sed parum est illa recte habere, nisi & omnia adiuncta, quæque rem circumstant circumspiciantur, quæ pars prudentiæ circumspectio nominatur. Imperatorum effigies olim honore ciuili colebantur, officiũ videri poterat, sed quia statuis illis diuorum effigies iungebantur, idololatriæ crimen erat legitimi magistratus veneration connexũ, prudentiæ igitur fuit circumspicere, ne dũ Imperatorem honorarent, dæmonem colerent. Macrinus ad imperiũ euectus, cum disciplinã militarem lapsam agnouisset, eamq; crucibus, & inusitatis pœnis sarcire, & restaurare statuisset, finẽ rectum propositũ habuit, sed circumstantiam neglexit; considerare enim debuit, circumstantiã quæ prima erat; nempe inueteratã, roboratamq; castrorum licentiam, quæ nunquam vno impetu, sed particulatim conuelli debet. Magnæ res constantiæ, sed tamen calamitates auxit. Valentinianum Tribunum, postea factum imperatorem, regnante Iuliano aquis lustricis ædituus idololatra conspersit, is illi & alapam dedit, & vestis partem cui gutta inciderat abscidit, sicq; tyrannum ad persecutionem acuit, zelum laudo, circumspectionem requiro. Magis laudo Christianos Antiochenos, qui cum prudenter ex more Ecclesiæ tum durante, idolothytis abstinerent, eaque lege Iulianus ad eorum contumeliam & inopiam abusus, omnes in foro cibos sacrificiis polluisset, libere cibis vescebantur, & inter vescendum idola irridebant; Tyranni enim malitia, gentiumque opprobria faciebant, vt ingenua libertate magis, quam anxietate Christus coleretur.

Macrinus dum impar malis incaute mederi conatur, absumptus est.

Non irritanda est malitia, per se nimis cõcitata.

Nequitiam eludunt Christiani.

§. 10. Magnum etiam momentum habet, in prosequendis bonis, cautio malorum. Multa enim commoda in Republica deserenda sunt, etiã vsu recepta, etiam diu inculpata, vt, quæ consequi solent mala euitentur. Semper quid obstet virtuti considerandum est, ne casu vnico tot⁹ labor pereat. Cautionibus plenæ syngraphæ sunt, & cõtractus, vita nostra pene vacua est. Quot sibi formulis cauent emptores, & auro carius verbulum actis inseritur? Respublica tot obnoxia malis negligenter habetur? In consiliũ primo vires hostium, & cuncta obstantia mittuntur, Antiochus cum opes, & arma aurea intuetur, victoriã animo antecepit, Hannibal, qui Romanorum militiam nouerat, omnia illa in prædam cessura arbitratur. Raro virtutis illa pars etiam perfectissimos comitatur. Cassius & Brutus dum tyrannide liberare patriã satagunt, non satis perspecta voluntate Antonii, aliorumq; ciuili sanguine gaudentiũ, tres crudelissimos, pro vno moderato, tyrannos patriæ imposuerunt.

Magna pars vitæ cauere mala.

Ita studendum commodis Reip. vt incommoda auertantur.

§. 11. Vltimum quod ad veram prudentiam pertinet, est intellectus, siue vera æstimatio principiorum moraliũ, ex qua regulæ, actionesq; prudentiæ deducuntur. Quemadmodum enim omnes scientiæ suæ quædã habent principia, ex quib⁹ ratiocinatione certa, ac vera conclusiones deriuant, ita quoq; prudentia certis nititur principiis generalibus, quæ omnes vera iudicant, cũ primo intuitu apprehenderint. Sunt illa: Deum colendum, iuste agendũ, magistratui obediendum, cæteraque, quæ omnes consensu vera iudicant. Principiis igitur prudentiæ, non ipsa modo virtute carent, quorum animis tanta vitiorũ insidet caligo, vt ad tam claram lucem trepident, obcœcenturque. Quod rarissimum est, etiam in pessimis, omnes enim fere etiam dum scelera moliuntur, honestos prætextus quærunt.

Principia prudentiæ omnibus insita sunt.

§. 12. Atque hæc generatim de prudentia hunc in modum statuo: quam principi, senatuique commendo, & leges eius generatim trado.

Prima: Nihil parui æstiment in Republica, quod maioris commodi, vel periculi potest esse momentum. *Improuisa leti vis rapuit, rapietq; gentes,* imo vis contempta. Parthũ Romani metuunt, & puer male cinctus peregrina metuentibus dominabitur. Dauidem metuit Isboseth, sed à latronibus occiditur. In Persas Philippus armatur, & à Pausania trucidatur.

Improuisa, & neglecta mala perimunt.

Secunda. Vt more bonorum medicorum morbi causas arte præueniant, quicunque prudenter, non impetu Rempublicam administrant, omnia pericula anteuertant, nutantem columnam fulcire est facile, iacentem erigere, operosum. Itaque semper aliarum rerumpublicarum, vt Athenienſis, Corinthiæ, Spartanæ, Tyriæ, Carthaginienſis, cadauera, aliarum cicatrices, & ἀτλώματα intueantur, vt sua vulnera caueant.

Initia morborum dicta, extrema igne & ferro curantur.

Tertia. Certo statuendum omnibus Regibus, Rebuspublicis, populisque, omnia regna, quæ hactenus periere, bellis, seditionibusque, imprudentia periisse. Quamuis enim iniquitates accumulatæ pœnam meritam attraxerint, cõsilia tamen omnia corrupta fuere, ne resisti posset inimicis. Libere omnes historias appello, inter tot regnorum commutationes, ciuitatum euersiones, gentium excidia, migrationes, vnam ἔνσαν quæro, & nullam inuenio, nec tu lector inuenies. Imperium occidentale videamus. Imperatores imbelles, & inconsiderati, militiæ duces barbari, Stilico, Arbogastus, Aetius. Quæ enim vmbræ imperatorum? Maximus, Auitus, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Nepos, Augustulus? Omnes obnoxii barbaris. Ne vero vlla subsidia adessent, Aetius occiditur, & quidẽ manu Valentiniani Imperatoris. Eudocia Genserico Romam aduocat. Theodoricus in Aquitania Sueuos occidit. Ricimer in dominũ coniurat, Basiliscus in Africam profectus in gratiã Asparis & Ardaburii Genserico tradit classem Imp. Constantinopolitani. Orestes, & Odoacer in vindictam aduocantur: Fuere vero ea tempora, vt omnes quasi ex composito, periocum imperatores, crearent & occiderent, administratio vero sub præfectorum tyrannide adeo intolerabilis fuit, vt teste Saluiano libr. 4. ex vrbibus suis Romani Imperii incolæ ad barbaros transfugerent, & duram seruitutem miserabili libertati anteponerent.

Omnis interitus ciuitatis ob corrupta consilia.

Imperij occidentalis casus multas causas habuit.

Quarta. Summa lex prudentiæ est, sibi non fidere, lubenter alios audire.

Audisse nũquã obfuit.

Quinta. Nullam vnquam tanta sapientia Rempublicam esse gubernatam, in qua non multa sapientes, populusq; desiderarint: Idq; rectores populorum certo sibi persuadeant, magnis se cum subditorum querelis imperare. Multis enim malis, & plerisque cõtraria cupientibus imperant, & ipsi sæpe aberrant.

Securũ facit omnibus placendi desperatio.

Sexta. Subditorum contra magistratũ nemo queratur, nisi is sit, qui sine domesticorum querela domum administrauerit, sine vicinorum offensione vrbem habitauerit, sine agnatorum litigiis hæreditatem adierit: Si enim illi in exiguo lacu tantas excitant tempestates, quid mirum est, in vasto oceano, vbi libera est ventis pugna, procellas oriri?

Nemo de principe queratur, nisi qui sine querela vixit.

Caput III.

Magno esse in errore, qui principes, magistratumq;, prudentes, ciues imprudentes, stolidos, & vt aiunt, simplices malunt.

§. 1. Nulla est difficilior, quam de prudentia disputatio; Multi enim verentur, ne nimis multi sint prudentes, ne vulgata vilescat sapientia, ipsi sibi solis tantum decus arrogare vellent. Principis sit, inquiunt, sapientia, à quo consiliũ deriuatur, sitq; ea paucorum, qui circum principem sunt, vulgi in obediendo, exhauriendisq; imperiis omne studium insumatur. Nemo doctior, nemo sit principe prudentior. Moscorum illi consuetudinem laudant, apud quos infra magnum ducem sapere omnes oportet, & prudentiæ

Inscienter parẽdo imperia euertuntur.

Ciuitas stultorum sapiente principe, infirma est, vt exercitus cæcorum oculato duce.

dentiæ nimis studiosum esse, crimen est maiestatis. Probant itaq; consilia tyrannorũ, vt viuida, & prompta ingenia de medio tollant, ne quisquã sit, qui non bene facta censeat, aut traducat. Arcadum illi laudant veterem stoliditatem, Lesbios, & Cumanos asinos, Abderitanæ plebis pectora, Thracum puerilitatem, qui vltra quatuor numerando progredi nõ poterant, quiq; ducem minantem, se scalis quas fieri curarat, ad Iunonem ascensurum, eosque accusaturum, reueriti, omnia concesserunt, quæ petebantur. Brasilienses, Americanos, Guineos, vno verbo, aurea mancipia, verueces, truncos esse subditos iustum censent. Ego vero contra omnino affirmo; Reipublicæ expedire omnino, vt omnes sapientia, iudicio, ingenio valeant, vt de Republica, deque priuatis rebus iudicare queant. Veræ sapientiæ non officit verissima, & maxima simplicitas, cũ dominus columbinam simplicitatem, cũ serpentina sagacitate iungi iubeat, Astutos, callidos, dolosos à Republica ciues relego, sapientes, cautos, circumspectos, intelligentes non modo vtiles arbitror, sed etiã adhæc summa cura instruendos.

Ne seruos quidem stolidos ferunt.

§. 2. Ratio pseudopoliticorum est, vt imperitia, imprudentiaque, & inconsiderantia, prompti, ac faciles sint ad imperia, ne iussa principum discutiant, vt consiliariorum, aulicorum, senatorum orationibus, suasionibusque creduli acquiescant. At vero ista potius docendo prudentiam, quam in stultitiam eos conjiciendo, atq; in ea detinendo consequentur. Non vtar argumento Stoicorũ, vt dicam omnes qui summum sapientiæ fastigium nõ attigerunt, stultos, ac proinde insanos esse, ideoq; pseudopoliticorum insanientem esse prudentiam, qui Rempublicam cõminiscantur, in qua ipsi soli sapere videantur, cæteram turbam Terebintho stultiorem velint. Ad Chrysippi porticum illæ pertinent, quemadmodum virtutum, peccatorumq; paritas, quod vel idcirco non credo, quia tota Stoa cum hactenus sapientem se nullũ dedisse fateatur, necesse est Cleanthem, Zenonem, Chrysippum, cæteros ex ea secta insanire, decet autem insanorum in Republica auctoritatem nullam esse, cum enim agnatis cõmendari eos oporteat, ius dicendæ sententiæ, censendique, domestico iudicio amiserunt. Hæc omitto: Si enim illa sequerer, nemo rex, nemo consul, nemo prætor, omnes insani essent, nemo enim sapiens. Ciuili & humano more loquor. Non expedit, nec regno, nec Aristocratiæ, multo minus Politiæ, ciues esse insipientes, bardos, stupidos, quales Æthiopes circum promontorium viride, Brasiliani, Mexicani, olim Thraces, Phryges, Arcades, aliiq; quorum ruditas prouerbiis politiorum gentium derisa fuit.

Sapiens melius paret legitimo imperio, quam stultus.

Fortissimorum populorum stultitia prædæ est.

Stulti parendi necessitatem non capiunt.

§. 3. Prima ratio est valida, & ex natura rei sapientiam istorum errantem refutat. Callicones enim, quibus illi ciuitatem impletam esse volunt, nec dignitatem magistratus, nec parendi obligationem satis perpendunt, ideoque nec facile, nec constanter parent. Principis officium toga palmata, sceptro, diademate, pompa comitum, venationibus, mensarum ferculis definiunt. Quæ curæ premant, quæ tormenta vexent vmbratilem illam felicitatem ne suspicari quidem valent.

Subditi nisi prudentes sint, principes amare nesciunt.

§. 4. Hinc & alia ratio consequitur: Nempe à talibus non amari magistratum, cum causas amandi non agnoscant, atq; inde, quod est pessimum, vt solo metu officium faciant, euenire solet. *Iungit amicitias similitudo morum,* (inquit Quinct.) *nescio quomodo inter se animorum lumina vident, & agnoscunt; nec quisquam in alterο amare potest, nisi quod tacitus probat.* Consortium enim rerum, & personarum habere nequeunt, vt in commune viuant, multo minus principis causa, velut amici, se morti opponent, impendentue. Nunquam in illis fungis amicitia vigebit, cum qua, & pro qua moriantur. Nec enim iudicio, nec prudentia, nec publici boni respectu quicquam tales agunt.

Stultitiæ inconstans est, quia opinione nititur.

§. 5. Tertia ratio est: Turba illa omnium est inconstantissima, ideoq; à mobilitate tam lubrica dependens imperium fragile est. Stulta enim multitudo leui momento ducitur, credula verbis speciosis, itaque & Herculem Gallicanũ fingunt catena aurea ex ore pendula ducere stolidas gentes auribus, & Thraces cum scalas fieri cernerent, quibus accusator ad Iunonem ascenderet, extimuerunt. Omnibus impostoris stoliditatem videmus obnoxiam. Vna oratione à regibus abalienatos populos historię edocent. Athenis stultus populus ab oratorib⁹ ducebatur, Romæ subrostrarii Tribunorum erant mancipia. Omne barbarum est ἠλίθιον stultũ, simplex, facile enim decipitur; Sed è contrario infidũ. Traiani literæ tot victas gentes indicant, vt nomina retinere difficile fuerit, sed quia barbaræ, eadem leuitate, qua accesserant, rebellarunt, Anno Christi 116. Iudæi Cyrenenses omnium rerũ præterquam nequitiæ rudes, leui occasione defecerunt, duce Andrea, & ducenta millia interempta sunt, nec minor ruditas eorum, quos Artemion seduxit, & maior etiam clades; nam atrocius totidem immisso exercitu trucidati sunt. Quid Munceri & Campani seditionem excitauit, nisi rudis malitia populi, officium suum ignorantis, & nouis rebus studentis? abnegata enim religione, procliue erat etiam Rempublicam immutare.

Rudes facile ad seditionem impelluntur.

Facilius Indiæ vtrinq; quam Belgij pars subiecta est.

§. 6. Quarta ratio. Non potest populus stupidus hostibus resistere; nam bellũ prudentiæ, artis, & strãtagematum est; Cyrus quam facile totum orbem, Hispani quam facile Indias cæperunt, nec mole corporum, nec viribus, nec multitudine comparandi? Tot annos æquo pene marte, resistit pars Belgii, & tam latæ ditiones sub iugum veniunt, reges suos deserunt; quia nec illos tueri, nec sua defendere norunt. Perinde igitur illi consulunt principi, ac si Imperator milites stolidos, qui audire tubam, ferireque tantum possunt, seligat. Prudentiam in prœlio, in castris, in præsidio, non desideres. Hoc anno pugna Lusitani contra barbaros decertarunt, historiam hunc in modum narrant Indicæ literæ. *Accedebat alia classis ab Acenis ingens (populi sunt Insulæ Sumatræ Lusitanorum hostes æterni) nauium ducentarũ, è quibus sexaginta triremes erant, & quadriremes nostratibus maiores, quarũ tormenta lapideas glandes triginta quadragintaue pondo euomebant. In ea classe (quã vna cũ Holandis in Malacæ perniciem conspirasse credi potest) rex Acenorum ipse nauigabat, & cum eo sexaginta millia bellatorum. In eam classem ex improuiso quatuor Lusitanorum classes inciderunt, & ausu, dubites, maiori, an fortuna? inuaserunt, ac perturbatam post acerrimum prælium profligarunt, exacto inter prœliandum toto biduo. Triremes hostiũ aut quadriremes ad quadraginta demersæ, mortalium triginta millia cecidisse scribuntur. In ipsa quippe confusa multitudine ipsa in se mutuo tormenta certabant, aliorum nauigiorum multitudo periit, centenario maior Lusitanorum nauis vna, correpto incendio, casune an hostium vi tota arsit.*

Quatuor nauiũ aduersus ducentas victoria.

Barbarorum classis errantibus tormentis se ipsa lacerauit.

Ecce quid Lusitanis prudentia, dexteritasq; contulit, quomodo barbari sua stoliditate perierunt?

Seruorum prudentia necessaria Oeconomiæ.

§. 7. Deniq; quis seruum stolidum potius, quam prudentem velit? Seruum qui nihil agat ratione, sed impetu impingatur, quocunque mouetur, quid huic comittere præter pistrinum tuto poteris? Ciues igitur vis eos, qui ire non possint, sed ferendi sunt? Quos cum mens tua sapientis, destituerit, in medio rerum turbine stupentes hostis opprimat? *Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur.* Non de Babæ, & Ixionis vita tantummodo Seneca loquitur, quos stoliditas nobilitauit; Sed de eorum vita quos prudentia pseudopolitica simplices nominat. Illos enim præsentiũ fastidium, futurorum malorũ securitas, leuium hominum ostentatio in nocitura præcipitat. Tales ciues, subditos, defensores patriæ quæris, quorum

Ixion & Babas stultitiæ notæ, & famosa.

fatuitas

fatuitas se ipsa citius inimico vendet, quam vincet?

Sed quoniam de Republica agimus, exempla nos etiam vetera edocere possunt. Barbaris & stupidis peritiores, sapientioresque imperarunt. Bellum Troianum decennio victores, victosque exercuit, obsidione vna dimidia stipendia fecerunt, qui Tirones primas castrorum prætenturas iecerunt, veterani, manu, dolisq; adiuti mœnia subruerunt. Sparsi deinde per terras Antenor, Diomedes, Æneas, Aræstes, cæteri regna condiderunt, prudentes, & gnari regnandi. Græci politiores Ioniam, Italiæ, Africæque partem optimam obtinuerunt. Vere Seneca, de Consol. ad Heluiam. *Quid sibi volunt in mediis Barbarorũ regionibus Græcæ vrbes? quid inter Indos Persasq; Macedonicus sermo? Scythia, & totus ille ferarum indomitarumq; gentium tractus, ciuitates Achaiæ Ponticis impositas littoribus ostentat. Non perpetuæ hyemis sæuitia, non hominum ingenia, ad similitudinem cœli sui horrẽtia transferentibus domus suas obstiterunt. Atheniensis in Asia turba est: Miletus LXXV. vrbium populum in diuersa effudit: totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuscos Asia sibi vindicat: Tyrij Africam incolunt: Hispaniam Pœni: Græci se in Galliam immiserunt, in Græciam Galli: Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit: per inuia, per incognita versauit se humana leuitas.* Cuncta si examines, prudentium, legibus, disciplinaq; vtentium, licet paucorum in multas, immanes, fortes imperium fuisse, historia, quæ est magistra prudentiæ, demonstrabit. Germani quidem, Gallique olim sedes mutarunt, sed regna non nisi post occuparunt, cum ad cultũ edocti essent. At Græci culti, & Græcis cultiores Tyrii diuturna longaq; imperia fundarunt.

Prudentiũ, non validorum fuere imperia.

Exercitatio belli Troiani multa regna noua peperit.

Facile fuit prudenti populo inter barbaros crescere.

Hoc igitur agendum principi, vt omnes quantum fieri potest, in omnibus præcipue autem prudentia exerceantur. Sic enim & facile reget, bona ratione, bona lege, eos qui rationem ducem sequi didicerunt: Et errantes leniori imperio corriget. *Plus enim proficit correctio apud prudentem, quam centum verbera apud stultum.* Stultitia enim omnium malorum mater est, quæ semper incipit viuere, leuissimas habet occasiones ad perfidiam, callidioribus velut aureum pecus lucro est.

Sapiens facile regitur, quia iuuat ipse regentem.

Caput IV.

Astutiam prudentiæ imitatricem Reipublicæ noxiam esse.

§. 1. Astvtia, versutia, similiaque in vtramq; partem accipi solent. Augustinus Epist. 29. *Sunt enim, vt scis, quædam vitia virtutibus aperta discretione contraria, vt imprudentia prudentiæ. Sunt autem quædam, quia tantum vitia sunt, ideo contraria, quadam tamen specie fallaci similia, vt eidem prudentiæ, non imprudentiæ, sed astutiæ. Nunc enim eam dico astutiam quæ vsitatius in malitiosis intelligi & vocari solet; non sicut nostra loqui Scriptura consueuit, quæ sæpe astutiam in bono ponit. Vnde; Estote astuti vt serpentes. Et illud: Vt & innocentibus det astutiam. Quanquam & apud illos, Romanæ linguæ disertissimus dixerit, neq; illi tamen ad cauendum dolus, aut astutia deerant, astutiam ponens in bono: sed apud illos rarissimum, apud nostros frequentissimum est.*

Astutia in bonam partem sæpe accipitur.

Recte omnino Augustinus; nam Cicero l. 3. offic. astutos eos vocat quos Græci πανούργους appellant, planeq; in vitio ponit, *Non aperti*, inquit, *non simplicis, non ingenui, non viri boni, sed versuti, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri.* Libro primo quam astutiam intelligat ipse exponit. *Existunt etiam sæpe iniuriæ calumnia quadam, & nimis callida, & malitiosa iuris interpretatione. Ex quo illud, summum ius summa iniuria, factum est iam tritum sermone prouerbium. Quo in genere etiam in rep. multa peccantur: vt ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste pactæ inducie, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactæ, non noctium inducie. Nec noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium, nihil enim præter auditum habeo arbitrum Nolanis, & Neapolitanis de finibus agri à senatu datum, cum ad locum venisset, cum vtrisq; separatim locutum ne cupide quid agerent, nec appeterent, atque vt regredi, quam progredi mallent. Id cum vtrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo R. adiudicauit. Decipere hoc quidem, non iudicare est. Quocirca in omni re, fugienda est talis sollertia.*

Acerbissima est iniuria, quæ specie iuris imponitur.

Turpissimũ est eos, qui se æquitati tuæ commiserunt, spoliare.

§. 2. Malitiosam igitur, veteratoriamque astutiam definio: Habitum animi ad fallendos alios, nocendumque. Finis prudentiæ semper bonus est, quas autem deligit ad propositum tenendũ vias rationesq;, rectæ etiam sint oportet, neque enim per scelera ad institutum tendit sapiens. Astutus vero seu versutus cuius in rebus gerendis celeriter animus versatur, ac voluitur, vel eligit finem malũ, vel ad finem bonum vias malas, aut simulatas. Si verborum fallacia vtitur dolus est malus, si malitia actionum fraus vocatur, quamquam loquendi cõsuetudo discrimina illa iam dudum sustulit. Astutiam illam fallacem Deus detestatur, Psal. 57. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*, & Psal. 11. 4. *Disperdet Dominus vniuersa labia dolosa.* Sed non Deo modo, sed hominibus quoq; dolosi, supra quam dici potest, exosi sunt. Cic. lib. 2. de officiis. *Harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet: quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis, prudentia sine iustitia nihil valeat ad faciendam fidem, quo enim quis versutior, & callidior est, hoc muistor & suspectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ iustitia coniuncta, quantum volet habebit ad faciendam fidem virium, iustitia sine prudentia multum poterit: sine iustitia nihil valebit prudentia.* Quis non est detestatus Cleomenem notæ fraudis ducem, qui merito vulnere in carcere à captiuis occisus interiit? Lysander magnanimæ dux ciuitatis, Spartana magis potestate, quam animo præditus, omnia fere vulpina sua perfecit. Aristomenes Messenius summo viuus odio fuit, mortui cor inuentum pilis hirtum fuisse dicitur, quod qui credunt, eos cor habere vix credo, narrat lib. 11. cap. 37. Plin. A Spartanis sæpe deceptis tandem occisus est.

Astuti malus est finis, aut mediũ interdum vtrunque.

Dolus iniustius est, quia nemo vult decipi.

Dolosi in astutia tandem deprehenduntur.

Causa odii est, quia nemo decipi vult, negari rem sibi aperte malunt, quam fraude, & blandis verbis spem differri, & eludi. Sed maius malum est, quod naturæ malitia semel patefacta omnẽ penitus fidem in posterum abrogat, vt l. 2. docui. Principes autem, magistratusque quibus fides non habetur, quamuis regna, opes, exercitus possideant, sine præsidio sunt.

Fraus semel deprehensa fidem tollit.

Astute sed malitiose Pericles, cum enim iurasset parsurum se hostibus, si ferrum posuissent, eos qui in sagis fibulas ferreas habebant, occidit. Non alia, imo crudelior fuit astutia Caluinianæ Ecclesiæ in Floridam proficiscentis, rem eorum historia narrat. Anno 1556. ibat in Brasiliam classis Gallicana, vehebat 13. ministros futuros Brasilienses, erant omnes accensi vt reformatam Ecclesiã transportarent, multas prædas egerunt, in itinere Myoparonem Lusitanum deditione ceperunt, Lusitano tamen promiserunt. Si celeriter aliũ myoparonem inuenissent, adduxissetq;, eum quem eripuissent redditum iri. Lusitanus armata manu dimissus in aliam Liburnicam incidit, quam captam sanctæ illi Ecclesiæ adducit, *quæ res valde*, inquit historicus, *nostris centurionibus placuit, nauis enim erat eximia, & plena sale candido: quã, vt decreuerant, in Brasiliã ad Villagagnonem deduxere. At in fide Lusitanis præstanda, de restituendo myoparone, crudeles adeo extitere: vt Hispanis & Lusitanis, in vnum idemq; nauigium coniectis, ne frusto quidem nautici panis relicto, velis vi laceratis, scapha etiã ablata, qua destituta terrã tenere non possent: mitiore consilio vsi esse viderentur, miseros si depressissent, quam si ita dimisissent: nam*

Perfida crudelitas cum irrisoria fraude.

Lerius.

Crudelis fraus Caluinianorũ.

nam nisi aliunde scapha laborantibus opitulata sit, certum est, aut naufragio tandem, aut fame periisse.

§. 3. Romani quidem dolo delectari Deos crediderunt. Valer. lib. 7. cap. 3. *Seruio Tullio regnante cuidam patrisamilias in agro Sabino præcipuæ magnitudinis & eximiæ formæ vacca nata est. Quam oraculorum certissimi auctores in hoc à diis immortalibus editam responderunt, vt quisquis eam Auentinensi Dianæ immolasset; eius patria totius terrarum orbis imperium obtineret. Lætus eo Dominus, bouem cum summa festinatione Romam actam, in Auentino ante aram Dianæ constituit, sacrificio Sabinis regimen humani generis daturus. De qua re Antistes templi certior factus, religionem hospiti intulit, ne prius victimam cederet, quam proximi amnis aqua abluisset, Eoque alueum Tyberis petente, vaccam ipse immolauit, & vrbem nostram tot ciuitatum, tot gentium dominam, pio sacrificij furto reddidit.*

Perinde ac si Deos pariter, & homines decipere posset.

Fœda etiam in errore malitia, nec bouem magis, quam fraudem dæmoni immolabat. Cum vero astutiam vitupero, eam quæ bonum rectumque finem habet propositum, neque in eo persequendo malis rationibus vtitur, non intelligo; nam honestam illam ad stratagemata relego. Dauid in periculo mortis furorem simulat, Salomon in iudicio crudelitatem primo intuitu præfert, Marcus Volusius ædilis proscriptus, mendici habitu triumuiros fefellit, incolumisq; in Bruti castra peruenit. *Aliquanto speciosius inquit Valerius Sentij Saturnini Vetulonis in eodem genere casus vltimæ sortis auxilium. Qui cum à triumuiris inter proscriptos nomen suum propositum audisset: continuo præturæ insignia inuasit: præcedentibusq; in modum lictorum, & apparitorum, publicorumq; seruorum subornatis, vehicula comprehendit, hospitia occupauit, obuios submouit, ac tam audaci vsurpatione imperij, in maxima luce densissimas hostilibus oculis tenebras offudit. Idem vt Puteolos venit, perinde ac publicum ministerium agens, summa cum licentia correptis nauibus, in Siciliam, certissimum tunc proscriptorum profugiũ penetrauit.*

Honesta astutia stratagema est, bonum finem bona ratione prosequitur.

Virilis astutiæ exemplum.

Ingeniosa ac laudabili versutia Lampsacum patriam liberauit Anaximenes, *cum enim summo studio in eius excidium Alexander ferretur, progressumq; extra mœnia Anaximenem præceptorem suum vidisset; quia manifestum erat, futurum, vt preces suas iræ regis opponeret; non facturum se, quod petisset iurauit. Tunc Anaximenes, Peto, inquit, vt Lampsacum diruas. Hæc velocitas sagacitatis oppidum vetusta nobilitate inclytum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.*

Sine deliberatione solertissimum consilium.

Hæc talia sæpe in consiliis pacis, ac belli vsurpanda veniunt; alia sunt quæ iniuste nocent, vel mendaciis, periuriis, & iniqua simulatione constant, quæ penitus à republica semota cupio. Nõ enim aliud quam rectum iter ad finem ducit, in fraudes, & malitiam conuertere rationem à Deo datam flagitium est.

Data est homini ratio ad verũ cognoscendum.

Admissa fraudum licentia societas humana tollitur.

§. 4. Multi tamen fraudes admittunt, imo pro prudentia astutiam substituunt. *Inter malos*, inquiunt *viuimus*; *ipsi principes:*

Astutam vapido seruant sub pectore vulpem.

Per fraudem regna euertuntur, quid ni tu ea ratione conserues? Semper officio fungitur, qui hominum consulit vtilitati.

Fraus leuis, media, grauis.

Hęc quidem aperte & scelerate Machiauellus sentit. Alii mitius, nam astutiam, fraudemque triplicem faciunt, leuem, mediam, grauem. Leuem suadent, mediam tolerant, grauem damnant. Ita libr. 4. polit. Iustus Lipsius.

Cautio fraus non est.

Leuem vocat diffidentiam, & dissimulationem; verum ita eam describit, vt potius cautionem, taciturnitatemque, quam vitium vllum continere videatur. Vetat principes facile credere, quia sunt opportuni iniuriæ; quia minore metu, maiore præmio apud eos peccatur; quia in aula rara, imo in tot populis vix vna fides. Hæc inquam virtutis præcepta sunt, non indulgentia vitiorum. Sapiente enim diffidentia nulla res vtilior. Neque dissimulatio qua mentem tegit vitiosa semper est. Proponitur res senatui, aut principi, quam non nisi temere, & stulte credere potest, nec tamen necesse habet dicere. Nihil se eorum credere, iudicium suum premit, cur enim in fronte, aut lingua mentem gerat? silentio fida merces est. Nolo tamen dissimulationem longius progredi, vt ambiguas fraudulentasque voces, cum iniuria Dei hominumque iaceat, iam enim grauioris fraudis reus fuerit. Mediam fraudem tolerat Iustus, non suadet. In ea est Conciliatio, Corruptio, per literas, & legationes frustratio; Verum hæc quoque distinguenda sunt; Mendacio, prauaque simulatione, nunquam alienum subditum in amicitiam tuam, aut tuæ Reipublicæ attrahes, Deus enim vetat, Eccles. 1. *Ne velis vti mendacio vllo, nunquam enim prodest frequentatio illius.* Et Prou. 17. *Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens.* Hæc recte ille, fatetur enim peccata esse, sed parua tamen. Quod si ita est, Non modo suadenda non sunt, sed omnibus modis dissuadenda.

Silentio tegere consilia non est vitiosum.

Maius damnum est in mendacij turpitudine, quam fructus esse possit, quacunq; in re.

§. 5. Quid igitur non licebit vno mendaciolo ciuitatem seruare? Nonne tot sine causis, aut pro ridiculis, sæpe etiam malis causis quotidiana periuria sonant? Tot sane in excidio futura scelera, vna culpa non magna anteuertet, & auertet. Leuius malum permitte, quo grauius excludas, fumum tolera ne in flammam incidas.

Verum has humanæ sapientiæ meticulosas voces, sapientiæ increatæ, sapientiæ creatricis oraculum fulminat. Clamat vas electionis, doctor gentium, *non esse facienda mala vt eueniant bona.* Rom. 3. 6. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit, in gloriam eius: quid adhuc, & ego tanquam peccator iudicor, & nõ (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? Quorũ damnatio iusta est.* Nullũ igitur mendaciũ prudentiæ est, nulla prudentia mentitur, omne mendacium stultitiæ est; quia carnalis prudentia, & malitiosa astutia stultitia est apud Deum, apud angelos, in tribunali infallibili, de sententia æterna.

Flagitio nũ est quærenda felicitas.

§. 6. Contra omnes pseudopoliticos vnus mihi veniat Augustinus, etiam ipse in politia, indignatione potentium nobiliter versatus, & pro sui, nostrique temporis ratione, in infidelitate multa metitus, neq; enim temporum, sed hominum peccata sunt. Scripsit ille librum de mendacio, & alterum contra mendacium, ex quibus sententiam veram hauriet, quicunq; illum potius, quam mendaciorum doctores legere voluerit. Libro enim, *de mendacio*, probat ex octo mẽdaciorum generibus nullum esse licitum etiamsi nullius damnum & multorum commodum consequatur. Deinde nunquam mendacium esse dicendum, etiam ad quodcunq; malum fugiendũ cum dictum sit: *Os quod mentitur occidit animam.* Tertio vanam esse excusationem eorum qui mentiuntur vt quod amplius detestandum est euitetur. *Sed, in hoc*, inquit, *errant homines quod subdunt preciosa vilioribus. Cum enim cõcesserit admittendum esse aliquod malum, ne aliud grauius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua quisq; cupiditate atq; consuetudine metitur malum: & id putat grauius quod ipse amplius exhorrescit, non quod amplius rẽuera fugiendum est. Hoc totum ab amoris peruersitate gignitur vitium. Cum enim duæ sint vitæ nostræ, vna sempiterna, quæ diuinitus promittitur, altera temporalis, in qua nunc sumus: cum quisque istam temporalem amplius diligere cœperit, quam illam sempiternam, propter hanc, quam diligit, putat esse omnia facienda: nec vlla æstimat grauiora peccata, quam quæ huic vitæ faciunt iniuriã, & vel ei, commoditatis aliquid inique & illicite auferunt, aut eam penitus illata morte adimunt: Itaq; fures & raptores, & contumelioſos & tortores atque interfectores magis oderunt, quam lasciuos, ebrioſos, luxurioſos, si nulli molesti sunt. Non enim intelligunt, aut omnino curant, quod isti Deo faciant iniuriam: non quidem in illius aliquod incommodum, sed in suam magnam perniciem: cum dona eius in se corrumpunt etiam temporalia, atque ipsis corruptionibus auersantur æterna:*

Augustinus cõtra mendacium scripsit.

Octo mendaciorum genera apud Augustinum.

Pro bono temporali non est dicendũ mendacium, quia est contra bonum æternum.

Dixerat

Nemo per scelera conuertendus est.

Dixerat paulo ante non esse ne pro laude quidem Dei mentiendum; postea vero addit *non est mentiendum sexto genere, neque enim recte etiam testimonij veritas pro cuiusque temporali commodo, ac salute corrumpitur. Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.* Et causam addit: non enim *malis conuertentium moribus ad bonos mores aliquis conuertendus est.*

Fidei violatio plus mali habet, quam sit commodi in mendacio.

Quid vero, annon pro Reipublicæ bono mendaciolum laudabile est? Respondet Augustinus: *Non enim cuiusquam commoditas, aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est.* Itaque licet recte factis offensus à virtute recedat, non tamen idcirco recte facta deserenda sunt. Altero libro qui contra mendacium scriptus est, agit hoc vt ostendat, non esse, neque pro Ecclesiæ pace, neque pro conuersione errantium abutendum mendacio. Priscillianistæ hæresin suam non modo negando, & mentiendo, sed etiam peierando putabant occulendam, visum autem est quibusdam Catholicis Priscillianistas se debere simulare, vt eorum latebras penetrarent. Eorum institutum ait esse contra Pauli sententiam, *qui vetat facere mala, vt veniant bona.* Quia vero captiones, & venationes omnino similes toto orbe terrarum mendacio incautos irretiunt, horum acta inter se comparemus. Finis Catholicorum honestissimus erat; Periculum obscenæ hæreseos ab Ecclesia amoliri, & hæreticos vt conuerterentur eruere è latibulis, id pie, vere, non mendacio faciendum docet Augustinus, probatque sacris eloquiis, sed & è media rerum natura rationes adducit.

Nec cum mendacibus quidem fraudulenter agendū.

Iniuria Deo à mendacibus grauior omni humano malo infertur.

§. 7. Primo, Multa mendaciorum genera sunt, nullum est, quod non sit contrarium veritati; omne igitur mendacium in malo est, & grauior est humanis incommodis iniuria Deo illata. Sed quoniam paucos illa tangit iniuria, humana incommoda videamus.

Nunquam vitia stant, vbi cæperunt.

§. 8. Secundo, Dum fallaciæ rimam aperit humana, stultaque sapientia, ipsa sibi latam portam, patulamque ex paruis initiis extruit. Tanta porro cæcitas hominum animos occupauit, vt eis parum sit, si dicamus quædam mendacia peccata non esse, nisi etiam in quibusdam peccatum dicant esse, si mendacium recusemus: eoque perducti sunt defendendo mendacium, vt etiam primo illo genere, quod est omnium sceleratissimum, dicant vsum fuisse Apostolum Paulum. Primum genus mendacii ait, cum mentitur quispiam in doctrina pietatis.

Fallaciæ mos fidem omnibus abrogat.

§. 9. Tertio, Quod vero est miserabilius, prudentia illa quam vsitata, tam noxia, efficit, vt fides tollatur. Quis enim legatus, quis Orator iam credit non dico alteri legato, vel oratori, non dico principi ad quem, vel contra quem mittitur, sed suo etiam principi à quo mittitur; Sæpe enim & ipsi legati falluntur. *Et quod miserabilius, ait Augustinus, etiam ipsi iam quasi nostri effecti, quemadmodum nobis credant, reperire non possunt. Si enim suspicentur etiam ipsa catholica dogmata nos mendaciter loqui, vt nescio quid aliud occultemus quod verum putamus: certe talia suspicanti dicturus es: Hoc tunc ideo feci, vt caperem te. Sed quid respondebit dicenti; Vnde igitur scio, vtrum etiam nunc id faciat, ne capiaris à me? An vero cuiquam persuaderi potest, hominem non mentiri ne capiatur, qui mentitur vt capiat? Videsne quo tendat hoc malum, vt scilicet non solum nos illis, ipsique nobis: sed omnis frater omni fratri non immerito videatur esse suspectus? Atque ita dum per mendacium tenditur, vt doceatur fides, id agi potius, vt nulli habenda sit fides? Si enim & contra Deum loquimur cum mentimur, quid tantum mali poterit in vllo mendacio reperiri, quod tanquam sceleſtiſsimum omni modo deuitare debeamus?*

Inspice obscura verba, tectos vultus, lenia poculorum tormenta, tentamenta per intimos amicorum, iuratus affirmabis per hanc doctrinam iam fidem perisse de mundo, aut sane apud paucos delitescere.

Pro Republica non mentiendum.

§. 10. Quarto, Non sufficit excusatio; non modo pro meæ Reipublicæ emolumento; sed aduersariorum etiam bono mentior, vt fiant amici, ne nobis iniuriam inferendo grauius delinquant. *Hæc sententia,* (inquit S. Augustinus) *martyres exhonorat, imo vero aufert sancta omnino martyria. Iustius enim sapientiusque facerent secundum istos, si persecutoribus suis non se confiterentur esse Christianos, nec eos sua confessione facerent homicidas: sed potius mentiendo & negando quod erant, & ipsi saluum haberent carnis commodum, cordisque propositum, & illos conceptum animo scelus implere non sinerent. Non enim proximi eorum erant in fide Christiana, vt cum eis deberent loqui veritatem in ore suo, quam loquebantur in corde suo, sed ipsius veritatis insuper inimici. Si enim Iehu, quem sibi inter cæteros, ad exemplum mentiendi prudenter videntur intueri, seruum Baal se esse mentitus est, vt seruos eius occideret: quanto iustius secundum ipsorum peruersitatem tempore persecutionis seruos dæmonum se mentirentur serui Christi, ne seruos dæmonum seruos occiderent Christi; & sacrificarent idolis ne interficerentur homines, si sacrificauit ille Baali, vt interficeret homines? Quid enim eis obesset secundum egregiam doctrinam mendaciloquorum, si diaboli cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus seruabatur in corde? Sed non sic intellexerunt Apostolum martyres veri, martyres sancti. Viderunt quippe tenuerunt que quod scriptum est: Corde creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Et, in ore eorum non est inuentum mendacium: ac sic irreprehensibiles abierunt, vbi tentari à mendacibus vlterius non cauebunt, quia mendaces amplius in suis cœlestibus cœtibus vel alienos vel proximos non habebunt.*

Tot millia mori, quam simulare maluerunt.

Grauis ratio: Tot millia à grauissimis eruciatibus, se, & morte, alios à flagitiis vno mendaciolo liberare potuerunt, & veritatem tamen per tot tormenta tenere maluerunt. Quæ igitur ratio te cogit, in reculis temporariis, & quidem non crediturus mentiri?

Hinc illa pestilens definitio.

§. 11. Quinto, Si mentiendum est vt ad laudandum Deum homines adducamus; non modo vera dicere, sed mentiri quoque docemus, si hoc igitur ad Rempublicam referemus, & mentiendi artem vt honestam profiteamur: Nullam opinor causam dicemus quo minus artibus nostris petamur, idque efficiamus, vt merito nostro nos alii quotquot possunt in fraudem inducant. Si vero propterea legitima sunt, & sine noxa mendacia, quia Reipublicæ commodis opportuna, poterunt, & isto modo casta esse adulteria, iusta furta, inculpata homicidia, permissa venena. Historiæ nobis humana scelera produnt; fuerunt, qui suæ securitati hominum illustrium greges quasi victimas mactarunt, qui matronarum adulteria, non tam libidine, quamuis impurissimi essent, quam studio virorum arcana rimandi, sectati sunt. Qui enim semel in gubernationem vel quasi necessaria, vel quasi vtilia peccata admiserit; quia parua culpa ingentibus rerum communium emolumentis bene pensantur; parum abest, quin nullum refugiat scelus, quod conducere rationi status, vt vocant, arbitretur. Paruæ fraudis delictum vsurpant; quid enim si verbulum aliter, quam sentias, in salutem publicam proferas peccasti? Nonne & ille dicet. Quid si vtili, salutarique mendacio etiam adiecero iusiurandum, quid refert Deo teste me mentiri, si eo vidente mentior? Quid tantum peccati est in vna animula, si pro communi bono à corpusculo suo dimittatur? Quid tantum mali in vno amplexu, vt non etiam per voluptates vitam, & ciuitatem seruare liceat? Multos Tiberius occidit, quod mentem suam ab illis perspectam sciret. Multa alii fecerunt, quibus hoc ostenderunt, nullum se crimen fugere, quod vtilitatem, delectationemque offerrent, hæc enim sententia non modo parua delicta tanquam pene nulla

Legatus est vir pro sua republica mentiendi peritus.

Si parua delicta laudentur, atrocia fient.

nulla exhibet, sed grandia quoque scelera in comparatione salutis publicæ, seruandi regni, vincendi hostis, velut veniabilia, & prudenter admissa defendit. Zopyrus Darii seruus, & improbi exemplar obsequii, cum frustra Babylonem obsideri cerneret, lacero flagris corpore, mutilatoque, (quam ipse sibi iniuriam intulerat) profugit in hostium vrbem, atque ea se crudelitate à rege suo tractatum querebatur; fidem faciebant vulnera, neque enim tantam doli efficaciam tamque crudelem, quisquam suspicabatur; illa enim nemo prudens pateretur, etsi sibi, non autem impio regi merces esset regnum. Mentiri ille in laude habuit, & fidem mendacio per tormenta astruxit; sed parum hoc fuerat, neque enim Babylonii ad credendum faciles erant, maiore igitur scelere multorum vita fraudibus impenditur; pactus enim cum rege erat, vt si à Babyloniis militi præficeretur, rex erumpenti eos obiiceret milites, eaque turbatione, & fraude, quos facile concideret, atque ita periurio, mutilatione corporis, secundis parricidiis, eos à quibus ad summam dignitatem electus erat, hosti immanissimo sceleratissime prodidit, & notas turpis obsequii, perfidiæque circumtulit sempiternas. Noto vtor exemplo, quod in fidei commendationem proferri solet, sed omnia hic sunt plena perfidiæ, in rege, in Zopyro; pluris vero est, fidem seruari, quam Babylonem capi. Concludam hoc argumentum sententia D. Augustini. *Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* Pergit idem cui magna hac in causa esse debet auctoritas, Augustinus. *Cum vero iam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ, vel cætera talia: quis est qui dicat causis bonis esse facienda, vt vel peccata non sint, vel quod est absurdius, iusta peccata sint? Quis est qui dicat, vt habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta diuitibus, aut testimonia falsa vendamus, maxime si non inde innocentes læduntur, sed nocentes potius damnaturis iudicibus eruuntur? Duo enim bona fiunt huius venditione mendacij, vt & pecunia sumatur vnde inops alatur, & iudex fallatur, ne homo puniatur. Testamenta, etiam, si possumus, cur non vera supprimimus, & falsa supponimus: vt hæreditates vel legata non habeant indigni, qui nihil ex eis operantur boni, sed hi potius à quibus esurientes pascuntur, nudi vestiuntur, peregrini suscipiuntur, captiui redimuntur, ecclesiæ construuntur? Cur enim non fiant illa mala propter hæc bona, si propter hæc bona nec illa sunt mala? Iam vero si aliquæ immundæ & diuites fœminæ videantur amatores & stupratores suos insuper dituraræ, cur non & has partes atque artes suscipiat vir misericors, quibus pro tam bona causa vtatur, vt habeat vnde indigentibus largiatur: nec audiat Apostolum dicentem: Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operans manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat, cui opus est.*

§. 12. Malum ergo non erit bonum, etiam si ea causa perpetretur, vt sit, vnde fiat bonum. Quis ista dicat, nisi quires humanas, omnesque conatur mores, legesque subuertere. Minus peccat qui finem malis bonum præstituit, qui diuiti furatur, vt donet pauperi, qui non auaritia, sed miseratione peccat, verum miserationem prauam non regit prudentia, sed error tenet. Nunquamne igitur prudentia mentiendum suadebit? Non etiam vt aliena grauia peccata vitentur? Audiant magnum & sanctum politices dictatorem. *Si hanc peccatis aperimus viam, vt committamus minora, ne alij maiora committant, lato limite, imo nullo limite, sed conuulsis, & remotis omnibus terminis, infinito spacio cuncta intrabunt, atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius, profecto & furtis nostris stupra cauebuntur aliena, & incesta stupris: & si qua impietas visa fuerit etiam peior incestis, incesta quoque facienda dicentur à nobis, si eo modo agi potuerint, vt illa impietas non committatur ab aliis: & in singulis quibusque generibus peccatorum, & furta pro furtis, & stupra pro stupris, & incesta pro incestis, & sacrilegia pro sacrilegiis facienda putabuntur, nostra pro alienis: non solum minora pro maioribus, verumetiam si & ad ipsa summa & pessima veniatur, pauciora pro pluribus: si se ita rerum verset incursus, vt aliter alij non se abstineant à peccatis, nisi minus aliquanto, sed tamen peccantibus nobis: ita vt omnino vbi dixerit inimicus qui habuerit huiusmodi potestatem, nisi tu sceleratus fueris, ego sceleratior ero: aut nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam: scelus nobis videamur admittere, si velimus ab scelere temperare. Hoc sapere quid est aliud nisi desipere, vel potius insanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, siue in me, siue in aliis perpetrata, mihi est cauenda damnatio. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.*

§. 13. Sed adhuc insurgit humana imbecillitas in sola vitiorum defensione fortis. Ipse fatetur Augustinus, nondum se esse in eorum numero, quos compensatiua peccata non turbant. *Ecce graui morbo periclitatur ægrotus, cuius iam vires ferre non possint, si ei mortuus vnicus & charissimus filius nuncietur: si à te quærit an viuat, quem vitam finisse tu nosti, quid respondebis, quando quicquid aliud dixeris præter vnum de tribus, aut mortuus est, aut viuit, aut nescio, nihil aliud credit ille quam mortuum: quod te intelligit timere dicere, & nolle mentiri. Tantundem valet, etiamsi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falsa sunt, viuit, & nescio, nec abs te dici possunt nisi mentiendo. Illud autem vnum verum, id est, mortuum esse, si dixeris, & perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes, quantum sit mali salubre mendacium deuitari, & homicidam diligi veritatem? Moueor his oppositis vehementer, sed mirum si etiam sapienter. Cum enim proposuero ante qualescunque oculos cordis mei intelligibilem illius pulcritudinem, de cuius ore nihil falsi procedit, quamuis vbi radians magis magisque claresçit veritas, ibi palpitans mea reuerberatur infirmitas, tamen sic amore tanti decoris accendor, vt cuncta quæ inde me reuocant, humana contemnam. Sed multum est vt iste in tantum perseueret affectus, ne in tentatione desit effectus. Nec me mouet contemplantem luminosum hominum, in quo mendacij tenebræ nullæ sunt, quod nobis mentiri nolentibus, & hominibus vero audito morientibus, homicida dicitur veritas. Nunquid enim si stuprum expetat impudica, & te non consentiente, sæuo amore perturbata moriatur, homicida erit & castitas?*

Quid si mendacio animam seruare liceat, captus tenetur infans, possum ne fallere custodes mendacio, vt ad eum baptizandum sit aditus? Negat Augustinus; nam si mendacio decipi possunt, cur non & stupro illici? Summa igitur est: *Aut ergo cauenda mendacia recte agendo, aut confitenda sunt pœnitendo: non autem cum abundent, in feliciter viuendo, augenda sunt & docendo.* Hæc Augustinus, ex quo etiam hoc discimus, longe diuersam esse rationem eorũ, qui crebro mendaciis sine alieno damno vtuntur, & pœnitet eos commissorum, atque eorum qui docendo illa in immensum augent.

Docere hæc pleraque verbis tanti doctoris volui, nam veteratores illi, obscuri, & principibus suis in fraudibus obsequiosi, si quis Theologorum præsertim religiosus hæc moneat, continuo obiiciunt. Tu vero securus esto, *quid adolescentuli isti, à schola, vel vmbra dicant*; non eos nos ciuilis disciplinæ idoneos iudicamus arbitros, requiri *virum non ignarum rerum*, quæ eueniunt in hac vita, nec Maculonum Italum tam districte damnandum, sic enim in pessimum sensum rapiunt verba viri boni non cautissime dicta. Augustinum nec ingenio carere, nec inexpertum rerum humanarum, & constantem vitiorum censorem agnoscant.

§. 14. Quid vero est, in quo fauentibus turbis sese

Politicis malis omne peccatum in comparatione boni publici parum est.

In Zopyri mendacio multa scelera.

Peccata bono fine non fiunt iusta.

Minus malum est peccatum, cuius bonus est finis, sed omnino peccatum est.

Nostro peccato, non est alienum impediendum maius scelus.

Nostro peccato non consulendũ miseris.

Vehemens ad mores, sed non sapiens obiectio.

Peius est mendacia augere docẽdo, quam mentiri.

In Deum iniurij sunt, qui mendaciis Rempublicam seruare se iactant.

iactat illa prudentia? Astutia mea vrbem seruaui, res intricatas explicui, metum Reipublicæ dempsi, quanta vnius mendacii vtilitas? At Deus id noluit, etiam vtile mendacium vetuit, tu melius Reipublicæ consules, quam Deus? *Dominus est, qui nisi custodierit ciuitatem, frustra mentitur, qui custodit eam.* Ego vero in turrem conscendo, & voce Dei, & voce naturæ proclamo. Non seruari peccatis humani generis societatem, sed dissipari. A Deo cuncta dependent, à summa veritate, à summa potentia, à summa bonitate, tu tuas argutiolas, mendaciolaque ad tantam rerum molem necessariam arbitraris? Nisi tu mentiendum doceas, res humanæ retro labentur? O pura deitas, ô limpidissima veritas! radio veræ lucis dispelle miseras nebulas vanitatum. *In manu tua sunt omnes fines terræ*, & corda regum, illi vero suis fallaciis fraudibusque temperare, atque administrare cuncta se posse confidunt. Magna est imprudentia sine Deo, contra Deum non vni tantum homini, sed Reipublicæ felicitatem velle asserere. Tantumne tibi places, vt tuo mendacio felicem principem fore existimes? Quid igitur faciam cum vel mentiendum est, vel periclitandum? Facies tu quidem id quod non licet, quodque ego dissuadeo; mentieris. Debes autem periclitari potius, quam mentiri, quia is qui fugere te periculum mendacio vetuit, illo te liberare potest; aut si adieris, in maiora bona vertere. Quod si in mentiendi proposito perstiteris, in alia te mala conjiciet, ex quibus, nec mentiendo, nec vera dicendo emerges. Rem omnipotenti sapientiæ, & cogitationum tuarum fluctus committe, certus, ab infinita sapientia ita res humanas ordinatas, etiam improborum voluntates, aularum strophas, vrbium vafra consilia, vt ad communem salutem Dei sufficiat prouidentissima bonitas, non requiratur aduersa Dei legibus, in te mentiendi astutia.

Mendaciis ciuitas perit.

Blasphemũ est Rerumpubl. salutem mendaciis adscribere.

§. 15. Mihi vero humanitus rem considerati magna calamitatum pars ex veteratoria illa arte nasci videtur. Primo, non simplicitate, oratione, modestia, despicientia sui, spe & fiducia superni adiutorii rem agunt, sed fallaciarum copias in pectus aduocant, & vt solent in comœdia gloriari callidiores seruuli, in astutis dolis omne præsidium collocant; itaque plerunq; talium consiliorum infelix est euentus; Ineunt consilium, & non ex Deo, ideo dissipatur. Deinde conflictantur illa callida consilia cum paribus aduersariorum fallaciis, quocirca maior vtrinque diffidentia, simulatio, frausque oritur, & mutuæ fraudis cognitio, *habet & Roma suum Hannibalem*, dicebat Pœnus; cum eadem arte Fabius Tarentum recepisset, qua ipse eripuerat. Tertio, non sunt illi consiliarii principibus, aut senatores ciuitatibus fideles, qui fallendi artem tot annos exercuerunt. Seuera, sed iusta Dei vindicta fraudium illi inuentores suo principi aut patriæ plerunque dederunt pœnas; Themistocles, Pericles, Theramenes, Lysandros, Cleomenes, Aristomenes, alios omitto, neque enim horum acta, aut exitus Politici legere possunt. Id quod illis facilimum est, recordentur; Nempe iam à viginti annis hominum prudentia tumentium, callidorumque, in aulis, in comitiis, in Republica regnantium, lamentabiles casus, dedecora, inhonestas exauctorationes, inopiam, familiæ clades, & carceres interdum, necemque.

Non Deo, sed dolis fidunt astuti. Ideo vrbes pessumdant.

Fraudibus occurrunt pari acie fraudes.

CAPVT V.

Prudentiæ diligentiam iungendam esse.

§. 1. OMNIVM principum arcibus, omnium vrbium curiis inscriptum optarem, quod Apostoli voce semper in Ecclesia sonat. Rom. 12. 8. ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ. *Qui præest in sollicitudine, studio, diligentia.* Ignaua esse prudentia non potest. Diligentiam vero & sollicitudinem pro eisdem accipio, vti interpres vetus scripturæ, & S. Thomas, quamuis enim apud exoticos scriptores vitiosam animi anxiamque inquietudinem iactationemque significet, est tamen eius melior apud nostros significatio. *Sollicitus* ait S. Thom. *dicitur quasi solers citus, in quantum scilicet, aliquis ex quadam solertia animi, velox est ad prosequendum ea, quæ sunt agenda.* Diligentia igitur est animi alacritas, & facultas qua præcipitur eorum quæ prudenter constituta sunt, cum recta ratione celeritas. Cuius virtutis inimicæ sunt, ἀμέλεια, *negligentia*; cum posita cura, ac sollicitudine bona consilia non agendo pereunt. Frequens in Republica, sed exitiale malum. Deinde pigritia seu ὀκνηρότης cum agendorum tempora prorogantur, donec in periculum negocia veniant. Tertio, torpor, seu νάρκωσις, qui mentem ita dissoluit, vt bene consulta, recteque inchoata, interrumpat. O princeps, ô consul, ô dux.

Malus princeps est, quia vna dum taxat manu capit Rempublicam.

Plerunque sera pro nullis sunt.

Ἔργοις φιλόποιον ἴσθι, μὴ λόγοις μόνον.
Re ipsa laborem non solum verbis ama.

Dictum breue est, sed prudentiæ cuncta complectitur, νόει, ᾗ πρᾶττε, *cogita, & age.* Nam reuera in vnoquoque bono mater est diligentia. Laudaui nuper versiculum sapientiæ:

Consilia actuosa prosunt.

Ἅπαντα δῆλα τὸ φρονεῖν καθίστατι.
Omnia seruiunt sapientiæ.

Verum de efficace, laboriosa, & operatrice sapientia esse intelligendum non dissimilis demonstrat:

Τῆς ἐπιμελείας πάντα δῆλα γίγνεται.
Diligentiæ omnia seruiunt.

§. 2. Equidem curam, sollicitudinem, diligentiam, vigilantiam omnem magistratus honestam, ac pene regiam esse iudico. Quicquid enim prudenter statutum principali auctoritate, celerique vigore exequuntur, quia ad multos pertinet, magnum est. Omnis virtus requirit ἀκρίβειαν, & vt ad amussim respondeat effectus arti, sed in imperio etiam in paruis sedulitas summi est momenti, & animi non degeneris certum, & stabile documentum. Infra maiestatem videri solet multis interesse quæstorum rationibus, sumptuum curam ducere. At vero id vel maxime maiestatem conciliat, & firmat; alioqui ex illa negligentia ærarium exhauritur, officialium, & ministrorum rapacitas in immensum augetur: cumque bellum imminet, omnes profugiunt, nam & qui rapuere sua cõseruare volunt, & qui non sperant à principe paupere ad diuites sese conferunt. Tum vero pœnas incuriæ sentiunt, cum arces, vectigalia, oppida oppignoranda sunt, non amicis, & fidelibus, sed furibus, qui principũ pecunia sibi principem emunt. Ea de re libro 8. disseram, nunc moneo viuaces principum, senatorumque oculos in minima conjiciendos esse. Omnia illa minima, maximorum esse momenta. Summa est, Princeps, Senatus, aut omnia ipse faciat, aut omnium factorum rationes exigat, si neutrum potest, hoc agat, vt omnes omnium rationes quotidie reddendas arbitrentur. Non modo hoc vtile est Reipublicæ, & peculatus antidotum, sed administrorum saluti conducit, quorum ex millenis non est vnus, quin male parta reuomere, & cum contumelia reddere cogatur: cum nulli desit inimicus, & ex vero accusator: Principes exemplo alienam industriam acuunt, fert vallum princeps, aggerem ducit, tormenta librat, gladium polit, equum exercet, rationes exigit, parua cognoscit, non redigitur in ordinem maiestas, sed operibus vulgaribus ex maiestate dignatio accedit. Dei infinita est maiestas, & omnia tamen vilia semper intuetur, muscis & pulicibus artus & membra disponit, & tam hæc parua sine imminutione maiestatis exequitur, quam mundum

Pro Repub. etiam sordidus labor gloriosus est.

Neglectu paruorum magna amittuntur.

Princeps indiligens suis furibus suis est vectigalis.

Cura regia magna est in paruis.

dum gubernat. Quocirca Amos 7.1. Deus ipse Fictor locustæ nominatur. Eadem est enim illius, in magnis & paruis relucens sapientia.

Occasionem nemo occipitio prehendit.

§. 3. Incommoda tandem quæ sint incuriæ, quis non quotidie experitur, de priuatis non ago, publica omnium patent oculis. Nihil tam recte constitutum, quod ignauia non euertatur. Occasiones rerũ nunquam ignauiam imperantium exspectant. Præcipitationem consiliorum improbo, quę tamen aliquando non suo merito, sed numinis indulgentia felix est. Sed magis tarditatem, & lentitudinem, quæ omnia corrumpit. Quemadmodum enim diligentia naturæ prauitatem corrigit, ita negligentia in magno corpore omnium morborum pestes alit, augetque. Nihil est quod non expugnet pertinax opera, & intenta ac diligens cura, & è contrario nihil est, quod ignauia nõ defluat, & remissione, ac torpore concidat. Quid longinqua respicis? certissima ex proximo, imo ex te ipso tutela est. Magistratus igitur imitabitur agricolas quorum hoc est axioma rusticanum. *Quocunq; domini præsentis oculi frequenter accesserint, ea parte maiorem in modum fructus exuberare*; oculus enim domini pascit equum. Nemo igitur vt rex Chinensis, vt posteriores Persæ, regni fructum putet ocium cum dignitate; sed regium esse iudicet, bene agere, & male audire. Scipioni & Romanis legatis incessus Ægyptii regis de ridiculo fuit, ἀεργίαν, *ocium*; & ἀδυναμίαν, *debilitatem* præferebat.

Qui per transennã omnia inspicit, nihil certo cognoscit.

Nihil minus regium est, quam ocium.

Laudanda in Alexandro Seuero laborandi constantia: Eam ita Lampridius describit. *Sane si necessitas cogeret, ante lucem actibus operam dabat, & in longam horam producebat: neque vnquam tædiauit, aut morosus, aut iratus resedit, fronte semper pari & lætus ad omnia. Erat enim ingentis prudentiæ: & cui nemo posset imponere: & quem si aliquis vrbane tentare voluit intellectus, tulit pœnas.*

Labor sine tædio salus Reipublicæ.

Et Herodianus: *Ipse iter faciebat sine intermissione, neque festos dies, neque labores vllos magnopere curans, algoris atque æstus iuxta patiens: Sæpe etiam per altissimos montes hyeme sæua, niuibus cœlo ingruentibus ibat aperto capite, vt milites ad alacritatem patientiamque laborum re ipsa cohortaretur. Quocirca non metu quodam ac lege, sed æmulatione magis atque exemplo principis ad perferenda omnia incitabantur. Misit etiam qui angustias occuparent Alpium, atq; aditus Italiæ obsiderent.*

Labor principis vtilis est, quia omniũ manus excitat.

Nec aliter alios agere voluit, Symbolum enim dedit. *Laboremus*, quemadmodum dederat pertinax; *Militemus.* Adrianus gnauus fuit, & laboriosus, si quis alius imperator, Prouincias enim crebro obiuit, ius dixit, cupiditates præsidum puniuit: Eius augustos labores Florus poeta irrisit. *Ego nolo Cæsar esse, ambulare per Britannos, Scythicas pati pruinas.* Cui ille facete. *Ego nolo Florus esse, ambulare per tabernas, latitare per popinas, culices pati rotundos.* Vespasianus quidem inter curas imperatorias dum legationibus intenderet est exstinctus, cuius hoc elogium est: *Imperatorem stantem mori oportere.* Quid de illis sensisset, quos viuentes mollis sepelit inertia? Ille mane postquam à somno fuit experrectus, literas legere, negotia publica gerere, libellos supplices inspicere, audire. Quod etiam Domitianus inter summa vitia æmulatione quadam retinuit. Traianus vero pro tribunali sedit, causas sine defatigatione audiuit.

Symbolum Seueri.

Viuere non decet iacentem, quem stantem oportet mori.

Diligentia ducis est vita armorum.

§. 4. Sed cum aliis in rebus, tum præcipue bellicis, in quibus bis peccare non licet, opus est cautissima celeritate. Magnum enim terrorem hostibus incutit, & spacium recolligendi non concedit perterrefactis. Sed quomodo principis tam multis, minutisque curis sufficiet? Respondeo. Posse non modo minores reges, & duces sed monarchas etiam, & plurium regnorum dominos, habere rebus disponendis ordinata tempora.

§. 5. Primo itaque princeps ordine tempora disponet, præpostera enim non modo seipsa, sed etiam, quæ bene sunt ordinata, impediunt. Hæc si distinguat, aderunt suo ordine negocia, nec illis tempora deerunt, nec tamen, quod in lucro princeps ponet, supererunt vitiis. Sanctum tempus est, quod negociis impenditur, profanum quod rebus cæteris, nisi eo impendatur, vt valetudo par sit negociis.

Ordo negociorum facit, vt innumeris vnus par fit.

Secundo, si plures sint prouinciæ, singulis, sicut & negociis, sua consilia designabit, atq; ita quoque ipse per vices adesse poterit.

Prouinciarum dies.

Tertio. Si septenas horas somno, binæ cibo, totidem recreationi honestæque animi relaxationi tribuantur, supererunt ad negocia tredecim, has si ita disponat, vt omnes dicere queant:

Ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum,

multa negocia ipse expediet. Statis enim consultationibus statas horas attribuet, alias quas liberas esse volet extraordinariis, audiendis miseris, viduis, pupillis, illis enim prima debetur miseratio, & præcipue alio præsidio destitutis pater esse princeps debet. Lubet hic apponere, quæ vir prudentissimus Antonius Gueuara de M. Aurelio Xenophontis Pædiam imitatus recte, sapienterque conscripsit. *His ergo momentis, inquit, tempora M. Aurel. Imp. opt. partiebatur, vt & suis rebus, & negotiis publicis curandis satis haberet temporis.* VIR *enim à curis (ac solicitudine) solutus (& non iners) multa vel breui; solicitudine districtus pauca vix longo expedit tempore. Ita autem tempus ordinabat, vt septenas de nocte horas dormiret; vnam meridiaretur; duas prandio cœnæque tribueret, non quod tam diu pranderet aut cœnaret; sed quod philosophorum disputationibus conuiuium produceretur. Nunquam enim totis septendecim annis cibum visus est capere, quin vel anagnosten vel Philosophum audiret.*

Extraordinaria negocia.

Ordo in rebus agendis caput est.

Corpus & animus eodem tempore cibum capit.

Cumque multis imperaret regnis ac prouinciis; singulas Asiæ, Africæ & Europæ negotiis horas dabat; binas vero singulis diebus horas cum liberis, vxore, amicis familiariter versabatur. Vnam item negotiis tribuebat extraordinariis, vtpote audiendis querimonijs vexatorum, querelis inopum, grauaminibus viduarum, spoliationibus pupillorum. ÆQVE *enim audiendi sunt principibus clementiæ laudem amantibus inopes, qui parum possunt, quam diuites, qui plurimum habent.*

Quicquid vel diurni vel nocturni relinquebatur temporis, librorum lectioni, operum scriptioni, carminum compositioni, antiquitatum inuestigationi, eruditorum sermonibus, philosophorum disputationibus impertiebatur; quippe cum NIHIL *ipsi literatis colloquijs esset iucundius.*

Non erant temulentæ conuiuia, non sumptuosæ venationes.

Nisi bellis impediretur difficilibus, aut negotiis arduis auocaretur; ordinarie hyberno tempore hora nona cubitum semper ibat, quarta cubitu surgebat; ac ne otiosus esset, librum semper ceruicali subiectum habebat, cuius lectione tempus, dum luceſceret, transigebat. Solenne enim erat Imperatoribus Romanis ignem præferri, prunas (interdiu) scilicet ardentes, noctu vero lampades in cubiculis accendi; vt ipsis vigilantibus cerei, dormientibus lucernæ arderent. Institutum autem à Romanis fuit, vt OLEVM *ex olea natum, & cera apum industria parata, ante principes vrerentur, vt æque se placidos ac mites, quam oleum ex olea natum, æque vtiles Reipublicæ, atque in alueari apem, esse oportere meminissent.*

Maiestas luce gaudet.

Circiter sextam cum surrexisset, publice non vulgari, sed maxima potius cum iucunditate vestiebatur, circumstantes percontando, quo pacto noctem totam transegissent; aut quid somniasset, quid meditatus esset, quid legisset, exponendo. Vestitus iam os manusque aquis lauabat odoratis, quippe qui gratis odoribus inprimis delectaretur, tam acri præditus odorandi sensu, vt nonnunquam loca transiens sordida (ac fœtida) non parum offenderetur. Primo mane bolum vnum atque alterum manducabat electuarij diaστœchados, & bibebat (tres cyathos vini cretici vel) paullum liquoris stil-

Cura valetudinis labori addita.

ris stillaticij; quod nimirum stomacho (& pectore) propter nimiam in studiis contentionem, esset imbecilliore. QVI enim studiis sunt dediti, variis, quod experientia docet, morbis sunt obnoxij; quippe qui studiorum deliniti dulcedine vitæ detrimentum non sentiunt.

Idem sollicitudo bonorũ principum efficit.

Tempore æstiuo primo mane ad ripam Tiberis circiter duas horas pedes spaciabatur, & compellantes stans audiebat; idque profecto sapienter. SEDENS *enim princeps breuiloquentem semper eum, qui dicit, facit. Procedente paullatim die, & calore inualescente, in Capitolium ascendebat, vbi à Senatu exspectabatur; quo dimisso, in Titi amphitheatrum, vbi legati & procuratores prouinciarum conueniebant, se conferebat, bonamque diei partem ibi morabatur. Vbi pransus erat & paullum secesserat; Vestalium adem adibat, singulasque nationes, ordine ipsis à se assignato audiebat. Semel tantum de die, idque aliquanto serius; sed suauiter & affatim comedebat, ferculis gaudens paucis, sed optimis: Cum* EPVLÆ *peregrinæ (& variæ) morbos semper peregrinos (& infirmitates) pariant.*

Cibi parsimonia rarum, sed optimum est medicamentum.

Non temere plus, quam semel singulis septimanis per vrbem deambulatum prodibat, sine vllo vel suorum vel alienorum comitatu (X. aut XII. duntaxat stipatus ministris,) vt libera esset omnibus egenis & orphanis alloquendi, & de officiariis suis, si qua vellent, querendi potestas. FIERI *enim nullo modo potest, vt reipublicæ medeatur, nisi is, cuius id munus est, morbos illius penitus cognoscat.*

§. 6. Posse principem ea præstare, & omnium curam complecti experientia docet. Multum temporis tempestiua, & intempestiua conuiuia, itinera, venationes, aucupia, ludicra, aliæ voluptates auferunt, ex quibus si partem decidant, seriis rebus optime constituendis tantum temporis suppeditabit, vt omnes subditi vigilantia principis fruantur, omnes administri fideles gaudeant operas suas conspici, mali in continuo sint timore.

Curas prætendunt inter tot auocamenta lasciuientes.

Dura profecto, & laboriosa magistratuum prouincia, quorum negligentia cum iustitia opprimatur, religio contemnatur, hostes inualescant, satrapæ tyrannidem exerceant sæpenumero & peccatum mortale, imo inter mortalia detestabilissimum. Vno verbo, vna nominis subscriptione, vno oculi conjectu, quot scandala tollere, quot viros bonos subleuare, quot improborum conatus repellere possunt? Nec excusari possunt; in suis negligentiam nullam tolerant, ad aulica imperia volatur, quomodo vero inter tot obsequia non intelligunt, exquisitissimam à se diligentiam requiri? Insigne datum est Augusto à mæcenate consilium. *Optimi ac egregij principis est, non modo ipse vt omnia ex officio agat, verum vt qua ratione etiam reliqui omnes quam optimi fiant, prospiciat.* Omnia conetur cognoscere, hoc diligentiæ est; scio omnia cognoscenti multa ignoscenda; sed tamen ad multa si cæcutiat, pleraque sic agentur, vt ignoscí non debeant. Ignoscentem iterum offendere verentur, & horrent; ignoranti illudunt. Qui ad clauum sedet, sine periculo nunquam dormitat, sed nauarchus vna in parte magni maris est, quæ sæpe quiescit: principem quocunq; loco sedentem omnes totius regni procellæ pulsant; nisi perpetuo vigilet excussuræ. Verum non sibi, sed populo suo timere debet, vt populus etiam principi timeat, à quo salutem suam dependere nouit.

Graue scelus est negligentia, vnde scelera oriuntur.

Ministeria domestica ad amussim accurantur, prouinciarum damna neglíguntur.

Princeps semper in turba est.

§. 7. Vnum est & insigne compendium diligentiæ, quo sine magno labore celeri executione, fideliterque bene constituta perficiuntur, quod ego in nostra Societate vsurpare R. P. Generalem, atque etiam interdum prouinciales animaduerti, in Reipublicæ gubernatione, magna vtilitate adhibebitur. Vt cum mandata, constitutionesque à principe in longinqua mittuntur, clausula illa addatur diplomati, vt magistratus inferior de executione facta scribat, factane sit, an fieri non possit, an futuram arbitretur, causamque si quid obstat scribi iubeat. Ea enim cautio magnam sollicitudinem obsequendi injicit, alioqui suæ incuriæ testes literas ipsi scribere coguntur per quos stetit, ne mandato principis obtemperaretur. Quod si iusta causa videretur ex circumstantiis loci, quo minus obediretur, id ipsum scribere inferiòr magistratus si iubeatur, plena rerum cognitio Epistolis illis colligetur. Eadem efficacia bonæ leges etiam antiquæ, sed quæ aliquantum moribus cesserunt, sine molestia principis reducentur ad vigorem, moresque; Si enim proreges, Gubernatores, & Satrapæ certo tempore de illis principem certiorem facere iubeantur, operam suam probare principi conabuntur, atque ostendere sua cura, ac labore voluntati eius satisfactum. Magnum etiam frenum est ministrorum inter se mutuus timor, dum insció altero, alter peccare non potest, & consció non audet, quem facili cura omnibus incutiet princeps, si de statu prouinciæ, de iustitiæ administratione, de moribus præsidum, de fisco, de querelis subditorum, non à proregibus modo, præsidibus, satrapis, sed consiliariis eorum, assessoribus, quæstoribus, prætoribus, constitutis temporibus sinceram instructionem etiam iureiurando adactis postulet. Hac de re plura, cum de magistratu dicam. Nunc duntaxat ostendere animus fuit, quomodo princeps minima sua molestia plurima rectissime dirigere possit. Si enim statо tempore literæ illæ veniant, & errata corrigantur, verbo plura corriget, quam laborioſa, & sumptuosa profectione, quam vt aliquando suadeo, ita crebram non probo.

An principis mandato obtemperatum sit, multi rescribant.

Sic omnia actionibus intererit, aut saltem interesse putabitur.

Adriani itaque diligentiam quamuis in rebus valde turbatis laudem, pacata tamen Republica malo principem, vno alteroue loco ordinarie considere. Cum igitur omnibus negociis interesse princeps ipse nequeat, multa vero munia sint, multa loca, quæ domini sui conspectu fruuntur nunquam, hæc est commodissima ratio, qua omnibus non interesse, sed præsse etiam possit; quanquam vero multa eum obliuisci, multa non aduertere necesse sit, quia tamen omnia sub eius aspectum veniunt, malitiosis ministris securitas adimitur.

Frenum mali præsidis præsentia principis.

§. 8. Ad labores, & sollicitudinem voco meum principem, delicias & voluptates, somnum, inertiamque excutio, sequetur lubens, si perpenderit se cum in thronum omnium dominus ascendit, curam omnium sibi cum diademate imposuisse, seque nec sine multorum pernicie, nec sine grauissima æterni supplicii damnatione esse posse negligentem. In priuato

Diadema curam totius regni imponit regio capiti.

Ἔργον γ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη τι δ' ὄνειδος,

Operari, laborare non est probrum, at pigritia cessatioque probrum est; in rege, principe, senatu non modo probrum est, scelus est, perfidia est, sæpe latrocinium, sæpe tyrannis est, cum eorum ignauia improborum iniuriæ in subditos insurgunt.

Quietam & solutam vitam infirmitas humana desiderat, assentatores inculcant, harpyiæ, quibus ex principis indiligentia opes, ad desidiam cogunt. Sed rectam ille viam tenebit.

Quietem natura & adulator suadet.

Τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι,
Φηιδίως, λείη μὲν ὁδὸς, μαλὰ δὲ ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκε
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Φηιδίη τε ἔπειτα πέλει, χάλεπὴ περ ἐοῦσα.

Ignauiam amplecti facile est, plana via est, & vicina admodum, at sudorem virtutis ante oculos Deus posuit, longa est, & occluis, asperaque ad eam via, postquam autem fastigium prenderis, facilis deinde efficitur, quamuis difficilis fuerit.

Labor iucundus sit, cum crebet est.

Habeat

Habeat princeps, quorum libertate moneatur, atque ad labores incitetur. Persarum regibus sub crepusculum matutinum insonabat ex honoratorum cœtu aliquis. *Surge rex, Rempublicam cura*, vt Plutarch. lib. de institut. principis, Et: *Ea cures, Rex, quorum te Oromasdes satagere voluit.* Momenti vnius negligentiam interdum vix annus instaurat, aliquando & successores deplorare coguntur. Verus itaque & patriæ amator princeps, etiam cæteris in ludicra solutis, regiam curam sub pectore fouebit: Magnus dux Epaminondas, ciuibus festa agentibus, solus mœnia obibat; quærentibus de importuna sollicitudine familiaribus; *se sollicitum esse, vt ciuium lætitia posset esse secura.* Et sane eius morte Thebana dignitas, & libertas intercidit. Quia principum labor, & cura in delicias versa fuit.

Ad laborem opus est incitare.

Nullus equus tam generosus est, cui non aliquando mimentur calcaria.

§. 9. Omnia igitur dura principi proponis? Omnia dura, anxia, sollicita; non enim assentator esse debeo, sed monitor. Ille mihi vere princeps est, quem curæ eo vsque tenent, vt ocium priuatum malit, si è republica futurum sit. Huius sollicitudinis sensum quibus splendor maiestatis, stulta adulatio, inepta lætitia, blanda obsequia abstulerunt, officio suo minime funguntur, sed tristia quæ scire præcipue oportuit, flagitiose nesciunt. Exuere se curis optauerunt publicis, qui nulli rationem reddituros se arbitrabantur, quid faciet princeps cuius studium, vigilantia, diligentia, sollicitudo, verbum ociosum, non ocium modo & desidia populis exitialis iudicabitur? *Potentissimis, & in altum sublatis hominibus, excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis suis præferant. Cupiunt interim ex illo fastigio suo, si tuto liceat, descendere, nam vt nihil extra lacessat, aut quatiat; in se ipsa fortuna ruit. Diuus Augustus, cui diu plura quam vlli præstiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem à Rep. petere. Omnis eius sermo ad hoc semper reuolutus est, vt sibi speraret otium. Hoc labores suos, etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi. In quadam ad Senatum missa epistola, cum requiem suam non vacuam fore dignitatis, nec à priore gloria discrepantem, pollicitus esset, hæc verba inuenio: Sed ista fieri speciosius, quam promitti possunt; me tamen cupido temporis optatissimi mihi, prouexit, vt quoniam rerum lætitia moratur adhuc, præciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine. Tanta visa est res otium, vt illam, quia vsu non poterat, cogitatione præsumeret. Qui omnia videbat ex se vno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem lætissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret. Expertus erat, quantum illa bona, per omnes terras fulgentia, sudoris exprimerent, quantum occultarum solicitudinum tegerent: cum ciuibus primum, deinde cum collegis, nouissime cum affinibus, coactus armis decernere, mari terraque sanguinem fudit: per Macedoniam, Siciliam, Aegyptum, Syriam, Asiamque, & omnes prope oras bello circumactus, Romana cæde lassos exercitus ad externa bella conuertit. Dum Alpes pacat, immixtosque mediæ paci & imperio hostes perdomat, dum vltra Rhenum, Euphratem & Danubium terminos mouet, in ipsa vrbe, Murenæ, Capionis, Lepidi, Egnatiorum in eum mucrones acuebantur. Nondum horum effugerat insidias: filia, & tot nobiles iuuenes adulterio velut sacramento adacti, iam infractam ætatem territabant: postquam & iterum timenda cum Antonio mulier.*

Nulla regni maiestas regendi molestiam pensat.

Ocium priuatim Augustus expetyt, aut simulauit.

Inter tot mala, curasque non potest princeps fastigium suum, quietis locum interpretari. Labor & magnus labor in eo habitat, quem si fugit, simul & Rempublicam, & salutem suam prodit.

CAPVT VI.

Iustitia principi præcipue commendata est.

§. 1. IVSTITIA Reipublicæ compages, illi principis & labor, & prudentia seruiat necesse est. Hæc enim est, cuius causa principes constituti, & cum eam euerterunt, eiecti. Lucifero illam pulchriorem aiunt, Græci. Duplex vero est iustitia, communis, quæque perfecta nuncupatur, de qua dictum vetus est:

Θυμὸς δίκαιος, κτῆμα πολὺ τιμιώτατον. *Animus iustus possessio pretiosissima.*

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστιν.

In iustitia compendio omnis virtus est. Hæc in principe, vt in gemma totius prouinciæ elucere debet, & in senatu vt in Zona, quæ orbis imperium tenet, temporaque & operas stata vicissitudine metitur. Biantis enim verbum testimonio suo totus mundus probat: Magistratus virum ostendit. Non est illa pars virtutis, sed tota virtus, & iniustitia non pars vitiositatis, sed tota vitiositas, hæc iniustitia est ἀνομία, seu iniquitas. Alia est iustitia quam particularem vocant, quæ proprie est ἰσότης seu æqualitas. Definitur esse *quæ suum cuique ius reddit:* Meo instituto accommodatius iurisperiti, *Iustitia est constans, & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi.* Habitum enim animi, inclinationemque significat.

Potestas vitia celare non potest.

Iustitiæ illius duplex est genus, vel enim in commodis publicis, oneribusque distribuendis versatur, vel in contractibus, vt emptionibus, venditionibus, commutationibus, pactis. Priore in genere non tenet eam, quæ in altero est, æqualitatem: sed analogia seu proportione vtitur, quam vocant Geometricam, qua æqualibus æqualia, inæqualibus inæqualia de bonis, oneribusque Reipublicæ diuiduntur. Tribuno maius stipendium, quam centurioni, & huic quam decadarcho, aut militi diuidit: quæ enim est dignitatis ad dignitatem, ea est stipendii ad stipendium collatio; Similis etiam in ciuilibus est distributio; nam diuiti & nobili maior est vel tributi modus, vel militiæ necessitas, sed illa honoris, commodorumque prærogatiuis pensanda est. Quia vero in his omnibus æqualitatem cupiditas violat, legibus, & iudiciis, cumque eorum vis infringitur gladio, suppliciis, bellis ea reducenda est.

Iustitia distributiua & commutatiua.

§. 2. Huius tanti boni arbiter sedet princeps, nutu suo omnia iniqua in planum deducens, & omnia suis proportionibus adæquans. Nec alia est principatus origo; cum enim opprimi se infirmiores cernerent, omne ius vireque suas in vnum potentiorem contulerunt, à quo defenderentur.

Iustitiæ principem fecit, vt publico bono iustus esset.

Princeps igitur, optimatesque, & quoscunque, à quacunque fortuna in altum extulit quæcunque manus, ille *suum vnicuique tribuat, alienum ne vendicet, vtilitatem propriam negligat, communem æquitatem custodiat.* Ita enim doctor Mediolanensis monet, qui non vt iudex, sed vt Episcopus præfuit.

Iuris antistes es, quisquis, quacunque parte Rempublicam moderaris: Quod in Theodosio Panegiricus laudat, id in te vt exhibeas adhortor. *Idem es, qui fuisti, & tantum tibi per te licet, quantum antea per leges licebat. Ius summum facultate & copia commodandi, non securitate peccandi experiris.*

Potestas iustitiæ legibus administrata sola durat.

§. 3. Iustitiæ tam salutaris, tam necessariæ initium est Deus. Eius pulchritudo est infinita; quia totum Reipublicæ ordinem continet, cum virtus sit, (vt ait Aristoteles) ad alterum. Ad iustitiam enim principis, tanquam ad sacratissimam aram, vt Architas dicebat, oppressi refugiunt, vt quos ab iniuria, nec communis natura, nec vis, nec preces

Princeps iustus Asylum est innocentum.

defendunt, iustitiæ sanctitas tueatur. Olim honorata; domina enim est, reginaque virtutum, etiam regum imperatrix: morem namque Ægyptiis fuisse aiunt, vt datis per regna diplomatis, vrbium præsidibus imperarent, vt si iniustum aliquid mandarent, sine cunctatione resisterent. Nullum enim lædi obseruata iustitia existimarunt. Sapienter insignis iustitiæ, tam in tribunali, quam altari sacerdos, Ambrosius lib. 1. officior. *Magnus iustitiæ splendor, quæ aliis potius nata, quam sibi, communitatem, & societatem nostram adiuuat, excelsitatem tenet, vt suo iudicio omnia subiecta habeat.* Et Ambrosii discipulus maior magistro in Psalm. 64. *Sanctum est templum tuum mirabile in iustitia. Ista sunt bona domus illius. Non dixit, templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis: sed mirabile in iustitia. Habes foris oculos vnde videas marmora & aurum: intus est oculus vnde videatur pulchritudo iustitiæ: Intus, inquam, erit oculus vnde videatur pulchritudo iustitiæ. Si nulla est pulchritudo iustitiæ, vnde armatur iustus senex? Quid affert in corpore quod oculos delectet? Curua membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem vndique querelis plenam. Sed forte quia tuos oculos non delectat senex iste decrepitus, aures tuas delectat. Quibus vocibus? Quo cantu? Et si forte adolescens bene cantauit, omnia cum ætate defecerunt. An forte sonus verborum eius delectat aures tuas, qui verba vix plene enunciat lapsis dentibus? Tamen si iustus est, si alienum non concupiscit, si de suo quod habet erogat indigentibus, si bene monet, & rectum sapit, si integre credit, si paratus est pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere, multi enim martyres etiam senes: vnde illum amamus? quid in eo bonum videmus oculis carnis? Nihil. Quædam ergo est pulchritudo iustitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus: quam multam dilexerunt homines in ipsis martyribus, cum eorum membra bestiæ laniarent. Nonne cum sanguis fœdaret omnia, cum morsibus beluinis viscera funderentur, non habebant oculi, nisi quod horrerent? Quid ibi erat quod amaretur: nisi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum, integra pulchritudo iustitiæ?*

Eodem sensu Plato, imo ex sensu Platonis sancti illi patres. *Nihil* ait ille, *melius esse iustitia*, quæ *principatum inter virtutes tenet, & est primum earum ornamentum:* O sancta laudabilisque iustitia, sub te, & per te, pudicitia regnat, pax triumphat, securitas, dignitas floret, & fructum adfert in patientia. Reges illa regno maiores, imo filios Dei facit. Trahit in amorem sui etiam alienos, etiam posteros. Fredericus Romani imperii moderator, Ladislaum puerum Hungariæ & Bohemiæ regem educabat, suadebant quibus vtile honesto potentius erat, vt vnius corposculi casu sine inuidia, & infamia duo florentissima regna sibi adiungeret. At Frederico vere magno, pluris erat iustitia, quam regnorum congeries, quin & salutari monitione scelerata consilia repressit. *Quid ergo*, inquit, *Diuitem potius, quam iustum regem vultis?* Quo eos responso perculit: cum viderent eodem eum in ipsos iure vsurum, quod ei in alium dictassent. Hoc imitare princeps, maius donum à Deo non habes.

Iustitia ingentibus regnis honestum præponit.

Adulatores docent reges scelera, quæ deinde ipsi patiuntur.

§. 4. Quantus ab eo diuersus Tyrannus Italiæ Valentinus? qui quæ per vim rapuit, cædibus detinuit, tandem morte reddere coactus est? Et tamen laudatorem inuenit; nam Machiauellus in suo principe cap. 7. postquam scelera illius enarrasset: *Omnibus*, inquit, *itaque principis Valentini harum rerum gestarum rationibus in summam adductis non video, qua in re eum reprehendam: imo omnibus potius imitandum proponi illis existimo (vt ego feci) qui ad imperia, fortuna duce, & alienis armis sunt prouecti. Aliter enim cum magnos & elatos animos gereret illum animi propositis ad altiora impellentibus, rem suam administrare non poterat.*

Iniustitia ad alta deinde ad ruinam impellit.

Verum & cito ille interiit, & certum est non nisi iustitia regna seruari: Si id quod validius est, censetur æquius: primo infirma, deinde fortia à fortioribus pressa pereunt. Ius enim & æquitas vincula sunt ciuitatum, sine hac quid sunt regna nisi magna latrocinia. Ideo reges δικάσπολοι, non enim est Respublica vbi non est iustitia. Itaque præclare apud Ciceronem disputat Scipio, vt refert sanctus Augustinus: *Quocirca* inquit *vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus hominum cœtus esse non potest, & ideo nec populus.* Et *si non populus, nec res populi, sed qualiscunque multitudinis, quæ populi nomine digna non est.* Non alia causa semper fuit cur populi, prouinciæque labore, & sanguine partæ deficerent, quam iniustitia; ideo enim imperia de gente in gentem transferuntur. Hæc res Liguriæ, Longobardiæque ciuitates à Germano imperio distraxit, & in varia dominia sparsit, cum enim apud imperatorem questæ, ostenderent biennio solo plus damni à præfectis Germanorum, quam reliquo toto tempore à tyrannis perpessas, & tamen contemptui essent, defecerunt; facta conspiratione; & securitatem consecutæ in se mutuo iniurias verterunt. Primum enim hoc agere solent homines ne opprimi possint, hoc vbi se consecutos arbitrantur, etiam eam potentiam ambiunt, qua alios possint opprimere. Atque ita efficiunt, vt verum sit quod Augustinus libr. 2. de ciuitate Dei, cap. 4. nobis inculcat: *Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus etenim ipsa hominum cum imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur. Hoc malum, si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius regni nomen assumit, quod etiam in manifesto confert non adempta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, vt mare haberet infestum? ille libera contumacia, quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, Imperator.*

Rebellionis causa, quod mores imperantium ferre non possunt.

Cum iniuriæ sine spe vindictæ inferuntur.

Iniusta regna, magna latrocinia.

§. 5. Huiusce modi regna video pleraque olim fuisse: Nabuchodonosor quid aliud nisi magnus latro? *quos volebat occidebat, & quos volebat, viuificabat*; & Medorum regna qualia latrocinia, *qui aurum & argentum non quærebant, sed sagittis paruulos interficiebant?* nec melior Persarum administratio, quorum in exteros, & domesticos par erat iniustitia, vnius ob noxam tota propinquitas, quanquam innocens plectebatur. Græcorum & Romanorum imperia, quia plures scriptores habent, plura etiam iniustitiæ punitæ exempla dederunt. Nullæ igitur opes, nulla potentia firmior est, quam iustitia, nulla vero tanta regni est firmitas, quam non dissoluat, & frangat iniustitia. Cuius ratio est, quod iustitiæ initium à natura profectum est, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, postea res, & à natura profectas, & consuetudine probatas, legum metus, & religio sanxerunt. Iniustitia dum illa tollit, naturam euertit, societatemque hominum, quæ ad iniuriarum depulsionem in cœtum conuenit, iterum dissipat.

Olim regna pleraque fuere latrocinia.

Natura per iniustitiam dissoluitur.

§. 6. Iustitiam igitur cole princeps, inq; ea colenda diligens sis, & contra aulicorum turbam negocios us, curios us, paucis fidens, minima scrutare; inuenies minimorum ministeriorum non minimos dolos.

Paruos tuderi res magna est.

Nihil

Nihil parui æstimes, vbi enim etiam abiectorum hominum res agitur; vbi magistratuum tuorum sub te, & tuo periculo iudicantium interitus æternus timẽdus est, omnia magna dicimus. *Vsque adeo, vt nec de ipsis pecuniarijs rebus vel acquirendis, vel amittendis parua videri debeant, quæ Doctor Ecclesiasticus dicit, siue sit illa magna, siue parua pecunia. Neque enim parua est iustitia, quam profecto & in parua pecunia custodire debemus, dicente Domino.* *In paruare fidelitas, res magnæ est, in magna maxima.* *Qui in minimo fidelis est, & in magno fidelis est. Quod ergo minimum est, minimum est, sed in minimo fidelem esse magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis est, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est & in magno disco, quæ in numnulo exiguo: ita vbi parua iuste geruntur, nõ minuitur iustitiæ magnitudo. De iudiciis denique secularibus, quibus vtiq; nisi pecuniarijs? cum loqueretur Apostolus. Audet quisquam vestrum, inquit, aduersus alterum habens negotiũ, iudicari ab iniquis, & non apud sanctos? Quid est, quod sic indignatur Apostolus, sic corripit: sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? Quid est, quod sui animi affectum tam crebra, & tam aspera vocis mutatione testatur? Quid est postremo, quod de rebus minimis tam granditer dicat? Tantumne de illo negotia secularia meruerunt. Absit: sed hoc facit propter iustitiam, charitatem, pietatem, quæ nulla sobria mente dubitante, etiam in rebus quamlibet paruulis magna sunt.* Aug. de doct. Christ. lib. 4. c. 18.

Iustitia sine gladio tuta non est. §. 7. Necilla verbis, nec benignitate defendi sola potest, gladio opus est, & tormẽtis; alioqui in suo sacrario, in suo tribunali iustitia opprimetur; omnium legum sanctitas, omnium iudicum integritas vigilante, seuera, constante, inexorabili principis iustitia nititur. Cuius est primaria functio iudices idoneos constituere, præuaricatores sine spe veniæ punire. Clementiam principum laudo, verum in prętidibus, iudicibusq; qui munera capiunt, qui iniquã sententiam tulerunt, qui miserorum iniurias dissimularunt, sola seueritas locũ teneat. Ludouicus 12. Galliæ rex, *Princeps iustitiæ dissimulatur, reus est violata.* Principem qui non punit crimen cum potest, nõ minus reum esse, quam eum qui perpetrasset, existimabat. Id ego in hac grauissima, difficilimaq; inferiorũ magistratuum censura verissimum iudico; dissimulando enim non modo iniquorum, rapaciumque audacia crescit, & innocentium imbecillitas prædæ est; sed principis etiam tanquam honoratorum, purpuratorumque furum socius sit, fides accusatur; nam si princeps ignorare dicatur, contumelio sa censetur excusatio, si alienarum calamitatum ne cognitionem quidem habere, curæ illi sit, cuius est remedium adferre. Cœteris in rebus locum habet excusatio; si in bello titubatum sit, si parum fortiter, parum prudenter prælium initum, si metu deditum præsidium, si in legatione erratum est, si annona principis negligenter asseruata. *Nocet bonis, qui parcit malis.* Iustitiæ à suo iudice violatæ pœnas seuere constanterque reposce; non est illa crudelitas, sed inter iustitiæ partes virtus pulcherrima. Qui in lupos est acer, in oues clemens est. Securitas iniustorum, clades est optimorum. Nulla ciuitas, nulla domus, nullus ne vnus quidem homo, sine iustitia regi potest, & tamen vbique contra iustitiam insurgitur, ô miserum humanum genus? ô dira spectacula, sed tamen quotidiana? Sonant flagella, squalent pleni carceres, lacerant fidiculæ, strident vngulæ, absorbent flumina, onerantur rotæ, vorant flammæ, raptant in diuersa quadrupedes, & tot suppliciis non satis iustitia sancitur: quæ vindicantur, nouis semper auctoribus perpetrantur. Inter tot miserorum mortes, iudicum, præsidum, & purpuratorum furta, & rapinæ inultæ esse non debent. Quomodo enim ista vindicabunt, qui maiora peccant? Quis mihi sanctos det reges, suorum tyranniscorum per subditorum fortunas, ludibria que grassantiũ seueros vltores, regnorumq; tutores? Habuit olim Germania & Gallia Clodouæum, Carolum magnum. Gallia Sigibertum, Ludouicum; Hispania Alphonsum Castum, Ferdinandum tertium. Anglia duos Edualdos, duos Ethelbertos, Guilielmum, Osvvaldum, Edmundũ; Hungaria Stephanum, & Ladislaum, Polonia Casimirum, & Boleslaum Pudicum; Germania Rudolphum, & Henricum, Dania Canutum; Bohemia duos Wenceslaos, Noruegia Olarum, Suecia Henricum, Austria Leopoldum, Burgundia Sigismundum, habuerunt alia regna reges iustos, sanctos, seueros, laborioso s, qui iudicarunt, licentiam suis non permittendam, quæ nocere, qui sua sanctitate bonos, vitionis vigente iustitia malos in officio continuerunt. *Exempla fortium regum, & sanctorum.*

In ministros iniustos nisi princeps sit seuerus, socius furũ est. Non ignoro à me clementiam exspectari, hominum vitam esse sanctam, difficilimum esse magistratum, qui circa vitã noxiorum versatur, verũ tot calumniæ, oppressioneq; innocentum, tam intolerabilis quotundam magistratuum contumelia, capita pauperum cum puluere terræ conterentium cogit principes esse seueros. Sit blandus animo, sit lenis, sit tardus ad pœnam, ad prȩmia velox, Iudicẽ improbum, rapacem, clientem, familiarem, fiducia regiæ caritatis ad scelera, inopumque calamitates abusum, etiam lacrymans, Biantis exemplo, damnet, sed damnet tamen; sanguinemque nocentem, quamuis amicum, iustitiæ, publicæque quieti, non vltionis dulcedini impendat. Themistocles ad sepulcrum, quam ad tribunal ire se malle dicebat, insigne est hoc lenitatis exemplum; si hoc dixit, quod narrat de illo Ælianus; aut sensit, quod dixisse narratur. Fortem hic esse, & cautum principem oportet. Fortem, quia potentes in pœnam trahendi sunt; vilis sanguinis facilis est damnatio, quia nulla est in executione difficultas. Fortem; quia sæpe contra amicos, cognatos, fratres faciunt leges. Cautum; quia potentium multi sunt patroni, & malam causam multæ artes si non tuentur, saltem prorogant, & si omnia desunt, periuria coëmunt nocentes. *Potentes continere ab iniuriis debet, ideo enim princeps est.*

Regia incede via, qui multitudinem regis, omnes tuos existima, omnes esse filios considera, iunctior ille est; cuius causa tuum patrocinium meretur. Hæc tua conditio est, vt inter amicos iudicans, alterum sis habiturus inimicum. Ne time, Deus adest iustitiæ. Exempla tibi suggerent, etiam non admodum iusti. P. Rutilius amico iniqua postulata negabat: Ille fremens; *quid tua mihi, inquit, opus est amicitia, si non impetro, quod rogo?* Cui Publius: *Imo quid mihi tua, si tua causa aliquid inhoneste facturus sum?* Pessime amicus Rutilii, qui amicitiam iniustitiæ lenam & conciliatricem esse voluit, optime Rutilius, qui amicitia falsa sese abdicauit, vt veræ iustitiæ patrocinaretur.

Agis etiam parentum suorum cupiditati restitit, & importune instantibus, ne suæ causæ deesset, patrioque iure adurgentibus, immotus perstitit; *patriæ se iam, & legibus traditum, non posse contra eos venire, quare obedientiam, venerationemque à parentibus didicisset.* *Ne matri quidem iusta concedes.*

Idem Antigoni in Marsyam fratrem affectus, & constans etiam in fama iustitiæ voluntas: cum enim ille pro fraterna familiaritate peteret, vt domi intra parietes causa sua cognosceretur. *Si nihil respondit præter ius agimus, in foro melius fiet, cunctis audientibus.* Hæc iudicandi æqualitas omnino regno necessaria est, si enim in quibusdam videant principem cedere affectibus, in vniuersum sublatam clamant iustitiam, cum ex illis qui causa cecidere, pauci se iure victos agnoscant; sed vel iudici, vel aduocatis irascantur; suas etiam iniquissimas lites, non iure, & legibus, sed odio, pecuniaque damnatas asserunt, seque inter eos quos constat iniuste pressos consueto hominum more referunt, & damno solatium ex maledicentia, & contumeliis in rectores petunt. *Qui litem amittunt, iudici irascuntur.*

§. 8. Quod si exempla recensere lubet eorum, qui iudicum suorum crimina, rapinasque grauiter vlti sunt, vereor ne nimis multa occurrant, idq; culpa supremi magistratus, qui quasi furentibus gladium, ita prauis peruersisque, & legum violatoribus, iuris, legum, sanctitatis, æquitatisque telam, ac custodiam committunt. Nec culpa tamen illi carent quia susciperе onera, quæ portare non possis, manifesti furoris est. Necesse est enim vt opprimat onera, quæ ferente maiora sunt: Summa igitur sit in constituendis bonis iudicibus sollicitudo; erunt sic pauciores pœnæ eorum, qui officio defuerint; erunt tamen & sic multæ eorum, quos vel peccandi occasio malos fecerit, vel potestatis licentia detexerit. Crudæ & non per omnia laudandæ antiquitatis est; quod Cambyses rex Persarum fecit, quo tamen vno facto inter infinita scelera præclaro celebratur. Sisamnes precio sententias vendiderat, occiso pellem detrahi, eaque sterni tribunal, aut (vt alii) compingi iussit, vtque se iniustitiæ, non homini iratum ostenderet: filium eius eodem in solio ius dicere voluit, monitum vt pœna patris territus, ex legum præscripto, nõ munerum amore ius diceret. Asperum hoc posterius, & pro regis ingenio plane barbarum: sed tamen quod principi iustitiæ Zelus inculcet.

Cambyses iniquum iudicem excoriat.

Aurelianus fures prouinciales, repetundarum, ac peculatus reos, vltra modum militarem est persecutus, vt eos ingentibus supliciis, cruciatibusque puniret. Seuerus vehementer contra iudices iniquos commouebatur, oculosque digito exculpendos iudicabat. Andronicus Theodorum virum principem duodecim plagis fustuariis castigauit, quod cum ad agricolas diuertisset, omnino nihil soluisset. Finem facio: plura in monitis doctissimus Iustus Lipsius, aliique adferunt.

Non iniuste, sed tamẽ seuere. Nã & fures illi solent per tormenta nummos emungere.

Hoc moneo si seueri fuerint, multos habituros Vespasianos, qui mæliore fama prouinciam præses, quam Imperium factus Augustus administrauit. De illo sic Tranquillus: *Exin fortius Africam, integerrime nec sine magna dignatione administrauit, nisi quod Adrumeti seditione quadam, rapa in eum iacta sunt. Rediit certe nihilo opulentior, vt qui prope labefactata iam fide, omnia prædia fratri obligarit, necessarioque ad mangonicos quæstus sustinendæ dignitatis causa descenderit, propter quod vulgo Mulio vocabatur.*

Imperatori libentes Afri paruere.

Mulio sane omnibus equitibus, equitumque magistris, si cætera responderent, anteponendus. In regno itaque vestro voces illæ & præcepta audiantur, quæ identidem Commenus præfectis suis inculcabat, *Aut iniurias, aut vitam relinquite, nam vos iniuste agere, & viuere, nec Deo gratum, nec mihi ministro eius ferendum est.* Vere dixit Agapetus. Διοδήγητός ἐστιν ὁ δικαίῳ ἔυεσις, ῥᾳδίως, ἐκφεύγουσα τὸς μὴ λίαν πεσέχοντας. *Difficilis captu est iustitia, facile è manibus eorum, qui diligenter non attendunt, elabitur.* Cum iusseris, subscripseris, signaueris, nuncium miseris, erit, qui eludat, qui iussa moretur, qui reum moneat. Mihi placet sane sententia S. Cypriani. *Iustitia regis pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibi metipsi spes futuræ beatitudinis.* Hæc nunc generatim dicta sint, libro de legibus, magistratibus, potentia, seditione plura suis locis dicenda relinquo.

Digna vox imperatore.

Hæc quotidiana sunt.

CAPVT VII.

Rempublicam debere fidem seruare omnibus.

§. 1. PRVDENTIAM, diligentiamque & iustitiam principi necessariam esse demonstraui, Sapientia enim si destituatur, reliquarum virtutum nulla propositum tenebit. Diligentia vero si in priuata domo, ne tecti vitio tota pereat, necessaria est; quãta demũ in vasto illo corpore postulatur, in quo semper pars aliqua læditur? Magno enim periculo principis ignauia inuoluitur. Monuit ea de re serio Iustinianum Agapetus Diaconus, ὥσπερ ὁπὶ τῷ πλεόντων, ὅταν μὲν ὁ ναύτης σφαλῇ, μικρὸν φέρει τοῖς συμπλέουσι βλαβῆ, ὅταν ὁ κυβερνήτης, παντὸς ἐργάτε, ὃ πλοίου ἀπόλειαν, οὕτω καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν, ἂν μέν τις τῶν ἀρχομένων ἁμάρτῃ, ἐ τὸ κοινὸν τοσοῦτον, ὅσον ἑαυτὸν ἀδικεῖ. ἂν δὲ αὐτὸς ὁ ἄρχων, πάσης ἐργάτειαι τοῖς πολιτείας τῷ βλαβῆ, ὡς ὧν μεγάλας ὑφέξων ἐυθύνας, εἰ τι παραίδοι τῶν διεόντων, μὴ πολλῆς ἀκριβείας, καὶ λεκτῶ πάντα, καὶ πεσκόπτω. *Quemadmodum nauigantibus, si quis nautarum errarit, exiguum damnum adfert, si vero gubernator totius nauigij iacturam facit. Ita in Republica si quis subditorum peccet, sibi magis, quam Reipublicæ nocet. Si principes, toti Reipublicæ detrimentum adfert. Ille igitur magnas rationes redditurus, si quid neglexerit, eorum quæ fieri oportet, magna accuratione omnia, & dicat, & faciat.* Hac ex prudenti diligentia sequitur iustitia, de qua modo dixi. & indiuisa comes iustitiæ fides, seu in dictis, factisque constantia.

Sapientia omnium virtutum est Cynosura.

Principis negligentia totam reip. nauẽ mergit.

Statuendum itaque est Reipublicæ debere fidem sartam tectam seruare. Principem ornat fides, infamat perfidia; populi leuitatem fallacia magis infestat. Senatus integer, constantissime colere fidem assolet. Fides autem seruanda est populo, & vicissim populus principi obligatus est. Deinde seruanda priuatis, tertio vicinis Rebuspublicis, denique hostibus, nec in secundis modo, sed in omni fortuna, manere debet cunctis in dictis, factisque constantia. Hæreat animo ac cum eo consenescat dictum Romani sapientis Epist. 88. *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Vre, inquit, cæde, occide, non prodam: sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condam.*

Fides quæ aduersis cessit anaritia fuerat

Veritas igitur in factis, dictis, totaque vita seruetur; Socrates veritatem, & virtutem idem dicebat. Plato veritatem non quidem τέλειον ἀγαθὸν summũ perfectumq; bonum esse iudicabat, sed ἀγαθοειδὲς, hærere enim summo bono semper, accomitari vti lux solem. ὦδὲν, inquit, οἰκειότερον τῇ σοφίᾳ τῆς ἀληθείας. Nihil iunctius, & familiarius sapientiæ, quam veritas. Malorum illa turba submouet, ἡνεμένης τῆς ἀληθείας, ἁκὰν ποτε χόρεν αὐτῇ κακῶν ἀκολαθῆσαι. Non insequitur vitiorum chorus, præeunte veritate.

Fides obmittitur dolore.

§. 2. Ac primo quidem, quam subditis fidem dedit princeps, omnino integram, atque illæsam conseruet, oportet. Quæcunque igitur initio accepti imperii statibus de libertate, priuilegiis, immunitatibus, donatiuis promiserunt, præstanda sunt, modo iusta sint, & honesta, quæ enim iniqua sunt, aut flagitiosa, sine scelere nunquam promittuntur, & maiore scelere præstantur, quam promissa fuerunt. Imperator multis modis Ecclesiæ, principibus, subditisque sese obligat, neque in Europa vllum arbitror populum, qui nõ iuratum principem ac rempublicam admittat.

veritas vitiorum expultrix est.

Qua-

Promissa nullo prætextu violanda.

Quapropter flagitiosa est eorum principum ratio, qui postquam imperia in tuto collocarunt, varios violandarum promissionum prætextus inquirunt. Nec desunt improbi perfidiæ palliandæ artifices, quibus nihil tam receptum est, quam fallere fidem. Fallacia certe iustos nō facit, fides enim iustitiæ fundamentum est, quamuis vero vbi magnitudo quæstuum spectatur, integra fides raro permaneat, manet tamen firmum, ratumque Romani consulis elogium: *Non vlla res vehementius Rempublicam continet, quam fides.*

§ 3. Sane perfidia minimum mali adfert illis, qui decipiuntur, maxime nocet auctori. Nulla enim diuturna est. Quis enim principum qui per vim, & sanguinem occupauit imperium, non dedit sanguinem successori? Quis principis sui interfector, q per scelus successit, non est à successore in tutelam imperii mactatus? Mos enim principum est, tyrannicidas quoscunque neci dare; tum ne videantur suo iussu cædem patrasse, tum vt machinationibus obuiam eant. Cur autem perfidia se quis obstringat, quam etiam is cui regnum attulit, vlturus est? Malunt enim coniuratorum audaciam punire, quam videri regnum alieno sceleri debere. Itaque perfidiæ nusquam locus, neque apud eos quos perdidit, neque apud eos quibus profuit. Inter omnes qui periurio, perfidiaque famosi fuerunt, maximum apud veteres nomen Lysander Lacedæmonius habuit, crudelitati, auaritiæ, libidini postremo impudentiam adiecit, vt rediturō sibi Spartam à Pharnabazo continentiæ, æquitatisque peteret testimonium, quo contra accusationes ciuium apud Ephoros subleuaretur; verum ille fraude perfidiam vltus est, cum enim epistolam laudatricem eius conscribi iussisset, eamque Lysander approbaret, dum signaretur, alteram plane similem subiecit, qua eius improbitatem sceleraque explicabat, quam Ephori ipsum Lysandrum in senatu perlegere iusserāt, rediit itaque in caput eius perfidia, qua vna se tutum esse credebat.

Mos regum est, tyrannicidas vltiscitin sui securitatē.

Perfidi fere aliena perfidia pereunt.

§. 4. Cur vero perfidos, periuros, ἀσπόνδους, fœderum contemptores, mox pœna obruat, causa est ipsa numinis vindicta, quæ semper à perfidis irritatur. Qui enim falsis promissis alios decipit, Deumque in testimonium vocat, quid agit aliud, quam vt aut Deum irrideat, aut facinorum suorū ministrum esse iubeat? Itaque Sennacherib cum fidem fefellisset, primo cęsis militibus fugit, deinde coram idolo suo, à filiis trucidatus est, qui enim qualecunque numen, quod putabat, irrisit, qui commercia generis humani rescidit, ab illis quos in lucem produxit, magno scelere, suo tamen merito vita exutus est. Sedecias etiam impio regi fidem violauit, sed pœnas tamen excidio gentis suæ dedit. Fidei violatæ triste exemplum est Antiochus illustris lib. 1. Marc. & filius illius Eupator, qui *iurauit Iudæis, & principes eius. Et intrauit in montem, & vidit munitionem loci; & rupit citius iuramentum, quod iurauit, & mandauit destruere murum in gyro.* Sed iuramenti temerati pœnas mox Alexander exegit & Demetrius; nam cum Antiochum & Lysiam exercitus comprehendisset, vt Demetrio offerret, ille vero respondisset; *Nolite mihi ostendere faciem eorum, occidit eos exercitus.* Eodem periurio Alcimus, Bacchides, Nicanor periere. Nicanor enim & Bacchides, *cecidere.* Alcimus *mortuus est cum tormento magno.* Demetrius etiam à Iudæis desertus, ob notam perfidiam, ab Alexandro victus, regno, & vita exutus est. Verum neque Alexandro perfidia felix fuit, à Socero Ptolomæo per nuptiarum fœdera in fraudem inductus, victusque à perfido Arabe, capite plexus est. Breui etiam Ptolomæus periurii, ac iuris humani contempti pœnas dedit, tertio enim post die mortuus est, ingentemque infamiam tridui lætitia pensauit. Alter autem Demetrius cui Ionathas regnum vitamque seruauit, quam ingratus, quam immemor iuramenti? *Et mentitus est omnia quæ dixit,* ait scriptura; *& abalienauit se à Ionatha, non retribuit ei secundum beneficia, quæ sibi tribuerat.* Nec morata est pœnam vindex iustitia, sed ab Antiocho per Tryphonem prælio fusus, regno deiectus est, tandem ab Arsace Medo exutus castris, in vincula coniectus est. Tryphon autem postquam fidem Iudæis datam rupit, Antiochum adolescentem Dominum parricidio sustulit, sero quidem, sed paucos intra annos pœnas profugus dedit, & à suis occisus est. Nec vero Antiochus Sedetes promissa Simoni Maccabæo præstitit, eum igitur fratris regnum occupantem Tryphon occidit.

Fidei violator Deo falsum affingit.

Perfidos reges maiore perfidia mactat exercitus.

Exitus regū peierantiū.

Successit Demetrius Demetrii filius, paterna perfidiaque, odioque; Hunc Alexander Zebenna exagitauit bello, periuriisque annos sex; Demetrii filius Antiochus Gryphus, Antiochi autem Sedetis Antiochus Cyzicenus fuit; breui illi tempore, non armis magis, quam periuriis, & sollicitandis ad perfidiam populis dimicarunt, donec Antiochus Gryphus ab Herodiano perfidiosissimo homine, Antiochus Cyzicenus à Seleuco Gryphi filio trucidatur. Horum filii quoque belligerarunt, vt patres, perfidia, & omnium fœderum contemptu.

Quid annis vndecim duo Antiochi priorum filii; alter Gryphi, alter Cyziceni; Seleucus, filius Gryphi, Philippus, & Demetrius filii Cyziceni? Nonne in hos omnium priorum perfidia peruenit? & in eum qui omnibus duos annos superuixit, Philippū: Tandem victo Tigrane in Romanam prouinciam opes Macedonum venerunt, & cum opibus magnorum regnorum semper exilium luxus, indeque perfidia, & periuria, bella ciuilia, & ruinæ, quæ hodiernis Europæ regnis initia dederunt. Alios post tam clara exempla memorare piget, Manuelem Commenum Conradi Imperatoris, & Germanici exercitus proditorem, simulque venenarium. Turcarum vnicam artem, cum res secundæ sunt; periuria taceo; cum enim sanctum iudicent quocunque modo hostes perdere, nulla fœdera, nisi cum libitum est, rata habent. Consule historiam; imprimis Bonfinium de obsidione Famagustana. Illius cum tam manifesta in pactis malitia, Amurates tamen Vladislaum Hungariæ regem, quem priorem rupisse fœdera causabatur ad Dei tribunal pugnaturus reum agit; fœderis enim testes literas ante prælium legit, atque ita apud Bonfinium perorat. *Hæc sunt Iesu Christe fœdera quæ Christiani tui mecum percussere. Per nomen tuum sancte iurarunt, datamque sub nomine tuo fidem violarunt, perfide Deum suum abnegarunt; nunc Christe, si Deus es, vt aiunt, & nos hallucinamur, tuas, measque iniurias, te quæso, vlciscere: His qui nomen tuum sanctum nondum agnouere, violatæ fidei pœnas ostende.*

Reges Asiæ supra omnes perfidia certarunt.

Turca fœderis literas coram Deo legit.

Vt cumque res acta sit, prælium anceps post hæc inclinauit, & Turcæ secundius fuit. Auorum etiam memoria inter Ludouicum & Carolum Audacem sæpius rupta fœdius refecta fœdera, sed consiliariorum magis, quam regis, & ducis perfidia; sæpe enim quamuis totis viribus concurrerent, nec rex, nec dux veram belli causam sciebant, vt narrat Philippus Cominæus. Philippus etiam Valesius, cum Ludouico Bauaro iureiurando promisisset, acturum se vt Eduardus Britanniæ rex, Romano Pontifici reconciliaretur, idque in speciem sollicite agere videretur, occulte tamen obstabat, periurium tām fraudulenter rectum ingenti clade, & pene Gallicæ nobilitatis internecione luit, & ad Cressiacum ab Anglo profligatus nunquam decipi DEVM ostendit. Falsum igitur canit Claudianus.

Consiliariorum Strophæ in bella inscios reges impellunt.

Nunc

Perfidiæ fructus breuis.

Nunc qui fœdera rumpit,
Ditatur, qui seruat eget.

Imo quia verum est quod canit melior morum præceptor Theognis:

Παῦρος δ' ἤδη πολλῶν πιστὸν ἔχει νοόν,

Ideo tot calamitatibus regna premuntur. Exempla Seleucidarum retuli, de quibus vere dici potest;

Non intrat vnquam regium limen fides.

Nec abfuit vnquam regio limine perfidia suorum, qua pœnas in alios exercitę perfidiæ dederunt. Decipere iureiurando alios prudentiam putabant, donec decepti, exitium sensere.

§. 5. Merito interiere Thraces, qui pactis dierum induciis, noctu Bœotiorũ agros populabundi inuaserunt; merito etiã Cleomenes in se postea sæuiit, qui cum iurasset, se cum Archonidæ capite omnia deliberaturum, quod ille more Græco sic intelligebat, quasi promitteret, ex eius sententia omnia facturum, sed in crudele ludibrium rem vertit Cleomenes; caput enim Archonidæ circum tulit, & coram eo rerũ agendarum consilia habuit. Solimanno etiam inter cætera origo calamitatum, ex nece Hebraymi fuit, cui ad summa euecto iurauit, nunquam se eum occisurum; itaque dormienti gulam incidi curauit; Pontifex enim Turcicus id licere interpretatus erat, quod dormientes negaret in viuorum numero censendos, sed fraus illa stringit, non soluit periurium.

Crudelior irrisio quã cædes.

Fraudum artifices nunquam desunt regibus.

§. 6. Altera causa cur nihil stabile sit, quod est infidum, ex ipsa rei natura ducitur. Quia fidem qui perdidit nil potest vltra perdere. Cum igitur aut manifesto periurio, aut sceleratis argutiis, quempiam agere homines animaduertunt, non modo fidem illi nullam præstant, sed inuicem oderunt, cedere ab eius amicitia, in tuto se, suaque collocare contendunt. Insaniam omnes putant illi se credere, qui fidem abnegauit, ita perfidi hoc summum est malum, quod nemo illi sit fidus. Si nemo fidus, non igitur tutus esse potest. Etsi amici se deuoueant, etsi exercitus admotis ad ceruicem gladiis in salutem tuam iurent, etsi ambitiosarum excubiarũ multitudine te vallent; si ipse fidem fallere doces, omnes etiam fidissimos abalienabis, & cum alioqui

Perfidia se fida amicorum custodia destituit.

Stet nulla diu mortalibus vnquam
Fortuna titubante fides,

Fallaciam professo nemo credit.

Fidem misero, & dubio penitus clausam inuenies; neminem amore, aut mutua fide obligatum tenebis, merces auaritiam accendit, non obligat pectora donanti, si ille perfidus est. Omnis illa turba fortunæ, non fidei sacramentum habere se putat. Seianus aliquando Tiberio fidus erat. *Seianus*, inquit Tacit. l. 4. *genu, vultuque & manibus super Cæsarem suspensus, opposuit sese incidentibus: atq; habitu tali repertus est à militibus, qui subsidio venerant. Maior ex eo, & quamquam exitiosa suaderet, vt non sui anxius, cum fide audiebatur.* Quid igitur ex fide fecit infidum, insidiatorem, imperii appetentẽ?

Perfidus nummo fidelitatem non emit.

Tiberii perfidia & ipse edoctus ad fallendum, occupare imperium statuerat. Perfidus glaciei persimilis est, cui nemo, nisi stultus, inædificat, vt igitur glacies sine domibus: ita perfidus nudus ab amicis. Videmus vero eos qui constricta gelu flumina transeunt, semper animo esse suspenso, atque anxio, si minimum concrepuerit, pauidos, cum fragili naturæ se insistere non ignorent. Incertior est amicitia perfidorum, qua plerique periere. Prudenter Cyrus, cum ducibus Hircanis vteretur, illis obsides exspectandos dicentibus; vt fide data proficisceretur, respondit: *Cogito nobis omnibus fidem in nostris esse animis, atque in nostris manibus. Ita enim animis esse comparati videmur, vt si veraces sitis, nos ad bene merendum de vobis idoneos habituri sitis, si decipiatis, eam arbitramur rerum nostrarum fore conditionem, vt non in vestra potestate simus futuri, sed vos in nostra, Diis adiuuantibus, arbitremur.* At hoc erat barbaris omnino diffidere. cum autem principes perfidi in aliena potestate nequaquam esse possint, certum est nullum illis fidem haberi. Parthis nulla fides, nisi quantum expedit, ideoque semper in se collisi, donec in seruitutem redigerentur, attriti sunt. Syris vt nulla fides, ita nec vlla vnquam libertas fuit.

Glaciei credit, qui perfido.

Cyrus barbarorum fidei non credit.

§. 7. Recte igitur etiam humano more locutus est, Franciscus rex Galliarum, cum enim Carolum V. in potestate haberet; atque à suis moneretur, vt violata fide captiuum teneret. *Si fides* (inquit) *toto orbe terrarum exularet, eam tamen regibus seruandam esse, qui ea sola, nullo autem metu constringi possent.*

Fides maxime reges decet.

Germania nostra, fidei semper inconcussa seruatrix, imperium diutissime tenuit, & quod mireris nec in alia gente inuenias, tot annos nullus Germaniæ rex, nullus Augustus, ab exteris in captiuitatem ductus est, aut in acie cecidit, & plurima tamen bella gesserunt, Pomeranos, Rugos, Liuonas, Sclauos, Heluetios, aliosque domuerunt. Verum hoc quoque mireris, annis pene octingentis, sex tantummodo imperatores à suis in ordinem redactos, Carolum Crassum, Ataulphum, Wenceslaum, Henricum tertium, Ottonem quartum, Fridericum secundum. Et hi quoque à Germana sinceritate degeneres fuere. Merito sane Imperatoribus fidei, & iurisiurandi tenacibus, à suis fides, & iurisiurandi religio præstabatur. Tu lector, ea quæ de antiquis Imperatoribus dixi, hisce compara. Interim dum perfidia ciuilis orientale vastat imperium, Imperatorum octoginta sex, aut septem, sanguine se contaminauit. Fallere fidem didicerant, & suis factis pressi, atque interfecti sunt.

Germania fidelitatis, supra omnia mundi exempla, tenacissima.

Securitas sequitur fidem.

Magna cædes imperatorum, & tyrannorũ mortem secuta.

Zeno perfidus ab Ariadna vxore viuus sepelitur, Anastasius qui periuræ, & parricidalis Ariadnæ scelere imperium adeptus est, fulmine traiectus perfidiæ pœnas dedit. Heracleonas, & vxor eius Martina, Constantinum Heraclii filium vita priuarunt; sed ille naso, hæc lingua abscissa in exilio detestabiles perierunt. Constans Theodosium fratrem necauit, & in vltionem fraternæ necis ab Andrea, cui vni pene fidebat, occiditur. Philippico, quo nemo sceleratior, quique ludibrio fidem omnem habuit, cum oculis imperium ablatum est. Nemo nequior Copronymo, qui fidem nulli seruauit, sed ille exclamauit moriens, viuum se igni inexstinguibili traditum esse. Leo quartus à suis, Armenius à Michaele Balbo occisi sunt. Andronicus, Isaacius, Alexius periuri, suorum perfidia occubuerunt. Quis igitur non dicat eos Rempublicã euertere, qui perfidiam, & periuria docent? Quo enim modo commercia, bella, pax, vrbes, domus stare possunt sine fide? si fidem violare princeps potest, quis eam seruare tenebitur?

Nemo se perfido putat obligatum.

§. 8. An vero violanti fidem fides seruanda est. Imo fœdifragis, & barbaris seruanda est. Cæsar quidem apud Plutarchum, *fidem tam perfidis, & barbaris seruare amentiam ratus in eos exercitum duxit.* Seruanda tamen fides, nec perfidia tua aliena perfidia punienda est. Non enim, si Hannibal contra fœdus Saguntum obsedit, ideo licuit Romanis, factam postea cum Carthaginiensibus pacem rumpere, nec si Romani legati violati à Pœnis, ideo quoque Hannonem in vincula duci oportuit. Multo minus si Lucitani Romanos contra iusiurandum sunt aggressi, ideo quoque Lucullum decuit, Lusitanos impunitatis promissione pellectos trucidare. Cum tamen eodem in pacto hostes fidem fallunt, obligatione solutus ille est, quem perfidia aliena affixit. Si enim pactis induciis Spartanum agrum populantur Messenii, talionem reddent iure optimo Spartani. Qui enim hostilia exercuerunt, pacem communem irritam reddiderunt. Verum cum post

Perfidis seruãda fides.

Cum factis fidem rumpunt, solutus est, qui infestatur.

post violata prima fœdera, nouum percutitur, non licet id violare, quia prima violata fuerunt.

CAPVT VIII.

Rempublicam erga bene meritos debere esse gratam.

Omnia sint ingrata, nihil fecisse benigne est.

§. 1. IDEI gratitudo affinis est, quemadmodum quoddam quasi perfidiæ genus est, beneficiũ non agnoscere, aut malefactis pensare. Magni animi est, gratum esse. *Nam (vt dicitis) omnes stulti mali sunt: qui autem habet vitium vnum, habet omnia: omnes autem stulti & mali sunt, omnes ergo ingrati sunt. Quid ergo? non vndique humano generi conuicium fit? non publica querela est, beneficia periisse, & paucissimos esse, qui de bene merentibus non inuicem pessime mereantur? Nec est quod hanc tantũ nostram murmurationem putes, pro pessimo prauoque numerantium, quicquid citra recti formulam cecidit. Ecce nescio, quæ, non ex philosophorum domo clam, sed ex medio conuentu, populos gentesque damnatura vox mittitur:*

----Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est:
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

Beneficia maleficiis pensantur.

Hoc iam amplius est, beneficia in scelus versa sunt: & sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur: ipsi patriæ manus afferre, & fascibus suis illam premere, potentia ac dignitas est. Humili se, ac depresso loco putat stare, quisquis non supra Rempublicam stetit. Accepti ab illa exercitus, in ipsam conuertuntur, & imperatoria concio est. Pugnate contra coniuges, pugnate contra liberos, aras, focos, penates, armis incessite. Qui ne triumphaturi quidem; intrare vrbem iniussu senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus, curia extra muros perberetur: nunc ciuibus cæsis, perfusi cruore cognato, vrbem subrectis intrate vexillis. Obmutescat inter militaria signa libertas, & ille victor, pacatorque gentium populus, remotis procul bellis, omni terrore compresso, intra muros obsessus, aquilas suas horreat. Ingratus est Coriolanus: sero & post sceleris pœnitentiam pius. posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina parum est illi capere patriã, nisi euerterit, nisi Allobrogũ in illam cohortes immiserit, & trans Alpes accitus hostis, vetera & ingenita odia satiauerit, ac diu debitas inferias Gallicis bustis duces Romani persoluerint. Ingratus C. Marius, ad consulatum à Caliga perductus: qui nisi Cimbricis cædibus Romana funera æquauerit, nisi ciuilis exitii, & trucidationis non tãtum dederit signum, sed ipse signum fuerit, parum mutatam, ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet. Ingratus L. Sulla: qui patriam durioribus remediis, quam pericula erãt, sanauit. qui cum à Prænestina arce, vsq; ad Collinam portam, per sanguinem humanum, incessisset, alia edidit in vrbe prælia, alias cædes: legiones duas, quod crudele est, post victoriam; quod nefas, post fidem, in angulum congestas contrucidauit, & proscriptionem commentus est: Dij magni! vt qui ciuem Romanũ occidisset, impunitatem, & pecuniam, tantum non ciuicã acciperet. Ingratus Cn. Pompeius: qui pro tribus consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maxima parte immaturus inuaserat, hanc gratiam reipublicæ reddidit, vt in possessionem eius alios quoq; induceret, quasi potentiæ suæ detracturus inuidiam, si quod nulli licere debebat, pluribus licuisset: dum extraordinaria concupiscit imperia, dum prouincias, vt eligat, distribuit, dum ita triumuiris remp. diuidit, vt tamẽ in sua domo duæ partes essent, eo redegit populum Rom. vt saluus esse non posset, nisi beneficio seruitutis. Ingratus ipse Pompeij hostis ac Victor, qui à Gallia Germaniaq; bellum in vrbem circumegit, & ille plebicola, ille popularis, castra in circo Flaminio posuit, propius quam Porsenæ fuerant. Temperauit quidem ius crudelitatemq; victoriæ, quod dicere solebat, præstitit: neminem occidit nisi armatum. Quid ergo est? Ceteri arma cruentius exercuerunt, satiati tamẽ aliquando abiecerũt: hic gladium cito condidit, nunquam posuit. Ingratus Antonius in dictatorem suum, quem iure cæsum pronuntiauit, interfectoresq; eius in prouincias, & imperia dimisit, patriam vero proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam, post tot mala, destinauit ne Romanis quidem regibus: vt quæ Achæis, Rhodiis, & plerisq; vrbibus claris ius integrũ, libertatemq; cum immunitate reddiderat, ipsa tributum Spadonibus penderet. Deficiet dies enumerantem ingratos, vsq; in vltima patriæ exitia, AEque immensum erit, si percurrere cæpero, ipsa respublica quam ingrata in optimos ac deuotissimos sibi fuerit: quamq; non minus sæpe peccauerit, quam in ipsam peccatum est. Camillum in exilium misit: Scipionem dimisit: exulauit post Catilinã Cicero, diruti eius penates, bona direpta, factum quicquid victor Catilina fecisset. Rutilius innocentiæ pretium tulit in Asia latere: Catoni populus Romanus præturam negauit, consulatũ pernegauit. Ingrati publice sumus. Se quisq; interroget: nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri, vt omnes querantur, nisi querendũ est de omnibus. Omnes ergo ingrati sunt. Tantũ? & cupidi oẽs, & maligni omnes, & timidi omnes, illi in primis qui videntur audaces. Adiice, & ambitiosi omnes sunt, & impij omnes. Sed non est quod irascaris, ignosce illis: omnes insaniunt. Nolo te ad incerta reuocare, vt dicam. Quam ingrata sit iuuẽtus, vide. Quis non patri suo supremum diem, vt innocens sit, optat? vt moderatus, exspectat? vt pius, cogitet? Quotus quisque vxoris optimæ mortem timet, vt non computet? Cui rogo litigatori defenso, tam magni beneficii, vltra res proximas, memoria durauit?

Patria eos crudelitatẽ docuit, & ingratitudinem erga bonos ingrata.

Patitur malos potẽtiores populus, dum affligit bonos.

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Hoc in principes, & Respublicas sæpe conuenit quorum inter alios non minimus est error, bene merentibus aut nullã, aut malã gratiam reddere. Quantum ea ex re detrimenti Respublica fecerit, & rei natura & hæc exempla docent. Nec mirum Rempublicam esse in bene meritos ciues ingratam, & in illam vicissim ingratos alios; quia Deo pro tot bonis nemo satis gratus est.

Raro sine inuidia patria seruatur.

§. 2. Ingrati fuere in bene meritos Romani, vt qui Tarquinium Collatinum, nominis duntaxat odio in exilium pepulerunt, Valerium ob domũ in Velia exstructã periclitari coegerunt, in Manlium, Camillũ, Scipionem, Ciceronẽ vel crudeles, vel iniusti fuerũt. Nec minus Athenienses, barbara Ostracismi lege fuerunt omniũ gentium ingratissimi. apud quos magna beneficia, certi res erat periculi, id adeo ex eo natum, q̃ cum multos, & graues sustinuissent tyrannos eos, quos ante claros, benefactores, popularesq; habuerant, omnib. deinde ex æquo diffidere cœperunt. Lacedæmonii nihilo mitiores, Carthaginenses omniũ crudelissimi fuerunt, ingratissimique in duces suos.

Vter magis ingratus populus an princeps?

§. 3. Late vero patet vitium ingratitudinis, adeo vt Italus quærat; an principes, an vero populus magis ingratus esse soleat? Mallem eos esse mores, vt potius quæri possit, vtrum populus, an principes magis grati esse soleant? Concludit ille ingratudinem oriri ex auaritia, & ambitione, deinde suspicione, populum ex auaritia nunq̃ ingratum, propter suspicionem vero multo rarius, q̃ principes. Ego vero hęc nequaquam, velut prudenter dicta, approbare possum. Auarus n. populus frequenter pecunię cupiditate, viros fortes, seseq; patriæ impendentes iusto honorario priuat. Athenienses in ipsis periculis, Philippo terrorem belli, & doli circumferente, non in theatro modo desidebant, sed pecuniam etiam naualẽ pro mercede theatrica expendendam censebant, Romani Camillo dicẽ dixerunt, quasi pdam Veiensem iniquè distribuisset, vnde in tantum virum tanta iniuria, nisi ex auaritia? Quantas cõcertationes Romæ leges Agrariæ excitarunt? quibus vectigalia, nerui Reipublicæ incidebãtur? Ea tamen auaritia, non modo Imperatorum donatiua, & præmia exercituum abstulit, sed Remp. magis, q̃ bella ipsa attriuit. Ingratus igitur ex auaritia est etiã populus. Eoq; magis, q̃ in magna vnius ciuis p̃clare meriti cõmoda, optimates haud facile consentiẽt; quod n. vni extra ordinem datur collegis subducitur, ciues vero ingrati, acceptæ salutis, opes inuidẽt suis seruatoribº, q̃ quis vitã ab ipsis, opesq; acceperint.

Populus auaritia ingratus redditur.

Non

Populus paucorum semper affectibus regitur, sæpe pessimorum

Non solet quidem populus ingratus esse ex ambitione, quia magnorum facinorum, & præmiorum non solet esse competitor, quia tamen per paucos regitur, & velut animatur, eorum ambitione ducitur: solent autem populares, & Demagogi, claris viris inuidere, eorum laudibus obtrectare, æmulationes, & simultates exercere. Scipio nauigat in Africam, & pericula subit, interim Catonem eius magnitudinē allatrantem, ingratus senatus, ingratus populus audit. Aliena igitur ambitione,

Vt neruis alienis mobile lignum
Ducitur.

Maligna plebs est, & inuida.

Pro ambitione vero, insitum habet inuidentiæ virus, quo adeo imbuitur, vt optime meritos ferre nequeat, magisq; doleat, viris magnis bene faciendi facultatē superesse, q̄ de beneficio gaudeat. Deinde nō modo inidoneus, sed etiā maleuolus est beneficiorū æstimator populus. Cum enim singuli Rempublicam non admodum curent, nulla beneficia magni pendunt, nisi cum priuata illis commoda sunt adiuncta, & tamen cum illa obtinuerunt, plura exspectant, aut aliis maiora data criminantur. Summa est autem ingratitudo, non agnoscere beneficium.

Suspiciosus est populus, ignoratione veri.

Neque verum est, populo non esse multas suspicandi causas. Historia Athenienſis, Corinthia, Romana diuersum docet. De libertatis insidiis suspicatur, de peculatu, de iudiciis, de omnibus rebus, qui plerunque rei gestæ seriem ignorat. At principes vt plurimum cum ipsis ratio soleat reddi, omnium cognitionem habent. Nusquam est populus moderatior, cultior, & magistratibus aptior, quam in liberis Imperij ciuitatibus, ante annos tamen centum, pleræque vrbes ex suspicionibus contra senatum insurrexerunt, & nonnullæ etiam sanguinem fuderūt. Hodie multæ grauia de senatoribus suspicantur, rationes postulaturæ, ni maioris potentiæ respectu quiescerent.

Minores principes facile ingrati.

§. 4. Principum autem duplex est status, alii enim vnum habēt principatum, vicinos hostes, aut æmulos. Illi, si quem habeant clarum belli ducem, victoria & prouincialium fauoribus munitum, facile suspicantur, & formidant. Ratio est; quia pene principem exæquant, & si velint, aut hostibus tradent, aut ipsi succedent. Hi ex suspicione ingrati esse solēt, sæpe etiam cum sua clade mortem ducibus optare.

Valde potēs princeps minus timet.

Idque etiam eo magis, si opes suas exiles pro tanto nomine animaduertant. Alii sunt admodum potentes, habentque multas prouincias, gubernatores, vicereges, tales raro ex suspicione sunt ingrati; quia duces quamuis clarissimi longe à dominorum suorū magnitudine absunt. Itaque nec in talibus inuidia dominari solet. Deinde nunquam metus ex ducis perfidia probabilis oritur; quia nec vires illi, nec animus suppetit, vt vnius prouinciæ tyrannide occupata, vniuersū regni corpus in se cōcitet. Hæc quamuis ita habeant, crebro tamen à populo, & principe hac in re peccatur. Gratitudo vero amicos parat & Rempublicam seruat.

Plerique vbi spes est, eo labores conferunt.

§. 5. Primo enim magni interest, Reipublicæ bene meritis esse gratiam repositam. Princeps ingratus haud facile viros bonos, nunquam magnanimos retinebit. Si pro magnis laboribus cuiuscunque ciuis, ingratus es, non modo eum capitalem inimicum habiturus es, sed aliorum quoque industriam retundes, efficiesque, vt aliorsum respectent, & quærant vbi melius, & cum spe emolumenti, ponant beneficia. Nam reuera τῶν εἰς ἀτιμίαν ὀλιγωρίαν οἱ φιλότιμοι, καὶ οἱ ὀφειλέτης φέρουσι βαρέως. *Honorū cupidi, & prudentes, grauiter ferunt, cum per contumeliam negliguntur.* Ingentes calamitates induxerunt inhonorata magnatum gesta. Coriolanus ingratam patriam obsidione pressit, Cārbo per Barbaros oppugnauit, Narses Longobardos Iustiniano imposuit. Bonifacius Africæ comes Wandalos adduxit. Qui enim post illustres suos labores, aditaque pericula, & fidem cum sanguine impensam, alienos principum, aut Reipublicæ animos experiuntur, si viri fortes sunt, & dignitatis suæ tenaces, fere aliquid moliuntur, vt caueant (quod Octauianus dicebat) *Ne tolli possint.* Itaque militum sibi animos conciliant, cum vicinis, & aliquando hostibus conspirant, munitiones occupant, & contemptū sui vindicant. Quod in leuibus ambitio, hoc in aliis facit indignatio. Itaque ex principum, & rerumpublicarum ingratitudine, multæ & pernicioſæ tyrannides exortæ sunt. Et pfecto si non iusta causa est rebellionis ingratitudo principis, at in vulgus est speciosa, & læso iniurias persequenti fauetur. Idque eo magis, quod turpe vitium est ingratitudo. Vere Herodianus. Καὶ τὰ μὲν δεινὰ ῥᾳδίως ἐπιλανθάνονται. Τὸ γὰρ ληφθῆναι δυσεξάλειπτον. Τὰ δ' ἀγαθὰ, ἅμα τῇ ἀπολαύσει, καὶ τῶν ὠφελησάντων μνήμην συναλίσκει. *Eorum quæ grauia acciderunt, semper manet memoria, quicquid enim contriſtat, difficulter deletur, Beneficiorum vero memoria cum fructu consumitur.*

Occupant scelus viri militares.

Iniuria clauis trabalibus figitur.

Ingratitudo salutem propriam cum aliena laude exosam habet.

Premunt eos, quorum labore sunt metu liberati, fructumque laborum illis inuident, postquam enim canunt filiæ Ieruſalem: *Occidit Saul mille, & Dauid decem millia*, iam totius regni est salus ingrata, cum viri fortissimi laude conuincta. Dauidi igitur iraſcitur, cuius beneficia omnia oneri erant, cuius vltionem in quæstu ponebat. Dedignatur videri beneficio affectus, tanquam minor, & quod sæuientium est, beneficio non ignoscit. Omnia beneficia subuertit, & solum meminit, quod postpositus est. Nec mirum moueri homines, cum beneficiorum nouas tabulas intuentur, rem ciuitatibus perniciosissimam, Deus ipse deteſtatur benefactorum obliuionem: vitam & libertatem populus Iſraeliticus debebat post Deum Moysi. *Cerno*, inquit Deus, *quod populus iste duræ ceruicis sit: Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Sed mitissimus mortalium, suæ dignitatis oblitus, pro ingratis deprecatur: quod si alium principem duræ illæ ceruices sortitæ essent, in ipso deserto cum spinis, & tribulis contriti iacuissent. Ioas Zachariam Ioiadæ filium cuius patri vitam, regnum, & pietatem vita, regnoque præstantiorem debebat, è medio sustulit, adeo plus potuit vna non iusta offensio, quam datum regnum. Adeo nihil beneficio citius seneſcit. Inde magnæ clades in eam rempublicā fluxerunt. Augustus reddere populo imperium sæpe cogitauit, sed eum exempla ingrati populi terruerunt. Legerat Africani superioris, qui Rempublicam restituerat victa Carthagine, in deserto oppido Epitaphium. *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habebis.* Sciebat Africani fratrem Scipionē Asiaticum, postquam ex opulentissimo orbe patriam diuitiarum impleſſet, de peculatu reum ad carceres iussum duci. Occurrebat indigna mors minoris Africani, quæ vltorem in foro non inuenit. versabatur in manibus oratio P. Lentuli, qua exprobrabat populo ingratitudinem, Deoſque precabatur, ne vnquam in patriam reuerteretur, atque in Sicilia obiit. Ciceronem etiam pulsum nouerat, & Pompeio leuem gratiam, Cæſari etiam mortem illatam, ingratitudinis itaque metu sceptrum tenuit, & immaniſſimis tyrannis vt Roma seruiret, effecit. Multum illis populus Romanus debuit, quod de vindicta veteres non cogitarint, nam quid non potuiſſent viri illi, suorum temporum summi Imperatores, si ad hostes etiam non fortes acceſſiſſent? Quid potuerint, docuit Sertorius, docuerunt, qui inſecuti sunt tyranni. Græciæ maximi viri fuerunt, Solon, Miltiades, Ariſtides, Themiſtocles, Alcibiades, Phocion, omnes illi vt narrare solebat Themiſtocles, *Platani fuerunt*, sub

Ingratitudo populi libertatem impedit.

Virorum fortium ea in aduerſis deſiderium, in pace & tempus.

sub quas tempestate sauiente populus refugiebat, cœlo sereno eas deserebat. Et quanquam nemo iniurias vltus est, si tamen Themistocles fundere patriæ sanguinem, quã taurinum cruorem haurire maluisset, tres Athenarum fædas beluas, noctuam, Draconem, populum inconditum deleuisset. Perire igitur illi sua beneficia senserunt, aliosque à beneficiis retraxerunt. Nam in dolium pertusum beneficia mittit, qui præstat ingratis, tot vero in dolio Republicæ rimæ sunt, quot obliuiosæ, ingratæ, malignæ animæ. Pythius, Atys filius, cum Xerxem exercitu, pecunia, obsequio deliniuisset, omnia beneficia euertit, cum peteret, vt è quinque filiis vnicum senectuti suæ solatio retinere posset, eum amisit: Xerxes enim exacerbatus, secari medium filium Pythii natu maximum, quem patris infelix amor desiderarat, continuo imperauit, nec occultam esse voluit crudelem ingratitudinem; nam vtrinque ad viam partes, cadaueris, vt per medium exercitus transiret, exponi voluit, illo die victum Xerxem iudico, quo tot populis, quos vix beneficiis deuinciret, ingratum animum tristi documento demonstrauit. Quis enim pro tali monstro arma caperet? Quis non crederet, bene agi cum humano genere, si è medio tam malignus animus tolleretur? Parum dixit Pindarus:

Tres beluæ fædæ Athenis.

Xerxes ingratitudine à se suos alienat.

Παλαιὰ μὲν εὐδει χάεις, ἀμνήμονες δ' βεβροί.
Antiqua quidem dormit gratia, obliuiosi sunt vero mortales.

παλαιὰν εὐδει χάεις, ἀκαμνήμονες δὲ βεβροί.

Parum, inquam, dixit: Noua, recens, vigens, viuensque dormit gratia, nec immemores modo sunt homines, sed ne sentiunt quidem gratiam. Querebatur Fredericus Imperator beneficiis perfidos fieri: ita est; quia beneficia magna, ostendẽdæ perfidiæ copiã præbent. Venenum igitur in se conuertit ingratus dum alienat à se omnes. *Huic ingrato*, inquit Seneca, lib. 4. de benef. *qui beneficiorum si audator est, & in hanc partem procubuit animo, non magis dabit beneficium, quam decoctori pecuniam credet, aut depositum committet ei, qui iam pluribus abnegauit.*

Ingrato nemo beneficia confert.

§. 6. Gratus igitur sit princeps, grata respublica, sed ita largiatur, vt neminem sibi formidandum efficiat, cito, honorificeque donet, & firma, & speciosa. Qui vero accipiunt, debere se sciant non modo gratiam, sed legitimum etiam vsum beneficii, vt ad Reipublicæ salutem, libertatemque illud conuertant. Interim hoc sibi principes dictum existiment, quod Seneca lib. de benef. monet. *Non est autem quod tardiores faciat ad bene merendum, turba ingratorum. Nam primum (vt dixi) nos illam augemus: deinde ne Deos quidem immortales ab hac tam effusa benignitate sacrilegi, negligentesque eorum, deterrent. Vtuntur natura sua, & cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes, iuuant. Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non faeneremus. Dignus est decipi qui de recipiendo cogitauit, cum daret. At male cesserit. Et liberi, & coniuges spem fefellerunt: tamen & educamus, & ducimus, adeoque aduersus experimenta pertinaces sumus, vt bella victi, & naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dandis beneficiis decet? quæ si quis non dat, quia non recipit, dedit vt reciperet, bonamque ingratorum facit causam: quibus ita demum turpe est non reddere, si & licet. Quam multi indigni luce sunt? & tamen dies oritur. Quam multi, quod nati sunt, querunturr? tamen natura sobolem nouam gignit, ipsosq; qui non fuisse mallent, esse patitur. Hac & magni animi & boni propriũ est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, & post malos quoque bonum quærere.*

Malorum & ingratorum turba, beneficentiam tollere non debet.

CAPVT IX.

Principem & Rempublicam oportere esse liberalem.

§. 1. SPECIEM liberalitatis, reuera auaritiam suo principi Machiauellus commendat cap. 16. *Primo quidem non negat, fore optimum vt liberalis princeps habeatur:* at sane præstat eum esse, & haberi. Nisi enim vere liberalis sit, sed famam tantum aucupetur, in magna se, ne Rempublicam mala coniiciet: aut fronte duntaxat & verbis liberalis homines ducet, atque ita odia incurret, eripse sua beneficia, differendo corrumpet, aut modum non seruando, auferet bonis, quod tribuat indignis.

Multi famam virtutis aucupantur, ipsam negligunt.

§. 2. Deinde recte reprehendit eum, qui vt beneficentiæ nomen retineat, omnia profundit, quem deinde necesse sit ad prædas, rapinasque conuerti, quem facile publica euertent odia, cum omnibus eripiat, quod paucis donet. Tertio, Melius esse, vt parcus sit, ita enim omnes illi amicos fore, quibus nihil ademerit. Quarto principatum occupaturis necessariam esse liberalitatis opinionem. Deniq; exalieno largum esse suadet. *Atque iterum, si quis diceret multos extitisse Principes, qui suis exercitibus res magnas gesserunt, qui tamen illa beneficentia excelluerunt: dicendum est principem, vel de suis, vel de aliorum bonis sumptus facere. Si primum, parcus esse debet: si secundum, necesse est, vt nullam partem liberalitatis prætermittat: Atqui principi in expeditionem exercitus educenti (qui exercitus præda, direptionibus, tributis sint alendi) alienaque tractandi, necessaria est hæc liberalitas, alioquin milites illum non sequerentur. Quod autem non est tuum, nec tui populi, id liberalius conferri potest: vti à Cyro, Cæsare, & Alexandro factum constat. Non enim id, quod de alienis bonis insumis, tibi existimationem admit, imo cumulatiorem reddit: sed à propriis opibus absumptis, tibi detrimentum venit. Atque nihil est quod magis seipsum conficiat, quam liberalitas, qua inter vtendum facultatem vtendi amittis, atque ad egestatem redigeris, aut ad tui contemptum: vel si pauperiem iudicas vitandam, tunc ad rapinas te conuertis, atque ad odium tibi conciliandum.*

Profusio cauenda.

De alieno dare, vt ad rapiendum excites, non est liberalis, sed latronis.

Improbum hoc est consilium, vt enim liberales videantur, raptores & orbis terrarum prædones esse iubet. Verum nec Cyro, nec Alexandro, nec Cæsari opulentis latronibis res illa bene cessit, nec bene cedet vlli principum. Cæsar vndecies centena hominũ millia extra bella ciuilia concidit, & bellorum causas fere auaritiam habuit: omnia demum illa suis vulneribus luit. Alexander breui male partorum vsura conflictatus est, omnemque progeniem, vltioni gentium violatarum impendit. Cyri insatiabilis cupiditas, in humano sanguine contabuit.

Hoc tamen principi suadeo, si iustum ac legitimũ bellum gerit, in duces, & milites se munificum exhibeat, nec modo prædam largiatur, sed vicos, castella, ciuitates, prouinciolas quasi feuda, aut emphyteusin in benemeritos cum nouo honoris titulo distribuat: hoc enim modo fidam semper militum ac ducum manum, promptamque parabit, quod res illi suas tueãtur constantius, quam principis: verum ista non tam ad liberalitatem pertinent, quam militarem prudentiam, de qua libro decimo disputabo.

In bello iusto dux sit ex hostico liberalis.

§. 3. Liberalitas igitur vera principi conuenit, estque maxime decora: quia gratiosissima virtus, in tãta materiæ amplitudine, diuina penitus videtur. *Est vero in seruandis, erogandisque opibus moderata ratio, inter auaritiæ & prodigalitatis extrema medium tenens,* in affectu benignitas, in effectu beneficentia nominatur, Græci aliquando ἐλευθεριότητα, aliquando δαψίλειαν appellant, vim tamen huius virtutis præcipue exprimit εὐδαιμονία, sumpt⁹ n. omnes bene collocat liberalitas, & quamuis ab ingratis excipiantur, non tamen aliena turpitudo, liberalitatis dignitatem contaminat, quemadmodum nec contra solis decorem est, quod in speluncas & cloacas radii fulgentes incidant.

Liberalitas medium tenet.

Duo sunt autem genera liberalitatis, vnum dandi bene-

Liberalita-

tis est dare, reddere.

beneficii, alterum reddendi; de reddendo superiore disputatione egi; nam ad gratitudinem pertinet, de dando nunc ago, cuius etiam ratio duplex est, aut enim opera fit, aut pecunia. Magna semper virtus, siue ex arca; siue labore promatur. *Qui dat beneficia*, inquit Seneca, *Deos imitatur, qui repetit, fœneratores.* Nihil liberalitate est naturæ hominis accommodatius. Natura enim ad liberalitatem propensi sumus. Homines hominibus prodesse natura iubet. At principem in sublimi locauit, vt magnitudinem suam benefaciendo demonstret. Habet & hoc ea quæ est in principe beneficentia, vt maxime liberalitas vocetur, illa enim non quia liberis datur, sed quia à libero animo, non coacto; non adstricto, non repetente, proficiscitur. Princeps maxime in donando liber est, nec metu exprimitur, nec spe licitatur eius liberalitas. Natura cunctis beneficentiam commendat; princeps, quia pater, Respublica, quia mater, vterque, quia dies est eam exercere debent. Principem armis vinci humanum est, liberalitate flagitiosum est. Magnæ Monarchiæ capax erat Anaxilaus, qui in regno hoc iudicabat esse beatissimum non vinci beneficiis. Non posse sic vinci, inter humana magnum arbitror, vinci tamen reges posse arbitror: nam magnæ virtutis est, principis amicum, & familiarem esse eius, qui facile offendi, offensus multum nocere possit. Principis, inquam esse amicum, non purpuræ, non spei suæ. Neque male regem definiuit optimum Alexander; Eum esse, qui beneficiis amicos, hostesque deuinciat. Beneficiis non verbis, verborum enim liberalitas cum restrictione beneficiorum vix priuatum decent, nec celari potest ea vel vno anno simulatio; quia multis potentibus verba data cum intelligunt, irrideri se putant à principe blando, non iuuari à benefico. Non nisi bona interpretatione mollitũ hoc princeps probet, vt:

Munificus laudis, sed non sit prodigus auri.

Simulachrũ enim liberalitatis ille magnus adulator tenet, & verbis quid deceat ostendit, facta verbis affinia vetat auaritia. Non tamen hæc eo dico, vt sentiam non ostendendos affectus. Nec enim aurum nec argentum, vt recte monet Seneca de ben. nec quicquam eorum quæ à proximis accipiuntur, beneficium est; sed ipsa tribuentis voluntas. hanc vt agnoscat ille, qui dona accipit, laborandum est.

Liberalitas liberi hominis est.

Reges vinci possunt beneficiis.

Difficile, principis amicum esse.

Voluntas benefica beneficium est.

Constituat igitur princeps verum, atque ad imitandum sibi propositum esse, quod dixit regum ditissimus Ptolomæus. *Magis regium esse ditare, quam ditescere.* Et quod eadem sententia Artaxerxes: *Magis regium esse, addere, quam adimere.*

§. 4. Largus igitur sit princeps. Sed in beneficentia modum rationemque sequatur, non impetum.

Primo quidem delectum habeat eorum quibus donet; nam in vulgus temere effundenda non sunt.

Beneficia in vulgus cum largiri institueris,
Perdenda sunt multa, vt semel ponas bene.

Specie liberalitatis nõ sunt alenda ociosorũ vitia.

Quod non ita intelliges, quasi misero populo beneficum se princeps exhibere non debeat; nam vel maxime miseris succurrere oportet. Sed iudicium debet adesse illi liberalitati, alioqui si vitia populi inepta largitione fouet, & sibi & populis specie liberalitatis imponit. Fœda corruptio plebis Romanæ erat frumentatio, & viscerario, subrostrariam, & Theatralem turbam omnibus in vitiis ad ciendos tumultus idoneam saginabat luxuriosa ambitio. Augustus damnauit, sed remouere non ausus est. ita Tranquillus.

Desidia seditiosa largitione alitur.

Impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuũ abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessarat: neque tamen perseuerasse, quia certum haberet posse per ambitionem quandoque restitui. Atque ita post hanc rem temperauit, vt non minorem aratorum ac negotiantium, quam populi rationem duceret.

Nec minus scelereta alterius generis, & falsa liberalitas, quæ etiam vetita est. *Edixit Cæsar, vt ait, ne quis magistratus, aut procurator qui prouinciam obtineret, spectaculum gladiatorum, aut ferarum, aut quod aliud ludicrum ederet. Nam ante non minus tali largitione, quam corripiendis pecuniis, subiectos affligebant: dum quæ libidine deliquerant, ambitu propugnant.* Tacitus lib. 13. Ego ne Persarum quidem morem probarim apud quos primum poscenti regem, nihil negare moris erat; potuit enim vt est hominum malitia, aliquid cum flagitio, aut iniuria coniunctum peti; cogereturque nouus rex vel scelere initia regni dedecorare, vel contra receptum morem cum sugillatione auaritiæ postulata denegare.

Ambitio profusa est, & rapax.

Nullum tempus postulatis iniustis suffragatur.

§. 5. Secundo liberalitatis est dare non nocitura, non dico de crudelibus muneribus, non περὶ δώρων ἀδώρων, *de domis non donis*, qualia erant Heliogabali, qui munera spargebat, vt concurrentes se mutuo obtererent, & militum scutis confixi interirent. Sed de illis quæ occultius nocent, qualia erant Vespasiani, qui præsides prouinciæ dabat auariſſimos, quos deinde plenos rapinis trucidabat, ita vt *illis tanquam spongiis* vti diceretur. Cur iracundo iurisdictionem, auaro ærarium, contumelioso exercitum committit? Ne pecuniam quidem prodigo, non magis quam furioso gladium dabit. Nunc adeo crebrum est, vt principum donis magna pars dispereat, & per ornamenta ipsa feriatur. *Depositum*, inquit Seneca lib. 4. de benef. cap. 10. *reddere per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. aliquando nihil interest vtrum inficier, an palam reddam. Intuebor vtilitatem eius, cui redditurus sum, & nocituram illi depositum negabo. Idem in beneficio faciam. Videbo quando dem, cui dẽ, quemadmodum, quare. Nihil enim sine ratione faciendum est. non est autem beneficium, nisi quod ratione datur: quoniam ratio, omnis honesti comes est. Quam sæpe hominum, donationem suam inconsultam obiurgantium, hanc audiuimus vocem, Mallem perdidisse, quam illi dedisse? Turpissimum genus damni est inconsulta donatio: multoque grauius male dedisse beneficium, quam non recepisse. Aliena enim culpa est, quod non recipimus: quod cui daremus non eligimus, nostra. In electione nihil minus, quam hoc quod tu existimas, spectabo, à quo recepturus sim. eligo enim eũ qui gratus, non qui redditurus sit. Sæpe autem & non redditurus, gratus est; & ingratus, qui reddidit. Ad animum tendit æstimatio mea. Ideo locupletem, sed indignum præteribo: pauperi viro bono dabo. Erit enim in summa inopia gratus: & cum omnia illi deerunt, supererit animus. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam. Vni placere contentus, in hoc dabo, vt quod oportet faciã: quod oportet autem, non est sine electione: quæ qualis futura sit, interrogas? Eligam virum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non auare tenacem, beneuolum.*

Crudelia munera tyrannidis indicia.

Beneficia importuna multos perdunt.

Leges rectè donandi.

Quædam beneficia premunt, non iuuãt.

Et libro secundo, cap. decimoquarto: *Sunt quædam nocitura impetrantibus: quæ non dare, sed negare, beneficium est. Æstimabimus itaque vtilitatem potius, quam voluntatem petentium. Sæpe enim noxia concupiscimus, nec dispicere quam perniciosa sint licet: quia iudicium interpellat affectus: sed cum subsedit cupiditas, cum impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur perniciosos malorum munerum auctores. Vt frigidam ægris negamus, & lugentibus ac sibi iratis ferrum, aut amantibus quicquid contra se vsurus ardor petit: sic ea, quæ nocitura sunt impense ac submisse, nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus, perseuerabimus non dare. Tum initia beneficiorum suorum spectare, tum etiam exitus decet: & ea dare quæ non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. Multi sunt qui dicant: Scio hoc illi non profuturum, sed quid faciam? rogat, resistere precibus eius non possum. Viderit, de se, non de me, queretur.*

Noxia acrius desiderantur.

Summum beneficium est beneficia nocitura negare.

§. 6. Tertio. Neque principi decorum est, addo nec tutum est, sine ratione donare. Seneca lib. 2. de ben. cap. 16. *Vrbem cuidam Alexander donabat Vesanus, &*

Vesani donationes.

qui

qui nihil animo non grande conciperet. cum ille cui donabatur, seipse mensus, tanti muneris inuidiam refugisset, dicens non conuenire fortunæ suæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Animosa vox videtur, & regia: cum sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet: refert quid, cui, quando, quare, vbi, & cætera, sine quibus facti ratio non constabit. Tumidissimum animal! si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum proportio: & cum sit vbique virtutis modus, æque peccat quod excedit, quam quod deficit. Liceat istud sane tibi, & te in tantum fortuna sustulerit, vt congiaria tua, vrbes sint: quas quanto maioris animi fuit non capere, quam spargere? est tamen aliquis minor, quam vt in sinu eius condenda sit ciuitas. Quis magni se quippiam acceptutum putaret, aut accepisse, cum hominem rudem, indignum, ciuitatis factum Dominum videt? Quid ducibus veteranis, {commilitonibus, flori nobilitatis Macedonicæ largietur? Postpositum se quisque alteri indigno magis dolet, quam multis æquatum. Si ciuitas danda, quia rex es, da tuis, patrisque tui veteranis. Da princeps fidis, da consiliariis prudentibus, in citharœdos, aucupes, ludicra lis parcus; laudis hoc est; mulcent illi ad breue tempus sensus, alii labores tuos magna parte leuant, pro te moriuntur.

Indignis data munera, dignos offendunt.

§. 7. Quarto. Ratio illa seruanda est, vt liberalitas sit pro facultatibus: ita donabis, ne ipse egeas. Sordidum tamen esse veto. De Galba scribit Dio; *Erat in coarceuanda pecunia inexplebilis, tanquam multis rebus indigeret, deque ea ita parum impedebat, vt non drachmas, sed obulos nonnullis largiretur.* Antigonus ioco potius, quã auaritia Diogenem elusit, petenti enim talentum, negauit, adiecitque: *Plus esse quam quod Cynicus petere deberet,* cum vero repulsus denarium peteret, respondit: *minus esse, quam quod deceret regem dare.* Sit igitur liberalitas par facultatibus. *Quomodo potueris, esto misericors, si multum, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Aristoteles ad liberalitatem pertinere ait, *ne ita tribuat, vt pauciora sibi relinquat.* Potest enim & in paruis opibus esse magna liberalitas. Optime Seneca lib. 1. de beneficiis cap. 6. *Animus est, qui parua extollit: sordida illustrat, magna & in precio habita dehonestat: ipsa, quæ appetuntur, neutram naturam habent, nec boni, nec mali: id refert, quo illa rector animus impellat, à quo forma datur rebus. Non est ergo beneficium ipsum, quod numeratur, aut traditur. sicut nec in victimis quidem, licet opimæ sint, auroque præfulgeant, Deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaq; boni etiã farre ac fritilla religiosi sunt; mali rursus nõ effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multo cruentarint. Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent, eo maiora essent, quo maiora sunt, quæ accepimus. id autem falsum est. nonnunquam enim magis nos obligat, qui dedit parua magnifice: qui regum æquauit opes animo: qui exiguum tribuit, sed libenter: qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit: qui non voluntatem tantum iuuandi habuit, sed cupiditatem: qui accipere se putauit beneficium, cum daret: qui dedit tanquam non recepturus, recepit tanquam non dedisset: qui occasionem, quæ prodesset, & occupauit & quæsiuit. Contra, ingrata sunt (vt dixi) licet re ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut excidunt: multoque gratius venit, quod facili, quam quod plena manu datur. Exiguum est quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hic quod dedit, magnum est: sed dubitauit, sed distulit, sed cum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit, & placere non ei, cui præstabat voluit. ambitioni dedit, non mihi.*

Sordes in principe nõ ferendæ.

Animis munera pensantur.

celeritas est vita beneficij.

§. 8. Quinto. Etiam cito det. Qui tarde voluit, diu noluit. Ingratum beneficium gratia tarda facit. Omnis benignitas properat, proprium est libenter facientis, cito facere. Sed in principe maxime est hac in parte cauenda inæqualitas. Annosum ministrum, veteranum ducem habet, alios ille breui tempore, per leuia, & non periculosa obsequia ditatos videt, se deseri, nec est tam acerbum deseri, quam ne in turbã quidem admitti. Quidquid indignioribus donari vident, sibi ereptum putant. Hac igitur in re ordinatissima properatio constituenda est. Desinunt enim amare principem, à quo se præteritos arbitrantur. Ludio, vel adulator vna hora præripit, quod decem annos senator exspectat, quod multo sanguine miles fidelis emeruit. Et nouus interdum citharœdus, veterani ducis præmia capit.

Ludicra vulneribus potiora sunt, in aula perituri principis.

Quod si ordinem seruari animaduertant, & meritorum respectu honores, opesque distribui, probare suam operam in opportunum tempus conabuntur, nec se dilatos, sed præmissos alios iudicabunt.

§. 9. Sexto. Principi sæpe non suo arbitrio, sed reipublicæ bono, tẽperanda liberalitas est, nam sæpe indignis dona conferenda sunt, ne noceant. Ad firmitatem imperii spectat, malorum animos beneficiis obstringere vt minus, aut tardius noceant, aut omnino à praua voluntate desistãt. Nero initio imperii, largitionib. validissimũ quẽq; obstringebat, vt refert Tacitus. Alexandro saluti fuit, post comessationem liberalitas, & comitas, vnus enim è coniuratis, machinationes in cædem eius initas patefecit. Non erũt fideles improbi, quos sic emeris, neque proditores, quibus precium dederis, sed accepto bolo sese subducent, ne obsequium debere videantur. Sed tamen iterum sperabunt.

Indignorũ potentiæ sæpe dona proficienda sunt.

§. 10. Septimo. Dare libenter, dare cito, dare antequam rogeris, beneficiorum ornamenta, & velut condituræ sunt. At dare etiam recte, & sine accipientis verecundia ipsis muneribus maius est. Rara virtus nolle constare suam liberalitatem hominibus, velle latere etiam accipientem. Rara, inquam, atque in S. Nicolao præsule Myrensi tam laudata, & per Christianum orbem grata munusculorum iucunditate celebrata: multi plura dederunt, pauci accipientis conscientiam fugerunt. Qui optimo animo donant, nec beneficia computant, vt in formam debiti transeant, gratos tamen esse cupiant eos, quibus donant. Sacer ille antistes purum esse beneficium voluit, nihil decidi passus est, ideoque abscondit, sed Deus qui viderat in abscondito, palam fecit in conspectu solis huius, & quærit imitatores.

Summa liberalitas dare sine verecundia, accipientis.

§. 11. Octauo. Grata est, & regno firmando idonea liberalitas, familias veteres, nobilesque fouere, ciuitates afflictas subleuare. De Vespasiano ita recenset Suetonius. *In omne hominum genus liberalissimus. Expleuit censum senatorium: consulares inopes quingentis sestertiis annuis sustentauit: plurimas per totum orbem ciuitates terræ motu, aut incendio afflictas restituit in melius.*

Gratiosum principem facit, si nobiles familias adiuuet.

Magno Tiberius odio fuit, ob quosdam nobiles, non suo vitio, sed fortunæ iniquitate pauperes, superbe reiectos. Causa est, quia nihil tam miserum omnibus videtur, quam nobilitas abiecta; omnes illis fauent, omnes miserantur; interdum & inimici. Itaq; omnium animos afficit, præcipue nobilium & potẽtium gloriosa principis liberalitas. Quam miserationem sui excitet, cum generosa domus, & indoles indignam fortunam subiit, multa ostendunt. Valer. l. 8. c. 1. *Aulus Gabinius in maximo infamiæ suæ ardore, suffragiis populi C. Memmio accusatore subiectus, abruptæ esse spei videbatur: quoniam & accusatio partes suas plane exhibebat, & defensionis præsidia inualida fide nitebantur: & qui iudicabant, ira præcipiti, pœnam hominis cupide expetebant. Lictor igitur & carcer ante oculos obuersabantur; cum interim omnia ista propitiæ fortunæ interuentu dispulsa sunt. Filius namque Gabinii Sisenna consternationis impulsu ad pedes se Memmij supplex prostrauit; inde aliquod fomentum procellæ petens, vnde totus impetus tempestatis eruperat: Quem truci vultu à se victor insolens repulsum, excusso è manu annulo humi iacere aliquandiu passus est. Quod spectaculum fecit, vt Lælius trib. plebis approbantibus cunctis Gabinium dimitti iuberet; ac documentum*

Improbos etiam populus miseretur, si nobiles sint.

cumentum daretur, neque secundarum rerum prouentu insolēter abuti, neq; aduersis propere quenquā debilitare oportere.

Abiectā esse nobilitatem magna pœna est.

Item L. Pisō à P. Claudio Pulchro accusatus, quod graues & intolerabiles iniurias sociis intulisset: haud dubiæ ruinæ metum fortuito auxilio vitauit. Namq; per idipsum tempus, quo tristes de eo sententiæ ferebantur; repentina vis nimbi incidit. Cumq; prostratus humi pedes iudicum oscularetur: os suum cœno repleuit. Quod conspectum tot tam quæstionem à seueritate ad clementiam & mansuetudinem transtulit: quia satis tam graues pœnas eum sociis dedisse arbitrati sunt huc deductum necessitatis, vt abiicere se tam suppliciter, aut extollere tam deformiter cogeretur.

Quintus Flauius Augur à C. Valerio ædile ad populum reus actus, cum quatuordecim tribuum suffragiis damnatus esset, proclamauit se innocentem opprimi. Cui Valerius æque clara voce respondit, nihil sua interesse, nocensne an innoxius periret, dummodo periret. Quæ violentia dicti, reliquas tribus aduersario donauit. Abiecerat inimicum: eundem dum pro certo pessundatū credidit, erexit: victoriamq; in ipsa victoria perdidit.

Iniusti in prouincias sunt, qui tā faciles in nobilitatē prædatricē.

Marcus quoque Aemylius Scaurus repetundarum reus, adeo perditam & comploratam defensionem in iudicium attulit; vt accusator diceret, lege sibi centum atq; viginti hominibus denuntiare testimonium licere, seq; non recusare quo minus absolueretur, si totidem nominasset: quibus in prouincia nihil abstulisset. Licet tam bona conditione vti non potuerit; tamen propter vetustissimam nobilitatem, & recentem memoriam patris absolutus est.

Si populus tam fauet improbis, imo adeo ipsi iudices iurati, quantū amoris sibi Respublica, aut princeps colliget, si innocentes, bonosq; viros, quos inops nobilitas magis grauat, q̄ ornat, natalium honori pares faciat. De omni liberalitate vere dixit Lactant. I. de ira Dei. *Iustitia & beneficentiæ tam immortales sunt, quam mens & anima, quæ bonis operibus similitudinem Dei assequitur.*

In cognatos sit parcus, quia prouinciarum sanguine viuere non debent.

§. 12. Nono; Monerem etiam principem, vt in suā familiam, atq; agnatos liberalitatem exerceret; verū quia ex multis pauci eam in partem peccant, ac frequenter Ecclesiæ queruntur, prouinciarum opes in nepotulos, & cognatulos congeri, retrahenda potius videtur manus, quæ suæ tantum familiæ non patriæ munifica est. opportune ea de re dicam, cum de magistratibus egero.

Crebro dare, quā semel omnia melius est.

§. 13. Decimo, Nunquā pleno horreo, vel vt Græci loquuntur δυλάκω *sacco*, omnia princeps effundat, Crebro det, & per partes; oratio est, quia ita & præsentis & præteritorum meminerunt, & beneficia beneficiis cumulantur; deinde si totum simul accipiāt, facile aufugiunt, auida spes futuri est, detinetq; alioqui abituros. Inde est, quod frequenter principes in ore habent. *Dari hoc non vt munus, sed vt iudicium fauoris non fore vltimum, intium amplioris beneficentiæ fore.* Denique nemo tam multa à principe accepit, quin plura optarit, & plura speret, descripsit hoc ingenium in vno Seneca, sed pene in omnibus est; l. 2. c. 27. de ben.

Insatiabilis est auiditas.

Cn. Lentulus augur, diuitiarū maximum exemplum, antequā illum libertini pauperem facerent (hic quater millies sestertiū suum vidit. proprie dixi: nihil enim amplius quam vidit) ingenii fuit tam sterilis, quam pusilli. Cum enim esset auariſſimus, nummos citius emittebat, quam verba: tantaſili inopia erat sermonis. Hic cum omnia incrementa sua D. Augusto deberet, ad quem attulerat paupertatem, sub honore nobilitatis laborantem; princeps iam ciuitatis, & pecunia, & gratia, subinde Augusto solebat queri, dicens, A studiis se abductum. Nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset, relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoq; D. Augustus præstiterat, quod illum de risu ac labore irrito liberauerat. Non patitur auiditas quemquam esse gratum. nunquam enim improbæ spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoque concitatior est auaritia, in magnarum opum congestu collocata. Vt flammæ infinitæ acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit.

Ditare itaque multos princeps, paucos satiare potest.

Cum munus necessitas extorsit, ingratū est, quia ab inuito.

§. 14. Vndecimo. Id quoq; cauendum, ne liberalitas coacta videatur, Daniel à Baltassare diu neglect⁹ & iam pene ignotus, in extrema necessitate aduocatur, honores, & tertius in regno loc⁹ defertur. Sed nolebat ille munera perituri regni, quæ causam eius deteriorem erant factura apud victorem; itaq; libere reiicit: *Munera* (inquit) *tua tibi sint, & dona domus tuæ alteri da.* Antiochi quoq;, atque aliorum regum Syriæ cum essent in metu, & periculis prolixæ erant erga Iudæos pollicitationes, sed ingratæ; quia timore expressæ. Mature itaq; donis commodisq; nobilitatis, & plebis animos princeps occupabit, quod enim in periculo datur, proiici putant, quia retineri non possit, & reuocatum iri putant ablato timore. Prudenter Romanus senatus pulsis regibus, cum ingentē belli molem ab Hetruria prospicerent, multa populo indulsit, imo populum coluit, fasces submisit consul, prouocationem ad populum permisit, in nexos, & obæratos liberalis fuit, æquo iure cum plebe vixit; quodque summū est ad conciliandos vulgi animos momentum, tributa remisit, annonam curauit, salē gratuito dedit. Hæc si ita dentur vt necessitatis esse munera videantur, præterq̄ quod damnosa sunt, populū magis alienāt, magno enim timore, & diffidentia rerum suarum prodigum principem arbitrantur, neq; iam esse liberalem, quia hactenus auaritiæ studuerit. Quemadmodum cum fatiscente naue merces in mare proiici cernunt illi, qui in littore consistunt, quāuis causam tātorum detrimentorū non videant, magno tamē esse in discrimine vectores coniiciunt: ita quoq; ex auari principis repentina largitione arcana periculorum plebs suspicata, alio spes suas, animosque transfert.

Princeps prudens liberalitate sibi in pace conciliat, vt in bello fideles habeat.

Damnosa & periculosa liberalitas subita.

§. 15. Duodecimo. Dare potentibus, Nero apud Tacit. 3. largitionibus validissimum quemq; obstringit. In bona causa, p salute populi, noctuas Athenas, ligna in Syluam, & vndam in Oceanū feret princeps. Quia namq; diuitum cupiditas est incitatior, & multis eget potentium sumptuosa vita, eos conciliare muneribus liberalitatis est, alienare vero negligendo, auaritiæ. Non verebitur princeps prudentis supplantatoris exemplum imitari, qui dixit: Gen. 32. 20. *Placabo eum muneribus, quæ præcedunt: & postea videbo illum: forsitan propitiabitur mihi.*

Sit munificus in potentes.

§. 16. Tertiodecimo. Cum magno in auaritiæ ac tenacitatis periculo sint principes; nā semper adsunt fisci, & rapinarum patroni, præter hoc natura humana diuitiarum auida est, & cum pecuniæ incremēto rabies cupiditatis augetur; id vnum ante omnia præstabit, ne in accipiendo sit facilis. Itaque vectigalia, tributaque omnia moderabitur. Exactores constituet iustos, ac integros.

Virtus liberalitatis in rep. non accipere.

Certo igitur sibi persuadebit, non regni esse firmamentum, sed pestilentem eam abundantiam, qualis est in corporibus vitiosi humoris copia intentis, cum iniustis exactionibus æraria turgent, subditorū vero nec res est, nec spes vlla, nisi in rerum mutatione. Cū talis est princeps, vt nunquam fatigetur πρὸς δαίνεσθαι, vt Adriano dicebat Epictetus. Cum orbis opes in vnam domum congerit, vt facere omnium imperatorum auariſſimus instituerat Seuerus. Vt Iustinianus quem Zonaras semper auarum, semper egentem, sæpe prodigum fuisse auctor est. Non tamen opus est antiquis exemplis, omnium rapacitatem exsuperat Turcarum Imperator, qui omnium facultates suas esse arbitratur.

Princeps rapax ad desperationem subditos redigit.

§. 17. Animo suo princeps magnanimus perpendat, maius esse, certeq; gratius prodesse omnibus, q̄ opes magnas habere. Quorsum enim magni thesauri inique collecti, per multos annos coaceruati? quos vnus

Iniusti thesauri, vel raptorem, vel furem exspectant.

vnus Iulius effringet? vnus Caius dissipabit? Auaritiæ labor, auari est; emolumẽtum successoris; & sæpe inimici. Exemplo nobis est in historia Haitoni Armeni memoratus (c.26. armeniæ) Haolonus. *Ille frater Mangonis Cham. 4. Imperatoris Tartarorum an. 1258. baptizati, cæpit Baldach, seu Babylonem, iussitq; ad se Calliplum adduci, & omnem eius thesaurum ad se deferri: tum ei dixit Haolonus, cur tanto thesauro non euocabas vicinos, & stipendiarios ad te, tuamq; regionem ab incursionibus Tartarorum defendendam? Is respondebat: satis mihi virium habere videbar, si cum meis tantum pugnarem. Subiecit Haolonus. Tu Magister es omniũ Machometi falso vaticredentium: talis ergo tantusq; magister non alio est alendus cibo, quam hoc thesauro: hic tibi cibus esto; sic eum intra cubiculum auro, gemmisque refertum absque vllo cibo inclusum inedia coegit mori.*

Auro immoritur auarus.

Mitius hac in parte Midæ fatum, qui contactu omnia in aurum vertit, nam varietate, & rerum mutationibus saltem oculos delectabat.

Adhæret auaro principi non minus quam priuatis funesta pecunia, nec sine sensu diuellitur. *Videatur & auaritia magni animi, aceruis auri, argentiq; incubat, & prouinciarum nominibus agros colit, & sub singulis villicis latiores habet fines, quam quos consules sortiebantur.* Fatale est hoc in potentibus vitium, non enim fundos tantum, & domos, sed regna & gentes in patrimonia sua trahunt. *Coniungunt non modo domum ad domum, & agrum agro copulant,* sed regna regnis, maria iungũt maribus, & vni titulo gentium mortes impendunt.

Caput X.

Reipublicæ necessariam parsimoniam, perniciosam esse prodigalitatem.

Liberalitatis fons est parsimonia.

§. 1. Vinculo ppetuo iũcta liberalitati manet parsimonia, q̃ Græci οἰκονομίαν appellant, imo fons est, & neruus liberalitatis. Vectigal diues, pręsens, via priuatis ad opes compendiosa, Principi & Reipublicę ad summam potentiam honestissima. Non definio eam quorundã sordidus, q̃ etiam priuatos dedecent. Phafælitas, & Sidetas Pamphiliorum extremos, quia ꝓuerbio locum dederunt, detestor. Sed neq; Fabriciũ rapa coquentẽ ad ostentationem magis gloriosarum sordium, quam ex politica moderatione, recte fecisse arbitror. *Medium tenuere beati:* sit ducis mensa liberali & virili parsimonia constructa, tribuni, centuriones, & fortissimus quisq; pro testimonio fidei, virtutisq; inuitetur. Nemo principum ista imitetur, q̃ Romani ipsi mirari, q̃ sequi maluerunt. Nec sunt illa præcepta temporum, sed naturæ, quæ in principe maiestatem, cum liberalitate posuit. Pyrrhus tantæ prudentiæ tãtorum exercituum dux, eadem ætate, liberali magnificentia suos habuit, & par Romanis fuit. Parsimonia igitur virtus est, *qua rem parant, partam tuentur, augent, restaurant, modo licito, honesto, & ad bonum finem.* Qua in re non minus elucet fulgor liberalitatis, quam in muneribus conferendis. Neq; minor in vulgus æstimatio est retinentis parsimoniæ, q̃ liberalitatis erogãtis. Eius finis est, non modo vt sumptibus par sit ærariũ, vt ad temporum incerta repositum habeat prouincia peculium: sed etiam ne quen q̃ subiectorum tributis premere sit necesse. Late patet hoc beneficium, nam omnibus confertur, quibus nihil adimitur. Deinde nũquam princeps pauper erit, si parcus erit. Constat nostro tempore ex mediocribus prouinciis multos Ecclesiasticos, ac sæculares principes magnas opes non modo sine suorum vexatione collegisse, verum multa oppida, vicos, monasteria, Ecclesias, instaurasse. Certe Reuerẽdissimus Iulius Herbipolẽsis Episcopus Academia dotata, Ptochotrophio insigni atq; opulento instrncto, arcibus, monasteriis, tẽplis ædificatis restauratisq;, optimo statu Rempublicam reliquit: nec tamen indecore œconomiam tractauit, & multis in rebus magnificentiam ostendit.

Sordes fugendæ.

Rapa Fabricii sordida.

Parsimonia sine subditorum damno peculium conficit.

Par corum sunt præclara gesta.

§. 2. Prima igitur ratio illa parcum, non auarum principẽ faciat. Quod lõga experientia docuit, nihil nisi à parcis pręclari gẽstum esse. Quanq̃ enim Cæsar, Alexander initio prodigi fuere, id tamen præsertim in bellis ciuilibus necessitate, non liberalitate, nec ꝓdigalitate fecerũt. Pluris est tenere, quam parare imperium, occupatur impetu, retinetur iustitia, induustria, parsimonia, recondito in vsus thesauro. Auarus erat Alexander, non parcus, interdum prodigus, & regnũ tamen opibus, & parsimonia stabilire conabatur. Certe ex Spoliis orientis multa retinebat: ob iũcit illi nobilis, sed infelix reus, *triginta mulorum millia captiuum illi aurum vehere.* Cæsar iam victor ab Antonio reposcit pecuniam, indignantemq; & dicentem, *à me Cæsar pecuniam? an sinẽ me vicit? cur non ego potius ab illo?* soluere coegit. Nero effusis opibus ad rapinas conuersus est. Et verissimum esse docuit, quod olim Timotheus exprobrauit Aristophonti: *Cui nihil satis est, ei nihil turpe est.* Necesse est ab alio sumat, qui à se, hoc est, parsimonia non potest mutuũ sumere. Nam & regibus hoc datum est à Socrate consilium, licet Æschini priuato dictum sit: παρ' ἑαυτῷ δανείζειν: In fænus à seipso sumere. Sistet paupertas, quocunque loco steterit frugalitas.

In Alexandro auaritia & prodigalitas.

Det vbi dãdum, neget, vbi negandum.

§. 3. Secunda ratio parsimoniæ est, vt ne dent vbi non debent, dent vero vbi dandum est. Qua in re q̃ multi errores committantur, alio in loco dicam: cum principem meum opes colligere docebo. Nunc moneo multa dari sæpe diabolo, pauca Christo. Audiamus potius Episcopi, & martyris Carthaginensis orationẽ, lib. de opere, & eleemosynis. *Donat vnusquisq; ante oculos suos diabolum cum seruis suis, i. e. cum populo perditionis, ac mortis in medium prosilire, plebẽ Christi, præsente & iudicante ipso, cõparationis examine prouocare dicentẽ. Ego pro istis quos mecũ vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi; sed nec regnũ illis cœleste promitto, nec ad paradisũ restituta immortalitate denuo reuoco; & munera mihi quã pretiosa, quã grandia, quam nimio & longo labore quæsita sumptuosissimis apparatibus comparant, reb. suis vel obligatis in muneris cõparatione, vel venditis; ac nisi editio honesta successerit, conuitiis ac sibilis eiiciuntur, & furore populari nõnunquã pæne laprdãtur? Tuos tales munerarios Christi demõstra præceptis tuis monitos, & pro terrenis cœlestia receptu ros, illos diuites, illos copiosis opib. affluentes; an in Ecclesia præsidente & spectante te eiusmodi munus edant, oppignoratis vel districtis rebus suis, imo ad cœlestes thesauros mutata in melius possessione trãslatis? In istis muneribus meis caducis atq; terrenis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo cibi alicuius aut potus solatio sustinetur: cuncta inter furorẽ edentis & spectantis errorem, prodiga & stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vesturis & pasceris, tu æternã vitam operantib. polliceris; & vix tui meis pereuntibus adæquãtur, qui à te diuinis mercedib⁹, & præmiis cœlestib⁹ honorãtur,*

Eleemosynæ Christianorum superent editiones gentiliũ

Quod luxui impẽditur, vitæ subditorum aufertur.

§. 4. Tantis in apparatibus, quã sæpe pauperibus fames indicitur, imo pauperes emuntur, vt lanientur, vti fieri crudelitas amphitheatralis imperabat. Cum aũt variis in reb. tam parsimonia, q̃ prodigalitas cernatur, in omnibus omnino vitanda principi est, ꝓfusio. Si n. prodigo adminstratio patrimonii lege duodecim tabularum nõ minus aufertur, q̃ furioso; quis ferat regem populorũ suorum prodigum? Quis miretur seditionem in tanto subditorum contemptu? *Antiochus* prodigus opũ, & cõtumelios us in suos fuit. *Contigit* (Marc. 2. c. 4. 30.) *Tarsenses, & Mallotas seditionem mouere, eo quod Antiochi regis concubinæ dono essent dati.* Aliorum est in mẽsa frugalitas, vt Seueri, quo de Lampridius. *Vsus conuiuii diurnus hic fuit, vini ad totum diem Sextarii xxx. panis mundi pondo xxx. panis sequentibus ad donandum pondo L. Nam semper de manu sua ministris cõuiuii & panem & partes aut olerum aut carnis, aut leguminum dabat senili prorsus maturitate patrem familias agens. Erant decreta & carnis diuersæ pondo xxx. erant & gallinæ ouæ, ad-*

Insignis frugalitas.

hibebatur & anser diebus festis: Calendis autē Ianuariis, & hilaribus matris Deum, & ludis Apollinaribus, & Iouis epulo, & Saturnalibus, & huiusmodi festis diebus Fasianus: ita vt aliquando & duo ponerentur, additis gallinaceis duobus, leporem quotidie habuit, venationem frequentem, sed eam cū amicis diuidebat, & his maxime quos sciebat per se nō habere. Nec diuitibus quicquā talium munerū misit, sed ab his semper accepit. Habuit quotidie milii sine pipe sextarios quatuor, cū pipe duo.

Prodigiosa profusio.

§.5. Aliorum immensa fuit prodigalitas, vt de Antonino Heliogabalo idē auctor portētosa narrat. *Hic solido argento factos habuit lectos, & tricliniares, & cubiculares. Comedit sæpius ad imitationē Apicij calcanea camelorum, & cristas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum, & luscinarū: quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur. Exhibuit & palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, & cerebellis phœnicopterū, & perdicū ouis, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum & fasianorum & pauonū. Barbas sane mullorum tātas iubebat exhiberi, vt pro nasturtiis, apiastris, & facelaribus, & fœnograco exhiberet plenis sabataris & discis: q̄ pcipue stupendum est. Canes iecinoribus anserum pauit.* Quid huic monstro facies? cui tantum nocitura, imo tot mala placuere?

Prouinciarum censu corpusculū onerare luxuriosum, sed asinis ornatum illum addere, barbarū.

§. 6. Nonnulli vestium preciis sese exhauserunt, id q̄ in priuatis frequens est. Omnibus modis omnia profudit auarissimi Tiberii hęres Caius Caligula. *Nullam vestem*, inquit Sueton. c. 3. *bis induit, Quadringenis in punctum H.S. aleam lusit. Piscatus est rete aurato, purpura coccoq; funibus nexis. Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur. soleis mularum argenteis, canusiatis mulionibus, armillata & phalerata cum hamaxicorum turba atq; cursorū.* Quid ornamentorum abfuisse credendum est, si asinorū non colla, sed vngulæ argento suppingebātur?

Iactabat ille: *Aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem. Quin & nummos non mediocris summæ è fastigio basilicæ Iultæ per aliquot dies sparsit in plebem. Fabricauit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum, & porticuum, & triclinarum laxitate, magnaq; etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, quibus discumbens de die inter Choros ac Symphonias, littora Campaniæ peragraret.* Ego ne huic quidem infinitos mundos sufficere posse arbitror; nam cupiditatis infinitæ nullus est fundus.

Orcus ipse luxuriem horruit.

Quid mirum est post tantum luxum: *Frugalitatem Galbæ in victu, vti refert Plutarchus & in sumptibus faciendis parsimoniam imperium adepto tanquam sordes vitio datā esse? ea enim inanis opinio modestiam eius temperantiamq; consequebatur.*

Parsimonia lasciuis ingrata.

Plures olim omnia in mimos, & mōstra hominū, inque parasitos effuderunt. Non minus Aurelianus culpandus, quam eius, quem alebat Gurges, orco demandandus. Victoris verba sunt. *Sed miro modo mimis delectabatur: vehementissime autem delectatus est Phagone, qui vsq; eo multum comedit, vt vno die ante mensam eius aprū integrum, centum panes, veruecem & porcellum comederet: biberet autem infundibulo appositō plus orca.*

Monstra principi relegenda.

§. 7. Nonnullorum substructiones omnes opes exhauserunt. Quid mirum?

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites.

Aedificatores sine domo sunt.

Roma incensa diripiendarum prouinciarum occasionem auido & egenti monstro dedit, dum pecunia imperatrici vbi conquiritur.

Quid ergo dandum, quando contrahenda manus diligenter attendet princeps. Salsē & vrbane Alphōsus equiti prodigo, & importune, crebroq; poscenti munera respondet. *Me citius pauperem, quam te diuitem effecero.* Verum de sumptuariis legibus, œconomia, cęterisque minutim & per singula agendum est cum de opibus tractabo.

§.8. Hoc loco moneo, quæcunq; miseris egentibusq; conferuntur, non modo vitæ æternæ, verū etiā temporariæ promissionem continere. *Quamobrē* (inquit Daniel) c. 4. 24. *rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.* Et rex liberalis. *Beatus*, inquit Psal. 40. 1. *qui intelligit super egenum, & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conseruet eum: & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem illi ferat super lectum doloris eius: Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Egregie Tiberius Sophiæ fœminæ auaræ, & insidiatrici respondit: *Nullo se modo obstare commodis fisci, qui pauperes iuuaret, captiuos redimeret:* quod insigni etiam miraculo diuina liberalitas thesauro Narsetis Eunuchi demonstrato ostendit. An. Christi 582. ea res contigit, quā Deus tam illustri testimonio liberalitatem in pauperes decorauit. Nec minorem beneficentiam experta est Radegundis & captiua Turinga vxor Clotarii, cum vase octo modiorum, vt historia nominat, vina in pauperes plena semper cuppa deprompsit, parem animo sanctissimæ reginę materiam dare Deo placuit. Gualbertus cū ab hora tertia ad nonam vsq; frumenta distribuisset, arcana vi supplementa data sunt, vt multæ fruges horreum replerēt. Magnus vt semper, ita in hac virtute maxim⁹, Flauius Constantinus anno 322. lata lege pauperes ex horreis publicis ali præcepit. Quantum ô Deus à priscis carnificibus distabat illa tum anima, qui pauperes ad gladium, ad metalla, ad naumachias, ad bestias coëmebāt? Eadem in Constante eius filio liberalitas, qui Paulum, & Macarium per Africam cum eleemosynis dimisit, eaq; liberalitate, quod tot legibus hactenus tentatum frustra fuerat, Ecclesiā à Donatistis oppressam erexit. Nunquam hominum liberalitate vincitur, qui est dīues in omnes Deus, nec vllum esse arbitror cui nō fuerit, id quod benigno animo in proximos erogauit, multo fœnore repensū. S. Germanus, quemadmodum in eius vita recenset Constantius presbyter, tres aureos mendicis dari iusserat, diaconus, vt sunt ministrorum animi solliciti, duos expenderat, verum paulo post ducenti redditi sunt sancto præsuli, trecentos futuros fuisse, vt in hac etiam vita centuplum redderetur, nisi Diaconi auaritia vno retento, centum perdidisset, oraculo significatum est. Regni igitur firmamentum est cura pauperū: duplex vero cura est; Prima, ne sint præda diuitum: altera vt à Republica, principeq; ditentur. Nobili ac vere Romano animo fuit Euphemianus S. Alexii parens, qui si quando minus benignus in pauperes fuisset; Seuerus liberalitatis exactor, secum rationes ipse putabat, ac prostratus in terram voce, & lacrymis clamabat: *Non sum dignus, qui ambulem in terra Dei mei.*

Eleemosyna principi est medicina.

Cum liberalitate humana Deum certat.

Regia liberalitas Cōstantini.

Centuplum Eleemosynis redditur.

§.9. Prosternere coram Deo tuo, ô princeps, ex cuius vnica, breui, leui voluptate, melius omissa, mille pauperū recreari potuissent. Vide etiā ne ex sudore mille pauperū tuæ deliciæ collectæ sint. Nec quid faciant magnates, sed quid faciendum sit, animo perpende.

Delicia vanæ, aut illecebrosæ ad pauperum alimenta vertantur.

CAPVT XI.

Affabilitatem insigne esse ciuium, & principum ornamentum.

§.1. AD iustitiæ virtutem S. Thomas 2.2. q. 114. a. 1. affabilitatem refert, quam Græci εὐτραπελίαν nominant, quo etiam comitatem, humanitatem, εὐλογοπελίαν, & φιλανθρωπίαν, quę sunt eædem pene certe viciniſſimæ virtutes. Affabilitas inter litigiosas cōtentiones, & adulationes medium tenet. Dictis enim & factis ita societatem amicitiamque temperat, vt humanitate sua, decenter, & fine bono alios delectet. Comitas, seu vrbanitas quam Græci εὐτραπελίαν appellant, seueritatem, seu morositatem temperat, & nimiam remissionem, quā scurrilitatem vocare solent, quo nomine etiam Apostolus εὐλογοπελίαν damnat.

Iucunda virtus affabilitas.

damnat. Nihil enim difficilius quam in comitate, & vrbanitate modum tenere. Humanitas ex more loquendi omnia illa complecti solet. S. Augustinus sermone 8. de verbis Apostoli humanum vocat, qui se hominem præbet, & præcipue qui hominem hospitio excipit. Est vero φιλανθρωπία siue humanitas, beneuolentia quædam erga omnes homines communis, ex natura, & vi Societatis insita, quam qui exuerunt, vt Timon ille μισάνθρωπος pro beluis habendi sunt. Eoq; magis, quo magis in vniuersum genus odia feralia extendunt. Nos vero nunc de humanitate quæ signis, verbis, factisq; ostenditur, in qua principem excellere oportet. Omne enim genus hominum fouent, & ab omnibus iniuriam propulsant, etiam à vilibus, & mancipiis. Hæc etiã, vt monet Aristoteles, facit, vt animus noster, noxiorum dum torquentur ac lacerantur dolore, commoueatur, quamuis non misereſcat: Hæc virtus si firmas in animo radices egerit, facile erga alios sese prodet; Virtutem vocaui, quia ita Aristoteles libello de virtutibus docet, simulationem humanitatis ad iniustitiã referens. Verum satis est mihi principem meum φιλανθρωπεύεσθαι, omnibus se benignum, comem, affabilem exhibere, seu virtus illa sit, seu virtutis ornamentum. *Humanitas* (ait Seneca Epist. 88.) *vetat superbum esse aduersus socios, vetat auarum: Verbis, vebus, affectibus comem se, facilemque omnibus præstat. Nullum alienum malum putat. Bonum autem suum id maxime, quod alicui bonum futurum est, amat.* Hic talis nequaquam ἄμυσος, ἀγελαστος, ἀπρόσιτος. Inscitus, agrestis, aditu difficilis, vel suis, vel alienis videbitur.

Humanitas aut virtus, aut vicina virtuti.

Morosi amicos fugant.

§. 2. Inter hos morosos pono, quos delicatum iracundiæ genus fouere Seneca arbitratur. Sunt vero δυσάρεστοι, ideoq; necesse est, vt cum multa coram illis à multis agantur, pleraque vero displiceant, euadere eos, amaros, acerbos, stomachosos, rabiosos, clamosos, difficiles, asperos. Nemo eiusmodi Senatorum in curia, neque principum in aula, cum inhumanus est, & vt Græci dicunt, ἀπάνθρωπος, sibi persuadeat, hominem se vllum amicum habere. Omnia ingrata sunt officia; si abest comitas, cũncta munera inhumanitate dantis venenantur. In summo imperio verborum acerbitas atrox est; Regum etiam ardua iubentium mollia verba sunto.

Humanitas virtutiũ est conditura.

Humanitas auctoritati non est aduersa.

§. 3. Vnum obiici solet, auctoritas ac maiestas: quam affabilitate, comitateq; in cõtemptum venire putant illi, qui ex principibus Timones, Stoicosque, & Schytas formare pulchrum arbitrantur. Non est auctoritas in asperitate, in morositate, sed odium. Quod omnes in principe oderunt, de quo inter se colloquuntur aduersum principem, nõ video, quam illi pariat auctoritatem. An tu habere eum auctoritatem existimas cui obijcitur: Σοὶ δὲ τῆς ἐν στήθεσσιν ἀκήλητος νόος ἔστι; Odyss. κ.

Tibi vero in pectoribus mens est implacabilis.

Cyclopis est ista maiestas; qui erat

Nec vultu facilis, nec dictu affabilis vlli:

Cum grauitate comitas summa dos principis.

Ego eũ, qui hominibus præsidet, humanitatem exuere nunquam velim. Princeps sit verbis parcus, vultu seuerus, officiorum durus exactor. Sic reuerebuntur: Bonum factum, sed omnia illa suo loco multa suauitate condiantur, cognoscant principi benignitatem esse naturalem, seueritatem alienis vitiis extorqueri. Qui principi inhumano vtuntur id agunt, quod agyrtæ, qui leones, vrsos, aut similes bestias feras ad lucra circũducunt spectaculis publicis. Primo enim nunquam nisi emolumento suo, quicquam agunt, nihil bono principis, quem non amant. Deinde nunquam se, suaque illi credunt, merito enim ingenium ferox suspectum habent. Inde sequitur vt alteri principi magis fidant. Humanitatis primus & præcipuus est fructus, vt amicos sibi parent. Non desunt, qui comiter loquentem principem malint, quam superbe donantem. Cœlius à Cæsare consuli, quam inaurari malebat.

Dextera præcipue capit indulgentia mentes:
Asperitas odium, sæuaque bella gerit.
Odimus accipitrem, quia viuit semper in aruis:
Et pauidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis hirundo est,
Quæque colat turres, Chaonis ales habet.

Placida omnia amica, odiosa sunt aspera.

Non ignorauit illud is, qui summæ eloquentiæ, summam comitatem adiunxit Cicero, nunquã ad Consulatum, nisi comi, blandaque eloquentia venturus. *Difficile dictu est*, l. 2. off. *quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasq; sermonis.* Et deinde extant Epistolæ, & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum, triũ regum prudentissimorum, quibus præcipiunt, vt oratione benigna, multitudinis animos ad beneuolentiam alliciant, militesq; blando sermone deliniant. Potentior hæc est etiam effusa largitione. *Liberalitati* inquit Val. l. 5. c. 1. *quos aptiores comites, quam humanitatem & clementiam dederim? quoniam idem genus laudis expetunt: quarum prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna præstatur. Cumque nescias quam maxime probes, eius tamen commendatio præcurrere videtur, cui nomen ex ipso homine quæsitum est.*

Morositati Catonis præturam negauit, cõsulatũ perneganit populus Romanus.

Pergit deinde humanitatis aut potius humanæ liberalitatis exẽpla narrare. Inter cætera insigne quod Alexander, memor præceptorum Philippi patris patrauit. *Alexander dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quodam loco tempestate nuuali oppressus, senio iam confectum militem Macedonem, nimio frigore obstupefactum, ipse sublimi, & propinqua igni sede sedens, animaduertit. Factaq; non fortunæ, sed ætatis vtriusq; æstimatione, descendit; & illis manibus, quibus opes Darij affixerat, corpus frigore complicatum in suam sedem imposuit: Id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale exstitisset, solium regium occupasse.*

Humanitas ex ipso homine nomẽ habet, abesse itaq; ab homine non debet.

§. 4. Regis illius si cætera consimilia fuissent, nec tot insidiæ circumstetissent, nec Babylonium ei venenum, fructum tot victoriarum abstulisset. Quid Q. Ælius Tubero? nonne facti inhumanitate repulsam ipse sibi, notamque attraxit? Valerius l. 7. c. 5, *Quint. Ælius Tubero, à Q. Fabio Maximo, epulum populo nomine P. Africani patrui sui dante, rogatus vt tridinium sterneret: lectulos Punicanos pellibus hadinis strauit: & pro argenteis vasis Samnæa exposuit. Cuius rei deformitate sic omnes offendit, vt cum alioqui vir egregius haberetur, comitiisque Prætorijs candidatus in campum L. Paullo auo, & P. Africano auunculo nixus descendisset, repulsa inde notatus abierit. Nam vt priuatim semper continentiam probabant, ita publice maxima cura splendoris habita est: Quocirca non vnius conuiuij numerum, sed totam se in illis pelliculis iacuisse credens ciuitas; ruborem epuli suffragiis suis vindicauit.*

Inurbanitas odio.

§. 5. Animo etiam reconde, quod Scipioni Nasicæ contigit. Itares narratur à Valerio. *P. autem Scipio Nasica, togatæ potentiæ clarissimum lumen, is qui consul Iugurthæ bellum indixit, qui matrem Ideam, Phrygicis sedibus, ad nostras aras, focosque migrantem sanctissimis manibus excepit: qui multas, & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit: quo principe senatus per aliquot annos gloriatus est: cum ædilitatem curulem adolescens peteret, manumque cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset; ioci gratia interrogauit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum à circumstantibus exceptum, ad populum manauit, causſamque repulsæ Scipioni attulit. Omnes namque rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam iudicantes, iram suam, aduersus contumelioſam eius vrbanitatem distrinxerunt.*

Locosa acerbitas Scipioni abstulit ædilitatem.

Aureum itaque est prudentissimi præsidis, & Antistitis Ambrosii præceptum libro secundo officior. cap. 7. *Popularis*, inquiens, *& grata est omnibus bonitas, nihilque quod tam facile illabatur humanis sensibus.*

Comitas imperij cõciliatrix blanda, & leui impendio.

Ea si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumque honore, patienti quoque sermonum vice, modestiaque adiuuetur gratia, incredibile, quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus enim non solum in priuatis, sed etiam in ipsis regibus, quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit, aut superbia, verborumque obfuerit tumor, vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret. Subjicit deinde bina illustria exempla. Primum est de Moyse. *Quantas*, inquit, *Moyses à populo Dei illatas absorbebat contumelias, & cum Dominus insolentes vindicare vellet, se tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem subduceret. Quam miti sermone post iniurias appellabat populum, solabatur in laboribus, delinibat oraculis, fouebat operibus, & cũ Deo constanter loqueretur, homines tamen humili & grata appellatione affari solebat.* Alterum est de rege Dauide. *Quid eius irritator, sanctus Dauid, electus ex omnibus ad plebem regendam, quam mitis & blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu. Ante regnum se pro omnibus offerebat, rex cum omnibus æquabat suam militiam, & partiebatur laborem: fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in conuitio, ferre magis promptus, quam referre iniurias. Ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus. Ita sibi gratis officiis plebem obligauerat.*

Humanos igitur beneuolentia, ope, periculis ipsis prosequuntur, in asperos illud iactant.

Ἀλλ' ἤτοι κῆνον μὲν ἐάσομεν ἦκεν ἰόντα,
Ἦκε μένει.
Sed illum (morosum) hominem sinamus siue eat, siue maneat.

Deus ad caritatem cõciliandam præcepit affabilitatẽ.

Inhumanitatis enim in promptu pœna est, solitudo, & omnium, qui auxilio eorum nõ egent, irrisio. Morosus odio suis, at alienis & odio & ludibrio est. Scripturæ etiam hic nobis præsto est auctoritas. *Verbum dulce*, (inquit Scriptura Eccl. 6. 5.) *multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et lingua Eucharis in bono homine abundat.*

§. 6. Alterum igitur humanitatis bonum, est inimicorum reconciliatio. Bono consilio dictũ est Roboamo, 3. Reg. 12. 7. *Si hodie obedieris populo huic, & seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus.* Sed ille asperitate eos à se abalienauit. Multo prudentius Romanus imperator tumultuantem militem cum nec vi, nec auctoritate compescere valeret: *Quirites* nominauit: qua humanitate obsequentes fecit. Alexander magnus sola humanitate, summum in quo versabatur periculum discussit, collecti erant coniurati, nox illa sceleri constituta; verum cum egressus blandius cõiuratos, quos suæ tutelæ, & honoris causa excubias auxisse putabat, allocutus esset, vnum ea comitate, vt iudicium faceret, permouit. Augusto etiam è vultus serenitate elucens comitas salutem attulit. Ita Tranquillus: *Vultu erat vel in sermone, vel tacitus adeo tranquillo serenoq;, vt quidam è primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitum ac remollitum, quo minus (vt destinarat) in transitu Alpium per simulationem colloquij propius admissus, in præcipitium propelleret.*

Alexandro comitas saluti fuit.

Et Augusto serenitas.

§. 7. Fallor an ab ea humanitate inuariabili, maximis regibus serenitatis titul⁹ hodie tribuitur? Tam enim est in vultu, quam verbis humanitas. Auctoritatem ergo & vultus serenitas præstabat, cui toruitas & centaurica scythrõpia fuisset exitio.

Regem vt preciosior purpura, sic mitiora verba decent.

Benignitati animi, serenitati frontis iungantur verba lenia; *Serica* enim, vt virili prudentia regina dicebat, *verba regibus vsurpanda sunt.* Optime nos sapientissimus regum instruit: Ecclesiast. 18. 15. *Fili in bonis non des querelam, & in omni dato, non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit eos, sic & verbum melius, quam datum.*

§. 8. Ne vero miretur quispiam, intueatur eos qui tyrannidem occupare moliuntur, plus enim blanditiis, quam donis efficiunt. Vide Absolonem, comiter omnes salutantem, causas audientem, amplexantem, atq; ita specie humanitatis animos illicentem, vt Dauidi liberatori, regi iustissimo, fortissimoque filium parricidam præponerent. Princeps; moneo, audacter in bonum Reipublicæ æmulare Absolonem: Humanitatis simulatione perdere parentem, fratresque parabat, populum vero tyrannide premere; tu vera humanitate, ita animos deuinctos, astrictosque tene, ne te aliena simulatio in periculum conjiciat. Qua re magis cultissimam gentem, Belgas, quarũ est præcipua dos, comitas, ab Hispano imperio abduxit Wilhelmus Nassouius, quam affabilitate, & humanitate, quam Hispanæ grauitati ad inuidiam oppositi? Imitare, quisquis regis populos, & vos præcipue vrbium senatores & patritii sanguinis. Magno exemplo maximi reges prærierunt. Cæsar milites suos nomine pene singulos compellare didicerat. Nec vllus tam diu, tam constanter à milite suo imperator dilectus est. Antoninus Philosophus, adeuntibus dextram placide dabat, neminemque aditu prohibebat. Adrianus cum humilimis etiam ciuibus iucundissime, & ciuilissime agebat. Sincerius id faciat princeps Christianus, cui dicitur: *Congregationi pauperũ affabilem te facito,* Eccles. 4. 7. Nam sunt membra Christi, quos alloquitur, quos contemnit, eos Christus non dedignatur vocare fratres. Placere debet illis quibus imperat, si faciles, & fortes ad imperia esse cupit. Maxime vero, vt interrogatus Antalcidas respondit; is hominibus placet qui iucundissima loquitur.

Potentes blanditiæ sunt.

Morosum principem facile humanus pellit.

Christiano omni debetur reuerentia.

§. 8. Quam vero hæc, de qua ago, virtus ad Rempublicam vel conseruandã, vel euertendam valeat, naturæ vox docet. Omnes enim, reges etiam, magnatesque cum in periculo sunt, ad humanitatem, comitatemque vertuntur. Cum anceps est prælium rum discrimen, cum nutant animi, sola humanitate vtuntur: Si in summis igitur periculis affabilitas sustinere labantem Rempublicam potest, lapsam etiam erigere, quis eam sic posse seruari neget? Quid abiectius Pompeianis partibus post aciem Pharsalicam, post necem Pompei à puero rege mandatam? Sed tamen erexit eam non donis; victus enim erat, & exul, Cato; sed humanitate militum animos demulcens, ac sibi deuinciens, dum præit, dum monstrat tolerare labores, non docet. *Stat dum lixa bibat.* Nec toto illo itinere cognosci potuit dux, an miles esset, nisi quod summa laborum, & periculorum primus capesceret.

Quanta vis sit humanitatis pericula ostendunt.

§. 9. Tria vero præcipue in comitate gubernantium cauenda sunt. Primo ne facilem aditum improbis præbeat, non est enim illa facilitas modesti principis, sed summæ potestatis prostitutio. Andronicus tibicinibus, & scortis semper aditum præbebat. Reges Chinenſium cum solis Eunuchis; & concubinis versantur. Ea remissione, seu adulatione dissoluitur vita subditorum. Talem ergo, quales Valentinianus l. 11. Paulus Diaconus describit, principem quæro. *Fuisse eum* ait *solerti ingenio, vultu decentem, animo grauem, sermone cultissimum, quanquam esset in loquendo parcus; in puniendis sceleribus seuerum & vehementem; in negotiis industriũ, in aduersitatibus tolerantem, sceleratis infestissimum, in cibo, potuq; temperantem; virtute præstantibus & religiosis amicissimum, vt omnium iudicio moribus Aureliano Imperatori simillimus diceretur.* Quid enim honoris ex principis facilitate sibi præstitum vir nobilis iudicabit, si infamibus, & Iudæis eandem patere semper animaduertat?

Improbis facilem se non præbeat princeps.

Vilẽ principem facit, malorum conuersatio.

Prosit igitur principis virtus omnibus, sed nõ improbis, nisi ad emendationem. Necessarium enim est principem odio haberi à bonis, si eum malis amicum esse intelligant. Vtrunq; diligenter cauit Alexander Seuerus,

Seuerus, vt auctor est in eius vita Lampridius: *Cum. Septimius Arabinus famosus crimine furtorum, & sub Heliogabalo iam liberatus, inter Senatores principem salutatum venisset, exclamauit, O numina, O Iupiter, O Dij immortales, Arabinus nō solum viuit, verum etiam in Senatū venit: fortassis etiam de me sperat: tam fatuum, tam stultum esse me iudicat Salutabatur autem nomine, hoc est, Aue Alexander. Si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vti adulator vel abijciebatur, si loci eius qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori subiacere non posset iniuriæ. Salutatus cōsessum obtulit omnibus Senatoribus: atq; adeo nisi honestos, & bonæ famæ homines ad salutationem non admisit.*

Prudentissima comitas Alexandri Seueri.

§.10. Alterum est, ne nimia facilitate adulationi sit propior, & vim imperii retundat. Nimia familiaritas, ne in patre quidem ferenda est: Tenenda est grauitas, tollēda ambitio: *Elucet grauitas fastu iucunda remoto*, dixit bonus poeta, & senator optimus. Nec vanum, sed ex vsu sumptum est prouerbium. Καλὸν φύσει καρπὸν οἱ σεμνοὶ τέρπει. Splendor, grauitasq; morum pulcherrimos fructus ferunt. Dominorum nimis blandorum ipsa consuetudine metus apud seruos exolescit: Illis tam noxium est non timere, quam durum domino crudeli obtemperare. Blandi cōmunione vilescunt.

Cauenda in humanitatis significatione adulatio.

§.11. Tertium est, ne facilitate, & comitate fidem prostituat: Ne promittat, quæ exoluere non cogitat. Pessime omnino Vespasianus famæ, & si diuti⁹ vixisset, saluti; consuluit. Multa enim postulantibus, ipse promissis diues, omnia pollicebatur, causam rogatus, respondit: *Non decere quenquam à Cæsare tristem recedere.* Speciosa vox magis, quam prudens, ideoq; nec vera: imo nec vtilis principi. Nō sufficit nec frugalitas, nec ærarium tot impendiis, tot erogationibus, quot multorum millium cupiditatibus poscuntur. Non igitur omnibus satisfacere potest: quocirca neq; omnibus promittendū est. Cum enim principali voce promissum est, deberi existimant, cum læta fronte illusos se animaduertunt, aut suspensos, grauissimam indignationem concipiunt, iniuriaq; affectos arbitrantur, si beneficium denegatū fuit. Et quanquam merito negatum sit, quod improbe postulatum fuit, postquam tamen promissum est, si nō detur, fidem principis accusant. Postulatorū enim æquitatem, ante promissa examinari prudentiæ fuit. Alioqui princeps aut temere promisisse, aut fraudulenter, iudicatur. Ita nec lætus ab illo recedet vllus, quantumuis enim aureos montes polliceatur, non tamen, cum toties fefellerit, fidem faciet. Quam vero turpe sit, post beneficæ voluntatis blanda iudicia, post obligatā promissione fidem, adhuc de principis animo dubitare, nō opus est explicare, cū priuati etiam, & tenues id inhonestum sibi ducant. Itaque & Vespasianus odio fuit, & cum paucos decepisset, nemo illi deinceps credidit.

Humanitas promittendi sine veritate, impostura est.

Promissis principum eludi petentes turpe est.

§.12. Principum quorundam ea est non comitas, sed pusillanimitas, vt regium esse arbitrentur, multa polliceri, sed per ad ministros ne concedantur impedire. Promittit prolixe roganti, literas scribi curat, satrapę, aut quæstori executio mandatur, interim vel ea est forma literarum, vel ratio mandati, vt ministri intelligant hominem spe inani duci, & verba accepisse. Qua quidem in re multa sunt delicta: Fides principis prostituitur, odium ingens illius, qui ludibrio exponitur, sine causa contrahitur. Auctoritas apud officiales vilescit: Nunquam enim fronti, nunquam verbis credunt, quibus tot in fraudē inductos experti sunt. Tandem etiam se mendacissimæ comitatis administros esse indignantur: Et bene ominantur, non opibus, aut dignitatibus, sed verborum beneuolentia remunerandos esse. Hoc est à principe suo rideri. Sit ergo comitas principis honesta, grauis, fida. Hac, non vt Orpheus feras, non vt Amphion saxa, sed homines qua volet, sponte sequentes ducet. Et facilimo labore, vberrimos fructus colliget.

Male promittit princeps, quod ministri negare possunt.

Talis princeps, est ministrorum suorum pupillus.

CAPVT XII.

Pudicitiam magnæ curæ in Republica esse oportere.

§.1. DE prudentia principis, & vniuersæ Reipublicæ, iustitiaq; & connexis vi tutibus dictum est, sequitur, vt de temperantia præcepta tradam: Quæ præcipue versatur, in voluptatibus ratione moderandis: Eius partes præcipuæ pudicitia, & sobrietas, annexæ vero mansuetudo, & clementia: de quibus ordine dicendum est.

Magnæ vires sunt quibus obsistitur cupiditatibus.

Castitatem, pudicitiamq; coniungo, quamuis illa libidinem frenet, hæc vero signa petulantiæ per verecundiam tollat. Libidinem enim è Republica tollendam, & omnia incitamenta libidinis, omnino res ipsa docet. Insigne præceptū est Agapeti, & feria ad principem suum admonitio. Βασιλέα σε καὶ ἀληθείαν ὀφείλομαι, ὡς βασιλεύειν, καὶ κρατεῖν, τῶν ἡδονῶν δυναμένου, καὶ τὸν στέφανον τῆς σωφροσύνης ἀναδησαμένου. Ex vero imperatorem te definio, quippe regere, & in potestate continere voluptates valentem, & temperantiæ diademate reuinctum.

Capilli ornamentum est diadema, principis castitas.

§.2. Ne quæso lector, siue aulæ te, & principalium consiliorum cura tenet, siue inter æquales senatores sententiam dicis; ne quæso hanc partem disputationis, quasi ad Ecclesias, & monasteria duntaxat pertinentem præterire velis. Reipublicæ inprimis interest; & principes, & priuatos caste, pudiceque viuere. Bellorum, ac tumultuum causa atque origo, euersorumq; regnorum occasio multiplex, sed frequentissime libido fuit. Seditiones ex iniustitia, ex metu, & contemptu. Τῆς δὲ ἀδικίας μάλιστα δι' ὕβριν, ait Arist. l. 5. polit. c. 10. *Ex omni vero iniuriarum genere præcipue propter contumeliam. Earum autem quæ fiunt in reges aut tyrannos impressionum: aliæ fiunt in ipsorum principum corpus, & caput, aliæ in principatum. Atque eæ quidem, quæ propter contumeliam fiunt, ad corpus pertinent. Contumeliarum autem cum multa sint genera multæque partes, vnaquæque earum iram commouet. Iam vero eorum qui irascuntur, plerique fere omnes vlciscendæ iniuriæ acceptæ gratia in alterum inuadunt, non præstantiæ. Exempli causa in Pisistratidas impetus factus est, propterea quod Harmodij sororem probro & dedecore afficerant & Harmodio stuprum inferre conati erant. Nam Harmodius propter sororem, Aristogiton propter Harmodium in eos impetum fecerunt. Insidiati sunt etiam Periandro Ambraciæ tyranno, propterea quod inter compotandum, cum vna esset puer, quem ille in deliciis habebat, quæsiuisset ab eo, esseetne iam ex se prægnans? Iam Philippo à Pausania idcirco vis allata est, quia eum impune contumelia & dedecore affectum esse ab Attalo passus esset: & Amyntæ qui cognomento paruus dictus est, à Derda, quia se in eius ætatem puerilem glorioſe iactauisset: & Eunucho ab Euagora Cyprio. Nam propterea quod vxor illius sibi ab illius filio adempta esset, eum interfecit, tanquam contumelia accepta. Multæ etiam impressiones factæ sunt in quosdam principes monarchas, propterea quod alicui pudicitiam, corpore eius constuprato, eripuissent: verbi gratia, à Cratæo in Archelaum. Semper enim grauiter & molestè ferebat, illum se cum stupri causa commiscri. Itaq; quamuis longe minor esset hic prætextus, leuiorque hæc causa: fuit tamen satis idonea, & iusta, quod nullam sibi ex filiabus in matrimonium dedisset, cui daturum se promisisset: sed maiorem natu quidem, bello, quod cum Sirra & Arabæo gerebat, implicatus, Elimeæ regi despondit, minorem vero Amynthæ filio, existimans fore hoc pacto, vt ille præsertim ex Cleopatra natus minime à se dissideret. Sed alienationis origo & principium fuit, quod grauiter tulisset, se eius libidini ad res venereas esse obsecutum. Vna cum eo illum adortus est etiam Hellanocrates Lariſæus propter eandem causam. Vbi enim se ab illo, cui suæ ætatis florem vtendum fruendumque dederat, ab exilio non reuocari vidit, cum præsertim ille se id facturum*

Plurima regna libidines euerterunt.

Libido cum habet admixtā contumeliam, iras non nisi morte finiēdas procreat.

facturum pollicitus esset, consuetudinem illam se cum esse instituta non propter cupiditatem amatoriam, sed propter contumeliam existimauit. Iam Paro & Heraclidæ Aenij Cotyn interemerunt, patris iniuriam vlciscentes. Adamas autem Cotyn reliquit ab eoque desciuit, tanquam contumelia affectus, quod ab eo, cum puer esset, exsectus fuisset.

Ita est profecto. Troiam *mulier peregrina vertit*, Italiam iterum Lauinia, *Incestique iterum thalami* Troiugenis tradiderunt. Nouitatem regni Punici, surgentesque arces aduenæ amor afflixit, & barbaro Hiarbæ in manus dedit.

Rara fuit apud gentes illa virtus. Ideoque cum eam inuocat Valerius, vix inuenit vbi locum habeat: Vnde te inquit lib. 6. cap. 1. *Virorum pariter & c. fœminarum præcipuum firmamentum Pudicitia inuocem? Tu enim prisca religione consecratos vestæ focos incolis. Tu Capitolinæ Iunonis puluinaribus incubas. Tu palatij columen augustos penates, sanctissimumque Iuliæ gentis genialem thorum, assidua statione celebras. Tuo præsidio pueriles ætatis insignia munita sunt. Tui numinis respectu sincerus iuuentæ flos permanet; Te custode matronalis stola censetur. Ades igitur, & cognosce quæ fieri ipsa voluisti.* Sed longe aberrat ab his castitas.

In his maxime libido regnabat. Erat enim castitas, vel coacta, vel conducta.

Causa tanti mali, quia tradidit eos Deos in passiones ignominiæ. Idololatriam enim tam grauia vitia consequebantur. Exposuit id Tertullianus libr. de pudic. c. 5. Vbi fornicationem inter idololatriam & homicidium locat mediam. *Est & mali dignitas, quod in summo aut medio peßimorum collocatur. Pompam quandam, atq; suggestum aspicio mœchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidij insequentis. Inter duos apices facinorum eminentißimos sine dubio digna consedit, & per medium eorum, quasi vacantem locum pari criminis authoritate compleuit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus costis circumfultam, à coherentium corpore diuellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum scelerum complexu, vt solam eam secernat ad pœnitentiæ fructum? nonne hinc idololatria, inde homicidium, detinebunt? & si qua vox fuerit, reclamabunt. Noster hic cuneus est, noßra compago. Ab idololatria metamur, illa distinguente coniungimur, illi de medio emicanti adulamur, concorporauit nos diuina scriptura, litteræ ipsæ glutina noßra sunt, iam nec ipsa sine nobis esse potest. Ego quidem idololatria sæpißime mœchiæ occasionem subministro. Sciunt luci mei, & mei montes, & viuæ aquæ, ipsaque in vrbibus templa, quantum euertendæ pudicitiæ procuremus.* Idololatria ita communis orbi lena fuit, & libidinum procuratrix, matrimoniorum violatrix.

Inter idololatriam & homicidiũ ponitur castitas.

Dæmonis cultor nunquam castus est.

§. 3. Sed morum sui temporis optimus testis Seneca, est lib. 3. de benefic. cap. 6. *Deinde non expedit notum omnibus fieri, quam multi ingrati sint, pudorem enim rei tollet multitudo peccantium: & desinet esse probri loco commune maledictum, numquid iam vlla repudio erubescit? poßquam illustres quædam ac nobiles fœminæ, non consulum numero, sed maritorum annos suos computant? & exeunt matrimonij causſa, nubunt repudij? Tam diu istud timebatur, quam diu rarum erat: quia vero nulla sine diuortio acta sunt, quod sæpe audiebant, facere didicerunt. Numquid iam vllus adulterij pudor est, poßquam eo ventum est, vt nulla virum habeat, nisi vt adulterum irritet? argumentum est deformitatis, pudicitia: quam inuenies tam miseram, tam sordidam, vt illi satis sit vnum adulterorum par? nisi singulis diuisit horas, & non sufficit dies omnibus? nisi ad alium gestata est, apud alium mansit? Infrunita & antiqua est, quæ nesciat, matrimonium vocari, vnius adulterium: quemadmodum horum delictorum iam euanuit pudor, poßquam res latius euagata est: ita ingratos plures efficies, & audaciores, si numerare se cœperint.* Veritatem esse non hyperbolen quod dicit Seneca docent historiæ.

Romanæ vrbis olim profligatus pudor.

Inde seruitus.

Sic igitur talibus moribus moles tanti imperii stare non potuit. Et quanquam fortium interdum & prudentium imperatorum, vt Vespasiani, Traiani, Hadriani, Antoninorum studio mouere lacertos, elanguit tandem, & barbaris seruiit.

Qui igitur pudicitiam regnantibus necessariam negant, qui Babylonios, Corinthios, Sibaritas non improbant: Conuersiones non vnius Reipublicæ, sed mundi totius intueantur. Primæuum mundum, postquam omnis caro corruperat viã suam, cataclysmus inundatione deleuit, Sodomitarũ, & Gomorrhæorum manent in hodiernum diem tristia monumenta. Madianitarum & Beniaminitarum excidia quotidie memorantur. Dauidi adultero filius rebellauit. Romæ adulterio regnum desiit, & libidine decemuiratus est abolitus. Omnium temporum libidines fuerunt, & libidinum pœnæ. Sybaritarum impudicitia tanta à Crotoniatis fœuitie punita est, vt inde in prouerbium abierint mala Sybaritica. Impiæ libidinis Lacedæmon graues pœnas dedit, pugna Leuctrica attritis viribus. Volsinienses sic in seruitutem redacti sunt. Philippus Macedo quia iniuriam obscenã ab Attalo allatam nõ vindicauit, occisus est. Bryas ob vim alienę sponsæ illatam, imperio exutus, Antiochus Syriæ rex Θεὸς dictus à Laodice ob Berenicen ductam occisus est. Ptolomæus Philopator ab vxore etiam insidiis petitus interiit. Antoninum Verum in vagas libidines effusum Lucilla vxor veneno interemit. Chilpericũ Franciæ regem adulteriis infamem, Fredegundis pellex per Landericum interfecit. Rodericum Gothorum in Hispania regem, filiæ suæ violatorẽ Iulianus vir nobilis grauissimo bello petiuit; nam Saracenis, & Mauris in Societatem adductis, victis Gothis, cæsis septies centenis millibus hominũ, durissima ac diuturna seruitute pressæ sunt Hispanię, in quam vnius illas libido coniecit. Quid memorem vesperas Siculas? quibus quasi vna hora Galli cæsi, atque ad Constantiam Frederici vxorem ius regni translatum est? Magna clades nobilissimo regno ademptis illius insulæ viribus allata est. Causa vero præfectorum, ac militum lasciuia. Iustitia igitur diuina semper vigilans, luxuriæ vindex, in libidines etiam in hac vita vehementer insurgit. *Adulterium & fornicatio ignis est, vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina,* Iob. 31. *Qui adulter est propter cordis inopiam perdet animam suam, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Prouerb. 6. Et Sapient. 6. *Filij adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Certe inter causas pereuntis Israelis etiam hanc scriptura frequentissime memorat. Est enim fœdum hoc vitium, & quia in illud natura procliuis, magnis semper exemplis à Deo vindicatur. Verum quia res mihi est non cum piis modo Reipublicæ rectoribus, eorumque consiliis; verum etiam cum atheis, & quos sola vtilitas, seu ratio status in sententia dicenda, legibusq; condendis moderatur, causam ipsam cur tam noxia sit libido explicemus.

Impudicitiæ pœna sæpe repræsentata.

Libido vertit regna, quia contumeliam habet, & fortitudine destituitur.

Prauum & vehementem naturæ impetum grauiore supplicio Deus reprimit.

§. 4. Acer est ad voluptates stimulus, & dulci malo inimicum esse, viri fortis est, & prudentis: Amor & cupiditas vehementes sunt, nunquam spem ponunt, quicquid seruatur, cupiunt magis. Flamma illa primo tenui igne tepefacit, mox totã virtutem, animumque exurit. Nunquam in licito, nunquam in paruo sistit: pecunia, vita, fama illicita redimit. Et si vllum aliud vitium, hoc certe citissime in monstrum migrat. Acta veterum, portentosæq; libidines pudor memorare vetat Iuliano regnante, Arethusii, & Heliopolitani in virgines crudelissimi exstitere, quod à Christianis præsidibus castitatem edoctæ essent. Heliopolitanis causa tantæ crudelitatis fuit, quod virgines antequam nuptui traderentur, obuiis prostituere vetarentur, ea enim lege olim vtebantur. Tanta igitur rabie contra castitatem ferebantur, quanta nec libidines punire oportebat. Itaque hic maxime valet quod monet Tullius libr. 4. Tusc. *Qui se præcipitauit, sustinere se cum velit, non potest.* In præceps

Voluptatũ cupiditas est infinita.

Libido hominem cito in beluam mutat.

præceps datis corporibus, nullum sui arbitrium est: Libido si animum præcipitauit, manet quidem in libertate cadentis, arbitrium sceleris, sed miserum arbitrium, quod impetu potius ruinam vrgeat, quam renitatur. Cum igitur violentum sit hoc malum, & si in potentes incidat, contumeliosissimum, magna ex eo damna oriri necesse est. Bonum enim quod aufertur, nempe pudicitia maximum habetur. Duas res ægerrime mortales ferre possunt; damna, & contemptum:

Ingens bonum pudicitia, quia & famam aufert.

Desletur lacrymis amissa pecunia veris.

In parentum, coniugum, fratrum, propinquorum mortibus eruditæ sæpe, & fictæ lacrymæ fluunt; nemo naufragia, nemo villarum excidia, nemo patrimonii confiscationem præfica præeunte luxit. Sat virium in lacrymas verus dolor habet. Itaque ob res auersas, quibus alios frui vident, aut perpetuo, aut diutissime homines iram retinent, quam obliteratam aspectu, atque auditione aliquando renouant.

Impudicitia vindicanda acres sunt.

Contemptum sui, & contumeliam præsertim damno iunctam multo asperius accipiunt. Summam vero cõtumeliam in sua, vel suorum pudicitia erepta sibi factã interpretantur. Quia magni illam faciunt, aut sane videri volunt magni eam facere. Quia infame est in suorum pudicitia esse negligentem. Virginius filiam, quam Appius Claudius datis contra libertatem in seruitutem vindiciis, ad stuprum expetebat, occidit; meliusque existimauit esse pudicæ interemptorem, quam corruptæ patrem. Eodem spiritu Pontius Aufidianus, filiam à pædagogo corruptam, postquam supplicium de scortatore cepisset, interfecit. P. Mænius in libertum, qui filiæ osculum dederat, animaduertit. Nec Romana tanta pudicitia tam seuera fuit. P. Attilius Philiscus, qui ipse turpem quæstum fecerat, filiam tamen stupri compertam interemit: ita olim libidinum victima, à filia tamen pudicitiam exegit. Q. Fabius maximus filium dubiæ castitatis arguens, effecit, vt voluntario secessu patris aspectum vitaret. Scantinius Tribunus plebis quia M. Claudii Marcelli filium de stupro appellauit, vno teste à populo Romano damnatus est. Cneus Sergius quoque voluntatis libidinosæ pœnas dedit, ob promissos enim matronæ nummos à Quiritibus damnatus est. Dominus quoque Titi Veturii iam serui facti ex filio Imperatoris, Senatusconsulto in carcerem ductus est. C. Pescennius vir multis muneribus clarus, ob stuprum infandum, in carcere mori coactus est. Lætorius Mergus tribunus militaris de appellatione stupri accusatus, quæstioni se subtraxit, & morte voluntaria conatum sceleris puniuit. Nec illa tantum in meliore republica facta sunt, & seueriore disciplina. Sed corruptis iam moribus; Marius enim C. Lusciam sororis filium à Plosio milite ob stuprum intentatum occisum, & quidem tribunum à suo milite iure cæsum pronunciauit. Dignus certe vel isto iudicio septem consulatibus. Sempronius Musca, C. Gallum in adulterio deprehensum flagellis cecidit. C. Memmius L. Octauium neruis contudit. Carbo Accienus à Vibieno: item Pontius à P. Cernio deprehensi, castrati sunt.

Etiam voluntas sceleris olim legibus punita.

Lapsi mores Rempublicam traxerunt.

Hæc Romanæ pudicitiæ exempla sunt, qua in Republica diu præ cæteris gentibus honestas publica viguit. Post omnia euersa sunt, postquam Curio grauissimi patris filius sexcenties alieni æris, iniuria nobilium adolescentum contraxit. Postquam Clodius iudicio empto, constupratoque adulterii pœnas euasit. Postquam Gemellus viator consule, & Tribunis inuitatis lupanar domi erexit, in quo ingenuum, sed degenerem Romæ sanguinem prostituit. Postquam vnicum filium Catilina interemit, vt Aureliæ Orestillæ nuptiis potiretur.

§. 5. Nec vilior exteris gentibus pudicitia fuit, Teutonum vxores cæsis prælio viris, à Mario postularunt, vt vestalibus virginibus ipsæ quoque virginitatem culturæ donarentur, quo negato, seipsæ interemerunt, pudicitiam enim vita potiorem ducebant. Minus mirum hoc in Hippo græca fœmina, quæ ne ludibrio esset, in mare se præcipitauit. Democles Demetrii Poliorcetæ libidinem fugiens, in feruidum se lebetem immersit. Phœdonis Athenienses filiæ, occiso patre, complexæ inuicem in puteum se præcipitarunt, ne impudicæ viuere cogerentur. Timoclea violatorem suum melius in puteum coniecit. Brasilla Dirrachina militem in mortem suam pudica fraude pellexit, ne vim pateretur. Sophronia Romana Maxentii iniuriam gladio anteuertit. Quinquaginta Spartanæ virgines mori, quam Messeniorum contumeliosam libidinem ferre maluerunt. Dugna fœmina Aquileiensis Attila vrbe occupante, è fenestra in præterfluentem exiliit. Idem fatum pro pudicitia, Pelagia cum matre & sorore subiit. Cammam, Pantheam, vxorem Orgiagontis Gallogræci, Cyanen, Valeriam Tuscam, Chiomaram, aliasque omitto de quibus Plutarchus, aliique, præsertim superantibus Christianis virginibus, matronisque quibus iucunda vox erat, *Christianos ad Leonem:* Horrenda; *Virginem ad Leonem.* Tot exercitus virginum, pro castitate fortius, quam vllæ legiones pugnantium, non produco; ne politici me Parthenonem, non ciuitatem instruere velle arbitrentur. Hoc conficere duntaxat volui: Pudicitiam violatam graui pœna vindicari solitam, omnis enim familia, ad vltionem stupri inardescit, nec fere vnquam, nisi fuso sanguine ira conquiescit. Neque fere pater vllus est, aut frater, qui non ad rogum deduci sororem, quam ad contumeliam patientius ferat. Hac igitur ex causa, magnas clades, ac conspirationes exturgere necesse est. Non modo si à potentibus ea in re peccetur, sed etiam à priuatis, aut infimis, si pœna culpæ vel nulla, vel leuis irrogetur, multo magis si dissimuletur.

Triste pudicitiæ sed tamen constantis monumentũ.

Mulierum pudicitia.

Brasilla herbam se nosse dixit, quæ faceret insulnerabilem, militemq; vt in ipsa experimentũ caperet, induxit, atq; ita capite plexa est.

Magna æstimatur pudicitia, ideo cum illi iniuria infertur, seditiones oriuntur.

§. 6. Altera causa est, quod illo vitio hominum prudentia, sagacitas, & cura futuri obtundatur. Quæ vna est res Reipublicæ perniciosissima. Nihil est tam mortiferum ingeniis, quam libido. *Libido*, inquit Augustinus, *luxuriæ, ita totum corpus interius, & exterius sibi vendicat, & totum commouet hominem, affectu animi, & appetitu carnis coniunctio, vt sequatur voluptas, omnibus corporis voluptatibus maior: ad eius tamen peruenitur extremum, vt pene omnis acies, & vigilia cogitationis omnis obstruatur.* Itaque in Republica, in qua pudor opprimitur, luxuria datis habenis libere exultat, cæcutientium, ectaticorum, stolidorum magnus est numerus. Raro bona, & fortia consilia. Nam ne ipse quidem Salomon, postquam libidinibus se dedit, sapienter & politice regnauit: Ideoque magno odio omnibus fuit. *Pater tuus*, inquit *populus, durissimum iugum posuit super nos.* Et fatetur stolidus iuuenis. *Et nunc pater meus posuit super vos iugum graue:* Et: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam scorpionibus.* Ecce quid fecerit libido, quomodo regnandi artem viro sapientissimo exeusserit, vt ne filium quidem recte instituerit. Omnibus vitiis cœcus ineſt amor, vt vere Claudian. in Eutrop.

Libidine ingenia pereunt, & intelligentia obmutescit.

Salomon amans male regnauit.

Sed quia cœcus ineſt vitiis amor, omne futurum
Despicitur, suadentq; breuem præsentia fructum.
Et ruit in vetitum damni secura libido.

§. 7. Pudica Minerua fingitur, & Musæ virgines; quia castitas non modo sapientiæ comes, sed etiam causa, & conseruatrix est. Nec id diuina modo ordinatione, quam contaminatas luxuria animas purum sapientiæ immittere noluit; Sed id quoque natura docet: Quorum enim turpitudinum illecebris mentes occupantur, serias concipere studiorum cogitationes illi nequeunt. Tot veterum, & nouorum comœ-

Comœdia amatores omnes stolidos fingunt.

comœdiæ amare docent, nullum nobis adolescentem amatorem prudentem inducunt, aut si prudentiam illi tribuunt, etiam amoris victorem faciunt, obsoremque prostibuli.

Robur corporum deficit effœminatos.

§. 8. Tertia causa est, quod non sit ille corporum vigor, ac robur in perdita ciuitate, quod est in bene morata. Persæ fortes, & agrestes vicere Babylonios, viros, vt verbo dicam, meretricios. Persas iam eneruatos Macedonum rustica durities, illos Romani nondum vulgatis libidinibus imbecilles, hos Heruli, Gothi, Hunni, alii barbarorum, donec & illi fortioribus succumberent. Salse & cynice Diogenes Græcis obiecit, eos balneo, & libidine, dum viuerent, corpora putrefacere, eadem vero mortua aromatibus, & vnguentis contra putrefactionem condire. Præposterum omnino studium, viuos putrefacere, mortuos impendiis siccare.

In Republica meretricia incerta proles.

§. 9. Denique vbi pudoris, castitatisque parua est ratio, necesse est, totam Rempublicam male administrari. Coniugia enim incerta sunt, proles omnis aut est, aut spuria habetur. Si enim filia nunquam *maternos dicere mœchos poterit, vt non terdecies respiret*, vt est in Satyra, quis illam credat legitimo natam thoro? Hinc & illud contingit, vt plurimi matrimonia fugiant, non amore castitatis, sed licentia scortandi, tum vero quia timent sui matrimonii subsessores. Suo tempore tantam fuisse Romæ corruptionem tradit Seneca, vt *nulla nuberet, nisi vt irritaret adulterum. Messalina*, inquit Dio, *libidinosa, & intemperans fœmina, cæteras quoque fœminas cogebat luxuriose, & petulanter viuere: efficiebatque vt multæ in palatio, viris suis præsentibus, ac videntibus cum adulteris coirent: earumque viros ipsa diligere, ac honoribus, ac dignitatibus augere: cæteros qui id non paterentur odio habere, ac modis omnibus perdere.* Quis tali imperatore, & tali Augusta imperatoris domina, vxorem duxisse vellet? Publice igitur, priuatimque castitatem Respublica tueatur, luxuriem libidinemque premat, ac coerceat, ad quam rem multa valent, tum quæ referam præcipue.

Claudio imperatore aula lupanar erat.

Vt pestis, ita impudicitiæ vitandæ magistratus inuigilet.

§. 10. Publica sit inquam cura illa; pluris enim est, vt ciuitas malis moribus, quam infectis corporibus purgetur. Nulla vero est procliuior, quam hac in parte contagio. Pudoris iactura, certissima est omnium flagitiorum parens. Et legibus permissa licentia, non satietatem adfert, sed incitamentum. Mores facile mutantur in peius, vix vnquam legum seueritas vitia in bonum vertit. Redire cum perit, nescit pudor. Nisi igitur libidinibus, serio per leges, pœnasque armata publica auctoritas obuiam eat, fasces que & secures expediat, omnia opprobria, ac horrenda inundabunt, eritque ciuitas magnum lupanar. Stratonicus cum Heraclea egressus esset, quasi sollicitus respectabat, omniaque ea faciebat, quæ illi, qui videri nollens; comitibus admirantibus respondit: Timere se, ne à quopiam egrediens è lupanari videretur. Sceleris enim peracti pudet eos, qui è lupanari egrediuntur.

Impudica ciuitas magnum lupanar, magistratus leno.

Oculus impudicus incestæ mentis est nuncius.

Legum in libidine frenanda sanctitas.

§. 11. Seueritate igitur legum, insolentia libidinum coerceatur. Exempla non desunt. Iouinianus capitali lege sanxit, si quis sacram virginem impudico aspectu intuitus esset. Et T. 11. §. 1. de extraordinariis criminibus. *Sollicitatores alienarum nuptiarum, item matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possint: propter voluntatem pernicioſæ libidinis puniuntur.* Et §. 2. *Qui puero stuprum abducto eo, vel corrupto comite persuaserit, aut mulierem, puellamue interpellauerit, quidue impudicitiæ gratia fecerit, domum præbuerit, (alij donum) preciumque quo is persuadeat, dederit, perfecto flagitio puniuntur capite, imperfecto in Insulam deportantur. Corrupti comites, summo supplicio afficiuntur.* Succurrit etiam legum Theodosianarum, & Valentinianarum humanitas illis, quas aliena improbitas impudicas esse cogebat. *Si lenones patres, & domini suis filiabus, vel ancillis peccandi necessitatem imposuerint, liceat filiabus, & ancillis Episcoporum implorato auxilio, omni miseriarum necessitate absolui.* Legum diuinarum præscripta in ciuitate sua princeps sequatur. Video Seueris legibus olim adulteria cohibita. In nostra Germania, adultera abscissis crinibus, nuda per totum pagum verberibus cædebatur, & omnibus execrabilis, & inuisa mœrore, & inedia consumebatur. Romani veteres, omnium libidinum seminaria in herba ipsa tollere nitebantur; nam mulieri vinum bibisse capitale erat. Putabant enim pudorem ei vilem fore, quæ cum alioqui infirmo esset iudicio, per ebrietatem, aut sane periculum ebrietatis, impudicitiæ viam fecisset. Mitiores Pisidæ, qui adulteram cum adultero asino impositos aliquot dies ad irrisionem omnium circumducebant. Arabes adulterium capitis pœna, Ægyptii mille plagis plectebant, adulteræ vero nares amputabant, vt deformitate displiceret, quæ forma sua alieni criminis illex fuerat, & suam pudicitiam prostituerat. Olim multæ gentes de pudicitia leges non habuere. Primum aiunt Argiuum Hyettum, occiso Moluro in vxoris adulterio deprehenso, cum Orchomenum Atticæ partem accepisset, legem in adulteros tulisse. Eum imitatum esse Draconem Athenienſem, qui sanguine leges scripsisse ob seueritatem dictus est. Zaleucus Locrorū legislator oculis adulteros priuabat. Merito; illi enim sunt in amore duces, animoque imponunt. Ideoque cum in legem paternam filius commisisset, indulgens pater pœnam diuisit, & vt narrat Ælianus: ὑπὲρ τοῦ ἑτέρου παῦσαι τὸν παῖδος ὀφθαλμῶν, ἀνιδοῦναι τὸ ἑαυτοῦ, ἵνα μὴ ὁ νεανίσκος τυφλωθῇ τελέως. Plato impetum libidinis inflammatum, ratione moderandum, legum metu coercendum monet. Libro nono de legibus, non modo præposteram libidinem, adulteriumque sed omnem scortationem morte damnat. Marito in adulterum ius vitæ concedit, quod etiam nostræ leges nō puniunt, iusto enim dolori, pœnas remittunt. Quod & patri in filiæ corruptore permittitur, ita tamen, vt nec filiæ parcat. Gortynienſes adulterum lana coronatum ad magistratum deducebant, deinde perpetuo intestabilem habebant. Leprei in forum deducebant, triduoque circumducebant, & tota vita contemptibiles faciebant. Romani mœchas togatas procedere iubebant. Athenienſium fœda erat, nec pro grauitate bene ordinatæ Reipublicæ in adulterii reos pœna, diuites se pecunia redimebant; pauperum pœna, ἀβδελπλοῦς, & ἀποφανίδωσις, quæ plus dedecoris, & turpitudinis, quam grauem populum deceret, habebat. Apud Parthos grauissime adulteria puniebantur, vxores, fœminasq; cæteras domi fere recludebāt.

Romani vinolentam negabant pudicam.

Vnoculum se pater, quam cæcū esse filium maluit.

Sparta pudica cito esse desiit.

§. 12. Legibus igitur in omnibus ciuibus, libidines coerceat potestas publica. Ne imitetur Spartanos, qui initio legibus illis caruerunt; Rem ita narrat Plutarchus in Laconicis. *Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes vxorum pudicitia, ac tam longe aberant ab ea turpitudine, quæ postea inualuit, vt prius esset incredibile, adulterij crimen apud Spartanos inueniri, ferturque dictum cuiusdam vetustissimi Spartani Geradæ, qui rogatus ab hospite quodam, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri? neque enim videre se quicquam super hac re sancitum à Lycurgo: Nullus, ô amice, apud nos adulter est. Quum ille subiecisset, Quid igitur, si existat? Dabit, inquit, bouem tantum, vt porrecto vltra Taygetum collo, bibat ex Eurota. Cumq; ille ridens dixisset, fieri non posse, vt tantus bos inueniatur: Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ existat adulter, in qua diuitiæ, deliciæ & corporis ascititius cultus probro habentur: contra verecundia, modestia, ac obedientiæ magistratibus debitæ obseruatio, decori, laudique dantur?*

Verum breuis illa laus fuit. Vxorios enim fuisse, & summam mulierum ex ea vrbe licentiam auctor est Ari-

est Aristot. lib. 2. polit. cap. 9. Διὸ πρὸς τοῖς λάκωσι τυῦ ὑπῆρχε, καὶ πολλὰ διωκεῖτο ὑπὸ τῶν γυναικῶν, ἐπὶ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν. καὶ τί δεῖ διαφέρει γυναῖκας ἄρχειν, ἢ τοὺς ἄρχοντας ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἄρχεσθαι; ταυτὸ γὰρ συμβαίνει. *Spartanorum vxores multa administrabant, perinde autem est, siue vxores Rempublicam gubernent, siue gubernantibus imperitent. Idem enim vtrobique euentus est.*

Spartanis fœminis male legibus consultum.

Verum mihi in vniuersum Spartanorum suspecta pudicitia redditur. Helena sane heroicis temporibus bis rapta est. Ab Alexandro Phryge, non nisi sponte sua abducta est. Deinde merito Eurypides illis exprobrat, non posse Spartæ virginem esse castam, quandoquidem cum adolescentibus, ad Eurotam colluctari soleant. Verum maius testimonium est in Aristotele, lib. 2. cap. 9. polit. Ἔτι δὲ οἱ πρὶ τὰς γυναῖκας ἄνεσις, καὶ πρὸς τὴν παιδείαν τῆς πολιτείας βλαβερᾶ, καὶ πρὸς εὐδαιμονίαν πόλεως, ὥσπερ γὰρ οἰκίας μέρος ἀνὴρ, καὶ γυνὴ, δῆλον ὅτι καὶ πόλιν ἐγγὺς ἴσ δίχα διαιρεῖσθαι, δεῖ νομίζειν, εἰς τε τὸ τῶν ἀνδρῶν πλῆθος, καὶ τὸ τῶν γυναικῶν, ὡς ἐν ὅσαις πολιτείαις φαυλὸν ἔχει τὸ περὶ τὰς γυναῖκας, τὸ ἥμισυ τῆς πόλεως, εἰδὲ δὴ νομίζειν ἀνομόθετον τὸν. ὅπερ ἐκεῖ συμβέβηκεν. ὅλην γὰρ τὴν πόλιν ὁ νομοθέτης, ἐι ἢ βουλόμενος καρτερικὴν, καὶ μὲν τοὺς ἄνδρας φανερὸς ὅτι τοιοῦτος ὤν, ἀλλ᾽ ἢ τῶν γυναικῶν ἐξημέλησε. Ζῶσι γὰρ ἀκολάστως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν, καὶ τρυφερῶς. *Præterea vero remissio & indulgentia in mulieres, & ad consilium, quod ceperunt de sua rep. administranda, & ad beatitudinem ciuitatis, inutilis ac damnosa est. Quemadmodum enim domus partes sunt vir & mulier: ita scilicet & ciuitatem existimare oportet in duas partes æquales esse diuisam, in virorum & mulierum multitudinem. Quare quibuscunque in reipub. administrandæ formis id, quod ad mulieres pertinet, male habet, in eis dimidium ciuitatis existimandum est non esse legibus temperatum: quod illic euenit. Nam cum totam ciuitatem lator legum vellet ad tolerandos & perferendos labores esse fortem ac robustam, in viris quidem perspicue quod volebat, assecutus est: in mulieribus vero negligentem se præbuit. Viuunt enim intemperanter & luxuriose, ad omne scilicet intemperanter genus solutæ atque effusæ.*

Spartanæ ciuitatis dimidium male habuit.

Causæ pereuntis Sparte.

Initio multa permissa fuerunt mulieribus, quod viri procul domo propter Arcadicum & Messeniacum bellum agerent. Lycurgus eas sub leges mittere voluit, sed eæ reclamarunt; itaque incepto desistere coactus est, vt Aristot. eodem in loco tradit. Hoc ex fonte innumera mala orta sunt, nam & Helotæ frequenter repugnarunt, & ciues ad magnam paucitatem redacti sunt, atque ipse etiam ager in paucissimorum latifundia coiuit. Hæc igitur ἀνομία Spartanus exitio fuit. Neque enim viros probos existimarim illa in vrbe, vbi fœminarum libera est nequitia. Inde etiam orta maiora τῶν παιδερωτῶν flagitia.

Romani leges vitiis oppresserunt.

Penuria ergo legum illa ciuitas periit. Romana in Republica leges victæ vitiis cessere. Alexander imperator exoletos non ausus est vetare, Philippus tamen anno domini 249. sustulit. Tantum à priscis etiam gentilium moribus discessum fuit.

§. 13. Sed parum prosunt legum scita, nisi magistratuum vigilantia custodiantur. Verum est Græcorum prouerbium. Ισχυὸν ὁ νόμος ὅτιν, ἀν ἄρχοντ᾽ ἔχει. *Fortis res lex est, si præsidem adiuuantem habeat.* Si enim Neroniana luxuria regnet, si Caius lupanar in Palatio erigat, si Messalina cogat, quid poterunt miseræ leges? Quis damnabit, quod facit imperator? Quis fugiet, quod imperat coniux Augusti? Leges sanctæ sunt, sed Maxentius ad mortem metu opprobrii cogit matronas: Quid iura valebunt illo regnante, qui tantum impudicitiam confessis ignoscebat, quod putaret caste neminem posse viuere? Sit igitur exemplum in principe, in primoribus, quo leges auctoritatem, & vim consequantur. Ne iam & scorta proclament: *Felicia sæcula, quæ te*
Moribus opponunt; habeat iam Roma pudorem.

Maximinus crudelis in professores castitatis.

Omnium hoc est periculum, sed tam fauorabile malum, cum auctoritatem à primatibus trahens pudorem pepulit, nulla vi excludi potest. Nunc quidem, vt & olim, in sexum infirmiorem magis pœna grassatur. Verum par est vtrinque ius, & obligatio; Vere Innocentius Papa, vt est 32. q. 5. Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat: Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt. Et ideo mulieribus prodito crimine earum communio denegatur. Virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinet, qui vtique summouebitur, si eius flagitium detegatur. Quum enim par causa sit, interdum probatione cessante, vindictæ ratio cõquiescit.

In Christiana pudicitia non est diuersa lex viris & fœminis.

§. 14. Magnum etiam est in publicis moribus, & exercitiis momentum. Si vis castos esse animos, cura ne oculis, ne auribus occurrant, quorum venena ad animos pertingant. Consuetudo audiendi, & spectandi, etiam faciendi licentiam sumit. Erudire ad nequitiam nihil opus est, sine malo exemplo, & contra bona exempla dociles. Quid priuatim recta præcipere iuuat; si disciplina publica ea est, quæ vel Lycurgum emollire posset? Priuata mala corrigi possunt, publica coli volunt. Hinc exitia vrbium.

Publice cõsulatur oculis, auribus, castis.

Inde aspice late,
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes,
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.

Cum igitur luxus dissuasor honesti publice inualuit, omnia cedunt: & respublica periit.

Nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit.
Sic male sublimes vertit Spartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit; sic Medus ademit
Assyrio, Medoque tulit moderamina Perses,
Subiecit Persen Macedo, cessurus & ipse
Romanis; hæc auguriis firmata Sibylla.

Omnia regna prius luxuria prostrauit, quam hostis in prædam verterit.

In vrbes primum deliciæ, mox saturitas, deinde violentia, denique exitia erupere. Certe Diogenes Lacedæmone rediens Athenas, rogatus quo, à quo iret? *à viris*, inquit, *ad fœminas.*

Reipublicæ itaque incumbit, omnia luxuriæ irritamenta è medio tollere, vt sunt spectacula impudica, Choreæ periculosæ, fœminarum lasciui in publico conspectus, multo magis prostibula, & lupanaria. Improbissima est eorum ratio, qui publicis illis voluptatibus, deteriora caueri arbitrantur: Vbi illa inualuerunt, flagitiosissima quæque perpetrantur. Fuga optime castitati consulit. Quæ esse non potest, si publica sunt incitamenta libidinum; Si cæcum esse oporteat, ne malum videas. Si in porticibus, in foro, in vicis omnia turpibus abundant. *Si in poculis*, vt inquit Plin. l. 31. c. 1. *libidines celare iuuat*: Si imagines illecebrosæ, in conspectu iuuentutis impune collocantur. Venenum publice non venditur, animarum toxica, in nundinis Christianorum, non verante magistratu venduntur. Dabit magistratus ille pœnas, qui nefanda dissimulat. Si filiam turpitudines illas colorum fuco cogitationi instillandas emisse cognoscet, merita indignatione excandescet: Si quis ea coram liberis tuis enarraret, diem illi vt corruptori iuuentutis diceres. An plus est verbis indicasse, an oculis fidelibus subjicere, vt tenacius hæreant? Vident hoc omnes, vident tui, vident tuis narraturi.

Lupanaria tollenda.

Magistratûs grauia peccata.

Quod in filia non feres, in Republica etiã vindica.

§. 15. Nec illecebræ modo auferantur, sed impedimenta etiam, & freni luxuriæ injiciantur. Seria cogitatione, operibus, laboribus occupentur omnes, ocium exulet. *In vacuo pectore regnat amor.* Æruginem tam mordacem motus agitatioque non admittit. *Variam semper dant ocia mentem, raro bonam.*

Si respublica lupanar est, principis filias ne crede pudicas.

Ociũ amoris pului-nar.

Amor ocioſus eſt, pigros occupat. Negocio hoc vitium diſcutitur, vera cura tam vanam ſollicitudinem diſcutit. Certe Theophraſtus amorem ſic definit. Ἔρως πάθος δι' ψυχῆς χολαζόμενος. *Amor paſſio, ſeu morbus eſt animi ocioſe viuentis.* Cauſa itaque tantorum malorum eſt, & prima cauſa, nobilitatis incuria, dum ad honeſtos labores non erudiunt, nec durant filios, dum ad inhoneſta oblectamenta deducunt: hinc nequitiam, &

Nobiles laboribus durentur.

inceſtos amores
À tenero meditantur vngui.

Itaque quanquam omnium hominum ſint iſtæ cupiditates, & difficulter vincantur, (*Malum omne* (inquit Cyprian. de bono pud.) *facilius vincitur, quam voluptates; quia illud quicquid eſt horridum eſt: hoc blandum eſt.*) Diuitum tamen præcipuum eſt, quia ocium, & fomenta adſunt. Deinde poſt diuites validorum mendicantium, qui in diem viuunt. Cum enim ſine omni cura agant, cum ſæpe hominum beneuolentia ſaturentur, cum aſſuetudine, & conſortio improbi ſint; oculis, auribuſque in turpia impingant, neceſſe eſt in ludo variarum, & nunquam ſeriarum cogitationum, frequentiſſime illos exerceri, quarum magis obuia imaginatio, & titillantior voluptas. Hi tales non modo ob alias cauſas, ſed ob mores etiam ad labores adigendi ſunt. Nec parui hoc ducet magiſtratus; in pannis & purpura eadem ſunt vitia, in gemma & ſordibus eadem eſt libido. Recte Auguſtin. de honeſt. mulier. cap. 2. *Inter omnia certamina Chriſtianorum, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria; Grauem namque ſortita eſt caſtitas inimicum, cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur.*

Diuitium ſunt amores, & pauperum validorum.

Valid: mẽdicant: s ad labores cogendi.

§. 16. Quod ſingulis præcipiunt patres ſancti, id quoque Reſpublica alta mente recondat. Nempe, diaboli primis titillationibus obuiandum. (Cyp. de ieiunio.) *Nequitiæ zizania ne creſcant, elidenda in ſemine* (Hier. in Eccl. c. 9.) *Ex alta igitur ſpecula, gubernator futuram tempeſtatem proſpiciat, & vela contrahat, nauem ſubducat.* Si noui hiſtriones, ſi noua theatra parentur, ſi peregrinus luxus veſtium, ſi noui ciborum apparatus ingruat: ſerio reſiſtat, dum nondum potentium domos occupauit. Si caſtus eſſe princeps deſiderat: Sobrius ſit, & corpori detrahat materiam tam grauis incendii. Conſilium Ambroſii eſt libr. 1. cap. 14. de pœnitentia. *Libido grauis ignis eſt, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Paſcitur libido conuiuiis, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate flammatur. Vinum enim & adoleſcentia duplex incendium eſt voluptatis.* Quid oleum flammæ adjicimus? Ita S. Benedictus, Bernardus, Franciſcus, Martinianus Eremita, aliique innumeri, vinum velut venenum, ſaturitatem velut peſtem fugerunt. Audacter, ô princeps, ſuccide creſcentem luxuriæ ſyluam, ſubtrahe occaſiones, amoue inſtrumenta libidinum, delinimenta deliciarum, quamuis minus culta, minus opulenta ciuitas videatur, quamuis ærario aliquid decedat, præſtat frugalis mediocritas, profuſis & luxurioſis opibus. Græcia victa, debilitauit: Aſia in prouinciam redacta, proſtrauit victores.

Corruptelarum initiis occurrendum.

Sobrietas pudicitiæ cuſtos.

Religio, & fides caſtitatem muniunt.

§. 17. Verum nihil tam adiuuat caſtitatem, quam cura religionis. Hæc animos ad Deum quotidie tollit, hæc æterna bona, & pœnas conſiderat. Qui in carcere, ad malam manſionem damnatus eſt, iam ante oculos crucem, aut rogum intuetur, quem vitæ dubium naufragia pulſant, qui in acie palleſcit, illi metus omnem libidinoſam cogitationem excutit; ita quoque ardorem voluptatum, blanda commotione ſerpentem, æterni ſupplicii fides, & formido exſtinguit. Narrat Antonius Senenſis de quodam ſui, hoc eſt S. Dominici ordinis inſigni viro, cuius caſtitati improba lupa inſidias ſtruebat. Ille rogos luculentos exſtruxit binos, atque in alterum ſe conjiciens, ſi lectulus ille placeret, mulierem ad flagitium inuitare ſe dixit: Nam merito in igne flagitium illud patrandum, quod æterni ignis pœna ſequeretur. Cætera interdum minora ſunt, quam vt vehementiſſimæ delectationis impetum ſuſtinere poſſint, multos amor in pericula mittit. Figit Daunius iuuenis *in virgine vultus*, & *ardet in arma magis.* Mortem etiam contempſit, qui Helleſponto, ipſis fluctibus inſanior, innatans orabat:

Incendia Veneris maior gehennæ flãma compeſcit.

Parcite dum venio, mergite dum redeo.

Hinc tot millia caſtorum, tot exercitus virginum Eccleſia recenſet. Merito tanquam inſigni veritatis teſſera, pudicitia gloriatur religio Chriſtiana. Quot enim virginum millia, condictione nuptiarum tormenta, mortemque euadere potuerunt? & caſtitatem tamen prætulerunt? Illas ſexu, ætate infirmas, in mediis illecebris poſitas nulla tormenta cogere potuerunt, vt illecebroſas ſuauitates admitterent; tu quomodo gratiæ Dei particeps es, ſi libidinum dulcedine ita vinceris, vt etiam per pericula delectationem ſectere? Et ſunt tamen, qui ob improborum incontinentiam lupanaribus vrbes inceſtare non dubitant, quaſi minore iactura damna grauiora euitentur. Scortationem inter Chriſtianos permittunt, ne in adulteria, inceſtus, aliaque probra inardeſcant. Error eſt, & grauis quidem, nam in illa licentia rudimenta capiunt improbi, vt maiora audeant. Nullo in fornice eſt ſola ſcortatio. Violantur & ibi coniugia. Nuſquam maiora pericula ſunt matronarum, quam vbi ſcorta erudiunt iuuentutem. Circa annum Chriſti 437. Theodoſio & Valentiniano Auguſtis, vir clariſſimus, & imperio digniſſimus Florentinus, cum lenones expelli magnopere optaſſet, & fiſci detrimenta objicerentur; vectigal enim lenones pendebant: Is vicaria penſitatione prædii ſui damna ſarcit, vt quantum imperio ob pulſas illas peſtes, decederet, tantum ex priuati reditu ſubſtitueretur. Magna laus propriis diſpendiis publicæ pudicitiæ conſuluiſſe. Sed quanto maior fiſci turpitudo, à ſanctiſſimo viro lenonum vectigal accepiſſe? Ne noſtra miremur tempora, noui homines ſunt, vetera vitia. Datur imperio aurum, ne ſint lenones: accipitur aurum, vt ne proſtent publicarum libidinum victimæ. Vtinam reges & vitæ coniugalis ſanctitatem, aut cœlibem puritatem conſtanter ſequantur. Exempla inter Chriſtianos multa ſunt: Wenceslaus Bohemiæ rex de quo Dubrauius. Cazimirus Cazimiri tertii Poloni regis filius. Emericus Stephani V. regis Vngarorum filius. Eduardus rex Angliæ. Henricus primus noſtræ Reipublicæ caput. Mirari ſubit tot regias virgines, tam admirandæ ſanctitatis, ex illis de cæteris facilis coniectura eſt. Referam catalogum ex libro 22. de ſignis Eccleſ. c. 2. Bozii, cuius verba ſunt: *Diuinum munus perpetuæ mentis ac corporis Deo dedicatorum virginitas, ſed longe diuiniſſimum, ſi præterea illi ſit adiuncta reliquarum virtutum non mediocris quædam, ſed excellentiſſima præſtantia. Tales autem plurimas Septentrio produxit, ex quo ſecutus eſt pontificem Romanum. Huiuſmodi namque fuere Milburga, Mildreda, Miluida Merualdi filiæ, de quibus Polydorus libro 4. Fuit Fara Abbatiſſa Monaſterij Hibrigenſis, quæ claruit anno ſexcenteſimo quadrageſimo, Francongota ſexcenteſimo ſexageſimo, Edilberga filia Annæ Regis orientalium Anglorum, Itta cum filia Gertrude monaſterij Niuellenſis fundatrix ſexcenteſimo quinquageſimo, Edilburga Abbatiſſa monaſterij Beretingenſis, Edeldrudis filia Annæ Regis Anglorum ſexcenteſimo octuageſimo, Hilda filia nepotis Eduini Anglorum Regis ſexcenteſimo trigeſimo, Irmina filia Dagoberti Regis fundatrix monaſterij, quod Horreum, ſeu vulgo Oeren Treueris vocatur, anno ſeptingenteſimo decimo. Modeſta Treuerenſis ſexcenteſimo octuageſimo, Seuera Abbatiſſa S. Symphoriani Treuerenſis. Athela filia Dagoberti Regis Abbatiſſa Treueris monaſterij cuiuſdam. Thecla Angla*

O labes imperij Romani, ob lucellum retinere lenones.

Caſtitas in regnis Germaniæ, & Septentrionis.

Angla Abbatissa monasterij, quod eius frater Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus construxit in Germania iuxta Moganum in Eizingenno. Lioba Angla, quæ præfuit monasterio, quod idem præsul condidit in Biscofisheimo anno septingentesimo trigesimo. Amalberga, quam Carolus rex coniugem sæpius & ardenter expetiuit septingentesimo septuagesimo secundo. Anastasia & Basilissa Abbatissæ Horrei Treuerensis septingentesimo sexagesimo, & octuagesimo. Mathildis soror Henrici Imperatoris primi, & Brunonis Archiepiscopi Colonienſis Abbatissa sancti Seruatij in Saxonia nongentesimo nonagesimo. Vuiberadis monialis sancti Galli nongentesimo vigesimo. Vualburgis Anglica Abbatissa in Heidenheimo Eistatensi soror sancti Vuillibaldi septingentesimo quinquagesimo, Benedicta Abbatissa in Sueestrensi cœnobio. Notburgis monialis Capitolij Colonienſis, Hadeloga Abbatissa monasterij Rinchingensis, Landrada Leodiensis, Vualdrudis Castrilocensis, Gladesindis Metensis, Lutrudis Corbeiensis. Cæcilia Abbatissa in Sueestris. Richardis Imperatrix quæ post obitum Caroli Crassi viri Christo se deuouens virginibus sacris præfuit, Iutta soror Meginhardi comitis Spanheimensis millesimo centesimo trigesimo sexto, Hildegardis admiranda Iuttæ discipula millesimo centesimo sexagesimo. Elisabetta Abbatissa in monasterio Schonaugiensi millesimo centesimo sexagesimo quinto.

Adelheid Abbatissa Vilecensis tempore Hereberti Archiepiscopi Colonienſis eius vitam refert Sur. Tom. 7. Febr. 5.

Brigida Scota anno quingentesimo decimo octauo, vel quingentesimo vigesimo secundo. Sur. tom. 1. Feb. 1.

Catharina Sueca filia S. Brigidæ anno millesimo trecentesimo octuagesimo primo. Sur. tom. 2. Martii. 22.

Elisabetta Regis Hungariæ filia. tom. 6. Nouemb. 19.

Ermelende Virg. tom. 5. Oct. 29.

Heduigis Poloniæ Ducissa. tom. 5. Oct. 15.

Hunegundis. tom. 4. Aug. 25.

Iandrada. tom. 4. Iul. 8.

Margaretha filia Regis Hungariæ. Ian. 28. tom. 1.

Margaretha Scotiæ Regina. tom. 3. Iun. 10.

Maria Oëgniacensis. tom. 3. Iun. 23.

Maxellendis Virg. & Mar. tom. 4. Iul. 30.

Monegundis. tom. 4. Iul. 2.

Noilburgis. tom. 5. Oct. 31.

Liduuina. tom. 2. Apr. 14.

Ludmilla Bohemiæ Ducissa, & Martyr, tom. 7. Sept. 16.

Lutgardis. tom. 3. Iun. 16.

Lutrudis. tom. 5. Septemp. 22.

Opportuna Virg. tom. 2. April. 22.

Ositha Virg. & Mart. tom. 5. Oct. 7.

Richardis Martianensis. tom. 3. Maii. 12.

Vualburga. tom. 3. Maii. 1.

Brigida Sueca.

Tales habuit olim nonnullas Oriens, & Gracia, nunc vero quas potest nominare? quas Africa produceret suas? quas Moschouia?

Virgines sanctimonia simul, doctrina scriptisque editis præstantes. Admirabiles simul, & omni memoria mortalium laudatissimæ fuerunt virgines aut mulieres illæ, quæ scriptis editis ingenii virilis non effœminati clarissima monumenta protulerunt in lucem. Sed illæ vt plurimum, si quas alieni à nobis cœtus ediderunt, libidini, aut aliquo vitio deditæ fuerunt: non enim cecinit insulse vates ille Satyra tertia, haud sibi fœminam placere,

---- quæ curtum sermone rotato
Torqueat enthymema.

Verum Germania, ac septentrio non modo doctas quasdam fœminas sed inuiolatæ virginitatis integerrimas custodes, amplius autem virtutibus diuinis præstantissimas, sanctitudineq; illustrissimas produxit in lucem. Nam tales fuerunt quinque illæ, quarum meminimus signo de spiritu precum 37. lib. 9. cap. 12. Rosuida, Elisabetha, Hildegardis, Gertrudis, Mechtildis, Brigida Sueca, quamuis hæc vidua exstiterit:

Quocirca mirandum sit maxime tot annorum millia elapsa nunc esse, neque produci posse è toto septentrione vel vnam similem virginibus istis, antequam Pontifici parerent populi Boreales. Quin neque ex orbe toto nominari potest vlla virgo, cuius exstent tantæ pietatis doctrinæque ad omnem bene instituendæ vitæ morumque formandorum rationem libri, quales exstant istarum viraginum. An non igitur paruisse Papis est præclarum? numquid simile est hæreticis vllis, qui fuerint vnquam? Aduocetur omnis Græcia optimarum disciplinarum magistra & parens, & proferat si quidem potest fœminã suam, cuius extent tantæ pietatis scripta moribus, vitæque innocentis exemplis illustrißimis ac diuinis obsignata. Numquid igitur Germania, Saxonia, Scotia, Suetia præstabit altrici, ac matri artium bonarum? Ita sane. i nunc, & voca Barbaros Boreales. An Barbari, quibus virgines ac mulieres tantæ? Voces quantumuis Barbaros; isti Barbari præstabunt omnium mortaliũ sapientißimis. Tanti scilicet est obedire Pontifici Romano. *Virginitas Ecclesiæ flos est.*

Hæc cum Respublica Christiana considerarit, S. Augustini argumento sese cohortetur: *Non tu poteris, quod isti & istæ?* Sed integrum locum adscribere placet, Confess. 8. c. 13. *aperiebatur ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ serena, & non dissolute hilaris, honeste blandiens, vt venirem, neque dubitarem, & extendens ad me suscipiendum, & amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, & irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret, tu non poteris, quod isti & istæ? an vero isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis, quid in te stas, & non stas? proiice in te eum, noli metuere, non se subtrahet, vt cadas, proiice te securus, excipiet te, & saluabit te.* *Puritatem suadent tot exempla castorum.*

Et si non omnes possunt, quod isti & istæ, quia magna est perpetuæ virginitatis pugna, insigne decus, & eximiæ coronæ prærogatiua. Annon saltem coniugii sacri legibus circumscribere, & moderari cupiditates poterunt?

Claudam sententia S. Hieronymi l. 3. aduers. Iouinianum. *Doctißimi viri vox est, pudicitiam imprimis esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit. In hac muliebrium virtutum principatus est. Hæc pauperem commendat, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram, bene meretur de maioribus, quorum sanguinem furtiua sobole non vitiat: bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum, nec de patre dubitandum est: Bene imprimis de se, quam à contumelia externi corporis vindicat. Captiuitatis nulla maior calamitas est, quam ad alienam libidinem trahi.* Fortiter age ô princeps, legibus age; possunt viuere caste Christiani, quorum tot millia pro castitate mortem obierunt.

Castitas magno studio seruetur, ne non ciuitas, sed spuriorum sit, & degenerum colluuies.

Caput XIII.

Moribus bonis, ac pudicis spectacula obesse, ideoque tollenda, aut sola quæ ad virtutem excitant, retinenda.

§. 1. Spectacvla Tertullianus in quatuor genera diuidit. *Insaniam Circi, Impudicitiã Theatri, Atrocitatem arenæ, Xysti vanitatem.* Græci Nemea, Pythia, Isthmia, Olympia celebrabant, cursu, cantu, luctu, pugilatu, velocitate equorum certabant. Miscebantur varii ludi hisce principalibus. Hodie quædam horum manent, quorundam sola vestigia supersunt. Insaniam Circi propter sumptus, & furorem diuerso colori fauentium, ex eaque re tumultus ortos merito vocat Tertullianus. De atrocitate arenæ, & Xysti vanitate agam, cum de fortitudine sermo fuerit. Nunc de impudicitia theatrorum, quæ contra temperantiam est disputare oportet. Omnibus in certaminibus pudicitia infestabatur, non in solo *Spectacula olim magna pars humanorum negociorum.* *Impudicæ spectaculæ olim omniũ oculos incessabant.*

solo theatro. Nam Tert. de spectaculis c. 21. *Sic ergo euenit, vt qui publico vix necessitate vesicæ tunicam leuet: Idem in circo non aliter exultet, nisi totum pudorem in faciem omnium intenter.* In Xysto etiam meretricum, & mollium impudicas colluctationes exhibebant, in arena nudos homines bestiis objiciebant: & ne quid deesset mali, tota causa vna erat flamma impietatis, impuritatis, nec in crudelitate quærenda castitas: quia omnis luxuriosus est crudelis, & omnis crudelitas luxuriosa. Cui enim deliciæ sunt tormenta, mortesque insontium, qui in squalentia suo sanguine corpora patientissimis oculis super incumbunt, non est mirum eos aliis voluptatibus mancipatos esse.

Crudelitas & luxuries comites indiuisæ.

Gladiatoria spectacula, mature sublata sunt à Christianis imperatoribus. Circensia, theatrica, & Xystica diutius manserunt. Arcadius & Honorius Maiumæ fœdos ludos sustulerunt. lib. vlt. ff. de Maiuma cod. Theod. Aurigationes alioqui, & cursus equorum ex natura sua tolerari poterant. Sed factionum certamina tumultus ciebant. Contra omnia tamen sese Episcopi opposuere. Vide Arnob. l. 2. de amphitheat. & ante omnes Tert. de Spectaculis, & de eadem re libellum S. Cypriano attributum. Lactant. lib. 6. c. 20. Augustinus, Hieronymus, alii diuersis libris. Constantinus gladiatorios ludos sustulit, (Euseb. l. 4. de eius vita, c. 28. Sozom. l. 1. hist.) Sed recruduerunt, attende quæ lib. 2. cod. de gladiat. Quin & Augustinus cum agit de Alipio, pugnæ meminit, & luculentæ plagæ.

Factiones colorum sæpe Rempub. turbarunt.

Theatra, & scenæ crescente Episcoporum auctoritate, diebus Dominicis, festis natalis, Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes sublatæ sunt. Ita l. Dominico, de Spectaculis, Cod. Theod. Videatur & can. 66. Synodi in Trullo celebratæ.

Festis diebus sublata scena.

§. 2. Quantum in mores labem, pestemque intulerint, veteres nobis sapientes indicabunt. *Nihil*, inquit Seneca, *est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere.* Causas adducit S. Cyprianus ad Donatum, Ep. 1. *Conuerte hinc vultus ad diuersa spectaculi non minus penitenda contagia: in theatris quoq; conspicies, quod tibi & dolori sit, & pudori. Cothurnus est tragicus prisca facinora carmine recensere: de parricidis, & incestis horror antiquus, expressa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne seculis transeuntibus exolescat, quod aliquando commissum est. Admonetur ætas omnis auditu, fieri posse, quod factum est, nunquam ætui senio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam scelus obliuione sepelitur: exempla fiunt, quæ esse iam facinora desiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio vel quid domi gesserit, recognoscere, vel quid gerere possit, audire. Adulterium discitur, dum videtur; & lenocinante ad vitia publica auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, de spectaculo reuertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes, quæ probrorum fomenta, quæ alimenta vitiorum, histrionicis gestibus inquinari? videre contra fœdus, iusque nascendi patientium incestæ turpitudinis e laboratam? Euirantur mares, honor omnis & vigor sexus eneruati corporis dedecore mollitur, plusque illuc placet quisquis virum in fœminam magis fregerit, in laudem crescit ex crimine, & peritior quo turpior iudicatur. Spectatur hic pro nefas, & libenter. Quid non possit suadere qui talis est? Monet sensus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conscientiam fortiorem; nec deest probri blandientis auctoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum suum, non magis regno, quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc in plumas oloris albescere, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris auibus prosilire. Quare iam nunc an possit esse, qui spectat, integer vel pudicus. Deos suos quos venerantur, imitantur, fiunt miseris & religiosa delicta. O si possis in illa sublimi specula constitutus oculos tuos miscere secretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conscientiam luminum penetralia occulta reserare: aspicias ab impudicis geri, quod nec possit aspicere frons pudica. Videas, quod crimen sit & videre: videas quod vitiorum furore dementes gessisse se negant, & gerere festinant: libidinibus insanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec illis ipsis possunt placere, qui faciunt. Mentior nisi alios qui talis est, increpat; turpes turpis infamat, & euasisse se conscium credit, quasi conscientiam suam non posse effugere satis non sit. Iidem in publico accusatores, in occulto rei, in semetipsos censores pariter, & nocentes: damnant foris, quod intus operantur, admittunt libenter, quod cum admiserint, criminantur, audacia prorsus cum vitiis faciens, & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quæ loquuntur huiusmodi ore illo polluto, quicquid iam voce delinquitur, minus est.*

Tragœdia ita scelera repræsentat, vt doceat.

Comœdia scelera docebat.

Spectator veteris comœdiæ nemo castus.

Delicta religiosa fiunt, cum in Iouem coluntur.

Nihil exaggerat: Illa tacet quæ verecundia dicere prohibuit. Illa quæ imitabantur mimi, Heliogabalus ad verum iussit exhiberi. Nemo excusari potest, iam olim illa fecere Athenienses, nequitiam toti vrbi exprobrat omnibus nequior Aristophanes, quod poetam vetulum obscenis dicteriis abstinentem publico psephismate loco mouerint. Tu constanter crede tam meretricios animos, quicquid deinde malorum passi sunt, meritos esse.

Cloaca theatrum erat.

§. 3. *Theatrum* (inquit Tertullianus cap. 10. de Spectaculis) *proprie sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in seculo euasit. Nam sæpe censores renascentia cum maxime theatra destruebant, moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lasciuia prouidebant, vt iam hinc Ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens, & nobis in exaggerationem disciplinæ etiam humanæ prærogatiua. Itaque Pompeius Magnus solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum extruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animaduersionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupauit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum: ita damnatum & damnandum opus templi titulo prætexuit, & disciplinam superstitione delusit. Sed Veneri & Libero conuenit, Duo ista dæmonia conspirata & coniurata inter se sunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneris, Liberi quoque domus est. Nam & alios ludos scenicos Liberalia proprie vocabant, præter quam Libero deuotos, quod sunt Dionysia penes Græcos, etiam à Libero instituros. Et est plane in artibus quoque scenicis Liberi & Veneris patrocinium, quæ priuata & propria sunt scenæ, de gestu & corporis fluxu. Nam mollitiam Veneri & Libero immolant: illi per sexum, illi per fluxum, dissoluti.*

Politici theatra sæpe destruxere, libido restaurauit.

Pompeius libidinum domicilium superstitione firmauit.

Et cap. 17. *Similiter impudicitiam omnem amoliri iubemur. Hoc igitur modo etiam à theatro separamur, quod est priuatum consistorium impudicitiæ, vbi nil probatur, quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia eius de spurcitia plurimum concinnata est, quam Atellanus gesticulator, quam Mimus etiam per mulieres repræsentat sexum pudoris exterminans, vt facilius domi quam in scena erubescant. Quam denique Pantomimus à pueritia patitur in corpore, vt artifex esse possit. Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus miseræ in præsentia fœminarum, quibus solis latebant, perque omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducuntur, locus, stipes, elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur. Taceo de reliquis, ea quæ in tenebris & in speluncis suis delitescere decebat, ne diem contaminarent. Erubescat Senatus, erubescant ordines omnes. Ipsæ illæ pudoris sui interemptrices de gestibus suis ad lucem & populum expauescentes semel anno erubescunt. Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem & omne vanum verbum iudicatum à Deo sciamus, cur æque liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa non videantur hominem communicare: cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cuius apparitores inquinantur? Haberi-*

Theatrum impudicitiæ consistorium.

Fœda consuetudo theatri.

tur

tur & theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ. Consentiunt Cyprian. l. de Spectaculis, Lact. l. 6. c. 20. Aug. l. 20. de ciuit. c. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 13.

Dices fortasse lasciuas comœdias, non graues, non Tragœdias vetari. Sed illa quoque prisca facinora exprimit, vt constet fieri posse, quod factum est: nec nisi magno delectu exhibendæ. Summa igitur hæc est, & regula in his ludis seruanda est.

Non licet principi turpia spectacula permittere.

§. 4. Primo, non Reipublicæ, non principi licere talia spectacula inducere, non posse permittere. Histrio infamis est, ad Ecclesiæ communionem non admittitur: exemplum est apud S. Cyprian. Epist. 61. *Pro dilectione tua, & verecundia mutua consulendum me existimasti, frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus in eiusdem adhuc artis suæ dedecore perseuerat, & Magister, & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat; an talis debeat communicare vobiscum. Puto nec Maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor, vt honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.* Nam cum in lege prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti eiusmodi iudicentur; quanto maioris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere, sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres magisterio impudicæ artis exprimere? Nec excuset se quisquam, si a theatro ipse cessauerit, cum tamen hoc cæteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui Vicarios substituit, & qui pro se vno plures succedaneos suggerit: Contra institutionem Dei erudiens, & docens quemadmodum masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur, & Diabolo diuinum plasma maculanti, per corrupti, atque eneruati corporis delicta placeatur. Quod si penuriam talis, & necessitatem paupertatis obtendit, potest inter cæteros, qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, huius quoque necessitas adiuuari; si tamen contentus sit frugalioribus, sed innocentibus cibis. Nec putet salario se esse redimendum, vt a peccatis cesset, quando hoc non vobis, sed sibi præstet; cæterum, quantum vult, inde quærat.

Vir induitus vestem muliebrem a Deo maledicitur.

Histriones non admittantur in Ecclesiam.

Cū Roma fortis esset, moderatio ludorū fuit.

§. 5. Exemplo Romani imperii permittere, imo quærere populo voluptates se posse aiunt. Verum apud eos primo moderatio scenicorum fuit, deinde scenæ, & theatra sæpe sublata, & histriones in exilium pulsi. Nam ocio & vitiis insuescebant; cum vt Varro 2. de re rust. exprobrat: *Manus mouere maluerunt in theatro, ac circo, quam in segetibus, ac vineis.* Non posse in regno voluptatis consistere virtutem, non posse inter tot irritamenta vitiorum, manere innocentiam, experimento discebant, ideoque sæpe damnarunt, & quæ bene abdicauerant, pessime resumebant. In tantam insaniam res illa abiit, vt ducum, & exercituum stipendia ludiones caperent, tanto precio fomenta probrorum, labes morum emebatur. Tanta merces erat morum stupratoribus. Ita Tert. loquitur. *Theatra stuprandis moribus orta. Tot illic immundi spiritus considunt, quot homines theatrum capit.*

Tot mala vno verbo princeps potest tollere.

Histriones ditant, milites negligunt, hoc est, patriam produnt.

§. 6. Tantum, Tam pernicioſum malum, vno verbo, vna scheda tollere princeps potest: & quia tam facile obsistere potest, si non facit, seruari ipse non potest. Quis enim Christianus tumultum ciebit? Deinde principum, & ciuitatum istis deliciis, subditorum plurimi, atque adeo milites offenduntur; Iam vero in præsidiis, & castris patriæ propugnatores egent, qui operam nullius precii, operam pernicioſam nauant, in auro & purpura viuunt, & illis, qui honesta sequuntur, insultant. Quomodo vero consistere potest respublica, in qua histriones ducibus æquantur? opes Roscii, aliorumq; cum admiratione legimus, atque ex illis vanitatis publicæ insaniam discimus.

Spartani in vniuersum melius histriones submouerunt, quam illi qui legibus eos temperare constituerunt. Nam etsi in publico abstinere cogerentur interdum principum mandatis, multa tamen ab illis in publicum *seditiose, fœda per domos tentata.* Augustus quidem in Stephanionem iustus, & seuerus, in Pyladem remissus, sed tandem constanter fortis; sed in reliqua vita indulgens, & morum corruptor; nam & ipse flagitiosissime vixit, & vxor, filiæque eius publico probro fuerunt. Itaque omnino scenici, ludionesque è medio tollendi. Multo vero magis externi, quales per Germaniam passim vagantur, Britanni, aliique, sunt enim ob artem ludicram infames, & magnas corruptelas inducunt.

Histriones priuatim domos corrumpunt.

Britannici ludiones Germaniā infestant.

Non omnem theatri tamen apparatum, omneq; comœdiarum studium abrogarim; sed certis astrictum legibus facile concesserim.

§. 7. Primo quidem ad virtutem excitet, tam eos, qui pronunciant, quam eos qui spectant, audiuntque seu fabulam, seu veram historiam. Vnicam cæteris modestiorem Plauti fabulam habemus, Captiuos.

Ex vetustis vix vna comœdia casta est.

> *Profecto, inquit, expediet, huic fabulæ operam dare,*
> *Non pertractatæ factā'st, neq; item vt cæteræ,*
> *Neque spurcidici insunt versus, immemorabiles.*
> *Hic neq; periurus leno 'st, nec meretrix mala,*
> *Neque miles glorioſus.*

Sancta igitur sint, & virtutem inserant. Prudentiam ciuilem doceant. Nihil dicatur in theatro Christianorum, quod non dici possit, & in templo. Auditor enim tuus est templum spiritus sancti, cui nefas est nugas, nedum obscenitates commendare. Nam recte omnium politicorum caput, & magni regis institutor, lib. 7. cap. 17. Ὅλως, inquit, ἀρχεολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἀλλότριον τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν. *Turpiloquium, vt alia mala penitus ex vrbe exterminanda esse.*

Turpiloquium ex vrbe exſtirpandum.

Secundo. Gestuum sit ea moderatio, quæ non modo grauitate, viris ciuiliter, & culte moratis placeat. Sed quem in omnem reliquam vitam retinere possit actor: Vt scena ad comiter suauiterque in Societate hominum viuendum conferat, adolescentumque etiam rusticorum, ruditas, tarditasque formetur.

Scena ciuilitatē morum doceat.

Tertio. Cum vitiosorum, vt superborum, auarorum, iratorum affectus exprimuntur voce & gestu, ea sit carminis ratio, & actionis, vt odium, & detestatio vitiorum concilietur. Neque vnquam mali causa, tam dextre agatur, vt bonum causa cecidisse videatur. Ita futurum non est, quod quandoque contingit, vt incessum, vultum, iactationes brachiorum, quam theatris decenter exhibuerunt, in priuatam conuersationem deferant. Et qui in theatro superbiam simulare videbantur, in vita ad verū præstent.

Gestus vitiosorū ad detestationem idonei sint, ne hæreant in actore.

Quarto. Affectum amantis nunquam verbis aut gestibus exprimant: ne quidem eo fine, vt calamitosus exitus impudicitiæ ostendatur. Non igitur Hemorem filium Sichem amore sauciū producet actor, vt internecione ciuium omnium, scortatio vindicata plus timoris incutiat. Neque Dalilæ blanditias, vt Sampsonis fata canantur. Magnum est has inter res discrimen, cogitare, loqui de superbia, auaritia, ebrietate, eiusque affectus simulare, non deducit à virtute animum: at morbus libidinis contagiosus est, minima aura transfunditur. Hoc vitium etiam inconsultius, aut inuerecundius reprehensum sæpe incitatius sæuit: Sine sua iracundia, sine ebrietate iracundos, & ebrios homines intuentur, & ipso aspectu vitia illa damnare didicerunt. Alienas libidines improuidæ mentes secure non audiunt, nisi obiter, & in transcursu, si amoribus exprimendis inhæreas, inficitur vitio animus, antequam Catastrophen exaudiat.

Amantium affectus, ne bono quidē fine exprimantur.

Vitia horrida deterrent audita, blanda illiciunt.

Quinto. Lepores, & sales non damno, modo sint acuti, honesti, & ad vitiorum contemptum pertineant. Salse enim nihil dici potest, nisi in vitium. Si enim iocaris in innocentem, probrum est. *In ipso ioco*

aliquid probi ingenij eluceat: nunquam turpitudo insinuetur. Optime Nazianzen. εἰπεῖν, ἀκοῦσαι, ἢ δρᾶσαι, μικρὸν μέσον. *Dicere, audire, facere breui distant interuallo.* Liberalis sit ergo iocus, non maleuolus, non turpis: Quia nec audire talem oportet. Admirandum est, quod Antonius Senensis in historia Patrum prædicatorum narrat. Luciæ castæ, sanctæque virgini adolescens amorem suum indicarat, atque inter blanditias scripserat; *Oculorum eius sepulchritudine sauciatum, captumque.* At illa insolens leniniæ adulationis, simul de salute amatoris sollicita, erutos oculos adolescenti misit, addito elogio, *habere eum rem vilissimam, quam præ Deo suo deamasset.* Quam castus ille animus, quia oculos Epistola impura violatos eruit, quia amatori placuerunt; quomodo illa virgo theatricas obscenitates detestaretur, quæ literas ita vindicauit.

Quanta cura puritatis, ne impudice ametur.

Sexto. Nulla scenam mulier ingrediatur, nullus cum schemate muliebri. Absit à theatro etiam habitus illius sexus, quem domi verecundia, & iura concludunt. Nunquam probaui adolescentem, fœmineo habitu simulare fœminam, etiam sanctam, pudicam, castam, à fœminis comi, ornarique, quasi fœminam in publico videri. Hanc meam sententiam à Societate nostra probatam gauisus sum; muliebri enim habitu prodire in scenam discipulos nostros in posterum vetuit. Et in vniuersum causam castitatis agi in theatro displicet. Verecunda est, & tenera, fugiendo, & latendo tutior, in publico ne pro laude quidem sua apparere desiderat. Fides, fortitudo, prudentia, sobrietas, partes suas habeant. Pudicitia domi sola conscientia fruatur. Si publice laudatur, parce id fiat, & verecunde.

Verecundior sexus à publico absit.

Septimo. Nemo in scenam procedat lucri gratia, nemo qui non alia arte vitam toleret, aut impensis domesticis se familiamque alat. Scenicos itaque, & Agyrtas, qui iocando, obscena loquendo, fallendo victum parant, quorum laus crescit ex crimine, qui eo peritiores habentur, quo turpiores sunt, ex mea Republica, iam ante penitus proscripsi. Solent vero huiuscemodi homines esse improbissimi. Cum enim paupertate premantur, id agunt, vt turbas colligant, vt populo placeant; hinc illa dicunt, aguntque quibus stolidissimus quisque delectatur. Hinc nihil pensi habent, quid loquantur, modo pecuniam extorqueant. Itaque male consultum erat Reipubl. cum fæx illa alebatur ex publico, tantaque cura risum, & turpitudinis doctrinam emebant. Roscius mercedem diuturnam accepit mille denarios, vt Macrobius lib. 3. Saturn. auctor est. At sane ista in pessimorum oblectationes insumi, quæ prouinciæ contulerunt, contra ius fas est, quietemque Reipub. perturbat.

Nemo precio theatrũ ingrediatur.

Histriones exterminandi.

Octauo. Quemadmodum igitur oberrare non debet principis mensam obscena licentia, sed benigna inuitatio, liberalitas ioci, & studiorum amor. Ita oculos Christiani populi, comœdia sacra, honesta, politica, erudita, liberalis indolis index, futuræ spei pignus seuera comitate, & facili grauitate oblectent. Idque agatur vt in eam rem honestissimus quisque, & nobilissimus, exercitationemque veniat. Hæc omnia breuibus verbis complexa est regula 13. quæ Rectoribus Societatis præscripta de studiis est ratio.

13. *Tragœdiarum, & Comœdiarum, quas non nisi latinas, ac rarissimas esse oportet, argumentum sacrum sit, ac pium: neque quicquam actibus interponatur, quod non latinum sit, & decorum; nec persona vlla muliebris, vel habitus introducatur.*

14. *Magna autem cura caueat, ne discipuli, dum se ad huiusmodi res comparant, morum faciant, studiorumue iacturam.*

CAPVT XIV.

Sobrietatem Reipublicæ esse firmamentum.

§. 1. PRo sobrietate contra intemperantiam, multa à sapientibus dicta sunt, multa à temperantibus. Verum ebrietas in circulis, in conuiuiis etiam reprehensa, dominatur; multoque est facilius virtutem laudare, quam sequi: De temperantia igitur illis, qui fercula, vinumque requirunt, dicam. Dicam etiam Germanis, hoc est, meæ patriæ. Apud quos licet hoc vitium latissime regnet, non tamen de medicina desperandum est, cum multi principum, magnatumque aulas suas ad moderationem, continentiamque reduxerunt. Carolum quintum à quibusdam rogatum aiunt, vt commessationibus, ac compotationibus interdiceret. Eum vero ridentem respondisse; id perinde fore ac si Hispanis furta prohiberet. Non ita locutum emendationis desperatione Imperatorem existimandum est, sed vt homines alienæ nationis vitia acerbe perstringentes, domesticorum malorum admoneret. Itaque & hæc ipse monebo, erit enim cum aut principum diligentia tam magnum malum tolletur, aut barbara seruitute opprimetur.

Germania non solius, sed magnũ vitium ebrietas.

Nunquam non hoc malum suum Germania agnouit, itaque plurimas contra illud leges tulit, etiam publicis in comitiis conuentibusque, ego recentiores recensebo.

Anno 1500. Augustæ in comitiis imperante Maximiliano ita decretum est de propinationibus. *Et quanquam Electorum, Principum, aliorumque ordinum consensu, de propinationibus & compotationibus, proximis comitiis, statutum & sancitum est, vt omnium prouinciarum, ac locorum magistratus, vbi ea compotandi consuetudo adeo antiqua non fuit, in eam rem incumbat, vt illa tollatur, caueatur, & grauiter plectatur: intelleximus tamen hanc nostram, & imperij constitutionem, adhuc parum esse obseruatam, sed dictum abusum, & intemperantiam vbiq; in omnibus prouinciis in dies magis magisque inualescere, & augeri. Quare cum tanto magis, vt maiore cura & vehementia huic malo, quam antehac factum occurratur, necesse sit, præcipimus & mandamus, omnibus & singulis Electoribus, Principibus, aliisque ordinibus, cuiuscunque illi sint dignitatis, conditionis, aut prouinciæ, ni iustam Nostræ Maiestatis indignationem incurrere, & gratia excidere velint, vt huiusmodi compotationes in suis electoratibus, principatibus, prouinciis, ditionibus, ac territoriis, vbique locorum seuere prohibeant, graui pœna mulctent, omnique studio hocce mandatum exequantur.*

Leges cessant poculis.

§. 2. Anno vero 1512. Coloniæ grauior etiam pœna decreta est.

§. 3. *Item licet sæpius superioribus comitiis compotationes grauissime sint prohibitæ, id tamen parum adhuc obseruatum & executioni mandatum est; imo ab iis, quos mandatum tueri atque vrgere oportuit, neglectum, quapropter & in primis, quod ex hac ad largiorem vini haustum imitatione nascatur ebrietas, ex ebrietate frequentes blasphemiæ, homicidia, aliaq; mala innumera, ita vt isti potatores se se in præsens honoris, famæ, salutis animæ, rationis, vitæ fortunarumque discrimen coniiciant, omnium prouinciarum magistratus singuli, summi, infimi, Ecclesiastici, seculares, vitium illud in se ipsis primum, deinde in subditis suis emendent, eaque potandi libidine omnibus sub grauissimis pœnis interdicant. Et si qui è nobilitate inde se continere noluerint, vt & Nos, Electores etiã, Principes tam Ecclesiastici quam seculares, omnisque magistratus, eos vitemus, ab aulis dimittamus, officiis ac muneribus moueamus, eaque de causa dimissos, nemo neq; principum, neq; aliorum dominorum ad suum famulatum admittat: inferioris autem conditionis & sortis homines eandem ob culpam corporalibus pœnis subiiciantur. Quod si quis magistratus intuendo, vrgendo, exequendo hoc mandato nostro erga subditos suos ne-*

suos negligens fuerit, tum Nostræ Cæs. Maiest. fiscalis, eos subditos, qui deliquerint, ad Imperialem nostram Cameram, ad meritas de iis pœnas sumendas citet. Vbi autẽ praua illa potandi consuetudo iam inde à maioribus tradita inoleuisset, sedulam dabunt operam magistratus, vt aboleatur.

O felicem patriam si amphoræ illæ, & Maximini ab aulis, ab Ecclesiis, ab vrbibus exterminentur, puniantur que.

Anno 1548. Augustæ, à Carolo quinto, consensu imperii, ita decretum est.

Quandoquidem ex ebrietate, vt quotidiana docet experientia, grauissime Deus offenditur, varia enim hinc vitia mala, & iniuriæ pullulant & in præteritis comitiis de compotationibus, poculorum vinique certaminibus constitutum est, vt ad tollendas & abrogandas compotationes magistratus, eius criminis reos seuere plectat, eiusmodi tamen constitutiones parum adhuc obseruatæ sunt, & executioni mandatæ, sed praua illa potandi consuetudo indies vbique latius altioribus actis radicibus aucta & propagata est: Vnde blasphemiæ, latrocinia, homicidia, adulteria & id genus delicta grauissima consecuta sunt. Accedit quod per ebrietatem secreta, quæ merito tegenda, subinde reuelentur. quæ vitia Germanos, quorum virtus iam olim cognita, & plurimum laudata, apud exteras nationes admodum contemptos reddunt. Factum item in bello sæpe, vt ea occasione graues inter ipsos milites dissensiones, seditiones & rebelliones exortæ sint, erga duces & magistratus bellicos enata inobedientia: hinc etiam augetur annonæ caritas, tolluntur, imminuuntur ac vitantur honesta conuiuia, & societatis conuentus, vnde quandoque Germani inprimis commendati sunt. Vt taceamus potandi vitium, omnium malorum esse scaturiginem, hominumque æternæ saluti, honori, gratiæ, rationi, longiori vitæ ac corporis viribus admodum perniciosum. His itaque consideratis, mandamus omnibus & singulis Electoribus, Principibus, tum Ecclesiasticis tum secularibus, aliisque ordinibus cuiuscumque dignitatis, conditionis, aut prouinciarum sint, à compotationibus illi ipsi, tum vt subditis exemplo præluceant, tum vt tanto maiorem à transgressoribus debitas pœnas sumendi copiam habeant, penitus abstineant, & in aulis aulicos, in principalibus ditionib. prouinciis, territoriis ac dominiis subditos sub grauipœna ab omni compotatione, quocumque demum modo, verbis, aut forma illa instituatur aut instituenda excogitetur, abstinere iubeant, seduloque mandatum hoc vrgeant: præsertim etiam vt patres familias, totam familiam, liberos, famulos, ancillas diligenter moneant à iuramentis, blasphemiis in Deum, sanctissimam eius matrem, cæterosque sanctos & à potationibus vt sese plane centineant: vt & Nos hic seuere præcipimus & diligenter obseruatum volumus.

Volumus etiam vt Magistratus parochis suis & concionatoribus id negotii dent, vt omnibus diebus dominicis populo proponant, eumque à potationbus abstinere iubeant, enumeratis ad eam rem vitiis quæ progignuntur: ad quod necesse erit eorum catalogum illis à magistratibus procurari.

Anno 1570. Spiræ à Maximiliano de ordine militari sic statutum est §. 48.

Quoniam, pro dolor, eo res venit, vt inter Germanos præsertim militiæ detestanda & beluina potandi consuetudo præcipuum sit exercitium, vnde toti genti graue dedecus, ignominia, infamia, periculum ac contemptus immineat, in primis quod variores inde victoriæ, infeliciores sæpe belli successus consequantur. Magistro equitum, magistratibus militaribus vt & Dominis, nobilibus, & equitibus vi militaris huius cõstitutionis seuere mandatum sit, vt à continua perpetuaque ebrietate sibi temperent, præsertim autem ne id asseclis & famulis suis permittant. Et §. 49. ita monet.

Quod si quis militariũ magistratuum, vnus sit, siue plures, delatus deprehensusue fuerit, qui beluino ac detestando sese ingurgitandi vitio ita deditus sit, vt munus suum pro necessitate nequaquam obeat, is per militiæ præfectum aut ducem suum officio moueatur, magisque sobriis illud commendetur. Neque cuiquam, quisquis ille sit, sese opponere: aut illi auxilio esse defendereue fas sit, vi præsentis constitutionis debitæque obedientiæ. Et §. 50.

Item per militiæ præfectum, duces, & equestre iudicium in omnibus delictis, quæ in ebrietate à Dominis, nobilibus, militibus, cuiuscumque conditionis aut sortis sint, commissa sunt & punienda veniunt, ebrietas ad excusationem aut pœnarũ mitigationem nullo modo, vel acceptetur vel admittatur, quin imo huiusmodi delicta eo seuerius, grauius, etiam altero tanto mulctentur ac puniantur. Et §. 51.

Qui per ebrietatem hostile periculum somno sopitus aliaue ratione neglexerit, capite negligentiam luat. Et §. 52.

Omnes & singuli milites, pedites, aliique qui in equitum famulitio versantur, qui ita bestiarum more bibisse, itaque ebrii deprehensi fuerint, vt suiipsorum, & rationis impotentes sint, recta ad carceres deducantur ferroque vinciantur, neque sine ducum aut Magistri equitum voluntate emittantur: ad hæc ius & fas sit, tales pro delicti grauitate, & confessione puniendi, eosque, qui huic rei sese opposuerint, ad equitum iudicium citandi, pertrahendique. Denique §. 78.

Qui igitur in excubiis potus, aut ebrius deprehensus fuerit, ita vt pro rei necessitate excubias agere veramque ac germanam tesseram edere nequeat, is ad arbitrium ac sententiam præfecti militiæ, aut ducum aut Equestris iudicii puniatur.

Has idcirco leges in medium produco inter initia, vt obuiam eorum obiectioni veniam, qui de Germania desperandum censent, qui negant sobrietatem reduci posse. Imperatores & principes bene sperant, addo & possunt, si volunt, medicinam adhibere.

Afri ebrietati addicti à Christiana lege sobrietatem didicerunt,

§. 4. Africani teste Augustino ad ebrietatem proni erant, sed in eius tamen Ecclesia tanta erat cura sobrietatis, vt Augustinus merito dicat Sermone 231. de tempore. *Licet propitio Christo, fratres charissimi, credam vos ebrietatis malum velut inferni foueam expauescere, & non solum ipsi non velitis amplius bibere, sed nec alios adiurare, vel cogere plusquam oportet accipere: tamen non potest fieri, nisi sint aliqui negligentes, qui sobrii esse non velint: vos qui semper conuiuia sobria exhibetis, nolite ad nostram iniuriam reuocare, quia nobis necesse est aliquos ebriosos arguere.*

Olim consuetudo ebrietatis.

Cum enim fratres charissimi, ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in consuetudinem missum est, vt ab illis qui Dei præcepta cognoscere nolunt, iam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantum, vt in conuiuiis suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam, adiurare homines non erubescunt, vt potum amplius accipiant, quam oportet.

Cogunt bibere, hoc est mori.

Qui enim alterum cogit, vt se plus quam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret. Et quia corpora nostra terrena sunt, quomodo pluuia nimium grandis, & diuturna si fuerit, terra infunditur, & in lutum resoluitur, vt nulla in ea cultura possit fieri: sic & caro nostra quando abundantiori potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere.

Minus malum vulnerare, quam inebriare.

Et ideo quomodo omnes homines sufficientem pluuiam in agris suis accipere desiderant, vt & culturam valeant exercere, & de fructuum vbertate gaudere, ita & in agro corporis hoc tantum deberent bibere quod oportet, ne per nimiam ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conuersa, magis vermes & serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. Omnes enim ebriosi tales sunt, quales paludes esse videtur. Quid enim in paludibus nascatur, nõ ignorat charitas vestra: totũ quod ibi nascitur, nullũ fructum habere cognoscitur.

Ebrietas corpus mergit.

Nascũtur ibi serpentes, sanguisugæ: nascũtur ibi ranæ & diuersa genera vermiũ, quæ magis horrorem possunt generare, quam aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Ista enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus; aut circa ripas earum nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum vt in annis singulis incendio concrementur. Videte quod de ebrietate nascitur, igni præparatur.

Corpus ebriosi vligino sa palus.

Ebrietas cõtra docentium clamores exurgit.

Quid de his aut libros scribimus? aut in templis concionamur? aut disceptamus in Gymnasiis? Venter aures non habet; sed ebriorum etiam aures carent auditu, & caput cerebro. Non tamen cedendum est vitiis, sed contra eundum, ita olim sapientes & Prophetæ fecerunt; Nec timenda iracundia ebriosorum, quia iam mox computrescent.

Turpis in malo gloriatio.

Clamant illi; *Erubescite, & verecundia sit vobis: quare non potestis bibere, quantum nos? Dicunt enim eos non esse viros. Et videte miseriam ebriosorum, se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca iacent, & illos non dicunt esse viros, qui honeste, & sobrie stant. Iacent prostrati, & viri sunt, stant erecti & viri non sunt?*

Cum igitur ebrii extra suam sint potestatem, nec admonitionis, quia ratione carent, capaces, sobrios, vt eos coerceant, moneamus.

Ebriosis cedunt magistratus, vtinam ne & ideo cedere cogãtur hosti.

§. 5. Primo quidem magni regis, & à quo pendet omne regnum illa lex omnibus data est. Germanicarum legum in decretis Dei, in oraculis altissimi fundamenta vides, & Germaniæ principes, proceresque non ignorare sua mala, sed vel amare, vel ad ea amouenda infirmos esse. Verum leges diuinas intueamur, atque ad eas Rempublicam nostram, moresque exigamus.

Ritus veteris legis sobrietatem requirunt.

Leuitici 10.8. *Dixitque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est, in generationes vestras.* Ad cæremonias perituras ne accedat ebrietas, omnino gustasse vinum habetur piaculum: Christiani quomodo calicem Domini bibemus, de vinolentia adhuc ructantes?

Apud principem maxime seruanda sobrietas.

Prouerb. 20. 1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur non erit sapiens.* Et 21.17. *Qui diligit epulas in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Et 23.1. *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam, ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacii.*

Ebrietas per lucidior vitro.

Et 31. 4. *Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas*, ne forte bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.

Paupertas, stultitia effectus vinolentiæ.

Ecclesiastici 19. 1. *Operarius ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica paulatim decidet. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.* Et 31.12. *Supra mensam magnam sedisti, non aperias super eam faucem tuam prior.* Et vers. 17. *Ne comprimaris in conuiuio.* Cap. 37.32. *Noli auidus esse in omni epulatione.*

Potentia & assuetudo potandi æterna damnatione percellitur.

Isa. 5.11. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandã, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis. Cytharæ, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini nõ respicitis, & opera manuum eius non consideratis.* Et vers. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Et 22.12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad calutium, & ad cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnem, & bibere vinum, Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, &c.* Et 28.7. *Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta*

Ebrietas nec in ipsis cladibus cessat.

nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Et 56. 12. *Venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multo amplius.*

Ezech. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant.*

Sacri & profani diripientes.

Dan. 5. 2. *Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem: vt biberent in eis Rex, & optimates eius vxores, & concubinæ illius.*

Scrimen ignorat.

Oseæ 4.11. *Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.*

Ioel. 1. 5. *Expergiscimini ebrii, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.*

Mich. 2. 11. *Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit super quem stillatur populus iste.*

Rom. 13. 13. *Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione.*

2. Corinth. 10. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt.* Et 15.32. *Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.*

At nunc quid aliud agunt, quos crebro ebria vox excipit.

Galat. 5.19. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt: Fornicatio, immunditia &c. Ebrietates, & his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Ephesinæ 5.18. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

1. Thessal. 5. 6. *Vigilemus & sobrii simus, qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus.* 2. Tim. 3. 2. *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum &c. non vinolentum, non percussorem, &c.*

Sacrilega auditas quæ omnia Dei dona vendidit.

1. Pet. 4. 3. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandã, his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus & illicitis Idolorum cultibus.* Hebr. 12.16. *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.*

Ebriosa respublica & ne miraculo diu stare non potest.

§. 6. Iam dudum memini mihi cum illis negocium esse, qui omnia commodis suis, non Reipublicæ integritate, sed ratione status vt ipsi loqui solent, metiuntur. Itaque & hoc dicendum mihi est, eam Rempublicam in qua ebrietas dominatur, diu stare non posse. Nam ea & Deo inimica, & ordini, quo solo constat, contraria est.

Pro ebrio alii consultant.

Quæ enim regio fuit, quæ ebrietatem etsi amplexa est, non damnauit? quæ non ea periit, nisi mature correxit? Lacedæmon dura illa, sed breuis virtutum custos, sobria regnauit, ebria seruiit. Cur seuera lege ebrietatem vitarent, interrogatus Leontychidas, *ne pro ipsis alii consultarent*, respondit. Ebrius enim, vti pupillus, in aliena est manu. Solon ebrietatis delictum morte puniuit. Pittacus ebrietate delinquentem, dupla pœna affecit, quod quodammodo Germaniæ leges imitantur, grauiorem enim pœnam ebriorum delictis sanciunt. In Hispania si quis ebriosus sit testimonii dicendi honore priuatur, in Italia ludibrio, & quodammodo infamis habetur. Testimonium igitur creatoris, sanctorum patrum, legum humanarum, consensum omnium gentium tenemus, cui si quis refragetur, næ ille ab omni Republica, tanquam insanus, & furorem meditans est reiiciendus.

Iure gentiũ damnata ebrietas.

Ebrietas paruos, morbidos fœtus procreat.

§. 7. Respublica quæ temperantiæ rationem non tenet, quæ vinolentiam ciuium suorum, vel dissimulat, vel concitat, crudelis est, infirmum, morbidum, rebus gerundis inutilem populum, vicinis contemptibilem, hostibus obnoxium educat. Etenim in filios, & nepotes patrum, auorumque vinositas arthritin, hydropem, caron, lippitudinem, tremorem, epilepsim, apoplexiam, & crebro quidem cum inopia & egestate transfundit. Sanitatis causa sobrietas est, morborum cohortem inducit intemperantia. Aurea verba Hippocratis sunt. *Sanitatis causa sobrietas.*

Ἀγαθοῖς ὑγιείας ἀκοὴν τεῦξαι, ἀοχθίσαι πάντων. Sanitatis exer-

exercitatio est, tenuitas victus, & impigra laboris tolerantia. Socrates Athenis hoc est in luxuriæ, morborumque patria, sanus diutissime vixit, quia sobrie. Ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus apponit; imo parcam etiam magna fortuna, modo luxuriosa non sit. Sanitas parcam requirit, febris & hydrops nunquam satiantur. Natura paucis contenta est; vt omnes fatentur, aqua bene viuitur, & salubriter. *Nilum habetis, & vinum quæritis?* dicebat Pescenius Niger militi deliciarum cupidine tumultuanti. Senectus Augusti abstinentia viguit, & longior fuisset, nisi eam nefaria coniux mediata ficu præcipitasset: *Cœnam ille ternis ferculis, aut quam abundantissime senis præbebat, vt non nimio sumptu, ita summa comitate.* ita testatur Tranquill. Quid audis? Terna, aut sena fercula in mensa Augusti? rerum Domini? cui Parthi signa retulerunt? cui regna submiserunt Indi? Quis Satrapas, quis ciuium ita cœnam amico præbet? Longæuus & Constantius fuit, causam docet vitæ eius historia. *In Cæsaris conuiuio Phasianum, & vuluam, & sumen exigi vetuit, & inferri, munificis militis fortuito cibo contentus.* Causa vero cur vinum, & nimius cibus corpori morbos adferant, adeo vt recte οἶνον vocent ἀφ' ἁλῶν μητρόπολιν, à Physicis facile exponitur.

Sitire vltra naturæ legē signum est in homine morbi, aut lassitudinis.

Frugalitas Augusti.

Ebrietas lerna malorum.

§. 8. Quicquid naturæ supra appetitum, vires que suggeritur, id eam grauat, premitque, adeoque debilitat vt in venena vertatur: Ingentem luctam excitat, & cum pectoris conuulsione, nausea, capitis concussione, memoriæ oblesione versis in contrarium viscerum officiis eiicitur.

Vinum copiose sumptum, præsertim dulce, & spiritosum, magna copia in sublime euaporat, omnes meatus, & cerebri sinus implet, rationem sopit, & mox frigore concrescit nebula illa, oppressisque tam respirandi meatibus, quam neruis sentiendi administris, aliquãdo mortem præsentem intentat; sic enim Alexander Macedo mortuus est; sic Andebundus rex Angliæ, ex conuiuio elatus. Spectaculo fuit Alexandri semper ebrietas, sed toti exercitui ad terrorem propositæ Calani Indi exequiæ: Certamen enim potantium institutum fuit. Primo promissum talentum, secundo minæ triginta, tertio decem, sed cruentum certamen fuit, triginta & quinque in ipsa Palæstra continuo frigore, horrore, syncope correpti animas exspuerunt. Sex ad tentoria relati paulo post obierunt. Qui talentum meruit, Promachus Macedo, eo accepto, intra triduum decessit, ita Chares Mityl. de Alexandro. Quod si mors non consequatur, in promptu tamen est morbus comitialis, Herculeus dici solet; nam eo obnoxius Alcides fuit; nec immerito; inter potores enim palmam tulit, scyphum eius vix à duobus ferri potuisse tradunt. Itaque ingentes crateras Heracleos nominabant. Omnes sensus præsertim oculi obtusiores redduntur; vox ebrietate hebetatur, color intermoritur, anhelitus vitiatur, aures, pulmo, stomachus, articuli, intestina propria habent ex crapula vitia, phrenesis etiam crebra inde erumpit.

Cur obsit vitæ ebrietas.

Horribile ebrietatis exemplum.

Hercules potator & epilepticus.

Oculorum venena venus, & vinum: vtroque incenduntur, & rubent.

Quid miserabilius Zenone, qui populorum ludibrio viuus vino, deinde terra sepultus est? Mente omnino per ebrietatem abalienabatur, exprobrante plebe; *Zeno exurge, iterum potasti?* Cumque id crebro fieret; Ariadna odio tot vitiorum semiuiuũ in sepulchrum impetatorium conici iussit, idque ingenti saxo occludi, vbi cum ad se rediisset, ingenti lamentatione, ac boatu eiulans, timore Ariadnæ neglectus, mori coactus est. Zonar. an. 3. Nec dissimilis Michaelis apud eundem Zonaram exitus, quem mero obrutum, ac profundissimo somno oppressum, amputatis deinde manibus, quod præ ebrietate fugere non posset, Basilii miles transfixit, & eductis ense visceribus ebrietatem, vitamque soluit. Vnde vero illa oriantur breuiter Aristoteles, Sect. 3. problem. 3. Δυσείλους enim esse ait, & celerrime laterum dolore, cæterisque eiusmodi corripi. Nam multum humorem, multum frigoris adferre, & calorem naturalem vincere. Senectam vero, & tremorem vinum inducit, ὧν τὸ θερμὸς ὁ οἶνος μὴ τῆς φυσικῆς ὑπαρχούσης θερμότητος, μᾶλλον ἀναλίσκει τὰ ἐν σώματι ὑπάρχοντα ἐφ' ἑδέσθαι τῷ οἰκείῳ θερμῷ *Cum enim calidum sit vinum, caliditati naturali corporis coniunctum, efficacius absumit, quæ sunt in corpore alimenta naturali, & insito humori. Vnde fit, vt alios ex his aqua interius premat, alios fluxio, alios alia deiectio, & pleraque alia vitia eiusdem alui exerceant. Nam & reliqui humores acerbi, ineptique remanent: & qui liquidi extrinsecus aduenerunt, crassari ob imbecillitatem caloris proprii nequeunt.* Calor autem ipse imbecillus propterea manet, quoniam materia, qua contineri adhuc potest, imbecilla est: quomodo ignis, quem arundo reddiderit: hic enim propter materiæ imbecillitatem, infirmior est, quam qui à ligno præstatur.

Frigent ebrii calore externo presti.

Calor vini vt calor febrilis naturalem calorem consumit.

Plane vero ætatem vino minui docet Aristoteles Probl. 23. *Quamobrem qui ante extenuatus, merum inde multum hauserit, morte occumbat? & plerique vero bibaces, cum se nihil extenuarint, multo tamen, vniuersoque meri hausto ficci efficiuntur? Quærendum enim hoc est, quandoquidem vinum calidum suapte natura est, & vt vita calore continetur apparet, sic mors refrigeratione auidere. An, vt ex cicuta, sic ex mero intereundum est, inde licet dum proprius calor paulatim extinguitur, modo tamen diuerso. Cicuta enim frigiditate calorem macerat naturalem. Et quomodo ab igne nimio, aut sole exiguus ignis extinguitur, sic intimus corporis calor à vini calore, si nimius est, superatur, atque extinguitur.*

Cicuta frigore opprimit calorẽ naturalem, vinum suo illum calore erogat.

Aut si alia similitudo placet. Quemadmodum vinum calefactum, cum refrigeratur naturalem calorem, subtilitatemq; perdit, quia partes igneæ, aëreæ, delicatioresque euanescunt, materia ignobilior remanet, ita quoque humor naturalis, quem radicalem Philosophi nominant, nimio calore aduentitio dissipatur, dissoluitur, vnde tremor, & frigus corporum inualescit. Hinc sole ebrii gaudent. Hoc igitur constituto recte ordinata Respublica, princeps politicus, vt venena, vt cicutam, sic vinolentiam tollere, & punire delinquentes legibus debet. Non enim interest an frigore cicutæ, an calore meri insitum naturæ calorem exhaurias, & letale frigus inducas. Lentius credo vinolentia enecat, sed crudelius, magno morborum, & symptomatum concursu infelicem animam extorquens. Sane refert Cœlius Rhodoginus, l. 28. c. 31. Quosdam ebrietate obmutuisse, conuulsionemque seu spasmum passos è vestigio concidisse. alios febre superueniente, ex minore malo remedium quæsisse. Sic igitur statuo; nobilium in Germania multorum diuitumque vitam posse esse duplo longiorem, si colerent sobrietatem; imo saniorem, iucundiorem. Diuitum dico; eorum enim frequentior vinolentia, pauperum rarior, & duratis labore corporibus, siccatisque minus noxia. Singulæ enim ebrietates vt vitalem calorem, & vegetabilem naturæ humiditatem imminuunt, ita quoque vitæ partem abrumpunt, mortemque accelerant. Itaque & iniquus inuitator ad mortem impellit, dum delicioſa venena propinat, & sanitatem bibentes, ita enim loquuntur, annos sibi demunt. Senes multos nusquam nisi Germaniæ locis horridioribus inuenias, vbi pauperras, & vini inopia docuit sobrietatem, nec inficias iero; Multos procerum, atque opulentorum hominum temperantiæ legibus obsecutos in lauta fortuna moderate viuere. Sed horum paucitas aliorum numerositati cedit. Hinc aliud malum consequitur, nempe plurimos esse, patribus immatura morte sublatis, pupillos; quorum & res dissipantur, & maiore damno negligitur educatio.

Ebrii postri die fugent, nauseant, tremunt.

Vt subitæ & præsentanea venena, ita lenta princeps vetet.

Qui ad potum alios inuitant, adiguntque reuera rei sunt homicidii.

§. 9. Altius denuo exorsus, quanta sit in vino labes,

Zenonis sepultura.

Mors Michaelis ebrii

Lac vinolentæ nutritis nocet alumno.

bes, quanta inde vitæ pestis accedat explicandum aggredior. Aristot. de politicis lib. 7. cap. 17. Φαίνεται ὅ δεῖ τε πρὸ ἄλλων ζωὴν ἐπισκοπεῖσι, καὶ δεῖ τοῦ ἐθνῶν οἷς ἐπιμελές ἐστιν εἰσαγειν τὸν πολεμικὸν ἕξιν, ἡ δὲ γάλακτος πλήθουσα τροφή. ἀσινοτέρα δὲ, δεῖ τε νοσήματα. *Planum est, si quis alias animantes, & gentes quibus curæ est habitum bello idoneum corpori inducere consideret, vberem lactis copiam corporibus maxime accommodatam esse, absque vino tamen propter morbos.* Itaque & atrum vinum nutricibus prohibet. Ne scilicet lac vinosum, calidumque teneros infantium artus, & humores inficiat, est enim vt pabuli sapor, ita virtus quoque & proprietas in lacte. Non puto in Germania, fœminis vino interdicendum, quamuis id Romæ legibus cautum fuerit, quamuis Egnatius vxorem merobibam fuste occiderit, & à Romulo cæde absolutus fuerit. Frigida est enim regio, & vinum, vt plurimum vino Græco, Italo, Hispano dilutius. Itaque lex illa Romuli: *Si vinum biberit domi, vt adulteram punianto*, abrogata & Romæ fuit. Neque illa sequela vitiorum semper est, quam prisci nectebant. Vini vsum adulteria, veneficiaque sequi; nam medici frequenter in Germania, & borealibus partibus, vinum præscribunt, & Gueuara vir prudēs, iuxta ac seuerus, in calidissima sua Hispania fœminis, spissando lacti paulum vini concedit; licet ita dilutum, vt potius aquæ cruditas corrigatur, quam vt saporem lingua percipiat. Verum hæc ita quisque vt volet, æstimet. Modo id quod inde conficere mihi constitutum est, in mores inducatur; omnesque quantum in vini abusu sit corporum nocumentum, agnoscant. Si enim vinum à matre vel nutrice potatum, stomacho domitum, cæteris alimentis temperatum, in sanguinem spissatum, inde perfectissima concoctione in lac conuersum, tantam vim in alumnos exercet, vt calore alieno accendat, epilepticos, Ecstaticos, attonitos, stupidos, morbosos efficiat; quid censendum; si vterque parens, ac aui illa vitia hæreditate adepti, & intemperantia auxerint, & in prolem transcripserint?

In Germania fœminis modicū vinum est permittendum.

Veteres merobibam, & adulterā & veneficam putabant.

Hispanis fœminis vinum dilutissimum conceditur.

§. 10. Fæda etiam est eam ob causam multorum consuetudo, qui paruulis vinum frequenter instillant, ἅνευ πῦρ ἐπάγοντες, vt aiunt Græci, Ignem igni addentes.

Paruulis nullo modo dandum est vinum.

Plato ante annum octauum decimum, vinum pueris dari vetat, Auicenna pueris omnino negat. perinde enim esse, ac si ignem igni addas, idque in debili materia. Iuuenibus temperate, senibus quantū pati valent, concedit. Puerorum corpora rara laxa calida sunt, ideo vino facilime inflammantur, nerui imbecilles sunt, cerebrum inualidum, ita & Galenus in reg. sanit. *Pueris* ait *vinum inimicissimum*: quia eo nimium inflammantur, & quia nerui & cerebrum violentiæ resistere non possunt: Siccat autem vehementer, & statum mentis non in præsens modo euertit, sed etiam in omnem vitam turbat. Lignum validum, arcum æreum, si violenter inflectas, vires habet, quibus resiliat, & suæ se rectitudini restituat: cera, plumbum, & mollicula germina si curuaueris, facile sequuntur manum, nec tamen vnde deducta sunt, redire possunt. Ita corpora robusta, duratas arterias, neruos firmatos, cerebrum compactum ac spissatum, membranulas eius validas, turbat quidem in viris voluntaria ebrietatis insania, infirmioresque reddit, nunquam enim lignum semel curuatum integritati pristinæ omnino restituitur, & diu tensus arcus vires amittit. At si ardor liberi incidat in tenera puerorū viscera, ita dilatat, torquet, contrahit, siccat, vt nulla arte naturalem constitutionem recipere possint. Memorabile est exemplum Pergameni pueri, qui cum sitibundus meracum bibisset, diu vigil permansit, vigilias consecuta febris est, ex ea phrenesis, ac tandem mors. At non semper illa videmus. Verum est, non eadem in omnibus vinum sed contraria mala efficere; in alio hydropem, in alio ardentes febres, in quibusdam marcorem, somnumque, in cæteris clamores, & cantus. Vinum, dicit apud Aristotelem in problematis Chæremon *pro moribus eorum, quibus se applicat, operatur.* Itaque sensim & parum lædit, donec totum hominem eroget. Audiui iuuenes de insomnia querentes, vidi viros cæteroqui valentes, quibus si vinum non mentem, at certe sanitatem, vigoremque mentis abstulerat. Certum est vitæ breuis signum, in adolescentia negatus naturæ somnus, somnum fugat siccitas, at vinum adolescentes maxime siccat, humor ille naturam teneram obruens, dulcem & viuificum succum aufert. Quemadmodum lignum aridum aqua humectatur, natiuo tamen, & vitali succo caret, neque aliud humor ille efficit, quam vt facilius putrescat, ita quoque se habent corpora quæ vino potius abluuntur, quam bibunt. Sic Diotimus Athenienſis quem ioculariter Choem dixerunt, quod infundibulo appositō sine respiratione biberet. Sunt nonnulli adeo rerum periti, qui calore vini, quo ebrii æstuant, naturalem restitui, augerique calorem arbitrantur, cum tamē eos experientia doceat, postridie aut die tertio omnia frigere, mēbra tremere. Sed de pueris loquor, quibus frigidis in locis nullum, aut parce, & dilutum vinum concessero, in calidis nullum omnino. Florem tenerum in mustum coniice, pallentem, exsuccumque recipies, non minus delicata viscera leuis flamma falerni exurit, & in præcocem senectutem barba celeriorem præcipitat. Sed quid opus disputatione? Obeas Europam vniuersam licet, in cultis vrbibus pallentes facies adolescentum, gracilia corpora, tenuia crusculā, in pagis validam prolem, viuidum colorem, torosos armos, latos humeros, robusta & mascula crurum firmamenta, longæuitatemque inuenies. Sed hanc in rem mihi testis est æterna veritas. Eccl. 37. 34. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Animo ergo intimo recondant principes, ne in pace plures, quam bello pereant; quid enim prodest Reipublicæ gladios esse conditos, seu vt scriptura loquitur, *conuersos in vomeres*, si aconita intemperantiæ, si vini toxica licentius, quam vlla bella grassantur? Peccant in hominum salutem, qui hæc negligunt. *Homicidij crimen est, in hominis salute peccare*, inquit Cassiodorus. Pestem, & luem epidemiam fugiunt miseri, sine scelere, si ea corripiātur, morituri. Vini intemperantiam sequuntur cum dedecore, & æterno exitio morituri. Quod de vnius patrisfamilias filio dixit Augustinus serm. de castit. *Quid prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutriat tormentis.* Hoc principi dico? Quid prodest principi habere subditos, si omnes, aut magna pars misero spectaculo, tormentisque inferorum parantur?

Vinum pueris datum viros stultos efficit.

Omnes medici pueris vinum negant.

Vinū causa vigiliæ.

Contraria mala vinū operatur.

Externus humor putredinem, non vitam promouet.

Si debiles sint stomachi.

Vrbium debilia corpuscula.

Bellorum clades timent, cum plures ebrietate pereāt.

§. 11. De malis corporis quorum est causa ebrietas, sat dictum; maior est, animorum pestis, non de numinis offensa, delictisque loquor, sed de ingenii, memoriæ, iudicii, alacritatis impedimentis. *Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensus, confundit intellectum*, vt docet Augustinus, *Ebrietas facit de homine bestiam, de robusto infirmum, de prudente fatuum.* Vt testatur Origenes, & Hieronymus: *Nihil adeo obruit intelligentiam, sicut comessatio, & ebrietas.* Cleomenes dum Spartanarum Scytharum & Thracum ἀμύητα æmulatur, redactus est ad insaniam. Causa insaniæ ex vino est naturalis, quia corpus admirabiliter præsertim caput, cerebrūque petens immutat. Hinc spasmus, conuulsio, phrenesis, caros, epiphora, tremor, cerebri, & eius instrumentorū, quasi horologii, aut chordarū cōturbatio, stoliditatem efficit. Cāpanæ matres erinacei sanguinem māmis illeuisse dicūtur, vt feroces natos educarent:

Vinum plus menti quā corpori nocet.

Organa vino spiritusque turbātur.

rent: Verum nec copia eius sanguinis erat, nec ea efficacia, neque Campani feroces, sed delicioſi erant. Caligulæ nutrix puellæ diuulſæ ac dilaniatæ ſanguinem cum lacte dedit alumno, nec hęc tamen cauſa eius qua humanum genus afflixit, crudelitatis fuit. *Summam ille ex cædibus voluptatem cepit, ſanguinis effuſi ſpectaculo citra ſatietatem intentus*, vt teſtatur Dio. 59. Verum hoc natura immanis, inſtitutio, ebrietas adferebat, & temporum illa mala erant. Certe non ſine cauſa dixit Dominus Oſeæ 7. *Ceperunt principes furere à vino.* Non ſine cauſa Pythagoras tres botros in vite naſci dixit, primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium inſaniæ. Athenæus libr. 2. cap. 1. ex Timæo Tauromenitano refert, Iuuenes quoſdam Agrigentinos ad eam inſaniam veniſſe, vt temulenti nauigare ſe putarent, & quaſi orta tempeſtate, ac ſi oneribus nauem ſubleuare vellent, omnem ſupellectilem per feneſtras eieciſſe. Cum apparitores mitteret ſenatus, eos velut Tritones adorabant, & ſi tempeſtatem euaderent, victimas, & ſacrificia promittebant, die tertio vix ad mentem redierant, domus dicta Triremis eſt. Illa ergo temporaria inſania, ſæpius menti per vinum impreſſa, iudicium etiam ſobriorum interturbat.

Crudelitas ex vino eſt.

Inſania ebriorum.

Triremis Agrigentina.

Principum temulentorum etiam cum maxime ſobrii fuerunt geſta ſtultiſſima narrant hiſtorię. Sardanapalus vires & curam regni aliis permiſit. Cambyſes omnibus intolerabilis, omnium ſtolidiſſimus imperium patris afflixit. Bonoſus ſuo tempore capaciſſimus potatorum, imprudentia ſuſpendium meruit. M. Antonius ingenioſiſſimus Romanorum effæminate, & pueriliter pleraque geſſit. Claudius ille ſtipes & fungus, qui vt ait ille, *tam ſtultus erat, vt regnare nõ poſſet*; qui vt vocatur Seneca, *cum funus ſuũ vidit, & exequias, tum primo ſe intellexit mortuum eſſe.* Ille inquam conuiuia agitauit ampla & aſſidua. Caligula, Gallienus, Maximinus conſuetudine perpotandi, in maxima probra prolapſi ſunt.

§. 12. Verum quod caput eſt, ebrietate principes Rempublicam euertiſſe conſtat. Alexander Macedo, felix Aſiæ prædo, plurima iuueniliter, ſtolideque geſſit, nec vllus vino appetentior quam ille fuit. Caligulam nemo ſanum dixerit: ſi factorum eorum, vel vnum caput apud Suetonium legat: at ille ſi paucos annos vixiſſet, totum imperium dilapidaſſet.

Ebrioſorũ principum ſtultitia.

At ne ſingula (inquit Suetonius) *enumerem, immenſas opes totumque illud Tiberii Cæſaris, vicies ac ſepties millies H S. non toto vertente anno abſumpſit. Exhauſtus igitur, atque egens, ad rapinas conuertit animum, vario & exquiſitiſſimo calumniarum, & auctionum, & vectigalium genere. Negabat iure ciuitatem Romanam vſurpare eos, quorum maiores ſibi, poſteriſque eam impetraſſent, niſi filii eſſent. Neque enim intelligi debere poſteros, vltra hunc gradum, prolataque diuorum Iulij & Auguſti diplomata vt vetera & obſoleta deflebat. Arguebat, & perperam editos cenſus, quibus poſtea quacunque de cauſa quicquam incrementi acceſſiſſet. Teſtamenta principalium, qui ab initio principatus Tiberii, neque illum, neque ſe hæredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit: item cæterorum, vt irrita & vana, quoſcunque quis diceret hærede cæſare mori deſtinaſſe. Quo metu iniecto, quum iam & ab ignotis inter familiares, & à parentibus inter liberos, palam hæres nuncuparetur, deriſores vocabat quod poſt nuncupationem viuere perſeuerarent, & multis venenatas macteas miſit. Cognoſcebat autem de talibus cauſis, taxato prius modo ſummæ, ad quem conficiendum conſideret, confecto demum excitabatur. Ac ne paululum quidem in mora patiens ſuper XL. reos quondam ex diuerſis criminibus vna ſententia cõdemnauit, gloriatuſque eſt expergefactæ ſomno Cæſoniæ, quantum egiſſet dum ea meridiaret. Auctione propoſita, reliquias omnium ſpectaculorum ſubiecit & venditauit: Exquirens per ſe pretia, & vſque eo extendens vt quidam immenſo coacti quædam emere ac bonis exuti, venas ſibi inciderent. Nota res eſt, Aponio Saturnino inter Subſellia dormitante monitum à Cato prædonem, ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi, præteriret: nec licendi finem factum quoad XIII. gladiatores H.S. nonagies ignoranti addicerentur.*

Profuſionẽ ſequitur rapacitas.

Varia prædicandi vocabula.

Quid Neronem cithara, inter ludiones canentem proponam? Et ſane nihil illo ſtultius, poſtquã ebrius eſſe cæpit?

Ingluuies pecuina.

Vitelliana ingluuies, quam pernicioſa fuerit, indicat Tacitus. *Epularum fœda & inexplebilis libido. Ex vrbe atque Italia, irritamenta gulæ vectabantur, ſirepentibus ab vtroque mari itineribus. Exhauſti conuiuiorum apparatibus principes ciuitatum. Vaſtabantur ipſæ ciuitates. Degenerabat à labore, ac virtute miles, aſſuetudine voluptatum, & contemtu ducis*

Et pluribus verbis Tranquillus. *Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cœna ei data aduentitia, in qua duo millia tectiſſimorum piſcium, ſeptem auium, appoſita traduntur. Hanc quoque exuperauit ipſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam magnitudinem clypeum Mineruæ αἰχίδας πολιούχου dictitabant. In hac ſcarorum iecinora, Phaſianorum & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murenarum lactes à Carpathio vſque, fretoque Hiſpaniæ, per nauarchos ac triremes petitarum, commiſcuit. Vt autem homo non profundæ modo, ſed intempeſtiuæ quoque ac ſordidæ gulæ, ne in ſacrificiis quidem vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem ſtatim viſcera, & farra pene rapta à foco mandaret, circaque viarum popinas fumantia obſonia vel pudiana atque ſemeſa.*

Fames principum cœna.

Sordida gula.

Nihil altum, nihil principe dignum cogitat, cuius animus ſemper habitat in patinis.

Quid Gallienus? qui cum imperium à triginta hoſtium & tyrannorum exercitibus oppugnaretur, ſi quando ex temulentia euigilaſſet: quærere ſolebat. *Et quid habemus in prandio? Et quæ voluptates paratæ ſunt? & qualis cras erit cœna? quales Circenſes?* ita Trebell. Poll. Vide curam ſtulti imperatoris iam in extremas anguſtias redacti. Sic loquitur idem Trebell. *Ac ne eius prætereatur miſeranda ſolertia, veris tempore cubicula de roſis fecit. De pomis caſtella compoſuit. Vuas triennio ſeruauit. Hyeme ſumma melones exhibuit. Muſtum quemadmodum toto anno haberetur docuit. Ficus virides, & poma ex arboribus recentia ſemper alienis menſibus præbuit.*

Curam Rei publicæ vertunt ad inania.

Pereunte imperio ex roſis cubilia parant.

Sanuſne Heliogabalus de quo Ælius Lampridius; *Fertur in Euripis vino plenis nauales Circenſes exhibuiſſe.* Nam pro tam furioſa prodigalitate memoratu dignum nõ eſt, narrare ſexcenta in vna cœna ſtruthionum cerebella. Natationes in piſcinis vino plenis. Summa olim luxuria fuit, nauales Circenſes dediſſe. Hic vino Euripos nauigabiles facit. Vnde vero tanta inſania? Cum Peſcennio ita tranſegerat, vt ille imperio, ipſe vero Heliogabalus voluptatibus vacaret. Itaque vitanda omnino ciborum immoderatio, & intemperantia potus, quæ diſpenſatricem omnium officiorum prudentiam euertit. Ab homine nunquam ſobrio, non eſt poſtulanda prudentia. Veriſſimum quod ait Seneca Epiſt. 83. *Vitia vino concepta, etiam ſine vino valent.* Et vero præcipue vitium illud, quod eſt vini proprium, incogitantia, ſtultitia, inſania. *Vſus vini*, inquit Philo de Monarch. *grauat animam, ſenſus hebetat, corpus onerat.*

An non vni Circenſes, orbis terræ vinum abſumere potuiſſet?

Victa ab Heliogabalo omnium nequitia.

§. 13. Finiam exemplo priuati, quod Seneca Conſol. ad Heluiam ita deſcribit cap. 10. *Apicius noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando Philoſophi, velut corruptores iuuentutis, abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplina ſua ſæculum infecit: cuius exitum noſſe operæ pretium eſt. Cum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cum tot congiaria principum, & ingens Capitolii vectigal ſingulis cõmeſſationibus abſorbuſſet; ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tũc primum coactus inſpexit, ſuperfuturũ ſibi ſeſtertiũ centies cõputauit: & velut in vltima fame victur⁹, ſi ſeſtertio cẽties vixiſſet,* venenum ſumpſit. Tanti illi fuit gulæ ſuæ famam ſatiare. Quid ergo? Non ſæpius ſtomachum ſuum ille quam animum ebrius offendit? Non ſæpius vomuit quam locutus eſt? Non ſæpius ad vinum quam ad virtutem redijt? Non ſæpius ebrietatem ſuam quam pudicitiam prodidit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium deiecit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium occidit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium vendidit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium proſtituit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium perdidit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium occidit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium vendidit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium proſtituit? Non ſæpius ſe ipſum quam quemquam alium perdidit?

Luxuries etiam in priuatis modum egreditur.

Seſtertium millies duo milliones & medius ſeu 25. vaſa auri.

Bis centena & duo millia, quingẽta.

vixisset, veneno vitam finiit. quanta luxuria erat, cui sestertiũ centies egest. as fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere, non animi; sestertium centies aliquis extimuit, & quod alii voto petunt, veneno fugit ; Illi vero tam praua mentis homini vltima potio saluberrima fuit.

Ebrietas naturam confundit.

Stultitiæ igitur mater est ebrietas : Egregie Augustinus: *Ebriosus si vinum sorbet, ab illo absorbetur Deo fit abominabilis: ab Angelis despicitur: ab hominibus deridetur, à dæmonibus confunditur, conculcatur ab omnibus. Ebriosus confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem.* Quomodo confundat naturã iam supra exposuit Serm. 231. Veterum memoria nulla gẽs Thracibus tardior, aut stolidior fuit, numerare vltra quaternarium plebs nequibat, stupor ex ebrietate perpete, in Sobolem propagatus, miraculo cæteris fuit. Ebriosorum enim fœtus aut corpore, aut mẽte, & sæpius vtroque deficit. Nec iniuria quanquam magna acerbitate dixit adolescenti attonito, & ἐνσαρκῳ Diogenes; ὁ πατήρ σε μεθύων σε ἔσπειρε. Pater tuus ebrius te genuit. Causam autem cur sapientiæ obstet ebrietas, etiam cum iã furor ille deferbuit, insinuaui. Nunc explicatius de ea agendum est.

Ebriosorum fœtus, stolidi, aut Epileptici, aut mobiles.

Vino stultitia naturaliter inducitur, & augetur.

§. 14. In quibus flaua bilis dominatur, celeri sunt ingenio, in quibus melancholia, prudentes, & præcipue ad Rempublicam adhibendi. Sed tenuior, & nobilior melancholia sit oportet, quæ mixturam stultitiæ adiunctam non habet. Hominis autem prudentis est meminisse, & sapere, seu recte iudicare. Memoriæ sedes est, & imaginationis, specierumque, cerebrum, eius temperatura, & præterita retinet, & per imaginandi facultates, iudicio seruit. Si nimio humore fluitet, aut refrigeretur, memoria vacillat. Si incalescat vltra modum, phrenitis gignitur. Memoria igitur, & iudicium, in media cerebri temperatura cõsistunt.

Aeris temperatura ingeniis seruit.

Aër ipse purus ac integer bonorum ingeniorum fertilis est, vt Atticus, vt Palæstinus, vt Germanus. Crassior ac fæculentior, segnia habet ingenia. *Bœotum in crasso iurares aere natum.* Nimium frigus, torpentia, & quasi lethargica efficit, vt sunt ad septentrionem Lappiorum gentes. Nimius calor crebro penitus stupida, qualia sunt multorum Æthiopum. Hinc tam magna est in animarum paritate diuersitas ingeniorum, vt alii homines, pene aliis bruta esse videantur. Ex vtroque apparet, quantum ad sapientiam faciat sobrietas. Si enim aëris, quem ducimus, puritas ingenio necessaria est, ne turbidioris auræ incursu, sinceritas cerebri vitietur, turbeturque ordo; quanto est maior in vehementissima ebrietatis pulsatione confusio, quæ tanta est, vt linguam humore tumefaciat, totum corpus debilitet, ac deiiciat ? Deinde nimios calores, vinum præsertim in capite ipsa arce sapientiæ accendit ; Spiritus vitales, animales, turbidiores ac fæculentiores efficit. Et quod caput est, natiuum calorem exstinguit. Itaque & præteritorum facile obliuiscuntur, & de futuris parum sagaciter consultant. Dum enim vino caput crebro æstuat, quod delicatum est, & lucidum euanescit, deteriora, & insincera manent. Hinc sæpe cernimus veteranos principum consiliarios, inter ipsa negocia obturpescere, & iuniorum perspicacitate, ac diligentia vinci. De ingeniis loquitur Seneca: *In deterius quotidie res data est, siue luxu temporum, nihil enim tam mortiferum ingeniis, quam luxuria, siue cum præmia rei pulcherrimæ cessarint, tralatum est omne certamen ad turpia.* Cum vero etiam stupor ille parentum fuit, frequens est fungos omnino, ac bardos nasci. Sed vt concludam hoc affirmo, ab omnibus philosophis medicisque obseruatum: *Pueros multo cibo, ac potu, somnoque, tardos, stupidosque euadere: & malignius crescere.*

Veterani consiliarij principum ex potatione contempti, & stupidi.

Luxuries pestis ingeniorum.

Patrocinia violentiæ

§. 15. Duo mihi obiici solent: Primum est, quosdam bibendi potentes esse, animumque in vino vegetum esse. Alterum, Multos insignes ingenio, prudentiaque per interualla sobrietatis sapientissime consulere. Prioris exempla proponunt, Bonosum, qui bibens, meiensque hostium legatos inuitabat, eosque vt secreta proderent, inebriabat ; ipse multi vini tolerans. Et Cambysen; de quo lib. 3. de ira c. 14. narrat Seneca: *Præxaspes vnus ex charissimis monebat, vt parcius biberet: Turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi omnium, aureique sequerentur. Ad hoc ille: vt scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos post vinum in officio esse, & manus: Bibit deinde liberalius quam alias, capacioribus Scyphis: etiam grauis, & temulentus, obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, alleuataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, reciso quepectore hærens in ipso corde spiculum ostendit : ac respiciens patrem. An satis certam haberet manum? interrogauit. At ille negauit Apollinem potuisse certius dimittere. Dij illum maleperdant, animo magis quam conditione mancipiũ. Eius rei laudator fuit, cuius nimiũ erat spectatorem fuisse. Occasionem blanditiarum putauit, pectus filii in duas partes diductum, & cor sub vulnere palpitans.*

à turpissimis sumpta.

Potentis ebrietatis exemplum.

Largius bibit, sed ira, & tristitia ebrietatem impediit.

Posterioris miraculi exempla varia recensent etiamnum viuentium. Non est tamen arduum occurrere, inconsultis vinolentiæ patronis. Ac primo quidem exempla duorum turpissimorum hominum, regis, & imperatoris ad detestationem tam fœdi flagitii permouere eos oportebat. Præsens sibi erat Cãbyses, quia maior erat iracundiæ, quam vini ebrietas. Imo ille hanc discussit; vtcunque egerit, non crudelis modo fuit, sed stultissime etiam crudelis. Ignorare enim nisi furiosus non potuit, facto tam crudeliter iniurioso, omnium in se odia accendi, quanquam ergo dextra non aberrauit, consilium tamen mentis insanissimæ insaniæ fuit. Bonosus imperator, inebriari non poterat, non enim bibebat ille, sed vinum per corpus suum effundebat, quasi per vtrem, aut canalem, vnde & quidam cum suspensum videret, *amphoram pendere* dixit, quod scomma etiam in Maximinũ coniectum fuit. Ad alteram partem venio, quam facile obtinuero, si cum ipsis mihi vinolẽtis, non laudatoribus vinolentorum sermo sit. Qui enim in cibo potuque moderationem non seruant, re ipsa sentiũt, variorum ferendorum esse turbulentam, & non æqualem concoctionem, Aristot. prob. 1. *cibos multos facilius edi quam concoqui* : Fatentur etiam *plura funera luxuriæ, quam senectutis sese honoraſſe.* Vident vere dixisse Macrobium: *Qui crebro fiunt ebrii, cito senescunt.* Saturn. lib. 7. cap. 6. Verissimum etiam quod Arnob. libr. 7. *Vinum neruos omnium debilitat virtutum.* Quomodo vero ? Quia minuit sapientiam, vinculum, & compagẽ omnium virtutum. Sapientiam vero minuit, quia memorandi, imaginandi, & interiorum sensuum sedem conuellit, organa confundit, à naturali constitutione dimouet. Verum rem ipsam spectemus. Sapientes illi, & ingeniosi potatores, nomen sibi parauerunt antequam deterere ingenium inciperent, nunc vero retinent, quia loquaces sunt, quia experientia valent, quia præiudicia norunt. Quod si res nouæ, difficilesque proponantur, si acies aduersarii impugnent, si multa opus sit meditatione, lectione, legum collatione, tum demum apparebit, quantum sagacitatis, intelligentiæque Bacchus thyrso suo deciderit. Tum dicent.

Vinolenti sua vitia fateri solẽt.

Vertitur œnophoris fundus, sententia nobis.

Ebriosis manet aliquãdiu auctoritas à sobriis parta.

Reuocentur viri illi ingeniosi, prudentesque, post aliquot annorum largas compotationes ad Academias, disputationibusque præsint, acriter res obscuræ, arduæque agitentur, iacturam serio suam deplorabunt. Quanquam & nunc sæpe pœnas dant, nam hodieque illi ipsi faciunt, quod à iunioribus prudenter corrigitur; quod asperum est, & pene contumelioſum,

lioſum, ſed neceſſarium aliquando. Nam

Πολὺς γὰρ οἶνος πολλὰ ἁμαρτάνειν ποιεῖ.
Multo vino multa errata committuntur.

Iuniores conſiliarii ſenum ebrioſorum errata corrigunt.

Themiſtocles prodigam, flagitioſam, voluptuariam egit iuuentutem, tanta improbitate, & contumacia, vt matrem ad ſuſpendium adegiſſe dicatur; at poſtea Græciæ columen fuit. Magni ingenii, magni animi vir fuit. Verum nondum ingenium omnino ſepelierat, & in penuria bonorũ, & fortium virorũ ſubito emicuit, nec locum tamẽ illum diu tenuit, multa enim improbe, ac ſtulte geſſit. Quale enim conſilium fuit, vt totam victricis Græciæ claſſem exureret, quo ſolis Athenienſibus imperium conciliaret? Quid hoc aliud erat, quam patriam inermem, barbaris obiicere? Nec enim pro tam perfidis ſociis Græcia pugnatura erat. Deinde quam prudenter imperarit, teſtis ipſe eſt. *Puer*, inquit, *ille Græcis imperat, quod enim ille vult, mater eius vult, quod mater, id ego, quod ego, hoc Græci vniuerſi.* En ſapientiam ebrii ducis! qui nec filium, nec vxorem regere, ne procuratores quidem potuit, magno enim ære alieno obrutus fuit. Quid mirum hunc patria fugiſſe? Deſinant igitur, ebrioſorum iactare in rebus politicis prudentiam, ego nominare poſſum, qui præcoce delirio, à rebus amoti, ingloriam ſenectam egerint. Alios qui auctoritatem penitus omnem amiſerint. Supereſt exemplum inuidiæ plenum, ſed quia fæcundum veritatis, nec à multis notatum proferendum eſt, audire enim ſua vitia debet, ſiue illa delectent, ſiue odio ſint.

Miraculum prudentiæ Themiſtocles ſtulte Remp adminiſtrauit.

Germaniæ pars ſobria, alia ebria, alia media.

§. 16. Diuiſa eſt Germania in tres partes, ſi temperantiam ſpectes. Prima pars eſt laborioſa, filiorum duratrix, aquæ potatrix, cui rarus cereuiſiæ, rariſſimus vini vſus eſt. Altera pars vino, deliciiſque abundat, in qua, diuites præſertim temulenti ſunt, delicateque filios enutriunt. Tertia pars intermedia eſt, primæ virtutibus, alterius vitiis affinis. Non ſunt vero hæc omnia multum locis diſſita, ſed moribus. In hiſce iam multa per aliquot annos obſeruaui, & prouoco ad omnes quibus ſenium experientiam cõtulit. Id vero quod dicam notare eo commodius potui: quod per annos 24. in diuerſis collegiis, Academiis iuuentus mihi nota fuit, & ingeniorum notata diſcrimina.

Magnatum multorum filii ſtolidi, aut ſtupidi.

Primo, In vrbibus cultis, vino abundantibus, & delicioſis, multos opulentorum, & magnatum liberos parum mente conſtare, nonnullos penitus ſtultos eſſe animaduerti, idque malum late per multas, & inſignes familias ſparſum. Cauſa naturalis eſt, matrum dum vterum gerunt, dum lactant, bibacitas, multæ enim eo tempore, non Rhenana duntaxat, ſed Hiſpanica, creticaque, & atra vina liguriunt, & filiis teneris ingerunt. Hoc enim ſanitati, firmitati, calorique fouendo conducere, callidiſſima vinorum auiditas comminiſcitur, ſed vtcunque hoc matribus vtile ſit, ingeniis certe liberorum merum eſt toxicum.

Opulenti ciues nobilibus ſunt delicatiores.

Magis hac in re ciuicæ matronæ quam nobiles, quæ in arcibus habitare ſolent delinquunt, tum quia nobilitatis eſt ſeuerior diſciplina, quã vrbium delicatarum: Ad labores enim, & militiam educare liberos ſolent, vulgarique cibo aſſuefacere. Tum vero, quod in vrbibus talium rerum non modo ſit copia, ſed donari à cognatis ſoleant. Fœminæ autem puerique haud facile cupediis abſtinent. In vrbibus itaque legem aliquam coercendæ muliebris cupiditatis inducendam arbitror, medicorumque requiro dexteritatem, qua matrum, & prolis ſanitatem moderentur. Sed qua tu lege mulieres Bebrias Ebrias coercebis, præſertim cellæ dominas? Quid ſi & vir ſit Bebrius Ebrius? Difficile curatu malum eſt, quia occultum, & cum apparuit, ſera eſt medicina, iam enim bibacitatem matris, læſa mente filius circumfert. Moneat tamen maritus, concionator, confeſſarius: imprimis parentes, & magiſtratus in hoc incumbant, vt probroſum ſit, filiam familias bibiſſe vinum. Bibacem vero videri, ita infame, vt honeſtum matrimonium, tales vix ſperare poſſint. Denique parentes & mariti temperantiæ documento ſint, & exemplo. Alioqui ſemper in aurem oggannient; *Vbi tu Caius, ibi ego Caia.* Senem potum, pota trahebat anus.

Probrum ſit puella bibiſſe vinũ, ita eſt in Gallia.

Secundo, Pueros delicate enutritos, & caliculorum extrema ſorbere ſolitos, pleroſque vſque ad annum duodecimum, aut quartum decimum eſſe ingenioſos, alacres, memoria promptos obſeruaui. Verũ vbi ex Grammaticis Scholis exceſſere, iam ad pangendos verſus, aut orationem ſuo marte componendam applicantur; quia opus eſt diſcurſu, iudicio, labore, & agitatione mentis plerique deficiunt: & oſtẽdunt, illum ingenii florem caducum fuiſſe. Ad Philoſophiam cum eſt ventum, in primo certamine concidunt, & aut ſtudia penitus deſerunt, aut titulum aliquem Doctoratus, ex Italia coemptum oſtentant. Cauſa non vna eſt; nam vel negligentia, vel aliis vitiis ætatem conſumunt. Verum de illis ago, quibus nec inſtructio, nec labor deeſt: ſed quorum ingenium cum magnam exſpectationem in pueritia præſtruxiſſet, ſubito omnium ſpem eludit. Cauſa eſt, quia teneri ob cerebri mollitiem memoriæ celeriter audita imprimunt; facile enim mollibus figuræ imprimuntur. Itaque cum ſtudium eorum fere in ediſcendis lectionibus, retinendaque verborum explicatione verſetur, cum etiam natura ſint calidi, alacreſque ad concertationes, exercitiaque literarum, hinc ingenioſi, ſed falſo nominantur. Stupidi enim ſunt, & tardi, ſed ætate, memoriæ facilitate, ingenita alacritate tarditas tegitur, neque hoc mirum eſt, cum puerilitatis, & ingenuæ ſimplicitatis nomine, per aliquot annos ſtultitia liberorum parentibus imponat.

Vix in centeſimo hæc fallit experientia.

Bibaculorũ puerorum caduca ingenia, & crebro caducus morbus.

Quædam dona puerorum ſtupiditatem tegit.

At multi habent etiam præcocem ſapientiam. Dextre agunt, loquuntur vt viri. Ita plane eſt, & illa ipſa præcox maturitas, ſignum eſt ingenii non duraturi; ſi à vino ſit. Fructus illi qui tempus ſuum antecedunt, externo calore hypocauſtorum ad maturitatem præcipitati, non modo perbreues ſunt, ſed ſtirpem etiam ſuam exhauriunt. Quia dum cruditatem alienus calor decoquit, partes etiam vitales haurit. Mors itaque ſemper ingeniis præcocibus inuidet, aut ſi ante ſemper maturuere, celerrime exoleſcunt.

Indorum quidam ſtupidi, doloſi ſunt, & actuoſi.

Præcocis ingenii præcox ſenecta, & deliria.

Cur autem vinum auorum, ac parentum, & multo magis tenellæ ætati infuſum, præcoces faciat pueros, virorum ſi modice ſumatur, ſapientiam acuat; ſi largiter, obtundat; cauſa eſt ex naturæ principiis deducenda. Puerorum animi idcirco ſapientia deficiuntur, quod multo humido cerebrum oppletum, ad ſapientiæ actiones idoneum minime ſit; Crudus ille humor in aliis citius, in aliis tardius diſſipatur, ſed naturaliter non violenter coquendus eſt. Si vini extraordinarius calor accedit, celeriter omnia illa diſſipantur, ſed vt dixi, non ſine noxa naturæ: vitalem enim humorem, caloremque calor aduentitius abſumens ſenectam accelerat, ita cum ætate viri ſunt, frigore, & delirio ſenum infeſtuntur. Virorum ſpiritus, neruoſque firmos modicum vini exacuit; quia nocere non poteſt tenui calore fortibus, & torporem tamen excitat, ac tollit. Plane idem in plantis cernimus: Tepor vicini ignis, & hypocauſtorum ſuccum maturat, turgeſcere in gemmas, in flores erumpere cogit, ſed idem ille calor expanſi floris decorem continuo carpit, vt cum ſpectari cœperit, celeriter marceſcat. Quia protuberatio, germinatioque præter naturam fuit. Ita igitur habet ſe ratio vinolentiæ in Republica, atque is eſt exitus liberorum delicate enutritorum. Parentes cum hæc animaduertunt, ad conuiuia tamen eos trahunt, eoſque penitus corrumpunt

Puerilitatis cauſa cerebri humor crudus.

Parentum in educandis liberis ſtultitia.

rumpunt deliciis, quos omnino vino abstinere, tenuiterque pasci oportebat; vt calor extraordinarius pro longæuitate, & ingenio conciliando mitigaretur. Verum de his pluribus agam, cum de institutione disputabo. Multos enim parentes adeo stolidos videmus, vt mirentur filios esse malos, cum nihil boni eos ipsi docuerint. Ad vitium enim nihil opus est magistro, satis est non arceri, satis est otium concedi, & voluptates permitti.

Diuitum filii cur pauperes reddantur?

§. 17. Tertium ex hisce consequitur; Diuitum filios, posteritatemque vt plurimum alieno ære grauatam, ad inopiam redigi. Interdum quidem improuiso malo, qui miseratione digni sunt. Plerumque se ipsi in discrimina paupertatis mittunt, meritoque opprobriis obnoxii sunt. Causa est consuetudo deliciarum, ignoratio œconomiæ, fuga laboris. Opulentissimos ciuitatum video eos, qui è laboriosa aliqua regione, aut quorum parentes, atq; aui immigrarũt. Illi enim temperantiam, frugalitatemque secum tulerunt, laboribus dediti sunt, seuere liberos educant, ideo facile rem tuentur, & augent, cæteris luxu diffluentibus. Nec hoc modo: verum latius se illa institutio extendit. In prouinciis vrbibusque vino, & luxui deditis. Parochos, ludimagistros, oppidorum scribas, pene aduenas video, non quod illa isti contemnant officia, sunt enim plurimi pauperes, miserque victitantes; sed quod ingenia desint, & labores.

Ditissimi ciuitatum qui aliunde migrarunt.

Delicioſæ vrbes exteris parent.

Si tamen illa contemnunt, an etiam maiora spernũt? Vide in vrbibus canonicorum collegia, primarios concionatores, doctores, prælatos, & numera eos, qui ex delicatulis floſculis ad eos honores euecti sint: paucos inuenies, pleroſque pruina in flore decussit. Aulas principum recense: Prudentiæ, & consilii primas concedi illis intelliges, quorum adolescentia laboribus, & temperantia exercita fuit: quos patria nõ corrupit. Hoc eo magis mirum est, quod in Ecclesiis, in Republica, in aula plurimum commendationes alienæ polleant, tenuiores tamen, & crebro exteros præferri videmus. Ratio est, quia cum ad rem ventum, docti, industrii, impigri, laborioſi quæruntur, quales nemo eorum est, quorum puerilia deliciis corrupta est: aut si aliquis est, in singulis aulis vix vnus est.

§. 18. Dixi de ebrietate vitanda; verum vnum adiungam, quod ad alia quidem accommodari potest, & porro debet, sed hac quidem in causa periculosum est principibus, multos enim principes, & magistratus tum propter alia subditorum peccata, tum propter ebrietatem, æternum damnatos penitus mihi persuadeo. Sententiam meam breuiter proponam hac protestatione, si ex mille doctoribus vel vnus sani iudicii contradicat, magistratum periculo absoluam.

Graue principis ob ebrietatem periculum.

Primo. Indubitatum est magistratui curam salutis subditorum, diuinæ gloriæ, scandalorumque tollendorum incumbere.

Secundo. Certum etiam est, Ebrietatem peccatum esse; exeaque ingentia mala oriri, bona impediri.

Scandala tollere princeps tenetur.

Tertio. Ex hoc euidenti consequentia concludo, principem teneri graui mandato æternæ maiestatis, etiam hoc peccatum è Republica tollere: Ipsumque nisi hoc conetur, viasque ac rationes inquirat, saluari non posse, quia de manu eius, omnium sanguis animarũ requiritur. Grauissime vero delinquit, si aula illius vomitu, sordibusque repletur.

Quarto. Eadem est omnium consulum, senatorum, atque aliorum qui in potestate sunt, obligatio. Malo enim debent resistere.

Ebrietas facile tolli potest.

Quinto. Magistratus in Germania sine tumultu, sine obloquio, sine timore maioris mali, ebrietatem facile tollere possunt. Ideoque nulla excusatione vti possunt, qui permittunt. Præsertim cum etiam imperatoria lege obstringantur.

Sexto. Leges paucæ totam rem conficient.

Leges contra ebrietatem.

Prima lex. Princeps, senatus, sobrius esto, principumque ministri.

Secunda. Qui consiliarium, aulicum, satrapam, quæstorem principi commendat, id primo consideret, ne ebrioſus ille sit.

Tertia. Ebrioso in aula negocia non credantur, si perseueret, dimittatur.

Quarta. Ad capitula Ecclesiarum collegiatarum ebrioſi non admittantur, qui iam admissi sunt, canonicis pœnis corrigantur.

Quinta. Ciuium ebrietas, honorum priuatione, deinde multa corrigatur. Aut etiam potestate testimonii dicendi.

Sexta. Tabernarum, hoc est, officinarum ebrietatis Domini magno ære puniantur, si quem ebrium non indicent magistratui.

Septima. Nuptiarum ebrietatem conuiuæ, & sponſi luant.

Octaua. Sumptuariæ leges serio propugnentur.

Iuſtæ sunt leges, quia minora delicta grauioribus pœnis leges aliæ puniũt.

Iustissimæ sunt illæ leges, neque vllus, nisi vel dæmon, vel dæmonis satelles intercedere potest. Nam intemperantia sanitatem, ingenium, pacem, opes, famam aufert, malorum innumerabilium cohortem adducit. Itaque quanquam vir bonus interdum vino capiatur, nemo tamen nisi infamis vinolentiæ patrocinari potest, præsertim cum M. Antonium Roma gentilis, & ebria detestata sit, magis quod volumen pro ebrietate scripserit, quam quod penitus se dediderit voluptati: sic enim iudicabant, Ebrium sibi soli peccare, & si exemplo quoque offenderet, ad paucos id annos pertinere: doctrinæ impudentiam, qua tantum malum doceretur, omnibus sæculis obfuturam.

Patroni ebrietatis infames sunt.

§. 19. Misera conditio Germaniæ, vini ferax regio, bono suo plures occidit, quam gladio moriantur; & audeo dicere, plus vini in mortes hominum, quam ad sanitatem, iucunditatemque impendit. Quot pauperum cateruæ seruari, recreari vino illo possent, quo occidis amicos? Hæc cum fiant, miramur vites frigore, florem pluuia perire, & iam flauescentes vuas pruina corrumpi? Insania potantium, furor ebriorum, acri gelu palmites vrit, florem decutit, grandine botros dissipat. Cur enim vini copiam à Deo postulant plerique? Nonne vt vinum per corpus suum offundant? seque perdant? nonne clementius est, non dare ensem furioſis, vinum ebrioſis? Gentium igitur mores deseramus, Christianam temperantiam sequamur, aliter illi egerunt, aliter nos agere Dominus voluit. Ebriorum furorem, & temperantiæ honestatem Apolog. cap. 39. describit nobis Tertullianus. *Nam & cœnulas nostras præterquam sceleris infames, vt prodigas quoque suggillatis, de nobis scilicet Diogenus dictum est, Megarenses obsonant, quasi crastina die morituri, ædificant vero quasi nunquam morituri. Sed stipulam quis in alieno oculo facilius perspicit, quam in suo trabem. Tot tribubus, & curiis, & decuriis ructantibus aceſcit aer. Saliis cenaturis creditor erit necessarius. Herculanarum decimarum & polluctorum sumptus tabularii supputabunt. Apaturiis, Dionysiis mysteriis Atticis, coquorum delectus indicentur, ad fumum cœnæ Serapicæ Sparteoli excitabuntur, de solo triclinio Christianorum retractatur. Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est, pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti assectant, ad gloriam famulandæ libertatis, sub auctoramento ventris inter contumelias sagmandæ, sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est conuiuii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio, nihil vtili-*

Germania suo bono perit.

Potatores spem vindemiæ intercipiunt.

Gentium sacra comissationibus infamia.

Agapæ Christianorum.

Conuiuia Christianorum lectio, oratio, concio excipiat.

vtilitatis, nihil immodestiæ admittit. non prius discumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur. editur, quantum esurientes capiunt. bibitur, quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina vt quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium, Deo canere: hinc probatur quomodo biberit. Atque oratio conuiuii dirimit: inde disceditur non in cateruas cæstonum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, sed ad eandem curam modestiæ, & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quam disciplinam.

CAPVT XV.

Iram Regnantibus ex æquo, & subditis noxiam esse.

Mollis educatio iracundos facit.

§.1. VOLVPTATES vicisse magna pars est sapientiæ, iram frenasse animi fortis est, & pene inuicti; ideoque & hæc moderatio in Republica omnino est necessaria, connexa est eius consideratio, cum illis quę de voluptatibus diximus. Ex vino enim, & molli educatione præcipue iracundia nascitur. *Naturam*, inquit Seneca l. 2. de ira, c. 20. *mutare, difficile est: nec licet semel mixta nascentium elementa conuertere. Sed in hoc nosse profuit, vt calentibus ingeniis subtrahatur vinum: quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt. distendentur enim corpora, & animi cum corpore tumescent.*

Eadem quæ in bonam spem pueros adducunt, insolentiam, & iracundiam generant. Nihil magis facit iracundos, quam educatio mollis, & blanda. ita Senec. lib. 2. de ira cap. 21. *Ideo, ait, in destidiam, otiumque non resoluemus, & procul à contactu deliciarum retinebimus.*

Deliciæ superbiam instillant, inde iracundia.

Ex gaudio enim exultatio, exultationem tumor, & nimia æstimatio sui sequitur, inde iracundia: est enim opinio contemptus, aut iniuriæ acceptæ. Qui autem blandè & in deliciis educantur, iniuriam interpretatur, nisi molliſſime habeantur. *Ideo*, inquit idem Sene. *vnicis quo plus indulgetur, pupillisque quo plus licet, corruptior animus est. Non resistet offensis? cui nihil vnquam negatum est, cui lacrymas solicita semper mater abstersit, cui de pædagogo satisfactum est. Non vides, vt maiorem quamque fortunam, maior ira comitetur? In diuitibus, nobilibusque & magistratibus præcipue apparet, cum quicquid leue & inane in animo erat, secunda fe aura sustulit. Felicitatis iracundiam nutrit, vbi aures superbas, assentatorum turba circunsterit.*

Vnici & pupilli male indulgentia, & licētia.

Et cap. 25. *Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut mensa negligentius posita. Ad ista concitari, insania est. ager & infelicis valetudinis est, quam leuis aura contraxit: affecti oculi, quos candida vestis obturbat: dissolutus deliciis, cuius latus alieno labore condoluit. Mindyridē aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate: qui cum vidisset fodientem, & altius rastrum alleuantem, lassum se fieri questus, vetuit illum, opus in conspectu suo facere. idem sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset. Vbi animum, simul & corpus voluptates corrupere, nihil tolerabile videtur: non quia dura, sed quia molles patimur. Quid enim est cur tussis alicuius, aut sternutamentum, aut musca parum curiose fugata vos in rabiē agat, aut versus calix, aut clauis negligentius seruo manibus elapsa? Feret iste æquo animo tiule conuicium, & ingesta in concione curiaue maledicta, cuius aures tracti subsellii stridor offendit? Perpetietur hic famem, & æstiuæ expeditionis sitim, qui puero male diluenti niuem, irascitur?*

Matri abstergenti lacrymas, filius veras, seras, magnas lacrymas excutiet.

Causa cur delicati facile irascantur.

§.2. Blanditiæ igitur iracundos faciunt, quia delicatos, quia infirmos, maxime, quia arrogantes. Ridere soleo stultos parentes, & blandos doctores, cum de adolescentulorum contumacia loquuntur. *Nullæ eum in re offendi, nihil negaui, nemo parentum sic filios dilexit. Iam ingratus est, alii quibus minus præstiti, magnas gratias referunt.* Imo vero tibi gratias non debet; quia eum corrupisti. Omnium blanditiarum memoriam vna monitio excussit. Verum hisce de rebus agam libro de institutione, nunc iram luxurię filiam consideremus. Luxuriæ inquam filiam, sed matrem crudelitatis, & administram. Affinis enim delitiis est immanitas. Nero ita mollis erat, vt nihil virile, ita crudelis vt nihil molle habere videretur.

Luxuries fons crudelitatis.

Ira seu ὄργη est ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένου τοῦ ὀλιγωρεῖσθαι, τοῦ εἰς αὐτόν, ἢ εἰς ἃ αὐτῷ πέφυκε, μὴ προσηκόντως. 1. Ira est cupido vindictæ. 2. cum dolore seu tristitia. 3. Vindictæ apparentis. 4. propter apparentem despicientiam vel sui, vel è suis cuiuspiā, non conuenienter. ita 2. Rhet. c. 2. optimus definiendi magister. Despicientiam vero triplicem constituit. Καταφρόνησιν contemptum, cum nihil rem æstimat, & personam. Ἐπηρεασμὸν qui est contemptus cum voluntatibus impedimentum ponitur, non vt ipse cō modi quippiam ea ex re nancisçatur, sed ne alteri accedat. Ὕβριν contumeliam, cum alteri nocumentum molestiaque infertur, cum dedecore patientis, non vt aliud sibi accedat, sed vt voluptatem capiat.

Ira ex opinione contemptus.

Triplex cō temptus.

Seneca lib. 1. de ira cap. 3. Citat definitionem Aristotelicam; iram esse, cupiditatem doloris reponendi; Differt autem ab irato, iracundus, vt ibidem c. 4. exponit Seneca, vt ebriosus, ab ebrio, timens, à timido. Cicero in 4: Tusc. eodem modo differre, sicut anxietas, ab angore. Varietatem iracundorum describit Seneca. *Cetera, quæ pluribus apud Græcos nominibus, in species iram distinguunt, quia apud nos vocabula sua non habent, præteribo: etiamsi amarum nos, acerbumque dicimus nec minus stomachosum, rabiosum, clamosum, difficilem, asperū: quæ omnia irarum differentiæ sunt. Inter hos morosum ponas licet, dilicatum iracundiæ genus. Quædam enim sunt iræ, quæ intra clamorem consident; quædam non minus pertinaces, quā frequentes; quædam sæuæ manu, verbis parciores, quædam in verborum, maledictorumque amaritudinem effusæ; quædam vltra querelas, & aucrsationes non exeunt; quædam altæ graueſque sunt, & introrsus versæ. Mille aliæ species sunt mali multiplicis.*

Varia irarum genera.

Græci πικρὸν μικρολύπητον ἀκεχόλητον χαλεπὸν, κρυπτοχόλητον, δυσαρέστητον ὀργίλον. ὀξυθύμους, θυμοειδεῖς appellant. Satis de cognoscenda ira dictum, quam vincere, quā definire præstantius est.

§.3. Summum est ira, & publicum malum: Vehementius enim, quam res vlla orbem afflixit. Quod & Homerus indicasse voluit, cum μῆνιν Achillis οὐλομένην, *perditricem* appellat. Seneca lib. 3. de ira cap. 2. *Denique cetera singulos corripiunt: hic vnus affectus est, qui interdum publice concipitur. Nunquam vniuersus populus, vnius fœminæ amore flagrauit: nec in pecuniam, aut lucrum tota ciuitas spem suam misit. ambitio viritim singulos occupat, impotentia non est malum publicum: sæpe in iram vno agmine itū est. Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgusque consensere: & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit. Ad arma protinus, igneque discursum est, & indicta finitimis bella, aut gesta cum ciuibus. Totæ cum stirpe omni crematæ domus: & modo eloquio fauorabilis habitus in medio honore, iram suæ concionis excepit, in Imperatorem suū legiones pila retorserunt. Dissedit plebs tota cum patribus, publicum consilium, senatus non exspectatis delectibus, nec nominato Imperatore, subitos iræ suæ duces legit: ac per tecta vrbis, nobiles consectatus viros, supplicium manu sumpsit. Violauit legationes, rupto iure gentium, rabieque insanda ciuitatem tulit: nec datū tēpus, quo resideret tumor publicus: sed deductæ protinus classes, & oneratæ tumultuario milite: sine more, sine auspiciis, populus ductu iræ suæ aggressus fortuita, rapta aq; pro armis gessit: deinde magna clade temeritatem audacis iræ luit.*

Ira publicū est malum, vniuersos corripit.

Euror concitatus integros populos deleuit.

Saul sacerdotes, & vrbem eorum subito concidit, Nabuchodonosor tres viros principes, ad ignem damnat. Cambysis iracundiam, cum ebrietate coniunctam, retuli capite antecedente. Regibus vero maxi-

Qui nunquam offendit filium, fecit contumacem.

me conuenit sine ira agere. Pulchre Sen. l. 3. de ira c. 16. *Sed cum vtilis sit seruientibus, affectuũ suorum, & huius præcipue rabidi atque effrænis continentia, vtilior est regibus. Perierunt omnia, vbi quantum suadet ira, fortuna permittit: nec diu potest, quæ multorum malo exercetur, potentia stare.* Peri- *Regum ira periculosa in se omne concitat.* clitantur enim, vbi eos, qui separatim gemunt, communis metus iunxit. Plerosque itaque modo singuli mactauerunt, modo vniuersi, cum illos conferre in vnum ira publicus dolor coegisset. Atqui plerique sic iram, quasi insigne regium exercuerunt, *Darii & Xerxis ira.* sicut Darius, qui primus, post ablatum Mago imperium, Persas & magnam partem Orientis obtinuit. Nam cum bellum Scythis indixisset, Orientem cingentibus, rogatus ab Oebazo nobili sene, vt ex tribus liberis, vnum in solatium patri relinqueret, duorum opera vteretur: plusquam rogabatur pollicitus, omnes se illi dixit remissurum: & occisos in conspectu parentis abiecit, crudelis futurus, si omnes abduxisset: At quanto Xerxes facilior? qui Pythio quinque filiorum patri, vnius vacationem petenti, quem vellet, eligere permisit: deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab vtroque via latere posuit, & hac victima lustrauit exercitum. Habuit itaque quem debuit exitum. Victus, & late, longeque fusus, ac stratam vbique ruinam suam cernens, medius inter suorum cadauera incessit. Hæc barbaris regibus feritas in ira fuit? quos nulla eruditio, nullus litterarum cultus imbuerat: dabo tibi ex Aristotelis sinu, regem *Alexander iracundus* Alexandrum, qui Clytum carissimum sibi, & vna educatum, inter epulas transfodit, & manu quidem sua, parum adulantem, & pigre ex Macedone ac libero in Persicam seruitutem *Lysimachus Alexandro crudelior.* transeuntem. Nam Lysimachum, æque familiarem sibi, leoni obiecit. Nunquid ergo hic Lysimachus, felicitate quadam dentibus leonis elapsus, ob hoc cum ipse regnaret, mitior fuit? Nam Telesphorum Rhodum, amicum suum vndique decurtatum, cum aures illi nasumque abscidisset, in cauea velut nouum animal aliquod, & inusitatum diu pauit: cum oris de truncati, mutilatique deformitas humanam faciem perdidisset. Accedebat fames & squalor & illuuies corporis, in stercore suo destituti, callosis super hæc genibus manibusque, quas in vsum pedum angustia loci cogebant, lateribus vero attritu exulceratis, non minus fœda, quam terribilis erat forma eius visentibus: factusque pœna sua monstrum, misericordiam quoque amiserat, tamen cum dissimillimus esset homini, qui illa patiebatur, dissimilior erat, qui faciebat. Vtinam ista sæuitia intra peregrina mansisset exempla, nec in Romanos mores, cum aliis aduenticiis vitiis, & suppliciorum, irarumque barbaria transisset! M. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui *Romano iracundia grauior.* thure & vino Romanus populus supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit: & quasi toties occideret, quoties vulnerabat, paullatim & per singulos artus lacerauit. Quis erat huius imperii minister? quis, nisi Catilina, iam in omne facinus manus exercens? hic illum ante bustum Q. *In Mario.* Catuli carpebat, grauissimus mitissimi viri cineribus: supra quos vir mali exempli popularis tamen, & non tam immerito quam nimis amatus, per stillicidia sanguinem dabat. Dignus *In Sylla.* erat Marius qui illa pateretur, Sylla qui iuberet, Catilina qui faceret: sed indigna Resp. quæ in corpus suum, pariter & hostiũ, gladios reciperet. Quid antiqua perscrutor? modo C. Cæsar, Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Belienum Bassum quæstorem suum Procuratoris sui filium, alios Senatores, & equites Romanos, vno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causa. Deinde adeo impatiens fuit differendæ voluptatis, quam ingens crudelitas sine dilatione poscebat, vt in *In Caligula* Xysto maternorum hortorum, qui porticum à ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret. Quid instabat? quod periculum, aut priuatum, aut publicum vna nox minabatur? quantulum fuit, lucem exspectare? denique ne senatores populi Romani solearus occideret?

§. 3. Quid Seuerum imperatorem, vere seuerum, vere nominis sui, an & his monstris adiungam? Iracundiorem vix orbis expertus est. Cui enim ex omnibus, quos casus, & necessitas in aduersa castra coniecit, vnquam pepercit? nec morte inimicorum satiata ira est. *Senatorum*, inquit Ælius Spartianus, *qui in bello erant interempti, cadauera dissipari iussit. Deinde Albini corpore allato, pene seminecis, caput abscindi iussit, Romamque deferri, idq; literis prosecutus est. Victus est Albinus die XI. Calendas Martii. Reliquum autem cadauer eius, ante domũ propriam exponi ac diuidi iussit. Equũ prætereа ipse residens, supra cadauer Albini egit, expaueſcentemque admonuit vt effrenatus audacter protereret. Addunt alii quod idem cadauer in Rhodanum abiici præcepit, simul eius vxoris, liberorũq; eius. Interfectis innumeris Albini partium viris, inter quos multi principes ciuitatis, multæ fœminæ illustres fuerunt, omnium bona publicata sunt, ararium que auxerunt: tum Hispanorum, & Gallorum, proceres multi occisi sunt, Deniq; militibus tantum stipendiorum, quantum nemo principum, dedit. Filiis etiã suis ex hac proscriptione tãtum reliquit, quantum nullus Imperatorum, quum magnam partem auri per Gallias, per Hispanias, per Italiam Imperator iam fecisset: tũcq; primum priuatarum rerum procuratio constituta est. Multi sane post Albinum, fidem ei seruantes, bello à Seuero superati sunt.* *Seueri iracundia etiã vltra mortem sæua.*

§. 4. Quos motus in Republica illa bellua concitat, q̃ celeri vindictæ cupidine, quam cœco nocendi procursu, nec sibi parcit? *Cum aduersus*, inquit Val. l. 9. c. 3. *Asdrubalem Liuius Salinator bellum gesturus vrbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante descenderet in aciẽ, quã hostium vires, animumq; cognosset; primã occasionem pugnãdi, non omissurum se respondit. Interrogatusq; ab eodem, quid ita tam festinanter manum cõserere vellet: vt quam celerrime (inquit) aut gloriam ex hostibus victis, aut ex ciuibus prostratis gaudium capiam. Ira tum atq; virtus sermonem eius inter se diuiserunt: illa iniuste dãnationis memor, hæc triũphi gloriæ intenta. Sed nescio an eiusdem fuerit hoc dicere, & sic vincere.* *Ira bellum præcipitat.*

Nec minus cœcę legiones Romanæ, magno hostium cõmodo, dolorem, iramq; satiarunt. Fabio cõsule vniuersus peditatus ad hostium delendas copias missus, cum posset delere, noluit, memoria impeditę ab eo legis Agrarię, fixã animo irã retinens. Appio duce, cum vincere posset, terga dare hosti maluit, ne Imperator, à cuius patre sua commoda impugnata nouerat, victorum more triumpharet. *Ira in dulcis proprium hosti victoriam præbet.*

§. 5. Q. Metellus subactam Hispaniam, odio Q. Pompei, qui successor mittebatur, pene prodidit. *Nã omnes, qui modo militiam suam voluerũt finiri, dimisit: cõmeatus petentibus, neq; causis excusis, neq; constituto tempore dedit: Horrea, custodib. remotis, oportuna rapinæ præbuit: arcus, sagittasq; Cretensium frangi, atq; in amnem abiici iussit: elephantis cibaria dari vetuit. Quibus factis vt cupiditati suæ indulsit, ita magnifice gestarum rerum gloriam corrupit: meritumq; honorem triumphi, hostiũ, quã irã, fortior victor, amisit.* *Q. Pompeius ira prouinciam prodidit, triumphũ perdidit.*

Quid fædius Iuliano; qui cum iura daret, identidẽ excandescens, non indecora modo conuitia, gestusq; edebat, sed scurræ ritu in rusticos de iure disceptantes inuadens, pugnis eos quatiebat. Omnem enim verecundiam ira proturbat: Eo pernicios ior, quod iustam omnis iratus suam indignationem arbitratur. Qui enim damnare eam potuit, iam vicit. *Ridicula ira Iuliani apostatæ.*

§. 6. Irarum, & concitationum in vrbe, atq; œconomia causas si videamus, pleraſq; dubias, leues, personis ignoscẽdas, iniustas esse deprehendemus, & cũ iusta videtur vltio, eã tamen crebro modũ excedere.

Dubiæ causæ certissimis exitiis reges, vrbesq; inuoluerunt. *Contra primas* (Senec. l. 2. c. 22. de ira) *itaque causas pugnare debemus, causa autẽ iracundiæ, opinio iniuriæ est; cui non facile credendum est, nec apertis quidem, manifestisq; statim accedendum. Quædam n. falsa, veri speciem ferũt. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit. Ne sint aures criminantibus faciles, hoc humanæ naturæ vitium suspectũ, notumq; nobis sit: quod quæ inuiti audimus, libenter credimus: & antequam iudicemus, irascimur. Quid, quod non criminationibus tantum, sed suspicionibus impellimur, & ex vultu, risuq; alieno peiora interpretati, innocentibus irascimur? Itaq; agenda est contra se causa absentis, & in suspenso ira retinenda. Potest enim pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari. Notus est ille tyrannicida, qui imperfecto opere comprehensus, &* *Dubiæ iarum causæ, certæ sunt exitii.*

Dubio non est imponenda pœna.

ab Hip-

ab Hippia tortus, vt conscios indicaret, circumstantes amicos tyranni nominauit, quibus quam maxime caram salutem eius sciebat. Et cum ille singulos, vt nominati erant; occidi iussisset, interrogauit: Ecquis superesset? Tu, *inquit,* solus, neminem enim alium, cui carus esses, reliqui. *Effecit ira, vt tyrannus tyrannicidæ manus commodaret, & præsidia sua gladio suo cæderet. Quanto animosius Alexander? qui cum legisset epistolam matris, qua admonebatur, vt à Veneno Philippi me dici caueret, acceptam potionem non deterritus bibit. Plus sibi de amico suo credidit. dignus fuit qui innocentiam haberet, dignus qui faceret. Hoc eo magis in Alexandro laudo, quia nemo tam obnoxius iræ fuit. quo rarior autem moderatior in regibus hoc laudanda magis est.*

Suo se præsidio velox ira priuat.

Aristobulus rex Iudæorum innocentem fratrem occidit.

Summa erat inter Aristobulum fratrẽ caritas, sed credulus, & festinans, fratrem Antigonum & amicũ vnicũ perdidit. Rem ita narrat Ioseph l. 13. de ant. c. 19 *Sed cum aliquando Antigonus magnifice reuerteretur è bello, quo tẽpore populus solenne scenopegiæ festum celebrat, accidit vt Aristobulus ægrotans decumberet, frater vero, interfuturus sacris splendidissime ornatus in templum ascenderet, cum armatorum comitatu, potissimum pro salute Regis vota facturus. Tum his quibus studium erat, excitare inter fratres discordiam, nacti occasionem è rebus prospere gestis Antigoni, & pompa quam adornauerat, venerunt ad Regem, & omnia exaggerauerunt, dicentes hæc iam esse supra priuati hominis conditionem, & affectati regni manifesta indicia: aiebantque venturum breui, cum valida manu armatorum ad occidendum regem, quod stultum existimet, cum regno solium potiri liceat, communicato honore contentum esse. Aristobulus autem quamuis non omnino his crederet, tamen prospiciens quomodo posset, & suspicionem vitare, & securitati suæ consulere, collocauit satellites, in loco quodam obscuro, & subterraneo, (decumbebat autem in turri quæ post, mutato nomine, Antonia dicta est) mandauitque, vt siquidem sine armis frater veniret, nemo eum attingeret: quod si armatus aduentaret, vt trucidaretur, præmisit tamen ad eum, qui rogaret, vt inermis veniat. At Regina, & reliqui insidiatores, persuaserunt nuncio, vt contraria diceret, audisse fratrem, quod armaturam eximiam sibi comparasset, cuperetque ita armatum contemplari. Antigonus vero nihil mali suspicans, & fretus fratris benevolentia, ita vt erat, tum tota armatura venit ad Aristobulum, contemplandum se præbiturus. cumque peruenisset ad turrim Stratonis, qua valde obscurus erat transitus, à satellitibus interfectus est. Huius autem casus facile ostendit, quantum possint liuor, & calumnia, & quam sint efficaces ad subuertendam etiam naturalem benevolentiam.* Et pariter docent, in ancipite causa differre iudicium.

Quid fecit ex aula Constantiniana Neronianam, Crispumque adolescentem imperio abstulit, nisi propera ex credulitate iracundia? Quid Herodem in proprium sanguinem, affectusque furiauit, nisi quod dubiis ementitisque accusationibus, tanquam veris credidit? Cum igitur iniuriam accepisse te arbitraris, compesce animum, dum certi quippiam cognoscas, Ne ante sæuiat ira, quam ratio iudicet.

In paruis rebus testes quærunt, iracundia primo motu prosilit.

Si alii nunciant, paulisper dubita. *His quæ narrata* (Sene. lib. 2. cap. 29:) *sunt, non debemus cito credere. multi mentiuntur, vt decipiant: multi quia decepti sunt. alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluisse factam, est aliquis malignus, & qui amicitias cohærentes diducere velit: est suspicax, & qui spectare ludos cupiat, vt ex longinquo tutoque speculetur, quos collisit. De paruula summa iudicaturo, tibi res sine teste non probabitur, testis sine iurando non valeret. Vtrique parti dares aduocationem, dares tempus, nec simul audires: magis enim veritas elucet, quo sæpius ad manum venit.*

Aureum omnino consilium, quo si principes, & senatores vti vellent, dimidium malorum miseri homines vitassent, nec se anxietate, alios odio torquerent.

Irati verã excusatio-nem audiũt inuiti.

§. 7. Grauissimum est, cum summa potestas sese concitauit in innocentem, quia excusationem nullam admittit: ne indicare quidẽ innocentiã permittit; quia iniusti furoris exprobrationem esse putat. Id eo remedio magis accenduntur principes, quibus ipsa integritas, tãquam iniquæ excandescentiæ testis, redditur inuisa. Vicissim tamẽ, & illi principes odiosissimi redduntur, qui temere accusantibus non modo aures dant, sed credunt etiam, iuste sese excusantibus aditum negant, & vltro irascuntur. Et quod pessimum est humani ingenii vitium, quia eos à se læsos existimant, oderunt. Ideo vero oderunt; quia eos erga se male affectos arbitrantur, quia eos formidant: quanquam enim infirmos esse norint, tamen periculum esse sciunt, etiam ab inualido, præcipue si exasperatus sit qualiscunque aduersarius. Nam *Quamlibet infirmas aduuat ira manus.*

Malunt alios nocentes videri, quam se sine causa cõmotos.

Iniqua regum ira, etiam post innocentiã cognitam durat.

Quocirca periculose animo indulgent suo, qui ira duce, ad principum, aut Reip. accusationem pergunt: & contra potentiores cum tacere liceat, simultatem profitentur. Maneat omnium mentibus infixa notissima vox eius, qui in cultu regum consenuerat, qui, cum quidam interrogaret, *Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? Iniurias,* inquit, *accipiendo, & gratias agendo.* Sat in lubrico stas, qui Reipublicæ præs, aut principi seruis, nihil opus est, vt te ipse agites. Quid consecuti sunt equites Romani, cum Præturam Cn. Flauio collatam ita dolerent, vt annulos phaleras q; detraherent? Tanta erat affectuum impotentia, sed inanis, & populo potentiori ridicula. Nam primo sic bene collocata suffragia sua arbitrantur, ideo enim prætorem esse iusserunt Flauium sordidissimæ cõditionis hominem, vt superbæ nobilitati dolorem inurerent; & dedecus suum perdiderant, ni sic eques irasceretur. Deinde populum magis abalienarunt, cũ enim plurimi essent Cneo Flauio pares, plurimi illo inferiores, omnes se in illo contemptos velut, pauperes, sordidos q; arbitrati sunt. Deniq; populo demonstrarunt, qua parte vulneri paterent.

Nimium excusandi studium regentes exasperat, quia exprobrationem temerariæ iracundiæ habet.

Iram ostentare noxiũ est.

§. 8. Multo sæpius contingit, vt causa sæuiendi leuis sit. Tantoq; est furor magis improbus, quo minor causa. Si calida non bene præbeatur, ministrum feruente perfundunt; Si vitrum fractum est, puer ad murenã rapitur; si calceus luto aspersus, vapulat qui cauere non potuit, si turbata toga, dies dicitur ei, qui casu occurrit; si lepus parum ad palatum est, flagellis cocus scinditur; si pilus vnus incõposite structus est, ancillula laceratur. Quenam hæc insania est? Ira profecto cœca est, aut κεκλαυκῶσις, obscuroq; oculo, & de mente deiicit. Pueri ob amissas nuces, in lacrymas soluuntur, arthritici, ad suspicionem tactus exclamant. Infirma corpora, omnis aura subito deiicit. Pudet dicere, quam parua res, regum potentissimos in bella cogat, sed eadem causa priuatos iurgiis, & litibus implicat, quorum non mitiora bella, nec ciuiliores iræ, sed minor potentia. Miser animus qui tam facile offenditur, necesse est eum perpetuo in dolore esse, quia nunquam desunt paruæ offensiunculæ, supersunt etiam sæpe ingentes. Μικροψυχίας appellant Græci, quos omnia dispendia, omnia aduersa affligunt, qui nugis efferuescunt, in minutulis tragœdias conciunt, qui semper quasi in fermento tumescunt, Cotyn potius imitentur, cui cũ figlina precioso opere, sed fragili fabrefacta, essent donata, vniuersa confregit, ne si à seruitiis indiligenter tractantibus comminuerentur, sæuiendi occasionem præberent. Quis Neronem sanum diceret? qui ad minima vsque adeo excandescebat, vt multos occidi iusserit, quod diuinam principis vocem frigide laudassent, quod voluptatib. principis obtrectassent? Octauiam repudiat, Poppæa vterum elidit. Caio regnante, atque stolide multa agente, risisse proceribus capitale fuit. Tiberio præsente capram nominasse, maiestatis crimen erat, quod barbam non dissimilem sub lentis istis maxillis

Leuis causæ grauium irarum.

Aegra mẽbra omnis ventus infestat.

Causas tollat prudens princeps. Apud iratos & potentes nihil securum, ipsis obsequiis offenduntur.

cruentus gereret. De loco superiore prospexisse, calumniemque notasse, non minore pœna vindicabatur, quam si lapides in prætereuntem misisset. Hos igitur perpetuis iracundiæ irritamentis agitari necesse est. Quid non modo hominum, sed Sybaritarum perditissimus Mindyrides, seu potius nomẽ eius est Smindyrides, de quo Herod. lib. 7. Ælian. lib. 9. cap. 24. qui gloriatur annis 20. se nec solem orientem, nec occidentem vidisse. Qui vt refert Athæneus lib. 6. cap. 12. Sicyonem profectus, aucupes, piscatores, & mille coquos per iter illud traxit. Quanta in cura fuisse eũ putandum, quoties iratum, si periculum esset, ne ortum, vel occasum videret? qui velut Medusæ caput, orientem lucem trepidaret? *Cum vidisset* (inquit Seneca, lib. 2. cap. 25. de ira) *fodientem, & altius rastrum alleuantem, lassum se fieri questus, vetuit illum opus in conspectu suo facere, idem sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset. Mirabilior lectio alterius libri est, apud Iustum Lipsium. Idem bilem habere sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset.* Hæc si non iram modo tam parua, tam nulla excitabant, quid de cæteris existimemus? Non enim si calceus premeret, exanimare potuisset? Causæ si nec dubiæ, nec leues, sunt tamen frequenter eiusmodi, vt personis condonandæ sint, aut sane non imputandæ. Grauem iniuriam Nabal Dauidi principi innocenti intulerat; sed vltum cum se, suosque properaret, deprecationi vxoris illius, & stultitiæ donauit. Si inimicus est, qui lęsit, nihil noui est, si amicus, benefactis pristinis imputa. Huius ætas, illius dignitas, alterius imprudentia excuset. Apud æquos iudices imprudentia pro innocentia habetur: Exemplum hic nobis est Christi Saluatoris benignitas, & humanitas in cruce pro illis, qui quod facerent, nesciebant, deprecantis.

Delicatus omnia timet. Semper iratus est,

Miser sane, quem laboris aspectus lassaret.

Quis huic rosas æqualiter sterneret?

Si grauis iniuria personæ donetur.

Iniusta causa iræ est, cum virtuti irascitur improbus.

§. 9. Denique si causa iniusta est, maximas infert clades ira, insidiis machinationibusq; omnia replet: si irascitur, quia quantum iussit bibere, vel non voluit, vel non potuit. Si minister esse tyrannicæ crudelitatis, vel libidinis recusauit. Si adulari satis humiliter non didicit. Nunquam tuta imperia illa fuerunt, quæ grauiter, & iracunde virtutibus incubuerunt. Verum horum malorum tractatio, ad libros, de bello, & seditione, pertinent. Nunc ea quæ tantæ tamq; perniciosæ flammæ restinguendæ idonea sunt, tradimus, ad quod plurimum conferent, & quæ dicta sunt, quæque dicturus sum.

Discę docẽdus, ferferendus.

Multos ad vindictam celeres retraxit, armatamq; iram sufflaminauit, recordatio sui. Ita Christiani, & Ethnici suadent. Greg. Mor. 5. c. 32. *Secundus autem seruandæ consuetudinis modus est, vt cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excesimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo ipse debeat tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, suaq; cui ad mentẽ culpa reuocatur, qa erubescit sibi peccata nõ parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit parcenda peccasse.*

Et Seneca lib. 2. ca. 28. *Sed ne ad illam quidem, arctissimam innocentiæ formulam, præstare nos possumus. Alia fecimus, alia cogitauimus, alia optauimus, aliis fauimus: in quibusdam innocentes fumus, quia nõ successit. Hoc cogitantes, æquiores simus delinquentibus. cedamus obiurgantibus: vtique nobis ne irascamur (Cui enim non, si nobis quoq;) minime dis. Non enim illorum, sed lege mortalitatis patimur, quicquid incommodi accidit.*

Grandia peccantes, ferro & igne leuia sequuntur.

Et: *Quisquis ad se retulerit, quoties ipse in suspicionem falsam inciderit, quam multis officiis suis fortuna speciem iniuriæ induerit, quam multos post odium amare cœperit, poterit non statim irasci: vtiq; si sibi tacitus ad singula quibus offenditur, dixerit: Hæc & ipse commisi. Sed vbi tam æquum iudicem inuenies? Is qui nullius non vxorem concupiscit, & satis iusta causam putat amandi, quod aliena est; ide vxorem suam aspici nõ vult: & fidei acerrimus exactor, est perfidus: & mẽdacia persequitur, ipse periurus: & litem sibi inferri ægerrime calumniator patitur. Pudicitiam seruulorum suorum attentari non vult, qui non pepercit suæ. Aliena vitia in oculis habemus: à tergo nostra sunt:* Agnouit Iudas peccatum suum, dum sue scortationis immemor nurum crudelibus flammis addicit. Tanta est humani ingenii prauitas, vt grauissime persequatur delicta, quib⁹ ipsi vel maxime sunt obnoxii. Furta sociorum Pyratæ morte puniunt, qui iræ sue gentes impendunt, de litigiis ciuiũ ius dicunt. *Ignosce aliis multum, tibi nihil,* dictum est antiquis gentibus. Hoc arduum vt sit Christianis vereor. Mitigabo igitur, forte aliquid obtinebo. *Ignosce aliis aliquid, qui tibi ignoscis omnia. Stultus amor est, dignusq; notari,* eius qui dicit: *Egomet mi ignosco:*

Causa iracundiæ suorum vitiorum obliuisci.

Cum tibi ignoueris, ignosce & aliis.

Verum si tamẽ tenacior est, quam vt excuti possit. Ignosce & aliis. Quod si nobis ignoscere, tu citius de mentis statu deturbabere, q̃ alios stomachando corriges. Greg. Nazianz: Iram vehementius inflãmatam de mẽtis statu deiicere; ac deturbare docet. Ita etiam Salomon docet Prou. 27. 4. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtraq; grauior.* Et D. Greg. 5. Mor. c. 31. *Iræ stimulis accẽsum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies igne sci t, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscũtur noti. Lingua quidẽ clamorẽ format, sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaq; iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est.* Et Sene. l. 2. c. 36. de ira. *Magis illud videndum est, quã multis ira per se nocuerit. Alii nimio feruore rupere venas & sãguinẽ supra vires elat⁹ clamor egessit, & luminum suffudit aciem, in oculos vehementius humor egestus, & in morbos ægri recidere, nulla celerior ad insaniam via est. Multi itaq; continuauerunt iræ furorem; nec quam expulerant mentem, vnquam receperunt.*

Ira mortui multi.

Alii in morbum conuicti sunt.

Aiacem in mortem egit furor, in furorẽ ira. Mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecantur: & irasci se negant, non minus quam insanire, furiosi. Amicissimis hostes, vitandiq; carissimis: legum, nisi qua nocent, immemores, ad minima mobiles. non sermone, non officio, non aditu faciles. Omnia per vim gerunt, gladius & pugnare parati, & incumbere. Maximum enim malum illos cepit, & omnia exsuperans vitia.

Alii in furorem.

Quantum hoc malum est, quod & sibi malũ imprecatur? Cum ceteri affectus malum fugiant?

Aperta periculasubit,

§. 11. Insanientium & fere furiosorum iras videre lubitũ est. Aureus est Plutarchi libellus περὶ ἀοργησίας, de quodam Pancratiaste refert, adeo iræ obnoxium fuisse, vt contra mulam calcitrantem, recalcitrauerit. Iræ stolidæ in regibus vide exempla; primum est, atq; vtinam postremum: *Cyri dementia Gyndes.*

Ira stultissima contra elementa.

Cyrus (inquit Sen. l. 3. c. 21. de ira) iratus fuit *flumini. Nam cum Babylonem oppugnaturus, festinaret ad bellum, cui⁹ maxima momenta, in occasionibus sunt, Gynden late fusum amnẽ, vado transire tentauit: q̃ vix tutũ est, etiam cũ sensit æstatem, & ad minimum deductus est. Ibi vnus ex his equis, qui trahere regium currum albi solebant, abreptus, vehemẽter cõmouit regem: iurauit itaq; amnem illum regiis equis meatum auferentem, eo se redacturum, vt transiri, calcariq; etiam à fœminis posset. Huc deinde omnem transtulit belli apparatum, & tãdiu assedit operi, donec C. & LXXX. cuniculis diuisum alueũ in CCC. & LX. riuos dispergeret, & siccum relinqueret in diuersum fluentibus aquis. Perit itaq; & tẽpus, magna in vanis reb. iactura, & militũ ardor, quẽ inutilis labor fregit, & occasio aggrediendi imparatos, dum ille bellum inductum hosti, cum flumine gerit.* Stultior Xerxes qui Ponto trecenta verbera infixit. Impius & stultus Sapor rex Persarum, qui diuinitus Nisibi irrita obsidione discessurus, in aẽre telum, quasi Deo nociturus eiaculatus est. Multi in se iras verterunt, idque sane postremum est; omnis enim rabies seipsa consumit, & scorpius cum vitam deperauit, caudæ suæ, iusto vulnere, incũbit. Omnia quidem vitia ira pariunt, auaritia si lucra incidas, aut damna adferas; libido, si amores impedias; atque ita reliqua quandocunq; negantur cupiditati petita, in

Ira ponto vincula iniicit, contra Deum tela in altum vibrat.

auxi-

auxilium iras vocant. Sed nulla res magis quam superbia iram exasperat; ideo enim ira est opinio contemptus. Hinc, inter superbos, semper iurgia sunt. Hinc inter nobiles, quorum antiquum vitium est superbia, tot concertationes, monomachiæ, insidiæ, quia facilime iniuriam accepisse se arbitrantur. Hinc in vrbibus, quæ aristocratiam colunt, plurimæ dissensiones. Hinc pernicioſæ, & ingruente bello periculoſæ leges, quæ potentium iræ in subditos indulgent. Tales sunt aut leges, aut consuetudines sarmaticæ, quibus agricolarum vita vilis habetur.

§. 12. Non desunt tamen irarum patroni, imo & laudatores. Vtilem esse Reipublicæ, sine illa contemni potestatem. Apud Plutarchum dicitur esse ira cos fortitudinis, οἷον βαφὴν τὸν θυμὸν, καὶ κόμωμα. Fortitudini iram præstare, quod tinctura panno, quæ eum spectabilem efficit, & quod chalybs ferro, cui consolidatus firmitatem, secandique vim confert. In feris id cunctis apparere, illis, pariterque hominibus hoc esse σύμφυτον ὅπλον. Innata nobis arma, latini quoque fortitudinis cotem appellant. Non irasci aiunt esse lentitudinis. Viris fortibus conuenire; ἔχειν κότον ὥρᾳ τελέων, & tum quemque vere fortem esse; ὅτοι κότον ἔνθετο θυμῷ. *Habendam esse iram non irritam, &, tum pulchre munitum animum*, cum iram illi quasi formidabile præsidium impositum fuerit. Contra eos stat constanter, & insita voce clamat natura ipsa; nempe sibi ad tuitionem, salutemque sui datam esse fortitudinem, iram sibi aduersariam esse, ipsam fortitudinem præcipitare. *An secundum* (Seneca lib. 1. cap. 5. de ira) *naturam sit, manifestum erit, si hominem inspexerimus: quo quid est mitius, dum in recto animi habitus est? quid autem ira crudelius est? Homine quid aliorũ amantius? quid ira infestius? Homo in adiutorium mutuum generatus est: ira in exitium. Hic congregari vult, illa discedere: hic prodesse, illa nocere: hic etiam ignotis succurrere, illa etiam carissimos petere: hic aliorum commodis, vel impendere se paratus est: ira in periculum, dummodo deducat, descendere. Quis ergo magis naturam rerum ignorat, quam qui optimo eius operi & commendatissimo, hoc ferum ac pernicioſum vitium assignat? Ira, vt diximus, auida pœnæ est: cuius cupidinem inesse pacatissimo hominis pectori, minime secundum eius naturam est. Beneficiis enim humana vita consistit, & concordia: nec terrore sed mutuo amore, in fœdus auxiliumq; commune constringitur. Quid ergo? non aliquando castigatio necessaria est? Quidni? sed hæc sincera, cũ ratione: non enim nocet, sed medetur specie nocendi.*

Aristoteles 7. ad Nicom. cap. 7. Secundum naturam esse ait, & inter ὀρέξεις φυσικὰς recenset, magisque talem ait, quam cæteras, ideoque venia dignam. Verum ortum à natura affectiones habent omnes, & ratione temperati debent, quæ vero exorbitant, iam naturam destruunt.

§. 13. Deinde fortitudo nisi ratione & sapientia nitatur temeritas est, & audacia, ira pernicioſa est prudentiæ, inimica consilio. Prudenter Nazianz.

ὐδεὶς μετ' ὀργῆς ἀσφαλῶς βουλεύεται,
Τὰ γὰρ μετ' ὀργῆς οὐδέπω βουλὴν ἔχει.
Nemo per iram tuto deliberat,
Quæ enim per iram fiunt nunquam cõsilio dant locum.

Itaque nec in ipsis quidem conflictibus, & arena, vbi iræ est, & phrontisterium, & spoliarium, fortitudini ira iungenda est. Pyrrhus nobilis lanista, discipulos ponere iram iubebat, *ira*, inquit, *turbat artem*. Quod si artem quam propriam iræ vulgus putat, illa præcipitat, quanto magis artem mansuetudinis, & prudentiæ iuxta quam regitur ciuitas, artem cuius est multos in vnum colligere, mutua caritate, & amicitia deuincire? Nulla alia ratione pauci Romani Cimbros, aliasque gentes numero infinitas, fortitudine præstantes, vicere, quam quod ratione, arte, consilio, in pugnam procederent, illæ vero gentes impetu, ferocia, iraque inconsulta ruentes, sese barbaris mactandas obiecerint. Non igitur iratus imperator, sed prudens & fortis eligendus est, qui contra hostem non furorem, sed consilium adferat. Non igitur fortitudinis comes est ira, quamuis enim fortis, & iratus celerius procurrat, vehementius feriat, tamen minus fortiter agit; quia minus prudenter. Incaute agit, ferire potest, se defendere non potest. Habet hoc omnis ira, sui prodiga est, quid alteri noceat, non quid sibi prosit, attendit. Fortitudo tempore roboratur, & inualescit, quia consilio vtitur; ira mora elangueſcit. Da spacium furori, sponte sua considet.

Tantum autem abest, vt viris fortibus morbum hunc conuenire arbitrer, vt iracundos minime fortes iudicem. Iræ puerorum, & mulierũ acres magis sunt, quam graues. Senes, ægri, sitientes, famentes facile irascuntur. Certe Plutarchus iram tribuit imbecillitati l. περὶ ἀοργησίας. ὡς γὰρ οἴδημα μεγάλης ἐστὶν ἐν σαρκὶ πληγῆς παθὸν, οὕτως ἐν ταῖς μαλακωτάταις ψυχαῖς, ἢ πρὸς τὸ λυπῆσαι ἔνδοσις ὑπαφέρει μείζονα θυμὸν ὑπὸ μείζονος ἀσθενείας. διὸ καὶ γυναῖκες ἀνδρῶν ὀργιλώτεραι, καὶ νοσοῦντες ὑγιαινόντων, καὶ γέροντες ἀμαζόντων, καὶ κακῶς πράττοντες εὐτυχούντων. *Vt enim vlcus aut tumor affectus est plagæ alicuius magnæ in carnem inflictæ, sic in mollissimis animis inclinatio ad dolendum exprimit & affert maiorem iram à maiori imbecillitate. Ideoq; & fœminæ maribus iracundiores sunt, & iuuenibus senes, & felicibus ærumnosi.*

Necaliter naturæ doctor 2. Rhet. c. 2. *apparet iam ex his, quomodo se habentes irascantur ipsi, & quibus, & propter quæ. Ipsi enim cum dolent. Nam aliquid appetit dolens. Siue igitur directo obstiterit aliquis, vt sitienti ad bibendum, siue non directo, similiter idem videatur efficere, & si refragetur aliquis, &, si non suffragetur, & si quæ alia in re turbarit sic se habentem: omnibus irascitur. Quamobrem ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, sitientes, omnino cupientes, & non recte agentes, iracundi sunt, & qui concitentur, idonei. Maxime quidem aduersus eos, qui præsentem statum despiciunt, vt ægrotantes quidem in iis, quæ pertinent ad morbum, paupertate autem laborans in iis, quæ ad paupertatem, bellator in iis, quæ ad bellum, amator in iis, quæ ad amorem. Similiter vero etiam in aliis: præparatur enim quisque ad suam cuiusq; iram ab inhærente affectu.*

Imbecillium igitur, & ab infirmitate ira est; Muliebre est, inquit Seneca, in ira furere. Certe scriptura testatur; *non esse iram supra iram mulieris.* Sic canit & Satyricus Sat. 6.

--- *Quoties facit ira nocentem*
Hunc sexum, & rabie iecur incendente feruntur
Præcipites, vt saxa iugis abrupta, quibus mons
Subtrahitur, cluoque latus pendente recedit.

Tum vero seipsa & iracundior mulier, cum vterum gestat, aut ætate grauis est, ita docet Conciliator. lib. 10. probl. cap. 35. Optime Menander:

Πολὺ χεῖρόν ἐστιν ἐρεθίσαι γεγῦν, ἢ κύνα.
Perus est irritare anum, quam canem.

§. 14. Verũ iniuriam non modo sanctissimis martyribus, vere, proprieq; Heroibus infert illa sententia, sed omniũ fortium fortissimo, Christo domino, qui proposito gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Summa fortitudo est contra dolores, mortem, tormenta stare immobilem, id hominũ mitissimi præstiterunt. An tu Christum iratum existimas, cum suis pendens in tormentis dixit: *Pater ignosce illis?* An Stephanum cum eadem verba inter lapidantium ictus repeteret? Placidissima est igitur fortitudo. Nunquam recipienda est ira, quamuis aliquando occasione diuersarũ causarum vtilis fuerit. Verũ eodem modo vtilis aliquando fuit ebrietas, quia tyrannos sopiuit, & liberauit innoxios; quid bonum sit, non quid aliquando bonos exitus sortiatur quærimus.

§. 15. Quomodo igitur populorum rectores tot improborum cupiditates compriment, tot sce-

Ira communationes falsa.

Natura sine violatione sui, hoc est sine furore satis tuta est.

Ira in exitium nata est.

Ratio quãdo consulit, nocere videtur.

Ira consilia excutit.

Ne in pugnam quidem ira ferenda.

Iratũ sine sanguine vincit prudens.

Ira in prælio cito cessat, & timore pellitur.

Iracundissimi qui imbecilles.

Tumor non est Fortitudo.

Miseri facile irascuntur, quia se contemni putant.

Non est ira supra iram mulieris.

Martyrum probatissima ira insania non eguit.

Ira non est frangen-

dis improborum cupiditatibus necessaria.

lera vindicabunt, nisi irascantur, iraque terreant?

Responsio in promptu est. Metuant iustitiam tuam, prudentiam, vires, improbi, non furorem. Quicquid præter hæc timetur inuisum est: nec modo inuisum est, sed periculosum, & contemptui expositum. Nihil enim magis rideri solet, quam incassum tumultuans iracundia. Non ergo irasci sceleribus debet princeps; quia cum omnia plena sint vitiis, nunquam iram ponere valebit; si putet omnibus irascendum. *Si tantum irasci vis, quantum scelerum indignitas exigit, non irascendum, sed insaniendum est.* Multitudo peccantium tollit iram principis, qui nec vniuersis debet irasci, nec singulis. Non osor, sed corrector sit peccantium, cum puniendum est, sine motu, quemadmodum leges quæ irasci nesciunt, supplicium decernat. Puniat, non tam quia peccatum est, sed ne peccetur. Ira iudicis etiam iustissimam sententiam suspectam reddit. Plus vultu, quam morte torquet, cum furiæ instar diram faciem diri affectus præfert. *Nihil tamen æque* (inquit Seneca l. 2. de ira. c. 35.) *profuit, quam primum intueri deformitatem rei, deinde periculum. Non est vllius affectus facies turbatior: pulcherrima ora fœdauit, toruos vultus ex tranquillissimis reddidit. Liquit decor omnis iratos: & siue amictus illius compositus sit ad legem, attrahet vestem, omnemque curam sui effundet. Si capillorum natura vel arte iacentium non informis est habitus; cum animo inhorrescunt, tumescunt venæ, concutitur crebro spiritu pectus, rabida vocis eruptio colla distendit: tunc artus trepidi, inquietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qualem intra putas esse animum, cuius extra imago tam fœda est? quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, intensior impetus, rupturus se nisi eruperit? Quales sunt hostium, vel ferarum cæde madentium, aut ad eadem euntium aspectus; qualia poetæ inferna monstra finxere, succincta serpentibus, & igneo flatu; quales ad bella excitanda, discordiamque in populos diuidendam, pacemque lacerandam, terrimæ inferum exeunt Furiæ: talem nobis iram figuremus, flamma lumina ardentia, sibilo mugituque & gemitu & stridore, & si qua his inuisior vox est, perstrepentem, tela manu vtraque quatientem: neq; enim illi tegere se, cura est: toruam, cruentamque, & cicatricosam, & verberibus suis liuidam, incessibus vesanis, offusam multa caligine, incursitantem, vastantem, fugantemque: & omnium odio laborantem, sui maxime: si aliter nocere non potuit, terras, maria, cœlum ruere cupientem, infestam pariter, inuisamque. Vel, si videtur, sit qualis apud vates nostros est.*

Lex sine ira supplicium decernit.

Iræ ingens fœditas.

Iratus furiæ similis.

Sanguineum quatiens dextra Bellona flagellum,
Aut scissa gaudens vadit Discordia palla.

Medico non opus est ira.

In omnium odia incurrit iudex, qui quod vtilitati publicæ debetur, suis tribuit affectibus, miserantur omnes reum, quamuis extrema meritum, si illi iratum iudicem animaduertant. Medicus tot ægros sine indignatione aspicit, Chirurgus cum secat, vrit, & grauius, quam tortor, excarnificat, non irascitur. Quicunque ergo Christianæ professionis est magistratus, Christi, sanctorumque martyrum, & Episcoporum mansuetudinem imitetur. Iras, contumelias, & simultates ciuium omni studio tollere nitatur. Quorum iras, contentionesque nouit insanabiles, exulare iubeat. Si crimina ausi fuerunt merito supplicio plectat. Nunquam ira potentiorum indulgeat pœnam infirmioris. Nisi id sedulo curet, orientur ingentes difficultates non modo cum vtilitas ostentatur, & sceleris emolumentum proponitur, sed etiam cum insatiabile vincendi studium animos occupauit; pleraque lites initio leues contentionis ardor exasperauit. Contentio ex contentione, ira ex ira, vt imago ex imagine dum sibi specula opponuntur, enascitur, & mutuis aspectibus mala multiplicantur. Vide Remp. Romanam Neronis ævo; & concidisse nihil miraberis. Seneca lib. 2. de ira. *Alius iudicia patris accusat, quæ mereri satius fuit: alius cum matre consistit: alius delator venit eius criminis, cuius manifestus reus est: & iudex damnaturus quæ fecit, eligitur: & corona pro mala causa, bona patroni voce corrupta. Quid singula persequor? cum videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc scito, istinc tantundem esse vitiorum, quantum hominum. Inter istos quos togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium leui compendio ducitur. Nulli nisi ex alterius damno quæstus est: felicem oderunt, infelicem cõtemnunt: maiore grauantur, minori graues sunt: diuersis stimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob leuem voluptatem, prædamque cupiunt. Non alia quam in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem viuentium pugnantiumque. Ferarum iste conuentus est: nisi quod illæ inter se placidæ sunt, morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur. Hoc vno ab animalibus mutis differunt, quod illa mansuescunt vtentibus, horum rabies ipsos à quibus est nutrita, depascitur.*

Contentiones Romæ pereunte Republica.

Irreconciliabile gentium odium.

§. 16. Indefessum, sedulum, efficacem, actuosum esse principem volo, iracundum veto. Clementiæ cum graui supplicio bene conuenit, cũ ira nunquam: S. Cyprianus l. de lapsis. *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum seruat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.*

Princeps iræ insaniam vitat, ne cesset mederi malis.

Sæpe in Republica salus seueritate quæritur, quæ in militia certe necessaria est. Insignis dux (teste Tacito lib. 13.) seueritate exercitum continuit. *Annotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus, vt oneri adhærentes, truncis brachiis deciderent. Ipse cultu leui, capite intecto in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium inualidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam cœli, militiæque multi abnuebant, deserebantque: remedium seueritate quæsitum est. Nec enim vt in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat. Idque vsu salubre, & misericordia melius apparuit. Quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea in quibus ignoscebatur.*

Magna seueritas sine ira esse potest.

§. 17. Idem in regno sæpe vsu venit. Sed vt lenitudine solui disciplina non debet. Ita asperitas omnino abesse debet. Quam dira, & improba Pisonis argumentatio, iniustissimo furori iustitiam prætendentis? Seneca lib. 1. de ira, cap. 16. *Cn. Piso, fuit memoria nostra vir, à multis vitiis integer, sed prauus, & cui placebat pro constantia rigor. Is cum iratus duci iussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat, roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit, damnatus extra vallum ductus, & iam ceruicem porrigebat, cum subito apparuit ille commilito, qui occisus videbatur. Tunc centurio supplicio præpositus, condere gladium speculatorem iubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam; nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum commilitones. Conscendit tribunal furens Piso, ac iubet duci vtrumque, & eum militem qui non occiderat, & eum qui non perierat. Quid hoc indignius? quia vnus innocens apparuerat, duo periebant. Piso adiecit & tertium, nam ipsum centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iussit. Constituti sunt in eodem loco perituri tres, ob vnius innocentiam. O quam solers est iracundia, ad fingendas causas furoris! Te, inquit duci iubeo, quia damnatus es: te quia causa damnationis commilitoni fuisti, te quia iussus occidere, imperatori non paruisti. Excogitauit quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat.*

Iustitia cũ humanitate in pace nõ ladit famam principis.

Piso tria crimina inuenit, vbi nullũ erat.

Hęc ira omnia perdit, meritoq; iris imputat excidia suæ orbis, quæ per vices passim grassantur, & aliquo semper in loco vastitiem faciunt. Idem Seneca quem ideirco hoc loco sæpius produco, quia in[illegible] omnes [illegible] Ethu-

Ira facile causas inuenit.

Semper aliquo vitio [illegible]

Ethnicos de ira efficaciſſime ſcripſit, lib. 1. cap. 2. *Iam vero, ſi effectus eius damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis cædes ac venena, & reorum mutuas ſordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum ſub ciuili haſta capita, venalia, & ſubiectas tectis faces, nec inter mœnia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſſimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas, has ira exhauſit. Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati, alium ira in cubili ſuo confodit; alium inter ſacra menſæ ira percuſſit; alium inter leges celebriſque ſpectaculum fori lancinauit; alium filij patricidio dare ſanguinem iuſſit; alium ſeruili manu regalem aperire iugulum; alium in cruces membra diuidere. Et adhuc ſingulorum ſupplicia narro: qum ſi tibi libuerit, relictis in quos ira viritim exarſit, aſpicere caſas gladio conciones, & plebem immiſſo milite contrucidatam, & in perniciem promiſcuam totos populos capitis damna paſſos, tanquam aut curam noſtram deferentibus, aut auctoritatem contemnentibus.*

Damna iracundiæ.

Ira remedium eſt mora.

§. 18. De ira moderanda dixi, atque ad alia abiturus: Moneo, ſed quod olim alij: Nempe. Maximum remedium eſt iræ, mora. Nec ab illa pete initio, vt ignoſcat, ſed vt iudicet. *Deſinet, ſi exſpectet: nec vniuerſam illam tentaueris tollere, graues habet impetus primos. Tota vincitur, dum partibus carpitur.* Athenodorus iam ſenior, (puto eſſe, qui fuit præceptor Dionyſii Areopagitæ) cum miſſionem ab Auguſto impetraſſet, inter valedicendum extremum hoc mandatum Imperatori reliquit. *Cum iratus fueris, nihil dixeris, aut feceris, priuſquam apud te græcarum literarum viginti quatuor nomina recenſueris.* Quo dicto delectatus Auguſtus, apprehenſa eius dextera: *adhuc ſe præſente mihi opus eſt*, inquit, *totoque anno eum apud ſe detinuit.* Quod ſi me pauliſper audies, ô princeps, cum iratus fueris; nihil ages, nihil dices; niſi orationem Dominicam prius corde dixeris; aut ſi nimium hoc eſt: Hæc ſaltem verba decurres: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris.* At ſi ad orationem ira detortus animus dirigi non poteſt. Aliquam duntaxat ſententiam recites. Videlicet Matth. 6. 14. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum; dimittet, & vobis pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: nec pater veſter dimittet vobis delicta veſtra.* Vel cap. 5. 23. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo racha: reus erit Concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.*

Athenodorus remedium iræ Auguſto præſcribit.

Oratio cum mora efficax.

Vel Iob. 28. *Homo iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium, immittit inimicitiam.*

Vel Prouerbior. 15. 1. *Reſponſio mollis frangit iram, ſermo durus ſuſcitat furorem.*

Vel Iob. 36. 18. *Non te ergo ſuperet ira, vt aliquem opprimas.*

Vel Eccleſ. 11. 10. *Auſer iram à corde tuo.*

Vel Epheſ. 4. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à nobis, cum omni malitia.*

Quod ſi nec ſacra admittit, aliquem ex Ethnicis conſiliarium ſumat. Et dicat:

Qui non moderabitur iræ
Inſectum volet eſſe, dolor, quod ſuaſerit, & mens;
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.
Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret,
Imperat. Hunc frenis hunc compeſce catena
Iratus poſt factum errorem intelligit.
Si iraſceris, furis.
Nulli irato crede, ne tuo quidem animo.
Boni viri cito moritur iracundia.

CAPVT XVI.

Clementiam in omni Republica colendam eſſe.

§. 1. MANSVETVDO & clementia geminæ virtutes, pari fere ſemper gradu incedunt, atque in vnam actionum humanarum effectum conſpirant. Manſuetudo iræ ſecundum rectam rationem eſt moderatrix. Clementia vero pœnarum. Vtramque ſimilitudine quadam ad temperantiam D. Thomas refert 2. 2. q. 157. a. 3. Nam quemadmodum temperantia voluptates intra gyrum rationis coercet, nec metas honeſtatis egredi patitur. Ita manſuetudo ferociſſimam beluam, iram vinclis & carcere clauſam mitigat, cicuremque reddit, vt non modo non noceat, ſed intra licitum ſeſe, etiam præſcriptumque iuſtitiæ contineat. Ita Clementia eſt, non quæ per vim & iniuſtitiam non ſæuit, ſed quæ mitiores pœnas, quam iuris rigor, infligit. *Clementia eſt temperantia animi in poteſtate vlciſcendi. Vel lenitas ſuperioris ad inferiorem in conſtituendis pœnis. Vel eſt inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda.* Vel, *eſt virtus aliquid ex merita ac debita pœna remittens.* Hæ definitiones Senecæ ſunt, lib. 2. cap. 3. de Clement. Clarior, & quæ obiectiones tollat Lipſiana, lib. 2. cap. 12. *Clementia eſt virtus animum à pœna, aut vindicta ad lenitatem cum iudicio inclinans.*

Manſuetudo & clementia iræ & pœnarum moderatrices.

Clementia omnia mitigat.

§. 2. Cum vero potiſſimæ ſint virtutes, thronumque regni corroborent vt Prouerb. 20. 28. dicitur; lis tamen vtrique de ſtatu ab hominibus diſputare magis, quam viuere docentibus intenditur. *Manſuetudo*, inquiunt, *diminuit iram, clementia pœnas, at virtus in medio conſiſtit. Hæ vero minus præſtant debito, citra rectum ergo conſiſtunt, & illos fines quos virtutis norma fixit.* Verum tenenda eſt non modo ſacrarum literarum doctrina, ſed philoſophorum etiam moderatiorum, & politicorum, inſignes eſſe virtutes manſuetudinem, & Clementiam, atque adeo honorabiles, vt cæteræ interdum illis deferant. Manſuetudo diminuit iram, quia cum appetitus vltionis ſit omnibus innatus, & vindictam ſumere dulce ſit irato, cum nemo iniurias ſibi illatas facile paruas arbitretur, magna in lucta nobiliſſima virtus verſatur. Clementia vero pœnas remittit, quam ſecundum legem communem, iuſtitia legalis exigit, nec tamen iniuſta eſt, ſed benigna. Nam ſecundum rectam rationem remittit pœnam debitam, aut pœnæ partem. Idque propter quaſdam particulares circumſtantias, quarum conſideratio facit, vt recta ſit à ſeueritate puniendi diſceſſio. Itaque non eſt contraria ſeueritati Clementia, neque iuſtitiæ. Nulla enim virtus, alteri virtuti repugnat. Seueritas ſecundum rectam rationem pœnas exigit, quando, à quo, & quantæ ſunt exigendæ. Clementia eadem, ratione duce, loco tempore remittit. Sic ἐπιείκεια, quæ rigidæ legis, verba benigne, & ſecundum legislatoris mentem interpretatur, & ſecundum eam iudicat, iuſtitiam non conuellit, ſed ſummum ius, quod ſumma ſæpe eſt iniuria, ad æquitatem, imo ſi verum fateri volumus, ad iuſtitiam reducit. *At ſi iuſtitia* (aiunt) *poſtulat pœnam, non poteſt eam remittere clementia, niſi opprimat iuſtitiam.* Imo vero lex communis pœnam poſtulat, datque exigendæ eius poteſtatem. Non tamen vetat ob certas cauſas, miſereri, ignoſcere, mitigare. Neque vllus legislator, ſuarum legum adeo tenax eſt, aut eſſe debet, vt non aliquando locum precibus, & humanitati relinquat. Clementiæ opponitur crudelitas, quæ eſt atrocitas animi in exigendis pœnis. Seneca l. 2. de ira. c. 4. *Quid ergo opponitur clementiæ? Crudelitas, quæ nihil aliud eſt, quàm atrocitas animi in exigen-*

Clementia virtus eſt illuſtris.

Difficilis clementia irato.

Clementia non ſeueritati nō modo iuſtitiæ non eſt contraria.

Clementia ſimilis eſt ἐπιεικείᾳ.

Crudelitas clementiæ oppoſita.

exigendis pœnis. Sed quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen sunt: tanquam, qui ignotos homines & obuios non in compendium, sed occidendi causa occidunt. Nec interficere contenti, sæuiunt, vt Sinis ille & Procrustes, & Piratæ, qui captos verberant, & in ignem viuos imponunt. Hæc crudelitas quidem: sed quia nec vltionem sequitur (non enim læsa est) nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecesit crimen) extra definitionem nostram cadit: quæ definitio continebat in exigendis pœnis intemperantiam animi. Possumus dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati sæuitia est: possumus insaniam vocare, nam varia sunt genera eius, & nullum certius, quam quod in cædes hominum, & laniationes peruenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent.

Calamitosum orbi vitiũ crudelitas.

Crudelitas itaque pœnas exasperat. Interdum sine causa sæuit, sola delectatione alieni doloris, quare iustitiam, caritatem, misericordiam, clementiam, omne ius diuinum, humanumque multi violant. Nec homines, sed sæuæ bestiæ sunt, quæ plus mordent, quam esuriunt.

§. 3. Tria vero hoc capite tractabo. Primo ostendam plerisque in regnum pro mansuetudine iram, pro clementia crudelitatem esse dominatam. Secundo quam necessaria sit Reipub. clementia, quam noxia crudelitas sit, docebo. Tertio. Quis sit clementiæ modus, ne disciplinæ, & legum vigor enerueturtur, explicabo.

Veterũ immanissima crudelitas.

§. 4. Inter cætera gentium vitia Apostolus Paulus Rom. 1. 31. recenset; Esse ἀνελεήμονας, immisericordes, homicidas, ac proinde crudeles. Accendit illa vitia Stoica ἀπάθεια, cum misereri, ignoscere negarent esse sapientis. Sed errat cum Stoicis Seneca. *Misericordia est enim dolor voluntatis, aut displicentia, de aliena miseria secundum rectam rationem concepta,* neque opus est passione aut ægrimonia, quæ se in lamentationem & planctum effundant. Illa autem appetitus inferioris, seu condolentia, seu commotio, non modo vitium non est, si recta ratione gubernetur, sed veræ etiam misericordiæ, quæ in voluntate residet, & virtus est, seruit; audiendus autem Apostolus: *Flete cũ flentibus.* Motus aut ille animi seruit rationi, quando ita præbetur misericordia, vt conseruetur Iustitia, siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur pœnitenti. Ad misericordiam tamen, ille motus appetentis potentiæ necessarius non est, potest enim voluntas sola ratione adiuta misereri. Itaq; clare Stoicos refutat Augustinus, lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 27. *Quare illa omnia, quibus huiuscemodi malis incommodisue resistitur, qui officiose, atque humaniter præbent, misericordes vocantur, etiamsi sapientes vsque adeo sint vt iam nullo animi dolore turbentur: nam quis ignoret, ex eo appellatam esse misericordiam, quod miserum cor faciat condolentis alieno malo? & quis non concedat ab omni miseria liberum esse debere sapientem, cum subuenit inopi, cum esurienti cibum præstat, potumque sitienti, cum vestit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppressum liberat, cum denique humanitatem suam, vsque ad sepulturam porrigit mortuorum. Etiamsi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris instinctus, sed adductus officio bonitatis, misericors tamen vocandus est. Huic enim nihil obest nomen cum absit miseria. Stulti vero, cum misericordiam quasi vitium deuitant, quia officio satis moueri nequeunt, si nec perturbatione commouentur congelascunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate serenantur. Itaque multo prudentius Deus etiam ipse misericors dicitur: qui quemadmodum dicatur, re-*

Misericordia male à Stoicis negata.

In mente misericordia est, eãq; iuuat, quæ in appetitu est teneritudo.

Stoici dum misericordiam fugiunt, benignitatem tollunt.

Deus misericors sine miseria.

stat intelligere iis, qui se se idoneos religione studioque præstiterint, ne cum verbis doctorum inepte vtimur, indoctorum animas prius durescere vitando misericordiam, quam appetendo benignitatem miteſcere faciamus; atque vt misericordia iubet, ista nos ab homine pellere incommoda sic innocentia prohibet inferre.

Omnino igitur malo misericordiam, quæ etiam miserum, mœstumque cor faciat, quæ cum aliquis scandalizatur, vrat; quæ cum Dauide exclamet; Absolon fili mi, fili mi Absolon, quæ cum Christo eleuet oculos super Ierusalem, & fleat, quam duram illam philosophiam, quæ ad omnem inhumanitatem obdurat animos, & crudelitatem accendit.

Gentium imperia crudelia.

§. 5. Omnia igitur imperia priscarum gentium, vt in alia vitia, ita in summam prolapsa sunt crudelitatem. Proprieque θηριότης, beluinus, ille affectus dicitur, quem lib. 7. cap. 1. Nicom. describit Aristoteles. *Itaque si (vt aiunt) propter excellentiam, præstantiamq; virtutis, Dij ex hominibus efficiuntur, talis erit profecto is animi habitus, qui habitui illi ferino opponitur. Nam vt feræ neque vitium, neque virtus est, sic neque Dei: sed hic quidem habitus virtute præstabilius & honoratius quiddam est: ille autem aliud quoddam à vitio genus est. Verum quoniam raro admodum euenit, vt vir diuinus existat (quemadmodum Panones eum solent diuinum appellare & salutare, quem magnopere admirantur: O virum diuinum, inquiunt:) sic inter homines raro aliquis reperitur feritate belluarum similis natura: Sed si quis, is maxime apud barbaros exoritur. Nonnullas autem huiusmodi immanitates, morbi & membrorum debilitationes pariunt. Atque eos homines, qui vitio cæteris antecellunt, turpi atque infami nomine feros, & immanes appellamus. Sed de hac quidem animi affectione nobis erit aliquid posterius dicendum.*

θηριότης seu feritas gentium.

In ipsa Græcia, inculti ssimo imperio omnes pene ferum.

Et capite 6. *Sed quoniam aliqua sunt iucunda natura, eorumque alia simpliciter & absolute, alia diuersis animantium atque hominum generibus iucunda sunt: alia non sunt iucunda natura, sed partim propter debilitationes corporum, partim propter consuetudinem, partim propter vitiosas naturas fiunt iucunda: licet etiam in his singulis, consimiles habitus animaduertere. Voco autem immanes, & ferinos habitus, qualis erat eius mulieris, quam dicunt grauidis mulieribus apertis ac perfectis, pueros deuorare solitam: aut qualibus rebus efferatos quosdam circa Pontum populos delectari ferunt, alios scilicet crudis, alios humanis carnibus: alios liberos inter se mutuos, in epulas dare: aut quale est id quod vulgo de Phalaride dicitur. Ferimi igitur sunt hi habitus. Alij autem propter morbos, & furores nonnullis innascuntur, qualis ille fuit, qui matrem immolauit, & comedit, & qui conserui iecur. Alij morbosi sunt, qui ex consuetudine proficiscuntur, vt pilorum euulsiones & vnguium corrosiones, carbonum quoque & terræ: præterea venereorum vsus cum masculis. Namque hoc cupiditates aliis naturales sunt, aliis ex consuetudine nascuntur, vt qui à pueris consueuerunt. Atque eorum quidem, quibus natura causam præbet, incontinentem quemquam nemo dixerit: quemadmodum neque mulieres, quod in complexu venereo non agant, sed patiantur. Eademq; ratione neque eos, qui ex consuetudine, vitium morbo simile contraxerunt. His igitur singulis animi malis tentati, extra vitij terminos, ac fines egredi est: quemadmodum & feritate, ad belluarum naturam proxime accedere. His autem tentatum, atque affectum, superiorem esse, aut inferiorem, non simplex continentia, aut incontinentia est, sed ex similitudine: quemadmodum & eum, qui in ira hoc modo affectus est, vt vincatur, huius perturbationis incontinentem autem dicere non debemus. Omnis enim modum superans vitiositas, & amentia, & timiditas, & intemperantia, & sæuitia, vel ferina est, vel morbosa.*

Ανθρωποφαγοι omnes feri.

Immanes etiam extra vitiorum terminos egrediuntur.

Cætera recte Aristoteles, illud omnino male, quod paucos, & non nisi inter barbaros; θηριώδεις, beluinos, & immanes agnoscit. Contrarium mihi ostendendum est, vt vel hac ex parte appareat, quid pietas Christiana mundo contulerit.

Feritas hominũ mentes cito obsedit.

§. 6. Antiquissimũ humani generis vitium est, in sui generis consortes sæuire. Caino, viuente fratre, mundus angustus videbatur. Gigantes ante diluuiũ, auari, crudeles, libidinosi fuere, vix restaurato orbe, Nẽrodus tyrannidem occupat, & Abrahamo viuo, iam Noe, Semo, aliiſq; lugentibus, longinqua bella reges adornant Gen. 13. Consuetudinem vero libidinandi, & sæuien-

Iam olim crudeles erant.

& sæuiendi, multis locis fuisse Moses ostendit, dum scribit Abrahamum ab Sara petiisse, vt sororem se diceret, ne forte ipsa raperetur, & occiso marito, vacuus thalamus, raptori tribueretur. Minus adulterio malum homicidium putabant. Tam vilis erat homini, vacuo adhuc orbe, hominum sanguis. Nec mitior Pharao in Iudæorum infantes; nec bellis antiquissimis Emæorum, Chorræorum, Zomsommorum, Cappadocum, cum integræ gentes delerentur, summa crudelitas abfuit. Quid in Palæstina? nonne septuaginta reges, amputatis manuum, pedumq; summitatibus sub mensa Adonibezec micas colligebant? Sed eorum, quæ valde antiqua sunt, crudelitates pleræque latent; quia defuerunt, qui eas posteris traderent. Quatuor Monarchiarum nobissimarum crudelitatem spectemus, in illis enim furere genus humanum inueniemus. Prima est, seu Assyria, seu Chaldæa, iungi enim solent. Chaldæos describit nobis Habacuc. c. 1. 6. *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Horribilis & terribilis est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites eius: equites namque eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens: & congregabit quasi arenam captiuitatem. Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem, & capiet eam.*

Antiquissimorum scelera teste carent.

Quatuor Monarchiæ crudeles.

Crudelitas Chaldæorũ.

Chaldaica monarchia latrociniũ fuit, quod terram penè desertam reddidit.

Et Isa. 14. 5. *Contriuit baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter.* Et versic. 12. *Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?* Et vers. 17. *Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram? Qui concussit regna? Qui posuit orbem* DESERTVM? *& vrbes eius destruxit? Vinctis eius non aperuit carcerem?* Et 20. *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti, non vocabitur in æternum semen pessimorum. Præparate filios eius occisioni.* Daniel etiam ait, *eum occidisse, quos volebat.*

Grauis ergo erat regni istius, & tyrannica administratio. Daniel. cap. 7. 4. Leænæ comparat. *Prima quasi Leæna, & alas habebat quasi aquilæ.* Hier. אריה *leænam* dictam ait, *ob luxuriam, & crudelitatem, fœmella enim sæuior est mare. Aiunt enim hi, qui de bestiarum scripsere naturis, Leænas esse ferociores, maxime si catulos nutriant, & semper gestire ad coitum.* Crudelitas autem mulierositasque perpetuo connexa sunt. Quin & Leæna est alis aquilinis velox, vt eam etiam Abacuc describit. Leonis sæuior est fames, quia nunquam redit ad prædæ reliquias, sed calido sanguini semper imminet, aquilarum etiam celebrata est tyrannis; nam vnum par latum prædandi territorium requirere, ait Olaus lib. 19. cap. 7. Narrat deinde quantum ex duobus pullis, quos Boreales agricolæ nauseare cogunt, lucri faciant, dum solliciti parentes, omne venationis genus Indis inferunt. Itaque Chaldaica monarchia est γρυπάετος ἀγκυλοχείλης, & fabulam de Grypaquila ex Daniele, & fama illa ortam arbitror. Sic extremam calamitatem Moabitis infert Aquila illa apud Ierem. 48. 40. *Ecce sicut aquila volabit, & extendet manus suas ad Moab.* Et Thren. 4. 19. *Velociores sunt persecutores nostri aquilis cœli, & super montes persecuti sunt nos.* Hæc igitur crudelitas Chaldæorum, & Assyriorum fuit.

Leænæ comparati Chaldæi crudeles, & libidinosi.

Aquilæ rapacitas, & perpetuus venatus.

Grypha-quila ad-uncoroſtro.

§. 7. At multo maior fuit Medorum & Persarum. Daniel de altera Monarchia sic loquitur, cap. 7. v. 5. *Et ecce alia bestia similis vrso, in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge comede carnes plurimas.* Bestia fœdæ, & ignobilis sæuitiæ est vrsa.

Persarum Monarchia vrsa est.

—— Rabido nec perditus ore
Fumantis nasum viui tentaueris vrsi,
Sit placidus licet, & lambat, digitosq;, manusq;,
Si dolor, & bilis, si iusta coegerit ira
Vrsus erit.

Vrsum qui dicit, crudelem dicit.

Animal est omniuorum, infidum. Feritate omnes beluas superat, vt ait Philostratus. Sed vrsorum rabidissimi sunt in Perside. *Vrsi Persici vltra omnem rabiem sæuiunt*, inquit Marcellinus. Hoc tres ordines dentium indicant. Hoc illa excitatio: *Surge, comede carnes plurimas.* Regna plurima deuorarunt, & inter illa primam feritatem experta est, & crudam famem Babylon, cuius qui miserrima exitia legit, opus agnoscet Medorum, & Persarum. Esa. 13. 17. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærunt, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficient, & lactentibus vteri non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.*

Vrsus omnia superat animalia.

Persarum vrsi vltra omnem rabiem sæuiunt.

Ammianus lib. 30. *Persarum nationem*, ait, *varietatem suppliciorum semper exercuisse crudam.* Hinc viuorum excoriatio, idem lib. 33. Hinc cognatorum mortes apud Xenoph. lib. 3. ἀναβ. Hinc viuorum defossiones Herod. lib. 8. & 4. Viuicomburia, Ctesias in fragmentis. Heliodorus lib. 8. hist. Æthiop. Vide & Socratem lib. 1. cap. 22. Procop. lib. 1. de bello Persico, testem summæ, efferæque immanitatis.

Persæ sæuis assueti & læti.

Cyrus ipse sanguinis auidus, in opprobrium crudelitatis, sanguine pœnas luit, Darius contra septem *optimates, quæ gerit tum alij, tum breuiter narrat Val. l. 6. Ochus autem, qui postea Darius appellatus est, sanctissimo Persis iureiurando obstrictus, ne quem ex coniuratione quæ septem Magos cum eo oppressérat, aut veneno, aut ferro, aut vlla vi, aut inopia alimentorum necaret; crudeliorem mortis rationem excogitauit, qua onerosas sibi, non perrupto religionis vinculo tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere compleuit, suppetitoque tigno prominente, benigne cibo & potione exceptos; è quo somno sopiti, in illam insidiosam congeriem decidebant.*

Vrsus infidus & crudelis, etiam in notos.

Iurisiurandi sæua irrisio.

Et de altero Ocho: *Apertior & tetrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham sororem, atque eandem socrum, viuam capite defodit; & patruum, cum centum amplius filiis, ac nepotibus vacua, area destitutum, iaculis confixit; nulla iniuria lacessitus, sed quod in his, maximam apud Persas, probitatis, & fortitudinis laudem consistere videbat.*

Vrsa sæuit ob cognati sanguinis bona.

Inter cruda supplicia fuere σκαφισμὸς quo mortuus est Mithridates apud Plutarchum in Artaxerxe, durauit illud dies septem & decem, deuorato pene à vermibus corpore. Memnon, (lib. 2. ἀναβ. apud Xenoph.) ἡβ αἰκισθεὶς ἐαυτὸν, excruciatus est integro anno. Nec nouum hoc est, medicum sororis sic regia fœmina excruciauit.

Quales vero in hostes? Iustinus lib. 10. *Octingentos Alexandro occurrisse*, narrat, *truncata corporis parte, seruitutem passos*; tot simul mutilati in vno loco? Non dissimilia apud Curtium lib. 3. De iisdem Diodorus Siculus lib. 18. Ἠκρωτηριασμένοι ἡ πάντες, οἱ μὲν χεῖρες, οἱ ἡ πόδας οἱ ἅπτα ἡ εἶναι. *Extremas partes mutilati omnes, si quidem manus, illi pedes, alij aures, & nares.* Acta Cambysis in Ægypto videantur, Herod. lib. 3. Calamitas Rhinocolurorum à Persarum rege fuit, teste Seneca lib. 3. de ira cap. 20. 1. Diodorus in Biblioth. lib. 1. cap. 2. & Strabo lib. 16. regi Æthiopum tribuunt. Quomodo homines venarentur meminit Plutarchus lib. *quæ animalia sapientiora*, modum exponit Herod. lib. 6. Ὀδὲ ναυτικὸς ϛρατὸς, ὁ πέρσεων χειμεῶσας ϖρὸς μίλητον πρῶ δευτέρῳ ἔτει, ὡς ἀνέπλωσε, αἱρέει ἐυπετέως τὰς νήσους, τὰς ϖρὸς τῇ ἠπείρῳ κειμένας, χίον, καὶ λέσβον, καὶ τένεδον, ὀκίας ἡ λάζοι τινὰ τῶν νήσων, ὡς ἑκάστην αἱρέοντες οἱ βαρβάροι ἐσαγήνευον τὸς ἀνθρώπους; σαγηνεύουσι ἡ τόνδε τὸν τρόπον. Ἀνὴρ ἀνδρὸς ἀλλαμνᾶ τῆς χειρὸς ἐπὶ θαλάσσης τῆς βορέης ὀπὶ τὴν νοτίην διήκουσι, καὶ ἅπαντα ἀφ' ἑνὸς πάσης τῆς νήσου διέρχονται, ἐνθηρεύοντες τὸς ἀνθρώ-

Miserandũ crudelitatis Persicæ spectaculum.

σαγήνευσις Persarum.

ἀνθρώπους. ἄιρεσον δὲ τὰς ἐν ἠπείρῳ πόλεις τὰς ἰδίας, καὶ τὰ αὐτὰ, πλὴν οὐκ ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους, οὐ γὰρ οἷα τ' ἦν. *Naualis Persarum exercitus cum circa Miletum hiemasset, altero anno, positas ad continentem insulas celeriter occupauit. Chium, & Lesbum, & Tenedum. Postquam vero vnamquamque insularum barbari occuparunt, sagena homines capiunt. Hunc vero in modum, sagena capiunt, viri manum viri apprehensa ex Boreali littore ad australe progressi, venantur homines, ceperunt autem in continente Ioanicas vrbes, sed homines sagena non incluserunt, neque enim fieri poterat.*

Crudelitas alia crudelitate cadit.

§. 8. Ne vero mitiora speres, vrsi crudelitatem, Pardus vlciscitur. Regnum Græciæ, alia Babarie sæuitiam Persicam castigat. Sic enim Daniel cap. 7. 6. *Posthæc aspiciebam & ecce alia quasi pardus, & alas habebat,* quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. Quatuor alæ, vt Leonem superet, quatuor capita, vt laceret vrsum. Animal & velocissimum, saltibus feras ternis, quaternisque assequitur. Pollux Pardalis corpus ait, esse ὑγρὸν εὐέλικτον πηδητικὸν, ἀλκτικὸν, εὐπαλὲς. Humidum, flexile, assultibusque idoneum pugnax. Alexander, paucarum victoriarum cursu, vrsum deiecit, postea ipse interiit, & principes qui cum ipso vixerunt cito sublati sunt, reliqui elanguerunt. Sed de feritate Pardi dicendum. Alexander euersis Thebis, oppressa Græcia, à cæde fratrum, & cognatorum, belli Persici initia auspicatus est. Hephæstioni gentem integram inferias misit. Ipse, quod magnæ crudelitatis indicium est, vini supra omnes mortales appetentissimus fuit, ideoque & hac parte pardus, nam & Pardi vino dediti sunt, & per ebrietatem fere capiebantur, vt refert Oppianus. *Ebrietatis autem est comes crudelitas, vt vere Seneca Epist. 83. Hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus eius imparem reddidit, hac crudelem fecit, cum capita principum ciuitatis cænanti referrentur, cum inter apparatissimas epulas, luxusque regales, ora, ac manus proscriptorum recognosceret, cum vino grauis, sitiret tamen sanguinem. Intolerabile erat quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret: quanto intolerabilius, quod hæc in ipsa ebrietate faciebat? Fere vinolentiam crudelitas sequitur, violatur enim exasperaturque sanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi, etiam ad minimam radij solis offensionem, ita ebrietates continuæ efferant animos. Nam cum sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ durata vitia, vino concepta, etiam sine illo valent.*

Celeritas Alexandri in Pardo figurata.

In Pardo Alexandri crudelitas, & vinolentia.

Ebrietates efferant mentem.

Certe Alexandri obrietas plures amicos perdidit, quam prælia, quæ plurima iniit. Pardi autem peculiaris est malefica, & cruda dolositas; si enim insultum eius præda sit frustrata, in venatorem vertitur, ideo qui eo in venatione vtuntur, oues, agnos, aliaq; ad manus semper habent, quibus furores quos maior fera euasit, placent. Nihil similius crudelitati Monarchiæ Græcæ, in se mutuo arma verterunt, primo commilitones Alexandri, deinde successores. Nusquam plura, atrocioraque quam in Seleucidis, Ptolomæis, Macedonibus scelera, cædesque: perpetuæ enim gentium in Græcia, Ægypto, Syria, Asiaque fuere carnificinæ, & regiarum familiarum horrendi, & luctuosi exitus.

Monarchia Græca in se collisa.

§. 9. Sæuiente tertia bestia in eius exitium quarta crescit, nempe Romanum Imperium, quod ita describit Daniel: *Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atq; comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.*

Pardo alia bestia pacatur vltrix eius violentiæ.

Primo, terribilem vocat, quod proprie immanitatis est, neque enim animalia quantumuis vasta, sed crudelia, & sanguinaria timentur. Hebræus nominat רחולה *dechila*, quod de magno terrore dicitur; ita enim דחלא *dechalan*: Chaldæis dæmones, quod valde timeantur, dicti sunt. Secundo, mirabilis est, septuaginta ἐκθαμβον nominant, quod terrore attonitos reddat. Tertio, fortis, ærario, vrbibus. Quarto, Dentes ferrei, imperatores fortes, exercitus, classes. Quinto, comedens & comminuens hostium vires, prouinciarum spolia, neque enim vnum regem ditare satis erat, tot patricii, tot proconsules, præsidesque implendi erant, miseris prouinciis, accipiendæ nouæ Coloniæ, cedundum agro. Ipsa Roma quanta erat? Lipsius lib. 1. cap. 2. & 3. de magnit. Romana Augusti tempore plures erant, quam 320000. tenuiorum ciuium, qui ex publico, hoc est prouinciarum sudore, ac sanguine viuebant. Necilli duntaxat, sed eadem ex præda diuites, equites, senatores luxuriabantur. His vxores, liberos, seruulos adiunge, gentem integram conficies. Magnos seruorum exercitus trahere moris erat, Crassus 500. fabros in familia alebat, alii plures. Ingens fuit Romæ mancipiorum numerus, cum aliquando in senatu ageretur, vt alia veste serui vterentur, alia liberi; *intellectum est, quam periculosum foret, si liberos serui numerare cœpissent,* vt docet Seneca; Idem ad Heluiam, maiorem exterorum turbam, quam ciuium Romæ esse indicat: Aulæ Cæsarum ad 100000. continebant. Nunc largitiones, ludos, epulas publicas, cæteras insanias perpende, intelliges bestiam tam voracem sine multorum animalium sanguine esse non potuisse.

Terribile est, quod nocet.

Deuorant omnia Romani.

Cur bestia comedens vocetur?

Hæc ergo crudelia, sed insignem, cæterisque monarchiis non tam furiose vsurpatam immanitatem Spiritus sanctus indicat illis verbis. *Et reliqua pedibus conculcans.* Ferox & sanguinaria bestia, cui parum est infirmiorum mortibus pasci, saginari, & distendi; nisi per sæuitiam superbissimumque contemptum, pereuntibus insultet. Duo vero sunt quæ grauia fuerunt toti orbi. Primum ludi Romanorum Circenses, Scenici, alii. Apparatus erant in nugas immensi. In Agamemnone sexcenti multi: Theatrũ in vnum diem à Nerone auro opertum. Cæsar in funere patris instrumentum scenæ fecit argenteum, & necdum tum Cæsar erat, necdum Gallias, necdum vrbem spoliarat. Plinii tempore passim Coloniis, & municipiis erant scenæ argenteæ. De Heliogabalo supra dixi, qui nauales Circenses in Euripis vino plenis exhibuit, quos longos & latos esse oportuit, vt naues decurrerent, vix vnius anni vinum tanto furori satis fuisse arbitror. Adde non modo apparatum, & pleno fluitantia vela theatro, sed missilia quoque, nempe *Arabes nimbis maduisse* Romæ *suis.* Tranquill. in Octauio. *Sparsa & populo missilia omnium rerum, per omnes dies singula quotidie millia auium, cuiusque generis multiplex penus, tesseræ frumentariæ, vestis aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ, pictæ, iumenta, atq; etiam mansuetæ feræ, nouissime naues, insulæ, agri.*

Pedibus conculcat omnia, dum ad voluptatem amentia spectacula parat.

Sumptus ludorum.

Sumptus missilium.

Sed caput crudelitatis erat in amphitheatro, vbi ad solam spectantium voluptatem homines interibant. Consulat doctissimi Iusti Saturnalia, cui res ea curæ est. In singulos annos arena ducenta, aut potius trecenta millia hominum, in crudelissimas voluptates absumpsit. *Cæsar venationes edidit per quinque dies, nouissime pugna quingentis peditibus, viginti elephantis, triginta equitibus vtrinque commissis.* Tranq. in Iulio, cap. 39. Idem ille, *nauali prælio biremes, triremes, quadriremes magno pugnatorum numero produxit.* Tranquillus de Augusto c. 43. & Claudio c. 21. qui vtrinque *duodecim triremes commisit, vna pars Sicula; altera, Rhodia classis dicebatur.* Erat hæc vnius diei voluptas, cui multa millia impendebantur. Adrianus per tres dies, Gordianus per integrum annum aliquot millia consumpsit. Titus gladiatores, venatus, naumachias per centum dies. Traianus per dies centum viginti tres insumpsit decem millia. Hæc Romæ, hæc Cæsarum; sed plura erant spectacula; consules, prætores, ædiles, sacerdotes munera edebant. Imperatores ingentes sumptus faciebant: Adrianus in adoptione.

Spectacula cruenta in singulos annos ad trecenta millia absumpsere.

Quis tanti hominis vitam emit?

ptione Commodi perdidimus, inquit, quater millies HS. hoc est decē milliones, vere perdidisti in nugas, vere crudelissime perdidisti in hominum miserorum mortes, & in miseriores mortibus voluptates. Magistratus Romæ, & in prouinciis eadem faciebant: Augustus suo nomine vicies quater, aliorum absentium, vel qui non possent vicies ter ludos dedit. Herodes in ipsa terra sancta singulis fere oppidis theatra constituit, & paria septingenta simul commisit. Erat & in funeribus ea consuetudo: Nam hæredes *ni sic fecissent gladiatorum dare centum damnatos paria* legimus. Ipsa conuiuia, ipsæ epulæ sanguine crudeli aspergebantur. Omnia magnatum funera gladiatoriis inferiis funestiora facta sunt, omnes nuptiæ, conuiuiaque nobilium crudelitate barbarica tetra erant.

Si Herodes in terra sancta, quid alij præsides.

Quantus mortibus prouinciarum tot bestiæ captæ sunt?

§. 10. Nec minore sanguine apparatus ipse constabat. Pompeius alii Leones supra quadringentos, Gordianus vna die centum feras Lybicas, vrsos vno die mille dedit. Augusto muneratio confecta tria millia, & quingentas feras vnis ludis, lapis Ancyranus immanis crudelitatis testis confitetur. Vopiscus in Probo: eum mille struthiones, mille ceruos, mille apros dedisse, & ne paucorum putes; Statilius Taurus ad venationes lapideum in campo theatrum ædificauit. Sed illo contempto nouas crudelitatis species inuenit Seuerus, ne vnquam satiari posset, nam è naue solutili quadringentos vno momento leones emisit. Carinus mare, & monstra natantia induxit. Piget cætera referre quæ in Nerone, in aliis historiæ fideles tradunt. Hanc bestiam omnium bestiarum domitricem consideremus. Primo tot inter se gladiatores in amphitheatro, in funeribus, in conuiuiis, per omnes prouincias committuntur. Deinde bestiis obiiciuntur; quot enim homunciones quadringentis leonibus pares esse poterant? Sed non hic sistit crudelitas, maior est in venatione ferarum; vide integras prouincias in Africa, in Asia, in Mesopotamia in venatione beluarum cum vitæ periculo occupari, sine vulneribus vix vnus leo capitur, hic quadringenti sunt vna die perituri, quanto labore opus est, vt capiantur. Quod si caperentur, vt syluæ tutæ essent miribus animalibus, vt ne agros infestarent, periculi & laboris precium videri posset. At nunc capiuntur, & viui, vt capiantur cautio est, vt per terrarum, mariumque tractus Romam adducti, magnis sumptibus pasti hominem lacerent, quod est inhumanissimum, hominem beluæ fauere contra hominem. Deinde, vt hominem lacerent in hominis voluptatem, quod iam supra omnem sæuitiæ rabiem est, paucæ enim beluæ nisi cibi causa sæuiunt, homo hominem, quia dolorem hominis, & varietatem delectationis, ex varietate supplicii quærit, beluis obiicit. Hæc non vnus, aut alter, sed totum imperium, imo pene totus orbis cultior facit, laudat, iubet, postulat. Superant hæc omnia immanitatis crimina. Tantum impensum est in leones, tigres, vrsos, hominum voratores, quantum in integros exercitus. Publica erant & alia, crudaque; monstrosos partus sine fraude necare, debiles ac mancos exponere. Seruitia veicula ad ludum, ad bestias, ad metalla vendere. Sæuum ius dominorum in mancipia exercere.

Senibus, & infirmis mancipiis bestiæ illæ alebantur.

Magni laboris feras vitas capere.

Facilius magnum exercitum alere, quam tot leones, vrsos, tigres capere, alere.

§. 11. Post publicam illam totius populi crudelitatem, parum est, quod de singulorum immanitate, & sæuitia dici potest. De Augusto constat, eum iam lassa sæuitie ferrum posuisse. Tiberius aliud non fecit, quam vt carnificinam exhiberet. De Caligula Dio ita loquitur: *Quum autem Caius sanguine expleri non posset, curabat vt quam plurimi inter se dimicarent, eosq; nonnunquam binos, interdum confertos etiam, tanquam in acie congredi iubebat, ita vt sex & viginti Equites vno die cæsi sint. Tanta enim fuit eius crudelitas, vt cum defecissent damnati ad bestias, nonnullos ex ea turba quæ in tabulis consederat, corripi iusserit & bestiis obiici, iisque quo minus loqui possent, aut quenquam accusare, linguas præcidi mandarit. Et Dione grauior Seneca lib. 3. de ira cap. 19. Modo C. Cæsar Sextum Papinium cui pater erat consularis, Bassum quæstorem suum Procuratoris sui filium, alios senatores & equites Romanos vno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causa. Deinde adeo impatiens fuit differendæ voluptatis, quam ingens crudelitas sine dilatione poscebat, vt in Xysto maternorum hortorum, qui porticum à ripa separat inambulans, quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret, quid instabat? quod periculum aut priuatum aut publicum vna nox minabatur? quantulum fuit lucem exspectare? denique ne senatores populi Romani soleatus occideret. Quam superbæ fuerit crudelitatis ad rem pertinet scire: quanquam aberrare alio possumus videri & in deuium exire. Sed hoc ipsum erit pars iræ super solita sæuientis. Ceciderat flagellis senatores: ipse effecit, vt dici posset, solet fieri: torserat per omnia quæ in rerum natura tristissima sunt, fiduciis, tabularibus, aculeo, igne, vultu suo. Ex hoc loco respondebitur magnam remp. si tres senatores, quasi nequam mancipia, inter verbera & flammas diuisit, homo qui de toto senatu trucidando cogitabat: qui optabat, vt populus Romanus vnam ceruicem haberet, vt scelera sua tot locis ac temporibus diducta in vnum ictum, & in vnum diem cogeret.*

Bestiariorū spectatores bestiis obiiciuntur.

Patiuntur nobiles à maiore domino, quod faciunt inferioribus.

Caius optat populo vnā ceruicem.

Sæuior Claudius non inspectis elogiis. Nero quoque inter mollissima regni principia Britannico *venenum parat, lenti sceleris impatiens.* Tac. lib. 13. postea in matrem, magistrum, Apostolos, in omnes ex æquo sæuus est. Seuerus Antoninus per medicos mortem patri machinatur, sed parum obsequentes mortuo parente, omnes trucidat, cum amicis paternis, ne vno quidem relicto. Sic ante Seuerus pater, omnes Nigri amicos trucidarat.

Epistola atrox tyran.

Quale portentum vnde ista prodierunt? *Gallienus Veriano: Non mihi satisfacies, si tantum armatos occideris, quos & fors belli interimere potuisset. Perimendus est omnis sexus virilis, si & senes atque impuberes sine reprehensione nostra occidi possent. Occidendus est quicunque male contra me dixit, contra Valeriani filium, contra tot principum patrem & fratrem. Ingenuus factus est Imperator. Lacera, occide, concide: animum meum intelligere potes, mea mente irascere, qui hæc manu mea scripsi.* Ita Treb. in 30. tyrannis. Maximinus præter exercitum in Christianos crudelitatem ex præfecto tironum proclamatus imperator, in ipso exordio quatuor millia ex amicis Alexandri trucidauit. Describit eius crudelitatem Iul. Capitolinus: *Sed inter has virtutes tam crudelis fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Busiridem, alij Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, vel Gygem vocarent. Senatus eum tantum timuit, vt vota in templis publice, priuatimque, mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille vnquam vrbem Romam videret. Audiebat enim alios in crucem sublatos, alios animalibus nuper occisis inclusos, alios feris obiectos, alios fustibus elisos, atque omnia hæc sine delectu dignitatis, quum videtur disciplinam velle regere militarem, cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit, quod non conuenit principi, qui velit diligi. Erat enim ei persuasum, nisi crudelitate imperium non teneri.*

Veteres crudelitates relatæ.

Et Capitolino consentit Trebell. Poll. *Fuit tamen nimiæ crudelitatis in milites, nam & terna millia, & quaterna militum singulis diebus occidit*

Quid mirū ipsum, à militibus occisum.

Macrinus grauis scelerum vltor, & iustus, nisi ipse sceleratissimus fuisset. Milites in cruces egit, bobus inclusit ob scortationem, tribunum ob permissas deseri vigilias occidit, Mezentii supplicia repræsentauit.

Macrinus.

Aurelianus Romam veniens, seditionem tanto cruore vltus est, vt funeribus pene repleuerit ciuitatem.

§. 12. Nunc oculos mentemque ad Rempublicam nostram flectamus, cui ante omnia clementia,

pœnarumque raritas, & parcitas conuenit. Omnino principem decet esse clementem. Vitam tibi, fortunasque homines crediderunt, decet non fallere fidem tam multis fidelibus. Dictum est ab antiquo sapiente: Alieno sanguini parcas, vt tuo; Tibi dictum existima, ô princeps, alieno sanguini parce, vt Christi, si enim conserui tui sunt, & membra Christi, non potest esse sanguis membrorum alienus à Christo. Decet omnes qui seruandis hominibus constituti sunt, in omnes esse beneuolos, & in quos possunt beneficia conferre. Etiam ille qui nullius culpæ sibi conscius est, nihil pulchrius esse sibi ducat, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere. Qui vero & ipse habet, quod debeat ignosci, sine summo opprobrio, non potest in alios esse crudelis.

Imitare hac quidem in re Deum, qui in omnes beneficus est. *Videmus* (inquit S. Cyprianus de bono patientiæ) *inseparabili æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religiosis & impiis, gratias agentibus & ingratis Dei nutu tempora obsequi, elementa famulari, spirare ventos, fontes fluere; grandescere copias messium, fructus mitescere vinearum, exuberare pomis arbusta, nemora frondescere, prata florere. Et cum crebris immo continuis exacerbetur offensis Deus, indignationem suam temperat, & præstitutum semel retributionis diem patienter exspectat. Cumque habeat in potestate vindictam, mauult diu tenere patientiam; sustinens scilicet clementer & differens, vt si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, & homo in errorum ac scelerum contagione volutatus, vel sero ad Dominum conuertatur ipso monente, & dicente: Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur, & viuat.*

Clementia propria hominis est.

§. 13. Sic homo, in hominum adiutorium natus est, & præter naturam etiam, principis officium hoc ipsum requirit. Eadem mente Seneca de Clem. lib. 1. cap. 5. *Magnam fortunam, magnus animus decet: qui nisi se ad illam extulit, & altior stetit, illam quoque infrà terram deducit. Magni autem animi est proprium, placidum esse, tranquillumque, & iniurias atque offensiones superne despicere. Muliebre est, furere in ira: ferarum vero, nec generosarum quidem præmordere, & vrgere proiectos. Elephantes leonesque transeunt, quæ impulerunt: ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæua, & inexorabilis ira: non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat: at si dat vitam, si dat dignitatem, periclitantibus & meritis amittere, facit quod nulli nisi rerum potienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, numquam nisi inferiori datur. Seruare, proprium est excellentis fortunæ: quæ numquam magis suspici debet, quam cum illi contingit idem posse quod dii, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali.*

Christianorum principum clementia.

§. 14. Christiani principes vt diem resurrectionis, aliaque festa sanctissimæ religionis relaxatione vinctorum celebrare solent, vt quamuis in squalore, & tenebris versentur, redemptionis tamen aliqua luce, & fructu lætentur, sic Constantinus magnus multa præsidia in sanctis Ecclesiis esse voluit afflictis. Nec principes boni natalem cruentum amphitheatrali laniena agent; cur enim tot moriantur die qua tu natus es? Sed beneficentia amabilem, exspectatumque populis efficient, Constantinus propter Crispum natum, propter Helenæ partum omnibus indulsit, præter veneficos, homicidas, adulteros, hac mente si princeps fuerit, quanta vota futura pro filiorum eius incolumitate putabimus?

Tanto autem est in Republica, magistratibusque clementia, quo latius patet, materiamque habet maiorem. Id quoque docet optimus clementiæ, sed discipuli crudelissimi magister Seneca lib. 1. cap. 5. *Parcendum itaque est etiam improbandis ciuibus, non aliter quam membris languentibus, & si quando misso sanguine opus est, sustinendum est, ne vltra quam necesse sit incidas. Est ergo, vt dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus: quanto plus habet apud illos quod seruet, quantoque in maiore materia apparet. Quantulum enim nocet priuata crudelitas? Principum sæuitia bellum est. Cum autem virtutibus inter se sit concordia, nec vlla altera melior aut honestior sit: quædam tamen quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum infra quem nihil est. Quid enim maius, aut fortius, quam malam fortunam retundere. Hæc tamen magnanimitas, in bona fortuna latiorem locum habet, meliusque in tribunali, quam in plano conspicitur. Clementia in quamcunque domum peruenerit, eam felicem tranquillamque præstabit: sed in regia quo rarior, eo mirabilior. Quid enim est mirabilius, quam eum cuius iræ nihil obstat, cuius grauiori sententiæ ipsi qui pereunt assentiuntur, quem nemo interrogaturus est, imo si vehementius excanduit, nec deprecaturus quidem, ipsum sibi manum iniycere, & potestate sua in melius placidiusque vti?* Sed rarum est, etsi enim vni aliquando parcitur, multis tamen millibus, mors iniusta infertur.

Heu quoties defleuit ista, mansueta Christianorum pietas? Cyprian. Epist. 2. *Cerne tu itinera latronibus clausa, maria obsessa prædonibus, cruento horrore castrorum bella vbique diuisa: madet orbis mutuo sanguine, & homicidium cum admittunt singuli crimen est, virtus vocatur cum publice geritur: impunitatem sceleribus acquirit non innocentiæ ratio, sed sæuitiæ magnitudo. Iam ad vrbes ipsas oculos tuos atque ora conuertas, celebritatem offendes, omni solitudine tristiorem. Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & aruinæ toris membrorum moles robusta pingescit, vt saginatus in pœnam carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis possit occidere peritia est, vsus est, ars est: scelus non tantum geritur, sed & docetur: quid potest inhumanius, quid acerbius dici? Disciplina est, vt perimere quis possit: & gloria est, quod perimit. Quid illud oro te, quale est, vbi se feris obiiciunt, quos nemo damnauit? ætate integra, honesta satis forma, veste pretiosa, viuentes iuuenes in vltroneum funus ornantur, malis suis miseri gloriantur: pugnant ad bestias, non crimine, sed furore spectant filios suos Patres. Frater in caueæ est, & soror præsto est.*

Crudelium multitudo solitudine tristior est.

Tertullianus vero libro de spectaculis hæc persequitur, cap. 21. *Et qui ad cadauer hominis communi lege defuncti exhorret, idem in amphitheatro derosa & dissipata, & in suo sanguine squalentia corpora patientissimis oculis desuper incumbat. Imo qui propter homicidæ pœnam probandam ad spectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum. Et qui insigniori cuique homicidæ leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, & pileum præmium conferat. Illum vero confectum etiam amoris spectaculo repetat, libentius recognoscens de proximo, quem voluit occidere de longinquo, tanto durior, si noluit.*

Igne & ferro in mortes cogunt.

Quam suorum principum, quam tyrannorum crudelitatem accusare possunt, qui sic viuunt? Cai vocem exhorrescitis, cum populo Romano vnam ceruicem optat. Omnes ciues Caiani estis, nihil est vobis homine vilius, in cuius sanguine duntaxat spectaculum quæritur. Homo hominem non iratus, non timens, non sperans, nihil expetens, sed tantum spectaturus occidit. Nec vno ictu mors vna defungitur, non gladio dolor decipitur, qui antequam sentiatur, peremit, sed laceratio, & viscerum, morientis palpitatio, deliciæ sunt spectantium. Damnabant illa spectacula ipsi qui furebant. Seneca epist. 95. *Non priuatim solum, sed publice furimus. Homicidia compescimus, & singulas cædes: quid bella, & occisarum gentium gloriosum scelus? Non auaritia, non crudelitas modum nouit, & ista quam diu furtim, & à singulis fiunt, minus noxia, minusque monstrosa sunt: ex senatusconsultis plebisque scitis scelera exercentur, & publice iubentur, vetita priuatim. Quæ clam commissa capite luerent, eadem quia paludati fecere, laudamus. Non pudet homines,*

Homo spectaculi causa occiditur.

Publicum furor.

Priuatim delinquentes puniuntur, qui publice idem agunt, laudantur.

homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere: cum inter se etiam mutis ac feris pax sit. Aduersus tam potentem explicitumque late furorem operosior philosophia facta est, & tantum sibi virium sumpsit, quantum his, aduersus quæ parabatur, accesserat. Expeditum erat, obiurgare indulgentes mero, & petentes delicatiorem cibum: non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus, à quo paullulum discesserat.

Lege crudelitas iussa.

Optime ô Seneca, publice furitis, crudelitas enim illa publica erat, & non modo erat in amphitheatro, sed magistratibus aut lege, aut consuetudine, aut placendi studio demandata. Tiberium, Caium Neronem, Claudium, Domitianum, Seuerum, Commodum accusatis, in aliquos senatores equitesque metu, vel odio, vel animi causa sæuos. Quid vero de se illi alienæ crudelitatis accusatores statuent, qui tantum sanguinem innoxiorum suis voluptatibus indulserunt? Quid iustius est, quam illos sanguinariorum principum obiici feritati, qui tot auctoratorum millia verso pollice mori iusserunt? Quid mirum, vigilante vindice Dei oculo, ita eos mori, vt sentiant se mori, qui sæpe hoc atrox ingeminarunt; *Repete.* Non ignorarunt sanguinariam suam immanitatem cæca gentilitas, sed amauit. Itaque pleni omnes homicidio, exuti hominem, induti animum beluinum, non vulgariter feri, sed omnis feritatis victores, Nam belluæ à suo genere abstinent, & raro plus mordent, quam edunt. Hi autem homicidio, non alterius generis cæde, & sine vllo suo compendio gaudebant. Itaque & tales non hostes modo, sed Imperatores suos experti sunt.

Tot millia morte gaudes, & queueris de aliena crudelitate.

Cædis voluptas proprio dolore pensatur.

§. 16. Tibi vero ô Respublica misericordiam, mansuetudinem, clementiam commendo, si quis hominum miseriis delectatur, eum miserum esse iube. Iubemur esse misericordes sicut pater noster cœlestis misericors est: minatur Deus non consecuturos misericordiam, qui proximo eam non præstiterint. Misericordia omnibus sacrificiis antefertur, hæc proximo exhibenda docetur Psal. 112. 5. 9. Prouerb. 11. 17. & 14. 21. & 15. 27. & 24. 21. 31. & 19. 7. & 25. 21. 29. 7. Oseæ 6. 11. Mich. 6. 8. Zach. 7. 9. Matth. 5. 7. & 19. 13. & 10. 33. & 25. 41. Galat. 6. 12. Itaque non modo firma voluntas succurrendi, & hominum miserias subleuandi, captiuos redimendi, tenuiores locupletandi, est laudatissima, & vt Cicero ait, *magni & grauis viri*, sed etiam mollissima illa animi teneritudo, qua alienis malis afficimur, si recta ratione gubernetur, insigne est instrumentum beneficentiæ, & solatium humanis malis à misericordissimo Deo filiorum suorum pectoribus inclusum, nam & miseros ex condolentium affectibus consolationem capere videmus. Ideo

Doleat suo, qui dolore alieno delectatur.

Solatium misero est amicorum commiseratio.

Lacryma & molle cor præstantissima naturæ opera.

Mollissima corda
Humano gneri dare se natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit: hæc nostri pars optima sensus.
Plorare ergo iubet causam dicentis amici,
Squaloremque rei, pupillum ad iura vocantem
Circumscriptorum, cuius manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.
Naturæ imperio geminus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans
Et minor igne rogi, quis enim bonus, aut face dignus
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos,
Vlla aliena sibi credat mala: separat hoc nos
A grege multorum, atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces.
Atque exercendis, capiendisque artibus apti
Sensum à cœlesti demissum traximus arce.
Cuius egent prona & terram spectantia mundi.
Principio incluſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque; mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet:
Dispersos trahere in populum migrare vetusto
De nemore, & proauis habitatas linquere syluas:
Aedificare domos, laribus coniungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino lumine somnos
Vt collata daret fiducia: protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere ciuem:
Communi dare signa tuba, defendier iisdem
Turribus, atque vna portarum claue teneri.
Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera, quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemo re vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: saeuis inter se conuenit vrsis
Ast homini ferrum letale incude nefanda
Produxisse parum est, cum rostra & sarcula tantum
Assueti coquere, & marris ac vomere lassi
Nescierint primi gladios excudere fabri.

Mutuus affectus à natura est.

Beluis mutua pax est.

Causa inditæ humanitatis est, quia nullum animal à natura est amantius sui generis, quam homo. Brutorum στοργὴ, & in prolem affectus adulto fœtu exolescit, nec vllus cognationis respectus. Deinde quia hominum plerique venia indigent, debet suæ naturæ benignus esse homo. Seneca lib. 1. de clementia cap. 6. hac ex Neronem ad clementiam hortatur. *Peccauimus omnes: alij grauia, alij leuiora, alij ex destinato, alij forte impulsi, aut aliena nequitia ablati: alij in bonis consilijs parum fortiter stetimus, & innocentiam inuiti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, sed vsque ad extremum æui delinquemus. Etiam si quis tam bene purgauit animum, vt nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando peruenit.*

Hominis in hominem amor naturalis & perpetuus, si naturam spectes.

Hac causa Titus facile etiam grauia condonauit. *Duos* (inquit Tranq. cap. 9.) *patricii generis conuictos in affectatione imperii, nihil amplius quam vt desisterent monuit, dicens principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum.*

§. 17. Verum præcipuum est quod ad clementiam incitare omnes magnopere oportet, quod per eam amor, ex amore securitas nascitur. Ex crudelitate odium, & timor, ex odio insidiæ, ex timore fuga, & cum sperat victoriã, seditiones, & bella nascuntur.

Crudelitas timorem, odium, fugam, seditionem mouet.

Quantum amoris conciliet clementia principum, & Reipublicæ, vniuersum genus humanum vna voce clamat. Demonstrat hoc suo principi Senec. lib. 1. de clement. cap. 3. *Illius demum magnitudo stabilis, fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt; cuius curam excubare, pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur; quo procedente, non tanquam malum aliquod, aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum, ac beneficum sidus certatim aduolant, obiicere se pro illo, mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam, inter ad salutem struendum sit. Somnum eius nocturnis excubiis muniunt, latera obiecti, circumfusiq; defendunt: incurrentibus periculis se opponunt, non hic est sine ratione populis, vrbibusque consensus, sic protegendi armandique reges, & se suaque iactandi quocumque desiderauerit imperantis salus.*

Et cap. 13. *E contrario is cui curæ sunt vniuersa, quanquam alia magis, alia minus tuetur, nullam non Reipublicæ partem, tanquam sui nutrit, inclinatus ad mitiora; etiam si ex vsu est animaduertere, ostendens quam inuitus aspero remedio manus admoueat; in cuius animo nihil hostile, nihil efferum est. Qui potentiam suam placide, ac salutariter exercet, approbare imperia sua ciuibus cupiens: felix abunde sibi visus, si fortunam suam publicauerit, sermone affabilis, accessuque facilis, vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis, aquis desideriis propensus, & iniquis acerbus, à tota ciuitate amatur, defenditur, colitur.*

Soli homini indita miseratio.

§. 18. Est tamen potentior crudelitas ad odium, quam ad amorem clementia. Duos vetus Roma

pene clementes vidit principes, Germanicum, quem Cæsarem habere non meruit, & Titum, quem diu retinere non potuit, de Germanico clementissimo ita Tacit. ann. 2. *Neque multo post extinguitur ingenti luctu provinciæ, & circumiacentium populorum Indoluere exteræ nationes, regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visuque, & auditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem, & grauitatem summæ fortunæ retineret, inuidiam, & adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus, & pompa, per laudes, & memoriam virtutum eius celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam vtrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse. Sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, vno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus præliatorem, etiam si temeritas abfuerit, præpeditusque sit, perculsas tot victoriis Germanias seruitio premere: quod si solus arbiter rerum, si iure, & nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præstitisset.*

Clementia amoris illectamentū.

Germanicus Alexandro prælatus.

Vera laus quam canit amor & mortuo.

De Tito Suet. cap. 12. *Excessit in eadem qua pater villa, idibus septembris, post biennium, ac menses duos, diesque IX. quam successerat patri, altero, & quadragesimo ætatis anno. Quod vt palam factum est, non secus atque in domestico luctu, mœrentibus publice cunctis, senatus priusquam edicto conuocaretur, ad curiam cucurrit: obseratisq; adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit,* laudesque, quantas congessit ne viuo quidem, inquam, atque præsenti.

His aliorum exitus comparabis; mirabilius est de Tito, qui initio imperans, occulte crudelis fuerat, sed vt maius odium conciliaret: sic enim Suet. c. 6. *Egitque aliquanto inciuilius, & violentius. Siquidem suspectissimum quemque sibi, submissis qui per theatra & castra, quasi consensu ad pœnam deposcerent, haud cunctanter oppressit. In his Aulum Cecinnam consularem virum, vocatum ad cœnam, ac vixdum triclinio egressum, confodi iussit, sane vrgente discrimine, quum etiam chirographum eius, præparata apud milites coniurationis, deprehendisset. Quibus rebus, sicut imposterum securitati satis cauit, ita ad præsens plurimum contraxit inuidiæ: vt non temere quis, tam aduerso rumore, magisque inuitis omnibus transierit ad principatum.*

Titi crudelitas callida.

Verum id post correxit, & magnum sui desiderium reliquit, Non ita in morte Tiberii: *Morte eius ita latatus est populus,* (ait Suet. cap. 75.) *vt ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim trahi clamitarent, pars terram matrem, deosque manes orarent, ne mortuo sedem vllam nisi inter impios darent, alij vncum, & Gemonias, cadaueri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate.*

Tiberij crudelis mors gratissima cunctis.

De Neronis nece tantum gaudium exstitit publice, vt plebs pileata tota vrbe discurreret. Suet. cap. 57. Vitellius vinctis pone terga manibus, laniata veste, fœdum spectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrymante, deformitas exitus, misericordiam abstulerat: *inter magna rerum, verborumque ludibria, per totum viæ sacræ spatium, reducta coma à capite, ceu noxij solent, atque etiam mento mucrone gladij subrecto, vt visendam præberet faciem, neue submitteret, quibusdam stercore & cœno incessentibus, aliis incendiarium, & patinarium vociferantibus, parte vulgi corporis etiam vitia exprobrantibus, erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerunque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur, subdebile, impulsu olim quadrigæ, cum auriganti Caio ministratorem exhiberet, tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque contectus est, & inde vnco tractus in Tiberim.*

Exitus crudelitatis.

Domitianum occisum senatus adeo, vt Suet. cap. 23. latatus est, vt repleta certatim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo, atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: Scalas etiam inferri clypeosque, & imagines eius coram detrahi, & ibidem solo affligi iuberet, nouissime eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.

De Maximinis, Commodo, aliis taceo, multa etiam post mortem ludibria experti sunt. Quomodo tuti sunt, aut securi, quod tanto odio omnes prosequuntur.

§. 19. Quanquam nonnulli eo vesaniæ peruenerint, vt in ore habeant oderint, dum metuant, securitatem tamen nullam multorum cædibus consequantur. Machiauellus principum pessimus consiliarius, in suo principe cap. 17. ita docet. *Iam ad alia eorum quæ supra recensuimus deuenientes, vnicuique principi optabile foret, vt clemens, non crudelis haberetur: nihilominus cautio adhibenda est, ne hac abutatur clementia. Valentinus immanis existimabatur: eius tamen immanitas totam Flaminiam in integrum restituit, eamque in vnum collegit, atque ad pacem, & fidem redegit. Quod sane si probe consideretur, Florentino populo deprehendetur illum mitiorem fuisse: qui vt crudelitatis nomen effugerent, siuerunt Pistoriensium vrbem euerti. Parui itaque ducat princeps sauitiæ nomen, quo concordes suos in fide retineat. Paucissimis enim exemplis clementior erit, quam qui nimia lenitate permittunt, vt rerum perturbationes sequantur: vnde cædes, aut rapinæ nascantur.*

Hoc consilio omnibus aduersis princeps obijcitur.

In vniuersum melius esse putat metui, quam amari. Verum longe fallitur, nam metus qui ex crudelitate est, semper odium habet adiunctum; metus improborum qui ex iustitia principis est, & bonorum reuerentia; quia odio caret, perniciosus non est. In metu bonorum, odioque, nulla est principis securitas. Omnium odia irritat, si in paucos sæuit. Augustus dum sæuit, multas conspirationes passus est, nec enim eorum conspiratione caruit, quos pudor sit rem tantam ausos. Sed cum ad clementiam se retulit, securus vixit. Liuiæ hoc consilium fuit, cuius apud Dionem oratio est, & apud Senecam lib. 1. cap. 9. de clementia, compendium. *Admittis, inquit, muliebre consilium. Fac quod medici solent: qui vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti: Saluidienum Lepidus secutus est, Lepidum Murænа, Murænam Cæpio, Cæpionem Egnatius, vt alios taceam, quos tandem ausos pudet: nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia.*

Metus iusti principis fine odio est, metus crudelis semper odium habet.

Ille Cirenæ ignouit, consulatum dedit, fidelissimum habuit. Et ex vero canit, luxuriosissimi Cæsaris, luxuriosus eques, Ouidius:

Diuitiis etiam multos, & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.

Iustū principem timent mali, crudelem omnes.

Hæc eum (ait Senec. cap. 10. lib. 1. de clem.) *Clementia ad salutem, securitatemque perduxit; hæc gratum, ac fauorabilem reddidit; quamuis nondum subactis Reipublicæ ceruicibus manum imposuisset, hæc hodieque præstat illi famam, quæ vix viuis principibus seruit. Deum esse, non tanquam iusti credimus. Bonum principem Augustum, & bene illi conuenisse parentis nomen, fatemur.*

§. 20. Quæ ergo clementia vere in principem conuenit? Ea, quam falso Neroni suo se affinxisse Seneca sensit, cap. 11. *Hæc est Cæsar clementia vera, quam tu præstas, quæ non sauitiæ pœnitentia cœpit: nullam habere maculam, nunquam ciuilem sanguinem fudisse. Hæc est in maxima potestate, verissima animi temperantia, & humani generis incomprehensibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum principum exemplis corruptum, quantum in ciues suos liceat, experiendo tentare, sed hebetare aciem imperij sui. Præstitisti Cæsar, ciuitatem incruentam, & hoc, quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eo maius est, mirabiliusque, quod nulli vnquam citius gladius commissus est. Clementia ergo non tantum honestiores, sed tutiores*

Principes laudando mouendi sunt.

tiores præstat, ornamentumque imperiorum est, simul certissima salus: cum reges consenuerint, liberisque, ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum execrabilis, ac breuis potestas est, quid interest inter tyrannum, & regem? Species enim ipsa fortunæ, ac licentia par est, nisi quod tyranni voluptate sæuiunt, reges non nisi ex caussa, ac necessitate.

Neronis initia vt ea tempora ferebant mitia, alioqui crudelia omnia.

Falsa omnino laus, nec occultum Senecæ mendacium; Initio, Silano proconsuli inter epulas, datum venenum. *Ibaturque in cædes, nisi Afranius Burrhus, & Annæus Seneca obuiam issent.* Certe Britannici inter epulas venenum, & subitum funus, aliaque crudelitatem arguebant. *In munimentum pacis habet arma, seu potius ad ornamentum* pius princeps, & humanus. Mamertinus in Paneg. Iuliani. Arma igitur, & iuuenes cum gladiis, atque pilis, non custodiæ corporis sunt, sed quidam imperatoriæ maiestatis solennis ornatus. Quid enim istis opus est, cum sis firmissimo muro ciuici amoris obseptus?

Arma sunt ornatus maiestatis bono principi.

Tyrannus è contrario nulla arma securus aspicit. Experientia ita loquitur Thyestes:

Dum celsus steti,
Nunquam pauere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris.

Magna odia nunquam ferro compescet, custodes in se suos vertit:

Timet timentem, metus in auctorem redit.

Magnitudinem imperij, timor grauior sequitur.

Plutarchus eximie ad principes omnes; Τῷ γὰρ ὄντι δεδίασιν οἱ βασιλεῖς ὑπὲρ τῶν ἀρχομένων, οἱ δ' τυραννοι τοὺς ἀρχομένους. διὰ τῆ δυνάμει τὸ δέος συναύξουσι. πλειόνων γὰρ ἄρχοντες, πλείονας φοβοῦνται. *Reges reuera, pro subditis, tyranni subditos timent: quorum potentia si crescit, etiam metus crescit. Et cum pluribus imperant, plures timent.*

Errat (Senec. lib. 1. cap. 19. de clem.) *enim si quis existimat tutum esse ibi regem, vbi nihil à rege tutum est. Securitas, securitate mutua paciscenda est. Non opus est extruere in altum editas arces, nec in ascensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris, turribusque sepire: saluum regem, in aperto clementia præstabit. Vnum est inexpugnabile munimentum, amor ciuium. Quid pulchrius est, quam viuere optantibus cunctis, & vota non sub custode nuncupantibus? si paullum valetudo titubauit, non spem hominum excitari, sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute præsidis sui commutatum velit? omne quod illi contingit, sibi quoque euenire deputet. In hoc assiduis bonitatis argumentis probauit, non Rempubl. suam esse, sed se Reipublicæ.*

Solus ille rex securus est, per quē alij securi sunt.

Tyrannorū vita breuis, & anxia.

Et cap. 26. *Crudelitatem priuatorum, seruiles quoque manus, sub certo crucis periculo, vltæ sunt: tyrannorum gentes populique, & quorum erat malum, & hi quibus imminebat, exscindere aggressi sunt. Aliquando sua præsidia in ipsos conspirexerunt, perfidiamque, & impietatem, & feritatem, & quicquid ab illis didicerant, in ipsos exercuerunt. Quid enim potest ab eo quisquam sperare, quem malum esse docuit? non diu paret nequitia, nec quantum iubetur, peccat.*

Nemo se fallat, experimenta omnium regnorum docuerunt, fidissimam esse custodiam reipublicæ, clementiam principis.

Mansueto se credunt subditi, crudelem horrent.

Causa est, quia mansueto, benigno, amanti ciuium, omnes se libenter submittunt, omnia sua credunt, crudelem omnes auersantur. Principis crudelitatem, vt publicam luem, vt insanabilem morbum fugiunt, omnes subditi, stare sub ictu se indigne ferunt. Omnes quasi in custodia libera detinentur; & carcerarium esse principem, carnificemque arbitrantur; cum primo spes apparet, in libertatem se vendicant. Nec cædibus hostium, quamuis multi cadant, securitas paratur. Qui enim supersunt, acrius oderunt, latebris enim & ignoratione tutos se arbitrantur. Deinde nemo omnium hominum adeo pene est solitarius, vt non cognatos, affines, amicos habeat, omnes illos in suum odium, princeps crudelis irritat, ideoque sæuiendo auget numerum inimicorum: Recte obiectum est tyranno, qui inimicos omnes occidisse gloriabatur: *Non etiam eorum liberos occisos, eos vindices superesse.* Nemo suum vnquam occidit successorem, nemo vltorem. Latet ille inter millia adulantium: Est enim hoc admirabile, plerosque qui crudeliter imperarunt, ab illis quos fidissimos arbitrati sunt, trucidatos esse. Id cum fit admirantur omnes. Brutus Cæsarem, Macro Tiberium, Chærea Caium interemit. At ita fieri necesse est; omnes oderunt, suspecti de medio tolluntur, amici soli vindices esse possunt.

Cædibus suspectorum minuitur securitas crudelitatis.

Nunquam inimicos quisquam omnes occidit, quia cuiusq; cædes nouos parat.

§. 21. Nunc etiam de modo clementiæ dicendum est, ea enim est salutari seueritate temperanda. Neque enim medicum laudaris, qui dulcibus poricnibus, mollibusque fomentis mala illa circumligat, quæ ferrum, ignemque postulant. Scalpello, & vstorio, cum necessitas exigit, vtatur; modo ne vltra morbum, grassetur medicina. Sæpe dolentius vulnera curantur, quam fiunt: Crudelior est latrocinio, carnificina hippocratica, cum

Clementia salubri seueritate modice temperanda.

Excesit medicina modum.

Magistratus clementis est, priuatas iniurias negligere. Digna immortalitate illa vox: *Rex Franciæ non vlciscitur, iniurias ducis Aurelianensis.* Magno ad hoc opus est animo, ne qui par pari molestus fuit, à potentiore opprimatur. Et sane plerique cum magnis honoribus, & insperatis elati sunt, oderunt eos, à quibus se humiles, & abiectos cognitos esse intelligunt. Vitellius creditores suos iam imperator omnes fraudauit, coactos reddere tabulas contractuum, nam salutem se pro pecunia reddere iactabat, latrocinante plane animo, quasi creditoribus mortem inferre iustitiæ pars esset, hoc eius dicto in vulgus sparso ingens omnium odium est excitatum, quo breui deflagrauit. Tiberium secessus exasperauit, crudeliorque fuit, quod priuatum multi contempserant. Idcirco & dicteriis materiam præbuit.

Proprias iniurias cōdonet, publicas puniat.

Sordida Vitellij crudelitas.

Regnabit sanguine multo,
Quisquis ab exilio venit ad imperium.

§. 22. Illustrior est clementia, quæ in principis iniuriis condonandis lenis est, quam illa, quæ scelera in Rempublicam commissa ignoscit, vel dissimulat. At contra frequenter euenit. Hostibus pronunciarum extrema carpentibus, præsidibus auaris, dissidiorum auctoribus, multi minus irascuntur, quam leui ioco, aut negligentiæ. Seuerus cum ouans Romam ingrederetur, quadraginta consulares, & imperio idoneos neci dedit, fictis, leuissimisque causis. Multi occisi, quod in nomen iocati essent, quod *vere Seuerum*, *vere imperatorem nominis sui*, & *Sullam punicum appellassent.* Ita Spartian. *Profectus dehinc ad bellum Parthicum est, edito gladiatorio munere, & congiario populo dato. Multos inter hæc causis, vel veris, vel simulatis occidit. Damnabantur autem plerique cur iocati essent, alij cur tacuissent, alij cur plerag; figurata dixissent, vt esset imperator vere nominis sui, vere pertinax, vere seuerus.*

Damna publica negligent, ad priuata minima inardescunt.

Quid vero illi facies, qui seruo, quod serius calidam attulisset, trecentas plagas imponi iussit? Qui miserum in venatione, quod Spartanum canem morsu appetitus ante tempus dimisit, fustibus occidit? Quanto clementius Augustus, qui in se, ac domum suam iacta conuitia contempsit? Quanto melius Theod. Arcad. Hon. AAA edixerunt, *ne, si quis modestiæ oblitus, imperatori maledixisset, pœnæ subiugaretur?*

Apud quosdam grauior in venatione error, quam vrbem incendisse.

§. 23. Magno iudicio exercenda est in publicum clementia, ne si absque iudicio, & ratione sceleratis impunitas ostentetur, iniuriis obnoxii reddantur in-

tur infirmiores, audacia facinorosorum alatur, atque ea causa Respublica detrimentum patiatur. Tam enim nocet, qui malo insanabili parcit, quam qui integra abscindit. Non igitur regem Indum imitabitur princeps sapiens, cuius regnum, iudiciorum lentitudine latronibus refertum narratur. Thesaurus rerum indicarum sic exponit, T. 3. lib. 2. cap. 27. *Bisnagensis rex æquo in maleficos lenior est, eosque castigari vetat. Hinc mira passim toto regno, & effrenis licentia, etiam in regiam maiestatem insolentium. Miserat nuper magnus Mogor ad eum legatos, simul & equos aliquot præstantissimos, aliaque pretiosa munera; hæc cum à quoptam subditorum, cum equorum nobilissimo clam per viam essent sublata, nulla ipse in facinus insolens pœna animaduertit, equum dumtaxat reddi iussum legato dedit.* Neque clemens vox Neronis fuit, sed stulta immanitatis obuelatio; cum enim damnatorum subscriptio peteretur. *Quam vellem*, inquit, *nescisse literas.* Vtinam venena, & truculenta verba nescisses. Sed tamen & hoc inconsultum dictum. Reorum supplicia, & mansuetudo principis non pugnant. Meliore animo, sed blando magis quam recto, Antoninus Philosophus oratione se ad clementiam obligauit. *Absit, vt me tenente principatum, vestrum quisquam, meo, vestroque decreto, capite damnetur.* Nimia indulgentia, nimia impunitas inducit grandia scelera, & cogit tandem de repente principem esse crudelem.

Fucata clementia parricida.

Lentitudo nimia crescentibus extra modum sceleribus in crudelitatem desinit

§. 24. Ne ludibria addat occisis. Hæc enim horrorem incutiunt, quasi morte contentus non fuerit. Seuerus Albini caput patibulo affixit. Barbari hostis cranium auro inclusum epulis admouebant, & pro scypho vtebantur. Neque semper à Christianis abfuit illa feritas. Cremensium capitibus, Germani milites, vt pila ludebant: Cremenses Germanos membratim dissecabant, innumera sunt exempla. Verum magna infamia ista committuntur. Amarior est morte ipsa, contra morientem insultatio.

Punitos odio ne prosequatur.

§. 25. Vocem etiam crudelem emisisse, crimini datur. Quia beluinum animum indicant. Quales illæ: *Ita feri, vt mori se sentiat. Nondum tecum redy in gratiam. Antidotum aduersus Cæsarem? Quare non libenter moritur? Repete. Vtinam omnes vnam cerui cem haberetis. Vtinam frater viueret. A caluo ad caluum.* Hæc enim ita vulgantur, vt periculosissima odia excitent, cum homines sint natura sua, à crudelitate abhorrentes, nam & historici, qui multorum clarissimorum neces præteriuit, illa tamen immanitatis indicia literis consignant. Non ignorabat illud Iulius, cum enim oppressa patria, eius patrimonium, hoc est ærarium depeculareturr, quæstori resistenti mortem minatus est; cui admiranti; Cæsar infit, *Sibi facilius esse hoc facere, quam dicere.* Nutu, absens, quasi inscius facere poterat, sine opinione crudelitatis, quæ stante adhuc altera parte exitiosa erat, voce iubere non poterat. Octauium sane detestabilem fecit, horrenda vox: Tranquillus ita refert: *Perusia capta, in plurimos animaduertit, orare veniam, vel excusare se conantibus, vna voce occurrens: moriendum esse.*

Cum grauia supplicia extorquet necessitas, lenibus ea verbis decernat.

Iulio erat facilius occidere, quã iubere.

§. 26. Præcipue caueat, ne sæuitiæ iuncta sit peruidia, vel illusio. Maximinus præfectus, cum promisisset, se nullum igne, vel ferro perempturum, plumbo contundi iussit, irridens simplicium crudelitatem. Duplici malo odium auxit; & ne quisquam sibi crederet, effecit.

Neminem quamuis meritũ contra fidem datam puniat.

§. 27. Legum seueritatem cum ratio dictat, ipse mitiget. Id semper vsu veniet, cum moderationem verba admittant. Hoc ipsæ leges iubent. Interpretatione legum, pœnæ molliendæ sunt potius, quam asperandæ. Clementiæ specimen Iulius dedit, puer captus à piratis inter ludum illis crucem minabatur, id iureiurando asseruit; captos deinde prius occidit, deinde in crucem egit. Comiter interpretatus religionem iuramenti: Certe eo facto famam, & caritatem populi Romani consecutus est. Contra factum à Valentiniano, legum seueriſſimo, & aliquando crudeli exactore: qui eo etiam reprehenditur, quod recognoscens custodias, pro nullo vnquam damnato, mitiore elogio subscriberet. Moris enim erat vt damnatorum pœnis princeps subscriberet, & pro mansuetudine, ac clementia legum pœnas interdum mitigaret. Hinc & id constitutum, ne ante diem decimum ducerentur, qui voce principis, aut iudicum sententia addicti essent. Postea Theodosius dies vicenos adiecit, monitore S. Ambrosio antistite Mediolanensi: idque ea causa, ne repentina principis ira quisquam caderet, sed mora veritatem aperiret, indignationemque sedaret.

Iulii pueri clementia.

§. 28. Parcat oculis, ne interfit suppliciis, ne non tam iustitia motus parere legibus, quam spectaculum sibi exhibere voluisse videatur. Caius vario tormentorum genere, & vultu suo torquebat insontes. Quæ omnia locum habent, præcipue cum princeps læsus est. Suis enim iniuriis moueri minus debet, quam alienis. Velle autem parentes, aut alios carorum, interesse suppliciis omnino tyrannicum est. Caligula id pro more habuit. Dion refert. *Præterea Cassium Melinum occidi iussit, coegitque Capitonem patrem eius virum bonum nullius accusatum delicti supplicio filij interesse, qui dum à Caio peteret, vt sibi oculos claudere liceret, iussus est pariter occidi.*

Ne interfit suppliciis.

Ne spectare alios iubeat.

§. 29. Clementia statutis à lege suppliciis, cum seueritatem Respublica postulat, contenta est. Certissimum sæuitiæ signum est, in nouos cruciatus ingeniosum esse. Omnia noua, inusitataque non infamant modo; sed quia velut monstra cupide narrantur, audiunturque, longissime infamiam perferunt. Quanquam autem intra modum lege præscriptum pœnarum acerbitas consistat, si tamen noua sit, animum crudelem arguit.

Nouas torquendi formas non excogitet.

§. 30. Fugienda & illa supplicia, quæ singularem aliquam, diu meditatam, operosam, flagitiosam malitiam continent. Talis erat Heliogabali immanitas. *Serpentes* (inquit Ælius Lamprid.) *per Marsicæ gentis sacerdotes collegisse fertur: eosque subito ante lucem, vt solet populus ad ludos celebres conuenire, effudisse, multosq; afflictos morsu, & fuga.*

Supplicium nouum veteribus esse præsumitur, etsi minus sit.

Marsica gens aspidum, & colubrorum victrix, ad salutem populis contra infestissimas bestias data erat, serpentes colligebat ad medicinam, vel vt exstinguerent. At monstrum illud aspide, & basilisco nocentius, in perniciem populi sui nationis illius donum, operamque conuertit. Barbarorum est, ingenio suppliciorum delectari. Arethusium Christianum stylis puerorum, post exquisita tormenta confecerunt. In Thebaide adductis, remissisque arborum ramis multos distraxerunt, mulieres vno pede ligatas, alio per machinas attracto, fœdissimum in modum, ac plane miserandum occiderunt. Christianos pice, sparto, resina illitos in vsum nocturni luminis exusserunt, tectos ferarum pellibus, canibus obiecerunt. Chrysanthum, & Dariam viuos terræ infoderunt. Virginum ventres discinderunt, & hordeo impletis, porcos ex iis pauerunt. Imperium ea barbaries tenuit, dum Christianos variis suppliciis exagitauit. Idque Dei permissu, vt vel sic posteritas cognosceret, feritatis esse, non iustitiæ, tam fœdas carnificinas, quas nouitate, asperitate, fœditate, multis modis Hugonottæ in Gallia superarunt, vt Theatrum crudelitatis Caluinisticæ ostendit.

Meditata esse non debent.

Optima ret ad nouam crudelitatem vtitur.

Crudelissimos hereticorum vicerunt Hugonotta.

§. 31. Cauenda multorum supplicia, vel simul, vel diuersis temporibus sumpta. Vbi enim multorum strages iacet, ibi subtrahendum est aliquid seueritati, vt addatur amplius caritati. Medicos imitetur respublica, cum sine ferro mederi possunt, lenibus fomen-

Multitudo noxiorum cauenda.

fomentis vtuntur. Cum multus sanguis effunditur, etiam nocens, Respublica debilitatur, & quemadmodum aperta vena cum noxio sanguine, integer, & spirituum naturalium vis emicat, ita inter multos semper aliqui creduntur innocentes, aut mitiore manu sanabiles. Magnum discrimen est reorum, vna lege damnatorum. Nunquam maior, nunquam iniustior crudelitas, quam cum genera hominum, non crimina puniuntur, id quod crebro fit, vbi præsumitur multitudo delinquentium. Hinc olim tot Christianorum millia perierunt; quia nomen, & professio, impietas iudicabatur. hinc Cæsareæ, imperante Maximino, discissis vndiq; martyrum cadaueribus, forum, plateæ, columnæ illacrymarunt. Eusl. lib. 8. ca. 19. Nec modo in ciuitate; sed etiam in hoste in victo cædium sit moderatio. Hostilem sanguinem fundis, sed humanum; sed tui generis. Nullum animal præter nisum, & hominem in suum genus sæuit. Deus certe cum murum aries percussit, cum tubæ sonuerunt, & imbutum est sanguine bellum, requirit tamé in ipsa acie iam victrice clementiam, 2. Par. cap. 28. 6. *Occidit Phacee filius Romeliæ de Iuda centum viginti millia die vno, omnes viros bellatores, eo quod dereliquissent Deum patrum suorum. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, & infinitam prædam, pertuleruntque eam in Samariam. Ea tempestate erat ibi Propheta Domini nomine Oded, qui egressus obuiam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iudam, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad cœlum pertingeret vestra crudelitas.*

Insuper filios Iuda & Ierusalem vultis nobis subiicere, in seruos & ancillas, quod nequaquam facto opus est, peccastis enim super hoc Domino Deo vestro, sed audite consilium meum, & reducite captiuos quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis, steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim Azarias filius Iohana, Barachias filius Sellum & Amasias filius Aadali contra eos qui veniebant de prælio, & dixerunt eis, non introducetis huc captiuos, nec peccemus Domino, quare vultis adducere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta, grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel.

§. 32. Crudelitatem itaque omnem, & crudelitatis etiam suspicionem caueat, quæcunque diuturna esse desiderat, Respublica. Tenui victu, & non preciosa veste liberos educet, discant à teneris vnguiculis, aliquem quasi æqualem pati, etiam principum liberi, ne adulti crimen maiestatis arbitrentur, si quis contra eos sentiat.

Omnium veterũ crudelissimus habitus est Commodus, natura, & educatio hoc fecit. Annos duodecim natus cum sanguinem videre horror est pueris, balneatorem qui plus iusto soliũ calefecerat, in fornacem iniici mandauit, nec quieuit crudelitas, donec nidorem pellium, quas fallendo furori pædagogus pro balneatore iniecerat, lætitia gestiens persentisceret. Non mirum tantas strages eum dedisse, cui in pueritia tantum licuit. Nocuit illi ministros habuisse malos, ex illis enim didicit ipse, quo postea faceret malos.

Quod igitur ipsa natura vos docet, quo dignitas vestra postulat, clementiam amplectimini, ô principes, fugite crudelitatem. Nolite humanitatis, & mansuetudinis, etiam cum lege agitur, obliuiisci. Securitatis vestræ arx inexpugnabilis est clementia, crudelitas omnia incerta facit, suos etiam administros infidos reddit. Neque vos duntaxat ipsi clementiam colite, sed eam à consiliariis, præsidibus, prætoribus exigite. Iubete eos gubernare subditos, non vt præsides, sed vt Episcopos. Parum proficit regis vnius clementia, si per minutorum tyrannisorum crudelitatem stat, quo minus illa subditi fruantur. Hic irascatur, hic opprobria sua vindicet, vt consulat subditis. Nunquam honesta est crudelitas, vno duntaxat euentu gratiosa est, si in crudeles ministros exerceatur.

Non hominum genera sed crimina puniantur.

In victos hostes sit etiã clementia.

Deus præliorum diritatem detestatur.

A puero discant pati aduersa, ne fiant ex superbia crudeles.

Principis clementiæ par sit administrorũ bonitas.

Nullum populo optabilius spectaculum, quam videre suis exemplis perire crudelitatem. Hoc vnum in Phalaride laudatur, auctorem boni suo inclusisse. Altissime pectoribus infigite id, quod ratio dictat, quod sapientes omnes docuerunt, quod omnium exempla regnorum demonstrarunt, quod æterna veritas, æternum clementissime regnans, pronunciauit: BEATI MITES, QVONIAM IPSI HÆREDITABVNT TERRAM.

Crudelitas in crudeles ministros plusquam grata populo.

CAPVT XVII.

Omnes in Republica ad fortitudinem esse instituendos.

§. 1. HOc quidem loco Pseudopoliticos habeo consententientes, firmamentum enim ciuitatis, incolarum robur, constantiamque esse omnes docent. Deinde quamuis pro pietate hypocrisin, pro prudentia astutiam, pro temperantia simulationem obtrudant, veram tamen, genuinam, periculorum cum ratione susceptricem, & depultricem, fortitudinem requirunt. Duo recte diuitum filios addiscere, olim dicebatur; Iaculandi & equitandi artem, cætera illis adulatio per blanditias tribuebat: at si à scopo aberrarent, aut equo hærere nescirent, ne sibi quidem ipsis adulari poterant. Nunc quoque fortitudo est, quæ fingi nõ solet, aut si quandoque asinus ignauus Leonis exuuias induit, si Patroclus, armatura Achillis, ad tempus Troianos exterret, mox tamen sanguine simulationem luit. Magno in honore est fortitudo. Quærit Aristot. Problem. Sect. 27. 5. Διὰ τί μάλιστα τῶν ἀνδρείαν τιμῶσιν αἱ πόλεις, ἢ βελτίστην οὖσαν τῆς ἀρετῆς; ἢ ὅτι δύσκολόν ἐστιν, ἢ πολεμοῦντες ἢ πολεμικοί; αὕτη γὰρ ἐν ἀμφοῖν χρησιμωτάτη ἐστίν. Τιμῶσι γὰρ ἃ βέλτιστα, ἀλλ' αὐτοῖς τὰ βέλτιστα. *Cur ciuitates fortitudinem maxime honorant, cum virtutum præstantissima non sit? An quia semper aut bellũ inferunt, aut patiuntur, hæc autem virtus vtroque tempore vtilissima est. Honorant autem non quæ optima sunt, sed quæ ipsis optima.* Itaque in liberis ciuitatibus, & apud reges, honores illis qui bello perierunt, maximi decernuntur. Minime igitur vitream fortitudinem, sed veram, solidamque patria requirit.

Fortitudo Reipublica necessaria est.

Fortitudinis non est hypocrisis.

Honoratur maxime fortitudo, quia maxime necessaria videtur.

§. 2. Est autem fortitudo μεσότης περὶ φόβους, καὶ θάρρη. Mediocritas, circa timores, & fidentiam. Vt Aristot. lib. 4. Mor. cap. 9. Augustin. lib. 83 quæstionum: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.* Est hæc illa ipsa constantia de qua nobilis in manibus est Iusti Lipsii disputatio. Rectum est enim, & immotum animi robur, non elati fortuitis, non depressi. Complector etiam patientiam, omnium aduersorum, quæ incidunt voluntariam, & sine querela perpessionem. Hæc de fortitudine presse accepta.

Nam quemadmodum in omni virtute, sapientia velut moderatrix clauum tenet, ita fortitudo omnes, tanquam firma anchora in procelloso hoc vitæ mari vincit, ac munit, omnis enim virtus sine constantia vidua est. Sapienter instituta consilia metus excutit, deme Lucretiæ constantiam, timor, non libido adulteram faciet. Incute timorem Imperatori, turpe fœgus ad furculas caudinas faciet. Omnium igitur virtutum custos est fortitudo.

Omni virtuti fortitudo necessaria est.

Sunt & aliæ virtutes quæ fortitudinis speciem habent. Vt cum metu ignauiæ, & gloriæ cupiditate fortiter

Verecundia fortes interdum facit.

titer agunt in prælio milites. Hic verecundia, fuga dedecoris, & laudis appetitus fortem efficiunt.

Et metus maior.

Sæpe etiam metus fortior, cogit in minore dolore esse fortem, Mutius foculo manum imponit, si honesti desiderio, fortis viri erat, de se præbere spectaculum inimico regi, vt cogitaret esse periculosissimum, cum fortibus viris bellum gerere. Si timore mortis, (quid enim post facinus exspectare aliud poterat, quam vt exquisitissimis tormentis excruciatus longa morte periret?) nec sic quidem fortitudo esse desinit. Fortis enim animi fuit, minore periculo extrema supplicia auertere. Quin etiam miseræ fortitudinis, & calamitosæ fuit, auctoratus ille, qui iussus in scena Mutium exhibere tunica præsente molesta, dicere non ausus est, *non facio*. Si enim miles fortiter pugnans in acie pulchra per vulnera mortem oppetere mauult, quam superbo deduci triumpho, cur miser quem vultus instantis tyranni, & ardor ciuium sæua iubentium deprehendit, non malit manum exurendam dare, quam toto corpore collucere flammis? Est enim hic moderata, & secundum rectam rationem doloris perpessio. Qui vero metu ducum in prælia coguntur, quamuis fortes non sint, si tamen malunt incerto Marte decernere, quam certo exitio cum ignominia dedi, rudimenta quædam fortitudinis inchoarunt. Quia tamen omnino inuiti honesta agũt, absunt à perfecta virtute.

Fortitudo est, cum minora forti ter mala fert, vt vitet maiora.

Mollitiæ est ita minori malo cedere, vt maius incurras.

Fortes etiam vocant, quos ira furiosos reddidit. Ἰσχύτατον γὰρ θυμὸς πρὸς τὸς κινδύνους. Insilit enim, & præcipitem se in pericula dat ira. Σθένος ἐμβαλὲ θυμῷ robur menti iniicit, μένος ἐγείρει, ἔζεσεν αἷμα. Iram furoremque excitauit, sanguis efferbuit. Ira quidem impetum adiuuat, sed non auget virtutem cũm rationem minuat.

Ira vmbrã fortitudinis habet.

Nec fortes sunt qui viribus fidunt, & quia sæpè vicerunt, optima omnino præsumunt. Plurimum autem stulti, & ebrii sperant, verum illi cum res aliter cecidit, continuo fugiunt, & discrimini se se subtrahunt. Ita Argiui cum in Sicyonios molles, timidos magna audacia ire se putarent, cum in Spartanos incidissent, effusa fuga hostibus risum præbuerunt.

Spes & stultitia etiam fortitudinẽ imitantur.

Fortitudo igitur dolores, molestiasque patitur, cum pati honestum est, & quia honestum est, aut non pati, turpe.

Dignitas fortitudinis in eo est, quod difficile sit, & arduum, cruciatus, molestias, mortem tolerare. Difficilius hoc est, quam voluptati resistere. Fortissimos tamen viros cernimus, qui eodem tempore, & voluptatibus, & timoribus restiterunt.

Fortitudo in difficilibus cernitur.

§. 3. Fortitudo præstat singulorum animos inuictos, ac proinde totam Rempublicam. Nihil fortibus est inexpugnabile, nihil munitum contra animosos. Egregie Ambrosius lib. 2. de Off. *Non mediocris animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, & iustitiam custodit, quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, vt auaritiam fugiat tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat.* Et Cicero Rhet. *Fortitudo est immobilis inter aduersa, gloriosa animi claritudo, res arduas pulchre administrans, quæ nec aduersis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo eleuatur.*

Virtutum arx est.

Sed nec aliena malitia concidit. Supra pœnam suam consistit. *Fortitudo prodest*, Seneca lib. 4. de benefic. cap. 22. *& in equuleo, prodest & in igne, qui si singulis membris admoueatur, & paulatim viuum corpus circumeat: licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet: placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit.*

Fortitudo igitur contemptrix timendorum est. Terribilia; & sub iugum libertatem nostram mittentia, despicit, prouocat, frangit.

§. 4. Fortitudo Rempublicam tutam præstat, quia sola opinione hostes terret. Nuper quatuor Hispanæ naues, barbarorum ducentas affixerunt, triginta hominum millia ceciderunt. Ad leonis vocem, cuncta animalia paueſcunt, tauri quamuis mansueti, frons torua timetur. in fortes non est audacia tuta. E contrario meticulosis nihil tutum est. Si desint hostes, vmbram suam metuent. Itaque ab omnibus impetuntur. Lepus omnium præda est, leo nullius.

Fortitudo hostes solo terrore continet.

Ἀλλ' οἱ γὰρ ἀθυμῆντες ἄνδρες
Οὔποτε τρόπαιον ἔστησαντο.

In hoste fortitudo timetur, temeritas optatur.

Sed viri imbecillo animo, nunquam trophæum statuerunt.

Galeati igitur illi lepores inuitant, non terrent hostem, & præsentes absunt. Nemo regum corpora numeret, sed animos.

Δειλοὶ γὰρ ἄνδρες ἐκ ἔχουσιν ἐν μάχῃ
Ἄρειθμον, ἀλλ' ἄπεισι, κἂν παρῶσ' ὁμῶς.

Nullo in numero sunt in acie viri formidolosi, absunt enim quamuis simul adsint.

Nolo Pisandrum in exemplum producere, qui ne mortuus vmbram suam videret, pertimuisse dicitur; non Antemonem; cui æreum semper scutum supra caput duo seruuli tenebant; ne rei alicuius illapsu læderetur. Tam prodigioso timore non est opus Reipublicæ, vt arma contra se habeat, opes hosti seruet.

Nisi intra valles, mœniaque interritos animos habeat, omnia in prædam hosti cedunt. Si nomen, famamque fortium obtinuerint, societatem multi ambiunt, nemo iniuriam inferre audet, non magis quam barbam leonis vellere. Sola opinione fortitudinis Dauid periculum excussit, & parricidales filii manus euasit.

Respublica virorum fortium suo bono tuta est.

2. Reg. 17. 8. *Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, veluti si vrsa raptis catulis in saltu sæuiat, sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo. Forsitan nunc latitat in foueis, aut in vno, quo voluerit loco, & cum ceciderit vnus quilibet in principio, & audiet, quicunque audierit, & dicet. Facta est plaga in populo, qui sequebatur Absalon. Et fortissimis quisque, cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur, scit enim omnis populus Israel, fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cum eo sunt.*

Plurima in bello opinione, & metu, pauca manu conficiuntur. Verum de his plenius agendum est, cũ de bellica fortitudine tractandum erit, quæ fortitudinis est pars insignis.

§. 5. Causa cur fortitudo semper inuicta sit, mortisque contemptus omnia vincat, est, quia est naturalis munitio, armatura naturæ, non aliunde sumpta. Qui enim omnia terribilia contempsit, liberrimus est, omnibus in amore est, à malis etiam timetur. Seneca Epist. 113. *Doce me, non an fortitudo animal sit: sed nullum animal felix esse sine fortitudine, nisi contra fortuita conualuit, & omnes casus antequam exciperet, meditando perdomuit. Quid est fortitudo? munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile: quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat. Vtitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco tibi Posidonii nostri sententiam referre volo: Non est quod vmquam fortunæ armis putes esse te tutum: tuis pugna contra ipsam, fortuita non armant. Itaque contra hostes instructi, contra ipsam inermes sunt.*

Fortitudo internum est munimentum.

Et de constantia cap. 8. *Si maximum illud, vltra quod nihil habent iratæ leges, aut sæuissimi Domini, quod minentur; in quo imperium suum fortuna consumit; æquo placidoque animo accipimus, & scimus mortem malum non esse, ob hoc ne iniuriam quidẽ: multo facilius alia tolerabimus, dãna, dolores, ignominias, locorum cõmutationes, orbitates, dissidia, quæ sapientem, etiamsi vniuersa circumueniant, non mergunt;*

Qui mortẽ contempsit, minora cõmoda facile despicit.

gunt; *nedum ad singulorum impulsus mœreat. Et si fortunæ iniurias moderate fert: quanto magis hominum potentium, quos scit fortunæ manus esse?*

Hæc omnia præstat fortitudo, pericula iusta contemnens, vel scientia, animusque periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocandorum.

Timor mali consilii auctor, turbator boni.

§. 6. Nihil adeo Rempublicam tuetur, ac firmat, quam bona consilia, sed illa fere, cum pericula circũstant, à sola sunt fortitudine. Timor primum ipsa consilia turbat, deinde si quidem fortiter senatus cẽsuerit, populus iusserit, rem gerendam tamen timor impediet. Decernitur bellum in Hispania gerendum; sed nemo inter Quiritium proceres, cuius animus tanto periculo par esset? inueniri potest: Absque Scipione fuisset, Hispaniam non recepisset Romanus,

Nihil præclari geri potest, vbi viribus deest animus.

Italiam insuper amisisset. Valer. lib. 3. cap. 6. P. & Cn. Scipionibus in Hispania, cum maiore parte exercitus, ab acie punica oppressis, omnibusque prouinciæ eius nationibus Carthaginensium amicitiam secutis, nullo ducum nostrorum, illuc ad corrigendam rem proficisci audente, P. Scipio quartum & vigesimum annum agens iturum se pollicitus est, quæ quidem fiducia populo Romano salutis, ac victoriæ spem dedit, eademque, in ipsa Hispania visus est. Nam cũ oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeuntes in eadem quæ intra mœnia hostium erat, vadimonia in posterum diem facere iussit, continuoque vrbe potitus & tempore, & loco, quo prædixerat sella posita ius eis dixit, nihil hac fiducia generosius, nihil prædictione verius, nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius.

Tam sunt fortitudini certa consilia, vt ea hostibus interdum patere, quo formidolosiores efficiantur, non timeant: Scipio Africanus, exploratores Hannibalis in castris deprehensos, per omnes manipulos diligentissime deduci curauit, deinde prandio exceptos, & interrogatos an satis ea considerassent, quorum causa venire iussi essent, incolumes dimisit. Qua fiducia animos hostium contudit. Respublicæ infirmæ, & minimæ militares consilia sua frequenter ex necessitate, ex suspicione, & timore moderantur. Ideoque fortitudo diligentissima sui cũstos est. Quia non modo consilio imperturbato, sed opera etiam, manuque vtitur. Duo olim gladiatores inconniuis oculis fuere, eoque inuicti, nec vllus exercitus nisi aliqua formidine vnquam victus est. Nam Lacedæmonii trecenti, & si qui similes fuere vincendo fatigati, tropæis suis incubuerunt.

Nullus exercitus victus est, nisi quẽ timor incessit.

Contumeliarum tolerantia ad fortitudinẽ pertinet, de qua cum de magnanimitate, agetur.

§. 7. Ad fortitudinem pertinet iniuriarũ, contumeliarumque patientia. Ad quam omnino, ciuium animos assuefacere necesse est. Nullus ea in re Augusto superior fuit, si infideles aspiciamus. Cato quidem plane ἀπαθὴς, sed falso visus est. Socrates quidem cum vincto quidam in os insputasset; monendum à magistratu dixit, ne tam improbe oscitaret. Et Catonem tamen trecentos Socrates vicisse existimarunt antiqui. Hanc ego virtutem vinculum pacis, & caritatis in republica esse existimo. Ratio est ex ipso vsu sumpta. Viros optimos suæ reipublicę columina, patriæ patres, sæcula sua non æstimarunt, Catonem à prætura repulerunt, contumeliis affecerunt, sputis inquinarunt, Scipionibus liberatoribus suis inuiderunt, vt explicui c. de gratitudine. Et si nostra spectemus, Moysen seditionibus agitarunt, Samuelem abiecerunt, Dauidem impugnarunt. In Rep. multi sunt aduersarii calumniatores, æmuli, contra quos vnum est scutum, patientia; omnibus illis obnoxius redditur, qui animo imbecillo est. Si pati, & tacere potest, vincet. Inuulnerabilis est, non qui non feritur, sed qui non læditur. Tot vndique mala impingunt, feriuntque, solus vir fortis, patiensque iniuria maior est, & venientia solido robore repellit. Bellorum ciuilium causas, esse fere teneros animos, leuissimarum rerum impatientes historia docuit. Sed quomodo ad

Eminentia omnia incursibus pulsantur.

fortitudinem ciues suos instituet Respublica? Qui hanc quæstionem superuacaneam arbitrantur, quod timidis audacia tradi per disciplinam non possit, sed naturæ hoc bonum sit, longe à vero aberrant, nec satis à beluis hominem distinguunt. Leo natura impauidus, iracunda tigris, generosus equus, dama timida, placida ouis, seruilis est simius. Naturarum sunt illæ affectiones, quas tamen sæpe mutat, corrigitque institutio. In homine omnium rerum domina ratio, ac virtus illa omnia potest. Itaque & pueri, & teneræ puellæ, quarum est proprius timor, quæ etiam ad laruas, & terriculamenta exclamare solent; minas tyrannorum, ac tormenta riserunt. De Machabæis docet sacra historia, de martyrum millibus Christiana Ecclesia gloriatur. Fortitudo igitur vera, in animi proposito inuicto, perseuerante, immutabili consistit. Potestque animus timidissimæ virginis ita firmari, ac solidari, vt omnes fortuitarum rerum ictus, omnes cruciatus inuiolata duritia perferat.

Fortitudo doceri potest.

§. 8. Fundamentum igitur fortitudinis, & constantiæ Deus est, vsque adeo id visum etiam priscis idololatris est, vt cruciatuum, & mortis victores in Deos referrent. Itaque *male fortes sunt, qui Deum deserunt.* vt monet S. Augustinus. *Ille solus fortis est, qui non se, sed in Domino fortis est.* Sermone 3. ad fratres in eremo. *O fratres mei & latitia cordis mei, considerate quanta fuerit in martyribus fortitudo, qui velut impassibiles tormenta despiciunt, tyrannos contundunt, cuncta quæ mundi sunt despiciũt, qui licet decoriati, licet combusti, licet in cunctis membris afflicti, licet in omnibus corpore sint proiecti, non tamen legimus eos esse mente mutatos. Sed scire debetis fratres mei, quod multis modis dicitur fortitudo, hypocritarum videlicet, & philosophorum, & bonorum fidelium. Hypocrita denique multa sustinet, multa portat, & fortis in cunctis apparet.*

Fortitudinis firmamentum est Deus.

Fortitudo piorum est.

Et: *O fortitudo! omnem crudelitatem euacuas, carcerem respuis, crucem non metuis, eculeum amplecteris, optas vincula, spontanea semper curris ad mortem. O Monache nihil valet cursus tuus brauii, nihil tua operatio, nisi columna fortitudinis roboretur, nihil valet ædificium bonis operis, nisi columnã fortitudinis amplexeris. Sed si columna fortitudinis tracta fuerit, totum ædificium bonorum operum ruit.*

Et Cyprian. ad Quirinum lib. 3. *In nullo gloriandum quando nostrum nihil sit; in Euangelio κ. Ioannem: Nemo potest quidquam accipere nisi datum fuerit illi de cœlo. Idem in Epistola Pauli ad Corinthios prima: Quid enim habes, quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Item in Βασιλειων primo: Nolite gloriari, neque loquamini elata, & non procedat magniloquentia ex ore vestro: quia Deus scientiarum Dominus: Item, Inualidus factus est arcus potentium, & infirmi accincti sunt virtute. De hoc ipso in Machabæis: Iustum est subditum Deo esse, & mortalem, non paria Deo sentire. Item illic: Et verba viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius in stercora erit & in vermes. Hodie extolletur, & cras non inuenietur: quoniam conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.*

De cœlo venit fortitudo.

Hæc est igitur martyrum fortitudo, cui nihil par est, aut secundum, hæc optabilem Petro crucem fecit, hæc Andream roborauit, vt in ipsis clauis consistens, fixusque & hærens solui trepidaret. In Deo Iulius, Martinianus, & Processus, cum ora lapidibus contunderentur, clamabant; *Gloria in excelsis Deo.* Dei munus esse, vox publica de cœlo intonans ostendit. Sanct. Polycarpo enim stadium ingresso, dictum est ab Angelo; *Fortis esto Polycarpe, & excelso animo rem gere.*

Cumq; eum tortores, vt viuus combureretur, clauis affigere statuissent, *Nihil opus est clauis*, inquit, *Ignem sponte sustinebo.* Tantã constantiam ipsa flãma venerata est, & inuictũ martyrem, fornicis in modum, circumdedit; nã seruo suo, arcum triumphalem ex igne Deus statuere voluit, ac per quem vinceret, ostendere. Par fortitudo in dispari ætate. Iusto adolescenti viuę pru-

Martyrum constantia cœlesti voce roborata.

nas, & thus in Marium imposita sunt, eamque supra aram iussus extendere, vt si dolore victus, ignem, & suffimentum excuteret, adoleuisse videretur, sed vel calumniæ quicquam relinqueret, exuri artus suos maluit, quam vel sine peccato ignem excutere. Idem Cyrilla quoque animo Heroico fœmina præstitit. Quid hic Mutius, aut quisquam veterum simile potuit? Mutius foculum aræ pertulit, sed merito fortis erat, vt miraculo tolerantiæ regem obstupefaceret, quem occidere non poterat. Hic nullus timor maioris tormenti, patientiam leuioris doloris indidit. Si Iustus leui motu dextræ prunas, doloremque excussissent, iam laudem, honoresque sperare poterant. Quanta perseuerantia fuit in Theodoro adolescente, qui cum totum diem in acerbissimis tormentis, quasi in rosa transegisset: suadente iudice, vt incolumitati suæ consuleret; læta ac forti voce respondit: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* Incredibilis vero Iaponici pueri hisce annis, & supra humanam, constantia fuit. Annorum erat tredecim, nondum sui arbiter, sed præcox diuinæ maiestatis annunciator. Cum aliis alligatus erat ad stipitem, vt viuus Christi causa exureretur, dum vero flamma lenta sensit stupea vincula laxata, solutus matrem alio in stipite ardentem hortatorconsolatorque accedit: cui illa: *Itane fili stationem tuam deseris?* Qua voce percussus, quamuis nequaquã desertor abcesserat, in locum suum rediit: Et sine vllo alligamento, sæuientes intra viscera ignes pertulit, vicitque. Pro funibus, & catenis constantia fuit. impauidus semiustulata mẽbra tiro Christi spectabat & cruciatibus suis, quasi deliciis fruebatur. Literæ Iaponicæ, Historiæ Indicæ plura ad hunc modum, normamque referunt, & primæ Ecclesiæ æmula facta. Quantus vero animus Iacobi Anachoretæ, quem cum dæmones Isaurorum specie, quasi latrones inuaderent, ille ad mortẽ interritus, quod latrones arbitraretur, mox fluentem per colla humerosque capillum collegit, vt nudas ceruices gladio paratas exhiberet, eoque statu tota nocte venientem ictum exspectabat. Magnoque animo mortem prouocabat. Diuina hæc sunt, atque è cœlo animi munimenta, quibus plena est historia Christianorum.

Christiana fortitudo Mutios, & Clodios vicit.

Iaponis pueri admirãda fortitudo.

Totam noctem perseuerat in mortis exspectatione.

§. 9. Petenda igitur à Deo ista sunt præsidia, à sacramentis diuinis haurienda. Cyprianus Epistol. 54. Arma fortitudinis nostræ à Deo quærenda ostendit. *At nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos euitamus & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus: & cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit à cupientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis, Christi sanguinem negamus? aut quo modo ad martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?*

Eucharistia munit ad prælium.

Et paulo post: *Primo idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit, & accendit. Dominus enim in Euangelio suo dicit. Cum autem vos tradiderint: nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.*

§. 10. Dicet fortasse politicus hac in Rebusp. publicis fortitudine opus non esse. Sed illa alia, quæ defendendæ patriæ sanguinem impendit, quæ inter volantia pila, secura mortis discurrit, quę hostili aciei immergitur, pulchramque petit per vulnera mortem. Quasi vero non vna sit, eademque virtus, quæ hostium gladios, & pila, quæque equuleos, & carnificum ingenia contemnit. Virum mori paratum, si iustitia, si publica salus, pugnare iusserit, contemptu mortis inuictus erit. Sola enim causa cur languide prælientur est timor mortis. Terruit hoc argumento olim Ethnicos Tertullianus, ostenditque omnia posse Christianos ipsosque Gentiles in ditionem suam redigere, *tam multos, tam mori paratos.* Cum imperatorius præfectus Arius immaniter sæuiret, maior tamen erat ad toleranda tormenta, necemque Christianorum alacritas; itaque certatim sese, & Christianos profitebantur, & lanienæ offerebant, tanto numero, vt crudelitate lassa diceret præses: ὦ δειλοὶ εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνὸς, καὶ βρόχους ἔχε. *O miseri si mori vultis, præcipitia, & laqueos habetis.* Ita quidem tyranni mancipium cruentum, fortitudinem Christianam sceleratius interpretabatur, quam torquebat: nobis tamen perpendere incumbit; Quanto præsidio tales viri suæ Reipublicæ esse possent, si à legitimo magistratu in hostem iure ducerentur. Nemo pedem referret, nemo ordines metu desereret, omnes commilitonem sua morte tueri contenderent: magna contentione murum, vallumque hostis singuli celeri procursu conscenderent, non inani donatiuorum cupidine, sed spe æternæ remunerationis. In Deo igitur & ex Deo fortitudo nostra est. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, murus, & antemurale eius est,* ipse creator. *In Deo speraui,* inquit Dauid Psalm. 55. 5. *Quid faciet mihi caro? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Itaque & Mach. 5. 61. *Sacerdotes illi* quos Dominus ad liberandum ad Israelem non elegerat, dum fortiter agere se existimant, *ceciderunt in bello.* Summa ergo fortitudinis est, in Deo spem habere fixam. Pulchra adhortatio est apud Sozom. lib. 2. cap. 8. ad Ananiam senem, ad sociorum martyrum atroces cædes contremiscentem, qua eum artificum regiorum præfectus ad constantiam animauit. *Pauliſper,* inquit, *ô senex oculos claudito, & bono animo esto, nam statim lumen Dei videbis.*

Martyrum fortitudo etiam Reipublicæ est vtilis.

Christianorum fortitudo mortis se offerẽtium.

Mortis contemptores Reipub. calumnia.

Qui mercede pugnat vitam præmio seruare cupit.

§. 11. Alterum est, quod ciues fortes efficit, Sobrietatis, temperantiæque studium. Deliciæ enim eneruant animos, atque effœminant: omnino enim pugnant, luxuriosus, & fortis. Truculenta, acerba, formidolosa fortitudo vincit, contra dolores, ipsamque mortem armatur; luxuria suauitates consectatur. Cum igitur deliciæ omnem laborem fugiant, nõ possunt, nec à longe quidem fortitudinem, dura præcipientem intueri. Deinde mollior educatio, quæ animos in luxum soluit, cupiditatem tuendæ vitę, quę naturaliter omnibus insita est, vehementer accendit; itaque ad minimam periculi suspicionem, expauescunt. Vitam n. quæ nimiũ cara est, eius comites delicię cariorem faciunt. Itaque eum ad ardua vocantur, quorum omnis in vmbra, & cœnis ætas transacta est, tanquam bis moriendum sit, trepidant. Nam & deliciis negatis, tanquam morte dolent, & mortem, vt ignaui timent. Lacones vitæ duritie, imperium diu tenuerunt. Græci fracti deliciis seruierunt. Ægyptii deliciis assueti, omnium regum mancipia fuerunt. Ipsa castra delicias pro veneno experta sunt. Hannibalem Capuæ fregerunt: Nec alia causa Herculem ad fœmineum imperium pensa trahentem poëtę finxerunt, quam vt ostenderent, fortes in deliciis esse non posse. Dicam de his plura, cum de militari disciplina agendum fuerit.

Temperantia animos, & corpora roborat.

Deliciæ mortem horrent.

§. 12. Fortitudinem etiam mirabiliter exacuit exercitatio periculorum, & aliena exempla. Omnia improuisa maiora videntur, præcipue in periculis. Nauigandi inexpertus ad primum tempestatis ictum exclamat; at prudens gubernator, ne ad decumũ quidẽ fluctum pallet. In periculis adeundis primus gradus est

Exercitatio fortes efficit.

est difficilimus, cum exempla præcesserunt, sponte multi sequuntur. Seneca de tranquillitate animi. *Nisi quicquid fieri potest pro futuro habeas, eas in te vires rebus adversis, quas infregit, quisquis prior vidit.* Sed multo magis, quisquis expertus est. Et Sanctus Ambrosius libro primo, Off. cap. 38. *Hoc igitur diligentiæ est, vt quis ita se comparet, illud ingenii, si quis potest vigore mentis præuidere, quæ futura sunt, & tanquam ante oculos locare, quid possit accidere: & quid agere debeat, si ita acciderit, definire: interdum duo, aut tria simul voluere animo, quæ coniiciat, aut singula, aut coniuncta accidere posse, & aut singulis, aut coniunctis disponere actus quos intelligat profuturos. Fortis ergo est viri non dissimilare, cum aliquid immineat, sed prætendere, & tanquam explorare, de specula quadam mentis, & obuiare cogitatione prouida rebus futuris, nè forte dicat postea. Ideo ista incidi, quia non arbitrabar posse euenire. Denique nisi cito occupant, vt in bello improuisus hostis vix sustinetur, & si imparatos inueniat, facile opprimit, ita animum mala inexplorata plus frangunt.*

Prauisa pericula facile sustinentur.

Viris fortibus sint præmia.

§. 13. Magna sint præmia fortitudini proposita, non vt spe commodi, & honorum recte agant; quanquam hoc quoque ad gubernationē pertinet; sed vt præmiorum magnitudo, virtutis præstantiam teneris animis ostendat. Magno itaque honore afficiendi sunt, qui in subitis, & grauibus casibus, forti animo perstiterunt, hostesque repulerunt. In his enim præcipue fortitudo elucet. Aristot. 3. Ethic. c. 6. *Is*, inquit, *vere fortis proprie dicitur, qui circa honestam mortem, & ea omnia, quæ repente eueniunt, atque afferunt ipsam; interritus est.*

Et Cicero lib. 1. de Off. *Fortis siquidem animi, & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu deiici, vt dicitur: sed præsentis animi vti consilio, nec à ratione discedere: quanquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, præcipere cogitatione futura & aliquando ante cōstituere, quid accidere possit, in vtramg; partem, & quid agendum sit, tum quid euenerit: nec committere aliquid, vt aliquando dicendum sit, non putaram.*

Fortitudo in rebus subitis sibi constat.

Itaque huiusce modi virtus summo semper honore culta fuit. Sic Matthathias præfectum regium, ad idola adoranda cogentem, & apostatam sacrificantem interfecit. Eleazarus beluam subiuit, & perfosso ventre occidit, atq; ita suo in triumpho sepultus est. Alius Eleazar Ahohites vnus ex fortibus Dauid, comitem se fugientibus nequaquem dedit, sed ingenti terrore cæteris dilapsis, solus perstitit, *& percussit Philistæos dum obrigescerent manus eius cum gladio, fecitque Dominus salutem magnam in die illa, & populus qui fugerat, reuersus est ad cæsorū spolia detrahēda.* 2. Reg. 23. 11. *Et Semma filius Age populum fugientem tutatus est, & percussit Philistæos.* Ecce animū, in re subita, totus exercitus fugit, & fugientem miles vnus propugnat; & quod mirabilius victores irruentes vnus moratur & fugat. Et vers. 18. *Abisai hastam suam leuauit contra trecentos, eosque interfecit.*

Denique, *fortis est vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio*, ciues fortes efficit amor Dei. Cant. 8. 6. *Quis enim nos separabit à caritate Christi, tribulatio, an angustia? an fames, an nuditas? an periculum? an persecutio?* Augustinus de vera religione cap. 47. *Ille*, inquit, *verissime, atq; certissime inuictus homo est, qui cohæret Deo, non vt ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quā ipsum hærere bonum est. Hic vir, quam diu est in hac vita, vtitur amico ad rependendam gratiam: vtitur inimico, ad patientiam: vtitur quibus potest ad beneficentiam: vtitur omnibus ad beneuolentiam. Et paulo post in omnibus autem officiosis laboribus futuræ quietis, extra expectatione non frangitur, quid enim ei nocebit? qui bene vti etiam inimico potest. Eius etiam præsidio, atque monimento inimicitias non pertimescet, cuius præcepto, & dono diligit inimicos. Huic viro in tribulationibus parum est non contristari, nisi etiam gaudeat, sciens quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Amor causa fortitudinis.

Dilectio ad uersitatum amantes facit.

Ciues igitur suos ad verum, constantemque Dei amorem Respublica instituet. Si enim amor creaturarum furiosos reddit, & omnium periculorum contemptores, cur non diuinitatis dilectio, summa ratione nitens reddat inuictos?

Amor inuictos facit.

CAPVT XVIII.

Fortitudinem cruentis spectaculis non acquiri.

§. 1. CONTRA cruenta spectacula, multa dicta sunt à me c. de crudelitate vitanda. Non defuere tamen, qui ea reuocanda censuerint, vt iuuentus vulneribus, & sanguine assueta in bello non horresceat, quasi insolita, quæ sæpe in pace spectauit. Fortes igitur & bellicosos reddi, gladiatorum spectandis pugnis arbitrantur. Eaque causa Romanos laudant. Crudelitatem, ac perniciem humano generi consilia illa machinantur. Neque nunc crudeles animi etiam in vili sanguine, & degeneri plebe visuntur. Quanti sunt, ad vnius miseri homuncionis spectanda supplicia concursus? neglectu rerum suarum, spectaculum morientis emunt, precio etiam empturi, si id exigeretur. Ne vero mireris, ab illis qui Christianæ religionis professionem præ se ferūt tam crudelia spectacula reposci, illa, quæ fieri docemur experimento, animo perpende. Artem, gladio, hastaque, cæterisque armis pugnandi in vrbibus multi docent, mutua sese æmulatione prouocant, quanto se studio ingerunt, locumq; spectandi precio redimūt? Nec desunt qui missis muneribus; quia imperio non possunt, concitare ad acriorem pugnam conentur. Interdum in nuptiis ea sibi spectacula exhibent, nec raro grauiter sauciantur, aut cadunt. Quod si vt male quidem, & contra leges fit, ex prouocatione nonnulli de vita decernant, quanta spectantium multitudo concurrit? Quam pauci ex tam multis ad pacem hortantur. Quorundam etiam illa est feritas, vt eorum qui quæstionibus subiiciuntur, tormentis cupide intersint. Praua est, ac malitiosa hominum cupiditas, violenta hominis morte delectantur. Sed crudelitati, sumptibus, cæterisque malis, fortitudinis, animositatis, & bellicæ gloriæ fructus obiicitur: Tam diro, ac funesto spectaculo contra vulnera, & ferrum animos obfirmari. Contrarium verum esse censeo: spectaculis gladiatoriis, laniationibus ferarum, crudelitatibusque ingentem terrorem incuti, omnem virtutem euitari, animos sublimes deiici, effœminari, nullo modo attolli, aut roborari.

Crudelis stultitia quæ cruenta spectacula reposcit.

Reorum supplicia magnis cōcursibus spectātur.

Gladiatores cupide multi spectant, & irritant.

Monomachias etiam sequuntur.

Ex diris spectaculis carnifices, non viri fortes efficiuntur.

§. 2. Primo quidem loco, quod in re politica plurimum valet, exemplis vtar. Spectaculis cruentis maxime delectatus est Caius Cæsar, vt auctores omnes tradunt, isque maxime crudelis fuit. Post Caium Claudius, & de quo Dio. *Exhibuit crebro ludos gladiatorios, quibus valde delectabatur. præter cætera libenter spectabat sub prandii tempus, eos qui in medio theatro dilaniabantur: etsi Leonem doctum homines comedere, plebique ob eam causam gratum, interfecit, quod non deceret populum Romanum, huiusmodi spectacula videre.*

Spectaculis delectantur crudelia mōstra hominum.

Leo populo Romano ideo gratus, quod doctus esset hominem comedere.

Sed is ad miraculum pauidus semper fuit, & pauidus ad imperium venit. Tiberius quoque illi crudelitati deditus fuit; nam munus dedit amplissimum, rudicariis quoque quibusdam reuocatis, vt auctor est Suetonius, auctoramento centum millium. Sed iam senior eo modo insaniuit. Nero mox ab initio. Adrianus quoque die natali, centum Leones, centum Leænas confecit. Domitiani arenam Martialis adulatione seruili celebratam reddidit, quæ

Sceleſtus qui docuit, & quibus placuit.

quæ omnia ostendunt, ad insaniam summam illum sæuitiæ Amphitheatrali deditum. Nemo tamen illo formidolosior fuit, qui in singulas horas mortem exspectauit, qui sphengite lapide parietem texit, ne se inambulantem nemo à tergo improuisus inuaderet. *Commodus gladiator.* Omnium insaniam Commodi furor exuperauit. Ipse gladiator, ipse auriga, ipse lanista, magis in ludo, quã palatio habitauit. Prandenti gladiatores, & venationes exhibebãtur. Pugnauit ipse septingenties, tricies quinquies. Inter plausus, vocatus est sexcenties vicies. *Paulus primus secutorum*, ita appellari maluit, quã primus imperatorum. Mille gladiatores occidit, aut vicit, (quis enim contra Cæsarem vires experiretur?) Multa ferarum millia sua dextera confecit: Et ne sine arte putes, centum leones, centum ictibus occidit. Mirum illi portento, tam certam fuisse manum. Hæc Lamprid. Nec inter hæc ludicra sæua maiestatis obliuiscebatur; eos enim à quibus irridebatur, feris obiiciebat. Gallus Constantii nepos, vt refert Marcell. l. 14. ludicris cruentis delectabatur, & concidentibus se pugilibus.

Crudelissimi Romanorum & assueti ludis gladiatoriis imbelles. Hi sane ignaui, aut plane abhorrentes à bello, imperium barbaris obnoxium fecere. Tiberius imperium adeptus, vrbem pressit, deinde capreas contaminauit: nec bellicæ rei quicquam administrauit, nisi vt fortes duces à notis legionibus separaret, in prouincias, atque in bella se iturum simularet, qua in re, teste Tacito, *diu senatum, diutius exercitus, diutissime prouincias fefellit.* Caius quamuis in bello educatus, & militari ioco Caligula dictus; non tamen fortis imperator fuit. Magnum exercitum comparauit, in quo erãt militum ducenta quinquaginta millia, eorumque magnam partem consumpsit: Nam eos singulatim, nonnunquam etiam confertos occidebat. De expeditione Germanica Suet. cap. 46. post multa stultissime gesta, hæc cap. 46. narrat. *Postremo quasi perpetraturus bellum, directa acie in littore Oceani, ac balistis, machinisque dispositis, nemine gnaro, ac opinante, quidnam cæpturus esset, repente vt conchas legerent, galeasque & sinus replerent, imperauit: spolia Oceani vocans Capitolio, palatioque debita & in indicium victoriæ altissimam turrem excitauit, ex qua, vt Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus, ignes emicarent: pronunciatoque militi donatiuo, centenis viritim denariis, quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, Abite, inquit, læti, abite locupletes.*

Caius suorum militũ 220000. occidit.

Conchas legit.

Claudius ducibus fortibus inuidit. Claudius in spectaculis cruentus, militiam ne fortibus quidem viris indulsit. Corbulonis cognita virtute, imperium illi abrogauit. Qui merito exclamauit: *Veteres duces fortunatos fuisse, quibus licuerit esse fortibus sine periculo: se autem inuidia à Cæsare prohiberi.* Nero in spectaculis tam sæuus, in Græciam profectus est, *Nerouis crudelitas imbellis.* Narrat rem Dio. cap. 14. *Non enim Roma ei sufficiebat, non theatrum Pompeii, non circus maximus, sed expeditione opus fuit, vt fieret sicut dicebat, ὁδοιπορικὸς; tantamque secum multitudinem adduxit, non solum Augustalium, sed etiam aliorum hominum, quantum si hostium exercitus adesset, aut Parthos, aliasue gentes cepisset. Sed illi erant videlicet Neroniani milites, proque armis ferebant citharas, plectra, personas, soccos. Itaque reportauit victoriam dignam tali exercitu, Terpnumque & Diodorum, & Pammenem, pro Philippo, Perseo, Antiocho, superauit.*

Et ne crudelitatem Romæ relictam arbitreris, addit: *Quæ si sola (vt paulo ante dixi) facta essent, tamen ea res nimium secura, ignominia notata, & ludibrio habita fuisset: nunc autem quasi vere ad bellum gerendum veniisset, Græciam depopulatus est, licet eam liberam reliquerit: fecitque cædes infinitas, & bona quorundam adhuc viuentium publicauit, atque innumerabitia donaria, quæ vel Romæ in templis repositæ erant, abstulit.* *Bacchantiũ sæua rapacitas.*

Domitiani sumptuosa, crudeliaque spectacula, timidumque, & imbellum animum Dio hunc in modum describit. *At Domitianus ducto in eos (Dacos) exercitu, quanquam ipse bellum nulla ex parte attigit (erat enim non solum impatiens laboris corporis, sed etiam animo timido & imbelli, petulansque & libidinosus non modo in mulieribus, sed etiam in pueris) tamen missis ducibus ad bellum gerendum, ac magna parte nihilum turpiter amissa, vt victor Romam literas misit. Quamobrem ei tot & tanta decreta facta sunt, vt in omni fere orbe terrarum quæ sub ditione eius erat, statuæ aureæ atque argenteæ positæ sunt. Edidit sumptuosum spectaculum, ex quo nihil dignum historia accepimus, præterquam quod virgines cursu certauerunt. Post hæc dies festos egit, videlicet triumphales: exhibuit crebra certamina, præliis peditum, ac deinde equitum commissis in circo, tum etiam in nouo quodam loco bello nauali facto, in quo non solum omnes fere qui pugnauerunt mortui sunt, sed etiam multi ex spectatoribus, propterea quod maximo imbri, & vehementi tempestate repente commota, nemini permisit abire ex spectaculo: & quanquam ipse penulam mutauit, tamen cæteros nihil mutare passus est. Qua ex re non pauci in graues morbos inciderunt, & mortui sunt. Itaque populo nocturnum epulum dedit, eius consolandi causa, Noctu enim sæpe certamina exhibebat, in eaque nonnas, & mulieres introducebat.*

Imperator crudelis, & libidinosus hostes videre non sustinet, milites amittit.

Merito spectatores improbi pereunt.

Crudeles adeo molles, vt vno imbre morerentur.

Commodus à bello turpissime refugit, pacem à barbaris emit. *Vt pecunia*, inquit Herodianus, *qua maxime abundabat, securitatem redimeret, nihil videlicet petentibus denegabat.* Hæc ille qui tamen non ex palatio purpuratus, sed è ludo gladiatorio armatus exire decreuerat, quod tamẽ dedecus à Romano imperio mors eadem nocte illata auertit.

Satis igitur res ipsa docet spectaculis tam inhumanis, & fædis non fortes effici duces, non milites, sed crudeles. Quod si Romam ipsam spectemus olim rusticanam, fortior miles erat, sine spectaculo domesticæ lanienæ. Deinde ignauissima plebes erat, quæ quotidianis cædibus intererat. Tot centena millia pauci milites timore continebant, & cum libitum erat concidebant. Cum crebra fuere spectacula gladiatoria, genuina virtus elanguit, & delectus fortissimi ex Gallia, Batauia, Thraciaque haberi cœpti sunt.

Ante cruenta spectacula Roma fortis erat.

Post gladiatorum insanias crebras externi delectus habiti.

§. 3. Verum quod historiam consulenti clarum euadit, id quoque ratione è rerum natura petita, me probaturum confido. Vtar autem vero, & Philosophis probato Sorite. Qui cruentis spectaculis, vt Drusus, aliique, gaudet, ille crudelis est, qui crudelis ille & libidinosus, qui talis etiam timidus est, atque imbellis, qui igitur sanguine humano gaudet, imbellis est.

Deinde crudelitas sæuitia videnda & exercenda, quemadmodum libido voluptatibus, auaritia rapinis, superbia adulationibus, ambitio honoribus, incitatior, atque immanior redditur. Itaque & timor, connexaque mala augentur.

Natura ita comparatũ est vt crudelis sit timidus.

Quæ grata, & voluptaria sunt, eorũ sensu, ac imaginatione mouentur vt cętera animalia, ita homines, quæ tristia, atque atrocia fugiunt. Plurimi vero refert, quam fortiter, quam vivaciter consuetudo, aut sensus quippiam animo impresserint. Si enim attenta eorum, quæ voluptate perfundunt sensus, cogitatione animus fixus hęreat, cupiditates incitantur, atque efferantur, si vri, secari, torqueri hominem viderit, ex voce, motu, vultu, dolorum aculeos animo conceperit, necesse est talium rerum horrore totum corpus concuti. Qui igitur ad ea assueti non sunt, impallescunt, cohorrescunt, surriguntur pili. Naturæ est enim quidam consensus, qui alieni mali, in alio dolorem excitat. Sunt enim qui ad alieni doloris conspectum concidunt, vt etiam Aristot. Probl. Sect. 27. exponit. Hinc consequiter, vt qui tormentorum grauium in aliis acerbitatem oculis, cogitatione, vultu cognouerunt, vehementius ea horreant, quorum magnitudinem accurate perpenderunt. Itaque eos & miserrimos arbitrantur, & mala intoleranda iudicant.

Imaginatione homines ducuntur.

Alienus cruciatus natura terret, vt etiam imaginatio.

cant. Qua ex re necessario euenit, vt illa circa quæ fortitudo versatur, terribiliora appareant eis, qui experientiam in aliis vsurparunt. Quemadmodum enim visis alienæ voluptatis illecebris, affectus ad eas fruendas concitatur, ita quoque cum alieni cruciatus asperitas oculis obiicitur, magno impetu natura sui conseruatrix resilit, & formidat. Vt ergo qui lenonibus, ac lupanaribus seruiunt, voluptatum appetentiores, atque adeo intemperantiores efficiuntur, ita quoque vnusquisque crudo immanitatis spectaculo, dolorum euadit fugientior. Hinc carnifices eorumque familia, turba ingeniosa ad supplicia, dicuntur maxime imbecilles, si exemplo suo, quod interdum merentur, quæstiones subeant. Tota enim mali congeries iam se viuidæ meditationi ingessit, animumq; concussit metu, antequã dolore corpus vrat. Bis itaque tantum malum patiuntur.

Spectata sæpius supplicia timidos faciunt.

§. 4. Accedit ad summam mali, finis, ac scopus, quem propositum habent, gladiatorum spectatores, qui non eo tendit, vt ad excipienda vulnera sint impauidi: sed vt crudeli, inhumana, beluina voluptate fruantur. Voluptatũ vero vsus fortitudinis aciem obtundit: Ethnicorum illa spectacula, ipsi oculorum solatia vocabant; non autem incitamenta fortitudinis, nam illis tæterrimus quisque affidebat, bello inutilis. Cœlius sane Tullii familiaris essedarios in Britannia spectare non ausus est, quem tamen, inquit Cicero, *ne Andabata quidem defraudare poteramus.* Mulieres ipsæ, virgines vestales *consurgunt ad ictus, & delicias*, aiunt, *esse suas*, cum cernunt, *pectora conuerso pollice rumpi.* Quemadmodum igitur ardentius diuitiis incubant, easque per marium, terrarumque & opum apud inferos positarum pericula conquirunt, qui egenorum sordes, famem, calamitatesque intuentur, ita quoque spectatos dolores magis timent, qui eos in aliis libentissime spectant. Non enim exercitationem artis, non robur corporum, sed lanienam concupiscunt. Ita de Meridianis Seneca, Epist. Nunc *omissis nugis, mera homicidia sunt: nihil habent quo tegantur: ad ictum totis corporibus expositi, nunquam frustra manum mittunt. Hoc plerique ordinariis paribus, & postulaticiis præferũt. Quidni præferant, non galea, non scuto repellitur ferrum. Quo munimenta? quo gladii artes? Omnia ista mortis moræ sunt. Mane leonibus, & vrsis homines, meridie spectatoribus suis obiiciuntur. Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in aliam detinent cædem. Exitus pugnantium mors est: ferro & igne res geritur. Hæc fiunt, dum vacat arena. Sed latrocinium fecit aliquis: quid ergo meruit? vt suspendatur. Occidit hominem qui occidit, ille meruit vt hoc pateretur: tu quid meruisti miser, vt hoc spectes? occide, vre, verbera. Quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus, nudis, & obuiis pectoribus excipiunt. Intermissum est spectaculum? interim iugulantur homines, ne nihil agatur.*

Qua voluptatis causa fiunt non durant animum ad dolores.

Experti pauperiem acrius eam fugiunt.

Carnifex & tortor non redditur fortis vsu cruciandi.

§. 5. At qui sæpe vulnera & sanguinem intuetur, ad ea non trepidat. Ita sane, si extra periculum ipse sit. Ne carnifex quidem, inter quotidiana torquendi ministeria expallescit, nisi forte ad eculeum ipse vocetur: nec tamen fortis est, sed, si non miseretur eorum, quos cruciat, sæuus.

Gladiatores quidem ipsi, Constantiæ specimen exhibebant. *Quis*, inquit Cicero, *mediocris gladiator ingemuit? Quis vultum mutauit vnquam? quis non stetit, sed etiam decubuit turpiter? quis cum decubuisset, ferrum recipere iussus, collum contraxit? Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet.*

Nec tamen gladiatores fortes sunt, quia pericula non ratione, sed miserabili necessitate, vel auaritia subeunt: sed illos quidem exercitatio, meditatio, consuetudo, imo necessitas, ad virtutis imitamenta propellit, nisi velint infestis spectatoribus dimicare, nisi velint vri, & secari, si vno vulnere potius quam repetitis plagis defungi malunt. Verum aliena pericula non firmant spectatores, alioqui quomodo per annos quadringentos nonaginta tam fortes fuere? nam anno CCCCXC. primum Marcus, & Decimus Brutus tria paria dederunt in parentis funere, & rara deinde res, donec corruptis moribus in immensum creuit, nam diu intra modum hoc scelus stetit. Anno vrbis quingentesimo, octogesimo *munera parua aliquot alia data*, ait Liuius quadragesimo primo. *Vnum ante cætera insigne fuit, vt per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.* Iuncta hæc spectacula cum luxu, & timiditate fuisse, docet ipsa luxuriæ, & mollitiei patria. Celebris in historia est Campana luxuria, & nota crudelitas. Silius libr. 11. vide Lipsi. libr. 1. cap. 6. Saturn. Nam in omni lætiore conuiuio solenne fuit, in triclinio paria aliquot gladiatorum exhibere ad pugnam: ortus vt videtur mos à Campanis, de quibus Silius lib. 11. Punicor.

Anno vrbis CCCCXC. tria paria data & modice deinceps.

Perdita Campanorum luxuries gladiatoribus læta fuit.

Quin etiam exhilarare viris conuiuia cæde
Mos olim, & miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, sæpe & super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

Et Strabo de iisdem lib. 5. Ὅτι τοιοῦτον σὲ ἐνεχρύφησαν ὡς, ὅτι δεῖπνον ἐκάλουν πρὸς ξύλῃ μονομάχων, ὀρίζοντες ἀριθμὸν καὶ τὴν ἀξίαν, id est: Eo luxus prouecti sunt, vti conuiuas vocarent, ad paria gladiatorum, quorum numerum augebant, minuebantue pro dignitate cuiusque conuiuii.

Mollium igitur, & seruilium ingeniorum, est tam fera voluptas. Et eorum quos alienis imperiis delicia subiecerunt: ita reuera est; crudelitas timidos facit: & vt dixi timidi sunt crudeles.

Frequens autem crudelitatis vsurpatio, timidiores ad pericula facit. Qui enim voluptatem persequuntur, à seriis abhorrent, multo magis à periculosis. Vnde & prouerbio dicere consueuerunt: *Cras seria*: quæ vox aliquot vrbibus exitio fuit. Timoris etiam esse crudelitatem, naturæ animalium ostendunt, nam in omni genere fœmellæ, maribus crudeliores sunt, & timidiores. Recte Aristoteles, seu alius est auctor in physiognomia, cap. 5. Δοκεῖ δὲ μοι καὶ κατεργότερα γίνεσθαι τὰ θήλεα τῶν ἀρρένων. καὶ πορπάξετερά τε καὶ ἀνελεύθερα, καὶ ἀναλκέστερα. αἱ μὲν οὖν γυναῖκες, καὶ τὰ περὶ ἡμᾶς τεκμήρια καὶ πάνυ που φανερὰ ὄντα, τὰ δὲ περὶ τὰλλα πάντες ὁμολογοῦσιν, οἱ νομοῖς τε καὶ θηρεύσαι ὅλα τοιαῦτά ἐστιν οἷα περιέρηται· ἀλλὰ μὲν καὶ τόδε δῆλον. ὅτι ἕκαστον ἔν ἑκάστῳ γένει θῆλυ ἄρρενος μικροκεφαλώτερόν ἐστι καὶ λεπτότερα χηλότερον, καὶ τὰ σήθη ἀσθενέστερα ἔχει, καὶ ἐστὶ τὰ τε ἰσχία καὶ τὰς μηροὺς πειζαργότερα τῶν ἀρρένων. γυνικρὸν δὲ καὶ τὰς κνήμας λεπτὰς ἔχοντα, τὰν τεπόδας κομψοτέροις τοῖς τε ζώμασι μορφὴν ἡδίω μᾶλις· ἀν ἡ γυναικέραν ἀνενρότερα δὲ μαλακώτερα ὑστερέραις ζαρξικεχειμένα. τὰ δὲ ἄρρενα τούτοις ἅπασιν, ἐναντία τὴν φύσιν, ἀνδρειότερον καὶ θηλυτέραν εἶναι γένεσιν δὲ θήλεα· θαλοτέραν καὶ ἀδικωτέραν τούτων ὅτως ἐχόντων φαίνεται τῶν ζώων ἀπάντων λέων τελεώτατα μελαινφέναι τὴν ἄρρενα ἰδέας.

Voluptas à periculo deterret.

Videntur autem mihi magis malefica fieri fœminea masculis, & proteruiora, & minus liberalia, & infirmiora. Fœminæ igitur, & quæ circa nos nutriuntur, admodum manifesta sunt; quæ vero sunt in sylua, omnes pastores fatentur, & veneratores esse talia qualia sunt dicta.

Animaliũ fœmellæ maribus imbecilliores.

At vero & hoc manifestum est, quod singularium in vnoquoque genere, fœmina mare minoris capitis, & angustioris faciei, & subtilioris colli sit: & pectora imbecilliora habeant, & minorum laterum sunt, semora autem magis carnosa ma-

ribus, genua mollia, & crura subtilia habent. Pedes vero pulchriores & formam totius corporis molliorem, quam fortiorē. Minus neruosa autem sunt, & molliora, prædita humidioribus carnibus. Masculino autem his omnibus contraria habentia natura sunt fortiore, & iustiore genere, fœmina autem est timidior & iniustior natura. His ita se habentibus videtur leo omnium perfectissimum in assumendo maris formam.

Nec fortis ergo illa spectacula; nec sapientis, sed malefici, ipsa animalia timore crudelia sunt. Ceruus cum vicit, crudeliter pedibus conculcat aduersarium. Metus refrigerat, idem facit, vt torpore excitetur & ad voluptatum delinimenta inclinet. Quibus dilutus est sanguis, timidi sunt, metus enim refrigerat, iidem crudeles sunt. Pœnorum olim fuit, atque est etiamnum Æthiopum, & eorum qui zonam torridam incolunt, magna crudelitas. At illi frigidiores natura sunt vt docet Aristot. Sect. 14. Probl. 8. *διὰ τί οἱ μὲν ἐν τοῖς ὑπνώδεσι τόποις θερμότεως, γηράσκουσιν. οἱ δὲ ἐν τοῖς κοίλοις καὶ ἑλώδεσι ταχέως. ἢ τὸ γῆρας ζητεῖται ὑπὸ τίνος ἐστὶ (ἡπατ) δὲ τὸ ἡρεμοῦν τὸ δὲ ἐν κινήσει ὄν, ἢ ὅλως ἀσυμπεπτες, ἢ ἥπιον ὃ τὸ πάχος οἷον τὸ ὕδωρ. ἐν μὲν οὖν τοῖς ὑψηλοῖς, διὰ τὴν εὐπνοιαν, ὁ ἀὴρ ἐν κινήσει ἐστιν. ἐν δὲ τοῖς κοίλοις μένει. ὅτι δὲ σκιᾷ, μᾶλλον διὰ τὴν κίνησιν ἀεὶ καθαρὸς ὁ ἀὴρ καὶ ἕτερος γίνεται ἐν δὲ τοῖς ἑλώδεσι, μένει. Cur qui loca edita, apertaque colunt, tardius senescunt: qui autem caua & palustria ocyus? An senectus quædam putredo est: putret autem quod quiescit: nullo modo, aut minus ita afficitur, quod mouetur, vt aqua profluens & conclusa: igitur vt locis editis aer vndique afflante spiritu agitatur, ita cauis manet immotus. Ad hæc locis apertis purus ac diuersus assidue propter agitationem aer habetur, palustribus impurus, idemque semper emarcescit.*

Timidi signa. & crudelis eadem sunt.

Timidi signa sunt in Physiog. cap. 3. Pili molles, corporis inclinatio, statura non erecta, venter sursum attractus color sufflauus, oculi imbecilles, & nictātes, fracti, macri & mobiles, extrema corporis imbecilla crura parua, longeman⁹ & subtiles, lūbi parui, & imbecilles. Corpus σωστόνον in motibus, item timidus non vehemens est, verum supinus, facile terrore obstupescit, vultu, & capite facile mouetur, solicitus est, deorsum intuetur: rugosa facies, facies ipsa parua. Hæc in crudelibus pleraque inuenies. Illis inquam qui natura tales sunt; quidam n. natura quidem mansueti, consuetudine tamen, & more ad crudelitatem degenerarunt. Cum igitur spectacula illa corporis affectus non immutent, sed deteriores faciant, nec animo etiam vires conferant, nullo modo fortes efficiunt. ideoque nonnulli ad excusationem lanienæ, & sanguinis in pace effusi, per teterrimam voluptatem non fortitudinis rudimenta, sed placandę Nemesi quędam sacrificia esse dixerunt, vt per domesticas cædes placata, hostium occisioni faueret.

Laniena nec corporis affectus inuitat, nec animi.

Ciuilem sanguinem Nemesi immolari fingunt.

§. 6. Quod si bello gladiatoria munera vtilia iudicarunt, cur non ipsos in pericula miserunt, cur infames esse voluerunt? Eos enim fortissimos gentium esse oportuit, verum id raro, nec nisi extrema necessitate factum est. At neque in castris ante prœlium commissiones composuerunt, & spectando vulnere se ad mortem animarunt. Stolidum enim existimarunt, suam cuique iam expectandam sortem, in alieno corpore ostentare. Fortitudo enim in meditatione, atque amore eximię dignitatis, ac honestatis, propter quam pericula, doloresque contemnit, non in oblectamentis ex alieno cruciatu versatur. Causas quæ ad fortiter agendum, patiendumque mentem erigant, firmentque recta ratione perpendit, non dicit animi sui cibum esse, vilem auctorati nebulonis sanguinem. Tiberius crudeles ludos exhibuit, imitatus Augustum. *Iacuit* (inquit Tacitus) *immensa strages, omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, dispersi aut congregati.* Quem congeries ista delectat, nunquam fortis

Raro gladiatores in bella miserūt.

In castris non fuere gladiatores.

Species arenæ misera.

erit. Tam suæ voluptatis ille tenax est, vt eam per tam feralia procuret. Ille pro patria scilicet pugnabit, cuius in voluptates, si omnes ciues occidas tū demum munus dabis, & munus omnium munerum gratissimum. Timidus est mori, qui non pro salute sua, non pro patriæ defensione, sed pro deliciis suis aliorum mortibus poscitur. Fortis pro amico, etiam pro ignoto vitam deserit, morte alterius vicaria vitam mercari turpe iudicat. Hic magnum vitæ fructum arbitratur, hominum mortes intueri.

Pro aliis morietur qui suis voluptatibus aliorum mortes seruire dignū censet.

Quantum à prisca Christianorum integritate, recentiorum illa studia recesserunt? Magna Episcoporum cura, seueritateque Christiani ab illa sæuitia arcebantur. Quid Gentiles inde coniectabant? Hoc scilicet: spectaculorum voluptates à Christianis vitari, vt facilius desererent vitam, abdicatis vitæ illecebris, ita Tertull. lib. de Spect. cap. 1. *Sunt qui existiment Christianum expeditum mortigenus, ad hanc obstinationem, abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contemnant amputatis quasi retinaculis eius, ne desiderent, quam iam superuacuam sibi fecerint: vt hoc consilio potius, & humano prospectu non diuino præscripto definitum existimetur. Pigebat scilicet etiam perseuerantes in tantis voluptatibus, propter Deum mori. Quanquam & si ita esset, tam apto consilio, tantæ obstinatio disciplinæ debebat obsequium.* Romani igitur tantum aberat, vt se spectaculis illis ad mortem, mortisque pericula animose subeunda confirmari putarent, vt potius ea causa à Christianis vitari dicerent, ne vitæ voluptates nimirum sectādo, ipsam vitam, cum virtus poscret, relinquere recusarent. Pergit Tertull. cap. 2. *Plures denique inuenias, quos magis periculum voluptatis, quam vitæ auocet ab hac secta. Nam mortem etiam stultus vt debitam non extimescit, voluptatem etiam sapiens vt tantam non contemnit, cum alia non sit & stulto & sapienti vitæ gratia nisi voluptas.*

Christianis vetita spectacula.

Gentes indicabant Christianos ideo fugere spectacula vt fortes manerent.

Non igitur gentes fortitudinem, sed voluptatem ex amphitheatro petebant. Inter quæ refert Tertullianus Circum, Leonem, vires corporis, & vocis suauitates. Leonem nominat, cū cruentissima spectacula vniuersa taxat, in his enim summa insania. Scæuola plures leones dedit. Sulla prætor centum iubatos, Pompeius Magnus Syllæ discipulus sexcentos, in illis erant trecenti quindecim iubati, decuit enim à discipulo magistrum, qui literas nescivit superari. Sed Pompeium etiam hoc flagitio Iulius superauit, qui octingentos produxit. Alioqui & pantheras dederunt, iussu populi abrogato per nequitiam senatusconsulto vetere. Scaurus in ædilitate varias centum quinquaginta. Pompeius Magnus quadringentas decem. Augustus quadringentas vigenti donauit. Hæc erant propter quæ gentes mori formidarent. Cœterum concuti spectaculis animum docet cap. 15. de spectaculis Tertullian. *Nemo ad voluptatem venit sine affectu, nemo affectum sine casibus suis patitur. Ipsi casus incitamenta sunt affectus. Ceterum si cessat adfectus; nulla est voluptas & est reus iam ille vanitatis eo conueniens, vbi nihil consequitur. Puto autem etiam vanitas extranea est nobis. Quid? quod & ipse se iudicat, inter eos positus, quorum se similem nolens, vtique detestato rem confitetur, nobis satis non est, si ipsi tale nihil faciamus: nisi & talia facientibus non conferamus. Si furem inquit videbas, concurrebas cum eo. Vtinam ne in seculo quidem simul cum illis moraremur: sed tamen in secularibus separamur, quia seculum Dei est, secularia autem diaboli.*

Beluarum greges occisi.

Sectatores variis lustrantur cū affectibus, fortitudo tranquilla est.

Si viri fortes illi sunt, cur viles animę habētur, & infames? Tertu. c. 22. de Spect. *Etenim ipsi auctores & administratores spectaculorū quadrigarios, scenicos, xystices, harenarios illos amantissimos: quibus viles animas fœminæ, aut illi ēt corpora sua substernunt, propter quos in ea cōmittunt, quæ reprehendunt, ex eadem parte quam magnificiunt, deponunt & deminuunt, imo manifeste damnant ignominia, & capitis minutione, arcentes curia, rostris, senatu, equite, ceteris que honoribus*

Gladiatorū vile genus & infame.

ribus omnibus simul ac ornamentis. Quibus quanta peruersitas. Amant quos multant, depreciant quos probant. Artem magnificant, artificem notant. Quale iudicium est, vt ob ea quis obfuscetur, per quæ promeretur? Imo quanta confessio est malæ rei, quarum auctores, quum acceptissimi sint, sine nota non sunt.

Finio, & hoc vnum moneo. Si ad constantiam sanguinem desideras, *Habes Christi.* Tert. de spectaculis cap. 29.

Caput XIX.

Rempublicam quamuis potentem, & diuitem, oportere modestiæ esse tenacissimam.

Humilitate respublica seruatur

§. 1. AD inuictum ciuitatis robur, ad regni vires nihil tam inexpugnabile est, quam modestia, & quam Christiani humilitatem vocant. In alto positos esse humiles æquum censes? Eos, quibus tota vita, ambitione laboriosissima, & sollicitissima atteritur, ad sui despicientiam vocas? Ita omnino faciendum docet Christus, docet & salus Reipublicæ, quæ sine Christo nulla est, sed de ea nunc politice disceptabo.

Humilitas magnanima, gloriosa, maiestatis retinens.

Ne tamen humilitatis sermonem horreas, ô princeps; addam illi Maiestatem, Magnanimitatem, famæ, gloriæque curam, de his enim ordine disputabo.

Modestia res vero pretio æstimat.

§. 2. Humilitas est ex plena cognitione sui, vera de bonis, malisque propriis existimatio, excellentiæ contemptus. Magna virtus, & plane animi heroici, qua illa, quæ magna videntur, parua autem sunt, suis preciis æstimantur. Illius exitium, ac pestis est superbia, dignitatis, atque excellentiæ contra rectam rationem appetitio. Nihil illo vitio immanius, nihil Deo odiosius, nihil Reipublicæ perniciosius. Omnes igitur, princeps, optimates, ciues, agricolæ ad modestiam, submissionemque instituantur. Omnes inquam; nam & pauperum potest esse superbia, & principum humilitas. Crimen non in rebus, sed in vsu est.

Superbia nec pauperē fugit.

In principum magnificentia, sæpe est animus contemptor opum, & honorum, in vilissimorum voluntate, arrogantissima vanitas. Exemplo sit superbissimi regis, sanctissima coniux, Esther 14. 16. *Tu scis necessitatem meam; quod abominor signum superbiæ, quod est super caput meum, in die ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei, & quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum: & nunquã lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.*

Modestia regum ipsis virtutibus altior est.

Arrogantiæ sæuientis specimen, nobis Amanus exhibuit, qui se, & Rempublicam grauiter concussit.

Regnis superbis Deus inimicus est

Fundamentum igitur alterum Reipublicæ, est humilitas, eam quasi terrę motus, in altum tendente aura fastus euertit. *Magna miseria, superbus homo,* inquit Augustinus, magna vero, & multiplex miseria, superba respublica.

§. 3 Primo quidem Deo grata est humilitas, quia sibi diffidit, & Deo nititur. Deum habet protectorem, superbia destructorem. Psalm. 17. 28. *Quoniam tu populum humilem saluum facies; Et oculos superborum humiliabis.* Merito igitur superba Respublica Deum sentit inimicum, quem non agnoscit suæ felicitatis auctorem. Ille, *Humilia respicit in cœlo, & in terra.* A deo sane, vt Augustinus testatur libr. 3. cap. 23. de doctrina Christiana. *Nulla fere pagina est sanctorum librorum, in qua non sonet, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Tota scriptura doctrina est humilitatis.

Totius mundi ruinam superbia fecit. *Initium enim peccati fuit.* Pharaonem superbia in Erythræi maris profundum, quasi lapidem detraxit. *Quis est Dominus vt audiam vocem eius? & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Senacherib 4. Reg. 18. 19. ingenti superbia terret Ezechiam, sed occiso milite, ipse à filiis in conspectu idoli sui mactatur. Cum igitur *non in multitudine sit virtus Dei, neque in equorum viribus voluntas eius, nec superbi ab initio placuerint ei: sed humilium, & mansuetorum semper illi placuerit deprecatio.* Iudith. 9. 16. Non potest consistere ciuitas, quæ contra maiestatem sese extollit. Nam *oculos sublimes detestatur Dominus.* Prouerb. 6. 17. *Experti sunt omnes magnates, quos potestas inflauit,* quod Salomon Prouerb. 15. 25. minatur. *Domum superborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ.*

Deus superbos deiicit, humiles exaltat.

§. 4. Omnium periculo peccant pauci, imo mulierum petulantia ad exitium satis est, teste Isaia 3. 15. Nullæ diuitiæ, nulla fiducia superbos eximit. Quam fortes in calamitate erant Israelitæ? Isa. 9. 9. *Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbia, & magnitudine cordis dicentes, Lateres ceciderunt: sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Et eleuabit Dominus hostes Rasin, super eum, & inimicos eius in tumulum vertet, Syriam ab Oriente & Philistiim ab Occidente: & deuorabunt Israel toto ore.*

Falsa fiducia graui exitio affligitur.

Quam magnifice gloriatur apud eũdem Prophetam, Assur cap. 10. 13. *In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes.* Quid tanto Monarchæ Propheta vaticinatur, ex arcano Dei consilio? vers. 16. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem: & subtus gloriam eius succensa ardebit, quasi combustio ignis.*

Babylonis superbia.

Maior vix cogitari potest superbia, quam fuerit Babylonis, de qua Isaias cap. 13. & 14. Detractata est tamen ad inferos. Et *fuit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.* Dicitur illi à Domino Isa. c. 47. 8. *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, Ego sum, & non est præter me amplius: non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die vna, sterilitas, & viduitas, vniuersa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem.*

Moab arrogans.

Eadem, sed minori cum potentia superbia Moab: Ierem. 48. 29. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: sublimitatem eius & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis eius. Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius & quod nõ sit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata sit facere. Ideo super Moab eiulabo, & ad Moab vniuersam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes.*

Superbiæ veteres certum numẽ Nemesin opposuerunt.

Inuisum est itaque hoc vitium Deo, semperq; Rerumpublicarum interitum antecedit. Habet enim expressum numinis contemptum. Hoc ex diuino iudicio, & oraculis argumentum pio principi abunde est. Scriptores quoque rerum nostrarum ignari, grauissimam esse superbiæ pœnam docuerunt. Orpheus, Plato, Libanius castigando illi vitio Νεμέσεως nomen proprium finxerunt. cætera vitia mitius puniri, superbiam opprimi putamus. Adrastiam, & Rhamnusiam virginem dixere. Verum nos ad rationes politicas animum conuertamus.

Odiosa res superbia.

§. 5 Secundum superbiæ malum est, quod odio sui Rempublicam euertit. Cætera vitia, imprudẽtia, timiditas, ebriositas, socios, & cõfortia admittunt. Superbũ nec modestus, nec superbus ferre potest. Eminere omnes cupiunt, omnes imperare, nemo subiici. Cũ eodem omnes ferantur, necesse est omnes colli-di. *Inter superbos semper sunt iurgia.* Prou. 13. 10. Principes, ac præsertim optimates odiosos facit superbia.

Tarquinium libidine præcipitem, auaritia cœcum, furore vecordem, vocarunt superbum, & putauere sufficere conuitium. Nec principem modo, sed virtutes etiam principis, exosas reddit.

Virtutes contaminat superbia.

Inquinat egregios adiuncta superbia mores.
Quin ipsa superbia longe
Discessit, vitium rebus solenne secundis,
Virtutumque ingrata comes.

Viri magni & bene de rep. meriti superbia ceciderc.

Non alia causa magis viros magnos afflixit, quàm ex reb⁹ bene gestis supbia, quia inuidiam parit, odiumq; multorum autem odiis, nullæ opes resistere possunt. Ipsa enim beneficia, cum superbe dantur, ingrata sunt, cum exprobrantur, in maleficia vertuntur. At si Camillus, si Marius, si Scipiones arroganter agant, salutem quam patriæ attulerunt, ingratam faciunt. Seneca de benef. lib. 2. cap. 11. *Si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, sed ames. Præcipue, vt dixi, parcamus auribus, admonitio tædium facit, exprobratio odium. Nihil æque in beneficio dando vitandum est, quam superbia. Quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. Detrahenda est inanis iactatio res loquentur, nobis tacentibus. Non tantum ingratum, sed inuisum est beneficium superbe datum.* Cæsar dedit vitam Pompeio Penno, si dat, qui non aufert: deinde absoluto, & agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem. *Qui excusant, & negant id insolentiæ causa factum: aiunt socculum auratum, imo aureũ margaritis distinctum, ostendere voluisse. Ita prorsus: quid hic contumelioſum est, si vir consularis aurum, & margaritas osculatus est, & alioquin nullam partem in corpore eius electurus, quam purus oscularetur? Homo natus in hoc, vt mores liberæ ciuitatis, Perfica seruitute mutaret, parum iudicauit, si senator senex, summis vsus honoribus, in conspectu principum supplex sibi, eo more iacuisset, quo victi hostes victoribus iacuere: inuenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est rempub. calcare? & quidem, dicet aliquis (nam potest ad rem pertinere) sinistro pede. Parum enim fœde furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset imperator pedes suos.*

Beneficia ingrata facit.

Cæsaris insolentia.

Superbia Cæsari plus quam tyrannis nocuit.

Quid igitur Cæsari viginti tria vulnera inflixit? Non modo læsa maiestas, non tot ciuium cædes, non expilatum ærarium, raptique fasces, sed quod senatui non assurrexit: quod pedes osculo senatoris obtrusit. Ita & illi, per quos vicit, & quibus vitam dederat, insurrexerunt. At contra vide animos in Alexandrum Romanum imperatorem: ita narrat Herodianus: *Quæ vbi aduenit, sacris discessus causa de more peractis, deducente senatu, populoque vniuerso, Roma proficiscitur, reſpectas identidem, ac lacrymans. Sed neque popularium quisquam fuit, qui siccis oculis aspexerit abeuntem: quippe omnem multitudinem sui cupidam habebat, educatus ab ipsis, imperioque tam multos annos modestissime administrato.*

Modestiam lacrymis prosequuntur.

Præcipua igitur causa est odium. Nam de pœna superbi hominis, omnes gaudio exultant. Et Deus ipse quodammodo insultat.

De casu superbi omnes gaudent.

Est enim omnibus hominibus insitum τὸ νεμεσητικὸν, indignatio, quam Aristoteles ἐπαίνετον esse ait, 2. mor. mediamque inter inuidiam, ὀπχαιρεκακίαν. Nam molestè fert, indigno collatam prosperitatem; Indignus autem felicitate videtur, quicunq; illa insolescit. Quicunque de excelso loco se iactat, dignus censetur, qui decidat.

§. 6. Tertium malum arrogantiæ, est vitii subtilitas. Nam miro modo, dum vitatur, appetitur. Itaque omnibus virtutibus sese inserit, & fundamentum subtrahere conatur, vt tota strues decidat. Sic & omnium vitiorum remedium est humilitas. Hac autem ratione Respublica specie boni, & honesti euertitur; cum enim magna quædam, & in speciem vtilia superbi gerunt, quia eos ambitio, cupiditasque gloriæ, non ratio trahit, hæc deinde in amicos vertunt. Magna non sunt illa Reipublicæ corpora, sed tumida: casura sua mole, & rumpenda. Caput vitiorum est, omnia premit, omnibus imperat. Et quod agitur virtus vocatur, donec pus totum erumpat.

Insidiose se insinuat superbia.

Raro virtus, sæpe ambitio trahit.

§. 7. Sapientia Respublica continetur, & regitur; nihil sapientiæ coniunctius, quam humilitas, nihil magis aduersum, quam ambitio, quæ inter omnes affectus hoc habet, vt stultissimos faciat, est enim quædam arrogantium ebrietas, quæ nec sobrios deserit. Nam spiritus Dei, spiritus sapientiæ, in animam humilem, in oculis suis speciosam, in oculis Dei descendit: Elatam despicit. Vbi fuerit superbia, *ibi erit, & contumelia, vbi autem est humilitas, ibi erit & sapientia.* Prouerb. 11. 2. Auertit igitur à sapientia reges, superbia. Et vel maxime in eo peccant, quod sapientes sese existimant. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Stulta res superbia.

Nec principes modo, sed philosophi principum præceptores superbia excæcati sunt. Nam de illis etiam hoc iactatum est: τῷ φιλοσόφων ὑδὲν ἀφιλοσοφώτερον, *nihil esse alienius à philosophia ipsis philosophis.* Lenius dixit Anaxippus: *verbis quidem sapere philosophos, re ipsa esse ἀνοήτους.* Itaque philosophos multi pepulere. Lysimachus, & Antiochus toto regno. Romani Alcium, & Philiscum porcos Epicuræos, & omnes aliquando sophistas, quod & Messenii, aliique fecere, quodque præcipue admireris ex ipsa Attica Sophocles proprio ῥητίσματι eosdem submouit.

Sapientia philosophorum professio stulta.

Causam stultitiæ exponit sanctus Chrysostomus in cap. 1. vers. 22. Rom. Quia μέγα ἑαυτῶν φανταζόμενοι, καὶ οὐκ ἀναχόμενοι ἔνδοθεν ἐλθεῖν, ἵνα ὁ θεὸς ἐπέλθῃ αὐτοῖς, ἐβαπτίσθησαν τοῖς τῆς ἀνοίας λογισμοῖς.

Magnum aliquid de se ipsis imaginati, nec sustinentes ea via ingredi, qua Deus illos ingredi iussit, amentiæ cogitationibus immersi sunt.

Præcipue vero insaniens illa sapientia taxatur, qua ducti orbem superstitionibus infecerunt, quæ enim non credebant numina, illorum metu miseras gentes fascinarunt, idque velut ad continendos in officio populos sapienter se facere iactitarunt. ita vnus de sapientibus eorum, Cicero libr. 1. de natura Deorum. *Quis tam cæcus in contemplandis rebus vnquam fuit, vt non videret, species istas hominum collatas in Deos, aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad Deorum cultum, à vitæ prauitate conuerterent, aut superstitione vt essent simulachra, quæ venerantes, Deos ipsos adire se crederent?* sed hac in sapientia, manifestissime se illorum stultitia prodidit. Nam illa via, omnium scelerũ impunitatem docuerunt. Cum facile cuilibet esset, ligneos, luteosque Deos contemnere, deinde Deos suo arbitrio factos suis vitiis imbutos esse finxerunt, vt licentius numinum auctoritate ac hortatu peccarent, ac flagitiorum suorum dedecora illis consecrantes, ipsa impuritate Sanctos se fieri arbitrarentur.

Superbia origo superstitionum.

Hanc philosophorum insipientiam, principes, & Magistratus insanissima, ambitiosissimaque temeritate, atque stultitia, albis equis præcurrerunt. Cum enim ius faciendorum Deorum, Reipublicæ datum viderent, ipsi sese inprimis hoc beneficio affecerunt. *Dubitem esse Deos,* inquit Caius, *cum faciam Deos?* Hac superbia se, & Rempublicam perdiderunt. Hinc & illud consecutum, vt consilia nulla admitterent, vera nemo proferre auderet. At sine consilio nulla ciuitas regi potest.

Principes gentium, suis philosophis multo stultiores.

Consilia superbo dare intutum.

§. 8. Humilitas magnanima est, superbia pusillæ mentis, & si recte iudicare volumus, puerilis. Magnum est, esse in animo suo paruum. Non opus in eam rem argumentis; pueri laudati, lætitia gestiunt, nec

Superbia pusillis & puerilis animi est.

nec affectum illum celant, ipsi etiam sponte de rebus suis gloriantur, atque ea re, ætatis innocuæ nos simplicitas delectat, quod si eadem faciant adulti, vel senes, non quidem pueros, sed pueriles eos tamen iudicamus. *Thrasones ridiculi sunt.* Nunquam maior in scena risus excitatur, quam cum Pyrgopolinices aliquis, prælia sua ampullatur; quia res omnino ridicula videtur, in tam vasto corpore, & ornatu armorum tam puerilis animus. *Menecratis superbia.* Menecratem facetissime riserunt veteres, qui ab eis quos sanarat, quorum ingens erat numerus, nullam aliam mercedem postulabat, q̃ vt Iouem se appellarent. Puerile factum: Omnes enim, pro beneficio in se collato, ridere miserum cogebantur. Quam insanum studium, & puerile Psaphonis Afri, qui emptas magno precio vocales aues instituit, vt dicerent, *Psaphonis arrogantia* *Psaphes est Deus.* Non videbat miserrimus ille rem non posse latere, deinde eas, vel auia syluarum auolaturas, & magistri sui præconium, montibus & syluis inani studio iactaturas, aut noua libertate, veterem cantilenam excussuras. Victus in ludicro certamine, puer eiulat: victor exultat. Quia pusillum animum res parua vel deprimit, vel in altum tollit. Non alia est in arrogantibus, hoc est grandibus, ideoque ridiculis puerilis prudentia, aut magnanimitas, omnes in paruis occupantur. Si adolescentem capillos crispantem, aut periscelidas disponentem, vel alia καλλωπίζοντα subito deprehendas, erubescit; quia præter decorum esse intelligit, & μικρόψυχον τῷ ὄντι καὶ περὶ μικρῶν ἐπιμέλειαν, pusilli & degeneris animi signum, eam quæ rebus paruis impenditur, curam.

Cura formæ cur ruborem incutiat.

§. 9. Maxima igitur laus est, non agere laudis gratia. Puerilis error eorum, qui amorem laudis, virtutem putant. *Nam & sanius* (Augustin. libr. 5. cap. 13. de ciuitat. Dei) *videt qui & amorem laudis vitium esse cognoscit, quod nec Poetam fugit Horatium, qui ait.*

Laudis amor tumes, sunt certa piacula quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.

Laudis amor stultis visa est virtus. Idemque in carmine Lyrico, ad reprimendam dominandi libidinem, ita cecinit.

Latius regnes, auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam, remotis
Gadibus iungas, & vterq; Pœnus
Seruiat vni.

Verum tamẽ qui libidines turpiores fide pietatis, impetrato Spiritu sancto, & amore intelligibilis pulchritudinis non refrænant, melius saltem cupiditate humanæ laudis, & gloriæ, nõ quidem iam sancti, sed minus turpes sunt. Etiam Tullius hinc *Gloriæ cupido turpiores libidines excludit.* *dissimulare non potuit in iisdem libris quos de republica scripsit vbi loquitur de instituendo principe ciuitatis, quem dicit alendum gloria, & consequenter commemorat maiores suos multa mira atque præclara gloriæ cupiditate fecisse.*

§. 10. Quantum vero periculi adeatur, dum affectus potentissimus alitur, quem fugit? Hinc efficitur, vt famam virtutis omnes, ipsam virtutem pauci & nullus aliquando quærat. *Gloria cupiditas semper mala, aliquando vtilis videtur.* Quamuis aliquando bonum euentum habeat gloriæ cupiditas, quamuis ingentia premat vitia, quamuis Reipublicæ lucro sit, est tamen periculosa, nec desinit malum esse. Alioqui & ebrietas & libido, & auaritia, atq; ipsa inuidia laudanda foret. Nam ebrii inopia iudicii, in ea se pericula coniiciunt, vnde sobrii exire non possunt. Amatores, inuidi, auari, vitiorum suorum furoribus agitati, magnas sæpe operas Reipublicæ præstiterunt. Multis lucro est infimæ plebis stultitia, non ideo tamen illa vitia toleranda sunt. *Superbia sæpius alia vitia excitat, quam premit.* Quanquam enim aliquando alios affectus domet superbia, sæpius tamen excitat. Calamitosa fuit superbia Sesostris regis Ægypti, qui

Pharios currus Regum ceruicibus egit.

Quis Xerxem ad tam crudele bellum impulit? Quis ante eum, Cyrum? post Cyrum vero Alexandrum? Quid alios nisi gloriæ cupido? vt à paucis laudarentur, nationes integras internecione deleuerunt. *Superbia per scelera quærit, quod concupiscit.* *Interest*, vt monet Sanct. Augustinus libr. 5. cap. 19. de ciuitate Dei, *sane inter cupiditatem humanæ gloriæ, & cupiditatem dominationis. Nam licet procliue sit, vt qui humana gloria nimium delectatur, etiam dominari libenter affectet, tamen qui veram licet humanarum rerum laudem concupiscunt, dant operam bene iudicantibus non displicere. Sunt enim multa in moribus bona: de quibus multi bene iudicant: quamuis ea multi non habeant, & per ea bona morum, nituntur ad gloriam, & imperium, & dominationem: de quibus ait Sallustius: sed ille vera via nititur. Quisquis autem sine cupiditate gloriæ, qua veretur homo bene iudicantibus displicere, dominari atque imperare desiderat, etiam per apertissima scelera quærit plerunque obtinere, quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut vera via nititur, aut certe dolis, atque fallaciis contendit, volens bonus videri, quod non est. Et ideo virtutes habenti, magna virtus est contemnere gloriam, quia contemptus eius in conspectu Dei est: iudicio autem non aperitur humano.*

Superbus in ciuem æque, & hostem acerbus. §. 11. Iungitur igitur periculum illi, quod in vitio bonum arbitrantur, qui enim laudis amore hostem cecidit, vulnera aduersa pertulit, is etiam ne cedere cogatur ciuibus, carnificinam non exhorrebit ciuiũ, imo pro suo triumpho in pericula omnes coget. Docet omnis historia, gloriæ cupiditate, & dominandi libidine, pleraque bella cœpisse. Et concertationes ciuicas ex ambitione ortas.

Qui laude inflatur dedecore deiicitur. §. 12. Iram esse exitialem ciuitati demonstrauit, & simul ostendi eam ex superbia fere nasci. Quos laudes inflant, tumidosque faciunt, eosdem vituperatio deiicit, si vlcisci se nequeunt, in rabiem agit, si vindicandæ contumeliæ potestas concessa est. Misera sors hominum, qui laudantium adulatione extollitur, vituperantium temeritate contrahitur animo, & labascit. Clidemus Athenien sis victor ludicri certaminis dum à sociis coronatur, gloriæ dulcedine mersus emoritur. Probrum ego puto Histrionem fuisse, & in Histrionica victorem; at ille tanti putauit esse victoriam, vt per dulcedinem animam expulerit. Chilon Spartanus, dum victorem Olympiæ filium amplectitur, per gaudium animam exspirauit. Tert. de anima ca. 52. Tanta vis lætitiæ in Sophocle, & Dionysio tyranno fuit, vt accepto victoriæ tragicæ signo, viuere desinerent. Plin. lib. 7. cap. 53. Tantum laudis amorem in principe, in senatu pone. Quę non flagitia eius adipiscendi causa committentur? Adde monitiones, reprehensiones, repulsas, cõtumelias, nonne has morte grauiores molestias iudicabunt, quibus inepta gloriola, vita potior fuit? Hinc illę clades ciuitatum, cum laudis auidos, alienæ malignitatis vocula, de statu virtutis deiicit, & ad Rempublicam delendam impellit. Aurea sententia Augustini est: *Sicut prodest humilitas seruientibus, ita nocet superbia dominantibus.* lib. 5. de ciuitat. Dei cap. 15.

Superbi æstimant magni illa, quæ sunt ridicula.

Humilitas in potentibus miraculum est. §. 13. Virtus humilitatis in omnibus grata est, pulchraque; in regibus, & potentibus diuina. In alto positum, non altum sapere difficile est, non ex alto inferiores despicere, miraculum. Paucis ea contigit felicitas, ne à felicitatis specie, & opinione perderentur. Raro inter tot obsequia, & blandimenta satis cauta est mortalitas, ipsa in adulationem sui prona. Nullam habet causam, sed multas occasiones superbiæ princeps. Caius initio modeste multa gessit, ita vt P. C. iuberent ea singulis annis legi. Nulla tam firma institutio, quam non conuellat imperii cupiditas. *Alexandri*, (Valent. lib. 8. cap. 15.) *pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho, comiti suo ex Auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referente, Heu me, inquit, miserum, quod ne vno quidem adhuc potitus sum! angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ Deorum omnium domicilio sufficit.*

Non ignorarunt hu-

Verum propria est laus illa Christianorum principum; nam quę gentilium exempla adferuntur con-

Humilitatis præstantiã gentiles.

stantem virtutem non exhibent. Sardanapalus sepulchro imposuit ἀποκεύσματα, hoc est duos digitos, quasi mutuo collisu crepitum edentes, quo ostendebat, omnia etiam summa, non assis esse, sonitum esse præteruolantem. Potus regum nomen victus abdicauit, sed superbiam, & ferociam retinuit. Nec Crœsi magna humilitas, quod rogo impositos, felicitate excidere se posse fassus est. Nec modestior Gilimer Arianus, qui in triumphum ductus, magis dixit: quã sensit. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Hoc cum regna adeunt Catholici principes, pronunciant. Non enim est magnæ prudentiæ cum cecideris, fateri te stabili gradu non stetisse. Propria igitur Christianorum est humilitas, sicut nominis in ea significatione vsurpatio propria est. Augustinus in Psalm. 31. *Hæc aqua, inquiens, confessionis peccatorum, hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris abiicientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbe tribuentis, hæc aqua in nullis alienigenarum liberis est, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manicheis, non in Platonicis. Vbicunque etiam inueniuntur optima præcepta morum, & disciplinæ, humilitas tamen ista non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat, a Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cum esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit, humiliando se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? Quid aliud docuit soluendo, quod non debebat, vt nos à debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus, qui peccatum non fecit, crucifixus, qui reatum non habebat? Quid aliud docuit, nisi hanc humilitatem? Non immerito ait: Ego sum via, & veritas, & vita.*

Regno deiectum modeste loqui mirum non est.

Christianorum est propria humilitas.

Humilitatis exercitia apud Catholicos.

§. 14. Sunt sane permulta, in quibus Catholicorum modestia, submissio, obedientia, quæ est humilitatis mater ostenditur. Nam Pontificibus suis, Conciliis sacris, reges nationesque obtemperant. humi strati peccata sua confitentur, pœnam impositam subeunt, conscientiamq; alieno arbitrio submittunt. Quam hoc sit arduum, docent & hæretici, qui eam partem Christianitatis excutiunt, & magistratus in China, qui quod hoc sua maiestate indignum iudicent, difficilius ad religionem Christianam veniunt. At principum Christianorum mirabilis sæpe apparuit humilitas. Philippus Arabs, qui crudelitate, & parricidio, vsitata tunc arte imperium arripuit, nec sine sanguine regnauit, à Fabiano piorum communione exclusus, sordibus & squalore obsitus, in ordine pœnitentium sacerdoti supplex stetit. Nec viribus, aut donis, sed lacrymis Ecclesiæ ingressum ambiuit. Eus. lib. 6. cap. 27. Magnus Theodosius, vt auctor est Theodoretus lib. 5. c. 27. August. de ciuit. li. 5. Sozomen. lib. 7. ca. 24. & Ambrosianæ Epistolæ; Iniuriam à Thessalonicensibus illatam, iniqua cæde, dum indiscriminatim aliquos iussit trucidari, vindicauit, eum templi aditu Ambrosius prohibuit, & paruit Imperator, genibusque Pontificis aduolutus, ad quãuis se satisfactionem obtulit. In societatem deinde Christianorum admissus, sine regio cultu, toto corpore in terram prostratus fleuit, verus & magnanimus Dauidis imitator. Nec Othonis minor submissio, qui ob Crescentem contra fidem datam laqueo necatum, Romualdi Abbatis iussu, à se pœnas violati fœderis exegit, nudis enim pedibus Roma, ad Garganum Apuliæ montem profectus est, tota quadragesima cilicii asperitate corpus afflixit, sloreis incubuit: ita Petrus Damiani in vita Romualdi. Henricus secundus Angliæ rex, teste Neubrigensi, in publico, nudatis humeris verbera suscepit. Insignis vero vox illius. *Non refugio disciplinam Christianam, decernite quod libuerit, deuote amplectar, exequarque decretum.* Nec aliter fecit ac dixit, abiecta veste regia in ordine pœnitentium publicorum stetit, & nudum se Ecclesiasticæ disciplinæ submisit. Hæc puplica referre operæ precium duxi, priuata in omnibus Christianis magnatibus plura sunt, omnes enim & de peccatis suis

Philippi Arabis pœnitentia.

Theodosius Dauidem imitatus.

Otho imperator.

Henricus secundus rex Angliæ.

Iustiniani seuis fastus.

seſe accusant, & sacerdotum suorum non modo admonitiones audiunt, sed etiam eas quas pro expiatione delictorum pœnas imponunt, alacriter subeunt. Quod vnum est, atque efficacissimum contra fallacia, & dulcia adulatorum venena remedium. Quod semper in promptu est ex humilitate. Alioqui vt saniſſima corpora, saniem veneni facilime combibunt, ita adulationis aura pestifera, celerrime regum animi inficiuntur. Ecce tibi Iustinianum legum magis conditorem, quam iustitiæ cultorem, quem Tribonianus omnis religionis contemptor, tanta vanitate impleuit, vt immortalem se fore speraret; quemadmodum Suidas refert.

Canutus facto adulationes cõpescit.

§. 15. Alia Canuti mens, de quo Lipsius in Mon. Pol. n. 8. *Anglorum regis insigne ad Modestiam documẽtum est, qui cum obsideretur ab adulatoribus, id est coruis aulicis, & sortem eius attollerent, dicerentque omnia seruire, & ad nutum eius, vultumque, (verba Annalium) conuerti, ille fædam adulationem sic repressit. Spectantibus iis, sedem regiam in littore maris posuit, in ipso acc essu eius & fluxu. Tum dixit: Tu mare ditionis meæ es, & terra in qua sedeo est mea, impero tibi, & denuncio ne in terram meam ascendas, nec membra, nec vestem Domini tui madore perfundas.* Ille dixerat, *mare tenorem suum tenebat, veniebat, alluebat, tum resiliens, en inquit, quam ego omnibus imperito, quin sciant omnes qui terram incolunt, vanam & falsam esse regum potentiam, atque vnum eo nomine dignum, qui vere imperium inhibet cœlo, terræ, mari, Neque intra verba Modestia hæc stetit, in omni actione talem se præbuit, atque adeo coronam vltra in caput non admisit.*

Multi regũ posito diademate religionem inierunt.

Supersunt sane quam plurima Christianæ humilitatis exempla, multi enim magnorum principum, posito diademate, non ad priuatam modo vitam redierunt, sed pauperem etiam, mundoque contemptam; Tales fuerunt inquit Bozius lib. 11. de signis Eccles. cap. 9. *Lotharius imperator, Ludouici pii filius anno 855. Hugo prouinciæ Rex. Rachis Longobardorum, 750. Sigismundus Burgundiæ, 413. Bamba Hispaniæ, Vermundus Castellæ, Rammirus Aragoniæ, Sigisbertus Northumbriæ, Sebbis Angliæ, Eltheredus, & Chenered us Merciæ, Alfridus, Afridus Northumbriæ, Offa & Iua Angliæ, Ceolulfus, & Egbertus Northũbriæ, Henricus quartus Daniæ, Carolomannus Alemaniæ, Trebellius Bulgariæ, Cazimirus Poloniæ, qui deinde iussu Romani Pontificis, suorumque obsecrationibus victus, regni gubernacula recepit. Omittimus hic principes innumeros, qui quotidie hoc faciũtant, vt summis inter mortales honoribus, abiectis, inter humiles religiosorum cœtus, obediẽtiæ se ignobilium, alioquin præsulum subiicere non dedignentur, nullo inimicorũ terrore compulsit vel mentis stupore, & inertia deiecti quod fecere inter Græcos Anastasius II. Theodosius III. Michael Rangabe, Michael IV. Isaacius Commenus, & Emmanuel Palcologus Imperatores, & è nostris Suantocopius Moraniæ, & Salomon Hungariæ Reges.* Quantũ illi in dimittendo principatu animũ ostenderunt, quantumq; ab Ethnicorũ regũ iactantibus, & leuissimis ingeniis abfuerunt, qui ardore triumphãdi, ob folia infructuosa ciuium suorum securitatem in discrimen adduxerunt. Nunc quoque plures regum, principum, nobilium, potentumque virorum filii, in religionibus laboriosissimis, pauperimisque, atq; officiis abiectissimis degũt, q̃ olim in potestate, & honore apud Gẽtiles vixerint.

Manet illa magnatum modestia hodieque.

Homo cum infirmus sit, arrogans esse non debet.

§. 16. Ad moderationem aũt, animiq; submissionem multa tum omnes, tũ vero principes viros inducere possunt. Primo quidẽ quia homines sunt. Id satis Philippus Macedo putabat ad superbiam domandã. Matutino n. tempore anteq̃ quicquã aggrederetur, à puero renunciari iussit. ἄνθρωπος εἶ. *Homo es*, q̃ vtinã Alexandro filio persuadere voluisset. Qui victor Persarum, patrem abdicauit, & Iouis dici maluit. Est aũt homo animal, & miserrimũ, & superbissimũ. Hominib⁹ dominantur, sed hõines sunt. Mortui à pluribus calcabuntur. Apud iudicẽ suũ, sine satellitio, sine diademate palpitabunt. Thymoleon Siciliæ vindex, & seruа-

Humilitas pene Christiana.

seruator, cum pulsis tyrannis magno in honore esset atq; etiã amore, Modestia res tam præclaras ornauit, & tutatus est. In vita eius Probus: *Nihil vnquam, neq; insolens, neq; glorioſum, ex ore eius exijt, qui quidem cum suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quam se in ea re, maximas diis gratias agere, atque habere; quod cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum, ducem esse voluissent.*

Nimiæ cærimoniæ in Republ. fomenta sunt superbiæ.

§. 17. Deinde nimios, & cærimonioſos honores caueat oportet. Barbararum sunt ista, & superbarum gentium, de quibus Tac. lib. 14. *Scilicet externæ superbiæ sueto, non erat notitia nostri: apud quos ius imperij valet, inania transmittuntur.* Chinensium magistratuum fastum, cæterorumque, qui principum exemplis viuunt, tot curas salutationum, officiorumque inania describunt tum alii, tum accuratissime Nicolaus Trigautius; omne pene tempus inanibus transmittunt. Hinc multi errores, inimicitiæ, contemptiones, contentioneſque, dum in cærimonioſa ciuilitate, plus iusto moroſi sunt, & in nugis deliquisse piaculum arbitrantur. Non parum laborat his in rebus Christiana respublica, dum speciosis titulis, comitatu, conſessu inflantur animi, & facile ad æmulationem, odiaque impelluntur.

Cũ rituum inania augentur, errores ridiculè exaggerantur.

Veniat in mentem omnibus, quam vitrea sit, fragiliſque felicitas. Qui modo Priamus auro barbarico, & quinquaginta filiis felix videbatur, mox

Iacet ingens littore truncus.

Altum ſpirant, qui nihil faciunt.

§. 18. Nec vrbium mitiora fata: male felicitati humanæ creditur, cum optima est, ruit. Contingit illis quod Democrati ſeni, qui cum anhelus arcem conſcenderet, multum ſpirare ſe dixit, ſed parum valere. Crebra, ſonans, & laborioſa reſpiratio, abeuntis vitæ signum est, nec diuturnitatem vlla sibi Reſpublica polliceatur, in qua maiores, quam pro viribus naturæ, ſpiritus corpus affectum concutiunt.

Abiecta in ſpeciem faciant magnates.

§. 19. Denique quædam in ſpeciem abiecta, & magnatibus indigna obeant illi, quorum est maior auctoritas. Magnam vim res illa habet, vt ad modestiam inferiores reducat. Nihil ea re efficacius. Dominus, & Saluator, nec diuinitatem, nec diuina hypostasi ſubſistentem humanitatem, humilibus natalibus, officiisque contaminari docuit. *Tanta est, inquit Auguſtinus tract. 55. in Ioan. humanæ humilitatis vtilitas, vt eam ſuo commendaret exemplo, etiam diuina ſublimitas: quia homo ſuperbus in æternum periret, niſi illum Deus humilis inueniret. Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.*

Dauid mõſtrat humilitatem.

Ante dominum quoque typus domini profileta, & rex Dauid humilitatis profeſſionem fecit, 2. Regum 6. 21. *Vidit, inquit, Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domum eius, & præcepit mihi vt eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael, & Iudam, & vilior Iram, plus quam factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, glorioſior apparebo. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius vſque in diem mortis ſuæ.*

Humilitas fortitudine melior est.

Ecce, inquit Gregor. lib. 27. mor. quem Dominus cunctis ſingulariter prætulit, ſe ſe ſubmittendo Domino, & exæquando minimis, & abiecta exhibendo contemnit. Non poteſtas regni ad memoriam reducitur, non ſubiectorum oculis ſaltando vileſcere metuit, non ſe honore prælatum cæteris, ante eius aream, qui honorem dederat, recognoſcit. Coram Deo egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate ſolidaret, quæ coram hominibus egerat fortia. Quid de eius factis ab aliis ſentiatur ignoro, ego Dauid plus ſaltantem ſtupeo, quam pugnantem, pugnando quippe hoſtes ſubdidit, ſaltando autem coram Domino ſemetipſum vicit.

Grata amoris conciliatrix humilitas.

Nihil magis plausibile in vulgus, quam cum modestia honor miseris exhibitus. Alphonſus Aragonum rex, itemque Siciliæ, & Neapolis eo tempore potentiſſimus, cum agaſonem, cuius asinus farina onustus in luto hærebat, implorantem auxilia vidisset, equo descendit, & totis corporis viribus annixus, iumentum extraxit. Quod factum adeo Campaniæ populis gratum fuit, vt multæ se vrbes illi adiungerent, mallentque modesti, ciuilis, & humilis principis imperium admittere, quam ſuperbam libertatem vſurpare. Neque vero periculum est, ne vera humilitate, maiestas deprimatur, omnia compenſat amor. Nec plebi quicquam gratius est, quam labores ſuos à magnatibus æstimari. Qui ſi in aliquem contumelioſus ſit, à nullo diligitur.

Sub modeſto principe, ne ſit miniſter inſolens.

§. 20. Poſtremum est, vt modeſtos, affabileſque, & vere humiles habeant miniſtros illi, qui in dignitate sunt. Intolerabile seruitium fortibus, & nobilibus viris, cum per fastidia adulantium, adeundus est princeps. Cum beneficium, quod à principe acceperunt, intercipit miniſter, aut detinet; cum alius poſt principem rogandus est. Verum hac de re ſpeciatim dicendum est. Nam ex centum principum adminiſtris valde gratioſis, vix denos inuenies, quos non vel ſuperbia, vel auaritia aula excuſſerit, cum ante inuiſum principem fecerint.

CAPVT XX.

Magnanimitatem Reipublicæ, & præcipue magiſtratibus commendatam eſſe oportere.

Magnanimitas humilitati iunctiſſima est.

§. 1. HVMILITATEM magni animi virtutem eſſe dixi, ſuperbiam puſilli, & puerilis. Magnanimus nihil, niſi reuera magnum, pro magno habet. Humilitas omnia, quæ falſa, & humana magnitudine turgent, vera æstimatione fastidit. Superbia temere de magnitudine iudicat, & quæ viſa magna sunt, ardenter concupiſcit. Sic pueri ad nouæ veſtis ſplendorem, ad periſcelidas, ad plumulam geſtiunt, domos luteas, equum arundineum, ploſtellum muribus tractum, crepundiaque ſua magni faciunt. Magnanimus ludicra arbitratur, quæcunque ſuperbia magno ſtudio proſequitur. De hac igitur virtute, eiuſque connexis, & comitibus dicendum. Plurimum enim ad ſalutem Reipublicæ illa conſideratio facit, & neſcio an vllo alio in genere tam cito nobis vitia, ſpecie virtutis imponant.

Magnanimitas ſuperbiæ inſimulari ſolet.

§. 2. Magnanimitas est virtus, quæ verſatur circa magna. Virtus animi ad magna, & heroica opera inclinans. Chriſtianis ſuſpecta ſolet eſſe Ariſtotelis definitio Ethic. 4. cap. 3. Δοκεῖ ὁ μεγαλόψυχος εἶναι, ὁ μεγάλων αὐτὸν ἀξιῶν, ἄξιος ὤν. *Magnanimus eſſe videtur, qui magnis dignum ſeſe exiſtimat, & dignus eſt.* Qui enim falſo magna mereri ſe arbitratur, ſtolidus est. Verum vtcunque ſenſerit Philoſophus, poteſt tamen eius definitio ita intelligi, ne ſuperbiam magnanimatis nomine obtrudere videatur. Certe S. Thom. 2. 2. q. 129. a. 3. *Ad quartum dicendum, quod in homine inuenitur aliquid magnum, quod ex dono Dei poſsidet: & aliquis defectus qui competit ei, ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit, quod homo ſe magnis dignificet ſecundum conſiderationem donorum, quæ poſsidet ex Deo: ſicut ſi habet magnam virtutem animi magnanimitas facit, quod ad perfecta opera virtutis tendat. Et ſimiliter dicendum est de vſu cuiuslibet alterius boni, puta ſcientiæ, vel exterioris fortunæ. Humilitas autem facit, quod homo ſeipſum parui pendat ſecundum conſiderationem proprij defectus. Similiter etiam magnanimitas contemnit alios, ſecundum quod deficiunt à donis Dei. Non enim tantum alios appretiatur, quod pro eis aliquid indecens faciat: ſed humilitas alios honorat, & ſuperiores*

Magnanimitas in Deo ſua dona magni facit, humilitas ob ſuos defectus ſe abijcit.

æstimat, in quantum in illis aliquid inspicit de bonis Dei: vnde dicitur in Psal. 14. de viro iusto, Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: quod pertinet ad contemptum magnanimi. Timentes autem Dominum glorificat: quod pertinet ad honorationem humilis. Et sic patet quod magnanimitas, & humilitas non sint contraria, quamuis in contraria tendere videantur: quia procedunt secundum diuersas considerationes.

Promptum est igitur Christiano principi, humilitatem, & magnanimitatem coniungere. Cum enim contemptus ad Dei contumeliam pertinet, vindicandus est. Helias contemptim ad tyrannum vocabatur, 4. Reg. 1. 9. *Homo Dei rex præcepit vt descendas*, dicebat quinquagenarius, paratus sine dubio, vim abnuenti inferre. Verum Elias suæ dignitatis, in qua diuinæ maiestatis gloria agebatur magnanimus arbiter, *respondens dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te. & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi, Homo Dei hæc dicit rex, Festina, descende. Respondens Elias ait, si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, & deuorauit illum & quinquaginta eius. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curuauit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait, homo Dei, noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum qui mecum sunt. Ecce descendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant: sed nunc obsecro, vt miserearis animæ meæ. Locutus est autem angelus domini ad Eliam, dicens, descende cum eo ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem.*

Elias contemptũ Dei in sui contumelia vlciscitur.

Dignum se honore Elias iudicauit, & iudicium illius, iustitia diuina comprobauit. Hoc si Aristoteles sensit, cum ipsa veritate locutus est, sin autem; communi philosophorum errore abductus est. Magnanimitatis itaque vis, in omni virtute cernitur; sed ab omni tamen virtute distinguitur. Singulæ virtutes in suo genere perfectæ sunt, iustitia constans est voluntas, vnicuique suum tribuendi, idque in magnis, & paruis. Denario neminem spoliabit, nec talento, casam, & regnum eadem æquabilitate restituet. Religio heroicæ paupertatis, obedientiæ, castitatis custos est, & hortatrix; sed habent istæ, aliæque virtutes specialem ex obiectis suis, circumstantiisque honestatem, & decus, ad quod animos, quos insederint, constanter impellunt. Magnanimitatis officium est, in omniũ virtutum genere versari, omnium obiecta illarum formalia respicere; sed ita tamen sibi faciat materialia, vt loqui solent. Castitas heroica erat eius adolescentis, qui in rosa molliter ligatus, præcisam dentibus linguam, in faciem scorti lasciuientis insputauit, & miraculo pudicitiæ abegit. Sed castitas heroica, temperantiæ pulchritudine mouebatur, vt formali ratione obiecti. Magnanimitas vero etiam, ad tam generosum facinus impultrix fuit; quia hoc tanquam magnum, & arduum spectabat, quia conuenire hoc animo Christiano, animo cœlestis gratiæ alumno, martyrii candidato iudicabat. Est igitur magnanimitatis obiectum formale, ipsa operum magnitudo. Ideo recte Aristoteles: ἔοικε μὲν οὖν ἡ μεγαλοψυχία οἷον κόσμος τις εἶναι τῶν ἀρετῶν. *Videtur igitur magnanimitas esse ornamentum virtutum.* Quo circa nemo sine aliis virtutibus, magnanimus esse potest.

Singulæ virtutes in suo genere perfecta sunt.

Magnanimitas in omni virtutum genere magna, qua magna sunt, præstat.

Magnanimitas omniũ virtutum ornamentum est.

§. 3. Honoris vero appetitum, magnanimitas moderatur. Primo, ne magna, & honore dignissima opera, propter humanæ gloriæ respectum faciant, neque si honoris spes nulla sit, à virtute colenda desistant. Magnanimus enim etiam in tenebris hominem seruabit, nec in acta mitti cupiet, quæ laude digna sunt, sed ipsam virtutem volet sibi esse mercedem. Magnanimus etiam dedecore non mouebitur. *Nullum certius argumentum magnitudinis, quam nihil posse, quo instigeris, accidere.* Senec. de ira, cap. 6.

Magnanimitas honoris appetitum moderatur.

Pro magno tamen honore maxima opera suscipiet, pro honore de quo dictum est. *Honorati sunt amici tui nimis, nimis exaltatus est principatus eorum.* Honores diuinos magnanimus magni æstimat, non sacrilega ambitione, qua Ethnici insaniebant, & nostro tempore Iaponiæ reges, sed quos solus Deus, cum immenso gloriæ pondere in eos, à quibus diligitur, conferre constituit. Quod si magnanimam Rempublicam, principem, aut senatum cognoscere, & probare collubitum est, Aristotelem libr. 4. de moribus cap. 7. & 8. consules.

Honores æternos magnanimus concupiscit.

Primo μεγάλων ἑαυτὸν ἀξιοῖ, ἄξιος ὤν. Magnis se dignum existimat, plane dignus existens, nam qui mediocribus dignus, se suo pede metitur, modestus est, non magnanimus. Hoc de honore vere dictum est. Si rem ipsam spectes, omnes virtutis excellentissimam magnitudinem, ac gradum æmulari debent. Deinde omnes si statum, conditionemque, qua Christiani sunt, considerare velint, dignos se honore arbitrari possunt: quia dona Dei sunt, non virium humanarum καθορθώματα, recta facta, & successus. Itaque non pugnant humilitas, propriæ vilitatis contemptrix, & magnanimitas diuinorum beneficiorum ingenua, & grata commemoratrix.

Omnes Christiani honore se dignos existimare possunt.

Secundo. *Honoribus magnis, & à viris bonis cum ratione oblatis modice, & cum recta ratione gaudet. Honores paruos, & à vulgo delatos contemnit.* Non gaudebit de honore, vel laudatione; quia res vana est, & fragilis; & quemadmodum vinea laude non redditur fertilior, ita nec animus laudati. Virtuti enim laborauit, non gloriæ; ideo nec gesta sua publicari desiderat. Gaudet tamen, quia in publicum vtile est, virtutum acta celebrari, multosque infirmos à vitiis reuocat, & imperfectos ad virtutem exstimulat, quin & multis datur, vnde exempla petant. Apostolus Paulus (2. Cor. 7. 7.) gauisus est desiderio, fletu, æmulatione Corinthiorum, & cap. 11. & 12. merito ac iure gloriatur. Vulgi honores negligit, quia nec iudicio dantur, & in vitiosos solent esse profusiores. Nouit pessimum esse genus inimicorum, laudantes. Nouit in magnis odiis, contemptuque exquisitiores esse assentationes. Cato à prætura repulsus, eadem die in publico pila lusit. Alii cum laudari se à populo audissent, *ne imprudentes mali quippiam admississent, timuerunt.*

Honore modice gaudet ob Dei gloriam, & aliorum vtilitatem.

Vulgi honores contemptui habendi.

Tertio. Οὔτε εὐτυχῶν, ὑβριχαρὴς ἔσται, οὔτε ἀτυχῶν, ὠλόφυρτος. Nec felicitate effertur, nec aduersis nimium tristatur. Quia leui momento non impellitur, magna arbor ne turbine quidem euertitur, arundo ad omnem auram trepidat, hæc illa

Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit, aut ponit secures,
Arbitrio popularis aurę.

Stat firmum contra voculas hominum.

Maior est calamitate, maior etiam rebus secundis. Speciem aliquam magnanimitatis Romani dederunt; nam Cannensi prælio victi, cum vrbem Hannibal adisset, nullam pacis mentionem ferre potuerunt. Et sane in victo populo magnum virtutis indicium, quod consuli, cuius temeritate clades acciderat, *publice gratias egerunt, quod de Republica non desperasset.* Egregie magnanimus erat, Vrbanus Sextus, in cuius palatium, cum Romani seditiosi cum armis irrupissent, sumptis vestimentis suæ dignitatis, magna auctoritate in hostium conspectum se dedit, quærendoque: Quem quæritis? non modo periculum discussit, sed ad concordiam obedientiamque tumultuaros reduxit.

Magnanimus pericula discutit.

Quarto.

Quarto. οὐκ ἔστι μικροκίνδυνος. Ob res exiguas adire periculum non dignatur. Non quæret trans mare diuitias, non conducetur stipendio in aciem, nec paruo ære venalem animam dabit. Pusilli animi sunt, quos parua res in pericula vocat. Pueri quam facili tristitia plorant, tam facili periculo pugnant. Magnam nobilitatem Europæ, præsertim Franciæ illa μικροκινδύνευσις abstulit, dum generositatis specie prouocationum, & duellorum furores concitat.

Monarchiæ ex pusillanimitate ortæ.

Quinto. Neque est φιλοκίνδυνος. Non amat periculum. Magnanimum imitantur, quos classica, tubæque, & clamor in mortem rapiunt, qui sine ratione periculis se obiiciunt. Reprehensum id olim in multis, qui martyrii desiderio tormentis, & sæuitiæ se gentilium offerebant. Fortium virorum est magis contemnere mortem, quam odisse vitam. Qui periculo obuiam vadit, nec prius, quale id sit considerat, bestiæ similior est, quam homini. Ille animosus est, qui perspecta causa, & difficultate, vel iusta, & honesta ratione, vel sane necessitate, pericula excipit. Tales & principes, & ciues esse oportet. Qui enim solo impetu, & temeritate in discrimina feruntur, nisi primo calore, & procursu vincant, mora elangueſcunt, atque in effusam vertuntur fugam. Qui autem considerate rem aggrediuntur, eo fortes sunt, quod nihil inopinatum sentiunt in ipso opere. Nec consiliorum pœnitet.

Periculum non amat, sed excipit magnanimus.

Qui impetu ruunt absumpto calore fugiũt.

Sexto. Μεγαλοκίνδυνος ὁ, καὶ ὅταν κινδυνεύει, ἀφειδὴς ᾖ βίου, ὡς οὐκ ἄξιον ὂν πάντως ζῆν. *Magnis se periculis offert, & in medio discrimine vitæ prodigus, quasi dignum non sit omni modo viuere*, ita malo vertere: quam cum interprete. *Quasi omnino non sit dignum, eum viuere.* Non enim magnanimus se vita indignum iudicat, sed omni modo viuere, indignum iudicat. Dauid fraternam contentionem in castris euitat, contra Goliatum interritus graditur. Omnium martyrum hic describitur fortitudo, & magnus animus, qui vel in eo elucet, quod non modo illa pertulerunt, quod est fortitudinis proprium; sed quod nec preces quidem effuderunt, non dilationem pœnæ, non mortis accelerationem orarunt, gemitus, & voces in potestate habuerunt. Martyrum enim generositatem putabant, non fortem modo esse debere, & doloris tolerantem; sed magnanimam, etiam liberamque cruciatibus, & tyrannis insultantem. Hinc voces illæ: *Versa & manduca*: aliæque innumeræ, quibus σεμνοπρέπεια, & maiestas magnanimitatis expressa est. Vestigia eius virtutis, in gentibus quoque cernuntur. Anaxarchus, saccum Anaxarchi in mortario tundi, clamabat, hac voce, quam tota vita, clarior. Pompeius cum occideretur, caput obuoluit, ne indecoro gemitu, aut voce triumphos suos contaminaret. Cæsari inter tot vulnera curæ fuit, εὐσχήμως, πεσεῖν, *decenter cadere.* Pulcherrime itaque dixit Aristoteles, omnium virtutum esse ornatum à magnanimitate, nam ipsum fortitudinis quoque supremum actum vehementissime honestat. Quanti vero id sit, communis sensus nos edocet. Vltimis morientium verbis, magis quam ipsa mortis commemoratione mouemur: Si enim animosa sint, dolemus talium virorum tam indignos exitus.

Magnis cauſis, magna pericula obit.

Indecore viuere non vult.

Magnanimitas martyrum, fortitudinem eorũ splendidã fecit.

Gentium quoq; magnanimæ voces.

Septimo. *Beneficium conferre solet, accipere erubescit.* Quia hoc inferioris est, illud superioris, magnus autem animus recusat esse obnoxius.

Beneficus est, dando & recompensando.

Octauo. Hinc & beneficia obliuiscitur, non quia ingratus est, sed quia maioribus compensat. Et datum beneficium non debet meminisse.

Nono. Haud facile alios rogat quippiam; quia libertatem minuit, & quia parui res humanas æstimat, multis non indiget. Diogenes Alexandrum rogabat, data, & vltro ingesta petendi optione; *ne sibi apricanti officeret*, superbo, non magnanimo regis contemptu: Poterat enim ex regis vmbra exire ipse Cynicus; si tam intemperanter solis radios amabat. Itaque contra sentio: Virum magnanimum magna petiturum, & alteri gratitudinis vinculo obligatum esse, non inter mala recensere. Si tamen libertatis deminutionem malum arbitretur, inter contemnenda mala referre. Non minus gloriosum fuit D. Chrysostomo, & Eremitis pro Antiochenis intercedere, quam Theodosio pœnas mitigare. Magno se animo, pro Italia S. Gregorius Attilæ sæuienti obiecit, nec veritus est, ne crudelissimo tyranno beneficium deberet. Sed tot populorum incolumitati consultum voluit. Magna ergo petet, cum ratio petet, parua in alterius contemptum nequaquam petet, vt scurriliter fecit Diogenes.

Decimo. πρὸς τοὺς μὲν ἐν ἀξιώμασι, καὶ εὐτυχίᾳ, μέγαν εἶναι. *Magnum se gerere apud eos qui in dignitate sunt, aut quorum res valde fecundæ sunt, apud mediocres moderatum.* Causam reddit: Quia eminere potentibus difficile est, & σεμνὸν, seu magnificum. mediocres superare facile. Ideo apud eos magnifice se gerere, & gloriari non est ignobile, apud inferiores, molestum, & odiosum. Lex illa non recte percepta, Antistheni Aristotelis generoso discipulo, vt illi magister prædixerat, mortem attulit. Nihil periculosius, quam in ciuitate apud magistratus, nobilesque σεμνύνεσθαι splendide se gerere. Simultates enim concitat, & inuidiam. apud principes contemptum, & crebro odium. Hæc vt vitare est prudentis, ita externum splendorem contemnere est magnanimi. Hoc solum teneat, ne potentium vitiis consentiat, ne aduletur, ne in dicenda sententia libertatem amittat. De falsa illa magnimitatis imitatrice iactantia, plura dicam, cum aulicos, & consiliarios instruxero.

Magnanimus apud magnos modestus sit.

Vndecimo. Hoc præcipue magni animi est, quod monet idem Aristoteles: ὑπηρετεῖν προθύμως. *Prompto animo seruire alijs.* Facit id caritas, vt fratri, humilitas vt domino, magnanimitas quia arduum est, & difficile, sed honestum, omnibus commodo esse. Est enim vir animosus publicum bonum. Æthiopem se humeris ferre insomnis putabat Franciscus Xauerius, nec aliter deinde fecit, totam Indiam, Iaponiam, Chinamque complexus animo. Lectus eius in Nosocomeio erat apud eum, qui periculosissime ægrotabat.

Multis cõmodo esse magnũ est.

Duodecimo. *Cunctator est, nisi cum res ingens celeritatem requirit.* Paruas enim res parui facit, nec ad damna exilit, nec consilia præcipitat, sed regit, & ordinat. Suprema ventis non agitantur, eundem semper cursum astra tenent, nec cum tonat, intremiscunt. Maiestas Reipublicæ bene constitutæ sine turbis audit pericula, imo videt, & aggreditur.

Nihil præcipitat.

Tertio decimo. Cætera minutiora sunt, vt esse φανερόφιλον, & φανερόμισον, *In aperto amorem, odiaque habere. Alieno arbitrio non viuere, populum res suas celare, non admirari, iniurias obliuiſci, non cupide loqui de hominibus, non morari laudationes, non esse querulum, malle res honestas, quam fructuosas possidere.* Hæc in animo magno sunt, & coniuncta cum heroica fortitudine. Non est tamen eadem magnanimitas, & fortitudo. Hæc enim timorem, & audaciam ratione moderatur, & contra mortem, & tormenta obfirmat. Illa in omni virtute id quod magnum, generosum, celsum, difficile proponitur, prompte aggreditur.

Magnanimi alia indicia.

Magnanimitati fidentia, seu fiducia comes est, quæ firma spe subnixa, in rebus magnis, citra mortis periculum, promptum animum præstat. Nec vllis frangitur difficultatibus. Sitim, famem, labores, iras potentum contra præclara instituta aspe-

Fiducia in arduis vbi mortis abest periculũ.

ratas

Patientia. Securitas. Perseuerantia. Longanimitas.

ratas exuperat. Patientia contra tristitias ex difficultatibus ortas pugnat. Securitas timores excludit. Constantia, perseuerantia, longanimitas, dilata spe, durantibus laborum, exiliorum, carcerum difficultatibus, propositum tenent. Neque minus contra miserias, blanditias, preces propinquorum, filiorum, coniugum animum firmant, vt nulla vi de magnitudine sua detrahatur.

Pusillanimitas simia humilitatis honores magni facit.

§. 4. Magnanimitatis hostis imprimis est μικροψυχία pusillanimitas, cū quispiam ea quæ suscipienda, aut facienda esse suadet recta ratio, nimis grandia esse imaginatur, suasq; vires tantæ moli impares, cum honorem quo dignus est, & quem suscipere oportebat, velut magnum aliquid refugit. Graue vitium, & simia humilitatis, à qua longissime recedit. Humilitas enim honorem, & gloriam parui æstimat, pusillanimitas duabus in rebus pessime iudicat; nam & facultatibus, donisque suis diffidit, nec in Deo spem collocat, & illa quæ magna nō sunt, nimis magni æstimat. Id cum in re graui, quæq; obligat, contingit, manifestum est crimen. Honores sancti viri fugerunt, plurimi Episcopi inuiti creati sunt. Vsque adeo vt non nemo dixerit. *Profecto indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus, sola illi suffragetur necessitas excusandi.* Sed aliud est, honorum fuga, eorum contemptu, quod facit humilitas; aliud cum nimiū sublimes æstimantur, quod facit pusillanimitas. Videmus eosdem illos viros, qui sancta Ecclesiæ violentia ad Episcopatus inuiti sunt allecti, in eisdem ius suum, dignitatemque, cum vitæ periculo acerrime defendisse, vt Cyprianus, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, aliique fecerunt. Sed pusillanimitas pauciorum est. Præsumptio, ambitio, vanæ gloriæ appetitus vt humilitati, ita magnanimitati repugnant. Et plurimas Respublicas euerterunt, & nisi fallor, plurimas in posterum euertent.

Humiles in honore suo defendendo fortes.

Præsumptio stolida est.

Præsumptionem voco, qua superbus, opera viribus suis maiora aggreditur, noxia facultatum suarum ignoratione. Alta petunt, nocitura petunt, & cum Phaethonte, magnis excidunt ausis. Traianus cum per orientem, ad Indiam pene arma circumtulisset, cum ambitiosam nauigationem instituisset, Herculemque, & Liberum æquare contenderet, prouincias multis laboribus, multoque sanguine partas rursum amisit. Inopinato excidio arrogantiam illam deiicere Deus solet. Isaiæ 16. 6. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, plusquam vires eius. Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuersus vlulabit.*

Ambitio ex superbia oritur, quæ tamen vanior est, ipsa vnde nascitur elatione. Superbia enim ipsam excellentiam, contra rectæ rationis præscriptum feruenter optat. Ambitio res miserrima honorum cupiditate flagrat, sunt autem honores testimonia excellentiæ. Hos vel maiores debito, vel ob falsa bona, vel mala, vel cum scelere quam multi appetant, omnis historia docet, & per vices euersus orbis edocet. Qua de re capite de humilitate actum est.

Inanis gloria ex eadem radice est, nec sane multum ab ambitione differt, de appetitu excellentiæ agimus, non de ipsa opinione excellentiæ, & laude, in qua & fama consistit; Sed de κενοδοξία seu insita animæ cupidine, qua gloria appetitur. Qui κενόδοξος est, idem & ambitiosus est, nam qui in vocis alienæ præconio felicitatem posuit, atque ex ea, non ex conscientia æstimari se desiderat, ille etiam deferendis magistratibus, delatione dignitatum, genu flexione, atque cærimoniis honorari se æquum arbitratur. Quantum mali vanitas intulerit, iam supra ostendi. Primo enim alios, deinde ipsos auctores infestat.

Ἀλαζονείας οὐ τις ἐκφεύγει δικάς.

Iactantiæ nemo pœnæ effugit.

Non minus dedecus est gloriæ, quam voluptati seruire virtutem. Deinde hoc ipsum pusilli animi est, gloriam, hoc est, rem omnium incertissimam, ac fragilissimam quærere. Res delicata est, plerique narrant, quod nesciunt, efficiunt tamen, vt gloriæ amator, nescientibus, ipse certus eos errare, credat, aut quasi credat, ita gaudeat.

CAPVT XXI.

Omnium virtutum Reginam, in Republica maximi faciendam, nempe caritatem.

Caritas omnium virtutum opera complectitur.

§. 1. VIRTVTVM chorum iam deduxi, in orchestram Reipublicæ descendit totus apparatus, animis, non oculis hauriendus. Si illa virtutum tibi præcepta vel longa, vel nimis multa videntur, ama Rempublicam, ama ciues, iam omnia impleuisti. Nulla certior ars regnandi, quam amare subditos. Si ergo non vacat omnes paginas scripturæ euoluere, tene caritatem, & in ea inuenies omnem scientiam. Augustin. serm. 39. de temp. *Nam plenitudo legis est caritas.* Summum est fidei sacramentum, & fidei Christianæ thesaurus. Summus Dei cultus est, omnia continet, præcipuum est hominis bonum, & tessera Christiani, fundamentum est pacis, vnitatis vinculum, sine quo virtutes nec ipsæ placent; omnibus donis Dei præstantior, columna sanctitatis pariter, & fastigium, mors criminum, vita virtutum. Hæc si adsit, non magna opus est arte. Satis politicus est, quisquis Rempublicam, ciuesque vt res sacras dilexit. Ingeniosa est ad beneficia, caritas, suapte natura regendis hominibus idonea est.

Vnica ars, & ingeniosa est caritas.

Initium regnandi à caritate.

Sine legibus, sine iudice primum gentes vixerunt, vnius se caritati, non potentiæ commiserunt. Non erant tot cautiones regnandi, sed veluti in potestate parentum erant filii, caritate duce imperabatur, & parebatur. Inde maximi honoris nomenclaturam inuenit adulatio, vt *patres patriæ* principes appellaret. Maius enim amoris, quam maiestatis nomen existimarunt.

Membra si mutuo fruuent.

Salua esse Societas nisi amore, & custodia partium non potest. Seneca lib. 2. de ira, cap. 31. *Membra si dissideant, si alterius alimenta, vicinum membrum rapiat, & oppresso altero, præter modum excrescat, monstrum ex pulchro corpore nascitur.* Tam alteri debet esse ciuium suorum salus cordi, quam sua. Vbicunque discors est acies, hosti opportuna est. Respublica fornici triumphali, celsa concameratione suspenso persimilis est, nec ferro, nec calce vinciri moles illa potest, mutuo consensu sese sustentant. Lapidem lapis continet, princeps velut tholus eminet, & ab omnibus continetur, cui nisi connectantur omnes, corruunt. Amor igitur, & solus amor politiam continet, firmatque. Non munera, non blanditiæ hoc possunt. Si quos donis allexeris, cum spes defierit, dissoluetur amor, si verba aspera extorserit alicuius auiditas, blanditiarum fructus in iras desinet. Maneat amoris mutui quasi magni ædificii cæmentum, quodque dixit Ethnicus. *Sic te Deus amet, quemadmodum tu nos.* Plin. in paneg. Id certo sibi persuadeat princeps, omnes subiectos orare. Viuat ac regnet, vt animo tranquillo, securoque orationem illam in aspectu Dei pronunciare possit. Succinctus armis, & carnifice, terrere potest, ad amorem cogere non potest.

Fornix sola connexione continetur.

Amet subditos, si à Deo amari vult.

Principis mortem timeant subditi.

§. 2. Effectus caritatis est subditis metuere, non subditos: & felix Respublica est, in qua absque cærimonia, animo teste, vitam magistratui suo ciues precantur, non quia peiorem metuunt, sed quia melio-

meliorem non optant. Id vero consequitur caritatem, quia omnibus illa virtutibus imperat, omnium operas disponit, imo virtutes ipsas animat. Vitiorum est omnium expultrix, virtutumque conciliatrix. *Caritas patiens est*, 1. Cor. 13. 4. *benigna est: Caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.*

Caritatis optimum est imperium.

Ecce quod in multas virtutes sparsum est, vna in arctum congessit caritas, precia omnium, maiestatemque virtutum in se complexa. Explicuit ista S. Greg. l. 10. mor. c. 6. *Proximi dilectio ad duo præcepta deriuatur, cum & per quendam iustum dicitur. Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsam veritas dicit, quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: quibus duobus scilicet vtriusq; testamenti mandatis, per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur, vt malum quod pati non vult quisque non faciens, cesset à nocendi opere; & rursum bonum quod sibi fieri appetit impendens erga vtilitatem proximi se exerceat ex benignitate. Sed hæc nimirum duo, dum sollicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur, ne vel ad inferenda quæ non debet, desideriis inquieta mens ferueat: vel erga exhibenda quæ debet, otio resoluta torpescat. Nam cum cauet alteri facere, quod nequaquam vult ab altero ipse tolerare, solicita se intentione circumspicit, ne superbia eleuet, & vsque ad despectum proximi animum deiciens exaltet, ne ambitio cogitationem dilaniet, cumque hanc ad appetenda aliena dilatat, angustet, ne cor luxuria polluat, & subiectum desideriis per illicita corrumpat, ne ira exasperet, & vsque ad proferendam contumeliam inflammet, ne inuidia mordeat, & alienis felicitatibus æmula sua se face consumat. Rursus cum cogitat vt ea alteri faciat, quæ ipsa sibi fieri ab altero exspectat, pensat nimirum vt malis bona, & bonis meliora respondeant, vt erga procaces mansuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peste languentibus, gratiam benignitatis impendat, vt discordes pace vniat, & concordes ad concupiscentiam veræ pacis accingat, vt indigentibus necessaria tribuat, vt errantibus, viam rectitudinis ostendat, vt afflictos verbo, & compassione mulceat, vt accensos in huius mundi desideriis, increpatione restringat, vt minas potentum ratiocinatione mitiget, vt oppressorum angustias, quanta præualet, ope leuet, vt foris resistentibus opponat patientiam, vt intus superbientibus exhibeat cum patientia disciplinam, vt erga errata subditorum, sic mansuetudo zelum temperet, quatenus à iustitiæ studio non eneruet, sic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem ferendo transcendat, vt ingrato- beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos quosque ministeriis in amore seruet, vt proximorum mala cum corrigere non valet, taceat, vtque cum corrigi loquendo possunt, silentium consensum esse pertimescat, vt sic ea quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet, vt sic maleuolis manus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam, à iure rectitudinis excedat, vt cuncta proximis, quæ præualet impendat, sed hæc impendendo, non tumeat, vt sic in bonis quæ exhibet tumoris præcipitium paueat, ne tamen à boni exercitio torpescat, vt sic quæ possidet tribuat, quatenus quanta sit largitas remunerantis attendat, ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est inopiã pertimescat, & in oblatione muneris, hilaritatis lumen, tristitia obscuret.*

Malum fugit, benigne facit.

In omnibus virtutibus caritas operatur.

Caritas patriæ heroicis actionibus vim adijcit.

§. 3. Neque cæterarum modo virtutum actiones moderatur caritas, sed fortitudinem maxime acuit, firmatque. Caritas patriæ, ac ciuium effecit, vt Gedeon cum trecentis, innumerabiles hostium copias aggrederetur, non modo fide & pietate præferendus Leonidæ, sed victoriæ etiam felicitate. Iud. 7. Sic Sampson solus contra Philistæos pugnauit, Iud. 15. Sic Ionathan cum solo armigero hostium castra fudit. Dauid Goliathum strauit. Quoniam quis est, inquit, quis est iste Philistæus incircumcisus? qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?

Quid Matthathiam & Iudam, & fratres eius referam? 1. Macc. 2. *Væmihi inquit Matthathias, qui natus sum videre contritionem populi mei. Quo ergo nobis adhuc viuere? exscidit vestimenta, &c.* Quin etiam ea fuit optimo omnium gentium, pro patria moriendum esse. Nec desunt Horatiorum, Mutiorum, Deciorum, Torquatorum, quamuis non sine temporum illorum, quæ Deus despexit, erroribus, insignia monumenta. Persarum legatos contra ius gentium Spartiatæ in puteos præcipitarant, vt terram simul, & aquam, quæ duo ad seruitii regii confessionem postulabant, acciperent. Orta deinde pestilentia, Thalthybium Agamemnonis præconem, qui pro Deo Spartæ colebatur, offensum Aruspices renunciarunt, sanguine ciuium manes Persarum placandos esse. Edixerunt itaque, vt si quis pro patria mori vellet, id ad Ephoros referret. Spertius & Bulis mox sese stitere, qui profecti ad Xerxem, victimas sese pro patria obtulere. Sed ille magno animo, & noxam vrbi, & vitam illis donauit, ingentibus etiam pollicitationibus, apud se eos retinere conatus est. Cui illi responderunt, quam rem tanti esse apud nos ô rex arbitrare, vt à patria nos separet? cum eius caritate adducti, tam longum iter, vt morereмur, à nobis susceptum sit? Itaque liceat nobis eius dulcedine per te frui, pro qua vitam impendere statuimus. Magnus amor patriæ, non impetu, sed iudicio, quamuis errante firmus, quo inducti tam magnum iter emensi sunt, quantum vix alii pro vita ingrederentur. Fortius Attilius pro religione iurisiurandi rediit, pro caritate patriæ in vitam suam seuere consuluit. Mater etiam Cleomenis Spartani regis virili animo, si periurium abesset, cum se obtidem salubri paci obstare videret, filio nunciauit, ne rem honestam, & patriæ salutarem propter vetulæ corpus omitteret. Nec minus mater illa patriam amauit, quæ ignauum filium occidit: cuius ἀσωρίαν non modo non supplicio, sed laude etiam dignam putauit vetustas, & rem carmine signauit.

Omnes patriã amant.

Amor patriæ maior quam amor vitæ.

Fœminarũ etiam constans in patriã amor.

Τὸν πάντα νόμον Δαμάτριον ἔκτανε μήτηρ,
Ἀ λακεδαιμονία, οὐ λακεδαιμόνιον.
Transgressu leges Demetrium mater occidit,
Lacæna non Laconem.

Alia imbrice redeuntem, & commilitonũ fata nunciantem prostrauit. Eristhenes cum male pugnasset, inedia à matre occisus est. Ouid. in Ibin.

Spartanorũ præcipuus in patriam amor.

Obstrictusque famem patriæ limine tecti,
Vt legem pœnæ cui dedit ipsa parens.

Barbara illa fuere, sed tamen patriam tam barbaram amabant, vt patricidiis seruari iustum existimarent. Hoc nihilominus recte iudicarunt:

οὐδὲν γὰρ οἰκειότερον πατρίδος.

Nihil coniunctius esse patria. Cicero lib. 1. off. Communem omniũ esse, antiquissimam, ac sanctissimam parentem patriam, quæ omnes omnium caritates vna complexa est. Et lib. 1. de fin. *Cariorem nobis esse patriam, quam nosmetipsos.* Platoni visum lib. 15. de legibus. Dominam, ac Deam esse patriam, quæ magis, quam mater ipsa colenda sit. Et in Critone. *Itane, inquit, sapiens es, vt ignores longe maiorem, quam parentibus habendum esse honorem patriæ, & sanctiorem esse debere eius reuerentiam, tum apud Cælites, tum apud mortales, qui modo vllius intelligentiæ sint participes eique parendum, atque obsequendum asperæ licet, ac morosæ, & quæcunque illa iusserit prompte, & quiete facienda, tametsi iubeat vt verberemur, vt vinculis constringamur, vt bello implicemur, plagis ac morte ipsa afficiendi? nullo modo repugnandum, ordinesue deserendi, ita ius poscit.*

Tormenta pro patria subeunda.

Hac ratione Codrus, L. Tubero, alii innumeri vitã abiecere. Alii magno animo eam restituerunt: cum prælio Cannensi res Romana in extremum deducta esset, & duce Metello nobiles iuuenes de deserenda Italia deliberarent, metu mortis eos Scipio in verba

Scipio fortis pro patria.

verba sua iurare adegit, *nunquam patriam se deserturos.* Merito sane, caritas enim foras mittit timorem vt S. Ambros. in Psal. 118. *Generaliter quidem ait charitas excludit timorem, vt miles, qui imperatorem diligit, bella pro imperatore suscepta non metuit; vt seruus amans Dominum, quamuis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula Domini amore contemnit, ac si quis Dominum petat, seipsum offerre non trepidat: vt qui trans mare positos filios videre desiderat, non metuit naufragia, liberorum charitate ingreditur fluctus maris, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuant desideria filiorum. Quam pulchre etiam de martyribus dicitur, qui vere militant Christo, qui persecutiones, vngulas, gladios, incendia non timentes, infestis se regibus obtulerunt.*

Plures ciuē, quā hostem timent.

Nec hostem illa ciuitas timet, & quod rarissime licet, nec ciuem; vbi caritas habenas moderatur, legumque scita æquitate, & clementia salutaria facit. Portat alterius onera alius, nec oneribus grauatur.

Inimicis quoque exhibenda est, idque præcipue in eadem Republica, in qua nemo alteri, nisi priuata æmulatione hostis est.

Ciuium inter se, & erga principem amor optime conseruatur, æqualitate legum, calamitatum cum subeundæ sunt, partitione, honorum consortio, modestia, placidis moribus. Denique quod caput est, si amari princeps vult, amet, atque ita amet vt Respublica amari se sentiat. Caritas enim reciproca est, & vicem reddit amanti. Bene Moschus:

ϛέρετε τὸς φιλεῦντας, ἵν' ἦν φιλεῖτε, φιλῆσθε.
Amate diligentes, vt cum amatis, amemini.

Amorē obsequia sequuntur.

Si à principe, à senatu, à nobilitate diligi se populus sentiat, nihil tam arduum est, quod non eorum causa facturus sit, si patriæ in se amorem princeps intelligat, prodesse amantibus, omni opum vi conabitur. Atque in primis adulatoribus, delatoribus, & æruscatoribus, populi sanguisugis, fidem non habebit. Sed tanquam pater filios tractabit, & illi vicissim, tanquam parenti liberi obtemperabunt, nec seditiosos tribunos audient. Neque enim pater calumniis contra filios, facilem aurem præbet, neque à filiis parentis accusatores sine scelere audiri possunt. Hinc & subditorum inter se animi, tanquam sub vno patre arctius iunguntur, quorum dissidia id in ciuitate sunt, quod in corpore vulnera, conuulsiones que, quæ nisi sanentur, non modo pulchritudinem omnem deformant, sed sanitatem quoque tollunt, vitamque.

Magistratus amans patriæ non audit delatores.

Dissidia vrbium sunt, quod in corpore vulnera.

§. 4. Nec difficile fuerit Christiano principi amare subditos, si animaduertat à Deo dilectos, precio sanguinis sacrosancti redemptos, cœlesti ciuitate donandos. Si & hoc consideret: Quicquid vni ex minimis beneficii dederit, id Christum acceptum ferre. Id in cœlestes rationes referri. Quot millibus princeps prodesse potest, & in singulis Deum demereri? Omnibus caritas mandata est, sed ingentem materiam habent principes, opes magnas, ius supremum, myriadas ope sua, & tutela egentium.

Quod Deus redemit princeps diligit.

§. 5. Caritas patriæ commendanda est quidem omnibus, sed crebro eo colore, & prætextu propria quæruntur commoda. Constantia Lipsii detegit illum multorum seu fucum, seu magnæ partis histrioniam, lib. 1. cap. 8. 9. 10. Sed tamen patriæ, hoc est, status ille Reipublicæ, salus omnium singulis curæ esse debet, & dulce est pro patria mori. Cum in vno corpore singula membra totum curent, nam singulorum est, ex toto salus. Quanti vero sit illa obligatio, docent exilia. Euryp. in Phœnissis.

Obligati patriæ singuli sunt.

Τί γ' ἔρεσθαι πατρίδος, ἢ κακὸν μέγαν;
Μέγιστον. ἔργῳ δ' ἐϛι μεῖζον, ἢ λόγῳ.
Quid carere patria an magnum malum?
Maximum est, re grauius, quam verbo.

Sed tamen plures pene extra patriam, quam in patria agunt, multa aut perpetuo, aut certis temporum interuallis, multos à patria auocant. manet tamen, & certe manere debet etiam in dissitis, erga patriam affectus. Sinonis, hoc est, vulpeculæ verba sunt,

Teneor patriæ nec legibus vllis.

Exulum etiam in patriam manet affectus.

Verum ille vere patriam amat, quisquis suo labore, sine suo commodo, cum in clade communi limen eius non attingitur, qui omnem mundi plagam, forti patriam esse arbitratur, sed eam ad quam vocamur omnes, hoc est, cœlum: omnis terra exilium est, sed tamen iura exilii tuenda sunt, vt facilior sit in patriam reditus. Verum hæc hactenus. Hoc iterum, iterumque monendus princeps, ne patriam cum iniuria aliorum crescere velit, non est illa caritas, sed insania, mediocri bono quietius fruitur. magnis imperiis mortes multæ impenduntur. Hoc potius agatur vt in veram patriam migrent, cuiuscunq; ciuitatis inquilini. Si sola parentis vincit affectum, in summo bono, & felicitate quærenda dilectio expendatur. Finio hoc caput Augustini Epistola ad Nectarium Episcopum, pro patria sua, hoc est, Colonia Calamensi, in qua idololatræ Christianos aliquot trucidarant, multos spoliarant, intercessorias petentem. Ita respondet Epist. 202. *Iam senio frigescentibus membris, feruere animum tuum patriæ charitate, nec miror, sed laudo, tequenon tantum tenere memoriter, verum etiam vita ac moribus demonstrare, quod nullus sit patriæ consulendi modus, aut finis bonis, non inuitus, imo etiam libens accipio. Vnde supernæ cuiusdam patriæ in cuius sancto amore, pro nostro modulo inter eos, quibus ad illam capescendam consulimus, periclitamur, atque laboramus, talem etiam te ipsum ciuem habere vellemus, vt eius portiunculæ in hac terra peregrinanti nullum consulendi modum, finemque conferes tanto effectus melior, quanto meliori ciuitati officia debita prærogares, in eius æterna pace nullum gaudenti finem inuenturus, cuius ad tempus laboribus, nullum tibi finem statueres consulendi.*

Vera patria cœlum.

Cum iniuria exterorum non amanda patria.

Nullus modus amoris in patriam, nullus finis consulendi.

Et paulo post: *Quantum tibi ætas fini proxima est, cupere te, vt patriam tuam incolumem, ac florentem relinquas. Tollantur iam ista omnia vana, & insana, conuertantur homines ad verum Dei cultum, moresque castos, & pios, tunc patriam tuam florentem videbis, non opinione stultorum, sed veritate sapientium, cum hæc patria carnalis generationis tua, portio fuerit illius patriæ, cui non corpore, sed fide nascimur, vbi omnes sancti, & fideles Dei, post labores velut hyemales vitæ huius interminata æternitate florebunt. Nobis itaque cordi est, neque Christianam amittere mansuetudinem, neq; perniciosum cæteris imitationis exemplum, in illa ciuitate relinquere, quomodo id agamus, aderit Deus, si eis non ita grauiter indignetur. Alioquin & mansuetudo, quam seruare cupimus, & disciplina, qua vti moderate nitimur, impediri potest, si aliud Deo in occulto placet, siue iudicanti hoc tantum malum flagello acriore plectendum, siue etiam vehementius irascenti, si non correctis, nec ad se conuersis, ad tempus esse voluerit impunitum.*

Patriæ conuersionem ad Deum, qui curat, illam sanctissime amat.

Quemadmodum igitur filiis, nepotibusque consulitur, vt licentia qua pereant, negetur; ita quoque patriæ prouidendum est, vt floreat, virtute, pietate, iustitia, ne bello iniusto, ne fraude alias patrias premat, & se à vera patria separet. Tam enim salus iniuriam faciendo, quam accipiendo periclitatur.

POLI-

POLITICORVM

LIBER QVARTVS.

DE INSTITVTIONE IVVENTVTIS.

CAPVT I.

Instituendæ iuuentutis summa necessitas.

Iuuentutis institutio fundamentum est Reipublicæ.

§. 1. PTABAT olim Crates altissimum ciuitatis locum conscendere, & summa animi, vocisque contentione exclamare: ὦ ἄνθρωποι ποῖ φέρεσθε. οἱ πνες χρημάτων μὲν κτήσεως πέρι, πᾶσαν ποιεῖσθε σπουδήν. Τῶν δ' υἱῶν, οἷς ταῦτα καταλείψετε, μικρὰ φροντίζετε. Hæc enim eius verba Plutarchus libro περὶ παίδων ἀγωγῆς fuisse refert. *Quo ferimini ô mortales, qui ad posidendas opes magno studio incumbitis, filiorum vero, quibus illa relinquatis, exiguam curam geritis.* Addere se vero profitetur Plutarchus: Eiuscemodi patres idem facere, quod illi, *quibus calceus curæ est, pes neglectui.* Nunc adeo frequenter hoc stultis parentibus inculcatur, vt ad salutaria monita, velut accolæ Nili, ad Catadupa-rum sonitus obsurdescant: Tantum abest, vt verbis moueantur, vt ne damnis quidem sapiant. Neque operæ precium est contra fornacem, vt aiunt, hiare, & valido se errori opponere; Regum illa est cautela, & magistratuum: Hoc tantum malum, non nisi à summa potestate corrigi potest. Parentes disciplinam negligunt, multi ne patiuntur quidem filios recte institui. Vitiis contra pædagogos, & magistros fauent: multi etiam suo exemplo, nequitiæ dociles corrumpunt.

Vanæ est de παφωνυχίᾳ cura, tabes corpus exest.

Summis malis summa imperia apponenda sunt.

Parentum exempla incunabula ipsa corrumpunt.

Hinc grandia Reipublicæ mala nascuntur, nam ex institutione iuuentutis vna salus. Συντελῶν τοίνυν ἐγὼ φημὶ, καὶ χρησμολογεῖν μᾶλλον, ἢ φθέγγεσθαι δίξαιμ' ἂν εἰκότως, ὅτι ἓν πρῶτον, καὶ μέσον, καὶ τελευταῖον ἐν τούτοις κεφάλαιον, ἀγωγὴ σπουδαία, καὶ παιδεία νομιμος ἔσται. *Summa igitur complexus ego dico, & oracula potius fundere, quam hortari posim videri, nempe primum, medium, & postremum esse institutionem accuratam, doctrinamque legitimam.* Natura enim cæca est, & nisi aliena velut manu ducatur, atque interdum trahatur, aberrat. Itaque gentium consensus omnium est, non posse Rempublicam esse saluam, nisi primæ ætatis recta, ac legitima institutione. Prudentia hac in parte excelluit inter Græcos, diu bonorum morum æmulatrix Lacedæmon; ex principibus enim παιδονόμους constituit, & crebro iuuentutem ad examen vitæ, virtutisque vocauit. Persæ quoque, antequam infausta felicitas, bonas leges obruisset, magna cura, vt recte iuuentus formaretur, effecerunt. Duodecim enim principes, pueris erudiendis præfecerunt. Xenoph. in Pædia. Ægyptii, & Chaldæi ab ipsis parentibus Philosophiam, & leges docebantur, vt testatur Diod. Siculus lib. 2. cap. 8. Hac enim in semente, messis futuræ spes erat. Maior, & barbaræ fere simplicitatis, Brachmanum Indorum sollicitudo, qui recens nato infanti, magistrum præficiebant, vt refert Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25. Et sane quanta sit huius rei necessitas, experientia quotidiana nos edocet. Quemadmodum enim equi indomiti, qui nec frenum pati, nec ferre sessorem didicit, nullus est vsus; ita quoque ciue non eget Respublica, qui legibus patriis parere non assueuit. Oraculum est Platonis lib. 6. de legibus: ὁ ἄνθρωπος παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχὸν, θειότατον, ἡμερώτατόν τε ζώων γίγνεσθαι φιλεῖ, μὴ ἱκανῶς δ', ἢ μὴ καλῶς τραφὲν, ἀγριώτατον μὲν, ὁπόσα φύει γῆ. *Homo rectam nactus institutionem, diuinissimum, mansuetissimumque animal effici solet, si vero vel non sufficienter, vel non bene educetur, eorum quæ terra progenuit, ferocissimum.*

Tenera stirpes facile ductum sequuntur.

Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes, emollit mores, nec sinit esse feros.

§. 2. Nisi igitur θηριοτροφεῖν, serpentes, & beluas in matris viscera grassaturas, respublica alere constituerit; curam illam ipsa in se suscipiat. Consilium est eius, quem callidissimus regum, filio magistrum dedit, Aristoteles lib. 8. cap. 1. politic. *Quin legum scriptori igitur, in adolescentium disciplina maxime sit elaborandum, nemo in controuersiam vocarit.* Namque hoc in ciuitatibus neglectum, *magna incommoda Reipublicæ administrandæ formis importat: accommodate enim ad vnumquodque Reipublicæ administrandæ genus, ciuitatem administrare oportet. Nam vniuscuiusque Reipublicæ administrandæ formæ propria indoles, atque, vt ita dicam, ingenium proprium, & Reipublicæ administrandæ formam tuetur, & ab initio constituit, verbi causa, indoles Democratiæ conueniens, democratiam constituit, & conseruat, oligarchiæ conueniens, oligarchiam. Semper autem vt quæque indoles est optima, ita optimam Reipublicæ administrandæ formam parit. Præterea in omnibus facultatibus, atque artibus quadam oportet ante doceri, & quibusdam ante assuefieri ad cuiusque opera, muneraque obeunda. Quare perspicuum est etiam ad virtutis actiones expromendas, quibusdam studiis, & exercitationibus antecedentibus opus esse. Quoniam autem finis vnus omni ciuitati propositus est, perspicuum est etiam vnam, & eandem omnium necessario esse disciplinam, huiusque procurationem publicam esse oportere, non priuatam: quemadmodum nunc sui cuique filij curæ sunt, & priuatim, & priuatam disciplinam, quam cuique visum fuerit, docere, suis filiis tradenti, oportet autem rerum communium exercitationem quoque facere communem, simulque ciuem neminem existimare oportet, ipsum esse suum, sed omneis se esse ciuitatis: particula enim vnusquisque ciuis ciuitatis est. At cuiusque particulæ procuratio, totius procurationem intueri solet natura. Atque etiam aliquis, Lacedæmonios in hoc laudarit: plurimum enim studij in pueros conferunt, idque communiter, & publice, leges igitur de disciplina, & institutione puerorum esse scribend*, atque *hanc communem & publicam esse oportere perspicuum est.*

Nomotheta prima cura est adolescentum informatio.

Ciues ad formã Reipublicæ erudiendi.

Disciplina vna omniũ sit communis.

§. 3. Procurator rei familiaris constituitur, vineis cultor præficitur, & iumenta sub custode sunt, filiorum ætas negligitur. Mœnibus, viis, portibus, armamentariis sunt præpositi magistratus, mores iuuentutis in relictis habentur. At parentum hoc munus

Parum est morũ prouentus, quia nulla cultura.

Caeteri Graeci recta sciebant, Spartani faciebant.

munus est: Omnino parentum est, lex naturæ, diuina oracula, honestam filiorum educationem, parentibus iniungunt: Sed multi officio desunt, quidam non possunt, nonnulli etiam improbo exemplo, præceptisque animos filiorum frangunt, penitusque corrumpunt. Cum enim omnis quidem ætas discat, sed præcipue tenera; quæque illa recepit, diutissime retineat; hinc fit vt parentum, vel exemplis, vel vitiis, ante tempus imbuantur. Gypsus recens fusa, facile eruditæ manus ductum sequitur, & formam suscipit, cum qua tamen indurescit. Egregie Aristoteles lib. 7. polit. cap. 17. *Fortasse enim Theodorus tragœdus, non male tale quiddam dicebat. Nullum enim vnquam, ne contemptum quidem histrionem, passus est ante se in scenam prodire: quod existimaret spectatorum aures iis, quæ prima audiunt, captas occupari, quod idem vsu venit, & in hominum congressionibus, & in rerum tractationibus. Nam quæ prima nobis oblata sunt, ea omnia nobis sunt probatissima. Quare adolescentibus cum mala, ac vitiosa omnia ita debent esse incognita, quasi peregrina, tum ea maxime, in quibus inest vel turpitudo, vel animi offensio.*

Cum parẽtes officium deserunt, Respublica est parens.

Vitia cum ætate inualescunt.

πάντα τὰ πρῶτα ἰσχύει.

Ita plane est; magna est eorum auctoritas, quæ prima discimus. Magna itaque prudentia Eteocles, Antipatro obsides adolescentulos petenti, negauit; adultos permisit. Causam dedit, quod teneri à parentibus, & bene instituta republica, auelli non oporteret, ne bona educatione inter externos carerent.

Intri foras missi vitia peregrina domum reportant.

§. 4. Obiiciuntur nobis à quibusdam Schytarum mores, quibus aiunt dedisse naturam, quod Græci longa exercitatione, præceptisque philosophiæ consequi non potuerunt. Honestiores enim fuere mores barbaræ gentis, quam cultissimarum in Græcia vrbium. Ita Tro. lib. 2. Itaque & Quintilianum recte dixisse. *Ego mores nasci puto.*

Ignoratio vitiorum multis pro virtute fuit.

Ego quidem naturam plurimum facere ad virtutem arbitror, indolemque aliis esse ad bonum propensiorem, quam aliis, sed studio, doctrina, exemplis firmanda est. Omnibus natura dedit fundamenta, semenque virtutis, *omnes ad omnia ista, nati sumus*: cum irritator accessit, tunc illa animi bona, velut sopita excitantur. Impetus est à natura, sed eruditione, consuetudine, exercitatione perficiendus, & regendus est. Doceri virtutem posse negauit Plato, insitam enim esse θείᾳ μοίρᾳ ἄνευ νῦ, *Sine mentis agitatione, diuina sorte insitam esse.* Id de initio recte dixeris; (nam de donis illis sanctorum, Plato ne somniauit quidem) Sed tamen opus est excitatore. Seneca Ep. 95. *Non potest enim quisquam, nisi ab initio formatus, & tota ratione compositus, omnes exsequi numeros, vt sciat quando oporteat, & in quantum, & cum quo & quemadmodum. Quare non potest toto animo, ad honesta conari, ne si constanter quidem, aut libenter: sed respiciet, sed hæsitabit.*

Indoles bona nascitur, ad virtutem instituitur.

Constantia ordinem, & legem requiret.

Cur igitur Scytharum mores sine philosophia, Græcorum moribus erant meliores? Duas præcipue causas esse, nos docet historia. Prima est, quod Scythæ vino, cupediis, deliciis, magnorum vitiorum fomentis, & irritamentis carerent, ideoque & necessitate, & ignorantia vitiorum, incorruptiores viuebant: Omnes vero ad militiam, ad venatum, ad labores, seueræ matris ad arbitrium, instituebantur. Altera causa erat in ipsa Græcia; nam exempla viuentium philosophiæ contraria, omnium sese oculis ingerebant. Imo iam philosophia, honestæ causæ præuaricatrix, vitiis non cesserat modo, sed consenserat. Erantque multi philosophi cæteris nequiores; vt ex Laertio, aliisque constat. *Antiqua sapientia nihil aliud, quam facienda, & vitanda, præcepit: & tunc longe meliores erant viri: postquam docti prodierunt, boni desunt.* Senec. Epist. 95. Itaque minora remedia

Scythæ meliores Græcis per ipsam institutionem.

Philosophia philologia facta erat.

poterant obstare minoribus barbarorum malis. Græcorum philosophia, quæ disputare magis, quam viuere docebat, à maximis captiua trahebatur.

Quanta autem vis sit institutionis, optime Plutarchus docet. περὶ παίδων ἀγωγῆς. *Quam vero compendiosa, valensque sit sedulitas, atque labor, si multas res consideres, cognosces. Namque aquæ stillæ saxa excauant, ferrumque, & æs, manuum contrectatione atteruntur leui. Porro rotæ vehiculorum, molimine intortæ, nulla ratione dirigi rursus valent, baculi vero recurui histrionum, haud quaquam queunt corrigi: sed quam acceperunt labore, contra naturam, formam, ea valentior euasit naturali, Quid nunc industriæ, hac sola vim demonstrant? non, imo infinita alia, solum bonum ferax est, sed squalet neglectum: atque quo est indole præstantiore, eo magis per inertiam destitutum cultura senescit. Sin quod horridius iusto est & asperius, cultum tamen confestim præstantes edit fructus, quæ autem non reduntur tortuosæ, & effatæ arbores obliteratæ? Si vero tyrocinium nactæ probum fuerint, felices euadunt, ac præfœcundæ. Iam quod corporis robur non retunditur, marcescitque, oscitantia, luxu, & socordia? Quæ contra mollis natura, exercitatis laboreque subactis non adoleuit in summas vires? Ecqui recte domiti equi, non parentes extiterunt sessoribus? Ecqui contra indomiti, qui manserunt non intractabiles & feroces euasere? Et quid stupeas cætera, cum bestias cernamus, vel immanissimas industria cicurari, ac mitescere pleraque? Recte etiam Thessalus rogatus; qui Thessalorum forent placidissimi: qui bello, inquit, defuncti sunt. Cæterum quid attinet commemorare vulgaria? est enim multorum annorum assuetudo, & qui virtutes morales assuetudine inductas dixerit, is mihi haud videatur offendere. Vbi vero vnum præterea addidero exemplum, non vltra huic argumento immorabor. Legislator Lacedæmoniorum, catulos duos eorundem parentum, Lycurgus sumpsit, quos non pari modo educauit; verum vnum reddidit voracem & gulosum, sagacem alterum, & venatorem peritum, concione hinc aduocata Lacedæmoniorum. Momentum vtique Lacedæmonij, insit, ad virtutis fœturam haud est mediocre assuetudo, & docti ina, & institutio, disciplinaque viuendi, id ego nobis exemplo planum faciam. Mox productos catulos illos dimisit, statuens ex aduerso catulis ollam, & leporem, ibi alter cursu leporem, ollam alter petijt. Cum autem quid ea re significaret, aut quo spectans, catulos, ostendisset coniectare nondum valerent Lacedæmonij, Parentum hi sunt, inquit, eorundem ambo, sed quia in disciplinam dati sunt diuersam, hic edax, alter euasit venator.*

Instituio natura est potentior.

Ad Reipublicæ salutem, & euersionem hæc pertinere Aristoteles lib. 5. polit. cap. 9. demonstrat. *Omnium autem eorum, quæ dicta sunt, ad rerumpub. diuturnitatem, & stabilitatem maximum est (quod nunc omnes negligunt) puerorum educationem, atq; institutionem, ad reip. administrandæ formam, esse accommodatam: legum enim vel vtilissimarum, & ab omnibus in republ. viuentibus comprobatarum, nullus est vsus, nisi ciues erunt eis assuefacti, atq; ad eas eruditi in republ. administranda, si quidem leges sint populares, populariter: sin autem oligarchiæ conuenientes, oligarchiæ conuenienter. Nam si in vno incontinentia, etiam in ciuitate est. Non est autem hoc eruditum esse, ad reipublicæ administrandæ formam, ea facere, quibus lætantur pauci imperium obtinentes: aut ij, quibus democratia cordi est, sed hoc, ea didicisse, & agere posse, quibus poterunt illi oligarchiam obtinere, hi in democratia viuere. Nunc autem in oligarchiis quidem, eorum qui reipublicæ præsunt, liberi, deliciis, & luxuria diffluunt: egentium vero filij, exercitati, & laboribus assuefacti sunt. Itaque eo magis, & volunt res nouas moliri, & possunt. In democratiis vero iis, quæ exquisite, & accurate populi potentiam retinent, contrarium: atque quod reipubl. conducit, institutum est. Huius rei causa est, quod male definiunt libertatem. Duo enim sunt, quibus democratia videtur esse definita. Vnum, vt reipub. potestas, penes maiorem populi partem sit: alterum, libertas. Nam quod iustum est, id videtur esse æquum, seu æquale: æquum, vt quicquid multitudini visum sit, id ratum sit: liberum autem, & æquum est, quicquid*

Neglectis vrenda filix innascitur agris, etiam optimis.

Longa dies hominis docuit parere leones.

Legum nullus est vsus sine institutione.

Optimatum filij institutione neglecta noxæ.

quicquid velis facere. Itaque viuit vnusquisque, in talibus demoratiis vt vult, & quo libido trahit, vt ait Euripedes: at hoc malum, & vitiosum est. Non enim oportet existimare seruitutem esse, viuere ad reipubl. administrandæ formam accommodate, sed salutem.

Cordis & capitis cura præcipua est medicis.

§.5. Præcipua igitur cura, optimatum filiis adhibenda, est summa principum. In horum institutione, publico pessimo peccatur, quæ culpa populorum excidiis luitur. Agri sunt principum filii, ex quibus multitudini, victus præbetur. Eoque maior cura necessaria est, quo difficilius inuenitur, tam forti animo vir, qui futurum principem offendere audeat. Plerique gratiosi apud principem esse malunt, quam facere principem bonum. Quorum ratio tam ab officio recedit, quam medicorum, qui indulgendo, ne displiceant, occidunt ægrotum. Pauci sunt parentes, qui filios nolint esse viros bonos, plerique etiam postulant, vt se meliores sint. Sed inuenti tamen sunt, qui improbos mallent. Heliogabalus filium sibi similem optabat, & Alexandrũ Cæsarem, in suos mores corrumpere, summo imperio conatus est, ita rem narrat Herodianus in Elagab. *Postea igitur quam Alexander Cæsar est appellatus, volebat eum statim Antoninus suis illis institutis imbuere, vt scilicet choros agitans, saltansque, & sacerdotij particeps, vestitu eodem, atq; artibus veteretur: quem tamẽ mater Mammæa, ab omni illa fœditate vindicabat, summissis clam doctoribus omnium disciplinarum, modestiamque edocens, ac palæstra, virilibusque gymnasiis insuefaciens, Græcisque eum pariter, & Latinis literis instituens. Quibus rebus magnopere Antoninus indignabatur, iamque adoptionis, imperiique participati pœnitebat. Quapropter omnes illius doctores aula exegit, quosdamque illustriores partim morte, partim exilio affecit, ridiculas allegans causas, quod filium ipsius corrumperent, neq; agitare eũ choros, atq; ebacchari sinerent, sed ad modestiam componerent, & virilia officia edocerent.*

Stultitia principis frui, quam prudentia regi plerique malunt.

Pessimus pater, qui corruptor hæredis est.

Virtutem ipsam exscindere tentat.

Vix esse vllos arbitror, qui ista doceri suos velint. Multi tamen permittunt. Infantiam deliciis soluunt, turpia dicta puerorum, quorum illi sensum nondum habent, arrisu probant, indubii omnium malorum, quæ facturi sunt, auctores futuri. Peccare docent, qui sinunt, qui assuefaciunt. Grauissime id Quinctilianus, in suis Romanis exagitat, & censet: de orator. *Iam primum (inquit) cuiq; filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio, ac sinu matris educabatur, cuius præcipue laus erat, tueri domum, inseruire liberis. Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis spectatisq; moribus omnis cuiusp̃iam familiæ soboles committeretur, coram qua neq; dicere fas erat, quod turpe dictu, neq; facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo, curasq;, sed remissiones etiam, lususq; puerorum, sanctitate quadam, ac verecundia temperabant. Sic Corneliã Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam, Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Quæ disciplina, & seueritas eo pertinebat, vt sincera, & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas, & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, & vniuersum hauriret. At nunc natus infans, delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus, aut alter, ex omnibus seruis, plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis, & erroribus, teneri statim, & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante aut dicat, aut faciat, quando ipsi parentes nec probitati, neque modestiæ paruulos assuefaciant, nec lasciuiæ, & libertati, p quæ paulatim impudentia irrepit, & sui alicuiq; contemptus. Iã vero propria, & peculiaria huius vrbis vitia, pene in vtero matris concipi mihi videntur.*

Romani mores quomodo defecerint.

Quod pessimi docent, mali sinunt.

Eadem nunc etiam maiore probro peccant magnam partem, apud multos enim est honoratior agazo, quam pædagogus.

Nemo se Christianorum excusset: *Facientis culpam obtinet, qui quod potest corrigere, negligit emendare.*

Caput II.

Præcepta institutioni iuuentutis necessaria, omnibus data.

Boni magistratus est intercludere omnes malorum vias.

§.1. Multa mihi patribus, matribusque dicenda, pro filiis contra inutilem, & Reipublicæ noxium amorem: Sed vereor, vt capiant, ideo causam ad magistratus referam, eius enim muneris est aduigilare, ne sceleratus Reipublicæ ciuis educetur. Si enim ebriosus, decoctor, adulter, turbulentus, rapax, calumniator euadat, idem proditor erit patriæ, si poterit. Quædam vero generatim propono, non quasi ignota, sed quæ in mores induci cupio: Sunt enim iam dudum neglecta.

Velocius & citius nos corrumpunt vitiorum exempla domestica.

§.2. Primum præceptum necessarium & difficile est: Vt patris & matris, fratrumque, & agnatorum vita, sit disciplina noui Quiritis. Vere discet, quod in patre viderit. Hoc primum putat licere, quod patrem facientem intuetur. *Gratum est, quod patriæ ciuem, populoque dedisti, si facis vt patriæ sit idoneus.* Non facies, si exemplo tuo monstras vitia sequi. Magna vis exempli est ad omnes, tota est in docendis teneris: iudicare non possunt; quæ vident, ea sequuntur. Pullos venatum aquila educit, seruare feram à maiore, minor canis addiscit, iuuenculus iugo colla subiicit, ante comitatus bouem. Ita filius dignitatem esse putat, non laborem, quo patrem videt occupatum. *O te beatum adolescentem, qui eum potißimum imitandum habes, cui natura te simillimum esse voluit.* Plin. lib. 8. Ep. 13. Magna felicitas filii, non diues, aut potens, sed bonus pater. Interdum ex Dauide Absolon, ex Ezechia Manasses, ex Iosia Ioahas, & è contrario ex bonis mali nascuntur, & sunt Heroum filii, noxæ. Sed vt facile est, à paterna virtute degenerare posteros: ita probos euadere eos, qui paternorum flagitiorum rudimenta habuerunt, est rarissimum: Illosque tales merito Dei filios vocaueris. Quia virtute naturam superarunt.

Iuuenilia pectora magis exemplis quam ratione capiũtur.

§.3. Secundum eodem pertinet. Vt familiam honestam, piam, pudicam habeat parens. Grande, & late patens malum improba familia; quod sanctissimis imposuit, regiasque domos euertit. Miraris in sanctissimi regis, & prophetæ aula, Ammonem incestum, Absolonem cæde fratris oblitum, parentis iugulum petere. Desiste mirari, Ioab duorum principum interfector, rerum potiebatur. Achitophelis consilium erat, quasi consilium Dei: Ille qui filiũ in parentis thorum, & sanguinem accendit. Tam obest filii moribus sceleratus seruulus, quam malus pater. Nam coram qualicunque patre verecundiam peccati, reuerentia facit, & natura. Improbi Pseudoli, Sosiæq; dum filios familias nobilitant flagitiis, suo commodo student. Theodosio nihil in votis altius sedit, quam vt Arcadio, & Honorio filiis, bonos ministros, moriturus assignaret. Pestilentiosum, leprosum, epilepticum famulum auersaris, domum enim funestaret, atq; infamaret, & contagia in contubernales diuideret: Improbos ministros pateris, vel amici commendatione, vel obsequio delinitus, qui fœda lue filios inficient. Et quod miserrimum est, illum tibi inimicũ efficient.

Parentum monita excutiunt seruulorum blanditiæ.

Plures corrumpendis filiis, quam virtute ad libertatem tendunt.

§.4. Persarum institutum imitare, vt filios à familiæ, à fori conspectu, etiam à tuo, & matris, si tibi in turba agendum est, remoueas. Fortiter hic obdura, vince affectus tuos; sapientia virilis animi, teneritudinem amoris vincat. Persarum filii, seorsum à familia agebant, Romani pueritiam domi custoditam, iuuentutem in bello agebant. Adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, *vt imperare parendo, & duces agere, dum sequuntur, assuescerent.* Plin. l. 8. Ep. 14. Causam reddit Tac. ann. 2. *Iuuenes vrbani luxu deffluentes, melius in castris habentur.* Persæ, filios ante quadriennium in conspectum non admittebant. Galli non

A filiis tuis caue, & à domesticis tuis attẽde. Prou. 23.

nisi adultos. Verum eo mittat, vbi in virtute proficiat. Ne absentes in seductores impingant, vbique enim corruptelæ sunt.

Peregrinatio pueros vagos efficit, non bonos.

§. 5. In ablegando tamen modum seruet. Ne procul peregrinatum, aut longo tempore iuniores ableget, sed vicinis tradat doctoribus, vt de filii profectu cognoscere queat; ne corruptum peregrinæ gentis moribus, oblitum paterni idiomatis, contemptorem legum, ac consuetudinum suæ gentis, illum recipiat. Tenera namque ætas, omnia illa combibit; sed mala celerius. Indulgentius peregre educatur, cum procul, & diu abest, nisi summa cura adhibeatur, ac talis plane, qualem pater prudens adhiberet. Deinde puerorum peregrinatio inutilis est, neq; enim situm oppidorum, commoda fluminum, opportuna portuum, multo minus mores, instituta, legesque gentium notare possunt. Itaque prudentiæ non seruit, ingenio, & studiis obest illa aberratio, ex qua pleriq; peregrina vitia retulerunt, patriam virtutem obliti.

Nisi virgultum flexeris, frustra contra rigorem arboris pugnabis.

§. 6. Lacones imitetur parens: Vt seuera sit, laboribus, & aduersis mista educatio. Habeat paruulus quem reuereatur, habeat, quo negato doleat. Cogatur & quandoque cedere. Nisi enim multis frenis coerceatur, cum prudentia careat, maximis, ac variis desideriis agitetur necesse est; vt si habenas permiseris, petulantissimus, & obstinatissimus euadat. Imo naturam induet, quam nulla postea disciplina excutiet. Tollantur igitur deliciæ, vereatur ac timeat. Tyrannus est, pater, filio indulgens. Tyrannorum sæuitiæ pars fuit, eorum, quos perditos volebant, liberos luxu corrumpere. Dionysius Siciliæ Tyrannus, cum Dioni nocere alio modo non posset, vxorem eius nubere alteri iussit, filium ita educari, vt ante annos pubertatis, vino, epulis, scortis obrueretur; adeo vt nullo tempore sobrius esse sineretur. Rediit domum parens pulso tyranno, sed cum appositis custodibus ad frugem reducere filium conaretur, magno suo dolore intellexit, quantam vim primæ educationis rudimenta haberent. Filius enim indignatus, assuetas voluptates subtrahi, ex summa se ædium parte præcipitauit, vitamque cum deliciis abrupit. Omnes itaque vias prudens pater occupabit, totaque in id Respublica incumbet, ne ad vitia aditus sit; nam postquam venena sua iam in vitalia effuderint, aut sera est medicina, aut periculosa adhibenda, quia magnis malis, lenia remedia cedunt. Hinc abdicationes, carceres, custodiæ, & occultæ interdum neces. Quorum malorum causa, sæpe est ex educationis indulgentia. Verissimum est, quod Aristoteles Eth. 1. pronunciauit.

Indulgens parens, tyranno sæuior est.

Educationis initia totam vitam tenent.

Οὐ μικρὸν διαφέρει πρὸ ὅτου, ἢ ὅτου ἐνθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ παμπολύ, μᾶλλον δ' τὸ πᾶν. *Non parui refert hoc vel illo modo à teneris consuescere, sed plurimi omnino; imo vero totum ex eo pendet.* Itaque erga filium, quem præcipue diligis, austerior, & tristior appare.

Tu modo quos in spem statues submittere gentis,
Præcipuum iam inde à teneris impende laborem.

Sit grauis & paterna non aspera seueritas.

§. 7. Disciplina suauitate condiatur: Constanti, & æquabili grauitati, seueritati, imperio, sit adiuncta lenitas, quæ labores, exercitationesque velut honorificas, & gratas efficiant: Nolo sic patrem esse seuerum, vt solo metu vel studiorum, vel aliarum functionum labores, filius obeat; Nam asperitas imperantis, res alioqui gratas, & ingenio adolescentum consentaneas, reddit odiosas. Seueritas igitur in eo versetur, vt à vitiis, ignauia, sumptuque retrahatur, lenitas, vt ad honesta ciuiliter, suauiterque traducatur. Benefactorum præmia semper speret, veniam, & impunitatem delictorum, difficilimam esse experiatur.

Multo maior est ingeniorum, quã vultuũ varietas.

§. 8. Vt indolem cuiusque educator agnoscat, Tanta est ingeniorum diuersorum varietas, vt cum ad particularia ventum est, diuersis, & contrariis pe- ne vtendum sit artibus. Minis alii ad officium du- cuntur, alii indignati, quæ affecta habebant, abiiciunt; alii attoniti fugam capessunt. Laude bona indoles assurgit, leuia ingenia turgescunt, superba fiunt contumacia. Multis nocuit, laudatos esse. Verum in hac ingeniorum varietate, multi, multis imponunt. Itaque hæc generalia omnino sunt, quæ dixi. Nulla indoles adeo bene nata, adeo proba est, quam exempla parentum, & familiæ non corrumpant, nulla quæ seueritate non sit constringenda, lenitate non fouenda, quia omnes, virtutum seminaria animis insita acceperunt, quæ vt in fruges excrescant, non modo opportuno sole, & imbre, sed ventis etiam, frigoreque, vt firmentur, agantque radices, indigent. Alia de sobrietate, de magistris eligendis, peculiari indigent institutione, nunc generatim hæc monuisse sufficiat.

Nulla vitiũ tam felix, quæ non indigeat putatione.

Caput III.

Curam infantium quoque conuenire Reipublicæ.

Omnis dies, omnis hora, quam vanissimus ostendit, imo quam nihil.

§. 1. Summa cura, fotuque homines indigent, quia tenerrima animalia sunt, summa coercitione, quia impetuosa, ac leuia: Ab ipso ortu igitur, ac primordiis educationem illorum tradamus.

Primo quidem eorum, qui nascuntur, interest, vt sit parentum in matrimonio ineundo prudentia. Epilepticos, leprosos, carcinomate, alioue morbo laborantes, ne diram hæreditatem, in posteros contagione transfundant, nuptiis abstinere consultum est. Posset enim talibus familiis ciuitas repleri. Nam si eorum morborum ille horror est, & periculum, vt etiam, quamuis matrimonii nexus indissolubilis omnino maneat, cohabitatio tamen, & vius coniugii tollatur, cui dubium esse possit, imprudenter eas nuptias celebrari, quarum diuortium propter contagionis periculum prudenter instituitur? Priuata damna illa sunt, sed in Rempublicam redundant. Cessare vero obligationem, quæ in cohabitatione, & vsu coniugii consistit, si horrido, & contagioso malo coniugum alter laboret, docet doctissimus, & diligentissimus, noster Thomas Sanchez lib. 9. de matr. disp. 24. num. 15. 16. 17. 18. *Tertia sententia, cui omnino adhæreo docet minime teneri, vbi iudicio medicorum notabilis infectionis periculum immineret sano, ex debiti redditione. Nec obuiat text. cap. 2. de coniugibus leprosum: intelligitur enim, vbi ea redditio, non cedit in reddentis notabile damnum. Atque ita intelliguntur D. Thom. & reliqui Doctores citati numero 15. pro prima sententia, vt constat ex ratione, qua eam probant: nempe, quia ex tam breui coniunctione, non imminet infectionis periculum. Quare manifeste sentiunt eo imminenti, cessare reddendi obligationem. Nec obest etiam ratio secundæ sententiæ, allata numero præcedenti. Quia nullus se obligat per matrimonium contractum ad reddendum, nisi salua indiuidui incolumitate: vt numero 2. probauimus. Atque rationes ibi adductæ aperte probant hanc sententiam. Illamque tuentur ex Theologis Durandus 4. d. 32. q. 1. num. 8. vbi Maioris q. 1. argumento 1. contra 3. Concl. Palud. q. 1. a. 2. num. 7. Almain. q vnica. Soti. q. vnic. art. 1. ad 2. Ouandus q. vnic. post 2. propositionem. Celaia q. 1. argumento 2. Palacios disp. 1. fol. 704. D. Ant. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 10. ad finem, in 4. casu. Caietan. summa, verb. matrimonium. c. vltimo de peccatis in vsu matrimonij vers. Primus est. Victoria summ. de matrimonio. num. 275. Medina cap. de restitutione q. 19. §. vltimo. Petrus de Soto lect. 16. de matrimonio, §. Sunt etiam præter hæc. Ledesma 2. p. 4. q. 66. art. 1. fol. 524. col. 3. Anglesfloribus 1. p. de matrimonio. q. 6. de obligatione soluendi debitum. art. 1. diffic. 1. Pedraza summa, præcepto 6. §. 18. Enriquez lib. 11. de matrimonio. c. 15. num. 7. Manuel 1. tom. summæ, 2. editione, cap. 243. num. 2. Bartholomæus à Ledesma dubio 71. de matrimonio, conclus. 1. Petrus de Ledesma de matrimon. quæst. 64.*

Matrimonia leprosorum inconsulta.

Coniuges, alter leprosus sit, quando eorum separari possint.

quæst. 64. a. 1. dub. 2. concl. 1. Ludouicus Lopez 1. p. instruct. cap. 83. §. Sed an viro leproso: & 2. part. de matrimon. c. 56. statim in principio. Graffis. 1. par. decision. lib. 2. cap. 83. num. 6. Cannedo summ. sacramentorum, de matrimon. cap. 8. nu. 72. Emmanuel Sa. summa, verb. debitum coniug. vers. excusat à reddendo. Vega. 1. tom. summ. c. 78. casu 3. & ex Iurisperitis Rosella verb. leprosus, nu. 2. vbi Ang. nu. 2. Sylu. verb. debitum. q. 1. vers. secunda est, & verb. lepra. qu. 3. Tabien. verb. matrimonium. 3. q. 6. §. 7 fin. Armilla verb. debitum, nu. 3. & verb. lepra. nu. 3. & verbo matrim. nu. 69. Turrecrem. cap. sciatis. 33. q. 4. art. 1. nu. 2. casu 3. Nauar. summa, c. 16. Hispane nu. 24. latine num. 25. Gregor. Lopez. l. 7. verb. suadendo, tit. 2 p. 4. Gaet. repet. in c. ad limina. 30. quæst. 1. §. 4. nu. 175. Obseruandum tamen est, si ex frequenti coitu timeatur infectio, non autem ex vno, vel altero, teneri coniugem semel, vel iterum reddere, non autem frequenter. Quia tota ratio cessationis præcepti reddendi, est timor infectionis, ac proinde in tantum cessabit, in quantum fuerit talis timor. Ita Palatios 4. dist. 32. disputat. 1. fol. 705.

Id locũ habet vbi est contagionis periculum.

Idem prorsus est dicendum, si alter coniux morbo gallico laboret, non enim tenetur coniux sanus, cum periculo notabilis infectionis ei debitum soluere. Quia eadem est ratio, ac de lepra. Ita Victoria de matrim. nu. 275. Sot. 4. d. 32. q. vnic. ar. 1. ad 2. vers. imo vero. vbi Celaia quæst. 1, argument. 2. Palatios disp. 1. fol. 705. versic. Sed adhuc torquet. Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 35. nu. 7. Petrus de Ledesma de matrimon. quæst. 64. ar. 1. dub. 2. Imo idem de quocunque morbo contagioso dicendum est, ob eandem rationem. Metina. C. de restit. quæst. 19. §. vltim. Ledesma. 2. part. 4. quæst. 66. art. 1. fol. 524. column. 3. Bartholomæus à Ledesma, dub. 72. de matrim. concl. 1. Armilla, verb. debitum, nu. 3. & verb. matrim. nu. 96.

Cum vero apud Hebræos, Persas, aliasque Respublicas leprosi separentur à ciuitate, non est conueniens nouam ipsos Rempublicam constituere, posteritatem tam miserabilem educere, quæ etiam partem finceram sit tractura.

Febrium pestis etsi in parente sanetur, in prole tamen manet.

Nec minus alia vitanda sunt: Vt scilicet cum febris alterutrum coniugum infestat, consensu secubent, proles enim morbida, & θεραπεύειν nascetur, etiam stolida, si æstuosior sit febris. Deinde ciborum abundantia, cruditasque, præsertim vero ebrietas gignentium in natis variorum morborum causa est, attonitos reddit, & disciplinarum minime idoneos. Multo vero magis præferuidæ libidinis intemperantia. Reddit enim illa corpus ἀσθενῆ, ψυχρὸν, ξηρὸν, καὶ ἀσθενόδεσμον, ita enim docet cæteris consentientibus Paulus Ægineta lib. 1. Raritas, frigus, siccitas, infirmitas, senecta præcox, mors immatura inde sequitur. Ciuis inde enatus corpore inualidus, mente tardus euadit; & quod puero debili, stupidoque maximum malum est, parentem impubes effert, tutorum vel negligentiæ captiuus, vel præda rapacitati. Atque hæc de susciptenda sobole sufficiant, de educanda agamus.

Ebrioſi patris ſtolidus eſt filius.

§. 2. Cum igitur in lucem homo natus fuerit, res sacra, & diuina, imago sui creatoris, non mater modo soluta partus doloribus, sed tota familia, toto animo gratias Deo referant. Coniugii enim pignora, dolorum præmia, sunt filii, sed noua cura educantibus. Offerant infantem Deo, vt formatum in vtero, reformet in lauacro. Et quod præcipuum est, ipsa mater, nutrix sit, & gerula, in eius sinu nutriatur infans, ex cuius visceribus effusus est. Nullum alimentum est genito salubrius, lacte materno. *Naturæ opus est, alimentum genito præbere.* Aristoteles lib. 1. politic. cap. 10. Varro easdem, nutrices, & matres esse voluit. Miratur, atque indignatur quicunque prudens, tam subito euanescere matris amorem: Tanto labore gestatum vtero, tanto dolore luci illatum, quomodo tam cito obliuiscitur? Πεῤ Ϛατον οὐκ ἀπολείπει τὸ αὐτῆ ἔκγονον οὐδὲ λύκος, ἀνθρώπος ὃ ἀπολείπει. *Nec ouis, nec lupus fœtum suum deserit, homo vero deserit.* Arrian. 1. Epist. 23. Grauiter quidem Deum offendunt, quæ fontem lactis, filiis debitum, exsiccant, natura enim non vult intercipi sua munera, & quæ iam ante Deus præparauit, ad humani generis conseruationem, non vult per delicias corrumpi. Naturam enim ignauia, & ἀσωτία demutant: idque agunt vt alimenta proli subtrahant, etiam per dolores, positis in dorso concurbitulis, quæ forte, ne quidem pro lactis augmento tentandæ forent. Nascuntur hinc vberum χονδριώσεις, seu θερμιώσεις lactis, dum per spongiosa mammarum, in coagula, & grumos, negatum soboli alimentum spissatur. Meritoque matrem supplicio torquet: aut dum magna affluentia κόλπους, seu sinus vberum lac distendit, in varios morbos incidunt.

Mater nutrit filium, nisi cum est amore materno potẽtior libido.

Improbares, ne filiũ lactent, se ipsæ torquent.

Omnium itaque animalium, illa est erga fœtum affectio, leones, & tigres pacata feritate filiis suis blandiuntur, & mammas præbent. Naturæ vox est, fœtum alendum, pro eo pugnandum. Omnium beluarum feritatem, cum prolem nutriunt, prolis amor exasperat. Nulla vulnera, nullos ictus, pro partu suo reformidant:

Τόσον ἀρπαγόνοιο γενέθλης
Φίλτερον ἐνὶ κραδίῃ σάξεν θεός.
Tantum amorem recentis partus pectori Deus instillauit.

Quod omni naturæ Deus inseuit, hominum deliciæ eruunt.

Dulcia pignora, proprio spiritu cariora sunt. Potens enim natura, firmo vinculo parentes, & natos tenet; Sed stolidæ matres magnam eius partem, nutriculis demandant: efficiuntque, vt filii adulti nutrices, æque ac parentes ament, interdum propensius, memores, à matre teneram ætatem suam contemptam esse, à nutricibus matrum vicariis susceptam. Alexandri magni sane insignis fuit in nutricem amor, & veneratio, & nescio an maior, quam in matrem Olympiadem, Curt. lib. 8. Iust. lib. 12.

Cõtemptorem oderunt, benefactorem amplectuntur.

Educatio neglecta in caput parentum redundat.

§. 3. Hinc & alia pœna, diuina vltione, delicatis fœminis imponitur, vt cum filios paruulos, velut alienos, suæque curæ indignos, alienæ fidei crediderint, eos cum valentiores euaserint: immorigeros, obloquutoresque sentiant. Non potest illa vberibus ostensis ingratitudinem exprobrare, quæ filium illis dignata non est. Quid superest ergo aliud, quam vt exspectet, vt ab eo deseratur in senecta, quem vagientem domo, aut sane sinu eiecit? Non inueniet in robusto pietatis, & amoris constantiam, cuius ipsa elementa in cunis obliterauit, & aboleuit.

Dulcius educat materna manus.

Alieni lactis qualitas infanti periculosa.

§. 4. Multis etiam modis filio obest, qui cum in vtero materno, de sanguine matris vixerit, nullum habet suæ naturæ, ac constitutioni alimentum accommodatius, quam lac eiusdem matris, est enim lac sanguis dealbatus. Tantæ porro teneritudini prolis victus, & aeris mutatio periculosa est. Lactis enim alieni suctus, nec sanitati, nec incremento conducit. Simili vnumquodque alitur, contrario oblæditur, mutatione deiicitur.

Prima nutrimenta infantis indolem formant.

§. 5. Neq; minus moribus nocent, quam vitæ prolis. Quid enim si nutricem nacta sis ebriosam, iracundam, libidinosam? combibet in ipso lacte venena, maleficæ fœminæ tener alumnus. Audierque:

Non tibi diua parens generis nec
Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt vbera tigres.

Et: *Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino.* Quî enim persuadere tibi potes, meliorem fore filio adscititiam matrem, cum tu duas illi nouercas dederis? te enim deserendo, nouercam, & illam aduocando fecisti. Quam vero illam? Si vetula est: Contra vetustissimum medicinæ præceptum peccasti. Medici enim lac, sanguinis spumam esse volunt, quo nomine, monet Varro, *nutricem oportere esse adolescentem, nam annus, vt sanguis deterior, sic lac.* Quid igitur

Vetula nutrix perniciosa infanti.

filio sanioſum humorem, de frigido ſanguine vix ſpiſſatum, pro vera alimonia porriges? Si iuuenculam dederis, vide ne mores, & familiam corrumpat. Imo ne ipſa concubitu non abſtineat, ſi enim imprægnata fuerit, lentum venenum alumno propinabit. *Concipere nutrices exitioſum*, ait Plin. lib. 28. cap. 9. Et Gal. de tuenda ſanitate. Nihil eſt infanti lactenti adhuc nocentius, quam nutricem in vtero concipere. Quod enim optimum eſt, & vitaliſſimum hoc in fœtum abſumitur, ſanguis minor, & impurior remanet, lac aut nullum, aut exiguum eſt, vt monet Ariſtotel. de gen. anim. l. 4. c. 8. Verum vt nihil eorum quæ crebro fiunt, factum eſſe concedamus, eſt tamen amor matris naturalis, nutriculæ mercenarius: ideoque alia mercede, alio ducuntur. Cum enim ſemel lucro ſe animus dederit, ibi fas putat, vbi maxima merces. Neque eſt quod nutricem amaturam arbitreris alienum, cum tu mater non diligas tuum.

Nutrix caſta ſit.

§. 6. Quid tandem, ſi loqui poſſet infans, diceret, ſi mox ab vtero ſe videret relegari? & ſine culpa ſua exulare, niſi culpa fuit naſci? Tacet ſtrepitu, clamat affectu, tener eſt, miſerabilis eſt, quia rogare non poteſt, amandus eſt, quia nondum intelligit calamitatem ſuam. Diceret ſane, ſi intelligeret: mundum ô mater, & cimelia, & armillas multiplici claue aſſeruas, catellum, & ſimiam forte ſinu foues, arcæ tuæ nulli permittis arbitrium, totam diem ornatus diſponitur; me partem tui, qui vitam meam à tuis viſceribus accepi, qui vix à te diuulſus ſum, alienæ committis fidei, & forte perfidiæ. Et quanquam ſperare potes leni obſequio me educandum, certe ſcis non materna manu tractandum. Olim ſi te anum imbecillam, & opis egentem, vel domo, vel affectu excluderem, dignus certe eſſem, cui tellus ima dehiſceret. Si hoc permitterem, vt alius benigniore, quam ego in te animo eſſe videretur, filiumne me agnoſceres? Cui curam mei delegas, quam me iubes diligere, vt alteram matrem?

Mater eſſe deſiit, quæ filium abiecit.

§. 7. Non faciet iſta mater, quamuis matrona diues, & illuſtris. Semper lacte natiuo, non emptitio filium ſuſtentabit. Semper enim lac, ac ſpiritus maternus, longe magis ingenii, atque incrementa corporis auget. Colum. lib. 7. cap. 12. Non eſca modo, ſed & ſpiritus, magno enim affectu, mater vbera filio præbet, ideoque lactis ſpiritoſi, & calentis, ſalutarem copiam cum ſpirituum vita quadam infundit. Amantis enim matris alimenta, omnia viuidiora ſunt, & natis non modo corporum vigorem, ſed ingenii quoque ſimilitudinem adferunt.

Lac maternum magis vitale.

§. 8. Denique quod periculum tandem, illo peruerſiſſimo fœminarum faſtidio, propriique ſanguinis contemptu adeatur, latere neminem poteſt. Quã facile enim fuerit, nutriculam ingentis mercedis precio corrumpi, vt nobili partui ruſticanum ſupponat? & clariſſimis familiis ſeruiles ſordes inſerat? Ita ſane Artabano Macedoni contigit, cuius filium infida nutrix permutauit, & deinde adulto, iam vero & ſuppoſitio filio, ſceleratius furtum euulgauit, quam fecit: Magna enim clade regni vterque concurrerunt, atque vna die occubuerunt. Nec in paruis modo cauta cuſtodia eſt adhibenda, ſed multo maior adultis, cum ætate enim, & robore filiorum creſcunt boni parentis, nunquam nimis magnæ ſollicitudines. Nutricum eſt magna apud alumnos auctoritas, & ſæpe maior, quam matrum, nec defuerunt qui plus illas, quam matres amarunt. Certe multi matribus nefarias manus attulerunt, nutricibus pauci. Hinc multi principum liberi, ab illis in fraudem inducti ſunt, & nulla regiarum fœminarum, niſi conſcia nutrice rapta eſt. Cauſa matres ſunt, quæ alteram quaſi matrem illis adiungunt, quæ matris habet auctoritatem, matris furata amorem, ſeruile tamen, & precio venale ingenium. Multis olim nutricum nequitiæ legibus coercitæ ſunt, inter eas ſeuera eſt illa Conſtantini, anno 320. lata. *Et quoniam parentum ſæpe cuſtodiæ, nutricum fabulis, & prauis perſuaſionibus deluduntur: his primum quarum deteſtabile miniſterium fuiſſe arguimus, redemptique diſcurſus pœna immineat. Vt eis meatus oris, & faucium, qui nefaria hortamenta protulerint, liquentis plumbi ingeſtione claudatur.* Veterum igitur præcepta ſequantur, & proprio lacte filios alant, vt ingenuam indolem, promoueat maternus affectus: Si enim vt Iuſtinus libr. 43. refert Hogis Curetum rex eximiæ pernicitatis fuit, quia ceruam nutricem expoſitus habuit, quantum in cæteris vim eſſe dicemus? Catonianæ igitur vxoris potius ſedulitatem imitentur, quæ non modo filium ex ſe genitum ipſa nutriuit, ſed ancillularum quoque infantes interdum vberibus ſuis admouit, qua re parentes in præſens, & in futurum vernulas ſuos filio conciliauit.

Regiarum fœminarũ conſilium, & ſenatus, eſt nutrix.

Nutricum conciliationes legibus vindicatæ.

Vis nutrimenti in alumno.

Quid igitur hac in re principi ſtatuendum? Dicam vno verbo. *Legem ferendam eſſe publicam: Vt mater filios, quos genuit, ſuo lacte enutriat: neque vllam vel opes, vel nobilitas excipiat. Quod ſi cauſa morbi, non poſſit, ea de re auditis medicis, magiſtratus, & maritus ſtatuat. Quæ ſecus faxit, ignominia notator.*

Lex nutriendi infantu.

§. 9. Merito ſane, niſi enim inter parentes, ac liberos ſit fortis amor, non poterit eſſe inter alienos, ideoque nec in Republica concordia. Multi parentum, vicariam pro filiis mortem optauerunt, nonnulli ſubierunt, plures illis ſupereſſe noluerunt. Iſrael inconſolabiliter Ioſephum luget: Dauid non niſi periculo motus, ſigna mœroris dimittit, mœrorem altius figit, ac condit. Et ne pietatis tantum, ſed naturæ, & humanitatis amorem illum intelligamus. Ægeus Athenienſium rex, cum ex aſpectu velorum lugubrium, Theſea occiſum ſuſpicaretur, in pelagus ſe præcipitem dedit. Similis error, matrem Vlyſſis exſtinxit, Iocaſta cum Eteocles, & Polynices mutuo vulnere cecidiſſent, breui ſecuta eſt. Mopſus Cretenſis audito ad Saguntum filios periſſe, lapſus è turri, ſeſe volens, prudens eliſit. Orodes rex Parthorum, morte Pacori filii, tantum dolorem animo cœpit, vt quod olim eadem de cauſa, contigerat Hecubæ, in rabiem verteretur. Gordianum quoque imperatorem, mœror occiſi filii obruit, & exſtinxit. Octauius Balbus cum ſui cauſa filium occidi putaret, ſeſe proſcribentium carnificibus obtulit. Eodem amore inter Q. Ciceronem, & eius filium certatum eſt: Nullis tormentis filius adduci potuit, vt parentem proderet: Pater è latebris ſe in conſpectum dedit, vt lanienæ filium eximeret. Idem erat amor eorum, de quibus Liuius ait: Multos bello punico ſecundo ad Thraſymenum, & Cannas falſo creditos periiſſe, eratque nonnullorum vita iam temere deplorata, *cum repente matribus oblati, tantam lætitiæ molem illarum animis effuderẽ, vt velut ſubita ruina oppreſſæ, inter oſcula, & amplexus exſpirarint.* Tantum cum ſit vix naturalis inter parentes & natos vinculum, non debet eius à primo ſtatim ortu, per matrum delicias, nexus aut ſolui, aut laxari.

Publice concordiæ vinculum eſt amor familiarum.

Caritas parentũ mortẽ fortiur.

Nulla parentis boni ſollicitudo nimia, quia nunquam abſunt pericula.



CAPVT

CAPVT IV.

Infantes institutione quoque indigere, & quæ illa sit.

Inter fascias quoq; mores formãdi sunt.

§. 1. QVEMADMODVM vxorem ducere liberum est, ita prolem in lucem editam educare, instituere necessarium, atque omnino ne ope, auxilioque destituatur, curandum est.

Iniuriam itaque naturæ faciunt, quia legem immanem, & ἄσοφγον in Rempublicam inducunt, qualis erat illa Romuli: *Monstrosos partus sine fraude necanto.* Crudelis etiam patria potestas, quæ ius vitæ & necis in filios vsurpabat; quia multos inconsulta patrum iracundia, plures calumniæ domesticæ perdiderunt. Dura fuit abdicatio, qua filius esse negabatur, sed tamen iure, & legibus constituta fuit. Grauissima tamen parentum est crudelitas, qui inscios suæ conditionis, nihilque meritos, vel locis desertis, vel illis exponunt, vnde accipi & educari possint. Thebanorum ea de re iusta erat, & humanitatis plena lex; quæ capitis supplicium decernebat, *si quis infantem in solitudine exposuisset*, neq; enim tantum homicidium, sed etiam cædes innocentis erat. Ælian. libr. 2. Var. hist. Quod si alere natum non posset, ad magistratum cum fasciis deferebat, à quo paruo precio in seruitutem vendebatur. Optima, ac misericordissima lex est Christianorum, qui quidem exponentibus pœnam infligunt. nam & patria potestate eos eximunt, & aliis pœnis parentes afficiunt, leuioribus, quam pro merito; quia nascentium incolumitati consulunt; ne necare, atque abscondere, quam exponere malint. Valentiniani, Valentis, Gratiani Cæsarum edictum est. *Vnusquisque sobolem suam nutriat: quod si exponendam eam putauerit, animaduersioni, quæ constituta est, subiacebit.*

Crudelis in suum sanguinem, nulli nouit parcere.

Expositio infantum capitalis.

Mitius puniuntur, qui infantes exponunt, ne eos occidere malint.

§. 2. Quæ igitur filio, aut filiæ, cura est adhibenda primo quinquennio siue lustro?

Primo quinquennio sapientiæ instrumenta adornãtur.

Cum illa ætate mens infirma sit, nec instrui possit, solius corpusculi cura habebitur, ita tamen vt illa seruentur, quæ sensuum tum exteriorum, tum interiorum integritati, & viuacitati conducunt. *Quid enim horteris*, inquit D. Hieronymus Ep. 17. *ad continentiam, quæ placentas desiderat? quæ in sinu matris garrula voce balbutit? cui dulciora sunt mella, quam verba? Audiat profunda Apostoli, quæ anilibus magis fabulis delectatur? Prophetarum ænigmata sentiat, quam tristior gerulæ vultus exagitat? Euangelii intelligat maiestatem, ad cuius fulgura omnis mortalium sensus habetur? vt parenti subiiciatur, horter, quæ manu tenera ridentem verberat matrem!*

Sunt tamen quæ patri, quæ matri circa tam paruulos præcipiam. Ad bonam educationem opus est apparatu.

In publicũ interdum ducendi, vt auræ assuescant.

§. 3. Primum est, vt ante quinquennium ea agantur, quæ sint, rudimenta futuræ spei. Plato in triuium nutrices, pueros que conuenire iussit, tum vt liberiore aura fruerentur, tum vt nutricum mores in publico notari possent.

Deinde, etiam hac in ætatula, diligens, curiosus, fastidiosus sit delectus gerularum, ancillarum, seruulorum, qui filiolum custodiunt, curantque. Vt sint honestis moribus; nam eorum quos primum intuentur mores referunt. Curandum ne anilibus fabulis prauas, absurdasque opiniones illis ingerant

Puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit.

sed de his supra monui.

§. 4. Loquendi etiam fundamenta ponent, qui cum tenero alumno agunt, nec balbutiem eius, per blanditias & iocos imitabuntur. Quia peruerse loqui addiscunt. Plurimum autem operæ, in sermone formando collocabit prudens pater.

Sibilos quisque suæ gẽtis, non tãtum verba tenet.

Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quam sapere, & fari vt possit, quæ sentiat?

Cum vero voces, vocumque articulatio, & sibili, accentusque à consuetudine pendeant, seligendi sunt qui clara, dulci, genuina pronunciatione vtantur, ita futurum est, vt à quibus signa rerum percipit paruulus, etiam emendatæ pronunciationis morem hauriat. Gracchi eloquentiam, in sinu matris didicere. Nos quoque gentium consuetudo id admonet; quis enim externæ nationis ita linguam sonat, vt non patriam simul spiret? Dorum erat etiam cum Attice loquerentur, ἀλαλυσμία, lato enim ore verba ducebant. Et nos quoque latine loquentes, per gentes ex sono vocis distinguere possumus. Vnde vero est, vt nunquam pronunciandi modum dediscant, quem primis annis hauserunt? Quia quod primum discimus, arctissime animo, & quasi altera natura adhæret. Cur tribus Ephraim, gentile vitium retinuit, vt dicere non possent Schibboleth, sed leniore sono Sibboleth? A matre, vel nutricula, ancillulaque aliqua, quæ vel ipsius Ephraim, vel filiorum eius infantiam informauit. Quemadmodum igitur cura adhibetur, ne tenera crura, aut brachiola distorte crescant, ita quoque lingua formanda est, non imperitis, quorum necdum ætas illa capax est, sed articulata, puraque enunciatione; recte enim loqui discet, si praue neminem pronunciantem audiat.

Suæ linguæ cum exteræ linguæ plerumque sonum miscent.

Vnius linguæ vitium in totam gentẽ transit.

§. 5. Discere etiam nonnulla, tam tenera ætas, si magistrum habeat idoneum, poterit; sed ludendo discet, non laborando. Non est hæc cura puerilis, quamuis in puero. Certe vir magni ingenii, ac sanctitatis Hieronymus, nec ab officio, nec ætate sua abhorrere existimauit, inter sublimia studia sacrarum literarum, puerilem ætatem docere. Illa lingua, quam audiit antiqua, miratur præsens Ecclesia, quam vt acuti telum fulminis hæreses exhorruerunt, paratus virginis tenellæ verba formare. Epist. septima, ita loquitur: Ipse, si Paulam miseris, & magistrum me, & nutricium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multo gloriosior mundi Philosopho, qui non regem Macedonum, Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam CHRISTI erudiam, regnis cælestibus offerendam.

Per ludum multa discere pueri solent.

Magnorum virorum est formare linguas paruulorum.

Quapropter Societatem nostrã iniq; nonnulli carpunt: dũ idcirco minus religiose, eam Deo seruire credunt, quod ad pueriles Scholas sese demittit, mallent eam in sola Theologia occupari. Quos contra cum opus fuerit disputabo. Nunc vnum eos considerare peruelim, plerosque hominum, antequam studiis illis idonei reddantur, plurima, accuratissimaque egere disciplina.

Societas Iesu institutionem puerilis ætatis complexa magnis exemplis defenditur.

Nec tacuit vir prudentissime humilis, quid discendum censeret. Epist. 12. *Itaque Pacatula nostra hoc Epistolium post lectura suscipiat, interim modo litterarum elementa cognoscat, iungat Syllabas, discat nomina, verba consociet: atque vt voce tinnula ista meditetur, proponantur ei crustula, mulsa, præmia, & quidquid gustu suaue est, quod vernat in floribus, quod rutilat in gemmis, quod blanditur in pupis, acceptura festinet: interim & tenero tentet pollice fila ducere, rumpat sæpe stamina, vt aliquando non rumpat: post laborem lusibus gestiat: de matris pendeat collo; rapiat oscula propinquorum: psalmos mercede decantet: amet, quod cogitur discere, vt non opus sit, sed delectatio, non necessitas, sed voluntas.*

Amor discendi ingenium præstat.

Pluribus eadem pene, sed quæ sapientiam veterem habeant; Epistol. sept. *Sic erudienda est anima,*

Industria doctos pueros efficere potest.

quæ futura est templum Dei, nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat: cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciua puerorum: Ipsæ puellæ, & pedisequæ à sæcularibus consortiis arceantur; ne quod male didicerint, peius doceant. Fiant ei litteræ, vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur, ludat in eis, vt & lusus ipse eruditio sit, & non solum ordinem teneat literarum, vt memoria nominum in canticum transeat, sed & ipse inter se crebro ordo turbetur, & mediis vltima, primis media misceantur; vt eas non sono tantum, sed & visu nouerit. Cum vero cœperit, trementi manu stylum in cera ducere; vel alterius superposita manu tenere, regantur articuli, vel in tabula sculpantur elementa; vt per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, vt foras non queant euagari. Syllabas iungant ad præmium, & quibus illa ætas delinire potest, munusculis inuitetur. Habeat & in discendo socias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur. Non obiurganda est, si tardior sit, sed laudibus excitandum est ingenium, vt & vicisse gaudeat, & victa doleat. Cauendum inprimis ne oderit studia, ne amaritudo eorum, præcepta in infantia vltra rudes annos transeat. Ipsa nomina per quæ consuescit paulatim verba contexere, non sint fortuita, sed certa & coaceruata de industria, Prophetarum videlicet, & Apostolorum, & omnis ab Adam Patriarcharum series, de Matthæo, Lucaque descendat, vt dum aliud agit, futuræ memoriæ præparetur.

Cauendum ne oderint vtilia pauuli.

Regium est sapientiæ rudimentis præsidere.

§. 6. Præsideat his exercitationibus filiorum paterfamilias, etiam rex, & princeps, multoque gloriosiorem functionem arbitretur, quam fuerit olim agonothetarum in Græcorum spectaculis, vel Romanorum, Illic morum excidia, & mortes, hic virtutum initiamenta peraguntur.

§. 7. Finiam vbi nonnulla de corporis cura, præcepta dedero. Instrumentis regere ea consueuerunt, ne distorqueantur, ita Aristoteles lib. 7. cap. 17. Polit.

Frigus plantas, segetes, atque adeo infantes firmat.

Monet & aliud, quod nullo modo in vsu est, reuocari tamen posset. Συμφερει δε ευθυς, και πως τα ψυχη σκληρυνεσθαι των μικρων παιδων. *Conducet statim à puero eos ad frigora assuefacere.* Hoc enim & ad sanitatem, & ad bellicas res vtilissimum est, itaque barbari hoc faciunt, & sane fieri potest, ob calorem natiuum facile pueri frigus pati possunt. Celtæ natos ad flumina durabãt; Idem Gothis suis Olaus magnus tribuit. Thraces quoque ad frigoris tolerantiam suos erudierunt: Sidon. carm. 2.

Excipit hic natos glacies, & matris ab aluo
Artus infantum molles nix ciuica durat.

Moderato frigori assuefiant, nimio stupidi redduntur.

Britanni veteres, vt Cæsar habet lib. 5. de bello Gallico, inter pericula celerrime se in paludes abdebant, *frigoris tolerantissimi.*

Labor pueritiæ incrementum impedit.

Monet & hoc prudenter; Illis annis nec labori, nec disciplinæ admouendos, ne incrementum impediant. Lusu id consecuturos constat, sed ipsæ ludicræ exercitationes futurorum negociorum debent esse quædam imitationes. Neque vero lacrymas, & complorationes inhibere conuenit: exercitii enim loco sunt, venas, arteriasque dilatant, & roborant, & vt docet Aristoteles iuuant incrementum: sunt enim γυμνασια τοις σωμασιν, *exercitia corporibus.* Neque alia causa est, cur in primulis annis, rusticorum proles forticula sit, diuitum imbecillior, quam quod exercitio naturali hæc destituatur, illa abunde fruatur, negocioſis matribus ad alia versis, ploratumque & eiulatum negligentibus.

Eiulatus puerorum eorum est exercitium.

Caput V.

Institutio puerorum iam adultiorum, & quibus in rebus illa versetur, & de moribus.

Biennio sunt pueri spectatores laborantiũ.

§. 1. Aquinquennio ad septennium earum artiũ, quas amplexaturi sunt, Aristoteles vult eos esse spectatores. Quod sic accipies, vt tamen teneriores ætatis exercitia retineant, & cura aliqua afficiantur, erga illa quæ seria sunt. Quæ vero discenda sunt, partim ad animum pertinent, partim ad externas res. Ad animum pertinet studium virtutum, artiumq; liberalium, ad externa, omnium artium, quas βαναυσικας appellant, exercitationes. Harum omnium munia Reipublicæ necessaria sunt, atque de hisce agendum mihi hoc loco est.

Virtutiomnia seruiunt.

§. 2. Quod ad pietatis, virtutumque studia attinet de eo multis libro secundo, & primo actum est, est enim hoc maximum, & proprium hominis bonum: Virtuti omnes artes, quamuis contemptæ seruiunt, omnesque tam honorata seruitute ingenuæ, & liberales efficiuntur. Ea enim vis virtutis est, vt seruitutem faciat regnum; postquam DEO seruire, regnare est. Intuere PAVLVM Apostolum, vas electum, regum, & orbis doctorem, à tertio cœlo descendentem, & de pellibus tabernacula consuentem, vt sine sumptu ponat Euangelium, vt alimenta ministrent manus istæ, ne Ecclesias grauaret, ne daret occasionem maledicis, quasi non populorum salutem, sed opes suas quæreret.

Pietas inter bona exempla facilis.

Sed de pietate, & virtute ante dictum est; hoc præcipue curæ habeat respublica, vt cultus Dei vigeat; olim id difficile fuit, cum auratum fulgeret capitolium, & ex omni templo, oracula dæmones funderent. Nunc inundans ad Ecclesias populus, & in pietatem effusæ vrbes, omnibus pietatem suadent, & quodam modo extorquent. Pudeat principem, in medio Christiani orbis, aut exiguam, aut nullam ducere rationem pietatis, cum per Indias trophæa crucis erecta legit, barbaræ gentes, humanæ carnis visceratores, posita feritate martyria patiuntur, & cœlo inferuntur, veniunt ab oriente Cambaiani, Iaponii, Chinenses, à Meridie Æthiopes, ab occidente Brasilii, Mexicani, Floridiani, & sedent cum Christo in regno Dei, filii autem regni, quorum auita est possessio religionis, eiiciuntur in tenebras exteriores. Matthæi 8.

Pietatis magna pars ad barbaros migrauit.

§. 3. Causa tanti mali est, teneræ ætatis, neglecta institutio. Arbores teneras & prima frondium germina, pruina adurit, facile adolescentia corrumpitur, si doctrina sacra non erigitur. A teneris sanctissimam fidem, moresque doceatur infans. Oret ad mensam patris tenellus infans, & trimula virguncula laboriosa verba symboli balbutiat, filiorum semisonantibus verbis, iungatur integer parentum affectus. Tabulis illis puris, nulla immunditie sordidatis, de spiritali lauacro candentibus, inscribantur dulcia diuinitatis eloquia.

Agnoscant patrem suum in cœlis, discant vitam hanc mortalem esse, viam in cœlestem, intelligant se regni æterni candidatos. Horreant magis vitia, quam spectra, & dæmonas, nec ignorent, se quotidie de vita dimicare. Exponit ista idem quem citaui Hieronymus Ep. 7. Discat statim, *quam habeat & alteram auiam, quam amitam; cui Imperatori, cui exercitui truncula nutriatur, illas desideret, ad illas tibi minitetur abcessum. Ipse habitus, & vestitus doceat eam: cui promissa sit. Caue ne aures eius perfores: ne ceruſſa & purpurisso consecrata Christo ora depingas: nec collum auro, & margaritis premas: nec caput gemmis oneres: nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris, habeat alias margaritas, quibus postea venditis, emptura est pretiosissimum margaritũ. Prætexta ta, nobilissima quondam fœmina, iubente viro Hymettio, qui patruus Eustochii Virginis fuit, habitũ eius cultumq; mutauit; & neglectum crinem mundano more texuit sibi, vincere cupiens*

piens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce tibi eadem nocte, cernit in somnis venisse ad se angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem. Tune ausa es viri imperium præferre Christo ? tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ iam nunc arescent; vt sentias excruciata quid feceris; & finito mense quinto, ad inferna duceris, sin autem perseueraueris in scelere; & marito simul orbaberis & filiis: Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi, sic gemmas, & pretiosa ornamenta defendit,

Graue scelus est pietati filiorũ obsistere.

§. 4. Omnia fœda imaginum, & verborum absint. Absit, & quisquis nocere potest. Athenienſiũ pædagogiorum lex erat, Doctores Scholam *ne aperiant, priusquam sol effulserit: neque illam claudant, antequam occidat: hisque qui puerilem ætatem superauerint: dum pueri in ludo sunt, ne liceat ingredi nisi præceptoris, aut eius fratris filius, filiæue eius vir sit. Quod si quis præter illam prohibitionem ingressus fuerit morte puniatur. Gymnasiarcha quoque ex his quemquam qui maiores natu sunt, aliquo pacto pueris commixtum in sedendo, ne permittant: quod si admiserint, & à Gymnasio non repulerint: de ingenuorum corruptela Gymnasiarcha reus esto.*

Teneræ ætatis innocentia defendatur.

Et Iuuenalis rectæ quidem consulit alienæ castitati, sed tamen etiam libros eius eadem lege ab honesto limine abesse oportuit. Satyr. 14.

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat.
Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ,
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia:

Puero debetur reuerentia.

Quod parentibus scribit Hieronymus, id quia plurimis parentibus cordi non est, scribo Reipublicæ. Ep. 7. *Heli sacerdos, offendit Deum, ob vitia liberorum. Episcopus fieri non potest, qui filios habuerit luxuriosos, non subditos. At econtrario de muliere scribitur, quod salua fiet per filiorum generationem, si permanserit in fide, & caritate, & sanctificatione, cum pudicitia. Si perfecta ætas, & sui iuris, imputatur parentibus: quanto magis lactans, & fragilis, quæ nec ex sententiam Domini, ignorat dextram, & sinistram, id est, boni, & mali differentiam? si solicita prouides, ne filia percutiatur à vipera: cur non eadem cura prouideas, ne feriatur à malleo vniuersæ terræ? ne bibat de aureo calice Babylonis? ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ? ne ludat pedibus, ne trahat punicas? Venena non dantur nisi melle circumlita: & vitia non decipiunt, nisi sub specie vmbraque virtutum. Et quo modo, inquies, peccata patrum filiis non reddantur, nec filiorum parentibus, sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur? hoc de his dicitur qui possunt sapere, de quib. in Euangelio scriptum est: Ætatem habet, loquatur pro se, qui autem paruulus est, & sapit vt paruulus, donec ad annos sapientiæ veniat, & Pythagoræ littera T. eum perducat ad biuium; tam bona eius, quam mala parentibus imputantur.*

Parentibus filiorum vitia imputantur, principi etiam parentum.

§. 5. Non lubet recedere, ab optimo doctore pietatis: ille Ep. 12. *Sexus fœmineus suo iungatur sexui: nesciat, imo timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum nouerit: & si forte, in tumultu familiæ discurrentis, aliquid audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis, ac monitis, & pro imperio habeat. Amet vt parentem, subiiciatur vt dominæ, timeat vt magistram. Cum autem virgunculam rudem, & edentulã septimus ætatis annus exceperit, & cæperit erubescere, scire quid taceat, dubitare quid dicat; discat memoriter psalterium, & vsque ad annos pubertatis libros Salomonis; Euangelia, Apostolos, & Prophetas sui cordis thesaurum faciat: nec liberius procedat ad publicum, nec semper Ecclesiarum quærat celebritatẽ: in cubiculo suo totas delicias habeat: numquam iuuenculos, nunquam cincinnatos videat: vocis dulcedines, per aurem, animam vulnerantes, puellarumque lasciua repellantur: quæ quanto licentius adeunt, tanto difficilius euitantur. & quod didicerunt, secreto docent, inclusam Danaen vulgi sermonibus, violant.*

Studia & mores puellarum.

Mira est ingenii humani peruersitas, non semper obedit monenti, quorundam asperitas contra blanditias, rationes, minas ex æquo contumax est. Factum Alexandri, ebrietatem Achillis nulla cura instructorum, & magistrorum, corrigere potuit; Neronem frustra erudiuit Seneca; nam calumnioſe accusatum, innocentia eius, offensus, mori coegit. Heliogabalus, omnium magistrorum curas, improbitate elusit. Quantum egit Dauid, ne Absolon improbus euaderet? Quot optimi parentes, filiis contumacibus vtũtur? Fateor ita esse, & vitiosam, efferamque naturam magno labore coërceri, & cum in suam potestatem, ingeniumque immigrauit, ferociorem fieri; sed non tamen idcirco bonæ, & mediocri indoli institutio subtrahenda est. Imo nec pessimæ, & deprauatissimæ. Dum enim spiritus est, spes est frugis melioris. Et si non tota, pars tamen impietatis euitatur.

Multorum prauitas institutionem reddit inutilem.

§. 5. Quid igitur remedii est, duris, maleficis, contumacibus ingeniis? Crudam adhibuere medicinam Indorum Brachmanes; nam post duos menses inspectum fœtum, si indoles improbaretur, vel in syluas exponebant, vel coram occidebant. Lacedæmoniorum quoque eadem feritas in exponendis fuit, ad voraginem enim Taygeti amandabant. Barbarum plane, & crudele. Imo stolidum, non enim ex paruulorum propensionibus, futuræ vitæ ratio colligi potest, affectionum indagatrix est physiognomia; sed non nisi peritissimorum iudicio instituenda, quorum tamen illa sit summæ pars prudentiæ, vt ne ex illis vestigiis, & naturæ ductibus, de voluntate iudicium ferãt. Naturales hominum appetitiones, quæ ad vitia detorquẽt animos, in aliis sunt vehemẽtes, in aliis lenio res, in omnibus aliquæ. Institutio tamen, consuetudoq; facit, vt grauibus affectionibus, tentationibusque obsistatur, studium, pudor, & ante omnia diuina gratia, naturam corruptam emendat.

Indolis improbatæ pueros occidere barbarum est.

Ex physiognomia incertum iudicium.

Et sane multi institutione, non ad ciuiles, & tolerabiles modo, sed insignes etiam, sanctosque mores inducuntur. Pericles, familiaritate Clazomenii, profecit. Alcibiades Socratis institutione, ingentia vitia, ne plus patriæ obesset, etsi non deposuit, paulum tamen inhibuit. Philostratus vna Polemonis oratione, ad frugem adductus est. Quanta vitia erant, cum Euangelium inferrent Apostoli? lege Rom. 1. 28. *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum: vt faciant ea quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.*

Institutio bona vitia mitigat, gratia tollit

Et 1. Cor. 6. 9. an nescitis *quia iniqui regnum Dei non possidebunt? nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.*

Instet igitur Respublica, nec desperet operis successum, cui Deus vel maxime fauet. Et sapienter à Fab. 1. cap. 16. dictum est: *Turpiter desperatur, quicquid fieri potest.* Non audio illas voces; Irritus est labor; obluctante natura. Tam mira, difficiliaq; artium comprehendit, & peragit mens humana, tot linguas addiscit, scientia vniuersum orbem perambulat. Quomodo igitur bonos mores addiscere non posset, ad quos naturæ habet inclinationem? Virtus proprium mentis nostræ bonum est, & sui boni natura capax est.

Summa igitur opus vi: princeps, mores puerorum formandos curet, facile bona discunt, difficillime mala dediscunt. Difficile est tamen, fateor, mores rectos conseruare. Facilius est vincere, quam tueri prouincias deuictas. Vno impetu victoria venit, multi-

Boni mores difficulter diu seruantur incolumes.

multiplici arte seruanda est. Sed in moribus difficilis est receptus; malum nascens inhibendum est, alioqui in immensam crescit magnitudinem. Τὸ συνηθὲς πολὺ χαλεπώτερον ἢ τὸ μὴ χρηστὸν διὰ χρόνου θεραπεύεσθαι. *Consuetudo multi temporis difficilime tollitur.* Facilius dissoluitur, quam reficitur, quod inueteratum est.

Malorum initia sunt exstinguenda.

Nascentem exstinguite flammam,
Ne serò redeant post aucta pericula curæ.

Iumentorum contumaciam, sternacitatem, nictationem, succussionem emendant in pullis equisones, & tu vitia adolescentiæ negliges? Præsertim cum vnum, vnius vitium, Rempublicam magno detrimento possit afficere? In corporibus ægris, nihil nociturum medici relinquunt. Tibi mentium ægritudines curandæ sunt.

CAPVT VI.

Iuuentuti præficiendos esse probos, & doctos Magistros.

Post menses 21. verba formare solent.

§. 1. SEPTIMO anno ad magistrum puer deducetur; seria enim iam, sed pro ætate tamen aget; Matris, & nutricum verba per mẽses viginti, & vnum audiuit, & imaginatus est, deinde sonus eius, in verba prorupit. Interea vsque ad annum septimum ex vsu fuerit, non vernaculam modo linguam illum audire, sed latinam quoque, quam forte magna parte, assuetudine condiscet. Miror vero cur magnates, & principes, si intra septennium onerare liberorum ingenia discendi cura nolunt, non attribuant aliquos ministros qui semper latine loquantur, seseque interrogent, & eadem nunc Germanice, nunc Latine, efferant, aliquando paruulum consulant, eaque, quæ ipsum nosse constat, ex eo quærant, vt laude ad condiscenda excitent. Olim sane latinam linguam sine Grammatica didicere.

Ratio expedita, qua paruuli magnatum varias linguas addiscant.

Germani principes anno septimo magistro filios tradunt.

Verum nunc de præceptoribus & magistris agendum, ad quos anno septimo Aristoteles, Plutarchus atque alii ducendos iudicant: Etiam Bulla aurea Caroli quarti. Tit. 26. *Cum sacri Romani Celsitudo Imperii, diuersarum Nationum, moribus, vita, & idiomate distinctarum, leges habeat, & gubernacula moderari, dignum est, & cunctorum sapientum iudicio censetur expediens, quod Electores Principes, ipsius Imperii columnæ, & latera, diuersorum idiomatum, & linguarum differentiis instruantur, vt plures intelligant, & intelligantur à pluribus, qui plurimorum necessitatibus releuandis, Cæsareæ sublimitati assistant, in partem solicitudinis constituti. Quapropter statuimus, vt illustrium Principum, puta, Regis Bohemiæ, Comitis Palatini, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandenburgensis, Electorum filii, vel hæredes, & successores, cum verisimiliter Teutuonicum idioma, sibi naturaliter inditum, scire præsumantur, & ab infantia didicisse, incipiendo à septimo ætatis suæ anno, in Germanica, Italica, & Sclauica lingua instruantur, ita quod infra 14. ætatis annum, existant in talibus, iuxta datam sibi à Deo gratiam, eruditi, cum illud non solum vtile, imo ex causis præmissis summe necessarium habeatur, eo quod illa lingua vt plurimum ad vsum, & vtilitatem sacri Imperii, frequentari sint solita, & in his ardua ipsius imperii negotia ventilentur.*

Hunc autem proficiendi modum in præmissis posuimus obseruandum, vt relinquatur optioni parentum in filios, si quos habuerint, seu proximos, quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, eosque ad loca dirigant, in quibus de huiusmodi possint linguis edoceri, vel in propriis domibus pædagogos instructores, & pueros consocios, in his peritos, eis adiungant, quorum conuersatione pariter, & doctrina, in linguis ipsis valeant eruditi.

§. 2. Prima igitur cura Reipublicæ sit, vt idonei Magistri, ac præceptores, non modo ad principum, magnatumque filios erudiendos, sed priuatorum quoque sobolem instruendam deligantur. Nec modo de studiis literarum sermonem facio, sed de omni artium genere. Quamuis enim non par vbique, est tamen magnum, si quis hic erret, periculum. Ego felicissimam Rempublicam arbitror, cui boni præceptores contigere. Multo enim præstantius est, bene institui, quam feliciter nasci. In magistrorum enim mores, fere migrant adolescentum ingenia. Magni refert cuius se fidei, peritiæ, & diligentiæ committat, qui per vastos oceani anfractus, Indias petit. Neque satis est nauem esse validam, commeatuque & armamentis instructam, sed nauarchum esse oportet etiam gnarum regionis, & periculorum: multo maior cura domi est omnibus necessaria, ne ad metas impingat improuidæ flexus ætatis.

Boni institutores iuuentutis felicitas Reipublicæ.

Magistros itaque generatim accipio, siue à monendo, siue à mõstarndo dicti sint; siue potius, quod quibus præsunt, curam debeant. Iurisconsulti omnium disciplinarum præceptores appellant magistros. Leg. quibus præcipua, 57. de verb. signif. Itaque sunt magistri societatum, collegiorum, vicorum, augurum, officiorum, sacrorum scriniorum, populi, equitum, morum. Nos de artium magistris loquimur, & morum; eruditionis enim, & virtutum esse doctores debent. Censorum magna fuit dignitas, & sine appellatione iurisdictio. Censere facultates, notare ciuem ignominia, mouere senatu, adimere equum, disciplinæ præesse. Hoc postremum in magistros præcipue artium liberalium conuenit, nisi quod soli iuuentuti præsint: interim Quirites adornant, vt censuram ferre queant.

Magister est cui res magis curæ est, quam cæteris.

§. 3. Magistratus igitur in primis de idoneis scientiarum, & artium liberalium professoribus prospiciet. Hoc namque esse munus ipsius magistratus ratio docet. Cum enim Reipublicæ seminarium sit iuuentus, cum ex illis paucos post annos ciues, senatores, principesque futuri sint, adhibenda cura est, ne illis corruptis, tota Respublica detrimentum patiatur. Deinde exempla hoc ipsum docent. Doctores legis à Mose, ab Arone, à Iosaphat, aliis constituti sunt. Maior semper cura fuit, in Christi Ecclesia constituendorum magistrorum. Principes enim, & summus Põtifex, velut totius religionis caput, Scholas instituerunt. *Carolus magnus sane lib. 2. capitulat. cap. 5. Scholæ sane,* inquit, *ad filios & ministros instruendos, vel edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis iniunximus, in congruis locis, vbi necdum perfectum est, ad multorum vtilitatem, & profectum, à vobis ordinari non negligantur.*

Iuuentute corrupta Respublica interit.

Pontifex, & Episcopi Scholarum sunt fundatores, & censores.

Ne vero principibus, vel populo, quorundam calliditas imponeret, Concilium Tridentinum Sess. 5. cap. 1. de reform. Episcopos voluit esse censores, & approbatores doctorum. *In Gymnasiis etiam publicis, inquit, vbi tam honorifica, & cæterorum omnium (quam Theologiæ) maxime necessaria lectio, hactenus instituta non fuerit: religiosissimorum principum, ac rerum publicarum pietate, & charitate, ad Catholicæ fidei defensionem, & incrementum, sanæque doctrinæ conseruationem, & propagationem instituatur, & vbi instituta foret, & negligeretur, restituatur.*

Et ne sub specie pietatis, impietas disseminetur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium, tam publice, quam priuatim, admittendum esse, quin prius ab Episcopo loci, de vita, & moribus, & scientia examinatus, & probatus non fuerit: quod tamen de lectoribus in claustris, non intelligatur. Concessa hæc approbandi, & examinandi facultas, Episcopis, magistros præponendos, seminariis diœceseos institutis, & instituendis.

Tanti

Tanti itaq; Synodus Oecumenica eam rem fecit, vt Episcopis, examinandorum professorum curam demandarit: Omnino enim, ex iuuentutis institutione, salus ciuitatis pendet.

Persarum publica est institutio.

§. 4. Non ignorarunt id Elamitæ, seu Persæ veteres, itaque iuuentuti principes ipsos præposuere. Xenoph. l. 1. Pæd. ita narrat. *Prima his legibus cura, à bono publico videtur initium sumere. Haud enim incipiunt itidem, vt aliæ plurimæ ciuitates quæ parentibus permittentes, pro voluntate filios educare, & ætate prouectioribus, pro arbitrio vitam agere, eis iubent ne furentur, ne rapiant, ne in alienas ædes ingrediantur vi, ne iniuste percutiant quemquam, ne adulterium patrent, ne principis imperium detrectent: reliquaque huiusmodi eodem pacto. Quod si quid horum transgressus quis fuerit, pœnam in eum statuerunt. At Persarum leges anticipantes, maxime curant, ne initio tales sint ciues, vt cuiusquam, vel improbitatis, vel turpitudinis desiderio capiantur. Curant autem hoc pacto. Est illis forum quod vocatur liberum: vbi & regiæ, & alia sunt palatia. Hinc & venalia, & circumforanei, & horum clamores, atque ineptiæ, in alium locum reiecta sunt, ne horum turba, compositis eorum moribus, qui institutionem adepti sunt, misceatur. Est autem forum circa palatia, distributum in partes quatuor, quarum vna est puerorum, altera puberum, tertia virorum qui perfectam ætatem iam agunt, quarta vero eorum qui sunt emeriti. Legeque horum singuli ad sunt locis suis pueri, quum primum illuxerit, & eodem modo perfectæ ætatis viri: seniores vero, quum per ocium cuique licuerit, exceptis constitutis diebus, quibus adsint necesse est. At adolescentes cubant etiam in palatiis cum gymnicis armis: exceptis maritis, qui ne requiruntur quidem, nisi antea iussi adesse fuerint. At neque honestum ducitur sæpius abesse. Et præsunt cuique harum partium duodecim principes, nam in duodecim tribus Persæ distributi sunt. Ii vero pueris præsunt, qui selecti ex senioribus, eos videantur reddituri quam optimos. Adolescentibus autem, ex absolutæ ætatis viris illi, qui per quam optimos eos existimentur effecturi. At ipsis absolutæ ætatis viris ii sunt præfecti, quorum illi institutione censeantur quæ constituta sunt, & à magistratu maximo imperata maxime præstituri. Electi autem sunt præsides seniorum: qui præsunt, quo hi quoque suo fungantur officio. Quæ autem cuique ætati imperantur faciunda, enarrabimus, quo dilucidius fiat, diligentiamne adhibeant vt ciues sint, quam optimi. Pueri igitur ventitantes ad scholas, iustitiæ discendæ dant operam, aiuntque ita illos huic rei studere, quemadmodum apud nos, qui eunt ad literas perdiscendas. Eorum autem magistri, magnam diei partem consumunt, in eorum disceptationibus iudicandis. Habent enim pueri quoque inter sese, quemadmodum viri, accusationes & de furto, & de rapina, & de vi, & de fraude, & de maledicentia, & de aliis criminibus, vt & par est.*

§. 5. Dicebantur magistri iustitiæ, ad quorum ædes, cuiuis integrum erat, liberos mittere. Non dissimilis erat ratio, apud Lacedæmonios, sed illi vnicum fere meditabantur, nempe vt bellicosos efficerent. Iam exculto orbe, omnium artium magistri habendi sunt. Quales ergo magistri constituendi sunt? Respondeo doctos, & probos. Ad doctrinam refero: Non modo scientiam, sed etiam docendi, interpretandique dexteritatem. Sit ergo artium liberalium doctor. Vir eruditus, dexter, facundus, disserendi artifex, honestæ vitæ, sobrius, seuerus, comis, vitiorum osor, & alienæ salutis amator, denique qui alieno consilio libenter vtatur.

Magistro erudita virtus est necessaria.

Magistris comitiæ dignitas legibus datur

Leges Theodosianæ, & Valentinianæ in illis quos comitiana dignantur hæc requirunt: Cod. 12. tit. 15. *Grammaticos tam Græcos, quam Latinos, sophistas, & iurisperitos, in hac regia vrbe professionem suam exercentes, & inter statutos connumeratos, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstrauerint, si docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint, & cœtu amplissimo iudicante digni fuerint æstimati: cum ad viginti annos obseruatione tuti, ac sedulo docendi labore peruenerint: placuit honorari, & his qui sunt, ex vicaria dignitate, connumerari.*

In paucis multæ sunt virtutes ideo pauci optimi magistri.

§. 6. Primo igitur requirit, vt laudabilem in se probis moribus vitam demonstrent. Id quod olim difficilimum fuit. Antoninus Commodo suo, quatuordecim doctores ex toto Romano orbe selegit, ex illis initio mox quinque remouit, leuitate morum offensus. Nouem, non tamen sine suo dolore, retinuit. Quod si nobiles regum præceptores intueamur, vix vllum non improbissimum videre licebit. Cyri magister Pytharchus fuisse dicitur, à quo ferociam hausit, Heracliti, Menandri, Xenocratis, Aristotelis, Chilonis, Palæmonis, aliorumque qui magnorum principum magistri fuere omitto scelera, quem admodum & aliorum, quorum vitam improbam, libidinosamque Laertius nobis describit: Fatetur Seneca Philosophos non secundum virtutem vixisse.

Principum veterum in suscipiendis magistris infelicitas.

Ipse Plutarchus dubitat fœdissima flagitia damnare, vbi considerat Socratem, Platonem, Xenophontem, Æschinem, Cebetem totum virorum illorum Chorum, οἱ τὸν ἄρρενας ἐδοκίμασαν ἔρωτας. καὶ παίδων ἀγωγῆς. Grauissimis igitur, turpissimisque peccatis auctoritatem dederunt. Sed posteriora tempora videamus. Plotini Schola Christianis temporibus floruit, habuitque discipulos multos acutissimos, & solertissimos viros. Sed aliqui eorum, magicarum artium curiositate, deprauati sunt. Augustin. Ep. 56. Ipse Plotinus, ipse Olympius magiæ deditus fuit, vt constat ex Porphyrio, acta eorum recensente, qui & ipse veneficus fuit. Quod si pleraque examinemus, fere omnes Philosophos, hoc est, doctores orbis antiqui, fuisse magos historiæ docebunt.

Flagitia philosophorum excessere modū.

Antiqui Philosophi magna parte magi fuerunt.

§. 7. Ego quoque superiore sæculo, cum reflorescerent bonæ literæ in Italia, Gallia, Germania, ingentem morum ruinam impendisse orbi Christiano existimo, homines enim cum totos se literis, antiquitati, poëtis, virtutibus, vitiisque cognoscendis dedidissent, in grauia scelera prolapsi sunt: vsque adeo, vt ad atheismum quoque, & reprobæ mentis facinora raperentur. Doletum, Politianum, cœtera monstra vidit iuuentus, secuti deinge Beza, ac tota illa feralis acies, quæ libidine animos adolescentum labefactatos, in hæreses frangerent. Famam eruditionis, & eloquentiæ habuerunt, sed vitiis sese infamarunt. Nam veteres auctores, vt erant impuri, prælegebant, & versiculis inhonestis, iuuentutem corrumpebant.

Quærendi igitur, vt recte Plutarchus monet, liberis Magistri, quorum & inculpata sit vita, & mores iustæ reprehensioni non obnoxii, & qui peritiæ sint minime vulgaris. Fons enim, & radix virtutis, atque honestatis vitæ, est institutio proba. Vtque agricolæ stirpibus pedamenta apponunt: sic probi magistri, accuratis præceptis, admonitionibusque adolescentes suffulciunt, vt mores recti inde germinent. Nunc vero etiam despuas, in contumeliam quorundam parentum, qui priusquam futuri magistri vllum fecerint periculum, ignoratione aliquando, aut etiam imperitia decepti, non spectatis, adeoque etiam malæ notæ hominibus, filios suos committunt.

Nemo temere magistrum sibi legat.

Optime Theodosius cum Arsenium præceptorem discipulis dedisset. *Filii si tales se præbituri essent, vt mores, vitamque suam ad disciplinam; & leges Dei componerent, propensum & se ait fore, vt eis imperium in manus tradat, ad ciuium, & subditorum commodum, & vtilitatem accommodatum: sin minus, conducibilius eis esse dixit, vt sic priuati vitam exigerent, quam doctrina nulla, cum periculo imperarent.*

Præstat priuatim viuere, quam male imperare.

Mihi vero idcirco in erudienda iuuentute, aberrasse videntur, quod finem ad quem instituendi erant, non haberent ante oculos propositum, qui est salus discipulorum, & ex salute, gloria Dei.

§. 8. So-

Societas Iesu iuuentutis institutionem vtiliter suscepit.

§. 8. Societas IESV magno conatu, & testante mundo, ingenti fructu, ex instituto, Scholarum curã, & iuuentutis suscepit. Conatum eius sincerum Deus adiuuat: quia ad solius Dei gloriam, prouinciam tam difficilem aggreditur.

Finis societatis in suis studiis.

Conatum ostendunt constitutiones p. 4. cap. 12. *Cum societatis atque studiorum scopus sit, proximos ad cognitionem, & amorem Dei, & salutem suarum animarum iuuare, cumque ad eum finem medium magis proprium sit facultas Theologiæ, in hanc potißimum Societatis vniuersitates incumbent; ac diligenter per idoneos admodum Præceptores, quæ ad Scholasticam doctrinam, & sacras scripturas pertinent, ac etiam positiua, quæ ad hunc finem nobis præfixum conueniunt (non attingendo tamen eam partem Canonum, quæ foro contentioso inseruit) pertractabunt. Et quia tam doctrina Theologiæ, quam eius vsus exigit (his præsertim temporibus) litterarum humaniorum, & Latinæ, ac Græcæ, & Hebraicæ linguæ cognitionem; harum etiam idonei professores, & quidem iusto numero constituentur. Aliarum præterea Linguarum, qualis est, Chaldaica, Arabica, & Indica, vbi necessariæ, vel vtiles ad dictum finem viderentur, habita regionum diuersarum, & causarum, quæ ad eas docendum monent, ratione, possent Præceptores constitui.*

Sic etiam quoniam Artes, vel Scientiæ naturales ingenia disponunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem, & vsum illius inseruiunt, & per se ipsas ad eundem finem iuuant; qua diligentia par est & per eruditos præceptores, in omnibus syncere honorem, & gloriam Dei quærendo tractentur.

Medicinæ, & Legum studium, vt à nostro Instituto magis remotum, in Vniuersitatibus Societatis, vel non tractabitur, vel saltem ipsa Societas per se id oneris non suscipiet.

Prima cura est solidarum virtutum, altera eruditionis.

Eadem habet Reg. 1. Prouincial. de ratione studiorum, & prima Rectoris. *Cum ideo Collegia, & Vniuersitates Societas amplectatur, vt in his nostri commode possint, & doctrina, cæterisque rebus, quæ ad adiuuandas animas conferunt, instrui; & quæ didicerint ipsi, communicare cum proximis: post religiosarum, & solidarum virtutum curam, quæ præcipua esse debet, in illud maxime incumbat, vt finem hunc, quem in Gymnasiis admittendis Societas sibi proposuit, Deo iuuante consequatur.*

§. 9. *Denique omnium præceptorum. Reg. 1. Feratur præceptoris peculiaris intentio, tum in lectionibus, cum se occasio obtulerit, tum extra eas ad Auditores suos, ad obsequium & amorem Dei, ac virtutum, quibus ei placere oportet, mouendos; & vt omnia sua studia, ad hunc finem referant.*

Bonis conatibus quomodo Deus benedixerit,

Hunc finem an consecuta sit, meum non est pluribus probare, hoc scio, omnibus locis plurimos insigni pietate in politia, Ecclesia, monasteriisque floruisse, atque etiamnum florere, qui situm in virtute, & eruditione profectum societati debent. Nec audiendi, quos vel nostrarum rerum ignoratio, vel alienior animus sine consideratione rapit, in accusationem vtilium laborum. Testimonium habemus ab aduersis castris; Nullum genus hominum acerbius oderunt, cuiuscunque sectæ ministri, quam eos qui in societate versantur, quod per eos iuuentutem, ac proinde Rempublicam, in vera religione eruditi, ac firmari indignatissime ferunt. Ego cum cursum mundi contemplor, veteraque, ac noua comparo; vnum esse ex summis iudicio beneficiis, quæ hoc tempore senescenti, delirantique mundo Deus contulit; Societatem IESV. Nemo maligne verba mea interpretetur, Deo beneficia gratus memoro, illi totum acceptum fero. De adolescentum bono loquor. Si enim illa literarum docendarum ratio, quam homines lasciua pagina, & mente lasciuiore instituerant, in orbe Christiano perseuerasset, iam dudum iuuentutem corrupissent; quæ quid in Plauto scurrile, in Terentio lubricum, in Martiale obscenum, in Ouidio tenerum, in Tibullo fractum, in Propertio igneum fuit, id facundi vitiorum Magistri, innocentibus animis, ante annos etiam, sensumque nequitiarum, instillabant. Tantum etiam infra gentilium vitia, miseros depresserant errorum tenebræ, cum etiam Aristoteles libr. 7. cap. 17. de republ. *omne verbum obscenum longe ab auribus puerorum abesse velit, cum remouerit omnes imagines, pictasque tabellas, quæ amare docent.* Nunc vero in Scholis Societatis nostræ, tanta puritatis ratio ducitur, nullius vt auctoris, vel vnicus versus exponatur, qui venenum inuehat; neque vllus est, qui latinæ eloquentiæ tantam infelicitatem arbitretur, vt non nisi per libidines edoceri queat. Refert S. Augustinus didicisse se verba vtilia, sed quæ in rebus non vanis discipossunt.

Sectarii societatem ob iuuentutis informationem infestißime oderunt.

Societas obscena auctorum à suis Gymnasiis remouet.

Idem sensit Aristoteles.

Quam vero sit pernicioſa illa consuetudo, sic explicat lib. 4. Conf. cap. 16. *Sed væ tibi flumen moris humani, quis resistet tibi? quãdiu nõ siccaberis? quousque voluesilios Euæ in mare magnum, & formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint? Nonne ego in te lego, & tonantem Iouem, & adulterantem? Et vtique non posset hæc duo, sed actũ est, vt haberet autoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum magistrorum audiat aure sobria, ex eodem puluere hominem clamantem, & dicentem: fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat, diuina mallem ad nos. Sed verius dicitur, quod fingebat, hæc quidem ille, sed hominibus flagitiosis diuina tribuendo, ne flagitia putarentur, & vt quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes Deos videretur imitatus. Et tamen ô flumen tartareum, iactantur in te filii hominum cum mercedibus vt hæc discant: & magna rẽs agitur, cum hoc agitur publice in foro, in conspectu legum super mercedem, salaria decernentium: & saxa tua percutis, & sonas dicens: Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis, sententiisque explicandis maxime necessaria. Ita vero non cognoscerem us verba hæc, imbrem aureum, & gremium, & fucum, & templa cœli; & alia verba, quæ in eo loco scripta sunt, nisi Terentius induceret nequam adolescentem, proponentem sibi Iouem ad exemplum stupri, dum spectat tabulam quandã pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc, Iouem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodum concitat se ad libidinem, quasi cœlesti magisterio. At quem Deum, inquit? Qui templa cœli summo sonitu concutit. Ego homuncio, id non facerem? Ego vero illud feci, ac libens. Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa, ac pretiosa, sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis Doctoribus: & nisi biberemus, cædebamur, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat. Et tamen ego Deus meus, in cuius conspectu iam secura est recordatio mea, libenter hæc didici, & eis delectabar miser, & ob hoc bona spei puer appellabar.*

Societatem contra omnes Augustinus defendit.

Consuetudo docendi turpes scriptores flumen tartareum.

Ebrii doctores discere flagitia cogebant.

§. 10. Ecce Augustine, nostro tempore, feliciore tuis annis, societas illi flumini restitit; Deus siccauit flumen, per humilem, & minimam religionem, non per eculeos, & longa exilia, & gladios vindices castimoniæ; sed per inermes, quosque mundus contemptim habet Grammaticæ professores. Non euoluit amplius filios Euæ in mare magnum, & formidolosum. Pudicæ iam licet esse eloquentiæ, non sunt amplius artes bonæ, lenonum ministræ. Trecentis collegiis, tribus classium millibus, publice eruditio caste traditur à societate, & à multis, qui societatis imitatione virgines musas caste, pudiceque asseruant, aliisque, qui societatis imitatione eloquentiam, sine flagitiorum commemoratione tradunt.

Societas scholas fecit castas.

Non defuerunt olim, qui illam sapientissimam curam societatis incusarent; sed iidem, & non obducta fronte, spectare floralia possent; multo deteriores illo, qui cum plausu populi vitiosissimi, sed virtuti tamen plaudentis è theatro exiuit. Quanti enim interest, an infamis histrio decantet fabulam, an barbati maiestas magistri ficta, non modo fæditates illas commentario illustret, iteratoque inculcet, sed iurgio

Crebro vocatus, cur Terentium non doceremus, respondi, moribus obesse.

Magistri deteriores histrionibus.

gio etiam, verberibusque addiscere cogat? Vidit hoc Tullius, & ante eũ Plato: Tullius quidem tanta mala Tusc. 3. non dissimulat. *Sed videsne, poetæ quid mali afferant? lamentanteis inducunt fortissimos viros: mollunt animos nostros: ita sunt deinde dulces, vt non legantur modo, sed etiam ediscantur; sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque vmbratilem, & delicatam cum accesserunt etiam poetæ, neruos omnes virtutis elidunt, recte igitur à Platone, educuntur ex ea ciuitate, quam finxit ille, cum mores optimos, & optimum reipublicæ statum exquireret. At vero nos, docti scilicet à Græcia, hæc & à pueritia legimus, & didicimus: hanc eruditionem liberalem, & doctrinam putamus.*

Pii religiosi optime iuuentutem instituent.

§. 11. Hos igitur Respublica præficiat iuuentuti moderatores, quorum & animus, & lingua, & stylus à turpitudine longissime recedat. Quam ob causam omnino suaserim religiosis, & sacratis viris, rem tantam committi, cum enim castitatem Deo vouerint, cum officii sui partes esse cognouerint, vt & saluti suæ consulant, & alios bonos efficiant, non modo scurrilitatem, & verborum obscenitatem, sed omnem quoque mali speciem, vitabunt. Itaque & principum filii, fere Episcopis instituendi committuntur, aut alioqui graui, & spectatæ virtutis prælato. Huic quoque tantæ puritatis studio fructum illum, quem ex Scholis suis societas reportat attribuo. Certe ita præceptores suos instituit, vt exemplo, & verbis honestatem præferant. Regula 28. in summario ita præcipit. *Quæ ad votum castitatis pertinent interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte obseruanda, nempe emitendo angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia.*

Regula de castitate.

Non modo castitati sed verecundiæ etiam societas consulit.

Et 29. *Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum, (oculorum præcipue, aurium, & linguæ) ab omni inordinatione custodire, ac se in pace, & vera humilitate interna conseruare, & eam in silentio, cum id obseruandum est, cum autem loquendum in circumspectione, & ædificatione verborum, & modestia vultus ac maturitate incessus, motuũq; omnium sine vllo impatientiæ, aut superbiæ signo exhibere in omnibus procurando, atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo, & exterius honorem, ac reuerentiam, quam exigit cuiusque status, cum simplicitate, & moderatione religiosa exhibendo: atque ita fiat, vt se mutuo considerantes in deuotione crescant Deumque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, vt in illius imagine agnoscere studeat.*

Quicquid contra puritatem admittetur, grauissime Socartis plectit.

§. 12. Nec certe segnius societas castitatis in omnibus studium, amoremq; vrget, quam præcepit. Annos iam viginti quatuor in ea versor, & turpiloquiũ nullum in vllo collegio audiui. Quod si quis tã precioso, nitidoque velo maculam aspergere voluerit, in eum grauiter animaduertit, atque à suo corpore abscindit. Quin etiam eos, qui in mundo videntur leues excessus, de quibus ne appellari quidem solent, conscientiæ suæ, & votiuæ castitatis respectu, eiectione, punit, vt securitati suorum, saluti proximorum, famæque rectius consulat.

Si igitur Reipublicæ salus cordi est; Si recte Plato lib. 6. de leg. & Arist. lib. 7. cap. 16. Polit. vt minimum in viris ad matrimonium viginti quinque, in virginibus viginti annos requirunt, & tamen multo celerius libido, qua cum difficile luctamen est, tanquam virus interiora occupat; quanta est insania, publica professionis auctoritate illa docere, quibus ætas crescẽs, cui exitiosa Venus est, inflammetur? Væ mundo à scandalis? Natura in vitium eunt adolescentes; præceptores, quos omni mole, & conatu obsistere oportebat, deducunt; suo pondere ruit improuida ætas, & magister impellit. Id agunt, ne sine vitio crescant. Animus iuuenum, per libidines corrumpitur, & adiutrix est prælectio lasciuientis magistri, nec malum tantum auget:

Obscena lectio efficit, ne timide peccẽt adolescentes.

Vt solet adiecto crescere flamma rogo;

Sed ex magistro morum turpis fit doctor adulterii:

Ars sit, vbi à primis, crimen condiscitur annis.

Cumque hoc certaminis genus fugam potius, quam assultum requirat, vti optime monet S. Cyprianus, spurcidici libri, fugientibus letiferos aculeos ingerunt, nec minus ciuitatibus obsunt, quam fornices. Claudam sententia Antonii de Gueuara l. 2. Horol. c. 39. *Necesse est magistros principum, omni lasciuiæ nota vacare. Adolescentes enim, cum & ætatis imbecillitate, & naturæ prauitate, sint ad libidinem procliues; nec virtute valent, vt sint casti, nec prudẽtia, vt sint cauti (neq; se falli patiantur.) Ideoq; magistros ipsorum sanctissimos esse necesse est. Nunquam enim erit discipulus castus, magistrum videns esse vitiosum.*

Si magister turpia præleget, adolescentes ea loquenter, & facient.

Non modo *magistros principum*, sed magistros omnium. Quia in omni genere verum est, quod ait Valerius lib. 2. 1. *Facilior est virtutis ad luxuriam, quum luxuriæ ad virtutem transitus.* In omni corpore scintilla est, quæ nisi opprimatur, incendia miscebit. Verum parum est bonæ notæ magistrum esse, si libros ignominia notatos, intestabiles, edisserat. Nemo pudicum eum credet, qui ita quæ diserta sunt, docet, vt simul pueri quæ inhonesta sunt, discant. Qui purpuratam verecundæ ætatis prætextam, sotadicis versibus inficit, nequiter facit, qui cum iactura pudoris facit eloquentẽ. Sedeat alta mente repostum, quod nos Ambros. in Psal. 118. docet. *Ante vita, quã doctrina, q̃renda est.* vita enim bona, & sine doctrina habet gratiam, doctrina sine vita integritatem non habet. Maneat illa societatis domiciliis, & scholis salutaris lex castitatis, norma innocentiæ, causa magni profectus: Vt nemo non modo nõ explicet, sed ne habeat, quidem libros obscenos, imo & manibus discipulorum excutiat, quorum tractatio, ingenuos animos vitiare potest. Olim qui peccatis suis Deos inscribebant, aliud non egerunt, quam vt pudor peccandi hominibus demeretur, si tales Deos credidissent. Sic Apollinis libidines Eurypideus Ion accusat, vt homines excuset.

Pudicum magistrum non decet liber impudicus.

Inuerecundos scriptores ne habere quidem adolescenti licet.

----- Οὐκ χρὴ ἀνθρώπους κακῶς
Λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν καλὰ
Μιμούμεθ', ἀλλὰ τὰς διδασκούσας τάδε.

Non oportet amplius de hominibus male loqui,
Si Deorum mala imitamur, sed de eis qui talia docent.

Furor est manifestus præceptorum, adolescentiæ vitia alentiũ, quomodo enim seuerus pater increpabit, narrantem, quæ doctior, & sapientior, & castior patre p̃ceptor, è tripode dictauit? Quę feret mater filiolum auctoritate magistri canentem, quæ nunq̃ illa audiit? Scholæ igitur, ni summa diligentia administrentur, vitia familiis inferent, vnde virtus petebatur. Ad omnia monita patris, scholasticæ consuetudinis, Academiæ, magistrorum auctoritas obtendetur, sicut olim apud gentiles Deorum actis scelera defendebantur, *Inde etiam*, inquit Seneca de breuit. vitæ c. 16. *poetarum furor fabulis humanos errores alentiũ, quibus visus est Iupiter, voluptate concubitus delenitus duplicasse noctẽ. Quid aliud est vitia incendere, quam auctores illis inscribere Deos, & dare morbo, exemplo diuinitatis, excusatam licentiam?*

Præceptorem imitabuntur, & superabunt discipuli, nunquam enim ibi cessant vitia, vbi cœperunt.

Docenti eruditio necessaria est,

§. 13. His igitur moribus iungenda est doctrina, q̃ ad scientiam docendum necessaria est. Nulla quidem probatione res illa eget. Docere alterum velle, quod nescias, insaniæ est. Priuatim parentes docti, optime filios instituent, sed fugiunt; vel occupationibus districti, vel tædio laboriosæ prouinciæ. Chaldæi & Ægyptii domi suos instruebant. Diod. Sic. l. 2. c. 8. l. 1. c. 6. Hinc & Agesicles Spartanus: *Eorum volo discipulus esse, quorum sum filius.* Sint docti, & existimationem doctrinæ habeant. Difficilis est via ad eruditionem, etiam ingeniosissimis, etiam laboriosissimis, etiam cura aliarum rerum solutissimis: Multique in medio dum in conatu sunt, vitam ponũt, nec pauciores in radice

Laboriosa ad eruditionem via.

montis positi, dum paululum progressi sunt, elãguescunt, longe maxima pars eorum est, qui dulcissima opinione, sese solantur, & quasi eruditi sint, pacatissime fruuntur.

Discere, & docere sancta sunt opera.

Magna laus est magnæ doctrinæ, si virtuti, & saluti seruiat: Ingens enim illis gloria promittitur. *Qui autẽ docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Interpretes 70. vertunt, συνιέντες intelligentes; nã & Hebræum משבילים *mashcilim*, doctores ipsos significat, quamuis etiam significet intelligentes, Ier. 10.21. Psal. 64.10.1. Reg. 18.14. Dan. 4. Qui vero ad iustitiam erudierint, seu מזדריקי הרבים *Mazdiki rhabbim. Iustificatores multorum* fulgebunt sicut stellæ. Nostra tempora, & in illis plurimorum Episcoporũ, Sacerdotum, Iurisperitorum, Philosophorum scientiam designari non dubito verbis illis quæ sequuntur. *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum, vsque ad tempus statutum, plurimi enim pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Ante tempus statutum, & literas signatas scientia multiplicabitur, nam contra multorum socordiam, fraudes, sophismata, multiplex dabitur, nõ ex opinionum varietate, sed diuini spiritus vnitate, scientia: Hodie in Ecclesia Catholica, inter tot centena millia doctorum virorum, magna est concordia, varia scientia, vt etiam hac in parte, Deus inuictam præstet Ecclesiam suam.

In Ecclesia magna copia doctorũ.

§. 14. Hanc quoque partem Societas nostra, insigni cura complexa est. De Methodo, qua vtitur suo dicam loco. Nunc hoc quoque affirmare ausim tantum illi diuina bonitate hac in parte tributum, quantum nunquam sperarat: Itaque in omni genere scientiarum; sed præcipue Philosophia, & Theologia, multos habet, doctissimis quibusque conferendos. Nec ista negant hæretici, sed calumniantur, & de nobis inuidi ita detrahunt, vt tamen fateantur, quorsum enim quorundã accusationes vergũt, qui aiunt, fore, vt si societas in suo territorio pedem figat, aut publice docere permittatur, corona discipulorum, quæ gloria est magistri, ad societatem deflectat. Argumentum boni oratoris est, constans auditorum frequentia. De libris à societatis patribus editis, loquentur officinæ, & bibliothecæ, de eruditione discipulorum per Europam, Indiamque testimonium dicunt integri exercitus. Nunc appello eorum, qui seniores sunt, conscientiam. Obeant animis, oculisue ea loca, in quibus nunc studia florentissime vigent, intelliget priscis temporibus, iisdem in locis in Grãmatico puluere, maturæ ætatis iuuenes certasse, quibus nunc Rhetoricam, Philosophiamque docentur adolescentuli, aut pueri. Egregii profectus est signũ, celeriter scientiarum Cyclopædiam decurrisse. Diligens magister est, cuius discipuli supra ætatem proficiunt. Memini dicentem senem, cum Moguntiæ insignium adolescentum cohortem, artium ac Philosophiæ doctoratu insigniri videret, quorum plerisq; necdum ætas signabat, *prima lanugine malas:* Mundus vertitur; meo tempore puerilia studia tractabamus barbati, nunc virorum scientias callent pueri.

Societas eruditionem ab initio complexa est.

Aemuli Societatis de eius doctrina testantur.

Adolescentuli Philosophi, & magisterio insignes de societatis professoribus testantur.

§. 15. Non tamen sola probitas, eruditioque formãdæ iuuentuti sufficiunt: opus est mothodo, & dexteritate docendi. Qui ingenio valent, laboreque, & opibus ad eruditionem contendunt, nisi ordine certo, accurataque methodo scientias tradant, bonis adolescentum ingeniis abutuntur, magnisq; eos tenebris inuoluunt. Quamuis magnis viribus, & contentione celeri curras, nisi rectam viam tenes, sero scopũ attinges. Nihil tam arte discendum, quam artes. Nõ modo ingenuarum artium, vt est pictura, sculptura, typographice, sua sunt compendia; sed rudiorum quoque artium: fabri enim omnesque artifices, ea fere vna re excellunt, quod dexterrima velocitate illa peragant, quæ magnis impendiis, longo, molestoque labore ab ignaris efficiuntur.

Methodus discenti necessaria.

Omnis methodus est, seu compẽdium.

Quocirca in eam methodum, diu multumque Societas nostra incubuit, cumque eam ante aliquot annos, quæ optima visa est proposuisset; post aliquot annos, auditis singularum prouinciarum sententiis, ad incudem reuocauit, & ita demum perfecit, vt vehementer dubitem, an in eo genere perfectius exstet aliquid; nec nihil perfectius vnquam vidisse certus sim. Hac autem norma, cum vtantur professores nostri, non potest non esse optimus euentus. Respondi hac de re, nuper Ludouico Iurisconsulto, libello de secretis Societatis, eo loco, quo de nostra versutia, ille disputabat. Primo plerunque felix est nostrarum rerum euentus, *eius causa vna atque vnica Dei gratia, qui cum nos sibi eos ad labores consecratos esse voluit, etiam pro Ecclesiæ suæ salute, pro Societatis consolatione, effectum dedit, quem quicunque Deo gratus est, agnoscet. Ex eadem gratia insignia media promanant. Primo quæ dixi, oratio, meditatio, alia. Deinde quod nemo vllo in officio, etiam minimo, quod gerit, sua prudentia, suo iudicio nitatur, sed conuenienter regulis munus exequatur, at regulæ ab viris prudentissimis, exercitatissimisque factæ sunt, iamque longo vsu examinatæ, probatæ, correctæ, auctæ, explicatæ, ab his recedere non licet, quod autem ad earum normam fit, quamuis aliquando euentu non potiatur, ordine tamen, ac sapienter est factum. Rem exemplo declarabo. Commissam iuuentutem moderatur, ac erudit vir prudens, ac doctus quispiam, prælectiones exponit, pensum exigit; sed quia suo solius iudicio vtitur, necesse est illum in multis sæpe labi, & nemo suo iudicio fisus, omnia tam prudenter cogitat, agitque, vt non multa alius in eodem genere facturus sit prudentius. Ille igitur vnius hominis prudentiam, in Gymnasium defert; at professor aliquis Societatis, & sua prudentia, ingenioque vtitur, & omnium regularum, institutionumque præsidio fretus, prouinciam aggreditur, totum enim quod à multis, diuersarum nationum viris doctissimis traditum est, secum in scholam defert, atque secundum præclarissima instituta, iuuentutem expolit.*

Liber studiorum Societatis Iesu.

Professores Societatis ad rectissimam normam docẽt.

Qui sibi soli fidit, alios sæpe, se vero semper fallit.

§. 16. Quartum est, quod in professoribus omnibus, magnis, paruis requiro, vt consilio alieno in regenda, docendaque iuuentute vtantur. Plus enim pollent multorum consilia, ingeniaque. Prudentis est non nimium credere suæ prudentiæ. Id in grauibus, & expertis est difficile, vt intelligant se nescire, quod nesciunt, consuetudo enim φιλαυτίας eo illos miseriæ deducit, vt vitia sua quoque, & in docendo errata, probãda putent: Et quemadmodum, ab adolescentibus non intelliguntur, vel tolerantur intellecta, ita quoque dignum censent, ab aliis dissimulari. Sunt nonnulla academiarum statuta, quæ hominum, & temporum vitio, magnos abusus pepererunt: ea tamen nonnulli tuentur, non quasi non male fiãt; sed quia olim facta sunt. Quasi consuetudo erroris, non eo sit deterior, quo longior. Vnum exemplum è multis adferam: Depositionem specta, quam mordicus multi tuentur, quæ ea in re vtilitas? Pueri agitantur, irridetur, vapulant, scurrilia audiunt, læduntur, & in Germania, vbi sola illa histrionica retinetur comœdia, transit in comessationes. Tot vulnerati, multi etiam per sæua illa ludicra mortui sunt; hæc tollere æquum censent; sed statutorum tenaces, mala retinere, quam antiqua dimittere malunt. Omnino sapienti consilium dare est arduum; sed quo quisque est sapientior, eo acrius peruidet, aliena sententia sibi opus esse, alieno que consilio. Si in aliena Academia ista inuenires, non tolerares, in tua laudas.

Qui docent alios, dignũ est, vt & discãt ab aliis.

Statuta nocitura quidam tuentur.

Depositionẽ rem scurrilem, quidam retinent, quia antiqua est.

Nullum igitur ad vllam facultatem docendum esse admittendum censeo, qui non promittat suorum superiorum inquisitiones, & visitationes animo lubenti admissurum. Hoc omnino exigat princeps, & contra omnes tueatur. Sit frequens recognitio, quæ nec impunitatis spem ostentat, nec locum relinquit pecca-

Professores visitentur.

peccatis. Sit accuratus laborum exactor, & operæ remunerator. Quis agricolæ, aut vinitori ita rem credit, vt non fodientem, pastinantem, putantem crebrius lustret? Et curæ non erit Reipublicæ, an iuuentus recte instituatur? Parum abest, quin male agat, qui testes, & examen reformidat. Hoc autem vnum est, quo pulcherrimæ, florentissimæque Academiæ, perierunt, quia sensim raro, deinde male, demum nihil docere cœperunt, stipendiis contenti, dumque magistratus aliis intentus est, sibi mutuo, ocioque indulgent. Id ne aliquando Gymnasiis Societatis accidat, prudentissime cautum est. Principio enim vt dixi, omnes communi illa docendi methodo vtuntur; nec hoc modo; sed constanter etiam, quia diligens ratio illius industriæ exigitur. Rectoris Reg. 3. *Ita reliqua negotia dispenset, ac temperet, vt omnes litterarias exercitationes foueri, atque amplificare possit. Adeat interdum Scholas, etiam inferiores, frequenter interfit Theologorum, Philosophorumque disputationibus, tum priuatis, tum publicis; an, & quibus de causis huius exercitationis fructus impediatur, obseruet.*

Omnis successus augetur præsentia.

Rectori adiungitur præfectus: cuius est frequentissime omnia visitare, ita Reg. 2. Prouincialis. *Proinde non solum id Rectori valde commendet in Domino, sed ei etiam Præfectum studiorum, vel Cancellarium adiungat, virum in literis egregie versatum, qui & zelo bono, & iudicio ad ea, quæ sunt ei committenda, polleat: cuius sit munus, generale Rectoris instrumentum esse ad studia bene ordinanda: cui Professores, & Scholastici omnes, tum qui in eodem Collegio, tum etiam si qui in Conuictorum, & Alumnorum Seminariis forte degunt, & Præfecti ipsi studiorum in Seminariis, in rebus ad studia pertinentibus ea, qua par est, humilitate pareant.*

Et 3. *Quod si ob Gymnasii amplitudinem, ac varietatem per vnum studiorum Præfectum non videatur Scholarum omnium rationibus satis esse consultum; alterum constituat, qui ex generali Præfecti præscripto, inferioribus studijs moderetur: quin etiam si ita res exigat, adiiciatur tertius, qui scholarum atrio præsit.*

Leges bonæ frustra ponuntur, si desit, qui eas tuentur.

Quin etiam præfecto studiorum superiorum, graui lege obseruandum proponitur, ne à constituta methodo recedatur. Eius regula 3. ita habet. *Nihil immutet ex iis, quæ habentur in Ordine studiorum neque dispenset; sed vbi opus est, referat ad Superiorem.*

Et Reg. 4. *Librum de ratione studiorum familiarem habeat, & ab auditoribus, Professoribusque omnibus regulas sedulo curet obseruandas; præcipue vero eas, quæ de doctrina sancti Thomæ Theologis, & de delectu opinionum: Philosophis præscribuntur; in quo præsertim inuigilet, cum conclusiones defendendæ, maxime vero cum imprimendæ erunt.*

Bona temporis distributio, diminuit est laboris.

Et Reg. 27. *Et nostris, & Alumnis, & externis, per Magistros non modo rationem studendi, repetendi, disputandi præscribat; sed etiam omne tempus ita distribuat, vt priuati studij horas bene collocent.*

Et Reg. 17. *Audiat aliquando Præceptores, minimũ semel in mense; interdum etiã commentarios legat à discipulis exceptos. Si quid animaduersione dignum, vel ipse obseruauerit, vel audierit ab aliis, vbi id certo compererit, Præceptorem per quã benigne & comiter admoneat; remque totam ad Rectorem, si necesse sit, deferat.*

Non inducenda nouæ consuetudines.

Eadem quoque ratio præscribitur, præfecto inferiorum studiorum. Regula illius 2. *In rebus, quæ ad morum disciplinam, in scholis nostris pertinent, Rectorem tantum; in iis vero, quæ ad studia, generalem studiorum Præfectum consulat: ab eorum præscripto non recedat; nullam consuetudinem, aut receptam tollat, aut nouam introducat.*

Omnia quorum ratio reddenda est accuratius agantur.

Et 3. *Eidem præfecto quicquid auditoribus Rhetoricæ, & inferiorum facultatum, publice domi, foriſque declamabitur, tradi curet recognoscendum. Emblemata vero, & carmina, quæ celeberrimis diebus aliquot propalam collocantur, à duobus per Rectorem designandis legantur omnia, atque optima seligantur.*

Et 4. Regulas *Magistrorum inferiorum, & auditorum habeat, & perinde ac suas sedulo curet obseruandas. Magistros ipsos iuuet, ac dirigat, maximeque caueat, ne quid apud alios præsertim vero discipulos, de eorum existimatione, atque autoritate detrahatur.*

Omnis mutatio difficilis, nisi iidem manent mores.

Et 5. *Magnopere caueat, vt noui præceptores, decessorum suorum docendi morem, & alias consuetudines, à nostra tamẽ ratione non alienas, sedulo retineant.*

Et 6. *Quintodecimo quoque die, minimum singulos docentes audiat: obseruet, an doctrinæ Christianæ debitum tempus, atque operam tribuant, an quantum satis, & in suo penso tum persoluendo, tum recolendo progrediantur: an deniq; cum discipulis decore, ac laudabiliter se in rebus omnibus gerant.*

Diligens cura superiorum oblocutionum est victrix.

§. 17. Neque potest origo suspicionum, diffidentiæ, querelarum ea ex re nasci, non illa verba quæ multa Gymnasia corruperunt: si pro bonis, aut diligentibus nos habes, cur docentiũ actiones, & verba obseruas? si pro malis, meliores substitue, si custodem apponis, dubitare te ostendis. Durum est, & contumelioſum in vitam, doctrinã, verba singula quotidie inquiri. Non sunt illa, nec esse possunt murmura in societate, aut si cogitationem alicuius personãt, iam ille periclitatur, ne non sit societatis, qui priuato iudicio, totius societatis obnititur instituto.

Moneri ab aliis humilitati gratum est.

§. 18. At sex præcipue sunt, quę obseruationis, admonitionis, etiam reprehensionis non modo capaces, sed amantes etiam efficiunt, nec iuniores modo, & incipientes; sed veteranos quoque imo & eos, qui præfectos, rectores, prouinciales egerunt, quod crebrum apud nos est, vsitatumque, & disciplinæ firmamentum.

Primum quia ab ipso tirocinio ad humilitatem, & obedientiam instituuntur, atque id quod prudentiæ caput est, discunt in tractandis scientiis, ingeniis, ac moribus nihil esse securius, quam communi consilio vti, & vt recte Græci dicunt: βαδίζειν τῇ λεωφόρῳ. *Regia via incedere.* Ideoque ex animo à regulis, & regularum custodibus, suis superioribus dirigi peroptant. Alterũ est, magni emolumenti, quod ipsis, discipulisque inde accedit, consideratio. Qui enim ita docet, discipulosque gubernat, vt non modo iuuenes habeat auditores, & dictatorum lectores, sed doctos quoque viros spectatores, & iudices, næ ille haud facile imparatus, aut temere ad docendum accedet. Non facile errabit, qui errorem timet: qui parua etiam, & prima rudimenta puerulos docet, hoc ita faciendum sibi nouit, vt modus docendi, exercendi, examinandi, prudentibus approbetur. Quantum vero obsit teneræ ætatulæ, sui iudicii pertinaces, consiliorum vero alienorum contemptores magistros sortiri, quotidiana experientia, nimium multorum malo nos edocet.

Ita docendi inferiores, vt ratio docendi probetur superioribus.

Tertium est, quod illa recognitio indiligentiæ expultrix, industriæ eos, alacritatis excitatrix omnium, & communis est, & superioribus grauiter imperata. Nemo suspectam fidem, aut diligentiam aliorum facit, cum officio fungitur. Non mea suspicio, non tua negligentia, sed muneris ratio inspectionem exigit. Ego omnibus in Academiis ad hoc exemplum, vt lectores, ita lectorum quoque censores, ac iudices constitui optarem. Eamque prouinciam spectatæ eruditionis, & integritatis viris committi, etiam magistratibus, ac nobilibus. Si enim viis, pontibus, aquę ductibus, cum auctoritate, ac dignitate præficiuntur magistratus, cur non erudiendæ iuuentuti.

Quod ex obligatione fit, non facit alios suspectos.

Omnes Academiæ vt Professoribus, ita visitatoribus habẽt opus. Testimoniũ habet, qui frequenter visitatur.

Quartum est, quia conscientia bona teste gaudẽt. Vel enim discipuli sunt assidui, industrii, modesti, atque ad eruditionem proficiunt, vel certe negligentia, atque improbitate, laborem præceptoris reddunt infructuosum; Non modo conscientiam in vtroque successu quietam præceptor retinet; quia suorũ consiliorum, laborumq; euentum aliena nequitia vanũ effecit, ipse nusquam officio defuit, & qui beneficia

reciperent, defuerunt; non qui darer; manetq; apud eosdem & culpa, & damnum: verum etiam cum in oculis Præfectorum & Rectoris sui vixerit, eorum testimonio subleuatur. Sane hanc rationem explorandi, visitandi, inspiciẽdi, monendi filiorum instructores principi suo suasit Antonius de Gueuara, l. 2. cap. 43. apud quẽ Seleucus, de sua inspectione, qua quotidie in filii moderatores inquirebat ita loquitur. *Exploratum, inquit, amici habeo, Neminem hodie in terris reperiri amicum, qui dignitatem, & existimationem suam, amici causa, in aleam mittat. Quod si ne agrestres quidem faciunt; quanto minus id sapientibus faciendum? Quid enim est, cuius gratia magis in hac vita laborent homines, quam vt præclarã de se famam, & habeant, & relinquant? Vos cum & sapientes, & filii mei magistri, & præcipua domus meæ consiliarii sitis; non est æquum, vt ab vllo offendamini. Optimo enim iure, in aulis Principum, solus ille inter maxime familiares (& necessarios) recipiendus est, qui verum dare Principi consiliũ audet.*

Optimus consiliarius est, qui verũ dicit principi.

Quod Parthenio mandauit, neq; suspectam reddit fidem vestram, neque periculum creat autoritati vestræ: ac si rem ipsam æqua lance pensatis, & ea nobis bono est, & mihi minime damnosa. In promptu causa est. Aut enim boni estis, aut mali. Si boni, lætari vos decet, quotidie ad me deferri vestra obsequia. Nam in auribus Principum, subinde reuocata officiorum memoria, fieri non potest, quin sit aliquo die fructuosa. Sin mali estis, & de educatione filii mei non admodum soliciti (& assidui;) admoneri me æquum est, ne si pater decipiatur, exitiosa filio sit educationis negligentia: Imo etiam ne mihi, meoque regno labem, clademque afferat vestrum consilium, Non enim decet Principem bonum, palam flagitiosos, in consiliariorum habere numero.

Bonis viris laudi cedit facta in eos inquisitio.

Si improbus, quod dii auertant! euadat Antiochus filius meus; ad me redundat detrimentum; quoniam & regnum meũ pessum ibit, & existimatio mea minuetur, & ipse hæreditate sua non fruetur: quæ si omnia sic eueniant; vestra parum omnino referet, qui culpa vos carere dicetis, quoniam doctrinam adolescens vestram admittere noluerit. (Itaq;) haud malum mihi videtur consilium, vt vos ego obseruem, quemadmodum vos illum obseruatis. Meum enim est curare, vt boni sitis; vestrum enti, ne mali sint vestri discipuli.

Princeps videat, vt boni professores, hi vt boni sint discipuli.

Olim parentibus hoc Plutarchus commisit, quod in domesticis magistris, & pædagogis omnino seruãdum est. *Iam corripiendi genitores sunt, qui pædagogis & præceptoribus concredentes liberos, ipsi omnino spectatores nõ sunt, vel auditores horum institutionis. Quare maxime aberrant ab officio. Debent enim specimen capere ipsi, paucis interpositis diebus liberorum suorum, neque omnem spem, in dispensatione ponere nummarii magistri. Etenim magis curæ habebunt illi pueros quando semper expectant reddere rationes. Atque est hic sane scite ab equisone quodam dictum; nihil perinde saginare equum atque regis oculum.*

Parẽs semper sollicitus magistrum facit diligentem.

In mores igitur hoc vbicunque inducendum, vt maiore impẽdio doctorum directores, censoresque, quam ipsi doctores quærantur. Ea est hominum imbecillitas, vt prompte in desidiam inclinent. Optimi gladiorum, etiam interdum cotem postulant, ipse enim vsus ostendit, & qui sæpe diligens est, interdum sibi aliquid permittit, & remittit. Quot stipendia hinc inde in Academiis olim docentium, nunc vero eorum qui nec docere volunt, nec possunt, manere videmus? Quã multa beneficia olim Lecturis Theologicis, iuridicisque attributa, nunc sine labore docendi vsurpantur? Vnde illa consuetudo? Quia sensim negligenter, ac deinde nihil doceri cœptum est.

Etiam optimus quisq; incitamento eget.

Quintum est, quod in præceptore requiro; Amor in discipulos paternus. Loco parentum, sunt discipulis magistri. Magnum parentibus erga filios amorem inseuit natura, quia magna educandi molestia opus est, patientiaque, quæ sine magna caritate, non potest esse constans. Maior est in erudiendis difficultas, maiore itaque caritate, & diuiniore opus est secundario, & externo parenti: vt discipulis, non sibi consulat. Nunquam id sat sincera fide perficiet, quem fames, quem solum minerual allicit, mercenarius est, quem sua commoda ad laborem instigant. Si quis aliena commendatione, aut gratia tantæ rei adhibetur, non suo merito, non nisi cum integrum erit, officio fungetur. Multorum asperitas, ferocia, superbia, ingratitudo toleranda sunt; vt quemadmodum medicorum cura phreneticos, conuiantes, mortemque minantes non deserit, ita caritas quoque Magistri iniuriis non minuatur; Lex illa caritatis non modo industrios, & laboriosos, sed ingenios etiam, dexterosq; efficiet doctores.

Docendi tædium sola caritas tollit.

Sextum est, vt sint comes, affabilesque, vitia non dissimulent, fortes, ne pro salute subditorum timeant offendere, moribus ciuilibus præditi, animo trãquillo, quæ nihil opus est pluribus prosequi, cum libro tertio id abunde præstitum sit. Si enim omnibus ciuibus, virtutes illæ merito commendãtur, quanto magis ciuium doctoribus, qui publica quædam specula sunt, ad quorum intuitum conformare mores ciuitas assolet? quorum mores mali, vitiaque vulgantur, vt è publico in Rempublicam vniuersam.

Virtus professorum speculum est ciuitatis.

Caput VII.

Magno delectu, ad artium liberalium, & scientiarum studia, admittendos esse discipulos.

§. 1. Magno Reipublicæ incommodo fieri passim videmus, vt sine delectu, sine iudicio, ad ingenuas artes admittantur, quos inuita Minerua studiis incumbere, & auersis musis sacrificare, euentus ipse docet. Quales igitur artium ingenuarum alumnos esse conueniet? Duo in illis requiro; Primum est naturæ donum ingenium, indoles. Alterum vero quod ipsi præstare possunt; nempe virtutis studium, diligentiam, erga præceptores reuerentiam.

Quorum indoles est à studiis aliena, à scholis sunt dimittendi.

§. 2. De ingeniis igitur dicendum est. Aristoteles ἐν τοῖς φυσιογνωμικοῖς. Ingeniosum sic describit. εὐφυοῦς σημεῖα· σαρξ ὑγιεστέρα, καὶ ἁπαλωτέρα, οὐκ εὐεκπλὴ, οὐδὲ πιμελώδης σφόδρα. Τὰ μὲν περὶ τας ὠμοπλάτας, καὶ τετράχηλον ἰσχνότερα, καὶ τὰ περὶ τὸ στέρνον. καὶ σύνδετα τὰ περὶ τας ὠμοπλάτας, καὶ τὰ κατὼ ἀφειμένα. εὔλυτα τὰ περὶ τας πλεύρας; καὶ τὸ νῶτον ἀσαρκότερον, τὸ σῶμα λευκέροθεν, καὶ καθαρόν. Τὸ διερμάτιον λεπτόν. Τειχωμάτων μὴ λίαν σκληρὸν, μηδὲ λίαν μέλαν ὄμμα χάεστον, ὑγρόν. Idem auctor μύωπας eos ait esse, οἱ τὰ ἄνω ἐλάττονα ἔχοντες, καὶ γλαφυρὰ, καὶ σαρκωδέστερα.

Ingenioso signa, caro humentior, molliorq;, non optimæ habitudinis, & quasi more pugilum stipata, neque valde adiposa, quæ sunt circa musculos scapularum, & collum, graciliora. Atque ea etiam quæ sunt circa faciem. Bene colligata quæ sunt circa scapulas, & quæ deorsum sunt, remissa: quæ circa costas solutiora. Dorsum non carnosum, corpus albo rubroque mistum, & purum, pellis tenuis, pilus nec nimium rigidus, nec valde niger. Oculus, seu aspectus χαεστὸς, & humidus, χαεστοὶ oculi sunt fului, cærulei, gratiosi, læti; Theocritus vocat, ὄμματα χαεστότερα πολλὸν ἀδάνας. *Oculos habere ait cæsiores quam ipsa habeat Minerua. Memoria vero eos meliore asserit, qui superiora habent minora, teretia, & non carnosa.* At cap. 2. *Caro, inquit, dura, & optimæ habitudinis, insensibilem, seu stupidum significat. Mollis ingeniosum, sed ἀβέβαιον instabilem, nisi in forti corpore, & extrema magna habente.*

Signa ingenioso adolescentis.

In oculis maxime lucet animus.

Ingenioso sæpe lentus adhæret.

Deinde insensati, ἀνοήτου signa cap. 3. *Quæ sunt circa collum & crura, carnosa complexa, & colligata: cotyle rotundã: musculi scapularum, sursum expansi: frons magna, circularis, carnosa: oculus croceus: crura circa talum grossa, carnosa, rotunda: mandibula magnæ carnosæ, lumbi carnosi, crura longa, collum grossum, facies carnosa, sub longa satis: motus autem,*

Signa insensati.

autem, & figuram, & morem, qui apparet in facie, secundum similitudines accipit.

Et cap 6. *Qui crassa labia habent, & superius prominent fatui sunt.* Et οἱ τὸ μέτωπον μικρὸν ἔχοντες ἀμαθεῖς. *Qui parua fronte sunt indociles sunt.*

Signa incerta, & non nisi omnia conueniant.

Et: *qui supercilia habent ad tempora tendentia, fatui sunt.*

§. 2. Animi affectiones, talibus corporum lineamentis indicantur, sæpe tamen ratio fallit, si experientiam spectes, nec signa illa vllius momẽti sunt, nisi in vnum omnia conueniant.

Itaque est anceps illa, & frequenter iniurioſa, ingeniorum æstimatio. Multorum καλαὶ sunt κεφαλαὶ ἀλλὰ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχουσι. *Puchella capita, sed absq; cerebello.* Membrorum concinnitatem, coloris suauitatem, mollitudinem carnis, musculorum torositatem non semper ingenia sequuntur. In Æsopi, & Galbæ corpore pessime habitabit excellens ingeniũ. Fatetur quidem Salomon Sap. 8. 19. Παῖς δὲ ἦμην εὐφυὴς, ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς. μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμιάντον. *Puer autem eram ingeniosus & sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Iungit corporis habitudinem, cum animæ bonitate, quia fere iuncta sunt. Sed caput tamen sapientiæ, in diuina bonitate repositum esse agnoscit. Ideoque cap. 9. 4. sic orat: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientia, & noli me reprobare à pueris tuis.* His igitur vtetur signis quidem, qui de ingenio adolescentum iudicaturus est, sed ita vt non in illis nihil, neque omnia posita arbitretur. Alia ergo signa adhibebit; Memoriam explorabit, modum agendi, & industriam considerabit, an cito dicta percipiat, an ratiocinetur, aduertat. Multa in vsu domestico, etiam in lusu, & recreatione notantur. Si ad inopinata, & acuta dicta arridet, si res arte factas, nouasque admiratur, & quærit; si facile ea, quæ videt, imitatur. Non sufficere quamcunq; physiognomices cognitionem, & ἰδιοκρασίας inspectionẽ optimus ingeniorum æstimator docet Senec. Ep. 66.

Verbis, & examine ingenia exploranda.

Sub qualibet cute late rebonũ ingenium potest.

Claranum condiscipulum meum vidi, post multos annos, non puto exspectas, vt adiciam senem: sed mehercules viridem animo, ac vigentem, & cum corpusculo suo colluctantem. Inique enim se natura gessit, & talem animum male collocauit: aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum, ac beatissimum sub qualibet cute latere. Vicit tamen omnia impedimenta: & ad cetera contemnenda, a contemptu sui venit. Errare mihi visus est qui dixit;

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

nullo enim honestamento eget: ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat. Certe Claranum nostrum, cœpi intueri: formosius mihi videtur, & tam rectus corpore, quam est animo. Potest ex casa vir magnus exire: potest & ex deformi, humilique corpusculo, formosus animus, ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci. Si posset per se nudos edere animos, fecisset, nunc, quod amplius est, facit: quosdam enim edit, corporibus impeditos, sed nihilominus perrumpentes obstantia. Claranus mihi videtur in exemplar editus: vt sciri possemus, non deformitate corporis fadari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.

Vultus sæpe fallit.

Et Senecę consentit Rhodiginus, lib. 3. lectionum antiquarum cap. 12. *Quæ autem de affectionibus humorum quatuor adnotauimus, scire oportet, non videri ea omnino perpetua, est enim vbi sub virginea, & miti facie, barbara, atrox, & ferina prorsus lateat immanitas. Sub aspernabili vero, & cruenta minante vultu, latet quandoq; amabilis, & exosculanda clementia. Quibus vero venusta frons & ridibunda, rendensque, æstuant sæpe mœroribus, ac sibiipsis putent. Iam quosdã inuenias ita lugubres aspectu, & misero vultu, & fronte obducta, instar victi Marsyæ, vt Saturni mancipia plane videantur. At cum attentaris, bone Deus, quam sereno sunt animo, quam facetoso, quanta comitate risu omnia resoluunt.*

Nimium stupidi de-

§. 3. Vix igitur quisquam sine experientia repellendus est à literis, sed quos constat idoneos non esse, mature relegandos cẽseo. Sunt enim ingenia quædam adeo bruta, & inculta, & medium aliquid inter communem hominum naturam, & stultitiam habẽtia, qualia Thracum, qui non nisi quatuor, aut quinque numerare poterant. Quis enim Margitem, quis pectora Abderitanæ plebis, quæ corpora sine mentibus, etiam si πεισκαιδεκαπήχεα sint, literas docere sustineat? Laudat Apollonium Alabandensem Cicero de orat. quod quamuis mercede doceret, non tamen pateretur eos, quos oratores non putabat posse euadere, operam apud se perdere; dimittebatque, & ad alias artes, ad quas idoneos esse existimabat, hortabatur. Eam rationem nostra quoque societas sequitur, eo sincerius, quod cum gratis doceat, precio ad retinendos literis inidoneos non inducitur. Præfecti studiorum inferiorum, hæc nona regula est: *Nullum, quoad eius fieri potest, in discipulorum numerum referat, qui non adducatur à parentibus, aliisue, quibus curæ sit; aut quem ipse non nouerit; aut de quo facile non possit, ab aliis sibi iam notis edoceri. Neminem vero, eo quod ignobilis sit, aut pauper, excludat.*

decoranda artes.

Sine professu nemo scamnum occupet.

Et 25. *Si quis nulla ratione ad gradum faciendum videatur idoneus, nullus deprecationi sit locus. Si quis egre quidem aptus, sed tamen propter ætatem, tempus in eadem classe positum, aut aliam rationem promouendus videatur; id ea conditione, nisi quid obstiterit, fiat, vt, si minus suam Magistro probarit industriam, ad inferiorem scholam remittatur, nec in Catalogo eius ratio habeatur. Si qui denique ita sint rudes, vt nec eos promouere deceat, nec vllus in propria classe fructus speretur, agatur cum Rectore, vt eorum parentibus, aut curatoribus perhumaniter admonitis, locum non occupent.*

Causa cur sic faciendum iudicem, est, quia frustra labor impenditur. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas, feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius,* de moribus non ignoro à Salomone dictum. Prou. 27. 22. nec male tamen, de ingeniorum duritie accipitur. Ἂν ἀπολεῖς τὸν ἄφρονα ὕδωρ πίσω ὡς ὅμοιος ὕδωρ μένει. *Si aquam pinsendo, humeros perdideris, aqua tamẽ manet.* Qui lauat Æthiopem, qui silicem nigrum abluit, aliud non agit, quam vt atror sit conspectior,

Quadam ingenia cultum non accipiunt.

Indocile ingenium si pergas velle docere,
Infelix operam perdes; vt si quis asellum
In campum doceat parentem currere freno:
Qui cum quadrupedum in morem videatur equorum
Tollere posse caput, gressus glomerare superbos;
Hunc tamen aut frenis, aut si calcaribus vrges,
Auriculas demittit iniquæ mentis asellus
In terram, & pedibus posticis calcitrat. ergo
Desine, nam nunquam ars naturam vincet; equusque
Nunquam ex degenere fiet generosus asello,
Et nunquam ex stolido, cordatus fiet in arte.

Naturæ tarditas nullæ sæpe diligẽtia vincitur.

Ita poëta magis prudens, quam elegans, nec contra dura ingenia, elegantia opus est.

§. 4. Labor igitur ingens sine vllo fructu. Imo vero cum ingenti cruciatu illius, qui tam misere torquetur. Cum Quinctilianus proconsul noxium equuleo tenderet, & de pœna cõfessi deliberaret; Polemon adolescens tum stolidus, tum lasciuus; *Iube,* inquit, *eum antiquos scriptores edisce re.* Hoc maximum tormentum, stupor ab eruditione abalienatus, esse arbitrabatur. Hinc etiam consequitur, vt cum sapientiam non capiant, ocio, & vitiis sese dedant; neque fere deteriores sunt, quam quos Academiæ diu frustra excoluere; Plerumque enim studiosorum libertatem, & priuilegia vertunt in viuendi licentiam, plus etiam obsunt studiorum, artiumque existimationi, quam ingenioſi, & industrii prodesse possint. Scientias enim, quas percipere non potuerunt, exosas habent; Easque contempsisse, quam assequi non potuisse videri malunt. Itaque & doctos, & doctrinam aspernantur, multosque ab ea retrahunt. In hãc partem, tota Europa pene video peccari: Et libere asſero,

Tardis, & perditis cruciatus est, studere.

Studiosorum multitudine laborat Europa.

cero, ipse amator, & alumnus studiorum, nimis multos videri esse studiosos. Principemque, & Rempublicam operam dare oportere, ne eam ob causam publicum bonum lædatur. Verum ne hoc asperis forte auribus accipiatur, audiant de re literaria consiliarium, nostri sæculi literatissimum. Cum enim libr. 2. Pol. cap. 17. dixisset: *Doctrinam nonnihil promouendam esse à principe*, in notis hæc addidit. *Iure moneo, nam, vt Symmachus ait, scimus bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis reipublicæ, vt disciplinarum professoribus, præmia opulenta pendantur. Sed tamen voculam, non nihil de industria addidi: quia vt tollere eas noxium; ita calide nimis promouere.*

Doctrina nonnihil promouenda.

Iustinianus barbariem induxit.

Iustinianus τὰς τοπωθείσας ἀνέκαθεν ἐν ἑκάστῃ τῶν πόλεων διδοῦναι σπήσεις τοῖς ἐν αὐταῖς διδασκάλοις, τῶν λογικῶν τεχνῶν, καὶ ὁπτημῶν, ὑποδήκας τὲ ἐπάρχῳ ἐξέκοψε. Καὶ ὅτως τῶν ἐν ταῖς πόλεσι διδασκαλείων ἐσχολακότων ἀγέσικια τῶν ἐν αὐταῖς κατέκαπσε: *antiquitus constitutas in quoque oppido annonas, professoribus bonarum artium dandas, de consilio Præfecti sui sustulit; atque ita frigentibus passim per opida Scholis, rusticitas & barbaria occupauit inhabitantes. Mala hæc securis, quam Thrax Imperator iecit: sed illi quoque occulte noxii, qui effuse nimis promouerunt. Nam otium, & molitiem, nulla re facilius, aut honestius in animos irrepere, quam via hac literarum, omnino fatendum est. Atqui robur, & virtus non sunt, vbi illa. Vt catuli ad venandum inepti, qui saltare & eiusmodi delitias docti: sic ad virilia exercitia parum apti, cuies nimis exculti. Franciscum regem Primum, & Leonem Decimum, qui auide litteras excitarunt, in cœlum tollimus. Si propositum spectamus, merito; si finem & successum, ambigo, quia reuera alter Galliam suã, alter Italiam, cultiorem amœnioremque reddidit, sed vna & molliorem. Quid bonæ spei reliquum, vbi etiam fœminæ passim in libris & litteris? atqui eo ventum. Mihi Spartani illi probi, qui* γράμματα μὲν ἔνεκα τῆς χρείας ἐμανθανον. τὴν δ' ἄλλη παιδεία, ὡς τὸ ἄρχεσθαι καλῶς εἶναι ἐτο, καὶ καρτερεῖν ποιοῦντα, καὶ νικᾶν μαχόμενον: *Litteras ad vsum saltem discebant, reliqua omnis disciplina erat vt pulchre parerent, vt labores perferrent, vt in pugna vincerent. Et à Principe meo in suis ciuibus id seruari, suadeam valde. Non nimis, non omnes, studiis se applicent, sed nobilitas tamen maxime: quia patres valere decet consilio, populo superuacanea est calliditas.*

Inanis cultus literarũ fugiendus.

Studia valde promouenda sunt, sed studiosorum est habendus delectus.

§. 5. Ego quanquam nonnihil à Lipsio dissideam, censeamque; doctrinam omni modo promouendã, hoc tamen probo, quod delectum studiosorum instituit, quodque eruditionem ni recte tractetur obesse plurimum Reipublicæ iudicet. Errari hac in re plurimum Scholarum nos conspectus docet. In Academia quæ vix in singulos annos triginta Baccalaureos, Vicenos magistros artium, vix in lustrum Medicinæ, Iuris, vel Theologię doctorem producit, mille adolescentes docentur. Magna pars post Scholas Grammatices alio flectit animos, assueti ad ocium literatium nec ad opificum tribus, nec ad militiam idonei sunt; hinc ociosorum, vagabundorum, musicorum, poetastrorum ingens copia, hinc in clerum, & monasteria prorepunt pernicioſissime indocti. Nonne præstabat, initio pueros, & cuilibet adhuc arti habiles, à studiis amoueri, quam post laborum, & sumptuum impendia, cum dedecore ea deseri? Ipsos magistros, & doctores aspice partim indoctos, partim bullatos, paucos excellentes. Causa tanti mali, confusa discentium multitudo, in qua quisque quãuis ingenio deficiatur, eniti ad eruditionis fastigium contendit, cum vero plerosque vires deserant, necesse est multos in ipsis carceribus, alios in medio, alios in fine prope ipsam metam concidere.

Qui inhonesta missione studiosi exauctorati sunt, vix rebus bonis idonei.

Optimum ingenium optandum, bonum fere optimo mediocre prudentius.

§. 6. Quantum igitur ingenium requiris in discipulo? Optimum, ac plane diuinum suspicio, quale fuit in Origene, in Augustino, in Aristotele. Maius in Didymo fuit, quem cœcum ab ortu scientiarum, secretiora tentasse excelso animo, & felicissime consecutum tradit Hieronymus. Quodque magis mirere, Geometrica theoremata, angulos, & puncta, & sectiones tenuit. Hoc vbi deest, magnum, & bonũ; tertio mediocre desidero, si bonum Deus, & natura negauit. Epicurus tria ingeniorum genera nobis describit: Seneca Ep. 52. *Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine vllius aduitorio contendere, ex iis se fecisse sibi ipsum viam. hos maxime laudat, quibus ex se impetus fuit, qui seipsos protulerunt, quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo præsserit, sed bene secuturos. ex his Methrodorum ait esse. Egregium hoc quoque, sed secundæ sortis ingenium. Nos ex illa prima nota non sumus: bene nobiscum agitur, si in hanc secundam recipimur. Nec hunc quidem contempseris hominem, qui alieno beneficio esse saluus potest: & hoc multum est, velle seruari. Præter hæc adhuc inuenies aliud genus hominum, ne ipsum quidem fastidiendum, eorum qui cogi ad rectum compelliq; possunt: quibus non duce tantum opus sit, sed aduitore, & (vt ita dicam) coactore. Hic tertius color est. Si quæris huius exemplar, Hermachum ait Epicurus talem fuisse. Itaq; alteri magis gratulatur, alterum magis suspicit. Quamuis n. ad eundẽ finem vterq; perueuerit: tamen maior est laus, idem effecisse in difficiliore materia. Puta n. duo ædificia excitata esse, ambo paria, æque excelsa, æque magnifica: alterum dura area accepit, illic protinus opus creauit: alterius fundamenta lassarunt, in mollem ac fluidam demissa humum: multumq; laboris exhaustum est, dum peruenitur ad solidũ. Apparet in altero, quicquid factum est: alterius magna pars & difficilior latet. Quædam ingenia facilia & expedita: quædam manu (quod aiunt) facienda sunt, & in fundamentis suis occupanda. Itaq; ego illũ feliciorẽ dixerim, qui nihil negotii secũ habuit: hunc quidem de se melius meruisse, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit. Hoc durum, & laboriosum ingenium nobis datum, scias licet, imus per obstantia. Itaq; pugnemus, aliquorum inuocemus auxilium.*

Ingenii & eruditionis secundas qui tenet, magnus est.

Laboriosum ingenium pro felice est.

Cætera recte, id vero insanientis in Epicuro iactantiæ fuit, quod & Cicero l. 1. de natura Deorum refert, Gloriabatur se magistrum habuisse nullum. Sed de ingeniis agendum.

Epicurus αὐτοδίδακτος.

§. 7. Maxima ingenia, & excellentissima miror, & timeo, mediocria probo. Moderata indoles, animus qui cum labore peruenit eo, quo tendit, studiis, & Reipublicæ vtilissimus est, quia studiis recte vti solet.

Mediocria ingeniorum probanda.

Maxima ingenia non minus timenda, q̃ miranda sunt. Nam itacundi plerunque sunt, qui acri ingenio pollent. Plato l. de scientia: *Arduum esse putat, & difficile inuenire hominẽ ingeniosũ, qui non iracundus sit, & immodestus*: de naturæ propensione, non vita loquor. Agiles sunt, docilesque, tenui, & illustri spirituũ vinacitate mouentur, sed vt materia quæ aëreo pingui plena facile accenditur, totaq; in flammam soluitur, ita horum quoq; animus talis est, flammam asphalti instar capit.

Ingeniosi iracundi.

Deinde non sunt ingenia illa sine aliqua mixtura stultitiæ. Seneca ait, Aristoteli *nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ fuisse.* lib. de Tranq. animi Causam reddit: *Non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid concipit grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam, & in arduo positum contingere, quamdiu, apud se est. Desciscat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frænos, & rectorem rapiat suum: eoque ferat, quo per se timuisset ascendere.*

Non mota, sed erudita ad alta pertinent.

§. 8. At quomodo ingeniosus potest esse stultus? Potest sane, non omnino quidem mente alienatus, sed tamen in rebus grauissimis aberrans. Cum enim aliud sit celeri memoriæ rem condere, primo intuitu apprehendere: Aliud iudicare de rebus agendis, non omnia in eodem inuenietis. Disputauit rem Aristoteles Prob. sect. 30. *Primo quidem melancholicos esse tradit, qui vel ingenio claruerũt, vel in studiis Philosophiæ,*

Ingeniosi melancholici.

Magna ingenia heroũ morbos annexos habent.

losophiæ, vel in Republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis. Adeo vt vitiis atræ bilis infestarentur, ceu inter heroas de Hercule fertur: hic enim ea ipsa fuisse natura putatur, & morbum comitialem sacrum ab illo, & Herculeum Prisci nominauere. Puerorum quoque motio mentis idem hoc explicat, & eruptio vlcerum, quæ mortem interdum antecedit. Id enim pleriſq; atra bile consistit. Et Lysandro Lacedæmonio proxime ante obitum genus id vlcerum emersit. Adde Aiacem, & Bellerophontem, quorum alter penitus ad insaniam prorupit, alter loca persequebatur deserta. Vnde illud Homeri

Αὐτὰρ ἐπεὶ κὴ οὗτος ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν,
Ἤτοι ὁ καπετὸν τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Quin etiam pleroſque alios ex heroum ordine morbo eodem laborasse compertum est. Annis vero posterioribus Empedoclem, Socratem, Platonem, & alios complures viros insignes hoc fuisse habitu nouimus, atq; etiam partem ordinis poetarum ampliorem. Nam & multos id genus hominum morbi, ob eiusmodi habitum corporis exercent, & aliqui suapte natura in eos ipsos affectus perspicue vergunt: omnes tamen fere, vt dictum iam est, natura huiusmodi extitere.

Nimium ingenioſi furentes.

Ergo causam refert in bilem, ὅσοις ἡ λίαν πολλὴ, ἢ θερμὴ, μανικοὶ ἢ εὐφυεῖς, ἢ ἐρᾶπικοὶ, ἢ εὐπλήκτοι πρὸς τὰς θυμὰς, ἢ τὰς ἐπιθυμίας. *Quibus valde multa, calidaq; bilis inest, maniaci, & ingenioſi, & amatores, & ad iram, cupiditateſq; propenſi sunt.* Nec aliter Plato Magister Aristotelis, cum eos ait pollere ingenio, qui furore corripi, & concitari solent. Democritus quoq; censuit, ingenioſiſſimos quoſq; furore corripi ſolitos, quod ſi accuratius causam cognoscere tibi animus est, Cœlium consule lib. 17. var. lect. cap. 5.

Magna ingenia timēda, quia nihil mediocre tenent.

His etiam hoc addendum maxima ingenia crebro desultoria esse, volatica, semper in motu, celeriter fastidii præsentia, quæ leuitas, & inconstantia non in disciplinis modo profectum impedit, sed Rempublicam interdum conturbat. Itaque qui ingenioſi sunt, ingenti cura ad virtutem, instituantur. Quod ſi ad Rempublicam veniant, recte conueniet in eos illud: Quod de ſuo Themiſtocle dicebat prudens præceptor. *Tu fili, nihil mediocre eris, ſed vel magnum patriæ lumen, vel magna peſtis.* Itaque ingenium æquabile, conſtans, bonum, quod labor prouehat, exacuatque quam nimis celere, verſatile, acutum, promptum malo. Magnitudo ingenii, ſi abeſt virtus, magnos errores gignit.

Præcox ſapientia liberorum falſo gaudio parentes tollit.

§. 9. Deniq; maxima ingenia ſolent etiam esse præcocia, at quæ talia ſunt, breuia ſunt, & euanida. Hermogenes annorum octodecim, Rhetoricen conſcripſit, quæ ab omnibus cum admiratione legebatur, magnoq; in honore fuit, prodigio præmaturæ eruditionis, & eloquentiæ, ſed anno ætatis viceſimo quarto, mente lapſus deridiculo fuit. Iocis etiam exagitatus, alii dicebant, recte Homerum verba, λόγως πτερόεντας vocaſſe, quod ea velut alas Hermogenes abieciſſet. Alii ὁ Ἑρμογένης ἐν παιδὶ γέρων, ἐν γέροντι παῖς. Hermogenes cum inter pueros puer ageret, ſenex, cum inter ſenes ſenex, puer erat. Seneca egregie deſcribit præcoces illos fructus, de conſ. ad Marciam cap. 23. *Quid tu, Marcia, cum videres ſemilem in iuuene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, diuitias ſine auaritia, honores ſine ambitione, voluptates ſine luxuria appetentem, diu tibi putabas illum ſoſpitem poſſe contingere? Quicquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat. Eripit ſe, auferturq; ex oculis perfecta virtus: nec vltimum tempus expectant, quæ in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur: viuacior eſt, qui cum lenta, difficiliq; materia commiſſus, fumoq; demerſus, ex ſordido lucet: eadem enim detinet cauſa, quæ maligne alit: ſic ingenia quo illuſtriora, breuiora ſunt. Nam vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt.* Fabianus ait, quod noſtri quoque parentes videre, puerum Romæ fuiſſe, ſtatura ingentis viri: ſed hic cito deceſſit, & morituram breui nemo non prudens dixit: *non poterat enim ad illam ætatem peruenire, quam præceperat. Ita eſt indicium imminentis exitij maturitas, & appetit finis, vbi incrementa conſumpta ſunt.*

Quæ cito maturescunt, cito decidunt.

Quod de corpore fieri cernimus, id de ingenio quoque, quod à corporis conſtitutione, & temperatura dependet, dicendum eſſe, multorum detrimenta docuerunt.

CAPVT VIII.

Certæ morum Regulæ Studioſis præſcribendæ.

§. 1. ACademiæ per Europam optimis legibus, inſtitutiſque fundatæ, ac munitæ ſunt, omnibus etiam Gymnaſiis particularibus tanquam cuidam Reipublicæ parti ſua ſtatuta, & regulę leguntur. Mihi ſane videtur Chriſtiani, ac ſtudioſi adoleſcentis officium complexa Societas iis legibus quas auditoribus ſuis præſcripſit. Sunt autem hoc ordine deſcriptæ.

Θεὸν σέβει, καὶ πάντα πρᾶξις εὐσέβεως. *Deũ cole, & omnia facies Deo fauẽte.*

REGVLA PRIMA.

Qui diſcendi cauſa Societatis Ieſu Gymnaſium frequentant, intelligant, Deo iuuante, non minus curatum iri pro viribus, vt pietate ceteriſque virtutibus, quam vt ingenuis artibus imbuantur.

Sapientiæ fundamentum pietas.

Duplex adeundi Gymnaſii finis, primus & optimus: Virtus pietaſque, ſecundarius, eruditio. Merito ſane; Literæ ſine virtute callidũ magis faciunt, quam bonum. Onerant, non iuuant Rempublicam. Turpe Seneca iudicabat esse: Venire cum tabellis ad philoſophum, vt verba, non res excipiant. Idem esse debet docenti, & diſcenti finis, idem propoſitum; Prodeſſe vult doctor, proficere diſcipulus, infundere hic virtutem, ille recipere. Sic vero habent regulæ communes præceptorum ſtudiorum inferiorum. 1. *Adoleſcentes, qui in Societatis diſciplinam traditi ſunt, ſic Magiſter inſtituat, vt vna cum litteris mores, etiam Chriſtianis dignos inprimis hauriant.*

Rationes quibus id conſequantur præſcribunt regulæ ſequentes:

1. *Feratur autem eius peculiaris intentio, tam in lectionibus, cum ſe occaſio obtulerit, quam extra eas, ad veneras adoleſcentium mentes obſequio, & amori Dei, ac virtutum, quibus ei placere oportet, præparandas: ſed præcipue ea, quæ ſequuntur, obſeruet.*

Inuenimus in cruce gloriam, nobis qui ſaluamur Dei virtus eſt.

2. *Orationem breuem ante ſcholæ initium dicat aliquis, ad id inſtitutam: quam Præceptor, & Diſcipuli omnes aperto capite, & flexis genibus attente audient: ante lectionis vero initium, ipſe præceptor ſigno crucis ſe muniat aperto capite, & incipiat.*

3. *Miſſæ & concioni curet vt interſint omnes, miſſæ quidem quotidie, concioni vero diebus feſtis: ad quam præterea bis ſaltem ſingulis hebdomadis eos in quadrageſima mittat, aut etiam pro regionis conſuetudine ducat.*

In loco oblatio munda offertur.

4. *Doctrina Chriſtiana in claſsibus præſertim Grammaticæ, vel etiam in aliis ſi opus ſit, feria ſexta, aut ſabbatho ediſcatur, ac memoriter recitetur, niſi forte alicubi, & à nouis diſcipulis etiam ſæpius recitanda videretur.*

5. *Piam cohortationem, vel doctrinæ explicationem feria item ſexta, aut ſabbatho habeat per ſemihoram: hortetur autem potiſſimum ad orandum Deum quotidie, præcipue vero ad coronam B. Virginis, aut officium quotidie recitandum, ad excutiendam conſcientiam veſperi, ad ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequenter, ac rite obeunda; ad vitandas noxias conſuetudines, ad vitiorum deteſtationem, ad virtutes denique colendas Chriſtiano homine dignas.*

Pietas omnibus, certi ordinis cerimoniæ nulli ſuadendæ ſunt.

6. *Priuatis etiam colloquiis eadem ad pietatem pertinentia inculcabit, ita tamen, vt nullum ad religionem noſtram*

videatur allicere: sed si quid huiusmodi cognouerit, ad confessarium referat.

7. Litanias Beatissimæ Virginis Sabbatho sub vesperum in sua classe recitari iubeat, vel, si moris sit, in templum ad easdem cum ceteris audiendas ducat: pietatem vero in eandem Virginem, & Angelam etiam custodem discipulis diligenter suadeat.

8. Lectionem spiritualem præsertim de sanctorum vitis vehementer cõmendet: contra vero non solũ ipse ab impuris scriptoribus, & omnino in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat, iuuentuti prælegendis abstineat; sed ab iisdẽ etiam extra scholã legendis discipulos, quã maxime potest, deterreat.

9. Confessiones singulis mensibus vt à nemine omittantur efficiat: iubebit autem eos tradere suum in schedula descriptum nomen, cognomen, & classem Confessariis; vt schedulas postea recognoscens, quinam defuerint, intelligat.

10. Oret Deum sæpe pro suis discipulis, eosque religiosæ vitæ suæ exemplis ædificet.

Nec mirari quempiam oportet, tantæ nobis curæ esse pietatem, & virtutem, cum id omnibus propositum esse debeat, vt viuere potius, quam disputare norint. Turpe est quosdã multos annos in sacrario virtutum consedisse, & ne colorem quidem duxisse. Reprehendit id olim Seneca Ep. 108. *Quid ni nouerim? pertinacissimos quidem, & assiduos: quos ego nõ discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Quidam veniunt vt audiant, non vt discant: sicut in theatrum voluptatis causa ad delectandas aures, oratione, vel voce, vel fabulis ducimur. Magnã hanc auditorum partem videbis, cui philosophi schola, diuersorium otij sit. Non id agunt, vt aliqua illic vitia deponant, vt aliquam legem vitæ accipiant, ad quam mores suos exigant, sed vt oblectamento aurium perfruantur. Aliqui tamen & cum pugillaribus veniunt, non vt res excipiant, sed verba: quæ tam sine profectu alieno discant, quam sine suo audiant. Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, quam solent Phrygij tibicinis sono semiuiri, & ex imperio furentes. Rapit illos, instigatq; rerum pulchritudo, non verborum inanium sonitus. Si quid acriter contra mortem dictum est, si quid contra fortunam contumaciter, iunat protinus, quæ audias facere. Afficiuntur illi: & sint quales iubentur, si illa animo forma permaneat, si non impetum insignem protinus populus honesti dissuasor excipiat. Pauci illam, quam conceperant, mentem domum perferre potuerunt. Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti. Omnibus enim natura fundamenta dedit, semenque virtutũ: omnes ad omnia ista nati sumus: cum irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur.*

Auditores habent Gymnasia multos, at paucos discipulos.

Quod seminantis similitudine Christus expressit, id suis verbis Seneca.

Si igitur gentilibus philosophis curæ fuit, vt virtutibus, aut saltem virtutum colore adolescentes imbuerent, multo id magis ad Christianos professores pertinebit, hos enim religionis sanctitas, officii obligatio, parentibus debita fidelitas impellere debet, vt primam viuendi rationem esse ducant.

Regvla II.

§. 2. Eam quisque classem frequentabit, quæ illi post examen à Præfecto fuerit assignata.

Iure optimo, ac merito, qui enim se præceptori cõmittit, vt ab eo scientiarum pulcherrimarum decora, laurumq; capiat, non potest illi præscribere qua methodo docendum sit. Ignarus viæ ductor non debet esse illius, qui omnia indicia, omnes mercuriales aceruos cognitos habet. Magnus error aliquando auditorum, sæpius parentum; Velle magistro, aliquando, & Academiis præscribere. Qui ordinem tradendarum disciplinarum magistro præscribit, quamuis indoctiorem se fateatur professione discendi, sapientiorem tamen docendi profitetur. Tumor ille animi disciplinis plurimum obstat. Dum quisque altiorem gradum scholarum ante annos, scientiamq; conscendere nititur, fundamenta non discit, ideoq; nec superiora intelligit. Hunc, inquiunt, præceptorem nõ intelligo, has tricas nõ capio. De se quisq; vix incorrupte iudicat, maxime de ingenio, cuius amandi, publicandique immane cacoëthes omnibus est insitum.

Nihil stultius, quam ordinem discendi magistro præscribi à discipulo.

Geometricis ἀναλύσεσι, & commentationibus se Alexander aliquando dediderat, cumque, vt fit in rebus abstrusissimis, summę difficultates, attentionem, subtilitatemq; summam requirerent: Regio fastu docenti imperabat, clarius vt illa diceret: cui ille vere ac recte: *Omnia illa, omnibus æque difficilia esse*, nec enim fortuna ingenium præstat, sed fastu sæpius obuelat. Præceptorẽ igitur habeat, qui necessaria doceat, qui fundamenta ponat, quæ si fatiscant, ruinam struit, qui altius extulit ædificium doctrinæ. Optime proficiunt, qui primi laboris opera, tardius conspiciunt. Qui affatim in diotam angusti colli, vinum infundit, præcipuam partem perdit. Modum ingenii iuuant, quæ accommodata sunt, moderato labore acuuntur, maiore sub fasce cadunt. Plurimis properatio obfuit, dum mutatione scholarum, profectum æstimant: quasi non eundem in locum indoctus penetrare possit.

Sapientia etiam regibus difficilis est.

Præcipitatio vt in gressu, ita in studiis perniciosa.

Regvla III.

§. 3. Singulis saltem mensibus, omnes peccata confiteantur, ac Missæ sacrificio quotidie constituta hora, concioni vero diebus festis, decenter intersint:

Tria lex illa continet; Sacræ exomologeseos menstruæ, sacræ missæ quotidianæ, sacræ concionis per festos dies præceptum. Ita constit. p. 4. c. 16. *Diligenter curetur, vt qui litteras discendi gratia ad Vniuersitates Societatis se conferunt, simul cum illis bonos, ac Christianis dignos mores addiscant: ad quod multum iuuerit, si omnes singulis saltem mensibus semel ad confessionis sacramentũ accedent; si Missam quotidie, concionẽ singulis diebus festis (cum ea fiet) audient. Ex præceptoribus autẽ quisq; hoc à suis discipulis præstari curabit.*

Sacra concio ad pœnitentiam, & deuotionem excitat.

Adiungit constitutionum declaratio, si quis illa non præstiterit, atque etiam dissolutus, & aliis offendiculo sit, expellendum è scholis.

Non ignoro hæc ab hæreticis rideri, diris deuoueri, à politicis contemni, à leuibus negligenter obiri: At Societas habet ea in re multos, & præclaros auctores. Primo confessio à primæua Ecclesia in vsu fuit. Clem. Ep. 1. ad Iacob. Dionys. ad Demophilum, Orig. in Psal. 32. Eus. l. 5. c. 27. & l. 6. c. 27. Cypr. l. de lapsis. *Videt Deus corda & pectora singulorum, & iudicaturus est, non tantum de factis, sed & de verbis, & de cogitationibus nostris, omnium mentes, voluntatesq; conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris latebris intuetur. Denique quanto & fide maiores, & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore constricti: quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter cõfitentes, exhomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet, & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse; Deus non deridetur.*

Primæua Ecclesia cõsuetudo hoc tenuit.

Cogitationes suas sacerdotibus Christiani confitebantur.

§. 4. Verum religionis controuersias nunc attingere institutum meum non est: nec vero necessarium est. Ipsi enim confessionis Catholicæ irrisores hoc anno, quo opinionis suæ Iubilæum imaginantur, in programmate die tricesimo Octobris affixo, confessionem præscribunt.

Lutherani confessionẽ indicunt.

Est ergo ad remissionem peccatorum necessaria confessio, vt vere Augustin. l. 50. hom. 49. *Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deũ ago, nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erũt in cœlo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Fruſtramus Euangeliũ Dei? Fruſtramus verba Christi?*

Confessionis inuitos fruſtrant verba Christi.

§. 5. Cum autem menstruã confessionem requirimus, idcirco facim⁹, vt maiore puritate Deo seruiant, delicta fugiant, contra tentationes Diaboli, mundiq; insultus instruantur. Magnum frenum est peccaturo, aliena præsentia, magnum etiam si nouit peccati fore quandoque accusatorem, & testem. Constat sane illo remedio plurimos à peccatis retrahi, dum sciunt, nullum esse vllius criminis secretum. Nec graue igitur videri debet nec malis, nec bonis. Non malis, quia nihil illis vtilius, quam continuo contumacia exire,

Confitendi cura frenũ est peccati.

exire, liberari morbo, Deum sentire placatum, Diaboli dominatum excutere.

Qui differt pœnitentiã iram Dei contemnit.

Non bonis, hoc est, pauca, vel leuia peccantibus, (nemo enim non peccat) facile est enim à leuibus, & quotidianis absolui. D. Chrysostomus, Hieronymus, alii suadent, vt cum quispiam peccatum commiserit, primo quoq; tempore, se sacerdotum curationi submittat, si enim te serpens virulenta lingua percusserit, nõ annos, non menses, ne dies, ne horas quidem exspectas, sed veneno nondum ad vitalia diffuso remedia exquiris, vulnus autem, tartareo dente anguis antiqui, animæ intimis fixum penetralibus, æternæ mortis periculo desæuiens negliges?

Studio accedit, quod pietati impenditur.

§. 6. Alterum est, vt missæ sacrificio quotidie intersint. Mallem bonis literis tempus illud impendi, obiicit Politicus. Imo tempus summo bono impenditur, à quo & literæ, & animus literarum capax. Quantum est, quod de viginti quatuor horis, dimidia numinis cultui consecratur? Si bonorum decimas Deo reddere iustũ, cur tibi nimium videtur, temporis quadragesimas octauas dedicare illi, in quo viuimus, & sumus, qui nobis spacia temporum extendit, qui solem suum oriri facit super iustos & iniustos? Potentissimum autem orationis genus est, cum Deo præsente oblationis tempore vota funduntur. Æstimauit hoc suis numeris Sanctus Chrysostomus hom. 24. in 1. Cor. *Accedamus ergo ad eum cum feruore, & ardente charitate, ne subeamus supplicium. Nam quo fuerimus maioribus affecti beneficiis, eo magis puniemur, quando visi fuerimus indigni beneficio. Hoc corpus, etiam iacens in præsepi, reueriti sunt Magi: & viri impij, & barbari patriæ, & domo relictæ, & longam viam confecerunt, & cum venissent, cum multo metu & timore adorarunt. Imitemur ergo vel barbaros, nos cœlorum ciues. Nam illi quidem, cum & in præsepi vidissent, & in tugurio, neq; tale quicquã vidissent, quale tu nunc, cum magna accesserunt reuerentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari, non fœminam eum tenentem, sed sacerdotem astantem, & spiritum cum magna copia, ea quæ sunt proposita superuolantem. Non solummodo hoc ipsum corpus vides sicut illi, sed nosti eius & virtutem, & dispensationem, & nihil ignoras ex iis quæ per ipsum effecta sunt, vt qui in omnibus mysteriis sis exacte & accurate initiatus. Nos ergo ipsos excitemus, & formidemus, & longe maiorem, quam illi barbari, ostendamus reuerentiam, ne si temere & inconsiderate accesserimus, in nostrum caput ignem congeramus.*

Veneratio missæ conueniens.

Et l. 6. de sacerdotio. *Per id tempus, & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est: id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego vero, & commemorantem quendam audiui, cum diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignũ habitum à Deo fuisse; ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente Rege stantes videat.*

Maior est publicarum precũ gratia.

Quid igitur mirum, si ad Christum, qui quotidie incruento sacrificio offertur, & sumitur, nos quotidie discipulos ducimus? eos illi sistimus, cum illis, & pro illis oramus. Olim multi omni die Eucharistia animas reficiebant, etiam domi secreto: Nos saltem hactenus maiores imitemur, vt publicæ Liturgiæ preces iungamus.

§. 7. Tertium est vt sacræ concioni diebus festis intersint. Accendit enim animos, & pectora ignis ille diuinus, oleũ est caritatis sensim refrigescentis. Amb. ser. 18. in illa verba: *Ignitum eloquium tuum. Accende hunc primũ ignem in mentibus tuis, vt Christi tibi lumen effulgeat. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit vt perdat. Hic ignis hebetare, hic ignis extinguere materialium scelerum flammarum consueuit incendia. Denique Hebræi hoc igne succensi, fornacis ardentis vaporem nec timere, nec sentire potuerunt. Merito ergo bonus seruus, diligit ignitum Domini eloquium, quo induitur charitas, quæ excludit timorem. Pulchre autem addidit, nimis; quia omnis quidem doctor inflammat audientis affectum, sed supra omnes est sermo Dei, diuisiones artuum & intima penetrans medullarum. Tripliciter ergo describe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes.*

Magna vis diuinorum eloquiorũ, cum intima spiritu sancto concutiuntur.

Concilium Tridentinum nõ studiosos modo, sed omnes omnino fideles, ad sacras conciones inuitat. *Quia vero Christianæ Reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Euangelij, quam lectio, & hoc est præcipuum Episcoporum munus; statuit & decreuit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Iesu Christi Euangelium. Si vero contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento: iuxta formam generalis Concilij viros idoneos assumere teneantur, ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum.*

Regvla IV.

§. 8. *Explicationi Catechismi singulis hebdomadis omnes intersint, eiusque compendium ediscant, vt à Magistris fuerit constitutum.*

Catechismo omnes instituendi.

Ita quoq; regula quarta præceptorum præscribit. Id frequenter animo reuoluet suo, tam præceptor, quam auditor, maiore cura erudiendos esse doctrina Christiana eos, qui iam olim characterem domini, tesseram imperatoris sui receperunt, quam sint illi, qui ex Iudæis, aut gentibus ad Ecclesiam aspirant; Tirones enim qui iam sacramentum dixerunt, quiq; in legiones Ecclesiæ cooptati sunt, ad quotidianam pugnam instruendi, & roborandi sunt, nec enim in leges Imperatoris, sine communi castrorum periculo committunt. Qui iam fratres sunt, animũ fraternum docentis requirunt. Scripsit Augustinus librum de Catechizandis rudibus, in quo & rationem catechizandi, edocet, & contra fastidium, eadem semper repetentium armat catechistas.

Christianorum filij diligentius instituendi, quam catechumeni.

Quicunq; magister in sacra fide paruulos instruit, summo opere tædiũ euitabit, quo fit, vt nec eloquenter, hoc est accommodate ad paruulorum captum dicat, & languide serpat oratio, quæ in audientibus oscitantiam, nõ alacritatem pariat. Insigne documentum est Augustin. lib. de catechizandis rudibus c. 12. *Iam vero si visitata, & paruulis congruentia sæpe repetere fastidimus, congruamus eis per fraternum, paternum, maternumq; amorem, & copulatis cordi eorũ etiam nobis noua videbuntur. Tantum enim valet animi compatientis affectus, vt cum illi afficiuntur nobis loquentibus, & nos illis discentibus, habitemus in inuicem: atq; ita & illi quæ audiunt, quasi loquantur in nobis, & nos eũ illis discamus quodammodo, quæ docemus. Nonne accidere hoc solet, cum loca quædam ampla, & pulchra, vel vrbium vel agrorum, quæ iam nos sæpe videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis qui antea nunquam viderant, vt nostra delectatio, in eorum nouitatis delectatione renouetur? Et tanto magis, quanto sunt amiciores: quia per amoris vinculum, in quantum in illis sumus, in tantum & nobis noua fiunt, quæ vetera fuerunt. Sed si in rebus contemplandis aliquantum profecimus, iam nolumus eos quos diligimus lætari & stupere, cum intuentur opera manuum hominum: sed volumus eos in ipsam arcem, cõsiliumue institutoris attollere, atq; inde exurgere in admirationem, laudemq; omnicreantis Dei, vbi amoris fructuosissimus finis est: quanto ergo magis delectari nos oportet, cum ipsum Dominũ iam discere homines accedunt, propter quem discenda sunt, quæcunque discenda sunt, & in eorum nouitate innouari, vt si frigidior est solito nostra prædicatio, insolita eorum auditione feruescat.*

Alacritas Catechizanti necessaria.

Caritas tædiũ aufert.

Sacram lectionem vitant vitiis insignes.

§. 9. Video nonnullos adolescentum in oratoria facultate sedulos, in pangendis versibus laborioſos, in græ-

in græca lingua addiscenda etiam molestiarũ victores, in spinetis Dialecticæ, profundis Physicæ, arcanis Metaphysicæ, Mathematicisq; scientiis diligentes, in sacra doctrina statim fatigari, vel enim omnino non veniendi causas prætexunt, vel cum venerint, aliorsum animos vertunt, & circũspiciendo, oscitandoque abire se velle, vel inuiti ostendunt. Illi se vel ostendunt magnis vitiis implicitos, vel ita perituris scientiarum honoribus inhiare, vt in Christiana professione, animos Ethnicos gerant. Quid enim Deo tuo respondebis? Totos dies Tullium, aut Demosthenem voluis, poetarum fabulas cum suauitate carminis, & creberrime cum veneno cœnoso cupide ebibis, Aristoteli, & Euclidi impallescis, habiturus hoc, vt quo plura didiceris, de pluribus dubites. Et eloquia domini, eloquia casta, dulcia super mel, præstantiora lapide precioso contemnis? Graui morbo laborat, cui cibus optimus nauseam parat. Contingere illis solet, quod peregrinantibus, qui in hoc incumbunt, vt variorum mores hominum, flumina, & oppida describant, patrimonii sui fines, & agrorum limites ignorent. Hinc nec conscientiam suam regere, nec rationem fidei reddere, nec Iudæo, vel hæretico, ne Idiotæ quidem respondere possunt. Quod eam ob causam grauius est, quod auctoritatem habent oratorũ, philosophorum, titulum magistrorum, in Christiana fide ignorantiam puerorum. Hinc tanti contemptus magnas dant pœnas, interdum religionis naufragio, inscitiam suam mundo ostentantes.

Qui Tulliũ Christo anteponit, Christianus non est.

Nullũ certius est pereuntis animæ signum, quam fastidire cœlestia.

Hoc itaque consilium omnibus Gymnasiis, atque Academiis salutare esse arbitror: Nullum vt ad superiorem scholam admittant, qui ea quæ in religione tradit inferior classis, discere neglexerit. Sit examen non modo sæcularis eruditionis, quæ inflat, sed etiam sacræ, quæ ædificat. Nemo honoribus Academicis, titulisque insigniatur, nisi se quantum oportet, etiam in Christiana doctrina exercuerit; Turpe est enim Christiano, si eum potius Platonis, aut Aristotelis, quam Christi discipulũ Academia producat. Quorsum enim scientiis turgidos, & opinionibus instabiles, in rempublicam adducere attinet, Christianæ veritatis ignaros?

Sacræ institutionis etiam rationem exigant Academiæ.

Regvla V.

§. 10. *Nemo ex nostris discipulis Gymnasium cum armis, gladiolis, cultris, aut aliis eiusmodi, quæ pro locis, aut temporibus interdicta fuerint, ingrediatur.*

Nemo miretur arma remoueri à Gymnasiis; quia nec militem, nec pugilem instruimus. Et sine causa arma eo feruntur, vbi pugnare non licet. Pompeius philosopho fasces cum securibus submisit, & iam re, atque adeo nomine Magnus erat, quo minus ferendum est, adolescentulos, gladiolos, aut sicas in sapientiæ sacrario ostentare, quod tamen rarum est, & non eorum, qui bellicę rei studeant, sed quos inanis iactantia ferro alligauit. Vidi qui hanc legem suæ dignitati aduersam existimauerit, & per aream gladiatus inambulabat. Tun' me discinges? arma auelli non magis, quam membra mihi nobilitas patitur. Erras ô adolescens, arma generosę ponuntur, cum lege ponuntur. Animositas est superba, inter tot inermes armatum te esse. Vide leges veteres, priuatis adempta arma erant, fora, compita, vici, suburbana ab inermi nobilitate terebantur, in hostem arma sumebant. Iustinianus nu. 17. cap. 17. *Hæc enim, conseruata apud te faciunt præsentem tibi cingulum diuturniorem, & gloriosiorem, si quidem super alia, neque armis vti aliquem non militantem permittes aliquem.* Armorum autem appellatio, *non vtique tantum scuta, & gladios, & galeas significat, sed & fustes, & lapides.*

Domus sapientiæ, pacis est sacrarium.

Stolidi thrasones, qui scholis arma inferunt.

Priuatis arma adempta fuere.

Sed cum priscum morem, qui hodieque multis in locis perdurat, nobis magnus auctor, ipse legislator exponat, idque de tota republica, quem nunc tamen haud quaquam sequimur, ostendam non posse queri adolescentes humaniorum literarum, Philosophiæ, aut Theologiæ, nec iuris quidem, & medicinæ auditores, si ad inermes professores, ad prudentiæ aram sine armis, furoi ũ & cædium instrumentis accedant. Nouella igitur 85. sic habet: *Magnum Deum, & saluatorem nostrum Iesum Christum, & eius auxilium semper inuocantes, studemus omnes subiectos nostros, quorum regimen credidit nobis Deus, illæsos, & sine calumnia custodire & inhibere bella, quæ per suam considerationem suscipientes aduersus alterutros operantur dolores, duplex ex hoc contra se supplicium inferentes, tam quod sibimet inferunt, quam quod ex legibus vesaniam eorum punientibus patiuntur.*

Imperij seueritas hominum seruandorum causa.

Cap. I.

Volentes igitur huiusmodi mortibus homines liberare, prospeximus armifacturæ opus nullum priuatum operari, solos autem illos arma facere, qui in publicis deputati sunt armificatoriis, aut qui dicuntur fabricenses, eos autem qui operantur arma nulli vendere priuato. Sed neq; qui in numeris constituti sunt armifactores, quos etiam deputatos appellant, qui de fisco annonas accipiunt, permittimus operari, aut alicui vendere arma: sed solum diligentiam habere armorum militum in numero constitutorum, in quibus militant. Si vero nouum aliquid faciunt, hoc offerri ab eis, & in sacro nostro inferri armamento, adjciendum ibi repositis publicis armis.

Nulli priuato arma vendere licitum est.

Cap. II.

Hoc autem obseruare volumus, & eos qui in ordinibus baliſtariorum sunt, quos per diuersas statuimus ciuitates, ordinantes eos, & arma facere sancientes, vt & ipsi sola publica arma in armamentis publicis vnuscuiusque ciuitatis recondita corrigant, atq; renouent. Si qui vero vnum aliquid armorum instruxerint, hoc similiter & ipsis inter publica arma præstent, & nulli alteri penitus vendant. Hoc quoq; custodiant, qui in baliſtariis deputati sunt, periculo patrum ciuitatum, sub quibus & ipsos baliſtarios statuimus, & publicorum armamentorum diligentiam, atq; custodiam constituimus: quatenus si qui visi fuerint, aut deputati, aut fabricensii vendentes arma, prouideant per loca iudices eos suppliciis subdere, insuper etiam arma ab iis qui ea comparant sine pretio auferre, & publico vindicare.

Vrbium senatoribus armorum cura committitur.

Cap. III.

Hanc igitur gubernante nos Deo cogitationem, per præsentem sanximus legem, in nulla ciuitate, aut prouincia nostræ Reipublicæ, habere licentiam priuatos aut alium quempiam arma facere, aut vendere, aut quolibet mercari modo: sed solos eos, qui inter fabricenses referuntur, hæc instruere, & deferre ad sacrum nostrum armamentum: & hoc à tua celsitudine, & qui post te susceperint cingulum, custodiri sancimus: deputantibus nobis aliquos chartulariorum, qui sub tua celsitudine in scrinio sunt constituti fabricensium, periculo quinque inter eos priorum bonam opinionem habentes, & opportunos, qui in hac felicissima ciuitate, & in aliis ciuitatibus nostræ Reipublicæ arma faciunt, requirentes, prohibeant priuatos, aut etiam alios quosdam citra eos qui deputati sunt, inter fabricenses, armifacturæ agere causam: & in quibuscunq; compererint locis, aliquos priuatos hoc audentes, hæc auferre, & fisci applicare armamento. Si autem inter operarios priuatos artifices opportunos inuenire potuerint: hos, si voluerint, in militiis statuere, & in descriptione nomina eorum facere, & destinare, nobis descriptionem artificum: vt per sacrum nostrum rescriptum in illis statuantur locis, in quibus sunt publicæ fabricæ, quatenus ipsi operantes arma, & de fisco annonas accipiant, hoc enim facto, & subtiliter obseruato à prædictis personis, licentia penitus nulli dabitur, neq; ciuitates inhabitantibus priuatis, neq; villas incolentibus rusticis, armis vti aduersus alterutros, neçesque præsumere, & ex hoc plurimos homines occidi, publicas vero perire functiones, dum terræ cultores vitam amittere metuentes, fuga propter timorem vtuntur. Oportet ergo eos, qui diriguntur à tua celsitudine ex memorato, fabricensium scrinio ad prohibendos priuatos armorum factores, confessionem accipere etiam per loca iudicum, & subiectorum eis officiorum, & ciuitatum defensores, & patres, quia

Præsides, & iudices arma priuatorum tollere iubentur.

quia nihil valebunt de cetero horum quæ à nobis prohibita sunt, aliquid agere: sed quæ per præsentem sancita sunt legem, custodient, pœnam & in pecuniis, & in ipsum formidantes caput. Sancimus enim magnæ quidem Alexandriæ iudicem negligentem, quæ à nobis sancita sunt, viginti auri librarum exoluere pœnam, & cingulo cadere: & huius officium similiter auri librarum viginti dare pœnam, & capitale subire supplicium: aliarum vero prouinciarum iudices damnum quidem decem librarum auri sustinere, similiter autem & ipsos casui cinguli subiacere, & eorum officia. Defensores autem, & patres ciuitatum, trium librarum auri multari pœna, & in capite sustinere periculum, si quod tale factum comperientes non punierint, aut hoc agere valentibus non nuncient, sed latere permiserint.

CAP. IV.

Omnia arma prohibentur.

Vt autem palam fiant quæ à nobis prohibita sunt, à priuatis, & aliis quibusdam, circa eos, qui in sacris nostris fabricensibus referuntur, fieri, aut priuatis vendi arma: & hoc per præsentem legem significari curauimus. Prohibemus enim priuatos operari & emere arcus, & sagittas & spathas, & enses quæ vocare consueuerunt semispathia, & quæ vocantur Zabæ, siue loricæ, & contos, & quolibet modo vel figura factas lanceas, & quæ apud Isauros nominantur monocopia, & appellatos sitninos, seu missilia: insuper & aspidas, siue scuta, & galeas, seu cassides. non enim ista alij cuidam instruere sinimus, præter eos, qui deputati sunt in sacris nostris fabricensibus, solos autem fieri & vendi à priuatis, & priuatis vendi permittimus cultellos minores, quibus nullus in præliis vtitur. Præsentem igitur legem generalem tua celsitudo in hac proponat regia ciuitate, nec non & per alias ciuitates nostræ reipublicæ, vt omnes agnoscentes quæ placuerunt nobis, hæc obseruent.

CAP. V.

Denunciamus autem futuris præesse huiusmodi custodiæ chartulariis ex memorato fabricensium scrinio, quia ex negligentia non solum pecuniarias sustinebunt pœnas, sed etiam in corpore supplicia patientur, & militia cadent, insuper nec ipsum vlterius permitti à nobis scrinium in huiusmodi adesse solicitudine, sed aliis committi fabricensium curam.

Academiæ negligentes disciplinam latrocinantes studiosos educant.

Hæc veteres; Ego vero admiror in quibusdam Academiis studiosos armatos incedere, contendere, prouocare, depugnare, noctu etiam armatos discurrere, quod Nero & nequissimi fecere, obuios superbe appellare, inuadere, ferire, quod vrbanorum est latronum, adeo vt licentia armorum infamia pericula, latrociniaque è syluis, lustrisque in vrbes, & politissimorũ hominum phrontisteria exciuerit. Neq; enim ignoramus vrbes esse, in quibus ipsius Iustitiæ, & sacræ Themidos alumni, se mutuis vulneribus conficiant, & ciues, inquilinosque nefarie oppugnent.

Iustitiæ alumni vrbanis grassationibus insueti, olim Remp. turbabant.

Quales illos olim iustitiæ interpretes, aut legum præsides sperabit respublica, qui velut ad latrocinia instituerentur, ita grassantur. Quid igitur suades? Quid enim? Princeps Martiis hisce pullis leges militares ponat, quandoquidem Academicam mansuetudinem ferocula iactantia auersantur. Leges militiæ Germanicæ è castris ad Academias reducendæ sunt. Spiræ anno 1570. de equitibus ita sancitum est.

L. 66. *In expeditionibus porro, excubiis, vel in ipso processu sub plenis vexillis, vel in ipsa vigiliarum statione, nemo alterum armata manu inuadito, aut ad monomachiam prouocato: hoc qui faxit, à præfectis qui præsentes adfuerint vinctus tribuno equitum aut iudicio sistitor.*

L. 67. *Nemo in alterum, siue in castris, sine extra castra sclopum exonerato; aut armis quenquam retrorsum, vel auerso vultu stantem aggreditor; nec alterum ad equestre certamen prouocato; nec quouis modo vllis insolenter vim inferto, sub pœna decernenda ex iure equestri.*

L. 68. *Nemo seu interdiu, seu noctu, in tentoria, seu papiliones aliorum insolenter irruito, nec vim inferto, sub pœna grauissima, & declaratione iuris equitum.*

L. 73. *Nemo inimicitias discordiasque inueteratas, tum in castris, tum in præsidiis, expeditione durante, renouato, neq; ex proposito vindicare conator: sed omnes huiusmodi negotia, vel supprimunto, vel per Tribunum equitum, eiusque præfectos componi permittunto, vel via iuris ordinaria vtuntor: qui secus faxit, pœna legitima multator.*

L. 74. *Quisquis duos, pluresue inter se dissidentes, vel etiam arma in se mutuo stringentes, aut præsens conspexerit, aut absens ex aliorum relatione cognouerit, pacem inter partes dissidentes componito: factiosi vero, re composita, pacem inter se stabilitam, durante expeditione, sine vlla contradictione obseruanto.*

De peditatu sic loquuntur leges. L. 29.

Duellis temerariis omnes, & singuli sub pœna capitis supersedento, familiari vero conuersationi, paci, & animorum coniunctioni sedulo studento.

30. *Sclopis, hastis, armisque similibus, in duellis, sub militari sacramento, non vtuntor: gladij vero, cuique pro vitæ suæ defensione, qua casim, qua punctim conceduntor.*

31. *Odium, rancoremque inueteratum alto pectore delitescentem, nemo in vlla bellica expeditione renouato, nec se vllo modo, excepta via iuris, qua verbo, qua opere vindicato, quicunque vero hanc constitutionem transgressi fuerint, aut ei contrauenerint, iudici sistuntor, & examinata causa, honore vitaue plectuntor.*

32. *Nulli etiam factiones inter partes diuersas excitanto: si vero inter quos contentiones inimicitiæq; exortæ fuerint, proximi quique fideliter, & sine vllo personarum respectu, diribitores sese ipsi prima, altera, tertiaque vice constituunto: cui compositioni si quis deinde non acquieuerit, ei, is qui illum occiderit, pœnam debitam inflixerit: qui vero diribitorem, vel inermem inuaserit, is iudicio sistitor, & post sufficientem rei disquisitionem, capite plectitor.*

33. *Qui vero adhuc alterum, vel gladio peteret, vel eundem in ipsum proiectaret, seu ante, seu post diremptam contentionem, vita mulctator.*

34. *Vt grauia incommoda, periculaque præcaueantur, si inter duos, pluresue contentiones exortæ, vel etiam ad arma peruentum fuerit, nulli sese vnius potius, quam alterius partis fautores, sed pugnæ diremptores exhibento: huius vero legis transgressores, pro arbitrio belli ducis puniuntor.*

Turpe est ibi studiosum armatum incedere, vbi miles est inermis.

Quo malorum peruentum est, vt ne castrensi quidem modestia regi possint omnium artium, & virtutum studiosi adolescentes? At erepta libertate defluet iuuentus. Præstat bene discedere, quam male manere. Sed nec tamen omnes fugabuntur, temerarii, thrasones, imperiti, quique studiosorum priuilegiis ad nequitiam vtuntur, solum vertent. Plures aduenient, nam disciplina trahit, dissolutio fugat.

REGVLA VI.

Abstineant omnino à iureiurando, à contumeliis, iniuriis, detractionibus, mendaciis, à ludis vetitis, à locis etiam noxiis, vel à Præfecto scholarum interdictis, denique à rebus omnibus, quæ morum honestati aduersentur.

Hisce de rebus aliud monere necesse nõ est, quam illa vitia præcipue studiosis vitanda esse. Certe quo quisque doctior est, eo opus est meliorem esse: verum his de vitiis satis dictum est libro tertio.

REGVLA VII.

Nec domus, nec respublica stare potest: si in ea nec recte factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis.

§. 11. *Intelligant in iis, quæ ad mores & studia bonarum artium spectant, cum præcepta siue admonitiones minus proderunt, Magistros in ipsis puniendis, officio non defuturos: qui aut pœnas recusarint, aut spem emendationis non ostenderint, aut cæteris molesti, siue exemplo suo pernicioso fuerint, sciant; se ex nostris scholis esse dimittendos.*

Verum esse quod Plato censuit, iam ante docui; nempe deliciis omnes fieri deteriores. Verba Platonis sunt ἁμὲν τρυφὴ δύσκολα καὶ ἀκεχόλα. ἡ σφοδρὰ ἀπὸ μικρῶν κινυμένα, τὰ πρὸ νέων ὑπεράρσαξεται: τὸ δ' ἐναντίον ἦγα σφοδρὰ καὶ ἀγρία δούλωσις, ταπεινὸς, καὶ ἀνελεύθερος, καὶ μισανθρώπους ποιῆσα. ἀνεπιτηδείους ξυνοίκους ἀπετελεῖ: id est delicias puerorum mores reddere difficiliores, morosos, iracundos, & qui leuibus occasionibus vehementer percellantur; contra vero nimiam, & ferã seruitutem, eorundem mocipia facit.

Deliciæ nebulones, nimia austeritas mancipia facit.

dem mores reddere humiles, illiberales, ab humanæ societatis commerciis abhorrentes, ac proinde tales, qui ad omnem consuetudinem, & familiaritatem plane sint inepti.

Moderatã seueritatem requirit adolescentiæ facilitas.

§. 12. Verum nunc alia quæstio vertitur: An pœnarum terrore, regi debeant adolescentes, quæ quia longior est, & singularem locum deposcit, alii tempori reseruo. Hoc solum moneo, iustum esse, ab Academiis eos exulare, qui nec emendationis spem præbent, & aliis scandalo sunt. Gauisus sum hanc legem scholarum, etiam bellico Senatusconsulto, à Germanis principibus esse approbatam. Nam de equitibus lege 45. ita sancitur. Dominicis item diebus, & quotiescunque ad officia diuina, seu Conciones signum datur, tam domini, nobilesue, quam eorundem famuli ad audiendum verbum Dei, & sacrum Missæ officium sedulo incumbunto: quique interim in sympoſiis, tabernis, aliisque scandalis, leuitatibusque dicatis locis deprehenderetur, pœna mulctator, habita ratione delicti: si quidem famulus fuerit, vinculis carcereque constringitur: Sin dominus, nobilisue, ab equitum magistro vel quouis alio Præfecto verbis acriter increpator: Si vero nullam emendationem ostenderit, & prius apud Tribunum militum reus factus fuerit, secundum iura equitum tandem ei denunciabitur, futurum vt hac etiam de causa, si à publico scandalo, impiaque viuendi ratione omnino non desisteret, publica iuris denunciatione ad aliorum exemplum exauctoretur. Iam olim impietas castra infamat:

Miles qui scandalo est exauctoratur.

Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequuntur.
Venales animæ, ibi fas, vbi maxima merces.

Si castra offensas non ferunt, quid faciendum scholis?

At comitia augustissimi consessus in Germania, etiam nobilium impietatem pœna, & inhonesta missione persequuntur. Quod si castra offensionibus, & malis exemplis purganda censent proceres, cum tamen in castris pauci sint, qui malo exemplo non sint. Quid faciendum est in tenerrima iuuentute, quorum innocentia, & imbecilla est, & incauta? Totam ego ciuitatem, in qua Academia constituenda est, templi instar esse optarem; sed quia ab ea puritate recessum est, habenda est summa cura eorum, qui sub nomine studiosorum vitia sua, quibus ipsi pereunt, aliis affricant. Verum id non faciunt, quibus gratius, & lucrosius est multos potius auditores, quam discipulos numerare.

Regvla VIII.

§. 13. *Omnes, suis quique Magistris obtemperent; rationem vero studendi ab illis præscriptam, tum in scholis; tum domi quam diligentissime seruent.*

Methodus bona magnum est laboris cõpendium.

De obedientia cuius rationem Deo, Reipublicæ, parentibus reddere omnes oportet, dicam cum exposuero, quo honore præceptorem discipuli prosequi teneantur. Methodus res tam est necessaria, quam ipse labor studendi. Magna pars optimorum ingeniorum, dum viam ignotam ingressi sunt, à meta aberrarunt.

Regvla IX.

§. 14. *Serio animum ad studia, & constanter adiiciant, sint in scholis mature frequentandis assidui, in audiendis, & recolendis prælectionibus, cæterisque obeundis exercitationibus diligentes. Quod si quid minus assequantur, aut si quid dubitent, magistrum consulant.*

Ocia non modo mercedem, sed mentem etiã perdunt.

Quod studiosam iuuentutem maximo periculo studiorum, & morum infestat, est ocii dulcedo. Magnum malum, quia nihil agendo, omnia euertit, nec fructu modo priuat desides, sed vires ipsas memoriæ, ingenii, iudicii, eneruat.

Diligentes igitur, industrios, gnauos adolescentes requirunt, quibus Stimula ocii excutiat, quos Agenoria in scamma producat, quibus Strenua robur, perseuerantiamque donet. Discutiant & ocii, & adolescentiæ vitia, docto, & pulchro labore florens ætas, quo vno præcipue delinimenta desidiæ fugiet. Interrogatus quidam Thessalus, quinam è popularibus suis nequissimi essent? Respondit eos, qui à bello feriati essent. Ego libere respondeo, si fallor, fallor certe in pauciſſimis: Nulli me adolescenti fidere, nisi in quo industriam, diligentiam, laborem video. Quantumcunque compositi videantur ad probitatem vultus, licet verba, gestusque sanctitatem præferant, omnium templorum limina terant, non credo religionem, virtutem, castitatem illis cordi esse, si ocio delectantur, non est desidiosa, non est marcida pietas, non magis, quam superba. Vita caret illa affectatio, quia officio suo deest; ideoq; mox in tabem soluitur. Studiosus es? virtutem exerce; literas, scientias addisce. Prima pars pietatis est, vocationi suæ parere, parentum voluntati obsequi. Ipsum corpus ocio langueſcit, & frigidis morbis opprimitur, si Galeno credimus. Animus vero penitus obbrutescit. Magna in laude pono Gymnosophistarum exercitationes, & iuuentutis institutionem, nobis etiam ad imitandum propositam! Vocatos enim adolescentes ad mensam, ante, quam fercula apponerentur; quidnam ad eam vsque horam egissent, interrogabant; Vt respondendi verecundia onerarent eos, qui ocioſe diem transegissent; laude excitarent alios, quorum aliquo in opere spectabilis fuisset industria.

Studiosus nemo bonus, nisi & diligens.

§. 15. Audiant diligentiam plus quam humanam, & qua possunt, sequantur. De maiore Plinio sic scribit Plinius minor: *Erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Lucubrare à Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi statim à nocte multa: hyeme vero ab hora septima, vel cum tardissime, octaua, sæpe sexta. Erat sane somni parcissimi, nonnunquam etiam inter ipsa studia instantis, & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus vtebatur: inde ad delegatum sibi officium. Reuersus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe, quem interdiu leuem, & facilem veterum more sumebat æstate, si quid otij, iacebat in sole, liber legebatur, annotabat, excerpebatque. Nihil enim vnquam legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, vt non aliqua ex parte prodesset. Post Solem plerumque frigida lauabatur. Deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus. Super hanc liber legebatur, annotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam pronunciasset perperam, reuocasse, & repeti coegisse. Huic auunculum meum dixisse: Intellexeras nempe; cum ille annuisset. Cui ergo reuocabas? Decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis. Surgebat æstate à cœna luce, hieme intra primam noctis, sed tanquam aliqua lege cogente. Hæc inter medios labores, vrbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Cum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere quasi solutus ceteris curis, huic vni vacabat. Ad latus notarius cum libro, & pugillaribus, cuius manus, hieme manicis munieban-tur, vt ne cœli quidem asperitas vllum studiis tempus eriperet: Qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cum ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere. Perire enim omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impartiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, electorumque commentarios CIX. mihi reliquit, opisthographos quidem, & minutissime scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse, potuisse se, cum procuraret in Hispania, vendere hos commentarios Largio Licinio CCCC. millibus nummum, & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis vllis, nec in amicitia principum fuisse? Rursus cum audis quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? Quid est enim, quod non aut illa occupa-*

Diligentia plusquam humana exemplum.

Studio somnum abigit Plinius.

Ratio legendi Plinia-na.

Lectio ad mensam.

In balneo audit, aut dictat.

In itinere studet.

Lectica pro studiis vtitur.

Labor improbus omnia vincit.

occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere, cum me quidem studiosum vocant, qui, si comparer illi, sum desidiosissimus. Ego autem tantum, quem partim publica, partim amicorum officia distringunt? Quis ex istis, qui tota vita literis adsident, collatus illi non quasi somno, & inertiæ deditus erubescat? Extendi epistolam, quamuis hoc solum, quod requirebas, scribere destinassem, quos scilicet libros reliquisset. Confido tamen hæc quoque tibi non minus grata, quam ipsos libros, futura, quæ te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum, possunt æmulationis stimulis excitare.

Quis hoc tempore studiosus est?

Senecæ insignis diligentia.

Æmulare adolescens, & tu, quicunque iuventutem doces.

Neque minor Senecæ diligentia. Epist. 8. *Tu me, vitare turbam iubes, secedere, & conscientia esse contentum: Vbi illa præcepta vestra, quæ imperant in actu mori? Quid? Ego tibi videor interim sedere? In hoc me recondidi, & fores clausi, vt prodesse pluribus possim. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vindico: non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentesque, in opere detineo.*

Hoc est serio studiis animum applicare. Non hoc moneo, vt cum Demosthene contra amnium cadentium fragorem declametis, vt lapillis ori impositis, caninam literam à lingua extorqueatis; non vt ritu Carneadeo, etiam in mensa speculationum Enthusiasmus manus à cibo auocet, multo minus vt cum Democrito oculos eruatis, ne animi intentionem alio vertant. Monstra sunt illa Carneadea, & Democritea, viuam, vegetamque diligentiam requiro, quæ rebus humanis animos non subducat, sed accommodet. Vtilis sit Reipublicæ pariter opera, & ocium operosum.

Monstrosa diligentia philosophorum.

§. 16. In ipsis lectionibus, summam cum modestia attentionem requiro. Refert Strabo lib. 15. Geographiæ, Apud Brachmanas Indorum philosophos, non licuisse loqui, non sternutare, non exscreare, quod si cui incuria, vel natura huiuscemodi quippiã extorsisset, pœna erat ad vnum diem auditorio excludi. Oscitationem censura, quasi vomitum perstringebat, animi enim vagam securitatem, præsentibus minime intentam, significare putabant. Gellius quoque tradit lib. 5. cap. 20. In Academia Attica, ne risum quidem permissum fuisse initio. Summa itaque cura audire conuenit, ne tot præsentibus hominibus, loqui parietibus præceptor videatur.

Attentio præcipua causa proficiendi.

Consulendi quoque in rebus dubiis, & sine inepto pudore, magistri; Multi enim non proficiunt, quia ignorationem profiteri non audent. Repetendæ igitur, ruminandæque lectiones, & si quid difficultatis occurrat, è magistro discenda solutio. Ita constitutiones nostræ monent p. 4. cap. 3. §. 3.

Et reg. comm. 11. *Post lectionem in schola, vel prope scholam maneat saltem per quadrantem, vt possint ad eum interrogandum auditores accedere: & lectionum rationem interdum exigat, curetque vt ea repetantur.*

Promptum se discipulis præceptor exhibeat.

Talem suis se discipulis Attalus exhibuit, quem Seneca gratus discipulus laudat Ep. 108. *Hæc nobis præcipere Attalum memini, cum scholam eius obsideremus, & primi veniremus, & vltimi exiremus: Ambulantem quoq; illum ad aliquas disputationes euocaremus. Non tantum paratum discentibus, sed obuium.*

Regvla X.

§. 17. *In scholis ne hæc illæc diuagentur; sed in suis quisq; subselliis locisq; modeste ac silentio sibi ac suis rebus intenti sint, neque schola egrediantur, nisi facta à magistro exeundi potestate. Ne scamna, cathedram, sellas, parietes, ianuas, fenestras, neque aliud quidpiam pingendo, scribendo, scalpello, aliaue ratione deturpent, seu notent.*

Huic legi exponendæ non immoror, quia ex se, & themidos dictamine manifesta est; Nec in illam nisi à pueris, aut puerilibus delinquitur.

Regvla XI.

§. 18. *Prauas aut etiam suspectas aliorũ consuetudines fugiant; cum iis tantummodo versentur, quorum exemplo & consuetudine in literarum studio virtutumque proficiant.*

Errorem in Republica puto, quod non datur actio prauæ amicitiæ, & consuetudinis. Quantum enim esset præsidium, si dies illi dici posset, si prætor actionem daret in eum, qui cum improbo versaretur? Magnum malum est, semperque erit, Reipublicæ, & scholarum, prauorum societas: morbi enim, pestis, & rabies contagione se vulgant, sanitas in socium non transfunditur. Omnes ergo optimos quibuscum conuersentur, eligant, eos cum quibus conspecti non erubescant: à quibus fructum, non ignominiam colligant. Aliquid semper mali propter vicinum malum, ab Academiis nunquam omnia mala absunt, sæpe adsunt plurima. Sunt in omni Academia ὁμοῤῥόφιοι χελιδόνες, sub eodem tecto hirundines, quæ garritu & immunditia molestæ sunt. Optime monuit Pythagoras γαμψώνυχα μὴ τρέφειν; *ea quæ curuis sunt vnguibus non alere.* Sed tamen contractis armis illa se quoque insinuant, nec nisi postquam nocuerunt, manifesta fiunt.

Actio prauæ consuetudinis instituenda.

Socius malus contra te testis est.

Respublica malos excludere non potest, ideo singulis sunt vitandi.

Σκυμνὸν λέοντος πᾶσα μὲν πόλις τρέφει.

Catulum Leonis omnis quidem ciuitas alit, Sed leonis esse naturam ignorat, cum factus fuerit leo, damno suo intelliget. Omnis similitudo ad conciliandum amorem est efficax, sed maxime studiorum. Scitum est illud:

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει,
Παῖς παιδί, καὶ γυναικὶ σωφρονοῦσα γυνή,
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξία
Ληφθεῖσ', ἐπῳδὸς ἔστι τῷ πεπτωκότι.

Similitudo amicitiæ causa.

Seni senex linguam suauissimam habet, & puero puer, & mulieri mulier, æger ægro, & qui infelicitate conflictatur, illi qui eadem expertus est.

Cauendum etiam in ipsa virtutum schola; seuere, sed vere dictum est: *cum scorpionibus habitas.* Scorpiones sunt quorum societas pestifera est; qui arcuata cauda celeriter percutiunt, & eodem telo, quo vulnus aperiunt, etiam venena infundunt, fistulatum enim gerunt aculeum; Improbi quoque sodales arte se in familiaritatem insinuant, & eadem arte perimunt. Scorpii semper cauda in ictu est, nulloq; momento meditari cessat, ne desit occasioni. Ferit obliquo ictu, & inflexo. Hos quia internoscere non licet omnes, lege eos iubentur fugere, quicunque cognouerunt. Quod si quispiam hominibus publice infamibus familiariter vtatur, merito honestiorum consortio depellitur; nam tam impia societate suam iam famam ipse proscripsit.

Improbi sagaces ad nocendum.

Fama vilis est illi, cui malus sodalis est carus.

Regvla XII.

§. 19. A libris pernicios, & inutilibus legendis prorsus abstineant. Serio hoc agendum omnibus Academiarum rectoribus, vt malos libros excutiant. Certe reg. 8. professorum nostrorum id exigit. *Lectionem spiritualem præsertim de sanctorum vitis vehementer commendet: contra vero non solum ipse ab impuris scriptoribus, & omnino in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat, iuuentuti prælegendis abstineat; sed ab iisdem etiam extra scholam legendis discipulos quam maxime potest, deterreat.*

Pũ libri cõmendati.

Eadem mente const. p. 4. cap. 5. & eius declaratio. *In libris Ethnicis litterarum humaniorum nihil quod honestati repugnet, prælegatur. Reliquis vt spoliis Ægypti societas vti poterit. Christianorum opera quamuis bona essent, si tamen malus fuerit autor, legenda non sunt; ne ad autorem aliqui afficiantur. Et conuenit, ad particularia descendendo, qui libri sint prælegendi tam in humanioribus, quam in aliis disciplinis, qui vero prælegi non possint, constituere.*

Obscena omittenda.

Malus autor boni operis negligendus.

Et cap. 14. *Generatim illi prælegentur libri, qui in quauis facultate solidioris ac securioris doctrinæ habebuntur. Nec illi sunt attingendi, quorum doctrina, vel auctores suspecti sint. Hi tamen particulatim in quauis vniuersitate nomi-*

nentur. In Theologia legetur vetus & nouum Testamentum, & doctrina scholastica D. Thom. & in ea, quam positiuam vocant, eligentur ij autores, qui ad scopum nostrum magis conuenire videbuntur.

Sæpius contra libros malos agendum.

Quod attinet ad libros humaniorum litterarum Latinos, vel Græcos, abstineatur in vniuersitatibus quoque, quemadmodum in Collegiis, quoad eius fieri poterit, ab eis iuuentuti prælegendis, in quibus sit aliquid, quod bonis moribus nocere queat; nisi prius à rebus, & verbis inhonestis purgati sint.

Et declaratio. Quamuis liber suspicione malæ doctrinæ vacet, cum tamen suspectus est autor, legi eum non conuenit. Solet enim opus in causa esse, vt qui legit, ad autorem afficiatur: & auctoritas quam apud ipsum habet in iis, quæ bene dicit, posset postmodum aliquid persuadere ex iis, quæ male dicit. Rarum est etiam aliquid veneni non admisceri in iis, quæ à pectore veneni pleno egrediuntur.

Omnia in serpente suspecta sunt.

Et de libris humanioris literaturæ sic statuit: *Si aliqui omnino purgari non poterunt, quemadmodum Terentius, potius non legantur: ne rerum qualitas animorum puritatem offendat.*

§. 20. Neque vero queri hic quisquam potest. Si de rebus obscenis loqui flagitiosum est, cur eloquentiam in illis explicandis desideres? Plurima sane hodie sunt vitiorum in libris irritamenta, & mala studiosius leguntur; hoc ad Rempublicam pertinet, vt quæ monetæ cudendæ leges seueras tuetur, eadem etiam de libris statuat, nam plus est, animos quam fidem commerciorum corrumpi. Documenta quæ doctissimus noster Delrio in sacris adagialib⁹ in hanc rem profert, ipsius verbis legi malo. In Ecc. 12. *Quod si diuersa & discrepantia disputaueris, & curiositate nimia huc atque illuc animum deduxeris, etiam in vno libro multi sunt libri. Vnde dictum est, ex multiloquio non effugies peccatum: talibus igitur libris non est finis. Bonum enim & veritas certo fine concluditur: malitia vero atque mendacium finē sine sunt: & quanto plus requiruntur, tanto maior eorum series nascitur.* Consentiunt Alcuinus, Liran. Arboreus, & alij, nisi quod hi potissimum intorquent contra ipsos scriptores, nam

Maximæ librorum mala sunt incuriâ visitatorum inuecta.

Malorum librorū non est finis.

----tenet insatiabile multos
scribendi cacoethes:

Libri hæretici merito à Republica excludūtur.

quod certe strictioribus adhuc legibus par esset coerceri, ne quid non recognitum à censoribus edatur in lucem; & mala manu si quid editum, expurgetur. Catholici pectoris hoc votum est: at Ios. Scaligeri in elencho dictum; Expurgatorios indices habere, Marranorum est: hæretico, & à recta fide apostata, digna gnome est.

Alij etiam doctrinam Salomonis lectoribus vtilem, & quidem merito, censent. Prudenter Ioan. Terus; Qui ab vno illo libro scripturæ sacræ discedit, & ad multos illos, hoc est, ad varia hominum commenta se conuertit, is nunquam perueniet ad verum finem, qui Deus est: vel nunquam perueniet ad veram scientiam. Sicut Paulus ait; semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis pertingunt, qui omni vento doctrinæ mouentur. Sicut igitur, non temere quæuis esculenta, citra delectum, palato admittimus, nisi antea simus per omnia certi: sic quoque, imo multo diligentius curandum est, ne quaslibet quorumlibet nugas tua lectione digneris. Primum enim illud tantum corporis periculo agitur: alterum vero istud animæ. Sic ille, qui prior Olympiodorus, enumerat genera voluminum, à quibus nos arcet Salomon; Nempe 1. gentium volumina & monumenta, qui scilicet alter alterius euertunt & impugnant sententias, semperque inter se grauissimum bellum gerunt, 2. hæreticorum inuicem dissidentium libros, 3. recentia Iudæorum volumina & secundaria, (hoc est, Deuterotica Thalmudistarum) quæ infinita sunt prope, & fabulis conferta. Dum enim scripturas nouis quibusdam figuris interpretari student, in ridiculas fabulas & genealogias conuersi sunt, & traditiones ediderunt à sententia scriptoris longe aberrantes: de his vltimis lector adire poterit Nicolai Serarij nostri commentarium de Rabbinis: de hæreticis res nota & expedita, & Ecclesiæ calculo itidem probata; de gentium libris, non æque moderatio in his & delectus, non penitus fuga consulitur: dixi fuse in præfatione Tragici syntagmatis ad æterna dignum memoria Lauinum Torrentium, patriæ meæ tum Episcopum.

Mala lectio animæ venenum.

Qui libri fugiendi.

Addo duntaxat eruditi & pij patris sententiam: Isiodorus is est Pelusiota, lib. 2. epist. 3. ad Timotheum; quem excitans ad sacræ scripturæ studium, commemorata eius dignitate, vtilitate, dulcedine, concludit; ex secularis sapientiæ externa eruditione tantum nobis instar apiculæ colligendum, quantum ad nostram philosophiam conducit: reliquum valere iubendum, ὅσον μὲν ἂν χρήσιμον εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς φιλοσοφίαν ἐκ τῆς ἔξωθεν παιδεύσεως, ὥσπερ ἡ μέλιττα δρεψάμενον, τὸ λοιπὸν ἅπαν χαίρειν ἔα. Finem facio cum Quinctiliani monito libr. 10. institutionum oratoriarum cap. 1. Optimis assuescendum, & multa magis, quam multorum lectione, formanda mens, & ducendus est color.

Regvla XIII.

§. 21. *Nec ad publica spectacula, comœdias, ludos, neq; ad supplicia reorum eant, neque personam vllam in externorum scenis agant nisi data prius à magistro, vel à præfecto Gymnasii potestate.*

Spectacula morum venena.

De spectaculis libro tertio dixi, quæ si quis legere voluerit, suo hanc legem suffragio probabit.

Regvla XIV.

§. 22. *Sincerum animum, purumque conseruare ac diuinis legibus summa diligentia obtemperare nitantur: Deo vero ac sanctissimæ virgini Deiparæ, cæterisque sanctis persæpe, atque ex animo se commendent. Angelorum opem assidue, præcipue vero angeli custodis implorent. Modestiam tum alibi semper, tum in templo, atque in schola potissimum seruent.*

Sapientia diuina puritate gaudet.

Regvla XV.

§. 23. *In rebus denique atque actionibus omnibus se gerant; vt facile quiuis intelligat, eos non minus virtutum vitæque integritatis esse, quam literarum doctrinæq; studiosos.*

Hæc igitur non modo suæ salutis gratia, verum etiam scholarum, & academiarum honori consulentes, magno studio curabunt. De pietate, & virtutum studio libris duobus iam egi, quæ tamen studiosis literarum, vtpote nobilioribus Christianæ iuuentæ membris, potissimum commendo.

Caput IX.

Professores scientiarum in honore habendos esse.

Professores vt parentes honorandi.

§. 1. Præceptvm de honorandis parentibus *primum est in promissione*, præmium illius obseruantiæ, est longæuitas. In partem parentum veniunt animorum formatores, eruditionis fontes, & sapientiæ, virtutumque clarissimi auctores, parentum igitur honorem illi quoque merentur. Nec Alexander minus se Aristoteli, quam Philippo, imo amplius debere, & agnouit, & regia voce professus est. Quod à Philippo vt viueret, ab Aristotele, vt bene viueret, accepisset. Tota res hisce paucis definiri potest.

Professor Deo, & bono publico militat.

§. 2. Professores publico commodo, diuinæque gloriæ immensos quos sustinent, labores consecrare debent, non vitæ mollis, & quietæ delinimenta, non honorum vana quærere, hoc enim cum in omni munere turpe sit, in sapientiæ candidato sane est turpissimum. Quis enim ferat pulcherrimarum, abditissimarumque rerum, laboriosissimam cognitionem, ipsiusque doctrinam virtutis rebus fœdissimis, atque inanissimis seruire? Non debent à fine, optimoque excidere illi, qui ad finem, optimumque alios deducunt.

Eruditionem vtilitati seruire cōtranatum est.

Præceptor pro alieno filio ratione

§. 3. Præceptores honorare debent, non modo discipuli, sed eorum quoque parentes, & Respublica. Parentes quidem, quia eos, quasi alios parentes

nem redditurus à patre eius contemni non debet.

rentes filiis delegerunt. Nec minus de institutione discipulorum, rationem Deo reddere coguntur, quam de educatione parentes. Depositа ergo animarum apud eos resident, & vigilant, pro aliis rationem reddituri. Qua in causa, quorundam parentum superba est ingratitudo, & in magistros contumeliosa; dum filiorum, vel domesticos pædagogos, vel publicos professores contemptui habent; docent enim & filios contra præceptores insurgere, quos pernicioſa opinione imbuunt. Atque eo tandem recidit, miseræ domus calamitas, vt postquam filius magistrum accusauit, pater credidit, mater damnauit, illo exemplo parentes petantur, neque enim parentum obseruans est, qui iniurioso pede in magistrum prorui. Nec dignus est obediente filio pater, quem docuit erga magistrum esse ingratum. Nullum ex omnibus, qui sese magistris, disciplinæque contemptores opposuerunt, noui, de quo non mater plorauerit. Insigne exemplum honorandi magistri Optimus Imperator Theodosius nobis proponitur, de quo Nicephor. libr. 17. cap. 23. *Sub idem tempus, imperator liberis suis virtutis magistrum præficere volens, Arsenio illi, cuius gloria terram sub sole omnem peruagata est, inuento, eos commisit: quibus ille susceptis, quum disciplina omni præceptoris, tum liberali educatione patris illis loco fuit. Imperator enim illum, ne quem ex imperij sublimitate conciperet metum, sed illis potius vt seruis vteretur, admonuerat. Tantum vero vt id ille fecerit, abest, vt insigni modestia, & moderatione diuersum potius fecerit. Et quum derepente Theodosius, ad eos aliquando venisset, pueros quidem cum splendore magnifico considentes, Arsenium autem, inter docendum eis astantem reperit. Qua de causa Imperator indignatus, quum illos insignibus principalibus nudauit, tum sempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum est proloquutus: Si tales se præbituri essent, vt mores vitamque suam ad disciplinam, & leges Dei componerent, propensum & illum fore, vt eis imperium in manus tradat, ad ciuium & subditorum commodum & vtilitatem accommodatum: sin minus, conducibilius eis esse dixit, vt sic priuati vitam exigerent, quam doctrina nulla, cum periculo imperarent.*

Pater contemptum præceptoris quem filiũ docuit, in se experitur.

Etiam imperator præceptorem honorare tenetur.

Publico etiam honore eos prosequi princeps, & Respublica tenetur; Nam eos Deus ipse honoratos voluit. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Deinde in honorifica, splendidaque functione versantur, in artibus liberalibus, philosophia, medicina, iurisprudentia, Theologia docenda, si præclarissimas igitur, vtilissimas, ac plane necessarias res docent, si ipsos reges, ipsos gubernatores instituunt, non potest eos inhonoratos finere respublica, nisi ipsius recti, & honesti, sit vel insciа, vel contemptrix. Isocrates Epistola, ad principem Mityleneum, excelso, hoc est, suo loco professores doctos collocat. Primo quidem magni faciendos esse ait, bonos, & iustos Rerumpublicarum gubernatores, proximum dignitatis locum tribuendum esse eruditis, qui ciuitatibus ornamento, auxilioque esse possunt.

Princeps professoribus honorẽ tribuere debet.

§. 4. Hac lege etiam principes, atque magnates, etiam reges priuatim constringuntur. Neque enim vlla regni maiestas efficit, ne parentibus, & magistris honor deferatur. Lex enim naturæ est, & tabulis Mosaicis iterum inculcata, vt honorentur parentes, & nomine parentum intelliguntur magistratus, & magistri etiam, non modo qui genuerunt. Ita rem habere docent Barbaræ nationes, quæ supra quam dici potest, præceptores venerantur, *Magistros*, (Sinæ,) inquit Nicolaus Trigautius lib. 1. c. 8. *omnino religiosius, quam nostri, venerantur, ac tametsi alter alteri per vnum diem se se pro discipulo subiecerit in qualiber scientia vel arte, per vitam deinceps vniuersam, eum magistrum appellat, & pro magistro colit: nam illi non nisi ad latus in quolibet congressu assidet, & magistralibus eum titulis, ac ritibus cohonestat.*

Priuatim suo magistro etiam rex honorem debet.

Sinæ in honorandis præceptoribus pene superstitiosi.

Honorabit igitur præceptores etiam princeps, audiendo, aditus faciles concedendo, postulatis æquis annuendo, reos cum sine damno publicæ quietis fieri potest, illi donando.

Tanto sane maiores gratias, magistro fideli princeps debet, quanto maior est sollicitudo eius, qui principem, quam qui priuatum instituit. Cum enim vtrobique par sit docentis molestia, illam tamen maiore fastidio, liberorum potentium fastus onerat, magno enim periculo, magnos labores subit, qui dominum suum docet.

Ardua prouincia principis filium docere.

§. 5. Qui minore magistratu funguntur in Republica, mirari non debent; si doctores publicos, sibi interdum anteponi animaduertant. Quamuis enim potestate illi præditi sint, maior tamen honor, virtuti, & eruditioni frequenter impenditur, quam magistratui. Quia maior est eius excellentia, quam potestatis, quæ sub alienis auspiciis certa lege regnat. Deinde, vt recte partem Reipublicæ administrent, hoc ipsum à magistris, & doctoribus habent, nec inferiore loco ponendi, qui gubernandi scientiam docent, quam illi, qui illa vtuntur. Tertio, quia vltimo tandem satraparum, & prætorum acta, à doctis examinantur, atque eorum iudicio statur. Iudicum ergo iudices illi sunt, nam vel docti esse ipsi iudices debent, vel de doctorum sententia iudicare. Olim ad magistratus, & legum interpretationem, tribunaliaque non facile admittebantur, nisi qui testimonia eruditionis, & codicillos ab Academiis adferrent. Iudicare enim regium est, quod officium imperitis, sine scelere, committere reges non possunt. Nam si is quem rebus præficiunt, quem controuersias finire iusserunt, alio præside indiget, si ab alio iudice sententiæ dictata accipere cogitur, nonne dignum est, vt honorem habeat auctori suo? Vt eum sine quo locum tueri suum non potest, quem fulcrum habet suæ dignitatis, honoret?

Prætor deferet interdum doctori, & senatori.

Prætorum iudices sunt doctores.

§. 6. Variis, & magnis honoribus disciplinarum doctores olim Respublicæ, regesque prosecuti sunt.

Olim honor magnus eruditioni fuit.

Quæ vero professoribus artium, præmia persolui solita sunt, hæc numerantur.

Primum & communissimum est, vt honorarium de publico constituatur; ne egeant illi, qui sunt veluti patres patriæ, vnde omnes habent, vt bene sapiant, bene viuant. Specimen est florentis Reipublicæ, vt disciplinarum professoribus, præmia opulenta pendantur. Quæ quidem triplicia sunt. Quidam enim priuatim sibi magistros conducunt, vt nunc frequens est in aulis magnatum; *& pædagogorum cura*: ita necesse est fieri apud Sinas, quorum literæ, & characteres eam habent rationem, vt ab vno, eodem tempore, vix doceri plures possint, vt refert lib. 1. Nicolaus Trigautius. Alia sunt stipendia, quæ publico professori singuli conferunt, quæ consuetudo, tempore Augustini, Romæ fuit; nam ipse discipulorum fraudem detestatur, qua præceptores mercede pacta fraudabant. Non noua tamen, sed vsitata iam olim fraus erat; clamat Satyricus:

Honorariũ publicum decretũ doctoribus.

Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.

Tertium genus est honoratissimum, & in Republica bene constituta ordinarie decretum, vt ex ærario professoribus soluatur; nam sic optime pauperum studiis consulitur, & maior est docentis libertas, vt cuius fortunæ, à fraude discentium non dependeant. Nam illud Prodici sapientis, qui nullum gratuito docebat: χρεχῶες νίωτει, δίδως τι, ἀπόλαβε; *manus manum lauat, dans aliquid, accipe*, vt pauperibus onerosum, ita

Omnis bene constituta respublica salariũ professoribus constituit.

probrosum sapientiæ fuit, cum cupiditas notata est. Leges tamen ciuiles iubent vt pro suo pupillo tutor mercedes, *non quas minimas poterit, sed pro patrimonij facultate, & dignitate natalium persoluat.* Merito sane de Euangelio, viuit Apostolorum senatus, & de altari sacerdotes; cur non & mysten suum, ingenuæ alant artes?

Honorificũ est artibus publice professorem ali.

Respublica igitur sapientiæ studiis consulat, neq; enim recte Protagoram defendit Philostratus, quod ideo mercede doceret, ne vilis eruditio haberetur, quæ sumptu nullo daretur, ne rerum maximarum facilitas contemptui pateret. Nam si priuatas impensas, sumptus publicus anteuertat, maior auctoritas docenti conciliatur, cum non modo impendiis, sed etiam approbatione magistratus, omnium studia honorantur, & sustentantur.

Iustinianus artes sustulit.

Recte itaque Augustus, quamuis absque sua licentia salarium ex ærario tribuere vetuerit, ob liberalem tamen artem permisit, neque enim committere in sapientiam voluit, vt qui ipse à puero artes eas impense coluerit, vt qui in castris diebus singulis declamando, legendoque sese exercuerit. Vespasianus centena sestertia Rhetoribus constituit, Antoninus decem millia drachmarum; quæ pessime sustulit Iustinianus, nam stipendia liberalium artium, in omnibus vrbibus sustulit, & cessantibus scholis rusticitatem, & barbariem induxit, vt docet Zonaras. Nec defendi potest, quod leges in fauorem liberalium artium sanxerit, cum eas toties immutarit, & ad sua commoda detorserit.

Multo generosius rex Barbarus, sed iam Romæ dominus, senatui scripsit: Cassiodorus lib. 9. Athalaricum ita scripsisse refert. *Filiorum causas iure ad patrum cognoscamus remisisse personas: vt ipsi de illorum prouectu debeant cogitare, quorum interest studia Romana perficere. Neq; enim credendum est, vos inde posse minus esse solicitos, vnde & generi vestro crescit ornatus, & cœtui prouenit assidua lectione consilium. Nuper siquidem vt est de vobis cura nostra solicita, quorundam susurratione cognouimus, doctores eloquentiæ Romanæ, laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris deputata summa, videatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia, per commodorum augmenta prouocandi.*

Scientia omnes hominum opes superat.

§. 7. Nunquam illa stipendia nimia sunt. Scientia Philosophiæ, Medicinæ, Iuris, Theologiæ, nulla vnquam æquali remuneratione pensantur. Etiam si regnis, & prouinciis earum professores ornentur. Nero, magistro ingentes opes vltro congessit. *Tu*, inquit ipse apud Tacit. ann. 14. *gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti: adeo vt plerumque intra me ipse voluam, vbi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, & tam lato fœnore exuberat?*

Seneca opes.

Non potuerunt tantæ diuitiæ, munificentia prodigi principis accumulatæ, non mouere inuidiam, & obtrectationem. *Calumniatores*, inquit, idem Tacitus, *variis criminationibus Senecam adoriuntur, tanquam ingentes, & priuatum supra modum erectas opes, adhuc augeret: quodque studia ciuium in se verteret: hortorum quoq; amœnitate, & villarum magnificentia, quasi principem supergrederetur.*

Quantum vero Senecæ dedit Nero? lib. 13. Tac. *Qua sapientia, quibus philosophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies HSS. parauisset? Romæ testamenta, & orbos, velut indagine eius capi: Italiam & prouincias, immenso fœnore hauriri.*

Nolim hunc luxum, nec Senecam excuso, nec tamen miror, cum histriones, & scenici maiora possederint, cum Narcissus & Felix, & eiusmodi portenta, regias opes flagitiosis ministeriis acquisiuerint. Nostris quoque temporibus, viros doctos, magnis stipendiis illectos meminimus.

Persæ in doctos munifici.

Munificentiam illam etiam Persæ, Martium genus, vsurparunt, Magorũ præfecto in singulos menses, quatuor auri libras persoluebant, Abdias Babyl. lib. 6. Quam regia Epistola Artaxerxis ad Hystanum Hellesponti præfectum? *Hippocratis Medici Aesculapio prognati, ad me artis fama peruenit, da igitur operam, vt aurum illi tribuas, quantum vult, aliaque quorum indiget, & eum ad me mitte, erit enim par honore, summis in Persia viris: Et si quis in Europa fuerit vir clarus, hunc amicum domui nostræ redde, minime parcens pecuniæ, viri enim quanquam potentes, haud facile inueniunt, quod honeste cupiunt. Vale.*

§. 8. Alterum honoris genus quod eos principes, vel ipsi adire, atque audire, vel magna honoris significatione & humani accersere solerent. Supersunt apud Laert. lib. 9. literæ Darii ad Heraclitum humaniores, quam pro fastu barbaro. *Rex Darius auditor tuus esse cupit, participesque Græcæ eruditionis fieri: Venias igitur statim ad conspectum meum, ac regiam domum. Apud me enim aderit tibi omnis honor, priuatusque omnis, quotidieque sollicita obseruatio, & grata collocutio, vitaque tuis moribus probabilis.*

Dionysius Platonem coluit.

Dionysius immanis, & superbus tyrannus, vittata naue Platonem vocauit, albisque quadrigis, venientem in littore excepit. Non eruditionis, aut virtutis æstimatione, sed quod opinionem ex philosophi familiaritate conciliare, & spem mitioris regni, præbere subditis studeret.

Magnus Pompeius quamuis illa humanitate non clarior, certe laudatior fuit, quam tribus ex totidem orbis partibus triumphis.

Pompeius omnes superauit.

Rhodum enim pertransiens ex Asia, omnes bonarum artium professores audiuit, qui cum ipsi cumulatissime satisfacerent, singulis auri talentum obtulit: Voluit autem Possidonium nobilissimũ Philosophum visere, Cic. 2. Tusc. *Quem vt vidisset, & salutauisset, honorificisque verbis prosecutus esset, moleste se dixit ferre, quod eum non posset audire. At ille, tu vero, inquit, potes, nec committam, dolor corporis efficiat, vt frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, eum grauiter, & copiose de hoc ipso, Nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputasse.*

Nec modo adiit, sed fasces laureatos, & victricia insignia illi submisit, nec ianuam viri eruditi, quasi imperio suo sacratiorem, à lictore pulsari voluit. Mireris hoc in Pompeio, quod philosopho se submisit, quem patria non nisi morte, priuatum reddere potuit; Sensit sine dubio Pompeius, aliquid in Possidonio bonum, sua maiestate venerabilius, & consensit laudantium multitudo. Id verbis expressit Antigonus Epist. ad Zenonem, vt est apud Laert. lib. 7. *Ego fortuna me quidem, & gloria vitam tuam anteire existimo: cæterum disciplinis, studiisque liberalibus, & perfecta felicitate, quam tu possides, longe abs te præcelli sentio. Quocirca te orare statui, vt ad me proficiscaris, id mihi persuadens te preces meas minime irritas fieri passurum. Tu igitur modis omnibus enitere, vt tuo contuberuio fruamur, certo sciens, non mei tantum, sed omnium Macedonum eruditorem fore. Nam qui Macedoniæ regem erudit, eum & subditos quoq; instruere ad fortitudinem, & probitatem certum est. Nam cuiusmodi fuerit dux, tales vt plurimum subditos fieri necesse est.*

Sociantur magistratibus eruditi.

§. 9. Tertio loco honor ille tribui magistris solet, & professoribus, vt illi, qui in publicis functionibus constituti sunt, sociari sibi illos non modo optent, sed legibus etiam teneantur. Iubentur autem præsides *eos honorificentia, & præmiorum spe prouocare, quorum sibi prudentiam necessariam arbitrantur.* Contemnere non possunt eos, quorum sapientiam sibi necessariam vident; nam reuera natura sic comparatum est, vt qui valet τῷ νοημονικῷ intellectu, & prudentia, imperet, qui inferior est, pareat. Tanti hoc veteres æstima-

æstimarunt, vt Cœlium iureconsultum adeo superbum Cicero iudicet, vt à Cæsare *consuli* malit, quam *inaurari*; qui enim consulit, alienam præstantiam agnoscit, qui inaurat, auaritiam seruilem exprobrat. Hinc & factum vt Persarum reges, aut eruditi essent, aut ab eruditis, quos Magos vocarunt, regerentur.

Consuli à magistratu magnæ dignitatis est.

§. 10. In gratiam doctorum publicorum, etiam populis, vrbibusque multæ concessæ sunt immunitates, vel donata delicta. Ptolomæus humanissime septuaginta interpretes inuitans, & excipiens, miraculo concordium versionum attonitus, Iudæos ingentibus beneficiis affecit. Sulla Athenis, propter mortuos pepercit: Indignum enim homine existimauit, domicilium humanitatis exscindere. Alexander Aristoteli, stagiram suam solo æquatam, exstruxit. Lampsacum Anaximeni donauit, cum enim eam obsideret, videretque eum egressum deprecatorem futurum, iureiurando asseruit, se nō præstiturum quod peteret: Sed ille, *peto*, inquit, *vt Lampsacum deleas.* In quo quid potius mirer nescio, solertiamne Anaximenis, qui regem contra votum suum iurare coegit: an animum Alexandri, qui putaret preces viri docti, non nisi iuramento oppositō, retundi posse; quique plus vnius preces philosophi, quam hostium mœnia, atq; arma formidaret. Alexandrum imitatus est Augustus, qui Alexandrinis propter Areum in philosophia præceptorem ignouit. Quantum ab illo diuersus, qui Senecam vitiis suis grauem occidit?

Patriæ saluti sæpe docti fuerunt.

§. 11. Ciuilibus honoribus multos condecoratos, iudicio principum constat, sola eruditionis prærogatiua. Pharao Iosephum, Darius Danielem, Gratianus Ausonium, Antoninus Proculum, & si vetera placent Achilles Phœnicem præceptorem extulit, dignumque iudicauit qui secum regnaret.

Priuatim, & publice in suos fuere grati præceptores.

Ἴσον ἐμοὶ βασίλευε, καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς.
Pari mecum iure regna, & dimidium honoris accipe.

Fuit ille priuatus magnatum, in suos præceptores amor; Imperatores alii, vt studia excitarent, in omnes munifici fuerunt. Theodosius, & Valentinianus magistros, quorum opera probata fuit, illis qui sunt ex vicaria dignitate connumerarunt. Vicariorum dignitas comitum, & ducum par fuit: Comitiuam etiam eædem illis leges permittunt. S. Basilius magnopere in hoc incubuit, vt bonis artib⁹, moribusq;, filii Cappadocum instituerentur, eosque cum in eruditione profecissent, enixe ad magnos honores, curabat euehendos. Constantinus quoque ingenia, largitate, & honorificentia excitauit.

Statuis honorata eruditio.

§. 12. Statuas etiam, & columnas, imo aras aliquando eruditioni antiquitas erexit. Romani Proëresio statuam locarunt, *Regina vrbium eloquentiæ regi*, vt Eunap. refert, sed nimis sane ambitiose. Melius Romani iidem Pythagoræ, tanquam sapientissimo ex oraculo statuam fecerunt, vt Plutarch. in Numa refert. Nam quod idem præstiterunt Alcibiadi, tanquam fortissimo, grauiter errarunt. Mithridates rex Ponti, meliore iure hoc præstitit Platoni. Verum statuarum honor, pluribus deinde communicatus est, cum Orbilius Pupillus marmorea donatus fuerit, vt auctor est Suetonius. Alexander Ciceronis, & Virgilii statuas in larario consecrarat, vt refert Lampridius. Vniuersa Græcia Gorgiæ Leontino in æde Apollinis Delphici, auream statuam posuit, cæteris aurata duntaxat honoratis. Val. lib. 8. 16.

Pythagoram Crotoniatæ virum magnis honoribus affecerunt, mortui domum in templum Cereris consecrarunt, quod indignum putarent, sub illo tecto habitare homines dissimiles viro tam sapienti. Magis miror Macedones, Eurypidi monumentum exstruxisse, cum literis minus essent culti. Spartani etiam contra morem suum egerunt, poetices, & philosophiæ inimici, cum captis Thebis, Pindari ædibus inscripserunt:

Hostes amici sunt eorū qui docti sunt, inter hostes.

Τῶ μισοπωιοῦ τὰν οἰκίαν μὴ καίετε.
Poetæ domum ne incendite.

Magnus & doctus Aragoniæ rex Alphonsus, Ciceronis etiam villæ parcendum ratus est, in Caietana enim obsidione saxa, & ligna pro tormentis, machinisque peti prohibuit, asseruitq; malle se nunquam tormentis vti, quam tanti oratoris prædium violare. Causa cur tantus illis honor deferatur, est nota, quam & Sigismundus quibusdam reddidit; Indignantibus enim quod homines doctos altius prouehere videretur, respondit; *se eos merito amare, quos præcellere natura voluit.*

Naturæ præcellunt docti, ideo honor illis debetur, qui est testimonium excellentiæ.

Quemadmodum igitur stulte principes faciunt, qui consiliarios prudentes, & gnauos facile dimittunt, vel tenuitate stipendii abscedere cogunt; quia illi cupide mox à maioribus principibus accersuntur, ita & in doctorum virorum neglectu peccant, quos tum primum, cum dedecore prouinciæ suæ abiisse intelligunt; cum apud alios in dignationem veniisse illis refertur. Si enim artibus honestis, (monet Iuu. Satyr. 3.)

Quos præsentes contemnunt, absentes desiderant.

Nullus in vrbe locus, nulla emolumenta laborum,
Res hodie minor est, heri quam fuit, atq; eadem cras
Deteret exiguis aliquid. Proponimus illuc
Ire, fatigatas vbi Dædalus exuit alas.

Nam reuera vt ille nouerat, & inculcat Sat. 7.

Pœnituit multos vanæ, sterilisque cathedræ,
Sicut Thrasymachi probat exitus, atque secundi
Carinatis, & hunc inopem vidistis Athenæ,
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.

Honorem ergo princeps, Respublica, parentes, atq; in primis discipuli, suis præceptoribus debent, quem cum magnum impenderint, nunquam meritis æqualem dabunt: manebit in tabulis maior summa debitorum, quæ nunquam nisi agnoscendo, & amando dispungetur.

Testis mihi est Valentiniani filius Gratianus, qui Ausonio præceptori in hæc verba scripsit. *Cum de Coss. in annum creandis mecum solus volutarem, vt me nosti, atque vt facere debui, & te velle sciui, consilium meum ad Deum retuli. Eius auctoritati obsecutus, te consulem designaui, declaraui, & priorem nuncupaui. Trabeam palmatam tibi misi, in qua D. Constantinus pater noster intextus est. Solui quod debui, & adhuc debeo quod solui.*

CAPVT X.

Pœnis, & plagis moderatis iuuentutem in officio continendam esse.

§. 1. NE hæc quidem cura à Republica aliena est. Mollem, & delicatam educationem esse matrem insolentiæ, radicem nequitiæ, superbiæ, & iracundiæ fomentum alio loco docui, nunc disputo, an omnis punitio intra verborum acrimoniam, ad sobrietatem vitæ, & labores ætati iuuenili conuenientes consistere debeat, an vero verberum, & flagellorum metu, impetus improuidorum animorum sint coercendi?

Magnos habet ætas illa, quæ sui arbitra nondum esse potest, pro immunitate corporis patronos, è Græcis Plutarchum, ex Latinis Quinctilianum. Maior auctoritas Plutarcho, expertæ sapientiæ viro; nam Quinctilianum discipulorum proteruia, & dissolutio, non absque nota infamiæ refutauit. Argumenta tamen proponere solent. Nam primo, vapulare adolescentem deforme est. Quia vilia ingenia, & proiectæ pigritiæ flagris ad officium compelluntur. Generosus equus freno indiget, asinorum tarditas nec calcaribus, nec fustibus in cursum concitatur.

Plutarchus, & Quinctilianus plagis iuuentutem exemerunt.

Causa cur blande sint educandi adolescētes.

Contumelioſa igitur verbera ſunt, ingenuis corporibus adhibita. Benignitate, laude, munuſculis, honoribus, magiſtratuum vmbraticis inſignibus, alacritas diſcentium alatur, non opprimat teneros animos ſollicitudo, pauorque ſæuientis Orbilii, ne odiſſe ſcientias incipiant, priuſquam earum guſtare dulcedinem poſſint, cum enim radices artium amaræ ſint, & nulla pene voluptate condiantur, non debet earũ triſtitia auſteritate minantis oris, & toruitate frontis, & verberũ acerbitate exaggerari. Pudore, & liberalitate continere præſtat adoleſcentes, quam metu.

Qui blande ducitur, ſponte ſequitur, malũ putatur, etſi bonum ſit, ad quod ſeueritas cogit.

Pulchre Quinctilianus. *Non ſum, inquit, adeo ætatum imprudens, vt inſtandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam: nam id inprimis cauere oportebit, ne ſtudia, qui amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel perceptam, etiam vltra rudes annos reformidet. Luſus hic ſit, & rogetur, & laudetur, aliquando ipſo nolente doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, & ſæpius vincere ſe putet, præmiis, quæ cupit illa ætas, euocetur. Hi quoque verſus, qui ad imitationem ſcribendi proponentur, non otioſas velim ſententias habeant, ſed honeſtum aliquid monentes, proſequitur hæc memoria in ſenectutem, & impreſſa animis rudibuſque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum, & electos ex poetis maxime, namq; eorum paruis cognitio gratior eſt, locos ediſcere inter luſum licet.*

Lex Porcia pro immunitate ciuiũ Romanorum.

Si enim ingenia ſunt proba, facilia, obſequẽtia, ſtudiorũ, & laboris amantia, ea plagis exagitare inſanum eſt: Si improba, cõtumacia, inertia, ne plagis quidem emendabilia. Acta eſt cauſa, ſupereſt, vt clamemus: ô leges Porciæ, legeſque Semproniæ. Popularis eſſe poſſem, ſi iſta cõprobarem, *Porcia lex, virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit. Porcia lex libertatem ciuium, lictori eripuit.* Cicero pro Rabirio, & Liuius: Porcia lex protergo ciuiũ lata, quod graui pœna, ſi quis verberaſſet, necaſſetue ciuem Romanum, ſanxit. Valeria enim nihil vltra, quam improbe factum adiecerat. Legem Porciam in vniuerſi orbis ſcholas, ſi mitiones illi induxerint, nouam lucem ſe libertatis intuliſſe gloriabuntur, & ingenuos in integrum reſtituiſſe. Quia vero magni refert hac in re modum tenere, cum multos ſeueritas magiſtri, plures lentitũdo perdiderit, rem breuiter explicabo.

§. 2. Primum autem definio, hac in cauſa legem Porciam vim legis non habere, rectèque facturum, ſi quis adoleſcentiæ errata, plagis correxerit. Auctoritate enim diuina hoc faciet; *Nam qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia.* Eccl. 30. 1. Næ illi faciunt amando filios, vt peſſime oderint amando. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum: qui autem diligit illum inſtanter erudit.* Prou. 13. 24. Nam ætas illa capax eſt inſtitutionis. *Filij tibi ſunt? Erudi illos, & curua illos à pueritia illorum.* Nec ita crede ſapientem, vt illa diſciplina non egeat. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ fugabit eam.* Prou. 22. 15. Fructum tam ſanctæ ſeueritatis non tacuit ſpiritus ſanctus. *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum: & animam eius de inferno liberabis.*

Lege diuina ſancitur moderata ſeueritas.

Cauſam & neceſſitatem Eccleſiaſticus c. 30. v. 8. adducit. *Equus indomitus euadit durus, & filius remiſſus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet: Lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi: ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute & tunde latera eius dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.*

Peroratam iam cauſam haberemus, ſi apud omnes tantum valeret infinita Dei, & nuſquam falſa, nunquam fallens veritas, quantum proprii iudicii momenta; verum quia pſeudopolitici rationis ſuæ calliditatem cœleſti prudentiæ anteponunt, rem ſecundum rectam rationem æſtimemus.

Inſanum eſt metu à criminibus adultos arcere, licentiam dare pueris.

§. 3. Cum enim hominum cupiditates, affectuſq; in adoleſcentia maxime efferueſcant, cum in ea ætate minus roboris ſit, ad ſuſtinendum, minus prudentiæ ad declinandum, fortiore remedio alienæ ſapientiæ indigent; Adultis quidem carceres, compedes, ergaſtula, manſiones malæ, gladii, fidiculæ, cruces, rogi parantur, ne facinora concipere, & patrare audeant: Tenerior ætas, ſuis quoque terroribus contineri debet: Initiis enim obſiſtendum eſt, nam paruus error in principio creſcit in immenſum, lineæ ex vno centro deductæ, & pene parallelæ vix notabili diſtantia, progreſſu, immenſo inter ſe ſpacio diſpeſcuntur. Ebrietates, furta, homicidia, peculatus, periuria calumniaſque vigore legum princeps cohibet: at multo magis horum initia in pueris, vt ſorbillationes cyathorum, ſubreptiones calamorũ, nummulorumque, pugnas, & morſus, hortorum expilationes, mendaciola, fraudeſq; inhiberi eſt neceſſum, per hæc enim minora ad maxima illa peruenitur.

Amorem virtutis iuuat pœna delicti.

§. 4. At diſcant amore virtutis, non metu pœnæ peccata fugere. Imo vero virtutem ament, vitia oderint, non modo ob eorum fœditatem, quam nondum ſatis cognouerunt, ſed etiam pœnarum comitatum, qui vitiorum dulcedinem reddat amaram, ac horribilem. Pœna facit vt peccata intermittant, intermiſſio facit, vt peccare tandem deſinant, & ceſſatio à peccatis, initium eſt virtutis. Peccatis plena eſt illa ætas, vt monet Auguſtinus l. 10. in gen. ad lit. c. 12. *Non enim de pueris grandiuſculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt attribuere quidam, niſi ab anni quartidecimi articulo, cum pubeſcere cœperint. Quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, periuria, non eſſe peccata, niſi qui talia vult impune committere? At his plena eſt puerilis ætas, quamuis in eis non ita, vt in maioribus punienda videantur, quod ſperentur annis accedentibus, quibus ratio conualeſcat, poſſe præcepta ſalutaria melius intelligere, eiſq; libentius obedire.* Si tamen impune pueri committant, nulla ſpes eſt, maiores non auſuros, quod paruis permiſſum eſt.

Puerorum delicta rationis imbecillitas leniora facit.

Sane quis neget peccata illa punienda, niſi qui totam Rempublicam euertere ſtuduerit?

Magna ingenia coercitione egent.

At magnis ingeniis verbera non conueniunt: Illa vero vel præcipue ſunt coercenda, & crebro, quia laborem fugiunt, & iucunda potius, quã vtilia ſectantur, etiam metu, & plagis obiurganda. Ponam Auguſtini locum, quo nemo ingenio maior fuit, qui ſui temporis hiſtoriam nobis exponit. lib. 1. conf. c. 9. & 10. *Deus Deus meus, quas ibi miſerias expertus ſum & ludificationes, quandoquidem mihi rectè viuere puero id proponebatur, obtemperare monentibus, vt in hoc ſeculo florerem, & excellerem linguoſis artibus, ad honorem hominum, & falſas diuitias famulantibus. Inde in ſcholam datus ſum, vt diſcerem literas, in quibus quid vtilitatis eſſet, ignorabam miſer, & tamen ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam. Laudabatur enim hoc à maioribus, & multi ante nos vitam iſtam agentes, præſtruxerant arumnoſas vias; per quas tranſire cogebamur, multiplicato labore, & dolore filiis Adam. Inuenimus autem Domine, homines rogantes te, & didicimus ab eis, ſentientes te, vt poteramus, eſſe magnum aliquem, qui poſſes etiam non apparens ſenſibus noſtris, exaudire nos & ſubuenire nobis. Nam puer cœpi rogare te auxilium, & refugium meum, & in tuam inuocationem rumpebam nodos linguæ meæ: & rogabam te paruus, non paruo affectu, ne in ſchola vapularem. Et cum me non exaudiebas, quod non erat ad inſipientiam mihi, ridebantur à maioribus hominibus, atq; ab ipſis parentibus, qui accidere mali nihil volebant, plagæ meæ, magnum tunc, & graue malum meum. Eſtne quiſquam Domine tam magnus animus prægrandi affectu tibi cohærens, eſtne inquam quiſquam (facit enim etiam hoc quædam ſtoliditas) eſt ergo qui tibi pie cohærendo ita ſit affectus granditer, vt equuleos & vngulas, atque huiuſcemodi varia tormenta, pro quibus effu-*

Auguſtini pueri pœnices.

giendis

Parentes rident puerorum tormenta.

giendis tibi per vniuersas terras cum timore magno supplicatur ita parui æstimet, irridens eos qui hæc acerbissime formidant, quemadmodũ parentes nostri ridebant tormenta, quibus pueri à magistris affligebamur? Nõ n. aut minus ea metuebamus, aut minus te de his euadendis deprecabamur, & peccabam⁹ tamen minus scribendo, aut legendo, aut cogitando de literis, quã exigebatur à nobis. Non n. deerat Domine memoria, vel ingenium, q̃ nos habere voluisti pro illa ætate satis, sed delectabat ludere, & vindicabatur in nos ab eis, qui talia vtiq; agebant. Sed maiorũ nugæ negotia vocantur, puerorum aũt talia cum sint, puniuntur à maiorib⁹, & nemo miseratur pueros vel illos, vel vtrosq;: nisi vero approbet quisquã bonus rerum arbiter vapulasse me, quia ludebam pila puer, & eo ludo impediebar, quo minus celeriter discerem literas, quib. maior deformi⁹ luderem. Haud aliud faciebat idem ipse, à quo vapulabã: qui si in aliqua quæstiũcula à condoctore suo victus esset, magis bile atque inuidia torqueretur, quam ego, cum in certamine pilæ à collusore meo superabar. Et tamẽ peccabã Domine Deus ordinator, & creator omniũ rerũ naturalium, peccatorum aũt tantũ nõ ordinator. Domine Deus me⁹ peccabã, faciendo contra p̃cepta parentum, & magistrorum illorum. Poterã n. postea bene vti litteris, quas volebant vt discerẽ, quocunq; animo illi mei: non n. meliora eligens, inobediens erã, sed amore ludendi, amans in certaminibus superbas victorias, & scalpi aures meas falsis fabellis, quo prurirent ardenti⁹ eadem curiositate magis, magisq; ad oculos periculosa micante in spectacula, ludosq; maiorũ, quos tamẽ qui edũt, ea dignitate præditi excellunt, vt hoc pene omnes optent paruulis suis: quos tamẽ cadi libenter patiuntur, si spectaculis talibus impediantur à studio, quo eos ad talia edenda cupiunt peruenire. Vide ista Domine misericorditer, & libera nos iam inuocãtes te, libera etiã eos, q̃ nondum te inuocant, vt inuocẽt te, & liberes eos. Quid autem ratione opus, vbi enim peccata impunia esse possunt, vt non exundent, atque in immensum excrescant? Consuetudo gentium est omnium, vt filios blanditiis & plagis erudiant.

Parentes plectunt filios etsi ipsi deterius peccent.

Regiæ sobolis virtus metus coerceat.

§. 5. *At plagæ seruiles animos efficiunt.* Quin potius emendatos; non asini modo plagis aguntur, sed duris lupatis etiam, virgaq; generosa equorum vis ad humanos vsus domatur, acerrimos & ingeniosissimos, canum flagra docent. Ipse Pelides Danaum fortissimus sic institutus est.

Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socros, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro
Verberibus iussas præbuit ille manus.

Moderationem tamen adhibebit prudens magistri clementia, vt nec licentiam inertiæ, vitiisq; concedat, nec atrocitate se, & pulcherrima studia faciat odiosa. Leges illæ paucissimæ suffecerint.

Ira moderationem transilit. Præcipitatio absit. Multa nesciat, etsi sciat. Reprehendat errata, sine contumelia.

Prima. Nunquam iratus puniat; nam & ipse facile modum excedet, & reus, ira se doctoris, non suo merito plecti putabit. Iratus enim, sibi, non emendationi iuuentutis pœnas impendit. Secunda. Nec in puniendo sit præceps, nec in inquirendo nimius; Nam qui cito punit, parum abest, quin libenter puniat. Tertia. Dissimulet quicquid sine publico, & priuato dãno dissimulari potest. Punit enim non quia peccatum est, sed ne peccetur. Quarta. A contumelia dicto, factoue inferenda abstineat omnino. Reprehẽsione sola vtatur, qua & pater solet. Quinta. Nullum vnquam alio, quam suo nomine, aut cognomine appellet: Probrosa enim agnomina grauiter offendunt, & odium, nõ emendationem pariunt. Hærent, & in adultis. Sexta. Semper stet intra modum pœna, nec in tenera ætate castigatio par sit delicto; meritum maiora subire, satis est scutica cædere: meritum plagas, crebro sat est, minis terruisse. Septima. Grauiora delicta, quæ atrociores pœnas exposcunt, quã sit patris, ordinarie repulsa vindicet: nec enim decet, sæuire professorem, etiam in meritos; pœnæ insolens asperitas, infamat Gymnasia.

Grauiora delicta, quã vt paterne corrigi debeant dimissione puniat.

Lubet hic subiungere historiam iuridicialem, vt eam recitat prudentissimus regum consiliarius Gueuara l. 2. c. 37. *Dicæarchus historicus Græcus in libro antiquitatum, & Sabellicus in generali historia, dicunt, Ad clariss. & antiquissimũ Philosophum Solonem Salaminũ venisse questũ patrẽ de filio, & filium de patre, priorem q̃ filium accusationẽ in hanc sententiã apud Philosophũ instituisse: Ego de patre meo queror, q̃ cum ipse dives sit, ego vero pauper; ipse me⁹ sit pater, ego vnicus ipsius filius, viuens me abdicarit, & filiũ adoptiuum hæredem fecerit; q̃ pater me⁹ nec debuit, nec potuit facere. Cũ n. ipsi acceptũ referam, q̃ natura sum tam fragilis; æquum est vt opes mihi ad sustentandam (fulciendam q̃) naturæ imbecillitatẽ subministret. Ad hæc pater, Ego, inqt, de filio meo queror, q̃ mihi non filii, sed hostis capitalis loco fuerit. Omnib⁹ n. in rebus inde ab ipsis incunabulis semper mihi aduersatus est; ideo q̃ illũ viuens exhæredaui, & nihil mihi foret iucundius, quã si quemadmodum ego hæreditate, ita a dii vita ipsum priuarent. Crudelissima n. est terra, q̃ non viuum absorbet filium execrabilẽ, cuius nulla est erga patrem reuerentia (& obedientia.) Quod me dicit alium de integro filiũ adoptasse; id verum esse, fateor. At q̃ dicit se à me hæreditate priuatum, cum sit meo procreatus sanguine; ad hoc respondeo: Non me filium meũ abdicare; sed ipsius de meo labore luxuriam exhæredare. Nihil n. iniquius, quã sudore de senis patris corpore guttatim fluente, quasi balneis foueri, & recreari filium adolescentem, flagitiosum.*

Grauis sit culpa oportet, quæ patris amorem excludit.

Culpa parentum est filii luxuries.

Huic patris Orationi ita respondit filius: Neq; me patri molestum fuisse inficior, & luxuriose etiam (flagitiose q̃) me vixisse fateor: Sed si verum dicendum est, quod luxuriosus, malusq; euasi, patris mei culpa factum, q̃ me, dum puer esse me, nõ informauit: & si propterea me abdicat, summa me afficit iniuria. Pater enim, qui filium iuuenis non bene educat (& erudit) iniuste eum senex abdicat. Respondens denuo pater, verum est, fili inquit, te à me indulgentissime, quando paruulus eras, habitũ: sed illud quoq; te non fugit, te frequenter à me & eruditum, & castigatum, cum esses iam grandior: & q̃ in infantia te doctrina non imbui, ideo factum est, quoniã in tenera illa ætatula disciplinæ capax non eras. At cum ego te, & doctrina, & disciplina bona erudiebam; tũ & capax ad præcepta ingenium, & ætas ad agendum idonea, & vires ad exercendum firmæ aderant. Nam cui & habilitas, & vires desunt, ei frustra docendi labor impenditur. Hic rursum filius: Quia tu senex es, inquit, & ego iuuenis, tu pater es meus, ego tuus filius; tu (barba & capite) canus, ego imberbis. (tu plus habes experientiæ, vt q̃ plura vidisti; ego pauciora expertus fui, vt qui ætate adolescens sum:) æquissimum tibi fidem haberi, me condemnari videtur. Sæpe enim in vita cõmuni vsu venit, vt qui autoritate minus valet, iccirco in causa iustissima inferior discedat. Fateor mi pater, cum puer essem, te curasse, vt literis imbuerer: Sed nõ ibis inficias, si quam noxam admisissem, te non sustinuisse, vt castigarer (& plecterer,) atque inde factum, vt quia passus es me facere, quod mihi lubebat, dũ puer eram; tibi euaserim inobediens, postquã factus sum grandior. Quare iure hoc addo, si (offensæ &) culpæ hac in parte arguor; culpæ profecto meæ culpa tu non prorsus cares. Non n. est parentum, vt in teneris annis doceant disputare filios, quid sint virtutes; sed vt ad virtutis studium eos assuefaciant, & præmiis inuitent. Ingens enim bonum est, si nos adolescentes ad id prouecti ætatis, qua cognoscere malum poscimus, ad bene (deinceps) agendum simus assuefacti (& instructi.) Auditis ergo (& accuratepondératis) partis vtriusq; rationibus; Solon Salaminius, Ego, inquit, hanc fero sententiam, vt adolescẽtis huius pater, quoniam eum etiam tum puerum nõ castigauit. Sepultura, postquam mortuus fuerit, careat; & iubeo, vt huius patris filius, quoniam patri non credidit, at q̃ obediuit, dum erat adolescens, hæreditate, dum is viuit, careat, ea lege, vt illo defuncto, hæreditatem adeat ipsius filius. Iniustissimum enim fore, filii innocentiam paternæ pœnas luere malitiæ. Iubeo item, vt omnia ista bona apud virum bonæ fidei deponantur, qui inde det alimenta patri, quamdiu vixerit, & sepulchrum faciat filio, postquam mortuus fuerit. Hanc sententiam quæ & vitam & mortem complectitur, non sine causa tuli. Non enim volunt Dii duplicem esse vnius criminis pœnam, sed alteros in vita, honore aut opibus ereptis; alteros in morte, memoria & sepultura adempta, puniri (& castigari.)

Adultior, si paruulo defuit disciplina, potius frangitur, quam emẽdatur.

CAP.

CAPVT XI.

Eruditionem Reipublicæ honorificam, & necessariam esse.

§.1. ERVDITIONIS nomine omnium artium liberalium, scientiarumque cognitionẽ, ipsam etiam sacrarum legum, & Theologiæ peritiam complector. De quibus nunc generatim, deinde particulatim agam.

Imperitia accusandis scientiis duntaxat eloquens est.

Haud recte dixit non nemo; mala multi amplectuntur, bonum nemo accusat. Scientiam enim multi accusant, olim sane philosophia habuit reprehensores. Licinius adeo indoctus erat, vt ne diplomatis quidem nomen proprium subscribere posset. Tanto flagrabat odio literarum, vt literas pestem, & calamitatem publicam vocaret; Rhetores & Philosophos acerbissime oderat, virus & venenum Reipublicæ eos esse dicebat. Sed ille à patre rustico educatus inter Dacos barbaros, solis illis æquus fuit. Verum hoc vitium rarum est: Tantus est enim literarum splendor, tanta dignitas, vt plerique etiam principes eruditionis famam aucupentur, inscitiæque opinionem fugiant. Nero primus inter eos qui rerum potiti sunt, alienæ facundiæ eguit. Tac. l. 13. Senecæ enim orationes recitabat, vt eloquentiæ se laude senatui populoque commendaret.

Principes eruditionis amant famam.

Quantum vero Reipublicæ cõferat eruditio multorum, precipue nobilium, & magnatum, id in priuato quolibet facile intelligitur. Doctrina enim id confert vt ille dicebat, ne sedeat *lapis super lapidem*. Quantum Socrates Batto, Atticus Bambalioni, tantum Respublica polita literis, præstat ineruditæ.

§. 2. Nam sapientiæ studium maxime literis continetur; Non potest autem Respublica consistere, nisi is qui imperitat, habeat, colatq; sapientiæ studium. Sapientum sane consilia audienda sunt, alioqui omnia principum decreta, quæ non iure, sapientiaque nituntur, sola vis regnantis tutari nõ potest. Vel subditorum cõuitio, vel laude successoris inconsulte responsorum abolentur.

Sine sapientiæ studio Respublica consistere non potest.

Primum itaque principem doctum requiro, qualis erat Salomon *Deus dedit*, inquit Sap. 7.17. *mihi horum quæ sunt, scientiam veram: vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, morum mutationes, & diuisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improuisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.*

Sapientia Salomonis.

Quantum vero obsit Reipublicæ, cum plerique principes reguntur, & quod aliquis inductus precio, vel odio, aut fauore in aurem insusurrauerit, sequuntur, omnia regna docuerunt. Quanquam secunda hæc est felicitas, sapientiaque, sequi sapientes. Nam sapientiæ primum est, non credere se sapientem; & qui bonus esse voluerit, non facilius id faciet, quam si malum se esse credat, vt pœnitendo bonus fiat.

Principes qui sub aliis quasi pupilli degunt, miseri sunt.

Πεφνοίας ὐδὲν ἀνδράσιν ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, ὐδὲ νῦ σοφῦ.

Prudentia nullum hominibus emolumentum maius est, neque melius, quam mens sapiens.

Nec mihi magis, quam ipsi principi Romanarũ legum credi velim. *Imperatoriam*, inquit, *Maiestatẽ non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatã, vt vtrumq; tẽpus, & bello rum, & pacis, recte possit gubernari: & Princeps Romanus non solum in hostibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam iuris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus.*

Legum scientia, & custodia principis est firmamentum.

Nunquam hoc poterit, nisi ipse leges quibus imperat, cognoscat, vt nec bellum rite geret, nisi in castris exercitatus. Merito igitur auth. de iudicibus statuit ne illi indocti sint. *Nos igitur videntes omnino confusum iudicum schema, existimauimus oportere hac lege determinare, quæ decentem ordinem imponat causæ. Non enim existimauimus oportere habere iudicum quorũdam nomina, maxime legum ineruditorum, deinde neq; causarum habentium experimentum. Nostris enim administratoribus adsunt modis omnibus etiam assessores, & ea, quæ legum sunt, explicantes, & occupationes adimplentes eorum: quoniam multi detenti curis, quas apud nos habent, merito iudiciorum complent partẽ, per suorum præsentiam assessorum. Illi autem neque cingulum habentes, neq; nobis ministrantes, nisi potuerint per se nosse, quod iustum est, sed aliunde emendicare iudicandi honestatem: quomodo non maximum vitium erit reipublicæ, non eis, qui ex se quod agendum sit, sciant, lites tradere, sed sinere eos quærere alios, à quib. liceat discere, quæ ipsos in iudicando eloqui deceat?*

Indocti legum iudex est inutilis.

§.3. Insigne hoc quoq; emolumentum est docti principis, q̃ solus consiliarios habet, quosdam incorruptos omnino, alios vero timide malos. Qui sine spe & metu rectissime sententiam dicunt, mortui sunt; legunt n. in illis principes, quę nemo illis dicere sustinet; nec ferrẽt illa sibi dici ab amico, quæ legere gaudent in ignotis, erratis suis conuitia fieri gaudent, cũ publica voce monẽtur. Cum igitur & illi, qui magno studio disciplinis incumbunt, & gubernandæ Reip. sese dedũt, frequenter errent; quid de illis sentiendũ, quos ignoratio, & torpor, velut aureos arietes, in hominum astutorum prædam dedit? Quanquã n. princeps magno sit ingenio, grauiq; natura ac prudente; non tamen certo, & sine metu Rempub. administrare potest. Nihil enim nisi opinionem habet, q̃ fallere solet, & falli. Cumq; etiam aliqua præclarissima cogitauit, iurisperitis examinãda tradat, oportet, à quibus deinde accipiat velut dictata, & sua auctoritate, aliena mente in populum diuulgat.

Principem doctum timent consiliarii.

Libri vera principibus dicunt, & eos ipsi audiunt.

Principem ignarum carpunt cõsiliarii.

Doctos principes recensent nobis Solonẽ, Epaminondam, Philippum Macedonem, Alexandrũ, Philopœmonem, Romulum, Remum, Cæsarem, Octauianum, Tiberium, Claudium, Antoninos, Constantinum, Theodosios, Carolos magnum, & Quintum, Robertum Ierosolymorum regem, Sigismundum imperatorem, Alphonsum Aragonẽ. Ex priscis etiam Mithridatem, Chosroem. De quibus Lipsius *in monitis*, aliiq; multi. Nec fæminas quidẽ excipiunt, Zenobiã, Amaluſuẽtam, Isabellam, alias. Ego pluris facio, q̃ omnes illi tã docti, doctissimis viris latẽ cinxerint, atq; ita plurima pclarissime cõstituerint.

Docti principes.

§. 4. Mihi vel hoc nomine eruditi reges, doctaq; Respub. probatur. Quod facile animaduertam Christianę religionis singulare esse priuilegium, in artibus liberalibus, scientiisq; excellere. Totum n. mundum palmam Christianis concedere si historiam expendamus, facile intelligemus. Etenim cum priscis neq; ingenia defuerint, & ætas, diligẽtiaq; etiã superfuerint, nullo modo tamẽ ad fastigiũ scientiarum, q̃ Christiani conscenderũt, puenire potuerũt. Pythagoras, Democritus, Plato, Ægyptum, Asiam, Indiã peragratũt, eruditionem sibi, vt pararent, Crates Thebanus opes abiecit, Cleanthes aqua hauriẽda studia sustentauit. Tanta tamẽ contentione parũ consecutos esse cõstabit, si cũ Christianis cõparentur, ita vt monstri instar sit, Philosophos gẽtilium tam studiosos, in tam multis ac magnis erroribus hæsisse. Sinę quoq; nostro tẽpore, cum multi totam ætatem studiis impendant, cũ maximus studendi sit fructus, vix tamen eorum doctissimi adolescẽtulis nostris comparari possunt; terram non esse quadratam, aliaq; ex P. Matthæo Riccio primũ didicerunt. Narrat rem P. Nicolaus Trigautius l. 4. c. 5. de expeditione apud Sinas. *Nulla igitur alia re P. Matthæus vniuersam Sinensium Philosophorum turbam in stuporem æque adduxit, quã Europæarum scientiarum firmissimis*

Christiana Reipublica prorogatiua est eruditio.

Priscatempora Christianis cesserunt.

Sinarum imperitia apud quos sit nemo fiat heuer-

simis rationibus confirmata nouitate. Nunc enim auditum primum post tot secula, terram rotundam esse; habebant velut pro primo principio vetus quoddam axioma: Cœlum rotundū, terra vero quadrata. Sciebat nemo centrum in eius medio, grauia omnia ad se corpora vel euocare, vel sua propensione lapsa recipere; vniuersam in ambitu superficiem habitari; Antipodes homines hominibus sine lapsu consistere; cui rei intellectu annuēte, imaginatrix facultas multorum nondum acquieuit. Hactenus inauditum; Lunæ defectionem posita inter solem ac lunam terra prouenire; in cuius explicationem absurda cōmenti, grauius ipsa luna deficiebāt, inter quos expositores, dixere nonnulli, Lunam soli oppositam præstupore lumen amittere. Alii solem ipsū in medio perforabant, asserebant q3 Lunam huic foramini solis oppositam, lucem ab sole recipere non posse. Nouum fuit solem vniuersum terræ globum magnitudine superare. quanquā id vt crederent aliqui facilius adduci se permiserunt, ideo quod etiam ab antiquis regni sui Mathematicis, in librorum monimentis scriptum esse constabat, sole ab iis demenso, supra mille milliaria in Mathematicis instrumentis reperisse. Sydera vero ipsa, quæ nostri oculi ita exiguo spatio metiuntur, vniuersam terræ superficiem excedere, id demum paradoxum videbatur. Nondum intellectum, sed ne dictum quidem è solida materia cœlos constare, stellas in eo fixas consistere, non erraticas vagari, decem cœlorum orbes numerari, alium alio involui, diuersis motibus ferri. Ex quibus constat, vulgata quæq; ab illis ignorata fuisse.

§. 5. At in Repub. Christiana, etiam præter sacram Theologiam, tanta exoticarum est rerum cognitio, vt nihil par vsq̄, nihil secundum gentilitas aspexerit. Si enim vetera repetamus; Christianos Philosophos multo, q̄ Ethnici fuerint, præstantiores suppeditabūt ipsa Christianæ religionis exordia. Dionysius Areopagita vir illustris scientiæ, & nominis, Pauli discipulus, tum demū veram philosophiam adinuenit. Dionysii temporibus, fuit & Aristides Athenensis, Philosophus eloquentissimus, vt eū vocat D. Hieron. secuti deinde Quadratus, Iustinus, Pantænus, & quem Porphyrius pfert omnibus, Ammonius. Multos Ammonius & illustres auditores habuit, tā Christianos, q̄ Gentiles; è Christianis fuit Origenes, cui hostis nostræ pietatis Porphyrius testimonium eruditionis dedit. *Ego Origenem, cum adhuc essem valde puer, vidi arcē toti⁹ eruditionis tenentem: sicut etiam ex his, quæ posteritatis memoriæ tradidit comprobatur. Origenes hic est, cuius ingens gloria inter eorū magistros habetur; qui assecutus fuerat omnia Platonis secreta, institutus fuerat in libris Numenii & Chronii, & Apollophanis, & Longini, & Moderati atq3 Nicomachi, in Pythagoricis vero summorū virorum eum non latuere cōmentaria. Attigit etiam Cheræmonis Stoici, & Cornuti volumina.*

Et consentit Hieron. Illud, *ait, de immortali eius ingenio non tacebo, quod Dialecticam quoq3 & Geometriā, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam, Rhetoricam, omniumque Philosophorum sectas didicit.* Origenis discipuli multi, & graues fuere, quibus gentilium pleriq; cessere; Proximis temporibus eōsecuti sunt: Basilius magnus, Gregorius Nazianz. Chrysostomus, Augustinus, Victorinus, Vegetius, Albinus. Et si recte putabim⁹, tot millia Episcoporum Ecclesias regentium numerat orbis Catholicus, vt quanquam inæqualis sit omnium eruditio, tota tamen gentilitas vnius sæculi eruditionem numero, & præstantia non adæquarit. Verum id quod admirabilius, & tamen verum est; Si viri eruditi qui in Græcia, atq; in Romana ciuitate floruerunt, ante religionis Christianæ exordia, quique Christianis temporis scientia rerum excelluerunt, colligantur; vni cedent vrbi; Non poterunt vel solos Romanæ Ecclesiæ Pontifices eruditione philosophiæ, & sæcularibus literis insignes æquiparare.

Clemens primus, siue fuit Actius Clemens cui Plinius scripsit, siue alius, philosophiæ fuit deditissimus, & egregia monumenta literis consignauit. Baron. anno 102. & in martyr. 2. Iul. Franciscus Turrianus contra cēturiatores, Delrio in vindiciis contra Scalig. Linus quoque, & Cletus nobiles Romani in literis illustres fuere. Hyginius celeberrimus sui temporis philosophus erat, cum ad pontificatum eligeretur.

Et quanquam Alexandri, Sixti, Pii, Telesphori, Soteris eruditio sæcularis min⁹ cognita sit, ex Epistolis tamen quæ supersunt, facile colligimus viros doctissimos fuisse. Cornelium sane eruditione Cypriano, aliisque non imparem fuisse, ipsa eius scripta docent. Quemadmodum, & Stephanum eiusque successores.

Felix primus, & Eutychianus, contra Sabellium, Paulum Samosatenum, Manichæos, nobiles disputationes habuerunt.

Liberius, & Felix nimiæ etiam eruditionis fuere, & calamitosæ, nam Liberius metu, condemnationi S. Athanasii subscripsit, & Felix in sedem eius non bono exemplo successit.

Inter hos sapientia, eloquentia gubernandi peritia, doctorū amore eminuit Damasus, orbis oraculū.

Nec multum impar Damaso Innocentius, Sancti Chrysostomi etiam defuncti propugnatione nobilis.

Hæc sæcula erudita, & hæresibus agitata doctissimos habuere pontifices; itaque Innocentium excepit Zosimus, hunc Bonifacius primus, illum Cœlestinus primus, quem & Augustinus consuluit. Serpebant eo tempore occulta Manichæorum, aliarumq; sectartum contagia. Item Arianorum, Origenistarum, Pelagianorum, Nestorianorum, Acephalorū, Eutychianorum, Prædestinatianorum, Iconoclastarum, qui non modo deprauatione scripturarum, & scriptorum Ecclesiasticorum, sed etiam inani Philosophia Ecclesiam agitabant; itaque & duces eos dedit Deus summus pastor, qui eodem gradu furentibus occurrerent, nulla parte non armati, Ecclesiam sacra, profanaque scientia tutarentur.

Electus deinde est Leo magnus, qui orbi etiā secuturo doctrinam suam probauit. In eruditorum etiam numerum venerunt, Hilarius, Simplicius, Felix tertius, Gelasius primus, Symmachus primus, Hormisda, Vigilius, Gregorius magnus, Leo secundus, Ioannes quintus, Gregorius secundus, Stephanus secundus, Paschalis primus, Eugenius secundus, Gregorius quartus. Nicolaus magnus, qui Gregorium magnum scientia, & virtutibus retulit. Ioannes 16. Eugenius tertius, Gregorius decimus tertius, Sixtus quintus, Innocentius nonus. Propria itaque Ecclesiæ dos est eruditio, ideoque Reipublicæ magnopere commendanda. Quod si & hodierna tempora spectemus, & tot Academiarum Lycea, dubitare nemo potest; hoc vno tempore plures eruditos viuere, quam olim habuerit vniuersa Græcia à Solonis, & aliorum sapientum æuo, vsque ad Mahometanorum irruptionem, si Christianos excipias.

§. 6. Duo cōtra eruditionem obiicere solent non sapientes, sed aulicorum quoddam factuosum, & ineruditum genus. Primum est ex Philosophis prodiisse tyrannos. Alterum, literas obesse prudentiæ ciuili, & militari. Nam Phalaris Philosophus fuit, & Tiberius, & Iulianus. Sicilia ab initio Cyclopas, deinde tyrannos pertulit. Sed plerosque tamen in Græcia educatos. Sane Rhodiginus lib. 22. cap. 21. Philosophos crudelius imperasse arbitratur. *Nam quotquot ex Philosophorum progressi Scholis tyrannides arripuere, crudelius, auarius, immaniusque eas exercuisse comperiuntur, quam ignari prorsus literarum. Patriam libertatem, obsecro vos, quanta feritate Athenienses Ariston, Epicureorum innutritus scholis oppressit: An nō ante illum etiā Critias, quiq3 cum Critia philosophiæ mysteriis sunt initiati? Quid vero de Pythagora dicam? Quid de illis ipsis septem sapientibus, aliisque qui maximorum rerum pondera subire adorti sunt, nonne imperio vsi crudelissime deprehenduntur? Athenionis ex Athaneo nimio*

Exordia Christianæ religionis erudita fuere.

Origenis eruditio.

Vnius sæculi plures sūt docti Episcopi apud Christianos quam omnibus sæculis gentes habuerint.

Pontifices Romani docti,

Hæreticis doctissimos pontifices Deus oppositi.

Philosophi tyrannos genuit

Ariston tyrannus Athenis.

Critias.

Pythagoras Septem sapientes.

Lysias Tarsensis.

mio plus apud Athenienses crudelitas Mithridatico innotuit bello. Nec Lysiæ Tarsensis tyrannis ex philosophorum scholis latet: quem cum Stephanophorum allegisset patria, id est, Herculis sacerdotē, arreptum semel imperium non abiecit, tyrannum agens ex professo. Qua hominum sæuitia sanguinaria commorus Demochares, siue is fuerit Crates, lepide fertur dixisse. Sicuti ex thymbra lanceam nemo concinnarit, ita nec ex Socrate inculpatum militem.

In Cœlio prudentiā requiro.

Vellem sane virum literatissimum, circūspectius locutum esse. Nam moueri poterat rationibus suis, quas attulit. Socrates enim, libr. 5. de Iusto. Nisi philosophi ciuitatibus dominentur, vel hi qui nunc reges potentesq; dicuntur, legitime satisque philosophentur: in idemq; ciuilis potentia, & philosophia concurrant: neque (quod nunc fit) à diuersis hæc tractentur ingeniis, non erit ciuitati, vel (vti mea fert opinio) hominum generi vlla malorum requies: nec prius hæc respublica, quam verbis exposuimus orietur pro viribus, & lumen solis spectabit.

Bona Respublica est, si principes sunt philosophi.

Et Tullius ad Q. fratrem: Hāc coniunctionem (inquit) potestatis & sapientiæ saluti censuit ciuitatibus esse posse, princeps ingenii & doctrinæ Plato. Sed & Antoninum philosophum imperatorem, sententiam eandem in ore habuisse Iulius Capitolinus refert. Hæc ipse Cœlius.

Epicureos nomine philosophorum non dignamur.

Infirma autem sunt, quæ ipse attulit. Aristonem Epicureum, Philosophum esse non admittimus; Definiendi, diuidendi, differendi ignarum, in Physicis puerum, in moralibus improbum, vt qui omnia sui vnius causa faceret. Ille autem scopus ex diametro repugnat instituto principis; cuius officium est, priuato commodo bonum publicum anteponere.

Socrati discipulorum crimina imputata sunt

Alter est Critias vnus è triginta tyrannis, & triginta tyrannorum crudelissimus, ac auarissimus. Sed vehementer admiror Cœlium hominem πολυμαθῆ illo exemplo vti contra eruditionem, quo clarissime illa ipsa illustratur. Nam refert Xenophon libro 1. de dictis & factis Socratis, ipsum propter discipulos suos Critiam, & Alcibiadem accusatum fuisse. Referam verba Xenophontis quanquam pluscula; quia eodem modo, eadem his Societati nostræ, & Academiis multis intentatur. Verba Xenophontis sunt: Attamen accusator aiebat, causam eum fuisse, vt leges ciuitatis contemnerentur, dicentem stolidum esse magistratus in ciuitate suffragiis eligi, cum neque gubernatore, neque fabricatore, neque tibicine, neque aliis similibus vllis vnquam sorte confirmatis vtatur, quæ tamen multo leuiora detrimenta inferant quam illa sint, quæ in ciuitate à præsidentibus committuntur. Hos vero sermones incitare dicebat adolescentulos ad contemnendam rempublicam, ac eos reddere violentos. At ego arbitror illos quibus prudentia cura est, quique putant se posse ciuibus suis, quæ eis conducunt, admonendo ostendere, minime violentos esse debere, quum sciant, ad vim quidem inimicitias sequuturas, atque pericula, persuadendo autem sine periculis & cum amicitia eadem posse fieri. Qui enim coguntur, tanquam expoliati oderunt: quibus vero persuasum est, tanquam gratum aliquid acceperint, amant. Nequaquam itaq; illorum qui prudentiam exercent, proprium est vim cuiquam inferre: sed illorum qui sine ratione potentiam habent. Præterea, qui quidem audet vim inferre, non paucis indiget adiutoribus: qui vero persuadet, nullo: nam & solum se sufficientem esse ad persuadendum putat. Quinetiam talibus interficere quemquam minime contingit: quis namque potius interimere vllum vellet quam viuente & persuaso vti vt velit? Verum hoc quoque aduersarii addiderunt, quod Critias, & Alcibiades, quum Socratem audissent, multis incommodis ciuitatem affecerunt. Critias enim cum ad paucos peruenisset ciuitatis status, vnus ex illis factus, longe omniū auarissimus, ac violentissimus fuit: Alcibiades vero dum adhuc populus dominabatur, omnium iniustissimus, atq; incontinentissimus erat. Ego vero, siquid illi mali ciuitati attulerunt, de hoc non respondebo: quomodo vero conuersatio illorum, & familiaritas cum Socrate facta fuerit, narrabo. Fuerunt namq; hi viri natura longe omnium Athenienſium ambitiosissimi: omnia namq; per se ipsos agi cupiebant, & quam celeberrimi euadere. Quū itaq; Socratem scirent minima pecunia abundanter viuentem, à voluptatibus omnibus abstinentissimum, ac vt voluerat, omnibus qui secum colloquebantur, vtē-tem vi sui sermonis. hæc quum viderent, ac essent quales paulo ante dictum est, vtrum eos quispiam putet desiderio vitæ ac moderationis Socratis, eius consuetudinem concupiuisse: an, quod opinati sint se, si eius consuetudine vsi essent, sufficientissimos ad dicendum & agendum quodcunq; voluissent euasuros? Ego namq; arbitror, quod si quis Deorum eis optionem dedisset, aut totam suam viuere vitam, vt Socratem viuentem videbant, aut mori, potius mortem elegissent: vt ex gestis illorū perspicuum est. Nam vt primum arbitrati sunt se in suadendo facundiores cæteris esse, confestim dimisso Socrate ad rempublicam gubernandam sese cōtulerunt, qua principali de causa Socratem audire desiderarant. Verum adhæc forsitan quispiam dicat non oportuisse Socratem antea suis auditoribus reipublicæ gubernandæ scientiam, quam sobrietatem, & moderantiam tradere. Ego aūt nihil ad hoc contradicam: video tamen omnes quicunque docent, & se ipsos monstrare discentibus, quomodo ea faciāt quæ docent, & oratione introducere. Scio etiam Socratem suis auditoribus bonū atq; honestū hominem seipsum monstrantē, ac optime de virtute omnibusq; aliis rebus humanis disputantē. Illosq; nouimoderatos & sobrios fuisse dum conuersabantur cū Socrate: non quod timerent ne detrimentū aliquod paterentur, aut ne verberibus vapularent à Socrate, sed quoniam hoc sibi tunc expedire existimabant. Fortassis autem nonnulli illorum qui se appellant philosophos, dicent nunquam iustum hominem iniustum fore, aut moderatum, contumeliatorem, aut doctum in aliquo illorum, quorum doctrina est tradita, indoctum in eo quod didicit posse fieri. Ego vero de his aliter sentio. Video nāq; quemadmodum corporis actiones non possunt bene fieri ab illis qui non exerceant corpora: sic etiam qui non exerceant animū, minime posse animi actiones efficere: nec enim quæ facienda sūt facere, nec à quibus abstinendū est, ab iis abstinere possunt. Quo circa patres etsi sobrios sciant libros suos, prauorum tamen hominum colloquia eis prohibent, quasi bonorum hominum conuersatio exercitium sit virtutis; prauorum vero, destructio. Testatur autē hoc etiam qui dicit poeta, Bona quidem disces à bonis: quod si te misceas prauis, amittes etiam insitam mentem. Quique ait, vir autē bonus, modo fortis, modo ignauus. Quibus ego quoq; assentio. Video namq; quod sicut carminum facile obliuiscuntur, qui meditatione continua non vtātur: sic illi qui negligunt, tradunt obliuioni sermones ac admonitiones præceptorum suorum. Quum vero quispiā istorum oblitus fuerit sermonum, obliuiscitur etiam illorum quibus animus ad desiderādam sobrietatem mouetur. Hoc autem facto nil mirum profecto ipsam quoque sobrietatem obliuioni tradere.

Sortes in eligendis magistratibus Socrates damnat.

Vis semper est suasione infirmior.

Tyranni nō vitæ probitatem, sed vim dicendi à Socrate petebant.

Mali cum Socrate virtutem simulant.

Consuetudine malorum obliuiscuntur recta institutionis adolescentes.

Itaq; Critias & Alcibiades antequā Socratem adirent, vitiis corrupti fuerunt: Nec philosophandi, sed famæ aucupandæ gratia & eloquentæ familiaritatem Socratis adierunt; Tamen eo tempore se modeste habuerunt. Deniq; iterū cum improbis viuentes in suū singuli ingenium remigrarunt: & Socratem exosum habuerunt. Imo q; tyrannos facere oportebat, legem posuerunt: Ne de virtute, iustitia, temperantia; vlli, nisi qui triginta annorū esset loqueretur. Leuius igitur illi philosophiam attigerunt, quam vt immundo eam contactu dedecorare potuerint.

Tyrannica lex contra præceptores.

§. 7. Pythagorā quid magnopere accuset nescio, nam auctoritate, & suasione, Critoniatas luxu perditos, ad frugalitatem, iustitiæque studia reuocauit. Deinde Metapontum migrauit, ibiq; diem obiit. Tyrannidem nullam; nisi contra vitia exercuit.

Pythagoræ mortuo à ciuibus magnus honor est habitus.

Quin etiam infamat septem Græciæ, quos vocant, sapientes. Non modo iniuria, sed vix ignoscenda ἀιτοεία, Solon sane crudelis non fuit, nam Draconis leges sanguine scriptas, quæ omnia delicta morte plectebant, etiam ocii culpam, & olerum furta; mitigauit. Tandem Pisistrati tyrannidem fugiens, Ægyptū, deinde Cyprum adiit, Crœso quoque plurimum cōtulit, donec tandem in Cilicia Solos condidit Athenienſem Coloniam, nouus patriæ in parte pater.

Solon lenis, & prudens non est habitus tyrannus.

Perian-

Tyranni filius sine vitæ periculo imperium dimittere non potest.

Periander quidem Corinthius tyrannum egit fateor, sed metu crudelem; Nam potestatem à Cypselo patre regiam, sibi quasi iure hæreditario delatam subterfugere integrum non fuit, ne se & paternos amicos, totamque cognationem furori corruptissimę plebis permitteret. Vrbem tamen adornauit, bella assidue gessit, annos quadraginta regnum tenuit, & quemadmodum Augustus lassa crudelitate clementiam postremo admisit. Aristoteles sane eius crudele paradigma, cum Thrasybulo nihil responderet, sed eminentiores spicas desecando segetem æquaret lib. 3. Polit. cap. 13. defendit. Pittacus Mitylenis Rempublicam vitæ modestia, ac doctrina administrauit, tyrannidis nulla suspicione. Nec Bias contra Prienen patriam aliud deliquit, quam, (si hoc delictum est) cum ea capta fugiens diceret. *Omnia mea mecum porto.*

Chilo tyrannus non fuit.

Chilo Lacedæmonius qui ex sapientibus vnus fuit, nulla tyrannide vsus est. Nisi hæc eius dicta, quæ Delphis consecrata sunt, tyrannica habeantur. *Nosce teipsum, nihil cupias nimis. Aeris alieni & litis comes est miseria,* Lætitiæ vi mortuus est, audito filium esse victorem ludis Olympiacis, itaque funus eius vniuersa Græcia prosecuta est. Quod tyranno nunquam præstitisset; Nomen enim tyranni, etiam cum viribus destitutus est, odiosum est.

Cleobulus, siue Cleobolus longe, à tyrannide abfuit; Amicis atque inimicis dixit esse benefaciẽdum. Inimicis, vt amicos; amicis, vt amiciores reddamus. Tyranni inimicos tollunt, amicis diffidunt, adeoque inimicos efficiunt.

Thales Milesius ne imperium quidem tenuit, pacate vixit, in summa senectute dum ludos spectat, Olympiade 58. decessit.

Athenio solutis ergastulis, & volonibus Drepanum subegit, vir prudens, & doctus, sed causa belli in obscuro est. Nullo igitur modo probatũ est Philosophiã, atq; eruditionem causam esse tyrannidis; quẽadmodum nec figlina tyrannos fingit, quanquam figuli progenies fuerit Agathocles. Aspirare tamen facilius ad imperium possunt docti, cum historias, affectus, mutationes, dolos etiam, fraudesque ignorare non possint, omnemque regnandi artem calleant, si absit iustitia pietasque, non est mirum eos facile tyrannidem occupare, occupatam artibus politicis securam reddere.

Facilius est Philosophis occupare tyrannidẽ.

CAPVT XII.

Literarum studium non obesse politicæ prudentiæ siue togatæ, siue militari.

Literarum studia prudentiæ non obsunt.

§. 1. ERAT hoc quod secundo loco nobis imperiti obiiciunt. Atque interdum etiam viri docti. Neque tam plana est responsio, quam multis videtur. Multorum enim errores, quædam studiorum nos reprehendere cogunt. Mathematicos nonnulli ab Republica remouent, quia ἀκειβολογίαις ἀποδεικτικοῖς subtilissimis demonstrationibus assueti, easdem in Republica lineas tenent, cum tamen æquitatem, Epiciam, dissimulationem, aliaque versatilis illa vrbium rota postulet. Grammaticos, vt viles aspernantur, Philosophos, vt scepticos, poëtas, vt furibũdos, Rhetores, vt turbulentos, Iurisperitos, vt litium satores, Theologos, vt libertatis inimicos. Sola apud illos ἀμύμων, & ἄμωμος absque culpa, & reprehensione est ignorantia, diua rusticana. Etenim memini olim Græce iucundas fabulas, de scholasticis circumferri solitas; quidam enim speculationibus adeo indulgent, vt ad victum, consuetudinemque humanã sint penitus inidonei. Quod non est artium, sed hominum vitium. Multas enim res nimium concidunt, atque ad inutilem subtilitatem perducunt, atque ita in vincula potius animum ducunt, quam subleuant, & attollunt. In literis vsu venit, quod omnibus in rebus. Vitiosum est, quod nimium est. Nimium est, quod animos vtilibus destinatos inutilibus detinet. *Nam de illis,* inquit Senec. de breuitate vitæ cap. 13. *nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui in literarum inutilium studiis detinentur: quæ iam apud Romanos quoque magna manus est. Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerum remigum Vlyxes habuisset? prior scripta esset Ilias, an Odyssea? Præterea an eiusdem essent auctoris? Alia deinceps huius notæ: quæ siue contineas, nihil tacitam conscientiam iuuant; siue proferas, non doctior videberis, sed molestior.* Nam hi tales quo plus operæ impendunt, eo se magis impediunt. Et in labyrintho, quo quisque magis ad exitum festinat, ita se magis implicat, longiusque abest à ianua. Multi non inuenerunt necessaria, quia superflua quæsiuerunt. *Multum illis,* inquit Senec. Ep. 45. *temporis verborum cauillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus dolos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde disoluimus. Tantum nobis vacat? Iam viuere, iam mori scimus? Tota illò mente pergendum est, vbi prouideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo vnquam, nisi dum disputat, captus est? res fallunt, illas discerne.*

Error est nimium speculari.

Inanis argutiarum cura scientias infamat.

Miserrima diligentia Tiberii visa est eruditis. Suet. cap. 70. *Maxime curauit notitiam historiæ fabularis, vsq; ad ineptias, atq; derisum. Nam & grammaticos, (quod genus hominum præcipue, (vt diximus) appetebat, eiusmodi fere quæstionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ? quod Achilli nomen inter virgines fuisset? quid Sirenes cantare sint solitæ? Et quo primum die, post excessum Augusti, curiam intrauit, quasi pietati simul ac religioni satisfacturus, Minois exemplo, ture quidem ac vino, verum sine tibicine supplicauit, vt ille olim in morte filii.*

Se & imperio neglecto ludicris detinetur.

Non melius ille Archiepiscopus, de quo Lælius Bisciola noster in horis succesiuis l. 3. c. 1. *Noui ego Patauii, cum Theologiæ operam darem, florentissimæ in Italia vrbis Archiepiscopum ætate iam prouectã, doctum hominem, ingeniosum, acutum, grauem, qui cum si de Theologia, deque diuina sapientia, sermones velles cõferre, frontem obducere, supercilium attollere, manifestis indiciis auersari huiusmodi orationẽ videretur; at si quidpiam eum eo de modalibus, de conuersionibus, de mistionibus, de maximo, de minimo, de proportionibus & gradibus actionis, passionis, reactionis, repassionis, communicare in animum induceres, exhilarare vultum, exultare, triumpharegaudio.*

Archiepiscopi ridicula, & improbanda cura

Noctes & dies senex hic, & grauis Archiepiscopus, totus erat in explicanda ratione modalium, scribebat de eo argumẽto, rescribebat, cum hoc atq; illo conferebat huius explicationẽ reprehendebat, illius commendabat, nec sibi vnquam satisfaciebat, & in eo tamen non quiescebat, si quid aliis videretur sibi inuenisse probabilius, quod mox etiam mutabat: instituit itẽ de causa atq; origine risus tractationem, in qua, quoniã aliorum omnium veterum, ac recentium Philosophorum confutans opiniones sibi visus erat rem ipsam, quasi tacu, tetigisse, ita sibi placebat, vt magnum Turcarum Imperatorem, dicere posses eum ad Christi fidem religionemque adiunxisse.

De illo ipse recte iudicat, cũ Stob: Ser. 8. ὁ ἁλλέβορος ὁλοσχερέστερος μὲν ληφθεὶς, καθαίρει εἰς δὲ πάνυ μικρὰ τειφθεὶς, πνίγει, οὕτω κὴ ἡ φιλοσοφία λεπτολογία. Hellebori, cum grandiusculis partibus sumitur, purgat; cũ vero in minutissima teritur, suffocat, sic inanis, & nimia in philosophia subtilitas.

Patrociniũ ignorantiæ.

§. 2. Has ob causas olim quoque artes illę male audierunt. Zeno in principio, πρὸς ἐγκύκλιον παιδείαν ἄχρηστον ἀποφαίνει. *Encyclicas artes, seu liberales inutiles definit.* Et Stoici tamen in acuminibus nimii erant, vt mirum sit, Xenonem Stoicorum principem ita sensisse. Verum est, multa inania doceri ab istis.

Ipsi Stoici artes damnant.

An-

Annos Achillis, & Patrocli inquirunt, vbi Vlysses errarit, de quo recte Bion apud Stob. Serm. 8. Τὸς γραμματικὸς ζητοῦντας μὲν ὀδυσσέως πλάνης μὴ ἐξετάζειν τὸν ἴδιαν, μηδὲ καθορᾶν ὅτι ἢ ἐν αὐτῷ τούτῳ πλανῶνται, πονοῦντες δὲ τὰ μηδὲν χρήσιμα. *Grammaticos errores Vlyssis quærentes, suum non quærere, nec animaduertere hoc ipso se errare, quod circa inutilia laborant.* Totum hoc genus describit & damnat Seneca Epist. 88. *At enim delectat, artium notitia multarum, tantum itaque ex illis retineamus, quantum est necessarium, an tu existimas reprehendendum, qui superuacua sibi comparat, & pretiosarum rerum pompam in domo explicat: non putas eum, qui occupatus est, in superuacua litterarum supellectile? Plus scire velle quam sit satis, intemperantiæ genus est. Quid, quod ista liberalium artium consectatio molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit, & ideo nō discentes necessaria, quia superuacua didicerunt? Quatuor millia librorum Didymus grammaticus scripsit: miser, si tam multa superuacua legisset. In his libris de patria Homeri quæritur, in his de Aeneæ matre Vera: in his libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit: & alia, quæ erant dedisscenda, si scires. I nunc, & longam esse vitam nega. Sed ad nostros quoque cum peruenerit, ostendam multa securibus recidenda. Magno impendio temporum, magna alienarum aurium molestia, laudatio hæc constat: O hominem litteratum! Simus hoc titulo rusticiore contenti: O virum bonum! Itane est? annales euoluam omnium gentium, & quis primus carmina scripserit, quæram: quantum temporis inter Orphea interfit & Homerum, cum fastos non habeam, computabo: & Aristarchi notas, quibus aliena carmina compunxit, recognoscam, & ætatem in syllabis conteram? Itane in geometria puluere hærebo? Adeo mihi præceptum illud salutare excidit: Tempori parce? Hæc sciam, vt quid ignorem? Appion grammaticus qui sub C. Cæsare tota circumlatus est Græcia, & in nomen Homeri ab omnibus ciuitatibus adoptatus, aiebat: Homerum vtraque materia consummata & Odyssea, & Iliade, principium adiecisse operi suo, quo bellum Troianum complexus est. Huius rei argumentum afferebat, quod duas litteras in primo versu posuisset ex industria librorum suorum numerum continentes. Talia sciat oportet, qui multa vult scire. Non vis cogitare, quantum temporis tibi auferat mala valetudo, quantum occupatio publica, quantum occupatio priuata, quantū occupatio quotidiana, quantum somnus. metire ætatem tuam: tam multa non capit. De liberalibus studiis loquor: philosophi quantum habent superuacui, quantum ab vsu recedentis? ipsi quoque ad syllabarum distinctiones, & coniunctionum ac propositionum proprietates descenderunt, & inuidere Grammaticis, inuidere Geometris. Quidquid in illorum artibus superuacuum erat, transtulere in suam. Sic effectum est, vt diligentius sciant loqui, quam viuere. Audi quantum mali faciat nimia subtilitas, & quam infesta veritati sit. Protagoras ait, de omni re in vtramque partem disputare posse, ex æquo. & de hac ipsa, an omnis res in vtramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait, ex his quæ videntur esse, nihil magis esse, quam non esse, Parmenides ait, ex his quæ videntur, nihil esse in vniuersum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait, nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonii versantur, & Megarici, & Eretrici, & Academici, qui nouam induerunt scientiam, nihil scire. Hæc omnia in illum superuacuum studiorum liberalium gregem conice. Illi mihi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiæ eripiunt: satius est superuacua scire, quam nihil. Illi non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura est, nisi dubium: si Nausiphani, hoc vnum certum est, nihil esse certi: si Parmenidi, nihil est præter vnum: si Zenoni, ne vnum quidem. Quid ergo nos sumus? quid ista quæ nos circumstant, alunt, sustinent? Tota rerum natura vmbra est, aut inanis, aut fallax. Non facile dixerim, vtrum magis irascar illis, qui nos nihil scire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire.*

Ex multis vtilia disce, nam doctus non est, qui non proficientia didicit.

Quatuor millia librorum Grammaticorum

Tempori parcēdum.

Philosophiam multi in verba absumunt.

Absurda ex nimio studio.

Literæ sunt M. & H. in voce MHNIN, quæ numerum 48. conficiunt. Apud Plutarchum in conuiuio, alius notat, primum versum Iliados, & primum Odysseæ constare totidem syllabis, nempe 17. & vltimos eorundem librorum 16. Quis ferat subtilitatem, veritatis inimicam? quis spinosas ineptias? Animis obest illa iactatio, nouam anxietatem, & curam inducit. *Tu mihi verba* (Senec. Epist. 48.) *distorques, & syllabas digeris. Scilicet nisi interrogationes vaferrimas struxero, & conclusione falsa à vero nascens mendacium astrinxero, non potero à fugiendis petenda secernere. Pudet me, in re tam seria senes ludimus. Mus syllaba est: syllaba autem caseum non rodit, mus ergo caseum non rodit. O pueriles ineptias! In hoc supercilia subduximus? hoc barbam demisimus? in hoc est quod tristes docemus & pallidi?*

Inepta studia pueros faciunt.

§. 3. Hæc viri cordati, viri magno animo præditi, in literis culpant. Optimo iure ac merito. Sed literarum ille error non est, sed animorum, bono suo male vtentium, & à veris, ad inania declinantium. Manet liberalibus studiis vt sua dignitas, vtilitasque, ita modus, & mensura. Mihi hoc in genere tria dicenda occurrunt, quibus tota ratio studiorum illorum continetur.

Modus in omnibus rebus seruandus, præcipue literis.

Primum est. Omnia illa studia præparamenta esse, & vt dicebat Xenocrates λαβὰς τῆς φιλοσοφίας ansas veræ Philosophiæ, itaque in his exercendam iuuentutem, vt non in his sistat, sed per hæc ad maiora tendat.

Secundum. Non illam stultitiam ex literis disci, sed ad eas discendas adferri, & discendo intendi, augerique.

Tertium. Non inutile esse Reipublicæ, quosdam in nugis illis totam vitam transigere. Primum mihi concedunt omnes, secundum dubium est, tertium paradoxum.

Singula tamen astruam. Et primum quidem Seneca fatetur. Epist. 88. *Deliberalibus studiis quid sentiam, scire desideras. Nullum suspicio, nullum in bonis numero, quod ad as exit. Meritoria artificia sunt, hactenus vtilia, si præparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim istis immorandum est, quamdiu nihil animus agere maius potest. rudimenta sunt nostra, non opera. Quare liberalia studia dicta sint vides, quia hominē libero digna sunt. Ceterum vnum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc sapientia, sublime, forte, magnanimum: Cetera pusilla, & puerilia sunt.*

Studia liberalia sunt ad virtutē præparamenta.

Et: *Quid ergo? nihil liberalia nobis conferunt studia. ad alia multum, ad virtutem nihil. Nam & hæ viles ex professo artes, quæ manu constant, ad instrumenta vitæ plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent. Quare ergo liberalibus studiis filios erudimus? Non quia virtutem dare possint, sed quia animum ad accipiēdam virtutem præparant. Quemadmodum prima illa, vt antiqui vocabant, literatura, per quā pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat: sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt.*

Liberales artes via ad virtutem.

Hoc igitur solum habent vtilitatis, nam ingenia exercent, excolunt, sagacitatem acuunt; nec vlli nisi per illas artes transitus est ad perfectam sapientiam. Philo recte de congressu erudit: gratiâ. ὥσπερ ἐν οἰκίαις αὐλειοι προέκειντο παίσδων, ἐν ᾗ πόλει τὰ προάστεια, δι' ὧν εἰσω βαδίζειν ἔνεστιν. ὅτως ἢ ἀρετῆς προέκειντο τὰ ἐγκύκλια; ταῦτα γὰ ὁδὸς ἐστιν εἰς ἐκεῖνο φέρουσα. *Habent sane domus sua atria, suburbana ciuitates, per quæ introitus est. sic liberales artes propositas habēt doctrinas Encyclicas, & virtuti viam sternunt.*

Qui igitur in hisce rebus hærent, idem faciunt, quod illi qui amœnitate diuersoriorū allecti, patriæ solum negligunt. Societatis nostræ scopus est, eorum qui in ea viuunt, cætera studia ad Theologiam dirigere, Const. p. 4. c. 12. *Cum Societatis atque studiorum scopus sit, proximos ad cognitionem, & amorem Dei, & salutem suarum animarum iuuare; cumque ad eum finem, medium magis proprium sit facultas Theologiæ; in hanc potissimum Societatis Vniuersitates incumbent, ac diligenter per idoneos admodum præceptores, quæ ad Scholasticam doctrinam, & sacras scri-*

Societas ītēsu studia ad Theologiam dirigit.

scripturas perimant, ac etiam ex positiua, quæ ad hunc finem nobis præfixum conueniunt, pertractabunt.

Et cap. 5. *Cum doctrinæ, quæ in hac Societate addiscitur, hic scopus sit, suis & proximorum animis Dei fauore aspirante prodesse; hæc erit in vniuersum, & in particularibus personis mensura, ex qua quibus facultatibus addiscendis nostri incumbere, & quo vsque in eis progredi debeant, statuatur. Et quia generatim loquendo literæ Humaniores diuersarum linguarum, Logica, itidem, naturalis ac moralis Philosophia, Metaphysica, & Theologia, tam quæ Scholastica, quam quæ positiua dicitur, & Sacra scriptura ad id iuuant; harum facultatum studiis operam dabunt, qui ad Collegia mittuntur; & quidem maiori cum diligentia illis vacabunt, quæ ad finem prædictum, habita ratione temporis, loci, & personarum &c. Supremus Moderator studiorum, magis in Domino conuenire iudicabit.*

Minora ita discuntur vt ad magna veniatur.

Aliis proposita est medicina, aliis legum cognitio, quisque ita minora discat, vt ad magna se præparet. Interim certus sine his non posse eos intelligi, qui maiores scientias profitentur.

§. 4. Alterum est; quod dubium multis esse, confessus sum; Eos qui in hisce minoribus scientiarum minutiis hærent, ad eas attulisse errorem, non ex scientiis illis didicisse. Qui enim fieri potest, vt quispiã dum prima rudimenta degustat literarum, arbitretur, nullum esse earum vsum, nisi vt numerentur, atque inter se componantur? Quis mediocriter prudens iudicare potest, argutias tantum ad tormenta ingeniorum inuentas esse? Nonne plurimi sunt celsis, & vegetis ingeniis, maximarum scientiarum consulti, qui friuola illa non ignorant, atque interdum animi causa in illis ludunt, puerorumque anxie respondentium ingenia explorant? Cum igitur ingenia plerorumque exacuat, non obtundat illa, quam didicerunt subtilitas, cur pauculos ita dementaret, si mentem ad literas attulissent? oportet enim vt Philonides aiebat:

Nemo prudens iudicat literarũ illum solum vsum esse, vt literæ discantur.

Γεάμματα μαθεῖν, ἢ τὸν μαθόντα νοῦν ἔχειν.

Literas discere, & discentem adferre mentem. Itaq; quos in his perpetuo desidere animaduertis eos maiora non posse, aut nolle iudicabis; & ne hæc quidem sine literis potuisse. Itaque continuo duplex genus Grammaticorum, & Philosophorum se prodit. Primum moderatum, eruditum, politum, prudens, quod præcepta ad eloquentiam, historiarum, oratorum, poëtarum cognitionem, hanc ad superiores scientias, vitiorum fugam virtutumque amorem refert: Quos viros, etsi in Grammatica versentur, Reipublicæ columina dicere nihil vereor. Alterum genus est laboriose miserum, syllabarum aucupiis, febriculosæ eruditionis argutiis lætum. Vno verbo ineptiis operosissimis intricatum. Quibus hoc Aristippeum crebro inculcandum. *Non qui plurimum comedunt, aut exercentur, melius valent his qui necessaria assumunt: sic qui non plurima, sed qui vtilia legunt censendi sunt eruditi.*

Qui parua refert ad magna, vtili labore satagit.

Frustra tamen illorum insania, literis imputatur. Nam in omnibus artibus etiam illiberalibus, est laboriosa quædam, & inepta subtilitas. Quam paratam homini natura vestem esse voluit? è pelle est, vel lana animalium. At quam multa vestiendi genera inuenit ocium, & luxuries; vno anno vix elaboratur toga, cuius materiam superat opus. Ipsi sese aulici intueantur, quantum temporis cærimoniis impendunt, tituliscque. Omni in re nimium, omni in vita superuacuum est. Ephippia, & freni, & vertagorum milli curioso sumptu grauantur. Atque eo iam malum increuit, vt necessaria illa videantur; & egere se ille putet, cui desunt, in istas ineptias, impensæ. Quemadmodum igitur in omnes omnium rerum, actionumque artes, ab hominum stultitia superuacua inducuntur, itaque quoque ex eadem causa artes liberales vexantur.

Nulla ars est, quam non grauet superuacua.

Tertio loco dixi. Nõ inutile esse Reipublicæ quorundam curas, ac labores in curiosis illis, inutilibus, spinosis, tetricisque detineri. Quemadmodum nimia in artium liberalium tractatione diligentia alicui cõmodo seruit, optandumque principi, vt omnium artium etiam non necessariarum, habeat præstantissimos quosdam opifices, ita quoque paucos esse, qui in liberalibus artibus modum supergressi sint, ad multa conducit. Qui milium per foramen acus traiicit, facile certo ictu destinatũ hostem feriet, qui Iliada totam nuci includere potuit, facile occultas literas suo principi ad obsessos conscribet, in fune ambulare qui potuit, per mœnia, & pinnas hostium securus incedet. Qui nimius est historiæ scrutator, cæteris tamen lucem præfert. Superuacua narrat Annæus ista: Primus nauali prœlio vicit Duillius, Primus Curius Dentatus in triumpho duxit elephãtos. Primus Claudius Caudex suasit nauem ascendere. Primus Valerius Coruinus ex vrbe victa nomen assumpsit. Primus Sulla Leones solutos in circo dedit. Primus Pompeius pugnam elephantorum duodeuiginti dedit. Habent ista suam vtilitatem, & iuuant occupatos. Sunt enim ocioli illi similes nomenclatoribus, qui dominis suis nomina prompte suggerunt, qui animos & clientes nominatim in ordinem redigebant, libroscque ad manus semper habebant, vt meminisse possent, ingens & fastidiosus labor est tot nominum memoria, tot potentium, tot operum senum, sed tamen multos in eo æras attriuit. Erat tum illa professio. Pulsare superbas potentiorum fores, digerere in literam senes orbos: Seneca Ep. 68. Et magnos fuisse libros constat, tam clientum, quam potentiorum continentes nomina. Non dissimilis in nis literarum nimijs curis est labor. Quia frequenter in rebus grauibus vsui est. Non vt minutus illis ingenia iuuentutis distrahantur; sed vt ludicra quædam artiũ, sicut aliarum in Republica rerum seruentur. Nunquam in tali labore, tam tetrico, nimis erunt multi, plures in omnire alia, quam scientiarum curiositate delinquunt.

Quosdam exilibus & superuacaneis occupari prodest vt vtilia melius doceant.

Vtile est habere minutiarum gnaros, sicut habere nomenclatores.

§. 5. Tune igitur numerantem syllabas Homericorum versuum, disputantem de Helenæ post aurem macula, dubitantem de pudicitia Penelopes, scrutantem veteres lapides, scribentem trecenta volumina Dialectices, quatuor millia Grammatices in Republica feres? Ita plane, vt aliptem, vt tibicinem, vt cupediarum dispositores, vt facierum fucatores: Honestior tamen est illa Grammaticorum curiositas, & multis crebro opportuna. Multoque magis Physicorum, & Mathematicorum.

Vsum quendam habet nimia curiositas.

§. 6. Multo maior est virorum martiorum in literatos impetus, frangi animos, ocio langueſcere, fortitudinem imminui contendunt. Nec excusationem audiunt; neque enim sat rationis in armis; vadunt solida vi. Nec tamen cedere debent eruditi, prærogatiuam habent ab eo, qui ad omnium fastidium cecinit:

Militum erga studiosos animus.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Olim fortis viri tulit arma disertus: Achillis, Vlysses. Agamemnon non decem Aiaces, aut Diomedes, sed Nestoras optabat. Bella multa consilio, pauca robore perficiuntur.

Sæpius consilia bellò, quàm vires defuere.

Ὅπλον τοι λόγος ἐστὶ τομώτερον ἀνδρὶ σιδήρου.

Oratio gladius est viro acutior ferro.

Bellatorem duo perficiunt, prudentia, & fortitudo. Sine fortitudine, prudentia resistere diu potest, sine prudentia, fortitudo nulla est, & quæ eius vicem subit, audacia ruinam struit. Vere dictum.

Ἀλκὴ δ' ἀνεμώλιος ἄφρων.

Fortitudo insipiens est imbecillis.

Vere dictum est, Διπλᾶν ὀρᾶσιν οἱ μαθόντες γεάμματα. *Duplum cernunt, qui literas didicerunt.* In bello maxime est opus consilio, quia & celerrime, & prudentissime consulendum est. Celerrime; quia occasiones rapiendæ, & in arena consilium capiendum. Pudentis-

In bello celeri & prudenti consilio opus est.

sime, quia non licet his peccare; primus error capitalis est. Eruditus ex historia, ex Philosophia, ex stratagematis, celeriter, & tutius rem decernet, cæteri tardius. Error ille non militum est, sed rusticanorum; solo furore opus esse in bello. Opus est Imperatore, qui militi gratus sit, qui feroces temperare, torpentes erigere, timidos firmare possit: qui socios retinere, dubios allicere, inimicos mitigare possit, qui hosti potentiam detrahere, socios suspectos reddere, ipsos inter se committere queat. Si aliud non esset bellum, quam acies, & in acie solis corporum viribus, more Andabatarũ pugnaretur, forte minor esset humanarum rerum cognoscendarum necessitas. An tu obfuisse Xenophonti Philosophiam Socratis, & omnium historiarum cognitionem arbitraris? Iulius Cæsar ideo tardius vicerit, quia doctrinam amauit? Luc. lib. 10.

Cæsar bello & studiis clarus.

Fama quidem generi Pharias me duxit ad vrbes,
Sed tamen & vestri. media inter prælia semper,
Stellarum, cæliq; plagis, superisque vacaui
Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Pericles Græciæ fulmen, annos quadraginta, eloquentia populum, fortitudine militem, vtrumque prudentia gubernauit. Anaxagoræ Philosophi, ille discipulus fuit. Dione vix meliorem virum vix sapientiorem tyrannicidam Græcia agnouit, at omnia illa ornamenta, Platoni se debere professus est. Maior eruditione, & nomine, Timotheus præstantissimus dux, ab Isocratis disciplina exiens, Græciæ res instaurauit. Architas Tarentinus, Philolaum, Xenophon Agesilaum eruditi.

A doctis magni duces.

Athenienses Romam, de maximis rebus tres Philosophos miserunt, Carneadem, Critolaum, Diogenem, & de bello, & Societate, tamen maxime tractatio erat instituta. Zeno Eleates rem bellicam ex proposito docuit, atque ex eius Schola plurimi egressi sunt Tyrannicidæ; iure, an iniuria, non disputo; hoc affero Scholam eius fuisse planè Mauortiam. Lucullus legendo, subito factus est imperator, & vires Mithridatis ita fregit, vt vincendum aliis traderet. Ipse Tullius, & triumphum ambiuit, & prudentius de bello ciuili, quam Pompeius iudicauit.

Legendo facti duces.

§. 7. Ego nec Virgilium, nec Horatium imbelles fuisse arbitror, Ennium etiam fortem virum. Alceus, Stesichorus, Archilochus bello etiam nobiles fuere, quamuis posterior potiùs clypeũ relinquere, quam vitam decreuerit.

Paci igitur, & bello literæ ex æquo necessariæ sunt. Improbe fecit Aggripina, cum Neroni imperaturo negauit conuenire philosophiam, timebat enim ne literis excultus, è potestate matris citius exiret. Nec recte Carolum filium, Ludouicus Vndecimus scire plus noluit latine, quam illa verba: *Qui nescit dissimulare, nescit regnare.* Nam certe multa in eius regno desiderata sunt.

Non abducunt à rebus gerendis literæ, si cum prudentia iungantur: In literis enim & acta, & agenda discimus, & ante omnia ociũ detestari. Seuerus, Pertinax, Antoninus, q̃ literati fuere? Tacito acclamatum est. *Quis melius, quam literatus imperat?* & optime sane imperasset, nisi vsitata perfidia, eum de medio sustulisset. Gordianus orator, & poeta fuit, Misitheum præfectum fecit, & eius consilio recte imperium administrauit. Claudam gemmea sententia Iulii 2. Pontificis. *Literarum scientiam in plebeis argentum esse, in nobilibus, & principibus gemmas.* Addam ego; in ducibus victoriam esse.

Bellicosi imperatores literati.

CAPVT XIII.

Academias, & Gymnasia publica instituenda esse.

§. 1. ACADEMIAM ab Academo Heroe ita dictam, Eupolis, Timon, aliique testantur, erat in suburbano Athenarum, à porta Dypilo sex stadiis. Locum fuisse insalubem, & aridum refert Cœlius. Et Platonem excusat, qui studiis delegerit, quod eo modo cum prospera nimium corporis valetudine vteretur, eam premere luxuriantem, loci incommodis vellet. Verum cum maxime studiosis sit opus commoda valetudine. atque aura, Plato autem celebritatem, frequentiam que Academiæ suæ quæreret, persuadere mihi non possum, discipulos eum deterrere, & abigere quenquam inamœnitate Gymnasii voluisse. Quotus enim quisque est, qui non valere potius, quam discere malit? Aut qui discendi causa, pestilentiosam domum adire velit? Alia igitur causa quærenda, cur Palladi sacrum Gymnasium, in Academia instituerit: Quam ego esse existimo, quod ἐν μεγαλοπόλει νἀδάνους locus quæreretur quietus, à turbis nautarum, à luxuria hortorum vrbanorum; nam mentis exercitationes quiete, & solitudine gaudent. Nec ad manum alius erat, aut in p otestate Platonis. Verum de salubritate, atque amœnitate Academiæ, paulo aliter sentiendum est, si Plutarchum in vita Cimonis audimus, Is enim locum aridum, ductis aquis purissimis irriguum fecit, & nemore vmbroso conseuit. Tria fuere Athenis Gymnasia, Academia, Lyceum, & Stoa, Aristotelis peripatos erat in Lyceo, in porticu docebat Zeno princeps Stoicorum, Platonis erat Academia, quæ nomen retinuit, vt omnia clara, & Monarcharum immunitatibus fundata Gymnasia Academiæ vocentur. Academia constat docentium, & discentium multitudine, priuilegiis, & quadam velut Republica literatorum.

Academia Athenis.

An loco insalubri.

Academia amœnitas.

§. 2. Erigendæ Academiæ ius est penes Pontificem, & summos Monarchas, cunctaque Respublicas, quoad literas, & scientias ciuiles; nam quod ad ius sacrum, Theologiamque spectat, eius cum auctoritate docendi, potestas, à summo religionis antistite peti debet.

A capite religionis sacra Academia petendet.

S. Thomas tract. contra impugnantes religionem. Ad Papam, Regem, Principem eam potestatem refert.

Ad principes quod attinet, ad eos pertinet, vt statuant, quas facultates in prouinciis suis doceri velint, quos in illis versari; priuilegia, & immunitates concedere. Non tamen id efficere, vt Scholæ illæ in aliorum principum regnis, pro Academiis habeantur, si tamen accedat summi Pontificis approbatio, etiam illæ habentur ratæ. Magni autem interest, supremas docentium cathedras, à summa potestate dependere.

Extra territorium ius non est, sed probatas tamen Academias etiam exteri venerantur.

Primo quidem locus deligendus est, studiosis accommodus: In quo requiro aëris subtilitatem, salubritatemque; Fertilitatem, aut faciles accessus, quibus necessaria importari queant, celebritatemque etiam, & ciues bene moratos.

Vrbes Academicæ.

Aëris salubritatem in primis princeps æstimabit. Nam & ingeniis conducit, & corporum sanitati, incolas etiam meliores, & decenter moratos habet. Nollem itaque Thebis Bœotiis Academiam constitui, ne crasso in aëre, ingenia quoque politiora obbrutescant. Sed in ipsa Attica, Athenis artium inuentricibus, vbi est ἑλλας τῆς ἑλλάδος, vbi est totius Græciæ commune Musæum. Incolas enim dura, & rudi indole, ferre non possunt mitiores musæ.

Salubres.

Fœcun-

Celebres.

Fœcunditatem agri, aut fluminum, portuumque commoditatem necessariam nemo non videt, vt magnæ multitudini alimenta suppeditentur. Alioqui sumptu exhauriuntur studiosi, & incolæ grauantur.

Hinc consequitur in celebribus vrbibus constituendas Academias, aut in cultis oppidulis quibus finitima sint flumina, Emporia, celebritasque. Vsitatum id vetustis fuit. Athenæ, ἀφ' ὁδῶν ἑρπάζ. propter cœli temperiem, loci commoditatem, diligentiam rerum optimarum, acutissimos ciues habuerunt. Cicero pro Flacco, Eus l. 10. ca. 2. operam itaque liberalibus artibus, aut Philosophiæ Athenis dedisse honestissimũ erat. Cicero lib. 1. Off. *Quanquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis institutisq; philosophia, propter summam & doctoris auctoritatem, & vrbis: quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis: tamen vt ipse ad meam vtilitatem, semper cũ Græcis latina coniunxi, neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi censeo faciendum, vt par sis in vtriusque orationis facultate.*

Honestum Athenis studuisse.

Et libr. 3. *Suscepisti onus præterea graue, & Athenarum, & Cratippi: ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (si discendi labor potius est, quam voluptas) tantum fac, vt efficias: neue committas, vt, cum omnia suppeditata sint à nobis, tu te tibi defuisse videare.*

In eo ipso loco non putauit Cicero infra suam dignitatem esse, si philosophiam ipse quoque profiteretur, vt l. 3. testatur. Romani sane principes illuc profiscebantur, Aulus Gell. l. 1. c. 2. Apud Hieronymum ad Marcellum. Dicitur præclarus orator quendam reprehendisse, quod Græcas literas non Athenis, sed alibi didicisset. Diu mansit clarissimæ ciuitati illa dignatio. Nazianzenus, & Basilius magnus ibi studuere. Verum postea & studiorum gloria, & vrbs ipsa defecit.

Athenæ magis studiis, quam potentia floruit.

§. 3. Athenarum tamen laudem, celebritatemq; Byzantium magna ex parte in se conuertit. Imperii namque maiestatem secutæ artes, sedem Constantinopoli posuerunt, adeo vt iam Athenæ magis antiqui nominis vmbra, quam præsenti bono clarerent. Ita Gregoras, & Fred. Imp. ad Nicol. V. Adiuuerunt literas mirifice, Theodosius, Valentinianus aliique. Addita & regia domus, in qua duodecim doctissimi, lectissimiq; habitarent, & consulentib. responderent. Zon. li. 3. Quos Leo Iconoclasmo infensos, cũ domo, & libris exussit, atq; ab eo tẽpore studia in vrbe regia elanguerunt, increuitque barbaries, & tandem imposita est, durissima seruitus Turcica. Conati quidem sunt, Bardas, Leo philosophus, Constantinus eius filius, Constantinus Ducas, Alexius Commenus, Andronicus, Logotheta, in pristinum florem reducere Scholas, & studia, sed schismate, hæresi, bellis omnia conciderunt.

Byzantiũ florentissime claruit studiis.

§. 4. Vetustate, & celebritate pene par fuit Athenensium Gymnasio Cranium Corinthi phrontisterium, in quo & Dionysius regno pulsus, in fortunæ ludibrium literas docuit. Magna illa ciuitas, & duodus portubus insignis fuit, Europæ, & Asiæ tã mercibus, quam ingeniis celebrata. Cynicorum ibi maxime secta floruit, moribus ciuitatis corruptissimis cõsentanea. Nam ante semper infamis, D. Pauli tempore, impudentiæ, vt ita dicam, stabulum fuit.

Corinthi Cranium.

Rhodiorum Gymnasiũ.

Rhodios Romanorum Gymnasiũ.

Rhodiorum etiam nobilissimum fuit Gymnasiũ, sed præcipue in eo Matheseos, & oratoria facultas floruit. Nec Romanorum tantum postremis temporibus nutante iam Republica, & in Monarchiam tendente; nam & Aristippus ibi de Mathematicis disseruit, & cum in litore notas eruditæ arenæ naufragus aspexisset; Bene sperare iussit, quod & ibi hominum vestigia apparerent. Panætium, Stratoclem, Andronicum, Leonidam, Pisandrum, Eudemium, Dionysium Thracem, Apollonium, & ante hos exulantem Æschinem, viros doctissimos habuerunt. Videtur mihi Rhodos propter opportunitatẽ nauigationis, & loci amœnitatem, Athenis certasse, cum principes Romani eo liberos ablegarent. Cicero filium ibi, & nepotem Quinti filiũ habuit. Neq; id Athenæ ignorabant, multi n. Athenienses Rhodi eloquentiæ operam dabant: Laert. l. 4. Id factum crebris vrbis cladib⁹ esse arbitror, obsidio Sullana, atque alia incommoda professores artium fugarunt. Romæ sero studia sapientiæ in precio haberi cœpta, sed magno deinde honore culta sunt. In primatiis igitur vrbibus floruerunt bonæ literæ & Gymnasia, inter quæ eminet Berytense, quæ Phœniciæ celeberrima ciuitas est, post Sidonẽ prope Lyci amnis ostia. Iustinianus pulcherrimã vocat, & eadem literarum prærogatiua cum noua, & vetere Roma donat. *Hæc autẽ inquit tria volumina a nobis composita, tradi eis (discentibus) tam in regia vrbibus, (Cõstantinopolitana & Romana) quam in Berytensium pulcherrima ciuitate, quam & legum nutricem bene quis appellet, tãtummodo volumus, quod & tam à retro principibus constitutũ est: & non in aliis locis, quæ à maioribus tale non meruerint priuilegium. Quia audiuimus, etiam in Alexandrina splendidissima ciuitate, & in Cæsariensium, & in aliis quosdam imperitos homines diuagari, & doctrinam discipulis adulterinam tradere, quos sub hac interminatione ab hoc conamine repellimus: vt si ausi fuerint impositum hoc perpetrare, & extra vrbes regias, & Berytensium metropolim hoc facere, denarum librarum auri pœna plectantur, & reiectantur ab ea ciuitate, in qua non leges docent, sed in leges committunt.*

Berytense Gymnasiũ.

Roma, Byzantium, Berytus iuris docendi sedes.

§. 5. Non omittenda antiqua, atq; omniũ nobilissima Academia, q̃ Iudæi non in aliquo deserto, sed in vrbe principe, vbi sedes regia, & tẽplum, atq; omnia sacra gentis constituta erant, collocarunt, cuius augmentũ Salomoni debemus, qui à cedro Libani vsq; ad Hyssopum, q̃ egreditur de pariete disputauit. Fuere ibi plurima Gymnasia, diuersarum sectarum, & diuersarum nationum, negat Iosephus philosophiã, & Græcas artes ibi doctas, imo negat hoc licuisse. Verũ id sane intelligendum; nam Philosophiam illã errantem, merito excluserunt, si quis n. hodie voluptatem summum bonum esse doceret, si cum Academicis de omnibus dubitaret, si cum Peripato mundi æternitatem assereret, si fatũ Stoicũ inuehoret, merito legibus & pœnis doctores errorum proscribentur. Cætera nequaq̃ vetita erant, Grãmaticen Hebræam ad sacras literas intelligendas, Græcam ad proselytos instituẽdos addiscebãt, leges diuinas, & patrias omnes ex instituto docebantur. Eloquentiam, Poësin, seu Hymnodiã, Logicen, Physicen, & Mathematicas disciplinas apud Iudæos in precio fuisse, floruisseq; nemo ignorare põt, qui considerauerit has scientias, Ægyptios ab Abrahamidis, ab Ægyptiis Græcos didicisse. Essæi epicurismũ Sadduceorum, & hypocrisin Pharisæorum detestati, ad lacũ asphaltitẽ peculiares scholas, in quibus etiã liberales artes docuerunt, seorsum instituerunt. De nobilissimis Gymnasiis Alexãdrino, Antiocheno, Ephesino, Cęsariensi, Nicomediensi nihil attinet dicere: cũ ẽt Heliopolitani, Carthaginẽses, Cyrenẽses publica Gymnasia instructissima habuerit. Priscos prudenter de literis iudicantes, potieri imitati sunt. Bononia, Ferraria, Florẽtia, Mediolanũ, Neapolis, Patauiũ, Pisa, Cæsaraugusta, Conimbrica, Granata, Hispalis, Salmantica, Toletum, Valẽtia, Parisii, Andegauum, Aurelia, Burdegala, Lugdunum, Pictaui, Rhemi, Tolosa, Louaniũ, Colonia, Treuiri, Moguntia, Vienna, Praga, Erfordia, Cantabrigia, Oxoniũ Academias habent. Nõ ignoro in Germania præsertim in minoribus oppidis interdum esse publica Gymnasia. Sed eorum vel est commodissimus situs, habentq; populosas circũ ciuitates, vt Molschemiũ,

Ierosolymis Gymnasiũ.

Philosophiã errantem Ierosolymis non docebant.

Gymnasia vrbium celebria.

Academiæ magnarum fuere vrbiũ.

vbi ante annum Sereniſsimus Leopoldus Archidux Auſtriæ, antiſtes Argentoratenſis & Paſſauienſis, nouam Academiam exſtruxit. Vt Padiborna, vbi Weſphalorum ingenioſæ, & gnauæ genti Reuerēdiſſimus Epiſcopus, & Illuſtriſs. Princeps Theodorus publicum Gymnaſium fundauit. Neceſſe eſt aūt loci eſſe aliquam celebritatem. Quę non ex ciuium multitudine duntaxat, ſed ex principum, atq; aulæ præſentia, ex cleri illuſtri doctrina, & ſplendore conſequitur: Neq; n. quiſquā ſine riſu Bionis Boriſthenitæ vanitatē meminiſſe poteſt, qui vt Scholę auctoritatem cōpararet, nauticam plebem Scholaſticis indutam veſtimentis in Gymnaſium traxit: Quantum ille aberat ab ea, quā docebat, philoſophia? Virorum igitur doctorum, & honoratorum in vrbibus Academicis frequentiā poſtulo. Hæc enim res facit, vt morum ciuilitatem, comitatemq; cum literis imbibant adoleſcentes. Deinde profeſſores ipſi in luce reipub. maiore diligentia, dignitate, alacritate difficillimum docēdi munus obeunt, quæq; cauere prudētia ſuadet, in oculis magnatum, ac cenſorum euitant. Deniq; cum honos alat artes, omnes autem Academiæ dignitatum, atq; honorum diuerſos gradus inter ſuos partiantur, non eſt eorum niſi in magnis vrbibus, aut coram principum, nobiliumque conſeſſu æſtimatio.

Academiæ ſplendorem conciliat vrbium magnitudo.

Caput XIV.

Profeſſoribus & ſtudioſis priuilegia danda, & quæ conueniant.

§. 1. PRiuilegia priuatorum, non ſunt detrimenta Reipub. & multorum fortibus viris inuidente malignitate obiectari ſolet. Cum n. in iuſtitia, mediū non ex analogia arithmetica conſtituatur, vt tantum habeat Titus, quantum Caius, ſed Geometrico cenſu, vt ea ſit laborum, & periculorum Titi remuneratio, q̄ eſt Caii, & pro magnitudine operis, & perſonæ dignitate merces reddatur, non eſt iniquum inæqualibus, dare inæqualia. Cum vero inter omnia humana, ſapientiæ ſtudia, primum ſibi locum vendicent, magno honore, & immunitatibus ornāda ſunt. Si igitur laurea decernitur victori, ſi victus in Prytanio, ſi immunitas à vectigalibus, ſi alia ad fortitudinem inuitamenta; quanta eſt habenda cura ſapientiæ, qua fortitudo, cæteręq; virtutes reguntur? Priuilegia porro ſunt vel locorum, vel ſtudioſorum, & profeſſorum in locis priuilegiatis, vt vocant, operam ſtudiis nauātium. Vtraq; rerum, & perſonarū. Omnia merito cōcedūtur, nā & ciues quibus Academia committitur, honoratos eſſe par eſt, vt erga eruditos, ſtudia, ſtudioſoſq; recte afficiantur, pdeſſe illis & velint, & poſſint.

Priuilegia præcipua ſtudio ſapientiæ debēntur.

Priuilegia locorum, & perſonarum.

§. 2. Primum quidem eſt, vt cōmodis, libertatiq; proſpiciatur vrbis Academicæ. Athenienſes multis donatos priuilegiis fuiſſe hiſtoria refert. Amiſſo enim imperio Græciæ, & libertate, multo quietius ſub Romanorum imperio, literarum præſidio, q̄ cum ſuis legibus viuerent, floruerunt. Præcipue eos fouit Adrianus, qui pecunia, frumentoq; annuo, ſtudia eorū honorauit, qui Chephalemam donauit, ita Dio Caſſius, Sex. Aur. Victor. Sed vicerat iam olim Adriani munificentiam Demetrius, qui defectione eorum, & dicteriis offenſus, frumentaria tamen largitione, preſſos inopia leuauit. Inciuilius iniurias ſuas vltus eſt Seuerus imperator, qui priuilegia eorum imminuit.

Athenienſium priuilegia.

Poſſunt ergo omnia, quę pro ratione nationis, oppidorumq; natura negociis, & ſitu, ornare, & augere Academicam vrbem valent, concedi, qualia ſunt: Pærrogatiua dignitatis inter alia oppida, cum enim ſenatum Academicum ſapientiſſimum ex Theologis, Iuriſperitis, Medicis Philoſophis, conſcriptum contineant, non eſt dubium vrbicam quoque curiam conſuetudine doctiſſimorum virorum, & conſilio ſapientiorem fore. Deinde quorundam vectigalium immunitatem, præſertim, quæ annonam, & cōmeatus grauare ſolent, permittendā arbitror. Generale eſt n. hoc. vt in varias nationes impēſum beneficium. Itaq; quemadmodum nobiliſſima Germanici regni ſedes Aquiſgranum, toto imperio negociādi libertatē, portoriorumq; immunitatem accepit, quod Auguſti Imperatores habitationem ibi collocaſſent, ita quoq; benignitas principis requirit, vt vrbem, q̄cunq; ſapientiæ, virtutis, literarumq; domicilium eſſe voluit, quaſi pater nullo fiſci damno magnificentius ſuſtentet, q̄ tamen detrimentum, numeroſa ſtudiorum multitudo alio modo compenſabit. Tertio, ſi principi integrum non eſt toti Reipublicę indulgere, in eos tamen poteſt eſſe liberalior, quorum in ædibus, victuq; ſtudioſi diuerſantur; ſic n. futurum eſt, vt minore ſūptu, & honeſtiora hoſpitia conſequātur.

Quæ priuilegia vrbiū Academicarum.

Dignitas.

§. 2. Secundum priuilegium eſt, vt deſtinato ciuitatis, vno, alteroue loco, & publice artes doceantur. Id omnino neceſſarium videtur; Magni enim errores priuati, ac clancularii doctores, qui omnes mercenarii ſunt, inducere poſſunt. Theodoſ. & Valent. vetuerunt alio loco Romæ doceri, quā in capitolio. L. vni. de li. ſtud. vrb. Romæ l. 21. c. 18. Nec priuilegiis vti poſſe iudico, niſi eos, qui publico loco, publice docētur.

Publica ſit docentium induſtria, ne vel bona, vel mala lateant.

Iulianus ſane Alexandrinis, & Cæſarienſibus profeſſioni iuris Ciuilis interdixit, quod indocti lucro inhiantes, iuuentutē prauis opinionibus imbuerent.

§. 4. Doceri etiam in monaſteriis, & à religioſis, ſcientiæ poſſunt. Atq; ita olim in vſu fuit. Trithemius libro de laude ſcriptorum Manual. ca. 16. *Nec oportet vos propter ſtudium monaſterium deſerere: quia vnde proficiatis, domi poteſtis inuenire. Multos enim doctiſſimos monachos olim in ordine noſtro claruiſſe cognouimus: quos tantum in cœnobiis ſtuduiſſe ſcimus. Beda presbyter, & monachus vndecunq; peritiſſimus, ſeptennis cœnobio traditus fuit: in quo quicquid ſcripturarum didicit, hauſit. Cuius diſcipuli fuerunt inter cæteros eruditiſſimi. Alcuinus ꝑceptor poſtea Caroli magni, Claudius, & Ioannes Scotus monachi, in omni doctrina tam diuina, quā ſeculari excellentes, Græco & Latino ſermone inſtructi: quorum multa præclara extant opuſcula: Rabanus Abbas; & Moguntinus Archiepiſcopus pene adhuc puer Fuldenſi monaſterio traditur: qui quantum in omni ſcientia profecerit, eius volumina teſtantur. Hunc tamen Abbas ſuus Fuldenſis ſtudii cauſa, in Frāciam miſit ad Alcuinum Abbatem, cuius iam fecimus mentionem, ſub cui⁹ magiſterio, multis annis perſeuerauit in cœnobio. Strabus monachus Fuldenſis, diſcipulus, & ſcriba Rabani Abbatis fuiſſe dicitur: qui iuuenis cœnobio datus, doctor inſignis effulſit. Sic Haymo, ſic Notgerus, ſic Hermannus Contractus, ſic alii pæne innumerabiles monachi doctores excellentes ſunt habiti: qui ſub regula S. Benedicti humiliter conuerſantes, cœnobia pro Gymnaſiis habuerunt. Nec dicimus illis defuiſſe magiſtros, qui aliorum præceptores habiti ſunt. Magiſtros omnino habuerunt: ſed monachos, & regularis vitæ conſocios, qui eos non minus vita, quā doctrina inſtruebant. Nos quoq; magiſtros forſitā inueniremus: ſi vellemus eſſe diſcipuli. Niſi enim humilitas, & amor ſcripturarum mutuo ſibi conſentiant: monachorum ſtudia nec expediunt ordini, nec proficiunt. Amor enim ſcripturarum ſine humilitate, regularis vitæ diſciplinam deſtruit: humilitas ſine amore, ad ſcientiam earundem non pertingit. Qui ergo in cœnobio doctus fieri deſiderat: hæc duo inuiolabiliter cōſeruet, Imitemur S. Patres, diuinis ſcripturis cum humili amore inſiſtentes: & quod illis gratia diuina contulit, nobis orantibus, & legentibus ſedule non negabit. Quanto enim quiſq; in lectione aſſiduus fuerit, tanto fructum ex eis vberiorem capit. Fructus autem, quem in Sacris ſcripturis quærimus, amor Dei, & proximi eſt, & noſtri agnitio piiſſimi Saluatoris.*

Olim in monaſteriis doctiſſimi viri fuerunt

Non deteret religioſum docere Theologiā, vel ea quæ ad eam pertinent.

Ea cauſa pleraq; ſtudia Theologica ad religioſas domos, aut perſonas eſſe delatas, hodieq; videmus. Olim quoq; Gregorius magnus, ab hæreſi Pelagiana, Britannias repurgauit, ſacras lectiones monaſteriis delegando. Nec abhorrent ab eorum inſtituto, tractationes.

ctationes literarum, quia præter Iurisprudentiam, & medicinam cæteræ scientiæ referri solent ad Theologiam, quanquam vix Theologus esse sine generali legum cognitione quisquam potest.

§. 5. Non ignoro professionem Monachorum, & asceteriorum diuinas occupationes, varietati scientiarum, quæ in Academiis docentur, aliquando aduersari, vt Carolus magnus recte censuit: in addit. Capit. c. 45. Verum cum ad sacras conciones, ad rerum conseruandarũ, regendarũq; curã multi applicare se cogãtur, cum Abbates plurimi prouincias administrent, populosq; subiectos gubernent, stationem suam, dignitatemq; in imperio habeant, non debet alienum videri à seruo Dei, à viro religioso, ab Eremita cœnobii, in tanta piorũ magistrorum penuria, Grammaticen, poëtin, eloquentiam, Philosophiam profiteri, vt hac occasione pietatem teneris animis instillet. Olim sane magnatum filii, non ad pietatem magis, quam omnem eruditionem egregie instituebãtur. Fuere n. monasteria vsq; ad annum Domini 1200. ferme sola literanum domicilia. Ab eo enim tempore Academię institutæ sunt, & monasteriorum disciplina lapsa est. Clericis etiam iuris Ciuilis studium sæpe interdum vtile est, sed de his alius agendi locus est.

Floret moribus bonis monasteriũ quod studia colit.

§. 6. Personarum priuilegia, hoc est professorum & studiosorum plurima in variis Academiis constituta sunt. Tum ratione dignitatis, tum quia maior studiosorũ pars peregrini sunt. Quantis vero iniuriis illi obnoxii sint, dũ adolescentes patria, & cognatis procul alieno iure viuere coguntur, nemo ignorat: multorum paupertas miseratione digna est, aliorum nobilitas itinerum periculis, fraudatorum, & cambiorũ sæpe dolis destituitur, quib⁹ omnibus nisi legum benignitate succurratur, necesse est à studiis, à sapientia discenda, & æstimanda omnes auerti. Qui vero labores studiorum æstimare possit, nemo præter studiosos est. Habent fateor ingenioſi in tractatione studiorum magnã, & quæ omnibus humanis voluptatibus maior sit, delectationem, quam ob causam studiosis, & laboriosis adolescẽtibus facile est esse castis; illa tamẽ mentis iucũdissima recreatio, sensim valetudinẽ, atq; adeo hominem ipsum, quasi febris quædam erogat. Nam reuera melancholiam, rheumata, capitis, pectorisq;, & vitaliũ morbos, variaq; symptomata producit. Adeo vt peculiarem quandam studiosis diætã, medicorũ præstantissimi præscribant. Has ob causas plurima togatis doctoribus priuilegia principes contulerunt.

Studiosis, vt peregrinis fauetur.

Iucunditas studiorum est corpori grauis.

§. 7. Primum priuilegiũ est, vt professores, & studiosi in pleriſq; causis, vel in omnibus exempti sint à iurisdictione ordinarii prioris, seu iudicis sed suum habeant senatum, iudicemque; atq; ita quamuis in vrbe sit Academia, ipsa tamẽ suo iure, quasi priuata respublica quædam vtitur. Ratio est iusta, quamq; omnes ciuitates Academicæ approbarunt. Academiæ enim multis, clarissimis, & doctissimis viris constãt, quorũ iudicio facilius causam legitimã, quã consuli, aut præfecto vrbis commitas. Deinde multæ causæ incidunt, quæ celeri, & quasi è plano dicta sententia egent, cũ studiosi vt pote peregrini, facile ab incolis iniuriã accipiant, opus est iudice minime suspecto, præsumitur aut facile, consulis in ciues suos, sæpe cognatos, & affines animũ esse propensiorem, quã in aduenas, & q crebro cõtingit, in gẽtem finitimam, & exosam: itaq; merito ex professoribus, senatoribusque Academicis iudices deliguntur. Hoc tamen pleriſq; in locis commune iuris axioma seruatur, vt actor forũ rei sequatur. Atque esse fundamentum Academiæ veræ, & liberæ arbitror, magistratum, & tribunal habere. Quã ob causam magnanimus, & prouidẽtissimus antistes Wirtzburgẽsis Iulius, cum Academiam fundaret, parem illi cum ordinario tribunali suæ cancellariæ potestatem dedit, nec appellationem, nisi ad solũ principem admisit. Merito sane, cum causas grauissimas ipsi principes, iudicio Academiarum sæpe numero submittant. Abusum tamen eius priuilegii interdum esse animaduerti, cum benignitate iudiciorum freta iuuentus, inter se digladiatur, aut ad iniurias ciuium insolescit: quod magno Academiarum dedecore, & studiorum noxa, non raro ciues graues obiiciunt. Ita Witteberge contigisse scribit, paulo ante obitũ suũ Martinus Lutherus ad Synoridem suam; *Tanta enim flagitia fieri queritur, tantamq; esse contumaciam, vt eã ferre quatuor elementa nequeant*, ita deinde quæsti sunt Saxoniæ proceres, de Academicorum insolentia. Hæc vt sunt vitanda, ita non continuo, cum in aliquã leuitatem adolescentiæ feruor abripitur, exagitanda Academia est, & priuilegia imminuenda, cum vitia iuuẽtutis sedatissime, & facilime p moderatores suos corrigantur; Et sane principes inducti centauricis quorundam aulicorum consiliis, grauiter delinquunt, cũ auctoritatem illis demunt, per quos solos mores sanctos reducere possunt. Quasi vero nõ in ipsis vrbib⁹, imo aulis principum grauiora sint, quã in alumnis Academiarum peccata, & principes tamen familiariũ delictis, sceptra sua sibi excuti nollent. Magno iudicio tanta libertas studiis cõcessa est, ita Bononiæ, Parisiis, Mogũtiæ. Mogũtinæ sane Academię ptimũ priuilegiũ ita habet, q⁹ Dietherus Archiepisc. dedit. *Elargiumur, itaq;, cõdonamus atq; concedimus præsentiũ vigore literarum. In primis Doctoribus, Magistris, Scholaribus siue studentibus dicti nostri studii Moguntini Iudices, Rectorem & Conseruatorem Vniuersitatis, & Ordinarium loci quos de iure habere possunt.* Forũ rei sequi actorem statuta æquissima imperant, hoc enim ius commune iam olim decreuit. De processu iuridiciali sic noster fundator cõstituit. *Vt autem incorporatis Vniuersitati nostræ circa obseruationem iudiciarii Ordinis, decisionemque causarum prouideatur. Volumus & ordinamus, vt Rector de causis, & quæstionibus quibuscunq; inter incorporatos prædictos emergentes cognoscere habeat & valeat. Qui si vt suspectus ab aliqua partium recusetur, arbitros eligi, & alia, quæ circa hoc Iura prouident, obseruari volumus.* Nec æmulari, aut detractum suæ dignitati aliquid iudicare debent Consules, Satrapæ, Prætores, Iudices, si quædam Reipublicæ pars alios habet rectores, & quidem propriọs, cũ ipsi suos filios præceptoribus, & pædagogis cõmittant; Quis enim cum Patauium, aut Bononiam ad scientiarum mercatum liberos ablegat, ciuicis, & non Academicis magistratibus eum subesse æquum censet?

Academiæ suo iure vti tur.

Academiæ iudicium præfertur iudicio prætoris.

Academia sceptrũ est.

Saxonicarum Academiarum corruptio querelas totius gentis mouit.

Qui docentibus aufert auctoritatẽ iuuentutis est corruptor.

Moguntinæ Academiæ libertas.

Magistratui Academico filios subesse magnates volunt.

§. 8. Secundũ est, vt professoribus artium, doctoribus legum, eorum vxoribus sit immunitas, ab omnibus muneribus ciuicis, & publicis, etiam ab hospitum susceptione; ita Constantinus censuit. In hac sane causa nostræ Academiæ fundator munificus fuit: Verba donationis ita habent. *Item doctores, magistri, & studentes nostræ Vniuersitatis, vt potè notarii, & pedelli in persona, & rebus ad eorum victum, amictum & vsum pertinentibus immunes sint, exempti & liberi à præstationibus, & solutionibus publicis, per ciuitatem, & Diœcesim Moguntinam, per terram, siue per aquam impositis & imponendis, & ad Archiepiscopos Moguntinos pro tempore spectantibus, nec ad solutionẽ dati, gabellæ, vectigalis, telonii, & alterius cuiuscunq; rationis quocũq, nomine censeantur tenẽtur aut cogantur, quouis modo, dolo, & fraude prorsus cessantibus. Et hanc quidẽ cõcessionẽ, & gratiã de magistris, & scholarib⁹ intelligi volumus, qui etiã collectim in domibus, siue bursis commorantur, ac studentibus, qui de licentia Rectoris obtenta in domibus siue stantiis extra bursas morantibus, & se familiamq; suam proprio sumptu, & expensis alunt. Item cum literarum professores disciplinisq; ac moribus instituendos summe quies deceat, & qui meliora sectantur, à tumultu fore alienos. Volumus & Ordinamus, vt Rectoris, Doctorum, Magistrorum & studentium domus, & habitationes, & præsertim Schola, in quibus collectim Doctores, Magistri & studentes cohibitant, quas vulgari eorũ more bursas vocant, aut in quibus honesti studentes de licentia Rectoris petita,*

Moguntina Vniuersitas est immunis à ciuicis oneribus.

Moguntinæ priuilegia contra inuasores.

petita, & obtenta morantur, & se, familiamq; suam proprio sumptu, ac domestica quisione gubernant hac perpetua immunitate gaudeant, vt nemo officialiū, familiaue eius, cuiuscunq; cōditionis, status, aut qualicūq; sit etiā latissima cōmissione cōstitutus, dictas domus siue māsiones tumultuose, aut ductis ruinis inuadere, prorumpere, aut violare p̄sumat, fraudulenta fictione, aut falsa occasione, prsus semota. Et p̄terea nullus officiatorum, aut alia quacunq; Ecclesiastica, siue secularis persona, in ciuitate nostra Moguntina aliquē, siue aliquos ex Doctoribus, Magistris, studentibus, siue eorum familia inuadere, offendere, vimq; aut iniuriā inferre p̄sumat: Si q̄s vero huius nostræ cōcessionis, quod absit, contemptor repertus fuerit, nostram indignationē ac pœnam pro modo offensionis, doli, aut culpæ huiusmodi, infligendam se nouerit incursurum. Et 7. Item volumus, quod nullus de nostris officiatis, & officialibus aut aliis quibuscunq; laicis, siue ciuibus lædat, offendat, turbet, aut alias quouis modo in periculum ponat aliquem Doctorem, Magistrum, aut studētem verbo vel facto, directe vel indirecte omnibus fraude, & dolo semotis pœna sub prædicta. Cum vero omnes qui Scholas obeunt, nec intra Bursas vt aiunt, viuunt, cū venia Rectoris id faciāt, omnes quoq; illo priuilegio vtuntur. Hæc quidem de oneribus personalibus clara sunt, deq; bonis illis, quę tanquā salaria dantur; de patrimonialibus vero nec legē intelligi puto, nec cōsuetudo hoc permittit. Ne vero priuilegia illa inclytæ Academiæ, aliorum administrorum ignorātia, vel malitia infringerentur, voluit sapientissimus fundator, omnes vrbis Moguntinæ officiatos, iureiurando de immunitate Academiæ seruāda astringi. Ita verba habent. Itē quilibet officiatus huius nostræ ciuitatis pro tempore existēs iurabit in manus nostras de seruando illęsos doctores, magistros ac studentes prę-memoratos in personis, rebus & bonis ipsorum & de non contraueniendo dictis priuilegiis, sed quod manu teneat eos, res & bona ipsorum ac priuilegia supredicta, ac infra dicenda pro posse, & nosse.

Omnes vrbis Moguntinæ iurāt, se Academica priuilegia seruaturos sarta, tecta.

Caput XV.

Plurima alia priuilegia studiosorum esse, & quænam illa.

Moguntiæ magistratus iureiurando cauet priuilegiis Academiæ.

§. 1. Plurimas concessit Pontifex, & Imperator, singuliq; principes, & Respub. cū vero antiquiorum Academiarum priuilegiis soleant sequentes donari, fit vt vno verbo plurima cōcedantur. Quemadmodū in hac nobilissima Academia factū videm⁹, de qua ita loquitur Sixtus IV. Pontifex. *Ad laudem diuini nominis, & eiusdē fidei Catholica propagationem, in eadem ciuitate Maguntina studium generale autoritate Apostolica tenore p̄sentiū perpetuo erigimus, constituimus, & ordinamus, ac dicta auctoritate statuimus, & etiā decernimus, quod de cetero perpetuis futuris tēporibus in illa studiū generale vigeat, ad instar Bononiensis, Parisiensis, & Coloniensis studiorū prædictorum tam in Theologia, Iuris Canonici, & Ciuilis, quā alia qualibet licita facultate siue scientia, quodq; magistri in Theologia, Doctores legentes ac studentes imbi omnibus & singulis priuilegiis, libertatibus, exēptionibus, immunitatib⁹, gratiis, & indultis, quibus alii Magistri, Doctores, legentes & studentes in Bononiens. Parisien. & Colonien. studiis gaudent & vtuntur, vti, potiri, & gaudere, libere, & licite possint, & insuper illi, qui, processu temporis gradus meruerint in qualibet ex facultatibus licitis p̄dictis, in qua studuerint, sibi docendi licentiam, vt alios erudire possint, ac vt aut Magisterii seu Doctoratus honorem elargiri per Magistros seu Doctores illius facultatis siue scientia, in qua fuerit examinatio facienda.*

Moguntina Academia quibus priuilegiis Bononiensis, Parisiensis, Colonienſis Vniuersitatis.

Tribus præstātissimis Academiis Bononiensi, Parisiensi, Coloniēsi, Moguntinam fundator exæquat, quā dignitatem illa hactenus ita tuetur, vt nō modo ex Germania, Polonia, Belgio, sed etiam ex cultissima Gallia illustres, & doctos numerarit semp auditores.

Ne igitur quispiā ignoret, quanto fauore Monarchę studia prosecuti sint, neq; ipsi studiosi, suorū bonorum sint nescięntes, centum illa & octoginta priuilegia, seu potius capita priuilegiorum, & rubricas, ex consultissimo Petro Rebuffo adscribere, animus est.

Rebuffus 180. studiosorum priuilegia collegit.

§. 2. *Priuilegium ex Rebuffo primum.*

Omnibus diebus festis studere, publice profiteri, disputare cōcessum est. Nempe postquā diuinis officiis cultus impensus est. Vetitum putat Rebuffus, si lucri causa fiat, vt si aduocat⁹ principaliter lucri causa, studeat die festo. Qua in re nequaquā illi assentior nam quamuis lucri causa studeat, non est tamen seruile studiū, & lucri cupido, honestū finem pōt sortiri. Nec Ecclesiastica lege lucrū, sed opus seruile vetatur,

Studere die festo licet.

Secundum.

Licet & in tęplo studere. Exceptiones Rebuffi generales sunt. Non studere tempore quo obligaris audire sacrificium, aut vetitis studere artibus quod nec extra templum quidem licet, in templo tamē grauius est delictum, quia domum Dei facit domū nequitiæ.

In templo.

Tertium.

Possunt scholares domo propria fabros expellere, si studia strepitu interturbent. Magnum est hoc, & pene inuidiosum priuilegiū. Citat tamen iura in hanc rem Rebuffus; Imo in morte Pessulano se textorem cantu studiosos impedientem pepulisse, cum n. magistratus iuribus studiosorum auditis, importuno musico præcepisset, vel submissius caneret, vel cederet, ille domum deserere, quā vocē moderari maluit.

Fabros strepentes domo pellere.

Quartum.

Huius priuilegii causa potest agi die feriata, ita ille. Verum non nisi vrgēti causa id concedendum puto. Causam legitimam puto. Si ob caniculares, aut alias vacationes aliquot hebdomadum iustitium esset, tū enim ne integrum Collegium studiosorum diuturnā turbationem perferre cogeretur, etiam die festo res decidi posset.

Etiam festo die iudicū hac dere dari potest.

Quintum.

Hæc causa de plano, & summarie potest tractari, & finiri alioqui integros annos studia possent impediri, cum lite pendente possessionis vsum retineat malleator, nec facile studiosi: longæuas lites suscipiant.

Et de plano.

Sextum.

A sententia lata contra malleatorē, non datur appellatio. Id vsu, & nisi fallor æquitate abrogatum est, cur enim hoc negetur, si de sententia queratur?

Negatur appellatio.

Septimum.

Scholaris potest cogere ad elocandum sibi domū, cubiculum, equum, verū vsum eius priuilegii nusquā vidi, & sane prętat omnino illo nō vti, cum ius illud, ne inuitus rem alteri locare cogaris, nec peregrinum in familiam admittere, valde sit rationi cōsentaneū: Et magni periculi est alieno domum elocare. Vsum sane, nullo vnquam loco animaduerti.

Studioso locare nonnulla coguntur.

Octauum.

Studiosum domo locata expellere non potest dominus, quamuis domo ipse egeat. Si videlicet ea causa, studia relinquenda forent.

Studiosus domo pelli non potest.

Nonum.

Finito tempore locationis, si studiosi tantundem atq; alii soluere volunt, prę ferri debent. Nisi forte, vt fere fit, deteriorē domum faciet studiosorum, quam aliorum inhabitatio, aut sane si parum commodis sint moribus.

Ceteris pauciores præferantur studiosi.

Decimum.

Si doctor, vel scholaris domum alteri scholari locatam conduxerit, ante tempus locationis finitum, est excommunicatus.

Ante finem locationis non potest conducere alius.

Vndecimum.

Si recedat iusta de causa ante tempus finitum, non pro toto anno, sed pro rata tantum soluere tenetur.

Discedens pro rata soluit.

Duodecimum.

Studiosus recedens de domo conducta; potest alium in locum suum subrogare. Ita tamen vt nullo modo reddatur locatoris conditio deterior.

Discedens subrogare potest.

Decimum tertium.

Si statuto ciuitatis caueatur, ne quis plus frumenti, quam pro vsu emat, si pro anno emat scholaris, & ta-

& tamen post medium annum recedat, non incidit in pœnam, si integro anno eo in loco manere constituerat. Hoc priuilegium ad omnes extendo etiam ciues, quibus fraudi esse non debet, quæ iustitiæ est consentanea voluntas.

Commune est ius.

Decimum quartum.

Scholaris recedens, poterit rerum communium partem petere.

Singulare est.

Decimum quintum.

Fuga scholasticum non facit delicti suspectum, sed præsumitur parentes visitare, pecuniam quærere.

Decimum sextum.

Commodatum per scholarem factum non finito vsu, cum vult recedere, reuocatur.

Decimum septimum.

Contra studiosum finito studio, agere aliquis inuitus cogitur, aut si intra tempus à iudice moderandum non agat, perpetuum illi silentium indicitur.

Decimum octauum.

Non agnoscunt onus pro hospitiis, in quibus habitant.

Decimum nonum.

Libri nõ sunt tacite obligati pro pensione domus.

Vicesimum.

Priuilegia non debent flagitia alere, nec eo fine data sunt.

Maleficium potius est, iudice Rebuffo, quam priuilegium, vt minus, studiosus inhoneste viuens, quam alius inquilinus possit expelli. Ego non domo duntaxat, sed vrbe quoque pellendum censeo.

Vicesimum primum.

Imo licentia hac perdunt studiosi priuilegia.

Non dissimile est, & iniquum, vt in commune hospitium infamia scorta ducantur, sed illa sunt ex cloaca gentilium, in libros Christianorum deducta, æterno damnanda silentio.

Vicesimum secundum.

Gallis peculiare nominationes obtinere, sed queritur leges illas iam euersas esse Rebuffus.

Vicesimum tertium.

Biennij seuerae leges.

Studiosus pecuniæ quærendæ causa profectus domum, & statim reuersus retinet priuilegia studii, & in quinquennio tempus illud computatur. Verum in plerisque Germaniæ Ecclesiis cathedralibus, aliisque id non seruatur. Sed si vel vnica nox biennium interruperit, reliqui temporis vniuersi fit iactura. Quam legum seueritatem, mali mores peperere. Hoc addendum esset, vt diligentiæ & profectus testimonium ferrent. Nunc multi biennio, in opulentis vrbibus ociantur, aut luxuriant.

Vicesimum quartum.

Ecclesia iure suo non cedit, nam ab ea vniuersitates etiam ipsæ dependent.

Nominati cum præsentant prælatis suas nominationes, & requirunt beneficia, non possunt examinari, quia eos iam vniuersitas examinando, & gradum conferendo probauit. Hæc quidem vt plurimum seruantur, imo hic Moguntiæ magistri philosophiæ, ne pro ordinibus quidem examinantur, alibi tamen doctores etiam Theologiæ, Ecclesia examinat, & omnino ius hoc retinet Ecclesia, nec dependet ab vniuersitatibus. Neque nunc tutum est, postquam multæ Academiæ nõ idoneos ad gradus promouent; id enim fieri luce clarius est. Vidi ego artium, & Philosophiæ magistros, qui inter tres Syllogismorum figuras, nullum discrimen nouerant. Nec intermittit Italia, nobis quotidie quosdam mittere doctores diplomatarios, qui statuere vix possunt qua in facultate sint promoti: Hinc multi disputant contra Academiarum priuilegia. Sane Ludouicus XII. pœna suspensionis priuilegiorum, & alia arbitraria afficit eas Academias, qui non idoneos moribus, scientia, meritis, promouent. Ita omnino conandum est, vt se ipsæ Academiæ reforment.

Promotum in Academia ex qua indocti prodeant, examinare debet Ecclesia.

Vicesimum quintum.

In Gallia parochos oppidorum gradus habere necesse est, aut sane triennio studuisse oportet, quod studium de Theologia intelligendum puto. In Germania multæ præbendæ magisterium, aut Baccalaureatum requirunt.

Vicesimum sextum.

Si studiosus locauerit fructum beneficii per triennium, vel minus tempus, & interea fato cesserit, successor locationem ratam habere tenetur, quia facta est in fauorem studiorũ, ideoq; in vtilitatem Ecclesię.

Vicesimum septimum.

Beneficia maiora debentur eruditis, si tamen eruditioni vita respondeat. Et vt nunc mores defecere: si desint cognati.

Vicesimum octauum.

Maledictum studium per quod diuinum omittitur officium.

Studiosus habens vicarium liberatur ab horis canonicis dicendis, si singulis diebus officium B. Virginis, & septem psalmos pœnitentiales dicat. Ita pauci canonistæ, sed reliqui, & Theologi contra sentiunt. Maledictum enim studium, per quod diuinum relinquitur officium. Neque enim vllum excusari certum est, officium totũ vna pene hora absolui potest, quantulum est, si ex horis 24. vnam Deo, & orationi impendas, qui ex Ecclesiæ patrimonio viuis? An vna hora, aut vna cum dimidia precibus impensa te aberuditione consequenda impedient? Tantum fugis pietatem, vt ab illa hora petas immunitatem? tot dies lusibus, ambulationibus, spectaculis impendis?

Vicesimum nonum.

Scholares in suis beneficiis residere non tenentur. Nunc optime statutum est, ne sine prælatorum facultate absint, & studiorum testimonia exhibeant.

Tricesimum.

Nihil soluere tenentur Episcopo, si non resideant.

Tricesimum primum.

Fructus beneficiorum quasi præsentes recipiunt. Id in Germania fieri non solet. Certa illis summa in studiorum fauorem deputatur. Sane distributiones nunquam recipiunt.

Tricesimum secundum.

Ius optandi retinent absentes.

Tricesimum tertium.

Nunquam videntur in fraudem abesse.

Tricesimum quartum.

Si quis repetendorum suorum cursuum causa studeat in loco non priuilegiato, priuilegia studiosorum retinet, per sex menses in Gallia, in Germania priuati studii nulla habetur ratio.

Tricesimum quintum.

Semel in matriculam inscriptus postliminio veniens, nihil soluere tenetur.

Tricesimum sextum.

Curatus studiorum causa ne intra annum ordinetur, potest accipere ab Episcopo dispensationem.

Tricesimum septimum.

Dispensationem illam sine euidenti causa, Episcopus reuocare non potest.

Tricesimum octauum.

Ob dispensationem non debet accipi pecunia. Verum hoc omnibus sacris commune est, vt sine precio dari oporteat.

Tricesimum nonum.

Cum studiosis, & doctis facilius dispensatur.

Quadragesimum.

Qui gradum habent, cum dispensatione quatuor beneficia obtinere possunt. De hoc abusu dicam l. 6. de magistratu Ecclesiastico.

Quadragesimum primum.

Pensio data ab Episcopo studii causa non tollitur, si detur beneficium æquale; sed quod residentiam exigat, nisi absoluta sint studia.

Quadragesimum secundum.

Potest Episcopus cum capitulo statuere, vt quilibet canonicus conferat quotannis aliquid in subsidium pauperis, ingenioſi, & diligentis.

Quadragesimum tertium.

Scientia de paupere, diuitem facit.

Quadragesimum quartum.

Hinc doctis multi seruiunt.

Quadragesimum quintum.

Studiosi scientiam adepti, nobiles censentur. Sane in Germania nobilibus æquantur. Comitiis Aug. anno 1530. & anno 1548. olim, & nunc in multis regnis præferuntur, vna est enim, atque vnica nobilitas virtus, & minor virtute, sed maior stemmate nobilitas, est scientia.

Quadragesimum sextum.

Doctor sine labore respondens, salarium meretur. Quia iam olim laborauit.

Quadragesimum septimum.

Pauperes studiosi mendicantes, & validi, non possunt ad laborandum cogi, vti neque nobiles.

Quadragesimum octauum.

Cum duos pari virtute eligunt, hinc ineruditi, inde vniuersitas, prævalet iudicium vniuersitatis.

Quadragesimum nonum.

Doctis committi respublica debet.

Quinquagesimum.

Studiosus doctus, præfertur doctori indocto.

Quinquagesimum primum.

Scholaris docendo fit doctior.

Quinquagesimum secundum.

Docto maior dos debetur.

Quinquagesimum tertium.

Pater compelli potest, vt filio studiorum sumptus suppeditet. Hoc priuilegium tot limitationes habet, vt nunquam factū recte arbitrer, imo nec faciendum.

Quinquagesimum quartum.

In principio mensis pensionem studioso dare parens tenetur. Hoc quoque priuilegium est in manu parentis positum.

Quinquagesimum quintum.

Scholaris in diuisione hæreditatis, libros habet præcipuos, nec in commune conferre tenetur.

Quinquagesimum sextum.

Libri in legitimam non computantur: Pater in dubio censetur libros donasse.

Quinquagesimum septimum.

Cum libros conferre coguntur, æstimationem dare possunt libris retentis.

Quinquagesimum octauum.

Mutuum filii datum à patre reperi potest.

Quinquagesimum nonum.

Debitum studiorum causa contractum, ex communi solui debet.

Sexagesimum.

Donatio facta filio in potestate valet, si filius studet.

Sexagesimum primum.

Nec donatio illa reuocari potest.

Sexagesimum secundum.

Pater talium bonorum sic datorum, vsum fructum non habet.

Sexagesimum tertium.

Studiosus donum, animo discedendi à studio, datum, si non discedat potest reuocare.

Sexagesimum quartum.

Donatio studioso facta, etsi quingentos aureos excedat, non eget insinuatione.

Sexagesimum quintum.

Studiosus filius professoris retinet paternæ ciuitatis originem.

Sexagesimum sextum.

Doctor tenetur alere suum scholarem pauperem. Verum id solum decet, cum doctor est diues, studiosus pauper. Nunc tot millia studiosorum pauperum, vix rex aliquis alere possit.

Sexagesimum septimum.

Doctores possunt esse testes pro studiosis suis, & discipulis.

Sexagesimum octauum.

Doctus censendus est, quem pro tali habent auditores.

Sexagesimum nonum.

Doctor non potest recusari iudex in causa suorum studiosorum. Possunt autem scholastici iudicem ordinarium recusare.

De causis criminalibus magna controuersia fuit, solent à suis doctoribus iudicari, sed in horrendis scelebus ad magistratum remitti. Multa priuilegia sustulit, Academicorum in delictis puniendis lentitudo, & conniuentia. Bononienses suo priuilegio renunciasse ait Rebuffus; Moguntini ius suum tuentur, & quamdiu disciplina vigebit, plaudente Republica, propugnabunt. Priuilegia enim, non nisi delictis amitti solent.

Septuagesimum.

Studiosi, non nisi venia petita, in ius vocant suos doctores. Debetur enim illis non minor reuerentia, quam patribus.

Septuagesimum primum.

Doctores suos auditores verberare non debent. Leuis tamen castigatio, magistro artium concessa est, & docenti.

Septuagesimum secundum.

Doctoris eruditi, bonæ conscientiæ, modesti, sententiam etiam opinioni communi contrariam sequi potest auditor, quod tamen ita intelligo, si ille veram iudicet, & probabili ratione ita sibi persuadeat.

Septuagesimum tertium.

Studiosus vocatus à patre suo, discedere potest, etsi iureiurando assueuerauerit se non discessurum. Hoc iniquum est, ideoque nec priuilegium, si legitimo modo, causaque iusiurandum sit datum; Estque occasio maleficiorum, & fraudum, quæ optimas artes vehementer infamant.

Septuagesimum quartum.

Qui iurat se comitaturum rectorem, non semper comitari tenetur, si tamen domi studiis vacat.

Septuagesimum quintum.

Studiosi rectori inobedientes, etsi periuri sunt, non tamen sunt infames.

Septuagesimum sextum.

Etsi iurent se gradum in aliqua vniuersitate non sumpturos, si tamen noua causa sit, vt nouum examen, poterunt id facere. Ego iureiurando eos teneri arbitror.

Septuagesimum septimum.

Pater visitans filium in loco studii, non potest ibi de aliis contractibus conueniri, nisi alia ex causa sit loco obligatus.

Septuagesimum octauum.

Multo minus capi potest pro repræsaliis. Valde enim impedirentur studia.

Septuagesimum nonum.

Qui consanguineis, famulis, nunciis studiosorum damnum infert, in quadruplum restituere tenetur.

Octuagesimum.

Mandatum in fauorem studiosorum, morte mandantis non exspirat. Titius mandat institori, vt Caio studioso det centum aureos, nondum data pecunia moritur, hæres soluere tenetur.

Octuagesimum primum.

Doctores, & studiosi rescripta Apostolica exequi non tenentur.

Octuagesimum secundum.

Cum duo sunt rescripta omnino pari efficacia, pro studioso præsumitur.

Octuages-

Octuagesimum tertium.

Bona studiosorum capi non debent.

Octuagesimum quartum.

Ingeniosus, & doctus, etiam ante quinquennium studiorum fieri potest doctor.

Octuagesimum quintum.

Cupido alios in scientia superandi, non est peccatum. Verum hoc sane intelligendum, & in alia multa conuenit.

Octuagesimum sextum.

Studiosus notorie peritus, examinari non debet.

Octuagesimum septimum.

Studiosus reiicere potest ab examine, doctorem suspectum.

Octuagesimum octauum.

Hac in causa iuramento studiosi statur.

Octuagesimum nonum.

Pro lectionis initio, quam studiosi inchoant prandium exigere non debent doctores.

Nonagesimum.

A pauperibus nihil exigere doctor debet.

Nonagesimum primum.

Rescriptum contra studiosum non valet, nisi in eo fiat mentio, quod sit studiosus.

Nonagesimum secundum.

Rescriptum datum studioso non est irritum, si non à patria, sed à loco studii nominatur.

Nonagesimum tertium.

Nominis mutatio studiosis prohibita non est.

Nonagesimum quartum.

Studiosis permissæ sunt vestes omnis generis, & coloris, sunt enim peregrini. Verum modestiam suis, singulæ Academiæ solent præscribere.

Nonagesimum quintum.

Qui promisit librum se studioso scripturum, non liberatur, si soluat interesse, sed opus est, opus ipsum absoluere.

Nonagesimum sextum.

Suo etiam atramento scribere, & rubrica tenetur.

Nonagesimum septimum.

Studiosus scriptorem certo loco scripturum se promittentem, potest propria auctoritate capere, si fallat. Omnino sublatum est.

Nonagesimum octauum.

In terris Ecclesiæ studiosum imperator legitimare solet.

Nonagesimum nonum.

Rei emptæ incommodum, non pertinet ad studiosum.

Centesimum.

Cogi potest quis, vt locum vendat ad scholas ampliandas, vel ad collegium aptum.

Centesimum primum.

Loca studiosorum nullus occupare potest.

Centesimum secundum.

In schola capi non potest studiosus, nisi sit rebellis suo doctori.

Centesimum tertium.

Iniuria vni studioso facta, communis censetur.

Centesimum quartum.

Maxima amicitia contrahitur similitudine studiosorum.

Centesimum quintum.

Iudex sine accusatore inquirit in eos, qui studiosis molesti sunt, nam sacrilegium est offendere domum studiosi.

Centesimum sextum.

Studiosus iniuria affectus cum alio non studioso, socium suum suo priuilegio donat, vt vterque causam apud conseruatores ciuitatis agere possit.

Centesimum septimum.

Studiosorum paucorum societas, Syndicum creare potest.

Centesimum octauum.

Si studiosus occidatur, nec capiatur interfector, decem proximæ domus sub interdicto sunt quinquennio. Si res furto auferatur studioso, vicinia tenetur. Verum hæc nunquam in Germania vsurpata sunt.

Centesimum nonum.

Doctor, aut studiosus valde excellens ob crimen damnatus, vita donari ob peritiam debet.

Centesimum decimum.

Nec studiosi, nec eorum famuli, in multitudinem arma ferre debent. Scholares portantes quotidie arma, ensem, & alia, præsumuntur mali, & habere animum maleuolum. gloss. in §. Si quis rusticus.

Centesimum vndecimum.

Studiosus si adulterinam monetam inscius exponat, non punitur, quia magis iura, quam pecuniam nosse præsumitur.

Centesimum duodecimum.

Studiosi si post cessionem bonorum fuerint facti diuites, licet reddere creditoribus teneantur, non tamen libri ab illis debent auferri.

Centesimum decimum tertium.

Libri nulla ex causa possunt illi eripi, non etiam pro executione rei iudicatæ, nisi sit dyscolus.

Centesimum decimum quartum.

Libri non debent alteri, sine expresso mandato dari.

Centesimum decimum quintum.

Iudæi, atque alii ementes libros studiosorum, non possunt eos retinere, donec per dominos repetantur.

Centesimum decimum sextum.

Edere libros scholasticis tenetur mercator, vt videat an sint sui. Itaque edere libros actori coguntur ad fundandam intentionem.

Centesimum decimum septimum.

Quamuis Iudæi cum Christianis habitare non debeant, eorum tamen liberi à Christianorum scholis non excluduntur.

Centesimum decimum octauum.

Studiosi cæteri creditoribus præferuntur, adeo autem in his prælationem habent, vt professoribus pro salario, bona ciuitatis hypothecata esse iudicentur.

Centesimum decimum nonum.

Studiosus læsus, restitutionem in integrum petere potest durante studio.

Centesimum vigesimum.

Studiosus à bibliopolis deceptus continuo actionem habet redhibitoriam.

Centesimum vigesimum primum.

Studiosus in loco Academico propter contractus alibi initos, conueniri non potest.

Centesimum vigesimum secundum.

Neque etiam propter obligationes, ante studia contractas.

Centesimum vigesimum tertium.

Imo nec propter delicta, in alia Vniuersitate commissa.

Centesimum vigesimum quartum.

Etiam studiosis pœnitentia conceditur, vt non sentiatur infamis, si ablatum restituat.

Centesimum vigesimum quintum.

Studiosi omnibus ciuium priuilegiis gaudent, quibus cum habitant.

Centesimum vigesimum sextum.

Ita tamen studiosi ciues sunt vrbis, in qua habitant, vt eius commoda, non incommoda sentiant.

Cente-

Centesimum vigesimum septimum.

Itaque non tenentur ad onera ciuitatis, etiamsi ea de re aliquid statutum esset, contra eorum immunitatem.

Centesimum vigesimum octauum.

Studiosus de bonis à patre, vel aliis donatis testari potest.

Centesimum vigesimum nonum.

Tanquam peregrini habentur, consuetudines ciuitatis ignorare præsumuntur, ab omnibus defendi debent, & ad forum Ecclesiæ pertinent.

Centesimum trigesimum.

Si legatum librorum constituatur, omnes eos habebit doctor suarum facultatum, si in pluribus promotus sit etiam medicinæ.

Centesimum trigesimum primum.

Legatum studioso debetur in loco Academiæ, nec minuitur ob sumptus deferendi, nisi aliud testator cauerit.

Centesimum trigesimum secundum.

Si studioso alimenta legentur in pecunia solui debent.

Centesimum trigesimum tertium.

Legatum incertum studii causa valet, quia censetur ad pias causas, promissio & stipulatio arbitrio bonæ fidei declaratur.

Centesimum trigesimum quartum.

De legato studiosis non detrahitur Falcidia, quemadmodum nec legatis ad pias causas.

Centesimum trigesimum quintum.

Legatum factum mendicantibus religiosis, causa studii ratum est.

Centesimum trigesimum sextum.

Legatum annuum initio anni debetur.

Centesimum trigesimum septimum.

Legatum non solenni voluntate relictum, si per triennium præstitum sit, de cætero etiam debetur.

Centesimum trigesimum octauum.

Cum libri studiosis legantur, pecunia ad eos emendos legari censetur.

Centesimum trigesimum nonum.

Studiosi parocho in cuius parœcia habitant, aut aliis legitimam potestatem habentibus, confiteri possunt.

Centesimum quadragesimum.

Studiosus priuilegiis, aut matricula priuari non potest, nisi ter monitus.

Centesimum quadragesimum primum.

Si iussus est immatriculari, pro immatriculato habetur, quoad subeundam pœnam impositam, si studiosum offenderit.

Centesimum quadragesimum secundum.

Etiam in matricula expunctus gaudet priuilegiis, donec in alia vniuersitate inscribatur.

Centesimum quadragesimum tertium.

In ciuitate quæ sub interdicto est, lectiones audire possunt, quamuis eorum doctores etiam sub interdicto sint.

Centesimum quadragesimum quartum.

Si studiosus clericum modice verberet, à conseruatore Apostolico absolui potest.

Centesimum quadragesimum quintum.

Quæ studiosi expendunt, in vtilitatem ecclesiæ expendere censentur.

Centesimum quadragesimum sextum.

Nulla vectigalia rerum, quas secũ portant, debent.

Centesimum quadragesimum septimum.

Si libros portare se asserant, eorum, & nuntiorum iuramento creditur.

Centesimum quadragesimum octauum.

Qui cogunt studiosos soluere vectigalia, omnibus suis priuilegiis priuantur.

Centesimum quadragesimum nonum.

Studiosi à collectis, & muneribus immunes sunt.

Centesimum quinquagesimum.

Pro repræsaliis capi non possunt.

Centesimum quinquagesimum primum.

Studiosus alioqui non proscriptus dum it, manet, redit, semper securus est.

Centesimum quinquagesimum secundum.

Studiosus iudices habet Episcopum, potestatem, Rectorem, Doctorem.

Centesimum quinquagesimum tertium.

Etiam post litem contestatam, alium iudicem eligere potest.

Centesimum quinquagesimum quartum.

Citatus à iudice non suo, priuilegium allegare non tenetur, quia notorie priuilegiatus est.

Centesimum quinquagesimum quintum.

In ciuilibus, & criminalibus, sine consensu patris actor esse potest.

Centesimum quinquagesimum sextum.

Imo priuilegium, quo ad actionem ciuilem quidam ad monachos extendunt, quod ego arbitror votis, & iuramentis religiosorum vetari.

Centesimum quinquagesimum septimum.

Qui studiosum ad alienum tribunal traxerit, causa cadit.

Centesimum quinquagesimum octauum.

Doctores in studiosos iuris dictionem habent, iure omnium Academiarum, & multis locis periuri sunt, qui alio appellant.

Centesimum quinquagesimum nonum.

Etiam magistri artium in controuersiis suorum condiscipulorum iudices sunt.

Centesimum sexagesimum.

Studiosus coram suo iudice conuentus, reconuenire potest.

Centesimum sexagesimum primum.

Studiosi debitores, ad quatuor diætas trahere possunt.

Centesimum sexagesimum secundum.

Studiosi actores forum rei non sequuntur, verum hoc nusquam obseruatur nisi vbi peculiares sunt conseruatores & quasi vtriusque partis iudices.

Centesimum sexagesimum tertium.

Studiosi ab interlocutoria appellare possunt.

Centesimum sexagesimum quartum.

Studiosi ad superiorem iudicem absq; medio appellare possunt, quia Imperator speciali gratia eorum defensioni se offert.

Centesimum sexagesimum quintum.

Studiosus cessante studio amittit priuilegium, si tamen quandoque scholas obeat, & domi studeat, maxime si proiectæ sit ætatis, seruat. *Nunc in Germania amittit.*

Centesimum sexagesimum sextum.

Studiosorum famuli, scriptores, & personæ accessoriæ, atque adeo integra collegia eorum priuilegiis gaudent.

Centesimum sexagesimum septimum.

Studiosi famulus, mercedem nisi mentione, & conuentione facta petere non potest.

Centesimum sexagesimum octauum.

Contra studiosos compensatio peti non potest, hac enim ratione in summas angustias redigi posset.

Centesimum sexagesimum nonum.

Nunquam censetur studiosus, per ambitionem honores academicos petere.

Centesimum septuagesimum.

Studiosus pro socio, & amico, præsertim in causa studiorum, testis esse potest.

Centesimum septuagesimum primum.

Dare potest fideiussorem studiosum, sed is priuilegio suo renuntiare debet.

Centesi-

Centesimum septuagesimum secundum.

Studiosus fideiussor profecturus ad studium, petere potest à creditore, vt alium subroget.

Centesimum septuagesimum tertium.

Magistratus capiens studiosum offerentem fideiussores, & non relaxans tenetur iniuriarum, sed hoc in causa ciuili, non criminali.

Centesimum septuagesimum quartum.

Alimenta indebite pauperi studioso data, non possunt repeti.

Centesimum septuagesimum quintum.

Donatio per vxorem diuitem factam marito studioso, rata est.

Centesimum septuagesimum sextum.

Doctori tempus quo professus est ante doctoratum, ad comitiuam, quam quispiam viginti annorum professione consequitur, valet.

Centesimum septuagesimum septimum.

Pater cedere potest litem filio studioso.

Centesimum septuagesimum octauum.

Quædã tamen penitus abrogata sunt.

Hæc omnia priuilegia motu proprio studiosis cõcessa censentur, ideo dolus abesse præsumitur, præsertim illa quæ sunt in corpore iuris.

Centesimum septuagesimum nonum.

Cum edicto principis omnibus priuilegiis derogatur, non censentur comprehendi illa priuilegia, quæ sunt in corpore iuris, & priuilegio speciali per legem generalem non derogatur.

Centesimum octogesimum.

His fruuntur etiam Historici, Rhetores, Grammatici, non tamen illi qui primas literas docent, aut discunt, nullo autẽ modo qui artibus vetitis vacant.

Moguntina quoque priuilegia ad eos, qui studiis vacant, solum extenduntur: *Item volumus, inquit fundator, quod priuilegia, concessiones, exemptiones, indulta, vt præfertur, data & concessa non intelligantur, nisi de doctoribus, & magistris, vniuersitati, & suis facultatibus incorporatis, & studentibus, intrantibus, audientibus, & in matriculam vniuersitatis inscriptis.*

Tot priuilegia, totidem sunt testimonia dignitatis studiosorũ.

Hæc omnia ex diligentissimo, & iureconsultissimo viro colligere volui, non ignarus, non omnia vbique vsurpata esse, & multa aliis locis priuatim concessa, sed vt in promptu legentibus essent omnesque agnoscant, quanto fauore, liberalitate, & munificentia scientiarum professores, & alumnos prosecuti sint principes, reges, Imperatores, imprimis vero Ecclesia, & summus pontifex. Cuius vnica cura esse debet, vt in orbe Christiano erudita pietas, & pia eruditio conseruetur.

Plurima vero tempora sunt, occasioneſque, quibus his priuilegiis Scholastici non vtuntur, quædam enim si non iniquitatem, recte offensionem aliorum adiunctam habent, nec iustum nisi apud iustissimos vsum. Deinde iure priuilegiorum exciderunt. Si vagus sit, si inhoneste viuat, si nec domi studeat, nec lectiones obeat. Si aliorum, & disciplinæ conturbator sit, si alios verberet, irrideat, conuitietur, exsibilet, si aleator, decoctor, blasphemus sit, si excommunicatus, si clericus, vel monachus sine superiorum permissu studeat, si nolit obedire rectori, si artibus vetitis operam nauet, si extra gymnasia priuilegiata studeat. Aurea itaque lex est Academiæ nostræ, quæ auream Moguntiam illustrat, quamuis antiqui sæculi verbis concepta, sed sensu veræ & Germanæ pietatis. *Volumus insuper, & statuimus, vt doctores, licentiati, magistri, & generaliter omnes, vniuersitati nostræ incorporati, & qui eiusdem priuilegiis gaudere volunt: honeste, secundumque iuris præcepta, & Vniuersitatis nostræ statuta, viuant. Rectori imprimis, debinc alterutrum alteri, iuxta dignitatum, & graduum præeminentiam, debitum honorem impendant. Præcipue vero Doctores, Magistri, & graduati, animi grauitatem, constantiam, & maturitatem præseferant; In scholaribus autem obedientiam, pudicitiam, accuratumque studium. In omnibus denique mansuetos, honestosque mores; Et in summa vitam, quæ disciplinatos decet viros, requirimus, in rebelles nihilominus, pacis turbatores, discolos, noctiuagos, & alios qualescunque delinquentes, iuxta criminis atrocitatem, prout sequitur, animaduertentes.*

Qui vsum priuilegiorum nõ habeant.

Aurea lex Academiæ Moguntinæ.

Mores sunt digni priuilegiis, si sponte honestatem sequuntur.

Huc pertinet nobilis illa facultatis Philosophicæ ad suos alumnos adhortatio. *Quod felix faustumq; sit, & quidem vniuersæ Reipublicæ literariæ, sacrosanctas leges nostras, ac statuta vniuerso cœtui nostro publicare cogitamus. In hoc vero promulgandi negotio, tu studiosa cohors, imprimis admonenda nobis occurris, ne illotis, quod fertur, manibus, pedibusque, neue parum reuerenter ad statutorum nostrorum publicationem confluxisse videaris; imo purgatis cum auribus, tum animis omnes militiæ nostræ consortes auscultare, animumque aduertere haud oscitanter, præcipimus, optamusque probe ingenuatos, tractabiles, disciplinarumque studiis intentos, & eorundem flagrantes amore, nobis obferri. Contra vero discolos, indisciplinatos, difficiles, morosos, sinistro genio, iratisque Musis & Apolline natos, hinc eminus ablegamus, manifestaque contestatione tanquam imbelles, ignauos, & literariæ militiæ inutiles auersamur.*

Præfatio statutorum philosophicæ facultatis.

Merito ista prouidentissima maiorum curasanxit? Tam magna enim priuilegia, sapientiæ, pietatis, artium liberalium studio, vtilitati Reipublicæ, non vagorum adolescentum nequitiæ, ocio, luxuriæ impensa sunt.

CAPVT XVI.

Gradus, & honores legitime conferri eruditis, eosque magni faciendos esse.

§. 1. PRIVILEGIVM magni emolumenti, magnæque dignitatis, & quod plerasque Academias ab interitu vindicat, seorsum tractandum suscepi, nempe de honoribus, potestate, titulis, quos vniuersitas tanquam quædam Respublica bene meritis conferre solet. Hæc enim multo clarius Academicam Rempublicam, quam sceptri vsus ostendit. Publicas enim dignitates sola Respublica in ciues suos partitur. Quemadmodum igitur omnis Respublica præmiorum & pœnarum exspectatione gubernatur, sic etiam Academiæ. Recte dictum:

Honores Academici sunt quasi quædam regalia.

οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς ἀνδρὶ ἐσθ' ὁτῳθ' ἥκει τέχνη.

Neque merces est arti, nec ars ipsa floret.

Langueſcunt omnia honesta, nisi illis etiam ab honore pretium accedat. Quis enim studio filios consecrabit, si nulla præmia tam diuturno, tam incerto labori statuta sint? Nunc multi hoc insonant paruulis:

Studium quid inutile tentas?

Et cæteri quidem honores à vulgo collati minores æstimantur. At verus honor est sapientum de dignitate aliena iudicium. Hoc accuratum eruditionis iudicium cum ipsis cœpit Academiis. Quanquam enim olim magnus fuerit decretus honor eruditis; non tamen tam accurata ad lapidem Lydium exploratio, nec ordinum discrimen institutum est: Academiarum bonis priuilegium illud est reseruatum. Optat apud Lucianum Solon, vt ii qui se in gymnasiis recte gesserint, honoratos à cunctis conspici, & in totius Græciæ conuentu magnifice præconis voce proclamari, vt vniuersa iuuentus, ac spectatores ad virtutis, & scientiarum amorem inflammarentur; verum inualescentibus vitiis, & turbantibus bellis ordinarius eruditioni nullus honor habitus est. Basilius ad inuidiam vsque, Athenis, magistratuum, & magnatum officiis cultus est. Et nostro-

Inter honores politicos est maximus qui datur sapientiæ.

rum honorum in eo aliquod vestigium apparet; nam Cæsareæ, vt narrat sanctus illius Achates, Gregorius, doctores Gymnasii professionis & honoris insignia illi conferre constituerunt. Augustus etiam de iure respondendi auctoritatem omnibus negauit, nisi quibus Gymnasiorum examine id concessum esset.

Insignia professionis olim data sunt.

§. 2. Maximam auctoritatem gradibus, siue dignitatibus Academicis Concilium Lateranense conciliauit; nam defendi, conseruari, & promoueri bonarum artium studia diligentissime iusserunt. Egregia quoque sunt in hanc rem statuta, & decreta Concilii Viennensis sub Clemente quinto celebrati. Qui vero gradus eos consecuti sunt, omnibus priuilegus præcipue gaudebant.

Priuilegia studiosorum præcipue doctoridata.

Honores Academici, sunt testimonia publica eruditionis, cum dignitate, & reuerentia collata, & potestas agendi, fruendique bonis, quæ dignitati collatæ connexa sunt.

Magnus ille honor est, qui non fortunæ, non robori corporis, non athleticæ exercitationi, sed animi bonis impenditur.

Potestas non modo ad respondendum, docendum, sed alia quoque honorum ac dignitatum fastigia dantur. Nam vniuersitatum examine approbatos, ad principes, tam ciuiles, quam Ecclesiasticos mittebant, vt Reipublicæ curam in parte capesserent, ad beneficia quoque, & prælaturas ex doctrina prærogatiuam habebant. Itaque ea spe Iustinianus in proœmio institutionum, omnes ad studia, tanquam Reipublicæ necessaria hortatur. *Summa ope, & alacri studio has leges nostras accipite, & vosmetipsos sic eruditos ostendite, vt spes nos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempublicam, in partibus eius vobis credendis, gubernari.*

Eti omnibus artibus eruditio, quam res bellicæ firmant.

Omnia in Republica enim philosophia, & eruditio magis, quam res bellicæ firmant. Val. lib. 3. cap. 3. *Est & illa vehemens, & constans animi militia, literis pollens venerabilium doctrinæ sacrorum antistes philosophia, quæ vbi pectore recepta est hominum, inhonesto, atque inutili affectu dispulso, totos in, al do virtutis munimento confirmat, potentiore metu ad bene facien*

§. 3. Varietas in hisce dignitatibus est, primo in diuersis facultatib deinde in eisdem. In diuersis ille ordo est, vt primo loco Theologi, deinde iurisperiti, tertio medici, quarto philosophi constituantur. Ita Panorm. c. Cleric. de iudi. Syluester de doctoribus & magistris, n. 2. Nec queri potest honoratissima medicorum natio de iurisperitis, quod cum res, & opes illi, medici vero vitam tueantur, quæ accessoriis vitæ minores sunt, postponantur. Nam iurisperitus bene, iuste, pacifice, bono, communi conuenienter viuere docet, quod melius est, quam viuere: addo eos quoque vitam ab insidiis, & violentia legibus defendere.

Ordo facultatum.

Promouentis dignitas in promoto non spectatur.

Quod vero nonnulli censuere, eos qui approbati sunt à superiore, & digniore oportere præcedere, iam nusquam quod quidem sciam fieri puto, imo doctores à pontifice, vel Cæsare diplomatis insignes, cum ad Academias veniunt, ob causas, de quibus dicam, suspecti habentur περὶ ἀγνοίας.

§. 4. Alter ordo est in vna, eademque facultate, in qua sunt, vti nunc vocantur Baccalaurei, Licentiati, Doctores, & in Theologia Baccalaurei Biblici, formati. Singulis certa tempora, ac libri, & scientiæ gradus propositi sunt, idque agitur, vt sensim, per intermedios honores apicem contingant: In omni enim Republica gradus honorum sunt, apud Romanos ædilitas, quæstura, prætura, consulatus, & ornamentum consularium censura, ac dictatura.

Ordo graduum.

Olim diuersa ratio nominum fuit, quæ Iustinianus de diuersis iuris recenset. Nam qui primo anno legibus operam dabant, vt est in Epist. Iustin. de iuris docendi ratione, ii tam friuolo, quam ridiculo nomine *dupondij* dicebantur, quasi diobolares, vt Cuiac. putat. Dupondius minuti certe numismatis genus fuit. Seneca in controuersia: *Itane peribunt decem iuuenes, propter dupondios tuos?* Et Seneca ad Lucilium Ep. 18. *Tunc mihi crede, Lucili, exultabis, dupondio satur, & intelliges ad saturitatem non opus esse fortuna: hoc enim quod necessitati sat est, debet etiam irata. Non est tamen quare tu multum facere tibi videaris: facies enim quod multa milia seruorum, multa milia pauperum faciunt. Illo nomine te suspice, quod facies non coactus.*

Dupondij.

Duo igitur asses erant, aut minutiores nummi, qui tamen in vilissimam seruuli famem sufficerent. Duos sane asses puto, cum Seneca paulo post subiungat; Epicurum ad Polyænum scripsisse, & gloriari, non toto se asse pasci; Metrodorum, qui nondum tantum profecerat, toto. Exiguum fuisse constat ex verbis Epicuri apud Stob. βρυάζω τῷ κῷ τὸ σωμάπον ὑδεῖ, ὕδαπ, κ ἄρτῳ χρώμεν@. κ οὐκ πῦω ταῖς ἐκ πολυτελείας ἡδοναῖς, ὑ διὰ αὐτὰς, ἀλλὰ δι' τὰ ἀκολουθοῦντα αὐταῖς δυσχερῆ, *quod sic vertit doctissimus Lipsius; Plenus sum & diffluo voluptate corpusculi, idque aqua & pane vtens. Despuo autem sumptuosas voluptates, non ob ipsas, sed incommoda quæ comitantur.*

Dupondius duo asses.

Per iocum ergo Dupondii illi appellati sunt. Pene eo modo quo initio logices quibusdam in Academiis vocant dialecticos, qui depositi non sunt, Beanos. Sed prudens imperator, initia aspera, honore sui nominis mitigauit, & nouos Iustinianos appellauit, quam tamen appellationem, nunc exoleuisse plerisque locis video.

Tertii anni auditores Papinianistas vocari auctor ipse est. Quarti anni auditores λῆται, vel λυτοὶ, vel vt mihi videtur λύται vocati sunt. Nam λῆται ad rem non pertinet, nisi quispiam à λάω, quasi videntes deriuet. λυτοὶ solutos potius, quam solutores quæstionum significant; Turnebus idoneos soluendis quæstionibus arbitratur, qua ratione λύται vel λυτῆρες oppriùs dicerentur. Quinto anno quo studium iuris frequentabant πρόλυται, seu potius προλύται nominabantur. Hesychius προλυθίνς, quod προλελυμένες solutos interpretatur, quo indicat se legisse, πρόλυτοι; sed si soluti, nondum igitur se explicuerant suis difficultatibus illi, qui in anno quarto versabantur. Itaque malo hos λύταις potiores, & doctiores esse definitores, & ab honore iuris dicendi, hoc nomen adeptos.

λῆται, λυτοὶ, λυτῆρες.

πρόλυτοι, προλύται.

§. 5. Sinenses quamuis Academias habeant nullas, honores tamen eruditis magnos conferunt. Ita de illis, obito pro salute gentium orbe, celebris Nicolaus Trigautius libr. 1. expedit: Sinicæ capite 5. Nullus porro ludus est, aut Academia publica (quod è nostris scriptoribus aliqui asseruere) cuius Magistri hos sibi libros susceperint exponendos, sed quisque præceptorem sibi pro arbitratu deligit, à quo domi suæ, suoque sumptu instruatur. Horum porro domesticorum ludimagistrorum ingens est multitudo, tum maxime quod in more positu sit, vt dixi, quemq; domi suæ filiorum duntaxat ludum aperire, tametsi vnus alterue numeretur, ideo credo, ne aliorū commercio, à studendi contentione auertantur. In hac scientia tres literarum gradus iis, qui ex eorum numero examinandos se te præbent, aptique fuerint iudicati, conferuntur. Id porro examen, in sola fere scriptione consistit. Primus litteratorum gradus confertur in singulis vrbibus, eo in loco, qui ludus appellatur. Eum confert insignis aliquis literatus, ab rege ipso in eum finem nominatus. Is ex officio Tihio, gradus vero ipse Sieueai dicitur, & Baccalaureatum nostratem repræsentat. Tihio igitur omnes suæ prouinciæ vrbes peragrat, eum gradum collaturus, cui triplex examen præmittitur. Vbi Cancellarius ille, vt

Sinæ domi singulos alunt magistros.

Tres gradus literarum in Sinis.

Baccalaureatus Sinicus.

ille, vt nostro more loquar, aduenit, quotquot ex ea vrbe, eiusque finibus ad illum gradum adspirant, repente concurrunt, seq; examini subiiciunt. Primum instituitur à Ludimagistris illis, qui Baccalaureis, cum gradū assecuti sunt, præsunt, dum viteriorem adipiscantur. In hoc examen admittitur quilibet, & sæpe contingit, vt quatuor, aut quinque milliaex vna vrbe numerentur. Hi ludimagistri stipendio regio aluntur, in hunc finem. Hi deinde ad quatuor vrbis præfectos (qui omnes sunt litterati, alius enim nemo Rempublicam attingit) à ludimagistris remittuntur, qui denuo examinatos Cancellario præsentant, sed ex vniuerso numero non amplius ducentos, quos ex meliori scriptione dignissimos iudicauerint. Cancellarii tertium est examen, & omnino reliquis austerius; nam è ducentis, viginti, triginta ue, non plures, pro regionis magnitudine, quos eodem examine dignissimos inuenerint, Baccalaureos appellat, & præteritorum annorum Baccalaureis aggregat, qui omnes non infimam vrbis partem, dignitate repræsentant; nam ab omnibus coluntur spe futuræ, ad quam accedunt, dignitatis. Talarem, pileum, & ocreas dignitatis insigne peculiare, induunt, eoque cultu alium, nisi Baccalaureum prodire est nefas. In magistratuum congressibus, honoratius assident, & grauiores vrbanitatis ritus iis exhibent, quibus vulgo vti non licet. Multis quoque immunitatibus gaudent, & præter Cancellarium, suosque illos quatuor Ludimagistros, nemini fere subsunt, nec facile cæteri magistratus, de illorum causis, delictisue iudicant. Cancellarii munus non solum in nouos se Baccalaureos extendit, sed antiquiores etiam superiorum annorum illo gradu insignitos, incudi reddit, & quid vel profecerint, vel defecerint, seuera trutina explorat.

Tria examina Baccalaureorum.

Ad incudē reuocantur Baccalaurei veteres.

Ergo pro scriptionis bonitate, quinque ordines instituit. Iis qui primo censentur, præmio, potestatem facit munia quædam publica; sed non maxima, sine superiore gradu gerendi; in secunda classe recensitos, præmio quoque, sed inferiore donat. Tertios nec præmio, sed nec pœna dignos censet; Quarti publice vapulant, socordiæ pœnam luentes; Postremi tandem Baccalaureatus insignibus exuuntur, & in vulgi ordinem reiiciuntur. Id faciunt ne postquam in Baccalaureos recensiti fuerint, in otio delitescant, & quæ didicerint, obliuioni tradant. Alter autem Sinensium literatorum gradus Kiugin appellatur, & cum nostrorum licentiatorum ordine comparatur. Is non nisi tertio quoque anno in prouinciæ Metropoli, sub octauam lunam, maiori etiam maiestate confertur. Sed non iis omnibus, qui eo digni censentur, sed qui inter illos certo numero dignissimi, pro prouinciarum dignitate, ac celebritate plures, pauciores ue. Nam in vtraque regia Pequinensi scilicet, atque Nanquinensi quinquaginta supra centum ex omni Baccalaureorum numero licenciati renunciantur; in Cequiana Quiam Sinensi, atque Fuquiana quinque supra nonaginta, in reliquis pro litteratorum numero, ac prouinciæ dignitate aliquanto pauciores: In hoc examen soli Baccalaurei, nec tamen omnes admittuntur, sed è singulis prouinciæ vrbibus, aut ludis, vt iam dixi, ab Cancellario illo Baccalaureorum minimum triginta, summum quadraginta ex omni numero ad scriptionem excussi, seliguntur. Et tamen hac ratione in prouinciis celebrioribus sæpe numerus eorum, qui ad licentiatorum ordinem adspirant, ad quatuor millia excrescit. Igitur anno illo qui licentiatis initiandis tertius quisque recurrit, qualis exempli causa fuit annus Domini 1609. & proxime recurret 1612. paucis ante octauam lunam diebus, quæ sæpe in Septembrem mensem incidit, magistratus Peguinenses selectissimos ex vniuerso regno philosophos, ad centum Regi offerunt dato libello, vt ex iis triginta in singulas nempe prouincias, binos nominet, qui huic licentiatorum discussioni præsint. Eorum porro alterum è regio Collegio, quod Hanlinguem vocant, esse necesse est, cuius Collegæ toto regno celeberrimi esse perhibentur. Eos vero rex omnino non nominat, nisi sub idem temporis punctum, quo citatissimo itinere in designatam prouinciam poterunt peruenire, adhibitis quoque permultis excubitoribus, ne quem ex ea prouincia vlla ex causa prius alloquantur, quam licentiati sint renunciati. Ex eadem quoque prouincia, ab magistratibus philosophi celebriores euocantur, à quibus Regii illi examinatores duo, in hoc examine primaque scriptionum discussione, cum fide adiuuentur. In qualibet porro metropoli, palatium ingens pro hoc examine duntaxat extructum cernitur, altissimis muris cinctum. In eo domiciliorum stationes permultæ, & ab omni tumultu semotæ, in quibus examinatores, quos dixi, dum scriptiones discutiunt, commorantur. Præter has, in medio palatio sunt cellulæ super quater mille, quæ præter exiguam mensam & scabellum, & vnum hominem capere vltra nihil possunt, ex his cellulis nemo cum vicino colloqui, sed nec videre quenquam potest. Vbi examinatores, & Vrbani, & Regii, quos dixi, in Metropolim aduenerunt, prius in eo palatio, in sua quisque statione includuntur, quam cum vllo colloqui possint, imo à mutuis inter se colloquiis excluduntur, toto eo tempore, quo inscriptionum discussione laboratur. Quin etiam id temporis nocturnæ diurnæque multorum militum, & magistratuum excubiæ, explorant, & arcent omne literarum, ac sermonum commercium eorum, qui intra palatii fines degunt, cum iis, qui extra eos commorantur. In hoc porro examen tres & iidem vbique dies toto regno deputantur, nonus nempe ac 12. ac 15. octauæ lunæ dies. Et ab illucescente aurora in primam noctem tempus scriptioni conceditur, ianuis studiose occlusis. Scribentibus porro leuis refectio pridie comparata sumptu publico præbetur. Cum in palatii fines Baccalaurei admittuntur, seueriſſime explorantur, ne cum aliquem librum aut scriptionem deferant nec ne. Et solum sinuntur penicillos aliquot quibus ad scribendum vtuntur, & scriptoriam laminam, de qua supra, atramentum chartamque deferre. Eorum porro vestes penicilli, laminæ scriptoriæ, ne quid per fraudem contineant, explorantur: Si fraus aliqua deprehensa fuerit, non excluduntur solum, sed etiam acerrime puniuntur.

Examinatores magna cura legūtur.

Corruptelis obuiā itur.

Omnis fallendi praecisa occasio facit, vt veritate nitantur.

Posteaquam in palatium admissi Baccalaurei, & fores clausæ, & publicis sigillis obfirmatæ, Duo illi ab regia examinis præsides, tres è tetrabiblio illo sententias in publicum exponunt suo arbitratu selectas, quas singuli totidem scriptionum sibi thema proponunt; è qualibet item quinque illarum doctrinarum quaternas sententias, aliarum totidem scriptionum thema proponunt. Easque sibi quisque deligit, quæ ex ea quam profitetur doctrina, etiuuntur septem has scriptiones oportet esse non verborum solum luminibus, sed sententiarum quoque pondere graues, obseruatis accurate Sinensis facundiæ præceptionibus, nec vllam scriptionem oportet quingentos numero characteres superare, quorum singuli singulas dictiones nostras exæquant. Die altero, qui biduum ad examinandorum quietem consequitur, eundem in modum recluſis, tria proponuntur, quæ olim ex veterum annalibus eruta contigere, vel alia quædam, quæ imposterum poterunt euenire, ternis singuli scriptionibus sententiam suam

Examen scripto fit.

Non omnes digni reiiciuntur licentiati, sed qui sunt necessarij prouinciis.

Licentiati.

Si quis genius hac in Europam reducat.

Candidatorum quatuor millia.

Ad politicen & ius examen hoc pertinet.

dicunt, aut Regem dato libello monent, quid eo in casu faciendum, è regni bono videretur. Tertio similiter die tres iis lites, ex iis proponuntur, quæ in gerendis Reipublicæ muneribus discernendæ exigi possunt, ternis itidem scriptionibus singuli sententiam suam explicant, quam in ea lite diiudicanda ferrent. Acceptis in hunc modum suo singulis die scriptionum argumentis, & ad memoriam transcriptis, Baccalaurei in designatam sibi ab iis, quorum interest, cellam ad scribendum ingrediuntur, & magno vbique silentio, à singulis scribitur. Scriptiones singulorum in libello in eum finem parato, à singulis transcribuntur, adscripto suo, parentis, aui, & abaui ad finem scriptionum nominibus, & libellum ita obfirmant, vt non nisi à deputatis possit aperiri. Id singuli cum singulis libellis fecerunt, eos deputatis offerunt: illi, priusquam in examinatorum quam manus veniant, librariorum, qui iam parati adsunt, manu transcribuntur: ac ne fraus esse possit, rubeo colore exempla pinguntur, ipsa porro autographa, sine auctorum nominibus examinatoribus discutienda traduntur; ipsa vero autographa, numeris signata, quæ transumptis respondent, interim asseruantur. Id fit, ne qui discutiunt scriptiones, auctorum nomina vel ipsam pingendi rationem internoscant. Priores illi ex vrbanis magistratibus selecti examinatores, scriptiones omnes excutiunt, & pessimam quamque ita reiiciunt, vt regiis examinatoribus duplum offerant eius numeri, ad quem excrescere licentiatorum numerus potest. Ita si centum & quinquaginta renunciari oportebit, scriptiones trecentæ seponuntur, & ad regiorum examinatorum stationem postremo scrutinio excutiendæ transmittuntur; è quibus optimas quasque, quantum pro numero licentiatorum satis, segregant. Ex eo inde numero primas, secundas, & tertias deligunt, & in ordinem accurate componunt. His peractis omnes simul examinatores, transumpta cum autographis, appositis numeris, agnita conferunt, & auctoris in autographo nomen legunt: hæc nomina cubitalibus literis descripta, in ingenti tabula exponunt, octaua fere luna exeunte, magno magistratuum concursu, applausuque eorum, qui licentiatos renunciatos, vel sanguine, vel necessitudine contingunt. Hic porro gradus priore longe superior, ac celebrior, aliisque nobilioribus gaudet immunitatibus, & peculiari dignitatis ornatu. Imo si ad supremum gradum adspirandi deponunt cupiditatem, non infimorum in Republica munerum capaces existunt. Hoc actu ad exitum in hunc modum perducto, Regii examinis præsides, librum euulgant, quo totius examinis successus, licentiatorum nomina, & insigniores de qualibet proposita materia scriptiones hac ratione in regnum vniuersum immittuntur. Sed maxime illius scriptiones typis illis excuduntur, qui primum inter licentiatos nomen est sortitus. Is Sinico Quiayuen appellatur. Hic porro liber eleganti inprimis charactere excuditur, totoque regno spargitur, eiusque aliquot exemplaria Regi offeruntur, & reliquis palatinis. In hoc examen minime admittuntur, qui sunt alterius prouinciæ Baccalaurei. Solum in vtraque Regia pauci ex aliis prouinciis ex peculiari priuilegio, quod in ludum regium, cuius collegæ sunt, adsciti sint, postquam Baccalaureatum obtinuerunt, in id Collegium, persoluto Cameræ regiæ certo aureorum numero, adsciscuntur. Tertius apud Sinas litteratorum ordo Cin-su appellatur, & Doctoratum nostratem plane repræsentat. Hic etiam tertio quoque anno confertur, sed solum in Regia Peguinensi, & Doctorum initiandorum annus semper est is, qui licentiatorum actum proxime insequitur. Eum porro non nisi ex vniuerso regno trecenti, consequuntur, tametsi è singulis prouinciis licentiati, quoties aleam examinis subire voluerint, ipso iure admittantur. Instituitur hic actus secunda luna iisdem, quos supra memorauimus diebus, forma quoque eadem, nullo plane discrimine, nisi quod pro ratione gradus atque dignitate crescit etiam in explorando diligentia, ne qua forte fraus fauorque subrepat, ipsi quoque examinatores è grauissimis regni Magistratibus, quos Colaos vocant, de quibus infra, examinis præses nominatur. Finito examine, renunciatisque Doctoribus, eo ipso in palatio, in quo etiam licentiatos renunciari mos est, simul omnes in palatio regio, coram præcipuis totius aulæ magistratibus, quin etiam ipse rex olim aderat, proposito themate, scriptionem componunt, cuius iudicio, magistratuum, quos ipsi gesturi sunt, ordo renunciatur, in tres classes distributus. Huius examinis magna est celebritas, quæ tota in breui scriptiuncula consistit. Qui primum in Doctorum examine locum obtinuit, illius tertius locus in hoc secundo examine extra aleam versatur. Qui vero in hoc examine primas ac secundas obtinet, insigni per totam vitam dignitate insignitur, præterquam quod maxima quæque in Republica munera gerit. Ea dignitas aptissime cum Ducis apud nos Marchionisue titulo conferretur; si ea in posteros hæreditario iure transferretur. Hi mox Doctores propria veste, pileo, & ocreis, ac reliquis etiam magistratuum insignibus gaudent, & ad publicos magistratus opimiores, ac nobiliores euehuntur, eo semper ordine, vt nusquam doctores ab licentiatis superentur, habentur quoque in primorum regni numero, & reliquis licentiatis, quibus fors non æque cecidit, suis pridie Collegis, ita repente superiores existunt, vt credi vix possit, nam vbique potiores partes illis cedunt, & speciosioribus eos titulis compellant. Hi autem licentiati qui à doctorum numero reiecti sunt, si spem doctoratus imposterum consequendi deposuerint, ad gerendam Rempublicam admittuntur, & licet infra doctores, non tamen infimos vel in regia vel foris magistratus gerunt. Si fortunam denuo tentare placuerit, domum repetunt, sedulo scribendo legendoque exercent, toto insequente triennio, dum redeunte annorum circulo, in examinis arenam iterato descendant. Id quoties libuerit, tentare licet. Et euenit non raro, vt aleam decies subeant, repugnante semper fortuna, qua spe lactati, vitam absque munere publico vniuersam terunt. Dum aut summi, aut nihil esse volunt. Huius quoque non leuis atque inferioris ordinis renunciati successus, suo priuatim volumine ab examinantibus excuditur, adscriptis vt supra, nominibus, & insigniori quaque scriptione. Præter hunc librum, alius etiam quotannis editur, quo doctorum omnium nomina, patria, parentes, officia, & quo in loco ea gerant, describuntur. Ita qui annuum hoc volumen inspexerit, sciet quam quisque dignitatem à primo doctoratus anno ad obitum vsque, & vbi gesserit, quibus gradibus honorum vel ascenderit, vel descenderit, quod apud Sinas pro cuiusque meritis est quotidianum. Et est in hac graduum consecutione illud admiratione dignum, quam eiusdem anni Collegæ inter se necessitudinem contrahant, nam non licentiati minus quam doctores, quibus fortuna vt faueret in eundem annum conspirauit, sese loco fratrum per vniuersam vitam habent, seque mutuo & propinquos suorum Collegarum in omnibus rebus adiuuant, vnanimi semper animorum consensione, cum ipsis quoque examinatoribus, etiam arctius vinculum nectunt, quale solet inter parentes, ac filios, vel discipulos ac magistros, debita sem-

Nõ dissimilẽ rationem in præmiis distribuendis societas obseruat.

Quid si hæc aliquo in Academias inducerentur?

Doctoratus Sinensium.

Magistratus Sinenses sunt examinatores.

Nullus labor arduus videtur, vbi præmiũ est magnum.

Fidenter moneo ô princeps imitare.

bita semper veneratione, tametsi sæpe contingat, ipsos discipulos altius magistro, per singulos honorum gradus ascendere. Hos etiam honorum gradus iisdem annis ac locis, iisdemque titulis, iis qui militiam profitentur, concedi mos est. Tempus solum in sequentem lunam differri solet. Verum ex eo quod apud Sinas ars militaris iacet, longe inferiore conferuntur apparatu. Et ita pauci ad eos adspirant, vt omnino res misera videatur. Militare hoc examen triplex quoque est. In primo equestri cursu incitati, sagittas nouem expediunt: In secundo totidem sagittas in eundem scopum pede fixo collineant. Et qui vt minimum quatuor sagittis ex equo, & duobus è solo scopum attigerunt, in tertium examen admittuntur. In quo de rebus militaribus, proposita quæstione, iubentur scripto respondere. Iudices deinde collato inter se triplici hoc examine, in vnaquaque prouincia, ex vniuerso numero licentiatis fere quinquaginta renunciant. Quo anno vero Peguini doctores nominantur, militares quoque ex omni licentiatorum totius regni numero selecti, triplici etiam examine præuio, omnino centum militari doctoratu insigniuntur. Doctores ex hoc Collegio facilius quam licentiati non tamen sine largitionibus ad aliquam præfecturam militarem designantur. Vtrique, cum primum renunciantur, siue ii de Philosophico siue de militari sint senatu, supra ædium suarum limen ad familiæ commendationem, titulum inscribunt literis cubitalibus, quo significatur, quam quisque dignitatem sit adeptus. Illud ad extremum prætereundum non est. Omnium examinum arbitros ac præsides, siue de re militari, siue de Mathematicis disciplinis, & arte medendi, & longe magis de rebus Ethicis discussio instituatur, è senatu Philosophico deligi, nec vllum vel Ducem, vel Mathematicum, vel Medicum illis adiungi; quod non parum Europæis nostris mirum, & fortasse ineptum videbitur. Tanta enim est eorum qui Ethica disciplina præcellunt, apud Sinas opinio, vt omnino videantur aptam de omni re posse ferre sententiam, tametsi extra suæ professionis limites longius euagentur.

Militia Sinensis.

Hoc vnicũ in illo examine ineptum est.

§. 6. Plurimis hæc verbis auctoris retuli, tum quod viri optimi, quique animam suam toties posuit suis in manibus, vt gentis ignotæ animas lucraretur, memoriam mecum, recolam; tum quia Academiæ nostræ, in quibus lapsa disciplina, & ardor discendi exstinctus est; ad hunc modum in integrum restitui possint. Audeat simile quippiam princeps, tota Europa nobilissimam Academiam in vrbe sua exurgere conspiciet.

Honoratissima Academia in qua sincera iudicia.

Quænam ad hos gradus temporum interualla requirantur, certo statui non potest. Societas nostra Philosophiæ triennium, Theologiæ quadriennium constituit. Sic habet Reg. 17. præpos. Prou. *Philosophicum cursum triennio absoluent, non autem minore tempore, vbi sunt nostri: si autem soli sint externi auditores, relinquatur prouincialis iudicio, quotannis vero, si fieri potest, vnus cursus absoluendus, & alter inchoandus.*

Quantum temporis ad studia, & honores Academicos requiratur.

Philosophia triennio.

Et reg. 9. §. 1. *Quadriennio ex Constitutionibus Theologiæ cursum absolui curet, idque à duobus, vel si omnino aliter fieri non possit, à tribus ordinariis Professoribus, pro diuerso prouinciarum vsu. Vbi autem tres erunt, tertia lectio erit moralis Theologiæ, in qua ex professo, & solide explicentur materiæ morales, quæ ab ordinariis professoribus, vel omnino prætermitti, vel breuissime perstringi solent. Quam quidem lectionem nostri biennio saltem audiant, alteroque biennio scripturam sacram.*

Theologia quadriennio absoluitur.

§. 7. Regni Francici iura hoc in genere seueriſſima, refert prudentissimus, & doctissimus Politicorum Petrus Gregorius Tolosanus, lib. 18. c. 9. Ita vero ille refert ex concordatis regni, & summi potific. *Ad præsumptionem probationis scientiæ facit tempus, quod quis in scholis in discendo consumpserit, iurisq; ciuilis studium quinquennio perfici posse docuit Iustinianus: iuris vero canonici septennio, canones. Ex præscripto vero concordatorum, gallicorum, & summi pontificis, pro beneficiis obtinendis in regno Galliarum in vim priuilegiorum, nominationum, statutum, vt collatores ordinarij, aut patroni ecclesiastici, dignitates, personatus, administrationes, officia & beneficia ecclesiastica, in mensibus graduatis, & nominatis assignatis, vacantia, illis graduatis simplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos duntaxat præsentare teneantur, qui per tempus competens in Vniuersitate famosa studuerunt. Tempus autem esse competens declaratur decennium in magistris seu licentiatis, aut bacchalariis in Theologia: septennium vero in Doctoribus seu Licentiatis in iure Canonico, ciuili, aut medicina, quinquennium autem in magistris seu licentiatis in artibus, cum rigore examinis, à logicalibus inclusiue, aut in altiori facultate. Sexennium in bacchalariis simplicibus in Theologia: Quinquennium vero in bacchalariis iuris canonici aut ciuilis, in quibus bacchalariis iuris canonici & ciuilis, si ex vtroque parente nobiles fuerint, triennium sufficere decernitur. Simplices graduati dicuntur ibi, qui nominationes non habent, nec fauore etiã tanto ac qui habent in consequendis beneficiis donantur, tẽpus illud ante adeptionem graduum studiorum desideratur completum, ad effectum consequendi priuilegium acceptandi beneficia debita per concordata graduatis simplicibus, vel nominatis, vacantia certis mensibus, prout definitum, & distinctum fuit.*

Gallicæ Academiæ ad nominationes beneficiorũ multum requirunt temporis.

Tempus studiorum perficiendorum in prædictis est iuris positiui, ad effectum priuilegij consequendum, sed in aliis potest esse arbitrarium magistris, qui promouendos possunt suo iudicio vel ante, vel post illud probare. Artes longæ, vita breuis, & vt quis possit discere, tempore indiget, vt postea possit docere.

§. 8. Verum hoc fatetur esse iuris positiui, in aliis est arbitrarium, nam ob ingeniorum diuersitatem alii citius, tardius alii ad eruditionem veniunt. Temporis igitur illa ratio instituenda est, quæ mediocribus ingeniis sufficiat, maximis non sit onerosa, & quam tarda ingenia magno labore pene attingant.

Facultas Theologica Moguntina, quæ iam annos quinquaginta magna omnium vtilitate floret, ita statuit tit. 4. §. 2. *Nolumus vllius ætatis, aut temporis studiorum rationem haberi in promotionibus, nisi & cognitione rerum Theologicarum conuenienter ad gradum qui petitur, & honestæ conuersationis, ac vitæ testimonio promouendus commendetur. Nam infames Apostatas, aut peruersis moribus notorie præditos quantacunque doctrina excelluerint, omnino à promotionibus arcemus.*

Moguntiæ nec tempus studiorum sine doctrina, nec doctrina sine moribus ad promotionem sufficit.

Temporis enim iactura, sine profectu, ad rem nihil facit, tempus tamen descripsit §. 4. *Item statuimus & ordinamus, vt nemo ad prælectionem, vel gradum Baccalaureorum Biblicorum admittatur, qui vt minimum non audierit prælectiones Theologiæ ordinarias per duos annos: ad gradum vero Baccalaureorum sententiariorum ante tertium annum expletum nemo admittendus est, vt inchoare possit prælectionem tertij libri sententiarum, qua inchoata censentur Baccalaurei formati: Licentiæ vero gradum nemo, nisi elapso anno quarto studiorum Theologicorum consequetur.*

Tempus Theologici cursus in Academia Moguntina.

§. 9. Nunc etiam mala Academiarum recensenda sunt; neque enim politici est illa dissimulare, quæ in totius reipublicæ perniciem erumpunt. Ac primo quidem multis locis, ad honores Academicos indigni promouentur. Vetus illa querela est; propter quam Academias multi oderunt, nonnulli euersas esse cupiunt. Sed iniuria, ad magistratus ciuiles, ad tribunalia, ad diadema & sceptra quoties metu, spe, precio, imo & per flagitiosa obsequia euehuntur illi, quos seruos habere vir honestus nollet? Ecclesiæ quoque opulentia, crebro pessimis, non sæpe optimis obuenit. Quid igitur mirum est, si vitia quibus tota Respublica premitur, Academicos quoque afflent, & sensim inficiant? Fateamur igitur ita esse, & viris doctissimis nunquam deesse quod emendent. Me accusatorem Academiæ non habebunt. Iam olim monuit

In laudãda republica sæpe vanitas, in detegendis erratis sinceritas cernitur.

Tota respublica cum næuos habeat, non potest esse immunis vniuersitas.

monuit Concilium Constantiense. *Item vt de cetero floreat sapientia, & vigeant literarum studia, nullus ad titulo graduum, & honorum assumatur, nisi idoneus, & approbatus moribus, & scientia, atque bene meritus: nec ita leuis, & nimium præcipitata promotio fiat. Nam vt notum est, & multis ridiculosum, multi magistrorum nomen obtinent, quos magis adhuc discipulos esse deceret, contra facientes aut venientes, priuilegiis regalibus eisdem Vniuersitatibus concessis, ipse iure priuentur.*

Academiæ quæ promouent indignos ipso iure priuantur priuilegiis.

Ipsis pontificibus, ambitio imperitorum imposuit. Praxin ostendit Petrus Gregorius l. 18. c. 9. §. 7. *Refert Iulius tertius summus pontifex in constitutione edita sexto Februarij millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, abusum quendam emendauit, quod multi iuris ciuilis, & canonici ignari, ad doctoratus gradum aspirantes indebite, sub prætextu quod in aliqua Vniuersitate studij generalis operam dando in tantum profecerint, quod idonei existant, licentiam à sede Apostolica obtinerent, vel extorquerent, vt ab aliquo prælato, seu à persona in dignitate Ecclesiastica constituta, etiam de propitiis extorquendo, insignia doctoratus in Romana curia suscipere valerent: & eiusdem licentiæ prætextu examine ad id requisito, & aliis necessariis desuper minime adhibitis, contra sacrorum Canonum statuta, & iuris dispositionem, in illius doctoratus dignitatis opprobrium, se ad illius gradum faciebant promoueri, vnde gradus ex præmissis vilescebat, illudque emendans disponit S. Pontifex neminem de cetero in vrbe creari posse doctorem nisi à Collegio Aduocatorum consistorialium, non obstantibus priuilegiis & licentiis in contrarium concessis.*

Imperitiã astutã ambitio facit.

Hinc nihil hodie vilius, aut suspectius doctoribus bullatis, quamuis multi insigni eruditione polleant, cum tamen illi quos Pontifex, vel Imperator eo honore dignatus est, summo loco haberi soliti fuerint: Verum præsumitur, non quidem in iudicio, sed hominum opinione, fraudulentia: nec minor tamen in ipsis Academiis error est. Ad experientiam appello causas defendant doctores, disputent magistri. Rhodus, & saltus suspicionem meam refutabunt.

Doctores bullatos ipsi pontifices abdicant.

Mali tanti causa est, mundo ipso potentius, aurum; Dum enim pecuniæ inhiant nonnulli Academici, quibus suis honores suos prostituunt: Et multo gratiores sunt, imperiti, qui examinis seueritatẽ muneribus mitigant, quam qui eruditione, & doctrinæ insigni documento prouocant. Credo interdũ pauperiem Academicorum, ad ea lucella illos deiicere, sed aliud quidquis agendum potius; quam pecora & trunci ad cathedras doctorum trahendi; Tales enim promouendi sunt, vt ii leges interirent, recte tamen docerent, & viuerent. Hæc autem tum ipsis, tum principibus consideranda propono.

Academiæ ipsæ indignos promouent.

Experientia summæ est argumẽtum.

§. 10. Primo. Doctoratum in facultate Theologica, Iuridica, Medica, ab eo qui se indignum esse nouit, nec sine peccato mortali suscipi, nec ab aliis conferri posse, si indignum esse nouerint. Ita Syluester de doctorib. §. 4. Nauarr⁹ de pecc. mag. & doctor. c. 25. Arm. Aluar. Pelag. l. 2. d. planctu Eccl. Sa. in aphoris.

Indigni promotio letale crimen.

Impostura est indigni promotio.

Causa magna est; quia Rempublicam, atq; Ecclesiam fallunt, & in magna re, qui enim tibicinem imperitum canendi voluptatibus principis offerre non auderent, illi populorum, principumque salutem alienæ imperitiæ obiicere non verentur. Gradus vero illi dantur, vt Ecclesia idoneos habeat doctores, qui hæresibus resistant, infideles conuertant, & credunt tum principes, tũ Episcopi Academiis, à quibus sine graui scelere falli, & irrideri non possunt. Sunt vero sua facilitate rei omnium, quæ inde sequuntur, malorum. Si indoctus Theologus, aut fidem ignorantia prodit, aut aduersarios conscius suę imbecillitatis fugit; Si clientem perdit indoctus patronus, si clinicum medicus inexpertus curandum suscipit, letifero se crimine obstringunt; quia lucri causa proximos in salutis, vitæ, & fortunarum discrimen præcipitant: & vt tantum possent Academica auctoritate fulti licentius grassantur.

Academiæ imperitis gladiũ præbent.

Accedit propria singularum fides, officiumque: doctores enim qui sunt in senatu Academico, vel promissione, vel etiã iuramento obstringuntur, ne indoneos admittant. Nostra facultas t. 7. §. 4. *Omnes iureiurando constringit; Se fidele testimonium de Baccalaureis in Theologica facultate cum legitime interrogabuntur, perhibituros.* Itaque recte Syluester etiam periurio obligatos censet, qui indignum admittunt.

Indignum promouentes sunt periuri.

Quamuis autem nunquam docturi videantur, aut causas acturi, aut sane praxin medicinæ exercituri, ita vt abesse periculum videatur, non tamen sine mortali peccato testimonium eruditionis publicum decerni indoctis potest. Nam forte occasio, aut necessitas, vt sunt rerũ humanarum omnia incerta, id exiget, atque ita nihil nisi inanem titulum, & si hactenus latuerit, auctoritatem nocituram adferet. Hoc cauere prudentis est, ne furioso gladium, ne imperito iudicandi, aut docendi potestatem committat, quamuis enim furiosus gladio, quandoque recte vtatur, nunquam furioso recte datur gladius. Et quanquam casus operam imperiti medici aliquando faciat salutarem; improba tamen est temeritas illius, qui artem in alieno corpore experitur.

Quod si nullum vnquam detrimentum priuilegiata, & doctorali inscitia allaturi sunt, graue tamen peccatum est; & reipublicæ pernicioſum eruditorum insignia, stolidis pecudibus appingere. Nec principum, fundatorumq; honestissima voluntas, sine scelere eludi potest. Si enim totius Reipublicæ interest, ne fortium virorum, & bene meritorum præmia in se versuti, & callidi deriuent, certe maximum sentiet detrimentum, si doctrinæ, & prudentiæ testimonio falso decorati incedant illi, qui adeo rudes sunt, vt doceri vix queant. Nam præterquam quod honores illi penitus contemnuntur; Si tam indignis, quam dignis contingunt, aliud etiam malum oritur, quod multas Academias pessum dedit. Omnium adolescentum ignauia, ociumque, & inde erumpens dissolutio, libidinesque. Si enim ad Academicorum honorum arcem, tam pecunioſa imperitia, quam laborioſa scientia deducit, multi paucorum nummorum iactura, longi temporis maximos labores, facile rediment. Tristissimos istius Academicæ perfidiæ effectus, multæ vniuersitates experiuntur, in quibus à multis annis, à gradibus nemo arcetur, & cærimoniæ loco examen duntaxat agitatur. Quis enim diligentior in literis est, vt gradum consequatur, aut cui metus repulsæ marcorem excutit, si diuites indoctos summo loco, quasi eruditione venerabiliores stare videt?

Ipsa honorum prostratio, & vilitas graue crimen est.

Graduum prostitutio dissolutionem, ociũq; inducit.

Si dignos quærimus, pauci promouendi sunt.

Diuitiæ eruditionis honorem sæpe præcipunt.

§. 11. Sed neque opibus Academiæ illa præuaricatione consulitur; nam postquam vulgata sunt indignis insignia, postquam turba fecit contemptibiles, primo nobilitas honores illos spreuit, nunquam factura, si in illis vera eruditionis testimonia esse agnosceret. Magnum hoc vulnus est vniuersitatum, nobilissimam iuuentutis partem amisisse. Vidi nobilissimos adolescentes, magnatum filios, principum cognatos, omnes studiorum partes assidue, diligenterque tractare, magistrorum testimonia postulare; sed gradus Academicos, hoc est, publica testimonia contemnere. *Quod enim communiter tam doctis, quam indoctis conceditur, non est, (dicebant) testimonium eruditionis; sed inutilis carimonia hominum ociosorum, & ambitiosorum.* At vero Ecclesia doctores nullo modo contemptos esse vult, cum tam multa, & grandia illis committat. Quantum Concilium Tridentinum doctoribus tribuat sess. 22. c. 2. de reform. explicuit. *Quicunq; post hac ad Ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, & vita ac aliis, quæ à sacris canonibus requiran-*

Nobilitas Academicos honores probro duxit, postquam vulgati sunt indigni.

Ecclesia doctores vult esse honoratos.

quiruntur, plene sit præditus, verum etiam in sacro ordine antea, saltem sex mensium spatio, constitutus. Quarum rerum instructio, si eius notitia nulla, aut recens in curia fuerit, à sedis Apostolicæ legatis, seu nunciis prouinciarum, aut eius ordinario, eoque deficiente, à vicinioribus ordinariis sumatur; Scientia vero præter hæc eiusmodi polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere. Ideoq; antea in Vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure canonico, merito sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si regularis fuerit, à superioribus suæ religionis similem fidem habeat. Prædicti autem omnes, vndeinstructio, seu testificatio erit sumenda, hæc fideliter, & gratis referre teneantur: alioquin eorum conscientias grauiter oneratas esse scient: ac Deum, & superiores suos habebunt vltores.

MERITO promotus.

§. 12. Quid grauius dici posset à generali Concilio, in eos, qui prandiolis, & paucis nummis, publica illa testimonia diuendunt?

Clericos sincere non examinabit, qui se ex gratia non merito nouit esse examinatorem.

Examini clericorum, doctores præficit eadem Synodus sess. 24. cap. 18. de refor. *Sint vero hi examinatores, Magistri seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, vel alij Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei, iurentque omnes ad sancta Dei Euangelia, se quacunq; humana affectione postposita, fideliter munus executuros.*

Ecclesia dū fidit Academicis eorū conscientias obligat.

Quid vero illi de scientia aliorum iudicabunt, si sua ambitione, si academico periurio facti sunt ipsi doctores? Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Eadem sessione cap. 12. *Archidiaconos iubet esse magistros, vel licentiatos in Theologia, vel iure canonico.* Et c. 16. Vicarii Episcopi constituuntur. Hæc cum Ecclesia constituat, tantum Academicis testimoniis tribuit, quantum vix vlli alteri, ideoque merito contra præuaricatores, Deum vltorem inuocat. Eadem in iuris, & medicinæ doctoribus est ratio. In illorum enim consiliis respublica, tota pene versatur, in horum scientia multorum, atque etiam principum, & magnatum vita.

Magistri artium an possint indigni promoueri?

§. 13. Quid vero de magistris artium, & baccalaureis? Non desunt, qui indignos à peccato mortali excusent, siue gradum imperiti suscipiant, siue conferant. Nulla enim Reipublicæ pars illis committitur, quamuis igitur stolones togatos, epomide, pileo, annulo adornent; neminem tamen fallent, quia rebus nondum admouentur. Ego contra sentio, indignos baccalaureatus, aut magisterii Philosophici insignibus ornare, peccatum esse mortale. Primo quidem ob iuramentum quo multis in Academiis examinatores adiguntur, vt promittant indignos non admissuros; itaque fundatores, & Academiæ quæ iuramentum postulant, rem grauem esse censent; hinc consequitur, vt etiam illi, qui quamuis iusiurandum non dixerint; promissione tamen fidelitatis tenentur, vt in re graui, publicum testimonium falsum sine graui peccato dare non possint. Deinde; Multa etiam magistris artium committi solent; disputandi, docendi, examinandi alios, promouendique potestas. Quæ vbi imperitis collata fuerit, necesse est studia illa, quæ Reipublicæ sunt necessaria, capere magna detrimenta, quæ cum maiora sint, quam pecuniarum damna, hic quoque crimen cernitur. Cum enim numerosa sit in Academiis iuuentus, quæ Philosophiæ operam nauat, contemptu honorum Academicorum, constat ipsos ardorem studendi restinguere, est exerte ipsam iuuentutem corrumpere. Contemnuntur autem, cum desinunt esse testimonia eruditionis. Et quo maiore vestium, conuiuiorum, carminum, comitatuum apparatu cærimoniæ illæ peraguntur; eo apud conscios suæ, atque alienæ insciciæ maiore ludibrio habentur. Quia spectatiore pompa, testimonia falsa, leuitasque Academicorum producitur. Haud paucæ sunt Ecclesiæ Collegiatæ, quæ Baccalaureatum, aut magisterium requirunt, quas fallere non modo est turpe, sed etiam criminosum. Denique qui promouent indignos, cum non semper, nec omnes possint euehere, nisi omnem disciplinam euertant, vehementer infamant eos, quos repellunt, magna enim est infamia, ne inter indoctos quidem locum habuisse, ne Mysorum quidem extremum esse. Atq; hinc ille contemptus oritur, cum primus locus non est magno honori, & vltimus contumeliā trahit ingentem. Quomodo vero cognoscam dignos & indignos? Aut quæ normæ discriminis?

Mortale peccatū est indignos magistros artiū promouere.

Nam iuramento tenentur.

Publicum testimoniū in re graui falso dictū est mortale.

Magistris multa committuntur.

Graue est ardorē studendi restinguere.

Ecclesiæ collegiatæ quæ in suis gradum requirunt, eruditos, non titulares magistros volunt.

§. 14. Res ardua est, quæque excusationum latebras aperit illis, qui disciplinam dissoluunt, nec Academias scientiarum flore, & studio, sed pomparum inanibus metiuntur. Retegam tamen illa arcana, & prætextus auferam.

Quam turpe indoctorum esse vltimum?

Inter eos qui digni doctoratu censentur, magnum est discrimen, &, vt philosophi loquuntur, latitudo. Augustinus, & Hieronymus doctores sunt; nec tamen eo nomine nō digni, Eucherius, Prosper, aliiq;, nam Augustinum semel Ecclesia habuit, multis vero in singulos annos doctoribus indiget. Non igitur ad vnam normam, exigenda est eruditio. Quis enim nunc aut doctor, aut Episcopus creatur, qui non lubens, volens se Augustini discipulum fateatur?

Inter doctissimos magnum est discrimē eruditionis.

Flagitiose doctor creatur, qui docere non potest.

Nullus magister, aut doctor eius scientiæ creari debet, qui eam docere non possit. Nam magister, & doctor à docendo ita nominantur. Deinde plerisque in Academiis qui promouentur, etiam iureiurando ad docendum astringuntur. Facultas philosophica à su is hoc iuramentum exigit. *Postremo iurabunt, se vnum annum integrum à promotione, in nostra facultate prælegendo, ac docendo duraturos, ac eodem anno semel publicæ disputationi præsidere velle.* Quomodo iurabit docturum ea, quæ non didicit? Irrisorium hoc iuramentum est, si asinus iuret se docturum literas. Ecclesia & respublica tanto sumptu illa magisteria, doctoratusq; ad docendum, ordinauit, vt optime monuit Syluester de doctorib. §. 4. Ecclesiam omnia illa, non modo philosophiæ, & maiora studia ad docendum referre, sed linguarum etiam cognitionem docent canones. Totam rem exposuit extr. de magistris Clemens V. in Conc. Vienn. c. 1. *Inter sollicitudines nostris humeris incumbentes, perpeti cura reuoluimus, vt errantes in viam veritatis inducere, ipsosque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus: hoc est, quod profecto desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectum, atque circa illud diligenti studio, & studiosa diligentia vigilamus. Non ambigimus autem, quin ad huiusmodi nostrum desiderium assequendum, diuinorum eloquiorum sit expositio congrua, ipsorumq; fidelis prædicatio admodum oportuna. Sed nec ignoramus, quin & hæc promi noscantur inaniter, vacuaque redire, si auribus linguam loquentis ignorantium proferantur. Ideoque illius cuius vicem in terris (licet immeriti) gerimus, imitantes exemplum, qui ituros per vniuersum mundum ad euangelizandum Apostolos, in omni linguarum genere fore voluit eruditos, viris catholicis notitiam linguarum habentibus, quibus vtuntur infideles præcipue, abundare sanctam affectamus Ecclesiam, qui infideles ipsos sciant, & valeant sacris institutis instruere, Christicolarumque collegio, per doctrinam Christianæ fidei, ac susceptionem sacri baptismatis aggregare: Vt igitur peritia linguarum huiusmodi, posset habiliter per institutionis efficaciam obtineri: Hoc sacro approbante Concilio scholas in subscriptarum linguarum generibus vbicunq; Romanam curiam residere contigerit, nec non in Parisiensi & Oxoniensi, Bononiensi & Salamantino studiis prouidimus: Statuentes, vt in quolibet locorū ipsorum teneantur viri Catholici sufficientem habentes Hebraicæ, Arabicæ & Chaldææ linguarum notitiam: duo videlicet vniuscuiusq; linguæ periti, qui scholas regant inibi, & libros de linguis ipsis in Latinum fideliter transferentes, alios linguas ipsas solicite doceant, earumq; peritiam studiosa in illos institutione transfundant: instructi & edocti*

Sine imposturæ ignari linguarum ad hæc euehi non possunt.

sufficienter in linguis huiusmodi, fructum speratum possint (Deo autore) producere, fidem propagaturi salubriter in ipsos populos infideles. Quibus equidem in Romana curia legentibus per sedem Apostolicam, in studiis vero Parisiensibus per Regem Franciæ, in Oxoniensibus Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, ac Walliæ, in Bononiens. per Italiæ, in Salamantino per Hispaniæ prælatos, monasteria, capitula, conuentus, collegia exempta & non exempta, & ecclesiarum rectores in stipendiis competentibus, & sumptibus volumus prouideri: contributionis onere singulis iuxta facultatum exigentiam imponendo: Priuilegiis & exemptionibus quibuscunq; contrariis nequaquam obstantibus: quibus tamen nolumus quoad alia præiudicium generari.

Ab Academicorũ fidelitate salus Reipublicæ pendet.

Hæc cõsideratio omnes Academicos mouere debebat, vt magno delectu, seuero examine ad honores admittant. Id quod facile præstabunt, si à fide sua incolumitatem sanæ doctrinæ, atque adeo Reipublicæ pendere iudicauerint. Cumque animaduertant Episcopos, Reges, Principes tanta sollicitudine, tanto sumptu, priuilegiisq; doctos, & gnauos quærere pro Ecclesia, ac Republica viros, pessimi exempli esse intelligunt, ipsa scientiarum sacraria contemptui habere, discentium alacritatem retundere.

Academia Moguntina seueras examinandi leges habet.

§. 15. Hoc constituto varia, & non leui examinatione, doctrinam auditorum explorent. Moguntina Academia seueras habet, & dignas, quæ vbique florerent, leges. Si quispiam enim in facultate Theologica honores Academicos petat. Primo necesse est, vt apud senatum temporis, exercitiorum, profectusque sui testimoniũ professorum suorum habeat, nisi enim illi testentur dignũ videri, qui examen subeat, à limine repellitur, deinde admissus disputationibus quinque publicis eruditionem suam probare cogitur; Iurisperiti suos ita exercent, vt si quem prima disputatione probauerint, illi deinde aliã legem assignent, ad quam exponendam, defendendamque se viginti quatuor horarum spacio præparet, quæ exagitatio, excussioque tam seria est, vt nemo facile nisi probe instructus se discrimini committat. Medicorum etiam seueræ sunt in examine leges, & seriæ disputationes, adeo vt haud facile quisquam indoctus hic doctoratus pulset ostia.

Artium facultas serio suorum eruditionem explorare tenetur.

Facultas artium liberalium, præter quotidianas exercitationes, testimoniaque professorum, in omnibus artibus, etiam eloquentia, poësi, matheſi examina instituit, & singulos seorsum explorando, totam pene philosophiam inquirit: Omnes enim examinatores promittunt, *se nullum insufficientem, aut parum idoneum admissuros.* §. promiss. mag. Tentatorum. Vnum igitur examen est, quod toto tempore studiorũ perdurat, dum vel in propria schola teste magistro, & condiscipulis profectum suum probant, vel publicis per annum disputationibus, & omnium philosophorum conuentu ingenii specimen præbent. Alterum quo à deputatis magistris priuatim interrogantur. Qui quamuis in aditu examinis promissionem duntaxat præstent, ex alia tamen causa, etiam iureiurando obligantur: Ante promotionem enim inter cætera sic iurant: Item *quod fidele testimonium de baccalaureis in facultate promouendis sint præstituri, quoties super hoc debite fuerint requisiti.* §. iuramentum recipient: licentiam & insignia.

Examinatores Moguntini iurati.

Huius curæ cautionisque neglectu, non modo aliis in Academiis indocti, sed hæretici etiam intruduntur in Ecclesias, & Academias; nam indoctæ Academiæ hæreses subtiliores ne nosse quidem, nedum arcere possunt. Multum, (inquit Petrus Greg. l. 18. c. 9. de rep.) etiam nocuit *Reipublicæ quod professores aliqui reperiuntur parum timorati conscientiæ, & nõ considerant quale pecus arcadicum intrudant ecclesiis & subsellis, ad gratiam sæpe gradus prophanis concedentes: nec considerant, se reddituros rationem coram Deo & hominibus de tanta in probandis studiis negligentia. Intrudunt quoq; aliquando in cathedras hæreticos, ex quibus virus & perniciem aut pestem reipublicæ sequi necesse est. In quibus emendandis opus est reformatione diligenti, quæ facilis erit rectoribus & conseruatoribus, seu episcopis & principibus, si studia reuocentur ad institutum scopum in erectione, & viri docti bonæque conscientiæ & integræ fidei, præficiantur, & si ij qui pertinaciter in errore vel malitia perseuerant, emendentur.*

Si Academici sint negligentes Respublica reformet.

§. 16. Quod si Academici ipsi suarum rerum curam deponant, nec super fama sua, nec super reipublicę salute laborem moliantur; Episcopis & principibus ea cura incumbet. Fecit id Albertus Brandeburgicus S. R. E. Cardinalis Archiepiscopus Moguntinus, vt tum acta, tum præfatio statutorum facultatis artium testatur. Non ignoro visitationem, & reformationem difficilem duramq; videri. Sed præstat moneri viros doctos, & Academias restaurari, quam perire iuuentutem. Nec ratio omnia corrigendi deesse potest. Nam primo, omnes etiam licentiati, & doctores pro nominationibus beneficiorum, & ordinibus examinentur; nec stetur iudicio Academico, si solent illo imperiti ad gradus promoueri. Lites inde orientur & tumultus, sed facile ea mala princeps sedabit, alioqui priuilegia relinquet. *Videtur* (inquit Petrus Gregorius l. 18. c. 9.) *prælatus iniuriam facere Vniuersitati, volendo eius graduatum examinare, imo iniuria fit principibus, quod indignos existiment, quos ipsi idoneos iudicant inquiri de idoneitate impetrantium, nec vult eum examinari, cum sit iam probatus, in aliis.*

Non præsumitur bene, si sæpe fefellit vniuersitas.

Sicuti Episcopus non potest examinare præsentatum ab Abbate, cum sufficiat Abbatis testimonium. Nam si Episcopo daretur examinatio graduatorum, aut nominatorum, aut præsentatorum ab Vniuersitatibus & Abbatibus, nunquam inueniret graduatum aut nominatum doctum, aut sufficientem, etiã si esset Bartolo vel Panormitano similis, nisi esset illis propitius: quod & locum habet in istis censoribus Pharisaicis vicariis Episcopi, qui tanta stultitia & præsumptione & superbia obcæcantur, vt nullum putent aliquid scire, quin illis aduletur, vel applaudat, imperiti, qui nisi quod, ipsi faciunt, nihil rectum putant. Quare semper præsumendum potius pro actu Vniuersitatis, si debita forma factus fuerit, & pro habilitate personæ.

In graui causa cum dubium est, examen adhibeatur necesse est.

Hæc ille de reformatione optime, & prudentissime; nõ tamen assentior, cum negat oportere graduatum examinari. Nam si causa probabilis est de eruditione illius dubitandi, non modo potest Episcopus, sed etiam debet eum, quem animabus præficit, examinare. Fatetur ipse Petrus eodem capite §. 6. *Possunt ex abusu & corruptione professorum, quemadmodum experientia didicimus, plura incommoda, & mala Reipublicæ inferri: maxime cum indignis, & pecuniæ nundinatione gradus conferuntur.* Hoc si ille experientia didicit, si quotidie Episcopi, & Principes per mala, & incommoda Reipublicæ discunt, cur potius illa mala ferre, quam dubium examinare debent? Trident. Concil. sess. 7. c. 13. omnes examini subiicit, exceptis illis, qui præsentantur ab vniuersitatibus. *Præsentati, seu electi, vel nominati à quibusuis ecclesiasticis personis, etiam sedis Apostolicæ nuncio, ad quæuis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscripta, nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis seu nominatis ab vniuersitatibus, seu collegiis generalium studiorum exceptis.*

Omnes examinantur exceptis quos Academia probarunt.

Sed tamen sess. 24. cap. 18. reuocari exceptio videtur, cum magis magisque vniuersitatum sinceritatem corruptam animaduerteret. Cum enim indocti doctores priuilegio non fruantur, Academiæ quæ indoctos promouent, non possunt illis priuilegia communicare, non ergo possunt indocti vti priuilegiis doctorum. Ita ipse Gregorius lib. 18. cap. 9.

Indoctis nõ possunt cõmunicari priuilegia doctorum.

Neque

Neq; doctor indoctus debet frui priuilegio doctorum. Et certe tales qui titulo tenus doctores sunt, & qui neglectu studiorum, quod iam didicerant, amiserunt, digni essent qui iterum examinarentur, non quidem ab his qui volunt videri Rabini, nam cæcus cæcum duceret, sed à magistris eruditis, probatis professoribus, bonæ conscientiæ, & à timentibus Deum, à rectoribus & reformatoribus scholarum, qui certe non minus necessarii sunt in Republica, quam visitatores Ecclesiarum. Sed tales essent deputandi, qui in professionibus seu facultatibus reformandis essent peritissimi, & munere Professorum perfuncti laudabiliter fuissent, veterani & emeriti, & non aliunde, vel alii.

Ipsi doctores iterum possunt examinari.

Nec inficias imus, quin & æquum & salutare Reipublicæ putamus, approbatum semel in Doctorem, posse iterum reprobari, si postea inueniatur per reformatores prædictos, vel per ipsos Magistros qui ante approbarunt insufficiens: imo & insignibus posse priuari, saltem priuilegiis. Nisi casu, vel morbo, vel senectute, fuerit scientia amissa.

Doctor potest reprobari.

Sic Gordianus Cæsar: Grammaticos seu Oratores, decreto ordinis probatos, si non se vtiles studentibus præbeant, denuo ab eodem ordine reprobari posse incognitum non est. Nam & in his versatur publica vtilitas, cũ propter præsumptionem doctrinæ Doctores ad multa publica officia, & beneficia Ecclesiastica admittantur, & imperitia eorum multos ita deceptos lædat. Quare examinatus, & probatus, in gradu Licentiæ, potest in examine Doctorum reprobari, cum ex noua causa potuerit se inutilem reddere, veluti si sit magna temporis distantia inter licentiam, aut prolytatum, & doctoratum petitum: vel quia vno tantum examine fuerit approbatus, & alia supersunt, secundum ea, quæ notat Abbas Panormitanus.

Licentiatus iterum pro doctoratu potest examinari.

Sic Syluester de doct. §. 5. Quinto quæritur, quæ requirantur doctorãdo, ne reprobetur, sed approbetur? Et dico, quod scholaris reprobari potest, non solum propter defectum scientiæ, quæ scilicet iudicanda est sufficiens arbitrio doctorantium, sed etiam morum: vt probatur in L. magistros. C. de profes. & medi. li. x. iuncta cle. 11. de magi. & ita seruat consuetudo; Vnde sex requiruntur, in promouendo ad dignitatem magisterii. Primo docendi peritia, id est scientia. Secundo docẽdi facundia. Tertio subtilitas interpretandi. Quarto docẽdi copia. Et hæc habẽtur in l. vnica. C. de profes. qui in vr. Const. lib. 12. Quinto excellentia morum: vt in d. l. magistros. Sexto, motus fortitudinis, vt sciat aduersus vim fortitudine resistere, lib. reddatur. C. de profes. & me. li. x. Vnde pauci attingunt dignitatem doctoratus, vt dicit Bar. post Cy. in l. omnes populi ff. de iust. & iur. Et qui tempore approbationis habuit has conditiones, si postea efficiatur inutilis, degradandus est à doctoratu, vt in l. Grammaticos C. de profes. & me. li. x. Reprobari enim potest doctor, vel magister vt in l. 11. C. eo. & no. Bar. in l. sed & reprobari ff. de excu. tu. in princ. vbi tex. dicit medicum posse reprobari, & idem in l. vt gradatim. §. reprobari ff. de mu. & ho. sed non sine causa l. Pomponius scribit ff. de nego. gest.

Propter mores reprobari possunt

Degradandus à doctoratu.

Si igitur doctor ille degradandus est, nõ potest esse capax nominationum; nã de doctis, & legitime promotis loquitur. Id adeo cognoscere licet, ex concordatis Franciæ, & summi Pontificis. Verba pacti sunt. Sed illarum (Ecclesiarum Cathedralium) occurrente huiusmodi vacatione, rex Franciæ pro tempore existens, vnũ graduem magistrum, seu Licentiatum in Theologia, aut in vtroq;, seu in altero iurium Doctorem, aut Licentiatum in vniuersitate famosa, & cum rigore examinis, & in 27. suæ ætatis anno ad minus constitutum, intra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earundem computandos nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem huiusmodi nominata, per nos, & successores nostros, seu sedem prædictam, prouideri.

Pontifex non simpliciter doctores, sed cum rigore examinis postulat.

Quis dubitet Ecclesiam talem in Concil. Trident. petere, qualem describit, in Concordatis Francicis?

Consuetudines prauæ conferẽdi insignia.

§. 17. Ex Rebuffo aũt disco, varios in Francicis, & vicinis Academiis esse promotionum titulos. Quædam n. vniuersitates non concedunt licentiam, cum hac clausula; de rigore examinis. Sed vel cum clausula, de gratia, pro ignaris. Vel de bona iustitia pro mediocriter doctis. Vel de bona, & mera iustitia, pro diuitibus, & ciuibus, vel de bona, & mera iustitia, & bene merito pro doctissimis, vel fauorem habentibus. Quos titulos, nemo non videt perniciem esse omniũ artium, ac scientiarum, dum eodem elogio doctissimus, & diues, doctissimus, & cui fauetur Reipublicæ obtruditur. Si igitur more Chinensi, legibus Europæ doctorculi, & magisteruli titulares, ad incudẽ reuocentur, Academici iureiurando nouo obstringantur, alii Theologi iam spectati examini interesse iubeantur. Doctores iuris plures audient examinandos, facile integritati Academiæ restituentur, sũma est, si indignos promouere pergit Academia, puniatur; & si op⁹ est, dignitatibus excidant pernicioſę gratię auctores. Pertinet ad principem non minus ea cura, quam viarum, & arciũ, & classis restauratio: tanto magis, quãto maiore periculo peccatur. Olim impostores quæstus causa, se promotos esse mentiebantur, & docere aggrediebantur, in eos grauiter à magistratu est animaduersum. Et merito id factum tradit Panormitanus in c. quoniam Extr. de magistris, & cæteri dd. in l. Eos. de fals. Non multo leuius est doctrinam mentiri, quam promotionem; nam promotio signum est doctrinæ, quod illi præferunt falso. Nam & ille impostor est, qui hederam, vacuo dolio suspendit, quique vmbram titulorum, sine corpore doctrinæ, miseris auditoribus ostentat.

Corrigenda temeritas promouendi.

Impostor est qui promotionem mẽtitur, & peior ille, qui titulo promotionis doctrinam.

§. 18. Deniq; nouæ, atq; æmulæ Academiæ, quæ veterum torporem excitent, erigantur. Multæ veteres sunt, & quasi effœtæ, nec iuuentute, nec magistris florentes, dedidicere iam quiete doctorem agere, famę petitores, plausu antiquitatis solitudinem suam consolantur, nec reparant vires, vigoremque pristinum, similes illi, de quo canit Lucanus.

Nouæ Academiæ veteres excitãt.

------ *Stat magni nominis vmbra,*
Qualis frugifero quercus sublimis in agro,
Exuuias veteres populi, sacrataq; gestans
Dona Ducum, nec iam validis radicibus hærens
Pondere fixa suo est, nudosque per æra ramos
Effundens, trunco non frondibus efficit vmbram,
Sed quamuis primo nutet cæsura sub Euro,
Tot circum syluæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur.

Academiæ lubricus status, si non solida virtute firmatur.

Huic in vicinia legitimi interualli, viuidam, & labore exercitam, nouaq; iuuenta nitidam constituat princeps, amator eruditionis, Talem inquam in qua non tantum nomen, & fama Academiæ,

Sed nescia virtus
Stare loco, solusque pudor non vincere miles
Hic nouus hostiles feriet forti impete turmas;
Acer & indomitus, quo mens, quo iura vocassent,
Ferre manum, & nullos studiorum horrere labores.
Successus vrgere suos, instare fauori
Numinis, impellens quicquid præclara petenti,
Inuidia obiecit.

Noua Academia magno conatu adolescentes instruit.

Experire princeps; *stimulos dabit æmula virtus.*

§. 19. Nec tacenda tamen & alia ratio Academias conseruandi, augendiq;. Theologis, & Philosophis de stipendio non iusto modo, & legitimo, sed amplo prospiciatur. Iurisperitis, & Medicis etiam opulẽtius donaticum cõcedatur. Cum enim det Galenus opes, cum magnũ excellentis Medici praxis quæstũ faciat, non põt tenui salario, ad Cathedrã, & quotidianas lectiones alligari. Tantum igitur eius sit honorarium, vt clinicos nec inuisat, nec inuisere cogatur, imo hoc ipsum illi prohibeatur. Satis fuerit si alios doceat, si à cæteris cõsulatur. Iustinianus opes & honores sup peditat, professori itaq; iuris ciuilis, atq; ẽt Canonici, tantũ salarium constituatur, vt nec principis cancellariam ambiat, nec aduocatorum, qui consulentium turbis opprimuntur celeres opes, & incrementa admiretur. Nam vt quingentis aureis assiduos Cathedræ labores ferat, quem lautis stipendiis, magnis

Salaria doctoribus augenda.

Paruo stipendio magnos labores non suscipiunt, qui possunt paruo labore mereri magnum.

honoribus multi principes inuitant, quem aduocatū in maximis causis magnates poscunt, sperari non potest. Magni igitur doctores, magna impensa conducendi sunt; nā vt ille nobilē iuuētutem leges doceat, qui nullam non modo causam obtinuit, sed ne perdere quidem potuit; quia nemo tam simplex est cliēs inuentus, qui stillicidium illi crederet, perinde est, ac si tironibus præfectū cōstituas, qui castra nulla vidit.

Bibliotheca thesaurus publicus.

§. 20. Deniq; Hæc quoq; Reipublicæ sit cura, vt Bibliothecas omnium scientiarum, quam optimas instruat, non ad ornatū modo ciuitatis, sed vsum potius eruditorum. Nam Bibliothecam condere, vt nō est opum priuatarum, ita vel maxime ad publicam magnificentiam pertinet, & quidem magnificentiā omnium vtilissimam. Nobilissima fuit illa Ptolomæi, de qua Philo, Iosephus, Liuius, Seneca, Agellius, quamuis inter Senecam, & Agellium nonnulla sit discrepantia. Seneca de Tranquill. animi c. 9. *Studiorum quoq; quæ liberalissima impensa est, tam diu rationem habebo, quādiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum Dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba, non instruit: multoq; satius est paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadringenta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimam regiæ opulentiæ monumentum; alius laudauerit, sicut Liuius, qui elegantiæ regum, curæq; egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegātia illud, aut cura, sed studiosa luxuria: imo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparauerant: sicut plerisq; ignaris etiam seruilium literarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. Paretur itaq; librorum quantum satis sit, nihil in apparatum.*

Hanc Respublica in vsum non in spectaculum exstruat.

Agellius l. 6. c. vlt. Septingenta millia voluminum fuisse ait. Reprehensionem Sene. nō Probo. Bene respondet ille sibi. *Honestius inquis, in hos impensas, quam in Corinthia picta aspidas tabulas effuderim. Vitiosum est vbiq;, quod nimium est.* Cum ille iterum obiicit: *Quid habes cui minus ignoscas nomen marmore aut ebore captanti, quam opera cōquirenti, aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oscitanti. Cui voluminum suorū frontes maxime placent, titulique? Apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid orationum historiarumq; est, & tecto tenus Exstructa loculamenta, iam enim inter balnearia & thermas bibliotheca quoq; vt necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem plane, si è studiorum nimia cupidine oriretur: nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta, sacrorum opera ingeniorum, in speciem, & cultum parietum cōparantur.*

Bibliotheca studiosum non desidē requirit.

Hoc solum recte dicit: Non esse requirenda opera auctorum improbatorum, & inter tot bonos auctores, non esse negligenda studia: Merito ciuili bello Alexandrina illa Bibliotheca arsit, plena enim fuit, non modo impiorum Philosophorum, sed Magorum etiam superstitiosis libris, vetitarumque artium documentis. At Rempub. in Academiæ, aliorumq; vsum optimorum librorum copiam, comparare vtilissimū est, neq; enim quicquam multorum ingenia magis retardat, quam librorum inopia. Hieron. in Ps. 1. Cæsariensem Bibliothecam mirifice commendat, ab Iulio Africano institutam, à Phamphilo & Eusebio auctam, quam sæpe ipse consuluit quamuis eo tempore paululum collapsa fuerit, sed nominatissima fuit Alexandrina. Athenis Pisistratus tyrannus primus publice legendos proposuit libros, Athenienses deinde bibliothecam adornarunt, sed communi Græcorum clade exusta vrbe Athenarum Xerxes Bibliothecam misit in Persidem, Seleucus cum vice versa Elamitarum rapinæ in Græciam reueherentur, Athenensibus restituit. Aristoteles & ipse, Bibliothecam reliquit Theophrasto: *Theophrastus vero eam tradidit Neleo. Neleus autē Scepsin detulit, inquit Strabo, ac posteris reliquit hominibus imperitis, qui libros inclusos & negligenter positos tenebant. Cum q; Attalicorum regum studium in conquirendis libris, in eam bibliothecam, quæ Pergami erat, perspicerent, in fossa quadam occuluerunt; quos à tineis & humore corruptos, Apelliconi Teio tradiderunt, magno emptos argento, Aristotelicos videlicet, & Theophrasticos. Appellicon autem, quod librorum studiosior esset, quam sapientiæ, volens corrosiones emendare, eos transcribendos dedit, scriptura non recte suppleta, qua propter libros edidit erroribus plenos. Quare antiqui Peripatetici post Theophrastum, cum omnino libris ordinariis carerent, paucis duntaxat exceptis externorum sermonum, nihil habebant, in quo firmiter philosopharentur, sed positiones quasdam lucubrabant. Posteriores vero, postquam hi libri in lucem venere, Aristotelem imitantes, longe melius, quam illi priores philosophati sunt. Nam propter errorum multitudinem, consentanea dicere necesse habuerunt.*

Athen. l. 1. c. 1. Aristæus

Ingeniis est necessaria Bibliotheca.

Athenienſium Bibliotheca.

Aristotelis libri corrupti.

Sed ex veteribus magna laude claruit Theodosius qui studio librorum, Ptolomæum superauit, & prudentia colligendi, nam optimos quosq; sanctorum patrum codices, in bibliotheca reponebat, multa sua manu descripsit, vt auctor est Niceph. l. 14. ca. 3. Templum S. Sophię quod nobilissimum Constantinopolis habuit, decem librorum myriadas in Bibliotheca sua asseruabat. Ante nostra tempora Laurentius Médices Florentinus, per Marcum Musarum Cretēsem, abditas Græciæ Bibliothecas scrutatus est, & nobilē illam Bibliothecam Florentiæ instruxit. Olim Romę viginti nouem publicas librarias officinas fuisse scribit Victor: Nobilissimæ nunc sunt, Vaticana, & Veneta. Augustus vt habet Suet. c. 29. domi construxit, *templum Apollinis in ea parte palatinæ domus excitauit, quam fulmine ictam desiderari à Deo aruspices pronunciarent. Addita porticus cum bibliotheca Latina, Græcaq;, quo loco iam senior sæpe etiam senatum habuit, decuriasq; iudicū recognouit.*

Theodosius magnus etiam sua manu libros scripsit.

Augusti Bibliotheca.

Domitianus quoq; absumptas incēdio Bibliothecas restaurauit, vt tradit idem Tranquillus, vndique n. describi emendata exemplaria curauit. Idem Constantinopoli fecit. Constantinus magnus. Neq; quicquam contra Bibliothecas facit, quod librorū multitudo. ingenium turbare dicatur, multi enim sint in Republica, pro multis, construere oportet. Quisque pro suo ingenio, quos volet, leget. Et opus est multos sane legisse, multos vidisse. *Vtinam*, inquit D. Hieron. Ep. 40. *omnium tractatorum haberem volumina, vt tarditatem ingenii eruditionis diligentia cōpensarem.* Et: *Multa in manu recipio, & à multis multa cognoscam.*

Multos habeat libros Resp. pro multis.

A multis multa discuntur.

§. 18. Optimam igitur Bibliothecam viris studiosis Respublica aperiet, atque vt ne momentanea sit illa beneficentia, leges illas præscribet.

Leges Bibliothecariæ.

1. Sine Bibliothecarii facultate ne intranto.
2. Nemo nisi spectatæ fidei, & probitatis admittitor.
3. Libri omnium facultatum bono ordine collocantor.
4. Libri omnes materiam, & nomen auctoris titulo exterius ostendunto.
5. Alius liber qui catalogum omnium librorum ordine Alphabetico contineat, esto.
6. Illo in catalogo, nomen auctoris, materia libri, magnitudo, color describitor.
7. Nemini, etiam ipsi Bibliothecario, aut consuli, librum efferre, nisi dato Chyrographo, liceto.
8. Si quis aliquem extulerit, post mensem referto.
9. Munditiem Bibliothecæ, & librorum curanto.
10. Bis singulis annis de nouis libris emendis senatum admoneto.
11. Libri vetiti exulanto.
12. Nemo notam libris vel atramento, vel reflexa charta imprimito.

Quod si sumptum Respublica fugiat, aliam legem addat, augendæ Bibliothecæ, & minuendis impensis importunam.

13. Si quis libro Bibliothecam auxerit, bonum factum esto, eius memoriam comiter conseruato.

CAP.

CAPVT XVII.

Enumeratio eorum quæ discenda sunt.

Post longissima studia plurima ignoramus.

§. 1. IMmensa vis & multitudo eorum est, quæ discenda nobis proponuntur, tanta vero nostra imbecillitas, vt vix vnam ex omnibus partem, perfecte teneamus. Quis enim post multorum annorum studia, magna illa de Deo mysteria, de angelis, de animabus cognoscit? Non potest mens illa tam celeris, tam actuosa, tam omnium rerũ curiosa, quid ipsa sit, statuere. De punctis, & lineis, de rerum corporatarũ connexione, & συνεχείᾳ, post tot voluminum millia, ad sepulchrum omnes ignorantiam ferimus. Sed hæc deplorare stultum est, cum futurę vitæ nobis claritas, scientiaq; promittatur; ad superbiã tamen edomandam, sępe nostræ nobis tenebrę sunt inculcandæ.

Ordo scientiarum naturalis, & artificialis.

Duplex scientiarum ordo constituendus est, alter est Methodi: alter naturæ. Methodum fere hanc obseruant. Vt primo Grammatica poëti, eloquentia, historia, iuuentus poliatur, deinde in Logicæ, Physicæ, Matheseos, Methaphysicę, & Philosophię moralis subtilitate exerceatur. Hinc alii ad sacrosanctę Theologię profunditatem, alii ad iuris, & legũ, alii ad Medicæ studia transeunt. Hanc docendi rationem, omnibus pene Academiis probatam, & à paucis, non sine iuuentutis publico damno neglectam, ipse quoque probo, ac firmo. Atq; hic quidem, ex discentium cõmoditate, constitutus ordo est. Alter naturalis est, qui rerum fastigia secutus, scientias nobis ad earum diuisionem partitur, quem si consulamus haud facile apparet, quomodo vnam scientiam appellare, & quibus terminis definire oporteat. Constituunt quidem philosophi, vnam scietiam dici ab vna formali ratione obiecti, sed tamen quæ sit illa formalis ratio vnitatis conciliatrix, necdum liquet. Caietanus vnitatem formalem esse vult, quę sumitur ex esse scibili, nõ autem ex esse speciei. Lumen scilicet, & color, obiectum sunt visus, non ex natura, & essentia, quę diuersę sunt, sed ex eo quod aspectabilia sunt. Verum maiore difficultate rem intricat: Nam si corpus est obiectũ Physicę, secundum esse scibile, quod est vnum illud scibile, quod vnam scientiam efficit? Multa enim sunt corpora, ideoq; multa scibilia, & si vnam scientiam constituunt, quia omnia sciri possunt, etiã spiritus & corpora in vnam iungentur, quia sciri possunt. Et ipsum Ens omnia continens, est scibile.

Vna scientia ab vno obiecto.

Tres abstractiones tria scientiarũ genera plerisque constituunt.

Communis est distinctio scientiarum, per abstractiones ternas, quã omnes pene quos vidi logici venditant. Nam Physica abstrahit à materia singulari, nõ autem à sensibili; species enim corporum, eorumque affectiones, non singularia cõsiderat. Mathesis à singulari, & sensibili materia abstrahit, puncta enim, lineas, superficies, profunditates, abstracte, in se; & non vt sunt in materia considerat. Metaphysica vero à singulari, à sensibili, ab intelligibili materia abstrahit, quia generalissima tantum, vel spiritalia speculatur, quæq; positionem, & situm nullum habeant. Est fateor quod hac in re desidero; nam abstractiones illæ non conueniunt rationali, & morali scientię, quarũ tamẽ insignis est dignitas: deinde si quantitati tribuitur specialis abstractio, potest tribui etiam qualitati, nam & quantitas sensibilis est, & qualitas; & de luce perspectiui tractant, qui se Mathematicos profitentur. Et profecto sine materia illa considerari potest. Deniq; Physica si corpus, & qualitatem, & quantitatem exponit, certe Metaphysicæ pauca relinquentur. Quærenda igitur est scientiarum distinctio, quæ natura constituta est; quęq; sit in obiectis ante, quam illa mens nostra cognouerit. Ego ita censeo.

Vna scientia, vt vnũ obiectum diuiditur.

§. 2. Vnam esse singularum rerum scientiam peculiarem, & vnam omnium generalem. Omnem triangulum habere tres angulos ęquales duobus rectis, cum demonstraui, scientiam teneo, cum plures eiusdem generis propositiones addidici, vnam totalem scientiam consecutus sum, ex similitudine rerũ inter se affinium. Cum vero tota rerum vniuersitas, atque omnium entium systema, in ente cõueniat, pari modo generalissima scientia vna dicetur, quę toti illi respondet. Et quemadmodum Ens latissime sumptũ in suas partes, ita scientia in suas diuidetur. Quẽadmodum enim ens generaliter sumptum est intelligibile, ita facultas intelligendi ad ens, & omnes eius partes extenditur, ad eundem modũ habitus, aut vnus, aut ex multis constans, potentiæ intelligendi habilitatẽ ad firmitatem adferet. Ita olim Plato l. 7. de rep. Proclus l. 1. c. 4. in Euclidem, Ægidius Rom. Proœm. Metaph. q. 22. itaque eius sententiæ, non auctor, sed illustrator est Antonius Minand. l. 3. euerrione singularis certaminis sect. 6 & 7. Qui vero hanc rationẽ oppugnant, non satis animaduertunt, se, cum Physicam vnam scientiam vocant, res plurimas, & diiunctissimas in vnum obiectum cogere, nec posse legem dare aliis, quo minus plura etiam adiiciant. Ipsam Metaphysicam ad omnia rerum genera distrahunt. Verum nunc rerum naturam secuti, scientias diuidamus.

Scientiarũ diuisio sequitur entium diuisiones.

Vnus habitus è multis particulis,

Omnes scientiæ plures habitus in vnum iungunt.

Diuiditur aũt scientia latissime sumpta, in eã quæ agit de ente spirituali, & proprie est Metaphys. speculatiua, eius obiectum primariũ spiritus increatus; secundarium creatus. Eius obiecto propter difficultatẽ adiecta sunt generalia aliarum scientiarum dogmata. Altera est Physica, quæ agit de ente materiali, continetq; multas practicas, & speculatiuas, nomine autẽ entis materialis, intelligimus non tantũ corpora, sed omnia accidentia etiam corporum, & quæcunque habent aliquem ordinem ad corpora, vt anima rationalis, intellectus, & voluntas humana, quia hæc est forma corporis, illæ aũt proprietates istius formæ.

Scientia de spiritu, & corpore.

Physica generaliter.

Physica hoc modo sumpta, diuiditur in Physicam presse sumptam, cuius obiectum est corpus naturalę, quam partẽ Aristoteles suis libris Physicis explicat: & Mathematicam, quæ considerat quantitatem, quam partẽ maxime Euclides, & eius interpretes exponũt.

Physica presse, & Mathesis.

Physica iterum duplex, vel n. agit de corpore simplici, vel corpore misto ex simplicibus: si de simplice. vel de incorruptibili; vel de corruptibili; si de incorruptibili, est cœlestis; si de corruptili, est elementaria; quas partes Arist. libris de cœlis, generatione, & corruptione explicat. Hæc autẽ cœlestis, quæ Physica est, differt ab Astronomia, quæ ad Mathem. spectat. Physica enim quantitatem cœlorum secundum se; eius materiam, & formam, efficientiamque considerat. Astronomia autem proportiones quantitatis, & magnitudines, ex principiis Mathem. Scientiæ de corpore misto obiectum, quicquid præter cœlum, & elementa, in toto vniuerso inuenitur; & primo quidem alia est de mistis imperfectis, alia de perfectis. Imperfecta mista sunt, nix, glacies, nebula, cæteraq; quę explicat Arist. libris Meteorologicis, reliqua autem perfecta, quæ scil. habent perfectam elementorũ temperiẽ, ex quibus componuntur. Imperfecta aũt ita habent vnum elementum prædominãs, vt aliorum vix vires appareat. Mista autẽ perfecta alia sunt animata, alia inanima, de mistis in genere etiam agit Arist. duobus libris de generatione & corruptione, de animatis tribus libris de anima, paruis naturalibus, de generatione animalium. Inanima duas præcipuas partes habet Gemmariam, & Metallicam de quibus pauca Arist. multa Plinius, & Alchimystæ, & Cardanus libris de varietate rerũ, & de subtilitate.

De corpore simplice, misto.

Mista perfecta, imperfecta.

Scientia q̃ est de animatis, vel de sensibilibus, vel expertib⁹ sensus habetur, hæc posterior triplex arborarea, fruticaria, herbaria; nã radicaria, quam alii addunt omnibus his cõmunis est. De his primo Arist. de plãtis, Dioscorides, Theophr. & eius interpres Iulius Scaliger, sensilium autẽ triplex est species, quas tum Aristo-

Aristoteles, tum Gesnerus tractat diligens imprimis naturarum inuestigator.

Cum homo autem sit quasi paruus mundus, de eo plures sunt scientiæ, quasi species Anthropologiæ.

Medicina. Nam si corpus spectemus, vel consideratur eius natura, & partes: & est species scientiæ de anima: de hac autem acuratissime agit Vesalius: vel considerat corp⁹ vt sanabile est, & est subalternata priori, Medicinę scil. quam diuidunt in actiuam, & contemplatricem, quã iterum diuidunt in physiologiam, quæ rerũ naturas inquirit, vt earum viribus, ad sanitatem vtatur; quam partem iterum diuidunt in physiologiam elementorũ, humorum complexionũ, potentiarum, membrorum, & in ætiologiam, quæ inuestigat causas omniũ morborum, & symptomatum & tertio semiomãticen, quę è signis coniicit: vel pręterita, vel pręsentia, vel futura de his omnibus tractatũ est ab Hippocrate Coo, & eius interprete Galeno, ac deinde ab Auincenna, aliisque. Scientia aũt quæ tractat de animo hominis, dici potest Noëtice, estq; triplex: primo quæ animi actiones, vt tales sunt, explicat, hæc vocari solet Animastice à latinis; huius duæ sunt quasi subalternatæ: prima quæ dirigit operationes intellectus ad verum, Logica scilicet, vel voluntatis ad bonum, seu honestatẽ, estq; philosophia moralis, quę iterum duplex, princeps, & ministra; hæc dicitur oratoria, diuiditurq; in Dialecticen, Rhetoricen, & Poëticen. Illæ n. scientię sunt inuentæ vt voluntatẽ incitent ad honestum. Princeps vocatur Ethica, seu proprie moralis, cuius obiectum sunt actiones humanę, vt bonę, vel malæ: admodum varie hanc diuidunt, de quibus suo proprio loco: tractauit hanc Aristoteles in libris Nicomachiis, Magnis moralib⁹, Politicis. Huc referri potest Iurisprudentia, cuius altera pars est positiua,

Iurisprudẽtia. altera epidictica, seu demonstratiua. Cuius variæ partes sunt. Scientia quæ tractat de quantitate; alia de continua agit; alia de discreta; quæ de continua vno

Scientiæ de quantitate. nomine generaliter appellatur Geometria, diuiditur hæc dupliciter, alia n. agit de lineis, & superficiebus, & nomen proprium non habet, sed generale sibi vendicat, & vocatur Geometria: alia agit de corpore solido, diciturq; Stereometria quasi mensura solidorum.

Adhuc aliter Geometriam diuidunt, in eã quæ de quantitate, vt per se existit, disputat: & continet has iã dictas, & in eam quæ quantitatem tractat, vt est coniuncta cum materia, sensibus obnoxia, & à parte sua primaria, vocatur Astronomia: alii vocãt Mathematicam impuram, quia non agit de quantitate solitarie considerata. Hæc rursum diuiditur in Astrologiã, Geodæsiam, perspectiuam, & Mechanicam.

Astrologia est quæ disserit de motibus mundanis, magnitudine, figura, illuminatione, & distantia cœlestiũ corporũ: eius partes sunt tres; Gnomonica; quæ positu gnomonis seu styli tempus metitur. Secundo Metæoroscopica, quæ eleuationum differentias, cæteraq; theoremata speculatur, tertio dioptrica, planetarum distantias, & cæterarum stellarum instrumentis dioptricis indagat. Respectiua, illa est, quæ radiis visoriis, linearum instar vtitur, & angulis ex his lineis constitutis: Hæc iterum triplex est, primo perspectiua proprie dicta, quæ causas reddit earum apparentiarum, quæ aliter quam sunt, nobis esse videntur; vel propter distantias, vel situm, vel medium. Secunda specularia quæ versatur circa varias refractiones. Tertia, Sciographice quæ scilicet est vmbrarum designatrix, & rationem reddit variarum apparentiarum ex vmbris. Geodæsia est scientia quæ res varias vt agros, aceruos, puteos, turres visibilibus lineis metitur; hæc si de terra vniuersa & mari agat vocari solet Geographia: si de vna aliqua regione, Chorographia: si de vno aliquo loco, Topographia. Mechanica varias artes complectitur, & idcirco fere eandem cũ ar-

Mechanice.

te definitionem habet, licet proprie Mechanicæ non sint illæ, quę nullum post se opus relinquant, vt ars saltandi: huius aũt partes sunt Architectonica, quę est omnium ędificiorum, Organapoëtice, variarum machinarum, & instrumentorum, concinnatrix. Tertia Thaumapoëtice, quę spiritibus, ponderibus, neruis, ignibus mira quædã efficit, huc referunt magiã quam vocant naturalem, quæ nullis pręstigiis magicis vtitur, propter reconditam tamen cognitionem rerum, effectus tales edit, qui videantur naturaliter fieri non posse, sed ope dæmonum. Vt cum Archimedes solus nauem trahit. Circa quantitatem discretam versatur Arithmetica, aliam vocant speculatiuam, aliam practicam, hinc subalternata est Musica, quam itidem in speculatiuam, & practicam diuidunt. Vtraq; tam practica, quam speculatiua diuiditur in Melicam, Harmonicam, Rythmum. Melica continet pedes oratorios, & poëticos; itaq; quoad hanc partem poëtis, & Rhetoricę subalternabantur Musicę. Harmonica est ratio sonorum acuti, & grauis, quorũ proportione omnes cantiones perficiuntur. Rythmus est artificiosus corporis motus, secundum harmoniã. Ex harmonia autem, & Rythmo constituitur chorea. De ente increato, Deo Optimo Maximo, S. Angelis multa scire nobis datum est, de Deo pręsertim, qui vtcunq; ex creaturis cognosci potest.

Scientiæ quas nominaui multas sub se partes habent, & in singulis partibus difficultates, quas solum illi, qui diutissime, & diligentissime eis operam nauarunt esse nouerunt, nunquam penitus penetrarunt. Hęc omnia in republica docenda veniunt, & in horũ vna parte excellere pręclarum est. Verum mihi pro Republica agenti propositũ est methodum sequi & modum tradendi ipsas scięti̇as vulgarem. Pluribus n. obstat discendi conturbatio, ne ad sapientiã veniant, quam ingenii imbecillitas, aut proficiendi voluntas.

CAPVT XVIII.

Grammaticæ institutiones quomodo docendæ.

§. 1. GRammaticam omnium artium fundamentum dixerunt: sed fundamẽtum est postquã tentata turris cœlo erigenda, linguas hominũ in Babylone confudit ingentem machinam illi, nullo vsu, sed superba vanitate moliebantur, vt posteris admirationem facerent; ambitionem illam hodieq; lusimus, vt teneros literis, & syllabis annos impẽdamus; multos annos signa rerum discimus, & pene senescimus, antequã loqui sciamus. Felix illa hominum soboles, quæ in peregrina verba linguam non torquebat, quę sine labore, cum lacte, maternum sermonẽ bibebat. Nuncconiugationum & declinationum tricæ, varietatesq; & ternę, quaternęque linguæ, pessima, sed necessaria cura nos detinent. Sed quia iugum hoc omnibus nobis impositum est, vt leniter feramus; & prudentia leuius reddamus, conandum est.

Grammatica ante turrim Babylonicam non necessaria.

Laboriosa linguarum est diuersitas.

§. 2. Primo quidem à paruis incipiendum, quia enim omnia simul capi non possunt, particulatim, omnia sunt teneris animis instillanda. Fascem illum colligatum imbecilla manus frangere nón potest, idcirco singula virgulta comminuenda sunt. Pauca igitur, & varia, primæ proponantur ætati. Sit Schola, in qua rudimenta, & initia quædã, seu generalia quædam Syntaxeos, & orationis concinnandæ præcepta tradantur.

Sensim tradenda pueris loquendi præcepta.

Societatis nostræ ordo ita habet; vt in Schola infima perfectã rudimentorũ, inchoatam Syntaxeos cognitionem magister tradat. Quinq; horis in singulos dies hæc docentur. Nam ostendere hæc animus est, multis aliis valitura, præsertim cum eo modo adolescentulos, & pueros pene humaniorum literarum Cyclopædian, absoluere animaduertam.

Societas Iesu cito adolescentes è Grammatica educit.

Duæ

Schola infima.

Duæ horæ ante meridiem, totidemque à prandio exercentur. Libri sunt; rudimenta, Cicero, lectio Græca, Catechismus, introductio Syntaxeos. Hæc varietas ita in suis temporibus ordinatur.

Ad laborem excitanda ætas tenera.

Prima hora pensa lectionum quas domi mandasse memoriæ oportuit, exiguntur, ac recitantur. Nihil enim vtilitatis adfert labor magistri, nisi adolescentulorum memoria excolatur perpetuo exercitio, quem laborem discendi quo magis fugit improuida ætas, eo magis enitendum fideli magistro, ne situ, & squalore, vegetas puerorum memoriolas, obduci patiatur.

Scriptiones emendantur.

Tullii autem faciliores Epistolæ ediscuntur, vt ex ipso fonte, latinam linguam hauriant, atq; inter primordia, numeris Ciceronianis assuescant.

Eadem hora thema quod vernacula lingua traditum pridie fuit, magistro offertur, & corrigitur; si non omnium, at plurimorum, tum publice, tum priuatim vt in aliena scriptione sua, vel errata, vel κατορθώματα recognoscant.

Huius exercitationis tanta est vtilitas, vt pene sola doctos possit efficere: mutua enim æmulatione, in alienis erroribus acuti, suos facilius vitant. Præsertim cum omnia publice, & in luce geri, conspiciant.

Expositio Ciceronis.

Altera hora Ciceronis expositionem habet, postquam repetita est pridiana lectio. Exponuntur vero non nisi quatuor versus, ne multitudine obturbentur, quos primo vel magister legit, vel legi curat, vt verborum perfectam pronunciationem, quantitatemque syllabarum illo vsu addiscant. Deinde argumentum vernacula lingua exponitur. Secúdo periodum ad verbum interpretatur. *Tertio à capite recurrens structuram indicet, & periodum retexens, quæ verba, quos casus regant, ostendat, pleraque ad explicandas Grammaticæ leges perpendat, latinæ linguæ obseruationem vnam aut alteram, sed quam facillimam afferat; metaphoras exemplis rerum notissimarum demonstret, nec quicquam, nisi forte argumentum, dictet.*

Facili argumento exercendi.

Dictandum argumentum scribendi, vulgi sermone ad verbum, perspicuum, nec fere versibus quaternis longius, quod ad præcepta Grammaticæ potissimum referatur; eiq; interdum discipuli aliquam Ciceronis breuem versionem, aut locutionẽ ex præscripto Syntaxis, aut ea ipsa, quæ sunt ex Græcis rudimẽtis ediscenda, aut alia id genus subscribere iubeantur.

Vltima semihora ex declinationibus, aliisque exercitationibus, pars aliqua explicatur, aut disputatione concertatur, ad quam omnes paratos esse oportet.

§. 3. Fructus igitur est, primus memoriæ exercitatio, & linguæ expolitio: alter, thematis emendatio, quæ omnia ad Grãmaticę præcepta expendit; si quid in vllã legem commissum est; si orthographiæ, si interpunctionis error, totum lima tollit. Quod tanti esse Cicero iam Romæ celebratus, & inter primarios oratores numeratus existimauit, vt in Græciam, Athãque proficisceretur, & Moloni se præsertim applicaret, de quo in Bruto gloriatur: *Assiduissime, inquit, mecum fuit Dionysius Magnes, erat etiam Aeschylus Gnidius, Adramitenus Xenocles, hi tum in Asia Rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, meque ad eundem, quem Romæ audieueram, Molonem applicaui, cum actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in notandis animaduertendisque vitiis, & instituendo, docendoque prudentissimum. Is dedit operam, (si modo id consequi potuit) vt nimis redundantes nos, & superfluentes, iuuenili quadam dicendi impunitate, & licentia reprimeret, & quasi extra ripas diffluentes coerceret. Ita recipi me biennio post, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam & contentio nimia vocis reciderat, & quasi refrixerat oratio, lateribusque vires, & corporis mediocris habitus accesserat.*

Molon Cicerони gratus quia vitiorum acerrimus erat animaduersor.

Iactura magna negligitur errores scribentium.

Hoc ideo moneo, quia tædiosissimũ est labor aliena corrigendi, & eum cui hoc beneficium impenditur, sæpe cõtristat; ideoq; à magistris, qui sui iuris sunt suisque auspiciis, & iudicio docent, ingenti iactura negligitur, neq; quicquã miserabilius, quam adolescentes nobiles defectu monitoris, verborum, gestuum, morum quasdam molestias, & ineptias, quas vno verbo doctor tollere poterat, tota vita retinere.

Magnum quoque emolumentum adfert auditio lectionis latino vernaculæ, eiusdem repetitio, & thematis scriptio, regularum Grammatices exercitatio.

§. 4. Hæc diuersitas ingeniis grauis non est. Ingenioſi per lusum, mediocres facile, tardi mediocri labore quatuor versus addiscunt, quos pridie in scholis explicari audierunt: thema etiam breue est, & ex lectionibus præsidia ad illud concinnandum dantur.

Errores magni in docẽda tenera ætate.

Duobus modis hoc in ordine, iam olim à puerorũ institutoribus peccatũ est. Quidam enim nulla Ciceronis, nulla Syntaxeos, aut libri mentione facta, rudimenta, declinationes, genera inculcant; & rebus inamœnis assidue repetitis, nullo vsu tanti laboris ostenso premunt ingenia, cruciantque, & quod grauissimum est, sine emolumento; tres quatuorue interdum annos miseros atterunt, nec eo deducunt, vt tria verba recte fari discant. Hinc olim antequam societatis industria scholas explicaret, grandæuos, & barbatos adolescentes in epistolio concinnando sudare Pallas indignabatur. Alter error etiam grauior fuit, puerilibus enim rudimentis, lectiones grauiores quas illi non caperent, admiscebant. Ideo nec examinari, nec instituti poterant. Sunt, qui rudimenta, Syntaxin, Poëticen, Rhetoricen, Dialecticẽ eosdem docent. Memini me in secunda Grammatices, discipulum bono ingenio, & grandi natu habuisse, qui cum in scriptione alternis quoq; versibus impingeret, nõ modo Poëtices, & Rhetorices, sed Logices etiam definitiones, & præcepta promptissime recensebat. Admiratus tentare cœpi, an aliquid eorum intelligeret; verum ita respondebat, vt ostenderet; se cum genus, aut speciem definiret, ne suspicari quidem, quibus de rebus loqueretur.

Maiora nõ sunt docenda, quam pro ætate.

§. 5. Dixi de horis antemeridianis; post meridiem prima est memoriæ exercitatio recitanda Grammatica, tam latina, quam Græca. Scripta deinde emendantur, deinde Grammatica exponitur, exemplisque declaratur.

Disputationes æmulatio accendit.

Secunda hora introductio Syntaxeos, hoc est generales regulæ explicantur. Græcis vero quarta pars horæ tribuitur. Vltima media, paruulus exercitus cõmittitur, & voce deprœliatur, confessus prærogatiua, titulorum decore, præmiolorum inuitamentis dedecoris metu ad victoriæ cupiditatem incenditur.

Multis videri solet importuna linguæ Græcæ in exordiis mentio, verum experientia docuit, si paucissima proponantur, facili negocio sensim instillari; postquam vero iam in latina lingua iustos profectus fecerunt, difficilime ad elementa Græca posse reduci. Verum de lingua Græca alio dicam loco.

Hunc cursum puer ingenioſus, diligens, & iam aliquo iudicio præditus medio anno facile peragere potest. Quia tamen plerique infirma sunt ætatula, nec magni laboris capaces, domi etiam indulgetur, ne pensa sua reddant, fere annuum tempus impenditur.

Media Grãmatices. Ingenioſus & diligens vno anno vtriusque scholæ necessaria addiscere potest.

§. 6 Hinc igitur ad mediam Grammatices Scholam fit gradus, in qua requiritur totius Grammaticę, sed imperfecta tamen Syntaxeos cognitio. Generalibus enim regulis quam in Schola didicerunt faciliores appendices duntaxat adiunguntur. Ex Græcis nomina, & verba contracta, & in μι, facilioresque formationes, etiam Catechismus Græcus, aut tabula Cebetis. Auctores proponuntur epistolæ familiares Ciceronis, facilima Ouidii carmina, de Tristibus, de Ponto.

Ex-

Auctor difficilior, & exponendi ratio doctior proponitur.

Exponendi eadem ratio, & memoriæ exercitatio, quæ supra ostensa. Sed ex parte tamen diuersa. Nam primo plura in Cicerone exponuntur, & difficiliora, quæ enim facilia sunt, iam ante intellexerunt. Deinde, doctius explicantur, constructio orationis, & exercitia Syntaxeos præcipue inculcantur. Tertio, verborum elegantiæ, exquisitioresque phrases traduntur. Quarto, Poëta facilis exponitur, non vt iam versus pangere aggrediantur, sed vt ad difficiliora intelligenda paulatim insuescant, & numeros hauriant, quorum tamen rationem nondum percipiunt. Oritur hinc, & alia vtilitas, vt scilicet non modo numerosæ orationis suauitate capiantur, sed traiectiones etiam verborum, quas carminis necessitas maximas efficit, annotent.

Teneri non vrgendi ad versus.

Erratum igitur ab illis magistris, qui olim sero, & non nisi cum Rhetoricis præceptionibus, poëtam prælegebant. Multo vero perniciosius, ab aliis, qui præpropera festinatione docendi, in his principiis, rationem carminis explicabant. Mirabiliter enim ingeniola non tantum multitudine, sed confusione etiam turbabant. Nondum loqui didicerunt, & canere eos iubes? summus eorum labor est verba, & nomina orationi concinne sine barbarismis, & solœcismis intexere, non igitur doceri iam debent, ea dissimulare, quo carminis ratio constet. Ego perinde præmaturos illos poëtas facere arbitror, quod nutrices ineptæ, quæ infantes adhuc inter circulos, & adminicula titubante gressu vix ambulantes, saltare docent. Prompte, copiose, sine metu errandi loquantur, deinde musarum pulsent fores. Ridicula res, tardus, aut claudus saltator, sine agilitate enim, & vrbanitate, harmonicus ille motus corporum, ridiculæ sunt ineptiæ.

Prima schola Grammatices.

§. 7. Summa Grammatices Scholæ est, in qua cætera quæ ad hanc artem pertinent, perfecte explicantur; nempe omnia difficiliora Syntaxeos præcepta, figuratæ constructiones, omnia de arte metrica præcepta. Omnia Græca rudimenta.

Vtilis gradatio cum aptepriori-bus sequentia superstruuntur.

Rectissimus ille ordo est, facilimas construendæ orationis leges in infirma, faciles in media, difficiles in suprema addiscunt, atque vsu illis venit, quod architectis qui gradus exstruunt, semper enim cum superiores superstruunt, inferioribus innituntur.

Quod ad lectiones attinet, ex Oratoribus quidem explicari potuerunt primo semestri grauissimæ quæque Ciceronis ad Familiares, ad Atticum, ad Quintum Fratrem Epistolæ; altero vero Liber de Amicitia, de Senectute, Paradoxa, & alia huiusmodi: ex poetis vero primo semestri selectæ aliquæ, ac purgatæ Ouidii tum Elegiæ, tum Epistolæ; altero quædam item selecta, & purgata ex Catullo, Tibullo, Propertio, & Virgilii Ecclogis; vel etiam libri eiusdem Virgilii faciliores, vt Quartus Georgicorum, quintus & septimus Aeneidos. Ex Græcis S. Chrysostomus, Aesopus, Agapetus, & horum similes.

Experimẽta hanc methodum probarunt.

§. 8. Temporis distributio, cæteræque exercitationes analogiam habent cum illis quæ dicta sunt. Omnia tamen eruditius exponenda sunt, elegantiæque ratio summa ducenda est. Inchoanda etiam poësis, primo quidem datis soluto ordine versibus, quos tirones reponant, deinde mutatis nonnullis verbis, ad extremium dictato themate, quod suo marte pedibus ipsi vinciant, & numeris includant. Hic ordo si constanter, & accommodate seruetur, celeri labore, ingentem fructum parit. Innumeros vidi pueros, qui hac methodo instituti, cum anno ætatis nono infimâ ingressi essent, vertente duodecimo, pure, & latine loquebantur, scribebant, etiam versus faciles pangebant, auctores latinos explicabant, & si experimentum quæritur, centurias talium nostra Gymnasia exhibebant. Hanc docendi rationem, ex variis auctoribus probare mihi promptum esset. Sed ad experientiam dictorum, certissimam testem appello. Vtinam in oppidis hinc inde eandem rationem magistri tenerent; aut vt possent, magistratus adlaboraret. Sed crebro stipendiorum tenuitate, alio distrahuntur, dum causarum actores, & scribæ esse simul coguntur. Deinde tantus est labor non docendi modo, sed ad clepsydram docendi, & statas vices mutandi, vt nemo facile onus hoc constanter, nisi qui Deo vitam deuouit, suscipere dignetur.

Cum doctorum sententia conuenit.

Caput XIX.

De Poesi.

Eloquentia Poesin, Rhetoricen, Dialecticen amplectitur.

§. 1. Tironem nostrum iam ad eloquentiæ studia, ad oratorem deducimus, non vt ad causas priuatas, aut publicas accedat, sed vt discat, quæ postea cum rerum vsus exiget, opportune promat. Eloquẽtia duplex est: Copiosa, & dilatata, quæ fluminis instar inundat, quam proprie vocant eloquentiam; & contracta seu adstricta, vt eam Cicero libro de claris oratoribus appellat, quæ est Dialectica. Rursum vtraque, sed maxime vberior illa palmæ, nõ pugno similis, diuiditur in solutã, & numeris astrictã, seu metricã: dico maxime, nam & dialectices præcepta metris comprehendi possunt, quin etiam quædã carmina acuta, breuia, concisissima argutia dialecticen imitantur. Exemplis plena sunt sacra Dauidis, & Iobi carmina, & si epigrammata consulimus, non nulla latina. Hæc si more vulgi perpendas, in tres facultates diuides, quarum perfectionem pauci consequuti sunt: si naturam eloquentiæ spectabis, vnum finem intelliges, docere, mouere, persuadere dictione, siue illa verborũ flumine animos impellat, trahatue, siue acuta breuitate se penetret, & sine tumultu peragat munus oratoris. Equidem mirari soleo illos qui verborum, & sententiarum ornatu, & maiestate eloquentiam metiuntur, eloquens est quisquis accommodate dicit ad persuasionem: siue ille Tulliano eloquio verba moderetur, siue Chrysippea subtilitate, animos inuadat; Docet hoc non modo experientia, sed diuinæ etiam literæ. Experientia; nam breuis admonitio, clara sententia, opportunum axioma, sæpe longis orationibus potentiora sunt. Sacræ literæ; quia videmus orationes breuissimas, maximas habuisse vires. L. 2. Reg. c. 14. v. 5. *Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusq; erat, qui eos prohibere posset: & percussit, alter alterum, & interfecit illum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersum ancillam tuam, dicit; Trade eum qui percussit fratrẽ suum, vt occidamus eũ pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non superfit viro meo nomen, & reliquiæ super terram. Et ait rex ad mulierem, Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te. Dixitq; mulier Theucitis ad Regem. In me Domine mi rex sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem & thronus eius sit innocens. Et ait rex, Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet vt tangat te. Quæ ait, Recordetur Rex Domini Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait, viuit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. Dixit ergo mulier, Loquatur ancilla tua ad Dominum meum Regem verbum.*

Non est tãtum eloquẽtia, quæ copiosa est, sed etiam breuis, & quæcunque est accommodata oratio.

Hæc oratio quæ vix apud Ciceronem exordium conficit, persuasit.

Et ait; Loquere; Dixitque mulier. Quare cogitasti huiusmodi rem contra populum Dei, & locutus est Rex verbum istud, vt peccet, & non reducat eiectum suum? Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitans ne penitus pereat, qui abiectus est. Nunc igitur veni; vt loquar ad Dominum regem meum verbum hoc præsente populo. Et dixit ancilla tua, Loquar ad Regem, si quo modo faciat Rex verbum ancillæ suæ. Et audiuit Rex vt liberaret ancillam suam de manu omnium

qui

qui volebant de hæreditate Domini delere me, & filium meum simul. Dicat ergo ancilla tua, vt fiat verbum Domini mei Regis sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Domini, sic est Dominus meus rex vt nec benedictione, nec maledictione moueatur: vnde & Dominus Deus tuus est tecum.

Palæstinæ eloquentiæ paradigma.

Sic ille apud regem coram populo perorat: & eloquenter, nam reuera obtinet id, quod petiit. Et Abigail lib. 1. Reg. c. 25. 24. *In me sit Domine mi hæc iniquitas: loquatur obsecro ancilla tua in auribus tuis: & audi verba famulæ tuæ. Ne ponat oro Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomẽ suũ stultus est, & stultitia est cum eo: ego aũt ancilla tua non vidi pueros tuos Domine mi, quos misisti. Nunc ergo Domine mi, viuit Dominus, & viuit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo: & da pueris, qui sequuntur te Dominum meum. Auser iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi Domino meo domum fidelem, quia prælia Domini Domine mi tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexit aliquando homo persequens te, & quærens animã tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuentiũ, apud Dominum Deum tuũ: porro inimicorum tuorũ anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ. Cum ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium aut ipse te vltus fueris, & cum benefecerit Dominus Domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.*

Hæc diuersam omnino eloquentiam ostendunt moribus, & ingenio hominum accommodatam. Quod idcirco moneo, ne sola verborum volubilitate, & elegantia de re tanta iudicemus. De hisce igitur nunc dicendum est, & primo, de eloquentia numeris astricta, seu poësi. Omnibus enim propositum est docere, & persuadere, id fit bene dicendo. Bene dicit, qui iudicum, vel auditorum iudicio, bene dicit. Nam si te illi respuerint, si illi te falso, vane, incompte dicere arbitrentur, nequicquam bene dixeris. De poësi hæc præcipue dicere habeo. Primo vtilem esse Reipublicæ; Deinde, quæ sit ad eam methodus, quæque ratio. Denique quam sit varia.

Frustra bene dicit, qui non persuadet.

§. 2. Vtilem in Republica poësin esse facile, & multis rebus ostendo. Principio ex eius laudatissima antiquitate, quæ semper in bene constitutis ciuitatibus, regnisque claruit.

Quod si antiquissimam memoriam repetamus, excelluisse non modo apud Iudæos, sed etiam apud vicinas gentes poësin, & principum opus fuisse intelligemus. Quanquam vero veterum nobis poëtis ignota sit, fuisse tamen poësin ignorare non possumus, & quilibet forte hymnos haud difficulter numerosos esse intelliget, si varias carminũ species percurrere, & earum mistiones volet. Scaliger in Hyle, seu lib. 2. poët. ca. 6. Vazia versuum genera enumerat; Catalectos, Acatalectos, Brachycatalectos, Hypercatalectos, puros, impuros. In horum quibusdam, vt in Melicis, Dithyrambicis, Hyporchematibus Scoliis Pæanibus, hoc solum agunt, vt strophi, & antistrophi respondeant, idque diuersis interuallis. Partes versuum, & integris aliis atque aliis connectuntur. Et ille quidem eo peruenit, vt in vno pede, aut syllaba versum, aut gradum versus agnoscat. Cum igitur tot sint genera Pyrrhichicorum, Iambicorũ, Dactylicorum, Trochaicorum, Spondaicorum, Anapæstorum, Ionicorum, Æolicorum, Pæonicorum, tot pedum in vno mistiones, tot carminum vel recurrentium, vel non recurrentium compositiones, non erit arduum ad ista genera Hebræorum pleraq; reuocare. Aut sane multa Græcorum talia intelliges, quæ si solutæ orationis forma scribantur vix carmina esse ex numeris credes. Exempla dabo. Bacchylides apud Athen. in dipnosop. l. 2.

Antiquitas poëseos.

Varia versuum genera.

Multi versus ex granditate loquendi ma-gis, quam ex numeris intelliguntur.

Ἐλπὶς δ' αἰθύσσει φρένας
ἀνα-μιγνύμεναι διονυσί οισι δώροις
ἀνδράσι δ' ὑψοῦ
πέμπει μερίμνας
αὐτὸς μὴ πόλεων
κρήδεμνον λύει,
πᾶσι δ' ἀνθρώποις
μοναρχήσειν δοκεῖ·
χρυσῷ δ' ἐλεφανλί τε
μαρμαίροισιν οἶκοι,
πυροφόροι τε καὶ αἰγλήεντα
νῆες ἄγωσιν ἀπ' Αἰγύπτου
μέγιστον πλῆτον,
ὡς πίνονλι ὁρμαίνει κέαρ.
& spes concutit mentem
cum immiscetur Bacchicis donis:
hominibusque altissime proiicit curas.
Ipse vrbium
mœnia expugnat,
omniumque hominum se
Monarcham fore putat:
quin etiam auro & ebore renident ædes,
& tritico onustæ naues splendidas,
ab Aegypto deuehunt diuitias
amplissimas, vt bibentis
cor imaginatur.

Horum carminum legendo vix quisquam percipiet.

Quis porro carmina suspicetur, vbi omnes syllabæ breues sunt, vt in illis Pratinæ.

Τίς ὁ θόρυβος ὅδε,
τίνα τάδε τὰ χορόμαλα; τίς ὕβρις ἔμαλεν
ὅτι διονυσιάδα,
πολυπλαγαθυμέλαν;
ἐμὸς, ἐμὸς ὁ βρόμιος
Quis tumultus ille?
Quæ Choreæ, quæ insolentia
Inuasit Dionysiada
habentem aram multis frequentem?
Meus meus Bromius.

Notius est Aristotelis Scholion, cui tamen Hebræa non pauca respondent.

Ἀρεῖα πολύμοχθε
γένεα βροτείων,
θήραμα κάλλιστον βίου
τά σὲ πάρθενε μορφᾶς
ἐς ἁνεῖν ζηλωτὸς Ἑλλάδι πότμος
ἐς πόνοις τλῶσαι μαλεροῖς
ἀκάματάς. τοῖον
ὅτι φρένα βάλλεις
κάρπον τ' ἀθανάτου
χρυσέας τε κρέασιν ἐν γονέων
μαλακαυχήτοιο δ' ὕπνου
ζεῦ σ' ἕνεκεν ὁ Διὸς Ἡρακλῆς
λήδας τε κοῦροι πολλ' ἀνέλασεν,
ἔργοις σὺν ἀγορδύονλες λιώαμιν
ζοῖς δὲ πόθοις Ἀχιλλεὺς
Αἴας τε ἀίδαο δόμοις ἦλθον
ζᾶς σ' ἕνεκεν φιλίᾳ μορφᾶς
ἐν Ἀλαρνέος ἔντροφος
ἠελίᾳ χήρωσεν αὐγᾶς.
τοὶ γὰ ἀσίδιμον ἔργοις
ἀθάναλόν τέ μιν αὐξήζουσι μέζαι
μνημοζιώς θυγάλερες.

διὸς ξενίᾳ ζέβας αὔξουσαι
φιλίας τε γέρας βεβαίᾳς.

Virtus, multum laboriosa generi humano, venatio pulcherrima vitæ: mortem oppetere pro tua facie, virgo, optabilis Græciæ est mors, laboresque tolerare feruidos, indomitos. Talem menti immitis fructum immortalem auro præstantiorem & parietibus & somno. Tui gratia Hercules Iouis filius Lædæque filii multa perpessi sunt, operibus tuam venantes potentiam. Tui desiderio Achilles quoque & Aiax Orci domos adierunt. Quin etiam tua amabilis faciei causa Atarnei alumnus solis orbatus est lumine. Itaq; celeberrimus operibus, immortalemque eum promouebunt Musæ Mnemosynes filiæ, Iouis hospitalis venerationem augentes amicitiæque honorarium firmæ.

Vide pleraque illius quem sine casu nemo est æmulatus, hoc est Pindari, in quo nisi singula diuidas, verba etiam seces, & vnam priori, alteram alteri carmini attribuas, næ tu mihi difficulter carmen ostendes, poesin tamen ex diuiniore loquendi modo coniicimus. Ecce sic tibi legendum propono.

Ὁ πλοῦτ@ ἐυρυσθενὴς, ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθορᾷ βροτήσι@ ἀνὴρ, πόλυμ@ θραλόντ@ αὐτὸν ἀνάγη πολύφιλον ἐπέπαν, ὦ θέμοις Ἀρκεσίλα. σύ τοίνιν κλυτᾶς πάρ@ ἄκραν βαθμίδων ἀπὸ, σὺν εὐδοξίᾳ μεταναίσεαι, ἕκαπ χρυσαρμάτᾳ κάστορ@. εὐδιαν ὃς μὴ χειμέριον ὄμβρον τιᾶν καλαὐσ-σει μάκαιραν ἑσπάν.

Diuitiæ late potentes sunt, quum aliquis virtute temperatas pura mortalis vir, fortuna tradente, ipsas auget, quæ sunt comites multos amicos conciliantes, ô sortem diuinitus adepte Arcesila, tu vtique eas à summis gradibus inclyti aui tui, cum gloria exerces in gratiam Castoris, qui aureo curru vehitur, qui hybernum post imbrem tranquillitatem in domum tuam beatam coruscat.

Hæc omnia in Eurypidis, Æschyli, & aliorũ choris notabis. Ex his igitur colligemus non ideo in Hebræis non apparere poësin, quia non sit, sed quia rationem eius non tenemus. Ego sane in multis versus agnosco. Gen. 49. oraculum datum ab Israele duodecim Patriarchis carmine compositum est.

Carmina Hebræorũ.

ראובן בכרי --- אתה בחי
וראשית אוני --- יתר שאת
ויתר עז

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio, in Hebræo ita sunt.

Ruben bchori, attha cochi
Ve zheschith oni,
Lether scheeth, veiether ghaz.

Cætera aliqua variatione possunt tamen numeris astricta esse, cognosci. Etiam carmine, antiquitas victo Seone Amorrhæo epinicion cecinit, initium ponitur Num. 21. 27.

באו חשבון תבנה
ותכונן עיר סיחון

Venite in Hesebon, ædificetur,
Et constituatur ciuitas Sehon.

Hebræa hac forma sunt

Bou Chesbon Thibane
Veticonen ghir Sichen

Forma est carminis Anacreontici, seu dimetri catalectici, nisi quod pro iambis sint spondæi, nam syllabæ breues, raræ sunt apud Hebræos. Canticum Moses Exod. 15. iisdem versuum mistionibus constat, vbi tamen & brachycatalecti interponuntur. nec multum abit Canticum Moses Deut. 32. quamuis plurimos brachycatalectos interserit. At cap. 33. benedictionem à carmine incipit, versu 2. *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia, & in dextera eius lignea lex.*

Quæ verba in Hebræo hanc nobis Harmoniam reddunt.

Iehoua Misinai Catalectus versus
Ba, vezarach meseheghir Catalectus
Lamo, hophigh meher Pharan Acatalectus
Veatha mirceboth codesch Catalectus
Mimino esch dath lamo, &c. Acatalectus.

Ad eum plane modum Iudicum 5. cecinit Debora & Barac. Sed poësin Hebræorum maxime exornauit eorum Orpheus, & Homerus, & Maro si fas est profanis sacra conferre, rex & propheta Dauid. Carmina eius sensu pietatis, & mysteriorum nobis quam numeris gratiora sunt, in plurimis tamen accuratam quandam syllabarum mensuram annotaui, quemadmodum & in Threnis Ieremię, cui etiam curæ fuit initia ab iisdem literis certo modo ducere. Salomonis quidem Cantica Canticorum, sacram esse poësin nemo dubitat, qua felicis animæ cœleste canit Epithalamion, Ieremias etiam, Iob, atque Cantica suos numeros habent, genere quodam loquendi diuiniore potius, quam notabili pedum suauitate gratos; nam & Pindarum principem Lyricorum omnes agnoscunt; & tamen sæpius in illo carminis ratio quæritur, quam sentitur. Ita Horatius qui proxime ad eum accedit. *Pindarum quisquis studet æmulari Iule, ceratis ope Dædalea nititur pennis, vitreo daturus nomina ponto. Monte decurrens velut amnis, imbres quem super notas aluere ripas, feruet immensusque ruit profundo Pindarus ore. Laurea donandus Apollinari, seu per audaces noua dithyrambos verba deuoluit, numerisque fertur lege solutis.* *Pindarus habet numeros lege solutos more Hebræorum.*

Merita illa Pundari, laus est, ἀμίμητ@ pariter & ἀμώμητ@. Tu tamen sine discrimine numerorum positorum legas in hunc modum; Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁδὲ χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορ@ ἐξοχα πλάτᾳ. εἰ δ' ἀέθλα γαρύειν ἐλδεαι φίλον ἦτορ, μηκεθ' ἁλίου σκόπει ἄλλο θαλπνότερον ἐν ἁμέρᾳ φάεινον ἄστρον, ἐρήμας δι' αἰθέρ@.

Optima quidem est aqua, & aurum, velut ignis nocturnus ardens, coruscat eximie inter superbas opes, at anime mi, si certamina narrare cupis, ne iam sole contempleris splendidius astrum, lucens interdiu per vacuum æthera.

§. 3. Ex his conficio apud Hebræos fuisse carminum vsum, & viros sanctos, magnosque fuisse poëtas. Ideoque in diuina Republica honoratos, neq; nunc facile reiiciendos.

Magno quondam apud Romanos in honore fuerunt, & apud Græcos quidem nimium cultos inuenio, Plato Deorum filios appellauit. Quod etiam ingeniosus poëta dixit: *Græcis poëta nimium culti.*

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.
Et
Sedibus ætherei spiritus ille venit.

Sola enim causa cur nonnulli Hebræis poësin negarint, est illa, quod in ea lingua nullam nostræ similem Harmoniam inuenire potuerunt, sed omnia prosæ similia esse videantur, at cum idem in Græcorum poëtarũ eminentissimis concedere oporteat, facile quisque iudicabit, non esse negandum Hebræis, quod admirantur in Græcis.

Plato in Cratylo philosophos & sophistas irridens, suadet vt poëtæ adeantur, & virtutis ab illis ratio poscatur. Democritus quoque in Orpheo, Homero, aliisque diuinum aliquid esse credidit. Heraclitus ait πρὸ ἀβεβήλων ἐντὸς θεσπρεπεστέρων ἠγνισμένους. *Incontaminatis & sacris aspersibus sanctos:* Laurum gestabant quasi diuinationis insigne, cum versus suos canerent. Magis etiam alii, in poëtarum fabulis mysterio declarandis, vt serio dicam, deliranunt. Cum enim omnia fabularum, etiam fœda, quasi sanctioris philosophiæ integumenta defenderent, factum est, vt naturæ maiestas, fœditate narrationum pollueretur, multique cupide fabularum suauitatibus inhærescerent, mysteria quæ illis subesse finguntur, non intelligerent, aut sane contemnerent. Sed de abusu postea dicturus sum. *Fabulas ad res physicas & morales multi applicant.*

Hæc

Hæc antiquitus actitata sunt, at tempora quæ cultiora fuere, maiorem pœsi honorem conciliarunt. Homerum contemptum post mortem, contentioſe vrbes vendicarunt.

Ἑπτὰ πόλεις διεείτησιν Ὁμήρου.
Septem vrbes disceptant de stirpe Homeri.

Doctorum hominum à morte maior honos cedente inuidia.

Cicero pro Archia: *Atqui sic à summis hominibus, eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare: poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu afflari. Quare suo iure, noster ille Ennius, sanctos appellat poetas, quod quasi Deorum aliquo dono, atque munere, commendati nobis esse videantur. Sit igitur, iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poetæ nomen, quod nulla vnquam barbaria violauit. Saxa, & solitudines voce respondent, bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis, non poetarum voce moueamur? Homerum Colophonii ciuem dicunt esse suum: Chii suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt; permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt.*

Quot præter Agamemnonem reges illacrimabiles periere.

Et sane apud reges in precio fuisse constat, non tam credo vtilitate aliqua, licet ea quoque esset, sed cupiditate gloriæ, & immortalitatis; multi enim memoria carent, quia vate sacro. Virgilius apud Mœcenatem, & Augustum in precio habitus est, Euripidem Archelaus Macedo coluit. Æschylum, & Simonidem Hieron, Dionysius Philoxenum, Polycrates Samius Anacreonta. Antigonus Antagoram, Aratū; Spartani Tyrtæum. Plato Sophronis libros moriens puluillo suppositi.

Poetæ honorati.

§. 4. Quod si vsum etiam honestissimæ, difficilimæque artis spectemus, ille sane multiplex est. Nam primo, in laude æternæ maiestatis, versum viri sancti adhibuerunt; dein praua imitatione, ad idolorum encomia gentiles. Hymnus enim, antiquissimum poeseos genus est: Orphei, & veterum multi exstant, itaque & hymnologi, & Hymnopoli nominati sunt. Dianæ Hypragon, Phœbo Pæana, vel Hyporclema, vtrique simul Prosodian, Baccho Dithyrambum, Cereri Iulum, concinnabant. Plures enumerat Scaliger in Idea cap. 112. *Veteres igitur Theologi Orhpeus, Linus, Musæus, non solum hæc, quæ maxima, & prima sunt, sed etiam alias minutiores potestates ita diuisere, vt varia ac diuersa numina, quos item Deos appellarent, constituerent. Quare Iouem summum Deum cum agnoscerent, ceterorum finxerunt patrem: è quo scilicet omnia profecta essent; Ita Palladem, Martem, Vulcanum, Proserpinam, Venerem, Bacchum pro iis officiis, quæ vnum in vno sunt à nobis cognita. Quamobrem nequaquã mirum videatur: si Hymnorũ naturam varia in genera sũt partiti: in κλητικοὺς, ἀποπεμπτικοὺς, φυσικοὺς, μυθικοὺς, γενεαλογικοὺς, πεπλασμένους, ἐυτικοὺς ἀπευκτικοὺς, μικτοὺς. Ad quæ genera si παιᾶνες & παρῳδία non reducuntur, diuersarum rationum species, cum illis connumerabuntur. Didymus enim autor est, hymnos cum Cythara, παρῳδὴς cum tibia, ad aras ab Athenienſibus cani solitos.*

Hymni primarium opus poetarum.

Varia hymnorum genera.

Sed vni & soli Deo nos hymnum dicemus, vt recte ille idem optimus poetices doctor. *Ac Dei quidem laus semper in toto animo, vniuersaque cogitatione nostra versari debet. Quicquid sine eius communione facias, id vero factum neputes, quanto magis appellendus animus ad eas modulationes, quæ quantum illius complectuntur, tantum eius concipiunt diuinitatis: fiuntque illorum affines concentuum, qui cœlestibus anfractibus, atque rotationibus sunt ab opifice attributi. Dicitur autem Dei laudatio à Græcis ὕμνος, à Latinis celebratio. Vnus igitur ille cum sit, idemque trinus, vel vt solum canere vel personas seorsim celebrare ius est homini Christiano: additis verecunde proprietatibus. Non vt disputatores morosi: sed vt pii Poetæ facere consueuere. Id quod post alios multos, nos quoque conati sumus. Namque in Deum patrem hymnum cum scriberemus: tanquam rerum omnium conditorem, ab orbis ipsius creatione, ad nos, nostraque vsque duximus. Deum vero filium, Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam humani generis Seruatorem. In quo abduximus animũ nostrum, à corporis carcere ad liberos campos contemplationis, quæ me in illum transformaret. Tum autem sanctissimi Spiritus ineffabilis vigor ille, tanto ardore celebratus est, vt cum lenissimus numeris esset inchoatus hymnus, repentino diuini ignis impetu conflagrarit. In Deo quicquid est, ipsemet est Deus: cognitionis autem nostræ imbecillitate, horum inferiorum exemplo, atque imagine quasi multa distinguuntur. Intellectus à quo voluntas, post quam potentia. Verum neque ante, neque post quicquam. Sed non solum simul, verum etiam vnum. A quo duo duxerunt veteres maxima rerum actionumque principia: Naturam & Fortunam. Natura enim est, Potentia Dei: Fortuna vero Voluntas.*

Viris sanctis, & Deũ contemplatibus conuenit poesis.

§. 5. Alter vsus est in Heroum, ac magnorum virorum laudibus. Sic Iosiam Ieremias, sic Ionathan Dauid laudauit. Sic Prudentius martyras, qua quidem in re, nunc vt plurimum carmina absumuntur. Nec nouus est abusus, quo potentibus, sine verecundia, cum carmina facere libuit, adulantur. Plane paucos Philoxenos inuenias. Ipse Maro nomen auspicatus est ab exquisita adulatione:

Abusus carminum in adulatione.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Et nobilis ille Lucanus merito à Nerone cæsus putatur, quia tam seruiliter monstro illi adulatus sit:

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Inuenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deis, cœlumque suo seruire tonanti
Non nisi sæuorum potuit post bella gigantum;
Iam nihil ô superi querimur, scelera ista, nefasque
Hac mercede placent, diros pharsalia campos
Impleat, & Pœni saturentur sanguine manes,
Vltima funesta concurrant prælia Munda,
His Cæsar Perusina fames, Mutinæque labores
Accedant fatis, & quos premit aspera classes
Leucas, & ardenti seruilia bella, sub Aetna,
Multum Roma tamen debes ciuilibus armis,
Quod tibi res acta est, te cum statione peracta,
Astra petes serus, prælati regia cœli
Excipiet gaudente polo, seu sceptra tenere,
Seu te flammiferos Phœbi transcendere currus,
Telluremque nihil mutato sole timentem
Igne vago lustrare iuuat, tibi numine ab omni
Cedetur, iurique tuo natura relinquet
Quis Deus esse velis, vbi regnum ponere mundi,
Sed neque in arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec Polus aduersi calidus qua vergitur austri,
Vnde tuam videas obliquo sidere Romam,
Aetheris immensi partem si presseris vnam,
Sentiet axis onus, librati pondera cœli
Orbe tene medio, pars ætheris illa sereni
Tota vacet, nullaque obstent à Cæsare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis
Inque vicem gens omnis amet, pax missa per orbem,
Ferrea belligeri compescat limina Iani.
Sed mihi iam numen, nec, si te pectore vates
Accipiam, Cyrrhæa velim secreta mouentem
Sollicitare, Deum, Bacchumque auertere Nysa,
Tu satis ad vires, Romana in carmina dandas.

Lucanus libertatis admirator, pleroſque adulatione ſuperauit.

Neque absunt hodiernæ, non modo lucrosæ, sed vilium etiam adulationes animarum.

Nec est minor carminis vsus in historia, legibusq; & artibus tradendis. Athenienſibus antiquæ leges à Dracone tribus versuũ millibus conscriptæ. Paucioribus, suis Mytilenæis, nẽpe sexcẽtis Pittacus scripsit. Historia etiã politissime versibus scribitur, & mores docentur, vt Platoni etiã sapientiæ patres poëtæ vocentur. Et sane carminum Salomonis שיר השירים vt vertunt septuaginta, sunt numerata quinque milia, שירים Hebræus vocat. Tria milia parabolarum, משלים axiomatum, seu insignium sententiarum

Leges carmine conſcriptæ.

& quasi florum sapientiæ. Hoc primarium sacræ poëseos institutum est, vt post laudes numini decantatas,, hominum animos, vt pure Deum accedant, suaui, & quæ facile retineatur melodia, præparent. Hoc vatibus tribuit Horatius Epist. l. 1. 2.

Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat:
Torquet ab obscenis iam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ,
Recte facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis: inopem solatur, & ægrum.
Castis cum pueris, ignara puella mariti
Disceret vnde preces, vatem ni Musa dedisset?

Mores informat.

Est apud Aristophanem, alioqui scurram, & poetices quoddam pus, ac venenum ea de re inter Euripidem, & Æschylum vtilis collocutio.

In omnibus poëseos vsus est.

Αισχ. Ἀπόκρινομαι. τίνος ἕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητήν.

Ευρ. Δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν τοὺς ἀνθρώπους ἐν πόλει.

Αισχ. Ταῦτα δ' ἄνδρα χρὴ ποιητὴν ἀσκεῖν, σκέψαι δὲ ἀπ' ἀρχῆς

ὡς ὠφέλιμοι τῶν ποιητῶν οἱ γενναῖοι γεγένηνται.

ὀρφεὺς μὲν δὴ τελετὰς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι.

μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων, καὶ χρησμούς, ἠσίοδος δὲ

γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δὲ θεῖος ὅμηρος,

τί ἄλλο, ἀρετὰς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν.

Id est:

Æschilus. Respondeo mihi: cuius rei causa poëtas admirari oportet. Eurypides. Dexteritatis & admonitionis ergo; quod meliores homines patriæ faciamus.

Hæc enim oportet viros poetas exercere. Considera enim à principio quot vtiles poetarum genero si fuerunt. Orpheus enim quidem sacrificia nobis ostendit, & cædibus abstinere. Musæus autem curationes morborum & oracula: Hesiodus autem terræ operationem, fructuum tempora, arationes: Diuinus Homerus ordinationes, virtutes, armationes virorum.

Natura quippe ita comparatum est, vt versus suauius audiantur, penitius hæreant, facilius permoueant. Hinc videmus, non modo philosophos, sed Paulum quoque versibus nobilium poetarum vti. Neq; quisquam est Paulo cultior, cui non multa eius generis iam nota sint.

Nec modo virtutis sunt doctores suaues, & boni, sed acerrimi etiam vitiorum censores; quid enim acerbius, quid fortius Satyra? soli vero sunt, qui magnatũ vitia acri aceto perfusa stringunt; Tum videas,

In reprehẽsionibus acres sunt poetæ.

Ingentes trepidare Titos cum carmina lumbum,
Intrant, & tremulo scalpuntur vbi intima versu.

Denique omnium pene artium, & ipsius præcepta philosophiæ carmine comprehensa leguntur. Astronomiam, agriculturam, Bella, leges, & quicquid in vsum venit, vatum nobis scripta produnt.

Furorem poëti Plato tribuit.

§. 6. Sed quosdam tamen ab arte liberalissima reuocat, atque abducit, vetus opinio; Nempe poësin obstare prudentiæ. Plato in Phædro ὃς δ' ἂν ἄνευ μανίας μουσῶν ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐν τέχνῃ ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε, καὶ ἡ ποίησις ἡφανίσθη: *Quisquis sine furore fores poeticas pepulit, persuasus, quod arte sola poeta posset euadere: is conatus sui irritus, & item poësis eius euanescit.*

Furore ergo opus esse putant, nam

Ennius ipse pater, nunquam nisi potus ad arma
Prosiliit.

Ebrietas enim furor voluntarius, quemadmodum & ira est.

Non potest (inquit Seneca) *grande aliquid, & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria, & solita contempsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit, grandius ore mortali. Non potest sublime quicquam, & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est.* *De Tranq. cap. 15.*

Hinc Platonici afflatu, atque insania, fundi carmina docuerunt. Ptolomæus animam, sic à stellis concitari asserit.

Iniurii sunt in optimas artes, qui furorem poësi tribuunt.

§. 7. Verum plurimos à poesi, ingenii tenuitas arcet. Equidem sic arbitror magnam iniuriam, astrictæ eloquentiæ per hanc calumniam inferri. Causa est, quia non potest esse poëta, nisi qui ingeniosus est. Atque hæc est prima adolescẽtulorum exploratio; prælectiones enim fideli memoria reddere, expositiones & significata verborum meminisse, latina in vernaculam linguam vertere cuiusuis est, carmen pangere ingeniosi est. Orator fieri potest, poëtam nasci oportet. Quod sic interpretor, vt arbitrer magno ingenio, cognita arte, ac præceptis opus esse ad poesin, ingenia parua non nisi cum irrisu, mediocria sine laude pulsare Musarum fores. Ars & natura magnam vim habent, si iungantur; Cicero pro Archia. *Etiam illud adiungo sæpius ad laudem, atque virtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem contendo, quum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædam, conformatioque doctrina, tum illud nescio quod præclarum, ac singulare solere existere.* Sic & Horatius:

Ingeniorũ puerilium lapis Lydius est poësis.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. Ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid posit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amice.

Ars in cæteris rebus sine ingenio aliquid potest, in poësi irrita est.

In cæteris rebus destitutam naturam ars adiuuare potest, in poësi sine natura, ars luditur in vacuo: ita idem Tullius loco iam ante recitato ostendit.

Ex eadem igitur sententia est, quod de ingeniosorum & poetarum quadam dementia scribunt, de quo suo loco à me dictum. Quod ex eo etiam confirmatur, quod orator mediocris, miles nec timidus, nec valde fortis, atq; in cæteris rebus industriæ quædam mediocritas commendari solet. At in poetis, quicquid laudabile est, celsum est, & magnificum.

Mediocris poeta displicet.

Mediocribus esse poetis
Non homines, non Dii, non concessere columnæ.
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.

§. 8. At insignem, magniloquum, tersum, & cui nihil addere, cui nihil demere velis, poëtam esse, difficilimum est. Vere dixit Tullius, vix singulis sæculis, bonum poetam esse inuentum. Cum igitur tam pauci sint boni poetæ, multi tamen sunt, qui magna sonaturum nominis huius honorem ambiunt: Nulla simia, non amat catulum, & vrsa quoque pro fœtu qui informis massa videtur, mortem contemnit, & saltu supra venabula fertur, ita nemo poeta tam hiulcum verbis, aut insulsum sensu carmen ab ingenio extorsit, qui illud non deperierit, ὑπερφιλαυτῶσι γάρ, inquit Aristoteles. Itaq; nulla in re plures ingenium ostentare, quam in limpida Hippocrene, egelidoque Parnasso studuerunt. Hinc illæ ineptiæ, hinc tot versus, quos à sanis miramur fieri potuisse. Confer rem cum moribus, vix vni sæculo cõtigit vnus poëta. Ego vero arbitror decem myriadas esse hominum, qui se hoc tempore etiam bonos poetas arbitrantur, de quibus merito Horatius:

Omnes versibus inclarescere student.

Adde carmina nunc, hoc est oleum adde camino
Quæsi quis sanus fecit, sanus facis & tu.

Morem sui æui carpit Persius.

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo, animæ prælargus, anhelet:
Scilicet hoc populo pexusque, togaque recenti,
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus,
Sede legens celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello,

Malorum versuum fabri infamant poesin.

His

Hic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur vbi intima versu.
Tum vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus: ohe,
Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto iecore exierit caprificus?
En pallor, seniumque, ô mores! vsque adeone
Scire tuum, nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendes? Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipilas, vatum & plorabile si quid,
Eliquat, & tenero supplantat verba palato,
Assensere viri. nunc non cinis ille poetæ
Felix? nunc leuior cippus non imprimit ossa?
Laudant conuiuæ. Nunc non è mambus illis,
Nunc non è tumulo, fortunataque fauilla
Nascentur violæ? Rides, ait, & nimis vncis
Naribus indulges. An erit, qui velle recusset
Os populi meruisse, & cedro digna locutus
Linquere, nec scombros metuentia carmina, nec thus?

Pauci tolerabiles poetæ.

Inter hos quot millia sunt, quos durius est, & laboriosius audire, quam in latomiis operari, vbi omnis lassitudo est exigunda è corpore? Pauci itaque sunt poëtæ boni, multi, vt Aristophanes iocatur ἐπυλλίδες, & σωμίλματα, χελιδόνων μυσεῖα λωβητὰ τέχνης, spuria quæ foliis adnoscuntur tubercula, non botri. Ai locutii, hirundinum Musea, artis opprobria. Huc refer vagabunda mendicabula, & nonnullos, qui se poëtas Laureatos nominant. Quos ego cum sit genus irritabile vatum, irritari sane nolim: Illos autem fateri necesse est, multas indignas tam regali fronde frontes inumbrari. Horum igitur insaniam, stoliditatemque veris prudentibusque poetis imputare cõtra æquitatem est. Moses, Debora, Barac, Dauid, Salomon, Isaias, Ieremias prudentissimi fuere, & poëtarum excellentissimi tamen, eorumque carmina quotidie ad sapientiæ, pietatisque semina iacienda, incrementaque virtutum canuntur. Nec Homerum quamuis cœcum, mente imprudentem recte dixeris. Testis pro vate, vates est Horat. lib. 1. Epist. 2.

Poetæ Laureati.

Moses & Dauid poetæ prudentes.

Homerus prudens.

Troiani belli scriptorem maxime Lolli,
Dum tu declamas Roma, præneste relegi.
Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius ac melius, Chrysippo, & Crantore dicit.

Homeri versibus philosophia historica continetur.

Cur id crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Græcia barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum & populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam.
Quid Paris? vt saluus regnet, viuatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites,
Inter Peleiden festinat, & inter Atreiden:
Hunc amor, ira quidem communiter vrit vtrumque.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui,
Seditione, dolis, scelere, atque libidine, & ira
Iliacos intra muros peccatur, & extra.
Rursus quid virtus, & quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis exemplar Vlyssem:
Qui domitor Troiæ, multorum prouidus vrbes,
Et mores hominum inspexit, latumque per æquor,
Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit, aduersis rerum immersabilis vndis.

Inspice Virgilii, Lucani, Horatii, Iuuenalis, aliorum argumenta, & si improba, atque impura demas, inuenies plane nihil in vita politica eos latuisse, imo pleraque philosophorum intima eos calluisse.

§. 9. At multi poetas è ciuitate expellendos censuerunt, ita est fateor. Et causas sane Augustinus refert, libr. 2. cap. 14. de ciuitat. *Deinde quærimus, ipsi poetæ talium fabularum compositores, qui duodecim tabularum lege prohibentur, lædere famam ciuium, tam probrosa in Deum conuitia iaculantes, cur non vt scenici habeantur inhonesti? Et qua ratione rectum est, vt poeticorum figmentorum, & ignominiosorum Deorum infamentur actores, honorentur auctores? An forte Platoni Græco potius palma danda est? Qui cum ratione formaret, quasi esse ciuitas debeat, tanquam aduersarios ciuitatis, poetas censuit vrbe pellendos. Iste vero, & Deorum iniurias indigne tulit, & fucari, corrumpique figmentis animos ciuium noluit. Confer nunc Platonis humanitatem, à ciuibus decipiendis poetas vrbe pellentem, cum Deorum diuinitate honori suo ludos scenicos expetente.*

Pulsi ciuitatibus poetæ propter impura, & blasphema carmina.

Ille, ne talia vel scriberentur, & si non persuasit, disputando tamen suasit leuitati, lasciuiæque Græcorum. Isti vt talia etiam agerentur, iubendo extorserunt grauitati, & modestiæ Romanorum. Nec tamen hæc agi voluerunt, sed sibi dicari, sibi sacrari, sibi solenniter exhiberi. Cui tandem honestius diuinos honores decerneret ciuitas, vtrum Platoni hæc turpia & nefanda prohibenti? An dæmonibus hæc hominum deceptione gaudentibus, quibus ille vera persuadere non potuit?

Duæ causæ sunt, quod & Deos fingerent falsos, de quo etiam cap. 14. libr. 18. de ciuit. queritur, & quod mores corrumperent, optima lege tales velut Reipublicæ corruptores expelluntur, Plato li. 2. de Rep. *Propter flagitia, & scelera, quæ Diis affingunt, censet expellendos,* & lib. 10. Socrates postquam multa in poëtas dixit, tandem iusta sententia litem decernit, secundum bonos poetas, illos enim censet retinendos, quorum carmina ad fortitudinem, ac castitatem inducunt. Neque alia fuit Pythagoræ sententia, ex quo apparet sane, vetustissimam fuisse eam morum corruptionem, quin & Sibylla de illis cecinit.

Socrates bonos censet retinendos, malos pellendos.

Ἑλλάδα τὴν τετράλαιναν ἀνηίξεις ποιηταί

Græciam ter miseram affligent poetæ. Epicuri quidem minor est hac in re auctoritas, qui quamuis forte malorum poëtarum cantus ex Republica proscripserit, velut anicularum deliria; quia tamen vno calculo omnes artes liberales damnauit, poëti peculiarem contumeliam non fecit, honestius enim illi fuit, cum cæteris, velut honestam matronam proscribi, quam in regno voluptatis, solam tanquam meretriculam retineri. Erathosthenes vero, aliique, non rem ipsam sed vitia exilio multarunt. Fuluio nobiliori fuit vitio datum, quod poëtam in prouinciam duxisset. *Nam eo tempore, si quis ea in re studebat,* vt testis est Cato, *ad conuiuia se applicabat: & grassator dicebatur.* Male igitur Fuluius, qui quasi tibicinem voluptatis causa in prouinciam duxit. Vtinam hodie quoque in hanc rem euigilet magistratus, obscenos, blasphemosque libellos, graui pœna proscribat, auctores puniat. Verum de his ego, cum de seruanda pudicitia in Republica tractaui, satis dixi.

Græciæ à malis poetis illata labes.

Epicurus poesin cum omnibus artibus proscripsit.

§. 10. Quæ vero ratio sit consequendæ huius eloquentiæ, quæ numeris strictior, verbis liberior, sensibus debet esse sublimior, paucis ostendam. Aristoteles de re poetica scripsit, sed nec sat accommodate, ad ingenia discentium, nec tractatus integer est. Horatius vitia vitare magis docet, quã instruit rudem, & suo iam more, Satyricum agit. Nostro tempore Vida, multique in ea arte docenda se occuparunt. Omnibus palmam præripuit Iulius Scaliger, scriptis septem ad Syluium filium libris, quod absolutum opus esse censeo, quo solo plus nobilitatis meruit, quam si reuera ad Scaligerorum Veronensium prosapiam, Italia probante genus retulisset. Sed magno opprobrio fuit, non poëti modo, sed philosophiæ

Aristoteles, Horatius, Scaliger, de re poetica scripserunt.

etiam, cæteriſque artibus, quod earum tam famoſi alumni, Iulius, & Ioſephus, tam pertinace impoſtura, in alienum genus, familiamque inſerere ſeſe laborarunt. Quod ſi vires fuiſſent, aliquid veterum more tentaſſent. Nam nunc quod potuerunt, grauiter præſtiterunt, vt atrocibus ſe carminibus, quemadmodũ latratu canes vlti ſunt. Scriptum eſt à Ioſepho elegans ſed acerbum in ſereniſſimam Venetorum Rempublicam carmen, quo eos tanquam Veronam ſuis maioribus per iniuriam eripuerint, reos agit, cum maiores illius non magis fuerint Veronæ comites, quam Irus rex πανάχαιων, *omnium Achiuorum.* Verum hæc ſunt hominum errata, magnas fortunas ſomniantium, quæ cum in magna, & turbata ingenia incidunt, magnos etiam motus cient, vt cum magno Oceano, vẽtorum magna vis incubuit. Verum vtut ſe mores habuerint, præ omnibus artem accurate explicuit Iulius, & magnus ipſe poeta fuit, modus tamen & ratio ſcribendi potius perficiendo vati, quam inſtituendo tironi accommodata ab illo fuit. Hanc igitur curam Pontanus noſter ſuſcepit, ordineq; ac erudite totam rem aperuit, quo libro ad poeſin diſcendam vtiliorẽ non vidi; ſi quis tamen eo lecto, plura, & reconditiora quærat, Iulium ſerio euoluat. Si de Comœdia vel Tragœdia laboret, Martinum Delrium in Senecam totum perlegat, non enim tantum viam demonſtrat, ſed rapit, & vectat, quaſi cygnæis alis ad altum Parnaſſi verticem: & Ioſephus Scaliger nondum rupta amicitia Delrium omnibus prætulit. Hos auctores in docenda poeſi noſtra Societas imitatur. Cuius methodum ob oculos ponere mihi eſt in animo.

Scaligerorum famã impoſtura læſit.

Iacobus Pontanus clare & erudite de poeſi ſcripſit

Martinus Delrius.

§. 11. In media Grammatices dixi facilem poetam explicari, & ſic animos teneros numeris poeticis paulatim imbui; nam quamuis rationem carminis ignorant, menſura tamen, & Harmonia delectantur.

Societatis in docenda poeſi Methodus.

In ſuprema Grammatices, cum iam Syntaxin dicerunt, ars metrica diſcitur, ſic habet regula profeſſoris. *Alternis vero diebus artis metricæ præceptageneralia, omiſſis exceptionibus, poſteriori autem ſemeſtri recolatur per duos minimum menſes pars illa Grammaticæ, quæ eſt propria primæ claſſis, & alternis diebus ars metrica regulas iam explicatas breuiter percurrendo, in aliis quantum neceſſe eſt inhærendo, abſoluta vero repetitione Grammaticæ, quotidie deinceps ars metrica explicetur adiectis exceptionibus, carminum generibus, & quæ de patronymicis atque accentu traduntur.*

Firmata iam latinitate verſibus dare ſe adoleſcens poteſt.

Huic explicationi iunguntur Ouidianæ, Catullianæ, Tibullianæ, Propertianæ elegiæ ſelectæ, faciliores libri Virgilii. Quibus auctoribus explicandis, & recolendis, hora in ſingulos dies attribuitur. Cognita itaque carminum ratione, ſenſim ipſi quoque pangere docentur, ſeu diſſoluta in pedes, & numeros reponere, deinde adonia, heroica, elegias componere, nec grandiora tentare, ſatis fuerit, ſi numeros teneat in ſuo, cognoſcat in alieno carmine.

Sic inſtructus ducetur ad Scholam humanitatis, de qua ita Methodus noſtra præſcribit: *Gradus huius ſchola eſt, poſtquam ex Grammaticis exceſſerint, præparare velut ſolum eloquentiæ: quod tripliciter accidit, cognitione linguæ, aliqua eruditione, & breui informatione præceptorum, ad Rhetoricam ſpectantium. Ad cognitionem linguæ, quæ in proprietate maxime & copia conſiſtit, in quotidianis prælectionibus Cicero iis fere libris, qui philoſophiam de moribus continent; Ex Hiſtoricis Cæſar, Salluſtius, Liuius, Curtius, & ſi qui ſunt ſimiles; ex poetis præcipue Virgilius, exceptis Eclogis, & quarto Aeneidos, præterea Odæ Horatii ſelectæ, item Elegiæ, Epigrammata, & alia poemata illuſtrium poetarum antiquorum, modo ſint ab omni obſcenitate expurgati. Eruditio modice vſurpetur, vt ingenium excitet interdum, ac recreet, non vt linguæ obſeruationem impediat.*

Præceptorum Rhetoricæ breuis ſumma ex Cypriano, ſecundo ſcilicet ſemeſtri, tradetur: quo tempore, omiſſa philoſophia Ciceronis, faciliores aliquæ eiuſdem Orationes, vt pro lege Manilia, pro Archia, pro Marcello, ceteræque ad Cæſarem habitæ ſumi poterunt. Græcæ linguæ pars illa pertinet ad hãc ſcholam, quæ Syntaxis proprie dicitur. Curandum præterea, vt mediocriter ſcriptores intelligant, & ſcribere aliquid Græce norint.

Auctores qui hic præſcribuntur iam faciles erunt, poſtquam ea, de qua dictum eſt, in ſcholis inferioribus inſtructio præiuit.

Hic quoque ars metrica, ſeu proſodia primo ſemeſtri cum hiſtorico alternis diebus exponitur, vt firmius animo hæreat, altero ſemeſtri præcepta Rhetorices, & hiſtoricus alternantur.

Exercitationes ſunt prẽterea, quæ his verbis notantur.

Secunda hora matutina repetatur poſtrema breuiter prælectio, nouaque per ſemihoram, vel paulo amplius explicetur: mox exigatur, & ſi quid ſuperſit temporis, in mutua diſcipulorum concertatione ponatur.

Vltima ſemihora initio primi ſemeſtris hiſtoricus, & ars metrica alternis diebus: arte vero metrica abſoluta, hiſtoricus quotidie percurratur: altero deinde ſemeſtri Cypriani Rhetorica quotidie modo explicetur, modo recolatur, aut diſputetur.

Præcepta Rhetorices etiam poeſi conueniunt.

Græci item auctores, & Syntaxis; Carminum cõpoſitio. Quia præcepta Rhetorices communia ſunt etiam poẽſi, nam oratori finitimus eſt poeta, hinc ornatus quoque carminis, & modus, & artis plura præcepta exponuntur. Totam Methodum complectitur Reg. 5. *Prælectio eruditionis ornamentis leuiter interdum aſperſa ſit, quantum loci explicatio poſtulat: ſe totum potius Magiſter effundat in latinæ linguæ obſeruationes, in vim, etymologiamque verborum, quam ex probatis petet autoribus, maxime ex antiquis; in locutionum vſum, ac varietatem, in autoris imitationem; nec alienum putet aliquid, patrio interdum ſermone efferre, ſi vel ad interpretandum in primis valeat, vel aliquid habeat eximii. Quando autem orationem explicat, præcepta artis exploret. Ad extremum licebit, ſi videatur, omnia patrio ſermone, ſed quam elegantiſſime vertere.*

Eruditio ita in hac ſchola proponitur, vt prima cura ſit formandæ orationis.

Et ſexta: *Dictandum argumentum ſcribendi. Primo quidem ſemeſtri ad epiſtolæ fere formam, vulgi ſermone ad verbũ: quod ſæpe proderit ita componere, vt totum ex prælectionibus iam explicatis, hinc inde diſcerptum ſit. Semel autem fere in hebdomada ſuo marte conſcribant, aliquo prius epiſtolarum genere explicato, indicatiſq; Ciceronis, aut Plinii epiſtolis: ad illud pertinentibus. Altero deinde ſemeſtri excitetur ingenium, & Chriæ primo, tum proœmia, variationes, & exornationes, facili ac fuſo argumento propoſito, conficiantur. Carminis argumentum latine dictet, multa locutionum varietate. Græci thematis eadẽ, ac latinæ proſæ ratio erit, niſi quod fere ex ipſo autore depromendum, & ratio Syntaxeos præmonſtranda.*

Dum ſenũ alta ſcandunt non ſentiunt laborem.

Et decima: *Affigantur carmina ſchola parietibus, alternis fere menſibus ad aliquem celebriorem diem exornandum, vel magiſtratus promulgandos, vel alia quapiam occaſione, ſelectiſſima quæque à diſcipulis deſcripta: imo etiam pro regionum more aliquid proſæ breuioris, quales ſunt inſcriptiones, vt clypeorum, templorum, ſepulchrorum, hortorum, ſtatuarum; quales deſcriptiones, vt vrbis, portus, exercitus; quales narrationes, vt rei geſtæ ab aliquo Diuorum; qualia denique paradoxa: additis interdum, non tamen ſine Rectoris permiſſu, picturis, quæ emblemati, vel argumento propoſito reſpondeant.*

Publicus honor, & cenſura excitat ingenia.

De Græca lectione, ita Reg. 9. *Græca prælectione alternis diebus Grammatica, & autor explanabitur. Grammaticæ quidem, breuiter decurſis iis, quæ in prima claſſe tradita fuerãt, Syntaxim & rationẽ accentuũ perſequatur. Autor vero primo ſemeſtri ſolutæ orationis ſumetur ex facilioribus, vt aliqua orationes Iſocratis, & SS. Chryſoſt. & Baſilii, vt ex epiſtolis Platonis, & Syneſii, vt aliquid ſelectum ex Plutarcho: altero ſemeſtri carmen aliquod explicabitur, exempli gratia ex Phocylide, Theognide, S. Gregorio Nazianzeno, Syneſio, & horum ſimilibus. Explicatio autem, vt huius ſcholæ fert gradus, linguæ potius cognitioni, quam eruditioni ſeruiat.*

Cicero Græcis vertendis multum ſeſe exercuit.

Inclinante autem anno Græcarum ſyllabarum ratio tradi poterit cum auctore alternis diebus. Poterunt etiam interdum diſſoluta carmina concinnari.

Hac

Hac exercitatione nondum perfectus est poeta, aut orator futurus, quamuis ingenio valeat. Nam & multa præcepta cognitu necessaria desunt, & maxime exercitatio, quæ longius tempus requirit, deinde crebro in nostris Gymnasiis ætas, nondum difficilioribus matura laboribus. Sequitur itaque altera schola, quam Rhetoricam dicimus.

CAPVT XX.

Eloquentia solutæ orationis.

Rhetorica est ars bene loquendi.

§. 1. HANC proprie eloquentiam vocare vsus consuevit. Quam alii definiunt, *copiose loquentem sapientiam*, alii, *artem bene dicendi*, Aristot. lib. 1. Rhet. c. 2. Ἔστω δὴ ἡ ῥητορικὴ, δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Sit igitur Rhetorice facultas, quæ quid in re quaque ad persuadendum valeat, contemplatur. Hoc enim nulli alteri arti propriũ est. Quanquam enim, & qui sine arte loquuntur, & qui dialectice, ac philosophice agunt persuadere conentur; Rhetorica tamẽ persuadendi rationem in omnibus tradit, neq; enim Dialecticen, neq; medicinam, neq; iurisprudentiam sine eloquentia, perfecte, quisquam docuerit. Ad eloquentiam nemo pertingere potest, nisi iam ante emendate loqui assueuerit; ἐπὶ ὃ ἀρχὴ τῆς λέξεως, τὸ ἑλληνίζειν. *Principium elocutionis est, recte loqui Græce*, ait Aristoteles, de patria eloquentia disputans. Perinde enim faciet, qui orationi vitiosæ, eloquentiæ schemata attexuerit, quod ille, qui pannosæ, & laceræ pallæ, aurea segmẽta, & gemmeos Mæandros assuerit: Nam & ornamenta dedecorat, & inopiam ex vicina copia facit conspectiorem, dum contraria finitima se mutuo manifestant. Et quod est caput, monstrum ridendum efficit. Irum in purpura, soleas aureas, luto inquinatas, matulam è gemma.

Omnibus in artibus versatur.

Ridicula ornamenta sunt in oratione vitiosa.

Hic in mentem mihi venit, multorum parentum præproperæ, in filiorũ educatione, festinationis; qui nondum loquentes, fieri oratores iubent. Hinc multorum Theologorum, Iurisperitorum, Medicorum, Philosophorum inquinatissimæ enunciationis libri, phrases, & sententias ridicule affectatas interdum continere cernimus. Fieri enim solet, vt infantissimus quisque, maxime eloquentiam affectet. Rara omnino res eloquentia: Testis Tullius lib. 1. de orat. *Quibus de causis, quis non iure miretur, ex omni memoria ætatum, temporum, ciuitatum, tam exiguum oratorum numerum inueniri?*

Nemo tam infans est, qui non affectet eloquentiam.

Causas reddit eodem libro; *Sed nimirum maius est hoc quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus, studiisque collectum. Quis enim aliud in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiæ propositis præmiis, esse causæ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim & scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atque ridenda est: & ipsa oratio confirmanda non solum electione, sed etiam constructione verborum: & omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis vis, ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus, aut sedandis, aut excitandis exprimenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam, facetiæque, & eruditio libero digna, celeritasque, & breuitas respondendi, & lacessendi, subtili venustate atque vrbanitate coniuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas, exemplorumque vis: neque legum, aut iuris ciuilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ vocis conformatione, ac varietate moderanda est: quæ sola per se ipsa quanta sit, histrionum leuis ars, & scena declarat: in qua cum omnes in oris, & vocis, & motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos æquo animo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria, quæ nisi custos inuentis, cogitatisque rebus, & verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclarissima fuerint, in oratione peritura? Quamobrem mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus vniuersis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis, & dignitas chara est, vt animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut præceptis aut magistris, aut exercitationibus, quibus vtuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expetunt, consequi posse confidant. Ac mea quidem sententia, nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum, atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oportet oratio: quæ, nisi subest res ab oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet eloquentiam, & pene puerilem. Neque vero ego hoc tantum oneris imponam, nostris præsertim oratoribus, in hac tanta occupatione, & vrbis, ac vitæ, nihil iis vt putem licere nescire. quanquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere, ac polliceri videtur, vt omni de re, quæcunque sit proposita, ab eo ornate, copioseque dicatur.*

Eloquentẽ oportet plurium & maximarum rerum esse guarum.

§. 2. Eloquentia vero in ciuitate tenenda est, quia summam conciliat dignitatem Reipublicæ, precipue vero colenda est, nobilitati, & principi. Vere Aristoteles ad Alexandrum, ὥσπερ γὰρ ἐθήτα σπουδάζεις τὴν εὐπρεπεστάτην τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἕξιν, οὕτω δύναμιν λόγων λαβεῖν δεῖ σοι πειρατέον τὴν ἐνδοξοτάτην. πολὺ γὰρ κάλλιόν ἐστι βασιλικώτερον τὴν ψυχὴν ἔχειν εὐγνωμονοῦσαν, ἢ τὴν ἕξιν ἐν σώματος ὁρᾶν εὐσχηματοῦσαν. καὶ γὰρ ἀτοπόν ἐστι, τὸν τοῖς ἔργοις πρωτεύοντα, φανερὸν τῶν τυχόντων τοῖς λόγοις ὑστερεῖσθαι, καὶ ταῦτα εἰδότα, ὅτι τοῖς μὲν ἐν δημοκρατίᾳ πολιτευομένοις, καὶ ἀφορᾷ μὲν πάντων τὰ πράγματα τοῖς τὸν δῆμον ἔστ' τοῖς ὑπὸ τὴν τῆς βασιλείας ἡγεμονίαν τεταγμένοις, μόνος λόγος. ὥσπερ οὖν τὰς αὐτονόμους τῶν πόλεων διορθοῦν ἐλῴδεν ὅτι τὸ κάλλιστον ἄγων ὁ κοινὸς νόμος, οὕτω τυὸ ὑπὸ τὴν σὴν βασιλείαν καθεστῶτας ἄγειν δύναται ἂν ὅτι τὸ συμφέρον ὁ σὸς λόγος. καὶ γάρ ὁ νόμος ἐστὶν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, λόγος ἐπισμένος καὶ ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. *Principi, & nobilitati necessaria eloquentia.*

Regis eloquentia pro viribus est.

Nam quemadmodum vestium decore, atque magnificentia cæteris hominibus maxime præstare studes, ita etiam dicendi inuentionem, ac vim eam vt accipias nitendum est, quæ pulcherrima sit, apprimeque præclarissima. Longe enim pulchrius est, ac regale magis, animo esse bene constituto, quam habitum corporis vestibus ornatum pulchris intueri. Absurdum enim est, eum, qui rerum gestarum gloria cæteris antecellat, videri humillimis quibusdam in dicendo cedere: præsertim cum non sis nescius, eos, qui in populari principatu versentur, res omnes ad populum: qui vero sub vnius imperij ductu constituti sint, ad rationem, orationemque referre. Quemadmodum liberæ ciuitates communis lex, quæ ad honestissimum aliquem finem ducat, dirigere consueuerit, eodem etiam modo, & oratio tua queat, eos, quos sub imperio tenes, ad id agere, quod conducibile sit, & vtile. Etenim lex (vt ita dixerim) oratio quædam est, quæ communi ciuitatis consensu definita, iubet quo pacto vnumquodque agendum sit.

Orationis dignitas rationi proxima.

Sane loqui omnibus hominibus communiter datum est, eloquentia est quæ ostendit doctos, aut doctos videri facit. Dux vitæ est oratio eruditioni iuncta. Et sane post rationẽ ipsam, nihil dicendi maiestate homini maius datũ est; nam qui bene dicit, suauiter & salubriter auditur. Et sane hoc præcipuũ est ornamentum, nam vt hominis decus est ingenium, ita ingenii lumen est eloquentia. Afranius interrogatus, quid octoginta, & vno annis didicisset? respondit; *nihil nisi bene docere, & bene dicere.* Totam in eo vitæ non modo dignitatem, sed etiam maiestatem collocans. Nulla res ad dignitatem plures euexit, quã eloquentia. Imperatores maiore periculo, oratores maiore labore,

Vtinã addidisset; Et bene viuere.

bore, Reipublicæ gubernationem adepti sunt; Hoc tamen discrimen est, quod oratores, & bello, & pace, Imperatores tantum bello auctoritatem teneant, pace negligantur. Et sane ipsi imperatores bello clari, vt Vespasianus, Adrianus, Domitianus, Alexander, salaria oratoribus, atq; immunitatem ab oneribus statuerunt; ita Modestinus in l. si duos. 6. Leo & Anthemius aduocatos, & disertos causarũ patronos adiunxerunt. In liberis semper Rebuspublicis, vt maior ratio eloquentiæ, ita maius quoq; periculum fuit. Pericles sine armis, tyrannidem tenuit. Cicero l. 1. de oratore præclare eam commendat. *Neq; vero mihi quicquam*, inquit, *præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit: vnde autem velit, deducere. Hæc vnares, in omni libero populo, maximeq; in pacatis, tranquillisq; ciuitatibus, præcipue semper floruit, semperq; dominata est. Quid enim est, aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominũ existere vnum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? Aut tam iucundum cognitu, atq; auditu, quam sapientibus sententiis, grauibusq; verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamq; magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus grauitatem, vnius oratione cõuerti? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificũ, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in ciuitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus?*

Vis eloquẽtiæ.

Miror Athenienſium, erga Gorgiam Leontinum magnos affectus, nam dies quibus ille perorauerat ἑορτὰς appellabant, & orationes ipsas nominabant λαμπρὰς. Primus ille orationem antitheſis, membris æqualibus, ſimiliter cadentibus, aliiſque ſchematiſmis exornauit, itaque ſoli illi, Delphis ſtatuam auream Græcia poſuit.

Dies orationum feſti habentur Athenienſibus.

§. 3. Hæc quidem dignitas eloquentiæ eſt, vis, & efficientia mouendi multo eſt conſpectior. In exemplũ Cyneas Pyrrhi orator duci ſolet, qui plures oratione, quã callidiſſimus imperator bello cepit vrbes. Veriſſime dixit Tullius: *Extorquet arma è manibus iratorum ciuium, boni ciuis auctoritas, & oratio.* Plures regna, & principatus eloquentia, quam fortitudine bellica ſunt adepti. Plures etiam retinuerunt. Cæſar ipſe exemplo eſt. Ille cum miles in patriam auctoratus, eſſet ferox, quod eodem ſcelere inquinati, etiam duci ſe æquatos iactarent, breui oratione compeſcuit, atque vt ipſi ſupplicium de ſe caperent, effecit.

Eloquentia bello vtilis.

Stetit aggere fulti
Ceſpitis, intrepidus vultu, meruitque timeri,
Non metuens, atque hæc ira dictante profatur.
Qui modo in abſentem vultu, dextraque furebas
Miles, habes nudum, promptumq; ad vulnera pectus,
Hinc fuge, ſi belli finis placet enſe relicto.
Detegit imbelles animos, nil fortiter auſa
Seditio, tantumque fugam meditata iuuentus,
Ac ducis inuicti rebus laſſata ſecundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis;
Inuenient hæc arma manus, vobiſque repulſis
Tot reddet fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum claſſe ſequuntur
Heſperiæ gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, impulſi tantum quæ præmia belli
Auferat, & veſtri rapta mercede laboris
Lauriferos nullo comitetur vulnere currus?
Vos deſpecta ſenes, exhauſtaque ſanguine turba
Cernetis noſtros, iam plebs Romana triumphos.
Cæſaris an curſus, veſtræ ſentire putatis
Damnum poſſe fugæ? Veluti ſi cuncta minentur
Flumina, quos miſcent pelago, ſubducere fontes,
Non magis ablatis vnquam deſcenderet æquor,
Quam nunc creſcit aquis. An vos momenta putatis
Vlla dediſſe mihi? Nunquam ſic cura deorum
Se premit, vt veſtræ morti, veſtræque ſaluti
Fata vacent. Procerum motus, hæc cuncta ſequuntur.
Humanum paucis viuit genus, orbis Iberi
Horror, & arctos noſtro ſub nomine miles
Pompeio certe fugeres duce. fortis in armis
Cæſareis Labienus erat, nunc transfuga vilis,
Cum duce prælato, terras, atque æquora luſtrat.
Nec melior mihi veſtra fides, ſi bella nec hoſte,
Nec duce me geritis. quiſquis mea ſigna relinquit,
Nec Pompeianis tradit ſua partibus arma,
Hic nunquam vult eſſe meus, ſunt iſta profecto
Curæ caſtra Deis, qui me committere tantis,
Non niſi mutato voluerunt milite, bellis.
Heu quantum fortuna humeris iam pondere feßis.
Amolitur onus, ſperantes omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non ſufficit orbis
Iam certe mihi bella geram: diſcedite caſtris,
Tradite noſtra viris ignaui ſigna Quirites.
At paucos, quibus hæc rabies autoribus arſit,
Non Cæſar, ſed pœna tenet. procumbite terræ,
Inſidumque caput, feriendaque tendite colla.
Et tu, quo ſolo ſtabunt iam robore caſtra,
Tyro rudis, ſpecta pœnas, & diſce ferire,
Diſce mori: tremuit ſæua ſub voce minantis
Vulgus iners, vnumque caput tam magna iuuentus
Priuatum factura timet, velut enſibus ipſis *Eloquentia*
Imperet inuito moriturus milite ferrum. *enſibus*
Ipſe pauet ne tela ſibi, dextræque negentur *imperat.*
Ad ſcelus hoc Cæſar, vicit patientia ſaui
Spem ducis, & iugulos, non tantum præſtitit enſes.
Nil magis aſſuetas ſceleri quam perdere mentes.
Atque perire timet. tam diri fœderis ictu
Parta quies, pœnaque redit placata iuuentus.

Eſt ſane magna vis orationis, nec mira videri debet eloquentia Hegeſiæ Cyrenaici philoſophi, qui de bono mortis, & vitæ malis tam efficaciter diſſeruit, vt multi manus ſibi inferrent, lacus, & præcipitia quærerent. Val. lib. 8. cap. 9. *Quantum eloquentia valuiſſe Hegeſiam Cyrenaicum philoſophum arbitramur? qui ſic mala vitæ repræſentabat; vt eorum miſeranda imagine, audientium pectoribus inſerta, multis voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem ingeneraret? Ideoque à Rege Ptolemæo vlterius hac de re diſſerere prohibitus eſt.* *Eloquentia diram mortis cupidinẽ mentibus impreſſit.*

Hinc & Herculis Gallicani fabulæ, & ad citharam ſtructæ Thebæ, arbores, feræq; ductæ, & inferi pacati narrantur, ob hanc cauſam. Nõ minus ad prouidentiam principis pertinet, bene dicendi, quam recte faciendi diſciplina. Nam cum infinita ſit multitudo, quæ principem interpellat, cum multi de illo optime ſint meriti, non poteſt omnibus re ipſa ſatis facere, itaq; benignis verbis opus eſt, vt erigat, ac ſuſtentet; multis enim verborum honorifica prolixitas gratior eſt, quam beneficia, quæ principes parum gnari eloquentiæ verborum aſperitate, & ſupercilio in odium adducunt: Tanta ſæpe ſuperbia, vt impetraſſe pœniteat. Nam ingratum eſt beneficium, cum odioſa oratione datum. *Non re omnibus poteſt, itaque verbo multis ſatisfacere debet princeps.*

Verbis facundis, ira, conſternatio, arma cedunt. Erudita enim eloquentia, & reges, quo vult ducit, & populos trahit. *Regibus exactis*, inquit, Val. l. 8. c. 9. *plebs diſidens à patribus, iuxta ripam fluminis Anienis in colle, qui ſacer appellatur, armata conſedit. Eratque non ſolum deformis, ſed etiam miſerrimus Reipub. ſtatus: à capite eius, cetera parte corporis peſtifera ſeditione diuiſa. Ac ni Valerij ſubueniſſet eloquentia, ſpes tanti imperij, in ipſo pene ortu ſuo corruiſſet. Is namque populum noua, & inſolita libertate temere gaudentem, oratione ad meliora, & ſaniora conſilia reuocatum, ſenatui ſubiecit, id eſt, vrbem vrbi iunxit; Verbis ergo facundis, ira, conſternatio, & arma ceſſerunt.* *Eloquentia arma cedunt.*

Bellum reſtaurat eloquentia.

Ex Græcia deinde nõ diſſimile exemplum producit. *Pericles autem feliciſſimis naturæ incrementis, ſub Anaxagora præceptore ſummo ſtudio perpolitus, & inſtructus, liberis Athena-*

Athenarum ceruicibus, iugum seruitutis imposuit: Egit enim ille vrbem, & versauit arbitrio suo. Cumq; aduersus voluntatem populi loqueretur, iucunda nihilominus, & popularis eius vox erat. Itaq; veteris comœdiæ maledica lingua, quamuis potentiam viri perstringere cupiebat, tamen in labris eius hominis melle dulciorem leporem fatebatur habitare: inque animis eorum, qui illum audierant, quasi aculeos quosdam relinquit prædicabat. Fertur quidam, cum admodum senex primæ concioni Pericli adolescentuli interesset, idemq; iuuenis Pisistratū iam decrepitum concionantem audisset; non temperasse sibi quo minus exclamaret, caueri illum ciuem oportere, quod Pisistratio rationi simillima eius esset oratio: Nec hominem aut æstimatio eloquij, aut morum augurium fefellit. Quid enim inter Pisistratum, & Periclem interfuit? nisi quod ille armatus, hic sine armis tyrannidem gessit?

Pericles eloquentiæ suæ Athenas sibi seruire coegit.

Eloquentia tyrannis laudatur.

De Constantino quoque tradit Victor; eum quod aut vix, aut multo sanguine obtinendum erat, eloquentia patrauisse.

§. 4. Verum duo considerandа sunt principi. Primum, vt diligenter animaduertat, ne eloquentia excolantur homines improbi. Deinde vt eloquentia sit suæ Reipublicæ accommodata.

Nō sine discrimine sunt eloquētiæ studiis imbuendi.

Primum necessarium est, nam fere eloquentiā potentia sequitur. Curiones, Alcibiades, & cæteri id genus arcendi sunt, ne cōtra Rempublicam armentur.

Eloquentia conueniens sit moribus.

Alterū est, vt eloquentia non existimetur vera, nisi quæ moribus populi accommodata est. Asiaticus orator, si Spartæ pigmenta verborū, & luxuriem adferat, id aget, vt cum ratione insaniat. Illis enim flumina verborum grata non sunt. Samii à Polycrate tyranno oppressi, cum supplices Lacedæmonios pro auxilio adissent, & calamitates suas longa oratione exposuissent; respōderunt illi, sane in aliena calamitate superbi, *priora se non meminisse, posteriora idcirco non intellexisse*; tum Samii vt ostenderent se quoq; posse λακωνίζειν, prolato panario, dixerunt; *illud pane egere*: & Lacedæmonii; *superfuturos* dixerunt *panes*; atq; ita tum illis auxilium decretum, ac datum est. Cum enim finis orationis sit, vt mentem alteri explices, atque illi, quod vis persuadeas, non est vtendum oratione, à qua alter alienus est. Optime dicit, qui accommodate non modo ad artem, sed audientium animos dicit, hæc enim summa artis existimatur. Omnia eloquentiæ tribuit calamitosa, sed tamen regia fœmina.

Spartani cognati Iudæorum, eorum gaudebant eloquentia.

Summū in rebus humanis persuadere alteri, quod velis.

Τί δῆτα θνητοὶ τ' ἄλλα μὲν μαθήματα
Μοχθοῦμεν, ὡς χρὴ πάντα, κ μαστεύομεν;
Πειθὼ δ' τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην,
Οὐδέν τι μᾶλλον ἐς τέλος ἀσκοῦμεν,
Μισθὸς διδόντες μανθάνειν. ἵν' ἤποτε
Πείθειν ἃ τις βούλοιτο, τοῦγχάνειν θ' ἅμα.

Quis tandem mortales aliis in disciplinis laboramus, & vt conuenit, inquirimus, Pitho seu suadam non potius sectamur, quæ reginæ est hominum, mercedem dantes, vt quod quispiam vult suadere possit, & assequi.

Si igitur auditor breuitatis est studiosus, breuiter persuadebis. Demetrius Phalereus concisa putat vehementius penetrare, & breuitatem cōuenire imperantibus. Breuia illa sunt Spartanorum, ad Argiuos: αἴκα, si ad Philippum; Διονύσιθ κορίνθιε, quin & leges eadem breuitate scriptas habebant. vere Charilaus: ὔπ ὀλίγα λέγωσι, ὀλίγων, κ νόμων δεῖ χρεία. *Cum paucis loquantur, paucis quoq; legibus egent.* Verum ea tanta breuitate vix vtendum censeo; nam cōtemptum magnum indicat, & in varias sententias trahi potest. Certe beneuolum, vnica sententiola nō facile efficies, magna tamen, & æternum duratura odia colliges, si velut acuto telo, intima fodias; profunda enim, & parua vulnera, vix curari possunt. Phocionis breuitas est vetustis laudata, cui cum quidam diceret σκεπτομένῳ ἔοικας ὦ φωκίων, *intente speculanti similis es ô Phocion*, respondit: *Dispicere quid eximere ab illis posset, quæ apud Athenienses dicturus esset.* Optime sane quæ sine causæ prejudicio eximere posset, considerabat, alioqui esset breuitas inornata, & noxia. Nam qui omittit illa, quæ dicenda sunt, prævaricatur, & ille quoq; reum prodit, qui illa quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda, cursim attingit. Qui vero peregrina, exotica, obscura inculcat, non ille ad persuadendum dicit, nec credi sibi vult, sed doctus videri.

Breuitas penetrat, copia tundit animum.

Breuitas ita tenenda est in oratione, ne vires minuantur.

CAPVT XXI.

Ratio, & methodus discendæ eloquentiæ.

§. 1. NON est mihi propositum Rhetoricen scribere, id multi, & docti, imprimis Tullius; & ante eum Aristoteles fecerunt: Verū quia principem instruo, qui oratores iuuentuti suæ præficiet, breuem praxin, pulcherrimæ scientiæ docendæ proponam, Supra enim protestatus sum, nihil esse Academiis pestilentius, quam si cuiq; ius sit suo arbitrio docendi: nam multis deest prudentia ordinis cōstituendi, pluribus laboris amor, & plerisq; cōstantia, sensim enim elanguescunt. Proponam itaq; leges, quas Rhetorices professori nostra Societas præscribit; tum vt illis respondeam, qui nostram docendi methodum ignorantes reprehendunt: tum vero, vt causam demonstrem, qua id efficiatur, vt ex scholis Societatis tot eloquentia insignes procedant. Sic itaque regulæ professoris habent:

Methodus docendæ eloquentiæ in Societate Iesu.

Gradus huius scholæ, non facile certis quibusdam terminis definiri potest: ad perfectam enim eloquentiam informat, quæ duas facultates maximas, Oratoriam, & Poeticam comprehendit (ex his autē duabus, prima semper partes Oratoriæ tribuantur) nec vtilitati solum seruit, sed etiam ornatui indulget.

Quid in Rhetoricæ doceatur.

Latissime sane patet eloquentia, vt præcedenti capite demonstraui: nec omnino perfecta est, sine aliarum cognitione scientiarum. Verum ita instruendi sunt adolescentes, vt communia præcepta, & exercitationem styli, ad alias scientias, quibus operam daturi sunt, conferre possint. Primæ orationi solutæ tribuuntur, quia eius est præcipuus vsus in Republica, & necessitas.

Præcepta eloquentiæ, & exercitatio ornamento sunt omnibus scientiis.

§. 2. Nec tamen poesis omnino negligenda etiam mediocribus ingeniis. Primo enim perfectiorem linguæ latinæ, & Græcæ cognitionem cōfert; nam poetæ, quasi alia loquuntur lingua. Deinde, nihil æque vtile est ad orationis vbertatem, & elegantiā, propter leges enim carminis, verborum, sententiarū, schematum varietas excogitatur. Nihil autē æque in adolescentibus laudandum, quam orationis copia, & quædam velut luxuries, cum enim nondum sit matura sapientia, quæ omnia nimium fluentia resecet, ac coerceat, debet tamen esse, quod olim maturior censura tollat. Vitis quæ prodige luxuriat, putationibus fœcundatur, quę superuacaneos palmites nō protrudit, ante autumnum exaresci t. Pessime itaq; ingeniis consulunt professores, qui epigrāmatis acutis, & sententiis exercent eos, qui nondum illa capiunt. Tam enim ingenia coarctant, quam illi, qui crescentia corpora minoribus, quam pro mensura vestibus includunt. Lata, & ex vsu materia detur, describant syluas, maria, pugnas, & omnium poetarum communes lusus, ortum, & occasum. Tertia carminis vtilitas, vt vsu, syllabarū tempora perdiscant. Vidi sane viros doctos, qui non modo pronunciare, & legere non audebant, sed neq; legendis poetis, de quantitate syllabarū constituere poterant. Hæc res tanta est, vt libertatem non modo perorandi, sed etiā priuatim loquendi. Semper enim timor errādi imminet: qui anxio metu sermonē opprimit. Hæc igitur stricta Rhetorica alterā admirabiliter adiuuat, vberē reddit, & exornat, vt libere loqui, & legere audeat, efficit. Denique numeros etiam oratio sibi deposcit, sed poeticos fere refugit, de quib. iudicare, nō nisi erudit⁹ potest. Cicer. sane in carmine pluri-

Omnes poesi commode dare operā possunt.

Orationis vbertas iuueni conuenit.

Argutiis eloquentiæ nō docenda.

Poeseos ignorantiæ non permittit libere loqui quenquam.

Poesis Ciceroniana eloquentiæ seruit.

plurimum elaborauit, sed Musis, & Apolline nullo. Hæc tamen exercitatio, ad eloquentiam illi fuit adiumento. Sed neq; tamen Ciceronis tam dure cẽsenda sunt carmina; nam ante eum quis Romanorum meliora scripsit? veteres ille legit, eorum modo locutus est. Nam Ciceronis tempore, oratio, & paulo post poesis effloruit. Sequuntur verba regulæ:

Eloquentia præceptis, stylo, eruditione continetur.

§. 3. *In vniuersum dici potest, tribus maxime rebus, præceptis dicendi, stylo, & eruditione contineri.*

Tria illa eloquentiam perficiunt, si naturæ bona adiuncta fuerint, ingenium, memoria, indoles, de singulis vero dicendum est.

Præcepta vndique petenda, sed prælegendus Cicero, & Aristoteles.

De præceptis ita sancit regula. *Præcepta etsi vndique peti, & obseruari possunt, explicandi tamen non sunt, in quotidiana prælectione, nisi Rhetorici Ciceronis libri, & Aristotelis tum Rhetorica, si videbitur, tum Poetica.*

Et in distributione temporis. *Secunda antemeridiana prælectioni detur, vel præceptorum, si à prandio explicetur oratio; vel orationis, si præcepta: dummodo in eo quod anni initio cœptum est, constantia seruetur. Succedat repetitio, & quando opus est, argumentum detur scribendæ orationis, vel carminis: reliquum, si quid est temporis, vel concertationi, vel iis, quæ prima hora scripserint, tribuatur.* Et: *Prima hora pomeridiana, habeatur post repetitionem postremæ nouæ prælectio, vel orationis, si mane præcepta exposita; vel præceptorum, si oratio. Huic repetitio de more succedat.*

Cicero præcepta necessaria iudicat.

Præcepta quidem necessaria esse, nemo dubitauit; *Ac mihi quidem videntur homines cum multis rebus humiliores, & infirmiores sint, hac re maxime bestiis præstare, quod loqui possunt. Quare præclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis præstent, ea in re hominibus ipsis antecellat. Hoc si forte non natura modo, neq; exercitatione cõficitur, verũ etiam artificio quodam comparatur: non alienum est videre, quæ dicant ij, qui quædam eius rei præcepta nobis reliquerunt. Sed antequam de præceptis oratoris dicamus, videtur dicendum de genere ipsius artis, de officio, de fine, de materia, de partibus. Nam, his rebus cognitis, facilius, & expeditius vnuscuiusq; animus ipsam rationem, ac viam artis considerare poterit. Ciuilis quædam ratio est, quæ multis, & magnis ex rebus constat. Eius quædam magna, & ampla pars est, artificiosa eloquentia, quam theoricam vocant. Nam neq; cum iis sentimus, qui ciuilem scientiam, eloquentia non putant indigere, & ab iis, qui eam putant omnem rhetoris vi, & artificio contineri, magnopere dissentimus.*

Præcepta illa Rhetorũ innumera sunt, & libri multiplices, vndique peti debent, nullus enim liber adeo malus est, qui non aliquid boni conferat. Sed nostra lex publice in scholis à solo Tullio, & Aristotele explicando peti iubet. Et quidẽ Ciceronem miror, cum lib. 2. de oratore ait: *Traditurum ea dun taxat, quæ ipsum vsus docuit*; additque, *vt nobis ducibus veniat eo, quo nos sine duce peruenimus, quoniam meliora docere non possumus.* Miror, inquam, cum habuerit tot Græcorum libros, & oratores quos audiit, vt ipse de se libro de claris oratoribus fatetur, sed ipse tamen altius euectus, omnes infra se reliquit. Aristoteles certe libros habuit, quibus ipse accurate illa tractauit, obscurior tamen est, & concisior, quam vt eius explicatio passim conueniat, præsertim in tribus Rhetoricorum libris. In Rhetorica ad Alexandrum planior est, & magnam diligentiam profitetur, sic enim exorditur: Ἐπεστειλάς μοι, ὅτι πολλάκις πολλοῖς πέπομφας περὶ ἡμῶν τυτὸ διαλεξομένοις ὑπὲρ ὧν χρὴ εἰδέναι σοι τὰς μεθόδους τῆς πολιτικῶν λόγων. ἐγὼ δ οὐδὲν ἧττον ἐβουλόμην ὑπερεβαλλόμην ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις, ἀλλὰ διὰ τὸ ζητεῖν ὕστως ὑπὲρ αὐτῶν χρὴ εἰδέναι σοι διηκριβωμένως, ὡς οὐδεὶς ἄλλῳ χέχρηφε πρὸ τοῦ περὶ ταῦτα πεπραγματευμένων.

Cicero sine duce ad eloquentiæ fastigiũ peruenit.

Aristotelis in Rhetoricis diligentia.

Sum tuis literis factus certior, nonnullos sæpe te ad nos misisse, qui vt ciuilium causarum præcepta ad te præscriberem, à me peterent. Ego vero haud negligentia quidem vlla, in hoc vsque tempus rem distuli, sed vt quærerem ita diligenter de his ad te scribere, vt alius certe nemo, qui hisce in rebus elaborasset, diligentius vnquam scripserit.

Iure igitur, ac merito eos auctores sequimur, sed præcipue Tullium latinũ latini, quiq; leges eloquentiæ nõ tantum in vmbra meditatus est, sed in campo, & puluere exercuit. Sincera itaq; præcepta tradidit, & quod caput est, tanta elegantia, & dignitate, vt cum in illis alii ieiuni sint, ipse in rebus tenuibus, maximã eloquentiam demonstrarit. Deinde à Cicerone si recedamus, quem tandem explicabimus? Quis enim literatorum nuper tam infans exstitit, cuius non aliqua Rhetorica in lucem prodierit? *Compendio leges illas docebis?* Non conuenit; eloquentiam nisi eloquenter doceas, elingues, & mutos reddes. Ipsa Rhetorica Soarii, & Tullio fere, & Quinctiliano collecta est, quæ tironibus initio proponitur, donec omnia præcepta, ex ipsis fontibus hauriant, atque hæc de præceptis.

Eloquentia eloquenter docenda est.

§. 4. De stylo, multa docent Rhetoris instructiones, præcipue Ciceronis. Caput est, vt quempiam imitatione effingendum sibi quisque proponat. Ita sane Cicero l. 2. de orat. *Ergo hoc sit primum in præceptis meis, vt demonstremus, quem imitetur, atq; ita, vt quæ maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur. tum accedat exercitatio, qua illũ, quem ante delegerit, imitando effingat, atq; ita exprimat, non vt multos imitatores sæpe cognoui, qui aut ea, quæ facilia sunt, aut etiam illa, quæ insignia, ac pæne vitiosa, consectantur imitando. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius, aut statum, aut motum. Si vero etiam vitiose aliquid est, id sumere, & in eo vitiosum esse, nõ magnum est, vt ille, qui nunc etiam, amissa voce, furit in rep. Fusius neruos in dicendo C. Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris prauitatem, & verborũ latitudinem imitatur, sed tamen ille, nec deligere sciuit, cuius potissimum similis esset, & in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. Qui autem ita faciet, vt oportet, primum vigilet necesse est in deligendo: deinde quem probauit, in eo quæ maxime excellent, ea diligentissime prosequatur. Quid enim causæ censetis esse, cur ætates extulerint singulæ, singula prope genera dicendi? quod nõ tam facile in nostris oratoribus possumus iudicare, quia scripta, ex quibus iudicium fieri posset, nõ multa sane reliquerunt, quam in Græcis: ex quorum scriptis, cuius q; ætatis quæ dicendi ratio, voluntas q; fuerit, intelligi potest. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles, atque Alcibiades, & eadem ætate Thucydides, subtiles, acuti, breues, sententiis magis, quam verbis abundantes. Non potuisset accidere, vt vnum esset omnium genus, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum. Consecuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias, multa Lysiæ scripta sunt, nonnulla Critiæ, de Theramene audiuimus. Omnes etiam retinebant tum illum Periclis succum, sed erant paulo vberiore filo. Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cuius è ludo, tanquam ex equo Troiano, innumeri principes exierunt: sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt.*

Imitatio caput est styli.

Imitari oportet optimorum optima.

§. 5. Quem igitur imitabitur adolescens, si non Ciceronem? Qui ante Ciceronem vixerunt, scripta non multa reliquerunt, iam nulla supersunt, qui secuti sunt, Cicerone inferiores sunt, & singuli peculiare quoddam dicendi genus secuti sunt. Et singulis sua quædam vitia fuere, maiora quam Tullio, & virtutes multo minores. Prima causa cur Ciceronem igitur proponamus, quia meliorem nemo dedit. Nullus veterum auctorum, reprehensiones effugit. Pericles, Thucydides, acuti, & inornati à multis iudicati sunt; Platonis σύγχυσιν confusionem, multi culparunt, multa eius inutilia, multa aliena veteres dixere. Ather. lib. 11. c. 22. dipnos. & Theopompus l. contra Platonis consuetudinem. Aristotelis accurata diligentia, & sæpe μικρολογία molesta fuit, propter obscuritatem vero multis displicuit, adeoque scriptis eius, sepiam interfusam fuisse iudicarunt. Sed vt à Græcorum litibus, atque æmulationibus recedam; de latinis agamus. Salustium *monstrosum, furem Catonis verborum*

Neminem Cicerone antiquiorem imitari possumus.

Vitia magnorum auctorum.

borum ineruditissimum affectatorem, vocauit Lenæus Pompei Libertus. Liuio Patauinitatem obiecit Trogus, Caligula verbosum arbitratus est. Seneca dum semper acute loqui desiderat, sæpe inanes argutias inculcat, & frigidas, eum tamen propter eloquentiam, pene Caligula sustulit è medio. Varronem tot modis ab æqualibus commendatum, Quintus Remius Palæmon porcum appellauit, omnibus aut vitia fuerunt, aut inuidia illis affinxit: Terentius, Virgilius, Cicero repetundarum à Græcis accusantur, sed Terentius, & Virgilius Græca in suam rem transtulisse gloriati sunt, Cicero vim Demosthenis, suauitatem Isocratis, copiam Platonis coniunxit, vt vere iudicauit Quintilianus. Nec nos ab eo deterrere debet, quod non omnium ipse auctor sit, sed allicere, vt eum imitemur, qui trium præstantissimorum oratorum, tres virtutes imitatione ita expressit, vt omnes superarit. Sed tamen inter suæ ætatis homines dictus est tumidior, asianus, redundans petitionibus nimium, in salibus aliquando frigidus, in compositionibus fractus, & elumbis. Quin & mollis à Bruto, ita idem Quintil. De tumore ipse fatetur, sed monitus à Molone correxit, atque vtinam similis in omnibus adolescentibus tumor esset. Cicero lib. 2. de orat. Tumor ille, apud populum ornatus est, apud senatum redundantia. Cætera vitia æmulorum sunt, non Tullii, quanquam nihil vetat, eum qui quotidie in senatu, vel iudiciis verba facit, multa dixisse, quæ ad incudem reuocaret. Quis nescit, quid inter concionatorem, bene paratum, & temporarium intersit? Nos de orationibus loquimur, quæ nobis sunt relictæ. Quæ hoc prærogatiuæ tulerũt, quod nullius oratoris Romani prioris, præter eas ætatem ferre potuerunt. Nec me Bruti mouet auctoritas, Stoicæ ille disciplinæ sectator, admiratorque Catonis politiorem orationem, & copiosam aspernatus est. Verum eos, qui hac in parte labores Societatis nostræ carpunt, atque alio aucant, testibus conuincam illis ipsis, quos mihi citarunt, & argumentum efficiam, cui nec ipsa calumnia respondere conetur. Magnus ille orator habendus est, cuius orationes effecerunt, vt omnium qui in Romana Republica eloquentiæ laude floruerunt, orationes legi desierint; idque in libera Republica, non timore, vel adulatione, sed liberrimo iudicio, etiam inimicissimorum. Deinde quem posteri imitati sunt: At Ciceroni id contigisse perspicuum est. In Bruto, ipse Brutus testis est, & ea quæ tum præsens erat experientia. *Curio fuit igitur eiusdem ætatis fere, sane illustris orator, cuius de ingenio, ex orationibus eius existimari potest. Sunt enim & aliæ, & pro Seruio Fuluio de incestu, nobilis oratio. Nobis quidem pueris omnium optima putabatur, quæ vix iam comparet, in hac turba nouorum voluminum. Præclare, inquit Brutus, teneo, qui istam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas. Certe enim, & boni aliquid attulimus iuuentuti, magnificentius, quam fuerat genus dicendi, & ornatius, & nocuimus fortasse, quod veteres orationes, post nostras, non à me quidem (meis enim illas antepono) sed à plerisque legi sunt desitæ. Enumera, inquit, me in plerisque, quanquam video mihi multa legenda iam te auctore, quæ antea contemnebam.*

Cicero à Græcis multa mutuatus est.

Vitia Ciceroniana orationis.

Vitia correxit Cicero.

Solæ Ciceronis orationes ætatem ferre potuerunt.

Ciceronis orationes veterum voluminа sustulerunt.

Optima veterum non cõparebant in turba nouorum voluminũ Ciceronis.

Hoc igitur mihi concedent; si aliquem Cicerone vetustiorem oratorem haberemus, eum tamen ad imitationem nõ esse proponendum, cum Roma eum editis Tullii voluminibus legere desierit, & velut glãdes inuentis frugibus aspernata sit veterẽ dictionem. At neq; sequens ætas, vllum tam stolide arrogantem inuenit, qui sese Tullio æquaret. Seneca sui temporis disertissimus, Tullium Romanæ eloquentiæ parentem agnoscit. *Cicero quoq; noster, inquit, à quo Romana eloquentia exstitit, gradarius fuit.* De compositione audiatur idem Seneca Ep. 100. *Lege Ciceronem, compositio eius vna est: pudem seruat, curata, lenta, & sine infamia mollis. At contra, Pollionis Asinij salebrosa, & exsiliens, & vbi minime expectes, relictura: Denique apud Ciceronem omnia desinunt: apud Pollionem cadunt: exceptis paucissimis, quæ ad certum modum, & vnum exemplar astricta sunt.*

Roma Ciceronis tẽpore, eum omnibus præposuit.

Seneca de Cicerone.

At epistola 114. videtur velle carpere Ciceronem, sed tamen nos potius, quia dubie loquitur, in bonam partem accipiamus. Nec Senecæ inuidiam imputemus, quasi ipse aliam dicendi formam secutus, Ciceronis stylum vituperarit, quod ideo facilius credetur ab illis, qui magnorum virorũ reprehensionibus gaudent; quia tradunt scriptores, Senecam à veterum oratorum lectione Neronem auertisse, vt eum diutius in sui admiratione detineret, locũ totum adscribam, quia de imitatione agit. *Ad compositionẽ transeamus. quot genera tibi dabo in hac, quibus peccetur? Quidam præfractam, & asperam probant; disturbant de industria, si quid placidius effluxit; nolunt sine salebra esse iunctura; virilem putant, & fortem, quæ aurem inæqualitate percutiat. Quorundam non est compositio: modulatio est, adeo blanditur, & molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua verba differuntur, & diu expectata vix ad clausulas redduntur? Quid de illa in exitu lenta, qualis Ciceronis est, deuexa, & molliter desinens, nec aliter quã solet, ad morem suum pedemq; respondens? Non tantum in genere sententiarum vitiũ est, si aut pusillæ sunt, & pueriles; aut improbæ, & plus ausæ, quã pudore saluo licet: sed si floridæ sunt, & nimis dulces, si in vanum exeunt, & sine effectu, nihil amplius quam sonant. Hæc vitia vnus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imitantur, & alter alteri tradunt. Sic Salustio vigente, amputatæ sententiæ, & verba ante expectatum cadentia, & obscura breuitas, fuere pro cultu. Arruntius vir raræ frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit, fuit Sallustianus, & in illud genus nitens. Est apud Salustium: Exercitum argento fecit, id est, pecunia parauit. Hoc Arruntius amare cœpit: posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: Fugam nostris fecere. Alio loco, Hiero rex Syracusanorum, bellum facit. Et alio loco: Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. Gustum tibi dare volui. Totus his contexitur liber. Quæ apud Salustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt, & pœne continua, nec sine causa. Ille enim in hac incidebat: at hic illa quærebat. Vides autem quid sequatur, vbi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Salustius: Aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli Punici ait; Repente hiemauit tempestas. Et alio loco, cum dicere vellet, frigidum annum fuisse, ait: Totus hiemauit annus. Et alio loco: Inde sexaginta onerarias, leues præter militem & necessarios nautarum, hiemante Aquilone misit. Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Salustius dicit: Inter arma ciuilia æqui boni famas petit. Arruntius non temperauit, quo minus primo statim libro poneret: Ingentes esse famas de Regulo. Hac ergo, & huiusmodi vitia, quæ alicui impressit imitatio, non sunt iudicis luxuriæ, nec animi corrupti.*

Varia dicendi genera.

Imitationes vanæ.

Quæ docti casu dixere, imperiti quærunt.

Lib. 2. nat. quæst. Cæcinnam aliquod nomẽ in eloquentia habiturum fuisse ait, nisi eum Ciceronis vmbra pressisset. Lucanus eidem testimonium præbuit.

Romani maximus auctor
Tullius eloquij, cuius sub iure, togaque
Pacificas sæuus tremuit Catilina secures.
Addidit inualidæ robur facundia causæ.

Quid Velleius Paterc. *Eloquentia vniuersa, sub principe operis sui erupit.* Plin. Ep. 20. *Ciceronis oratio optima, quæ longissima.* Et Fab. 12. 20. *Cicero in omnibus, quæ in quoquo laudantur, eminentissimus.* Quin etiam qui illi inimici fuerunt, non infantiam, *sed immoderatam eloquentiam* in crimen traxere; nemo enim sanus negauit eum esse disertissimum Romuli nepotum.

§. 6. Hoc tamen nonnulli carpunt; eos qui Ciceronem imitantur, non esse eruditos, Lipsium aut alium malunt, cuius in singulis periodis, in sententiis, vel sit acumen dignũ epigrammate, vel preciosum ex antiquitate verbũ, aut de optimis dictis Græcis hemistychiũ. Non me illa mouent; nam dũ illa studiose, putideque consectantur, non modo aridi, sed etiam barbari fi-

Ciceroniani eruditi sunt.

Iustus Lipsius Ciceronem imitandũ proponit.

bari fiunt. In eo styli genere peculiarissimum Iusti Lipsii donum fuit, & ipse tamen omnibus inculcat Ciceronis imitationem, suos imitatores detestatur, nec vllus vnquam, aut sane pauci sine ineptis argutiis id conatus est, quod Lipsius fecit. Quod si tamen ea lis intendatur Societati, non magno negocio depelletur ab eis, qui intélligunt aliud esse, æquabiliter, latine, considerate animi sententiam depromere, aliud saltuatim rapsodias concinnare. Veniat in medium Cœlius Rhodiginus, qui antiquariis omnibus oculos aperuit. Ille licet lapides loqui multis sæpe visus sit; nam tota eius oratio aspera est, & scopulosa, Ciceronem tamen veris laudibus prosequitur lib. 25. cap. 13. *Ac vt nostros inopia præteriisse non videamur, quid Cicerone largius, quem extra omnem ingenij aleam positum Plinius admiratur, & Quintilianus optimum dicendi magistrum pronunciat, Hieronymus in latini eloquij arce stetisse constetur: & Hortensio tantus Christianæ veritatis assertor Augustinus, salutem suam plane acceptam retulit? Quid eminentius? quæ aquarum fluenta adeo exuberant? quod pelagus inundat spaciosius? quod fulmen vibrat impetuosius? Raptare iudicem credas, inuoluere, præcipitem agere, proculcare, nec incendere auditorem modo, sed ipsum putes ardere. Animorum denique quendam credas Deum. Quicquid illi violentiæ obstitit ruenti, ac renititur, supra humanum captum est, ac censetur. Late in eo grassatur vis Demosthenis, renidet Platonis copia, abblanditur, allectat, afficit Isocratica iucunditas: cuius domus cunctæ Græciæ quasi ludus patuit, ac dicendi officina. Nec Lysiæ subtilitatem frustra desideraris, aut acumen Hyperidis, Aeschinis sonitum, Aphricani grauitatem, vel lenitatem Lælij. Vt tanto ferri minus posit Largi Licinij liber, qui prodigiose Cicero mastix inscribebatur. Quæ in aliis enituere singula, omnia in vno efflorescunt, & quidem summa, vt fœnum ceteros (vt aiunt) arbitrari possis. Quos si huic conferendos putes, nihilo plus agas, quam si actui potentiam, aut entelechiæ, quod in materia reconditum latitat, componere affectes. Comperias tamen, qui in tanto Oratore quippiam Asiatici tumoris olfactasse censorio ipsi tumentes supercilio contendant. De se vero ac Demosthene scribit M. Tullius. Vides, inquit, illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle, quocunque modo causa postulet, dicere. Postea sunt, qui mihi efferant laudibus Sallustij breuitatem. Taceo, quod Seneca scribit: Sallustio vigente amputatas sententias, & verba ante expectatum cadentia, & obscuram breuitatem fuisse pro cultu, quam raræ vir frugalitatis Aruntius sit imitatus in iis libris, quibus Punici belli historias est complexus. Est illa plausibilis vtique: Addo etiam, quod grauissimi autores dixere, immortalis. Quid tamen illi, cum occupato iudice? Neque ad hunc vsum Thucydidem valde probarim. Et quoniam magna nomina conuellere videmur, quibus assurrexisse, honestius multo fuerit: ea ipsa est M. Tullii sententia, à quo alibi quoq; ita proditum scimus. Breuitas, inquit, laus est, interdum in aliqua parte dicendi, in vniuersa eloquentia laudem nõ habet.*

Antiquarii mediocribus obscuri, doctis iactatores videntur.

Cœlii Rhodigini pro Cicerone testimoniũ.

Ex Tullianis igitur libris orationes exponuntur, vt eloquentiæ præcepta in illis magis eluceant, idque tota antiquitate probante. Nec alia tamen reiiciuntur scripta, nam regula sexta etiam aliorum expositionem admittit. *Prælectio duplex est. Altera ad artem pertinet, in qua præcepta; altera ad stylum, in qua orationes explicantur. In vtraque autem duo animaduertenda. Primum qui auctores ad prælegendum suscipiantur; Deinde quis modus interpretandi teneri possit. De primo satis dictum est regula prima: Vnus enim Cicero ad orationes, ad præcepta præter Ciceronem Aristoteles adhibendus. Oratio nunquam prætermittenda, præceptorum etiam explicatio toto fere anno continuanda esset: ingens enim est vis Oratoriorum præceptorum: huius tamen loco, vbi mos ferat, inclinante iam anno, alicuius autoris vsus, qui maiorem eruditionem, aut varietatem contineat, non interdicitur. Poetæ vero aliqua prælectio poterit interdum æstiuo tempore, vel præceptorum, vel orationis prælectionibus interponi.*

§. 7. Historici Liuius, Saluſtiusque præcipue exponuntur. De iudiciis aliorum non laboro, vtar eius, quem iam pro Cicerone excitaui, testimonio. *Alioqui*, inquit Cœlius lib. 25. cap. 3. *& amplitudo illa Patauini historici lactea, & redundans, itaque legentem sæpe afficiens, vt stupore quodam adobruat pene, alere longe pinguius ingenia mihi videtur: adeo, vt (sicut in pictores ille ait, qui nescirent manum de tabula) oculos à lectione reuellere nequeas. Ita dicendo non adumbrantur modo omnia, sed & exprimuntur graphice. Vbertas illa prædulcis, & austera tamen, nec decocta, nitida, sine labore (vt de Theophrasto Seneca scribit) efflorescens quoque, nec affusa modo nectare; sed quodam Circes (quam Deam intelligi voluit literarum princeps Homerus) delibuta veneficio est. Abire cupis, retinet blandis amoribus inenarrabilis facundiæ vastitas, quæ tamen vasta non est, sed compta honestius, culta pretiosius, expetitæ diuinitus, nusquam fucus puerilis, aut pigmenta inania, nusquam vibratior cincinnus. Non ades, prouocat prægustata amœnitas, Sirenum cantibus longe potentius, quam surdus demum remex pertransisse narratur: istam odore modo perceptam, nec cæcus quidem neglexisse possit. Iam quid de eruditione dicam? quæ in eo vno adeo scaturit subinde, adeo exultat multifaria, adeo ingeniosissimum quemque, aure bene vaporata, mox & acri perlota aceto, recondita rerum scientia lacessit, vt eo ipso anno, quo ista commentabamur, expressum auditoribus meis sit, quibus opera illa Patauii præstabatur, quibusque haud quaquam foret cornea fibra, plus se ex vno in T. Liuium dictato referre emolumenti, quam ex Sallustii decem, quem succisiuis diebus, hoc est, festis, enarrabamus. Putat nihilominus Pollio Asinius, huius viri phrasin quandam resipere Patauinitatem: opinor, quia nõ sit vrbanitate certa, id est vrbis Romanæ genuina proprietate, quasi colorata eius oratio, quæ inter legendum sentitur potius, quam exprimi oratione queat. Maius quippe recinit quiddam, & resonat vrbanius in Romanis scriptoribus, quam gentium reliquarum. Nam & Tincam Placentinum, hominem facetissimum Q. Granius præco, Romanus, obruebat nescio quo sapore vernaculo. Sic & Theophrastum diuinæ hominem eloquentiæ amicula hospitem appellauit, verbi vnius affectatione annotata.*

Liuii commendatio.

Sapor vernaculus.

Auditores illos Patauinos, nimium amasse ciuem suum credo: Quis enim non videt in Saluſtio maius ingenium, interiorem eloquentiam fuisse? Sane pares non habet Romana historia; Velleius contemnendus non est; Curtius in humanitatis schola solet prælegi. Tacitus omnes Romanos, & Græcos prudentia, & iudicio superauit, sed stylus eius concisior, & sententiis grauior, quam vt adolescentes capiant, vel imitari possint. Itaque legendus à doctis est, non proponendus tironibus.

Non magis Tacitum adolescentes, quam Pindarum possint imitari.

§. 8. Quod si quispiam ex me quærat, qua ratione illa explicentur, id quoque iam dicam: regula 7. ita de præceptis loquitur. *Quod autem ad interpretandi rationem attinet, si explicentur præcepta. Primo præcepti sensus aperiendus, interpretum collatis sententiis, si obscurior sit, nec inter eos conueniat. Secundo alii Rhetores, qui idem præcipiant, vel idem autor, si alibi idem præcipit, afferendus. Tertio ipsius præcepti ratio aliqua excogitanda. Quarto oratorum, ac poetarum loci aliquot similes, maxime illustres, in quibus eo præcepto vsi sint, adducendi. Quinto, si quid ex varia eruditione, & historia ad rem facit, addendum. Ad extremũ, quo modo ad res nostras accommodari possit, indicandum; idque quanto maximo fieri potest delectu, ornatuq; verborum.*

Quinquelis præcepti Rhetorici explicatione præstanda.

De oratione, vel poemate regula 8. in hunc modum. *Si vero explicetur oratio, vel poema. Primo exponenda sententia, si obscura sit, & variæ interpretationes diiudicandæ. Secundo tota artificii ratio, inuentionis scilicet, dispositionis, & elocutionis exploranda, quam apte se Orator insinuet, quam apposite dicat, vel quibus ex locis argumenta sumat ad persuadendum, ad ornandum, ad mouendum; quam multa sæpe præcepta vno, eodemq; loco permisceat, quo pacto rationem ad faciendam fidem, figuris sententiarum includat, rursusque figuras sententiarum figuris verborum intexat. Tertio loci aliquot, tum re, tum verbis similes afferendi, aliique*

Sex in expositione orationis, vel carminis considerandæ.

aliique Oratores, vel poetæ, qui eodem præcepto ad aliquid simile persuadendum, vel narrandũ vsi sint, producendi. Quarto res ipsæ sapientum sententiis, si res ferat, confirmandæ. Quinto ex historia, ex fabulis, ex omni eruditione, quæ ad locum exornandum faciant, conquirenda. Ad extremum verba perpendenda, eorum proprietas, ornatus, copia, numerus obseruandus. Hæc autem non ideo allata sunt, vt semper omnia consectetur magister, sed vt ex iis seligat, quæ opportuniora videbuntur.

§. 9. Non puto futurum, vt ex me quæratur huius interpretationis vtilitas, aut dignitas: sed potius mirari omnes, quomodo vnus homo tot, ac tam variis laboribus par esse possit. Labor enim totius diei est, in varias partes tributus. Nam primo recognoscit scriptiones, ac corrigit. Ingens enim ille labor, regula quarta describitur: *In scriptione corrigenda indicet, si quid in artificio oratorio, aut poetico, in elegantia, cultuq; sermonis, in connectenda oratione, in numeris concinnandis, in orthographia, aut aliter peccatum fuerit. si quis locus perperam, si obscure, si humiliter tractatus, si decorum minime seruatum, si qua digressio longior fuerit, & alia generis eiusdem. Deniq; oratione absoluta suam quisque, quam ante per partes attulerat, totam simul descriptam, aut saltem correctam præceptori offerat, vt eas esse ab omnibus perfectas appareat.*

Corrigendi Rhetorum themata magnus labor, infinita.

Decem in orationis correctione proponuntur, in explicatione quinque, in themate alia, sed modum quo suos præceptores efformat societas professores, postea explicabo.

§. 10. Exercitationes sunt, & quidem quotidianæ, regula quinta. *Exercitationes discipulorum, dum scripta magister corrigit, erunt exempli gratia, locum aliquem poetæ, vel oratoris imitari; descriptionem aliquam, vt hortorũ, templorum, tempestatis, & similium efficere; phrasin eandem modis pluribus variare; græca orationem latine vertere, aut contra; poetæ versus tum latine, tum græce soluto stylo complecti; carminis genus aliud, in aliud commutare; Epigrammata, Inscriptiones, Epitaphia condere; Phrases ex bonis oratoribus, & poetis, seu græcas, seu latinas excerpere, figuras Rhetoricas ad certas materias accommodare; ex locis Rhetoricis, & topicis plurima ad rem quampiam argumenta depromere, & alia generis eiusdem.*

Scriptionum exercitationes.

De argumento, & genere compositionis, decernit regula nona. *Dictandum argumentum orationis, vel initio cuiusq; mensis totum, vel singulis hebdomadis per partes (singulis enim mensibus ad summum singulæ absoluendæ orationes) sit autem breue, quod per omnes eat orationis partes; locos confirmationis, & amplificationis figuras præcipuas, quæ adhiberi possent, locos aliquos bonorum authorum ad imitandum, si videbitur, indicet. Interdum demonstrato scriptore aliquo, ad cuius imitationem orationem informent, verbo tenus res proponatur.*

In singulis thematis quos imitetur ostendat.

Et regula 10. *Carminis etiam argumentum, aut scripto, aut verbo, vel solam significando rem, vel certa adiecta sententia tradi potest; idq; aut breue, vt Epigrammatis, Odæ, Elegiæ, Epistolæ, quod singulis vicibus expediatur; aut longius, vt pluribus vicibus quemadmodum orationem, sic poema contexant.*

Omnis illa varietas cõuenit ingeniosis, tardiores in vno alteroue exerceri possunt.

Et regula 19. *Poterit interdum magister, breuem aliquam actionem, Eclogæ scilicet, Scenæ, Dialogiue discipulis argumenti loco proponere: vt illa deinde in schola distributis inter ipsos partibus, sine vllo tamen scenico ornatu, exhibeatur, quæ omnium optime conscripta sit. Nec modo magistro exhibenda, sed publicis etiam exhibenda iudiciis.*

Regula 18. *Affigantur carmina scholæ parietibus, alternis fere mensibus ad aliquem celebriorem diem exornandum, vel magistratus promulgandos, vel alia quapiam occasione, selectissima quæque à discipulis descripta. Imo etiam pro regionum more aliquid prosæ breuioris.*

Plurima scribenda sunt.

§. 11. Omnis hæc eo pertinet exercitatio, vt plurimum sese scribendo, dicendoque exerceant. Nam eloquentia maxime exercitatione addiscitur. Lubet nostræ ætatis admirari negligentiam, ex veterum diligentia æstimatam. De Octauiano Augusto scribit Suetonius. *Eloquentiam, studiaque liberalia ab ætate prima cupide, & laboriosissime exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie fertur. Nam deinceps neque in Senatu, neq; apud populum, neq; apud milites locutus est vnquam, nisi meditata & composita oratione, quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret; aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua grauiores, non nisi in scriptis, & è libello habebat, ne plus minusue loqueretur ex tempore. Pronunciabat dulci, & proprio quodam oris sono, dabatque assidue Phonasia operam: sed nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est.*

Augusti egregia diligentia.

Omnia admirationem augent. Iam erat annorum octo & decem, cupide à prima iuuentute se exercuit: Mutinensi bello, vbi de fama, opibus, vita, contra potentes hostes pugnabat, quotidie legit, scripsit, declamauit, vt genuinum Ciceronis discipulum agnoscas. Ciceronem præcipue legisse, ex superioribus constat.

Affixiones, & declamationes ideo proponuntur, vt mutuas censuras exerceant, & profectus sui specimen publice præbeant. Videmus sane ea re mirifice ingenia excitari. Frustra omnium præceptorum oratoriorum leges ediscent, frustra omnia legent, oratores sine exercitio non euadent, legenda arte gladiatoria, aut spectanda, nemo miles euadit, opus est ferire palum, armis, vallisque grauari, & scopum iudicro telo tetigisse, vt hostem aliquando cædas. Tullius oprimus dicendi magister, & exemplar lib. 1. de orat. hanc præcipue laudat. *Caput autem est, quod (vt vere dicam) minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere, stilus optimus, & præstantissimus dicendi effector, ac magister: neque iniuria. Nam si subitam, & fortuitam orationem commentatio, & cogitatio facile vincit: hanc ipsam profecto assidua, ac diligens scriptura superabit, omnes enim siue artis sunt loci, siue ingenij cuiusdam, atque prudentiæ, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, acquirentibus nobis, omnique acie ingenij contemplantibus, ostendunt se, & occurrunt: omnesque sententiæ, verbaq; omnia, quæ sunt cuiusq; generis, maxime illustria, sub acumen stili subeant, & succedant necesse est: tum ipsa collocatio, conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed quodam Oratorio numero, & modo. Hæc sunt, quæ clamores, & admirationes, in bonis oratoribus efficiunt, neq; ea quisquam, nisi diu, multumq; scriptitarit, etiam si se vehementissime in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur: & qui à scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, vt, etiam subito si dicat, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur: atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur, vt concitato nauigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa nauis motum, & cursum suum, intermisso impetu, pulsuque remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine, & vi concitata.*

Exercendo omnes artes discuntur.

Scribendi vtilitates.

§. 12. Duplicem exercitationem eodẽ loco prodit. Nam & latinam orationem, aut versus aliis verbis exprimebat, in quo hoc vitii fuisse ait, quod alii iam optima verba occupassent, vel græca vertebat. *Postea, inquit, mihi placuit, eoque sum vsus adolescens, vt summorum Oratorum græcas orationes explicarem, quibus lectis hoc assequebar, vt cum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem, non solum optimis verbis vterer, & tamen vsitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ noua nostris essent, dummodo essent idonea.*

Ciceronis in vertendis Græcis studium.

Quæ potest esse spes eloquentiæ nobis, si tantum à Cicerone absumus, & omnis scribendi materia longa est? Quam facilis causa adolescentes à scribendo, imo loquendo auocat? Pudet dicere, præceptori se laborare credunt, cum thema offerunt. Grauiter errorem illum insectatus est Ludouicus Viues comm. in l. 22. c. 11. Aug. de ciuit. Dei. *Profecto fuit in M. Tullio*

diuina

Nostra diligentia cũ studio Ciceronis comparata.

diuina vis ingenij, qui mediis totius terrarum orbis negotiis, & tumultibus, ita cum lubitum est, seipsum seuocauit, vt non solum tempus inueniret, quo legeret, sed etiam quo illa conscriberet, quæ non satiamur mirando. Sacerdotiolum vnius, aut alterius annui sestertij, aut procuratiuncula perexigua, perq; facilis si cui contingat nostrum, tam impeditos nos ac implicitos censemus, vt missionem à literis omnibus legitimam impetrasse nos existimemus, & iniuria non parua affici, si ad eas reuocemur. Quod si omnino literas tractamus vllas, primũ omnium ingentes scilicet, ac intolerabiles occupationes nostras obiectamus, & inculcamus ad fastidium, deplorantes subinde illas, & miserandas aliis ostentantes, multumque imputantes publicis commodis, si quid illorum gratia inter tot ingruentia, quibus obruimur, negotia, sit à nobis elaboratum. Erubescamus, per Musas omnes, ocios parenti & eloquentiæ Romanæ, & philosophiæ Latinæ lapsum vllum qualemcunque opprobrare, cum doctiora sint illius errata, quam nostra omnia benedicta.

Quantũ illi à Bruto, cui ætas Ciceronis cedebat, fasces que submittebat, recesserant? *Dicendi*, ait ille, *non tam me fructus, & gloria quam studium, exercitatioque delectat, quod mihi nulla res eripiet, te præsertim tam studioso.* Ita plane suam adolescentiam describit Cicero de Claris orat. Quotidie à se in concionibus auditos oratores, *Sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, cum Cotta est expulsus, reliquos frequenter audiens, acerrimo studio tenebar, quotidieque & scribens, & legens, & commentans, oratoris tantum exercitationibus contentus non eram.* Et: *Quotidie commentabar declamitans, idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius.* Hæc mihi proponenda fuerunt, vt viri docti, qui aliter sentiunt, aperte intelligant, quo auctore quotidianas scriptiones, prosæ, carminis, latinas, græcas exigant, quotidianisque declamationibus scholæ resonent. Nam aliquando mihi propositum est, de crebritate scriptionum, quibus ego ostenso Ciceronis exemplo, sine meis verbis satisfeci. Et sane si Tullius rediuiuus, exercitationes illas spectaret, id solum moneret, vt se quisque accuratissime, laboriosissimeque exerceret. Nam peruerse loquendo, peruerse loqui, & male scribendo, male scribere consuescunt. Vidi adolescentes, qui tribus mensibus, exercitatione diligenti, stylum mutarunt, vidi qui post biennium humiliter, abiecteque scribebant, quia nunquam humo attollere calamum voluerunt.

Societatis scholæ Ciceronis exercitia penitus exprimunt.

Nisi cura scribendi sit male scribere discũt.

Pronunciationis exercitatio necessaria.

§. 13. Dixi de scriptione, sequitur, vt agam de pronunciatione. Ita regula 16. *Declamatio, vel prælectio, vel carmen, vel græca oratio, vel carmen simul, & oratio Humanistis conuenientibus postrema semihora antemeridiana ab vno, aut altero discipulorum è suggestu, alternis sabbathis habeatur.*

Et 17. *In aula, temploue grauior oratio, aut carmen, vel vtrumque, nunc Latine, nunc Græce; vel declamatoria actio, expositis vtrinque rationibus, lataque sententia, singulis fere mensibus habeatur; non tamen, nisi recognita, & approbata, à præfecto studiorum superiorum.*

Et 19. *Poterit interdum Magister breuem aliquam actionem, Eclogæ scilicet, Scenæ, Dialogiue discipulis argumenti loco proponere: vt illa deinde in schola distributis inter ipsos partibus, sine vllo tamen scenico ornatu, exhibeatur, quæ omnium optime conscripta sit.*

Nulla pars eruditionis politioris negligenda est.

Huc facit etiam regula 12. *Concertatio seu exercitatio sita erit, tum in corrigendis iis, quæ alter æmulus in alterius oratione deprehenderit; tum in iis, in quibus prima hora se exercuerit, inuicem proponendis; tum in figuris dignoscendis, aut conficiendis; tum in Rhetoricæ aut Epistolarum, aut carminum, aut historiæ præceptis reddendis, applicandisue; tum in exponendis auctorum locis difficilioribus, & difficultatibus explanandis; tum in moribus antiquorum, rebusque ad eruditionem pertinentibus exquirendis; tum in hieroglyphicis, symbolis Pythagoreis, apophtegmatis, adagiis, emblematis, ænigmatisque interpretandis; tum in declamando, & similibus ad præceptoris arbitrium.*

Omnia illa formant, perficiuntque oratorem, etiam comœdiarum actiones, & disputantium concertationes. Inutilem verecundiam excutiunt, audaciam præbent, vocem confirmant. In elocutione enim, oratoris maiestas elucet, ipse vultus, vox, spiritus, est qui animis audientium dominatur. *Accedat*, inquit Tullius lib. 2. de orat. *oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, vt, tanquam Phidias, Mineruæ signum efficere posit: non sane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex minora illa opera facere discat, laborabit.*

§. 14. Nec vox modo politur, & illustratur, sed vrbanior quoque redditur, si frequenti actione loquendi instrumenta exerceantur; nam diuersas nationes lingua etiam vna loquentes, ex sibilis, & proprietate quadã distinguimus; est enim aliquid quod audiri potest, explicari nequaquam potest. Eadem omnibus loquendi instrumenta dedit natura, linguam, labra, dentes, palatum, omnia illa inexercitatis agrestiora sunt, multumque à vulgo trahunt, nisi sedulo exerceantur. Miro enim modo superioris labii pars, quam φίλτρον appellant, & inferioris quæ τύπος dicitur loquendo attemperatur, ipsa prominentia, & περσμία, loquendi certas ducit notas. Lingua etiam assuetudine ita in partem ducitur, vt mutari haud facile queat. Causa alia non est, quam consuetudo, & ex motu facta natura, quemadmodum enim fidicinum articuli, mollissime, celerrimeque chordarum discrimina feriunt; ita quoque verba ex vsu formantur, cur enim Chinenses incolæ literas, quæ celeri aeris crispatione, & linguæ quasi plectri percussu exprimuntur, vt sunt L. & R. efferre non valent, nisi quia linguam in illud non exercuerunt? Sane retulit mihi Nicolaus Trigautius noster, eos qui Europæis familiariter vtuntur, literas illas sensim exprimere.

§. 15. Plurimum etiam delicatissimum aurium iudicium, rhythmo adiuuatur, qui non nisi sono vocis notatur, qua facultate eum destitui necesse est, qui non frequenter dicentes audiuit, nec ipse dixit. Numerosam vero orationem esse oportere monet Aristoteles lib. 3. Rhet. c. 8. Τὸ δὲ ῥῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτε ἄῤῥυθμον· τὸ μὲν γὰρ ἀπίθανον, πεπλάσθαι γὰρ δοκεῖ, τὸ δὲ ἅμα καὶ ἐξίστησι· προσέχειν γὰρ ποιεῖ τῷ ὁμοίῳ, πότε πάλιν ἥξει. ὥσπερ οὖν τῶν κηρύκων προλαμβάνουσι τὰ παιδία, τὸ, τίνα ὀρεῖται ὄπίσω· ὁ ἀπελαυνόμενος, κλέωνα. τὸ δὲ ἄῤῥυθμον, ἀπέραντον. δεῖ δὲ περαίνεσθαι μέν, μὴ μέτρῳ δὲ· ἀηδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον. περαίνεται δὲ ἀριθμῷ πάντα. ὁ δὲ ῥυθμὸς τῆς λέξεως ἀριθμός, ῥυθμοῦ δὲ ἐστιν, οὗ καὶ τὰ μέτρα μόρια· διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον, μέτρον δὲ μή. πόίημα γὰρ ἔσται· ῥυθμὸν δὲ μὴ ἀπλῶς. τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν μέχρι τοῦ ἧ. τῶν δὲ ῥυθμῶν, ὁ μὲν, ἡρῷος, σεμνὸς καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δέομενος· ὁ δὲ ἰαμβεῖος, αὐτὴ ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι.

Figuram autem elocutionis, oportet neque metri compotem esse, neque rhythmi expertem: illud enim minus appositum est ad persuadendum. nam esse fictum videtur: & simul etiam auocat. nam vt attendatur facit, quando simile rursus veniet, sicut præcones præoccupant pueri, quem eligat patronum is, qui manumittitur, Cleonem. Quod autem sine rhythmo est, sine termino est. Oportet vero terminari, non metro. iniucundum enim est, & non accommodatum cognitioni, quod non terminatur. Terminantur autem numero omnia. At figuræ locutionis numerus est rhythmus, cuius etiam metra segmenta sunt. Quamobrem rhythmum oportet habere orationem, non metrum: alioqui poëma erit.

Neque

Neque rhythmum exquisite. Id autem erit, si quadantenus sit. Ex rhythmis vero Herous grandis, & dictioni accommodatus, & harmoniæ indigens. Iambus autem ipsa est elocutio multitudinis. Quamobrem maxime omnium metrorum iambica affundunt, qui loquuntur.

Quin etiam vox ipsa vibratur, & meatus læuigantur, & paratur dicendi confidentia, cum recte cessisse meminit. Verum nihil æque voci necessarium est, quam moderatio, seu mutatio crebra, vt omnibus sit affectibus accommodata. Atque hæc vna est ratio, cur exercitandæ iuuentuti crebro dialogismos, comœdiolas, concertationes iniungamus, ea namque ratione vocem ad omnes animorum motus flectere condiscunt; multo melius quam Gracchiana fistula. Sed hæc quoque res olim summis oratoribus curæ fuit. Cicero lib.3. de orat. *Ad actionis autem vsum, atq; laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet, quæ primum est optanda nobis: deinde, quæcunque erit, ea tuenda: de quo illud iam nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum voci seruiatur: equidem magnopere censeo seruiendum. Sed illud videtur ab huius nostri sermonis officio non abhorrere, quod, vt dixi paulo ante plurimis in rebus quod maxime est vtile, id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem in dicendo obtinendam nihil est vtilius, quam crebra mutatio; nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid ad aures nostras, & actionis suauitatem, quid est vicissitudine, & varietate, & commutatione aptius? Itaque idem Gracchus, quod potes audire, Catule, ex Licinio, cliente tuo, literato homine, quem seruum sibi ille habuit ad manum, cum eburneola soltus est habere fistula, qui staret occulte post ipsum, cum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter, eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut à contentione reuocaret. Audiui, mehercule inquit Catulus, & sæpe sum admiratus hominis cum diligentiam, tum etiam doctrinam, & scientiam. Ego vero, inquit Crassus, ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in Republica esse delapsos: quanquam ea tela texitur, & ea incitatur in ciuitate ratio viuendi, ac posteritati ostenditur, vt eorum ciuium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum, & te ad Gracchi fistulam refer: cuius ego nondum plane rationem intelligo. In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum cuique voci: hinc gradatim ascendere vocem vtile, & suaue est. Nam à principio clamare, agreste quiddam est, & illud idem ad firmandum est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen inferius est, quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, & tamen ab ipsa contentione reuocabit, Est item contra quiddam in remissione grauissimum, quoque tanquam sonorum gradibus descenditur. Hæc varietas, & hic per omnes sonos vocis cursus, & se tuebitur, & actioni afferet suauitatem: sed fistulatorem domi relinquetis, sensum huius consuetudinis, vobiscum ad forum deferetis.*

Præcipuum tamen est, vt audiendo, & loquendo quasi vrbanitate quadam coloretur oratio. Sed quis est ille vrbanitatis color? Respondet Tullius de claris oratoribus: *Nescio, inquam, tantum esse quendam scio. id tu, Brute, iam intelliges, cum in Galliam veneris, audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ: sed hæc mutari, dedisciq; possunt. Illud est maius, quod in vocibus nostrorum Oratorum recinit quiddam, & resonat vrbanius: nec hoc in Oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris: ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Qu. Granio præcone dicacitate certare. Eon' inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: Sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo: vt ego iam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet: & respondisset illa, atque addidisset, hospes, non pote minoris: tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnium (sicut opinor) in nostris est quidam vrbanorum, sicut ille Atticorum sonus.*

Vrbanitas.

§.16. Magno igitur, & toto pene fructu laborum, discipulos priuant, qui hæc quasi accidentaria contemnunt; vel quia res magni laboris est, vel quia præceptores ipsi, agendi leges ignorant, vel quia discipulis est hac in parte ingrata institutio, nam vocem, & gestum corrigere, vt plurimum, tacitam rusticitatis habet exprobrationem. *Actio nullo modo contemnenda.*

§.17. De latinis quæ dixi, in Græcis quoque intelligi velim, quamuis in illis minus fere proficere discipulos animaduertã, quod minus illa lingua amatur, nec eam vtilitatem habere multis videtur. Quæ tamen de illis nobis constituta sunt, non omittam.

Secunda hora, ait in distributione temporis, *pomeridiana, Græci auctoris postrema prælectione repetita, noua explicetur, atque exigatur. Reliquum tempus modo corrigendis Græcis scriptionibus, modo Græcæ syntaxi, & arti metricæ, modo Græcæ concertationi reseruetur.* *Græca lectioni tempus constitutum est.*

Regula 13. auctorum delectus nobis, præstantissimosque indicat. *Græca prælectio, siue Oratorum, siue historicorum, siue poetarum non nisi antiquorum sit, & classicorum, Demosthenis, Platonis, Thucydidis, Homeri, Hesiodi, Pindari, & aliorum huiusmodi (modo sint expurgati) inter quos iure optimo SS. Nazianzenus, Basilius, & Chrysostomus reponendi. Ac priore quidem semestri oratores, aut historici interpretandi; interponi autem poterunt semel in hebdomade, aliqua epigrammata, vel breuia poemata: posteriore vicissim explicetur poeta, interiecto semel oratore, aut historico. Interpretandi ratio, quanquam quæ eruditionis, artisq; sunt, respuere omnino non debet; proprietatem tamen potius, vsumq; linguæ spectabit. Quamobrem locutiones aliquæ, singulis prælectionibus dictandæ.*

Regula quarta decima, de præceptis Græcis ita cauet. *Græca syntaxis, & syllabarum dimensio, ineunte anno, alternis diebus, si sit opus, explicanda, syntaxis quidem breuiter, præcipua quædam capita recolendo.*

Vltima pars est de eruditione, de qua ita scribitur regula 15. *Eruditionis causa die vacationis pro historico, & poeta liceat interdum alia magis recondita proferre, vt hieroglyphica, vt Emblemata, vt quæstiones, ad artificium poeticum spectantes, de Epigrammate, Epitaphio, Ode, Elegia, Epopœia, Tragœdia, vt de senatu Romano, de Athenienſi, de vtriusque gentis militia; vt de re hortensi, vestiaria, de Triclinio, de Triumpho, de Sibyllis, & aliis generis eiusdem, modice tamen.* *Hæc vt oratori latino scitu necessaria sunt, ita non omnia tradi possunt in scholis, libri tamen vnde petant, demonstrãdi.*

Latissime itaque patet, quam vocamus eruditionem, omnemque historiarum, & antiquitatis cognitionem amplectitur. Hoc est historiæ, & eorum quæ illi adnexa sunt, vt leges, instituta, mores, scientia.

CAPVT XXII.

Posse principem professores habere, qui hæc omnia præstent.

§.1. REM accuratius consideranti, arduum sane videbitur, hominẽ inuenire, qui tot, tamq; varia præstare, aut velit, aut possit. Nec inficias eo, labores hac in re esse maximos; quosdam etiam meorum collegarum ingeniosissimos in illo cursu, dum studendi ardore metam præteruolant, vitam posuisse, non sine dolore recordor. *Docere laboriosum est, sed hoc modo docere laboriosissimum.*

Rationem vero, qua hac in re Societas nostra vtitur, sine vlla dissimulatione proponam, nam & alios professores ad eam normam instituere principes, & Reipublicæ poterunt, qui nostræ Societatis opera non vtuntur, & cæteris religiosis ordinibus, qui iuuentutem erudiunt, hæc inutilia esse non possunt. Optimorum enim magistrorum insignia quædam seminaria, instituere magna vtilitate concedetur.

§.2. Primum igitur est, vt in cœtum illum futu-

rorum professorum, non nisi idonei admittantur. Societas de admittendis in suorum numerum generatim ita definit. Const. p. 1. cap. 2. *In vniuersum loquendo de iis, qui admittendi sunt, quo pluribus Dei donis naturalibus, &, infusis præditi ad promouendum iuxta Societatis institutum, diuinum seruitium; & quo certioribus experimentis perspecti fuerint, eo magis idonei erunt, vt in eam admittantur.*

Ad professionem qui admittēdi.

Hæc in suo seminario Respublica curabit.

Quod ad externa attinet, honesta specie, sanitate, ætate, & viribus ad labores corporis, qui in societate se offerunt, sufferendos præditi esse deberent; & qui habere, vel certe habituri esse aliquando talentum aliquod, ad eam iuuandam viderentur.

Admittere homines difficili admodum ingenio, vel inutiles congregationi, licet ipsismet non inutile foret admitti, considerantes tamen instituti nostri finem, ac procedendi modum, persuademus nobis in Domino, ad ipsius maius seruitium, & Laudem non expedire.

Princeps nō professorū, sed aliorum quoq; similem delectum faciet.

Qui ad hoc admitterentur, vt in rebus spiritualibus societatem iuuarent, considerando, quid huiusmodi ministerium requirat, vt animæ proximorum iuuentur, sequentibus donis Dei, ornari deberent.

Quod ad intellectum attinet, doctrina sua, vel aptitudine ad eam addiscendam, & in rebus agendis discretione, vel certe indole boni iudicij ad eam acquirendam.

Quod ad memoriam, aptitudine ad percipiendum, & fideliter præcepta retinendum.

Quod ad voluntatem, vt vniuersæ virtutis, & perfectionis spiritualis studiosi sint; quieti, constantes, strenui in iis, quæ ad diuinum seruitium aggrediuntur; quique zelum habeant salutis animarum, & ea de causa ad nostrum institutum (quod ad illas iuuandas & disponendas ad vltimi sui finis de manu Dei creatoris nostri ac Domini, consecutionem, recta tendit) sint affecti.

In exterioribus exoptanda est sermonis gratia, ad agendum cum proximis perneccessaria.

Species honesta, quæ ædificationi esse solet iis, quibuscum agitur.

Bona valetudo, ac vires, quibus ferre possint instituti nostri labores.

Ætas, quæ ad ea, quæ dicta sunt, conueniat: quæ quidem vt admittantur ad probationem, excedere debet decimum quartum annum; vt ad professionem vero, vigesimum quintum.

Dona externa nobilitatis, diuitiarum, bonæ famæ, & similia, vt non satis sunt, si desint alia, ita cum alia suppetent, hæc non erunt necessaria: quatenus tamen ad ædificationem faciunt, reddunt magis idoneos, vt admittantur, qui sine ipsis alioqui essent idonei propter dotes alias prædictas, in quibus quo magis præcelluerit, qui admitti cupit, eo magis erit ad hanc Societatem aptus ad domini Dei nostri gloriam; quo vero minus excelluerit, eo minus erit idoneus. Quæ tamen mensura omnibus in rebus retineri debeat, vnctio sancta diuinæ sapientiæ eos docebit, qui id curæ ad eius obsequium, ac laudem vberiorem susceperunt.

Quo maturiore consilio se Deo iungunt, eo constantiores sunt, & feruentiores.

Huiusce modi adolescentes, si Respublica seminario deputet, non est dubium, quin copiam doctorum breui magnam habitura sit.

§. 3. Hos, vel dum Rhetorices hæc studia absoluerunt, vel cum Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethices, & Mathematices cursum peregerunt, Societas admittit. Rhetorices auditores difficilius, quia quamuis multi maturo, prudentique iudicio sint, malumus tamen per triennium audienda philosophia, & iudicium crescere, & diuturnitate, constantiam roborari.

Professores futuri ad pietatē instruendi.

§. 4. Biennio integro, in domo probationis, ad pietatem instituuntur, & in singulos dies, omnes tota vita subeundi labores inculcantur. Quam rem optime regulæ magistri nouitiorum declarant, & in libello de secretis Societatis Iesu ostendi. Sexto quoque mense literas apostolicas, regulasque nouo studio examinant, vires, animumque suum pertentant. Qui finito biennio nobis probati fuerint, si & ipsi velint, vota paupertatis, castitatis, obedientiæ Deo offerunt. Paratosque esse eos oportet, ad quæuis ministeria, functiones, laborandi, docendi, concionandi, in vtramque Indiam, & in mortem pro conuersione gentium, proficiscendi. Idque perpetuo monemur, ne vllam ex laboribus humanā recompensationem quæramus; sed totum Deo offeramus. Hoc quamuis ad studia non pertineat, fundamentum tamen studiorum est. Qui enim alium quam Dei gloriam; iuuentutis, & quæ ex ea pendet, Reipublicæ salutem, habet sui laboris propositum scopum; nunquam in tanto labore perseuerabit. Qui vero contumelias, irrisiones, vincula, carceres, naufragia, barbarorum ἀνθρωποφαγίας, longas in totam vitam molestias, sponte elegerunt, minoribus scholarum laboribus, quanquam nulla illis in hac vita remuneratio respondeat, non fatigantur.

Docendi labor leuis est illi, qui ad barbaros catechizandos, & martyrium ā primos firmauit.

§. 5. Si igitur aliqua Respublica eo modo professores instituat, idque caueat, ne per momentaneos labores trium, quatuorue annorum ad quietem aspirent, & honores aucupentur, iuuentutem egregie tuebitur, atque erudiet. Nunquam enim studia serio tractant, qui velut ex via ea salutant, alioque tendunt, & vt dicere solent, ad maiora se natos arbitrantur.

Qui per studia ad honores tendit, etiam ad eos festinat.

§. 6. Biennium tirocinii, quanquam in virtutis, & Christianæ philosophiæ exercitatione ponatur, profectum tamen in literis non mediocrem habet; consortio enim doctorum hominum, lectione librorum sacrorum, meditatione, concione, necesse est illos fieri doctiores.

Tirocinium pietatis etiam doctiores facit.

§. 7. Peracta probatione, nuncupatisque votis, si philosophiam ante audierunt, biennium aliud conceditur, literis humanioribus, ac philosophiæ repetendæ. Quod quanti momenti sit, nemo non intelligit. Nam adolescentes, qui iam ante bonos progressus fecerunt, sine vllo alio labore, sine vlla cura studiis duntaxat incumbunt. Hoc tempore dicendi præcepta, oratores, historias, omnem antiquitatis memoriam recolunt, prælectiones olim exponendas præuident, quæ in vsum futura sunt, notant, orationum, & carminum dictandam materiam concipiunt, & scribunt, & quemadmodum Cicero non in forum venit, vt disceret, sed quæ iam didicerat adferebat, ita nostri quoque professores non imparati ad labores proruunt, sed veniunt meditati.

Studiorum vtilissima eruditio.

§. 8. Si philosophicis scientiis nondum imbuti sunt, integro triennio in illis, non modo Gymnasii exercitationibus, sed etiam domesticis institutionibus studiosissime erudiuntur; & tamen interea quotidianæ sunt eloquentiæ quædam exercitationes, & sub finem philosophiæ, aliquot menses se totos humaniorum literarum studio dedunt.

Philosophicæ exercitationes miscentur eloquentiæ studio.

§. 9. Hæc igitur ad instruendos magistros magnopere conducunt, & operæ precium esset, omnes Respublicas sibi legem illam statuere, quæ nostris præpositis prouincialibus lata est, & quarta est in ordine earum, quæ sunt de studiis. *Multo ante prouideat, quosnam pro vnaquaque facultate professores habere possit, obseruatis iis, qui ad eam rem videntur aptiores, qui docti, diligentes, assidui; ac profectus studentium, tum in lectionibus, tum in aliis literariis exercitationibus studiosi sint.*

Quantum genia rex aliquis docendæ iuuentuti impendere possit, quos deinde interuallo ad Remp. admoueat?

Neque enim viri eruditi nascuntur, sed fiunt. Sed vt tales fiant, nulli sumptui parcendum est: omnibus modis, commodisque inuitandi sunt. Idem cæteris commendatur, regula Rectoris nona diserte cauet de humaniorum literarum professoribus. *Ne magistri classium inferiorum, docendi rudes ad docendum accedant, Collegij ex quo humaniorum literarum, & Grammaticæ*

maticæ magistri solent educi. Rector deligat vnum aliquem docendi peritissimum, ad quem sub finem studiorum ter in hebdomada per horam conueniant, proxime futuri præceptores ad nouum instituendi magisterium; idque vicissim prælegendo, dictando, scribendo, emendando, aliaque munia boni præceptoris obeundo.

Ab inferioribus auspicantur.

§. 10. Postquam autem iam in Gymnasia processerunt, omnibus esse instructi videntur, non continuo ad ea, quæ possunt docere, docendaque mittuntur, sed ab inferioribus incipiunt: Grammaticam docent, qui in poëti & oratoria facultate cum laude versari, & florere poterant. Cuius rei duplex est vtilitas; Prima, quod sine labore magno, & sollicitudine faciliora explicent, qui maiora poterant; qui enim vallum, & cibaria ferre possunt, armis non magis, quam membris ferendis fatigantur: Qui difficilima Tullii, Virgilii, Horatii, aliorumque iam callet, illi faciliorum expositio, familiare colloquium est, non professio. Altera est, quod succisiuis horis, & priuato studio grandiora tractare possunt, atque ita paratissimi, ad maiores scientias accedere. Denique omnia hæc in discipulorum emolumenta redundant; Fieri enim non potest, quin magister doctus, & multæ lectionis, etiam aliud agens, multa erudita spargat, quæ licet non omnibus, tamen animis capacioribus inhærent.

Post humanorum literarũ professionem, Theologorum fiunt discipuli.

§. 11. Hoc cursu humaniorum literarum euoluto, ad Theologiam quadriennio audiendam mittuntur; quo tempore, & philosophiam repetunt, & ad eam docendam accinguntur. Imo vero multi iam philosophicis, & Theologicis studiis nobiliter eruditi vt maiore iudicio eloquentiam doceant, ad illa studia redeunt.

Nihil arduum humilitati.

§. 12. Omnia illa leuia reddit; primum obedientia, qua omnia velut à Deo iussa alacriter excipiunt; neque quid agant, sed quanta diligentia, caritate, humilitate officio fungantur, attendunt: Nam & humili loco norunt esse positum altissimum præmium, & quisque abiectus esse in domo Dei elegit.

Otium professori necessarium.

§. 13. Carmina, inquit ille, secessum scribentis, & otia quærunt. Plurimum societatis professoribus otii est, sed otii negocioſi, otii literarii. Primo quidem ex animi libertate, qui in suam potestatem se plenissime vendicauit, cum se alienæ omnino subdidit voluntati; itaque nec de præsenti statu queruntur, nec de futuro cum sollicitudine cogitant; cum cæteri hominum fere de venturis suspensi præsentia præterlabi sinant. Nulla etiam eos victus, aut vestium, aut viatici in senectutem congerendi cura torquet. Non vxorum, aut liberorum, nepotumue grauis molestia. Non conuiuia, & ebrietates, quæ tempus delectando furantur, & morbis, doloribusque post voluptatem infestant. Prandium media hora, cœnula etiam citius absoluitur; nec tamen illa refectio selectissimæ lectionis expers est: de his plura dixi libello de secretis nostræ societatis. Plurimum etiam iuuat, multorum, & doctorum familiaritas, & colloquia, quæ sæpe studio ipso vtiliora sunt. Denique librorum copia, quam pro sua facultate collegia quæque curare solent. Illum etiam post Deum, thesaurum nostrum vocare solemus. Hunc in modum si princeps collegium aliquod ex quocunque ordine religiosorum, vel Canonicorum instituerit, sane quam optime prouinciis consuleret, constantesque haberet sapientiæ doctores.

Qui crescere exoptat, totus ad futuros euentus conturbatur.

CAPVT XXIII.

Philosophia vtilis est Reipublicæ, & quomodo docenda?

Philosophi vrbe sæpe pulsi.

§. 1. MVLTORVM in philosophos, ac philosophiam acerba sunt, & olim fuerunt iudicia. Nam pulsos è Republica supra dixi aliorum libri exusti sunt. Numæ regis Romani libri Græca lingua conscripti, in conspectu Quiritium, auctoritate senatus incensi sunt. Lactant. lib. 1. capit. 22. Eodem iudicio Labieni monumenta, Sen. cent. 10. & Cremutii Cordi Tac. libr. 4. ann. & vita Agricolæ, *Ingeniorum clarissimorum monumenta exusta queritur.* Alcius, & Philiscus Roma pulsi sunt, L. Posthumio consule. Antiochus etiam regno philosophos pepulit, assectatoribus suspendium, parentibus eorum graues pœnas comminatur. Anno vrbis 593. senatusconsulto vrbe exire iussi sunt. Anno 615. intra diem decimum Chaldæi exire vrbe, atque Italia iussi. Athenienſium legatos philosophos Carneadem, & Diogenem Cato censuit, aut in vrbem non admittendos, aut continuo dimittendos. Plutarch. in Catone. Imo vniuersim Græcos pellendos censuit; *Quandocunque gens ista suas literas dabit, omnia corrumpet*, inquit. De Lysimacho, Sophocle, Agrippa, Tiberio, Nerone, Domitiano, Vespasiano, Messeniis prolixe noster Lælius lib. 3. cap. 7.

Vitia philosophorum.

§. 2. Deinde, de innumeris vitiis, philosophos accusant, magno fastu omnes despiciunt, & sese mirantur. Tertio, non modo vitiosi videntur esse, sed philosopho vitioso nihil vitiosius, cum non sophi, sed asoti sint, Saluian. lib. 1. cap. 4. de vero iudicio, & prouid. Dei. *Nihil est*, inquit, *philosopho turpius, vitia obscena sectanti, quia præter eam deformitatem, quam vitia in se habent, sapientiæ nomen plus notatur.* At Philosophi fuere vitiosissimi, non illi modo de quibus Plautus, Curc. act. 2. sc. 3.

> *Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant,*
> *Qui ambulant suffarcinati cum libris, cum sportulis,*
> *Constant, conferunt sermones inter se, tanquam drapetæ:*
> *Obstant, obsistunt cum suis sententiis;*
> *Quos semper bibentes esse videas in Oenopolio.*
> *Vbi quod surripuere operto capitulo caldum bibunt,*
> *Tristes atque ebriosi incedunt.*

Principes veterũ philosophorum magi fuere.

Sed principes eorum quoque. Nam præterquam quod plerique magicas artes didicerunt, vt de Pythagora, Empedocle, Democrito, Platone, docet Plinius lib. 30. cap. 4. Ægyptios enim & Chaldæos adierunt, in quibus sincerioris philosophiæ parum, superstitionis multum fuit. De Pythagora sane Laertius scribit; Seditiosum, & quod seditionis ansam præbet, tyrannidis fuisse cupidum. Quin & illud quantum abest à philosophiæ præceptis, quod idem Laertius, & Hermippus tradunt. Cum enim in Italiam venisset, vt impostura rudes populos deuinciret, subterraneam domum fecit, matri vt quicquid interea apud superos contingeret, annotato tempore in tabulas referret, mandauit, ac cum post annum, squalore, ac macie pene enectus emergeret, lectis clam tabulis omnia mirantibus enarrauit, apud inferos autem fuisse se mentitus est, vt ea ratione diuinitatis opinionem aucuparetur. Quam pernicio- *Fœda Pythagoræ impostura.*
sus Empedocles, qui famosæ mortis amore, in candentem se Ætnam præcipitem egit? Socrates quoq; *Exotica vitia philosophorum.*
si Aristophani credimus, strophas illas docuit, quibus iuris specie, summa iniuria homines afficiun- *Socrates.*
tur, nempe facere τὸν ἥττονα, τὸν κρείττονα, *malam causam dicendo bonam facere.* Porphyrius de illo, ex Aristoxeno

stoxeno scribit. Libidinosum, fuisse, furentissime irasci solitum, parenti grauem, omnibus vitiis turpissimum. Plato non multo discipulus melior magistro, fœdæ libidinis mancipium, iræ obnoxius scurrilis dicacitatis, monstrorum Ægyptiorum sacris initiatus, conuiciator, maledicus, vanus, gloriæ auidus. Athen. lib. 1. cap. 22. denique magister tyrannorum.

Plato.

Aristoteli non minora vitia fuere, si Laertio credimus, Hermiæ concubinæ, amoris impotentia, quasi Eleusinæ Cereri sacrificauit. De Diogene Cynico, & tota illa cohorte canum, atque Epicureorum grege loqui nos sane vetat turpitudo: ipsi Stoici quantis in sceleribus docendi, viuendique versati sunt? Dei prouidentiam fato astrinxerunt, libertatem, atque omnem peccandi differentiam sustulerunt. Seneca Stoicus, quique philosophos omnes loquendi sanctitate anteceſſit, apud Tacitum ann. 13. & Dionem in Nerone; adulteriorum cum fœminis principibus accusatur. Hinc & Lucianus omnium, maxime philosophorum irrisor, veneno illam confert, quæ immodice sumpta, vt cicuta, aliaque perimunt, itaque ne noxia sit delibandam tantummodo esse. Adferunt deinde scita summatum philosophorum, absurda, atque à politia penitus abhorrentia, vt apud Platonem est, omnium rerum, etiam vxorum communio. Deinde ad res ciuiles inepti iudicati sunt; Antonius apud Ciceronem lib. 1. de orat. Socratem ob imperitiam dicendi, putat esse damnatum. Denique causa illa acta est apud Senecam lib. de vita beata, capit. 17.

Seneca.

Reipublicæ inutiles.

Quare tu fortius loqueris, quam viuis? Quare superiori verba summittis; & pecuniam necessarium tibi instrumentum existimas, & damno moueris; & lacrymas, audita coniugis, aut amici morte, dimittis; & respuis famam, & malignis sermonibus tangeris? Quare cultius rus tibi est, quam naturalis vsus desiderat? Cur non ad præscriptum tuum cœnas? Cur tibi nitidior suppellex est? Cur apud te vinum ætate tua vetustius bibitur? Cur autem domus disponitur? Cur arbores præter vmbram nihil daturæ, conseruntur? quare vxor tua, locupletis domus censum auribus gerit? quare pædagogium pretiosa veste succingitur? quare ars est apud te, ministrare: nec temere, & vt libet, collocatur argentum, sed perite seruitur, & est aliquis scindendi obsonij magister? Adijce, si vis, cur trans mare possides? Cur plura, quam nosti, possides? turpiter aut tam negligenses, vt non noueris pauculos seruos: aut tam luxuriosus, vt plures habeas, quam quorum notitiæ memoria sufficiat. Adiuuabo postmodum conuitia, & plura mihi, quam putas, obijciam: nunc hoc respondebo tibi. Non sum sapiens, &, vt maleuolentium tuam pascam, nec ero. Exigo itaque à me, non vt optimis par sim, sed vt malis melior: hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, & errores meos obiurgare. Non perueni ad sanitatem, ne peruenjam quidem: delinimenta magis, quam remedia podagræ meæ compono, contentus si rarius accedit, & si minus verminatur. Vestris quidem pedibus comparatus, debilis cursor sum. Hæc non pro me loquor: ego enim in alto vitiorum omnium sum: sed pro illo, cui aliquid acti est. Aliter, inquit, loqueris: aliter viuis. Hoc per maligniſsima capita, & optimo cuique inimiciſsima, Platoni obiectum est, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi viuerent, sed quemadmodum viuendum esset. De virtute, non de me loquor: & cum vitiis conuitium facio, in primis meis facio. cum potuero, viuam, quomodo oportet. Nec malignitas me ista multo veneno tincta, deterrebit ab optimis. ne virus quidem istud, quo alios spargitis, vos necatis, me impediet, quo minus perseuerem laudare vitam, non quam ago, sed quam agendam scio: quo minus virtutem adorem, & ex interuallo ingenti reptabundus sequar. Exspectabo scilicet, vt quicquam maleuolentiæ inuiolatum sit, cui sacer nec Rutilius fuit, nec Cato? Cur & aliquis non istis diues nimis videatur, quibus Demetrius Cynicus parum pauper est? O virum acerrimum, & contra omnia naturæ desideria pugnantem! hoc pauperiorem, quam ceteri Cynici, quod cum sibi interdixerit habere, interdixit & poscere. Negant satis egere. Videsenim? Non virtutis scientiam, sed egestatis professus est. Diodorum Epicureum philosophum, qui intra paucos dies finem vitæ suæ, manu sua imposuit, negant ex decreto Epicuri feciſse, quod sibi gulam præsecuit. alij dementiam videri volunt, factum hoc eius, alij temeritatem. Ille interim beatus, ac plenus bona conscientia, reddidit sibi testimonium vita excedens, laudauitque ætatis in portu, & ad ancoram acta quietem: & dixit, quod vos inuiti audistis, quasi vobis quoque faciendum sit

Nō viuunt suis legibus philosophi.

Aliter viuunt, aliter loquuntur.

Cynici pauperes.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.

De alterius vita, de alterius morte disputatis: & ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum, minuti canes, latratis. Expedit enim vobis, neminem videri bonum: quasi aliena virtus, exprobratio delictorum vestrorum sit. Inuiti splendida, cum sordibus vestris confertis, nec intelligitis, quanto id vestro detrimento audeatis. Nam si illi qui virtutem sequuntur, auari, libidinosi, ambitiosique sunt: quid vos estis, quibus ipsum nomen virtutis odio est? Negatis quenquam præstare quæ loquitur, nec ad exemplar orationis suæ viuere. Quid mirum? cum loquantur fortia, ingentia, omnes humanas tempestates euadentia? cum refrigere se crucibus conentur, in quas vnusquisque vestrum clauos suos ipse adigit? ad supplicium tamen acti, stipitibus singulis pendent. Hi qui in semetipsos animaduertunt, quot cupiditatibus, tot crucibus distrahuntur: & maledici, in alienam contumeliam venusti sunt. Crederem illis, nisi quidam ex patibulo suos spectatores cōsuerent.

Non sunt veteres philosophi innocentes, sed malieorum accusatores.

Non præstant philosophi, quæ loquuntur? multum tamen præstant, quod loquuntur, quod honesta mente concipiunt. Nam si & paria dictis agerent, quid esset illis beatius? Interim non est, quod contemnas bona verba, & bonis cogitationibus plena præcordia. Studiorum salutarium, etiam citra effectum, laudanda tractatio est. Quid mirum, si non ascendunt, in altum ardua aggressi? sed viros suspice, etiam si decidunt, magna conantes. Generosa res est, respicientem non ad suos, sed ad naturæ suæ vires, conari alta, tentare, & mente maiora concipere, quam quæ etiam ingenti animo, adornatis effici possint. Qui sibi hoc proposuit: Ego mortem eodem vultu audiam, quo videbo ego laboribus, quanticunque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus: ego diuitias, & præsentes, & absentes æque contemnam: nec si alicubi iacebunt, tristior; nec si circa me fulgebunt, animosior. ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. ego terras omnes tanquam meas videbo, meas tanquam omnium. ego sic viuam, quasi sciam aliis me natum: & naturæ rerum hoc nomine gratias agam. Quo enim melius genere negotium meum agere potui? Vnum me donauit omnibus: vni mihi omnes. Quicquid habebo, nec sordide custodiam, nec prodige spargam. nihil magis possidere me credam, quam bene donata: non numero, nec pondere beneficia, nec vlla, nisi accipientis æstimatione, pendam. Nunquam id mihi multum erit, quod dignus accipiet. Nihil opinionis causa, omnia conscientiæ faciam: populo teste fieri credam, quicquid me nescio faciam. Edendi erit bibendique finis, desideria naturæ restinguere, non implere aluum, & exinanire. Ego amicis iucundus, inimicis mitis, & facilis, exorabor antequam roger, honestis precibus occurram. Patriam meam esse mundum sciam: & præsides Deos supra me, circaque me stare, factorum, dictorumque censores. Quandocunque autem natura spiritum repetet, aut ratio dimittet, testatus exibo, bonam me conscientiam amasse, bona studia: nullius per me libertatem imminutam, minime meam. Qui hoc facere proponet, volet, tentabit, ad Deos iter faciet.

Hanc ad normam philosophe Christiano viuendum est.

Quæstiones philosophis propositæ.

§. 3. Tota disputatio eo redit, an philosophorum vitia, obesse philosophiæ debeant? Responsio facilis, non oportere; omnia plena sunt malis, publice vitia obtinent, sed philosophorum notantur. Crudelissimi tyrannorum, perditissimi nepotum de Socrate, & Platone, & Seneca loquuntur.

Tenenda

Principi commendatur philosophia.

Tenenda igitur est philosophia, sine qua in barbariem respublica desinet. Christiani principes Theodosius, & Valentinianus, eam amplexi sunt: *Et quoniam non his tantum artibus gloriosam adolescentiam optamus institui, profundioris quoque scientiæ, atque doctrinæ memoratis magistris sociamus authores. Vnum igitur cæteris adiungi volumus, qui philosophiæ arcana rimetur.* Philosophia enim diuinum donum est, amor sapientiæ, imo amor diuinus: Moses, Salomon alii in hac exercitatissimi, vitæ integritatem scientiæ iunxerunt; nec alia mens virorum sanctissimorum fuit, Dionisii, Heraclæ, Pantæni, Clementis, Athenagoræ, Iustini, Basilii, Nazianzeni, Nysseni, Hieronymi, Hilarii, Augustini, qui non modo Philosophi fuerunt, sed ex philosophorum quoque libris, ad virtutem profecerunt.

Imperium recipit philosophos.

Multi philosophi sancti.

Verissime scripsit Augustinus; *Philosophum non temere haberi alium, quam Dei amatorem.* Hanc Theophrastus vitæ ducem, vitiorum expultricem appellat, hanc si quis è vita sustulerit, magis peccabit, quam si in conuiuio lucernam extinxerit. Multa sunt eius commoda, & crebro latentia: Eretriensis pater cum verberum minis à filio discipulo Zenonis exigeret imperiose quid didicisset, prudenti est responso iedatus: *Hoc se philosophiæ acceptum referre, quod æquo animo, parentis ferre iram posset.*

§. 4. Deinde decreta philosophię optima sunt, & omnibus vitiis, etiam minimis conuitia faciunt. Pauci sine illis virtutem capiunt. Quid ergo, (inquit, Seneca Epist. 95.) *Non quidam sine institutione subtili euaserunt probi, magnosque profectus assecuti sunt, dum nudis tantum præceptis obsequuntur? Fateor: sed felix ingenium illis fuit, & salutaria in transitu rapuit. Nam vt Dii immortales nullam didicere virtutem, cum omni editi, & pars naturæ eorum est, esse bonos: ita quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem, in ea quæ tradi solent, perueniunt sine longo magisterio; & honesta amplexi sunt, cum primum audierunt. Vnde ista tam rapacia virtutis ingenia, vel ex se fertilia? At illis aut hebetibus & obtusis, aut mala consuetudine obsessis, diu rubigo animorum affricanda est. Ceterum vt illos in bonum pronos citius educit ad summa, & hos imbecilliores adiuuabit, malisque opinionibus extrahet, qui illis philosophiæ placita tradiderit: quæ quam sint necessaria, licet videas: Quædam insident nobis, quæ nos ad alia pigros, & alia temerarios faciunt. Nec hæc audacia reprimi potest, nec illa inertia suscitari, nisi causæ earum eximantur, falsa admiratio, falsa formido.*

Virtutem docet philosophia.

Legatur & Epistola 17. quæ vim eius satis exponit. At nunc frustra quæstionem eam disputamus, cum omnium gentium Christianarum mores, legesque eam complectantur, hoc igitur mihi exponendum, quomodo illa docenda sit. Nam politice etiam hanc moderari debet.

§. 5. Initio igitur Respublica, philosophiæ amatrix, hanc suis legem professoribus ponet, vel etiam iuramento exiget, vt ita philosophiam doceant, quo ad grauiores scientias, medicinam, Iurisprudentiam, Politicen, Theologiam, quasi per adminicula veniant. Societas potissimum, præsertim in suis, Theologiam spectat, ita regula prima, professoris. *Quoniam artes, vel scientia naturales ingenia disponunt ad Theologiam, & ad perfectam cognitionem, & vsum illius inseruiunt, & per se ipsos, ad eundem finem iuuant: eas, qua diligentia par est, præceptor in omnibus sincere honorem, & gloriam Dei quærendo, ita tractet, vt auditores suos, ac potissimum nostros, ad Theologiam præparet, maximeque ad cognitionem excitet sui Creatoris.*

Philosophia ita docenda Christianis, vt seruiat aliis scientiis.

Sic etiam Constit. pag. 4. cap. 12. §. 3. Dialectica quidem omnibus, physica medicis, Ethica iurisperitis, Metaphysica Theologis est necessaria, sed omnes tamen philosophiæ partes, omnibus scientiis, & auxilio sunt, & ornamento.

Philosophia in omnibus scientiis viuit.

Atque hoc est, quod D. Thomas monuit, philosophiam velut pedissequam, Theologiæ ancillari. Ita olim quoque vsitatum fuit, vt dicerent, *incipere Christiana mysteria, vbi desinunt dogmata philosophorum, Platonis fastigia, limen esse Christianorum.* Per vmbram intellexisse hoc Plato videtur, qui philosophum Dei amatorem, vt ex illo etiam Augustinus memorat, vocauit: officium vero eius esse, vt diuina optime, & quantum ratio patitur, nouerit, humanas vero res, nullo modo destituat, sed in illis ad prudentiæ normam disponendis, operam studiumque collocet

Ita diuina contempletur, vt humana non deserat.

Id vero ideo non maiore modo cautela, sed imperio etiam, ac pœnis curabit respublica, quia philosophorum est incredula natio, & ad intelligentiæ fallacem trutinam, omnia expendit, nisi rationis iudicium diuinæ subiicias censuræ. Alioqui pulsat inanis philosophia, non adit veritatem. Egregie Tert. aduersus hæreticos in præscript. cap. 7. *Hæ sunt doctrinæ hominum, & dæmoniorum, prurientibus auribus, natæ de ingenio sapientiæ seculi, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confessionem etiam ipsius philosophiæ elegit. Ea est enim materia sapientiæ sæcularis, temeraria interpres diuinæ naturæ, & dispositionis. Ipsæ denique hæreses, à Philosophia subornantur.*

Philosophia fidei est subiicienda.

Inde Æones, & formæ, nescio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: à Stoicis venerat. Et vti anima interire dicatur, ab Epicureis obseruatur. Et vt carnis restitutio negetur, de vna omnium philosophorum schola sumitur. Et vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est: & vbi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus interuenit. Eædem materiæ apud hæreticos, & philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur. Vnde malum, & quare? & vnde homo, & quomodo? Et quod proxime Valentinus proposuit, vnde Deus? Scilicet de enthymesi, & ectromate, inserunt Aristotelem, qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibiipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit. Hinc illæ fabulæ, & genealogiæ indeterminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpentes, velut cancer, à quibus nos Apostolus refrænans, nominatim philosophiam testatur caueri oportere, scribens ad Colossenses: videte, ne quis vos circumueniat per philosophiam, & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, præter prouidentiam Spiritus sancti. Fuerat Athenis, & istiam sapientiam humanam, affectatricem, & interpolatricem veritatis, de congressibus nouerat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum inuicem repugnantium. Quid ergo Athenis, & Hierosolymis? quid Academiæ, & Ecclesiæ? quid hæreticis, & Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat: Dominum in simplicitate cordis esse quærendum. Viderunt qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum, Christianismum protulerunt. Nobis curiositate opus non est, post CHRISTVM IESVM, *nec inquisitione, post Euangelium.*

Hæretici à philosophis.

Philosophia inanis fidē implicat.

§. 6. Si quid Aristoteles, aliique contra Orthodoxam fidem habent, id serio refutent. Sedulo id in nostris professoribus cautum est, Reg. 2. 3. 4. *In rebus alicuius momenti, ab Aristotele non recedat, nisi quid incidat à doctrina, quam Academiæ vbique probant, alienum, multo magis, si orthodoxæ fidei repugnet: aduersus quam, si quæ sunt, illius aliusue philosophi argumenta, strenue refellere studeat, iuxta Lateranense Concilium.*

Errores Aristotelis, & aliorum refutandi sunt.

Aristotelis interpretes, male de Christiana religione meritos, non sine magno delectu, aut legat, aut in scholam proferat; caueatque, ne ergo illos afficiantur discipuli.

Eam ob rem, nec Auerrois (idem de eiusmodi aliis iudicium) digressiones in separatum aliquem tractatum conferat; &, si quid boni ex ipso proferendum sit, sine laude proferat; &, si fieri potest, id eum aliunde sumpsisse demonstret.

Impii & in religionem nostram blasphemi commendari non debent.

§. 7. Quia vero certamina sectarum interdum oriuntur,

riuntur, omnino conueniet, in quacunq; Republica, per visitatores, & magistratus inquiri, quam quisque sententiam doceat; Nam reuera affectio, & admiratio eorum auctorum, adolescentes in pericula maniũ & falsarum opinionum, in magicas præstigias, in atheismum præcipitat, de Cardano, Massilio, aliisque meminisse mens horret, quos nimium sciendi studium, de religione dubios, mori coegit. *Discede ab Ethnico hæretice, reddè illis sensus suos, quia nec ille de tuis instruitur.* Olim iam in eam peccatum esse ostendit Cyrillus Catech. myst. 18. Quid impietatem, & licentiã de atheismo veterum animare iuuat? Quid vt subtiloquentiæ gloriam aucuperis, de damnatis nominibus, & erroribus nomen trahere gestis? Tot sanctorum Philosophorum monumenta sunt in manibus, tu adire Patriarchas hæreticorum, tibi gloriæ ducis?

Quas sententias doceant ipse magistratus indaget.

Sectæ philosophorum veteres non sunt reuocanda.

Sectarum innumeræ olim fuerunt acies, Erethriaca, Epicurea, Cyrenaica, Megarica, Theodoria, Pyrrhonia, Stoica, Peripatetica, Academica vetus, & noua, Cynica, Potamonia, Eliaca, inter horologia potius, quam inter philosophos conueniet. Cito defecerunt, quæ celeriter caput extulerunt Academici veteres, & minores antistitem nullum reliquerunt; Quis est, qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidiosæ turba Scholæ præceptorem non inuenit, Sextiorum noua, & Romani roboris secta, inter initia sua, cum magno impetu cœpisset, exstincta est. Veritatem igitur secundum piorum philosophorum, & Academiarum sententiam doceat, cuicunq; Christiana iuuentus est commissa.

Philosophũ decet constans virtus

§. 7. Officium quoque suum agnoscat, quod vita, non sola disputatione continetur. Aureum Romani Sapientis est monitum Ep. 20. *Illud autem, mi Lucili, te rogo, atque hortor, vt philosophiam in præcordia ima demittas, & experimentum tui profectus capias, non oratione, nec scripto: sed animi firmitate, & cupiditatum diminutione. Verba rebus proba. Aliud propositum est declamantibus, & assensionem coronæ captantibus, aliud his, qui iuuenum, & otiosorum aures, disputatione varia, aut volubili detinent. Facere docet philosophia, non dicere: & hoc exigit, vt ad legem suam quisque viuat, ne orationi vita dissentiat, vt ipsa inter se vita vnius, sine actionum dissensione, coloris sit. Maximum hoc est, & officium sapientiæ, & indicium, vt verbis opera concordent, vt & ipse vbique par sibi, idemque sit. Quis hoc præstabit? pauci, aliqui tamen. Est difficile hoc: nec dico sapientem semper vno iturum gradu, sed vna via.* Viuat ergo ex lege philosophię, & sic viuere doceat.

Si enim Philosophiæ professor mores corrumpat, vt Epicurei, vt Cynici, laborabit disciplina ciuitatis, & se in delicias dabit.

Doceant obediendũ esse legibus, & magistratibus.

§. 8. Diligenter in hoc incumbat magister, vt discipuli philosophiæ, dum omnia inquirunt, non modo contra diuinas leges non disputent, sed magistratibus etiam honorem deferant, & legibus politicis obtemperent. Olim obiectum Stoicis est, ab illis contemni magistratum, & leges: & sane id promptum erat de illis sentire, qui omnes insanire, nullum prætorem, nullum consulem, nullum regem dicere solerent. Rubellio Plauto datur crimini apud Tacitum libr. 14. *Quod assumpsisset Stoicorum arrogantiam, sectamque, quæ turbidos, & negociorum appetentes facit.* Respondet Seneca Ep. 73. *Errare mihi videntur, qui existimant philosophiæ fideliter deditos, contumaces esse, ac refractarios, & contemptores magistratuum, ac regum, eorumue per quos publica administrantur. E contrario enim, nulli aduersus illos gratiores sunt: nec immerito, nullis enim plus præstant, quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque hi, quibus ad propositum bene viuendi aditum confert securitas publica, necesse est auctorem huius boni, vt parentem colant: multo quidem magis, quam illi inquieti, & in medio positi, qui multa principibus debent, sed multa & imputant, quibus nunquam tam plene occurrere vlla liberalitas potest, vt cupiditates eorum, quæ crescunt, dum implentur, exsatiet.* Et libr. 2. de Clem. cap. 5. *Scio male audire apud imperitos sectam Stoicorum, tanquam nimis duram, & minime principibus, regibusque bonum daturam consilium. Obiicitur enim illi, quod sapientem negat misereri, negat ignoscere. Hæc si per se ponantur, inuisa sunt. Videntur enim nullam spem relinquere humanis erroribus, sed omnia delicta ad pœnam deducere.*

Stoici magistratuum contemptores habebantur.

Verus philosophus summus est principis amator.

Excusat ille, sed vereor vt valide, & vere; nam de duritia eos Augustinus accusat. De contumacia, quam fortitudinem vocabant, multa passim exempla sunt. Hanc itaque partem, & fundamenta, quæ natura ipsa posuit, moralis præsertim professor inculcabit, id à professoribus Societatis regula ipsa requirit; *Intelligat sui instituti nequaquam esse ad Theologicas quæstiones digredi, sed progrediẽdo in textu, breuiter, docte, & grauiter præcipua capita scientiæ moralis, quæ in decem libris Ethicorum Aristotelis habentur, explicare.*

Moralis professor omnium virtutum compendium tradit.

Præcipua vero doctrina est, vt in Republica ordinem legitimum parendi obseruent, ipsas denique virtutes agnoscere.

Vincendi studium tyrannis est philosophorum.

§. 9. Contentiones fugito, veritatis enim inuestigationem continet philosophia, cui nihil æque aduersatur, atque vincendi, & triumphandi vilis gloriola, sed acris tamen in animis sophistarum tyrannis. De fundis, & patrimoniis seruata pace, & caritate, ad tribunal iudicis ciues disceptant, de voculis, & entibus rationis, & relationibus, cum furore declamitant philosophi; Nostri professores monentur Reg. 5. non sua modo docere, sed aliena etiam refellere, cum modestia. *In iis quæstionibus in quibus liberum est quamcunque partem sequi, ita defendatur vna pars, vt alterius etiam partis, ac multo magis prioris professoris, si contrarium docuerat, existimationi modeste, ac benuole consulatur. Quin etiam si conciliari possunt autores, id ne negligatur, optandum est. Denique in nouinandis, aut confutandis auctoribus, modeste se gerat.*

Aliter sentientes ciuiliter ferre oportet.

Curæ igitur sit, vt philosophiam habeas non iactes. Si in quæstiunculis perspicacior es collegis, gaude tuam tibi ignorantiam esse detractam, aliis suam ne exprobres. Si vis philosophari sine inuidia, philosophare sine pompa: odiosus est, qui ita loquitur, vt quod ipse non docet, damnare videatur.

Ingenii iactatio puerilis est.

§. 10. Fugienda est quoque opinionum nouitas: Nam quod euenire in calamitatibus solet, vt nouitas percellat, & dolori pondus addat, id quoque in hac opinionum leuitate contingere solet, vt magno impetu veniant, & applausu; deinde celeri fastidio reiiciantur. Communium sententiarum difficultate, & obscuritate, quam non nisi magno labore superare etiam magna ingenia possunt, diu torquentur: dum noua audiunt, non quid habeant, sed quid appetant, secum perpendunt. Itaque summum mali est imperitis, nouandi cupiditas. Quicquid autem precio sum sola nouitas fecit, id vile redditur, cum adest, nec auctor in precio est, cum nouus esse desiit. Nobis serio illa nouitas prohibetur, etiam in rebus alioqui adiaphoris Reg. 6. communis. *In iis etiam, in quibus nullum fidei, pietatisque periculum subest, nemo in rebus alicuius momenti, nouas introducat quæstiones; nec opinionem vllam, quæ idonei autoris nullius sit, iis, qui præsunt, inconsultis; nec aliquid contra Doctorum axiomata, communemque scholarum sensum doceat: sequantur potius vniuersi probatos maxime doctores, & quæ, prout temporum vsus tulerit, recepta potissimum fuerit in Catholicis Academiis.*

Noua cupide amplectuntur, qui communia non capiunt.

Tritam viã sapiens tenet.

Tanti vero rem eam esse arbitror, vt ad professionem philosophiæ nullum admittendum esse iudicẽ, nisi qui vetere, & trita, hoc est regia via incedere paratus est. Si enim eam philosophiam, quam Aristoteles, Pautænus, Augustinus, D. Thomas, atque alii innumeri magno consensu professi claruerunt, iuuentuti expo-

exponat, iam nouit Respublica, quid adolescentes doceantur; si noua adferat, quamuis forte bona essent, sunt tamen dubia, & periculosa, at Respublica in tuta seponi, iuuentutem suam exoptat. Nulla nouitas momento opus suum implet, nec nisi spacio temporis in solido est; itaq; noua, necesse est imperfecta esse. Nouas Oceani vias, per arctoas plagas, iam dudũ tentant Batani, magna spes, magna præmia periclitãtibus proponuntur, sed nemo prudens incertę se nauigationi committit, cum satis periculorum in cursu noti maris ventus, & vnda præstent. Hæc itaq; cautio Reipublicæ conuenit, ne nouis, & ignotis opinionibus iuuentutem committant, nisi prius ea doctrina, methodoque, quæ iactatur eruditionem aliquos esse cõsecutos constiterit, quod cum factũ fuerit, iam nouitas deserit; tarde enim magna prouenĩunt; nec minus imprudenter agit, qui nouæ philosophię in se pericula admittit, quam ille, qui incertæ medicinæ in salute sua experimentum fieri cernit.

Ignoti maris pericula maiora sunt.

Absurdæ opiniones ne nouandæ quidem.

§. 11. Non modo nouæ, sed vetustæ quoque opiniones inutiles, quæ philosophiam infamant, vitandæ sunt. Ita regula octaua communis. *Opiniones inutiles, obsoletas, absurdas, manifesto falsas non adducat.* Nihil tamen absurdum, quod nõ senserit, & dixerit aliquis philosophorum; quorum si ineptiæ frequenter in memoriam reuocentur, inuenient aliquando sectatorem. Multum habent philosophi superuacui, quodque in vsum nunquam veniet, illa non modo resecent, sed omnino mentionem omittant. Ne rebus non necessariis ingenia conflictentur. Dixi supra de nimia subtilitate, quæ veritati infesta est. Nunc hoc solum moneo publicæ dispositionis esse, vt aduigiletur, ne inanibus disceptatiunculis tempus, atque ætas transigatur. Triplex est philosophia. Moralis, naturalis, rationalis. Prima componit animum, secunda rerum naturam scrutatur, tertia, quæ pars est eloquentiæ, verborum proprietates exigit & structuram, & argumentationes, ne pro vero falsa surrepant.

Inania transmittantur.

His terminis includatur boni præceptoris industria. Alia ne attrahat, quod tamen multi negligent, nisi ineptias maiorum cura coerceat. Olim ita factum est, philosophi quoque ad syllabarum distinctiones, & coniunctionum, ac propositionum proprietates descenderunt, & inuidere Grammaticis, inuidere Geometris. Quicquid in illorum artibus superuacuum erat, transtulere in suam. Sic effectum est, vt diligentius sciant loqui quam viuere. Imo vero ne nunc quidem loqui sciunt multi, cum enim animum tricis inutilibus implicant, ne verba quidem euoluere, & explicare didicerunt.

Aliarum artium superuacua ad sese trãsferunt.

§. 12. Illustres philosophos citet, imitetur, suis cõmendet, ita Reg. 8. communis. *In afferendis Doctorum autoritatibus, non sit nimius, si tamen habeat insigniorum auctorum testimonia, ad sententiam suam confirmandam, verba ipsa, quoad fieri potest, pauca tamen, & fideliter recitet; multo magis Sacrarum scripturarum, Conciliorum, sanctorum Patrum. Dignitate autem magistri est, nullum fere auctorem proferre, quem ipse non legerit.*

Nec tamen omnia referat, ad eos legendos ipsos remittat, vt est in regula 10. *Ea quæ in auctoribus in promptu posita habentur, si afferenda sint, explicet potius, quam dictet: quin etiam auditores, ad eos auctores, qui copiose, & accurate materiam aliquam pertractarunt reiiciat.*

Philosophia exercitatione fere discitur.

§. 13. Disputando adolescentes exerceat: nihil pernicioſius silentio Pythagoræo. Quinquennium velut muti pisces, non magnam sapientiam audiebant. Philosophum futurum assidue, diligenterque audire, commentari, inquirere volo. Quia vero multa excidunt è memoria, multa dubia occurrunt, multæ in diuersum ratiocinationes, necesse est, in singulos dies auditores exerceri, habere cui dubia proponant, quem consulant. Vno verbo magister explicat, quod longo labore quærendum erat. Superbus est, qui errare, quam monstrari sibi viam ducit honestius. Hac de re ita leges nostræ sanciunt. Reg. 11. *Post lectionem in schola, vel prope scholam maneat saltem per quadrantem, vt poßint ad eum interrogandum auditores accedere: & lectionum rationem interdum exigat, curetque vt ea repetantur.*

Prima discentis prudentia est, sæpe consulere magistrum.

Huc quoque pertinent variæ disputationum exercitationes regula 12. & sequentibus. *Domi quoque quotidie præter sabbatha, vacationes, & dies festos vna hora designanda, qua repetatur à nostris, & disputetur, vt ea ratione, & ingenia magis exerceantur: & difficilia, quæ occurrent, magis elucidentur. Præmoneatur itaque vnus, aut alter ad repetendum memoriter, non plus quam per quadrantem: postea argumentetur vnus item, aut alter, totidem respondentibus si quid vero temporis superßt, dubia proponantur; vt autem supersit, magister argumentandi formam seuere tueatur, & cum noui nihil affertur, præcidat argumentum.*

Domestica & priuata repetitio instituta vtiliter.

Sub finem anni ita instruendæ erunt præteritarum lectionum repetitiones vt nisi quid obstet, mẽsis integer vacuus ab illis etiam non solum à lectionibus, relinquatur.

Repetitio.

In Sabbatho, aliove, quem Academiæ consuetudo exigit, die habeant in scholis disputationes per duas horas, longiores etiam, vbi sint magni externorum concursus. Quod si quam in hebdomadam duo festi dies, vel cum festo vna hebdomadaria vacatio incidat, non disputetur, sed legatur Sabbatho: id vero si tribus continuaretur hebdomadis, vna interponatur disputatio.

Vbi receptus Academiæ mos nihil obstat, singulis, præter tres menses æstiuos vltimos, aut (si pauci sint auditores) alternis mensibus, communes certo aliquo die disputationes, tum ante, tum post meridiem habeantur: quot fuerint magistri, totidem auditores defendant, singuli singulorum magistrorum quæstiones.

Disputatio.

Intersint disputationibus, quoad eius fieri potest, alii quoque doctores nostri, professoresque, licet diuersarũ facultatum: qui, quo magis concertatio feruceat, argumentorum, quæ agitantur, vim vrgeant: modo ne prosequendum suscipiant argumentum, cui vtiliter, ac strenue adhuc argumentans insistit. Id ipsum præstare liceat externis etiam Doctoribus, atque adeo ad argumentandum ex instituto, nisi ea consuetudo alicubi minus probetur, inuitari possunt.

Difficilius est disputare quam docere.

Ex auditoribus publice non disputent, nisi doctiores; ceteri priuatim exerceantur, quoad ita instructi sint, vt eo loco non putentur indigni.

Existimet disputationis diem non minus esse laboriosum, fructuosumque, quam lectionis, omnemque disputationis vtilitatem, ac feruorem à se pendere: cui ita præsit, vt ipse videatur esse, qui in vtroque concertatore concertet: collaudet, si quid afferatur boni, & attendere omnes iubeat: cum grauior aliqua proposita fuerit difficultas, suggerat subinde breue aliquid, quo vel fulciat respondentem, vel argumentantem dirigat: neque diu taceat, neque semper loquatur, vt ipsi etiam discipuli promant, quod sciunt; ipse vero, quod depromptum fuerit, emendet, aut expoliat: disputantem progredi iubeat, dum difficultas vim obtinet, imo augeat ipse difficultatem, nec dissimulet, si is, qui argumentatur, prorepserit ad aliud argumentum: non patiatur, vel argumentum pene solutum longius vrgeri, vel responsionem non bene constantem diu sustineri; sed post aliquam concertationem rem totam breuiter definat, & explanet. Si quid denique aliud vspiam in vsu est, quo disputationes reddi soleant frequentiores, ac feruentiores, id sedulo retinendum.

Cum Adiutore, seu Bidello à Rectore constituto, agat interdum, eumque de totius classis statu, & de externorum etiam auditorum diligentia, ac profectu percontetur; detque operam, vt idem suo munere fideliter, & accurate fungatur.

§. 14. Sit professor qualẽ regula 20. describit. *Sit denique, in omnibus diuina aspirante gratia, diligẽs, & assiduus; & profectus studentium, tũ in lectionibus, tum in aliis literariis exercitationibus studiosus: non vni se magis, quã alteri familiarẽ ostendat: contemnat neminem; pauperum studiis æque, ac diuitum*

tum prospiciat; profectumq; vniuscuiusq; è suis scholasticis speciatim procuret.

Vt autem talis sit, eligatur doctus, Deum timens, amans Reipublicæ. Et quanquam talis sit, in eum tamen procerum oculi coniecti sint, ne tædio aliquando demutetur.

CAPVT XXIV.

De studio Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Matheseos.

§.1. NON est mihi animus has facultates, ciuitatibus commendare, præstiterunt id illi, qui in singulis claruerunt. Sed consilium dare Reipublicæ, quo in admittendis illis vtatur, & docendis. Nam de necessitate, vsuque Dialecticæ, cum sit primarium rationis instrumẽtum, nihil dicere necesse est, nec quicquam in ea, nisi sophistice reprehenditur. Qui à philosophia eam remouerũt, maiorem pene, quam philosophiæ necessitatem illius iudicarunt. Laërtius in vita Epicuri, ab eo philosophiam ait diuisam in Canonicam, Physicam, Ethicam, Canonicam esse quæ ad opus, aggressiones, & aditus præstat, & vno libro ab eo traditur, qui ab eo Canon vocatur. Stoici Canonem in Logicen, & Rhetoricen diuiserunt. Itaque Epicurei cum separare Dialecticen vellent, eam tamẽ alio modo, & via admiserunt. *Epicurei* inquit Sen. Ep. 89. *duas partes philosophiæ putauerunt esse, Naturalem atque Moralem: Rationalem remouerunt. Deinde cum ipsis rebus cogerentur ambigua secernere, falsa sub specie veri latentia coarguere, ipsi quoq; locum quem, De iudicio, & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt.*

Dialecticæ seu pars philosophiæ sit, seu diuersa ars, necessaria est.

Verum mihi constitutum est leges scribere, quas Respublica Dialecticam docturo imponat, nam in ea docenda, plurimum errari passim nihil dubito.

Dialecticũ literis humanioribus imbutum esse oportet.

§.2. Dialecticæ docendæ lex prima. Ad eam discendam neminem in Europa admittat, nisi in eloquentia mediocriter versatum. Hæc regula adeo necessaria est, in illis quidem prouinciis, quæ cultioribꝰ literis deditæ sunt, vt sine summa infamia negligi nõ possit. Cum enim latine disserendũ sit, nisi ante eloquentiæ præcepta, exercitationesque perceperint, necesse est omnino infantes reddi; concise enim, obscureque disputat, suis verbis à communi vsu alienis dialectica vtitur, quo fit, vt nec pristinam facultatem retineant, nec acumen Dialecticorum intelligant, vt quæ intelligunt, timore commitendi solœciimi proferre non audeant.

Philosophus esse, sed loqui non potest ni literis tinctus.

Societas Aristotelem exponit.

§.3. Secunda lex est. Vt Dialecticès præcepta ab Aristotele solo accipiãtur, imo & Physicarum rerum reconditissimæ scientiæ, ita mos est Societatis nostrę, & consentiunt iam octingenta pene sæcula. Quia vero multi nos eã de causa grauiter impugnarunt, & Franciscus Patricius Venetus Aristotelis Philosophiã pessundare conatus est, non omnium modo nos Peripateticorum iudicio, sed aliorũ sententia quoq; defendam. Iustus Lipsius vir doctissimus, & vsum doctrinæ ad publicam vtilitatem semper referens ita li. 1. c. 4. manuductionis hac de re differit. *Sed tamen iam eo ventum, vt reliquis cedentibus, duæ de principatu fere contendant, Peripateticorum, & Stoicorum. Nam Epicureos cõmunis consensio iugulauit: Academici ipsi se, & nullam scientiã profitendo, discipulos habere desierunt. De peripateticis, hodierna iudicia si audias, rem factam habes: in scholis soli regnant, ab octingentis amplius annis apud Græcos, Latinosq; admissi. Quis pellet? nec velim, nec debeam fortasse: diuiduum tamen hoc regnum facere, & collegas dare, nescio annõ sapientia mecũ optet. Aristotelem, regem illum Peripateticorum, magnum inter homines fuisse, quis abnuat? & magni ipsi viri locum sic assignãt,*

Lipsius Aristotelis defensor.

Aristoteles iam octingentos annos regnat.

Cicero inter primos: vir non solum in dicendo copiosus, sed etiã in philosophia singularis. Alibi: summo ingenio, scientia, copia. Iterumq;. Quo nihil politius, nihil acutius. Eidem: aureũ eloquẽtiæ flumen dicitur: & Plutarcho, vir eloquentissimus, & peritus flectẽdi animos, quaqua vellet. Denicq; plena manu Cicero: Quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inueniendis, vel iudicandis, acrior Arist. fuit? Neq; alii ab his elogiis diuertunt. Plinius quidem, summũ in omni doctrina virum appellat: alibi, immensæ subtilitatis. Quid Arnobius? vir ingenio prapotens atq; in doctrina præcipuus. At Auerroes velut lymphatur in eius laudes. Arist. inquit, tres scientias inuenit, Logicã, Naturalem, Diuinam: & nullus error iuuentus est, vsq; ad hoc tempus, q̃ est mille & quingentorum annorum. Et talem esse vnum hominem potius est Miraculosum, quã humanum, idem alibi: Aristot. est Regula, & Exemplar, quod natura inuenit, ad demõstrandam vltimam perfectionem humanam. Denicq; simili elogio: Aristotelis doctrina est summa veritas, quoniam eius intellectus fuit finis humani intellectus. Quare bene dicitur, q̃ fuit creatus, & datus nobis diuina prouidẽtia, vt sciremus quicquid põ sciri. Hæc magna, admiranda sunt, fateor: & quæ virũ cœlestibus pæne æquent. Quid tam alii: alia. Tertullianus, Minutiloquium eius taxat: & eadem voce Irenæus, Minutiloquium, & subtilitates circa quæstiones. Hieron. versutias eius. Quid volũt? nimis & tenuiter subtilem fuisse, atq; inquisitorem: sæpe cum obscuritate. Ideo Sidonius: explicat vt Plato, implicat vt Arist. At Gregorius Nazianz & hoc, & grauiora obiicit. Βάλε μοι, *inquit,* Ἀριστοτέλης τὴν μικρολογον, περίοδον, καὶ τὸ ἐντεχνον καὶ τὰς ἀνάγκας τῶν λόγων, καὶ τὸ ἀνδρακτικὸν τῆς διαλεκτικῆς μαχαίρας. *Abiice mihi Aristotelis Minutiloquium, sagacitatem & artificium, abiice mortuales illos super animam sermones, & vniuerse, humana illa dogmata. Damnat non assurgentem & in humilibus terreni sq; hærentem. Hoc & Atticus apud Eusebium.* Ἀριστοτέλης λεπτὴν μὲν τὴν ταπεινὴν διαίρεσιν. ὥσπερ δὲ δῶρα μὲν τῷ θεῷ ὅσα γε πραγμάτων ἦν ἐν τούτοις ἀληθείαν ἐδείκνυτο, τῆς δὲ οὕτως ἀληθείας ἐφαπλεῦσαι τὸ παν οὐδὲν ἐκώλυε τὸ μὴ οὐχὶ. *Aristotelis tenuis & humilis subtilitas, quæ res terrenas quidem peruadere, & quid verum in iis peruidere posset; at solidæ illius veritatis, clarũ, & serenũ lumen non ei fuit inspicere. Lactantius pariter: Aristot. de Deo ipse secum dissidet, & repugnantia dicit & sentit: Iterum; Aristoteles, Deum nec coluit, nec curauit. Philo Iudæus:* Ἀριστοτέλης μὴν οὐδ' ἐυσεβῶς, καὶ ὁσίως ὑπεμνήσθη. *Aristoteles nunquã pie, aut sancte doctus. Itaq; vides mi Auditor attolli, vides deprimi, in iudiciorum isto velut oscillo suspensum. Imo & hoc discе, Platonem illi consensu fere ab antiquis pponi. Cicero ipse, ille ex professo, imo velut ex conducto, eius præco, palmam aufert & in Platonis dextram transfert. Aristot. excepto Platone, philosophorũ princeps. Nonne palã secundum facit? iterum: Aristot. longe omnibus, Platonem semper excipio, præstans ingenio, & diligentia. Et plerique ẽt nostrorum procerũ tabellam in hanc partem dimittunt. Arnobius: Plato ille diuinus, multa Deo digna, nec communia sentiens multitudini. Iterum: Plato ille magnus pie sanctèq; sapiẽs. Et Tertull. consentit, & in Aegypto hæc dogmata à Trismegisto illo hausisse maxime, eiusq; scriptis, fatetur. At alii ad Prophetas & sacros ẽt libros mittunt, & palam Numenius:* Τί γὰρ ἐστι πλάτων ἢ μωυσῆς ἀττικίζων; *Quid est Plato nisi Moses Atticisans? August. autem ille nostrorum scriptorum apex, Platonem cæteris philosophis gentiũ longe lateq; præfert. Imo in cœlo pœne (quatenus pie potest) ponit: Hunc Platonem, inquit, Labeo inter Semideos commemorandum putauit: Semideos aũt heroibus anteponit, & vtroq; inter numina collocat. Verumtamen istum, quem appellat semideum, non heroibus tantũ, sed etiã Diis ipsis præferendũ esse non dubito. Eodem sensu alibi, templũ ei iustius, quam diis illis gentium ponendum. Et qua de causa quam ipse promit: Platonicæ familiæ Philos. facilime omniũ, pauciq; mutatis, fieri posse Christianos. Et sane multum in philosopho, imo caput est, ad Deũ, & diuina assurgere: à quibus cetera omnis sapientia nexa est, & pendet. Itaq; vides in istis Arist. nec (prudens aliquis negauerit) à Platone, itèq; à Stoicis, longe vinci, & reliqui. Quid tamẽ est? Dialectica firmiter, & composite tradidit: idẽ Physica de quibꝰ Tullii hoc testimoniũ: naturã sic à Peripateticis inuestigatã, vt nulla pars, cœlo, mari, terra, sit prætermissa.*

Cicero de Aristotele.

Plutarchus de Aristotele

Plinius Arnobius Aristotelem probant.

Auerroes nimis admiratur.

Aristoteles Minutiloquus implicator.

Multa Aristoteles ignorauit, in diuinis rebus.

Plato Aristotelis olim antelatus.

Platonici facile fiunt Christiani.

In Dialectica, & Physicis nemo Aristotele maior.

Et

Et Laertii ἐν τοῖς φύσι κοῖς ἀπολογικώτατος πάντων ἐγένετο, ὥστε καὶ τὰ ἐλαχίστων ἀποδιδόναι τὰς αἰτίας. In naturalibus omnium maxime rationes reddidit, etiam ad res vsque minimas. Ideo vtiliter, quoad has duas partes attinet, in scholas receptum fateor: quem enim potius? & veteres alii, qui hæc tradiderunt, æuo perierunt. Sed & opus iuuentuti certum doctorem, & dogmata esse, quibus insuescant. Quemadmodum folia, ait Seneca, per se virere non possunt, ramum desiderant, cui inhæreant, ex quo succum trahant: sic præcepta si sola sunt, marcent, insigi volunt sectæ. Iuuentuti, inquam, hoc opus: at iam viros, quæ inuidia aut ignauia est, longius non mittere? In Theologicis, in Ethicis, in ipsis Physicis, quam multa præclara, rara, Pythagorei aut Stoici dixerunt, & quædam etiam alii. Hæc ego non adeam, vsurpem, & velut relictam à maioribus hæreditatem cernam? Audacter & vt si in senatu sedeam, non audiam tantum, sed examinem: & ipse rogatus, sententiam dicam. Nam semper illam vnius sequi (argute noster Annæus) non id curiæ, sed factionis est. Equidem adsurgo & veneror inuenta, inuentoresque sapientiæ: sed vt homo homines, & qui nō Domini nostri, sed duces sunt. Quis ille tam feliciter imo tam diuine sapiens.

Auctor opus est & dux adolescentibus.

Alii iungendi, nemo vnus habet omnia, sed nemo plura aut meliora quam Aristoteles.

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit?
Non fuit, non erit. Et est hæc æternæ illius benignitatis, spargere ingeniorum dona in ætates, & in homines: nec in vnam illam, aut hunc vnum, omnia & semel contulisse. Optimus vatum

Ἀλλ' ὕπως ἅμα πάντα θεοὶ δόσαν ἀνδράσιν ἐσθλοῖς.

Sed non in simul, & semel, omnia Dii sua donant.

Vtendum est testimonio magnorum virorum, vt nostra causa tantis auctoribus probata, verecundia patronorum tuta sit. De Logica, & Physica nemo negabit, nisi si quis meliorem ostendat auctorem, accuratiorem, & argumentandi peritiorem. Platonis Dialectica pene nulla est, Physica illius pauca, & errorum plena. Morales disputationes plures, sed nullæ compendio totam Ethicen tradunt. Patrum ætate magnus habitus est, quia in rebus moralibus multa docuit, & in diuinis ad Christianos accessit; Multaque argumenta Episcopis, contra Idololatras suppeditauit.

Plato inferior Aristotele.

§.4. Tertia lex. In Logica, Physicaq; ita Aristot. exponatur, vt quicquid ex veteribus, recentioribusque doctum, & vtile colligi potest, simul accurate tradatur. Nam nihil alios vidisse præter Aristotelem, nihil tot millia interpretū addidisse Aristoteli, non modo incredibile est, sed libri quoq; innumera ostendunt.

Alii iungendi sunt Aristoteli.

§.5. Quarta. In Dialectica res breuiter exponatur, inutiles tricæ, argutiæque tollantur. Nouæ quæstiones ne addantur, multæ ex veteribus rescecentur.

Vide caput de studio Philosophiæ.

§.6. Quinta lex. In omni genere scientiarum mathematicarum, hoc agendum est, vt perfectissimi habeantur auctores, & professores, nam omnium in Republica vtilium, machinarum, opificiorum atque temporis ratio ipsa, ab illis profluit. Inprimis sit qui cœli motus, atque astra contempletur, omnes eius partes exponat. Multa res illa ad vitam ciuilem, atque adeo cœlestem facit, opera Dei considerare, magnitudinem, symmetriamque cognoscere, terrarum tractus diuidere. Multæ, & ridiculæ ex harum ignoratione, superstitiones ortæ sunt fabulæque etiam apud barbaras nationes, quin & magicæ incantationes, non nisi inscitia talium rerum nituntur. Sint igitur iuncti Astrologis, Geometræ, Geographi, Arithmetici, Gnomonici, Dioptrici, instrumentorum etiam fabricatores, nulla enim harum artium est, quæ non aliquando summam necessitatem, vsumque habeat.

Ignoratione operum Dei superstitio, magiaque innascitur.

§.7. Suprema demum cura Metaphysicæ tribuatur, quæproxima Theologiæ est, imo naturalis quædam Theologia, cuius etiam nunc pars præcipua in Theologia, docetur. Qua de re initio suæ Metaphysicæ Franciscus Soarezius noster plurima, accuratissimaque disputat.

CAPVT XXV.

Medicinæ curam esse oportere maximam.

Medicus Reipublicæ præcipue honorandus.

§.1. QVOD dictum est omnibus ab Ecclesiastico cap. 38. de honorando medico, id præcipue Reipublicę, & principi imperatum est. Eorum enim est, non sibi modo, sed toti patriæ prospicere, vt opportune morbis obuiam eatur, medici, Chirurgi, Pharmacopolæ præstantes habeantur. Ea vero munificentia habendi sunt, ne ægrorum turbam optent. Quemadmodum vero prudens paterfamilias, cum famem sedauit, in futuram necessitatem tamen cōmeatum reponit, ita quoque ciuitas vel vnum, vel plures habeat medicos, qui priuatis morbis, & epidemicis medeantur. Nec modo in Republica foueat, sed honoratum quoque locum tribuat. Ego quod ea de re sentio perspicuis verbis complectar.

§. 2. Honor medicis singularis in Republica tribuatur, Ita diuinæ literæ, Eccle. cap. 38. 1. *Honora medicum propter necessitatem. etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput illius & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Nonne à ligno indulcata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, et dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigabit dolorem, et impigentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis et non consummabuntur opera eius. Pax enim Dei sup faciem terræ.*

Græca hodierna pleraq; habent: Τίμα τὸν ἰατρὸν πρὸς τὰ χρείας μαῖς ἀυτῦ. *Honora medicum ad necessitates honoribus eius. Non enim honorem intelligit, quo illi succurras, ne ejcat. Sed hoc valet, vt eum antequam morbi necessitas id extorqueat honores.* Sic Ben. Sira exposuit, *Et alij Hebræi Medico jubent dari munera, honorem, impertiri, vt eorum memor maneat, tempore, te lubens, promptus inuisat.*

§.3. Tanta sit in Republica Medici dignitas, præmiaque, vt ad ea etiam nobiles magnatesque aspirent; sit non minus ad capessendam Rempublicam aditus Machaoni, quam Demosthenis. Cur enim non committant illi Reipublicæ partem, qui vitam suam, liberorum, coniugum, concredidut. Causa, cur ita iudicem, est; quia sanitatem ciuium et principis dignam esse iudico, quæ à viris primarijs curetur. Nec indignum est viro nobili obire pauperum casas, tentare arteriæ pulsum, signa morborum et criteria judicare, catapotia præscribere. Humana malitia est quæ salutis suæ antistitibus æstimationem detraxit & eadem tamen scelerum suorum vindicibus maiestatem circumposuit. Fasces et secures et lictor magistratibus adduntur tanquam insignia potestatis, et sunt tamen carnificum instrumenta. Carceres illi adeunt, noxios tendi, ungulis secari, qui in crucem agi imperant. Atque ad hanc potestatem ambitiosa judicum et præsidum nomina adduntur. Cur vero non sit honor medico vitæ salubritatisq; patrono, quam judici mortis administro? Invidit bonus suus natura nostra ordinis corruptrix quæ potestatem perdendi reos plurimi æstimat, quam facultatem seruandi ciuis. Vnde hoc tantum malum est, vt minor sit qui seruat bonos, quam is, qui perdit malos? Quod non eo dictum velim, quasi vel jurisperitis vel magistratibus medicos præferri velim. Nam magistratibus suus manet honos, et palmam moueat ordine nemo. Et sane consultis ex more Academiarum sedent medici, sed vt ostendam eos quoq; publicis dignitatibus ornandos, nec quid quam in eorum functionibus vile censendum esse.

Senatores ordinarie sint in vrbibus, & in aulis etiam consiliarii.

prospiciunt Reges, & Principes, si eos in consilia publica adhibeant, modo viri boni, & prudentes sint. Nam honore illo fidem illorum sibi obligant, & credendo faciunt sibi fideles. Deinde cum naturæ, affectionumque naturalium sint gnati, crebro ea suadere possunt, quo prosint, aut sane ex vultibus oculisq; iudicare, quæ esse in rem principis censeri possint. Miserum fuit in Seleuci filio Antiocho, sed medicæ tamen sagacitatis exemplum. Amorem enim Antiochi, Erasistratus deprehendit, quemadmodum Hippocrates Perdiccæ insaniam notauit. Plutarch. in Demetrio. Soranus in vita Hippocratis.

Neque mirum est honores medicis decerni magnos, & dignitates in Republica. Nam olim regum illa cura fuit. Salomon sane dum sapientiæ suæ dona enumerat, Sap. 7. vers. 15. &c. Medicinam agnoscit. *Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientum emendator: in manu enim illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientiæ disciplina. Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt, scientiam veram: vt sciã dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initiũ, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinem mutationes & commutationes temporum, anni cursus, & stellarũ dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum & cogitationes hominum, differentias virgultorum et virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa, & improvisa didici, omnium artifex docuit me sapientia.* Horum enim cognitio necessaria est medico, & cũ eam comparabit facile medendi rationem tuetur. Itaq; docte et sapienter medicinam dixerunt priorem philosophiæ Varro neminem nisi in philosophia bene versatum ad medicinæ intima hoc est hominum vitam tuendam & conseruandam admittit Respublica. Dionysius tyrannus Siracusis, non medicum duxerat agebat ad chirurgiam quoque excolebat, vt auctor est Ælianus lib. 11. Mithritatem Ponti quoq; regem & Hermen Ægyptiorum, Gangen Medorum regem medicinæ peritissimos fuisse constat et constitit multos seruasse. Pogonatus Imperator eam quoq; artem amplexus est. Multi quoq; Magnates præ cæteris olei, sublimationibus, libris occupantur, & alembicis suis adsident quid aliud agunt quam medicamenta parant. Nec minus decet reges esse medicos, quam philosophos, nam philosophia non honestissima modo sed & vtilissima quoq; pars est medicina. Olim sane Medicorum barba plus quam non modo, animalium herbarum elementorum naturas, commutationes hominis constitutionē morborũ causas sanitatisq; rationem cognoscerent, sed vniuscujusq; salutem scientia sua iuuarent. Olim quidē tanti fuere apud populos Medici, vt Apollini, Æsculapio, Chironi, Machaoni, etiam Hippocrati divinos honores olim decreti extiterint delubris et aris erectis divinos honores tribuerint. Sirnet Penem Deum medicum fabulæ constituerunt, quod tam divina scientia instructi medicorum deum esse arbitrati illa vocabula, quibus venas et partitiones et vulnera tanquam miseris de astris tradebat. Nec vllam ob rem Ægyptiorum religiosa gens Ægyptiorum cultrices esse maluerunt quam quod Medicinæ nutrices haberentur. Hecates quoq; Triuiæ, quæ et medendi peritiam Alexipharmacq; dicta est, non robore aut male corporis magis quam sanando morbos auxitatem et opes consequuta est. Nec scientiam suam Medici ipsi despexerunt. Plinius medicamenta efficacissima et vtilissima dixit. Ἀγαθὸν δαίμονα Ἕρμαν Deorum manu appellabat. Roma quadringentos annos medici non fuerunt ubi hi turbatissimo et rudibus populo: Athenis et paucis et sine honore exercebant. sed nihil mirũ. Ἴδιον κακὸ βυλία propria erat Atheniensium, adeo vero nota erat, vt id tanquam notum obiiciat illis eorum propheta Aristophanes;

Athenienſium δυσβυλίαι.

Φασὶ γὰρ δυσβυλίαν τῇ πόλει προσεῖναι.

Aiunt temeraria, & mala consilia in vrbe agitari. Quid igitur mirum, si medicos parui fecerunt, quorum inuidia, optimi ciues in exilium eiiciebantur?

Diuites in magiſtratu eſſe expedit.

§. 5. Denique cum medicis doctis, & fidelibus expeditissima sint ad magnas opes compẽdia; Vtile vero sit Reipublicæ diuites in magistratibus esse, tum ne dignitas ipsa in viles prolapsa contemnatur, tum vero ne contemptum sui non ferentes alio demigrent, & Rempublicam destituant, eos honore obligare sibi debebunt. De medicorum ingentibus opibus, tum alii, tum vero Lælius noster lib. 16. horarum subcesiuarum cap. 11. *Erasistratus, qui circa annum V. C. 600. floruit, Antiocho Rege sanato, vt scribit Plin. lib. 29. ca. 2. centum talentis donatus est à Rege Ptolomæo filio eius, id est, 60. millibus aureorum nostrorum, vt supputat Bud. 2. lib. de Asse, & idẽ Plin. ibidem cassios numerat, Carpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios, qui annuam mercedem acceperunt à Principibus CCLHS. id est, sex millium ducentorum quinquaginta aureorum, Q vero Stertinius principibus imputauit, quod H-S. quingenis annuis contentus esset: sexcena enim sibi quæstu vrbis fuisse memoratis domibus ostendebat, id est summam altero tanto maiorem à ciuib. habebat, hoc est, denaquina millia, cum duodena millia quingentos aureos ipsi Imperatores penderent. Addit Plinius, par & fratri eius merces à Claudio Cæsare infusa est, censusque quanquam exhausti operibus Neapoli exornata, heredi H-S. trecenta relinqueret, quantum ad eam ætatem Aruntius solus, id est, sestertium trecenties, nuperque inquit paulo post Plin. Crinias Maßilienſis centies H-S. reliquit muris patriæ, mœnibus quoq; alii, pene non minori summa extructis: ita enim legendum, non sestertia centum: quomodo enim tã parua summa muris sufficere potuisset? Charnus item, ex eadem Maßilia ægrum ex suis Maßilienſibus, seu Prouincialibus sanandum conduxit sestertiis ducentis, id est, quinque millibus nostrorum aureorum. Quid opes commemorem Archontii? huic enim soli, (vulnerum erat Medicus) condemnato Claudius ademit sestercium centies, id est, ducenta quinquaginta millia aureorum bonis eius confiscatis: eidem tamen in exilio non minus adquisitum intra paucos annos, & cum Romam reuertisset. Antiquißimus Democedes, vt est apud Herod. lib. 3. talento vno ab Aeginetis, centum minis ab Athenienſibus, à Polycrate tyranno duobus talentis, in annos singulos conductus refertur, vt minime sit mirum Asclepiadem ætate Pomp. Magni Rhetoricæ Magistrum, nec ex ea facultate bonum faciẽtem quæstum, ad medicinam serepente conuertisse, vt euaderet opulentus. Eius meminit Plin. lib. 7. cap. 37. vt nouæ sectæ conditoris, & lib. 26. cap. 3. & lib. 29. cap. 1.*

Opes medicorum.

Gallus ex medico cauſidicus.

Contra, Gallus quidam Medicus acutißimus ille quidem, sed pecuniæ auidißimus, cum paruum ex medicina quæstum se facere videret Neapoli, vt auctor est Anto. Pornormit. lib. 4. de rebus Alphonſi Regis ad agendas causas se conuertit, susque deque forum sophismatis, & cauillationibus vertens dispari euẽtu: quoniam edicto Alphonſi Regis decretum, vt lis, quæ patronum haberet Gallum, eo ipso iniqua putaretur.

Galenus de cima quæſtus parte familiam ſuſtẽtabat.

Galenum ita scimus copioſißimum fuisse: testatur ipse lib. de cognosc. animi morbis cap. 9. solitum decimam se partem suorũ prouentuum annuatim expendere, reliquas adiicere, ita suos omnes ciues diuitiis superabat, quãquam patrimonio se diuitem confitetur.

Thadæus Florent.

Venio ad Christianos. Thadæus Flor. cuius etiam libri de medica leguntur, cum ex patria curationis alicuius gratia exiisset, in singulos dies non minus quinquaginta aureis operam suam locabat: & Honorio Pont. Max. sanato decem aureorum millia reportauit: idem narratur de Petro Apon. qui conciliatoris inuenit nomen.

Petrus Ciciliator.

Dubrauius lib. 23. rerum Boem. & Anto. Bonfinius libr. 2. dec 3. & AEn. Siluius cap. 35. & 42. suæ Boemiæ narrant, Albicum, quendam medicum ampliſimis, quas arte sua comparauerat diuitiis, gradum sibi ad præfecturam Pragensis Ecclesiæ apud Wenceslaum Regem, & Imperatorem ignauiſſimum,

mum, feciſſe: ſimilia leges exempla in Theatro vitæ humanæ vol.10 lib.6. Tit. Auaritia ἐν λήψει.

Necessitas facit reges liberales pauperes.

Philippi Regis dictum in medicum opulentum, ſed auarum, & petacem: nam cum vulnus in colli accepiſſet clauicula, & ab eo curaretur, ipſi quaſi inſuſurrans demiſſa voce dixit, cape quantum libet, quia clauem habes, hoc eſt, λάμβανε ὅσου βούλῃ, τῷ γὰρ κλεῖν ἔχεις, ita Plut. in apophth.

Dines medicus gratis facile curat.

Iure optimo labori donatiuum capiet medicus, quia præſtat eum diuitem eſſe, vt pauperes gratis, aut etiam omnes curet. Ita Hippocrates ſane fecit. Et Auſonii parens.

Obtuli, inquit, opem cunctis poſcentibus artis inemptæ
Officiumque meum cum pietate fuit.

Doctrina medici ſedulo explorentur.

§. 6. Ad docendam, vel exercendam medicinam, nemo niſi diu, accurateque doctus admittatur: De honoribus Academicis ſupra dixi, qui quia ſæpe dantur indignis, non debet ea auctoritate ſtare princeps, vt ſi quis ex Italia, Galliaue alicuius Academiæ teſtimonio inſtructus veniat, is medicus cenſeatur. Quid enim indignius, quam eum, qui aliquot aureis medici titulum emit, habere ius publicum occidendi, & per ignobiles, interdum etiam illuſtres mortes artis experimenta quærendi? Nimis ſæpe iactari vulgata parœmia ſolet, quod olim factum, & dictum eſt.

Μόνῳ δ' ἰατρῷ τοῦτο καὶ σωτῆρι ἔοικεν
Ἐξεῖναι ἀποκτείνειν μὲν. ἀποθήσκειν δὲ μή.

Soli medico, ſolique aduocato, ſine pœna mortis, occidere fas eſt.

Imperitus medicus capite temeritatem luat.

§. 7. Medico imperito, ſi ægros curandos ſuſceperit, capitale eſto, quamuis forte curauerit. Nam bonus exitus ex Deo eſt, ipſius temeritas ægrum perdiderat. Leges quidam eas reprobant, praxinque inhibent, libr.6. §. *Sed & reprobari.* Et merito, præſtat enim praxin ceſſare, quam pharmacis occidi homines. Sed maiorem merentur pœnam, qui diſcunt periculis noſtris, qui experimenta per mortes agunt. Iam olim querebatur Plinius lib.29.cap.1. nullam eſſe legem, quæ inſcitiam capitalem medicorum puniat. Dediſſe philtron capitale olim fuit; quia dubiũ medicamentum obtuliſſe, cędis reum facit. At medicus imperitus certus eſſe non poteſt. Itaque ſemper anceps; ſalubrene pharmacum, an venenum offerat, hæret, & ſi profit, caſu id facit non ſcientia. Non vacat ſcelere illa, quæ

Etiam ſi viuat, qui dubium medicamentum capit, non tamen crimine abſoluit medicũ.

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum;
Miſcuit argenti leta alia pondera viui;

ſed vicit tamen maritus pugnantia inter ſe venena, nec eo magis vita illius abſoluit veneficam.

Merito mor te plectitur medicus imperitus.

Non eſt lex, quam ſuadeo, ſeuera: De vita hominum agit, & pro vita. Vitam hominis qui dubie curat, contempſit. Qui in periculum vrbem, aut exercitum deduxit, proditor habetur. Quid de eo ſenties, qui accepta pecunia, non certo diſcrimine venena, & pharmaca diſpenſat? Minus nocet imperitus aduocatus, quia facilius error eius cognoſcitur, & aduerſarium habet; ideo nemo ſe facile arenæ committit, niſi ſpe victoriæ; medicorum in tuto res eſt, cum occiderint, non accuſantur, ægros decipiunt. Itaque pauci ſunt, qui imperiti iuris cauſas agunt; at medicorum error non niſi deſperata vita cognoſcitur, & negligitur frequenter ab auido hærede, cui profuit medicum fuiſſe imperitum. Hanc ego itaque temeritatem puto in bene conſtituta republica graui pœna, etiam capitis coercendam. Quod ſi fieret, non omnes vici medicis idiotis abundarent. Alioqui medicum eiuſmodi, ſe ſcelere obſtringere nullum dubium eſt. Nauarrus cap.25. de peccatis medici, & Chirurgi. *Dicendum, quod peccat primo medicus, vel Chirurgus, qui abſque ſufficienti ſcientia medicatur, etiamſi ſit laurea donatus, & qui artem ſatis callet: ſed eius præcepta non ſequitur, & qui notabiliter negligit ſtudere, aut infirmos viſitare, quamuis ægrotus ſanetur, iuxta S. Anton. cum obligatione reſtituendi, iuxta mentem Panor. & omnium, & qui adhibet medicamenta morbo, antequam eum cognoſcat, licet qui per diuturnam experientiam didicit curare obliquos morbos, puta ſcabiem, oſtium fracturam, nubeculam oculareм, fiſtulas, dolorem dentium, & molarium, aurium, & aliorum ſimilium poſſit licite curare: quamuis regulas medicinæ ignoret, modo abſque aliquo incantamento, aut faſcino id faciat, & modo ſuperueniente febri infirmo medicum adhibeat peritum: & modo ne quid, quod ignoret, intentet.*

Medicus negligens obligatus ad reſtitutionem

Et: *Secundo peccat, qui dubitans de aliquo medicamento, an eſſet notabiliter noxium, an non præbuit illud vt experiretur, aut lucraretur, aut non haberetur ignarus, &c. & magis, qui præbet rem, quam ſcit notabiliter nociuam: etiam ſi ob miſericordiam, aut vt ægroto placeret, præbeat, & qui ægrotum derelinquit, antequam debeat, ob quod mors, aut prolongatio morbi euenit, cum obligatione reſtituendi damnum, & qui cum membrum aliquod neceſſario eſt abſcindendum, non quærit quem credebat bene abſciſſurum: aut dubitans de neceſſitate abſcindendi, iuſſit abſcindi, & qui neſciens minuere ſanguinẽ, vel abſcindere membrum, alterum eorum, vel vtrumque facit, & qui ſciens pharmacopolam medicamentis corruptis vſurum, non eligit incorrupta, & qui, quo plus ſtipendii accipiat, morbi curam differt.*

Dubio vti medicamẽto non licet.

Eadem eſt aliorum ſententia, & omnino conſilium Sylueſtri tenendum eſt. *Primo igitur*, inquit ille, *quæritur, quid requiratur in medico vt poſſit artem exercere ſine peccato? Et dico requiri multa. Primo enim requiritur, quod ſic ſit peritus, vt communiter à peritis illius facultatis reputetur idoneus: nec ſufficit eſſe doctoratum, alias ſi ex notabili ignorantia in ſua cura nocet infirmo, mortaliter peccat, faciens contra illud. Non occides. de pœ. diſt. 1. homicidium. & ſecundum Rich. tenetur infirmo ad æquiualens, ex quo non poteſt reſarcire principale: imo etiam ſi ſanitas ſequatur, peccat mortaliter: quia expoſuit ſe periculo peccati mortalis, id eſt, operi, vnde poteſt ſequi notabile detrimentum proximo. Nec obſtat, quod hoc non intendat: quia voluntarie ponit ſe ad illud, vnde hoc natum eſt ſequi. art. 15. q. 1. merito. & §. ſed obiicitur de Lamech. Nec tenetur ſolum in foro animæ quando voluntarie lædit, puta prolongando infirmitatem, & huiuſmodi: ſed etiam quando ex ignorantia, vel imperitia; vel non ſequendo traditiones artis: vt no. Pet. in auth. ſed hodie. C. de iudi. quia imperitia medici culpæ annumeratur. l. Si quis fundum. §. Celſus ff. loc. & l. imperitia ff. de regu. iur. hoc tamen Pan. in c. ad aures. de ætat. & qua. limitat, quando aſſumpſit officium voluntarie: ſecus ſi ex neceſſitate bona fide fecit, quod potuit deficientibus aliis medicis. Vnde imputet ſibi, qui talem eligit, ex quo dicebat ſe imperitum. Secundo debet eſſe diligens: vnde & tam petitus notabiliter negligens, in reuidendo libros, in viſitando infirmum, in qualitate rerum medicinalium, & huiuſmodi, ſi ſequatur mors, eſt irregularis, & peccat mortaliter: & ſimiliter ſi ſequatur magna aggrauatio infirmitatis ſine morte. Sed ſecundum. Anto. de Butr. in c. tua. nos. de homic. dicitur omnem diligentiam quam debet adhibuiſſe, quando ſequitur traditiones artis, & viſitat perſonaliter, & dictat regimen infirmo: nec tenetur ad cuſtodiam perſonalem continuam, ſecundum Hoſtienſ. & ſic non imputatur ei euentus mortis. ff. de offic. præſidis l. illicitas. §. ſicuti. Tertio debet habere intentionem iuſtificatam, vt non intendat lucrari cum alterius iactura. de regu. iur. nemo. lib.6. Vnde curam, quam citiſſime poteſt, debet terminare. Et ſi curam extendit, & prolongat ad lucrum, peccat mortaliter: & illud plus reſtituere tenetur: & ſimiliter ſi permittat aromatarium ponere in confectione medicinæ ſpecies non ſufficientes propter vetuſtatem vel alium defectum, vt ipſe plus lucretur, peccat grauiter: & tenetur vterque infirmo de omni damno. Imo ſecundum Archid. de aromatario confidere non debet, niſi ſciat eſſe conſcientiatum, peritum, & practicum: ſed ſub ſuis oculis debet medicinæ confectio fieri. Si tamen medicinam ſecundum artem dedit, & omnem debitam diligentiam exhibuit: non imputatur ei, ſi ex defectu ſpecierum vel admiſtione alia, ſit nociua, de clerico excommunica. miniſtranti.*

Diligens ſit oportet.

Celer.

Atque vtinam id Reſpublica in mores inducat.

Vix ciuitas eſt, cui non ſint centum medici.

stranti.c.Apostolicæ.secundum Innocent.& Hostiens.in omnibus autem prædictis tenetur ad arbitrium bonorum virorum.

Et: *Quomodo medicus se debeat habere in conferendis corporibus medicinis aut remediis? Et duo multa. Primum secundum Inno.in c.tuo no.de homi. diligenter attendere debet ne illas medicinas conferat, de quibus illi secundum artem non constat: quia si dubitat, vtrum prodesse debeat vel obesse, dando peccat: quia in dubiis tutior sequenda est via, cuiusmodi est relinquere infirmum naturæ & creatori, quam medicinæ exponere de qua nescit.*

Cum igitur imperitos medicos cædis reos agant Iureconsulti,& Theologi,non minus contra eos armari debet vigor legum, quam contra grassatores; cum plures perimant;& alieno se peccato inuoluunt magistratus,qui hac in parte officium negligunt.

Ante pi axin non est admittendus aliquis ad curam ægrorum.

§. 8. Medici igitur diligentissime,seuerissimeque eximinandi sunt, ante, quam ad curam ciuitatis exhibeantur.Nec iniuria irrogatur Academiis,qui doctorem promouerunt; nam magna pars doctores ante praxin renunciantur, at princeps prudens nullum admittet,nisi iam praxin sub alio magistro exercuerit ne experimenta per mortes agat. Examinandi autem sunt,omni in parte medicinæ. Tres medicinæ partes nonnulli constituunt;dogmata,methodum, experientiã. In Academicis promotionibus,dogmata,pronunciata,aphorismi exquiruntur, ratio eorum exigitur, seu methodus; experientia nondum est. Hæc tamen cognoscenda est.

Diuisio medicinæ à Platone facta.

Plato medicinam diuidit in eam, quæ medicatis herbis,potionibus,pastillis,ægro subuenit,deinde in Chirurgicã, cuius sunt malagmata,cataplasmata,sectiones,& vstiones. Tertio in curatricem quotidiani victus,& exercitiorum. Quarto,quę morbos celeriter cognoscit,& curat tandem.Denique,quæ magno & celeri adiutorio, quasi diuina manu subuenit, & dolores pellit. Sed hæ fere rationes inter se ita connexæ sunt, vt fere, excepta Chirurgia separari non possint. Nostri eam diuidunt, in eam partem,quæ de hominis constitutione agit, anatomiamque,& complexionem,seu temperaturam complectitur, deinde in eam,cuius munus est corpora, à morbis præseruare,qua quia paucissimi hominum vtuntur,nec medicum,nisi cum vis morbi spem vitæ incidit, consulere solent,ideo tot morborum cohortes ingruũt. Quasi vero ideo cœleste donum medicinæ tantum nobis Deus à sedibus illis æthereis miserit, vt pestem visceribus illapsam expellamus, non etiam vt venientem auertamus. Tertia pars est, quæ causas morborum, & in morbis,symptomatum indagat, cui necessaria est integra primæ partis cognitio.Huiciuncta est illa, quæ de signis,& criteriis docet,futuras crises iudicat, & quæ præsentia sint,quęque præterierint nouit. Id adeo dextre facit expertus medicus, vt Hippocrates prophetiæ affinem esse medicinam asserat. Et hinc Apollini quoque futurorum præsensionem, ignara vetustas adscripsit.Quinta medendi rationem tenet, quæ fit diæta,medicamentis quocunque modo sumptis,vel in viscera iectis,vel affusis, vel diuerso genere Chirurgiæ.Hæc latissime patet. Omnia enim genera medicamentorum nouerit,necesse est: simplicia,& composita, quæ quidem magna cura perficienda curabit.

Diuisio cõmodior.

Medici prophetæ sunt.

Vide quæ Syluester monuit.

In hisce omnibus,diu multumque tentandus erit, antequam approbetur, nec disputatione modo exploranda doctrina tironis doctoris, sed ipsa quoque catapotia miscere, & temperare cogetur, probare,& improbare apothecarum pharmaca. Id sane ostendit Syluester,cum negat *credendum aromatario, nisi sciat esse, conscientiatum, peritum, & practicum, sed sub suis oculis debet medicinæ compositio fieri.* Frustra inspiciet medicus, si praxeos ignarus est.Itaque & hæc pars excolenda est. Nam si hac nouerit, deinde dictata nobilium medicorum didicerit, facile medebitur communibus,& notis morbis;si vero componendarum specierum,vt vocant, ignarus fuerit, nihil præcepta illa iuuabunt, peponem enim pro raphano inseret,& medica morte,misero animam extorquebit.

Praxis in medicina caput est.

Nouamedicina nisi multis probata,ne admittatur.

§.9. Nemo medicorum etiam probatissimorum, noua medicina, nisi aliis quoque probata sit,vtatur. Non ignoro veterum inuentis adiici multa posse,nec noua artium condemno; si enim omnes scientiæ tẽporum interuallo magna incrementa acceperunt, cur huic vni hoc negandum sit,non video. Quia tamen in humano corpore experimenta periculosa sunt,aliorum quoque sententias audiet. Non iniqua mihi visa est lex Ægyptiorum,qua de Diod.Sicul.lib. 1.cap.6. Quæ eum qui secundum præcepta sacri libri medicina exhibita ægrum non sanasset,culpa liberat, si contra illa scita curam instituisset,morte plectit.

Imo medicina maxime tempore excrescit.

Probatis puti qui potest, incerta proponere non debet.

Nec audiendi qui secreta se magna, & efficacia remedia pandere nolle asserunt : ignauiæ,& inscitiæ, imo sæpe impostura illa secretorum iactatione auctoritatem præstruunt. Si bona sunt,si rationem habent,indicari præstat,quam latere;venena sæpe periculose temperata,aquas decoctas,remedia vehemẽtia proponunt, & dum vni morbo, vel parti medentur,totum corpus conficiunt.

Secreta merito suspecta sunt, quia velum imperitiæ obtendunt.

§. 10. Vt recte medicina administretur, magnis stipendiis, & donatiuis Academicos professores, princeps instituet, deinde tres, quatuorque splendidis natalibus ortos,bonis moribus,magnis præditos ingeniis,senos,septenosue annos in eo studio liberaliter sustentabit: vt vero legitimis medicis honos sit, & precium, multitudinem medicorum vetabit esse. Multitudinem inquam medicorum. Quæ nunc tanta est,vt nullus vicus adeo abiectus sit, in quo nõ complures inueniantur; nam vbi nemo est medicus omnes medicinam profitentur. Risi cum in nobili ciuitate Germaniæ, intellexissem doctorem medicum nullum esse, interrogassemque, quemnam igitur ægri consulerent? Responsum est;præter fatidicas anus, pharmacopœum, Chirurgum,aromatarium, dulciarium,balneatorem, etiam Iudæum,& Carnificem doses conficere, notare signa, atque omnia medici officia præstare: Et omnes inquiebant,hac arte ditescunt. Non dissimulaui meam sententiam,sed magistratum grauiter peccare dixi, non modo quod ciuium salutem in discrimen vocet, & simplices, faciat hominum callidorum prædam : Verum etiam quod hac ratione superstitionibus,& magicis præstigiis occasionem præbeat.Magnum est in omnibus,& naturale viuendi desiderium, in plerisque etiam nimium,nec vlla re facilius æger,quam spe sanitatis decipitur,ad omnia itaque descendunt,&flectere,si nequeãt superos,Acheronta mouent, de magia vere,& ex omnium doctorum sententia Plin.lib.30. fatetur. *Natam primum è medicina nemo dubitat, ac specie salutari, irrepsisse, velut altiorem, sanctioremque quam medicinam; ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat genus humanum:* Et sane spe medicinæ, multos diabolus in hoc barathrum viuentium illexit. Si igitur à magia puram ciuitatem magistratus præstare desiderat,medicos illos clancularios,aut potius ariolos esse veret. Timore mortis silentium illis indicet. Babyloniorum stolidam consuetudinem fuisse nihil dubito, qui ægros in publico deponebant, vt si quis eodem aliquando morbo sanatus esset, is medendi rationem ægro traderet, nec vlli præterire licebat,quin de morbo eius cognosceret.Stolida inquam,res,nam&publice eger affligebatur,& tot cum consiliis cõflictabat,& quod grauissimum erat, ignoto credendum sæpe erat,& ignoranti,sed publice tanta erat ignorantia, vt putarent eosdem morbos, diuersis in hominibus,diuersisque

Qui veros medicos negligunt,impostoribus sanitatem committũt.

Medicina idiotarum superstitiones miscet.

Medicina abusus magiæ initium

Ferro pestis illa vix tollitur.

Babyloniorum rudi-tas.

fisque ætatibus eisdem remediis curandos. Ridemus igitur ista, sed deteriora committi videmus, ab iis, qui vitam, salutemque corporis, hominibus ineruditis contradunt, illi enim medicamentariam aliquam rationem tenent, qua aliquos aliquando adiutos esse norunt, eam velut παγχρήστω omnibus applicant, quo nihil est perniciosius. Sæpe etiam animas dant in discrimen, dum à sagis per incantationes sanitatem, hoc est à dæmone exspectant.

Nos miramur eousque prouectam veterum credulitatem, vt magis crederent. Democritus compositionem medicamenti promisit, quo pulchri, & fortunati liberi nascerentur, sed quotidie talia videmus. Nouauit olim medicinam Asclepiades Pompei magni libertus, & vt narrat Plinius vniuersum prope genus humanum circumegit in se non alio modo, quam si cœlo emissus aduenisset. *Trahebat preterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandoque tempestiue, tum frigidam aquam. Et quoniam causas morborum scutari prior Herophilus instituerat, vini rationem illustrauerat Cleophantus apud priscos, ipse cognominari se frigida danda præferens, vt auctor est M. Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, tam suspendendo lectulos, quorum iactatu aut morbos extenuaret, aut somnos eliceret, iam balineas audissima hominum cupidine instituendo, & alia multa dictu grata atque iucunda: magna autoritate, nec minore fama, cum occurrisset ignoto funeri, relato homine ab rogo, atque seruato, ne quis leuibus momentis tantam conuersionem factam existimet. Id solum possumus indignari, vnum hominẽ è leuissima gente, sine opibus vllis orsum, vectigalis sui causa, repente leges salutis humano generi dedisse, quas tamen postea abrogauere multi. Asclepiadem adiuuere multa, quorum cura nimis anxia & rudis, vt obruendi ægros veste, sudoresque omni modo ciendi, nunc corpora ad ignes torrendi, solesue assidue quærendi, in vrbe vmbrosa: imo vero tota Italia imperatrice, tum primum pensili balinearum vsu ad infinitum blandientem. Præterea in quibusdam morbis medendi cruciatus detraxit, vt in anginis, quæ curabant in fauces organo demisso. Damnauit merito & vomitiones, tunc supra modum frequentes. Arguit & medicamentorum potus stomacho inimicos, quod est magna ex parte vetitum. Itaque nos in primis quæ sunt stomacho vtilia signamus.*

Asclepiades medicinam mutauit.

Asclepiades magus.

Hæc ratione aliquam habent, Illud vero detestabile quod Plinius addit lib. 26. cap. 4. *Super omnia adiuuere eum Magicæ vanitates, in tantum euectæ, vt abrogare, herbis fidem cunctis possent.*

Auaritia medicinam preciosam fecit, non meliorem.

§. 11. Cura medici excellentis in eo sit: vt cum fieri pot, medicinis simplicibus & parabilib⁹ ægri vtatur. Vere Plinius l. 22. c. 24. *Non fecit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota, parens illa, ac diuina rerum artifex: officinarum hæc, imo verius auaritiæ commenta sunt. Naturæ quidem opera absoluta atque perfecta gignuntur: paucis ex causa, non ex coniecturarum assumptis, vt succo aliquo ficca temperentur ad meatus, aut corpore alio humentia ad nexus. Scrupulatim quidem colligere ac miscere vires, non coniecturæ humanæ opus, sed impudentiæ est.*

Scrupulatim miscere vires insignis peritiæ est vel impudentiæ.

Hinc factum ne medicis apotheca permittatur, ne mercibus distrahendis, non sanitati studeat. Quia vero inter apothecarium, & medicum potest esse conspiratio, optime fecerit Respublica, si ipsa curam eam suscipiat. Nec tamen id fieri video, quamuis laudatissimum sit, cum multis locis principes, & vrbes vini vendendi, frugum molendarũ, aliarumq; rerum quasi regalem curam in se recipiant. Priscorum diligentiã laudat Plinius l. 23. c. 6. *Non est satis mirari curam diligentiamq; priscorum, qui omnia scrutati nihil intentatum reliquere. In hoc ipso cytino flosculi sunt, antequam scilicet malum ipsum prodeat, erumpentes, quos balaustium vocari diximus. Hos quoque ergo experti inuenerunt scorpionibus aduersari.*

Apothecam respublica curet. Si vitã flermit Respublica, cur non & medicinæ præsit?

Sed temeratam illam, sublatamque ait, & in locum diligentiæ successisse fraudes libr. 24. cap. 1. que-

ritur. *Hinc nata medicina. Hæc sola naturæ placuerat esse remedia parata vulgo, inuentu facilia, ac sine impendio, ex quibus viuimus. Postea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini vanalis promittitur vita. Statim compositiones, & misturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur, hulcerique paruo, medicina à Rubro Mari imputatur, cum remedia vera, quotidie p auperrimus quisque cœnet.*

Huic malo sola principis auctoritate obsisti potest.

Non erit sic vilior, sed paratior, & honoratior medicus qui sine sumptu persanat, nam in obnoxiis medicamentis adhibendis, etiam magna cura est. Optime dixit Herophilus medicus nobilis; *multas herbas calcatas prodesse.*

§. 12. Habeat & respublica qui herbas medicas opportune conquirat, nam in his totam olim medicinam fuisse auctor est Plinius libr. 24. cap. 2. *Hæc erat antiqua medicina, quæ tota migrabat in Græcia linguas. Sed quare non plures noscantur, causa est, quod eas agrestes, literarumque ignari experiuntur: vt qui soli inter illas viuant: præterea securitas quærendi, obuia Medicorum turba. Multis etiam inuentis nomina desunt, sicut illi, quam retulimus in frugum cura, scimusque defossam in angulis segetis præstare, ne qua ales intret. Turpissima causa raritatis, quod etiam, qui sciunt, demonstrare nolunt, tanquam ipsis periturum sit, quod tradiderunt aliis. Accedit ratio inuentionis anceps. Quippe etiam in repertis, alias inuenit casus, alias (vt vere dixerim) Deus.*

Olim res herbaria medicamẽtis sufficit.

Atque hæc tanti olim fuere, vt Arcadibus satis esset, pro medicina lacte vti boum, quæ herbosis locis pascerentur, Plin. libr. 25. cap. 8. *Alioquin herbiferum esse, & Pelium montem in Thessalia, & Telethrium in Euboea, & totam Arcadiam, ac Laconicam tradunt. Arcades quidem non medicaminibus vti, sed lacte circa ver, quoniam tunc maxime succis herbæ turgeant, mediciturque vbera pascuis. Bibunt autem vaccinum, quoniam bouis, omniuoræ fere sunt in herbis. Potentia earum per quadrupedes, etiamnum duobus claris exemplis manifesta fit.*

Lac è locis salubribus, & herbosis pro medicina Arcadibus fuit.

Verum hoc Arcadicum, & antiquæ stoliditatis est, cum enim sint varia morborum genera, non potest illa γαλακτοποσία omnibus, sed aliquibus tantum mederi.

§. 13. Magna cura esse debet principi, ne nouæ medicinæ inducantur, vt dixi; nam probatio est in ancipiti, itaque caute admittendi, quos Paracelsistas appellant. Probat Plinius nullam artium inconstantiorem fuisse, & suo quoque tempore sæpius mutatum, causa mutationis est, cupiditas quæstus; vt nouitate ad se homines alliciant, studiose vero suscipiuntur, ab ægris noua quia veteribus lente se curari animaduertunt, & vt cubiculorum, lectorum que commutationibus, ita medicinæ etiam varietate gaudent. Diu omnes Hippocrates tenuit, qui circa initia belli Peloponesiaci claruit. Eum remedia in templo scripta ex more, medendi facultatem hausisse aiunt, moris enim erat, vt qui morbis liberati essent; remedii genus, modumque scriptum in templo reponerent, his vsus ille, fano iam exusto famam parasse dicitur, sed tanta rerum scientia, satis ostendit alio eum præceptore vsum; ille quidem gratis omnes sanauit, sed Prodicus eius discipulus, quæstuosam fecit, & Iatrolepticen instituit. Sed horum placita Chrysippus, Chrysippi vero Erasistratus nepos Aristotelis mutauit, atque ita præceptores discipuli reiecerunt. In Sicilia alia secta fuit Empiricorum, auctore Acrone Agrigentino, ea cito, vt pote opinionibus nitens, & experientia, in varias sectiunculas dissipata est, quas omnes merito damnauit Herophilus: de secta Herophili notanda verba sunt Plinii lib. 29. cap. 1. *Deserta deinde & hæc secta est, quoniam necesse in ea literas scire.* Miror & pene obstupesco; Fuisse sectas medicorum, quæ literas nescirent. Et eam quæ literarum cognitionem requireret, eo ipso esse desertam. Sed tamen

Nouitas nõ medicamenti duntaxat, sed etiam secta principi suspecta esse debet.

Nihil tam nouitate placet, quã medicina.

Mutatio medicinæ.

Sectæ medicorum olim illiteratæ.

Hodie cohortes medicorum illiteratorũ inueniuntur.

nonne & hodie desertis illustribus medicis, ab aniculis, & rusticis sanitatem multi petunt, & eo magis eorum dicta suscipiunt, quod sunt ab ineruditis? Secutus deinde Asclepiades, eius scita mutauit auditor eius Themison, huius placita mutauit Antonius Musa, cum contraria medicina sanasset Augustum; sed aliam quoque sectam instituit Valens Vectius Messalinæ adulter, eoque potens. Neronis imperio Thessalus cuncta veterum decreta deleuit, & rabie quadam in omnis æui medicos perorauit, sepulchro suo curauit inscribi se latronicen esse. Interim totam vrbem traxit, *ætatem illam*, ait Plinius, *ad eum transiliuisse. Nullius histrionum, equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat:* sed hunc viuentem adhuc, sua turba destituit.

O mores insanientis vrbis, vbi ludicra pluris erant, quam sanitas.

Nam Crinas Massilienſis arte geminata, vt cautior, religiosiorque, ad siderum motus ex Ephemeride Mathematica cibos dando, horasque obseruando, authoritate eum præcessit. *Hi regebant fata*, ait Plinius lib. 29. cap. 1. *cum repente ciuitatem Charmis ex eadem Massilia inuasit, damnatis non solum prioribus medicis, verum & balineis; frigidaque etiam hibernis algoribus lauari persuasit. Mersit ægros in lacus. Videbamus senes Consulares, vsque in ostentationem rigentes. Qua de re exstat etiam Annæi Senecæ stipulatio. Nec dubium est, omnes istos famam nouitate aliqua aucupantes, animas statim nostras negotiari. Hinc illæ circa ægros miseræ sententiarum concertationes, nullo idem censente ne videatur accessio alterius. Hinc illa infelicis monumenti inscriptio, turba se medicorum periisse. Mutatur ars quotidie, toties interpolamur, & ingeniorum Græciæ flatu impellimur. Palamque est, vt quisque inter istos loquendo polleat, imperatorem illico vitæ nostræ, necisque fieri: ceu vero nõ millia gentiũ sine Medicis degant, nec tamen sine Medicina: sicut populus Romanus vltra sexcentesimum annum, nec ipse in accipiendis artibus lentus, Medicina vero etiam auidus, donec expertam damnauit.*

Nouatores medici famam captãtes negociantur animas.

Medicina non damnãda, sed vitia medẽtium.

Nimium calamo indulges, ô Plini, non artem damnauit; sed hominum vitia, auaritiam, crudelitatem, superbiam, ars tenenda, vitia coercenda, & vt coerceri possint occasiones tollendæ. Id patet ex eo quod lassum Heminam Romanus egregie carum habuit, sed cum vulnerarius esset, fœuitia vrendi, secandique nomen transiit in carnificem, & ars in tædium. Hoc ipsum verba Catonis ostendunt. *Dicam de istis Græcis suo loco, Marce fili, qui Athenis exquisitum habeam, & quod bonum sit eorum literas inspicere, non perdiscere. Vincam nequissimum & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixisse: Quandocunque ista gens suas literas dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis, si medicos suos huc mittet. Iurarunt inter se barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipsum mercede faciunt: vt fides iis sit, & facile disperdant. Nos quoque dicti sunt barbaros & spurcius nos, quam alios opicos appellatione fædant. Interdixi tibi de Medicis. Atque hic Cato D C V. anno vrbis nostræ obiit L X X V. suo, ne quis illi defuisse publice tempora, aut priuatim vitæ spatia ad experiẽdum arbitretur. Quid ergo? damnatam ab eo rem vtilissimam credimus? Minime hercule, subiicit enim qua medicina & se & coniugem vsque ad longam senectam perduxerit, iis ipsis scilicet, quæ nunc nos tractamus. Profiteturque esse commentarium sibi, quo medeatur filio, seruis familiaribus, quem nos per genera vsus sui differimus. Non rem antiqui damnabant, sed artem. Maxime vero quæstum esse immani pretio vitæ recusabant.*

Cato periuros medicos damnat, nõ magis est Iudæis fidendum, quam hisce impostoribus.

§. 14. Omnes pharmacorum compositiones descriptionesque pharmacopola iuratus asseruet, atque in singulos annos non medicamentariæ officinæ dũ taxat, sed medicamentorum etiam exhibitorum examen alii medici adiunctis viris è senatu primariis instituant. Si enim error commissus fuerit, si non ætati, non personæ accommodata medicina fuerit, multa corrigi poterunt, & si alieni capitis iniuria res steterit, moneri medicus, ne porro peccet; & si grandius erratum remoueri. Cum enim populus iudicare non possit, debet eam curam princeps peritis committere, nihil hac in re miserius homine, & olim ita fuit. Plinius lib. 29. cap. 1. *Solam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana grauitas in tanto fructu, paucissimi Quiritium attigere, & ipsi statim ad Græcos transfugæ; imo vero autoritas aliter quam Græce eam tractantibus, etiam apud imperitos experteſque linguæ, non est. Ac minus credunt, quæ ad salutem suam pertinent, si intelligunt. Itaque hercule in hac artiũ sola euenit, vt cuicunque Medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius. Non tamen illud intuemur: adeo blanda est sperandi pro se cuique dulcedo. Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt: Medicoque tantum hominem occidisse impunitas summa est. Quinimo transit conuitium, & intemperantia culpatur, vltroque, qui periere, arguuntur. Sed decuriæ pro more censuris principum eximinantur: inquisitio per partes agitur: & qui de nummo iudicet, à Gadibus columnisque Herculis accersitur, de exilio vero non nisi de XL. quinque electis viris datur tabella. At de iudice ipso quales in consilium eunt, statim occisuri? Merito, dum nemini nostrum libet scire, quid saluti suæ opus sit. Alienis pedibus ambulamus: alienis oculis agno scimus; aliena memoria salutamus: aliena viuimus opera. Perieruntque rerum naturæ pretia, & vitæ argumenta. Nihil aliud pro nostro habemus, quam delitias.*

Aurum lapide, & trutina probamus, de vita omnibus credimus.

Reges de vita subditorum cautissime, & lentissime iudicant, de regibus interdum pœnus agyrta decernit.

Sane in cauſis ciuilibus datur appellatio, & post appellationem reuisio, ita vt bona causa, per ius perire non possit. Hic in vita hominum perdenda impetio constituatur, vt sit aliquis metus perimendi.

Hoc ad medici fidem pertinet; sed ut ea castius seruetur iuramentum etiam requiro.

§. 15. Medicus in Rempublicam admittendus iuramentum præstet, se non modo fidelem fore, sed etiam quantum poterit pro ratione personarum sumptibus temperaturum. Id vero etiam visitatores expendant, an in morbo communi, & vilioribus remediis curabili, sine causa, grauiores expensas fecerit. Quid enim vniones, & gemmas necesse est liquari, quæ res prodigiosæ etiam in regia luxuriæ est, si bona, & malua salubrius aluum subducunt? Innocentiora sunt obuia. Si enim sola preciosa prodesse Deus voluisset, paucis diuitibus tantum consuluisset. Preciosa voco nõ genere modo, sed mistione quoque; Deus bone, quoties audiui in vnum puluisculum preciosissimum multa, nisi fallor *septuaginta quatuor ingredientia.* Quomodo omnes istorum virtutes inter contemperantur? Iam olim ea de Plinius queritur. *Theriacè vocatur excogitata compositio luxuriæ. Fit ex rebus externis, cum tot remedia dederit natura, quæ singula sufficerent. Mithridaticum antidotum ex rebus L I V. componitur, interim nullo pondere æquali, & quarundam rerum sexagesima denarii vnius imperata. Quo Deorum perfidiam istam monstrante? Hominum enim subtilitas tanta esse non potuit. Ostentatio artis, & portentosa scientiæ venditatio manifesta est. Ac ne ipsi quidem illam mouere. Comperique vulgo pro cinnabari Indica, in medicamenta nimium addi inscitia nominis, quod esse venenum docebimus inter pigmẽta.* Ecce tibi ignoratione medici, venena pro medicamentis dantur.

Pauperi etiam pharmacum natura prouidit.

Quinquaginta quatuor partes, & quadam sexagesima in vna dosi.

§. 16. Sed frustra agimus cum priuatis, nisi lex publica subueniat. Nam vt vitæ quædam luxuriosæ, ita & medicinæ iactantia est. Nihil tam absurdum dicit philosophus quod non alicuius leuitate credatur, nihil tam venenatum, aut vanum præscribit medicus, quod non cum periculo etiam sumatur; ex cinere, nidoque phœnicis medicinas prodidêre.

Imperiti medici omnia periturris infundunt.

§. 17. Medicus cum morbus est periculosus de animæ salute moneat ægrotum. Consilium Nauarri, aliorumque hac in re moderatum est, verbo *Medicus. Tertio peccat, qui non persuadet infirmo confessionem, antequam medicinam ei applicet, cui non est locus, quando manifestum est morbum non esse periculosum, quicquid dicat Silu. nec etiam quando credit esse periculosum, & letiferum, si iuxta consuetudinem bonorum, & honoratorum medicorum monet eius parochum: aut qui eius curam gerunt, vt illi sacramenta præbeant, & ipsi omittunt dicere id per se: non quia nolunt id fa-*

Medicipii officium est ægrotum de salute animæ monere.

id facere, sed quia putant id infirmo nociturum: iuxta Caiet. Nam vt ipse ait, & nos, illa constitutio hoc modo recepta est, & obseruata: & quamuis infirmus confiteri nolit, non ideo à medico relinquendus est, iuxta omnes.

Qui flagitiis vitam seruant, eam maioribus malis obruent.

§. 18. Si quis medicus ad sanitatem proponat remedia flagitiosa, vt calidum infantis cæsi sanguinem, quemadmodum factum Constantino, ebrietatem, γονόροιαν, adulteria, abortus, intestabilis esto, & pro ratione culpæ puniatur. Vita enim per scelera seruari non debet. Hoc itaque agendum, vt vir bonus sit, ne maiora mala morũ, dum morbis medetur, inuehat. Credat itaque sanitatem esse Dei donum, ab eo pendeat, nec hoc sibi tribuat, vt Deo nõ probante ægros sanare se posse asserat. Mores specie medicinæ corruptos testatur Plinius. *Illa perdidere imperii mores, illa quæ sani patimur, luctatus, ceromata, ceu valetudinis causa instituta, balineæ ardentes, quibus persuasere in corporibus cibos coqui; vt nemo non minus validus exiret, obedientissimi vero efferrentur. Potus deinde ieiunorum, ac vomitiones, & rursus perpotationes, ac pilorum euitatio instituta refinis eorum. Itemque pectines in fœminis quidem publicati. Ita est profecto, lues morum, nec aliunde maior, quam è medicina, vatem prorsus quotidie facit Catonem, & oraculum: satis esse ingenia Græcorum inspicere, non perdiscere. Hæc fuerint dicenda pro Senatu illo, sexcentisque populi Romani annis aduersus artem, in qua conditione insidiosissima autoritatem pessimis boni faciunt: simul contra attonitas quorundam persuasiones, qui prodesse nisi pretiosa non putant.*

Apollonidem Coum qui iure merito post vnius anni αἰκισμὸς, & cruciatus perfico more viuus est defossus, aliosque prætereo, quia de medicis, non de vitiis hominum tracto, quæ in omni genere hominum inueniuntur enormia.

Hæc de institutione, quæ de iurisprudentia dici possunt, itemque Theologia, libro de legibus, & magistratu Ecclesiastico rectius exponentur, de institutione ad militiam, ipsoque bello agendũm est libro singulari. De artibus mechanicis, cum de quærenda potentia rationem dabo, commode dicam, quamuis enim alium finem habere possint, χρηματοποιοὺν tamen fere habent propositam. Nec mihi alio modo de his agendum est, quam vt ad Rempublicam accommodentur. Omnia enim verum vsum habent, si bono publico transigantur.

POLITICORVM

LIBER QVINTVS.

DE LEGIBVS.

CAPVT I.

Ratio institutæ de legibus disputationis.

Rogandis & seruandis legibus Respublica seruatur.

LEGES Reipublicæ ferre salutares, summæ est prudentiæ, & auctoritatis; eas vero obseruare ciuis præstantissimi. Nulla enim res ciuitati est vtilior, aut honestior, quam bonarum legum custodia. De legibus itaque disputare, leges iudicare, nouas suadere, veteres emendare, antiquandas pronunciare, principis esse, & summi principis esse videtur: Venerari & exosculari leges, iussa capessere subditorum est. An ergo & ego de legibus disputabo? Id quidem Theologo, & Philosopho necessarium est: Iurisconsulti autem tota materia, lex est; *sine lege enim loqui erubescit.* Politicus vero Rempublicam optime, solidissimeque constituerit, si hoc effecerit, vt leges optimæ ferantur, & late vigeant: Lex enim anima ciuitatis est, cuius vegetabili influxu viuit, nutuque gubernatur magnum hoc corpus. Et quemadmodum Epilepticorum, phreneticorumq; τὰς ἐνόμους κινήσεις, *exleges concussiones* vehementer exhorrescimus, quia præter animi voluntatem membra corporis detorquent, ita quoq; Respublica, eam sopita vel pressa lege, violentis motib⁹ agitatur, comitiali morbo laborat, ingenti sonitu, & de repente casura. De legibus igitur & mihi dicendum est.

De legibus agit Theologus.

Non de singulis, id enim esset infiniti operis, nec meæ professionis, totam enim iurisprudentiam, sacrarum, ciuiliumque legum scientiam, tractationemque contineret ea disputatio: itaque generatim de natura iuris, & legum; de causis & effectis; de proprietatibus, partibusque ea dicam, quæ ordinandæ ciuitati sufficiant; & ad particularia decreta intelligenda, & constituenda conducant. Idque vt plurimum de Imperatorum, Regum, & virorum consultissimorum sententia, ex fideli historiarum, hoc est humani generis, experimento.

Historia legum exploratrix est.

§. 2. Cum vero tam sint varia non modo nationum diuersarum, sed eiusdem etiam gentis instituta, moresque; adeo vt quanquam falso, non sine occasione tamen dixerit olim non nemo: *Honesti, & turpis discrimen sola opinione constare:* Mihi integrum erit de omnibus Rerumpublicarum institutis meo arbitratu iudicare, nec premi iudicium meum debet vllius Reipublicæ præiudicio, si pro me facient aliarum ciuitatum placita. Et de meo quoque iudicio aliorum iudicia libera sunto.

Leges igitur expendam, & illis Rempublicam instruam. Et diuina quidem die ac nocte considerandæ est. *Lex igitur Dei,* (inquit Amb. de 24. mans. fil. Israel in 28. mans.) *exactissima quaque censura examinanda, & omni qua potest, maiori sedulitate seruanda, ne ab ea forte excidamus. Hoc nos præsens mansio docet. Baneiacham enim excitationem designat. Qui autem legem Dei percolat, ne minima quidem vel syllaba, vel apex negligenter labatur, diligenter obseruat.*

Lex in omnire considerandæ est.

§. 3. Hæc enim consideratio conscientiam dirigit, mentem illuminat, & Rempublicam informat. Eam ob rem & veterum multi, & mediæ ætatis scriptores non pauci, nostrâ vero tempestate innumeri de legibus tractarunt. Vetustissimus omnium quorum monimenta supersunt est Plato, cuius libri duodecim hodieque in manibus sunt. Si antiquitatem spectes tunc eruditi, si nostra tempora, parum accurati. Secuti sunt deinde varii sed monumenta exciderunt. Romanorum princeps Cicero tribus libris Platonis sententiam exposuit: qui ante eum in Republica floruerunt, summi viri de iure, & legibus responderunt.

Platonis opus de legibus vetustissimum est.

Tullius l. 1. de leg. *Ego memini summos fuisse in ciuitate nostra viros, qui id interpretari populo, & respondere soliti sint: sed eos magna professos, in paruis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quam est populo necessarium?*

Secuti sunt deinde Iurisconsultorum exercitus imperatorum æuo. Sed illi fere ex duodecim tabulis, ex senatusconsultis, plebiscitis, principum decretis, prudentium responsis sua, non ex intima philosophia, vt etiam veteres, dogmata hauserunt. Quemadmodum iure cauerent, quomodo rem suam tuerentur, de parietum, terminorum, viarum, stillicidiorum iure disputarunt. Totam causam vniuersi iuris ac legem parce attigerunt. Itaque merito queritur Tullius, *veteres magna professos in paruis versatos.* Nam ius ciuile quod illi præcipue tractant, in paruum & angustum locum concluditur naturæ. *Natura autem iuris nobis explicanda est, eaque ab hominis repetenda natura: considerandæ leges, quibus ciuitates regi debeant: tum hæc tractanda, quæ composita sunt, & descripta, iura, & iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quæ vocantur iura ciuilia.*

Iuris & legum vis ex natura sumenda est.

Ita Tullius; & causam ante reddiderat. *Nullo ingenere disputandi magis honesta patefieri, quid sit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi, efficiendique causa nati, & in lucem editi simus, quæ sit coniunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos. his enim explicatis, fons legum & iuris inueniri potest. Non ergo à Prætoris edicto, vt plerique nunc, neque à XII. tabulis, vt superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas.*

Ius ex Philosophia.

§. 4. Hanc

§. 4. Hanc rationem D. Thomas in 1. 2. q. 90. Antoninus 1. p. t. 11. Hugo de potestate legum. Gerson 3. p. de vita spiritali. Et prima parte de potestate Ecclesiastica, & origine iuris ac legum. Vincentius Beluacensis in speculo mor. lib. 1. pagin. 2. Alphonsus à Castro, de pœnali lege. Guilhelmus Parisensis. Dominicus Sotus lib. 1. & 2. Ex Theologis Societatis; Gregorius de Valentia, qui etiam in vniuersam Theologiam operibus editis, confutatisque hæreticis Germaniam illustrauit. Cui testimonium auditor eius Clemens octauus dedit, & *doctorem doctorum* appellauit.

Secutus G. de Valentia est Ioannes de Salas Castellanus, in quo præter profunda Theologiæ, & Philosophiæ, etiam peritia omnis iuris, & æquitatis apparet.

Gabriel Vasquez in 1. 2. disp. 150. & sequentibus, isque magno, & libero iudicio. Martinus Becanus præceptor meus breuiter, dilucide, & acute, vt & doctos instruere, & occupatis consulere possit. Prolixe eandem materiam Franciscus Soarez libris decem persecutus est, breuiter tamen, si tam vasti ingenii vbertatem, & cætera monumenta spectemus. Quos libros vt studiosis Theologiæ commendem, non opus est nouo encomio, id solum assero, verum esse, quod censores eius P. Fr. Ludouicus ab angelis, ordinis minorum prouincialis, & P. F. Vincentius Pereira ordinis prædicatorum pronunciarunt. Ludouici hæc est censura.

Soarez profundi ingenij.

Ex mandato supremi sanctæ inquisitionis senatus, vidi hanc de legibus tractationem, ab admodum reuerendo & eruditissimo patre Francisco Suarez compositam, in qua summa & in ipso solita eruditione difficultates huius materiæ disserit, & dissoluit; nihilque fidei repugnans in hoc Tractatu continetur, nihil almæ matris Ecclesiæ atque sanctorum patrum decretis aut bonis moribus contrarium: Imo potius in omnibus explicandis, quæ hanc disputationem concernere possunt, tantum in ea eruditionis splendorem reperiri comperi, vt nihil superius, vel ad disputationem Theologicam, vel ad iuris pontificij interpretationem desiderari videatur. Quocirca tanquam Theologiæ, & Iuris Canonici eruditissimis necessariam, & reipublicæ Christianæ vtilissimam dignam iudico, quod typis excusa omnibus offeratur Dat. Olysipone die 5. Maij, Anno Domini 1611.

Theologiæ & canonū consultissimus.

Vincentii vero ista. *Legi accurate de mandato supremi Senatus sanctæ Inquisitionis tractatum hunc de legibus in decem libros distinctum, Autore R. P. Doctore Francisco Suarez primario in Conimbricensi Academia Professore, dignumque suo autore iudico, plus enim in illo est, quod probatur aspectu, quam ore laudari possit, sicut de luce ait D. Ambrosius lib. 1. Exam. cap. 9. In communem ergo omnium vtilitatem typis mandari potest: Dat. in conuentu S. Dominici Olysiponensis die 5. Augusti Anno 1611.*

§. 5. Theologi quidem de legibus disputant, vt animos hominum ad obedientiam, verique, & honesti cupiditatem inducant; mihi vero propositum est ostendere ex ratione, & natura iuris, ac legum, quanam ratione ciuitas optime gubernetur. Ideoque & multas eorum disputationes intermittendas video, mihique illa, quæ ab ipsis copiose disputata sunt, sumenda; multa etiam prætermittenda, quæ magis scholis, quam aulis, & tribunalibus vsurpantur, omnia vero ad vsum, vtilitatemque virorum in Republica versantium accommodanda.

Axiomatis prudentum vtetur princeps, non ea disputabit.

Vnum est, quod monitos omnes velim, qui vel leges condunt, vel eas pro officio tuentur, vel exponunt; vt parcant legibus, quas ipsi probant. Præclare Lactantius libr. 4. institutionum diuin. *Quicunque dat præcepta hominibus; ad vitam moresque fingit, aliorum quidem bona sunt, quæ præcepit; at ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum: ne si aliter ille vixerit, præceptis suis fidem detrahat, leuioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nitatur astringere. Cum igitur quis non faciat, quæ præcepit, quæ insolentia est, vt homini libero velit leges, quibus ipse non pareat? Homines enim malunt exemplo, quam verba:*

Quia loqui facile est, præstare difficile.

Parendum legibus, quas docet.

CAPVT II.

Definitio legum, & diuisio.

DEFINITIONES legum multæ sunt, quæ facile defendi, multo autem facilius impugnari possunt. Nihil enim est accurata definitione rarius. Omnis enim difficultas in definitionem reduci potest.

Aristotel. ad Alex. Καὶ γὰρ ὁ νόμος ἐστὶν, λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. *Nam & lex est oratio,* (ratio) *communi ciuitatis consensu definita, ostendens, quomodo vnumquodque sit agendum.*

Lex præceptrix est agendorum.

Cicero lib. 1. de leg. *Est autem lex ratio summa insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Et lib. 2. de natura Deorum: *Lex est recti præceptio, pratiique depulsio.*

D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. *Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.*

Papinianus l. lex est. π. de leg. *Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte, vel ignorantia committuntur, coercitio, sponsio denique Reipublicæ communis.*

Alphonsus à Castro: *Lex est recta voluntas eius, qui vicem populi gerit, voce, aut scripto promulgata, cum intentione subditos obligandi ad illam.*

Valentianus: *Lex est quoddam rectum rationis practicæ decretum, ab eo qui curam communitatis gerit, sufficienter sancitum: & constitutum vt ex eius vi debeat necessario modus aliquis siue in re, siue in actione propter bonum commune adhiberi.*

Ioannes de Salas: *Lex est præceptum communitati impositum perpetuo obligans, nisi reuocetur.*

Soarez lib. 1. cap. 12. *Lex est commune præceptum, iustum ac stabile, sufficienter promulgatum.*

Alias definitiones sponte prætereo. *Vt lex est generale iussum populi, aut plebis rogante senatu.* Gell. 10. cap. 20. Et:

Lex est quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante, velut consule, constituebat. Nam particulare ius continent.

Mihi definitiones illæ pleræque commoda interpretatione videntur posse ad veram intelligentiam, explicationemque referri.

Vt igitur rem ipsam ob oculos ponamus, in legum significatu & ipsa re multa sunt consideranda.

§. 2. Primo legem Hebræi vocant תורה à תור quod est explorare considerare, ordinare. תור est enim ordo, ratio, ordinatio; nam exploratio ordinatissime procedit, cum prudenter rem indagat. Esth. 2. 12. tempus seu ordinem designat. Verum malo à ירה deducere, quod est, docere: & latissime apud Hebræos accipitur, vt sit ratio, doctrina, dispositio, iudicium, statutum. Græcis νόμος dicitur, non tam à pascendo, quam suum ius vnicuique distri-

Lex hebræis ab ordinãdo, Græcis à distribuendo dicitur.

distribuendo. Olim autem cantilenas vocarunt νόμους, vt auctor est Aristoteles, prob. sect. 19. 28. *Cur leges pleraeque cantilenae appellentur? An quod homines prius quam literas scirent, leges cantabant, ne eas obliuioni mandarent: quod etiam nostra aetate Agathyrsis in more est. Ergo primas quoque posteriorum cantilenarum eodem appellauerunt nomine, quo omnes superiores vocabantur.* Lex igitur modus, regula, norma, status, conditio, praeceptum quamuis iniquum vocatur, sed de propria lege nos loquimur.

Ad legem varia concurrunt.

§. 3. Deinde lex omnis est composita variis ex partibus. Nam in ea est iudicium, seu actus intellectus legislatoris, quo iudicat faciendum, aut non faciendum, obligandumque subditum. Deinde decretum, seu actus voluntatis quo eum obligare constituit. Tertio, promulgatio, qua lex subdito indicatur. Quarto, est intelligentia subditi, qua obligationem suam agnoscit, aut sane sua culpa ignorat. Denique est res ipsa, seu vt vocant obiectum, circa quod iudicium voluntasque, tam legislatoris, quam subditorum versatur. Lex in paradiso est: *De arbore scientiae boni, & mali ne comedunto.* Hoc obiectum à Deo, hominibusque cognitum, vocatur lex, terminusque est diuinae iussionis, & humanae obeditionis. Dirigit enim hominis & intellectum, & voluntatem. Primo Deus intelligit hoc imperandum, deinde vult imperare, ac tandem imperio suo edicit, quo cognito obligatio parendi nascitur. Quae itaque hoc loco pluribus disputantur, à Theologis sitne lex opus intellectus, an voluntatis? nobis nequaquam necessaria sunt, cum vtrunque complectatur. His igitur constitutis facile est breui definitione legis naturam comprehendere.

Lex actu voluntatis, & intellectus perficitur.

Lex est praeceptum aequum superioris subditum ad agendum, aut non agendum obligans. Nam praeceptum genus est; aequitas excludit iniusta imperia, quae leges non nisi per abusum nominantur, obligatio subditi promulgationem, aliaque includit. De stabilitate, aliisque legum affectionibus dicam suo loco.

§. 4. Legis & iuris magna est affinitas, & crebro illa confunduntur. Ius ita dicitur quod iustum, estque obiectum iustitiae. Illa enim virtus suum obiectum, sicut & aliae constituit. Ius enim hoc esse dicunt quod de iustitia fonte manauit. Ius inquam generale est, quod respondet iustitiae generali, nempe id quod in omni re atque actione rationi rectae, ac aequitati consentaneum est. Peculiare ius est, quod iustitiae stricte sumptae respondet, estque id quod lex praescribit, aut facultas quam lex cuique facit. Consuetudine iurisperitorum ius legem frequenter significat. Ius est ciuilis aequitas, vel scriptis legibus sancita (inquit Crispus) vel institutis, aut moribus recepta. Atque haec initia legum sunt, & natura.

Ius & lex affinia sunt.

§. 5. Diuisio legum, & iuris proportione quadam eadem est. Et iuris quidem partitionem ipsi Themidos antistites variam instituunt. Ius naturale primarium vocant naturalem rei cuiuslibet inclinationem: deinde ius secundarium naturale; vt stare promissis, neminem laedere. Hoc idem dicitur à quibusdam ius gentium primarium. Tertio quod inde deriuatur ius gentium secundarium appellant, vt quod discursu practico colligitur ita consentaneo naturae, vt in id gentes omnes, aut pene omnes, nisi valde sint efferae conspirent. Itaque ius naturale non est omnino à iure gentium distinctum. Nam ius gentium vocat imperator, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Ius secundarium naturale necessitas constituit, vt ait Aristoteles libr. 1. polit. capit. 3. Exemplum est seruitus, quae non est contra ius naturale. Nempe mansuetior illa, & à Iustiniano, aliisque emendata; vetus enim barbara, & tyrannica omnino fuit.

Ius varie diuiditur.

Item ius τῆς νόμων ἐγγεγράφων & ἀγράφων, θέσμια alii vocant, καὶ νόμους. Et ius personarum, rerum, actionum.

Hinc & ius quod ciuile dicitur natum est, quod neque totum à naturali, vel gentium iure recedit, neque per omnia ei seruit, itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium seu ciuile intelligimus. Quod si omnino recedit à naturali, iam ius non est, sed iniuria, & tyrannis.

Ius ciuile consentaneū est naturali.

Sic quidem iuris gentium seruitus est, quamuis enim omnes liberi nascantur, vnum est enim, & ex vno omne genus hominum, serui tamen fieri possunt iure gentium, quod non est contra ius naturae; Qui enim alteri bellum iniustum infert, mortemque molitur, ille potest occidi:

Iudice me fraus est concessa repellere fraudem,
Armaque in armatos sumere iura sinunt.

Seruitutis prima origo est ab iniuria.

Humanitate tamen gentium mansuetarum in seruitutem mortis poena commutata est. Ciuile itaque ius naturalem aequitatem nunquam corrumpit, sed eam determinat: quod si aliquando abire ab ea longius videtur, rationem tamen habere debet, quae id quod praescribitur; ratione alicuius circumstantiae faciat iustum. Durum sane videtur praescriptione amittere rei propriae possessionem, sed ne longissimo tempore dominia rerum incerto possessore iactentur, consultius est paucorum damno publicae quieti prospicere. Optime Gregor. Tolos. in Syntag. iuris. libro vndecimo, cap. primo, §. 9. & seq. *Quemadmodum etiam & ciuilis ratio, quae naturalem habet causam, fere semper comitem. Ratio enim vix dici potest, quae naturalis non sit, quae tamen non semper, quod naturae communi congruit omnium considerat, sed aliquando tantum societatis alicuius ciuilis causam, vtque commodius alicuius vita instituatur, habita ratione morum praesentis loci, & eius quod ibi sapius, quam alibi communiter inter homines contingit. Indeque ius ciuile, quod proprium cuiusque ciuitatis, hoc est, quod maxime conformatum est ritibus, & moribus receptis in ciuitate, partim cum iure naturae consentit, veluti cum fermento aequitatis, & iustitiae & iuris, vnde tantum iustum: nec tamen per omnia ei inseruit, id est, non omnino secundum vniuersalem aequitatem naturalem statuit. Necessitas quippe societatum, interdum iubet ab ea aequitate deflectere, vt propter frequentiam criminum, augeri poenas, aut propter mores sauiores, & barbaros durius statui, interdum contraria causa minui, & aliter hic expedit, aliter alibi leges temperare. Quae omnia tamen, etsi diuersa in locis diuersis & contraria, iusta nihilominus sunt & aqua: sed diuersa ratione, & secundum quid, non secundum generalem considerationem iuris naturae in abstracto, sed secundum ius naturale in concreto, hoc est, pro conuenientia subiecti, cui nomotheta iustum praescribit. Vt non dubitem ius naturale, & in iure ciuili esse. Verum in illo concreto appellationem, ciuilis dominari. Et tamen si sanctiones ciuiles non sint consonae rationi, ius non faciunt, quamuis ita nominentur, sed corruptelam: si autem consentiant cum ratione, cum ea naturalis sit, ius quoque ciuile, & naturale hoc modo erit, & in concreto dici poterit, & ratione contractionis ad illam vel illam ciuitatem, ius naturale, & ciuile quoque.*

Legis quae contra ius esse videtur, magna debet esse ratio vt sit iusta.

Quod inuniuersum est aequum, ob circumstantias fieri potest iniquum.

§. 6. Hæc de iure statuerunt, legum quoque est non dissimilis diuisio. Plato in Timæo legem diuidit in diuinam, cœlestem, naturalem & humanam. Cœlestem à Diuina distinguit. Diuinam vocat, quam Theologi æternam appellant, quæ est ratio in mente diuina existens vniuersi gubernatrix. Cœlestis lex Platoni est ipsa μοῖρα, seu fatum, quod nisi sana

Lex diuina, cœlestis, naturalis.

nisi sana interpretatione pietas Christiana non admittit. Naturalis est, quam ante diximus: Eadem ratione S. Thomas in æternam, naturalem, diuinam, & humanam partitur: alii legem seu ius diuidunt in naturale & positiuum. Iurisperiti naturalem, gentium, & ciuilem rationem legis considerant, Diuinam, & Canonicam Theologis permittunt. Ius seu legem ciuilem auctores diuidunt in sex partes. Est enim lex quod populus Romanus Senatorio magistratu interrogante constituebat. Verum de solo Romano & stantis Reipublicæ iure agit. Nam hoc à Romulo statutum fuerat, vt nihil sacrosanctum esset, nisi quod plebs, populusue sanxisset. Quod enim curiis visum fuerat id ad senatum referebatur. Nam legum latio, magistratuum creatio, belli arbitrium in populi erant potestate. Imo & grauioris multæ irrogatio, à populo decernebatur, Tit. Liu. lib. 25.

Lex æterna, naturalis, diuina, humana.

Leges Romanæ.

Senatusconsultum quod senatus censuit, cui si quis tribunus intercederet, auctoritas tantum perscribebatur, & ad senatum populumque referebatur. Hoc tamen genus legis excludunt multi; nam Senatusconsulta, & decreta magistratuum, non ea vi pollebant, qua iussa populi, in legem enim & magistratus, & plebs iurabat; Vera tamen lex dici potest; nam minor potestas aut obligatio, non facit vt lex esse desinat, sed vt sit lex imbecillior, neque ad rationem legis pertinet, vt in illam à subditis iuretur. Senatus enim loco totius populi consulitur, ideoque rerum gerendarum, nisi quas populus excepit, habet potestatem.

Plebiscita Festus definit, quæ plebs tributis comitiis, sine patribus, plebeio magistratu, hoc est, Tribuno plebis rogante accepit.

Edicta erant, quæ cæteri magistratus, vt consules, ædiles, tribuni, sed præcipue prætores initio initi magistratus promulgabant. Idcirco ius Prætorium vocabatur; quemadmodum & ius honorarium, quod ab eis, qui honores gerebant, esset edictum.

Annua lex prætorum.

Edicebant initio Prætores quod de re quaque ius dicturi essent, vt se quisque præmuniret, lib. 2. §. 5. de ant. iure ciu. Rom. & libr. 3. capit. 5. Sigonius. Cicero lib. 1. act. 2. in Verrem, *annuam legem* appellat. Finem enim adferebant Calendæ Ian. & initium eisdem calendis nascebatur. atque hac lege ius dicebat Prætor vrbanus, non suo arbitrio, sed secutus leges iam ante latas; nam leges duodecim tabularum adiuuabat, supplebat, interdum corrigebat. Itaque eius muneris erat, ad æquitatem & præsentis statum ciuitatis leges ponere: Moderata illa potestas erat, tum quia finis illius æquitas, tum vero quia annua, & si inique ius dixisset, non modo repulsa à consulatu certa erat, sed accusator quoque imminebat. Visum tamen est postea edicta prætorum facere perpetua, vt lege cornelia cautum est.

Ius prætorium temperatum.

Placita principum sunt, cum imperator vel rescripsit, vel iudicauit, & edicto præcepit. Ea potestas per legem Regiam Cæsari data est, vt tota ratio legum, quemadmodum ipsa Respublica ad vnum venerit.

Denique responsa prudentum sunt sententiæ iurisperitorum, qui olim cum auctoritate de iure respondebant. Ab eorum consensu iudici recedere non licuit. de illis ita inst. lib. 1. t. 2. §. 8. *Responsa prudentium sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere. nam antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura publice interpretarentur, quibus à Cæsare ius respondendi datum est, qui iurisconsulti appellabantur, quorum omnium sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenebant, vt iudici recedere à responso eorum non liceret, vt est constitutum. Sine scripto ius venit, quod vsus approbauit: nam diuturni mores consensu vtentium comprobati, legem imitantur. Et non ineleganter in duas species ius ciuile distributum esse videtur. nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum fluxisse videtur. In his enim ciuitatibus ita agi solitum erat, vt Lacedæmonij quidem magis ea, quæ pro legibus obseruabant, memoriæ mandarent: Athenienses vero ea, quæ in legibus scripta comprehendissent, custodirent. Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes peræque obseruantur diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent. ea vero quæ ipsa sibi quæque ciuitas constituit, sæpe mutari solent: Vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata. Omne autem ius quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones; & prius de personis videamus. nam parum est ius nosse, si personæ quarum causa constitutum est, ignorentur.*

Hoc ergo modo ius imperator ipse definit, diuidit, sed ius vt ait scriptum. Nam alio pertinent consuetudines de quibus dicam suo loco. Nam Carolus Sigonius lib. 1. cap. 5. de antiquo iure Romanorum, Bipertitum ius facit, nempe quorum alterum scripto, alterum consuetudine constabat. Et sane quorundam vrbium leges scriptæ non fuerunt, vt Iustinianus testatur. Ius non scriptum in Rempublicam inuexit mos, & instituta maiorum, quorum æquitate sæpe iuris austeritas temperata est.

§. 7. Sane apud populum rudem initio lex nulla fuit, liber iuris Romani temporibus Tarquinii superbi confectus est, de quo Pomponius. *Initio ciuitatis nostræ populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit: omniaque manu à regibus gubernantur. Postea, aucta ad aliquem modum ciuitate, ipsum Romulum traditur populum in 30. partes diuisisse, quas partes curias appellauit: propterea, quod tunc reip. curam per sententias partium earum expediebat. vt ita leges quasdam & ipse curiatas ad populum tulit, tulerunt & sequentes reges. quæ omnes conscriptæ exstant in lib. Sexti Papirij, qui fuit illis temporibus, quib. Superbus Demarati Corinthij filius ex principalibus viris. Is liber, vt diximus, appellatur ius ciuile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit: sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit.*

Sed magis regia voluntate, quam iure viuebant, itaque pulsis iam tyrannis, & afflicta per dominationem patriciorum libertate, de legibus est cogitatum, factæ inde duodecim tabulæ, quæ ius triplex, seu leges triplices continebant. Ausonius in Gripho numeri ternarii

Ius triplex, tabulæ, quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, priuatum, & populi commune quod vsquam.

Triplex ius duodecim tabularum.

Legibus annexæ sunt actiones, processus, & formulæ, quæ initio quidem ad compendia litium adhibebantur, ne suo quisque arbitrio causas ageret; verum deinceps Cn. Flauius formulas euulgauit, vnde ius Flauianum: Alias addidit Ælius actiones, quas rude vulgus ius Ælianum vocauit. Cum enim in foro contenditur, plus fere auctoritatis rabulæ, quam iurisperiti sortiuntur. Atque hæc de iuris, legumque descriptionibus, & diuisionibus, de quibus amplissimæ & politicæ philosophiæ tirones edoceri solent.

Formulæ vocatæ sunt ims.

CAPVT III.

Legum necessitas, atque vtilitas.

§. 1. LEGEM esse necessariam non eodem modo dicimus. Nam lex æterna in se spectata, hoc est obiectum iusti imperii, quo recta iubentur, & obedientiæ, qua suscipiuntur imperata, sempiternum est. Itaque necessarium est esse, vt repugnet non esse. Nam iniuriam non esse inferendam; Æquitatem esse colendam, sanctissima lex est.

Lex æterna absolute est necessaria.

Et neces-

Et necessaria quam nulla ratio obscurare, nulla vis potest infringere. Nulla enim potestate ne omnipotente quidem Dei fieri potest, vt iustum sit, facere iniuriam alteri.

§. 2. Lex æterna, & naturalis necessaria est; si creaturæ, rationis & intellectus participes existant. Nam animalia illa, seu spiritus, alta, & capace mente, liberaque voluntate præditi, natura sua imperio maioris domini subiecti sunt, ab eius enim nutu prouidentiaque pendent, cuius potestate conditi sunt; itaque illorum natura est obedire. Egregie hoc explicuit Lactantius lib. 6. cap. 8. *Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo. Vetando à fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando mouet. Huic legi nec propagari fas est, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari potest, nec vero aut per Senatum, aut per populum solui hac lege possumus: nec est quærendus explanator, aut interpres alius, nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit, vnusq; erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus, ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernetur: hoc ipso luet maximas pœnas, etiam si cætera supplicia, quæ putantur, aufugerit.* *Creaturæ natura est obedire creatori.*

Itaque in ipsa mente, adeoque natura iustitiæ & sanctitatis est insita regula. Hinc recte dictum est: *Deum ibi regnare vbi lex regnat.*

Quid enim terrisque poloque
Parendi sine lege manet? Vice cuncta geruntur,
Alternisque premunt propriis sub legibus, omnia
Terra, premit felix regum diademata Roma.
Hanc ducibus frenare datum, mox crescit in illos
Imperium superis.

§. 3. Quædam vrbium mox initio legibus fundatæ sunt, quædam vero sensim leges addidere ac mutauere. Et fere ex vitiis bonæ leges ortæ, quemadmodum medicinarum industriam extorsit morborum vis ingruens, sic necessitate adducti homines in varias viuendi leges conuenerunt. Melior est tamen earum vrbium status, quæ mox cum ipsis mœnibus leges condiderunt; cum enim sit in legibus salus ciuitatis, vt monet Aristoteles lib. 1. Rhet. c. 4. parum iuuant munimenta corporum, si animorum integritati parum est prospectum. *Vitia legũ Origines, vt medicinæ morbus.*

§. 4. De ciuilibus & canonicis positiuis, quin etiam de positiuis Dei quas vocant, præcipua difficultas est. Multi enim leges, legumque ordinem exosi, probant vitam exlegem, priscamque gentem, in qua lege non agebatur, admirantur; in qua simplex ratio, caritasque pro lege erat;

nec supplex turba timebat,
Iudicis ora sui, sed erant sine iudice tuti.

Leges positiuæ sunt necessariæ.

Verum illi ideas fabricantur, & vt poeta ait ἀνεξεταστοι, & quærunt Rempublicam, aut fingunt, qualem nulla ætas vidit, aut videbit. Nos scimus virginem terram sanguine fraterno maduisse, & totum mundum antediluuianum aquis abolitum, & tamen post tantum naufragium mox proteruum filium illusisse parenti, & dominandi cupidinem in campo Sennaar exarsisse. Sic igitur censeo. Quemadmodum homines omnes, atque adeo omnis creatura natura sua est in vtramque partem flexilis; nam hoc ipso, quod est ex nihilo, mutabilis est; In malum & bonum cerea; ideoque vt rectæ normæ conuenienter viuat, à malo arceatur, virtuti insuescat, lege opus est; ita quoque cum videamus frequentissime à plurimis in Republica peccari, opus est lege non modo quæ peccata vetet, sed etiam quæ animas peccatorum amputet. Sed illas de absoluta potestate legum, & necessitate disputationes omittam. De legibus politicis externis, quæque proprie ciuiles appellantur, constat, nullam absque illis posse ciuitatem administrari, cum enim corrupta sit hominis natura, & in malum prona ab adolescentia, metu legum coercenda est. Sine legibus enim societas hominum latrocinium est, & iniuria; nullo autem modo est respublica. Neque satis fuerit principes, & magistratus esse; nam & illi crebro sunt è multis, interdum etiam multitudine deteriores. Certe non semper eodem affectu iudicant; nec satis est bene esse institutos, imperia enim etiam bonos demutant. Olim arbitria principum erant pro legibus; sed fides spectata principio faciebat, vt leges non desiderarentur. Augustin. lib. 4. de ciu. Dei, c. 6. ex Trogo Pompeio. *Principio rerum gentium nationumq; imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populi nullis legibus tenebantur: arbitria principum pro legibus erant: Fines imperij tueri magis quam proferre mos erat. Intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Nimus rex Assyriorum veterem & quasi auitum gentibus morem noua imperij cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis & rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos, vsque Libyæ perdomuit.* Ita quoque in lib. 2. initio. de origine iuris, & leg. de constit. §. Sed & quod principi placuit.

§. 5. Verum non tantum ob has causas necessaria lex est, sed principatus etiam illi dandus est. Est enim lex omnium regina, vt monuit Pindarus: ὁ νόμος πάντων βασιλεὺς θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων. Lex regina est omnium hominum, & Deorum. Habuerunt & legem suam angeli, habent & priuatæ domus. Optime Martianus lib. 2. de legibus. ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, δεῖ τε αὐτὸν προεστάναι τε καὶ εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν ἀισχρῶν, καὶ ἄρχοντα καὶ ἡγεμόνα· καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τε εἶναι δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ τῇ φύσει πολιτικῶν ζώων προστακτικὸν μέν, ὧν ποιητέον, ἀποτρεπτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον. i. *Lex est omnium diuinarum & humanarum rerum regina. oportet enim eam esse præsidem & bonis & malis & principem & ducem: & secundum hoc regulam esse iustorum, & iniustorum, & eorum animantium quæ natura ciuilia sunt, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem vero non faciendorum.* *Legi dandus princips. Lex patus.*

Necessitas vero ordinis in omni republica, in exercitu, in iudiciis ita est euidens, vt sine illo nulla communitas manere possit. Cum enim innumeræ res sint adiaphoræ, quæ diuerso modo recte fieri possunt, nisi tamen ordo præscribatur, vt certo aliquo modo peragantur, omnino fieri sine difficultate non possunt. Sine aliquo iure non modo nulla respublica, sed ne latronum quidem cœtus agere possunt. Leges quasdam habent ipsæ conspirationes contra leges institutæ, nec sine aliqua specie iusti validæ esse possunt. Neque enim leges dedecora prohibentes, imperantesque honesta, duntaxat necessariæ sunt; Sed etiam aliæ leuioribus de rebus, de iure terminorum, stillicidiorum, seruitutum, viarum, luminis, suggrundiorum, sine quibus ciuitas diu consistere non potest. Omnia enim incerta sunt, non possessiones modo, & ædificia, sed vita ipsa. Non potest cuiquam constare, quid suum, quid alienum sit in ea vrbe, vbi nulla lege acquiritur quicquam, aut retinetur. Iactatio necesse est sit omnium rerum. Quid hæredibus relinquat, quid benemeritis leget, nemo constituere potest. Optime sane Demosthenes dixit; *vitam mortalium vniuersam legibus, & natura regi*; non sufficit in Republica natura, etiam recta, bonique mores. Opus est rerum omnium certam, quantum fieri potest, habere *Ipsa iniuria quadã lege leges impugnat.*

Ab initio & vitia, & leges fuere.

habere normam, certos ordines, limites, agendique rationem. Lex est de præscriptionibus, dura illa, & nisi restitutio in integrum concedatur, interdum iniusta; & sine illa tamen non potest esse sarta tecta reipublicæ salus; quia diutissime dominia rerum essent incerta. Turbationes igitur tollit lex, pacem stabilit, & inter ciues caritatem. Litium multitudo non sequitur ex recta legum ordinatione; non enim legum multitudo moderata, & scientia, sed ignoratio litigiosa est, vt monuit optime Cicero lib. 1. de legibus.

Scientia vera legum inimica litibus.

Lex oculus est, & lux ciuitatis; ea sublata, tenebræ omnia possidebunt, & opera tenebrarum, hoc est, maleficia; quod si densis illis tenebris lux aliquando intermicet, videri tamen non poterit, si oculus perpetuo concussu titubat.

Magnorum motuū initia sunt à paruis.

Itaque de paruis quoque rebus leges non parua momenta habituras scribet legislator prudens: non modo ad parendi consuetudinem, amoremque inducendum, sed ad turbas vitandas. Ephororum leue, & ridiculum præceptum est multis visum: κείρεσθαι τὸν μύσακα, *Tondere barbam.* Sed causa additur; καὶ πείθεσθαι τοῖς νόμοις. *& obtemperare legibus*; magna enim debet esse veneratio legum etiam minimarum: Quam multas rerum minutarum leges immensa Dei maiestas Israelitis tulit? & obseruandæ tamen illæ fuerunt. Et rationem habent iustam. Quid lex illa Deut. 23. 15. *Habebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo. cumque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies quo releuatus es.* Deus igitur de minimis, & sordidis etiam legem fert.

Maximorū principum in paruis legitima cura.

§. 6. Nemo igitur parui æstimet de rebus non magnis leges; sunt enim vel de rebus necessariis, vel vtilibus: Miratus sum Germaniæ principum non singulorum modo in suis territoriis, sed vniuersorum in publicis comitiis, curam, sollicitudinem, prudentiam, vigilantiam. Vide recessus imperii, inuenies, vt de grauissimis dignas Germanica maiestate sanctiones; ita de minimis quoque prudentissimas leges. Augustæ anno 1530. anno 1551. 1559. 1566. Spiræ 1570. Francofurti 1577. Vide titulos, **von den Schalcknarren / Pfeiffern / Trommetern / Spielleuten / Landfahrern / Sängern / vnd Reimsprechern.** De morionibus, tibicinibus, tubicinibus, quocunque organo ludentibus, vagabundis, cantoribus, rythmographis. Quia enim ad principum curam pertinet omnium salus, de omnibus etiam leges ferendæ fuerunt. Nec obstat libertati legum custodia, sed fons est libertatis; malitia est velle sibi permitti, quod leges vetant: Non modo in rebus, quas natura sanxit: sed etiam illis, in quibus, quod natura liberum reliquit, vnam partem lex determinauit. Gladiorum gestationem Respublica inhibuit, contra naturam iam est cæteris parentibus tevnum contra efferri, gladioque cinctum incedere. Non obstat libertati, qui magno labore per aspera collium vias æquat ac sternit, atque omnes recto, ac tuto itinere capessere profectionem iubet; non est liberi hominis, sed insani per dumeta, & aspreta decurrere; alieno beneficio vti nolle. Optime itaque ab Heraclito dictum est, *magis pugnandum esse pro legibus, quam pro mœnibus*, nam sine mœnibus, non autem sine legibus esse potest ciuitas. Sparta diu mœnia contempsit, & tum felicior fuit. Sine cornibus taurus, sine vnguibus leo, sine dentium fulmine aper viuere potest, at sine anima non potest, at lex ciuitatis est anima, sine ea igitur esse non potest: cum nec locus, nec opum vlla vis sine legibus seruare imperium possint.

Seruitus legum vera libertas est.

Sine legibus ciuitas esse non potest.

Salua igitur erit respublica, si omnes metuant legem, vt tyrannum, vt prudenter sensit Bias, si maximum imperium sit ξ ποικίλου ξύλου, ligni variegati, seu inscripti.

Quin hoc etiam notandum est, periculosissimam esse felicitatem ob eam duntaxat causam, quia qui nimium felix est, non facile legum patitur iugum, quemadmodum luxuriantes equi sessorem excutiunt. Plato olim consultus de legibus florentissimæ, & opulentissimæ, & quod inde sequebatur, lasciuissimæ Reipublicæ scribendis; respondit; *non esse facile tam felicibus Cyrenensibus leges scribere.* Optime etiam Gregorius Tolosani in Syntagmate iuris l. 47. cap. 3. §. 2. *Hic est inter legitimos actus, quia non potest dici iudicium, nisi secundum leges fiat. Et magistratus tunc recte administrant rempubl. si leges sequantur. Qui enim vult legem dominari, vult præsse Deum & leges: qui autem ex hominis arbitrio vult regi ciuitatem, sæuissimam belluam addit, vt scribit Aristoteles. Quanquam sciam ab eo quæsitum diligentissime; vtiliusue sit virum optimum, quam legem optimam imperare. Verius puto, leges potius optimis consultationibus stabilitas, sequendas. Vt inflexibiles, quam mutabiles hominum voluntates. Vt Plato quoque recte putat, interitum reipublicæ imminere, cum non leges magistratibus, sed magistratus legibus imperant.*

Felices non facile parent legibus.

§. 7. Leges vero Reipublicæ etiam Ecclesia probat, illisque vtitur; Vagiensis Episcopus auxilium à legibus petiit; & eum non modo recte, sed etiam necessario hoc fecisse Augustinus iudicauit, cum Pauli exemplum secutus sit. Epist. 50. ad Bonifac. comitem. *Auxilium ergo petiuit ab imperatore Christiano, non tam sui vlciscendi causa, quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Neque enim & Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando contra illos, qui eum occidere conspirauerant, consilium illorum tribuno vt proderetur, effecit. Vnde factum est vt eum ad locum quo fuerat perducendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias: Romanas etiam leges implorare minime dubitauit, ciuem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque ne Iudæis, eum interimere cupientibus, traderetur, Cæsaris popposcit auxilium, Romani quidem principis, sed non Christiani. Vbi satis ostendit quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent.*

Ecclesia leges sæculi implorat.

Idem quoque Augustinus Epist. 48. ad Vincentium, probat impios legum ciuilium vinculis tanquam phreneticos alligandos: leges enim etiam cum molestæ sunt, salubriter corrigunt. Ita Ep. 50. *Hoc enim contigit Donatistis, quod accusatoribus sancti Danielis. Sicut enim in illos leones, sic in istos conuersæ sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, nisi quod propter misericordiam Christi magis pro eis sunt istæ leges, quæ illis videntur aduersæ: quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur; & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantum recepta sanitate gratulantur, & in residuos cum quibus fuerant perituri, iam simili dilectione nobiscum, vt pariter instemus, ne illi pereant, excitantur. Molestus est enim & medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelis est.*

Leges salubriter corrigunt.

CAPVT IV.

Materia legum varia est.

§. 1. MATERIA legis duplex est; illa in qua lex est, quam subiectum legis scholæ appellant; & illa de qua lex est. Subiectum legis est intellectus, & voluntas. nam de lege peccati de qua *gis.*

Mens & voluntas subiectum legis.

Aposto-

Apostolus disputat 7. ad Romanos non agimus, est igitur in mente, & voluntate lex omnis. vt supra docui. Deinde lex in voce est, & scriptis, vt in signis.

Non tamen necesse est legem scribi; itaque membranæ & tabulæ non sunt necessaria subiecta legum. Ita π. lib. 1. t. 3. §. 32. *De quibus causis scriptis legibus non vtimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est: & si quando in re hoc deficeret, tunc quod proximum & consequens ei est: si nec id quidem appareat, tunc ius, quo vrbs Roma vtitur, seruari oportet.*

Inueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. (& hoc est ius quod dicitur moribus constitutum.) Nam cum ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt: merito & ea, quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes: nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissime etiam illud receptum est, vt leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.

Sane Lycurgus leges non scripsit, & olim quoque carminibus continebantur, quæ suos singuli edocebant. Eadem ratio est, in legibus canonicis, quarum scriptio non est necessaria vllo modo. Docent id Soarez, de Salas, Valentia. Et ante Aristoteles 10. Ethic. cap. 9. *Scriptio non est de essentia legis.*

Vtilissimum tamen est scriptam esse. Nam primo legem suam quam populo iam multiplicato Deus tulit, scribi voluit; imo ipse digito suo lapideis tabulis inscripsit. Et volumen legis noluit de manibus Israelitarum vnquam recedere. Est enim memoriæ præcipuum subsidium scriptio. Nam facile gentes quæ illiteratæ sunt, bellis, eluuionibus, morbis epidemiis afflictæ mutantur, atque omnia instituta obliuiscuntur. Facile verba effugiunt, facile mutilantur sententiæ, dum soli memoriæ fiditur. Itaque firmis, & ad æternitatem idoneis notis illigandæ sunt. *Litera legis scriptæ nanet.*

Eleganter dictum est à Basilio Ep. 178. *Verba naturam habent volucrem. Quapropter literarum notis vtuntur homines, vt sermonum auolantium velocitatem, qui scribit, prehendat. Tu igitur puer notas literarum perfectas duc to, formasque recto ordine collocato. Modicus namque error scribentis, plurimum de sermone deterit. Diligentia vero scribentis quod dictum est integre perficitur & absoluitur.*

Non potest tam facile sermo loquentis emendari, quia celeriter transuolat, postquam φύγεν ἔρκος ὀδόντων. Quemadmodum volucrem sub nube volantem non ita spectare licet, quemadmodum eam, quæ caueæ est illigata. *Nulla memoria omnibus legibus sufficit.*

Deinde scriptæ legis repetitione facilima omnia pacta, conuenta, contractusque diriguntur; neque fieri potest, vt in illa multitudine legum omnium conditorium sit vnius hominis quantumcunq; prodigiosa memoria: Itaque Exodi 17. 14. & Deut. 31. 22. *Scripsit igitur Moses canticum, & docuit filios Israel. Præcepitque Dominus Iosue filio Nun, & ait, Confortare, & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in terram quam pollicitus sum, & ego ero tecum. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque compleuit, præcepit Leuitis qui portabant arcam fœderis Domini, dicens, Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri; vt sit ibi contra te in testimonium.*

Et Deut. 17. 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ: vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cerimonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse & filius eius super Israel.*

Deum secutæ gentes leges scripserunt.

Deum hac in re secutæ sunt pleræque gentium, & leges ciuiles scriptis mandarunt. Quamuis enim Salust. definiat, ius esse ciuilem æquitatem, vel scriptis legibus sancitam; vel institutis, & moribus receptam, & plerique consuetudinem à lege ita distinguant, vt lex scripta sit, consuetudo sit ἄγραφος; non tamen hoc ex legum natura deductum est, sed more Rerumpublicarum, quæ omnes leges scripto ediderunt, consuetudines sine scripto tenent. Hinc est quod monet Isidorus 2. Etym. cap. 10. *Inter legem, & morem hoc interest; quod lex scripta est; mos vero vetustate probata consuetudo, siue lex non scripta.* Et lib. 5. cap. 3. *Lex est constitutio scripta, mos est vetustate probata consuetudo non scripta.* Nam leges pleræque non modo scribuntur, verum etiam scribi debent, quamuis sine scripto legis rationem quoque contineant.

Magna cura legum ferendarū penes Romanos.

§. 2. In Republica Romana ad legem scriptio requirebatur. Nam magistratus legem rogaturus, domi eam scriptam perpendebat ipse, & iuris consuetudinumque peritos in consilium adhibebat. Deinde de ea ferenda ad senatum populumue referebat. Tertio in publico proponebat, seu prouulgabat, vt Festus loquitur, itaque inspici, censeri, iudicari à quolibet poterat. Spacium quo legis examen perdurabat, erat Trinundinum, hoc est viginti septem dierum. Quarto suadebant, dissuadebantque, ac iubebant legem esse, idque scripto V. R. hoc est: *vti rogas.* Vel non esse, litera A. hoc est, *antiquo.* Acceptam iam legem omnes iureiurando confirmabant. Tandem in æs incidebatur, tabulæque vel in publico proponebantur, vel etiam in ærario recondebantur. Romanæ itaque leges sine scriptura non erant. Hinc nonnulli negant legem esse in imperio Romano, si scripta non sit: quod etiam c. de legibus. l. *Humanum* imperator sentire videtur. Quod sane ita vsitatum est, vt merito imprudenter facere princeps dicendus sit, si legem sine scripto promulget.

In imperio lex sine scripto non promulganda.

§. 3. Materia de qua lex agit; Actiones sunt eorum qui ratione & libero arbitrio vtuntur. Quicquid enim norma aliqua regi potest, legis est capax. Qua de re toto libro varia dicenda occurrent, nunc hæc pauca notari velim.

Generatim igitur de actibus humanis leges præcipiunt, aut vetant, nec ciuiles in alia materia versantur. Sunt vero hominum actiones multiplices, laudabiles, prauæ, adiaphoræ, omnes adeo multæ, & variæ, quam magnus est virtutum chorus, & vitiorum chaos. Deinde aliæ actiones sola mente concipiuntur, & voluntate, aliorum in dictis factisque opus apparet. Tertio quorundam operum est ordinaria & facilis, præstatio, aliorum rara, difficilis, periculosa, horrida, plena cruciatu. De his ita censeo. *Actionum varietas.*

Omnium legum inanis est censura, nisi diuina legis imaginem gerant.

§. 4. Nulla lege ciuili mala vlla præcipi, aut defendi possunt; Etiamsi pseudopolitici iactent id Reipublicæ necessarium esse. Ita lex ciuilis mala vel prohibet, vel de eo nihil præcipit, sed omnino dissimulat. Itaque Machiauellus rempublicam perdit, dum ad eius tutelam scelera ad virtutum consortium, velut vtilia admittit. Leges iniustas multas esse asserit Sylvester. Verbo Lex. §. 10.

Primo illæ, quæ concedunt filium germani vnius posse copulare matrimonium cum filia alterius germani: vt inst. de rap. §. inter eas. & C. de nup. l. nemini. quia secundum Deum tales debent penitus separari de consang. & affini. non debet. & 35. q. 3. progeniem.

Secundo illæ, quæ dicunt puellam raptam non posse contrahere matrimonium cum suo raptore. C. de ra. Virg. l. vnica. quia hodie secundum Canones potest. de rap. c. fi. licet secundum antiquos Canones non posset.

Tertio illæ, quæ concedunt homini soluto tenere mulierem solutam in concubinam: vt in auth. quib, mo. nat. effi. sui. §. si quis. quia secundum Deum etiam simplex fornicatio est peccatum, & excludit à regno Dei. 1. Cor. 6.

Quarto

Quarto illæ, quæ concedunt viro occidere adulterum vxoris deprehensum in adulterio, si est persona vilis, & cui non debeatur reuerentia. ff. de adult. l. marito. la. 1. & l. si adulterium & C. de adul. l. Gracchus. hodie autem iure nouo non solum deprehensum in adulterio, sed etiam vbique post trinam denuntiationem potest occidere: vt in auth. vt liceat matri & auiæ. §. pen. & vlt. & quæ concedunt patri habenti filiam in sua potestate, occidere adulterum filiæ in domo sua, vel generi fornicantem, & ipsam filiam. ff. de adul. l. pater. & l. non in ea. & etiam inuentum in rebus venereis, per l. quod ait. ff. de adul. quæ secundum glos. sunt antecedentia scelus, scilicet apparatus, colloquia, locus constitutus, conuiuia, basia, tactus. & idem Bart. & similiter de latrone & populatore agrorum: quia secundum Deum nihil horum licet, secundum illud. Exodi 20. Non occides. de quo etiam vides. Homicidium 1 §. 2. parti. 5.

Quinto, quæ damnant tenentem vxorem deprehensam in adulterio. C. de adul. l. crimen. & l. castitati. quia secundum Deum & iura canonica potest illam tenere sine pœna, modo velit ab adulterio recedere. 31. quæst. 1. §. obauditur.

Sexto, quæ concedunt in multis casibus repudium vxoris, & dissolutionem matrimonij ritè contracti: & maximè in casu qui no. in c. lege. dist. 10. & 27. q. 2. sunt qui dicũt, quia hoc in eisdem c prohibetur.

Septimo illæ, quæ vxorem nubentem intra tempus luctus mariti. 1. vnius anni, damnant infamia, & multis pœnis. C. de secun nupt. l. 1. & 2. quia dicit Apostolus, quod nubat mulier cui vult. de secun. nup. c. 1. in fin. vbi no. Inno. quod ei remittuntur omnes pœnæ, quæ sunt tantum ad pœnam ipsius: secus si inde proueniat aliquid ad alios, quod dominus Ant. de Butr. magis ibidem declarat, dicens, quod pœnæ fundatæ super odio secundarum nuptiarum, vel festinatione transitus sint correctæ: vt in d c. fin. quia contrahere matrimonium non est odiosum neque prohibitum, sed ab Apostolo permissum: quæ vero fundantur super fauore primi matrimonij, adhuc durant: sicut si mater consequitur aliquid ab intestato, vel ex testamento alicuius filiorum prioris matrimonij: habet solum super eo vsumfructum dum vuit, remanente proprietate apud filios eiusdem matrimonij si extant: quibus non existantibus consequitur plenum ius: vt l. fœminæ. §. fin. de secun. nup. Adde quod restant pœnæ positæ in fauorem filiorum, & propter culpam matris: sicut lex imponit pœnam matri, quæ agnouit tutelam filii, & transiuit ad secunda vota, non petito tutore filio: vt in l. omnem matri. C. ad Tertull.

Octauo illæ, quæ filium spurium dicunt non esse alendum, vt sup. Filius. §: 4.

Nono illæ, quæ dicunt hæredem, si non fecerit inuentarium, teneri ad omnia debita defuncti: cuius contrarium dictum est suprà Hæreditas. 3. §. 5.

Decimo illæ, quæ in certis casibus dicunt hæredẽ non teneri de maleficio defuncti: quia, vt ibi sup. patet, tenetur ad omnia eius debita etiam ex maleficio inquantum hæreditas sufficit.

Vndecimo illæ, quæ volunt relictum in vltima voluntate non valere, nisi habeat septem vel quinque testes. C. de testam. l. si vnus. & l. fin. quia secundum Deum in relictis ad pias causas sufficiunt tres, aut etiam duo teste. de testam. cum esses. & c. relatum.

Duodecimo illæ, quæ dicunt hominem non teneri ex promissione nudo pacto sine alia iuris solennitate, cum non oriatur inde actio. ff. de pactis. l. iurisgentium. quia secundum Deum & Canones mortaliter peccat recedens à pacto. extra, de pact. c. 1. 22. q. 5. iuramenti. cum his quæ ibi not. & idem si promitto vni recipienti pro alio: quia secundum Deum teneor: non autem secundum leges nisi promissio facta fuerit personæ existenti sub alterius potestate: vt seruo, seu filiofamilias, vel procuratori, seu negotiorum gestori: quia per hos benè acquiritur patri & domino. Instit. per quas per so. nob. acqui. obli. per totum, & ff. & C. de procu. & de neg. gest.

Decimo tertio illæ, quæ inter ementes & vendẽtes concedunt vel permittunt deceptionem, iuxta dicta supra Emptio. 7.

Decimo quarto illæ, secundum quas non licet emere seu vendere iura & actiones, quæ quis habet contra alium pro minori pretio quam sit debitum principale: aliter non valet emptio, nec peti potest, nisi vsque ad id, quod solutum est, nec etiam possunt talia iura pro parte vendi, & pro parte donari. C. man. per diuersas. & l. ab Anastasio. sed secundum Deum talis emptio licet, modo non fiat in fraudem vsurarum: sed propter interesse. aut laborem, qui forsitan erit in rehabendo. seu quia dubitatur ne debitor fugiat, aut veniat ad paupertatem. Sed de hoc vide infra Vsura 2. §. 1.

Decimo quinto illæ, secundum quas possessor malæ fidei longissimo tempore, id est, 30. vel 40. ann. præscribit: quia hoc est falsum secundum iura canonica. extra, de regul. iur. cap. possessor. lib. 6. vide infra Præscriptio.

Decimo sexto illæ, quæ maleficia cogitationum regulariter non puniunt. ff. de pœn. l. cogitationis. quia omnis mala cogitatio vel à Deo, vel per pœnitentiam punienda est. 33. quæst. 2. omnis.

Decimo septimo illæ, quæ licet puniant magos & veneficos, tamen qui hæc fecerint contra imbres, ventos, & grandines, secundum eas præminatur. C. de male. l. eorum. quia secundum Deum talia etiam sic facere est grauissimum peccatum, vt probat S. Th. 2. 2. q. 96.

Decimo octauo illæ, secundum quas licitum est in causa sanguinis corrumpere accusatorem. ff. de præuari. l. fin. quia hoc secundum Deum non licet. 2. 2. q 69.

Decimo nono illæ, quæ vsuras permittunt, sed hodie etiam per leges omnes abrogatæ sunt, vt infra Vsura §. 1. q. 1. sicut quæ puniebant mulierem in lupanari: vt dicit S. Thom. Verum multo plures esse iniquas in omni rerum genere facile esset ostendere, & harum quædam excusari posse videntur.

Lex non circa solam iustitiam versatur.

§ 5. Leges ciuiles præcipuè quidem circa iustitiam versantur, sed tamen omnium etiam aliarum materiam complexæ sunt. Spectant enim illæ præcipuè bonum publicum, & humanam in ciuitate concordiam, & felicitatem, ad quam imprimis necessaria est iustitia. Augustinus l. 2. de ciuit. c. 27. *Cum autem Scipio in secundi libri fine dixisset, vt in fidib. ac tibijs atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, & mediis, & infimis interiectis ordinibus vt sonis, moderata ratione ciuitatem consensu dissimillimorum concinere: & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam: arctissimum atque optimum omni in republica vinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posse.* Alias vero etiam virtutes lex firmat, & communit, vitiaque excludit. Arist. lib. 5. Ethic. c. 1. *Præcipit autem lex viri fortis muneribus fungi iubet, vt locũ atq; ordinẽ in acie tenere, neq; fugere, neq; arma abiicere: & temperantis, vt non adulterari, neque cuiquam stuprum inferre: & lenis ac mansueti, vt neminem verberare, nequè cuiquam maledicere. Itemque in cæteris virtutibus ac vitiis; partim iubendo, partim vetando, rectè quidem ea lex, quæ rectè ac salutariter: perperam autem, quæ negligenter & inconsiderate lata est.* Ratio autem autem firmissima sumitur ex fine, nam legis institutum est, felices facere ciues suos; quod aliâ ratione fieri non potest, quam omnium virtutum obseruatione, vt libro secundo, & tertio demonstratum est. Deinde hoc ostendunt tot leges bellicæ, sumptuariæ, aliæque ad publicam spectantes vtilitatem. Itaque nullius virtutis actus est, qui non aliquando imperari lege latâ possit, omnia etiam peccata prohibere lex ciuilis potest. sed quia communitati sẽ accommodat, in quâ non omnia possunt puniri, ideoque nec omnia etiam conuenit prohiberi, ideo quædam dissimulat, non approbando, sed quia humana potestas hominum vitiis impar est. Naturali tamen, & diuinâ lege omnia prohibentur, quia Deus & cognoscere, & vlcisci omnia potest.

Finis legis beatos facere.

Lex multa impunita dimittit.

§ 6. Non est materia legis ciuilis, quælibet determinatio bonorum operum, neque enim lex ciuilis

ardua ieiunia, aut perpetuam castimoniam præcipere potest. Legis tamen per accidens potest obiectum esse. Vt cum ea præcipiuntur, quæ eiusce modi opera exponunt, aut sine illis effici non possunt.

CAPVT V.

Legislator magistratus est aut tota Respublica.

Supremum numen leges condere potest.

§. 1. NEMINI vnquam in mentem venit dubitare, diuinam maiestatem cui summum ius est in omnes creaturas, posse arbitrio suo leges condere. Cuius enim est potentia creandi, eiusdem est gubernationis tota iurisdictio. *Ecce enim Deus excelsus, & non est similis illi in legislatoribus.* Iob.35.22. Eius etiam in lege ferenda summa est bonitas, de qua Propheta cecinit; *Etenim benedictionem dabit legislator: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Eius legem omnes venerari, nemo iudicare debet. *Si autem iudicas legem: non es factor legis, sed iudex. Vnus est legislator, & iudex qui potest perdere, & liberare. Iacob.4.11.*

Lex Dei ἀνεύθυνος.

Legislatores finxerũt legum auctores deos.

§. 2. Hominum plerique qui legibus primo respublicas fundarunt, vel leges à Deo acceperunt, vel accepisse mentiti sunt. Abraham, Moses diuinis colloquiis, & oraculis moniti leges posteris dederunt. Eorum æmulatione, prisci νομοθέται impostoria religionis fictione, vel ad verum Deum, vel numina commentitia inuentionem legum nouarum retulerunt.

Hieroboam nouum regnum superstitione fundare coactus est. Numa Ægeriæ nocturnos congressus simulauit. Plutarch in Numa. Hal car. Val.l.1.c 2. Lycurgus eadem arte Spartanis, & Cretensibus imposuit; Lacedæmone legum auctorem finxit Apollinem, in Creta vero Iouem. Nec aliter Minos, qui secessu noui cuiusq; anni in speleũ, Iouis se admonitu eruditi simulabat. Nec vetera referre necesse est, Mahometi potentiam superstitio effecit, quã domestico sanguine, & gentium interitu aluit. Verum libro de religione docui, fraudes illas semper male cessisse. Zoroastres qui Oromasden legum auctorem prætulit, mirelicem se legislatorem fuisse expertus est. Trismegistus Mercurium leges dare Ægyptiis persuasit, & tane leuissimum fuisse dæmonem, qui tanta mala iussit, & tam ridicula, est credibile. Quin & Zamolxis Vestæ leges quas Schytis dedit, acceptas retulit. Cartaginenses Saturnum; Athenienses cultissimi populorum Mineruam legum suarum auctorem iactabant magis, quam credebat. Itaque rem diuinam esse arbitrabantur legem ferre hominibus. Cum n. homines natura sint liberi, nullus si primordia nascendi, viendique spectes, alteri est obnoxius, cum sint etiam libertatis, & iuris sui tenaces, difficile sanè & prope tyrannicum videbatur suas cuiquam leges imponere, & parem in pares exercere potestatem, ideoque legum auctoritatem in sanctiorem aliquam, diuinioremque naturam referebant. Verum rectius fecissent, si Reipublicæ necessarios magistratus, & quod ei consectarium est, legum condendarum potestatem magistratibus concessam esse docuissent. Nam superstitio illa cum diuturna esse non possit, nec omnes ex æquo teneat, etiam veræ legislatorum auctoritati existimationem detrahit. Omne simulatum cum patescit, bis nocet contempto.

Reipublicæ per cõmenta non consulitur.

§. 3. Legum conditor non potest esse priuatus; sed opus est vt sit vel vniuersa Respubl. vel magistratus. Proprium nunc est magistratus. Nemo enim legibus suis obligare quenquam, nisi subditum potest. Ad imperandum enim requiritur dominium politicum seu ciuile. Requiritur etiam potestas coercendi, & pœnis sanciendi legis obseruationem, quæ non potest esse in priuato. Sine iurisdictione stricte sumpta esse potest; legem enim ferre potest, quanquam iudicandi potestate quispiam careat, & iudicare potest qui leges condendi potestate careat.

Priuatus legem ferre non potest.

§. 4. Potestas leges condendi natura est in ipsa republica, seu hominum multitudine, non vno quopiam; nam iam dudum est exposa Canonistarum quorundam opinio, qui natura hanc potestatem supremo principi, & successori tribuerunt. Ipsa igitur Respublica ius suæ gubernationis, & legum tantum habet, si naturam spectes, ideoque condere leges, & magistratum sibi potest præficere, in eum etiam conferre potestatem legum condendarum. Ita S. Thom. q.90.art.3. & q.97.art 3. Molin. T.1.inst.tract.2.dist. 22. Bellarmin. T.1.l.3.de laicis.

Natura est in ipsa republica ius cõdendarum legum.

Ratio perspicua hoc demonstrat, nulli enim vni hoc conuenire potest, vt multitudinis curam suscipiat, nullus in alium habet potestatem, nisi aliena voluntate, vel delicto. Nec senectuti, aut primogenituræ, aut iuri patrio potestas illa debetur. In ipsa tamen Republica est, quia sine legibus & ordine iuris regi non potest. Nihil certius, si titulum secundum l. 1.ff. legas, nam leges à populo primum factas, deinde ad senatum esse delatam eam potestatem, demum ad Cæsarem. *Necessarium itaque, nobis videtur ipsius iuris originem, atque processum demonstrare.*

Populus primo domin? lege regia Cæsari cõmisit potestatem.

1. *Et quidem initio ciuitatis nostræ populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit, omniaque manu à regibus gubernabantur.*

2. *Postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipsum Romulum traditur populum in triginta partes diuisisse, quas partes Curias appellauit: propterea quod tunc reipublicæ curam per sententias partium earum expediebat. Et ita leges quasdam & ipso curiatas ad populum tulit. Tulerunt & sequentes reges quæ omnes conscriptæ extant in libro sexti Papiry: qui fuit illis temporibus, quibus superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, vt diximus, appellatur ius ciuile Papirianum, non quia Papirius de suo quicquam ibi adiecit: sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit.*

3. *Exactis deinde regibus, lege Tribunicia omnes leges hæ exoleuerunt: iterumque cœpit populus Romanus incerto magistratu, & consilio aliquamdiu, quam per latam legem: atque propè viginti annis passus est.*

4. *Postea ne diutius hoc fieret: placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulas eboreas perscriptas pro Rostris composuerunt, vt possent leges apertius percipi. datumq; est eis ius eo anno in ciuitate summum: vti leges & corrigerent, si opus esset & interpretarentur: neque prouocatio ab eis, sicut a reliquis magistratibus fieret. Qui ipsi animaduerterunt aliquid deesse istis primis legibus: ideoque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adiecerunt. & ita ex accidentia appellatæ sunt leges duodecim tabularum. quarum ferendarum auctorem fuisse decemuiris Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam retulerunt.*

5. *His legibus latis, cœpit, vt naturaliter euenire solet, vt interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori. Hæc disputatio, & hoc ius, quod sine scripto venit, compositum à prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus cæteris partibus: sed communi nomine appellatur ius ciuile.*

6. *Deinde ex his legibus, eodem tempore ferè, actiones compositæ sunt: quibus inter se homines disceptarent. quas actiones ne populus, prout vellet institueret: certas solenneſque esse voluerunt. & appellatur hæc pars iuris, legis actiones, id est, legitimæ actiones. Et ita eodem penè tempore tria hæc cura nata, vt leges duodecim tabularum: ex his fluere cœpit ius ciuile: ex iisdem legis actiones compositæ sunt. Omnium tamen harum & interpretandi scientia, & actiones, apud collegium Pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quoquo anno præesset priuatis. & ferè populus annis propè centum hac consuetudine vsus est.* 7. Post-

7. Postea cum Appius Claudius proposuisset & ad formam redegisset has actiones: Gnæus Flauius scriba eius Libertini filius, subreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, vt tribunus plebis fieret, & senator, & adilis curulis. hic liber, qui actiones continet, appellatur ius ciuile Flauianum: sicut ille, ius ciuile Papirianum. nam nec Gnæus Flauius de suo quicquam adiecit libro. Augescente ciuitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium Sextus Aelius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur ius Aelianum.

8. Deinde cum esset in ciuitate lex duodecim tabularum, & ius ciuile: essent & legis actiones: euenit, vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, & secederet, sibiq; iura constitueret quæ iura plebiscita vocantur. mox cum reuocata est plebs: quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea obseruari lege Hortensia & ita factum est, vt inter plebis scita, & legem species constituendi interessent: potestas autem eadem esset.

9. Deinde, quia difficile plebs conuenire cœpit, populus certè multo difficilius in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit. Ita cœpit senatus se interponere: & quicquid constituisset, obseruabatur. idq; ius appellabatur senatus consultum.

10. Eodem tempore & magistratus iura reddebant: & vt scirent ciues quod ius de quaqua re quisque dicturus esset: seque præuenire et: edicta proponebant. quæ edicta prætorum, ius honorarium constituerunt. Honorarium dicitur, quod ab honore prætoris venerat.

11. Nouissime, sicut ad pauciores iuris constituendi via transisse ipsis rebus dictantibus videbatur: per partes euenit, vt necesse esset reipublicæ per vnum consuli. nam senatus non perinde omnes prouincias probè gerere poterat. Igitur constituto principe, datum est ei ius, vt quod constituisset, ratum esset.

12. Ita in ciuitate nostra, aut Iure, id est lege constituitur: aut est proprium ius ciuile, quod sine scripto in sola prudentium interpretatione consistit: aut sunt Legis actiones, quæ formam agendi continent: aut Plebiscitum, quod sine authoritate patrum est constitutum: aut est magistratuum Edictum, Vnde Ius Honorarium nascitur: aut Senatusconsultum, quod solum senatu constituente inducitur sine lege: aut est Principalis constitutio, id est, vt quod ipse princeps constituit, pro lege seruetur.

Supremæ iurisdictioni, natura non iungitur legum ferendarum potestas.

§.5. Omnium regnorum est illa consuetudo, vt princeps supremus leges nouas condere, veteres abrogare possit: Non tamè est ad supremam iurisdictionem necessarium, aliud n. est præceptum, gubernatio, coërcitio, aliud lex. Itaque, quanquam ita fieri soleat, & aliter recte fieri vix possit, non sunt perpetuo coniuncta suprema potestas, & legum condendarum facultas. Gubernare enim Rempublicam, coercere improbos secundum leges olim latas poterit magistratus. Potest enim Respublica cum regem eligit, vel acceptat sibi maximum hoc ius retinere, ne leges nouas ille condat, neu veteres antiquet. Imo vero multi regum in leges iurant, cum diadema accipiunt; itaque ad quas seruandas iureiurando sese astringunt, eas abrogare non possunt. si igitur princeps obligari potest, ne leges veteres violet, vel abroget, quis dubitet eundem astringi posse, ne nouas imponat? Nam haud minus est in nouarum legum conditu, quam in veterum abolitione periculum: cum quia omnia noua multis molesta sunt, tum quia noua lege, in Republica, quæ multas leges habet, ordinarie alicui veterum derogatur: Quod adeo vsitatum fuit, vt in omnibus legum sanctionibus poneretur, esseque, vt vocat Cicero, Tralatitium, quod è veteribus legibus in nouas transferretur. Cicero l.3. epist. ad Attic 23. *Alterum caput est tralatitium, de impunitate, si quid contra alias leges eius legis ergo factum sit. Tertium caput, mi Pomponi, quo consilio, & à quo sit inculcatum, vide, scis enim Clodium sanxisse, vt vix, aut omnino non posset, nec per senatum, nec per populum infirmari sua lex. Sed vides nunquam esse obseruatas sanctiones earum legum, quæ abrogarentur. nã si id esset, nulla ferè abrogari posset. neque enim vlla est, quæ non ipsa se sepiat difficultate abrogationis. sed cum lex abrogatur, illud ipsum abrogaretur, quo modo eam abrogari oporteat. Hoc cum reuera ita sit, octo nostri tribuni pl. caput posuerunt hoc: Si quid in hac rogatione scriptum est, quod per leges, plebisque scita: hoc est, quod per legem Clodiam, promulgare, abrogare, erogare, S. F. sua non liceat, non licuerit: Quod ei, qui promulgauit, abrogauit, derogauit, ob eam rem pœnæ, multæue sit, E.H.L.N.R.*

id est, sinè fraude.

Eius hac lege nihil rogatur.

Itaque in potestate Reipublicæ principem constituentis positum fuerit, legum condendarum, aut nõ condendarum potestatem principi facere, aut eam facultatem moderari, vt quasdam sinatur, quasdam prohibeatur condere. Atque omnino temperatam esse eam potentiam oportet, nec sine consensu aliorum, aut maturo consilio. Nunquam enim desunt, qui nouis legibus priuata commoda augere desiderent.

In omni repubł. bene cõstituta magistratus iã habet ferẽdarum legũ

§.6. Quia tamen in singulos dies nouæ controuersiæ emergunt, & propter continuos motus crebro fit, vt quæ initio salutares fuêre leges, aliquo casu noxiæ reddantur, tollendæque sint, factum est, vt omnes penè Reipublicæ principibus, aut senatoribus ius illud tribuerint. Itaque Monarchica potestas, siue Augusta sit, siue Regia, siue quocũq; alio nomine dicatur, modo absoluta sit, condendarũ, explicandarũ, abrogandarum legum ius, auctoritatemque in Repub. bene constituta obtinebit. Imperatori enim & Regi ipsas leges Respublica subijcit, dum eum quasi animatam legem accepit. Hinc & potestas priuilegiorum dandorum concessa est principi, qua semper legi communi derogatur. Omnes sanè principes, etiam non supremi, ea lege vtuntur. Nam quis ex Germaniæ proceribus non interdum remittit pœnam legibus imperatorijs debitam? quis non mitigat? Quin etiam interdum, cum alicuius delicti atrocitas in facinore ita postulat, exasperat. At hoc non posset, nisi legis ipsius temperandæ potestatem haberet. Itaque cum principatum dedit Respublica iuxta leges administrandum, censetur etiam miserendi facultatem dedisse. Optime hac de re censuit Joannes de Salas disp. 7. de leg. sect. 3. *Dico quinto, aliqui proculdubio fuerunt specialiter a Deo constituti Reges ac Principes cum legislatiua potestate, quæ nisi accipiatur semper intelligitur concedi Regibus, & Principibus. Patet de Saule, & Dauid, quos Deus reges constituit, licet Samuel vnxerit, & populus eos acceptauerit: Moysi autem, & Iosue, & quibusdam alijs iudicibus, & ducibus, licet Deus concesserit potestatem iudiciariam, & ducalem, nescio an Deus dederit aliquibus eorum (vt Moysi & Iosue) potestatem legislatiuam: quam alios iudices non habuisse certum mihi est: quia non erant duces, nec imperare quidquam poterant, nisi in ordine ad iudicia & sententias ferendas.*

Omnes principes temperare leges possunt.

Cœtũ consequitur legũ necessitas.

Non igitur sentiendum est, cum aliquis hominum cœtus in vnum conuenit, principemque sibi deligit, quasi naturali ductu, & sequela etiam legum ferendarum potestatem illi collatam à Deo; sed tantum ipsi communitati per modum proprietatis naturam consequentis datur, nam constituto illo corpore, naturaliter iuris, & legum necessitas, adeoque potestas exurgit, & principi pro voluntate reipublicæ, & vsu communicatur.

Cœtui sine culpa non potest auferri legum cõdendarum potestas.

§.7. Hæc potestas à nullo cœtu, sine iniuria potest auferri, nisi causam cœtus ipse dederit. Nam quemadmodum homo ratione vtens est naturaliter liber, nec in seruitutem sine plagij crimine trahi potest, ita neque corpus hoc politicum suo iure priuari potest. Tanto itaque detestabilior est tyrannus plagiario, quanto plures nefarie opprimit. Exui tamen suo iure ob delictum potest Respublica, si iure abutatur, si vicinos incursat, si ius reddere petentibus recusat. Quemadmodum in priuato quolibet abusus libertatis ple-

tis plectitur seruitute. Publicus enim libertatis abusus est priuato nocentior.

A multitudine ius legũ manat.

§.8. Potestas legem condendi, omnisque ciuilis iurisdictio, & regimen, quod vel multitudinis pars, vel vnus aliquis in multitudinem obtinet, ab ipsa communitate manat: nec aliter iusta esse potest, nisi in bello captis. Cum enim à Deo, adeoque natura sit in cœtu illa potestas, non in singulis, non in certo hominum genere, non potest vel ad vnum, vel certos sine aliorum voluntate deuenire. Nam de regibus à Deo per reuelationem constitutis non ago.

Nec modo primus regum à populo diadema accipit, sed omnes etiam successores, cum succedendi ius populus donauit.

§. 9. Nulla lex ciuilis vniuersum orbem obligare potest, quia nemo est vniuersi dominus. Fallitur igitur Barth. l hostes. ff. de captiuis, dum hæreseos eum condemnat, qui negat Imperatorem esse orbis dominum, nisi forte de Romano orbe eum quispiam velit interpretari. quanquam ne sic quidem hæresin vocari velim. Idem tamen Panormitanus, 2. par, cons. 6. n. 2. Paulus Castrensis, aliique arbitrantur. Verum id falsum esse docent plurimi, & ipsa historia; & Geographia, non enim vel decimam orbis partem vnquã Romanus obtinuit, etiam cum Ephraten transiuit, & à Parthis signa recepit. Neque omnibus Christianis ciuiles leges ponere Imperator Christianus potest, quamuis enim sit supremum caput Reipublicæ in temporali gubernatione, & maximo honore inter reges habeatur, non est tamen regum Dominus.

Subordinati principes in legib. ferendis à sũmo dependent.

§ 10. Quemadmodum supremis gubernatoribus non est data maior legum condendarum potestas, quam lege regia, hoc est Reipublicæ consensu sit data; ita principibus, aliisq; sub rege constitutis non est alia potestas, nisi permissu supremi principis, quæ in Germania Electoribus, aliisque ampla est, in Hispania restricta, nemo enim præter regem leges ferre potest, nisi speciali priuilegio illi concessum sit: causa diuersi iuris est, principum minus dependens iurisdictio.

Legislator medicus.

§.11. Legum condendarum, abrogandarumque potestas, inter capita maiestatis primarium merito censetur. Cui enim facultas illa concessa est, ille ius maiestatis obtinet, cui deest, non censetur habere ius maiestatis. Merito sane, nam legum condendarum potestas illa est, vt facile totam rempublicam commutare possit, atque in aliam transferre, quod callidissime fecit Augustus, nomina magistratuum, & cærimonias vsurpando, ius, & potentiam ad se trahendo. ita breui ex præsidibus, & liberis magistratibus, facta sunt purpurata mancipia.

Caput VI.

Finem legis esse facere viros & ciues pariter bonos.

In paruis insuetos se dicunt, vt iusti in magnis esse possint.

§.1. Fœda est pariter, & perniciosa Reipublicæ, vetusta tamen opinio: *Rempublicam sine aliqua iniustitia administrari non posse.* Hæc enim leges admittit iniquas, imo postulat, nec finem habet illum, vt ciues faciat bonos, sed vtilitatem aliquam, falsa eius specie captus legislator spectat, facturus etiam, iussurusque detestanda scelera, si vtilia fore viderentur. Quanto melius Plato, *Legem esse gubernandi rationem, normamq; veram* definit, *quæ per conuenientem viam ad optimum nos deducit, transgredienti pœnam, parenti præmium præfigit*? A summo bono enim est lex, & ad summum bonum tendit, ducitque & trahit. Finis eius est iustitia, ipsa opus est Reipublicæ, institutrix est, & ad optimum directrix.

Legis finis & media honesta sũt.

Finem eum egregie Cicero exposuit l. 2. de legib. *Constat profecto ad salutem ciuium, ciuitatum q, incolumitatem, vitamq; omnium quietam, & beatam, conditas esse leges: eosq; qui primum eiusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scripturos, atq; laturos, quibus illi adscriptis, susceptisq; honestè, beateq; viuerent: quæq; ita composita, sanctaq; essent, eas leges videl. nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui pernicioſa, & iniusta populis iussa descripserint, cum contra fecerint, quam polliciti, professiq; sint, quid uis potius tulisse, quam leges: vt perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim, & sententiam iusti, & iuris colendi.*

In ipsa lege ratio iusta est.

Optime etiam Plutarchus; *In ciuitate, quædam ad honestatem, quædam ad necessitatem pertinere; Honestorum summum esse, & primum* τὴν εὐνομίαν. Necessariorum, τὸ εὐπορεῖαν, affluentiam; qui cum legem esse honestorum definit, perspicuè iudicat, leges iniquas, prauа iubentes, virtuti quocunque modo aduersas, tam sancto titulo nequaquam se dignari. Cum enim lex sit vinculum ciuitatis, fundamentum libertatis, fons æquitatis, cum mens, animus, consilium, sententia, mores ciuitatis in legibus siti sint, nõ potest alium finem habere, quam optimum, quo vniuersitas ipsa gubernatur. *Optimæ igitur leges censendæ sunt, quæ non opibus maximè homines cumulent, sed quæ morum humanitate, & rerum ciuilium prudentia, quam instructissimas* effieiant. Diod. Sicul. l 1. hist.

Honestas & opes Reipub. nerui.

Optimarũ legum effectus propriè boni mores.

§.2. In legibus itaque ferendis magnopere curandum est; vt non circa vitæ instrumenta, sed ipsam totam vitam occupentur; Legislator n. viuendi artifex est; & quanquam singulatim actiones complectatur, ad virtutem tamen & illa diriguntur. Ipsis initijs errorem ponit, qui putat legem tantum terrestres operas promittere, altius spirant, Dei sunt munus. Quãdmodum medicina sanitatis est causa cõstituta, nec aliter laudatur, quam si multiplicem scientiæ, herbarumque varietatem ad firmanda, restaurandaq; corpora adhibeat. Quis enim medicum sentiat, omnia quidem recte constituentem, sed tamen de sanitate nequaquam sollicitum? Legislator itaque rationem tradet, qua in quaque re omnes officiorum numeros facile ciues exequantur. Leges ciuitatem muniant, securitatem, tranquillitatemque tueantur; sed quæ primario totam vitam contineant. Nam media illa, siue adiaphora, nemo recte faciet, nisi habeat, quo referat. Prima igitur fundamenta iustitiæ iacienda sunt, & insinuanda virtus. Seneca epist. 95. *Proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumq; respiciat: veluti nauigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita sine proposito, vaga est. Quod si vtiq; proponendum est, incipiunt necessaria esse decreta. Illud, puto, concedes, nihil esse turpius dubio, & incerto ac timido, pedem modo referente, modo producente. Hoc in omnibus rebus accidet nobis: nisi eximantur, quæ reprehendunt animos ac detinent, & conari totos vetant.*

Leges vitã non tãtum adminicula viuendi spectant.

Omnis vita finem respiciat.

§.3. Non semper efficiunt bonos ciues, etiam optimæ leges. Ita plane est; Non semper ad actiones rectas præcepta perducunt, sed cum obsequens ingeniũ est; aliquando frustra adhibentur, si animum opiniones obtident prauæ. Conandum est tamen Legislatori, & tota mole legum conandum; quanquam enim multa præclare, prudenter, sancteq; constituat, si aliqua parte tamen in vitium impingat, totus impetus eo voluetur, qua pronum est. Quanquam enim multa non recte fieri cernat, teneat tamen manu regulam, ad quam distorta, & eminula exigantur, vt quamuis non corrigantur, censuram tamen suam videant, cuius timore, vel sane verecundia percellãtur. *Multi leges violant*, inquis; *Bonis patriæ institutis validiora sunt vitia.* Vetus hæc querela est. Natura in vitium propendet genus humanum, Et quotus quisque ex toto se honesto addicit? quotus quisque bonis legibus obstantia dimouet? Sed nitendum est tamen in contra-

Ad finem rectà vadit, etsi nõ assequatur legislator.

Prauitas facile trahit, quia in declive.

Cum metu peccare, est emẽdatiui.

contrarium, vt si peccata tolli non possunt, furor tamen, & cursus peccandi sufflaminetur; sic enim nonnulli seruabuntur, & qui perituri sunt lentius cadent. Medicina inter tot funera propositum tenet. Nunc plus negotij habet, per luxuriem corruptis corporibus, contra morbos tamen luctatur. nec eum quem depositum, & conclamatũ pene videt, continuo deserit, sed fugientem vitã arte tenet, cruciatus mitigat; Quid nî hoc videtur princeps? Quid nî hoc agat omnibus viribus, vt quibus perfectam virtutem persuadere non potest, quos ab animi morbis liberare prohibet ipsorũ contumacia, eorum saltẽ mala leuare conetur? Minuere magnos febrium insultus artis est.

Legislator curet, non modo ne peccetur, sed etiam vt minus peccetur

Leges moribus accommodandæ.

§. 4. Fine constituto cætera succedent ex animi sententia. Quorum caput est: vt media, seu rationes ad finem sint accommodatæ. Debent enim vt calcei pedibus, frenũ equo, sic leges esse accõmodatæ moribus: Hoc est: Gentis & regionis indoli: Medicina cũ præstantia pharmaca parauit, ante omnia constitutionẽ, temperaturamq; languentis explorat, ne vel valentiore eã potione præcipitet, vel dilutiore nõ moueat.

Duo tamen potissimum hac in re spectantur; primum indoles ipsorum hominum. Deinde progressus, & incrementa virtutum, & vitiorum.

Ingenium populi considerabit. An durum, flexile, superbum, humile, laboriosum, iners, frugi, luxuriosum, leue, constans, iracundum, placidũ. Hic magna prudentia, & pene diuina opus est, vt sit ἐ νόμος καθ' ὃν τρόπον, *lex ad mores accommodata*, præcepta ad actiones idonea. Non hoc volo, vt lex sit regula Lesbia, & vitiis, quæ subuertere debuit, sese acclinet, aut propensiones hominum quibus cohibendis fertur, incitet; sic enim in limine aberraret. sed vt vnamquamq; gentem secundum eius mores, opiniones, affectiones ad virtutem ducat. Hoc nisi teneat, funditus euertet Rẽpubl. Ratio ipsa docet. Asiatici, Ægyptii, Arabes seruile genus, durissimo imperio reguntur, quia libertatem ferre non possunt; sed in mutua exitia conuerterent. Heluetii moderata æqualitate gaudent, in eaq; persistunt, nisi quod patrum memoria Zvingliana superstitio classicũ canente auctore, quosdam in cognatum sanguinẽ efferauit. Itali media libertate gaudent, & eum pares esse videntur, superiores esse conantur; quocirca moderato principatu, & legibus mitioribus efflorescunt. Quidã populi id probant, quod alii ferre nõ possunt. Ex adiaphoris cuiq; imperandũ, quod conuenit. Heluetio vt nunquam nisi gladio cinctus in publicum procedat, recte imperatur, belli enim quoddam rudimentũ est, gladii decora gestatio, quæ ne frustra sit, ad exercitationem etiam, belliq; meditationem animat. Italo, aut Ibero, quia ὀξύθυμοι sunt, & ἀκέφαλοι, feruidæ nationes, ne pugionem quidem permittet. Celeriter enim in cædes ferentur. Athenis male consuluit, qui populum leuissimum liberũ esse voluit, bene Lacedæmoniis; erant enim temperatiores. Germanis ciuitatibus libertas æquis legibus stabilita magna rerum incrementa contulit. Belgium per inducias liberrimum perpetuis seditionibus agitatur; quia mores eius non nisi sub vno principe componuntur.

Lex prudẽs vnamquãq; gẽtem iuxta eius indolem ad virtutẽ ducit.

Lenta ingenia excitãda, ignea leniter habẽda.

Exitio est alijs, quod cæteris saluti.

Alterum est virtutum, & vitiorum progressu considerando artificium. In virtute quidem quo magis profecerunt, eo facilius reguntur; quia facilius via tenetur cum prope terminum est. In emendatione vitiorum summa est difficultas; tum quia pertinaciter inhærent, & delectant; tum quia omnis correctio mutationem habet adiunctam, quæ semper odiosa est. Quo vero latius illa regnant, & pericula intentãt, eo plura auxiliorũ genera circũspicienda sunt. Cum inexplicabiles morbi sunt, & multiformes, multis quoq; obseruationibus, & rerum generib. armandus est medicus. Nec vno impetu malos humores depellet, sed sensim detrahet, nẽ & partẽ sinceram trahat. *Tantum seueritatis addendum legibus suadent, quãtum vitia creuerunt.* Insigne hoc axioma est; sed restringendum est: Cum scil. paucorum vitia creuerunt; nam si omnium inualuerunt, mollius curãda sunt, ne medicum opprimãt. Laboratum est prisco sæculo à Christianis imperatoribus, vt cruenta spectacula, ad quæ Romanus furebat orbis, tollerent. Interuenire medio furori pollices conuertentium, ne tutum Imperatori quidẽ fuerit. Quid igitur faciendum? Primo cauẽdum lege; ne priuatus det gladiatores, nisi tãtundem precij det in Epulum ciuibus; ne vilus se ad gladium vendat. Lanista ne sit numero ciuium, amphitheatri commoditates tollendę, precia in viscerationes, & alia donaria conferenda. Omnibus deniq, modis id agendum vt crudelis illa voluptas multis difficultatibus sepiatur, & in alia animi trahantur; ostensa etiam atrocitate facinoris; deinde comparatis ad honesti respectum mentibus lege lata, illa spectacula penitus vetanda. Atq; hæc ita intelligo, cum non est vitiis par potestas imperantis, alioqui seuerò edicto, celeriter tanta immanitas tollenda fuit, quod Imperatores tandem fecerunt. sed de senatu Romano loquor, quẽ inter tot ambitiones, tribunorũ intercessiones, populi tumultus, nõputo parẽ tollendo tã inueterato malo fuisse.

Seueritas legum cũ vitijs crescit.

Modus sensim corrigẽdi vitia.

In magnis malis tollendis potentia imperantis expendenda fuit.

Ad hunc igitur modum, si quę ciuitas, aut princeps è ditione sua vitium ebrietatis tollerè conetur (conari autem omnes debent, nisi omnium malorum inde nascentium rei esse velint) si quidem pertendere poterunt, ebrietatem vetabunt, & pœnam statuent, quã sensim augebunt. Sin autem; primo, legibus sumptuariis modum conuiuiis imponẽt, deinde Cauponibus certas leges scribent, & cũ ad paucos fuerit redactum hoc vitium, infamia notabunt. Atq; hæc de fine legum, & generali ratione ad finem optimum ducente.

Occasiones vitiorum rescindendæ.

§. 5. Non sunt audiendi, qui subtilem, & vafram distinctionem sibi inuenisse videntur, qua licentiam inducant. Legum enim politicarũ finem esse volunt, vt bonum ciuem, non vt bonum virum efficiant. In quo viri callidissimi pueriliter labuntur. Sunt enim mali moribus, etiam mali ciues. Qui enim nec vitæ suæ rationem ducit, nec œconomiam, familiamq; pundenter administrat, quomodo bonus ciuis, & Reipublicæ vtilis fuerit, qui sibi ipsi bonus non est? Sunt mali, quosq; cupiditas transuersum rapit, ἀσύνλαχτοι incõpositi; Eoq; pestilentiores sunt, q. quadã specie tegunt virus, & ictum dederunt anteq̃ notarentur. *Qui priuatim est malus, publicè bonus nunquã erit.* Æschines contra Ctesiph. ὃκ ἐστι κακῶς κεκρημένον αὐτὸν πρὸς ἰδίοις εἶναι πιστὸν ἐν ἀλλοτρίοις, *fieri non solet, vt qui propria perperã administrat, sit in alienis fidus.* Minimè sane in publicis, quæ etiam à gnatis sæpe negliguntur. In hanc sentẽtiã Justin. de concept. digest. & Leo cõst. 19. Cassio. l. 5.

Malus vir, non est bonus ciuis.

Sunt tamen & alii qui legem vellicant. S. Paul. Rõ. 3. legem vocat *legem mortis*, & c. 4. *iram operari.* & c. 5. *Legem subintrasse, vt abundaret delictum.* Verum ad præsentem rem hoc argumentum nihil facit; Lex enim nõ sua vi, aut efficacitate facit, vt virtutẽ sequi possis; sed eã ostendit, ad eam inuitat præmio, à vitiis deterret propositis pœnis. Hinc in impijs delicta grauiora efficiuntur, cum legis occasione fremunt.

Lex occasio mali in impijs.

CAPVT VII.

Legem communitati impositam esse, & propter commune bonum.

Propè vrbẽ tritior via.

Magna mala sensim curantur.

§. 1. AN vni soli lex imponi possit, à iurisperitis quæritur. Ego de nomine disputationẽ esse arbitror. Nam pleræq; leges publicæ sunt; lex æterna omnes tenet. & π. de legib. l. iuta idem asserunt. *Iura non in singulas personas, sed generaliter cõstituuntur.* Norma etiã nõ vnius rei duntaxat est, sed omnium similium. Priuato cum lex poni videtur, præceptum vocant, nõ

Leges pleræque communes.

legem Verum vt dixi, de nomine disputatur. Nam siue vni, siue multis lex dictetur, lex eandem obligandi vim obtinet. Si modum hodiernum loquendi spectemus, vix legem eam dicimus; si veterum, etiam eas quæ ad vnum pertinent proprie leges appellabimus. vt lex Clodia *de aqua, & igni Ciceroni interdicendo. de non reuipiendo eo sub tecto.* Lex Gabinia *de imperio belli Pompeio demandando.* Gellia, & Cornelia de eodem Pompeio, aliæque innumeræ, quæ ferebantur, etiam pro reis damnandis, vel absoluendis.

Lex proprie etiam de priuatis fertur

§. 2. Leges omnes ad communem vtilitatem referuntur. *Est enim lex commune præceptum ad communẽ vtilitatem statutum.* Adeo vt quãuis priuato imponatur, ad publicam tamen vtilitatem referatur. Arist. 3. Eth. c. 6. Plato de legib. Plutar. prob. 40. Quanquam n. sit crebro priuati bonum aut malũ lege comprehensum, ex eo tamen Reipubl. sua vtilitas accedat oportet. De illis vero quæ communitati proponuntur, non est dubitandum; non enim publicum bonum ad priuatum, sed hoc ad illud referri debet. Itaq; non ad principis commoda, sed totius Reip. respicere debet legislator. Est n. magistratus propter subditos, non illi propter magistratum; sunt n. reges ministri, & pro Rep. pericula subire debent. Ipsa etiam priuilegia, quæ videntur derogare bono communi, & fauere priuatis, ideoque inuidiosa sunt, ad commune bonum tamen alia via refluunt; quia publicitus refert; Bene meritos priuilegiis ornari. Priuilegia vero cum sine causa legitima dantur pro ratione rerum nocent Reipublicæ. Nam quædam in honore quodam censentur, vt ius gestandæ coronæ laureæ, cœnandi publicè, quæq; eius generis adinuenit ambitio. Alia ita vni conducunt, vt cæteros grauent, vt immunitas à tributis, vacatio ab armis, cæterisque oneribus, à quibus cum aliqui eximuntur, reliqui tanto magis grauantur.

Lex de priuato ad publicam vtilitatem dirigenda.

Priuilegia pro communi bono dãda sunt.

§. 3. Cum lex publice fertur, quæ quidem non nocet cõmunitati, sed priuato nocet, eoq; animo rogatur, non vt consulatur Reipub. sed vt æmulis damnũ adferatur, si ea lex vtilis sit Reipub. etsi in priuatorum cedat damnum, non potest accusari in iustitiæ, peccat tamen, & magno se periculo legislator exponit, dum malo fine bona præscribit. Sed hic magnarum discordiarum semina iaciuntur, cum pars Reipublicæ clamat non esse iniustum, aliter princeps iudicat.

Prætextu publici boni non est damnum inferendum priuatis.

Nempe priuilegium datur quibusdam Ecclesijs vt habeant ius asyli. quod magna ex parte sublatum est in Gallia, Germania, alijsq; locis. Sed de priuilegio videamus. l. pateant. 4. de ijs qui ad Eccles. confug. l. 9 cod. Theod. t. 45. Lex iubet *omnia pro asylo haberi quæ in Ecclesia sunt, vsq; ad fores.* Edouard. 2. Angliæ rex ei qui reus ad templum confugisset, exilium post 40. dies & 12. horas indixit. Augustus Bonifacio comitẽ quod supplicem ab Ecclesia extraxisset, excõmunicauit. Idem Galas. in eod. crimine fecit. Visitatum ergo hoc priuilegiũ, vt ad aras, ad Cæsaris statuas confugerent. Sed quod misericordia constituit, licentia in abusum vertit. Primum locis illis ius asyli datum est, vt serui à sæuitia dominorũ refugium haberent. Est n. *asylum sacri termini, quibus securitas seruis datur.* Euryp. in supplicib.

Asylorum licentia.

ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν αὐτέρα,
δοῦλοι δὲ βωμὸς θεῶν; πόλις δὲ πρὸς πόλιν
ἥτηκε χειμασθεῖσα.

Habet enim confugium fera quidem petram,
Serui vero aras deorum, Vrbs vero ad vrbem
Confugit, tempestate exagitata.

Abusus fuit, quem annal. 3. describit Tacit. *Sed Tiberium principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui præbebat, postulata prouinciarum ad disquisitionem Patrum mittendo. Crebescebat n. Græcas per vrbes licentia, atq; impunitas asyla statuendi. complebantur templa pessimis seruitiorũ. Eodem subsidio oberati aduersum creditores, suspectiq; capitalium criminũ receptabantur. Nec vllum satis validũ imperium erat coercẽdis seditionib. populi, flagitia hominũ vt cæremonias Deũ protegentis. Igitur placitũ vt mitterent ciuitates iura, atq; legatos. Et quædam q; falso vsurpauerant sponte omisere: multæ vetustis superstitionib. aut meritis in populum Roman. fidebãt. Magnaq; eius diei species fuit, quo senatus maiorum beneficia, sociorum pacta, regum et qui ante vim Romanã valuerant decreta, ipsorũq; Numinum religiones introspexit; libere, vt quõdam, quid firmaret mutaretue. Primi ẽim Ephesii adiere memorantes, nõ, vt vulgus crederet, Dianã atq; Apollinẽ, Delo genitos: esse apud se Conchrium amnẽ, locum Ortygiam, vbi Latonã partu grauidam & oleã, quæ tum et maneat, adnisam, edidisse ea numina: Deorumq; monitu sacratum nemus. Atq; ipsum illic Apollinẽ, post interfectos Cyclopas, Iouis iram vitauisse. Mox Liberũ patrem bello victorem, supplicib. Amazonũ quæ aram insederant, ignouisse. Auctam hinc concessu Herculis, cũ Lydia potiretur, cæremoniam tẽplo: neq; Persarum ditione diminutũ ius post Macedonas, dein nos seruauisse. Proximo Magnetes, Lucij Scipionis, & L. Sullæ constitutis nitebantur. quorum ille Antiocho, hic Mithridate, pulsis, fidem atq; virtutem Magnetum decorauere, vti Dianæ Leucophrynæ perfugium inuiolabile foret. Aphrodisienses posthac, & Stratonicenses dictatoris Cæsaris ob vetusta in partes merita, & recens D. Augusti decretum attulere. laudati, quod Parthorum inruptionem, nihil mutata in populũ Romanum constantia pertulissent sed Aphrodisiensium ciuitas, Veneris; Stratonicensium, Iouis & Triuiæ religionẽ tuebantur. Altius Hierocæsarienses exposuere, Persicam apud se Dianã, delubrum rege Cyro dicatũ Et memorabãtur Perpennæ Isaurici, multaq; alia imperatorum nomina, qui non modo tẽplo, sed duobus milibus passuum eandem sanctitatẽ tribuerant. Exin Cypriitribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri auctor Aerias post filius eius Amathus Veneri Amathusiæ, & Ioui Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus posuissent. Auditæ aliarum quoq; ciuitatum legationes. quorum copia fessi patres, & quia studiis certabatur, cõsulibus permisere, vt perspecto iure & si qua iniquitas mitigaretur, rem integram rursum ad senatum referrent. Cõsules super eas ciuitates quas memorani apud Pergamum Aesculapii compertum asylum retulerunt: Cæteris obscuris ob vetustatem initiis niti. nam Smyrnæos oraculum Apollinis cuius imperia Stratonicidi Veneri templum dicauerint: Temios eiusdem carmen referre quo sacrare Neptuni effigiem, ademque iussi sint. propriora Sardanos, Alexandri victoris id donum, neq; minus Milesios Dario rege vti, sed cultus numinum, vtriusq;, Dianam aut Apollinem venerandi. petiere & Cretenses simulacro Diui Augusti. factaq; senatus cõsulta quis multo cum honore, modus tamẽ præscribebatur; iussiq; ipsis in tẽplis facere aras sacrandã ad memoriã, neu specie religionis in ambitionem delaberentur.* Sed nihil his profectum est, adeo vt Tiber. coactus sit omne ius asylorum abolere: ita Tranq. in t. c. 37. *Abolevit & ius, moremq; asylorum, quæ vsquam erant.* Sed quo plures, & magis facinorosi eo iure abutebantur, eo pertinacius eos populus defendebat; Athenis ciues, quod tyrannidis affectatores ad aram Mineruæ confugientes occidissent, à ciuibus suis interfecti sunt, quod pluris priuilegiatam superstitionem quam libertatem æstimarent. Thucyd. l. 1. Siculi Ducetio patriæ proditori, qui in templum confugerat, pepercerunt. Tarde igitur concedendũ est priuilegium, quod cum summa mala adfert, difficilime abrogatur.

Asylorum incõmoda.

Priuilegia impii tuentur, vt religionem.

Priuilegiũ asyli omnibus auferre facilius, quã modum ita tuere.

§. 4. Oritur etiam & alia difficultas, quod priuilegia ita munita sint, vt ipsa abrogandi difficultate se consepiant. Non desinunt morte concedentis; sæpe illis ẽt renunciare non possunt; quia continent ius alterius, aut magistratus iureiurando obligãtur, ne priuilegiis cedant. quædam etiã habent annexum aliud præceptũ, vt sponte abdicari nõ possint, vt si quis habet potestatẽ audiendi sacri tẽpore interdicti non potest ei renunciare, quia alia lege tenetur audire, quia vero priuilegium sustulit impedimentũ, iam lege tenetur. Deinde priuilegia quæ odiosa non sunt, non possunt tolli præscriptione, sed quib. alij grauantur, contra ea possunt illi præscribere; tempus aũt decem annorum proponunt. Tertio, quæ alijs onerosa non sunt, nec vllo modo præiudicant per non vsum in fo-

Difficulter abrogantur priuilegia.

ro ex-

ro externo tantum amittuntur, non in conscientia, nisi certis in casibus alio modo sit à iure dispositum. Quarto, non amittitur per vsum contrarium, quoad totam facultatẽ, q̃uis videatur tacita renunciatio. Deniq; amittitur per abusum, vt dictũ est de asylo. sed in his omnib. est difficillimũ priuilegiatos, vel corrigere, vel ablato priuilegio ad cõmunem legẽ reducere.

Non facile amittũtur.

Abusus priuilegiorum.

§.5. Abusus priuilegii multiplex est; 1. cum re ipsa plus fit quam concessum est. Vt cum principi ius datũ est scribere militem pro defensione territorii, ipse eos contra vicinos, quibus cũ iure conferere põt, colligit. 2. cum vsum priuilegii vertit in occasionẽ facinorum, de asyli iure dictum est. Quod ẽt hodie cernimus; illis in vrbib. cædes plurimas fieri vbi asyla homicidis cõstituta sunt; quæ tñ ciues tuẽtur, adeo vt sine seditione vix tolli posse videantur. 3. Abusus priuilegiorum est maxime vsitatus, qui repugnat priuilegiorum fini. Qualis est hodie in Ecclesiis, vt biennale studiũ in Academia absoluatur, in quo fere satis est, in Academiam inscriptum esse, nulla nocte extra vrbẽ Academicam egisse; de studio, moribusq; minima est inquisitio. Simile priuilegium est, vt qui ad Episcol. venerint, cũ in Choro canitur, distributiones accipiant, q̃ in gratiam eorum, qui occupati vel serius venire, vel citius exire cogũtur. At nunc illius priuilegii abusus ille est, vt ante episc. & post eam in porticu, & templo diuersentur, non sine populi Christiani scandalo, ad episc. subito veniant, quasi conducti sint non ad orandum, sed oĩa alia tractanda, & irreligiosæ confabulationis præmium petant. Hisce abusibus priuilegia amittuntur. Vere S. Aug. ser. 247. de temp. *Iudicio legum iure obtenta dignitate deiicitur, qui priuilegio sibi concesso abutitur.* Verum difficulter auferuntur, nec sine cõmotione populi; idcirco caute agendum est, ne dentur; Non est aũt difficile sub vmbra priuilegii multo plura agere, quam priuilegii vires ferant. Deniq; ita censeo; Eum qui multa priuilegia, immunitates q̃ concedit, vim & neruos principatus incidere, seditionibus materiã præbere. Ciues & subditos cõtra iustitiã ac rempub. armare. Cum aũt multus sit priuilegiorũ abusus, necesse est eũ, qui paucis gratificando, multos grauauit, nunc eosdẽ aut eorũ successores graui⁹ offendere.

Principat⁹ vis frangitur dũ dantur priuilegia multa.

Caput VIII.

Effecta legis exposita & officia.

Vir bonus sibi lex est, mal⁹ ex lex.

§.1. Optime dictum est à Theophrasto. ὀλίγοι ἀγαθοὶ νόμων δέονται. *Bonipaucis indigent legib.* Causa est, quia se ipsi in plurimis dirigunt, & natura docentur agere ea quæ legis sunt, plurimis egent mali, de quibus recte Seneca; *Misera est innocentia, ad legem bonũ esse.* Bonos dirigit virtus legẽ præueniens, malos lex à flagitio deterret, dirigitq; ad virtutẽ. Primũ itaq; munus est legis dirigere Rẽp. & omnes in Rep. ciues.

Omnis lex præceptum habet.

§.2. Alterum officium legis est, præcipere. Essentia legis in eo consistit, vt præcipiat, nec enim lex est, nisi præcipiat. Præcipiendo etiam vetat contraria, & cum adiaphora permittit, libertatem in vtramq; partem esse præcipit, & impedimenta vetat.

Caluiniani quidam humana lege obligari nos negant.

§.3. Pœna ẽt est legis effectus, de qua posterius dicendum est. Vere Modest. l. 7. de legib. *Legis virtus*, hæc est, *imperare, vetare, permittere, punire, & p̃mio afficere.* Quę clara sunt. sed de primario effectu legis agendum est.

νομοθεσία à Deo est.

§.4. Primarius effectus legis est obligare: de qua Soarez l. 3. multiq, alij, sed nostra tempora eos viderunt doctores, qui cum humanæ legis obligationem tollant, omnem è Repub. ordinem, pacem, magistratus auctoritatem magna temeritate conuellunt. De quo nos hunc in modum statuimus.

§.5. Potestatem ferendi leges non modo à Deo esse, sed etiã ἀμέσως & immediate à Deo proficisci. *Non est enim potestas nisi à Deo.* Id vero indicant, tum alii actus, tum vero punitio, quæ est corporum, præcipue mortis, quæ homini non põt nisi à Deo concessa esse.

Corpori politico necessaria lex.

Cum vero in vnum corpus politicum homines conueniunt, non possunt impedire, quo minus sit illa potestas inter illos; nam per modum naturalis affectionis & proprietatis enascitur. Quisque enim natura sua ad societatem huiuscemodi adeundam aptus est; cum vero Respublica constituta est, in eius est potestate regimen monarchicum, vel aristocraticum, vel populi politiam instituere, atq; ita Respublica à Deo primo & immediate, magistratus ab ea designati, à Deo mediate, à populo immediate potestatem habent, quæ ex natura rei, est tota in communitate primo, & immediate. Quod si tamen regem reuelatione, & iussu suo Deus constituat, aut si legitime aliquã Rempubl. rex quispiam bello subdiderit, potestatem à populo non dicetur habere. A Deo tamen est potestas regum etiam aliorum; quia illam vt legitimam approbat, deinde Reipubl. mentem flexit, vt regem eligeret; deniq; quia dum rex constitutus est, iam Dei vices gerit, maior regno suo, & Reipublicæ quæ se illi subiecit, imperat, legesq; scribit. Et digna Imperatore vox est ad milites rebelles. *Fuisse in potestate eorum non eligere, nunc cum elegerint, parendum esse.*

Qui libere eligunt magistratum, necessario parent electo.

§.6. Hæc potestas esse potest, & frequentissime est etiam in hominibus iniustis. ita iam olim Ecclesia, & omnia iura contra VViclefum, & Hussum iudicarunt.

Legum ciuilium finis pax, & deinde felicitas.

§.7. Leges ciuiles à Deo auctore, & à fideli magistratu dirigi non modo ad temporalem, sed etiam æternam felicitatem, legesq; ciuiles, habere finem Reipubl. totius, & societatis humanæ perfectæ, & singulorum hominum, vt eius membra sunt, felicitatem.

Lex ciuilis externa dirigit.

§.8. Lex ciuilis circa actus externos duntaxat versatur; Internæ enim cogitationes, voluntatesq; à solo Deo iudicantur, nec iudici obnoxiæ sunt sæculari; quia natura sua occultæ sunt, ideo nec contra eos citari testes, nec legibus agi potest, multo minus est in legislatore potestas coactiua, vt amare, odisse, credere, sperare adigat. Quibus enim fiduciis hominem coges, vt te diligat? Recte igitur statuunt Romanæ leges. *Nudam cogitationem non puniendam, si non exierit voluntas cogitationis fines.* Ea enim facinora iudices corrigunt, quorum plenam probationem habent, cogitationes illi relinquũt, qui scrutatur corda & renes, qui illis præceptum dedit; *Non concupisces.* Apud iudicem qui conuictus non est, innocens est. Deus autem qui interest cordium actionibus, earũ quoq; vindictam minatur; *Væ qui cogitatis mala in cordibus vestris.* c. si quis. 15 q. 1. l. illicitas. §. veritas, de officio præsidis. l. fin. c. de probat. can. cogitatio. & de pœn. dist. 1. & can. si quando que 15. quæst. 6. can. si omnia. 6. q. 1.

Cogitationum homo nõ est iudex.

Machinationes puniuntur.

§.9. Si itaq; cogitationis occultæ suspicio sit iuramento purgatio instituitur. Host. in can. licet. de reg. iur. Si vero occultæ machinationes eruperint, *malitia voluntatis punitur, nõ exitus.* Voluntas n. cognita, p̃ facto est iudici. Itaq; qui *impudicos animos facere* nititur, lege tenetur, qui *virginẽ affectatus fuerit*, lege corruptoris accersitur. Exempla producit insignia Pet. Greg. in syntagmate iuris. l. 34. c. 12. §. 12. & seq. *Scribit Dio Cassius, morti addictos quosdã viros, quod nudi obuiam fuissent Liuiæ Matri Tiberij Cæsaris, quos tamen illa morti, venia eripuit, quod diceret, pudicis mulieribus hos nihil ab statuis differre. Apud Vtopienses insulanos solicitasse ad stuprum, idem quod stuprum commisisse est. Et narrat sacra pagina, Pharaonem multis cladibus, ob attentatam solum Saræ vxoris Abrahæ pudicitiam, affectum esse. Sicut & Abimelechum regem Gerarorum eadem ob causas. M. Claudius Marcellus ædilis curulis, Caio Scantinio Capitolino trib. pleb. diem dixit ad populum, quod filium de stupro appellasset, reusq; vno teste qui tẽtatus erat, damnatus est. Metellus Celer stuprosæ quoq; mentis punitor, diem dixit Cn. Sergio Silo, quod numos matrifamilias dedisset: eoq; damnatus, nec factum, sed animus in quæstionẽ deductus est. Gymnicum agona apud Viennenses sublatum à Trebonio Rufino in suo duumuiratu, illud confirmante Traiano Imperatore, quod ex hoc modo, & impudico certamine mo-*

Scelerum tentamenta punita sunt.

res Viennenſium inficerentur. Et tollenda ſunt res, quæ anſam delinquendi dant.

Voluntas igitur quæ ſufficientia maleficij ſigna dedit, punitur iure. Minus tamen, quam illa quæ auſo poſita eſt; quia hæc deliberatior, pertinacior, nocentior in malo fuit. Quia cogitata melior animus corrigere potuit.

Lex quæ opus imperat, etiam volũtatem faciendi requirit.

§. 10. Leges ciuiles cum bona præcipiunt opera, vel mala prohibent, conſequenter mentis & voluntatis actum connexum obedientiæ externæ ita obligant, vt non poſſit repugnare. Lex enim datur, vt hominibus, vt liberis, vt volentes faciant. Cum enim ſtatuit lex imperatoris, ne annulum niſi eques gerat, etiam prohibet, ne quis voluntatem legi contrariam habeat. Illa n. legi repugnat, ideoq; inobedientis eſt.

Lex ignorata non obligat.

§. 11. Lex ciuilis cum ſine temporis certo præſcripto fertur, ſtatim obligat, ſi negatiua eſt, ſi affirmatiua tum cum executionis præceptum viget. Non tamen in illis locis, ad quæ eius notitia moraliter non potuit peruenire. Neq; enim Imperator Viennæ legem condens, eodem tempore Rhenanos obligare poteſt: cum nõdum ſuſpicari de lege quicquam poſſent, eſt quidem lex, ſed non obligat, niſi eos, quibus ſufficienter indicata eſt; Non enim committit in legem, qui eam ſine culpa ignorat.

§. 12. Promulganda igitur lex eſt, & tamen putant pleriq; legem imperatoriam, non niſi poſt duos menſes, à conſtitutione obligare. Ita authen. habet. Vt autem adhuc apertius cauſa declaretur, *ſancimus, ſi ſcripta fuerit huiuſmodi lex, hanc poſt duos menſes, dati eius temporis valere.* Quod tamen ad leges magiſtratuum inferiorum non extendunt.

Lex cum iuſte datur accipienda eſt.

§. 13. Acceptatio legis non eſt neceſſaria conditio, vt ſit valida; ſed cum lex eſt iuſta, populis eſt neceſſario accipienda, in magiſtratu enim auctoritas & voluntas eſt legem ferendi, ſubditoſq; obligandi. Subdito igitur parendum eſt; nam continuò violatores puniuntur. Effectus enim eſt acceptatio, quæ obligationem conſequitur, ſed effectus cauſæ, non eſt conditio neceſſaria, vt cauſa ſit, vel agat.

§. 14. His conſtitutis magna controuerſia eſt, an lex ciuilis non obliget modo, ſed etiam obliget conſcientias ſubditorum, vt qui eam tranſgrediuntur cõtra Deum peccent? Nempe princeps lege ſumptuaria certum numerum conuiuarum in nuptijs, item tempus, & ferculorum modum lege definit. Titius numerum auget, & fercula, & tempus; an non committat in legem, vt peccet?

Lex ciuilis conſcientias obligat.

§. 15. Omnes qui fidem Catholicam profitentur in eo conueniunt, vt dicant; *Legem ciuilem conſcientias etiam ſtringere.* Hæreticorum multi id negant, aliqui concedunt. Hocan. 1618. Scharpius quidam homo malitioſæ imperitiæ multis argumẽtis perſuadere conatus eſt, principum leges ad conſcientias non pertinere. Sed eum refutat ipſe Paulus Apoſtol. clariſſime Rom 13. 1. & ſeq. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac: & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris: time. non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: Vindex in iram, ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiã. Ideo enim & tributa præſtatis. miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum Deo ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

Et idem Paulus Tit. 3. 1. *Admone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe, minimè blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos: omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.*

Nec mirum cum Chriſtus dare iuſſerit Cæſari, quæ ſunt Cæſaris; & Deo, quæ Dei. Ipſe etiam tributum dederit Matth. 17. 24.

Hinc firmum & euidens argumentum ſumitur: Deus iubet regũ legibus obtemperare, qui igitur eas tranſgreditur, Dei mãdato reſiſtit, ille autem peccat; qui igitur leges regias violat, peccat.

Leges principũ habent à Deo auctoritatem.

Hinc Auguſt. eos qui iuſtis principum legibus parent grande præmium, qui eas negligunt, grande ſupplicium mereri docet Certe obediendum eſt dominis etiam dyſcolis. 1. Pet. c 2.

Cum enim magiſtratus leges ferat, vt miniſter Dei, poteſtatemque diuinitus acceptam exerceat, in eius contemptu, diuina maieſtas ipſa contemnitur. 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Quod ſi reſpublica principem conſtituit ea lege, ne conſtitutiones conſcientiam obligantes ſcriberet; non tamẽ inde ſequeretur, leges non obligare, nam illa reſpubl. cum rege poterit obligare conſcientias, ſi communi conſenſu lex eo fine ſcribatur.

Lex naturalis eſt vt principum legibus pareamus.

Deinde lex naturalis eſt, quæ iubet obedire principibus, imo lex æterna. *Hæc eſt enim voluntas Dei*, inquit Apoſtolus. Sed conſcientiam lex naturalis obligat. Hinc ſæpe obedientiam cõmendant etiam gentiles. *Obedientia maximum bonum in republ. & militia, & domi.* Xenophon in Laced. & Aug. l. 14. de ciuit. c. 12. *In creatura rationali obedientia mater eſt quodammodo cuſtosq; virtutum.* Quis credat maximum Reipublicæ bonum, in Republica à Deo conſtituta, non obligare ciues, nec eos peccare, ſi contra agant?

Non minus iuſſa regum ſubditos, quam dominorum ſeruos obligant.

Dominorum in ſeruos, mariti in coniugem, parentum in liberos eſt, non modo legitimum imperium, ſed etiam tale, quod qui ſubterfugiunt, grauiter coram Deo delinquunt. Deut. 21. Filius inobediens iubetur occidi. Mulieres iubentur eſſe viris ſubditæ, cur non etiam ciues magiſtratui? Obedire itaq; regibus eſt obedire Deo, fremere contra leges iuſtas regum, eſt Dei poteſtatem peſſum dare. Omnium enim horũ inobedientia cõſcientiam lædit, ornnes ergo obligat.

Natura legis eſt obligare, & dirigere; itaq; cum ſerio lex proponitur etiam obligat. alioqui ſæpe poteſtas coactiua poſſet eludi. Nam pœnam externã multi fugere poſſunt, aliqui contemnunt, pleriq; impunitatis ſpe delinquunt. Verum grauiter inſurgunt Caluiniani quamuis diſſidentes.

In fame dogma quorũdam Caluinianorum.

Negatiuam (inquit Pareus in Rom. 13. 5. dub. 7.) *ſententiam videtur tueri Caluin. Inſtit. l. 3. c. 19. n. 15. 16. & l. 4. c. 10. n. 3. 4. 5. quem ſequitur Beza in notis: Sibrandus de Pont. Roman. l. 8. c. 7. quod tanquam infame dogma acerbe inſectatur Stapleton. in Antid. pag. 783. Bellarmin. quoq; exprobrat Caluino l. 3. cap. 9. de laicis: & dicit ante illum idem docuiſſe Ioh. Gerſonem de vita ſpiritali lect. 4.*

Sed grauiſſime inter omnes, impudentiſſimeque peſſimam cauſam egit Joan. Scarpius, non Hercules, vt eum adulatores vocant, ſed Cacus Britanniæ, lues Galliæ. Eius igitur argumenta examinemus.

Inobedientes peccant.

Obiectio 1. *Solus Deus habet ius in hominum cõſcientias. Rom. 1. 32. & 2. 15. 1. Cor. 7. 25. Iac. 4. 12. 1. Pet. 4. 19. & alibi. Ergo nulla lex, niſi diuina conſcientiam obligat.*

Reſpondeo 1. Rom. 1. 32. Nihil tale inuenitur, nec eſt, ſed tantum: *qui cum iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerãt, quoniã qui talia agunt, digni ſunt morte, nõ modo qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientib.* Inter cætera vero enumerauit, *Parentibus non obedientes, & incompoſitos*, ex quo contrarium colligitur. Parentibus non obedientes digni ſunt morte, ergo & magiſtratibus inobedientes, ergo & leges magiſtratuum violantes, illi enim magiſtratui non obtemperant, ſed incompoſiti ſunt, ergo inobedientia conſcientiam lædit.

2. Rom. 2. 15. *Dicuntur gentes, quæ legem non habent, oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus.* Non ait gentes carere

rere lege ciuili, cum infinitas leges haberent, sed negat legem Dei accepisse sub qua Iudæi viuebãt. Multo minus indicat legibus ciuilibus earum conscientias obligatas non fuisse.

3.1.Cor.7.35. Negat Apostolus se Corinthijs, *Laqueum injicere velle*, agit vero de virginitate seruanda, protestatus, non præceptum *se ponere, sed consilium dare.* Quæ vero est ratio. Paulus præceptum virginitatis seruandæ non dat Corinthiis, nec laqueum eorum conscientiis iniicit, non ergo regum leges in conscientiis obligant subditos. An hic si vllam argumentandi legem teneret sic loqueretur? Quid consiliorum libertati, cum necessitate præceptorum?

4.Jacob.4.12. *Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere & liberare.* Quid vero hoc ad oleas? Monet Apostolus, *Ne iudicent legem, sed faciant, quia vnus est legislator, & iudex.* Non tamen conuincitur inde, non esse alios legislatores, sicut nec illud; non esse alios secundarios iudices. si alii legislatores, & iudices, sed secundarij, igitur & leges, igitur & obligatio.

5. 1.Petri 4.19. *Fideli creatori*, inquit, *commendent animas in benefactis.* Quid igitur? an ideo non tenentur principum suorum legibus? Anima Deo commendatur obediendo magistratibus. *Sed tamen solus Deus ius habet in conscientias.* Ita sane solus habet ius in corpora, & fortunas, sed aliis tamen ius illud communicauit; dum alios iussit regnare, iubere, vetare, punire, alios iussit obtemperare. Dum legum conditores dedit, alios parere voluit. Primum & summum ius in Deo est, in vicariis Dei, regibus, ius participatum; quemadmodum in parentibus, magistris, maritis. Itaque potest in foro vt aiunt conscientiæ, in foro Dei obligare princeps, quia Deus ita iussit, vt illi obediretur. sed præstat Gallico ministro respondere de sententia ministri alterius. Pareus in c.13.Rõ.v.5.dub.7. sic obiicit. Conscientia solum Deũ respicit. Respondet ipse 1. *Non solum Deum, sed etiam homines respicit conscientia, Paulo teste, art.24.2. Conscientia respicit leges ciuiles, non vt sunt tales, sed vt sunt latæ à ministro Dei, & munitæ authoritate generalis præcepti diuini, Honora patrem, &c.*

Ius Dei cõmunicatur legibus.

Scharpio commissus Pareus.

Obijcit Pareus 2. Conscientias obstringere est solius legis diuinæ, non ergo legum ciuilium. Respondet. *Fallacia non causæ. Obstringit enim Deus conscientias vel immediatè sub ratione cultus, per leges diuinas: vel mediatè sub ratione disciplinæ per leges ministrorum, &c.* Suorum igitur iudicio Caluinaster ille, qui Christianissimum Galliæ regem petit his dictis, refutatur.

Obiectio 2. *Humanæ legi sæpe propter conscientiam non est parendum. Dan.3. & 6. At legi diuinæ semper propter conscientiam est parendum. Ergo.*

Bonis legib. parendum est.

Respondeo. Hinc nihil contra veritatem confici, sed tantum imperitiam. Quale enim argumentum: Impijs legibus idololatriam præcipientibus non est parendum; non ergo rectæ, & vtiles principum leges conscientiam obligant? Multò sane aliter Augustin. ep.50.ad Bonif. comitem. *Quia & imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probãtur bene credentes, & coronantur perseuerantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sauientes, & corriguntur intelligentes. Quicunq; ergo legibus imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicunq; autem legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium.*

Bonis legib. obtẽperare acquirit grande præmium.

Nos cum parendum legibus dicimus, de iustis sermonẽ facimus. Quod si recte ratiocinatur, qui dicit. Humanis legibus sæpe non est parendum, nulla ergo lex humana conscientiam obstringit; Non video cur non eodem modo argumentemur. Humano magistratui sæpe non est parendum, praua scilic. iubenti, nulla ergo magistratus iussa obligant conscientiam, non ergo opus est potestate, nec anima subdita est, quæ se potest illi opponere. Imo si pœnis sua iussa exequi velit, resistere.

Obiectio 3. *Leges conscientiæ mutari non possunt, vt nec conscientia, nec Deus: At leges humanæ variæ & mutabiles sunt, ergo.*

Anomi vet⁹ testamẽti è medio tollunt.

Respondeo. Hoc quoque argumentum idioticæ malitiæ esse. Nec est forma, nec materia syllogissimi. si enim legitima forma constituenda sit, ita est argumentandum:

Nulla lex conscientiæ est mutabilis.
Omnes leges humanæ sunt mutabiles.
Ergo nulla lex humana est lex conscientiæ.

At sic accepta maior Manichæorum est, & totum pene vetus instrumentum è medio tollit, leges enim cærimoniales, & iudiciales mutatæ sunt. Lex conscientiæ generalis immota manet; Malum fugiendum, bonum appetendum esse. Contra dictamen conscientiæ nihil agendum esse. At leges particulares, quæ aliquando conscientiam obligant, crebro mutantur. olim nisi anima circumcideretur, *delebatur de populo suo*, nunc vero dicitur, *si circumcidamini Christus nihil vobis proderit.* Ecce lex legi contraria: lex mutabilis, sed Dei immutabilis, qui ab æterno immutabiliter statuit tempore constituto legem mutare, veterem abrogare, ferre nouam. Hoc itaque si Scharpius sequatur subito conficiet, Veterem Dei legem conscientias non obligasse.

Dei leges mutabiles.

Obiectio 4. *Potestas politica est temporalis de rebus externis, non internis, & eius finis est pars exterior. Ergo spirituale effectum prouidere, id est, conscientiam obligare non potest.*

Respondeo. Potestatem politicam per se versari in materia externa, ideo per se, & directe in re spiritali, obligationem spiritalem non posse adferre. Quia tamen in rebus externis, & temporalibus potest honestum, & turpe inueniri, potest lex temporalis in ea materia obligationem inducere. Est enim diuinæ potestatis participatio. Pareus grauiter respondet. *Est eadem fallacia* (non causæ) *Etsi enim magistratus legibus non intendat obligare conscientias: tamen conscientia subditorum sentit se astringi ad obedientiam sub culpa, propter generale Dei præceptum: Honora patrem & matrem.*

Spiritalia præcipit indirecte magistratus.

Hac tamen in re illa errat; nam reuera magistratus sæpe ita legem fert, vt nolit obligare conscientias, & si non velit, non obligat; ius enim legis non extenditur vltra legislatoris volũtatem. Velle interdum obligare testatur ipse Pareus in tanta rapsodia parum sui memor. In Rõ.13.5.dub.7.propos.5. *Leges ciuiles, quibus Princeps intendit non tantum notificare, aut ostendere, quid agendum sit, sed serio imperare, & ad culpam obligare præuaricantes, in particulari & per se obligant conscientias sub culpa mortali & offensione Dei.*

In hac est dissensio. Sed pro hac validè militant rationes affirmantes, & præcipuè determinatio Apostoli: necessario est obediendum non modo propter iram; sed etiam propter conscientiam. Et ratio est euidens: quia violatio specialis legis, necessario trahit secum violationem generalis de obedientia erga magistratum. Violatio autem generis lædit conscientiam. Ergo & violatio specialis. Obligat igitur conscientiam. Hæc vere Pareus. Verum ipsa ratio Scharpij se elidit. *Politicæ potestatis finem ait esse pacem exteriorem*; At vero ad pacem exteriorem conscientia obligamur, ergo ad ea sine quibus pax illa esse nõ potest, sed sine legibus pax esse externa non potest. Leges n. sunt vinculũ ciuium inter se, & cũ magistratu; leges igitur cõscientiã obligãt.

Apostolus tetatur conscientias obligari.

Obiectio 5. *Potestas politica non potest inferre pœnam spiritualem, nec ab illa absoluere, ergo nec spiritualiter conscientiam obligare.*

Respondeo. Duplici modo pœnam alicuius transgressionis accipi posse; Primo, vt ob violationem mandati pœna omnino spiritalis imponatur, id fieri non potest: non n. potestas politica suarum legũ contemptoribus spiritalem irrogare pœnam potest, vt

suspen-

Magistratus ad pœnam obligat non immediate.

suspensionis, interdicti, excommunicationis. Potest tamen inferre pœnam sequela quadam, quia potest ad culpam obligare. Cum enim Deus magistratui obediri velit, non est dubium, quin diuini ordinis violator in pœnam spiritalem incidat, non tam vi humani præcepti, quam diuini, quod violatione humani contemnitur. Doceat iuuenem Herculem Parens senior Eurystheus. *Nec soluitur, nec astringitur nodus, dicendo obediendum esse propter conscientiam, non quia magistratus leges conscientiis ferre possit, sed quia salua conscientia non possis ei resistere, cuius potestati te Deus subiecit. Nam hoc ipso apparet legibus magistratus conscientias teneri, quia eis propter Deum resistere non licet. Resistere enim magistratui est legibus eius resistere.*

Obiectio 6. Potestas politica non potest absoluere conscientiam à dicto; ergo nec obligare.

Obligare se facilius quã absoluere.

Respondeo. In νομοθεσία & legibus non requiri, vt qui obligare potest, etiam possit absoluere. Voto, cõtractu, stipulatione quisq; se obligare potest, absoluere non potest. Soarez ait hoc verum esse, quando obligatio directe non ponitur. Nihilominus generalem propositionem illam veram esse posse. Hoc modo. Quicunque legis obligationem ponere potest, is etiam auferre eam potest. Primo. Sicut legislator potest legem ponere quæ conscientias teneat, ita potest remittere illam obligationẽ, vel legem abrogando; vel indicando mentem suam esse, hac in in re subditos dirigere, nullius cõscientiam obstringere. Potest etiam in lege sua, si absque detrimento tertij fieri possit, dispensare.

Non potest quilibet culpam remittere.

Non autem necesse est, vt postquam lex violata est, culpam vniuersam remittere possit. Nam si proregis iusta lex violetur, læditur non modo proregis dignitas, sed etiam regia maiestas, à qua est auctoritas inferioris magistratus; suam iniuriam remittere prorex potest, regis non potest, nisi eâ de re potestatem specialem acceperit. Ita quoque in his fieri necesse est. Qui magistratus ciuilem legem transilit reatu pœnæ tenetur, quam magistratus posuit, quam idem magistratus tollere potest, non tamen efficere potest, vt ille non deliquerit, nec eam culpam, pœnamq; quæ ad Deum pertinet; est enim altioris potestas ordinis. Contra hanc enim Dei voluntatem egit, quæ vult illum obedire non modo propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Obiectio 7. *Si non minus obligarent leges ciuiles quam diuinæ, tum non minus humanis legibus, quam diuinis obsequendum esset, & nemo ab humanarum legum obseruatione & pœnis se eximere posset, quia nemo potest se à diuinis eximere, Vbi enim par ratio est, ibi ius idem obtinere debet, at posterius falsum esse docent Papistæ, vbi pro immunitate clericorum contendunt.*

Leges diuinæ arctius obligant.

Respondeo. Non disputari de æqualitate obligandi quæ est in diuinis, & quæ in humanis legibus. Diuinæ arctius obligant, quia semper sunt, non modo iustæ, vtiles, sanctæ, sed certo etiam constat tales esse. Deinde magis in illis violãdis diuina maiestas, à qua immediatè manant, læditur. Tertio. Diuinæ leges omnes obligant, humanæ non omnes, quia politici magistratus iurisdictione exempti sunt nonnulli. Deo omnes ex æquo subiecti sunt. Quemadmodum vero à lege sua positiua aliquos eximere potest, ita & à sua magistratus; dari enim alicui priuilegium potest, ne lege teneatur.

Obiectio 8. *Si leges Ecclesiasticæ non obligant conscientiã, extra casum scandali, & contemptum, tum multo minus ciuiles, at prius supra probatum. Ergo.*

Respondeo. Nos ex contrario argumentamur. Si ciuiles obligãt, multo magis Ecclesiasticæ, vt suo loco docebimus. Mirifica est inter Scharpium & Pareũ pugna. Scharpius ait non obligare Ecclesiasticam legẽ, atq; inde concludit, multo minus ciuilem obligare. At Pareus ex proposito contrarium tuetur; Non ideo obligare Ecclesiasticam, quia ciuilis obligat.

Quam vero hæc sententia in Romano præsertim imperio confusionem pariat, plus nimio dudum experimur; neq; iudicum sententia, neq; legibus standum putant, qui has opiniones imbiberunt.

Obiectio 9. *Nulla lex ab homine lata, qua talis, conscientiam obligare potest, quia lex non vlterius se extendit quam legislator.*

Leges humanæ obligant, quo respectu, nõ quæritur.

Respondeo. Legem humanam obligare absolute, & legibus humanis teneri conscientias; an humanis, qua humanæ sunt; id non venit in quæstionem morum; sed tamen contra bonos mores est id negare, cũ magistratus humani, qua sunt tales, habeãt ius imperandi, legesq; ferendi. Itaq; hoc olim in Gerlone reprehensum est, quod diceret: Legem humanam vt humana est, non obligare, sed vt est gradus legis diuinæ lect. 4. coroll. 4. Merito sane; Sensus enim est, obligationem obediendi non esse fundatam in potestate legislatoris, sed in nostra ratiocinatione, qua deducimus legem cui obsequimur, esse deriuatam ex lege diuina, vel naturali; quæ deductio in mores deducta Rempubl. turbet necesse est; nam pro vario hominũ captu, varie illa deriuatio constituetur; deinde omniũ legum humanarum ab omnibus examen instituetur; potestas enim regum, ad dubiam, & inquietorum hominum leuissimã deductionem coercebitur. Deniq; quanta hoc loco vauerrimis tabularum argutijs licentia cõceditur? leges contrarias comparabũt, quocũq; modo diuersas illis anteponent, quibus regũtur. Itaq; dicendum est; Ex humana potestate obligationem nasci, ideoq; humanæ potestatis legem, qua talis etiã, obligare: nam etiam qua talis totã vim habet à Deo. Quia habet à Vicario Dei. Cæterum sic argutari non conuenit, ne ex falsis tricis, veri tumultus oriantur.

Restrictio ad obedientionem legum periculosa est.

Obiectio 10. *Humana lex medium ad finem remote constituit, seu mediate, & medium seruandæ societatis humanæ humana cogitatione inuentum, in quo sæpè errat; Deo humanæ lex, vt talis, conscientiam non obligat.*

Respondeo. Quæri nodum in scirpo. Quãuis enim Pareus, & Caluinus ita sentire videantur, Pareus tamen cum à cæteris dissentiat, satis ostendit, se putare leges humanas per se obligare. ita propos. 5. quã supra citaui. Verum Gallicus Hercules, per alia quæ inconuenienter docet, mentem suam indicat, nempè non obligare, quia non præcipiunt actus virtutum, vt ait resp. ad obiect. 4. Et ad ob. 5. *Deinde*, inquit, *leges regum tum tantum obligant conscientiam, cum promulgant ea, quæ Deus præcepit.* Eius igitur sententia, quicquid rex præcipiat, nisi ante à Deo præceptum est, libera conscientia reijcietur. Nec scandalum est timendum; quia nemo iure scandalizatur, si alius iure suo vtitur. Nemo igitur Caluinistarum qui hanc hæresin condocefactus est, regi obedire tenebitur, nisi legem suam euidenter in sacris biblijs rex ostenderit. Quo quid põt esse seditiosius? Deniq; si regia lege lex diuina promulgatur, nouam obligationem non accipit, præter eam, quam ante habuit. si enim non est vlla regi in conscientiam iurisdictio, nec cum legem diuinam fert, quicquam nouæ obligationis accedet. Tandem vero immemor Scharpius, quid disputarit, concludit Respons. ad ob. 7. quæ hæc est. Iubemur obedire magistratui propter conscientiam. Ergo.

Regeserian illa iubere possunt, quæ in biblijs nõ sunt.

Respondet. *Negatur sequi, quia Apostolus tantum contra eos agit, qui magistratum damnant, aspernantur, & ab eius obedientia se subducunt: Deinde id dicitur respectu authoritatis, in quibus quæ à Deo est nõ respectu legum singularium: Denique leges ciuiles non obligant per se, quia necessitas obseruandi non consistit in rebus præceptis, sed ab authoritate magistratus & fine legum generali pendet.*

Hæc totidem sunt argumenta contra ipsum. 1. Nõ cõtemptum magistratus duntaxat, sed inobedientiã

Paulus

Paulus reprehendit. *Obedire vult propter conscientiam.* Cum vero quispiam legi non paret; quia putat, non esse potestatem obligandi, is contemnit magistratus auctoritatem. 2. Obediendum dicit, respectu auctoritatis quæ à Deo est. Sed hoc satis est, nam illa auctoritas à Deo magistratibus est cõmunicata, ergo respectu auctoritatis q̃ data est magistratui, ergo respectu legum singularum, quatenus habent auctoritatem à magistratu. Nihil enim refert, quod leges ciuiles sint de adiaphoris; nam multæ leges Dei non sunt nisi de mediis, cum tamen à Deo imperantur, desinunt esse media; fiunt enim necessaria. ita & hæc media legum ciuilium, ratione potestatis, quam Deus magistratui contulit, necessaria sunt media ad humanam societatem conseruandam. atque hoc tandem fatetur, cum ait. *Quia necessitas obseruandi non consistit in rebus præceptis, sed ab auctoritate magistratus, & fine legum generali pendet.* Si ab auctoritate magistratus pendet necessitas, illa ergo conscientias constringit, quibus necessitatem parendi imponit. Mitius ergo sentire videtur, quam verbis præseferat, si tamen nouit, quid sentiat. Nam hæresis eum ad prauitatem, ratio ad veritatem trahit. Quæstione 1. Vbi quærit an magistratui liceat condere leges? Respondet. *Licere probatur his argumentis.*

Lex ex materia libera facit necessariam.

1. *Principes dicuntur legislatores. Prou. 8. 15. & ibid. Isa. 33. 22. Ergo.*

Magistratꝰ cõdendæ legis ius habet, ergo parendum.

2. *Si Christiani possint esse reges, tunc & possunt leges condere, quia magistratus summus & νομοθεσία necessario cohærent secundum regulam iuris; concessa iurisdictione, ea sine quibus exerceri non potest conceduntur: at prius, vt supra probatum, ergo.*

3. *Lex nihil aliud est quam regis iussio. Ergo si iubere possunt reges & leges ferre possunt.*

4. *Christiani sunt homines, ideoque reip. ciues. Ergo actionum ciuilium regulam habere debent, at pro regula non sufficit lex naturalis, quia principia quædam generalia tantum ostendit: non Euangelica, quia solum de rebus diuinis agit. Ergo necessaria est lex humana.*

5. *Si non liceret principi Christiano legibus populum obligare, tum id esset, quia hoc libertati Christianæ aduersatur, at posterius est falsum, quia libertas Christiana tantum opponitur seruituti peccati, cui etiam lex iusta opponitur: Deinde quod fundamentum habet in natura integra non opponitur libertati Christianæ, at lex omnis ciuilis iusta est talis, ergo.*

Iubendi potestas, & obediendi necessitas reciproca sunt.

§. 17. Hinc firma, & quieti necessaria ratiocinatio deducitur. Principes sunt legislatores, ergo obligare subditos possunt. Secundo νομοθεσία seu legum ferendarum potestas connexa est iurisdictioni, ergo obligat vt iurisdictio. Sed iurisdictio obligat in conscientia, ergo & νομοθεσία. Si enim iudicare secundum leges ciuiles in conscientia tenetur iudex, ergo & obedire tenentur subditi. Exemplum clarum est:

Immobiles res vsucapiuntur inter præsentes decẽnio, inter absentes 20 annorum spacio. §. 1. de vsucap. ap. instrum. l. vni. de vsucap. transt. c. Judex in conscientia tenetur iudicare secundum hanc legem, & rem Cai addicere Titio, si ille præscripsit. Nemo est, qui iudicem aliter iudicantem, impium, iniustum, periurum, raptorem non iudicet. Eius igitur conscientia humana lege tenetur, nam lex diuina vsucapionum tempora non definiuit. At si iudici incumbit necessitas ita iudicandi, eadem tenebitur Caius obtemperandi, & aget Caius contra conscientiam, si non pareat, cum necessitas iudicandi secundum hanc legem, & iudicato standi reciproca sint. Ita vis tota & determinatio est in humana lege, à diuina tamen lege deriuata. Si vero Caius sit Caluinista Scharpianus, poterit quacunque ratione obsistere executioni; nam legẽ, & iudicium nihil ad conscientiam facere arbitrabitur; clam, palam, nunc, olim quocunq; dabunt se tempore vires, ibit repetitum res. Itaq; bellum esse poterit iustum ex vtraq; parte. Titius enim rei iudicatæ priuilegio rem tenebit, Caius dicet sine noxa se iudicio legis humanæ posse obsistere. Si igitur iurisdictioni νομοθεσία connexa est, lex humana conscientias obligat. Qui aliter docet, pro iudiciis legitimis mera latrocinia, & euersionem Reipublicæ inducit.

§. 18. Ex ipso etiam Scarpium reuinco, si lex nihil aliud est, quam regis iussio, & iussioni parendum est propter conscientiam, ergo & legi, quæ nihil est quã regis iussio. Multa autem rex iubere tenetur, ergo & subditus parere. Quod enim rex tenetur exigere, id subditus tenetur præstare. Præter leges naturales, & Euangelicas necessaria est lex humana. si lex necessaria, ergo necessaria est eius obedientia. Ridiculum enim est, in ciuitate legem aliquam necessariam esse incolumitati ciuitatis, necessariæ tamen legis obseruationem esse liberam, & vnumquemq; ciuium necessariæ legis posse esse violatorem.

Legis necessariæ est necessaria obseruatio.

Deniq; si lex ciuilis iusta non obstat libertati christianæ, si fundamentum habet in natura, si ciues suos princeps obligare potest, quis dubitet etiam conscientias obligari posse?

His tamen repugnant, quæ docet q. 3. de Antichristo. *Christum nolle conscientias nostras hoc iugo premi*; loquitur autem generatim de Ecclesia, & principibus sæcularibus. Et arg. 10. *Non potest homo damnare ad inferos, ergo non potest obligare conscientiam ad legem seruandam sub pœna mortis æternæ.* Quasi verò homo diuina auctoritate præditus id non possit. si enim peccat contra legem, iam seipse condemnat. ita filium rebellem & contumacem, non pater, sed Deus inobedientiæ vindex inferis addicit.

Inobedientia est damnabilis.

CAPVT IX.

Non omnibus legibus etiam iustis conscientias obligari, quibusdam vero inæqualiter astringi.

Lex potest esse quæ ad conscientiã non obliget.

§. 1. LEGES ciuiles interdum obligant immediate ad pœnam duntaxat, non autem ad culpam. Hac in parte nonnulla est Theologorum dissensio. Quidam enim omnem legem præcipientem, aut vetantem obligare conscientias contendunt; quia in omni lege est potestas cum voluntate obligandi, & in violatione inobedientia, quæ est peccatum. Itaq; ne quidem in potestate legislatoris esse putat non obligare, si legem ferre velit. Alij vero posse fieri, vt legislator verè præcipiat, non modo ordinet, aut dirigat, & tamen non peccet transgressor, quia potest nolle eum obligare ad culpam, sed tantum ad pœnã. Vera lex illa est, nec tamẽ transgressor culpa tenetur. Exempli causa. Antiqua lex Venetorum erat, vt ei qui curiam (quæ tum humilis erat, nec vllo modo dignitati Reipublicæ par) magnificentius exstrueret, multa esset. Quidam ducum deiecta vetere domo, pulchram & tanto concessu dignam molem eduxit, accusatus lubens volens multam dedit; Non peccauit magnificentia illa, neque enim mens Reipublicæ fuit ad peccatum obligare, sed metu pœnæ retinere parẽtum frugalitatem.

Lex Veneta.

Dixi immediatè; nam reuera etiam illa lex conscientiam attingebat, postquam enim palatium exstruxit, multam dare ex conscientia tenebatur. Huiusce modi sunt multæ leges Religiosorum, quæ ad culpã non obligant, sed tantum ad pœnam vel certam, vel incertam. pendet enim tota obligatio ex mente præcipientis. Pœnam vero transgressor sustinere cogitur, quia alioqui nulla esset ratio eum cogendi, si nec cõscientia, nec pœna teneretur.

Lex omnis quodãmodo obligat cõscientiam.

§. 2. Legem illam dixi more communi. Nam si rem ad viuum resecemus, tota lex illa obligat conscien-

scientiam, nec proprie contra eum delinquit, qui factum, cui est annexa pœna, (siue proprie, siue analoge pœna dicatur) perpetrat; sed qui totam legem transgreditur. Hoc est, & factum facit; & pœnam recusat. Lex enim est; *aut ne ædifica, aut inultam solue.* Nec opus est, semper illa disiunctione latam esse legem. Potest enim absolute lex poni, hac intentione, vt ad solam pœnam obliget. In nostra societate lex est; *Vt, qui domo egrediuntur, signent sua nomina, quæ prope ostium domus in tabula descripta sunt; & admoneant Ianitorem, quo sint profecturi.* Non apponitur pœna, nec culpam abesse edicit legislator; quia tamen initio protestatus est, nolle se cuiusquam conscientiam obstringere, non peccat, si quis hæc omiserit. Itaq; lex siue pure sit pœnalis, siue mista, aliquando ad culpam non obligabit. De pure pœnali, quæ tantum dicit. *Qui hoc fecerit, hanc pœnam subeat*; constat non obligare. De mista quæ vere iubet vel prohibet aliquid, & transgressori pœnam assignat; etiam clarum est, cum iussione non aliter, quam ad pœnam obligare velit, ideo nec est voluntas aliter obligandi; nec est inobedientia, donec post factum pœna recusetur.

Lex vltra voluntatẽ legislatoris nõ obligat.

§ 3. Lex quæ in præsumptione facti fundata est, sed falsâ, non obligat conscientiam. Vt si Caius clam vxorem duxit, deinde solennes nuptias celebret cum aliâ; in iudicio externo, quia adsunt testes, omniaque documenta matrimonij, pro secundo coniugio sententia profertur; quia præsumitur de priore matrimonio mentiri, & publicè non decepisse. Ille tamen reuerâ priori coniugi obligatus est; si præsumptio est fundata in timore periculi, lex obligat, quamuis enim in particulari cessat ratio legis, ob commune tamen bonum seruanda est. Lex est, ne quis professionem ante annum decimum quintum expletum faciat; præsumitur enim ex infirmitate iudicij temerarie fieri. Itaque quamuis maturo iudicio, & prudentiâ fiat, non tamen obligat; quia lex spectans ordinaria pericula penitus irritam eam facit.

(Vbi clãdestina matrimonia sunt valida.)

Lex ex præsumptione obligat.

§. 4. Lex humana aliquando obligat sub peccato mortali. Nam cum iuris diuini sit, & naturalis obedire iustis legibus, potest ea esse materia, & circumstantia, vt transgressio grauis, & noxia iudicetur. Quando sit mortale peccatum transgressio, non potest colligi ex solis verbis legis, aut intentione legislatoris, nec ex grauitate pœnæ, sed ex grauitate materiæ. Cum enim legislatoris iusta & rationabilis intentio esse debeat, non debet nisi in re graui, in quâ magnum sit Reipublicæ momentum grauiter conscientias obligare. Cum vero est causâ grauis, non potest legislator sub veniali obligare, quia ex rei naturâ grauis est trãsgressio. Vt cum posita est lex sumptuaria, definitus ferculorum modus, & temporis, si quis publice violet, potest in malum Reipublicæ magnum redundare. Quod si contemptus addatur, vel legislatoris, vel materiæ legis, maius peccatum fuerit. Et contemptus quidem Dei semper mortalis est, contemptus legis humanæ in re paruâ venialis, contemptus legislatoris ciuilis, ob defectus humanos aliquando venialis, aliquando mortalis. Si vero contemnatur quatenus est superior, seu ratione ipsius potestatis, quia contumeliosum est diuinæ maiestati, & ordinationi, semper mortalis est culpa.

In materia graui lex obligat sub mortali.

Contẽptus legis graue crimen.

§. 5. Lex ciuilis obligare potest cum periculo vitæ, hoc in bello maximè cernitur. Nam ordines deserere miles non debet, etsi moriendum videat. Hanc etiam fortitudinem imperare potest Respublicâ; Nam si non posset, communi bono, & defensioni parum esset prospectum. Naturalis quidem iuris est; illa defensio, sed magistratus applicare hominibus certis potest has vel illas legiones, cohortes, turmas in aperta pericula mittere, quæ ex lege militari parere coguntur.

Leges ciuiles cum periculo vitæ obligant.

§. 6. Tum legis obseruatio cum vitæ periculo obligat, cum ex eius custodia plus vtilitatis redundat in Rempublicam, quam ex vitâ eius, qui lege tenetur; aut cum transgressio legis est pernicios ior Reipublicæ, quam mors ciuis. Regula illa communiter approbatur. In quâ considerandum est primo, vt de vero, certoque periculo agatur, deinde summam difficultatem esse in eo, vt quispiam iudicet; vtrum maius sit bonum, aut malum? Multi enim sunt, quorum vita non admodum prodest reipublicæ, imo etiam obesse videtur; quid enim iuuat Rempublicam leprosus, & simul medicus? quam facile bonum publicum inueniri potest maius eius vita, & damnum grauius eius morte? Itaque non modo ex publico bono præcisè, sed etiam priuato eius, qui pars est Reipublicæ, bono vel malo res constituenda est; nam ad bonum Reipublicæ pertinet non esse sui sanguinis prodigum. Nec leuiter hac in re peccatur, præsertim à belli ducibus, cum leuis commodi gratia magnis periculis militem obijciunt. *Quis ferat tanti regis sanguine ignobilem vitam emi?* ita clamant Macedones. Quis non rectè dixisse videt Drancen.

Quando cũ periculo vitæ legi parẽdum est.

Ex priuato bono, de publico iudicandum.

Scilicet vt Turno contingat regia coniux
Non animæ viles inhumataq; corpora passim
Sternamur lato?

Quid igitur? Armenta ante vrbem stabulantia noctu abigunt hostes, videt leprosus, debilis senex, onerosus Reipublicæ, si tacet, publico damno est silentium; si exclamat, mors ante oculos. At lex est, quæ hostis aduentum indicare imperat. Ego arbitror, etsi vita senis potius oneret Rempublicam, quam iuuet, & magnum sit abacti armenti detrimentum, non tamen cum periculo vitæ senem obligari; sed requiri tantum bonum Reipublicæ, aut malum, vt omnibus consideratis, digna res sit, pro quo prudens vitam ponat. Qua in re illud præcipue attendendum est: In Republica bene constituta summam esse charitatem erga singulos ciues; quemadmodum enim omnia agimus, ne membra præscidamus, itaque quoque singulorum ciuium vitam valde commendatam esse oportere.

Caput X.

Leges pœnales necessarias esse, varieque obligare.

§. 1. Plurimi hominum, nec benignitate, nec beneficiis in officio continentur rectè Dio. *Adeo homines malo ingenio præditi, nullis beneficiis vincuntur, quando isti parauerunt insidias ei, à quo tanta beneficia acceperant.* Tot igitur malis, tanquam ægris legalium pœnarum medicina comparanda est.

Pœnas exigunt delicta

Hinc tam frequentes in Republica pœnæ, quia plurimi mali qui formidine pœnæ sunt coercendi; quod nunc, & olim adeo occultum non fuit, vt Seneca humano generi cum plausu conuitium fecerit, cum dixit: *Qui malos odit, omnes odit.*

Itaque in pœna seruandum est, vt futura respiciat, vt enim medici nomine dignus non est, si quis ideo medicamentorum fastidio, vel secandi, vrendiq; dolore ægrum cruciet, quia intemperantia valetudinem afflixit, sed vt sanet; ita quoque legislatori faciendum est. *Nemo enim prudens,* (vt Seneca de ira c. 16.) *punit, quia peccatum est, sed ne peccetur. Reuocari enim præterita nõ possunt: futura prohibentur; & quos volet nequitiæ male cedentis exempla fieri, palam occidet: non tantum vt pereant ipsi, sed vt alios pereundo deterreant.*

Pœnæ esse exempla, non vindicta debent.

§. 2. Genera pœnarum octo fuêre, ipsa in varias formas distributa. Damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, seruitus, mors. Omnia nunc quoque in vsu sunt eadem, quæ omnia nobis futuri iudicij seueritatem in tanta tormentorum varietate repræsentant.

Varietas pœnarum.

§. 3.

Gravia statuuntur, vt cum mitigantur grata sit.

§. 3. In his obseruanda puto tria. Primo vt grauia legibus supplicia constituantur, terrendo enim idonea sunt, si enim committunt homines in ea, quibus supplicia constituta sunt, multo magis in ea, de quibus nulla sunt. Magna enim incommoda adferuntur, cum impunitatis fiducia audacter mala perpetrant.

Omnes pœnam timeant.

Deinde, ne vllius vel sit tanta potentia, vel merita in Rempublicam, vt legum pœnis eximatur. Nisi hoc seruetur contumeliosus atque injuriosus euadet, præmium virtutis suæ æstimans licentiam.

Iudicia legib. regenda.

§. 4. Pœnas legum pro ratione personarum semper clementia temperet. Verum nunc de obligatione legum pœnalium agamus.

De his igitur hæ regulæ constitui possunt.

Regula I. Lex pœnalis obligat judicem, vt secundum eam reum puniat. Non enim de legibus, sed secundum leges judicare debet.

Regula II. Potest lex alia ferri, quæ ad pœnam ante sententiam obliget, vt excommunicationis, & irregularitatis quædam censuræ.

Regula III. Id non fit cum pœnam lex comminatur, vel vtitur verbo futuri temporis. Cum verò dicitur *pœnam incurri ipso facto. seu ex eo tempore*, quod in legibus ciuilibus fieri non solet pœna ante damnationem judicis conscientiam obligat. Id verò multo magis, cum clausula expressa pœnam indicant jam incurri, quod in priuationibus frequens est.

Obedientia legibus in arduis etiam præstanda.

Regula IV. Post latam sententiam reus obligatur, vt patienter, sine obluctatione pœnam subeat.

Actus lege irriti.

Regula V. Imò si ad pœnam est necessaria actio rei aliqua, ad eam obligatur. Quin etiam cum damnatus est ad mortem juste, tenetur è carcere exire ad locum supplicii, non pugnare contra ministros justitiæ. Cum verò carcer, exilium, multa decernitur, etiam exequi tenetur.

Regula VI. Lex quæ actus facit irritos, potest obligare conscientiam, ne aliter, atq; formam ipsa præscripsit, fiant. Non tamen semper prohibet actum fieri, potest enim quispiam actum facere irritum. In multis tamen nequaquam licet.

Regula VII. Leges hanc pœnam semper adjunctã habent: vt actus, qui contra leges fiunt, imò sine legum solennitate, quando ad rei substantiam, leges eam requirunt, sint irriti. Lex Theodosii de curialibus lata est, quæ sic clauditur. *Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.*

Hic tamen contractus in jure ciuili, tum demum irritus est, cum per sententiam declaratur.

Pœna principi arbitraria iuxta leges.

Regula VIII. Princeps supremus, cui jus est leges temperandi, potestatem habet pœnam moderandi. *Imo omnis pœna Principi supremo arbitraria est*; vt Baldus in l. fin. de senat. sed hoc ita intelligendum, vt ab æquitate, & iusta seueritate non recedat. Atque hæc generaliter continent illa, quæ ad iudicem, & reum pertinent. Interim de pœnis variè agunt jurisperiti. Hoc notandum alias jure Canonico, alias vero ciuili imponi, quamuis sæpè eædem sint.

Admonitio alias pœnas præcedit. *παραίνεσις*

§. 5. Prima pœna est, νουθεσία, *admonitio*, quæ ferè priuata est leniissima, cum alicui officii sui obligatio in mentem reducitur. Huic succedit altera admonitio, quæ dicitur Παραίνεσις, quæ habet adjunctam increpationem, ἐπιτίμησιν græce dictam. Apud Synesiũ est. νουθετήσας ἐκὼν παυσα, ἐπιτιμήσας ἠρέθισα. *Admonens non persuasi, increpans irritaui.* *Κόλασις.* Κόλασις est vindicta quæ præstatur reipublicæ, quæque respicit emendationem puniti. *Τιμωρία.* Τιμωρία præstatur illi qui læsus est, ita Aristot. Rhet. 1. ἡ κόλασις ἕνεκα μὲν πάσχοντος τιμωρία ἕνεκα δὲ ποιοῦντος ἵνα ἀπαλλαγῇ. Κόλασις est pœna, *eius causa, qui patitur.* τιμωρία *eius gratia, qui exigit, vt impleatur, pœna scilicet.* Magna cura intendat Respublica, nè eam speciem pœnæ judices negligant, qua aliorum damnis, aut injuriæ satisfaciant, nam reuera læsi odium in principem vertunt, vt Pausanias in Philippum, filius negati sibi animaduertant.

§. 6. Species pœnarum, quæ ad illas octo referuntur, variæ sunt.

Infamia grauis pœna.

Primo est infamia, cum fama alicuius notatur. Fama apud Iurisconsultos, *est illæsa dignitatis status, legibus, & moribus comprobatus.* Cum ille minuitur, aut tollitur, infamis redditur is, qui notatus est, cui omnes dignitatis portæ clauduntur. l. 2. de dign. l. 12. c. t. 1. Infamia juris est, & facti. Iuris vel Canonici, vel Cæsarei. Infames jure Canonico sunt homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incestuosi, venefici, periuri, falsi testes, & alii similes, vt hæretici, histriones, bonorum Ecclesiasticorum raptores, calumniatores, simoniaci. Plures sunt jure ciuili infames, quamuis non omnes vtroque.

Deinde depositio, seu degradatio, quæ vel ab officio, vel etiam à beneficio, à gradu. Confiscatio bonorum. Detrusio in Monasterium, carceris damnatio in opus publicum, in metallum, seruitus, Exilium. Omnia illa varii generis.

Res periculosa potens & acer exul.

Quo in genere hoc prospiciendum, ne infamiæ pœna, vel exilii plectantur illi, qui vindicare se, & & nocere Reipublicæ possunt. Græcia & Italia expertę sunt.

Vtile pœnarum genus nunc neglectum est.

Deinde pœnarum aliud genus graue & vtile, olim vsitatissimum, nunc rarum, omnino repetendum videtur, vt est damnatio ad metallum, ad opus publicum, ad ministerium operis publici, ad salinas, ad sulphurarias, ad arenarias. Ad ministerium fœminæ damnabantur. Nunc sola pene, nec tamen omnibus locis est damnatio ad Triremes, in aliis ad varios labores. Si reliqua etiam loco carcerum, vel temporariorum, vel perpetuorum, loco catastæ, publicæ castigationis, stigmatum, mutilationis aurium; exilii, quod nunc diuisis ditionibus, in tanta dominiorum multitudine, & æmulatione, nec pœnam magnam, & præsens periculum habet, si laboriosa & quo ad mentem reducunt renouarentur, minus scelerum admitteretur, & sumptu Respublica juuaretur. Verum hac de re alias agam.

CAPVT XI.

Leges paucas esse optimum est.

Multæ leges multæ præuaricationes.

§. 1. PAucas habuit Romana ciuitas initio, omnesque Respublicæ: exordio sui, quæ deinde labentibus ad deteriora moribus, cum vitiis ipsis creuerunt. Romuli sanè leges perpaucæ, & aliorum regum numerantur, quas tamen desuetudine, & odio regum magna ex parte abolitas fuisse est verisimile. Secutæ sunt deinde leges duodecim Tabularum, ex quibus jus diutissime constantissimeque dictum est, vt Cicero in Bruto, de legibus, cæteriique demonstrant. Aucta deinde ciuitate, & pariter litibus, accessit volumen prætoriorum edictorum; duos libros ad edictum prætorium, ita enim librum eum vocabant, Seruius Sulpitius, juris & justitiæ consultissimus conscripsit; reliquit centum propè & 80. libros. Edictum tamen diligentissime A. Ofilius composuisse videtur. Verum iam tum legibus & vitiis laborabatur. Nam Iulius Cæsar destinabat ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaq; legum copia, optima quæque & necessaria, in paucissimos conferre libros. Multi itaque tum libri erant, & leges, quibus ad ferendas discordias, litesq; improbi homines abutebantur.

Ius regum. 12. Tabularum. Edictũ prætorium.

Multitudo legum.

Secutus est Vespasianus, qui justitiæ rationem nonnullam habuit; nam ab Augusto vsq; ad illum, accusandi, calumniandi, omnia peruertendi rabies quædam inualuit, *ipse cum litium series vbiq; excreuisset, maiorem in modum*, vt ait Suetonius, *sorte elegit, qui iudicia, quibus peragendis vix sufficiura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentq; ad breuissimum numerum.*

Litiū multitudo.

Sed jactata est justitia vehementer vsq; ad Adriani tempora; nam prætorum magna fuit, & pene nimia potestas, edicta enim proponebant, atq; secundum ea jus dicebant. Magna tamen cura justitiæ, q; mox injuriarum postulari, & puniri lege poterant, si inique aliquid edixissent; judicassentque. Verum bellis civilibus, deinde & monstris hominum imperantibus, impunitior fuit Prætorum licentia: quia qui rerum potiebantur erant socii furum, summa occasio maleficii erat, quod varie jus diceretur. Adrianus itaque Saluij I. C. laborem approbauit, qui edictum perpetuum composuit, jussitq; vt ex eo jus dicerent Prætores. Nec minus tamen mox additi legum Codices. Imò creuit interpretum opportuna, atq; importuna subtilitas. Cajus, Domitianus, Vlpianus, Paulus ad edictum perpetuum commentarios ediderunt. Paulus 80. libros, Vlpianus 83. conscripsit. Doctissimus virorum consultissimorum labor fuit, sed mole sua justitiam pressit, rabulisq; & argutæ causidicinæ causam injuriarum dedit. Testis ejus rei locuples est ipse Iustinianus, *qui commentariis interpretum perpetuum edictum conturbatum profitetur*, quo malo edoctus ipse Pandectis suis cauere voluit, *ne commentariorum accessionibus onerarentur.*

Edictū perpetuum saluberrimū.

Commentarii latebras nequitiæ præbent.

§. 2. Primaria fuit hoc in genere cura Iustiniani, cui causam instituendarum legum dedit earum multitudo. Ita enim scribit ad Tribonianum. *Cum itaq; nihil tàm studiosum in omnibus reb. inuenitur, quàm legum auctoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit: reperimus autem omnem legum tramitem qui ab vrbe Roma condita & Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, vt in infinitum extendatur, & nullius humanæ naturæ capacitate concludatur: primum nobis fuit studium à sacratissimis retro principibus initium sumere, & eorum constitutiones emendare, & viæ dilucidæ tradere: quatenus in vnum Codicem congregatæ & omni superuacua similitudine, & iniquissima discordia absolutæ, vniuersis hominibus promptum suæ sinceritatis præbeant præsidium.*

Iustinianus immensam legum multitudinem minuit.

Quantum fuisse fraudum credibile est, vbi multitudinem legum, nemo hominum, capere potuit? optime igitur Iustinianus, si cætera illius ad illum modum.

Et in confirmatione Digestorum ad omnes populos. *Mirabile autem aliquid ex his libris emersit, quod multitudo antiqua præsente breuitate paucior inuenitur, homines enim qui antea lites agebant, licet multæ leges fuerant positæ, tamen ex paucis lites perferebant, vel propter inopiam librorum, quos comparare eis impossibile erat, vel propter ipsam inscientiam, & voluntate iudicum magis quam legitima auctoritate lites dirimebantur. In præsenti autem consummatione nostrorum Digestorum è tantis leges collectæ sunt voluminibus, quorum & nomina antiquiores homines non dicimus nesciebant, sed nec vnquam audiebant, quæ omnia collecta sunt substantia amplissima congregata: vt egena quidem antiqua multitudo inueniatur, opulentissima autem breuitas nostra efficiatur. Antiquæ autem sapientiæ librorum copiam maximè Tribonianus vir excellentissimus præbuit, in quibus multi fuerant & ipsis eruditissimis hominibus incogniti, quibus omnibus perlectis quicquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotum in optimam nostram compositionem peruenit. Sed huius operis conditores non solum ea volumina perlegerunt, ex quibus leges positæ sunt: sed etiam alia multa quæ nihil vel vtile, vel nouum, eis inuenientes, quod exceptum nostris Digestis applicarent, optimo animo resp uerunt.*

Multitudo legum egena fuit.

Et ad magnum Senatum. *Quomodo nempe priore soluti perturbatione, & confusione, & nullum finem habente iuris positione, vsuri sint posthac legibus rectis compendiosis, & omnibus ad manum promptis & litium compendium adferentibus, & paratis atq; expositis omnibus (volentibus) ad facilem adquisitionem, nec amplius egentibus multis pecuniis, vt illorum inutilium librorum congerant multitudinem: sed vilissima pecunia tàm ditioribus quàm ex tenuiore profectis patrimonio, copiam sui comparandi præbentibus.*

Quanta fuerit multitudo, Imperator docuit in proœmio π. *Et antea quidem quemadmodum & vestra scit prudentia ex tanta legum multitudine, quæ in librorum quidem duo millia, versuum autem tricies centena extendebatur: nihil aliud nisi sex tantummodo libros & ipsos confusos, & iura vtilia in se perraro habentes, à voce magistra studiosi accipiebant cæteris iam desuetis, iam omnibus inuiis.*

2000. librorum iuris.

3000000 versuum.

§. 3. Fuere igitur qui leges semper augerent, vt videre licet, *in historia iuris, de Professoribus & Iurisconsultis*: Quorum studium & industria cum præter modum excreuit, non minore labore alios exercuit, vt ad breuitatem veterum confusam prolixitatem redigerent.

Multitudo illa occupata à Barbaris Asia, Africaq; alienatis ab imperio in Europa regnis pene conticuit, Lotharius in vsum reduxit. Et nunc magna multitudine legum, & litium pene mergitur Germania.

Multitudo rediit.

Multitudo igitur illa noxia est; cum maxime illorum sit opera probata, qui eam reciderunt. Magni æstimo conditores legum, antistites sacræ Themidos; si vero Imperator adhibitis juris consultissimis, principumque auctoritate magnum hoc chaos in ordinem, & perspicuam breuitatem restitueret, Reipublicæ seruatorem, & patrem patriæ appellabo. Tot principum exempla sequi gloriosum est, & patriæ necessarium, quæ nunc plus in lites, quam bella impendit; nec lites finiendas, sed continuandas, asperandas, & partium damno sopiendas, aut æternandas.

Imperator & Principes ad paucitatem redigere leges debent.

§. 4. Multitudo legum testis est morum corruptorum. Quemadmodum enim morbos extitisse constat, ante quam remedia conquirerentur, ita quoque scelera, injuriæque ciuitatem ante diuexarunt, quam leges sancirentur, quibus nequitiæ obuiam iretur. Ita sane Demost. orat. 2. de legib. Quæ sane corporibus eueniunt ægritudines, medicorum industria auxilioque sanantur; animorum vero ferocitatem propulsant, ac ejiciunt legumlatorum sententiæ. Vbi igitur innumeræ sunt leges, necesse est innumera flagitia antecessisse.

Leges multa signa morum corruptos esse.

Prudenter hoc Seneca explicuit Epist. 95. *Fuit sine dubio, vt dicitis, vetus illa sapientia, cum maximè nascens rudis: non minus quam cæteræ artes, quarum in processu subtilitas creuit. Sed ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. Nondum in tantum nequitia surrexerat, nec tam late se sparserat. Poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia. Nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt, quibus petimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paullatim: Deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. Nec est mirum, tunc illam minus negotii habuisse, firmis adhuc solidisq; corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatem q; corrupto. Qui postquam cœpit, non ad tollendam, sed ad irritandam famem quæri, & inuentæ sunt mille condituræ, quibus auiditas excitaretur: quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio, inde in totam cutem humor admissus, distentu q; venter, dum male assueuit plus capere quam poterat: inde suffusio luridæ bilis, & decolor vultus, tabesq; in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, neruorum sine sensu iaccentium tor-*

Philosophia, medicinæ legibus negocia facessit hominis.

por,

por, aut palpitatio sine intermissione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriumq; tormenta, & cerebri æstuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu sæuientium, aliarum tenui peste repentium, aliarum cum horrore, & multa membrorum quassatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, supplicia luxuriæ? Immunes erant ab istis malis, qui nondum se deliciis soluerant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant.

Contra illa monstra morborum, se armat medicina, contra scelera conduntur leges, & quemadmodum medicorum multitudine irritantur symptomata, ita legum varietate nouantur injuriæ. Sanitas profecto vel paucis, vel nullis restituitur medicamentis. Varietas viscera omnia conturbat. *Pharmaca nulla, vel pauca.*

§. 5. Multitudo legum innumeras parit lites. Plato verissime: ὅτι παρ' οἷς πολλοὶ νόμοι, καὶ δικαὶ παραπέτοις, καὶ βίοι μοχθηροί. *Apud quos plurimæ leges, ibi & lites, stemq; mores improbi.* Sed cur leges, & leges bonæ, leges peritissimorum finiendis litibus inuentæ, nouas lites generant? Leges bonæ sunt, & sanctæ, sed adhibentur à prauis ad injuriam; id vero aliter fieri humanitus non potest, vbi sunt multæ leges. Nam primo impar est illis omnibus discendis, aut memorandis aut sanè intelligendis humana imbecillitas. Quis enim aduocatorum, aut judicum, nedum procuratorum, duo millia librorum, tricies centena millia versuum, non modo memoria complecti, sed inter se comparare, legem legi anteponere, singulorum efficientiam ad reminiscendum agendumque aptare possit? *Leges retia litium.*

Hinc necesse est multos jus suum ignorare etiam peritissimos, quod jus cum alterius animo occurrerit, causam euincit. Hinc Iurisperitorum tardi profectus, & cum è Scholis ad agendum evocantur, quasi rudes legum habentur. Tertio, Amatur illa multitudo ab illis qui ex litibus aluntur, & ditescunt. Illis vt medentibus tabes, ita forum precia facit. His, hoc vnice curæ est, leges quasuis, etiam obsoletas, iniquas, & in prauum sensum detortas in medium producere; Quemadmodum ille apud Galeacium Ducem Mediolanensem, de quo c. 10. monit. polit. narrat Doctissimus Lipsius. *Quid Galeacius Dux Mediolanensium? cum aliquoties audisset vafro ingenio causidicum esse, qui lites serere, & satas producere atq; alere; etiam in liquido iure posset: hominem ad se accitum affatur. Debeo, inquit, pistori meo centum aureos. non lubet soluere: tu ecquid tueri me in iure, & rem protollere potes? Annuit largiter, & Principi prompte se dedit: sed iste ei malum. Nam fraudis sic confessum, verbis prius increpitum, laqueo puplice necari iussit.* *Sciri non possunt leges multæ.* *Imitare Princeps.*

Mitius est quod idem de Iacobo Aragonum Rege recenset, qui litibus & litigiosis *semper infensum se præbuit: & ex iis Semenum Radam insignem & primarium ea ætate Iurisconsultum, quod eius argutia aut malitia multi se afflictos quererentur, prauaricatoris lege postulatum, regni finibus eiecit.*

Hos tales serio compescendos esse nemo non videt, qui honoratam prædandi artem secuti, omnibus ad tuta, & justitiæ affinia furta præbent auxilium, animosque addunt. Illi multo nocentiores sunt apertis hostibus; nam absque suo periculo in alienas fortunas impetum faciunt. Plures enim specie juris in Romano imperio rebus exuuntur, quam olim bello. Vetus querela est. *Inter arma silent leges, inter leges silet iustitia.*

Imminet armorum rabies, ferriq; potestas,
Confundit ius omne manu, sceleriq; nefando,
Nomen erit virtus, multosq; exibit in annos.
Nostra querela est.
Imminet atra fori rabies, legumq; potestas,
Confundit ius omne stylo, sceleriq; nefando,
Nomen erit virtus.

Alia etiam est causa, cur leges litium sint causæ, altricesque. Quia in tanta multitudine, in tanta morum diuersitate, qui nouas ferunt, veterum recordari non possunt. Contrarias igitur, aut sane inter se ἀσυντάκτους esse necesse est. Aut si inter se non pugnent, plurimæ tamen ἐναντοφανεῖς sunt, & pugnare videntur. Fuisse multas contrarias suo tempore testatur Iustinianus Epist. de nouo Codice faciendo ad Senatum vrbis Constantinopolitanæ, dicit enim, se Ioanni, Leontio, Phocæ, Basilidi, Thomæ, Triboniano, *specialiter commisisse, resecatis tàm superuacuis, quantum ad legum soliditatem pertinet, præfationibus, quam similibus & contrariis, præterquam, si iuris alia diuisione adiuuentur: illis etiam quæ in desuetudinem abierunt) certas & breui sermone conscriptas ex iisdem tribus codicibus & nouellis constitutionibus leges componere, & congruis titulis subdere: adiicientes quædam & detrahentes, imo & mutantes verba earum, vbi hoc commoditas exigeret: colligentes vero in vnam sanctionem, quæ variis constitutionibus dispersa sunt, & sensum earum clariorem efficientes: ita tamen vt ordo temporum constitutionum non solum ex adiectis diebus, Consulibusque, sed etiam ex ipsa compositione earum clarescat.* *Legum pugna, causidicorum præda.* *Superflua resecanda.*

Sed neque suas ipse leges omnino à vitiis liberas audet asserere. Nam idem in Epistola ad Senatum & omnes populos. *Contrariũ autem, inquit, aliquid in hoc Codice positum nullum sibi locum vindicabit, nec inuenitur: si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiet, sed est aliquid nouum inuentum, vel occulte positum, quod dissonantiæ querelam dissoluit, & aliam naturam inducit discordiæ fines effugientem.* *Leges Iustinianine* *contra subtiliter interpretanda sunt.*

Titubat sane, & de Antinomia sollicitus est, nec fere vllus est jurisperitorum, qui hunc nodum soluerit. Cujacius conatur. *Multas ait leges in concordiam redigi posse, si aliæ ad ius constitutionum benignum, aliæ ad veterum leges, & ius seuerum referantur.* Audio sane & probo viri doctiss. judicium, sed hoc requiro, vt cum de vita, & fortunis hominum agitur, certi & statuti quippiam sit; dum illi litigant, dum hic jus seuerum, ille benignum vrget, interim fundum meum tenet aduena, aut in mala mansione longæuas disputationes lugeo. Quin vno igitur verbo multas lites tollimus, & statuimus, vt inter ἐναντοφανεῖς vna sit rata, altera vero antiquetur? Iam volumina scripta sunt legum, quæ vel verbis & sensu, vel ex consequentia videntur esse contrariæ; ne ergo lites sint perpetuæ, deterior earum quæ simul esse non possunt, cadat; aut etiam melior, quia bello pax etiam mediocris est optatior. Legum quoque multarum obscuritas immortales parit lites, hæc cur non tollatur nulla causa est. *Conciliatio dicta, non tollit lites.*

Hoc sane emendari & potest & debet. Præclare Petrus Gregor. l. 10. *Adesse postremo debet legibus condendis manifesta decisio sine obscuritate mentis non inuoluta, aut dubia, ne captionem aliquam continere possit, quia illæ debent esse omnibus pro norma viuendi tàm ignaris, quàm mulieribus & pueris. Et ius certum & definitum est, super dubitabili enim lex regula, debet dubium tollere.* *Obscuritas legum inexcusabilis.*

Hoc igitur merito omnes requirunt, vt quod faciendum est, id intelligere possint.

§. 6. Ita omnino paci necessarium est, alioqui non justitiam, sed vias litigandi tradunt. Hinc non modo sapientiæ, sed paci, & quieti Reipublicæ subtilitas Scholarum officit. Sacrarum literarum oracula ob profunditatem scientiæ & sapientiæ Dei inuestigabilem, obscura sunt, ejusque rei certissimum argumentum est, tot optimorum, sanctissimorum, doctissimorum Theologorum ingenia & labores; In legibus idem experimur, tot millia Iurisperitorum de sensu legum disputant in Vniuersitatibus, *Obscuritas origo disputationis, erroris.*

tot centuriæ præliantur in foro, rauce ſcunt ad tribunalia, palleſcunt in Principum Cancellarijs, & mens tamen, veraque legis ſententia nondum eſt inuenta. Hinc ortæ ſunt legum interpretationes, id eſt, jus nouum, neque enim ſola lex agitatur, ſed legis deciſio ex interpretum multitudine, dignitate, eruditione quæritur. Has ambiguitates, & labyrinthos ſuccisis anfractuum ambris vna voce Principis, de ſententia tamen jurisperitorum diſſolui cupio. Sciet quiſque non modo legem, ſed etiam ſenſum, qua in re maturam deliberationem, cum clara deciſione poſco. Alexander Imperator multas leges vtiles tulit, quibus plures inutiles ſuſtulit, ſed nullam ſanxit, niſi de viginti Iuriſperitorum ſententia. Statuat igitur Imperator quid lex dicat. Hinc ſane videmus totam Europam in litibus eſſe, & quod deterius, à litibus ſolui non poſſe. Æternantur illæ, & inter natos natorum velut hæreditariæ agitantur.

Vna vox mundi diſſidia auferre poteſt.

§. 7. Denique quæ cauſa tàm aperte iniqua eſt, vt aliqua lege defendi poſſe non videatur? Leges igitur quæ conſuetudine abolitæ ſunt auferantur, quæ contrariæ ſunt, aut videntur, vel abrogatione, vel conciliatione componantur. Salubre conſilium eſt prudentiſſimi Lipſii, ſi exequutorem haberet. *Platonem iterum aduoco:* οὐκ εἶεν ἂν ποτε πολίτῃ φίλοι, ὅπᾳ πολλαὶ μὴ δίκαι ἐν ἀλλήλοις εἶεν, ἀλλ' ὅπᾳ ὡς ὅτι σμικρόταται καὶ ὀλίγισται: *Non fuerint concordes vnquam aut inter ſe amantes ciues, vbi mutuæ multæ lites iudiciales ſunt, ſed vbi eæ breuiſſimæ, & pauciſſimæ. Nota hæc vltima: vult non paucas ſolum lites, ſed breues. Ego tecum: nunc vbi ſumus? vna aliqua lis Metonis annum tenet. Fit inuolucris legum, ſit ſordibus aduocantium: & comperendinationes iſtæ ad quæſtum & lucellum eunt. Per ſymplegadas, nauigatur colchos, & aureum vellus.*

Centũ millia hominũ alit Germania, vt lites componat, & illæ augentur.

Lites vtiles malis.

Nec ille, nec ego veros juris & juſtitiæ conſultos culpamus, ſed raptores, piratas, latrones in foro, in vrbis oculis ſecure prædantes deteſtamur, inſtrumenta fraudis & impoſturæ tollenda cenſemus.

Principes deteſtantur lites.

Neque nunc aliud ſentiunt Principes Germaniæ, nam perpetua de reformatione juſtitiæ & tribunalium querela eſt. Videantur omnes imperii receſſus; ſed in tanto exercitu eorum quos lites alunt, niſi legum æquatione id conſequi non poterunt. Semper ex ipſis juſtitiæ, legumque ſacrariis, contra jus, æquitatemque arma dabuntur.

§. 8. Verum tuentur legum ſuarum varietatem, multitudinemque magno & difficili argumento viri docti. Primo quidem Ariſtotelis in hanc ſententiam autoritas adfertur, libr. 1. Rhet. cap. 1. μάλιστα μὲν ἂν πάντες κατὰ τὸν ὀρθῶς κειμένους νόμους, ὅσοι ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτούς, καὶ ὅτι ἐλάχιστα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι. *Maximè igitur conuenit, recte latas leges, quæcunque poſſunt, per ſeipſas diſtinguere, & quam pauciſſima relinquere iis, qui iudicant.* At ſi de plurimis leges conſtituere oportet, pauciſſimaque relinquere illis, qui judicaturi ſunt, neceſſarium eſt leges plurimas eſſe.

Legibus potius, quam iudicib. relinquenda multa.

Itaque eo conſiderationem vertunt, vt diſputent; an melius ſit ciuitatem ſine legibus, magiſtratuum, & judicum æquitate & prudentia gubernari, an omnia legibus diſtincte comprehendi? Qua quidem in re illis conſentio, nempe legibus vtendum; ita Ariſtoteles eodem loco. Primum *quia facilius eſt vnum habere, & paucos quam multos, qui bene exiſtiment, & poſſint legem ferre, ac ius conformare. Deinde, legumlationes ex longi temporis conſiderationibus fiunt: at iudicia de repente, vt difficulter rectã habeant iuſtitiæ & vtilitatis rationem illi, qui iudicant. Atq, quod omnium eſt maximum, quia legislatoris iudicium non eſt de rebus ſingularibus, nec de præſentibus, ſed de futuris, & de vniuerſalibus: at concio, & iudex de præſentibus ac definitis iudicant, quibuſcum & amor & odium, & propria vtilitas coniuncta ſæpenumero eſt, vt non poſſint amplius perſpicere ſatis id, quod verum eſt, ſed obſcuret iudicium propria iucunditas, vel moleſtia. Ac de aliis quidem, quemadmodum dicebamus, oportet quam pauciſſimis efficere dominum diſceptatorem. Verum de facta, aut non facta, futura aut non futura, quæ eſt, aut non eſt, omnino diſceptatoribus relinquendum iudicium eſt, non enim fieri poteſt, vt hæc legislator prouideat.*

Index ex lege iudicat, & circumſtantiis cauſam intelligit.

Hæc me nulla ratione permouent, vt legum multitudinem, quæ nunc eſt, approbem. Nam plurima ex ſimilitudine cauſarum, ex conjecturis, & commentantium ingeniis judicant, multa enim euenta, multiq; caſus, nunc in illa legũ, & interpretationum infinita multitudine non comprehenduntur, itaque hac in parte inopia legum premimur. Deinde Copia etiam hic deterior eſt, quam inopia legum. Multitudo enim quæ pluribus euentis accommodanda dicitur, calumniis variis occaſionem præſtat; Legibus enim illis, quibus juſtitia in vna cauſa protegi poſſet, multæ cauſæ opprimuntur; Tertio. Nihil hoc ad tot ſimiles, contrarias, dubias, obſcurasq; leges, eæ tollantur, cæteræ vniuerſaliter ferantur, vbi flagitioſa argutia litem interſerit, verbo addito vel mutato eatur obuiam. Quarto, ſi claræ leges ſint, ſi judicum integritati ſit proſpectum, multæ, eæque grauiſſimæ cauſæ facile decidentur, nec judici multa libera relinquentur arbitria; cum nunc in noſtra legum multitudine omnia penè libera relinquantur, quam enim hodie ſententiam judex pronunciabit, quæ non legis alicujus approbatione, vel contorſione firmetur?

Euenta legibus comprehendi omnia non poſſunt.

Multæ leges multa iudici relinquunt.

Porro judicis licentiam cohibere poterunt plurima, vtpote, viſitatio, & ſententiæ examen, appellatio, aſſeſſorum conſilia, Academiarum dogmata. Denique quid vetat leges eſſe multo breuiores? Exemplum deſideras? l. 2. π. tit. 7. Vetatur ne quis eum, qui in jus vocabitur vi eximat. Res clara his legibus tractatur.

Hoc edictum prætor propoſuit, vt metu pœnæ compeſceret eos, qui in ius vocatos, vi eripiunt. 1. *Deniq, Pomponius ſcribit, ſerui quoq, nomine noxale iudicium reddendum: niſi ſciente domino id fecit: tunc enim ſine noxæ deditione iudicium ſuſcipiat.* 2. *Ofilius putat locum huic edicto non eſſe, ſi perſona quæ in ius vocari non potuit, exempta eſt: veluti parens, & patronus, ceteræque perſonæ, quæ ſententia mihi videtur verior. & ſane ſi deliquit, qui vocat: non deliquit qui exemit.*

Nemo eximendus qui in ius vocatur.

2. *Nam cum vterq, contra edictum faciat: & libertus, qui patronum vocat: & is, qui patronum vi eximat: deteriore tamen loco libertus eſt, quis in ſimili delicto petitoris partes ſuſtinet. Eadem æquitas eſt in eo, qui alio, quam quo debuerat in ius vocabatur. Sed & fortius dicendum eſt non videri vi eximi eum cui ſit ius ibi non conuenire.*

3. *Quod ſi ſeruum quis exemit in ius vocatum, Pedius putat ceſſare edictum, quoniam non fuit perſona, quæ in ius vocari potuit, quid ergo? ad exhibendum erit agendum.* 1. *Si quis ad Pedaneum iudicem vocatum quem eximat, pœna eius edicti ceſſabit.* 2. *Quod prætor præcepit, vi eximat: vi, an & dolo malo? ſufficit vi, quamuis dolus malus ceſſet.*

4. *Sed eximendi verbum generale eſt, vt Pomponius ait, eripere enim eſt de manibus auferre: per raptum eximere quoquo modo auferre: vt puta ſi quis non requirit quem, ſed moram fecerit, quo minus in ius veniret: vt actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur: videbitur exemiſſe, quamuis corpus non exemerit. Sed & ſi eo loci retinuerit, non abduxit: his verbis tenetur.* 1. *Item ſi quis eum, qui per calumniam vocabitur, exemerit, conſtat eum hoc edicto teneri.* 2. *Prætor ait, neue faciat dolo malo, quò magis eximeretur. nam poteſt ſine dolo malo id fieri: veluti cũ iuſta cauſa eſt exemptionis.*

5. *Si*

5. *Si per alium quis exemerit, hac clausula tenetur, siue præsens fuit, siue absens.* 1. *In eum autem qui vi exemit, in factum iudicium datur: quo non id continetur, quod in veritate est: sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuersia est, hoc enim additum est, vt appareat, etiamsi calumniator quis sit, tamen hanc pœnam eum persequi.* 2. *Docere autem debet quis per hanc exceptionem factum, quo minus in ius produceretur. Ceterum si nihilominus productus est, cessat pœna: quoniam cum effectu sunt accipienda.* 3. *Hoc iudicium in factum est, & si plures deliquerint, in singulos dabitur, & nihilominus manet, qui exemptus est, obligatus.* 4. *Hæredibus autem ita dabitur, si eorum interfit. Neq; autem in hæredem, neq; post annum dabitur.* 5. *Is, qui debitorem vi exemit, si soluerit, reum non liberat, quia pœnam suam soluit.*

Leges breuius conceptæ iustitiæ consulunt.

Multas disputationes tam pauca verba genuerunt. Cur non igitur clare proponitur, & breuiter. *Nemo seu seruus, seu liber, legitime in ius, coram iudice competente vocatum, vi, dolo malo per se vel alium eximat, aut moretur, vt venire non possit.* Hæc quidem commode pluribus explicantur, sed possunt multo breuius, & in tanta ingeniorum imbecillitate etiam debent. Nam reuera in multis ratio naturalis justitiam docet; Quid enim opus est addere. Ei qui contra jus & æquum ad tribunal rapitur posse succurri, & ab extrahentibus liberari? Cur enim hominem à bestiis, aut latronibus circumuentum rectè periculo eripimus, à calumniatoribus autem agitatum afflictumq; deseramus? Calumniatoris est venenatior, quam bestiarum morsus. Quid igitur supereſt, quam vt legum minuendarum decemuiri constituantur, eęq; à summo magistratu confirmentur?

Legib. communib. derogant municipales.

§. 9. In legibus Romani Imperii aliud etiam requiro, Quod vsus & necessitas approbauit. Nempe nimium multas esse generales, quas per leges municipales, & statuta prouincialia abrogare oportuit. Cum enim ea sit hominum, locorum, negociorumq; diuersitas, vt quod alibi iustissimum est, alio in loco iniquum sit, opus fuit per prouincias, oppida, pagos leges accommodatas condere. Videmus sane ad naturalem æquitatem esse necessarium, vt in vrbibus, & pagis diuersæ leges sint. Quibusdam in locis seruatur, vt filii prioris matrimonii immobilium bonorum tam paternorum, quam maternorum sint in solidum hæredes, at conjugii alterius soboles omnia mobilia, pecus, suppellectilem, pecuniam tanquam suam hæreditatis partem adit. Hoc non injustum videtur in iis locis, vbi primariæ opes in vinetis, agris, pascuis, domibus esse censentur, in vrbe verò, vbi mercium, & pecuniæ magna vis est, agros pauciſſimi habent, aliud jus constituendum est.

Nõ possunt eadem leges apud omnes gentes esse iustæ.

Hinc facile apparet, cur vno jure omnes gentes, vti nec debeant, nec possint, imo cur regiones quę olim Romano jure vsi sunt, illius leges paucas retinuerint; Quin & in ipsa Germania diuersa jura inueniantur. Belgicæ, Saxonicæ, Austriacæ ditiones suo quodam peculiari jure vtuntur.

Ex pactis lites.

Oritur ex hisce confusionibus alia quoq; difficultas, fœcunda litium mater. Pacta videlicet priuata. *Edicti de pactis naturalis est æquitas, π. l. 2. tit. 14. quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerũt, seruare.* Hinc matrimoniorum pacta doralia, hinc venditionum, & contractuum mille conditiones, cautionesque, quæ mutuo sese intricant. Nam contra pacta plurimæ dantur exceptiones, deinde nunquam ita caute concipi possunt, ne calumnia sinum aut latebram rimetur, qua se pactis insinuet, vel enim dicet esse contra jus commune; vel alia pacta, hinc tam multiplices sunt vnius agelli literæ, quas perdidisse, vel non satis intellexisse tam periculosum est, quam agrum aquis mersum esse. Quo fit, vt dum lites fugere, concordiam fouere fratres & cognati, affinesque maximopere studeant, per ipsam industriam, se posterosque in lites, & pugnas conjiciant. Itaq; experimur, quod monuit Tacitus: *Corruptissima Republica plurimæ leges*; quodq; inde consequitur plurimi rabulæ, quemadmodum in ædibus, vbi plurimi, & grauissimi morbi grassantur, omnia medicamentis plena videmus. Factum est, quod olim Rempublicam Thuriorum afflixit, de qua Strabo lib. 4. *Zaleucum Thuriis paucas olim & simplices leges dedisse; sed alios secutos, qui alias per subtilitatem, & superuacaneam curam adderent, ex quo factum sit, vt celebres magis quam boni euaderent.*

Pactorum conditiones

CAPVT XII.

Leges iustas, æquabiles, moderatas esse oportere.

Multæ leges iniustæ.

§. 1. NOn sunt omnium gentium leges & instituta iusta: Vere Cicero l. 1. de legib. *Iam vero stultissimum illud, existimare omnia iusta esse, quæ scita sint in populorum institutis, aut legibus. Etiamne, si quæ sint tyrannorum leges, si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? Aut, si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges iustæ haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, vt dictator, quem vellet ciuium, indicta causa impunè posset occidere, est enim vnum ius, quo deuincta est hominum societas, & quod lex constituit vna. Quæ lex est recta ratio imperandi, atq; prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, siue est illa scripta vspiam, siue nusquam.*

Lege malæ non reddũtur honestæ.

Et deinde: *Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum, iura constituerentur: ius esset latrocinari: ius adulterare: ius testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quæ si tanta potentia est stultorum sententiis, atq; iussis, vt eorum suffragiis rerum natura vertatur: cur non sanciunt, vt, quæ mala pernicioſaq; sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus? aut cur, cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? At qui nos legem bonam à mala, nulla alia nisi naturali norma diuidere possumus. Nec solum ius à natura diiudicatur, sed omnino omnia honesta, ac turpia.*

Et Augustinus; *Nam tunc, id est, inter secundum, & postremum bellum Carthaginense, lata est etiam illa lex Voconia, ne quis hæredem fœminam faceret, etiam vnicam filiam. Qua lege quid iniquius dici, aut cogitari possit ignoro.* Id sane mirum publice gentibus non modo iniquas, sed stultissimas etiam leges placuisse. Æthiopes Regem ex popis suis, qui maxime fanatico discursu numinis instinctu se plenum jactaret, eligebant. Apud eosdem, si rex cuidam apparitorem mitteret, qui mortem denunciaret, mox propria se manu conficiebat. Lex quædam Ægyptia furibus confessis, quartam furti partem donabat. Pœni sponsas regum libidini offerebãt, ne virgines in mariti domum ducerentur. Nasamones etiam conuiuarum ludibriis offerebant. Massagetarum in propatulo concubitus erant. Troglodytis vxores erant communes. Quidam Arabum nulla sanguinis ducta ratione pecorum ritu miscebantur, externus concubitus pro adulterio erat. Medorum eo vsque luxuries progressa est, vt lege cauerent, ne infra septem vxores quispiam haberet. Indorum Regum quorum custodes erant fœminæ emptitiæ, quarum si eum aliqua occidisset, proemium parricidii habebat nuptias successoris.

Gentilibus publice iniqua placuerunt.

Indorum aliorum legibus parentum & sociorum carnes in epulas cedebant; quæ ne morbo deteriores fierent, ægrotos occidebant, addita causa. *Tu corrumpis mihi carnes.* Mitius Issedones, qui mortuis demum parentibus vescebantur. Romani monstrosos

partus abjiciebant. Lacedæmonii improbatos infantes in locum, quem vocabant apothecas, abjiciebant, Finis non sit, si leges iniquas enumerare velim. Quas leges & jura merito negarim. Et mecum vir justus, & sanctus, Aug. l. 19. de C. Dei c. 21. *Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat: per hoc ostendens geri sine iustitia non posse Rempublicam: vbi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit. Quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manauerit: falsumq; esse, quod à quibusdam non recte sentientibus dici solet: id esse ius, quod ei qui plus potest, vtile est.* Si non jus, nec ergo lex, *quæ quod legitimum est constituit, & in qua ius est.*

Iniquæ leges, nō sunt leges.

§. 2. Qua ex re etiam definio, quod Iurisconsulti, & Theologi proponere solent. An sit de essentia legis, vt justa sit? Respondendum enim est; Legem quæ injusta præcipit nullo modo legem esse. Neq; enim obligat quemquã ad parendum, & omnib. imposita est lex summi numinis, qua jubentur legi iniusta præcipienti non parere. Lex diuina semper necessario iusta est, quia ratio diuinæ legis, est eius voluntas per essentiam suam infinitissime iustissima. Ideo non potest quicquam nisi iustum præcipere; quamuis interdum iubeat, q̃ iniustum videatur, quod tamen summa eius potestas iustum facit, vt cum Abrahæ immolationẽ vnigeniti filii imperat. Quæ autem nunquam fieri honeste possunt, ea non potest imperare. Vt odisse Deum, superbire, inuidere.

In natura legis est iustitia.

Deus iniustum imperare non potest.

§. 3. Deinde non modo iusta sint oportet, quę lex mandat, sed necesse est, vt iuste imperet. Hoc est auctoritatem legitimam, & iurisdictionem habeat. Alioqui lex non est, nec vim obligandi habet. Iniustæ porro leges multis modis fiunt; sed vno præcipue, cum in vnius gratiam partis, in aliorum detrimentum feruntur. Cum optimatum, vel regis, vel populi potentia per ambages quæritur, quarum legum in executione & oppressione malitia apparet. Nam in populari regimine plebem armat ad bona locupletum occupanda; in Aristocratia ex liberis ciuib. mancipia nobilium destinat. In regno fiscum in immensum auget. Interdum etiam eo dementiæ assurgit, vt contra diuinas leges scita sua stabiliat. Sic Nabuchodonosor statuit, vt statua adoraretur, quod non faciendo, Hebręi Deo placuerunt. Manet aurea sententia æternæ veritatis. *Quicunq; legibus imperatorum, quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.* Iusta igitur fuerit, si non patri hæreat, sed totum, hoc est communem vtilitatem spectet, si iustitiam commutatiuam, & distributiuam tueatur, & propugnet. Et hac quidem in re, dum aliorum commoda, vel onera in alios deriuantur magnũ periculum est, vt dixi.

Iusta iuste lex imperet.

Lex totius bonum, nō partis amet

§. 4. Ad legem itaq; necessarium est, quod sæpe monui, vt æqualitatem faciat. Hoc fundamentum est pacis, & caritatis in Republ. Arist. l. 5. de morib. c. 10. *Est autem inter eos, qui communitate & societate vitæ inter se coniuncti sunt, homines liberos & æquales vel proportione, vel numero, vt rerum ad vitam degendam necessariarum copiis per se abundent, nihilq; foris requirant. Itaq; quib. hoc non est, eis inter ipsos non est ius ciuile, sed ius quoddam, & ex illius similitudine sic appellatum. Communi enim iure vtuntur ii, quibus & lex inter ipsos communis est. Lex autem eorum communis est, quorum & iniustitia est. Iudicium enim, iuris & iniuriæ disceptatio est. Inter quos autem iniustitia locum habet, inter hos & iniuria faciendæ locus est, non continuo in iis omnibus iniustitia reperitur. Est autem iniuriam facere, eorum, quæ absolute bona sunt, sibi plus tribuere, minusq;, eorum, quæ absolute mala. Itaq; hominem non finimus imperare, sed legem aut rationem, quia hoc ille sibi facere consueuit, fitq; tyrannus. Est autem is, qui præest, iuris custos. Quod si iuris, ergo & æquabilitatis.*

Æqualitas humanæ societatis fundamentum.

Et eadem mente Cic. l. 2. de off. *Nam cum premeretur initio multitudo ab iis, qui maiores opes habebant: ad vnum aliquem confugiebant, virtute præstantem: qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Eademq; constituendarum legum fuit causa, quæ regum. Ius enim semper quæsitum est æquabile, neq; enim aliter esset ius, id si ab vno iusto, & bono viro consequebantur, eo erant contenti. cum id minus contingeret, leges sunt inuentæ, quæ cum omnibus semper vna atq; eadem voce loquerentur.*

Ius nisi æquale sit, nō est ius.

Phidon quidem Corinthus ductus ratione in speciem nō mala, sed quę ad leges ferendas vtilis minime fuerit; domos enim æquales, & multitudinem esse voluit, quamuis initio sortito obtigissent bonorum partes magnitudine inæquales. Verum hanc æqualitatem nemo legislator prudens requirit.

Æqualitas Arithmetica non est quærenda.

§. 5. Maxime curandum est Principi, vt leges moderatæ sint. Quæ moderatio tam in ipso rerum genere, quam pœna violatoribus constituta cernitur. In ipsis legib. obseruandum est, vt quæ præcipiuntur fieri possint. Quod enim supra nostram potestatem est, mandari non potest, multo minus obligare quemquam, aut obnoxiũ pœnę reddere. Legis certe capax nõ est, nisi in quo est libertas: *illa facultas est eius, q̃ cuiq; libet, nisi quod vi aut iure prohibetur.* §. 1. de iure pers. l. 4. Facultas est δύναμις, qua facere possumus, nec adfert necessitatem vt fiat, sed vt fieri possit. Legem de reb. quæ omnino fieri nequeunt, nemo nisi insanus feret; quemadmodum Ægyptius ille tyrannus omnium tyrannorum archetypus. *Non do vobis paleas, ite & colligite, sicubi inuenire poteritis; nec minuetur quicquam de opere vestro.* Huiusce modi tyrannum nobis Deum fingunt illi, qui legem impossibilem clamant. Imitatus eum est Dionysius Syracusinus, sed lenius; postquam enim exactionibus populum exhausisset, & ad nouas contributiones excandescere videret, negotium fortiter vrsit, non ignarus, iram ex dolore amittendæ pecunię natam esse. At cum demum securos, & ridentes cerneret, credidit nihil superesse, ideoq, legem esse impossibilem. At multi leges ferunt difficiles, onerosas, quæq; spectata fragilitate, & consuetudine impossibiles videntur. Nam leges non modo communi hominum generi, sed consuetudini, & patriæ morib. attemperatas esse oportet. Consuetudini, inquam, nisi illa praua sit. Itaq; lex illa Mahometana, qua vinum vetabatur tyrannica fuit: multos enim tanta mutatio potus ante diem obire mortem coegit. Nec minus Lycurgus accusandus de legum duritie, quas breui Sparta reiecit. Quas Romani recipere renuerunt, vt Aug. l. 2. c. 16. Quamuis n. ille se eas ab Apolline accepisse confinxerit, tamen id Romani prudenter credere noluerunt. Talis erat lex ab Ammonite data viris Iabesgalaad, de eruendis oculis dextris.

Ius nisi moderatũ est, iniuria est.

Lex possibilius sit.

Non onerosa & grauia.

Deinde leges iniquæ censentur, cum iusta pœnæ moderatione carent. Leges Draconis minima quæq; pœna capitali sanxerunt, ideo vere crudeles, & Draconinæ appellatæ sunt, ocium enim & desidiam morte puniebant. De pœnis suo loco dicam. Hic monendus legislator, vt memor humanæ fragilitatis semper pœnam sistere velit intra culpæ meritum, nisi in atrocibus; vt expositum capite de clementia.

Leges valdè difficiles pro impossibilibus habentur.

§. 6. Primum igitur sæuæ resecandæ sunt. Ita Solon leges Draconis correxit, ita Romani multas emendarunt. Pulchra est Tertull. in Apolog. c. 3. hac de re disputatio. *Sed quoniam cum ad omnia occurrit veritas nostra, postremo legum adstruatur auctoritas aduersus eam, vt aut nihil dicatur retractandum esse post leges, aut ingratis necessitas obsequii præferatur veritati: de legibus prius concurram vobiscum, vt cum tutoribus legum. Iam primum cum dure definitis dicendo, non licet esse vos, & hoc sine vllo retractatu humaniore præscribitis, vim profitemini: & iniquam exercetis dominationem: si ideo negatis licere, quia vultis, non quia debuit non licere.*

Leges crudeles correctæ.

Quod

Quod si quia non debet, ideo non vultis licere, sine dubio id non debet licere quod malefit, & vtiq; hoc ipso præiudicatur licere quod benefit. Si bonum inuenero esse, quod lex tua prohibuit, nonne ex illo præiudicio prohibere me non potest, quod si malum esset iure prohiberet?

Lycurgi leges emendatæ.

Si lex tua errauit, puto ab homine concepta est, neq; enim de cœlo ruit. Miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? Nonne & ipsius Lycurgi leges à Lacedæmonijs emendatæ, tantum auctori suo doloris incusserunt, vt in secessu inedia de semetipso iudicarit.

Romanæ leges emendatæ.

Nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem & squalentem siluam legum nouis Principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis & cæditis? Nonne vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Iuliæ matrimonium contrahi, post tantæ autoritatis senectutem, heri Seuerus constantissimus Principum exclusit? Sed & iudicatos in partes secari à creditoribus, leges erant: consensu tamen publico crudelitas postea erasa est; & in pudoris notam capitis pœna conuersa est, bonorum adhibita proscriptione, suffundere maluit hominis sanguinem quam effundere.

In legibus 12. Tabularum c. 8. de nexis. *Tertiis nundinis capite pœnas luito, aut trans Tiberim peregre ito. At si plures erunt*, id est, si plures creditores, quibus addictus est debitor. *Tertiis nundinis partes secanto. si plus, minusue secuerunt, sine fraude esto.* Hanc legem etiam Romuli, crudelem, anno vrbis 630. abrogarunt. Sublata est etiam auariſſima veterum legum crudelitas in miſerrimos hominum, Romana mancipia, qui cum ærumnoſiſſimam ſeruitutem toleraſſent, velut pecora inutilia vendebantur ad beſtias. Late patens, & in multa centena millia graſſata crudelitas, ſero demum refrænata. Lege Cornelia de Sicariis teneri reſponſum eſt, *qui ſeruum ſine iudice ad beſtias dederit, vendiderit, emeritue eius rei cauſa.* Modeſt. in l. circumedere. §. 1. ad l. Corn. de Sicar. Cum vero crudelitas augeſceret. Senatuſconſultis, & lege Petronia, *adempta eſt dominis poteſtas ſeruos ſuo arbitrio, ſine iudicis ſententia ad beſtias tradendi.* Martianus idem vetuit; & demum tota illa poteſtas vitæ & necis dominis ablata, imo etiam ne ſupra modum ſæuirent, quamuis citra mortem, cautum eſt. Mart. l. domini. 42. de contrah. empt.

CAPVT XIII.

Leges haud facile mutandas eſſe.

Iuſta cauſa eſt, cur leges mutentur.

§. 1. MVtari poſſe leges, atque adeo debere; creboq; mutatas eſſe iam teſte Tertull. docui. Voluit hoc Iulius Cæſar, tentatum eſt ſub Adriano, fecit Theodoſius, Iuſtinianus, Carolus Magnus, Alphonſus, Carolus Quartus, & nunc indies Principes. Quia non modo locis, & moribus, ſed temporibus etiam ſunt accommodandæ. Imo id fieri poſſe docent ipſi libri legum, & Auguſt. lib. 3. Confeſſ. c. 7. *Et non noueram iuſtitiam veram interiorem non ex conſuetudine iudicantem, ſed ex lege Rectiſſima Dei omnipotentis, qua formarentur mores regionum & dierum pro regionibus & diebus, cum ipſa vbiq; ac ſimplex eſſet, non alibi alia, nec alias aliter, ſecundum quam iuſti eſſent Abraham & Iſaac & Iacob & Moyſes & Dauid, & illi omnes laudati ore Dei, ſed eos ab imperitis iudicari iniquos, iudicantibus & humano die, & vniuerſos mores humani generis ex parte moris ſui metientib. tanquam ſi quis neſcius in armamentis, quid cuiq; membro accommodatum ſit, Ocrea velit caput contegi, & galea calceari, & murmuret quod non apte conueniat: aut in vno die indicto à pomeridianis horis iuſtitio, quiſquam ſtomachetur, non ſibi concedi, quid venale proponere, quia mane conceſſum eſt: aut in vna domo videat aliquid tractari manibus à quoquam ſeruo, quod facere non ſinatur qui pocula miniſtrat, aut aliquid poſt præſepia fieri quod antemenſam prohibeatur, & indignetur, cum ſit vnum habitaculum & vna familia, non vbiq; atq; omnibus idem tribui. Sic ſunt iſti qui indignantur cum audierint illo ſæculo licuiſſe iuſtis aliquid, quod iſto non licet iuſtis, & quia illis aliud præcepit Deus, iſtis aliud pro temporalibus cauſis, cum eidem iuſtitiæ vtriq; ſeruierint: cum in vno homine & in vno die, & in vnis ædibus videant aliud alii membro congruere, & aliud iamdudũ licuiſſe, & poſt horam non licere, quiddã in illo angulo permitti aut tuberi, q̃ in iſto iuſte vetetur & vindicetur. Nunquid iuſtitia varia eſt & mutabilis? Sed tempora quibus præſidet, pariter eunt, tempora enim ſunt. Homines autem quorum vita ſuper terram breuis eſt, quia ſenſu non valent cauſas contexere ſæculorum priorum, aliarumq; gentium quas experti non ſunt, cum his quas experti ſunt, in vno autem corpore vel die vel domo facile poſſunt videre, quid cui membro, quibus momentis, quibus partibus perſonisue congruat, in illis offenduntur, his ſeruiunt.*

Idem quoque ſenſit Ariſtot. l. 2. polit. c. 8. *Dubitant enim quidam, vtrum ne detrimentoſum, an vtile ſit, leges patrias mouere & mutare, ſi qua ſit alia melior. Itaq; non eſt facile ei, quod dictum eſt de præmio iis decernendo, quia aliquid ex vſu ciuitatis, aſſentiri, & concedere, ſi non expedit Reipubl. quicquam immutare. Euenire autem poteſt, vt aliqui ſuadeant vel legum abrogationem, vel Reip. adminiſtrandæ formæ commutationem, tanquam commune bonum. Sed quoniam in hunc ſermonem incidimus, præſtiterit etiã pauca hac de re diſputare. Habet enim, vt diximus, dubitationem. Et videtur ſanè ſatius eſſe commutare. In aliis enim ſcientiis hoc profuit: vt medicina commutata à patriis inſtitutis, & ars corporum exercendorum, quam gymnaſticam Græci appellant, omnes deniq; artes & facultates mutatæ magnas rebus publicis vtilitates attulerunt. Quare quoniam & ciuilis prudentia in his numeranda eſt, nimirum de ea quoq; neceſſariò idem eſt ſentiendum. Argumentum eorum quæ dicimus, ex factis & euentis ſumere poſſit aliquis. Leges enim antiquas valde ſimplices eſſe, & barbaricas. Nam & gladios geſtare, & vxores alter ab altero emere Græci ſolebant: reliquaq; antiqua inſtituta, ſtolida prorſus & ſtulta ſunt: verbi gratia, lex eſt Cumis de iis, quæ ad cædem pertinent, ſi quis accuſator aliquem teſtium numerum produxerit, qui ſibi cognati ſint, reum cædis pœna teneri.*

Malæ igitur tollendæ celerrime, quę videntur inutiles, lente. Ageſilaus ob Leuctricam pugnam vno die leges ſuſpendit, qua quidem re oſtendit, leges & ſtabiles eſſe debere, nec penitus immutabiles. Præſtat vero labi & ſenſim interire, permittere.

Lex naturalis eſt immutabilis.

§. 2. Legum perſeuerantia vel eſt omnino immutabilis, vel certo modo. Simpliciter immutabilis eſt lex æterna & naturalis; nam illa à Deo æternum manſura lata eſt, & materia objecta ejus, ex ſe honeſtum eſt, ideoq; abrogari obligatio non poteſt. Lex vero Dei cæremonialis vetus jam abrogata eſt, nona ad finem mundi perſeuerabit. Leges humanę mutari poſſunt, nec vlla ita ferri poteſt, vt perpetuo ſit immutabilis; quia à legislatore, vt ſucceſſore, qui pari ſit poteſtate præditus, vel Repub. ipſa poteſt abrogari. Franciſcus Soarez triplicem legis humanę perpetuitatem agnoſcit. Prima quia cum legislatore non moritur; ſecunda; quia poſteros obligat. Tertia, quia ſemper durat, donec vel reuocetur, vel materia ejus ita mutetur, vt juſta eſſe deſinat. Primo modo fere legislator obligat, & ea eſt legum conſuetudo, ſic enim nunc legem diſtinguunt à præcepto, quod temporarium eſt. Sed hoc jam vſitatum eſt, olim lex etiam dicebatur præceptum, aut juſſum temporarium. Malim itaque legem diſtinguere in temporariam, & perpetuam. De hac igitur agendum duratione.

Lex humana tribus modis dicitur immutabilis.

Quando lex mutanda.

§. 3. Dicendum itaq; arbitror; Legem cujus fundamentum manet, nec materia injuſta efficitur, non facile immutandam eſſe, quamuis antiquatio illius in ſpeciem commoda videatur: niſi manifeſto appareat nouam legem fore præſenti temporum ſtatui commodiorem, nec noua incommoda ex illa mutatione oritura conſtet. Prudenter ſane Cleon cenſuit, *meliorem eſſe ſtatum Reipublicæ, quæ legibus vtitur deterioribus, ſed firmis, ea, quæ frequenter eas commutat.*

Conſtantia ſæpe præſtat melioribus.

Ratio

Commoda sibi, nocumenta rectorib. imputant.

Ratio primaria est. Quia nouitas semper suspicionem, ex suspicione querelas; inde commotionem populi, aut optimatum efficit. Veterum enim legum abrogatio nonnullis nocumentum adfert, noua vero lex quibus prodest, non facit eos amicos legislatori, quia suspectam habent, quia de ejus constantia dubitant, verenturque ne inter tot mutationes, & illa mutetur. Itaq; quibus onerosa est mutatio, damnum in solidum principi imputant quibus lucro, aut honori est; quia sui rationem in communi lege non putant habitam, non existimant, se vllo beneficio obligatos esse, quæ enim in commune dantur, ea deberi sibi quisq; iudicat.

Nec expedit inualescere eam opinionem in ferenda lege non publici commodi, sed priuati fauoris, aut alienationis à certo hominum genere habitam esse. Hæc enim opinio odiorum, discordiarumque fomitem suggeret, & eos quoq; quos iuuat, offendit, & inuidiosos, ideoq; inuisos efficit. Res itaque plena periculi nouam ferre legem: Non modo apud Locrenses, vbi inserto in collum laqueo legem suadebant, vt nisi persuasissent continuo obstricta gula suffocarentur: sed in omni Republica, quia plurimos offendi, nullos nisi leniter conciliari necesse est.

Periculosũ est legem nouam ferre.

§. 4. Altera accedit ratio: Ex ingenii humani imbecillitate & tenui prouidentia, quæ legis qua vtitur offensiones animaduertat, sed alterius, quam meditatur, præuidere omnes non potest. Stipendium Romani ciuibus suis ad Veios militantibus constituerunt. Grata res exercitui, sed grauis pluribus, opus enim erat ærario, censibus, exactionibus, atque ex eo factum, credo vt Camillo offenderentur. Nouarum legum cupidis vsu venire consueuit, quod iis, qui via difficili, & confragosa iter carpunt, qui felices eos prædicant, quos leni agmine aquarum secundo fluuio delabi cernunt, sua mala alienis bonis comparant; at vbi ventos insurgere, jactari cymbam, impelli in arenas, allidi ad scopulos adnimaduertunt, jam de suo se ipsi labore solantur. Magnis contentionibus plebs Romana obtinuit, vt patriciis suis æquaretur, leges ea de re conditæ sunt, auspicia, sella curulis, sacerdotia, ipsa dictatura penes ignobiles fuit, sed ab eo tempore sibi semper infesta ciuitas fuit, donec per ciuilia bella ad seruitutem delaberetur.

Veterũ legum damna apparẽt, nouarum latent.

Ecclesiastic arum legũ mutatio.

Videmus etiam in Ecclesia non paucas leges temporum successu mutatas, Episcopos aliquando populi eligebant, & consecrandos offerebant; cum vero ambitio in illa turba sæpè locum virtuti præriperet, vicinis Episcopis, aut Metropolitano, interdum Imperatori nominatio concessa est. Cum vero hic, & fauores, & munera intercedere clarum esset; tandem Collegiis Clericorum potestas illa est delegata; steterit diu lex illa legitima, & complures insignes Antistites dedit. Postea vero in quibusdam praua consuetudo inualuit, vt non modo Episcoparus, & suffragia licitarentur, sed priuatis statutis ita Episcopum irretirent, & constringerent, vt in eos, in quos maximè debuit vim, vigoremq; sacrorum canonum exercere non possent. Ante electionem certa decreta, de sua libertate, de non reformandis moribus condebant, in quas omnes jurabant. si quis recusaret, non erat dubium, quin omnium leuiorum animos à se abalienaret. Ita nouæ semper leges, noua trahunt incommoda.

Electiones episcoporum reformationibus aduersæ.

Omnis lex noua multis nocet.

§. 5. Nec licitum est quidem nouam legem in re magni momenti rogare, nisi nouitas magno Reipublicæ compendio sit.

Nulla enim pene noua lex est, quæ non multis priuatim plurimum noceat, necesse est igitur, vt ea sit vtilitas, aut necessitas publica, quæ priuatorum detrimenta compenset. Priuatos enim cum pars sint & membra magni corporis, pro publico bono ferre sua damna patiantur oportet; si vero singulorum damna, nullo publico insigni emolumento pensentur, iniqua est nouatio. Imo Respublica læditur, cujus suo nullo fructu membra vexantur.

Lege saluberrima de consilii, & principum sententia statuit pronuper Christianissimus Ludouicus XIII. Franciæ Rex, ne dignitates, & officia pecunia emerentur, neque ab eis, qui emissent, vendi possent. Innumeros magnis incommodis res illa affecit; sed quia salus patriæ sanctissimam legem exigebat, non debuit ad eam impediendam paucorum æstimatio, damnumue interuenire. Præsertim cum eo virtutis certamen, quam nummorum pollicitationes honestius deducant. Lex igitur illa justissima, sanctissimaque fuit.

Priuatorũ commodis constat publica vtilitas & salus.

At vero si publicus fructus absit, & priuata onera ingraueſcant, crimen erit nouæ legis rogatio. Imo legis etiam abolitæ reductio.

Cum fatali nomina, factionesque Guelphorum, & Gibellinorum Italiam scinderent, Florentiæ Guelphi principatum tenuere, atq; vt amat fieri in partium studiis, lege publica Gibellinos à gerendis Magistratibus arcebant; verum tempore lex obsoleuit, jamque sine discrimine, magnis in dignitatibus erant tam qui à Gibellinis, quàm Guelphis originem duxissent; cum Hunguerio Guelphorum Princeps legem veterem, & cum lege odia, simultates que & pristinas calamitates renouauit, magno Gibellinorum malo, deinde suorum interitu, nullo rei communis emolumento. Nihil enim pernicioſius, quam pro suo affectu administrare Rempublicam, & leges ære figere, atq; refigere.

Obsoletæ leges sine euidenti bono non reducendæ.

§. 6. In mutatione hoc etiam periculum est, quod rerum nouandarum efficiuntur cupidi, qui priuatis malis vrgentur. Dum multas legum aboleri intelligunt, spes improbas concipiunt; optimas etiam aboleri posse. Postquam enim semel impetus in leges factus est, illæ, quarum exitium maxima præmia secum laturum videtur, præcipue impugnantur; Quemadmodum cum vi capta est ciuitas, non ad nocentissimorum, sed ad diuitum fortunas diripiendas discurritur, ita quoque optimè legum à tæterrimis maxime impugnantur.

Cum frequens mutatio, etiam optima conCutiuntur.

Cum autem multi ad præsentia nauseant, & ad futura suspensi viuant, cum verè dixerit ingeniosus Poëta:

Est quoq; cunctarum nouitas gratissima rerum.

Nam

Vilia sunt nobis quæcunq; prioribus annis
Vidimus, & sordet, quicquid spectauimus olim.

Hæc in rerum nouarum studia propensio lenitate publica adiuuari, & irritari non debet, nihil enim adeo firmum erit, quod non conuellatur. Nam reuera continget, quod in cantilenis fieri Homerus ait;

Cum signa vitiosa eximuntur, etiam integra luxantur.

Τὴν δ' ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
ἥτις ἀκροτάτην ἀμφιπέληται.

Eam cantionem maxime celebrant homines,
Quæ audientibus nouissima accidit.

Nouitatis studiũ mutatione legum inualescit.

Ita verò vt νεαρὰ ἀοιδῶν, nouos carminum flores, ita leges quoq; nouas, νόμους ἀπ' ἀκροστίων ab incude, & follibus recentes insita curiositate postulabant. Cui quidem curiositati inimicus adeo Plato extitit, vt de legum iustitia, & integritate non modo disputare, sed quærere etiam juuenes vetuerit.

Noua enim, quamuis meliora, interdum offendunt, quod in cibi, potus, cœli mutatione persentiscimus, assueta enim quasi naturalia, & similia iuuant, noua velut contraria percellunt. Claudam hunc locum sententia Augustini epist. 118. ad Ianuarium. *Ipsa quippe*

Novitas nisi vitiis sit, semper nocet, media nulla est. Malæ difficilimæ abrogantur.

quippe mutatio consuetudinis (Legis) *etiam quæ aduuat vtilitate, nouitate perturbat. Quapropter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.*

§.7. Leges in quibus error aliquis est, quæq; subito feruntur, aut vitio alicui fauere videntur, difficilime abrogantur. Vitæ, & necis potestas permissa fuit dominis in seruos, antiquissimis legibus, ea magno conatu, & multis legibus vix reuocari potuit. Exemplum produco in rebus paruis, quę tamen vehementer nocent. Vetus lex est l. 11. c. t. 25. de mendicantibus validis. *Cunctis quos in publicum quæstum incerta mendicitas vocauerit inspectis, exploretur in singulis & integritas corporum, & robur annorum, atq; inertibus & absq; vlla debilitate miserandis necessitas inferatur, vt eorum quidem quos tenet conditio seruilis, proditor studiosus & diligens Dominum consequatur: eorum vero quos natalium sola libertas persequitur, colonatu perpetuo fulciatur, quisquis huiusmodi lenitudinem prodiderit ac probauerit: salua dominis in eos actione, qui vel latebram forte fugitiuis, vel mendicitatis subeundæ consilium præstiterunt.*

Lex de mendicis validis reuocanda.

Illius legis abrogatio, aut neglectus, quæ mala adferat, quis non videt? ociosis, furibus, nequissimis ganeonibus omnia complentur, cum illis ad laborem adhibitis possit juuari Respublica.

Spectacula pessimo more, crudelissimis legibus data sunt, vix Christianorum temporum clementia, Imperatorumq; potentia ea tollere potuit. Quocirca magna cura sunt ferendæ, examinandæq; ne vitio rogentur.

Caput XIV.

Legem æternam esse aliquam, & omnium legum fontem esse.

Decreta sũt actionum fundamenta.

§.1. QVanquam practicam politicen tradere mihi propositum sit, & à speculationib. abstinere; quia tamen verum est, Actiones honestas fieri ex decretis, non tantum præceptis, & artes pleræque, & ex omnibus liberalissimæ, habent decreta sua non tantum præcepta. Nulla ars sine suis decretis est, quæ Græci dogmata vocant. Visum est mihi ea quæ Theologi & Iurisperiti de legibus docent breui comprehendere. Ex his enim leges canonicæ & ciuiles deriuantur. Sic igitur definiunt.

Lex æterna.

§. 2. Lex æterna est dictamen diuinæ mentis, quo judicat quædam recta esse, & à creaturis obseruanda, cum voluntate obligandi creaturas.

§. 3. Secundo. Lex æterna est regula æternæ & practicæ veritatis, ad quam natura omnes creaturæ obligantur. Irrationales & brutæ tantum naturaliter; intelligentes etiam moraliter.

§. 4. Tertio. Lex illa in Deo est necessario, quia prouidentia Dei omnia gubernantur; lex vero est practica ratio totius gubernationis.

§. 5. Quarto. Ratione ab Idea distinguitur, quia non est rei faciendæ, sed gubernandæ; deinde obligat, quod Idea non facit. Hæc lex dicitur in Deo, quamuis nondum promulgata sit, quod si quis de voce contendat, molesti non erimus.

§. 6. Quinto. Actiones Dei necessariæ, vt generatio filii, processio Spiritus sancti, non subsunt legi æternæ; quia ex naturali necessitate, non ex prouidentia sunt.

§. 7. Sexto. Liberæ actiones Dei non dicuntur proprie esse sub lege æterna; quia tamen quodammodo concipiendi infinita prudentia est ratio sanctissimæ voluntatis, quemadmodum immutabilitas est ratio æternitatis, non incommode dicemus, omnes actiones Dei liberas ad legem æternam esse factas. Si enim ipsa diuinæ mentis, voluntatis, potentiæ effecta sub illa lege sunt, igitur & ordinatio, voluntasque effectorum lege illa regitur, hoc est, à seipsa habet, vt immutabili rectitudine agere possit, & velit.

§.8. Sine promulgatione lex illa perfecta esse potest, quia natura sunt immutabilia ejus decreta & citra omnem variationem semper obligant, cum primum ratione creatura vtitur. Per se tamen immediate non obligat, sed per alias leges, quo circa cum non est creatura, potius obligat potentia, quam actu.

§. 9. Lex æterna secundum se est vna, quemadmodum diuina prouidentia & voluntas. Secundum suos tamen ad materiam diuersam multiplices respectus, multiplex dicitur. Quemadmodum idea, prouidentia, voluntas.

§. 10. Ab hac lege omnis quæ est in cæteris legibus obligatio, promanat. Potestas enim omnis à Deo est, omnis directio ab æterna sapientia procedit. Lex quidem naturalis, & lex positiua Dei, si spectentur, nõ vt sunt in conceptu & voluntate Dei, sed vt sunt in creaturis & promulgatæ, sic effectus legis æternæ censentur, & ab ea immediate vim habent; leges vero Principum & Rerumpublicarum, non eo modo deriuantur ab æterna, sed potestate & voluntate legislatoris creati intercedente.

§. 11. Lex æterna est omnino immutabilis, neq; enim Deus eam mutare, rejicere, abrogare potest; suam enim intelligentiam, bonitatemque abnegaret. Præcepta tamen ejus quædam sunt immutabilia, vt non mentiendum, non odio habendum Deum; nunquam enim tolli possunt; alia vero mutabilia, vt circumcisio, Holocausta, similiaque, quæ legis æternæ præscripto ad tempus correctionis imposita sunt.

§. 12. Legis naturalis fundamentum est lex æterna; hinc spectatur natura intelligentia, & arbitrio prædita, vt est possibilis, quod enim illi consentaneum est, bonum est, malum vero quod ab illa, vt rationem & voluntatem habet, alienum est atque abhorrens. Non est tamen proprie lex naturalis, quia non est præceptum, imo voluntatem Dei antecedit. Idem sentiendum de dignitatibus, sed generalibus morum axiomatis; Non esse malum faciendum, Deum esse colendum, si illa in natura spectentur, vt in judicio Dei voluntatem illius antecedenti esse concipiuntur. Eo enim in statu non habent rationem præcepti.

§. 13. Lex naturalis, vt est in creaturis ratione vtentibus, est dictamen rationis naturalis, ideoque rectæ; quod bonitatem & malitiam, quæ est in materia necessaria indicat, quodque diuinam voluntatem bona necessaria præcipientem, & mala vetantem, obediendique obligationem promulgat. Omnis enim materia naturalis necessaria est, ideo jussa, quia bona, ideo vetita, quia mala. Quocirca nec vlla creatura ratione & arbitrij libertate creari potest, quæ lege naturali non teneatur. Esset enim creatura, cui peccare liceret, quod fieri non potest. Si enim liceret, peccatum non esset. Lex illa non per homines, aut signa promulgatur, sed rationi ipsi insita est, nec vllus tam barbarus est populus, aut corruptus, cui imposita non sit.

§. 14. Lex naturalis omnium virtutum varia præcepta, vitiorumque prohibitiones continet. Vna tamen lex dici potest, quia sub vna ratione boni naturalis seruatur.

Firmum, & vnum manet apud omnes gentes hoc jus naturale, si actum primum spectes, hoc est, lumen naturale intellectus humani; si actum secundum, siue actuale judicium, siue etiam prauos habitus ex eo judicio natos, variationem habet.

Quædam

Quædam enim gentes ita malis moribus judicia naturalia corruperunt, vt contra jus naturale iniquas leges condiderint. Sardi parentes senio debiles fustibus pulsatos occidebant, quod nefas dicerent eos inertes & ocioſos degere. Aliæ aliis in rebus jus naturæ violabant.

§. 15. Hinc apparet, maxime nos hac lege obligari, non modo vt honesta faciamus, fugiamus turpia, sed etiam vt honeste id faciamus. Debet enim legis impletio, ex scientia, & voluntate procedere.

Lex naturalis semper honesta.

§. 16. Naturalem legem penitus esse immutabilem constat ex ejus materia, quæ cum honesta præcipitur, ita se habet, vt honesta semper sit, & cum turpis prohibetur, talis est, vt honesta nunquam esse possit. Itaque tàm negatiua, quàm affirmatiua præcepta semper necessaria sunt, nec vnquam circumstantiæ efficiunt, vt præceptum naturale reddatur, inutile, imprudens, vel noxium.

§. 17. Itaque cum furioso gladius non redditur, cum latro occiditur, non peccatur contra legem naturalem, quia jubetur depositum reddi, & vetatur proximi cædes. Legis enim præceptum est; vt depositum juste, sine alieno periculo, & injuria reddatur, vt propria auctoritate, & injuste cædes non committatur. Nam circumstantiæ efficiunt, vt hæc particularia sub lege generali non contineantur, cum lex naturalis sit, furioso gladium non reddere.

§. 18. Cum lex naturalis lege positiua, vel diuina, vel humana ad certum genus restringitur, & determinatur, non mutatur, sed tota integra manens additionem quandam accipit, sed modum, qui tamen mutari potest. Colendus est Deus; lex positiua modum cultus, adorationis, sacrificiorum, præscribit. Honorandi parentes omnibus, at pro regionum more varius honor parentum est.

§. 19. Itaque nemo in lege naturali dispensare potest. Quia nemo inferior superioris legem abrogare potest; Lex vero naturalis cum sit in materia necessaria nunquam desinit, sed nec Deus dispensare potest. Quia quæ sunt immutabiliter mala, vt idolatria & similia, non potest lege vlla facere licita, & quæ sunt bona, non potest lege efficere mala, vt Deum amare, velle bene viuere.

§. 20. Ius gentium materia distinctum à jure naturali præcipui Theologorum tradunt; Ius gentium enim ajunt esse jus humanum, quod ἄγραφον sine scripto, populorum omnium consensu, statutum est, cujus materia ex se nec bona, nec mala sit, sed ex lege recipiat honestatem, aut turpitudinem, atque ideo obliget, quia in eam obligationem gentes consenserunt. Ad hoc jus pertinet; Recipere legatos, & securos dimittere, commercia agitare, celebrare contractus, bello hostes persequi, captos bello seruos efficere. Hoc jure gentes, nisi prorsus barbaræ sint viuere omnes cernimus. Quocirca si qua legatos violet, omnium gentium justo bello premitur.

§. 21. Ius naturale paulo aliter Iurisperiti definiunt, sed de vocibus est dissensio, in re ipsa conuenimus. Ius naturale vocant, vniuscujusque rei naturalem inclinationem. Atque id vocant jus naturale primarium; Secundo jus naturale secundarium, quod est hominum proprium, vt stare promissis, neminem lædere; Hoc est, quod naturale simpliciter Theologi appellant. Iurisperiti jus primarium gentium dicunt. Ius autem gentium secundarium illi appellant, quod discursu practico collectum est, vt inuiolatos esse legatos.

CAPVT XV.

De adiunctis legum humanarum, & inprimis de interpretatione.

Interpretatio legũ fere pro lege est.

§. 1. AFfectus, & circumstantiæ quædam legum sunt, quę non minus, quam ipsę leges Rempublicam vel juuant, vel premunt. Quorum primum est interpretatio, qua leges vel extenduntur, vel restringuntur, & sensus nobis vtcunque exponitur.

Deinde ἐπιείκεια, cum ex æquo bono lex accipitur, non rigido jure. Tertio, Dispensatio. Denique abrogatio. De quibus breuiter dicendum est.

Interpres legi necessarius est.

§. 2. Maximo quondam in honore fuerunt, atq; etiam nunc sunt legum interpretes, sunt enim quasi viuæ leges, & loquens justitia, Reipublicæ non minus necessarii, quam ipsæ leges, quid enim jura, nisi sint, qui de jure respondeant? Sed hoc sacro & regio officio ad superbiam & auaritiam multi abutuntur. Ratio cur opus sit interpretibus illa est, quia non facile ita in rebus variis, abstrusis, non vsitatis, nomina propria scientiæ habentibus, sine magna omnium consideratione mens legislatoris præcipitur, nisi magna pars earum rerum intelligatur. Quomodo vero nunc infinita legum multitudo interpretationes, & interpretes plures produxerit, & noui interpretes nouas legum expositiones multiplicent supra dixi.

§. 3. Legum interpretatio triplex est, authentica, vsualis, doctrinalis. Authentica est à Republica, vel magistratu legitimam legis ferendæ potestatem habente. Nam vim legis habet, cum non in vno casu definit, sed sensum legis esse cum auctoritate declarat. De hac loquitur Constantinus, vt est in Cod. de legib. & Constit. Principum. Inter æquitatem jusq; interpositam interpretationem nobis solis, & oportet & licet inspicere. Dat. 3. Non. Decemb. Sabino & Rufino Conss.

Legem authentice solus imperator interpretatur.

Interpretationem authenticam sibi duntaxat arrogare censendus est Imperator, quæ est noua quodammodo lex.

Cui ius cõdendarum est legum, etiam ius ferendarũ est.

Sententia enim supremi Principis vim legis habet, & ad similes casus extenditur, vt est in eodem titulo l. vlt. *Si imperialis maiestas causam cognitionaliter examinauerit, & partibus cominus constitutis sententiam dixerit: omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant, hanc esse legem, non solum illi causæ; pro qua producta est, sed & omnibus similibus. Quid enim maius, quid sanctius imperiali est maiestate, vel quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est, vt regalem sensum contemnat. Cum & veteris iuris conditores constitutiones quæ ex imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere, apertè diluciḍeq; definiant. Cum igitur & hoc in veteribus legibus inuenimus dubitatum, si imperialis sensus legem interpretatus est, an oporteat huiusmodi regiam interpretationem obtinere: eorum quidem vanam subtilitatem tàm risimus, quàm corrigendam esse censuimus. Definimus autem omnem Imperatorum legum interpretationem, siue in precibus, siue in iudiciis siue alio quocunq; modo factam, ratam & indubitatam haberi. Si enim in præsenti leges condere soli Imperatori concessum est: leges interpretari, solo dignum imperio esse oportet. Cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos vel sufficientes ad decisionem litis illi existiment, ad nos decurratur? & quare omnes ambiguitates iudicum quas ex legibus oriri euenit, aures accipiunt nostræ, si non à nobis interpretatio mera procedit?*

Hæc igitur ἀποφάσις Principis, ita enim Græci sententiam Imperatoris appellant, legem facit, prioris legis interpretem. Hic est optimus Doctor.

Qui

Principes Patriæ leges interpretari vtilissimum est.

Qui iuris nodos, & legum ænigmata soluat.

Ita intelligendum axioma. *Princeps conditor, & interpres legum vnicus.* O quam magnas turbas, quam exitiosas subtilitates regum majestas vna voce tolleret, si leges ambiguas ex æquo, & bono interpretari dignarentur. Imo interdum detrahere, addere. demutare interpretando aliqua, & præsenti tempori accommodando, ita factum in cap. 1. de juram. calumniæ. & c. vnico de Cleri. conju. in 6.

Iuristæ scholares in prætorio exercendi.

§. 4. Vsualis interpretatio est, quæ consuetudine, & vsu jam obtinuit, quo præjudicia, & judicia pertinent. Hæc maxime hodie est vsitata. Itaque qui in Academijs juri operam dederunt, in camera exercentur, atq; id maxime aduertunt, non quam variè docentes interpretentur legem, sed quid judices in summo tribunali pronuncient. Hæc enim cognitio causas acturis in primis necessaria est.

Infinitæ sunt leges & infinitiores interpretationes.

§. 5. Tertia interpretatio est Doctorum, qui non pronunciando, sed censendo legem exponunt, quorum auctoritas nunc dissensionibus periit magnam partem, nec, nisi cum legibus institui potest.

Hac in re primo, spectatur æquitas naturalis, deinde ex adjunctis mens legislatoris; tertio verborum proprietas. Quarto aliarum legum similitudo, sensus enim legis dubiæ repugnans manifestis legibus aliis, falsus est.

Extensio legis per interpretationem.

§. 6. Magna controuersia est de extensione legis, quæ tum dicitur, cum non tantum pro immediatis significatis lex accipitur, sed ad alia quædam extenditur. Quod fit interdum legem intelligendo de solis, & omnibus, quæ naturali verborum significatione comprehenduntur, si sit fauorabilis, nec alia lex, aut æquitas obstet. Vt cum filius familias exceptione Senatusconsulti Macedoniani creditorem repellit, intelligimus eodem jure filiam familias gaudere. *Filiorum enim nomine veniunt & filiæ.* Deinde cum est eadem juris dispositio in lege fauorabili extenduntur verba ad significationem ciuilem; nam eadem exceptione vti possunt filii adoptiui, qui ciuiliter filij sunt. Tertio. Cum alioqui lex esset nulla vel absurda, vel injusta, nisi improprie intelligatur, ad impropriam significationem verba extendi possunt. Vt cum interdictum vrbi imponitur, etiam suburbia intelliguntur. Quarto. Cum lex extenditur propter similitudinem rationis, vel identitatem. Multi cum est par ratio, lege eos comprehendi putant, in quibus par est.

Paritas rationis legem non extendit.

Verum nullo modo hoc admittendum est, quia cum vnius rei, vel pœnæ facta est determinatio, non ideo licet id ex paritate ad aliud factum trahere. si id legislator voluisset, ipse fecisset. Vt lex est; *Si ingenua alieno seruo se miscuerit, conserua eius sit.* Paritas rationis non extendit legem ad ingenuum: Imo ne identitas quidem rationis, quæ hic est. Nam eadem est peccati grauitas in vtroque sexu, quamquam non ciuiliter æstimetur. Sane conscientia nullius hac interpretatione obligabitur.

Omnes leges generales restringuntur.

Quarto. Restrictio extensioni contraria est, quæ tum est necessaria, cum verba legis generaliter accepta injustitiam in aliquo facto continent, aut innocenti nocent; nunquam enim præsumitur legislator nocere velle innocenti. Pleræque leges restrictionem requirunt, quia multa quæ legislator præuidere non potuit, accidere solent, quos excipi justitia cogit. Fallit enim regula, vbi æquitas aliud suadet.

CAPVT XVI.

Leges quandoque cessare, quamuis non abrogentur.

ἐπιείκεια iustitiæ legi præponit, & sic legẽ seruat.

§. 1. SVmmum jus interdum est summa injuria, eaque nascitur ex rigida legum interpretatione, huic medetur quam vocant æquitatem, seu ἐπιείκειαν; quæ tum legem emendat, cum in facto singulari, quod legislator prouidere non potuit, si prouidisset autem, nominatim excepisset, judicatur lex nomine obligare. Ita D. Th. 1. 2. q. 96. art. 2.

§. 2. Æquitatis interpretatio nascitur ex legis defectu, quæ vniuersaliter loquitur, quocirca, nec in naturali, nec diuina positiua locum habet, cum legislator omnia prouiderit. Hæc æquitas cum est euidens, cuiq; licita est; cũ dubia superiori determinanda est.

§. 3. Vt lex obligare non censeatur ex æquitate, non est ratio sufficiens, si cesset causa legis; quia tum solum cessat, in particulari; cum lex peccat, propter vniuersale, vt vel iniqua, vel detrimentosa esset, si seruaretur. vt lex est; Murũ nemo ascendat, si ascenderit capitale esto. Cajus murum ascendit, vt hostem depellat; quis dubitet, inique Cajum citari legis violatæ reum? Ratio vero legitima talis esse debet. Nam quamuis ratio in particulari cessat negatiue, si maneat in communi potest voluntas legislatoris velle eum obligare, in quo cessat in particulari.

Ratio adæquata cessans, legem abrogat.

Alioqui magna dissolutio oreretur in Republica, multæq; leges sine fraude violarentur, opus est itaq; vt ratio legis in particulari ita cesset, vt lex injusta, vel valde onerosa sit in casu particulari. Exemplo res manifesta est. Causa cur in murum ascendere capitale sit, est, ne hostis, vel proditor occasionem perdendæ ciuitatis aucupetur. Cajus vir optimus, patriæ amantissimus, ditissimus est, ejus salus ex incolumitate patriæ pendet; itaq, periculum nullum est, ne ipse murum ascendens periculum creet patriæ, cessat ergo in eo casu legis causa; quia tamen manet in communi, & merito legislator ea lege etiam optimos ciues comprehendit, vt improbis occasionem præcideret, tenebitur ea lege Cajus. Si enim is ascendat, multi sequentur, qui se quoq; patriæ amantissimos asseuerabunt, ita improbissimo cuiq; id concedetur.

Deinde opus est, vt ratio legis adæquata sit, quæ cessat. Tutela committitur proximis agnatis l. 1. de leg. tut. π. ratio legis est, *quod bona nec tutius administrari, nec melius conseruari posse, lex crediderit, quam ab eo qui eadem ad se suosq; peruentura aliquando speret.* Et dehinc quia æquum est. vt is qui lucrum sperat, onera quoq; suscipiat accedit arctior affectus, & amicitia. Fieri potest, vt ratio legis cesset, si agnatus nec melius, nec tutius administraturus sciretur, nec pupillos magis diligat; imo ordinarie vicinus, aut alius quispiam amicior est, quam cognati. Non tamen à tutela agnatus repellendus, nisi constet, eum male administraturum infestum fuisse agnato. Lex Solonis erat huic contraria. Τῶν ὀρφανῶν κληρονομήσων ὁπίτροπος μὴ ἔστω. *Orphanorum hæres, tutor ne esto.* Ratio, quia periculosum pupillo arbitrabatur esse in ejus potestate, cui mors ejus esset lucrosa. Lex illa Atheniensis tenenda fuit, quamuis hæres pupilli vir integerrimus esset, à quo periculum non esset. Quod si hæres ille orbus esset, diuesque, quiq; sibi pupillum hæredem instituisset, si pupillus lites haberet, quas ille optime vellet, & posset exequi, si magno damno pupillus eo tutore careret; tum lex per æquitatem abrogaretur. Alioqui si ratio grauis non sit, semper expedit, vt particulares communibus se accommodent.

Legum cõtrariæ rationes contrariæ.

§. 4. Cum lex humana est de rebus adiaphoris cessante causa ejus adæquata, siue negatiue, siue contrarie, lex ipsa omnino cessat. Vt si lex sit conferendorũ tributorum ad exstruendum pontẽ, eo perfecto, cessat lex

lex tributi, imo injusta est. Causa enim cessante lex est inutilis Reipublicæ, nec grauanda est legibus, quæ nihil conferunt ad publicum bonum.

§. 5. Hanc ob causam plurimæ veterum abolitæ fuerunt, à Iustiniani jurisconsultis, vt in proœmiis fatetur Imperator. Et ex legibus Pandectarum, & Codicum magna pars, quæ nunc aliis legibus emendata est.

Lex bona, & præceptrix alicuius virtutis, non cessat, cessante ratione.

§. 6. Si lex humana legem quæ actum aliquem virtutis imperet, præscribat, quamuis cessante causa, vim obtinebit; satis est enim in ipso virtutis exercitio causæ, vt ferenda fuerit, modo non nimium grauis sit. Nam actus ille capax est legis ex sese & natura sua, ideo manet obligatio, donec à Principe auferatur. Exemplum est. Constitutum est, vt contra Arianos initio in Ecclesiis caneretur; Gloria, Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Quia vero actus ille natura sua bonus, & religiosus est; manet lex illa, quamuis Arianorum multis in locis, ne nomen quidem supersit.

Dispensatio sine iusta causa dissipatio.

§. 7. Dispensatio in lege humana fit, cum manente lege, & causa legis in vno, alteróque, aut pluribus obligatio tollitur.

Lex erat Romanæ libertatis custos; vt in prouinciarum administratione annua esset successio. Lege solutus Cæsar decennio Gallias gubernauit. Alia ex parte actum, vt Pompeius legibus solueretur. Propriè dispensationē dicunt, ad tempus, cū quispiam lege soluitur, alias cum perpetuo liber est à lege, exemptio dicitur. Quando in aliam obligationem conuertitur, commutatio legis dicitur.

§. 8. Potest vero Princeps, siue Ecclesiasticus, siue Secularis in suis, & prædecessorum legib. dispensare. Cum enim in eorum potestate sit obligare, etiam erit obligationem tollere, idque ab hoc vel illo, prout ratio dictarit. Deinde inferior Magistratus in lege superioris dispensare potest, cum tacito vel expresso superioris consensu, vel consuetudine; Quin etiam si res parui momenti, sit, & frequens, non adito superiore.

Dispensatio sine causa iusta, non est bona.

§. 9. Vt dispensatio legitima sit, opus est, vt sit legitima illius causa. Nam contra bonum commune est, legibus aliquos solui absq; vlla causa; cum se omnes communitati debeant conformare. Deinde princeps suis legibus tenetur, si sine causa dispensare potest, nunquam eis astringetur. Itaque Princeps sine causa dispensando peccat; deinde is qui dispensatione vtitur in legem naturalem committit, quæ jubet, partem toti Reipublicæ conformem esse. Res tamen ipsa quæ conceditur, rata est. Quod si justa fuit causa dispensationis, ea cessante etiam dispensatio cessat causa redeunte, redit dispensatio.

Si vero lex simpliciter sublata est, quamuis causa cesset, ante executionem, ea vti potest. Vt si in aliquo dispensatum est in irregularitate propter penuriam Sacerdotum, etsi ea cesset ante ordines acceptos, manet tamen dispensatio, quia irregularitas omnino sublata est.

Caput XVII.

Legem iusta de causa abrogari posse.

Iusta lex abrogatur.

§. 1. Lex injusta vel ab initio, vel mutatione temporum, legis nomine digna non est; & mutata conditione temporum, cum incipit injusta esse, etiam lex esse desiit. De abrogatione legis justæ, vtilisque agimus igitur, quæ tum abrogatur, cum grauis est; & abrogatio ejus communi bono vtilior esse videtur, quam obseruatio, qua quidem in re graues causas intercedere necesse est.

Leges municipales.

§. 2. Abrogare potest conditor, successor, superior sui inferioris, non autem inferior superioris. De postremo magna sunt litigia; nam quædam vrbes, Principesque, leges municipales condunt, juri Cæsareo contrarias, cujus rei potestatem non habent, nisi à superiore sibi collatam. Periculosum sane est juri communi derogari per leges priuatas. Vt igitur justæ sint leges Principum, vrbiumque subditarum, necesse est, vt sint juris communis quædam determinationes.

§. 3. Omnis lex posterior contraria priori eam abrogat, siue ejus mentionem contineat, siue non contineat. Nam cum simul vim obtinere non possint, voluntas posterior reuocat priorem.

§. 4. Nisi habeat clausulam derogatoriam, non tollit priorem, cum opponitur, conciliari enim possunt, & vtraque vigorem obtinere. Hac de re aliud non occurrit, nisi abrogatio fiat considerate, raro, magnis causis, ob rationes, quas supra attuli.

Caput XVIII.

Priuilegia concedenda, sed meritis, & moderate.

Priuilegia raro concedenda.

§. 1. Priuilegium est quasi lex priuata, seu priuato concessa; definitur lege concessa potestas alicui, vel aliquibus agendi, vel non agendi, aut recipiendi, vel non recipiendi, vltra jus commune. Magnares, & vnde plurimum nocumenti adferri Reipublicæ potest, nisi accurate caueatur.

Militaria priuilegia.

§. 2. Priuilegiorum varia sunt genera. 1. Priuilegium aliud diuinum est, aliud humanum. Diuina plurima veteri Sacerdotio concessa sunt. Humana autem cætera, qualia illa castrensia Euocatorum, vt cæterorum, vt immunes essent, nisi propulsandi hostis. 2. Affirmatiuum, negatiuum. Hoc liberatur ab aliquo onere, illo facultatem agendi consequitur. 3. Personale, Reale. Hoc rebus ipsis, illud personis adhæret. 4. Gratiosum, quod sola beneuolentia; Remuneratiuum, quod meritorum respectu datur. 5. Quod contra jus, & vltra jus. 6. Conuentionale, & sine pacto, seu purum. 7. Perpetuum, temporale, Fauorabile & odiosum; Fauorabile est omne priuilegium, sed hic dicimus fauorabile, quod in nullum damnum alterius tertii cedit: odiosum quod obest aliis. 8. Vnius personæ, vel communitatis, quæ sit tamen pars alterius Reipublicæ. 9. In foro interno, & externo. 10. Concessione, consuetudine. 11. Ecclesiasticum, ciuile.

Qui priuilegia recipit aliqua in parte inferior est.

§. 3. Respublica quæ condendæ legis habet potestatem, etiam priuilegia contra legem concedere potest; quæ hac facultate caret, priuilegia non potest concedere. Itaque soli subdito proprio, vel ei qui aliquo modo subiectus est priuilegia dantur, sic vicinis vrbibus, longinquis mercatorib. priuilegia multi in suis territoriis concedunt, quia aliqua in parte superiores sunt.

Militū multa priuilegia Roma.

§. 4. Priuilegia bene meritis dari ad bonum Reipublicæ pertinet. Nam honore & præmio virtus excitatur, plurimiq; ad defensionem patriæ exacuuntur. Romana Respublica, vtpote martia in milites præcipue fuit liberalis. Primarium erat, non trahi ad forum, sed à suis ducibus iudicari.

Plurima priuilegia eorum recenset Greg. Tolos. l. 19. syntagmatis c. 16. *Priuilegia personis militum quoq; concessa sunt, quorum aliqua accipe: nempe, vt iuris ignorantia, vel error in exceptione, suo loco proponenda, & omissa à milite ante sententiam, restitutionem habeat in integrum. In aliis etiam à iure inductis solennitatibus, militiæ munus releuat: cum magis milites arma, quam iura scire expediat. Aliud militiæ priuilegium apud Iuuenalem:*

Com-

Commoda, inquit, tractemus: primum communia quo-
Haud minimum illud erit, nec te pulsare togatus (rum
Audeat, excussos prætori ostendere dentes,
Et nigram in facie tumidis liuoribus offam, &c.

Filii primipilariorum paternam sequuntur conditionem: & filii qui ex officialibus nati sunt, in parentum militiam vocantur. Veteranis immunitates concessæ onerum & munerum in vniuersis locis ciuilium, & operum publicorum, collationum, & vectigalium, quæ in numdinis præbentur, vt nec volentibus permittatur, nec inuiti militare cogantur, nullis iniuriis incongruis pulsentur, seperentur à cæteris in pœnis, vt non dentur ad bestias, nec fustibus cædantur. Veteranis & liberis eorum idem habetur honor qui & decurionibus. A nauium fabrica excusantur, non constituuntur exactores tributorum: si tamen veterani se pasti sunt in ordinem decurionum legi, ex consensu illorum tacito, muneribus fungi coguntur. Quod si allecti in ordinem non sunt, sed sponte aliquod munus suscipiant ciuitatis, ex eo ad alia cogi subeunda non debent. Subeunt autem veterani vectigalia, & patrimonii onera solennia: veluti viæ sternendæ, & angariationis nauium.

Amittunt priuilegia veterani, si latrociniis sese dederunt. Fauetur nobilitati maximè, quando illustres viri inde sunt, & quando militant; vt neq; iudicio in causa iniuriarū, cogantur adesse, sed possint per procuratorem litem exercere. Possunt & pacto hæreditatem suam donare inter viuos, licet in paganis improbetur pactum de ea. Et certè dum res & status militaris ad verum reducitur, vix alia persona mihi videntur priuilegiis, aut maiore commiseratione dignæ, siue boni sint, siue mali milites ob eorum vsum: imo & peiores & truculentiores huic muneri meliores, σφαλῶ τὰ σὰ ἂν ἄνδρωπε, *inquit Philemon,* ἢ σιλάμμε ὡς τὰ ἱερεῖα, ἵν' ὅταν ἡ καιρὸς ᾖ θῇς, *id est,*

O miles non homo, qui pasceris
Quemadmodum victima, vt cum tempus fuerit immoleris.

Et incitandi priuilegiis sunt mortem oppetere, quam omnes natura refugiunt. Et ita vita & morte sceleratorum priuilegiata bonorum hominum, salus & bona cum modico detrimento conseruantur. Sunt & boni pariter & strenui milites, qui pro Reipubl. salute occupati, merito priuilegiis honorantur, vt bene meriti, alii ad bene merendum eisdem allecti.

Causa fuit, quia difficilis erat, periculosa, laboriosaq; militia, ducere fossam, ferre vallum, tenui victu, durissimis legibus ætum agitare.

Priuilegia Principem liberalem perdunt.

§. 4. Fuere tamen quemadmodum olim, ita nunc quoque priuilegiorum abusus, atq; ingentia incommoda exorta. Nam primo in omni genere priuilegiorum id cernitur; Realia enim dum per familias, & successiones traduntur, paulatim eo tendunt, vt Principem non agnoscant, nulla in re obtemperent. Personalia minus diuturna sunt, sed multitudine vilescunt, & in quos nimia congeruntur, fere præcipitant, & mole sua opprimunt. Remuneratiua minus inuidiosa sunt, sed ingratos & superbos fere efficiunt. Conuentionalia venditioni propria sunt, nec in beneficiis ponunt, etiam, quæ paruo precio comparārunt.

Odiosa sæpe reuocantur.

Maximè cauenda sunt ea, quæ odiosa vocant, hoc est, quæ aliorum juri derogant. Vt cum vectigalium immunitas, & publicorum munerum multis datur; necesse est enim cæteros prægrauari. Itaque Valentin. & Theodos. statuerunt, ne inermis militiæ milites à publicis functionibus essent immunes. Illa vero priuilegia de foro & judicio jam sublata sunt; nam citantur pro ciuilibus, & trahuntur pro criminalibus ad diuersa judicia. Nam quid non audeat miles apud centurionem, & socium prædæ causam malam dicturus; hinc tot extorsiones, concussiones, contumeliæq; prouincialium.

Legum & priuilegiorum pugna.

Deinde priuilegia juri communi derogant; vel expresse; cum id verba ipsa declarant, & quamuis leges communes, se ipsæ muniant, habeantque adjunctam clausulam frequenter, qua omnia priuilegia in contrarium concessa tollant, nihilominus tamen sæpe priuilegia legem cum ipsa clausula eludunt. Magna autem causa sit oportet, vt leges priuilegio imminuantur; nam quod à multis, & honestioribus jure non seruatur, id ab omnibus facile contemnitur. V. G. Nobilium quorundam priuilegium est, ne ob debita in vincula trahantur, multi eo vtuntur, & magnum æs alienum contrahunt, atque vltro creditoribus insultant, quos alii imitati faciunt, vt fides contractuum plane jaceat.

Ex priuilegiis oritur legum contemptus.

§. 5. Cum priuilegia odiosa, & ad grauandos alios spectantia sint restringenda; vt quam minimo tempore perdurent, minimosque effectus sortiantur, frequenter tamen importunitate priuilegiatorum contra juris normam, ad correlatiuos, aliosque extenduntur: quodque periculosum est regibus, cum res aduersæ sunt aut pericula, multi nobilium ciuitatumque priuilegio se tuentur, ne auxilio, operaue adsint rebus communibus; & quibus jure merito tributa, naues, frumentum, milites, pecunia, imperari poterat, nunc ne precibus quidem locum relinquunt.

Priuilegia data subditis Principem destituunt.

Nec vlla magis re, quam priuilegijs contra dominos serui, contra Patronos inualescunt clientes Nec dicere vereor; omnium quæ à ducentis annis Principatus Germaniæ, ciuitatesque concusserunt, seditionum originem à priuilegijs, multis, magnisque manasse. Olim Imperatorum ætate, quamuis multæ vrbes jus ciuitatis Romanæ tenerent, insignia tamen incolarum Quiritum erant priuilegia. Tandem par illi facta est Constantinopolis. C. l. 11. tit. 20. *Vrbs Constantinopolitana non solum iuris Italici, sed etiam prærogatiua lætetur,* de quo & c. 28. Synodi Chalcedonensis.

Priuilegiæ quo nocentiora sunt, eo difficilius tolluntur.

§. 6. Priuilegia quamuis multis ex causis desinant, difficilime tamen reuocantur, eoque difficilius, quo magis vergunt ad Reipublicæ detrimentum: quo enim publici boni ad se trahunt, eo pertinacius tanquam vtilissima tenentur. Pluribus illa res ad vtilitatem publicam explicanda est.

§. 7. Priuilegium cum mutatione rerum ex justo redditur injustum omnino tollendum est. Fecerunt hoc Imperatores etiam in priuatis possessionibus. Statuit Constantinus ne ad munera fiscalis possessor obligaretur l. 11. t. 25. c. *Priuatas possessiones nostras ab vniuersis muneribus sordidis placet immunes esse: neq; earum conductores, neq; colonos ad extraordinaria munera, vel superindictiones aliquas conueniri.*

Priuatæ possessiones imperatoris priuilegiatæ.

Hoc priuilegium Valens sustulit, eodem loco: *Rem priuatam nostram, leuandorum prouincialium causa, Canonicas necessitates ea conditione qua cunctos volumus sustinere, sed excessit occasio iussionem: quandoquidem non locis solitis frumenta quæ sunt ex diuersis conuehenda, trahantur, sed eo vsq; portentur quo graue atq; damnosum est prouehere. Proinde spectabilis sinceritas tua remanentes in iisdem locis implere faciat proprias functiones quibus antea frumenta præbebant.*

Reuocatum hoc priuilegium.

Honorius & Theodosius declarauerunt, non esse sordida illa opera. *Absit vt nos institutiones viæ publicæ, & pontium stratarumq; opera, titulis maiorum Principum dedicata inter sordida munera numeremus. Igitur ad institutiones reparationesq; itinerum, pontiumq; nullum genus hominum, nullius q; dignitatis ac veneration is meritis cessare oportet. Domus etiam diuinas tam laudabili titulo libenter adscribimus.*

Iterū redditum.

Theodosius tamen & Valentinus iterum restituerunt. *Excepto patrimonio pietatis nostræ, cuius quidem reditus necessitatibus publicis frequentissime deputamus: vniuersos possessores functiones in superindictis titulis absq; vllius beneficii exceptione agnoscere oportere censemus.*

CAPVT XIX.

Legislatori summam rationem consuetudinis habendam.

Consuetudinis magna vis, quia in multis est.

§. 1. CONsuetudo legem facit, legem abrogat, aut si contra eam Principis seueritas nitatur, lex odium, hoc seditionem efficit. Itaq; consuetudines Reipublicæ suæ prudens legislator imprimis cordi habere debet. *Est vero consuetudo id quod sine lege, æque ac si legitimum esset, vsitatum est. Ius videlicet moribus institutum, quod pro lege suscipitur.* Ita auctor ad Herennium, addit posteriori definitioni Isidorus apud Gratianum, *Cum deficit lex*, definitio hæc pars ex Tertulliano de corona militis sumpta est. Vocatur, & mos, & vsus, & actuum frequentiam significat. Intelligiturq; de rebus, quas aliquis facit longo & continuo tempore.

Actuũ frequentia ius facit.

Frequentia actuum inducit habitum seu inclinationem, & jus quoddam, ex quo nascitur obligatio eodem modo operandi, & alias leges contrarias abrogandi. Consuetudo itaq; jus facit, & legem; præscriptio vero dominium transfert, facto priuati inualescens, & firmata; consuetudo vero populi est.

§. 2. Consuetudo versatur circa res, & personas, circa actiones humanas, circa pleraque in quibus lex est. Alia est communissima, quæ fere est jus gentium, alia vero in vna aliqua Republica, alia priuata, vel personæ vel communitatis imperfectæ, quæ jus facere non potest. Sed ea tamen juri communi obstrepere solet. Diuiditur etiam in consuetudinem Ecclesiasticam, & ciuilem.

Consuetudo tantum humanas leges abrogat

Est etiam consuetudo secundum jus, præter jus, contra jus. Omnis consuetudo bona & legitima est, secundum jus naturale, hoc est ei consentiens, & secundum jus diuinum positiuum. Deinde nulla consuetudine jus naturale, & jus diuinum abrogari possunt.

Consuetudo contra ius gentiũ.

§. 3. Contra jus gentium consuetudo valere potest, si rei naturam spectes; nam quod jure gentium receptum est, ejus contrarium, non est ex natura malum; ideo consuetudine induci potest. Ex natura, non autem fieri potest, ob circumstantias, & aliarum gentium scita, concordiamque. Exemplum adferri solet, de captis bello, qui jure gentium mancipia fiunt, cum tamen hoc in quibusdam regionibus non fiat. Verum jus gentium ego non puto tolli à

Europæi nõ violant ius gentium in seruitute.

Christianis Europæis, qui alios Christianos in seruitutem non redigunt. Ius enim gentium est, vt ne capti bello occidantur, sed seruentur, ideo serui dicti sunt; Itaque primarium est, quod jure gentium est conuentum, ne sæuitia bellorum nimia sit, & gladius victoris ad internecionem non grassetur, in modo seruitutis lenitas probatur; & multo magis, si redimi & commutari patiantur, si benigne habeantur, id ego multo magis secundum jus gentium arbitror, quam crudelissimam seruitutem, qua domini jus necis & vitæ habebant, quæ post ærumnosos labores ad metalla, ad bestias, ad infanda vendebantur; nam cum Cicero, alijque libertatem etiam morte propugnandam decernunt, non hyperbolice, sed ex vsu rerum loquebantur; nam reuera prisca seruitus morte grauior fuit.

Non potest vna gens ius gentium mutare.

Itaque nego gentem aliquam posse consuetudinem juri gentium contrarium inducere. Quia respectu gentium, & hujus juris pars est humani generis, nec sine totius consensu possunt legem illam immutare, cum cæteri lege illa teneantur.

Deinde nec jus gentium ab vno Principe contraria lege potest aboleri. Quia fieret cum damno aliarum gentium; potest determinare & lenire, vt si seruari hostes dedititios jubeat; nam misericordiæ victoris, non crudelitati, se tradiderunt, abolere non potest, nisi in hoste, qui ipse jus gentium ante violasset.

Hæc consuetudo præter jus gentium, sicut alia præter jus diuinum dari potest. Sic jure diuino, quinquaginta plagæ reo infligantur, consuetudine Israëlitarum vna minus dabatur, ne forte numerum excederent. Contra jus diuinum, quæcunque consuetudo est, abusus est, jus nullum inducit, sed pœnæ reos efficit.

Consuetudo secundum legem humanam illam firmat, quæ contra legem est, eam abrogat.

Ad consuetudines refero, *stylum*, hoc est, modum & ordinem agendi, *ritum*, hoc est, actuum solennitatem vsu receptam, vt jam non sit licitum jus aliter instituere.

Consuetudo vt leges abrogari possunt.

§. 4. Omni consuetudini conuenit, vt sit justa, vtilis, & boni communis causa; quod enim legem facit irritam, id etiam de consuetudine intelligendum est. Ideoque vt malæ leges, ita etiam consuetudines sunt abolendæ. Hinc quemadmodum melior consuetudo deteriorem legem, ita melior consuetudinem inutilem, aut onerosam abrogare potest. Non potest vero lex consuetudinem sibi contrariam in futurum prohibere, etiam si vetet eam induci; nam quamuis contra legem inducta sit, est tamen rationabilis. Consuetudinem firmat, quod in mores recepta sit, seruantibus morem ex conuentione populis; consuetudini enim conuentio inest.

Hinc clarum est consuetudinem, quæ sit legis instar posse à Republica, vel parte Reipublicæ induci, quæ est ejus potestatis, vt legem ferre possit, vel sanè legem recipere; nec opus est, vt ab omnibus, sed majore parte consuetudo seruetur.

§. 5. Vis igitur consuetudinis incipit ab actibus, & tacita vel per actus, vel omissiones conuentione, perficitur autem per Principis consensum, qui vel cognoscitur ex lege, si videns consuetudinem justam, & vtilem inualescere, eam lege lata approbat. Atque ita lex est. Vel animaduertens dissimulat. Vel sane communi lege omnes honestas, vtilesque consuetudines approbat.

Nunc vero consuetudines rationabiles, & legitimas jus commune approbat. Ita 1. distinction. mos. Quod legem mores faciunt, & commune jus legibus, & moribus constat 1. distinctione *Omnes.* Et 8. distinction. *mala.* & 12. distinctione Omnia talia. 16. quæstione 3. dicet. *Quod consuetudo illorum, cum quibus conuersamur, si non est peruersa, obseruanda est.* Et distinct. 11. *quis. Quod consuetudines Romanæ Ecclesiæ obseruandæ sint.*

Eadem habet jus ciuile l. forma censuali. §. Si vero de censibus. sic & consuetudo *quæ initio non habet memoriam aquæ ductum ex publico sustinere. Videtur enim id Princeps ratum habuisse.* Hæc præcipue de consuetudine, quæ dicitur præscripta, sunt intelligenda, præscribitur autem inter præsentes spacio decem annorum, viginti, inter absentes.

Non requiritur autem sententia judicis, vt approbetur, nec tamen nisi admodum probetur facile secundum eam judicandum est. Nisi tum cùm est præscripta, vel aperto consensu approbata, vel legis alicujus interpretatrix secundum plerosque Doctores.

Consuetudo praua mutanda est.

§. 6. Consuetudo injusta, vel inutilis, vel perniciosa solerter inuestiganda est. Cujus signum est. Si ab vno hominum genere vehementer affectetur: illis

illis enim cum vtilis sit, cæteris inutilis erit. Plerunque eximium commodum partis, in totius damnum redundat. Videndum an sit consuetudo ex malis moribus orta ; nam vt ex malis moribus bonæ leges, ita prauæ consuetudines oriuntur. Hinc bonæ leges plerumque malis moribus oppositæ graues videntur, & per consuetudines tollendæ illis, qui suis moribus, quam legibus publicis malunt viuere. Verbi gratia. Consuetudo est Ecclesiarum multarum, vt vno, alteroue anni die, si quis adsit, corpus vt vocant, accipiat, quamuis reliquo tempore Ecclesiam ne quidem spectarit. Consuetudo illa orta est ex pluralitate beneficiorum, hæc ex auaritia, ideo consuetudo merito suspecta est.

Suspectæ cõsuetudines.

Cum pluribus, præsertim Ecclesiasticis legibus consuetudo repugnat, suspecta est. Isidorus in Synonym. cap. 16. *Consuetudinem*, ait, *legibus cedere*; sed de praua agere videtur. *Nam prauus vsus ratione superatur, & lege.* Et distinct. 11. cap. 2. *Vsus auctoritatis cedat, prauum vsum lex & ratio vincat.* Et can. 4. *Consuetudinis vsusq; longæui non vilis auctoritas est, verum non vsque adeo sui valitura momento, vt aut rationem vincat aut legem.*

Quod verò canon. 5. *docet inuiolabilem esse consuetudinem, quæ nec sacris canonibus, nec humanis legibus obuiare monstratur*, id de priuatis consuetudinibus, & non præscriptis accipiendum, nam sacros Canones rerum indifferentium mutare posse constat, vt distinctione 12. cap. 7. *In his rebus de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum pro lege tenenda sunt.* Et sicut præuaricatores diuinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coërcendi sunt.

Consuetudo pro lege est.

§. 7. Consuetudinem studiosè explorandam censeo; vt si mala sit, antequam corroboretur possit aboleri. Nam initia fere à malis habet, qui enim consuetudinem, quæ aduersum leges est, inchoant, sine dubio violanda lege peccant. Consuetudo itaque bona ortum habet à transgressione legum, & inobedientia. Leges è contrario à consultatione, à Senatu, à Principe. Quod cum ita sit præcipue est consuetudo periculosa in Ecclesiasticis, si canones de medio tollat.

Consuetudinis initia vitiosa.

In ciuilibus enim facilius incipit lex esse injusta, ac proinde rectius mutatur, nec mutatio ejus à malis moribus initium semper habet, cum materia in plurimis sit talis, quæ ad mores non pertinet. At canonicæ leges cultum diuinum, mores q; respiciunt, fundamenta, & rationes habent ex Scriptura, & Apostolicis sanctionibus, seueritatem etiam & vitæ integritatem exigunt, vt fere consuetudines contrariæ vitiosæ sint; quia leges Canonicæ multo pauciores adiaphoræ sunt, quam ciuiles; quapropter consuetudinum accuratius est examen in sacris, quam profanis.

Contra canones consuetudines vitiosæ.

Canon legitur vndecimus distinctione 44. *Pro reuerentia Dei, & Sacerdotum id vniuersa sancta constituit Synodus, vt (quia solent crebro mensis ociosæ fabulæ interponi) in omni Sacerdotali conuiuio lectio diuinarum Scripturarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* ita Concil. Toletan. 3. cap. 7. Nunc lex illa pulcherrima contraria consuetudine abrogata est, dissimulante Pontifice, & Episcopis; nec tamen vllus est, qui non præferat consuetudini tàm sanctam legem; nec dubium, quin illi, qui primo legem violarunt deliquerint.

Consuetudinis itaque quæ contra legem est, pudenda plerumque initia sunt, à deteriore ciuitatis parte introducta, præsertim in rebus Ecclesiasticis, quæ ab initio optimè constitutæ fuerunt.

Omnino enim diuersa est ratio terrenæ ciuitatis, quæ à paucis incepit, paulatim experientia, doctrina, aliarum exemplo leges antiquas, barbarasque emendauit, & Ecclesiasticæ quæ à Christo, Apostolisque instituta viuendi præcepta optima in ipsis primordijs habuit, nec facile mutationem, nisi in deterius fecit.

Consuetudines sanè quæ ex traditione manarunt seriò custodiendas censuit Basilius Magnus de Spiritu sancto, locum adscribam, quia etiam in decretum translatus est, distinct. 12. c. 5.

Traditiones seruandæ.

Dogmatum & institutorum, quæ in Ecclesia seruatæ sunt, alia quidem habemus ex doctrina, quæ literis consignata est, alia vero ex Apostolorum traditione ad nos transmissa, in mysterio recepimus, quæ vtraq; eandem vim ad pietatem habent: atq; his nemo sane contradixerit, qui vel exiguæ legum Ecclesiasticarum peritia sit præditus: nam si aggrediamur ea quæ non scripto, sed tantum consuetudine constant, repudiare imprudentes Euangelio, & quidem in præcipuis ipsius partibus officiemus: vel potius ipsamet instituta ad inane quoddam nomen redigemus. Exempli causa (vt quod primum maximeq; commune est primo loco commemorem) eos qui in Domini nostri Iesu Christi nomine spem posuerunt, figura crucis signari, ecquis scripto docuit? dum oramus ad orientem Solem conuerti, ecquæ nos literæ docuerunt? Verba inuocationis, cum panis Eucharistiæ, & calix benedictionis offertur, quis ex Sanctis Patribus, scripta nobis reliquit? Non enim iis contenti sumus; quorum Apostolus & Euangelium mentionem fecerunt; sed alia quoq; cum antea, tum post, dicimus, vtpote quæ magnum momentum ad ipsum mysterium habeant, doctrina non scripta, sed tradita eruditi. Benedicimus aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, atq; illum ipsum præterea qui baptizatur, ex qua Scriptura? nonne ex occulta, & mystica traditione? Quid? ipsam olei vnctionem qui sermo scriptus docuit, quod homo ter mergendus sit, vnde accepimus? Abrenuntiare Satanæ atq; Angelis eius & reliqua omnia quæcunq; in Baptismo obseruamus, quæ Scriptura iussit? An non hæc ipsa minime vulgata, sed secreta doctrina, quam quieto, mimimeq; curioso silentio Patres nostri custodierunt? Probe quidem illi intelligentes, mysteriorum maiestatem taciturnitate seruari.

Concludam aurea sententia Nicolai Papæ ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum. *Mala consuetudo, quæ non minus, quam perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus euellatur in priuilegiorum ius ab improbis assumitur, & incipiunt præuaricationes, & variæ præsumptiones celerrime non compressæ pro legibus venerari, & priuilegiorum more perpetuo celebrari.* Oraculum est, quod in dies impletur.

Ex malis cõsuetudinib. pessimæ leges.

CAPVT XX.

Princeps legibus astringitur.

§. 1. MIHI Theologi & Iurisperiti hic non tam diuersa sentire, quam verbis alijs, atq; alijs vti videntur. Res enim vt mihi videtur minime dubia esse potest, quam idcirco paucis.

1. Omnis Princeps, atque adeo Respublica diuinis legibus, & naturalibus non minus, quam subditi in conscientia astringitur. Imo contra eas veniendo, quia conspectius crimen est, & exemplo plurimum nocet, grauius peccat, quam subditus. De illa lege rectè Plutarchus de regno. ὅτι ἐν βίβλοις ἔξω γεγραμμένοις, ἀ δὲ πισὶ ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος, ἀεὶ συνοικῶν, καὶ φυλάττων, καὶ μήποτε πλὴν ψυχῆς ἐῶν ἔρημον κηδεμονίας. Lege illa viuendum, quæ non in libris extrinsecus scripta est, nec in tabulis, sed quæ animæ insita est ratio,

Deilex omnes tenet obnoxios.

semper cum eo habitans & custodiens, nec vnquam animam absque sui custodia, curaque relinquens.

Princeps nō cogitur.

§. 2. Cum in lege sit potestas directrix, & coactrix, Princeps nec ad legem naturalem, nec ciuilem obligatur potestate coactrice. Ratio est in promptu; Quia potestas illa ab externo est, contra inuitum; at nemo subditorum potest Principem cogere, quia legitimam auctoritatem in Principem non habet. Nec seipsum cogere dicitur, sed sponte facit, quod suo arbitrio facit. Externus verò Princeps multo minus id potest, quia par in parem non habet potestatem.

Placet igitur aliquem esse in Republica, qui metu pœnæ nullo leges obseruet. Sine metu pœnæ humanæ, non diuinæ. Quicquid enim in Principe metuunt subjecti hoc à Deo illi exspectant.

Rex peccator non puniendus legibus.

§. 3. Princeps violando diuinas leges pœnam incurrit, & obnoxius redditur æterno supplicio; non tamen temporali pœna ex legibus punitur. Legis diuinæ præscriptum. *Qui fuderit sanguinem, fundatur sanguis eius.* Et, Deuteronom. 22. 22. *vt vterque moriatur, adulter & adultera.* Dauid Rex, & facinus & flagitium commisit, adulter vxoris, interfector mariti, pœnam Deo debuit, sed tamen secundum legem non dedit, non quia reus non fuit, sed quia defuit executor. Nec enim seipse accusare, aut noxæ tradere debuit; sed judicium diuinum exspectare, quod fecit.

Cum enim non haberet superiorem, à quo legitime puniretur, Ideoque nulli ad sustinendam pœnam parere cogeretur, ad pœnam illam non nisi ex speciali mandato obligabatur.

Lex enim data est Magistratui, vt ordinaria potestate, audita caussa, homicidam, & adulterum occidat. Non vt ipse homicida, & adulter se sponte judicio sistat, aut mortem adferat. Eadem igitur libertate & Reges fruuntur, eaque fit, vt ab homine puniri non possint.

Quasdam pœnas subire tenentur Reges.

§. 4. Princeps pœnas quasdam diuinæ legis subire tenetur, quæ alios etiam communiter tenent, suntque tales quæ Principem non dedeceant, nec alienam vim requirunt, quæque sunt, leges potius, quam pœnæ, quamquam pœnam contineant. Nam in veteri Testamento pro peccato suo victimas destinatas tàm Reges, quàm populus offerre tenebantur; nam in hisce vnusquisque suæ pœnæ executor erat. Quæ an fuerit proprie inuitorum, aut proprie pœnæ non disputo.

Nec sanè expedit, constitui in Republica, qui Regum scelera puniant; hinc enim odia, & bella. Nam si deliquisse Rex se nouit, omni potentia pœnam euadere nitetur, plusq; mali erit ex timore pœnæ, quam delicto; Iustum esse facile est, cui vacas pectus metu, si meruit, morte eorum quos timet, securitatem præstabit sibi.

Nemo sit regum vindex nisi Deus.

§. 5. Ciuilium legum pœnis teneri Principem aliquādo arbitror, aliquando ea liberum esse. Pœna tenetur cum delictum in alterius damnum vergit, vel pactum tacitum est interpositum.

Et quidem de pacto non est dubium; Hæc enim præcipua Principis virtus est, stare pactis conuentis; cum vero pœna aut satisfactio pactis exprimitur, non minus Principi, quàm priuato subeunda est.

Pœna cum in debitum cedit obligat Principem.

Nam in debitum illa res cedit. Verbi gratia. Iure communi donationes inter conjuges vetitæ sunt, illæ scilicet per quas donatarius redditur locupletior. Princeps illa lege tenetur, & si negligat restituere, in conscientia cogitur; quia ratio legis multo magis in Principe valet; nam & eblandiri potest, & si negentur petita ab vxore, majus metuendum est malum. Ita leges: π. titulo de rebus dubijs. l. *Si inter virum. Causa est ne mutuo amore inuicem spolientur, donationibus non temperantes, sed profusa liberalitate erga se abutentes.* Atque hac ratione lex obsepsit lubricas ad paupertatem vias. Hic Princeps quoque restituere tenebitur, vt legem impleat. Et ad hoc tenetur jure naturæ, & jure communi, quo vxorem ducere cēsetur. Nam quis vir honestus filiam Principi daret, si non communi lege illam duceret?

Ex pacto pœna debetur.

Deinde quicquid conceditur per modum pacti, dandum est; & pœna, cum est in præjudicium tertij, pendi debet. Exemplum est; In sylua communi Principi & nobilitati, nemo venetur, nisi auctumno, si fecerit biennio careat jure venandi, Princeps ante tempus constitutum venatur, nihil capit, nec feras terrendo fugat, nullum itaque factum est damnum; quia tamen lex est communis ex pacto abstinebit biennio à venatione.

Deinde cum pœnæ omissio in aliorum detrimentum vergit, pœnam cogitur exsoluere. Tum enim ratio naturalis, quæ vetat violando legem alijs molestum esse, & nocere, cogit satisfacere. Si enim tutoris est judicem facere, l. fin. arbit. Tutel. c. *quicq; id negligit, ille infamis est, nec testator remittere potest,* Princeps si tutelam suscipiat, etiam inuentarium facere; & si ex eo non facto damnum sequatur, pupillo satisfacere debebit.

Magistratus interdū satis dare cogitur.

Deinde constringuntur pro satisdatione fidejussores, affirmatores, & nominatores tutorum, interdum quoque Magistratus, qui idoneos non admittunt tutores. In his igitur jure naturali obligatur; si enim coëgit Tutores satis dare, rem pupilli saluam fore, se omni pœna exemit, si legem non seruauit, qua pupillus damnum fecit, sibi imputet.

Si nullum est detrimentum tertij, Princeps pœna legis non tenebitur. Vetitæ sunt propinationes Germanicæ, Anno 1500. 1530. 1548. Augustæ. Anno 1512. Coloniæ, Anno 1577. Francofurti; statuamus pœnam esse positam, vt qui propinauit, vel qui alterum, aut sese inebriauerit, vini sextarium Proxotrophio offerat. Princeps propinauit citra suam, aut alterius ebrietatem; pœna non obligatur, quamuis culpam contraxerit.

Princeps subditum, Principem punit Deus.

Nam nulla injuria tertio infertur, vt ex eo cogatur pœnam pendere, nec judex eum cogere potest. Nemo ligatur nisi à proprio judice. c. at si Clerici de judicijs. At in sua caussa contra se judex esse non tenetur. Grauius tamen peccat, & Deo puniendus relinquitur. Nec decoquet illi creditori, lento irrepent agmine pœnæ. Et curæ dolores laqueata circum tecta vagantes, efficient miserum.

Dirigit non cogit regem lex.

§. 6. Princeps obligatur ciuiliter lege sua, ideoque stare debet contractibus, quorum valor est ex solo jure ciuili; Itaque & contra eum præscribere potest subditus, teneturque illi rem permittere. Ciuilis autem obligatio non est necessario coactiua.

Nec vis directiua tamen sine coactiua inanis est, neque Respublica magnopere grauatur. Primo, quia grauiter obligat conscientiam. Deinde quia non est caussa Principi, cur in paruis fallere velit. Nam vbi optimates, vel populus clauum Reipublicæ tenent, singuli cogi possunt. Denique non magnum est detrimentum in vnius libertate; Respublica videat, vt talem eligat, cui cum plurimum licet, minimum libeat.

§. 7. Denique lex ciuilis tàm propria, quàm antecessorum, quam diu manet, (potest enim eam Princeps justa de causa abrogare) Principem vere, & in conscientia alligat, si modo res præcepta sit Principi, & populo communis, quædam enim leges soli plebi,

Conscientiam Principis lex obligat.

plebi, quædam nobilitati scribuntur. Verbi gratia, si justa rerum precia statuantur, aut pondera, & mensuræ, non potest fiscus Principis ea carius vendere, aut leuius pondus instituere. Eadem ratio est in moneta, cujus precium cum Principis lege taxatum est, non potest jactare numerum, vt precium minuat, aut exaggeret. Maneat igitur firmum ac fixum. *Pareto legi, quisquis legem sanxeris.*

Ex vi legis & natura hæc obligatio oritur. Iura enim docent lege Principem obligari, legis igitur vi, & ratione obligatur, non aliunde duntaxat. Ita distinctione 9. cap. 2. *Iustum est Principem legibus obtemperare suis. tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit, posse damnare iura, quæ in subiectis constituunt. Iusta est enim vocis eorum auctoritas si, quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Princeps docear, & mõstret seruare leges.

Si hoc justum, & consequenter contrarium injustum, non aliunde nisi à lege justum; lex enim constituit medium justitiæ, tàm in Rege, quàm in populo. Sic etiam in cap. *Non liceat Papæ.* 17. quæst. 1. & jure ciuili, Codice de legibus, & Constitutionibus Principum, l. 1. tit. 14. *Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas, & reuera maius imperio est, submittere legibus Principatum, & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patiamur illis indicamus. Datum 3. Idus Iunii Rauennæ Florentino & Dionysio Coss.* 429.

Et l. 3. 1. de testamentis. Proprium Imperatoris est legibus viuere. Et optime Cato: *Patere legem, quam ipse tuleris.* Et l. 23. π. de legatis.

Lex est Rex regis.

Quod enim quisque juris in alterum statuerit, eodem ipse vtatur. ad prætor. edictum. Iustum est Principem suis obtemperare legibus. Vere Plinius in Paneg. *Non est Princeps supra leges, sed leges supra Principem.* Et Ambrosius Epistola 32. ad Valentinianum. *Quod cum præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi: Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Apud Imperatorem plus iustitia, quam licentia valet, vt sapienter* Symmachus. Quin & illud verè; *Principem legibus solutum non esse, sed videri.* Itaq; cum dicitur ἐπάνω τῶν νόμων esse, de pœnis solis accipiendum est. ἁμαρτήσας γὰρ κολάζεται. Peccatis enim pœnas non dat.

Magno est dignus supplicio, si non mdo dignitatem, sed etiam instrumenta virtutum subdat vitiis, sed hoc tolerandum est, quia vindicari, nisi à Deo non potest; nam & aliorum multiplicia delicta tolerantur, qui legum seueritatem eludunt.

Potestas à iure est, ideo & iure vti debet.

§. 8. Etiam Respublica Principem legibus obligat; nam reuera cum legem communem toti Reipublicæ promulgat, se etiam simul comprehendit, & voluntate publica eidem sese subjicit. Principis enim auctoritas à jure dependet, ideoque quicquid statuerit justa caussa moueri præsumitur. Intelligitur enim illa analogia, & conformitas, ne caput dissimile sit reliquo corpori. Quam enim absonum esset, tota vrbe indictum esse jejunium & temperantiam seruari? in sola aula genialiter Principem viuere?

Monstrum est Princeps bonis legibus regens, si male ipse viuat.

Cum igitur Respublica in legibus omni parti & capiti communibus non possit legitima ratione Principem eximere, necessario etiam sua lege tenebitur; quia contra rectam est rationem, ideoque legem naturalem, quæ est recta ratio, est, caput Reipublicæ corpori non conuenire. Cur enim alligent opera grauia subditis, ipsi autem digito nolint ea mouere? Hinc etiam intelligimus leges Ecclesiasticas non esse aliis imponendas, nisi & ipsi legislatores teneri illis velint.

§. 9. Quia vero ad jus naturale pertinet obseruatio legis latæ, rectè docet Soarez libro 3. de legibus cap. 35. eam à Deo præcipi. *Respondeo igitur Deum qui est principalis autor huius potestatis, illam conferre sub conditione prædicta, & non aliter, & hoc ipsum colligi ex ipsamet ratione naturali absque alia reuelatione, vel pacto humano. Declaratur in hunc modum: nam omnis potestas legislatiua est à Deo principaliter, vel immediate, vt in potestate Ecclesiastica, vel mediante Republica, vt in ciuili. Vnde licet homo immediate legem ferat, in eo actu se gerit, vt minister, & dispensator Dei, vt ex Paulo in superioribus attulimus, ergo intentio, & voluntas Principis ferentis legem, debet conformari intentioni Dei dantis potestatem; imo efficacia legis ad obligandum magis pendet ex intentione Dei, quam particularis legislatoris. Deus autem non solum, vt autor gratiæ, sed etiam vt auctor naturæ vult, legislatorem humanam non habere potestatem ad ferendas leges, nisi cum vniuersali obligatione illarum, qui totam Rempublicam, vt constantem ex corpore, & capite comprehendat; ergo. Probatur minor ex ipsa necessitate communis boni, ad quod hæc potestas ordinatur; datur enim in ædificationem, non in destructionem. Quod autem ad huiusmodi bonum commune pertineat potestatem hanc ita esse datam Principi, vt licet in voluntate eius sit legem ferre; si tamen ferat, vniuersalis sit, & ipsum comprehendat, declarant sufficienter testimonia Scripturæ & rationes adductæ, & communis consensus non solum Patrum, sed etiam Philosophorum propter quam caussam dixit optime Aristoteles 3. Politic. cap. 7. circa finem; legem debere in Republica dominari. nam (vt ibi rectè explicat Diuus Thomas) dum non occurrit sufficienter ratio excipiendi aliquid à lege, etiam ipse Princeps debet illi subiici, & secundum illam legem vel operari, vel iudicare, quia alias inutilis redditur lex, & Respublica perturbatur.*

Deus Principem legib. obligat.

Lex inutilis redditur ni si secundum eam iudicatur.

Si igitur Princeps immediate à Deo potestatem habet ferendarum legum, ergo & ea conditione, vt secundum rectam rationem ferat; si mediate à Deo, media Respublica, ab illa etiam accepit limitatam potestatem, vt ipse censeatur obligatus à Deo, & à Republica.

Communis sponsio ciuitatis obligat, & caput ciuitatis.

Itaque obligatio est ex lege positiua, & naturali; quamquam verò ferre non teneatur legem, constituta tamen ea obligatur. Atque hoc est, quod dicitur, *Lex est communis sponsio ciuitatis.* Errant igitur, qui cum dicunt, legem imperare Principibus, intelligendum non de lege scripta, sed naturali; nam lex naturalis, & scripta Principem subjicit. Modo ea sit illius materia, quæ ad Principem etiam pertineat.

Atque hinc facile soluuntur illa, quæ pro licentia Regum contra leges disputantur. Cum aliqui Principes majores legibus esse asserunt. Cum ajunt legislatorum intentionem non esse, vt se legibus subjiciant.

Cur Principes legib. eximantur.

Cum ajunt legem esse opus Principis, differentiam esse inter dantem & accipientem. Hæc enim ipsi qui dicunt satis ostendunt firma non esse. Nam posita lege, debet esse legislatoris ea voluntas, si recta est, vt legibus subsit; hoc enim à Deo statutum est, & juris est naturalis; differt autem à legislatore Deus, & Respublica.

Lex est opus Principis, & Princeps est animata justitia, sed opere suo imprimis obligatur; sic & notum est opus vouentis, & tamen violari votum non potest. Certè qui hæc objiciunt, legibus tamen Principes obligant; vt Gregorius Toletan. libr. 7. cap. 20. §. 34.

Leges necessario seruandæ.

Sed & leges, quæ stabilierunt Principatum, vt de successione primogeniti, de prohibita dominiorum alienatione, de exclusione fœminarum à successione regni, vt de aliis non possunt à Principibus per legem ad Principatum peruenientibus rumpi & infringi, nisi & regni & Principatus

qualitas & ſtatus peruertatur, nec qui Principatum obtinere voluerit mutata lege regni, poteſt euadere titulum tyranni, quia præter legem vſurpabit Principatum. Quare cum Samuel primum Regem iuſſu Dei elegit in Iſrael Saulem, locutus eſt ad populum præſente Rege, legem regni, & ſcripſit in libro & repoſuit coram Domino. Atque Plato. Probabile inquit eſt Regum maxime hunc morbum eſſe, qui ſuperbe propter delicias viuunt, quod plus quam leges contenderent poſſe voluerunt nec in eo concorditer permanſerunt, quod verbis & iureiurando laudauerunt, vnde ſeditiones ortæ ſunt. Sic per pares Franciæ declarata ſunt irrita, apud Tricaſſes ſeu Troye en Cha paigne pacta inita inter Regem Carolum Sextum, & Henricum Quintum Regem Angliæ, quibus placuerat natos ex Margareta filia Caroli Sexti & Henrico Regi Succeſſores in regno Galliæ excluſo Carolo Septimo, quia eſſent facta contra legem Salicam, quæ fundamentalis eſt regni Galliæ. Exemplum etiam erit in lege electionis Imperatoris, quam peruertere non licet, ei qui dici voluerit legitimus Imperator. Et hanc ſi quis velit ſua temeritate & viribus inuertere, atque electorum & Summi Pontificis in ea autoritatem conuellere, vel parum proficiet, vel ſtrages propemodum innumerabiles excitabit : Item, ſi quis electionis Summi Pontificis leges contemnens, ad electionem properet ; totam Reipublicæ Chriſtianæ quietem ſchiſmatibus conturbabit, in ſumma de aliis idipſum collige Principatibus, in quibus ſi quis pro arbitrio leges voluerit ſucceſſionis vel electionis confringere, futurum eſt nullam Rempublicam fore firmam, tutam aut probis legibus aut moribus conſeruandam : neque aliud vniuerſus erit orbis, in quo talia innouabuntur, quam ſpelunca latronum, & lerna malorum, & omnia vi potius, quam iuſtitia agentur.

Leges eligendi non poteſt mutare Princeps.

Nunc ſi quæram cur Principes legem de primogeniti ſucceſſione mutare non poſſint ? ſi externas cauſas adducant ; Turbas, ſcandala, & ſimilia, fieri poterit, vt nec ſeditionem, nec offenſiones efficiat primogeniti præteritio. Cauſa igitur eſt communis Reipublicæ ſponſio & Dei voluntas.

Princeps docet violare leges.

§. 10. Non poſſunt leges eſſe ſtabiles, niſi à Principibus firmentur ; neruus autem & vinculum legis eſt vſus. Tot bonis & ſeueris legibus vetita eſt in Germania propinatio, nunquam in populum modeſtia induci potuit ; quia in aulis Principum aliquorum manet ad æquales propinationes coactio, quorum ebrioſa inſania omnem legis vigorem exſtinxit : & illa ipſa comitia, quibus ſobrietas ſancita eſt, ebriorum vocibus perſonuerunt. Captioſe Princeps Flaminiæ & Æmyliæ auorum memoria tulerunt leges, magnis pœnis ſancitas, quas tamen primi ipſi prætergrediebantur, cumque neglectui haberentur, magnusque eſſet numerus præuaricatorum, grauiſſimas multas exigebant. Improbi tyranni illi fuere ; nam & leges male ferebant, & pejus transgrediebantur, peſſime verò puniebant eos, qui violaſſent, exemplo tamen ſuo, quantam vim Principum vita in legum cuſtodia haberet, oſtenderunt. Ita ſane eſt : vere dixit Laurentius Medicæus. *Talem eſſe ciuitatem, quales Principis mores.*

Deus quomodo leges principi ſubiecit.

§. 11. Solent illi etiam, qui Principem lege eximunt, tueri ſententiam ſuam, Nouell. 105. *Omnibus autem à nobis dictis, Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipſas Deus leges ſubiecit, legem animatam eum mittens hominibus, eo quod Imperatori quidem iugis, & indeſinens conſulatus omnibus ciuitatibus & populis & gentibus, in ſingulis quæ placent diſtribuenti, aduenit.*

Equidem hac ex ea lege nihil conficitur, ſcribit enim Imperator Strategio Comiti ſacrarum largitionum, & ſumptus Conſulum moderatur, nimium enim excreuerant ; ratio legis ne honor ille vſitatus, & optimis viris dari ſolitus, rem eorum minueret.

Largitiones conſulum moderatur Imperator.

Difficultatem verò nullus habebit horum, qui ad conſulatus veniunt honorem, ſi mediocrem ita faciens expenſam in omni tempore fiet. Et omne quicquid hactenus conſulatus habentes honorem, & ex foro tuæ celſitudinis, & ex glorioſiſſimis præfectis noſtris, aut etiam aliunde per munificentiam noſtram percipiebant, & nunc eis dabimus, ab eis quidem faciendas expenſas abbreuiantes, à nobis autem largitatem non minorantes, omnibus autem à nobis dictis, Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipſas Deus leges ſubiecit, legem animatam eum mittens hominibus.

Hinc primum reſpondeo ; Legem eam ex eo genere eſſe, quæ communis Principi & populo non ſit. Nam ad leuandas expenſas priuatorum pertinet, ne ex honore capiant detrimentum ; Reſpondeo ſecundo. Legem non patere latius, quam rationem ; at ratio Imperatori non conuenit, cum expreſſe dicat : *Imperatoris fortunam maiorem, & indeſinentem ei conſulatum aduenire.* Denique, *conſulatum ſequi ſceptra imperii*, cauſſam igitur non modo juſtam, æquam, ſed fauorabilem etiam adducit, cur ipſe ea lege vti nolit ; ne videlicet beneficia in populos, & ciuitates reſtringeret. Sententia igitur ad præſentem eam accommodata nihil contra obligationem imperatoriam efficit.

Leges principi ſubiectæ, vt eis obediat, vel ſi malæ ſint, tollat.

Deus Principi leges ſubjecit, quia pro temporum opportunitate ferre nouas, abolere veteres poteſt ; non tamen ita ſubjecit, vt illas manentes, & totam Rempublicam obligantes pro arbitiro violare poſſit.

Nam ſubjecit & corpora ſubditorum Principi Deus, & bona eorum, ſed ea tantum imperio poſſidet, non dominio. Ideo ſine legitima cauſſa nec bona ſubditis auferre, nec corporum vti opera, vel in eam ſæuire poteſt. l. 5. eod. ad l. Iul. Majeſt. & tit. de bonor. damn. Ita quoque non poteſt tollere leges, nec ſecum diſpenſare, niſi legitima cauſſa ſit diſpenſandi. Nimium igitur laxa erat apud Perſas lex Regia, quæ quod vellet permittebat, quæ per adulatores inducta eſt ; nam initio & legibus ipſi viuebant. Pernicioſa vox Iuliæ inceſtæ mulieris. *An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere.* In multis itaque rebus Princeps eodem cum cæteris jure vtitur. Nouellus 9. c. 11. l. 31. & 7. qui teſtam. l. pen. & 7. de hæred. inſtit. l. 15. Fruitur tamen ſuis priuilegijs, *vt maior aliis cenſeatur.* Quia lex eſt animata, vt lex eſt mutus Princeps.

Lex princeps, niſi valde ſanctus, tyrannus erit.

Cum igitur imperatoris ſit munus, perpetuo ſubditis conſulere, ideoque ſit perpetuus conſul, vt lex illa docet ; optime vero conſulat, ſi leges ipſe ſeruet, non eſt legum obſeruandarum obligatione eximendus. Nam præter poteſtatem legitimam, quam vſurpant, immenſam quandam licentiam ſibi arrogabunt, & parua occaſione in tyrannos mutabuntur.

§. 12. Cum contractus, vel actus aliquis redditur irritus per legem aliquam, eadem lege etiam Princeps obligatur, vt reuera actus ipſe non ſit validus. Ital. 3. t. 23. l. 6. eod. *Ex imperfecto teſtamento nec imperatorem hæreditatem vindicare poſſe, ſæpe conſtitutum eſt. Licet enim lex imperii ſolennibus iuris imperatorem ſoluerit, nihil tamen tam proprium imperii eſt, quam legibus viuere.* PP. 11. *Kal. Ian. Lupo & Maximo Conſ.* 233.

Princeps cum certa lege ſoluitur, aliis teneri intelligitur.

Quia ſollennibus juris lex imperij Imperatorem ſoluit, certum eſt eum teneri, niſi ſolutus ſit, ex natura igitur rei, obligatus eſt illis Imperator, qui hic lege illa non vtitur, qua ſolutus eſt, quia turpe viſum eſt ; ſi ex imperfecto teſtamento hæreditatem captet.

Cum igitur in ſolennitatibus juris non ſeruandis juſta de cauſſa diſpenſatum eſt, vt ſi adſit Princeps, agatque ejus perſona, fidesque pro ſolennitatibus gitur.

tibus habeatur, ne sit irritum, quod factum est, satis omnino ostenditur, in cæteris eum obligatum esse. Quamuis enim lex illa irritans pœnalis esse videatur; quia tamen per se intendit, ne sit actus validus, ideo tenetur.

Caussa hujus rei est, quia ad vitandas fraudes, ob commune bonum constituta est certa agendi ratio; itaque lex irritans, commune bonum, & juris, justitiæque executionem respicit; quam non minuere, sed augere Princeps tenetur, & firmare. Non est autem omnis lex irritans actum, pœnalis, quia aliquando dat formam actui, ideoque & Principem obligat. Sic Panormitanus in cap. 2. de Constitutionibus. Hæc enim est lex directiua, qua obligatur Respublica.

Cæteræ solennitates quæ accidentariæ sunt, majestate Principis supplentur; quia lex vel consuetudo hoc ei indulsit. Nisi enim ita statuamus multa incommoda sequentur. Nam suo solo testimonio poterit Princeps caussas leuare, vel affligere, si nulla testium solennitas, aut numerus requiritur. Nec alia consuetudo est in plerisque locis, cum Principibus enim eodem modo secundum legum formulas omnia transiguntur, sicut inter priuatos. Atque hæc vere est majestas Principis, quæ major est ipso Principe.

Libertati ciuium, & dignitati Principis non obest obedientia.

CAPVT XXI.

Veterem legem moribus, & Politiæ vtilem fuisse.

§. 1. QVæ de vetere lege à Theologis vtiliter disputantur non multum ad politicen conducunt, itaque paucis illa propositionibus concludam, atque ad alia me accingam.

Leges quædam præter naturales etiam ante legem Mosi datam à Deo positæ sunt. In Paradiso lex de non edendo ex arbore scientiæ boni & mali; deinde de animalibus mundis, & immundis.

§. 2. Lex Mosi data, sancta fuit, à bono Deo data, per Angelos, in manu Mosis mediatoris, ejus finis supernaturalis fuit, vt ad virtutem, & consequenter ad æternam vitam educerentur, vt Christum ad quem lex ducebat, nobis figurarent, vt cultũ Dei inter tot absonas idololatriæ cæremonias constitueret, vt Politicum ordinem firmaret.

§. 3. Solis Iudæis data fuit, eosque solos obligauit, & eos, qui accepta circumcisione Iudæis in Iudæorum coloniam transibant.

§. 4. Triplicia fuere præcepta, moralia, ceremonialia, Iudicialia. Moralia omnes, & semper obligant; Cæremonialia sunt abrogata, & judicialia per mortem Christi primo mortua, deinde mortifera.

§. 5. Hæc multis modis, & docte, vtilissimeque disputantur, sed ad politicen non ad modum faciunt. Vnum est, quod à viris eruditis aliquando propositum est. Cur Christianæ Reipublicæ non vtantur legibus judicialibus à DEO ipso latis, cur enim quamuis non obligent, non potius secundum leges Dei, quam impiorum Cæsarum controuersias decidunt? Id vero eo magis quod justa judicia illa arbitrari omnes debemus, de legibus Imperatorum merito dubitemus, quarum multæ iniquæ fuerunt. Suis judicibus Deus inculcat, Deuter. 1. 17. *Præcepiq; omnia quæ facere deberetis.*

Cur non igitur, quæ cap. 21. Exod. præcipiuntur, de seruitijs non seruantur? Cur non si quis furatus bouem fuerit, non cogitur dare quinque pro vno, sed suspenditur? Et versic. 16. Pro stupro tantum conjugium fœminæ, & dos imperatur? Et vers. 26. pignus ante noctem jubentur reddere. Hæc & similia cum justa trutina æterna veritas librarit, quare nunc alijs legibus vtimur? cur non vxorem fratris ducit domum frater?

Verum quotquot sunt ejusmodi legum, cum mutabiles sint, non est necessarium à Republica suscipi, nec ideo tamen minus prudenter à Deo latæ sunt. Pro captu enim, & ingenio Iudæorum accommodatæ fuerunt. Cum vero initia ciuitatum alias leges habuerint, non fuit caussa commutandi. Deinde non tulit illas leges Deus, nisi pro illa Republica, quam immutatum iri prætuidebat. Mutatis temporibus leges quoque mutandæ sunt. Iure nunc furta puniuntur morte; si enim restituenda essent, cum plerumque pauperes sint, magis ad furta astringerentur. *Cur iudiciales leges nũ seruantur.*

Tertio, quantum esset ad nequitiam incitamentum, si scortatori diuitis puellæ nuptiæ in præmium cederent? Non ignoro moris id esse cum pares sunt, cum vero est magna differentia, aliud jura statuunt. Sed tum leges illæ in illo populo, & disciplina justę erant, nunc materia in multis gentibus mutata est, vt eo pertinere non possint.

CAPVT XXII.

Antinomos Republica pellendos esse.

§. 1. EVangelium à Christo Dei Filio nobis traditum est; vnde Jex noua, quam Euangelicam dicimus, ejus auctor est ille, qui & Redemptor, de quo Isaias 33. 22. Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos.

§. 2. Continentur ea lege præcepta moralia, Sacramentalia, & Fidei. Moralia quidam perfectius exposuit Christus, & præcepta sacramentalia omnino noua tradidit, veteribus abolitis. Fidei præcepta explicatiora dedit; nam alioqui etiam Iudæis, & Patribus ante diluuium credendi præcepta data sunt. *Fides, sacramenta, mores absolutũ Christianũ efficiunt.*

§. 3. Illa præcepta nobis omnino seruanda sunt; omnia enim non fidei duntaxat præcepta nos obligant.

§. 4. Hac in re hæreses sunt, erroresque non contra pietatem modo, sed etiam in Republica, & Politica pernicioſissimi. *Hæreses in Rempublicam peccantes.*

Primo enim Sectarij profitentur legem moralem seruari nequaquam posse. Secundo solam fidem à Deo recipi pro omnium præceptorum obseruatione; vt aliqui; vel fidem solam imputari pro justitia. Fidem scilicet accipiunt pro fiducia justitiæ & salutis. Tertio. Credentibus nullius mandati quocunq; modo violati pœnas imminere æternas.

Quarto. Christum itaque legislatorem non esse, sed tantum gratiæ promissorem, donatoremque.. Hinc ortum habuere Antinomi, qui omnem legem contemnunt, & Muntzeriani, qui Lutheri cis vsi principijs; omnem non modo legem, sed etiam Magistratum repudiarunt. Contra eos initio disputaui, qui conscientias ab obligatione legum humanarum omnino securas arbitrantur, quos ostendi Reipublicæ pernicioſos esse. Nunc hi quidem peccare se violandis legibus, fatentur, sed pœnam non metuere, quod ab omni execratione actiua, & passiua sint liberati; quia nec *Antinomi bella incęperunt.*

Impunitatem sibi pollicentur Antinomi.

irascitur illis Deus, nec punit, sed in omni scelere plene justificat, ac beatificat.

Contra horum impietatem disputare Theologorum est, ergo de conturbatione Reipublicæ quam secta pestifera pietatis & Christianæ libertatis prætextu molitur, disceptabo.

Hoc vero magnopere notandum est; ipsos quoque Doctores immensæ licentiæ, non audere verbis asserere fidem, quam docent: nam & Antinomos refutare sese simulant Lutherani, quibus tamen initia dederunt, & Libertinos Caluiniani, à quibus non nisi verbis differunt. Et quidem illi qui Antinomos detestantur ita docent.

§. 5. Synodus Mansfeldica: *Verus de abrogatione legis intellectus in eo est, vt initio sciamus, legem in genere, hoc modo per Christum sublatam esse, vt filiis Dei maledictione, damnatione, & accusatione sua nocere non possit, sicut ad Galatas tertio dicitur: Christus redemit nos à maledicto legis, ipse factus pro nobis maledictum: id factum est videlicet secundum officium eius, de quo pridem spiritus sanctus per Mosen vaticinatus fuerat; maledictus omnis qui pendet in ligno, & inde ratiocinatur Paulus, nos qui per Christum sumus redempti, nunc esse sub gratia & non sub lege, Romanorum 6.*

Summa iactantia impunitatis.

Error horum est, vt dicant, quicquid contra Deum, proximumque committunt, si incendia, cædes, proditiones non modo non maledici à Deo, nec damnari, sed ne accusari quidem: Si hæc de lege Dei, & lege naturali, quanto magis idem de lege politica, quæ de re adiaphora fertur, docendum est; quomodo enim Senatusconsultum aut edictum Principis de inuentario testamenti faciendo obligabit; si æterni Imperatoris leges non obligant ad accusationem, maledictionem, pœnam?

Quicquid autem de lege rectè videntur docere, totum eo recidit, vt dicant seruandam esse, sed ex ejus violatione pœnam nullam esse timendam. Denique legem seruari non posse.

Hoc ex fundamento sic Antinomi argumentantur.

Mansfeldica Synodus de Antinomis.

Possumusne seruare Decalogum seu legem moralem quoad obedientiam? Respondent Mansfeldici possumus, etsi in magna imbecillitate & imperfectione. Tamen ejusmodi res non adferunt nobis damnationem ad Roman. 8. modo maneamus in Christo. Ita illi mitius, sed ab alijs damnantur, quia omne opus bonum ajunt natura sua esse peccatum mortale, sed eo quod natura est peccatum mortale, non seruatur Dei præceptum.

Se vt iustos non obligari lege, cæteros ea damnari tradunt.

Magnum vero sibi justorum & impiorum discrimen imaginantur; nam injustis legem esse positam docent, justis verò nequaquam. *Quoniam vt ante diximus lex non est omnibus sublata, sed iis tantum qui sunt sub gratia, & beneficia Christi per fidem agnoscunt, & amplectuntur, imo iustis est abrogata, sicut Paulus ait in priore ad Timotheum cap. 1. sequitur inde quod iniusti, & nondum conuersi, quiq; beneficia Christi per fidem non agnoscunt, & apprehendunt, atq; alioquin malam atq; inhonestam vitam ducunt, adhuc sunt sub lege, idq; toto tempore impietatis suæ, ita vt lex assidue officium suum in eo, exerceat ostensione peccati, iræ Dei & pœnarum consequentium:* Deinde etiam *ostensione imbecillitatis & impossibilitatis nostræ in seruanda lege diuina, ad obtinendam iustitiam: præterea perterrefactione, accusatione, condemnatione & mortificatione, vt ipsi iniusti tyrannidem legis & dominationem, maledictionem & condemnationem eius sentiant atq; experiantur. Hoc significat priore ad Timoth. 1. Lex data est iniustis, contumacibus, impiis, peccatoribus, irreuerentibus, prauis, & in huius generis peccatores, lex pædagogus adhuc animaduertit ad Galatas 3. atq; ita lex est pædagogus noster vsque ad Christum.*

Errores & falsa dogmata Antinomorum hos enumerant.

Primus error.

§. 6. *Lex non est digna, vt vocetur verbum Dei.*

Contumelia in legem extrema.

Hoc quidem est Manichæorum, qui malum Deum, legis auctorẽ prædicabant, quos contra Sanctorum Patrum, in primis Augustini disputationes sunt. Quod si lex illa, non occides, &c. non est digna, vt vocetur verbum Dei. Non igitur verbo Dei vetantur idola, blasphemiæ, parricidia, adulteria, rapinæ. Quis igitur illa prohibet, si lex tam sancta indigna est suo auctore? Quomodo lex humana reuerentiam habebit, si nulla est lex diuina, à qua deriuetur? Refutant eum errorem Mansfeldici cum exclamant: *Horribile est auditu, legem esse indignam quæ appelletur verbum Dei. Nam Scriptura dicit, Exod. 32. Deum legem seu Decalogum suo scripsisse digito, quidni ergo verbum Dei appellabimus?*

Deuteronomii 18. dicit Dominus se positurum verba sua in os Prophetæ, vt loquatur quæcunq; præceperit ei. Ac ita deinceps in omnibus Prophetis, lex vocatur, lex Domini: quæ res argumento est, legem vere esse verbum Dei. Si verè est verbum Dei, certe meretur etiam vocari. Quæ vero de dignitate legis Paulus scribit, petenda sunt ex tertio capite secundæ ad Corinth. epistolæ quàm legis dignitatem Antinomi plane contemnunt & deridet. Augustinus in 2. libro Moysis Quæst. libro 2. quæst. 166. inde vocatur lex opus Dei, quia ipse eam ordinauit, Deus hanc descripsit. Item in Iohan. tractatu 3. qui legem dedit, dedit quoq; gratiam.

Qui pœnã legis negat, legem destruit.

Pugna tamen illa verborum est. Nam legibus illis pœna additur; vt qui in eas commiserit, *delectur anima eius de populo suo*; hanc ad se pertinere negant. At vero illa quoque lex Dei est; Qui occiderit hominem morte moriatur; aliter sentiunt sectarij: Quamuis millies millena occiderimus, non tamen morte moriemur. Quia liberi sumus à lege. Lex nobis mortua est. Lex, inquam, quæ vetat occidere, nobis mortua est.

Secundus & Tertius error.

§. 7. *Si meretrix es, si adulter, vel quicunq; alius peccator tantum crede, & es in via salutis.*

Cum in medio peccato penitus hæres, tantum crede, & es in medio salutis.

Hos errores detestari se Mansfeldici profitentur. *Hi duo errores, inquiunt, amplissimam fenestram putefaciunt manifestis sceleribus & flagitiis & spoliant pœnitentiam magna quadam tua parte, videlicet bono proposito de emendatione vitæ.*

Qui se in medio scelere iustum arbitratur, legem tollit.

Aliorum manet tamen impudens peruicacia in medijs peccatis esse se non modo imputatione justos, sed etiam certo se id scire.

Dauidem in adulterio & homicidio justitiam retinuisse; Quid hac opinione imbuti Quirites non audebunt? Negant se reos majestatis diuinæ, quomodo majestatem humanam reuerebuntur? Deuter. 13. *Si audieris in vna ex ciuitatibus quas Dominus dederit tibi ibi inhabitare, dicentes; eamus & seruiamus Dijs alienis, interficiens necabis omnes, qui sunt in ea ciuitate, & incendes eam igni, & erit sine habitaculo in æternum, nec reædificabitur.* Quid se quispiam credat se in hac re justum esse, & neget ad se pertinere legem pœnalem?

Quid si in judicium veniat, Clytemnestræ filius, aut Nero,

Cuius supplicio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus, nec culeus vnus?

Omne scelus illa hæresis fouet.

Nonne ille si nostro æuo viueret, majus aliquod parricidio crimen faceret, seque in medio facinore justissi-

justissimum prædicaret? à maledictione legis se liberum noua lege diceret? Nimium itaque scrupulosi Argiui, de quibus soror parricidæ queritur.

Ἔδοξε δὲ ἀρχὰ τῷ δὲ, μηθ' ἡμᾶς στέγας,
Ματροκτονοῦντας, κυρία δι' ἡδ' ἡμέρα,
ἐν ἡ Δἰοιζὶ ψῆφον ἀργίων πόλις
ἦχρη Σανεῖν νὼ λαζίμω πεφρώσαλλ,
ἢ φάσγανον θηξαν' ἐπ' αὐχένῳ βαλεῖν.

Visum est autem Argiuis, ne tecto quidem nos recipere matricidas, hæc vero dies decretoria est, qua sententiam ferat Argiuorum ciuitas, vel enim monendum est nobis candido lapide vel acuto cerui x demetenda gladio.

Si leges Dei contemnũt, humanas non morabuntur.

At vero ex præscripto noui Euangelii, illi justi, sancti, innocentes sunt, si credant se tales: Deus illis non irascitur, quia se credunt filios; non punit, quia peccatum non imputat. In via ad cœlum esse se dicunt, in via salutis.

Quanto magis si omnia jura ciuilia pessundent? cur enim solennitates, & formulæ eos teneant, qui omnia sine fraude Dei mandata conculcant? Ordinem & processum prætoris morentur, qui se plene justos, vereq; beatificatos arbitrantur, si prætoris sanguine tribunal impleant? Oreſtes igitur si fiduesset, ciarius nullam à Deo vindictam metueret.

Quartus error.

§. 8. *Decalogus ad curiam pertinet, non ad suggestum.*

Legem Dei è templo Dei eiicere est ipsius ca codæmonis.

Quid sibi ista volunt? Nempe cum de conscientia agitur, cum agitur de justitia, de vita æterna, de amicitia, de spiritali colloquio, non esse faciendam Decalogi mentionem. Imo ne legem quidem Dei populo exponendam. Non enim ad concionatorem pertinet Decalogus.

Non igitur, eorum judicio, ad bene viuendum ad salutem pertinet cognitio, aut obseruatio Decalogi; Multo minus igitur obseruatio legum ciuilium. Quomodo vero ad curiam, si non ad suggestum?

Curia sane scelera plectit mandatorumque tabulas custodit, sed cur id agit curia, cum Deus ne moueri quidem de ea re homines velle fingatur? Deinde estne curiæ, hoc est Magistratui mandatum, vt Decalogum custodire velit? Hoc ergo mandatum Dei est, non illis ergo dicendum in concione? vnde hoc ergo discet?

Respondent rectè Mansfeldici, sed opinioni suæ haudquaquam consentanee. *Verum est Decalogum partim ad aulam & curiam pertinere. Nam ciuilis Magistratus custos esse debet vtriusque tabulæ legis; quamobrem Deuteronom. cap. 17. Deus præcipit, vt Reges sedentes in solio seu ad gubernacula Reipublicæ librum legis diuinæ sibi literis notari curent: vt præcepta Domini & pro se faciant ipsi, & apud subditos regnorum suorum fieri curent: Itẽ ad Rom. 13. scriptum est: Magistratus & minister Dei in tuum emolumentum: sin autem male feceris, metues eum: non enim frustra gerit gladium. Quod autem idcirco Decalogus etiam à concione remouendus sit, non est ferendum: nam & spirituales & politici Magistratus custodes Decalogi & Promotores ipsius esse debent. Item, si Doctores verbi Decalogum pro concione tractare non deberent, quomodo producerent homines ad agnitionem peccatorum, quomodo metu iræ Dei & pœnarum à peccatis deterrerent, quomodo inuitarent ad pœnitentiam, & dolores animi de peccato? Necesse esset eos principalem in prædicatione pœnitentiæ partem omittere.*

Quid autem postremò fieret de conuersione? quomodo Deus nobiscum posset conferre rationem, iuxta parabolam Matthæi decimo octauo, propter debitum ex violatione diuinæ voluntatis, si concio legis ab Ecclesiis releganda esset? Deniq; si concio Decalogi in Ecclesia intercidat, simul cadit prædicatio pœnitentiæ, perit omnis disciplina, & nemo per ordinaria media ad salutem conuertitur.

Si magistratui legum cura committitur, ergo subditis obedientia.

Hoc responso seipsi damnant. Nam lege Magistratum damnant, subditas absoluunt. Quæro enim an Magistratus, si leges Dei, nec legat, nec seruari curet, nec gerit gladium ad vindictam malefactorum, ipse delicti pœnam reformidari debeat. Si enim & ille sine offensa Dei odiosissimo opere non cogitur subditos offendere; si concionator eum de custodia legum monere non debet, quasi pœna negligenti paretur, ne ad curiam quidem lex pertinet.

Quintus error.

§. 9. *Quibuscunq; cum Mose res est, recti via tendunt ad Diabolum; imo ad malam rem cum Mose.*

Respondent Mansfeldici: *Quibuscunq; cum Moyse seu lege ita res est, vt per eam iusti, id est, accepti coram DEO fieri velint: hi quidem omnes recta via eunt ad inferros, nec eorum quisquam beatitudinem æternæ vitæ adipiscitur. Scriptum est enim ad Romanos tertio, quod per opera legis non iustificetur coram Deo omnis caro: & Iohannis tertio, solis credentibus vita æterna promittitur. Ad Romanos decimo Paulus dicit: Si confessus fueris ore tuo IESVM, quod ipse sit DOMINVS, & credideris in corde tuo, quod ipsum resuscitauerit Deus ex mortuis, salus eris.*

Quid autem cum Moyse seu lege agunt, simul suprà iuxta consensum Scripturæ tradidimus, in doctrina de lege, quod in ea nobis reliquum sit, & quatenus ea possimus adhuc vti: hi non tendunt ad Diabolum, neque damnantur, sed magnum & amplum legis diuinæ fructum & vtilitatem experiuntur.

Ad malam rem neque Moyses, neque lex ipsa amandari debet, sed iis qui secundum leges & præcepta Decalogi non viuunt, sæpisse ad malam rem seu ad restim res redit: cui malo ipsi Antinomi præbent occasionem, cum suis hominibus autores sunt vt legem ad decem præcepta Dei securè contemnant, & pro libitu omittant: his inquam clamoribus multos adigunt ad malam crucem & variorum supplicio rum tormenta.

Verum hæc est blasphemi paradoxi impia confirmatio lenioribus verbis errorem ingeminans. Primo, quia alibi docent, nec gratia quidem Dei seruata mandata ad salutem facere; cum omnia sint peccat amortalia, etiã optima opera optimè facta. Quapropter fundamento Mansfeldicorum Antinomi insistunt, & irrefragabiliter concludunt. Omne opus legis diuinæ, & humanæ optime factum est peccatum dignum æterna morte; non igitur nobis faciendum, ne cum Mose ad inferos detrudamur.

Si omnia opera sunt mala, nulla lege iuberi debent.

Deinde opera legis peruersissime interpretantur, cum de illis, quæ absque gratia fiunt, loquatur Apostolus. Denique alij addunt quia mortuam legem ajunt, non quia eam per gratiam obseruant; sed quia violata obesse non potest credentibus se in ejus contaminatione esse justos. Quanquam aliquis

Parentis senile guttur fregerit.

Cum crediderit justum esse se, puras cœlo efferet manus. Nec judicem morabitur, de stillicidijs, terminis, fenestrarum jure quærentem. Imo nec Dei tribunal horrebit.

Sextus error.

§. 10. *Non sunt præparandi homines ad Euangelium per prædicationem legis, Deum autem hoc facere necesse est, cuius id opus est proprium.*

Sine

Sine lege veri, & recti illa ratiocinatio est. Si enim Deus per prædicationem legis adducit, cur non & concionator Dei loco exhortans? Verum multo absurdius Mansfeldici: *Neque est vlla melior præparatio ad Euangelium, quam ipsa prædicatio legis. Hæc enim perterrefacit, angit, sauciat homines, vt postea magnitudinem consolationis, lætitiæ, & salutis Euangelicæ, tanto iucundius experiantur. Contemnit enim etiam auxilii magnitudinem, qui periculi magnitudinem non agnoscit. Insuper etiam prædicatione legis ad præparationem Euangelii, nihil Deo adimitur. Nihilominus enim à Deo dari oportet veram agnitionem peccati, & salutarem agnitionem iræ Dei & pœnarum, rectos pauores; veram contritionem & dolores.*

Si pœna legum exempti sumus, nõ ergo lex terrere potest.

Omnis enim hæc concio in Lutheranorum & Caluinianorum facetias incurrit. Non enim terrentur illi minis legis, non credentes, quia inferos manet, & cruciamenta impiorum fabulas arbitrantur. Non terrentur credentes, quia certissimi sunt se liberos esse à maledicto accusatione, damnatione legis. Contumeliosè dicebat Iulius: *Tunc mihi arma tnenti perges citare leges?*

Nero tum demum pœnas legum timebat, cum audito equitatu hostili diceret.

Ἵππων ὠκυπέδων ἀμφὶ κλύτον ἔκλυε βαλκή.

Equorum celeripedum sonitus circumsonat aures.

Ante major legibus, illud canebat. Reges, quæ iubet, eant via. Et ille tamen impius terrebatur matris occisæ nocturno spectro; at fiducia eorum qui tantum credendo se justos esse jactant, sine formidine leges violant: Et magistratui liberrima indignatione respondebunt.

Ne Dei quidem lege ad Euangelium, salutemque præparamur, multo ergo minus tua lege, quæ nec à Deo est, nec de re quæ sit in se bona, sed de rebus, quæ & aliter fieri rectè possunt.

Septimus error.

§. 11. *In Euangelio non debet agi de violatione legis, sed de violatione filii.*

Dei Filius non sola infidelitate læditur.

Indigna homine, nedum Doctore opinio. Filium Dei violari non existimant, nisi incredulitate, cum blasphemijs, odio, contemptu etiam violetur. Nec tamen rei tàm absurdæ illis ratio deest ex ipsis aduersariis deprompta. Si enim sola fide justi sunt, si nullo flagitio præter infidelitatem redduntur injusti, quid opus est, de illis agere, quæ nec nocere saluti, nec eam promouere possunt?

Octauus error.

§. 12. *Audire verbum Dei & sentire in corde, est propria Euangelii consequentia.*

Ingens Antinomorum blasphemia.

Hinc concludebant, satis esse audire & sentire, etsi non facerent. Cum tamen Dominus eos damnet, qui verbum corde exceperunt, sed fructum non ediderunt.

Hinc vlterius (testibus Mansfeldicis) ratiocinabantur? *Sat est audire & sentire, opus non requiritur. Itaque non est peccatum à meretricula supplantari.* Quid hic sibi Princeps de ejusmodi ciuibus promittet? *Legem audimus, sensimus; non est peccatum, si contra faciamus.* Matutinis horis Socratis, pomeridianis limina Thaidis terent. Hæc tamen omnia ex Luthero, & Lutheranis didicerunt, docent enim illi. *Bona opera ad salutem non esse necessaria*; quod si verum est, *satis est legem audire, & sentire*, imò ne audire quidem; Quorsum namque aures obtundas, cum facto opus non est? Vt vero appareat, quo ciues ducant illi concionatores, citabo ea, quæ Mansfeldici in Synodo sua congesserunt. *Hæc propositio est Papistica ab ipsis Pontificijs excogitata & ita concinnata: nusquam enim reperitur in Scriptura, neque etiam facile reperietur in libris Patrum maximè cum eo intellectu quem affingunt Papistæ, quod bona opera sint causse efficientes partiales & meritoriæ salutis. An etiam si hæc propositio in aliam duntaxat sententiam, afficta quadam glossula, inflectatur: tamen hic sensus præ cæteris eminet, quem contextus verborum repræsentat. Neque vero sinent Papistæ primi huius propositionis inuentores, nouam ei sententiam astrui, præter ipsorum verborum naturam & proprietatem. Hanc propositionem Diuinus LVTHERVS acerrimè oppugnauit, sicut testantur passim eius libri; nam in primo Tomo Germanico Wittenbergæ excuso sic scribit; quod hæc propositio, bona opera sunt necessaria ad salutem, legem & euangelium confundat, tanta quidem iactura, & detrimento, quantum ratio humana neque comprehendere, neque intelligere possit. Per eam enim obscurari doctrinam de gratia, Christum cum omnibus suis beneficijs conuelli, totum Euangelium peruerti.*

Antinomi ex Lutheranis sunt.

Si ad salutem, est fides, caritasq; ergo Euangeliũ Lutherie-uertitur.

Ibidem dicit, lubrica est oratio & vana sic pronuntiare: Fidem quidem operibus & meritis niti non debere, sed tamen necesse esse habere bona opera tanquam necessaria ad salutem. Hoc totum nihil est, si enim sunt necessaria ad salutem, salus sine ipsis venire non potest, & ergo non sola fide saluamur, sed hoc falsum est, & à Scriptura dissentit. Scribit ibidem in Synodo Ieroſolymitana decretum fuisse opera legis ad salutem non esse necessaria.

Opera bona nullo modo necessaria, quid igitur de illis tractatur?

Tomo quarto, pagina quingentesima quinquagesima, nisi tres Apostoli stetissent totum conuenticulum recidisset, ac decreuisset, opera legis necessaria esse ad salutem.

Sine vllo-peræ iustitiæ iusti sunt.

Tomo Septimo pagina sexagesima prima: Octauo diligenter hic animaduertendum est & magno studio obseruandum quod sola fides sine vllis operibus faciat iustos, liberos & saluos.

Pagina sexagesima tertia: inde conspicitur clarè, quemadmodum homo Christianus sit liber ab omnibus rebus, & super omnes res, ita vt non indigeat operibus ad iustitiam & salutem, sed fides omnia confert ei abunde. ac si ita insaniat, vt per vllum bonum opus iustus, liber, saluus, & Christianus fieri speret, amittit fidem cum omnibus admiculis, sicut canis ille, qui, cum portionem carnis in ore gestaret vmbram aquæ inhians, simul carnem & vmbram amittebat.

Christianus supra omnes res, quin ergo supra leges ciuiles.

Pagina sexagesima quinta: Nullum opus, & nullum mandatum necessarium est Christiano ad salutem.

Si nullum mandatũ, quorsum leges?

Ibidem: Quanquam in hac vita homo non potest esse sine operibus, non tamen ei necessaria sunt ad iustitiam & salutem.

Pagina sexagesima sexta: Contentus sit homo Christianus fide sua, quæ est vita, iustitia, & salus eius, & persuasum habeat se nihilo amplius ad eam rem indigere, quam vt credat rem verissime ita se habere.

Tantũ credere, non est obedire.

In Concione quadam de Ascensione edita anno vicesimo tertio: Caue glossam seu fucum illum Philosophorum seu Academiarum. Qui credit, & habet bona opera saluus erit, non ita CHRISTVS dicit, sed tantum. Qui credit, inquit.

In Concionibus Oeconomicis Noribergæ editis Anno quadragesimo quinto, pagina quadragesima prima: Saluos fieri tantum contingit nobis per remissionem peccatorum.

Qui credit bonus ciuis, non qui obedit legibus.

In Postillis maioribus ab Aduentu vsque ad Dominicam Paschatis, pagina centesima secunda: Christus semel nos saluauit duplici ratione. Primum fecit omnia quæcunq; fieri necesse est, vt salui fiamus, deinde in Baptismo communicauit nobis omnia sua beneficia. His & similibus locis referti sunt libri Lutheri, neq; commemorabimus plures: sed imprimis hanc propositionem, Bona opera sunt necessaria ad salutem Lutherus fortissime deiecit in disputatione de operibus legis & gratiæ Wittenbergæ habita Anno millesimo quingentesimo tricesimo septimo, in qua disputatione prorsus reiecit necessitatem operum ad salutem, & eam omnino non vult tolerare, si ergo cuiq;

Omnis ergo obedientia tollatur.

go cuique animus fuisset hanc propositionem post mortem Lutheri rursum inuehere, & ita pacem & concordiam Ecclesiæ conuellere atq; dirumpere, debuerant hæc tunc temporis cum ipso Luthero disputari atq; decerni.

Etiam alias in nostris Ecclesiis toto tempore post obitum Lutheri elapso, nemo fecit mentionem huius perniciosæ propositionis, sed tanquam inusitata perpetuo erat oppressa silentio, omnes enim facillime contenti erant doctrina Cofessionis Augustanæ. Necesse est bene operari: & de hoc nunquam fuit disceptatio.

Post obitum LVTHERI hæc propositio rursum emersit, quibus autoribus demonstratis facillimum est, eorum enim disputationes pro hac propositione extant, ac licet variæ causse præ tenduntur, quibus assertores huius dogmatis se permotos esse affirmant: tamen hæ nullius sunt momenti ad immensam illam iacturam & religionis Christianæ detrimentum, quod inde sequitur. ac si postea abstinere hoc dogmate voluissent, sicut Dei beneficio factum est: satius fuisset nunquam in lucem reuexisse, & multæ disceptationes hoc modo caueri potuissent. Papistæ iustitiarii non fuissent confirmati in impio suo dogmate de necessitate bonorum operum ad salutem, imbecilliores Christiani in nostris Ecclesiis non fuissent turbati.

Impium est ergo dicere, bono viro necesse esse bene agere. Quid igitur pium est, si hoc impiũ est?

§. 13. Hinc natos Antinomos experientia docuit; & confitentes habemus reos, ipsos Antinomorum aduersarios, cum enim nullo modo anomiam, atque omnium rerum confusionem possent euitare, si bona opera condemnarent, multi ex ipsis Lutheranis documenta tam praua rejecerunt. *Mansfeldici in controuersia de bonis operibus ita rem narrant.*

Hæc ex illis radicib. venena nascuntur.

Causse vero restitutæ propositionis hæ proferuntur: primum quod Antinomi manifeste docent, hominem semel regeneratum nihilominus retinere gratiam & Spiritum sanctum, etiamsi ruat in peccata contra conscientiam, sit adulter, potator, defraudator, profusor.

Legem Dei in iocum vertunt.

Secundo quod aliqui dicuntur fuisse qui iocosè, & argutè declamitauerint salem necessitatis computruisse, seu, vt in vernacula lingua maior est gratia Prouerbii per amphiboliam vocabuli, quod alias necessitatem aliàs obsonium significat, das Muß iſt verſaltzen.

Debitã legis obseruationem negãt.

Quarto quod aliqui vocabulum debiti ferre noluerint.

Quinto quod omnes homines ad bona opera iam dudum sint remissi, segnes, & ignaui.

Operum bonorum meritum, & præsentiam damnant.

Sexto quod aliqui particulam, Sola, ita intellexerint, quod non tantum excludat, meritum bonorum operum, sed etiam præsentiam.

Harum causarum aliquæ satis sunt honestæ, & idoneæ, ac manifestum est Antinomos, ita, vt dictum est docere, tum etiam ignauia & languiditas hominum ad bona opera (pro dolor) nemini est ignota; cæteræ causse minus sunt notæ.

Nunc omnium Principum conscientiam appello. Verene arbitrentur ex hisce hominibus, justam, constantem, & quæ legibus rogatur Rempublicam constitui posse.

Nonus error.

Petrum nõ minus quã Paulum V. Papam accusant.

§.14. *Petrus non intellexit Christianam libertatem, ideo legem seruare voluit, ne immundis vesceretur.*

Quid mirum si hoc dicant Antinomi, cum eorum Magistri, & ex Magistris antidici consentiant. Nam cum agunt de bonis operibus, non modo ajunt sine illis saluari homines, sed etiam negant *conditionem esse sine qua non saluantur.* pag. 208. Multo minus bonis operibus applicari Christum meritum. Quod si igitur magistratus Scripturam, aut majores citet, aut leges qualescunq;, mox audiet, non intelligis Christianam libertatem.

Decimus error.

§.15. Dictum Petri; *Certam facite vocationem vestram per bona opera, est inutile.*

Respondent Lutherani. *Neq; hoc dictum ex secundæ Epistolæ capite primo suffragatur Antinomis de inscitia Petri clamantibus, quasi is doctrinam de Christiana libertate non satis intellexerit. Quod enim hortatur Petrus, vt certam faciamus vocationem nostram per bona opera, satis declarat, se intelligere rationem libertatis Euangelicæ, quod non sit similis libertati carnali, neque vestiendam esse malitiam specie libertatis. Tum autem Christiana libertas non trahitur ad carnalem, si per bona opera vocationem nostram constabilimus, hoc est, bonis operibus testamur, quod vocatio nostra ad regnum Christi & vitam æternam sit certa. Vbi enim mala opera exercentur contra voluntatem Dei, ibi non possumus esse certi de vocatione nostra, sed dubitare oportet, num vere simus vocati ad hæreditatem regni Christi, & vitæ æternæ. Hanc vocationis certitudinem labefactantes Antinomi, quod neq; mala opera curant, neq; bona magnopere exigunt, satis ostendunt, de libertate Euangelica nihil sani habere iudicii. Deinde & hoc manifestum est ex proxime præmissis erroribus, quod Antinomi sint hostes bonorum operum, & quod hominibus occasiones præbeant, horribili quadam securitate faciendi quidquid allibuerit animo. Et quamuis palam profiteri non audent, vitam malam esse bonam, tamen extenuant peccata, vt facili momento liberari nos ab eis posse dicant, si modo credamus, omisso interim proposito de referenda in melius ante acta vitæ ratione.*

Verum his merito occinat Poëta;

Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.

Vocatio per bona opera certa.

Nam in sua responsione non minus impiam doctrinam complectuntur. Nam Petrus certam vocationem per opera fieri jubet; sine operibus igitur est incerta. Negant illos esse certos qui mala opera exercent contra Dei voluntatem, quod tamen affirmant Caluiniani; si tamen illi in certi sunt; omnes pariter incerti sunt: omnes enim mala opera faciunt, & omnia eorum bona dicunt esse peccata mortalia; per mortalia vero crimina non redditur certa vocatio. Minoris igitur opera bona faciunt quam Antinomi, quia palam profitentur vitam bonam esse malam. Imo has propositiones dilaudant. *Possibile est, sine operibus bonis saluari, omnes qui saluati sunt, sine operibus bonis saluati sunt. Bona opera non sunt necessaria ad salutem; non conseruant salutem, non sunt conditio sine qua non. sunt natura sua digna æterna morte. Mala opera sola fide delentur. Si omnia flagitia commiseris, vt primum crediderit te per Christum iustum esse, iustus es.* Quæ major potest esse improbis securitas? At tu exspectas, vt judicium humanum subeat, quis vnica mentis asseueratione omnia scelera, pœnasque euasisse putat?

Fundamẽta Antinomorum.

Error vndecimus.

§. 16. Quandocunque tibi talis incidit cogitatio, hoc vel illo modo rem geri in Ecclesia debere, vt homines sint boni, honesti, modesti, sancti, & casti, jam aberrasti ab Euangelio.

Vitia ex professo docent.

Hæc si vera sunt; præstat profecto ad Iudaismum redire, aut sane quamcunque religionem profiteri; quis enim certus est, in quo nulla habetur honestatis ratio, nulla flagitiorum verecundia. Quid aliud dicerent Ephesij, quid Sibaritæ, aut Cyrenenses? quas gentium corruptissimas esse legimus; nec tamen virtutum cultores damnarunt, quanquam oderunt, & exterminarunt. Si Princeps igitur memor officij sui, id agat, vt boni, modesti, sancti, honesti, casti ciues euadant, ab Euangelio aberrat; si parens ita de filiorum educatione cogitat, Euangelicus esse desinit; nam eadem est Principis & patris hac in parte ratio. οὐδὲν διαφέρει ἄρχων ἀγαθὸς ἀρχιδεσπότου. *Nihil differt Princeps bonus à bono patre.* Nunquam bonus ciuis futurus est, qui magistratum de vita ciuium sollicitum judicat ab Euangelio aberra-

Quid Iudæi & Turcæ dicent, si virtutẽ colere est ab Euangelio aberrare.

aberrare. Deniq; cum Respublica ciues suos, & pœnis, & præmijs regat; non potest ille ad Rempublicam pertinere, qui causas præmiorum, & pœnarum ex æquo tollit.

Mihi sane vel ex hoc vnico errore satis causæ videtur esse, vt vniuersa Germania mutuis conflictibus collidatur, cum Regibus, & Principibus officium à Deo commissum, quod est, vt sint Τῶν νόμων φύλακες, legum custodes, tam impudenter & proterue impetitur.

Caput XXIII.

Legem diuinam scriptam Reipublicæ necessariam à Catholicis solis rectè intelligi atque obseruari.

§. 1. Accusant nos aduersarij grauiter jam olim, at Anno 1617. omnium retro temporum virus in Catholicos effuderunt Scriptorum vt leuissimi, ita maledicentissimi. Caput accusationis erat legem Dei scriptam à nobis repudiatam, mala versione, interpretatione, & traditionum additamentis interpolatam, corruptam, oppressam. Ego etsi hac de re in Coronide Iubilorum respondi, necessitas tamen multorum requirit hic quoque responsionem iteratam.

Scripturam crepant eius euersores.

Initium ducam ab eo in quo vel maxime illi gloriantur, à verbo Dei, à Scriptura, illam à nobis contemni ajunt, illa nostram fidem euerti. Non memini vllum esse ex Iubilantibus, qui non ejus criminis nos reos agat. Iubilæus Academicus Heidelbergensis p. 24. ita habet.

Solum verbū Dei est, fidem terminans.

8. *Principium fidei, quæ creditur, fidem Christianam vltimo terminans, est Scriptura diuina, Prophetarum & Apostolorum libris comprehensa, & quidem sola.*

Omnis scriptura vtilis est.

9. *Tota enim Scriptura diuinitus inspirata est, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus.*

Omnis Ecclesiæ totius traditio vtilis est.

10. *Hoc principium fidei, quæ creditur non vno modo, sed varie iam pridem conuulsit, hodieq; conuellit Papatus Romanus.*

Scriptura nihil diuinitatis accipit ab Ecclesia.

11. *Scripturis sacris nihil* Diuinitatis *inesse docet, nisi quantum accipit ab Ecclesia.*

12. *Neq; pro authenticis Scripturas habet, nisi authoritate Ecclesiæ.*

13. *Imo Deo non credit, nisi propter Ecclesiam.*

Scripturæ credimus propter Deum, eas nobis Ecclesia proponit.

14. *Diuinam Scripturarum authoritatem à Papæ arbitrio suspendit, quia in Papa tanquam in Ecclesiæ totius capite, authoritas illa resideat.*

Omnes scripturis credunt, quia sunt verbū Dei, ecclesia illud proponit.

15. *Et quia Papa solus, vel cum Prælatis, est Ecclesia, ideo Papa & Prælati Scripturis credunt, si credunt, propter seipsos: laicos Scripturis credere volunt propter Papam, & Prælatos.*

16. *Sic Papæ, Prælatorum, laicorum fides de Scripturis stat super testimonio humano, hoc est, super arena, & est nulla.*

Scripturæ non nisi diuino spiritu intelliguntur.

17. *Scripturas in iis, quæ ad fidem, cultum & mores pertinent, tantæ obscuritatis arguit, vt à nemine, nisi ex Papæ interpretatione intelligi possint.*

Papa discipulus est Scripturæ

18. *Papam omnium de fide quæstionum Iudicem supremum facit, in quo fidem nostram vltimatè sisti oporteat, etiam in iis, quæ cum Papa Euangelici habent controuersa.*

19. *Scripturas imperfectionis accusat, quia neq; ad fidem pietatemq; colendam, neq; ad salutem consequendam sufficiant, nisi traditionibus suppleantur.*

20. *Traditiones inde suas vocat Verbum Dei non scriptum, aq; certum, infallibile, canonicum, ad salutem necessarium, pari pietatis affectu & reuerentia cum verbo Dei scripto suscipiendum.*

Iudex vero contrariarum interpretationū.

21. *Scripturam blasphemat nasum cereum, ambiguam, literam mortuam, atramento scriptam, chartaceam, quæ Ecclesiæ consensu pro confirmatione indiguerit, instar Vaginæ recipientis quemuis gladium, chalybeum, plumbeum, ligneum, æneum.*

Scriptura sic vtuntur hæretici, teste ipso Luthero.

De quibus verè, & erudite disseruit noster Maximilianus Sandæus in themate sæculari. Rudius sed maledicentius eadem de re egit affixis thesibus Iacobus Martini Dialecticus Wittembergensis. Ehrartus Lauterbach Concion. 2. Romanos nec Biblia legisse, nec Grammaticam, credere se ait nullum Pontificem tota vita Biblia perlegisse. Leonem Decimum dixisse Bembo sententiam è Biblijs adferenti; *Quid tu Bembe mihi allegas illam fabulam?* Et Sadoleto Commentarios scribenti in Epistol. ad Romanos. *Omitte eas nugas, non decent virum grauem tales ineptiæ.* Ad quæ Polycarpus sic exclamat. *O vos damnati Italici nebulones, an vestra Politica grauiora sunt verbo Dei? Audite Doctissimos Leonem, & Bembum, si illi nihili fecere Scripturam, quomodo eam indocti æstimarent? Eiusmodi farinæ penè omnes erant Episcopi, Cardinales, Monachi;* Polycarpus tamen Leiserus Biblia non planè perdita, sed sub scamno abdita fuisse scribit.

Calumniæ de Bibliis.

Catholicorum Theologia.

Christophorus Schleupnerus Generalis Superintendens, & Aulicus stentor, cum facetijs oblectare suos vellet, Catholicorum Theologiam facit quinquepertitam, Canonisticam, Scholasticam, Monasticam, Interimisticam, Iesuiticam pagina 8. 9. 10. 11. Conc. 1. Tanta vero id imperitia facit, vt videatur nullos vnquam libros Catholicorum vidisse. Paucos nominaui, omnes in eadem sunt caussa, omnes elaborant, vt persuadeant populo, nos Scripturam contemnere, se eam venerari, & sequi, ideo nos lege sola humana, se diuina gubernari. Præcipue in inuidiam vocant, æstimationem Canonum, Conciliorum & Pontificum, quasi illa decreta sacræ Scripturæ anteponamus. Sed totam caussam explicemus.

§. 2. Primo Catholicorum est hæc communis sententia, & fides: Sacrarum literarum esse eam profunditatem, sapientiam, perfectionem, vt nulla hominum scripta illis æquari possint, aut debeant. Lex enim est creatoris.

Scriptura vera est.

Secundo. Fide eadem tenent omnes; Scripturam sacram habere infallibilem auctoritatem, veritatem diuinam, nullo errore mistam, normam omnium directricem.

Tertio. Quicquid Scriptorum, dictorumque aliorum vel vni sententiæ, vel apici sacrarum literarum repugnat, id falsum esse.

Quarto. Cuilibet Christiano moriendum esse potius millies, quam vel vnum Scripturæ dictum, falsum judicet, aut dicat, aut esse posse falsum affirmet.

Catholici Scripturā venerantur.

Quinto. Quicunque de Scriptura contrarium docet, aut sentit, Catholicus non est, nos ei anathema dicimus, & judicium Domini minantes clamamus, Maran-atha. Injuria igitur, & quidem insignis nobis infertur, cum Scripturæ contemptæ accersimur, qui pro toto ejus corpore, & pro singulis apicibus totum nostrum sanguinem profundere parati sumus, vt sanè fundendum esse docemus, potest enim fieri, aut aliquis Catholicorum Spiritum quidem promptum, sed carnem infirmam experiatur, in mortem, & in carcerem ire cupiat, sed ad vocem ancillæ expauescat, & Dominum in verbo suo neget. Non ergo causa est cur hac ex parte, à nobis deficiant, multo minus nos velut sacræ Scripturæ violatores traducant, & ex vna duas Respublicas faciant.

Nec

Concilia & pontifices scripturæ ex positionem vrserunt.

Nec meum est hoc solius iudicium, sed totius orbis Catholici. Concilium Trident. sess. 5. cap. 1. serio mandat, vt Scripturam prælati exponi diligenter curent, idque à Synodis, & Pontificibus curatum affirmat. *Eadem sacro sancta Synodus, pijs summorum pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, eaque amplectens, & illis adijciens, ne cælestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit ac decreuit, &c.* Nempe, vt in Cathedralibus Ecclesiis, in monasteriis, in conuentibus Regularibus, in Gymnasiis publicis explicetur. Id nec tum primum factum est, sed exempla synodorum, & Summorum Pontificum præcesserunt.

Et sanè Leonem Pontificem maximi fecisse Scripturam multa testimonia sunt, imprimis constitutio eius in Concilio Lateranensi data anno 1516. 14. Calend. Jan. vbi non modo scripturam citat, & magni facit, sed etiam eius interpretibus optimas leges ponit. Quod igitur Bembo & Sadoleto in aurem dixisse fingitur, ex eadem pharetra depromptum est, ex qua calumniarum myriades prodiêre.

§. 3. Scripturam igitur legem sequimur, neq; iam à sæculo ostensum arbitramur à minima eius particula nos recessisse, causa igitur cur à nobis recesserint nouatores vnica est, quia scripturas ipsi, quas citant, quasq; ad euersionem stomachi & cerebri iactitant, penitus contemnunt. Ita rem sese habere iam sæpius ostendi. Tu rem expende, à lege Dei eos recedere intelliges.

Scripturarum horribilis est contemptus apud sectarios.

Primo enim si ex tot centuriis eorum, qui ab Ecclesia recesserunt, vnus est, qui rectè Scripturam, & non fallente vestigio secutus est, ille nominetur, & reliquos probabo secutos esse non scripturam, nec Spiritum Dei, sed proprium sensum, eumque scripturæ veritati anteponere.

Secundo, Primores eorum cum Scriptura vrgentur, in illarum accusationem vertuntur. Vorstius cum in scriptura quædam errata esse dixisset, Caluini & Junii auctoritate causam suam contra æternam DEI veritatem tuetur. Alias locum citaui, sed nec mihi quisquam respondit hactenus, & nunc quoque calumniantium importunitas extorquet, vt eadem proponam. *Denique obiicitur in primis illud de Apostolis, aliisque N.T. Scriptoribus, quod dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoria labi potuisse, &c. Sed annon eadem, aut similia habet Caluinus, cum interdum eosdem N.T. Scriptores aut superflua quædam tradere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem temporis in historia turbare, aut quædam ex V.T. minus apposite citare, &c. non obscure scribit? Pro multis sit vnus ille locus in 1. Ioh. 2. 14. Vbi disertè ait, repetitiones illas Apostoli esse superfluas, in his scilicet verbis: Scribo vobis pueri, &c. Sed, vt Caluinum hic omittamus, quid de Francisco Iunio videtur, qui in locis communibus, recenter hic impressis, lib. 1. cap. 19. non veretur affirmare, Scriptores N.T. aliquando scientes, prudentes præter veritatem historiæ quædam scripsisse. Sic enim apertè scribit, pag. 61. & 62. eos interdum recepto errori aliquid, ex charitate condonasse, & propter opinionem publicam, à veritate historiæ deflexisse, adeoque præter veritatem quædam S. textui inseruisse, &c. idque speciali exemplo S. Lucæ confirmat, qui contra veritatem Historiæ Mosaicæ nomen Kenanis in genealogia Christi posuerit, ne videlicet eos offenderet, qui græca V.T. versioni assueuissent, in qua nomen istud extabat, &c. Quod si hæc assertio Fr. Iunii excusari potest (de quo sententiam meam proferre iam nolo) cur non saltem alia similis hæsitatio, aut concessio, excusari poterit? Certè enim grauius est, scientem prudentem aliquid contra veritatem historiæ scribere, quam σφάλμα μνημονικὸν in re leuicula admittere. Et rursum maius quiddam est certo illud prius de aliquo asserere, quam per concessionem posterius istud aduersario largiri. Sed ista iam sufficiant. Plura id genus exempla ex doctoribus nostris, vbi opus erit, alia occasione afferri poterunt: saltem vt appareat, eos magna prosopolepsia laborare, qui eadem aut similia dicta in vno liberaliter excusant, quæ in alio tanquam hæretica & impia traducunt.* Caluinus certè in 24. 32. Josue. Stephanum act. 17. 15. arguit, quasi Abraham pro Jacobo nominarit, & manet tamen apud illos error indicatus à Caluino, & Harm. in Matth. 20. 26. Negat quadrare illam sententiam, seu ad rem esse. *Multi vocati, pauci electi;* At Christi sententia fuit. Si igitur vnus in scripturam error admittitur, tota fides eius vacillat, mendaci enim scripturæ non creditur, & omnium sic legum fundamentum labascit.

Sectarii scripturam falsam aiunt.

Blasphemi in scripturam sunt Caluiniani.

§. 4. Nec mitior hac est in parte Lutherus, Scripturam enim Deo opponit, in Gal. 3. Tom. 5. fol. 345. *Potius honorem habere & credere velim vni Christo, quam permoueri omnibus locis, quos contra fidei doctrinam pro iustitia operum statuenda producere possent. Quare simpliciter eis ita respondendum est. Hic Christus est, illic Scriptura testimonia de Lege & operibus, Christus autem Dominus est Scriptura & omnium operum.* Et paulo post. *Nihil moror Scripturæ locos, si etiam sexcentos producas pro iustitia operum contra fidei iustitiam, & clamites scripturam pugnare. Ego authorem & Dominum Scripturæ habeo, à cuius parte volo potius stare, quam tibi credere.* Et paucis interiectis: *Tu vrges seruum, hoc est, Scripturam, & eam non totam, neque potiorem eius partem; sed tantum aliquot locos de operibus, hunc seruum relinquo tibi. Ego vrgeo Dominum, qui est Rex Scripturæ.* Si igitur errrores Scripturæ obiiciunt, quomodo nobis contemptum eius obiiciunt? Hæc ex fontibus impurissimis Ebionitarum, Cerdonistarũ, Gnosticorum, Marcionistarum, Tarianistarum, Seuerianorum, Helcesaitarum, Manichæorum, Borgomilitarum, Albigensium deriuata sunt, & in venenatissimum lacum Anomorum; & Libertinorum quasi in sentinam confluxerunt: qui id agunt, vt mundus sit exlex.

Scripturæ à Deo non repugnat.

Libertinorum auctores Scripturam repudiant.

§. 5. Tertio, De illis qui sacras literas nobis reliquerunt, quique in illis commendantur, pessime sentiunt. Scriptura Abrahamum vt fidelium patrem, vt fide iustificatum, Deo placentem nobis depingit, Caluinus & illum, & vxorem eius Saram contra diuina oracula grauissimorum scelerum reos agit. Abrahamum *nimiæ facilitatis*, Saram *festinationis* accusat commentario in c. 16. 3. Geneſi. *Fidem Abrahæ concussam ait, & medium prætextum fuisse inter fornicationem & matrimonium, honesto nomine palliatum. In medio seu agendi ratione, non in substantia eos peccasse, ait, quia extra Dei legitimam ordinationem sobolem quæsierunt.* Sed modus ille substantiam fidei penitus sustulit; Benedictionem enim per adulteria, & lenocinia quæsiuerunt; si Caluino credimus, *Abraham enim id egisse, ne benedictione priuaretur*, affirmat: At sanè flagitiosum est, adulterare, vt benedictione m consequaris. De Sarâ ait. *Cum sciret in semine Abrahæ benedicendas esse omnes gentes, mirum non esse si societatis honore noluerit priuari, ne resecta à corpore benedicto, quasi putridum membrum, extranea quoque à salute promissa fieret.* Quæ si verâ sunt, Sara & Abraham infideles fuerunt. Nam credere se à corpore benedicto resecandam, nisi domi suæ lupanar erigat, aut extraneam fore saluti, nisi sit lena matriti, productrix ancillæ, est infidelem esse. Nec mitior est in Mosen Exod. 2. 12. & 4. 10. Deut. 34. 10. *Contempsisse eum diuinam obedientiam, voluisse quasi Deum ad abrumpendum opus adigere, fuisse mentis omnium oblitæ.* Dauidem, Eliam, Danielem, alios eodem modo excipit. Non igitur nos scripturam, & auctores eius contemnimus, sed illi qui nos ea de re accusant. Legem ergo diuinam à prophetis turpissime violatam affirmant.

Sacros scriptores & patres infamant.

Abraham pro benedictione adulterauit iudice Caluino.

§. 6. Nec est iusta accusatio, nec est legitima causa recedendi à nobis, quia inter libros sacros, numeramus, Judith, Tobiam, Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, Baruch. 13. & 14. caput Danielis. Canticum trium puerorum adiectum cap. 3. Danielis. Libros Maccabæorum, & quæ sequuntur cap. 3. num. 19. Hesteræ.

Canon scripturæ apud nos integer est.

Ratio prima est manifesta. Nec Lutherani, nec Caluinistæ suos patriarchas condemnãt, quia quosdam, quos nunc veros, & legitimos scripturæ libros arbitrantur, è canone sustulerunt, non ergo in nos debent esse iniquiores, etiamsi præter eorum sententiam aliquos in canonem admittamus.

Lutherus in prologo huius Epist. Brentius in conf. VVittemb. Kemnitius in exam. 4. sess Conc. Trident. Magdeburgenses capite 1. nec tamen ea de causa Lutheranos fugiunt Caluiniani. Jacobi etiam Epistolã, & Judæ repudiant, de secunda Petri, & tertia Joannis dubitant, Apocalypsin Lutherus, & Primores Caluinianorum è canone expunxerunt. Graserus in hypoth. plagæ regiæ fatetur Apocalypsin ob difficultatem à suis præceptoribus non receptam. Posteri Caluinianorum receperunt, fieri igitur poterit, vt aliquando etiam, & hos quos nunc ferre nolunt, in canonem recipiant.

Sectarii suo arbitrio libros in canonem recipiunt, & reiiciunt.

Si igitur Zvvinglius aliique sine scelere Apocalypsin capite minuerunt, & hoc illis ignoscitur à posteris, non debent esse tam iniqui in nos iudices, vt facilitatem nostram ita grauiter interpretentur, quia eos libros admittimus, quos vetusta Ecclesia Canonicos iudicauit. Secunda ratio est etiam euidentior; Magnam enim causam habemus cur libros eos in canonem recipiamus, aut vt magis proprie loquar, iam olim receptos non temerè expungamus: quanquam enim olim quidam dubitauerunt, plerique tamen admiserunt: plures & doctiores fuerunt, qui in canonem receperunt, ita probat Bellarminus lib. 1. de verbo cap. 7. & sequentibus. Nicolaus Serarius in proœmiis commentariorum, quos in plerosque illos libros conscripsit. Argumento huic vim apud suos addit Bezæ auctoritas, is enim postquam contra Erasmum, & doctores suos Apocalypsin canoni restituisset argumento eorum, qui dicebant; *eruditißimis non esse visum librum canonicum, quod in eo nihil esset Apostolicæ grauitatis*, ita respondet: *Quicunque tandem isti eruditissimi viri fuerint, magnam eos reprehensionem mereri in eo quod conuitiis ausi sint eum librum exagitare, qui sane sit breuißimus, si ea demas, quæ ad verbum ex Prophetis sunt exscripta. Longe aliter Basilius, Gregorius, Cyrillus, Epiphanius, Irenæus, Hippolytus, vt Arethas testatur, qui hunc librum non modo (vt Dionysius Alexandrinus) putarunt à sancto viro scriptum esse, sed apertè etiam Ioanni Apostolo vendicarunt: nunquam id certè facturi, si nulla grauitatis Apostolicæ vestigia in eo animaduertissent. Vtros vero pro eruditioribus habebimus? an istos quorum & singularis pietas & summa eruditio testata est plurimis ipsorum monimentis: an illos potius, quorum ne nomina quidem apparent: argumenta vero satis indicant quam merito eruditissimi appellentur?*

Nõ sine manifesta causa canon minuendus est.

Argumentũ Catholicũ pro libro Apocalypsis.

Bene sane ille, sed multo plures sunt, Dionysius Areopagita, Justinus, Terrullianus, Hilarius, Athanasius, Origenes, Cyprianus, Damasus, Ambrosius, Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus, qui & ipse ita sentit Epist. ad Dardanum, *& eam sententiam omnium Latinorum esse affirmat.* Augustinus, Isidorus, Gelasius, Innocentius, Theophilus, Antiochenus apud Euseb. lib. 4. cap. 23. Apollonius apud eundem libr. 5. cap. 17. Pamphilus. Deinde Concilia, Florentinum, Romanum sub Gelasio, Tridentinum, Ancyranum, Carthaginense 3. Toletanum 4. Nicenum secundum. Si simili nos argumento vtamur pro libris quos recipimus, quo Beza contra suos, pro Apocalypsi, non video cur ea causa damnemur vt impij in scripturam, cum in eadem damnatione sit vetus Ecclesia? Beza de Erasmo sic optat: *Atque vtinam his ille doctoribus proficere, quam nixus confidentia sui nomen sibi parare maluisset.*

Hæretici no uiẽ parare, quam discere malũt.

Hoc si Beza ipse secutus esset, nec in tot hæreses incidisset, neq; nunc à Lutheranis omnibus, & moderatioribus Caluinianis oppugnaretur. Nunc si pacem obtinere non possum, si non adducere aduersarios, vt cum antiquitate sentiant, spacium duntaxat ac moderationem flagito, ne nos tam multis, tam firmis argumentis consensu eruditissimorum, & sanctissimorum asserentes canonem, velut diuinorum eloquiorum proditores calumnientur. In quo laudem meremur, in eo veniam dent. Lutherus multos libros reiecit, Epistolam Jacobi, Judæ, Apocalypsin, & illum tamen colunt Lutherani; postquam sæpissimè asseruisset, certo certius scire se verbum Dei à se stare, suam doctrinam esse Christi doctrinam, verbum Dei negauit; partem enim eius è canone erasit. Quid hic Lutherani? Puduit eos erroris Lutherani, Brentiani, Chemniciani; nam è libris quibusdam illa de Apocalypsi Lutheri extriuerunt. Ideoq; Hunnius negat se tale quippiã in Luthero inuenisse. Sed ostendit illi noster Gretserus; nam Biblia Norimbergensia anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo ea verba in præfatione habent. Nolite obsecro vti tam aperta περσωποληψία, vt Lutheri quidem Apocalypsin reiicientis scripta corrumpatis, deinde errorem eius mendacio veletis; & negetis eũ scripsisse, quod vos ex eo deleuistis, nos vero omnibus diris deuoueatis, quod cum veteri Ecclesia, Cõciliis, Patribus quosdam libros retineamus, qui vobis displicent. Ecce, adhuc quæritur, qui legẽ seruent.

Lutherus scripturam negat.

Lutheranos pudet sui Lutheri.

§. 7. Quod si vestra argumenta expendamus ad trutinam, pluma leuiora inueniemus, edidit Genevæ hoc an. 1618. cursum Theologicum Joannes Scharpius, quem fodales eius vt ex stulto insanum faciant, Herculem rediuiuum vocant. Ille in fascem suorum errores colligens ita veritatem oppugnat pag. 11. *Omnes libri Canonici V. Testamenti à Prophetis scripti sunt: At nullus horum librorum est à Propheta scriptus: Ergo non sunt libri Canonici. Probatur propositio ex 2. Pet. 1. 19. 20. 21. Roman. 1. 2. & 16. 26. Luc. 1. 70. & 6. 16. 30. & 4. 27. Eph. 2. 20. Heb. 11. Et hoc ipsum inductione probari potest. Assumptio vero tribus argumentis confirmatur.*

Scharpius ponit fere argumenta Bellarmini omissis solutionibus.

1. *Malachias omnium confessione Iudæorum fuit Propheta vltimus; inter quem & Ioannem Baptistam nullus Propheta intercesit; At hi libri post Malachiam scripti sunt, vt ex libris Ecclesiastici, & Machabæorum patet: ergo à Propheta scripti non sunt.*

2. *Omnes libri à Prophetis exarati lingua qua vsi sunt Prophetæ, id est, Hebraica aut Chaldaica scripti sunt. At hi libri lingua Hebraica, aut Chaldaica, tum vernacula & vulgari, non sunt scripti; sed peregrina & ignota: vt Patres affirmãt, res ipsa probat, & maxima parte concedũt Põtificij: Ergo &c.*

3. *Si libri isti à Prophetis scripti fuissent, tum ijs vt testibus doctrinæ suæ vsus fuisset Christus, & Apostoli (omnes enim scripturæ prophetica de Christo testantur, itaq; Christus & Apostoli vsi sunt:) at nec Christus, nec Apostoli horum librorum testimonio vsi sunt: Ergo non sunt à Prophetis conscripti.*

11. *Omnes libros Canonicos veteris Testamenti Ecclesia recepit: At hos libros non recepit: ergo non sunt Canonici. Probatur propositio: si illa Ecclesia partem aliquam scripturæ Canonicæ reiecisset, maximi criminis in eo rea extitisset: & Christus & Apostoli illam hoc nomine reprehendissent. Si enim in eo reprehendit eos Christus Matt. 5. quod male scripturas interpretati sint, multo magis si partem scripturæ tanquam nõ Canonicam reiecissent, reprehendisset: At hac de causa non reprehendit. Deinde Rom. 3. 2. dicũtur τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, hoc est scripturæ sacræ Iudæis traditæ: Iudæos autem studiosè omnem veterem Canonem seruare testantur Iustin. serm. ad Græcos: Augustin. l. 1. de consensu Euangelistar. Et epist. 3. & 59. Deniq; si tum libri fuerunt Canonici, & non recepti à vetere Ecclesia tum sequetur multos libros Canonicos à tota Ecclesia, quãdiu illa fuerat Ecclesia, non receptos fuisse. At totam Ecclesiam, in qua fuerunt Prophetæ, Sacerdotes, & postea Christus ipse, & Apostoli, voluntatem Dei reiecisse est absurdissimum. Ergo probatur assumptio omnium Patrum, ipsorumq; etiam Pontificiorum consensu, & postea patebit. Ergo.*

III. Duo-

III. Duobus tantum modis cognoscitur librum aliquem esse Canonicum 1. Testimonio Prophetæ alicuius aut Apostoli: 2. vel eorum, qui tum temporis viuebant, cum liber ille ederetur, quibus certo constare posit: sitne à Propheta vel Apostolo editus nec ne: At neutro horum modo scimus, libros controuersos Canonicos esse. Non primo, quia iam nulli sunt Prophetæ aut Apostoli; non altero, quia tantum abest vt quis testari posit Prophetam vel Apostolum hos libros edidisse, aut recepisse, vt ne Hieronymi tempore, ipso teste, fuerint quidem in Canonem recepti: Atq; si Apostoli hos libros recepissent & agnouissent, vt vult Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 10. horum librorum testimonio, vt aliorum veteris vsi fuissent. At non sunt iis vsi, ergo hi libri non sunt pro Canonicis agnoscendi.

§. 8. Hæc igitur argumenta, quibus maior pars Christiani orbis damnatur, inspiciamus. De maiore non magnopere laboro, nomen Prophetæ non eodem modo accipi constat. Minoris probationem examinemus; nam reuera multos errores, multam imperitiam continet; sed audacem imperitiam, quæ se verbo Dei opponit, legem Dei eliminat.

Malachiæ tempus.

Malachias pene Synchronos fuit Haggæo, & Zachariæ, qui anno circiter 20. iuxta probabilem Chronologiam prophetarunt, eos secutus est paruo interuallo Malachias, toto illo tempore plus quam quadringentorum annorum negat fuisse Prophetam, vsque ad Joannem.

Refutat tamen eum Euangelium, nam & Zacharias pater Baptistæ propheta fuit, Lu. 1. 67. & Simeon senior Luc. 2. 27. & v. 36. Anna prophetissa filia Phanuel, quæ iam octoginta annos minimum præcesserat. Deinde tempore Machabæorum cum tot essent insignes martyres, quis dubitet etiam prophetas fuisse? Quanquam enim ordinarium officium non fuerit tempore quo occubuit Judas Macc. 9. 27. Postea tamen non defuerunt Prophetæ, qui vt prophetarunt, ita libros scribere potuerunt: Nec obstat quod Simonem constituunt ducem, *donec surgat Propheta fidelis*, 1. Macc. c. 14. 41. & l. 1. cap. 4. 46. Exspectant Prophetam, sed eum quem Deut. 18. Moses prædixit; *Prophetam de gente tua, sicut me suscitabit Dominus* Cum igitur fuerint Prophetæ, qui legem exponerent, hortarentur ad martyria, in persecutione acerbissima consolarentur, fuerunt etiam Prophetæ scribendis libris idonei, cur enim non Deus illis quoque infallibilem auctoritatem dare posset?

Prophetæ fuerunt etiã post captiui tatem, sed ari.

Quanquam enim propriissime sint illi Prophetæ, qui futura prædicunt, aliis tamen etiam proprie prophetia tribuitur, qui occulta pandunt: sic mulier Samaritana ex eo quod Christus sibi gesta vitæ suæ exposuerat Prophetam appellat, atq; hæc vsitatissima scripturis est ratio prophetiæ.

Secundo Prophetarum etiam nomine miraculorum patratores censeri solent, nam Prophetæ pene omnes miraculis illustres fuêre. Moses, Aaron, Josue, Elias, Elisæus, alii, auctoritatem n. per opera admiranda seruis suis diuinitas comparabat, itaq; cum illi qui miracula faciebant, etiam prædicti essent spiritu prophetiæ, factum est, vt τὸ θαυματουργεῖν diceretur, prophetare. Sic Eccl. lib. c. 48. 14. Eliæ corpus prophetauit. Καὶ ἐν κοιμήσει ἐπροφήτευσε τὸ σῶμα αὐτοῦ. & cap. 49. 18. de Josepho, & ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerunt, quanquam illa posterior pars in Græcis plerisque desideretur.

D. Hieron. in Priorem ad Corinth. c. 14. Prophetæ sunt qui explanant obscura Prophetarum, & qui homines exhortantur, sicut alibi dicit. Nam qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, exhortationem, & consolationes.

Tertio. Latius etiam prophetandi vocem extendunt, vt prophetare dicantur illi, qui monendo, increpando, docendo, consolando à vitiis auocant, ad virtutis studium adducunt, scripturas interpretantur, quæstiones Christianæ doctrinæ exponunt, nam hoc munus prophetarum fuit, quo fungentes sunt diuinæ voluntatis internuncii. Ita Exod. 4. & 7. Aaron est Propheta Mosis. ita 1. Corint. 14. 5. monet Apostolus Christianos magis curare vt prophetent.

Quarto. Qui sancto Spiritu afflati psalmos Deo concinunt prophetæ interdum dicuntur. 1. Par. 25. 1. 2. 3. vbi prophetare dicuntur in citharis, & psalteriis, & cymbalis, in cithara prophetare super confitentes, & laudantes Dominum. vbi etsi v. 1. legant 70. ἀποφθεγγομένους, נבאים, nebym, tamen vers. 3. vtuntur verbo προφητεύειν, quidam volunt esse prophetias canere, at canebant psalmos quos habemus; id igitur, & nunc recte dicitur prophetare. Hac significatione accipiunt illud 1. Reg. 10. v. 7. vbi grex prophetarum, & Saul inter prophetas, quod significat, non quouis modo laudes Dei canere, sed singulari instinctu, neque enim negandum multos esse solitos Dei laudes canere, de quibus tamen illa admiratio non erat, neque negandum ex his fuisse aliquos proprie & primo modo nominatos Prophetas.

Quinto, prophetare in malam partem sumitur, vt sit idem, quod more arreptitiorum spiritu fanatico agitari, ita 1. Reg. 18. 10. Post diem autem alteram inuasit spiritus Domini malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ. Quia namque vates gentilium ore spumante, corde fero, rabie agitati flexilo quis oraculis gentes dementabant, inde factum est, vt furere esset illis prophetare, cum in antro vates baccharentur; est enim in re dissimilima quædam similitudo, vt enim prophetæ sancti à bono spiritu agebantur, vt facta dictaque ad eius voluntatem componerentur, ita pseudoprophetæ à malo spiritu dire exagitabantur, vt omnia sua ad eorum nutum facerent. Sic clamores inconditos prophetarum Baaliticorum, gesticulationes, & saltus, incisuras, & vulnuscula facta, totam actionem cæremoniarum impiarum vocat scriptura prophetare, 3. Regum 18. 29. postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet. Nec mirum, aut nouum, cum prophetæ nomen frequenter falsis prophetis, & impostoribus tribuatur, vt Jer. 6. 13. & 26. 7. 8 11. & 27. 7. & 28 1. & 29. 1. Zachariæ 13. 2. Ezech. 22. 25. quo loco 70. verterunt ἀφηγούμενοι, cum prioribus locis citatis verterint; ψευδοπροφῆται. Nos de prophetis proprie dictis agimus, & negamus tãto interuallo nullum fuisse.

Ad secundam rationem respondeo. Primo quosdam eorum librorum à prophetis scriptos esse Hebræa lingua vel Chaldæa, ea de re audiatur Nicolaus Serarius, proleg. 3. in Tob. *Refert in epistola centesima, quæ ad Chromatium & Heliodorum Episcopos est, Diuus Hieronymus, fuisse librum hunc sermone Chaldæo scriptum, & extat hodie Græca libri eiusdem versio, & Hebraicæ duæ, quarum alteram à Constantinopolitanis acceptam, ante annos amplius 40. nostra hac edidit Germania: vt valde mirer, quæ vel ignorantia, vel impudentia Britannum illum doctissimi Bellarmini, vel doctrinæ potius Catholicæ hostem, Caluinianum Vittakerum subierit, dum hoc ipso decennio; Non nisi in Græco & Latino Tobias legitur. Hoc enim ab ipsis etiam hæreticis alijs, falsi damnatur, Fagio, Munstero, Geneuensis editionis Vatablo, vel potius Baduello, & Drusio. Quin vero & in Bibliothecis quibusdam Syriaca versio inuenitur, prout de sua Bibliotheca refert in Iosuam, dedicatoria ad Philippum Regem epist. doctissimus Andreas Masius.*

Tobias etiã Hebraicè scriptus.

Iudith, Hester: Sapiẽtia, Ecclesiasticus, Maccabæi.

Judith vertit ipse ex Chaldeo (Epistola III. teste) Hieronymus. Hestheris auctor primarius fuit Mardochæus, de Sapientia, Ecclesiastico, Macchabæis arbitror priores duos Hebraice scriptos, deinde conuersos in linguam Græcam, qui sane potuerunt esse tempore prophetarum, Macchabæorum auctor vt mihi videtur vernacula lingua scripsit, hoc est Græca,

cuius periti erant, plerique Judæorum in regno Græcorum viuentes; nam plures Judæos ignorasse Hebraicam, quam Græcã ex eo facile colligimus, quod auitam hebræam, mutauerint in Syriacam, deinde quod Josephus doctus inter Judæos linguam illam ignorauerit. Denique per totam Asiam, & Græciam erant Coloniæ Judæorum, non igitur græca lingua post bella Maccabaica erat Judæis ignota. Alioqui eo argumento totum fœdus nouum euerteretur; nã Græcè scriptum esse constat. At Hebræa lingua non minus peregrina erat imperante Latino principe quam Græco: sanè passim vulgo notam fuisse linguam Græcam ipsis Jerosolymitanis constat, tum ex multis alijs, tum ex eo, quod act. 22. 2. dicitur: *Cum audissent autem, quia Hebræa lingua loqueretur ad eos, magis silentium præstiterunt.* Græca igitur peroraturum arbitrantur, quod & frustra illi exspectarent facto silentio, & Paulus conaretur, nisi turba sæuiens etiam Græcè intellexisset.

Septuaginta interpretes prophetæ fuerunt.

Iudæorum plerique hebraice nescierunt.

Tertia probatio turbas excitare, & alios multos libros euertere potest. Non enim omnium librorum veteris testamenti auctoritate vsus est Christus, & Apostoli. Nã Abdiæ, & Sophoniæ non meminerunt, ex aliis verò hinc inde pauca in scriptis exstant, vt si hoc argumento nitamur, duos prophetas ex canone eradere oporteat. Ecce qualibus argumentis ab Hercule Jubiliario prisca veritas oppugnatur.

Altera ratio Scharpii est multo infirmior column. 12. *Libros illos priscæ veteris testamenti Ecclesia non recepit, nec tamen ab Apostolis reprehensa est, cum tamen maximi criminis sit aliquam partem canonicæ scripturæ reiecisse. Deniq; Ecclesia tota non recepisset omnes libros canonicos, quod est absurdissimum.*

Liber apud quosdã dubius in canonem publice recipi potest.

Respondeo, quod de Ecclesia pronunciat, hoc in Lutheranam & Caluinianam conuenire, maximi criminis rea est Lutherana teste Scharpio, quod partem canonicæ scripturæ reiicit, nec minoris prima Zvvingliana, quæ Apocalypsin exterminauit. Ad veterem Ecclesiam quod attinet; Quamuis in canone Hebræorum primo non fuerint, *eas tamen Christi recipit Ecclesia, vt monet* S. Isidorus & Aug. l. 18. de ciuit. c. 36. In primo canone Judæorum non fuerunt, in secundum reiecti sunt, nec ab omnibus accepti, postea tamen ab Ecclesia Christiana Canonici iudicati, fieri enim potest, vt liber aliquandiu dubius, postea pro Canonico habeatur, vt in Caluiniano cœtu de Apocalypsi dictum est.

Ratio tertia, *nec Apostoli, vel prophetæ testimonio, nec alicuius qui eo tempore vixit, quo scripti sunt, canonicos esse constat, nullo ergo modo sunt canonici.*

In secundo canone fuerunt libri quos nouatores reiiciunt.

Respondeo, Habere nos testimonia Hebræorum qui in secundo Canone eos habuerunt. Esdræ tempore factus est primus Canon, in eo esse non potuerunt, quia posteriores erant, in altero deinde fuerunt, vt colligere licet ex Josepho l. 2. cont. Apionem. Nã illa verba Eccl. 42. 14. κρεῖσσον πονηρία ἀνδρὸς, ἢ ἀγαθοποιὸς γυνὴ, in hunc modum citat. γυνὴ δὲ χεῖρον, φησὶν, ἀνδρὸς, εἰς τὰ πάντα, καὶ ἡ πονηρία ἀπὸ ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικός. Librum verò ex quo hæc citat vocat νόμον legem, vt planè appareat eum Ecclesiasticum ad legem referre. Junilius Firmus libros Macchabæorum ait eadem authoritate apud Judæos fuisse, quo Paralipomena, Job, Esdras: cur non igitur apud nos eodem loco sint? Quod si opus testimonio est, quale de Apocalypsi habetis? Multa vos habere dicetis, sed non omnium, idem & nos quoq; de his affirmamus. De difficultatibus quas ex singulis partibus obiiciunt, respondere supersedeo, quod ab interpretibus satis superque explicatæ habeantur, & alioqui eadem ratione omnes oppugnari queant.

Liber Ecclesiasticus lex Dei est.

§. 9. *Duobus* Tantvm *modis cognoscitur librum aliquem esse canonicum,* inquit Scharpius. *Primo testimonio prophetæ alicuius, aut Apostoli. 2. Vel eorum qui tum temporis viuebant, cum ederetur, quibus constare posset, siue à prophetæ vel Apostolo editus, necne:* Primo modo negat cognosci posse, quia iam non sunt prophetæ vel Apostoli.

Secundo modo nego Caluinianos cognoscere posse: Quia alterius cuiuscunque quamuis eo vixerit tempore testimonium humanum est, vt semper iactant, at humano testimonio fides niti non potest, hoc enim argumento Ecclesiæ auctoritatem oppugnant, quod si verè faciunt, non habent vllam amplius scripturam, cui credant, nam Apostolus aut Propheta nemo nunc est, vt fatetur Alcides Britannicus Scharpius, & testimonium aliorum omnium, etiam totius Ecclesiæ, fallibile est, & incertum. Hoc igitur argutando efficiunt, vt dum Scripturam laudant, simul tollant.

Scharpius totam scripturam tollit.

Caput XXIV.

Iniuria nos de praua versione, & interpretatione diuinæ legis accusari.

§. 1. Multiplex hoc loco nobis lis intenditur, versio nostra reiicitur, interpretatio oppugnatur, libertas prophetandi, hoc est, interpretandi quæritur. Huc pertinent pugnantes versiones, lectiones vulgares, idiotarum interpretationes, facilitas scripturæ, legis & iuris diuini adulterationes.

Accusationes variæ sunt, & variorum. Joannes Gisenius in reformationis recordatione, Thesi 14. *Editio authentica in veteri testamento est hebræa, in nouo græca,* & Thes. 18. *Scriptura in dogmatibus, quæ sub salutis ratione esse necesse est, clara, perspicua, & manifesta est.* Sic thes. 22. & thes. 20. *Scripturæ interpretatio non est aliunde inferenda, sed ex ipsa asserenda.* Palmam sibi tamen maledicentiæ hac in parte vendicat Joannes Salmut. pag. 10. & sequentibus. Librum legis ait, partim contemptu, partim deprauatione, partim exustione quasi amissum. Bibliorum versionem latinam malam Hebrææ, & Græcæ prælatam. Biblia esse dubia, nullum certum sensum haberi ex illis posse, vocari librum hæreticorum, matrem omnium hæreseon, literam mortuam, nasum cereum, normam Lesbiam, maiorem dici auctoritatem Papæ, quam Sacrarum literarum. Decreta Pontificum multis modis scripturæ anteposita. In concionibus D. Thomam, & alios sæpius, quam scripturam citatos esse, rarò Scripturam explicatam fuisse. Pauli Epistolas pro fabulis habitas, Pontifici asseri potestatem contra eas agendi. Balthasar Meisnerus VVittembergensis, festum Jubilorum suorum nominat festum inuentorum Bibliorum. VVolffgangus Fianzius in sua concione, hyperbolicam Lutheri calumniam approbat, qua scribit Joanni Syluio, nullum ex sui temporis concionatoribus esse, qui vel vnum scripturæ caput exponere possit, idque iureiurando asseruit. Idem Meisnerus in concione secundi dici, ait. *Scripturam vocari à nobis Euangelium nigrum, Theologiam atramentariam, expressum diaboli verbum, nisi sensu Ecclesiæ intelligatur.*

Totalis de interpretatione scripturæ.

Festum bibliorum.

Caluiniana dirus morsus.

Quin & olim Pareus *in Oseam prolog. 3. q. 1. p. 13.* eadem nobis imposuit, & nunc *in themate* repetit. Eadem Erhartus Lauterbach *in concione præparatoria, & concione secunda,* qua ait, *prædicationem publicam non fuisse, sed in cordibus tantum piorum.* Verum optime in hac re sentiunt Catholici, pessimè sectarii. Rem hisce propositionibus declaro.

Propositio prima. Non satis est scripturæ auctoritatem agnoscere, sed necesse est etiam habere certum, & notum exemplar, quod authenticum sit. Alioqui nullius erit apud ignaros auctoritatis; neque enim

Authenticũ exẽplar opus est.

enim cuiquam dubium est, verbum Dei esse summæ veritatis, summæque auctoritatis, sed hoc ipsum esse verbum Dei, verum atque authenticum exemplar cognoscere oportet. Hoc extra controuersiam est.

Exemplar in arca.

Propositio 2. Authenticum exemplar legis diuinæ in arca repositum fuit, ex eo exemplaria diuersa descripta fuerunt. Crescente deinde librorum sacrorum numero, sine dubio autographa prophetarum exemplaria publicè conseruata sunt, multaq; exscripta: quæ tamen in arcam posita non puto.

Nõ interierunt exemplaria bello Chaldaico.

Propositio 3. Quidam Biblia penitus interisse bello Nabuchodonosoriano arbitrantur, quos benè refutant Bellarminus l. 2. de verbo Dei cap. 1. & Serar. in prolegomenis c. 12. q. 1. Esdras itaque ordinem instituit, forte quasdam particulas ratione temporis, Spiritu Dei monitus adiunxit, vt de morte Josuæ, & Samuelis. De hac quoque controuersia non litigamus: Hoc solum notandum est, Esdram veteres Judæorum characteres in Chaldæos mutasse. nam prisci Sicli diuersos exhibent.

Characteres mutati sunt.

Propositio 4. Vetus testamentum, si pauca excipias Chaldæa, scriptum est Hebraicè, & quædam Græcè, nouum Græcè, quamuis alij Matthæi Euangelium, & alia nonnulla Hebraicè scripta contendant, verum vtcunq; res illa habeat, hodiernæ editiones hebraicæ, quæ circumferuntur, auctoritatem non habent.

Vetus testamentum hebraice, chaldaice, græce scriptum.

Textus hebræus non omnino corruptus.

Propositio 5. Vetus textus hebræus, non est malitia, aut incuria Judæorum omnino corruptus. Non enim ante Christi aduentum, neque postea. Non ante, quia causa nulla erat, nec ea de re à Christo, vel Apostolis accusati sunt, deinde cum variè dispersi essent, non potuerunt in vnum errorem conuenire. Tertio Christus ipse ad scripturas Judæos remittit, eas citat, explicat, Joann. 5. 39. Luc. 4. 17. Matth. 2. 47.

Aquila & Symmach⁹ praue verterunt.

S. Hieronymus quidem Epistola ad Augustinum, vertisse se ait biblia, vt ea testimonia quæ à Judæis prætermissa essent, vel corrupta in medium proferret. Sed intelligit Judæos interpretes, qui in Græcum verterunt. Aquilam Symmachum.

Propositio 6. Nihil mutatum est à Judæis malitiosè annis mille & centum proximis: nam Masorethæ versus, voces, literasque omnes adnumerarunt, vt nulla demi possit, R. Sadaia ita numerauit.

Aleph	42377.
Beth	38218.
Gimel inuenitur	29537.
Daleth	32530.
He	47554.
Vau	76922.
Zain	22867.
Chet	23447.
Tet	11052.
Jod	66420.
Caph	48253.
Lamed	41517.
Mem	77778.
Nun inuenitur	41696.
Samec	13580.
Ain	20175.
Phe	22725.
Tsade	21822.
Koph	22972.
Resch	22148.
Schin	32148.
Tau	59343.
Summa	8211081.

Propositio 6. Tempore Hieronymi malitiosè textus Hebræus non erat corruptus, ita ille in 6. Isaiæ. *Si dixerint aliqui post aduentum Domini Saluatoris, & prædicationem Apostolorum, libros hebræos esse falsatos, cachinnum tenere non potero, vt Saluator, & Apostoli ita testimonia protulerint, vt Iudæi postea falsaturi erant.*

Iudæi aliqua corruperunt in biblijs. Ita Caluiniani testantur.

Propositio 7. Postea tamen aliqua immutarunt, in illis exemplaribus in quibus potuerunt. Exempla sunt apud Bellarminum, l. 2. cap. 2. de verbo Dei, & apud Serarium cap. 12. q. 2. Idem fatentur Brughtonus in cap. 9. Danielis pag. 45. Hunnius contra Bellarminum lib. 2. cap. 2. Junius in Psal. 22. c. 2. l. 2. *Hac lectione quam nunc Iudæi defendunt, nihil insulsius, οὐδὲν ὑγιές, nihil sanum, nec vox integra nec sensus;* Legatur loco citato Serarius.

Biblia hebræa moraliter nõ sunt corrupta.

Propositio 8. Hebræus igitur textus, vt recte docet Serar. q. 12. c. 2. prop. 7. *Qui in hodiernis exemplaribus communiter cernitur, si mathematicè, vel physicè consideretur, simpliciter corruptus dicendus est: moraliter tamen non omnino, sed secundum quid corruptus dicendus. Secundum scil. exemplaria non omnia, sed quædam, vel secundum loca tantum aliqua. Prior pars patet, quia & ex humana vel scientiæ, vel imperitiæ alicuius infirmitate menda ei nonnulla insunt, & è Iudæorum nequitia corruptelæ aliquot, vti ostensum. Quando autem de totius alicuius integritate, debitaq; perfectione agitur, ea sane tam mathematice, quam physice dicitur abesse, si vel vna desit, aut peruersa corruptaq; sit pars. Posterior pars probatur, quia moraliter non videtur vel author vel textus ille omnino corruptus ac perditus: qui aut in exemplaribus aliquibus syncerus ac integer est, aut cuius vera germanaq; lectio in libris alijs notatur, Doctorumque memoria & iudicio custoditur.*

Hinc igitur apparet, fontem illum quem iactant purissimum non esse. Non modo quia incuria scriptorum, & humana imbecillitate factum est, vt errata cõtingerent, sed quia malitia hinc inde se exseruit.

Biblia punctata non sunt authentica.

Propositio 9. Biblia vt iam fere eduntur cum punctis vocalibus, non sunt authentica exemplaria, nam puncta ipsa cum initio non fuerint, sed postea addita sint, non sunt pars sacræ scripturæ. Docent hoc plerique, & eruditissimè Nicolaus Serar. in proleg. bibl. c. 3. q. 5. Muntzerus Tiberiade inuenta ait, ea quæ est in Paphlagonia. Sed melius Serar. Tiberiade Palestinæ id factum refert, circa annum Domini quingentesimum, & consentiunt illi etiam Nouatores. *Zvvinglius præfatione in complanationem super Isaiam: Hebræorum, ait, litteras caruisse vocalibus notis, quas parum ciuiliter ipsorum Rabbini, & finxerunt, & supposuerunt; non tantum hinc colligitur, quod & D. Hieron. nullam prorsus ipsarum fecit mentionem, & vetustissimi eorum Codices, etiamsi nunc habeant eas notas, aliquando tamen eas non habuisse, cum ex atramenti dissimilitudine, tum ex situ earum deprehenditur.* Et paulo post: *Vsu igitur constabat huius generis lectio. Huius discipulus Pellicanus: olim, ait, notis vocalium & diphthongorum Hebræos caruisse magni viri existimant: & Iudæorum authenticos libros adorandæ vetustatis etiamnũ reperiri est literarum solum non vocalium characteribus exaratos. VVittenbergenses, & Tübingani Lutheranæ Theologiæ assertores libro contra Schererum; Initio,* inquiunt; *Biblia non habuerunt puncta vocalia.* Et paulo post: *Si eo tempore, quo latina translatio, qua vtimur, facta est, habuissent puncta Biblia, non potuisset latinus interpres in vocalibus quidquam mutare. Ideoq; non est quod negotij quidquam cuiquam facessant puncta, cum vera in veteris Testamenti libris scientia quæritur.*

Punctorum nulla auctoritas.

Ad biblia igitur punctata appellare non possunt Nouatores vt authentica; cum puncta sint opus perfidorum Judæorum. Ex quibus ita concludo. Cum in aliquibus infirmitate humana, incuria, nequitia textus Hebræus sit corruptus, cum dimidia eius pars quæ hodie legitur non pertineat ad textum, sed additamentum sit, omnia nẽpe puncta vocalia, non oportere ad illum vt purissimum, illibatissimumque fontem appellare, nec ex eo omnes alias versiones corrigere.

Propositio 10. Versio nostra Latina sincera & erudita, partim est S. Hieronymi vt interpretis, partim

Hieron. Hebraicè & Græcè doctus.

vt correctoris. Nam Hebrææ, Græcæ, Latinæ linguæ eruditissimum fuisse omnes fatentur, vnus Lutherus, in Symp. cap. 69. id negat, quod orbis concedit, Wer Hieronymum für einen Hebreer schildt / der thut jhm gewalt vnd vnrecht: Qui Hieron. Hebræum vocat, iniuriam illi facit. Sed idoneus ille tantæ rei testis nō est, cum in eisdem sympoſiacis se fateatur ignarum Hebrææ & Græcæ linguæ, Ich kan weder Griechisch noch Hebräisch, & deinde. Ich bin kein Hebreer nach der Grammatica, dann ich laß mich nicht anbinden / sonder ich gehe frey hindurch. *Nec græcè scio, nec hebraice,* &cæt. *Non sum Hebræus iuxta Grammaticam, non enim alligari me sino, sed libere pertranseo.* Multo rectius Cochleus de R. Elia refert. *Dum ego,* ait, *Romæ agerem, & in Hebraicis Rudimentis qualibuscunq; viterer præceptore Helia Germano, dicebat ille mihi, si quis laboris eius pretium daturus esset, vellet, me adiutore, (ipse enim latinæ linguæ ignarus erat) Hieronymi interpretationem (quam ego inter legendum conferebam eius ex Hebræo Germanicæ interpretationi) contra omnes illius impugnatores, siue Iudæi essent, siue Christiani, ex Hebræo ita defendere, vt à nullo iuste impugnata videri posſit.*

Hebræus Lutherus sine Grāmatica.

Summæ peritiæ addit diligentiam pluſquam humanam, de qua ipse testatur, & ad omnes hebrææ linguæ peritos prouocat, Epiſt. ad Sophron. apologiæ prioris lib. 2. Ep. 6. Ep. 65 ad Pammachium. Ep. 4. ad Rusticum. Eraſmus in præfat. ad Tomum 4. ita eum describit.

In optimo ait, *Theologiæ genere primas tenet Diuus Hieronymus (de latinis loquor) & ita primas tenet, vt omnes post se longo relinquat interuallo: & adeo neminem habemus, quem vllo pacto cum hoc conferre posſumus, vt inter tam innumerabiles Theologos vix quenquam habeat & ipsa docta Græcia, qui nostrum æquet Hieronymum. Si modo non vnam aliquam laudem, sed vniuersas eius dotes simul expendas. Tantam in vno homine reperias sæcularium, vt vocant, literarum cognitionem, tantam omnis antiquitatis peritiam, tot linguarum absolutam scientiam, tam admirabilem locorum & historiarum omnium notitiam, tam non vulgarem mysticorum voluminū eruditionem, tantum inimitabilis eloquētiæ, tam exactum vtriq; iudicium, tam sacrum afflati pectoris ardorem, rerum adeo diuersarum tam digestam, ac præsentem memoriam, tam fœlicem iuxta ac diuitem mixturam, deniq; tanto lepore conditam seueritatem, vt quemadmodum per se facundi, si cum Cicerone conferantur, protinus videntur obmutescere, ita omnes Doctores, quos citra collationem suspicimus, cum Hieronymo compositi vix sapere, vix loqui, vix viuere videantur, & Dauid Chytræus in Onamastico: Hieronymus Hebræo simul, & Græco, Latioq; venustus eloquio, morum exemplar, mundiq; Magister.*

Hieronymi versio quo tempore celebrata.

Propositio 11. Auctoritatem accepit à tempore S. Greg. Magni, donec deinde doctorum approbatione sola in vsu esse cœpit, Hugo de S. Victore q. 9. Ecclesia Christi per vniuersam latinitatē, versionem hanc solam legendam, & in auctoritate habendam constituit. Sed hoc non statim à tempore Gregor. vsitatum fuit.

Propositio 12. Hanc Concilium Tridentinum approbauit, sed eius editionem voluit esse, quam emēdatissimam. Et merito; est enim antiquissima, optimi auctoris, à multis laudata, etiam olim ab Ecclesiis probata.

Propositio 13. Vt vno tādem verbo tot calumnias repellam. Libere affirmo; versionem latinam nostram ita probatam, vt tamen, & Græcis, & Hebræis fontibus maneat sua auctoritas. Nicol. Serarij præceptoris mei sententiam, quæ est in proleg. c. 19. qu. 11. & 12. dignam quæ non vno in codice legatur, lector accipe.

Quanta vulgatæ versioni nostræ à Concil. Tridentino tributa auctoritas.

Auctoritatis, quæ vulgatæ nostrę à Tridentina Synodo tribuitur editioni, quantitas seu magnitudo spectari potest bifariam. 1. Simpliciter. 2. Comparate. Comparationem enim significat illa in decreti proœmiolo particula, *ex omnibus latinis editionibus.* Et quia hanc valde vrgent ac flagitant Nouatores, de ea in secuturis agetur quæstiunculis, nunc tantum de auctoritate, quæ absque comparatione huic nostræ conciliata editioni.

Versio vulgata ita probata, vt intra solum versionis genus maneat probatio.

§. 2. Auctoritas, quæ in decreto isto editioni nostræ tributa est, intra solum versionis genus continetur. Quod vt intelligas, notandum *primo*, posse scriptum aliquod authenticum esse, & non eius versionem. *Secundo*, posse versionem esse authenticam, non scriptum. *Tertio*, posse & scriptum & versionem esse authenticam. *Primi generis exemplum* est in tot hæreticis Bibliorum versionibus. Biblia enim authentica sunt: non istæ istorum versiones. *Secundi generis* exemplum est, si quis falsam epistolam, aut pseudepigraphum, & mendacem librum fideliter verteret, verbi causa, Origenis libros περὶ ἀρχῶν; Caluini aut Lutheri schedas & dogmata quæpiam, vt in Concilio examinarentur. *Tertii generis* exemplum est in Bibliis, & nostra eorum versione. Dico tamen, quamuis tam Biblia, quam nostra eorum versio authentica sint, in hoc tamen decreto, ipsam tantummodo versionis auctoritatem sanciri. *Primo*, quia hoc & decreti scopus, & verba ostendunt. *Secundo*, quia Bibliacorum librorum ac partium omnium auctoritas priori de Canonicis scripturis decreto sancita iam erat.

§. 3. Hæc versionis nostræ auctoritas, quomodo accipienda sit: exponi solet dupliciter. *Primo infinite*, absque vlla restrictione. *Secundo definite*, ac restricte. *Priore modo* videntur decretum hoc hæretici, de quibus quæst. 10. accipere & exagitare: nonnulli etiam Catholici quandoq; innuere, vt Suarez in 3 par. to. 1. q. 7. disp. 21. & quæ hoc ipso anno 1608. nuper Francofurti excusæ sunt declarationes concilij Trident. sess. 4. *Posteriore modo* accipiunt complures Catholici. Nam *primo* Driedo. lib. 2. cap. 1 sæpius vt fol. 33. 35. sed maxime in concl. 3. fol. 24. ait, authenticam hanc editionem declarari non quoquo modo, sed eo duntaxat, *vt ad scripturas in suo fonte diligenter collata, excussa, & examinata nihil cōtineat subdole, vel adiectum, vel immutatum. Secundo*, Canus lib. 2. cap. 13. cōclus. 1. editionem hanc retinendam, *in his omnibus, quæ ad fidem & mores spectabant.* 3. Andr. Vega l. 15 cap. 9. versionem hanc ita esse authenticam, *vt certo sciant fideles, nullum inde haberi posse pernicioſum errorem: & tuto illam, & citra periculum posse legi.* Et postea: *Eatenus voluit Synodus eam authenticā haberi, vt certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset. Quarto* Adradius l. 4. Driedonem. fol. 254. 255. ac 256. Et Vegam fol. 257. sequitur. *Quinto.* Sixtus Senensis in extremo l. 8. concedens *errata & leues defectus* in editione vulgata reperiri, authenticam tamen vult, *quia certum est*, inquit, *neq; in veteri, neque in noua editione aliquid vnquam inuētum esse, quod fuerit à veritate Christianæ fidei deuium, falsumue ac mendax, vel contrarium dogmatibus ac regulis orthodoxis; vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præiudicium veritatis omissum; vel adeo deprauatum, vt occasionem pernicioſe errandi attulerit; vel hæresibus ac prauis dogmatibus materiam & fomenta præstiterit; vel ita obscurè & ambiguè versum, vt mysteria nostræ fidei occultauerit, aut non ad sufficientiam, & quantum satis est, ad salutem, explicauerit.* Et rursum paulo post dicit, *leues illos defectus* in editione quidem esse, sed citra *vllum fidei ac morum detrimentum. Sexto* Bellarmin. lib. 2. ca. 11. *certos nos reddere voluit Ecclesia, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione Interpretum errata. Septimo* ipse Bellarm. oppugnator l. 2. cap. 10. pag. 537. editionis huius auctoritatem ita exponit, *vt Spiritus S. sententiam vbiq; assequatur, quod ad doctrinam & mores attinet. Similis restrictio pag. 542. quod attinet*

Versio vulgata est approbata restrictè.

tinet ad fidei & morum dogmata pagin. 565. *Num errauit S. Hieronym. in iis, quæ Ecclesia tanquam authentica approbauit? quæ, ad dogmata fidei & morum pertinent.* 8. P. Io. Sacroboscus apud eundem p. 541. *Cum dicimus nos habere scripturam latino sermone authenticã, aliud nihil volumus, quam nostram translationem esse verum Dei verbum, integrũ, incorruptum, ex quo grex Christi doceri, & quæstiones de fide ac moribus intrepide definiri queant.* 9. Alph. Salmero proleg. 3. in 2. de vulgata edit. quæsito: *liberum relinquit Concil. Trident. omnibus qui scripturas profundius meditantur, &c. non tamen, vt eam falsò interpretatam, præsertim in rebus ad fidem vel bonos mores spectantibus, velerrorem intolerabilem continentem condemnent.* Duæ Propositiones. I. *Quæ à Trid. Concil. versioni vulgatæ tribuitur auctoritas, non est infinitè accipienda, sed definitè certis cũ modificationibus.* Patet 1. Quia concilij scopus & decreti causa optime cum modificationibus istiusmodi tenetur 2. Quia ita sentiunt tot & tam idonei auctores 3. Quia per huiuscemodi iustas modificationes fræno veluti quodam & chamo compescitur effrænis ac immoderata hæreticorum in decretum hoc procacitas & maledicẽtia.

Synodi in sancienda nostra versione mens.

4. Quia Theologus grauis ac fide dignus citatus And. Vega, loco indicato sanctè asseuerat, se ab ipsius concilij præside S. crucis Cardinale audiuisse crebrius, eã Concilii mentem fuisse, vt id genus cautiones intelligerentur. Et scripsit hoc ille, cum superstes adhuc esset Cardinalis ille, possetq; de re tota interrogari: imo hic est ille ipse, qui postea an. 1555. inter Trid. sess. 16. & 17. Pontifex Max. vocatus Marcellus II. 5. Memorat rem eandem lib. 4. fol. 257. Andrad. *Vir*, ait, *eruditissimus, frater Andr. Vega, qui concilio Trid. sub Paulo III. maxima cum laude interfuit; multis confirmatur.* 6. Neq; auctoritate sola sed & ratione idem rem eandem probat Vega. *Et hanc ait fuisse mentem Synodi, nec quicquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis & aliis consuetis approbationibus concilii, potes colligere.* 7. Non possunt hæretici negare, iustum esse, vt in auctoritate hac explicãda bonæ adhibeantur modificationes, quia vel in suarum versionum auctoritate idem faciunt, vel facere, velint nolint, debent. Nam 1. Vvittakerus cont. 1. quæstione 2. cap. 8. *Etsi*, ait, *nostrorum aliquæ interpretationes, in quibusdam locis differant, tamen nec in multis nec periculose.*

Hæreticorũ versiones quales.

Ecce hisce in verbis postremis cautio & modificatio. 2. Fatentur versiones se nondum habere perfectas, & in quibus mutari nihil debeat. Ideo enim, 1. eas quas habent crebrò mutant & corrigunt, vt cap. 18. quæstione 1. dictum, & patet in Bezæ noui Testam. versione, ac Epistola 80. p. 348. in Geneuensi correctione ac editione Bibliorum anno 588. 2. ideo & nouas adhuc meditantur & parant versiones Hollandi teste Jo. Drusio præfat. in lib. Tetragrammato Dei nomine, & Angli, prout mihi sæpe retulit, qui ad id opus multorum studiis ac literis, quin & regiis præmiis inuitatus & pene pertractus est Hugo Brugthonus, ita vt vtrique quidem sed nouo præsertim Testamento manum iam admouerit, pleraque interpolarit, vt ipse in veteri Testamento Londinensis editionis ano 1578. Bibliis Anglicanis vidi. Et Robertus gentilis anno 1605. in Patris sui libellum ante citatum *de latinitate veteris Bibliorum versionis male accusata:* Proœmiaco ad Joannem Housonum Epistolio: *In Anglicana*, inquit, *versione cum aliis nunc* (anno 1605.) *iussu Regis versaris conficienda.* Pastores sanè ac professores Ecclesiæ Geneuensis, vt se ipsi appellant, in Geneuensis antea nominatæ correctionis Præfat. scribunt: *versiones pedetentim perfici, vt vna tandem haberi possit* (nondũ igitur apud eos habetur) *quæsi non omnino perfecta* (*quod optandum potius, quam sperandum.*) (Ecce de perfecta translatione desperant) *ad minimum tamẽ tam pura sit, vt qui ea præditi scientia non sunt, qua possunt Dominum ore suo proprio* (seu lingua Hebraica & Græca) *in Prophetis & Apostolis loquentem audire: ei versioni*

Nullæ versiones nouatorum authenticæ.

posint inniti, seu in ea se ipsos statuere ac firmare. Ita vt quod deesse adhuc videretur, id magna cum cura notaretur à diligentibus Pastoribus dum suos docent greges. Accedit, quod vt dictum est cap. 11. q. 2. verbum Dei non putant isti Nouatores versionibus ipsis authenticè contineri. Necessarium igitur est vt suis omnibus ingratiis, versionum suarum, quas aut legunt, aut legendas populo proponunt, auctoritatem varie modificent ac restringãt. Ita vt cui pare nos haud possint, dum explicationes & cautiones bonas nostræ apponimus versioni.

II. *Modificationes quibuscum nostræ auctoritas versionis accipienda*, sunt potissimum quatuor, è quibus 1. ad enunciationis huius: Latina versio est authentica, subiectum pertinet: ad prædicatum reliquæ. 1. vt versio hæc sit emendata, vel potius emendatissima. 2. vt nihil, quod veritati, ac fidei, bonisque moribus repugnet, habeat. 3. nihil item, quod iustum vlli opinionis cuiuscunq; noxiæ aut inutilis occasionem præbeat. 4. vt in ipso versionis genere bona sit: id est, primogenium textum vertat: eiusq; sententiam reddat. Probantur singulæ.

I. Ex superiore q. 10. Sed addidi iam, *vel potius quã emendatissima*, quia superlatiuũ quo editionem hanc imprimi iubet Trid. Synodus; aduerbium *emendatissime*, de ipsa se loqui ostendit, quatenus emendatissima est, ob Patronomymiam sc. atq; à coniugatis argumetum. Ideoq; Andrad. l. 4. fol. 257 Kemnitii, qui *multa enumerat errata, quæ pro diuinis oraculis contedit nobis à Tridentinis Patribus obtrudi*, vafriciem ac malitiam arguens subiungit: *Neq; enim potuit non illam decreti partem perlegere, qua S. Synodus statuit, vt posthac sacra scriptura potissimum hac ipsa vetus & vulgata editio, quam emendatissima imprimatur; vt demonstraret illam à se vulgatam editionem solum approbari, quæ ab omnibus sit erratis summa diligentia expurgata.* Et fol. 257. *Cum ab Apostolica sede veterem vulgatam Latinam editionem quam emendatissimam acceperimus, omnerimus cura atq; dubitatione liberi.* 2. Ex consentiente multorum, qui citati sunt Theologorum, & eorum quidem, qui ferè omnes contra hæreticos depugnant; explicatione, ac vt dictum est, ex ipso decreti scopo & verbis. 3. Indidem. 4. Ex ipsius, quæ agitur hic, rei natura. Versionem enim aliquam approbare, aliud nihil est, quam iudicare ab ea bene reddi, quod alia lingua scriptum erat. Adeo vt fieri possit, & sæpe quidem fiat, librum aliquem aut epistolam lingua, quapiam scriptam esse authenticam, eius vero translationem non: & è contrario, librum aut epistolam non esse authenticam: versionem vero esse. Gregor. de Valentia lib. 8. Analyseos, c. 5. *Esse*, ait, *versionem aliquam authenticam, nihil hoc loco aliud est, quam esse eam omnino in sententia conformem scripturæ originali.* Esse autem superioribus hanc adiungendam explicationem patet. Quia vix alioquin aliquid amplius vulgatæ versioni nostræ tribueret Synodus, quam eorum, qui Catholicorum censent libros, bona & accurata tribuere solet censura. Ex hac porro explicatione, quẽadmodum & citato loco Grego. de Valẽtia, sequitur, à Concilio declarari hic auctoritatem versionis nostræ diuinam esse, ob causam nimirum, quæ ca. 11. q. 2. exposita est. Dico autem semper in positiuo bene, & bonam, quia de comparatione in sequentibus agetur quæstionib. vt in superioris quæstionis extremo dixi.

Quid sit versionem probari.

Vnum vero præter ea, quæ superiore obiiciebantur quæstiuncula, *occurrit, quod obiici possit.* Editæ sunt nuper hoc anno 1608. Francofurti declarationes Tridentini concilii. In earum principio ad sess. 4. ita legitur: *Acriter reprehendendus est Vega lib. 15. cap. 9. de Iustificat. qui tam audaciter locutus est de hac re.* Sed Respondeo. Istiusmodi declarationum, siue Judicum sententiæ, siue doctorum opiniones, siue sapientũ responsa, siue huiusmodi aliud quippiam sit, auctoritatem,

vti par est, reuerendo; dubitari posse an absq; deprauatione ac mendo editæ sint. Nam neque in verbis proxime antecedentibus Grammatica satis bona est: neque quod iis aduersetur, affirmare quiequam eo loco videtur Vega. Deinde Typothetæ, operæq; alię ac istarum herus hæretici fuerunt. Et iste in sua ad Lectorem præfatione subindicat aliquid alicubi prauum esse, quod in ipsius tamen exemplaris intricatam manum conferat. Et vidi ipse declarationes easdem manuscriptas, in quibus horum nihil esset. 2. Declaratio ista est ad ea, quæ decretum, quod tractamus, antecedit, verba, cum omnibus suis: declaratque libros Bibliotum integros cum omnibus suis partibus pro sacris & canonicis habendos. Addit enim: Etiam quod sola periodus, sola clausula, vel sola dictio, aut syllaba, iotaue vnum, quod repugnaret vulgatæ Latinæ editioni. At hoc totum non modo nos, sed & Vega ipse de emendata seu emendatissima versione libenter fatetur.

§. 4. Accusationes graues ante protuli. Scharpius antiqua mendacia refricat controuersia sexta.

Eckius citatur quasi dicat *scripturam non esse authenticam, nisi Ecclesiæ authoritate.* Deinde Hermannus quidam à Pareo, à Scharpio, ab aliis producitur, quasi dicat *scripturas non plus valere, quam Aesopicas fabulas, si desit auctoritas Ecclesiæ.* Sed Eckius loquitur de Bibliis quoad nostram cognitionem, Hermannus ille nusquam est, nusquam fuit, nisi in eorum cerebro, qui sibi hostem finxerunt, vt vincerent, & magna tamen pars iubilantium tanquam niue sua commenta texerunt hac fabula. Verum vt hac quoque parte veram stabilemque catholicorum fidem animaduertant, paucis rem exponam.

Summa est Ecclesiæ vtilitas.

Propositio prima. Auctoritas sacræ scripturæ summa est, à Deo efficienter, in se formaliter ob veritatem, quæ est vocis, & rerum, siue signi, & significatorum conformitas. Hac in re cautiores non dissentiunt à nobis, nisi quod Caluinus alique nonnulli, quædam falsa, & mendaciola illi imputent, vt paulo ante docui.

Auctoritas scripturæ cognoscenda est.

Propositio secunda. Vt veritas aliqua cognoscatur atque approbetur, non satis est eam esse in se ἀξιόπιστον, ex se habere firmitatem, & dignam creditu esse, sed necesse est etiam, vt idoneis testibus, atque instructione doceatur. Tres sunt in deitate personæ: Orbis conditus est per sex dies, homo lapsus est, diluuio orbis oppressus est: Hæc certa sunt, sed vt credantur, non sufficit certa esse in se, opus est, vt ignorantibus, dubitantibusque illa certitudo exponatur. Hæc quoque ad ipsa Biblia accommodanda sunt. Nam quemadmodum credo Mosen eduxisse populum ex Ægypto, legem promulgasse in monte Sinai, ita quoque credo eum libros illos, qui vocantur Mosis, scripsisse. Eadem enim fide librorum veritatem, & historiæ amplector: Id vero non ab ipsis sufficienter bibliis, quia ex natura rei non cognoscitur historia, nec audita creditur, nisi sit ratio aliqua, quæ nobis eius persuadet veritatem. Errat igitur Robertus Rollocus, & Caluinus, & Pareus, & feruor iubilantium; Cum negant opus esse alio quopiam vt scripturas discernamus, *sicut solem cognoscimus, & tenebras à luce discernimus, album à nigro, sapores suaues ab amaris.*

Legem esse latam à legislatore oportet sciri.

Si quis enim ignaro memoret Mosaicam historiam, aut legat eam, nonne adhuc dubitabit de veritate historiæ, ac proinde de fide libri quo continetur? Apocalypsin reiecerunt Caluiniani, nunc probant, an ergo priores cœci fuerunt, an solem à tenebris non distinxerunt? Esi in re ἀντιστίχῳ, natura sua notissima, & clarissima, & causa lucis illius, quæ est in Ecclesia, & cordibus hominum errarunt, cur illis adhuc manet auctoritas apud errantes?

Propositio tertia. Auctoritatem scripturæ quoad homines Deus primò dedit illi, cui reuelauit, vt certo cognosceret, à Deo se illa habere. Deinde illa populo indicauit, miraculisque firmauit: hinc Ecclesia quæ tum fuit, recepit, & posteris tradidit: Ecclesia, hoc est cœtus, qui Dei spiritu regebatur. Hinc illud Augustini est: lib. contr. Epist. fund. cap. 5. *Ego vero Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.*

Ratio credendi est reuelatio.

Propositio quarta. Scripturæ auctoritas, & Ecclesiæ creditur à nobis sub hac formali ratione, quia Deus reuelauit, præter illam reuelationem sunt motiua credendi, quæ inducunt nos vt euidens sit rem prudenter credi posse, non sunt tamen ipsa ratio credendi, sed motiua duntaxat, quæ possunt ita proponi alicui de scriptura, vt eius auctoritatem credat, quamuis expresse de Ecclesiæ auctoritate non cogitet, implicite tamen creditur auctoritas Ecclesiæ etiam in hoc actu.

Ecclesia est obiectum fidei, & motiuum.

Propositio quinta. Ecclesia non modo est obiectum cognitum, seu obiectum fidei creditum, vt est in Symbolo, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam.* Sed vnum etiam ex motiuis: Est vero antiquior, notiorque quam scriptura, ideoque eius auctoritas in credendis scripturis plurimum momenti habet. Ea tamen necessaria non esset, si alia essent argumenta, quibus perspicue, & sine falsi suspicione Bibliorum auctoritas probaretur. Verum id fieri non potest: quomodo enim non modo Indi occidentales legendi ignari, sed Japones etiam, Chinenses que continuo omnes bibliorum libros perlegere, eorum auctoritatem cognoscere possunt: imo quomodo Hebræam & Græcam linguam addiscere, qui pronunciare non possunt?

Scripturæ auctoritas maior, quã Ecclesiæ.

Propositio sexta. Scripturæ auctoritas in se est maior absolutè quam Ecclesiæ. Quia tota, omnesque eius apices sunt à Spiritu sancto: at in Ecclesiæ definitionibus, sententia tantum quæ definita est, à Spiritu sancto esse creditur, disputationes antecedentes, rationesque, non sunt de fide, verba etiam non necessaria & superflua esse possunt. Deinde scriptura à prophetis sanctis, sapientissimisque tradita est, sine meditandi, studendi, disputandi labore, cœlesti penitus magisterio scripserunt, miraculis confirmarunt. Denique omnia, & singula scripturarum sunt certissima, siue de fide, & moribus generatim agant, siue de rebus singulis, præteritis, futuris. At Ecclesiæ definitiones illæ solum fide creduntur, quæ sufficienter propositæ sunt, & generales sunt, quæque ad fidem, aut mores faciunt.

Decreta Ecclesiæ quadam æquãtur scripturæ.

Propositio septima. Cum igitur Conciliorum, Summi Pontificis, vel vno nomine Ecclesiæ auctoritas, à quibusdam æquatur scripturæ. Tantum de illorum decretorum veritate intelligendum est, sic accipienda verba Diui Gregorij libro primo Epistolarum vigesima quarta. *Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia venerari me, ac suscipere fateor:* vbi particula *sicut* est similitudinis, non æqualitatis. Vt Bellarminus & Serarius in prolegom. docet, cap. septimo, quæstione duodecima. Nec offendi quisquam hac propositione debet. nam recte S. Athanasius Epistola ad African. Epis. *Verbum Dei, per œcumenicam Nicæa Synodum manet in æternũ.* Spiritus enim sanctus assistit Ecclesiæ suæ, eandemque gubernat in æternum. Nec mirum videri debet vlli hominum Ecclesiæ auctoritatem esse constanter veram, nunquam fallacem, cum illos, qui eam aspernantur, videamus totũ suæ propriæ auctoritati tribuere, quod Ecclesiæ abstulerunt. Nam priuato instinctu certos se esse profitentur? Si cuiushibet idiotæ tanta est in suo sensu certitudo, cur eam Ecclesiæ negant? cum Deus ipse testetur, verbum Ecclesiæ esse verbum DEI? quiq;

quique illud contemnunt, Deum ipsum respuere. Matth. 16.18. & 18 17. Luc. 22.32.

Ecclesiæ verbum est verbum Dei.

Propositio octaua. Ecclesiæ auctoritas aliquo respectu quoad quosdam homines est maior quam scripturæ. Hoc nemo mirabitur, qui animaduerterit, simile aliquid in omni secta. Primo Ecclesia scripturam credẽdam proponit, exponit, & quo potest modo auctoritatem illius probat Catechumenis, qui Ecclesiæ proponenti credunt, estq; eius auctoritas euidentior, quam scripturæ, cuius multas partes illi ignorant. Lutherani pluris suam Ecclesiam faciunt, quæ Epistolam ad Hebræos, & Jacobi reiicit, quam verbum Dei, vt Caluiniani testantur. Est vero id omnino illis necessarium, vt constat ex ante dictis: Cum enim plerique exemplaria Hebræa, & Græca non habeant, & vix vllus sit, qui omnia ad primæuas linguas examinarit, nullus omnino qui ἀυτογραφα legerit, credunt suis Ecclesiis, Lutherani sua biblia recte aiunt versa, & damnãt Tigurina, Caluiniani è contrario damnant Lutherana, & suis credunt, atque ita sacram legem quisque ita sibi tribuit, vt aliis neget.

Ecclesiæ auctoritas aliquo aliquã do respectu maior est quã scripturæ.

CAPVT XXV.

Sectarios habere veram Dei legem non posse.

Qui valde asseuerant, valde errare solent.

§. 1. NIMIVM amando quidam nocent, multo magis nimia amoris simulatione id agunt hypocritæ; nam nostri ministri quotidiè clamitando, purum verbum Dei, fonteſque puros Hebraici, Chaldaici, & Graï sermonis: iam eo peruenerunt, vt si vera sunt, quæ contra nos dicunt, necesse sit eos omnino bibliis carere. Ratio mea ista est.

Sectarij nõ habent authentica biblia.

Quicunque hactenus nulla biblia authentica in suis Ecclesiis legerunt, vel audierunt, illi Dei verbum suo iudicio non habuerunt: nam de ratione seu essentia verbi diuini est, τὸ ἀυθεντικὸν, imo vt etiam prosit animabus, necesse est cognosci & amari vt authenticum, & verbum immutabilissimæ veritatis. Sed in Ecclesiis Euangelicis nulli hactenus authentica biblia habuerunt, quibus secundum suam doctrinam tanquam authenticis credere potuerint: non ergo biblia habuerunt, imo nec manente sententia habere possunt.

Maior propositio cõsensu datur, minorem probo.

Hebræum exemplar authenticũ non habent.

Primò. Non hebræam, non græcam, non latinam, non alterius versionis habent, nullam igitur scripturam, quam pro authentica agnoscere possint, vnquã habuerunt. *Non hebræam*, quia primum exemplar originale à Mose aliisq; scriptoribus editum non viderunt, apographa tantum longa serie ad nos translata acceperunt, illa fideli manu, & non errante calamo exscripta esse, certo cognoscere non possunt. Neque enim ex ipsa scriptura possunt certo statuere, hoc est enim τὸ κεκριμενον, quodque in controuersiam trahitur, an scriptura quæ se diuinam appellat, reuera talis sit, & an hoc emendate scriptum sit exemplar, itaque quod in diplomate principis, idem in Dei lege faciendum illis est.

Zvvinglius nempe, & alii *Apocalypsin* diuinam esse negarunt. verbis illis quibus prophetia inchoatur, *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus*, falsa, & impostoria iudicarunt, qui Apocalypsin repudiarũt. Nunc admittunt, non quia verba illa libro prætexuntur, quæ Caluinianos, & Lutherum non permouerunt, sed alias ob causas: vt scil. pontifici Romano maledicant. Sed iam de fide notariorum, & librariorum loquor, & quæro, quo argumento ducti sibi persuadeant recte exscripta esse: Non ex scriptura, nusquam enim testatur, se per duo vel tria annorum millia inter tot hæreseon fraudes, iactationesque ad nos illæsam, incontaminatamq; peruenisse.

§ 2. Nec cognosci hoc põt, ex priuato spiritus instinctu ad Ecclesiæ ædificationem. Ratio manifesta est, quia licet mentem illustrare Deus, & reuelare arcana sua possit, non tamen alienæ mentis certitudo ex occulto instinctu obsignatur, quur enim credam illis, qui Enthusiasmos, & instinctus suos mihi obtrudunt? verbum Dei quæro.

Nullã scripturam authentiam habent.

Neque ad rem facit primitiuæ Ecclesiæ attestatio, quia humanum est testimonium & fallax, vt illi volunt, nec de sequẽtibus exscriptorib. iudicare potuit.

Quod si omnem sibi viam præciderunt, qua ad certitudinem scripturæ primogeniæ peruenire possent, multo minus de vlla versione certi sunt: atq; id sane fatentur ipsimet. Lutheri superius verba citaui, dicẽtis: Ich kan weder Griechtsch noch Hebräisch, *Nec Græcè, nec Hebraicè scio.* Si verum dicit: sine verbo Dei docuit: nam eius discipuli & Caluiniani solam Hebræã scripturam, & Græcam authenticam aiũt. Ita Scharp. conc. 2. de script. & Chamerius libello contra Jacob. Suaresium pag. 12. profitetur nolle se vlli bibliorum versioni stare, sed tantum natiuis linguis, Hebraicæ quidem pro veteri, Græcæ autem linguæ pro nouo testamento. Merito autem versioni nulli fidunt, nullam enim non vitiosissimam habent, ita rex Angliæ in collatione Hamptoncuriana: *Edendam omnino esse aliquam vniformem Bibliorum translationem, quod, Anglicam hactenus bonam vidisset nullam, omnium vero pessimam iudicaret Geneuensem, eiusq; notas ad marginem adiectas censeret partiales, falsas, seditiosas, periculosiq; ac peruersissimi animi machinationes nimium redolentes. Sic autem edẽdam, vt post duarum Vniuersitatum laborem, post Episcoporũ ac doctiorum clericorum reuisionem, consilio priuato offeratur, & à Rege demum authoritatem accipiat, vniuersaq; Anglicana Ecclesia ad eam vnam amplectendam adigatur.*

Versio Anglicana.

Ignarus hebrææ & græcæ linguæ ex sententia aduersariorũ incertus est salutis.

§. 3. Cum igitur nulli versioni vt authenticæ stare possint, & versiones suas sibi mutuo tanquam erroneas obiiciant, nec ad fontem omnes recurrere possint, omni auxilio destituuntur: Nam quotus quisq; est ita gnarus Hebrææ, vt ex certa scientia de puro fonte hauriat? cætera turba è cænosis, & varia hæresi venenatis riuis potatur.

Versiones hæreticorũ.

Non concedo hoc illis qui biblia vertere se ex Hebræis confessi sunt, quod vnius hominis esse negat Beza in præfat. ad nouum testamentum. Nam quamuis sibi eruditi videantur, cum tamẽ nati Hebræi non sint, cum vtantur glossis, lexicis, interpretationibus Rabbinorum, nisi putent se memoria, iudicioq; posse falli, omnium sunt hominum vanissimi. Lutherus post annos prope 20. fassus est, *Santem, Munsterum, se, crebro errasse, quod glosis Rabbinorum nimium crediderit.* Munsterus ait, *plurimos versus omissos in Sante, sicut & recognitione Lutheri.* Versionem suam ille aliquoties recognouit, sannis eam Tigurini exceperunt, Osiandrini aiunt loca scripturæ à Luthero magna falsitate, & dolo interpretata, in confess. Mansfeldica.

In præfat. bibliorum.

Nõ sunt illi certi de sua propria versione, eam esse scripturæ, nisi insanissima arrogantia fidem suam vltimo resoluant in accuratissimam quatuor linguarũ Hebrææ, Chaldææ, Græcæ, Latinæ cognitionem.

Nulla hæreticis est authentica.

Secundo argumenta quæ contra veterem editionem inualida sunt in hæreticos conuertere, & retorquere valide possumus. Statuamus igitur aliquem ex quacunque religione harum quas nominaui linguarum magna ex parte ignarum, salutis tamen cupidum, veritatis studiosum: Huic Biblia Germanica offeramus, ex verbo Dei vt discat veritatem. Si Lutheri, vel Tigurinorum illa fuerint: dicet Scharpius, de sacra scriptura controuers. 2. column. 27. Si hæc versio est authentica, vel propter interpretem Lutherũ, vel propter approbationem Ecclesiæ, vel quia cum hebræo textu conuenit. Non prius, quia ne Lutherus quidem authenticam putauit. Nec approbatio

batio Ecclesiæ, quia non potest facere canonicam ex non canonica. Multo minus, quia cum Græco vel Hebræo conuenit; quia id ille iudicare non potest, sed credendum est Lutherano alicui ministro, qui forte nec ipse est hebræus, nec Græcus. Quid si autem Matthesio ille credat, Lutheri versionem pro concione cedenti virgis, & dicenti: *discas melius?*

Biblia Lutheri virgis cæsa.

§. 4. Deinde ergo nulla hactenus Biblia habuimus nisi sola Hebræa, & Græca. Nulla igitur fuit Ecclesia iuxta Sectarios Lutherana vel Zvvingliana. Nam vnum mihi ostendant, qui Biblia Hebræa, & Græca intellexerit, & eorum religionis fuerit. Quid igitur huic facies, an ad Grammaticas Scholas Græcorum, Latinorum, & Hebræorum ablegabis? Hoc sane frustra fuerit: sed tamen nulla est authentica scriptura, si versio septuaginta Græca, si Latina reiiciuntur: nam Hebræa à nullis fere Christianis, nisi paucissimis intelligebatur: aduersarii autem nostri, sola scriptura, sola Hebræa veteris, & Græca noui testamenti vtendum censent: quæ quamuis authentica sit, non tamen id constare potest illis, qui codices hebræos nunquã viderunt. Falsum est, inquit Scharpius, *Græcam Ecclesiam vetus testamentum habuisse authenticum in lingua Græca.* Deinde ait. *Vera Ecclesia debet habere, & habet adhuc virus, qui has linguas intelligunt: licet Romana forsan Ecclesia nullos aut paucos.* De Romana Ecclesia alias videro, nunc illa verba examino.

Ecclesiæ nescientes hebraicè, & Græce non habent authenticam scripturam.

§. 5. Vera Ecclesia debet habere gnaros Græcæ, & Hebrææ linguæ? An si non habeat: eritne vera Ecclesia? si asseris, quid fiet tot vestris Ecclesiis, quibus præsident quadrati prædicantes, sartores, alii quos nominant toties Arminiani in Belgio. si concedis fore Ecclesiam sine Græcis, & Hebræis prædicantibus, necesse est etiam statuas eam fore sine scriptura, quæ cum sit sola verbum Dei, erit Ecclesia Dei sine verbo Dei. Quod est absurdissimum. At Germanicum aut Britannicum verbum habeat. Nihil ad vestras imaginationes hoc facit. Scriptura Germanica aut Britannica nulla est authentica, omne verbum Dei est Authenticum, ergo nulla scriptura Germanica vel Britannica est verbum Dei. Omnẽ ergo fidem necessariò tollunt ab idiotis, qui tam multa credere coguntur, quorum certi esse non possunt. Primò libros esse scriptos à prophetis, 2. recte exscriptos. 3. Bene conuersos, 4. Hæc ex scriptura clare doceri. 5. Talem instinctum se habere, qui non fallat. Horũ singula plurima continent: videl. interpretes linguarum doctissimos fuisse, diligentissimos, eorum notarios fidelissimos, & licet multi errarunt, in versione tamen suos nõ errasse. Biblia igitur vertendo euertunt, idq; efficiunt, vt nihil sincerè credatur, sitque pro fide curiositas, & contentio.

Notauit id Beza in 10. act. in digressione. *Nam eo res iam deuenit, vt non modo qui ex ingenio aliquid commentantur, à consuetũ, & familiaribus scripturæ verbis, tanquam obscuris, insipidis, obsoletis abhorreant: sed iam qui scripturam à Græco cõuertunt in Latinum, aut aliud aliquod idioma, quidquis sibi in interpretando licere putent. Quos si reprehendas, statim audias, interpretis officio fungi, non qui verbum cõuertat è verbo, sed qui sententiã exprimat. Ita fit vt dum quisq; suum iudicium libere sequi maulit, quam religiose Spiritus S. interpretem agere, plurima nõ tam conuertat, quam peruertat. Cui libidini & audaciæ nisi occurratur, næ aut ego vehementer fallor, aut intra paucos annos paulatim ipsarum quoq; rerum possessione depellemur.* Non itur obuiam illi libidini, sed gloria, præmiis, & infidelitate accenditur, ideoque iam ipsa rerum possessione depulsi sunt.

Ex his manifestissimum est: & nos lege diuina habere constitutam Ecclesiam, & illos non habere.

Deinde nostram Rempub. optime constitutam, vt in qua legislator supremus adoratur, lex eius asseruatur, exponitur, intelligitur, seruatur. atq; hæc de lege Dei scripta, vnde omnium legum in Republ. est sanitas, sanctitasque.

§. 6. Ostendi varie Sectarios auctoritatem legis diuinæ scriptæ tueri non posse, nunc quid ann. 1617. illi scriptitarint videamus; Scharp. col. 6. Quatuor officia Ecclesiæ de scriptura recenset. 1. *est testis, custos, tabellionis instar.* 2. *Vindex, quia falsas à veris discernit, vt aurifaber aurum ex cupro, quia ad hoc spiritum Dei habet.* 3. *est præco scripturæ.* 4. *est interpres, sed vt scripturam ex scriptura interpretur, nihil de suo commiscendo.*

Legem irritã faciunt, & nos accusant.

§. 7. Quatuor item media scripturæ cognoscendæ. Primũ, *est ipsius scripturæ vel Dei in scriptura loquentis testimonium.* Secundum, *instinctus priuatus.* Tertium, *doctrinæ substantia, qualitas, forma docendi, euenta miracula, Satanæ aduersus illum furor, hostium pœna.* Quartum, *Ecclesiæ testimonium.* Hoc pertinere ait ad eos, qui sunt extra Ecclesiam, priora testimonia minime, fideles ex priorib. testimoniis certius cognoscere scripturæ auctoritatem, sed præcipue ex testimonio Spiritus S.

De officiis vno syllogismo rem conficio, Ecclesia est custos, testis, vindex, præco fallax iuxta Scharpiũ, non ergo habet Spiritũ Dei ad diiudicandum libros germanos, & genuinos à falsis, & suppositiis, quẽadmodum prima Ecclesia Caluiniana non recte de Apocalypsi iudicauit, quum eam Christi sponsi vocem esse negauit, illa igitur officia non recte constituta sunt. Ex hisce igitur nihil certo præstat Ecclesia.

Officia Ecclesiæ de scripturis nulla possunt esse apud sectarios.

Media quæ proponuntur, fidem scripturarum apud illos penitus euertũt. Primum ait esse ipsius scripturæ, i.e. Dei in scripturis loquentis testimonium, per quod primi motus in cordibus excitantur. Hoc testimonium à secundo, hoc est, testificatione spiritus diuersum non est, aut si diuersum est, nihil efficit.

Si enim motus excitat credendi, id necesse est testificãdo efficiat, de qua testificatione postea loquar, quia enim plura continet, in postremum locum differam. De tertio medio nihil certum est. Nam primum, *substantia doctrinæ*, ait Scharpius, *in scripturis contentæ omnem terrenum captum superat*; 1. Corinth. 2 14. Non igitur ex substantia potest probari scripturæ auctoritas, quia nondum intelligitur à Catechumenis, deinde multæ eius partes nõ intelliguntur à valde peritis. Tertio, quædam nesciuntur etiam à peritissimis, ex illis igitur quæ in Scriptura continentur, non potest certo eius auctoritas cognosci, nisi omnia quæ in eo sunt, accurate intelligantur, etsi enim quædam veritates perspicuæ sint, multæ tamen reconditæ manent, quæ probari non possunt incognitæ. Ille igitur modus est difficillimus, longissimi temporis, & vt certe iudico, hoc tempore ἀδύνατος; quomodo enim quispiam totam scripturam, hoc est omnia illius mysteria ἐναντιοφανῆ, inter tot millia pugnantium interpretum ita dissoluet, nulla vt in re hæreat: id autem necesse est facere, si ex illis quæ in ea continentur, auctoritas scripturæ dependet. Nam vt dicat quispiã de libro Heracliti, aut aliorũ σκοτεινῶν: quæ intellexi præclara sunt, puto & illa esse quæ non intellexi, facile permitto, de sacra Scriptura ita loqui non possunt, qui ex perfecta eius intelligentia eius auctoritatem colligunt.

Ex substantia doctrinæ non possumus penitus esse certi.

Totum approbare non possumus ex substantia doctrinæ, ꝙ non intelligimus.

§ 8. Addit Scharpius, *à puritate, quia nihil vitiosum continet*; Verissime credo nihil vitiosum continere, sed vt ex eo de auctoritate statuam, opus est, vt omnes eius partes, ac membra non modo perspectissima habeam, sed etiam cum Hebræis, Chaldæis, Græcis exemplaribus, & quidem diuersis omnia conferam. Nam vt de hac maiore nihil dicam: Quicunque liber nihil vitiositatis continet, est diuinus; minorem hanc sine ingenti cognitione nemo sibi persuadebit. Hic liber nihil vitiositatis continet; probanda est enim inductione, nec hæc, nec illa pars vitiositatem continet. Nam probanda est ex illis quæ

Nihil vitiositatis esse in scripto aliquo difficulter cognoscitur.

conti-

continentur, at hoc modo nemo probare poterit, nisi qui summo ingenio, longissima ætate, quietissimo ocio, adamantino labore ei insudant. Demonstro hoc exemplo quod mihi Scharpius suppeditat. Ecclesiam probare, & diiudicare scripturas, vt aurifaber aurum, at si aurifaber centena aureorum millia vno vase contentorum explorare, & probare debeat, ex illis ipsis quæ vase continentur, non alieno testimonio vti certe singulis lydium lapidem atterere oportet, neque enim sciet nullum aureum adulterinum esse, nisi postquam singulorum δοκίμια perceperit.

Omnes partes eiꝰ quod probatur noscendæ sunt.

Id inquam necessarium est, si ex illis quæ vase continentur sciendum est, nullum aureum esse vitiosum. Itaque qui hæc prædicant, homines etiam doctissimos ad desperationem adducunt, nec quicquam scripturis ipsi credunt, nec alios credere permittunt. Non ignoro ex eo, quod nihil in scriptura vitiosum ostendatur, credibile fieri eam diuinam esse, sed hoc, *nihil ostendit tale esse*, plerique testimonio Ecclesiæ adducti sentiunt, nec in experientia fundamentum fidei ponunt.

At rapit scriptura in admirationem: Ita est, sed rapiunt & alia nonnulla, grauiter, simpliciter, & bene, vereque dicta.

Consonantia scripturæ magnã exercitatiõe requirit.

Ex illis quæ in scripturis sunt, *consonantiam* etiam medium esse affirmat, sed experientia sua nemo illam cognoscit, nisi omnia cum omnibus conferat. Miracula, pœnæ, iræ hostium contra scripturã, eam credibilem faciunt, certissimos sectarios facere non possunt, quia multæ scripturæ carent miraculis, nec pœnis hostium sancitæ sunt.

Sed his tandem omissis in quibus nec ipsi multum præsidij ponunt, arcem omnium hæreseon, & latibulum inuadamus, illud est, *Instinctus cuiusque priuatus, qui facit, vt quisque nouerit quæ scriptura sit canonica, quæ non sit.* Perinde ac si legem principis, tuo spiritu recipias, vel antiques.

Instinctus priuati nulla est ratio probabilis.

Verum dum hoc rei caput ponitur, miseris animabus desperatio injicitur, & scriptura euertitur. Nam primo, quomodo idiota instinctu suo discit, hanc esse scripturam ex hebræa in Gallicam linguam bene translatam, qui Hebræam nunquam vidit. Deinde, si sufficit ille instinctus, quid opus est alijs criteriis & argumentis? Tertio, ne docere quidem possunt, qui instinctibus illis vtuntur, nam intimo latet ille abditus pectore, nec in aliorum venit cognitionẽ. Quarto, diuersus est: Castellio cantica canticorum rejcit, alij alios, quisque prout Enthusiasmus dedit. Quinto, Instinctus circulum habet, Vnde credis scripturæ, quia eam veram esse testificatur spiritus, vnde scis hanc esse veram testificationem, quia scriptura ita asserit. Sexto, Blasphemia est, ex suo instinctu verbi diuini auctoritatem ita comprobare, vt tandem in tuũ iudicium omnia resoluas: Hæc enim ratio omnibus hæresibus ansam, & prætextum præbuit. Fatetur etiam, Scharpius non omnes Ecclesias quæ habent spiritum Dei, consentire de scriptura. Denique disputando tandem inuiti in nostram sententiam delabuntur, & nomine scripturæ doctrinam etiam non scriptam accipiunt. Scharpius enim ne scriptura antiquiorem Ecclesiam fateri cogatur, cum manifesto constat sola traditione primam Ecclesiam contentam fuisse. ita scribit colum. 63. *In prosyllogismo est captio homonymiæ in nomine scripturæ: Sumitur enim aliquãdo nomen Scripturæ, pro Scripturæ substantia, & re scripta, hoc est Dei verbo: & tum nihil aliud est quam doctrina θεόπνευστος: aliquando pro huius doctrinæ accidenti, scil. scriptione, & exaratione in libris. Primo sensu Scriptura est antiquior Ecclesia, sicque propositio est falsa: Scriptura enim, seu verbum Dei, est Ecclesiæ fundamentum: Ephes. 2. 20. At fundamentum est antiquius ædificio: ita scriptura est Ecclesiæ semen, Matt. 13. 1. 1. Pet. 1. 23. At semen sobole illa, cuius est semen, antiquius est: Denique hoc idem verbum quod iam scriptum, fuit tunc non scriptum.*

Si scriptura est traditio non scripta, & scripta, non ergo lis inter nos est.

Vbi aperte scripturam vocat verbum Dei non scriptum, quod cum postea scriptum est, non statim vniuersum, potuit tamen à multis non scriptum retineri. Sed hac de re mentio erit cum de traditionibus agetur.

Caput XXVI.

Legem diuinam scriptam vere difficilem esse.

§. 1. Clarissimam esse Scripturam docere solent Sectarij. Joannem Hayium ministrum Albenacensem dixisse in concione refert Jacob. Gualterius in tabulis Chronographicis, sæculo 1. c. 4. *Nullum esse opificem, qui, modo legere norit, Euangelium non intelligat.* Jacob. Martini in thesibus Jubilariis thesi 91. *Abstinete ergo vos Pontificii, & cum primis vos Iesuitæ, à fœdissimo vestro coccysmo, quo non tantum sacras scripturas, obscuras, difficiles & intricatas esse clamitatis, sed etiam ita ambiguas, & flexiloquas calumniamini, vt instar nasi cerei flexibiles, nullam præbeant certam, constantem & immotam sententiam, imo multorum errorum, eorumq; grauissimorum, latibulum eas blasphematis.*

Scriptura difficilis.

Et 92. *Admittite quoq; Laicos ad Sacrarum literarum lectionem. Quid dico admittite? Quum non tantum admissi sint à Domino ipso, sed etiam ad illam inuitati, certisq; mandatis adstricti vt ab eadem non nisi summo cum sacrilegio arceri possint.*

Cæteros recensere superuacaneum fuerit. Soli qui hoc anno iubila concinnarunt, vel adiuuerunt, aliud senserunt Pareus, & Scharpius. Pareus in Apocalypsin hoc anno vltimum maledicentiæ opus edidit, nam sacrum χαεισήριον supremum nominauit, in quo fatetur Apocalypsin difficilem, primo in commonefactione: *Filius se illam in peculio relinquere, præsertim, quod sentiret se altitudinem mysteriorum nondum attigisse, neque satisfacturum alijs, qui ipsi in multis non satisfecissent, iudicia interpretum magis exquisiisse.* Petit etiam veniam pro non inuestigatis. Sequitur Clemangem hominem suspectæ fidei, à Luthero suspectissimo fictũ. De obscuritate tractat c. 3. proleg. De obscuritate, inquit, Apocalypseos scribens August. *In hoc, inquit, libro, cuius nomen est apocalypsis, obscura multa dicuntur, vt mentem legentis exerceat, & pauca in eo sunt, ex quorum manifestatione indagentur cætera cum labore, maxime, quia sic eadem multis modis repetit, vt alia atq; alia dicere videatur, cum aliter atq; aliter hæc ipsa dicere inuestigetur.* Et Hieron. *Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti literas, vt legat, respondebit tibi: Non possum, signatus est.* Et postea: *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito Voluminis. Laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latẽt intelligentiæ.* Ita sane est. Nam tum in omni scriptura sacra reliqua: tum vero in ista satis intelligenda humanæ mentis acies, nisi diuini spiritus illustretur radiis, magis cæcutit, quam oculi noctuarum ad lucem meridianam cæcutiunt. Obscuritatis vero huius non obscurę causæ sunt.

Pareus difficilem fatetur Apocal.

Lib. 20. de C. D. c. 17.

Tom. 3. ad Paulin. c. 1.

Obscuritatis Apocalypseos causa.

Primo totus liber est propheticus de rebus futuris: *Scribe*, inquit Angelus, *quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ futura sunt.* Futura autem vt futura, quia nondum sunt in vllo sensu, vel omnino ignorantur, vel prægnita non tam intelligentia, quam spe concipiuntur.

Adde, quod hæc futura non apertis verbis enunciantur, nec temporum, locorum, personarum notationibus definiuntur. Sed rectis visionum ænigmatibus B. Joanni scribenda reuelantur. Sunt quidem

Visionum differentia.

in Scri-

in Scripturis multæ visiones apertæ, mentis vel corporis oculis obiectæ, quomodo rex *Balthasar* vidit manum scribentem in pariete: *Elisæus* vidit currus igneos circum se: *Moses* vidit rubum ardentem ante se: *Petrus* vidit linteum cum quadrupedibus demissum in terram. *Paulus* vidit nocte Dominum supra se stantem, &c. quæ difficultate magna caruerunt. Sunt vero aliæ visiones magis tectæ, quado dormientium, vel vigilantium mentibus imagines arcanum quid significantes exhibitæ leguntur: quarum mysteria nisi reuelarentur, obscuritatem haberent, humanâ indagine imperuestigabilem. Ex quo genere fuerunt somnia *Pharaoni*, & *Nobucadnezari* oblata: *Ezechielis* item & *Danielis* ac *Zachariæ* visiones, ad quas visiones Apocalypticas merito referimus. Et illorum quidem somniorum arcana Deus singulari bono non modo somniantibus reuelauit, sed ad omnium quoque intelligentiam scribi voluit. Visionum vero mysteria etsi prophetis seruis suis etiam patefecit, alijs tamen omnibus abdita reliquit, nempe vt profani quidem homines res tam obscuras semper fastidirent: pij vero ipsa obscuritate ad inuestiganda diuina mysteria magis excitarentur.

Dan.5.5. 2.Reg.6.17 Exod.3.2. Act.10.11. Act.13.11.

Et pag. 18. *Etsi vero ad intelligentiam omnium arcanorum huius libri difficulter & vix penetrare queamus, non debet tamen difficultas ab inuestigatione nos absterrere.*

Pareus Apocalypsin à nullo ait intellectam

§.2. Deinde cap.4. cum de interpretibus agit, concludit Apocalypsin à nullo intellectam. Verba eius sunt pag. 21. *Ex nostris vero seculo proximè elapso haud pauciores Theologi eruditione clari manum huic libro admouerũt. Quibus omnibus tamen meo quidem iudicio facem prætulit Henricus Bullingerus Ecclesiastes Tigurinus, quem ferè secuti sunt alii, Dauid Chytræus, Alfonsus Cunradus Mantuanus, Franciscus Lambertus, Sebastianus Meyerus, Nicolaus Collado, Ioannes Foxus, Benedictus Aretius, Matthias Illyricus, Augustinus Marcoratus, Petrus Artopæus, Franciscus Iunius, Daniel Tossanus. Et recens nouo hoc seculo Ioannes Napeirus Scotus, Thomas Birckmannus Anglus, Raphael Eglinus Iconius, Conradus Græserus Francus, Ioannes Piscator, Matthias Hoe, Matthæus Cotterius Gallus, aliiq; mihi non noti.*

Quorsum vero, inquis, ista tam multa: vt nimirum ostendam, quod instituì, nihil de authoritate huius libri diminui ex eo, quod insigniores aliquot Theologos ab eius interpretatione abstinuisse, obiectum fuit.

De interpretandi ratione, quam quisque illorum tenuerit, atque an effecerint tam multi, quod voluerunt & debuerunt: nimis longum foret explicare, & à præsenti instituto alienum. Vnum hoc fortè citrà iniuriam omnium quis affirmauerit, id libro huic euenisse, quod de muliere in Euangelio sanguinis fluxioni obnoxia Marcus Euangelista scripsit, multa eam à medicis perpessam, nihil verò adiutam fuisse, sed potius in deterius venisse: non tam fortè medicorum imperitia, quam immedicabilis mali pertinacia, quippe cuius curatio illustrandæ gloriæ Christi reseruata fuit.

Nemo cõhærentia de Apocalypsi scripsit iudicio Parei.

Dum enim tam multi suam quiq; ingenii vim rationemque secuti tam varia de ænigmaticis hisce visionibus protulerunt, pia quidem illa, vt arbitror, commenta, sed parum plerumque inuicem cohærentia, vel ad scopum mentemque spiritus quadrantia: factum est, vt cumulati quidem in hunc librum commentarii extent, quorum nullus non lucem nouam polliceatur. Obscuritas vero eius non modo parum sit imminuta, sed densioribus alicubi tenebris inuoluta. Alii enim ænigmata Reuelationis ad veteris populi historiam accommodant: Alii ad nouæ Ecclesiæ continuam periodum aliter atque aliter applicant: Alii in quibusque particulis, quasi sub quouis lapide, quod dicitur, aurum rimantes, mysticos sensus sibi effinxerunt: Alii omnia in tropologias & allegorias morales conuerterunt: Alii inde quasi ex Apollinis specu futurorum præsagia etiam supra, quam homines scire fas sit, fatidicè scrutando eruere conati sunt: vixque in tanto numero (quod de chronologis vulgo fertur) duos vel tres videas consentire. Quæ perturbatio sanè difficultatem libri tanta interpretum varietate non-

Apocalypsis interpretatione facta est obscurior iudicio Parei.

dum exhaustam, sed potius auctam implicatamque esse subarguit: non tam interpretum culpabili ignorantia, quam ipsius Prophetiæ imperuestigabili sapientia: cuius plena Reuelatio haud dubiè ipsius cælestis iudicis Christi manifestationi est reseruata.

Causæ obscuritatis ab hæreticis allatæ.

Hæc ille, qui alioqui prioribus scriptis facilitatem perspicuitatemque scripturæ thrasonice deprædicauit. Scharpius etiam difficultatis causas octo protulit, controuers. 7. Columna 72. *Concedimus autem multa in Scriptura obscura esse respectu nostri, quod Deus his de causis fieri voluit. Primo, vt ad diligentem lectionem, meditationem, perscrutationem, collationem Scripturæ nos excitaret, & ne socordes in perscrutandis salutis nostræ mysteriis essemus. 2. Vt in precibus simus assidui, Dei auxilium ad illas intelligendas, & Spiritus sancti lumen petentes. 3. Vt fastidium à nobis remoueret: quia facilia sæpius fastidimus. 4. Vt maiori veritas apud nos in pretio sit: si quidem τὰ καλὰ χαλεπά. 5. Vt nostram arrogantiam domaret, & inscitiam argueret, cum de nostra notitia & nobismet ipsis nonnunquam multum gloriemur, & triumphemus. 6. Vt sancta mysteria sanctis totidem gemmæ essent: neque porcis sine discrimine prostituerentur. 7. Vt ad internam quandam cogitationum sanctitatem nos assuefaceret, qui enim impuras ad scripturæ lectionem mentes adferunt, oleum & operam perdunt.*

§.3. Horum, inter Iubilliarios θεομάχων, sententia si stetur, cæterorum, vt pedariorum, suffragatio contemnetur, ampullationes & phaleræ ad populum corruent. Scharpius enim tandem eo redit, vt quærat, an ita perspicua sit scriptura, vt populus eam vtiliter legere possit, & controuersiæ valeant ex ea decidi. Illa, quæ ad salutem necessaria sunt, clara, quæ nõ necessaria, obscura plurima fatetur idem Scharpius. Idem columna 71. Quod nobis quædam obscura videntur, causa est, quod iis, quæ in Scripturis proponuntur, contenti non simus, sed quædam curiosius, quam par est, inuestigemus. Verum paucis quoque hanc partem explicabo.

Scriptura in multis clara est.

Propositio prima. Scriptura sacra in multis clarissima est, nec eget expositione, si absolutè, & obiter consideretur, in aliis est obscurissima, quocunque modo perpendatur. De perspicuitate planum est, vt cum dicitur, *Concipies in vtero, & paries filium*: Si obiter consideres, clarus sensus, si disputare incipias, magnis te difficultatibus implicabis. De difficultate illa locorum facilium Lutherus Symp. cap.1.fol.2. *In Scripturis, ait, vix scimus A. B. C. & adhuc non rectè. Fol 3. Dei verbum est inscrutabile, vnicum verbum sacræ Scripturæ perscrutari, & è profundo eruere, omnino ἀδύνατον est. Nego eruditos & Theologos, vt vel maximè velint, id posse. Quia enim Spiritus sancti verba sunt, & qui recens in Christo genti sunt Christiani, habent primitias tantum, non decimas, volui aliquoties decalogum meditari, & quando prima illa verba consideraui: Ego sum Dominus Deus tuus, capi hæsitare in pronomine illo primo: Ego: & hoc Ego, nondum rectè possum intelligere.*

Eadem sæpe difficilis.

Vniuersim vero de Scriptura anno 1546. die 16. Februar. vt refert Aurifaber, illa scripsit, quæ omnibus prædicantibus os obtundant.

1. *Virgilium in Bucolicis nemo potest intelligere, nisi fuerit quinque annis Pastor.*

2. *Virgilium in Georgicis nemo potest intelligere, nisi quinque annis agricola.*

3. *Ciceronem in Epistolis (sic præcipio) nemo integrè intelligit, nisi 20. annis sit versatus in Republica aliqua insigni.*

4. *Scripturas sanctas sciat se nemo degustasse satis, nisi centum annis cum Prophetis, vt Elia, & Eliseo, Ioanne Baptista, & Apostolis ecclesias gubernarit.*

Hanc tu ne diuinam Aeneida tenta:
Sed vestigia pronus adora.

Difficilis igitur Scriptura est.

Scriptura in necessariis ad sa-

Propositio secunda. Scriptura etiam in illis, quæ ad salutem necessaria sunt, & indiget interpretatione, &

in

latè interpretatione eget.

in multis obscura est, non loquor de obscuritate, quæ est natura, sed ea, quæ ad nos pertinet: nam obscurum esse aliquid alicui non absolute, sed comparate dicitur. Non opus est probatione, totus mundus, etiam illa mundi pars quæ de perspicuitate gloriatur, & intelligentia scripturæ, difficilem experitur: Ideo in tam varios sensus illam trahunt omnes, & ex ea tam multiplices hæreses non vitio scripturæ, sed ignorantia, malitiaque hominum cuduntur; exceptis enim paucissimis, omnes hæresiarchæ errores suos scripturæ verbis palliare consueuerunt. In articulos fidei, in fundamentum impingunt, scripturam euertunt, qui de claritate eius intellecta gloriantur. Infinitis itaque polemicis misera plebs irretitur, cum nulla certa expositionis forma traditur, cum de scripturæ sensu, cuius verba omnes sonant, sunt tam contrarii sensus. Et sensus de persona Christi, de Deo, de iustitia, de sacramentis, de electione, quæ omnia ad salutem sunt necessaria. Deinde in Ecclesia est donum interpretationis, officium docendi in scholis & templo, non modo ad exponendas quæstiones abstrusas, & quæ ad salutem non sunt necessariæ, sed vel maxime ad eas, quæ ad salutem requiruntur. Ita Sibrandus lib. 4. de principiis Christianorum dogmatum. Ratisbonenses collocutores, & alii fatentur hæc munera necessaria. Tertio, de quo maximæ sunt, & perniciosissimæ controuersiæ, hominum etiam doctorum, id non est natura luce sua clarissimum, sed de scripturæ sensu, qui fidei dogmata saluti necessaria continet, tot sunt controuersiæ, quot pene capita, non igitur ille sensus est natura clarissimus. Imo vnica illa res sacrarum literarum apud plerosque auctoritatem labefactat, cum enim non verba, sed veram, & genuinam sententiam sacrarum literarum inquirunt, in pugnantes opiniones incidunt: nec vlla ratione possunt authenticum sensum obtinere. Nam sectarii ad vnum omnes eo refugiunt, vt dicant de sensu se certos esse ex priuato instinctu, qui si in omnibus vnus, & consentiens esset, forte persuaderent; at nunc cum diuersissimus sit, fieri non potest, quin præter vnum omnes fallantur, & fallant.

Si sensus clarus, cur tot controuersiæ.

Obiiciunt illi, Non est occultum nec remotum, à nobis verbum, sed in ore, & corde nostro. Romanor. 11. 10. *Est lucerna pedibus.* Psal. 118. &c. *Lucerna splendens.* 2. Petri 1. 19. Est clarum non tectum, 2. Corinth. 4. 2. Iubemur eam scrutari, Ioan. 5. 39. & alibi. Patres vtuntur scripturis, primitiua Ecclesia eas sine commentariis intellexit. Si obscure scripsit Spiritus sanctus, frustra scripsit.

Scriptura, si discere à legitimo doctore iubeat, non est occulta.

§. 4. Quin & fideles omnia intelligunt, quæ ad salutem sunt necessaria, Ioan. 10. 17. Hæc sparsim in iubilis sunt, & in vnum collegit Scharpius columna 74. Sed error communis est, omnium Sectariorum, quod scripturam simpliciter, & sine sensu Ecclesiæ, & doctorum interpretatione accipiant. Verbum Dei non est occultum, quia quædam eius nulla indigent expositione, alia nobis explicantur ab Ecclesia, vt si discere lubeat, occultum non sit. Lucerna est, sed cum accensa est, hoc est, cum veri sensus radios diffundit. Iubemur scrutari scripturas, quia non passim obuia est earum profunditas, patres vtuntur scripturis ad firmitatem dogmatum sacrorum, easque exponunt, vel à vetustioribus explicatas proponunt. Ecclesia primitiua scripturas sine expositione intellexit? imo ne Apostoli quidem iam fideles, & Christo familiares, Christus enim illis exposuit, adeo vero non intellexerunt, vt nescirent *Christum pati debere, & ita intrare in gloriam suam.* Luc. 24. 25. Deinde nonne Apostoli cum exponerent scripturas, & reuincerent Iudæos, exponebant fidem, & ea, quæ ad salutem erant necessaria? & Apollo Actor. 18. 24. *potens erat in scripturis, sed diligentius ab Aquila & Priscilla docetur viam Domini*, nec omnia per se intellexit, sed ab aliis didicit, aliud esse baptisma præter Ioannis Baptisma, quod in aqua sola dabatur. Quod si primitiua Ecclesia sine interprete scripturas intellexit, atque deinde etiam sequens Ecclesia, non fuit opus tot interpretibus, imo nec nunc quidem, cum tamen sub commentariis nouatorum hodie gemat orbis terrarum; de vno iustificationis articulo viginti sunt pugnantes sententiæ, nec hoc aliter soluit Scharpius, quam luculento mendacio, cum ait; *Inter reformatos magna est consensio de hoc articulo, vt de aliis.* Ex his concludo, verum scripturæ sensum à scriptura, & Ecclesiæ vera interpretatione petendum. Certe ita olim fuit in Ecclesia Israelitica, cum enim sine punctis vocalibus scriberent veteres Hebræi, magno labore à suis præceptoribus legendi, & quæ inde pendet, intelligendi rationem addiscebant, perpetua itaque traditio scripturam comitabatur, qua pronunciatio, & vocalium substitutio continebatur. Quemadmodum igitur nullum punctum substituendum erat, nisi conueniret cum mente Spiritus sancti, ita neque nunc vlla interpretatio admittenda, nisi quæ est ab illo.

Si absq; interpretatione scripturæ intelligitur, quid opus est cõmentariis?

§. 5. Denique nullus vnquam sperari potest finis controuersiarum, nulla concordia, cum interpretatio ad priuatum cuiusque spiritum relegatur, quomodo enim vel inimici conuincentur, vel dubitantes instruentur, si aliud non clametur in Cathedris, *quam certitudo sensus scripturæ, ex priuato instinctu Spiritus sancti.*

CAPVT XXVII.

Lectionem diuinæ legis à nobis non prohiberi.

Lectio scripturæ vetita multis iubilis est argumentum.

§. 1. OMNIVM pene, qui in Iubilis suis mentionem bibliorũ faciunt, vna hæc est querela. Quidam ex rudioribus stentorum refert Lutherum legere Biblia solitum, sed à fratribus prohibitum, & ad cubicula cœnaculaque scopis emundanda missum. Kemnitius iam olim in examine Concil. Tridentin. sess. 4. omnibus anteiuit, cum dixit, *nos ferro & flamma persequi editiones vernaculas.* Hac vna in re aliquot conciones inuidiosissime versantur. Verum rogo, vt lector sepositis paulisper criminationibus veritati aures animumque dare dignetur.

Lectio scripturæ nõ est omnibus mandata.

Propositio prima. Scripturas sacras in linguam Germanicam, aliamue translatas legere priuatim non est omnibus mandatum. Ratio manifesta est, quia nec in scriptura sacra, nec iure Canonico, nec ciuili vspiam lex illa inuenitur. Deinde in omnibus gentibus maxima pars fidelium legere hactenus neciuit, & quanquam in cultioribus oppidis literas multi nunc addiscant, turba tamen, quæ ruri est maxima, vt plurimum ignara est legendi scribendique. Non igitur lex est, quæ lectionem imperet, cum nulla sit, quæ literarum scientiam iubeat; & sane si quæ esset, quæ vulgo illam iuberet, extemplo antiquandam censerem, nunc enim librorum scurrilium, leuium, maledicorum, libidinosorum, magicorum tanta est copia, vt præstet nescire literas, quam in literas tam pestilentes incidere. Tertio, Ecclesiæ consuetudo non fuit, vt scripturæ lingua vernacula legerentur, non igitur lex fuit ea super re diuinitus lata. Nam quamuis à Mose vsque ad captiuitatem Babylonicam, manente integra lingua Hebræa, ab omnibus Iudæis legi biblia potuerint

Vernacula scriptura Ecclesia vix vsa est.

tuerint, peculiarissima tamen institutione, & traditione opus erat, propter puncta vocalia, ex quo apparet, apud paucos lectionem vsitatam fuisse, magnaque opus fuisse exercitatione etiam illis, quibus biblia erant vernacula. Post captiuitatem Iudæi transierant vt in dominium, ita & linguam Chaldæorum, quam deinde reliquiæ quæ redierunt in patriam, cum Syra confuderunt, nec vllo modo effici potuit, vt vetus Hebræa esset vernacula. Facta est tamen quædam conuersio in linguam Chaldæam ab Onckelos, quem Aquilam esse nonnulli putant, qui Græce item vertit, qua de Serarius prol. cap. 14. q. 4. Si Aquila fuit, tempore igitur Adriani vixit, si antiquior fuit, non tamen eius versione Ecclesia vti potuit, cum paraphrasten egerit, multa omiserit, multa peruerterit, vt non possit vllo modo illa paraphrasis dici verbum Dei; Aquilam fuisse hæreticum, omnia veterum monumenta ostendunt, sed Onckelos & Aquilam esse eundem, adduci non possum vt credam, nam in locis obscurioribus scripturæ, nimium quantum distant duæ versiones illæ, Thargum Onckelos, & fragmenta versionis Græcæ, quæ ex Aquila citantur, non autem cauti hominis fuisse videtur, diuersissimas interpretationes adferre, cum minore labore sibi consentiendo parare auctoritatem posset. Scripsit ille Pentateuchum. Circa ortum Domini nostri Ionathan vertit prophetas priores & posteriores. Postea anno Domini 400. Ioseph cœcus vertit Hagiographa. Nihil autem in his sincerum fuisse docetur ex eo, tum quod duo posteriores fuerint infideles, & forte Onckelos, tum præcipue, quod nullum caput sit, in quo non abeatur ab originali, misceantur somnia, & nugæ. Itaque à captiuitate Babylonica vsque ad Christum Ecclesia vernaculam scripturam nullam habuit, nec curæ fuit, Esdræ, Nehemiæ, Malachiæ, Zachariæ, Aggæo, Oniæ, Machabæis, alisque viris sanctissimis, vt eam conuerterent. Non igitur præceptum habuerunt.

Onckelos Chaldaice vertit.

Onckelos nō est Aquila.

Græca versiones.

§. 2. Sed neque Ecclesiæ Christi, Apostolicis, & quæ secuta sunt, temporibus, nisi paucæ, hoc est Græca & Latina, versiones patrias habuerunt, neque Apostoli, neque eorum successores in varias linguas conuerterunt biblia. Græcæ versiones multiplices fuerunt. Prima ante Monarchiam Græcorum. Secunda initio Græcorum. Tertia septuaginta interpretum. Quarta Herodiana. Quinta Aquilæ. Sexta Symmachi. Septima Theodotionis. Octaua Hierochuntina. Nona Nicopolitana. Nominantur & Origeniana, Lucianea, Hesychiana, sed illæ ex emendatione mendorum, quæ in versionem septuaginta interpretum irrepserant, nomen acceperunt, nec nouæ versiones dicendæ sunt. Decima itaque est ex Hieronymiana, nam Græci ex Latina versione D. Hieronymi in suam linguam biblia transtulerunt. At populi, quibus prædicatum est Euangelium, variarum linguarum fuerunt. Actorum 2. 7. Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt, & quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphyliam, Ægyptum & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani. Iudæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes: audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autē omnes & mirabantur ad inuicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant. Quia musto pleni sunt isti. Omnes illos populos Græce aut Latine sciuisse si quis dicat, nihil aliud agat, quam vt cum ratione insaniat.

Apostoli nō verterunt in varias linguas biblia.

§. 3. Propositio secunda. Hinc etiam constat, nec versionem, nec lectionem illam necessariam fuisse. Cur enim tot sæculis Ecclesia Iudæorum, & deinde Apostolorum rem tam necessariam negligerent? cur non id agerent, quod Nouatores omnes egerunt, vt in omnes linguas scripturas transferrent, quod eo tempore facilimum erat, cum omnes Apostoli, multique alii variis linguis loquerentur? Cum igitur nos reprehendunt, de vernaculis versionibus omissis, & inuidiose exaggerant, quod non omnes legant biblia? nonne sub nostro nomine Apostolis maledicunt, qui versionem bibliorum tam facilem, & quam in vnaquaque lingua suo nomine præposito authenticam facere potuerunt, neglexerint? sed Apostoli satis putarunt consultum Ecclesiis, si vnamquamque gentem instruerent, doctoresque relinquerent, & Episcopos, qui fidem, & scripturam illis explicarent.

In nobis Apostolismaledicunt.

§. 4. Propositio tertia. Biblia in vernaculam linguam bono fine vertere, & legere bonum est aliquando, nulla lege simpliciter prohibitum. Nulla enim eiusmodi lex extat, & licuit in Ecclesia vti versionibus & illis legendis ad pietatem animos incitare.

Vertere, & legere versiones licitū est.

Hanc esse sententiam Catholicorum docet Wittakerus Cent. 1. q. cap. 13. *Prima (opinio) inquit, est eorum, qui scripturas omnino negant in linguas vernaculas verti oportere. Secunda opinio contraria est eorum, qui sacram Scripturam in omnes omnium populorum vulgares linguas transferendam omnino esse statuunt. Tertia, illorum, qui versiones scripturarum vernaculas neque damnant simpliciter, neque simpliciter permittunt: sed hac in re certam exceptionem, rationemque temporum, locorum, & personarum haberi volunt.*

Vltima opinio Papistarum sententia est, & sanctio Tridentina. Deinde Concilium Oxonienſe contra Wicleffum statuit, ne editiones Wicleffi, aut aliorum legerentur, nisi essent ab Episcopo diœcesano approbatæ, de approbatis itaque nulla tum quæstio erat. Deinde multi vtiliter legerunt, vt olim apud Hebræos, cum essent vernacula. Tertio, ad lectionem scripturarum Patres sæpe hortantur, vt ostendit meus præceptor Serarius proleg. capit. 20. quæst. 3.

Multi vtendi ad lectionē scripturarum.

§. 5. Propositio quarta. Quamuis absolute igitur versio, lectioque bibliorum vetita non sit, fieri tamen potest, vt inutilis, aut etiam noxia sit. Primo ratione versionum, quæ bonæ non sunt, aut sane non sunt bonitatis spectatæ. Ita supra ostendi, Iacobum Sereniſſimum magnæ Britanniæ regem *nullam editionem probare, Geneuensia biblia esse pessima, notæ eorum esse falsas, seditiosas, nimiumque redolentes animæ periculosæ, & peruersissimæ machinationes.* Cum vero melius sit, non legere biblia, quam nomine bibliorum, & verbi Dei, verbum diaboli, quis non videt, noxiam esse lectionem, quæ non ædificat, sed destruit? & sane versiones iam multæ sunt, Italica, Hispanica, Gallica, Geneuensis, & alia Castalionis, Tigurina, Belgica, Anglicana, Lutherana, pleræque variæ, vt sunt variæ editiones. Sunt & Hamburgi edita variis linguis biblia, etiam Saxonice, & Sclauonice. Sunt Biblia Eberi, Neandri, Caspari Caroli, Vngarica. Omnia biblia facta à Lutheranis damnant Caluiniani, & sannis excipiunt, vt constat ex Stoltzio in defensione Lutheri. Idem censent Osiandrini, Bucerus. De Caluinianis idem statuunt Lutherani, de omnibus Sereniſſimus magnæ Britanniæ rex, verum ergo Dei verbum non legunt, aut sane certi esse non possunt se legere, quomodo enim, te alloquor rusticule Lutherice, tu fide certus eras biblia Lutheri esse authentica, reclamantibus omnibus Catholicis, Caluinianis, Anabaptistis,

Interdūnoxia lectio.

Sectarij arcent biblia.

baptistis, Osiandrinis, castigante Matthesio, ipso Luthero errata agnoscente?

Qui facilè putat scripturam, ab eius lectione arcêdus est.

Secundo noxia est bibliorum lectio plerisque, qui hoc tempore Catholici non sunt, quia cum facilima arbitrentur, mox interpretari aggrediuntur, ne ludibrio sint, si rem apertissimam se negent intelligere. Lutherus libro de seruo arbitrio dixit; Difficultatis nihil esse in sacris literis, nullumque sibi adferri posse locum, quem non ipse facile interpretetur. Quod igitur apertum, clarumque arbitrantur, id putant se posse intelligere, ideoque interpretantur. Qui autem ignarus rem difficilem putat facilem, ille in paradoxa, & ridiculas opiniones incidit.

Multi lectione efferuntur.

Tertio, Damna etiam multis infert lectio bibliorum, dum eos in superbiam erigit, atque efficit, vt doceri dedignentur, qua occasione in hæreses necessario incidunt. Lutherus ipse expertus est, Anabaptistas enim & Sacramentarios si vel vnum librum legerint, ait putare, omnia se scire. Symp. 1. fol. 5. Et deinde: *Dicebat quodam tempore Lutherus nobilitatem, ciues, rusticos, & ferme quoscunque summi & infimi status, Euangelium melius scire, quam sciret ipsemet Doctor Lutherus, aut etiam ipsemet sanctus Paulus, vt ipsi quidem sibi viderentur, sapientes enim esse, & omnibus parochis doctiores existimare*, addit, *illos non parochos sed Dominum contemnere.* Tales fuere & Hussitæ, vt lib. 1. & 4. historiæ memorat Cochlæus, Tales Wicleffitæ, vt lib. 2. cap. 70. & 73. Waldensis. Tales Orlamundenses Lutheri tempore. Ea causa videtur, cur Lutherus in historia quæ contigit in Stassfort anno 1536. *vocet librum hæreticorum.*

Quarto, Ex hisce constat plurimas hæreses oriri, multa ab indoctis peruerti, imo fere singulos iam habere ante occupata iudicia, & eo scripturam trahere. Caluinus sane lib. 4. inst. cap. 8. §. 11. satis indicat, singulis scripturæ interpretationem promissam.

In Ecclesia Catholica licita est lectio bibliorum.

§. 6. Propositio quinta. In Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, versiones, lectionesque bibliorum non vetitæ, sed certa lege concessæ sunt, idque iure ac merito. Calumniosum est igitur fundamentum aduersariorum, & maleuola penitus obtrectatio.

Lectio bibliorum sectas diuidit.

§. 7. Hic imprimis monet, ne sine discrimine permittatur, & causam addit, quia plus inde detrimenti ob hominum temeritatem oritur, quam vtilitatis. Hoc ita esse sentiunt Lutherani, & Caluiniani, cum singulis diebus in plures sectas scinduntur. Hinc illi quoque diuersarum sectarum libros prohibent. Nam libri Zwinglii adhuc viuentis in Saxonia & Hassia sunt vetiti, ita Zwinglius in exegesi Eucharistici negocii, id deinceps semper egerunt, vt Lauaterus, Micronius, Vtenhouius, Danæus, aliique testantur. Nec tamen Caluiniani idem agere de Lutheranis cessant in hodiernum diem. Ita Schlusselburgius lib. 3. Theolog. Caluinisticæ art. 4. *Hinc apparet Sacramentarios in id potissimum incumbere, vt ipsorum libri blasphemi soli ab omnibus legantur. Nostra vero scripta ex rerum natura funditus exsurpentur, vtpote inuulgatione publica, & lectione indigna.* Nec hoc modo fecerunt, sed & illud, quod Lutherus scribit, 7. 2. Epist. ad Lincum, fol. 272. *Orlamundenses rustici nates libello meo purgant.* Caluinus Epist. 1. ait, *magistratus immodica facilitate pessime consulere Reipublicæ, qui non modo malos libros edi permittunt, sed pessimos quosq; comprobant suo suffragio.* Et ait Schlusselburgius lib. 3. Theol. Caluinisticæ artic. 4. *Non diffitemur*, inquit, *nostros Magistratus, in quibusdam locis, Bibliopolis interdicere, ne libros hæreticorum, Pontificiorum, Anabaptistarum, Caluinistarum, & id genus phanaticorum hominum, sine discrimine quibuslibet diuendant: sed habita personarum ementium ratione, videant ne idiotis & imperitis venenata & erronea scripta communicent, qui nondum confirmati in doctrina Christiana fundamentis sine vllo iudicio ea legentes facile possint seduci.*

Sectarij mutuo libros vetant.

Librorum igitur vetitorum apud Sectarios sunt bene multi Catalogi, inter quos etiam bibliorum versiones.

Malæ versiones omnes vetitæ.

At dices, non scripturam sacram, sed libros malos vetamus. Nec hoc ego dico, sed hoc moneo; cum sint bibliorum multæ pessimæ versiones, quod omnes testantur, etiam aduersarii, cum nulla sit, quæ probetur Serenissimo regi Britanniæ, merito vetari, ne sine discrimine permittantur idiotis, & imperitis.

Nam id si fiat, inter tot versiones quam facile rusticus incidet in Anabaptisticam, Socinianam, Arianam? nam vt ille iudicet, quæ versio cum Hebræo vel Græco consentiat, fieri non potest. Non ergo permitti illi debet electio qui inter salutare pharmacum, & venenum discernere non potest. Legem ille in sua vitia inclinabit.

Quod si versio sit ab Episcopo approbata, ratio temporum, locorum, personarum in permissione tenenda est, si enim sit quispiam nouarum rerum appetens, inflatus, libidinosus, inquietus, sui æstimator, huic si biblia dederis, ea faciet, quæ de suis queritur Lutherus. Dicite Lutherani, nonne lectio bibliorum fecit Caluinianos septuplo deteriores Papistis? Tales esse dixit Lutherus, & firmauit in colloquio Hertzbergensi Iacobus Andreæ.

Petenda facultas legendi.

Si quis animo bono, desiderio proficiendi biblia legere cupiat, ille sibi negari nunquam sentiet, tantum opus est, vt ea de re pastorem appellet, cum vero publice edi, vendi ac emi permittuntur, censetur data legendi facultas generalis, qua tamen nonnulli sine dubio abutuntur. Sed caueri omnia scandala non possunt. Itaque non prohibetur id, cuius permissioni conditio adiungitur, vt cum princeps gestari arma sine suo permissu vetat, non simpliciter neminem vult armatum esse, sed furiosos, turbulentos, iracundos malitiæ instrumentis exuere, fortes & iustos ad subsidia reipublicæ munitos esse vult, ita Episcopus si videat hominem atheum, spiritu Dei carentem, per albatas sæculi vias ambulantem, vitiis suis ex Abrahami, & Dauidis polygamia fomenta quærentem, merito bibliorum, quæ solo Dei Spiritu, quo caret ipse, intelliguntur, lectione arcebit, instruet ipse, pastores audire iubebit. Nam reuera quandam institutionem oportere antecedere, ipse Caluinus auctor est. Nam in præf. instit. anno 1559. suarum institutionum lectionem εἰσαγωγὴν quandam ad legendos diuinos libros obtrudit. *Hoc mihi in isto labore propositum fuit, sacræ Theologiæ candidatos, ad diuini verbi lectionem ita præparare, & instruere, vt & facilem ad eam aditum habere, & inoffenso in ea gradu pergere queant.*

Lectionem bibliorum institutio præcedere debet.

Si igitur Caluinus præparandos censet candidatos Theologiæ ad diuini verbi lectionem, cur Episcopus Catholicus non prius idiotam præparabit, antequam biblia illi tradat? Certe Theologiæ candidati aptiores sunt idiotis, si Caluinus instruit tam longis institutionibus, cur minus institutione eget idiota? Si absque Caluini institutionibus non est facilis aditus candidatis Theologiæ ad lectionem verbi diuini, cur crimini datur Pio quarto, qui aditum per Episcopos, parochos, confessarios dat, ita tamen, si ita instituti sint, vt ex lectione illa non damnum, sed pietatis & fidei augmentum capere possint. Si institutiones Caluini lucem præferunt candidatis Theologiæ, vt inoffenso in scripturæ lectione gradu pergere queant, cur non ante etiam suos subditos Catholicus Episcopus ita muniat, ne offendant: & si

candidati Theologiæ opus habent illis institutionibus, ne offendant, ergo sine illis offendere poterunt, ergo & in Catholica Ecclesia aliquis offendere potest, ergo merito illi negatur lectio bibliorum, donec ita instructus sit, vt in ea lectione inoffenso gradu pergere queat.

Finio hanc de Scriptura partem, & coram Deo hominibusque protestor, maximis, inauditisque nos calumniis peti: Olim fastigium calumnia posuit in Arianis contra Athanasium, nunc superarunt nostri Iubilantes omnia veterum: Et sane si quicquam à vetustis didicerunt, ita artem calumniandi accurate hauserunt, vt iam nihil tutum sit: veritate nihil possunt, clamori, & mendacio fidunt.

Nos legem Dei legendam permittimus, sed vetamus lectionem noxiam, interpretationem legis corruptricem; quod in legibus ciuilibus, facere magistratum diximus.

CAPVT XXVIII.

Legi scriptæ traditam legem coniungi.

De traditionibus acerbæ calumniæ.

§. 1. NVLLVS omnium Iubilantium, quod quidem sciam, hanc partem omisit. Ideoque nihil necesse est omnes nominare. Academicus Euangelicus Heidelbergensis thes. 19. & 20. Sed hac in re nemo fere acerbius mendax, quam Erarthus Lauterbach, qui Papistas *agere contra verbum Dei, & suas sequi traditiones contendit ostendere.* Et conc. 1. p. 1. concludit, alles wider die H. Schrifft / also daß es der Teuffel auß der Hellen nicht wol köndte ärger machen / *omnia aduersus scripturam, ita vt vix è tartaro dæmon peiora facere posset.* Polycarpus Leiserus 1. conc. Balduinus Fredericus in concione præparatoria pagin. 7. omnes Catholicas ciuitates infamat, *quod humanas leges magni faciant, verbo Dei relicto, in templis tantum animas occidant.* Es werde mit falscher Lehr vnd verbottenen Gottesdienst nur eitel Seelmordt begangen / *falsa doctrina, & vetitis cultibus in templis animacidia à Catholicis committi.* Paulus Laurentius in secunda concione, pagin. vigesimaquarta omnium malorum causam affirmat, quod traditiones humanæ contra diuinum verbum inualuerint. Daß auß deß verfluchten Bapsts Gebott vnd Tyranney alles in Abgötterey sey verwandelt worden / Da man an statt deß reinen Wort GOTTES deß Bapsts Lügen / vnd Menschen Satzungen wil getrieben haben. *Ex maledicti Papæ mandato, & tyrannide omnia in idololatriam conuersa esse, quia locum puri verbi Dei mendacia Papæ, & doctrinæ hominum obtinuerint.* Nec in templis tantum ad plebem, sed poetæ etiam in ministrorum conuentibus aures mendaciis implent. Vnum ex illis, quia in eo clarior est maleuolentia, audire iuuat: Est vero Albertus Otto Bilgenius pædagogus aulicus Solmensis.

Tartareæ calumniæ.

Traditiones diuinæ non sunt leges humanæ.

Quanta olim fuerit sæcli caligo prioris,
Præstigiæ quantæ, quantus in orbe dolus.
Errorum in quantas tenebras, quantamq; Charybdim,
Nostrorum inciderint sæcula prisca patrum.
Haud ego si totas gustassem Aganippidos vndas,
Carminibus possem significare meis.
Lux Euangelij maiorum obscurior æuo
Lumine brumali debiliorque fuit.
Vox Euangelij spissis immersa tenebris,
Cimmeria quondam nocte sepulta fuit.
Biblia Pontificum nugis oppressa, simoque
Perdita non vllis insonuere locis.
Nemo Prophetarum libros euoluere visus.
Ausus Apostolicos voluere nemo libros.

Hoc didicissem à dæmone mentiri.

Nam si qui legerent Sacra biblia mentibus æquis,
Credebant tangi fulmine Pontificis.
Hinc docuere Sacram Scripturam (grande piaclum)
Esse imperfectam, flexibilem, mutilam.
Adque salutarem vitam permulta requiri:
Quæ sancto videas esse aliena libro.
Proficere imo nihil, qui rem petat inde salutis,
Haudquaquam & normam in religione bonam
Dormi secure Dorbellus vadeque mecum,
Durandus, Biel ac Holkot, & Okka, Brikot.
Petrus Lombardus, Scotus, Thomas ab Aquino
Iura dabant templis, iura dabantque scholis.
Quid poterant quæso auxilij ebullire miscllis
Ex horum scriptis, dic mihi quæso, virûm.

Ius interpretabantur, nõ condebant.

Hæc illi, nos totam rem breuiter exponemus his propositionibus.

§. 2. Propositio prima. Ecclesia semper vsa est verbo Dei non scripto, hoc est traditione. Nam ante Mosen, atque adeo ante diluuium Ecclesia Dei fuit, nec tamen verbum Dei scriptum fuit. Id fatetur Scharpius controu. 6. Respons. ad prim. obiectionem. *In prosyllogismo est captio homonymiæ in nomine scripturæ pro scripturæ substantia, & re scripta, hoc est, Dei verbo: & tum nihil aliud est quam doctrina θεόπνευστος: aliquando pro huius doctrinæ accidenti, scilicet scriptione, & exaratione in libris. Primo sensu scriptura est antiquior Ecclesia, sicque propositio est falsa. Scriptura enim, seu verbum Dei, est ecclesiæ fundamentum: Ephes. 2. 20. At fundamentum est antiquius ædificio: ita scriptura est Ecclesiæ semen, Matth. 13. 1. 1. Petr. 1. 23. At semen sobole illa, cuius est semen, antiquius est: Denique hoc idem verbum, quod iam scriptum, fuit tunc non scriptum.*

Ecclesia semper vsa est verbo nõ scripto.

Lex Dei alia scripta, alia non scripta.

Quod si sincere nobiscum agitur, & scriptura significat rem scriptam seu doctrinam θεόπνευστον, iam concordiam tenemus, neque enim nos, cum dicimus, aliqua non scripta esse credenda, affirmamus, aliquam doctrinam non θεόπνευστον, hoc est à Deo non reuelatam, recipiendam esse, tanquam sit à Deo reuelata.

Deinde post Mosis aduentum scripta est, sed non omnia capita creditu necessaria continuo explicata sunt, erant igitur alia verbo non scripto comprehensa, neque enim Mosis institutum fuit catechismum scribere.

Moses non omnia credenda scripsit.

Tertio, Hoc ipsum verbum quod scripsit Moses sine traditione nec legi potuit, nec intelligi, vt supra ostendi propter punctorum omissionem: Quarto, Nusquam Deus profitetur, se doctrinam atramento tantum & membranis alligasse. Sunt igitur Dei leges duplices ἄγραφοι & ἔγγραφοι.

Quinto. Multa sunt, quæ nunc quoque ex verbo non scripto credere coguntur aduersarii. Nempe verbum Dei, quod scriptum est, inuiolatum ad nos vsque peruenisse, Apocalypsin esse verbum Dei. Aduersarii vero fatentur, vt Scharpius columna 123. Ab Adam vsque ad Mosen fuisse scripturam, sed non verbum scriptum, neque enim scriptum esse necessarium, nisi ex hypothesi. Denique multæ gentes longo tempore scripturas non habuerunt.

Verbũ scriptum non est sufficiens omnibus controuersiis decidendis.

§. 3. Propositio secunda. Scriptura sacra quæ nunc habetur, non est sufficiens, vt omnes controuersias decidat, nec olim fuit; quia initio tantum pentateuchum habuerunt, at ille non est sufficiens, vt omnia dogmata apertissime ex eo declarentur; ita neque nunc vniuersum corpus canonis sufficit, nam nusquam in eo dicitur, hoc totum corpus, & nullum alium librum extra illud esse canonicum, & hoc tamen credimus. Itaque qui omnem traditionem reiiciunt, etiam canonem scripturæ concidunt, quod adeo verum est, vt Scharpius hoc anno omnibus iniecerit pudorem. Cum enim contro-

uer-

trouersia 9. columna 143. sibi obiecisset, Instantia 5. *Non satis est scire scripturam esse diuinam, sed oportet scire, quæ illa sit? At non potest hoc sciri ex scripturis. Ergo. Probatur assumptio: quomodo colligimus ex scriptura, Euangelia Lucæ & Marci esse vera, Thomæ vero & Bartholomæi esse falsa, cum ratio dictet, credendum potius libro præferenti titulum Apostoli, quam non Apostoli? Et vnde colligam epist. ad Rom. esse vere Pauli, epist. vero ad Laodicenses non esse Pauli, cum Coloss. 4. dicat, se ad Laodicenses scripsisse, nusquam vero dicat, se ad Rom. scripsisse? Ergo.*

Scripturam credere esse verbũ Dei, non est ad salutem necessarium Scharpio.

Respondet sibi in hunc modum. *Distinguitur propositio: est quidem necessarium hoc scire, sed non simpliciter ad salutem, & eodem modo, omnibus, quia multi olim de variis libris Canonicis dubitarunt, saltem ad tempus, quos ideo à salute non excludent. Deinde qui Spiritum sanctum habent, per quem libros Canonicos agnoscimus, non eadem mensura illum habent, ita etiam de aliis spiritus operationibus statuendum.*

Si igitur non est necessarium ad salutem credere, hos esse libros diuinos, ergo necest necessarium, id, quod illis continetur, credere diuinum, ex sententia Iubilantium. Hoc enim solum credendum est, quod est in libris diuinis: Quemadmodum si quispiam dicat, sibi solum faciendum esse, quod regio diplomate iubetur, si credere non tenetur oblatum diploma esse regium, ab executione earum rerum excusatur. Paulo post idem respondet, *non est necesse scire, hunc vel illum librum ab hoc vel illo scriptum esse auctore, modo scriptum ipsum admisero vt diuinum.* At illo magis constringitur, si enim nesciero auctorem, si auctor v.g. Apocalypseos ignoratur, vnde sciemus, hoc est, ex qua scriptura, esse diuinum? Non constat ex scriptura, aliud non habent, vnde cognoscant.

§. 4. Horrenda confusio contemptum verbi Dei non scripti consecuta est in Ecclesia, sed in Ecclesia malignantium, nam primo cum sola scriptura se niti dicerent, & spargerentur omnes in contraria, Augustanam confessionem, quasi concordiæ symbolum ediderunt, illa deinde mutata, desertaque concordiæ librum confecerunt, sed inde summa discordia totum Lutherismum exanimauit.

Et sane hac quoque parte omnem scripturæ fidem conuellunt, & omnino scripturam abnegant. Libanius libro contra Gretzerum hæc habet.

Legem scriptam parui facunt.

I. *Scriptum Dei verbum non est illa per characteres descriptio.*

II. *Sacra scriptura & scriptum verbum non est illud verbum Dei, de quo disputatur inter Catholicos & Lutheranos: sed aliud quoddam. Quia scriptum verbum potest mutari, imo & comburi. Sed verbum Dei manet in æternum.* Isa. 40.

Legem scriptam deseruunt.

III. *Si scriptio seu sacra scriptura esset verbum Dei, tunc esset verbum Dei non tantum respectu hominum, sed & Angelorum: sed sacra scriptura non est verbum Dei respectu Angelorum: Ergo neque est verbum Dei respectu hominum.*

IV. *Si scriptura esset vere verbum Dei, tunc esset potentia Dei omni credenti ad salutem. Sed non est potentia Dei omni credenti ad salutem. Ergo scriptura ista non est vere verbum Dei.*

V. *Si scriptura sacra vere esset verbum, & esset sapientia & veritas Dei, sed non est sapientia & veritas Dei, ergo scriptura sacra non est vere verbum Dei.*

VI. *Si scriptum verbum vere esset verbum Dei, tunc foret lux in tenebris lucens: sed non est lux lucens in tenebris, ergo scriptum verbum non est vere verbum Dei.*

VII. *Denique cum, aut, huc perueni, vt ex verbo Dei cognouerim, quod verbum Domini sit viuum, quod æternum, quod pereunte mundo non pereat, quod iudicet in extremo die, quod veritas, quæ eam cognationem habet cum Christo, vt inde & filius Dei vocetur verbum & veritas, & ita etiam Spiritus sanctus veritas, sicut & verbum Christi Spiritus Ioan. 6. illico vidi verbum scriptum, seu scripturam in Bibliorum voluminibus comprehensam non esse verbum Dei, sed aliquid aliud: quia scriptura, qua scriptura non viuit, non est vita, non veritas, non manet in æternum.*

Qui scripturam nõ credit diuinam, ex opinione sectariorum fidem non habet.

§. 5. *Si igitur scriptura non est verbum Dei, vel* non est necesse credere verbum Dei, & tamen est principium fidei, sequitur, fidem esse incertam. Nam cuius principia sunt incerta, id quoque, quod ex illis deducitur, est incertum, non enim certior est conclusio, aut assensus principiati firmior eo principio, ex quo solo pendet, quam ipsum principium. At scripturæ cognitio non est certa, quia nec fide certa est, neque naturali lumine certa est. Nullo igitur modo. Vt vero lector videat, quantam nobis iniuriam adferant, & quid ipsi inter se, cum soli sunt, loquantur, propositiones, quas *Adolphus Venator Tectander* se de Contra-Remonstrantibus probaturum promittit in Apolog. contra *Dordracenses*, ex pag. 174. & 175. & 176. apponam.

Ecclesia Caluini humana lege constituta est.

1. *Recta, optima, securissima, & perfecta regula, amussis, ac lydius lapis, non tantum doctrinæ in Reformata Ecclesia apud Belgas, sed etiam totius Christianæ fidei, est* Confessio Belgica, & Catechismus Heidelbergensis.

2. *In* Confessione & Catechismo *præcipitur quod oporteat sectas comitiari, & eos, qui vel verbulo in confessione à nobis dissentiunt, condemnare.*

3. *Sine contumeliis sectæ & errores confutari non possunt.*

4. *Prædicantium officium est indulgere comitiis & contumeliis.*

5. *Si quis non intelligit, scripturam esse imperfectam, & præter eam, humanas traditiones & formulas esse necessarias, is diuersitatem religionis parui pendit.*

6. *Doctrinæ puritas nequit conseruari, sectæ non possunt auerti, nec hæreses confutari sine humanis constitutionibus ac formulis.*

7. *Dei verbum neque ad salutem, neque ad bonum Ecclesiæ statum, per se sufficit.*

8. *Sola scriptura, absque statutis & decretis Ecclesiæ, est chaos omnium religionum, refugium omnium hæresum, via, (solam si insistas,) ad omnem libertatem in rempub. Christianam inuehendam.*

9. *Scriptura est obscura, & variis modis potest intelligi, & propterea decretis & doctrinis Ecclesiæ opus habet.*

10. Confessio & Catechismus *tantum sunt manifesta, non item scriptura; & hæ formulæ non possunt bifariam aut diuersimode explicari.*

Scripta humana præferuntur diuinis.

11. *Authores* Confessionis & Catechismi *sapientiores & prudentiores fuerunt, quin & fideliores in Ecclesiam & veritatem, nec non meliora & perfectiora scripta Ecclesiæ reliquerunt, quam ipsi* Euangelistæ & Apostoli.

12. *Ex* verbo Dei *non potest pura doctrina certo cognosci, sed tantum ex* Confessione & Catechismo.

Cur igitur nõ opus interpretatione?

13. Prophetæ & Apostoli *imperfecta & dubia post se scripta reliquerunt, quæ ne ipsis quidem possunt prodesse, vt ex quibus viam veritatis certo agnoscere non possumus; nisi eadem additamentis & decretis particularis Ecclesiæ roborentur, & illustrentur.*

14. *Scriptura nequaquam id totum complectitur, quod absolute credendum est, vt quis saluetur, aut sit membrum Ecclesiæ.*

15. *Scriptura duplices sensus habet, incerta & imperfecta est.*

16. *Traditiones humanæ, Conciliorum decreta, verba & explicationes rerum fidei diu post tempora* Apostolorum *inuentæ necessario credi debent ad salutem consequendam.*

17. Verbum Dei *Christianis tam necessarium atque vtile non est, quam sit* Confessio & Catechismus.

18. Verbo Dei *carere possumus, dummodo* Confessionem & Catechismum *seruemus.*

19. *Hæreticos & Errabundos non est necesse* scriptura *siue* verbo Dei *conuincere, aut errores eorum confutare; sed tantum* Confessione & Catechismo.

20. Confessionem & Catechismum *verbo Dei probare non est opus.*

Hæc ostendit Synodus Dordrechtana.

21. *Authoritas Ecclesiæ, scripturæ authoritatem præcellit.*

22. *Puræ doctrinæ certitudo non ex* verbo Dei *petenda est; sed ex* traditionibus & formulis *eorum hominum, qui longe post tempora* Apostolorum *sunt secuti.*

23. Scriptura *non est idoneus controuersiarum de religione iudex.*

24. *Nemo rectam fidem habet, neque Christianus, neq; Ecclesiæ membrum est, qui* Confessionem & Catechismum *non recipit.*

25. Confessioni & Catechismo *amplius adhærere oportet, quam in quantum* verbo Dei *consonant.*

Sui interpretationi omnia tribuunt.

26. Confessio & Catechismus *debent esse norma sensus scripturæ, & formulæ humanæ debent ponere mensuram explicandi* verbum Dei: *Sed* Dei verbum *non debet statuere limites intelligendi scripta hominum.*

27. *Nemini Christiano liberum est ad solum* Dei verbum *se alligare, & qui id facere præsumit, ostendit se à vera Christiana religione deflectere.*

28. *Quamuis* Apostoli *ipsimet* Symbolum *siue fidem feciſſent, nihilominus non esset scriptura.*

29. *Religio Christiana non consistit in pia vita, sed in multa scientia, non in quantum quisque viuit, sed in quantum quisque intelligit.*

30. *Doctrina de amore Dei & proximi ad solam legem pertinet, non ad Euangelium & Iesus fuit doctor legis.*

31. *Qui congregati sunt, vt audiant quæ diuina & spiritualia sunt, quique Deum & Christum profitentur, non sunt Ecclesia: Item si solis Christi & Apostolorum verbis adhærere, & non etiam* Decreta Conciliorum *& hominum traditiones recipere velint.*

32. *Tametsi aliqui in omnibus absolute scripturam sequuntur; sunt nihilominus hæretici, & non possunt esse Ecclesia Dei.*

33. *Papistæ & Hæretici non sunt Christiani.*

34. *Quod primi plantatores* Reformationis *confessi sunt, &* Martyres *huius terræ etiam sanguine suo sigillarunt; videlicet, in rebus* Fidei *tantum adhærendum esse* Scripturæ & humanas Institutiones *non esse suscipiendas; id est inuentum ad omnes hæreses ex inferni barathro reuocandas.*

35. *Qui intelligit solam insistendum esse* verbo Dei, *ille medium proponit, per quod nulla pax haberi poterit cum Deo.*

40. *Neque Moyses & Prophetæ vllo modo intelligi possunt, aut fundamentum doctrinæ, aut amussis doctrinæ veteris testamenti, neque Euangelistæ & Apostoli Noui Testamenti.*

63. *Ieremias, Paulus, Euangelistæ & Angelus Gabriel,* Sociani sunt & hæretici.

65. *Aliquid confiteri aut dicere, quod etiam hæretici dicunt, hæreticum & erroneum est; & sic Prophetæ & Apostoli omnes hæretici.*

68. *Euangelistæ & Gabriel Angelus nihil melius de Christo, quam Turci sentiunt.*

Idem Venator pag. 74. ita habet.

Aduersarij reipsa legē Dei contemnunt.

Fratres Dordracenses non contenti sunt Scriptura, *sed tam contempte de ea loqui audent, vt dicant; Si solum adhærendum esset* Scripturæ, *vnusquisque in Christianitate & dicere & facere auderet, quod vellet: &* Biblia *faceret latibulum manifestum omnium hæresum, Libertinorum, & omnium aliorum.*

His etiam adde quæ in *themate sæculari* noster Maximilianus Sandæus verissime de synagoga prædicantica refert, & Thema Haidelbergense ἀθεϊστι th. 11. *Scripturam sacram, quæ, qua Verbum Dei, est bene credendi & viuendi norma, regula, amussis, gnomon, docet non esse vere verbum Dei* 1. *quia non est potentia Dei omni credenti ad salutem.* 2. *quia non est sapientia & veritas Dei.* 3. *quia non est lux lucens in tenebris.* 4. *quia non manet in æternum.* 12. *Asserit, non esse ad salutem necessariam scientiam, cognoscendi scripturam diuinam à non diuina.* 13. *Negat, necessario credendum esse fide saluifica, scripturas, quas habemus esse diuinas, aut Euangelium Matthæi quod legitur in Ecclesia, esse diuinum, & Matthæi Apostoli.* 14. *Contendit, scripturam sacram non esse ex se certam, neque erroris, aut falsitatis expertem.* 15. *Affirmat, scriptores Noui Testamenti interdum prudentes, scientes præter veritatem historiæ scripsisse.* 16. *Recepto vulgarique errori aliquando quidpiam ex caritate condonasse.* 17. *Propter opinionem publicam à veritate historiæ deflexisse.*

Sectarij scripturam contemnũt.

CAPVT XXIX.

Iuris studium principibus & priuatis commendatum.

§. 1. PRVDENTIA iuris est *rerum diuinarum, & humanarum notitia, iusti atque iniusti scientia.* Ita definit imperator lib. 1. inst. tit. 1. lib. 1. Nec immerito; duplex enim ius est diuinum, & humanum, vtrunque iurisperito cognoscendum est. Itaque non nimis late sumpta est definitio; Est enim reuera latissima illa, & vere publica scientia. Quibus autem in rebus prudentia versatur in illis multo magis consistit prudentia iuris.

Iurisprudẽtia mundo summe est necessaria.

§. 2. Iurisprudentiæ dare operam, principes, optimates, nobiles conuenit; imo necessarium est.

Ratio primaria est, & valida. Quemadmodum sine legibus non potest esse Respublica, ita nec sine anima legum, hoc est vero sensu, veroque vsu, qui potius iustitiæ & æquitatis index est, & custos, quam verba legislatoris. At sensum tenere ipsos principes, & optimates oportet. Πᾶσα πόλις ἄπολις ἂν γένοιτο, ait lib. 6. de leg. Plato, ἐν ᾗ δικαιηλεια μὴ καθεστῶτα εἴη τέρπον. *Omnis ciuitas desinit esse ciuitas, in qua tribunalia non sunt recto ordine constituta.* Non possunt vero recte constitui, si modum eorum principes ignorent. Primarium principis munus est ius dicere, quomodo iuste, constanter, certo ius dicet, iuris ignarus?

Sensus legis eius est anima.

Recte itaque vocatur iurisprudentia ἐπιστήμη βασιλικὴ, καὶ πρὸ βασιλεών, *scientia regia, & regum*; nam & regibus digna est, & regibus necessaria est; quam ob causam quibusdam in vniuersitatibus, vt in celeberrima Herbipolensi in actibus solennibus, antecessores, & doctores purpureis insignibus, qui color regius est, vti videmus.

Reges ius dixerunt.

Reges olim ius dixisse constat. Romulus, & cæteri leges sanxerunt, & controuersias finierunt. Secuti reges sunt consules, qui iudiciis exercendis operam dederunt. Apud Varronem ita clamat accensus. *Omnes Quirites in litium huc visite ad iudices.* Augustus totus in iure dicundo fuit. Seuerus præ cæteris negociis ciuilibus intentus fuit. Ad miraculum vsque causas cognouit Vespasianus, qui legationes, quæ plerunq; erant oppressorum, audiebat cubans, & cum aluus solueretur, dum nititur, & consurgit, inter manus subleuantium exstinctus est. Traianus ad periculosam popularitatem accessit, describit eam Plinius, nisi forte auribus aliquid dedit. *Liberum est ingrediente per publicum principe subsistere, occurrere, comitari, præterire, ambulas inter nos, nos quasi contingas: & copiam tui, non vt imputes, facis. Hæret lateri tuo quisquis accessit, finemq; sermoni suus cuiq; pudor, nõ tua superbia facit.* De Alexandro ita scribit Lampridius. Negotia & causas

Traianus pene nimius in audiendo.

causas prius à scriniorum principibus, & doctissimis iurisperitis & sibi *fidelibus, quorum primus tum Vlpianus fuit, tractari ordinarique atque ita referri ad se præcepit. Leges de iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit: neque vllam constitutionem sacrauit sine viginti Iurisperitis & doctissimis ac sapientibus viris: iis denique disertissimis non minus quinquaginta, vt non minus in consilio essent sententiæ, quam senatus consultum conficerent: & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum cogitandumque priusquam dicerent, ne incogitate dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit præterea illi consuetudo, vt si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet: si vero de re militari, milites veteres & sanos ac bene meritos, & locorum peritos ac bellorum ac castrorum, & omnes literatos & maxime eos qui historiam norant: requirens quid in talibus causis quales in disceptatione versabantur, veteres imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent.*

Iudex peritus, & iustius sæpe fallitur.

Cum igitur iudicare eos oporteat, gnaros iustitiæ esse necessitas cogit. Maxima cura iudicandi incumbit etiam iustissimo, & equissimo iudici, quia crebro cum omnia secundum leges fecit; damnat tamen & occidit innocentem, quanto magis si leges, & iura ignoret ipse? Misera curatio est, sed tamen necessaria ciuitati, cum iudicia seuera agitantur. Augustin. libr. decimo nono, cap. 6. de ciuit. Dei. *Quid ipsa iudicia hominum de hominibus, quæ ciuitatibus in quantalibet pace manentibus deesse non possunt, qualia putamus esse, quam misera, quam dolenda: quando quidem hi iudicant, qui conscientias eorum, de quibus iudicant, cernere nequeunt? Vnde sæpe cogũtur tormentis innocentium testium ad alienam causam pertinentem quærere veritatem. Quid cum in sua causa quisque torquetur: & cum quæritur vtrum sit nocens, cruciatur: & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas: non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commisisse nescitur? Ac per hoc ignorantia iudicis plerunque est calamitas innocentis. Et quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque si fieri posset, fontibus lachrymarum: cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, fit per ignorantiæ miseriam, & vt tortum, & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundum istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta: quod non commisit, commisisse se dicit. Quo damnato & occiso, vtrum nocentem an innocentem iudex occiderit, adhuc nescit: quem ne innocentem nesciens occideret; torsit: ac per hoc innocentem, vt sciret, torsit, & dum nesciret, occidit: In his tenebris vitæ socialis, sedebit iudex ille sapiens, aut non sedebit? sedebit plane. Constringit enim eum, & ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas ducit. Hoc enim nefas esse non ducit, quod testes innocentes torquentur in causis alienis, quod hi qui arguuntur vi doloris plerumq; superati, & de se falsa confessi etiam puniuntur innocentes, cũ tam torti fuerint innocentes: quod etsi non morte puniantur, in ipsis vel ex ipsis tormentis plerunque moriuntur. Quid hoc aliquando & ipsi qui arguunt, humanæ societati, fortasse ne crimina impunita sint, prodesse cupientes, & mentientibus testibus, reoque ipso contra tormenta durante immaniter, nec fatente, probare quod obiiciunt non valentes, quamuis vera obiecerint, à iudice nesciente damnantur? Hæc tot & tanta mala non deputat esse peccata. non enim hæc facit sapiens iudex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi: & tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam iudicandi. Hæc est ergo quam dicimus miseria certe hominis, etsi non malitia sapientis. An vero necessitate nesciendi atq; iudicandi torquet insontes, punit insontes; & parum est illi quod non est reus, si non sit insuper & beatus? Quanto consideratius & homine dignius agnoscit in ista necessitate miseriam, eamque in se adit: & sipie sapit, clamat ad Deum, de necessitatibus meis erue me.*

Iudicum rapacitatẽ solus princeps impedire potest.

§. 2. Intuto & periculose ista principum consiliariis, aliisque committuntur, nisi diligenter ac sedulo princeps attendat. Nam fauore, pecunia, odio plurima transiguntur, & principis ignorantia cedit in lucrum hominum rapacium. *Rapere, non accipere sciunt agentes in rebus*, ait Iul. Cap. Et Cypria. Epist. 2. Incisæ sint licet *leges duodecim tabulis, & publice ære præfixo iura præscripta sint, inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur, innocentia nec illis, vbi defenditur, reseruatur. Sæuit inuicẽ discordantiũ rabies, & inter togas pace rupta forũ litibus mugit insanum, hasta illis & gladius & carnifex præsto est, vngula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens; ad hominis corpus viuunt supplicia plura, quam membra sunt. Quis inter hæc vero subueniat? Patronus? sed præuaricatur, & decipit. Iudex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & vt reus innocens pereat, fit nocens Iudex.*

Hæc maxime committuntur, si princeps lõgius ab est, aut omnem curam iustitiæ in eos reiicit, quibus fidit, qui cum postea plerumque vel mala gratia dimittantur, vel etiam capite plectantur, satis apparet, quo verterint sui principis nimis simplicem credulitatem. Nec princeps securus esse potest, cuius negligentia alii peccant. Maximum vero frenum est iniquorum iudicum princeps prudens & doctus, ipsos porro iudices principis imperitia facit ex securitate negligentes, eruditio, studiumque cautos, & gnauos.

Doctus princeps iudicũ est lima & regula.

§. 3. Auctoritatem etiam valde imminuit, iuris & legum, hoc est, reipublicæ, cui præest, ignorãtia. Multi eum fallent, quem vero decipere possunt, contemnunt. Deinde quamuis aliquando vere, non tamen constanter iudicare possunt; quocirca necesse, vt crebro sententiæ sententias elidant. Quod non modo ignominiosum, sed etiam periculosum est principi, dum in simili causa, alii vincunt, alii vincuntur. Versuti, & callidi litium architecti cornua tollent, iustitiamq; ventilabunt. *Scelerig, nefando nomen erit virtus.*

Vbi scientia abest, adest inconstantia.

§. 4. Deniq; vigilantibus non dormientibus iura subueniunt. Vigilet itaq; Antistes iuris; nam vtrinq, maxima industria agitur, imo fraude, mendacio, periurio, vt suum quisque iudicem faciat; accedunt iuris periti, qui occasionem semper liti relinquunt, vt inepti artifices castigationi. Non est cedendum tamen principi, sed contra audendum: malum est continuũ, semper renascens, cui continua medela adhibẽda est. In simili causa optime Seneca l. 2. de ira c. 11. *Nunquid ille cuius nauigium multam, vndiq; laxatis compagibus, aquã trahit, nautis ipsiq; nauigio irascitur, occurrit potius, & aliã excludit vndam, aliam egerit, manifesta syramina præcludit, latentibus & ex occulto sentinam ducentibus labore continuo resistit: nec ideo intermittit, quia quantum exhaustum est, subnascitur. Lento adiutorio opus est, contra mala continua, & fœcunda non vt desinant, sed ne vincant.*

Omnia iura peruertunt, nisi princeps succurrit.

Hic opus est perseuerantia: audacter affirmo, centũ opus esse oculis, aut si fieri posset, vt Argus sit, hoc est totus oculeus, quib⁹ fraudes cernat, visasq; puniat.

Princeps igitur iuris, æquitatisq; peritus sit, & post principem comites, barones, nobiles, quod facile cõsequetur, si iudicem, aut gubernatorem nullum constituat, nisi bene peritum. Ea sane mẽs Iustiniani fuit, in procem. instit. §. 7. *Summa itaq; ope & alacri studio, has leges nostras accipite, & vosmetipsos fac eruditos ostendite, vt spes nos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto, posse etiam nostram Rempubl. in partibus eius vobis credendis, gubernari.*

Iudex sit gnarus causæ.

Quia vero ipse ignarus literarum & iuris fuit, hinc factum, vt toties leges immutando eas ad commoda sua magni, sed auari iurisperiti fixerint atq; refixerint. Pauperes, ignoscite, in causa publica loquor, & de eo loquor, quod crebro fieri solet, nollem dare iuri operam, & causas agere. Quia in nimia occasione peccandi pessima consultrix & impultrix est inopia, sordesque. Vili iustitiam vendit, cuius conditio vilis est; care sententias vendit, qui in egestate studendo lucri occasionem longa patientia quæsiuit. Non ignoro è pauperibus bonos, iustos, sanctos esse, DEVM elegisse pauperes, sed nunc de illis pauperibus loquor, qui diuitiarum & honorum causa

Pauperum iurisprudẽtia clades est publica.

iuri ſtuduerunt, & longam famem, & ſiccas fauces adferunt, ad partium litigantium medullam exugendam. Diteſcere volunt, & cito diteſcere. Interim ſtatus ſui dignitatem exaggerant, ſplendide veſtiuntur, ne pauperes fuiſſe videantur, & cum ius non ſatis ſuppetit, per iniuriam, quæruntur opes. Horum turba cum inualuit, ſurſum deorſum omnia vertunt, ipſum ſuum principem venalem habent. Poteſt quidem in magno genere ignobilis auaritia graſſari, ſed plerunque cum familiæ, dignitatiſque ſuæ rationem ducunt, cum opulenti ſint; cum animo celſiore, tam abiectas prædas non ſequuntur. Sed tamen & his curam adhibeat princeps. Nunquam felix fuit iuris noſtri ſtatus, vt non pepererint ipſa eius ſacraria iniurias. Ipſum Iuſtinianum vide legislatorem, quomodo artibus eum ſuis circumuenerint harpyiæ forenſes. Euagrius ita ſcribit: *In Iuſtiniano vero tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis atque adeo abſurda rerum alienarum appetitio, vt omnia ſubiectorum bona his qui magiſtratus adminiſtrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de cauſa inſidias hominibus ſtruere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures vero, imo innumerabiles qui bona multa poſſidebant, cauſa falſa commentitiaque conficta, omnibus fortunis mulctauit. Quod ſi quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adiiciens, conſuetudinem ſe vllam cum eo vel coniunctionem habuiſſe ſimularet: ſtatim omnia iura ac leges, modo Iuſtinianum turpis lucri ſocium conſtitueret, eius cauſa auerſa iacuerunt; facultateſque illius qui falſo in crimen erat, fuerunt in eius domum translatæ.*

Legum itaque emendationem, & compendium, hoc opto, vt litium, cum finis eſſe non poſſit, ſaltem ſit modus. Atque hæc de legibus, nunc de Legum cuſtode, hoc eſt, magiſtratu agamus.

POLI-

POLITICORVM
LIBER SEXTVS.
DE MAGISTRATV ECCLESIASTICO.

CAPVT I.
Magistratus sine adulatione instruendi sunt.

Leges sine magistratu mortuæ sunt.

DE legibus actum est superiore libro, earumq; necessitas, vtilitas, & vigor explicatus; sed legum est infirmum sine insigni magistratu subsidium; leges instrumenta pacis, & felicitatis sunt inanimata; magistratus, organa viua; quæ legũ vsũ, & tractatione Rempublicam administrant, tuentur bonos, malos corrigunt; at qui corrigi nequeunt, *in quibus nihil bonæ spei capax est, tollunt è medio mortalium facturos peiora iis quæ contingunt, vt quo vno modo possunt, desinãt esse mali.* Legum ergo sine magistratu nulla est efficientia, nullus metus, leges bonæ à bono magistratu prudenter administratæ felicissimam Rempubl. efficiunt. Quam ob rem magistratus dignitatem, auctoritatem, officiumq; exponere aggredior, in quo scopulũ video in quẽ multi politicorum impegerunt, videlicet adulandi studium; vel n. regi alicui placere vel optimatibus se commendare voluerunt; eaq; scripserunt, quæ delectare reges principesq; magis, quã docere, melioresq; reddere consueuerunt. *In malitia sua latificant regem, & in mendaciis suis principes.* Multi potestatem magistratus supra verũ, & supra modũ extollunt, alii etiam vitia dilaudãt; Calumniator bonũ ait esse malum, amatorẽ vitia ipsa delectãt, vtrunq; malũ est in adulatore, cuius error ideo difficillime sanatur, quia veritati affinis est, cum n. adulatores sint pessimi inimicorum, videntur esse amicorum beneuolentissimi, certe sunt suauissimi. Amicitiam adulatio non tantum imitatur, sed vincit & præterit: apertis ac propitiis auribus accipitur, & in ima præcordia descendit, eo ipso gratiosa, quo lædit.

Magistratũ docere difficile.

Adulatio venenum potentia.

§. 2. Principio itaq; mihi constitutũ est rectissima via incedere, nec regũ, principumq; auribus quicquã offerre nisi verum, & salutare; quomodo quidq; accipiatur, vnice securus. Nam auribus potentum, quicquam dare, nec illis qui fallaci laude seducuntur, nec illi qui pro amico blandus inimicus, homines natura imbecillis iudicii magis infatuat, prodest.

Adulatio vtriq; parti perniciosa.

§. 3. Pontificibus, Regibus, potẽtibus nihil est infestius adulatione. Nam vt ærugo ferri, teredo ligni, acor vini, mucor panis, ita adulatio aularũ propriũ ẽ vitium; Inde & nomẽ sumptũ est, vt adulatores, quasi adaulatores dicãtur, q. regũ opes assentatione magis, quã hostes gladio euertunt. Potens est hoc, & efficax venenũ, quia auidissime in præcordia admittitur, atq; intima depascit; Animos vero inflat, & vẽtoso tumore distendit, vt à se plerunq; abeant. Hinc fœdissimi hominum credi se Deos voluerũt, vt Alexander magnus, vt Romani imperatores. Alios efferauit adulatio, vt Constantium, quẽ crudelem assentatores fecerunt. Alios faciunt in magna fortuna ineptos, vt Valentem, cum eius verba rustica, Tullianos Flosculos appellitarent. Omnes deniq; inhumanos, morosos, iracũdos, & vindictæ auidos. Caligulæ seruiliter Roma adulata est, blanditiis placere stolido, & crudeli principi voluerũt, sed exitus is fuit, vt adulationes cõtemnere disceret, & cum aliorsum interpretaretur, morte puniret. Dion refert in Calig. *Cõclamante autem aliquando populo; Adolescens Auguste, ratus sibi iniuriam illatam esse quam plurimos occidi iussit. Eosq; partim abstrahi à spectaculis, partim abeuntes à theatro abripi, id enim sæpe facere solebat.* Iucundissimis ita assueuerant aures principis, vt iucunda pro asperis acciperentur. Eadem peste Vitellium interemerunt. Arcuere eos (bene suasuros) inquit Tacitus, intimi amicorum Vitellii, ita formatis principis auribus, vt aspera quæ vtilia, nec quicquam nisi iucundum, & læsurum acciperet.

Adulatores cogniti odio sunt.

Corrupto palato nihil nisi nociturum placet.

§. 4. Nec assentationis fructum diuturnũ capiunt adulatores; quia cum nemo vno adulatore contẽtus sit, necesse est, vt eius gratia paruo tẽpore horeat. Noui n. exquisitiore blanditia ad se illiciunt animos, & quæ valde delectarunt eorum est velox fastidiũ. Deinde natura simulationis est ἐφήμερον, diuina; adulatio vero simulationum est pernicioſissima. Neq; hactenus quisquã tanto fuit ingenio adulator, vt nõ facile apparuerit irrisorem esse potentum. Si enim non laudanda commendant, vel mediocria in maius efferunt, principem, nisi pecus sit, diu latere non possunt. Et quanquã facile ab his se fallere sinant homines, adulationis tamen compertũ oderunt. Risum toti imperio mouit Elagabulus cũ parasitos rosis opprimeret, aut rotæ aquariæ illigaret, vt per voluptates occideret, qui per delicias principum vitam impeterent. Quod si tamẽ adeo hebes, & sui amator princeps sit, vt συγκαλανευσιφάγους illos, & λαμπολάκας, qui ad omnia ventris causa annuunt, agnoscere nequeat; eos tamen collegæ, & Symparasiti facile detegent. Neq; n. magis cognoscitur, & ridetur adulatio, quã in aulis, in quibus & homines vrbani queruntur, contra vndecimũ decalogi præceptum peccari, *Non adulaberis.* Quod vitũ enim in omni hominũ genere sit turpissimũ, tum vero in sacerdotibus est portẽtosum, quibus multo melius esse docent sacri canones, *pati pro veritate supplicium, quã pro adulatione beneficiũ recipere*, 11. quæst. 3. *nemo peritorũ* Grauissime vero D. Greg. *adulatores insequitur l. 18. mor. p. 4. c. 3. sunt nonnulli (dist. 46) qui ãũ malefacta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerunt. Hinc enim per prophetam dicitur: Væ qui consuunt pulullos sub omni cubito manus; & faciũt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Ad hoc quippe pulullus ponitur, vt mollius quiescatur. Quisquis ergo male agentibus adulatur, pulullum sub capite, vel cubito tacẽtis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in eo fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursum scriptum est: ipse ædificabat parietem, illi aũt liniebant eũ. Parietis quippe nomine, peccati duritia designatur; ædificare ergo parietẽ, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruerse agentes ædificant; ipsi adulantes quasi nitidum reddant. Sed sanctus vir sicut mala de bonis non æstimat, ita iudicare bona de malis recusat, dicens, absit à me, vt iustos vos iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.*

Simulatæ breuia sunt.

Adulatores in rosa occiduntur.

Vndecimũ præceptum.

Adulatio damnabilis.

Concilium Carthag. 4. cap. 56. adulatores Clericos proditoribus cõiungit. *Clericus qui adulationibus, & proditionibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur.*

Adulatores adulatores, adollatores.

Adulationis effectus.

§. 5. Remedia magistratibus, & contra doctrinas adula-

adulatrices politicorum firmamenta in prõptu semper adesse oportet. Nisi enim hoc discrimen animaduertant, etiam bonorum consilia auertent; Nam stulto principi, vel adulationib⁹ inescato haud facile bona consilia dantur. Primum igitur est; *Nolle laudari*; Non omnino imprudenter Pescennius Niger; *Viuum se placere, mortuum laudari velle.* Alterum, si nondum hoc vitium animo excussum est, ita tamen proficere studeat, vt lubens vera audiat, & irrisoria encomia intelligere se, & detestari significet. Rideri autem se clare agnoscet. Si mala laudent; si vitia virtutum nomine pallient, si principis errorem admirentur. Si ebrius fuit; comitatem in cœlum euehunt. Excanduit? magnanimitatem prædicant, & clementiam, quod non sæuierit. Fefellit; prudentiam clamant. Tu crede magna eum scelera, ausurum, qui tuorum delictorũ est studiosus laudator. Quis non miretur Dionysii Siracusani hominis versutissimi stultitiam, à quo Dionysio κόλακες dicti sunt; quem cum cæcutientem cernerent adulatores, ipsi quoque cœcos se finxerunt, nam in postes, & parietes impingebant, & ad fercula ab ipso manu se duci gestiebant. Miseri illi, quibus tã fœdæ adulationis necessitatem tyrannis imposuit; miserrimus ille ipse qui se ita derideri volebat.

Qui adulatione gaudet, bonis consiliariis caret.

Adulator omnis est irrisor, quia principem vanum, & stultum putat.

Insania adulationis.

Deinde cognosceret irrisionem laudationibus, si vera bona maiore encomio prosequantur. Si ex homine Deum faciant. Qualis ille adulator, qui dixit:

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

Furiosa adulatio.

Tertio, si occasionem peccandi offerant. Alexander magnus ita viuebat, vt ab omnibus turpissimus haberetur, Eudæmonicus tamen assentator eius, vt illum ἀναμάρτητον, & omnino omni culpa immunem ostenderet, monere solebat; *vt tãdem mali quippiam committeret.* Ecce quam immane studium adulandi. Eo pertinet Anaxarchi adulatio, cum ius fas esse diceret, quæcunque rex faceret. Laert. l. 9. c. 10. Proditor est qui hæc suadet: nocere vult, qui confidentiam malorum principi instillat. Quarto, cum laudant. & petũt; nam finis ille solet esse canum aulicorum, qui cauda adulantur, dũ frustum proiicis, cum dederis, abeunt; si repetas; ringuntur. Nunquam dabis cum adulatio antecedit; nam tuę superbiæ dedisse, non sibi arbitrabitur, cum ante dementandus illi fueris; quã dares; quod si humanius de te loquetur suo artificio, nõ tuę munificentiæ gratias habebit.

Adulatori cur nihil dandum.

Adulatores ridendi.

§. 6. Aliud remedium est, vt palam ostendas tibi illos esse odio. itaq; verbis exagitandi sunt, quemadmodum Alexander seuerus abiici, & cachinno excipi volebat: Generosius Ladislaus rex Poloniæ, colaphis demulcebat, egregio elogio. *Percutientes me repercutio.* Insigne exemplum etiã Vitellius edidit, occiso enim Galba, plures quã centum viginti libellos prẽmia exposcentium, ob aliquam notabilem illa die operam, Vitellius postea inuenit, Ecce tibi assentationẽ nouo se principi venditantem. Quid vero Vitellius? omnes cõquiri & interfici iussit, non honore Galbæ, sed tradito principibus more, munimentum ad præsens, in posterum vltionem. Horum igitur tibi ô princeps odium inculcatum, magnum, constansque opto, his purgari tanquam Soricibus palatium tuum desidero.

Percutiendi.

Interdum occidendi.

Nunquam illos tibi fidos fore credes, qui vel tuũ peccatum laudant, vel tui causa peccare sunt parati; qui philosophiam, politicen, iurisprudentiam, Theologiam voluntati tuæ attemperant. Vera audire assuesce ô princeps, & hæc qualiacũq; animo reconde. Magnam spem recte factorum præbet, qui vera lubens audit. Nam τὸ κατόρθωμα ὄζει ἀληθείας ἔκγονον. *Omne officium ex veritate nascitur.*

Caput II.

Magistratum Reipublicæ necessarium esse.

§. 1. Respublica sine iubendi & parẽdi ordine nulla esse potest, quemadmodum nec homo erit, nisi naturali ordine membra sibi mutuo connexa sint, atque apta inter sese, & reciproco se adiutorio influxuque sustentent. Sine magistratu igitur lex, vt dixi, inanima est, sed vere ille dixit:

Ἰσχυρὸν ὁ νόμος ὢν ἀρχοντ' ἔχῃ.

Fortis est lex, si principem habet. Nam tota legum congeries, sine hoc vinculo, & quasi cæmento non nisi ruina est. Exempla domestica nobis hoc ostẽdunt; si abest à ludo frons seuera magistri, si patrem familias domo discessisse norũt seruuli, si nec vicariatum præstat cẽsor, aut atrienſis; omnia cõmutãtur, insolentia vni⁹ reuerentia compressa mox sese exerit; quid in regno vbi non modo multi, sed crebro plurimi, aliquando omnes sunt mali? Quapropter vere Arist. l. 6. poli. c. 8. ἄνευ γὰρ ἀναγκαίων ἀρχῶν ἀδύνατον οἰκεῖσθαι καλῶς. & Cicero l. 3. de legibus, *opus esse magistratibus, quod sine illis ciuitas recte constitui non possit.* Quod adeo verum est, vt qui magistratui rebellant; sine alio id magistratu facere nequaquam possint. Imperium consulum, & nobilitatis recusant plebei Quirites, in montem Auentinum secedunt, sed agere nihil sine nouo magistratu contra veterem possunt, tribunos creant, & leges patribus imponunt. Tam est vero necessarius in Republica magistratus, vt melius sit esse malũ, quã nullum.

Respublica ἀκέφαλος turba est.

Nulla pars Reipublicæ sine magistratu.

Oppugnari magistratus sine magistratũ potest.

§. 2. Quod cum ita sit, non tamen desunt nostro sæculo, in quod execranda omnia confluxerunt, qui tam euidenti lumini naturæ, & experientiæ repugnare conati sint, omnemq; rerum ordinem scelerata opinione euertere. Olim quidem Donatistæ, licet ante ab Ecclesia ad imperatores appellassent, postea tamẽ omnem magistratus autoritatem respuerunt. Nunc Libertini, & Anabaptistæ omnem Anarchiæ perturbationem inducunt. Libertini quidem, quod omnẽ legem, omne peccatum negent, à Deo enim fieri asserunt. Anabaptistæ magistratum Christianæ libertati aduersum esse fingunt.

Perditi homines magistratũ mugant.

Sed eos refutat sancta scriptura, quæ iubet *omnem animam potestatibus sublimioribus subesse*; quod non vellet, nisi potestates vellet esse. Vocat eos Διακόνους ministros Dei, & λειτουργοὺς θεοῦ. Rom. 13. 4. 6. imo Deos. Deinde Matth. 22. 21. Iubet Cæsaris legibus, quamuis impii parere Christus Dominus, quod Paulus ad Tit. 3. 1. Petrus Epist. 1. ca. 2. 13. ex ore dominico acceptum prædicarunt. Idcirco Magistratus, & reges nutritii Ecclesiæ, & defensores vocantur, mittit eos Deus vt seruos, & ministros suos, Mosen, Iosue, Iephthe, Sampsonem, Samuelem, Dauidem, Salomonem, Asam, Iosaphat, Ezechiam, Maccabæos; Hæc enim testatur nobis Psal. 2. 11. Isa. 60. 3. Prou. 8. 15. Isa. 10. 5. Ierem. 27. 6. Dan. 2. 34. Nobis etiam commendat, vt pro illis oremus, 1. Tim. 2. 2. Contra Libertinos multi Theologi, & iurisperiti disputarunt, & totus eos mundus oppugnat. Quos tamen occulte defendunt, qui leges negant obligare conscientias subditorum, vt libro de legibus docui.

§. 3. Rationi etiam naturali id consentaneum est; nisi enim magistratus sit, nulli erit tota simul respublica curæ, sed partes hinc inde tantum particulatim in vtilitatem paucorum administrabuntur. Quia vero magistratuũ, ac proinde omnis ordinis ac boni osores, pacis perturbatores, latrociniorũ patroni, simplicibus obrepunt, & argutiis Rempub. euertere conantur, fraudes eorũ aperiendæ sunt. Neq; enim hodie desunt, qui agrestes aliqua commotione agitatos in Dominos arma vertere hortentur. Nec timidius, quam Muntzerus agerent, si modo spes successus appareret. Quid vero adferri pro tam insigni paradoxo potest?

Totum alicui curæ esse necesse est.

§. 4. Principio reges hoc modo oppugnant: *Christus solus est in testamento nouo rex*; *Indignum igitur Deo hominem*

minuem collegam adiungi. Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. *Non est bonus multorum dominatus, vnus Dominus esto.* εἷς βασιλεύς, *vnicus rex.*

Idem tituli Deo, & homini, sed diuerso sensu dantur.

Quod si ea ratione regum eliminanda est potestas, nihil obstat, quo minus etiam parentum honorē filii, & dominorum obsequia serui defugiant. Vnus enim Deus, dicitur pater, & Dominus. Christus rex est, sed rex μόνος, κρατος, rex regum, & Dominus dominantium, cui omnes pii reges parent, à quo omnes impii reges damnabuntur. Sacerdos ille est, nec tamen aliorum sacerdotum sibi seruientium officia sustulit. Sumptum est hoc argumētum è putidis Caluinianorū lacunis, qui sic ratiocinantur: Christus est vnus pontifex, solus mediator, non ergo alius pontifex aut mediator; nam ab his ad alia ex paritate rationis causa transfertur. Quod si inter eum, qui natura rex est, officio & dignitate supremus pontifex, qui mediator perfectè nos reconciliauit, preciumq; persoluit, & inter eos qui infinitis modis inferiores, pontifices & mediatores vocantur, iā dudū lis nulla esset.

§. 5. Gen. 49. 10. aiunt, *regnum politicum duraturum vsque ad Christum, ideo & eo veniente sublatum, Christus enim cum regnum offerretur fugit.* Ioann. 6. & *cum iudicare inter fratres rogaretur, iurisdictionem respuit.* Luc. 12. 14. *Quin expresse negauit regnum suum esse de hoc mundo, & discipulis ambitiose petentibus secularem potestatem non sine iusta increpatione negauit.*

Non omnia Christi facta nobis legem imponunt.

Eodem ex luto hæc etiam ficta sunt; contra Ecclesiasticorum enim potestatem à primipilis sectariorū dicta, eorum discipuli in sæcularem potestatem contorserunt. Vtrique impie & seditiose. Non enim omnibus omnia Christi facta imitanda necessario proposita sunt. Cœlibem vitam, pauperemque Christus egit; nec tamen legem paupertatis, aut cœlibatus exemplo Christi sibi impositam existimarunt, vel Libertini, vel Anabaptistæ.

§. 6. *Negant etiam vllum pium rempublicam suscipere, aut regere posse, nam Iudicum 9. olea pinguedinem suam relinquere renuit, & vitis Ambrosiā, vt inter ligna promoueatur;* at *rhamnus regnum suscepit; Hinc satan est princeps mundi.* Ioan. 12. 3. & 16. 11.

Ex vno tyranno non est de omni principe cogitandum.

Magna hæc est in reges pios iniuria; illa quę de populo rebelli, & impio, crudelissimoque tyranno, fratrum interfectore dicta sunt, omnibus magistratibus imponere. Nec satan est rex alicuius Regni; sed rex super omnes filios superbiæ, rex mundi, hoc est, corporis impiorum. Non est ius in vllum, aut potestas data diabolo, sed mala suadendo, bona dissuadendo ius sibi vsurpat. Hic etiam fructus de spurio stolone nouæ hæreseos pullulauit. Multa in principes Lutherus dixit: Aretius Caluinianus imperio ornamenta à diabolo afficta pronunciauit. Tam late quam Romanum patet imperium, persecutionem esse.

Libertas est parere magistratibus.

§. 7. Denique libertatem prætendunt. Homo à Deo liber creatus est; cur ergo seruitute regis premitur? 1. Cor. 7. 23. *Nolite fieri serui hominum.* Et Rom. 13. 8. *nemini quicquam debeatis. Imperfectis Iudæis est impositus magistratus; quia erant pueri, pædagogo indigentes, at Christianos vnctio docet omnia.* Non ergo obediendum magistratui. Huc omnia illa tendunt, vt suo quisque viuat arbitrio, nec sit noxiorum coercitio, nec iniuriarum vindicta, quasi vero non summa sit libertas legitimo magistratui, hoc est diuinæ ordinationi parere. Atq; hæc initia fuere turbatæ p bella ciuilia, & discordias, Europæ. Vidimus enim homines literis eruditos, & qui pietatis & iustitiæ se aduocatos iactabant, qui publicis scriptis; quod efferarum gentium est, manus posse magistratibus afferri docuerunt. Quanto prudentius, & paci, rationi, legibusque Dei conuenientius Aristoteles censuit, eum, qui magistratui maledixerit, grauiter multandum, quod non tam in magistratum deliquisse, quam in Rempublicam censeretur. Ius igitur audiendum, certoque statuendum est, magistratum esse sacrosanctum, eique obtemperandum. Omnem iniuriam illi irrogatam grauiorem esse. Nam merito iniuriam omnem illatam magistratui atrocem leges vocant. ff. lib. 47. tit. 10. L. 7. *atrocem autem iniuriam, aut persona; aut tempore, aut re ipsa, fieri, Labeo ait. persona atrocior iniuria sit, vt cum magistratui, cum parenti aut patrono fiat. Tempore, si ludis, & in conspectu, aut in solitudine iniuria facta sit multum interesse ait, quia atrocior est quæ in conspectu fiat. Re atrocem iniuriam haberi, Labeo ait, puta si vulnus illatum, vel os alicui percussum.*

Iniuria omnis in magistratū atrox est.

Tutela magistratus est ad remp. pertinens.

Causa ex naturali legi sumitur; quia honorem singularem magistratui omnes debent; deinde quia iustitiæ minister est, ideoq, multorum offensiones subire necesse habet; quam ob causam eum Respublica satellitio armauit. Deniq; eius auctoritate violata salus publica periclitatur.

Non igitur video, quomodo possit quisquam, nisi cui ex perturbatione salus quæritur, contra magistratus insurgere, cum in veteri testamento sacerdotem sacerdoti, regem regi succedere videat; & nunc vtrunque in aliud sacerdotium, regnumque translatum. Apud cœteras gentes iure communi, quod vocant gentium, ius magistratuum constitit. Deo tamen interdum per se immediate præsidet cōstituente, interdum conuentu, & comitiis principum, aut populorum. Vere Iren. l. 5. c. 24. *Cuius iussu homines nascuntur: huius iussu & reges constituuntur apti his, qui in illo tempore ab illis regantur.*

Magistratus à Deo est.

Atque hæc contra magistratus, & diuinæ ordinationis contemptores. Non minus coercendi sunt magistratuum adulatores, qui quidem aliqua regibus debita, alia ὑπερογκα, & nimis sublimia concedunt. Debita est illis obseruantia vera, amoris, & honorificæ opinionis testimonium. Fama enim regis & honor ad Rempublicam tutandam necessarius est. Non tamen impiis regis malefacta probanda sunt. Nam Samuel non nisi magnis precibus Saulis adductus eum coram populo honorauit. Dignitas regis, & potestas hoc postulat, ideoque maiestas principis maledicto appetita, morte vindicatur. Deinde obediendum est regibus, nisi scelera mandent. Debetur etiam regi subsidium: Non modo cum pecunia eget & militē, sed etiam cum est in periculo. Quin etiam vita pro principis persona, si illa publico malo periclitetur, ponenda est. Huc pertinet, ne damno eum afficiant, hostes ne adiuuent, non re, non consilio. Hæc, & his connexa vere principi debentur. Alia adulatio adinuenit. Vt quicquid rex iusserit, ius, fas, sit. Omnia regis esse. Vnius regimen, nempe Monarchicum solum esse à natura, in cœteris vero à recto naturæ tramite homines deuiasse; nec minus errasse, qui in humanis optimatum, aut popularium induxerunt dominium, quam qui in diuinis presbyterium. ita nouellus parasitaster Guilelmus Barret, libr. 1. de iure regis, cap. 1. Qui error quamuis speculatiuus esse videatur, si tamen accipiatur, omnia regna turbabit, vbicunque enim fuerit alia species regiminis, accusatur Respublica, quod à lege naturali recesserit.

Regi subsidium, & defensio debetur.

Nouus adulator regū.

§. 8. Verum omnium assentatorum ille ingenia superauit, cum regibus, quos solos iure naturali rectores concedit, tyrannidem liberam permittit. Nam ius regis quod 1. Reg. cap. 8. à Samuele exponitur, verum esse iudicat, ita lib. 1. c. 1. *Ius autem regis expresse, & dedita opera à Samuele ponitur.* 1. Reg. c. 8. *vbi ipsum regnum instituitur & auspicatur. Neq; tyrannum aut regem iniquum instruit vir Dei, vt temere Becanus cum Caluino, nam quæ fuse & explicate in eodem capite, à rege exigenda & à populo habenda, subditis narrat, eadem posse regem iure principali sibi adrogare & appropiare ipsi Sauli in cap. sequenti subindicat, & cuius erunt optima quaque Israel, nonne tibi, &c. quem tamen ad tyrannidem pellicere Prophetam voluisse aut*

Is liberam tyrannidem permittit.

Magistratus totam rempublicā repræsentat

Samuel iuris regis auari exponit.

aut ſtegiſſe dicere, vel autumare nefas eſt. Neque ſatis aduertiſſe videtur Becanus Regis ius, aut dignitatem, dum à Prophetа conceſſa, ille regi negat, præſertim cum hæc omnia, fere communi conſenſu tam Theologorum, quam iureconſultorum principi competere non ſit ambiguum, & ex iis, vt propheta, optima, modo iuſtum & æquum ſeruetur, neque tyrannidem ſapere niſi grauamen ſit immodicum. Quis enim negat Regi equites, tribunos, centuriones & diuerſi generis famulos, tam nobiles quam plebeios, & vt ſumptibus ſubditorum ſaltem in nouo principatu alantur? item vt poſſit tributa, & vectigalia nomine decimarum indicere, quibus eius dignitas ſuſtentetur, & publica impendia exoluantur; Quod autem vt ab ipſis liberentur, Iudæos obnixe petituros prædicit Samuel, hic ſenſus eſt cum ſenſeritis regiam pompam vobis ob dicta onera fore (vt ordini conuenit) grauem, me autem ſine faſtu (vt ſacerdotem decet) & ſine ſumptu præfecturam geſſiſſe, neque in re minima vobis incommodaſſe, tunc clamabitis ad Deum, ſed non exaudiet vos, ratio eſt quia petiiſtis vobis regem, qui pro dignitate eſt ſuſtendandus. Sed expendamus paucis ſi placet quæ hic iuris dicuntur regii & conferamus cum illis quæ in imperiis & regnis Chriſtiana fide nobilitatis ſine tyrannidis calumnia indicuntur, exiguntur. Primo vt habeat rex comitatum regalem, nihil eſt magis decorum, aut ipſis famulis magis honorificum: hinc enim ſecularium dignitatum origo, ſubordinatio, & nominum diſtinctio.

Chriſtiana regna tributa exigunt.

Secundo quod calumniæ maxime eſt obnoxium, agros veſtros, &c. dabit ſeruis ſuis & ſerui regi alantur, ſuſtententur, iuſtum eſt, æquum eſt; vbi autem nihil eſt adeſpotum, & regnũ nouo iure fundandum, neceſſe eſt, vt regio cederet, ius deſpoticum, niſi ſponte quod iuſtum ſit, contulerint ipſi ſubditi. Tertio ſegetes veſtras addecimabit vice huius, penſiones prædiales nomine tributi ſoluuntur; & in alia ſpecie pro diuerſa regni ratione non decimam ſed octauam decreuere principes non auari. L. ex præſtatione C. de vectigalibus. Et alicubi hiſce noſtris temporibus ipſa decima nempe ex rebus venditis & permutatis etiam annonis; alibi aliud, ſed non minus imponitur vectigal pro varietate regnorum; item portoria, pædagia & id genus alia, ſaluo interim iure fiſci.

Quarto; ſeruos & aſinos veſtros ponet in opere ſuo, &c. & vos eritis eius ſerui, Huius generа ſunt onera quæ vocamus munera, eaq; pro ratione conceſſionis diuinæ ſunt triplica; realia, perſonalia, & mixta: Realia ſunt obſequia quæ principi præſtantur rebus ſubditorum vt iumentis, plauſtris, &c. Perſonalia quæ per ipſas perſonas exhibentur, vt ſeruire certis temporibus in aula, vel alibi. Mixta ſunt, quæ vtriſque conſtant vt cum quis ſuo ſumptu famulatur aut comitatur in itinere aut ad militiam, &c.

Poteſt igitur in iſtis tyrannis vitari, & æquitas ſeruari, (& ſeruabitur ſemper) ſi regiis indictionibus iſta quatuor non deſint, ſi ſit iuſta cauſa imponendi, ſi ſit vectigali proportionata, ſi ſolutio ſit cuiuſq; facultati adæquata, vt pauperes non cogantur plus conferre ſortito, quã qui ditiores. Si vltra neceſſitatem non prorogetur: neq; diſſentiunt Theologi. Hæc igitur omnia licet humana lege ſint decreta tamen iure diuino ſunt debita, quia iure eodem poteſtas ordinatur; Vnde diuini codices: Date cenſum Cæſari, reddite tributum, cui tributum, & vectigalia cui vectigalia debentur.

Verum ius regis eſſe illud, non æquum, non conceſſum, ſed vſurpatum, multa docent, & multi, non ſolus Becanus, & Caluinus.

Samuel tyrannum nõ regem deſcribit.

Nos canem illium regium, nouum Ariſtippum aulis adrepentem pauliſper retrahamus.

§. 9. Primo. Verba ipſa oſtendunt, non eſſe legitimum ius, ſed prauum; ſunt enim talia, quæ tyrannicam rapacitatem demonſtrant. Quamuis enim noſter optime verterit *ius regis*, & τὸ δικαίωμα, non verum tamen ius & æquum propheta iudicauit, ſed quo rex vſurus eſſet. Eſt enim משפט non modo ius, iudicium, poteſtas, norma; ſed mos, ſtatus, conditio, modus, ſpecimen, crimen, pœna. Sed verba audiamus: v. 11. Et ait: זה יהיה משפט המלך. Hoc erit ius, ſtatus, conditio regis, *qui imperaturus eſt vobis: Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi tribunos & centuriones, & aratores agrorũ ſuorũ, & meſſores ſegetum, & fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias & focarias, & paneficas. Agros quoq; veſtros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas, & iuuenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit, voſque eritis ei ſerui. Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri quem elegiſtis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis Regem.*

Deus hoc ius damnat quod Samuel deſcribit.

Non eſſe legitimum ius, clare nos Deus edocuit; nam aliud ipſe Deut. 17. præſcripſit: Cum ingreſſus *fueris Terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Et poſſederis eam, habitaueris q; in illa, & dixeris, conſtituam ſuper me regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes: eum conſtitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui nõ ſit frater tuus. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Aegyptum, equitatus numero ſubleuatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis, vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas quæ alliciant animum eius, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, leget que omnibus diebus vitæ ſuæ: vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & filius eius ſuper Iſrael.*

Non multiplicabit ſibi equos, neceſſe eſt enim ea pompa vehementer populum grauari, quemadmodum etiam cum ærario nimium indulgent; Deinde ne plures vxores multiplicet, reginarum enim multitudo, & luxus intolerabilis eſt ſubditis. Deniq; librum legis leget, & ſeruabit, at illo præſcribitur, parſimonia, fraterna caritas, inhibentur rapinæ, quantumuis iuſta & ſpecioſa prædandi vocabula acceperint.

Quædam apertam tyrannidem indicant, verſ. 17. *Et eritis ei ſerui. Et clamabitis in die illa à facie regis veſtri, quem elegiſtis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa.* Clamor ſubditorum oppreſſorum, non bello, ſed rapacitate regis, non iuſtum, & paternum principem, bono affectu ſubditis tanquam filiis conſulentem, ſed rigidum exactorem ſignificat, qui de liberis ſeruos efficiat, qui multis ſuorum cum lacrymis dominetur. Extremum malorum eſt ſeruitus, at reges veſtri vobis vt ſeruis vtentur; vos autem ſponte, cum liberi ſitis Dominum vobis inducitis. Pompeium cum neceſſitas in regis pueri poteſtatem, & ſemiuiri manum coniiceret, non immemor ſui, ipſum congreſſum ſeruitutis pactionem eſſe conqueſtus eſt. *Qui tyranni palatium ſubintrat, eius eſt ſeruus, etſi liber venerit.* Hoc autem tyrannicum eſſe nemo dubitat. Nec loquitur more communi, quo orientalium alii, ſe ſeruos appellabant, ſed de dura illa, quam inuiti ſuſtinebant.

Subditi regum ſerui non ſunt.

Excuſat tamen ius illud adulator. Equites, Tribuni, centuriones, famuli habẽdi ſunt. Nõ inficias imus ita eſſe. Sed in Ariſtocratia, in regimine populari, hæc etiam neceſſaria erant; ſi bellum gerendum eſſet; & in pace, vt ad bella parati eſſent; hic vero de pompa loquitur, quæ ſuperuacua eſt, quæque populis onerоſa. Mediocris non damnatur, quæ maieſtati, & tutelæ idonea: quæ grauare non poteſt; nam fere ex multis, leuibuſque teloneis colligi poteſt quod moderationi ſat eſt.

Maieſtas ſubditis non eſt oneri, ſed luxus.

De filiabus non excuſat: cum tamen liberas virgines pro regiarum deliciarum adminiſtris accipere,

contra

contra ius sit. Ministerio liberarum vtatur, si quæ velint, mercede, vel spe gratiæ operam impendere. De iniuria igitur, loquitur; alioqui tyrannis non est, & ne durum quidem in ministerio aularũ homines vltro se offerentes, & præmia petentes occupari; hodie quoq; ad ea aspirare plurimos docet experientia. Hic vero ingenuæ velut seruæ accipiuntur, pro vnguentariis, & coquariis, & panificis, & illa acerbitate, vt ipsæ parentesque ipsarum clament à facie regis.

AEquum ait, vt serui regis alantur, vbi autem nihil est adesporum, & regnum nouo iure fundandum, necesse est, vt regio cederet ius despoticum.

Familia principis sit moderata.

Regiam familiam ali, recta ratio, atque adeo iustitia suadet. Sed familia sit moderata, non nimis ampla nec preciosè vestita, nec delicate enutriatur. Non detur illi agri, oliueta, vineta optima, sed honorata merces; aut in vicem sine mercede regem custodiant.

Rex ne sit Annibo-

Quod si pro tutela regis, & dignitate conferre nolint subditi, non tamen priuatorum agros, aut vineta rapere poterit. Deinde si summæ potestati tãta ianua aperiatur, finis rapiendi erit nullus. Quis dubitet Achab esse ideo punitum, quod vineam Naboth inuito Domino eripuit? Verum de sensu scripturæ disputamus. Propheta Samuel nequaquã minatur, fore, vt rex si dare recusent, quod iustum est, ipse sibi paret. Neque enim Iudæi cum regem peterent more vicinarum gentium, iusta eius ornamenta negabant. Hæc autem pœna est, vt sciant regis adulatores, delatores, calumniatores, voluptatum inuentores prouincialium opibus lucupletandos.

Decimæ Eunuchis flagitiosè dantur.

Quarto. Decimas etiam licitas asserit, imo principes quosdam accepisse octauas, idque ius esse regni. Verum de iure decimarum alia est disputatio. No est peccatum, sed omnino iustum, & secundum naturam, vt decimas & alia subsidia conferant, at vero hic decimæ nequissimis hominum Eunuchis dantur, & regni tam fertilis decimæ. Eunuchi maleuoli, auari, & cum ad dignationem principum peruenerunt, certa pestis Reipublicæ fuerunt; inter tot myriadas vix decem boni. In Iudæa vetiti erant castrati, itaque exteri erant, qui decimis saginabantur.

Neq; ad rem est, quod quatuor in his ad tyrannidem fugiendam proponit. 1. Vt sit iusta causa imponendi. 2. Si sit vectigali proportionata. 3. Si solutio facultatibus adæquata. 4. Si vltra necessitatem non prorogetur. Verissima illa sunt, sed Spiritus S. de his loquitur, ob quę clamabunt ad Deum, & seruierunt. At nemo clamabit si iuste, proportionate, pro facultatibus, in causa necessaria sint tributa danda. Hæc est n. bene constituæ Reipublicæ salus. Nec grauari quisquam potuit, si mediocrem regi aulam sustẽtaret Iudæa, quę antea plurimos reges aluerat. Quę vero belli tempore facienda fuerunt, illa non minus à ducib⁹, & iudicibus exigi debuerunt. Quam vero sit in angustum redacta potestas regum, iustitia æquitasque demonstrat.

Lachrymæ subditorum regiæ tyrannidis sunt testes.

Caput III.

Magistratus duplex, Ecclesiasticus, Ciuilis.

Duplex natura duplici potestate regitur.

§. 1. Quemadmodum anima, & corpore natura hominis constat, ita quoque duo principia sunt; quibus secundum naturam dirigitur, & in suos fines deducitur. Potestas politica, quam ad corporũ salutem, pacem, vitæ honestatem naturalem Deus esse voluit; Deinde potestas spiritalis, quæ ad diuina & supernaturalia animum attollit.

§. 2. Antiqua est æmulatio inter sacerdotium, & regnum. Multi regiam maiestatem admirati, vel adulati anteponunt sceptrum infulæ, sapientiores, potiores, & ab omni suspicione adulationis alieni sacerdotium præferunt. Magna sunt iura regum; In rege fos est dignitatum, *summæ gloriæ imago*. Et Cyrillus de recta in Christum fide. Illis dicitur *dii estis, & filii excelsi omnes*. In solio Dei sedent, vindices sunt, & gladium portant, sunt Christi Domini, lumina Ecclesiæ, sacrosancti, & quæ plurima ad maiestatis humanæ firmitudinem maiestas æterna sanxit.

Sacerdotiũ regno bene ratilius.

Maius est tamen sacerdotium regno; illi enim dictum est. *Quæcunq; solueritis super terram erunt soluta & in cœlo, quæ ligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo.* Regem igitur soluet aut ligabit sacerdos, & ratũ erit in cœlo apud Deum, sacerdotis iudicium. Nec exemptos ea iurisdicti one reges testatur sacerdos fortis, & iudicio boni regis laudatus, Ambrosius Antistes Mediolanensis. Neque negant illi, qui veteris sacerdotii dignitatem ad curiam, & diadema regium transtulerunt; nam sibi & Ecclesiis suis, quas ita appellãt hanc potestatem arrogarunt, qua de re agam, cum de magistratu politico disserã, nunc duplicis potestatis differentiam, & spiritalis eminentiam proponam.

Externam, internamq; pacem duplex potestas propositam habet.

§. 3. Discrimen sacræ, & ciuilis potestatis primo in fine vtriusq; cernitur. Ecclesiastici enim magistratus finis est, subditos ad pietatem, religionemque & supernaturalem felicitatem deducere, idq; ex officio, & singulari obligatione. Politicus pacem, & publicã tranquillitatem spectat, virtutemq; moralem; quia tamẽ interdum ille Christianus est, omnia ista ad Dei gloriam, æternamq; salutem referre debet. Quapropter summo studio potestates illę coniungendę sunt; vt mutuo auxilio, ciues bonos efficiant. Hinc publicæ quieti per omnia consulet Ecclesiasticus; & quæ regioni obstant, vt blasphemias, Circi furores, theatri obscenitates, è medio tollet princeps.

Vtraque potestas iuncta Rempublicam perficit.

Deinde diuersam etiam causam efficientẽ habent; Quanquam enim tam regnum, quam sacerdotium est à Deo, in ratione tamen collationis plerunq; diuersitas est. Nam ciuilem iurisdictionem populus, seu vniuersa Respublica confert, quod ius cum in paucis residet, à tota tamen republica pauci illud acceperũt. Sacerdotii ius maius est, & diuinius, quam vt à populo, vel principe cõferatur; Ius ciuilis potestatis ex natura oritur, & in vnum, vel plures à republica determinatur; at in sacris antistitibus persona designatur ab hominibus, potestas à Deo confertur.

Politica potestas à republica cõfertur, sacra à Deo.

Religio animos, politia externos mores format.

§. 4. Modo regendi, & mediis ad fines diuersos tendentibus differunt. Pontifex docendo, hortando, æterna præmia proponens à vitiis auocat, & ad virtutem adducit. Imperator hæc quoq; adhibet, sed magis imperio, quam monitione vtitur. Ratio discriminis est, quia ciuilis potestas per se externa opera tantummodo spectat; Ecclesiastica animos, & internam pietatẽ adurget. Hinc pœnæ ciuiles fere externæ sunt, vt infamia, exilium, mors; Ecclesiasticæ internæ pleræque, vt excommunicatio, irregularitas, quę ad animos pertinẽt. Quanquam externas quoq; adhibeat.

Ciuilis potestas splendidior est in externis.

§. 5. Si ciuilis & spiritalis potestas inter se conferantur, quibusdã in rebus prærogatiuã habet ciuilis: simpliciter præstantior est spiritalis. Vtraque pars si contentio absit, facile inclarescit.

Ciuilis potestas quædam habet, quæ in sacram nõ cõueniunt. Quorum primum est maiestatis insignia, apparatusque, & satellitum multitudo, neque enim probandus est Episcopus, nisi simul etiam princeps sit, si regio splendore procedat, aut principali.

Alterum est; Quod ciuile imperium in corpora, truncanda, trucidãda ius habet. Spiritale vero in pœnis corporum paternam correctionem excedere nõ potest. Occidere, mutilare, orquere, flagellis concidere, exilio plectere, carcere graui, & perpetuo mancipare ex se potestatem non habet. Hæc enim sunt opera gladii corporalis. Ita Gregorius Ioanni Episcopo Constantinopolitano libr. 2. Ep. 52. *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene fraternitas*

Ciuilis potestas quæ in sacram nõ cõueniunt.

Spiritalis potestas coercit citra supplicium.

fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus non percussores: & egregius prædicator dicit: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Noua vero, atque inaudita est ista prædicatio, quæ vt veritatem exigit fidem.

Moderata correctio permittitur sacerdoti.

Correctio tamen moderata permittitur, & recte ad canonum præscripta verberibus, carceribus, exilii is castigatur, cum sic merita exigunt, sed hæc potestas cum grauiores pœnas exercet à sęculari accepta est, & sæculari manu vtitur.

Tertium est, quod regum est etiã potestas in ipsos sacerdotes, nisi exempti sint, vti nunc re ipsa, & iure sunt, de qua re, postea dicam.

Sacra potestas maior est sæculari.

§. 6. Potestas spiritalis absolute dignior est, & præstantior ciuili. Est enim architectonica, cui subordinata est ciuilis, cum finis sacræ potestatis sit multo præstantior, quocirca & Christus rex filiæ Sion, rex mansuetus, eam semper, politicam vix vnquam exercuit.

§. 7. Prærogatiua autem sacrę potestatis multiplex est.

Prima certe dignitas omnium gentium iudiciis sacerdotio tribuitur, cuius causa est, quod inter Deũ & populum medius constituitur. Hinc etiam magis numine, quam sua potentia tutus est sacerdos. Ita hac de re sentit scriptor alioqui atheus, & diuinę prouidentiæ negator; qui effectum intuitus causam nesciuit, Mach. in principe suo. c. 11. *Nunc de pontificio sacroque principatu nobis duntaxat reliquum est, vt disseramus, quem difficultates omnes, priusquam possideatur, circumsistũt. Aut enim virtutis, aut fortunæ fauore quæritur: harum tamen neutrius opera conseruatur. Institutis enim, quæ iam in religione ipsa vetustate consenuerunt, continetur, quorum omnium vis & natura tanta est, vt suos principes, quomodocunque se gerant, aut vitam instituant, in imperio tueantur. Hi vni omnium dominatum habent, nec illum defendunt. Habent & qui subiiciuntur populos, quorum tamen regendi cura nulla tanguntur.*

Sacrum imperium Deus tuetur.

Eorum prouincias, indefensæ cum sint, qui ab eis auferat nemo est. Populi item sub eorum administratione cum se neglectos sentiant, nihil morantur. Vt autem ab eis sese subtrahant aut explicent, tantum abest vt cogitent; vt ne possint quidem. Hi vni omnium itaque dominatus securi sunt & felices.

Calumnias inter, & impietatem elucent tamen ea verba; *quod cœlesti numine regantur*, &, *quod eos Deus sublimes ferat.*

Nec sane verum tantummodo Christianumque sacerdotium ea laude, & potestate pollet, sed Iudæorum etiam quod magno in honore fuit; quod typus fuit, & imago supercœlestis illius luminis, quod Christus verus sacerdos, secundum ordinem Melchisedec, & verus rex Ecclesiæ per se, suosque legatos & vicarios pontifices intulit. Auctoritas typici sacerdotii munita est lege Dei sanctissima Deutero. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem; causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieśque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreśque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram.*

Sacerdotiũ Israeliticũ maius regno erat.

Et quorundam gentilium.

Hinc etiam ad gentium impios sacerdotes, & idololatras potestatem superstitio deriuauit; *Antiquitus*, inquit Strabo Geograph. lib. 17. *Meroe, quæ est Metropolis regni AEthiopici, penes sacerdotes summa potestas fuit, tantaque auctoritas, vt nonnunquam misso nuncio, mortem regi imperarent, & alium ei subrogarent.*

Eadem potestate in vicina Ægypto pollebant teste Æliano variæ historiæ libr. 14. cap. 34. *Iudices enim apud AEgyptios iidem erant, qui sacerdotes. Olim in Perside magi, qui & sapientes erant, & sacrificuli regnabant. Nunc vero*, inquit Agathias, *magos huius temporis Perse honorant, & quam maxime venerantur, vt quorum consilio publica omnia, & prædictionibus administrentur, seorsumque quid quisque præmii, pro re bene gesta promereatur, quidue supplicii, qui flagitium fecerit, præsidendo & cognoscendo decernant: nec sane Persis, vel legitimum aliquid fore, vel æquum videbitur, quod magorum non sit sententia firmatum.* Ita libr. 2. histor. Causa tam honoratæ superstitionis erat, quod numen ipsum venerabile, ideoque & cultores eius colendos arbitrarentur.

Itaque & Romani in ius sacerdotii multa contulerunt, nempe fœderum, bellorum, pacisque rationem ab hisce petebant.

Exemptio sacerdotum partim humani, partim diuini iuris.

§. 8. Altera in exemptione à legibus, & oneribus ciuilibus est prærogatiua, & maxima præ cunctis libertas. Quæ partim diuino, partim iure humano concessa est. Iure diuino eam habent immunitatem, quæ officio sacrificandi, docendi, ligandi, absoluendi necessaria est.

Sacerdos in suo officio per sæcularem potestatem impediri non potest.

Cum enim Christus Apostolos suos in omnem terram misit, nulla eos potestas in toto mundo impedire, remorari, aut quocunque modo inhibere potuit. Itaque contra Iudæorum, Præsidum Romanorum, regumque barbarorum edicta, persecutiones, carceres, tormenta, cruces nomen Domini intrepide annunciabant. Nec expressis decretis modo, sed nec per ambages, & callidam versutiam in suo munere impediri possunt. Officiis curialibus ita occupari non possunt, vt studiis, orationibus, exhortationi vacare non possint; quæ ratio in omnibus ciuilibus oneribus quæ spiritalium exercitia prohibent, locum habet. Si enim Deus Apostolos, Doctores, Euangelistas, Episcopos que constituit, si eos fungi suo munere voluit, tyrannis est, & impia dominatio, quæ diuinæ Hierarchiæ se opponit. Nec iusta est horum missio, si alia est in orbe Christiano potentia, quæ legitime eam subuertere & impedire potest. V. G. Episcopi munus est pascere oues, seruare integras, contritas alligare, debiles fouere, omnibus monitione, adhortatione, consilio, auxilio adesse, consolatione atque increpatione prodesse; Non igitur eum imperator, vel in aulicis negociis, legationibus, militia, prouinciarum administratione occupare potest, vt functione sua absistere cogatur, cui omnino prospectum esse per ipsos Episcopos, vel alios legitime substitutos, idoneos, & gnauos operarios necessarium est. Hæc igitur immunitas est diuini iuris, nec enim D. Paulus, aut Petrus Neroni ad nomen vocanti respondere cogebatur, aut contra barbaros ire militatum; nec Episcopi, & presbyteri, vt Timotheus, Titus, aliique relicto verbo Dei imperialibus præceptis obligati fuerunt, aut obligari potuerunt.

Deus vocatione ministros eximit à potestate regum in suo officio.

Alia exemptio est iuris humani, principum piorum munificentia; & auctoritate concessa. Huiusmodi plena sunt omnia legum monumenta vt lex Gratian. Valentin. Theod. AAA. tit. 2. lib. 1. cod. *Placet rationabilis consilii tenore perpenso: districta moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus singularum vrbium Ecclesiæ habeantur immunes, prima quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est: ne prædia vsibus cœlestium secretorum dedicata, sordidarum munerum fece vexentur: nil extraordinarium abhinc superindictumue flagitetur, nulla translationum sollicitudo signetur: postremo nihil præter canonicam illationẽ, quam aduentitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit, eius functionibus adscribatur. Si quis contrauenerit post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio deportationis perpetuo subdatur.*

Pradia Ecclesiæ lege ciuili liberata sunt.

Multis legibus est cautum Ecclesiæ.

Et Frederici secundi imperatoris. *Cassa & irrita esse denuntiari per totam Italiam præcipimus omnia statuta & consuetudines contra libertatem Ecclesiæ, eiusque personas, inductas aduersus canonicas & imperiales sanctiones, & ea de*

capitularibus penitus aboleri mandat noua constitutio: & de cætero similia attentata ipso iure nulla esse decernit. Si quid contra fiat, pœnæ, quæ statutæ sunt, imminebunt. Sed si per annum huius nouellæ constitutionis aliqui inuenti fuerint contẽptores, bona eorum per totum nostrum imperium impune ab omnibus occupentur.

Et Constantini; *Omnis à Clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas, nullaq; cõuentio sit contra eos munerũ sordidorum, & cum negotiatores ad aliquã præstationẽ competentem vocantur, ab his vniuersis istiusmodi strepitus conquiescat. Si quid n. vel parsimonia, vel prouisione, vel mercatura (honestati tamen conscia) congesserint: id in vsum pauperum atque egentium ministrari oportet ad id, quod ad eorundem ergasteriis vel tabernis conquiri potuerit & colligi, collectum id religionis existiment lucrum. Verum etiam hominibus eorundem, qui aperam in mercimoniis habent, diui principis genitoris mei statuta multimoda obseruatione cauerunt, vt iidem clerici priuilegiis pluribus redundarent. Itaque extraordinariorum munerum à prædictis necessitas atque omnis molestia conquiescat. Ad parangariam quamq; præstationem non vocentur, nec eorundem facultates atque substantiæ. Omnibus clericis huiusmodi prærogatiua succurrat, vt & coniugia clericorum ac liberi eorum quoque & ministeria, maiores pariter ac fœminiæ, eorumque filii & filiæ immunes semper ab huiusmodi numeribus perseuerent.* Totus titulus tertius libri primi de Episcopis, clericis, & orphanotrophis hæc persequitur.

Hæc exemptio rerum, & personarum diuino iuri consona est, sed humanis legibus concessa; quæ vix negari potuit quod deceret, & pene necessarium fuerit, illa immunitate Dei ministros affici; vt vero illa omnia seruentur ordini sacro pacta conuenta, & eorũ sanctitas fidesque, qui dederunt, requirit.

Princeps suo iure non est sacerdos.

§. 9. Tertia prærogatiua est, quod in rebus Ecclesiasticis nullum ius est imperatoris, aut principis. *Sic & Ozias Rex,* (inquit Cyprian. lib. de vnit. Eccles.) *cum thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi Azaria sacerdote obtemperare nollet, & credere; diuina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur, qui Dominum promerentur. Et filii Aaron, qui imposuerunt altari, ignem alienum, quem non præceperat Dominus, in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt.*

Princeps nõ est iudex sacrorum.

Itaque in Synodo Rom. 3. sub Symmacho decretum, *ne se reges rebus sacris miscerent.* distinct. 96. cap. 1. *Bene.* ita & in Chalcedonensi Synodo Martianus, non iudex interesse; sed ad tuenda decreta, voluit, *ad confirmandam fidem, non ostendendam potentiam exemplo religiosissimi principis Constantini interesse voluimus,* ait. Denique de rebus diuinis se iudicare negat, cap. 5. Nec minus Theodosius cum ad Synodum Ephesinam Candidianum comitem domesticorum mitteret, vetuit *eum Ecclesiasticis misceri tractatibus.* Hinc Constantinus magnus, cum ad eum Donatistæ appellassent, eos ad Melchiadem reiecit. Valentinianus etiam cũ Hypatianus Heracleæ Episcopus eum de loco concilii consuleret, respondit, *Non licere sibi negotiis Ecclesiasticis immiscere, ipsi vbi libitum sit, conueniant.* Socrat. lib. 4. cap. 3. Idem Episcopum à Synodo ad sæculare tribunal appellantem pecuniaria multa puniuit; easque appellationes vetuit. Gratianus imperator causas Episcoporum ad Metropolitas à tribunali sæculari reiecit.

Principes boni pontificum protectores.

Merito itaque laudanda est Ambrosii Constantia, qui coram Imperatore Valentiniano iuniore, & iudicibus sæcularibus contra Auxentium Arianæ partis Episcopum disputare recusauit, nec minis, aut Augustæ potestatis reuerentia, de libertate sua cessit. Incessit ea reuerentia pontificum etiam impios imperatores, & reges. Theodoricus Gothorum rex Arianus Symmacho accusato, iudices Episcopos esse voluit, ad quos cognitionem remisit. Illum imitatus nepos eius Athalaricus noluit Clericos à sæcularibus iudicari.

Verum de his alias pluribus; nunc ad differentiam Imperii, & sacerdotii dicenda ista fuerunt, quam differentiam tantam esse Amb. cap. 2. de dignit. sacerdotii refert. *quod aurum in metallis id sacerdotium fore, si ad regnum compares.* Gregorius Nazianz. *Nos quoque imperium gerere & præstantius, nisi vero æquum est, spiritum carnis sascibus submittere.* Eadem Chrysostomus in Isa. homil. 4. & 5.

Fasces spiritus honoratiores fascibus carnis.

Vere itaque has duas potestates dispescuit Gelasius, cum scriberet Anastasio imperatori: *Duo* (distinct. 96. cap. 10.) *sunt quippe, Imperator Auguste: quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. In quibus tanto grauius pondus est sacerdotum; quanto etiam pro ipsis regibus hominum, in diuino sunt reddituri examine rationem.*

Quæ Gregorius septimus pro veritatis confirmatione adducit.

Magistratus Ecclesiæ defensor.

§. 10. Magistratus ciuilis est sacerdotum aduocatus & defensor. *Angeretur pluribus, princeps Christianissime, mater Ecclesia,* (inquit Bonifacius ad Honorium) *nisi apud te suarum esset secura causarum, & nisi in oppressionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua, diuino cultu pariter cum imperio semper florente, vicisset.* Hinc etiam iureiurando obstringitur pontifici imperator. Iuramentum eius in constitutione Othonis illud est. *Tibi Domino Ioanni Papæ ego rex Otho promittere, & iurare facio per patrem, & filium, & per lignum hoc viuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum: quod si permittente Domino Romam venero; sanctam Romanam Ecclesiam, & te rectore ipsius exaltabo secundum posse meum, & nunquam vitam, aut membra, & ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes: & in Romana vrbe nullum placitum, aut ordinationem faciã de omnibus, quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo consilio: & quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem, peruenerit, tibi reddam: & cuicunque Italicum regnum commisero, iurare faciam illum, vt adiutor tui sit ad defendendum terram sancti Petri secundum suum posse. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.*

Imperator iureiurando Ecclesiæ obstringitur.

Itaque reges & principes Ecclesiæ se filios appellare conuenerunt, tyranni Dominos. Optime Gregorius 7. *Quis dubitet Sacerdotes Christi regum, & principum, omnumque fidelium patres & magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filii patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiicere; à quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlis se ligari posse & solui.* Iudex autem regum, eo saltem modo, quo reges iudicat, maior est regibus.

Reges boni filii Ecclesiæ mali sunt Domini.

Regum tremendorum in proprios greges.
Reges in ipsos imperium est sacerdotis.

Potestas ciuilis honorat Ecclesiasticam.

§. 11. Sacerdotium impense honorat ciuilis potestas: ita Marcellus Maxentio. *Boni principis est, ac religiosi, Ecclesias contritas atque conscissas restaurare, nouas ædificare, & Dei sacerdotes honorare, atque tueri. Vnde sanctos Apostolos, eorumque successores sub diuina testatione constituisse legimus: non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec inuidere laborantibus in agro Dominico; neque expellere æterni reges dispensatores.*

Nec in eo honore facilis est excessus, cum in ministro suo Deus honoretur.

§. 12. In sacris regia voluntas subdita est sacerdoti, ita distinct. 10. cap. 3. *Certum est hoc rebus vestris esse salutare, vt cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutionem: regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & sacrosancta per eorum præsules potius discere, quam docere, Ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda iura præfigere; neque eius sanctionibus*

bus velle dominari, cuius clementiæ Deus voluit tuæ pietatis deuotionis colla submittere: ne, dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam dispositionis.

Ratio exponitur à Clemente I. de officio sacerdotum. Ep. 3.

Ex his sacerdotes sacrilegi fiunt.

Vestrum enim, quia legatione Domini fungimini, est docere populos: eorum vero, est vobis obedire vt Deo. Si autem vobis Episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, ac subdiaconi, & reliqui clerici, omnesque principes, tam maioris ordinis, quam inferioris, atque reliqui populi, tribus & linguæ non obtemperauerint, non solum infames, sed & extorres à regno Dei & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt. Nã vestrum est, eos instruere: eorum est, vobis obedire vt Deo, cuius legatione fungimini, dicẽte Domino. (Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit. Et qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.) Nihil enim iniustius vel inhonestius est, quam filios patribus rebelles, aut clericos vel laicos doctoribus seu discipulos magistris inobedientes vel proteruos existere.

Sacerdos regum delicta punit.

§. 13. Hinc multorum sacerdotum ad summos principes libertimæ leguntur increpationes. Gelasius Epist. 13. ad Anastasium imperatorem. *Talibus (distinct. 96. c. 10.) igitur institutis, talibusq; fulti auctoritatibus plerique Pontificum, alii Reges, alii Imperatores excommunicauerunt. Nam si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Arcadium Imperatorem (quia consensit, vt S. Ioannes Chrysostomus à sua sede pelleretur) excommunicauit. Beatus Ambrosius, licet sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus pro culpa, quæ aliis sacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodosium magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia excluſit: qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plũbo, quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens: Honor, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati; longe erit inferius quam si plumbi metallum ad auri fulgorẽ compares, quippe cum videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & osculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiri.*

Sacerdos regem excommunicare potest.

§. 14. Reges ab Episcopis excommunicari possunt. Videatur distinct. 96. ca. 10. *Duo sunt.* Cum enim ita mereri possint principum delicta, sintque illi subditi sacerdotibus, consequitur esse in illis puniendi potestatem. Pœna autem Spiritalis primaria est excommunicatio. Fuit ea etiam potestas apud Iudæos, primum in impios, deinde in fideles exercita. Nam absque Synagogis illos faciebant, qui erant impii, vel quos pro talibus habebant. Viguit ea apud Essenos censura omnium grauissima; nam vt Iosephus libr. 2. belli. cap. 7. refert: *Deprehensos vero in peccatis à sua congregatione depellunt; & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis & ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum potest; herbas vero pecudum more decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miserati, extremum spiritum agentes receperunt; sufficientem propeccatis eorum quæ vsque ad mortem auduxerit, pœnam luisse censentes.*

Essenorum excommunicatio.

Ethnicorũ excommunicatio.

Eodem plane modo apud Gentiles excommunicati errabant, sic Thyestes, aliique, quorum se consortio contaminari arbitrabantur. Tales illi qui Diti sacri poterant à quolibet impune occidi, vt Dionys. libr. 2. Et Cæsar de bell. Gall. 6. Apud Gallos eos qui Druidis non paruissent sceleratorum loco fuisse, eorum aditum sermonemque omnes fugisse, nec iis ius redditum, nec honorem vllum habitum.

Sacerdos & rex Christus.

§. 15. Sacerdotium Christianum regale est. 1. Pet. 2. Christus enim rex & sacerdos fuit; Pilato enim respondit: *Tu dicis; quia rex sum ego.* Et vere Nathanael Ioan. 1. *Tu es filius Dei, tu es rex Israel.* Totus etiam populus non ignorans Messiæ dignitatem venienti acclamauit, Ioan. 12. *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Nam Prophetæ prædixerat, venturum, *regem filiæ Sion mansuetum.* Cum igitur sacerdotium transtulit, etiam regnum addidit.

Non abstulit dominatum politicum Christus, sed tamen voluit esse spiritali potestati subiectũ; qua quidẽ ratione hæc pluſquam regia dici potest. Vere Ignatius Ep. 10. *Sienim iure censebitur pœna dignus, qui aduersus Regem insurgit, vt qui violet bonas legum constitutiones: quanto putatis grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens & decentem ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus, apex.*

Verum vt ista interdum politicorum moueant indignationem, res tamen ipsa, naturali, diuina, Ecclesiastica, ciuili lege clara manet. Dignitas enim sacerdotii sine religionis concussu, loco moueri non potest.

§. 16. Ius vero sacrum in Ecclesia tum multi alii, tum vero egregie defendit, Gregor. Tolosanus lib. 15. de repub. cap. 1. cuius hæc sunt. §. 11. a *Zacharias summus Pontifex Ecclesiæ Dei regnum Gallicum à Ludouico in Pipinum transtulit.* b *Et Stephanus II. summus pontifex imperium à Græcis in Germanos, & Carolum magnum Pipini filium.* c *Confirmauit & Germanis maiori priuilegio eligendi potestatem Gregorius V. summus pontifex Saxo, circa annum 995.* d (*Et iubet Diuus Ignatius, presbyteri, inquit, atque omnis clerus, simul cum omni populo, cum militibus & principibus, sed & Cæsares obediant Episcopo, Episcopus Christo.*) e *Diuum Ambrosium in Theodosium I. Cæsarem hanc potestatem exercuisse nemo ambigit, qui Imperatori sacris interdixit, & è cancellis Ecclesiæ remouit, donec pœnituisset de crimine, quod in Thessalia ob seditionem motam, occisumque tribunum vnum septem millia militum occidisset.* f *Idipsum & probauit Innocent. I. in Archadium Cæsarem.* g *Restitit & Liberius summus pontifex conuenticulis à Cæsare indictis cõtra Athanas.* h *Tertullianus Pontificem Max. vocat regem seculi.* i *Duo gladii Petro fuerunt, iurisdictionis vtriusque symbolum referentes, quos sufficere dixit Deus Dominus Iesus Christus: tamen exercitium ei materialis & corporalis prohibuit, & in vaginam retineri ab eo iussit.* k *Nec voluit Ecclesiam suam mortem temporalem inferre* l *passim. Quamuis in lege antiqua sacerdotes eo vterentur, qui adumbrabat Ecclesiam nostram: quemadmodum vsus eo Samuel in Agag rege:* m *Elias in Prophetas Baal,* n *& in quinquagenarios Ochoziæ:* o *Eliseus in pueros irrisores:* p *Ioiadas in Athaliam:* q *Eliachim in Holofernem:* r *& ipse D. Petrus in Ananiam & Saphiram.* s

Itaque ius suum manet Ecclesiæ, & quod à Deo accepit, & quod regum voluntate, & fœdere tenuit quodque diuturna possessione ratum & certum fecit.

a *Diod. Sicul. lib. 4. biblioth. c. 1.*
b *Can. alius 16. quæst. 5.*
c *c. venerabilem, de electione li. 1. decretal. tit. 6.*
d *Blond. lib. 3. Deca. 2. Platin. in Gregor. 5. Krantzius lib. 4. ca. 25.*
e *D. Ignatius epist. 9.*
f *Ambr. 5. li. Epistolæ epist. 28. Rufin. lib. 2. ca. 18. Eutro. lib. 12.*
g *c. nosti incompetenter, §. 1. 2. q. 7.*
h *Amian. Marcel. lib. 15. & Athanasius.*
i *Tertull. li. ad vxor.*
k *D. Matth. cap. 26.*
l *c. in Archiepiscopatu, de raptor. c. sententiam sanguinis, ne cler. vel mo. & c. occidit, & can. legitur, 2. q. fin. c. nos si incõpetenter, §. iis ita, 2. q. 7.*
m *1. Reg. 14 & 15.*
n *3. Reg. 18.*
o *4. Reg. 1.*
p *4. Reg. 2.*
q *4. Reg. 11. 2. Paral. 22.*
r *Iudith. 4.*
f *Actuum 5.*

Caput IV.

Sacrificium Christianum, eiusque ratio.

Sacrificii primum est munus sacerdotis.

§. 1. Officia Ecclesiasticorum vel ad Deum, vel proximum, vel ipsos referuntur. Primum ac sanctissimum est officium; Deo sacrificare, orare, psallere Domino, diuinæ lectioni vacare. Alterum docere, monere, iudicare, vel de Ecclesiasticis, vel sæcularibus. Tertium in his omnibus vitæ integritatem Deo, sibi, proximo præstare. De his ordine itaque agendum est. Primum de sacrificio.

Christiani sacerdotes sacrificium vbique offerunt,

§. 2. Diuinæ maiestati omni semper tempore sacrificium oblatum est. De Christianis etiam temporibus Prophetæ dixerunt *sacrificium esse in omni loco offerendum*, & quidem *oblationem mundam.* Malach. 1. 10. 11. Quod Iustinus in Dialog. cum Tryphon. Irenæus lib. 4. cap. 31. Cyprianus lib. 1. contra Iudæos, Hieronymus, Augustinus cæterique de vero Eucharisti-

co

co sacrificio exponunt. Ipse Apostolorum discipulus Dionysius Areopagita. Θειοτάτω, & ἱερὰν Τελετὴν appellat, diuinissimum, & sanctum sacrificium.

Eadem mente B. Andreas vocat, ἄρτον θεόσωμον. Κύριε, inquit, ὢν πάντων, καὶ ποιητὴς θεὸς πάσχα σήμερον ἡμῖν ὑπὲρ ὧν θνήσκειν ἔμελλες, αὐτὸς ὢν, σε αὐτὸν προέθηκας φάγεσθαι βοῶν, ὅτε ἐστὶ τὸ σῶμά μου, καὶ πίστει θεμελιοῦσθαι. τὸ δὲ ζωηθὲν παρ' αὐτοῦ ἐκχυθὲν ὑπὲρ ἱερουργίας, ἐποδολογήσας τὸ θεόσωμον ἄρτον καὶ κοινὸν καθαγιάσας πόημα ὃ ἀπόστολικὸν αἷμα, μετέδοκεν αὐτοῖς ἀχράντων καὶ ἀθανάτων ἐξ ἀρχῆς μυστηρίων.

Dominus existens omnium & opifex Deus, pascha illis, qui te morti dediderant, te ipsum proposuisti, clamans comedite, hoc est corpus meum, & fide fundamini, ait Andreas. Consueto vero ab ipsis ministerio, cum benedixisset panem in Dei corpus mutatum, & nouum sanctificans calicem Dominici sanguinis, partici pes eos effecit impollutorum & immortalium Christi mysteriorum.

Sacrificia sancte offerenda.

§. 3. Magno studio agendum est, vt sacrificiũ Deo rite, debitoque cultu exhibeatur.

Si enim diuina maiestas in ministris, qui taurorum & ouium victimas mactabant, animi puritatem, corporumque integritatem requirebat, qua innocentia, & sanctimonia opus est illis, qui sanctum sanctorum, Dei filium, splendorem æternum, Virginis natum Deo offerunt. Sane sanguis filii Dei, puriores, quam sanguis animalium, manus postulat. Vere Ioannes Chrysostomus in Ioannem.

Christianũ sacrificium innocentiã requirit.

Τὸ ἔνοχον καὶ σῶμα καὶ αἷμα, ὅτε ἤμελλον οὗτοι καθάπερ παρέδωκε μὲν αὐτὸς ὁ Ἰούδας, παρώνησαν δὲ εἰς αὐτὸν Ἰουδαῖοι, ὅτω αἱμάσσειν αὐτὸ τοῦτο πανάγιον αὐτοῦ σῶμα χέρσιν ἀκαθάρτοις λέγομεν ὡς Ἰουδαῖοι κρεμάσαντες, αὐτὸν τότε οἱ ἀνάγιοι προσφέροντες σῶμα. Διὰ δὲ τὸ εἰπεῖν πολλάκις ἐξ σῶμα καὶ αἷμα ἐξ κυρίου ἤμελλον, οὐκ ἄνθρωπος ψιλὸς ὁ θυόμενος, ἀλλὰ αὐτὸς ὁ κύριος ὁ ποιητὴς πάντων, ὡς δῆθεν διὰ τοῦτον ὀκ φοβῶν αὐτὸς καὶ ἐξ αἷμα ἐξ κυρίου, ὡς αὐτὸς ὁ ἐκχέας αὐτό· οἱ γὰρ ἐφόνευσαν αὐτὸς ἀπὸ ἀναξιότητι φονεύειν ἔμελλον.

Verba, reus erit corporis & sanguinis, hoc significant, quẽadmodum Iudas eum tradidit, Iudæi illuserunt ei, sic eos qui manibus impuris sanctissimum eius corpus accipiant in eum inuriosos esse, quales fuere Iudæi, cum eum tenerent, tales sunt qui ori polluto admouent. Quod autem sæpe repetit voces corporis & sanguinis Domini, ostendit quod non est simplex homo qui sacrificatur, sed ipse Dominus vniuersi huius opifex, per hoc nos terrens reus erit Corporis Domini, vt qui sanguinem effudit. Iudæi enim occiderunt, iste autem indigne manducans occidere videtur.

Sacrificii contemptus Reipublicæ est interitus.

§. 4. Filios Heli cum parente occidit, castra Israel, & arcam Deus vno die tradidit in manus hostium, *quia calce abiecerunt victimam Domini*, 1. Reg. 2. 29. &c. *Quare*, inquit, *calce abiecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerrentur in templo?* Hebraice לָמָּה תִבְעֲטוּ בְּזִבְחִי *cur calci trastis in victimam meam!* magnus enim contemptus est pedibus conculcare, maior postica pedum parte pulsare, septuaginta sensum reddiderunt, καὶ ἵνατι ἐπέβλεψας σὺ τὸ θυμίαμά μου, καὶ σὺ τὴν θυσίαν μου ἀναιδεῖ ὀφθαλμῷ. *Vt quid contemptim aspexisti incensum meum, & victimam meam inuerecundo oculo?* Quanto igitur grauius illi peccant, qui summum & diuinissimũ mysterium oculo inuerecundo aspiciũt? Hanc impudentiam ego arbitror tot sacerdotum exilia, & mortes, templorum vastationes, altarium demolitiones effecisse, dum in loco reconciliationis, in sacrario sanctimoniæ, filius Dei iterum ab impiis sacerdotibus crucifigitur, & ostentui habetur sanguis testamenti; Vna arca capta est, duo sacerdotes ceciderunt, & Heli lapsus cernicem fregit, quia contempta fuere sacrificia typica, vmbræ verorum, quia taurorum & vitulorum sanguis non ritu oblatus est. Tot templa Christianus orbis incensa, in officinas profanas commutata, in Turcarum Moschea, & hæreseon Gymnasia conuersa luget, & de cæteris timet; quia mala vita sacerdotũ iam ante illa dehonestauit. Hæreseon multiplicium errores, furoresq; ita culpemus, vt tamen sciamus de vitio sacerdotũ eos enatos. Populum Dei impia vita sacrificantis à Dei templo repulit, hodieque repellit. Et tamen cum malis sacerdotibus punitur populus, & criminum dissimulator parens, qui filios male institutos Ecclesiæ obtrusit.

Si in taurorum sanguine tam grauiter punitur erratũ, quid fiet in Christi corpore?

Omnium interest, vt sancte sacrificetur.

§. 5. Quamobrem summus Pontifex, Metropolitani, Archiepiscopi, Episcopi, Præpositi, Decani, Vicarii, Officiales, cæteri, mortali se crimine obstringunt, cum sunt hoc in genere indiligentes; Nã Deum illi contumelia affici sinunt, populũ à templo auertunt, inimicis maledicendi, insultandiq; occasionem præbent. Quid enim minus conueniebat, quam eos sanguinem agni offerre, eoq; pasci, quorum oculi adulterii pleni sunt, & incessabilis delicti? Cur hominũ impiorum ventres, sceleraque de patrimonio Christi impinguari sinunt? Cur non obstant quo minus illi quotidie iudicium sibi manducent, & bibant? Olim si quis indignus mensam Domini accederet, morbo, & morte crebro puniebatur. Ideo, inquit Apostolus, *inter vos infirmi imbecilles, & dormiunt multi.* 1. Corint. 11.

Eucharistiæ contumelia repetitis mortibus vindicata.

Quia contumeliam suo corpori factam celeri pœna Deus prosequitur. Testatur id suo tempore vsitatum fuisse S. Cyprianus, de lapsis. *Mortiferos adhuc idolorum cibos pœne ructates, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt, quando, occurrat scriptura diuina & clamet & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunq; mãducauerit ex carne sacrificii salutaris, quod est Domini, & immunditia ipsius super ipsum est; peribit anima illa de populo suo. Apostolus item testatur & dicit: Non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini communicare, & mensæ dæmoniorum. Idem contumacibus & pertinacibus comminatur & denunciat dicens: Quicunq; ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Spretis his omnibus atq; contẽptis, vis infertur corpori eius & sanguini: & plus modo in Dominum manibus, atq; ore delinquunt, quã cum Dominum negauerunt. Ante expiata delicta, atq; exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis: pacem putant esse, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non est pax illa, sed bellum: nec Ecclesiæ iungitur, qui ab Euangelio separatur.*

Si hæc de Christianis omnibus dicuntur; cur non potius de sacerdotibus qui & conficiunt corpus Domini, & sumunt, & aliis erogant? Inquinatis manibus, ore polluto, corpus Domini inuadunt, aliis qui eos detestãtur cum offensione tradunt, qui indignis dare non debent, ipsi indignissime illud tractant.

Supplicia indigne cõmunicantium.

Iam olim hoc monuit S. Cyprianus: *Ecce eorum qui negauerunt quæ supplicia conspicimus? quos eorum tristes exitus flemus? Nec hic esse sine pœna possunt, quamuis necdum dies venerit pœnæ. Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigãtur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum. Vnus ex his qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christũ negauit, obmutuit. Pœna inde cœpit, vnde cœpit & crimen, vt nec rogare iam posset qui verba ad precandam misericordiam non haberet. Alia in balneis constituta (hoc enim crimini eius & malis deerat, vt & ad balneas statim pergeret, quæ lauacri vitalis gratiam perdidisset) illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit, laniauit dentibus linguam, quæ fuerat vel pasta impie vel locuta. Postquam sceleratus cibus sumptus est, in perniciem suam rabies oris armata est. Ipsa sui carnifex extitit, nec diu superesse, postmodum potuit; doloribus ventris &*

viscerũ cruciata defecit. Præsente ac teste me ipso, accipite quid euenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus sibi consulunt sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis precu nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentu æstu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi vero solennibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit: & accipientibus cæteris locus eius aduenit; faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere; os labiis obturantibus premere, calicẽ recusare. Perstitit tamen diaconus & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tũc sequitur singultꝰ & vomitus. In corpore atq; ore violato Eucharistia permanere nõ potuit. Sanctificatꝰ in Domini sanguine potus, de pollutis viscerib. erupit; tãta ẽ potestas Domini, tanta maiestas. Secreta tenebrarũ sub eius luce detecta sunt. Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa se crimẽ necdum habuit ætatem. At vero ea, quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latẽter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens & velut quædam venena letalia inter fauces & pectus sanguinem admittens angi & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram nõ iam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens cõcidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen; quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem. Et cũ quadam arcam suã in qua Domini sanctũ fuit, manibus indignis tẽtasset aperire; igne inde insurgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cũ cæteris ausus est latenter accipere; sanctũ Domini edere & contrectare non potuit, cinerẽ ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fulgente mutetur. Quam multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti sui conscientiam confitentes, immundis spiritibus adimplentur, quam multi vsq; ad insaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec necesse est ire per exitus singulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna sit varia, quam delinquentium multitudo numerosa. Vnusquisq; consideret, nõ quid alius passus sit, sed quid pati & ipse meretur. Nec euasisse se credat, si cum interim pœnam distulerit; cum timere plus debeat, quem sibi Dei iudicis censura seruauit.

Infantes quoq; mouet dominici corporis irreuerẽtia.

Si occulti criminis rei Deum sentiunt vltorem, quid publice sceleratis fiet?

Immundus spiritus indigne communicantes punit.

Vniusp œnæ metus ad omnes pertinet.

§.6. Ita Christus Dominus terrore paucorũ, quos turris oppresserat, quorum sanguinem Pilatus sacrificiis miscuerat, omniũ peccantiũ pœnas demonstrat; Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.

Nec hoc modo Cypriani tẽporibus, sed antiquissimis etiam factum esse testatur in Hierarchia S. Dionysius, multos scilicet ob sumptã indigne Eucharistiã à dæmonibus vexatos. Et post Cypriani Chrysost. in 1. Tim. hom. 3. *Plurima huiusmodi nunc quoq; contingunt. Quia enim sacerdotes ignorant eos qui peccatis obnoxii indigne mysteria veneranda percipiunt; Deus sæpius sacri, eos demq; satanæ tradit. Quoties denig; morbi, quoties detrimenta, quoties luctus calamitatesq; contingunt, huius rei gratia fiunt: id Paulus quoq; signanter expressit:* Ideo inter vos, inquit, multi infirmi, &c. Nunc quidem etiam frequenter improbi sacerdotes morbis; morte, aliis modis puniuntur; sed sæpius spoliatione templorum, omniumque, reditum amissione, vt paupertate emendentur; multi in hæreses lapsi sunt, quia conscientiam abnegauerunt. Nec pœnarum exspectandus est finis.

Sacrificia prophanata impiis sacerdotibus, tẽpla tradiderunt hæreticis.

templa corruunt.

Canonibus neglectis

§.7. Laudandi non modo sunt canones, sed in vsum, vigoremque reuocandi, qui sacerdotes impios, & concubinarios arcent altaribus. Si enim eo deueniatur, vt vitiis leges superentur, seditione, bello, fame, peste consumuntur.

Canones vero sunt varii, quorum aliquos apponam, vt habeant prælati normam ad quam clerum suum reforment, nisi enim illi faciant, vel hæreticus, vel Turcus faciet, aut aliquis Turco tætrior barbarus.

Concubinarius deponendus est.

Canon Apostolorum 24. Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ὁπωσοῦν πορνείαν, ἢ ἐπιορκίαν, ἢ κλοπὴν ἁλῶς καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφορίζεσθω. λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ὁμοῦ τὸ αὐτὸ ὁμοίως καὶ οἱ λοιποὶ κληρικοὶ τῇ αὐτῇ αἱρέσει ὑποκείσθωσαν.

Episcopus aut presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione, aut periurio aut furto captus est, deponatur: non tamen communione priuetur. Dicit enim scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum.

Quanquam autem sola depositio illo canone iubeatur, ob rationem tamen delicti, vel circumstantias, vel certe emendationis neglectum excommunicatio sæpe additur, vt ostendit doctissimus Seuerinus Binius notis suis accuratissimis in Concilia.

Si vxor clerico negatur, quanto magis scortum.

Alii sunt canones, qui vxoris vsum negant Clericis, quanto magis illi fornicationem detestantur? Ita dist. 32. cap. 1. 2. 3. 4. 7. 8. 10. 11. 18. & dist. 81. cap. 3. & seq.

Seuerius autem multo inhibent non modo scortationem, sed etiam cum fœminis cohabitationem. Nicenum Conc. Can. 3. distinct. 32. cap. 16. *Interdixit per omnia sancta Synodus non Episcopo, non presbytero, non diacono, vel alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam; aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones.*

Bigamus non ordinatur, & sacrificat adulter?

Quo etiam refero distinct. 35. cap. 2. Vbi bigamo negantur ordines, quanto magis adulteris, si in ipsis ordinibus moechentur? & dist. 34. c. 7. Quo etiam illẽ qui ante Episcopum dictus est habuisse concubinam, iubetur officio decedere, si vera fama fuerit; ita Greg. Andreæ Tarentino.

Qui olim concubinã habent sacerdotio decedere iubetur, & nunc corpus Domini tractat concubinarius?

Habuisse te concubinam manifesta veritate comperimus; de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium; hoc tuæ conscientiæ eligimus committendum. Quæ de re, si in sacro ordine constitutus eius te permistione esse recolis maculatum, sacerdotii honore depositio ad ministrandum nullo modo præsumas accedere; sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, & Deo nostro te sine dubio reddere rationem; si huius sceleris conscius in eo, quo es ordine, celans veritatem permanere volueris.

Verum eos, qui sacrificium à bonis sacerdotibus, castisque offerri voluerunt, audiamus. Canon est Synodi Romanæ 113. Episcoporum, ita habet: *Nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere aut subintroductam mulierem. Vnde etiam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit dicens: Quicunque sacerdotum aut diaconorum, &c.* Quis nobis veteris disciplinæ, si non vsum, saltem timorem reducet?

Sacramenta per ministrorum impunitatem non polluuntur.

Quod tamen non prohibetur, quasi vera sacrificia, veraque sacramenta non sint, sed vt corrigantur impii sacerdotes, ita Augustinus tract. 5. super Ioannem 1. q. 1. cap. 30. *Si iustus fuerit minister, computo eum cum Paulo, qui gloriam suam non quærit, dicens: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Qui vero fuerit superbus minister, cum diabolo computatur, sed non cõtaminatur donum Christi, quia per illum purus fluuius trãsit & venit ad fertilem terram. Scio quia lapis ex aqua fructum ferre non potest: & si per lapideos canales transit aqua ad areolas, in canali lapideo nihil generatur; sed tamen hortus plurimum fructum affert. Spiritalis enim virtus sacramenti vt lux pura ab illuminandis excipitur; sed per immundos transiens non coinquinatur.*

Cum

Cum igitur causa legis etiamnum perseueret, non est dubium etiam legis obligationem manere. Cur enim ciues, nobiles, agricolæ, si parochum habeant concubinarium, non potius se conferant ad eos, à quibus sine scandalo sacrificia peraguntur? Cum in ipso sacrificio, audienti occurrat, mortali crimine, multiplici crimine à sacrificante Deum offendi?

Vitãdi impuri sacerdotes.

Quid igitur Clericis illis qui sacrificium calce abiiciunt? Definiuit id olim Synod. tertia Aurelian. cap. 7. vt est dist. 81. cap. 10. *Si quis clericus adulteraſſe aut confeſſus, aut conuictus fuerit, depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore detrudatur.* Merito in latebras retruditur, qui in candelabro positus, non luxit, sed offensionum tenebras Ecclesiæ offudit.

Clericus adulter toto vitæ tempore in monaſterio detrudatur.

Et eadem distinct. cap. 11. 13. 14. 16. 17. iubentur deponi. Imo Gregorius septimus Ecclesiam ingredi vetat. distinct. 81. cap. 15. *Si qui ſunt preſbyteri, diaconi vel ſubdiaconi, qui in crimine fornicationis taceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis & ſancti Petri auctoritate, eccleſiæ introitum, vſquedum pœniteant & emendent. Si qui vero in ſuo peccato perſeuerare maluerint, nullus veſtrum officium eorum audire præſumat: quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum teſtante Domino per Prophetam: Maledicam inquit benedictionibus veſtris. Qui vero huic ſaluberrimo præcepto obedire noluerit, idololatriæ peccatum incurrit, Samuele teſtante, & B. Gregorio adſtruente: Peccatum ariolandi eſt non obedire, & quaſi ſcelus idololatriæ non acquieſcere. Peccatum igitur paganitatis incurrit, quiſquis dum Chriſtianum ſe aſſerit ſedi Apoſtolicæ obedire contemnit.*

Clericus fornicator Eccleſiam ingredi non debet.

Colloquium etiam & suspicio vetatur dist. 81. cap. 26. & 27. Mansit eadem Ecclesiæ sententia etiam auorum temporibus; nam in concilio Lateranensi sub Leone decimo ita statutum est. cap. 1. est in sept. l. 5. t. 16.

Statuimus quod quicunque clericus cuiuſcunque conditionis, ſtatus, religionis, dignitatis, etiamſi pontificalis vel alterius præeminentiæ fuerit, qui poſt habitam præſentium notitiam, quam habere præſumatur poſt duos menſes poſt earundem præſentium publicationem in eccleſiis cathedralibus factam, quam ipſi diœceſani omnino facere teneantur, poſtquam præſentes ad eorum notitiam peruenerint, publicus concubinarius à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus ſuperior in fabricam vel aliam euidentem eccleſiarum vtilitatem, ex quibus ij fructus percipiuntur, conuertat: nec non huiuſmodi publicum concubinarium, vt primum talem eſſe nouerit, mox ſuus ſuperior monere teneatur, vt infra breuiſſimum terminum concubinam dimittat, & ſi illam non dimiſerit, vel dimiſſam ſeu aliam publice reſumpſerit, iubemus vt ipſum omnibus ſuis beneficiis omnino priuet. Et nihilominus ij publici concubinarii vſque quo cum eis per ſuos ſuperiores poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum, ad ſuſceptionem quorumcunque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumue ſint inhabiles: qui ſi poſt diſpenſationem reſiduo vomitu ad huiuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicuius diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant: quodque ſi hi ad quos talium correctio pertinet, eos, vt prædictum eſt, punire neglexerint, eorum ſuperiores tam in ipſos de neglectu, quam illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animaduertant: in Conciliis etiam prouincialibus, & ſynodalibus aduerſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem à collatione beneficiorum vel alia condigna pœna ſeueriter procedatur: & ſi ii quorum deſtitutio ad nos & ſedem prædictam ſpectat per Concilia prouincialia, aut ſuperiores propter concubinatum publicum reperiantur priuatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ad nos deferantur, eadem diligentia & inquiſitio in quibuſcunque generalibus capitulis, etiam prouincialibus quoad eos ſeruetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios publicos concubinarios iure ſtatutis, in ſuo robore permanſuris.

Concubinarius fructu beneficiorũ priuatur.

Nõ puniẽtes puniendi ſunt.

Publicus cẽſetur cui adeſt mulier ſuſpecta.

Publici autem intelligendi ſunt non ſolum ii, quorum concubinatus per ſententiam, aut confeßionem in iure factam, ſeu pẽr rei euidentiam, quæ nulla poßit tergiuerſatione celari, notorium eſt, ſed etiam qui mulierem de incontinentia ſuſpectam & diffamatam tenent & per ſuum ſuperiorem admoniti ipſam cum effectu non dimittunt. Quia vero in quibuſdam regionibus nonnulli iuriſdictionem eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus à concubinariis percipere non erubeſcunt, patientes eos in tali fœditate ſordeſcere, ſub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps ſub pacto, compoſitione, aut ſpe alterius quæſtus talia quouis modo tolerent, aut diſſimulent, alioquin vltra præmiſſam negligentiæ pœnam duplum eius quod propterea acceperint, reſtituere, & ad pios vſus omnino conuertere teneantur, & compellantur. Ipſas autem concubinas, aut ſuſpectas Prælati omnibus modis curent à ſuis ſubditis per auxilium, & brachii ſecularis inuocationem, ſi opus fuerit, penitus arcere, qui etiam filios ex tali concubinatu procreatos apud patres ſuos cohabitare non permittant. Iubemus inſuper quod in prædictis Synodis, & capitulis præmiſſa publicentur, & vt quilibet ſuos ſubditos ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneant, diligenter iniungimus.

Nõ ſola pecunia multandi.

Præterea omnibus ſecularibus viris, etiam ſi regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæſito colore Prælatis, qui ratione officii ſui aduerſus ſubditos ſuos pro huiuſmodi concubinatu, & aliis caſibus ſibi à iure permiſſis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſario euitandum, monemus omnes laicos tam vxoratos quam ſolutos, vt ſimiliter à concubinatu abſtineant: nimis enim reprehenſibilis eſt qui vxorem habet, & aliam vxorem, ſeu mulierem accedit: qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, iuxta Apoſtoli conſilium vxorem ducat: pro huiuſmodi autem diuini obſeruantia præcepti, hi ad quos pertinet tam ſalutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni ſtudio laborent. Romæ 14. Calend. Ian. 1516.

Sæculares adiuuare debent reformationem.

§. 8. Item Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 4. de reform. *Quam turpe, ac clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum in impudicitiæ ſordibus immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque clericalis militiæ dedecore, teſtatur. Vt igitur ad eam, quam decet continentiam ac vitæ integritatem miniſtri eccleſiæ reuocentur, populuſque hinc eos magis diſcat reuereri, quo illos vita honeſtiores cognouerit: prohibet ſancta Synodus quibuſcunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres de quibus poßit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere aut cum iis villam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à ſacris canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur. Quod ſi à ſuperioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint; tertia parte fructuum, obuentionum ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcunque, & penſionum ipſo facto ſint priuati: quæ fabricæ eccleſiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Epiſcopi, applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia fœmina perſeuerantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus ſuorum beneficiorum & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam vti ſedis Apoſtolicæ delegatus arbitrabitur, ſuſpendantur: & ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis & penſionibus quibuſcunque eccleſiaſticis perpetuo priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuſcunq; honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem, ab eorum ſuperioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi, poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandalo ſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excõmunicationis gladio plectantur. Nec quæuis appellatio aut exemptio prædictã executionem impediat, aut ſuſpẽdat: ſuprà dictorumq; omniũ cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos aut*

Clerum infamat impudicitia.

Epiſcopi clericos ſine ſtrepitu coercent.

aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta, procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes iuxta delicti & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatem ab ipso Episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisue modis, iuxta sacros canones puniantur. Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint; & à synodo prouinciali admoniti, se non emendauerint; ipso facto sint suspensi: &, si perseuerent, etiam ad sanctissimum Romanum pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, si opus erit, in eos animaduertat.

Episcopi quoque puniendi.

Nec mirum nec nouum subditorum culpas luere superiores; nam reuera illis imputantur, dist. 86. cap. 1. *Inferiorum culpæ ordinum, ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque rectores: qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* Si medicus præuaricatur, dum contagiosam luem crudeli misericordia in exitium languentis excrescere sinit, quantum peccatum est prælati, animarum excidia ocioſe spectantis?

Culpa inferiorum superioribus imputatur.

Quæ omnia eo pertinent, vt pure, caste, integre, à sanctis sacerdotibus sacrificia offerantur; neque propter eum contemptum Ecclesia & respublica in discrimen veniat.

§. 9. Neque etiam parum nobis curæ esse oportet, vt externa cærimoniarum, templorum, sacræ supellectilis maiestas ea sit, quæ animos à terrenis cogitationibus auocatos, ad cœlestium contemplationem quasi manuducat, & diuinum numen deceat. Hæc igitur in Republica bene constituta fieri consentaneum est.

Externus cærimoniarum decor magni faciendus.

Quotidiana sacrificia esse oportet, ne minus grata sit Christo Ecclesia Christiana, quam fuerat Hebræa. In ea namque præter sacrificia matutina, & vespertina igne perpetuo calebant aræ.

Quotidiana sacrificia in Ecclesia celebrãtur.

Deinde lege insuper cautum est, & quidem vetustissima, vt à ieiunis mysteria celebrentur & sumantur, quamuis cœnatis Christus ipse dederit. Ita enim ab Apostolicis temporibus sancitum, postquam nonnulli esurientes, alii ebrii ad mensam domini accedebant.

Sacrificia à ieiunis participantur.

Mysteria celebrans coadiutorem, ministrumque habeat. Hoc canones ob varios casus, qui incidunt se statuere profitentur.

Minister adstet sacrificanti.

Calices, cæteraque instrumenta & vestes decentes sint, & mysteriorum indices, ornatusque ille, qui modestam magnificentiam præ se ferat. Neque enim sordidam decet esse templi supellectilem, cum in mensis splendere soleat.

Si autem cœmiteria sepienda esse, ne animalium accursu loca in quibus Christiani requiescunt, inquietentur, (vide T. 4. conc. p. 2. f. 437. & conc. 4. med. §. De ornatu, decore, ac nitore sacrorum locorum, si inquam tantus nitor ac ornatus requiritur, quanto magis animorum puritas, sine qua parietum fulgor, Deo gratus esse non potest?

Ornatus, & decor domus domini.

De externo ornatu ita statutum in concil. 4. Mediol. *Ne animalia, pisces grandiores, eorumue membra Ecclesiis appendantur: nisi quæ voti, aut piæ significationis causa Episcopus permittenda censuerit. Consecratæ altarium mensæ totæ, licet aliqua ex parte lateritiæ sint, tela cerata ita contegantur, vt facile à mensa tela non possit amoueri.*

Cum Ecclesiæ fores patent; tunc altaria singula, & mappis tribus mundis, vna oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabusque reliquis breuioribus vestita sint: ita vt gradus etiam ille ligneus, super altari à tergo collocatus, ab indumento nudus non sit, sed mappa munda totus sternatur; & pallio item coloris, quoad eius fieri potest, pro festi diei, feriæue ratione decenter eadem ornata, ac tela viridi, ne mappæ puluere, aliaue sorde inquinentur, constrata, & præterea cruce in medio collocata, & candelabris duobus, vno scilicet ab dextera, altero ab sinistra parte posito instructa, atque ornata semper sint. Idque quotidie in Ecclesiis, quæ frequentantur, in cæteris vero Ecclesiis, festis saltem diebus.

Tabella secretorum in vno quoque altari sit item, ea tamen ratione, vt peracta Missa, non erecta sit, sed depressa sub tela, mappaue recondatur.

Quibus in Ecclesiis, feria quinta Hebdomadæ sanctæ, sepulchrum ornatur, aut constituitur, vbi corpus Christi Domini asseruatur, cum illud gloriosum fore, Isaias prædixerit, sicut pretioso ornatu decorari debet; ita in iis cauendum est, ne prophanus, & parum decens sit ornamentorum apparatus. Ne igitur cubiculis stragula, cortinæ, conopæa, seu tentoria, ad vsum prophanum adhibita, ad illud circumuestiendum, atque exornandum vsui sint: nisi Ecclesiæ oblata, eius iam propria facta, & sacro vsui dicata sint.

Idem sancitur de vestibus, & ornamentis, quibus sacræ sanctorum, sanctarumque imagines induuntur.

Ne Ecclesiæ, oratoriaue, situ, puluere, aut alio squalore obsordescant.

Vbi præterea inter altare maius, & parietem, qui à posteriori eius parte est, locus non multi spatij datur, relinquiturue, quamuis exiguus, qui chorum non capiat, is etiam locus, ab omni situ, squalore, ac sorde purus, mundusque conseruetur.

Ne in Ecclesia, vbi pro foribus eius, neue in oratoriis, alioue sacro loco colligendæ eleemosynæ causſa, ne ipsius quidem Ecclesiæ, aut eius fabricæ, rectorisue nomine, capsula, vasculum, mensa, aliudue eius generis, etiam extraordinarie, collocetur: aut iam collatum in posterum permittatur, nisi Episcopi concessu, literis exarato: tuncque ei capsulæ, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claues apponantur, diuerso fabrili opere fabricatæ: quarum altera teneatur ab eo, quem Episcopus nominarit: altera ab iis, quorum nomine eleemosyna colligetur. Si contra fiet, pœna sit arbitratu Episcopi; tum eleemosyna collecta locis piis, addicatur item illius arbitrio.

Si quæ capsæ Episcopi concessu in Ecclesia constituentur, aut collocabuntur, in quas à fidelibus, vt plerisque in locis pietatis studio fit, vel frumentum, vel legumina, vel aliæ quæuis eleemosynæ nomine conyciantur: eæ ne intra capellæ, altarisue, quo fidelium eiusmodi res offerentium, concursus fit, cancellos, aut clathra ferrea ita ponantur, vt ipsis fidelibus, eleemosynas collaturis, necesse sit cancellos ingredi.

Vt & Ecclesiarum nitori consulatur, & strepitibus, ac rixis, quæ ex sedium muliebrium, quas bradellas vocant, in Ecclesiis collocatarum situ, existere sæpe solent, occurratur; vtque simul in iis Ecclesiis, quæ præsertim angustiæ admodum sunt, populi frequentiæ spatium matus detur: eæ sedes omnes, vbi constitutæ sunt, amoueantur: nec vero imposterum vllæ vnquam collocentur: communes autem aliquas, easque humiles, simplici fabrili opere confectas, modo, & forma in nostrarum instructionum libro præscripta, collocari, constituiq; liceat concessu Episcopi. Eæque sedes communes, aut confratriarum, quæ in Ecclesiis constitutæ sunt, sumptibus, aut pecunia à populo contributa, fieri poterunt, aut alia quauis ratione, quæ Episcopo potior videbitur.

Altaria item sacræ tabulæ, & imagines, ac parietes ipsi perpetuo eniteant: tum feneſtræ non subobscuræ, sed perlucidæ sint: pauimentum autem saltem quoque octauo die diligenter verratur. Hæc omnia præstari cura sit rectoris cuiusuis Ecclesiæ.

Adhibeatur item diligentia, & graui pœna mulctaque agatur, vt & Ecclesiæ, & oratorij, & cœmiterij parietes ab vrina, aliisue cuiusuis generis sordibus mundi conseruentur.

Arbores, stirpes, aliaque eiusmodi arbusta ab Ecclesiis, & oratoriis quibusuis remota sint, vt ne radices dilatatæ parietibus officiant: aut rami diffusi tecta operiant, vnde detrimentum ipsis tectis existat. Si qui vero rami eiusmodi tectis iam officiunt, amputentur omnino.

Vites præterea, hederæ, aliæque id generis herbæ, quæ succrescentes exterioribus ecclesiarum, aut oratoriorum parietibus adhæreant, prorsus conuellantur.

A rubis

A rubis præterea, & spinis, & aliis id generis, quæ adnasci solent extrinsecus, iidem parietes mundi, & à cœmentorum item, lapidumque congestu remoti custodiantur.

Ex cœmiteriis porro vites, arbores frugiferæ, & aliæ etiam infrugiferæ cuiusuis generis, aut arbusta, stirpesue omnino conuellantur, atque excidantur.

Neue in posterum in his sacris locis quicquam conseratur, nec vero seratur.

Nec fœnum ex his succidatur, neue herba item virescens, quæ bestiis pabulo sit, vel detur.

Neue in earum fines res vlla abiiciatur, cuius grauis, teterue odor sit, aut aliud quicquam sacris iis locis inhoneste fiat.

Stabula etiam armentorum, & cuiusuis generis animalium inde procul sint.

In iisdem ne lignorum strues fiat: ne tigna congerantur, ne cœmentorum, lapidumue aceruus sit: nec denig, quicquam loci illius decori, nitoriue, ac religioni, sanctitatiue repugnans.

De prophano vsu à sacris locis tollendo.

Ne adium, agrorum, rerumque aliarum eiusmodi, quæ vel locandæ, vel vendendæ, proponi, aut proscribi publice solent, neue omnino rei cuiusquam prophanæ schedulæ, scriptaue vllis ecclesiarum, oratoriumue, aut cœmiteriorum foribus, valuis, parietibusq, aut in quouis sacro loco in posterũ affigantur.

Ne item res venales in ecclesiarum, & oratoriorum, cœmiteriorumue parietibus appendantur, neque intra loci spatium, quod aqua sacra aspergitur, cum Ecclesiæ consecratio fit: aut intra stillicidij fines, aliudue loci maius interuallum, Episcopi iudicio præscribendum.

Neue item officinæ, tabernæue quouis materiæ genere, etiam tabulis, asseribusue confectæ, vel ipsis parietibus iuhærentes, vel in cœmiterio, sacrisue locis, aut omnino intra illius spacij, aut interualli fines, vllo modo constituantur, aut collocentur. Quæ vero iam constructæ, collocatæue sunt, inde quam primum penitus amoueantur.

Ne Ecclesiæ, aut capellæ, aut etiam oratorii, in quo Missæ sacrificium aliquando peragitur, tecta palearum aceruis, neue aliqua lignorum strue onerentur: ne item à parte superiori, vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeant, vbi aut dormiatur, aut habitetur, aut quicquam prophani fiat. Quæ vero loca iam eiusmodi sunt, omnino amoueantur.

Ne frumentum, milium, hordeum, vllumue tritici, aut leguminum genus, ne poma item, ne instrumenta, ad prædiorum rusticorum vsum comparata, ne cuiusuis generis supellectilem prophanam, vt ab Innocentio tertio Pontifice in Concilio Lateranensi sancitum est, ne denique quicquam à domo Dei alienum in Ecclesia, etiam non consecrata, aut in oratorio, aut in cœmiterio recondi, aut asseruari ab vllo quouis homine liceat. Petitumque præterea sit, nisi cum interdum aliter Episcopus faciendum censuerit, clauem illius Ecclesiæ, aut oratorii, etiam diœcesani, ruralisue, laicis hominibus, præsertim vero colonis, vel conductoribus eiusdem Ecclesiæ adium, vel prædiorum, committi, aut ab illis custodiri, seruariue. Ne campanæ in eis conflentur, neue aliquid ferruminetur: neue fabrile quicquam, aut aliud huius generis fiat, nisi quæ ad eiusdem ecclesiæ, aut oratorii vsum, ornatumue, alibi fieri non possint.

Ne in cœmiterio frumentum, quasi in area ventiletur; ne tritura fiat: ne paleæ, frumenta, fruges, expandantur: nec vero telæ, panniue linei, lixiuio, aquaue madefacti, soli ibidem exponantur: neque in eo fœminæ, mareſque colo quicquam neant, neue suant, aut aliud præterea opus faciant, eorum sacrorum locorum rationi alienum. Ecclesiæ ostia, cœmiteria item, aut rectori, aut etiam aliis vsui ne sint, res prophanas, onerauе asportantibus, hacque & illac per Ecclesiam, sacraq, loca, quasi per viam publicam transeuntibus, citi rei plane vt occurratur, cautionem omnem Episcopus adhibeat.

Ne grammaticæ, humanarumque literarum rudimenta, quæ sæpe inanibus gentilium fabellis traduntur, aut aliæ omnino literæ, præter sacras in ecclesia, tanquam in ludo literario, pueris apertæ, exponantur; sed rudimenta solũ doctrinæ Christianæ, & cætera, quæ in illis scholis pueris tradi consueuerunt.

Si quo tamen in loco ex causis, hoc concilio probatis, parocho permissum erit alia docere, non vetamus; si domus parochialis angustia necessaria postulet, hoc officium ab eo præstari ferialibus diebus in Ecclesia permissu eiusdem Episcopi.

Quæ permissionis facultas scripto detur; tum præterea locus certus, ac, quam longe fieri poterit, ab omni, præsertim maiori, altari remotus, ad id muneris deligatur: Extra cuius loci fines pueri ne vagentur; nec vero ob eam causſam in Ecclesia morentur, nisi cum parochus, qui eos in disciplinam suscepit, præsens adest.

Hæc ad exemplum ob memoriam sanctissimi Episcopi Caroli Borromei ponere visum fuit, vt cæteri Episcopi quod imitentur, habeant.

Caput V.

De primario sacerdotii Christiani officio, & veritate SS Eucharistiæ.

§. 1. Non possum tacitus etiam hoc loco præterire, quod Pseudopoliticorum subsannationibus, sectariorum execrationibus impetitur, quod profanis ludibrium est, scandalumque, nobis vero credentibus salutare mysterium SS. Eucharistiæ sacramentum, de quo alias quoque actum à me, sed nunc reposcit, & sacerdotum dignitas, & errantium multitudo.

Vnica controuersia sat est ad bellum.

Infelicissimum hoc esse dissidium, quod que maxime populos in mutuos irrisus & odia concitat, nemo non fatetur, Anno 1603. hac de re libros quinque Pareus conscripsit, quo ostendit miserrimum Europæ statum, si vel sola illa controuersia spectetur. Quin ipse monitionem ad omnes in præfatione adscribit, quæ quia statum, ingeniaque Sectariorum nobis graphice ab experientia depingit, magna vtilitate legetur. Ita vero habet. *Quo vsque tandem, O fratres, vos humanus vexabit liuor & contentio? Quam diu pergetis contempta Christi pace bellum religionis gerere minime religiosum? Quem ad finem Stentorum aliquorum sese iactabit audacia? qui sine conscientia & numinis metu, Ecclesias vestras perturbant? Inter vos auditur: Ego sum Lutheri: Tu es Caluini: & dicere: Ego sum Christi: nihil apud vos est. O tempora, ô mores! an Lutherus pro vobis mortuus est? An quis vestrum in Caluini nomen baptizatus est? An Christus pro omnibus vobis crucifixus nihil est? Et quis fuit Lutherus? quis Caluinus? nempe ministri per quos credidistis: idque vt cuique Dominus dedit. Nonne igitur carnales estis, & secundum hominem inceditis? Quid Deo pacis respondebitis, qui Ecclesiam eius contentionibus vastatis? Quid Christo Domino, cuius præceptum de caritate contemnitis? Cuius ergo filii eritis, si Dei non estis? At quomodo Dei filii estis, si pacifici non estis? Quomodo Christum magistrum profitemini, si nemo discipulos eius vos recognoscit? Quis vero vos discipulos Christi recognoscet, si alii alios non diligitis? Nonne tandem vos miseret tot fratrum, pro quibus Christus mortuus est, quos vos altercationibus vestris, quantum in vobis est, perditis? Quin vestri tandem vos misereat, quorum in pace salus, in contentione pernicies certa parata est. Si enim vno corde & ore inuocabitis Deum patrem in terris, vtique filiorum hæreditas vna vobis proposita erit in cœlis. Sin alii alios mordere pergetis & deuorare: quid restat, nisi vt alii ab aliis consumamini? Nonne videtis, quid Satan iam pridem contra Christum machinetur? quid Antichristus Romanus moliatur? vt cum tyrannis conspiret? vt per Sinones suos conscientias hominum captiuas abducat? vt vobis simul insidietur, & exitum paret? An vnis putatis clementiorem fore quam alteris, si machinationes aliquando successerint? Quidni autem successerint tandem, numine vobis irato, & singulis non ad ea quæ Dei, & quæ pacis sunt, sed tantum ad ea, quæ sua sunt, quæque dictat splendida & bilis, attendentibus, & in studia contraria hostiliter ruentibus? Quid perdidit orientem? nonne dissensiones intestinæ? nonne dissidium Occidentis? Quin ergo his omissis & procul valere*

Ingenia sectariorum inquieta.

Amor hæresiarcharum abducit à Christo.

Caluiniani consumunt Lutheranos.

Caluinistæ insidiantur Lutheranis, & nos interim accusant.

valere iussis ad vosmet tandem reditis? & per charitatem alij alios tolerantes, si pacem perfecto consensu per omnia firmare nondum potestis (quod Ecclesiæ in hac infirmitate raro fuit concessum) tamen in quibus vere idem tenetis, tenetis autem per gratiam Dei in plerisque, exemplo fratrum Polonorum, pacem & fraternitatem sancitis, vt contra tot hostium communium cuneos coniunctis viribus & armis pugnetis? In primariis doctrinæ capitibus secundum scripturas sacras tres fidei confessiones Augustana, Bohemica & Heluetica, quæ etiam Palatina est, conueniunt: De S. scriptura, de Deo vero, de persona filij Dei θεανθρώπου, de prouidentia Dei, de Peccato, de Libero arbitrio, de Lege, de Euangelio, de Iustificatione per CHRISTVM, de Fide, de regeneratione & bonis operibus, de Ecclesia CATHOLICA, eiusq; vnico & supremo capite CHRISTO, de Sacramentis eorumq; numero, fine & vsu, de statu animarum post mortem, de resurrectione & vita æterna. In solo articulo de S. Cœna vnum sentire vobis nondum est datum: nec in toto tamen. Nam vnum sentitis de præsentia & manducatione spirituali corporis Christi, quæ est res signata & nucleus Sacramenti, quæq; vt sola ad salutem est necessaria, sic sola sufficit. De corporali & orali manducatione pijs & impijs communi, dissentio est: quam tamen ad salutem non necessariam, sine spirituali nihil prodesse, sed multis perniciosam esse consentitis. Quin ergo in formula Sandomirienſi vel aliqua simili tandem etiam conuenitis, & missis impijs aut infidelibus, tantum quid fideles percipiant in Eucharistia communiter amplectimini?

Indignatur Pareus, quod Lutherani non libenter moriuntur.

Antiquus Parei fucus.

Non possumus, inquis: quia quid luci cum tenebris? Nihil sane. Nos vero tenebræ non sumus. Et vos vtinam omnes lux estis. Quæ vero pars fideli cum infideli? Nulla. At nos infideles qui sumus, qui Christum Dominum diligimus, & fide syncera inuocamus? Pro gloria, inquis, & maiestate Christi pugnamus: vtinam non pro vestra. Conscientia nostra vobiscum pacem non fert. Imo affectus vestri non ferunt. Ipsis Pontificiis horribilius erratis: Næ vos, qui hæc vulgo inculcatis, quid Pontificij errent vel potius blasphement, parum scitis vel expenditis. Errantes vero cur cum omni mansuetudine & doctrina in viam non reducitis? Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem Apostolus deuitandum monet. Cedo vero admonitiones vestras! Quid nisi anathemata fulminatis! Cedo etiam hæreses nostras! Errores, inquis, graues tuemini de vniuersali gratia & redemptione, de prædestinatione, de promissionibus Euangelij, de Baptismo. Nos vero quos de his errores nobis obijcitis, nõ agnoscimus: imo totidem calumnias quorundam Stentorum esse dicimus. Exstant Apologiæ & declarationes nostræ, cur has non accipitis? imo cur nec legi, nec vendi permittitis? Et de redemptione quomodo quæso inter vestros conuenit? de prædestinationis causa quomodo? Nos vero omnes illas controuersias nuper motas, fidei conditione definiendas esse ex Euangelio docemus. Nam omnes & soli credentes redemptionis Christi participes sunt: Reliqui eius inanes sunt, qui vitam sine fide transigunt. Omnes & solos credentes ad vitam prædestinatos agnoscimus, neq; id propter præuisam fidem aut opera, vel quia præsciti sunt, quod essent crediturі & bene operaturi (hæc enim Pelagianorum fuit hæresis) sed mera εὐδοκία Dei volentis eorum potius, quam aliorum misereri, & gratia eos donare, vt crederent & salui fierent. Ad omnes & solos credentes Euangelii promissiones & salutem proprie pertinere: ad infideles, quoad tales manent, nullo pacto pertinere dicimus ex illo Christi: Qui credit in filium Dei habet vitam æternam: qui non credit, super eo manet ira Dei. Solos & omnes credentes in Baptismo Christum induere, & Spiritui sancto regenerari: incredulos & hypocritas non habere partem in verbo hoc, si vel millies foris tingantur, Apostolica voce edocti firmiter statuimus. Eo igitur nostras hæreses.

Contentio Lutheri Caluiniana.

Pigmenta errorũ Caluinisticorũ.

Ecce dissensum, ecce odia, ecce inter illos mendacia de concordia. Non potest perseuerare in his digladiationibus, & anathematismis vnitas, ideo nec Ecclesia, nec respublica. Pacem igitur spectemus, & verum de sacrificio sensum teneamus.

Verba Christi tenemus.

§. 2. Expositionem literalem nos tenemus, τὸ ῥητὸν: quod Dominus Iesus dixit, esse suum corpus, & sanguinem, hoc eius corpus & sanguinem esse dicimus. Hac in re cum Lutheranis nobis conuenit, & fateturille lib. 2. cap. 1. controuersiæ Euch.

Si Lutherum & Lutheranos spectes, eorum doctrina plurimum distat. Imo audacter asserit lib. 2. cap. 1. & vere Pareus. *Lutherum & Lutherianos tantum distare, vt apud Lutherianos præter nomen & communem illam assertionem vix aliquid Lutherianum inuenias.* Errores vero Lutheranorum & aliorum sunt. 1. *Hoc est corpus meum: hic panis est corpus meum.* De capt. bap. anno 20.

Luthero & Lutherianis vix quicquam conuenit.

Hoc alio modo intelligi non potest, quam vt transubstantiatio admittatur; nam, *Est*, apud Lutherum accipitur substantiue, non pro significat, corpus meum pro naturali corpore Christi; Hic autem panis non potest vere dici corpus Christi, nisi transubstantiatio fiat, quanquam ne sic quidem recte dicatur. Non igitur culpari prisca Ecclesia, neque Catholici debent, quod transubstantiationem credant, quam negare Lutherus non potuit, quam primo approbauit, deinde adiaphoram sensit, & demum summa improbitate reiecit. 2. *Panis est corpus meum, In pane est corpus meum.* 3. *Christi corpus concedit dentibus atteri, & commimui*, in conf. maiore. p. 530. 4. *Hoc* significare panem & corpus Christi simul. 5. alii: *Hoc est corpus meum*, esse intelligendum adiectiue; Hun. pag. 393.

Variæ hæreses.

Lutherus transubstãtiationem concesit.

6. *Hoc est corpus meum*, i. *Ecce corpus meum.* Flacius in glossa.

7. Licere vti aliis signis præter panem, & vinum, ita post alios hoc anno Scharpius colum. 1293. Et quidem addit: quibus pro cibo, & potu communiter vtimur: olera igitur, fructus arboreos, radices, caseos, lac, carnes vsurpabimus. Dicemusque conuenire cum mente instituentis, id enim ipse profitetur.

Materiam Eucharistiæ tollunt.

8. Quidam fractionem panis ad essentiam pertinere aiunt, qui alios omnes negant veram cœnam habere: alii mandatam volunt, non tamen essentialem Sacramento, alii omnino adiaphoram.

9. Damnant hostias nostras, & Lutheranorum Caluiniani, & Beza quidem vol. 3. f. 220. *Panem cibarium* præcipit. Naum p. 18. vocat *non panem, sed spumam panis.* Verum id est omnino falsum, est enim panis ille noster è purissimo polline, & massa subacta, nec quicquam ad panis naturam illi deest. Porro Christus nec magnos, nec paruos panes, nedum formam certam præscripsit. At Christus, inquiunt maiore pane vsus est, quem fregit. Ita sane etiam vsus est pane azymo, nec tamen id faciunt Caluiniani. Non quicquid ille fecit, necessario imitandum est, nam vesperi, & post cœnam corpus suum dedit, nunc plerique matutinum tempus præferunt.

Panes magnos requirunt Caluiniani.

Bucanus pag. 710. Ineptius etiam argutatur. Omnes de vno pane participare oportet, magno igitur pane opus est. Nam si id necessarium est, coquendus erit panis instar montis, vt omnibus sufficiat, aut vni numerosissimæ Ecclesiæ. Porro de hostijs illis nostris videri potest Epiphanius in Ancorato.

10. *Manducationem fieri tantum à dignis*; cum multi ad iudicium sibi & manducent, & bibant, non diiudicantes corpus Domini, vt veritas docet.

11. *Comedite*, interpretatur Zwinglius ad Matth. Albertum, *Credite.* Quod si verum est, cum diceret Dominus: *accipite, & comedite, & bibite*: non debebant admouere ori, sed credere duntaxat, quod facere poterant, quamuis in sudario reponerent. *Si, Bibite ex hoc omnes*, est metaphoricum, & significat, *credite.* Igitur & illud: *Et biberunt ex eo omnes*, est, *crediderunt omnes*, atque ita nihil in scriptura certi habebimus, mutatis verborum significationibus. Ferri hæc non possent, si sibi tantum delirarent; at nunc corruptelas illas propagare student, eosque, qui verba Christi intelligunt eo modo, quo Apostoli intellexerunt, hæreseos accusant. Quid nunc de sensu disputa-

Comedite, Caluiniani dicũt Credite.

Quomodo aliqui ad iudicium manducant & bibunt, hoc est, credunt?

disputamus? Dixit Dominus: *Comedite, bibite*; Apostoli *comedendum, & bibendum* esse iudicarunt. Et ne eos non intellexisse mentem Domini suspicemur; eodem modo nobis Paulus 1. Cor. 11. 20. exponit.

12. Synusiastæ impanationem somniant: Lutherus enim panem vocat artocreas, & ἀρτόσωμα, conf. maiore p. 540. hinc illa: Caropanis, Fleischbrot/ sanguiniuinum, Blutswein/ vasiuinum, Weinfaß/ viniligum, Weinholtz.

13. Carolstadius verba Christi. *Hoc est corpus meum*; sic accipit: *Hic sedet corpus meum*, eum Zwinglius merito refutat. Beza item, & alii.

14. In ipsis suis erroribus dissentiunt. Zwinglius ad Matth. Alb. f. 156. Polanus pag. 257. Danæus, Beza, Tropum ponunt in verbo, seu copula *est*. Contra Keckermannus sic argumentatur. In Systemate Theologico p. 445. *Aly volunt Tropum esse in copula, quod & ipsum non potest probari. Nam si sumant copulam pro voce & verbo copulatiuo, non potest in ea esse tropus, vtpote qui locum habet in vocibus categorematicis, i. e. talibus, quæ certam rem per se significant, non autem in vocabulis consignificatiuis, quale est verbum illud, quod copulæ loco ponitur. Quin imo si tropus est in copula, non potest esse prædicatio disparati de disparato.*

Tropus non est in copula.

Non potest autem tropus esse in copula; si enim significat corpus Christi, non est ergo κοινωνία, seu participatio corporis Christi. Interim Zwinglius causam veritatis agit inscius, in breui instit. fol. 575. cum ait. *Si verbum, Est, substantiue accipiatur, non posse fieri, quin panis substantia in ipsam carnis substantiam conuertatur.* Quo vno verbo veritatem asserit Catholicam. Nempe si copula *est* proprie accipiatur, in Eucharistia esse veram transubstantiationem.

Zwinglius inscius trãsubstantiationem probat.

15. Alii corpus interpretantur corporis signum. Sed Apostolus repugnat, nam corpus eodem modo à Christo, & Christi Apostolo sumitur; at vero Apostolus cum ait panem esse communicationem corporis dominici, verum corpus non signum intelligit.

16. Verba illa: *Quod pro vobis traditur.* Hieronymus Zanchius in conf. p. 171. interpretatur, *quatenus.* itemque Piscator in 3. q. de Cœna. Sed noua est interpretatio, & violenta; deinde textui repugnat: ita enim habet. Τό ἐστι σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, Τό ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur.* Vel hoc est corpus meum pro vobis traditum, &c. Non est enim articulus relatiuus ὅ, vel ὅτι, sed τὸ. Deinde quis ille sensus: Hoc est corpus meum quatenus pro vobis traditur?

Error Zanchij.

17. Lutheranorum multi in vsu duntaxat Eucharistiam esse docent, idque manifeste contra Lutherum, Pomeranum, & alios.

18. Musculus p. 863. Ant. Sadeel Tom. 3. p. 143. Vsum priuatum Eucharistiæ damnant, nec deferri ad ægrotos volunt. Cum eam Christus nequaquam damnauerit, cum primæua ecclesia ea semper vsa fuerit. Beza tamen damnare non audet. Sed vel in eo impius est, quia dubitat; cur enim in ædibus ægrotorum non est Ecclesiola, cum 1. Corinth. 16. sit domestica Ecclesia? Si Christus est, *vbi duo vel tres sunt in eius nomine congregati*, cur non communio Christi? Quid loci, aut multitudinis circumstantia ad rem facit, vt ægrotis solatia negentur, quæ ex omni antiquitate adhibita legimus?

Ad ægrotos ferri Eucharistia potest.

19. Negant Caluiniani Sacramentum Eucharistiæ adorandum, qui negant eius veritatem, multo absurdius nonnulli Lutheranorum cum Christum Deum præsentem agnoscunt, adorandum negant: Certe Lutherus adorandũ censuit: & hocilli imporperat Caluinus, Ep. 72. ad Bucerum: *Deliria quoq; secum idololatriam trahebant. Quorsum enim illud Lutheri adorabile Sacramentum, nisi vt idolum in templo Dei erigatur?*

Deus vbiq; adorandus.

20. Docent necessario speciem vtramque adhibendam omnibus & semper, quia id Christus fecit. Cum tamen illi tam multa, quæ Christus fecit, omittant. Imo Christum ipsum ex Eucharistia tollant, signumque pro veritate substituant. Calicem, & vinum vrges? Sed materiam integram tuo arbitrio commutas. Beza Ep. 25. *Si desit vinum*, ait, *posse substitui aquam simplicem vel aliud potionis genus in illo loco non inusitatum.* Eam fuisse Caluini sententiam ipse docet, & *superstitiosos censeri, qui à vino penderent, vt nollent cogente necessitate ἀνάλογον symbolum vsurpare.* Et Ep. 2. *Vbi panis aut vini vel nullus est vsus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imo rite celebrabitur, si quod panis aut vini vicem, vel ex vsu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Christi, quum panem ac vinum ad hæc mysteria deligeret, vt propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repræsentaret. Itaq; à Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus nouandi studio pro pane & vino substituat, quæ etsi non parem, similem tamen alimoniæ analogiam habeant.*

Vtraq; species non necessaria.

Materiam vini mutãt.

Hanc mentem Christi esse asserit, sed nullo teste, nisi quod nefandas hæreses in Eucharistiæ materia imitetur, nempe Gnosticorum, Montanistarum, Artotyritarum, Aquariorum, Manichæorum.

Materiam sacramenti veteres hæretici mutarunt.

§. 3. Nos vna in specie Christum totum esse dicimus, vtramque speciem mandatam negamus, nec enim in abstemiis lex illa potest impleri, & multis in locis penuria vini communionem impediret. Nec finis communionis negatur, qui est, vt Christum sumamus, siue sub vna, siue sub vtraque specie. Qui Christum edit, pariter etiam bibit, cum in corpore viuo sanguis etiam insit. Sunt aliæ causæ, vt periculum effusionis, quorundam horror ex eodem cum multis poculo bibere nolentium. Quin Christi tempore altera species dumtaxat crebro vsurpata fuit. Et tamen hoc loco maxime insaniunt, calumniantur que sectarii.

21. Eo tandem procedunt, vt negent vnum corpus esse posse in plurimis locis. Ita Scharp. de Euch. Cont. 3. qu. 1. Quod omnibus Lutheranis, & prudentioribus Caluinianorum ridiculum visum, & impium. Cur enim Deus non potest vnum corpus, idemque quod in Germania collocauit, etiam in India statuere? An corpus quod in Germania est; potentiam Dei cohibere potest, ne sit in India?

Corpus vnũ potest esse in plurimis locis.

Sed quæ contradicentia ille colligit? *Primo esset in India, & non in India, esset simul inferius, & superius seipso. Vno in loco frigebit, in alio æstuabit. Erit extra seipsum, Angeli non possunt esse in diuersis locis. Erit in loco, & non in loco, non potest esse simul in tempore diuerso, ergo nec in loco.* Hæc puerilia ille millies refutata inter iubila recoquit. Cur enim esset corpus illud in India, & non in India? Esset sane in India, falsum autem non esse in India; verum autem, esse etiam extra Indiam, seu habere aliam præsentiam præter illam, quæ est in India. Res clara est; tota anima est in capite, tota est in pedibus, non tamen negamus esse in capite, quia eadem essentia est in pedibus, sed dicimus plures esse præsentias vnius essentiæ. Sic anima sine contradictione inferior est, & superior, quia non secundum eandem præsentiam ista dicuntur, in contradictione autem opus est, vt quæ dicuntur, *sint secundum idem.* Itaque contraria experiri poterunt ea corpora, si Deo visum fuerit, sed in diuersis locis.

Idem corpus in India, & in non-India esse potest.

Pergit tamen: *Corpus in duobus locis erit extra seipsum.* Si intelligit à natura sua alienum; falsum est; si vero, erit in diuersis locis, & quatenus est in vno, distabit à se, vt est in alio; facile admittitur, nam anima indiuisibilis vt est in pedibus, à se distat, vt est in capite. Potest vero Deus omnipotentia sua seruare caput viuum, & animatum, idemque pedes, medio

Corpus idẽ à seipso distare quoad locũ potest, nõ autem à natura sua esse aliud.

corpore

corpore emoriente, quo facto anima omnino à se ipsa ratione loci distabit. Eadem ratione Angelos quoque asserimus diuersis in locis esse posse.

Quid porro Scharpius? *Erit in loco, & non in loco. In loco, ex hypothesi; non in loco, quia quod est in loco ita circumscribitur, vt non sit in alio loco.*

Dignum acumen hebeti Scharpio. Nam est non modo in loco, sed in locis pluribus. Itaque falsum est; non esse in loco. Quod vero addit, quod est in loco, ita loco continetur, vt non sit in alio loco, id, si naturæ ordinem spectes, verum; si potentiam eius qui naturam creauit, supra naturam operantem, falsum; de ea enim quæritur, an possit totam aliquam rem ponere in vno loco, vt tamen eadem sit etiam in alio loco.

Ridicula argutia Scharpij.

Denique Chrysippea argutia pugnat acutissimus Scharpius Alpha iubilantium. *Non potest eadem res simul esse in diuerso tempore, præterito & futuro, ergo nec in loco diuerso.* Rem vanno non acu tetigisti. Tu mihi duo tempora præteritum, & futurum simul pone, ego simul tecum in præterito, & futuro disputabo, & disputaui. Loca duo, Germania, & India simul sunt, duo tempora simul esse non possunt, quia præteritum fuit, futurum nondum est.

Sacrificiũ Christianũ scurriliter irrident.

§. 4. Si tam vere, quam furenter contra sacrificium incruentum insurgerent, iam dudum omnem populum tenerent. Nulla sacrificii pars est, nulla cærimonia, quam non scurrilibus omnino sannis, & propudiosis dicteriis excipiant. Matthias Hoe in Saxonia, concione 2. Iubilaria ita loquitur. *Obijciunt præterea Papistæ; nouum esse, quod missam non celebramus, quæ tamen per multa sæcula sine interruptione celebrata sit.* Respondet ille: *Nec Christus Iesus ipse, nec sancti Apostoli celebrarunt, quodque amplius est; Spiritus sanctus olim, missam, seu idolum Maozim tanquam horrendam abominationem descripsit.* Daniel. 12. *Quapropter merito nos illam fugere, & vitare, tanquam turpissimam testamenti Domini nostri corruptionem debemus*, Galat. 3. *Quia Christus semel duntaxat in cruce oblatus est, quæ oblatio sufficiens fuit ad nostra delicta expianda*, Hebr. 9. & 10.

Satanæ efficax energema contra Missam adhuc viget.

Non mirum est contra sacrificium nouæ legis insurgere multos, idque furentissime, cum ipse Satan præsens has partes sibi sumpserit; & Luthero persuaserit, sacrificium illud idololatriam esse. Historiam scribit ipse Lutherus Tom. 7. Wittemb. 1558. fol. 228. quæ sæpe à multis Catholicis narrata est. Sed Matthiæ Hoe impostura videamus. Missa seu Latinum seu Hebræum nomen est, à Græcis λειτυργία dici solet. מסח Missa Deuteronom. 16. 10. oblatio vocatur. Inde vel Latini nomen mutuati sunt, vel suo vsi sunt, vt missum Deo sacrificium, preceseque significarent. Græci scriptores, vti dixi, λειτυργίαν appellant. Interdum θεοσοφεῖν, θυσίαν, ἱερὸν, θυσίαν ἀναίμακτον, κυρίειον, μυσταγωγίαν, τελετὴν, τελετὴν τελετῶν. Quæ omnia rationem sacrificii in se continent.

Christum vero hoc sacrificium obtulisse docent nos Euangelistæ, & Paulus. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. 19. & deinde de calice dicit:

Sacrificiũ est corporis oblatio.

τὸ ἐκχυνόμενον, & Paulus 1. Corinth. 11. 24. vocat τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, *corpus, quod pro vobis frangitur.* In ipsa igitur cœna Christi sanguis pro nobis fundebatur, corpus pro nobis frangebatur, hoc est, immolabatur, sacrificabatur; Nam corpus vere tradebat, & sanguinem, mutato pane, & vino; deinde ne hoc quidem Lutherani negare possunt, qui sub pane, & in pane corpus traditum esse aiunt. Quod vero pro aliis hoc modo funditur, frangitur, ea immutatione, seu transubstantiatione, nouo & ineffabili modo existit, id sacrificari recte dicitur.

Liturgiæ Apostolorum ostendunt eos missam celebrasse.

§. 5. *Apostoli*, inquit, *non sacrificarunt.* At reclamant Apostolorum Liturgiæ. Prima est Petri, de qua veteres, imprimis S. Isidorus Hispalensis, lib. 2. officiorum. Paschasius Corbeiensis de corpore & sanguine Domini. Altera quæ est Iacobi teste Clemente Romano. Tertia Iacobi Minoris, qui frater Domini dictus est. Quarta Matthæi Apostoli, qua Æthiopes fere vtuntur, vocantque sacrificium Corbon, in hac ita loquuntur, ex Apostoli institituto. *Tu es panis vitæ, descendens de cœlo, qui antequam venires, eras in figura agni immaculati pro redemptione mundi: nunc bonitatem tuam, ô amator hominum, humiliter imploramus, vt faciem tuam super hunc panem & calicem in hoc altare portatile ostendas. Benedic, sanctifica, munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum: Fiat sacrificium ardens, & acceptabile, medela, & salus animæ, & corpori nostro. &c.*

Quinta S. Marci, qui omnes inter se quoad substantiam conueniunt, cærimoniis, & ritibus differunt. Ipse sanctus Andreas tyranno, & omnibus Serum. Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie sacrifico, qui cum vere sit sacrificatus, & vere à populo carnes eius manducatæ, integer perseuerat, & vnus. Ita presbyteri Achaiæ. Quod si hanc ob causam nouatores sono incondito veritatem obruant, communis est causa veteris Ecclesiæ; Christum obtulisse ante passionem sacrificium incruentum dicimus, idem fecisse Apostolos, & eorum successores asserimus. Non possumus causa cadere quæ tantos habet patronos. Dionys. Eccles. Hierarch. cap. 3. ὦ θεωτάτη καὶ ἱερὰ τελετὴ, *O diuinissimum, & sanctum sacrificium*, sic Martialis Epist. ad Burdegal. cap. 3. Clemens Romanus consil. Apostol. Ἀντὶ θυσίας τῆς δι' αἱμάτων, λογικὴ, καὶ ἀναιμακτον καὶ τὴν μυστικὴν, ἣ τις ἐὰν θέλοντος τῶν κτελε συμβόλων χάριν ἐπιτελέσῃ ἐξ σώματος αὐτοῦ καὶ αἵματος. *Dedisse*, ait, *nobis Christum, pro sacrificio cruento, rationabile, incruentum, & mysticum, quod est corporis eius, & sanguinis, & in mortem Domini quasi symbolum celebratur.*

Semper in Ecclesia fuit sacrificium.

Eadem mente Alexander 1. Epist. ad omnes Orthodoxos, ait, *In Sacramentorum oblationibus, quæ ad missarum solennia offeruntur, passionem Domini miscendam &c.*

Et Iustinus Martyr Dialog. cum Tryph. *Omnes igitur qui in huius nomine sacrificia offerunt, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est in Eucharistia panis, & calicis, quæ in omni terræ loco à Christianis fiunt, præuertens Deus grata sibi esse testificatur.* Sixtus I. Decretis suis inseruit, vt *sacerdote Missarum actionem incipiente populus hymnum decantaret.* Eadem Telesphorus Epist. ad vniuersos, & Hyginius, *omnes Basilicæ cum missa debent consecrari*, videre licet Pii primi, Soteris, Irenæi, aliorumque testimonia. Hinc ita argumentor.

Cur missa non recipienda.

Nos Christum, & Apostolos vere sacrificasse dicimus, idem omnes patres quorum scripta Christiani sacrificii mentionem faciunt; constanter, nullo excepto profitentur; nullus retro Episcopus fuit, qui non sacrificia obtulerit. Nemo orthodoxus sacrificantes damnauit; non igitur damnare vetustos Martyres debent examina compugnantium sectarum, neque contra nos iubilare, quod Diabolo suasore è finibus suis sacrificium exterminarint.

Ridicula impietas scripturæ abutitur.

Quod vero missam aiunt esse Moghozim, seu Mahuzim, id plane ridiculum est, nam inter מסח Missa, & מעוזים Maghuzim, magna est diuersitas, & in vna duntaxat litera ב *mem* conueniunt. Perinde acsi Cerdonem & Caluinum eosdem fingamus, quia eadem est vtriusq; hæresiarchæ initio nominis litera.

At semel in cruce oblatus est Christus, & semel satisfecit.

Hoc nos quoque docemus, & in scriptis omnium patrum inuenitur. Et Apostolum audimus dicentem, *nos vna oblatione esse consummatos.* Confitemur hoc, & gratias agimus benignitati Redemptoris, qui precium infinitæ æstimationis, precium sufficientissimum pro no-

Sacrificio crucis consentit sacrificium Missæ.

pro nobis obtulit. Consensus tamen Ecclesiæ Catholicæ semper docuit, precium illud per Sacramenta, per fidem, per sacrificium incruentum nobis applicari. Alioqui nec absq; scelere Abraham, aut Moses holocautomata & victimas obtulissent; nam & illi sacrificio crucis futuro seruati sunt. Participes vero ejus facti etiam per illa sacrificia, quæ vel sponte, vel Dei jussu obtulerunt. Quin & oratio non modo supervacanea, sed blasphema quoq; erit; nam Christus *pro nobis orauit, & exauditus est pro sua reuerentia*; an igitur nunc non interpellat pro nobis? An nos orare non possumus, si sua oratione ille quæ poscenda sunt, impetrauit? Nonne oratio nostra orationem Christi facit irritam? imo sacrificium irritum? Si enim sacrificium incruentum facit irritum & perdit fructum, honoremq; sacrificii cruenti, cur non oratio hominis peccatoris iterum postulantis, quod Christus & sacrificio & oratione impetrauit, non cedit in ignominiam sacrificij & orationis Iesu Christi, cui tanquam non sufficienti videtur adjungi? Atque hæc est expositio sacræ Scripturæ, quæ de vnico sacrificio loquitur, hanc omnis Ecclesia ab Apostolis vsque non modo scriptis, & concionibus, sed oratorijs, calicibus, altaribus basilicis, ipsiusque sacrificij perpetuo vsu tenuit, hanc nullæ tot sectariorum ratiunculæ destruxerunt. Qui igitur hac in caussa secessionem fecerunt, non à Monachis aut Iesuitis vt jactant, sed ab omni vetere Ecclesia desciuerunt, & nouo modo Scripturam interpretantur.

Caput VI.

Psallendi in Ecclesia officium esse Clericis demandatum, sanctèque colendum

§. 1. Vetustissimum fuisse morem laudes diuinas cantu celebrare nemini dubium esse potest, qui Exod. 15. legerit, filios Israël mersо Pharaone post transitum maris rubri in choros diuisos Deo gratias concinuisse; non voce modo, sed tympanis etiam atque instrumentis musicis.

Cantu diuinas laudes celebrare ex natura ortum habet.

§. 2. Hos imitati sunt Israëlitæ deinceps & præcipue postquam cantorum ordines, vicesque Dauid & Salomon descripsit; Quorum deuotione euanescente, Esseni succesſere, de quibus de vita contemplentiua Philo narrat in hæc verba. *Vbi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorum, alter fœminarum: cuiq; suus incentor præficitur honore præstans, & canendi peritia. Deinde cantans hymnos in laudem Dei compositos variis metrorum, carminumq; generibus, nunc vno ore, nunc alternis, non sine decoris & religiosis gestibus & accentibus, modo stantes, modo prorsum retrorsumq; gradum mouentes, vt cunq; res postulat. Deinde postquam vterq; chorus seorsum expleuit, his se deliciis, velut amore diuino ebrius vnum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti, quando mare, Deo iubente, alteris salutem, alteris perniciem attulit, præcinente viris Moysi, Maria vero prophetide fœminis.*

Essenorum in choro deuotio.

§. 3. Consuetudo eadem canendi in Ecclesiam mox cum ipso fidei initio translata est. Ita n. Paulus Col. 3. *Verbum Christi habitet abundanter in vobis, in omni sapientia; docentes, & commonentes vosmet ipsos Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes, in cordibus vestris Deo.* Quæ eadem etiam monet ad Ephes. cap. 5. Christianorum cantuum testem habemus apostatam Lucianum; in Philopatr. Noctes enim dies que in eo pietatis genere perseuerabant. Et persecutorem Plinium l. 10. Epist. 97. Qui nihil in Christianis delicti se reperire testatur ad Trajanum, *nisi quod antelucanos cœtus concelebrent, & Christo laudes canant.* Ejusdem consuetudinis testis est Iustinus Martyr oratione ad Antonium, Clemens Alexandrinus ad gentes.

Ecclesia in intus cantum complexa.

§. 4. Enimuero jam olim fuisse sacri cantus contemptores docet Basil. adu. hæreticos Epist. 69. *Ad id vero quod propter psalmodias accusamur: quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt: hoc habeo quod dicam: & videl. qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt & consont. De nocte siquidem populus consurgens, antelucano tempore domum precationis petit: inibiq; labore & tribulatione ac lacrymis indeficientibus facta ad Deum confessione, tandem ad orationem surgentes ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi, alternis succinentes psallunt: atq; ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem & meditationem corroborant & cordibus suis attentiorem, reiectis vanis cogitationibus mentis, soliditatem suppeditant. Deinde vni ex his hoc muneris dato, vt quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt: atq; ita in psalmodiæ varietate, precibusq; subinde interiectis, noctem superant. Illucescente iam die, pariter omnes velut vno ore, ac corde vno, confessionis psalmum Domino offerunt: ac suis quisq; verbis resipiscentiam profitentur. Horum gratia si nos fugitis; fugietis simul & Ægyptios, fugietis Lybiam vtramq;, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitant, & (vt semel dicam) omnes apud quos vigiliæ ac preces, communesq; psalmodiæ in precio sunt. Hucusq; Basilius. Innumera in hanc sententiam afferendæ essent testimonia Sanctorum Patrum, sed breuitatis causa temperamus.* Hinc quod in vita Damasi legitur; *Hic constituit, vt Psalmi diu noctuq; canerentur per omnes Ecclesias, qui hoc præcepit presbyteris, Episcopis, & monasteriis*; intelligendum est, non de prima institutione, sed de generali præcepto, quo ecclesiæ quę id facere nondum cœperant, etiam instituerent. Nam Valentiniano & Valente Imperatoribus post persecutionem Constantii, & deinde Iuliani, Ecclesiæ reflоruerunt, vt publice cani posset.

Hæretici cantum Ecclesiasticum fugerunt.

§. 5. Psalmodia vetus, & hymnodia commodius erat populo & clero; sacerdoti sane populus respondebat; vt Ausonius ostendit,

Consona quem celebrans modulati carmina Dauid,
Et responsuris fert aera vocibus, Amen.

Populus sacerdoti respondebat.

Romæ etiã ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, vt testis est Hieronymus in Epist. ad Galat. l. 2. Crescente multitudine fidelium, cum absonis vocib. inconditoq; vlulatu crebro Ecclesiæ personarẽt, quæ res deuotionẽ impediebat, risus conciebat, infideles offendebat, magno labore Episcopi in id incubuerunt, vt cantus religiosa grauitate; numerisq; ad pietatem accommodis perficeretur. Non modo in Ecclesia, verum etiam in Agapis, caritatis videl. epulis, ita Clemens Alexand. pædag. l. 2. c. 4. Tert. apol. c. 39. Corrigendi igitur, & ad modestiam revocandi ratio fuit, vt certis peritisq; ea prouincia committeretur. In Concil. sub Martino Papa habito statuitur, ne liceat in pulpito psallere, qui ab Episcopo non est ordinatus lector. Et dist. 92. c. 2. ordo canentium statuitur. *In S. Romana Ecclesia dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, & eleemosynarum studium vacare congruebat. Vnde fit plerunq;, vt ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituto, vt in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solum quæ euangelicæ lectionis officium inter missarum solennia exoluant: psalmos vero, ac reliquas lectiones cenſeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretũ meum venire tentauerit, anathema sit.*

Indecora canendi ratio sublata est.

Certis hostiludum vacare congruebat. Vnde fit plerunq;, vt ad sacrum ministerium dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur, & cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re præsenti decreto constituto, vt in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solum quæ euangelicæ lectionis officium inter missarum solennia exoluant: psalmos vero, ac reliquas lectiones cenſeo per subdiaconos, vel si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretũ meum venire tentauerit, anathema sit.

Certis hominib. canendi peritis ea prouincia concessa fuit.

§. 6. Cantus Ecclesiæ tribus modis corrumpitur. Primo, cum voce non mente canitur. cum labijs celebratur Deus ab illis, quorum cor longe à Deo est. Necessaria v. est attentio, vel ad verba, vel sensum, vel ad Deum qui rogatur, si omnium autem sit, optima est. Quæ tamen ob imbecillitatem mentis humanæ, & euagationem non facile semper est actualis, virtualem esse satis est, vt Theologi consensu docent D. Th.

Animus nõ vox canentis Deũ delectat.

Attentio canentium requiritur.

cum suis interpp. 2.2.q.83.art.13. Soarez tractat.4. de relig.& l.3.& 4.& 5. Lessius de justitia & jure. l.2.c.34. dub.11. Valent.22.disp.6.q.2. puncto 10. Reginaldus l.18.fori pœn.c.12.sect.1. Itemq; alij. Nauar. in Ench. c.25.nu.105. Inanis enim vox est, si alio mens diuisa est, & Deus solo labio honoratur.

Vocis modus sit, qui a cuotionẽ excitet.

Secundo, cum leuiter modulatio, fluxeq;, & indecenter infringitur. Hieron. in Ephesinam c.5. *Audiant hæc adolescentuli; audiant bi quibus psallendi in Ecclesia officium est: Deo non voce, sed corde cantandum; nec intragœdorum morem guttur & fauces dulci medicamine collinendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, sed in timore & opere in scientia Scripturarum. Quamuis sit aliquis (vt solent illi apparere) κακόφωνος; si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantator est. Sic cantet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur: vt Spiritus malus, qui erat in Saule, eiiciatur ab his qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos qui de domo Dei scenam fecere populorum.*

Hæretici errorum suorum ebrietates cantillant.

Tertio, cum ea canuntur, quorum recensio contra bonos mores est. Tales erant Donatistarum ab ipsis excogitatæ cantiones, ita Aug. Epist.119. *De hac re tam vtili ad mouendum pie animum, & accedendum diuinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est; & pleraq; in Africa Ecclesiæ membra pignora sunt: ita vt Donatistæ non reprehendant, quod sobrie psallimus, in Ecclesia diuina cantica Prophetarum; cum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis instrument.* Qua quidem in re nostra quoq; pigritia lacrymis ploranda est, quod cum Anabaptistæ, Lutherani, Caluiniani, Ariani, hymnos suos moribus & fidei aduersos tanta contentione proclament, nos negligenti, & languida cantillatione multis in Ecclesijs respondemus. Cum tamen cantio Ecclesiastica, vt docet Iustin. *excitet voluptate quadam animum, & flagrans ad eius q; carmine celebratur desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amoliatur; mentem ad fructificationem diuinorum bonorum riget, pietatis decertatores generosos, & fortes, per constantiam in rebus aduersis efficiat, omnium rerum, quæ in vita tristes, & luctuosæ accidunt, piis adfert medicinam.*

Cantus Ecclesiastici fructus.

Hæreticorũ impiæ, & turpes cantiones.

Hujusmodi corruptiones cantionum fuere olim apud Arianos ad sotadicos modulos ab ipso Hæresiarcha compositæ, de quibus S. Athan. orat.2. contra Arianos. *Hos imitati sunt Meletiani, qui profano manuum plausu, & saltatione quadam hymnos concinebant.* Paulus etiam Samosatenus mulieres docuerat loco Psalmorum laudes sibi in Ecclesia canere. Ita Synod. Antiochena ad Dionys. Roman. Similia deinde conatus est impios psalmos componendo, (vt Epiph. hær. 67.) Apollinaris Laodicen. vt Synod. Laodicena refert c.59. Eos gnauiter nostri temporis sectæ imitantur; nulla enim ferè est, quæ non orgia sua concinat, & vocum blanditie impietatem, quasi Enthusiasmo propaget. Hinc omnes canendi illecebras in cœtus suos induxerunt, vt veteres Ecclesiæ hymnos, psalmodiamque exterminent.

Primitiua Ecclesia cur musica instrumentali minus vsa.

§.7. Musica omnia instrumenta in cantu Ecclesiastico rite & legitime vsurpantur. Nam hoc nos Psalmi frequenter admonent, psallere citharis, cymbalis benesonantibus, in chordis, & organo, in psalterio decachordo. Non tamen illis magnopere vsa est Ecclesia initio Euangelij, tum quod in priuatis ædibus fere paruus ille grex conueniret, tum quod omnia illa organorum, & fidium genera tàm gentium obscenitates, quàm idololatria contaminauit. Adeo vt cantio parum honesta videretur, si accederent instrumenta, quorum tum in lasciuia tantum pene erat vsus.

Sonus organorum tantum spiritalia sonet.

Concil. Senense prouincial. Organorum sanctum vsum esse jubet. *Organorum vsum Ecclesia à Patribus ad cultum seruitiumq; diuinum recepit. Nolumus itaque, quod organicis instrumentis in Ecclesia impudica aut lasciua melodia: sed sonus omnino dulcis, qui nihil præter hymnos diuinos & cantica spiritalia representet.*

Cur DEVS psalmos instituit.

§.8. Cantandi vtilitas varia est; quam Chrys. ho.41. in Psal. exposuit. *Nihil animam æquè erigit, & elatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exoluit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, vt versus modulatus, diuinũ canticum numero compositum. Nostra certe natura vsq; adeo delectatur canticis & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem, & conuenientiam, vt vel infantes ab vberibus pendentes, si fleant & afflictentur, ea ratione sopiantur. Nutrices quidem certè, quæ eos gestant in vlnis, sæpe abeuntes & redeuntes, & quadam puerilia eis carmina decantantes supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca sæpè quoq; viatores meridie agentes iugalia animalia, hoc faciunt, canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolæ vuas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunq; aliud opus facientes, sæpe cantant. Nautæ quoq; remos impellentes hoc faciunt. Iam vero meliores quoq; texentes, & confusa stamina radio discernentes, sæpe quidem & persæpe singulæ, sæpe a. omnes concorditer vnam quandam melodiam concinunt: hoc a. faciunt mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo suscipitur, laborem caute consolari volentes: vtpote quod anima, si carmina & canticum audierit molesta & difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum & familiare: ne dæmones lasciua meretricia cantica introducentes, omnia euerterent; Psalmos Deus construxit, vt ex ea re simul caperetur voluptas & vtilitas.* Et *post multa de vtilitate psallendi, hæc addit: Hæc dico, non vt vos tantum laudetis, sed vt filios & vxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo, alioue opere faciendo, sed maxime in mensa. Quando enim Diabolus vt plurimum insidiatur conuiuiis, cum & ebrietatis & ingluuiei risus q; profusi & remissi animi auxilio, vtitur: tunc maxime oportet & ante mensam & in mensa se munire psalmorum præsidio, & simul cum vxore ac liberis surgentes è conuiuio hymnos sacros Deo canere.* Vtinam sacræ cantiones in locum leuium, vecordium, spurcarum cantilenarum apud omnes succederent. Vtinam saltem die festo psallentium pietas audiretur.

§.9. Non tamen sacros SS. Episcoporum, aut Doctorum hymnos Ecclesia respuit. Fuere tempore Honorij Papæ I. qui eos rejicerent. Concil. Tol. 4. c.2. eos approbat & recipit. *De hymnis etiam canendis & Saluatoris & Apostolorum habendus exemplum: nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista testante: Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Et Paulus Apostolus ad Eph. scripsit dicens: Implemini spiritu, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus. Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei atq; Apostolorum & martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atq; Ambros. ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis S. Canonum, vel Apostolica traditione non existiunt; respuant ergo & illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico priuatoq; officio, in fine omnium Psalmorum dicimus, Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui S. in secula seculorum, Amen. Nam & ille hymnus, quem nato in carne Christo, Angeli cecinerunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, reliqua quæ ibi sequuntur Ecclesiastici Doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in Ecclesiis canendi sunt, qui in S. Scripturarum libris non inueniuntur? Componuntur Missæ, siue preces, vel orationes, siue commendationes, seu manus impositiones, ex quibus si nulla decantentur in ecclesia, vacant officia omnia Ecclesiastica. Admonet hæc fieri, atq; hortatur Timotheum Apostolus dicens: Obsecro ergo primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes gratiarum actiones pro omnib. hominibus, pro regibus & pro omnibus qui in sublimitate sunt. Sicut ergo orationes, ita & hymnos in laudem Dei compositos, nullus nostrum vlterius improbet, sed pari modo in Gallicia, Hispaniaq; celebrent, excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi.*

Sanctorum hymni canendi.

§.10. Re-

Canendi ratio in ecclesia constituenda.

§. 10. Rectissime itaq; ab Ecclesia olim statutum est, vt certa psallendi forma in Ecclesia vteremur, ita Conc. Tol. 4. c. 2. vnum orandi modum atq; psallendi retineri jubet. Ita Conc. Bracarense c. 10. quod regnante Ariamiro celebratum, & Venetum sub Leone I. c. 15. Gerundense sub Hormisda c. 1. Epaunens. sub Gelasio I. c. 4. Omnia demum in optimum ordinem redigi jussit Conc. Trid. Egregie etiam Conc. Senense c. 17. *Et cum in Ecclesiis Dei Psalmodia cantanda præcipiatur, vt fidelium deuotio excitetur: in hoc nocturnum diurnumq; officium & Missarum celebritates assiduè clero ac populo, sub maturo tenore distinctaq; gradatione cantentur, vt eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Propterea præcipimus, vt in ecclesiis sint musici cantus distincti, ac discreti, mouentes cor ad deuotionem compunctionemq;. Porrò in Ecclesiis prætextu musici cantus, non sunt audiendæ publicæ cantilenæ, & lasciuæ. Neq; enim (inquit Hieron.) in tragœdiarum modum, guttur & fauces medicamine sunt leniendæ: ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur.*

§. 11. Insignia sunt de cantu Ecclesiastico documenta Concilij Mediol. 5. quæ à sanctissima Caroli Borromæi anima manarunt. Monet verò. *Primo vt studio quodam intimæ pietatis, cuius splendor foris etiam eluceat, vnusquisq; vel Canonicus, vel alius minister, quicunq; sit, qui chori officiis astrictus est, ad chori disciplinam sese instruat.*

Canonicus ad cantum se paret.

Antea vero, quam eo conueniat, paululum attente secum cogitet & loci illius sanctitatem & conueniendi causam, & diuinarum laudum, quarum munus Angelorum est, officia, quæ castissimè ab omnibus concelebrari oportet.

Dignitas cantus diuini.

Hæc ipsa in cogitatione firmiter inhærens, nec quicquam quidem mente, animoq; concipiet, ab eius loci religione alienum, ne dum aget, quod Dei oculos offendat.

Tota mens in Deo sit.

Paret se propterea etiam, atq; etiam diligenter sancta intimi animi meditatione, & religiosa oratione, vt exteriorem cultum diuinorum officiorum salutariter exequatur.

Cui consentiat cultus exterior.

Dum superpelliceum, qui amictus ex tela lineæ candida constat, induit, cogitet, quam personam sustineat, nempe à sordibus, labeq; puram, qualem vestitus ille indicat.

Superpelliceum puritatis insigne.

Cum almutiam pelliceam, quod insigne canonicorum est, humeris, vel brachiis, prout moris est, canonicus imponit, eam cogitationem suscipiat, in se vestinctas, ac plane mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, atq; cupiditates, vt eius rei significans est illa animalis inter mortui pellis, quam de more induit.

Almutia, & cappa vinctas passiones significat.

Si vero, vt plerisq; in Ecclesiis instituti, consuetudinisve est, cappam induit, quæ humeros contegit, & brachia quasi deuincit, ex eo amictu intelligat, se expressas, quasi deuinctas habere oportere appetitiones, ac se totū ad Dei voluntatē accōmodare.

Vestis mutatio animum mutatum indicat.

Cum igitur iis chori vestibus indutus, alium vestitum, quo foris vtitur contegat; sicq; aliam personam habitu gerat; caueat, ne quicquam etiam in sacristia, agat, admittatue, quod cum actione non recte conueniat, ob quam illum habitū induit.

Silentium chori.

Non in colloquiis quidem ab ea actione alienis se occupet: nisi curæ præsit, quæ id necessario postulet.

Gradus lentus animi compositi indicium.

Abstineat autem semper, sed maxime dum chori vestibus indutus est, vbi sit, vel in sacristia, vel alio loco, à iocis, à ridiculè dictis, facetiisue, à cachinnationibus, à verbis futilibus, atque inanibus, quæ temere, & imprudenter effunduntur.

Chorus publicæ orationis est locus.

In chorum ne properantem, quasi distributionum quæstu incitatus accedat, sed graui incessu.

Dumq; ad chorum procedit, quanquam alii comes aduinctus, at quasi solus accedat, in ea meditatione fixus; vt secum cogitet, se ad chorum, nempe ad sancta sanctorum, vt canone antiquo cautum est, & ad publicæ orationis sacrificiū accedere.

In choro aliena à Deo nulla cogitatio admittenda.

Cum in choro est, animum, mentemq; ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus à rei, quæ geritur, sanctitate alienis, quoad eius fieri potest, abducat, seseq; totum in Dei cultu colligat.

In conspectu Dei stat, qui in choro est.

Illud etiam cogitet, quā ob causam eo se contulerit; tū sibi statuat, se in conspectu Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium Angelorum & Sanctorum esse.

Quæ in cogitatione videat, perpetuoq; reputet, se eo loci consistere, vt Deo sanctissimum cultum, venerationemq; tribuat, atq; ab eo, & sibi & aliis omne bonum deprecetur.

Chorus domus orationis

Consideret vero ipsum Deum, tanquam patrem, & redemptorem amantissimum, optimum, sapientissimum, misericordissimum, quiq; omnia intuens, vbiq; & semper est.

Deus omnium cordib. interest

Tum cordis castitatem beneq; orandi donum, & gratiam à Deo supplex petat, orationisq; sacrificium simul cum meritis Iesu Christi, & sanctorum, eius præsertim cuius memoriam ecclesia illo die celebrat, ad gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, & ad suam, proximorumq; vtilitatem dirigat.

Orationis sacrificium cum Christi meritis offerendum.

Cum psallendum est, primum psalmi argumentum mente, animoq; concipiat.

Obseruet præterea, quis in psalmo loquatur, an Deus, an Ecclesia, an pœnitens, an aspirans ad perfectionem.

Psalmi intelligendi sunt.

Attendat item, ad quem præcipuè salutarem affectum psalmus referatur.

Cum ita se religiosè parārit, magna animi attentione se ad verba, sententiasq; psalmi accommodet, ita vt laudet, gemat, extimescat, sicut psalmorum voces indicant: & quod denique ore profert; animo primum concipiat.

Affectus psalmorum sentiat.

Tum verba singula notet, interpretationem studio assequatur, vnde mens, animusq; ad aliquem salutarem affectum incendatur.

Ad verba etiam adiungat animo cogitationem vel amoris, vel reuerentiæ vel humilitatis. Atq; ita quidem affectum aliquem excitet, vt si de virtute verba psalmi profert, desiderio accendatur imitationis, si de peccatis, intime doleat, quod in eo statu ipse fuerit, aut certe proximi eius. Et sic de aliis item, quæ Psalmo significantur.

Eam porro attentionem initio vniuscuiusq; psalmi, orationis, & aliarum diuini officii partium, tum singularum horarum canonicarum renouare, atq; excitare studeat, præsertim dum illa verba, quæ ad sanctæ orationis spiritum inflammandum valent, pronuntiat, Deus in adiutoriū meum intende, &c.

Initio se excitet, sæpe attentionē renouet.

Itidem faciat, cum aliorsum se cogitationibus distrahi animaduertit.

In fine etiam vniuscuiusq; psalmi seſe excitet illis verbis, Gloria Patri, &c.

In conclusione item orationum, cum dicitur, Per Dominum nostrum Iesum Christum, spe sancta erga illum redemptionis nostræ auctorem sese confirmet.

Et quoniam attentio valde admodum excitatur, si quæ quisque profert, recte intelligit: ideo in ea potissimum expositione psalmorum assiduè versetur, quæ non varia sit, sed quæ tota in excitandis, exercendisq; sanctis affectibus versetur.

Psalmis intelligendis studeat.

Cum autem magnus psallendi fructus in Psalmorum affectibus versetur, siue quis in choro, siue priuatim, siue submissa, siue alta voce oret: idcirco certos sibi locos Psalmorum præsumat, quibus omnis hæc ratio concludatur.

Loci præcipui præter cæteros hi sint, vnde salutares affectus existunt, laus Dei, memoria bonorum nostrorum, commemoratio nostræ miseriæ, & reprehensio male agentium.

Quidā versus psalmorum affectus maiores habent.

Psalmorum verbis cum Dei bonitas prædicatur, ad illius dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficiis, quæ à diuina benignitate proficiscuntur, se toto animo accendat. Cum illius infinita sapientia, potentia commemoratur; admiratione afficiatur: tum intime gratuletur, cum aliquid Dei auxilio bene gestum narratur.

Cum bonorum memoria recordatioq; Psalmorum vocibus excitatur, desiderium quoddam concipiat illa sibi, & aliis consequendi, tum illa eadem à Deo petat, tum in Deo spem animo capiat fore, vt diuina eius ope, non modo quæ bona sunt, quæq; salutaria, assequatur, sed quæ mala, ac quæ perniciem afferunt, vitet.

Hinc gaudia, dolor, timor, caritas.

Aliquando etiam intimè in Domino gaudeat, se bona, Deo iuuante, adeptum esse, & mala cauisse.

Ex miseriarum commemoratione timorem concipiat, dolorem, ac humilitatem, cum suas cognoscit infirmitates.

Ex reprehensione male agentium, agnoscat zelum diuinæ vindictæ, & indignationem contra nequitiam. Atq; ita quidem ex salutaribus his affectibus fructum psallendi vberrimum capiet.

Nō igitur ante finem excurrendum.

Peroratis Psalmis, absolutoq; canonicarum horarum officio, paululum tacitus consistat, genibusq; flexis veniam deprecetur & negligentiæ, & distractionis aliusue culpæ, quam in eo precationis officio admiserit: tumq; hoc oret, vt pro Christi totiusq; Ecclesiæ meritis orationis suæ obsequium, ac ministerium gratum sit, atq; acceptum.

In eo psallendi officio, cum ea mentis attentio, & salutaris affectus, tum corporis decens compositio requiretur.

Cæremoniarum decētia sit literis descripta.

Ideo, præter ea, quæ de genibus flectendis, de capite inclinando, de stando, de sedendo, ac de cæteris partibus in primo Concilio constituta sunt, quædam etiam in choro cauemus; quæ, vtpote minus decentia, & à loci illius cultu aliena, vitari oportet: ea vero tabella descripta sunt, quæ cura nostra edētur, ac in singulis sacristiis Ecclesiarum, tum cathedralium, tum collegiatarum, tum parochialium affixa perpetuo sit.

Cur non & in chorīs Germaniæ suspendatur.

Tum vero etiam hæc ipsa monita, alia tabella descripta, itidem in singulis sacristiis habeantur.

Non in sacristijs, & tabulis duntaxat, sed in tabulis cordis carnalibus: quorsum enim omnis templorum ornatus, cærimoniarum apparatus, nisi vt animis integris Deo seruiatur? Si tamen prælatis visum fuerit etiam in choro hæc monita suspendere, pijs incitamentum adferent; negligentibus, & rerum sacrarum fastidiosis pudorem injicient. simul eos, qui beneficia libera, & sine onere fructus sagacissime vestigant, facile coërcebunt.

Puniendi qui in choro negligūt ordinem & decorem.

§. 12. Quam ob causam eum qui Choro præsidet grauiter officii admonet Concilium primum: *In cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis, qui choro præsidet, vigilet diligenter, ne quid prætermittatur, in diuini officii institutione, vel progressione, vel in reliquis, quæ ad probatam Chori rationem pertinent, & aliis, quæ communibus, vel propriis constitutionibus, in diuinis officiis obeundis præscribuntur. Neue absurdè, indecorè, vel præposterè quicquam fiat. Si qui suo officio non satisfaciant, eos grauiter, & amanter obiurget; si non resipuerint, iubeat punctatorem in libro illos describere, & ad Episcopum deferre, cui dignas pœnas pendant. Sin ipse in suo munere obeundo negligens fuerit, ab Episcopo, vel ab alio, qui Ecclesiæ præsit, puniatur.*

Si quæ autem Ecclesia non habet, qui huic muneri nominatim præpositus sit, vel si habet, is non adsit in choro, præsidentis officio fungatur, qui primo chori loco tunc sedet ex iis, qui dignitates, aut Canonicatus in ea Ecclesia obtinent.

Indeuoti Deum principi postponunt.

§. 13. Nec minus accuratè Concilium Basilienſe omnes instruxit sess. 21. *Si quis Principem seculi rogaturus, habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attenta quoq; mente, seipsum verbo studet componere, quanto diligentius in sacro loco omnipotentem oraturus Deum, hæc omnino facere curare debet? statuit igitur sancta Synodus, vt in cunctis cathedralibus ac collegiatis Ecclesiis, horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes diuinæ maiestati per singulas horas non cursim ac festinanter, sed adeatim & tractim, & cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi Psalmorum, debitam faciendo inter solenne ac feriale officium differentiam, reuerenter ab omnibus persoluantur. Horas canonicas dicturi, cum tunica talari, ac superpelliciis mundis vltra medias tibias longis vel cappis, iuxta temporum ac regionum diuersitatem, Ecclesias ingrediantur, non capucia, sed almucias vel byrreta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint, grauitatem seruent, quam & locus, & officium exigunt, non in simul ac cum aliis confabulantes seu colloquentes, aut literas seu Scripturas alias legentes. Et cum psallendi gratia ibidem conueniant, iuncta ac clausa labia tenere non debent, sed omnes, præsertim qui maiori funguntur honore, in Psalmis, hymnis & canticis, Deo alacriter modulentur. Cum dicitur, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, omnes consurgant. Cum nominatur gloriosum illud nomen Iesus, in quo omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum horæ publicè cantantur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non solum obsequium, quo obnoxius est choro, subtrahit, sed alios psallentes perturbat. Super his debite obseruandis, aliisq; ad diuini officii prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter inuigilet, hinc inde ne quid inordinate fiat, circumspiciens. Horum autem transgressores, illius horæ in qua circa prædicta excesserint, vel alia maiori, prout transgressionis grauitas exigit, plectentur pœna.*

Tractim & intelligenter canendum,

Fabulæ in templo interdictæ.

Nefas est, putare te digniorē, quā vt canas Deo.

Hæc si serio, prout debent, æternæ salutis discrimine, prælati curent, breui aliam Ecclesiæ formam intuebimur.

Insigne præceptum.

§. 14. Eadem etiam sessione de præsentia in choro ea docuit, quæ neglecta clerum perdiderunt, & hæreses nouas adsciuerunt. *Qui in matutinis ante finem Psalmi, Venite exultemus, in aliis Horis ante finem primi Psalmi, in Missa ante vltimum Kyrieleison, vsq; in finem diuino officio non interfuerit, nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta à Præside chori licentia, discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur, saluis Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Idem in his obseruetur, qui in principio vsq; in finem in processionibus non permanserint. Pro cuius executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas statuto tempore non conuenientes, iuramento adstrictus agere fideliter & nulli parcere. Iubet etiam hæc sancta Synodus, quod in illis Ecclesiis, in quibus singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, (si opus sit) deputentur, vt iuxta mensuram laboris plus minusue quisq; capiat emolumenti, tollens prorsus abusum illum, quo in vna duntaxat hora præsens, totius diei distributiones vsurpat: & illum, quo Præpositi, vel Decani, aut alii officiales ex hoc solum, quod officiales sunt, licet actualiter pro vtilitate Ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt.*

Absens distributionibus caret.

Ex quo certo colligimus. Primo. Grauiter eos delinquere, qui canendi partes laudesque Dei celebrandi in Ecclesia, cum viuant, & sæpe laute viuant de Ecclesia, tanquam sua dignitate inferius arbitrati, pauperioribus Sacerdotibus, vicarijs, studiosis, conductitijs cantoribus delegant. Non ita Dauid noctes & dies Deo concinens, non ita Carolus Magnus qui canendi modos ipse tradidit, non maximi, sanctissimiq; Pontifices, qui cum Regibus & Imperatoribus munificentissime Ecclesias dotarunt, vt à viris doctissimis, illustrissimisq; publice diuinum numen coleretur. 2. Consuetudinem, opinionemque eorum damnabilem esse, qui cum beneficia Ecclesiastica possideant, vel raro adeundum templum sibi arbitrantur, vel solam præsentiam ad reditus accipiendos sufficere jactant. Cum enim beneficium detur propter officium, ocio solo fructus suos facere non potest, multo minus negocio, quod ocio pejus est. Quis enim credat, vel mentem fundatorum fuisse, vel Deo curæ esse prauissimum morem eorum, qui in perystilio, vel ipsa Ecclesia inanibus sunt fabulis intenti, dum alii officia diuina decantant? Nunquid domos habetis, & xystos, & hortos ad ambulandum, & fabulandum, & Ecclesiam Dei contemnitis? Ecclesiam Dei, vnde vobis præstatur, vt ociose fabulari possitis? Quo autem vultu alios ciues vestros, qui decimis collationibusq; Ecclesias conseruant in eo templo orare, psallereque cernitis, quod vestris fabulis personat? Sacerdos, Canonicus, Diaconus, ridendo, garriendo, in conspectu angelorum, inter Psalmos & tremenda mysteria, in medio templi, in conspectu S. Eucharistiæ, cum eorum officium sit modestiæ, deuotionis, reuerentiæ erga Ecclesiam exempla cunctis dare; magno omnium scandalo præsens est, sæcularia negotia forte nugatoria tractat, q. si forte aliquando de pietate loquitur; quia tamen loco fit nō concesso, culpa nō vacat, quia domū orationis, sacrarium Dominici corporis facit domum negociationis, recreationis, discursationis, nugarum.

Damnata consuetudo in Ecclesia fabulandi.

Canonicus Ecclesiā ex qua viuit contemnens merito ab omnib. contemnitur.

3. Hinc ortam esse tot malorum caussam. Quia domus Dei à suis ministris contemnitur. Aggæi c. 1.

v. 2.

v. 2. Deus causam malorum esse ait, sacrorum neglectum. *Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ dicens: Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: seminastis multum, & intulistis parum: comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in saccum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exusflaui illud: quam ob causam dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinastis vnusquisq; in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunq; profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuũ.*

Deus malitiam beneficijs alere non solet.

Nunc vero non tantum domus Dei non ædificatur, sed quæ est ædificata in vsus profanos vertitur: ideoque vbi tantum inualuere mali mores, vt ordinaria potestate non possint emendari, clerus templi sui cõtẽptor eradicabitur, & jam multis in locis factũ est. 4. Reformatio facilis, si velint illi, qui velle debent. Quis enim si superioribus displicere videat, in re, cujus emolumentum nullum est, inuerecunde offendere audeat? Deinde vt absens distributionib. priuatur, ita ambulones illi multa duplici puniantur, vt & careant distributionibus, & pro fabrica Ecclesiæ sumptum pendant. Neque enim licentiæ, sed deuotioni tanta templa exstruxit majorum nostrorum religiosa magnificentia. Verum de hoc errore iterum rediturus est sermo, quia sæpe est reprehendendus, quod sæpe peccatur.

Signo duntaxat possunt ista emendare prælati.

Caput VII.

Horas Canonicas, & Vigilias in Ecclesia vsitatas fuisse, & esse.

Ordo precũ olim in Ecclesia, vt & in templo Salomonis.

§. 1. Horæ Canonicæ in Ecclesia institutæ sunt, vt à Dei ministris certo ordine, diuinæ laudes canantur, dicanturue. Postquam enim Sacerdotibus Christianis alimenta statuta sunt, etiam laudum diuinarum, & precum certa pensa definita sunt; Quæ priscis temporibus, quanquam certo Psalmorum, & orationum, lectionumue numero non continerentur, majora fuere, quam nostris.

Certæ horæ solennes in oratione.

Antiquissima igitur res est, horarum Canonicarum in Ecclesia, cantio, recitatioque. Imo vero initia sunt in Iudæorum Ecclesia. Tertullianus contra Psychicos c. 10. *Porro cum in eodem commentario Lucæ, & tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati pro ebriis habebantur; & sexta qua Petrus ascendit in superiora, & nona qua templum sunt introgressi, cur non intelligamus salua plane indifferentia semper & vbiq; & omni tempore orandum: tamen tres istas horas, vt insigniores in rebus humanis quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita & soleniores fuisse in orationib. diuinis: quod etiam suadet Daniel is quoq; argumentum ter die orantis, vtiq; per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem quam insigniorum exinde Apostolicarum, tertiæ, sextæ, nonæ.*

Tres igitur horas vsitatas inter Christianos, & horas precum insigniores, siue solennium agnoscit Tertullianus. Easdem eodem modo probat Cyprianus l. de orat. Dominica. Verba sanctissimi martyris, & præsulis adducere in animo est, vt cognoscat Clerus Christianus, quo studio oporteat sacra officia peragere, nobis à tam veneranda antiquitate commendata intelligant, & irrisores precum nostrarum hæretici, se cum vetustate, & sanctis vniuersis pugnare. Ita igitur Cyprianus l. citato. *In orationibus vero celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis; quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itemq; ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem. Et quando à septima nona completur per ternas horas Trinitas perfecta numeratur: quæ horarum spatia iam pridem spiritualiter determinantes adoratores Dei statutis & legitimis ad precem temporib. seruiebant; & manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse; quod ante sic iussi precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ repromissionis impleuit. Item Petrus hora sexta in tectũ superius ascendens, signo pariter & voce Dei momentis instructus est, vt oẽs ad gratiã salutis admitteret, cum de emundandis gentilib. ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spacia & sacramenta creuerunt. Nam & mane orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus sanctus designabat in Psalmis dicens: Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine: mane exaudies vocem meam: mane astabo tibi, & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus & reuertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item sole ac die cessante necessario rursus orandum est. Nam quia Christus Sol verus, & dies est verus, sole ac die sæculi recedente, quando oramus & petimus, vt super nos lux denuo veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Christum à diem dictum declarat in psalmis Spiritus sanctus: lapis, inquit, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factus est iste, & est admirabilis in oculis nostris. Iste est dies quẽ fecit Dominus, ambulemus & iucundemur in eo. Item quod Sol appellatus sit, Malachias Propheta testatur dicens: Vobis à. qui timetis nomen Domini orietur Sol iustitiæ, & in cœlis eius curatio est. Quod si in Scripturis sanctis Sol verus, & dies verus est Christus; hora nulla à Christianis excipitur, quo minus frequenter & semper Deus debeat adorari, vt qui in Christo, hoc est, in sole, & in die vero sumus, insistamus per totum diem precibus & oremus: & quando nunc lege decurrens vicibus alternis nox reuoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filius lucis & in noctibus dies est: Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? aut quando Sol ei & dies non est, cui Sol & dies Christus est? qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus.*

Horæ sacramento Trinitatis distinctæ.

Mane cur orandum.

Horis igitur Tertullianeis Cyprianus adjungit matutinam, vespertinam, nocturnam. Hieron. Epist. ad Demetriadem, & Lætam sui etiam temporis consuetudinem eam fuisse ostendit. Non est ergo hoc institutum Damasi, Hieronymi, Ambrosii, nisi quod magis horum consilio, jussuq; in ordinem omnia sint redacta, atq; ita Sigebertus in Chronicis, & Radulphus Tungrensis intelligendi sunt, cum hos patres institutores horarum nominant.

Posteriores magis ordinarunt horas.

Antiquiorẽ horarum fuisse rationẽ docet Athanasius de virg. *Oriens Sol videat librum in manib. tuis. Post tertiã synaxes conficies; quoniam ea hora defixum est lignum crucis. Sexta hora absolues deprecationes cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus; quoniam hac hora pependit Filius Dei in cruce. Nona hora rursum in hymnis & glorificationibus eris, cum lacrymis & confessione peccatorum tuorum Deo supplicabis; quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum: & post Synaxin horæ nonæ comede panem tuum & post nonnulla: Si, inquit, ingredieris in templum duodecima hora, maiorem & longiorem facies Synaxim cum virginibus tecum concordibus: quod si nullam*

Variis horis facta mysteria deuotionem augent.

habeas concordem, sola Synaxim absolues, Deo præsente & audiente, Bonum autem est lacrymas effundere coram Domino, memoremq; esse duodecimæ horæ, quod in illa Dominus ad inferos descendit.) inferius verò hæc addit: Media nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum: ea n. hora surrexit à mortuis Dominus Deus tuus, & Patrem suum hymnis celebrauit, atq; ideo nobis iniunxit, vt eadem hora hymnos Deo diceremus. Cum primum surgis, hunc versum recita: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicijs iustitiæ tuæ, & precare, & incipe recitare Psalmum quinquagesimum, donec absoluas. Auctor etiam de regulis breuioribus interrog. 37. Hieron. ad Eustochium. In Daniel c. 7. Epist. 7. & 37. de his agunt.

§. 2. Porro quo animo etiam nostro sæculo fuerint SS. Concilia docent, id quod Treuiris sub Reuerend. atq; illustrissimo Ioanne celebratum est, Anno 1549. *Omnes qui horis Canonicis persoluendis deputati sunt, dent operam, vt collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absoluãt, nec ita se habeant, vt dũ voce psallunt, quiduis potius quam Deum animo cogitare videantur, semper cauentes, ne Propheticum illud audiant: Labijs quidem me honorant, cor autem eorum longe est à me. Quid autem est, voce quidem psallere, mente a. domum aut forum circuire, nisi homines fallere, & Deum irridere? Graue admodum est, quod Scriptura dicit: Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Statuimus proinde, vt laudes diuinæ per singulas horas non cursim, ac festinanter, sed tractim, seruatis interuallis decentibus, ratione dierum festorum ac profestis intermediis secernendorum, habita, reuerenter & alacriter absoluantur, nequaquam sublato in altum clamore, ne vel insanire, vel animi lasciuia gestire videantur potius, quam feruore spiritus exultare semper versiculum decantatissimum animo voluentes.*

Deum irridet, qui alia cogitat res psallit.

Voces moderatio in horis.

§. 3. Ad horas obligantur Clerici majoribus ordinibus initiati, religioni professi, qui chorum habent, beneficiati. Ita Canon. *Presbyter de celebr. Miss.* & can. *Si quis presbyter.* dist. 92. Item c. dolentes. *de celebr. Miss.*

§. 4. Magna diuino nomini, Ecclesiæq; injuria infertur horarum canonicarum omissione; Quod ita emendari poterit. I. Si pleraq; beneficia in distributiones quotidianas præsentium, canentiumq; conferantur. 2. Si pueris non ita facile beneficia conferantur: aut sane dum literis operam dant, legere doceantur, & legant accuratè. Nunc enim experientia docet, vel optimos, vel nequissimos esse eos, qui adolescentes beneficijs grauantur. Si enim indies cum attentione ac deuotione pensum precum persoluant, magnos in pietate, & literis progressus faciunt. Si verò sacerdotiorũ censibus fruantur, & preces negligant, quandoquidem graui se quotidie peccato obstringunt nihil mirum est, à gratia diuina relictos, euadere pessimos; sunt enim quasi ærarii Ecclesiastici depeculatores, qui velut ex Ecclesiasticorum bonorum rapina viuunt; officium verò ob quod bona illa dantur, omnino subterfugiunt. Verum de horis plura Canonistæ, & in vtilissimo suo libro, de statu Ecclesiastico Collega meus P. Gisbertus Scheuickhauius, quem Sanctorum Patrum ore loquentem audire merito debent, qui loca functiones sq; Sanctorum Patrum tenent.

Concilia vrgent distributiones.

Cur pueri Canonici optimi, vel pessimi euadũt.

Caput VIII.

Ecclesiasticos posse rerum, & controuersiarum ciuilium esse iudices.

§. 1. MAgnum hoc Ecclesiæ priuilegium est in medio Romani Imperij, aliorumq; regnorum proprium tribunal erigendi potestas. Hoc tamen legitimum esse nos Doctor gentium Paulus docuit. 1. Cor. 6. 1. & seq. *Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? an nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis secularia, secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriã accipitis? quare non magis fraudem patimini, sed vos iniuriã facitis, & fraudatis, & hoc fratrib.*

Ecclesia ius tribunalis habet.

§. Christianos quidem sic affectos esse Apostolus desiderat, vt pati injuriam, quam inferre malint, quia tamen in magna multitudine non deerant; qui sua pertinaciter tueri, aliena auide appetere solebant, judice opus erat. Ne vero inter Ethnicos lis agitaretur, in Ecclesia judices legendos censuit. Hoc igitur est regale sacerdotium, cui cedere debuerunt gentilium Cæsarum leges. Si igitur Apostoli in ciuitatibus tribunalia erigere, judices constituere potuerunt, quis dubitet eos quoq; judicasse, multo magis judicare potuisse? Dare enim potestatem judicandi, plus est, quam judicare; est n. Architectonicæ potestatis.

Apostolus cum iudicandi dat potestatem etiam iudicare potest.

§. 2. Iudices Ecclesiasticorum sunt Ecclesiastici tantum; ita caus. 11. q. 1. c. 15. *Experientiæ tuæ præsenti auctoritate mandamus, vt in causis, in quibus quælibet Ecclesiastici officii persona loco petitoris exiliit, quemquam laicum pulsaturæ apud suæ p ouincia iudicem suas proponere actiones non deserat. In iis vero negotijs, in quibus Ecclesiastici officii persona pulsatur, totius submoto pulsationis obstaculo, ad Episcopi, vel presbyterorum in loco, vbi quæstio vertitur, constitutorum occurrat indifferenter examen.* Et can. 2. *Nullus iudicum, neq; presbyterum, neq; diaconum, aut clericum vllum, aut iuniores Ecclesiæ sine licentia Pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia, cui iniuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sequestratus, quousque suum agnoscat & emendet.*

Secularis Ecclesiasticum non iudicat.

Et can. 5. *Continua lege sancimus, vt nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt ad iudicia, siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum pertrahatur. Habent illi suos iudices; nec quidquam his, publicis est commune cum legibus. Item. Constantinus Imperator præsidens in sancta Synodo, quæ apud Nicæam congregata erat, cum querelam quorundam conspiceret coram se delatã, ait. Vos à nemine diuidicari potestis: quia ad Dei solius iudicia reseruamini.* Sed hæc res ad exceptionẽ pertinet, de quasuo loco.

§. 3. Iudices in Ecclesia contemptibiles collocari jubentur; Non vt quilibet judex esse possit; Illa n. mens Pauli non est. Nam sapientem requirit, qui possit judicare inter fratrem, & fratrem. Contemptibilem v. appellat, quia ad verecundiam eorum loquitur cum sit confessus Sanctorum, minimus v. videatur sapientior gentilium sapientib. ad quos lites suas deferebant. Itaq; judices esse posse eos, qui sunt conditionis vilioris, vt si quis dicat ex vilioribus Academiæ posse judices constituti in oppidis, pagisque.

Contemptibiles iudicent, sed sapientes.

§. 4. Olim coram clericis Christiani judicio experiebantur. Clem. l. 2. Const. c. 49. *Iudicia vestra fiant in secunda Sabbati, vt si qua controuersia ex sententia vestra oriatur, vsq; ad Sabbatũ libera sit vobis facultas, qua positis controuersiam illam componere, & pacem conciliare inter eos, qui litigant. Adsint a. iudicio Diaconi, & presbyteri integre iudicaturi, veluti Dei homines, cum iustitia. Cum vtraq; persona venerit, prout lex iubet, ambo qui litigant, statuantur in medio tribunali: iisq; auditis, sancte iudicium pronunciate studentes ante sententiam Episcopi eos conciliare, ne excat super terram iudicium in peccatorem.* Hoc Chrysostomus egregie exponit, vt de Sacerdotibus interpretatur.

Olim controuersia ab Ecclesiasticis definita.

ὁ γὰρ λέγων οἷόν ἐστιν; ἵνα ἐρεῖ τις ὅλως ἐν ὑμῖν σοφὸς, ὃς δε ἱκανὸς διακρῖναι, ἀκούσας φρόνησι πάντες κ τ τ. καὶ γὰρ μηδεὶς ἦ σοφὸς, φησὶ, τοῖς ἐλαχίστοις ἀπιστέ πεσε. Τοῦτο δὲ πρὸς ἐντροπὴν ὑμῶν λέγω: Ἐλέγχοντός ἐστι τῶν τοιούτων ἀνθρώπων, ὡς ζηλῶν ἕνα τοιοῦτον. διὸ δεσπόζων. Οὕτως οὐκ ἔστι σοφὸς ὑμῶν ἐν ὃς εἰς: Τοσοῦτον

ξαυτῃ, φησὶν ἀσφάλεια· τοῦ αὐτῆ παντὶς ἀνδρῶν ξένων παρ' ὑμῖν, καὶ ἐπαγωγὴ δὲ μείζονα τῶν πλησίον ἔχει. ἀπὼν γὰρ, ἅτως οὐκ ἔνι σοφὸς ἐν ὑμῖν ὃς δυνήσεται διακρῖναι μεταξὺ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. "Οταν γὰρ ἀδελφὸς δικάτηται μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ, ἀσφαλὲς δεῖται τὸ ξένιον, καὶ τὸ ἀνένοητον ἵνα μείζονα τὴν δίκην, τὸ διαθέσεως, καὶ τὸ ὑγιείας πολλὰ συμπεραίνεις πρὸς τὸν λύσιν τοιαύτης φιλονεικίας.

Fortasse dicet quispiam nullum esse inter vos sapientem, neq; qui ad discernendum & diiudicandũ sit idoneus. Et quid tum? Nam & si nullus, inquit, sit sapiens, vos minimis permittite. Ad verecundiam vestram dico. Est refellentis eorum obiectionem, vt quæ sit excusatio & prætextus superuacaneus. Et ideo subiunxit, Sic non est inter vos sapiens quisquã. Tanta est, inquit, inopia, tanta apud vos raritas virorum intelligentium? Quod autem subiunxit, maiorẽ infert plagam. Nam cũ dixisset, Sic non est inter vos sapiens quisquã, subiũxit, Qui possit iudicare inter fratrẽ suum. Nã quando frater cũ fratre iudicio contẽdit, intelligentia & solertia nõ est opus litis arbitro, cũ effectio & cognatio magnã opẽ afferat ad soluendã huiusmodi contentionẽ.

Sinẽ est sapiens contẽpribili causa committatur.

Eadem est sententia Aug. ep. 47. ad Proculeian. & de opere monachorũ c. 29. *Testem inuoco super animam meam, quoniam mallem per singulos dies certis horis, quantũ in bene moderatis monasteriis constitutũ est, aliquid manib. operari, & certas horas habere ad legendũ & orandum, quã tumultuosissimas perplexitates causarum alienarũ pati de negotiis secularib. vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis. Quib⁹ nos molestiis idẽ afflixit Apostol. non vtiq; suo, sed eius qui in eo loquebatur, arbitrio: quas tamen ipsũ perpessum fuisse, nõ legimus: aliter n. se habebat Apostolatus eius discursus. Nec dixit: Secularia igitur iudicia si habueritis, ad nos deferte, aut nos constituite ad iudicandum: sed eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos, inquit, collocate. Ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quispiam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare; sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles. Sapientes ergo, qui in locis consistebant, fideles & sanctos, non qui hac atque illac propter Euangelium discurrebant, talium negotiorũ examinatores esse voluit. Vnde nunquã de illo scriptũ est, q̃ aliquando talib vacauerit, à quibus nos excusare non possumus, etiamsi contemptibiles nos simus: quia & hos collocari voluit.*

Augusti. iudicandis litibus occupatus.

§. 5. Exempla sanctissimorũ ac laboriosissimorũ episcoporũ iudiciariam potestatẽ nobis ostẽdunt. Greg. Nyssen. orat. de virtut Greg. Thaumaturgi Epi Neocæsarien. *Ne secularium quidem ac temporalium controuersiarum aliud vllum iudicium sibi magis ratum ac firmũ, maiorisq; auctoritatis esse probabant: sed omnis quæstio disceptatioq;, & omnis intricatus difficilisq; negotiorum nexus illius consiliis & admonitionibus resoluebatur & dirimebatur. Vnde cum communiter vniuersis, tum singulis illius beneficio, tam æquitas rectaq; iuris constitutio, quam pax erat.*

Greg. Thaumaturg. cõtrouersias dirimere solitus fuit.

Deus vero cordi sibi esse ornatum in sedendis discordiis miraculo demonstrauit. Nec ille tamẽ in oratione, lectione, operibus misericordiæ, doctrina negligens, 17 Christianos cum Episcopatum acciperet, inuenit, 17. gentiles, cum moreretur reliquit.

Ambr. eodẽ labore occupatus fuit

Ambrosius litibus diiudicandis occupatus fuit, vt neget eum Aug. respirare potuisse l. 3. conf. c. 3. *Non n. quærere ab eo poteram q̃ volebam sicut volebam, secludentibus me ab eius aure atq; ore cæteris negotiosorũ hominum, quorũ infirmitatibus seruiebat. Cũ quibus quando nõ erat, q̃ per exiguum temporis erat, aut corpus reficiebat necessarius sustentaculis, aut lectione animum. Et paulo post: Et conuectabamus eum paruo illo tempore, quod reparandæ menti suæ nanciscebatur, feriatum ab strepitu causarum alienarum, nolle in aliud auocari, & cauere fortasse ne auditore suspenso & intento, si qua obscurius posuisset ille quem legeret, etiam exponere necesse esset, aut de aliquibus difficilioribus disceptare quæstionibus, atque huic operi temporibus impẽsis, minus quam vellet voluminum euolueret.* Tam multa tamen fecit, dixit, scripsit Ambros. vt eius opera inspicienti in summo ocio visse videri posset.

Nec sponte se tam laboriosæ, tamque odiosæ prouinciæ mancipauit, sed indurum illa necessitate se Beati Pauli auctoritate scribit ad Marcell. epistol. 49. Ambrosij discipulus Augustinus loco supra citato. *Maligni homines efflagitant, aut certe infirmos premunt, vt causas suas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus; Dic homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos? Constituit n. talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores.* Quæritur ille frequenter de negociorũ multitudine; sed tñ fatetur, se nõ conteri ab fidelibus litigando, sed eos potius obtẽperando ipsum cõsolari.

Apostolus constituit Ecclesiasticos cognitores,

Extat querela Synesij, qui ad Episcopatum compulsus est epistola 57. *Otio opus est ei qui cum philosophia sacerdotio fungitur. Non condemno Episcopos qui in rerum negotiis versantur, sed magis miror eos qui vtrumque possunt: mica facultas non est duobus dominis seruire. Si vero sunt alioqui, qui neque à condescensu laduntur, poterunt sane & sacerdotio fungi, & ciuitatum Præfecti esse. Radius enim Solis si cum stercore versabitur, purus manet, non inquinatur: ego vero cum idem hoc facero, fontibus & mari opus habeo.*

Synesius iudicare recusauit.

Missio Synesio petenti negata est, & ille Androuicum, & postea Tonantem prælides excommunicauit, quod facere non potuit nisi prius cognouisset, iudicasset. Videatur epist 58.

Sed iudicare tamen debuit.

§. 6. Iniurius est igitur in viros sanctissimos Beza in notis ad cap. 6. Corinth. primæ. *Istiusmodi audiendis disceptationibus minime adhibendos esse ministros, quorum longe diuersum sit munus, sed alios potius quosuis, ex iis quos postea Laicos vocarunt, in alios vtilioribus rebus minime omnium occupatos. Sic enim τοὺς ἐξωθὲν μωρεύειν hyperbolice dictos interpretor, non qui maxime sint imperiti, vel qui sint vilissimi. Hæc illa est igitur Apostolica doctrina ipsius* CHRISTI *& mandato, & exemplo plurimis locis confirmata, nedum vt vtrumque gladium seu Petro, seu aliis à Petro vllis pastoribus concesserit. quod si attente, vt oportuit, à veteribus illis Episcopis, ab ambitione fateor, quæ mox illos secuta est, procul remotis, sed tamen ab Apostolica regula deficientibus fuisset consideratum, neque seipsos tot laboribus fatigassent, de quibus alicubi conqueritur Augustinus, neque posteris inuadendæ Magistratuum potestati aditum certo cum humani generis exitio tandem sequuturo patefeciissent.*

Beza ambitionis sanctos viros accusat.

At Episcopi illi sanctissimi laboriosum, odiosumque negocium, pietatis causa susceperunt, & ab Apostolo sibi impositum arbitrati sint.

Nihil tñ hic verius, quã ministros Caluinianos ad controuersias diiudicandas non esse adhibendos; Apostolus tamen Episcopos sic obligauit, non contra Christi, aut Petri præceptum. Non illi contra normã apostolicam iudicarunt, multo minus tyrannidem occuparunt, sed oppressis contra potentiorum violentias subuenerunt. Quod Siluanus vir sanctissimus Troados Episcopus clericis suis iudicandi potestatẽ eripuit, signum est fuisse eam penes illos potestatem, qua cum abuterentur, cum deessent idonei clerici, fidos laicos constituit. Nicephorus enim *mendationem instituisse*, Socrates ait, *eos quæstum ex litigantium controuersiis fecisse.* Nec mirum, pars illa Asiæ variis hæresibus agitabatur, & Cleri tam in fide, quam moribus sinceritas, ac constantia labefactata erat. Neque tamen idcirco ordini iurisdictio non debetur, si vnius Ecclesiolæ Episcop⁹, iudicia ad Laicos trãstulit. Quia male iudicabat clerici. Quin omnino iudico in clericos iudices diligenter annuatimq; inquirendum, & si à iustitia declinarint seueriissime puniendos.

Clerici iudices Troade à iudicando prohibiti.

§. 7. Tandem vero Concil. Trident. (sess. 13. c. 1. de reform.) reos criminum varie constringit, qui episcopalia iudicia euadere satagebant. Itaq; negat friuolæ appellationi deferendũ. *Cum igitur rei criminũ plerumq; ad euitandas pœnas, & Episcoporum subterfugienda iudicia, querelas & grauamina simulent & appellationis diffugio iudicis processum impediant, ne remedio, ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutatur, atq; vt*

Tridentina synodus Episcopale iudicium stabilit.

huiusmodi eorum calliditati, & tergiuersationi occurratur, ita statuit, & decreuit: in causis visitationis, & correctionis, siue habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Episcopo, seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitiuam sententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumq; grauamine, non appelletur: nec Episcopus, seu Vicarius appellationi huiusmodi, tanquam friuolæ, deferre teneatur.

§ 8. Causæ cur id vtile Reipublicæ sit multæ sane fuerunt, hodie que manent.

Sacerdotes sincerius iudicant.

1. Quod sincerius causæ tractentur à Domini sacerdotibus, & ministris, quam à profanis iudicibus. Nam iustitiæ, æqualitatisq; regulam apertiorem arctius custodiunt. Quæ etiã causa est, vt populus ipse, ad à idientiam episcopalem appellarit. Quemadmodum enim leges ciuiles debent Ecclesiasticis attẽperari, ita quoq; iudices sæculares audire par est episcopos & sacerdotes. Constitutiones imperatorum vim legis obtinent, sed firmiorem canones apostolorum. Hinc factum vt verè Innocent. dixerit *Ecclesiam mundanis legibus non constringi.* Et Hier. in Epitaph. Fabiolæ, & ep. 30. ad Ocean. *Aliæ leges Cæsarum, aliæ Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus præcipit.* Quo factum est vt Cõstantinus sanciret, Præsidum sententias posse ab Episcopis rescindi. quod à se factum, testis ist ipse Ambrosius l. 2. off. c. 29.

Episcopus rescindit sententias præsidum.

Minore sũptu causa agitur apud Episcopos.

2. Minore sumptu apud Episcopos litigabatur. Nam erant iudices illi tum pietate, & scientia insignes, tum vero plerunq; diuites, & in pauperes liberales, vt nullo modo probabile videretur, eos hoc agere, vt possessiones eorum ex litibus crescerent. Nunc quoq; ex Ecclesia viuunt, nec hæredes habent, quorum causa iustitiam violent, sententiamq; vendant.

In multitudine, nisi sufficiens sit potestas, quæ coerceat, grauia incommoda oriuntur.

3. Ciuilis Ecclesiæ potestas in tanta hominum malitia, arrogantia, subtilitate, pertinacia ad errores compescendos necessaria videtur; ideo q; merito cõcessa episcopis. Ante Constantinum plures emersere hæreses, quia nulla vi comprimebantur, & sub blasphemis imperatoribus hæreticarum blasphemiarum summa libertas erat, vt grauius domesticis dissidiis, quam persecutione Ecclesia scinderetur.

§ 9. Quod si dominium ciuile rectè Ecclesiæ pastoribus conceditur, vt est à me in Coronide Jubilorum probatum, illi inhærens, & connexa iudiciaria potestas etiam concedenda est. At dominium hoc olim à multis datum, aceptumq; fuit, hodieq; retinetur, nec ab illis tãtum, quorum virtus in dubium vocari posset, sed omnibus omnino, qui eas ecclesias adepti sunt. De quibus eruditissime egit Joann. de Polemar archidiaconus Barcinonens. in Concil. Basileensi: cuius hæc verba sunt. sic vero ait, *Impiam ab Ecclesia Moguntina. Ecce S. Bonifac. qui tanta fuit auctoritatis, quod tempore suo dicebatur Apostolorum temporã rediisse, hic sua prædicatione multas prouincias illustrauit. In eadem Ecclesia S. Lullus Confessor. Item Rabanus magnus Doctor quotidie allegatur. Item in eadem Moguntina Ecclesia Bardo Archiepiscopus. in eadem V Villigisus. In Ecclesia Treuerensi, quã Helena mater Constantini, quæ de Treuera fuit oriunda, pluribus dotauit reliquijs, & bonis temporalibus, adjciendo primæ dotationi, fuerunt nonaginta nouem Archiepiscopi vsq; ad Dominum Ottonem vltimo defunctum, ex quibus viginti quinq; sunt Sancti, vt habetur in Calendario Archiepiscopi Baldvvini, quod in ipsa Ecclesia seruatur. In Ecclesia Colonienſi B. Seuerinus, qui multis claruit, & claret miraculis. Item S. Remedius, item S. Cunibertus, item S. Haymo, Aglolfius martyr, item Euergisilus martyr, item Heribertus, omnes isti fuerunt sancti Archiepiscopi Colonienses. In Ecclesia Leodiensi, quæ opulentissima in temporalibus est, S. Maternus, S. Hubertus, S. Theodardus, S. Seruatius, S. Lambertus martyr, S. Geregisilus, Episcopi omnes. Item in Ecclesia Laureacensi fuit S. Maximianus, à sancto Sixto consecratus Episcopus, circa annum Domini CC. XXIII. qui patrimonium dictæ Ecclesiæ contulit, quod nunc Anasum dicitur, cum omnibus vicinis oppidis & iudiciis secularibus, quæ manent vsq; ad præsens in Austria, & obtinet illa Patauiensis Ecclesia. Item Sanctus Adalbertus Ecclesiam Pragensem magnificè dotatam feliciter rexit pluribus annis. Item Sanctus Procopius opulentissimum Monasterium in Bohemia habuit, cuius possessiones inquietantes diuinam interdum vltionem in se experti sunt. Item Sanctus Guolfgangus in Ratisbona. Item S. Corbinianus Frisingensis Episcopus prædia pro eadem Ecclesia hodie nota comparauit. Item Sanctus Vdalricus Augustensis Ecclesiam opulentam prædiis & ciuilibus dominiis rexit. Item Sanctus Conradus Constantiensis Episcopus. Item Sanctus Virgilius Ecclesiam Saltzburgensem dominiis dotauit. Fuit quoq; sanctus Virgilius Episcopus Tridentinæ Ecclesiæ, ciuili dominio opulentæ. Prætermittendum non est de sancto Stanislao Cracouiensi Episcopo, qui passus controuersiam super villa Ecclesiæ, à sepulchro eum, qui ante per triennium mortuus fuerat, resuscitatum, ad iudicium duxit in testem. Possem sine falso, si bene quæsiuissem, etiam multo plures reperisse sanctos Episcopos & Abbates, qui præfuerunt ecclesiis & monasteriis habentibus temporalia & ciuilia domina. Exhorrent vtiq; piæ aures audire in dubitationem deduci, an licitum sit, quod à tanta sanctorum multitudine per tanta curricula temporum pro licito habitum fuit, practicatum & obseruatum.*

Moguntini.

Treuerenses

Colonienses episcopi causas iudicarunt.

Item Leodienses.

Laureacenses.

Patauienses Pragenses.

Ratisbonen. Frisingens. Augustani. Constantienses. Salisburgenses. Tridentini. Cracouienses.

Atq; hæc exempla recentiora, & transalpina, quæ tamen factis vetustissimorum, & sanctissimorum virorum nituntur. ita enim idem Archidiaconus. *Incipiam à B. Syluestro, de cuius sanctitate & doctrina victis idæorum satrapis, fidei Catholicæ exaltatio testimonium præbet. Sub hoc Nicænum primum sacrum & venerandum Concilium fuit, & post dotationẽ Ecclesiæ, ex quo satis auctorizatur factum Constantini, quoniam si illicitum fuisset, reprobasset hoc tam celebre Concilium. Sed & habeo testimonium beati Ambrosii, de obitu Theodosii Imperatoris, dicentis: Constantinum magni meriti apud Deum, quia primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei & deuotionis principibus dereliquit. Et Isidorus noster Hispanus idem in suis Chronicis attestatur. Et Græci qui tunc erant Catholici, ipsum Constantinum Catalogo Sanctorum annumerant, & festum de eo cum solennitate agunt 21. Maii. Postea dicam de sancto Marco, sub quo fuit celebrata sancta synodus Nicæna, & claruerunt eius tempore & post, sanctus Athanasius, Eusebius, Nicolaus & Hilarius, & Ioannes Chrysostomus. Item sanctus Leo Papa, qui fuit XLIII. post sanctum Petrum. Item Felix secundus, qui Martyrio coronatus est. Item Damasus primus, sub quo synodus Constantinopolitana 150. Patrum, cui Hieronymus illam scripsit epistolam: Quontam vetus Oriens inter se furore collisus indecisam Domini tunicam desuper textam minutatim per frusta decerpit. Etiam petens ab eo suæ fidei confessionem approbari. & alias multas epistolas. Item Cyriacus qui cum vndecim millibus virginibus in Colonia martyrio coronatus est. Item S. Symmachus Papa, de cuius vita & miraculis Vincentius in historiali libro 23. cap. 1. & 2. Item S. Ioannes Papa, de quo in eodem Vincentio eodem libro cap. 33. Item S. Agapitus eodem lib. cap. 61. Item S. Gregorius vnus de quatuor doctoribus Ecclesiæ, cuius sanctitas & doctrina nota est. Item S. Martin. de quo Vincent. eod. lib. 23. c 84. Item S. Stephanus Papa, de quo idem Vincent. eod. lib. 167. Item Honor. Papa miræ pietatis fuit, cuius tunica dæmonicus quidam indutus fuit, & liberatus est. Item S. Seuerin. benignus amator cleri & pauperum, & possessiones Ecclesiarũ ampliauit. Item Ioan. IV. thesauris Ecclesiæ distractis multa millia hominũ per Histriam & Dalmatiam redemit. Item S. Martin. Tudertinus, cuius festũ celebratur crastino S. Martini Turonens. Eugenius I. hic omnibus benignus & amabilis, maximeq; sanctitatis. Agatho dum quendam leprosum oscularetur, mundatus est. Ioann. natione Græcus, hic martyrio coronatus est. Paulus mitissimus & misericors, nocte cum paucis familiarib. ibat ad visitandũ pauperes & infirmos, & eis ministrandũ. Leo IV. multæ patientiæ, multæq; humilitatis, fecit mirabilia in vita sua, cuius festũ celebratur 17. Calendas Augusti. Nicolaus post hunc vir fuit sanctiss. cui post Mag. Greg. vix in sede Romana similis. Omnes prædicti fuerunt in sede Roma. post dotationẽ Ecclesiæ viri sancti, approbatæ*

Syluester in dex fuit.

Synodus Nicena ad probauit.

bata sanctitatis, fuerunt & plures alij virtutib. & scientia clari, sicut Innocentius III. qui tam reuerenter allegatur in tractatu de Missa & alijs operibus. Petrus de Tarantasio dictus Innocentius V. Doctor clarissimus, & multi alij, quos nominare longum esset. Volui solum prædictos exprimere, qui sancti intitulantur, aliis multis omissis. Sed hoc vnum nolo omittere, quia ad propositum valde facit, quod narrat Vincentius in historiali libro vigesimo quinto, cap. 25. de Gregorio Sexto, qui magna studia & labores impendit ad recuperandum temporalia bona Ecclesiæ à tyrannis occupata, & cum nec hortationibus, nec censuris posset hoc efficere, vi armorum hoc fecit, vnde Cardinales eum, virum sanguinarium, dicentes: cùm infirmitate decumberet, de qua decessit, dicebant eum non debere sepeliri in Ecclesia S. Petri cum aliis Pontificibus, quod cum ipse intellexit, vocauit Cardinales, & habito cum eis colloquio, tandem dixit: Quoniam nostra & vestræ cogitationes falli possunt, committamus omnia diuina examini, corpus meum antecessorum meorum more compositum ante ianuas Ecclesiæ sistite, & firmentur ianuæ seris & repagulis, si Deus voluerit, vt ingrediar, applaudatis miraculo; sin minus, de cadauere meo faciatis sicut vobis placuerit: sic factum est. Mox enim & corpus eius ante portas Ecclesiæ seris obclusas positum est, turbo ingens diuinitus emissus, repagulorum obstacula dirupit, & ipsas valuas vehementi impetu patefactas, ad parietem cum magno fragore impulit.

Pontifex & Petro & Constantino successit

Hanc ob causam Bern. l. 4. ad Eug. discipulum de consid. *In his successisti non Petro, sed Constantino*, & lib. 2. *Esto, vt alia quacunq; ratione hæc tibi vindices, sed non iure Apostolico.* Bono jure possideri illa tum hæc docent, tum vero orbis Christiani consensus, quo ea defensa sunt. Romani cum pristinæ libertatis, & majestatis intempestiuo desiderio omnia quondam suæ ditionis regna in suam potestatem redigere satagerent, etjam Pontificem in ordinem redigere, omniaq; regalia adimere conati sunt; sed eos Franci & Germani Imperatores, vt etiam Longobardos puniuerunt. Viderunt Pontifici ecclesiam recturo sceptri, & principatus dignitatem esse opportunam. Bono jure sua possidere Pontificem Barretus l. 2. c. 1. docet, quanquam alioqui regum adulator. Imo addit, Iura antiquiora, æquiora (quod semper spectandum) Deinde posteros Constantini potius accusat, quod detinuerint, quam Pontifici jus derogat. Constantinus opes, honoremq; dedit. Carolus restituit; addita alia sunt; Alpes, Cottiæ, Exarchatus, Beneuantana ditio, Sicilia, Tuscia, Liguria, Apulia, Ferraria, aliaque dominia.

Pontificalis decor iustitiæ præsidium.

§. 10. Tandem concludo Reipublicæ singulari emolumento fieri, vt Episcopis & Sacerdotibus magna judicandi gubernandique potestas permittatur. Fructus esse debet, vt facilius verbum Dei audiant, audito obtemperent, mores corrigant illi qui emendabiles sunt, contumaces terreantur, si non ab inualido, & contemptibili Sacerdote, sed regio Pontifice mysteria tractentur, doctrina explicetur. Illam Constantinus causam ipse donationis suæ adducit, *vt non vilescat Pontificalis apex*, sed magis, quam terreni imperij dignitas, gloria, & potentia decoretur.

Non tamen honor ille finis primarius est, sed Reipublicæ salus. Vnde enim judices peritiores, æquiores, pecuniæ minus egentes, minus appetentes munerum, haberi possunt, quam in Episcoporum honoratissimo cœtu, in Prælatorum Ecclesiæ multitudine? Hoc nunc in præcipuis Europæ partibus, Germania, Gallia, Hispania obtinet; imo & in ipsa Britannia, quæ Episcopis in rerum ciuilium administratione vtitur.

CAPVT IX.

Contra sectarios Prælatorum iurisdictio ciuilis defenditur.

§. 1. LEgitimam, justam, vsitatam, vtilem Reipublicæ, ostendi Ecclesiasticorum gubernandi, & juris dicundi potestatem esse. Nunc quia in eam vehementer hæretici insurgunt, illis quoque, ex lege diuina, humana, proba consuetudine respondeamus.

Primum eorum axioma est, *Papam, Episcopos omnes, prælatosq; nullam ciuilem administrationem habere posse.* Hoc plerique vehementer inclamant, longa disputatione id agit Scharpius quæst. 6. de Antichristo. Cum enim sibi objecisset, Ecclesiasticos habere jurisdictionem dono Principum, Respondet: *Licet controuersum sit antecedens, vt supra dictum, tamen neq; sequi, quia tum acceptatio Papæ, tum donatio Principum fuit contra ius Diuinum, vt & etiam contra ius Pontificum: nam in Decretis Canone Dicenti 25. quæst. 11. Pelagius Papa ait Rescripta quæ surreptione, aut falsis precibus impetrantur nullum ius afferre, & in glossa. Clericos qui iis vtuntur, officiis, & beneficiis expoliandos, Laicos vero excommunicandos esse, at Principum rescripta, quibus Papa iurisdictiones obtinuit, erant subreptitia, si non ratione scriptionis & expeditionis, saltem ratione causæ in iis allegatæ, quæ fuit, quod pietas Christiana posceret, vt illis donis & priuilegiis ornarentur Episcopi, expresse contra Dei verbum.*

Episcopis negant ius ad ministrandæ Reip. vt eos spolient.

Et paulo post ait non aliter quam per latrocinia Papam acquisiuisse temporalem potestatem. Deinde pergit: Alexander III. *Papa rescriptione in capite* Vigilanti. Et Innocentius III. *Papa in capite*, Si diligenti. Et Concilium Lateranense *in capite*, Quoniam. & in canone, Placuit 16. quæst. 3. *Canonistæ aiunt, sicut in malæ fidei possessore, tempus non tollit obligationem, neq; ius aliquod acquirit, at bona fide Principatus illos Episcopi non obtinuerunt, qui contra Christi institutum vt supra: recte ergo Bellarm. ius Papæ cum regno per latrocinia acquisito cõparat.*

Episcopos & Papam per latrocinia obtinere, nec præscribere aiunt.

Denique Principes qui Ecclesiæ bona donarunt, accusat: *Principes*, inquit, *qui Ecclesiæ donarunt, vnde Pastores se alere possunt, laudandi sunt, at qui immensas illas opes tradiderunt, vnde sumptuose & otiose viuunt, male fecerunt, quia ita Ecclesiam corruperunt, ideo recte illud:* Religio peperit diuitias, sed filia deuorauit matrem: *habebant quidem Principes zelum, sed non secundum scientiam, qui vero iurisdictiones temporales contulerunt, impie fecerunt, quia Christi institutionem violarunt, nec Papæ Christi exemplum sequuti sunt, qui quum Iudæi illum Regem constituere vellent, fugit:* Ioan. 6. 15. *Vide Bernard. in libris de consideratione.*

§. 2. Hinc facile patet si sententia prædicantium res decidatur, omnem jurisdictionem temporalem Episcopis, & Prælatis auferendam; nam impie donatam, & acceptam arbitrantur, per latrocinia acquisitam, & nunc nullo jure præscriptionis, sed tanquam à malæ fidei possessoribus, & latronibus injuste teneri, ideo à Principibus sæcularibus data occasione eripi omnino posse.

Adulatores Principum illis spolia Ecclesiæ concedunt.

Nec fœdera vlla, aut pacta posse obsistere, vel leges imperij, quia ait esse contra legem diuinam. Hinc clarum est, fieri non posse, vt quamdiu hæresis ista dominatur, pax constituatur, cum altera pars alteram licet donationis, emptionis, præscriptionis jura prætendentem inique possidere, & latrocinio tueri se arbritretur, hinc legum, & judiciorum omnem vigorem necessaria consequentia exstinctum eunt: quicquid enim pro Ecclesiastico quocunque Iudices Cameræ Imperialis decernunt, id illi impostores contra jus & æquum pro latrone decretum esse affirmant. Si Princeps sæcularis Episcopi alicujus opes ditionemque inuadat, atque occupet, vindicias à latronibus jure captas pronunciant.

Hæresis illa pacem tollit.

Hæc opinio summam inter status diffidentiam, & bellum ἀσπόνδον efficit, quod etsi non semper geratur, semper tamen timetur, & paratur. Nec securus vllus Episcopus esse potest, si suis ministris aliquando credant Principes sæculares, quos spe opum Ecclesiasticarum in cædes, & exitia patriæ agere

Caussa diffidentiæ inter Principes.

agere furor ministrorum assidue conatur. Subactis vero direptisq; Episcopatibus, fugatis, aut cæsis Episcopis, Pastoribus, Doctoribus libere hæresin suam exultare posse, grassariq; confidunt. Sed errant, & errorem illorum Deus mundo jam dudum ostendit.

Iure naturali regnū, & Sacerdotium non pugnat.

§. 3. Certum est, jure naturali sacerdotium & regnum, seu jurisdictionem ciuilem non pugnare. Nam in lege naturæ ijdem & Reges & Sacerdotes erant. Gen. 14. Melchisedec, Moses Ex. 18. est judex & Pontifex, & Heli. 1. Reg. 1. Maccabæi Principes fuere & Pontifices. Respondet Scharpius illa tum licuisse, nunc minime, deinde fuisse illa extraordinaria.

Hoc primum nobis omnino satis est, scil. primogenitos simul Principes & Sacerdotes fuisse, duoque illa officia Patriarchas, Prophetas, aliosq; vsurpasse. Alterum falsum est: Nam in lege naturæ ordinariè fuere Principes ijdem, & Sacerdotes. Deinde Maccabæi ordinarij Pontifices, & Principes fuere.

§. 4. Deinde. Non est in N. Test. cautum lege aliqua, ne idem Princeps sit, & Episcopus, seu iurisdictionem habeat ciuilem, & Ecclesiasticam. Nam leges quas in hanc sententiam allegāt, nihil pro ea faciunt, & argumenta sunt friuola, quæ perpendere operæ precium fuerit, tantum vt seditiosorum ruditas, & ingenij imbecillitas appareat.

Arg. 1. *Quæ Deus separauit & distinxit, illa non sunt ab hominibus confundenda, Matt. 19. 6. at Deus munera ciuilia, & Ecclesiastica, tàm sub V. quàm sub N. T. distinxit, personis administrantibus, causis, legibus, pœnis, &c. (nisi extraordinarie & certis temporibus) vt 2. Chron. c. 19. Matth. 18. 15. Ergo in persona vnius hæc simul esse non possunt.*

Olim iuncta fuere officia Ecclesiastica & ciuilia.

Respondeo: Matt. 19. 6. scriptum est, *Quæ Deus coniunxit, homo non separet*: agit autem de matrimonio. Deinde 2. Par. 19. Iosaphat officia templi: & ciuilia distinxit. At vero non est rationi consentaneum, vt quamuis aliquando illa separata sint, vt nunquam conjungi queāt. Sunt enim talia, vt pro ratione temporum mutentur, in Mose, Heli, Samuele, Maccabæis vtraq; potestas conjuncta fuit. Quin & Eleazar filius Aaronis Ios. 14. 1. partitur *terram filiis Israel, & Iosue filius Nun, dare vero terram*, vt ibi scribitur, ad sæcularem pertinet jurisdictionem. Quæ v. species est argumenti: Deus matrimonio conjunctos separari non voluit, non ergo Episcopus potest esse judex in causa ciuili, aut administrare partem Reipublicæ, ne pagum quidem?

Arg. 2. *Quod Christus ipse ad se pertinere negat & recusat, id ad illius successores & ministros pertinere non potest, quia nullius potest esse maior authoritas, quam Christi, Matt. 10. 24. at negat Christus, jurisdictionem ciuilem ad se pertinere, Luc. 12. 14. Ioh. 6. 15. & c. 8. 11. ideo rectè Chrys. hom. 42. in Ioh. hoc fecit, vt admoneret de humanarum dignitatum contemptu, & ostenderet se nullis secularibus rebus indigere. Ergo.*

Respondeo. Luc. 12. 14. Fugit Christus officium judicandi, *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Iohan. 6. 15. *Fugit cum vellent eum facere Regem.* Ioh. 8. 11. quærit ex adultera: *nemo te condemnauit*, & respondenti: *nemo. Nec ego*, inquit, *te condemnabo.*

Christus aliqua fecit, & aliqua omisit, quæ nos non obligant.

Sed nihil hæc conficiunt contra jurisdictionem Episcoporum temporalem. Christus enim diuisionem illam rejecit, non quia judicare non potuit, sed quia legitimam ob causam noluit; nam primo habebant illi suum magistratum: deinde ex illa diuisione Pharisæis calumniandi, magistratui sæuiendi occasio dari potuit. Deniq; non venerat ad agellos diuidundos. Quod si hoc factum ita accipitur, vt omnis jurisdictio, & ciuile officium ab Episcopo auferatur: non poterunt Ministri Euangelici, vel diuidere agros, vel arbitri esse, aut testes rerum politicarum. Quis enim eos constituit diuisores? Fugit Christus regnum, quia honores fugiendos exemplo docuit. Fugerunt regna, & Episcopatus viri multi, sancti, & prudentes: alij tamen eadem sine fraude, sine culpa acceperunt. Si datum exemplum obligat, omnes igitur regno arcet. Fugiendum est enim quod Christus fugit. Nam Donatistæ, Libertini, Anabaptistæ his verbis contra Magistratum vtuntur. Munus enim imperandi in se malum esse ajunt. Atq; vtinam ministri exemplo Christi potius, quàm suis moribus viuerent. Christus enim non habuit vbi caput reclinaret, Christus vxorem non duxit, nec tamen hactenus è ministris imitatorem inuenit. Fugiant igitur possessiones, & vxorem, quia Christus fugit.

Honores fugiendi sunt omnib. nisi legitima de causa admittantur.

Arg. 3. *Si regnum Christi non est ex hoc mundo, non circa res huius mundi, tum nec officium Ministrorum debet esse circa res politicas & principatus ciuiles, at prius*, Ioh. 19. 36. 1. Cor. 4. 1. 2. Cor. 10. 4. *ideo rectè Ambrosius, non conuenit vni duplicem habere possessionem: & Lyra in c. 6. Ioh. Christus non acceptauit honorem, dans exemplum fugiendi honores.*

Resp. Regnum Christi non erat de hoc mundo, vt mundana potentia, & opibus fulciretur, venerat enim vt non modo regno non vteretur, sed ne possessiones quidem haberet. Non tamen vetuit Christianos habere regna, quamuis Episcopi sint, sicut nec habere possessiones, & possunt circa negotia ciuilia, imò interdum debent occupari, si ita salus Reipubl. & religionis causa postulet. Sane si nobilis, si baro, si comes, si Princeps aut Rex ministerio se Ecclesiastico mancipare vellet, si per impositionem manuum ordinaretur, jure non possent eum jurisdictione, & regno priuare. Cur enim tanta eum pœna dignum arbitrarentur, vt se, filiosque, suscipiendo munere prædicantis exueret? Potest igitur Superintendens Caluinianus, aut Lutheranus vtramque jurisdictionem tueri, cur igitur non poterit Catholicus?

Nobilis si prædicans fiat, iure suo excidet?

Arg. 4. *Quod Apostolis vetitum fuit, qui erant primarij post Christum Ecclesiæ Ministri, id aliis non licet, at principatum exercere Apostolis simpliciter vetitum fuit, Matth. 20. 25. Marci 10. 43. Luc. 22. 25. ideo rectè Tertull. de idololatria, c. 18. Christus gloriam sæculi sibi & suis alienam esse iudicauit*, & Bern. l. 2. de consid. c. 4. *Apostolis interdicitur dominatus, ergo tu vsurpare aude, aut Dominus apostolatur, aut Apostolus dominatur, plane ab vtroq; prohiberis*: & Cyrillus in Ioh. l. 3. c. 20. *honor & gloria mundi fugienda sunt iis, qui volunt gloriam Dei consequi. Ergo.*

Dominationis superbia, non potestas negāda Episcopis

Resp. Locum Matth. 20. 25. esse fulcrum, sed ruinosum hæresis cauillatricis, *scitis* (ait Dominus) *quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, &c.* Verum nihil ad rem præsentem: Illis enim verbis durus, & imperiosus dominatus, qualis est hominum sua commoda quærentium prohibetur, hoc est enim, κατακυριεύειν, dominatu violento premere, hoc est, κατεξουσιάζειν potestatem in subjectos cum fastu exercere. Itaque non imperium, sed imperii abusus, violentia & superbia verbis illis reprehenditur.

Apostoli omnia reliquerunt, ideo nec regna habuerunt.

Objiciunt eundem locum contra magistratum Anabaptistæ, quibus respondet Scharp. *Christus enim distinguit ministerium à dominatu ciuili, etiam legitimo, quia non vult ministros dominari in Ecclesia, vt reges in regno.* Addendum vt reges gentium in regno, vt illo tempore Herodes, Tiberius, alii.

Quis prædicantum reliquit omnia.

Arg. 5. *Christus non mittit Pastores ad aliud munus exercendum, quam illud ad quod missus fuit à Patre. Ioh. 20. 21. at Christus non fuit missus ad politicum principatum exercendum, vt Bell. concedit supra c. 4. ideo rectè Chrysost. hom. 11. in Epistol. ad Ephes. sermonis doctrina nobis commendata est, non potestatis authoritas.*

Missio spiritalis ex se non est iuncta cum imperio temporali.

Resp. Pastores à Christo mitti ad munus spirituale exercendum, nec illa missione ciuile imperium dari: sunt enim distincta imperia, & munia. Non tamen prohiberi, quo minus ad salutem Ecclesiæ, & Reipubl. etiam curam ciuilem suscipiant pastores. Sane magi-

magistri discipulis constituuntur, vt eorum ingenia explorent, mores que formen t, non tamen vetantur etiam eorum causas agere, sanitati, victui, habitationi consulere Imo id sæpè necessarium est.

Quamuis igitur missio ad munia sollicitudinem q; ciuilem non obliget, crebro tamen est vtilis ea cura, interdum necessaria, non autem vetita. Nisi quispiam forte Ambrosium reprehendat, dum periculosas legationes pacis causa obit, aut alios Episcopos, suorum saluti inuigilantes condemnet. Quid porro facient Episcopis Germaniæ Lutherani Lutherani, aut Caluinianis in Anglia Caluiniani, qui non modo latè imperant, sed regia etiam officia in aula administrant?

Arg. 6. *Si officia necessaria etiam naturalia sunt omittenda, vt officio Ecclesiastico ministri fungantur, tum multo magis debet minister abstinere ab officio & Principatu politico: at prius. Luc. 9.60. ideo recte Concil. Calcedon. can. 7. vetat ne Episcopus, sub pœna excommunicationis, recipiat sæculares honores: & can. 3. ne vllus Clericus suscipiat in se tutelam & curam Orphani.*

Vocationi cito est parendum.

Resp. Naturalia officia Christum no vetuisse: Vocabat discipulum, ille veniam petit sepeliendi patris, idilli negat Christus. *sine*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos, Tu autem vade, annuncia regnum Dei.* Dilationem, & inducias ille postulabat, & quidem incerti temporis, ad mortem vsq; patris; quid si enim pater vitam non in longum modo tempus, sed etiam vltra filij annos produceret? Hæc tarda molimina Christus abscindit. Nec enim pater mortuus erat, sicut nec illi mortui, qui mortuos sepulchro mandaturi erant, sed mortui fortasse, quia vitam gratiæ amiserant. Ita sane Beza interpretatur. *Veræ videlicet vitæ expertes, & doctrinæ de vita æterna contumaciter resistentes.* Quod si hæc sententia Christi Domini jubet ministros Ecclesiæ ab omni naturali officio abstinere, adeo vt nec parentum funeri interesse possint, quis excusare tentabit prædicantes, qui parentes funerant, hæreditatem adeunt, cum alijs sæpè litigio & jure diuidunt? Imo matrimonia ineunt, alijsq; procurant, filias nuptui dant, filijs vxorem deducunt domum. An non sunt ista sæcularia?

Milites quædam ciuilia exercere possunt,

Arg. 7. adducit exemplum de militibus, qui se non implicant negociis sæcularibus; An nescit hæc eo vsq; noxia, dum impediunt spiritalia, alioqui vtilia & diuina esse? Ciuilia negotia à viro spirituali ad gloriam Dei possunt spiritualiter agi. Certe August. non modo causas judicauit, sed id moris esse significat. Epi. 147. *Et homines quidem causas suas sæculares apud nos finire cupientes, quãdo eis necessarij fuerimus, sic nos sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: aliquando agamus & nos negotium salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de fundis & pecoribus, pro quibus rebus quotidie submisso capite salutamur, vt dissensiones hominum terminemus, sed de ipso capite nostro tam turpis inter nos, & pernitiosa dissensio est.*

Augustinus causas iudicauit.

Verum hæc ita tractanda sunt, vt secundaria, atq; vt spiritalia non impediant. Sanctum esse, atq; vtilissimum opus Reipubl. causas, controuersias q; audire, & finire, nemo est, qui non intelligat, nisi adeò contentiosus sit, vt discordijs, litibus que delectetur.

Arg. 8. *Qui totus debet esse in lectione & prædicatione, tempestiuè, intempestiuè, vt possit animarum rationem reddere, is non debet præter officium Ecclesiasticum, etiam ciuile exercere; at, talis debet esse Minister Dei, Rom. 12.17. 1. Tim. 4.15. 2. Timoth. 4. 2. ideo recte Carthag. Concil. 4. 6. iubet Episcopum attendere solum prædicationi, lectioni, precationi: & Canones Apostolorum iubent, excommunicari Episcopum, qui sæcularibus rebus se implicat.*

Prædicatio non impedit omnia officia.

Resp. Apostolus inquit, *hæc meditare, in his esto. Et, prædica verbum, &c.* Episcopis omnibus hæc dicta. Verum ita, vt nec hospitalitatem, nec alia omittant. Possunt vero ista præstare, & hæc non omittere. Nonne potuit Dauid in lege Domini meditari die ac nocte, & tamen bella gerere; regnum administrare, vicinas gentes subigere? Nonne multi sancti Reges id egerunt, quamuis multis, maximis q; regnis imperarent? Cur igitur Episcopus aliquis ditiunculam administrare nequeat, & simul animarum saluti inuigilare? Tria regna magnæ Britanniæ Rex in vnum corpus redacta administrat, & est tamen caput Ecclesiæ, cur non Episcopus Cantabrigiensis aliquot oppida curare possit? Nec queri hac de re ministri possunt, qui domesticis publicisq; reb. impliciti meditationi rerum diuinarum minimam temporis partem assignãt.

Arg. 9. *Si Apostoli, qui multis Ecclesiæ ministris, donis inferiores non fuerunt, non poterant, duo Ecclesiastica munera exercere, inter quæ maior est affinitas, quam inter Politicum & Ecclesiasticum, tum multo minus possunt alii ministri principatum ciuilem & Ecclesiasticum administrare; at prius, Act. 6. 2. & 4. ergo.*

Resp. Apostolos inter magistratus Iudæorum, & gentium versantes nullam jurisdictionem ab illis accepisse: Potuisse tamen eos judicare. Imo Paulus Apostolus quod plus est, quam judicare, nouum tribunal erexit. 1. Cor. 6. 4. *Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Ecce ipse inscio Cæsare, in media Ecclesia judices rerum sæcularium constituit. *Si* sine jurisdictione, cur id fecit? si cum jurisdictione, potestatem igitur habuit hoc imperandi. Duo igitur munia illa ab vno possunt exerceri: cur igitur vnus Pastor minimi pagi, non posset eundem & ciuili & spiritali jurisdictione regere, cum vnus Rex tot regna administret?

Paulus tribunalia cõstituit.

Ad argumentum 10. & 11. jam responsum, cura pastorum spiritalis tantum spiritalia, ciuilis etiam ciuilia officia exercet.

Argumentum 12. *Si nemo est idoneus ad solum munus spirituale exercendum, tum qui ad illud est vocatus, non debet aliud ciuile exercere: at prius, 2. Cor. 16. Ergo.*

Respondeo. Nemo plane ciuile imperium nisi vocatus administrat, quicunq; enim Episcopi sæcularia suarum diœceseon negotia tractant, ad hoc legitima electione vocantur.

Arg. 13. *Si licet ministerio exercere Principatum politicum, tum licet politico Magistratui fungi officio Ecclesiastico, quia horum par est ratio: at consequens est absurdum, vt ex Scriptura patet: nam qui hoc sibi arrogarunt, grauiter à Deo puniti fuerunt, vt in exemplo Oziæ Regis, & aliorum videre est, ergo.*

Princeps ordinari potest, nec ideo principatũ amittet.

Resp. Longe diuersam esse rationem: Quia multo eminentior est sacra, quàm ciuilis potestas. Deinde legitimo sensu hoc concedi potest. Quemadmodum Episcopus ciuitatem politice regere potest, si hoc ei regimen offeratur, ita Princeps si sacris initietur potest sæcularem jurisdictionem retinere. Non enim certis familijs Sacerdotium Christianum continetur, quemadmodum Leuiticum, itaque ad hanc rem nihil facit Oziæ Regis exemplum.

Ad arg. 14. responsum est. Episcopi enim ex vocatione, & officio non sunt judices rerum sæcularium, aut Reipublicæ rectores, sed donatione & vocatu Principum, quamuis Ecclesia jussu Episcoporum suam habeat in judicibus constituendis quandam libertatem, vt ex S. Paulo docui. In prima vero Ecclesia Principes non fautores, aut patroni, sed carnifices erant Episcoporum, nec dignitate illi eminebant, sed in speluncis & cauernis terræ delitescebant.

Hæc ille non modo contra Catholicos, sed Lutheranos & Caluinianos, qui varijs locis Episcopali titulo, & potestate tàm sæculari, quàm spiritali, sed magis sæculari vtuntur. Objiciunt alij multos abuti opibus Ecclesiæ. Verum est, sed abusus ad vitia hominum pertinet, non autem ad ordinis confusionem.

Multi

Abusus opū est etiam in sæcularibus

Multi diuitum lasciuiunt in luxurijs suis, non tamen ideo rerum suarum Domini esse desinunt. Sic ipse Scharpius de magistratu, q.1.obj.7.argumentum Anabaptisticum proponit. *Multi Principes abutuntur potentia, & pauci fuerunt boni.* Respondet: *Est captio ab Accidente, quia vitia personæ non vitiant officium, simile est, Iudas fuit malus, ergo Apostolicum officium reiiciendum. Negatur sequi, Deinde plures fuerunt boni reges.*

Scharpius Mennonizat.

Idem plane sibi responsum putent qui res ipsas propter abusum sublatas cupiunt.

§.6. Alterum Sectariorum axioma est. Leges ciuiles, seu leges magistratuum non obligarein conscientia, ita de Magistratu Scharpius quæst.2.

Magistratus politici autoritatē tollunt.

Hinc consequitur primo. Ex sententia aduersariorum omnem vim legum, auctoritatem q; magistratus eneruari, atq; abjici. Si enim conscientiam leges ciuiles non constringunt, ergo nec imperium magistratus. Nam legem ita ita definit Scharp. q.1. *Lex nihil aliud, quam regis iussio.* Si igitur præcipua jussio, quæ ferendis legibus constat, non obligat conscientias subditorum, multo minus aliæ, quæ minore studio, solennitate, curaq; promulgantur. Secundo. Hinc originem videmus conturbatæ pacis in Germania. Postquam enim sine crimine leges ciuiles migrare se posse audierunt homines, quos ante leges vix regebant, quicquid moliri contra leges potuerunt, id licitum duxerunt; hinc contemni edicta Cæsarea, eludi judicium Cameræ, vexari leges omnes, sententiæq; judiciorum, si enim conscientiam non obligat legislator, nec metus vindictæ incumbit, cur pareant illi legib. quibus id damnosum est? Huic igitur sententiæ discordias, & clades tribunalium debemus, hinc tot exortæ lites, & causarum pendentium ac revidendarum rixosa immortalitas.

Prædicantes omnia iudicia tollunt.

Quam vero illi pernicioſe, grauiterq; errent, multa nos docent. Nam legis communis est ratio, vt obliget, non modo ad pœnam, sed etiam ad culpam, nisi speciatim id excipiatur. Nec rationem eleuat Scharpius, cum ait, *Ius in conscientiam habere neminem, nisi solum Deum.* Quia jus hoc in conscientiam à lege Dei dimanat, si enim magistratus vicarius est Dei, ergo loco Dei imperat, obediendum est igitur tanquam à Deo misso, ideoq; peccant, qui illi repugnant. Deinde q.2. licet, inquit Scharpius, patrifamilias liberos, & servos disciplina regere, castigare, præmijs afficere, ergo & magistratui, qui est pater Reipublicæ. Conclude amplius, ergo & obtemperandum est subditis, sicut filijs. Inter grauia enim peccata filiorum refertur parentibus non obedire. Hinc idem Scharp. q.1. *Magistratus dicuntur Dii, quia à Deo instituti Dei locum tenent Ioſuæ 10. v. 35. & qui magistratum reiicunt. 1. Sam. 6. 7. ergo. Officium cuius leges præscribit Deus, est à Deo: at magistratus leges præscribit Deut. 17. & alibi, ergo.*

Omnis lex obligat.

Magistratus loco Dei imperat.

Qui dantur & mittuntur à Deo, vt serui Dei etiam propter bonum Ecclesiæ, illorum officium est bonum, & inter Christianos tolerandum. At Magistratus sunt tales, E. vide Prou. 8. 15. Is. 10. 5. & 45. 1. Ier. 27. 6. Ez. 29. 20. Dan. 2. 34. & alibi, ergo.

Et deinceps *præcipitur in N. T. vt magistratui nos subiiciamus, vel Ethnico Matth. 22. 21. Rom. 13. 1. & seq. Tit. 3. 1. Pet. 2. 13. Ergo multo magis licet subesse magistratui Christiano, & si licet subesse magis quia præesse, ergo subesse magis contrariatur libertati Christianæ quam præesse, q; autem Deus præcipit, est bonum, & inter Christianos tolerandum, ergo.*

Si conscientia nulla sit, pœnam facile eludunt aut sustinent.

Cum autem lex sit jussio magistratus omnino obligat, quamuis sit de re alioqui indifferente. Exemplo sit lex Anglicana, *Ne die mercurii carne vescantur incolæ.* si non potest ad hoc obligare conscientias Rex, clam igitur omnibus liberum est, quemadmodum ante legem, vesci carnibus, nec quicquam juris in animos Rex obtinet.

Non est dissimulanda Satanæ in subuertendo ordine, & disciplina consilium. Initio turbarum, Prælatorum Ecclesiæ auctoritatem, potestatemque, & leges disputando conuellebant, Magistratum politicum tueri se profitebantur, imo multum etiam juris in Ecclesiam vltro largiebantur. At vero vbi Ecclesiasticas leges vi, arte, vitiisq; oppresserunt, Politicas aggrediuntur, earumque neruos dissoluunt. Minus enim illis, quam Ecclesiasticis tribuunt. Sic enim Scharp. q.2. *Si leges Ecclesiasticæ non obligant conscientiam extra casum scandali, & contemptum, tum multo minus ciuiles.* Ecce tibi, leges ciuiles infra Ecclesiasticas ponunt, quid aliud supereſt, quam vt quemadmodum Canones Luther. in cinerem redegit, ita quoq; Pandectas, Codicem, omnes Nouellas, omnia Germaniæ jura totam Cameram, atq; adeo justitiam ipsam exurant?

Dissoluendæ Reipubl. initium à prælatis, finis in principibus.

Tertium axioma est; Licere magistratus ipsos occidere. De quo errore in libro de Syncretismo actum est à me, sed à quodam anonymo quædam sparsa intellexi, de quib. alibi breuiter lector instruendus est.

Caput X.

Vita Ecclesiasticorum laudabilis commendata.

§.1. Mores Sacerdotum ad Reipubl. salutem, vel euersionem valere, omnis ætas docuit. Exempla enim potentum in vulgus manant, exempla sacerdotum perrumpunt. Qualis sacerdos talis populus, quin imo vulgus Deum talem arbitratur, quales vidit illius administros. Deos adulteros, homicidas, fures, perjuros antiquitas finxit, vt cœlestium exemplo sua scelera excusaret, inde in theatro spurcitia, in circo furoribus, in amphitheatro crudelitate, vbique scelerib. colebantur. Dæmonum assectæ, & ministri ipsos Deos suos proxime moribus exprimebāt. Orbi quidem vniuerso sacra exempla debent Sacerdotes, Deo autem omnia, tanto impensius, quanto arctius illi conjunguntur.

Mores Sacerdotū populum trahunt.

Hoc nos jura nostra docent caus.2.q.7.can.41. *Nos si competenter aliquid egimus, & subditis iustæ legis tramitem non conseruauimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio: quoniam si nos, qui aliena debemus corrigere peccata, peiora committimus; certe non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri; Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus, vt tales ad hæc, quæ diximus, perquirenda Missos in his partibus dirigatis, qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset imperialis gloria) diligenter exquirant; & non tantum hæc sola, quæ superius diximus, quærimus, vt examussim examinent: sed siue minora, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine: quatenus imposterum nihil sit, quod ex eis indiscussum, vel indefinitum maneat.*

Error Sacerdotū populi pernicies.

§.2. Cum igitur omnes causæ cur bene viuendum sit, in Clericos conueniant, illis tamen illa, quæ ad exempla pertinet, est peculiarissima. Nam cum in alto loco sint, cum arctiore disciplina viuant, cum primo motori immobili propinquius hæreant; conspectiora sunt eorum errata, magis deflectunt, & efficacius omnia conturbant. Nec tamen ita famam vereri debent, vt etiam conuitia, & calumnias vitare se posse confidant. Recte hac de re nos canones instruunt. caus.11.q.3.can.55. *Inter verba laudantium, siue vituperantium ad mentem semper recurrendum est, & si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magnam tristitiam generare debet: & rursum si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus latitiam prosilire: Quid enim, si homines laudent, & conscientia nos accuset? aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia liberos nos esse demonstret? Habemus Paulum dicentem (gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ) Iob quoque dicit. Ecce in cœlo testis meus. Si ergo est nobis testis in cœlo, testis*

Vitia Clericorū potentius cur moueant.

Inter laudantes, & reprehendentes sola conscientia iudex est.

Inter laudantes, & reprehendentes sola conscientia iudex est.

testis in corde, dimittamus stultos foris loqui, quod volūt. Quid aliud detrahentes faciunt nisi in puluerem sufflant, atq; in oculos suos terram excitant? vt vnde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis, videant vocandi tamen etiam sunt ipsi & tranquille admonendi, eisq; satisfieri modis omnibus debet; scientes quid de Iudæis veritas dicit (ne forte scandalizemus eos) si autem satisfieri sibi ex veritate voluerint, habes consolationem, quam in S. Euangelio conspicias. Cum enim Dominо dictum fuisset, scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt: respondit, sinite illos; cæci sunt & duces cæcorum. Paulus quoq; Apostolus admonet dicens: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, dicturus quippe pacem habentes cum omnibus hominibus, quia hoc difficile esse prospexit; præmisit, si fieri potest. Sed tamen adiunxit, quod posset fieri, cum dixit, quod ex vobis est. Quia si nos in mente charitatem erga odientes seruare cupimus, & si illi nobiscum pacem non habent; nos tamen cum illis sine dubio habemus.

Vita Clericorū à Paulo descripta.

§ 3. Clerum nobis Christianum Apostolus Paulus describit, à cuius lege ne latum quidem vnguem recedat Ecclesia, necesse est. 1. Timoth. c. 3. v. 1. & seq. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene propositum, filios habentem subditos cum omni castitate.* Et v. 12. *Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filijs suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.*

Et 2. Timoth. c. 2. v. 1. *Idonei alios docere, Bonus miles Christi,* & v. 15. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis Et Tit. 1. v. 5. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego dispositi tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habentes fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.* Hic Clerus sit Christianus, hæc sors Domini: Nos singula seorsum inspiciamus, & quanquam superius de virtutibus prosequendis, vitiisque fugiendis à nobis abunde tractatum sit; non tamen locus hic præteriri potest, quo minus breui compendio vita clericorum describatur. Hæc igitur scita Pauli sunt.

Episcopatū appetere, cū in gradus esset ad martyrium, erat gloriosum.

§ 4. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* εἴ τις τῆς ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. *Si quis desiderat,* non ambitione honoris, nam laboris hoc sanctum desiderium esse debet. Olim facilius purum esse potuit, cum paupere in grege dux primus ad lanienam petebatur; cum populi gentilis clamoribus honorabantur, & peterent *Episcopum ad Leonem.* Nunc in tanto honore, opibusque facilius est dignitatum, quam ærumnarum appetitus.

Innocentia episcopalis.

§ 5. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Quod hic in Episcopo requirit, idem in Titiana in presbytero postulat. Non enim in Episcopo sufficit malū non esse, sed non esse quā optimum, plurimum nocet, & illis qui illo meliores, & qui deteriores sunt; In perone lutum non offendit, in purpura dilutior color contemnitur. Necesse est igitur vt sit ἀνεπίλημπτος; quomodo corriget, qui suam censuram ipse redarguit? Tit. 1. v. 5. vocat ἀνέγκλητον. vt accusari legitime non possit.

§ 6. *Vnius vxoris virum.* Non exigit ab Episcopis matrimonium, vt rem necessariam, vt contra quosdam suorum recte Caluinus docet. Junius tamen Caluinianus teneri eum semper vxorem habere, ob significationem mysterij contendit, qua sententia Paulum Episcopatu deijcit; Imo illi ad continentiam hortanti 1. Cor. 7. contradicit. Denique c. 20. num. 7. Liberum coniugium Episcopis esse vult. At sensus est Episcopum, nec simul, nec successiue plures vxores habere posse, & si quis plures habuerit, ordinari non debere. ita Tertul ad vxorem, Epiph. hæres 59. Chrysost. Theoph. Oecum. in hunc locū. Amb. l. 10. ep. 82. & l. 1. de offic. c. vlt. l. de dignitate sacerd. c. 4. Aug. de bono coniugii c. 18. & l. 22. contra Faustum c. 47. Hieron. epist. ad Oceanum. Cyriacus Papa ep. 1. c. 11. Leo ep. 58. Gelas. ep. 1. c. 5. Innoc. epist. 27. Ratio eorum est, quia semper illa legis in Ecclesia praxis versata est, consuetudo autem optima legis est interpres. Nec vllo tempore fuit inter Christianos polygamia, qua plures vxores simul haberentur vsitata. Ad sanctitatem sane diuinorum officiorum, quietemque, & studia scripturarum castitas sacerdotum vtilis est. Atque etiam eum in finem, ne vxoris sumptuosæ cura, filiorum educandorum, ditandorumque cupiditas, ac sollicitudo horas doctrinæ ac precationi debitas sibi vindicet, hospitalitas negligatur, piorum elemosynæ in luxum domesticum vertantur. Eius rei magna esse pericula, temporum vitia demonstrant; multi enim de bonis Ecclesiæ nepotes, cognatosque saginatos inferis destinant; quid illi facerent, si filios, hoc est, intimos affectus haberent?

Episcopus est, si non potest, si plures vxores habuit.

Sobrietas sollicitudini sacerdotali necessaria.

§ 7. *Sobrium* Episcopum & presbyterum esse vult, νηφάλιον: est enim magnæ curæ & vigilātiæ necessaria sobrietas, quemadmodum fere luxus, & ebrietas Clericorum ex otio nascitur. Sobrietas & vigilantia indiuiduæ sunt comites. Vinum bibere vetabantur Aaronici sacerdotes cum sacra peragerent; & nostra quoque sacra νηφάλια sunt. Ebriosus sacerdos, res monstrosa est. Quantum obsit ebrietas reipublicæ suo loco docui. nunc de Clericis dicendum, in quibus illa in Germania non punitur, quæ adeo ex lex est. vt crebro laicis necessitatem potandi adferat. Firma tamen, & nostris vitiis inconcussa manet lex Dei, ore apostolico promulgata; 1. Cor. 5. *Si quis nominatus frater, fuerit fornicator, aut auarus, aut ebriosus, cum eiusmodi nec cibum sumere.* βάῤῥαι (inquit Chrysostomus) πόσην ἀκρίβειαν, ἡμεῖς δὲ καὶ μόνον οὐ φεύγομεν τοὺς μεθύσους, ἀλλὰ καὶ ἀπερχόμεθα πρὸς αὐτοὺς μεθύοντας τῶν παρ' αὐτῶν. *Papæ quanta accuratio. Nos vero non solum non fugimus ebriosos, sed etiam accedimus, vna sumpturi quæ ab ipsis.*

Clerici ebriosi in Germania puniendi sunt.

Clerici ebriosi officio priuandi, & beneficio.

Minime decet eum crapula & ebrietate grauari, cui mens semper in oratione versari debet. Itaque nec ordinandus est quidem ebriosus, nedum sine pœna relinquendus. Nam I. Canones Apostolorum 42. & 43. deponunt. ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κύβοις σχολάζων, ἢ μέθαις, ἢ παυσάσθω ἢ καθαιρείσθω. *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus aleæ, vel ebrietati seruiens vel cesset, vel damnetur, seu deponatur.* Et can. 43. ὑποδιάκονος, ἢ ψάλτης, ἢ ἀναγνώστης τὰ ὅμοια ποιῶν, ἢ παυσάσθω, ἢ ἀφορίζέσθω, ὡσαύτως καὶ ὁ λαϊκός. *Hypodiaconus, aut psaltes, aut lector, similia faciens aut cesset aut communione priuetur; similiter & laicus.* Nunc meniæ Clericorum, Laicorumque plenæ sunt vomitus sordiumque, quas si disciplina non absterget, Turcorum ἀσωτία & abstinentia euertet. Turpe adhæc est, & noxium. Hieronym. ep. epist. 83. ad Oceanum, distinct. 35. cap. 4. *Ecclesiæ principes, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, quod eiiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque conuiuiis, & multo labore epulis conquisitis, & eiiciendi propter malæ cogitationes & opera sua. Et, si vis scire, quo eiiciendi sunt; Euangelium lege: in tenebras scilicet exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. An non confusio, & ignominia est, Iesum crucifixum, magistrum pauperum, atque esurientem fartis prædicare corporibus? ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem quoque, & abstinentiam amplectamur.*

Prælatorū delicias bella infidelium finiunt.

Si vero non modo vinolentum sacerdotem damnat Apostolus, sed etiam lex vetus Num. 6. Leuit. 10. seruientem altari prohibet *siceram bibere*, quia sta-

Graue est sacerdotem inebriari.

tum mentis euertit; quanto magis noui Testamenti Sacerdotes odisse conuenit ebrietatem? Nonne si crimen est inter nidores bubularum, & ouillarum carnium, inter cruores hircorum, & vitulorum, inter ignes, & sartagines ebrium versari; crimen non erit, ebriosis ructibus sanguinem filii Dei, sanguinem Testamenti miscere? Deum ac Dominum inter vinorum postridiana incendia manducare? Egregie igitur Concilium Agathense cap. 4. *Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum spacio à communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio.*

Pœna ebrii Clerici.

Hos canones in vsum reduci velim; nam si prisca disciplina non modo laxatur, sed etiam dissoluitur, quid tandem sperandum est de moribus? Quantam olim in Christianis temperantiam fuisse credendum est, Cum Eutychianus Papa ediceret. *Magnum ebrietatis malum, vnde omnia vitia pullulant Christianis, omnibus modis cauere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decernimus, vsque ad congruam emendationem.* Et tane conatus viris magnis non defuit. Otto Cardinalis Episcopus Augustæ Vindelicorum, Anno 1548. Synodum celebrauit, in qua ita statuitur. *Item qui ebrietati, & crapulæ, & commessationibus perpetuo dediti sunt, & inhærent, & maxime qui festos dies, aut noctes in tabernis exigunt, illis post factam confessionem venerabilis huius Sacramenti sumptione per triginta dies est interducendum, vti ab his vitiis sese emendent. Quod si facere nolint iuxta canonum decreta etiam morte multandi sunt.* Non est nimium seuera illa censura. Nam Deuteronom. 22. 18. ita DEVS iudicauit. *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicii, dicentque ad eos: Filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis: & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.*

Ebriosus ex communicatur.

Ebriosi inemendabiles morte multandi.

§ 8. *Prudentem, σώφρονα* vocat Græcus, quod temperantem aliqui interpretantur. Temperantia pariterque prudentia exigitur; hic prudentiam intelligo, nam de temperantiæ partibus sæpius mentio fit. Non sane sufficit ad Episcoparum recte gerendum sancta simplicitas, sed magna circumspectio inter tot malos necessaria est. Oportet ordinandum esse prudentem, quod contra eos notandum, qui sub nomine simplicitatis excusant stultitiam Sacerdotum. distinctione 39. *Sacerdotum labia custodiant scientiam, & legem requirent ex ore*; Verum hoc loco de prudentia gubernandi agi constat, quæ interdum eximiis, & sanctis alioquin doctoribus deest. Ideoque & sæculiarium negotiorum peritus esse debet; nam illorum tractatio ad pietatem sæpe vtilis, interdum est necessaria. ita Gregorius, Clero & nobilibus Neapolitanis epistola 40. libro 8. *Petrus Diaconus* (distinctione 39. capite 1.) *quem à vobis electum asseritis, omnino (vt ducitur) simplex est: & nostis, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subiectorum vtilitate, & cautela sciat esse solicitus.*

Prudentia publicæ personæ necessaria est.

Negociorũ cognitio Episcopis necessaria.

Simplicitas impedit ab Episcopatu.

§ 9. *Ornatum, κόσμιον*, compositum alii vertunt, seu habitu composito. intelligo eum, qui victu, habitatione, vestitu, decentem modestiam præsefert, qui verbis moderate vtitur. Plato lib. 1. Polit. vocat *κοσμίους, qui faciles sunt, & εὐκόλους*, affabiles, comes. Medium enim multorum omnibus accommodare sese, omnibus prodesse oportet. De hac *κοσμιότητι*, seu modestia ornatus, accipio tot canonũ præceptiones distinctione 41. capite 5. *Parsimoniam cum veste humili* (Concilio Granatens. capite vltimo.) *non reprobamus, sicut etiam ornatum propter curam corporis non superuacuam (ἀπερίεργον) laudamus: dissolutos autem, & fractos in vestibus incessus non recipimus.* Et aurea est regula Concilio Carthaginens. 4. *Clericus professionem suam & habitu, & incessu probet; & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quærat.* Non enim venerat Concilio in mentem perisscelidum postumas vanitates prædamnare. Incompositio corporis inæqualitatem mentis indicat. Mutabilis ille est, & conscientia affligitur, cuius modo est citus, modo tardus incessus.

Ornatus Episcopi est modestia.

Vanitas clericorũ quorundam.

§ 10. *Hospitalem*; Diuitem igitur esse oportet; aut à populo accipere, vnde hospitalitatem seu *φιλοξενίαν* perseueranter exercere possit. *Hospitalem vero* (distinctione 42.) *sacerdotem oportet esse, ne sit in numero eorum, quibus in iudicio dicetur (Hospes eram, & non suscepistis me.) Qui enim Apostolum secutus, alios ad hospitalitatem debet inuitare, quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim Sacerdos primum à seipso, & à domestica Ecclesia sua debet exigere, quod postea populis imperet: ipse primum, Christum imitando, ipse debet facere, qua postea populum doceat, necesse est, vt pauperes hospicio recipiat, quo ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat.*

Hospitalis esse debet, quia doctor est liberalitatis.

Zelandum esse pro hospitibus, quia hospitalitas etiã apud barbaros inuiolabilis custoditur, nos monent canones, 32. quæst. 7. offerebat. Imo 16. quæst. 1. quoniam. Res Clericorum vult esse communes maxime ad susceptionem hospitum. Maxime tamen prælatis ea virtus conuenit, quia cum habeant vnde possint esse liberales, debent & velle. distinct. 89. volumus, & 12. quæst. 1. quia. Olim sane tanti ea res fuit, vt Gregor. Archidiacono Florentino neget confirmationem Episcopatus, si tenax sit, vt eius domum nullus amicus introcat. distinct. 85. Archidiaconum. Hospitales igitur esse conuenit, qui alios cohortari ad hospitalitatem ex officio debent. Vtinam nunc in Clero sit ea *φιλοξενία*, quæ olim in laicis fuit. Carolus Rex Sveonum, eius, qui ter hospitium negasset, domum incendi iussit. Joannes Magnus l. 4. c. 2. Neque dubito, quin multæ prælatorum domus, multa monasteria in flammas abierint, quia adulatoribus, non hospitibus patuerunt.

Prælati hospitales sunto.

Inhospitalitatis pœna.

§ 11. *Doctorem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Ita sane explicatur quod in græco legimus, *διδασκαλὸν*, noster legit *διδάσκαλον*, eodem sensu, qui enim vere doctorem agit, ad docendum aptus sit, necesse est. Olim in Latino fuit, *docilem* quod merito Hieronym. reprehendit. Maxima est, sanctissimaque functio Episcoporum, *docere*: id ipsi per se præstare debebant, si non ex ambone, idoneos suo loco collocare tenentur, vt quorum errata ipsi sint luituri.

§ 12. *Non vinolentum.* Græcum textum, *πάροινον*, Chrysostomus interpretatur, qui vino ardens effertur, & bacchatur; Syrus vini sectatorem, Beza vinosum, quasi vino assidentem. Apostolus v. 8. *Non multo vino deditum* interpretatur. Est vero *πάροινος* per vinum, & lasciuiam, contumelias iniuriasque adferre. Hinc apparet *πάροινος* ebriosis peiores esse, cum ebrietati contumelias in alios adiungant.

§ 13. *Non percussorem.* *πλήκτην*, Chrysostomus: de maledico, & conuiciatore, sed non de verberum iniuriis intelligendum est Pauli dictum. Sed distinctione 86. cap. non liceat, vetatur percutere suis manibus, etiam eos in quos corrigendi potestatem habet. Et distinctione 45. capite septimo. Deiici iubetur Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, percutiens fideles delinquentes, aut infideles inique agentes. sic enim vitia non corrigunt, sed odio se, & timore

Percutere non licet.

more subditos onerant. Deponendi igitur illi qui Clerici militiam sectantur, qui noctu vrbium plateas infestant, obuioque cædunt. Quos potius domesticos, & vrbicos latrones, quam Clericos dixeris. Si enim Clericus in sacris ordinibus, non potest esse tabellio in causa criminali, vt est libro tertio decret. *Ne clerici.* &c. capite octauo. *sicut te.* Si Clerici nec dictare, nec proferre sententiam sanguinis debent, nec quicquam exercere per quod ad sententiam sanguinis tendatur, vt hoc loco tradunt, si Clericus arma portans priuilegio Clericali excidit post trinam monitionem. de sentent. excommunic. cap. In audientia. Quid illi merentur qui per iniuriam alios percutiunt?

Clerici grassatores eliminandi.

Facilis sit clericus, & cedat.

§ 14. *Sed modestum.* ἐπιεικῆ, æquum, de suo iure facile remittentem; nihil enim grauius, quam rigidi iuris exactio, si in principe sit. Nam inde contentio, odiumq; nascitur. Ideo & Dominus fratri septuagies septies vsque remitti imperat.

Pacificus sit clericus.

§ 15. *Non litigiosum.* ἄμαχον, à contentionibus & pugnis alienum. contra eos distinctione 46. capite primo. *Ecce, quare litigiosi prohibentur in episcopos ordinari. Est & alia causa huius prohibitionis. Litigiosi namq; vel adulationibus animos principum sibi conciliant: vel fratribus suis detrahendo, infamiæ notam ingerunt; vel inter fratres discordiam seminando, seditionem numquam facere cessant: quæ omnia in prælatis damnabilia esse probantur.*

Denique distinctione 90. Litigantes in concordiam vocare Sacerdos, non ergo ipse litigare debet.

Clerici cupiditas præcipitat.

§ 16. *Non cupidum.* Non turpe lucrum sectantes; ὐκ αἰσχροκερδῆ, *non turpilucrum*, vt loquitur Hieronymus ad Heliodorum. Cupido Clericos sæcularium auidos negociorum facit, in quibus nonnulli pro dolor ipsis sæcularibus sunt versatiores. omnia ista complexa est Moguntina Synodus sub Carolo Magno capite decimo quarto. & sub Rabano Episcopo capite decimo tertio. recitatur libro tertio decretal. titulo quinquagesimo. *Multa sunt negocia secularia de quibus pauca perstringamus, ad quæ pertinet omnis carnalis concupiscentia. Quicquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est: Munera iniusta accipere, vel etiam dare: Pro aliquo sæculari quæstu, precio aliquem conducere: Contentiones, vel lites, vel rixas amare: In placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum, aut viduarum: Conductores sæcularium rerum, aut procuratores esse: Turpis verbi vel facti esse ioculatorem, vel iocum sæcularem diligere: Aleas amare: Ornamentum inconueniens proposito suo quærere: In deliciis viuere velle: Gulam & ebrietatem sequi: Pondera iniusta, vel mensuras habere: Negotium iniustum exercere: Nec tamen iustum negotium est contradicendum propter necessitates diuersas, quia legimus sanctos Apostolos negotiatos fuisse: & in regula Beati Benedicti præcipitur prouideri, per quorum manus negotia monasterij procurentur: Canes & aues sequi ad venandum: & omnibus quibuslibet causis superfluis interesse. Ecce talia, & his similia, ministris altaris* DOMINI, *necnon & monachis omnino contradicimus; de quibus ait Apostolus: Nemo militans* DEO, *implicat se negotijs sæcularibus.* Et in Concilio Lateranensi vetatur esse procurator generalis principis, vel iustitiarius. In Concilio Londinens. lucri causa negociatio prohibetur.

Cupiditas negociorum causa.

Domi cæcus, foris oculatus non erit.

§ 17. *Suæ domui bene præpositum.* Vt bene præsit domui suæ, opus est, vt neque res suas dissipet, nec malis artibus adaugeat, deinde vt domesticos in officio, disciplinaque contineat. Quomodo integram diœcesin administrabit, qui vnius domus potens non est? quomodo tot viris prudentibus, nobilibus, addo callidis, malitiosis imperabit, si domi tutoris eget? Si domui suæ præesse non nouit, id vel ab insigni negligentia, vel imprudentia procedit, quorum vtrumque Reipublicæ noxium est.

Ecclesiam regere non potest, si filios exleges esse sinit.

§ 18. *Filios habentem subditos cum omni castitate.* Si qui filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.

Castitatem noster interpres intellexit per σεμνότητα, quia accusationem luxuriæ remouet: Si vero filios, hoc est, suum sanguinem negligit, quomodo Ecclesiæ curam habebit?

Si non neophytus, quomodo puer?

§ 19. *Non neophytum.* Non vetat iuuenem eligi, sed neophyton, recens conuersum, & religione imbutum: ne in superbiam elatus, incidat in iudicium, & damnationem, qua diabolus damnatus est, qui de cœlo propter superbiam cecidit. Pulchre omnino Gratianus distinctione quadragesima octaua. *Prohibentur etiam neophyti in episcopos ordinari, vt qui heri erat catechumenus, hodie non fiat Episcopus; qui heri erat in theatro, hodie non sedeat in Ecclesia: qui vespere erat in circo, hodie non ministret altario: qui dudum fuerat fautor histrionum, hodie non sit consecrator virginum. Causa autem huius prohibitionis est secundum Apostolum, ne elatus in superbiam, tamquam religio Christiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque Sacerdos nescit habere humilitatem, obseruare modos personarum, vel se contemnere: non ieiunauit, non fleuit, non se correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam (quæ est ruina diaboli) incidunt, qui puncto horæ necdum discipuli, fiunt magistri.*

Concilij Niceni canon ille est. *Quoniam multa siue per necessitatem, siue ex quacunque causa contra regulam gesta sunt, ita vt homines ex vita Gentili nuper adhuc catechizati, vel instituti, statim ad spiritalem baptismum venissent, & continuo cum baptizati sunt, etiam ad episcopatum, vel ad presbyterium prouecti sunt; recte igitur visum est, de cetero nihil tale debere fieri. Nam & tempore opus est, vt sit catechumenus; & post baptismum multa probatione indiget. Euidens namque est Apostolicum præceptum, dicens: Non neophytum, ne forte elatus, in iudicium incurrat, & laqueum diaboli. Si vero procedente tempore aliquod peccatum admiserit, & conuictus duobus vel tribus testibus fuerit; cesset à clero qui huiusmodi est. Si quis vero præter hæc facit, tanquam contraria statutis Sancti Concilij gerens, etiam ipse periclitabitur de statu sui cleri.*

Virtutum fama clerico necessaria est.

§ 20. *Oportet autem illum & testimonium bonum habere ab ijs, qui foris sunt; vt non in opprobrium incidat, & laqueum diaboli.* Optime Hieronymus ad Oceanum. Quale principium, talis est & clausula qui irreprehensibilis est non solum à suis domesticis, sed ab alienis consono ore laudatur. Tanta olim fuit æstimatio Episcoporum, vt ipsi gentiles frequenter causas suas ad eos deferrent.

Pudicitia verborum & gestuum.

§ 21. *Diaconus similiter pudicos.* σεμνούς. Pudicos animo, deinde corpore, 32. quæstione quinta. *ita ne.* Nam pudicitia non est in corpore, nisi in spiritu sit insita castitas. Neque casto spiritu, vel lingua, vel oculus est impudicus. Σεμνότης alioqui est virtus speciosa, castitatis comes, in verbis gestibusque decens verecundia grauitasque omnino talis, qualem in filia, filioque ingenue, pudiceque educatis seuerus pater amat, & probat. Arist. Rhet. 2. Σεμνότης ἐστὶ μαλακὴ καὶ εὐχήμων βαρύτης, grauitas non aspera, aut superba, sed bene morata.

Sinceritas diaconorũ.

§ 22. *Non bilingues.* μὴ διλόγους. *Os bilingue Deus detestatur.* Prouerb. 8. 13. *Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor.* Et 18. 8. *Verba bilinguis, quasi simplicia: & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.* Et Ecclesiast. 5. 17. *Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem.* Et 6. 1. *Noli fieri pro amico*

inimicus proximo : improperium enim & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis. Et 28. 15. *Susurro & bilinguis maledictus : multos enim turbabit pacem habentes.*

Non igitur mirum est, si Apostolus diaconos requirit non bilingues, cum homines quoscunque bilingues diuina sinceritas detestetur.

§ 23. Verum in diaconis causa peculiaris est. Minister est sacerdotum diaconus, distinctione 99 *Dominus*; sed tamen honoratior plebe; non aliter plebi, aliter sacerdoti loquendum, ne schisma faciat; oculus est Episcopi oberrans, & circumlustrans, 93. distinctione, itaque magna opus cautione, ne vel incaute notet, vel indiligenter, aut praue referat, ex monitore delator. Assistit Episcopo prædicanti, ne ab æmulis infestetur, distinctione 93. diaconi qui. Præest Ecclesiæ bonis, ideo sæpè supra sacerdotes & Episcopos sese extulerunt diaconi, captato populi fauore, quod maximè bilingues facit, dum hinc ambitiosè populo, inde fallaci adulatione Episcopo se insinuat. Jam olim se quidam presbyteris æquabant. Concilio Niceno capite decimoquarto. Et Toletano quarto, capite trigesimo octauo. & Hieronymus ad Euagrium Epistola octuagesima quinta. sinceritas itaque in diacono requiritur, vt Deum, Episcopum, presbyteros ex animo honoret, illis ministret, nullo modo obtrectando maioribus, ipse maior fieri conetur.

Cur adeo diaconis sinceritas commendatur.

Quid igitur *os bilingue?* Hebræus vocat תחפכת quod apud 70. vertitur διεστραμμένας ὁδὸς κακῶν, *peruersas vias malorum.* alij *os peruersitatum, os versutiarum,* Theodotus στόμα στρεβλόν, *intortum os.* Noster omnium accuratissime. *Os bilingue*; nam חפך est *vertere, conuertere, in aliam formam mutare.* itaque 70. vertere solent: στρέφω, διαστρέφω, μεταστρέφω, μεταβάλλω, κυλίω. & quod hic ponitur תחפכת, Prouerb. 23. 33. σκόλια. & Prouerb. 17. 21. dicitur איש תחפכת, ἐυμεταβόλος, *vir mutabilis, versatilis, vir mutationum*; propriè *vir contrarietatum.* nam חפך, vel חפך, est *contrarium,* vel *contrarietas.* Ezechielis decimo sexto, trigesimo quarto. Peruersitates igitur significat, cum contraria in corde versat, & varie loquitur, quod est proprie δίλογον esse, seu δίγλωσσον, lingua illa serpentum est bisulca, veneni instillatrix, lingua illa δίχόμυθος, dicitur Græcis. quæ vel ita fallit, vt sermo prolatus discrepet ab interno, & qui apud alios atque alios, alius est, atque alius. Ecclesiastici decimo octauo, decimo sexto. vocatur γλῶσσα τρίτη. lingua tertia, quod inter duas quasi media vtrinque discordias ferat. Vide doctissimum Delrium *in sacris adagialibus.* Sunt vero linguæ peruersitatum, cum veritatem inuertunt, vane promittunt, laudanda culpant, praua dilaudant, præsentibus adulantur, absentes rodunt, ad gratiam audientium contraria loquuntur.

Lingua bisulca serpentum est.

§ 24. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Non monet ne efferant, quæ domi geruntur, hoc enim non est habere mysterium in conscientia pura, sed credi sacris mysterijs ab illis omnino vult; cum diaconi potestate accepta docere possint; deinde quia conscientia relicta, vel suppressa fidei naufragium imminet. Neque enim hactenus res vlla apostatam fecit, nisi conscientia scelerum perpetratorum, vel sperata licentia faciendorum.

Fides & mores coniungendi.

§ 25. *Hi autem probentur primo,* δοκιμάσθωσαν πρῶτον. Nunc hoc negligitur, & quod dolendum est, vbi viget etiam disciplina, non satis probantur ordinandi. Hinc omnium malorum origo, dum ad ordines sacros admittuntur indigni, si non pecunia, saltem fauore, ignorantia, probationis omissione. In Ecclesiis nonnullis scrupulosissimè nobilitas quæritur, virtus negligitur. Hoc quamdiu non corrigitur, non est speranda reformatio, quia turpius ejicitur, quam non admittitur clericus. Neque de hac neglectione vlla species excusationis adduci potest, cum sint tot canones, qui probationes & testimonia exigunt. Hæc res materiam obloquendi cunctis hæresibus dedit, imo hæreses creauit, dum in sacrarium Domini admitti vident eos, qui siniſtra fama in mundo vixerunt. Quid hæretici objiciant omnium inuectiuæ clamant. Specimen dabo ex Erasmo eorum prodromo. In caput tertium Timothei: *Quin illud magis mirum, cum tot egregias dotes requirat Paulus in Episcopo, cæteris prætermissis, solius vxoris habetur ratio. Admittitur incestus, admittitur homicida, admittitur pirata, admittitur sodomita, sacrilegus, parricida, denique quis non? solus digamus excluditur ab hoc honore, qui solus nihil admisit. Mirum est autem vt quædam vrgeamus ac plusquam mordicus teneamus, ad quædam prorsus conniuentes. Si quis perpendat horum temporum statum, quotam portionem hominum monachorum greges occupent, quotam sacerdotum & clericorum collegia: deinde perpendat, quam pauci è tanto numero vere seruent vitæ castimoniam, tum in quæ libidinum genera quam innumeri deuergant, quanto cum probro complures palàm incesti sint & impuduci, fortassis iudicabit magis expedire, vt iis qui prorsus non continent, ius fiat publici matrimonii, quod absque mala fama, purè sanctèque colant, potius quam infeliciter ac turpiter libidimentur. Nunc cœlibes habet mundus quàm plurimos, castos perpaucos: quanquam nec is castus est, qui venerem non attingit, quia non licet. Sed etiam atque etiam vereor ne census Ecclesiastici castrent hodie clericos veracius quam pietas, dum metuimus, ne quod tenemus intercipiatur, aut certe nihil accedat.*

Improbi ordinati hæreses creant.

Hyperbolice vitia extollit, ipse apostata & desertor, qui bene loqui de illis quos male deseruit, non potuit, ne fugam suam accusaret. Hoc tamen verum est, in sacerdotibus DOMINI fuisse Ophnios, & Phineas, Jasonas, & Caiphas, nec magis mirum id longo sæculorum tractu aliquoties contigisse, quod tempore DOMINI accidit, vt Judas proderet, discipuli negarent. Remedium tamen est, ante datos ordines instituta probatio, qua neglecta Episcopi, prælatique causa malorum sunt, & quamuis ipli mysterium conseruent in conscientia pura, si tamen cito manus imponant non probatis, communicant peccatis alienis, illis tanquam suis damnandi, quia negligentia, & cooperatione sua fecerunt. Verum de illis alio tempore agam. Neque enim dissimulandum est, quod publicum & notorium est.

Vt maledicta cessent tollatur occasio.

Examinatores ordinatorum malorum peccatis vt suis damnantur.

§ 26. *Nullum crimen habentes. Si quis sine crimine est.* ἀνεγκλήτους vocat, quorum ea sit non modo integritas, sed etiam fama integritatis, vt crimen illis imponi, & in iudicium vocari non possint. Est enim ἔγκλημα atrox iniuria, propter quam prætor actionem dare solet. Si Clericus infamia laborat, nec conuinci potest, iureiurando se purgat, 15. quæstione quinta. infamis, & 3. quæstione quarta. nulli, & quæstione quinta. omnes. 4. quæstione prima. diffinimus; quomodo Clericus infamis esse potest? cum infamia Clericorum propter aliorum scandala maxime postulet purgationem? 2. quæstione secunda. presbyter.

§ 27. DEI *dispensatorem.* Est enim DEI οἰκονόμος, bonorum maximorum, hoc est cœlestium dispensator. Secundaria igitur de rationibus, commodisque sit cura, oportet. De officio Episcopi in dispensandis rebus externis constituit Concil. Antiochenum, 12. quæst. 1. cap. 23. *Episcopus Ecclesiasticarum*

rerum

verum habeat potestatem ad disputandum erga omnes, qui indigent, cum summa reuerentia, & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis, quam in fratrum qui ab eo suscipiuntur, necessarijs vsibus profuturis, ita vt in nullo qualibet occasione fraudentur, iuxta sanctum Apostolum sic dicentem. (Habentes victum, & tegumentum his contenti sumus.) Quod si contentus istis minime fuerit: conuertat autem res Ecclesiæ in suos vsus domesticos, & eius commoda, vel agrorum fructus, non cum presbyterorum conscientia, diaconorumque pertractet, sed horum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filiisque committat, vt per huiusmodi personas occulte res lædantur Ecclesiæ, synodo prouinciæ pœnas iste persoluat. Si autem & aliter accusetur Episcopus, aut presbyteri, qui cum ipso sunt, quod ea, quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel alia qualibet Ecclesiastica facultate sibimet vsurpent ita, vt ex hoc affligantur quidem pauperes, criminationi vero, & blasphemijs tam sermo prædicationis, quam ij, qui dispensant, taliter exponantur, & hos oportet corrigi, sancta synodo id, quod condecet, approbante.

Episcopi ex clericorum iudicio res dispensent.

Contumaciam in societate noxia.

§ 28. *Non superbum.* ἀυθάδη vocant, præfractos, & iudicio suo nimium innixos. Vitium enim hoc est τῶν ἐρημώτων, non κοινωνικῶν, qui enim seipsis contenti, in consortio aliorum non degunt, facilius præfracti euadunt. Itaque humilitas sacerdoti commendatur, ne nouas opiniones ex scriptura confingat dist. 30. hæc autem, ne austere, sed mansuete subditos corrigat. dist. 4. 5. *licet nonnunquam.*

Bonorum consortium bonitatis indicium.

§ 29. *Non iracundum* ὀργίλον, iracundiæ fons est superbia, est enim opinio contemptus. Magnum vitium, quia iratus putat omne iustum, quod facit. de hac vide 11. q. 3. ira. & 5. q. 1. velut. & 5. qu. 2. Irati enim dum aliena peccata corrigere studeant, grauiora committunt.

Saculares pueri sciunt vitam pontificis, clerici nesciunt.

§ 30. *Benignum,* φιλάγαθον. Ad res & personas referunt. Rectius ad personas: est enim Episcopi insigne ornamentum erga viros bonos benignitas; erga improbos, leues, auaros, austeritas probatur. Nemo enim talibus viris deditum, esse probum arbitratur. Nam suspectus Clericus, aut laicus domum Episcopalem infamat, Judæus detestabilem facit. Præclarè statutum de Episcopi familia 2. q. 7. can. 58. *Cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui pontificis, nesciunt, quam, vt dictum est, saculares pueri sciunt. De qua re præsenti decreto constituo, vt quidam ex Clericis, vel etiam monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequatur, vt is, qui in loco regiminis est, tales habeat testes, qui vitam eius in secreta conuersatione videant, qui ex visione sedula exemplum profectus sumant.*

Iustitia præsulis sit quæ ab hostibus laudetur.

§ 31. *Iustum.* Justitiam non in vita modo, sed in iudicio; cum enim tanquam Dei loco iudicet, cum à partibus crebro arbiter deligatur, omnes iustitiæ numeros accurate cognoscere, & seruare studeat.

Præstat paucos esse bonos sacerdotes, quam multos, qui scandalizant.

§ 32. *Sanctum,* ὅσιον. Duplex est in sacerdote sanctitas, prima sacramentalis. altera vitæ innocentia 1. q. 1. *Dominus.* Nobilis est sententia distinctionis 40. cap. 3. *Nos qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate; sed morum nobilitate innotescere debemus: nec vrbium claritate, sed fidei puritate.* Et 2. *Non est facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium: quia hinc dicitur; non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum; sed qui exercent opera eorum.* Et 12. *Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes; multi nomine, pauci opere. Videte ergo quomodo sedetis super cathedram; quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sederit super cathedã, honorem accipit ab illa; qui male sederit, iniuriam facit cathedræ ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens, siquidem bene vixeris, & bene docueris, ơium iudex es: si autẽ bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris. Nam bene viuendo & bene docendo, populum instruis quomodo debeat viuere: bene autem docendo, & male viuendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Frustra de ordinibus sibi gratulantur, qui vitiis suis eos infamant. August. ad Valerium, epist. 148. dist. 40. ca. 7. *Ante omnia peto, vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctorie, atque adulatorie res agatur; sed nihil apud* DEVM *miserius, & tristius, & damnabilius.*

Bene docere, & malè viuere est sese condemnare.

§ 33. *Continentem.* ἐγκρατῆ, de Clericorum continentia multa statuta à patribus in conciliis, vt Niceno can. 3. 32. dist. interdicit. Nannetensi cap. 3. Triden. sess. 28. de reform. cap. 14. Nicolaus 5. cap. 2. de vita & honestate Clericorum ita statuit. *Si diligenter attendimus vitia singula, quæ in conspectu populi, decus vilescere faciunt clericale, quam odibilis sit incestus in clero, crimen incestus huiusmodi, quod plerique propter illius impunitatem, sibi blandiuntur minime verecundum, imo quasi non foret peccatum non immerito cohibere compellimur, & præsertim eo propensius in curia nostra, quo illud ibidem videtur scandalosius, & ab aliis periculosius trahitur in exemplum. Hinc est, quod nos præsentis constitutionis edicto, vniuersis & singulis sedis Apostolicæ officialibus, necnon quæuis Romanæ curiæ officia exercentibus, etiam ratione officiorum huiusmodi ipsius sedis officiales non censeantur, & aliis quibuscunque clericis eandem curiam sequentibus, districtius inhibemus, ne quisquam ex eis concubinam publicè in domo suo, aut alibi, vt illius turpi commercio liberius vtatur, teneat, seu quicunq; mulierem ad aliorum turpem vsum huiusmodi, vt quamcunque mulierem in præsentiarum tenuerit, nisi post præsentium publicationem in valuis Basilicæ principis Apostolorum de vrbe, & in cancellaria nostra faciendam (quam etiam vim habere volumus monitionis peremptoriæ) infra nouem dies ab huiusmodi excessu realiter & cum effectu desiterit, ac concubinam seu mulierem ipsam penitus & omnino dimiserit, quodque quisquis in antea concubinam vel mulierem talem tenere præsumpserit, omnibus beneficijs suis ecclesiasticis, necnon quæ in dicta curia obtinent vel exercent, officijs sint ipso facto priuati, illaque ex tunc possint per quoscunque alios liberè impetrari, eidemque priuati, necnon quicunq; alii concubinas & mulieres huiusmodi, contra præsentem cohibitionem, tenere præsumentes, inhabiles censeantur ad beneficia obtinenda, & in dicta curia officia huiusmodi exercenda, nec illorum capaces efficiantur, nisi inhabilitatem suam antea, per dictæ sedis litteras, obtinuerint aboleri, & interim per eos in prædictis gesta habeantur pro infectis.*

Si angelo castitatis careas, ơia per terram trahis.

Concubinarii statim beneficiis priuantur.

Inhabiles sunt ad omnia beneficia.

§ 34. *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem. Recte tractantem verbum veritatis.* Quod posterius sumptum est à sacrificiis, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, recte secantem verbum veritatis, quemadmodum in victimis omnia recte secabantur. Vt nimirum verbum Dei recte legat, recte interpretetur, non de suo sensum commentus, sed ex contextu, patribus, conciliis, Ecclesia. Prouerb. 11. δικαιοσυνη ἀμὰμου ὀρθοτομῆ ὁδὸς. *iustitia inculpati recte vias secat.* Magnum vero studium requiri, hoc ipsum ostendit, quod ait, ἀντιχόμενον, contra conantes eripere, tueri, & defendere.

In sacrificiis summa cura, vt recte omnia secentur.

§ 35. *Bonum Christi militem.* Duplex militia est, spiritalis, & sæcularis; spiritalem omnes militant, nisi qui victi, hostium captiui sunt, sed Clerici militiæ illius duces sunt, & antesignani, qui si Leones se præstent, totum exercitum facile conseruant. Quomodo militabunt? arma nostra sunt orationes, & lacrymæ, 23. qu. 8. cap. 19. *Reprehensibile valde constat esse, quod subintulisti dicendo, maiorem partem omnium Episcoporum die noctuque cum aliis fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, ob id que Episcopi impediantur venire; cum militum Christi sit Christo seruire: militum vero sæculi sæculo,*

Clerici duces sunt militiæ spiritalis.

secundum quod scriptum est, (Nemo militans Deo implicat se negotijs secularib.) Quod si saculi milites seculari militiæ student, quid ad Epos. & milites Christi, nisi vt vacent orationib.?

§ 36. *Sollicitè curent seipsos probabiles exhibere Deo.* Nã reuera sacerdotium peccandi licentiam non adimit, sed coercet. Cum honoris augmento cura quoq; sollicitudinis debet accrescere dist. 100. rationis. Cura sit vt se Deo probent, & vt alios Deo lucrentur.

Sacerdotii honor curã rectè viuendi auget.

§ 37. *Operarium inconfusibilem.* ἀνεπαίσχυντον, qui non erubescat. S. Ambrosius impudoratum vocat. Eo modo quo Paulus gloriatur, cum ait: non erubesco Euangelium. Quod nõ est magnum cum inter Christianos honorantur Christi antistites, sed cum vel inter gentiles, vel hæreticos, vel impios Catholicos Christi improperium ferendum est. Primo inconfusibilis est, qui vincens inanem pudorem nullam officij partem prætermittit. Deinde qui nullis contumelijs, sannis, & irrisionibus ab opere impeditur. Olim magnum periculum verecundiæ erat, & nunc inter hæreses est de Euangelio; quia religio humilitatem requirit, quæ contemnitur. Nec frustra Paulus Rom. 1.16. *Non erubesco Euangelium.* Cur non potius gloriatur in Euangelio? Quia Judæis scandalum, gentibus erat ludibrium.

Caput XI.

Reformationem Cleri ad normam Apostolicam serio vrgendam esse.

Vetusta innouanda sunt.

§ 1. Reformanda sunt, quæcunq; negligentia, improbitate, temporum lapsu, & ipsa vetustate facta sunt deformia. Hoc velle, conari, efficere à primo Ecclesiæ capite omnes, vsque ad infimum sacellanum, à Cæsare Augusto, vsque ad minimum minimi pagi prætorem pro officio, viribusque debent. Impijs, rerum sacrarum fastidiosis, saginam ex crucifixi patrimonio quærentibus inuisum est nomen reformationis, res ipsa abominabilis, quia venter aures non habet, nec quæ sub ventre, intelligentiam. Sed vrgenda tamen, & omnino perficienda reformatio.

Reformationis nomen inuisum.

§ 2. Causa primaria est, & esse debet summo Pontifici, Episcopis, Prælatis, obligatio, qua seueriſſima tenetur. de qua alias dicam. Altera quia vsu, & tota historia antiquitatis cognitum est, tum publice punitas prouincias, & regna euersa, vastatione, & cædibus deformata; cum ita vitia inualuerunt, vt legum potestas illis cederet, nec illis eliminandis magistratus insudaret. sic diluuio mundus primogenius periit, sic Sodoma in flammas subsedit, sic Chananæi ad summum ductis iniquitatibus extirpati sunt. Hæc est enim vicissitudo rerum, hic orbis calamitatum, non fortuito grassantium, sed diuino iudicio meritas pœnas exigentium Babylonii Assyrios, hos Medi & Persæ, illos Macedones, hos Romani, Romanos omnis barbaries euertit, idq; eo tempore quo quæq; gens vitiosissima fuit. Consulatur Augustin. de Africæ contra V Vandalos lucta, Prosper de Gallis & Hispaniis; Videantur præsentia, & his proxima, nonne Vngariæ pars magna frenum Turcicum recepit, finitimosq; aut crudeli, aut infida pace infestat? Locum habet hoc præcipuè in populo Dei, quem beneficio ingratũ celeri pœna clementer sæuiens numinis prouidentia reuocare consueuit. Legantur Judicum, & Regum libri pro moribus semper fortuna fuit. Erit & in Christiano orbe; qui seruabitur, quandiu vitia punientur, quandiu virtuti studebitur, si effrenatius erumpant, euertetur, vel mutua cæde, vel potentiore hoste. Vitia aũt reformatione præsidũ exstirpabũtur.

Cum leges victæ sunt exitia propinquant.

Cum magistratus vitia dissimulabit, peribit orbis.

Timiditas quorundã prælatorum perniciosa.

§ 3. Damnabilis est, & æternis ignibus vindicabitur quorundam prælatorum ambitiosa segnities; qui mollibus verbis eneruant animos, vitiisq; sua sponte crescentibus spacia cõcedunt. Aiunt illi; alia esse nunc tempora, dissimulanda, quæ vix emẽdari queunt, canonum rigorem esse relaxãdum. Reformationes adferre incommoda, hæreses impedire disciplinã. Exitiosa sunt hæc verba, atq; impia. Non enim temporibus, sed animis leges statutæ sunt; nec vitia temporũ communia excusant singulorum delicta. Nulla tempora adeo vitiosa fuerunt, vt legibus, non obstringerentur. Emẽdari autem possunt, qui mutari possunt; In gratiam redemptoris sunt iniurii, qui de correctione desperant; Nonne Deus Ecclesiam suam vsq; in finem sæculorum custodiet, & mundabit sibi Ecclesiã acceptabilem? Quomodo igitur peccata membrorũ eius si non omnino tolli, saltem minui non poterunt? Vnus Esdras, vnus Maccabæus, quã multa correxit? cum tota gens, in gentium mores, vitiaq; ruitura fatisceret, ad pietatem reduxit partem maximam. Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare non possit, sed hominum est præcisa voluntas, vt saluari non laborent. Tot millia gentium barbararum cum ab vno sæculo Christum agnouerunt, vsuris, cædibus, polygamia, anthropophagia abdicata, Christianis se moribus formandas vtræq; Indiæ, & peruste solib Æthiopum plagæ tradidêre; cur nos igitur negemus, eo populum, clerumq; Christianum posse redire, quo barbaries illa præcessit, veniens ab Oriente, & Occidẽte, & recumbens cum Abraham, & Isaac, & Jacob, & filios regni in tenebras exteriores proiectos demirans? Ignorare non possunt, sanctissimos canones, ad quos reformationem exigo, non modo ab optimis, sed etiam mediocribus posse seruari, quiq; eos fecerũt, eorum obseruationem serio præcepisse. Multæ fuerunt intra paucos annos prouinciales synodi, omnium vna vox est, Canones in vsum esse reuocandos; Quod si numerum inire sit animus, haud pauciores Conciliorum canones reperiemus, quibus priscos canones seruare iubemur, quam sunt illi canones, de quibus seruandis agitur.

Corrigipotest, qui corrumpi potuit.

Barbari cõuerti possunt, Europæi reuerti nõ possunt?

Frustra canones statuuntur si seruari non possunt.

Quod si etiam propius orbem nostrum inspicere lubet. Jam multa penitus emendata sunt, vt reliqua proniora videantur. Ante annos centum magna orbem ignorantia tenuit, nunc artibus, ingeniis, disputatoribus fere laboratur, nunc vna aliqua ciuitas Academica plures eruditos habet, quã olim tota Germania. magnæ ergo progressiones sunt factæ. Itaque tum vt primum hæresis concrepuit digitis, dimidia pene Cleri, & religiosorum pars respexit retro, & latas, debellataq; sæculi vias ingressa est; nunc quãuis precioſi sint in castris sectatiorũ, rari sunt tñ apostatæ.

Reformatio m eruditione magna est.

Minor, sed aliquis tamen in moribus progressus est; nam & veteres familiæ religiosorum pristinam integritatem, rigoremque receperunt, & in dies magis magisq; efflorescunt, magna spe meliorum temporũ, cum tam sancta, fortia, Deo sacratissima pectora caliginoso mundo demonstrent conténere sęculi põpas, & sese pro nobis apud Deum interponant: Et nouorum turba selecta primitias spiritus præferentes senescenti orbi auxiliari conantur. Vrgenda igitur illa res est, curandumq; vt ea quæ desunt, addantur. Desunt vero quibusdam in locis plurima, in aliis paucissima, prout Episcoporum diligentia, aut incuria fuit.

Mortes tũ emẽdantur.

Caput XII.

Reformationis ratio facilima est delectus ordinandorum.

Nemo clericus nascitur, sed negligitur malus, culpa est negligentiæ.

§ 1. Cvm in beneficiis Ecclesiasticis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, & patrum decretis contraria, vt est in Concil. Trid. sess. 25. c. 7. hinc fit, vt nullus Clericus malus nascatur; si igitur contra canones quispiam viuit, vel ex eo est, quod malus electus sit, vel postquam ordinatus est à virtute desciuerit, quorum vtrunq; sagace cautela Episcopi impedient. Vix enim quispiam diu malus est, vt nemini constet, aliquo se iudicio semper malitia prodit. §2.

In institutione secularium vitia clericorum nascuntur.

§ 2. Causa plerunq; cur mali clerici euadant, sunt parentes, magistri, tutores, cognati, quia aut negligēter, aut vane educantur. Quocirca improbæ sunt sæcularium de vitiis Clericorū querelæ. miraris filium esse vanum, superbum, ebriosum? patrissat; vitia tua ex patria auctoritate hausit; aut dic sane, quid fecit, q̄ domi tuæ nō didicit, aut inter familiares, quibus eum addixisti? si tamen ex te non didicit esse malus, vide an non tua indulgentia, morositate, imprudentia factum sit, ne maneret bonus.

Idoneus eligendus clericus.

§ 3. Qui idonei non sunt, nullo modo sunt admittendi, ita ius, & concilia, aureus canon est Concilii Mediolanens. 4. *Pro auctoritate canonum iure, & à Conc. Trid. sibi tradita, Episcopus, si idoneos non compererit, à patronis etiam quibuscunq; præsentatos, ne probet, admittatue, neue instituat, nec vero eis vllo quouis nomine prouideat, sed plane illos repellat. Idoneos porro ne censeat, quos experimento examinis interrogationibus diligenter facto, & doctrina, & cantus peritia, & aliis qualitatibus, ad recte riteq; obeunda munera, eo beneficio, ad quod præsentatur, incumbentia, coniunctaue necessaria, præditos esse non viderit.*

Ordinator indigni deponitur.

Porro ordinator indigni iure canon. deponitur. di. 50. c. 55. ex pœnitentib. & dist. 59 c. 1. *Qui Ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non est, & temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumat: & non solum in eo ambitio efficax habeatur; verum etiam in ordinatore eius, vt careāt eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crediderant præsumendum.*

Hic reuocandus canon est, si sacerdotalis pietas, sinceritasque restituenda est.

Modus etiam & ratio de idoneis statuendis, ex dist. 77. & aliis colligitur.

Grauissimū scelus Episcopi indigni electio.

§ 4. Quo maior est dignitas ordinis, ad quē quispiam assumitur, eo maior est cura habenda facultatū, & virtutum eius, qui est ordinandus; Episcopis eligendis prima cura impendenda est. Non enim in mēbris sana Ecclesia esse potest, si laborat in capite. Quāobrem electores Episcoporum grauissime delinquūt, cum muneris sui rationem non ducunt.

§ 5. Annorum quidem ratio in ordinibus obseruatur, sed tamen non veteri more. Sexta synodus c. 15. Subdiaconus (dist. 77. c. 4.) *non minor 20. annorum ordinetur. Si quis vero in aliquo ordine sacerdotali præter constituta tempora ordinatus fuerit, deponatur.*

Diaconus 25. annorū. Presbyter 30. sit.

Et Carthag. 3. c. 4. *Placuit, vt ante 25. annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, & vt lectores populum non salutent.* Idem statuit Agathens. c. 16. & 17. *Episcopus benedictionem diaconatus minoribus, quam 25. annorū penitus non committat. Sane si coniugati iuuenes consenserint, ordinari etiam vxorū voluntas ita requirenda est, vt sequestratio mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conuersi fuerint, ordimentur. Presbyterum vero vel Episcopum, ante 30. annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perueniat, & diaconos ante 25. nullus metropolitanorum ordinare præsumat. nec per ætatem (quod aliquoties euenit) aliquo errore culpentur.* In sacerdote requirunt annos 30. dist. 78. c. 4. *Presbyter ante 30. annorū ætatem non ordinetur; quamuis sit probabilis vitæ: sed obseruet vsq; ad præfinitum tempus. Dominus enim noster Iesus Christus 30. anno baptizatus est, & tunc prædicauit.* Eadem sunt in nouell. in authen. de sanctiss. episcopis. §. *Clericos.* & apud Leon. ep. 85. c. 1. ad episcopos Africanos. Zachar. tamen Papa in necessitate an. 25. permisit ordinationē presbyterii.

Ordines ex auaritia festinati improbos mōres genuerunt.

Ego arbitror in tot casibus iuniorum sacerdotū expedire, vt maior ætas constituatur, præsertim cum abest necessitas, cum diaconatus, aut subdiaconatus nō ex necessitate, sed cupiditate ampliorum redituum petitur. Nā ea ætas, quæ nunc est diaconalis ex dispensatione, & necessitate Ecclesiæ permittentis, non ex libero iudicio talis est. Deinde in minorib. ordinib. non puto magnopere laborandum, quia non obligāt ad castitate perpetuam. Alia tamen ex causa noxia est properatio, cū lectores exorcistæ, acoluthi constituuntur, qui nec legere, nec quid illi ordines sibi velint suspicari possunt. Nō sic Petri fuit, veterumq; norma. duodecim in his annos leges requirunt, sed eos idonee instructos esse præsumunt. sic n. dist. 28. c. 5. *De iis, quos voluntas parētum à primis infantiæ annis clericatus officio manciparit, statuimus obseruandū, vt mox detonsi, vel ministerio lectorū traditi, in domo Ecclesiæ sub episcopali præsentia à præposito sibi debeāt erudiri. At vbi octauum decimū ætatis suæ compleuerint annū, coram totius plebis q; conspectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab Episcopo perscrutetur: quibus si gratia castitatis, Deo inspirante, placuerit, & promissionem castimoniæ suæ ab sq; coniugali necessitate sponderint seruaturos; hi tanquam appetitores arctissimæ viæ, leuissimo Domini iugo subdantur; ac primo subdiaconatus ministerium habita probatione professionis suæ à 20. anno suscipiant. Quod si inculpabiliter, ac inoffense 24. annum ætatis suæ peregerint, ad diaconatus officium (si scienter implere posse ab Episcopo cōprobantur) promoueri debent. Cauendū tamen est his, ne quādo suæ sponsionis immemores ad terrenas nuptias, aut ad furtiuos concubitus vltra recurrant. Quod si forte fecerint, vt sacrilegii rei ab Ecclesia habeantur extranei. Quibus autē voluntas propria interrogationis tēpore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus; ita vt cum prouectæ ætatis in coniugio positi renuntiaturos separi cōsensu operibus carnis sponderint, ad sacros ordines adspirent.* Omnino maturitatem, & constantiam requiro, præsertim cum in mundo victuri sint, & inter quotidiana castitatis pericula, & naufragia decertaturi.

Minores ordines non nisi instructis dandi sunt.

Ratio instituendi nouos canonicos.

§ 6. Nemo sine legitimo examine in clerū admittatur. dist. 24. c. 2. *Nullus ordinetur clericus nisi probatus fuerit, vel episcoporū examine, vel testimonio populi.* Quæro in quibusdam locis quis ita ordinetur? Vbi sit morū & doctrinæ tanta ratio. dist. 24. c. 4. *Episcopi iudicio metropolitanorum, & eorum episcoporū, qui circumcirca sunt prouehantur ad ecclesiasticam dignitatē, ii videl. qui plurimo tēpore probantur tam verbo fidei, quā rectæ conuersationis exemplo.* Nam reuera doctorem virtutis, etiam ductorem esse oportet. si sal infatuatum fuerit in quo salietur.

Examen eruditionis, & morum est primum.

Modus examinis est ibid. c. 5. *Quando Episcopus ordinationes facere disponit, omnes, qui ad sacrum ministeriū accedere volunt. feria quarta ante ipsam ordinationem euocandi sunt ad ciuitatē vnà cum archipresbyteris, qui eos repræsentare debent: & tunc Episcopus à latere suo eligere sacerdotes, & alios viros prudentes, gnaros diuinæ legis, & exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus: qui ordinandorum vitā, genus, patriam, ætatem, institutionem, locū, vbi educati sunt, si sint benè literati, si instructi in lege Domini, diligēter inuestigent, ante omnia; si idem Catholicā firmiter teneant, & verbis simplicib. asserere queant. Ipsi aūt, quibus hæc cura committitur, cauere debent, ne aut fauoris gratia, aut cuiuscunq; muneris cupiditate illecti à vero deuient, vt indignū, & minus idoneum, ad sacros gradus accipiendos, episcopi manib. applicent. Quod si fecerint, & ille, qui indigne accesit, ab altari remouebitur; & illi, qui donum S. Spiritus vēdere conati sunt, coram Deo tam condēnati ecclesiastica dignitate carebunt. Igitur per tres continuos dies diligēter examinentur: & sic sabbato, qui probati inuenti sunt, episcopo repræsentētur.* No examinantur tamen, si Clerico testimonium Episcopus, monacho Abbas dederit. Nisi forte Abbas ipse iudicetur imperitus, sic enim testimonium elidit seipsum. 16. q. 1. *si quis.* Ratio veri examinis describitur in Conc. Mediolan. 5. *Quæ ad beneficiorum collationem attinet. Cum aliquis examinatur ad aliquod beneficium Ecclesiasticū, cui prouidendum sit, de eo experimentū fiat examine non solum in litterarum scientia, sed etiam in cātus peritia, ad illius beneficii functiones rite, & rectè obeundas, tū præterea in vsu, ac notitia, quā in recitādis diuini officii horarijs precib. habeat. Vbi. præbēda, vel Theologalis, vel pœnitentialis vacauerit, ēi si illius conferendæ ius ad alium, quā ad Epm, præterquam ad sedē Apcstol. pertineat, adiectū de more apponatur, quo ad cōcursum euocētur, quicūq; sint, q illi⁹ muneris causa examē subire velint, alios ue nominare, qui subeant; cōfecto aūt constituti tēporis spatio, vnius cuiusq; eorum, qui illo*

Testimoniū ineruditi est inefficax.

In cātu etiam examinandi sunt.

Præbendæ per concursum dandæ.

nomine conuenerint, periculum experimentumue in litteris ac doctrinis omni vel diligentissima percunctationum, quæstionumue ratione, fiat; Episcopus, adhibitis sibi pro arbitrio suo aliis peritis, probisque viris, tum etiam de illorum vita, moribus, ætate, gradu, ordine, cæterisque conditionibus ad tale munus necessariis, accurate perquirat. Tum demum Episcopus ipse solum rebus iis omnibus accuratè perpensis, maturè in Domino deliberet, & liberè deligat, quem pro conscientiæ suæ religione digniorem aptioremque existimet, cui tale munus, tantique ponderis rectè committatur. Quæ in re deliberationeq; idem videat, vt quod præsertim ad pœnitentiarium attinet, eum peritiam necessariam spectarit, tum maximè vitæ innocentiam, morum grauitatem, spiritualium exercitationum studium, & vsum diuturniorem in audiendis confessionibus exercitationem prudentiam, cæteraque religiosæ pietatis virtutes perpendat. Tu Deus magne da nobis in Germania talem Carolum, non qui constituat tantummodo, sed qui exequatur; nunc enim præbendas doctorum, & numerosas parochias, pueri, nobiles, scribæ, idiotæ frequenter obtinent, ad certissimam sui damnationem, aliorum perniciem.

Hinc Germaniæ pernicies.

§ 7. Quia vero crebro quæstiones iactantur, quid quemque scire oporteat, multæque latent eo sub prætextu fraudes, & machinæ quæruntur eludendi examinis, visum est mihi rationem examinis quam Concilium 5. Mediolani habitum prolixe conscripsit, exhibere: ita vero habet.

DE EXAMINANDI RATIONE.

In Ecclesiæ administratione, vt necessarium, ita multiplex est examinis de literarum peritia, & disciplina officium: modo namque ab Episcopo, cum ab eorum qui ordinis sacramento initiandi sunt, tum etiam ad concionatorum, confessariorumque approbationem adhibetur; tum præterea ad indagandam prospiciendamque cleri in literarum studiis rationem progressionemue: ad aliaque item multa Episcopo idem adiumento, atque vsui est: modo autem non solum de illis, qui ecclesiis parochialibus, aliisque curam animarum habentibus, præficiuntur, illud instituitur, & conficitur, sed de iis etiam, quibus beneficia ecclesiastica cuiuscunque generis, vel literarum Apostolicarum, quæ forma, DIGNVM, conscribi solent, auctoritate, vel alio iure conferuntur, quiue ad ea præsentationis, nominationis, electionisue nomine instituuntur. Quamobrem, vt omnis, quacunque causa suscipitur, hæc examinandi ratio per examinatores, vt fieri potest, quam rectissimè conficiatur præter aliqua, quæ præsertim Concilio prouinciali quarto enucleatius decreta sunt, has etiam instructiones conficiendas censuimus, quæ partim ad vniuersum hunc examinandi modum pertinent, partim vero certorum examinum propriæ sunt.

Atque iis quidem omnibus pro sua quisq; pietate Episcopus, & prudentia, alias etiam instructiones adiungat, aut de iis aliquid remittat licet, prout è suæ diœcesis rationibus atq; vsu esse viderit.

Quæ instructiones, vt in morem & vsum inducantur, cura sit eiusdem Episcopi, & Vicarii, qui examini præest.

Porro in primis examinatores in synodo diœcesana constituti, cum eorum, qui Ecclesiis parochialibus præficiendi sunt, examen ineunt, iusiurandi, quo publicè in synodo, quo primum tempore delecti sunt, sese obstrinxerint, memores, videant, vt omni humana affectione deposita, munus à se susceptum rectè curent, atq; administrent, ne quod sanctè religioseq; spoponderint, violent, ac propterea periurij fiant.

Examinis causa, occasioneue, nihil quicquam, ne minimum quidem, neq; ante, neq; post accipiant: alioqui sciant, qui dant, se simoniæ crimen ex sanctione Tridentina subisse, nec vero præterea se neq; adeo illos, qui dant, absolui licere, nisi dimissis beneficiis ecclesiasticis quæcunq; obtinent, ac inhabiles item factos se esse, quibus in posterum ea vel alia conferantur.

De omni vero culpa, in suscepto munere commissa ii rationem etiam in Synodo prouinciali reddant, in eaq; graui-

ter autoritate Tridentini Concilii puniantur.

Nec vero item qui examinatores liberè pro arbitratu Episcopi ad alios quocunq; nomine, causaue examinandos asciscuntur, examinis occasione vnquam quicquam, ne esculenta quidem, poculenta ue capiant. Qui contra fecerit, cum indignus deinceps censeatur, qui id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Episcopi afficiatur.

Omnes vero examinatores, quicunque sint, nouerint sibi munus vsq; adeo graue committi, vt si negligenter aut malè sese vllo modo gesserint, Deo inprimis culpæ in eo munere admissæ, exactam rationem reddituri sint.

Quare non spe, non metu, non præmio, non personarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris sibi commissi curam gerant.

Proposito sibi in primis timore Dei, ne quemquam, quem indignum norint, probent: rursus, quem experimento periculoue facto, idoneum dignumq; comperiunt, ne reiiciant. Itaq; graniter, maturè, prudenter recteq; tum de probando, tum de reiiciendo deliberent.

Cum in locum conuenerint, vbi moris est, clericorum experimentum fieri, priusquam aggrediantur, à sancta prece, orationeq; congregationum vsui præscripta, quam de libro pronuntiet, qui examini præsidet, initium faciant, hoc piè intimeque precantes, vt Dei ope illud inprimis rectè, prudenter, diuineq; voluntati congruenter conficiant.

Ne quempiam, de quo examen periculumue fiat, examinator, alii collegæ, vlla ratione commendet.

Ne ad alicuius examen accedat, nec vero suffragii ius habeat, nisi Episcopi, Vicariiue iussu ad illud euocatus.

Si quis quempiam priuatim docuerit, qui examen subiturus est, cum id subibit, ne præsens quidem ille adsit, ne dum ad examen adhibeatur: sed alius in eius locum, Episcopi, Vicarii ue iussu tunc vocetur.

Cautio diligens sit, ne alterius nomine quis examen experiatur, experimentumue subeat, quod aliquando factum esse compertum est.

Quæratur item diligenter de iis, qui ad examen subeundum accesserint, an alias institutis de more examinandi quæstionibus, experimentum periculumue sui fecerint, ang; si quid extet, quod de illis compertum vel deliberatum sit.

Ne examinis initium fiat, nisi præsentes adsint tum Episcopus vel Vicarius, tum examinatores ex præscripto Concilii Tridentini, ad minimum tres, cum de beneficio curato quauis ratione conferendo examen instituitur. Id quod locum etiam habeat deinceps, cum vel de aliquo maioribus ordinibus initiando, vel de concionatore, confessarioue approbando examen conficitur.

Cum quis in examen venerit, eius vultus & habitus corporis, & vestitus, & incessus, & gestus & sermo inspiciatur diligenter.

Si quis vel clericali vestitu deformi ab ordinis ecclesiastici decore aut disciplina alieno indutus, vel sine congrua pro sui status & ordinis ratione tonsura accesserit, nec ad vllam examinis experimentiue rationem ei aditus fiat, nisi decenti veste amictus & tonsura præscripta ad illud redierit.

Ne de vllo quoq; initiando, si modo non aliter Episcopus aliquando censuerit, examen, experimentumue ante fiat, quam ætatis, natalium aut dispensationis concessæ, beneficij Ecclesiastici, vel pensionis patrimonijue testificationes scriptas, easdemque à Vicario Episcopali recognitas, illiusq; subscriptione signatas ac probatas attulerit, exhibueritue: nisi aliquando Episcopus eas post examen adhiberi recognosciue iusserit.

Neq; item, nisi alias præscriptas decretis prouincialibus, edictoue Episcopali testificationes dederit.

Nec vero propterea, nisi de eo à Cancellario Episcopali examinatores audierint cognouerintue, quæcunq; Episcopi iussu inquisitiones de eo factæ atq; ex officio præscriptæ, aliorum literis significatæ, vel denunciatæ, vel delatæ sint.

Testificationes vero omnes, tum ab eo qui intiandus est, tum ab alio quouis occasione examinis exhibitæ, Cancellario Episcopali restituantur tradanturue.

Cuius sit illas ipsas in codicem certum, eo nomine confectum

ctum, summatim referre, eundemq; in Archiuio Episcopali asseruare. Verum testificationes ætatis, natalium, ac si de eo, qui maioribus ordinibus initiandus est, agitur, patrimonij, beneficiue Ecclesiastici idem Cancellarius asseruet: ac literis publicis, quas de eo qui ordinem susceperit, conficiet, de illis pro ratione sibi præscripta testatum faciat.

Cum examen igitur illius, cui in curam certa Ecclesia parochialis tradenda est, instituitur, videant ante examinatores, qui, qualis & quam numerosus populus sit, cuius parochialem curationem is suscipiet.

Quæ sanè re diligenter explorata, in examine quod inibunt, sibi proponant accuratè perspicere, an ad eam curam suscipiendam gerendamue idoneus omnino ille sit.

His omnibus ita præscriptis, examinatores ordine ad interrogationes quæstionesue veniant. Atq; in examine quidem ea ratio ineatur, vt interrogationes quæstionesue is examinator proponat, quem pro vicissitudinis ratione & pro doctrinæ disciplinæue genere, modo hunc, modo illum in eo ipso examine Episcopus Vicarius sue, examinis preces interrogari iusserit, vt ne vnus alterum vario multiplicig; interrogationum modo certatim interpellet.

Interrogationum porro & quæstionum rationem examinatores ita teneant, vt illis inter se sic distributis, examinis instituti rationibus, prout oportet, cumulate satisfactum sit: atq; eorũ vnusquisq; quo de genere quærere instituerit, ita de eo quærat interrogetue, vt quemadmodum pars est, illius generis quæstiones interrogationesue satis explicatæ sint.

Silentio dum examen habetur, vtantur: nec inter se colloquia confabulationesue habeant: nec mutuas itidem quæstiones dubiorumq; explicationes sibi proponant: sed ad illius, de cuius doctrina interrogationibus quæritur, responsiones attenti, animum attentionis studio eidem addant, ad rectè explicandas propositas sibi quæstiones. Nec vero examinatorẽ, loco suo interrogantem, alius interturbet: sed vnusquisq; exspectet, dum sibi ordine p quæstionis genere rationeue interrogare cõtigerit.

In quæstionibus interrogationibusue proponendis, non verbis, non aspectu, non vllo modo seueros vehementesq; se præbeant: vt qui examen subeunt seueritate deterriti, animum ne despondeant, memoriaq; langueſcant, ac vacillent non sine aliquo dedecore: at benigna gratiq; animi significatione illos vel differentes vel respondentes audiant: nec vero quibusdam interrogationculis aliaue vlla ratione interpellent.

Si quid autẽ vel in differendo, vel in legendo, vel in pronuntiando, vel in respondendo, eos offendere animaduerterint: ne tunc illos doceant obiurgẽtue, ac ne moneant quidem, nisi quid ad examen rectè instituendum perficiendumue pertineat: sed examine peracto eos breui admoneant doceantue, si quid necessario tunc illos admonendos docendosue duxerint.

In omnibus porro & singulis examinis interrogationibus spectetur non solum vniuscuiusq; eorum qui examinantur scientia: sed etiam vsus, iudicium, ingenii vis ac solertia.

Examinis autem omnium ea ratio instituta sit.

Vt primo de voto, vitæ statu, genere, patria, domicilioue eius quæratur, qui examen subit.

An impedimentum aliquod habeat, quo irretitus vel initiari vel beneficium Ecclesiasticum, cuius nomine experimentum fit, vel prædicandi munus, vel confessiones audiendi, suscipere ac exercere non possit. Quo impedimento, si quis etiam occulte illigatus tenetur; id plane Episcopo saltem pateſaciat, ne quisquam illegitimè vel initietur, vel beneficium consequatur, vel aliud munus suscipiat geratue.

An in orationis sanctæ studio vsuq; versatus.

Quibus meditationibus instructus, Deum tacitus oret.

Qui orationis modus.

Qui illius fructus, quæue vtilitates.

Quot, quibusue partibus illa constet.

Quot regulæ præparationis ad orationem, & cætera multa eiusdem generis, prout prudens piusq; examinator pro ratione aut personæ, de qua quæritur, aut causæ, ob quam fit examen, opus esse viderit.

His perquisitis, examinatores ad scientiæ, eruditionisue experimentum descendant. Vt autem ii certam sibi formulã proponant, qua illorũ, qui examinantur, & literarum doctrinã, & vitæ clericalis disciplinã, & rei Ecclesiasticæ peritiam experiãtur, in omni experimẽti, examinisue ratione, sacris Bibliis, Catechismo Rom. inprimis Conc. Trid. sacrorum canonum decretis, & aliis Pontificiis constitutionibus, synodisq; tum prouincialibus, tũ diœcesanis vtantur, vnde suas interrogationes hauriant, quibus, prout est illorum ingenii captus, explorent eorũdem & scientiã, & Ecclesiasticarũ rerum notitiam atq; vsum.

Cautio aũt sit, vt si, dum quis interrogatur, ita rudem atq; ignarum se ostendat, qui rerum facilium, minimarumq; nullam scientiam vsumq; teneat, ne aliarum rerum difficilium interrogationibus tempus conteratur.

Rursus cum quempiam, quanta doctrina, & vsu literate peritus sit, exploratum erit, non est cur pluribus interrogationibus secum diutius agatur.

Nunc igitur vniuerse infra præscribemus, quæ ad rationem pertinent vniuscuiusq; examinis eorum, qui vel Ordinis Sacramento initiantur, vel parochialium Ecclesiarum curam, vel alterius beneficii munus suscipiunt, vel sacræ confessionis audiendæ officium sumunt, vel ad verbi Dei prædicationem mittũtur. At vero speciatim longe plura, atq; adeo pauciora, prudentum examinatorum, ac præsertim Episcopi, eiusue qui examini præest, iudicio relinquuntur, & pro eorum captu, qui ad examen accedunt, & pro ordine, quo quis initiandus est, & pro ratione locorum, qui mittuntur, & pro genere doctrinæ, quam profitentur.

Qui vero earum rerum, quæ certis interrogationib. demonstratæ, in hac instructione continentur, se minus eruditos esse ostenderint; eos Episcopus admoneat, vt diligenter in posterum in doctrinis incumbant, atq; harum ipsarum rerum in primis peritiam, & scientiam percipere studeant: ita, vt cum visitationis munus, aliaue eorũ studiis & progressus in literis recognitio adhibebitur, rectè periteq; omni eo doctrinæ genere instructi comperiantur.

Ac primo quidem eum, de quo examen faciendum est, legere examinatores iubeant, quoad experiundo videant, an ille rectè, explicateq; legat.

Post, si ordinis, aut beneficii, aut recognoscendæ clerici cuiusquam in literarum studio progressionis causa experimentum fit, grammaticorum more, verborum cõstructionem proponãt: quo in genere, si quid is errat, labiturue, ita vt ne pro grammaticæ quidem ratione, illorum vsum, per itiamue teneat, ne propterea cum interturbent, interpellẽtue, aut impediant, quo minus ad propositũ grammaticæ institutionis modũ redire possit.

Tum verborũ, quæ legerit, construxeritq;, sensum ab eo quærant: quem vt rectè eliciat atq; exprimat, q̃ ei legendum proponunt, eiusmodi sit, quo tota scientia, sensusq; perfectus concludatur, nihilq; in se habeat, quod sub historiæ intelligentiam cadat, aut ex antecedenti, consequentiue alio capite explicatio existat: deinde ad alia graviora eius doctrinæ, disciplinæue experimenta examinatores progrediantur.

Qui primam tonsuram, aut minores, maioresue ordines suscepturi, ad experimentum examenue accedent, ab vnoquoq; eorum vniuerse ac sigillatim quæratur præterea, an impedimẽtis, quæ Concilij prouincialis quarti decreto de initiandis, commemorata sunt, irretiti teneantur, vtpote, an scil. sint,

Maiores natu.
Rudes, & ignari.
Criminosi.
Solemniter pœnitentes.
Neophyti.
Ebrietati, & gulæ dediti.
Impudici.
Lapsi post ordinem susceptum.
Periuri.
Vsurarii manifesti.
Infames.
Ratiociniis obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Insigniter deformes.
Illegitime nati.
Peregrini, & ignoti.

Bigami.

Irregulares quouis alio modo.

Quo in genere cautio sit, vt præter alia, speciatim perquiratur ab eo.

An stipendium belli fecerit, vnde cædes hominum extiterit.

An iudicis criminalis in foro Laicali officium gesserit.

An sententiam capitis tulerit.

An criminis, cuius nomine capitis quis damnatus sit; acta, sententiam, tostificationesq; dicta rit, aut conscripserit.

An in eo procuratoris, aduocatiq; fiscalis mun° administrarit, aliaq; exercuerit, vnde irregularitatis maculã cõtraxerit.

An suspensi.

An interdicti.

An excommunicati.

An amentes.

An morbo caduco laborantes.

An energumeni.

An vero non examinati, & probati.

Exploretur item, an furtim, per saltũue ordinem susceperit.

Inuestigetur præterea, cum quis ordinem aliquem suscepturus, ad examen venit, quamdiu est, quo alium ordinem susceperit, vt nemini ad altiorem gradum pateat ascensus, nisi in singulis alijs inferioris ordinis gradibus congruo temporis spatio perstiterit ad præscriptum Tridentinæ sanctionis.

An vim, & naturam, mysteriaq; ordinis, quem suscepturus est, norit.

An item ritus, & cæremoniæ quæ ex libro pontificali adhibentur, cum initiantur.

An eorum item significationes sanctiores.

An sacrarum vestium, quibus induuntur; mysteria item, & significata.

An functionum notitiam habeat ordinis, quo quisque initiandus est.

An earum vsum, exercitationemq; rectè teneat, cum in literis, tum etiam in cantu: in quo experimento adhibeantur cantus periti.

Hæc generatim ab omnibus & singulis explorentur. Nunc præterea sequuntur, quæ sigillatim cuiusq; ordinis propria, suo loco præscripta, perquirenda sunt: ita tamen, vt examinatores pro prudentia sua ratione, quæ in ordinis inferioris examine explorationeue requirantur, aliquando etiam perquirant ab ijs, qui superiore ordine initiantur.

De iis qui primam tonsuram initiandi sunt quæratur & inuestigetur primum, quam ob causam se clericos fieri velint.

An secularis iudicii vitandi causa initiari curent.

An contentiosis litibus implicati.

An rixam simultatemq; exerceant.

Quod item artificium teneant, quaue in arte, quoue in vitæ genere hactenus versati sint. (fore.

An tales sint, qui spem præbeant, Ecclesiæ ministros vtiles se

A quo sacerdote, sanctioris vitæ magistro, instituti sint ad clericalis vitæ modum.

An legere, & pronunciare, & scribere norint, tum in vtroq; genere de iis periculum fiat.

An doctrinæ Christianæ præcepta institutaq; sciant.

An Epactæ intelligentiam habeant.

Præterea an sacramentum confirmationis susceperint.

De iis vero, qui in minoribus ordinibus adscribi volunt, quæratur, experiendoq; cognoscatur.

An saltem primordia grammaticæ, & linguam latinam intelligant.

An scientiæ spes tales eos ostendat, qui digni sint vt ad maiores ordines aliquando ascendant.

Qui vero sacris ordinibus, vtpote subdiaconatu, diaconatu, sacerdotio initiandi sunt, cum ornati, excultiq; iis virtutibus esse debeant, quæ in clericis inferiorum ordinum requiruntur, sicut ad altiorem ordinis gradum ascendunt; ita virtutum, & probitatis & doctrinæ quodam quasi ascensu præstare debent.

Quamobrem hoc in primis examinatores videant, an qui ordinis sacramento initiantur, per singulos illius gradus & in vitæ spiritualis disciplina maiorem progressionem fecerint.

An Breuiarium, anq; sacra Biblia, an item sanctorum patrum volumina, Conc. Trident. & prouincialia quoq;, synodos Episcopi diœcesani, Catechismum Roman. rationale diuinorum officiorum, & libros aliquos, de vitæ spiritualis rationibus conscriptos, sui muneris vsui accommodatos habeant.

A subdiaconis potissimum de ordinum minorum quæratur, & maiorum differentia.

An in minoribus ordinibus probatus sit. (ctum est.

De voto item continentiæ, q; subdiaconatus ordini coniun-

De sacramentorũ etiam doctrina, saltem generatim. Tum eorundem periculum, experimentumue fiat in officii diuini recitandi ratione.

Diaconorum examen experimentumue fiat, præterea aliquanto diligentius de sacramentorum doctrina.

Experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis, ex ratione concionatorum examini infra præscripta.

Ab iis, qui sacerdotio initiari volunt, hæc sigillatim studio perquirantur.

An piè & fideliter in ministeriis ante actis se gesserint.

An spectata pietate, anq; castis moribus.

An præclarum bonorum operum exemplum & vitæ documenta ab eo exspectari possint.

Hæc præterea quærantur.

Quid sit Missæ sacrificium.

Qui illius sacrificii effectus.

Quæ eiusdem partes.

Quæ mysteria in eo insint.

Quæ sacrarum vestium significationes.

Quæ in eo officio offerendo requirantur.

Vbi & quando illud fieri non licet.

Quæ dubia aliquando incidere possunt.

Quæ explicatione opus habeant, vt illud rectè fiat.

Tum experimentum eorum ex præscriptis infra regulis fiat.

An sacræ confessionis aliquam peritiam habeant. (sint.

An ad alia item sacramenta recte riteq; ministranda idonei

An eorum cognitionem explicatiorem habeant, ex interrogationum præscripto, vt infra de Parocho.

An doctrinam item teneant, qua verbum Dei rectè tractare, concionemue habere possint.

Anq; de re sacra, de Christianarum virtutum officiis, atque de omni re ad salutem necessaria apte populum instruere aut docere possint.

Cum vero à cæteris omnibus, vt præscriptum paulo ante est, qui clericali militiæ adscribuntur, de vitæ spiritualis sanctioris q; institutis atq; exercitationibus perquiratur, tum maximè ab iis, qui vel sacerdotio initiantur, vel parochialem curam suscipiunt, vel sacræ confessionis audiendæ munus sumunt, vel in tractatione verbi Dei sacrisq; concionibus versari volunt.

A quibus omnibus & singulis, cum ad examen veniunt, præter cætera quæ ad sanctã spiritualis vitæ vsum pertinent, ea maximè explorentur, quæ de orandi modo, deq; omni sanctarum meditationum cœlestiumue contemplationum exercitatione ab aliis, qui in eo genere religiose se exercuerunt, tradita sunt.

De iis vero sacerdotibus, qui Ecclesiarum parochialium curationem susceperi sunt, quæratur præterea, experiundoq; cognoscatur in primis.

An apti ad sensus percipiendos, non solum qui ad grammaticæ intelligentiam sumuntur, verum etiam interiores illos, sanctioresq; tam ad Christi Ecclesiæq; mysteria, & ad spiritualis vitæ modum pertinentes.

An sermones contexere habereue sciant.

An si quos habuerint, vnde sumpserint, aut quam illis contexendis conscribendisue rationem adhibuerint; & vero si quos apud se conscriptos tunc habeant, eos ostendant atq; tradant.

An in eo genere aliquid ex tempore possint; tunc ex tempore breui q; sermone periculum fiat, quantum concionando valeant.

Atque si tractationis quidem verbi Dei vsu peritiorem parochum, Ecclesiæ parochialis, quæ committenda est, ratio deposcit; examen aliqua ex parte, quæ potior examinatorum iudicio videbitur, ineatur ad interrogationum normam, concionatorum examini infra constitutam.

Quæratur præterea, an alias vnquam animarum curam gesserint;

gesserint; quod si affirment; tum interrogentur etiam, & vbi gesserint & cur inde discesserint.

An intelligant quanti illud sit, animarum curam suscipere, rursusque gerere, quæque partes ac virtutes illæ sint, quibus bonum & vigilantem animarum curatorem præditum esse oporteat.

An item norint impedimenta omnia, quorum causa interdictum est, ne quis sacramenta ministret & ne quis suscipiat.

An sacramentorum, præsertim vero quorum ille minister est, vim & naturam intelligant: atq; hæc sigillatim in primis interrogentur.

Quæ vniuscuiusq; sacramentorum materia, quæ forma itē.

Quæ eorum efficiens causa est principalis.

Quæ causa efficiens instrumentalis.

Quæ causa finalis.

Quæ eorum differentia.

Qui effectus, quiue fructus.

Qui eorum ritus, quæue cæremoniæ.

An maxime omnium peritiam teneant audiendæ sacræ confessionis.

Quos huius generis libros, atq; adeo summas habeant.

Tum periculum fiat, quam valde casuum conscientia vsu periti sint, quamque tum in illis, tum in aliis id generis perite versati, præsertimq; in Ecclesiasticis constitutionibus, quæ ad rectum vitæ vsum, populiq; Christiani mores & virtutes pertinent.

An nouerint casus, sanctissimo Papæ & Episcopo item à iure & ab homine reseruatos.

Atq; adeo diligentius, prout opus erit, de singulis interrogentur quæ infra præscribentur rationi examinandi confessarios sacerdotes.

Videant præterea examinatores, an aliquam sacrorum canonum notitiam habeant, & præcipuè quod ad Tridentinum, & prouincialia concilia, synodosq; diœcesanas attinet, an illi hæc norint quæ sequuntur.

An scil. doctrinam de præcipuis Christianæ Religionis articulis, quos œcumenica illa synodus Tridentina contra Hæreticos definiuit.

An item quæ de residentia præscripsit.

An quæ etiam de parochis parochialibusq; Ecclesiæ, & de diuinorum officiorum cultu cæterisq; eiusdem generis statuit.

An quæ præterea de clericorum honestate sanciuit.

An cætera deniq;, quæ vel ad cleri, vel ad populi disciplinam, vel ad aliarum rerum reformationem constituit, quæ parochi scire beneq; nosse intersit.

Ex prouincialibus conciliis sigillatim quærant.

Quæ de clericalis vitæ honestate & de parochorum officiis constituta sunt.

Quæ item de sacramentorum recta administratione, quæ Missæ sacrificio, quæ præterea de diuinis officiis.

Quæ etiam de sacramentalibus, & quæ de festorum dierum veneratione, quæ de Ecclesiarum cultu, quæ de scholis doctrinæ Christianæ, quæ de populi Christiana institutione morumq; disciplina, deq; aliis ad parochialis vitæ munus potissimum pertinentibus, sancita sunt.

Ex synodis diœcesanis, eam ipsam certis capitibus distinctam, examinandi rationem ineant, prout genus decretorum est, quæ in illis Episcopus confecit.

Qui causa beneficii, cuiusuis generis, quod tamen curatum non sit, ad examen accedit, de eo hæc inuestigentur.

An canonicarum horarum officium ex Breuiarii instituto, rubricisq; recitare sciat.

An doctrina disciplinaq; omni instructus quā ordo deposcit quo initiari debet, pro beneficii, officii, dignitatisue ratione, cuius causa examen instituitur.

An peritiam item teneat functionum, quas illius beneficii, dignitatis muneris ue ratio postulat.

An teneat quæ scitu necessaria sunt ad functiones illas vel beneficii rectè ritoq; præstandas, etiam quæ ad rectè canendi modum, rationemue pertineant.

Atq; hæc quidem sunt quæ ad examinis institutionem pertinent, eorum, qui aut Ordinis sacramento initiandi sunt, aut ecclesiis parochialib. perficiendi, quibusue beneficia conferenda.

Nunc vero sequitur examinis ratio confessariorum, de quibus præter cætera, quæ cum sacerdotis & parochi officio muneree coniuncta ipsis sunt, hæc etiam sigillatim atq; exploratiori ratione perquirantur.

De Sacramenti Pœnitentiæ necessitate.

Quare institutum sit hoc sacramentum, & à quo institutū.

Quæ huius sacramenti materia.

Quæ forma.

Qui illius effectus.

Qui Minister.

Quæ conditiones in eo requirantur.

Quæ regulæ ad dignoscendum & distinguendum peccatum mortale à veniali.

Quæ pœnitentiæ partes.

Quæ earum partium ratio.

Quid Contritio.

Quæ ad veram contritionem sint necessaria.

Qui contritionis fructus & vtilitas.

Qua quisquam ratione se ad contritionem exercere possit.

Quæ signa sint veræ contritionis.

Perquiratur item quæ confessionis, quæ secunda pars pœnitentiæ est, natura sit atq; substantia.

An diligenter inquirere sciat & peccatoris circumstantias, & peccati item.

Quæ mutent speciem peccati, & quæ in confessione explicanda sint.

Quæ restitutionem expostulent, quæ radices causæue restitutionis.

An dubios suspectosue contractus norint, aut saltem de iis dubitationes & quæstiones instituere ineue sciant.

Quibus criminibus annexæ sint censuræ.

An item illarum peritiam & vim teneant.

An casus, in quibus irregularitatis macula contrahitur.

An saltem in us omnibus, & aliis quæ ad verum perfectumue huius sacramenti pœnitentiæ ministrum pertinent, sciant dubitare & nouerint consulere peritos, quomodo agendum sit id, de quo in dubitationem adducunt.

Qui item ritus & sacræ cæremoniæ confessionis.

Quæ conditiones ad cōfessionem verè pœnitentis necessariæ.

Qui ordo confitendi, quando quis statim confiteri debeat; quando item confessionem iterare.

De satisfactione, quæ tertia pars est pœnitentiæ, quæratur.

Quæ satisfactionis partes.

Quis satisfactionis finis.

Qui fructus, quæue vtilitates satisfactionis.

Quæ in satisfactione requirantur.

Qualis & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat.

An salutares & conuenientes satisfactiones pro grauitate criminum & pœnitentium facultate iniungere sciant.

An item ex Innocentii III. præscripto, more periti medici sciant infundere vinum & oleum vulneribus sauciati, ac quale debeant præbere remedium aut consilium.

An præterea canones pœnitentiales rectè teneant.

Quæ differentia sit satisfactionum, pœnitentiarum, &c.

De absolutione indagetur.

Quæ verborum formula requiratur.

Quæ preces, oratioue præterea adhibeantur.

Quis ordo seruandus in absoluendo tam à peccatis quam ab excommunicatione suspensioneue.

De sigillo item confessionis plura quærantur, ac præsertim quæ vis & quanta sigilli.

Quæ sub illud cadunt.

Ex sanctionibus Ecclesiasticis, Trident. Concil. synodis tum prouincialibus, tum etiam diœcesanis indagetur, quæ in illis cōstituta ad pœnitentiæ sacramentum pertinent, quæq; de cleri, & populi disciplina, & moribus constituta sunt, vt paulo ante in parochorum examine demonstratum est.

Sed hactenus de ratione interrogationum, quæ examinandis confessariis sacerdotibus adhibentur.

Iam est locus examinis concionatorum, & sacræ scripturæ interpretum, à quibus hæc quærantur.

Primo

Primo de doctrinæ articulis, dogmatibusue Concilio Tridentino explicatis, vtpote de canone scripturæ, de peccato originali, de iustificatione, de sacramentis, & generatim sacrificio Missæ, de purgatorio, de inuocatione, & veneratione Sanctorum, de sacris reliquiis, de imaginibus Sanctorum, de indulgentiis, potestate, & auctoritate Papæ, de ieiuniis, & diebus festis, & reliquis multis.

An præterea habeat reliquos Theologiæ notos, & tractatos locos.

Quem in scholasticis præsertim auctorem familiarem habeat.

An sæpius sacrorum bibliorum volumina cum glossa, aliouue commentario studiosè euoluerit; ang, in iis ipsis ita diligenter versatus, vt inde locos facile apteq, promere possit ad omne sacræ tractationis genus.

An sanctarum interpretationum vsu literate versatus.

An ex antecedentibus & consequentibus verum scripturæ sensum elicere norit: ang, item hæc Euangelistis, in eodem narrationis genere versantibus.

An rursus temere, pro suo, libito sacram scripturam à vero sensu detorqueat.

An tropologicos, moralesue sensus, cum literali sensu non cohærentes, commentetur.

An explicandis parabolis rectum, præcipuumq, rerum sensum spectet, prætermissis explicationibus, quæ nihil ad propositum faciunt.

An traditionum Apostolicarum, Ecclesiasticarumq, notitiam habeat.

An in sanctorum Patrum scriptis, atq, sermonibus perite versatus sit.

Quem item è Patribus maximè in concionando sequatur, atq, imitetur.

An sacrorum mysteria temporum norit, anue sacrorum rituum significationes habeat.

An rerum, in Ecclesia sancta gestarum, & Conciliorum præsertim vniuersalium cognitionem teneat.

An Sanctorum vitas, historiamq, veram norit.

An congruam canonum scientiam teneat.

An summorum Pontificum iura, atque instituta sciat.

An conciliorum, prouincialium præsertim, & diœcesanorum decreta in promptu habeat, vt in parochorum examine præscriptum est.

An casuum conscientiæ doctrinâ instructus sit.

An Theologiæ illius mysticæ, quæ tota in spitualis vitæ constitutis tradendis, quæq, purgandis affectibus, in reformationeque interiori versatur, præcepta atque exercitationes bene norit.

An deniq, sanctarum meditationum, orationisq, mentalis vsum habeat.

An morum doctrinæ, Christianæq, disciplinæ locos, non solum ordine collectos, sed rectè notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, vel ad Dei amorẽ, vel ad cœlestis patriæ desiderium, vel ad virtutũ studium, vel ad detestationem scelerum, vel ad misericordiam, vel ad certas præterea affectiones, quæ ad cœlũ excitatæ, Christianas virtutes pariunt.

An apti deniq, sint, atq, idonei ad concionem concipiendam, & explicandam, non solum Theologiæ locorum tractatione, sed similitudinibus, quæ ab agricultura, vinea, semente, aliisq; rebus ducuntur, quæ sub sensum cadunt, atq; intelligentiam, præsertim eorum, etiam rudium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingressum, recta ratione vtatur, & ab iis vitiis refugiat, quæ plerisq; eo in genere admittunt.

An totam concionem rectè, ordineq; disponat.

An dilucide, distinctèque enarret.

An bene pronunciet.

An illius verba pondus habeant, anque vim item, vt non solum audientium aures attingant; sed animos intime penetrent.

An in tota concione, pro cuiusque rei, de qua agit, ratione, rectè, apte, decore, & congruenter agat.

Quo in genere omni, & perquirendo, atque explorando, tum in aliis diligentius indagandis, examinatores, prout occasio tulerit, quam diligentissime institutiones adhibebunt, quæ de concionatoribus ad prouinciæ vniuersæ vsum ex Concilii prouincialis auctoritate, iussu nostro editæ sunt.

Cum non certæ curæ, alteriusue beneficii, vel officii, muneris ue, sed doctrinæ tãtum, aut in litterarũ studiis progressionis recognoscendæ causæ examen alicuius instituitur, diligenti etiam illa, præcipuaque disquisitione, & interrogationibus supra varie descriptis, pro vnius cuiusque conditione indagetur illius doctrina, & in ministeriis Ecclesiasticis peritia atque vsus.

Horum vero classes quatuor saltem, vel etiam plures constitui poterunt, quibus pro peritiæ ratione, experimento illorum pacto, adscribantur.

Primæ classi adscribantur, qui & perfectè concionandi peritia, & conscientiæ casuum explicationibus se tales ostendant, qui aliis multis prodesse, atque præesse possint, proindeque idonei sint, non modo ad parochi, sed etiam ad Præpositi, Vicarii foranei, vel visitatoris munus, vel ad pœnitentiæ etiã, aut doctoralis, aut Theologalis præbendæ obeundæ officium, dignitatemue, in Ecclesia cathedrali assequendam, atque ad alia id generis.

Secundæ classi erunt adscribendi, qui si minus, vt illi concionari perfectè, at mediocriter, tum etiam de suggesto possint; quique in casuum conscientiæ summis studiosè versati sint; & vero Catechismi Romani doctrinam diligenter teneant.

Tertiæ erunt classis, qui intelligentiæ tantum assequuntur, vt si vnius accurata, doctaque concione, at sermonem de altari saltem habere, ac Euangelium, prout vsu venerit, enarrare, & explicare possunt; & administrationis Sacramentorum, & casuum conscientiæ vsu ita periti sint, vt qui frequentius incidere solent, eos aliquo studio adhibito enodare, atque explicare apte queant.

Quartæ classis, qui si non magno litterarum studio, aliquo tamen vsu apti sunt ad aliquam Euangelij breuem explicationem; & notitiam quandam habent rerum ad docendum populum, quæ saluti necessariæ sunt, & ad Sacramentorum administrationem, casuumque conscientiæ explicationem pertinent: ita vt iis ob sacerdotum paucitatem, necessariamq; causam, aliquando curatio aliqua spiritualis pro loci ratione præsertim ad tempus committi possit.

In inferiori classe reliqui asscribantur, quorum nulla ratio omnino haberi debeat in curatione animarum committenda, sacramentique administrandi facultate, neque in sermonibus ad populum habendis.

In omni hac examinandi ratione Cancellarius pro sui officij munere hæc præstet.

Certum librum habeat prouisionum Ecclesiarum parochialium, aliorumque beneficiorum, quæ examine adhibito, etiam ex literis Apostolicis, conferenda sunt.

Quo in libro rectè, atq; ordine ab eo notentur hæc.

Acta examinis, quæ in singulos dies, prout examinandi occasio tulerit, fiunt.

Dies vacationis certi beneficij, & modus item vacationis aliaq; id generis.

Dies etiam promulgationis, aut prorogationis edicti, quod de concursu proponi solet; cum beneficij vacationis ratio id postulet, & reliqua etiam, quæ ad promulgationem pertinent.

Nomina quoque examinatorum quos Episcopus certi illius beneficii vacantis nomine ad examen conficiendum nominatim delegerit.

Nomina etiam eorum, qui eo nomine examinandi proponuntur.

Dies præterea, quo quisq; examen subiit.

Nomina etiam examinatorum, qui interfuerint.

Approbatio, aut reiectio, quam eorum iudicio singuli tulerint.

Nomen item, & cognomen eius, quem Episcopus tanquam aptiorem, magisque idoneum delegerit, cui beneficium ab eo conferatur, ad quem spectat.

Cui libro alia præterea adscribat, quæ Episcopus censuerit.

Librum alterum conficiat, in quo omnes, & singulos, quos vel concionandi, vel confessionis audiendæ, vel sacræ lectionis interpretandæ causa Episcopus adhibito examine vel probat, vel improbat.

In hoc

In hoc ipso libro notet etiam, & nomina examinatorum, & diem, quo examen confecerint, & causas item repulsæ, si quam aliquis tulerit.

Id ipsum de certo die, examine, probatione, aut reiectione eorum seruet, quorum experimentū sacræ ordinationis causa fit.

Tertium librum habeat, in quem examina referat, quæ generatim instituuntur, atq; adeo cōficiuntur ad cleri progressionem in literarum studiis inuestigandam, atq; explorandam.

Videatur, & concilium Colonien. anno 1549.

Nemo examine eximendus.

Estque ea mens Concilii Tridentini sess. 7. cap. 13. *Præsentati, seu electi, vel nominati à quibuslibet ecclesiasticis personis, etiam sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quæuis ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cuiuslibet priuilegij, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscripsæ, nisi fuerint prius à locorum ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur. Præsentatis tamen, electis seu nominatis ab vniuersitatibus, seu generalium studiorum exceptis.*

Simoniacus reijcitur.

§. 8. Ordinandus non est Simoniacus, causa prima tota ea in re versatur, semperque contra hoc vitium pugnat Ecclesia, & pro eo arma gerit mundus. Mihi sententia S. Greg. Ep. 110. lib. 7. probatur. *Quisquis per pecuniam ordinatur (1. q. 1. c. 5.) Ea quæ à sanctis patribus de Simoniacis statuta sunt, nos quoque & iudicio sancti spiritus & Apostolica auctoritate formamus. Quidquid ergo vel in sacris ordinibus, vel in ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas vnquam vires habere, censemus.*

Et cap. 6. *Quos constiterit indignos meritis sacram mercatos esse pretio dignitatem conuictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, inuoluit.*

Nec ordinatur inuitus.

§. 9. Nec inuitus, nec ambiens ordinetur. 1. q. 6. *Sicut.* Inuito enim ordines dari non possunt, ambitioso non debent.

Homicidæ reiiciuntur.

§. 10. Ordinari non possunt homicidæ, distinct. 50. c. 4. miror. Imo milites, & alii distinct. 51. cap. 1. *Aliquantos ex his, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos ad sacerdotium esse comperimus, è quorum numero, Rufinus, & Gregorius perhibentur: aliquantos ex militia, qui cum potestatibus obedierunt, sæua necessario præcepta sunt executi: aliquantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata, fecerunt: aliquantos, qui voluptates, & editiones populo celebrarunt, ad honorem summi sacerdotij peruēnisse, quorum omnium neminem, ne ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat peruenisse. Quæ si singula discutienda mandemus, non modicos motus, aut scandala Hispaniensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus: idcirco remittenda potius hæc putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis vestræ maturitas prouidere debebit, vt tantæ vsurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur: eo videlicet constituto, vt quicumq; tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur.*

Milites, causidici, curiales.

Et c. 2. *Designata sunt genera laicorum, de quibus ad clericatum peruenire non possunt, id est, si quis fidelis militauerit, si quis fidelis causas egerit, hoc est postulauerit, si quis fidelis administrauerit. De curialibus autem manifesta est, quoniam etsi inueniantur huiusmodi viri, qui debeant fieri, tamen quoniam sæpius à curia repetendum, cauendum ab his est propter tribulationem, quæ sæpe de his ecclesiæ prouenit.*

Pœnitentes non ordinandi.

§. 11. Nec ordinandus Clericus ex pœnitentibus distinct. c. 15. *Ex pœnitentibus, quamuis sit bonus, clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit: deponatur à clero: quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinauerit talem, etiam ipse ab Episcopatu suo ordinandi duntaxat potestate priuetur. Simili sententiæ subiacebit Episcopus; si sciens ordinauerit clericum eum, qui viduam, aut repudiatam, vxorem habuit, aut secundam.*

Nec qui viduæ maritus fuit.

Et c. 57. & 58. Idem Canones Nicæni, qui ab infimis etiam clericorū officiis pœnitentes excludunt. Hæc autem de publice pœnitentibus, *quorum sceleribus tremefacta est ecclesia*, intelliguntur; quam *humilimam pœnitentiam* vocat Augustinus Epist. 54. quam describit Agathense concilium c. 15. Mitigatum est hoc decretum in concilio Tolet. 1. distinct. 50. c. 68. *Placuit vt pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum sit necessitas, aut vsus exegerit, & tunc inter ostiarios deputentur, vel inter lectores, ita vt Euangelium, aut Epistolam non legant. Si qui autem ante ordinati sunt diacones, inter subdiaconos habeantur, ita vt manum non imponant, nec sacra contingant. Eum vero pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus, grauissimis q; peccatis publicam pœnitentiam gerens sub cilicio, diuino fuerit reconciliatus altario.*

Causa quæ patres mouit, vt pœnitentes solenniter excluderent, fuit, quod eos qui in Ecclesia docere, sacramenta administrare debent, nollent ex grauissimis peccatis, ob quæ pœnitentia imponitur publice notos, & quodammodo infames esse. Tanto magis nunc aduigilandum, ne non modo pœnitentes, sed etiam impœnitentes, post grauissima peccata in Ecclesia locum honoratum teneant.

Vsurarij nō ordinantur.

§. 12. Non admittendi vsurarii. distinct. 47. cap. 1. 2. 4. Nec modo non admittendi, sed nec retinendi, sed deiiciendi de gradu merito iudicantur. Iniusta est illa cupiditas, & alieni subtilior, sed nequior inuasio, quam furtum, aut rapina. Nunc quoque cum omnia pessum eunt, cum Iudæorum vsuras instruunt, animantque Christiani, vt multarum vrbium sit illa negociatio, ac ipse senatus multis Germaniæ locis Societatem cum vsurariis Iudæis iniisse videatur, miserisque illis vt ministris vtatur, hinc inquam ad aliquas etiam Clericorum ædes penetrant Iudæi, quamuis & sine Iudæis nonnulli aurum ex auro generent. Hos si Clerici sint, deponendos censent canones, si laici non admittendos ad ordines. Leges ciuiles etiam infames habent, nec vllum licet in senatorem eligere, fœneratorem, multo vero indignius est, ipsum senatum ærarium suum vsuris, hoc est, subtilioribus, & nocentioribus furtis implere. Eiusmodi vero senatores causa cognita, dignitate, & officiis deiici oportebat. Verum de vsura mihi alius dicendi locus est. Nunc quisque consideret, quam turpe sit in seruo Dei, quod leges puniunt in proceribus mundi.

Miser status Germaniæ.

Apostatæ nō ordinandi.

§. 13. Apostatæ etiam ad clericatum non admittuntur. Si enim primam Deo fidem irritam fecerunt, quomodo eos Ecclesia, vt fidos Dei ministros honorare, atque iis se credere potest? Ita ex concilio Arelat. distinct. 50. c. 69. *Hi, qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæcularem redeunt conuersationem, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt: sine pœnitentia communionem penitus non accipiant. Quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicumque ille sit, post pœnitentiam sæcularem habitum accipere non præsumat. Quod si præsumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.* Multo minus ad curam animarum admittendi sunt, qui animam suam tam temere abiecerunt: aliorum exemplo perdiderunt.

Theologica facultas nulli apostatæ honores confert.

Laudabile est itaque Moguntiacensi in Academia Theologicæ facultatis statutum, ne ad gradus Theologicos, aut in senatum admittantur apostatæ, quamuis post pœnitentiam in aliquam Ecclesiam irrepserint.

Serui non ordinandi.

§. 14. Serui & curiales excluduntur. Nam liber ordinatione efficitur, domino itaque nocetur. Ita Leo Epist. ad Episc. camp. prima. distinct. 54. c. 1. 2. *Seruus si ad sacerdotium latenter irrepsit peculii amissione multandus est, & manet seruituti obnoxius.* cap. 9. & 10. Imo nec ad religionem potest admitti. Si domino

præsente, nec contradicente ordinetur, manet illi ordinis dignitas, & consequenter libertas, non tamen vel præsentator, vel Episcopus ordinator impune ferent, in duplum enim restituere tenentur. Seruus autem liber efficitur. distinct. 4. Si seruus. Imo videtur consentire dominus, nisi iustam silentii causam attulerit.

Libertus potest esse clericus.

Libertate igitur donandus est, libertus enim clericus fieri potest. Olim cum seruorum esset multitudo, Ecclesia plurimos, & seruos, & libertos habuit, ex quibus idoneos sæpe in clerum allegit: De libertis faciendis, defendendis, &c. Vide Tomos Concil. Binianos. T. 2. p. 2. f. 372. & 535. c. 1. c. & 566. f. & 357. a. b. & 38. c. 2. f. & 32. e. f. & 499. c. 1. d. & T. 2. p. 1. f. 555. c. 1. f. & 267. c. 2. c. & f. 356. f. & f. 280. d. & fol. 516. F. Tom. 1. p. 1. f. 197. f. Tom. 1. p. f. 767. c. 2. C. & Tom. 3. p. 2. f. 650. c. 2. d.

Hæc de seruis; de Bigamis iam supra dictum est.

Illegitimus non ordinandus.

§. 15. Illegitimi ab ordinibus excluduntur. distinct. 56. & multis deinde præceptis; Concilio Pictauiensi sub Paschali, *Presbyterorum filii, & cæteri in fornicatione nati ad ordines non promoueantur, nisi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viuentes, prælaturarum tamen omnino iubentur esse incapaces.*

Ordinari nõ possunt, qui titulo carent.

§. 16. Nec ordinatio sine titulo facta probatur. Ita Chalcedonens. c. 6. dist. 70. c. 1. *Neminem absolute ordinari presbyterum, vel diaconum, vel quemlibet in Ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifeste in ecclesia ciuitatis, siue possessionis, aut in martyrio, aut in monasterio, qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum. Eos autem qui absolute ordinantur, decreuit sancta synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad iniuriam ipsius, qui eum ordinauit.*

Cur sine titulo nemo ordinetur.

In latino obscurum est, & *nullum tale factum valere*, in græco clarum, μηδαμῶς δύναδς ἐνεργειαν, non posse efficax esse, non enim licet vti ordine sic accepto. Titulus igitur necessarius est, vt vel in Ecclesia titulum habeat, & sustentationem, vel sane ab Episcopo, aut iis sit facultatibus, vt ex patrimonio suo sufficienter possit viuere. Ne vagabundus oberret, & paupertate pressus ad illicita conuertatur.

Raptorum filij, non ordinandi.

§. 17. Filii raptorum virginum non admittuntur ad Ecclesiam. Concil. Meldense. c. 64. Nisi forte eos vel maxima Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas, postulet, vel euidens meritorum prærogatiua commendet.

Eunuchi nõ ordinantur.

§. 18. Eunuchi ad ordines non admittuntur, nisi morbi causa sit, aut violentia aliena factum. Canon primus Concilii Niceni ita habet. Εἴ τις ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἐχειρουργήθη, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἐξετμήθη, ὅτ@ μενέτω ἐν τῷ κλήρῳ. εἰ δέ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμε, δέον αὐτὸν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦδθ προσήκει· καὶ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιούτων χρῆναι προάγεδθ. ὥσπερ οὖν δῆλον, ὅτι περὶ τῶν σπουδαζόντων τὸ πρᾶγμα καὶ ζημιόντων ἑαυτοὺς ἐκτέμνειν εἴρηται· ἔτως εἴ τινες ὑπὸ βαρβάρων, ἢ δεσποτῶν ἐυνουχίδισαν, ἐυρίσκοιντο ἄλλως ἀξίοι, τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεσθαι ὁ κανών. *Si quis à medicis propter languorem defectus est, aut à barbaris abscisus; hic in clero permaneat. Si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc & in clero constitutum abstinere conuenit; & deinceps nullum debere talium promoueri. Sicut autem hoc claret, quod de his qui hanc rem affectant, audentque semetipsos abscindere, dictum sit; Sic eos, quos aut barbari, aut domini castrauerunt, si inueniuntur alias dignissimi, tales ad clerum suscipit regula.*

Leontii furor in amore.

Canonis causam Leontius dedit, qui iussus consortio suspectæ iuuenculæ desistere, seipsum castrandum dedit, ne ab ea seiungeretur, & tamen suspicionem fugeret, sed tamen ille depositus est, & indignatione victus quasi pro vindicta ad Arianorum castra defecit. Canon Apostolicus quem citat Concilium Nicenum est 22. Verum audire Apostolorum verba præstat.

Canon. 21. Εὐνοῦχ@ εἰ μὲν ἐξ ἐπηρείας ἀνθρώπων ἐγένετό τις, ἢ ἐν διωγμῷ ἀφῃρέθη τὰ ἀνδρῶν, ἢ ὕτως ἔφυ, καὶ ἔστιν ἄξι@, μενέτω. *Eunuchus si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur Episcopus.*

Eunuchus sibi causa mortis.

Canon 22. Ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν μὴ γινέσθω κληρικός. αὐτοφονευτὴς γὰρ ἑστιν ἑαυτοῦ, καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δημιουργίας ἐχθρός. *Si quis absciderit semetipsum, id est, si quis amputauit sibi virilia, non fiat clericus, quia suus homicida est, & Dei conditionis inimicus.*

Canon. 23. Εἴ τις κληρικὸς ὢν, ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσει, καθαιρείσθω, φονευτὴς γὰρ ἑστιν ἑαυτοῦ. *Si quis cum clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida.*

Canon. 24. Λαϊκὸν ἑαυτὸν ἀκρωτηριάσας, ἀφοριζέσθω ἐπὶ τρία. ἐπίβουλ@ γὰρ ἑστιν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς. *Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione priuetur, quia suæ vitæ insidiator extitit.*

Vetus Ecclesia Eunuchos nõ admisit.

Nec differt ab hoc mandato Apostolico, quod Deut. 23. v. 1. Non intrabit Eunuchus, attritis, vel amputatis testiculis in Ecclesiam Domini. Illa in Ecclesia puto, etiam si naturæ vitium, aut hominum iniuria factum fuerit, nihilominus fuisse in lege præscriptum, ne sacerdotio fungerentur; at in noua de voluntaria abscissione agitur, qualem experiri voluit Origenes, qui ab Alexandrino Episcopo Demetrio, ea de causa fuit depositus. Euseb. l. 6. c. 7. & 17.

Cur Eunuchi sponte nei non ordinentur.

Cur tantopere rem illam canones detestentur, causæ complures sunt. Primo quia magno vitæ periculo ea mutilatio peragitur, ideoque tales vt αὐτόχειρες homicidæ sui ipsius habentur. Deinde quia vigor etiam mentis interit, & malignitas quædam, pusillitasque accedit, ipsa corpora deteriora fiunt. Id quod in belluis quoque cernimus. Tertio, ne sic quidem tentatio vitatur, neque voluptatum voluntas exsciditur. Quarto, erat etiam vetitum ciuilibus legibus; hæres. 64. Epiphanius. Iustinus oratione ad Antoninum refert adolescentem vt omni motu carnis irrationabili careret, libellum Felici Augustali profecto obtulisse, vt medico id facere liceret. Idem peccarunt duo monachi Ægyptii quos Theophilus Alexandrinus eiecit, Epiphanius vagantes, vndique eiectos admonuit, & emendauit. Quinto. Contumeliosum erat tot virginibus, & continentibus, si castitas ferro quærenda Christianis, non de gratia domini crederetur. Sexto. Ministri Cybeles, aliique acuta sibi silice pondera demebant, vt ille loquitur, & crudeli, stolidaque superstitione dæmoni seruiebant, alii plumbi, & cicutæ frigore continentiam breuem mentiebantur; itaque noluit illis Ecclesia suos similes vel esse, vel videri, memor continentiam esse donum Dei, quod seruata operis Dei integritate, nos auctori suo consecraret.

Continentia donum gratiæ est, non filiastitiis.

CAPVT XIII.

Doctrina, aliæque dotes ordinandorum.

Delectus ordinandorũ Ecclesia est reformatio.

§. 1. DELECTVM igitur in hac sacra militia accuratissimum, contra quam nunc multis in locis fit, postulo. Ille vero secundum illa quæ dixi instituetur, vt absint crimina, defectusque canonici, adsint virtutes illæ, quas Apostolus requirit. Quod si pueri, aut adolescentes Ecclesiastico ordini deputentur, sint ea indole, ingenio, moribus, vt virtutis, & eruditionis quam capacissimi iudicentur.

Doctores clericorum

§. 2. Præclara eruditione sint clerici; at vero Episcopi, quique eius sunt in Ecclesia Cathedrali quasi assesso-

peritos esse oportet.

assessores, & collegæ, prælati, & canonici, quique in Ecclesiis illis concionantur, & in Academiis docent, tantum emineant in Ecclesia vera sapientia, ac scientia, quanta illis necessaria est, qui doctos clericos instituunt, ac regunt. Hos omnes doctorum nomine compellabo, nam horum præcipuum est munus docere. Nam Episcoporum proprium munus est docere; Canonicorum cathedralium pro Episcopo suo docere, monere; concionatorum, & Academicorum instituere sæculares & clericos, explicare scripturas, quæ omnia sunt munia Episcoporum, & ostendunt hoc lucubrationes eorum, qui Episcopatum gessere.

Episcoporũ est docere.

Pleriq; enim doctores Episcopi veteris Ecclesiæ fuerunt, nec mutatum est, nisi postquam creuit regendi, & diiudicandi lites occupatio, docendi functio in alios velut subsidiarios transfusa est. Ita veterum leges. distinct. 36. c. 2. *Qui Ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum approbatione diuinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumat; & non solum in eo ambitio inefficax habeatur, verum etiam ordinatores eius careant eo ordine, quem sine ordine contra præcepta patrum crediderant præsumendum.* Indigni itaque ad Clerum irrepunt, qui de beneficiis hinc inde in Academiis luxuriantur, donec biennalis ocii testimonia ad Ecclesias suas peregrinis vitiis infecti attulerint.

Abusus studiorum clericalium.

Turpissima est ignorantia doctorũ.

Sacerdotibus ignorantiam maxime vitandam docet nos concilium Tolet. 4. c. 24. distinct. 38. c. 1. *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas scripturas frequenter admonet Paulus dicens ad Timotheum, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ; & semper permane in his. Sciant igitur sacerdotes scripturas sanctas, & canones, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat: atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Nihil grauius in sacerdotibus increpant prophetæ, quã ignorantiam.

Episcopos scire tota biblia iubet conc. 7. c. 2. dist. 38. c. 6. *Omnes psallentes repromittimus Deo. In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos. Quod omnes quidem Christianos obseruare saluberrimum est: sed præcipue hos, qui hierarchicam consecuti sunt dignitatem. Vnde definimus, omnem, qui ad episcopatus prouehendus est gradum, modis omnibus psalterium nosse; vt ex hoc & omnis clerus, qui sub ipso fuerit, ita moneatur, & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano; si in promptu habeat legere scrutabiliter, & non transitorie tam sacros canones, & sanctum Euangelium, quam diuini Apostoli librum, & omnem diuinam scripturam; atque secundum mandata Dei conuersari, & docere populum tibi commissum. Substantia enim summi sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est vera diuinarum scripturarum disciplinis, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quod si disceptauerit, & ita libenter facere, & docere minime spoponderit; nullatenus consecretur. Aitenim prophetice Deus. Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*

§. 3. Non sufficit Ecclesiæ cognitionis Theologicæ aliqua mediocritas, sed hoc curandũ est, vt quantum fieri potest, sint quam plurimi excellenter docti. Itaque in eam rem incumbere Episcopos necesse est. Ratio manifesta est, quia quemadmodum mediocritas vni, aut parti sufficere potest, ita excellentia aliquorum toti corpori est necessaria: In regimine politico vnius, aut paucorum summa potestas requiritur, in bello quorundam summa exercitatio atque industria. Nam si difficultates oboriantur, quæ mediocres vires exuperent, omnes stupent. Deinde si nemo mediocritatem supergrediatur, non erit spes vlla excellentiorũ, raro enim erit discipulus supra magistrum. Hinc ingenia mediocria non excitantur, insignia torpescunt, aut nimium extolluntur; nam magna pars excellentium ingeniorum labores fugitant, & mobiles habent affectus. Denique non potest satis obsisti hæresibus, nisi sint multi ita docti, vt & Theologiam intelligant, & aduersariorum argumenta solide refutare queant. Quemadmodum in nouis periculosisq; ægritudinibus opus est sagacissimo, doctissimo, expertissimoq; medico, ita multo magis in tot errorum venenatissima colluuie, opus est insignibus Theologis qui antidota, & soteria pharmaca perite erogent.

Insignium collegiorum Canonici sint docti.

§. 4. Hinc Concilium Tridentinum hortatur vt insignium collegiorũ Canonici sint graduati sess. 24. c. 12. de reformat. *Hortatur etiam sancta synodus, vt in prouinciis, vbi id commode fieri potest, dignitates omnes, & saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus ecclesiis, & collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in Theologia, vel iure canonico. Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, vltra tres menses, ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse: saluis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt: alioquin primo anno priuetur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Quod si iterum eadem vsus fuerit negligentia, priuetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos, iuxta sacrorum canonum constitutiones, procedatur.*

Doctrinæ obstant Academiæ præuaricatrices.

Cui præcepto obstat Academiarum quarundam leuitas, perfidiaque, quæ accepta pecunia quoslibet insignibus honorum exornat, quo factum est, vt facilius sit titulos doctoratus, aut magisterii in vniuersitatibus adipisci, quam in tribum sartorum, aut sutorum. Hinc comites, barones, nobiles, etsi eruditionem habeant, titulos tamen, vt dubia testimonia eruditionis aspernantur.

Eruditionis ratio in beneficio dando habeatur.

§. 5. Ratio vero vt studia floreant illa est, vt præmia sint laborũ, & diligentiæ; non inanes tituli Academiarum, sed multo magis præbendarum collationes. Excitat honos, & vtilitas, studiũ. Prouisum huic rei à Concilio Basileensi sess. 31. anno domini 1438. de qualificationibus, & ordine conferendi beneficii. *Primo cum per generalis Concilii statuta sancte ordinatũ existat, quod quælibet ecclesia metropolitana teneatur & debeat habere vnum Theologum, qui sua doctrina & prædicationibus fructum salutis afferat, ordinat hæc sancta synodus, quod extendatur etiam huiusmodi ordinatio ad ecclesias cathedrales, taliter videlicet, quod quilibet collator ipsarum præbendarum teneatur, & debeat canonicatũ & præbendam, quam primum facultas se obtulerit, & inueniri poterit, magistro, Licentiato vel in Theologia baccalaureo formato conferre, qui per decennium in Vniuersitate priuilegiata studuerit, & onus residentiæ ac lecturæ & prædicationis subire voluerit, quiq; bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas cessante legitimo impedimento, legere habeat: & quoties ipsum in huiusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitriũ capituli in subtractione distributionum totius hebdomæ puniri possit. Et si residentiam deseruerit, de alio prouideatur. Verumtamen vt liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit à diuinis. Insuper quod in qualibet Ecclesia cathedrali vel collegiata, vltra prædictam præbendam Theologo (vt præmittitur) assignandam, tertia pars præbendarũ conferatur graduatis alias idoneis modo & forma infra scriptis, sic quod prima vacatura huiusmodi graduato, & deinde post alias duas sequenseo modo conferatur, & sic deinceps, videlicet magistris aut licentiatis seu baccalaureis formatis in Theologia, qui per decennium in aliqua vniuersitate priuilegiata doctoribus seu licentiatis in altero iurium vel medicina, qui per septem annos in sua facultate studuerint in vniuersitate, vt supra, magistris seu licentiatis in artibus, cum rigore examinis, qui per quinquennium in aliqua vniuersitate à logicalibus inclusiue & supra in artibus, vel in alia superiori facultate studuerint, nec non in Theologia, qui per sex annos vel in vtroq; aut in altero iurium, baccalaureis qui per triennium, si nobiles ex vtroq; parente, & ex antiquo genere,*

Decem annorum studio præbenda confertur.

Tertia pars præbendarũ graduatis danda.

alias autem per quinquennium consimiliter in aliqua vniuersitate priuilegiata ad minus suum studium fecerint, qui de prædictis gradibus, tempore & nobilitate supradictis fidem facere teneantur collatori per legitima documenta. Exhortamur tamen ordinarios collatores, quod in conferendis beneficiis huiusmodi, præsertim quo ad dignitates, respectum habeant singulariter ad magistros, nec non licentiatos & baccalaureos formatos in Theologia. In dignitatibus vero non electiuis, personatibus, administrationibus & officiis dictarum Ecclesiarum, idem ordo, modus & forma in omnibus obseruentur. Quod si quis ex dictis qualificatis, tempore vacationis præbendæ seu dignitatis huiusmodi, alias duas obtineat præbendas, seu dignitates & præbendas, vel aliud seu alia beneficium aut beneficia, quod vel quæ residendo in altero ipsorum, & horis diuinis inter essendo, valeret seu valerent vsque ad summam seu æstimationem ducentorum florenorum cameræ, similiter quicunque duas præbendas cathedrales obtinuerit, nullatenus in ipsa tertia parte includi seu comprehendi censeatur. In ecclesiis autem parochialibus, quæ in ciuitatibus aut villis muratis existunt, instituantur personæ sic, vt supra, qualificatæ, aut ad minus qui per tres annos in Theologia, vel in altero iurium, seu magistri in artibus, qui in aliqua vniuersitate priuilegiata studentes fuerint, & huiusmodi gradum adepti fuerint, si tales potuerint inueniri, qui voluerint huiusmodi beneficiis deseruire. Et vt facilius inueniri possint, statuit hæc sancta synodus, quod quolibet anno, durante tempore quadragesimæ, omnes & singuli hoc modo qualificati, de ipsa diœcesi & alij qui voluerint, habeant per se vel per procuratorem sua nomina exhibere illis, ad quos beneficiorum curatorum collatio vel præsentatio spectat, seu eorũ vicariis. Quod si non fecerint, collatio seu præsentatio vel dispositio aliter quã (vt præmittitur) facta, nõ propter hoc irrita censeatur. Et similiter in collatione tertiæ partis præbendarum superius memorata, intelligatur, si tot graduati seu qualificati modo præmisso potuerint inueniri, teneanturq; (vt præmittitur) ipsi graduati & qualificati sua nomina tempore prædicto ipsis, ad quos beneficiorum dispositio spectat, seu eorum vicariis exhibere per se vel per procuratorem. Quod si non fecerint, collatio seu præsentatio vel dispositio aliter quam (vt præmittitur) facta, non propter hoc irrita censeatur. Si autem illi ad quos beneficiorum quæuis dispositio spectat, contra supradictarum qualificationum designationem & ordinem aliquod beneficium contulerint, seu ad ipsum præsentauerint, vel quomodolibet disposuerint, sit ipso facto irritum & inane, velut superius præmissum est. Et nihilominus per concilia prouincialia cum in his defecerint, aut etiam personis non idoneis quoquo modo prouiderint, iuxta tenorem constitutionis Concily generalis, quæ incipit, graue de præbendis, corrigantur & debite puniantur. Illi vero ad quos beneficiorum regularium spectat collatio seu dispositio, prætermissis indignis, eadem religiosis idoneis conferant & assignent. Quod si aliter fecerint, per eorum superiores & capitula prouincialia corrigantur, & debite puniantur.

Parochiæ ciuitatenses graduatos requirunt.

Sic Concilium Aquileiense cum Tridentini decretum induxisset, ad monasteria idem extendit. In monasteriis quoque Monachorum, etiam Carthusianorum, vbi commode fieri queat, item lectio sacræ scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, vt sedis Apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, quemadmodum decreto Concily prouide statuitur. In conuentibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacræ scripturæ lectio similiter haberi ex Tridentini Concily præscripto debet: quæ lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus ministris. In Gymnasiis etiam publicis, si hactenus sacræ scripturæ lectio instituta non fuit, ad Catholicæ fidei conseruationem, propagationem, & defensionem quamprimum institui, & si instituta foret, & negligeretur, restitui ex Tridentini Concilii decreto omnino debet; ne, si artium & scientiarum principia, & documenta studiose passim traduntur, vt nihil ad perfectam cognitionem desideretur, neglecta iaceant sacræ scripturæ studia, Euangelici verbi pabulum, diuinorum eloquiorum maiestas, & promissorum cælestium amplitudo, quod est vnicum præsentis vitæ subsidium, & futuri sæculi argumentum.

In monasteriis etiã scripturæ exponendæ sunt.

Vt omnibus Academiis requiritur, lectio sacræ scripturæ.

Seminaria clericorum instituenda.

§. 6. Altera ratio est, vt scholæ, & seminaria Clericorum instituantur. Extat hac de re in Synodo Treuerensi anni 1549. sub Ioanne Archiepiscopo celebrata canon de scholis. Ita caus. 12. q. 1. can. 3. *Necessaria etenim res exigit, vt iuxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus vnum sit refectorium, ac dormitorium, seu ceteræ officinæ ad vsus clericorum necessariæ. Ministri vero post episcopum suos semper eos eligantur, quorum vita, atq; doctrina illos potius exornet, quam dehonestet.*

In Concilio Parisiensi supplicatum Ludouico à patribus c. 12. vt scholæ publicæ ex eius auctoritate fierent, saltem tribus frequentissimis imperii Francici locis. Verum de Gymnasiis à me dictum est l. 4.

Bibliotheca instruenda.

§. 7. Quandoquidem multorum Clericorum studia remoratur penuria librorum, huic quoque rei prospiciendum est. De Bibliotheca etiam supra egi, verum vt Episcopi, & collegia canonicorum formam habeant constituendæ Bibliothecæ, modumque augendæ, proponam hoc loco Concilii Mediolanensis 4. decretum de Bibliotheca: *Sicut in libris sacris voluminibusque sanctorum, & aliis Ecclesiasticis cuiusuis generis codicibus, copiose, sumptuoseque comparandis diligens fuit, accurataque maiorum industria; ita & in ipsis asseruandis, illorum, qui successerunt non negligens studium, nec vero cura minor esse debet: cum ex manuscriptis, rectequeexaratis voluminibus, in tanta librorum corruptela, his præsertim temporibus, per hæreticos introducta, plurimum adiumenti rebus ecclesiasticis publicis afferatur, & ad catholicæ doctrinæ veritatem tuendam, & ad coarguendam illorum, vitiose illa deprauantium temeritatem.*

Manuscripti libri precios.

In cathedralibus bibliotheca constituantur.

Bibliothecæ igitur ecclesiæ, vbi ecclesiastica volumina, aliiq; codices sunt, certus locus, vbi nullus constitutus, in Episcopalibus, aut in canonicalibus, aliisue ecclesiæ ædibus, curante Episcopo constituatur.

Quo in loco armaria aliquot extruantur, eaque sitibus distincta, in quibus codices, & volumina, quæcunque ibi extant, non aceruatim, sed ordine disponantur.

Index præterea fiat, in quo pro disciplinarum genere, aut pro alphabeti ratione volumina singula notentur.

Isque index certo loco in perpetuum asseruetur, notatis etiam deinceps ordine aliis libris, quicunque in posterum eidem bibliothecæ, quouis modo accesserint.

Cum igitur pleriſque priuatorum desint idonei ad instruendam bibliothecam sumptus, publici id muneris esse debet. Vt scilicet omnibus quibus animus est, & ingenium, copia discendi non desit.

Beneficis eruditio iuuari potest.

§. 8. Primum est quo studia incitantur, honos, & vtilitas; itaque in prouinciis, quibus præbendæ, & sacerdotia probæ eruditioni per concursum dantur, ingens est copia virorum doctissimorum: at vero vbi vel generi, vel fauori tantum locus est, caret adiutorio sapientia, ideoque lento gradu procedit, aut alio migrat. Quo enim argumento adolescenti honeste nato, ingenioso, studioso, persuadebimus, vt Theologicis studiis serio incumbat, nisi præter cœleste præmium habiturus sit etiam dignum in Ecclesia locum: præsertim cum altioris philosophiæ parum capaces sint adolescentes; crebro etiam minus id velint parentes. Nonne in oculos incurrit non facile solubilis obiectio. *In opimis Ecclesiis diutius stupida proles, magnatum scribæ, prælatorum assentatores, canonicorum cognatuli saginantur, si ipse Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Aquinas, Soarez. adesset, cedendum esset fauori.* Quæ enim beneficia conferuntur eruditis, quia eruditi sunt? Hoc igitur reformandum est, excutienda est ignauia, & præclare cœptum à multis collegiis continuandum, quæ non nisi aliquo gradu insignes admittunt. Sed quia Academiæ multæ fallunt, alio examine præterea opus foret.

Serio magna agenda sunt.

foret. Hæc itaque vbi vel in vsu non sunt, vel languide, & præuaricatorie tractantur, subsidiis aliis sustentanda sunt. Quod in Germania fit seminariis clericorum institutis; experientia sane docuit, eo modo & literas, & religionem refloruisse; imitantur etiam hoc sectarii, qui phrontisteria & mandras suas habent, in quibus ad infame mentiendi, Ecclesiamque oppugnandi ministerium seducta iuuentus deprauatur, & acuitur. De seminariis Concil. Trident. sess. 23. c. 18. sic statuit. *Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseueret: sancta synodus statuit, vt singulæ cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine certum puerorum ipsius ciuitatis, & diœcesis, vel eius prouinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco conuenienti, ab Episcopo eligendo, alere, ac religiose educare, & ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint: ac legere, & scribere competenter nouerint; & quorum indoles, & voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inseruituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult; nec tamen ditiorum excludit: modo suo sumptu alantur, & studium præseferant Deo & Ecclesiæ inseruiendi. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur, diuisos iuxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addicet: partim in collegio erudiendos retinebit, aliosque in locum eductorum sufficiet: ita vt hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Vt vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, Tonsura statim, atque habitu clericali semper vtentur: grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent: sacram scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, ac cæremoniarum formas edisscent. Curet Episcopus, vt singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata: & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi; cathedrali, & aliis loci ecclesiis, diebus festis inseruiant. Quæ omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & necessaria Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum, & grauiorum quos ipsi elegerint, prout spiritus sanctus suggesserit, constituent: eaque vt semper obseruentur, sapius visitando operam dabunt. Dyscolos, & incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient, eos etiam si opus fuerit, expellendo; omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conseruandum, & augendum tam pium, & sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad collegij fabricam instituendam, & ad mercedem præceptoribus & ministris soluendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios sumptus certi reditus erunt necessarij, vltra ea, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis, & locis destinata, quæ eo ipso huic seminario sub eadem Episcopi cura applicata censeantur: iidem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur: itemque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad Clerum pertineat: ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcunque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum, cuiuscumque Ordinis, etiam Regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, iuxta constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit, Quia contingit: & beneficiorum quorumcunque, etiam Regularium, etiam si iuris patronatus cuiuscumque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius diœcesis, vel aliis ecclesiis monasteriis, & hospitalibus, & aliis quibuslibet locis piis, etiam exemptis, annexa, & ex fabricis ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscumque ecclesiasticis redditibus, seu prouentibus, etiam aliorum collegiorum: in quibus tamen seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promouendum actu non habentur: hæc enim exempta esse voluit. præterquam ratione redituum, qui superflui essent vltra conuenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatem, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur, & omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solui solent, & milites cuiuscumque militiæ, aut ordinis, pertinentibus, fratribus sancti Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent: & eam portionem sic detractam, nec non beneficia aliquot simplicia, cuiuscumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones, nuncupatas, etiam ante vacationem, sine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic collegio applicabunt, & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam si beneficia sint reseruata, vel affecta: nec per resignationem ipsorum beneficiorum, vniones, & applicationes suspendi, vel vllo modo impediri possint, sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiantur, & quacunque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem soluendam, beneficiorum, dignitatum, personarum, & omnium, & singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus soluerent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus, illis erit soluendum, ab Episcopo loci per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris remedia compellantur: etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii secularis: quibuslibet, quoad omnia & singula supradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili, quauis appellatione, & allegatione, quæ executionem impediat, non obstantibus. Succedente vero casu, quo per vniones effectum suum sortientes, vel aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur: tunc portio ex singulis beneficiis, vt supra, detracta, & incorporata ab Episcopo, prout res ipsa exegerat in totum vel pro parte remittatur. Quod si cathedralium, & aliarum maiorum ecclesiarum Prælati in hac seminarii erectione, eiusque conseruatione negligentes fuerint, ac suam portionem soluere detrectauerint: Episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum, & superiores Synodus prouincialis acriter corripere, eosque ad omnia supradicta cogere debeat: & vt quamprimum hoc sanctum, & pium opus, vbicumque fieri poterit, promoueatur, studiose curabit. Rationes autem redituum huius seminarii Episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis. Deinde, vt cum minori impensa huiusmodi scholis instituendis prouideatur; statuit sancta Synodus; vt Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & alii locorum Ordinarii, scholasterias obtinentes, & alios, quibus est lectionis, vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem scholasticis eligendos, & ab ordinariis approbandos, etiam per subtractionem fructuum, cogant, & compellant. Quod si iudicio Episcopi digni non fuerint: alium, qui dignus sit, nominent, omni appellatione remota. Quod si neglexerint: Episcopus ipse deputet: docebunt autem prædicti, quæ videbuntur Episcopo expedire. De cætero vero officia, vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris aut Licentiatis in sacra pagina, aut in iure canonico, & aliis personis, idoneis, & qui per se ipsos id munus explere possint conferantur: & aliter facta prouisio nulla sit, & inualida: non obstantibus quibuslibet priuilegiis, & consuetudinibus, etiam*

Seminaria pro studiis instituēda.

Finis seminariorum.

immemorabilibus. Si vero in aliqua prouincia ecclesiæ tanta paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non possit: Synodus prouincialis, vel Metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in ecclesia Metropolitana, vel alia prouinciæ ecclesiæ commodiori vnum, aut plura collegia, prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum, aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit, vbi pueri illarum Ecclesiarum educentur. In ecclesiis autem, amplas diœceses habentibus, possit Episcopus vnum, vel plura in diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum, & constitutum fuerit, in omnibus dependeant. Postremo, si vel pro vnionibus, seu proportionum taxatione, vel assignatione, & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius seminarii institutio, vel conseruatio impediretur, aut perturbaretur: Episcopus cum supra deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro ecclesiarum, & beneficiorum qualitate, etiam supra scripta, si opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & singula, quæ ad felicem huius seminarii profectum necessaria, & opportuna videbuntur, decernere, ac prouidere valeat.

Seminariorum profectus.

§. 9. Maximas illa res Germaniæ vtilitates attulit, eaque re multas Germaniæ Ecclesias Gregorius XIII. restituit. Nunc vero ita seminaria profecerunt, vt cum initio pueri duodennes admitterentur, vt licitum est ex concilio, tandem eo sit ventum, vt etiam philosophiæ studiosi, & Theologiæ recipiantur, in quibus tanto maior est vtilitas, quanto celerius in messem domini admitti possunt.

Ociosorum beneficia in seminaria conferenda.

In ditione Mediolanensi omnium beneficiorum decimas, etiam mensarum Episcopalium eo retulerunt, sed in plerisque locis tot beneficia detinentur ab ociosis, vt facile confici sumptus possit.

In eadem ditione singulis mensibus Episcopus seminarium visitat. Concil. Med. 2. decreto 26. & 5. conc. iubetur duos canonicos eligere, quorum consilio in administratione vtatur.

Sine seminario clericorũ Ecclesia consistere vix potest.

Concilium Aquileiense anno 1596. celebratum existimat, sine seminario clericorum hoc tempore consistere Ecclesiam vix posse. *Seminariorum, inquit, institutionem, conseruationem, & promotionem in Dei Ecclesia summe fructuosam, quo clericalis militiæ propagatur ordo, & progressio, tantopere necessariam, vt stare Ecclesiastica disciplina, sine illorum subsidio, & adminiculo vix possit, in prouinciæ Aquileiensis ciuitatibus audiuimus, & incredibili iucunditate vidimus; doluimus autem Metropolitanam Ecclesiam nostram propter maximas difficultates hactenus seminario caruisse, quo tamen modo lætamur, nunc ita carere, vt habere pene dici possit.*

Vbi disciplina viget, eo se applicant bona ingenia.

Atque hæc de delectu, institutioneque clericorum, in quo omnia pene sunt, poteritque integritas seruari, si modo conciliis canonibusque Episcopi obtemperent. Multæ religiones, vt Carthusiensis institutum suum tot annos inuiolatum retinent, de rigore nihil remittunt, orationes priuatæ manentibus publicis, quotidie crescunt, nec tamen deest illis multitudo insignium adolescentum, & virorum, quotidie angustas portas ad cœlum in illa Eremo quærentium; Quid hoc prohibet fieri in Ecclesia Christi, quod fit in Carthusia, quæ est nobilis quidem, sed parua tamen portio Ecclesiæ Christi? Vnde hoc illis tam diuturnum ac perseuerans bonum? Primo ex accurata regulæ suæ obseruantia, & institutione. Nam vbi facile, & felix iter ad æterna gaudia Deus aspicit, eo vocat electos suos, itaque ibi gratia, ibi vitæ honestas florет. Deinde quicunque salutis propriæ desiderio tenentur, eo, vbi illius expeditior ratio cernitur, conuolant. Hoc in Ecclesia fieri oportet; sit illa disciplinæ custodia, sacrarum legum vigor, quæ Episcopos, canonicos, omnesque in quocunque ordine constitutos facile ad virtutem inducat, cœloque traducat. Sit illa Collegiorum Canonicorum facies, modestia, institutio, cura, vt facilius sit canonico saluari, quam sæculari. Hoc quamdiu non agitur, nunquam is fructus erit, quem Ecclesia spectauit. Nam vt nunc res habet. Quotus quisque canonicatum appetit, vt facilliorem salutis viam habeat, non autem vt quietius viuat? Si autem magno delectu in clerum admittantur, admissi summa cura ad pietatem erudiantur, incorrigibiles, aut pernicioſi reiiciantur, vt Ecclesiasticæ cærimoniæ, religiosa caritas, deuotioque vigeat, ad Ecclesiam salutis causa, non opum cupidine venient, eritque Clerus sanctus, & pius, monasteriorum etiam optimorum sanctitatem exuperans. Clericorum enim status dignior est, quam monachorum in Ecclesia, est & sanctior sacramento, vtinam ad sua primordia reuocetur, vt sit etiam spiritalior. Nunc pro dolor in media Ecclesia, in ipso sacrario Christi, in medio sacerdotum domini mundus est; & quod dolenter dico, mundus maiore periculo regnans, quam in mundo: multi enim ita Ecclesiæ opibus fruuntur, vt non fugisse mundum, sed mundum quæsisse in domo patris cœlestis, in crucifixi patrimonio, in sanguine eius qui vicit mundum, videantur. Vnde sæculares sacerdotes, & esse & dici gaudent; merito, qui domũ domini, in mundanum palatium quotidie vertunt. Verum hæc mittamus, quæ piis quotidie plangenda sunt, prælatis emendanda. Aduigilent, ne per quos iustitia docetur, per ipsos peccati morbus obrepat, & mors ad plebem pertranseat. Quod nunc pro dolor quotidie dolenter videmus, & eo dolentius, quod remedia alibi inefficacia, alibi nulla, paucis locis victricia.

Si canonicus in maiore salutis periculo est, quam sæcularis, Ecclesiæ inuersus ordo est.

Virtutis nõ opum causa ad ecclesiã eundum.

Eo sine accipiendus canonicatus, quo Carthusianissimus.

Cœtus sacerdotum domini mundus est, si pietas abest.

CAPVT XIV.

Visitationes frequentes esse oportere.

Nihil omittendum quo virtus acceditur.

§. 1. TANTA quidem est sacrorum Christianorum maiestas, vt facile homines Deo dicatos ad virtutem integritatemque adducant, nec arte opus esset, nec pœna ad Christi sacerdotes regendos; quia tamen natura fragilis est, & magni interest, pietatis duces pios esse, nulla remedia spernenda sunt, quibus & religio inducatur, & foueatur, vitiaque arceantur. Quorum primum esse arbitror crebras Episcoporum, aut ab eis delectorum, seriasque visitationes.

Visitationes olim vsitatissimæ.

§. 2. Vsitatas esse omnino Ecclesiarum visitationes, easque ad Episcopos pertinere omnia pene nos religionis Christianæ monumenta docent. Actorum 9. 32. Petrus transit vniuersos; Paulus ipse tantum curæ habuit, vt conuersos inuiseret, & confirmaret, quantum, vt gentes conuerteret. Canon etiam S. Concilii Nicæni visitationem Episcopis committit. Athanasius Ægypti monachos visitat, anno 382. Pari modo Ecclesias suas Chrysostomus; Augustinus iussu Zosimi interiora Africæ; multaque corrigit, anno 418. Cyriacus Gallias, & Hispanias anno 599. Bonifacius Gregorio promisit, se Ecclesias visitaturum, & difficultates maiores, ad pontificem remissurum anno 740. Ludouicus Archiepiscopos cum comite ad visitandum misit anno 819. Carolus anno 853. Facile enim abusus irrepunt, quos inspectio, instructio, pœnæque emendant.

Fragilitas hominum visitationẽ requirit.

Ex antiquo vsu est igitur lex illa 10. q. 1. c. 4. *Relata est coram sancta synodo quersmonia plebium, quod sint quidam Episcopi nolentes ad prædicandum, vel ad confirmandum suas per annum parochias circumire: qui tamen exigunt, vt mansiones, quibus in profectione vti debuerant, aliquo pretio redimant, qui parare debebant. Quæ duplex infamia, negligentiæ, & auaritiæ sanctæ synodo magno fuit horrori. Statuerunt itaque, ne quis vltra exerceat id cupiditatis ingenium, & vt soliciti sint episcopi de suis gregibus visitandis.*

Visitationẽ negligunt, & precia requirunt.

§. 3. An-

Annua sit visitatio.

§. 3. Annua debet esse visitatio, 10.q.1.c.10. *Decreuimus, vt antiquæ consuetudinis ordo seruetur, & annuis vicibus ab Episcopo diœceses visitentur, & si qua forte basilica fuerit reperta destituta, ordinatori eius reparari præcipiatur: quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem vt accipiatur ab Episcopis nouimus esse statutum.*

Quod si ipse morbo detentus, aut alio modo occupatus non possit officium visitatoris præstare, alteri committendum est, 10.q.1.c.11. *Episcopum per cunctas diœceses, parochiasque suas per singulos annos ire oportet, vt exquirat, quo vnaquæq; basilica in reparatione sui indigeat. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiuerit; presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum, & reparationes & ministrantium vitam inquirant.*

Idem seuere vrsit Concilium Aquileiense.

§. 4. Tam necessaria iudicata est visitatio, vt neminem canones exceptum velint, omnes exemptiones, tergiuersationes, appellationes præsciderint. Ita Tridentinum Sess. 24.c.8. & sequentibus. Ius illud ad omnia monasteria extenditur, si modo à suis prælatis non visitentur. Ita & vetus ius, 18.q.2.c.28. Nec præscriptio admittitur vt in Conc. Rauennate 2. sub Clemente 5. rub. 8. *Item statuimus, & auctoritate eiusdem Concilii prohibemus: quod nulli religiosi, vel seculares prædictæ prouinciæ Reuennat. prætextu, seu occasione lapsus temporis, desuetudinis, vel præscriptionis, suis ordinariis, & prælatis visitantibus, seu visitare volentibus repugnare, contradicere audeant, vel præsumant: alioquin præter pœnas à iure statutas in personas contradicentium, & eisdem scienter facientium, excommunicationis; in Ecclesias vero interdicti sententias, auctoritate præsentis Concilii proferimus.*

Merito; omnis enim anima subdita debet esse potestatibus, nec quicquam magis infregit Ecclesiæ mores, quam exemptiones. Omnes vero Episcopi iure communi post Concilium Tridentinum sunt legati pontificii quoad visitationem, ita omnia constituta, conuentiones, ordinationes contra hoc visitandi, corrigendi, puniendi ius, quocunque modo illicitæ sunt, nec admittere, nec exigere possunt, & si factæ sunt vtrinque remitti debent, quia sunt colligationes impietatis, quibus impunita licentia quæritur. Consulatur & Concil. Triden. sess. 14.c.2. Imo Episcopum negligentem Synodus excitare debet.

§. 5. Visitationis incommoda sunt, nimius rigor, & sumptus eorum qui visitantur. Ad vtrunque quod attinet, Rigorem misericordia temperatum requirit Concilium Tridentinum, & sumptuum moderationem.

Sess. 24.c.3. *Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corripere: populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: cæteraprout locus, tempus & occasio ferret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Quæ vt facilius, feliciusque succedant: monentur prædicti omnes, & singuli, ad quos visitatio, vt paterna caritate, Christianoque zelo omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu, famulatuque, studeant quam celerrime debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absoluere. Interimque caueant, ne inutilibus cuiquã graues, onerosiue sint: neue ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procurationis causa pro visitatione etiam testamentorum ad pios vsus præter id quod ex relictis piis iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiam qualitercunque offeratur, accipiant non obstante quacunq; consuetudine etiã immemorabili: exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non vltra erunt ministranda.*

De sumptu etiam cautum est, multis canonibus. Valentinianum Concilium sub Leone 4.c.17. *Vt ipsa visitatio plebium, & parochialium sacerdotum, tam moderate, & quantum fieri potest iuxta canonicam institutionem fiat, vt manifestum sit, siue per nos, siue per nostros, sola ibi animarum lucra perquiri, nec aliquem importunitate, & nimietate grauari, & contristari, ne verbum Domini, & doctrina blasphemetur. Placet. firmatum.* Particulatim autem expressum contra sumptus in Lateran. Concil. sub Alexandro 3.c.4. *Cum Apostolus se & suos propriis manibus decreuerit exhibendos, vt locum prædicandi auferret Pseudoapostolis, & illis, quibus prædicabat, non existeret onerosus: graue nimis, & emendatione fore dignum dignoscitur, quod quidam fratrum, & coepiscoporũ nostrorum ita graues in procurationibus suis subditis existunt, vt pro huius modi causa interdũ ornamẽta Ecclesiastica subditi compellantur exponere, & longi temporis victum breuis hora cõsumat. Quocirca statuimus, quod Archiepiscopi parochias visitantes, pro diuersitate prouinciarum, & facultatibus Ecclesiarum, quadraginta, vel quinquaginta euectionis numerum non excedant: Cardinales vero, viginti quinq; non excedant: Episcopi, viginti, vel triginta nequaquã excedant, Archidiaconi, quinq; aut septem: Decani constituti sub ipsis duobus equis, existant contenti. Nec cum canibus venatoriis, & auibus proficiscantur: sed ita procedant, vt non quæ sunt sua, sed quæ Iesu Christi, quærere videantur, nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste, & competenter fuerit illis ministratum. Prohibemus etiam, ne subditos suos tallijs, & exactionibus Episcopi grauare præsumant.*

Quod de epulis dictum est, etiam monetur ea de re Episcopus Vigilensis ab Alexandro. Nihilominus (in appendice Lateran.) necessaria permittũtur. *Cum sit Romana Eccles. cui licet immeriti præsidemus, mater Ecclesiarũ omnium & magistra: cogimur ex debito suscepti honoris & regiminis, prout Dominus nobis dederit, respondere cõsultationibus singulorũ, vt dubia quæstiones, Apostolicæ sedis prouidentia enodentur. Quæ siuisti aũt frater Episcope, tuæ fraternitati rescribi, vtrum pro Ecclesiarum consecratione quicquã præter procurationem moderatam habere debeas, cum Apostolus dicat, nemo cogitur suis stipendiis militare, ab eadem Ecclesia exigere potes.* Sumptuariæ etiam leges factę sunt pro ipsis monasteriis in Conc. Salsburg. sub Frederico Archiepiscopo, tempore Martini 4. ita ait. item ne monasteria, *immoderatis visitatorum sumptibus grauiter onerentur. statuimus, vt quilibet Abbas, qui pro tempore visitator fuerit, vel etiã capitulũ generale accesserit, octo euectionum numerum non excedat: inferiores vero Abbates pauciores sint contenti.*

Mores emẽdandi in visitatione, sumptus temperandi.

Quomodo enim ieiunium, & pœnitentiam prædicabunt, si splendore & deliciis aliena monasteria grauant? Non enim cogenda pietas, sed suadenda. Nec sperandum est, vt inter Abbatum luculenta cõuiuia, fratribus maneat arctæ paupertatis, & ieiuniorum amor, domestico prælatorum exemplo concussus. Tota res à Tridentinis patribus est definita: Sess. 24.c.3. quo lectorem remitto.

De muneribus iam ante cauerat Concil. Lugdunense sub Gregorio 10.c.24. & censibus & procurationibus. Sed omnia magis restrinxerunt Concilium Mediolanense 5. & Aquileiense.

Moribus ostendat visitator virtutem, quã docet.

§. 6. Visitator ipse sit forma vitæ Christianæ, deinde familiam suam prius visitet, ordinesque. Aurea sunt monita Concil. Aquileiensis. *Cum ad visitationem egredi Episcopus animum induxerit, parumper se ipsum colligat, ac meditetur profectionis suæ causam: si enim cogitatione perspexerit, se aliorum vitam, mores, actiones examinandas suscipere, vt corrigat, emendet, restituat: certe ipse satis intelliget, à domo, & familia sua visitationem instituendam, cuius exemplo vel tacitus prædicabit reliquis Christianas virtutes: vt si domum, & familiam non bene compositam, otio, & leuitate diffluentem pro negligentia aliis præbuerit videndam; fructum vniuersæ visitationis perdiderit. quod licet videatur simplici quodam sermonis contextu propositum, ad duo tamen, quæ maxima sunt, in hoc genere pertinebunt.*

Qui suorũ domesticorum curam non habet, est infideli deterior.

Primum est, vt talem se forma vitæ, famulatus, & familiæ

modestia Episcopus præbeat, qualem habere populus exemplaris ad imitandum proposîti loco posit.

Iterum, iterumque Episcopi, nũcii Apostolici ista legant.

Alterum pertinet ad ipsam visitationem: quid enim si Episcopus castitatem, modestiam, pietatem, omnes Christianas virtutes indicat, prædicet, inculcet, in domo vitia vigeant, petulantia, lascivia, temeritas? quod si suos correxerit, ac bene composuerit, omnes in Dei opere adiutores habebit.

Detestanda est igitur quorundam visitatorum malitia, qui ipsi auari, ebriosi, in populo, & clero nihil emendant, satis arbitrati si nummos corrogent. Sed si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?

Caput XV.

Ratio visitationis in Concilio Mediolanensi 4. præscripta.

Visitatio tollat comessationem, non adferat.

§. 1. Lvcra aut comessationem in visitatione quæri, turpe est, ac plane peruersum, salus igitur animarum ad diuinam gloriam scopus est visitationis. Mirum est hæc in Ecclesiam vitia irrupisse, insigne specimen est, ex Concilio Tol. & 4. siue ex Triburiensi 10. q. 1. c. 9.

Visitatio medicina est.

Verum parum est vitia visitantium abesse, nisi corrigantur mores cleri, & plebis; Medicus enim vt bonus censeatur, haud satis est, vt sit ipse sanus, sed opus est insuper, vt sanet ægrotum. Multis modis visitatio à Concilio Mediolanensi 4. describitur, habitum est illud à S. Carolo Archiepiscopo tempore Gregor. 13. anno 1573. Hanc reddere operæ precium duxi, vt præsules ad eum modum, demptis, additis, mutatis pro temporum, locorum, negociorum varietate quibusdam, suis diœcesibus accommodent. ordo visitationis iste est.

Episcopus per se annue visitet, si fieri potest.

§. 2. *Necessarium illud ac plane debitum visitandi munus, quod ex sanctione Tridentina præstari oportet, prouinciæ nostræ Episcopi, ita solicite exequantur, vt suæ quique vrbis ac diœcesis visitationem singulis ipsis annis, aut si per diœcesis amplitudinem non possunt, biennio ad summum ipsi per se conficiant. Si vero legitima occupatione, causaue impediti, id muneris aliquando per se ipsos obire nequeunt. Vicarios generales, visitatoresue alios, huius rei vsu peritos atque idoneos adhibeant, qui visitationis officium sedulo, vt par est, præscripto tempore exequantur.*

Canonicos adiutores habebunt.

Cum vero visitationis munus ipsi per se obeunt, vel vnum, vel duos canonicos, vel alios quoscunque homines Ecclesiasticos, quos vsui & adiumento sibi fore viderint, prout maluerint, secum in ea visitandi cura adhibeant.

Homines 10. iumenta 7. habere poterit, ita vt ipse sit decimus.

Ne deinceps plures quam homines decem, & iumenta septem ad summum secum in visitando ducant, supputata hoc numero Episcopi etiam persona, ac illius Ecclesiastici viri, quẽ ex huius Concilii decreto Episcopus quisque aliquando præmittet: suis tamen propriis sumptibus licebit eis plures conducere. At vero, qui Episcopis gradu inferiores sunt, in visitatione longe pauciores homines, & iumenta adhibeant.

Hocque decreto derogatum sit alteri, in Concilio primo prouinciali edito.

Mensa sit modesta, frugalis.

Laicorum hospitia, eoque magis conuiuia, vt maxime possunt, omnes fugiant; sin autem ad illos diuertere aliquando necesse erit, cum cætera seruent, tum imprimis caueant, vt ne extra mensæ Episcopalis & clericalis modum, regulasque in visitatione præscriptas, quicquam omnino ab hospitibus apparetur, apponaturue.

Notarii munera ne accipiant.

Notarius autem cancellariusue, ne quicquam pro visitatione ab iis qui visitantur, vllo quouis nomine exigat, neque vllam doni, etiam pusilli quocumque modo oblati, genus accipiat, acne item pro decretorum, ordinationumue in visitationẽ confectarum actione vel conscriptione, earumue exemplo, etiam singulis vel Ecclesiis, vel clericis, vel aliis qui visitantur, iussu visitantis edito. At pro opera laboreue, quem alterius, cuius interest, illarum exempla alio deinceps tempore petentis, causa in iis exscribendis posuerit, mercedem capiat, licet, pro taxæ in foro Episcopali præfixæ aut præfigendæ ratione.

Summum ius visitantis est.

Episcopi, qui cæteris omni bene sancteque agendi exemplo præire debent, antequam cleri populique visitationem meant, à se suaque familia visitandi initium vtiliter facient; quo reliqui omnes domesticæ illius visitationis actione executioneque incitati, pastoralia iussa quæ ipsi visitando præscripserint, promptius ac studiosius exequantur.

Diligentiam vero omnem visitando adhibeant, non modo in Ecclesiarum cultu & ornamento tuendo, augendoue, sed maxime in omni & cleri & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in vtriusque item moribus cognoscendis, iisdemque deprauatis corrigendis. In eaque vel visitatione, vel morum correctione etiam tanquam sedis Apostolicæ delegati, auctoritate Tridentini Concilii statuant, moderentur, puniant, & exequantur ad sacrorum canonum præscriptum, quæcunque illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, & diœcesis suæ vtilitate necessaria videbuntur. In iis, neque vlla inhibitio, appellatio, aliudue quicquam impediat, aut retardet executionem eorum, quæ ipsi mandarint, aut iudicauerint, decreuerintue.

Caput XVI.

Clericorum delicta seuerius punienda quam Laicorum.

Clerici grauius puniendi.

§. 1. Visitatio duo proposita habet; nempe corrigere peccata commissa, & præuertere secutura, nunc de correctione seu pœna dicendum est, quam in peccatis Clericorum esse grauiorem oportet.

Neque obstat canon 77. Concilii Niceni, in quo Episcopus deprehensus in adulterio deponitur in perpetuum, non tamẽ communione priuatur, quod etiam can. 25. Apostolorum statuitur. Causa adscribitur, quia non est eadem ratio peccati sacerdotis, & laici. Non enim leuius peccatum sacerdotis dicitur. sed diuersa spectatur ratio, si pœnam spectes; Nam officio & dignitate in æternum priuari Episcopum, magna pœna est, idcirco ea contenti canones fuere, vt docet S. Basilius, excommunicatio Laicorum pœnitentiam requirit, qua peracta in ordinem suum societati Ecclesiæ restituuntur. At Clerici si in adulterio deprehensi fuerint, reparari non possunt, distinct. 50. si quis. Nam clericus de adulterio conuictus, toto vitæ tempore in monasterio retruditur, distinct. 51. *Si quis Clericus.* Si igitur rem spectemus grauior est pœna clerici, quia perpetua, Laici temporaria; ita quoque in Concilio Romano I. in causa Lapsorum à Cornelio habito. Constitutum enim est, vt sacerdotes præuia pœnitentia, & satisfactione, ad Ecclesiam recipiantur, sed omnino functionibus sacerdotalibus abstineant.

Perpetua ex dignitate deiectio grauis pœna.

Cyprianus Epist. 67. & Epistola 52. *Nam & de Trophimo, de quo tibi desideraſti, non ita res est, vt ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam sicut antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris, carissimus frater noster Cornelius necessitati succubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Throphimo, & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione reuocante, auditæ sunt preces eius; & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito; susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, vt Laicus communicet; non secundum*

Trophimus quamuis tot reduxit, non est tamen honori restitutus.

quod

quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum sacerdotis vsurpet.

Depositio toto orbe vsitata fuit.

Idem Epistola 68. *Frustra tales episcopatum sibi vsurpare conantur, cum manifestum sit eiusmodi homines nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere. Maxime iampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuerit eiusmodi homines ad pœnitentiam agendam quidem posse admitti, ab ordinatione autem cleri, atque sacerdotali honore prohiberi.*

Et Stephanus apud Euseb. de Episcopis Nouatiani ordinatoribus, vnum ait se ad communionem laicam recepisse. Eodem modo Conc. Sardicens. c. 1. & Agath. 33. & Concil. Tol. 1. c. 4. *Abstentus biennio* (subdiaconus) *postea inter laicos reconciliatus per pœnitentiam communicet.* Pœnitentiam itaque agebant grauiorem quam laici, deinde perpetuo ordinum carebant fructu & honore. Non excommunicabantur, ne triplo grauior esset pœna.

Causæ cur laicorum delicta dissimulētur, in peccatis clericorum locum non habent.

§. 2. Clericus peccans impune nunquam ferre debet, nec dissimulatione vtendum, quæ in laicis sæpe locum habet. Nam mali in Ecclesia tolerandi sunt: quia bonos exercent, & per malos ad meliora excitantur boni, sed Clericorum peccata bonos seducūt, & malos obdurant, ideo nunquam tolerari debent. Non aspere, non dure, non imperiose peccata multitudinis aut prauæ consuetudinis corripienda sunt: Quia, *quicquid multis peccatur multum est.* At Clerici cōparatione cœteræ multitudinis pauci sunt, ideo facilime puniri possunt, modo in vindicta manſuetudo, & Ecclesiæ bonum, non ostentatio potestatis valeat.

distinct. 43. c. 1. commessationes.

Multa etiam peccata Laicorum dissimulant leges, quæ in Clericis acriter puniunt. De malis laicis recte dicitur; tolerandos, & associandos, quamdiu de ipsorum correctione non desperatur, 23. q. 4. c. 1. *Tolerandi sunt quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedatur: sed spiritualiter exire. est facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum licet pro gradu cuiusque, salua pace dissplicere est non tangere. Non enim prophetæ, qui hæc dicebant, populum suum dimiserunt: sed inter eos habitabant, quos increpabant: vnum templum cum eis intrabant, eadem sacramenta celebrabant. Hoc est exire, ore non parcere: hoc est immundum non tangere, voluntate non consentire.*

Laici tolerandi & monendi.

At in Clerico id locum non habet; quia ille corrigere alios verbo & exemplo debet.

Quorum peccata tra hunt exempla non debent tolerari.

§. 3. Grauiorem pœnam merentur peccata sacerdotum quia plures offendunt. Grauius igitur punienda sunt. Nam reuera superiores inferioribus exempla dare tenentur. 8. q. 1. qualis, 12. q. 1. nolo. Seuera comminatio est, sed vera tamen, 11. q. 3. c. 3. *Præcipue Gualdradæ pellicis tuæ, & iam dudum à te repudiatæ communionem declina: excommunicata est enim, & vsque ad præsentiam nostram ab omni Christianorum contubernio sequestrata. Quamobrem cauendum est, ne cum ea pari mucrone percellaris sententiæ, ac pro vnius mulierculæ passione vinctus, & obligatus ad perenne traharis exitium. Deterius quippe in Dei oculis prælati delinquunt: ac per hoc ipsi crudelius, quā cæteri puniuntur, vt ait Beatus Gregorius; scire enim prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per prauа, quæ faciunt, non soli moriuntur. Ceterum præcaue, ne quando nobis secundū Domini præceptum duos aut tres testes adhibeamus, imo vero, ne hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus, & (quod non optamus) de cætero fias cunctis sicut Ethnicus & publicanus.* Eadem 2. q. 7. Paulus, & distin. 93. leges inculcant.

Prælati peccantes multis digni mortibus.

§. 4. Quia meliorem vitam professi sunt, & tanquam magnates honorantur, ideoq; violenter ad exemplum culpam extēdunt, distinct. 83. *Nemo quippe in Ecclesia nocet amplius, quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit; & in exemplum culpæ vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis, peccator honoratur. Episcopus itaq;, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quam Episcopus.*

Episcopus non corrigens peccata Cleri, canis impudicus.

Quid igitur mirum est, si grauius punitur, quando peccatum eius grauius? sic 17. q. 1. *Qui bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt, licet in bonis prioribus perseuerent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione. (Item paulo superius) sunt qui cuncta relinquere & Dei seruitio se subdere, & fræno castitatis se restringere deliberant, sed cum post castitatem alios cecidisse conspiciūt, se retrahendo, meritum perdunt.*

Scientia & gratia facit peccatum inexcusabile.

§. 5. Quia maior in illis scientia, instructio, gratia. 6. q. 1. c. 21. *Quæro ergo, quis peccet grauius, an qui nesciens in hæresim incurrerit, an qui sciens ab auaritia, id est ab idololatria non recesserit? Secundum quidem illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur, auarus cum scientia viuat in scelere. Sed ne forte hoc fiat, facit in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod facit in auaritia scietis admissio, vt hæreticus nesciens auaro scienti coæquetur. Item c. 20. eiusdem libri. Vtrum autem Catholicum pessimis moribus alicui hæretico, in cuius vita, præter id, quod hæreticus est, non inueniunt homines, quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sententiam,* ita Augustinus.

Sacerdos peccans deponitur.

Cui autem plus datum est, plus requiretur ab eo. §. 6. Peccata sacerdotum canones ordinarie grauius puniunt. Nam in plerisque officio deponitur, distinct. 50. c. 7. *Si Episcopus presbyter, aut diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit; ab officii honore depositus in monasterium retrudatur, & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.*

Infames nō possunt restitui.

Auctoritate tamen plurium canonum distinct. 50. in pristinum gradum vere pœnitentes restituuntur, quos non satis conciliant, qui vere pœnitentes restitui, ficte simulantes non posse restitui censent. Nā de vere pœnitentibus canones loquuntur. Dicendū itaq; est; I. Ius hoc esse vt nō debeant restitui, & quātumuis Ecclesia videat eorum diuturnam, humilimā que pœnitentiam, non tamen eos in pristinos honores restituere tenetur. Idq; ea causa ne spe restitutionis simulent pœnitentiam. I I. In publicis & detestabilibus peccatis, quæ vehemēter infamant, manēte infamia, non restituendos. talia sunt hæresis, apostasia, homicidia, adulteria. Ita canon 34. dist. 50. *De his vero visum est nobis scribendum, qui sacros ordines habentes, ante vel post ordinationem contaminatos se esse in capitalibus criminibus confitentur. In quibus vt mihi videtur, hæc distantia esse debet; vt hi qui deprehensi, vel capti fuerint publice in periurio, furto, atq; fornicatione & cæteris huiusmodi criminibus secundum canonum sacrorum instituta, à proprio gradu decidant: quia scandalum est populo Dei tales personas sapra sepositas habere; quas vltra modum vitiosas esse constat. Nempe inde retrahuntur homines à sacrificio Dei (sicut quondam, Heli filiis peccantibus fecisse leguntur) & rebelles hinc atque contrarii existētes, eorum prauis exemplis quotidie peiores fiunt. Qui autem de prædictis peccatis absc̄dite à se admissis, per occultam confessionem coram oculis Dei præsente etiam sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos grauiter deliquisse queruntur, si se per ieunia, & eleemosynas, vigilias q;, & sacras orationes purgare certauerint, his etiam gradu seruato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.* Neq; tamen dubito, quin illa crimina, quibus pœna depositionis, cum annexa clausula de non restituendo imponitur, seruari debeat, nec sine legitima causa tolli. *Hæreticus deponitur, aliam fidem docens deponitur.* De his multi canones; & difficilime recipiūtur, non item alii, qui in errore educati, magna infelicitate veris doctoribus caruerunt. *Iurans deponitur, si per capillos Dei,* ita decretis Pii 7. *Si quis per capillos.*

Periurus etiam deponitur: videatur appendix Cōcilii Lateranensis de iuramentis seruandis.

Homi-

Homicida. distinct.50.c.5. Etiam si se defendens paganum occiderit, suadetur, ne sacerdotali munere fungatur. Episcopus 15. sacerdos 12. lex his tres annos in pane, & aqua, diaconus, 10. in pane & aqua pœnitere iubetur distinct.50.c.41. *Si quis homicidium fecerit, si Episcopus est, 15. annos pœniteat, & deponatur, cunctos quoq; dies vitæ suæ peregrinando finiat, presbyter 12. annis pœniteat, tres ex his in pane, & aqua, & deponatur superioris sententia. Diaconus 10. annis pœniteat, tres in pane & aqua; & ad gradum cuiuslibet sacerdotis accedere non præsumat.*

Falsarius beneficio priuatur, ita his appendice Lateran. Conc. 113. Qui literas pontificis falsauit in monasterio districtæ religionis debet intrudi, beneficio, & officio spoliatus. ita distinct. 50. si Episcopus.

Et distinctione 19.c.3. In memoriam. *Si vero,* (inquit) *quod non decet, quilibet, siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolica sede detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non venerit, salua fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, vtrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, vsquequo per Epistolam, aut per idoneos suæ partis legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat definire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.*

Concubinarius deponitur, eorum concubinæ ex vrbibus propelluntur, vide T.2.p.f.36.c.2.c. Ipsi damnantur. T.3.p.2.f.393.c.1.c.& seq. Vide & t.4.p.2.f. 555.c.1.d.e.& seq.& f.234.c.1.d. editionis Binianæ.

Vsurarius distinct.47. degradatur, c.5.& 1. siue suo, siue alieno nomine id faciat. In his & similibus non deest pœna sæcularibus, sed tamen nulla par pœnæ Clericorum, qui fere deponuntur, est vero grauis depositio, cum enim sit ignominiosa, etiam facultates vitæ aufert.

Leuia delicta Clericorum grauia sunt, quia origo grauium.

§. 7. Leuiores etiam culpæ, quas leges in ciuibus non puniunt, in clericis tamen grauiter puniri solent quia non potest in eo statu esse aliquid leue, quod initium est malorum ingentium.

Nempe 1. aduocato regulari nihil accipere licitum est, sæculari multa, 15.q.2. *obseruandum.*

2. Episcopus rapere dicitur, cum nihil donat, 1. q.2. *Si quis propter.*

3. Clericus aliena rapere conuincitur, qui sibi vltra necessaria retinere probatur. At Laici patrimonia sine nota augent.

4. Sacerdos si fuerit de collegio, si in aduersitate ab Ecclesiæ se auxilio subtraxerit, magis schismaticus, quam sacerdos iudicatur, 3.q.1. *nulli.* At timore fugere non datur Laicis vitio.

5. Qui comam nutriunt inuiti ab Archidiacono, si deponere noluerint, detondeantur. Quis Laicorum comas censura dignatur.

Clericus tabernam exhibens deponitur.

6. Tabernas intrare non licet Clerico. distinct.43. c.3. *Nulli clerico licet tabernam, aut ergastarium habere. Si enim huiusmodi tabernam ingredi prohibetur; quanto magis aliis ministrare in ea? si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.*

Comessationes vetantur.

At sæculares hac in re ne appellantur quidem.

7. Distinct.44.1.& seq.nō Liceat; si commessationes Laicis damnabiles sunt, quanto magis Clericis.

Profanæ lectiones.

8. Curiositas in lectione philosophorum & poëtarum punitur, distinct.37. *sacerdotes.*

Diuitiæ ignominiosæ Clerico.

9. Ignominiosum est Clericis affluere deliciis, & Christum pauperem prædicare, distinct.35. Ecclesiæ.

Causam suspicionis in Clero puniunt leges.

10. Deponuntur & degradantur prælati, & clerici post admonitionem frequentantes domos fœminarum, 81. distinct. Clericus; causam suspicionis tam grauiter leges puniunt:

Aleatores, ebriosi, &c. deponuntur

11. Aleatores, ebriosi, & inhonestis ludis dediti deponuntur, 35. distinct. *Episcopus.*

Dilapidator, Ludo seruiens deponitur.

12. Dilapidator rerum Ecclesiasticarum deponitur, 10.q.2.& 12.q.2. diaconi, nec depositus viuere debet sæculariter, sed agere debet pœnitentiam. Hoc quidem graue est, sed si de eo agit lex, qui suos fructus dilapidat, de tali delicto decernit, quod lex ciuilis raro punit.

13. Irreuerentia depositione punitur, 11.q. *siquis.*

14. Episcopus, presbyter, vel diaconus ludo deseruiens, nisi desinat est deponendus, 35. distinct. Episcopus, & distinct.64. *Clericum.*

Negociator.

15. Negotiator Clericus, vt pestis fugiendus est. distinct.88. *Negotiatorem.* At alios negotiari facile patimur.

Venator.

16. Venatio Clericis prohibetur, & pœna imponitur. Decret.l.5.t.24.c.1. *Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit: si Episcopus est, tribus mensibus est cōmunione: si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni officio suspendatur.*

Et cap.2. *Omnibus seruis Dei venationes & syluaticas vagationes cum canibus, & accipitres aut falcones interdicimus.*

Reuocanda leges & disciplina, aliqui exitio emendabuntur vitia.

Cum igitur Clericorum vel parua, vel maximis minora delicta grauius puniantur, quam Laicorum; non est illa pars disciplinæ negligenda: Vbi vero contemnitur non potest stare morum integritas. *Non est caritas, sed languor, vbi mali mores non corriguntur,* 23.q.5. *non putes.* Addam ego, sæpe est ambitio, ideo enim multi prælati non corrigunt, quia offensionem timent, ne suffragia sibi ad maiorem dignitatem obasperitatem disciplinæ denegentur; imo multi ita se gerunt, quasi probatores sint vitiorum, quæ à subditis committuntur, ne timeantur vt censores, si ad Episcopatum euehantur. Qua in re prælatus incerta spe dignitatis certam damnationem acquirit, & ordinarie Deus tam improbam præsumptionem plectit infamia & repulsa.

Ambitio conniuens plectitur, & damnationem æternam, & temporaria repulsa.

Deinde subditos perdit. Nam nō corrigere malos, sed fouere, est eos occidere, 23.q.5. *qui vitiis,* dist. 45. *sed illud.* Multi etiam propter obloquia officio desunt. Nam falsa & periculosa misericordia malis indulgent; cum propter asperitatem, vel blandimenta linguæ, delinquentium correctio postponitur, distinct.50. *Si diaconus.* At verus prælatus malorum laudes amare non debet; quia vituperia sunt; neque eorum vereri obloquia, quia laudationes sunt; audiat, in quos iurauit, canones; *Episcopus, inquiunt illi, qui crimina non corrigit, non Episcopus, sed canis dicitur impudicus.* dist.73. nemo. Non est enim crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas.

Timor obloquiorum vigorem corrigentis hebetat.

Caput XVII.

Ad bonos mores Ecclesiasticorum facere plurimum vitam communem.

Communis vita antiquissima.

§.1. IN Ecclesiæ moribus & disciplina præcipue est spectanda antiquitas, omnia enim quo propius à suo principio abfuerunt, sinceriora fuerunt. Initialis vero Christi Ecclesia recens de sanguine redemptoris sui purpurata, communem vitam in Apostolis, deinde in fidelibus post Domini ascensionem approbauit. Ita Clementis Epistola. *Dilectissimis fratribus & condiscipulis, Hierosolymis cum charissimo fratre Iacobo coepiscopo habitantibus, Clemens Episcopus: communis vita, Fratres, omnibus necessaria est, & maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Cōmunis enim vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnib⁹ esse hominibus debuit:*

Communis vita laudabilis, prietas verū ex auaritia

sed

sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta diuisio est.

Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait: communia debere esse amicorum omnia. Et sicut non potest (inquit) diuidi aer, neque splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt ad habendum, diuidi debere, sed habenda esse communia. Vnde & Dominus per Prophetam loquitur, dicens: (Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.) Istius etiam consuetudinis more retento, etiam Apostoli, eorumque discipuli: vt prædictum est, vna nobiscum & vobiscum communem vitam duxere. Vnde (vt bene nostis) erat multitudinis eorum cor vnũ & anima vna: nec quisquam eorum aut nostrum de his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis & nobis erant communia, nec quisquam edens erat inter nos. Omnes autem, qui domos vel agros possidebant, vendebant eos: & precia eorum, & reliquas res quas habebant, afferebant, ponentes ante pedes Apostolorum, sicut nobiscum quidam vestrum cognouerunt & viderunt: & diuidebantur singulis, prout cuique opus erat. Ananias autem vir austerus, & Saphira vxor eius, qui mentiti sunt Apostolis de precio agrorum suorum, quos vẽdiderant, nobis præsentibus, in conspectu omnium circumadstantium, à conspectu Apostolorum, propter peccatum eorum & mendacium quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Cæteraque quæ de talibus cognouimus & vidimus, nec recordatione, nec demonstratione digna sunt. Quapropter hæc vobis cauenda mandamus, & doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcipimus: quia hi, qui mandata eorum postponunt non solum rei, sed extorres fiunt. Quæ non solum vobis cauenda, sed & omnibus prædicanda sunt.

Authenthicam vero Epistolam esse docemur ex Euseb. lib. 3. histor. c. 32. Hieronym. in Catal. & in comment. 55. Isaiæ cap. 10. Epiphan. hæres. 30. Fuitq; ea consuetudo diu Ierosolymis.

Facultatũ possessiones data sunt Ecclesiæ vt ex iis viuerent.

§. 2. Vrbanus primus testatur, postea facultates fidelium Ecclesiæ delatas, vt ex ipsis possessionibus viuerent. Ita Epist. *Videntes ergo sacerdotes summi & alii, atque Leuitæ & reliqui fideles: plus vtilitatis posse afferre, si hæreditates & agros quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quam futuris temporibus, plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex precio eorum: cœperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiis tradere & ex sumptibus eorum viuere. Ipsa vero res in ditione singularum parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsæ enim res, fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis vsibus, quam Ecclesiasticis & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ.*

Res Ecclesiæ Clericis & pauperibus destinatæ, quia sunt precia peccatorum.

§. 3. Hinc monet Hieronymus vt Clerici nihil proprium possideant. Epist. ad Nepotianum. *Clericus* (l. 12. q. 1. c. 5.) *qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum: & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur: Si enim κλῆρος Græce, sors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia sunt de sorte Domini, vel quia Dominus sors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet: talem se exhibere debet, vt ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.*

Olim clerici pauperes, & nudam crucem nudi secuti.

Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur. Si aũt ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partẽ inter ceteras tribꝰ: sed quasi leuita, & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor. Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequor.

Et Gregorius, Augustino Episcopo Anglorũ resp. 1. & 2. *Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum non debet fieri à clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hãc debet instituere conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris: in quibus nullus eorum ex iis, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illic omnia communia.*

Restaurata crebro Clericorum communis vita.

§. 4. Communem viuendi rationem Clericorum S. Augustinus, & Ambrosius restaurare conati sunt, vt in eorum vita & libris clarum est, magnam eius rei vtilitatem Augustinus libro de cũmuni vita Clericorum ostendit. Marcus Alexandriæ omnes Christianos ita instituit, vt testatur Hieronymus de script. Eccles. in Marco. Idem tamen Augustinus suis Clericis de proprio viuentibus, id permisit. *Augustinus suadet, non cogit ad vitam communem.* *Quia*, inquit, *malui eos cæcos, & claudos habere quam mortuos. Qui enim Hypocrita est, mortuus est*, magnum vero ab hypocrysi periculum illis erat, qui inuiti socialem cum Augustino vitam viuerent. Itaque necessitatem simulandi illis abstulit.

Laborandum vt simul habitent Ecclesiastici.

§. 5. Cum igitur Clericis liceat habere propria, habitare suis in ædibus priuatim, & in communi plurium societate; hoc secundum Ecclesiæ, moribusq; vtilius esse arbitror. Ideoque adlaborandum, vt quantum eius fieri poterit, simul habitent Ecclesiastici. Ideo quod semper in Ecclesia viri sanctissimi & desiderarunt, & fecerunt, id nunc quoque faciendum est. Itaque contra ius commune, ideoque ipso iure irrita sunt statuta quæ communem habitationem clericorum impediunt; nec cogi possunt vlli, vt domi suę soli habitent, focum habeant, sint familiæ suæ procuratores, sed apud quemlibet Ecclesiasticum virũ honestum, prope suam Ecclesiam, apud collegas, aut prælatos habitare possunt nisi euidenter ostendatur separationis necessitas, de pueris, & adolescentibus statutum est in concilio Aquisgranensi c. 135. Sed causæ in omni ætate valent, ita Concilium censuit. *Hæc cura iunioribus canonicis, præcipue cathedralibus impendenda est.* *Solerter, rectores Ecclesiarum vigilare oportet, vt pueri & adolescentes qui in congregatione sibi commissa nutriuntur, veluti diuntur, ita iugibus Ecclesiasticis disciplinis corrigantur, vt eorum lasciua ætas, & ad peccandum valde procliuis, nullum posit reperire locum, in quo peccati facinus prorumpat. Quapropter in huiusmodi custodiendis & spiritaliter erudiendis, talis à prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita arctissime constringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritalibus induti, & Ecclesiæ vtilitatibus parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoueri. Libuit præterea ob ædificationem congruam, & instructionem negotii de quo agitur, quandam sanctorum patrum sententiam huic operi inserere, quæ ita se habet. Prona est omnis ætas ab adolescentia in malũ. Nihil incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, vt si quis in clero puer est, aut adolescentes existunt, omnes in vno conclaui atrii commorentur: vt lubricæ ætatis annos nõ in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & Magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant, &c. His ita præmissis, oportet vt probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio eruditantur, deputentur. Frater vero cui hæc cura committitur, si eorum curam paruipenderit, & aliud, quam oportet, docuerit, aut eis in aliquo cuiuslibet læsionis maculam ingesserit, seuerissime corripiatur, ab officio amoueatur: & fratri alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.*

Iuniores sub probatissimo sene simul educãdi.

Vicariorũ nomen peperit canonicorum abundantia.

§. 6. Atque vt propius rem attingam, de canonicis, & eorum vicariis loquar, quanquam olim vicarii eo modo, quo nunc sunt, nulli fuerunt; & expediret, atq; omnino ad Dei maiorem gloriam est; canonicos, quocunque natalium, vel dignitatũ splendore fulge-

fulgeant, omnia diuina officia peragere, & Deum toto corde, atque intima humilitate colere, quos Deus tam splendide in Ecclesia sua conseruare, atque alere dignatur. Hos tamen vel omnes vel plures simul habitare, vna cibum capere, legere, conuersari velim; Hoc enim fuit eorum primæuum institutum. Legatur cap. 117. Concilii Aquisgranensis sub Stephano 5. tempore Ludouici pii. *Præpositorum officii est, vt subditorum mentes sanctarum scripturarum lectionibus assidue muniant, ne lupus inuisibilis aditum inueniat, quo ouile Domini ingredi, & aliquam ouium subripere valeat. Et quanquam abbis hoc instantissime spiritaliter fieri oporteat, necesse est tamen, vt claustra in quibus clero sibi commisso canonice viuendū est, firmis vndiq; circūdent munitionibus, vt nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus. Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & cætera habitationes, vsibus fratrum in vna Societate viuentium necessariæ. Qui vero hæc, quæ permissa sunt, iuxta quod possibilitas suppetit, agere renuerit: impar minusque idoneus ad cætera officia Ecclesiastica peragenda habendus est. Et quanquam diuina vltione sit dignus, Synodali tamen est sententia feriendus.*

Canonici ex instituto simul habitarunt.

Claustra canonicorū olim fuere.

Ecce canonicorum non modo coniunctionem, sed claustrorum munitionem, firmat Concilium, & ne monachos esse suspiceris, cap. 115. & cap. 125. eos à monachis dispescit.

Hi clerici vetantur induere vestem monachalem.

Nec enim monachi erant, qui vestem monachicā induere, diserte prohibentur, nisi & monachorum propositum velint assumere. Non itaque nouum cōsilium scribo, sed ad vetera & probatiora digitum intendo.

Societas studiorum mater est.

§. 7. Canonicorum mutua cohabitatio ad studia literarum, rerumque diuinarum est vtilissima. Nam & in eodem loco habere Bibliothecam possunt; deinde alii alios consulere, inquirere, disputare, omniaque exercitamenta doctrinarum in societate iucundissima vsurpare, incitant alios aliorum profectus, prouehit caritas, perficit eruditio. Neque enim hactenus vidimus vllos, quos solitaria studia in summā eruditionem adduxerint. Variam enim agitationem, multorumque iudicia, & disceptationem postulat eruditio, ideo res publica est, & quo magis in publico, eo magis viget, floretque.

In vita communi prudentia discitur, & exercetur.

Quod de studiis vel liberalioribus, vel philosophiæ, & aliarum scientiarum dico, idem de sapientia, prudentiaque & agendi comitate asseuero; huius enim in multorum consortio primarius est fructus. Quemadmodum enim metalla mutuo attritu splendescunt, ita animus humanus, dum solitarius est, aut cum vno alteroue dūtaxat viuit, quodammodo torpet, & æruginem trahit; dum in societate multorum agitatur, multa videt, plura audit, ad prudentiam, viuendique familiaritatem ac comitatem mirabiliter expolitur. Quia vero iuniores maturis, & senibus in conuictum dari vellem, vtilissima hæc societas erit. Vere Seneca Epist. 11. *Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti.*

Pericula peccandi per vitam communē vitantur.

§. 8. Vel vnum hoc commodum, omnibus quæ in societate fingi possunt incommodis præponderat; quod suspiciones ex arcipiti cohabitatione, vera pericula, occasionesque delinquendi, & ipsa peccata vitantur.

Plurimorum casus luget Ecclesia, plurimorum cognatorū pudet viros bonos, de scandalis plurimorū firmatur, & augetur hæresis, non alia de causa, q̄ quod conuictus, hospitiū, sodalitas, occasionem peccandi, cum spe latendi obtulit. Magnam habet occasio vim, quæ subito animos bene compositos deturbat, & antequam periculum videatur, inuoluit. Olim nonnulli præpositi plures canonicos congregabant, vanam gloriam ab hominibus captantes, vt numerosam cleri congregationem viderentur habere, cui nec corporis, nec animæ solatia curabant exhibere, vt queritur Concilium Aquisgranense. Quid inde secutum? Explicatur eodem Concilio cap. 118. *Hi namque taliter aggregati, dum à prælatis stipendia necessaria non accipiunt, neque canonicum seruant ordinem, nec diuinis officiis insistunt, claustra, societatemque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi, & lasciui, gulæ, & ebrietati, & cæteris suis voluptatibus dediti, quicquid sibi libitum est, licitum faciunt.* Tantorum malorum causa erat, claustra, & societatem reliquisse: Quid iam sperandum de clericis, qui canonicum ordinem non seruant, non insistunt diuinis officiis, extra consortia bonorum cum improbis, aut suspectis viuunt, & ingentes reditus ab Ecclesia percipiunt, quos aliqui vna se deambulatiuncula promereri vanissime credunt. His solitudo, opes, ocium, quanta incitamenta ad flagitia præbeant multorum ruina testatur. Quas omnes occasiones tollerent; si victum, habitationemque apud aliquem è prælatis, aut maturioribus confratribus sibi compararent. Hoc enim ago, vt si in vnam alteramue domū conuenire multi nondum consentiant, id tamen aliqui faciant, tres quatuorue canonici, totidem vicarii, illorum studium commendetur, & prælati approbent. Omnis clericus habeat vitæ suæ testem clericum.

Hæc vitia nondum in quibusdam emendata sunt.

§. 9. Periculum dixi in promiscua habitatione Clericorum & Laicorum, quia vitæ testes non habent, nisi eo tempore, quo in Ecclesiam conueniunt, ita mecum sensit S. Carolus Borromæus, & Concil. 1. Mediolanense, atque ex eo sensu leges bonas dedit, de ædibus Clericalibus. *Quoniam non solum malum cauere, verum etiam omnem mali suspicionem fugere oportet, ne in cuiusquam offensionem incurramus; in ædibus ad canonicorum, aliorumue clericorum domicilium, & vsum ædificatis, aut aliis, in quibus ipsi habitant, fœminas quascumque, etiam quouis sanguinis cognationis, aut affinitatis vinculo coniunctas habitare prohibemus, nisi Episcopus in alicuius vrgenti necessitate aliter faciendum esse duxerit, cuius conscientiam in hoc valde oneramus.*

Clericorum ædes ne fœmina ingrediantur.

Ne parochi, aut omnino clerici, quauis etiam dignitate prædicti, Ecclesiæ, etiam si commendata sit, ædes, aut earum partes in vrbe, aut in oppidis positas, in quibus ipsi habitare soleant, aut debeant, vllo modo laico locent; nisi Ecclesia magna prematur inopia, & ea domus commode Episcopi iudicio diuidi possit.

Clericorum ædes Laicis non locandæ.

Si vero ædes extra vrbem, & oppida ruri sitæ sint, locandi facultatem habeant; modo earum diuisio eiusdem Episcopi iudicio recte & commode fieri possit.

Caueat etiam Episcopus, ne in vrbe, aut extra, huiusmodi ædes, vel aliæ ab Ecclesia seiunctæ, vel etiam si patrimonii sint, ac propriæ, locentur iis quorum fidem, vitam, mores ue suspectos esse iudicauerit.

§. 10. Quam vero honestum sit Canonico iunioni cum prælatis suis, virisque Ecclesiæ suæ spectatissimis viuere, adesse ei, quem vereatur, nemo est qui nō intelligat; imo quosdam, quorum nobis virtus ignota est, magni facimus, idcirco quia cum bonis versantur. Imo si maculam aliquam contraxerint, ea conuictu, & familiaritate grauium virorum deteritur, eluiturque; Nulla res magis animos in honestos, & in prauum inclinabiles, reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. *Paulatim enim descendit in pectora, & vim præcepti obtinet, frequenter aspici, frequenter audiri.* Cum enim sint inter eos colloquia pia, honesta, erudita, ingenuæ recreationes, ipsi lusus, & relaxationes animorum liberalibus iocis, mature hilares, non dissolutæ, animus hæc ita combibit, vt totus ad honestatem transeat. Testimonium vitæ suæ habet, verecundiam retinet, ipse mox aliis verendus.

Iuniori nihil honestius, quam cum graui prælato cohabitatio.

Decorum vero est, & prælatorum dignitati, & senioruni, venerandæ canitiei, turbam iuniorum, aut etiam

Senioribus honestum.

est fratres conuictores habere.

etiam fratrum coæuorum trahere. Publice viuere, & omnium actorum, verborum, imo processuum habere testes. Eam esse de se opinionem, vt honestissimus quisque conuersationem eius familiaritatemq; optet. Non est indignum prælato conuictores habere Ecclesiæ Clericos, quos confratres appellare consueuit. Non enim lucri cupiditate, sed amore disciplinæ domum aperit, tanquam refugium alias periclitaturis, & palæstram studiorum, & virtutum, alias minus profecturis. Concilium Mediolanense 1. §. de familia Episcopi. *Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quam plurimos possit, habeat Clericos, qui non nisi clericali vestitu vtantur, & in illis si commode fieri possit, nimirum duos sacris initiatos, & bonæ existimationis, qui vigilantem, orantem, in opera misericordiæ incumbentem, ac diuinarum literarum mysteria scrutantem Episcopum studiosius attendant, eiusque actionum, & sanctæ conuersationis quasi testes sint, & imitatores. Habeat deinde Ecclesiasticam personam, spectatam & probatam, quæ præfecta sit moribus familiæ, ac de omnium salute sollicita: spiritualem vitam sustineat, eamque bonis & piis artibus, ac literis, præsertim sacris, pro cuiusque sensu, & intelligentia, erudiendam curet.*

Prælati secum plurimos habeant clericos.

Si honor est Episcopi Clericorum multitudo, cur non in Germania prælatorum, aut insignium canonicorum.

Coniunctio multorum celebriora reddit officia diuina.

§. 11. Fauere autem huic rei omnes Collegas oportet, nam & bonum inde nomen Ecclesiæ conciliatur, & frequentia maior in officiis diuinis erit. Si enim decem cum aliquo canonico alii habitent, nõ facile cum præsentes aliorum diligentiam intuentur, ipsi aut domi remanebunt, aut alio se conferent; facit n. verecũdia, vt raro delinquãt, rara delinquẽtia inducit vsum vitutis; quia rarum malum non est, nisi cũ ſpisſo bono. Nunquã decem omnes simul emanebunt, tum quia bonos esse statuimus, tum quia in negligentiam culpabilem nunquam omnes conspirabunt. Quin ipse tam honoratæ societatis paterfamilias non æquo animo feret, eorum, quos domesticos habet, ignauiam. Aberunt etiam illa mala, & pericula, quæ à diuinis officiis omnino auocant.

Sumptus declinatur, vt superſit pauperibus.

§. 12. Quantum vero sumptibus detrahatur, id maxime sentient illi, qui communi se vitæ dare voluerint. Pro decem focis lucebit vnus, non supellectilis, non tartorum tectorum, non famulantium vel periculosa castitati, vel infidelia patrimoniis obsequia alenda, non conuiuiorum sumptus, non contractuum; nec tamen deseri hospitalitatem necesse fuerit, erit enim illa communis, plusque conferre singuli hospitalibus poterunt, quam nunc faciant vniuersi.

Ne vero hæc res in dubium vocetur; Aio nunc furto, & malignitate familiæ, canonicis ditioribus plus perire, quam in annuum victum impenderent, si plures simul habitare vellent. Quid vero, dices, opulentia illa sacerdotali facies? Respondeo restituendas opes Christo. Bonum factum; parce viuere, vt pauperes liberaliter pascas. Hoc qui negat suæ dignitatis esse, ille æquum putat, esuriente Christo, se lautum esse.

Ægris parua solatia inter seculares, vel solitarie habitantibus.

§. 13. Hanc denique coniunctionem plurium suadet ipsa necessitas, vt ægri sibi mutuo, morientesque solatia præstent; nam dura est profecto eorum conditio, qui ægri vix fida adiutoria habent, quorumque res inter ipsa funera rapiuntur. Quod non modo canonicis, sed Episcopis & Cardinalibus interdum contigisse constat.

Itaq; consultũ foret, sumptu, priuilegio, fauoreque eos iuuare, qui vel in collegiatis Ecclesiis confratres suos æquo precio ad mensam suam adhibere, vel aliorum conuictores esse volunt.

Possentque eum in finem laxioras ædes, hortique concedi.

Vbi autem fieri potest, id agendum, vt plerique simul, aut sane nemo inter sæculares habitet.

Imo saluti iuniorum necessarium est tale statutum.

Nec quicquam obstat, quo minus statuatur, vt omnes, qui capitulares non sunt, nec in studiis versantur, non libere, & suo arbitrio sibi diuersoria eligant, sed statuto capitulari apud virum aliquem grauem propriæ vel alterius Ecclesiæ habitare iubeantur, & vitæ suæ testimonium admittendi ad capitulum adferre.

Possent autem iudicio capituli, aut Episcopi designari viri prudentes, graues, bonique exempli. Nam absolutis, aut abruptis studiis, in summa libertate iuniores canonici facile aberrant.

Nec modo id in iunioribus, sed adultioribus etiam sensim inducendum arbitror, quamuis ad senatum seu capitulum sint admissi. Salubrique decreto licentiæ frena iniicienda. Quid enim graue fuerit, si tale statutum fiat? Quandoquidem multorum casus pro dolor nos docuerunt, in promiscua habitatione cum sæcularibus magna pericula esse, multosque boni propositi iuuenes, & viros mala societate à pietate abductos; capitulum pro suo officio, volens omnium & singulorum saluti consulere, irrefragabiliter statuit obseruandum.

Statutum lene, & vtile de vita communi clericorum.

Primo, vt Iuniores canonici, qui studiis operam dant, siue in vrbe suæ residentiæ id faciant, siue dissitis Academiis, hospitium non nisi cum Scholastici consensu & approbatione accipiant, & si ei visum fuerit, mutent, certo scientes, fore vt pro toto tempore, quo non obtemperauerint, fructus illis tanquam suspensis negentur. Statuet vero Scholasticus, vt non nisi apud parentes, tutores ue sint, vel in seminariis, vel apud exemplaris vitæ, modestæque familiæ Ecclesiasticum diuersentur, qui etiam de domestica conuersatione capitulo rationem reddere tenebuntur. Quod si apud honestos, pioſque ciues habitare voluerint, id non sine capituli consensu permittetur. Idem statutum est de illis, qui studiis non vacant, nec in capitulo tamen sunt, quos omnino prope templum, apud confratres habitare volumus. Denique idem censuimus de omnibus, qui intra annum vicesimum sunt, quos senum exemplo in pietate proficere, nec rerum domesticarum cura occupari conuenit.

Hæc aut similia, vel strictiora, vel laxiora, si sensim inducantur, absque labore reformatio sponte sequetur.

De parochiis dicam peculiari loco.

Caput XVIII.

Capitula disciplinæ causa instituta esse, & eorum modus.

§. 1. Capitvlvm voco selectum Ecclesiæ senatum iure & ordine congregatum; duplex vero est Cathedrale, & Ecclesiarum priuatarum, nam de religiosorum capitulis modo non agimus.

Capitulorũ causa.

§. 2. Capituli nomen à religiosorum capitulis fluxit, cum enim plerisque in Ecclesiis vbi nunc Clerici, seu canonici degunt, fuerint religiosi, hinc factũ est, vt nomina quædam & cæremonias religiosorum retinuerint, postquã in canonicos mutati sunt. Res tamen antiquissima est; nam Episcopi olim cum fratribus suis; hoc est, consilio presbyterorum res arduas deliberabant, & eorum concilio exequebantur, ita normam habemus Apostolicam. Nam Apostoli loco Episcoporum, presbyteri vero sacerdotum loco fuerunt. Erant vero tum presbyteri siue seniores, qui Actorum 5. in concilio cum Apostolis sedent;

Plerique canonici è Monachis sunt.

Capitulum refert concilium presbyterorum.

dent; *Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc* Item non modo Apostoli, sed & seniores scribunt Antiochenis. Hieronymus etiam tradit communi presbyterorum consilio Ecclesias gubernatas, postea tamē obortis schismatis presbyteri tantum assessores Episcoporum fuerunt. Episcopi tamen iudices presbyterorum fuerunt. Sic 1. Tim. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* Poterat igitur apud Episcopum accusari presbyter, iudex ergo presbyteri Episcopus. Hoc ergo presbyterorum consilium nobis capitula referunt, quamuis sacerdotes omnes non sint, qua quidem in re vsus obtinuit contra veteres canones, vt etiam subdiaconi, & diaconi sacerdotibus æquentur, quoad gubernationem, archidiaconi etiam sæpe in sacerdotes potestatem exerceant.

§. 3. Magna nunc est in Ecclesia auctoritas Capitulorum præsertim cathedralium, eaque vtilis, & Ecclesiarum conseruatrix. Nam capitula disciplinæ inuigilant, cum Episcoporum absentia, negligentia, occupatio, valetudo eam curare nequit. Monet Cōcilium Colonienſe 2. anno 1536. celebratum, cap. 14. part. 3. *Capitula vero disciplinæ (quæ vocant) multo maiori diligentia obseruentur, atque hactenus. Id ita fiet, si non tam prophanæ quam res sacræ in his tractentur. Si de moribus inquiratur, si vita expendatur singulorum, & quod olim sancti patres fecisse dignoscuntur, ex tempore ali oratione interdum commonerentur fratres. Et in primis ad sacras litteras capescendas instigarentur, atque vt in his optimas horas collocarent, incitarentur, quod hic reperiatur fons vitæ scaturiens, ex quo qui haurit, non sitit in æternum. Hic thesaurus Euangelicus, propter quem oportet vendere vniuersa, reconditus sit, ex quo prudens ille paterfamilias profert noua & vetera.*

Capitula disciplinæ sunt obseruanda.

Quid agendum in capitulis.

Monasteria ad primæuam regulā reformanda.

De monachorum capitulis pari modo Concilium Augustanum anno 1548. celebratum c. 12. *Monasteria cuiuscunque ordinis, secundum regulas quas professi sunt, reformari, ipsosque monachos in obedientia & religione sui ordinis contineri, Capitulum disciplinæ frequenter seruari, vitia illic quotidie subnascentia seueriter corrigi, cultum diuinum reuerenter & debite seruari, concubinarios, adulteros, ebrios, criminosos, infames, suspectos de hæresi, aliisue criminib⁹, pœnis debitis castigari, habitum [illegible] diligenter seruari, ædificia & bibliothecas studiose curari, prædia, census, & iura conseruari præcipimus, repugnantes aut reformationis impatientes seuera coercitione debitis mediis castigaturi.*

Quoniam vero promptum est, cum de iuribus, prouenientibus, aliisque rebus agitur conuenire, & quibusdam in locis disciplinæ rari conuentus habebantur, nonnullæ Ecclesiæ sapienter ac pie statuerunt, vt in capitulis maior ratio pietatis haberetur, ita Mediolanen. 2. decret. 13. *In singulas hebdomadas canonici cuiusuis Ecclesiæ Capitulum habeant, in quo cum quæratur, an superioris Concilii decreta de diuinorum officiorum ratione seruentur, an si qui item errores in sacrarum cæremoniarum ritu commissi sint; tum legatur pars aliqua earum rerum, quæ de vita & honestate clericorum nostris constitutionibus præscriptæ sunt, vel illarum, quæ Catechismo Romano, aut aliis item libris expressa ad Christianæ pietatis doctrinam, vitæque Ecclesiasticæ disciplinam & rationem pertinent: tum etiam in aliis spiritualis vitæ exercitationibus ipsi versentur: idque omne prout Episcopo, Capituliue Præfecto visum erit. Quo in Capitulo ne quidquam aliud quod ad rerum temporalium curam, ac procurationem pertinet, prius agatur, geraturue, quam ea tractationis ratio habeatur, quæ tota in rebus spiritualibus posita sit.*

In capitulo nihil de tēporalibus agatur nisi de spiritualibus prius actum sit.

Imitamini hoc omnes Ecclesiæ; nam Ecclesiæ vastitas, ornamentorum multitudo, iura, opes, nobilitas eo omnia referuntur, vt pietas vigeat, vt diuini officii cultus, cum deuotione, & animorum puritate peragatur.

Episcopi in capitulum,

§. 4. Omnino expedit vt Episcopus in capitulum magnam potestatem habeat, & capitulum vicissim in Episcopum. Non est illa sibi contraria, sed bono publico salutaris, & disciplinæ Ecclesiasticæ necessaria potestas. Primo de capituli cathedralis potestate dicam.

& huius in illū potestas.

Prima est: Posse ab eo sede vacante hæreticos excommunicari. ita decret. l. 5. t. 7. c. 9. *Vniuersus, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis sacramentis, aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & obseruat. & generaliter quoscumque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum, vel clerici ipsi sede vacante cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum, hæreticos iudicauerint: vinculo perpetui anathematis innodamus:*

Secunda, vt collegarum singulos arceant à sacris, fructu priuent, ita omnibus in locis. Et pulchra est constitutio Synodi Colonienſ. anni 1549. *Si quos decanus rebelles cernat, si diuini cultus atque sui officii negligentiores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si scorta fouentes, aut aliis publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire recusauerint, agat in his capitulis quod iubet Paulus: Peccantes coram omnibus argue: Tum si resipiscere nolint, arceat à sacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem reuertantur, sic tamen, vt hic seruetur regula Apostolica: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes, & neque ira, neque odium, neque rancor vllas sibi partes vendicet. Nam illa præpositorum solicitudo est vtilis, illa cautela est laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil sibi vendicat. Ira enim sæpe etiam innocentes ad crimen inducit. Dum enim iusto amplius iracimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus.*

Delinquentes corrigere tenentur superiores.

Si Archidiaconi, Decani, Capitulum in disciplina sint negligentes, Episcopus omnes corrigit.

Per hæc tamen nostris, ac Ecclesiarum prouinciæ nostræ priuilegiis ac legitimis consuetudinibus, & præsertim moriac consuetudini, quæ in aliquibus Ecclesiis est, (nempe vt causæ disciplinæ per diaconos diiudicentur) nihil præiudicamus: modo tamen diaconi, ad requisitionem Decani, suo officio grauiter ac strenue incumbant ac satisfaciant. Quod si Decanus & Capitulum, negligentes, aut eisdem criminibus irretiti fuerint ad iuris communis dispositionem redire necesse erit.

TERTIA, ad fideliter pronunciandam sententiam, aliaque iuramenta capitulares, præsertim ad obediendum Decano astringere. Id quoque in vsu est; sed interdum nimium multa exiguntur iuramenta, quod Synodo Colonienſi merito displicuit; c. 20. *Et quum Christus tanto serio iurandi facultatem prohibuerit, vt nisi necessitate veritatis, alioqui periclitandæ, cogamur, omnino iurare non debeamus: coercenda est illa immoderata in Capitulis iuramentorum exactio, per quam necesse est, vt multi in ancipitia periuria corruant, quorum non tantum illi qui peierant, sed & qui causam periurii temere exigendo præstant, rei sint. Nam Christi verbum est: sit verbum vestrum, Est, est: non, non: quod amplius est, à malo est. Et in Ecclesiastico legimus. Vir multum iurans, repletur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga. Si nosipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.*

Iureiurando obstringunt suos, sed parce id faciendum.

QVARTA, qua plurimum capitulorum cathedralium creuit auctoritas, est Episcopos, Archiepiscoposque eligendi potestas; cum enim frequenter pontifici obreperent callidi homines, cum populi electio tumultuosa esset, cum prælaturas venderent Imperatores, deuoluta est ea potestas ad capitula, quæ electiones fidelius, sincerius, constantiusque tenuerunt. Et tanquam optimates Ecclesiæ sacerdotem eligere solent. Non ignoro quorundam capitulorum pudenda fuisse errata, dum sibi, vel suis vitiis commodum Episcopum, Ecclesiæ vel inutilem, vel pernicioſum elegerunt. Nec horum dedecorum exempla nostris temporibus defuerunt; sed multo pauciora, & minus nocentiora fuerunt, quam vetera.

Episcopos eligunt capitula.

Minus errant capitula quam cæteri electores.

Neque

Neque enim in vnum improbum facile capitulares omnes, cum inter eos multi boni, docti, prudentesque viuant, conspirabunt.

Leges electionis.

Porro electio Capitulis conuenit has in leges. 1. Canonici eligant prælatum, nisi alteri id iuris conueniat. 2. Pueri, quique subdiaconi non sunt, ne eligant. 3. Nec excommunicati, suspensi, hæretici, absentes, nisi legitima sit causæ absentiæ. 4. Si non eligant præscripto tempore, & modo, ius eligendi ad superiorem proximum deuoluitur. 5. Si scientes indignum eligunt, vt concubinarium, ius eligendi amittunt, idque ad pontificem transfertur. 6. Qui indignum eligunt triennio inhabiles sunt ad passiuam vocem, non enim eligi debent, qui improbum, aut indignum elegerunt. 7. Electus vero confirmationem à pontifice habeat, oportet. 8. Ante omnia iurati suffragium dant, & sua consuetudine plerisque in locis sumpto Eucharistiæ sacramento. 9. Electum, aut eligendum nulla promissione contra canones obstringant.

Lib. 1. decret. t. 11. c. 8.

Qvinta, possunt etiam prælaturas quasdam tollere, sed opus habent confirmatione facti. Ita Tullenses Canonici primiceriatum sustulerunt, reditibus inter canonicos distributis. Quasdam etiam præposituras in Ecclesiis tenuibus diuiserunt nostro tempore, quod negarent, sibi opus esse præposito.

Augere possunt numerum capitularium.

Sexta, possunt canonici certum numerum canonicorum in capitulo constituere, non tamen præbendas diuidere, aut supprimere. Possunt facultatibus auctis plures canonicos admittere. Vt vero non possunt supprimere præbendas, ita nec accidere, onera noua imponere, siue corporalia, siue pecuniaria, nisi ea, quæ in communi sunt, vt omnium beneficia æquabili proportione grauentur, alioqui iuniorum quotidie deterior conditio redderetur. Qua de re passim multa sunt iure constituta, contra quæ nihil facit ius priuatum, seu statuta capitularia. Irrita enim sunt ipso iure, quæ in præiudicium iuris communis à paucis constituuntur.

Omnia statuta capitularia cõtra ius commune irrita sunt.

Septima, vocem, seu ius suffragii nemo, nisi subdiaconus habeat. Ita Trident. Sess. 22. *Quicunque in cathedrali, vel collegiata, saculari, vel regulari Ecclesia diuinis mancipatus officiis, in subdiaconatus ordine saltem constitutus non sit: vocem in huiusmodi Ecclesiis in Capitulo non habebit: etiam si hoc sibi ab aliis libere fuerit concessum. Is vero, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia, in dictis Ecclesiis obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, vt alii missas, alii Euangelium, alii epistolas dicant, seu cantent: quocunque ii priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate insigniti: teneantur, iusto impedimento cessante, infra annum ordines suscipere requisitos: alioquin pœnas incurrant, iuxta constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit. Vt ii, qui: quam præsenti decreto innouat: cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos ordines per seipsos exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu diuino præstare: sub eisdem, & aliis, etiam grauioribus, pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec aliis, imposterum fiat prouisio, nisi iis, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoscentur: aliter irrita sit prouisio.*

Ita per statuta Ecclesiarum omnium, quas quidem memini, & iura communia, consuetudoque corroborat.

Iuniores prauos à capitulis arcere possunt.

Octava, prauos domicellares arcere à capitulo possunt, nec potest eos Episcopus cogere, vt recipiant. Moguntinum Concilium anno 1549. sub Sebastiano celebratum, ita statuit.

Hactenus in Ecclesiis cathedralibus & collegiatis (saltem in ea parte, qua Maiores nostri, non sine magna ratione, Iuniores Canonicos, quos Domicellares vocant, non statim vt beneficia acceperint, ad Capitula admitti, sed ad tempus sub iugo prælatorum detineri voluerunt) satis negligenter aduigilatum esse, non sine Ecclesiarum pernicie sentimus, dum hi, quibus ea cura incumbit, ad studia & mores Domicellarium parum attendentes: si modo Domicellares certum tempus in beneficii possessione exegissent, aut pecuniam pro emancipatione constitutam numerassent: sine ampliori delectu quosuis ad Capitula admiserunt, etiam eos, quos nec vitæ honestate, nec doctrina satis idoneos, aut Ecclesiis vtiles futuros norint. Vnde fit, vt interdum Ecclesiæ, minus vtili Canonicorum turba oneratæ, nec in spiritualibus, nec in temporalibus, debitis obsequiis administrentur.

Pernicies Ecclesiarũ ex Domicellarium admissione.

Quarum indemnitati consulere volentes, Prælatorum, Capitulorum & aliorum, quorum interest, conscientias duximus onerandas, hisque districte præcipiendo iniungimus, in posterum, non secundum prætensam consuetudinem (quæ vt in hac parte, vt Ecclesiis perniciosa, irrationabilis, aut potius corrupte la censenda est) quoslibet, sed secundum conscientiam idoneos tantum & dignos, ad Capitula, præsertim Metropoliticum & Cathedralia, admittant. Prauis vero moribus deditos & ignauos, tantisper à Capitulari dignitate & emolumento arceant, donec emendatione vitæ locum hunc mereri videbuntur: aut si contra omnem emendationem præfracti, & incorrigibiles se exhibere perseuerauerint, ad dimissionem beneficiorum remediis iuris, tanquam inhabiles & insufficientes ac minus idoneos, prorsus cogant. Qua constitutione nostra, & ipsis Prælatis & Capitulis, vt officio suo diligenter in vigilent: & iuuentuti Ecclesiasticæ, vt vitæ ingenique cultum accuratiore studio tapessant, occasionem, præstari arbitramur.

Praui & ignaui ad capitulum non admittantur.

Domicellares inemendabiles priuandi beneficio.

Nona, Alienatio Episcopi sine consensu capituli irrita est, ita Concilium ad Valentiam, & decret. l. 3. t. 10. c. 1. *Irrita erit Episcoporum donatio, & venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione clericorum.*

Largitiones ex bonis Ecclesiarum irritæ.

Legitima ratio est, & ex æquitate; cum enim res Ecclesiasticæ sint tales, quibus ministri, Ecclesiæ, pauperes, iustitia defenditur, sarta tecta templorum restaurantur, non debent alienari absque scientia eorum, quorum interest, leges vero illas multorum præsulum vitia fecere, qui bona Ecclesiarum agnatis, ministris, assentatoribus dare, aut exiguo precio diuendere solebant; ad eas res comprobandas non facile capitulum adduci potest.

Negocia publica Ecclesiæ cum capitulo tractanda.

Decima. Imo eadem de causa nec publica Ecclesiæ negocia sine consilio capituli tractare prælatus debet.

Statuit Alexand. 3. hanc legem. Decret. l. 3. t. 10 c. 4. *Nouit tua discretionis prudentia, qualiter tu & fratres tui vnum corpus sitis, ita quod tu caput, & illi membra esse probantur, vnde non decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis vti: cum id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum patrum institutionibus contraire. Innotuit si quidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum, abbates & abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis: & infra adeoque id auctoritate Apostolicæ prohibemus: & infra. Nos enim tales institutiones & destitutiones cassare decernimus robore firmitatis.*

Etc. 5. *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, & confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel saniori parte eadem peragas & pertractes: & quæ statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & euellenda dissipes & euellas: Absentium quoque fratrum nomina inscribi non sinas: quia talia munimenta irrita sunt & falsa, & tu exinde quæstionem falsi poteris merito formidare.*

Vndecima. Nec sine capituli consensu alias Ecclesias, aliis dare potest. Ibidem c. 8. *Adiecisti etiam, vtrum Episcopo vel Electo, cum solo Archidiacono præter assensum maioris Ecclesiæ, cum ab ipsa eligatur Episcopus, & archidiaconus assumatur de ipsa, cœnobiis vel Ecclesiis conuentualibus, ad quas ius pertinet patronatus, liceat conferre perpetuo vacantes Ecclesias baptismales: & infra: Alterius etiam*

quæstionis solutio ex Epistola Leonis Papæ colligitur euidenter, in qua legitur: Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quicquã donare, vel permutare, vel vendere audeat: nisi forte aliquid horum faciat vt meiora prospiciat: & cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ, erit absque conniuentia & subscriptione clericorum, per hoc enim noueris solutam secundo loco propositam quæstionem: cum concessiones Ecclesiarum perpetuas, ad alienationes non sit dubium pertinere.

Iniquæ consuetudines abrogandæ.

DVODECIMA. Valet tamen concessio Episcopi, si capitulum postea ratam habeat, ibidem cap. 3. *Certum est, de rigore iuris concessionem illam non tenere, quã reclamante capitulo per prædecessorem tuum constat factam fuisse: Nisi eam ratam postmodum habuisset.*

Olim taciturnitas capituli ratam faciebat; ibidem cap. 2. Nunc merito ex statutis apertum, & scripto cõsignatum consensum requirunt. Leges enim bonæ ex malis moribus factæ sunt.

Capitula cathedralia ad Synodos admittuntur.

DECIMATERTIA. Capitulorum Cathedralium priuilegium est, vt ad Synodos prouinicales admittantur, ita decretal. l. 3. c. 10. *Prouinciæ Senonens. capitula Cathedralium Ecclesiarum ad nos queremoniam transmiserunt quod Archiepiscopus Senon. &, eius suffraganei, procuratores eorum nuper ad prouincilale concilium conuocatos, ad tractatum eorum admittere noluerunt: & infra. visum fuit nobis & fratribus nostris, vt capitula ipsa ad huiusmodi concilia debeant inuitari, & eorum nuntii ad tractatum admitti: maxime super illis, quæ ipsa capitula contingere dignoscuntur.*

Tota disciplina capituli est in manu Episcopi, in negociisidem pendet à capitulo.

Hinc itaque apparet optime ordinatam esse Ecclesiam, in qua plurimum potest ædificationem antistes, vt tota disciplina sit in eius manu; nec ab ea vllus appellare possit. Minimum vero ad destructionem, in iuribus, bonisque vendendis, donandis, aut quocunque titulo alienandis, in canonicis sine legitimo examine admittendis.

Qui iurat in capitulo contra canones excommunicatur.

DECIMAQVARTA. In capitulo pars maior & sanior præualet, nisi minor cum ratione contradicat. ita decret. l. 3. t. 11. cap. 1. *Cum in cunctis Ecclesiis quod pluribus & sanioribus fratribus visum fuerit, incunctanter debeat obseruari: graue nimis est, & reprehensione dignissimum, quod per quasdam Ecclesias pauci quandoque non tam de ratione, quam de propria voluntate, ad ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Quocirca præsenti decreto statuimus, vt nisi à pauciores & inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit & ostensum, appellatione remota præualeat semper, & suum consequatur effectum, quod à maiori & saniori parte capituli fuerit constitutum: Nec constitutionem nostram impediat, si forte aliquis ad conseruandam ecclesiæ suæ consuetudinem, se iuramento dicat astrictum: Non enim iuramenta, sed potius periuria sunt dicenda, quæ contra vtilitatem ecclesiæ & sanctorum patrum veniunt instituta. Si quis autem huiusmodi consuetudines, quæ nec ratione inuantur, nec sacris congruunt institutis, iurare præsumpserit: donec dignam egerit pœnitentiam, à perceptione sit Dominici corporis alienus.*

Non seruãda sunt impia iuramenta.

Itaq; si maior capituli pars Episcopum indoctum, auarum, concubinarium, alioue vitio infamem eligeret, minor pars cum ratione, & canonum auctoritate contradicet, & faciet electionem irritam.

Quod vero de iuramentis, ait periuria esse. Ille sensus est: Iurare in id quod contra canones est, aut iustitiam, tam est peccatum, quam periurium: nec magis seruandum quam periurium. Consultum itaque foret, omnium capitulorum iuramenta in Synodo prouinciali proponi & excuti, atque de iis confirmandis, vel abolendis constitui, nec venientibus noua sine publica auctoritate imponi. Deinde multos abusus mutua conniuentia induxit, vt de distributione prouentuum, qui magni absentibus dantur quibusdam in Ecclesiis, vt queritur Concilium Moguntinum sub Sebastiano c. 70. *Pernicioſus abusus est, cum pudendo cleri dedecore, & animarum periculo, grauique ecclesiarum detrimento coniunctus, quod in ecclesiis quibusdam cathedralibus & collegiatis, potissima prouentuum portio canonicis etiam apud ecclesias non residentibus, nec quicquam vtilis aut necessarii ministerii exequẽtib⁹ distribuitur: vicariis, qui diurna & nocturna fatigatione omnes ecclesiæ functiones sustinent, vix tenui censu, & qui ad vitam misere sustentandã agre sufficiat, relicto. Hinc capitula & canonicos ecclesiarum in Domino exhortamur, vt æquitatis & rationis olim Deo reddendæ memores, adfunctiones ecclesiis suis necessarias, his qui eas gerunt, de fructibus ecclesiarum sufficientem & honestum victum deputent: ne causam præbeant, de ecclesiarum prouentibus necessario aliter disponendi.*

Et sane Tridentinũ nuper, & Deus ab æterno aliter disposuit. Cuius hoc est: *Qui non laborat, non manducet.* Hanc ob causam tam multa rapit fiscus, miles, prædo, quia pro eo quod reliquum est, nondum satis laboratur, & laboranti minima portio distribuitur, non canonum iure, sed prauo contra canones abusu.

Episcopus in causa disciplinæ legatus Apostolicus est.

§. 5. Magna quoque & ordinaria potestas est Episcopi in capitulum, & capitulares omnes, eaque Apostolica. Ita Concil. Trident. Sess. 6. cap. 3. *Ecclesiarum prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant: & nemo sæcularis clericus, cuiusuis personalis, vel regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegii prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc à sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.*

Ea potestas nulla capitulatione tolli potest.

Et c. 4. *Capitula cathedralium, & aliarum maiorum ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & aliis maioribus prælatis, per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint, & valeant.*

Nulla igitur exemptio vllum capitularem potest à correctione Episcopi tueri; omniaque in hunc finem statuta irrita sunt, quia contra ius; addo contra iustitiam. Nam Episcopus est etiam capitularium Episcopus, vt cæteri Cleri, & Laicorum; eidem igitur incumbit, vti sua in eos potestate; alioqui sine spiritali capite essent. Quod si forte prætendant se sub solo pontifice immediate esse, quemadmodum multi sunt; non tamen sic à iurisdictione Episcopi sunt exempti; nam ille legatus est pontificis, contra quem omnis exceptio, exemptioque inualida est. Itaque in capitulo etiam exempto morum censor est Episcopus; itaque rectissime statutum est in Concil. 3. Mediol. *Quo facilius Episcopus in Ecclesia sibi commissa, & diuinum cultum augere, & canonicorum concordiam, mutuamque charitatem conseruare, & canonicalem disciplinam tueri possit; singulis mensibus, aut saltem sæpe in anno, canonicali capitulo interesse studeat, vel eo loco, vbi haberi solet, vel alio, quo illud is ad se conuocare maluerit: conuocet autem cuiusuis rei causa, ob quam expedire iudicarit. Quo in capitulo aliquando videat, an quæ de diuinorum officiorum cultu præscripta sunt, recte, rite, ordine, atque cum dignitate gerantur.*

Episcopus in ipso capitulo de moribus agat.

Nec eximit exemptum; nam adiungit. *Quod si capitulum exemptum sit, possit Episcopus ex decreto Concilii Tridentini, illud conuocare arbitrio suo, eo solo casu, quando ipse vult aliquid Canonicis proponere in re, quæ ad suum suorumue commodum non spectat, & tum in loco duntaxat, in quo antea solitum fuit Capitulum conuenire.*

Itaque exempto capitulo interesse, mores componere, corrigere malos, ea quæ ad diuinum obse-

quium

quium pertinent, statuere potest, hoc enim non est agere de suis suorumue commodis, sed communi; nam ab exemptis capitulis fere dependet Ecclesiastica disciplina.

Clericus exemptus ab Episcopo, vt est Episcopus, subiicitur Episcopo, vt est legatus Apostolicus.

§. 6. Neque ad capitulationes, & pacta recurri potest; nam Episcopus ordinarius est iudex, & superior sui Cleri. Deinde quocunque modo exemptus Clericus præcepto concilii generalis subiicitur, quoad visitationem, correctionemque Episcopo, non ergo possunt vllis se pactis aut constitutionibus eximere.

Quod si ante electionem Episcopi omnes iuramentum præstent; *si electus fuero, iuro me nullum capitularem monituru, citaturũ, iudicaturum, omnem illis libertatem permissurum*: Iniquitatis est hoc iusiurandum; quia iurat se non functurum officio boni viri, nedum boni Episcopi. Possuntque omnes tale iuramentum exigentes, aut præstantes iure electionis priuari. Verum & de his plura, cum de Episcopis agendum est. Nam ex hoc abusu sequitur quoddam canonicos vix vllum superiorem agnoscere. Pontifex procul abest, à nunciis Apostolicis tuti sunt, Episcopum non curant, itaque nonnulli quos obedientiæ specimen præbere omnibus oportuit, suo penitus arbitrio viuunt, & quicquid libitum est, licitum putant. Hoc autem contra ius naturæ est.

Nimia exemptionis malum.

CAPVT XIX.

Varii Ecclesiasticorum ordines.

Varii ordines ad Ecclesiæ vtilitatem pertinentes.

§. 1. BIFARIAM Ecclesiastici diuidi solent; Prima diuisio est quasi essentialis, ratione ordinis, sumpta ex ipso sacramento, vt sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, &c. Alii ratione officiorum, instituto vitæ, fine proximo; sic est Pontifex, Patriarchæ, Metropolitani, Archiepiscopi, Episcopi, Archipresbyteri, Archidiaconi, Canonici, Monachi, Sacellani, Vicarii, de singulis breuiter, quantum ad Ecclesiæ, & Reipublicæ corpus attinet, dicendum; disputationes enim Theologicæ alium locum postulant, vti & alium scopum habent.

§. 2. Septem ordines sacri in Ecclesia numerantur, sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, deinde minores ordines, Lectorum, Acoluthorum, exorcistarum, ostiariorum. Quos omnes esse vnum sacramentum genere, sed specie diuersum docẽt autores; de minoribus nonnulli dubitarunt; Verũ hęc Theologis & illis qui controuersias tractant considerandа relinquo. Mihi de hisce agendum practice, vti ad constituendam Rempublicam Ecclesiasticam conueniunt. Itaque de ordine Hierarchico præcipue quo gubernatur Ecclesia in foro externo vt vocant agamus. In eo primum locum tenet Episcopus, Episcoporum vero vna est ordinis potestas, sed varia in gubernatione, aliique aliis præsunt, vt Episcopis Archiepiscopi, his Patriarchæ, omnibus Põtifex eo modo & ordine, ea Reipublicæ vtilitate, vt nihil mirabilius vnquam mundus aspexerit, nihil ad mores, & quietem Reipublicæ conuenientius.

Ordo Hierarchicus in Ecclesia summum est mundi miraculũ.

De hoc igitur ordine dicamus.

CAPVT XX.

De Pontifice Romano.

Omnis hæresis à Simone Mago vsque se Pontifici opposuit.

§. 1. DE Pontifice Romano sine stomacho hæreticorum nemo Catholicus loqui potest; nec hoc nouum est, in eo vnitas Christiana nectitur, & fides fundatur, non vt in causa principe, sed vt vicario summi pastoris. Non tamen mirum esse debet, omni sectario nomen Pontificis esse odiosum, ipsam vero personam abominabilem, officium vero antichristianissimum; nam iam olim nemo veritati contradixit, qui non pontifici quoque inimicus fuerit; Nobis sane permirum est inter tot hæreseon centurias nullam fuisse, quæ non Romano se Papæ opposuerit. Ortum est hoc immane dissidium in mensa Domini, in qua Petrus feruentior Domini amator, de proditore seruatoris inquisiuit, & in horto satellitem hostium aure truncauit, denique Simonem ipse damnauit. Hæreditarium odium omnium Christi inimicorum summo sacerdotio connexum est. Iam dudum sane vnum ex tot hæresiarchis quæro, ex omnibus inquam à Capernaitis ipsis, vsque ad Vorstianorum nouissimos discipulos, qui non Pontifici, eiusque potestati fuerit inimicissimus. Quid mirum? Inter veritatis cathedram, & errorum subsellia, nunquam potest esse concordia. Nemo reus contumax iudicem suum amauit: non est nouum igitur Pontifices nostros omnium sectarum odium sustinere, cum omnes eorum antecessores, martyres & confessores sui temporis hæreticorum calumnijs, insidijs, armisque appetiti sint.

Vel hoc argumento est nostros sectarios esse hæreticos.

Vnus pastor vnitatis est fundamentum.

§. 2. Pontificiæ potestatis finis est, vt sub vno capite aspectabili, vicario Christi tota Ecclesia regatur, & schismatis tollatur occasio. Eam ob causam schisma in pontificis electione est omnino abominabile. Nam caput in quod mens & sensus Ecclesiæ conuenit sine pernicie magna non scinditur. Hinc tot legibus cautum est, ne duo capita eligi videantur, dubiumque sit, cui parendum sit. Schismata omnia Deo inuisa, mortalibus exitiosa sunt. Chore, Dathan, Abiron terra dehiscens absorbuit. Num. 19. Vestem scindere pontifici non licuit, Leuit. 10. Tunicam domini incõsutilem ne miles quidem discidit. Primum schisma fuit, cum Episcopi tres Nouatianum clandestine, in Pontificem Romanum elegerunt, & ordinarunt. Ita in Epist. 48. & 52. Cypriani, & Cornelii ad Fabium, aut Flauianũ Antiochenum: secuta sunt deinde alia, atque alia. Ingens illud fuit, & diuturnum; cum factione gentium diuersi eligerentur, cum Itali anno 1376. vt Blond. decret. 2. l. 10. Vrbanum sextum Neapolitanum suæ nationis Pontificem; Galli Clementem septimum elegerunt, quod schisma post annos 39. in Concil. Constantiensi sublatum est. Quod si nullum vnum sit caput, nullus religionis magister, omnia dissidiis misceantur, omnes enim hæreses in cunis bella gesserunt, vt in libro de Synodo Euangelicorum, & pace Germaniæ, atque adeo Iubilo Iubilorum docui.

Schismata ex multitudine exorta.

Magna cura eligendus cui cura omnium cõmittitur.

§. 3. Electio summi Pontificis vt pote àqua Ecclesiæ dependet salus, magnæ semper curæ fuit antistitibus, imo & principibus. Populus eligendi Pontificum & Episcoporum iure diuino potestatem non habet. Nam Christus ipse Apostolos elegit, ipse septuaginta discipulos constituit, Apostoli per diuersa loca Episcopos & presbyteros constituerunt. Populi munus est audire, & pasci, non ordinare præsides, idem constituit Concilium Nicęnum, ne turbis permittatur facere electionem eorum, qui sunt ad sacerdotium promouendi. Ita can. 13. Nicęnum. Verum hac de re sunt propositiones Bellarminianæ l. 1. c. 7. &

se quentibus, de Clericis, ab Catholicis probatæ, à priscis Conciliis sumptæ. *Propositio Quinta. Ius eligendi summum Pontificem, ceteroſque Eccleſiæ paſtores, & miniſtros, non conuenit populo iure diuino: ſed ſi quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniuentia, vel conceſſione Pontificum.*

Electio non eſt populi.

Propoſitio Sexta. Electio Epiſcoporum non pertinet iure diuino ad Clerum, ſed ad ſummum Pontificem, vt vel ipſe eligat, vel præſcribat eligendi modum.

Pontifex Epiſcopos eligit.

Propoſitio Septima. Ratio eligendi ſummum Pontificem per ſolos Cardinales, eſt omnium optima, & merito conſeruãda, etſi abſolute poſſet Pontifex eam mutare ſi vellet.

Propoſitio Octaua. Si nulla extaret Pontificia cõſtitutio de electione ſum. Ponti. vel caſu aliquo omnes electores à iure deſignati, id eſt, omnes Cardinales ſimul perirent, ius electionis ad Epiſcopos vicinos, & Clerum Romanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Concilio generali Epiſcoporum.

Verum ea de re exſtant multorum diſputationes, neque nunc mihi propoſitum eſt, de iure agere. Sed id quod paci Eccleſiæ conducit, exponere.

§. 4. Hinc conſtat Electores conſtitui ab Eccleſia poſſe; & id circo in electione ſæpe variatum eſt, qua de re eruditiſſime Greg. Toloſanus. *A quibus autem* (Syntagm. iuris l. 15. c. 3. a §. 19.) *A quibus autem eligatur ſummus Pontifex, quæſtio temporum habet diſtinctionem. Et ſacroſancta Romana & Apoſtolica, non ab Apoſtolis primum, ſed ab ipſo Domino & Saluatore noſtro primatum obtinuit,* h *nam Beato Petro Apoſtolo dixit: (Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. i) ſubinde* φ *D. Petro in ſede non ſucceſſerit, & ipſo volente ante illum eandem tenuerint Linus, Cletus ſeu Anacletus I. Eo quod viuente adhuc D. Petro Linus & Cletus adiutores adſciti ſunt in adminiſtrationem bonorum externorum, qualem diacones habebant, & nũc camerarii Papæ.* m *Fuitque Clemens ſecundum electionem ſecundus, ſed in adminiſtratione quartus ſummus Pontifex. Deinceps quia exemplo perniciоſum viſum eſt, vt quis deligeret ſibi Epiſcopum ſucceſſorem,* n *& quæ Dei ſunt ab hominibus dari* o *alia formula eligendi ſummum Pontificem comprobata eſt, & à ſolis Eccleſiaſticis delectus. Eccleſiæ poſtea pacem adepta interfuit populus, & ſecuta Imperatorum comprobatio, ſeu authoratio:* p *omiſſa Imperatoris comprobatio in electione Pelagii* q *& Gregorii I.* r *Benedictus II. ſum. Pontif. ſtatuit in poſterum deligi ſummos Pontifices per Clerum & populum Romanum ſine conſenſu Imperatoris.* ſ *prohibitum de hinc Laicis, ne ſe immiſcerent Pontificum electioni, & ab Adriano S.P. & in 8. Synodo:* t *neue conſenſus Imperatoris adhiberetur, & ne electio ab imperatoribus facta rata eſſet, cautum eſt* u *quamuis placuerit aliquando & plebem electioni adeſſe.* x *Sub Agathone ſum. Pontifice Siculo Imperatori dabatur certa pecunia pro ordinatione Pontificis, & ideo eius requirebatur authoritas,* y *ſub annum Domini 680. Quia & Stephani Papæ extat decretum, vt præſentibus legatis Imperatoris ordinaretur ſummus Pontifex videlicet vt coercerentur ſcandala, quæ ſolent in electione interuenire.*

h *c. ſacroſancta 32. diſt. can. ita Dominus 19. diſt.*

i *D. Matth. c. 16.*

φ *D. Petrus ſibi in ſede de legit ſucceſſorem Clementem*

k *quamquã is immediate.*

k *c. Si Petrus & c. vnde ipſe Clemens, 8. q. 1. Clemẽs Epiſt. ad Iacobum fratrẽ Domini Euſeb. 3. c. 11. Tom. 1. concil. in Clementi.*

m *Can. ſi Petrus iuncta gl. pen. 8 q. 1.*

n *In concil. Antiocheno, in can. Epiſcopo nõ liceat pro ſe & concil. Martini Papæ, C. Epiſcopo non liceat ante 8. q. 1. c. 1. de conceſs. præb.* o *D. can. Epiſcopo non liceat ante 8. q. 1. C. remoto, 7. q. 1. C. conuenior. 23. q. 8.* p *Polydo Virgil. l. 4. de iuuentor. rer. c. 10. con. Epiſcopos, & can. principali 63. diſt.* q *Platina in vita Pelagii.* r *Platina in Greg. 1.* ſ *Polydo Virg. l. 4. de inuent. rer. c. 10. Platina in Benedict. 2. & Volater.* t *C. nullus, C. Adrianus 63. diſt.* u *C. Valentiniano & can. ſequentibus 63. diſtinct.* x *C. plebs 63. diſtinct.* y *Can. Agatho 63. diſtinct. 2. c. quia ſancta Romana 63. diſtinct.* a *C. Adrianus 63. diſt. Sabell. Ennea 8. l. 8. & Sigiber.* b *C. Ego Ludouicus 63. diſt.*

Pontifici qui ſedit anno 817. & ipſe ante à populo Romano ſine conſenſu Imperatoris electus, c *Quare nec in electione Adriani II. adhibiti fuerunt Legati Cæſaris Ludouici II. quamuis tunc in vrbe eſſent, anno Domini 869. & ſi quædam vſurpata conſuetudo ante obtinuiſſet,* d *Henricus V. Imperator, contendere de principatu & de inueſtituris Epiſcoporum, cum Paſchali II. auſus, excommunicatus, tandemque culpam deprecari coactus eſt, vt eius temporis author conſignauit literis Gothfridus Viterbienſis libr. 17. hiſtoriæ quæ Pantheon inſcribitur, in Henrico V. Adrianus III. qui ſedit in Pontificatu anno Domini 886. primus ad populum retulit, ne in creando Pontifice conſenſus Imperatoris* e *expectaretur.*

c Platina Paſchal. & Volater.

d Can. in Synodo 63. diſtinct.

Verumtamen Leo 8. ſum. Pontif. qui ſedit circa annum Dom. 968. Otthoni 2. Imperatori, poteſtatem eligendi Pontificem renouauit & confirmauit, certis ob id literis datis, quo tutius ſe imperii hoſtibus opponere poſſet. f *Iurauit autem antea Othho Ioanni 12. anteceſſori fidelitatem, & nihil ſuo conſilio conſenſuue, aut exhortatione perditurum, nullumque placitum de rebus, quæ ad illum terramue ſancti Petri ſine conſilio ſuo facturum.* g *Ex his tandem variis conceſſionibus & remiſſionibus, & decretis nihil præter ſeditiones crebras & ſchiſmata Eccleſia accepit: donec Nicolaus 2. Sabaudus, qui ſedit circa annum 1065. Ex concilii decreto, quod Mantuæ habitum eſt, ſtatuit Pontificem ſummum à ſolis Cardinalibus eligendum eſſe, cum præcedente tractatu.* h *Alexander 3. Senenſis rurſum circa annum 1165. ſtatuit addendo, vt diſſentientibus inter ſe in electione Cardinalibus, valeat illius electio, quem ex tribus partibus Cardinalium duæ elegerint: excepta cauſa neceſſitatis, in qua non expectantur duæ partes Cardinalium, imo & aliquando huic ſolennitati renunciare poſſunt eligentes.* k

e Platina Adriano 3. & Sabell.

f Platina in Leone 8. Albertus Krantius l. 4. c. 10. & 11. & can. in Synodo 63. diſt.

g Can. tibi Domino 62. diſt.

h Can. in nomine Domini 23. diſtinct. Lanfran. de ſacramentis, Volatera. Polydo Virg. l. 4. c.

k Gloſs. in Andreas. 10. 1. Alex. 4. in c. licet de vitanda c. 1. de electione apud Greg. d. c. licet in verbis à duabus partibus & ibi Gotfred. & Ioan.

§. 5. Anno 1059. in Concilio Romano Epiſcoporum 113. ſub Nicolao II. ita ſtatutum eſt.

Primo namque inſpectore Deo eſt ſtatutum, vt electio Romani Pontificis in poteſtate Cardinalium Epiſcoporum ſit, ita vt ſi quis Apoſtolicæ ſedis ſine præmiſſa concordi, & canonica electione eorum, ac deinde ſequentium ordinum religioſorum, clericorum, & laicorum conſenſu inthronizatur, is non Papa vel Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur.

Cardinales Epiſcopi Pontificem eligunt.

Vt moriente Romano Pontifice vel cuiuſcunque ciuitatis, nullus præſumat facultates eorum inuadere, ſed ſucceſſoribus eorum reſeruentur integræ.

Facultates Pontificis & Epiſcopi manẽt ſucceſſoribus, non electoribus.

Hanc legem multorum rapinæ exraſerunt, qui morientium opes diripiebant, cum tamen Eccleſiæ ſint, & pauperum, itaque neque eas nunc in proprios vſus vertere electores canonici poſſunt.

Totus autem ordo eligendi & conclauium deſcriptus eſt in Synodo Lugdunẽſi ſub Gregorio decimo; nam additis illis ad conſtitutiones Concilii Lateranen. 1. & Alexandri tertii, perfecta eſt ratio. Quin & in Concilio Baſileenſi Seſs. 23. multa ad electionem vtiliſſima conſtituta ſunt, requiriturque conſenſus, & profeſſio Pontificis electi: plura etiam in eodem Concilio Seſs. 37. Item Seſs. 38. de electoribus, & confirmatione PAPÆ. Fatetur Concilium varios fuiſſe eligendi modos, prout neceſſitas, & vtilitas Eccleſiæ exegit, nunc vero ex Cardinalibus eligi ſolet.

§. 6. Mores Pontificis optimos eſſe oportet, vt ea omnia quæ de Epiſcopis & Presbyteris dicta ſunt, tanto in Pontifice præſtantiora ſint, quanto ille omnibus Epiſcopis maior eſt; itaque cum in cæteris veræ ſolidæque virtutes, in Pontifice omnium virtutum apex exigitur.

Optimus omnium Pontifex eligatur.

Grandi autem ſcelere ſe Cardinales obſtringunt, cum in ſupremam dignitatem, hominem haud ſatis probatum euehunt; quod cum factum eſt, magno motu concuſſa eſt Eccleſia, verſique in deterius Cleri mores.

Cardinaliũ ſumma obligatio eſt, vt optimũ paſtorem eligant.

Pote-

Familia pontificis sit exemplo toti orbi.

Potestas eius est, quæ aliorum Episcoporum; sed eo maior, quod est in ipsos Episcopos; quod sine eo Synodus oecumenica cogi nulla possit. Cura eius vniuersalis, obligatio pro cunctis animabus. Sed maxima pro domesticis, & curia sua, quam omnes ita constituere tenentur, vt in ea sit modestia, pudor, iustitia sacerdotis domui conueniens; si enim suorum domesticorum, iudicum, & officialium curam non habeat, fidem factis negat, & pastor omnium fidelium, est infideli deterior. Cum enim summa sit eius iurisdictio in terris, à qua nulla datur appellatio, cum eius iudicium sit à nullo retractabile, cum ad eum omnes vndecunque appellent, causæ Episcoporum, principum & regum, ad eum deferantur, de omnibus iudiciis ille iudicet, ille à nemine iudicetur: vt autem iuste iudicet, assessores, cognitores, subordinatos iudices iustos, diligentesque habere necesse est.

Omnes circa pontificē sanctos esse oportet.

Cum vero pietatis causa, & religionis, pontificem Imperatores venerentur; vt est in Epist. Nicolai ad Constantinopolitanum Imperatorem; necesse est grauissimi sceleris reum esse pontificem, cum officio suo deesse, & orbem Christianum frustrare incipit. Imo nisi maiorem zelum pro Dei honore quam cæteri Christiani præstat, præuaricator est. 32. q. 1. officii.

Qui iudicē in terris nō habet, Deo iudici se probet.

Quanta vero eius esse debet innocentia, qui non necessitate, sed propria voluntate se purgat ab obiectis criminibus? 2. q. 4. *Mandastis.* q. 7. *Nos si.*

§. 7. Huic tantæ potestati Christianam Ecclesiam decens, honor adiunctus est; Nam & diademate cingitur, & regum obsequiis colitur, demissione etiam ad oscula pedum procedente. Culpant hoc sectarii, & si fastu, non autem officio agatur, culpandum foret. S. Thomas 22. q. 20. ostendit honorem eum non esse inordinatum. Nam obseruantia, qua dignitate excellentes prosequimur, si publico funguntur munere, non ad eorum sed Dei, & Reipublicæ honorem pertinet. Honor pontifici delatus non illi, sed Christo cuius vicarius est, exhibetur, quocirca & crucem gerit, vt crucifixo, non sibi honorem dari contestetur; cum vero etiam sit totius Reipublicæ Christianæ caput, ipsi Ecclesiæ honor in eius capite merito defertur, defendit olim in Concilio Basileensi Henricus Kalteisen, eam cærimoniam, neque nunc vllum, nisi hæreticum offendit. Sanctissimus vocatur, quia sanctissimum est eius officium. Ipse interdum impius est, atque in æternum damnatur.

Honor summus summam virtutem requirit.

In vicario suo, etiam peccatore Christus honoratur.

Ecclesia in pontifice honoratur.

Officiū sanctissimum.

Beatus, beatissimus dicitur.

Beatus, & beatissimus dicitur ex eadem excellentia potestatis, idem Henricus Kalteisen de libertate Euangelicæ prædicationis, in t. 4. conc. p. 339. sic exponit. *Venerabilis Thom. de Walden, lib. 2. c. 36. sic & Concilia generalia dicuntur sancta & sanctissima, non à sanctitate personarum inibi existentium, sed ex plenitudine officij sanctificandi & infallibili assistentia Spiritus sancti, sic & ecclesia Catholica dicitur sancta, non propter sancti tatem omnium existentium in ea, cum sint multi peccatores, sed propter sanctissima eius officia, propter sacramentorum sanctitatem existentium in ea, non enim talia dicuntur sancta ex opere operante, sed ex opere operato. Ideo S. Cyrillus in epist. Synodica directa Nestorio, quæ incipit: Religioso & Deo amabili; nominat Papam sanctissimum, & venerandissimum, similiter sacrum generale Concilium, similiter S. Hieronym. Papam vocat sanctissimum, gloriam sanctitatis suæ magnificans in libro, qui intitulatur: de gestis Romanorum pontificum, in principio scribens ad Damasum Papam. Tertium, quod Papa ratione officij sepe aptissime nominatur beatus seu beatissimus, non quasi extra statum viæ æternaliter constitutus beatus, sed propter admirandam suæ potestatis excellentiam, quæ prope Christum attingit, quicquid enim potestatis, quicquid gratiæ sacramentalis, quicquid dispensationis cœlestis à Christo capite Ecclesiæ commissum est, ipsa Ecclesia dispensat, & Papa in fide non errante, totum est eius dispensationi commissum. Hinc B. Hilarius etiam Imperatorem Constantinum propter auctoritatem imperialem beatissimum nuncupauit in epistola sua ad eundem de fide. Et B. Ambrosius quibusdam scribens Episcopis & sacerdotibus malis, quos de symonia & multis excessibus redarguit, beatissimos & sanctissimos patres nominat in libro suo pastorali, quem de obseruantiis ipsorum intitulat. Quarto ergo dico, quod si Papa aliquid mandat faciendum, quod non est contra legem Dei expresse aut contra statuta aliqua sanctorum patrum, etiam si se literaliter in lege Dei veraciter non fundat, ei obediendum est.*

Idem titulus Conciliis generalibus tribui solitus.

Constantinus vocatus ab Hilario beatissimus.

§. 8. Cum omnium cura pontifici incumbat, vnica tamen ratio est omnia curandi, si curiam suam vitiis liberet, si viros rerum, iustitiæ, gubernandi peritos, vere pios, auaritiæ munerumque ostes circum se habeat, alioqui nec causas intelliget, nec recte iudicabit. Curiam itaque conseruare, & si opus sit reformare studebit. Nec excusationem vllam prætendere potest, si enim episcopos, principes & reges admonet, corrigit, punit, non poterit ministros suos aut dimittere, aut ad honesta cogere? Actum ea de re in Concilio Lateranensi, & extant Bullæ Leonis decimi. Nec modo curiæ ipsius, sed Legatorum quoque pontificiorum, quorum cum sit Episcopalis, & interdum Cardinalitia dignitas, decet non modo mores esse probos, sed familiam etiam esse modestam: alioqui probra in ipsos, & sedem Apostolicam recidunt.

Inter omnia nihil efficacius, quam curia Romana sanctitas.

Aula pontificis omni monasterio religiosior est.

Caput XXI.

Immerito multi odio Romani pontificis à vetere Ecclesia secessionem faciunt.

§. 1. Quod ad omnes ætates pertinet, vt legitimum in Ecclesia magistratum agnoscant, id in coronide mea contra eos, qui, cum ista scriberem, iubila sua declamitabant, conuerti, vt à calumniis falsis, verum Christianorum omnium, etiam regum pastorem vindicarem. Hoc etiam munus ad politicum pertinet, quandoquidem in Ecclesia est nostra respublica, & in hac illa.

Nouatores omnes in Pontificem insurgunt.

Generatim hoc propono, quia maxima pars concionum conuiciis contra pontificem insumitur, adeo, vt si maledicta illa demantur, ex multis tomis futurus sit libellus vnus. Concionum plurimarum argumentum est, ex Danielis cap. 11. 31. & sequent. Apocal. 12. & 13. & 14. & 17. vt omnia quæcunque in Antiochum, & Antichristum scriptura vnquam dixit, Pontifici imputent. Ita Matthias Hoe conc. iubiliana 3. Balduinus Fredericus, Wolffgangus Franzius, Erhartus Lauterbach, Michael Mulingius, Vincentius Schmuk, Paulus Laurentius, duabus concionibus, Ioannes Pandocheus, sunt & aliorum theses, & declamationes.

Artes calumniandi Pontificem.

1. Vnius peccata omnibus imputant.

2. Figmenta contra Pontificem colligunt.

In hisce tria notaui omnes facere. Primo quæcunque vnquam ab aliquo Pontifice male gesta sunt, toti ordini imputant, & exaggerant, vt si quis Achabi vel Manassis scelera cunctis regibus attribuat, ideoque sceptrorum vim tollat, quia suis affectibus multi reges sæpius, quam legibus obsecuti sunt. Secundo, quæcunque contra Pontifices vnquam ab eorum inimicis ficta sunt, tanquam oracula cum auctario proponunt, quæ autem pro Pontifice dicuntur feruentius, illa in calumniam rapiunt. Vt cum dicitur Pontifici in terra datam potestatem sol-

uendi peccata, sicut Deus in cœlo soluit, & iudicium Pontificis etiam Dei esse, mox clamant, Pontificem æquari Deo, Deum de throno deiici, & Pontificem extolli, Pontificem Deum à nobis statui, cum tamen particula ὡς, aut *sicut* similitudinis non minus, quam æqualitatis sit nota, cum aliud non doceamus, quam ea, quæ Pontifex soluit aut ligat in terra legitimæ potestatis vsu, ea in cœlo solui vel ligari, & Christum habere serui sui, & Vicarii ratam sententiam.

3. Doctrinam oppugnant.

Tertio doctrinam Pontificis oppugnant, in quo certamine tria stratagemata notaui. Primum est, imputare pontifici, & Catholicis ea dogmata per calumniam, quæ expressissime damnamus, & anathematizamus. Alterum, quæ antiquissima Ecclesia docuit, verbi gratia de purgatorio, ea velut noua Pontificis, Monachorum, & Iesuitarum inuenta traducunt v. g. Purgatorium figmentum Monachorum aiunt, at Zanchius lib. 4. cap. 4. quæst. 5. de natura Dei ita loquitur: *Verum enim vero primum, nondum potui certi aliquid reperire. Est tamen antiqua consuetudo, & doctrina. Nam Tertullianus de eis precibus pro defunctis mentionem fecit, in lib. de cor. mil. Christ. pag. 449. sed aperte inter ea numerat, quæ ex sola consuetudine fluxerunt: minime autem ex scripturis desumpta sunt. De eadem re scribit lib. de monogamia pag. 578. item oblationum pro defunctis mentionem facit, lib. de exhortatione ad castitatem, pag. 564. Nunquam vero docet vel innuit, preces illas vel oblationes fuisse ex verbo Dei, aut etiam ex Apostolica traditione.*

Purgatoriũ qui nouum inuentum aiunt, omnia vetera ignorãt.

Dionysius, qui Areopagita dicitur, in lib. de Eccles. Hierarch. cap. vlt. & alibi. Cyprianus Epist. lib. 13. Epist. 6. item lib. 4. Epist. 5. & alibi sæpe. Ambrosius T. 3. in orat. fun. de obitu Theodosii: item altera de obitu Valentiniani: & in orat. de obitu fratris sui Satyri. Chrysost. in Liturgia, & alibi. August. T. 1. confess. lib. 9. cap. 12. 13. rogat Deum, vt peccata matris defunctæ remittat. item lib. de cura pro mortuis agenda. cap. 4. ait, non esse omittendas supplicationes pro spiritibus defunctorum. item Tom. 4. in 8. quæst. ad Dulcitium quæst. 2. & alibi.

Exemplum exhibere volui artificiosæ & rudis malitiæ: Zanchius atque alii, qui aliquando veteres legerunt, fatentur iam Dionysii Areopagitæ tempore & Tertulliani fuisse consuetudinem, citant Cyprianum, Augustinum, alios Patres. Itaque hæc, cum parum ad odium Pontifici concitandum valerent, artificiose omittunt, & simul stolide & ruditer: Etsi enim suis imponant, & oratores videantur, conscientiam tamen Christiani orbis vereri debent. Tertium est odiosa facere Catholica dogmata, & sua horridiora mollibus verbis polire.

Odiosam reddunt veritatẽ mendaciis.

§. 2. Odiosam nostram doctrinam faciunt interpretatione peruersa. Id cum olim cœperunt multi, præsertim scurra Anonymus contra Priuilegia Caluinistarum à P. Martino Becano edita, quem secuti sunt Anonymus contra Vngersdorff, & nunc Iubilantes præsertim Zeæman, & cæteri qui nihil nisi suorum famosos libellos legere consueuerunt. Verba scurræ de Oppenhaim, qui se mendaciter Guilhelmum de Pratis indigitat, in eius Epistola legerunt. *Papa*, inquit, *ille potest dispensare contra ius naturale, & Apostolorum.* Nam Glossator Gratiani expresse scribit, 15. quæstione 6. cap. auctoritatem, d. 32. cap. presbyter. dist. 34. c. lector. Sed grandis est calumnia, nam Pontifex dicit anathema cunctis docentibus, *Posse pontificem contra ius naturale dispensare.* Itaque glossatoris culpa, non est pontificis, deinde glossa illa in iure canonico hodierno nulla est. Nec vllus horum glossam vidit, sed mendacium mutuo acceptum aliis tradunt. Sed tamen sunt quædam, quæ iuris naturalis esse Canonistæ, & iurisperiti dicunt, quod iuri naturæ sint consentanea, mutari tamen possunt, quia non omni tempore nec loco obligant, v. 9. Iuris naturalis est *alienum reddere*, ius ciuile præscriptione transfert dominium, ius Apostolicum est, ne *Episc. sit neophytus, sit vnius vxoris vir*, vt *omnis vir oret*, & *prophetet aperto, & fœmina operto cap.* In his tamen dispensare videmus omnes interdum Sectas, non modo Catholicos. Hac mente loqui aliquis glossator potuit, & in istis dispensari posse docet Pareus in 1. Cor. 1. 14. Deinde calumniam retundit titulus Canonis, qui est: *Apostolica auctoritas penitus illicita in irritum deducit iuramenta.* At illicita iuramenta facere irrita non est contra ius naturale. Deinde ipse Canon qui est non modo Nicolai Papæ, sed veterum etiam. *Auctoritatem venerabilium (15. q. 6.) prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi Papæ, & martyris Alexandri quinti à Beato Petro, ab omnibus iuramentis, & cuiuscumque modi obligationibus, quibus illi se coacti violentia impiorum obligauerant, absoluimus: & ne illa seruentur, vetuimus tam præfatum Archiepiscopum Treuerensem, quam eius præpositum, & omnes qui tunc temporis capti se illis quoquo modo obligauerunt: neque vllam eos proinde infamiam, vel calumniam, aut à suis bonis sequestrationem vnquam auctore Deo, & sanctis Apostolis, & nostris prædecessoribus sustinere permittimus: sicut per prophetam Dominus dicit. (dissolue colligationes impietatis) Quinetiam præfato fratri nostro, filiisque Treuerensis Ecclesiæ, illiusque defensoribus hac in mandatis damus: vt spirituali simul, & materiali gladio tam diu malignos illos, eorumque fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quæcumque res Ecclesiasticæ hoc facto vel quocumque pacto distractæ, seu directa sunt, reuocentur.*

Impia iuramenta, & coacta etiam iura ciuilia soluunt.

§. 3. Nec tolerabilior calumnia est, cum dicunt, Panormitanum dicere c. fin. de diuortiis, *Papam contra nouum Testamentum dispensare posse.* Hæc scurra: & speciem habet calumnia, quia verba Panormitani sunt. Secundo nota, *quod Papa ex maxima causa posset dispensare contra nouum Testamentum.* Quomodo vero intelligenda sint verba dure sonantia, discendum est ex additionibus, quibus lector ibidem remittitur ad cap. 13. 4. qui filii sint legitimi. Vbi sic habet: *Nec obstat, si dicetur Papam posse ex causa dispensare in gradibus diuina lege prohibitis, vt notatur per aliquos in c. literas, de restitut. spoliator. quia illud verum, secundum eum disponendo, & legitimando matrimonium, vt ex nunc, non autem ex tunc, ita vt filij ante geniti censeantur legitimati.*

Hæc dispensatio non est in eo, quod simpliciter in nouo Testamento mandatum est, sed disponit circa aliquid, quod non est contra nouum testamentum. Agitur enim de rebus non omnino necessariis: quale est illud, quod Ambrosius Neophytus contra nouum testamentum venit ad Episcopatum. Deinde ex ipso canone res clara est. Panormitanus explicuit illud caput, in quo Innocentius tertius recens conuersis ad fidem, qui matrimonium contraxerant, cum relicta fratris secundum legem Mosis, propter infirmitatem permittit, vt eo matrimonio post baptismum vtantur. Non tamen liceat baptizatis ita contrahere, deinde subiicit. Secundo nota, quod Papa ex maxima causa, posset dispensare contra nouum testamentum. Quod non est dispensare de aliquo, quod in nouo testamento scribitur seruandũ, sed de aliqua lege Ecclesiæ, quæ in nouo testamento seruatur: nam nullus apex est in nouo testamento quo vetetur aliquis viduam defuncti fratris domũ ducere, in veteri testamento etiam lex erat, quæ matrimonium illud imperabat. Non igitur contra nouum testamentum scriptum, sed contra legem Ecclesiæ noui testamenti dispensabat. Nec obstat, quod Matth. 14. 3. Ioannes dicit Herodi, non licere habere vxorem fratris sui. De vxore enim viuentis agitur.

Papa potest dispensare cõtra legem aliquã, qua in nouo testamento est, hoc est in ecclesia.

Caluiniani prædicantes archisycophantæ.

Ius naturale varie dicitur à iurisperitis.

Vt Hie-

Vt Hieronymus, Beda, aliique testantur: Philippus enim anno Tiberii 20. mortuus est, Mens autem Panormitani eodem in loco, (nempe in c. finali de diuortiis, lib. 4. decretal. t. 19.) clara est, docet enim, non posse Papam contra leges diuinas dispensare.

Falsarij sunt Iubilantes.

Idem scurra, & ex eo Nouatores nudis quoque mendaciis contra auctoritatem Pontificis pugnant, *Idem dicit Bertachinus*, inquit, *in Repertorio dictionis Papæ.* Idem allegant Iubilantes. Sed in eo repertorio contrarium penitus reperitur. *Papa non potest dispensare in prohibitis testamento veteri & nouo. Anton. de But. & Ioan. Andr. in c. super de vsur. & Anton. de Prato in d. cons. 11. col. nec contra Euangelium, nec ius diuinum 20. distinct. 1. deinde 14. dist. sicut & gloss. in cap. literas de restitut. spoliat.*

Ingens insania conuiciandi.

Bertachinus igitur eos mendacii arguit, & auctores pro ea re citat. Alia sunt innumera, *vt nos Papam facere verum Deum*, & similia, quæ ab vno semel sine fronte dicta, ab omnibus deinde iterantur. In his itaque coram Deo & hominibus protestamur iniuriam fieri nobis, illi enim ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λογοις ἡμᾶς ἐμπορεύονται, in auaritia fictis sermonibus animas negociantur. Vita eorum doli meditatio, & tritura mendacii:

Ψευδῶν ἄυκτες, μυχανόῤῥοφοι κακῶν ἑλικτά.
Mendaciorum reges, Machinarum structores, malorum (volutabra.

Qui secum ita ratiocinantur:

Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ᾖ,
Lucrum dulce est, etsi ex mendaciis sit.

Veteres hæretici, hostes Papæ, nostris quoque hæreticis sunt hæretici.

§. 4. Cum igitur errore magno deficiant à prisca veritate, consideranda sunt quæ proponunt. Nunc quia generatim ea de re agimus, hoc solum protestamur, nullam fore excusationem illis, qui ob has causas desciscunt, non magis quam decem tribubus, quia ab Hierosolymitano templo defecerunt. Nam nullo vnquam sæculo ab Romano Pontifice defecerunt, nisi qui hæretici fuerunt, quos nostri quoque damnant. Deinde qui à nobis exierunt, à se mutuo magis distant, quam à nobis plerique, alii in orientem, alii in occidentem traducti.

Sed nihil admirabilius in eorum erroribus, quam quod iam conuicti, eo deuenerunt, vt veteres martyres in numero Antichristianorum habeant, quod impudentissime fecit Fredericus Braubomus in *floribus flaminiis*, & refutaui in libro de incremento hæreseon, sed prolixissime Wolffgangus Franzius disseruit thesi 300. & sequentibus.

Martyres inferis addicunt.

301. *Tenuia quidem erant principia in Lino, Cleto, Clemente, & tamen ille ex sacris ordinibus his in vrbe habitis presbyteros decem & octo, Episcopos XI. creauit, quos sine dubio alibi præficeret, iste redegit in ordinem ex mandato Petri, vt dixit, 25. presbyteros, hic scripsit ad alias Ecclesias Epistolam, quæ non omnibus fuit probata, quemadmodum apud Platinam hæc leguntur.*

302. *Secutus Anacletus constituit, ne Clerici barbam vel comam nutrirent, Euaristus ne plebis in Episcopum accusatio reciperetur, Episcopos in diuersa loca creauit. Alexander, vt aqua sancta, sale admixta interpositis sacris orationibus, & in templis, & in cubiculis ad fugandos dæmones retineretur, voluit quoque aquam admisceri vino in consecratione sanguinis Christi: Oblationem quoque ex azymo & non ex fermentato, vt antea, fieri mandauit.*

Odio pontificis, etiam martyres detestantur.

303. *Xystus 1. constituit, ne Episcopi ad sedem Apostolicam vocati* (Ecce & Nota Lector, *Romani Episcopi cito ausi sunt imperare externis aliarum vrbium doctoribus*) *redeuntes à suis reciperentur, nisi secum deferrent literas plebem salutantes.* (Ecce & Nota *iterum lector, ita Romani Episcopi etiam inter persecutiones aliorum procerum protectione constiti, tamen non tantum exteris Episcopis, sed & Ecclesiis se se insinuarunt pro capitibus*) *& vide exemplum in vita Xysti.*

304. *Telesphorus constituit, vt septem hebdomadibus ante Pascha obseruaretur ieiunium: Higynus Papa ne templa dedicarentur, ne augerentur, ne diminuerentur sine arbitratu Metropolitani vel Episcopi. Pius 1. thermas Nouati in vico patricij in honoratione sororis suæ diuæ Pudentianæ dedicauit. Anicetus constituit, ne Episcopus crimen Metropolitani sui ad aliam quam sedem Apostolicam deferret: item ne Episcopi omnes Patriarchæ vocentur. Soter, ne Monacha vlla pallam attrectaret, neue thus in acerram poneret, dum sacrificia fierent.*

305. *Eleutherius initio pontificatus statim Epistolam accepit à Lucio rege Britanno, quarogabatur, vt se & suos in Christianorum numerum reciperet, quare Fugatium & Damianum eo misit, qui regem ac populum baptizarent. Hunc secutus Victor 1. excommunicauit Episcopos Orientis, qui Pascha nolebant celebrare statis diebus Dominicis. Zephyrinus 1. ne Episcopus vel à Patriarcha, vel à Primate, vel à Metropolitano suo in iudicium vocatus sine authoritate Apostolica damnaretur. Callistus 1. vt quatuor ieiunia quatuor anni temporibus haberentur: ædificasse dicitur in honorem B. Virginis Basilicam in Transtiberina regione. Sed nolumus vlterius progredi, quia (quantum pontificiis est tribuendum historicis) ex his vnguibus facile est æstimare leonem, & intelligere quid sit, quod dicitur, illis temporibus fuisse operatum iniquitatis mysterium.*

Quis illi est Christianus, cui martyres sint Antichristiani?

§. 5. Ecce lector Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Euaristus, Alexander, Xystus, Telesphorus, Higynus, Pius 1. Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor 1. Zephyrinus 1. Callistus 1. operabantur iam mysterium iniquitatis: quia illa fecerunt, quæ narrat homo hæreticus: & quamuis vitam pro gloria Christi fuderunt, huic tamen sunt Antichristi, quia operati sunt mysterium iniquitatis, nec innocentes sunt, quia ascendere altius non potuerunt: sed Antichristi, quia sedem eius appetiuerunt, censendi sunt, si credimus hæretico. Absit vero vt primitiuæ Ecclesiæ martyres Apostolicorum temporum coæuos, Antichristianismi damnemus, id potius gaudeamus, eos nobiscum in eadem fide vixisse. vt habet de Lino vetustissimus canon missæ. Iren. lib. 3. cap. 3. Hieronym. in catalago. Euseb. lib. 3. hist. cap. 12. Epiph. hær. 27. De Clemente idem illi testantur auctores. ille Epist. 3. Missas sine Episcoporum licentia celebrare vetat. Cum illo communicarunt tot millia martyrum primi sæculi, quos iam Antichristianos appellant nouatores. Anacleti Epistolæ, quæ sunt in primo tomo Conciliorum, ostendent illum esse nostræ fidei. Hic Pontifex omnium antichristianissimus esse debet: Nam Epist. 3. ex instituto Romanæ Ecclesiæ primatum asserit. Hæc vera inquit, &c.

Quid mirũ est, eos nobis infensos, qui beatos martyres calumniantur.

Anacletus Romanæ Ecclesiæ primatum asserit.

Euaristum Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiph. hær. 27. Optatus lib. 2. contra Parmenianum. Aug. Ep. 165. martyrem Christi non Antichristum agnoscunt.

Martyres illi in nostra fide mortui sunt.

Alexander Epist. ad Orthod. in T. 1. conc. & de consec. d. 2. can. *In Sacramentorum*, in Eucharistia corpus & sanguinem confici docet.

Xystus inter alia statuit de Episcopis euocatis ad sedem Apostolicam, appellationes recipiendas docet, in T. 1. Conc.

Telesphorus Epist. ad vniuersos T. 1. conc. & de consecratione, d. 1. can. Nocte sancta, missas celebrare iubet, corpus domini conficere. Idem ieiunium quadragesimæ ait 7. septimanis ante Pascha obseruandum, carnibus abstinendum. Epist. ad vniuersas d. 4. can. statuimus.

Higynus omnes Basilicæ, inquit, debent cum missa celebrari. T. 1. conc. & de consec. d. 1. can. omnes Basilicæ.

Pius, in domo sororis Euprepiæ missas agit, & sanguinem domini conficit, vt constat ex Epist. ad Iustum Viennensem Episcopum, de consec. d. 1. can. si per negligentiam. Idem de cruce consecrata, T. 1. conc. & 22. quæstione 5. can. Romanam Ecclesiam ait esse omnium Ecclesiarum caput.

Anice-

Anicetus, Epistolæ eius, & decreta, quæ in T. 1. conc. habentur, ostendunt, eum eiusdem nobiscum fuisse fidei.

Soter statuit, si vnus sacerdos morbo impeditus missam nō absoluat, vt alius perficiat, in Tom. 1. conc.

Eleutherius Romano Pontifici reseruata ait definitiua de Episcopis iudicia, alia eius decreta Catholica sunt, ad eum à Martyribus Lugdunensibus legatus venit S. Irenæus. Victor sibi de Episcopis ait iudicium reseruatum, contra Quartadecimanos egit.

Zepherini Decretales Epistolæ Tom. 1. conc. plures leguntur, quibus nostram fidem astruit. Martyr egregius fuit anno 203. Euseb. l. 5. c. 27. Optatus. l. 2. Callistus anno 226. Martyrio coronatus est. De ieiunio quatuor temporum scripsit, nam ante Apostolica traditione tenebatur. Sed vt videtur ter in anno prius agebatur, quod illud, quod in quadragesimam incurrebat, non numerarent pro ieiunio quatuor temporum.

Nostri hostes, calumniatores sunt martyrum.

Nunc omnium conscientiam appello, martyres illi, eadem docuerunt, propter quæ nos vt Antichristiani damnamur, cur ergo illorum est melior conditio, quam nostra? nam illis nos potius credere par est, qui & Apostolicis temporibus vicini fuerunt, & fidem suam sanguine suo consecrarunt, & quia nemo vel in illa Ecclesia, vel sequente de erroribus eos appellauit. Cur ergo ab illis receditis? cur persecutores Nerones, Domitianos, Traianos, Neruas, Adrianos, Antoninos canonizatis, quasi Antichristianorū Pontificum iudices, & legitimo iure vindices?

§. 6. Sufficit illa Martyrum damnatio nostræ religioni, separari ab illis nolumus, cum illis in carcerem, & mortem, imo in vestra odia, & contumeliosa iubila ire lubet. Si hæc in illis fuere venialia, nec cœlesti eos aspectu priuarunt, cur in nobis sunt tam mala, quam vos esse fingitis? Nolite ô Christiani audire Martyrum Christianorum posthumos calumniatores.

§. 7. Sed parum est in Martyres esse asperos, non Apostolis, non Ioanni Baptistæ parcunt. Horrendum auditu est, quod inter exultantes Iubilorum insanias in Academia Wittenbergensi defendere ausus est Wolffgangus Frantzius. Ille, vt opera supererogationis negaret, & indulgentiarum thesaurum è medio tolleret, Ioannem Baptistam accusat.

Quid mirū, si Pontifex Antichristus audit, si Baptista damnatur.

Thesis 191. *Porro opera supererogationis augere cupit Ioannis Baptistæ, 1. asperrima vita, de qua inter alia dicitur, nos in scripturis ostendere non posse, vbi* DEVS *istam asperitatem imperauerit. 2. ex eiusdem resipiscentia & vitæ nouitate, qua ipse, qui nunquam à Deo alienus fuit, nunquam indiguerit.*

192. *Quod attinet ad historiam de asperitate vitæ Ioannis Baptistæ, ibi non est quæstio de facto, hoc enim concedimus, quia à sacris literis commemoratur, sed de iure, vtrum recte talem asperitatem æmulatus fuerit Ioannes.*

193. *Non recte feciſſe Ioannem, inde patet 1. quia lex Mosis ceremonialis tum nondum erat abrogata. Et lex illa plures admittebat cibos, quam quos solos Ioannes comedebat. Vnde Christus discipulos ad Iudæos emittens dicit eis Lucæ 10. 7. Quicquid vobis apponitur, edite, nimirum non prohibitum lege Mosis. 2. Quia illam rigiditatem Essæam & Pharisæam pariter Christus ipse carpit Matth. 9. 16. 17. Marc. 2. 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. 39. Vbi doctrinam Pharisaicam, & Ioannis quoque de nimiis ieiuniis vocat vestimentum vetus, vtres veteres. Legatur præ reliquis in hanc sententiam ista rectissime explicans Iacobus Faber Stapulensis in commentariis initiatoriis super 4. Euangelia.*

194. *Et istam prauam consuetudinem contrariam legi Dei & à Christo tum improbatam, contraxerat Ioannes Baptista inter Essæos, siquidem tales fuisse mores Essæorum ex historicis liquet, nimirum gaudebant esse remoti à frequentia, secessuum, & solitudinis cultores, habere victum herbarum, & fructus arborum, fugere cibos animales, sicut antea fecerunt Pythagorici.*

Quid mirum est martyrum & pontificum esse hostes, qui præcursorem domini, quo non est *maior inter natos mulierum*, à Christo toties laudatum, qui *erat lucerna lucens, & ardens*, tam petulanter insectantur?

Historiam veram esse concedit, contra aliorū Lutheranorum vanissimas expositiones, nam quidam ἀκεΐδας, herbarum tenera, aut cancros, Eremum villam suburbanam, vestem è pilis camelorum, damascenam togam interpretati sunt, vt cum Ioanni similes esse non vellent, illū sibi similem efficerent; maluerunt enim Ioannem deliciis solutum proponere, quam illius asperitate delectamenta sua turbare.

Veteres Lutherani S. Ioanni lautitias affingunt.

Sed rationes videamus. *Lex Mosis plures cibos admittebat, quam Ioannes edebat*, male igitur Ioannes. Vt species argumenti sit, addatur maior. *Quicunque non edit omnes cibos, quos lex permittit, ille contra legem agit.* Vbi obsecro mentem reliquerunt, qui sic argumentantur? Qui inter legis imperium, & permissionem discrimen ignorant? Lex Christiana omnibus mullos, ostrea, Attagenas & quicquid est escarum permittit, nec tamen peccant, qui à plerisque abstinent. Nonne est *virtus placitis abstinuisse bonis?* Nonne in regio apparatu mensarum licet vno genere cibi alterove contentum, paucis sedare famem? at Christus discipulis dixit Luc. 10. 7. *Quidquid vobis apponitur, edite.* Esto sane, illi hac potestate vsi sunt, Ioannes arctiorem sibi abstinentiæ legem indixit, non ideo peccauit Ioannes iuri suo renunciando, quia discipuli bene fecerunt vtendo. Licuit Apostolo Paulo *de Euangelio viuere*, quemadmodum & cæteris Apostolis, sed maluit *sine sumptu ponere Euangelium.* De altari viuere poterat, nec illi trituranti os obturandum erat magis, quam fratribus Domini, & Cephæ, moritamen mauult, quam euacuari gloriam suam.

Non potest baptista, nisi à magna insania, damnari.

Quod vero ait Ioannis ieiunium à Christo reprehensum, calumnia est. Matth. 9. 16. & 17. Marc. 2. 21. 22. Luc. 5. 36. 37. 38. Non enim Ioannis nimia dicit ieiunia, nec vocat vtres veteres, aut vestimentum vetus. Sed discipulos suos tirones, infirmos, nondum ad noua, & grauia toleranda duratos. Excusat igitur suos, non accusat Ioannem. Quod ex hoc loco constat: nam dicit, non esse conueniens, vt filii nuptiarum, aut thalami, quamdiu est cum ipsis sponsus, ieiunent, fore, vt postea ieiunent, quod eos præstitisse eorum historiæ, & Epistolæ docent. Quod si vtres veteres, & vestimentum vetus vocantur ieiunia Ioannis, quid ergo est vter nouus, & vestimentum nouum? Deinde si vitiosum fuit Ioannis ieiunium, fuit ἐθελοθρησκεία, ab ipso male electum, non igitur verus Doctor Ioannes fuit, præsertim hæreticis, qui ἐθελοθρησκείαν idololatriæ comparant. Tertio, ieiunium Ioannis Christus ipse laudauit, cum enim Matth. 11. à v. 7. vsque ad 18. Ioannem laudasset: subiungit: *Venit Ioannes neque bibens, neque manducans, & dicunt, dæmonium habet: ideo similem* ait *generationem illam pueris dicentibus, cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis.* Tanta igitur asperitate pœnitentiæ, qua monstrabatur, non tantum docebatur vita æterna, oportebat eos excitari ad virtutem: & quia nec seueritate Ioannis, nec benignitate Domini conuersi sunt, exprobrat illis contumaciam.

Christus laudauit ieiunium S. Ioan. Bapt.

At si contra legem Mosis fuisset illa vestitus, victusque asperitas, merito dixissent Iudæi, *dæmonium habet*, vt qui legem Dei violaret. At tam Lutherani, quam Caluiniani fatentur Iudæos impudentissime, & calumniosissime, tam Ioannem, quam Christum fugillasse, quibus nunc succedit Academicus Wittenbergensis, qui vt Papam euertat, Ioannem Baptistam Christo opponit.

Id quod ita dicunt impudentissimi sectatorum.

Deniq; Ioannem Essæum vocat, eorū moribus imbutum,

Essenis quales.

butum, eorum discipulum. Essenos admodum laudant historiæ, liber hebræorum quem Iuchasin vocant, Essenos Nazaræos appellat, quos 70. nominare solent ἡγιασμένους, origo eorum ab Rechabitis, quidam eorum erant Κοινόβιοι, alii μονάζοντες, ita Iosephus, aliique. Abraham Zachutz, moribus optimis ait fuisse, odio habuisse lucrum, cauisse scortationes, & Iosephus Καταφρονητὰς fuisse ϖλούτου. & lib. 18. cap. 2. βελτίους ϑ ἄλλως ἄνδρας τὸν τρόπον, optimis moribus præditos, cœlibes, agricolas, deliciarum, vt vnctionis & ornatus exortes, de fato, quod illud crediderunt, bonum sensum habere potest. Si Esseni viri boni, & sancti fuerunt, non docuerunt Ioannem consuetudines legi Dei contrarias; si hæretici, vt fere sentiunt nouatores, Ioannem quoque eorum discipulum, & imitatorem hæreticum faciant oportet, vt cuius vita tota fuerit diuinæ legi contraria, & à Christo improbata: cum tamen de eo dictum sit, *& tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam plebi in remissionem peccatorum eorum.*

Contumeliosa est laus eorum, qui tam sanctos accusant.

Hæc generatim monere volui, ne quispiam tot calumniis, quas plenis mendaciorum plaustris deuehunt, moueatur, cum videt, non modo pontifices, & clerum, sed quod impium est, veteres martyres & eorum Ecclesias antichristianismi accersi, imo S. Ioannem Baptistam, impietatis, & erroris accusari. Id Deum rogamus, ne vnquam illo ore laudemur, quo tam sancti tam impudenter accusantur, nec ab illis, qui non magis à nobis, quam à Baptista recesserunt.

Caput XXII.

Aliæ causæ, cur à nobis recesserint, iniustæ.

§. 1. Ostendi causam cur tanto odio in pontificem, Catholicosque ferantur, non esse in nobis, sed in malitia apostatarum, nam pari modo in veteres martyres, & Ioannem Baptistam inuadunt. Nunc causas speciales examinare placet. Causas tot allegant, quot articulos à nobis diuersos tuentur, sed eos singulatim deinceps explicabo, nunc quæ proprie in pontifice carpunt, videamus. Referri illa ad tria capita possunt, superbiam, quod se Deo æquet, Regibus imperet, duplicem potestatem vsurpet, 2. libidinem, quod scortationem approbet, quod impure viuat. Auaritiam quod fraudibus omnes circumueniens opes colligat. Hæc omnium argumenta sunt concionum. Legi potest vel vnus Pandochæus, non quod reliquis doctior, sed quod mendacia in concione velut in Pandocheio errabundus constiparit. Aut Vincentius Schmuck in thesibus. Vel sane si varietas placet. Simon Stenius poeta, qui ridicule mendax carmen miserum in Academia Heidelbergensi disperdidit, ille saltem legenti gratias aget, & quidem carmine, quo miserrimos versiculos concluſit.

Tria præcipue pontifici imponit.

Quod reliquum est, auditorum, mea musa, corona,
Pro tanto sese gratam declarat honore,
Quod voluit præsens decorare senem capularem.

Quia vero ex Daniele & Apocalypsi omnes pontificem oppugnant, & scripturarum deprauatione hæreses stabilire conantur, ego quoque loca illa explicanda sumpsi, vt omnibus constet, quantum à vero aberrent. In quo iterum & merito, & serio protestor: Ex Apocalypsi non posse eos fidem firmare suam, cum illum librum primores Lutheranorum, & Caluinianorum repudiarint, & posteri certiores esse non possint, quam illi fuerint. Secundo Prophetias Danielis, & Apocalypseos esse obscurissimas, ab interpretibus varie intellectas in pontificem intorquent, & catholicos omnes, & ex coniecturis leuissimis condemnant, & pœnas atrocissimas decernunt. *Fateor*, inquit Pareus (qui anno 1618. in cumulum iubilorum omnium edidit commentarios in Apocalypsin,) *complures sæculi nostri maioris notæ Theologos, Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Martyrem, Caluinum, Bezam, alios, ab interpretatione Apocalypseos abstinuisse. Id vero neque auctoritatem libri diminuere, neque interpretibus aliis præiudicare potest. Quis scit enim obscuritate absterriti, an laborum mole, temporisue angustia præpediti abstinuerint, cum de libri authoritate minime dubitarent.* Tandem fatetur illos commenta *parum cohærentia, aut ad mentem Spiritus sancti quadrantia protulisse. Factum inde, vt cumulati quidem in hunc librum commentarij exstent, quorum nullus non nouam lucem polliceatur, obscuritas vero eius non modo non sit imminuta, sed densioribus alicubi tenebris inuoluta.* Nihil vnquam in his rebus dixit verius Pareus, & si ita pergat, aliquam tot mendaciorum veniam meretur. Ex his ergo tam obscuris damnari nos æquum non est. Sed rem ipsam videamus, vt magistratum Ecclesiasticum, sine quo nec concordia, nec disciplina consistit, stabiliamus.

Ex Apocalypsi nihil agere cõtra Pontificem possunt.

Lucem promittunt, & tenebras cõdensant.

Caput XXIII.

Angelus Apocalypsis 14. 6. Lutherus non est, nec is contra pontificem audiendus.

Apocalypsis 14. 6. ita scribitur. *Et vidi Angelum volantem per medium cœli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram & super omnem gentem, & tribum & linguam, & populum dicens magna voce: Timete Dominum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in iis sunt, & fontes aquarum. Et alius angelus secutus est dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Et tertius angelus secutus est illos dicens voce magna. Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua: hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum & ante conspectum Agni.*

Hic Angelus iubilantibus est Lutherus, non vetustioribus Lutheranis, non Caluinistis. Multi hæc verba pro themate concionum vsurparunt, imprimis Matthias Hoe Archiconcionator Saxonicus Concionibus quinq; de Thaumasiandro & Triumphatore Luthero, cui video cæteros blandiri, vtpote ex aulica potentia venerando. Mirum vero est, tot concionibus ne vno quidem eos argumento probare Lutherum esse angelum, sed tantum affirmare, & tanquam id certum sit, inde consectaria deducere, epiphonemata proclamare. Sed ille adeo stolidus est, vt confessionem Augustanam tenere se putet integram, aut ex opinionibus Lutheri se Euangelium docere. Ideoque in concione prima in Caluinistas iracunde inuehitur. Plurimi alii in hoc argumento versati, hunc angelum de Luthero interpretati sunt. Quorum illa est ratiocinatio. Angelus qui volans per medium cœli, fert librum Euangelii æterni, is audiendus est. Sed angelus ille est Lutherus, igitur audiendus est Lutherus. Igitur est Antichristus Pontifex.

Lutherus angelus est Lutheranis.

Nemo non videt totam difficultatem in minore consistere, si enim ita est; omnibus nobis antiqua fide migran-

migrandum est, Caluinianis quoque retro ad Lutheranos, vnde pleriq; recesserunt, vela dare oportet.

Primum itaque sedulo atque in timore Dei considerandum est, an in verbo Dei sit ille articulus: *Lutherus est angelus habens librum Euangelij æterni.* Quod si in sacris scripturis non est, an ex illis euidenti consequentia deducatur? Iubilatores nostri ridicule faciunt, dum hyperbolice contra verum, & supra fidem laudantes Lutherum, rem confecisse se putant, si aliqua in vtroque similia commenti sint, vt maiore probabilitate olim Epicurum in hortulis suis porcelli illi dilaudarint, quem cœlo quasi lapsum arbitrabantur; quam hæc oracula ad Lutherum transferant Luthericolæ.

Causæ cur ita sentiam sunt multæ.

Pauci Luthero angelicum volatum imputant.

Prima. Quia nemo præter paucos Lutheranos ita prophetiam interpretatus est. Deinde illi nullo modo conueniunt. Nam Hutterus lib. de sacrificio Lutherum iudicat; alii primum angelum esse Lutherum, sed determinate vt contra indulgentias prædicauit, alium vero angelum esse eundem Lutherum cum Antichristum reuelat, & damnat. Tertium angelum esse Lutherum, & Lutheranos qui interim oppugnarunt, & omnes cum Papa colluſiones. Tertio, Caluiniani Ioannem Wicleffum anglicum doctorem, esse hunc angelum Bibliophorum arbitrati sunt, ita Pareus in hunc locum.

Caluiniani Wicleffum illo dignantur honore.

Hic angelus est Anglicus Doctor Ioh. Wicleff in Oxoniensi Academia Professor publicus, vir toto orbe nominatissimus, qui cum totus Occidens bestiam Romanam sequeretur admirans anno 1371. in Anglia aduersus Antichristum concionibus & scriptis detonare cœpit, docens ex Euangelio: Non debere esse in Ecclesia Christi supremum aliquem Episcopum: Papam non esse vicarium Christi, sed Antichristum, eius priuilegia, bullas, dispensationes & indulgentias esse otiosas, inutiles, impias: spiritualibus non esse dandum dominium politicum, &c.

Cur nō potius Augustinū, Vincentiū, Dominicum, Ignatium, Xauerium.

Vix igitur dubium est, quin eodem Anabaptistæ suos, Sociniani Ostorodium, alii Swenckfeldium nominaturi sint, nemo certe aliorum Lutherum tanto honore dignabitur. Non igitur hoc fundamento ad firmandam fidem niti oportet. Cum res nondum probata sit.

Lutheri mores porcis quā angelis similiores.

Secunda ratio. Angeli natura nimium quantum à moribus Lutheri dissidet. Nolo illa referre quæ notissima sunt, ex symposiacis, & turpiloquiis illius, quæ totus mundus Germaniæ illi obiicit, quæ posteri hincinde verecundia tam magnæ αἰσχρολογίας, deleuerunt. Hoc tantummodo rogo, vt legatur Lutherus Angelicus. nulla alia oratione opus fuerit.

Lutherici nominis pars parua est.

Tertia ratio. Non volat per medium cœli, ἐν μεσουρανήματι, hoc est loco conspicuo per totum mundum, sed in vnica parte, quæ mox tamen in particulas dissecta est, & nunc fere exstinctum est etiam nomen Euangelii Lutherani, res enim dudum in nihilum abiit. Quantulus enim angulus est Germaniæ, in quo manet integrum nomen Lutherismi? Et in illis ipsis angulis sub alienis hæresibus miserrime trepidat, imo ita contemnitur, vt nihil sit abiectius ministris Luthericolis, testem cito senem Paulum Laurentium Misnienſem concionatorem, conc. Iubil. 2. pag. quadragesima septima. Iam non adeo diligenter, nec pie templa frequentantur, cōciones audiuntur; passim hæc se secum posse discere credunt homines; neque tantum nouas audiendi cupidi concionale officium ita fastidiunt, vt multi filios suos in Concionatorum venire numerum prorsus abnuant; multos etiam prædicantium filios, postquam ad alios honorum, & officiorum gradus sunt euecti, pudeat patre se prædicante genitos. Non igitur ne Lutherissimi quidem suos prædicantes eiusmodi angelos arbitrantur, quos vt histriones, & mendaciorum sartores contemptui, & ludibrio habent.

Prædicantem esse apud Lutheranos est probrosum.

Quarta ratio. Euangelium Lutheri non est æternum; Nam ante Lutherum nemo illud norat, & illi fuit Lutherus superstes. Hoc si quis negarit, necesse est vel vnum ante Lutherum, vel cum Luthero, vel post Lutherum nominare, Luthero consentientem. Imo ostendendum Lutherum sibi constitisse; quod nemo ne Lutheranorum quidem credit.

Quinta ratio. Angelus hoc modo per cœlum volans, sine errore Euangelium docet. Lutherus cum incepit, & aliquandiu docuit, se adhuc fuisse insanissimum Papistam fatetur. Pareus primis annis fuisse Augustinianum affirmat. Verba eius, l. 4. c. 13. de Cœna Domini.

Lutheri variatus.

Nec sumo mihi iudicium de tanto viro, & Dei aduersus Papatum singulari organo. Saltem quantum ad hanc quæstionem dicam id, quod non semel interrogatus respondi, quodque scripta eius & historiæ comprobant, Lutherum à Luthero distinguendum esse. Homo enim fuit, in contentione feruentior sæpe (quod magnis ingeniis contingere solet) quam circumspectior, aut veri rectique seruantior.

Augustinianum amplectere:	*ad annum 24.*
Synecdochistam ne tene:	*ad ann. 29.*
Concordiam eius suscipe:	*ad ann. 43.*
At parua confessum fuge:	*ad ann. 44.*
Rursus fatentem sustine:	*ad ann. 46.*

Non est igitur Euangelium æternum, quod nunc est Augustiniani, nunc Synecdochistæ, nunc Zwingliano-concordistæ, deinde parua & praua confessi, denique fatentis errorem, nec sine errore tamen alio errorem confitentis.

Libertas à legitimi papatoris imperio seruitutem induxit.

Obiiciunt tamen nobis: Ideo Lutherum esse angelum, quia liber fuit eius volatus à iurisdictione Papæ. Verum non est vllius momenti hæc ratio, omnes enim quotquot olim, quotquot nunc ex orco emerserunt hæreses, libertatem eam, licentiamque, alioqui mancipia peccati, vsurparunt. Nec laudis est spreto Ecclesiæ & antiquitatis iudicio, suis auspiciis, non vsitata via ad gloriam tendere. Hanc vero ob causam Icarius volatus fuit, & decidit in Papatum Saxonicum, vt Clebitius Caluinista scribit, queriturque Melanchthon *pro iugo ligneo ferreum impositum.* Quod si videre possent Ministri verum, certe animaduerterent, sole clarius, maiorem fuisse, & esse inter nos docendi libertatem, quam inter eos, qui tot catenis astricti, Dædalos se Apocalypticos esse imaginantur. Nonne à regibus, à curiis docendi leges accipiunt? Videant obsecro acta Marpurgensia anno 1606. Antwort auff den Historischen Bericht der Marpurgischen Kirchhändel pag. 49. & 50. Vbi Illustrissimus Landgrauius Hassiæ Lutheranis cedere Ecclesiis, & ministerio recusantibus ius suum exponit: narrant rem ipsimet exules hisce verbis: Daß wir aber vns beschweren / vnsere Dienſten selbſten Jhr. Fürſtl. Gn. auffzutragen / vnd zu reſignieren / käme Jhr das wunderbarlich für / da ſie vns noch nie nicht angenommen / ſondern es weren ſolche Aempter allbereits loß geſtorben mit dem Herrn / dem wir zuuor gedienet / vnd ipſo facto vns reſigniert. *Quod grauemur ipsimet nostra ministeria suæ Celsitudini tradere, & resignare, id sibi admirabile videri, cum nos nondum acceptauerit, sed omnia illa officia cum domino priore defuncto, cui seruiuissemus vacua esse facta, atque exspirasse, atque ipso facto suæ Celsitudini resignata.* Ecce libertatem Angelorum per medium cœli volantium. Non modo dimittere, recipere, præcipere de prædicatione possunt principes sæculares, sed ipsorum morte vt palatina officia scribarum, & equisonum, ita quoque prædicantium ministeria desinunt, nec nisi noui domini, voluntate, atque acceptatione rata sunt.

Pro Papa iugo ligneo datum est iugum ferreum.

Sexta ratio est. Non cōuenit oratio huius Angeli, & Lutheri; Verba angeli sunt. *Timete dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius, & adorate eū, qui fecit cœlum*

Luther. timorem pellere conatur.

cit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eo sunt, & fontes aquarum.

Lutheri verbum est, timorem Dei perniciosum esse, magis peccatores facere. Vetat considerari Christum vt judicem, & vindicem.

Deinde docet fiduciam, quæ omnem timorem excludit. Angelus timeri Dominum jubet, quia venit hora judicij ejus: At timere Dei judicium, ac pœnas judicio decretas & Lutherani & Caluiniani judicant esse fremitum contra Deum, & ad desperationem deducere, hic autem Angelus ad crimina, & blasphemias nequaquam adhortatur.

Nec Angelus ille est Wicleffus, vt Pareus putat. Nam Angelus hic non docet hæreses, at Wicleffus multas hæreses protraxit, quas etiam non potest inficiari Pareus esse hæreses: In Concilio Constant. sess. 8. & 45. numerantur articuli 45. quos Concilium damnauit, & Pareus ex his quoque damnare debet nonnullos.

Quartum articulum, *si Episcopus, aut Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinare, non consecrare, non conficere, non baptizare.*

Angelica dogmata Wicleffi.

Sextum, *Deum debere obedire Diabolo.*

Decimum, *Contra Scripturam sacram esse quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.*

Vndecimum, *Nullum Prælatum debere aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum à Deo, & qui sic excommunicat, fieri ex hoc hæreticum, & excommunicatum.*

Cur hæc in Rempublic. inducuntur.

Decimum quintum, *Nullum esse Dominum ciuilem, nullum esse Prælatum, nullum Episcopum, dum est in peccato mortali.*

Decimum septimum, *Populares posse ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

Vigesimum septimum, *Omnia de necessitate absoluta euenire.*

Vicesimum nonum, *vniuersitates, studia, Collegia, graduationes & Magisteria in eisdem, esse vana gentilitate introducta, & tantum prodesse Ecclesiæ, sicut Diabolum.*

Quadragesimum tertium, *Iuramenta illicita esse, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus & commercia ciuilia.*

Quadragesimum quintum, *Omnes Religiones indifferenter introductas esse à Diabolo.*

Veteres Pontifices agno uit ad Vrbanum VI. qui annum 1378. sedit.

Alios collegerunt alii, *vt Matrimonium lege diuina licitum esse inter fratres, & sorores, nec nisi humana ordinatione interdictum*, ita l. 4. trialogi c. 20. Et quod omnino blasphemum est. *Creaturam quamlibet esse ac vocari posse Deum, quod illius perfectio sit in Deo, vt in sua causa, & quidem modo ideali & exemplari.*

Wicleff multa Catholica dogmata retinuit, ob quæ nos damnant Sectarii.

Quid vero illud? *Quod vsq; ad Vrbanum veros Pontifices agnoscit, cum Caluinus Gregorium vltimum putet?* Cum alij à Lino & Cleto Antichristianos auspicentur? Verba ejus sunt errore nono, *Post Vrbanum Sextum non esse alium Pontificem suscipiendum, cum Vrbano vero communicationem habuit*, si igitur verus Angelus est Wicleff, omnes Prædicantes damnantur, quia possessiones habent, non quantas vellent, sed quantas aula permittit.

Multa ille Catholica retinuit, quæ Caluiniani detestantur. l. 2. c. 4. *meritum agnoscit.* & l. 3. c. 2.

Fidem ponit in intellectu, & à spe distinguit. l. 3. c. 2. quod est contra Caluinianos.

Fidem habere meritum. ibidem.

Fidem & spem tribus modis distinguit. libr. 3. c. 3. 1. *Spes est solum de æterno præmio, fides de omni alia veritate.* 2. *Spes quietatur in quodam actu medio inter dubietatem, & credulitatem.* 3. *Spes est tantum de bono possibili, fides de malo etiam*, quæ sunt contra Caluinum.

C. 3. l. 3. ait *Deum approbare & necessitare ad peccatum, sic necessitare creaturam peccabilem ad peccatum.* Hoc Caluiniani multi negant, & recte.

Cap. 5. ait, *peccato aliquo gratiam exstingui.* Rigidus igitur hac in parte est.

Cap. 6. *Multos præscitos, hoc est reprobos*, ait, *esse in præsenti gratia.*

L. 4. c. 1. Agnoscit septem Sacramenta.

L. 4. c. 20. Matrimonium vocat venerabile Sacramentum.

L. 4. c. 22. agnoscit purgatorium.

L. 4. c. 24. Contritionem vocat dolorem sufficientem ad peccati deletionem, & pœnitere est peccata plangere, & plangenda non committere.

Hæc aliaq; tam docet aliena ab hodierno Caluinismo, vt mihi magis ridiculus sit visus Pareus, dum Wicleffum canonizat, & angelum facit, quam cum dixit, Caluinianos, & Lutheranos in vno tantum articulo, eoque non toto discrepare. Sed ex aterrimo dæmone Angelus fieri sine ingentibus mendaciis non potest.

Angelus ille cœcutiebat, & caligabat.

Excusat se tamen Pareus: Non displicet *Brichmanni coniectura, significari hoc volatu inter vtrumq; imperfectionem doctrinæ initio ab illis Doctoribus prolatæ. Licet enim errores crassiores Papæ viderent & reprehenderent: tamen aliquid adhuc de fecibus terrenis in multis adhærescebat, vt non plenis alis sese in summum cœlum efferre possent. Vt enim qui diu in tenebris delituit, repente prodiens in lucem omnia oculis caligantibus adspicit: ita qui in tot seculorum Papatus tenebris detenti fuerant, protinus haud poterant, nisi caligantibus oculis lucem Euangelij aspicere*, sed primum hoc absurdum est: Angelum esse tam ignorantem, tàm blasphemum, & mitti tanquam Magistrum omnibus sedentibus in terra, *super omnem tribum, & gentem & linguam, & populum.* Angelum inquam generalem mundi Doctorem, tenentem Euangelium æternum tàm solenniter à Deo missum, tot errores nomine Euangelii æterni circumferre. Si igitur in tam multis Angeli aberrant, non est causa cur illis credamus. Nam pluribus in rebus nobiscum sensit, quam cum Caluinianis Wicleffus.

Si Angelus tot modis errauit, cur non nobis ignoscunt, quos errare fingunt?

Cum verò Angelus ille venerit eo tempore, quo bestia secunda, fecit homines adorare imaginem primæ bestiæ, aduersarijs autem prima bestia sit Imperium, seu Imperator, altera Papa seu Papatus, & nondum Papa jusserit adorari imaginem Imperatoris, aut Imperii, aut gerere ejus characterem, necdum etiam venit ille Angelus, non igitur Wicleffus fuit. Tres igitur illi Angeli tres erunt præcipui Doctores, Antichristi tempore, qui bestiæ repugnabunt, qui veram doctrinam promulgabunt.

CAPVT XXIV.

Verbis Danielis c. 7. 21. & 8. vers. 23. non describitur Romanus Pontifex.

§. 1. *VErba Danielis c. 7. v. 21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis: donec venit antiquus dierum & iudicium dedit sanctis excelsis, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt Sancti. Et sic ait: bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit omnem terram, & conculcabit & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni, decem Reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit. Et sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret: & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius vsq; ad tempus & tempora, & dimidium temporis.*

Verba Danielis Prophetæ c. 8. sunt. *Et post regnum eorum cũ creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest, vniuersa vastabit,*

stabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra Principem Principum consurget, & sine manu conteretur. Et visio vespere, & mane quæ dicta est vera est. Tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.

Et cap. 11. 36. *Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum: & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio. Et Deum patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersus vniuersa consurget. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt Patres eius colet auro & argento, & lapide pretioso, rebusq; pretiosis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum Rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum Rex Aquilonis in curribus, & in equitibus, & in classe magna & ingredietur terras & conteret, & pertransiet & introibit in terram gloriosam & multi corruent.* Hæc omnia inquiunt, facit Pontifex. Ex Paulo Laurentii referam, nam multi eadem scribunt.

Calumniæ ingentes.

Primo ait conc. 1. *Papæ legatum Tezelium docuisse. Rubram crucem cum Papæ insignibus habere eandem vim quam habeat crux Christi.*

Secundo. *Indulgentias esse gratiam iustificantem.*

Vnus auctor ostendatur, qui ita doceat.

Tertio. *Indulgentiis sine pœnitentia peccata dimitti.*

Quarto. *Etiam futura peccata se remittere.* Hæc de doctrina.

Quinto. Papam vocari המלך Regem illum certum, qui Antiocho respondeat malitia, & criminibus.

Sexto. Bonifacium VIII. Alberto negasse confirmationem, q̃ se Regem & Pontificem diceret. Regio etiam ornatu incessisse, dixisseq́ue, *Ecce duo gladii hic.*

Supremus iudex non habet iudicem. Facit, quod licet Dei minister est.

Septimo. Scripsit Philippo Regi Franciæ, *scire te volumus quod & in spiritualibus, & temporalibus nobis subes.*

Octauo, *Lex est, & à nemine iudicari vult.*

Nono. *Faciet quod volet.*

Decimo. *Eleuabit se contra Deum.*

Vndecimo. *Dicit se omnia posse, quæ Deus potest.*

Duodecimo. *Deum se facit*, distinct. 96. c. 7. Satis. & conc. 2.

Nihil par sanguini Christi Agnus sacratus ob preces Ecclesiæ per modum impetrationis aduersum peccatum est.

Tertiodecimo. *Dicit se Vicarium Christi.*

Quartodecimo. *Agnum Dei æquat sanguini Christi.* Ita Vrbanus V. ad quendam Græciæ Imperatorem misit, & scripsit, peccatum frangit, vt Christi sanguis, & angit.

Quintodecimo. Matrimonium tollit, libidines cæteras permittit.

Sextodecimo. *Mauzim colit, & idololatra efficitur.*

Septimodecimo. Pius IV. *octoginta Euangelicos occidi iussit, alii multas persecutiones instituerunt.*

Matthias Hoë in præf. de Thaumasiandro Luthero, tempore Iulii II. ait, *decies centena millia occisa esse.*

Verum hæc partim falsissime, partim malignissimè sunt narrata, nos Scripturam interpremur, sed incipere præstat à c. 7. v. 24.

Reges illi varie accipiuntur.

Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius surget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.

In Chaldæo est, מבח מלכוה minah, malcuta, ex regno enim consurgent, ille vero alius dicitur fore illis potentior, siue vt Chaldæus habet, (hoc enim caput à Daniele Chaldaicè non Hebraicè scriptum est) שבא *antecellens* cæteros, seu differens præ cæteris, quod editio Romana Græca non de potentia simpliciter, sed de impietate interpretatur, ὃς ὑπερβήσεται κακοῖς πάντας τοὺς ἔμπροσθεν, aliæ tamen editiones nomen τοῖς κακοῖς omiserunt. Cornu paruulum Porphyrius olim dixit, esse Antiochum qui dictus est nobilis, seu Epiphanes. Ita & Bruchthonus, Iunius, Tremellius, quæ hæc decem cornua sic enumerant.

1. Seleucus Nicanor.
2. Antiochus Soter.
3. Antiochus Θεός.
4. Seleucus Callinicus.
5. Ptolomæus Euergetes.
6. Seleucus Ceraunus.
7. Antiochus Magnus siue Hierax.
8. Ptolomæus Philopater.
9. Seleucus Philopater.
10. Antiochus Epiphanes.

Tres Reges humiliati ab Epiphane,
Ptolom. Philopater.
Seleucus frater Epiphanis.
Demetrius.

Superabit omnes.

§. 3. Hæc sententia facile refutatur omnibus illis argumentis, quibus probatur, ad quartam bestiam, quæ est Romanum imperium pertinere paruulum cornu. Ille tamen error Caluiniſtarum pro nobis est, quia ex eo constat incertam esse de Pontifice conjecturam, cum illorum primores eorum Prophetiam ad Christiana tempora nequaquam producant. Sed quia veritate non alieno errore nitimur, hanc quoque opinionem confutemus.

Hæc verba doctiores ad Græcã Monarchiam referunt.

Primo Ἀνισοφίαν illa sententia continet; vel enim cum decimum eum faciunt, enumerant solos Reges Syriæ Seleucidas, & eo modo octauus fuerit Epiphanes, si addunt duos Ptolomæos, Euergeten, & Philopatora, pari ratione Ptolomæus Lagi jungendus erit, qui vt auctor est Ioseph. l. 13. antiq. Syriam, & vrbem occcupauit. Et Ptolomæi filius, qui dictus est Philadelphus, sub quo facta est conuersio 72. interpretibus.

Ad Græcos non pertinet.

Secundo in tribus regibus humiliatis non conueniunt Porphyrius Philometorem, Euergeten, Ægyptios, Artaxiam Armenum judicat. Caluiniani hunc Demetrium statuunt. At non magnopere Ægyptios humiliauit, nam infecta re discedere coactus est. Sed neq; Epiphanes reliquis potentior fuit, sed exhausto ærario miser, & egens, vt testatur historia Maccabæorum. Certè Seleucus Nicanor victo Lysimacho latius imperauit, ipse etiam Antiochus Magnus, aliique.

Epiphanes inferior multis regibus fuit.

Altera sententia est: cornu parvulum esse Turcam, ita Annius, Pintus, Vatablus, ipse Lutherus & Strigelius. Sed tamen de tribus regibus quos Turca humiliarit res inter eos non conuenit: alii n. regnum Arabicum, Ægyptiacum, Asiaticum. Lutherus pro Arabico posuit Græcum regnum. Additq́; non plura dejecturum ante diem extremum judicij. Quod si verum est, nec Germani, nec Itali metu istius tyranni teneri possunt, ipsa etiam Panonia ejus vicinitatem nõ exhorresceret. Daniel hanc sententiam refutat, cum ait esse reges non regna, & reges dejiciendos. Quod Luther. audaciter pronunciat, Romanorum Monarchiam esse diuisam in 10. regna, nempe, Syriam, Ægyptum, Asiam, Græciam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Africam, Germaniam, Angliam, more suo libere magis quam considerate loquitur. Quid enim de Illyrico, Istriq́; regionibus, atq; adeo Mesopotamia dicemus? Deinde Turca plura regna tenet, Syriam, Ægyptum, Asiam, Græciam, Africam. Vt taceam Hispanias per octingentos annos à Saracenis possessas, quinque igitur vel sex cornua dejecta sunt.

Luther. de Turca interpretatur

Iudæi paruulum cornu aiunt of se Christum Dominum.

§. 4. Impia est & blasphema sententia Iudæorũ cornu paruulum esse Christum Dominum, qui à paruis initiis cœpit, fabri filius, & latronum in cruce collega, & Apostoli piscatores. Secundo, locutus est ingentia, esse se filium Dei. Tertio mutauit tempora & leges Quarto regnauit per tempus & tempora & dimidiũ temporis, nã ab ejus baptismo ad crucẽ sunt 3½. anni.

Quinto

Quinto contritum est cornu hoc à populo Sanctorum, à Synagoga, at eos Christiani & Turcæ sibilis excipiunt, vel eo maximè quod post hoc cornu contritum regnum non datur populo Dei, id est, Iudæis, sed excidium accidit, & tot sæculorm captiuitas, deinde si cornu paruulum est Christianorum regnum, quomodo illud tria tantum regna in Imperio Romano obtinet? quæ illa tria, & quæ reliqua septem? deinde non sunt Christiani, qui Iudæam exciderunt, sed Christianorum hostes Vespasianus, Adrianus, alii, reliqua non conuenire in sequentium explicatione dicetur.

Hos imitantur nostri temporis Sectarii, & quod in Christum conferre non audent, in ejus Vicarios euomunt.

Verum est Antichristus.

§. 5. Vera est igitur sententia Patrum plurimorum cornu paruulum esse Antichristum, *Ergo dicamus*, (inquit Hierony. hoc loco) *quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnū destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter se diuidant, tum vndecimum Regem surrecturum paruulum, qui tres Reges de illis septem separaturus sit, id est, Ægypti, Africæ, Æthiopiæ Reges quibus interfectis etiam septem alii Reges colla victori submittent.*

Vnus igitur Rex Antichristus, qui tres Reges eodem tempore regnantes subjiciet, vt rectè ait Theodoretus. *Quod si*, inquit, *non eodem tempore imperarunt, verum singuli superioribus succedentes, aliis alii, quomodo iste tres superiores eodem tempore humiliabit?* Graserus in plaga in c. 13. ait: Illud caput Ioannis *ducere nos in acropolin Antichristi & conuenire cum cap. 7.* Dan. Verum nihil ad Pontificem illa pertinere disertis verbis probo.

Pontifex tres Reges non humiliauit.

§. 6. Primo Pontifex tres Reges non humiliauit, vel enim loquimur, de ejus imperio temporali, & hoc parte latij non magna continetur, vel de potestate spiritali, & illa in omnes Reges, & regna Christiana semper fuit, non in tria duntaxat. Eam, adhuc Germania, Gallia, Italia, Hispania, Polonia, aliaq; regna agnoscunt. Itaq; nihil hac in parte cohæret; oriturque inuictum argumentum pro Catholica fide. Pontifex Romanus post decem Reges, qui Romanum orbem tenuerunt diuisum, non est exortus, nec tres ex illis Regibus humiliauit, non est ergo Pontifex hoc cornu paruulum.

Hinc ad alia gradum facio. Non est judicio plurimorum Pontifex hoc cornu paruulum, nec esse potest, non est ergo etiam rex ille de quo c. 8. agitur, nec bestia Apocalyptica. Nam hoc cornu, & illum Regem, & bestiam Apocalypticam vnum regnum, seu Monarchiam sectarij affirmant. Si itaque hoc cornu nihil ad Papæ regnum facit, nec ergo illæ bestiæ. Quæ enim non conueniunt cum aliquo, etiam non conueniunt cum illo, quod idem est cum aliquo.

Deinde n. 25. *Et sermones contra Excelsum loquetur, &c.*

Pontifex non dicit se Deum.

Chaldæus textus quo vsus est Daniel, ait מילין לצד עליא quod est proprie, *loquetur sermones ad partem. vel ex parte Altissimi.* LXX. vertunt, λόγους πρὸς τὸν ὕψιστον λαλήσει. *Sermones ad Altissimum loquetur.* Symmachus teste Hierony. vertit. *Sermones quasi Deus loquetur*, vt qui Dei assumit potentiam, verba quoq; diuinæ sibi vendicet majestatis. 2. Thessal. 2. *ostendet se tanquam sit Deus.* Hoc Pontifex non facit; non est ergo cornu illud, de quo Propheta Daniel loquitur. Minor certa est apud omnes legitimos judices. Pontifex enim se hominem, peccatorē, seruum Dei, seruorum Dei seruum profitetur. Omni die peccata sua Deo confitetur; sæpe etiam Sacerdotibus, in faciem coram Deo prosternitur. Quæ omnia hominis sunt, & hominis Deū cognoscentis, suam imbecillitatem gementis, non diuinitatem affectantis.

§. 7. Hic insurgunt omnes. Primo, *qui à nemine vult iudicari, ille se Deum facit, sed Papa à nemine vult iudicari, ergo diuinitatem affectat. Nam si Papa innumeras animas secum ad inferos trahat, tanta est eius superbia, vt nolit sibi à quoquam dici cur ita facis?* Integrum tibi locum ex Epistola sanctissimi Archiepiscopi Moguntini & Martyris Bonifacii ascribam, nam pars habetur dist. 40. can. 6. *S. Papa.* Verba Bonifacii sic habent. *Sancta Romana Ecclesia priuilegio specialis auctoritatis diuinitus, & humanitus caput omnium Ecclesiarum post Christum Iesum effecta, secundum Antistitis, vel rectoris sui qualitatem, & valetudinem afficit totius Christianitatis membra, vt illius incolumitati sua respondeant incolumitate, & congaudeant: & nihilominus eius languoribus suo languore consentiant: & sicut eius gloria iuxta Apostolum conglorificantur, sic eius detectione deficiunt, vt illud Propheticum in eo præcipue compleri deprehendatur (Omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis vsq; ad verticem non est in eo sanitas) Et, reuerā tanta reuerentia apicem præfatæ Apostolicæ sedis omnes suspiciunt, vt nonnullam Sanctorum canonum disciplinam, & antiquam Christianæ religionis institutionem magis ab ore præcessoris eius, quam à sacris paginis, & paternis traditionibus expetant: illius velle illius nolle tantum explorant, vt ad eius arbitrium suam conuersationem & ipsi remittant aut intendant. Quod si, vt summopere sibi, & omnibus expedit, zelo domus Dei sine intermissione tabescens, fidelis dispensator & prudens existens, Deo & hominibus, opere & sermone irreprehensibilem sese conseruare studuerit, vt fere fatear vniuersum pene mundum, secum attonitum, & solicitum post Deum currere facit; ex vtroq; sexu populos diuersæ professionis, conditionis & ætatis cateruatim in Domino suo super omnia bona ipsius constituendus ducit. Si vero suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus (quod magis officit sibi & omnibus) nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit, primo mancipio gehennæ cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos: cuius culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus: quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi forte deprehendatur à fide deuius: pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tanto instantius orat, quanto suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertunt propensius pendere. Saluo enim diuinæ omnipotentiæ mysterio, vt dignum est, loco ab ipso secundo illud B. Iob non incongrue aptari sanctæ Romanæ Ecclesiæ potest: (si destruxerit, nemo est, qui ædificet: & si incluserit hominem, nullus est qui aperiat ei: si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram) nec immerito: cum ipsa specialius in Petro cœli, terræq; retentet habenas. Hæc cum omnium fidelium in Christo spiritalis sit mater, nemo debet renuere illius seriā disciplina, vel emendari censura, iuxta illa Prouerbia Salomonis (Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter: qui enim abiicit disciplinam, infelix est: & stultus homo despicit matrem suam) & rursus (Est maledictus à Deo qui exasperat matrem & maledictio matris eradicat fundamenta) illa vtiq; quæ arrogant, diuisa à sede illius, cui dictum est (Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam) & super arenam concupiscentiæ carnalis, seu humanæ præsumptionis probantur posita: cursus riui minimè prosperatur, si à suo fonte diuidatur.*

Calumnia orta est ex verbis Sancti Bonifac. martyris & Archiepiscopi. Grauissimus morb. est qui à capite promanat.

Exempla Episcopi populus sequitur.

§. 8. Hoc est, q̄ omnium libros occupat, quasi tantum jus Papæ tribuamus. Hic exclamationes; & pedum supplosiones sunt. Sed nos tamen auditi fas est. Primo, Verba sunt Bonifacii viri sancti. Secundo sensum verum verba habere possunt. Nam sensus est totius canonis, quem titulus præfert; *Damnatur Apostolicus, qui suæ & fraternæ salutis est negligens.* Nam antitheta duo sunt, primum est: *Papa fidelis dispensator mundum post Deum currere facit.* Alterum est, *si vero negligens, nihilominus multos populos secum in gehenna vapulaturos ducit.* Propter ejus enim vel exempla, vel negligentiam pereunt multi. Damnatio igitur illi incumbit, si negligens sit.

Sine ratione triumphus.

Moneri, & reprehendi potest Pontifex.

Verum hoc offendit, quod ejus *culpas nemo redarguit.* Hujus quoq; sensus non est. Nulli licere monere

tifex.

Pontificem; nam multi viri graues multos monuerunt, & exemplum Paulus dedit, qui Petro in faciem restitit. Sane confessarius redarguere, & reprehendere potest, nec minus Cardinales, Episcopi, & quorum interest. Quid igitur est, ꝙ redargui eum posse negat Bonifacius? Hoc quod adjungit: Quia cunctos ipse judicaturus à nemine judicandus. Quia non est tribunal ad quod tanquam subditus citari possit. Neque enim à subditis quisquam ex auctoritate judicari potest.

Iuridicialis accusatio tollitur.

Atq; hoc est, quod causa 17. q. 4. c. 30. Nemini. & caus. 9. q. 3. c. 17. cuncta. alijsq; locis dicitur. Iuridicialis enim redargutio tollitur. Nec hoc mirum videri debet nostris sectarijs, qui ita omni judicio reges eximunt, *vt dicant eos esse Deo proximos, supra eos esse solum Deum omnipotentem*, vide Guilelmum Barret libris de jure regio, in quibus veritatem & adulationes juxta ponit, vincitur tamen adulandi desiderio, Si igitur reges non coguntur stare rei ad suorum subditorum tribunalia, cur cogatur Pontifex? cum ille quoque aliorum Episcoporum, & Regum subditus non sit?

Rex non iudicatur à subditis.

§. 9. Objiciunt secundo, *Antichristus sanctos Altißimi conteret*, hoc facit Pontifex. Ille igitur est illud cornu, ille Antichristus.

Antichristus conteret sanctos altißimi.

Mihi verò facilius ad innocentiam Pontificis indicandam illa verba interpretari fas erit, & in aduersarios retorquere. Verba ipsa magnam persecutionem indicant. לס רשיו עליורוי יבלא Lekodesche ghelionin jeballe sanctos Altissimi, siue altorum: ita enim vsurpat illud עליוניז ghelionin, sicut Hebræi אלהים Elohim plurali numero. Itaq; non recte vertunt nonnulli, sanctos altissimos siue supremos, qui cum ad regimen non attenderint, non debuerunt se præferre LXX. Interpretibus, qui verterunt τὺς ἁγίους ὑψίστου. *Conteret*, Romana editio 70. habet παλαιώσει, *vetustos faciet*, seu vetustate consumet: Geneuens. verò πλανήσει, *decipiet*. Iustinus καταρξῇ, *euertet*, alii ταπεινώσει *humiliabit*. Hæc an fecerit Pontifex quæritur, varia adferunt, sed exempla suorum, quid enim Lutherani de Caluinianis martyribus sentiant, & è contrario, quid hi de illis, dixi in Iubilo, & in instructione, de Chronologia.

Calumniarum caput.

§. 10. Præ omnibus hoc objicit Sigismundus Euenius in palma sæculari Lutherano-Euangelica p. 27. à regibus hisce ad subditos descensione facta (sicut initio statim reformationis Pontificij, & Ann. 24. Archiepiscopus Moguntinus in hac etiam nostra Hala in Euangelicos sæuijt) persecutionem vnam ex altera

Caui spirat mendacia folles.

seuerunt, & martyria multiplicarunt sine fine, adeo vt ab Anno 1550. ad 1580. triginta annorum spacio nongenta hominum millia cæsa, & ab Antichristo trucidata sint. ijq; haud plebei omnes sed 39. Principes, 148. Comites, 235. Barones, 147511. Nobiles, reliqui ex plebe. Quid nuptiæ Parienses Anno 72. effuderint sanguinis Christiani ex historijs constat, vltra 30000. in illa laniena miserè occubuisse. Dux de Alba valedicturus Belgio 18000. ob religionem se occidisse jactitat spacio sexennij. Et viuente adhuc Carolo V. ad quinquaginta millia Christianorum trucidata fuerunt eodem in Belgio: item ab An. 76. vsq; ad Gandauiensem transactionem 30. millia Hispanica tyrannide interierant. Nec in viuos modo sæuitum, sed nec cadaueribus parsum est. Hinc Buceri & Fagij corpora effossa cremata sunt Ann. 1556. Cantabriæ in Anglia, pio prætextu, quoniam non solum pernicioſam ac erroneam doctrinam sparsissent, sed familiam inter sectarios ambo duxissent, non solum ipsi ab Ecclesia Catholica aberrassent, sed & alijs exemplum ab ea deficiendo dedissent: Esse contra sacra decreta & disciplinam, vt vel eorum qui tales sunt

Incendiarij Lutherani fuerunt.

corpora Ecclesiasticæ sepulturæ tradantur. Adjuncta sunt incendia & venena, quibus certi emissarij hisce laqueis liberatos perderent & trucidarent. Per Saxoniam varia exaudita fuerunt incendia, circa Ann. 41. deprehensi deniq; ex incendiarijs atque complures capti, diuersis locis: habita quæstione pleriq; testificabantur ad extremum vsq; spiritum, à præfectis & familiaribus Heinrici Brunsvvicensis (contra cujus calumnias, quando scriptis inuectiuis Ducem Saxoniæ hæreticum, seditiosum, Cainum, monstrum, Æsopum, nulla nec corporis, nec animæ virtute præditum proclamauerat, eodem Anno scripserat Lutherus) accepta pecunia se fuisse conductos atque summissos, vt id facerent. Imo de Pontifice Romano Antichristo, organo Sathanæ, Anno 46. quo bellum vigebat protestantium, cujus ipse Papa auctor primarius, à fide dignis spargitur, eum non modo superioribus aliquot annis per incendiarios conductos igni Saxoniam grauiter afflixisse, sed tunc temporis etiam emisse veneficos, qui puteos & aquas stagnantes corrumperent, vt quod ferro superesset & armis, hocisti veneno perderent. Itaque Protestantes monent in vniuersum omnes præsertim suæ ditionis homines, dent operam, vt Commissarij illi comprehendantur, & subjecti tormentis, cum de scelere constabit, pœnam luant. Nuper enim, addit Ioannes Guilhelmus Electoris filius, non procul à Vinaria oppido Thuringiæ comprehensum esse quendam ex suspicione Italum, qui sibi & nonnullis alijs Romæ datam esse pecuniã fatebatur nomine Pontificis, vt incendiis atq; veneno, quantum omnino possent, per Germaniam damni darent. Nec Satan sui similis esse cessat. Anno siquidem proximo millesimo sexcentesimo decimo, die vndecima Iunij Monachus, qui duos pagos ad magistrum Equorum Cæsaris pertinentes igni accensos deformauerat, captiuus Pragam adductus & Archiepiscopo vna cum aliorum præterea Bohemiæ Procerum, quorum prædijs ignem subjicere deberet, reperta apud eum designatione traditus est. Taceo exilia, in quibus tanta tyrannis occurrerit, ex eo solo patet, quod, sicut Mauritius Dux Saxoniæ ad ordines scripsit Anno quinquagesimo secundo, Concionatores & Ecclesiæ Ministros extra fines imperij passim ejiciant, & non solum legitimi, sed ne Pontificii quidem Concilii decretum expectent, & ab ipsa statim executione rem ordiantur. Taceo carceres aliaq́ue sub & ab Antichristo Romano intenta suppliciorum genera.

Vnus testis adducatur: mendacia illa sunt prædicantium, vt odia conflent Pontifici.

Cur non publico iudicio de eo quæritũ est.

Hoc quoq; fictum de Monacho, non factũ.

Idetiã Caluiniani fecerunt.

§. 11. hæc ille, qui si consideret, Lutheranos, à Lutheranis, Caluinianis actos exilio, nihil omnino mirabitur, id aliquando egisse Catholicos. Sed hanc iniquam esse accusationem res ipsa docet, neque enim eos omnes Papa occidi jussit, neque tam multi sunt. Sed non fuisse sanctos altissimi, cum plerique fuerint Caluiniani, hos autem non fuisse martyres ipsa palma sæcularis docet. pag. 55. ita habet: *Martyria visa tum infirmiora ἀρθοδοξίας τεκμήρια, quæ quippe hæreticos & perditos nebulones haud raro inuoluant, tum Lutheranæ professioni ac abnegationi Tyrannidis Papalis, non Zvvinglianæ nouitati ac blasphemiis illata. Leuissimas vero opinionum quas iactant stipulas seu festucas, trabes potius crassissimorum esse errorum, ac blasphemiarum in Dei omnipotentiam, sanctitatem, misericordiam, Christiq; meritum, impiissimarum. Fucum deniq; in confessionibus & reformationib. manifestiorem esse quam qui diudicatione egeat, quem quippe praxis haudraro hactenus detexerit.*

Ipse Calumniator fatetur eos nõ fuisse martyres.

Deinde de numero Martyrum credit Caluinianis, quod facere non debuit. Cum in eadem palma pagina quinquagesima quinta dicat. *Ex mendaciorum horum (quorum seges fertilis admodum apud gentem Sacramentariam inuenienda, vt non immerito Beatus Lutherus non mendaces amplius Zvvinglianos, sed mendacium ipsum vocandos arbitratus sit) censu primario ferè illud, &c.*

Testes de Martyrib. sunt ipsum mendacium.

Tertio

Tertio idem ille noster accusator fatetur eos, qui cœsi sunt, deliquisse. Secundo fuisse Sacramentarios. Tertio, ab ipsis sectarijs punitos. Quarto, illos sibi illa pericula accersiuisse. Quinto, impetuose egisse, & à plebe Lutherana punitos. Sexto, ipsos Caluinianos crudeliter agere, vbi rerum potiuntur. Folio 94. hæc omnia describit. Notum est, quomodo anno vigesimo nono initium reformationis Basileæ Sacramentarius Spiritus fecerit ab Iconomachia. Cum enim quidam hasta sua statuam alicujus Diui reuelleret, sic vt in terram delapsa confringeretur: ea occasione in plures deinde manus sunt injectæ, & armati ter centum ad templum missi, qui idola seu statuas passim in templis demolirentur. Cumq; è Senatu quidam accurrerent motus sedandi caussa, respondent Iconomachi: quod vos totum jam triennium deliberatis, an fieri debeat, illud nos vna perficiemus hora, ne propter idola sit vllum posthac inter nos dissidium. Tertio die nouem componuntur strues ante primariam ædem & inflammatæ cremantur. Quod exemplum secuti sunt Waldenses Anno 61. qui similiter imagines ac altaria humi dejecerunt ac confregerunt. Simile quid in Delphinatu contigit Anno 62. vbi statuarum profligatores seditiosos minime dicendos esse statutum, qui cum veritatis patrocinium susceperint, sui officij esse dicant tam detestandum, & pijs omnibus inuisum spectaculum è conspectu hominum tolli. Cumprimis Anno sexagesimo sexto in vniuerso Belgio tanta Iconoclastarum vehementia inualuit, vt paucorum dierum spacio Antuerpiam ac vicina loca plurima tumultu maximo & magna celeritate peruaserit: Huic statuæ ensem in latus infigunt, illi secuti caput amputant: pendentis è cruce Christi imaginem funibus è sublimi detrahunt, detractam in frusta comminuunt, altaria subuertunt, hierothecas, ornamenta, aliumq; sacrorum apparatum dejiciunt & expilant, ac deniq; patrant, quæ nemo sanus aut prudens homo vnquam probarit. Hagæ Comitis adeo in statuas & idola populus exarserat, vt non quieturos se profiterentur, donec non tantum, quæ in templis supererant, sed & quæ in ædibus suis aliqui occultatas habeant, statuæ omnes in forum publicum allatæ & frustulatim comminutæ finem furori facerent. Sed non caruit suo præmio hæcce temeritas ac seditio. Confœderati enim nobiles, alijq; Ecclesiarum Patroni odioso Iconomachorum nomine appellari nolentes, factum illud dejectarum hoc modo statuarum non modo grauiter improbabant, sed collecto etiam ad has operas tumultuario milite complurimos vbique cœperunt, inque crucem variis in locis egerunt.

Id quod Princeps Auraicus Antuerpiæ etiam præstitit, primarios ex seditiosis comprehensos die 18. Octobris in foro publico, vt alijs terrori essent, in crucem agens. Quod si idem in Palatinatu, Anhaltinatu, Hassia & locis aliis fuisset factum, minus certè periculi & turbarum suo cum magno malo tumultuantes Sacramentarij coacti fuissent experti. Anno certè millesimo sexcentesimo quinto, cum in Reformatione Marpurgensi articulo ex tribus pro mutatione doctrinæ & Ceremoniarum propositis, secundo, statuas imaginesque ex templis ejiciendas esse statueretur, & die sexta Augusti pro Concione idem inculcaretur: secutæ sunt ex vnico hocce principio violento ejusmodi turbæ ac tumultus, vt Theologi Caluiniani ad mortem ferè ab insaniente plebe pugnis & verberibus fuerint mulctati, inquit Artus Tomo decimo continuationis Sleidani libro 4. pagina 50. Ejusmodi catastrophæ scilicet rationes reformandi à verbo DEI alienas sequi necesse est.

Quales illi Martyres teste calumniatore.

Iconoclastarum rabies describitur à Lutherano.

Iconoclastæ puniuntur.

Wilhem. Auraicus Iconoclastas occidit.

Iconoclasmus Marpurgi dedit tumultum.

Da man alles schnell Purdi / Purdi anfengt / mit Fäusten hinein treibet / vnnd so vnuorsichtig hinein plumpet / vnnd noch den Ruhm dauon haben wil / als sey man besser / denn ein ander. Hæc consequuntur cũ subito armis agitur, atque improuide ruitur, & ex eo tamen, præ alijs excellentia quæritur. Vti Lutherus de Reformatione simili Carolstadiana scripsit Anno vigesimo secundo, sapienti addita ἐπικρίσει. Da hastu weit gefehlet / du wilt Gott damit dienen / vnd weist nit / daß du eben des Teuffels Vorlauffer bist / der hat dich auff das Klemen Narrenwerck geführet / das Sacrament anzugreiffen / vnd sihet mich gleich an / als hetten die jenigen / so dieses Spiel angefangen haben / jhren Ruhm gesuchet / so hat auch jhnen der Teuffel jhren Lohn gegeben. Longe aberrasti; Deo obsequium præstare voluisti, & ignoras dæmonis te anteambulonem esse, qui eo stultitiæ te redegit, vt Sacramenta violares; Mihi plane constat, eos qui negocium inceperunt, gloriam propriam quæsisse; Itaq; Diabolus mercedem illis dedit. Hæc Lutherus, adde carceres, quibus sæuiunt in contradicentes errori suo, vti Anno 91. Crellius fecit, qui Doctori Martino Miro concionatori aulico Saxon. carcerem in arce Hohensteinia parauerat: sed justo Dei judicio ipse, post mortem Christiani I. accusatus, quod Duci Christiano religionis in Saxonia mutandæ & introducendi Caluinismi auctor fuisset, quodque omnes in hoc suo proposito contradicentes è medio tollere decreuisset, &c. Currum ascendere jussus & spectante maxima hominum multitudine in hunc est compactus. Quæ omnia & plura alia tanta sunt, tamque insidiosa & atrocia vt præcaueri, vitamque fortunasque saluas, doctrinam vero ipsam illibatam ab ijs conseruari plane sit ὑπὲρ ἀνθρώπους: Dei vero gratia est, quod non plane consumpti sumus, hic enim, licet aliquando oculis quasi clausis connixerit, & fræna libidini Sacramentariæ laxauerit: paternè at tandem causæ suæ patrocinium suscepit, solus hostes fudit, confudit & liberationem populo suo & Ecclesiæ exoptatissimam præstitit: vt rueret Ilium ingens, periit Troja magna momento vno & fabula sacramentariorum in fabulam exiret, & desineret in lætam καταστροφὴν quam ipsi exitu τραγικωτάτῳ claudere in animum induxerant suum.

Conatus sacramentariorum.

§. 12. Denique cur nobis objicit Lutheranus Caluinianorum supplicia, quasi innocentum, cum sciat eos in Gallia & Belgio immania ausos, qualia describunt Historici, cum illis de sua innocentia jactantibus credere non possint.

Nam primo folio 55. *Ex horum mendaciorum (quorum seges fertilis admodum apud gentem Sacramentariam inuenienda, vt non immerito B. Lutherus non mendaces amplius Zvvinglianos, sed mendacium ipsum vocandos arbitratus sit) censu primarium fere est illud, quo B. Lutherum certaminis sacramentarij authorem primum proclamare integro fere hoc sæculo non sunt veriti.*

Calumniator vt Pontifici maledicat ipsi mendacio credit,

Si sunt ipsum, ipsum inquam mendacium, cur credis ipsi mendacio contra Reges Franciæ, Hispaniæ, aliosq; Principes innocentiam suam asserenti? prius acta judiciorum, & archiua examina, nec ita odetis pontificem vt mendacio ipsi non modo mendacibus credere malis, quàm eum, & Reges Christianissimos, Catholicosque non infamare.

Sed domi tuæ te conuenio, inter tua præsidia pugnabis. Ajunt Caluiniani se à Pontifice martyrio affectos, hoc est, innocentes, pro vera fide occisos. Hoc si credis, etiam testimonium contra tuos admitte, cur enim sint fide digni contra nos Martyres, & si verba contra tuos faciant, sunt intestabiles. Sculteum Caluinianum pag. 59. jubes roforbere calumniam cum reliquis quam efflauit: Deinde pergis: *De quibus (calumniis) si particulatim disserere esset animus, dies sufficit, tecitius rano.*

Caluinianorum calumniis narrandis nulla dies ste Lutheri-

citius me, quam oratio deficeret. Calumniarum compendium ostendemus. Ecclesiarum nostrarum Doctores appellarunt homines stolidissimos, Fanaticos, Philautos, Theologastros, Mataeologos, Sophistas nequissimos, Sycophantas, Theosophistas, Corporalistas, morosos, ambitiosos, proscriptores Pontificios, Homines Principum animos, suis calumnijs in ignorantia detinentes, genitores Pandoræ, percitos furore, oblitos omnis modestiæ & pudoris, superbos, feroces, flagitiosissimos Dominatores fidei, Nestorianos, Eutychianos, Patronos Mahumetismi, contumaces, inuectores paradoxorum & scandalorum, inhumanos, odio & ambitione fascinatos, pendentibus in cruce felle mixtum acetum porrigentes, Patres vbiquitatis, nouos Dogmatistas, Dipnosophistas, Longodædalos, homines prater omnem modum contentiosos, & pertinaces, recentes Capernaitas, malignos veteratores, flagitiosè, impiè leues, Vbiquistas, coniuratos veritatis hostes, impudentissimos cauillatores, Acephalorum & Eutychianæ hæresis renouatores, Phantasmaticos veræ incarnationis Christi irrisores, conspiratam Schismaticorum factionem, Artolatrias instauratores, deliros Sacramentarios, sinceræ doctrinæ assertores de Cœna Domini, instar piratarum per Ecclesiam nauigantium super ambitione & opinionibus, veritatem cum pace deprædantes, homines odio & inuidia excæcatos, Sophistas nequissimos, nouos fidei Magistros, præligiatores, veritatis & pacis hostes, coniuratos in oppressionem veritatis, impudentissimos cauillatores, rerum flagitiose ignaros, manifestos hostes ac inficiatores omnipotentiæ Dei, Pseudo-Lutheranos ac Flaccianam factionem, Ἀνθρωποφάγους, κρεωφάγους, σαρκοφάγους, carnivoros: Doctrinam vero nostrarum Ecclesiarum Symbolis Augustanæ Confessionis ac Formula Concordiæ comprehensam, flagitiosissimum errorem, fœtum infelicem, Pandoram, Phantasma & spectrum, laruam scenicam, absurdissimam impietatem, putidissimam ac Sophisticam vanitatem hæresin mixtam ex Eutychiana, & Nestoriana, imaginationes phantasticas, insanissimam sententiam, execrandam blasphemiam, ludibriosum commentum, sacrilegam impanationem, corporalis præsentiæ idolum & commentum doctrinam impostoribus, non Theologis dignam, nugatorium commentum, execrandam Theologiam, Nestorianissimum, Antichristianum cultum, idololatricum dogma, & quæ sexcenta huiusmodi Epitheta alia, fraterni erga nos affectus horum hominum indicia. Quæ omnia si, vti par est, susq; deq; feramus: En tibi paratas insidias vitæ & Doctoribus Orthodoxis! videas, inquit Doctor Mylius in Synopsi Comœdiæ Misnicæ, à morte Augusti Electores constitutos corycæos, qui dicta, factaq; sinceriorum Theologorum observent, conductos, qui lites iniustas intentent, & cum causis non possint, modo saltem agendi animas expugnent: preces & supplicationes, periculosas admonitiones, seditiosas excusationes atq; accusationes omnes capitales haberi atq; nominari cœptas, Compita viarum publicarum vtrinque haud procul ab vrbe aliquot mensium spatio obsita, tabellariorum omnium, qui vel ad vrbem commearent, vel inde etiam remearent, sarcinulas apertas isti homines scrutati sunt, conquisitis omnibus, quæ vel à Wittebergensibus Theologis ad alios vel ab alijs ad ipsos conscripta erant literis, vt ex resignatis illis depromerent, vnde capitibus ipsorum pericula creare possent. Imo atrocius istud: Conscriptæ sunt ad Theologos literæ fictitiæ, quibus magna significabatur συμπαθεια erga miseram religionis faciem, solatium ad secuturum auxilium communicabatur, subsidia exulaturis promittebantur, insuper missis vna cum istis fictitijs literis splendidis muneribus, vt, si quid penitissime reconditum in pectore haberent, quo prodito periculum ipsis creari posset, hoc artificio emungerent. Qua in re industrius fuit Iohannes ille Maior Poeta Wittebergensis, qui isthac arte optimum virum & Theologum insignem Doctorem Ioannem Matthæum, & conditione Academica & vita hac mortali exuit atq; spoliauit. Inseruierunt huic schemati Mutata Augustanæ Confessionis cothurnus vtrique pedi aptus, perfidia ac similes impostura, quibus Peucerus olim eius q; socii summum suum Magistratum circumuenerunt, illuserunt, & deceperunt. Conuenerunt scripta ambigua & libelli famosi, iure quasi suo quodam ab huiusmodi hominibus recepti, imo defensi publicè nuperrimè, quibus absq; fronte, & fonte fama bonorum suggillatur atq; traducitur, vt condemnationi iniustæ & doctorum & doctrinæ gradus sterneretur propior: Inseruierunt edicta & decreta de non nominandis vel condemnandis Sacramentarijs, eorundemq; blasphemijs in concionibus ad populum, adiunctis relegationum seu exiliorum aliarumq; pœnarum horribilium minis, ipso demum facto non quiescentibus flabellis illis sanguinarijs complendis. Imo completis per tot exilia & pœnas similes, quibus ipso Antichristo clementiores vix extiterunt. Nota sunt Aulici istius verba tempore Christiani Primi Ducis Saxoniæ: Si βλακικοὶ isti molesti tibi esse perrexerint, eiice illos, idq; saltem ex hoc capite, quia Vbiquitatem canonizare conentur; & eiusdem alterum Apophtegma: Nunquam rectè successuræ sunt res, nisi veterani, & quibus priorum temporum memoria constet, è medio prius tollantur, Ne dicam de Personalibus Contentionibus, Prouocationibus ad Synodum.

Caluiniani de Lutheranis.

Et in Boemia tamen conspirant.

Lutheranorum doctrina qualis Caluinianis?

Nunc in vnum iubilate.

Praxes Caluinianorũ in Lutheranos.

Δῶρα ἄδωρα.

His talibus quomodo potest inferri injusta nex, aut tu qui tales eos judicas quomodo seueritatem Christianorum Principum in inuidiam vocas, quod justa vltione vigorem legum in eos exercuerint: si eos vere Martyres arbitrare, illa tuorum facinora agnosce. Eos vix clementiores in tuos ipso Antichristo prædicas, & martyrum elogio donas, & post Vbiquitatem Canonizas. Hæc faceres si quicquam prudentiæ reliquum tibi odia, atq; inuidia reliquisset? Tu illorum acta lege; Vnus alterue annus plures Catholicos in sola Francia, Belgioq; Caluinisticis furoribus mactatos vidit, quam totos sexcentos annos in vniuersum reos Pontificia tribunalia sustulerint.

Martyres Euangelii non fuerũt clementiores in Lutheranos quam Catholici.

Calumniator mente deiectus est.

Quod si vere tempora consideremus sanctos Caluinianorum inuenietis Berengarianos, Wicleffitas, Hussitas, imo Copronymos, Leones Isauricos, Henricos, aliosq; quos odio Pontificis canonizant. Itaque hinc ex Scriptura contra Lutheranos sic argumentor.

Cornu paruulum seu Antichristus sanctos Altissimi conteret, tantamque persecutionem concitabit quanta non fuit à tempore, quo homines esse cœperunt; at Pontifex in Lutheranos tantam persecutionem non instituit, multo enim plures morte, exilijs, carceribus Catholicos afflixerunt, quam à nobis illi passi sint. Quot enim Lutherani propter fidem perierunt? quis Vbiquitarius sanguinem dedit? Nam de pure Lutheranis, & Lutheranis vnius gentis queri duntaxat possunt; cæteris verò miscuisse se alios nebulones fatentur. Nos verò de toto Lutherismo negamus. Nonne enim tota Germania ferè dominati sunt, & tantas fecere strages, vt adhuc squaleant Tristia semirutis altaria templis?

Caput XXV.

Papa non putat quod possit mutare tempora & leges.

Tempora mutabit & leges.

§. 1. CHaldæus Danielis textus. *Putabit mutare tempora.* Græcus ὑπονοήσει, existimabit, non enim potest; ita Græcus Scholiastes; πρὸς δυσκήσει, ἢ μὲν ὁλοκλήρως δυνήσεται Quid sit autem ἀλλοιῶσαι τοὺς καιροὺς ex adjuncto intelligitur, quia dicit καὶ νόμους. & leges. S. Hieron. *In tantam erigetur superbiam, vt leges Dei, & cæremonias mutare conetur, & eleuetur supra omne quod dicitur Deus, religionem cunctam suæ subiciens potestati:* Theodoretus; *Opinabitur sepietatem, quæ tunc vigebit, funditus posse euertere.* Illi igitur tempora intellexerunt Ecclesiæ immutationem. Qui de Antiocho sunt interpretati, nomine temporum intelligunt Iudæorum solennitates, Sabbatha, Paschata, Pentecosten, festa tabernaculorum, dies expiationum, nouilunia, septennia, annos Iubilæos, & similia.

Quia

Quia autem de Antichristo loquimur, mutabit ille tempora, & leges, dies festos in sui honorem instituti curabit, iam nonnulla indicia dedit Machometes, deinde Lutherani, sed efficacius Caluinistæ, vt appareat iam mysterium in præcursoribus incipere. Atque hic sensus est scripturæ.

Calumnias à Pouello, alijsque mutuas acceperunt. Quia dicitur solutus legibus, transferre imperia, &c.

Soluitur legibus Pontifex vt princ. §.2. Respondeo non aliud per hasce res Pontifici concedi, quam quod suis Episcopis, & regibus proportione quadam ipsi permittunt. Primo quidem negamus leges diuinas vllas Pontificem mutare posse; Anathema si quis Pontificem legibus diuinis solutum asseuerat. Canonistæ qui id asserere dicuntur, partim mendaciter allegantur, vt supra probaui, partim alieno sensu. Mihi hoc certo constat, si quis dicat Papam posse vnum iota de lege Dei tollere, fore vt is primum spiritali fulmine à Papa feriatur.

Lege diuina nõ soluitur.

Ab humanis legibus quomodo soluatur. Ad leges Ecclesiasticas, & ciuiles, vbi Papa etiam temporale regimen tenet, ita obligatur, vt ad suas leges princeps, quem quidam omnino, alij ex parte legibus eximunt. Eas leges interdum mutari vtile est, ideoque tolli, & in meliores commutari possunt. Qui principem negant legibus subiectum quoad potestatem coactiuam, etiam negant eum ab alio iudicari posse, qui enim alium iudicem habet, is accipere, & subire sententiam iudicis debet. Hinc inuictum argumentum pro Pontifice facio.

Pontifex Romanus negat se legem DEI mutare posse, millies mortem oppetendam potius docet, quam vt lege se Dei exemptum dicat, omnes, qui id affirmant, sua damnat sententia; non igitur Papa est Antichristus. Hæc est omnium qui Papam Ecclesiæ pastorem agnoscimus sententia. Papam diuinis legibus subiectum, quas si violet, grauissimè peccare, & nisi à peccato suo resipiscat, in æternum periturum esse. Huic meæ sententiæ vniuersitas Catholicorum, atq; adeo ipsa curia Romana subscribit. Verum quid de DEI legibus sentiat Pontifex, exponitur distinct. 8.cap.2.

Dei legibus semper, vbiq; ab omnibus parẽdum est. *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo vniuerso non congruens. Cum autem DEVS aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet iubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est; & si omissum, instaurandum est; & si institutum non erat, instituendum est: Si enim Regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisque, nec ipse vnquam iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, imo contra societatem non obtemperatur (Generale quippe pactum societatis humanæ obedire Regibus suis) quanto magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quæ iusserit, sine dubitatione seruiendum est? sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.*

Principes legibus suis pareant. Et distinct. 9. cap. 2. Principes iubet obedire suis legibus: verba Canonis sunt. *Iustum est principem legibus obtemperare suis. Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet. Principes legibus teneri suis, nec in se conuenit posse damnare iura, quæ in subiectis constituunt. Iusta est enim vocis eorum auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.*

Romana sedes præcipuè omnia custodit. §3. Pari ratione constitutiones Synodorum generalium præcipue seruandas docet Ecclesia Romana, causa 25.q.1.cap.1. *Confidimus, quod nullus iam veraciter Christianus ignoret, vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, nullam magis exsequi sedem præ cæteris oportere, quam primam: quæ vnamquamq; synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.*

Ea mente Gregorius Felici Episcopo lib. 12. Epist. 31. est causa 25.cap.4. si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt: non constructor, sed euersor esse iuste comprobarer: testante veritatis voce, quæ ait: (Omne regnum in seipso diuisum non stabit:) & omnis scientia, & lex aduersum se diuisa destruetur.

Pontifex protestatur se nihil cõtra Dei leges posse. §.4. Quomodo autem nouas leges condere liceat Pontifici, est ab Vrbano Pontifice expositum, causa 25.cap.6. *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges. Quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum vero summopere est, quia inde nouas leges condere potest, vnde Euangelistæ aliquid & Propheta nequaquam dixerunt. Vbi vero apertè Dominus, vel eius Apostoli, & eius sequentes, Sancti Patres sententialiter aliquid definierunt; ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare, sed potius, quod prædicatum est, vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere (quod absit) niteretur; non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur. Sed hoc procul sit ab eis, qui semper Domini Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt.*

Nihil vero contra leges diuinas statui posse docetur causa 25. cap.8. *Omne quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia.* Et infra. *Iniustum iudicium & definitio iniusta regio metu, vel iussu à iudicibus ordinata non valet. Nec quicquam quod contra Euangelicæ, vel Propheticæ, aut Apostolicæ doctrinæ constitutionem successorumue eorum, siue sanctorum patrum actum fuerit, stabit: & quod ab infidelibus, vel hæreticis factum fuerit, omnino cassabitur.*

Ecclesia Romana antiquo iure stat. Hinc igitur clarum est, non conuenire in Pontificem, quod de mutatis temporibus & legibus dicitur. Non enim nisi necessitate, vtilitateque exigente, aliqua mutantur in Ecclesia, optime enim dixit. *Contra statuta patrum condere aliquid, vel mutare nec huius quidem sedis potest auctoritas: apud nos enim inconuulsis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum sanxere reuerentiam.*

Legem mutat, qui impossibilem affirmat. Quod si veros diuinarum legum abrogatores quæras, qui mutent tempora & mores, haud difficulter eos in castris aduersis reperies. Qui enim existimat, se non nisi lege gratitudinis ad legem seruandam teneri, qui legem putat impossibilem obseruatu, quo ore, qua fronte Pontificem quasi legis violatorem accusat? Quid durius illius Lutheri verbis, *qui Christum vt legislatorem, & vindicem apprehendit, diabolum pro Christo apprehendit?*

Maleficarũ sticitas Lutheranorũ. Vnum quod hoc loco palmarium est, præterire non possum; est enim imperitiæ, & impudentiæ prædicanticæ luculentissimum testimonium. Quadratissimi ministrorum Luthericorum de mutatione temporum accusarunt Pontificem, quod astronomicos calculos errantis anni ad veram normam reduxisset. Ita in Academia Oxonienſi thesibus impressis Baccalaureolus Pouellus, quod magis miror, cum enim ex Anglia prophetæ exierint molesti Scaligero, qui de correctione Calendarij libros scribere potuerunt, monstri simile est, ex Academia neminem prodisse, qui Pouellum de tam rustica ignorantia commoneret; Quis enim non admiretur ea de re in illa Accademia eruditionis simulatrice fuisse disputatum, in qua se pagani prædicantes in Germania, non sine suorum irriſu impegisse doluerunt, verum admirabilius quod magna pars Germaniæ, Gallia, Hispania & Anglia, errorem calculi antecedentis agnouerunt, & nouam correctionem admiserunt.

CAPVT XXVI.

Tradi in manus per tempus, & tempora, & dimidium temporis ad Pontificem non pertinet.

CHALDÆVS textus habet; וייהיבון tradentur: Quia id diuina prouidentia permittit: Regnum & potestas traditur, qua deinde contra Sanctos abutitur. Junius, Tremellius sic vertunt: *Per tempus, & tempora, partículamque temporis*: eam vero particulam temporis, aiunt *esse dies decem. Id est, inquiunt, per tres annos & decem dies* probant, *nam decimo quinto die mensis Cisleui, anno centesimo quadragesimo quinto regni Seleucidarum, hoc effectum est. 1. Machab. 1. 57. deinde vero die quinto mensis Cisleui anno centesimo quadragesimo octauo, legitimus Dei cultus instauratus. 1. Mach. 4. 12. Quamobrem prima vox, tempus, annum significat corruptum, siue constantem ex diuersorum duorum annorum partibus, Tempora biennium iustum, particula temporis dies decem.*

Tẽpus &c. 3. anni, 10. dies Iunio &c.

Fundamentum huius interpretationis, quod putent de prophanatione templi per Antiochum facta agi, & textus Chaldæus non repugnat, nam פלג est diuisio temporis, & pars: etsi enim frequentius medietatem significet, vt Ios. 10. Jud. 9. & in Syro פלגא in Euangeliorum titulis vsitatum, hanc tamen significationem non respuit. Quin & Pagninus vertit partem temporis.

Dimidium temporis nõ sunt 10. dies.

Hanc sententiam refutant omnes doctores silentio, neque ex nouis quisquam eam sequitur; nam & Munstherus, Lutherus, Pelicanus, Castalio hæretici veterum Græcam versionem quæ habet ἥμυσυ sequũtur. Imo etiam Bruchtonus, alias sequi solitus Caluinianam communem, vertit hic, *dimidiumque temporis*. Et Tempus, inquit, hic annum significat, licut χρόνος, Tempus & tempora & d. id est, dimidiam septimanam 42. menses, vt Josephus testatur.

Huic denique obstat, quod cap. 12. 7. eodem modo accipiantur verba tempus, tempora, dimidium temporis, nec est tamen in hebræo פלג, diuisio, sed חצי, dimidium, quemadmodum & in Apocalypsi est ἥμυσυ. Itaque de Antichristo illa rectissime dicuntur. Nam non recte dies decem dicuntur, dimidium temporis, vbi tempus annum significat.

Idem numerus apud Danielem, & Ioannem.

§ 2. Hoc ex loco Bellarmin. lib. 3. cap 8. de Pontifice sic argumentatur. Antichristus regnabit per tres annos cum dimidio, hoc est tempus, tempora, dimidium temporis, at regnum Papæ est multo diuturnius, non ergo Papa est Antichristus. Minor est extra controuersiam: maior vero probatur. Quia tempus, tempora, dimidium temporis, sunt tres anni & medius. Nam ita veteres ab ipso Papia vsq; interpretati sunt, vt fatetur Jubiliarius Parei commentarius in Apocalypsin in cap. 11. v. 2. Deinde ex Apocalypsi cap. 11. v. 2. vbi Antichristus calcat templum & ciuitatem mensibus quadraginta duobus. Menses autem quadraginta duo sunt tres anni cum dimidio. Agi vero de eodem tempore Pareus ipse fatetur, in 12. capite, v. 11.

Antiochi tẽpus & tempora anni fuerunt. igitur & hic quoq;

Quamdiu vero exulabit in deserto mulier TEMPVS TEMPORA, ET DIMIDIVM TEMPORIS. *Hæc temporis tripartita notatio sumpta est ex Dan. 7. 25. & 12. 7. vbi Antiochus, typum Antichristi gerens, dicitur conculcaturus sanctos per tempus, tempora, & dimidium temporis. Quid hic sibi velit, ex versic. 6. liquet. Pascent eam ibi diebus 1260. De his diebus dictum est capite 11. 2. Erat ibi tempus prophetiæ duorum testium. Hic est tempus exilij mulieris in deserto. Idem tempus* XLII. *mensium ibi erat conculcationis vrbis sanctæ: & erit cap. 13. 5. grassationis bestiæ in sanctos. Eodem igitur tempore Ecclesia exulabit in deserto, & vrbs sancta conculcabitur à Gentibus; & duo testes prophetabunt: & bestia bello persequetur sanctos. Ibunt proinde hæc paribus passibus, quæ obseruatio multum illustrabit Prophetiam. Ex vno enim notiore patebunt alia ignotiora.*

§ 3. Inuictam fecit ille senex contra se, & omnes Papæ calumniatores rationem Bellarmini: Nam Antiochus per tempus, & tempora, & dimidium temporis afflixit Ecclesiam, vt ipse docet, & idem tempus est sæuientis Antichristi, non igitur diutius ille regnabit. Quomodo igitur Pareus multo longius facit regnum Antichristi? Respondeo quia quid dicat, nescit, quid dixerit non meminit, errores multi multorum, plurimi vero proprij ad insaniam eum reduxerunt. Verba eius in cap. 11. v. 2. sunt. (*Mensibus quadraginta duobus.*) *Hic est sapientia. Tempus persecutionis Antichristianæ designari, manifestum est omnium prope interpretum consensu. Quale vero & quantum sit tempus, vbi principium, vbi terminus figendus, obscurum est mihi & interpretibus aliys, & forte ab hominum indagine reconditum. Voluit enim Spiritus, ad tempora quod attinet, nos quædam potius scrutari, quam nosse, quod & Dominus innuit dicendo discipulis, volentibus scire tempus occultum: Non est vestrum nosse tempora & opportunitates, quas Pater in sua ipsius authoritate posuit. Act. 1. 7.*

Tandem Pareus fatetur ignorantiã

Nihil igitur hac de re statuere potest, quia tempora, & momenta scire non potest. Veteres vt Hippolytus, Ireneus, Hieronymus, Augustinus, alij, quos refert Bellarminus nostrâ sunt in sententia. Cum illis sentiunt Junius, Tremellius, Bruchthonus Caluiniani: & Munsterus homo sui iudicij, non obligatus Luthero.

§ 4. Deinde nemo ita respondet, vt non in plurima falsa & ἀσύστατα impingat: Chytræus apud Bellarminum incertum tempus esse ait, & idem probat Pareus, & concludit: *de 42. mensibus nihil determinare habeo.* Sed cum tot modis Daniel & Joannes determinent, non debemus incertum asserere, cum veteres omnes nobis certum exposuerint.

Expositiones contra Papam se impediunt.

§ 5. Tertio. Quomodocunque hæc interpretemur, non possunt non ostendere Papã innocentem. Nam Pareus annos vaticinatur esse 1260. & incepisse ab anno 606. Christi, cum Bonifacius tertius Ecclesiæ præsideret, & hactenus calcatum annis 1003. calcandum adhuc annis 257. vsque ad annum Christi 1866. incertum tamen sibi fatetur istum terminum, & à Deo propter electos decurtandum. Sed refutant eum tum alia, tum vero quod tempus illius persecutionis Christus dicat breuissimum, & non est breuissimum, si est 1260. annorum; quod longius est eo, quo Satan ligatur, nam mille annis eius malitia constringitur, postea grassatur, sciens, *quia modicum tempus habet.* Apocal 12. Postquam autem mille annos fuerit ligatus, oportet eum solui modico tempore. Certe modicum tempus solutionis non est, quod longius est eo, quo ligatus dicitur Satanas.

Etsi enim mille anni sunt vt dies vnus apud Deum, apud homines tamen longum tempus est, nec vllo modo hic breue est, quia dicitur tempus modicum comparatum ad mille annos.

Graserus contra omnes interpretes textus vim facit.

§ 6. Quarto. Qui accuratissimè tempus hoc describunt, fœdissimum in modum aberrant. Conradus Graserus in 12. Apoc. pag. 73. Certas Periodos annorum significat, Tempus à captiuitate Babylonicâ ad Christum, duo tempora ad seculum decimum sextum, dimidium temporis ab initio seculi decimi sexti, cum ruere cœpit Papatus. Hæc monstra nunquam Luthero in mentem venerunt, neque enim inter celerrima errorum contagia, paucis annis vulgata, putabat tam longam vitam, regnumque Papæ duraturum. Et merito; nam omnibus interpretibus, Judæis, Græcis, Latinis, Sectariis ipsis repugnat. 2. Nusquam in sacris literis, aut profanis, in nullo calculo, tempus quingentos, tempora mille annos significat. 3. Nihil hæc

hæc ad captiuitatem Babylonicam faciunt : Nam hoc cornu est in quarta bestia, at tempore captiuitatis, regnabat Chaldæa, & captiuitatem soluit Persica bestia, Cyrus videl. Pardus itaq; tum rerum potiebatur. At cornu paruulum, non est in vertice Pardi, sed quartæ bestiæ. Quod si quartam bestiam fingat esse regna Seleucidarum, & Lagidarum, nec sic quidem fabulam contexere poterit ; vt non sua se prodat inconcinnitate. Nam cornu illud à Romanis contritũ, quomodo demum an. Christi 500. renascitur ?

Mendacia nunquam cohærent.

Pergit Graserus : *Ioannes intelligit tres τετραχρόνους post Christum natum, per tempus & tempora, & ab an. 1500. numerat annos 250.* Sed sibi repugnat, quia de re eadem loqui Danielem, & Joannem asseruerat ; nunc diuersam materiam vtriq; tribuit, cum Danielis tempus à captiuitate Babylonica, Joannis à nato Christo auspicatur. Deinde menses & dies nullo modo possunt huic rei accommodari. Multo minus ad bestias Apocalypticas, de quibus postea agendum est.

§. 7. Ecce in re grauissima, qua totus orbis Christianus iam à Christo nato exoriens (nam supra ostendi, à multis primos Pontifices Antichristianos vocari) condemnatur, inter omnes est dissensio, nullus aptare textui suam opinionem potest, & ex re obscurissima cuditur articulus fidei, nempe iste. *Papa est Antichristus.*

Nec solos Pontifices calumnia ista petit, sed omnes martyres, confessores, doctores, ecclesias, quæ pontificibus communicarunt. Verum nihil mirum si hæc de pontifice iactentur ab illis, quibus est hæreticus angelus ille magnus, Joannes Baptista.

§. 8. Obiiciunt tamen (nunquã enim deest garrulæ nequitiæ prætextus.) De tribus annis cum dimidio est somnium Monachorum, inquit Chytræus & Pouellus ; & ex his Jubilantes.

Cum prophetis & patribus loquimur.

Respondeo 1. Esse vetustissimorum & doctissimorum Ecclesiæ doctorum, vt fatetur Pareus. 2. Blasphemum est in sacram Scripturam, quod aiunt. Dicit Daniel & Joannes, esse tempus, & tempora, & dimidium temporis, esse menses 42. esse dies 1260. quibus prophetent testes, & mulier pascatur in deserto. Hæc tam signanter dicta, nos accipimus, eo modo quo dicta sunt, nam menses quadraginta duo sunt anni tres, & dimidius, dies 1260. sunt anni tres cum dimidio & dies aliquot, quibus Ecclesia, occiso Antichristo, florebit. Quis ergo tam tyrannice imperiosus est, vt me dicentem eadem, quæ Prophetæ dicunt, & Apostoli, somniare dicat, cum ipse immanissimo somnio, incerta sententia, Pontificem omnibus suppliciis addicat ?

§. 9. Obiicit Pareus Quæ de Antichristo dicuntur, non possunt tam breui spacio fieri, non ergo tam breue spacium est. Verba Parei audiamus. *Secum non consistit, quoniam quæ fingunt, Antichristum suum efficere debere, spacio trium annorum cum dimidio eum conficere non magis est possibile, quam cochleam tridui spacio vniuersum terrarum orbem perreptare. Debet à gente Iudaica per vniuersum orbem dispersa, pro Messia agnosci : Debet sedere in templo Ierosolymitano, quod tot secula iacet in cineribus : Debet tres reges Aegypti, Libiæ, Aethiopiæ trucidare : septem alios reges subiugare : Romam à decem illis regibus exustam instaurare, ibique Pontifice excusso Monarcha sedere : Christianam religionem toto orbe persequi, delere Ecclesiam, denique & totius orbis imperium suæ potestatis facere, &c. Quis quæso hæc per febrim somniet quadriennio non integro futura ? Quos igitur Antichristus mittet Mercurios ? qui Iudæis toto orbe dispersis aduentum sui Messiæ repente nuntient, persuadeant ? Templum scilicet triduo reædificabit, quod Salomon ex omni materia præparata septennio absoluere, Zerobabel quadraginta sex annis instaurare vix potuit. Turcam Syria, Persam Oriente, Chamum Septentrione, Prato Ioannem Austro vniuerso Antichristus iste quadrimulus momento nimirũ expellet. Quid nugacius ? Adeone vero Imperatores & Reges Christiani omnes altum stertent, vt simul vniuersi ab vno repente opprimantur ? Itane Papa Romanus cum suis Cardinalibus vigilabit, vt Romæ ex Catholica Gentilis fiat, Antichristo venienti omnes Christiani temere manus dent ? O nugas theatricas ! secum itaque hoc commentum neutiquam consistit.*

Mirum Parei somniũ.

Respondeo. Contra laruas luctari Sectarios. Nemo omnia illa ab Antichristo triennii spacio, & sex mensium facienda somniauit. Nemo tam multa facta quadriennio non integro ascribit. Primo n. erit cornu paruulum, cum tres reges subiecerit. Judæos asciuerit, templum exstruxerit, imperium pessum dederit, tum vero tot victoriis exaltatum cor eius *loquetur magnifica.* Alexander non nisi multis victoriis inflatus Deus esse voluit. Tum sæuiet illa persecutio, cum potestatem firmasse videbitur, nam initio & progressu, opus est opinione clementiæ. Antiochus ipse primo sexennio egit minus tyrannicè, nam etsi crudeliter Jerosolymam habuit anno sexto regni, nondum tamen fastigium malitiæ conscendit, nam & ob *necem Oniæ fleuit, recordatus defuncti sobrietatem & fidem,* & mortem eius vindicauit. At anno octauo serio typum Antichristi egit, & omnia violauit : itaque desolatio illa ab octauo Antiochi anno est inchoanda, non à regni exordio, pari modo Antichristi crescentis, & in culmine constituti tempora distinguenda sunt. Itaque, hac quidem in re puerum se Pareus ostendit, & tota illa Sectariorum *vexvia.* Nam sensim alios atque alios vincet, & victoria vtetur, vt ab vno ad alios procedat, donec opprimat vniuersos : Interim hæc documento sunt certissimo, prophetiam de Pontifice non agere. Non enim à Judæis pro Messia accipitur, non sedet in templo Jerosolymitano, non trucidauit tres reges, non reliqua fecit, non est ergo Antichristus.

Fingit absurda, quæ oppugnat.

Antichristus victor crudelis erit.

§. 10. Pergit Pareus : *Scripturis etiã sacris variè repugnat. Docent hæ, Antichristum non missum per vniuersum venturum apostasiam à fide. 2. Thess. 2. 3. 1. Tim. 4. 1. seruatis saltem electis in fronte signatis. Quis vero dixerit, vniuersos Christianos etiam Episcopos, cum suo Pontifice intra quadriennium posse abduci à fide.*

Respondeo : Non quadriennio abductos à fide, sed iam ante multos naufragium fidei fecisse, multæ hæreses præiuerunt, vt generalem apostasiam conficerent, eam ipse complebit Antichristus. Ita quoque abominatio, quæ Antiochi tempore fuit, dispositiones & causas habuit. 1. Maccab. 1. 11. *Exijt ex eis radix peccatrix Antiochus Illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses : & regnauit in anno centesimo tricesimo septimo regni Græcorum. In diebus illis exierunt ex Israel filij iniqui, & suaserunt multis, dicentes. Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt : quia ex quo recessimus ab eis inuenerunt nos mala multa. Et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad regem : & dedit illis potestatem, vt facerent iustitiam gentium. Et ædificauerunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges nationum, & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus, & venundati sunt vt facerent malum.*

Non quadriennio omnes deficient, & tum quoq; multi persistent.

§. 11. Ita nunc quoq; si hæreseon multitudinẽ, fœditatemq; spectemus, facile omnia ad apostasiam parata esse inuenietis. Nam si Pareum consulamus, quãtula pars hominum rigidum Caluinissimum, cui ipse initiatus est, agnoscit, & sequitur, & in illo ipso quantæ sunt dissensiones, & qui sinceriores videntur Caluino iudice, ex illis vix decimus quisque est non hypocryta. Tandem ita concludit contra Danielem, & Joannem. *Testatur Scriptura diem, mensem & annum extremi aduentus Domini omnibus creaturis absconditum, soli DEO cognitum esse : venturum vero Dominum repentè*

Nunc in Germania tot hæreses ostendũt facilem esse generalem apostasiam.

ilstar nocturni furũ, cum mundus dicet: Pax & tuta omnia. At ex opinione posita dies, mensis, annus iudicij minimè foret occultus. Ab ortu enim Antichristi ad eius mortem restarent tres anni cum dimidio, ab eius mortè dies XLV. ad iudicium. Expresse enim scribit Bellarminus, post Antichristi mortem futuros non nisi XLV. dies vsque ad mundi finem. Cum igitur falsum ex opinione data sequatur: ipsa falsa sit necesse est.

Certitudo ex annis etiam colligetur.

Respondeo. Constare Bellarminus ait, quia probabili interpretatione Danielis hoc modo quidam ratiocinantur, quia Dan. 12. 12. scribitur Beatus qui exspectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque. Quasi tum sit futura retributio bonis. At illa interpretatio non est certa, & à plerisque ignorabitur. Deinde si pro diebus annos ponant, erit tum quoque res certa, & præscietur illa dies. Nam & Pareus vsque ad annum Domini 1866. calcandam Ecclesiam vaticinatur, & cum ita de tempore, & temporibus, & 42. mensibus disputet, dubium esse non potest, quin pari gradu certitudinis de temporis dimidio coniectet. Braubomus sane nobis annos omnes in Floribus Flaminis proposuit, & se cognouisse iactauit, quamis anima Christi non cognouerit. Tertio Beatus dici potest, qui eo vsque peruenerit: quia iam tum celerrime in præcipuas partes mundi nunciata Antichristi morte, persecutio cessabit. & horrore contabescent administri, qui mortuum crediderint, quem credebant immortalem.

Caluiniani iam ante omnia designant.

Hieronymum igitur potius audiamus hunc in modum loquentem. *Tempus annum significat, tempora iuxta hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi dualem numerum habent duos annos præfigurant, dimidium autem temporis sex mẽses, quibus Sancti, potestati Antichristi permittendi sunt, vt condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium.* Notãdum est inquam, illud de duali non esse, neque hic, neque in cap. 12. nam vtrumque pluralis est numeri, & Judæi ferè duali non nisi in rebus natura geminis vtuntur, nisi ea sit consuetudo, vt cum proferunt absens tempus, tempora, dimidium, dualiter accipiant. Non hoc ideo dicit Hieronymus, quod vel hic vel capit. 12. Danielis sit dualis, nam eo fere, non nisi in rebus natura geminis vtuntur Hebræi: quia tamen punctis illa ætas caruit, ille tam legere potuit מועדים, Moghedaïm, duali, quam מועדים, Moghedim, plurali, nullum est enim discrimen literarum sed punctorum.

Caput XXVII.

Capite 8. v. 23. de Pontifice non prophetat Daniel.

§. 1. VERBA Prophetæ sunt. *Et post regnum eorum, cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & supra quam credi potest vniuersa vastabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.*

Ruente Græcorum Monarchia Antiochus regnauit.

Primo ait post regnum eorum, Nempe regum Syriæ, qui fuere numero nouem & decem, inter eos nõ vltimus fuit, sed octauus Antiochus qui dictus est Epiphanes, & ex moribus ἐπιμανὴς, furiosus. Post regnum ergo quorundam regum Syriæ regnare cœpit. Quia tamen generatim noster interpres vertit: Post regnum eorum: & Hebræus textus באחריות, Beaharith, in extremo, & 70. ἐπ' ἐσχάτων τῆς βασιλείας αὐτῶν circa extrema regni eorum, accuratius Spiritus sancti phrasis considerandæ est. Nam reuera iam extrema regni Græcorum aderant. Cum enim regnare cœpit Antiochus, iam Græcia atque adeo Macedonia erat in potestate Romanorum, magna etiam pars alienata erat, ante annos 16. tributum indictum fuit Antiocho magno huius parenti, qui magna parte Asiæ, insulisque exutus fuit, arma, Elephantos, classem tradere coactus, ipse rex modicis finibus cis Taurum regnare iussus est. Ipse Antiochus Epiphanes Romæ obses, & pignus seruitutis fuit, nec Ægypti melior conditio: nam Pupillum regem Romani tutati sunt: cum ergo tum regnum Græcorum in vnica parte hæserit, nec liberum, sed obnoxium, merito dicit Spiritus S. *post regnum illorum.*

Calamitatum causæ sunt peccata.

§. 2. Secundo dicitur causa tãmagnæ persecutionis, cum creuerint iniquitates: alij *cum consummabunt defectionem præuaricatores illi.* Luther. Wann die Vbelthäter vberhandt nehmen / alij *consummati sunt iniqui*: itaque duplex interpretatio, Prima, *Cum Deus consummit præuaricatores*, nam id factum sub Antiocho, à Juda, aliisq;. Secunda, quia est cõmunis πλεηρωμάτων τῶν ἁμαρτιῶν cõpletis peccatis, cũ iã maturi pœnæ fuerint, ita de Amorrhæis Moses, & l. 2. Mac. c. 4. Heb חמשעים בחתם Behathem, Haphoschehim. Secundum consummandum præuaricatores, Noster legit mutatis punctis חמשעים, Happeschaghim. hac explicatione clarius cap. 11. & cap. 1. l. 1. Machab. v. 11. & cap. 4. l. 2. Mach. v. 7. & seq. & hoc indicat v. 12. *robur autem datum est ei.*

Impudens facie.

§. 3. Tertio, hæc omnia Antiocho, nonnulla conueniunt Antichristo. Nam primo Antiochus est cornu modicum. Cornu, qui rege patre natus, externis regnum inuidentibus ipse obtinuit. Modicum quia minor fratrum, Romæ obses, omnes potentes adulatus seruitutem tantum non seruierat, sed veniens ad imperium ab exilio *regnauit sanguine multo.*

Factum est grande, occupata Palæstina, positis in Ægypto præsidiis, & victa variis bellis, non tamen veterum regum potentiam æquauit.

Quarto. Rex impudens facie, מופנים, Ghazphanim, fortis facierum, ἀναιδὴς προσώπῳ. Duo sunt in illa impudentia, ob quæ à Polybio, Athenæo, Cedreno, Gorionide vocatur ἐπιμανὴς: nam summa erat ambitio diuinitatem affectantis, & summa inuerecundia, publicè enim & inspectante populo libidines explebat.

Intelligens propositiones.

Quinto. *Intelligens propositiones*, Hebræus textus vocat חידות Chidoth, ænigmata, quidam vertunt φερνῶν κρυπτὰ & σκότου, agitans consilia tenebrarum, ad fraudes enim, & dolos insigniter eruditus est.

Roborabitur fortitudo eius.

Sexto. *Roborabitur fortitudo eius*, sed non in viribus suis. Hieronymus: *quia propter populi peccata illa sunt permissa, cum alias non potuisset quicquam efficere, idque tam in capienda Aegypto, cuius rex omnino marcebat desidia, vt non modo regiæ maiestatis officia intermitteret, sed etiam sensu hominis nimia sagina careret, & par erat aulæ, procerum, & ciuitatum corruptio.* Deinde pauca viribus, pleraque fraude, & periurio transegit.

Crudelitas Antiochi.

§. 4. Septimo. *Supra quam credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet, & interficiet robustos, & populum Sanctorum.*

Hebræus vastabit ונפלאות, Niphleoth, *admiranda*, seu *admirabilitates*, 70 θαυμαστὰ διαφθερεῖ, *mirabiliter corrumpet.* Graserus occultissimè corrumpet. Sed nec boni nec mali interpretis habet auctoritatem.

Octauo. Successus etiam tam praui hominis indicatur. v. 25.

Secundum voluntatem suam dirigetur dolus in manu eius, & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos, & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.

Prosperitas Antiochi.

Hebræus על שכלו, ghal schichlò, super intellectum eius prosperabitur dolus eius. Hoc est, vt ille dicebat,

dicebat, *dolos astute tractabit*, & euentus felix erit. Interpretes 70. ita vertunt: καὶ ὁ ζυγὸς δ' κλοιῶ καπευθυνεῖ, iugum numellæ, seu supplicii dirigetur. Legerunt illi pro ב, literam illi affinem ב. nempe על שבלו Ghal Schiblo, iugum vinculi eius. Nam שבל Schabal, vel סבל vinculum est, hinc Sibboleth סבולת Societas. סבלונות Sablonoth, ornamenta, catenulæ, annuli. Chaldæis. Græcę itaq; lectionis duplex est sensus. Primus, vt ipse Antiochus sit iugum vinculi, seu iugũ hominis vincti, & obsidis, quod prosperatum est, cum ex vincto factus est rex. Alter quod multos vinxerit, atq; in captiuitatem abduxerit, vt prædictio sit eius, quod 2. Macc. 5. 14. dicitur. *Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.* atq; hæc vna clade contigerunt.

Nos tamen hebræa, & veterem interpretem secuti, de temporaria Antiochi felicitate interpretamur.

§. 5. Nono. Cor suum magnificabit, quidam hebræa verba ובלבו Vbelibbo, *& in corde suo*, iungunt cum præcedentibus, dirigetur dolus eius in manu eius, & in corde eius. Noster vero: *Et in corde suo magnificabit.* Hoc est cor magnificabit: cum dominum magnificare oportuisset. Sic 70. καὶ ἐν καρδίᾳ αὐτῦ μεγαλυνθήσεται. *Et in corde suo magnificabitur.* Id in Maccab. lib. 2. cap. 5. 21. narratur. *Existimans se præ superbia terram ad nauigandum, Pelagus vero ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.* & cap. 19. 7. *Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutẽ in semetipso contestans: ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent: odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur. & qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus, & cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset. Ita ait, Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

Superbia puna.

Sanguinem in pace fundet.

§. 6. Decimo, & in abundantia occidet plurimos, בשלוה Beschalueh, quod alii interpretantur, *in pace*: 70. καὶ δόλῳ πολλοὺς διαφθερεῖ, & dolo multos occidet. Omnia vera sunt: nam reuera ex Ægypto spoliata rediens cum rebus omnibus abundaret, cædes Ierosolymis, & alibi fecit: & in pace, non enim bellum erat, sed fœnẽdi, rapiendiq; occasionem quæsiuit: denique omnia illa dolo sunt peracta. Nec repugnat Hebræa dictio, nam שלה Schala, est *in pace agere, fortunatum esse.* Jer. 12. 1. sic Psal. 15. 7. Psal. 72. 21.

Cõtra Deũ consurget.

Vndecimo. *Contra principem principum consurget*, ita Hebræus. Editio Romana 70. nõ habet ἐπ' ἄρχοντα ἀρχόντων στήσεται, sed ἐπ' ἀπωλείᾳ πολλῶν στήσεται, *ad interitũ multorum consurget.* itaq; pro Recsch legit Daleth. ita aliæ quoq; editiones: Francofurtensis, & aliæ vtcunque ponunt, ἐπ' ἀπωλείᾳ πολλῶν στήσεται, ἐπ' ἄρχοντα ἀρχόντων στήσεται. at posterior vt legitima retinenda est, aliæ vero omittendæ.

Sine manu conteretur.

§. 7. Duodecimo, ὡς ἂν χειρὶ συντρίψει, *vt nõ manu cõteretur*: nam lectio quam exponit Theodoretus, & libri Græci habent, ὡς ὠὰ συντρίψει, *vt ouа cõteret.* Hebræum אפס Ephes, quamuis variæ sit significationis, pro quo tamen hoc solum loco accipitur: sed magis credo ex ὡὰ factum ὠὰ. Alioqui pro ב legerunt ב, & pro ישבר Iibbaschar passiuo, ישבר Iibschar actiuum. Ex quo apparet, quam necessario sit traditio cũ scriptura iungenda: nam si absq; traditione punctorum sit, tam legam, *conteret*, quam *cõteretur.* De interitu Antiochi lib. 1. & 2. Maccabaicorum non habere contraria, ostendit Serarius lib. 1. c. 6. & l. 2. c. 9.

Tertiodecimo. Hæc omnia mala Pontificibus eo quo supradixi modo aduersarii accommodare satagunt. Sed argumentum nullum est, aut si quod est, in eos retorquetur.

Hæc in multos conueniunt.

Nam primo, omnia in quemlibet impium regem dici possunt, in Mahometem, in cæteros. Secundo. Si acta Frãcica, Anglicana, & Belgica legam⁹, sine dubio inueniemus omnia quæ Caluiniani crudeliter, sacrilegè, libidinosè egerunt, Antiochenica hæc superare. Tertio. Queruntur Lutherani, vt ex verbis, quæ ex palma sæculari citaui manifestum est, Caluinianos in se vix esse clementiores, quam sint Pontificii. Quæritur Melanchthon vt ostendi in Jubilo, à rigidis Lutheranis iugum grauius imponi mollibus, quam fuerit à Pontifice impositum. Queruntur Arminiani in Belgio Gommaristas in se maiorem tyrannidem exercere, quam fecerit inquisitio hispanica. Queruntur Caluinistæ Lutheranos in se atrociores esse, quã sint Papistæ. Mutuæ igitur cum sint querelæ, non est causa, cur in Pontificem conferant vniuersa. Quarto, Hic Antiochus rex vnus, è modicis initiis progressus, impudens facie, &c. opponitur vni Antichristo. Vnus homo, vni homini, malus pessimo typus statuitur, nõ vnus integro regno, non vnus multis. Quæ est causa, aut ratio similitudinis, vt Antiochus vnus è nouemdecim Syriæ regibus eligatur, qui typus sit omnium Pontificum, non omnes reges, aut regnum Syriæ, etsi enim Antiochus palmam nequitiæ omnibus præripuit, omnes tamen insignitè improbi fuerunt, crudelesque & libidinosi, etiam Seleucus ille, qui vtcunq; hostiis Deum coluit. Huius historiæ consideratio omnem vim tollit quam aduersarii in Jubilis suis mẽtiendo, & nugando allinere inuitæ historiæ conãtur.

Vnus Antiochus vnum Antichristũ designat.

Quinto, Scriptura quoque à Pontifice totam culpam amolitur, ita enim cap. 8. v. 8. *Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cumque creuisset, fractum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cœli. De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cœli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas. Et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est contra iuge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. Et audiui vnum de sanctis loquentem: & dixit vnus sanctus alteri nescio cui loquenti, vsquequo visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et dixit ei. Vsque ad vesperam & mane, duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.*

Tempora desolationis, & tyrannidis describit Daniel dies 2300. verosautem dies accipit, non ænigmaticos. Cum vero aduersarii fateantur, de eisdem rebus, loqui Danielem & Joannẽ, oportet quoq; Joannem proprie dies, & menses accipere; deinde hoc loco proprie dies accipiũtur, ergo c. 12. v. 12. nec enim causa est, cur alibi ænigmata, hic vero propriam locutionem accipiamus. Præsertim cum eisdem de rebus sermo sit. Cumq; Antiochi tyrannis veris propriisque diebus explicetur, non debent res Antichristi, quæ hisce significantur impropriis diebus indicari. Hinc est, quod fatetur Pareus nullos hactenus interpretes connectere potuisse, illam quæ est de Antichristo prophetiam, quia vel Danielem vel Joannem torquent. Porro dies illi non sunt inchoandi ab eo tempore quo Antiochus in templo posuit idolum abominationis, sed à tempore quo Jason cædib. grassari cœpit. Quod si hos dies de Antichristo ænigmatice interpretentur, adhuc illi multos annos donent necesse

Proprie dies hic accipiuntur.

necesse est; nam dies duo millia trecenti totidem anni erunt.

Sexto, Antichristus sicut Antiochus sine manu conteretur, at iam omnes ministri suos reges hortantur, vt bello Papam persequantur, & carnes eius vorent. Frusta id suadent, si Papa manibus non est conterendus.

CAPVT XXVIII.

Quæ Danielis cap. 11. vers. 31. & sequentibus dicuntur, ad Pontificem non pertinent.

§. 1. TEXTVS ita habet. *Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem. Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter: populus autem sciens Deum suum, obtinebit & faciet. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumque corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent vt conflentur: & eligantur, & dealbentur vsque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum; & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia, perpetrata quippe est definitio. Et Deum patrum suorum non reputabit: & erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam Deorum curabit: quia aduersum vniuersa consurget. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis. Et faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuito. Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus & in equitibus, & in classe magna: & ingredietur terras, & conteret, & pertransiet. Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent: hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. Et mittet manum suam in terras: & Terra Aegypti non effugiet. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti: per Lybiam quoque & Aethiopiam transibit. Et fama turbabit eum ab Oriente, & ab Aquilone: & veniet in multitudine magna vt conterat, & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: & veniet vsque ad summitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.*

De quo illa dicantur intelligi non potest, nisi accuratè sensus intelligatur, qui idcirco apud multos dubius est, quia cui applicanda sint illa facta, nesciunt. Nam quidam etiam nouatorum ita omnia Antiocho accommodant, vt in eo sistant, alii alio feruntur.

His verbis describitur Antichristo.

Sed dicendum est sermonem esse de Antiocho, quia eius progenies, & facta describuntur, idque à v. 24. certissimè. Deinde in Antiocho, vt in figura describi Antichristum. Ita tamen vt nonnulla soli Antiocho, alia Antichristo soli conueniant, cum tamen Sectarii omnia facta Antichristo accommodent, nos eorum vestigia sequemur, & ostendemus ad Pontificem non pertinere. Non sunt illi solliciti vt Danielem exponant, sed vt verba illius proponant, & deinde collectis vndique famosis libellis, & publicis calumniis ea Pontifici impingant.

Brachia.

§ 2. V. 31. *Et brachia ex eo stabunt.* Septuaginta habent σπέρματα, *semina*, quod interpretantur, de Eupatore Antiochi filio, qui Judæos etiam ipse oppressit. Legerunt illi זרעים, Zarghim, *semina*, pro זרועים, Zeroghim, brachia. Sed de Eupatore non puto accipienda esse, non enim ille *abstulit iuge sacrificium*, imo nec potuit, restauratum iam erat, & se Macchabæi fortiter defendebant. Brachia igitur sunt quos Antiochus Judæis atrocissimos imposuit. Ita 1. Macc. 5. 22. *Reliquit autem propositos ad affligendam gentem; Ierosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem, eo ipso à quo constitutus est. In Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui grauius quam cæteri imminebant ciuibus.* Cumque oppositus esset contra Judæos, misit odiosum principem Apollonium cũ exercitu 22000. præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, iuuenes ac mulieres vendere.

Horum facta sunt. Sanctuarium polluere, profanare: describitur res gesta 2. Macc. 6. & lib. 1. cap. 1. à v. 40. Deinde שקוץ משמם Schickutz, Meschomem, dabunt abominationem desolationis, seu desolantem, seu obstupefacientem. 70. vocant βδέλυγμα ἠφανισμένων, abominationem non apparentem, ita Romanus habet codex, melius alia exemplaria, καὶ δώσουσι βδελύγματα ἠφανισμένων, dabunt abominationes eorum quæ è medio sublata sunt, simulacrum Iouis quod nihil erat, quia idolum nihil est. v. 37. *Et impii in testamentum simulabunt fraudulenter, populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.*

Abominatio desolationis.

Simulatores plus ipsis hostibus nocent.

Hebr. verba sunt emphatica ומרשיעי ברית יחניף בחלקות Vmarschighe, Berith, Jahaniph, Bechalakoth, quod in Græco vertitur, καὶ οἱ ἀνομοῦντες διαθήκην ἐπάξουσιν ἐν ὁλισθήμασι. Hebræa ad verbum ita verti possunt. *Et peccatores testamenti faciet peccare, simulare, impiè agere in blanditiis*, Græca, peccantes testamentum traducẽt in ruinis, seu lubricitatibus, hoc est, lubrico casu. Noster legit, יחניף, Jachaniphu, *peccabunt, simulabunt*, nam hoc verbum peccare significat, sed præcipuè cum hypocrisi, & simulatione pernicioſa, eodem modo etiam Græci legerunt. Est verò Job. 34. 30. & 36. 13. חנף, Choneph, hypocrita. Sunt verò illi qui 1. Macca. cap. 1. vers. 12. Dispouunt testamentum gentibus, omnes deinde qui fraudulenter populum DEI deceperunt, aut decipere sunt conati. Hoc etiam fecerunt Antiochus Eupator, libro 1. Maccab. 6. 61. & cap. 7. 5. 10. & 28. Nicanor. & cap. 9. 58.

Fraus à Pontifice abest.

§. 3. Hæc profanatio, & abominatio non est in Pontifice, sed in ducentis sectis, quæ à Pontifice defecerunt. Nos in prima religione permansimus, nihil à prima fide mutauimus, vt ex ipsismet aduersariis probaui, qui à Martyribus tribus, & triginta Pontificibus auspicantur nostrum, vt vocant Antichristianismum. Si fraudulentos quæris, vide testimonia Lutheranorum, & Caluinianorum contra se mutuo, nulla supererit dubitatio. Sacrificia sustulerunt, Sacramenta prophanarunt, adeo vt non alio fere nomine à Lutheranis vocentur, quam Sacramentschéder, & Sacramentichvvermer. Sacerdotes occiderũt, ipsa sanctorum corpora effoderunt, atque in cineres redegerunt. Ad Pontificem & Catholicos id pertinet quod sequitur: *Populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet.*

Populus fortis sciens Deum.

4. §. Ita populus fortis contra Antiochum victor in prælio, victor in tormentis, 1. Macc. 1. 56. & seq. lib. 2. cap. 5. cap. 6. cap. 7. Nec aliter nobilissimi martyrum tempore Antichristi, si enim patrum memoria, & diebus nostris, theatrum crudelitatis Caluinisticæ in Gallia sustinuerunt, & nunc adhuc variis in locis sustinent, si patientia sua carnificum ingenia superarunt, cur non in summo illo grassantis Antichristi terrore, diuina virtute protegentur, vt tum quoque bestiæ cruentissimæ sese opponant? Maccabæi quidem lib. 2. cap. 2. 47. dicuntur persecuti filios superbiæ, & prosperatum esse opus in manibus eorum, obtinuisse legem de manibus gentium, & de manibus regum,

regum, & non dediſſe cornu peccatori. Agimus tibi gratias magne Deus, quod populus ſciens Deum, etiam nunc obtinuerit, & faciat, & inter tot millia errorum in fide antiqua permaneat. Horreſcit animus cum video intra paucos annos innumerabiles hæreſes prodiiſſe, & ab vna aliqua opportunum quemq; abreptum eſſe. Eas ipſas inter ſe colliſas eſſe, & infeſtiſſime concurriſſe. Interea tamen video in priſca fide Martyrum, in canone Apoſtolorum, in Eccleſiis quæ traducem doctrinæ, & Epiſcoporum, à primæua Eccleſia acceperunt manere tot millia, ex gentibus venire tot millia, ex errantibus redire tot millia. Benedictus Deus, qui fecit, *vt populus ſuus faceret, vt non daret cornu peccatori.*

Catholici tamen conflantes manent.

§. 5. Verſic. trigeſimo tertio. *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & captiuitate, & in ruina dierum.*

Hæc quoque de Maccabæorum tempore, & Antichriſtiana perſecutione accipienda ſunt. Nam & tum in doctores populi præcipue rabies impiorum incubuit, & noſtro quoque tempore ſacerdotum, monachorumque multa millia trucidata, & quidem nouo tormenti genere trucidata ſunt.

Multi martyres.

Docti in populo, משכילי עם *vmaſchile gham intelligentes populi*, vel *etiam intelligere facientes populum*, miris enim modis eos perſequuntur, gladio, igne, ferro cum poſſunt, calumniis, cum non poſſunt. quis vnquam à condito mundo atrociores calumnias, quam illuſtriſſimus, & doctiſſimus Bellarminus expertus eſt? Quis ordo hodie ita expoſitus eſt, quaſi ſignum ad ſagittas, quemadmodum ſocietas Ieſu, cuius hoc inſtitutum eſt, vt omni generi hominum, docendo proſit, ex qua etiam cæteri ordines refloruerunt, quam Clemens octauus ſocietatem ingeniorum appellare conſueuit?

Proteruia prædicantum.

Hic iactantur, atque agitantur in rapina dierum, in Hebræis nonnullis additur, רבים *thabbim* multorum. Vt vero lector iudicet quæ quam partem perſequatur, Miniſtrorum pſeudo-Euangelicorũ in Catholicis vrbibus libertatẽ, & aliquando proteruiam perpende, at Societatis noſtræ alumnis ſine irriſu, conuitiis, interdum iniquis detentionibus, lapidationibuſq; tranſire oppidulum vix licet, in quo regimen eſt prædicantium, nec iuuat pax religionis, nec magiſtratus vetantis auctoritas, miniſterialis furor omnes odio veritatis, & vera docentium imbuit.

§. 6. Verſic. 35. *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur vſque ad tempus præfinitum, quia adhuc aliud tempus.*

Eruditi ruunt.

Finis tribulationum eſt, profectus fidelium, & ſanctorum. Ruent enim non à fide deſciſcendo, ſed pro fide fortiter occumbendo, לצרף בהם *Lazeroph bahem, ad conflandum in illis*, quemadmodum Malachiæ 3. *ſedet Deus, quaſi ignis conflans.* Metalla enim igne mundantur, & fideles tribulatione. Stipula exuritur, aurum purgatius exit. *Vt eligantur*, Hebr. ולבחר *vlbachar*, quod eligendi, & mundandi ſignificationem habet; Græcus textus ἐκλέξαθαι.

Dealbare in Hebræo eſt, יללבן *vlelaban, & ad dealbandum*, quædam Græca pro ἐκλευκάνει habent ἀποκαλυφθῆνει. Nunc illa incipiunt, ſæuiente Antichriſto, pii & conſtantes eximiè proficient: cuius nunc quoque videmus exempla, quot enim fideles principes, nobiles, quot canonicorum collegia, quot monaſteriorum cœtus ſeſe reformarunt, & nouis legibus omnia vitiorum irritamenta excluſerunt?

§. 7. Verſic. 36. *Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur, aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia, perpetrata eſt quippe definitio.*

De Antiocho, & Antichriſto accipienda.

Duplex eſt ſententia, primũ de ſolo Antiocho accipiendum, Bruchthonus, Iunius, Tremellius, alii Caluiniſtæ ita interpretantur, vt oſtendant fruſtra eos laborare, qui hæc Pontifici aptare ſtudent. Pelicanus primum Antiocho, deinde Turcis accommodat.

Altera ſententia de Antichriſto interpretatur, ſed dupliciter: Primo de Antiocho & Antichriſto ſimul, alii de Antichriſto ſolo: Catholici de vero Antichriſto, Antiochi antitypo, Sectariorum alii de Turca, alii de Pontifice Romano, alii de vtroque ſimul. Iubiliarii pro ſuo inſtituto omnia ingenti maledicentia ad Papatum, hoc eſt omnes principes Catholicos referunt. Erhartus Lauterbach compendio refert alienas calumnias prima conc. *Quia nota generalis eſt*, inquit, *Antichriſti, ſecundum ſuam voluntatem faciet. Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, ita in iure Canonico: Papæ in his quæ vult, pro ratione eſt voluntas.* Canones citat eo modo quo illi qui non viderunt, nempe diſtinct. 19. cap. ſi Romanorum cauſ. 9. quæſt. 3. cap. Cuncta, & cauſa 16. quæſt. 3. cap. nemini. In his non conceditur Papæ vt quidlibet, ſiue æquum ſit, ſiue iniquum ſit, poſſit agere pro arbitrio, ſed tantum ſuprema iudicandi poteſtas in ſpiritualibus, à qua non ſit appellatio, quemadmodum in politicis regi eadem datur. Nec omnino aliud ex his verbis concludi poteſt. Itaque quod licite honeſteque iubet, id ſequendum: Papæ, ſi mala iubeat, non eſt parendum, & ſi iniuriam inferat, licita eſt contra eum inculpatæ tutelæ defenſio, quam contra tyrannum Iuriſperiti, & Theologi concedunt, non tamen eſt iudex ſuperior ad cuius cognitionem Papa citetur.

Ex hoc loco conſtat Papam nõ eſſe Antichriſtum.

§. 8. Hoc igitur loco probatur futurum, vt alius ſit Antichriſtus. Nam qui non ſecundum ſuam voluntatem, ſed leges diuinas, canones, & ſtatuta patrum Eccleſiam gubernat, non eſt Antichriſtus. At Pontifex ita gubernat, & ſi quis ab ea lege recedit, à Deo reprobatur, & Eccleſiam turbat. Quod vero dicatur interdum pro ratione eſſe voluntatem: id non affirmant canones, ſed quandoque dicunt iuriſperiti, & eo ſenſu, quo in omnes iudices id conuenit. Nam qui expenſis controuerſiarũ momentis litem decidit, rationem non reddit, ſed ex auctoritate iudicat, ne perpetuo res agitetur, & controuerſiæ nunquam finiantur. Deinde in rebus adiaphoris, quas fieri oportet, ſed diuerſo modo, & recte quidem fieri poſſunt, ſed opus eſt vniformi & conſentiente agendi ratione: vnam determinare poteſt Papa bonam, honeſtam, ſed quæ tamen ex natura non magis hoc quam illo modo fieri poſtulat. Sic in Republica lex vocatur voluntas principis, qua multa conſtituuntur, quæ alio quoque modo recte fieri poſſunt, ſed tamen propter pacem, & quietem Reipublicæ voluntas principis tenenda eſt, nec debent eius iuſto arbitrio rationes ſuas ſubditi opponere. Sic intelligendus eſt Carolus Magnus in viginti tribus capitulis, quæ ad omnes prouincias miſit, quæ ſunt in Iuone, & Concilio Tribũrienſi, &c. & diſtinct. nonageſima cap. tertio. *In memoriam beati Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas: Vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet, ſiue ſit presbyter, ſiue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & noſtro miniſterio inſidiando, redarguatur falſam ab Apoſtolica ſede detuliſſe epiſtolam, vel aliud quid, quod inde non venerit; ſalua fide, & integra circa Apoſtolicum humilitate, penes Epiſcopum ſit poteſtas, vtrum eum in carcerem, aut aliam detrudat cuſtodiam, vſquequo per Epiſtolam, aut per idoneos ſuæ partis legatos Apoſtolicam interpellet ſublimitatem, vt potiſſimum ſua ſancta legatione dignetur decernere,*

Voluntas principis ex duobus vtribus vnum deligit.

Carolus Magnus cẽſet non facile damnanda quæ Pontifex ſancit.

quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat definire, vt & is corrigatur, & cæteris modus imponatur.

Nam de illis quæ iusto ordine lex Romana definit, quæ sæpe vix ferenda putantur illis, quorum est ante-occupata sententia vel voluntas, subditi non recte iudicant. Interim Pontificibus omnibus illa posita lex est: Causa vigesima quinta cap. nono. Prima salus est, fidei regulam custodire, & à constitutis patrum nullatenus deuiare. Non igitur secundum suam voluntatem Papa agit, sed ad præscripta legum suam voluntatem accommodat.

Vana etiã ad subsidiũ quærunt.

§. 9. Nec facit Pontifex quod de Antichristo Daniel Vaticinatur. *Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum.* In Hebræo est ויתרומם Vaijthromem, *sese eleuabit*, ὑψωθήσεται, quod prædicantes quidam valde exagitant quasi in *Romem*, ipsam Romam teneant. Deinde ויתגדל, *& magnificabit se.* Non videtur id conuenire Antiocho, qui Iouem Olympium, Liberum, aliosque Deos peruersissima superstitione coluit. Itaque Antichristi illa est insania, qui nec veri, nec falsi Dei vllius reuerentia à sceleribus retrahetur.

Calumnia.

Papam ait Erhartus Lauterbach, *nec Deum, nec dæmonem, nec cœlum, nec infernum curare.* Et Lutherum Romæ audisse hæc verba. Ist ein Helle / so stehet Rom drauff / si est infernus, super eum Roma ædificata est. Probat vero: Quia mandat angelis vt animas Romipetarum cœlo inferant, cibos, dies prohibet, peccatum facit, quod non est peccatum. Deinde dicitur à canonistis Deus, Augustinus Boetius scribit illum omnia posse, quæ Deus potest. Ité Philippus Decius.

Antiochus Deos coluit.

Hæc accurate consideremus. Ad Antiochum regem quod attinet, Deos ille coluit eximie, ita Polybius apud Athenæum, ἐν ᾗ ταῖς πρὸς τὰς πόλεις θυσίαις καὶ ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς τιμαῖς, πάντας ὑπερέβαλε τοὺς βεβασιλευκότας, τοῦτο τὸ τρικυμήσατο ἐν ᾧ πάρ' Ἀθηναίοισι ὁλυμπιεῖο, καὶ κῶμος ἦν ἐν δήλῳ ἀνδριάντων. Neque vero huius contemptus causa videtur sufficiens, quod nullius Dei reuerentia, à scelere abstinuerit, nam & hoc athei, Epicurei aliique fecere permulti, imo sceleribus numina sua coluere. Videatur & alia apud Atheneum pars de pompa, quam duxit. πάντων γὰρ τῶν παρὰ τοῖς ἀνθρώποις λεγομένων, ἢ νομιζομένων θεῶν, ἢ δαιμόνων παρεστὶ καὶ ἡρώων εἴδωλα διήγετο, τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις, καὶ πᾶσι τούτοις οἱ παρεπίκοντες μῦθοι καὶ τὰς παραδεδομένας ἱστορίας ἐν διασκευαῖς πολυτελέσι παρέκειτο. deinde ait eum cum mimis saltitasse, καὶ μετὰ τῶν γελωτοποιῶν. Tandem in fine addit ἱεροσυλήκει ἢ καὶ τὰ πλεῖστα τῶν ἱερῶν. pleraque templa sacrilege spoliauit. Ecce idem superstitiosissimus esse videtur, & in Deos tamen maxime est impius.

Antiochus Deum negauit.

§. 10. Verum Antichristus nullum Deum curabit, sed vt secundæ Thessalonicensis secundo, quarto dicitur. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens seipsum, tanquam sit Deus,* & primæ Ioannis secundo, Negabit Christum.

Pontifex Deum colit.

Pontificis igitur innocentia hoc loco valide comprobatur. Deum enim veneratur, seruum seruorum Dei se profitetur; Angelis non mandat, sed eos orat. Est quædam oratio amicitiæ fidentissimæ, & mandantis, ille omni die orat, *Sancte Michael, sancte Gabriel, omnes sancti Angeli, & Archangeli orate pro me.* Deus non vocatur nisi eo modo quo Principes Scriptura vocat Deos, & vicarios, eo maiore gradu, quo Spiritalis potestas sublimior est temporali. De Augustino, & Decio mendacium est luculentum. Deinde quis hominum est adeo rerum humanarum rudis, vt credat, aliquem dixisse, Papam omnia posse, quæ potest Deus? Hominem plerumque infirmum, senem. Fœda est calumnia à quibusdam ficta, ab aliis arrepta. Nos Anathema dicimus illi; si quis dicit Papam posse omnia, quæ potest Deus.

Orat Angelos.

Deus est vt principes, & sacerdotes.

Non potest omnia quæ potest Deus.

§. 11. Deus bone, si verba captari fas est, vt vetera taceam, quæ non hocanno scripta sunt? Ecce tibi Scharpius rudis, & maledicus nebulo, vocatur Alcides, serenissimus Iacobus Rex magnæ Britanniæ Britannus Iupiter, sic enim Stephanus Gilbertus legum doctor vtrique adulatur hocanno.

Hoc anno Scharpius Hercules, & serenissimus Iacobus Britannus Iupiter dicitur.

Quondam à supremo missus in terras Ioue
Infesta teneris orbis incunabulis
Portenta forti strauit Alcides manu.
Extrema terris monstra qua languens dedit
Mundi senectus perdere BRITANNVS *volens*
IVPITER, *benigno* SCHARPIVM *emittit sinu.*
MACTE *rediuiue domitor, i tanto ausspice:*
Vaticana quicquid (certa Christicolum lues)
Spelunca diui prodidit, Cacos, Lycos,
Ipsamque septem capita pandentem Feram
Et ferro & igne perdoma. Quanto hæc noua
Peiora priscis, quippe non solum truci
Dedentia neci corpus, ast animam quoque,
Tanto Hercle nobis, maior antiquo venis.

Ferro & igne in Papam agendum aiunt. Maior Scharpius Hercule.

Sed his omissis rem accuratius spectemus. Antichristus non factis modo, sed professione, & palam negabit Christum esse redemptorem, quia vero Christum oppugnabit, idcirco Iudæos sibi conciliabit, inimicos crucis Christi, hoc non fecit Pontifex, sed damnat, non igitur est Antichristus. Deinde Christum fatetur esse Christum, esse saluatorem, omnem se ab eo habere potestatem, sine illo nihil posse, illius sanguine se redemptum; ad Christum omnes vocat.

Antichristus communiter & proprie.

Tertio, Distinguunt ipsi Antichristum in eum, qui communiter, & qui proprie dicitur Antichristus, Pouellus l. 1. c. 1. §. 3. Antichristum communiter vocant eum, qui quoquo modo Christo aduersatur, vt sunt Iudæi, Gentiles, Hæretici. Proprie regnum aliquod Christi regno oppositum, aut eius regni caput. At illi quos improprie vocant Antichristos palam negant Christum, ergo & ille qui proprie dicitur Antichristus, cum sit illis & potentior, & deterior, *& sedeat in templo, ostendens se tanquam sit Deus.* Quarto. Ita S. Patres interpretantur: Hilar. lib. 6. de Trinit. Hippolytus ait, *eius characterem fore, vt negent homines baptismum.* Hier. in Dan. hunc locum *simulaturum se ducem esse fœderis.* Greg. lib. 11. Epist. 3. *Coacturum Iudaizare.* Quinto. *Veniet in suo nomine, non igitur, Christum & Christi vicariatum prætendet suis blasphemiis.* Beza itaque recte in 2. Thess. 2. monet, *Antichristum ad se translaturum non hominum modo honores omnes, sed etiam quicquid gloriæ cuicunque numini vsquam fuit exhibitum.* Quod in Pontificem non conuenit, qui quotidie genua sua Deo flectit publice, & priuatim, qui non modo Deum vt summum initium, & summum bonum adorat, sed minore etiam cultu Dei amicos prosequitur. Exemplum est in Gregorio 14. ita de eo Cicarella. *Singulis feriis sextis ieiunabat: & feriis quartis à carnibus abstinebat: nisi forte aduersa valetudine impediretur. Precum horariarum pensum, tam ordinariarum, quam de Domina (vt vocant) flexis semper genibus persoluebat. A somno mane surgens mox septem psalmos pœnitentiales incipiebat, & dum se se vestiret, prosequebatur. Meditabatur mane hora integra, legens opera melliflui Bernardi, & si quos ex iis bonos erueret mentis conceptus, eos diligenter annotabat concinneq; scribebat. Quamdiu sacerdos fuit, nullo die sacrum dicere intermisit: nullo non die confessus est, nisi infirmitas impediret, quo minus id facere posset. Cum autem infirmabatur, quotidie ab alterius manibus Eucharistiam suscipiebat. Quod si infirmitas lethalis fore videretur, cum multa quoque deuotione extrema se vnctione procurari mandauit.*

Pontifex humiliter Deũ colit.

Nihil tale Antichristus, videbunt eum ἀποδεικνύοντα ἑαυτὸν ὅτι ἔστι θεός. *Ostendentem, quod sit Deus.* Iren. l. 5. Amb. in c. 21. Lucæ, ait, *eum ex scripturis disputaturum se*

rum se Christum esse. Theodor. 2. Thess. 2. *Nominabit se Christum.* Nullo igitur modo effert se supra omne σέβασμα, quod etiam peruerse interpretantur Lutheranorum rudiores, dum volunt significare *cultum*, quos bene refutant Caluinistæ dum *numen* vertunt.

σέβασμα numen est, non cultus.

§. 12. *Nec aduersus Deum deorum consurget, aut magnifica loquetur*, seu ὑπέρογγα *valde tumida, vt habent 70. quod in hebræo* נפלאות *niphleoth* est, hoc est mirabilia. Dei enim opera mirabilia profitetur, & eius omnipotentia docet omnia constare. Testor omnes & Catholicos & hæreticos, nunquam de Dei maiestate, potentia, bonitate, personis accuratius esse doctum & scriptum, quam ab illis qui in Papatu vixerunt, & viuunt. Libri ipsi loquuntur. Cur igitur viri tam multi tam docti, qui infinitissimam Dei naturam ita scrutantur, & tam multa cognoscunt, ferre Papam possent, si Deo se quocunque modo anteponeret, aut æquaret? Aut quomodo Papa ex Theologis assumptus suæ imbecillitatis memor eo se erigeret, vnde eum non modo scripta Theologorum, sed regum etiam gladii detraherent? Quod si Papam genibus nixum, aut humi stratum orantem audirent, miserere mei Deus, &c. Si confitentem peccata sua, & flentem viderent, an adhuc de ἀποδιώσει negocium illi facesserent? Confirmatur illa eadem ratio. *Et Deum patrum suorum non reputabit*, Hebræus textus על אלהי אבותיו לא יבין *ghal elohe abutau lo iabin.* super Deos patrum suorum non intelliget, ὅτι πάντας τοὺς θεοὺς τῶν πατέρων οὐ συνήσει. Nec hoc tantum, sed nec quempiam deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.

De Dei maiestate nemo accuratius docuit quam illi, qui sunt in Ecclesia Romana.

Papa patrũ Deum colit.

Nullum siue verum siue fictum Deum curabit Antichristus, sed aduersus omnes Deos יתגדל *lithgaddel, se magnificabit.* si hoc facit is, qui proprie est Antichristus, hoc est regnum Papæ, aut regni caput, hoc est ipse Papa, id saltem agant, ne nos multiplicis idololatriæ accusent. Si enim nullum Deum curamus, non igitur sanctos facimus Deos.

CAPVT XXIX.

Ex eo quod dicatur Antichristus fore in concupiscentiis fœminarum non recte pontifex accusatur.

Antichristi castitas.

§. 1. IN Hebræo textu anceps est locutio, רעל חמדת נשים ועל לא אלהי יבין *veghal chembda neschim, veghal lo eloche iabin, super concupiscentias fœminarum, & super Deum non intelliget.* Græcus textus aliud nõ habet, de hac nota Antichristi, quam καὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, *& concupiscentia mulierum.* Ita hodierna lectio. Sed aliter habuisse 70. ostendit D. Hieronymus, cuius verba ponenda sunt. *Pro eo quod nos interpretati sumus, & erit in concupiscentiis fœminarum 72. transtulerunt, & concupiscentiis fœminarum non subiacebit &c. Quia vero in Hebraico pro eo quod nos diximus, & erit in concupiscentiis* fœminarum, ambigue positũ est, dicente Aquila, qui verbum expressit è verbo καὶ ὅτι θεὸν τὸν πατέρων αὐτῆ οὐ συνήσει, καὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, καὶ ὅτι πάντα θεὸν οὐ συνήσει. *quibus verbis intelligitur eum habere concupiscentias fœminarum & non habere; si intellexerimus* ἀπὸ κοινοῦ, *super concupiscentiis fœminarum non intelligit. De Antichristo facilior interpretatio est, quod ideo simulat castitatem vt plurimos decipiat. Si autem legimus: & super concupiscentiam fœminarum, vt subaudiatur, erit; Antiochi persone magis coaptabitur, qui luxuriosissimus fuisse dicitur, & in tantum dedecus per stupra & corruptelas venisse regiæ dignitatis, vt mimis, quoque & scortis publice iungeretur, vt libidinem suam populo præsente expleret.*

Si itaque de Antiocho intelligitur, satis intelligitur monstrum illud fuisse supra omnes alios γυναικομανὲς, & mulierosissimum, & non modo prostitutæ pudicitiæ, sed etiam pudoris; testantur historiæ. Frustra igitur sunt, qui hoc de crudelitate interpretantur ex 2. Macc. 5. 13. Nam ne mulieribus quidem pepercit: verumtque, *& ne ad teneritudinem fœminarum quidem attendet*; semper enim atrox visum est, esse crudelem in fœminas,

Nullum est enim memorabile nomen
Fœmineæ in pœna, nec habet victoria laudem.

Sed ad rem quod attinet, חמדה *chamad* non est teneritudo, sed desiderium, pulchritudo, & non intelligere super desiderium, est non desiderare, sic & Iob. 3. 1. הבמה אחבוכבו על בחולה, *vma Ethbonen ghal Bethula? Vt quid me facere intelligere super virgine?*

Mihi sententia Pererii & aliorum non displicet, vt illud; super desiderium mulierum, separatim ponatur, & sit subaudiendum הוא *hu* vel יהיה *ihiihe, ipse, vel erit:* quomodo etiam Græci & Hieronymus exponunt. Nam primo, omnium etiam hæreticorum est sententia, Antichristum libidinosum futurum, & quamuis initio castitatem simulabit, mox tamen Antiochum suum ad viuum exprimet, & equis præcurret albis. Secundo ex Apocalypsi ostenditur eius lasciuia. Tertio, non obstat crudelitas, nam qui crudelis est, ille & in venerem putris est, & qui libidinosus etiam crudelis, nam sunt vtriusque affectus signa physiognomica non diuersa. Denique diaboli instrumentum erit, quod non crediderim castum, & purum fore. Id præcipue cum Antichristi præcursores veteres & noui, venerei nepotes se vltro infamarint, Lutherum libidines transuersum egerunt, Carolstadius primas nuptias iniit, Caluini stigmata, Bezæ paradigmata nota sunt, Ochinus Polygamiam instituit.

Antichristi effusæ libidines.

Antichristi præcursores libidinosi sunt.

§. 2. Obiiciunt Iubilantes ex Pouello not. 18. 27. Papam vetare nuptias, & adiiciunt permittere eum scortationes. Exempla adferunt.

Respondeo. Matrimonium nulli prohiberi, nisi qui voto se castitati obstrinxit. Fidem castitatis Christo datam irritam non licet facere. Adulteria & scortationes grauiter inhibet. Sententia Papæ variis locis proponitur, mihi sufficit causa 17. quæst. 1. cap. 20. *Nubendi licentia quibusdam tribuitur: illis videlicet, qui virginalem, vel vidualem castimoniam nequaquam professi sunt; quibusdam autem non tribuitur; illis videlicet, qui virgines, vel continentes esse decreuerunt. Fornicatio autem nulli impune conceditur.* & c. 21. *Meliore proposito lapsas, si nupserint, fœminas à castitate sanctiori, quæ vouetur Deo, adulteris esse peiores manifestum est.*

Nuptias Pontifex nõ vetat, voto castitatis obstrictus, se libertate illa priuauit.

De toto genere videantur canones causæ 32. q. 4. item q. 5. 6. 7.

His enim matrimonium laudatur, adulteria, scortationesq; vetantur. At Pontificum non nulli impure vixerunt. Negare non possum; nec ad Ecclesiæ defensionem est necessarium. Non tamen ideo ministri excusandi. Qui ita argumentantur: *Pontifex aliquis est scortator, Antichristus est scortator, ergo Pontifex est Antichristus.* Quis enim non videt, hæc talia in multos eorum magnates conuenire? Quis miseram consequentiam non videt ferula castigandam? Si enim vbi regum aut principum aliquis deliquit, mox regnum est infamandum Antichristianismo, nihil toto orbe sincerum est. Edite enim regum aut principum innocentium seriem; etiam eorum qui à vobis docti non sunt, legem de adulteriis seruari non posse. Si ad rationem res veniat, vincemus. Ad exempla respondeo. Quædam esse perspicue falsa, vt de Gregorio 7. aliisque, alia ab inimicis ficta. Quorundam ante Pontificatum licentiorem vitam fuisse, in summa dignitate correctam esse. Summum sex aut octo fuisse, quorum in tam sancta functione vita improba fuerit; de pontificibus loquor, nam pseudopapas nihil moror, non magis quam Iasonas, & Menelaos,

Adulteria, scortationesque vetantur.

Principum peccata non cõtinuo regnum faciunt Antichristianũ.

Pontifices pauci mali.

nelaos, qui veterem Ecclesiam turbarunt. Maxima gloria Ecclesiæ est, iam ducentos & triginta septem numerari Pontifices, inter eos tres & triginta continuos martyres esse, ex sequentibus tot martyres, tot sanctitate, & doctrina illustres, vt ne inimici quidem pro triginta castis, vnum impudicum ex eis nominare possint, & quidem omnibus omnium temporum calumniis adiuti. Regnum, principatum, comitatum mihi date, in quo tam multi boni, tam pauci mali. Scio non posse id à vobis fieri. Hæc est tamen peruersitas generationis adulteræ, geniminum viperinorum prædicantium, quorum mendacia damnationem habent, vt quæ ipsi faciunt, aliis imputent. Quis vero miretur de priscis illos fingere, qui in præsentes, scientes, volentes omnia fingunt? omnes Alexandrum sextum improbum quidem sed qui plura, quam fecit mala audire coactus est, in mediũ producunt. Sed cur alios omittunt, quos eximie laudant historiæ, cur suorum scelera non meminerunt?

CAPVT XXX.

Deus Maozim non est sacrificium Missæ.

Deus Maozim à pontifice nõ colitur.

§. 1. VErs. 38. & 39. ita describitur ille Deus, *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro, & argento, & lapide precioso, rebusque precios is, & faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno.* Hebræus textus habet, ולאלה מיעזים על בגו *veeloha Maghutzim ghal cannó. Deum Maghozim in loco, vel throno suo* 70. vertunt θεὸν ἰσχυρότατον. *Deum fortissimum*, Aq. θεὸν ἰσχύων *Deum fortitudinum*, alii tamen legunt, θεὸν ἰσχυρὸν *Deum fortem.*

Versum 39. sic vertunt Græci, Καὶ ποιήσει τοῖς ὀχυρώμασι τοῦ καταφυγῶν μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου, *& faciet munitionibus refugorum cum Deo alieno.* alia lectio: Καὶ ποιήσει τοῖς ὀχυρώμασι τῶν πόλεων μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου. *Deus munitionum.* Theodotion ita vertit: Καὶ ποιῆσαι ταῦτα καὶ στερεῶσαι τὰ ὀχυρώματα μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου. *Et illa faciet vt firmet munitiones cum Deo alieno.* Lutherus vertit: Aber an deß statt wird er seinen Gott Mausim ehren. & in v. 39. Vnd wird denen die jhm helffen stärcken Mausim / mit frembden Gott. Vbi quidem in vers. 38. sine intelligentia linguæ hebrææ על בגו *ghal cannó* vertit, an deß statt/ *loco eius*, cum expresse sit, super loco eius, vel super loco suo. In vers. 39. si in verbo למבצרי *lemibkere*, puncta mutauit, ostendit ea ad scripturæ essentiam non pertinere. Sensus verborum est; Fore vt Antichristus Deum Mausim, munitionum colat, Deum nouum quem veteres ignorauerunt, has autem munitiones firmabit cum Deo alieno; nam in munitionibus collocabit homines impios & superstitiosos, in illis colent ipsum diabolum. Nec mirum est eum nullum colere, & hunc tamen colere. Nam magus futurus est, se pro Deo palam venditabit, vt olim impii reges fecerunt, sed quia vtetur ope dæmonis, eum horrebit, & clam colet, etiam familiaribus eius in eadem Dæmonolatria occupatis.

Antichristus palam non colet Deũ, clam dæmonem adorabit.

§. 2. Varie tamen interpretantur; Scholia Græca. τὸν θεὸν τὸν ἰσχυρὸν, ὃν παραποιοῦνται οἱ ἰουδαῖοι σέβεσθαι, ἐν τῷ ναῷ δοξάσει, ὄντως εἰς ἀπάτην τῶν ἰουδαίων ἀνίστη. *Deum fortem, quem Iudæi se colere simulant, in templo honorabit, quem quidem ipse ad decipiendos Iudæos eriget.* Ita & alii, nam Deus verus dicitur in scriptura Deus fortitudinis. Psalm. 26. 1. & Psalm. 30. 3. Ita Hæretici Bruchthonus, Iunius, Tremell. qui vocant Deum Israelis. Theodoretus ipsum Antichristũ dicit Deum Mausim, futurum enim vt se ipse glorificet; nam δοξάσει est in græco, & יכבד *iecabed* in Hebræo. Neque hoc mirum, olim tantæ insaniæ fuere exempla, Caligula se cum Deum fecisset, ipse sibi sacrificabat.

Caligula Deus, & ipse sibi sacerdos.

Lutherus in not. marginali vocat, *Deum præsidiorum*, sed in præfatione. *Deum munitionum* asserit, *esse in templis, in monasteriis, quæ sunt instar arcium, & munitionum, collegia*, inquit, *Papæ seruiunt.* Speciatim *autem voluisse dicere Deum missæ, sed indignatione fregisse vocabulum missæ, & vocasse Mausim, munire autem Maozim esse curare omnia, quæ ad missam pertinent.* Strigelius Lutheranus Maozim esse omnem *cultum idolatricum, adorationem Eucharistiæ, prohibitionem coniugiorum.*

Maozim non est verus Deus.

§. 3. Dicendum est, primo. Non esse Deum verum Israelitarum: nam aduersus illum Deum, aduersus Deum Deorum consurget. Non igitur eum venerabitur.

Nõ ipse Antichristus.

Secundo. Non est ipse Antichristus, quia eum colet auro, argento, quo modo se ipse nequaquam colet. Deinde scriptura loquitur de Antichristo, & Deo illius tanquam de diuersis.

Christus nõ solis munitionibus colitur.

Tertio. Non est sacrificium Eucharistiæ, seu Christus in Eucharistia, vel, in missa. Quia non colitur in munitionibus, sed in omnibus templis, in plateis, deinde Christum sic coluerunt patres nostri. Tertio. Antichristus publice ipse supra omnem Deum colitur, non igitur publice Christum sibi Deum esse dicit.

Maozim nõ sunt iunia, &c.

Quarto. Deus Maozim non sunt ieiunia, cœlibatus, & similia. Primo, quia hæc sunt cultus Dei, at Maozim est ipse Deus, quod si Deus Maozim dicitur Deus munitionum, seu fortitudinis, ineptissima est interpretatio, si Deus fortitudinum, dicatur, Deus delectus ciborum, cœlibatus, & similium. Secundo. Quis cœlibatum & ieiunia colit auro, & argento, & rebus preciosis? sic epulæ, & thalami coluntur. Tertio Virginum cœtus, & vota castitatis iam olim in Ecclesia visitata sunt, & multa ieiunia, non sunt ergo noui dii quos non nouerunt Patres nostri. Non ergo Deum Maozim Papa colit, vel munit.

Est igitur Deus ille, Deus quem virium, & potentiæ suæ auctorem conseruatoremque Antichristus arbitratus cum suis colet magna cura, & sumptu, idque in locis munitis, in locis thesaurorum. Sacrificium iuge, agnus immaculatus tantum abest à Maozim, quantum Christus à Belial.

CAPVT XXXI.

Reges Austri contra Papam pugnaturi non sunt.

§. 1. VErs. 40. Et in tempore præfinito prœliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tempestas veniet, aduersus illum rex Aquilonis, *veniet contra illum rex Aquilonis in curribus & equitibus: & in classe magna, & ingredietur terras & conteret & per transiet, & introibit in terram gloriosam, & multi corruent, hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edom & Moab & principum filiorum Ammon.*

Prisca ars oratorũ est, quæ soluere nõ possunt, dissimulare.

Plerique ministrorum hæc verba, & sequentia omittunt, quia nullo modo Pontifici accommodari posse vident. Qua in re conscientiam cauteriatam penitus produnt. Si enim huic regi attributa non conueniunt Papæ, quo ore cætera illi attribuunt? Sed tamen nunc inuentus est, qui se opponeret, & etiam hæc ipsa in Pontificem dicta assereret, est vero Paulus Laurentii, qui in præfatione copiam sapientiæ sibi, ex veritate non ex humilitate deesse fassus, alterius prædicantis, qui conciones eruditas appellarat, elogio stulte credidit, & euulgauit. Audire igitur delirum iuuat. pag. 38. *Tertio dicit Angelus apud Prophetam de casu huius idololatriæ, qualem finem habitura sit, nempe cum pompa & fastus illius in fastigio erit, cadere incipiet & in nihil abire, de quo textus ita habet: Rex Austri aduersus eum prœliabitur, & rex Aquilonis veniet contra eum.*

Hic audi-

Nouũ ſomnium de rege Auſtri & Aquilonis.

Hic audimus impietatem hanc ad finem vergere, nam expreſſe in textu verbi (finis) mentio fit. In tali fine ita eueniet, ait Textus: Rex Auſtri aduerſus regem Aquilonis prœliabitur, apud illud prœlium mira videre licebit, quis finis futurus ſit.

Hic ante omnia interrogabis, quinam duo illi reges, qui aduerſus ſe inuicem prœliaturi ſunt, & ſi quis forſitan regem Auſtri, Ptolomeum regem Aegypti ſuſpicaretur, & Regem Aquilonis Antiochum Epiphanem Syriæ regem, quorum ſuperiori capite mentio facta eſt, dicit tamen Angelus Prophetæ conſignatos eſſe ſermones, idcirco intelligi non potuit, quinam hi reges. Poſtquam vero impletæ fuerint prophetiæ, & prœlium peractum, tunc apparebit vnde oriatur & qua de cauſa accidat.

Nunc vero Dominus Deus Chriſtianos homines excitauit, qui ſubinde immoderato Papæ faſtui ſe opponerent, & hominibus aliqua ratione monſtrarent, quid de ipſo ſentiendum, & ita illum oppreſſerunt. Exempli cauſa, cum Pontifex Bonifacius Octauus omnino ſuperbiret, vt ſe Dominum totius mundi appellaret, tam in ſpiritualibus quam temporalibus, & ſic toti mundo imperare vellet, Chriſtus Dominus exuſcitauit Philippum regem Franciæ occidentalis, qui anno milleſimo trecenteſimo tertio, Papam Anconæ ita obruebat, captiuum ducebat, itaque ipſum deprœliabatur, vt paruo interiecto tempore emoreretur, de quo poſtea ſcribebatur dicebaturque: Intrauit vt vulpes, regnauit vt leo, mortuus eſt vt canis. Forte fuſte ſpiritum efflauit.

Viginti circiter annis poſt hunc Ioannes Papa huius nominis vigeſimus ſecundus per literas publicas ob numiam auaritiam depoſitus eſt à pontificatu; Ioannes nonus huius vigeſimus tertius anno 1415. variarum nequitiarum ergo à ſede ſua deturbatus eſt. Poſtmodum etiam Papæ in Concilio Conſtantienſi haud leuis ictus inflictus eſt per Martyrem Iohannem Huß.

Omnium grauiſſimum ſubiit Papa per Doctorem Martinum Lutherum ante annos centum qui contra ipſum concionatus eſt, & ſcripſit, vt integra iam regna & nationes ab ipſo ſeceſſerint. Omnia ea, omnem doctrinam & ſcripta, quibus Papa manifeſtatus eſt, ictum lethalem accepit, vt cadere cœperit, Chriſtus Dominus effecit, homines ad id efficiendum ordinauit, exſuſcitauit. Quocirca Chriſtus Dominus eſt rex orientis, qui Papæ Mauſim miſſæ, ictum intulit. Nam Chriſtus Dominus Sol eſt Iuſtitiæ oriens ex alto, & lux vera quæ illuminat vniuerſum mundum. Ex aduerſo rex Aquilonis qui aduerſus eum prœliatur, ipſe Papa eſſe debet, nam nemo ſplendori lucidæque auroræ ſeſe opponit, niſi ſolus Papa, quod experientia teſtatum fecit, quod ipſe equitibus, curribus, & nauibus terra marique irruperit omnes ſibi aduerſarios perdere conatus, imo quam plurimos enecauit. Quod autem rex Aquilonis dictus ſit, ideo fit, quia verſus Aquilonem tenebræ ſunt, & ipſe ſpiritualibus tenebris offuſcatus eſt, à Deo tenebrarum diabolo agitatus. Et hic finis eſt Papæ, incipiet cadere ſed vehementer rebellabit, & in terra inclyta multos enecabit.

§. 2. Nos verba exponamus, deinde prophetiam & tempora perquiramus.

Circa finẽ prœlium hoc erit.

Primo. In tempore præfinito, בעת קץ Beghedketz, *in tempore finis*, καὶ ἐν καιρῷ πέρατι. Circum finem temporis, cum iam prope futurum eſt ne ſit tempus amplius, Vatablus etiam tempore præfinito, quod eſt perinde ac ſi dicat, *in tempore à Deo ſtatuto.*

Violenter agit rex Aquilonis.

Prœliabitur aduerſus eũ rex Auſtri. ויתגבה עמו מלך חנגב Vaithgabbach ghimmo melech hannegeb, συγκεφαθήσεται μὴ βασιλέως Ν νότου. *Cornu petet eum rex Auſtri*, neque enim regum quamuis exercitibus magnis prœliantium rixas pluris facit Deus, quam taurorum depugnantium.

Et quaſi tempeſtas veniet contra eum rex Aquilonis, in curribus, & in equitibus, & in claſſe magna, & ingredietur in terras, & conteret, & pertranſiet. Hebræus וישחער vaiſchthaghar, 70. συνεχύθησται, Hebræum eſt horripilare, mouere, ſtupere, turbinare, שער Schaghar pro סער poſitum putant, *quod eſt deiicere inſtar tempeſtatis*, Græci vertere ſolent καταπίνειν, λικμᾶν, ἐξαίρειν, φυσᾶν, φθείρειν, Vide Ier. 23. vbi σεισμὸς 19. Zach. 9. 14. σάλος, Iob. 38. 1. λαῖλαψ Iſa. 29. 6. Pſal. 148. 8. τύφων. Pſal. 54. 8. καταιγίς. Magna igitur violentia rex Aquilonis ingredietur, & omnia diruet. Nunc qui ſint illi reges, quamq; certa ſit fides horum videamus, qui hæc omnia de pontifice certo aſſerunt, & ludentes ænigmatibus, atque allegoriis mundum conturbant.

Ænigmatũ luſibus mundum conturbant miniſtri.

§. 3. D. Hieronymus circa conſummationem ait, *fore decem reges, qui orbem inter ſe diuidant, eorum tres ab Antichriſto occidendos, Aegypti, Africæ, Aethiopiæ, reliquos deinde ſe illi permiſſuros.* Miniſtri clamant Papam iſta feciſſe, nos negamus, & contra dicimus. Papa non eſt rex Aquilonis, non irruit in regem Auſtri, non fecit illa, quæ hic ſcribuntur, non igitur Papa eſt Antichriſtus. Lutherus illa allegorice interpretatur, vt iam ex eo *Laurentij*. Sed quia hoc ridiculum eſt, deinde textui contrarium, cæteros puduit. Denique ex tam inconcinnis allegoriis nihil in dogmatibus concluditur. Repugnare textui oſtendo: Reges veros Perſidis nominat verſ. ſecundo, & tertio & verſu quinto, & ſexto. Sunt quoque Reges Auſtri, & Aquilonis, in omnibus pene verſibus, nominatur & Ægyptus verſ. octauo, & decimo ſeptimo. Nec vlli venit in mentem vt aliter intelligat Regem Auſtri, quam Ægypti, & regem Aquilonis, quam regem Syriæ. Hic igitur in eadem ſingnificatione manendum eſt, vt veri Reges ſint, alter Ægypti, alter Syriæ, qui inter ſe pugnant.

Rex Auſtri hic eſt rex Aegypti.

Itaque tam pueriles nugas pertæſi Iunius Tremellius, Abbatus, Brugthonus, Sutliuius, Danæus, omnino negant in Daniele quicquam agi de Antichriſto, omnia hæc ad Antiochi, Phyſconis, & Philometoris bella pertinere, cur igitur alii operoſiſſime de Antichriſto hæc & Papa producunt, atque ad ſuum inſtitutum torquent?

Hoc argumento ducti Caluiniani negant in Daniele quicquam agi de Antichriſto.

§. 4. Obiiciunt Lutherani, *Edom, Ammon, Moab, effugient Antichriſti tyrannidem, ſed non ſunt nunc illæ gentes, ergo allegorice intelligendæ ſunt.* Sed eodem antecedente Caluiniſtæ diuerſum concludunt: *Non ſunt nunc illæ gentes: non igitur nunc eſt ille quem effugient: non igitur de Chriſtianis temporibus, ſed Antiochianis agitur.* Hi poſteriores nihil contra Pontificem ex Daniele proponunt. Priores vero vehementer errant: nam ratione locorum ita vocantur, quamuis gentes magna ex parte deſierint. Nam inter tot migrationes, miſtiones, interneciones gentium, non poteſt facile ſtatui de vllius nationis certis initiis, neque enim nunc vllo loco puto eſſe αὐτόχθονας, niſi forte in occidentali, reconditiſſimaque India. Neque vero iam tempore Antiochi gentium earum regna ſupererant, ſed ſparſæ reliquiæ, Dauid Ammonitas excidit, ſecundo Reg. vndecimo, duodecimo, vigeſimo tertio. Ptolomæus Philadelphus Rabba occupauit, & Philadelphiam dixit. Sophoniæ quidem c. ſecundo verſ. 8. *Moab vt Sodoma erit, & filii Ammon quaſi Gomorrha*, Superfuerunt tamen captiuitati, ſecundo Eſdræ cap. nono. *Nam cum Iſraelitis miſcebant connubia.* Fuerunt & filii Ammon 1. Macc. quinto, v. ſexto. *Et tranſiuit ad filios Ammon.* Superſunt & Moabitides 2. Eſdræ cap. 13. 23. Quin & 2. Macc. 10. 16. nominantur munitiones Idumæorum, & Herodes Magnus Idumæus fuit. Gentes itaque illæ numeroſiſſimæ non ita deletæ ſunt, vt non reliquiæ in eiſdem locis permanſerint, hodieque ſuperſint, quæ Antichriſti ſæuitiem euadent, montium credo, & latebrarum beneficio.

Poſt captiuitatem reliquiæ Moab, & Ammon & Edom fuere.

§. 5. Denique iam vanum eſt, quod myſterium in nomine fingatur, vt ſint electi, qui ſemper typum geſſerunt reproborum. Ipſe Edom certe non ita dictus eſt, ob martyrium, ſed ex profana coctionis rufæ

Edom nõ eſt typus martyrum quia rufus, ſic

nec draco rufus in Apocalypsi. Edom est typus reproborum.

rufæ appetitione. Ammonitæ quoque & Moabitæ propter nominis incestam originem non ideo debent inter sanctos numerari. Quia semper hostes populi Dei fuerunt, & à Deo maledicti Deut. 23. 3. *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum.* Iniuriosum itaque est, ex alicuius grammatica, seu Cabalistica interpretatione omnes Catholicos reges cum Pontifice & Episcopis Antichristianissimi damnari, propter Enthusiasticam Edom, Moab, Ammon interpretationem.

Contradicunt sibi figmenta.

Denique non cohærent sibi, ne hæc quidem tam insulsa figmenta. Quomodo enim martyres euadunt eam persecutionem, cuius hoc loco mentionem Daniel facit? Nam de curribus, equitibus, classibus loquitur, hæc mala euadent illæ gentes, at martyres exercitibus, & classibus Antichristi opprimentur. Multo minus hoc conuenit. *Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent.* In Hebræo dicitur terra, צְבִי 70. γῆν σαβεῖ, vel σαβαεὶμ vocant. Scholia Græca interpretantur τὴν γῆν τῆς ἀϊδιότητος; ἀπόγονοι δὲ Ϝ σαβὲ ἀϊδιότητες, cap. 8. 9. vocatur terra gloriosa, vbi 70. vertunt δύσιν occidentem, accommodate, quia egressum est cornu contra meridiem, & orientem & fortitudinem, vt noster vertit. Romana editio 70. habet, πρὸς τὸν νότον, καὶ πρὸς τὴν δύναμιν ad austrum & ad virtutem. Versu 16. huius capitis: *Et stabit in terra inclyta.* Hieronymus testis est septuaginta vertisse, *terram voluntatis.* Scholia Græca ita in hunc locum habent. Ἀντιοχῷ ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, ἀντὶ γὰρ δόξης τὸν νόμον ὑπῆρχε χάριν τῆς Ϝ θεοῦ θελήσεως, δόξης, δυνάμεως, τούτων γὰρ ἕκαστον τὸ σαβεῖ ἑρμηνεύεται. Ita altera lectio, quæ est apud Theodoretum σαβαΐς, hinc corrigenda est.

Terra sebi, vel saba vel gloriosa.

Iudæa terra Dei voluntatis.

Hæc terra Iudæa est, non Roma, historiam ita scribit Iosephus. *Postea vero expugnatis in Syria ab Antiocho vrbibus, & Samaria, Iudæi se sponte illi dediderunt, & vrbe excepta toti exercitui, & elephantis abunde omnia suppeditarunt, & oppugnantem relictos à Scopa præsidiarios adiuuerunt.* Itaque cum Pontifex in Iudæa non steterit, non potest hoc illi tribui: nam quod quidam ad sacram expeditionem ista retulerunt, admodum impium est, & in optimos principes contumeliosum, qui è manibus sæuissimi tyranni terram sanctam eripuerunt.

Caput XXXII.

Pontifex non est collocaturus tabernaculum inter duo maria, & capturus Ægyptum.

§. 1. Prophetat in hunc modum Daniel: *Et mittet manum suam in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti; per Libyam quoq; & Æthiopiam pertransiet.*

Nihil horum conuenit Pontifici, omnia autem Antichristo à Lutheranis & quibusdam Caluinianis tribuuntur, non est igitur Pontifex Antichristus. Semper est à nostris quæsitum, quando Pontifex Ægyptum, Libyam, Æthiopiam occuparit, quando inter duo maria tabernaculum fixerit?

Tentoria equitatus.

Quod attinet ad dictionem Apadno, Græcus eam retinet ἀφαδνῶ, alia ἐφαδανῶ. Symmachus τὴν σκηνὴν Ϝ ἱππικοῦ, & græca Scholia τὸ ἱππικὸν στρατόπεδον, castra equestria, regum sane comitatus equester est, & præcipua est in equitatu potentia. Quia vero Babylone Antichristus oritur, hinc Daniel cum de illius aula, castris domesticis loquitur vti dictione Babylonica voluit. Frequens est in Thalmudistis eadem vox. Bruchthonus id factum ab Antiocho vult, cum profecturus in Persidem Lysiæ filium, & excidium Iudæorum commendauit.

§. 2. Vbi autem figet? In monte sancto, inter duo maria. Quem montem sanctum Daniel diceret, nisi quem omnes Iudæi intelligerent, montem sanctum, montem Sion, inter mare Tiberiadis, & mare Phœnicium. Non venit eo Pontifex.

Qui dicunt significari Ecclesiam nunquam explicabunt, cur inter duo maria ponatur, cum toto orbe sparsa sit. Verum, de his vide Bellarm. l. 3. c. 13. & eius defensorem Iacobum Gretserum.

Caput XXXIII.

Bestiæ Apocalypticæ c. 13. ad Pontificem non pertinent.

Vide de incremento hæreseon.

§. 1. Magna pars Florum Flaminiorum insumitur in capite 13. & 17. & 18. Apocalypseos exponendo. *Nam Papæ ait datum os loquens ingentia. Papæ tribuit characterem, numerum nominis, mulierem esse Romanam Ecclesiam, septem montes esse Romanos colles.* Summa, omnia infanda esse Romana. Occurrendum est maledico conuitiatori, & hoc loco etiam ostendenda est, supra omnem retro seculorum malignitatem, calumnia.

§. 2. Duplex est Apoc. 13. Bestia, prima septiceps, decicornis, altera adiutrix primæ, & assentatrix bicornis. Mihi probandū est nec Decicornem esse nostrum Imperatorem, nec Bicornem esse Pontificem.

Seditiosa scripta Caluinianorū imperium diabolo adscribunt.

§. 3. Primo. Imperator non est Bestia Decicornis, Nam Apoc. 13. v. 2. dicitur. *Et dedit illi Draco virtutem & potestatem suam magnam*, & vt quædam græca addunt: καὶ τὸν θρόνον αὐτοῦ, *& thronum suum.* At non dedit Imperatori nostro Draco, hoc est Sathan virtutem δύναμιν, sed Respublica, sed Electorum Reuerendissimum, & Serenissimum Collegium. Nam & aduersæ Religionis Principes Sacrosanctum Romanum imperium vocant. Graserus quidem *necessario affligi ab eo Ecclesiam, & plenitudinem Diabolismi in eo habitare asseuerat.* Sed portentosa conuitiandi malignitate, quem etiam Serenissimus Angliæ Rex abunde refutat, cum suis Imperatorem titulis appellat. Et anno 1614. *liber de vnione & Synodo Euangelicorum Heidelbergæ editus* subscriptum habet. Cum gratia & priuilegio S. R. Imperii Vicarii. Falsum ergo quod Aretius ait: Diabolus affinxit sua ornamenta imperio. Rationem claudo, & principibus considerandum, quo illa tendant, relinquo.

Magno crimine omnes Imperatores accusantur à Caluinianis.

§. 4. Secundo. v. 3. *Et vidi vnum de capitibus eius quasi occisum in mortem: & plaga mortis eius curata est: & admirata est vniuersa terra post Bestiam, & adorauerunt Draconem, qui dedit potestatem Bestiæ, & adorauerunt bestiam, dicentes: Quis similis est bestiæ?* Hæc in imperio non fiunt, non igitur est imperium illa bestia. Aretius tamen occisum caput ait fuisse in Iulio Cæsare, vel Nerone, vel aliis Imperatoribus, à Longobardis, vel à Turca victis, restitutum à Vespasiano, vel Antonino, vel Carolo Magno. Impia expositio, & sese euertens. Non enim adoratus diabolus in imperio, nec Imperator, ob mortuum aliquem Cæsarem, & restitutum imperium. Theodosius Magnus, Carolus, Othones, alii eodem crimine tenerentur.

Nō adorat imperatorem vniuersa terra.

§. 5. Tertio. v. 8. *Et adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram. At non omnes adorant Imperatorem, non igitur ille est bestia.* Quantæ enim terræ, & reges sceptro Romano liberæ & sunt, & semper fuerunt? quot arma à Persis, Gothis, Hunnis, Wandalis, Longobardis, Nortmannis, Saracenis, Turcis imperium afflixerunt, profecto quod tanto furore oppugnarunt, ex parte obtriuerunt, non adorarunt?

§. 6. Quarto: In toto hoc genere conuitiandi fœde inter se dissident, Illyricus aliiq; cum Imperio Romano

mano Turcicum coniungunt; alii adorationem illam ingenti principum contumelia exponunt. Aretius in Apoc. 13. 7. *Admirari Bestiam est imperii successum, & felicitatem admirari, Augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale illud prædicantes.* Pergit Aretius: *Secundo Adorauerunt Draconem, hoc est, diabolum in eius persona colunt, & adorãt: Draco enim diabolus est, qui sua ornamenta affingit imperio.* En quo vos odia inconsiderate professa propellunt? Papa vobis est Antichristus. bestia secunda; hoc vt miseris esse verum appareat, primam bestiam secunda nequiorem decuplo, Imperium Romanũ esse statuitis, adeo effrontes, adeo temerarii, vt cum secundam bestiam primæ ancillantem occidendam, tormentis lacerandam; exurendam dictetis, primã maiore pœna dignam non animaduertatis. Deinde vestros quoque principes facitis bestię adoratores, illi enim voce & diplomatis suis imperium sanctum, augustum, &c. nominãt: Pergit ille: *Vide quid sit colere diabolum, hoc est, admirari nimium, maiestatem, & felicitatem imperii Romani,* de reformato etiam imperio agere profitetur v. 8. & ad v. 2. in margine notat. *Diabolus Romani Imperii σύνεργος.* Deniq; adiungit, *eos qui hæc faciũt, non esse scriptos in libro vitæ agni.* An igitur principes, comitesq; vestri ô Collegę Antibellarminiani, vestro iudicio, *scripti non sunt in libro vitæ agni*? An omnes subditos imperii excluditis cœlo? nam eo titulo imperium honorant, quem Idololatriam, hoc est, diaboli cultum Collega vester in Heluetia, vel vrbe Heluetię confœderationis tanto studio, tanto odio denarrat? sentire vos ita ideo dubitare non debeo, quando quidem tantam inter vos dogmatum cõsensionem esse asseritis, deinde alia ratione nocere Papæ non potestis; nisi per latus imperii Romani eum configatis, neq; mirum, aut nouum est, si Papam pessundare liceat, paratos vos esse nauem qua nauigatis perforare, Scio quo vos Consistorialis violentia trahat. Hæc alterius disputationis sunt, quæstionem vnicam nunc propono. Disputatio aphoristica contra Bellarminum excusa est Heidelbergæ, typis Ioannis Lancellotti Academiæ Typographi, cui subscriptum in hæc verba: *Cum priuilegio S. Romani imperii Vicarii.* An vestra est hæc, an typographi idolomania? nam *sanctum dicere imperium, est diabolum colere, adorare draconem,* vt vestri docent. An forte imperium Romanum, cum habet Vicarium caput, est sanctum, cum vero primarium, proprium, & sui nominis, est profanum? in quo, vt ait Graserus, sit plenitudo diabolismi?

Aretio est Imperator persona diaboli.

Imperium non est à diabolo, nec eius vicarius.

§. 7. Ludibrium debetis, non Turcis modo, & Persis, sed Francis, Italis, Hispanis, Polonis, cum vestrum imperium Sathanæ Auctori transcribitis. Multi vestrum in eo adlaborarunt, vt ostenderent, translationem imperii à Pontifice factã non esse, non confirmationem, non coronationem, nulla ornamenta accipere à Sacerdote Romano, & cur obsecro? Videte & doctrinæ, & conuitii portentosam Imperiij; legibus vindicandam malitiam, *Diabolus* (inquit Benedictus Aretius collega vester) *sua ornamenta affingit imperio, Diabolus Romani imperii σύνεργος, cooperator, adiutor.* Tanti erat negare communionem Papæ, vt ornamenta tribuerentur Diabolo? Satis est, abunde est, odium sacerdotii Apostolici, amor est dæmonis. Horteſco referens. In hoc laborarunt tam multa scriptorum vestrorũ ingenia, vt Imperium omni iurisdictioni, quam vetustas dedit Pontifici, subducerent, non vt libera esset, & omni modo exlex illa maiestas, sed sathanæ auctoraretur. Vt excluderetur Vicarius Christi, Seruus seruorum Dei, σύνεργος esset, & ornator, ille fratrum accusator, Christi aduersarius, Dœmon. Tam odiosa Roma, vt diadema malitis è tartaro? Sũmum itaq; & hoc loco fastigium tenet impietas. Tantum progressa odio veteris Ecclesiæ, vt in eius locum Draconem tartareum cooptarit, regna illi tribuat. Quid super est aliud quam vt credãt dicenti: *mea sunt omnia regna mundi,* & promittenti: *Hæc omnia dabo vobis, si cadentes adoraueritis me,* & conditionem spe regni expleant, cadantq; & adorent diabolum? nihil non illi facient, quibus imperium Romanum appellare sanctum, est colere diabolum. Et sanctum dicere Imperium est dœmonilatria. est ne peccatum libro suo subscribere, quod fecit vester pseudopropheta.

Anno

Mat Vres Cent Is sponsæ DIVæ?

Minoribus tribuunt honorem, quem magnis negãt.

Iterum quæro: si idolomania est *Augustum dicere Imperium Romanum,* vt vult Aretius Caluinista, anne eo se crimine obstrinxerit Beza, dum sub Augusto nomine Elisabethæ Britannicæ, noui testamenti versionem edere se scribit. An nomen Augusti in Augustali imperio est cultus dœmonum, in ditione vnius insulæ ὁποκοεισιδν, & fidelitatis insigne?

§. 8. Tertio quæro. Anne Casparius Waserus, qui plagam Regiam Graseri Serenissimo regi Britanniarum venditauit, sit idololatra, nam in illa præfatione, ait: *Tertium fuit Maiestatis tuæ auctoritas, quæ & in ipso summa, ac plane diuina residet, & talis iam olim residebat in immensa magnitudinis, & claritudinis prosatoribus tuis, &c.* pergit.

Quorum consideratio omnium, auctorem huiusce operis iustissime mouit, & permouit, vt ad sacratissimi patrocinii, & celsissimi præsidii Maiestatis tuæ aram istas lucrubationes quasi suspenderet. Nonne Maiestatis auctoritas plane diuina, Immensa magnitudo, & claritudo, sacratissimum patrocinium, Celsissimum præsidium, maxime cum ara additur, in qua flamines Waserus & Graserus adulationes sacrificant, nonne in quam defendunt ista verba tam ampla Germanos Principes, cum vocant Romanum Imperium sanctum? Cum Pareus l. de Vnione, & Synodo Euangelicorum, Serenissimum magnæ Britanniæ Monarcham vocet D. Iacobum VI. Si ille Diuus, cur non Imperator Augustus. Illud enim D. Diuum, non Doctorem significat.

Quorsum ista tendant vel cæcus viderit, vtinam non interitu suo Germania nostra discat. Omnes reges sunt sacrosancti, coluntur à suis, in admiratione sunt, eorum læsa maiestas suppliciis rebellium sese vlciscitur, an solum Imperatorem sacrosanctum dicere, colere, mirari idololatria est? an solum hoc regnum est diabolicum? Quid aliud Prophetæ isti agunt, quam vt miseram Germaniam fraterno collisam duello, seruitio & libidini tyranni Mahomerani contradant?

CAPVT XXXIV.

De iisdem Bestiis, ex cap. 13. Apocal. à versu 11.

§. 1. DE altera bestia agitur à v. 11. ad finem capitis, quam Pontificem, seu Pontificatum esse vult noster propheta. Spiritus sanctus autem qui reserauit ora Ioannis Euangelistæ, ea symbola adiunxit vtrique Bestiæ, quibus certo constet nec illam esse Imperatorem, nec hanc Pontificem.

§. 2. Ratio prima. Secunda Bestia *omnem potestatem primæ facit in conspectu eius,* v. 12. Eam potestatem non facit Papa coram Imperatore, non igitur est altera bestia, nec prior est Imperator.

Pontifex non facit potestatem bestiæ primæ.

§. 3. Ratio secunda. *Et fecit terrã & habitantes in ea, adorare bestiam primã, cuius curata est plaga mortis.* Pontifex hoc nõ fecit, nõ ergo est altera bestia. Resp. Graserus: *Pontificem retinere homines in cultu prioris bestiæ, etsi illa iam non sit.* Respõdeo vicissim, tam clarũ hoc esse mendacium, quã clarũ est meridie liquere. Est n. adhuc Imperium Rom. omnesq; principes eius se ita nominãt, & nominantur ab omnib. Respondeo deinde Adorari bestiã, non quæ non est, sed quæ reuera est, id enim Spirit. S. spiritui mendaci opponit, *cuius,* inquit, *curata est pla-*

Pontifex non facit adorari Imperatorem cultu latriæ.

est plaga mortis. Respondeo tertio, multum debere principes imperii, etiam suorum iudicio, Pontifici, qui tam sedulo auctoritatem illis conciliare conatur. Nam *facere vt bestia adoretur. Nihil aliud esse* vult Aretius, *quam velle imperium sacrosanctum, augustum, & venerabile esse, vti olim sub gentilibus fuit*; hoc vult Pontifex non tamen cæcitatem gentilium, vel Imperatorum ἀποθεώσεις induci; si male nos, qui Imperium Sacrosanctum, augustum, venerabile esse volumus, si ideo antichristiani sumus, & morti destinamur ab iis qui sub eodem Imperio viuunt, quid merentur illi qui augustũ, Sacrosanctum, venerabile esse nolunt? qui humile, profanum, contemptibile esse volunt? tanto odio Germano-Romanæ Maiestatis, vt extrema exempla meritos velint, si qui Imperio bene volunt? an alia vota in Mahometanorum Moscheis concipi, nuncuparique putamus? at maiore scelere nostri Caluino-Turcæ, quia ciues, quia iuramenti sanctitate Imperio deuincti.

Ministri perduelles.

Non possum hoc loco ridiculam Illyrici præterire delirationem, facere potestatem corã bestia, vt ipsa adoretur; interpretatur. *Exercere potestatem inuitu Imperatoribus, subiicere Imperatores.*

§. 4. Ratio tertia. *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret, de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* V. 13. Nemo Pontificum ignis è cœlo deuocatione Imperatoribus adorationem conciliauit, non igitur Papa est bestia secunda, vel Imperator prima. Quis n. Pontifex quequam coegit titulum Imperii adorare? si adorare est dicere *augustum, inuictum* quę etiam Britanni regni titulum adorat Waserus, vocat enim *Augustissima auspicia, ipsum regem Inuictum* ὑπερέσσιον.

Impii ministri in formam Reipublicæ Germanicæ.

§. 5. Ratio quarta. V. 14. *Secunda bestia dicit, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.* Quã imaginem Imperatoris fieri, & adorari iussit Pontifex, quam illi vitam dedit? Imaginem bestiæ formam reipublicæ Illyricus. Bullam auream Caroli quarti, eneruem imperii vmbram, alii aliud interpretantur. Si ita res habet, non igitur iam viuum & verum imperium habemus, sed vmbraticos magistratus. Deinde imago est bestiæ quæ reuixit, viuæ ergo est imago. Itaque Aretius, imaginem bestiæ, ait esse Imperatorem electum, vitam vero confirmationem esse. Sed blaspheme, & stulte, secunda enim bestia, & bestiam & imaginem simul adorari cogit, & imago bestiæ, & posterior ipsa Bestia, deinde imago viuens & garrula, non est ipsa bestia, sed imago bestiæ, nouum enim erat loqui imaginem; nam bestia iam ante blasphemias elocuta fuerat, in Deum & Sanctos, V.S.

Character non est bestiæ secundæ.

§. 6. Ratio quinta. Bestia secunda faciet omnes habere charactarem primæ bestiæ, aut nomen, aut numerum nominis, hæc Pontifex non præstitit Imperatori, non ille ergo secunda, nec hic est prima bestia. Quis enim vetitus est emere vel vendere sine charactere Imperatorio? Dum characterem quærimus, Bullingero est Chrisma, Chytræo iuramentum fidelitatis, Aretio vtrumque etiam doctorum & magistrorum dum inaugurantur. Illyricus extendit ad rasuram & characterem ordinis. Graserus characterem ordinis, exorcismum, sacramentum confirmationis. Sutliuius communem viuendi modum Papistarum, elidunt illa se mutuo, & à nostris sæpe refutata sunt, mihi satis est insignem Sectariorum in conuitiando ostendere instabilitatem; nil enim contra Pontificem omnia illa faciunt, quod in hunc modum irrefragibili ἀποδείξει demonstro.

Quinque sunt quæ Euangelista, & Propheta Ioannes bestiæ Symbola proponit, Imago bestiæ, vita imaginis, character bestiæ, nomen bestiæ, numerus nominis bestiæ. Tria posteriora omnes Pontifici attribuunt, maxime noster præstigiator. Vt probent eũ esse Antichristum, mira nomina fingunt & refingunt, quæ apud Lutherum, Chytręum, Graserum, & nostrum quem nunc refutamus prophetam inueniuntur, nam de charactere totum librum sextum implet. Characterem bestię ait esse nomen eius hoc propriũ, vel numeris signatum, vel ænigmaticum, tædet nugarum, ita ad explicandum argumentum procedo. Antichristus ille est, cuius imago character, nomen, numerus nominis in Apocalypsi describitur, sed illa non sunt Pontificis, non igitur est Pontifex Antichristus. Propositio controuersa non est, vtraq; enim pars illa Antichristo tribuit. Assumptio probatur. Imago, character, numen, numerus nominis sunt primæ bestiæ, seu primariæ, non secundæ, quæ primæ ancillatur, sed iuxta conuitia sectariorum, secunda est Pontifex, nõ prima, Imperium n. aiunt primam esse bestiam, non ergo character, nomen, numerus nominis ad Pontificem, sed ad Imperatorem, & Principes imperii pertinent, si illorum vera est hæresis. Nũc itaque probandum est, hæc primæ esse, non secundæ bestiæ.

Considera quid de imperio sentiant Caluiniani.

§. 7. Primo. Contextus ipse docet; eiusdem bestiæ esse imaginem, cuius est character, nomen, numerus nominis: imago est primæ bestiæ. *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagã gladii & vixit. v. 14.* Pergit v. 15. *Et datum est illi, vt daret spiritũ imagini bestiæ, & vt loquatur imago bestiæ: & faciat, vt quicunq; non adorauerint imaginem bestiæ occidantur.* Nulla igitur controuersia est, de Imagine, illa enim est eius bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit. Sed eiusdem bestiæ est character, & nomen, quod probo ex v. 16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Et v. 17. Et ne quis possit emere, *aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiæ, aut numerũ nominis eius.* Non dicitur secunda bestia id agere vt imago, vel character suus habeatur, sed bestiæ, primæ scil. nec dicit, numerum nominis sui, sed numerũ nominis eius.

Secundo. c. 14. v. 9. 10. 11. *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, & hic bibet de vino træ Dei, &c. Nec habent requiẽ die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit numerum nominis eius.* Clarius Spiritus S. dicere non potuit, eiusdem bestiæ imaginem esse, & characterem, imago prioris est, ergo & character, prior est imperium ex seditiosa sectariorum sententia. Character ergo est imperii, non pontificatus, omnis ergo calumniarum & conuitiorum mephitis in Augustos, & Electores Imperii, principesque exhalat, quam merito subditi omnes abominamur, liber autem est Pontifex.

Tertio. c. 15. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem bestiæ, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, &c.* Non alius bestię est imago, & alius numerus nominis; Imago non est bestiæ pontificiæ, ex consensu hostium Pontificis, nec igitur numerus nominis, itaq; vanitas tot nominum in pontifices confictorum principes petit, ad eos enim primam bestiam pertinere ingrati & flagitiosi subditi Caluinistæ calumniantur.

Quarto. c. 16. 2. Pœna eos secuta idem iudicat. *Et factum est vulnus sauũ & pessimum in homines, qui habebant characterẽ bestiæ, & in eos qui adorauerunt imaginẽ eius.* Cuius imaginẽ adorauerũt? Eius, cuius erat, & character.

Quinto. c. 19. 20. *Et apprehensa est bestia, & cũ ea pseudopropheta: qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius.* Pseudopropheta est secunda bestia, minor ipsa, quæ simpliciter bestia dicitur, ideo nec secunda dici potest Pontifex, ne quidem peruicaci malitia sectariorum, cum enim extollere illum dicant, sese supra omne σέβασμα, quomodo sui negligens hoc agit, vt diuinitatis opinionem primæ bestiæ conciliet?

Pontifex se non extollit supra omne σέβασμα.

Nequic-

Ne quicquam igitur tantis furoribus, tanto apparatu, Character, nomen, numerus nominis iactatur in Romanam Ecclesiam, frustra bella & cruentas cædes machinantur, nō est illa, quam insequuntur fera: fragili carni, hoc est, clero, vt Graserus interpretatur, quærunt illidere dentem, solido autem infringunt, hoc est, eodem interprete, Laicis. Miseratione potius, quam insectatione, vel risu digna, multorum Germanorum, etiam Principum simplicitas, qui cum numerum nominis 666. in vocula aliqua, à suis inuentum audirent, vt רומרית *romiit*, vt λατεινος, aliaue, cōtinuo τεχνοχιαν admirati, imperioso ostracismo à Christiana republica omnes pontificios exulare iusserunt, ignari illa subtilitate Politicum Magistratum, Imperatorem, & nobilissimos imperii Dynastas, tanquam bestiam, in stagnum sulphuris, & ignis abiici.

Caput XXXV.

Pontifici ad Consilia, gubernationesque iungi Cardinales.

Cardinales Pontificis assessores, consiliarii.

§. 1. Cardinalium nomen recens est, res antiquissima; sunt enim præcipuus summi Pontificis senatus, sunt gubernatores, consiliarii, assessores. Ita dicti quod in illis, velut cardinibus Ecclesiæ negocia versentur; sintque antistites & duces religionis, ita Chalcondylas l. 6. vbi de Bessarione, & Isidoro in Conc. Florentino Cardinalibus electis agit. Qui tamen labitur cum triginta eligi tradit. Sylvester in Romano Concilio, nominat presbyterum, & diaconum Cardinalē. 2. q. 7. c. 5. *Præsul non damnabitur nisi cum 72. testibus: nec præsul summus à quaquam iudicabitur, quoniam scriptum est, non est discipulus super magistrum, presbyter autem Cardinalis nisi cum 44. testibus non damnabitur: diaconus vero Cardinalis vrbis Romæ nisi cum 27. testibus non condemnabitur.*

Cardinales olim infra Episcopos.

Qua ex re colligimus aliarum Ecclesiarum etiam Cardinales fuisse, & Cardinales vrbis Romæ longe infra Episcopos fuisse, nam 27. testibus condemnantur, cum Episcopi non nisi 72. quod etiam in cap. 3. repetitur. Volaterranus *in Anthropologia*, sub Benedicto nono eos ita nominari incepisse arbitratur an. 1031. verum iam anno 950. sub Lodouico 4. Othone magno hoc nomen vitatum fuit. Postea crescente negociorum multitudine, firmatoq; ciuili Romanę Ecclesiæ imperio in Italia, Sicilia, aliisque locis eorum creuit auctoritas, dignitas, opes; itaq; recte Chalcondylas ait Pontificem illis reditus sufficientes dare assignatis regionibus, vnde alii maiores, alii minores percipiant.

Firmato imperio Pontificis opes Cardinalium creuerunt.

§. 2. Cardinales iussu Conc. Basileensis scrutinio eliguntur, verba Sess. 23. sunt ista. *Non fiat Cardinalium electio solum per auricularia vota, sed illi solum assumi possint, in quos facto vero scrutinio ac publicato, maiorem partē Cardinalium: per subscriptionem manus propriæ constiterit collegialiter consensisse. Desuper etiam Apostolicæ literæ cum subscriptione Cardinalium conficiantur, decreto huius sacri Concilii in quarta sessione solenniter publicato, quod incipit. Item cum multiplicatio Cardinalium, &c. in suo robore inuiolabiliter permansuro: Cum recipient Cardinales suæ dignitatis insignia, quorum significatio est, vt pro bono vniuersalis Ecclesiæ sanguinem proprium (si opus sit) non vereantur effundere, iurabunt in publico consistorio (si sint in curia: si vero absentes, in manibus alicuius Episcopi & publice, cui per literas Apostolicas, in quibus forma iuramenti inserta sit, cōmissum fuerit) in hunc modum: Ego N. nuper assumptus in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, ab hac hora in antea ero fidelis beato Petro, vniuersali & Romanæ Ecclesiæ ac sum. Pontifici, eiusq; successoribus canonice intrantibus, laborabo fideliter pro defensione fidei Catholicæ, extirpationeq; hæresum & errorum ac schismatum, reformatione morum, ac pace in populo Christiano. In alienationibus rerum & bonorum Ecclesiæ Romanæ, aut aliarum ecclesiarum, & beneficiorum quorumcunq;, nō consentiā, nisi in casibus à iure permissis, & pro alienatis ab Ecclesia Romana recuperandis, pro posse operam dabo. Non consulam quicquam summo Pontifici, nec subscribam me, nisi secundū Deum & conscientiam meam. Quæ mihi per sedem Apostolicam commissa fuerint, fideliter exequar. Cultum diuinum in Ecclesia tuli mei, & eius bona conseruabo, sic me Deus adiuuet.*

Iuramentū Cardinaliū

Hodie quoq; ita quandoq; eliguntur, sed cum arbitrio Pontificis nominantur, consensis aliorum Cardinalium adiungitur, estq; vna è præcipuis Papæ virtutibus; prudentia, sinceritasq; bonos Cardinales cōstituendi. Non enim tantæ dignitatis scopus est, vt in purpura resplendeant, sed vt sanguinem pro fide & religione effundere sint parati. Itaque insignia sic honoris esse voluit Ecclesia, vt simul officii commonitionem habeant, toga purpurea, & pileus rubeus, color regius est. sed & color martyrum; nam solennitatibus martyrum eo colore Ecclesia vtitur.

Cardinalitia purpura indicat pro Ecclesia moriendum esse, non ex sanguine Ecclesiæ viuendum.

§. 3. Numerus Cardinalium nullius est certus, plurimos, si idonei sint, esse, optatissimum, atq; optimū est. Quod tempore Pontiani, anno Domini 234. dicantur à glossatore 236. fuisse, non tam alienum à vero est, quā nonnulli arbitrantur, etsi enim nomen defuerit, consilium tamen Romani cleri magnum fuit, & copiosum, Concil. Basileense moderatum numerum præscribit, Sess. 23. *Cum summo Pontifici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in dirigenda Christianā Republica collaterales assistant, necesse est vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos ostia vniuersalis versentur & sustententur Ecclesia. Statuit igitur sancta Synodus, vt deinceps eorū numerus adeo sit moderatus, quod nec sit grauis ecclesiæ, (quæ nunc ob temporum malitiam plerisque grauibus affligitur incommodis) nec superflua numerositate vilescat. Qui de omnibus Christianitatis regionibus, quantum commode fieri poterit, assumantur, vt notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, & super his maturius deliberari possit, sic tamen quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc sunt & assumendos, non excedant, ita quod de vna natione vltra tertiam partem respectu Cardinalium pro tempore existentium, ac de vna ciuitate & diœcesi vltra vnum inde oriundum, & de ea natione quæ nunc vltra tertiam partem habet, vsque ad ipsius tertiæ partis reductionem esse nequeant. Sint viri in scientia moribusque ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magistri, doctores, seu licentiati, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Si saltem tertia vel quarta pars de magistris aut Licentiatis in sacra scriptura. Inter hos autem viginti quatuor, esse aliqui poterunt admodum pauci, filii, fratres aut nepotes Regum seu magnorum Principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum competens litteratura sufficiat.*

Olim 236. Cardinales re non nomine.

Cardinales ex omni natione docti, & prudentes, probique legendi.

Regum filii aut nepotes pauci.

Quidam 72. constituendos censuerunt, quod is numerus fuerit seniorum apud Iudæos, & discipulorum Domini. Sixtus 5. decreuit ne plures septuaginta essent, atque inter illos ad minimum quatuor Theologiæ doctores ex ordinibus mendicantium assumpti. Quid suadeam, si quæras, aperte dicam; Si multi sint sumptuosi, & parum gnaui, magno oneri sunt, grauantque Ecclesiam, & offendunt infirmos; si multi sint, & moderati, laborioſi, prudentes; non potest esse tanta multitudo, vt non maior, sit melior. Salus enim Reipublicæ est multitudo sapientum; Ecclesiæ etiam salus est dignitas cum virtute, vbi enim duo illa iuncta sunt, summa est auctoritas, & illius vsus optimus.

Ex ordinibus mendicantium Cardinales.

Si bonī sunt, multi sint, si malī sint, pauci aut nulli sint.

§. 4. Non est minus hoc agendum, vt sint Cardinales diuersarum gentium, quā vt multi sint, & probati; itaq; prudenter Bessarion, & Isidorus in Florentino Concilio ad vnionem Græcorum retinendam ad-

Ex diuersis nationibus sint Cardinales.

adlecti sunt; nam non modo multa huius rei sunt cõmoda, sed necessitas pene videtur. Primo, ne in consistorio, & iudicio Ecclesiæ, quod est omnium sanctissimum studia nationum sentiantur, ne vlla natio se contẽptam arbitretur, ne deesse sibi apud Apostolicum queratur patronum. Secundo, quia cum omnium gẽtium principibus, Rebusque publicis, regibus agendum est, huic rei conducit, in consilio habere omnium gentium optimates; per quos negocia tractentur. Tertio, id quoq; cognoscendis causis, statuque gentium omnium necessarium est, neq; maiores in gubernatione committuntur errores, quam ignoratione Reipublicæ; at fieri non facile solet, vt exteri omnia perspecta habeant, quæ ad alias gentes instruendas, conciliandas, gubernandas pertinent. Quam multi Italorum Germaniæ Episcopos suis pares in externa gubernatione arbitrantur, & myricis abietes conferunt? Quam non pauci Germaniam magnam vrbem esse imaginantur? Quidam non ignobilis ex Germano quærebat; An Cæsar etiam multos haberet pagos?

Germaniæ Episcopi principes sunt, non Itali.

Tam fœdam historiæ, gentiumque ignorantiam in tanta dignitate esse non posse est probabile; ignorantur tamen alia, quæ non minoris momenti sunt, vt leges particulares, æmulationes principum, ingenium, agendi modus, consuetudines, in quibus non tantum diuersarum gentium optimates aberrant, sed etiam Legati Apostolici cum alterius nationis sunt, interdum, impingũt, & quasi rerum pro quibus mittuntur ignari, perdunt auctoritatem; Cardinales igitur pro nationum diuersitate varios esse oportet, atque ex omni gente selectissimos viros, multos etiam nobilitate, ac statu insignes, non modo sanctitate & eruditione; nam per eos frequenter res maxime conficiuntur, fœdera regum, pax, & tranquillitas Reipublicæ acquiritur.

Ignoratio Reipublicæ ad quam mittitur legatum perdit.

§. 5. Quales vero Cardinales esse oporteat Conc. Basileense docuit. Sess. 27. decret. 2. *Sint viri in scientia moribusq; ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magistri, doctores, seu licentiati, cum rigore examinis in iure diuino vel humano. Sit saltem tertia vel quarta pars de magistris, aut licẽtiatis in sacra scriptura. Inter hos autem viginti quatuor, esse aliqui poterunt admodum pauci, filii fratres, aut nepotes Regum seu magnorũ Principum, in quibus cum circumspectione & maturitate morum competens literatura sufficiat. Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel sorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis, non illegitime nati, nõ corpore vitiati, nec alicuius criminis, aut infamiæ nota respersi. Prædicto aũt numero viginti quatuor, pro magna Ecclesiæ necessitate vel vtilitate duo alii, in quibus vitæ sanctitas vel eximiæ virtutes refulgeant, quãquam memoratos gradus non habeant, ac de Gracis cum Romanæ Ecclesiæ vnitis fuerint, insignes aliqui viri adiici poterunt. Non fiat Cardinalium electio solum per auricularia vota, sed illi soli assumi possint, in quos facto vero scrutinio ac publicato, maiorem partem Cardinalium per subscriptionẽ manus propriæ constiterit consensisse. Desuper etiam Cardinalium Apostolicæ literæ cum collegialiter subscriptione conficiantur,* decreto huius sacri *Concilii in quarta sessione solenniter publicato quod incipit: Item, cum multiplicatio Cardinalium in suo robore inuiolabiliter permansuro.*

Nepotes Pontificum & Cardinalium arcentur Cardinalatu à Concilio Basileensi.

Potest sine dubio in hisce Pontifex habita ratione temporis, loci, & necessitatis aliter disponere; sed an ita expediat, diligenter perpendendum est. Id sane tenendum: Nunquam esse aliquem eligendum Cardinalem vt ipse electus ad honores, opes, potentiam euehatur, sed publici boni causa, vt vtilitati, ac necessitati Ecclesiæ prospiciatur.

Cardinales enim eligũtur propter Ecclesiam.

Verum leges optimas Cardinalibus fixit Concilium Lateranense Sess. 9. (7. decretal. l. 1. t. 4.) *Cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cæteros omnes in ipsa Ecclesia post summum Pontificem honore ac dignitate præcedant, conueniens ac debitum est, vt vitæ munditia, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant. Qua propter non modo hortamur eos ac monemus, verum etiam statuimus, & ordinamus, vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore existens, iuxta doctrinam Apostoli, ita sobrie, caste, ac pie viuat, vt non solum à malo sed ab omni etiam specie mali abstinens, corã hominibus luceat, Deumq; in primis, operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officiis, missarumq; celebrationibus intenti, habeantq; capellas suas in loco honesto, prout facere consueuerunt. Sitque eorum domus, familia, mensa, supellexq; non fastu, aut pompa, neq; superfluis rebus, neq; aliquo modo reprehensibilis, ne peccandi, excedendiq; modũ licentia inde nascatur, sed vt æquum est, modestiæ & frugalitatis speculum dici mereantur. Illis itaq; sint contenti, quæ sacer doctorem præ se ferat modestiam, ac prælatos & quoscunq; alios insignes viros ad Romanã Curiam venientes, benigne, honorifice, tam publice quam priuatim tractent, & apud nos & successores nostros gratiose, liberaliterque eorum negotia commendata suscipiant. Præterea ministerium indecorũ Episcoporum, Prælatorumq; in domibus non habeant, ne cæteris præesse instituti, & sacro Charactere insigniti, in vilia descendant ministeria, passimq; pastoralis officii contemptũ inducant. Eos itaq; quos vel nunc habent, vel imposterum sunt habituri, honorifice, vt fratres, ac iuxta eorum status condecentiam tractent. Cumq; Rom. Pontifici communi omniũ Christi fidelium patri assistant, personarum acceptatores, vel aduocatos eos fieri, valde inconueniens est. Propterea statuimus, ne partialitatem suscipiant aliquam, neq; principum, aut communitatũ, vel quorumcunq; aliorum contra quempiam nisi quantum iustitia & æquitas postulat, eorumq; dignitas, & conditio requirit, promotores aut defensores fiant, sed à priuata omni passione seiuncti, sedandis & cõponendis inter quoscunq; litib⁹, omni diligentia vacent, incumbantq; principum, & quorumcunq; aliorum ac præsertim pauperum, & religiosorum iusta negotia pio promoueant affectu, oppressos & iniuste grauatos iuxta vires suas, & officii debitum adiuuent. Tituli sui loca, si præsentes in curia fuerint personaliter; si vero absentes, per Vicarium, ideoneum semel saltem singulis annis visitent, clericos & populos ecclesiarum titulo suo subiectarum, cum diligentia inquirant, vigilentq; circa cultum diuinum & bona dictarum Ecclesiarum, morej q; in primis & vitam clericorum & parochianorum solerter explorent, eosq; omnes & singulos ad recte, honesteq; viuendum paterno moneant affectu. Pro augmento autem diuini cultus, & salute animæ suæ, quilibet Cardinalis, vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad presbyterum vnum commode ibi sustentãdum, vel si Ecclesia indigeat reparatione, vel alia subuentione, tantum illi relinquat, vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur. Et cum minime deceat, affines & consanguineos præsertim bene meritos, & ope indigentes negligere, sed illis prouidere iustum & laudabile sit, nõ propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vel Ecclesiasticis reditibus ita eos implere cõuenire arbitramur, vt cæteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scãdalum nascatur. Statuimus itaq;, vt Ecclesiarum bona temere non effundant, sed in iis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni, & optimi reditus per sanctos patres statuti, & ordinati fuerunt. Volumus etiam, vt Ecclesiis eisdem Cardinalibus commendatis, etiam si Cathedrales, Abbatiales ue, aut Prioratus, vel quæcunq; alia beneficia Ecclesiastica fuerint, absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo prouideant debite inseruiri Cathedralibus dignos & idoneos Vicarios, seu suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna & competenti mercede apponentes, reliquis autem filii commendatis Ecclesiis, aut monasteriis de iuncto Clericorum, vel Capellanorum, seu religiosorum, aut monachorum Deo sufficienter & laudabiliter seruientium, munere prouidentes ædificia quoque, possessiones, & iura quæcunque in statu conuenienti conseruent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum prælatorum & commendatoriorum officium spectat.*

Cardinales cunctis virtute præluceant.

Cardinales sint pii, casti, rebus sacris intenti.

Sine fastu, sine superfluis.

Certis principibus ne sint addicti.

§. 6. Quemadmodum ex suo corpore Episcopum Canonici, ita Pontificem eligunt Cardinales, estque hoc eorum primum & excellentissimum officium; eligunt,

Pontificem eligunt.

ligunt enim & eliguntur, idque crebro; cum non nisi proiectæ ætatis Cardinales in Ecclesiæ pastores eligantur, ideoque diu præesse non possint, raros enim in illa sede iuuenes Ecclesia conspexit.

De ratione electionis, conclauium, & aliarum circumstantiarum leges dedit sub Greg. 10. Concilium Lugdunense. Sunt vero etiam constitutiones iuris, distinct. 23. In nomine, item distinct. 70. per totum. & 79. c. 1.

Iuramentū Cardinaliū de Pontifice eligendo.

Iuramentum illis exhibendum à Concilio Basileensi Sess. 23. tale proponitur. *Sequenti die Cardinales omnes coram his qui in conclaui fuerint, audita Missa de sancto Spiritu, sacram sumant Eucharistiam. Et antequam scrutinium inchoent, antepositis sanctis Euangeliis, iurent super hac forma: Ego N. talis Cardinalis iuro & promitto omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, ac beato Petro Apostolorum Principi, eum eligere in Pontificem, quem credam Ecclesiæ vniuersali in spiritualibus & temporalibus vtile, & tantæ dignitati idoneum: nec illi vocem dare, quem veri similiter sciuero, promissione aut datione alicuius rei temporalis, seu precepersevel alium interposita, aut alias qualitercunque directe vel indirecte, pro se electionem procurare, electo in Pontificem non prius obedientiam facere, quam iuret iuxta formā decreti sacri Basileensis Concilii, ita me Deus adiuuet, cui in die tremendi iudicii redditurus sum de hoc, & cunctis operibus meis rationem.*

Posthæc quilibet eorum schedulam dabit, in qua vltra tres non nominet, inter quos si vltra vnum nominauerit aliquis, sit extra Cardinaliū collegium. Neque vna fiat nisi vnum fiat scrutinium, & immediate post Missam. Lectis schedulis, nisi duarum partium in vnū vota concurrant, mox comburantur. Ante autem sex completa scrutinia accessus ad quemquam fieri non possit. Recogitent eo tempore Cardinales, & attenta mente considerent, quantum sibi ipsis meritum vel demeritū, quantumque populo Christiano fructum vel præiudicium, bonum vel malum eligendo Pontificem facturi sunt. In nulla profecto re magis Domini nostri Iesu Christi gratiam vel iram assequi possunt, quam cum de Vicario eius, suis præficiendo ouibus agitur, quas ita dilexit, vt pro ipsis & mori & crucis tormentum pati dignatus fuerit.

Cardinales mortuo Pontifice administrant Ecclesiam

§. 7. Cum mortuo Pontifice interregnum est, omnia Cardinales administrant, eam penes Clerum Romanum fuisse potestatem ex Epistola sancti Cypriani facile colligimus. Nam Epist. 29. Et *dilectio communis, & ratio expoſcit, fratres charissimi, nihil vestræ conscientiæ subtrahere, de his quæ apud nos geruntur. Et: quod si vltra eorum temeritas, nec meis, nec vestris literis compressa fuerit, nec consiliis salutaribus obtemperarit, agemus, &c.* Sed minor tamen est, quam Pontificis potestas, cum sit primarius Ecclesiæ Christianæ Clerus, non ipse sit caput Ecclesiæ, sed Ecclesiæ caput eligere possit.

Legati de latere.

Constituto Pontifice, sunt eius consiliarii, Legatique, sunt autem Legati alii qui nati dicuntur; quia dignitati eorum annexum est ius legationis, ita olim Oxoniensis in Anglia, nunc Salisburgensis Archiepiscopus dicitur Legatus natus. Alii dicuntur Legati de latere qui fere Cardinales sunt ad regendas prouincias missi, qui vero ad reges & principes mittuntur, vel dicuntur Legati de Latere, vel cum potestate Legati de latere, vel Legati simpliciter dicuntur; in quibus omnibus summa prudentia, modestia, familiæ decens frugalitas requiritur.

Distinctio Cardinalium qua dicuntur alii Diaconi, alii presbyteri, nonnulli Episcopi, ratione titulorum est instituta; nam etiam Episcopus si titulum habeat qui sit Diaconi Cardinalis, vocatur Cardinalis Diaconus.

§. 8. De Cardinalibus quæ statuta sunt in septimo, l. 1. t. 4. Statum eorum satis exponunt. Immunitati illorum Leo decimus ibidem prospexit. c. 2. Nam consuetudinem, qua populus, Cardinalis, quem audierat fore Pontificem, ædes diripit, omnino sustulit. Pius 5. ex decreto Bonfacii Noni, eum qui per se, aliumue læserit Cardinalem reum maiestatis pronunciat. ita c. 3. *Infelicis seculi pericula miserati, dolorem comprimere non valemus. quod nefarii homines, iustorum sanguinem sitientes, ad illorum quoque perniciem infestiore animo incumbant, quos Spiritus sanctus membra constituit præcipua Ecclesiæ Dei, quam suo sibi sanguine acquisiuit. Magna igitur ratione post alios felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. de fratrum suorum consilio perpetua constitutione sanciuit, vt si quis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem fuerit hostiliter insecutus aut percusserit, aut ceperit, aut mandauerit id fieri, sociusque fuerit facientis. factumue ratum habuerit, seu dederit consilium, vel fauorem, aut receptauerit, aut defenderit scienter eundem, tanquam læsæ Maiestatis reus, perpetuo sit infamis; & præterea diffidatus, bannitus & intestabilis. Omnia eius ædificia ruinæ perpetuæ subiaceant, nullus ei debita reddere, nullus ei in iudicio respondere teneatur, bonis omnibus fisco, vel reipublicæ applicatis. Idem etiam feudis, beneficiis, & officiis spiritualibus, & temporalibus sit ipso iure priuatus, sed & ipse infectans, excommunicationis sententiam incurrat, quam solus Romanus Pontifex excepto mortis articulo, valeat relaxare. Sed ne hæc quidem constitutio, propter abdita sceleratorum consilia, omnino satis esse noscitur ad huiusmodi sacrilegia amplius prohibenda. Qui enim alicui vim inferre sibi proponunt, id secreto, in occulto, vt maxime machinantur, velut impium illud facinus indicat in personam dilecti filii nostri Caroli, tituli sanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis Borrhomæi, Ecclesiam Mediolanensem sanctissimis institutis studiose informantis, proxime attentatum. Quæ res nos grauius commouet, vehementiusque excitat, omnia exquirere, vt nobilissimæ corporis nostri partes vndique protegantur. Quibus enim præsidio erimus, quibus suppetias afferemus, quos denique tutabimus, si templa Dei labes, si clarissima Ecclesiæ lumina, si speciales filios, qui pro animabus populorum, pro fide, pro iustitia, pro vnitate peruigilant, multos deseramus. Itaque sanctionis prædictæ de simili fratrum nostrorum consilio adiicientes, statuimus, vt quisquis, etiam à nudo consilio, aut simplici fauore, aut omnino à cæteris prædictis alienus, quempiā autorum, administrorum, vel conscriorum coniurationis, aut commissi, cōmittendiue criminis in personam Cardinalis, illorumue fautorum, receptorum, vel occultatorum, siue ex renunciatione sibi protinus vel per interpositam personam aut litteras facta, cognouerit, siue ex scripturis, cœtu, conatu, concursu, insidiis, aliisue signis, & indiciis qualemcunque scientiam habuerit, vel etiam conuecerit, quiue horum quicquam intellexerit, quātumcunque res alias occulta sit, quam primum id Rom. Pontifici si in Curia fuerit, sin autem, ordinario loci, vel si Cardinalis ipse ordinarius extiterit, propinquiori Episcopo, & si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi Cardinali properet reuelare. Quicunq; vero etiam non subditus, & omnino extraneus defecerit, cuiuscunq; dignitatis fuerit, prædicto sit excommunicationis laqueo innodatus, pariterq; maiestatis reus infamiam, & omnes pœnas prædictas eo ipso incurrat. Eadem nihilominus constitutione quoad reliquas eius partes, ac cæteris omnibus sanctionibus canonicis, & ciuilibus, ad talium coercionem editis, in suo robore duraturis. Porro si quis ad sanitatem reuertens, rem adhuc incognitam retexerit, omni noxa penitus liberetur. Cæterum loci ordinarii secreto casum ad se delatum, prædicto Pontifici primo quoque tempore nunciare, & interim rem omnem ab istis perquirere, & si necessitas tunc postulet, secularem quoq; brachium adhibere. Dat. Rom. 14. Calend. Ian. 1569.*

Non immerito maiestatis crimen imponitur, cum sint principes Ecclesiæ, iudices, consiliarii, in partibus sibi cōmissis rectores, quos necesse est, si officio fungi velint, multos offendere. Cum autem parua præsidia habeant armorum, quibus se tueantur, omni ratione eorum securitati consulendum est. Interim & illis ita viuendum, ne occasionem periculis suis sponte arcessant. Quod maxime modestia & frugalitate consequentur, qui enim sumptu, & magnificentia procedunt, multos inuidos, multos inimicos sibi

Cardinales ne sint periculorum suorum occasio.

sibi cõciliant, Deo temerariam sacrarum opum prodigalitatem vindicante, vt dum splendorem principalem ambiunt odio, & periculis agitentur, raro Ecclesiæ Cardinalis profuit, nisi modestus & frugalis, nimiæ opes obfuerunt sæpius. Ideo rectius honesti, & mediocres sumptus in plures, quam immodici in vnum conferuntur. De Cardinalibus si plura desideras vide Barbat. in tract. de præstantia Cardinalium. Hieronymum Munfredum in tract. de Cardinalatu c.1. Aluarum Pelagium de l. 2. de planctu Ecclesiæ, art. 26. Waldensem l. 2. doctrinalis fidei art. 3. c. 54. Ioan. Turricrematam l. 1. de Eccl. c. 81. 82. 83. 84. Dominicum Soto 4. sent. 24. q. 2. art. 4. Martinum Landensem de Cardinalibus. Dominicum Iacobatium l. 1. de Conciliis a. 12. Hieronym. abbatem. lib. de Cardinalibus. Onuphrium, Volaterranum, aliosque. Quorum moribus, vigilantia, moderatione, potest Ecclesia stabiliri, ordines Cleri reformari, si voce, & exemplo præeant.

CAPVT XXXVI.

Patriarcharum dignitas proxima est Pontificiæ, deinde primatum, & Archiepiscoporum.

Patriarchæ proximi Pontifici.

§. 1. MINOR fuit in Ecclesia dignitas Cardinalium, atque etiamnum est, quam Patriarcharum, & primatum; nunquam enim Clericos Romani Papæ Collaterales Ecclesia Patriarchis præposuit, sed proximum locum dedit Patriarchis ipsis, nũc cum secessionem fecerint, plerique sedium Patriarchalium præsules, vt in eorum officium, ita etiam dignitatis æstimationem venerunt Cardinales; olim vt dignitate, ita sessione, cæterisque insignibus proximi erant Patriarchæ.

Archiepiscopi aliquando dicuntur patriarchæ.

§. 2. Patriarchæ quasi patres principum, seu Archiepiscoporum dicti sunt, distinct. 21. c. 1. Patriarcha patrum princeps, Ἄρχων enim princeps. Est etiam de his disputatio Henrici Kalteisen de punitione peccatorum publicorum, in Concil. Basileensi. Patriarchæ autem dicti sunt illi qui Archiepiscopos, & Episcopos sibi subiectos habuerunt, vt Constantinopolitanus, Alexandrinus, cæteri. Sed tamen aliquando latius nomen vsurpatum est: nam in Concilio Matisconensi, quod anno Christi 588. est celebratum, sub Pelagio 2. Priscus Episcopus Patriarcha dicitur, sed ille Episcopus erat Lugdunensis, vt patet ex subscriptione, in qua primus ille est. Nomen igitur hoc Archiepiscopo interdum est tributum. Nam Gregorius Turonensis l. 5. c. 20. historiæ S. Nicetium Archiepiscopum Lugdunensem appellat Patriarchã. Consuetudo sæculi eius hoc tulit, quæ iam abolita est.

Ariani suos Episcopos vocarunt patriarchas.

Ariani vt se æquarent Orthodoxis, suos Episcopos primarios Patriarchas nominarunt, vt est apud Gregorium, & Victorem. Quin etiam Schismatici Venetiarum, Istriæ, Liguriæ Episcopi Paulinum Aquileiensem præsulem sibi in supremum Patriarcham elegerunt, vt Paulus Diaconus libr. 2. de rebus Longobardorum. Sed nos propriè de Patriarchis loquimur.

Patriarchæ gubernant Archiepiscopos.

§. 3. Patriarcharum officium est, Archiepiscopos & Episcopos gubernare, ita vt ad ipsos grauiorum negociorum causæ deferantur. Rationem distinctionis adfert Epist. 3. S. Anacletus. *Prouinciæ autem multo ante Christi aduentum tempore diuisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis & beato Clemente prædecessore nostro ipsa diuisio est remota. Et in capite prouinciarum, vbi dudum primates legis seculi erant, ac prima iudicaria potestas, ad quos qui per reliquas ciuitates commorabantur, quando eis necesse erat, qui ad aulam Imperatoris, vel regum confugere non poterant, vel quibus permissum non erat, confugiebant pro oppressionibus vel iniustitiis suis: ipsosque appellabant, quoties opus erat, sicut in lege eorum præceptum erat: ipsis quoque in ciuitatibus: vel locis nostris, Patriarchas, vel primates qui vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina, leges diuinæ & Ecclesiasticæ poni & esse iusserunt, ad quos Episcopi (si necesse fuerit) confugerent, eosque appellarent, & ipsi primatum nomine fruerentur, & non alii. Reliquæ vero Metropolitanæ ciuitates, quæ minores iudices habebant (licet maiores comitibus essent) haberent Metropolitanos suos; qui prædictis iuste obedirent primatibus, sicut in legibus seculi olim ordinatum erat, qui non primatum, sed aut Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomine fruerentur. Et licet Metropoles ciuitates suas prouincias habeant, & suos Metropolitanos iudices habere debeant Episcopos, sicut prius Metropolitanos iudices habebant seculares, primates tamen (vt præfixum est) & tunc, & nunc habere iussæ sunt, ad quos post sedem Apostolicam summa negocia conueniant, vt ibidem, quibus necesse fuerit reuelentur & iuste restituantur, & hi qui iniuste opprimuntur, iuste reformentur atque fulciantur. Episcoporumque causæ & summorum negotiorum iudicia (salua Apostolicæ sedis authoritate) iustissime terminentur. Hæc ab antiquis, hæc ab Apostolis, hæc à sanctis patribus accepimus, nobisque (vt postulatis) rimanda, & futuris tenenda temporibus, mittimus, & reliquis fratribus prædicanda, ac cunctis fidelibus tradenda mandamus, ne pastorum imperitia, qui sequuntur, deteriores fiant, dicente Domino per prophetam (ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam) quos rursus Dominus detestatur, dicens: Et tenentes legem nescierũt me. Nesciri ergo veritas aliis conqueritur, & nescire se principatum nescientium protestatur, quia profectò hi, quia ea quæ sunt Domini, nesciunt, à Domino nesciuntur Paulo attestante, qui ait: (si quis ignorat, ignorabitur.)*

Ratio constituendorũ Metropolitanorum & Archiepiscoporum.

Archiepiscopus sine cõsensu patriarchæ non eligitur.

§. 4. Sine consensu Patriarchæ non licebat Archiepiscopum eligere. Hinc priuilegio Cyprus donata est, ne opus sit ad Antiochenum referre, sed possint ipsi Archiepiscopum eligere. ita in can. Conc. Nicẽni cap. 37. *Si Episcopus Cypri diem suum obierit, & populi non potuerint propter tempestatem maris mittere Antiochiam, vt Patriarcha Antiochenus ordinet eis Archiepiscopum, in locum mortui: debent scribere ad Patriarcham, & petere, vt vnus aliquis fiat Archiepiscopus, quem ipsi desiderant, neque debet hoc prohibere patriarcha, cum ad eum scriptum fuerit. Quis enim scit an defuncto Archiepiscopo, propter tempestatem hyemis sine capite remaneant; an aliquis fortasis ex tredecim Episcopis de vita decedat; atque ita fiat, vt toto illo anno Archiepiscopo careant: ob hanc causam Synodus hunc canonem constituit, cui qui contradixerit, hunc Synodus excommunicat.*

Cyprus exempta fuit.

Ephesina Synodus can. 7. idem firmauit, ne integro anno sine Archiepiscopo diœcesis illa permaneret.

Patriarchæ ius ad Synodum vocati primi tenent Metropolitani.

§. 5. Patriarchæ ius habent Synodi conuocandæ, cogunturque illis parere Metropolitani; ita Synodus octaua cap. 27. *Sancta & vniuersalis Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem iubet seruari per Aegyptum, & prouincias quæ sub ipsa sunt, ita vt horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: Quia & in Romanorum ciuitate huiusmodi mos præualuit: qua pro causa & hæc magna & sancta Synodus, tam in seniori & noua Roma, quam in sede Antiochiæ, ac Hierosolymorum priscam consuetudinem decernit in omnibus conseruari, ita vt earum præsules vniuersorum Metropolitanorum qui ab ipsis promouentur, & siue per manus impositionem, siue per pallii dationem Episcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad conuocandum eos, vrgente necessitate, ad synodalem conuentum, vel etiam ad coercendum illos & corrigendum, cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusauerit. Sed quoniam sunt quidam Metropolitanorum, qui ne secundum vocationem Apostolici præsulis occurrant, à mundi principe se detineri sine ratione causantur; placuit talem excusationem omnimodis esse inualidam. Cum enim princeps pro suis causis conuentus frequenter agat, impium est, vt summos præsules ad Synodos pro Ecclesiasticis negotiis*

tiis celebrandum impediant, vel quosdam à conciliis eorum prohibeant, licet tale impedimentum & fictam prohibitionem Metropolitanorum suggestione diuersis modis fieri didicerimus.

Inobedientem eadem Synodus segregari iubet, deinde, si in contumacia perseueret, deponi.

§. 6. Pontifex Romanus cæteros Patriarchas confirmat, c scriptum. cap. 40. de electione apud Gregorium. Hinc & pallium accipiunt à Romana Ecclesia, ita in Lateran. sub Innocent. 3. cap. 5. *Antiqua patriarchalium sedium priuilegia renouantes sacra vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpote mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum antistites à Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.*

Patriarchas confirmat Pontifex, & pallio donat.

Hic eorum insignia, & ius crucis anteferendæ etiam confirmantur. Obediendum esse illis, statutum est distinct. 99. Ex Epist. Anacleti.

Non audiunt causas nisi ex appellatione, ne proprii Archiepiscopi, & Episcopi contemnantur, & plus nimio Patriarchæ grauentur. Ita Greg. l. 1. decret. t. 31. c. 9. Consultationi.

§. 7. Sedes Patriarchales illę definiunrur quas Petrus fundauit, fueruntq; initio tres; ita Anacletus Ep. 3. *Prima ergo sedes est cœlesti beneficio Romanæ Ecclesiæ, quam (vt memoratum est) beatissimi Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Sic Roma quæ prius erat Cacodæmonis artificio omnium errorum mater & altrix, excussis tenebris, & vanis superstitionum vitiis abiectis, filiorum Dei, exorto sole iustitiæ, facta est copiosa propagatrix.*

Tres sedes Patriarchales.

Roma caput idolatriæ, facta est mater filiorum Dei.

Secunda autem sedes apud Alexandriam, beati Petri nomine, à Marco eius discipulo atque Euangelista consecrata est, quia ipse & in Aegypto primum verbum veritatis, direct⁹ à Petro, prædicauit, & glorioſum suscepit martyrium. Cui venerabilis successit Abilius.

Tertia, autem sedes apud Antiochiam, eiusdem (id est, beati Petri) Apostoli nomine habetur honorabilis: quia illic, priusquam Romam veniret, habitauit, & 1. nomen Christianorum nouæ gentis exortum est. Reliquas vero (vt prædiximus) in quod⁹ tomo, prolixitat⁹ vitantes epistolæ, vobis conscriptas direximus. Inde namque & beati Apostoli inter se statuerunt, vt Episcopi singular⁹ scirent gentium, quis inter eos primus esset, quatenus ad eū potior eorum solicitudo pertineret. Nam & inter beatos Apostolos quædam fuit discretio: Et licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino est concessum, & ipsi inter se idipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est caput & principium teneret Apostolatus: Qui & eandem formam suis successoribus, & reliqui Apostoli Episcopis tenendam tradiderunt.

Tres illæ à Petro Apostolo fundatæ sunt, ideoque honorem antiquitus tenuerunt. De hisce Baronius anno 112. num. 2. & Doctissimus Seuerinus Binius in notis ad Anacleti Epistolam tertiam. *Tres Ecclesiæ: Romana, Alexandrina, & Antiochena, & quod à Petro Apostolorum principe fundatæ sint, solæ ac semper patriarchales habitæ sunt, vt patet ex Concil. Nicæn. can. 6. Chalced. Act. 16. Item ex epistola 53. Leonis ad Anatholium: ex epistola Gregorii ad Eulogium, quæ est lib. 6. cap. 37. Hierosolymitana per annos fere quingentos non re, sed nomine, non potestate, sed honore duntaxat, quarta patriarchalis habita est; vt patet ex Nicæn. Conc. can. 7. Vbi decernitur vt Hierosolymitanus, quartum quidem patriarchalis sessionis locum ac honorem habeat; non tamen propterea à subiectione Cæsarien sis, quæ Metropolitana erat, eximeretur. Vnde B. Hieronymus in epist. ad Pammachii, contra Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, sic eum alloquitur: Tu, inquit, qui regulas quæris Ecclesiasticas & Nicæni Concilii canonibus veteris, respondemihi, ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? ni fallor hoc tibi decernitur, vt Palæstinæ Metropolis, Cæsarea sit, & totius orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsariensem Archiepiscopum referre debueras, cui spreta communione tua, communicare nos noueras, aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius literæ dirigendæ. Sed noui cur Cæsaream; cur Antiochiam nolueris mittere. Maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum Metropolitano tuo honorem reddere. Patriarchatus Constantinopolitanus, (quia tempore Nicæni Concilii Constantinopolis vrbs nondum dedicata fuit) hisce posteà tempore Iustiniani, post annum Domini quingentesimum operâ Imperatoris, & Roman. Pontificum permissone accessit. In concilio quidem Constantinopolitano primo, ac posteà in Chalcedonensi, Constantinopolitanus non modo patriarchatum, verum etiam secundum locum obtinere conatus; sed (Pontifice reliquisque reclamantibus primatibus) frustra. Cur tres tantum prædictæ sedes patriarchales isto ordine collocatæ fuerint, solus Petri Apostolorum principis prærogatiua, dignitas & primatus, velut propria & immediata causa honoris & potestatis effecit: quanquam Petrum in his sedibus eligendis, quod S. Leo in Epi. 84. ad Anastasium docet, quandam rationem magnitudinis & nobilitatis vrbium habuisse, negari non possit. Romana sedes primam dignitatem Patriarchalem obtinet, quia Petrus Apostolus in hac, quam fundauit, vt inquit S. Greg. l. 6. epist. 37. ad Eulogium Alexand. quiescere & viam finire dignatus est. Alexandrinam sede Patriarchali decorauit (verba Gregorii sunt) in quam Euangelistam Marcum discipulum misit. Tertio sedem in qua ipse septem annis sedit, Antiochenam nimirum firmauit, & sedis patriarchalis honore condecorauit. Ita Greg. prædicta epistola, S. Leo epist. 53. ad Anatholium. Sicut ergo maior est Petrus Apostolus Marco Euangelista, & Marcus Euangelista Euodio, qui neq; Apostolus neq; Euangelista fuit, ita quoque Romana Ecclesia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam authoritate & dignitate superat. Vide Bellarm. de Rom. Pont. lib. 1. cap. 24.*

Constantinopolitana Patriarcha sero facta.

Patriarchæ sunt primates.

Iidem dicti *sunt primates, vt constat ex Epistola Stephani Papæ 2. Nulli enim metropolitani, aut alii Episcopi appellētur primates, nisi hi qui primas sedes tenent, & quorum ciuitates antiqui primates esse censuerunt. Reliqui vero, qui cæteras metropolitanas ciuitates adepti sunt, non primates, sed aut Archiepiscopi, aut metropolitani vocentur. Vrbes enim & loca, quibus primates præsidere debent, non à modernis, sed etiam multis ante aduentum Christi sunt statutæ temporibus, quorū primates etiam gentiles, pro maioribus etiam negotiis appellabant. In ipsis vero vrbibus post Christi aduentum Apostoli & successores eorum patriarchas vel primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia, saluâ in omnibus Apostolica authoritate, & maiores causæ, post Apostolicam sedem sunt referendæ.*

Non dissimilia habet Nicęn. c. 39. *Consideret Patriarcha, quæ Archiepiscopi, & Episcopi eius in prouinciis suis faciunt, & si quid reperiat, secus quā oporteat factum, mutet, & disponat, vt sibi videbitur. Siquidem ipse est Pater omnium, & illi filii eius, & quamuis sit Archiepiscopus inter Episcopos tanquam frater maior, qui curam habet fratrum suorum, & ei debet obedientiam, quia præest; est tamen Patriarcha loco Patris sub cuius dominatu ac potestate sunt filii eius. Sicque præst Patriarcha iis omnibus, qui sub potestate eius, sicut ille, qui tenet sedem Romæ, caput est & princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos & omnes populos eorū, vt qui sit vicarius Christi Domini nostri, super cunctos populos, & cunctam Ecclesiam Christianam. Et quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur. Hunc canonem citat Augustinus Steuchus libro secundo de donatione Constantini, & Franciscus Turrianus l. 2. de dogmaticis characteribus, & Alanus Copus in Dialogis, & extabat Arabice in Bibliotheca Marcelli secundi Romani Pontificis, numer. 44. in hunc modum. Veneramur secundum scripturas, & canonum definitionem, sanctissimum Romanæ antiquæq; Ecclesiæ Episcopum, primum*

esse. & maximum omnium Episcoporum. vt autem cunctis ditionis suæ nationibus, imperat Patriarcha, & leges indicit: & vt à principio Petrus Christi Vicarius, Religioni, Ecclesiis, cæterisque ad Christum reb. pertinentibus, præfectus, Principum Christianorum, Prouinciarum & omnium gẽtium Dominus, & rector erat: ita ille, cuius Principatus Romæ, Petro similis, & authoritate par, Patriarcharum omniũ dominatum, & principatum obtinet. Huic sanctioni si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto anathemati subiiciatur.

§. 8. Quamuis autem inter Patriarchales sedes tandem collocata sit Constantinopolitana, sero tamen id factum, postquam Constantinopoli Concilium habitum est. ita c.5. Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum, habere oportet primatus honorẽ, post Romanum Episcopum: propterea quod sit noua Roma. dist.23.c.5. Eodem modo deinde decretum est in Synodo sub Iustinian.c.36. dist.23.c.6. & cap. 7. Quibus autem in vrbibus oporteat Patriarchas creare distinct.80.c.1. ostenditur. *Vrbes*, inquit canon, *quibus primates præsidere debent, non à modernis, sed etiam multis ante aduentum Christi sunt statutæ temporibus: quarum primates etiam gentiles, pro maioribus etiam negotiis appellabant. In ipsis vero vrbibus post Christi aduentum Apostoli, & successores eorum, patriarchas, vel primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia (salua in omnibus Apostolica authoritate) & maiores causæ, post Apostolicam sedem sunt referendæ.*

§.9. Multitudine Christianorum crescente plures sedes Patriarchales erectæ fuere. Nam præter tres primas, ait S. Anacletus etiam alias fuisse designatas. Deinde postquam ille ordo placuit, vt post Romanam esset Constantinopolitana, deinde Alexandrina, tandem Antiochena, & vltimo nomine magis, & honore Hierosolymitana, nam Cæsareensi Metropolitæ obtemperabat; aliæque institutæ sunt.

Nicolaus 1. ad consulta Bulgarorum.

Inter Canones Synodi Nicæni cap.33.34.36. adduntur aliqui Patriarchæ. caput 33. *Patriarcha si in ciuitate Regia, vt sit honori ipsi & Regi, & aliis simul presbyteris. Honoretur etiam Episcopus Heliæ plusquam alii Episcopi, quia ipse residet in sancta ciuitate, vnde crux Dei Domini nostri cœpit, & vbi est locus iudicii. Honoretur quoque similiter sedes Seleuciæ, quæ est ex ciuitatibus Orientalibus, qui debeat etiam appellari nomine Catholici & posit is ordinare Archiepiscopos, sicut faciunt Patriarchæ, vt Orientales non patiantur damnum expectando Patriarcham Antiochiæ, aut eundo ad eum, & Gentiles reperiant viam ad necessitates suas. Quia in hoc non fit iniuria Patriarchæ Antiocheno, siquidem ipse consensit, postquam hoc ab eo Synodus petiuit, ne de sublata potestate ista conquereretur, quæ nihil aliud desiderabat, quam vt illius prouinciæ fideles pace & quiete fruerentur, simul etiam vt is qui tenet sedem Seleuciæ, nomine Catholici honoraretur.*

Caput 34. *Si acciderit, vt necesse sit conuenire Episcopos Graciæ, & fuerit præsens Prælatus Seleuciæ, quem diximus, quæ Seleucia est in Prouincia Babyloniæ in regno Zabur, & hodie est Ciuitatula, oportet honorare eum multum & magnifacere, atque extollere supra omnes Episcopos Graciæ. Siquidem ipse tenet locũ Patriarchæ in Oriente, & sedes eius in Concilio debet esse sexta post Episcopum Hierosolymitanum, & quicunque hanc constitutionem violauerit, Synodus eum excommunicat.*

Caput.35. *Non permittit magna Synodus, vt congregentur in prouincia Persidis ad disponendum aliquid ad ordinem Ecclesiæ pertinens, sine consensu & auctoritate Patriarchæ Antiocheni, quia quamuis prælatus Persidis sit loco Patriarchæ, & non quærat aliud, præterquam quietem & tranquillitatem ipsorum Persarum, tamen non licet immittere se ad cõstituendum ordinem Ecclesiæ, sed potius in omnibus sint Metropolitanis Patriarchæ obedientes, & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.*

Caput 36. *Vt non possint Aethiopes creare, nec eligere Patriarcham; quin potius eorum prælatus sub potestate eius sit, qui tenet sedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco Patriarchæ & appelletur Catholicus; non tamen ius habeat, constituendi Archiepiscopos vt habet Patriarcha, siquidem non habet Patriarchæ honorem & potestatem. Quod si acciderit vt concilium in Gracia habeatur, fueritque præsens hic prælatus Aethiopum, habeat septimum locum post prælatum Seleuciæ: & quando facta fuerit ei potestas constituendi Archiepiscopos in prouincia sua, non licebit illi constituere aliquem ex illis, & quicunque non paruerit, Synodus eum excommunicat.*

Hic ergo Ecclesiarum ordo fuit. Romana, Constãtinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, Seleucien sis, Æthiopica. In hunc ordinem consenserunt etiam Græci in Concilio Florentino, licet de Seleuciensi, & Æthiopico solliciti non fuerint. ita ipsi scribunt. Περὶ τῆς ἀρχῆς δὲ πάπα, ὁμολογοῦμεν αὐτὸν ἄχρον ἀρχιερέα καὶ πατέρα καὶ διδάσκαλον πάντων χριστιανῶν, ποιμάνειν τε καὶ κυβερνᾶν τὴν ἐκκλησίαν δηλαδὴ, σωζομένων τῶν οἰκονομίων καὶ τῶν δικαίων τῶν παλαιαρχῶν τὸ ἀναλλοίως· τὸν Κωνσταντινουπόλεως δεύτερον εἶναι μετὰ τὸν πάπαν, εἶτα τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας μετὰ τοῦτον, εἶτα τὸν Ἱεροσολύμων. De primatu Papæ, fatemur ipsum summum Pontificem, & procuratorem, locum gerentem, ac Vicarium Christi, pastorem & doctorem omnium Christianorum, regentem & gubernantem Dei Ecclesiam, saluis priuilegiis & iuribus Patriarcharum Orientis. Et Constantinopolitanum quidem secundum esse post Papam; deinde Alexandrinum; post hunc esse Antiochenum; postremo Hierosolymitanum.

§. 10. Primates vocatos esse Patriarchas dixi, sed tamen præter eos quos proprie Patriarchas nominare consueuimus, alii etiam primates dicuntur. Potest enim esse Primas etiam sub Patriarcha, & ad quẽ Archiepiscoporum causæ deferantur. dist.99. c.1. dicuntur à Gratiano Primas & Patriarcha diuersorum nominum, sed eiusdem officii, ab Archiepiscopis autem ait ad primates appellari.

Primates sub Patriarcha esse possunt.

Primates nec tamen Patriarchas appellant, qui sunt immediate sub summo Pontifice, Lugdunensis, Toletanus, Biturice nsis, Aquileiensis. Non enim sub vllo Patriarcha sunt, ita & Archiepiscopi Germaniæ, nullum enim Patriarcham agnoscunt præter Romanum Pontificem. Quod si tamẽ hoc ad primatem requiritur, vt ad eum appelletur ab Archiepiscopis, ex his fere nullus est primas. Aliter sane Constantinopolitanus dicitur Patriarcha cui 26. Archiepiscopatus subiecti fuerunt, tempore Pipini, & Caroli. In orientali iure l.2. recensentur 80. Ecclesiæ Metropolitanæ, &39. Archiepiscopi. Antiochenus habuit sub se Archiepiscopatus 12. deinde 13. Guilh. Tyrius l.14. de bello sacro c.12. Nam Ægyptius, seu Alexandrinus propter adiunctam Lybiam multo latiorem ditionem habuit.

Qui primates.

CAPVT XXXVII.

De opinione Sectariorum ordinem Hierarchicum vel admittentium, vel repudiantium.

§.1. NVllares magis obstat licentiæ, nouitati, seditioni, quam fundatus legibus, iudiciorũ, ac magistratuum ordo; contra quem stare necesse est eum, qui noua dogmata inducit. Ea causa supra dixi omnes sectarios contra magistratum Ecclesiasticum insurgere, qui omne quod eorum libidini cõtrarium est, tyrannicum clamant, & omnem potestatem velut superbam traducunt. Horum nonnulli vt Geneuenses inter ministros æqualitatem vrgent, non presbyterum imperare presbytero, non Episcopum, non Archiepiscopum. Atque vt omnem tyrannidis suspicionem amoliantur, ipsa officia è medio tollunt. Alii cen-

Ordini magistratuum inimicus est, quisquis iniquam causam fouet.

censuram morum ad politicos magistratus relegant. Cæteri retinent rem ipsam; nomen respuunt; vocant enim superintendentes, & superattendentes generales, non Archiepiscopos, aut Patriarchas. Deniq; prudentiores & rem, & nomina retinent, vt Britanni, vt quorum sunt Primates, Episcopi, & in summo fastigio, siue suprematu, vt vocare consueuerunt, rex ipse collocatus est. Britanni igitur maximi hanc rem faciunt, & cardinem Euangelii sui in ea ponũt: ita Adrianus Sarauia in præfat. ad Episcopos Anglicanos. *In meo tractatu de diuersis ministrorum Euãgelii gradibus, quicquid homines cogitent, non tantum vestras dignitates defendere in animo habebam, sed omnium Ecclesiarum Christi tam Galliæ quam Germaniæ Episcopis, & alijs viris doctis, & priscæ ecclesiæ gubernationis non ignaris, datas offensiones à nostris hominibus, pluribus in locis, si non tollere, saltem minuere, & vulnus (quod nunquam sanabunt qui influxerunt) lenire, & quantum liceret remoras propagationis doctrinæ euangelicæ amoliri conatus sum.*

Nomina vetusta reiiciunt nostri Sectarii, Angli retinent.

Magnum scandalum tollere Episcopatus censet Calvinianus.

Idem in prologo causam tanti erroris esse, quod odio tyrannidis, nomen primatus sustulerunt, vt olim Romani odio Tarquiniorum regnum ipsum euerterunt, qui tamẽ postea plures tyrannidis formas passi sunt, quam si regiũ nomen auctoritatemq; retinuissent. Non enim potestatis sunt ista vitia, sed hominum.

Odio tyrannidis potestatem tollere, & summam tyrannidem inducere.

§. 2. Potestatem hanc retinendam Philippus Melanchton censuit, ad Lutherum sic scribit: *Non credis, quanto in odio sim Noricis, & nescio quibus alijs, propter restitutam Episcopis iurisdictionem. Ita de suo regno, non de euangelio dimicant socij nostri. Amicus quidam scripsit; me si quãta voluissem maxima pecunia à Romano Pontifice conductus essem, non potuisse meliorem rationem suscipere restituendæ dominationis pontificiæ, quam hanc esse, iudicent homines, quam instituimus.*

Lutherani ministri de suo regno dimicant, non de Euangelio.

Et alio loco. *Quidam legati mirifice mihi succensent, quod videor restituere Episcoporum regnum: Sacranus neutiquam amanter de eare expostulauit mecum, noua quadam & inusitata vsus verborum acerbitate: sic est vt scribit Thucidides, τὰ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κτείνοντα. Vtinam id mihi accidisset iam olim, ne nunc videre hæc vitia partium cogerer, &c.*

Insigne testimonium illius, qui suam partem optime norat. Non enim Euangelij causa instituta fuit, sed licentiæ tanta tragœdia, & anomiæ, anarchiæque seruitura.

Eandem esse aliorum mentem multis contra Bezam probat Sarauia, pag. 236. & seq. Hinc ait idem alios retenta re mutasse nomina, pro Episcopis creasse superintendentes, & pro Archiepiscopis, Generales, aut prouinciales superintendentes, quasi de nominibus, non de re sit controuersia. pag. 5.

Dere controuersia est cum Rigidis.

§. 3. Consensum itaque veteris Ecclesiæ probant; Sarauia in prol. p. 1. *Contra vnanimem, & constantem omnium patrum veteris Ecclesiæ consensum, nihil sine expresso Dei verbo est nouandum. Hoc enim libere dico: Quisquis patribus omnem auctoritatem adimit, ipse sibi nullam relinquit.*

Bona omnino, sed in omnibus articulis confessio.

Et: *Mos populi Dei ab omnibus totius orbis Ecclesijs receptus, inuiolabilis quædam lex est. Verisimile non est vniuersalem consensum omnium Ecclesiarum, & temporum, sine verbo Dei, aut Apostolica traditione accidere potuisse.* Et tandem subdit. Olim Episcopos, & Archiepiscopos nemo bonus improbabat.

Hunc consensum quem tanti faciunt Angli c. 20. sic probat Hadrianus Sarauia, cuius verba idcirco ponam, quia in omnibus articulis fidei controuersis esse vsui possunt.

Episcoporũ dignitas canonibus Apostolorum probata.

Quod inde ab Apostolorum temporibus, à patribus per vniuersum terrarum orbem factum in omnibus ecclesijs legimus vsque ad nostra tempora canonem Apostolorum immutabilem esse iudico. Non parua res est abrogare, quod tanto, tam vniuersali cõsensu receptum fuit: à quo recessisse præterquam quod temerarium est, cladem maiorem Ecclesiæ adfert, quam multi suspicentur, cui subueniri postea non poterit. Inter vetustos canones qui propter antiquitatem dicuntur Apostolorum legimus eum qui hic sequitur. Τὸς ἐπισκόπους ἐπάσης ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν τι περίττειν ἐπιτελεῖν αὐτὸν χωρὶς γνώμης, ἐκεῖνα μόνα περίττειν ἕκαστον, ὅσα τῇ αὐτῷ παροικίαις ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὸν χώραις. Ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνον ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιεῖτό τι, ἵνα ὁμόνοια ἔσται καὶ δοξασθήσεται ὁ θεὸς διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι. *Episcopos singularum gentium scire oportet, quis inter eos primus sit, qui habeatur veluti caput, præter cuius sententiam nihil quod maioris momenti sit agant, sed illa tantum quis agat quæ ad ipsius parœciam, & ad villas quæ ei subsunt pertinent. Sed nec ille præter omnium conscientiam quicquam faciat: sic enim vnanimitas erit, & Deus glorificabitur per Dominum in Spiritu sancto.*

§. 4. Eos grauiter Puritani reprehendunt, qui nomina illa Episcoporum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Patriarcharum conuitijs lacerant. ita Sarauia c. 25. Hęc non esse superba, nec contra Concilii Carthaginensis canonem, qui est dist. 99. *Primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, vel aliquid eiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus, nec dici aliquem ἀρχιπέμενα, esse contra honorem Christi, nam non maior est in his quam similibus superbia, cum architectus, archiatros quispiam nominatur, non enim Archiepiscopus simpliciter dominum Episcoporum significat, sed certo modo. A Principis nomine se abhorrere negat, & Patriarchæ; imo malle modestiæ causa Archiepiscopos, & Patriarchas, quam ἐξάρχους καὶ ἡγεμόνων appellare. Non tamen principis nomine quenquam offendi oportere, cum Ambros. c. 4. ad Ephes. scribat: In Episcopo sunt omnes ordines, quia primus sacerdos, hoc est princeps sacerdotum, & Propheta, & Euangelista. Nec obstare, quo minus tamen Christus sit ἀρχιποίμην κατ' ἐξοχήν.* hæc ille. Ad principis nomen quod attinet, erat eo tẽpore Emphaticæ significationis, atq; ita Imperator fere vocabatur, vt videre licet, in historijs, idcirco à modestis aliquando reiectum; ita nominum ratio mutatur. Nunc Cæsarem, aut regem Hispaniæ, Franciæue, appellans in consuetudinem loquendi peccarem, si dicerem: ô princeps, filios eorum, aut præfectos de more sic nominarem, at olim nomen principis haudfacile summi principis comitibus tributum est. Inuidiosum itaque tum erat, quia potentius, & absoluti dominij erat nomen principis.

Defendunt vetusta ordinis Hierarchici vocabula.

Princeps sacerdotum bono sensu dici potest Episcopus.

Principis nomen apud Romanos honoris summi.

§. 5. Docent *magnum signum iræ diuinæ esse, quod nomen Episcoporum in odium non modo apud aliquos è vulgo, sed etiam Theologos venit*; in præf. Quia scilicet Episcopatus diuinus est. pag. 4. Et primatus, apostolatus olim dicebatur. Non enim absque hisce teneri concordiam posse, in præf. ita pag. 278. & 405. Prophetat quidem Sarauia à pag. 397. non fore firmum regimen, nec diuturnam pacẽ in omnium paritate, & verum id fuisse, Hollandorum Remonstrantiæ, Contraremonstrantiæque docuerunt, & docet ipsa male coactæ Synodi Hallucinatio. Quid enim facient pauculi, quamuis conspirare possent? Sed audire aduersarios placet.

Odium Episcoporum plaga Dei est.

In paritate non est pax.

Sed age, inquit Sarauia pag. 397. *cogitemus nullos illis sæculis fuisse Episcopos, nec Archiepiscopos, & circularem fuisse præsidentiam, & presbyteratum annuum, vt dominus Beza vult: num cuiquam rerum humanarum perito, & peruersitatis humani ingenii gnaro persuasum esse potest meliori loco tunc res futuras fuisse? Sunt in hac vrbe, & eius suburbijs, paulo plus minusque ducenti verbi Dei Ministri; non minor fuit Constantinopolitanæ, nec Romanæ, nec Alexandrinæ, nec Antiochenæ Ecclesiarum cleri numerus, sed longe maior, age, pares illi fuerint omnes, & æqualis authoritatis sine Episcopo, qui hanc multitudinem authoritate contineat, & in vnum veluti corpus recolligat: quem statum huius Ecclesiæ futurum, aut ilarum*

Nisi Episcopi fuissent, Ecclesiæ olim periissent.

larum fuisse verisimile est, diuersis hæresibus in ipsis visceribus harum Ecclesiarum grassantibus? Absit vt cum domino Beza sentiam: credo enim Ecclesias illorum temporum stetisse, & ab interitu defensas fuisse secundum Dei gratiam solo vigore & virtute Episcopalis gradus & authoritatis supra reliquam presbyterorum turbam.

Solo vigore Episcopatuum Ecclesiæ steterũt.

Deinde, secundus à Caluino nunc Beza Geneuensem regit Ecclesiam, in parua republica, cum collegis numero paucis, nempe ad summum octodecim, si cum pastoribus doctores numeres: ἑβδομὰς illic hebdomadica est, & circularis; & presbyteri & diaconi noui & annui, quamdiu in tranquillo statu degitur; omnia quidem bene se habent. Sed si quando acciderit dissidium inter Ecclesiarum ministros, qui populo & magistratui gratiosi erunt, facile in partes diuidetur ciuitas, quo malo nullum potest accidere grauius: eadem facilitate diuidetur & presbyterium: & semel diuisum vulgus tumultuabitur, & partes fouebit. In hoc casu qui certe non semper vitari potest, quid fiet? Magistratus interponet suam authoritatem. Bene quidem: sed in quam partem inclinabit? Imperatores Rom. suã authoritatem interponere dissidiis Episc. coacti sunt: sed non semper eis datum fuit, fauere melioribus: factiones & factiosos tutati sunt. At nihil huiusmodi sub hoc regimine adhuc experti sumus: experiẽtiam igitur magistram quæritis? si citra periculum & irreparabile damnum, eius magisterium haberi posset.

Schismati occurrere possunt Episcopi.

Et: Cogitemus Galliam reiectis Romanis susterstitionibus, puram recepisse filii Dei doctrinam; & eam (quod absit) gubernationis ecclesiæ formam, quam dominus Beza opinatur esse diuinam admisisse: num calamitatibus, quibus omnes omnium seculorum ecclesiæ fuerunt subiectæ, quarum causas imputat Episcopis, liberas fore credit? & si tunc, quando Episcopi reliquam ministrorum verbi Dei multitudinem in officio continebant, vt Synodos legitimas nullas conuocare possent, cogebantur tamen Synodi contra Synodos, & quod sanxerat vna, damnabat altera: si tunc concurrebant huc illuc Episcopi, quid non fecissent, si pares omnes fuissent presbyteri Episcopis, & Episcopi patriarchis? Si pauci paris potestatis agre pacem & doctrinæ concordiam retinere potuerunt, potueruntne pro vno sexcenti, aut bis terue mille eiusdem authoritatis ministri?

Si Episcopi concordiã efficere non potuerunt, quomodo nunc multi erunt concordes?

§. 6. Docent etiam nullo modo potuisse propagari Ecclesiam, si potestas Apostolica cum illis in cœlum migrasset; si non Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ curam generalem Ecclesiæ habentes, nouas fundarent, plantarent; presbyteros, qui rigarent, cõstituissent. Nam constitutis, inquit Sarauia, pag. 264. siue in oriente siue occidente Ecclesiis, circumcursare, & alienas parochias & prouincias inuadere, earumque negotiis se immiscere πολυπραγμοσύνης fuit, & ambitiosi hominis. Nemo qui se alicui particulari Ecclesiæ deuinxit, stationem propriam deserere potest, vt alio pro sua libidine se transferat: tamen quia propagandi Euangelii cura ad ecclesiam pertinet, deligat oportet viros ad eam rem, quandocunque alicubi oportunitas erit prædicandi Euangelii oblata. Hos D. Beza doctores, & pastores tantum esse vult, ego cum tota antiquitate Episcopos, qualis fuit Titus & Timotheus. Nam pastores particulares Ecclesiæ non creantur, nisi iam constitutis & fundatis Ecclesiis. Qui fundaturus est Ecclesias, superiorẽ esse oportet iis presbyteris, & Episcopis, quos constituet: sic fecere Apostoli, & sic faciendum patres exemplo docuerunt.

Ecclesiæ nouæ constitui sine Episcopis non possunt.

Quin vltra quoque concedam id fieri non posse; quę etiam causa est vt inter gentes fidem suam hactenus hæretici non sparserint. Hoc insuper addo, hac argumentatione vnius primatum probari. Nam generalis cura incumbit illi, qui in nouas regiones fidem prædicaturus, & pastores constituturus proficiscitur, aut ab eo qui generalem curam habet, mitti debet; At Archiepiscopi eam nõ habent; nam quemadmodum Episcopi ad suos Episcopatus, & pastores ad parochias, ita Archiepiscopi ad Archiepiscopatus alligati sunt, neque vnus alterius prouinciam inuadere potest.

Cura generalis ad vnũ pertinet.

Nam quod Beza ait, pag. 275. *Neque vero nobis hic curiose inquirendum puto, num ad omnes gentes peruenerint Apostoli, nec etiam nunc magnopere nobis de legatione ad remotissimas aliquas gentes laborandum, quum nobis domi, & in propinquo sit satis superque, quod nos & posteros nostros exerceat.*

Hoc inquam impium recte iudicat Sarauia, & ab omni Christiana caritate alienum. Et merito; nam Apostoli hoc fecerunt, quibus Dominus dixerat, vt docerent omnes gentes, & promisit fore vt Euangelium prędicetur in vniuerso orbe, itaque ab Ecclesia laborandum est, vt hoc ad finem deducatur.

Impium est dicere gentium conuersionem esse negligendam.

§. 7. Omnium Ecclesiæ præsulum nusquam sancitam paritatem, pag. 213. & 254. demonstrat Sarauia. Nam cum vetat more regum gentilium dominari; de imperio tyrannico agi, aut politico etiam moderato, quod in Episcopatu non datur. Quamuis pag. 221. adiungat. *In altero quidem tractatu, defendo eundem hominem, (si interfit regni, vel Reipublicæ) duplicem posse sustinere personam, & id à me factum esse, fierique meliori conscientia, & magis ad Ecclesiæ ædificationem, quam ab aliis impugnetur, mihi testem aliquando Deum futurum credo.*

Nulla lex iubet omnes Episcopos esse pares.

Episcopus princeps esse potest.

§. 8. Neque ideo non esse constituendos Archiepiscopos, quod multorum Episcopatuum cura supra vires vnius hominis sit, contra Bezam vere demonstrat Hadrianus, pag. 413. Nam Iudæorum sacerdos summus omnibus prærat, deinde vni regi multa regna subiecta sunt. Duodecim Apostolis totus orbis subiectus fuit. Nam adiutores habent & cooperatores, Deinde ad eos generalis cura magnarum rerum pertinet.

Multis Episcopatibus vnus præsepotest.

§. 9. Qui vero negant illam Hierarchiam, hoc præcipue argumento mouentur, quod aliter Pontificem Romanum excludere, ab illius primatu nequeant. Ita Beza apud Sarauiam, pag. 408. *Certe vero si ad conseruandum in sacro ministerio consensum necessario fuit constituenda Episcopalis Diœcesana supra cõpresbyteros, & Chorepiscopos: Metropolitana supra prouinciales Coepiscopos: Patriarchalis quadruplex supra Metropolitanos Coarchiepiscopos dominatio: eadem certe parique ratione Monarchicum supra Compatriarchas imperium, siue Catholicum supra Catholicam vniuersam Ecclesiam dominium fuit erigendum. Quod enim hic obiicis ad hoc eludendum argumentum, Sarauia, nullius est momenti. Nam plurimum quidem interest, vt tu recte dicis, inter præfecturam vnius gentis & regionis, ac totius vniuersi orbis, nempe quod ad mensuram ditionum, non autem quod ad rem ipsam attinet, siue ordinem, siue gradum hic ponamus. Non igitur propterea quod istæ præfecturæ æquales non sunt inter se mensura inde consequeretur nullam constituendam vniuersalem, cui angustiores illæ sunt subordinatæ.*

Argumentũ Bezæ: si Episcopo Archiepiscopus, huic Patriarcha præest, ergo Papa omnibus.

Conatur quidem Sarauia hunc ictum exire, sed improuiso se in ipsum gladium induit. Nam negat sequi Sarauia, quemadmodum non sequitur, singulorum regnorum esse singulos reges, ergo vnum posse constitui vniuersis. Sed Beza ait, hoc esse eludere argumentum; nam ille hoc modo procedit. Si potest esse Ecclesiæ Tetrarchia, vt totam regant æquali iure Romanus, Alexandrinus, Constantinopolitanus, Antiochenus, cur non etiam ex his quatuor vnus potest cæteris imperare? aut esse inter eos præcipuæ auctoritatis? Causa reddenda est, cur antecedente concesso, consequentia negetur. Si dicat vnum hominem tantæ curæ imparem esse; id iam ante soluit, cum vni regi plurima regna tribuerit, cum cooperatores, cum consiliarios habere possit, cum generali cura contentus esse valeat, & summa rerum tantum iudicare. Deinde rationes Sarauiæ hoc euincunt; nam inter Patriarchas Constantinopolitanum, & Alexandrinum, inter Antiochenum, & Alexandrinum necesse fuit lites componere, vnitatem seruare, cum singuli suos particulares Patriarchatus habuerint, quemadmodum inter alios Episcopos. Nonne quemadmodum inter 24. Anglicanos Episcopos potest esse contentio

Si in ecclesia potest esse Tetrarchia cur nõ Monarchia

ab

ab Archiepiscopis finienda, ita inter duos Episcopos Cantuariensem, & Eboracensem, quos in rebus Ecclesiasticis, ad regium tribunal mitti non oportet; alium ergo iudicem sibi legant, oportet. Vt ergo concordia teneatur vnum esse sacerdotem necesse est, qui confratres omnes dirigat; Quin etiam eousque procedit Sarauia, pag. 85. vt Petrum Collegio Apostolorum præfuisse scribat. Verba eius. *Quod Apostolos attinet qui simul aliquandiu Ierosolymis vixerunt, certum est à Domino non fuisse creatos vt simul eodem loci, siue regionis vnius, siue vrbis, manerent: quamobrem collegio aliquē præfici nihil necesse fuit. Tamen quamdiu simul vixerunt Ierosolymis, vnum quempiam tunc præfuisse collegio duodecim Apostolorum, non est absurdum: quod dum obstinatius negatur, nihil bona causa contra Romanum Episcopum iuuatur. Quis vnquam conuentum vidit aut cœtum conuenisse, in quo non aliquis præsederit, qui quæ agenda essent proponeret, & sententias rogaret, atque suffragia colligeret? Quod etiamsi Petro delatum fuisse à collegio Apostolico, cum priscis patribus dicamus, nil ea re causæ Romani Episcopi datur, vnde suam tyrannidem stabiliat: fuit etiam hoc in Petro temporarium, & dispersis Apostolis finitum.*

Petrus præfuit collegio Apostolorū.

Hic notandum. 1. Non absurdum vnum præfuisse. 2. Imo absurdum, si nemo præesset, quia nullus tā absurdus est cœtus, in quo non aliquis præsideat. 3. Id Patres fateri Petro collatum. Hæc vera sunt, & contra hæreses multas; itaque huic homini necessitas verum extorsit. 4. Hanc Petri præfecturam facta dispersione finitam. Quod falsum est. Nam à Christo illi data est, deinde patres quos testes præfecturæ Petreiæ producit, eam temporariam negant, & ad successores deriuatam concedunt. Tertio, Tam erat necessaria in dispersis quam coniunctis. Nam sicut opus est præside in congregatis, ita opus est conuocatore in dispersis, alioqui nemo fuisset, qui Apostolos omnes, vel aliquos conuocare posset. Quod si omnino paritas seruanda est, nemo vlli, non multi paucis, non pauci multis imperare possunt. Quandocunque enim par pari imperat, tyrannis est. Quam ob causam ridicula est, quæ nūc tentatur Synodus Dordraci; nam etsi præsidem eligunt, non tamen auctoritatem habent, & ipsa Synodus nil tot fratrum suorum millibus, omni modo paribus imperare potest. Cur enim pauci in plures vsurpent iubendi potestatem? Quod si dicant: Eam potestatem à magistratu politico factam, iam maior tyrannis oritur, quam in vlla vnquam Ecclesia probata sit; nam ipsi Ordines, & eorum præses Archiepiscopos, & Patriarchas faciet, tum prædicantes alios imperare, alios parere iubebit. Quod si vnum omnibus præficiat erit is Patriarcha Hollandiæ, si idem faceret Rex quispiam potens, aut imperator vnum omnium regnorum Patriarcham constitueret. Atque ita dum Monarchiam fugiunt, singuli tyranniſci inueniuntur. Verum hac de re alias actum à me.

Apostoli dispersi, & iuditi præsidem habuerunt.

Ridicula Synodus Dordracēsis.

Nunc hoc moneo, ita Patriarchas, Archiepiscopos que instituendos, vt in mores, & disciplinam maxima cum potestate possint inquirere, & corrigere. Minimam autem in thesauris, opibusque potestatem habeant, minime etiam obesse possint.

CAPVT XXXVIII.

Metropolitanorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Chorepiscoporum officia moribus & Reipublicæ necessaria, vtilia.

Metropolitani & Archiepiscopi idem.

§. 1. METROPOLITANI & Archiepiscopi pro iisdem in iure accipi solent. 9. q. 3. & in fin. §. de Monarchis, & in §. non autem, de non alienandis rebus Ecclesiasticis, in authent. ita Rebuffus, in §. 1. Institut. Gregorius Tolosanus. Illis autem in vrbibus collocabantur, quæ μητροπόλεις, & primariæ erāt, in quibus prouinciarum rectores residebant. Contrarium tamen sensit Henricus Kalteisen in oratione de punitione criminum publicorum in Conc. Basileens. idque ex Rabano l. de instit. Cler. c. 5. *Ordo Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchas, Archiepiscopos, Metropolitanos atque Episcopos. Patriarcha Græca lingua interpretatur summus Patrum, qui primum, id est, Apostolicum retinet locum, & ideo quod summo honore fungitur, tali nomine censetur, sicut Rom. Antioch. Alex. Archiepis. græco vocabulo dicitur, quod sit summus Episcopus; tenet enim vicem Apostolicam & præstidet tam Metropolitanis, quam Episcopis cæteris. Metropolitani autem à mensura ciuitatum vocati sunt, singulis enim prouinciis præeminet quorum auctoritati, & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti, sine quibus reliquis Episcopis nihil agere licet solicitudo enim totius prouinciæ ipsis commissa est. Omnes autem superius designati ordines, vno eodemque vocabulo Episcopi nominantur, sed ideo priuato nomine quidam vtuntur, propter distinctionem potestatum quā singulariter acceperunt. Patriarcha pater principum, ἄρχιον enim Princeps, Archep. Princeps Episc. sicut Metropolitanus à mensura ciuitatum.*

Archiepiscopos Metropolitanis anteponit, quasi sint nonnulli Metropolitani, qui Archiepiscopi non nominantur; nominantur, inquam, vix enim credidero vocari Metropolitanum, cui officium Archiepiscopi non conueniat, nisi quod loco citato, vt & distinct. 21. Cleros. Archiepiscopus dicatur etiā præsidere Metropolitanis. Quamuis in Germania appareat ratio distinctionis alia; nam Metropolitani dicuntur ab vrbe principe vnius prouinciæ, Archiepiscopi diuersarum sub se prouinciarum Episcopos habent. V. G. Archiepiscopus Moguntinus, Spirensem, Curiensem, Halberstadensem, Wormatiensem, Argentoratensem, Paderbornensem, Wirtzburgensem, Werdensem, Constantiensem, Eistadiensem, Hildesiensem, Augustanum, Moguntia non recte, Metropolis more veteri respectu harum prouinciarum dicebatur, cum aliæ sint prouinciæ, aliæque Metropoles.

Archiepiscopi Germaniæos sub se habent Episcopos, quorum vrbes non sunt ciuiliter sub Metropoli.

Budæus originationē, & vetera tempora respexit, cum Metropoles nominat eas vrbes ex quibus deductæ sunt Coloniæ, nihil enim hoc ad Archiepiscopatus, & Metropolitanos nostros. Imo nec ad tempora imperii. Nam Coloniæ pleræque Metropoles superarunt, Tyrus ἀποικία Sidonis fuit, Tyri Carthago, & Carthaginensis tamen Archiepiscopus Tyrio nequaquam subiectus erat, sed hic Antiochenum agnoscebat Patriarcham. Metropoles igitur sunt, quæ non origine, sed cura, sollicitudine, auctoritate, potestate materna alias regant Ecclesias.

Quæ Metropoles.

§. 2. Archiepiscopus olim eligebatur ab omnibus suæ ditionis Episcopis, ita Anicetus Papa. *Sed crescente numero Episcoporum, nisi necessitas interuenerit, debent etiam plures augeri, id est, si Archiepiscopus diem obierit, & alter ordinandus Archiepiscopus electus fuerit, omnes eiusdem prouinciæ Episcopi ad sedem Metropoleos conueniant, vt ab omnibus ipse ordinetur. Oportet autem vt ipse, qui omnib⁹ præesse debet, ab omnibus illis eligatur & ordinetur. Reliqui vero comprouinciales Episcopi, si necesse fuerit, cæteris consentientibus, à tribus, iussu Archiepiscopi, consecrari possunt Episcopis, sed melius est, si ipse cum omnibus, eum qui dignus est, elegerit, & cuncti pariter sacrauerint Pontificem. Et licet istud, necessitate cogente, concessum sit: illud tamen, quod de Archiepiscopi consecratione prædictum est atq; præceptum, id est, vt omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari licet: quia qui illis præest, ab omnibus Episcopis, quibus præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit eius secus acta ordinatio. Ipse autem Archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de aliis communibus, iuxta statuta Apostolorum, absque cunctorum illorum agat consilio: nec illi,*

Archiepiscopum eligebant Episcopi.

nisi quantum ad propriας parochias pertinet, sine suo: quoniam tali gaudet concordia Altißimus, & gloriatur in membris suis.

Renouatum est hoc in Concilio Aurelianensi 2. anno 536. can. 7. *In ordinandis.*

Archiepiscopus sine consilio Episcoporum nihil agit.

§. 3. Sine consilio aliorum Episcoporũ agere nihil debet. Idem Anicetus. *Ipse autem Archiepiscopus nihil de eorum causis, aut de aliis communibus, iuxta statuta Apostolorum absq; cunctorum illorum agat consilio: nec illi nisi quantũ ad propriας parochias pertinet: sine suo, quoniam tali gaudet concordia Altißimus, & gloriatur in membris suis.*

Idem recte etiam statutum legibus Franciæ l. 1. c. 8. tempore Caroli magni. Nam opus est Episcopo sua ad gubernãdum auctoritate, & libertate, si aliquid prudenter nouandum arbitratur, id Metropolitano indicet.

Archiepiscopi non vocandi primates.

§. 4. Primates ne vocentur, idem Anicetus. *Nulli Archiepiscopi Primates vocentur, nisi illi, qui primas tenent ciuitates, quarum Episcopos Apostoli, & successores Apostolorum regulariter Patriarchas & Primates esse constituerunt, nisi aliqua gens ad fidem conuertatur cui necesse sit, propter multitudinem eorum Primatem constitui. Reliqui vero qui alias Metropolitanas sedes adepti sunt non Primates, sed Metropolitani nominentur. Si autem aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & sine omnium prouincialium præsentia vel consilio Episcoporum, aut eorum, aut alias causas, nisi eas tãtum, quæ ad propriam suam parochiam pertinẽt, agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. Si vero incorrigibilis, eisq; inobediens apparuerit, ad hanc Apostolicam sedẽ (cui omnia Episcoporum iudicia terminare præcepta sunt) eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant. Si autem propter nimiam longinquitatem, aut temporis incommoditatem, vel itineris asperitatem, graue ad hanc sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius Primatem causa deferatur, & penes ipsum huius sanctæ sedis auctoritate iudicetur.*

Roma pallium accipiunt.

§. 5. Romanę Ecclesiæ fidei professionem faciunt, palliumq; petunt ita Ioan. Wiliberto Agrippin. Epis. dist. 100. c. 4. *Optatum tibi pallium nunc conferre nequimus: quia fidei tuæ paginam minus, quam oporteat, continere reperimus: cum videlicet in ea nullam sanctarum vniuersaliũ Synodorum, in quibus fidei nostræ Symbolum continetur, nec decretalium Pontificum Romanorum constitutorum secundum morem feceris mentionem: sed nec illam propria subscriptione munieris, nec aliquam, qui hanc iureiurando firmaret, miseris.*

Suis omnes limitibus sunt contenti.

§. 6. In aliena ditione nihil tentet. ita Cœlestinus ad Episcopos Galliæ; *Primum, vt iuxta Canonum decreta, vnaquæq; prouincia suo Metropolitano contenta sit, vt decessoris nostri data ad Narbonensem Episcopum continent constituta, nec vsurpationis locus alicui sacerdoti in alterius cõcedatur iniuriam. Sit concessis sibi contentus vnusquisq; limitibus: alter in alterius prouincia nihil præsumat, nec emeritis in suis ecclesiis clericis peregrini, & extranei, & qui antea ignorati sint ad exclusionem eorum, qui bene de suorum ciuium merentur testimonio, præponantur: ne nouum quoddam de quo Episcopi fiant institutum videatur esse collegium. Nullus inuitis detur Episcopus. Cleri, plebis & ordinis consensus ac desiderium requiratur. Tũc alter de altera eligatur Ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus (quod euenire nõ credim⁹) poterit reperiri. Primũ n. illi reprobãdi sunt, vt aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur. Habet vnusquisq; clericorũ suæ fructum militiæ in ecclesia, in qua suã per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat: nec alii debitam, alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægrauari: & quos sibi ingredi ex transuerso agnouerint, non timeant refutare.*

Et paulo post: *Subsequitur & supplet Apostolus, eodem locutus spiritu, vnius vxoris virum debere Episcopum consecrare. ad hanc ergo eligantur formulam sacerdotes: & si quæ factæ sunt ordinationes illicitæ, remoueantur, quoniã stare non possunt, nec discussionem nostram subterfugere poterunt, quamuis latere se existimant, qui taliter peruenerunt, vt nulla religionis reuerentia, obscuritate fuscetur. Non sit vana gloriatio palliatis. Episcopalẽ morem, qui Episcopi sunt, sequantur. Daniel, vt diximus, qui accusationem pontificali honore subterfugere posse se credidit, & ad fastigiũ tantum, accusatores suos latẽdo, peruenit, à sanctitatis vestræ cœtu interim se nouerit segregatum, qui se nostro iudicio debet obtemperare, si conscientiæ suæ nouit cõfidentiã se habere. Maßiliensis vero Ecclesiæ sacerdotẽ, qui dicitur (quod dictu nefas ẽ) in necẽ fratris tui taliter gratulatus, vt huic qui ei⁹ sanguine cruẽtatus aduenerat, portionem cũ eodẽ habiturus occurreret, vestro eũ audiendũ collegio delegamus. Dat. 7. Kal. Aug. Felice Tauro viris clarißimis Coss.*

Singulis annis Synodum celebrent.

§. 7. Singulis annis Synodũ celebret, ad quã venire omnes cõprouinciales tenentur, ita Aurel. Syn. 3. an. 540. celebrata, capitulo 1. *Primũ, vt vnusquisq; Metropolitanus in prouincia sua cum cõprouincialibus suis singulis annis Synodale debeat opportuno tẽpore habere Concilium. Quod si illum infirmitas aut necessitas certa tenuerit, vt ad alium cõstitutũ locũ adesse non possit, ad suam ciuitatem suos euocet fratres. Quod si intra biennium diuinitus temporũ tranquillitate concessa, admonitis prouincialibus, à Metropolitano Synodus inducta nõ fuerit, Metropolitanus ipse pro euocationis tarditate anno integro Missas facere non præsumat. Quod si euocati, non corporali infirmitate detenti, adesse suæ abusione despexerint, simili sententiæ subiacebunt. Qui tamen & hanc excusationem sibi nouerint esse sublatam, si absentiam suam diuisione fortis crediderint excusandam.* Eadem & plura in Conc. Emeritano c. 4. 5. 6. statuũtur. Hoc eius munus esse vt moribus inuigilet, & per Synodos omnia corrigat, etiam *aliis multis conciliis statutum est, Tarraconẽsi* c. 6. & 13. Epistolę tales per fratres à Metropolitano sunt dirigẽdæ, vt non solum *cathedralibus ecclesiæ presbyteris, verum etiam de diœcesianis ad Concilium trahant, & aliquos de filiis ecclesiæ secularibus secum adducere debeant.*

Episcopus nihil noui sine auctoritate Metropolitani agit.

§. 8. Episcopi tenentur agnoscere *Metropolitanũ, & nihil sine eo agere. id renouauit Bracaren. Conc. 2. Per singulas prouincias oportet Episcopum cognoscere primatum Metropolitani Episcop. & ipsum primatus curam susci pere: nihil aũt agere reliquos Episcopos præter eum, secundum quod antiquitus à patribus nostris constitutũ continetur in canone. Propter quod & Metropolitanus Episcopus nihil sibi præsumptiue assumat absq; concilio cæterorum.* Nihil noui in sua parœcia Episcopi constituere sine conscięntia Metropolitani queunt; nam Metropolitanorum auctoritas prę cipua est in Episcopos subiectos. Ideo Synod. Antiochena iubet Metropolitanos respicere.

Metropolitani Episcoporum opera abuti nõ debent.

§. 9. Abusus Metropolitanorũ munia sua Episc. delegantiũ reprehenditur, & dãnatur in Synod. 8. gener. actio. 10. c. 24. *Diuina scriptura dicẽte maledictus omnis homo, qui facit opus Domini negligenter, quidam Metropolitanorum in extremã negligentiã & desidiã delapsi, præceptionibus suis subiectos ad se adducunt Episcopos, & cõmittunt eis ecclesia propria diuina officia, & litanias, & cuncta omnino sacra, quæ ad se pertinent, ministeria, ita vt per illos celebrent omnia, quæ per semet alacriter agere debuerint, ac per id eos, qui Episcopalẽ dignitatẽ meruerũt, quodammodo clericos sibi subiectos exhibeant. Vacãt aũt iudẽ præter Ecclesiasticas leges sæcularibus curis, atq; dispositionibus, dimittentes perseuerare in orationibus & obsecrationibus pro suis delictis, ac populi ignorãtiis, quod nusquam ad aliquos penitus inuenitur, cum sit canonicis nimirum contrarium omnino præceptis: & quod sauius est, quæ suis stipẽdiis per distinctas mensium vices præcipi dicuntur prædicta perficere ministeria, quod ab Apostolico munimine modis omnibus ostenditur alienũ. Hæc aũt omnia magnis & multis ac vehemẽtissimis damnationibus dignos huiusmodi statuunt; probantur n. tales per hæc, quæ faciũt etiã sathanica iactantia & superbia lãguere. Quisquis ergo Metropolitanorũ post hãc sanctæ ac vniuersalis Synodi definitionẽ, eadẽ audacia, vel superbia, & contemptu abusus, non per se cum timore, & alacritate, seu conscientia bona, debita ministeria in propria ciuitate, sed per suffraganeos Episcopos suos efficere tentauerit, pœnas exsoluat coram proprio Patriarcha & aut corrigatur, aut deponatur.*

§. 10. Præcipua cura est illi, de sua ordinaria diœcesi, quam gubernat; secundaria; sed necessaria tamen sollicitudo aliarum ditionum; Itaque cognoscit controuersias, & Episcoporum suorum negli-

gligentiam supplet, dum quod sponte facere Episcopus debuit, ipse facit 9. q. 3. *Cum scimus debitores omnes sacras regulas custodire, & eam, quæ dicit in vnaquaque ecclesia oeconomos esse debere, modis omnibus inuiolabilem custodire debemus. Et, si quidē vnusquisq; metropolitanus in sua ecclesia constituerit oeconomū, bene vtiq; est, sin autem ex auctoritate propria Constantinopoleos episcopis licentia est præponendi oeconomos in eius Ecclesia. Similiter & metropolitanis, si episcopi, qui sub eis sunt, non fategerint oeconomos statuere in suis ecclesiis. Id ipsum autem seruandum est, etiam in monasteriis.*

Hinc diœceses suorum obit, visitat, inquirit, emendat subditorum vitam, quam ob rem vicissim illi subsidia debentur, c. cum ex officii. de præscriptio. c. sopitæ. 14. can. cum nuper. de censib. ap. Greg. Hac in visitatione omnibus pontificum vti insignibus, benedicere populo, crucem præferri iubere potest. Clement. Archiepiscopo, de priuileg.

Hæc ita à patribus constituta in vsum omnino reuocando sunt, ad disciplinam ecclesiæ restituendam, neque vllius potentia tanta esse debet, vt ordinem hunc immutet. Non potest vnitas, & vitæ integritas conseruari, si sua in diœcesi quilibet Episcopus velit esse Papa.

CAPVT XXXIX.

Episcoporum officium summe necessarium, varium, eius dignitas, &c.

Episcoporū nomine omnes veniunt, etiam Papa &c.

§. 1. EPISCOPI vocantur Papa, Patriarchæ, Archiepiscopi, verum cum illi iurisdictione differant, alioqui par sit pene atque idem officium, vitæ integritas ab omnibus requiratur, pauca nunc de Episcopis dicenda; pleraque enim in superioribus sunt exposita.

Presbyteri aliquando dicti Episcopi.

§. 2. Episcoporum nomine aliquando etiam presbyteri, dicti sunt. Aerius quod Episcopatu arceretur, negauit illa diuersa esse officia, ita Epiph. hæresi 75. de qua re Baronius in anno Christi 58. copiose disputat. & ex hæreticis Sarauia de diuersis gradibus ministrorum, præsertim à pag. 334. Initio quidem Apostoli soli erant Episcopi, & presbyteri, tandem crescente multitudine fidelium fecere etiam presbyteros, & Episcopos, quibus διακόνους siue administrationes assignarunt.

Episcopi nō à populo.

§. 3. Hinc constat Episcopos constituendos non ab populo vel regibus, sed Apostolorum successoribus, pontifice, Archiepiscopis, Episcopis; quamuis enim aliquando populi, vel principes electioni fuerint adnuncti, primarium tamen ius penes clerum, & Episcopos est, non modo vt ab Episcopis consecrentur, sed etiam designentur. Populus flagitabat Episcopum, etiam vsque ad seditionem, Niceph. l. 11. c. 30. hist. eccl. Diu tamen ea res durauit in ecclesia, Videatur Athanas. de persecutione ad orthodoxos. Eadem pene fuit electio Ambrosii. Theod. l. 7. vide & distinctione 23. c. Illud. & 64. c. 1. de electione Episcoporum, vide T. 4. conciliorum, p. 1. p. 402. & 571. & 749. 729. 630. Maxime tamen semper curatum, vt electiones seditiosæ vitarentur. T. 2. conc. p. 2. p. 405.

Populus sæpe flagitauit Episcopum.

§. 4. Ad seditiones igitur cauendas aliquando bonis, & bene meritis imperatoribus concessum est proponere Pontificem, & Episcopos, vt Carolo Magno circa annum Domini 780. in Concilio Romano distinct. 63. c. 22. *Adrianus Papa Romam venire Carolum regem ad defendendas res ecclesiæ postulauit. Carolus vero Romam veniens Papiam obsedit, ibique relicto exercitu in sancta resurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorifice susceptus est. Post sanctam vero resurrectionem reuersus Papiam, cepit Desiderium regem: deinde Romam reuersus constituit ibi synodum cum Hadriano Papa in patriarchio Lateranensi in ecclesia sancti saluatoris: quæ synodus celebrata est à CLIII. episcopis religiosis, & abbatibus. Hadrianus autem Papa cum vniuersa synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Dignitatem quoq; patriciatus ei concesserunt. Insuper archiepiscopos, & episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit: & vt nisi à rege laudetur & inuestiatur, episcopos à nemine consecretur: & quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit, & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit.*

Carolo magno ordinatio sedis Romanæ & inuestitura Episcoporū concessa est.

Multis canonibus hoc quoq; constituitur, in quibus, vel designatio, vel inuestitura, vel consensus imperatoris requiritur, vt c. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. quæ postea tamen sublata sunt. Cum tamen ea res imperatoribus, & principibus, suas vtilitates, non ecclesiæ commoda, populique salutem spectantibus, male administraretur, iterum se ecclesia in libertatem vindicauit, & more veteri electionem fecit. Nam postea de ea re longa fuit lis inter pontificatum, & imperium. Quod prospicientes Romani, tempore Ludouici primi Hadrianum secundum sine præsentia legatorum Cæsareanorum elegerunt, cap. 29. Ludouicus id ipsum approbauit.

Ecclesia iterum se in libertatem vindicat.

Henricum quartus frustra extorsit.

Postea Henricus quartus nundinator Episcopatuum nequissimus à Paschali 2. captiuo vtcumq; extorsit eam potestatem, sed restitit concilium Romanum, totumq; imperium se in imperatorem flagitiosissimū commouit. Nec alia ratio fuit in oriente, vbi anno 965. Phocas legem tulit, ne sine imperatoris cōsensu Episcopi eligerentur; ita in lib. iuris orient. 4. tit. Causa tot pugnarum opes ecclesiæ, ad quas auara aulicorum ambitio anhelabat, Phocas certe è suis ministris aliquos ecclesiis immittebat Episcopos, quibus demensum aliquod constituebat, reliqua in sua præmia conuertebat, quam rapinam Basilius abrogauit, ecclesiæ priuilegiis restitutis, sed vergentibus semper in peius Græciæ rebus ea omnia Alexius Commenus concussit, synodo refragari non audente. In Gallia multa quoque regibus delata sunt, quæ anno 1560. moderatione magna ne in vnius potestate essent omnia, temperata fuere.

Aulici anhelant ad opes ecclesiæ.

Episcopus audiri debet.

§. 5. Episcopis honor magnus, pene regius, & interdum maior exhibitus est, præcipuæ cum dignitatem ornauit sanctitas, Martino sane imperator non modo assurrexit, sed etiam seruiuit. Omnino vero conuenit, vt velut publicus, & à Deo constituta censor morum, & doctor à cunctis audiatur.

§. 6. Officium & finis Episcopalis, vt ecclesiarum ministri, clerus, populusque diœceseos recte, ordine, in rebus spiritalibus gubernetur. Quæ igitur cura latior est in Archiepiscopo, & Patriarcha, latissime patens in Romano pontifice, eadem in Episcopo est ad diœceseos propriæ administrationem restricta.

1. Omnium Ecclesiarum suæ diœceseos, omnium monasteriorum cura & sollicitudo ad Episcopum pertinet. 2. Clericorum institutio, gubernatio, correctio, reformatio, censura, iurisdictio in foro exteriore, & interiore. Conuocatio Synodi, consecratio ornamentorum Ecclesiæ, & Ecclesiarum ipsarum dedicatio. Chrismatis confectio, confirmatio, aliaque minora quorum multa aliis committuntur.

Suffraganei veteres.

Sunt & alii, qui Episcopi dicuntur, nempe suffraganei, & Chorepiscopi. Sunt vero suffraganei improprie dicti, quos nunc ita nominamus, nam suffraganeos vocauit antiquitas eos qui sub Archiepiscopo aliquo suas diœceses administrabant. Nunc ita vocantur, qui proprie, vereq; sunt Episcopi, & Episcopatus sibi assignatos habent, sed quia illi detinentur à Saracenis, Turcis, vel Schismaticis, & hæreticis, ipsi alio loco degunt, & Episcopos aliorum locorū adiuuant. Nā quilibet Episcopus potest in alio Episcopatu, cū Episcopi consensu munia Episcopalia exercere.

Suffraganei vere Epi-

Cum igitur vere sint Episcopi vrbium in Græcia, Asiaque constitutarum, si spes aliqua effulgeret illis

scopi, & quando ad oues suas proficiſci teneantur?

in locis Euangelii prædicandi, omnino eo proficiſci, & requirere oues tenentur, nec eo caſu mortem recuſare, ſi modo precium periculi ſit. Sine cauſa enim & ſpe emolumenti ſpiritalis in diſcrimen ſe dare prudentis Antiſtitis non eſt.

Episcopi sacris officiis fungantur.

Horum Epiſcoporum opera Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Germania præcipue conceſſa eſt, ob dictionum amplitudinem, in qua tamen hoc requiro, vt ipſi Epiſcopi principes crebro ſacerdotes conſecrent, aliaque faciant, quæ oſtendant, ipſos non tædio rerum ſpiritalium, ſed occupatione coactos, ſibi adiutores adſciuiſſe. Fuerunt Chorepiſcopi antiquitus, & nunc in Treuirenſi Archiepiſcopatu, & neſcio, an aliis quibuſdam locis, perſeuerant.

Chorepiscopi.

Chorepiscopi vetiti.

De his extat Damaſi Epiſtola ad Numidiæ Epiſcopos. In qua primo, ait ſe reperiſſe à prædeceſſoribus decretum, *Nihil eis ad veniam reſeruari, quam priuationem ſacri miniſterij, quod illicite aſſumpſerunt, quia prohibiti tam ab hac ſacra ſede, quam à totius orbis fuerunt Epiſcopis.* 2. Nihil eos de ſummo ſacerdotii munere poſſe præſumere. 3. Presbyteros eſſe, non epiſcopos. 4. olim propter ſtudium pauperum conſtitutos. 5. deiectos eſſe, quia illicita præſumebant, & quæ ſolis pontificibus conueniebant, faciebant. 6. Eis à quibuſdam Epiſcopis ocio torpentibus gregem commiſſum fuiſſe. 7. Tales torpidos Epiſcopos eſſe meretricibus ſimiles. 8. Nullo modo eſſe Epiſcopos. 9. Aliquos tamen poſtea in locis quibuſdam vere creatos Epiſcopos; hoc enim ait Damaſus in can. *eſſe.* eſtque in Antiochen. c. 10. 10. dici Epiſcopos villanos, hoc eſt enim χώρην; itaque ſunt regionarii Epiſcopi, non enim à choro, ſed ἀπὸ τῆς χώρης, hoc eſt regione dicuntur. 11. Si presbyteri eſſe deſpiciunt, cum Epiſcopi non ſint, nihil eſſe. 12. Eos, qui manu propria confirmauerint ſe tantum presbyteros eſſe, poſſe manere in eorum catalogo; qui Epiſcopi eſſe volunt, omni honore priuandos. 13. *Non licere eis ſacerdotes conſecrare, nec diaconos, aut ſubdiaconos, nec virgines, nec altare erigere, nec vngere aut ſacrare, nec eccleſias dedicare, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorũ frontes ſignare, nec publice quidem in Miſſa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas epiſtolas mittere, nec populum benedicere, nec ante Epiſcopum in baptiſterio aut ſacrario introire, nec præſente Epiſcopo infantem tingere aut ſignare, nec pœnitentem ſine præceptione Epiſcopi ſui reconciliare, nec eo præſente, niſi illo iubente, ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti conficere, nec eo coram poſito populum docere aut ſalutare, nec plebem exhortari: quæ omnia ſolis pontificibus deberi, tam ex ſuperioribus, quam ex aliis patrum conſtitutis, aut ſacris canonibus, edocti eſtis.*

Chorepiscopi sunt presbyteri.

Hinc duo apparent in his reprehendi, primum eſt. Præſumptio Chorepiſcoporum, alterum negligentia Epiſcoporum, ſuos labores illis demandantium.

§. 7. Quodnam eorum officium fuerit, colligi poteſt ex canone 54. Nicæno. *Eligat Epiſcopus ex bonis religioſis, qui habitant in deſerto, aliquem, qui ſit doctus, & optimis moribus & maxime omnium, qui in vniuerſa illa congregatione ſunt, intelligens, qui nihil de electione ſua cognouerit. Et qui ſunt illius congregationis, debent præſentare eum. Et vnus Diaconus congregationis alta voce dicat: nos eligimus talem in Coepiſcopum (forte Chorepiſcopum) qui habeat totam poteſtatem in nos, vt ſciant omnes electum eſſe eum in eo gradu. Et debet epiſcopus recitare ſuper electũ orationem conſuetam, & benedicere ſuper eum, dareque ei nomina omnium eccleſiarum & monaſteriorum, quæ ſub poteſtate eius ſunt, vt eligat ipſe, vt melius ei viſum fuerit, eos qui ſunt idonei & in ſermone ſuo conſtantes, quos eccleſiis & monaſteriis præficiat. Et eis qui curam habent eccleſiarum, ne imponat curam monaſteriorũ, & eis qui præfecti ſunt monaſteriis, ne iungat curam eccleſiarum: obligetq; eos ad ea loca, quæ eis data ſunt, & eat poſtea ad viſitandas eccleſias & monaſteria. Qui in aliqua eccleſia, aut monaſterio aliquid deeſſe, aut ſupra quam opus ſit, abundare repererit, oportet quod vno in loco ſuperfluit, apponere vbi deeſt, id quod cum timore Dei & ædificatione illorum locorum fieri debet. Et ſi fuerint pauci ſacerdotes, debet augere numerum ex illis, qui ſunt illius loci. Et ſi inter eos non fuerit aliquis idoneus, illius caſtelli, vt ordinetur: debet ſumere aliquem ex monaſteriis vel eccleſiis, & curet, vt fiat ſacerdos: vt oratio ſit aſſidua, & non ceſſet miniſterium altaris, deſtituanturque templa oratione & miſſa; & Chriſtiani non habentes paſtorem, nomine & opere ſint ſicut gentiles. Item curet, vt in omni caſtello, & parua villa ſit aliquis, qui eolligat prouentus Epiſcopo ſecundũ vires cuiuſq; loci, & afferantur ad eum. Siquidẽ ad eũ pertinet, vt faciat eleemoſynas pauperibus, & peregrinis & recreet ſacerdotes egẽtes, vt maneat inter eos charitas.*

Chorepiscopi sunt adiutores Episcoporum.

§. 8. Fuiſſe minorem dignitate Archidiacono conſtat ex can. 58. *Quando Chorepiſcopus, & Archidiaconus ſedent in eccleſia, nullus ſacerdos, neque Diaconus eccleſiæ, neq; cuiuſuis gradus alterius clericorum audeat ſedere ſupra illos: præterquam epiſcopus, quia hi ſunt tanquam duæ manus, & duæ alæ, quibus epiſcopus volat. Sed quando epiſcopus ambulat ſiue in eccleſia, ſiue foris: oportet vt Archidiaconus ſit ad dexteram, & Chorepiſcopus ad ſiniſtram, & Epiſcopus ſit inter eos, tanquam pater in medio filiorum. Et quicumque non paruerit, ſynodus eum excommunicat.* Inferior est archidiacono.

§. 9. Non tamen continuo nomen ſublatum; quamuis enim Epiſcopos non eſſe tradant, niſi paucos quoſdã, presbyteros tamen Chorepiſcopos fuiſſe certum eſt, etiam poſt Damaſi decretum, imo iterum epiſcopalem gradum ambiuiſſe. Nam Ioannes 3. circa annum domini 566. de his ita ſcripſit Epiſcopis Germaniæ & Galliæ. *Perlatum eſt ad ſedem Apoſtolicam, emerſiſſe, & denuo reuiuiſcere prohibitum, & funditus extirpatum, tam à ſancto Damaſo, quam à S. Leone viris Apoſtolicis, atque ab vniuerſis ſynodali authoritate epiſcopis, reprehenſibilem, atq; oppido inolitum vſum, eo quod quidam chorepiſcopi (qui & à prædictorum anteceſſorum ſanctorum Apoſtolicorum patribus & viris Apoſtolicis, & ab ipſis, ſiue à nobis ſunt prohibiti, ſicut eorum hactenus teſtantur decreta vltra modum ſuum progredientes, donum ſancti ſpiritus per impoſitionem manuum tradant, & alia, quæ ſolum pontificibus debentur, contra fas peragant, præſertim cum nullus ex ſeptuaginta diſcipulis, quorum ſpeciem in eccleſia gerunt legatur, donum ſpiritus ſancti per manus impoſitionem, tradidiſſe. Quod autem ſolis Apoſtolicis, eorumque ſucceſſoribus proprij ſit officij tradere ſpiritum ſanctum, liber Actuum Apoſtolorum docet.* Nomen manſit, & ambitio. Ioannes 3. vetat ne manus imponant Chorepiſcopi.

Itaque cum hæc tam clara ſint de Epiſtola ſecunda Nicolai I. valde dubito, quæ eſt Cordeſii ſtudio in lucem edita.

§. 10. Synodus diœceſana Dilingæ habita, anno 1548. Chorepiſcopis tribuit Archidiaconorum, & Decanorum ruralium officium; ita c. 7. & Archipreſbyteros iiſdem conſociat. Itaque nomen Chorepiſcopi retinere, non eſt contra canones, modo epiſcopalia munia, vt ordinandi, & ſimilia non exerceant, ſed ſuo munere contenti intra terminos præſcriptos ſe contineant. Quod ſi vero aliquis, quos nunc ſuffraganeos dicimus, in aliquo epiſcopatu etiam ad gubernationem adhibeatur, poterit ille dici Chorepiſcopus, & eſſe verus Epiſcopus; Chorepiſcopus in illa diœceſi cuius Epiſcopum adiuuat: Verus Epiſcopus ſuæ ditionis, ad quam acceſſus illi negatur.

Caput XL.

Præpoſitorum, Decanorum, Primiceriorum, aliorumque munia.

§. 1. Multa in Eccleſia non dignitatum modo, ſed etiam officiorũ nomina, quemadmodum in militia ſub imperatore legati, tribuni, primipili, centuriones, optiones, decadarchi, ita quoque in hac ſacra militia Eccleſiæ varii ſunt ordines, & magiſtratus ſubordinati. Ideo & caſtrorum acies ordinata dicitur. Caſtra eccleſia caſtra Dei.

§. 2. Pri-

Præpositorũ magna dignitas, etiã secularium.

§. 2. Primum locum tenuere præpositi, qui tamen olim duplices fuere, vel ex corpore cleri, vel sæculares; De sæcularibus intelligo cap. 50. statutorum Concilii Moguntiaceni sub Richolpho Archiepiscopo anno 813. *Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus, vicedominos, præpositos, aduocatos, siue defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus iustitiam diligentes. De iudicibus autem vel centenariis atque tribunis seu vicariis, dignum esse censemus, vt si mali reperti fuerint, de ministerio suo abijciantur.*

Secularibus præpositis sub instituti ecclesiastici.

§. 3. Præpositi sæculares cum minus fideles essent, constituti sunt ex ipso clero viri zelosi, prudentes, in agendo dexteri, qui iura, possessiones, redituſque singulorum, atque omnium curarent. Atque in monasteriis ipsis ex religiosis: ita est in Concilio Aquisgran. sub Steph. 5. Ludouico 1. c. 139. *Quamuis omnes qui præsunt præpositi rite dicantur: vsus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam sub aliis prælatis gerunt. Hi tamen, qui iuxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui à prælatis sunt constituendi, qui & vitæ probabilis sint, & ea quæ sibi iniuncta sunt, fideliter humiliterque expleant. Et pro eo, quod aliis prælati sunt, nequaquam parui pendant canonica instituta: sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis studeant cœlestibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi præpositi, esse vtiles & de ministerio commisso fideliter prodesse. Ea vero, quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli administratione gradum bonum acquirant. Erga huiusce modi vero delinquentes, & obedientiam sibi commissam bene non administrantes, modus superius comprehensus, tenendus est.*

Præpositi monasteriorum in ordinem redacti.

Verum cũ multi ex præpositis tam in clero, quam monasteriis rerum suarum satagentes, communium negligentes, viderentur inutiles, querelæ exortæ sunt; & præpositi quidem monasteriorum in ordinem fere redacti. Nam qui solitarie habitabant, eos ad clausira reuocari iubet Concilium Lateranense, monetque Episcopos vt Abbates ad hoc faciendum impellant.

Luxuries præpositorũ castigata.

Laudabilis est constitutio Concilii Colonienſis anno 1536. celebrati, part. 10. c. 11. *Habent quædam monialium monasteria sumptuosos præpositos, sub quorum potestate quum omnis bonorum administratio sit, ipsi de reditibus monasticis luxuriantur. Et qui monasticæ cõuersationis exemplum esse debuerant, ad mundi delicias reuoluuntur: fastidientes interdum similam & mella, interim monialibus ipsis vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturantibus. Sunt quoq; virginum monasteria, vbi non est victus & mensa communis, sed mos ille (quem ad Corinthios scribens Paulus, quãuis in longe sacratiori conuiuio damnauit) quotidianus, nempe quod vnaquæque suum cibum præsumit ad manducandum: & alia quidem esurit, alia vero ebria est. Quos abusus tollere necessarium putamus, videlicet vt in illorum delicatulorum præpositorum locum, probi oeconomi à nobis comprobandi (quorum victus sit monastico similis) surrogentur, qui etiam obligati erunt singulis annis rationem de receptis ac erogatis integram reddere.*

Præpositi ecclesiarum ad officium vocati.

Sequens deinde Synodus anno 1549. habita officii omnes præpositos admonet. *Querela est collegiorum, præpositos quosdam, ad quos præstito iuramento pertineat iura & statuta Ecclesiarum tueri, atq; defendere, nihil agere minus: sed percipere tantum amplos fructus; cæterum ecclesias, quarum causa illos percipiunt, relinquere indefensas, immemores iurisiurandi, & eius quod beneficium propter officium datur. Hinc decernimus & statuimus, vt si istiusmodi præpositi à suis collegiis, ac bonorum, iurium & statutorum defensionem, expensis capitulorum, necessitatis tempore vel imminente discrimine, requisiti, muneri suo satisfacere neglexerint, & inde Collegium seu Ecclesia illa damnum accipiat: pœnam incidant, pro damni accepti magnitudine & præpositi negligentia, ab Episcopo seu superioribus taxandam & moderandam.*

Hoc Colonienſis Synodi decretũ ad omnes ecclesias pertinet, quia iuramentum omniũ eodem tendit.

Decani ætas & mores.

§. 4. In decanum eligi nemo potest, nisi ætate & moribus maturus, distinct. 60. *innouamus,* Concilium Lateranenſ. sub Alex. 3. c. 3. decreuit, vt nemo decanatum suscipiat, nisi annum 25. attigerit, quiq; sit scientia & moribus commendandus, nisi sit presbyter, idem eadem distinctione; quod si diaconus electus sit, nisi presbyter ordinetur, honore priuatur. Ibidem. Eodem modo Lateran. sub Calliſto secundo: Nullus in præpositum, nullus in decanum, nullus in Archipresbyterum, nisi presbyter, nullus in Archidiaconum, nisi diaconus ordinetur. Eadem in Concil. Pictauiensi anno 1100. sub Paschali 2.

Decani præsentia.

§. 5. Decanum in Ecclesia sua residere necesse est. Aureus canon Concilii Colonienſ. anno 1549. *Videmus Decanis absentibus, vel officio suo segniter perfungentibus leuissimorum quorumque canonicorum & vicariorum insolentiam præualere fere aduersus meliores, pietatem & zelum bonorum haberi ludibrio, officia negligi diuina, neq; rite neque ab omnibus persolui, tantum præcipitari, vitæ & morum honestatem periclitari, disciplinam prorsus nullam esse: breuiter, licere prauis quibusque quicquid libeat. Præcipimus idcirco & mandamus, vt Decani apud suas Ecclesias personaliter resideant, & officio suo per se ipsos strenue perfungantur, excessusque subditorum quoties opus erit, castigent, sub pœna priuationis fructuum decanalium, pro rata temporis, quo absque causa rationabili monti non resederint, fabricæ, aut pauperibus applicandorum, vbi alias non est pœna digna contra non residentes decreta, nisi forte necessitatis causa contigerit eos abesse: Quo casu, capitulari alicui, qui suscepti officij rationem reddere possit, quemque inferiores reuereantur, vices suas committant, nisi talem absentis vicarium peculiaria collegiorum statuta designent.*

Prælatorum præsentia mores componit.

Eodem anno Synodus Moguntina etiam sanctius constituit, & latius legem saluberrimam extendit. Cap. 71. *Cum constet, harum dignitatum officia maiores nostros ideo in ecclesiis instituisse, vt essent, qui disciplinam Ecclesiasticam, tam quam inspectores & moderatores, conseruarent: iam vero videamus, ea ab iis occupari, qui dignitatum titulos tantum gerunt, & emolumentis gaudent, & tamen ab ecclesiis suis absunt, nihil minus quam appellationibus suis respondentes. Quare statuimus, vt posthac omnes, qui vel Præpositorum, vel Decanorum, vel Scholasticorum, vel Custodum, vel Cantorum dignitatibus (quatenus hæ ad nostram aut comprouincialium nostrorum dispositionem pertinent) iam præfulgent, aut porro ornandi erunt, præsentes suis ecclesiis, vtilem & nomine dignam operam præstent: Non absentes, fructus tantum auferant: neque liceat cuiquam absenti, vllam harum dignitatum gerere: sed quisque tali titulo insignitus, suæ ecclesiæ non absens, neque conducta aliorum opera, sed residendo præsens ipse inseruiat.*

Decani officium.

§. 6. Officia decanorum ista à conciliis præscribuntur. Concil. Colon. anno 1536. c. 2. *Porro quum collegiatæ ecclesiæ secundariæ sint post cathedrales, & instar illarum (quod ad ordines ministrantium, diuinumque cultum attinet) constitutæ, vtrobique Decanis curæ erit, vt clericos suos ad obseruationem piorum rituum prouocent ac reducant, vt ad agendam vitam clericis dignam perpetuo cohortentur, ac impellant, vt à negotiis, à tumultibus mundanis reuocent, ne magis seculi, quam Christi milites videantur, vt comessationibus, ebrietatibus, ac omni luxui interdicant, denique vt suo officio satisfacere compellant.*

Augustenſis Synodus anno 1548. c. 9. *Decanus Collegii sui clericos & familiam in officio quemque suo contineat, exemplo alios præcedat, vitæ morumque honestatem in habitu & disciplina, debitumque in diuinorum officiorum persolutione & cæremoniis exigat: Ebrios, aleatores, percussores, scortatores, & officii sui immemores corripiat, sacris abigat, & pro iure sibi competenti mulctet.*

Iterum

Iterum Colon. c. 9. *Quo ergo hæc quæ diximus, repurgentur, ac debite simul cum omnibus aliis ad diuini officij prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus obseruentur, Decanus diligenter inuigilabit, hinc & hinc circumspiciens, ne quid inordinate fiat.*

Et c. 25. Eius officium cum potestate sic describit. *Si quos Decanus rebelles cernat, si diuini cultus atque sui officij negligentiores, si rixosos, si litigiosos, si percussores, si aleatores, si scorta fouentes, aut aliis publicis criminibus irretitos, atque hi fraternam correptionem audire recusauerint, agat in his capitulis quod iubet Paulus: Peccantes coram omnibus argue: Tum si resipiscere nolint, arceat à sacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem reuertantur, sic tamen, vt hic seruetur regula Apostolica: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes, & neque ira, neque odium, neque rancor vllas sibi partes vendicet. Nam illa præpositorum solicitudo est vtilis, illa cautela est laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor nihil sibi vendicat. Ira enim sæpe etiam innocentes ad crimen inducit. Dum enim iusto amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus. Per hæc tamen nostris ac ecclesiarum prouinciæ nostræ priuilegiis ac legitimis consuetudinibus, & præsertim mori ac consuetudini quæ in aliquibus ecclesiis est, (nempe vt causæ disciplinæ per Diaconos diiudicentur) nihil præiudicamus: modo tamen diaconi, suo officio gnauiter ac strenue incumbant ac satisfaciant. Quod si Decanus & Capitulum, negligentes, aut eisdem criminibus irretiti fuerint, ad iuris communis dispositionem redire necesse erit.*

Decani potestas.

Decani & Capituli negligentia corrigatur.

Decani graue officium.

Grauissima est igitur prouincia Decanorum, vt ad quos totius Collegii, disciplina, mores, cultus diuini ratio pertinet; nisi enim pius, prudens, vigilans, fortis, ad monendum interritus est, si vitia, abususque dissimulat, omnium animarum sanguis de manu eius requiretur. Ille in omnium ore psalmos præcipitat, omnium linguis fabulatur; Quod enim ex officio tenetur, ex auctoritate potest emendare, censetur facere, si negligit.

§. 7. Habent & parochi in vicis, pagis, oppidisque suos decanos, seu præsides, quos rurales appellant. Horum officia Synodus Treuirens. anno 1548. exponit. *Archipresbyteri vero, qui & Decani rurales appellantur, quum ad synodi consessum admissi sint, etiam & cum pastorum, & suiipsorum officij rationem reddere Reuerendiss. domino nostro iubentur: quandoquidem ad eos pertinet, publica subditorum delicta corripere, animarum curæ consulere, omnes puram verbi Dei doctrinam pascere, miseros atque calamitosos consolando sustentare, Ecclesiæ in omnibus bene præesse, denique ipsos sana viuendi exempla, verbo, & opere exhibere: quod qui faciunt, eos duplici honore dignos Apost. iudicat. Nam turpissimum Ethnicus esse censet, committere, quod doces alios, non esse committendum. De iis igitur, tum etiam de aliis sacerdote dignis curis, respondere suæ Reuerendissimæ gratiæ debent, quo cognoscat illorum in administrandis officiis integritatem. Eo sane nomine bonis ac lubenter parituris gratiam & laudem referri: malos vero & reprobos, cuiuscunque conditionis fuerint, ignominia & pœna posthac Ecclesiasticæ censuræ vigore, affici imperabit.*

Decani rurales.

Qui nunc decani vocantur, olim videntur archipresbyteri fuisse, est enim vterque princeps sui collegii, primarii viri enim decani etiam dici solent, & honoratus est numerus denarius, adeo vt decumana dicantur, quæ magna sunt. Nunc tamen archipresbyter & decanus diuersas functiones habent; & archipresbyter quidem ordinario iure in gubernatione subiicitur archidiacono, decanus nequaquam. Archipresbyter fere vices Episcopi absentis gerit. Vide Leon. const. vlt. de officio archipresbyteri.

Archipresbyter.

§. 8. Scholastici officium est, vel instituere, vel curare vt instituatur iuuentus. Præest ille domicellaribus quos vocant, qui nisi omni cura instituantur, ad officia diuina exerceantur, spes bonorum Ecclesiasticorum in ipsa herba præciditur. Metropolitano vero scholastico generalis scholarum inspectio, commissa censetur.

Scholastici officium.

Aliud etiam ei dignitati adiunctum est officium, nempe ordinandos examinandi, præsidet enim examini scholasticus cathedralis ecclesiæ.

De omnibus hisce vno verbo pene Colonien sis Synodus c. 3. *Sunt in hisce Ecclesiis diuersi ministrantium gradus: nempe Præpositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, Cantores, qui & Chori Episcopi, Thesaurarij, qui & Sacristæ seu Custodes, Canonici & Vicarij, atque id genus alij. Interpretetur quisque vocabulum suum, & curet esse, quod dicitur, secundum veterem patrum institutionem ac regulam. Atque eo solo fecerint, vt quum nostræ, tum omnium piorum expectationi magna ex parte respondisse videantur.*

§. 9. Primicerius est quicunque est πρώτης τάξεως, primus in ordine, siue dignior cæteris πρωτόκης. In cera autem scribere moris erat. Plin. l. 2. Epist. *Erat in proximo non venabulum, aut lancea, sed stylus aut pugillaris: meditabar aliqua annotabamque, vt si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.* Primicerius autem qui in prima cera, hoc est, primus in choro inter cantores scriptus erat, in ima cera apud Suetonium qui in extremis. Eius officium describitur l. 1. decret. t. 25. cap. 1. *Vt primicerius sciat se esse sub archidiacono sicut archipresbyter: & ad eius curam specialiter pertinere, vt præsit in docendo diaconis, vel reliquis gradibus ecclesiasticis in ordine positis: vt ipse disciplinæ & custodiæ insistat, sicut pro animabus eorum coram Deo rationem est redditurus: & vt ipse diaconibus donet lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent: & de singulis studium habeat, vt in quacunque re capacem sensum habuerit, absque vlla vacet negligentia, aut à quo ipse iusserit instruantur.*

Primicerius.

Primicerius sub Archidiacono.

Et dist. 25. c. 1. *Ad primicerium pertinent acolythi, exorcistæ, psalmistæ, atque lectores, signum quoque pro officio clericorum, pro vitæ honestate & officii meditandi, & peragendi solicite lectiones, benedictiones, psalmum, laudes, offertorium, & responsoria quis clericorum dicere debeat. Ordo quoque & modus psallendi in choro pro solennitate temporum: ordinatio quoque pro luminaribus deportandis. Si quid etiam necessarium est pro reparatione basilicarum, quæ sunt in vrbe, ipse denuntiat sacerdoti: epistolas episcopi pro diebus ieiuniorum pro parochianis per ostiarios ipse dirigat: clericos, quos delinquere cognoscit, ipse distringat; quos vero emendare non valet, eorum excessus ad agnitionem episcopi deferat: basilicanos ipse constituat, & matriculam ipse disponat. Quando autem primicerius absens est, ea quæ prædicta sunt ipse exquirat, qui ei aut lege proximus est, aut eruditione. Ad thesaurarium pertinet basilicarum, & ostiarii ordinatio, incensi præparatio, cura chrismatis conficiendi, cura baptisterii ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario & in sacrificiis.*

Beneficium & dignitas fuit primiceriatus, cum itaque officio non fungeretur primicerius, Tullenses canonici, vt est in rescripto Innocentii tertii, hoc officium sustulerunt.

Primiceriatus sublatus.

§. 10. Sunt & alia officiorum, & dignitatum genera. Tolosæ & alibi summa dignitas est post præpositum Cancellarii Academici, qui & ipse canonicus est, Coloniæ ipse præpositus Metropolitanus est Cancellarius, Moguntiæ custos Cancellarium constituit. Vide de his l. 5. decret. de magistris, c. quamuis.

Cancellarii Academici.

Officialis.

Officiales & Vicarii Episcoporum iurisdictionem vice Episcopi exercent. In noua. 16. q. 7.

Thesaurarius est κειμηλιάρχης, qui preciosa custodit, qui & custos alibi nominatur.

Thesaurarius.

Sacrista (pellectilis sacræ, luminariumque curam habet; l. 2. decret. 26.

Sacristæ.

Custos Sacristæ minister est. ibidem c. 1.

Oecono-

Oeconom⁹. Oeconomus qui res Ecclesiæ dispensat, pauperum dispensator.

Vicedominus. Vicedominus ille in Episcopatu dicitur, qui in Ecclesiis particularibus Oeconomus.

Syndicus. Syndicus qui lites persequitur, & iura Ecclesiæ controuersa defendit.

Cellarius. Cellarius cui vini dispensatio, & crebro frumenti, aliarumque rerum est commissa.

Parochi, Vicarii. Sunt & Parochi, Vicarii, Capellani, Pensionarii, Orphanotrophi, qui omnes ex necessitate, & vtilitate Ecclesiæ constitui debent. Sed de his speciatim agendum est, quemadmodum de Canonicis.

CAPVT XLI.

Canonicorum instituta in ecclesia laudabilia, & leges de illis salutares.

Canonici est canonice viuere. §. 1. CANONICORVM officium est canonice viuere. de consecrat. dist. 5. c. 34. *In omnibus igitur (quantum humana permittit fragilitas) decreuimus, vt Canonici clerici Canonice viuant, obseruantes diuinæ scripturæ doctrinam & documenta sanctorum patrum: & nihil sine licentia episcopi sui, vel magistri eorum incomposite agere præsumant, in vnoquoq; episcopatu vt simul manducent & dormiant, vbi his facultas faciendi id suppetit: vel quo de rebus ecclesiasticis stipendio accipiunt, in suo clausтro maneant: & singulis diebus mane primo ad lectionē veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundū canones suis ministris exhibeant.*

Officiū canonicorum. Canonici clericorū honoratiores sunt; dicti sunt, vel quod secundum canones Apostolicos, & conciliorum viuant, vel quia relati sunt in canonem, græci οἱ ἐν κανόνι, hoc est, in album Eccles-relati, vt statam annonam consequantur, vocemque & ius dicendæ sententiæ in capitulo habeant; Κανονικοὶ harmonici, qui primas partes rationi tribuebant, à pythagoricis dicebantur.

Dicuntur iidem præbendati, quamuis præbenda larius pateat, quam canonicatus. Præbenda olim dicebantur, quæ Parochi legatis publice missis præbere tenebantur, Horat. ser. Satyr. 5.

Proxima Campano ponti, quæ villula tectum
Præbuit, & parochi quæ debent ligna, salemque.

Præbenda propter officium. Præbenda igitur dicitur in Ecclesia ius Ecclesiasticum, (nam de laicalibus præbendis non agimus) recipiendi certos prouentus annuos in Ecclesia, propter ministerium diuinorum officiorum, quod obit, is qui fructibus præbendæ viuit. Huic iuri cum est adiunctum ius suffragii in capitulo, si reliqua adsint, vocatur præbenda canonicalis; quamuis enim canonici aliqui non sint in capitulo, habent tamen præbendas canonicales, sed aliqua causa obstat, quo minus admittantur.

Ad præbendæ fructus igitur legitime suscipiendos opus est habere titulum, & legitimam possessionem, deinde vt diuinis in officiis, quibus deputatus est, versetur. Beneficium enim datur propter officium. Ita omnes fundationes, omnesque canones.

Canonici corpus, præsentias, & fructus mēsæ capiunt. §. 2. Canonicis solent triplicia stipendia dari: Nam vel annua sunt, & corpus vocant; vel diurna, quas præsentias appellant; quæ solis præsentibus distribuuntur. Denique sunt quædam collectæ à capitulis, præter corpus, & præsentias, quas fructus mensæ nominant, hæc distribuuntur pro arbitrio canonicorum. Quia vero quorundam auaritia tanta est, & cum auiditate iunctus torpor, vt omnibus in locis venentur præbendas, vno quidem in loco resideant, ad alia collegia colligendorum fructuum causa proficiscantur, consultum foret, quandocunque, & vbicunque fieri potest, corpora in præsentias commutare, aut saltem minuere corpora, augere præsentias. Verum de hisce deinceps agam.

§. 3. Canonicatus, & præbendæ in vniuersum duplices sunt. Aliæ sunt Cathedrales, aliæ secundariarū ecclesiarum, vnde inualuit illa distinctio, vt dicatur Clerus primarius, qui in æde cathedrali Deo seruit, secundarius qui in aliis collegiatis Ecclesiis. Solent etiā præbendæ & canonicatus vocari beneficia; quia beneuole dantur ab Ecclesia, & gratis, cum gaudio recipientis, & dantis, duo autē continent, ius fructuū recipiendorum, & obsequii Deo exhibendi obligationem. Datur autem beneficium propter officium. Ideo cum cessat officium, subtrahitur beneficium; & cum retinetur abdicato officio, iniuria Deo, & Ecclesiæ infertur. Ego in paucas leges totam rationem conferri posse puto. *Cessante officio subtrahitur beneficium.*

Lex 1. In beneficii collatione nihil collator sibi retineat, nihil speret, non obsequium, non pecuniam. Quia Deo ministrum constituit, non debet in re sacra fœnerator esse, & sibi partem ex patrimonio Ecclesiæ vindicare, multo minus serui Dei officia cum Deo diuidere. *Gratis dādæ præbendæ.*

Lex 2. Resideant in suis ecclesiis. Ideo enim & fundatæ sunt, & priuilegia acceperunt ab Imperatoribus, tit. *de clericis non residentibus.* Hoc loco horrescо referens, quando fraudes, qua Deum miseri homines circumuenire satagunt, recordor. Iam olim hoc malum cœpit, vt magnos prouentus parum, aut nihil agendo conquireret cupiditas. Quotus quisq; debito more præsens est? Sed audiamus patres nostros, anno 1286. in concil. Rauennati sub Honorio quarto ita definitum est. Rub. 5. *Dignum est, vt quos ad vitæ decora, domesticæ laudis exempla non reuocant, saltem correctionis medicina compescat. Sane relatu comperimus plurimorum, in nonnullis ecclesiis nostræ prouinciæ, consuetudine obseruari, & in aliquibus aliis constitutione firmatum, vt præter reditus beneficiorum, & præbendarum; de quibus nihil ad præsens volumus immutari; prout quotidie residēt, reditus aliquos alios, tantū in ecclesia residentes, pro rata residentiæ, quam in ecclesia faciunt, percipiant: & quod ad huiusmodi consuetudinem & statutum, quidam praua interpretatione obaudientes, ac minus, quæ Dei sunt, cogitantes, in animarum suarum periculo; dum tamen in camera sua resideant, dato quod intrent in ecclesiam ad diuinum officium celebrandum, tantum semel in mense, ipsos reditus specialiter ob fauorem residentiæ deputatos, vt Deo, & ecclesiæ seruiatur, & diuinæ laudis organa, in ipsa, horis singulis decantentur, sibi vsurpant: propter quæ generatur grande scandalum proximorum, qui ecclesiæ militant, prout debent, ac refrigescit in eis laudabile propositū, quod habebant. Ne igitur culparum illorum efficiamur participes, ipsa praua interpretatione summota, ac tali consuetudine obseruata, statuimus declarando, & statuendo declaramus, vt illi tantum dicantur in ecclesia residentes, quoad præmissos reditus, qui distribuuntur, prout quotidie residēt, seu sit bladum, seu vinum, siue sint pecuniæ, vel alia bona; qui in ecclesia sua confratribus aliis horis debitis pensum seruitutis nostræ, videlicet matutinum, laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, completoriumq; persoluerint: alioquin percipiant ex ipsis reditibus, nisi prout seruierint ecclesiæ, iuxta ordinationem nostram, infra proxime annotatam. Et vt hæc cōstitutio inuiolabiliter seruetur, volumus, & sub excommunicationis pœna mandamus, vt infra duos menses à die publicationis præsentis concilij computandos, omnes & singuli clerici ecclesiarū nostræ prouinciæ, vbi sunt plures clerici ordinati, & tales sunt reditus, de quibus supra præmisimus, hanc teneantur constitutionem sacramento firmare, & omnes etiā qui in posterum assumentur, antequam ad reditus admittantur. Vbi vero in ecclesia reditus tales non sunt, diœcesani locorum in synodis suis, quas eos contigerit celebrare, prouideant, prout secundum Deum melius poterunt, ne in ipsis ecclesiis, horis canonicis, officium negligatur. Quod si maior de Capitulo, vel vbi omnes sunt pares, qui proximo ipsis clericis præest, non fecerit hoc sacramentum præstari sui beneficij periculo subiacebit, mulctandus per prouinciale concilium, seu superiorem ipsius, vel per alium, qui hoc possit.* *Qualis residentia.* *In camera residentes accepere fructus.* *Sacramento rediguntur ad residentiam.*

Proximum

Leges valde salutares, & zelum diuini honoris habentes.

*Proximum supra*scriptum Concilium, *in quantum rite possumus, ordinare & declarare volentes, statuimus, vt infra duorum mensium spatium, à die publicationis huius Concilij ordinetur, quot, & quantum habere debeat, qui matutino interfuerit, & aliis horis Canonicis, ex reditibus, de quibus supra proximo Concilio est præmissum, vbi tales sunt reditus. Et quia in specie dare in hoc doctrinam non possumus, cum aliquæ Ecclesiæ plus abundent, aliæ vero minus, prout possumus, prouidemus hoc modo, videlicet, vt qui matutino interfuerit, duplum eius habeat, quod habebit, qui erit in Missa. Qui autē Tertiæ, & Sextæ, medietatē eius habeat quod ei fuerit datum in Missa: Et idem in Nona seruetur, quod est in Tertia & Sexta præmissum. Qui autem in Vesperis, & Completorio, tantum habeat, quantum qui Missæ interfuerit, secundū præmissa. Vt clare intelligas, suppone quod decē sint denarij, distribuendi indies pro quolibet Canonico: de ipsis decem denariis dabis ei, qui interfuerit matutino, denarios quatuor: qui Missæ, duos: qui Tertiæ, & Sextæ; vnum: Et vnum, qui Nonæ: & qui Vesperis interfuerit, & completorio, dabis duos denarios, vt dedisti in Missa. Verum quia nec sic est, secundum quod præmissum est, ad plenum contra dolosos prouisum, qui venire possent ad horas Canonicas, non tamen horæ debitæ, & si in hora debita, non tamen starent, quousque officium compleretur, contra eos statuimus, vt is dicatur matutino interesse, qui ad Ecclesiam venerit, antequam, Venite, cum hymno cantetur, cum hymnus dicitur: alias cum dicetur, Venitè, cum primo psalmo; ex quo hymnus tunc non cantatur; & steterit, quousque Prima completa fuerit. Qui Missæ, antequam cantetur Kyrieeleyson, & steterit, quousque fuerit finita Missa. qui Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperis, & Completorio, antequam psalmi incipiantur, & steterint, quousque dictæ horæ fuerint perfectæ, aliter nihil percipiant. Quicunque autem contra fecerit, præter reatum periurij, teneatur ad duplum illius, quod perceperit, restituendum Ecclesiæ, cui seruitium debitum est subtractum, conuertendum in ornamenta ipsius Ecclesiæ.*

Eadem deinde anno 1317. multo vehementius in Rauennate Concilio tractata, & definita sunt.

Toti officio interfit, qui absens æstimari non vult.

Non possum quin Concilii Basileens. sess. 21. verba adscribam: *Qui in matutinis ante finem psalmi, Venite exultemus, in aliis horis ante finem primi psalmi, in Missa ante vltimum Kyrieeleison, vsque in finem diuino officio non interfuerit, nisi forte necessitate cogente, ac petita & obtenta à præside chori licentia, discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur, saluis ecclesiarum consuetudinibus, si quæ forte circa hoc arctiores existant. Idem in his obseruetur qui à principio vsque in finem in processionibus non permanserint. Pro cuius executione deputetur aliquis, onus habens notandi personas singulas statuto tempore non conuenientes, iuramento adstrictus agere fideliter, & nulli parcere. Iubet etiam hæc sancta synodus, quod in illis ecclesiis, in quibus singulis horis certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, si opus sit, deputentur, vt iuxta mensuram laboris plus minusue quisque capiat emolumenti, tollens prorsus abusum illum, quo in vna duntaxat hora præsens, totius diei distributiones vsurpat: & illum quo Præpositi, vel Decani, aut alij officiales, ex hoc solū, quod officiales sunt, licet actualiter pro vtilitate ecclesiæ non absint, quotidianas distributiones percipiunt.*

Seria Moguntinæ synodi constitutio.

Iam supra mentionem feci concil. Moguntini sub Sebastiano anno 1549. in quo c. 72. his verbis res imperatur. *Cum Apostolus victu, adeoque ipsa vita, indignos iudicet homines ociosos, qui panem non labore suo partum, cum grauamine aliorum edunt: quanto grauiori indignationi diuinæ eos subiacere putandum est, qui census Ecclesiæ, sanctorum Martyrum patrimonia & donaria piæ plebis, ad diuini Ministerij sustentationem collata, otiosè absumunt, pro iis debita ipsis ecclesiis obsequia rependere non curantes? Nos igitur periculo animarum obuiare, & necessitati ecclesiarum consulere volentes, præsenti statuto decernimus & ordinamus, ne posthac in Metropolitana, Cathedralibus, Collegiatis, aut quibuscumque aliis nostris, & nobis subiectis ecclesiis, per vniuersam prouinciam constitutis, quotidianæ distributiones ad breuissima quædam momenta, puta ad lectionem Epistolæ, seu vnius Psalmi, aut Responsorij: sed integris ac totis officiis, & horis assignentur, & iis modo tribuantur, qui officiis diuinis, de quibus emolumenta dantur, ab initio ad finem interfuerint. Hi vero qui excursus & recursus suos ita partiri consueuerunt, vt de laboribus minimum, de emolumentis autem plurimum perciperent: in posterum nisi integris officiis & horis interesse studeant, illius officii aut horæ fructu in totum mulctentur, quibuscumque irrationabilibus aut prauis consuetudinibus (quæ potius corruptelæ censendæ sunt) non obstantibus. Si qui tamen infirmitate aut legitima causa impediantur, apud Prælatum aut alium, cui de Ecclesiæ consuetudine competit, se excusent, & veniam absentiæ suæ impetrent: Canonicos vero, per actus Capitulares ab ingressu chori, quamdiu Capitulis intersunt, & non diutius, excusari volumus. In qua re Decanos ecclesiarum, aut quibus ea cura pro tempore incumbit, monemus, eisdem præcipientes, ne, extra necessitatem, Capitula indicant in eam horam, qua diuina officia peraguntur: cum possint aut maturius, aut serius Capitula haberi, vt ipsi etiam Prælati & Canonici diuinis officiis commodius interesse queant. Quos vtique, supra chori officia, quæ ipsis incumbunt cum vicariis communia, actuum Capitularium labor grauare non debet: cum supra communes distributiones, de præbendis suis ampliore etiā emolumento potiantur.*

Præsentia non ad momenta restringenda.

Simili modo distributiones, quæ de processionibus percipiuntur, his modo dari volumus, qui eisdem ab initio ad finem præsentes interesse perseuerauerint.

Et ne beneficia per ecclesias debitis obsequiis fraudentur, omnibus beneficiorum possessoribus, sub amissione beneficiorum, iniungimus, vt ordines, quos eorum beneficia requirunt, si nondum habent, proximis temporibus à iuris statutis recipiant: Ad quod etiam Canonicos Ecclesiarum, pro suo quemq; ordine teneri volumus, vt obsequium, quod quisque pro officii sui exigentia ecclesiæ debet, cū res postulat, per se præstare queat.

Eodem modo Mediolanen. 5. c. de residentia multa grauissime sanctissimeque sancit. & Mediol. 1. de residentia. Videatur de hisce sessio 6. Trident. synodi.

Laicus sacrum dare non potest.

Lex 3. A Laico beneficium nemo accipiat. *Cum secundum Apostolum, nemo sibi debeat honorem assumere, nisi tanquam Aaron à Deo fuerit vocatus, hoc minus considerant, & attendunt, suæ salutis obliti, qui se intrudunt ad dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia, & eligi & intrudi procurant per potentiam laicalem: Volentes igitur talibus & similibus remediis quibus possumus obuiare, statuimus & districtius prohibemus, ne quis talia de cætero præsumat attentare, vel attentari sustineat, vel procuret. Et si quis contra fecerit, non solum non confirmetur, nec instituatur, sed omni spe promotionis, in tota Rauennate prouincia, per diœcesanum similiter exuatur: & nihilominus ipso facto sit excommunicatus, & omni priuilegio ecclesiastica protectionis, ac defensionis exutus sit.*

Ne sponte oblatum quicquam.

Lex 4. Non modo pro beneficio nihil petatur, sed nec sponte oblatum recipiatur; nec ea conditione vt is qui accepit, ad nutum vel dantis, vel alterius cedat. Mediol. 1.

Accipiens omni iure priuatur.

Lex 5. Qui sic dederit, iure dandi, nominandi, præsentandi priuatur, imo & eligendi; qui acceperit fructus suos non facit, Mediol. 1. §. *Quæ pertinent ad beneficiorum collationem.*

Iusiurandū omnibus ecclesiis iungendū.

Lex 6. Accepturi beneficium iureiurando Simoniace se non egisse, affirment. Sic est in Mediol. 1. §. *Neminem autem vel præsentatum, vel nominatum, vel electum, vel ab inferioribus prouisum prius admittant, aut instituant Episcopi, quam infrascriptum iusiurandum ab eo exegerit. Ego N. præsentatus, vel electus &c. ad beneficium N. iuro per Sacrosancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficii obtinendi causa, aut vt ad id præsentarer, vel nominarer &c. neque quemquam alium meo nomine aut consentiente, vel sciente me, quidquam collatori, patrono, seu alii cuipiam ea de causa promisisse, aut dedisse, aut compensasse, aut prius datum confirmasse, vel apud quemquam deposuisse.*

Neque mutuo dedisse, vel locasse, vel prius mutuo datum commoda-

commodatum, locatum, aut quocunque modo debitum remisisse, aut relaxasse. Nec de domibus, terris, prædiis, reditibus eius ecclesiæ, fructibusue, decimis, aut oblationibus eiusdem prætertis, præsentibus aut futuris donationem, remissionem, locationemue fecisse, promisisse aut iniuisse; aut alium, mandante, vel consentiente me, promisisse, fecisse, aut iniuisse. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Lex 7. Internuncii Simoniacorum plectantur, notarii, aduocati, procuratores, interpositores, fideiussores. ibidem.

Lex 8. Ambitiose petens biennio careat, itemque qui nondum vacantia postularint.

Pluralitas beneficiorũ vetita.

Lex 9. Vni plura ne dentur. Antiqua & sæpe repetita lex, sed quæ sæpe violatur; multi possident plura, pauci sunt; qui non cupiant plura.

Ego primum statuta legesque Ecclesiæ, deinde meam sententiam proponam. Nam de præbendis, & dignitat. c. *iam dudum statutum: vt primum beneficium ipso iure amittatur, si aliud recipitur.* Et de elect. c. dudum, *vetatur ne sine dispensatione obtineatur.* Itaque duo statuenda sunt: Primum pluralitatem grauissime prohibitam esse, præsertim in curatis. Secundum dispensari in ea lege posse. De primo igitur sic statuunt Patres, Concilia, Pontifices. Concil. Claromontanum anno 1095. sub Vrbano 2. c. 22. *Vt nulli clericorum liceat deinceps in duabus ciuitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere.*

Iam viginti titulos habent.

Iam vero titulorum multitudo honori ducitur. Et appendix Later. vbi Alexander 3. Burdegalensi scribit. Vt alterum eius Archidiaconus resignet. Et Lateran. sub Innocentio 3. c. 29. *De multa prouidentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum, vt nullus diuersas dignitates ecclesiasticas, & plures parochiales ecclesias reciperet contra sacrorum canonum instituta. Alioquin & recipiens, sic receptum amitteret & largiendi potestate conferens priuaretur. Quia vero propter præsumptiones, & cupiditates quorundam, nullus hactenus fructus, aut verus de prædicto statuto prouenit, nos*

Plura curata habens sic ipso iure priuatus.

euidentius, & expressius occurrere cupientes præsenti decreto statuimus, vt quicunque receperit aliquod beneficium, habens curam animarum annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit iure ipso priuatus, & si forte illud retinere contenderit, alio etiam spolietur.

Vbi de duobus curatis tantum agitur, non simplicibus. At Concil. Salisburg. sub Greg. 10. de omnibus agit. *Cum in prouincia Salzburg. diuersi clerici seculares non ponentes terminũ auaritiæ, nec salutem propriam prætendentes, onerare se pluribus beneficiis ecclesiasticis non formident; nos, qui aliorum indigentiis, & saluti occurrere cupimus, & ecclesiarum necessitatibus prouidere, auctoritate præsentis Concilij firmiter & districte præcipimus, vt singuli plura beneficia possidentes, aut recepto vltimo sint contenti, aut in ipso proximo prouinciali concilio, seu Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant, secum esse per eum, qui de iure hoc facere potuerit, dispensatum, alioquin nos tam formam Canonum, circa hoc traditam, quam statutum bonæ memoriæ Domini Guidonis Cardinalis quondam in prouincia nostra A. S. L. prouidere curabimus beneficiis & personis.*

Eadem mente Augustana anno 1548. c. 11. *Quicunq; vel cupiditate vel quouis etiam honesto colore impellente, plura beneficia ecclesiastica obtinent, hoc nostro mandato iubentur, sicuti districte præcipiendo mandamus, vt retento quod ex illis maluerint vnico beneficio, cætera intra annum resignent, aut nobis vel deputatis ad hoc nostris, dispensationum suarum priuilegia huiusmodi ostendant. Quod nisi debita obedientia præstiterint, sciant se ex nostra diligentia in recta & vera ecclesiasticorum beneficiorum dispensatione adhibenda, inobedientiæ aut cupiditatis suæ pœnas legitimas suscepturos.*

Pluralitas beneficiorũ est ecclesiæ calamitas.

Et Moguntinum sub Sebastiano c. 64. de curatis potissimum agit. *Res ipsa loquitur, plura beneficia, potissimum quibus animarum cura submissa est, non sine graui ecclesiarum damno ab vno obtineri, cum vnus in pluribus ecclesiis rite officia persoluere, aut rebus earum necessariam curam impendere nequeat. Nos igitur, iuxta reformationis commonitionem, contra hanc ecclesiarum calamitatem velut salubre remedium, illud Lugdunensis Concilij decretum opponentes, singulos eiusmodi curatorum beneficiorum detentores monemus, & districte eis præcipiendo iniungimus, vt intra trimestre tempus, post huius Synodi prouincialis exitum, nobis aut comprouincialibus nostris, locorum ordinariis dispensationes, quarum prætextu eiusmodi beneficia obtinent, exhibeant. Quod ni fecerint, talia beneficia quasi eo ipso illicite obtineri conuincantur, post trimestre tempus elapsum, per eos, ad quos collatio eorum pertinet, aliis personis idoneis conferri debent. Quod si dispensatio alicuius legitima & sufficiens videbitur, is beneficia sine molestia retinebit. Nihilominus tamen prouidebit, per idoneorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, ne cura animarum in his ecclesiis negligatur, nec ipsa beneficia debitis officiis fraudentur: Alioqui negligentia eius, per ordinarium de fructibus beneficij suppleri, & ipse insuper subtractione certæ portionis reliquorum fructuum, pro arbitrio ordinarij, puniri debet. Sin dispensationes inualidæ, aut non satis legitimæ visæ fuerint, si is qui earum prætextu plura beneficia curata obtinuit, vno retento, cætera libere resignare recusauerit: causa illius ad sedem Apostolicam referatur, eiusdemque iudicium expectetur, quem sui beneficij modum esse velit. Quod si quis in diuersis diœcesibus eiusmodi beneficia curata obtineat, à quolibet ordinario ad talem exhibitionem compelli debet. Et si legitima dispensatione munitus non fuerit, vltimo quod accepit beneficio retento, cætera resignet: cum iuxta iuris communis dispensationem, per subsequentis beneficii curati acceptationem, quod prius obtinebat, ipso iure vacare dignoscatur.*

Eodem modo Concilium Tridentinum sess. 7. c. 2. 3. 4. *Nemo, quacunq; etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas seu Cathedrales ecclesias, in titulum, siue commendam aut alio quouis nomine, contra sacrorum canonum instituta, recipere & simul retinere præsumat. Cum valde felix sit ille censendus, cui vnam ecclesiam bene ac fructuose, & cum animarũ sibi commissarum salute regere contigerit. Qui autem plures ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent, vna, quam maluerint, retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur: alioquin ecclesiæ ipsæ, vltimo obtenta duntaxat exceptæ eo ipso vacare censeantur.*

Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri tertii in Lateranensi, quæ incipit, Quia nonnulli; & aliam Gregorii decimi in generali Lugdunensi Concilio, quæ incipit; licet canon, editam conferantur. Aliter autem facta collatio, siue prouisio, omnino irritetur: & ordinarius collator pœnas constitutionis concilii generalis, quæ incipit, graue nimis, se nouerit incursurum.

Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunq; nomine, & titulo, contra formam sacrorum canonum, & præsertim constitutionis Innocentii tertii, quæ incipit; Qui multa, recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, iuxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso iure, etiam præsentis canonis vigore, priuatus existat.

Idem Concilium tamen sess. 24. de omnibus sic statuit c. 17. *Cũ ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verũ quoniam multi improbæ cupiditatis affectu seipsos, non Deum decipientes, ea, quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt: sancta Synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant: mandat obseruari; statuit vt in posterum vnum tantum beneficium ecclesiasti-*

cum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honeste sustentandum non sufficiat: liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad cathedrales ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia, quam regularia quæcunq; etiam commendata, pertineant, cuiuscunque tituli, ac qualitatis existant. Illi vero, qui in præsenti plures parochiales ecclesias, aut vnam cathedralem, & aliam parochialem obtinent, cogantur omnino, quibuscunq; dispensationibus, ac vnionibus ad vitam, non obstantibus, vna tantum parochiali, vel sola cathedrali retenta, alias parochiales infra spacium sex mensium dimittere: alioquin tam parochiales, quam beneficia omnia, quæ obtinent, ipso iure vacare censeantur; ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur: nec ipsi ante illa obtinentes, tuta conscientia, fructus post dictum tempus retineant. Optat autem sancta Synodus, vt resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo pontifici videbitur, prouideatur.

Si vnum non est sufficiens aliud addi potest.

Leges illæ obligant.

Cum igitur lex illa à multis conciliis sit constituta, firmata, acceptata, cum iura secundum eam decernant; cum etiam finis eius grauis sit, sequitur eam vehementer obligare, inuiolateque seruandam esse. Quia tamen lex positiua est, & Ecclesiastica, potest summus Ecclesiæ pastor in ea dispensare, quod leges ipsæ satis indicant, cum vetant habere sine dispensatione plura beneficia. De hac dispensatione igitur dicendum; neminem enim esse puto, qui plura habeat sine pontificia dispensatione. Verum dispensatio an legitima sit maxime animaduertendum est, sunt enim sæpe dispensationes verbo, reipsa dissipationes. Interdum in foro exteriore sunt validæ, quia refutari non possunt, in conscientia criminosæ, quia iustam causam non habent. Qui tamen plura possident, tenentur vigore consilii Tridentini suas dispensationes ostendere. Sane fortiter, & religiose eam rem vrsit in Concilio Augustano Cardinalis, & Augustanus Episcopus Otho. Qui requirit dispensationum diplomata. Et addit, *si qui vero post hac sedis Apostolicæ dispensatione plura beneficia obtinuerint, compertumq; à nobis fuerit, eidem sedi (quæ in literis, concessionibus, priuilegiisque suis rationes causasque honestas & necessarias, prout suggestum ei fuerit, sequi consueuit) illusum ab impetrantibus fuisse, hi sciant nos sanctiß. domino nostro melius informato dispensationum huiusmodi reuocationem procuraturos. Vnde statuimus & ordinamus, vt in posterum nullus, cuiuscunque gradus, aut dignitatis fuerit, ad alterius aut plurium beneficiorum possessionem admittatur, nisi nobis tanquam ordinario loci, dispensationis eiusmodi literas, pro sedis Apostolicæ dignitate conseruanda inspiciendas, prius exhibeat, Bonifacij IX. & Leonis X. maximorum pontificum constitutionibus semper saluis. Et si dispensatione dignus videbitur, nihilominus statuimus, vt tales, aut alij quicunque ecclesiarum rectores & beneficiati, vicariis suis tantam ex fructibus portionem relinquant, quanta ad hospitalitatem seruandam, ad iura Episcopalia & Archidiaconalia persoluenda, aliaque onera ferenda sufficiat. Alioquin à suis beneficiis, reseruato tamen vnicuique patrono aut collatori iure suo, decernimus amouendos.*

Dispensari potest in hac lege.

Multi sine legitima dispensatione plura habent.

Dispensationes examinandæ, quia causas semper adiungunt.

Merito sane; Dispensationum enim importuni efflagitatores faciunt, vt nulla sit, quam accipiunt, dispensatio. Vidi diplomata dispensatoria, quorum initia, indicabant, ob magnam eruditionem, multosque labores pro Ecclesia toleratos, meritaque & vitam exemplarem, de benignitate Apostolica, cuius in tales viros præcipua debet esse affectio, cum venerabili domino N. dispensari. At venerabilis ille dominus puer erat indoctus, prauæ indolis, nec recte instituebatur à suis, hic nulla fuit dispensatio, sed artificiosum sacrilegium, quo se parentes obstrinxerunt, non puer; ille enim inscius, per procuratores tanquam minorennis beneficio onerabatur.

Fraudes dispensationum.

Quamobrem prudentissime de hac re statuit Cõcilium Colonienſe anno 1536. part. 1. c. 31. *Odiosa semper apud veteres fuit plurium sacerdotiorum ambitiosa cupiditas, neque semel generalibus Conciliis damnata. In Chalcedonen. enim inter alia cautum est, clericum in duabus ecclesiis conscribi non oportere, quod difficile videatur, vt vnus vicem duorum sustineat: & absurdum, si promiscuis artibus rerum turbentur officia. Id vero in primis noxium est, vbi plures parochiæ, seu dignitates vni presbytero committuntur, quod solus per omnes Ecclesias, nec officium persoluere, nec rebus earum necessariam curam impendere valeat. Quare tam eos qui de sacerdotiis eiuscemodi disponendi potestatem habent, quam qui ea cæca cupiditate ducti ambiunt, commonitos volumus, vt suos affectus canonicis institutis submittant. Qui vero dispensatione Apostolica aduersus hæc se tueri velint, ij viderint, vt causam dispensationis obtentæ, Deo comprobent. Neque enim sublimes, atque admodum litteratæ personas suo priuilegio nudamus, modo illo recte & secundũ Deum vtantur.*

Cupiditas plurium beneficiorum damnata.

Dispensationes vero excutiendas docet c. 33. *Quam impudenter plerique diplomatis ac dispensationibus apud sedem Apostolicam extortis, præter summi pontificis mentem (qui & vult & debet potestate sibi concessa, non ad destructionem, sed ad ædificationem vti) abutantur, nullus est qui ignoret. Non prohibeo (inquit, quidam vir pius) dispensare, sed dissipare. Dispensatio quidem credita est, sed hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Quanquam apud illos maxima culpæ pars resideat, qui vel nulla, vel minus legitima, vel etiam ficta causa, supplicatoriis precibus inserta, dispensationis lectorium tandem eliciunt, quos apud Deum, qui renes & corda scrutatur, omnemque hypocrisim ac fraudem execratur, securos quis dixerit? Nemo tibi (ait idem ille quem iam citauimus) de dispensatione Apostolica blandiatur, cuius conscientiam diuina sententia tenet alligatam. Sed quia pauci sunt, in quorum conspectu est Deus, plerique vero, qui sacra authoritate pro sua libidine passim abutuntur: fit, vt Lugdunensis Concilij, sub Gregorio decimo celebrati, non insalubre decretum aduersus insolentiam eiuscemodi hominum in vsum reuocare cogamur: quo subnixi, cunctis qui talibus diplomatis sibi blandiuntur, necessitatem imponemus literas suas nobis exhibendi, visuris, num rite impetrauerint, ac recte impetratis vtantur. Et vt quam maxime robustæ sint dispensationes istæ, curabimus tamen, vt menti canonis ac summi pontificis satisfiat: Videlicet, ne animarum cura in his ecclesiis, personatibus seu dignitatibus, quas sub hoc prætextu occupant, negligatur nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur.*

Statuto itaque, dispensationum, vt ratæ sint, legitimam debere esse causam, idque in lege, quæ tot canonibus, tot conciliis firmata est, quæ consensu orbis, & conuicio flagitatur, cuius seruandæ causa manet, manebitque semper, concludemus raro, vera, & quæ in cœlis acceptata sit, dispensatione plura beneficia permitti.

Dispensationis iusta causa sit.

Quod si quispiam ex me quærat, quæ vera & legitima sit causa dispensandi, respondeo, hasce esse.

Rara est legitima dispensatio.

Primo. Necessitatem Ecclesiæ: Nam Ecclesia obærata, in periculis constituta, potest sibi potentem Episcopum vicinum, aliumue postulare, vt defendatur, sumptu leuetur, in integrum restituatur, inobedientes conuertat. Idem dicendum in magna Ecclesiæ vtilitate, & euidenti.

Causæ legitimæ dispensationis.

Nam quamuis illi prælato commoda accedant, omnia tamen ad Ecclesiæ vtilitatem redundant. Hac tamen in re duobus modis peccatur: 1. cum euidens aut probabile periculum non est, & ab alio caueri, & propulsari potest. 2. cum ille potentior qui electus est, non præstat id propter quod electus est, nec ideo acceptat, vt hoc præstat.

Ad hanc necessitatis, & vtilitatis causam refero; cũ electione vnius, alter non idoneus, vel minus idoneus repellitur. Multi enim suscipiunt magistratus politicos, & prælaturas, non quia desiderant, sed ne eo indigni prouehantur. Poterit itaque dispensatio legitime peti, & dari, qua Titius beneficium accipiat, ne Caius hæreticus, concubinarius, indoctus, ebriosus, dila-

sus, dilapidator, iracundus illud inuadat. Verum hæc sincere coram Deo, non amore sui, aut odio aliorum facienda sunt.

Secundo. Necessitatem eius, qui plura accipit, legitimam dispensationem esse affirmo. Si enim vnum ad honestam sustentationem non est sufficiens, duo, aut tria etiam habere concessum est. Nam iustum est, vt qui altario seruit, de altario viuat. Hoc ad eos igitur restringo, qui in Ecclesia vigilanter deseruiunt. 1. q. 2. clerici & distinct. 86. *Non satis.* His igitur victus & vestitus debetur, & ille honestus, vt seruis Dei, vtpote presbyteris, vt hospitalibus, vtpote qui eleemosynam dare debeant. Olim illis quorũ opulenta erant patrimonia, Ecclesiæ beneficia non dabantur. 1. q. 2. *Clericos autem illos conuenit ecclesiæ stipendiis substentari, quibus parentum, & propinquorũ nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis substentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto cõmittunt, & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt.*

Opulentis sacerdotibus olim beneficia non dabantur.

Hæc canon ille & sequentes inculcant, at constituto ecclesiæ ordine, visum est, etiam diuites, si labores pro ecclesia subeant, si diuinis officiis vigilanter insistant, ab ecclesia accipere remunerationem.

Necessitas beneficiati ex circumstantiis spectanda.

In hac necessitate est expendenda conditio personæ, loci, aliaq; quæ ad rem pertinent. Beneficiũ enim quod ciui sufficit, nobili viro non sufficit; & quo nobilis honeste, & decenter viuere posse censetur, comiti, vel duci parum fuerit. Possunt enim, imo debent eiusmodi plures sumptus facere; quia vero & talium opera indiget ecclesia, ita eorum obsequia compensat, ne statu abdicare se, aut agnatis pudori esse cogantur; cum enim Episcopi, atque adeo Respublicæ in nobiliores exules liberaliores esse debeãt, cur non etiam in sacerdotes generis claritudine fulgentes, quibus cum vna præbenda non sufficiat, plures concedi possunt, vt conuenienter generi, statuique domum & familiam instituere valeant.

Scopulus nobilitatis.

Verum hic iam late via panditur, ad beneficiorum aceruum, cum nobilitas extollitur, & dignitati nihil satis esse videtur. De quo ita iudico. Ad viuum hæc, & teruncium recidi non posse, nec debere, nec enim ecclesia rationum seuera exactrix est, nec pontifex κυμινοπρίστης, vt minima quæque rescindat; quandoquidem enim Episcopi consiliarios, & satrapas splendidius alunt, non debet nobiliora sua membra velut mercenarios alere Christi ecclesia.

Quo communiter nobiles statui conuenienter viuere possunt, id sufficiens censetur.

Generatim igitur nobili canonico satis fuerit, quo alii nobiles canonici sese honeste alunt, hospitalitatemq; exercent, eo quoq; ille contentus esse debebit. Vbi igitur ecclesiæ cathedrales, vel collegiatæ sunt, in quibus nobiles vno solo beneficio contenti decenter viuunt, non possunt alii nobiles eiusdem status plura obtinere, & dispensatio ratione sustentationis causa carebit, ideoq; erit apud Dei tribunal inualida. Eadem ratio est baronum, comitum, ducum, quamuis vix sit ecclesia quarum vna præbenda illorum statui sufficiat. Non igitur tuti sua dispensatione esse possunt, qui quina aut sena beneficia opulenta tenent, quorum quodlibet viro nobili decenter sustentando satest. Sex enim nobiles seruire pro vno possunt ecclesiæ. Multo vero grauius delinquit, qui negligenter ecclesiæ deseruit, aut opes illas in res superfluas, vt splendorem domus, ditandam familiam, ædificationes impendit.

Bene meritis plura dari possunt.

Tertio. Legitima etiam causa est dispensandi, eius, cui dispensatio conceditur, meritũ, imo & parentum. Quo in genere multa sunt: Si ille vel parens in defensione ecclesiæ damnum fecit, si lucra commodaq; deseruit, si legationes obiuit; si alia præstitit, quæ vel ad spiritalem, vel temporalem vtilitatem ecclesiæ momentum attulerunt. Nam Ecclesiam benemeritis gratiam reddere honestum est; cum vero suis patronis, militibus, ducibus integras regiones in feudum concedat. Cur non etiam ecclesiasticis plura beneficia permittat, si id illi meriti sint? Addo sic plurimis ad bene merendum animos accendi.

Erudito possunt plura dari, cũ dispensatione.

Quarto. Potest etiam insignis alicuius eruditio id mereri, vt pluribus instruatur ecclesiæ emolumentis; nam dantur illa in diligentiæ, & laboris præmium, & ad alios incitandos; cum euidens sit; ecclesiam sine accuratissima studiorum diligentia non posse consistere. Laborem autem, & studia compensari oportet. Itaq; canonico nobili si Theologus, si iurisperitus sit, si eloquentia polleat, si in variis linguis sit versatus, quamuis ex vna cathedrali præbenda viuere sufficienter possit, modo vir prudens, & vitæ inculpatæ sit, aliud etiam cathedrale beneficium vltro offerti cum dispensatione poterit; non modo ob præmium tam honeste collocatæ iuuentutis, & incitamentum aliorum, verum etiam, quia eiusmodi consilio, operaque plurimum prodesse possunt, ornamento sunt ecclesiis, earumque dignitatem tuentur. Idem etiam iudico, de aliis aliarum ecclesiarum canonicis eruditis: De eruditis, inquam, non qui doctoratuum bullas imperitiæ suæ præpandunt.

Causæ legitimæ dispensandi intra mediocritatem manent.

Extra hos casus nego vel centum pelles diplomatum quietam reddere conscientiam posse. Imo in hisce ipsis probo auream mediocritatem. Neque enim fieri potest, vt legitime in aliquem canonicũ quamuis nobilem aut doctum, aut bene meritum decades opimarum præbendarum conferantur; cum eruditio auaritiæ conciliatrix esse non debeat, & nobilitatis in erogando, nõ acquirendo decus eluceſcat, merita autem, quæ ecclesiam grauant, amittantur. Qui igitur per hebdomadas beneficia disponũt, qui soli reditus capiunt integræ ecclesiæ collegiatæ, eos non modo ratio bonorũ ecclesiasticorum, sed fraus extortæ dispensationis illaqueabit. Quo enim iure ab ecclesia vnus homo tantũ capit, quanto viginti illi pares possent honeste sustentari? Scio offensum ire quosdam, & magnos quidẽ; sed veritas apud magnos & paruos eadem est. Ideo Concilium Tridentinum expresse omnes quacunque dignitate fulgeant, etiam nominatim S.R.E. Cardinales complectitur; quo ostendit ne illos quidem per vllam dispensationem posse grandes opes possidere. Nam mediocres quosdam reditus sufficere cardinalitiæ dignitati, probant multorum Episcoporum, & Archiepiscoporum moderatæ possessiones & sumptus, imo multorum cardinalium. Vt vero vnus cardinalium tantum possideat, quantum decem alii, idque ex bonis ecclesiæ, nec æquitas admittit, nec dispensatio efficere potest.

Magnæ opes damnatæ.

Hæc itaque res pernicioſa est, de qua sine detestatione canones nunquam loquuntur. Nam ecclesiæ ministri subtrahuntur, pauperum alimenta vertuntur in luxum, animæ accipientium pereunt.

Remedia contra auaritiam clericorum.

Remedium est, vt latæ à patribus leges seruentur omnes; sed præcipue, vt cũ quispiam dispensationem postulat, ætatem, genus, beneficiũ, reditus eius quod habet, & quod petit, minutatim describat. Deinde causam adiungat, cur in lege tam seuera perat dispensationem, eamq; probet: Qua examinata, si dispensatio detur, tum demum Episcopali iudicio res permittatur, vt videat in loco, vbi beneficium, aut dispensationis sollicitator est, an vera causa sit pontifici propositа; Quod si Episcopo, aut cõmissariis nolit pontifex rem committere, possessio tamen ne detur, donec ecclesia plene Pontificem informarit. Quod si causa Pontifici reddita, non probetur, non modo à beneficio repellatur, sed insuper etiam multetur, vt qui iniquæ dispensationis sollicitator fuerit.

Nõ ego, sed canones seueri sunt,

Mihi cum hanc sententiam dicerem, non nemo obiecit multis in locis consuetudinem diuersam esse, & hæc ipsa duriter accipienda; sed cũ dicerem etiam

& seruandi tamen sunt.

posse mandari, vt reddant, qui plura obtinent, negauit id fieri posse, sed cum extrauag. de præbendis & dignitatibus ostenderem tit. 3. sententiã approbauit. Quam ob causam eam huic loco adscribam. *Execrabilis quorundam tam religiosorum quam secularium ambitio quæ semper plus ambiens eo magis fit insatiabilis, quo sibi amplius indulgetur, & improbitas importuna petentiũ à nobis & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus non tam obtinuisse, quam extorsisse plerumq; noscuntur, quod vnus interdum etiam ad vnum beneficium ecclesiasticum minus idoneus in diuersis ecclesiis nedum vicinis, sed etiã ab inuicem longe distantibus, immo nonnunquam in diuersorum regnorum partibus situatis, duas aut tres, aut plures dignitates, personatus, officia seu Prioratus: aut diuersa ecclesiastica beneficia curam animarum habentia possit dispensatione (cum alias non liceret de iure communi) recipere, & simul licite retinere: Vnde inter cætera inconuenientia subscripta sequuntur: quod videlicet interdum vnius, qui vnicum quamuis modicum vix officiũ implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia quæ multis litteratis viris vitæ puritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus qui mẽdicant, possent abunde sufficere æqua distributione collata habentibus ipsa paratur vagandi materia, diuinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non seruatur. Et dum non sunt sui in vnaquaq; regione rectores ecclesiarum detrahitur commodis & honori, quæ carentes defensorum auxilio in viribus suis & libertatibus multipliciter collabuntur, & ruinis patent ædificia nobilia quæ magnificentia extruxerat decessorum & (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur, & vitiorum sentibus fomentum periculose præbetur. Nos itaq; tot tantisq; discrimnibus occurrere cupientes omnes & singulas dispensationes super receptione aut retentione plurium dignitatum, personatuum, officiorum, Prioratuum, aut beneficiorum quibus cura animarũ sit annexa, sub quacunq; forma vel expressione verborum à nobis vel prædictis prædecessoribus, cuicunq; personæ concessas (cardinalibus tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ qui circa nos vniuersali Ecclesiæ seruiendo singularum ecclesiarum cõmoditatibus se impendunt, ac regum filiis, qui propter sublimitatem eorum ac generis claritatem sunt potioris prærogatiua gratiæ attollendi, duntaxat exceptis) deliberatione super hoc cum fratribus nostris habita diligenti de ipsorum consilio & ex certa scientia nostra in forma subscripta duximus taliter moderandas quod per moderamen nostrum effrænatam circa eadem personas talium beneficiorum multitudinem refrænemus, ipsisq; impetrantes fructu dispensationũ huiusmodi totaliter non frustrentur. ¶ Statuimus itaq; & de fratrum ipsorum consilio ordinamus, quod obtinentes nunc ex dispensatione legitima pluralitatem huiusmodi dignitatum, personatuum, officiorum aut prioratuum seu beneficiorum quæ alias absq; dispensatione obtinere nequibant, vnum tantum ex dignitatibus, personatibus, officiis, prioratibus, ecclesiis vel beneficiis huiusmodi, quibus cura imminet animarum cum dignitate, personatu, vel officio, prioratu, ecclesia vel beneficio sine cura, quæ habere maluerit, prætextu dispensationis sufficientis circa id eisdem indultæ, possint licite retinere: Quæ tamen teneantur eligere intra mensem numerandum à tempore notitiæ constitutionis istius: cæteris beneficiis cum cura vel sine cura, quæ ipsius dispensationis prætextu tenebant, & quæ aliter non poterant de iure absq; dispensatione licite retinere, quæ nos ex tunc vacare decernimus, coram ordinario sub testimonio publico intra idem tempus verbaliter & realiter cũ effectu dimissis, absq; eo quod ad illa numquam sine noua collatione ab eo qui facere poterit facienda, redire aut eorum administrationi se immiscere præsumant: Alioquin tam his quam omnibus aliis beneficiis, quæ virtute huiusmodi nostri moderaminis retinere poterant (vt præfertur) sint ipso iure priuati, & prorsus inhabiles ad similia beneficia obtinenda. Per hoc autem iis qui dignitates, personatus, officia vel alia beneficia curam animarum habentia ex dispensatione, quæ ius tribuat iuxta nostram moderationem præscriptam obtinent, & alia similia beneficia nostrorum, vel aliorum eorundem prædecessorum auctoritate litterarum expectant: Cum quibus est, vt illa cum vacauerint, recipere, & vna cum obtentis retinere licite valeant, dispensatum, nolumus derogari, quin ea cum vacabunt infra dicti temporis spatium possint eligere, & dimissis aliis recipere in forma præscripta, ac licite retinere: pœnas similes incursuri, si huic nostræ contraire præsumpserint sanctioni. ¶ Porro quia quorundam oculos sic auaræ cupiditatis vitium excæcauit quod plurima talia beneficia simul absq; dispensatione canonica retinere præsumunt: Nos de illis præsenti decreto statuimus, vt omnia & singula beneficia sint detenta, illo tamen retento, quod vltimo receperunt, dummodo in eo ex collatione canonica competat ius eisdem, intra tempus (vt præscribitur) limitatum verbo & facto ac sine fraude coram ordinario sub testimonio similiter publico dimittere teneantur. Quod si non fecerint, etiã illo sint ipso iure priuati, in quo ius eis alias cõpetebat, & inhabiles penitus ad quæcunq; obtinenda beneficia ecclesiastica censeantur. ¶ Qui vero deinceps receperint dignitatem seu personatum vel officium, aut aliud beneficium animarum curam habens annexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso iure postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo & fraude cessantibus quo minus habeant steterit, priuati noscuntur absq; mora dispendio) in ordinariorum manibus dimittere debeant pari modo: Alioquin ex tunc sint ipso iure secundo priuati, & nedum ad sacros suscipiendos ordines, quin etiã ad habendum quodcunq; beneficium ecclesiasticum inhabiles reputentur. Quæ omnia & singula beneficia vacatura (vt præmittitur) vel dimissa nostræ & sedis Apostolicæ dispositioni de ipsorum fratrum consilio reseruamus. Inhibentes ne quis præter Romanum pontificem quacunq; sit super hoc auctoritate munitus de huiusmodi beneficiis disponere, vel circa illa per viam permutationis, vel alias immutare quoquo modo præsumat. Non enim si secus actum seu attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. ¶ Cæterum ordinarios intelligimus in casibus supradictis episcopos in quorum ciuitatibus vel diœcesibus consistunt beneficia seu aliquod eorum, quæ debent secundum præmissa dimitti, aut ipsi qui ea debent dimittere commorantur, vel ecclesiis cathedralibus vacantibus capitula eorundem: & hi de beneficiis tam dimissis quam (vt præmittitur) perditis, nos vel Apostolicam sedem certificare studeant quam primum commode poterunt indilate, vt de illis salubriter disponere valeamus. ¶ Quantum autem ad modificationem attinet ante factam: illa dumtaxat & non alia beneficia ecclesiastica quocunq; nomine nuncupentur, curam animarũ habere censemus, quæ parochias habent, in quibus est animarum cura, nõ per vicarios perpetuos, sed per rectores aut ministros beneficiorũ ipsorum vel illorum temporales vicarios exercenda: nec non & illa quorum ministris ratione beneficiorum huiusmodi competit visitare, inquirere procurationes, recipere, suspendere, excommunicare seu ab excommunicationis & suspensionis sententiis absoluere de consuetudine vel de iure iuribus aliis de animarum cura loquentibus in suo robore quo ad cætera permansuris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum moderationis statutorum, constitutionum, reseruationis inhibitionis, & voluntatum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auinioni 13. Calend. Decembris, anno secundo.*

Improbitas plerunque extorquet dispensationem.

Dispensationes examinandæ.

Lex 10. Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficiũ possit obtinere. Sancta lex; at non seruatur, episcopãtur in cunis, & vagitu suo parentes cõdemnant. Vide Trid. sess. 23. c. 6. Regula Cancellariæ est, ne cathedraliũ prouisiones ante 14. annũ valeant. *Ne Episcopentur in cunis.*

Lex 11. Omnes fidem profiteantur iuxta Trid. & liber ea de re scriptus in cathedrali ecclesia asseruetur. vt in conc. Aquileiens. de fide profitenda. Hoc enim Germaniam corrupit, quod sine morum & religionis examine ad beneficia admissi sint canonici.

Lex 12. Omnes qualescunque, officia, & ordines quos debent, per seipsos exercere teneantur Concil. Trid. sess. 22. c. 4. Si enim indignas preces, cantus, cærimoniarumque humilitatem sua maiestate censent, cur aliis ista facturis indigne fructus præripiunt? De *Per se officia singuli faciant.*

Christi

Christi patrimonio splendidi esse volunt, & ob hunc splendorem, indignum suæ dominationi, nobilitati, spectabilitati arbitrantur, si Christo, à quo pascuntur, seruiant.

Lex 13. Concilii Basileensis sess. 31. decreta seruentur, quæ salutaria, & multa in eo legantur.

Lex 14. Omnes præbendæ cathedrales habeant annexum ordinem maiorem. Quod iam fere in omnibus obtentum est, cum ad consilium, siue capitulum admittuntur.

Lex 15. Cathedrales Episcopo subiaceant quoad censuram morum, alioqui eorum iurisdictio, bonorum administratio intacta illis relinquatur. Qua de re supra dictum est.

Ne vagentur tempore diuinorum officiorum.

Lex 16. *Quicunq;* (Concil. Basileens. sess. 21. de his qui tempore diuinorum vagantur per Ecclesiam) *in Ecclesia beneficiatus, præsertim de maioribus, diuinorum tempore per ecclesiam vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari visus fuerit, non solum illius horæ, sed totius diei præsentiam ipso facto amittat. Qui si semel correctus, non destiterit, per mensem distributionibus careat, vel grauiori (si pertinacia exegerit) pœnæ subiaceat, ita vt tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne diuina officia tumultuosi quorumcunque per ecclesiam discursus impediant, aut perturbent. Regulares qui in conuentualibus ecclesiis circa præducta excesserint, graui superioris arbitrio castigentur.*

Lex 17. Non sunt elocanda beneficia.

Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones inualuit, vt sub annuo pretio sacerdotes ad ecclesiarum regimen constituantur: id ne fiat, modis omnibus prohibemus. Quia dum sacerdotium sub huiusmodi mercede venale disponitur: ad æternæ retributionis præmium consideratio non habetur.

Lex 18. Annatis non grauanda, multo minus pensionibus, reseruationibusque. Extenuant enim fructus beneficiorum, vt cum maxime egent clerici, frui illis non possint.

Lex 19. Nō diuidendæ, nisi vbi ingentes redit⁹ pro vno, tenues pro reliquis. Multis quoq; monet Alexāder 3. vni plura beneficia non cōmittenda, nec vnum inter plures diuidendum. in app. Lateran. 3. parte 30.

Lex 20. Turnorū licentia omnino corrigatur, vt est in sess. 24. Trid. c. 14. Imo omnes Turnarii iurent, se legē (quæ est 8. q. 1. *Moses*) seruaturos, & in beneficio potius vitæ meritum, quam consanguinitatis gradū spectaturos; nunc crebro viri boni, quantum Ecclesiæ vita suā ædificant, tantū agnatorum vitiis destruunt.

Deniq; ad Dei gloriam hæc dirigenda sunt, neque beneficia habenda, vt dona principum, aut patrimonialia, aut quasi tantum sint ad iuuentutis, aut nobilitatis alimenta à maioribus fundata; Nam omnes patres, concilia, canones, omnium fundationum diplomata, iuramenta canonicorum, statuta capitulorum, conscientiæ improborū diuersum omnino clamant. Testanturq; beneficiū dari propter officium: & tum demum iure fructus retineri, si in diuino obsequio seduli sint, & frequentes.

CAPVT XLII.

Opes Ecclesiarum magnas Religioni, & Politiæ vtiles esse.

Sacerdotiū Leuiticum ditissimum.

§. 1. SACERDOTIVM Deus in veteri lege honoratum esse voluit, quod decimæ concessæ ditissimum fecerunt, alia quoque tam multa adiuncta fuerunt, vt si legem Dei seruassent Iudæi, nulla fuisset tribus felicior Leuitica. Rem facili methodo ob oculos ponam. Numerorum 3. Leuitæ recensentur viginti duo millia trecenti, quanquā enim v. 39. tantū dicuntur viginti duo millia, singulares tamen summæ 7500. & 8600. & 6200. efficiunt 22300. At trecenti omittuntur quia primogeniti erant, nec redimere alios poterant. Numerus autem filiorū Israel erat sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Erant igitur Leuitæ respectu totius Israelis, pars quasi vicesima sexta. Verū quia c. 3. num. Leuitæ numerantur ab vno mense & supra, reliquarum vero tribuum c. 2. tantum viri pugnatores ab anno militari, hinc consequitur, filios Israel, si ab vno mense numerati essent; maiore proportione superaturos fuisse, maximus enim puerorum numerus erat in gente, quam Deus cum Pharaone pugnans multiplicabat. Itaque nemo negabit Leuitas partem Israelis trigesimam non fuisse. At huic parti Deus maximas opes contulit, vt cæteros præ his pauperes quasi reliquerit.

Leuitæ 22300.

Huic tricesimæ parti Deus dedit non tricesimas, sed decimas. Cum autem abunde victus cæteris suppeditaret, certe decimæ abundantis populi, decimæ parti sufficere potuerunt, at iam Leuitarū quisq; tres pro vna partes tenebat. Ita Leuit. 17. 30. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborū domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas addet quintam partem earum.* Nec decimæ frugum duntaxat, sed boum quoq; & ouium, vt ibidem habetur. Sic Num. 18. 21. *Filiis Leui dicit se dedisse omnes decimas.*

Decimæ Leuitis datæ.

Verum in decimis hoc quoq; considerandū. Primo, Leuitas nec agros colere solitos, nec vineas, itaq; de labore populi viuebant. Hinc multo melior fuit eorum conditio, quam si decimam agrorum partem accepissent, labore enim & impendio opus fuisset. Secundo. Pecora educanda erant Israelitis, Leuitæ iā ablactata recipiebāt. Tertio. Nec simplices erant decimæ, sed triplices vt doctissime interpretatur noster Cornelius à Lapide in c. 14. Deut. v. 22. *Ex hoc loco & ex Iosepho colligit Theod. hic quæst. 13. Abul. Oleast. & Caiet. duplices decimas Iudæis quotannis fuisse præscriptas. Primæ erant omnium frugum terræ, gregum & armentorum, quæ totæ dabantur Leuitis; neq; ferebātur in Ierusalem, sed Leuitæ ad quos eæ pertinebant, colligebant eas per ciuitates sibi vicinas. ex hisce decimis, Leuitæ rursum decimā pendebant Pontifici & Sacerdotibus, vt patet Num. 18. 26. & 28. ibi enim agitur de primis hisce decimis. Secundæ decimæ erant illæ quas quotannis Hebræi separabant, post primam illam dictā decimationem, ex nouem residuis sibi partibus accipiendo decimam, vt ex ea, euntes ad tabernaculum (quod ter in anno faciendū erat, vt patet Exod. 23. 17. & cap. 34. 23.) partim in itinere viuerent, partim offerrent hostias pacificas, de quibus comederent coram Domino, vna cum Leuitis quos ad epulandum secum inuitabant. quod dixi de decimis hisce, idem dico de primitiis: quia post primitias quæ totæ cedebant Domino separabat sibi quisque aliquid, tanquā primitias secundas, quibus vteretur ascensurus ad Dominum. Idem dico de primogenitis ouium & boum, videlicet post primogenitum Deo datum, Hebræos separasse aliud animal in hostiam pacificam. idem dico de votis & donariis. De hisce ergo secundis decimis loquitur hic lex, vsque ad v. 28. de hisce etiam egit c. 12 17. Tertiæ decimæ erant decimæ, quæ singulis trienniis separabantur, & dabantur pauperibus, viduis, pupillis, & Leuitis in modum eleemosynæ, ne ipsi ob paupertatem cogerentur seruire gentilibus à quibus facile induci potuissent ad idololatriam. De tertiis hisce decimis agitur v. 28. vbi dicitur: anno tertio separabis aliam decimam. Vnde patet, hanc non eandem fuisse decimam cum prima, quasi decimæ quæ duobus annis Leuitarum erant propriæ, tertio anno iubeantur esse communes pauperibus æque ac Leuitis, vt aliqui volunt; sed fuisse aliā, scilicet tertiam. ita enim vertit noster interpres. ita de Tobia dicitur cap. 1, v. 7. quod in anno tertio proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem. Si Iudæi triplices, quidni Christiani vnas & simplices Deo dent decimas? Si Iudæi decimis suos alebant pauperes, quidni idem faciant Christiani? noui viros in republica magnos qui opum suarum imo omnis lucri sui decimas dant pauperibus, & ad id lege charitatis & religionis putant se quasi obstringi.*

Triplices decimæ Leuitis datæ.

Primæ igitur decimæ integræ cedebant Leuitis, quas in vrbibus colligebant. Ex nouem residuis partibus iterū decimas separabant, easq; vel preciū conferebant Ierosolymā, vt ibi epularentur, inuitatis tamen Leuitis, ita enim c. 14. 27. & 28. *Et epulaberis tu, & domus*

domus tua; Et Leuites qui intra portas tuas est; caue ne derelinquas eum, &: *Erant igitur ea tempora conuiuiorum Leuitis*, sed nec graue Israelitis hoc erat, cum decem viri, & forte triginta vix vnum haberent. Tertio anno ex bis decimatis aliâ decimâ domi separabant, quam cum Leuitis & pauperibus consumebant, ibantque tertio anno Leuitæ epulatum, instructumque populos, vt hoc modo domino iungerentur. Effectus apparet 2. par. 31. 8. vident aceruos, & dixit Azarias sacerdos v. 10. *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixerit dominus populo suo, reliquiarum autem copia est ista, quam cernis.* Itaque tum facta sunt horrea. Atque hæc de decimis.

Copiæ Leuitarum.

Oblationes.

§. 2. Oblationes quoque eos reddebant diuites. Nam ex sacrificiis sacerdotibus dedit pectusculum, & armũ qui separabatur iure perpetuo, Leu. 10. 14. non potest reditus ille paruus videri inter tot millia sacrificiorũ, quæ ter in anno statis temporibus offerebantur, quæq; in singulos dies ob varias causas immolabantur. Deut. 18. 3. armum & ventriculum tribuit. Sed totum hoc genus videamus. Tria erant sacrificiorum genera, holocausta, pro peccato, pacifica. In holocausto omnia exurebantur, & sola pellis erat sacerdotũ, qui tamen in tot millibus holocautomatum nõ erat paruus reditus. In pacifica victima armus & pectusculum, in Heb. Chald. 70. armus, genæ, ventriculus; quod quidã interpretantur partes carneas quæ sunt circa armum, id est quarta pars animalis, sed expresse est ἔντερον ventriculus, & σιαγὼν maxilla. vtcunq; sit, magnus est reditus: sed maior, cum facerent pro peccato, illius enim victimæ tota caro erat sacerdotũ, vt in tanto populo ex solis victimis viderentur posse viuere, sed erant hæc addimenta quasi decimarũ. Porro in victimis pacificorum non fuisse Israelitas in sacerdotes parcos historia filiorũ Heli demonstrat, 1. Reg. 2. 16. *Dicebatque illi immolans. Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcunque desiderat anima tua*, quod de holocausto non potest intelligi, quia nihil inde cedebat sacerdoti, nec de hostia pro peccato, quia tota erat sacerdotis, sed de pacificis.

Pelles sacerdotum.

Primitiæ. primogenita.

Huc omnium rerum primitiæ, & primogenita pecorum, ac hominũ referuntur. De primitiis Ex. 23. 19. & 34. 26. Leu. 23. 10. Num. 18. 13. Deut. 18. 4. & 26. 2. 10. de primog. Exod. 13. & 22. 29. & 34. 20. Num. 3. 13.

Magna erant ex omnium rerum primitiis in fertilissima regione compendia, cum frugibus omnis generis, vino, oleo, pomis, melle omnia abundarent. Primogenitorũ ingens erat numerus, nam solus Ezechias 2. Par. 31. 29. habebat ouium & boum greges innumerabiles. Nabal habebat oues tria millia, & mille capras. Salomon mactauit boum 22000. & ouium 120000. nec tamen id magnum aut difficile fuit tanto regi, nam habebat 3. Reg. 5. 26. quadraginta millia equorum currilium, & duodecim millia præsepiorum, si ad vnum præsepe deni equi; ingens numerus. Imo & si quatuor.

Maximi itaq; pecorum greges erant in Israel, ita vt dominus Ezech. 36. 11. promittat quasi antiquæ felicitatis reditum; *Replebo vos hominibus, & iumentis.* nam erant & in cultis vrbibus greges iumentorum, aut in suburbanis: cõstituamus itaq; in numerosissimo populo quotannis nasci centũ millia primogenitorum, conferebant quingenta siclorũ millia sacerdotibus, num. 3. Pecorum tanta erat multitudo, vt in singulos annos facile decies centena millia primogenitorum fuisse putem. His adde tot sacrificia, pro variis delictis, Leuit. 3. deinde si tetigissent aliquid immundũ, offert agnam, seu capram &c. Leu. 5. at quoties hoc contigisse verisimile est? & Leu. 5. 17. *Si ignorans legem violasset, arietem offerre iubetur*, quid si singulis annis semel singuli rei fuissent? quot centena millia Arietum

Ingens reditus ex sacrificio pro delicto.

sacerdotibus cederent? Qui depositum negauit, arietem offert Leu. 6. 6. mulier pro purificatione agnum anniculum in holocaustum. Leu. 12. Pro peccato scortationis cum ancilla, postquam vapularunt ambo, aries. Leu. 19. offerendus erat.

Accedit & illud quod nullum holocaustum sine victima pro delicto offerebatur, deinde quod lagana, similæque conspersæ oleo offerendæ simul essent cum aliis sacrificiis, & panes, ita de pacificis, Leu. 7. 12. Hæc magna erant præsidia viuendi sacerdotibus cõcessa, vt legi vacare, & sanctuario possent 2. Par. 31. 4.

§. 3. Præter illa tamen alia quoque assignata erant; nã hæreditates suis in vrbib⁹ retinebant. Leu. Deut. 6. Deinde domus Leuitarum alienari non poterant. Leu. 25. 31. Tertio, Iudices constituuntur 2. Par. 29. 13.

Imo summi sacerdotis præcipua erat dignitas in iudicando. Cum enim sacerdotes & Leuitæ immunes à cæteris laboribus essent, tempus in studium legis, & sapientiæ conferre poterant, ideo ab ore eorum legem requirebant.

Aliorũ immunes legi studere poterant.

§. 4. Tantis opibus postquam eos dominus instruxit, quia ipse erat hæreditas eorũ, etiam de habitatione prouidit. Iosue enim locum illis assignauit, quemadmodum Deus iusserat Num. 35. 1. *Hæc quoq; locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho: Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum & suburbana earum per circuitum: vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis: quæ à muris ciuitatum forinsecus, per circuitum mille passuum spatio tendentur. contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & Septentrionalis plaga æquali termino finietur, eruntque vrbes in medio, & foris suburbana.*

Suburbana Leuitarum.

Statuamus itaq; vrbes 48. pro 24000. Leuitarum, vt in singulis sint quingenti, & in circuitu mille passus pro iumentis in tam fertili solo, non debet videri parua pars sustentationis; Eratque hoc magno illis commodo, quod fœni quoque decimas ex vicinis locis reciperent, omnium enim quæ tellus ferebat decimas capiebant. Quanquam autem non soli Leuitæ habitarent eas ciuitates, tamen ipsis datæ erant, & in ditione eorum, id quod toties Iosue 21. scriptura inculcat. Nam v. 10. *Filiis Aaron per familias Caath Leuitici generis (prima enim sors illis egressa est) Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Iuda, & suburbana eius per circuitum. Agros vero & villas eius, dederat Caleb filio Iephone ad possidendum. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii ciuitatem, ac suburbana eius: & Lobnan cum suburbanis suis: & Iether, & Esthemo, & Holon, & Dabir, & Ain, & Ieta, & Bethsames, cum suburbanis suis: ciuitates nouem de tribubus, vt dictum est, duabus.*

Deinde in suburbanis non tantum erant prata, intra mille passus, sed vineta, oliueta, aliaque, & horti. Tertio ciuitates illæ nobiles erant, fœcundoque loco.

Hebron,	Cibsaim,
Lobna,	Bethoron,
Iether,	Eltheco,
Esthemon,	Gabaton,
Holon,	Aralon,
Dabir,	Gelrhemmon,
Ain,	Thanach,
Ietha,	Gethremmon,
Bethsames,	Gaulon,
Gabaon,	Bosran,
Gabae,	Cesion,
Anathot,	Dabereth,
Almon,	Iaramoth,
Sichem in monte Ephraim,	Engannim,
Gazare,	Masal,

Abdon,

Abdon,	Naalol,
Helcath,	Rammoth in Galaad,
Rohob,	Manaim,
Cedes,	Hesebon,
Hammothdor,	Iazer,
Carthan,	Bosor,
Zabulon,	Misor,
Iecnan,	Iazer,
Cartha,	Iethson,
Darma,	Mephaat.

Omnis Respublica ad normam diuinam instituenda est.

Quæ pleraq; locis opportunissimis, fertilissimis, saluberrimis sitæ fuere, vt videri possint solæ alendæ multitudini sufficientes. Si igitur æterna sapientia instituens Rempublicam, optimis legibus eam fundauit, omniaq; quæ ad virtutẽ, felicitatemq; temporalem ciuium, & magistratuum prudentissime, & sanctissime sanxit. & tamẽ tantas opes sacerdotibus suis contulit, vt fere vni plus quã cæteris quinis aut senis cõtulerit; non decet humanã politiam aliter sentire, & religionis antistites, sacerdotesq; vagos, & mendicabula fingere. Nõ est arctior inter magistratũ & subditos nexus, quam timor Dei, & religio, illa autẽ florere non potest, nisi cũ eius ministri & præsules in honore sunt. Cum enim salus & religio subditorum pẽdeat ab Episcoporum, & pastorum dignitate, noluit Dominus illos despici. Dictum est in veteri testamento non alligabis os boui trituranti, dictum est de Aaronicis sacerdotibus, dictũ est teste Paulo de Christianis, quibus & ius est de Euangelio viuendi. Nam si nostram Rempublicam cum Iudæorum populo cõparemus, quantum terminos eorum breuiores cernimus, tanto maiores cleri esse opes intelligemus.

Præsidia dignitatis dedit Ecclesiæ Deus.

Auctis Leuitis aucti & filii Israel.

Non ignoro deinceps numerũ Leuitarum auctum esse, nam 1. par. 23. 3. numerati sunt 38000. à triginta annis & supra, sed maiore proportione creuerant filii Israel. Dauid n. per menses duodecim statuit duodecim principes, quorum quisq; 24000. habuit sub signis, & ministrabat regi. Et l. 3. Reg. 24. 6. de Israel fuere octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium, & de Iuda quingenta millia, inter quos non est numeratus Beniamin, sed nec illa numeratio fuit perfecta, 1. par. 27. 24. *Ioab enim cœpit numerare, & non consummauit, quia ira fuit in Israel propter quod & numerus non est relatus in libro supputationis regum.* Non igitur imperium regis exequebatur. Hic ingentem multitudinem considerare libet. Nam prope trecenta millia in armis erant, & ad seruitium regis, & illa decies & ter centena millia fortium virorũ, & gladios educentium erant, & pugnatorum, quãta igitur multitudo adolescentũ puerorum, senum, aliorumq; qui bello idonei nõ erant? Ego vero sic statuo Dauidem ex hisce suis militibus 280000. additis illis q. agris, oliuetis, vinetis, pascuis regiis seruiebant tantũ numerum confecisse, vt ex decimis, & oblationibus Leuitas facile alerent. Sed cõditionem Leuitarum tẽpore Dauidis consideremus.

Diuitiæ Leuitarum tempore Dauidis.

Erant ter & decies centena millia Israelitarum negligenter numeratorũ, adde tribum Beniamin erũt forte 140000. adde emeritorum 100000. vt conficias 150000. Illi si dent decimas triginta hominum millibus, habebit quisq; recipientium decimas, quinque partes, quibus superabit eos, qui decimas contribuũt. Magnæ igitur semper fuere diuitiæ Leuitarum.

Leuitarum exiguus labor.

Pro diuitiis, erat labor exiguus; Dauid ordines eorum instituit, per vices 24. vt exiguo tempore in templo occuparentur. Interea variis se negociis occupabant. Imo eorum opera vsus est Dauid, 1. par. 26. 28. *Isaaritis vero præerat, Chonenias, & filiis eius, ad opera foris in cunctis, super Israel ad docendum, & iudicandum eos.* Et v. 30. Hebronitæ mille septingenti præerant Israeli trans Iordanem ad occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium regis. Et v. 32. *Fratres quoq; eius robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autẽ eos Dauid rex Rubenitis, & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & regis.*

Leuitæ præsides, & iudices.

Ecce tribus illas Transiordanianas regunt Leuitæ tempore Dauidis; Israelitæ etiã ad occidentem à Leuitis reguntur in omni negocio diuino, & humano. Certe Banaias sacerdos vnus est è duodecim principibus. Cur vero Dauid regnandi peritissimus, & regnans inter fratres suos Leuitarum opera præcipue vsus est? Causas inuenio complures. Prima, quia legum diuinarum, & humanarũ periti erant. 1. par. 25. doctores sunt ex iis 288. qui docebant Canticũ Domini. Altera, quia sanctiores, & legum tenaciores erãt. Tertia, quia illis maxime proderat Israelitas esse iustos, & religioni deditos. Si enim auaritia tenerentur, primum omniũ decimis primitiisq; fraudarent Leuitas; sacrificolis peregrinis adhęrerẽt, ii Idololatræ fierẽt. Hinc mox positis vaccis in Dan; & Bethauen, Leuitæ in Iudęam confugere. Quarta, quia cũ nec agros colerent, nec vineta, aliisq; oneribus immunes essent, semel in anno in tẽplo ministrarent, vtilissime occupari in honoratis regni negociis potuerunt. Dauidis igitur sapientissimi illa sententia fuit, rempublicam populi Dei per sacerdotes & ministros DEI optime administrari.

Principes belli erant.

Doctores 288. ex Leuitis.

Sententia Dauidis de regno.

Quam vero tribui illi honorificæ fuerint, quamq; vtiles tot præfecturæ, præsertim, cũ sui generis regem non haberent, nemo nisi politices ignarus ignorare potest. Vsus est vero Dauid eorum fidelissima opera; Banaias etiam erat fortissimus inter triginta, & super triginta erat, 1. par. 27. 6. Et illa 24. millia, quib⁹ imperabat sine dubio de Leuitis erant. Banaiam sacerdotẽ fideliorem Dauid expertus est, quam Ioab agnatũ, ideo & illi Banaias interfecto successit. Nam reuera regni, & sacerdotii res ita coniunctę sunt, vt vna sine altera seruari non possit. Improba itaq; & insipiens est eorum sapientia, qui Christianũ sacerdotium ita supprimendum censent, vt omnibus obnoxii sint, qui omnes docent, vt sint contemptibiles qui cultum Dei, sacrificium sanctum, cærimoniarum dignitatem tueri debent. Sacerdotum diuitias diuina auctoritate probaui, atque ex sactis literis, virorum etiam sanctorum in nouo testamento sententiam adferam, & ipsa ratione conuincam.

Sacerdotiũ regno iunctum res firmissima.

§. 5. Diuitias primogenia Ecclesia sat amplas habuit, nam & eos qui Euangelium annunciabant, de Euangelio viuere iuris diuini, & naturalis esse sciebant Christiani, nec magnum esse iudicabant ab illis carnalia sua meti, à quibus spiritalia acciperent. Neque sane viros sanctissimos, qui *ad pedes Apostolorum omnia deiiciebant*, qui flentes super collum Pauli *abeuntis incumbebant*, qui etiam *oculos suos eruere*, & dare Paulo volebant, quibus gentium doctor acclamat. *Habeo autem omnia, & abundo, repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*, hos inquam auare maligneque Apostolis & successoribus victum suppeditasse nemo prudens credet. Nam Christianorum in Ecclesiam dona liberalissima fuerunt, atque amplissima, vt non modo eius ministri, & pauperes alerentur, sed ipsa insuper supellex preciosa inter persecutiones, & rapinas splenderet: ex vita S. Laurentii aureis scyphis sacrum sanguinem exceptum docemur, Augustinus Epist. 265. ostendit argenteas lucernas fuisse, vasa Ecclesiæ magni precii fuisse discimus ex Optato contr. Parmenianum l. 1.

Christiani in primæua Ecclesia liberaliter suos alebãt.

Primitiua Ecclesia diues.

Possessiones Ecclesiarum fuisse iam ab antiquissimis temporibus certum est. Pius 1. Ep. 2. qui decimus, vel vndecimus post Petrum fuit, sub Antonino, cum itaque senex fuerit, Ioannem Apostolum nouisse poterat, monet ne prædia Ecclesiæ humanis vsibus applicentur.

Prædia Ecclesiis sacrabantur.

Ad sedem autem Apostolicam perlatum est, quod sint inter vos contentiones & æmulationes: Et prædia, diuinis vsibus tra-

dita, quidam humanis applicant vsibus, & Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, nepredia vsibus secretorum cœlestium dicata, à quibus irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur. Ipsos autem qui hoc agunt, clericos, & Domini sacerdotes per se qui, eosq; infamare audiuimus, vt malum super malum addant, & deteriores fiant, non intelligentes quod Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, & crescit in templum Dei: & sicut qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia & donaria expoliat, &c. Itaq; nihil contra legem Dei agunt, qui bona Ecclesiæ tradiderunt; quod & in veteri testamento vsu venit, vt constat ex Leuit. 27.14. Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino, considerabit eam sacerdos vtrũ bona an mala sit, & iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, venundabitur: sin autem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum. Quod si agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino: iuxta mensuram sementis æstimabitur pretium: si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur: sin autem post aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt numerum vsque ad iubileum & detrahetur ex pretio. Quod si voluerit redimere agrum ille qui vouerat, addet quintam partem, &c. Itaq; & nos videmus Christianos diuitiarum & vitæ contemptores in bonis Ecclesiæ cõseruandis fuisse vehementes, & pene contentiosos, quia bona Christi sunt, bona pauperum sunt.

Prædia restituta Christianis.

Hinc Constantinus, aliiq; restitui iusserunt. Verba legis sunt: *At quoniam Christiani non solum ea loca, in quæ conuenire solent, sed etiam alia habuisse cognoscuntur, quæ nõ priuatim ad singulos sed ad ius totius ipsorum communitatis, id est, Christianorum spectabant, singulis, qui ea possident, mãdes velim, vt omnia per legem, quam supra posuimus, absq; vlla controuersia Christianis, id est, societati ipsorum, & conuentui reddant.* Et ad Anullinum. *Quare volumus vt simulac hasce literas à nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam, in quibusq; ciuitatibus, aut aliis locis pertinent, &c.*

Opes Ecclesiæ multis modis stabilitæ.

Quemadmodum vero Episcoporum est perpetua successio, ita bonorum, quorum Episcopi fuerunt dispensatores. Nec opus est plura de hisce adducere, cũ omnia plena sint, non modo in iure canonico, sed etiam ciuili, *quæ de ecclesiis, Episcopali audientia*, c.1.t.7. de Episcopis & Clericis, & orphanotrophis, ex Xenodochiis, & ptoxotrophis, & asceteriis, & monachis, & de priuilegiis eorũ, &c. Cod.1.t.6. item nouell.37. & 46. & 131.

Oblationũ quatuor partes. 1. Episcopi. 2. Cleri. 3. Pauperũ. 4. Fabricæ.

De expendendis videatur 12.q.2.c.27. *Quatuor autẽ tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cuiuslibet ecclesiæ facultas admittit (sicut dudum rationabiliter est decretũ) conuenit fieri portiones: quarum sit vna pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus vltra regulatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendũ. Ea vero quæ Ecclesiasticis ædificiis attributa sunt, huic operi veraciter prærogata locorũ doceat instauratio manifesta sanctorum; quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum præsul impendia sui deputata conuertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamquam diuinis rationibus dispẽsasse monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est (vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est,) oportet etiam præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconio non taceri.*

§.6. Consulatur & August. tom. 10. 521. l. c. 2. & 748. c. 2. & 173. c. 2. editionis Antuerpianæ.

Possessio clericorum Hipponensium inuidiosa.

Narrat in vita eius Possidius tẽpore illo fuisse magnas Ecclesiæ possessiones. *Pauperum vero semper memor erat, eisq; inde erogabat vnde & sibi suisq; omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est, vel ex reditibus possessionum ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum forte (vt adsolet) de possessionibus, ipsis inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quã illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, vt eo modo omnes Dei serui & ministri viuerent, quo in veteri testamẽto leguntur altari deseruientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerũt. Domus ecclesiæ curam omnemq; substantiã ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat. Nũquam clauem, nunquã annulum in manu habens, sed ab eisdem domus præpositis cuncta & accepta & erogata notabantur. Quæ anno completo eidẽ recitabantur, quo sciretur quantum acceptum, quantumq; dispensatum fuisset, vel quicquid indispensatum, vel dispensandũ remansisset, & in multis titulis magis illius præpositi domus fidẽ sequens, quã probatum manifestumq; cognoscẽs. Domum vero vel agrum seu villam nũquam emere voluit, Verum si forte ecclesiæ à quoquã sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi iubebat. Nam & aliquas eum hæreditates recusasse nouimus, nõ quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniam iustum & æquum esse videbat, vt à mortuorum vel filiis vel parẽtibus vel affinibus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere voluerunt. Quidã etiam ex honoratis Hipponensiũ apud Carthaginem viuens ecclesiæ Hipponensi possessionẽ donare voluit, & confectas tabulas sibi vsufructu retento, vltro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit: cuius ille oblationẽ libenter accepit, congratulans ei quod æternæ suæ memor esset salutis. Verum post aliquot annos nobis forte cum eodem cominus cõstitutis, ecce ille donator literas per filium suum mittens, rogauit vt illæ donationũ tabulæ suo filio redderentur, pauperibus vero erogandos direxit solidos centũ: quo ille sanctus cognito, ingemuit hominẽ vel finxisse donationem, vel eũ de bono opere pœnituisse, & quanta potuit Deo suggerente cordi eius condolenti animo ex eadem refragatione dixit, in illius scilicet increpationem & correctionem. Et tabulas quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas confestim reddidit, pecuniamq; illam respuit, atq; rescriptis eundem sicut oportuit & arguit & corripuit, admonens vt de sua simulatione vel iniquitate cũ pœnitentiæ humilitate Deo satisfaceret, ne cũ tam graui delicto de sæculo exiret. Frequentius vero dicebat, magis securius ac tutius ecclesiam legata à defunctis dimissa debere suscipere, quã hæreditates forte solicitas & damnosas, ipsaq; legata magis offerenda esse quam exigenda. Commendata vero quæq; ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere clericos nõ prohibebat. In iis quoq; quæ ecclesia habebat & possidebat intentus amore, vel implicatus cupiditate non erat, sed maioribus magis & spiritalibus suspensus & inhærens rebus, vix aliquãdo seipsũ ad ista temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat & deponebat. Quibusq; ille depositis & ordinatis, tanquam à rebus mordacibus & iam molestis, animi recursum ad interiora mẽtis & superiora faciebat, quo vel de inueniendis rebus cogitaret, vel de iam inuentis aliquid dictaret, aut certe exiam dictatis atq; transcriptis aliquid emendaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrans.* Erant itaq; Africanæ Ecclesiæ possessiones ad inuidiam magnæ, sed Augustinus, vt eam iniquam ostenderet, cedere paratus erat, & viuere oblatione plebis cum Clero, quod tamen illi non iudicarunt expedire Reipublicæ, vel Ecclesiæ.

Augustinus possessiones suscepit.

Eos qui gubernant oportet non esse obnoxios.

§.7. Rationes vero in conspectu sunt. Nullo modo conuenit moribus, aut religioni, vt præcipua pars Reipublicæ abiectissima sit, id vero futurũ est, si nulla ratio status illius habeatur. Si antistites fidei, si doctores, quorũ officium est cõsolari, docere, increpare, punire, supplices esse oportet contumelioso populo, & diuitum fastidiis? Deinde quotus quisq; cuius vita dependet ab aliena misericordia, eum à quo pascitur offendere audebit? Quis tam fortiter esse liber didicit, vt accipiendo beneficio, non sentiat vendita tam libertatem? Qui igitur inopes religionis præcones & antistites laudant, illi mancipia suarum cupiditatum, non strenuos morum censores quærunt. Tertio. Iubentur esse hospitales Episcopi & prælati; at vero qui poterunt, benignitate alios allicere, si velut errones, & parasiti alienum rodere panem necesse habebunt? Quarto; Publicum dedecus est religionis

gionis, eorum qui illam docent, contemptus, at vero paupertatem contemptus sequitur. *Quicquid dicit pauper mendacium est*, dicebat non nemo. Quia eadem verba, non ex eodem ore, non idem valent. Quinto. Paupertas Ecclesiæ ad varias artes, & illicitas aliquãdo impellit; animos, cum necessitate, non voluntate tolerãtur, deiicit. Studia, zelumq; animarum excludit. Sexto. Parentum, etiam piorum, hoc fere est desiderium, atque vnica sæpe, nimiaque cura filiorum dignitati, & splendori vt consulant; Quis ex millibus sumptus in studia filiorum faciet, vt pauper totã vitam Euangelium prædicet? Quis diuitum se eo demittet, vt ad paupertatem filios educet?

Si magistratus de publico alẽdus est, igitur & sacerdos.

Speciosum itaque hoc Euangelicæ paupertatis studium, omnem Christianæ religionis disciplinam euertit. Quod enim paucorum est, hoc in vniuersum clerum inducere velle insanum est; imo diuinis legibus repugnat, non esse in Ecclesia vnde ministri alantur. Septimo. Hanc ob causam venditiones bonorum Ecclesiasticorum vetitæ sunt. Concil. Epaun. c. 12. & donationes c. 17.

Religio si temporalibus commodis interdum eget

Nunc viri prudentissimi Gregorii Tolosani l. 2. Syntagmatis, c. 28. sententia hæc consignare placet. *Et proinde*, inquit, *translata Ecclesia, Christiani didicerunt, persecutionibus agitati sæpe infidelium, cultum Dei vix restitui posse sine temporalium auxilio, & proinde in posterum non omnia oblata vendenda esse, sed in Ecclesia conseruari voluerunt: vt sedatis persecutionibus, prædia Ecclesiastica oblata & Deo consecrata, auxilio essent cultui diuino. Neque etiam omnes basilicæ vel templa, vbi exhibetur cultus diuinus, decimas habent, sed tantum parochiales Ecclesiæ: quare oportuit & alia bona Deo consecrari, quibus qui ibi Deo continue inseruirent, alerentur. permissumque est ideo publice à Constantino Magno Ecclesiæ hæreditates relinquere, & fana extruere. Neque enim propter nouas Ecclesias priori Ecclesiæ decimæ sunt subducendæ. Et ita probe statutum, ne post hac sacræ ædes ædificarentur sine conueniente dote, qua suos Leuitas posset nutrire.*

Ecclesia manu militari restituenda.

Statuit tribus, constitutionibus Emmanuel Comnenus Cæsar orientis, vt Ecclesiarum & monasteriorum bona immobilia, intacta sint à manu fisci, siue cum titulo, siue sine titulo possideantur, quodque bulla aurea confirmauit. Idipsum sanciuit Alexius Comnenus secundus alius orientis Cæsar. Iubet Theodoricus Gothorum rex, scribens Ibæ viro spectabili duci, possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum Alarici præceptum à quibuslibet peruasoribus occupatas, etiam manu militari restitui. Idemque Adilæ scribens, specialiter, inquit, Ecclesias ab omni iniuria reddi cupimus alienas, quibus dum æquabilia præstabantur, misericordia diuina acquiritur. Et anno Domini 1099. bellum in eos susceptum est, qui sacerdotum ecclesiarumque fundos inuaserant: apud Parisios, Bocchardus à monte Morentii: apud Bellouacos, Diocus Montiacus: Rhemis, Elbo Rossiacus: apud Aurelios, Leonetus Magdunensis: aliisque in locis à filio Francorum regis Ludouico, & Roberto Flandrensi comite victi subacti sunt, & ecclesiis suæ res quæ in sua potestate erant, & ad ecclesias sub manu Pipini regis constitutæ, pertinentes, reddere rectoribus ipsorum venerabilium locorum monitus per legatos recusaret, bellum mouit: & contractis vndique copiis Aquitaniam ingressus, bello se res & iustitias ecclesiarum exacturum pronunciauit, & ita coegit imperata facere.

CAPVT XLIII.

Contra Ecclesiarum diuitias quæ obiici soleant.

Inuidia Ecclesiæ opes facit maximas.

§. 1. SCio multos, inquit Gregorius Tolosanus l. 2. Syntag. c. 28. *rebus Ecclesiæ inuidisse, & sibi magis quam Deo, piorumque vtibus malle; ideo & profana quædam exempla in suæ improbitatis auctoritatem contorsisse, & pietatem quandam pro fuco obiecisse.*

Quid igitur illi qui neminem præter se diuitem esse patiuntur? Primo Christum Iesum Dominum nostrum pauperem fuisse Paulum manibus laborasse, victitasse. Eo exemplo omnes Ecclesiasticos viuere oportere. Secundo. Ex diuitiis luxum ortum & superbiam. Tertio. Opes curam & sollicitudinem requirere, Clericos expeditos ad Dei seruitium constituendos.

Paupertas singulis cõmendata, sed non imperata.

§. 2. Optandum sane eos esse plurimorum in virtute progressus, rerum humanarum contemptum, vt non modo Dei præcepta, sed consilia etiam amplecterentur, sed quia tanta virtus paucorum est, non præcepit, sed suasit Dominus. Exemplo præiuit, inuitauit, non coegit. Castitatem laudamus, nec tamen optamus in orbe Christiano nulla esse matrimonia, alioqui qui caste viuerent, nasci non possent. Itaque assero fidenter, Christum Dominum quamuis vbi caput reclinaret, non habuerit, non tamen Ecclesiæ suę, aut ministris eandem legem præscripsisse. Sed fastigium perfectionis ostendisse, quod aliqui ascendere contendunt, cæteris vsum rerum suarum reliquisse. Cum enim sciret non omnium esse viam illam paupertatis asperam, sed diuitiarum præsidia multos retinere, noluit Ecclesiam suam aliter instituere, quam vt inter homines, conueniebat. Itaque Episcopos, alioqui nisi illis auxiliis, & vti ad populorum gubernationem voluit, satisque habuit, si mente supra diuitias essent, quemadmodum Abrahæ, Isaaco, Dauidi non obfuerunt opes, sed incitamenta & instrumenta ad bene agendum, & liberalitatem. Alioqui Christi Domini paupertas, cæteraq; quę fecit, omnib⁹ Christianis ad imitandum proposita sunt, non solis Clericis; cur igitur hosce solos pauperes volunt esse? an solos quoq; castos, sobrios, iustos, veraces? Christus vitam pauperem egit? imo etiam Apostoli: sed tamen qui sibi pauperem victum, cultumque elegit Deus, ministris suis veteribus dixit: *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, dedi tibi.* Num. 18. 12. Idem quoque noui testamenti sacerdotibus promisit; *fore vt reges sint nutritii eorum*; Apostolorum etiam, si iniquitatem tẽporum spectes, fuit ea paupertas, quæ tamen ex Euangelio viuere permitteret. Non prohibuit Dominus vti diuitiis quas ipse non habuit. Quanquam hæretici qui maxime offenduntur nostrorum Episcoporum famulitio & comitatu, id in suis probant. Adrianus de Sarauia, de honore Episcopis, & presbyteris debito. c. 29.

Christi sacerdotibus diuitiæ concessæ.

Hæretici Episcoporum probant opes.

Præterea, comitatus Episcoporum, & strepitus famulorum, non parum offendit quorundam oculos, quod similiter in ea re, duces & comites regni videantur imitari. Resp. hanc orationem esse popularem & vana specie simplicium animis illudere. Nam hoc audeo asserere, comitatum Domini & Apostolorum tam honoratum fuisse, quam esse potuit, pro ratione temporis, & rei, ob quam in hunc mundum venerat: honoratior futurus, si Deus seruandi genus hominum aliud constilium probasset. Nam in suam familiam vltro 80. viros adjunxerat, qui eum comitabantur quocunq; ibat, aut præcedebant, quo erat venturus.

Antistites priuari iis rebus, quibus respublica defenditur, non debent.

Et in Epist. dedicat. pro diuersis ministr. gradibus. *Ciuilem societatem Euangelica doctrina non perturbat, nec eorum quicquam; quod ad eam conseruandã pertinet. In qua cũ viuant ecclesiarum pastores, ab eis rebus alienos esse, quibus respub. aut ornatur aut defenditur, nusquam Dom. præcepit. Honoris autem gradus diuersi, sunt necessario vbique constituti, conseruandæ societatis gratia: inter quos qui visi sunt posse dari Episcopis, cum vtilitate Ecclesiæ & reipublicæ, eos maiores nostri dederunt: & vt inter proceres reipub. censerentur decere iudicarunt. Qui certe honor etiam & togatis iurisconsultis, qui iuri dicundo præsunt in curus cum tribuatur: sacrorum & religionis Antistites habere semper omnes gentes æquum esse censuerunt. Vnde etiam fit consequens, vt eum comitatũ habeant & famulitium, qui ex vsu & consuetudine à sobriis & modestis proceribus haberi solet. Quid hic sit quod naso suspendant aduncо homines aut rerum humanarum ignari, aut certe nimium morosi, non video.*

§. 3. Lu-

Abusus opũ, non tollit ipsas opes.

§. 3. Luxum pariunt diuitiæ, fateor, & ambitionem; Honorum cupiditas duplici illecebra titillatur cum in vnum coniunctam animaduertit sacram, & profanam potestatem, sed non ideo ordo Hierarchicus, non ideo opum præsidia tollenda sunt, sed legibus bonis honestas & moderatus vsus est præscribẽdus. Bona Ecclesiæ in pauperes, in ministros Ecclesiæ, in doctores sunt expendenda. Episcopi qui principes non sunt, moderato vtũtur comitatu, qui principatum Episcopatui connexum habent, non est illis denegandus ornatus ille, quo in Republica alii principes vtuntur. Nullius prodigalitatem probo, omnium luxum condemno, decentem statum, magnificentiamque suadeo. Inter hæc censores Ecclesiasticarum opum miror; nam cum tot regum principumq; sæcularium, tot diuitum, tot nobilium insanos sumptus, lasciuiam; & delicias intueantur, non tamen detrahendas per vim opes censent, solis prælatis inuident, quorum tamen est insignis moderatio, si cum aliis conferantur; grauius sine dubio peccant, qui de patrimonio Christi luxuriantur, cum tot canones rectum vsum illius, & ipsa ratio imperet, sed vitia sunt hominum illa, non opum. Mihi sane videtur ambitio honore quidem accendi, sed tamen ea gubernatione, quę est in sectariis Ecclesiis non tolli. Nam & in parua præsidentia est æmulatio, eoque facilior, quo communior est. Nonne in oppidis etiam paruis cum ambitione Consul eligitur? & in vicis prætorum filii magnifice se circumspiciunt? Agnoscunt factum, ambitionem, æmulationem suorum ministrorum multi hæreticorum, & in his Episcoporum defensor Sarauia, pag. 588. *Miror si credat D. Beza minus ambitionis hodie minusue auaritiæ, inter Ecclesiæ ministros, qui hebdomadum tantum præsident, & quorum tenuia atque accisa sunt stipendia: quam olim, aut inter priscos Episcopos, aut inter eos, qui hodie Christum profitentur, & amplos habent reditus.*

Episcopus princeps aliorum principum vtitur iure.

In paruo magistratu est æmulatio.

Non intelligunt illi se diuinam ordinationem reprehendere, quæ veteris testamenti sacerdotes, tot opibus instruxit, tot magistratibus ornauit, ac tandem gentis præfecturam & regnum dedit; quin & ipse rex Agrippa apud Caium profitetur, maius esse regno sacerdotium. De moribus dicere si vera oportet, nõ est negandum malis male agendi facultatem ab opibus præberi. Verum ita statuo, postquam legibus definita sunt omnia in Ecclesia, in ipsis diuitiis coli virtutẽ à multis; nam paupertas etsi nõ iisdem, magnis tamen vitiis occasionem præbet. Splendor diuitiarum fastum auget, sed ego Fabricium Romanæ virtutis exemplar, omnium stylo laudatum, tanto fastu coxisse rapa opinor, quanto Pirrhus solium conscendit: *Malo diuitibus imperare, inquit, quam possidere diuitias;* An tibi imperator ille ab aratro parum ambitiosus esse videtur, qui reges & magnates seruos habere optabat? Delitiæ libidinum fomites sunt; & tamen in sordibus prostibulorum, in schytarũ barbarie, in occidentaliũ Indorũ nuditate ista vitia inualuerunt. Si de Ecclesia agendum est, priscis tẽporibus grauioraſcandala fuerũt, Simonianorum, Nicolaitarũ, Gnosticorum, Carpocratianorum horrendę obscenitates, imo omnino pluribus hæresibus tempora illa turbata, cum vel ambitio, & opum cupiditas secessionis ansam tribuit. At subsequentibus sæculis pauciores sectæ fuerunt, minusque sparsæ, & quę hodierno tempore sinceritas priscæ religionis est, Episcoporum potentię debetur.

Paupertas in Republica non minus vitia gignit, quã diuitiæ.

In egestate fastus magnus.

In paupere Ecclesia plures hæreses fuere.

§. 4. Non abs re dictum est;

Crescentem sequitur cura pecuniam.

Maior tamen illa est cura, cum & pecunia deest, & quæritur; nam opes quæsitæ occupant, dum quærũtur autem, enecant. Hoc igitur agendum est, vt cupidinum diræ radices euellantur, quæ cum perseuerant, & per inopiam agitantur mirabiliter crescunt, totamque animi mentem obtinent. Nam inops auaritia nihil turpe arbitratur, quod lucrosum est. Denique iam adeo contempta est prædicantiũ auara paupertas, vt nemo honestus prouinciam illam ambiat, qua de re Bezæ, & Adriano Sarauiæ communis est querela. p. 8. de diuersis ministrorum gradibus. Sollicitudini tamen, & inutili occupationi subueniri potest per omnium Episcoporum Oeconomos, de quibus multa ius canonicum; per administratores, de quibus veteres, & recentes; per elocationes, per alia curarum compendia.

Auara prædicantium paupertas irridetur.

Caput XLIV.

Multitudinem Cleri probandam esse.

Ecclesiasticorum multitudinem ob ocii suspicionem accusant.

§. 1. Alia est, eaque inuidiosissima querela de multitudine Ecclesiasticorum; postquam enim animo conceperunt, Ecclesiasticos turbam esse inutilem, ociosam, ad paucitatem eam redigendam esse iudicant; nec esse ex Reipublicæ vtilitate, tantas opes in eos, qui in commune non laborant, absumi. Neque alia magis ratione Ecclesiasticos traduxerunt nouatores apud rude vulgus, quam ocii accusatione.

Ocium à Clero tollẽdum.

§. 2. Nulla tamen Ecclesia suorum sacerdotum ocium probat, sed quicquid à rebus necessariis ocii super est, totum diuino honori, psalmis, hymnis, lectioni, orationi, meditationi, docendis populis, hortando, consolando, iudicando, diseordiis sedandis, operibus misericordiæ corporalibus, & spiritalibus impendendum est. Qua de re cum aliis locis à me copiose actum sit, non est necessaria repetitio. Carolus etiam Borrhomæus in suis Synodis statuit, vt visitatores inquirerent, quo modo tempus Clerici transigerent: Ad labores enim vocantur, quicunque in sortem Domini vocantur, qui in laboribus fuit à iuuentute sua. Incongruum est enim ociosum esse, & de alieno labore victum quærere, sed habenda sedula ratio officii est, 13. q. 1. Ecclesias, & distinct. 5. de consec.

Leuitæ ociosi sæpe nostro Clero.

§. 3. Clerus noui testamenti officiis suis ita occupatur, vt Leuitæ in veteri testamento penitus ociosi videri possent, si cum his conferantur. Qui igitur ociũ Ecclesiasticorum culpant, aut nimium esse querũtur, quod secundum canones nullum est, Domini institutionem reprehendunt. Leuitarum erant officia *portare tabernaculum, & in eodem seruire,* hæc in exodo. Leuitico, Num. Deut. clare & singulatim exponũtur. Prior occupatio non magna erat, nam tabernaculum distributum in plures facile portabatur; præsertim cum principes tribuum sex plaustra, & duodecim boues obtulerint, quorum præsidio vterentur; postquã in terram promissionis ingressi sunt, longo tempore mansit arca in vno loco, vt in silo, rarus itaque fuit transferendi labor. Postea ædificato templo penitus desiit; Dixit enim Dauid: *Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Ierusalem vsque in æternum, nec erit officium Leuitarum vt amplius portent tabernaculum, & omnia vasa eius ad ministrandum,* 1. par. 23. 25. & v. 27. *Iuxta præcepta quoque Dauid nouissima, supputabitur numerus filiorum Leui à viginti annis & supra. Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in sanctuario, & in vniuersis operibus ministerii templi Domini, Sacerdotes autem super panes propositionis, & ad similæ sacrificium, & ad lagana azyma, & sartaginem, & ad torrendum, & super omne pondus atque mensuram. Leuitæ vero vt stent mane ad confitendum & canendum Domino, similiterque ad vesperam tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis & Calendis & solennitatibus vniuscuiusque rei, iugiter coram Domino. Et custodiant obseruationes tabernaculi fœderis, & ritum sanctuarii, & obseruationem filiorum Aaron fratrum suorum vt ministrent in domo Domini.*

Nemo secũdum canones ociosus.

Officium Leuitarũ, portare arcam, & seruire in tabernaculo.

Hoc autem officium per vices exequebantur, vt supra

Vices erant 24.

supra dixi, erant vices raræ; nam erant 24. nunc vero singulis diebus præter omnem alium laborem ad canendum, orandumque stare in conspectu Domini oportet; itaque si vetus respublica prudenter à Deo est instituta, habuitque leges, & iudicia sanctissima, multo magis id de noua dicendum, in qua pietatis multo etiam deuotior cura habita est.

Vulgus laborem non nisi sudoriferum agnoscit.

§. 4. Non est maligni, atque inuidi vulgi audiendum de ocio & labore iudicium; nam laborem non æstimant, nisi quo corpus atteritur; curas, studia, orationes, psalmodias, scriptiones in censu laborum non habet, cum tamen labor ille sit acerrimus, quiq; sine dolore sensim vitam erogat. Ocia non agunt tot centena millia variis artibus, scientiisq; studentiũ, artes alias exercentium; vt pictorum, sculptorum, aliorumque quorum labor ingenii potius vim, attentionemque animi, quam lacertos postulat.

Obiectio contra Ecclesiasticos.

§. 5. Non tamen vel inuidia conquiescit; Quantũ Reipublicæ prodessent, si agrum colerent, ligna cederent, cætera opera mechanica ederent, quos nunc cantantes, orantes, ociosos regna multa sustentant? Imo quantum detrimenti Respublica caperet, si Dei cult⁹ minueretur, ministris eius ad operas liberales addictis? Venit mihi frequenter in mentem, hominũ ingratitudinem admirari, & deflere; quibus omne quod Deo impenditur nimium videtur, cum à Deo tamen habeant omnia.

Grauari Ecclesiasticorum multitudine rempublicam queruntur, nos videamus quisnam eam grauet.

Vnà in regione numerum cleri videamus, & sumptus. Legi in obseruatione itineraria cuiusdam amici, qui in Hispania nouem Archiepiscopos numerauit.

Tota summa Archiepiscoporum, & Episcoporum est 1350000. ducatorum, cleri & monasteriorum duplam ponamus, erunt igitur milliones quatuor, & 50000. quæ summa exigua est, si regnorum magnitudo & opes spectentur; & magna tamen pars bono regni seruit. Exiguam esse summam alia me obseruatio amici docet, nam in duces, Marchiones, Comites annuos reditus insumi 3862000. ducatorum demonstrat. Alia summa ex aliis mihi tradita est in coronide Iubilorum, quo lectorem remitto.

Tot regnorum clerus, non æquat vnum vrbem.

Nunc opus est docere, Clerum Hispaniæ regno nõ esse grauem, quamuis nulla politica officia patriæ præstaret. Nam pars exigua tanti regni est clerus. Vna ciuitas nobilis plus hominum, reique habet, quam Clerus vniuersus. Constituamus tane Clericorum esse centum millia in regnis Hispaniæ, non tamen centesimam hominum partem conficient: Toletum aut Hispalis multis partibus superabit; quid vero magnum esset, si ex tot magnis ciuitatibus vna ex clero collecto confici posset?

Regna Hispaniæ sunt, Murcia, Valentia, Catalunia, Aragonia, vtraque Castilia, Nauarra, Biscaia, Leon, Galitia, Asturia. Vndecim regna sunt, & inæqualia, ex his vnum si assignauero Clericis, minus dabo; quam olim Deus Leuitis; sit v.g. Regnum veteris Castiliæ, quod habet cum Metropoli, quam vocant Burgos, centum octoginta ciuitates. Harum decimam partem totius Europæ Clero non impleuero. Non igitur est Cleri magna multitudo, si cum aliorum innumera frequentia comparetur. Cum igitur in populo Catholico, & pacato, vbi numerosissimus Clerus est vix centesimam habeant, non est quod quisquam queratur, nimium multos esse qui Deo seruiant.

Quod si Belgium spectemus quale ante Bella fuit, ducentas octo vrbes muratas, centum quinquaginta pagos instar oppidorum, præter ingentem pagorum numerum habuit. Clerus illius si in vnum conueniret, integram vrbem ex decem maximis non conficeret. Nego enim vniuersum Belgii clerum numero parem vni vrbi tali esse. Gandaui, Insulis, Antuerpiæ, Vltraiecti, Amstelodami, Dordraci, Harlemi, Leouvardiæ, Atrebati, Valencenis, Louanii plures sunt incolæ, quam toto ex clero confici possint; itaque partem ducentesimam Clerus non constituit.

Belgii totius Clerus non æquat vnius vrbis incolas.

At vero si ducenti, vel etiam centum alant vnum sacerdotem, non debet graue videri, cum in Dei Republica decem, aut quinque potius, si reditum spectes vnum aluerint. Impietatis ergo est tam iniqua querela, cum tam multa Rempublicam intetlet, tantum in Dei seruos, & doctores virtutis, iuris & æqui conferre culpam, qui ideo non grauant, quia pauci sunt, quia plurimum prosunt.

Non clerici, sed alii obnoxii sunt Reipublicæ. Iudæi.

§. 6. Si igitur quæris, qui hominum noxii sint reipublicę? dicam libere. Primum, Iudæi; Eorum numerus multo maior est vniuerso Clero, vnam, alteramue vrbem nominare possum, quæ multo plures fouet, quam sint Ecclesiastici in toto Archiepiscopatu Moguntino; sed non alimus modo eos, sed ex fœnore, fraudibus, flagitiis alimus, & quod premit Rempublicam, ditamus. Secundo. Artifices superuacui. Si dubites circumspice nundinarum merces, inuenies magnam partem, quorum non indiget vsus. Pudet dicere; tantum hominum vrbicorum ad luxum occupatur, quantum ad necessitatem, plures superbia, curiositasque occupat, quam vita. Illi si vtilia tractarent, si agricultura, piscatione, cæteris occuparentur, duplo esset maior viuendi copia. Exemplum desideras? ante annos aliquot inualit insania sericorum segmentorum, vt nulla vestis decora censeatur, nisi eam circa funiculi byssini discurrant, ita vt crebro materiam ipsa parerga superent, & iam luxus aurum, argentumque in fila deduxit: sumptum esse superuacuum nemo dubitat. At tu, qui pro Reipublicæ bono Cleri numerum minui iustum censes, cæde abacum, rationes subduce: conuincam in Europa plus sumptuum in hoc duntaxat nugarum genus, quam in totum clerum impendi, totum, inquam, qui in Europa est clerum: nec hoc modo; sed plures esse, qui contexendis non pannis sericis, sed hametis illis destinetur, quã sint in toto clero. Tertio. Abusu omniũ artificiorum mechanicorum affirmo Rempublicam pessundari. Nam quæ minore labore fieri poterant, operoso sumptu ciues exhauriunt. Ambitio, luxus, nouarum rerum studium eo vsque excreuit, vt ciuitas, quam ante annos centum sartores decem vestisterant, iam quinquaginta desideret: tot modis vestium simplex vsus adulteratur. Quam multos videas, quibus nihil in veste integrum, ne incalceamentis quidem placet, adeo ipsa damna luxuriæ placuerunt. Quid igitur si dicam in superuacuum sartorum, sutorumque sumptum impendi tantas opes, quantis clerus, qui nunc est in Europa, possit ali? Mirum videbitur ignaro, verum si ad calculum veniatur, ostẽdam, in Zonarios, Limbolarios, acupictores, calanticarios, tinctores, fibularios: & si pro fibulis nodos vsurpemus, nodarios, impendi. Si enim ad fibulas, & vncinos redire placeret, aliquot millionibus in Europa parceretur; quantum enim serici, temporis]; in nodos vestium quibus colligantur, ornanturque insumant magna pars hominum, neminem latet. Quarto. Omnes qui artes infames, leues, omnino inutiles profitentur, vt sunt coniectores, Arioli, fœneratores, petauristæ, histriones, saltatores, tibicines, totum hoc genus, quod alienis de vitiis viuit, si ad vtiles res vocetur annonam leuabit. Quinto. De coquis, dulciariis, & toto illo genere artificum voluptariorum dicere supersedeo. Hac finio sententia. In ciuitate duntaxat necessariæ artes locum obtineant, & dimidio eius, quod nunc insumitur, rectius, quietius, iucundius, felicius viuetur. Huius dimidii centesima parte ali clerus poterit.

Inutilium rerum artifices.

Sumptus in chordellas sericas.

Artium abusus Reipublicæ noxius.

Artes infames.

§. 7. Cle-

Cleri potẽtia vtilis principibus.

§.7. Clerum igitur & diuitem, & copiosum esse saluberrimum est reipublicæ; reges & principes eos semper experti sunt fidissimos, arces, & vrbes illis tutissime commiserunt, exemplo Dauidis. Quod si tamen multi sint inutiles noxiique, opportunis rationibus illi corrigendi, quod non difficulter consequetur princeps, si vel vnum bonum Episcopum, aut Archiepiscopũ nanscisca tur. De hisce placet Clementis constitutio, quæ est distinct. 24. c. 3. *Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare: melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint Dei digne exercere, quam multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant.* Graue plane onus est, quia aliqui inutiles, aut praui totum ordinem infamant. Sed propter vitiosos non est ordo abiiciendus, sed reformandus, substitutis in eorum locum melioribus. Neque enim magistratum è medio tollunt, quia nonnulli vitiosi, sed idoneos in decedentium loca subrogant.

Melius paucos esse bonos, quam multos inutiles.

CAPVT XLV.

Parochiæ augendæ, ornandæ.

Parochi à præbendis populo sacris.

§.1. PArochos quidam Parœcos ἀπὸ τῆς παροικίας nominant; est enim παροικία vicinia, habitatio, hominumq; conuentus, sed malo vsum sequi, quam Budæum, qui in commentario linguæ Græcæ ita dicendum affirmat. Malo itaque dictos à præbendo ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod sacra præbeant populis, quẽadmodum Parochi apud Romanos Græca voce nominamus, qui legatis, & magistratibus præbebant *Ligna salemque;*

Olim curiones apud Romanos.

Iidem Curiones, sed rarius dicuntur, quod è curiis Romanis olim qui sacris præessent eligerentur. Hi præcipue in Christiana republica à cura animarum, dicũtur, Curiones, Curatores, Curata beneficia possidentes. Rectores & Plebanos etiam iura appellant. Rectores quidam perpetui, seu vicarii perpetui dicti sunt, qui in locum rectoris ab Episcopo instituti sunt, ne ad assiduam residentiam teneretur rector primarius, quæ res leui initio introducta, nunc in diuites ius parochiarum multarum transtulit, & vicarios substituit parum idoneos, deriuatis alio prouentibus.

Perpetui Vicarii ex abusu.

§.2. In Ecclesiis Germanicis, parochiis præsertim oppidorum, & pagorum minus commode prospectũ est. Defectus est in sustentatione Parochi: cum enim necesse sit Parochum esse doctum, laboriosum, vitæ bonæ, cum magni sint eius in canendo, concionando, hortando, ægros, etiam contagio infectos visitãdo labores, periculaque, minor est tamen quam canonicorum prouentus, minor etiam dignitas æstimatur. Graue itaque hoc est Ecclesiæ vulnus, & ab animoso, fortique visitatore sanandum. Hoc erratum est. Moritur canonicus, mox viginti ad collatorẽ conuolant, aliquando precio redimunt. Ad parochos idoneos habendos necesse est seminaria instituere, spe canonicatuum omnia aguntur, parochorum onera plerique refugiunt.

Parochi reditus & honos infra canonicos.

Parochiæ recte constituendæ sũt.

§.3. Parochorum bene constituendorum vna est & facilis ratio, si parochiæ constituantur recte. Hoc est eiusmodi sint parochiæ, vt tanto desiderio expetantur, quanto Canonicatus. Sint labori non omnino fructus impares. Hoc potentius est remedium, quam omnia alia, quæ vsurpari possunt. Sunt parochi quasi parui Episcopi, qui vere officium in suis populis presbyterorum exercent, itaque liberaliter illis subueniendum est. Præsunt enim verbo, & opere.

Boni Parochi collocandi obligatio.

§.4. Cura illa ita est Episcopo demandata, vt nullo modo salutem ipse consequi possit, nisi diligentes, bonos, doctos, industrios parochos constituat; nam parochi sunt, qui plebem instituunt, exemplo præeuunt. In eadem causa sunt, omnia capitula, & pro suo munere singuli capitulares, abbates, monasteria quibus ius est parochias conferendi; nam parochias olim illi administrarunt, nunc alios substituunt, & cura tamen ad illos pertinet, reddereque rationem tenentur. Itaque cum sit peccatum mortale, indignũ parochum instituere, aut non punire, non amouere, consequitur, non modo Episcopos, sed capitulares, qui suo suffragio talem constituunt, aut tuentur, aut non agunt cum possunt, vt amoueatur, peccare mortaliter. Nam cum fere illis in locis decimas accipiant, sub mortali peccato tenentur illis prouidere, de idoneo parocho, vel ex suo corpore aliquem delegando, vel tantum parocho redituum concedendo, vt idoneum habere possint; Timendumque est ne hac negligentia multi capitularium pereant. Quod si etiam pereant negligentia parochi, eorum culpa pereunt, quorum est vigilare, vt parochi officio fungantur. Nam reuera vt imperator fortes, ordinumque seruãtes milites, & duces industrios, ita quoque excitatos, & zelosos parochos conquirere debet Episcopus, & capitula, eos excitare, visitare, hortari. Sancte in Mediolan. 1. decretum est: *Summam vim ac necessitatem habet illa Domini sententia: Speculatorem dedi te domui Israel; & alio item loco, diligenter agnosce vultum pecoris tui, & considera super greges tuos, vt Episcopi quanta maxima possunt, diligentia obseruent sibi commendatum gregem, neque ab eo vnquam oculos deiiciant, quid ei opus sit animaduertentes, vt exprophetæ sententia confractas partes alligare, infirmas consolidare, ægrotas sanare, abiectas eius reducere, perditas requirere & recuperare possint.*

Quid sinec ipsi inspiciunt, nec parochos cõstituunt.

Deinde *perpetuos eius oculos ponit Vicarios foraneos, Vt Episcopus in vrbe etiam externum gregem facilius quasi præsens intueri & curare possit: deligat aliquot probatos sacerdotes, quibus singulis, impositio Vicarii foranei nomine tribuat certas regiones diœcesis suæ. Id autem munus ad Archipresbyteros, Archidiaconos, qui in diœcesi sunt, & Præpositos, aliosue Ecclesiastica dignitate præditos, quos idoneos iudicauerit, potissimum deferet, sin minus, ad alios Auctores, qui apti sint ad huiusmodi officium.*

Vicarios visitatores habeat.

§.5. Quomodo igitur parochię instruentur, vt idoneos habeant pastores? Quę quidem bonos reditus habent, facile acceptantur, quin vltro ambiuntur. Tenues in vrbibus facile iuuantur, si opimus canonicatus, vicaria, aliudue simplex beneficium illis incorporetur. Nusquam sanctius de beneficiis disponitur, ita Coloniæ, atque alibi factitatum, hinc electissimi pastores illis in vrbibus versantur. Id maxime prælati, & Pontifex orbisque suspirat, cum in Cathedralibus, collegiatisque sint viri multi excellentes, ne parochiæ destituantur; præsentias enim solas parocho negant, cætera concedunt. Concil. Mediolan. 4. *Parochus vero, qui canonicatum dignitatemue, ac simul Ecclesiam parochialem legitime obtinens, residentia parochialis munus obit, vt literis Pii V. Pontif. Max. sancitum est, illius vel dignitatis, vel canonicatus præbendæ fructus reditusue capiat: at tertiæ eius partis ne particeps sit, quæ eiusdem Tridentinæ sanctionis auctoritate, in distributiones conuersa, sibi absenti obuenire non potest, nec debet; sed aliis præsentibus, chorisque officia obeuntibus, accrescat, aut Episcopi arbitratu, fabricæ Ecclesiæ, piisue locis attribuatur, ad eiusdem Concilii Tridentini præscriptum.*

Simplicia beneficia incorporãda.

Concilium Colonienſe anno 1536. ita de his statuit parte 8. *Cum lex diuina præcipiat non alligandum os boui trituranti, quod vtique non boum causa, sed propter nos dictum Christus in Euangelio explicat: Dignus, inquiens, est operarius mercede sua. Ac Paulus ioto cap. 9. primæ ad Corin. confirmat. Quis enim militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineã, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Neque enim magnum est, si quis*

Paupertas auaros, & viles efficit.

qui spiritualia seminant, carnalia etiam metant. Quamobrem diligendum est, vt parochis Euangelii prædicatoribus, certa ac competens subministratio victus & vestitus fiat, idque ad eum modum, ne in administrandis sacramentis quippiam exigendo oneri sint parochianis, aut cibum vicatim discurrendo emendicare cogantur, quo nihil turpius aut sordidius.

Imprimis igitur, qui per vicarios seu vicecuratos Ecclesias parochiales regendi potestatem à nobis acceperunt, iisdem vicariis tantam ex prouentibus Ecclesiæ partem assignabunt, quæ vitam congrue sustentare possint. Quod nos inter visitandum pro ratione locorum ac parochiarum vt fiat, ordinabimus.

Ecclesiæ cathedrales ac collegiatæ, itidem monachi seu religiosi, qui ecclesias parochiales aut suis ecclesiis, vel monasteriis finitas habent, aut regendas aliis committunt, aut præsentando committi procurant: adeo interdū omnem prouentum emūgunt, vt residui reditus, qui rectoribus ecclesiarum permittuntur, nimis tenues sint & exiles. Quamobrem nostræ curæ erit, vt tanta portio rectoribus istis assignetur, vnde iura Episcopalia soluere & congruam sustentationem habere possint.

Vbi vero reditus ecclesiarum non sufficerint, iuris consilium sequendum putamus, nempe vt duæ vniantur: aut si id graue videbitur, saltem vna, aut plures etiam vicariæ quæ ad altaria in eiusmodi ecclesiis fundatæ sunt, ipsi ecclesiæ parochiali (vt vocant) incorporentur: sic tamen, vt quoad fieri potest, parochum officium, ob quod Vicariæ illæ fundatæ sunt minime negligatur. Porro decimas potissimum parochis ac ecclesiæ ministris deberi, non dubium est. Nunc quum illæ passim à laicis magna ex parte vsurpentur, neque facile ex eorum manibus diuelli possint: videndum num diligenti cohortatione, aut alia via iuri consentanea, parocho, cui ecclesiæ reditus ad victum non sufficiunt, hinc aliquid emendicari possit.

Iure naturæ plebi dantur decimas cōuenit, vt bonum habeat animarum curatorem.

Nec iniquum est, integras præbendas, etiam remotis in diœcesi parochiis incorporari, tum ratione decimarum; quia iuris naturalis est, vt qui decimas dant, in spiritalibus sentiant subsidia, tum quia ministri Ecclesiæ ita debent habere constituta officia, vt quam maxime plebi consulatur; itaque ad ditandas parochias animum conuertet, quisquis vere gregis curam suscipit; & ingentem abusum, quo fit, vt diuites parochiæ, vel à nobilibus, vel opimis clericis beneficiorum vorticibus teneantur, & vicecuratus tenui portiuncula aspergatur, in vniuersum tollet. Nā ideo diuites factæ sunt parochiæ, vt viros eruditione vitaque eximios alant. Quod si beneficia desint, quæ parochiis tenuibus incorporentur, ex multis, aliisq; reditibus paupertati parochorum succurratur.

Contra ius naturæ est, vt puer statuatur parochus, & aliorum animabus respondeat.

§. 6. Parochiæ non sunt conferendæ pueris, nec vlli, nisi 25. annum attigerit, vt decretales, & concilia statuunt.

Imo doctis tantum, & graduatis, ita Lateran. Concil. Sess. 11. *Statuimus quoque, quod parochiales ecclesiæ in ciuitatibus aut villis muratis existentes, non nisi personis modo præmisso qualificatis, aut saltem qui tres annos in Theologia, vel altero iurium studuerint, seu magistris in artibus, qui in aliqua vniuersitate priuilegiata studentes, magisterii gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni vniuersitates, sub pœna priuationis omnium & singulorum priuilegiorum à nobis & sede Apostolica obtentorum, ne collatoribus seu patronis Ecclesiasticis habeant aliquos nominare, nisi eos, qui secundum præfata tempora studuerint, & secundum dictarum vniuersitatum statuta ad gradus & non per saltum prouecti fuerint. Quod si secus fecerint, vltra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum literis declaramus, vniuersitates ipsas nominandi priuilegio ad tempus, secundum culpæ qualitatem, suspendimus. Si quis autem graduatorum, aut nominatorum in mensibus deputatis, à collatoribus ordinariis, aut personis Ecclesiasticis, beneficium vacans in vim gradus, aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus, aut nominationis in processu posuerit, & aliter molestauerit, illum vltra expensarum, damnorum & interesse condemnationem, à fructibus sui gradus & nominationis priuandum esse decernimus: eodemq; vinculo collatores ordinarios & patronos Ecclesiasticos, quibus graduati & nominati, debite (vt supra) qualificati suos gradus & nominationis literas insinuauerint, adstringimus, vt beneficia ad eorum collationem vel præsentationem spectantia, in mensibus graduatorum simplicium & nominatorum vacantia, stantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis, illa prosequentibus, aliis, quam graduatis aut nominatis conferant, sub pœna suspensionis potestatis conferendi beneficia in octo mensibus, illo anno ad collationem eorum, ac præsentationem liberam spectantibus. Statuimus quoq; & ordinamus, quod quilibet Rom. Pont. semel duntaxat tempore sui pontificatus, literas in forma mandati iuxta formam inferius annotatam, & non vltra dari possit hoc modo, videlicet vnum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in vno: habētem autem collationem quinquaginta beneficiorum & vltra, in duobus beneficiis duntaxat grauare possit, ita tamen, quod in eadem Ecclesia Cathedrali vel collegiata, collatorem vnum pro tempore in duabus præbendis non grauet. Et vt obuietur litibus, quæ occasione literarum mandatorum huiusmodi oriri possent, mandata huiusmodi sub forma, quæ est inferius annotata, dari volumus, quā ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria Apostolica publicari, & in illius quinterno registrari mandamus, declarantes, prosequentes huiusmodi mandata, quod ad beneficia sub illis comprehensa, ordinariis collatoribus, & graduatis simplicibus & nominatis præferendos esse, nosque & successores nostros iure præuentionis, dignitatis, personatus, administrationes & officia cæteraque beneficia Ecclesiastica, sæcularia & quorumuis ordinum regularia, quæcunq; & quomodocunq; qualificata, tam in mensibus & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis assignatis, vacantia, ac etiam sub dictis mandatis comprehensa, libere conferre.*

Qui parochos indoctos nominat, irrite nominat, iure suo priuatur.

At nunc pleraque parochiæ adeo tenues sunt, vt Grammatici; & Rhetorculi eas negligant. Sint mœcenates, non deerunt marones.

Si igitur seruetur Conc. Trident. constitutio Sess. 25. cap. 15. nulla querela futura est. *Statuit sancta Synodus, vt Ecclesiastica beneficia sæcularia, quocunq; nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæua eorum institutione, aut aliter quomodocunq; retinent, illa deinceps in simplex beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione non conuertuntur, &c.*

Ratio augendi parochias.

E contrario simplicia in curata mutentur, illisque addantur; nec illa modo, sed tot personatus, tot altaria, quæ tenentur ab ociosis, & sæcularibus; imo monasteriorum derelictorum, bona, & in varios vsus, variasque mensas conuersorum ad parochias augendas conferantur: quo fiet vt non modo multi adolescentes se studiis accingant; sed canonici, & vicarii resignatis præbendis ad parochias transeant. Hoc est è re Christiana, parochos esse eo loco, auctoritate, eruditione, copiis, quibus nunc sunt Ecclesiarum collegiatarum prælati, sic enim vtiliter munere suo fungentur, nunc crebro à suis prælatis, parochianisque contemnuntur.

Pauperes parochorū maiore periculo agūt.

Suggerunt hic parochorum aduersarii: opes pastorum, eos lasciuos efficient, paupertas occasio virtutis est. Ego primum quidem sentio falsum hoc esse; plures inopia, & difficultatibus domesticis lapsos. Nam plures pauperes, quam diuites in sordibus illis sunt. Deinde indigna est Ecclesiastico homine obiectio. Si è parochis virtus paupertate extundenda est, si in liberaliori stipendio, in studiosa, & laboriosa vita, periculum est ruinæ, cur id non primum fugiunt illi, qui parochis tam scrupulose consulunt? cur illi aliquot canonicatus possidet, pluribus inhiant, parochis pro integritate pauperiem delegant? Sed hic sisto. Ex parocho malo odium nascitur vniuersi cleri, hinc hæresis, decimationum fraudatio, bonorum Ecclesiasticorum rapina, canonicorum euersio.

Plurium canonicatuum possessores & ociosi de salutari parochis paupertate disputant.

Constituite parochos idoneos, qui duplici honore digni sint, qui laborent verbo & opere, date illis stipendia liberalia, qualia sunt vestra, & maiora ve-

stris, si plus vobis laborant, & videbitis omnia melius cessura. Hæc pro parochis, nunc de officio parochorum dicendum est.

§. 7. De vita parochorum aliud non habeo, quam quæ in communi de vita Clericorum dixi. Nisi quod his magis cauendum est scandalum, ne eos à se homines alienent, quorum animas capere oportebat; nam & inter agricolas, qui imperiti, & imbecilles, offenduntur citius, reconciliantur laboriosius, vitã agunt, consortio aliorum destituuntur.

Residentia parochorũ est necessaria.

§. 8. Eorum hęc munera sunt. 1. Residere. Concilium Senense, c. 11. *Rectores Ecclesiarum (quorum singularis est electa industria) compellantur per suffraganeos nostros quoad fieri poterit, ad personalem residentiam: neque cum illis de non residendo, nisi causa probabili intercedente, dispensetur. Et in Ecclesiis parochialibus per singulos dies dominicos, presbyteri parochiales curati per se, aut vicarios eorum clara voce & intelligibili ac verbis maternis annuntient decem præcepta decalogi & articulos fidei. Et si qui fuerint presbyteri, quibus non suppetat doctrina, aut prædicandi gratia, legant & declarent prædicta die Dominica vnum capitulum Ioannis de Gerson, in opere suo tripartito.*

Monent omnes subditos.

2. Admonere omnes officii. Concil. Senens. c. 12. *Admoneant frequenter curati suos parochianos, vt intersint missæ parochiali diebus Dominicis, & festis per hebdomadam occurrentibus. Et vt ad omnia illa, quæ per singulos dies Dominicos in pronis præcipiuntur, diligenter attendant. Quod si legitimo cessante impedimento, absque licentia sui curati, per tres Dominicos neglexerint interesse Missæ parochiali denuntient statim promotoribus, vt pro mensura contemptus vel offensæ puniantur.*

Arcent cõmunione incorrigibiles.

3. Docere, arcere communione incorrigibiles. Synodus Augustana anno 1548. c. 8. *Parochi de fide & religione nostra populum sibi commissum doceant, atque instruãt, sacramenta administrent, eorum mysticam gratiam exponant, publicis peccatis irretitos canonice, occultis vero delictis occulte arguant, & ad pœnitentiam adducant. Incorrigibiles, nobis aut nostro in spiritualibus vicario indicent, vt vel publica satisfactione curentur, vel communione Catholica arceantur: paruulos quoque & rudes quosque parochiæ, suæ doceant certis temporibus Symbolum fidei, Dominicam precationem, &c. aut ea diebus Dominicis è suggestu diserte pronuncient, vt reuera duplici honore digni habeantur.*

Vita docere debent.

4. Vita docere. Pelargus in Concil. Treuer. anno 1548. *Presbyteros vos ipse quoq; presbyter, obsecro: pascite qui in nobis est, gregem Christi, curam illius habentes non coacti, sed volentes; non turpis lucri gratia, sed propenso animo: neque ceu dominium exercentes aduersus Clerum, sed sic vt sitis exemplaria gregis: & cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcesibilem æternæ gloriæ coronam. Certe vel hinc colliquescit, non satis esse cõmodo pastori ad populum è suggestu agere, nisi & vita seu conuersatione studeat aliorum animis certam morum formam imprimere: idque non necessitate, aut religione officii, neque quæstus gratia, sed paterno syncroque affectu.*

Sed malo hæc atque alia Archiepiscopi, & Synodi Mediol. 4. verbis proponere. Ita vero inter monitiones habet.

Aurea monita Caroli Borrhomæi ad parochos.

Quicunque vero estis, qui inter canonicos, præpositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumue obtinetis, sicut honore, & dignitate præstatis, ita virtutum exemplis, vigilantiq; in vestri muneris, curæue partibus obeundis sollicitudine prælucete.

Parochi præterea, & cæteri quicunque estis, etiam præpositi Archipresbyteri, aliiue, qui animarum curam geritis, præterea, quæ vos cum reliquo clero communia vnuerse monuimus, illa etiam, quæ præcipue de vobis decreta sunt, præstate omni sollicitudine.

In primis oues, vobis concreditæ, cognoscendæ sunt, & appellandæ nominatim, pascendæ & custodiendæ item.

Animarum igitur numerum in catalogum redigite ad scriptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui item confirmantur, & compatrum etiam qui adhibentur, nomina describite.

Matrimonia in codicem referte.

Parochiæ vestræ incolarum vitam, & mores inuestigate.

Indagate omni studio, si qui hæresi cõtaminati sint, aut suspecti, aut si qui sint, qui hæreticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eosque statim denunciate.

Monete etiam populum, vt idipsum etiam præstet, ad nostri edicti præscriptum: quod statis tẽporibus de more promulgate.

Perquirite de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.

Discite, si qui è parochiæ vestræ finibus ad loca proficiscantur, vbi impune prædicatur, quod à Catholica fide alienum est; tum etiam an ii profectionis facultate impetrata agant ad præscriptum decreti in Concilio prouinciali tertio promulgati. Inuestigate præterea de iis, qui in vestra parochia docent, eorũdemque mores, vitam, & fidem obseruate, reliqua de iis ipsis præstate, quæ Conciliis prouincialibus præscripta, iussaue sunt.

Videte, & cauete, ne superstitiones, magicæ cantiones, & eiusmodi diabolicæ superstitiones in populo vestro sint.

Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, vsurarios, blasphemos, & denunciate.

Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui festis diebus non Deo, sed aleis, ludis, choreis, diabolo seruiunt, quiq; festorum dierum cultum quouis modo violant, quales sint, neq; obseruant pontificias, neque prouinciales de diebus festis colendis constitutiones, aut edicta Episcopalia.

Istos ab ea male agendi corruptela reuocare, ac deterrere, omni pietatis officio studete, tum Episcopo etiam, sicut opus erit, significate, vt pro curæ Episcopalis officio salutare remedium afferatur.

Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, cæterosq; aliena ope egentes, quibus & salutari consilio, & consolatione, & re subuenite, aut si minus re potestis, cohortatione alios accendite ad eos subleuandos.

Si que illorum grauior inopia deposcit, festis etiam diebus à pia fidelium libertate aliquid in Ecclesia colligendum curate, vt ab Episcopo præscribetur, quod ipsis in eleemosynam conferatur.

Seorsum etiam locupletes parochiæ incolas conuenite, quibus paupertum egestates proponite, & ostendite eis diuitias à Deo propterea etiam esse tributas, vt inopibus succurrant.

Si qui autem potentiorum opibus in causa aliqua oppressi sunt, illos vnice, atque intime eorum patrocinio commendate, qui vel ex suscepto officio id præstare debent, vel quibus Episcopus hanc curam dederit.

Pascite in primis populum vobis commissum prædicatione verbi Dei, salutaribus monitis, administratione item sacramentorum, exemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo plane obseruate, quæ constitutione prouinciali, & aliis concionatoribus, & vobis præscripta sunt.

Pueros festis, dominicisque diebus in doctrina Christiana rudimentis instruite.

Prouectioris ætatis homines ad eadem intelligenda inuitate.

Patres, Matresque familias monete, vt filios, filias, cæterosque quos in familia habent, ad statas doctrinæ Christianæ scholas ipsi conducant.

Confratrum, qui iis scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibete, curateque vt mutua inter eos charitas, morumque disciplina conseruetur.

Alios etiam ad tam pium opus amplectendum alacriores reddite, atq; excitate tum assiduis vestris cohortationibus, tum promulgatione thesauri spiritualis indulgentiarum, iis concessi, qui iis scholis adscribuntur, in illisque operam nauant.

Ne omittite diebus festis inter missarum solennia aliquid ex iis, quæ in Missa leguntur, fidelibus exponere, & sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanare, & aliquando sanctiores illius sacrarum cæremoniarum, rituumq; rationes, & significationes explicare, quo diligentius instructi indies sacrosancto illi sacrificio religiosius intersint.

Docere

Docete item, quomodo fideles signo Missæ celebrandæ dato, se corde contrito ad eam sancte audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis vestris monitionũ officiis, vt in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni eius parte vtroque genuflexo, præterquam in Euangelio adsint.

Instruite etiam eos, quam religiose non solum in Missæ sacro, verum etiam in diuinis aliis officiis versandum.

Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum.

Quam valde, dum illa fiunt, celebranturue, fugiendæ confabulationes, colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, imo vero inanes cogitationes, quibus à pia meditatione, & mysteriorum, quæ aguntur, contemplatione, religiosaque oratione animus distrahitur: quam denique studiose vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum sanctitate, & cultu aliena.

Rursus quam sancte item, quam religiose, & quam demisso, humilique habitu in supplicationibus, litaniis, & stationibus versandum.

Qua reuerentia, quoue pietatis studio in ecclesiis, locisue sacris manendum sit, quæue ab aliis procul abesse debeant, idque ex sanctionibus pontificiis, constitutionibus, conciliaribus, Episcopalibus præterea editis.

Qua etiam, non solum intima religiosi animi præparatione, sed externa etiam cultus, vestitusque modestia, humili genuflexione, & armis depositis, ad sanctissimam communionem, tum etiam ad certa sacramenta accedendum sit.

Tum, docete, ac monete, quomodo dies festi colendi & sanctificandi sint.

Ostendite indignissimum esse sacris illis diebus, non modo à nefariis operibus illicitisque negociis non abstinere, verum etiam religionis, ac pietatis opera non præstare omni diligentia.

Ac præterea nefas esse, sacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, summasque ei laudes persoluendas, ac debitum sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quæ ab eo cultu abhorrent: qualia sunt tripudia, ludi, choreæ, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus, salutis humanæ hostis, diabolus oblectatur.

Denunciate item festa sacrorum temporum ieiunia, docete quomodo ieiunandum, quæ peccati grauitas in violandis sacris ieiuniis.

Quæ præterea Christianæ pietatis officia in sanctorum vigiliis.

Quam sancte obseruandum quadragesimale ieiunium.

Statis autem solennibus, vel aduentus, vel septuagesimæ, vel aliorum temporum celebritatibus præmonete fideles, atque diligenter ex pastoralium etiam litterarum præscripta recitatione, ac ratione instruite ad sacra illorum temporum mysteria, sanctis pietatis officiis religiose colenda.

Vtque iis omnibus pro temporum solemnitatumque ratione illi instrui possint, sæpe monete, vt dominicis, aliisque festis diebus, quemadmodum sacra Tridentina Synodus optat, ad parochialem Ecclesiam conueniant.

Qua in re sæpius monitionem pastoralem de genere frequenti populo legite.

Sæpe autem, ac diligenter eosdem docete, quam assidue orandum sit.

Quomodo & tacita supplicis mentis meditatione, & piis statis orationibus precandum.

Quam studiose, ac religiose suscipiendum vespertinæ communis orationis institutum, quam diligenter illud semel susceptum, pie retinendum.

Ideoque cum alias sæpe in anno eam orandi rationem cum indulgentiis concessis per summa capita explicate, tum præcipue diebus, Concilio prouinciali tertio constitutis, in maxima populi frequentia descripto pronunciate, atque euulgate.

Dominicis diebus instruite populum, & monete, pro quibus oret, vt est in eodem prouinciali Concilio decretum.

Tum præterea, quas singulis hebdomadæ feriis, præcipuas precationes, Christianasq; meditationes, atque in orando exercitationes sibi propositas in promptu habere possit.

Quam sepissime vero sermonibus vestris populo proponite locos perpetuæ Christianæ meditationis, de morte, de iudicio, de inferno, de gloria, & de præmio Paradisi.

Monete præterea sedulo, ac frequentissime patres, matresque familias, vt liberos, salmiliamque suam ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam religiose instituant.

Ad hoc præterea patres familias inducite, vt de vitæ spiritualis ratione, & piis exercitationibus libros probatos domi suæ habeant, in quorum lectione versentur, seseque ac familiam instituant ad sancte agendum.

De patrum familias officio, familiæque institutione, editam in Concilio tertio Prouinciali constitutionem in parochiali conuentu legite, singulasque eius partes explicate.

Tum alia præterea docete, quæ opportuna existimaueritis, quibus illi se, suamque familiam in Christianæ vitæ institutis, atque exercitationibus conforment.

In officinis etiam, & tabernis disciplinæ, vitæque Christianæ rationẽ obseruate; si quid autem vel ab artificibus, vel ab institutoribus, operariisue committi animaduerteritis, quod dissolutæ disciplinæ sit, id officinarum, tabernarumue dominos grauiter monete, ostenditeque ea in re officii sui partes.

Estis pauperes, & socii laborum, curæq; Episcopalis, & in messe Episcopo commissa, operarii estis, elaborate vna cum eo, & contendite, vt populus, cuius cura geritur, tanquam purum triticum, auxiliante diuina misericordia congregetur in horrea cœlestia.

Depositum custodi, inquit B. Apostol. Paulus, id quod vobis singulis dictum esse putate, vt in grege, tanquam depositi fidei curæque vestræ commisso diligenter custodiendo, ab omnig; peccati labe conseruando cogitationem, sollicitudinem, curam studiumque omne collocetis.

Parochiæ igitur, vnicuique vestrum concreditæ viciniam, cum cæteris vitiis omnibus vos singuli sollicite custodite; tum curate etiam, ne odia, simultates, inimicitiæ, factiones, [illegible] temere iurandi, maledicendi, imprecandi praua consuetudines ac ne detractiones quidem in ea sint.

At vitia in primis, & peccata, ad quæ populum procliuiorem esse animaduerteritis, reprehendite, atq; exagitate.

Nec vero dissimulate peccata: sed annunciate populo scelera eius, publicè peccantes coram omnibus arguite, vt alii timorem habeant.

Idq; agite Spiritu fortitudinis Domini, & vt strenui eius milites, bonam militiam militare, nihil planè trepidantes.

Si ab increpatione, vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere formidatis, non iam Dei lucra, sed vestra quæritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumniis, non alicuius generis contumeliis illud, vel increpandi, vel palam arguendi officium deserite, modo Christi gloriæ, & animarum saluti seruiatis.

Rursus non aucupandæ hominum gratiæ studio id agere desistite; seruus Dei non essem, si hominibus placerem, inquit Apostolus.

Væ vobis tacentibus, aut dissimulantibus, si grex curæ vestræ commissus perierit: sanguinem eius de manibus vestris requiret iustus & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, ne in increpationibus verba vestra blandientia sint, sed, vt à Spiritu sancto scriptum est, stimuli sint, & quasi claui, in altum defixi.

Instate opportune, importune priuatis etiam admonitionibus, consiliis, correptionibus, obiurgationibus, vt peccantes, adiutrice diuina gratia, in viam salutis reuocetis.

In vsum etiam sancte ita reuocate fraternam correctionem, vt non modo mutua Christiana caritate vos ipsos corripiatis, sed reliquos item, præsertim parochiæ incolas id charitatis, & correctionis officium recte doceatis.

Ad sermonum vero, admonitionum, correctionumque partes explendas, locos vobis comparate, præcipue ex doctrina catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salutari vtilitate versari diligenter potestis.

Neque ad hoc multiplicis vestræ Ecclesiasticæ tractationis genus negligite adiumenta, quæ aliunde vtiliter capere potestis.

Cætera autem officia, quæ in Sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum vsum cohortatione, in ægrorum cura, in aliis parochialis muneris functionibus, vobis prouincialibus, Diœcesanisque Conciliis præscripta, præstate, atque exequimini accurate, ad earumque conciliarium constitutionum, decretorumve normam, omni obseruantiæ atq; obedientiæ studio vos plane conformate.

Quæ vero decretorum Prouincialium, vel Diœcesanorum partes ad laicos eorumque Christianam disciplinam attinent, quo sæpius euulgatæ, atque inculcatæ seruentur diligentius: illas, summatim vulgari sermone expressas, crebro, prout vsu venerit, populis vestris proponite, denuntiate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quæcunque denique vel ad vos, vel ad laicos, curæ vestræ commissos pertinent, ea decreta, quo maxime potestis studio, in omnem executionem, disciplinæque vsum introducite. Videteque inprimis, ac perpendite, quæ sint, & quam religiosæ muneris vestri partes: caueteque vt in officiis, & curæ vestræ functionibus non modo quicquam vos non committatis, sed ne omittatis quidem: cum in sacerdotali vita, pro muneris, quod sustinetis, ratione, tum grauiores, tum longe plures, quam in cæteris hominibus esse posint, omissionis culpæ.

CAPVT XLVI.

Monachorum varia instituta Reipublicæ vtilia esse, & eorum modus ac ratio.

Nunc inter Christianos & fratres mundus est.

§. 1. SI omnium Christianorum ea esset vita, quæ in vrbe sancta ab initio viguit, non opus esset ea, quam nunc videmus religionum varietate; tum enim sanctorum erat congregatio, nunc plurimi Christiani ita viuunt, vt de mundo sint, & mundani videantur; imo eo vitia profecerunt, vt etiam Ecclesiæ, & præbendæ seculares appellentur; de profanitate vocabulorum non queror, modo religio morum teneatur. omnes Christiani mundo, diabolo, & pompis eius renunciauimus, quod ad salutem est necessarium, multi arctioribus se legibus, castitatis, paupertatis, obedientiæ perpetuæ obstrinxerunt. Eorum aliquam vitam contemplatiuam, alii actiuam profitentur, plerique ex vtraque mistam; quia nec Maria sine Marta vitæ necessitatibus vti potest, nec Marta sine Maria ad pedes Domini sedere.

De ordinibus religiosorum varii tractatus.

Mihi nec laus religiosæ vitæ, nec defensio, nec ordinum diuersitates exponendæ sunt. Hæc enim integros tractatus postulant, & à multis egregie præstita sunt. sed tantum Respublica instruenda est, quomodo tot sanctorum exemplis recte vtatur.

§. 2. Inique faciunt, qui de religiosorum multitudine, ac varietate queruntur. Cum omnes pene temperate, plerique paupertime viuant. offendunt te sacra agmina Deo canentium, castorum, pauperũ, ieiunantium; quibus dignus non est mundus; & non offendunt tot agyrtarum, decoctorum, tabernariorum, ebriorum? de Xerophagia & ieiunio monachorum, non de Apicianis cœnis asotorum flagellari credis annonam? Apage eas diaboli technas, quæ Dei seruos reddunt odiosos. Tantum vini, cereuisiæque cum naturæ tormento, in ebrietate, ad corporis animæque perniciem insumitur anno vno in Europa, quantum omnium monachorum qui toto mundo sunt, sobrietati decennio sufficeret: Vide conuiuiorum frequentiam, intemperantiamque, inuenies me parum dixisse. Hoc est, quod non modo exinaniendo apotheças pauperiem facit, sed iram diuinam irritat, vt grandine, gelu, vredine, siccitate spem frugis in herba demetat. De hac re supra dixi, nunc de illis quæ generalia sunt, omnibusque in Republica considerandis tractemus.

Malis faciunt, qui de monachis queruntur.

Luxuries pauperiem facit.

§. 3. Ordines illi qui labore manuum victitant, vtiles sunt Reipublicæ, neque eos vel rude vulgus culpare potest; nam plures simul post psalmodias labori insistunt, inter pensa lectio sacra habetur, hymni spiritales canuntur, de piis rebus collocutio instituitur. Nulli isti graues sunt, de labore suo viuunt, vnde & aliis benefaciunt. olim ita magna pars eremitarum vixit, agit de his Augustinus l. *de opere monachorum.* Hoc esse sine intermissione orare docebat *Abbas Lucius in Vitis P. cum enim quidam fratres ad eum aduenissent, requisiuit eos senex, dicens. Quid soletis manibus vestris operari? At illi dixerunt: Nos nihil manibus nostris operamur, sed secundum quod dicit Apostolus, sine cessatione oramus. Quibus senex dixit: Non manducatis? At illi professi sunt. Etiam. dixitque eis: Quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? At illi conticuerunt. Et iterum requisiuit eos, dicens: Nunquid dormitis? cumque illi se dormire dixissent, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? & non inuenerunt, quid responderent ei? Tunc dixit eis. Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis, sicut dicitis. Ego aũt oro. Sedeo enim de mane vsq; ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funiculos, & interim oro dicens. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Cumque percompleuero opera manuum mearum & fecero aliqua vasa, aut paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo. Quando ergo comedo aut dormio, tunc illi pro peccatis meis sine cessatione implent orationem meam. Ita in vitis Patrum libr. 3. pag. 53. num. 212.*

Oratio sine cessatione.

Huiusœmodi ordines & Pontifex facile approbabit, & Respublicæ suscipient. Nam orationum & psalmodiæ tempus præscribet; nempe illud quod sæculares, conuiuiis, lusibus, ambulationique tribuunt; & magnam vtilitatem adferent; victus enim, vestitus, habitatio exiguos sumptus requiret, opera sua minore, quam alii precio diuendent, quia minore sumptu viuunt. Opera vero non vnius modi facienda; olim sportulas contexebant, quod vsitatissimum erat in Ægypti iuncetis, & carectis, cumq; paucissimis oleribus, & pane vescerentur, non multo labore sumptus tolerabant. Hortorum etiam cultura conueniens est, ideoque eiusmodi monasteria in villis suburbicariis mallem, quam in ciuitatibus, vt hortum excolerent, qui altera est succidia, & res tamen suas in vrbibus distrahere possent. Ad eos quoque pertinet scriptio, compactio, ornatusque librorum, addo & impressio. Nec minus pingendi, scribendi, texendi sacras imagines, & ornamenta templorum, quicquid demum opere tornatili, aut arcularij fieri consueuit.

Labores monachorum.

§. 4. Qui manuum operibus non viuunt; illi vel reditus suos in communi possident, atque ex ijs viuunt; vel ex eleemosynis sese sustentant. Prouentibus dotata sunt monasteria ordinis sancti Benedicti; aliorumque qui hospitalitatem exercent; illa quamuis inuidiam apud cupidos patiantur, pauperibus tamen grata sunt; nam plus eleemosynarum sæpe vnius monasterij prælatus, quam integræ ciuitates, largitur. Horum institutum est sanctissimum, quotidie plures horas diuinas laudes canendi, orandi, silentij, ieiunij, aliorumque cultuum disciplina seuera. Concionantur interdum, atque alia munia sacerdotum exequuntur, noctis præcipuam partem in precibus, sacroque cantu transigunt. Hos inutiles esse Reipublicæ, nemo vnquam suspicatus est; nam præter sacras occupationes, alijs quoque officijs operam impendunt, totus septentrio, per eum maxime ordinem Christianam fidem accepit. Abbatum plurimorum fidelissima, vtilissimaque opera sunt vsi imperatores; fecitque eorum religiosa virtus & modestia, & spectata prudentia, vt complures etiam

Monasteriis opulentis cõmendata est hospitalitas.

Imperii Romani de Benedictinis iudicium.

etiam ignobili loco in Romano Imperio principum ius dignitatemque sint assecuti, neque indignum suo statu arbitrantur, duces, & comites, religiosorum antistitum auctoritatem suæ parem esse. Norunt enim non ambitione, aut precio, in prudentium, fideliumque consiliariorum paucitate, & inopia, religiosos viros de lateribus monasteriorum ad Christianæ Reipublicæ, populique DEI salutem euocatos, vt cum auctoritate, & suffragandi potestate sententiam dicerent. Neque enim vlla ratio suadet, virorum fide, pietate, doctrina, prudentia, quique se rerum humanarum affectibus exuerunt opera consiliisque ad communem salutem non vti. Taceo tot insignes antistites hoc ex ordine processisse, vt idcirco institutus à DEO videri possit, ne Ecclesiæ gubernatio, Reipublicæ subsidium deesset. De his igitur taceo. Imperatores, Reges, Principes, ipsæque Respublicæ Christianæ eos, nullo generis, aut fauoris, sed solo virtutis, & publici boni respectu multis in locis principibus, ducibus, comitibus exæquarunt, immo comites, nobilesque in clientelam illis dederunt.

Ordinum mendicantium vtilitas.

§. 5. Venio ad pauperes religiosos, quorum ingens labor docendi, officia diuina celebrandi, vestium, habitationum, victus austeritas, ac penuria omnes ad misericordiam merito prouocat. P. Dominicani, & Franciscani olim Ecclesiam, & Rempublicam conseruarunt, & nunc quoque religioni, bonoque publico indefessam nauant operam. Si de vtilitate quæritur; vnus Dominicus, vnus Vincentius, tot animas conuertit, quot Moyses Ægypto eduxit. Qui eos ocij causa ordinem aiunt ingredi, calumniantur; nemo enim, id fieri, potest sibi persuadere; itaque calumnia est, & agnitæ veritatis oppugnatio; Tot diuites, & nobiles, deserto honorato, opulento, delicioso ocio ad illam humilem sui abiectionem, omnium rerum inopiam, victus, ciliciorum, flagellorumque asperitatem lætis animis properant, lætique sustinent crucem, aspicientes in remuneratorem DOMINVM IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis eorum, configuratum corpori claritatis suæ. Hos igitur Rex, Princeps, Episcopus, Respublica magno affectu fouebit. Neque enim futurum est, vt desint Doctores virtutum, & fidei, quam factis suis tam deuota DEO pectora profitentur. quin omnia sibi prospera spondere potest, cum pro regno suo tot orationes Sanctorum, tanquam odor aromatum ad thronum agni conscendant.

Ocii & deliciarum causa, nemo bonis se suis exuit.

§. 6. Institutum religiosorum ex natura sua non est Clericorum, quamuis qui in iis sunt Clerici, etiam priuilegio gaudeant Clericorum. ita 16. quæst. 1. can. 6. *Alia causa est monachorum, alia clericorum. Clerici pascunt oues, ego pascor: illi de altario viuunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare defero. Mihi ante presbyterum sedere non licet: Illi, si peccauero, licet me tradere satanæ in interitum carnis: vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu.*

Clerici pastores, monachi sunt oues.

Et can. 4. Monachus non docentis, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.

Altera pars est 16. quæst. 1. canon. 21. *Doctos, ac probos monachos presbyterii honore dedicatos baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, debita miseris laxare, & decimarum, primitiarum, oblationum viuorum & mortuorum portione iusta perfrui debere moderata dispensatione commendamus; vt iuxta Apostolum de altario, cui seruiunt, viuentes per obsequium Dominicæ plebis panem & vinum immaculata benedictione transforment in corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi.*

Monachi docti, & Clerici pascunt.

Et can. 23. *Moderamine Apostolicæ auctoritatis decernimus, vt monachi, si presbyterii honore dedicati sunt, cum ligandi soluendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiunt pro viuis, & pro defunctis, portionem iuxta canonem ad suam proximorumque vtilitatem merito perfectioris iustitiæ non minus, quam cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vendicent.*

§. 7. Quæ de visitandis frequenter monasteriis iniuncta est Episcopis cura, eo præcipue spectet, vt primæua ordinum institutio seruetur: neque facile permittent, absque necessitate minui rigorem, ne augeri quidem; nam si nimia est viuendi austeritas, multos alioqui idoneos excludit, multas exceptiones gignit, & priuilegia, dispensationesque, quas aliorum necessitas exigit, aliorum languor & tepor extorquet.

Nimia austeritas priuilegiorum mater.

§. 8. Cum religiosus status sit ordo humilitatis, & pœnitentiæ, neque tamen sine magistratu esse possit; optima illa censenda est, in qua superioribus sua manet integra potestas, & minima tamen causa est ambiendæ præfecturæ: quod tum futurum est, cum ita instituitur, vt officium sit potius, quam dignitas. Nam si illi qui præsunt, commodis corporis, honoribusque fruantur præ cæteris, continuo, vt est humana infirmitas, quæ in mundo fugitur, in religione quæritur præsidentia. Omnes itaque monasteriorum superiores ita mensam cæteraque instituant, vt forma sint & exemplar subiectorum. Nihil peculiare habeant, nisi quod officii necessitas exigit. Eo ita vtantur, vt cæteri videant, non amore deliciarum fieri, sed beneuolentia & hospitalitate; ideoque aliis pœnitentiis, & austeritate, quod caritati indulsit, sedulo compenset. Non enim potest verum esse desiderium abnegationis, mortificationis, humilitatis, si prælati, & seniores in eadem domo quietem & delitias sectantur. Certe recte constitutum est; non posse fieri Abbatem eum, qui monachus factus est, vt fieret Abbas. Nec fieri potest Abbas, qui monachus egit, vt fieret Abbas.

Optima religio, in qua præsidentia nihil habet, cur ambiatur.

Austeritatis assertor est Abbas, si eam ipse experitur.

§. 9. In monasteriis opulentis prima cura sit tollendi luxus, adsint necessaria laborantibus, sed regulæ seueritas obseruetur; non modo in subditis, sed multo magis in illis, qui exemplo esse debent. Opus autem in pauperes, in augendum operariorum numerum, in studia, fabricam, ornamenta templi insumantur.

Necessitati non desint, luxum pellant.

§. 10. In pauperum monasteriis Principes, Episcopi, Prælati, Ditiores, Clerici, ac ciues id agant, vt quam minimo opus sit discursu, & per ostia aliena mendicatione. Quanquam enim eam verecundiam subire ipsi religiosi soleant, humanius tamen est, atque omnino ad eorum quietem, atque in diuino seruitio progressum vtilior rarus egressus in publicum; religiosus extra monasterium est velut piscis extra aquam. Monachus sine cella caret vita, 16. quæst. 1. *placuit.* Neque minima causa fuit, cur feruor & pietas refrixerit patrum memoria in religiosis, quam in opulentis quidem monasteriis diuitiarum abusus, in pauperibus euagationes pro victu ad terminos, vt vocant. Cum enim magna multitudo excreuisset, sed à vetere zelo, ac pietatis ardore paululum recessisset, precibus, & interdum vrbanitate quærendæ fuerunt eleemosynæ, inde licentior egressus, & conuersatio, quodque hominem externa commoda sectantem sequitur, cellæ odium, ac tandem disciplinæ euersio.

Pauperibus religiosis decet domum mittere necessaria.

Monasteriorum dissolutio ob terminos.

Hinc etiam in contemptum facile veniunt, dum sæculares eos ventris causa proficisci arbitrantur; Addo nec omnes, vtpote domi pauperem vitam agentes, nosse ciuilitatis odiosas cæremonias; fessos, famelicos, sitibundos, moras in mensa trahere inas-

Insciivrbanitatis minoris sunt

suetos videri crebro potus aut cibi appetentiores; iniuria omnino: nam homines delicati ad mensam considerent, vt nauseantem stomachum artificio conditurae excitent, illi dum rugientem sedant ventrem, voraces iudicantur.

Discursus mendicantium largitas diuitum tollat.

Optandum igitur, vt sit ea liberalitas, vel in liberalitate benignitas diuitum, qua laboriosae, distrahentes animum, & disciplinam concutientes discursationes per pagos, & oppida tollantur, quae vt plurimum iuniorum sunt, & laicorum. Nam dum viri ex illis docti & graues ad consilia danda, iuuandos parochos, & parochianos accersuntur ad hanc victus sollicitudinem non pertinet. Nec infructuosa erit eorum opera, vt qui olim soli pene fidem sustentarunt.

In magnis vrbibus mendicantium collegia extruenda.

§. 11. Ea causa monasteria eorum vel in magnis vel prope magnas ciuitates collocanda sunt. Et si rem inspiciamus, apparebit praeterito saeculo monasteria magnarum vrbium disciplinam tenuisse, in oppidis valde laxatam fuisse. Nam longius erat petendus commeatus, pauci ali poterant, & inter paucos, crebro peregrinantes non potest diu rigor seruari, quo autem magis à primaeuo instituto receditur, eo diuina benedictio sese magis retrahit, crescitque & aggrauatur cura viuendi: efficiturque vt quos maxime domi collectos sedere expedit, eos dura necessitas exigat, & in pericula primo quidem acediae, & fastidij rerum sacrarum, deinde in grauia peccata impellat.

Impetus moderandus.

§. 12. Praecipua cura in recipiendis nouitiis adhiberi debet; In ordine rigido, ne cito admittantur, & subito feruore; nam vbi magis impetus, quam matura deliberatio mouet animum, propositi perseuerantia deficit. Violentissime procedunt quos impetus fert, vbi naturali gressu viam carpimus, lentius, sed certius metam attingimus. In monasteriis opulentis, in quibus vita commodior, promotio ad honorifica officia, libertasque sperari potest, magna inquisitione opus, ne forte candidatos non Dei dilectio, sed amor mundi faciat religiosos: ne desperatio faciat monachum. Illi enim inquieti sunt, & quia id quod sibi proposuerant non consequuntur, aut tarde, & mistum multa humiliatione assequuntur, facile cum offensione, & suo exitio institutum deserunt.

Dei causa ad religionem veniendum.

Neque quisquam plus obest, quam Superior, qui incrementum ex facili, & temeraria admissione quaerit. Narrat Antonius Senensis in Chronico P. Dominicanorum illa imprudentia ordinum dissolutionem habuisse initium, cum enim Anno 1348. & sequenti ingens pestilentiae lues mundum peruasisset, illa, quam Robertus Auinionensis Anno 30. ante praedixerat, monasteria pleraque exhausta sunt, nam dimidia pars hominum absumpta fuisse censetur; in religiosos vero malum acrius incubuit, quod morientibus adesse, instruere, ad exitum animare, sacramentis munire consuessent. Qui igitur tum supererant, cum pene vacua domicilia viderent, specioso magis consilio, quam prudenti, sine magno discrimine multos admiserunt, quos etiam licet licentius viuentes tolerandos putarunt, sperantes fore, vt cum aetate mores quoque maturescerent. Sed contrarium euenit; nam adulti iam, & plures, morientibus senioribus, cum vitia iuuenum retinuissent, auctoritatem senum assumpsissent, dissolutionem induxerunt, contra quae deinceps & viri zelosi in ipsis ordinibus, Pontifices, Reges, Episcopi pugnarunt, quae tamen expugnari penitus non potuerunt, donec stragem haeresis fecit, nunc vero omnes ordines feruentius & constantius, quam à trecentis annis factum sit, sese reformant, alii aliorum exemplo incitati. Itaque magna cautione admitti debent, nam facilius mali seducunt bonos, quam conuertuntur ipsi.

Pestilentia monasteria exhausit.

§. 13. In ordinibus religiosis non modo agendum est, vt vitia seuere corrigantur, scandala tollantur, sed animorum incitatus feruor, zelus animarum, amor tuendae disciplinae fouendus est. Vita religiosi si languida est, si in virtute non procedit, si inuitus & tristis exercitamenta suae professionis subit, si ad libertatem adspirat, ruinae proxima est. Si plures eiusmodi sint, aliorum alacritatem retardant, si etiam suis affectibus consentientem Superiorem elegerint, actum est, nisi eum continuo Episcopus deponat; quod potest, vt est in iure 18. quaest. 2. Si quis. Neque tantum criminosus est noxius, sed etiam negligens, vitiis indulgens; nam quemadmodum, vt secundo flumine nauis delabatur, non opus est labore; sed non remigare, non vela pandere in contrarium, satis est, ita quoque nisi quotidiana cura ad bona trahamur, sponte in mala delabimur, id quod quisque in seipso, Superior in omnibus elaborare debet.

Officium religiosi.

Denique omnes qui religiosam vitam ingrediuntur, se rebus humanis in vniuersum exuant, atque ita viuant, ne sint causa, vt vel minima regula instituti violetur, officium suum esse norint, quod Iordanus respondit, esse Dominicanorum: nempe Honeste viuere, discere, docere. Nam reuera non modo honeste viuendum est, sed insuper discendum, & cum est opportunitas, docendum; ita Antonius & Aphraates è solitudine in publicum prodierunt, & verbum DEI exposuerunt. Vide insigne Aphraatae responsum ad Valentem Imperatorem l. 8. Hist. Tripart. cap. 4. Diuus Basilius vitam monachorum lectione, & oratione perfici censuit ad Gregor. Εὐχαὶ πάλιν τὰς ἀναγνώσεις διαδεχόμεναι, νεωλέαν τὴν ψυχὴν, καὶ ἀκμαιοτέραν πρὸς Θεὸν πόθῳ κεκινημένην παραλαμβάνουσι. *Orationes iterum cum lectiones excipiunt, recentiorem, & vegetiorem, animam ad DEVM desiderio motam accipiunt.* Hanc ob causam videmus hodie in omnibus vniuersitatibus religiosos studiis operam nauantes, alios domi priuato magistro vtentes, cuius opera cum in philosophia, & Theologia aeque commode vti non possint, nam haec studia publicas exercitationes exigunt, fere, & quidem vtilissime ad Academias ablegantur. Concilium Viennense prudenter constituit, vt in omnibus monasteriis, in quibus eius rei gratia sufficientia bona sunt, ludi literarij magister, seu doctor habeatur: Scripturae etiam expositionem vrget Concilium Tridentinum, & Concilium Aquileiense Anno 1596. celebratum, §. de fide tuenda. *In monasteriis quoque Monachorum, etiam Carthusianorum, vbi commode fieri queat, item lectio sacrae Scripturae habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, vt Sedis Apostolicae delegati, eos ad id opportunis remediis compellant, quemadmodum Decreto Concilii prouide statuitur. In Conuentibus vero aliorum Regularium, in quibus studia commodè vigere possunt, sacrae Scripturae lectio similiter haberi ex Tridentini Concilii praescripto debet: Quae lectio à Capitulis generalibus, vel prouincialibus assignetur dignioribus ministris. In Gymnasiis etiam publicis, si hactenus sacrae Scripturae lectio instituta non fuit, ad Catholicae fidei conseruationem, propugnationem, & defensionem, quam primum instituti, & si instituta foret, & negligeretur, restitui ex Tridentini Concilii decreto omnino debet; ne si artium & scientiarum principia, & documenta studiose passim traduntur, vt nihil ad perfectam cognitionem desideretur, neglecta iaceant sacrae Scripturae studia, Euangelici Verbi pabulum, diuinorum eloquiorum maiestas, & promissorum coelestium amplitudo, quod est vnicum praesentis vitae subsidium, & futuri saeculi argumen-*

Studia religiosorum.

In monasteriis scripturae explicatio.

argumentum. Verum quæ de studiis Reipublicæ, Clericorumque alias dixi, ad religiosos præcipue pertinet, quos oportet, vel studuisse, vel studere, aut vt rectius dicam, & studuisse & studere.

Opprobriũ Monachorum studio tollendum.

Hoc præsertim tempore, quo communi sectariorum conuicio exagitantur, cum dicunt, *Monachonihil esse indoctius*, quod falsissimum esse plurimi, doctissimiq;, in monasteriis viri ostendunt; ne tamen sine occasione dicatur, nonnullorum facit ignauia, & à studiis aliena voluntas, qui magno subditorum malo, & ordinis dedecore, imo & Ecclesiæ Catholicæ contumelia, & eruditionem ipsi negligunt, & ne alii proficiant, sunt impedimento. Nec timenda est inflans scientia doctorum, cum nemo magis religiosæ obedientiæ, & disciplinæ rationem perpendat, quam is qui solide doctus est. Concludam hæc elogio S. Chrysostom. in cap. 5. Epistol. 1. ad Timoth. homil. 14. in qua officium, omnesque actiones Monachorum vir sanctus calamo erudito describit. *Quasi enim de terra in Cœlum, ita ad sancti cuiuslibet viri monasterium de propriis domibus itur. Non ibi conspicis ea quæ domi, mundus est locus ille, alta ibi quies, atque silentium est. Meum & tuum inde prorsus eliminatum est. Illic vel si diem vnum, aut duos manseris, tunc vero voluptatis maiore sensu perfunderis. Lucescit, imo ante lucem gallus emittit vocem, non vbi velut in secularium domibus stertit familia, clausæ sunt ianuæ, omnes alto sopore prostrati, mortuis similes sunt, nullo tintinnabula quatit, nihil illic eiusmodi est: verum omnes cum reuerentia, discusso sopore consurgunt, à præsule excitati suo, adstantque sacro instituto choro, protinusque expansis manibus sanctos concinunt hymnos. Neque enim illi vt nos, vt excutiant somnum, horis plurimis indigent. Nos quippe simul atque surreximus diutius occupamur, imus ad requisita naturæ: deinde manus lauamus & faciem, postea calceamenta sumimus, ac vestes, multumque in his temporis terimus: ibi nihil huiusmodi videas. Nullus illic famulum vocat, quisq; enim sufficit sibi, non eget vestibus plurimis, nihil opus habet excutere somnum: simul enim atque oculos aperit diutius vigilasse videtur: quod illi sobrietatis ratione contingit. Nisi enim cor prægraue cibis infra mergatur leui salubrique somno expergiscitur facile: moxque precum repetit vices, manus puræ tenduntur, quia somnus præcesserit honestus atque moderatus. Nemo stertentes audit hic, aut hiantes somno, nullus iactari quempiam per soporem videt, neque nudari, sed dormiunt honestius vigilantibus compositi. Hoc autem totum ex animi disciplina & honestate proficiscitur. Isti profecto sunt sancti atque inter homines Angeli. Summus namque DEI timor non finit hos profundo sopore demergi, animumque à suo vigore laxari, sed ferme in superficie est, ipsosque reficit solum. Huiusmodi illorum quoque sunt somnia, non phantasias aut portentosas imagines referunt:* sed, *vt dixi, galli cantu continuo (præpositus) assistit pulsatque modice pede iacentem, sicque omnes vna protinus excitat, neque vero nudos ibi dormire fas est. Inde vbi surrexêre diuinis laudibus instant, hymnosque propheticos canunt magno suauique concentu & canticis numerosis. Non fistula, non cithara, non vllum aliud instrumentum musicum tam dulces efficit modos, quam sancti illi summa in solitudine, & quiete psallentes. Ipsa quoque illorum cantica conuenientissima sunt, & amorem DEI diuinarumque rerum studium spirant. In noctibus, inquit, extollite manus vestras ad DEVM. Et rursus: De nocte mane vigilat spiritus meus ad te, DEVS, quia lux præcepta tua sunt in terra. Cantica item Dauidica fontes mouentia lacrymarum. Cum enim psallit dicens: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum: Quia cinerem tanquam panem manducabam. Item: Quid est homo quod memor es eius? & homo vanitati similis factus est. & illud: Dies nostri sicut vmbra transeunt. &: Ne timueris cum diues factus fuerit homo & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*

Vere doctus, etiam obediens est.

Monasteriũ virorum bonorum est cœlum.

Vigilantia Eremitarum.

Canticare-lligiosorum.

Et iterum: Qui habitare facit vnius moris in domo. & Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Ac rursus: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. &: DEVS libera animam meam de manu inferi. &: Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es. Itemque: Non timebo à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Et: Aestimati sumus vt oues occisionis. Quando cum Angelis canunt, nam & Angeli tunc etiam psallunt. Laudate Dominum de Cœlis: nobis oscitantibus, prurientibus, atque stertentibus, siue etiam supinis iacentibus, & fraudes innumeras cogitantibus: quale est illos noctis totius spatium in Dei laude consumere. Vbi vero lux diei iam vicina est, paulant illi pusillum, & cum opera nos aggredimur illi quietis sibi vendicant tempus. Iam vero vbi illuxit, quisque nostrum alium vocat, sermonemque de impendiis texit. Inde irrumpit in forum, magistratui adstat, tremit, ac supplicia metuit. Alius in scenam abit, alius ad opus suum proficiscitur: illi contra matutinis precibus hymnisque peractis ad sanctarum scripturarum studia se conuertunt. Sunt & qui libros scribere dicerunt. Vnusquisque vero præstitum habens domicilium silentio perpetuo studet, sicque nemine texente nugas, aut aliud aliquid loquente, tertiam, sextam, nonam, vespertinamque consummant synaxin: quippe quatuor in partes diẽ scindentes impletis partibus singulis psalmodiis atque laudibus honorant Deum: cæterisque his prandentibus, ridentibus, ludentibus ciboque distentis immodico, hi laudibus vacant. Minima his instituendæ mensæ cura & omnium quæ sensui subiacent: post cœnam rursus diuinis inseruiunt laudibus, sicque sobrie somnum capiunt. At seculares quidem & die dormiunt: hi noctu quoque peruigiles durant vt reuera lucis filii. Et illi, vbi somno plus indulsere, grauati prodeunt: Contra, hi semper sobrii sunt sine cibo persistentes & hymnis intendentes. Ad vesperam rursus inclinante die illi ad lauacra & requiem properant: hi vero à se ipsis laborem spiritualis exercitii laxantes cibum sumunt non famulorum excitantes gregem, non domum discurrentes, turbasque & tumultus commouentes, neque pretiosas dapes & coquorum arte laboratas apponentes: sed alii panem tantum & sal, alii & oleum sumunt, plerique infirmiores olera atq; legumina in cibum accipiunt. Inde vbi paululum sederint, tempus omne hymnis concludentes singuli thoris requiescunt ad quietem solum, non ad delicias factis. Nullus ibi principum terror, nulla arrogantia dominorum, non seruorum timor, non turba mulierum, non paruulorum inquietus clamor, non scriniorum multitudo, non vestis superflua, non aurum, non argentum, nullæ custodiæ, non fiscus, non aliud huiusmodi quicquam: sed omnia orationibus feruent, hymnis omnia resonant, omnia spirituali fragrantia redolent. Nihil ibi carnale est, non latronum illic timetur incursus: neque enim habent quod eis possit auferri, pecuniis carent, corpus tantum & animam possident. Ea qui tulerint non modo læserunt nihil, verum & plurimum profuerunt. mihi enim, inquit, viuere Christus est, & mori lucrum. Absoluerunt nexibus corporis: profecto enim Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Non illic auditur vlulatus & gemitus, vacant his omnibus tecta illa felicia, his tristitiis, his clamoribus libera. Moriuntur quidem & in ipsis, neque enim corpore sunt immortales: cæterum mortem illi nec ducunt, nec existimant mortem, cum hymnis prosequuntur abeuntes, eamque rem non elationem funeris, sed pompam & præmissionem vocant. Denique vbi quisquam nunciatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingensque voluptas omnium. Imo ne mortuum quidem aliquis appellare præsumit, sed consummatum. Inde gratiarum actio sequitur, & gloria ingens, & latitia singulis orantibus se hoc fine donari, sic exire certamine & à laboribus sudoribusque quiescere Christumque videre punctum. Quod si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lacrymæ, sed perpetuæ funduntur preces: non ibi medicorum operatur manus, sed fides spe sola sanauit infirmum. Nempe & si opus fuerit medicis, magna & hic ostenditur philosophia, ingens, & ostenditur tolerantia. Non

Scripturarum studia.

Victus eremitarum.

Aegrorum cura.

adſt. at ſolutis crinibus vxor, non parui pupillaris incommodi, quæ nec dum contigêre, mala deflentes, non familia expirantem importunis precibus pulſans, vt ſe cuiquam tuto commendet: ſed his impedimentis omnibus exutus animus, vnum inſpicit ſolum, quo pacto maiore cum gratia extremum Deo ſpiritum fundat. Sed & ſi contigerit morbus, non ex gulæ prodiit vitio, non ex vinolentia, ſed ipſæ quoque morborum occaſiones plenæ ſunt laudibus, non criminibus vllis obnoxiæ. Autenim ex vigiliis iugibus, aut ex continuato ieiunio aut ex aliquibus huiuſmodi infirmitas naſcitur: quocirca etiam facile liberantur. Satis enim illis eſt ad euadenda languoris incommoda, ſi vel modice de priſtino rigore relaxent.

CAPVT XLVII.

Sacrarum virginum cœtus, leges, gubernatio.

Honorata, ſed rara gentium virginitas.

§. 1. VIrginum ſemper magna fuit in Republica maieſtas, atque inter Ethnicos quoque locus honoratus. Nam & Romę Veſtalium erat pene ſenatoria dignitas, & apud Græcos quoque in precio virginitas fuit, rara tamen, ideoq; cara dignitas. Sed flores illi, quos vix ſingulos integra regna Gentilium conſpexere, totos Eccleſiæ campos, præſertim de ſanguine Dominico recens irrigua noualia occuparunt; poſtquam enim Paulus quaſi ſementem faciens, hæc verba ſparſit, 1. Corinthior. 7. *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant. Melius eſt enim nubere, quam vri. Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.*

In Eccleſia multæ virgines.

Quid effecerit, Corinthus impudicitię famoſa cultrix oſtendit; nam mox virgines velare cœperunt, & Tert. de Virg. vel. cap. 2. Et *Corinthii*, inquit, *hodie virgines ſuas velant.* Eodem tempore collegium virginum erat Philippis, quod Ignatius ſalutat. Igna. epiſt. 8. Et epiſt. 10. ad Smyrnenſes: *Saluto & eas, quæ in perpetua degunt virginitate, & viduas*, Et Epiſt. 12. monet Heronem, *vt virgines ſeruet, tanquam precioſa Chriſti monilia.* De his Clemens, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus. Iuſtinus martyr de his magnifice apud Antoninum gloriatur. *Permulti profecto ſexus vtriuſque & ſexaginta, & ſeptuaginta nati annos, qui à pueris diſciplinam Chriſti ſunt teſtati, incorrupti & cœlibes perdurant; & glorior me per omne genus hominum noſtrorum tales monſtrare poſſe.* Sanctus Cyprianus de habitu Virginum, teſtatur earum ingentem fuiſſe numerum, in Eccleſia ſub perſecutorum gladiis viuente. *Iam refertus eſt orbis, impletus eſt mundus eorum, qui capere continentiam poſſunt, more ſpadonum viuentes, caſtrati ad regnum Dei.* Cecinit & Virginitatis præconia Naumachius poeta.

Gloria Eccleſiæ virginum multitudo.

Καλὸν μέν δέμας ἀγνὸν ἐχειν, ἁδμῆτά τε μίμνειν
Παρθενικὴν, καθαροῖσί τ' ἀεὶ μελεδήμασι χάρειν
Μήτε βαρυτλήτων λαγόνων ὠδὶν φόρτον ἄγουσαν
Μήτε πόνον τρομέουσαν ἀχάζονον εἰλειθυίης.
Ἀλλ' ἴδ-αι βασίλειαν ἀφαυρῶν θηλυτεράων
Ψυχῆς ὄμμα φαεινὸν ὑπὲρ βιότοιο χέουσαν,
Ἐνθανάμοι κεδνοι καὶ ἀληθέες, ἔνθα μιγεῖσα
Δεσποσίοις ἐπέεσσι νοήματα φαθα τίκτει.

Præclarum ſane eſt caſtum habere corpus, & manere inuiolatam, virgineam, puris vero ſemper hymnis gaudere, nec graue circa renes onus ferentem. Neque Lucinæ laborem gemitumque tremere; Verum ſedere reginam imbecillium mulierum, animæ lucidum oculum in vita fundentem. Ibi ſplendidæ nuptiæ, & veræ, ibi mixta diuinis eloquiis, lucidas intelligentias generat.

Sed virtutem laudare, facile eſt, eam inſerere, ſepire, augere, defendere, difficile, præſertim virtutem mulierum, quæ fragiles ſunt, & mutabiles, virtutem præcipue caſtitatis, quæ internum habet inimicum, & fortem, blanditiis pollentem; de virginum itaque monaſteriis, vitaque agendum.

Libera monaſteria virginum.

§. 2. Quædam monaſteria virginum ſunt, quæ caſtitatem vouerunt, alia vero libera ſunt, quæ neſcio, an extra Germaniam inueniri poſſint, in liberis tamen Abbatiſſa eſt aſtricta votis. Non ignoro illos virginum cœtus à multis improbari, ſed mores aliquarum illi non inſtitutum reprehendunt. Nam mihi vtile plane videtur locum eſſe, in quo honeſte, tutoque virgines educentur ad pietatem, laboreſque ſexui neceſſarios, & conuenientes, quæ deinde cognitis vitæ religioſæ exercitiis, vel eam amplectantur, vel nuptui tradantur. Vt ſit quaſi ſeminarium virginum & matronarum; modo adſint ea, quæ vitæ communis honeſtas requirit, vitentur corruptelæ, & quidquid bonæ famæ obſtare poteſt.

Mediocris labor virginibus conuenit.

§. 3. De monaſteriis vero virginum profeſſarum, ſeu voto obligatarum nos agemus. Ea vero duplicia ſunt, quædam enim virgines manuum ſolo labore viuunt; quædam reditus ſuos habent. Omnium maxime illa probo, quorum mediocris eſt prouentus annuus, vt temporis pro ſacris precibus, & lectionibus ſit ſatis, & pars ſuſtentationis ex prouentu, labore vero manuum cætera acquirantur.

Labores varii eſſe poſſunt, omnia quæ ad rem veſtiariam, qua vtuntur, pertinent, deinde texere, acu pingere, nere, hortum colere. Cum enim ſtudia, multiplicesque lectiones mulieribus haudquaquam conueniant, nec perpetua oratio, aut pſalmodia vſurpari queat, interpolanda ſunt illa non ocio, ſed labore, qui talis ſit, vt ſpiritum excitet, corpus ſalubriter exerceat, non opprimat, qua de re Epiſcopus dum viſitat ſollicite inquirat. Verum quicquid de integritate, diſciplina, conſeruatione monaſteriorum, in quibus virgines degunt, ſtatui poteſt, id agente ſanctiſſimo, & prudentiſſimo Archiepiſcopo Mediolanenſi, Carolo Borromæo, per Concilium primum, & Concilium quartum Mediolanenſ. conſtitutum eſt. Quæ capita inde ſumere placuit, tum vt apud Epiſcopos, Prælatos, ipſoſque virginum cœtus, tanti præſulis, & ſynodorum auctoritatem habeant, tum vero vt aduerſarii videant, quæ vita ſit ſacrarum virginum, & quæ cura ſalutis, deſinantque vitam ſanctiſſimam, quam imitari nolunt, infamare. Hoc ſimul affirmo, in his conſtitutionibus, Apoſtolicæ doctrinæ, ſacrorum canonum, eorumque, quæ de de cura virginum patres tradiderunt, compendium contineri.

Carolus Borromeus ſancte de virginibus ſtatuit.

In prima igitur ſynodo hæc ſtatuuntur, *vt in monaſteriis regularium mulierum, quæ in religionem DEO ſe dicârunt, & integra conſeruetur vetus diſciplina, & ſi fortaſſe vſquam depraua ta eſt, reſtituatur; ad eamque ſeſe ipſæ conformantes, in rerum diuinarum contemplatione liberius conquieſcant: nos has pie rectèque viuendi formulas, partim Concilii Tridentini decretis traditas, partim propter ratione horum temporum ad prouinciæ noſtræ vtilitatem conſtitutas, ab omnibus in hac prouincia monialibus, etiam quæ Regularium curæ commiſſæ, vel alia quauis ratione Epiſcoporum iuriſdictioni ſubiectæ non ſunt, ex facultate à ſummo Pontifice Pio IV. nobis data, ſeruari omnino iubemus.*

De Mo-

De Monialium Numero.

Inter paucos difficilius seruatur.

EX Tridentini Concilii iusso, vnicuiq; monasterio eum Superior monialium numerum constituat, qui pro modo, & facultate loci, & consuetis eleemosynis sustentari commodè possit, idque intra annum facere studeat; neq; eum numerum, nisi facta monasterio, annua, quæ satis sit, fructuum accessione, augeri vllo modo liceat. Monasteria in quibus duodecim non sunt quæ professæ velo vtantur, quæque eum numerum propriis fructibus, aut consuetis eleemosynis alere non possunt, transferre, & cum aliis monasteriis eiusdem, aut alterius ordinis vnire studeat Episcopus diligenter; vocatis ad id Superioribus regularibus, si modo res agatur eius monasterii, cuius cura ad illos pertineat.

Si vero eiusmodi vnio minime expedire videatur, eum numerum monialium tempore interire, & ad nihilum redigi sinat, adempta omnino illis monialibus facultate recipiendi nouitias.

Earum autem monialium monasteria, & monasteriorum fructus iam nunc aliis monasteriis, aut locis, quibus ex legibus eius ordinis deberi videbuntur, attribuantur.

De Præfectis Et Aliis Ministris monialium.

Continuati magistratus mulierem animum inflant.

EPiscopi ad duos menses, postea quam hæ constitutiones in lucem editæ erunt, Abbatissas ad quascunq; præfectas, quæ suum præfecturæ officium perpetuum esse profitentur, edicto etiam, si ita iudicarint, moneant, proposita priuationis pœna, quam ipso facto subeant, vt illa iura sibi à sede Apostolica concessa, ad alterum mensem ipsis, aut earum vicariis, ac simul illarum Superioribus, si Regularium curæ commissæ sunt, exhibeant; vt an recte se habeant, cognosci, & de iis, si opus erit, ad summum Pontificem referri possit. Quod si eo præscripto tempore non exhibuerint; eo dignitatis gradu illas priuatas Episcopus declaret; deq; earum Superior, vt aliæ in earum locum rite sufficiantur.

Ambitio tollenda.

Nulla monialis ambiat, aut vllo quouis modo, siue directe, siue indirecte per se, aut per aliam, honores officiave aut cuiusuis generis sui monasterii quærat, hac constituta pœna, vt & ipsa, & quæ sibi in ea re fauerint, in Capitulo per tres sextas ferias ad pedes singularum monialiu terram deosculantes, suam accusent ambitionem, ipsaq; præterea si id officium consequuta erit, eo, cæteriq; muneribus priuetur, Superioris arbitratu.

Singulæ, propria voluntate depositæ, & ad obtemperandum paratæ, ibiq; Dei gloriam, & communem monasterii vtilitatem tantummodo proponentes, ad honores & officia eas eligẽt, quas omni remoto humanitatis affectu, Spiritus sancti impulsu, ad id munus magis idoneas esse iudicauerint.

Præfecta, quocunq; nomine appelletur, ex Trident. Concil. decreto ne minor quadraginta annis eligatur; quæve in vitæ honestate vixerit octo annis, postquam professa est. Quod, si in eodem monasterio non eiusmodi reperiatur, ex alio eiusdem ordinis deligi possit. Sin autem Superiori, qui electioni præest, hoc etiam incommodum esse videatur, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur ex iis, quæ in eodem monasterio triginta annis maiores natu sint, quæve annis saltem quinq; post professionem rectè vixerit. In reliquis constitutiones singulorum ordinum monasteriorum seruentur.

Aliter.

Huiusmodi præfecta, & eius vicaria, Discretæ etiam, quæ alio nomine matres consilii vocãtur, vbi ea à Capitulo eligi consueuerunt, tacitis suffragiis coram Superiore, aut eius ministro eligãtur; qui extra monasterium ad cancellos, siue clatros stet, ex decreto Tridentini Concilii.

Nequaquam autem ad hæc officia deligi possint, nisi præfecta duas ex tribus partibus calculorum tulerit, vel suffragiis, vel successu. Vicaria vero, & Discretæ pluribus dimidia parte creantur suffragiis.

In quibus monasteriis plures germanæ sorores sunt, si earum vna monasterio præficitur, reliquæ sorores, neq; Vicariæ, neq; Discretæ, neq; ianitrices fieri: neq; scribæ, aut cellariæ officio fungi possunt.

Quartæ Synodi hæc decreta sunt.

Ianuæ monasterii.

Aliis decretis, quæ superioribus Conciliis de monialibus constituimus, hæc, quæ, infra præscripta sunt, adiungenda statuimus.

Monasterium ianuas, per quas ad illius septa aditus pateat, duas habeat, & alias præterea nullas. Quarum duarum ianuarum, vna iumentis, curribus, vehiculisq; agendis, altera aliis vsibus, & commodis necessariis inseruiat. Quo autem in monasterio vna tantum ad omnem tum actum, tum vsum satis esse videbitur, in eo illa dumtaxat vna sit.

Ianua vtraq; è duplici assere, eoq; firmo constet, ac fine vllæ item sit, ne minima quidem, rimula. Limen è marmore solidove lapide habeat, quod strictim ipsi portæ cohæresc at.

Ianuæ cuuum, iumentorumve, altera ex asseribus firmis, ad cancelli speciem confecta, in monasterio ipso adiungatur, quæ à prima ianua paululum distet, formaque sit in fabricæ Ecclesiasticæ institutionibus demonstrata.

Ad ianuam alteram, aliis vsibus accommodatam, cui rota, quem turnum vocant, adiungetur, moniales duæ semper asistant, quæ ianitrices constituentur.

Singulæ hæ tres ianuæ clauibus duabus, fabrili opere inter se diuersis, claudantur, quarum vnam, etiam die, monasterii præfecta, alteram monialis, quæ professione anterior est, apud se perpetuo habeat.

Rotæ omnes amoueantur, atque obstruantur, ac inposterum vetitæ perpetuo sint, præter illam, ianuæ communi adiunctam, & alteram in loco, quem parlatorii vocant, extructam, & tertiam, quæ est in cellula confessionum, & quartam in Ecclesia ad sacras vestes, & ornamenta Missæ sacro necessaria è monasterio exponenda accommodatam.

Cibus vero in omni monasterii hospitio, etiam confessarii, è rota communi exponatur.

Singulis rotis à parte anteriori monasterii vncus firmiter impactus sit, ne pro libito verti extrinsecus queant.

Si vero loca, vt dicunt, parlatoria complura erunt, in vno tantum, aut in altero ad summum, Superiorum iudicio rata sit.

Rotæ, quæ in Ecclesiam spectat, valuæ ligneæ binæ apponantur, alteræ interiores, quarum clauis à præfecta teneatur, alteræ exteriores, quarum clauis apud capellanum sit, aliumve, qui superiori videbitur.

Rotarum altitudo ne maior sit cubito, & vnciis octo; latitudo autem cubitalis.

Rota confessionum minor ab omni parte sit dimidia præscripta quantitate.

Nulla fenestra, præter illas, primo Concilio Prouinciali nominatim præscriptas, è monasterio in Ecclesiam, sacristiamve exteriorem spectet, ac ne rima quidem, ne dum foramen vllum in ea extet, vnde aspectus, aut collocutio fieri possit.

Fenestra, qua sanctissimæ Eucharistiæ eleuatio prospicitur, altius ne pateat cubitis duobus, & vnciis duodecim, late vero, vt altaris latitudo est.

Quæ fenestra clathra ferrea duo palmi spatio inter se distantia, firmiter confingantur.

Virgæ autem ferreæ, quibus clathra compacta sunt, singulæ inter se distent non amplius vnciis tribus.

Sint autem inter se insertæ, ita vt loco suo demoueri non queant.

Claudantur autem fenestræ ab interiori parte firmis valuis serà & claui quæ apud præfectam asseruetur.

Vbi autem illa è latere altaris, ecclesiæve, aut alio loco, etiam superiori est, vnde moniales eos, qui in Ecclesia exteriore sunt, spectare possunt, efficiat Episcopus quam primum, vt super altare, vnde Missæ sacrificium moniales intuentur, ad institutionem præscriptum extruatur, laterali illa, aliaue, quacunque sit, penitus obstructa.

Fenestella, ad Ecclesiam versus spectans, per quam moniales sacram Eucharistiam sumunt, ita alte, apteq; struatur, vt sacerdos illam ministrando cõmodè stet, non genua flectat. Cui fenestellæ extrinsecus valuula ligneæ præter illas, quæ modo

sunt,

sunt, apponantur, quæ parietem æquent, earumque clauis, apud confessarium sit perpetuo.

Sanctißimum sacramentum ne alibi quam in altari maiori asseruetur, cui lampas in Ecclesia interiori, semper præluceat, & in exteriori, cum illius fores patebunt.

Reliquiæ sacræ in fenestella recondantur, quæ ad institutionum nostrarum præscriptum, in pariete ecclesiæ interioris exædificata, ab ea tantum parte, quæ ad exteriorem Ecclesiam spectat, aperiri possit. Claudatur autem hæc fenestella tribus clauibus, diuerso opere confectis, quarum vna apud Episcopum, altera apud confessarium, tertia apud monasterij præfectam sit.

Fenestella confessionum alte vncias sexdecim, late duodecim, nec vero amplius pateat; septa autem sit firmis clatris ferreis ad formæ præscriptæ rationem, & lamina item ferrea bene solida pariete firmißime agglutinata, & foraminum, instar ciceris tenuium pleno, panno lineo nigro obducta: qui pannus ligneis tabellis sic affigatur, vt non facile amoueatur.

Loca collocutionum interna, parlatoria vulgo vocata, quæ in posterum fient, vna, eademque spacij circumscriptione, nullo interiecto pariete contineantur, & ad formæ, qua iam pleraque exædificata sunt, modum accommodentur, vbi id non magno incommodo fieri poterit, vt ab eisdem auscultatricibus omnes possint collocutiones exaudiri.

Ne fenestra lamina ferreæ, vt primo Concilio prouinciali cautum est, vnquam aperiatur, nisi perraro, & ob causam, quam vrgentem Episcopus iudicarit.

Ne in locis ad hospitij vsum extructis, quæ foresteriæ nominantur, vbi interdum ob vrgentem necessitatem, aut cibus capitur, aut dormitur, fenestræ vllæ, ne exiguæ quidem, insint, quæ in monasterium spectent.

Tecta hospitij, & aliarum cuiusuis generis domorum à monasterij tectis, vt separata penitus, ac valde disiuncta sint, curetur omnino.

Quibus monasteriis de vicinorum præsertim religiosorum prospectu tollendo ita caueri non potest, sicut Concilio prouinciali primo iussum est; eorum fenestræ, si lumen excipi aliunde licet, obstruantur; sin minus, ab illa seruitute defendatur operis structura, in institutionibus nostris demonstrata, quæ in porticibus item, quas logias dicunt, ab eadem seruitute tuendis, adhibeatur.

Horti, qui in monasteriis monialium ample nimis patent, quotidianaque hominum opera, atque cultura opus habent, vbi fieri potest, in angustiores fines concludantur.

Ne fenestra, in vllo cuiusuis ordinis monialium monasterio etiam regularium iuri, curæue subiecto, neue ostium vllum, aliudue id generis foramen, vnde aliquis extra monasterij claustra prospectus sit, patefiat, aperiaturue sine Episcopi, cui monasteriorum omnium clausura commendata est, concessu. Nec vero id ille permittat, concedatue, nisi vbi locum diligenter inspexerit, & ita fieri necessarium censuerit. Tuncque ad impediendum, arcendumue eum prospectum illa ipsa cautio, supra mox præscripta, adhibeatur.

Ministris, quibus ob necessariam causam monialium septa ingrediendi facultas aliquando datur, illæ solum moniales, quas præfecta delegerit, imperent; aliæ vero præterea nullæ quicquam illis vel iubeant, vel alloquantur.

Moniales cum eo in loco, vbi ab aliis, qui foris sunt, etiam à concionatore, aut à superiore videri possunt, sermoni, concioniue intersunt, omnes sint facie operta, & contecta velo, vsque ad os deducto.

Idem præstent, quæ cuiuis, etiam medico, aut superiori monasterij septa ingredienti, obuiam prodeunt, vel illum excipiunt, deducuntue.

Probentur ab Episcopo medici aliquot, quos concessu etiam monasterii superiorum, intra illius septa adhiberi liceat, si quando præter medicum ordinarium alios etiam morbi grauitas requirit.

In vnoquoque monasterio Episcopi, furnorum, in quibus panis coquatur, vsum introducant, vt pistoribus eorumq; ministris ingressus in monasterium prohibeatur omnino.

Nec vero vir quisquam ad furnum purgandum, inflammandumue, aut ad aliud quicquam faciendum, quod à monialibus fieri, agiue potest, introducatur.

Quod in Concilio prouinciali primo, de facultate scripta ad monialium monasteria accedendi sancitum est; id tum mares, tum fœminas, quocunque etiam gradu, dignitate, genereue illustres, inuiolate seruare decernimus, etiamsi pater, mater, fratres, sorores sint monialis, quam visitatum veniunt. Idque omnino vbique præstari curat Episcopi sit.

Causæ necessariæ, ob quas intra septa monasterij ingredi licet, in hac prouinciali synodo, ex primi Concilii decreto, vel explicatæ, vel tanquam nullo modo necessariæ reiectæ, in extrema huius Concilii parte editæ, atque impressæ in singulis monialium monasteriis, etiam regularium curæ subiectis, edicantur, & enuntientur; nec vero ab iis vllo modo, vllaue ratione, ac prætextu discedi liceat.

Fructuum, florumue vasa in monasterium ne vllo modo teneantur, eos vel fructus, vel flores vendendi causa.

Offulas, & alia huius generis non modo donandi, vt primo Concilio vetitum est, sed etiam vendendi causa, à monialibus, aut monasterio confici ne liceat.

Abstineat monialis à muneribus dandis.

Eleemosynam vero per rotam, portamue monasterii dari vetitum sit omnino, quoniam inde non leuia pericula, vel damna potius extare compertißimum est: sed quibus monasteriis pro ratione facultatum eleemosynam dare permissum erit ab Episcopo alioue superiore, ab illis detur pecunia, frumentumue, aut aliud eiusmodi piis aliquibus viris, præsertim vero locorum piorum curatoribus, qui pauperibus distribuant alio loco, quam apud monasteria.

Medicamenta, si quæ Episcopus, aut alius superior vendi, aut foras dari permiserit, ab aromataria seniori solum dentur, & ab alia præterea nulla; nec vero priuato, sed monasterii nomine, vendantur, denturue.

Moniali ne liceat iis, qui extra claustra sunt, vel medicamenta parare, præbereue, vel manum medendi causa admouere, vel remedia exponere, vel aliud quicquam ad rem medicam pertinens exercere.

Caminus si quis in priuatis cellis extructus est, perpetuo ita obstruatur, vt in eo ignis accendi nullo modo queat.

Cum vel fenestra, vel ostium, vel caminus obstruitur, illius cardines sic euellantur, vt non ad tempus, sed ad perpetuitatem id actum sit.

Idem in fenestris, ostiis & caminis iam obstructis, seruetur.

Communis ille curationis ægrotantium locus, quem infirmariam vocant, vbi adhuc exædificatus extructusue non est, quam citißime potest, constituatur, extruatur, ædificeturue. Extra cuius loci fines monialis ægrotans ne cubet; at valetudine recuperatæ illic ne diutius moretur deliciarū causa.

Antiquus, & probatus communium dormitionis locorum vsus, vbi fieri commode potest, restituatur, & ad pristinam consuetudinem reuocetur.

Intra monasterii septa nemini alii, nisi monialibus sepulturæ locus detur, situe.

Nec vero monialium cadauera extra septa efferantur ad sepeliendum.

Neminem cuiusuis status, vel conditionis hominem, neque laicum, neque Ecclesiasticum in vllo quouis monasterio monialium hospitiis illis, quæ foresterias dicant, excipi, aut ad ea siue in vrbe, siue in diœcesi diuersari liceat, excepto confessario sacerdote, cui aliquando ob vrgentem necessitatem id conceditur.

In diœcesi vero, monasterii etiam visitatori, & curatoribus, procuratoribusue, vbi interdum hoc ipsum concedendum necessario, Episcopus censuerit.

Quod de cantu figurato, & musico quouis instrumento, & musicis item die festo Ecclesiæ monialium, in exteriori Ecclesia non adhibendis, Concilio prouinciali primo sancitum per nos est; id etiam omni alio die, & tempore illis vetitum esse decernimus.

Nec vero quicquam aliud præter Missam in exteriori illarum Eccle-

rum ecclesia ab aliis canatur; cum vesperarum, & reliquarum canonicarum horarum officia ab ipsis monialibus cani possint.

In vnoquoque monasterio, vbi neque locus communis vestium, neque alter est item, in quo operibus elaborandis moniales exercentur, vterque, quamprimum fieri potest, constituatur, construaturue.

Ne monialis, ianitricibus exceptis, alibi, quam loco operibus elaborandis constituto, acu pingat, aliudue quicquam manibus elaboret.

Laborum, operumue magistra librum certum habeat, in quo quicquid ex iis laboribus lucri, emolumentiue capitur, enucleate ita præscribat, vt cerni facile queat, si quid in ea re desideretur.

In operibus vel accipiendis, vel restituendis nulla alia monialis se ingerat, nisi laborum magistra: cui secum aliquando, cum necesse erit, aliquam monialem, operis alicuius conficiendi vsu peritiorem, adhibere liceat.

Illud porro, quo ad eius fieri potest, cauendum erit, vt in monasterio ne sint multiplicia, diuersaque genera opera manuum, seu laboraria.

Hoc loco laborum communi, non solum ad Concilij primi præscriptum, lectio de vita spirituali adhibeatur, verum etiam ab omni otioso verbo abstineatur.

In loco vestiario indumenta cuiusuis generis, vestesque omnes asseruentur. Nec in cellulis, alioue loco priuatim, reponatur quicquam, custodiaturue quod eo ipso tempore necessarium non sit.

Monialis nummos, ne modicos quidem, apud se quouis nomine ne habeat, neque de præfectæ etiam consensu, nisi officij, quod gerit, ratio aliter postulat.

Alioquin vt proprietatis rea puniatur. Quam pœnam, & præfecta, quæ id vllo modo, vlloue prætextu permiserit, & monialis item subeat, quæ resciuerit, nec præfectæ biduj spatio, aut, si hæc in culpa sit, superiori quam primum potuerit, non denuntiarit.

Curetur omnino, vt exquisita illa, ac religiosa communis vitæ ratio, atque vsus in monasterio studiose introducatur; vtque spiritualis vitæ sanctæque institutionis disciplinam, ac studia moniales sectentur diligenter.

Singulis annis, vt primo Concilio iussum est, impensarum, quæ in victum, aliumq; monasterii vsum erogatæ sunt, rationes per eos, quorum interest, à præfecta repetantur. Quantum vero, & tritici, & vini, & obsonii, & aliarum rerum ad anniuersarii victus sustentationem vnicuique monasterio satis esse Episcopus existimarit, id ipse accurate præscribat. In ea autem præscripta dispensatione, administrationeue, si præfecta negligentem se præstiterit ab officii sui munere suspendatur.

Aes alienum, quod quinquaginta nummorum aureorum summam excedat, ne in vllo monasterio contrahatur, sine suorum curatorum permissu, concessiue, qui in magni momenti rebus Episcopum consulant.

Ne secularibus negotiis moniales se implicent; vtque simul multis fraudibus ac detrimentis occurratur, hoc sedulo Episcopus curet, vt illorum prædia locentur, idque sub hasta auctione facta; nisi aliter quandoque expedire censuerit.

Ad tuendam etiam clausuram ea cautio adhibeatur, vt neque triticum, neque aliæ fruges, neque annona in vllis monasteriis, præterquam monasterii vsum, & necessitatem asseruetur.

Monasterii vniuscuiusque curatoribus, procuratoribus, patronis, defensoribus ab Episcopo certa regulæ præscribantur: ex quibus cognoscant singulas muneris sui partes. Ii vero curatores & id generis ministri ab Episcopo singulis monasteriis, curæ suæ subiectis, illos non habentibus, constituantur: ita tamen, vt eiusdem Episcopi arbitratu à muneris illius cura omnes, & singuli semper amoueri queant.

Bonorum, & iurium omnium, ad monasterium quodcunque, etiam regularibus subiectum, pertinentium, inuentarium, probabili forma conscriptum, sex mensium spatio, ad archiuium episcopale ab iis, quorum interest, deferatur, ne fraus vllo modo fiat, numero monialium ab Episcopo præfinito.

Quamobrem si quas etiam alienationes eorum bonorum, iuriumque fieri deinceps contigerit, de iis Episcopus certior fiat.

Cum puella monasterium ingredi postulabit, vt locum, vbi profiteri cogitet, illa inspiciat; primo studiose, diligenterque cognoscatur, an vere id illius propositum sit, anque illud curiositate tentet; nec propterea per monasteria plura vagari permittatur.

Puellæ cum ad cætera, tum ad professionem recipiantur monialium suffragiis occulte latis. Idque ipsum ex Concilij prouincialis primi decreto, quod auctoritate literarum Pij V. Pont. in monasteriis etiam eorundem regularium iuri subiectis, locum habet in monasteriis etiam regularium iuri, uræq; subiectis, plane seruetur.

Vbi religiosus iste, & vetus moniales solemniter vetandæ mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum vsum, ex veteri instituto, & ritu reuocetur, dummodo intra monasterium id fiat.

Ne moniali cuiusuis ordinis albas, & vestes, aliaue indumenta, missæ sacrificij vsui dicata, induere liceat.

Confessarii, & capellani, item sacerdotes monialium, & ministri præterea, quos illarum curæ Episcopus præfecerit, quicunque sint, ne munus vllum, ne minimum quidem, nec vero esculenta, poculentaue ab illis vllo nomine, neque publico, neq; priuato capiant, accipiantue, pœna proposita eiusdem Episcopi arbitratu irroganda.

Neque præterea quicquam capiant dono, ea specie, prætextuue datum, quod res eiusmodi sint, quæ Ecclesiastico vsui inseruiant, qualia sunt corporalia, purificatoria, indumenta clericalia, sacræ imagines, & alia id generis.

Nec vero item aliud manuum opere elaboratum, artificioseue confectum, ab illis accipiant, ac ne laborem quidem, opusue, quod in vestibus vel purgandis, vel sarciendis, vel reficiendis ponitur.

Caueant item capellani sacerdotes, ne ab vlla moniali priuatim, sed à monasterii præfecta, aut ab illa, quæ sacristiæ præposita est, munus missas celebrandi suscipiant. Cum qua præfecta, præpositaue solum, nec vero cum aliis monialibus colloquantur, tum de rebus scilicet, quæ ad suum munus solummodo pertinent.

Idemque hoc de genere toto à monialibus seruetur, pœna tum illis, tum capellanis proposita, Episcopi arbitrio.

Quibus vero confessarius, capellanisue sacerdotibus aliquid annui stipendij ac vitæ sustentandæ vsum Episcopi permissu dandum videbitur; id omnino certa pecuniæ summa detur, nisi aliquando Episcopus aliter concesserit, nempe loco pecuniæ, vel triticum, vel vinum, vel aliquid eiusmodi dari.

Viri aliquot pij, idemque solertes ab Episcopo deligantur, qui festis præsertim diebus, monialium monasteria, etiam regularium iuri, curæue subiecta adeant, forisque vndique perspiciant, si quid contra, quam de illis præscriptum est, fiat, agaturue, anque quisquam sit, qui facultate non impetrata, cum illis colloquatur.

Si quando nouum monialium monasterium construetur, hoc inprimis curabitur, vt nulla fenestra, nullaue specula alio, quam intus monasterii septum spectet.

Quod septum non simplici pariete, sed ipsis claustris, porticibusque claudatur.

In eius autem septo medio viridarium magna ex parte constitui poterit.

Ad huius formæ modum monasteria, quæ iam ædificata sunt, quoad eius fieri poterit, accommodari, reconcinnariue, id Episcopo curæ sit.

Minora vero officia, velut ianuæ, rotæ, sermonibus præpositarum, earumue, quæ nouitias docent, sacristæ præfectarum, & quæ iis præsunt, quæ manuum industria sese exercent, illarum præterea, quæ scribæ, aut ratiocinatoris munere funguntur, & quæ ægrotis ministrant, ab eo, qui electioni præest, vna cum confessore, præfecta, vicaria, & discretis pro earum mentis conscientia, quibus opportunum videbitur, tribuantur. Quo decreto nihil derogatum sit iis monasteriis, in quibus ad huiusmodi officia Capituli suffragiis moniales deligi solent.

Earum

Earum officia, quæ electæ fuerint, sint duorum annorum, aut, in quibus ea esset consuetudo, ad summum trium. Illis cum perfunctæ fuerint, tantundem saltem temporis vacent ab officiis; nec in eisdem confirmari possint, à monialibus; nisi grauis causa extiterit, iudicio superioris probata; qui etiam eas ante tempus, officio præfinitum, inde mouere possit, si id male administrarint.

Quæ electæ fuerint, quemadmodum earum obedientia postulat, officia suscipiant, & eorum munera sine recusatione humiliter exequantur; quæ aliter fecerint sine iusta causa, quæ superiori probata sit, iure suffragij priuentur, vt neq; ipsæ alias eligere neque ab aliis eligi possint, arbitrio superioris.

Præfecta monasterij, tanquam communis omnium monialium mater, ipsarum & corporis, & animæ saluti diligentissime consulat; easque studiose admoneat, vt puro corde sint viæque integritatem seruent, & ad perfectionem virtutum omnium contendant; siquidem quæ religionem susceperunt, nisi ad summum illum gradum pro viribus peruenire conentur, minus sane efficiunt, quam debent, pro vitæ & ordinis instituto, quod profitentur. Meminerit autem sibi reddendam esse rationem iustissimo iudici erratorum, quæcunque moniales eius negligentia, aut culpa admiserint.

In primis vero curet, vt pax, & concordia sororum conseruetur, sublatis, quantum ab ea fieri poterit, omnibus dissidij ac discordiæ causis, vt quemadmodum debent, vnum corpus, & vnus spiritus in earum sponso Iesu Christo, perfecto charitatis vinculo colligetur.

Studeat etiam, vt singulæ suo munere recte fungantur; neq; vlla alterius officium occupet, nisi auxilii causa; idque ipsius iussu, &, vt omnia ordine perficiantur, inprimisque vt silentium horis ac locis præscriptis seruetur. Si vero alicuius importunitas, aut re aut verbo, sororum pace perturbata, charitatem violarit; acerrime ab ipsa præfecta, &, si opus erit, à superiore etiã monialium puniatur, & eius animi elatio edometur.

Huic autem præfectæ, eiusue vicariæ, quæ, illa absente, illius vim, & locum obtinet, moniales omnes omnino obedientiam & obseruantiam præstent, quemadmodum earum votum postulat.

Quæ vero eius iussa neglexerit, neque pœnitentiam sibi impositam adhibere voluerit, aut superbe & iniurioſe responderit, non habita eius dignitatis ratione, aut contumaciter defendendo, vel excusando eam impedierit, quominus illas reprehendat, aut castiget, quæ aliquid commiserint; vt suæ contumaciæ, & insolentiæ graues pœnas pendat, apud superiorem accusetur ab iis, quas discretas appellauimus; quæ nisi id fecerint, flagella, disciplinæ nomine, sibi semel adhibere, & humi cibum capere cogantur.

Singulis etiam hebdomadis præfecta monialium conuentum, siue Capitulum habeat, corrigendi causa moniales pro erratis, quæ ipsæ publice, vel in suorum officiorum munere admiserint, quorum veniam ipsæ sponte atque humiliter coram omnibus petant, eisque pœnitentiam imponendi, aliaque adhibendi, quæ earum institutis tradita sunt ad pias in humilitate, & sui contemptione continendas, atque ad virtutes omnes studiose sectandas.

Caueant autem moniales ne pœnitentiam sibi à præfecta impositam, pertinaciter recusent; neue superioris temporis delicta sibi inuicem iniquo animo obiiciant.

Quæ hoc commiserit, ei hæc sit pœna, vt statim ad singularum monialium pedes terram exosculetur; sibique flagella nomine disciplinæ adhibeat.

In negotiis paulo grauioribus præfecta nihil decernant, nisi scientibus & consentientibus maiori ex parte discretis, seu matribus consilii.

In iis vero, quæ maioris sunt deliberationis præfectæ vniuersum monialium Capitulum conuocent; idque ipsis ratum sit, quod maiori monialium parti placuerit.

In omnibus autem tacitis suffragiis caueant moniales, ne suffragij pilas, vel calculos inter se tradant in manus. Iis, quæ id commiserint, ea pœna sit, vt priuatæ Capitulo, neque eligere, neque eligi suffragio possint, arbitrio superioris.

Ad suffragia autem de quacunque referenda non admittantur, nisi quæ triennium, post emissam professionem in monasterio fuerint commoratæ.

Discretæ probitate, & prudentia cæteris monialibus antecellant.

Neque sint pauciores quatuor, vbi moniales plures non sint quadraginta, quod si plures sint, saltem sex creentur.

Moniales reliquarum sermonibus audiendis eiusmodi præponantur, quæ ætate matura & spectata probitate sint. Hæ diligenter, fideliterque suo officio fungantur: & ita loquentibus reliquis adsistant, vt, quidquid tum intus, tum foris dictum, factumue fuerit, ipsæ audiant, ac studiose animaduertant. Nec enim quidquam, aut ita secreto proferri, vt eas lateat; aut, quod indignum sit Dei ancillis, dici aut fieri patientur: in quo si quidquam secus commissum fuerit earum culpa, vel negligentia, grauissima pœna sui superioris arbitrio puniantur.

Nouitiarum curam sola magistra electa, loco à cæteris monialibus separato, habeat: alia præterea nulla.

Hæc nouitias in timore & cultu Dei, & in obseruatione religionis erudiat: coneturque & vitæ exemplo, nullam habeat ansam reprehensionis, assiduisque admonitionibus ita eas instituere in spiritualis, & sanctæ vitæ ratione; vt progredientes Deo adiutore, perfectæ eius ancillæ possint euadere.

Quæ autem sibi id temere assumpserit, vt aliquam ex nouitiis erudiat, ius ei suffragii adimatur; vt neque eligere, neque eligi possit, quamdiu superiori placuerit.

Ianuæ septorum monasterii die clausæ sint vna saltem claue; quæ ab antiquiore ianitrice custodiatur, vt, cum opus fuerit, aperiri possint. Nequaquam autem aperiantur, nisi duabus ianitricibus præsentibus. At noctu duabus clauibus diuersis claudantur, quarum altera asseruetur à præfecta, altera vero ab eadem ianitrice antiquiore.

Cum autem ianuæ aliqua necessaria causa aperiuntur, moniales non audeant eo accedere, vt externum quidquam aspiciant, vel cum vllo omnino aut mare, aut fœmina colloquantur. Quæ id ausa fuerit, includatur in cellam, vbi tamdiu sit, quamdiu superiori videbitur, qua pœna etiam plectatur ea, quæ ianuæ proposita est, si aut id permiserit, aut eiusmodi petulantiam statim ad superiorem non detulerit.

Quo tempore mutantur officia; vna aut duæ moniales maturæ, ac prudentes præficiantur monialium laboribus.

Hæ ad rotam recipiant, quæ elaboranda sunt; iisq; distribuant, quæ ad id opus faciendum sunt idoneæ: quibus perfectis, ea ex eadem rota restituant iis, quorum sunt, accepta mercede, semper ea præsente, quæ rotæ est præposita.

Nulla præterea quicquam quod elaborandum sit, ne cognatorum quidem, aut affinium, accipiat, quæ contra fecerit, singulis vicibus sibi flagella disciplinæ nomine adhibeat eo loco, quo moniales operibus elaborandis exercentur.

Si quæ vel morbo, vel iusta alia causa non impedita, pigritia, vel desidia, aut pertinacia quadam ab huiusmodi laboribus abstinuerit: obsonio priuetur totum id tempus, quo labori non incubuerit.

In loco item, vbi moniales exercentur in laboribus, lectio quotidie adhibeatur; qua absoluta, inter se conferant, quæ audierint, certatimque eiectis vitiis, ad virtutes consequendas seipsas cohortentur.

Curet laborum magistra, ne sermones, aut cantus profani, aut à monialium conditione, & instituto abhorrentes, inferantur.

Præfectæ, etiam si earum officium sit perpetuum, scribæ, ac reliquæ, quæ monasterii bona quocumque modo administrant, fideliter, & accurate eorum rationem præscriptam habeant.

Singulisque tribus mensibus ad Capitulum summatim referant rationes accepti, & expensi; vt omnes, quomodo se res monasterii habeant, intelligere possint. Verum quotannis rationem rerum omnium, quas administrarint, separatim superiori reddant, aut eius vicario, ac, si fuerint, monasterii curatoribus deputatis. Quæ autem aut sibi vindicarint aut perperam perdiderint monasterii bona, superioris arbitratu acerrime puniantur.

Vt autem nulla fraudis occasio relinquatur; in singulis monaste-

monasteriis singulæ capsæ cõstituantur ad hunc vsum, vt in illis communis pecunia collocetur: quæ duabus clauibus, iis inter se diuersis, clausæ sint, quarum altera à præfecta monasterii, altera à maiori Discreta asseruetur. Nec vero capsa aperiri, aut in ea poni pecunia, aut inde auferri possit; nisi & præfecta, & maior Discreta, & scriba monialis, quæ eius rationem ineat, interfuerint.

Duabus item clauibus, iisq; diuersis, horrei, & eius loci, vbi farina asseruetur, ostia concludantur: quæ singulæ à singulis matribus, ei officio præpositis, custodiantur. Ea autem semper adsit, cum triticum, vel farina importatur, vel exportatur.

Præfecta, & moniales bona monasterii alienare, permutare, locare aut contrahere nullo modo possit: nisi sciente, consentiente, ac præsente rerum superiore, aut eius Vicario: seruatis item cæteris, quæ iure seruari debent. Aliter contractus irritus, ac nullus sit.

Neque item ædificare, nisi consentientibus Superiore, ac ciuibus monasterii curatoribus. Qui operam dabunt, vt id quam minimo sumptu, commodè ac decenter fiat.

Quæ præpositæ sunt curæ ægrotantium, pias & misericordes se illis præbeant, quanta maxima possunt & patientia, & diligentia: ac tales se illis præstent, quales cæteras vellent, si ipsæ ægrotarent.

Aegrotis cibus, & medicamenta opportuna à præfecta, & ab electis ad id ministris ita adhibeantur, vt monasterii facultates tulerint.

Præfecta autem charitatis causa eas quotidie visitet, vt, & solatio sit; & melius ab eis cognoscat, ac curet, quæ ipsis sint necessaria.

Si vero aliqua moritur, confessor cum comite, quem Superior approbárit, ingrediatur septa monasterii tunc, cum eius corpus ad sepulturam dandum fuerit: pieque ac celeriter, quod eo tempore persoluendum sit, officio fungatur.

De Puellis Ad Religionem admittendis.

Cvm primum puellæ ad suscipiendum sacrum habitum offeruntur, monialium præfecta parentes, vel eos, quorum curæ commissæ sunt, admoneat excommunicationis, quæ præposita est à sacro Tridentino Concilio iis, qui suas puellas, vel alienas inuitas cogunt suscipere, aut profiteri religionem. Idem ab earum Superiore fiat, cum eius consensus requiretur.

In iis monasteriis, in quibus moniales pauciores sint quinquaginta, duæ tantum germanæ sorores, aut tres, quæ sint vnius generis, ac familiæ recipi possint.

Vbi vero plures sunt quinquaginta monialibus, ibi tres tantummodo sorores, aut quatuor eiusdem familiæ recipi liceat: sic ita monialium Capitulo videatur.

Præfecta, & moniales de puella, earum suffragijs ad suscipiendam religionem admittenda, quidquam polliceri, aut Capitulum cogere non audeant; priusquam libero loco ab Episcopo, aut ab eo, cui ipse id munus delegárit, puella secreto examinata, ac probata, facultatem suscipiendi in eo monasterio religionem scripto consequuta fuerit, consentiente etiam illius monasterii Superiore.

Ab iis autem omnibus prius diligenter inquiratur de moribus, vita, ætate, quæ maior sit duodecim annis, ac de libera & pia voluntate puellæ.

Quæ anno saltem antequam examinetur, & monialium Capitulo admittenda proponatur; propositum religionis suscipiendæ in eo monasterio, & Episcopo, & monialibus, earumq; Superiori patefecerit, vt interim huiusmodi inquisitio maturè fieri possit.

Quo etiam tempore ipso confessori illius monasterii, aut cui Episcopus eiusmodi munus puellas has audiendi commiserit, semel singulis mensibus peccata sua confiteatur, sacrosanctamque sumat Eucharistiam, ac persæpe moniales in locis collocutionum alloquatur, vt ab eis tum explorari accuratius, tum admoneri melius possit de omnibus, quæcũq; illi agenda, & ferenda erunt religionis causa intra septa monasteriorum, ne vllo vnquam tempore conqueri, & inscitiam excusare possit.

De puella admittenda ad suscipiendam religionem, ac mox etiam nouitia ad professionem, ferantur tacita suffragia, vt singulæ moniales, nullo affectu impeditæ, liberè suæ conscientiæ possint satisfacere.

Nec vero huiusmodi puella ad religionem, neue nouitia ad professionem recipiatur: nisi duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit.

Puellæ ad religionem admissio aliter facta, quàm præscriptum sit, irrita sit, & nulla.

Præfecta vero, cuius culpa, vel negligentia id factum fuerit, ab officij administratione submota, velo etiam ad sex menses eo ipso priuata esse intelligatur.

Præfecta autem statim de suffragiorum exitu Superiorem admoneat: vt in librum, ad huiusmodi vsum institutum, eius nomen, quæ recepta sit, ab eo referatur.

Cum primum suffragijs Capituli aliqua recepta est, statim omnes vestium delitias, & inanem ornatum deponat: & nigro vel fusco vestitu, aut albo, at non serico induatur ea modestia, & submissione: vt omnes intelligant, eam mundo renunciasse: vt Domino religiosè inseruiat, quo vestitu semper vtatur, donec in monasterium introeat, & interea à choreis, & spectaculis inanibus abstineat.

Quæ vero eo modo, quo diximus, recepta fuerit, monialium vestib. in monasterio indui non possit: nisi sex mensibus, postquã recepta fuerit, idq; concessu Episcopi, & monialium Superioris, quibus liberum sit, vel producere, vel contrahere illud semestre tempus, quemadmodum eis expedire videbitur.

Tumultus autem euitandi causa, deducatur mane ad monasterium ab intimis propinquis mulieribus, nulla pompa, nullog; inuitatu aliorum, & sola introducatur in Ecclesiam interiorem monasterij. Missaq; audita, & sumpta communione, cæteris; solennibus cæremonijs adhibitis, coram reliquis monialibus, à Superiore, aut monasterii confessore vestiatur, qui illam adeo grauem, sacramque actionem aliquo ipso sermone prosequatur. Quod etiam in professione seruetur.

Superior, siue confessor hanc cautionem adhibeat; ne puellæ nouitiæ nomẽ gentilium fœminarum imponat, sed sanctarum, quæ ab Ecclesia celebrantur.

Quæ puella postquam monialium vestem suscepit, amplius è monasterii septis exire non possit: nisi fortasse nondum professam pœniteret in monasterium introisse. Si vero semel exierit, nulla illi imposterum facultas redeundi concedatur.

Nouitiæ causa ante professionem ex decreto Trident. Concilii nihil monasterio detur, præter id quod necessarium sit ad victum, & vestitum eius temporis, quo fuerit in nouitiatu, quod totum repræsentari volumus, antequam puella in monasterium ingrediatur.

De Novitiis Ad Professionem recipiendis.

Qvoniam ex Tridentini Concilii decreto professio ante decimum sextum annum expletum, & ante annum probationis post susceptum habitum facta, nulla est, nullamque parit obligationem; curent Episcopi, ne nouitia vlla ante illam ætatem, & tempus ad professionem admittatur.

Præfecta autem monasterio triginta ante diebus Episcopo significet, quo tempore nouitia professura sit; vt vel ipse, vel, si is abest, impediturue, alius, cui ille id negotii dederit, nouitiæ voluntatem cognoscat: perspiciatque an eiusmodi conditionis sit, quas monasterii illius, & ordinis regula postulat: an item monasterium idoneum. Et denique demonstret, quàm grauis ea res sit, quamue multas res tria religionis vota requirant: vt ea, antequam ad professionem recipiatur, vinculi vim intelligat, quo se obstringi vult.

Si præfecta id facere neglexerit, eiusdem Tridentini Concilii decreto ab eius officio tam diu amoueatur; quoad Episcopo videbitur.

Nouitia ne examinetur intra septa monasterii, sed extra in publica eius monasterii Ecclesia, vt liberè & fidenter suam voluntatem exponere possit.

Quod vero professione facta, eleemosynæ gratia ad profes-

sam sustẽtãdã monasterio datur, id quo tẽpore puella religionis habitũ suscipiet, apud virũ, monialib. & earũ Superiori probatũ, deponatur: vt nullo impedimẽto tũ monialib. p̃sto esse possit.

Nulla autem renuntiatio bonis à nouitia fiat, nisi quemadmodum à Conc. Trid. iussum est, facultate ab Episcopo, vel eius vicario permissa, ad duos proximos mẽses ante professionẽ fiat.

Et quoniam, quæ moniales, professione facta, velum susceperunt, quotidie suæ religionis diuinum officium dicere debent, nulla ad professionem admittatur, quæ congruè legere, & officium discere neſciat. Id autem experiri debebit is, cuius officiũ est eas examinandi: qui, se præsente, eam legere iubebit.

Professionis autem, & diei, & anni, quo facta est, in libro ad eum vsum confecto, memoria conseruetur, manu eius monialis, quæ scribæ officio fungitur: adhibita subscriptione eius, quæ professa sit, si modo scribere sciuerit; & Superioris qui eã admiserit.

Quo die puella profitetur, vel monialem habitum induit, in foresterijs, adibusque monialium, ab eius propinquis, & amicis conuiuia ne fiant, neue bellaria dentur.

De Diuinis officiis, Precationibvs, Et lectione Monialium.

CVm ad sanctimoniales valde pertineat laudare assidue Deum creatorem, conseruatorem, & redemptorem mũdi, eidem gratias agere & supplicare, vt suã misericordiam omnibus hominibus ad salutem impertiat; idcirco moniales omnes diu noctuq; chorum frequentent: sacrisq; officijs distinctè, attentèq; ab ipsis, & voce, & pio animi affectu celebrandis, intersint: illis solum exceptis, quarum præfecta iusti impedimenti excusationem acceperit.

Adsint autem singulæ initio diuinorum officiorum, congruenti sui ordinis vestitu indutæ, in suis ac proprijs locis, & vsque ad finem persistant: non prius inde discedentes, quàm præfecta, aut vice eius alia, discessus significationem fecerit; nisi necessitate aliud postulante, id eadem permiserit.

Soni, cantus, qui honesti, & spirituales nõ sint, colloquia cẽ, risus, quicquid p̃terea indignũ est domo Dei, & eius diuina maiestate, cũ qua colloquimur in oratione, omnino amoueantur.

Quæcunque autem contra hæc, quæ iussa sunt, aliquid fecerit, præfecta arbitrio pro modo culpæ acriter puniatur.

Et, quia mentis oratio tanto præstantior ea, quæ solum ore exprimitur, quanto anima est excellentior corpore; pijs incredibile solatium affert, & fructum; eosque quotidie nouis cumulat muneribus, in Deum quodam modo conuertens: ideo moniales, & velatæ, & conuersæ præter horas canonicas, aliasque orationes, quas ex officio habere debent, quotidie in chorum vniuersæ conuenientes, nisi necessario impediantur, saltem per horam, mentalem orationem adhibeant: semihora videl. post matutinum, itemq; post nonam, aut completorium, sublatis ad Deũ mentibus pijs, & salutaribus rebus contemplandis. præsertim vero vitam, doctrinamq; Domini nostri Iesu Christi, atq; eius sancta mysteria studiosè meditabuntur, passionem videl. mortem, resurrectionem, ascensum in cœlum, extremum aduentũ ad iudicium beatorum, gloriam; & damnatorum supplicia; aliaq; eiusmodi, quæ ad Dei gloriam, & propriam proximorumq; salutem pertineant.

Quoniam vero à Tridentina sancta synodo prohibetur, ne in Choro vel monasterij septis, sed in Ecclesia publica sanctissimum Christi corpus conseruetur; efficiant Superiores, vt eiusmodi decreto vbiq; obtemperetur.

Diebus festis vt otium, à quo mala omnia oriuntur, euitetur; moniales tempus, quod sibi à diuinis officijs, & consuetis orationibus superfuerit, in sacra aliaq; lectione consumant, quæ ad Dei & sui ipsius cognitionem eas ducat, viamque monstret perfectionis, & æternæ vitæ, idq; vel separatim, vel coniunctim faciant; cum huiusmodi lectio suauis, & fructuosa sit animarũ oblectatio; vitia coerceat, ad virtutes inflammet. contra autem inanium librorum lectio mentes corrumpat.

Quod ne accidat, Superior, aut confessor omnes monasterij libros perspiciat, & recognoscat; singulas moniales in virtute obedientiæ suos proferre cogens.

De Commvni Vitæ Vsv, Ac Proprietate tollenda.

IN omnibus monasterijs, quod ad cibum, potum, somnũ, cæteraq; res attinet, omnes communiter viuant; vt à sacro Trident. Concil. decretum est. neq; quidquam inter eas differat, aut alia alii præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat: vt tuum & meum, atq; omnis priuata rerum possessio, & re, & verbo omnino tollatur, omnis etiam superuacaneus, & inanis rerum vsus.

Neq; vlla sit, quæ quidquam possideat, aut adhibeat, vt proprium; etiam si ad necessitatem concessum est.

Omnes itaq; monasterij prouentus, cuiuscunq; generis sint, eleemosynæ etiam, & quæstus ex laboribus, libelli præterea, legata & bona mobilia, & immobilia, quæ testamento relicta, & quæ donationis, vel alia quauis causa obtinuerint, à singulis monialibus ad communem monasterij vtilitatem cõferantur. Præfecta vero pro sua prudẽtia, & humanitate ex illis ipsis eius necessitati potissimum consulat, ad quam pertinerent, nisi obstaret paupertatis votum. Vtq; omnis proprietatis occasio tollatur de monasterijs confessores, ac præfectæ, voti paupertatis accuratius seruandi gratia, monialibus suadere studebunt, vt curent omnes vestes lineas, laneas, vel pelliceas, aut cuiusuis generis in communi loco asseruandas: duasque ex monialibus, quo tempore mutuantur officia iis excutiendis, purgandis, & sarciendis præficiendas: quæ etiam sororibus in singulas hebdomadas pro tempore, & vt vsus feret, eas distribuant, nullaq; vestes apud se habeat, præter eas, quæ ad quotidianum vsum sunt necessariæ. Aegrotarum vero vestes, contagionis nomine suspectæ, separatim custodiantur, aut apud illas ipsas relinquantur.

Dona, quæ singulis mittuntur, ad præfectam adferantur: nec vlla posit illa accipere, aut ad vsum adhibere, nisi scientẽ & cõsentiente præfecta. Quæ in id omnino incumbere debet, vt ex monasterio vitiũ proprietatis, tanquã multorum malorũ causam euellat. Neq; cuiq; permittat vt pecuniã apud se habeat.

Ter autem in singulos annos, Præfecta vna cum discretis, cellas & supellectilem singularum monialium diligẽter inquirat; & scrutetur, ne vlla quidquam habeat proprii aut plus quàm quantum ei ad suum vsum concessum fuerit.

Quod, si quæ proprii aliquid tenere deprehensa, aut conuicta fuerit; ea biennio activa, & passiua sit, ex Trident. Concil. decreto; atq; etiam iuxta suæ regulæ, & ordinis cõstitutiones puniatur. multoq; magis, quæ ex communi, illãt ex eo, q̃ alicuius vsui tributum sit, furtim sibi aliquid vindicauerit.

Si præterea, speculum, catellus, vnguenta, aut suffimenta, & huiusmodi inanium rerum quidquam apud aliquam repertũ fuerit; Superior statim id è monasterio auferendum, & eam apud quam inuentum fuerit, acriter puniendam curabit.

Monialis, siue velata, siue conuersa sit, eleemosynam dare, largiri, aut vendere esculantas res, vestes, aut bona cuiusuis generis sint; etiam si ad vsum ei attributa sint, aut etiam legare omnino non possit. Quæ secus fecerit, velum ei per mensem adimatur, ac ter se verberibus ad disciplinam affligere cogatur.

In quo tamen integrum sit præfectæ concedere facultatẽ, cui cõcedi debere iudicãrit, aliquid deuotionis, ac religionis causa, vel aliud exiguum elargiendi propinquis, ac bene merentibus.

Ad sonitum minoris campanæ omnes conueniant ad benedictionem mensæ, quam præfecta, vel vicaria, vel ipsis absentibus, antiquior Discreta faciat.

Deinde loco, & ordine discumbentes non prius discedant, quàm Deo gratiæ actæ fuerint. quæ non obedierit, vno die obsono priuetur: ac postremo loco in mensa sedere cogatur.

Mane, & vesperi ad primam, ad secundam mensam aliquis spiritualis liber, qui ad religionem incendat, quotidie legatur, omnibus discumbentibus, cum silentio & attentione audientibus: vt vna cum corpore mens etiam recreetur.

Vniuersa moniales, si fieri possit, vno loco dormiãt, à præfecta, aut à vicaria optime cõclusa; cuius claues ab ipsa p̃fecta asseruẽt.

Singulæ aũt in singulis lectis omnino dormiãt, & in singulis ẽt cellis, si tãta ibi sit copia cellarũ, vt oẽs capere possint. Cellæ vero diu, noctuq; apertæ sint, vt præfecta in singulas horas inspicere eas possit. Dato aũt signo eundi cubitum, locoq; vbi dormitur, clauso, præfecta, aut eius vicaria, aut aliqua ex Discretis, omnes cellas visitet; vt, an omnes suis dormiant locis, animaduertat.

De Clavsvra, Et Qvæ Ad Eam Tvendam aliqua ratione pertinent.

MOnialibus nulla quidẽ nimia diligentia videri debet ad eius thesauri custodiã, cuius causa propinqui, rei familiari, ac terrenis omnib. terrijs, curisq; renũtiantes, in septa monasterij se incluserunt.

Vt igitur sanctum earum propositum, ea ex parte, quæ diaboli insidiis maximè patet, communiatur, curent Episcopi, vt ad omnes fenestellas, vbi colloquendum sit, duo ferrei clatri, seu cancelli constituantur; qui saltē palmo distent, alter ab altero.

Inter virgas ferreas, quibus singuli cancelli compacti sunt, non plus omnino quam vncia intersit.

Cancelli posint.

Sint autem virgæ ita solidæ, vt neque facilè frangi, neq; flecti possint.

Intimo vero cancello, quo moniales ad colloquendum accedunt, ferrea lamina appingatur, quæ moueri nequeat: sitq; exiguis foraminibus, ad audiendi tantum commoditatem perforata, cui lineus pannus nigri coloris, ligneis tabellis affixus, instar fenestræ, quæ aperiri possit, cū erit colloquendū, apponatur.

In ea lamina quadrata fenestellula nouem tātummodo vnciarum fieri possit, cuius clauis à præfecta custodiatur: neq; eam fenestellulam aperire liceat, nisi quo tempore colloquendum sit cum Episcopo, vel ordinis Superioribus aut cum parentibus, & fratribus monialium, & aliis arcta propinquitate generis coniunctis, aut cum instrumentum aliquod confici, vel sacrum sermonem audiri oporteat.

Quod vero ad huius fenestellulæ concessionem attinet exceptæ sint monasteria, quorum moniales vel lege, vel consuetudine ab externis hominibus conspici nunquam solent.

Ostia locorum, quæ collocutioni solum, & intus, & foris, sunt attributa, semper clausa sint: quorū claues sint apud antiquissimam earum monialium, quæ audiendis sermonibus sint propositæ, nec nisi cum opus sit longiori collocutione, aperiantur. Caterum ianitrix ex clatrata ianuæ fenestellula, ianua tamen clausa, rotariæ ex rota respondebunt pulsantibus.

Loca autem intus, & foris collocutioni attributa, cum ibi sint, qui loquātur, semper pateant, vt quinā sint, videri possint.

Ostia, per quæ à septis monasterii in exteriorem Ecclesiam patet aditus, ad mēsem muro obstruantur. Si quid in hoc præfectæ culpa, vel negligentia commissum fuerit, ea, & officio, & velo Superioris arbitrio priuetur.

Omnes fenestræ & cancelli, & quicunq; locus, per quem moniales externam Ecclesiam introspicere possint, ædificentur, præter fenestram, in qua collocata est rota; & fenestellulam ad solum sacrosanctæ Eucharistiæ sumendæ vsum constitutam, ac illam fenestram per quam corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, à sacerdote celebrante elatum aspicere possint.

Ea fenestra perpetuo lineo panno contecta sit, qui tantummodo, cum sustollitur sacrosancta Eucharistia, amoueatur. Fenestræ autem ratio sit eiusmodi, vt sacerdos ex Altari moniales intueri nequeat.

Curent Episcopi, & alii superiores, ne è vicinorum ædibus, quicunq; illi sint, monasteria inspiciantur; maximè verò si fratrum cuiusuis ordinis aut presbyterorum ædes illis immineant: quo casu parietes altius tolli, & nouas ædificari iubeant eorum sumptibus, quorum Episcopi, & ii qui monasteriorum curatores sint, interesse iudicauerint, quacunq; appellatione remota.

Quamobrem etiam sæcularium Principum auxilium implorent, vt monialibus ab externorum hominum aspectu, & auditu liberis securè per monasterium ambulare liceat.

Regulares viri in posterum, ne in ea loca migrent; neue areas, vnà monasteriis monialium proximas, ædificandi causa emant: vnde monialium aspectus fieri possit. Moniales in monasteriorum ædificatione, vicinia regularium virorum ædibus, aut iis locis, vnde ipsæ ab illis inspici possint, in posterum prohibemus

Aedes proximæ monasteriis sanctimonialium famosis mulieribus ne locentur.

Neue ibidem spectacula, cantus, saltus, ludi, & huiusmodi prophanæ res, & inanes exerceantur: quæ eas à sacro officio auocare, aut ipsis offensionis causam præbere possint.

Quemadmodum à sacro Trident. Concil. sancitum est, moniali professæ nulla ratione è monasterii septis egredi liceat; nisi ex causa legitima quæ ab Episcopo probata sit.

Huiusmodi vero licentia egrediendi nullo pacto permittatur, nisi id grauissima res & summa necessitas postulārit; neq; iis monialibus, quibus, nisi ex summi Pontificis concessu egredi fas est. Apostatæ, fugitiuæ, & delicti causa cectæ è monasteriis, quæ cum sacro vestitu, aut sine eo vagantur, non sine scandalo religionis, ab Episcopis cæterisq; earum Superioribus, petito etiam sæcularium principum auxilio ad sua monasteria redire cogantur: vt ibi dignas pœnas pendant suorum scelerum. Quod si Superioribus in monasteria restitui debere minimè videantur, in earum mulierum numerum, quas Conuertitas vocant, cum bonis, quæ attulerunt ad monasterium, adscribantur. Ea aūt bona illis mortuis, priori monasterio restituantur. Si quæ monialis in monasterij septa marem aut fœminam cuiusuis ætatis, conditionisue etiam matrem, aut sorores introduxerit, tribus mensibus in carcerem concludatur; eiq; singulis sextis feriis ieiunanti nihil præter panem & aquam ad cibum & potum adhibeatur, atq; ad annum velum adimatur. Eandem pœnam subeant, quæ rotæ, & ianuæ præpositæ fuerint; præfectæ etiam, & quæuis aliæ, quarum consensu id commissum sit.

Quicunq; vero clericus, siue sacularis, siue regularis cuiuscunq; ordinis, aut laicus cuiuscunq; status, dignitatis, gradus, conditionis ipsarum monialium septa interdiu, vel noctu introire ausus fuerit, præter excommunicationis pœnam, quam ex Concilij Trident decreto ipso iure subit; aliis etiam grauissimis pœnis, habita personæ criminisq; ratione, puniatur. Et si Ecclesiasticus sit, aut beneficia obtineat, suorum etiam ordinum munere ex ordinarij voluntate prohibeatur; suisq; omnibus beneficiis priuetur. Quo decreto excipimus eos, quibus ob necessariam monasterio eorum operam, & industriam Superior septa ingrediendi facultatem, quotannis renouandam, scripto permiserit. Is autem meminerit sibi à Trident. Concil. ius ademptum esse eiusmodi facultates concedendi, nisi in casibus necessariis, ideoq; caueat, ne quæ intus officia moniales obire possunt, ad ea præstanda externi in septa monasterii introducantur. Atq; vt in hac necessitate dignoscenda vna eademq; ratio vbiq; seruetur, & ille facilè concedendi vsus coerceatur, Episcopus adhibitis in consilium omnibus monasteriorum Superioribus, etiam regularibus, statuat, ac præscribat, quæ opera in monasteriis necessarium externorum ingressum requirant. Quam vero rationem in hac re præscripserit, ea ab omnibus, etiam Regularibus, inuiolatè seruetur.

Intra septa monasterii mares & fœminæ cuiusuis generis, etiamsi ipsis monialibus inseruiant, vel sint ætate confecti, nullæ de causa pernoctare possint, proposita pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam, & is, qui pernoctarit, & præfecta, quæ id permiserit, subeat. quibus addantur aliæ pœnæ Superioris arbitratu. Neue intus in eisdem septis boues, equos, & iumenta cuiusuis generis alant.

Si contra fiet, præfecta tres menses ab officii sui munere amoueatur.

Moniales cum nemine externo omnino colloquantur; nisi is licentiam scriptam, & obsignatam à Superiore monasterii, aut ab eo quem is suo nomine substituerit, atq; in cancellaria Episcopali gratis descriptam attulerit. Quæ contra id fecerit, priuetur trium mensium facultate loquendi cum externis omnibus cuiusuis sexus, etiam propinquis, cogaturque singulis sextis feriis eius temporis, disciplinæ nomine flagella sibi publicè adhibere, & orare eo Psalmo, Miserere mei Deus.

Licentiæ autem, scripto permissæ, accipiantur ab iis, quæ rotæ sint præpositæ, priusque ad præfectam deferantur, quam illæ accersantur, quæ scripto nominatæ sint. Præfecta vbi scriptum legerit, manūq; & signum eius agnouerit, cuius officium sit facultatem colloquendi concedere, benedictione adhibita, permittit iis, quæ scripto nominentur: vt cum illis tantummodo loquantur, qui nominatim descripti sint: idq; ad communem collocutionis fenestellam; non ad ianuam, neq; in Ecclesia, aut alibi, præsentibus semper monialibus arbitris, ei muneri præfectis. Quæ vero ad colloquendum accesserint, breui finem loquendi faciant: caueantq; ne tempus, quo nihil est pretiosius, inani, aut inutili sermone consumant.

Non est ferendum, vt moniales, præsertim sacris diebus aberrantes ab oratione, cæterisq; piis exercitationibus, sermonibus minimè necessariis tempus consumant.

Idcirco, quibus diebus sumitur sacrosancta Eucharistia, & quoties dies festi ex præcepto Ecclesiæ celebrātur, tempore etiam aduentus, & Quadragesimæ, in Vigiliis præterea de præcepto, omni denique tempore, cum diuina fiunt officia, moniales cum

externo nemine omninò colloqui possint : nisi necessitas ita postulet.

Moniales verò tam quæ audiendis sermonibus præpositæ sunt, quam illæ, quæ loquentur : ne monasterium absurdis, & inanibus rumoribus compleatur, cum nemine omninò communicent, quæ ab externis acceperint : nisi cum præfecta, si eis expedire videbitur, vt aliqua ad eam referantur.

Vigilent præfectæ & quæ sermonib. audiendis præpositæ sunt, ne quisquam colloquendum cum monialibus accedat, simulato eius nomine, qui scripta licentia nominatur. Quòd si id à quoquam commissum fuerit, is ab Episcopo : quæ verò cum collocuta fuerit, & quæ scientes permiserint, à suo Superiore, harum constitutionum præscripto, graui pœna eorum arbitratu afficiantur.

Quicunque verò clericus siue sæcularis, siue regularis, cuiuscunque ordinis, aut laicus cuiuscunque status, dignitatis, gradus & conditionis ad monialium monasteria accesserint, & cum earum aliqua, non impetrata, vt præscriptum est, colloquendi facultate sermonem habuerit, grauiter puniatur.

Hoc autem edicto, neque patres, neque fratres teneri volumus, quibus non impetrata illa colloquendi facultate, sed seruatis cæteris regulis, hac ipsa de re latis, cum filiabus & sororibus tantum colloqui, non tamen septa vnquam ingredi licebit.

Nemini omnino, neque sacro, neque prophano, neque mari, neque fœminæ liceat adire monasteria monialium docendi causa cantum, quem figuratum vocant.

In ijs tamen monasterijs, in quibus non in exteriori Ecclesia à sæcularibus, sed intus à monialibus organo sonatur, permittere poterit Superior alicui viro, moribus & ætate ab Episcopo probato, vt foris ad fenestellam collocutionis monialem organistriam tantum sonandi artem edoceat, si in eo studij genere plus proficere necesse habeat.

Hæc autem intus, ad ipsam fenestellam discens, commorabitur : cui semper assistent duæ ex ijs quæ audiendis sermonibus præpositæ sunt.

Quæ contra fecerit, siue præfecta, siue alia, velo priuetur, alijsq; præterea pœnis afficiatur arbitratu Superioris.

Organum aut in posterum ne constituatur, nisi locus in quo aptè locetur, Superioris iudicio ante probetur.

Prohibentur etiam moniales ipsæ intus, aut per alios foris sonare musicis instrumentis, præter organa & harpichordium, quo ars organo sonandi discitur.

Ne liceat monialibus depositi, aut custodiæ causa, in monasterio habere pecuniam, gemmas, vestes aut eius generis res vllas cuiusuis personæ, nec vasa quidem florum aut fruticum.

Quod si quæ in præsenti habeant, vt omnis incommodi causa tollatur, ad tres menses, quibus debent, ea restituant.

Contumacibus, aut negligentibus pœna sit : præfectis, officij : cæteris veli spoliatio.

Moniales ne animi quidem relaxandi causa sæcularium virili aut muliebri vestitu vtantur, cum dedeceat Dei famulas, vestes ab earũ professione alienas, induere. Verum, decoro semper seruato, omnium & temporum, & actionum, permittente præfecta, honestate, & quemadmodum sacras Deo virgines decet, animum remittere licebit.

Moniales etiam ne offulas, aut cætera huiusmodi conficiant donandi gratia prohibemus : propter temporis iacturam & sumptum, qui in eas impenditur. Quæ contra decretum aliquid cõmiserit, vel permiserit, Superioris arbitratu puniatur : maximè vero in præfectam animaduertatur.

Nulli monialifas sit ad quemquam secretò litteras scribere, præter Superiorem & Episcopum, si de aliqua graui re esset admonendus.

Neq; ad se missas litteras aperire, & legere nisi præfecta prius eas coram vicaria legerit : aut se præsente legi iusserit.

Quæ contra hanc legem aut scripserit aut acceperit litteras, per duos menses è sua cella pedem non efferat : & singulis sextis feriis ita ieiunare cogatur, vt tantum pane & aqua vescatur. Ac si eæ litteræ suspicionem aliquam criminis haberent, ea ad quam scriptæ fuerunt, præter prædictam pœnam, sex menses, & facultate loquendi ad fenestellam monialium collocutionis, & velo priuetur.

Verum ne præfecta falli possit, fictis ei litteris ostensis, quæ aliæ sint ab acceptis, & ab illis, per quas responsum est : quæ rotæ propositæ fuerint omnes accipient litteras, quæ ad monasterium peruenerint, easq; statim ad præfectam afferent, à qua etiam literas à monialibus scriptas, accipient clausas, & obsignatas coram eadem ipsa. Quas deinceps nuncijs externis tradent.

De Conversis.

Conuersis, minimum quadraginta annos natis, & Superioribus probatis, facultas sit exeundi septis monasterij, propter negotia monasterio necessaria, permittente tamen præfecta, quotiescunq; exeundum fuerit.

Cui etiam liberum sit, eas si ita videbitur, intra septa semper retinere, & vt faciat, si modo possit, eã vehementer cohortamur.

Ad funera aũt ne prodeãt, nisi quæ ordinis sunt mendicantiũ.

Exeuntes vero binæ prodeant ; neq; longius discedant, altera ab altera, quàm vt se inuicem aspicere & audire possint.

Quibus si ex vrbe egredi contigerit, semper in eodem lecto somnum capiant. Caueantq; ne in cuiusquam famosæ personæ domum introeant, etiamsi illa de monasterio bene merita fuerit.

Neue in domicilijs, vbi aliæ honestæ mulieres non habitent, pernoctent. Neue literas, aut mandata clam perferant.

Aut quidquam inane monialibus renuntient, quod foris viderint, aut audierint.

Delinquentibus pœna sit carcer, aut etiam grauior arbitratu Superioris.

De Pvellis Sæcvlaribvs, Qvæ in monasteriis educantur.

Pvellæ sæculares cuiusuis generis, conditionis & ætatis, quæ nunc in clausura monasterij, educationis, aliaue causa cõmorantur, post annum è monasterio exire cogantur, nisi omnib. ijs præditæ, quæ ad suscipiendam religionem, monasterijs institutis, Trident. Concil. & harum constitutionum decretis requiriũtur, monachalem vestem sumere voluerint. Episcopis tamen facultas permittitur probabili de causa prorogandi tempus suo arbitratu, consentiente Superiore regulari in ijs monasterijs, quæ ei subiecta fuerint.

In posterum puellæ, educationis causa, in monasteria ne recipiantur sine licentia scripto permissa, ab Episcopo, ac Superiore regulari. si ei subiectum fuerit monasterium, cui etiam prius accesserit scriptus Metropolitani consensus.

Hæc autem licentia non concedatur puellis, quæ habeant, à quibus regi, & educari commodè possint : aut ijs quæ decimum annum non compleuerint, aut maioribus quindecim annis.

Quæ semel exeunt è monasterio, amplius aut in illud, aut in vllum præterea aliud admitti non possint : nisi cum mortales fieri voluerint. Huiusmodi autem puellæ nigri tantummodò, aut fusci, vel albi coloris vestes, non sericas, adhibeant. Nullo præterea acquisito ornamenti genere vtãtur : ne sint concinnatæ : neue habeant inaures, nec monilia : aut eius generis delicias.

Cum propinquis, alijsq; externis ne colloquantur : nisi eisdem seruatis, quæ supra de monialibus eo in genere decreta sunt.

Dormiant, cibum capiant, versentur que loco separato à monialibus, ijs excepti, quæ ipsis regendis, & instituendis præpositæ sunt : cum nullaque moniali consuetudinem habeant, præterquam in Ecclesia, cum Missa, aut diuina officia celebrantur.

Puellarum alimenti, & educationis causa quotannis monasterio non minus soluatur triginta aureis : cuius pecuniæ dimidium in singulos sex menses repræsentetur. Quod si ea pecunia per ipsos sex menses non numerata fuerit : puellæ ad suos remittantur, quos magistratus monasterio omnino satisfacere cogant.

Quæcunque ex ijs puellis monialis fieri voluerit, ad propinquos suos mittatur, aut ad eos, qui ipsius curam habent, apud quos saltem per mensem maneat : priusquam ab Episcopo : aut ab eius ministris examinetur, idque, vt facilius, ac melius eius libera voluntas exquiri, & explorari possit.

Puellas verò domi suæ foris viuentes neque literas, neque vllam omnino artem monialibus docere liceat : ne ad fenestellas quidem, aliaue collocutionis loca, quod, si id monialium præfecta, quouis modo permiserit, semestri administrandi officio priuetur.

De Concionatoribvs, Confessoribus, visitatoribus & cappellanis:

Qvi monasterijs præsunt, doctos, prudentes, ac pios concionatores adhibeant : qui bis saltem in singulos menses

menses ad cancellos collocutionis monialium, vel ad fenestellas Ecclesiæ, Dei verbum prædicent, easq; erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum, & sempiternã salutem consequendam pertinẽt.

Cõcionatoribus autem ne liceat cum monialibus separatim colloqui, nisi eis à Superiore monasterii licentia permittatur.

Præficiantur etiam monialibus confessores, & ætate prouecti, & prudentes, & Deum timentes, qui semel saltem in singulos menses audiant peccata monialium: eisque sacrosanctam Eucharistiam administrent: quemadmodum sacrum Tridentin. Concil. debere censuit.

Nemo Regularis peccata monialium possit audire, nisi prius à generali Capitulo, aut sui ordinis Generali, aut, eo absente, ab ipsius Vicario generali probatus fuerit: cuius rei fidem fecerit Episcopo eius loci, vbi fuerit monasterium, aut eius Vicario omnes monialium, & sæculares & regulares confessores, confecto bienno, aut ad summum triennio mutentur: nisi iusta aliqua, aut necessaria causa Episcopo, aut eius ordinis generali, si Regularibus subiectum sit monasterium, postulare videatur, vt illis tempus prorogetur.

Idem monasterii septa ingredi non possint; nisi id eis à superiore aliqua de causa concessum fuerit: excepta causa administrandi sacramenta ægrotis monialibus; cum graui & periculoso morbo laborant.

Quo tempore dum intra septa cõmorantur, eos duæ aut tres moniales, quæ ætate cæteris præstẽt, comitentur. Eædẽq; oẽs prosequantur, quicunque septa monasterij introierint, etiam Superiores, ac visitatores, facta prius significatione sonitu minoris campanæ monialibus se recipiendi. Quam consuetudinem nisi præfecta seruarit, officio moueatur Superioris arbitrio.

Confessores in monasteriorum locis, quos foresterias vocant, cibi capiendi causa ne morentur, nisi confessionis tempore.

Neq; tum etiam ibi noctu cubent, nisi cum alicui ex monialium numero mors instaret, vt præsto esse possint administrandis sacramentis, & reliquis pietatis officijs; aut cum propinquum monasterio domicilium non habent: vt in multis monasteriis quæ sunt in diœcesi.

Nemini autem confessori sæculari aut regulari assiduè habitare liceat foris in foresteriis, & ædibus monialiũ; aut earum sumptibus ibi viuere, nec si in iis locis dormitur, quæ monasterium attingunt, fenestræ, aut rotæ sint. Et si sunt statim muro obruantur; vt nihil à monialibus, quod in eo loco agatur, aut dicatur, aspici aut audiri possit.

Clatri lamina, & linea tela fenestellulæ eius loci, vbi moniales confitentur, ita compactæ cohæreant, vt remoueri non possint: & inde tantum audiri, aspici autem nullo modo possint.

Qui verò confessores in iis deliquerint statim & officio priuentur; & facultas tum adeundi illud monasterium, tum diuina administrandi eis arbitrio superioris adimatur.

Eandem pœnam subeant omnes Regulares, & alii cuiusuis generis clerici, qui cibum aut somnum capient in locis collocutionum, ac foresteriis monialium: aut munera alicui moniali, quæ secundo, aut tertiove cognationis gradu conuncta non sit, dederint, aut ab ea acceperint.

Superiores tamen, suo arbitratu, cum illis colloqui, & in foresteriis vesci & cubare possint, quo tempore visitant monasteria: si tamen ibi fratrum sui ordinis monasteria non habeant. Quæ si sunt, apud eos diuersari debẽt, neq; graues esse monialib.

Idem pecuniam, munera, aut præmia à monialibus ne accipiant; quo illæ aperte intelligant in eiusmodi visitatione tantummodo ab eis conselti Dei gloriæ, & monialium saluti.

Liceat vero iis Superioribus, qui premuntur inopia, sumptu monialium viuere, cum eas visitant, aut adeunt alia de causa, quæ ad ipsarum vtilitatem spectet.

Regularibus, qui fratres sint monialium, permissu Superiorum, quemadmodum supra dictum est, semel in singulos annos cum sororibus monialibus tantum colloqui liceat, idq; præsentibus iis quæ collocutioni præpositæ sunt, quod, si illi aliquos secum adduxerint, ii cum monialibus omnino ne colloquantur, proposita ea pœna, quæ superius colloquentibus sine licentia est constituta.

Socii confessorum Regularium sint ætate prouecti, & superiori suo probati, neque cum vlla moniali colloqui possint, nisi cum præfecta, & rotæ, aut foresteriæ præpositæ, si quid opus sit confessoribus tum, cum peccata audiunt, eius dẽpœnæ periculo.

Præterea Superiores ex decreto sacri Trident. Concil. quotannis idoneum confessorem extraordinarium monialibus sibi subiectis exhibeant. cui curent, vt vniuersæ confiteantur; vt, quæ huiusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animi morbum, neq; ipsæ eam postulare; aut recipere ab vsitato confessore vnquã auderent, liberius mederi suis malis possint: ac diaboli laqueos euadere, vna cum reliquis confessori nouo sua peccata confitendo.

Sacerdotes, qui in monialium ecclesijs publicis rem diuinã facturi sunt, bene audiant, & bonis moribus sint: & ab eo etiã approbati qui monasterio præsidet.

Ex quib. qui à monialibus mercede conducuntur, nõ ab illis, sed à Superiore, aut eius iussu à confessore monialiũ deligantur.

Qui, nisi eis facultas scripto concessa sit, cum monialibus ne colloquantur: nisi cum iis, quæ sacristiæ præsunt; quibuscum ad rotam Ecclesiæ, quàm breuissime loquantur de his tantummodo rebus, quæ ad Missæ sacrificium sint necessariæ.

Ne magnifici & sumptuosi apparatus fiant, cum dies festus Ecclesiæ monialium celebratur: sed pij ac modesti; & qui religionem, non inanem aliquam speciem præ se ferant.

Quo non admittantur musici, figuratum cãtum, aut quoduis musicum instrumentum adhibentes.

Præfecta monialium neminem ad monasterii famulatum & procurationem admittat, cuius ætas & mores earum superiori probati non sint.

Eiusdem etiam Superioris sit approbatio eorum, qui nunc monialibus inseruiunt. Quo in numero medici, tonsores, furno aut pistrino præpositi, cæteriq; omnes intelligantur, quibus in monialium septa introeundum sit. Qui monasterii res procurant, quotannis suæ administrationis rationem reddant iis, quos diximus; & ad duos menses bonis prædibus caueant cancellariis episcoporũ, se fideliter rationẽ reddituros suæ administrationis. Quod si facere neglexerint officio priuati cẽseantur.

In parochialibus ecclesijs, quæ monialium monasterijs annexæ sunt, perpetui Vicarii, ex formula Trident. Concil. præscripta, ab episcopis constituantur.

De Propria Regula, Et Constitutionibus his assiduè legendis.

Quia moniales, quæ professæ sunt, non solum Dei, & S. Ecclesiæ præscripta; sed etiam suæ regulæ, & ordinis leges, & instituta seruare debent, operæ pretium erit, illis suæ vocationis & professionis debitum officium in memoriam quàm sæpissimè renouare.

Ideo in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, vt in singulis monasteriis ab aliqua moniali, cæteris professis audientibus, quotidiè legatur saltem caput vnum constitutionum regulæ, aut ordinis, cui adstrictæ sunt.

Cuius lectionis initium fiat à primo, & ita procedatur ad extremum; ac deinceps ad primum caput redeatur: vt eodem ordine, ac progressione seruata, nunquam sacræ exercitationis huius vsus intermittatur. Præterea has etiam constitutiones frequentes legi iubemus, vt ex crebra salutarium præceptorum commemoratione moniales in obeundo suo munere diligẽtiores euadant. Quã in repræfectam monemus, vt cæteras ad summam legum obseruationem non minus exemplo suo inuitet, quàm auctoritate compellat.

Deniq; præcipitur omnibus monialium confessoribus, vt illis vniuersis semel legant, & explicent omnia hæc decreta: quæ in vulgarem sermonem cõuersa, ad cõmunem prouinciæ vtilitatem primo quoq; tẽpore curabimus edenda, eaq; vt omnino, quemadmodum debent, seruent, vehementer cohortentur.

Quæ moniales arctioribus constitutionum regulæq; vinculis adstrictæ viuunt: non is est animi nostri sensus, vt ab illis susceptæ vitæ institutis discedant, sed vna cum iis hæc quoq; decreta ab illis seruari iubemus.

Hæc ex sanctissimi, prudentissimiq; præsulis instituto adducere volui, vt formam habeant Prælati, ad quam monasteria reforment: cum tamen nõ eadem omnibus locis, temporibusq; conueniant, omitti nõ-

nulla, addi alia, prout ad diuinæ Maiestatis æternam gloriam, animarumq; salutē, & populi pietatem conueniens esse prudente, maturoq; zelo iudicauerint.

CAPVT XLVIII.

Epilogus, & cohortatio ad clerum vt perfectæ Euangelicorum præceptorum obseruationi studeat.

Calamitas assidua monitio.

NVNC superuacuam quidem esse exhortationem meam temporum calamitates ostendunt, quæ adeo graues sunt, frequentesque, vt si quis ad earum pulsum obduruit, omnem quoq; orationem excussurus videatur; quem enim commoueant verba, immotum ad verbera? si quis vero mala illa quæ patimur, merito accidere, & clades peccatorum comites esse intelligit, nō opus est verbis, vt effugere conetur, sat virium habent ipsa exitia ad metum sui incutiendum. Nec magnitudo & dignitas episcoporum ea est, vt moneri eos à priuato indecorum censeatur. Rogandi, monendi, docendi, obiurgandi sunt omnes, qui officio desunt, ne securi malis suis indormiant, monendi, qui officio funguntur, vt pergant. Nullius altitudo est extra lapsum, nemo extra periculum, ideo cunctis circūspectio est inculcanda. A prima sede quæ à nemine iudicatur, vsq; ad vltimā capellaniam, quæ neminem iudicat, non est sanitatis securitas, & in omnibus quotidie se vitiorum, quasi febrium tentamenta exerunt. Quin frequenter summa fastigia dignitatum summa vitia obsederunt, hinc ex cello graniores ruinæ, totius corporis contritu factę, & potentium potentia tormenta. Quid igitur faciam? maiores rogabo vt patres, vt dominos, pares vt fratres. Quanquam omnes dum de animæ periculo agitur sumus pares; dum omnes ignoramus, quid de se mali, quid de alijs boni æterna sapientia, altitudine iudiciorum suorum decreuerit. Imo qui censentur, minore sunt, qui censent maiore, quia plures habent causas pereundi, tot videl. quot animæ eorum negligentia perire possunt. Stent igitur omnes, & officia sua, martyrumque & confessorum vitam intueantur. Pugnarunt illi, & ne peccarent, contra tormentorum vim, acerbitatemq; steterunt; quomodo vero nos eorū filij successoresq; dicemur, si nos monitiones, pœnæq; à peccato nō deterrent, cū eos ad peccandū nec promissa allicere, nec supplicia impellere potuerint? Venient Episcopi, Sacerdotes & Diaconi, alijque ad æternum Dei tribunal, veniemus & nos; illorum cicatrices, & vulnera nostram malitiam potentissime accusabunt. Illis Dominus dicet. Confessio vestra quanto in passione fortior, tāto clarior, & maior in honore est. *Creuit pugna, creuit pugnantium gloria, Nec retardati estis ab acie tormentorum metu, sed ipsis tormētis magis estis ad aciem prouocati; fortes & stabiles ad maximi certaminis prælium prōpta deuotione prodistis. Ex quibus quosdam iam comperi coronatos, quosdam vero ad coronam victoriæ proximos, vniuersos autem, quos agmine glorioso carcer inclusit, pari ac simili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, sicut esse oportet in diuinis castris milites Christi; vt incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deuincant, quia maior est qui in nobis est, quā qui est in hoc mundo. Nec plus ad deijciendum potest terrena pœna, quam ad erigendum tutela diuina. Probata res est certamine fratrum glorioso, qui ad tormenta vincenda cæteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congressi in acie, donec acies succumberet victa. Quibus ergo vos laudibus prædicem fortissimi fratres? robur pectoris vestri, & perseuerantiā fidei quo præconio vocis exornem? Toleraſtis vsq; ad consummationem gloriæ, durissimam quæstionem, nec cessistis supplicijs, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem dolorum quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem deijceret, sed vt homines Dei ad Dominū velocius mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certamen, certamen Dei, spirituale certamen prælium Christi: stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem secularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos, steterunt torti torquentibus fortiores & pulsantes ac laniantes vngulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viscerum, torquerentur in seruis Dei iam non membra sed vulnera. Fluebat sanguis qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret.*

Omnes monendi sunt.

In causa Dei omnes quodammodo pares.

Quæ nobis excusatio reliqua fuerit, si victos nos, & cupiditatibus fractos, vitijs contaminatos dies illa conspiciat, quæ retributione omnium actionum spectabit? Mirabuntur nos tam degeneres nostri maiores, quia sine violentia & hoste prostratos fuisse intelligent. Leges à se latas, leges diuinas, leges Ecclesiæ suo sanguine sanctas, nobis graues fuisse obstupescēt. Grauem sacerdotib⁹ esse castitatē, sobrietatemq; pro monstro habebūt, tot millia virginū, quæ exquisitissima tormenta pertulerunt, ne pudicitiam violarent.

Caput est salutis in Ecclesia ad veteres canones omnia referre, veteres imitari. Monet suos episcopos hac de re S. Carolus Borrhomæus oratione ad primam Synodum Mediolan. *Morum autem disciplinam facile restituemus, si qua ratione, quibusue factis primum constituta, diuq; conseruata est, eandem nos in restituenda adhibebimus, illorum vestigia persequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo auctore, sua virtute pepererunt. Proponamus nobis quæso, Patres, illorū vitæ sanctitatem, & in admiratione sui officij sapientiam. Erāt integri, casti, simplices, modesti, humiles, bene morati, in oratione & lectione assidui, sui despicientes, in alienæ salutis cura & cogitatione defixi. Consilio & opera benigni, hospitales, in domestico cultu & victu parci, in alios benefici & liberales, erant vigilantes super gregibus suis, vineam Domini summa diligentia, & labore colentes & custodientes. Pascebant assidue oues sibi commissas, triplici salutis cibo, verbo, exemplo & sacramentis, moris quoq;, vt imitatores summi Pastoris Christi, qui pro vniuerso grege suo sanguinem, & vitam profudit, ipsi pro suarum ouium incolumitate quemuis excipere laborē, subire omnes casus, omnem vim atq; iniuriam perferre, denique vt bonus ille pastor Euangelicus animam suam pro ouibus ponere non dubitabant, nullum inde huius vitæ fructum exspectantes, vt maximos cœlestis retributionis fructus consequerentur. Hæc si, vt debemus, Patres, ante oculos habebimus, facile intelligemus, quid in restitutione Ecclesiasticæ disciplinæ nobis sit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animaduertendum erit, vt, quemadmodum in conformanda, & constituenda Ecclesiastica ratione Christus Dominus ab ipsis Apostolis quos Christianæ vitæ magistros esse voluerat, initium fecit, sic nos à nobis ipsis pastoribus, quos viuendi exempla & præcepta aliis tradere oportet, in conformanda restituendaq; morum disciplina exordiamur. Hæc officia si quo debemus studio, præstiterimus, parui profecto negotij erit, sedare controuersias, id quod nobis Tridentina Synodus faciendū proposuit. Nā sublata cupiditate, quæ est omnium radix, & semen dissensionum, facile præsentis temporis discordias cōponemus: nullum q; in posterum dissidendi locum cuiquā in prouincia nostra relinquemus. Quare ad piam hanc, necessariamq; muneris nostri curam ac diligentiam, Patres, toto pectore incumbamus: hoc acceptabili tempore, hac die salutis, quā fecit Dominus, emitamur, vt quantū cōsilio, opera, actionibus q; Spiritu S. duce, & moderatore possumus, tantum ad constituendam communis prouinciæ incolumitatem afferamus.*

Hoc exigit à sacerdotibus vniuersus orbis, qui non modo animas illis cōmisit, sed honoratos insuper opulētosq; esse voluit. Hoc Deus Ecclesiæ plantator, & animarū redēptor, ne vestra incuria pereāt, pro quib. Christus mortuus est. Hoc hæretici, qui clericorū vitijs offensi à religione & veritate diuortium fecerunt, atq; etiamnū eandem perfidiæ causam prætexunt.

FINIS LIBRI SEXTI.

POLI-

POLITICORVM

LIBER SEPTIMVS.

DE MAGISTRATV CIVILI.

CAPVT I.

Varia Magistratuum ratio.

Multiplex est Magistratus.

MAgistratus multis modis diuiditur. Primo secundum species Reipublicæ diuersas, itaque alius est Monarchicus, alius Aristocraticus, alius Politicus, seu Democraticus; atque in his singulis magna varietas cernitur. Deinde ex natura ipsa potestatis; alius est supremus, vt Rex, Senatus, populus; alius subordinatus, vt Vicerex, Consul, Demarchus. Tertio, ex fine proximo; alij enim ad consilium dandum, definiendumq; constituuntur, vt qui Regum, & Principum Consiliarij sunt; alij ad executionem eorum, quæ statuta sunt, vt Consul, Prætor, Satrapas. Atque hæc est ex ipsa re sumpta distinctio; nam alioqui consultationis, & executionis potestas crebro apud eundem residet, & ita esse expedit. Promptius enim, & prudentius consilia exequuntur viri prudentes, quorum ipsi participes, vel etiam auctores sunt.

Quarto. Distinctio maximè varia est, quæ sumitur à materia, circa quam, & homines circa quos magistratus versatur. Hinc alius Togatus, alius Bellicus, & vterque in magna rerum, negociorumque varietate versatur. Hinc Vrbani, & Prouinciales.

Non vni committenda pluua.

§. 2. Grauiter itaque Reipublicam lædunt, qui magnarum aut multarum rerum curam, imo aliquando omnium vni committunt.

Nunquam res illa feliciter cessit, Sejani, Plautiani, Ruffini, Eutropij, Stilicones, Ablauij, atroces exitus habuerunt: Et mediæ ætatis homines quos nimia cura oppressit, etiam indignatio Principum consecuta est, & Belisarium, Narhetem, Petrum Vineam Campanum, qui apud Fridericum secundum omnium secretorum conscius, & moderator, cum dignitate dejectus, oculis infuper priuatus esset, in furorem actus se ipse occidit: nec eis, quos nostra tempora mirata sunt, feliciter cecidit nimia potentia. Vno penè anno in Germania, Gallia, Hispania summates cecidere.

Quod si prudenter Alphonsus detestabatur Principes Consiliariorum mancipia, alieno arbitrio omnia agentes, quanto magis detestabimur eum, quem vnius malilitiosa calliditas in potestate tenet? Optime Aristoteles libr. 4. c. 15. polit. *Nam in magnis fieri & potest, & debet, vt vnus Magistratus vni rei præpositus sit. Fieri enim potest, vt multi se conferant ad Principatus, ad imimperia, quia multi sunt ciues: ita vt alios magistratus diu intermittere, alios semel gerere liceat. Tum præstat vnicuique rei & actioni curationem obtingere in vno negotio positam atque occupatam, quam multis districtam. In paruis vero multos magistratus ad paucos homines conferre & contrahere necesse est. Nam propter hominum paucitatem & penuriam non est facile multos in Magistratibus esse.*

§. 3. De forma Reipublicæ, fine, regentium virtutibus, & vitiis jam præcedentibus libris dictum est. Nunc Magistratibus Respublica instituenda est, singulorumque officia sunt exponenda, ac præcepta specialia quædam adjungenda. Et primum quidem de summo.

Et mihi non immeritò miseranda mortalium conditio videtur, qui cum soli animalium sine Republica & Imperio viuere non possint, solitamen aduersum imperantes maligni sunt, & contumaces. omnibus in rebus vinci dolemus, etiam in ijs in quibus est vinci nobilius. Auiditas eminendi atque imperandi, nec finem habet, nec modum, subesse autem alteri nemo nisi necessitate patitur. Solus homo, nec regere se ipse, nec rectorem ferre potest.

CAPVT II.

Monarchæ creandi ratio.

§. 1. CElebrrima apparatuum magnificentia, variaque pompa cæremoniarum Monarcharumelectio, & inauguratio peragenda est.

Imperii ornamenta apud vulgus auctoritatẽ conciliant.

Hoc enim postulat rei mgnitudo, quæ vt omnibus etiam imprudentibus sit conspectio r, splendoris externi accessione ornanda est. Deinde tam magnæ sunt in Principatu, continuæque difficultates, vt nemo eum suscipere, nisi illis quasi illecebris ad ingentes illos labores inducatur; nam immanissimæ belluæ curam Reges suscipiunt. Verè Plato dixit: Si ciuitas bonorum virorum esset, ἀθεμίστιτον ἂν εἶναι τὸ μὴ ἄρχειν ὥσπερ νῦν τὸ ἄρχειν. *Foret vt tain fugiant, quam nunc ambiunt imperia.*

Curas igitur mordaces, quasi faciles, & pericula specioßissima facere oportet, ne eorum grauitas appareat.

Difficilis res imperium.

Monarcharum Electores securi sint.

§. 2. Cum eligitur Monarcha, securitati, libertatique electorum vnice prospiciendum est. Accurate ea de prospectum est in Imperio Romano, nam omnibus ad electionem profecturis, non modo patere omnia territoria jubet Aurea Bulla Car. Quarti; sed omnes obligat, vt nemo impediat, conductumque illis præstari jubet. *Statuimus insuper & mandamus vniuersis aliis Principibus, Feuda à Sacro imperio Romano tenentibus, quocunq; nomine censeantur, nec non Comitibus, Baronibus, Militibus, Clientibus, Nobilibus, & Ignobilibus, Ciuibus, & communitatibus, castrorum, ciuitatum, & locorum Sacri Imperii vniuersis, vt eodem tempore, dum videlicet Regis Romanorum, in Imperatorem promouendi, Electio celebranda occurrerit, vnumquemq; Principem Electorem, ab ipsis vel eorum aliquo, conductum huiusmodi postulantem, vel eiusdem nuntios, quos ad electionem ipsam direxerit (vt præfertur) per territoria sua, & alias quanto potuit remotius, absq; dolo, modo præcedenti conducant. Si qui vero huic nostræ constitutioni contraire præsumpserint, subscriptas ipso facto pœnas incurrant. Omnes quidem Principes, & Comites, Barones, Nobiles, milites, clientes, ac vniuersi contrarium facientes, reatum periurii, & priuationem omnium Feudorum, quæ à S. Rom. Imp. & à quibuscunq; aliis obtinent, & etiam omnium possessionum suarū, à quocunq; habitarum subeant. Omnes quoq; ciues, & communitates, contra præmissa facere præsumentes, similiter sint periuri, & nihilominus vniuersis suis iuribus, libertatibus, priuilegiis, & gratiis à sacro obtentis imperio, sint omnino priuati, & cum personis, ac bonis suis omnib. Bannum, proscriptionemq; imperialem incidant, atq; eosdem ipso facto ex nunc, prout ex tunc, iure priuamus, deinceps cuiuslibet hominum auctoritate propria, & sine iudicio, seu inuocatione magistratus cuiuslibet impune licebit inuadere, nullamq; pœnam propter hoc, inuadens ipsos debebit ab Imperio seu quouis alio formidare, præsertim, cum contra Rempublicam & Sacri Imperii statum & dignitatem, ac etiam, contra honorem proprium & salutem, tantæ rei temerarii neglectores, tanquam rebelles, inobedientes, & periuri infidelitei etiam peruersè agere conuincantur.*

Electorum securitas magnis pœnis sancitur.

Decernentes insuper & mandantes, vt omnium ciuitatum ciues & communitates, iam dictis Principibus, Electoribus, & eorum cuilibet hoc poscenti, eorumq; nuncijs, victualia in communi precio atq; cursu, pro suis, seu nunciorum prædictorum, hominumq; suorum necessitatibus dum ad prædictam ciuitatem, causa celebrandæ Electionis prædictæ accesserint, & etiam dum discesserint ab eadem, vendere, seu vendi facere teneantur, nullam in præmissis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioqui contrarium facientes, pœnas volumus illas ipso facto incurrere, quas in præcedentibus contra ciues, & communitates diximus promulgandas.

Quisquis insuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, Nobilibus, seu Iguobilibus, ciuibus, seu communitatibus ciuitatum, Principi Electori ad Electionem de Rege Romanorum celebrandam euntj, vel ab ipsa denuo redeunti, hostiles custodias tendere, seu insidias parare præsumpserit, aut ipsos, vel eorum aliquem, in sua, vel suorum personis, aut rebus, inuadere, vel turbare, seu ipsorum, vel alicuius eorum nuncios ante dictos, siue conductum petierint, siue etiam non duxerint exigendum, hunc vna cum vniuersis malitiæ suæ complicibus, ipso facto supra dictas pœnas decreuimus incurrisse. Ita videlicet, quod quæuis persona pœnam incidat, siue pœnas, quas iuxta præmissa, pro qualitate personarum, duximus infligendas.

Si vero aliquis Princeps Elector, cum aliquo suo Coëlectore inimicitias gereret, & inter eos quæcunq; contentio, controuersia, seu dissensio verteretur, his nequaquam obstantibus alter alterum, vel alterius nuncios, ad Electionem huiusmodi destinandos, præuiso modo conducere sit astrictus, sub pœna periurii, ac perditionis, ea vice duntaxat, suæ vocis in Electione, vt supertus est expressum.

Cū de Reipubl. summa agitur,

Si qui vero alij Principes, Comites, Barones, Milites Clientes, Nobiles, & Ignobiles, ciues, vel communia ciuitatum, cum aliquo Principe Electore, vel pluribus ex eisdem, aduersam gererent voluntatem, seu quæuis discordia inter ipsos ad inuicem, vel guerra, siue dissensio verteretur, nihilominus omni contradictione & dolo cessantibus, Principi, Electori, vel Principibus, seu eius, vel ipsorum nuncijs, ad electionem huiusmodi destinandis, & redeuntibus ab eadem, talem debeant præstare conductum, prout singuli pœnas iam dictas per nos, videlicet in se latas, voluerint euitare: quas eos, qui secus fecerint, incurrisse decernimus eo ipso.

simultates priuatæ seponenda sunt.

Atque hoc est in electione Summi Imperatoris caput, vt vera libertate ex multis eligere Principibus possint, qui omnibus præsit. Neque enim censenda electio est, vbi metus suffragia inuitis extorquet.

§. 3. Nec minus in ipsa, electioni designata ciuitate securitatem præstat Imperator. *Iniungimus autem ciuibus Francofurtensibus, & mandamus, vt ipsis vniuersos Principes Electores in genere, & quemlibet eorum, ab inuasione alterius, si quid inter eos aduersitatis emergeret, & etiam ab omni homine, cum omnibus eorum hominibus, quos ipsi, & eorum quilibet in præfato ducentorum equorum suorum numero, ad præfatam duxerint ciuitatem, in virtute iuramenti, quod super hoc ipsos ad sancta præstare statuimus, fideli studio, & solerti diligentia protegant ac defendant, alioquin periurii reatum incurrant, & nihilominus omnia sua iura, libertates, priuilegia, gratias & indulta, quæ à sacro obtinere noscuntur Imperio, omnino amittant. Bannum quoq; Imperiale, cum personis, & bonis suis omnibus incidant eo ipso: Et liceat ex tunc omnium hominum authoritate propria, & sine iudicio ciues eosdem, quos eo casu ex prout ex tunc, omni iure priuamus, tanquam proditores, infideles, & rebelles Imperii, impune inuadere, ita quod inuadentes huiusmodi, pœnam quamcunque, à Sacro imperio, vel quouis alio, nequaquam debeant formidare. Ciues insuper ante dicti Franconfurt. per omne tempus illud, quod super electione sæpe dicta tractari & agi contigerit, neminem in præfatam ciuitatem, cuiuscunq; dignitatis, conditionis, vel status exstiterit, intromittant, vel intrare, quouis modo permittant, Principibus electoribus, vel eorum nuntijs, vel Procuratoribus antedictis, duntaxat exceptis, quorum quilibet cum ducentis equis debebit, vt prædictur, intromitti. Si vero post ipsorum Principum Electorum introitum, seu in ipsorum præsentia, in præfata ciuitate aliquem, reperiri contigerit, illius exitum ciues ipsi debebunt, absque mora & cum effectu, protinus ordinare, sub omnibus pœnis, contra ipsos superius promulgatis, & etiam in virtute iuramenti, quod ciues ipsi Francofurtenses super eo, virtute præsentis Constitutionis præstare debebunt ad sancta, vt in præcedentibus est expressum.*

Eadem cautio Cardinalibus ad Comitia Pontificis eligendi proficiscentibus, & Romæ in conclaui seclusis fere adhibetur.

§. 4. Finis est, vt positis affectibus, non sibi, sed Reipubl. vtilem virum eligant; ita electores in imperio jurare consueuerunt, vt est in Bulla Aurea tit. 2. *Peracta quoq; Missa huiusmodi, omnes illi Electores Ecclesiastici, coram Euangelio Beati Ioannis (in principio erat verbum) quod illic ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reuerentia supponant. Seculares vero Principes Electores dictum Euangelium corporaliter manibus suis tangant, quibus omnes cum tota sua familia tunc ibi debebunt inermes assistere. Et Archiepiscopus Moguntinensis formam iuramenti ei dabit, & vnà cum ipsis, & ipsi, vel absentium Nuntii vnà cum eo iuramentum præstabunt, vulgariter in hunc modum.*

Ego N. Archiepiscopus Moguntinensis, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, & Princeps Elector, iuro ad sancta Dei Euangelia, hic præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem, qua Deo, & Sacro Romano Imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem & intellectum meum, cum Dei adiutorio, eligere volo temporale caput populo Christiano, id est, Regno Romanorum, in Cæsarem promouendum, qui ad hoc existat idoneus, in quantum discretio & sensus mei me dirigunt, & secundum fidem prædictam: vocem meam, & votum, siue Electionem præfatam, dabo absq; omni pacto, stipendio, pretio, seu promisso, vel quocunque modo

talia

talia valeant appellari, sic me Deus adiuuet, & omnes Sancti.

§. 5. Non tamen semper vel in Imperio Romano, vel alijs regnis Cærimoniarum illa Pompa seruata est; interdum ambitio, interdum pericula subito omnia raptimque peragere compulerunt. Saulem sollenniter Samuel designauit; Dauidem clam vnxit, & Saule mortuo ille partem regni tenuit, Roboamum Iudas, Ieroboamum Israël transmissis ritibus Reges dixerunt. Iehu subito elatus est in Regem, Claudium milites protraxerunt pauitantem.

Occasio sæpe omnes ritus tollit.

Tiberius continuo potestatem vsurpauit, nomen ficte recusauit. Milites ipsi innumeros crearunt, postquam Senatus auctoritas collapsa est. A Claudio initium fuit, inde tot monstra hominum orbem infestarunt.

Verum hoc in Republica agendum, ne in humilimorum suffragijs sit tantæ potestatis statuendæ arbitrium, nec vllo modo in manu militari, nam reuera eum quærunt, sub quo sit plurimum licentiæ, minimum justitiæ.

Hinc diu etiam seruatum, vt electi absque Senatus auctoritate non plene regnarent. Imò Regum etiam tempore id vsitatum; nam L. Tarquinio Prisci filio genus Regium non conciliauit imperium, sed æmuli dolus euertit. Verum crescentibus vitijs non supererat Senatui, nisi delectos adorandi, adulandique seruile obsequium.

Quo tamen quisque melior erat Imperator, eo pluris Senatus auctoritatem faciebat, vt Vespasianus, Titus, Trajanus, Tacitus, Pertinax, alij. Hinc factum vt Imperatores lecti à Senatu militibus crebro inuisi essent.

Vnicũ inter electores honestũ certamen.

Rarum exemplum est in Tacito, de quo Vópiscus. *Exercitus qui creare Imperatorem raptim solebat, ad Senatum literas misit, petens, vt ex ordine suo Principem legeret. Verum Senatus sciens à se lectos Principes militibus non placere, rem ad milites detulit. Dumq; id sæpius fit, sextus peractus est mensis.*

Denique omnis Senatus acclamauit, Tacite Auguste, Dii te seruent, te diligimus, te Principem facimus. Verum hoc non modo rarum, sed vnicum omnino fuit.

Nunc ad optimates, septem electores ea potestas translata est, & certamina vetera consederunt.

Scutis in altum tolluntur.

§. 6. Milites scuto aut lectica Imperatores eleuabant, ita Mauritij tempore factum, vt refert Dracon. libro decimo septimo de Germano. sic Phocam milites πεοεσήσαντο, ὅτι ἀσπίδων τε εἰς ὕψος ἐξάραντες ἐκφήμην ἐκτόπως τὴν ἀναγόρευσιν. *Principem fecerunt, super scutum extollentes, sauſtis acclamationibus prosecuti renunciarunt.* Iehu quia in Concilio electus est à Deo, Principum pallijs sublatus est.

§. 7. Romani Imperatores in Palatium deducebantur, Capitol. in Pertinace. Sed jam electi; Iræclitæ in mulam Regiam, & solium collocabantur 3. Regum cap. 1. 34. Milites pro solio suggestum plerumque è cespite faciebant. Suetonius in Vitellio. Sed imponi scuto vsitatum fuit: Etiam imitati sunt Caninefates Tacitus libr. 4. Claudianus testis:

Sed cum mox SOLITA miles te voce leuasset, &c.

Hoc tamen factum non est, cum in vrbe Romana, aut Constantinopolitana eligerentur, verum Romæ mox Senatui & exercitui gratiæ agebantur; Constantinopolitani in circum, vt populum salutarent, & fausta precationes audirent, deferebantur.

Nunc verò deductio, siue solennis curia instituitur ex lege Caroli Quarti titulo 24. *Die qua solennis Curia Imperialis, vel Regia fuerit celebranda, veniant circa horam primam Principes Electores, Ecclesiastici, & Seculares, ad domum habitationis Imperialis, siue Regalis, & ibi Imperator, vel Rex ipse omnibus insignijs Imperialibus induetur, & ascensis equis omnes vadant cum Imperatore, vel Rege ad locum Sessionis aptatæ, ibique quilibet eorum in ordine & modo, supra in lege de ordine processionis ipsorum Principum Electorum, plenius desinito.*

Portabit enim Archicancellarius, in cuius Archicancellariatu hæc fuerint, super Baculo argenteo omnia Sigilla, & Tiparia Imperialia, siue Regalia. Seculares verò Principes Electores, sceptrum, pomum & ensem, secundum quod superius exprimitur, deportabunt.

Portabuntur quoque immediate ante Archiepiscopum Treuirensem, suo loco transeuntem, primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis Corona, & hoc ante Imperatorem duntaxat, quia iam Imperialibus insulis est decoratus, quas gestabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem, iuxta placitum deputandi. Imperatrix etiam, vel Regina Romanorum suis augustalibus amicta insigniis, post Regem vel Imperatorem Romanorum, ac etiam post Regem Bohemiæ, qui Imperatorem immediate subsequitur, competentis spatij interuallo suis associata Proceribus, suisque comitata Virginibus ad locum Sessionis procedat.

Quin & mensæ rationem idem persecutus est, tit. vigesimo quinto. *Statuimus, vt quandocunque Imperator, vel Rex Romanorum, solennes Curias suas celebrauerit, in quibus Principes Electores sua deseruire seu exercere debent officia, subscriptus in his ordo seruetur.*

Primo enim, Imperatore, vel Rege ipso in sede Regia, siue Solio Imperiali sedente, Dux Saxoniæ officium suum agat hoc modo: Ponetur enim ante edificium Sessionis Imperialis, vel Regiæ, aceruus auenæ tantæ altitudinis quod pertingat vsque ad pectus, vel antelam equi, super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, quæ simul faciant in pondere duodecim marchas argenti, & sedens super equo, primo mensuram eandem de auena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem. Quo facto, figendo baculum in auenam recedet, & Vicemareschallus eius, puta de Pappenheym, accedens, vel eo absente, Mareschallus Curiæ auenam ipsam distribuet.

Ingresso vero Imperatore vel Rege ad mensam, Principes Electores Ecclesiastici, videlicet Archiepiscopi, stantes ante mensam cum cæteris Prælatis, benedicent eidem secundum ordinem, qui circa hæc eis in superioribus est præscriptus. Et benedictione completa, iidem Archiepiscopi omnes si adsunt, alioquin duo, vel vnus, Sigilla, & Tiparia, Imperialia, siue Regalia à Cancellario Curiæ recipient, eoque in cuius Archicancellariatu Curiam ipsam celebrari continget, in medio procedente, & alijs duobus ex alterutro latere subiunctis.

Sigilla & Tiparia ipsa, omnes quidem baculum, in quo suspensa fuerint, manibus contingentes, eo portabunt & ante Imperatorem, vel Regem reuerenter ponent in mensa, Imperator vero, siue Rex, eadem ipsis statim restituet, & in cuius Archicancellariatu hoc fuerit, vt præfertur, is maius sigillum collo appensum, vsque ad finem mensæ, gestabit, & deinceps, donec ad hospitium suum perueniat, ab Imperiali, siue Regali Curia equitando. Baculus vero, de quo præmittitur, esse debebit argenteus, duodecim marchas argenti habens in pondere, cuius tam argenti, quam pretij partem tertiam, vnusquisq; Archiepiscoporum ipsorum persoluet: & Baculus ipse protinus vna cum Sigillis & Tipariis debet Cancellario Imperialis Curiæ assignari in vsus suos beneplacitos conuertendo. Postquam autem is, quem ordo tetigerit, portando sigillum maius, ab Imperiali Curia ad hospitium suum redierit, vt præfertur, statim sigillum ipsum, per aliquem

quem de familiaribus, prædicto suis Imperialis Curiæ Cancellario remittet super equo, quem iuxta propriæ dignitatis decentiam, & amorem, quem ad Cancellarium Curiæ gesserit, ipse Cancellario tenebitur elargiri.

Deinde Marchio Brandenburgensis Archicamerarius, accedat super equo, habens argenteas pelues cum aqua in manibus, ponderis duodecim marcharum argenti, & pulchrum manutergium, & descendens ab equo, dabit aquam Imperatori vel Regi Romanorum manibus abluendis.

Comes Palatinus Rheni intrabit similiter super equo, habens in manibus quatuor scutellas argenteas cibis impletas, quarum qualibet tres marchas habeat in satera, & descendens ab equo portabit, & ponet ante Imperatorem vel Regem in mensa.

Posthæc Rex Bohemiæ Archipincerna veniat similiter super equo, portans in manibus Cuppam vel scyphum argenteum, ponderis duodecim marcharum coopertum, vino & aqua permixtim impletum, & descendens de equo, scyphum ipsum Imperatori vel Regi Romanorum porrigit ad bibendum.

Sicut autem hactenus obseruatum fuisse comperimus, ita statuimus, vt peractis per Principes Electores seculares prædictis ipsorum officiis, ille de Falckenstein, Subcamerarius, equum, & pelues Marchionis Brandenburgensis pro se recipiat.

Magister Coquinæ de Nordenberg: equum & scutellas Comitis Palatini: Vicepincernæ de Lymburg: equum, & scyphum Regis Bohemiæ: Vicemarschallus de Papenheim, equum, baculum & mensuram prædictam Ducis Saxoniæ, si tamen ipsi in tali Imperiali seu Regali Curia præsentes existant, & eorum quilibet in officio suo ministret: Si verò ipsi, vel eorum aliqui à præfata Curia se duxerint absentandos, ex tunc Imperialis, vel Regalis Curiæ quotidiani ministri, vice absentium, puta, quilibet in loco eius absentis, cui in vocabulo, seu officio communicat, sicut gerit officium, sic tollat in præmissis & fructum.

Imperialis insuper mensa, vel Regia sic debet aptari, vt vltra alias aulæ tabulas, siue mensas in altitudine sex pedum sit altius eleuata, in qua præter Imperatorem Romanorum duntaxat, vel Regem, die solennis Curiæ nemo penitus collocetur.

Sedes verò & mensa Imperatricis, siue Reginæ parabitur à latere in aula, id quod ipsa mensa tribus pedibus Imperiali, siue Regali mensa sit bassior, & totidem pedibus eminentior supra sedes Principum Electorum, qui Principes suas inter se vna eademque altitudine sedes habebunt & mensas.

Infra sessionem Imperialem, mensæ pro septem Principibus Electoribus Ecclesiasticis, vel Secularibus præparentur, tres videlicet à dextris, & tres aliæ à sinistris, & septima directe versus faciem Imperatoris, vel Regis, sicut superius in Capitulo de Sessionibus & Ordine Principum Electorum, per nos est clarius definitum.

Itaetiam quod nullus alius, cuiuscunque dignitatis, vel status existat, sedeat inter ipsos, vel ad mensas eorum.

Non liceat autem alicui prædictorum secularium Principum Electorum, peracto officii sui debito se locare ad mensam, sibi paratam, donec alicui suorum Comprincipum Electorum eius officium restat agendum; Sed cum aliquis eorum, vel aliqui ministerium suum expleuerint, ad præparatas sibi mensas transeant, & iuxta illas stando exspectent, donec cæteri ministeria, sua expleuerint supra dicta, & tunc demum omnes, & singuli pariter ad mensas suas sibi positas, se locabunt.

CAPVT III.

Monarcharum vnctio, & coronatio rectè vsurpatur.

§. 1. INdignatur Petrus Pseudomartyr in cap. decimo nono libr. 3. Reg. Reges Christianos injungi. *Sed cum iam loquamur de huiuscemodi vnctionibus, quibus peculiariter verbum Dei adiectum fuit, non satis mirari possum, cur ad Reges & Imperatores Christianorum traductæ fuerint. Scio nonnullos dicere illam rem esse Politicam, & ideo posse retineri: Sed qui hoc respondent falluntur & fallunt. Nam habetur pro religiosa ceremonia, & ideo in templo fit, nec per alios quam per Episcopos & Cardinales in templo exercetur. Probatur quidem mihi, vt & Reges & Imperatores publice inaugurentur suffragiis & acclamationibus populi, & maxime piis precibus interpositis, vnctionem vero non duco esse reuocandam à ceremoniis Iudaicis. Multoque minus eam laudo, qua sacrifici & Episcopi vnguntur.* *Hæresis ingenium omnia carpere.*

Verum ne suis quidem persuasit negligendam vnctionem; Reges enim Britanniæ, alijq; ne non sint vncti, seu Christi Domini, cum regnis suis inaugurantur, oleo vnguntur.

Martyris vmbratici error est ex eo, quod Cærimoniam Iudaicam arbitretur vnctionem Regum, ideoque non reuocandam; ne scilicet Iudæi videamur. Ab hoc eum errore vindicare Scripturæ consideratio potuit. Nam Judic. 9.

Antiquus vngendiritus.

חליך חלבי העציים Haloch halechu haghazim
למשח עליהם מלך Lemischach ghalehĕ melech.

Eundo iuerunt ligna ad vngendum super se Regem. Ex modo communi regum consecrandorum loquitur Ioatham filius Gedeonis, cur enim dicit לִמְשֹׁחַ *ad vngendum*, si nemo Regum vngebatur? Cur τοῦ χρίσαι; non τοῦ ποιῆσαι, καθεσῆσαι;

Iudicum igitur temporibus, cum nondum esset Rex in Israël, aliarum gentium Reges inungebantur. Imo ipsa oliua versiculo nono respondet. Nunquid possum deserere pinguedinem meam, אשר בי יכבדו אלהים * qua & dij vtuntur, & homines, seu vt ἣν ἐν ἐμοὶ ἐδόξασεν ὁ θεὸς, καὶ οἱ ἄνθρωποι; *quam in me honorificauit Deus & homines*, alij qua in me honorificant Deos & homes. Quod Iunius & Tremellius interpretantur, *quia oleum ad sacrificia, vngendos Reges, Sacerdotes, Prophetas adhibetur?* Quanquam non recte verterunt illi versum octauum interpretati sunt enim, *iuerunt vt crearent super se Regem*; qua interpretatione pulcherrimi ritus antiquitatem obscurarunt.

* Ascher bi jechabbeduElohim.

Non igitur Iudaicus est ritus, sed Orientalium Regum, quanquam barbaræ quædam gentes, vt Persæ & Medi alijs Cærimonijs vsæ videantur. Nam Reges Persarum vestem Cyri induebant, Palathen fici edebant, terebynthum gustabant, & poculum oxygalactis ebibebant. Plutarch. in Artaxerxe. Cyrus tamen Christus Domini dicitur, itaq; eum peculiariter vnctum arbitror, idque consilio Danielis, & Israëlitarum.

Cyrus vnctus præter consuetudinem Persarum.

Secundo queritur citra verbum Dei Christianos Reges inungi. Quod si animaduertat consuetudinem gentium fuisse, quam Hebræi imitati sunt, non magis nostros Reges, quam Orientales accusabit. Nam Hebræi vtà gentibus diademata, solia, sceptra, aliaque insignia, ita quoque vngendi ritum mutuati sunt, & ab vtrisq; Christiani Reges. Nemo sanus

sanus iudicare potest, nullas cærimonias ritusue in Rempublicam admittendos, nisi speciale sit præceptum à Deo sacris literis expressum. Deinde vnctionis significatio non modo Hebræorum & orientalium gentium regibus, sed nostris quoque conuenit; qui & ipsi Christi Domini sunt, & nominantur. Doctissime hac de re scripsit præceptor meus Nicolaus Serarius in c.10. lib.1. Regum. De vnctione *nota primo, An apud alios populos & ante hoc tempus vlla Regum vnctio fuerit, non constare: nisi quod Iudic.9. v.8. allusio fieri videatur ad vnctionem, quæ illis temporibus vsitata iam erat, non tamen apud Iudæos, cum Regem nunquam adhuc habuissent, sed apud alias gentes, vti 3. Reg.c.19. D. Hieronym. Isa.45. quomodo apud nos diadema & purpura solis imperatoribus datur; sic apud Hebræos regnaturi perfundebantur vnguento, Vnde & Saul Christus dicitur, & Cyrus, Isa.45.*

Secundo fiebat vnctio primo, oleo, quod cum duplex esset, sacrum seu vnguentum, & commune, & illo solo Pontifices ac sacerdotes vngerentur, Exod.29. vtroque tamen Reges vngi poterant: sacro quidem 3. Reg.1. communi 3. Reg.19. Quidam, vt Vatablus, putant sacro Saulem vnctum fuisse, quod è tabernaculo ad se afferri curasset Samuel, vel ipsemet vt Pontifex & Propheta iam sacrasset. Hebræi tamen apud eundem docent, solos vnctionis oleo Reges ex Iuda, & domo Dauid vnctos fuisse, Saulem communi quod reprobandus esset, idque magis probat Abulensis quæstione prima. Continebatur ustud vasculo, quod lenticulam hic & libro quarto, capite nono. vertit interpres, non à liniendo, vt vult Abulensis, sed à lenticulari figura, de qua libro trigesimo septimo, capite duodecimo Plinius. Et patet ex nomine græco hic, quod hebræo simillimum. Vocatur interdum cornu, vt infra capite decimo sexto. lecytus libro tertio, capite decimo septimo. Fundebatur vnguentum istud super Regis caput, sicuti & Pontificis, cum eo minores tantum sacerdotes aspergerentur. Exodi vigesimo nono. Et vngebatur interdum quidem à Prophetis, quando Rex eius modi occultus & incognitus adhuc erat. Ordinarie tamen à Pontifice 3. Regum 1. 2. Paralipom. 23. Interdum etiam ab inferioribus sacerdotibus fieri potuisse videtur, si Pontifex morte aut morbo abfuisset, cum & hic ab inferioribus illis vngi solitus esset. Per suos ministros dicebatur Deus vngere, vt hic versu primo. vel populus, vt 2. Regum 2. Cæremoniæ vero nullæ quidem à lege diuina præscriptæ fuerant, sed humanis quibusdam legibus & consuetudinibus hæ seruabantur. Prima, futurus Rex in sede collocabatur, secunda, diademate ornabatur. 2. Paralipom. 23. 4. Regum 11. tertia, vngebatur. quarta, et dabatur in manus liber legis, id est, Deuteron. quinta, iurabat in ipsius obseruationem. sexta, sacrificia fiebant omnis generis 3. Regum 1. & hic infra capite vndecimo. quemadmodum apud Herodianum libro secundo. septima, edebantur varia letitiæ & approbationis signa, 3. Regum 1. hic versu vigesimo quinto, vigesimo septimo. De vnctionis Regũ antiquitate dixi capite nono. Iud. quæstione decima. Persarum vero Reges induebãt Cyri vestem, & ficus palathen cum edissent, terebinthum etiam gustabant, & opygalactis poculum ebibebant, teste Plutarch. in Artaxerxe.

Cur vero sic vngerentur Reges causa duplex fuit, Prima vt quemadmodum Pontificis inter sacros ministros summa erat excellẽtia & dignitas, sic & sũma regis inter politicos principes, significaretur, vt ait Abulensis quæstione 1. Secunda, vt significaretur, ipsis à Deo gratiam & robur dari, ad religionis & Ecclesiæ, populi & hæreditatis Dei defensionem, vt explicat Augustinus Triumphus de potestate Ecclesiastica, quæstione 38. articulo 2. Chrysostomus homil.4. Act. Eliæus per exuuium ouillum accepit gratiam: rursum alius per oleum, vt Dauid: Moyses vero per ignem rubi vocatur. idem orat.3. contra Iudæos, quoties (ait) esset aliquis inungendus deuolabat spiritus gratia, & insiliebat in vnguentum. & homil.4. Philip. misericordiæ καὶ τῆς φιλανθρωπίας σύμβολον est: ideoque vngebantur sacerdotes, Reges & Prophetæ. D. Augustinus (vt citatur à P. Gretsero Anti. p. 525.) dicit Saulem, licet sceleratum, habuisse sanctitatem sacramenti & vnctionis; sed non innocentiæ. Tertia etiam esse causa quinerit, vt verum mundi totius Regem significarent: Messiam scilicet siue Christum, de cuius regno vide D. Thom. Bellarmin. Soarez, &c. Lapis ille quem (ait Augustin. cap.6. lib.2. Trin.) Iacob posuit ad caput, Genes.28. etiam vnctionem ad significandum Dominum, qui petra dicitur, assumpsit, quanto magis isti Reges? Et si vnctione suam eum sacerdotes significabant, quid ni & Reges? Nam ipse & sacerdos, & rex, & propheta. Hac vnctione fiebat etiam, vt reges essent sacrosancti & Christi vocarentur seu Messiæ, infra capite 24. 26. libro 2. capite primo. 1. Paralip. 16. Psal. 104.

Nota tertio. Hinc etiam vnctionis ritus in Christianis Imperatoribus & regibus iam olim vsitari cœpit, vt patet ex cap. Venerabilem extra. de electione, cap. cum venisset, extra de sacra vnctione. Ex August. Triumpho lib. c. Aimonio libro 1. cap.15. libro 5. cap. 49. Hincmaro, Forcatulo libro sexto, de imperio Gallorum. Et duplici quasi miraculo istius vnctionis ritum approbauit Deus, Primo cœlesti donatione & conseruatione ampullæ, quæ Rhemis asseruatur, vti se diligentissime ipsam contemplatum fuisse scribit in Energumenico suo Faius senator Parisiensis & Præses. Secundo, potestate, quam vncti in Gallia reges habent in struma curanda, vt idem ibidem scribit, & Granatensis libro secundo, catech. capite vigesimo septimo. & ex hæreticis fatetur Gaspar Peucerus, de incantationibus, fol. 156. Et affirmant, qui præsentes adfuerunt, & viderunt, anno 1607. consule & Polyd. Virg. hist. Angl. libro octauo. in Eduardo rege. Blesen. epistola 150. vbi Scrophulas vocat: quia ei morbo scrophæ obnoxiæ. Plin. lib.11. cap.17. Cels. l.5. c.38.

De Imperatoribus videatur Bellarmin. lib.1. de translatione imperij cap.4. lib.2. cap.2. Thomas Bozius lib.17. signo 76. Olim Imperatores, (inquit Krantzius libro 1. Metropolis) non passi sunt viuere Pontifices, nunc non habetur Imperator, nisi quem Romanus Pontifex confirmarit, consecrarit. Domini est terra, transfert regna, dignissimeque ad suum in terris vicarium hoc sacrum mysterium delegauit. Videatur & Castaldus tract. de Imperatore quæstione 21. & seq. Irenicus libro 3. Germ. cap.30. De coronatione Caroli Magni vide Constant. Manas. de Ludouico Baro. tomo 9. ex Thegano. Multa quæ huc spectant sunt apud eundem Baron. tomo 8. addatur Onuphrius de comitiis Imperatorum veterum, & insignibus. Constantinopoli (ait) vel sub Iustiniano, vel post eius obitum, electioni Imperatoris additum; vt cum primum Imperator renuntiatus esset, à Patriarcha Constant. in magna Byzantij Basilica oleo vnctus, diademate aureo redimeretur, quem ritum coronationem appellarunt, exemplo ab antiquis Hebræorum regibus petito, & iterum de vnctione fol.395.396. & seq. vide Steuanum c.7. f.36. b.

Nulla igitur causa est, cur ritum veterem probatumque reijciamus, aut suspectum faciamus.

§.2. Non est inquam causa cur symbolum nostris regibus inuideamus, cum rem vltra demus; Ipse martyr symbolum esse concedit. *Vnctio regum symbolum erat externum, quo notabatur spiritualis facultas, quæ à Deo, pro suo fauore, ac benignitate, nouo regi conferebatur.* Erat symbolum potestatis, & gratiæ, quâ potestatem exerceret, & quod præcipue in rege quærebatur, victoriæ ac pacis. ita lib. 2. Reg. capite primo, versu vigesimo primo. Quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo. Quasi dicat vinci, & occidi non debuisset, cum esset vnctus oleo. Vnctio itaque symbolum erat, reges tanquam Deo consecratos, loco Dei iudicantes esse sacrosanctos, atque inuiolabiles. Hinc Dauid occidi Amalecitam præcepit, 2. Regum 1. 14. *Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres* Christum Domini. & versu decimo sexto. *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci* Christum Domini.

Vnctio signum victoriæ.

Et sanctitatis.

Hac

Hac de caussa veretur Dauid inimicum Regem occidere, *quia Christus Domini est*, 1. Regum 24. 7. & 11. & 26. 9. *Quis enim mittet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* & 23. Quin Dauid etiam doluit, vel minimum aduersi Christo Domini se intulisse. 1. Regum 24. 5. *Surrexit ergo Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc percussit cor suum Dauid eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. Dixitque ad viros suos: propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.*

Christus Domini sacrosanctus.

Hinc orta est consuetudo, vt oleam supplices præferrent, Ramo enim frondentis oliuæ, vittas & verba precantum jungebant, vt ostenderent, pacem petere, inuiolabiles esse, raroque fuere gentes tàm barbaræ, quæ legatos pacis violarent. Quod si ignoscere supplicibus nollent, eos tamen qui oleas præferebant, nequaquam occidebant, sed infecta re in vrbem remittebant, eandem cum ciuibus fortunam experturos.

Oleæ ramus.

Quocirca nunc vel maxime vngendi sunt Reges, postquam tot insidiatores Regum nouæ hæreses pepererunt.

Vnctio Imperatorum, & Regum Christianorum.

§. 3. Vetustus etiam fuit inungendi vsus in Christiana Republica, Clodoueus in Gallia inunctus est, atq; inde regnorum Christianorum prærogatiuam habet Rex Franciæ. Carolus Magnus à Leone inunctus est, vt scribit Diacon. libro vigesimo quarto. Et quidem à capite vsque ad pedes. Describit & Manasses:

ἔνθεν, ἀμειβόμενον τὸν κάρηλον ὁ λέων ἀναγορεύει κράτορα τῆς παλαιοτέρας ῥώμης, καὶ στέφων ἐτίθησι, ὡς οἱ ῥωμαίων νόμοι, ἐμοὶ οὐλὰ χρησόμενον καὶ νόμοις ἰουδαίων, σὺν κεφαλῆς μεχρὶ ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει, σὺν οἷδα ἵστι λογισμοῖς, ἢ ποίαις ὑπονοίαις, ὅτι ὁ πρῶτος ζωδεσμὸς τῶν πόλεων ἐῤῥάγη.

Inde vicem referens Leo Carolo veteris Romæ Imperatorem renunciat. Et ex legibus Romanis diadema circumdat. Quin etiam vsus legibus Iudæorum à capite vsque ad pedes eum oleo inungit, ob quas caussas, aut cogitationes nescio, sic primo vinculum vrbis est ruptum, Constantinopolis scilicet & Romæ.

Ab Episcopis vero inungi solent, sicut prisci Reges à Sacerdotibus aut Prophetis. Gregoras libro secundo Iustinianum statuisse, vt vrbs ea suis legibus viueret, ita tamen ne Reges Romanorum vngeret, hoc enim per leges alijs tributum est.

Theodorus Angelus Imperatoris sibi nomen assumpsit, & addit: χρίεται βασιλικῶς ὑπὸ τοῦ τηνικαῦτα τὴν τῶν βλαχίας ἐπισκοπὴν διέπον τος. *Et vngitur Regio more, ab eo, qui tunc Bulgariæ Episcopatum administrabat.*

Magni honoris est insigne vnctio Regia, eam ob caussam in Bulla Aurea titulo quarto. Rex Bohemiæ inter Seculares primum post Imperatorem sedendi locum habet, *cum sit Princeps coronatus, & vnctus.* Ita in Latino. Sed Germanicus textus habet: Wann er ein gesalbter vnd gekrönter König ist. *si vnctus & coronatus Rex sit.*

Sane Constantinopoli non nisi post vnctionem Imperator censebatur, in templo autem consecrabatur. Nicetas libro primo. Ταινιώσαντος αὐτὸν ὑπὸ νεῳ κυρίῳ τῷ αὐτοκρατορικῷ στεφανώματι παλαμᾶσθαι, ὃς καὶ χρίει ἱερὰ εἰσαφικόμενον μέλαθρα.

Coronante ipsum (Manuelem) *imperatorio diademate Patriarcha, qui & vnxit ingredientem in sacram ædem.*

§. 4. Omnibus vsitatum Regibus diadema est, adeo vt nunc quoque regna, & imperia coronæ vocentur. Variæ coronæ fuere; vetustissimæ autem tæniæ seu fasciæ candidæ. *Execrabilis fascia*; Ajebat Regina cum laqueum ex ea fecisset, & suspendium tentanti fracta esset, *ne nunc quidem vsui es.*

Diadema olim simplex, & vulgare.

Hinc Fauonius Pompejo inuidiam mouit, Varro libro 6. capite 2. cum enim ille candida fascia crus obligatum haberet, Perinde esse Fauonius dixit, qua corporis parte diadema gestaret. Lucianus Alexandrum διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, *cinctum caput candida tænia.* Silius libro 16. Vittam appellat.

Postea accessit purpura. Curtius libro sexto, Alexandro purpureum diadema distinctum albo attribuit. Constantinopolitanis, posterioribus sæculis ex sola purpura fuit, πυρσεῖν vocat Nicetas in Alexio.

Deinde ornatius fuit.

Postea gemmæ, & aurum accessit. Hinc Cedrinus vocat ταινίαν χρυσοπόρφυρον, tæniam purpuream. Segerius in vita Lodouici Crassi vocat, *phrygium ornamentum.*

Postea ipsum diadema ex auro fuit, ita Claudius fecit, teste Dione. Ita Cedrenus in Theodosio. Constant. gemmas addidit fulgentiores. Cedrenus. Πρῶτος πάντων διαδήματι ἐχρήσατο, καὶ μαργάροις, καὶ λίθοις πεπερυσμένον, *Primus vsus est diademate, & margaritis, & gemmis curiosius ornauit.* Nunc omnium regnorum coronæ auro, gemmisque graues sunt, & sæpe prouinciarum censum continent.

§. 5. Interdum solum diadema, seu fasciam gestabant Reges, interdum, diadema pileo circumdatum. Atque hoc est, quod Philo de vita Mosis scribit: Eoos Reges Cidari vti pro diademate; Cidaris pileus est rectus, altus, & quasi turritus, ante bucculas, pone infulas habebat, ejus medium candida fascia, stellulis lucida ambibat.

Diadema cum pileo.

Non ergo Cidarin pro diademate, sed in cidari diadema gestabant. Ita plane Xenoph. lib. 8. Pædias, ὁ κῦρος εἶχε διάδημα περὶ τῇ ἰδαρῃ. *Cyrus diadema habuit circa tiaram.* Tupham vocari vulgo tradit Zonaras in Basilio. Addidit postea ambitio radios. Stat. 7. Theb.

Ipse tuis alte radiantem crinibus arcum
Imprimat.

Et Maro:

Aurati bis sex radii fulgentia cingunt
Tempora.

Talia erant, quæ καμελαύκια dicebantur. Talis erat Causia Macedonicus corona vinctus.

§. 6. Quemadmodum nomen Regis exosum Romanis erat, ita & diadema sero sumptum, sane Iulius recusaui t, sed olim magna in eo pars dignitatis fuit.

Antonius Cæsari cum gemitu populi diadema imponere voluit.

Rex Ammonitarum diadema habuit, pondo auri talentum, habens gemmas precisissimas, & impositum est super caput Dauid 2. Regum, decimo 30. Quod diadema ferri à Rege non potuit, sed ita capiti imponendum fuit, vt à ministris sustentaretur.

§. 7. Hæc de nobili fascia potius, quam felice dicta sunto. Interim sentiunt pij Reges, quod vnus dixit, siue is Seleucus fuit, vt ait Plutarchus in libro de sera numinis vindicta, siue Antigonus, vt Stobæus sermon. 47: siue forte, vterque in tam spectata virtute consensit. Seleucus diadema considerans. *O nobilem inquit pannum potius, quam felicem. Quem si quis penitus pernoscat, tot curis refertum, ne humo quidem tollat iacentem.* Et Antigonus vetulæ felicitatem regiam miranti dixit. *O mater, si nosses quantis malis pannicu-*

Diadema spectabile, sed non felix.

lus ille

lus ille inuoluatur, ne de sterquilino quidem auferres. De veste, & purpura notius est, quam vt ea de re agendum sit, ad alia igitur accingamur.

CAPVT IV.

Regibus magnos honores exhibendos.

§. 1. HOnores augendo minuit adulatio: nam mediocres efficit contemptibiles, maximos vulgares. Eo enim vsq; procedit, dum ingenio deficiatur; nec nouum quicquam nisi inane, & ridiculum inueniat. Honores tributi Regibus, vel titulo tenus, vel cærimonijs, vel statuis templisque.

Diuinitas impietri-buta regi-bus.

§. 2. Tituli Regum, & Imperatorum alij liciti, alij illiciti fuere. Inter flagitiosos, & impios titulos refero, Diui, & Diuinitatis prisco sensu appellationem. Nam reuera honores diuinos hominibus decernebant, & Dij credi Reges volebant. *Dubitem esse Deus, cum faciam Deos?* Quos enim Diuos Latini dixerunt, Græci Deos appellant. Ita Iustinus martyr: Καὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἀποθνησκόντων αὐτοκρατόρων εἰκόνας ὅπλοις τετιμημένας ἀναθήματα καὶ θεοὺς διὰ γραμμάτων ἐπονομάζετε. *Et mortuorum Imperatorum imagines, hoc habitu ponitis, & Deos in scriptis appellatis.* Tert. in apol. c. 13. *Sed digne Imperatoribus defunctis honorem diuinitatis dicatis, quibus & viuentib. eum addicitis, accepto ferent dii vestri, imo gratulabuntur, quod pares ei fiant domini sui, sed quum Larentinam publicum scortum, velim saltem Laidem aut Phrynem, inter Iunones & Cereres ac Dianas, adoratis, cum Simonem Magum statua & inscriptione sancti Dei inauguratis, quum de pædagogiis aulicis nescio quem cynædum Deum facitis, licet non nobiliores dii veteres, tamen contumeliam à vobis deputabunt hoc, & aliis licuisse, quod solis antiquitas contulit.*

Aras, flamines, templa constituebant, vt plane Dij videri possent. Iurabatur in hæc, & interdum à vulgo credebatur: à sapientibus ridebantur illa figmenta, à potentibus serio imperabantur. Seneca ridet in apolocyntosi.

Sapientes risere insaniam apotheoseon.

Tamen si necesse fuerit auctorem producere, quærite ab eo, qui Drusillam euntem in cœlum vidit. Item Claudium vidisse se dicet iter facientem, non passibus æquis. Velit, nolit, necesse est illi omnia videre, quæ in cœlo agantur. Appiæ viæ curator est: qua scis & Diuum Augustum, & Tiberium Cæsarem, ad Deos iisse. Hunc si interrogaueris, sol narrabit: coram pluribus nunquam verbum faciet. Nam ex quo in Senatu iurauit se Drusillam vidisse cœlum ascendentem, & illi pro tam bono nuntio nemo credidit, quid viderit, verbis conceptis adfirmauit, se non indicaturum, etiamsi in medio foro hominem vidisset occisum. Ab hoc ego quæcunq; audiui, certe clara affero, ita illum saluum & felicem habeam.

Vsurparunt illa impie Ariani. Eusebius libr. 4. de vita Constant. c. 46. *Hisce iam rebus omnibus absolutis atque confectis, cum per omnium ora de Maximi Imperatoris virtute fama volitaret, ausus est è Sacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere, quippe qui tum in hac vita dignus esset, qui summam rerum omnium potestatem haberet; tum vero in futura vna cum Filio Dei regnaret. Sed is cum hæc moleste audire significasset, hortatus etiam est, ne auderet aliquando eiusmodi vocem vsurpare, sed à Deo potius precibus contendere, vt & in hac vita, & in futura Dei famulatu dignus videretur.*

Ariani, quâ Christo negarunt diuinitatem imperatoribus tribuerunt.

Arianus ille erat, & Constantinum prædicabat dignum, qui cum Filio Dei, quasi illi æqualis regnaret. Sic Colluthus presbyter Arianus: *Ad preces Ischyræ presbyteri pietati Dominorum meorum Augustorum & Cæsarũ supplicantis, vt sibi in loco pacis Secontaururi Ecclesia ædificaretur: decreuit diuinitas illorum, vt id quam primum fieret. Cura igitur exemplaribus istius diuini diplomatis, quod primo loco positum est, nostræq; sanctitatis monumentis perlectis, breuiterq; perlustratis, vt in negotio procedatur, & quæ diuinitus constituta sunt, ad effectum perduci queant.* Ecce qui Filio Dei, qui Deus est de Deo diuinitatem negarunt, Imperatoribus asserebant.

Iustinianus vsus diuinitatis titulo.

§. 3. Frequens est in legibus Instinianæis locutio, nostra diuinitas, diuinæ sanctiones, diuinæ vocis oraculum, aliaque; nam omnia penè quæ ad Imperatores pertinebant diuina nominabantur. Quin vsitatum etiam erat, vt scriberent; Nostra sanxit æternitas, quod Marcellinus in Constantino ridet, & tamen cæteri, atque adeo Iustinianus est imitatus. l. vltimo Codic. de Episcop. & Cleric. atque aliis locis.

Sanè perquam probabile arbitror; Iustinianum virum alioqui de Republica, pace, belloque, & Ecclesia bene meritum, à Triboniano deceptum in tantos errores incidere potuisse. Erat enim Iustinianus penitus illiteratus, quocirca etiam ἀναλφάβητος dictus est, vt refert Suidas, qui etiam de errore ejus meminit, quod se immortalem putarit. Quod etiam Hesychius Milesius de Philosophis scribens, testatur: *Tribonianus Iustiniano Imperatori adulatus ei persuasit, non moriturum ipsum, sed vna cum corpore receptum, in cœlum migraturum.* Non ignoro à multis eum excusari: Et sane excusabilem esse cupio, vereor autem vt eloquentia defendat, quem facta pessundant, & extrema ætate hæresis persecutioque infamat.

Diui vocari possunt Reges, eo sensu, quo Dii.

§. 4. Hos titulos: Diuus Imperator, nostra diuinitas, nostra æternitas, ita dari, & admitti posse arbitror, vt non sint impij, sicut in gentilibus fuerunt, non tamen conuenire puto Christianis Monarchis: cum quia facile impij possunt effici; tum quia infirmos offendunt; nec decet ab idololatris titulos mutuari. Denique in tanto fastigio modestia tenenda est.

Porro ne more Ethnico Diuinitatem tribuamus Imperatoribus, & Regibus, vt consequatur inde consecratio, templa, sacrificia, cauendum est. Videmus olim omnia plena fuisse Diuis, inania veri. Pompeio multa templa ædificaea sunt, at ipse in monte Casio nullo tumulo tegitur; vt magno veræ diuinitatis judicio, è cœlo derisæ sint illæ fictitiæ diuinitates. De Pompejo scitum est illud:

Τῶν ναοῖς βρίθουσι, ὅσην ταφὴν ἔσχηκόνες;
Templis abundanti, quanta est inopia puluveris?

Diui sunt Reges participatione potestatis diuinæ.

Diui igitur Christiani Reges vocari possunt eo modo, quo Dei, quia Dei sunt Vicarij, & Dei vice judicant. Diuinitas Regum est diuinæ potestatis participatio, qua mundum sub vera diuinitate constituti gubernant, hinc leges, & vocis oracula diuina sunt, quia diuina auctoritate proferuntur, quiq; illis resistunt, ordinationi Dei resistunt; Quid enim Reges sunt? *Aaron & Moses quid sunt?* Æternitas Regum nulla est, nisi æternitatis increatæ voluntas, vt illis obtemperetur. Lex æterna est, parendum Magistratibus, eaque lege omnium legum firmitas solidatur.

Ridiculæ apotheoses.

Hæc cum verissima sint; quia tamen initium horum est à praua consuetudine. Τῶν ἰσοθέων, ἡρώων, τῶν ἀποθεωθέντων, ἱερεμένων, ἠγιευμένων, ab Indigetibus, & Diuis, puluinaribus, & templis, omnino eliminata velim, nec reduci modos loquendi, vel adulandi, quos Patres, & gentium Sapientes irriserunt. Ex adulatione enim & perjuria nasci possunt. Liuia à Numerio Attico viro Prætorio precio decies HS. emit perjurium, vt diceret; se vidisse Augustum in cœlos ascendentem. Nec minus impudenter mendax Plinius panegirico ad Trajanum, cum ait, *Neruam primum lacrymis, mox templis honestasti non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente fecerunt. Dicauit cœlo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis crimen induceret, Claudium*

dium Nero, sed vt irrideret, Vespasianum Titus, Domitianus, sed ille, vt Dei Filius, hic vt frater videretur, tu quia ita credis. At nec Trajanus audiens, Plinio, nec Plinius sibi, vel alijs credebat; & dicebantur tamen, & si per annos centum, ducentosne ex domo Cæsarum Imperatores fuissent, tàm de Augusti, quàm Iouis diuinitate crederent Romani. Crederent, inquam, nunc enim quasi crederent, fecerunt. Prudentius:

Posteritas mensa atq; adytis, & flamine, & aris
Augustum coluit, vitulo placauit, & agna,
Strata ad puluinar placuit.

Constantinus Diui appellationem refugit.

Imitentur Constantinum Magnum Reges vere Magni ille diuina illa non admisit, vt testatur Eusebius & Iuuencus.

Indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus adest, cui gratia digna merenti,
Qui solus Regum sacri sibi nominis horret,
Imponi pondus, vt iustis dignior actis
Æternam capiat diuina in secula vitam.

Concludo Prosperi sententia. Æterna, quæ temporalis est, vtique est nomen blasphemiæ, cum mortales licet Reges in ea dicantur Diui, eisque supplices dicant: Numini vestro, altaribus vestris, perennitati vestræ.

Quid igitur? Damnabuntur non Poëtæ modo, sed Scriptores etiam graues, historici, imo Theologi, qui Reges suos, & crebro Regibus minores Principes tantis titulis vel honorare se credunt? vel adulationis præmium poscunt? Apud omnis generis Scriptores hos titulos inuenio, etiam illos quibus religio est, Mariam Virginem vocare Diuam: non verentur illi Regiam puellam, sponsam Diuam appellitare. Sensum esse verum & rectum arbitror; neque enim Deos faciunt, qui ita loquuntur. Verba culpanda esse censeo.

Deinde Regum munus esse judicio tàm alienas à Principe Christiano adulationes reprimere. Si Regem Diuum appellas, multos offendis, si more vetere, idololatra. es si sensu Christiano; Deum, & Dei Vicarium rectius dixeris. Hoc enim vsitatum est. Diuinitas, æternitas, immortalitas, aliorsum accipiuntur. Reges videant, ne sibi præjudicent. Qui adulationes admisit; vt sermones suas Dei, non hominis dici gauderet, ab Angelo percussus interiit. Non credo illum credidisse, se Deum immortalem esse, delectatus tamen falso bono, in verum malum, & malum morte luendum incidit.

§. 5. Par abusus in adoratione, jurejurando, votis cernebatur.

Adoratio Regum.

Adoratio Regum in oriente vsitatissima semper fuit. 3. Regum 1. 24. Nathan Propheta adorat, pronus in terram, & idem facit, Bethsabee ver. 31. Vbi in Hebr. legimus וישתחו למלך על־אפיו ארצה *& incuruauit se Regi super facies suas ad terram.* Septuaginta καὶ προσεκύνησε τῷ βασιλεῖ ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν. Et eodem capite, Adonias adorabat Salomonem. Hæc adoratio legitima fuit, neque enim Nathan Propheta, neque Bethsabee diuinos honores Dauidi offerunt, neque ille recepisset. Nec alia fuit aliorum in oriente adoratio, licet postea in idolatriam degenerarit. Cum vero externa symbola, vt inclinatio capitis, genuum moderata inclinatio, & in terrā flexio, facici in terram prostratio, munerum oblatio, osculum, sint tàm signa ciuilis, quàm diuini honoris, non potest vllus ex his damnari honoribus, tanquam nimius, nisi de mente & sententia honorantis constet. Nunc Principes exceptis Regibus genuflexionem diuturnam non admittunt. Quæ verò Regibus exhibetur προσκύνησις, non nisi ciuilis est ἀσπασμὸς *salutatio*, & submissio. Iulius cruda adhuc seruitute προσκύνησιν non admisit, imo inter caussas conjurationis fuit; quod ipse Senatui non assurrexisset.

Externa symbola honoris ex mente pensanda.

Caligula, Nero, Domitianus, Heliogabalus, Diocletianus adorationem quasi Dii essent, exegerunt. Postea vulgo est vsurpata, sed diuersa mente, non enim Constantinus, aliique, etsi adorati sunt, vltra ciuilis honoris decora arrogarunt. In vita Chrysostomi etiam Clerus adorat Imperatorem: Ἰωάννης, καὶ πᾶς ὁ κλῆρος συνεπροσεκύνησαν τῷ βασιλεῖ, καὶ ὁ βασιλεὺς ἐπέκλινε τὸν αὐχένα τῷ Ἰωάννῃ. *Ioannes, & omnis clerus Regem adorarunt, & Rex inclinauit ceruicem Ioanni.* Ea res lege deinceps obtinuit. Belisarius enim adorare Iustinianum aggressus, monuit Gilimerem captiuum, vt idem præstaret, ὅτι οὕτω νενόμισται προσκυνεῖσθαι τοὺς Ῥωμαίων βασιλεῖς. *Lege enim tautum est, sic adorare Romanorum Reges.* Sanctus Gregorius Nazianzen. ad hodiernum modum propius accedit, cum ait: τὴν δεξιὰν προσκυνεῖν. *Dextram adorare*, quod nunc in vsu est; Et τὴν δεξιὰν προσφιλῆσαι, *dicunt, dextram osculari.* *Dextram osculandi mos.*

§. 6. Iurare etiam per nomina Imperatorum soliti sunt.

Iurandas q; tuum per nomen ponimus aras.

Itaque duplex quoque jusjurandum erat per nomen Imperatoris; Primum idololatricum, cum veritati testis tamquam Deus vel omniscius Imperator adhiberetur. Alterum vt per Imperatorem tanquam creaturam juraretur, vt tamen à Deo testimonium peteretur. Jurare enim per creaturas licet, quatenus in illis diuina majestas, veritasque relucet. Ita per templum etiam Iudæi jurabant. Matth. 23. v. 16. Sic Christiani per salutem Imperatorum jurabant, Tertullianus Apolog. cap. 33. *Sed & iuramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus genijs. Nescitis genios dæmonas dici, & inde diminutiua voce dæmonia? Nos iudicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. Id in eis scimus esse quod Deus voluit: Ideoq; & saluum volumus esse quod Deus voluit, & pro magno id iuramento habemus. Cæterum dæmonas, id est, genios adiurare consuetimus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* *Iurare per vitam imperatorum quando licitum.*

Prohibitum tamen hoc Francorum à Regibus, est auctor Pammelius, qui affirmat leges Clodouæi, Childeberti, & Clotharij, quas penes se habeat manuscriptas cap. 6. sic habere. *Vt nullus præsumat per vitam Regis, & filiorum eius iurare.*

§. 7. Vota Principibus, & pro Principibus, nuncupabantur. Nuncupare vota Regibus veluti Diuis, idololatricum fuit. *Damnabis tu quoque votis,* inquit ingeniosus adulator. Nuncupare Deo vota pro Principibus, Christianum. Tertull. Apolog. c. 31. *Adulati nunc sumus Imperatori & mentiti vota quæ diximus ad euadendam scilicet vim. Plane proficit ista fallacia. Admittis enim nos probare quodcunq; defendimus. Qui ergo putas nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, literas nostras, quas neq; ipsi suprimimus, & plerisq; casus ad extraneos transferunt. Scito ex illis præceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutores Christianorum, quam de quorum maiestate conuenimur in crimen? Sed etiam nominatim atq; manifeste: Orate, inquit, pro Regibus, & pro Principibus & potestatibus, vt omnia tranquilla sint. Vobiscum enim concutitur imperium, concussis etiam ceteris membris eius: vtique & nos (licet extranei à turbis æstimemur) in aliquo loco casus inuenimur.* *Vota pro Principib. non principibus nuncupanda.*

Vota

Vota publice nuncupari magni honoris erat. Nam pro principibus, atque alijs bene meritis fiebant. Pompeio ægrotante tota Italia vota nuncupauit. Tiberius pro nepotum salute, negauit debere nuncupari. Quo indicat, non tam saluti eorum nuncupatione illa publica consuli, quam honores augeri.

Alio modo vota, pro Christianis Principibus suscipiuntur, cum salus eorum diuino Numini commendatur. Initium hoc ex præcepto Pauli, conceptis deinde verbis à Constantino traditum est, Eusebius de vita Constantini: *Ipse* (Constantinus) *faciendæ precationis erat instructor omnibus militibus. Romana lingua ita omnes dicere iubens. Te solum Deum nouimus, te Regem cognoscimus, te auxiliatorem inuocamus, per te vicimus, per te hostibus superiores fuimus, tibi acceptа referimus bona, quibus fruimur, à te bona ventura exspectamus, omnes tui supplices sumus, nostrum Imperatorem Constantinum, & filios eius Deum amantes, in multos annos, vt saluos, & victores custodias, te oramus.* Atque hinc omni die, publicæ orationis, Principum in Ecclesia nominatim mentio peragitur.

Plurimum absunt sane ab illa adulatione Principes eximij, omnibusque post sæculis ad imitationem propositi, qui magni Constantini exemplo, libellos sanctissimarum precum vsibus suis, suorumque ediderunt; omnemque suam & in Principatu securitatem, & in domestica vita felicitatem à Deo dependere, non ab opum vi, & robore militum intellexerunt. Et profecto prosperos eorum successus, & honoratissimam longæuitatem diuina potentia cunctis documento esse voluit; felices esse eos, non qui diuinos honores æmulantur, sed qui diuinum Numen ex animo colunt. Neminem nomino, cum quia pijs noti sunt Principes, & Principum liberi, tum ne quis alienæ pietatis obtrectator, inuitus audiat, quod volens lubens Deus magno præmio condecorat.

CAPVT V.

Alii honores regibus exhiberi soliti.

In titulis maxima est mundi luxuries.

§. 1. MOderata fuit titulorum apud veteres ratio, donec minoribus appellationes majorum attributæ cogerent, nouas adulationes honoratiores decernere. Maxime hisce titulis delectati sunt Imperatores: Vt vocarentur, Pij, Clementes, Mansueti, tranquilli, Optimi.

Sereni, Felices, Celsi, Maximi, Domini, Triumphatores, Augusti, Antonini, Flauij, vel à victis gentibus, Germanici, Dalmatici, Parthici, idque vel seorsum, vel addita adulationis coronide Germanicus maximus, &c.

Nunc Principem nullum nisi superlatiuis compellamus; Clementissimos, Inuictissimos, Illustrissimos, Serenissimos dicimus. Hoc etiam non sine veterum exemplo. S. Leo ad Leonem Imperatorem in hæc verba scribit: Τῷ ὑπερενδόξῳ, καὶ γαληνοτάτῳ υἱῷ λέοντι αὐγούστῳ. Διαγέσατε βασιλεῦ, ὑπερενδόξε, καὶ ἡμερώτατε, ἡ σὴ ἡμερότης, καὶ εὐλάβεια. *Superglorioso, & serenissimo filio Leoni Augusto. Sacratissime, supergloriose, mansuetissime, tua mansuetudo, & prudentia.* Pietatis titulum, vt εὐσεβεῖς dicerentur inter primos arrogarunt; Antoninus cognomine Primus est dictus Pius. Quanquam alii ita vocarentur ante Antoninum. Diuersa tamen ratione veteres, & Christiani Pij dicti sunt. Illi à superstitione, vel affectu in patriam, & parentes, vt pius Æneas: Nostri à vero religionis studio. Postea vero in omnibus pene inscriptionibus legimus. Pius, Felix, εὐσεβὴς, εὐτυχὴς.

Clementiæ titulum omnes, & mansuetudinis omnes, qui barbari prorsus non fuerunt, quamuis crudeles essent, amarunt. Eodem pertinent mansuetudo, tranquillitas, quod posterius peculiare Regibus Gothorum fuit; Cassiodor. lib. 6. *Tranquillissimi dicuntur, quod maximos rerum turbines, ipsi immoti, & vultu legis regant, ac componant.* Optimi dicti sunt præcipuè Marcus Philosophus, & Alexander Seuerus.

Serenitas titulus nũc vsitatus.

Ad mansuetudinis, & clementiæ ornamentum pertinet, Serenitas, siue Humanitas, quam γαληνότητα Græci vocant; Oportet enim Principis vultum esse Solis instar, quo subditorum animi exhilarentur, & sperent. Paulo inusitatior fuit titulus Ὄγκου, & ὑψιλότητος seu celsitudinis. Nunc vero inter Christianos Principes vsitatissimus, sumptus verò est ex Apostolo Rom. 13. v. 1. vbi vocantur ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι *potestates supereminentes.* Hoc enim celsitudinis vocabulo indicatur.

Superbum *Maximi* nomen nunc pene desiit, quemadmodum & *Triumphatoris*, Augusti perpetuo mansit, & Domini. Gentium deuictarum tituli initio quidem ex vero, postea ex adulatione fuere. Theodebertus Rex Franciæ intolerandum judicabat, quod Iustinianus Rex in Regijs edictis Francicus, Alemannicus, Gempedicus, Longobardicus, quasi eas gentes in seruitutem redegisset, vocaretur. Agathias libr. 1. Nunc præter ordinarios & communes titulos, Galliæ dicitur Christianissimus, Hispaniæ Catholicus, Britanniæ defensor fidei.

Patriæ pater.

Gratissimum omnium fuit, cum dicerentur Patres patriæ, si à libera, non oppressa patria, ita vocarentur. Roma quidem Ciceronem semel ita nominauit, sed monstra Principum deinde coacta in eundem honoris gradum eduxit. A Cicerone cœpit, sed titulum tam honoratum oppressor patriæ Iulius adhuc viuente Cicerone rapuit, Augustus, qui Ciceronem patrem patriæ inimicis prodidit, idem nomen occupauit, libr. 1. Fastorum. sed non stetit intra mediocrem adulationem seruitus,

Orbis pater.

Iamdudum, inquit Naso, *tu pater orbis eras*

Hinc apud Horatium, Pater vrbium, libr. 3. Od. 4. & Statius libr. 4. Syluar. *Salue magne parens mundi.*

Videntur & veteres non dissimili honore gauisi, inde vocati sunt Reges Palæstinorum אבי מלך Pater meus Rex. Hinc nonnulli titulum eum Iosepho à Pharaone tributum arbitrantur, Genes. 41. 42. *Fecitq; eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes corã eo genu flecterent.* Sic enim אברך multi interpretantur. Quasi dictum sit: Pater tener; Chaldæus רינא אבא דמלכא ille pater Regis, nã ברך Arabice Regem significare ajunt. Verum doctiores cum nostro interprete sentiunt, א pro ה positum, & indicari flexionem genuum.

Alioqui Ioseph vocatum patrem Pharaonis satis indicat, cum cap. 45. vers. 8. *Qui fecit me quasi patrem Pharaonis.* Fuitque ea appellatio frequens in Orientẽ, ita serui Naamani Syri, 4. Regum 5. vers. 13. *Pater si rem grandem, &c.* Gratum enim in populos, & familiam est, Principis & Domini nomen in patris appellationem commutare.

§. 2. Eximius Regum & Principum cultus in ſtatuarum honore fuit. Qua quidem in re DEO ſoli debitus honos poſtea creaturæ attributus eſt. Nam licet amor & ciuilis veneratio ſtatuis initium dederit, ad idololatriam tamen declinauit. Sapient. 14. verſ. 15.

Initium idololatriæ.

Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia. Deinde interueniente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine, hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

Nec alia cauſſa Rex ſtatuam in campo Dura, ſeu vt Ioſephus ait: ἐν τῷ μεγάλῳ τῆς Βαβυλῶνος πεδίῳ collocauit, quam vt in ſua ipſe imagine coleretur. Ita Hieronymus in Daniele 3. verſiculo primo. Ea enim cauſſa tam ſolennis ſtatuæ dedicatio inſtituitur, ideo fornax ſuccenditur, vt ad noui Diui adorationem omnes compellantur.

Secutus eſt Nabuchodonoſor priorem ejuſdem nominis Regem, de quo Iudith 3. verſiculo 13. *Præceperat enim illi Nabuchodonoſor Rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus, ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari.* Didicerant hæc tyranni à vetuſtioribus Belo, aliiſque, quas ad diuinitatis opinionem potentia euexit.

Statuis honor diuinus datus.

Diuinos autem honores in ſtatua quæſitos eſſe docuit conſtantia ſociorum Danielis dicentium: *Statuam auream quam erexiſti, non adoramus*; & miraculum, quo in fornace defenſi ſunt.

Deinde quia Coloſſæa fuit, altitudine cubitorum ſexaginta, & latitudine cubitorum ſex, quo voluit oſtendere majorem ſe humana ſorte eſſe. Hæc enim ſtatua quindecim virorum magnitudinem, ſi cubiti fuere communes, continebat; Si cubiti fuerunt Babylonii, qui tribus digitis communem excedebant, longitudo fuit 67½. cubitorum, & longitudinem hominum pene ſeptendecim habebat.

Non alia ex cauſſa Deorum ſtatuæ triplo fere humanæ ſtaturæ altitudinem ſuperabant, Heroum duplo majores erant communibus ſtatuis, ingens igitur ſtatua Chaldæorum Regis, eum ſupra Deos efferebat. Coloſſo Charetiano, qui erat pedum 107. Nero vultus ſuos impoſuit, eum Veſpaſianus ſuſtulit, & Solis caput impoſuit.

Imagines Principum cultæ.

Quin & Imperatorum imagines adorari in vrbibus, à Chaldæis videtur manaſſe. Refert libro primo de vita Appollonij Philoſtratus in porta Babylonis fuiſſe de more exhibitam Imperatoris ſtatuam, & ab intrantibus adoratam.

Namque Romani cum obire Imperium non poſſent imagines ad vrbes mittere ſolebant; ita Conſtantini Magni imagines Romæ ſunt receptæ, ita Aquileiæ Maximi, Balbini, Gordiani, Herod. libro octauo.

Maxime tamen is honor, & ſuperſtitio in caſtris aderat. Imagines enim Cæſarum inter aquilas, & ſigna adorabantur, Suetonius, Calig. capite decimo quarto.

Tàm milites, quàm prouinciales coronis, floribus, acclamationibus imagines Principum honorabant, Tacitus libro decimo quarto cereis, & incenſis excipiebant. λαμπάδα, ſeu labrata dicebantur, etiam vexillis militaribus affigebantur. Suetonius in Tib. cap. quadrageſimo octauo. Veget. libro ſecundo cap. 6. Tacit. libro 4. Domi etiam colebant, Matt. libro decimo:

Hæc mihi quæ violis colitur pictura roſisq;.

Ad eas refugium erat inſtar aſyli, euerſiones, collutulationes, & opprobria ad majeſtatis crimen referebantur.

Quæ omnia ferri, & multa laudari poſſunt; ſi latriæ adoratio abſit, ſi non thure, & mero ſacrificent, vt fieri ſolitum Plinius ad Trajanum refert; ſi non radiatum caput diuinitatis ſymbolum effigietur, non ſedes aurea inter Deos ſtatuatur.

Inter hæc lubet humanæ ſuperbiæ vanitatem ſpectare, & deplorare, cum mecum perpendo, quo ſumptu, quo labore tot millia ſtatuarum Principibus erecta ſint, cum nunc vix vllæ, & quidem dubio vultu appareant. Plerasque ſucceſſorum inuidia, vel populorum liberrima indignatio protriuerit.

Imagines Principum ſpecie ſupplicum.

§. 3. Nunc partim ſtatuæ Principum manent, & magnatum, partim in gentilitia ſigna mutata ſunt. Statuarum principalium ea nunc eſt religio, vt omnis abſit diuinitatis cultus; nam vel in locis publicis profanis, vel in templis collocantur, nullo loco venerationem aliam habent, quàm ciuilem.

Exemplo Conſtantini Magni, ſic ſtatuæ ponuntur. Euſebius libro quarto ait: Conſtantinum in palatio ad portas in imaginibus in ſuperiori veſtibulo poſitis ſtantem pingi ſolitum, oculis in cœlum erectis, manibus paſſis ſpecie precantis.

Idem Conſtantinus in templis imagines ſuas poni præcepit, vt teſtatur Paulus Diaconus libr. primo. Specie ſcilicet precantis, quod nunc plerique imitantur, & laudabili pietate; Sic enim fidem teſtantur ſuam. Si enim apoſtaſiam ſuam Iulianus imagine ſua comprobare conabatur, cur non conſtantiam hoc modo Principes orthodoxi teſtentur, veramque religionem? Iulianus in imaginibus Iouem exprimendum curauit, quaſi è cælo apparens coronam purpuramque inſignia imperii traderet. In eadem tabula erat Mars & Mercurius intuentes & obtutu ſuo approbantes, tanquam bello, & eloquentia præcellentem Imperatorem.

Atque hæc publice; priuatim vero plurimum donari, ac geſtari Principum imagines ſolent, cuſis in eam rem nummis, non quæ negociationibus & contractibus ſeruiant, ſed principalis amicitiæ monumenta ſint.

Inſignia hieroglyphica loco imaginum.

§. 4. In locum ferme imaginum ſucceſſere, quæ vocant, inſignia, ſiue Germmanicè arma. Hæc enim in moneta exprimuntur, omnibus imaginibus adduntur, ad jurisdictionis indicium ſcribuntur, his arces, pontes, telonia, limites regionum inſigniuntur; & quemadmodum olim cum imagines admittebantur, aut dejiciebantur, ſignum erat imperia accipientium, aut recuſantium, ita nunc in hiſce inſignibus obtinet.

Originem primam ab Hieroglyphicis Ægyptiacis ducunt; malo à Prophetis Hebræorum, apud quos eorum erat creber vſus. Ruben, aqua effuſa eſt, Catulus, Leonis Iudas, Iſaſchar aſinus oſſeus, Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita. Nephthali ceruus emiſſus, Deus lapis Iſraël. Geneſ. 49. Ioſeph quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius: Gad quaſi leo requieſcit, Dan catulus Leonis, Deuteron. 33. Poſtea Daniel quatuor metallis totidem monarchias

chias assimulat. cap. 3. Deinde quatuor bestijs exprimit Spiritus sanctus, regna quatuor, cap. 7.

Hinc igitur Romanis Aquilæ, & Dracones, hinc signa legionum, clypeorum insignia. Nam scuta, clypeosque sculptos fuisse, satis ostendit Virgilius, cum Æneæ clypeum describit, *quem ille rerum ignarus, sed imagine gaudens, attollebat humeris atq; in eo famamq; & facta nepotum.* Et Christianis temporibus Christus

Nobilium insignia.

Signabat labarum, clypeorum insignia Christus, Pinxerat.

Atque hinc ambitiosa nobilitatis insignia; quod in scutis, vel Imperatoris imaginem, vel suam, vel hieroglyphicum aliquod quo animum, vel virtutem, aut præclare gesta militariter præferrent, horum potestas pingendorum à Ducibus concedebatur, alioqui militabat inter vulgares,

Parmaq; inglorius alba.

Hæc quoque Pœnis vsitata, Hasdrubalis clypeus argenteus cum ipsius imagine inuentus est, vt Liuius libro 25.

His quoque insignibus literas signabant, cum hoc olim arbitrarium fuerit. Nam Augustus variauit: *Diuus Augustus inter initia Sphinge signauit. Duas in matris annulis tàm indiscretæ similitudinis inuenerat. Altera per bella ciuilia, absente eo, amici signauere Epistolas, & edicta, quæ ratio temporum nomine eius reddi postulabat,* non infaceto lepore accipientium, ænigmata ferre eam sphingem. Quin etiam Mecœnatis rana per collationem pecuniarum magno in terrore erat. Augustus postea ad euitanda conuicia sphingis, Alexandri Magni imagine signauit.

Signarunt varie antiqui.

Posteri Principes Augusti imagine signarunt, quam in gemma expressit. Mutata igitur signandi ratio, vt Plinius libro 37. cap. 1. nat. histor. In quo & illud mirum: *Intercatiensem illum, cuius patrem Scipio Æmylianus ex prouocatione interfecerat, pugnæ eius effigie signasse. Vulgato Stilonis Præconini sale; Quidnam fuisse facturum eum, si Scipio à patre eius interemptus esset?* Tu vero lector, quid putas eos fecisse, qui spectato aliquo facinore laudem meruissent? cum omnes lapides plenos gesti centurionatus, aut decurionatus, tribunatus, acceptæ coronæ naualis, muralis, seruati ciuis, alijsque rerum gloriationis oellicæ insignibus videamus, quæ deinde cum gemmis, & annulis ad hæredes transierunt.

Atque hæc de Principum insignibus, quæ olim eo modo, quo nunc vsitata non fuere. Deorum tamen certa fuisse, constat ex fulmine Iouis, ægide Palladis, claua Herculis, caduceo Mercurij, aliisque.

Deorum insignia.

Atque hoc nobis Plinius antiquitatis fidus auctor, etiam cum vix credibilia narrat, prudenter insinuat. libro 37. cap. 1. *Post hunc annulum regia fama est gemmæ Pyrrhi illius, qui contra Romanos bellum gessit: namq; habuisse traditur Achaten, in quo nouem Musæ, & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, vt Musis quoq; singulis sua redderentur insignia.*

Hoc qui credit, per me quoque licet credat, Apollinem cum Musis eadem è gemma canere auditum, & eo concentu Augustum via Appia in cœlum esse deductum. Hoc solum noto singulis musis insignia fuisse,

Hisce arcus triumphales, tropæa, Pyramides, inscriptionesque honoratæ adjungi possunt; quorum nunc quoque multa in vsu sunt. Olim pleraque improborum Imperatorum erasa, mutataque memorat sane Doctissimus juxta ac prudentissimus Præsul Læuinus Torrentius; Romæ multa spectari marmora è quibus sit Domitiani nomen erasum. Quod testatur factum Suetonius capitulo 23.

§. 5. Priscis etiam temporibus Regibus ignis præferri consueuerat. Persarum ritus ille fuit, quem tamen ego ab Hebræorum igne sumptum arbitror.

Ignis regibus prælatus.

Solis iconem crystallo inclusam, & ignem sacrum, quem æternum vocabant cum mouerentur castra præferebant, idque argenteis altaribus, nec deerat in acie Græcis, quem Pollux & Suidas πυρφόρον, qui laurum & coronas gestabat; quin ante tubas inuentas λαμπαδοφόροι, ignem spargebant, faces accendebant, vt sic prælium pariter accenderent.

Cur ignem Persæ prætulerint, non est facilè conjecturare; Fortè quia ignis ἁγνιστικὸν est, & pura omnia reddit. Sed probabilius vel cultum à Persis ignem, quemadmodum à Chaldæis, & colligitur ex Darij facto, qui circumiens aciem, Solem, Martem, & sacrum atque æternum ignem comprecatur. Verisimilimum initium fuisse, vt semper sacrificare volentibus in promptu esset, non quolibet autem igni vsos satis constat ex eorum historia, quæ consuetudo tamen ab Hebræorum legibus manauit. Leuit. 10. 1. & 16. 1. alienum ignem offerre non licuit, & lib. 2. Maccabæor. cap. 1. à versu 18.

Ignis sacer.

Facturi igitur quinta & vigesima die Mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: vt & vos quoque agatis diem scenopegiæ, & diem ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit sacrificia.

Nam cum in Persidem ducerentur Patres nostri; Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occulte absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus.

Cum autem præteriissent anni multi, & placuit DEO, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis: Nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et iussit eos haurire, & afferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo Sol resulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.

Orationem autem faciebant omnes Sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, cæteris autem respondentibus. Et Nehemiæ erat oratio hunc habens modum: DOMINE Deus omnium creator terribilis, & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israhel de omni malo, qui fecisti Patres electos, & sanctificasti eos: accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo Israhel, & custodi partem tuam, & sanctifica. Congrega dispersionem nostram, libera nos qui seruiunt gentibus, & contemptos & abominatos respice: vt sciant Gentes, quia tu es Deus noster. Affligе opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia. Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses.

Sacerdotes autem psallebant hymnos, vsquequo consumptum esset sacrificium. Cum autem consumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias iussit lapides maiores perfundi. Quod vt factum est, ex eis flamma accensa est: Sed & ex lumine quod resulsit ab altari consumpta est: vt vero manifestata est res, renunciatum est Regi Persarum quod in loco in quo ignem absconderant, hi qui translati fuerant Sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemiæ & qui cum eo erant, purificauerunt sacrificia.

Considerans autem Rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod factum erat: & cum probasset, Sacerdotibus donauit multa bona, & alia atq; alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis. Appellauit autem Nehemias hunc locum Nephtar, quod interpretatur purificatio.

Hæc igitur nota Persarum Regibus historia caussa esse potuit, vt ignem seruare, circumferre, & quodammodo honorare vellent. Rem accuratè diuina & humana doctissimus Serarius noster perpendit in harmonia Maccabæorum in cap. 1. & 2. lib. 2. quæstiuncula 14.

Primo rem diligenter explorauit (Rex Persarum) *Deinde fecit templum*, inquit *Lyranus, fecit vel propriè templum, vt Darius* Esdræ 6. *vel impropriè, iam factum scilicet decorauit, vt Artaxerxes. Sed Genebrardus in Notis dicit, sacrum aliquod ædificium, cuiusmodi probatica piscina erat* Ioannis capite 5. & apud Bedam Esd. 2. *fuisse tunc ædificatum.*

Eodemque sensu posset Græcorum ἱερὸν *adiectiue sumi, vt scilicet locum illum, Sacrosanctum fecisset, vt qui antea puteus profanus erat, iam in eo quædam Dei veneratio esset ac religio, vt etiam inquit, Noua translationis commentator. Facitque ad hanc expositionem non parum, quod eum locum Rex sepsisse, & conseruasse dicatur,* Græcè περιφράξας. Vnde in Latino versu 34. *videtur fuisse, non, considerans, sed consecrans, vel circumserans, vel certe obserans.*

Persa igne honorabant.

Nam hæc alioqui obseratio eo in textu omitteretur, & qui in Græco est δοκιμάσας verbis æquo pluribus verteretur, cum addatur; rem diligenter examinans. Deinde quod loca istiusmodi religiosa, templorum etiam nomen, quo interpres noster vtitur, admittant, vt Luci, asyla, & similia; Sicut & Virgilius dixit Æneidos octauo, Scrupea saxa, Bacchi templa.

Tertio, Sacerdotibus bene faciebat, iisque sua ipsius manu multa diuersa dabat, quæ suis è thesauris accipiebat. Possent verò τὰ διαφορὰ etiam sumi, quasi διαφέροντα, id est, præstantia & eximia, seu meliora, & excellentia, vt Romanorum 2. Hebræorum 1. versiculo 4. *Quanto differentius, præ illis nomen hæreditauit. An vero ista propter Persicas de igne opiniones Rex fecit? Tanta DEI bonitas est, vt quemadmodum ait Sanctus Augustinus, è malis etiam bonum eliciat.*

Cum ergo ex delapso cœlitus igne, qui vt supra iam notatum; memoratur in Scripturis aliquoties diuinitus etiam apud se ignem lapsum vel excitatum Gentiles fabularentur, apud Plinium libro secundo capite centesimo decimo, Seruium libro duodecimo Æneidos, omnium verò maximè Persa apud Ammianum libro vigesimo tertio, quibus etiam ignis sacer & perpetuus, multaque item pyrithea, & πυρὸς ναοὶ, *vt vocat in Cosroe Cedrenus; istam Persarum Regis huius vel opinionem, vel superstitionem potius in bonum iam conuertit DEVS. Suumq; verum opus & beneficium à barbaro etiam laudari colique fecit.*

Hæc igitur consuetudo ab Hebræis manasse videtur, quanquam ignis ratio ab alijs quoque habita legatur, Rhodiginus libro decimo quinto capit. 15. Legimus & in Græcis illud item, *à Medis & Assyriis Barbaricos contribui eiusce modi elemento honores, non religione vtique, sed formidine verius nocentissimæ, omniaque absumentis rei. Scribit Porphyrius, quod & alibi arbitror à me relatum, diu qui sunt intra cœlum, sine cursu quodammodo pererrantibus, siue non errantibus, quorum ducem esse Solem primo, deinde Lunam existimandum est, commode sacrari ignem posse, quasi rem cognatam. Sed de nostra item religione, vt aliquid hisce nostris laboribus inseramus: per omnes siquidem Orientis Ecclesias, quando legendum Euangelium est, accendunt luminaria iam sole rutilante: non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.*

Dino apud Clementem ait, Persas Deorum suorum nullam imaginem habuisse, quod ignem, & aquam solas Deorum imagines arbitrarentur.

Translatus est ille honos ad Romanos Imperatores. Officium erat aulæ Constantinopolitanæ ordinarium, τῶ λαμπαδαρίῳ lampadarii, non enim foculus illis, sed lampas, seu lucerna præferebatur. Codinus, τῶ δὲ λαμπαδαρίῳ, κάτωθεν τῶ μεγάλω σλομιστικῶ τὸ ὑιόβάμπελον μεθ' ἡμμένης λαμπάδος φέρουσι. *Lampadario diuam-ampullam cum accensa lampade ferente.* Erat Imperatoria lampas duabus, Augustæ, & Patriarchæ vna corolla cincta. Priores Imperatores foculos habuisse puto; sicque intelligi, quod de pertinace ait Herodianus libro 1. Neque ignem sibi præire, neque aliud imperij insigne passus est attolli. Sorori suæ id commodus concessit, Marciæ concubinæ omnia Augustæ priuilegia præter ignem dedit. Herodianus libro primo. Nunc cæremonia ea omnino desiit, nisi quod facibus interdum excipiantur. Olim id vsitatum fuisse constat ex libro Iudith capite tertio, versiculo 10. Excipiebant enim Holofernem *cum coronis, & lampadibus.* Cujus in locum successerunt festiua tormentorum tonitrua. Insignia vero Imperij sic præferuntur, vt in Bulla Aurea præscribitur, titulo vigesimo secundo.

Romanis quoq; ignis prælatus.

Ad declarandum autem, in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis præsentia, processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mentionem, statuimus, vt quotiescunq; in celebratione Imperialis Curiæ, Principes Electores cum Imperatore seu Rege Romanorum, in quibuscunque actibus vel solennitatibus, processionaliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint Insignia deportari, Dux Saxoniæ Imperialem, seu Regalem ensem deferens, Imperatorem seu Regem immediate præcedat, & inter illum & Archiepiscopum Treuirensem medius habeatur: Comes vero Palatinus pomum Imperiale portans, à latere dextro, & Marchio Brandeburgiacus sceptrum deferens, à sinistro latere ipsius Ducis Saxoniæ linealiter gradiantur. Rex autem Bohemiæ Imperatorem, seu Regem ipsum immediate, nullo interueniente sequatur.

§. 6. Principum etiam honori tributum, vt nemo sine munere eos adeat, excipiatue; verum id Persarum fuit, in Romana, & nunc Christiana Republica mos ille exoleuit. Quemadmodum & strenæ Imperatoribus dabantur. Nam Augusto Missæ in capitolium etiam absenti, Suetonius 57. Caligulæ ad sedem delatæ. Dio lib. 56. *Qui & edixit, & ad accipiendas stetit.* Sueton. cap. 42. Melius Tiberius, qui in quadruplum reddere solebat, quem nunc morem Principes imitari solent.

Muneribus culti Principes.

§. 7. Publicæ etiam natales Principum celebrantur, quæ consuetudo ita nunc desiit, vt vix natales cognoscantur. Martialis natalem Domitiani Iouis in cunabulis præfert:

Natales Principum sola fere aula nouit.

Cæsaris alma dies, & luce sacratior illa,
Conscia Dictæum quæ tulit Ida Iouem.

Simile aliquid est apud Platonem in Alcibiade. *Postquam vero natus est primogenitus, qui succedit in regno, primo quidem eum diem omnes, qui sub regno sunt, celebrant: atque ita in posterum quotannis Natalem Regis diem sacris ac festis omnis Asia colit. Cum vero apud nos quis nascitur, ne vicini quidem, vt ait Comœdus, sentiunt.*

Sed olim grauiter imperatus ille honos. Caligula consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogauit magistratum; fuitque triduum sine summa potestate Respublica. Sic Maccabæorum libro 2. c. 6.

Olim edictabatur.

Iudæi

Judæi ducebantur cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia. Neque natalem modo, sed diem etiam initi principatus. Plinius ad Traianum. *Diem Domine quo seruasti imperium, dum suscipis, quanta mereris, lætitia celebrauimus, precati Deos, vt generi humano, cuius tutela, & securitas saluti tuæ inuisa est, incolumem florentemque præstarent. Præimus, & commilitonibus iusiurandum more solemni præstantibus, & prouincialibus, qui eadem certarunt pietate iurantibus.* Principat⁹ natalis celebratus.

Et Suet. in Vespas. cap. 6. *Tiberius Alexander præfectus Aegypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit, Kal. Iul. qui principatus dies in posterum obseruatus est.*

Aut sane quo magno beneficio affecisset populos. Ita Augustus; Dio P. 54. *Obreditum eius ac propter ea, quæ absens egisset, multa ac varia in honorem eius decreta sunt: quorum ille nihil accepit, nisi quod Fortunæ Reduci aram consecrari, diemq; sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est.*

Quin & populi nouos natales finxêre in gratiam principum. Suet. in Augusto cap. 59. Quædam ciuitates Italiæ diem, quo ad se primum venisset, initium anni fecerũt. Erant illa vel amoris veri, vel fictæ adulationis indicia. In Augustum iam seniorem fuit ille populorum affectus.

Tene magis saluum populus velit, an populum tu,
Seruet in ambiguo qui consulit, & tibi & vrbi
Iupiter. Augusti laudes agnoscere possis.

Eadem cærimonia Christiani suos antistites honorarunt, diem enim quo illi ad episcopatum electi fuissent festum habebant. Ita 15. Cal. Febr. Cathedræ Romanæ, & 8. Cal. Mart. Antiochenæ celebratur. De hac consuetudine doctissimus Baronius in Martyr. 15. Cal. Febr. *Quod autem ad præsentem solemnitatem spectat, laudabilis in Ecclesia viguit antiquus vsus, vt dies anniuersaria ageretur, qua quis alicui sedi præfectus esset Episcopus. Id etenim tam in Occidentali Ecclesia, quam in Orientali etiam obseruatum, innumera ferè docent exempla. De consuetudine Romana Ecclesiæ scribit Sanctus Paulinus epistola 16. ad Seuerum: extant de ea re sermones Sancti Leonis Papæa die habiti. Conuenire enim vndique ex Italia Episcopi tunc Romam consueuerunt ad celebrandum natalem diem Romani Pontificis, vt pulchrè demonstrat epistola Hilarii Papæ ad Ascanium & cæteros episcopos prouinciæ Tarraconensis, dum in ea hæc leguntur: Lectis ergo in conuentu fratrum, quos natalis mei festiuitas congregauerat, litteris vestris &c. qui nam autem hi fuerint, ex quibusue Italiæ ciuitatibus Romam confluxerint, indicant ipsa synodica tabula illic superius recitata. Accipe & de vsu aliarum Ecclesiarum exempla, vt illud quod Sanctus Ambrosius scribit de Felice Comensi Episcopo, libro octauo, epistola 60. Edition. Roman. item quod Sanctus Augustinus habet de die natali Aurelii Episcopi Carthaginensis sermone trigesimo secundo, de verbis* DOMINI *in fine; deque suæ ipsius etiam anniuersaria die ordinationis homilia vigesima quarta & vigesima quinta. De consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis monent Græcorum Menologia, in quibus Sancti Basilii, Sancti Ioannis Chrysostomi, & aliorum agitur sedis eorum natalis dies. quo etiam vsu & ratione Romana Ecclesia eam diem solemniter agere consueuit, quo Romanæ natalis est cathedræ, quoniam (inquam) Sanctus Petrus Romæ diuino consilio primum sedere cæpit, translata illuc sede, quam septem annos tenuit Antiochiæ. Porro tanto celebrior hæc est solemnitas illa, qua Antiochiæ sedit, quæ mobilis illa, vel ad tempus tantum ac quasi per transitum sita est, Romæ vero stabiliuit firmauitque Deus eandem in æternum Petri successoribus permansuram; quam vt tradit Irenæus libro tertio, capite tertio, doctrina munitam, traditionibus locupletatam, meritis illustratam, dotibus auctam, idem Apostolus vna cum Paulo etiam sanguine consecrauit.* Episcopatus accepti natalis celebratus est.

§. 3. Lætis acclamationibus, plausibusque excipere principes vsitatum erat, quod nunc etiam fere, nisi cum in coronatione acclamatur; viuat rex, intermittitur. Olim præcipue affectabantur illi plausus, qui postquam nequissimo cuiq; tyranno impensius darentur, in contemptum, desuetudinemque venerunt. *Plausuum veterum ratio.*

1. Laudes eorum referebant. Pertinaci acclamabant: *Patri pio, patri senatus, patri omnium bonorum, Pertinace Imperatore neminem timuimus, securi viximus*, quod ad defectum vsque vocis ingeminarunt. Diac. libro 8. Erant & ista: *O te felicem, ô nos felices.* Plin. ad Traianum. 2. *De nostris annis addat tibi Iupiter annos.* Tertull. precabantur, & vouebant. *Tu vincas, Iustine, canunt.* Coripp. 3. Plausus ille, vocis modulatione, manuum complosione, & iactatione, vestium commotione peragebatur. Vocis erat vel simplex modulatio, vel additis instrumentis. Plebs personabat certis modis, plausuque composito. Tacit. libro decimo sexto. Cassiod. libro primo. var. lect. *Voces*, ait *organo dulciores, non clamores, sed tonos.* Plinius concentum dicit. *Nero Alexandrinorum laudationibus delectatus, instituit curauit, qui eam plaudendi rationem addiscerente, quæstres adolescentulos, & è plebe quinq; millia. Bombos, imbrices, testas vocabant, à sonitus quadam similitudine.* Aurelianus oraria populo dedit ad fauorem.

Quid vero oraria? Lipsius tegmina resonantia esse vult, quibus modulatæ acclamationes darentur. Casaubonus lora & fascias, quæ in plausu iactarentur. Nec ex Eustathio satis colligitur, qui in l. 4. Iliad. μίτρην, inquit, οἱ ἐκφαντίων, καὶ ὠρεῖον σίφανοι, Mitræ sunt coronæ, ex orarijs & fascijs. Si igitur constet, quæ sint mitræ partes, constabit, & quæ sint oraria. at mitra, seu cidaris varia fuit, ideoque quicquid præter fascias fuit in mitra id orarium dicitur Eustathio: eæ nimirum partes quæ fascijs colligebantur. itaque cum cidaris esset turrita, quæ & τίλος vocabatur. Poll. libro octauo, capite decimo tertio. tiara quoque eiusmodi erat; Sugerius de Ludouico Crasso. Circumdantes capiti eius Phrygium ornamentum imperiale instar galeæ, circulo aureo concinnatum imponunt. Phrygium verò Isidorus vocat mitram. Tale igitur quippiam fuit orarium, vt ex pluribus orarijs mitra fieret, si Eustathio credimus, itaque adiuuando sono, ac bombo fuit, non tantum ad iactationem, cum paruum esset, nec in iactatione magnopere appareret. Popysmum igitur orario, veluti nunc folijs alijsue, edebant. atque hoc de Aureliano dicere voluit Vopiscus. Quod si tamen orarium illud Aureliani non erat dissimile orario Ecclesiasticorum; & vel illud profanum, ab illo sacro, vel à profano sacrum est dictum, aliquam analogiam fuisse dicendum est. *Oraria quæ.*

De orario Ecclesiastico est in Concil. Toletan. 4. Honorij Papæ 1. tempore celebrato. can. 28. *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo iniuste deiectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, nõ potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, de manu Episcopi, orarium, annulum & baculum; si presbyter, orarium, & planetam; si diaconus orarium, & albam; si subdiaconus, patenam & calicem: sic & reliqui gradus eam reparationem sui recipiant, quæ cum ordinarentur, perceperunt.* *Orarium Ecclesiasticum.*

Orarium hoc vestis genus erat, nam à Buccardo libro 6. dicitur stola oraria. cap. Presbyter 2. quia can. 40. Concil. Tol. 4. *Orarijs duobus, nec Episcopo quidem licet, nec Presbytero vti, quanto magis Diacono, qui minister eorum est. Vnum igitur orarium oportet leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat: dextram autem partem oportet habere liberam, vt expeditus ad ministerium sacerdotale discurrat. Caueat igitur amodo Leuita gemino vti orario, sed vno tantum, & puro, nec vllis coloribus, aut auro ornato.*

Itaq; vestis erat, quæ impediebat ministrantem, & videtur Episcopis concessum, vt auro, vel coloribus ornarent. 3. Modus gestandi ex Bracarens. cap. 9. traditur: *Orarium habeat subdiaconus, & diaconus; sed diaconus infra tunicam absconsum habeat orarium, subdiaconus superpositò scapulæ vtatur orario.* Bed. collect. cap. de septem ordinib. *Bene*, inquit, *orationibus conuenit orarium, conueniens vestimentum officio.* Quemadmodum igitur plaudentes regi terreno orarijs instructi erant, ad fauorem, & plausum, ita laudes æterni imperatoris, & regis regum legem prædicantes orarijs vtebantur.

Plausus manuum.

Manibus etiam plaudebant, seu κρότον dabant. Iaque pereunte vitijs suis Republicâ, in circis ac theatris potius, quam in segetibus, & vineis manus mouebant, vt querebatur Varro. Arte etiam plaudebant, vt Aristæ. lib. 1. ep. 10. ἢ δεξιὰ τοῖς ἀλλήλοις ὑπεσταλμένοις ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν ἐπλήττειν εἰς τὸ κοῖλον, ἵν' ὅσα αἱ χεῖρες ἔψοφοι συμπαλήμεναι τρόπον κυμβάλων. Dextera contractis digitis sinistram subiectam feriebant in cauum, vt manus concussæ instar cymbalorum bene sonarent. Manibus item vestibusque iactatis fauere demonstrabant.

Et dare iactatis vndique signa togis.

Magni vero applausus illos, seu auras populares æstimari solitas docent acta publica; nam non modo acclamationes ipsas, sed numerum etiam Imperatori, & voces mittebant. Neque negligenda fuit testificatio illa publicæ voluntatis, cum firmum amicitiæ vinculum inter populum, & principem sit. Principem quidem populo bene facere, populum vero in laudes principis effundi.

Hinc ex more temporum, & consuetudine, magno feruore Episcopis populus in Ecclesiâ applaudebat, consensum in sacra doctrinâ, vitæque puroris desiderium ostendendo. Luculentum exemplum est in actis, quibus Augustinus Eradium designauit successorem, epist. 110. Locum integrum vt prisca consuetudo intelligatur apponam. Ergo (inquit Augustinus) *ne aliquis de me queratur, voluntatem meam quam credo Dei esse, in omnium vestrum notitiam perfero: Presbyterum Eradium mihi successorem volo. A populo acclamatum est; Deo gratias, Christo laudes: dictum est vicies ter. Exaudi Christe, Augustino vita; dictum est sexies decies. Te patrem, te Episcopum, dictum est octies. cumque reticeretur, Augustinus Episcopus dixit: Non opus est me de laudibus eius aliquid dicere, saueo sapientiæ & parco verecundiæ: sufficit quia nostis eũ: & hoc me velle dico, quod vos velle scio: & si antè nescirem, hodie probarem. Hoc ergo volo: hoc à Domino Deo nostro, nunc etiam in ætate frigida, votis feruentibus posco: hoc vt mecum oretis exhortor, admoneo, rogo, vt omnium in pace Christi collatis & conflatis mentibus confirmet Deus quod operatus est in nobis. Qui misit mihi eum, seruet eum; seruet incolumem, seruet sine crimine, vt qui facit gaudium viuentis, locum suppleat morientis. A notarijs Ecclesiæ sicut cernitis excipiuntur, quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, & meus sermo, & vestræ acclamationes in terram non cadunt. Apertius vt dicam, Ecclesiastica nunc gesta conficimus. Sic enim hoc esse, quantum ad homines attinet, confirmatũ volo. A populo acclamatum est trigesies sexies; Deo gratias, Christo laudes. Exaudi Christe August. vita, dictum est tredecies. Te patrem, te Epm; dictum est octies. Dignus & iustus est, dictũ est vicies. Bene meritus, bene dignus, dictum est quinquies. Cumq; reticeretur, Augustin. Episc. dixit: Ego vt dicebam voluntatem meam & voluntatem vestram gestis ecclesiasticis, quantum ad homines attinet, confirmatam volo: quantum vero ad latentem omnipotentis voluntatem, omnes (vt dixi) oremus vt confirmet Deus quod operatus est in nobis. A populo acclamatum est, Iudicio tuo gratias agimus; dictum est sedecies, Fiat fiat, dictum est duodecies. Te patrem, Eradium Episcopum; dictum sexies: Cumq; reticeretur, Augustinus Episcopus dixit; Scio quod scitis & vos, sed nolo de illo fieri, quod de me factum est: quod autem factum sit, multi sciunt: illi soli nesciunt, qui tunc aut nondum nati erant, aut nondum habebant ætatem sciendi. Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat. Quod ergo reprehensum est in me, nolo reprehendi in filio meo, A populo acclamatum est, Deo gratias, Christo laudes; dictum est tredecies. Cumq; reticeretur, Augustinus Episcopus dicit; Erit presbyter vt est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus. Sed plane modo facturus sum adiuuante misericordia Christi, quod adhuc vsq; non feci. Nostis ante aliquot annos quid facere voluerim, & non permisistis. Placuit mihi & vobis propter curam Scripturarum, quam mihi fratres & patres mei coepiscopi duobus Concilijs Numidiæ & Carthaginis imponere dignati sunt, vt per quinq; dies nemo mihi molestus esset. Gesta confecta sunt, placuit, acclamastis. Recitatur placitum vestrum, & acclamatio vestra. Paruo tempore seruatum est circa me, & postea violenter irruptum est, & non permittor ad quod volo vacare. Ante meridiem & post meridiem, occupationibus hominum teneor. Obsecro vos & obstringo per Christum, vt huic iuueni, huic presbytero Eradio, quem hodie in nomine* CHRISTI *designo Episcopum successorem mihi, patiamini me refundere onera occupationum mearum. A populo acclamatum est; Iudicio tuo gratias agimus; dictum est vicies sexies. Cumque reticeretur, Augustinus Episcopus dixit: Ego charitati & benecuolentiæ vestræ apud Dominum Deum nostrum gratias ago, imo de illa Deo gratias. Ergo fratres, quicquid est quod ad me perferebatur, ad illum perferatur: vbi necessarium habuerit consilium, meum non negabo auxilium. Absit vt me subtraham: tamen quicquid illud est quod ad me perferebatur, ad illum perferatur. Ipse me autem consulat, si fortè non inuenit quid facere debeat, aut poscat adiutorem quem nouit patrem: vt & vobis nihil desit, & ego tandem aliquando, si quantulumcunq; spatium mihi huius vitæ donauerit Deus, ipsam meam quantulamcunque vitam non dem segnitiei, nec dedam inertiæ, sed in sanctis Scripturis, quantum ipse permittit & largitur exerceam: hoc & ipsi proderit, & per ipsum etiam vobis. Nemo ergo inuideat otio meo, quia meum otium magnum habet negotium. Video me de hac re, propter quam vos inuitaui, omnia vobis cum egisse quæ debui. Hoc ad vltimum rogo vt gestis istis subscribere dignemini qui potestis. Hic mihi responsione vestra opus est: teneam responsionem vestram: de hac assensione aliquid acclamate. A populo acclamatum est: Fiat, fiat; dictum vicies quinquies. Dignum est, iustum est; dictum vicies octies. Fiat, fiat; dictum quater decies. Olim dignus, olim meritus: dictum vicies quinquies. Iudicio tuo gratias agimus: dictum tredecies. Exaudi Christe, Eradium conserua: dictum octies decies. Cumque reticeretur, Augustinus Episcopus dixit: bene habet, vt ea quæ Dei sunt, circa sacrificium eius agere valeamus, in qua hora supplicationis nostræ maximè commendo charitati vestræ, vt omnes vestras causas & negotia intermittatis, & pro ista Ecclesia, & pro me, & pro presbytero Eradio Domino precem fundatis.*

Acclamationum Ecclesiasticarum exemplum.

Quin & concionantes plausu prosequebantur; studium enim concionanti necessarium est. Hinc Pauli Samosateni insania, de qua scribunt Episcopi apud Eusebium libro 7. hist. capite 24. *Neque necessum est ducendo persequi, illius præstigias in concilijs ecclesiasticis vsurpatas, quas falsæ gloriæ vmbras consectando, & varias ineptiarum species aucupando, & imperitiorum mentes eo pacto in sui admirationem traducendo, callidè excogitauit: neque qua ratione sedem & thronum sublimem sibi parârit, eumque non vt Christi discipulum decet, sed vt mundi principes solent, secretum & separatum habuerit, nomine suo appellârit, femur in eo sedens manu percusserit, calcibus aliquando ipsum pulsârit: & qui, cum eum audirent concionantem, non laudibus extollerent, non (vt in theatris fieri solet) se agitationibus, quo illi applauderent, in orbem versarent, non more gladiatorum & mulierculârum, quos apud se habebat, inconcinnè ei acclamarent, & quasi tripudijs gestirent: sed vt in domo Dei par est, modestè moderatèq; auscultarent, eos grauiter increpârit, & verbis contumelioſis exceperit: neq; quomodo in verbi Dei interpre-*

terpretes, qui è vita excessissent, dum in hominum frequentia palàm prædicaret, petulanter & importunè debacchatus fuerit: & non tanquam Episcopus, sed tanquam sophista & præstigiator de se ipso magnifica verba iactitârit.

Ex quibus theatricę etiam gesticulationes, & mores notari possunt.

Itinera principum honorata.

§. 9. Maxime maiestas imperatoria, & ante regia in itineribus cognoscebatur. Honores varii exhibebantur. Nam sacrificia immolabantur, odoribus viæ implebantur, cerei accendebantur, flores, coronæ, portæ, domus priuatæ, templa ornabantur, publice conuiuia celebrabantur, pallia expandebantur, omnes occurrebant, deducebant, ferebant, laudabant, dispositis per viam organis canebant. ita vt tum demum se principes esse cognoscerent, cum regna sua obirent. Sunt exempla apud Curtium libro quinto. Dion. in Seuero, Liuium 32. Plin. ad Traianum in paneg. Appian. lib. 8. belli Gallici. Suet. in Neron. cap. 30. Theod. lib. 5. cap. 34. Socrat. libro sexto, capite vltimo. Claud. de sexto consul. Honorii. & tertio. Sozom. libro octauo. Paul. lib. 30. Herod. lib. 4. & 8.

Hoc ita factum summa prudentia à maioribus opinor, imo plane diuinitus; cum enim maxime interfit Reipublicæ principem non vno loco residere, sed beneficia præsentiæ suæ exhibere, cunctis populis, à quibus alitur, & colitur, omnibus eum illecebris ad profectiones incitare conati sunt.

CAPVT VI.

Potestas principum magna, sed varia.

Potestatum lenta debet esse mutatio

§. 1. VARIAM principum in suos potestatem fuisse constat; optime temperatam ex Monarchiâ, Democratia & Aristocratia probaui. Hoc maxime prouidendum, vt cum Reipublicæ forma mutatur, consuetorum magistratuum potestas lente, & particulatim, nomina autem tardissime mutentur, donec re ipsa labente, sponte euanescant. Consultissime hoc in Romano imperio factum; tyrannis initio dictatoris nomine grassata est, Sulla sæuiente, deinde Cæsari dictatura data est, sed perpetua. Tertio, nomine Triumuiratus componendæ Reipublicæ proscriptio optimatum primos sustulit. Et imperatores, quanquam omnia possent, vires suas magistratuum minorum appellationibus stabiliebant. Hinc Pontifices maximi, consulesque renunciabantur, & quod omnium maxime eos tutos reddebat, singulis annis tribunitiæ potestatis titulum renouabant. Ea enim potestate sacrosancti habebantur, & fauorem populi tenebant. Ille enim magistratus populi causa, contra potentiorum ciuium iniurias institutus est.

Regũ Christianorum temperata potestas.

§. 2. Potestas omnium regum Christianorum non ad modum regum Gentilium, sed Hebræorum constituta est; nam quemadmodum summi pontificis, & summi concilii Sanedrin auctoritas inuiolata erat, nec regia potentia premebatur. ita quoque imperandum est regi Christiano, vt tamen religionis antistites audiat, & veneretur. Deinde secum ipse perpendat, quanti sit supremi in religione præsidis amicitia, & fauore munitum regnare. Nam hoc concordiæ vinculo neglecto vehementer omnia turbantur. Inter Henricos & Pontifices, deinde Fredericos, & alios pontifices, quanti mali causa fuerit imperatorum importunitas omnia sibi vindicantium, historiæ nos edocent. cum enim auctoritate Pontificiâ imperium sit ad Francos à Græcis, ac deinde à Francis ad Germanos delatum, hinc fit vt in eius gubernatione nonnullæ sint pontificum partes. Nam vt de præsenti statu loquamur; Electores non modo imperiali, sed Pontificiâ etiam auctoritate instituti tradit Nicolaus Bellus de pontificib. discurs. 1.

Pontificis in imperio partes.

Ex hac assertione auctoritatis Pontificiæ super Reges; sequitur illud, vt Pontifex in rebus Imperii, multo magis se immiscere queat, vtpote quæ Iuris pontificii sunt, Sedique Apostolicæ immediatè subiectæ. Id autem probatur, quia Gregorius Quintus numerum Electorum instituit, quibus eligendorum Cæsarum facultatem concessit: Et quanquam authentica exempla Bullæ aureæ, quam hac de causa edidit, proferri nequeunt, nihilominus, cum magnum susceperim laborem, vt huiusce rei dilucidam veritatem comperirem, pleræque patentes litteræ cum earum exemplaribus ad manus meas deuenere, quibus antiqui multi Electores expresè fatebantur, suam se auctoritatem summis Pontificibus acceptam referre, quemadmodum in Arce Sancti Angeli in Thesauro, & in tribus libris, quibus titulus: priuilegia Imperatorum, videre est, nec non in Bibliotheca Vaticana, vbi exempla sunt desumpta ex iis, quæ in Arce Sancti Angeli custodiuntur. Ex quibus clare patet, Electorum auctoritatem eorumque institutionem à sancta Romana Ecclesia dependere. Quæ vt magis comprobentur in medium affero, pro diuersis temporum occasionibus Electores à diuersis pontificibus eligendi priuilegio spoliatos esse, quẽadmodum olim Ioannes XXII. id effecit. Sed & Leo X. Ducem Saxoniæ priuauit: Clemens autem VII. electionem Caroli V. Validam fuisse etiam absque eiusdem Ducis suffragio, sustentauit, atque asseruit, quemadmodum in libro quodam, qui corio rubeo integitur, cernere est, cui libro titulus, Capitulationes principum: & conseruatur in pontificio promptuario. In regestris autem Leonis X. & Clementis VII. in Archiuio Camerę Apostolicæ hæc auctoritas lucidius apparet: nam statim atque Rex Romanorum, vel Imperator electus est, Electores à Pontifice confirmationem petunt, sæpiusq; cum Papa consensum non præstitisset, ad nouam electionem deuentum est: quẽadmodum in dictis libris, si diligenter attendantur, obseruare est.

Nollem ego lites inter regnum Christianum, & regale sacerdotium oriri, quæ sæpe populorum cladibus sopitæ sunt; hoc moneo politice prudenterque Imperatorem, & pietatis, & Reipublicæ causa auctoritatem pontificis comiter obseruare oportere. Videantur cætera, & historiæ consulantur. Carolum Quintum idem ait, cum à Francisco rege Galliarum ad singulare certamen prouocaretur, respondisse; *se sanctæ sedis Apostolicæ filium ac defensorem esse, eidem se iureiurando obligatum, de se nihil statuere posse.*

Imperator filius Ecclesiæ.

Vere & recte Carolus, neq; enim tot fata populorum vno ense librari debuerunt, & cædes regis alterutrius maiorum malorum initia dedisset. Verum princeps ille sapientissimus ostendit, quanta sit imperatoris cum sacerdote necessitudo. Quod si summi principis tam est coniuncta, cum Ecclesiæ vtilitate salus, erit etiam aliorum regum, & Rerumpublicarum. Nam singulorum regnorum, vt Britanniæ, Daniæ, Poloniæ, Arogoniæ, Hungariæ, Neapolis propria sunt fœdera. Neque potissimi regum despicere possunt communem patrem, cui à multis filiis subsidia deferuntur.

Consilia statuum quæ commoda, quæ incõmoda habeant.

§. 3. Magna parte in politioribus regnis pendet regnantium potestas, à consilio patriæ, aut statuum patriæ. Cuius magna est contra iniquiores principes vtilitas, sed eiusdem multa quoque incommoda, cum moram rebus vtilibus, aut necessariis adfert. Moderatur sua auctoritate principis ingenium; atq; efficit, ne si quid principi accidat, sine magistratu sit patria.

In potentiâ statuũ discordia, & vtilium tarda prouisio.

Summa incommoda, si status concordes non sint, oriuntur. Ea de re omnes in Germania querimur, & tamen semper, vt querelis locus sit, agimus. Sunt in Germania tres ordines, qui ad consi-

consilium magnum, seu comitia publica cõueniunt. Electorum, deinde aliorum principum, & comitum, tettio, liberarum ciuitatum. Hinc omnia tarde conficiuntur, & iam tempore multo pene nihil efficitur. Causa est, in conueniendo tarditas, quorundam absentia, legatorum restricta potestas, disceptatio de re proponenda, discordiæ multiplices. Primariæ nunc quidem sunt in religione, sed pietatis prætextum multi suis cupiditatibus obtendunt: nam reuera principum sunt inter se simultates, & inter principes & reliquam nobilitatem, quæ à quibusdam premitur, cum alioqui soli imperatori, tanquam aulæ eius comites, & ministri subesse velint. Maior est inter vrbes liberas, & finitimos principes æmulatio; vrbium studia, conatusque eo tendunt, vt libertatem tueantur, principes nonnulli in hoc incumbunt, vt eas sibi reddant obnoxias. Harum in pace sita est felicitas, orto bello in magno sunt discrimine, quia non viribus pleræque, sed legibus libertatem tuentur, cum autem inter arma ciuilia sileant leges, libertas sub ictu stat. Apparuit hoc bello ciuili quod contra Carolum quintum est gestum, in quo ciuitates maximas impensas fecerunt, inhonoratam militiæ societatem sortitæ sunt, victæ deinde grauissimè multatæ sunt. Deteriore conditione futuræ si vicissent; nam durante bello principes offenderant, quod minus prompte parerent, & vt nulla offensio fuisset, proemia tamen victoriæ solis principibus, velut potentioribus, cessissent. Quo facto, ciuitatibus imperii tutela defuisset, & vicini grauiores incubuissent. Itaque victrices libertatem non nisi principum beneficio tenuissent. Hæ igitur causæ sunt, cur tam tarde moueatur imperium; quia in eodem corpore nunquam eadem prosunt, cum ab harmonia & legitima humorum temperatura discessum est.

A statibus bella non commode administrantur.

Ciuitates Germaniæ victæ in potestate victorũ, victrices in potestate sociorũ erunt.

§.4. Gallia suos etiam status habet, Ecclesiasticorum, nobilium, plebis. Sunt consilia duo, arcanum & publicum. olim ex tribus statibus Concilium publicum conuocabatur. Erat in eo Concilio summa auctoritas, & tanta integritatis æstimatio, vt ad illud multi etiam exteri controuersias suas deferrent. In eo vero res grauissimæ, siue, vt appellant, res status tractabantur; si rex creandus, si abdicandus, si bellum gerendum, pax ineunda, leges ferendæ, primariæ præfecturæ deferendæ, principum crimina cognoscenda, dos regiis liberis assignanda esset; quin & ratio sumptuum, ac tributorum eo in consilio tractabatur. atque hoc est quod Curiam aut Parlamentum generale vocant. Eo igitur tempore accisa admodum potestas regum Franciæ fuit. Verum auctoritatem consilii minuerunt posteri, (Hugoni Capeto hoc tribuunt) erecto parium collegio, qui de principum fortunis, aliisque iudicarent. Addita sunt deinde Parlamenta, verum iam ad priuatum Concilium regni negocia à multo tempore referuntur. Hinc expeditiora sunt consilia. Huiusmodi status etiam in Gallia, Hispania, Anglia, Scotia, aliisque regnis sunt; ad quorum rationem potestatem suam quilibet Princeps facile exiget.

Cõsilia Gallicana olim nobilissima

Addito consilio alio prioris auctoritas minuitur.

§.5. Statum patriæ referebat olim senatus, non qualis erat in libera Republica regnans, sed qualis sub imperatoribus moderatis particeps consiliorum, & honorum publicorum. Probus eum talem habuit teste Vopisco, nam ab omnibus appellationem ad senatum concessit, aliaque quæ iam exoleuerant; Factum iterum sub Honorio, Claudian. de Stilicone:

Senatus Romani auctoritas pro arbitrio imperatoris mutabatur.

Ordine cum prisco censeret bella senatus,
Neglectum Stilico per tot iam sæcula morem
Rettulit, vt ducibus mandarent prælia patres.
Decretoque togæ felix legionibus iret
Tessera.

Hoc Stilico, sed non vt Patres Conscriptos honoraret, sed vt auctoritatem imperatoris imminueret, atque hac popularitate sibi, & Eucherio filio pararet viam, ad tyrannidem. Tiberius summa simulatione cum rem imperii cupidissime accepisset, nomen diu negauit, custodiam à Senatu petijt, milites Reipublicæ, non suos esse dixit, princeps senatus dici voluit, collegas optauit, sed hæc erant sæua ludibria, quibus sensa nobilium explorabat. Magistratus habebat in honore, non aliter atque stante Republica assurgebat; consulibus: atque quoties eis cœnam dabat, ingredientibus ad fores procedebat obuiam, & comitabatur abeuntes.

CAPVT VII.

Reipublicæ præcipuam curam esse vt idoneis mandet dignitates, & magistratus.

Parum est principem esse bonum si eius ministri sint mali.

§.1. DE minoribus magistratibus loquor, qui vel à rege, vel senatu in Aristocratia, vel à populo in Politia constituuntur. Quocunque enim loco idonei, & boni viri præficiuntur salus constat Reipublicæ. Maneat hoc certum ac fixum, & nobile regnantium axioma. Meliorem esse Rempublicam in quâ princeps malus est, quam ea, in qua amici principis, magistratusque, qui in parte Rempublicam gerunt, mali sunt. Multos enim malos haud facile vnus bonus compescit; malus princeps si bonos habeat administros, nequitiæ instrumentis caret: hoc duntaxat difficile est, vt malo principe, sint boni, & diuturni administri.

Principis officiũ est, bonos præsides constituere.

§.2. Naturalis est, & summa principis obligatio, vt bonos præsides prouinciæ præficiat, præfectosque tueatur, atque in officio contineat. Atque vt verbo dicam: Cuius administri, & magistratus in officio sint. Hoc ipsi imperatores agnouerunt, quorum aliquando peculiaris in deligendo cura fuit. *Alexander Imperator præsides nunquam ad beneficium, sed ex iudicio dedit.* Oritur illa obligatio ex iure Reipublicæ, & priuati cuiusque; quemadmodum enim, si princeps medicum & Chirurgum sumptu ciuitatis constituat, ex iustitiæ legibus obligatur, vt ne Demostratos, Marcos, Simones, Menophanes, Capitones, Phaidones, Socleas, Agelaos, Alexes, Agidas, Zopyros, Charinos, Gennadios, Rhodones, Calignotos, velut pestes viuas, & efficaces ciuibus immittat, qui glorientur vt ille apud Agathiam Epig. l. 2. εἰς ἰατρόν

Καὶ γὰρ ἐγὼ πολλὰς ψυχὰς εἰδὶ πρὸς Ἄϊδος πέμπω
Nam & ego multas animas ad inferos deturbo.

Sed viros peritos, industrios, fidos, non quos

—— οἱ σορὸς πηγοί
Βάλλουσι μίτραις, ἄνθεσι, καὶ στεφάνοις.
Spargunt mitris, floribus atque coronis.

Sic nullo iure possunt populis raptores, & iniquos præponere. Nam culpam suorum præsidum, nisi ipsi prospiciant, præstare coguntur.

§.3. Ro-

In venalitate magistratuum nulla ratio virtutis.

§. 3. Romæ in summâ ambitione, & venali campo nonnulla tamen candidatorum ratio ducebatur: ante comitia namque nomina apud magistratum profiteri necesse erat, à quo si recepta non essent, à populo creari non poterant; ij enim publico iudicio indigni iudicati essent, quibus gubernatio Reipublicæ committeretur. Verum auaritia & ambitio, hæc omnia perrupit. Cato cum optimatum conspirationes cerneret; clamauit, *rem indignam esse, vt adderetur nuptiarum lenocinijs imperium*, ac per mulieres mutuò se ad prouincias, imperia, exercitus proueherent.

Quos ignorat, contemnere videtur potestas.

§. 4. Maxima itaque virtus principis est, nosse suos, nec modo nosse, sed etiam regere; quod sine notitiâ fieri non potest. Prudenter in imperio Romano institutum, vt breuiarium imperij, quo omnia vectigalia, impensę, prouinciæ, classes, exercitus, magistratus, eorumque salaria continebantur, in promptu esset.

Notitiam imperij veteres dixerunt; Augustus publicè proponere consueuerat. Laterculum etiam vocabant; Cedrenus: ἦν δὲ παλίνθος δημοσία, ἐφ' ᾗ τά τε τῶν βουλευτῶν, καὶ τὰ τῶν στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγέγραπτο. Erat publicus laterculus, in quo senatorum, & exercitus nomina scribebantur. Tacitus 1. Annalium. Augustus libellum composuit, quo opes publicæ continebantur, quantum ciuium, sociorum que in armis, quot regna, classes, prouinciæ, tributa ac vectigalia, necessitates ac largitiones, quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus. Multo diligentius illa subsequentibus fuerunt, vt constat ex tit. 17. l. 1. cod. ad præfectum prætor. Africæ.

Omnium magistratuum nomina in laterculo erãt

Hoc etiam præsenti sanctione credimus ordinandum, vt nõ multa dispendia pro completione chartarum vel codicillorum, vel in nostro laterculo, vel in scrinijs præfecti prætorio per Africam iudices sustinere videantur: quia si ipsi dispendijs læsi non fuerint, nullam habebunt necessitatem eiusdem nostræ Africæ tributarios prægrauandi. Iubemus ergo, vt iudices diœceseos Africanæ tam ciuiles, quam militares, in nostro laterculo pro codicillorum atq; chartularum promotionis suæ consuetudinibus nihil vltra sex solidos præbeant: at vero in scrinio præfectorum non vltra duodecim solidos cogantur inferre. quem modum si quis excesserit: ipse quidem iudex triginta librarum auri dispendio subiacebit: officium vero eius non solum simile dispendium, sed & capitale periculum sustinebit. Nam si aliquis ex quacunq; parte ausus fuerit iussiones nostras excedere, & non festinauerit cum Dei timore eas seruare, non solum dignitatis aut substantiæ periculum sustinebit, sed etiam vltimo supplicio subiacebit.

Princeps itaque omnium, præfecti suorum descriptionem habuerunt. Deinde in scrinio sacro illa deponebantur. De notitia vide, & de aduoc. diuers. l. 5.

Quia vero antiqua perierunt, extat vero Justiniani de Africâ laterculus loco citato, eum ibidem legere quisque poterit.

Magna imperia hostiũ secura, ministris obnoxia sunt.

§. 5. In magnis imperijs, vt nihil est iucundius, fructuosiusque communi pace, & securitate; non enim vicinos potentiores pertimescunt: ita gratissima est magistratuum inferiorum licentia, eo quod in tanta negociorum mole facile lateant iniuriæ: quod vel ex eo nascitur, quia non datur aditus accusatori, vel quia extrema negliguntur: quocirca Respubl. id summopere cordi habebit, vt quemadmodum in limite imperij, & hostium vicinitate, fortissimos, ac fidissimos ducum collocat, ita in remotissimis gubernatores ac iudices æquissimos; nam ipsa longinquitas, vt subditis spem auxilij adimit, ita regentibus fiduciam impunitatis præstat. Quis enim Romæ id ausus est, quod in Gallia, Asiaq; fecerunt Romani? Imo creberrime contigit, vt adeò in ruinas intenderent præsides, vt miseros rebellare cogerent, atq; ita causam dicere necesse non haberent; hostibus iam iudicatis, quibus necessitatem rebellandi iniuriæ imposuissent. Cyrus genti Judæorum libertatem restituit, atque in hunc modum edicit 1. Esd. 1. 2.

Longinqua vastant præsides.

Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iuda. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Ierusalem.

Et omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitant, adiuuent eum viri de loco suo argento & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem.

Iussa principum in remotis euanescunt.

Hoc si Babylone agendum fuisset, intra annum insigne templum constitisset. Nunc vero quid regis absentis mandatum contra vicinorum odia potuit? 1. Esd. 3. 3. Collocauerunt *autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum: & obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere.*

Jussi erant templi ædificationem adiuuare, at illi deterrent, vt ne aram quidem exstruere possint; Nec modo impediunt, sed simulatione subsidij conantur etiam profanare 1. Esd. 4. 1. *Aedificemus vobiscum, quia ita vt vos, quærimus Deum vestrum, ecce nos immolauimus victimas à diebus Asor-haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.*

Cum viribus non possent, calumnijs agunt. ibid. v. 4. *Conduxerunt autem aduersus eos consiliatores, vt dissiparent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum.*

Amicissimus regum bella inferuntur.

Multo perfidiosius egerunt contra Nehemiam, non veriti, quod carus regi, à rege & regina cum potestate missus, quod cum eo missi principes militiæ & equites 2. Esd. 9. 10. Quid enim præsides regis; 1. *Contristati sunt afflictione magna.* 2 *Iratus est Sannaballat valde* c. 4. 1. 3. *Motus nimis subsannauit Iudæos.* Et v. 8. *Sannaballat, Tobias, Arabes, Ammanitæ, Azotii congregati sunt omnes pariter, vt venirent, & pugnarent contra Ierusalem, & molirentur insidias.* Et v. 11. *Dixerunt hostes nostri, Nesciant & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.*

Galli Siculos rebellare coegerunt.

Ecce talia contra expressum regis mandatum subditi regis contra subditos moliuntur, contra legatum à mensa regis missum, ad regem mox rediturum. Itaque summo studio longinquis est prospiciendum. Nec pauca exempla Hispanijs dederunt Indorũ præfecti, nam vt bella Lusitanorum, & Castilianorum taceam, absq; gubernatorum sæuitia, auaritia, ambitione, mutuisq; cædibus fuisset, totam Indiam occidentalem corona Castiliana teneret. Nec longius exempla petenda sunt. Nullum in Europa imperium Frãcico rectius constitutum esse multi, nec sine causa arbitrantur; cum tamen in Sicilia regnum tenerent, iniuriis suis gentem illam ad defectionem minuti tyranni compulerunt. Quia vt à patria ita quoque ab æquitate recesserant prælides. Huic etiam rei documento est; quod in discursu de regno Neapolitano narratur à Nic. Bello. Primo enim rem militarem negligenter, perfideque administrari testatur, triremes vetustas, inutilesque esse. *Etenim*, inquit, *satis est regijs ministris nonnihil in speciem præ se ferre, quod in Aula Regia magnificetur, eoque pacto diligentiam ostentantes Regi aliquatenus satisfaciunt, orbemque terrarum in eximia magnarum rerum detinent exspectatione. Quæ res ad opes breui comparandas mirifice prodest, quibus mox ditionem aliquam in regno coemant, reditus coaceruent, & pretiosam accumulent suppellectilem.*

Hæc anno 1579. facta ille recensет. Et paulo post: *Commorantur vt plurimum Neapolitanæ triremes ad Molem portus sine stipendijs, sine militibus ac sæpe sine remigum parte dimidia, qui à nauarchis persæpe locantur mercatoribus, nobilibus, aliisq; ad exonerãdas naues, aliaq; domestica opera peragenda: adeo vt necessitatis tẽpore (veluti anno præterito cũ octo piraticæ triremes duas Siculas ad Capreas insulã cepissẽt, toto die quinq; triremes instructæ fuere ad Turcas insequẽdos, qui pe & remi*

remi deerant, & milites desiderabantur) dubitandum sit, vt ex tanto dispendio, quod Rex in hisce triremibus patitur, minima colligatur vtilitas, eo magis, quod eædem triremes bellicis tormentis malè instructæ, & nautis peritis destitutæ sunt; remiges vero vel turcica mancipia, vel damnati sunt, quorum alteri coacte & cum periculo vtentium remigant, alteri inexperti sunt, parumque idonei ad maris incommoda perferenda.

Quid vero audacia absentiæ regiæ faciat est in eodem discursu. *Cum nuper Maiestati Regiæ ordinarium donatiuum factum fuisset, & Proceres Regnumque vniuersum per certos suos homines illud mittere vellent, Prorex per suum hominem mittere voluit, idque, ne si mitterentur per alios, ad Regem, & aulam eius malè gesta Proregis referrentur; idcirco vt donatiuum sibi traderetur, eos coegit.*

Præsides mali nolunt à rege amari prouincias.

Hæc sane ipsis iniurijs, contumelijsque maior est iniuria, totius regni proceribus munera regi mittentibus legatorum mittendorum potestatem violenter eripere. Quid priuatos pati necesse est, si publice tanta facinora committuntur? tam manifeste, vt toto orbe historiæ volitent, soli ignorent, quorum periculum agitur, reges? Verum hæc tum ratio erat. Eratq; & illi sæculo suus Verres.

Sors damnata.

§. 6. In constituendis itaque magistratibus sors omnino damnanda; si enim mare nauigaturus, nauē, & nauclerum non sortiris, sed hunc peritum, illam validam exquiris, quomodo salutē omnium ciuium in sortium discrimen conijcere, potest esse Reipublicæ bene constitutæ? Athenienses, populus audax, & celer τὸ χρυσίον τῶν πεντακοσίων senatum quingentorum sorte legebat, quo factum est, vt pessime constitutam Rempublicam haberent. Xenophon περὶ Ἀθηναίων πολιτείας. recte iudicauit. Περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας, οὐκ ἐπαινῶ διὰ τόδε, ὅτι ταύτῃ ἑλόμενοι, εἵλοντο τοῖς πονηροῖς ἄμεινον πράττειν, ἢ τοῖς χρηστοῖς. διὰ μὲν οὖν τοῦτο οὐκ ἐπαινῶ.

Athenienſiū peſsima Reſpublica.

De Athenienſium vero republica, quod eam republicæ rationem ſequuti ſunt, ideo non laudo, quod dum eam ſequuntur, illud effecerunt, vt improbi meliore eſſent conditione, quam probi. Atque hac quidem in re non laudo.

Male omnino, sed populariter faciunt; nam malos sibi vtiles arbitrātur, hinc & sorte legunt, & cum suffragijs designant magistratum in pessimos sunt beneuolentiores, in bonos iniqui. Barbara omnia scita, & facta eius populi. ita Xenophon iudicat. Διὰ ταῦτα οὖν τοὺς μὲν χρηστοὺς ἀπιμῶσι, καὶ χρήματα ἀφαιροῦνται, καὶ ἐξελαύνουσι, καὶ ἀποκτείνουσι, τοὺς δὲ πονηροὺς αὔξουσι. *Propterea bonos quidem contumelijs afficiunt, pecunia, exilio, morte multant, malos vero adaugent. Hinc imperium breui tempore, & turbulentum gesserunt.*

§. 7. Sorti tamen res permitti potest, si eam dirigat diuinitus maior aliqua potestas, vt Saulem ante delectum, vnctumq; à Samuele regem sorte delegerunt. 1. Reg. 10. 20. noluit enim Deus Samuelem esse suspectum, quasi ipse suo iudicio, vel affectu Saulem designasset. Deinde populus à Samuele, tanquam propheta regem petijt, quamuis enim peccarint postulando regem, recte tamen fecerunt, quod non tumultu, & ambitione tribuum regem constituerunt, sed à propheta, hoc est ipso Deo petiuerunt. ita enim 1. Reg. 8. 5. loquuntur: constitue nobis regem, vt iudicet nos. Sortis itaq; vsus non erat legitimus, nisi constaret fore, vt à Deo dirigeretur. Erant tum tribuum duodecim occultæ contentiones, nec ea comitia sine lite dirempta fuissent, nisi Deus suo iudicio rem definiuisset. Apud barbaros sortium magnus fuit vsus, quæ vel temeritate, vel superstitione vitiabantur.

Deus interdum ſortes adiuuat.

§. 8. Cum plures sunt candidati, qui pares iudicantur, omnesque idonei, sortito possunt eligi, inuocato tamen auxilio DEI, vt eum qui optimus est designet ita Apostoli in medio Josephum & Matthiam constituerunt, & sors cecidit super Matthiam, & annumeratus est duodecim Apostolis. Hinc vices sacerdotum in templo sorte distribuebantur. *Factum est*, inquit Lucas, *cum fungeretur sacerdotio in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini.* Cum enim plures essent sacerdotes præsentes, quibus omnibus erat ius æquale ponendi incensi, quod tamen vnius opera ponendum erat, ne ex æmulatione contentio nasceretur, sorte deligebatur. Alioqui nunquā est summum sacerdotium sorti subiectum in lege veteri. Bello Judaico, vt auctor est Josephus lib. 4. cap. 5. Zelotæ redacto in ordinem Anania Pontifice, sorte summum sacerdotem, nomine Phani, rusticum, & qui cunctis ludibrio esset, delegerunt.

Cum plures pares & idonei, ſors admittitur.

Sanctus Augustinus ad Honoratum in persecutione pericula sortiri iubet. Retinendos qui vtiliores plebi, si omnes æquales, paratique ad mortem, rem committendam sortibus.

Pericula ſortiri poſſunt ſortes.

§. 9. Sed neque in his semper, aut temere est ad sortes deueniendum sola necessitate, aut decreto Dei certo earum vsus adhibendus, cum nec ratio, nec cōsilium aliud admittit. Nam varia incommoda sortes habent. Primo, paruo negocio corrumpuntur. Persarum proceres occiso Smerde, vt regem nouum sorte deligerent, nempe eum cuius equus prior hinnitum edidisset, iureiurando sanxerunt. Vocem bellici animalis pro oraculo habituri; sed cum sorte acturos putarent, totam Rempublicam ingenio Oebaris equisonis commiserunt. Ille enim admisso Darij caballo nocte pridiana, effecit, vt loci, & voluptatis recordatione hinnitibus impleret auras, quodque collegæ Darij diuinitus fieri credebant, seruuli fraude perfectum erat. Astutius etiā Messenienſium agrum ad se traxit Cresphon, de quo Pausanias in Messeniacis, cum enim res sorte transigenda esset, Temenus sacerdos dolo malo Cresphonti victoriam dedit. Sortium ratio erat, vt argilla sicca, duraq, aquæ imponeretur, cuius argilla tardius liquesceret, agrum Messenium haberet. Temenus promissis, donisque corruptus Cresphontis argillam ad ignem, aliorum ad solem indurauit, cum ita que violentius cocta durities solueretur tardius, Messenij cesserunt Cresphonti. Secundo. Quanquam pares videantur, crebro tamen magna est imparitas, quæ considerantibus facile apparet. Romana in Republica, sortitio in Prouinciarum præsidibus, & iudicibus vsitata fuit. Consules enim prouincias vel comparabant inter se, vel sortiebantur, iudices vel edebantur, vel sortito legebantur: vtrumq; non sine multa cautione constitutum est, nec tamen sine difficultatibus constitutum est. In prouinciarum sortitione, nulla difficultas videbatur, nam cum vterque consulum summo magistratu functus esset Romæ, cur non in prouincia etiam minori dignitati par esset? Perinde itaq; videbatur, cui quis prouinciæ præponeretur. Sed fefellit ea res crebro populum Romanum. Nam si in Græciâ pax, in Galliâ bellum esset, Consules vero essent Cæsar & Metellus, nollem sane Cæsarem in Græciam; Metellum in Gallias mitti. Hic ergo iudicio, non casu prouinciæ committendæ. Contra rationem enim est, veterem imperatorē in pacatam prouinciā, ire timidum, inertemque acerrimis hostium obijcere. Quam ob causam prudenter Augustus eam rationem correxit; nam pacatas prouincias senatui ac populo permisit, turbulentas & vbi bello opus erat, ipse tenuit, Ægyptum non modo sortie exemit, sed ne senatorem quidem ingredi passus est suo iniussu. Judicum sortitio, quanta mala pepererit alio loco dicendum est.

Sortes facile corrumpuntur.

Sortium error in Republica Romana.

§. 10. Quamuis Aristoteles lib. 2. cap. 6. non probet electos ad aliam electionem vocari, pluribus tamen locis id vsus obtinuit. Ratio Aristotelis est; quia pauci illi facile conuenire, & suo arbitrio magistratum

Sortiū quædam ratio probabilis.

tum eligere possunt. Verum facile ista cauentur, cum primo generatim multi electores deinde ab illis pauci deliguntur, quod si etiam sors accedat, ambitio prorsus excluditur. Populus enim quinquaginta electores constituat, horum singuli alium adsciscant, ac demum fiat sortitio eorum, qui magistratum eligant.

Præsides si populo grati sunt, minus nocent, si peccent.

§. 11. Rex aut senatus postquam consultauit de constituendis præsidibus, nunquam satis prouisum Reipublicæ existimet, nisi plane intellexerit, de eo populi iudicium. Raro enim populus fallitur, deinde si probat rectorem suum populus, quamuis illi multa desint, quieta est administratio. Maxime itaq; hanc in partem peccant principes, cum commendatione aliorum, quosdam in precio habent, vrbibusq; præficiunt, quorum auaritia, fraudes, libidinesq; in vulgus nota sunt. Quâ quidem in re maximo se famæ, & regni periculo inuoluunt. Nam ita secum & populus, & prudentes loquuntur. Rex vel facinora, nequitiamq; improbi præsidis nouit, vel ignorat. Si nouit, quid ab eo rege speremus, apud quem sceleratis tantum est patrocinium, qui nequissimos in altum tollit? si ignorat, statuam, non regem habemus. Nobis eius ignorantiâ perire integrum non est. Quanto porro tales sint odio, tantum casus ostendit.

Caput VIII.

Ratio viros bonos ad gubernationem erudiendi.

Ad Magistratum erudiendi.

§. 1. Quamuis alij meliore ingenio, indole, maiore prudentiâ nascantur, quam alij, nemo tamen nascitur artifex, doctrinâ itaque, & exercitatione ad artem artium, artem omnium dominam, hoc est, Politicen erudiendi sunt. Et quidem de doctrinâ satis à me dictum est libro de institutione. Nunc de exercitatione dicendum est.

§. 2. Cum in Republicâ sit magistratus togatus, & sagatus, simulque illi, qui vectigalia, quique iudicia tractant, in his exerceri per ordinem iuuentutem oportet. Et quidem de bellicâ exercitatione suo dicam loco. Vt in ciuilibus negocijs periti euadant, mature discant cognoscere Rempublicam, quod hisce consequentur modis.

Iuuenes in Senatu sint

§. 3. Nobilibus adolescentibus, postquam annum vicesimum excesserint, si cum laude stipendia fecerint, aut vniuersitatibus eruditionem approbauerint, Senatusconsulto, vel principis edicto, liceat senatui interesse, in consilio principis sedere, sententiam dicere, ita tamen vt consultandi, non definiendi vim eorum iudicium habeat. Sic enim intelligent, quibus de rebus in consilio publico agatur; disputantium orationes, sapientiamque notabunt, eaque quæ proposita sunt meditabuntur; nec minor vtilitas est in audiendis libellis supplicum, in legatorum artificiosis discursibus, quæ omnia in Concilio examinantur. Romæ quidem priscis temporibus filios Senatorum consultationi interfuisse faceta historia de polygamia testatur; nunc non est admodum in vsu. Veneta Respublica magno emolumento suo tuetur. Omnibus enim Patricijs adeundi Senatus jus est, modo annos viginti quinque habeant, nonnullis etiam singulari rogatione ante eam ætatem curia patet, modo tamen sit annorum viginti, sunt vero in consilio magno, vt ipsi vocant, quod ajunt bis mille Senatores continere, quanquam propter eos, qui in Legationibus, vrbium ac prouinciarum gubernatione sunt, non nisi mille sexcenti ordinarie conueniant.

Sententiam suam explicent.

§. 4. Magna etiam exercitatio est, si vel Senatus illis, vel Princeps imperet, vt de rebus propositis, breuiter, & dilucide sententiam scripto explicent; maxime cum legationibus respondendum est, aut graues res proponuntur. Interdum verò auditis variorum sententijs, & mature consideratis, omnium commoda, atque incommoda exponant, suumque judicium depromant. Nam quemadmodum nemo miles veteranus censendus est; qui ordinum quocunque loco, tempore seruandorum, & redintegrandorum, feriendi, vitandique hostis cognitionem non habet; ita nunquam Senator, aut Consiliarius fuerit, qui in sua alienaque Republica, negotijsq; non fuerit diu multumque versatus.

Hinc magnus ille numerus in aliorum sententiam abeuntium, non quod probent, vel intelligant; sed quia extra aliorum sensa non sapiunt, quia suo marte nunquam sentire aut loqui didicerunt.

Litib. plures, quam Reipublicæ studeant.

Cursum sanè eorum, qui ad Rempublicam adhibentur, duplicem animaduerto. Quidam scientiarum absoluta Cyclopædia, jurisprudentiæ sese dedunt, quam cum perdidicerunt, vt jam esse, aut videri Doctores possint, mox in exercitati alicujus Aduocati, Syndici, Assessoris se disciplinam, contuberniumque conferunt, vt formulas, & praxin forensem, præjudicia, experientiâ percipiant. Et illi quidem si ingenio, aut judicio valeant, causidici perfecti, nec inidonei judices litium euadunt.

Verum ad consilia, vel in curia Patrum Conscriptorum, vel in Consistorio Principis danda nondum maturi sunt. Variam enim cognitionem res illa postulat, nec intra cõtrouersiarum forensium angustias includitur. Alij sunt, qui postquam modice philosophati, de formulis institutionum nonnihil gustarunt, peregrino habitu in patriam redeunt, & Rempublicam capessunt, è quorum ruditate maxima incommoda nascuntur, auctoritatem enim habent consiliariorum, & magistratuum, ignorantiam idiotarum.

Legationes erudiendis hominibus aptißimæ.

§. 5. Præcipuum in politicis rudimentum est; si legatis quocunque mittendis adjungantur Comites illi, qui aliquando partem Reipublicæ gubernaturi sunt. Nunquam facilius negociorum, hominumque natura perspicitur, nusquam majore cura, cautioneque verba, nutusque alieni obseruantur, & proprij reguntur.

Itaq; si res in vniuerso vlla est, qua prudentia discitur, illa in legationibus cernitur. Olim alia mundi constitutio erat. Ibant Græci ad Regem Persarum seruata libertatis, etiam in congressu, & alloquio, dignitate. Romanorum Legati majestate imperij tuti erant. Nunc inter cognatos, amicos, æmulos, diffidentes, perpetuæ legationes commeant; mentem aliorum Principum & sui interdum ignorant. Legato igitur tres quatuorue, quasi Comites & Consiliarij adjungantur, non vt eum dirigant, sed vt discant vitare scopulos, qui plurimi sunt, & latentissimi.

Cohortes amicorum præsides comitati, instructiores redibant.

Prodest hoc junioribus, quia instruuntur, prodest Reipublicæ, qui ciues recipit prudentiores, nec Legatus tali vallatus comitatu præuaricari potest. Nec alia causa est, cur Romani tanta copia politices peritorum abundarint, quam perpetuæ cum legatis, magistratibusque profectiones.

Omnibus enim magistratibus præter Legatos, tribunos, aliosque vel exercitus, vel ministros adjuncti amici, & contubernales, hoc est, Nobiles adolescentes, qui rei bellicæ, Reipublicæque cognoscendæ ergo comitabantur. Hæc amicorum co-

hors, seminarium erat Magistratuum: quoque illustrior Proconsul, aut Proprætor in prouinciam ibat, eo majore manu nobilitatis stipabatur. Neq; nunc vsus ille prorsus aboleuit, gubernatores enim, & Proreges multitudinem secum trahunt, verum ad consilia publica, & res cognoscendas minus adhibentur.

Vitia si accusare liceat, compescuntur.

§. 6. Nec minimum momenti est in eo, vt juniores ad imperium, administrationemque aliorum attendant, vel vt recte facta imitentur, vel accusent errata. Quæ res saluberrima est, cum calumniandi rabies tollitur. Prisca taceamus; nostro sæculo in Germania, Gallia, Hispania, quosdam vidimus multos annos per Regum, Principumque infamiam, & cum rebellionis periculo, opes parasse, injurias prouincijs intulisse, cum tamen eorum scelera omnium in ore essent, soli Principes ignorarent.

Hic si legitima accusandi ratio fuisset, si vel oppressis loqui, vel bene sentientibus dare consilia permitteretur, non adeo diu impune nequitia exultaret. Dant pœnas illi quidem, sed sero, & post clades multorum.

Caput IX.

Visitandos esse Magistratus.

In magistratus est inquirendum.

§. 1. SI judiciorum antiqua ratio, ac consuetudo maneret, nihil opus esset missis Legatis in Magistratus gesta inquirere. Romani Magistratus prouinciales ordinarie annuos habuerunt. Et quo tempore in dignitate permanebant, nulli fas erat nomen ejus deferre, at cum primum prouincia decessissent multorum male factorum rei agebantur: Multi accusati, multi damnati, sed & multi absoluti sunt. Postea corruptis judicijs, prouinciæ spoliatæ sunt. Hunc omnino modum reduci præstaret, si non crebra mutatio vehementer obstaret. Verum cum id fieri nunc non ita expediat hoc agendum, quo in mores inducatur annua rationum exactio, querelæ populorum audiantur, injuriæ vindicentur, oppressi subleuentur.

Inquisitio in magistratus.

Harum autem rerum ratio exigatur. Primo, an contra Rempublicam quicquam egerint? Si hostium duces pecunia liberauit, si eos cum posset tenere, permisit euadere, si summam Reipublicæ labefactare aggressus sit, si ejus opera consilioque socij arma cœpissent, vt est in lege varia. Seuerissima fuit hac de re Lex Sullana, & modum excessit proscriptionis æmula.

Præterea quærere jubetur, qui intercessionem sustulerit, aut Magistratui, quo minus officio suo fungeretur, impedimento fuerit, qui exercitum è prouincia eduxerit, qui sua sponte bellum gesserit, qui exercitum sollicitauerit, qui ducibus hostium captis ignouerit, aut pecunia liberauerit, qui ducibus prædonum captis ignouerit, qui potestatem suam in administrando non defenderit. Hic mulieris testimonium accipitur, & nulla pœna calumniatoribus statuitur, nulla à quæstionibus cruentis dignitas hic excipitur.

Huc pertinet, si obsides ejus jussu interciderunt, si Magistratus occisus, si milites hostium adjuti, si prouincia Successori non est tradita, si hostibus est prodita, si in Legationibus pecunias accepissent.

Raro tamen contingit, vt prouinciarum præsides majestatis rei sint; fere enim honoratiores sunt apud suos Principes, quam proditoris nomine esse possent apud hostes. Olim frequens erat, electo nouo Imperatore fidem continuo mutare, & in Principem conspirare. Alia duo crimina sunt, ita vsitata, vt jam in mores abierint, cum vel publicam pecuniam interuertunt, vel socios expilant. Peculatus crimen acerrime Romani vindicarunt, & sociorum injurias primo fortiter, deinde languidius, tandem neglexerunt. Quam frequens olim fuerit peculatus, hoc est, furtum publicæ pecuniæ, documento est, quod quæstio peculatus perpetua, & quæstio repetundarum proprio quæque prætori commissa sit. Sed tamen de peculatu plures accusati sunt, quia ærarium multos habet vindices, sociorum caussa facile deseritur.

Deinde multis modis pecunia socijs extorquetur, spe, metu, dolo malo, accipiendis muneribus, vendendis sententijs, per satellitum concussiones, per publicanorum fœnora. Hinc dati socijs recuperatores à Senatu. L. Calpurnius Piso rogauit, vt ei rei certus prætor statueretur, ad quem socij confugerent. Sunt verò de hisce, Leges Ceciliæ, Juniæ, Seruiliæ, qua lege quadringentos quinquaginta viros legebat prætor. Ne verò lites extraherentur, & sociorum Legati magno incommodo Romæ hærerent, lege Acilia cautum fuit, ne ampliari, aut comperendinari possent. Cornelià lege additum est, vt eodem modo quæreretur, an libidinosè, superbe, crudeliter prouinciales, sociosué tractarit. Extendit etiam ad eos, ad quos pecunia peruenerit. Pœna erat, vt reo damnato lis æstimaretur, & aqua ei, atque igni interdiceretur. Et ne mireris, maximus furum Julius Cæsar accuratam de hac re legem tulit, in qua illa capita sunt, quorum ipse præ omnibus erat reus.

Leges de repetundis socijs salutares.

Cæsar sociorum spoliator de repetundis recte edicit.

Præter ea enim quæ ante dicta sunt, hæc continentur. Si quis pecuniam acciperet, quo magis, aut minus quid ex officio faceret, si ad denunciandum, aut non denunciandum testimonium, cui jus non esset. Si ob mittendum militem, vel nõ mittendum, ob sententiam in Senatu dicendam, ob judicem, arbitrumué dandum, aut non dandum, si opus publicum antequam perfectum in accepta retulerit, si modum exigendi frumenti excesserit. Si rationes in prouincia apud duas ciuitates non reliquerit, & easdem totidem verbis ad ærarium non retulerit, si judicum Comes pecuniam acceperit.

Maxima potentia, si nihil sit impune, felix est Respub.

§. 2. Si inter tot leges & judicia non deerant, qui suis periculis prædarentur, aut sæuirent, cum scirent conuictis pœnas dandas, quid futurum est, vbi & longior est administratio, & nullus legum timor? Quos Scauros, Galbas, Hortensios, Pleminios, Verres, Felices, Floros ex impunitatis spe fore putemus? Tam multæ tam piæ leges ab Hispaniarum Regibus pro Indorum commodis constitutæ sunt, sed nulla res adeo fuit efficax, quam missi in eas oras legati, & Episcopi, qui præsidum injurias coërcerent. Hoc igitur statuendum est, nunquam nisi per paucissimos recte gubernandam prouinciam, nisi Proprætor, aut Prorex, tam Regem timeat, quam subditi Proregem. Omnium igitur regnorum hic olim vsus fuit. Et nunc quoque vsurpandus.

§. 3. Imperia vel sunt mediocria, vel magna, vel amplissima, de terrarum mariumque tractibus loquor. In omnibus diuersa ratio instituti potest, & debet. Mediocre imperium Athenienses habuêre; Ideoque cum facilis esset accessus, ex mediocri spacio, omnia judicia majora causasque in vrbem suam attraxerunt. Ita Xenophon: περὶ ἀθηναίων πολιτείας.

Mediocre imperium vno in loco causas innatum dicet.

Videtur autem populus Athenienſis in hoc quoq; imprudenter agere, quod ſocios cogunt Athenas ad ius petendum nauigare. Sed opponunt ipſi, quæ hinc bona populo Athenienſi proueniant. Primum quod à Prytaneis mercedem per totum annum

annum accipiunt: Deinde quod domi sedentes, sine nauigatione socias ciuitates administrant, & populares seruant, aduersarios autem opprimunt in iudiciis. Quod si suæ quiq; domi iurisdictionem haberent, quum sint perosi Athenienses, eos ex suis euerterent, qui populo Athenienſi maxime essent amici. Accedit ad hæc, quod populus Athenienſis hæc lucratur, dum ius Athenis petunt socii. Primum centesima vrbi maior est in Piræo: Deinde si cui cœnaculum aut mancipium meritorium est. Præterea præcones melius rem gerunt propter sociorum peregrinationes. Ad hæc nisi ad iurisdictionem venirent socii, eos solos Athenienſium honorarent, qui ad ipsos nauigarent, Imperatores, triremum Præfectos, Legatos: at nunc cogitur sociorum vnusquisque populum colere Athenienſem, intelligens sibi esse Athenas proficiscendum ad experiendum & causam dicendam, non apud alios, quam apud populum, qui sane Athenis lex est. Itaque cogitur in iudiciis supplicare, & si quis intrat, manum prehensare. Propter hanc causſam socii magis serui efficiuntur populi Athenienſis. Adde quod propter possessiones, & Principatus à suis finibus remotos, discunt obiter remigare tum ipsi, tum comites. Necesse est enim, vt qui sæpe nauigat, remum prehendat, & ipse & famulus, discat q; naualis instrumenti nomina: fiunt q; boni gubernatores tum experientia nauigiorum, tum meditatione. Meditantur autem alii nauigium gubernando, alii nauem onerariam: nonnulli hinc ad triremes transeunt, pleriq; protinus naues ingressi, remigant, quippe qui possint, vtpote per omnem vitam præmeditati.

Malo quidem fine, sed specioso tamen titulo Athenienſes: itaque quamuis pleraque male statuta essent, eorum tamen præsides, qui vrbibus præerant, magno metu tenebantur, ne injurias inferrent socijs; cum enim ex omnibus vrbibus suarum causſarum ergo Athenas proficiscerentur, cum populus Athenienſis judicaret, non potuerunt potentium scelera latere; cum etiam potentiores, vt in populari ciuitatis forma exosi essent, non poterant à populo veniam sperare. Hanc ob causſam gratiores fuere quam Lacedæmonij, quorum erat asperius in Græciæ ciuitates imperium.

Magnum imperium Monarchæ obeundum.

Si magnum est imperium, quale est nunc Hiſpanum, & quale sub priſcis Imperatoribus Romanum. Potest Imperator vel Rex, vt olim fecit Adrianus teste Spartiano circumire prouincias, Procuratores, & Præsides pro factis supplicio afficere. Herodotus refert Persarum Reges antiquitus regnum obire solitos, vt viderent, si quid esset, quod regio egeret auxilio. Plato in Minoe idem de eo narrat, sed ejus imperium anguſtioribus finibus includebatur. In magnis imperijs hoc difficilius est.

Ampliſſima enim imperia, quale est Regis Hiſpaniarum, Principis sui præsentia frui nunquam vbique possunt. Nec expedit; si enim in Americam, aut Orientem suo periculo iter haberet, omnia regna in discrimen mitteret. In his igitur visitandis, regendisque opus habet viris optimis constantiſſimisque.

Nullius fidendum, vt rationem reddere nõ teneatur.

§. 4. Verum nullius virtuti ita credendum est, vt non Principi constet ratio administrationis, tum quia Magistratus virum ostendit, tum vero quia facile mutant honores virtutem. Laudabile est hoc in Sueciæ regno, vt refert N. Bellus; *Vicecomitib.* inquit, *superior siue Præfectus est, qui latine Legifer dicitur, munus ad Regiam maiestatem proxime accedens: Est autem simillimus Seniſcallis Franciæ, dicunturq; à Suecis Lamem, tanquam supremi Iuſtitiarii: à Vicecomitibus fit appellatio ad Præfectos & Legiferos; ab his ad concilium regale: ab hoc ad ipsum Regem prouocatur. Affirmat porro Regia Maiestas in illis regnis vndecim Præfectos aut Legiferos haberi, quibus plus quam trecenti Vicecomitatus subiiciuntur. Legiferi autem partem sui territorii quot annis circumeunt visitantq;, donec vndequaque visitatis, circulo quodam absoluto ad priorem partem denuo visitandam reuertantur: quæ res quemadmodum ad Statum Reipublicæ sigillatim dignoscendum, & ad remedia opportuna morbis publicis adhibenda mirifice prodest, ita populos subleuat, recreatque: quandoquidem ex territoriis & parochiis, quas visitauerunt, tributum alternatim exigunt, neque vniuersa simul aggrauantur.*

Hunc in modum nunc in nouo orbe administratio rectius succedit. Nam initio duriſſime tractati sunt, tum ob innatam barbariem, feritatemque, tum quod militum auaritia, crudelitasque in anthropophagos asperior esset. Exacerbabat omnes, quod fœderum & jurisjurandi negligentes sine respectu, cum victores erant, omnes trucidarent. Sed cum Theologi aduerterent opprimi miseros, acriter eorum causſam egerunt, Franciſcus Zamarraga Seraphici ordinis, veroque zelo præditus de totâ re ad Carolum Quintum retulit, Rodericus Minaria ad Paulum Tertium eâ causâ profectus Indorum libertati auxilia impetrauit. Bartholomæus Casa etiam oppresſoribus acriter obstitit. Gascæus Juriſperitus jurisdictionem reformauit. Nunc res optime constituta est.

In remotiſſimis Indiis Respublica magno labore est constituta.

Nam Proreges suos habent Consiliarios, alioſque liberos in regno Præsides, habent Episcopos, quibus cura est, vt juste administrentur omnia. Consistoria seu parlamenta judiciaria in noua Hiſpania nouem, in Peru quinque sunt suprema, & sine prouocatione. Singulis prope mensibus de rebus agendis refertur. Idque expeditius, quod non subito, & temerè, sed considerate de his rebus judicatur. Nam & alia consilia certa hæc omnia regunt, & auditâ Consiliariorum sententiâ Rex decernit. Sunt autem consilia ista: Secretum, Bellicum, Italiæ, Aragoniæ, Nauarræ, Belgii, Indiarum. Ad hæc omnium ratio refertur, ab his respondetur, & executionis mandatum à rege perscribitur. Itaque non modo in Hiſpaniâ, sed etiam in dissitis prouincijs omnium acta, erroresque referuntur, & judicantur, præmioque, vel pœnâ compensantur. *Ciuitates*, inquit Bellus, *reguntur ab vno earundem ciue, cui Rex nomen & autoritatem Gubernatoris attribuit, & à Consiliarijs, quos ipsimet ciues eligunt: Cum vero Magistratu suo functus est Gubernator, semper ferè diligenti processu in eius acta inquiritur: quo processu viso, regale consilium de rebus male gestis refert Regis Maiestati, quæ Gubernatorem castigat, si eum iniustum & sceleratum fuisse intellexerit, at si animaduertat eum iustitiæ ac diligentiæ debitas partes explesse, ad maiora eum & nobiliora munera exaltat. Deniq; nemo est, qui pro Rege & Republica honeste se & secundum virtutem gerat, qui non largissime compensetur, quemadmodum ex aduerso puniuntur & castigantur ii, qui vel ob animi abiectionem, vel ob negligentiam siue ob iniquitatem muneri suo desunt: quæ profecto præcipua est causſa & ratio, qua sacratissima hæc corona conseruatur, & magis indies exaltatur.*

Hiſpanorũ præsidum acta examinantur.

Mihi aliquando in mentem venit admirari, quî fiat, vt præter regnorum omnium consuetudinem, tàm longo tempore sine seditione, rebellione, defectione tanta Monarchia consistat: nec præter diuinam prouidentiam aliud inuenio, quam quod omnium acta sint in conspectu consiliorum regiorum, & Regis. Jam centum annos Indias variasque ditiones tenent Hiſpaniæ, in tam remotis, inuijsque prouincijs, in tanta occasione fœderum cum barbaris, in tanta peccandi licentia, vix vllæ defectiones, aut tumultus auditi, soli Pizarri in America ciuilia bella gesserunt.

Firmamẽtum imperii Hiſpanici.

Quod si Romanum imperium jam adultum inſpiciamus, nullum decennium dabitur, quo non plures seditiones, conspirationes, sociorum expilationes, peculatus & repetundarum crimina inueniantur, quam toto sæculo illa Monarchia tam latè

fusa viderit. Quod signum, optimis legibus, virisq; regnum abundare.

§. 5. Hoc igitur firmamentum est regni non modo potentissimi, sed etiam maxime ad Orientem, & Occidentem in diuersa sparsi, quod omnia visitatoribus, scribentibusque ad Regem, & Regia consilia, ita plena sunt, vt initia machinationum, & injuriarum facile opprimi, & auctores cognosci possint.

Caput X.

Magistratus haud facile mutandos.

Annui præsides non probandi.

§. 1. Romani in prouincijs annuos Magistratus habuêre. Cujus rei duplex caussa fuit, tum ne longa prouincialium, & militum consuetudine metuendâ patriæ potentiam adipiscerentur, tum v. vtpluribus ad opes, honoresq; aditus pateret. Itaq; non Reipublicæ bono illa perpetua commutatio, sed cupiditate potentium institutа erat. Quod si ad securitatem alia ratio inuenta fuisset, non opus erat in singulos annos præsides mutare.

§. 2. Romanorum consuetudo in Magistratibus prouincialibus annuatim nouandis, nec securitati Reipublicæ, nec vtilitati prouinciarum conduxit, quod securitatem non peperit caussa fuit eorum improbitas, qui si continuandis Magistratibus inuadere Rempublicam non potuissent, alio scelere eam pessum dedissent. Machiauellus lib. 3. disput. de Republ. cap. 24. Romam contendit ad securitatem redactam Magistratuum prorogatione, sed non rectè caussam malorum, sed id quod malum antecessit proxime, attendit. Verba disputationis Machiauellicæ ita habent. *Reipublicæ Romanorum formam, si quis accuratè intueatur, is deprehendet primariam illius interitus caussam, ex Agrariis contentionibus & magistratuum prorogatione ortam esse. Quibus morbis, si in tempore prospectum fuisset, diuturnior esse publica libertas potuisset, magisq; pacata. Nam etsi ob prorogata imperia seditiones Romæ ortæ nullæ videantur, constat tamen eas, quibus prorogati fuere Magistratus ad tantam authoritatem, potentiamq; peruenisse, quæ publicæ libertati perniciosa fuerit. Equidem si omnes, quibus aliquando continuati sunt Magistratus, L. Quintio similes fuissent, nullum ex eare periculum creari publicæ libertati potuisset. Nam, cum inter plebem ac patres contentiones essent, & plebs eosdem tribunos, (quod aptos illos ad resistendum patribus putarent) in sequentẽ annum denuo creasset, & patres ob eandem caussam Quintio consulatum prorogare vellent, restitit ille vehementer, nec passus est, vt patres plebem in re, quæ mali exempli esset, imitarentur, magnaq; contentione obtinuit, vt noui Consules crearentur. Hunc si cæteri ciues Romani fuissent imitati nequaquam pessimo exemplo, antiquum de continuandis Magistratibus Senatus consultum soluissent, neq; etiam ex hac Magistratuum continuatione, ad prorogationem imperii ventum fuisset, quæ res perniciem Reipub. attulit. Primus cui imperium prorogatum est Romæ, fuit P. Philo: Nam cum is Palæpolim obsideret, & sub finem consulatus sui videretur in manu victoriam habere, nullum illi successorem miserunt, sed prorogato imperio, eum Proconsulem pronuntiarunt, sed hæc res, etsi publici boni caussa à Senatu decreta fuisset, tamen successu temporis in pessimum exemplum abiit, & Reipubl. Tyrannidem induxit. Nam quanto magis procul ab vrbe bellum gerendum erat, tanto magis necessaria videbatur ista Imperii prorogatio, hinc autem factum est, vt pauciores ciues Romani in re bellica excellere potuerint, cum pauciores Imperatores fierent, omniq; belli gloria ad paucos quosdam, quibus imperia prorogabantur, rediret. Præterea facile poterat is imperator, qui egregio exercitu longo tempore imperasset, eum sibi deuincire, vt Senatus P. Q. Romani quodammodo oblitus, solos imperatoris fasces agnosceret; Nam ob hasce causas factum est, vt & Marius & Sylla exercitum aduersus Rempub. inuadere, & occupare possent. Quæ mala nunquam accidissent S. P. Q. Romano, si illa magistratuum, & Imperiorum prorogatio non in vsu fuisset. Quod si obiicias, non potuisse res tantas geri à populo Romano in locis tam remotis ab vrbe, nisi fuissent continuati Imperatoribus Magistratus. Ad id ego Respond. tardius quidem tantum imperii fastigium forte potuisse occupari, sed idem illud postea fuisse durabilius, nec tam cito potuisse Monarchiam. sublata publica libertate introduci.*

Continuatio Magistratuum nõ est causa seruitutis.

Nimis inimicus ille est diuturnis imperiis, cum tamen sine prorogatis, aut perpetuis imperiis nullum imperium diu constiterit. Videor audire Cajum flagitiosissimâ in causâ detonantem. *Euge Petroni, non didicisti audire imperatorem, tumes continuatis hactenus magistratibus.* Machiauello opponi omnium Rerumpublicarum exempla ac imprimis Romanæ constat.

Diuturna imperia probanda sunt.

Verum exempla videamus; Persarum Reges Satrapas in longis imperijs, & fere perpetuos habuerunt, atq; ante eos Chaldæi, & Assyrij. Nabuchodonosor Danielem, & socios negocijs præficit, c. 3. idem facit Darius cap. 7. Quod si Respubl. Græciæ spectemus, quid est ab illis gestum, nisi per viros insignes, quibus imperia prorogarunt? Athenarum Duces Pericles, Nicias, Demosthenes, Cleon, Tolmias, Myronides apud Thucydidem clari sunt, magnis victoriis insignes, seu naualibus seu terrestribus, ad Cythera, Megaram, Corinthum, Pylon, Peloponesum: in Bœotia. Neque qui his pejores fuêre, annue imperarunt, Alcybiades, Thrasybulus, Theramenes, Archippus. Nam Miltiades, Cimon, Themistocles, Chabrias longiora imperia habuerunt. Nullus vnquam populus in Duces & Principes iniquior fuit, quam Athenienses, id inuidia, & suspicione perpetuâ, ne vel excellerent, vel tyrannidem exercerent, tueri tamen se absque fortium virorum imperijs, & quidem prorogatis non potuit. Neque aliter fecêre Lacedæmonii jam potentes facti, vt idem Xenophon Ἐν λακεδαιμονίων πολιτείᾳ. Οἶδα, inquit, γὰρ πρόπερον μὲν λακεδαιμονίους αἱρεμένους οἴκοι τὰ μέγιστα ἔρχοντας ἀλλήλοις σωφρονεῖν μᾶλλον ἢ ἁρμόζοντας ἐν τῇ πόλει καὶ κολακευομένους ἀλαφθείρεσθαι. καὶ πρόσθεν μὲν ὅσια αὐτοῖς φοβερούμενοις θεοσεβεῖν ἔχοντας φαίνεσθαι. νῦν δ' ἔστιν οἷς καὶ καλοπιζομένοις ὅτι τῷ κεκλῆσθαι. ὀλίγα μὲν καὶ πρόσθεν τότε ἕνεκα ξενηλασίας γιγνομένας καὶ δοκεῖν εἶναι ὅπως μὴ ῥαδιουργίας οἱ πολῖται ἀπὸ τῶν ξένων ἐμπίπλαντο. νῦν δ' ὀλίγα μὲν τοὺς δοκιμωτάτους πρώτους εἶναι ἐπαιδαγωγοῦσας ὡς μηδέποτε παύσωνται ἁρμόζοντες ὅτι ξένης.

Scio n. Lacedæmonios prius domi cum mediocribus opibus vna viuere, quam in vrbibus magistratibus præesse, & per assentatores corrumpi, longe maluisse. Et antea quidem pertimescebant, ne quid auri habere viderentur, nunc a. quosdam nosco, qui eo gloriantur. Neq; deinde ignoro huius rei gratia peregrinos expelli solitos, neq; peregrinari licuisse, ne ciues versutias, atq; dolos à peregrinis haurirent. At hoc tempore noui eos, qui primarii videntur, in id maxime incumbere, quo nunquam peregrinum magistratum deponant. Et olim certe elaborabant, vt digni imperio essent, nunc vero vt imperent, potius quam vt sint digni imperio. Si igitur non modo prorogationes, sed perpetuitates imperii quærebant, facile apparet, non annua illa duntaxat fuisse. Frustra enim quærerent diuturnitatem. Verum Romanam Rempubl inspiciamus. Tiberius quem imperandi callidum vocat Lipsius, annua imperia in longum produxit. Tacitus l. 1. *Id quoq; morum Tiberii fuit continuare imperia ac plerosq; ad finem vitæ in iisdem exercitibus aut iurisdictionibus habere: causæ variæ traduntur: alii tædio nouæ curæ semel placita pro æternis seruauisse, quidam inuidia ne plures fruerentur, sunt qui existiment, vt callidum eius ingenium, ita anxium iudicium, neque enim eminentis virtutes sectabatur, & rursum vitia oderat, ex optimis periculum sibi, à pessimis dedecus publicum metuebat, qua*

Tiberius annua imperia longiora facit.

qua hæsitatione postremo eo prouectus est, vt mandauerit quibusdam prouincias, quos egredi vrbe non erat passurus.

Quinquennalis administratio.

In eam sententiam multa quoque disputauit Fescenninus Niger apud Spartianum. *Hic tantæ*, inquit, *fuit authoritatis, vt ad Marcum primum, deinde ad Commodum scriberet, cum videret prouincias facili administrationum mutatione subuerti: Primum vt nulli ante quinquennium succederetur prouinciæ præsidi, vel Legato, vel Proconsuli, quod prius deponerent potestatem, quam scirent administrare: Deinde ne noui ad regendam Rempublicam accederent præter militares administrationes, intimauit, vt Assessores, in quibus prouinciis assedissent in his administrarent, quod postea Seuerus, & deinceps multi tenuerunt, vt probant Pauli & Vlpiani Præfecturæ, qui Papiniano in consilio fuerunt, ac postea cum vnus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim præfecti facti sunt. Huius etiam illud fuit, vt nemo assideret in sua prouincia, nemo administraret Romæ, nisi Romanus, hoc est, oriundus vrbe.*

Augustus annua imperia non probauit.

Augustus quoque præsidibus diuturnas administrationes permisit. Nam primum præfecturam vrbis, quæ magna dignitas erat, pene perpetuam fecit. Varum ex Syria in Germaniam traduxit. Testamento suo in mandatis Tiberio dedit, vt Rempublicam committeret eis, qui rerum vsu, & experientiâ plurimum valerent. At expertis dare non potuit, si singulis annis mutarentur.

Sed Julius tamen ex prorogata prouinciâ, patriâ suâ potentior factus est, itemque Sylla, ac Marius, inde seruitus Romana.

Cæsari potentia tolerabilior, quam barbarorum victoria.

Respondeo ex continuatis aut repetitis magistratibus potentiam ciuium augeri necessario, quemadmodum etiam vno ex magistratu semel gesto. Verum non id semper vitandum, quod caussam potentiæ majoris adfert. Nam reuera magna ciuium Romanorum pars prorogationem fuisse salutarem existimauit; deinde nisi Gallia indomita, semper Romæ formidabilis, si Bataui, Germani, Heluetii parum acrem, prudentemué Imperatorem habuissent, cum Asiaticis, Mithridaticis, Piraticis bellis Respublica conflictaretur, de summâ periclitandum fuisset.

Perpetua autem continuandi, aut repetendi magistratus consuetudo fuit, jam ab initio Reipublicæ, Brutus, Postumius, Quinctius, Camillus, Manlius, Fabij, Papirij, Curij, Fabricij, Africanus, Paulus, Metellus, Sylla etiam & Marius continuata imperia habuêre. Ipsi fasti consulatus complures & triumphos exhibent; semper enim cum in periculo est Respublicâ, est vero semper in aliquo, ad viros magnos, & expertos respexit.

Verum argumenta Machiauelli perpendamus. Cum plebs eosdem tribunos, quod apti essent ad resistendum patribus, creasset, Patres quoque Quintio consulatum prorogare voluerunt, cui rei ipse restitit, quod esset mali exempli.

Mirari soleo cum historiam tam pueriliter video vsurpari. Quintius consul non ideo prorogationem recusauit, quod id mali exempli, & occasionem tyrannidis esse putaret, quicquid prætenderet, sed alias ob caussas. Primo. Quia Senatus ita decreuerat: *Neq; tribuni legem eo anno ferrent, neq; consules ab vrbe exercitum educerent: in reliquum magistratus continuari, & eosdem tribunos reficj, iudicare Senatum contra Rempublicam esse.* Secundo. Hanc & alias caussas ipse consul adducit. *Mirer si vana vestra Patres Conscripti, ad plebem auctoritas est, vos eleuatis eam, quippe quia plebs Senatusconsultum in continuandis Magistratibus soluit, ipsi quoq; solutum vultis, ne temeritati multitudinis cedatis, tanquam id sit plus posse in ciuitate, plus leuitatis ac licentiæ habere. Leuius enim, vanius q; profecto est sua decreta & consulta tollere, quam aliorum: imitamini Patres Conscripti turbam inconsultam, qui exemplo aliis esse debetis, aliorum exemplo peccetis potius, quam alii vestro recte faciant, dum ego ne imiter tribunos, nec me contra Senatusconsultum consulem renunciari patiar. Te vero Cai Claudi adhortor, vt & ipse populum Romanum hac licentia arceas, & de me hoc tibi persuadeas, me ita accepturum, vt non honorem meum à te impeditum, sed gloriam spreti honoris auctam inuidiam q;, quæ ex continuato eo impenderet, leuatam putem.*

Senatus sententia de continuando consulatu.

Hæc Quintius, qui non modo tyrannidem inuadere non poterat, sed Patres à plebis tyrannide se defendere posse desperabat. Hic nulla ratio de periculo tyrannidis. Sed valde notandum, quod ait, *Inuidiam, quæ ex continuato honore impendet, leuari creatione noui consulis.* Nam plebs L. Quintium valde timuit, iratum habitura consulem, fauore Senatus, sua virtute tribus liberis subnixum. Jam ante ferocior filiorum Cæso in exilium pulsus fuit, ipse Quintius pecuniam, quâ vadatus erat filius, dare coactus est. *Pecunia*, inquit Liu. *à patre exacta crudeliter, vt diuenditis omnibus bonis, aliquamdiu trans Tiberim, veluti relegatus in tugurio viueret.* Merito igitur continuationem recusat, inuidiæ metu, quanquam, si rem spectemus, præferri posset auctoritas Senatus consulatum prorogantis, timori Quintij recusantis.

Quintius inuidiam, non continuationem magistratus fugit.

Denique non ideo recusatum consulatum, quod ejus continuationem, repetitionemq; improbarent Romani, documento nobis sunt alia, quæ in hac contentione contigerunt. Nam loco Quintij, & Collegæ, creati sunt Consules, Q. Fabius Vibulanus, tertium, & Lucius Cornelius Maluginensis. Cur in Fabio non timuerunt tyrannidem? Non minus in repetitis, quam continuatis est Magistratibus periculum.

Contra tamen objicit Machiauellus. Ex prorogatione Imperii factum esse, vt pauciores ciues Romani in re bellicâ excellere potuerint, cum pauciores Imperatores fierent: omnisque belli gloria ad paucos quosdam, quibus imperia prorogabantur, rediret.

Breuia imperia magnarum rerum molitionem excludunt.

Verum hoc neque fortium virorum animos dejecit; Nam cum è multis, qui bella gesserunt, aliquos in magna gloria esse animaduertunt, æmulatione accinguntur, cum „progari imperium, cum refici eos, cũ ad grãdia opera reposci vident. Acriores habet stimulos virtus, si non vnius tantum anni decursu absoluitur ejus industria: Si successore prmitur, si redeundi facultas abscissa est, facilè obsolescit. Quod v. in re bellica excellere non posse arbitratur, quia pauciores fiant Imperatores, id contra experientiam est. Dauid fortissimos milites, duces pstantissimos habuit, sed Dauid tamẽ rex erat, & Imperator exercitus Joab. Quis Alexandro viuo imperium sperauit? quis Philippo regnante, filijsq; pluribus subnixo in Macedonia Imperator fuit? At tamen magna fuit in ejus aulâ maximorum Imperatorum copia, qui nisi inter se collisi fuissent, facile totum orbem obtinere poterant. Sane Duces plusquam triginta cuilibet Regi pares fuere, cum tamen partim bello, partim crudelitate Alexandri plures interiissent; Magni igitur duces, Imperatores, regesq; facti sunt Macedones, non per vices imperando, sed sub Philippo cautissimo regum merendo. Magni Regis conuictus, consultationes, exercitationes eos magnos fecerunt; Tales fuêre, qui sub Pompeio, Iulioq; ordines duxerunt. Tales sunt, qui Principe Parmensi, Spinolaq; floruêre. Summus quidem honor ad dura belli rudimenta excitat, sine illo tamen peritia militiæ constare potest, & solet. Nemo prudens Imperatorem deligit, vt discat ille militare, nimis insolens est in totius Reipublicæ periculo experimentum.

Duces, Nobiles, sub regibus fuere.

At exercitus duci suo potius, quam Senatui paruit; id factum imperii prorogatione. Hinc Marius, Sylla, Iulius. Hinc leges & plebiscita coacta.

Videndum qualib. imperia mandentur.

Mihi non tam prorogando imperio, quam creando tales Magistratus initio peccasse videntur, aut vt rectius loquar, talibus imperium prorogando, de perdita extremum libertate sub Julio loquor; nam Marius & Sylla optime de patriâ meriti sunt, quanquam certamine partium omnia pessum dederunt. Nec magis hic culpa Marij & Sullæ, quam aliorum. Florus ex cusatiores habet Duces quam milites, libr. 3. cap. 21. *Æquiore animo vtcunque ferrem, si plebeii duces, aut si nobiles, mali saltem, ducatum sceleri præbuissent: cum verò, prò facinus! qui viri! qui Imperatores! decora & ornamenta sæculi sui, Marius & Sylla pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt, tribus vt sic dixerim, sideribus agitatum est: Primo & leui & modico, tumultu maiore quam bello contra ipsos armorum duces subsistente sæuitia mox atrocius & cruentius per totius viscera Senatus grassante victoria, vltimum non ciuicam modo, sed hostilem quoq; rabiem supergressum est, quum armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eousq; odiis sæuientibus, donec deessent, qui occiderentur. Initium & causa belli inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Syllæ prouinciam Sulpicia lege solicitat, sed impatiens iniuriæ statim Sylla legiones circumegit, dilatoque Mithridate Esquilina Collinaq; porta geminum agmen vrbi infudit.*

Inuidia ciuium belliũ ciuile fecit.

Cæsar & Pompeius prorogatis imperijs facti sunt potentes, sed vt potentia abuterentur aliena ciuium inuidia fecit; *Causa tantæ calamitatis*, inquit Florus libro 4. c. 2. *eadem quæ omnium nimia fœlicitas, siquidem Quincto Metello, Lucio Afranio Consulibus, cum Romana Maiestas toto orbe polleret, recentesq; victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeianis theatris Roma cantaret, nimia Pompeii potentia apud ociosos, vt solet, ciues mouit inuidiam, Metellus ob imminutum Cretæ triumphum, Cato aduersus potentes semper obliquus, detrectare Pompeium actiuq; eius obstrepere. Hic dolor transuersum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, diuitiis, dignitate florebat, vellet tamen auctiores opes. Caius Cæsar eloquentia & spiritu & iam consulatu, alleuabatur, Pompeius tamen super vtrumq; eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus, omnibusq; pariter potentiæ cupidis de inuadenda Republica facile conuenit. Ergo cum mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar inuadit, Crassus Asiam, Pompeius Hispaniam tres maximos exercitus, vt iam sic orbis imperium societate trium Principum occupetur, decem annos traxit ista dominatio, exinde quoniam mutuo metu tenebantur. Crasi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæsaris filiæ quæ nupta Pompeio generi, soceriq; concordiam matrimonii fœdere tenebat, statim æmulatio erupit. Iam Pompeio suspecte Cæsaris opes & Cæsari Pompeiana dignitas grauis, nec hic ferebat parem, nec ille superiorem.*

Conspiratio paucorum omnes seruire cogit.

Nec tamen mium potentes offensos esse, cum pro meritis, & aucto imperio, allataque patriæ salute, & innumeris periculis, contumeliam, & noua pericula cernerent. Oportebat talibus initio non credidisse. De Cæsare tot præsagia fuêre, vt falli Romanos non fuerit erroris, sed voluntatis. Cum Syllæ eum occidere deliberanti amici obsisterent. *Nihil eos mentis habere dixit, si non ei puero multos Marios inesse viderent*, cum scirent postulatum viginti talenta, Piratis quinquaginta dedisse, eos inscio Magistratu occidisse.

In Cæsare scientes volentes peccarunt Romani.

Cum tam multa indicia tyrannidis daret, non obrepsit ignorantibus Cæsar. Plutarchus in ejus vita ita refert. *Ad hæc cœnarum & mensæ & in summa reliquo vitæ splendore colligebat paulatim in Republica opes: quas inuidi eius breui existimantes deficientibus sumptibus euanidas fore, securi inclarescere illum in Republ. permisere: sero autem vbi euasissent iam ingentes & prævalidæ atq; aperte in rerum mutationem senserunt eas erumpere, animaduerterunt nullum censendum esse rei alicuius paruũ exordium, quod non ilico grande reddat continuatio, quodq; ex eo, quod contemnatur, assequitur, ne impediatur: Itaq; ille qui primus suspectam habuisse videtur, & timuisse eius in Republica gerenda, sicut in mari serenitatem, & latentem sub humanitate blanditq; considerauit acrimoniam, Cicero dicebat in aliis eius cœptis & actionibus considerare se omnibus ingenium tyrannicum: Sed cum comam eius, inquit, ita videam compositam accurate, ipsumq; vno digito caput scabentem, contra non videtur iste mihi tantum mali animo concepturus, vt Romanam Rempublicam euertat.*

Cum scirent eum anteq; vllum magistratum cepisset, habuisse trecenties duodecies H. S. æris alieni, vt est in eodem, & hoc impensis magnis & splendore contraxisse. Cum imagines Marij in capitolio collocarit, cum clamarent omnes regnum eum moliri, cum ejus audaciæ pauor omnes incesseret. Cum Luctatius Catulus eum in Senatu accusans diceret: *Non amplius cuniculis Cæsar, verum machinis iam petit Rempublicam*; cum in conjuratione Catilinæ suspectus esset, quomodo potuerũt dubitare qd facturus esset, cum publice in Senatu protestaretur se ad populum transire? Cur non Senatus ipse leges Agrarias, & Colonias decreuit? Quid vero, quod ajunt eum cum Crasso in necem senatorum conspirasse, cum esset ædilis? Quid quod multiplici familiâ exterruit inimicos? Norat illa omnia Senatus, itaq; largitione effecit, vt non Lucceius, sed Bibulus cum eo consul designaretur, vt Tranquillus docet. Senatus etiam hoc egit, vt prouinciæ, minimi negocij consulibus decernerentur, id est, syluæ collesque. Quid enim in prouincia non ageret, qui Bibulum Colliegam, & Senatum domi metu se continere coëgit? Adeò vt versibus illa tyrannis jactaretur.

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare factum est.
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Ita vt joci causâ signabant Julio, & Cæsare Consulibus. Deniq; per conspirationes obtinuit, vt Gallia ei in quinquennium decerneretur; Tranquill. c. 22. *Socero igitur generoq; suffragantibus ex omni prouinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento & opportunitate idonea sit materia triumphorum, & initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto lege Vatinia accepit: mox per Senatũ Comatam quoq; veritis patribus, ne si ipsi negassent, populus & hanc daret. Quo gaudio elatus non temperauit, quin paucos post dies frequenti curia iactaret, inuitis & gementibus aduersariis adeptum se quæ concupisset: proinde insultaturum omnium capitibus: ac negante quodam per contumeliam facile hoc vlli fœminæ fore, responderit, quasi alludens, in Assyria quoq; regnasse Semiramim, magnamque Asiæ partem Amazonas tenuisse quondam.*

Annuos deinde Magistratus sibi obligauit. Tranquill. c. 23. *Ad securitatem ergo posteri temporis, in magno negotio habuit, obligare semper annuos magistratus, & è competitoribus non alios adiuuare, aut ad honorem pati peruenire, quam qui sibi pepigissent, propugnaturos absentiam suam: cuius pacti non dubitauit à quibusdam iusiurandum, atq; etiam syngraphan exigere.*

Cæsar igitur jam ante dominabatur; Senatus enim, quem vnice exstinctum volebat, cum Galliam Cisalpinam, & Illyricum à populo accepisset Cæsar, vltro Comatam adjecit, ne & hanc populus daret. Cæsaris potentia in fauore populi, deinde conspiratione, & emptione potentium fuit. Interim tamen imperio multa adjecit, cum in periculo essent omnia, nisi acri Imperatore Galliæ defensæ fuissent, non igitur diuturnum imperium, sed quod fieri solet fauor populi, timor optimatum tyrannum illum vrbi, & orbi imposuit. Jam tyrannus erat, cum imperium continuari sibi juberet.

Mala annuorũ imperiorum.

Itaq; annuos Magistratus non probo: Tum ob causas ante expositas, tum vero, quia opportuni sunt magnis & malis conatibus transitus rerum. Facilius est etiam vnum malum ferre quàm multos. Ad varie-

rietatem autem morum, qui in diuersis non modo contrarij sunt, sed grauant eos, qui prioribus placuerunt, sese accommodare difficile est prouincialibus. Quam verò sumptu grauarint prouincias, abeuntes, redeuntes, donis, auro coronario, alio in loco dixi. Quod verò tæterrimum est, qui vnicam, & vnam pene totâ vitâ diteſcendi occasionem se nactos putant, ea flagitiosissime, auarissimeq; vtuntur, & cum judicia pœnasque pertimescunt, infanda omnia moliuntur.

§. 3. Quocirca nisi alia multa errata contingant, prorogatio imperiorum ad interitum Reipublicæ non est satis, nec Julius tum primum libertatem euertit, cum post gemina lustra debellatæ Galliæ non facili euentu multa bella gessit, sed cum vi & metu mortis Collegam Consulem, & Senatum coëgit abstinere curiâ, eosque eodem metu impulit, vt inimicissimi, inuitissimique in Galliam vtramque & Illyricum sibi imperium extraordinarium, & quinquennale decernerent, cùm factâ cum Pompeio, Crassoque conspiratione alterum quinquennium extorsit, iraque ante prorogationem potentior libertatem oppressit.

Alij majore periculo Rempublicam tentarunt, quamuis euentus defuit; Spurius Cassius legibus Agrarijs sibi plebem authorare conatus est, quem pater occidit. Melius autem largitione emere destinarat, & perfecisset, ni eum Seruilius Ahala in medio foro confodisset. Manlium à Capitolio deturbarunt, tyrannidis suspectum. Omnium in populari statu regnare volentium illæ artes sunt. Ipsi tribuni hac arte grassati sunt. Florus libro 3. c. 13.

Alia caussæ perditæ libertatis.

§. 4. *Seditionum omnium caussas Tribunicia Potestas excitauit: quæ specie quidem plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata est, re autem dominationem acquirens studium populi, ac fauorem Agrarijs, frumentarijs, iudiciarijs legibus, aucupabatur. Inerat omnibus speciesæquitatis. Quid enim tàm iustum, quàm recipere plebem ius suum à patribus? ne populus gentium victor, orbisq; possessor, extorris aris ac focis ageret. Quid tàm æquum quàm inopem populum viuere ex ærario suo? Quid ad ius libertatis æquandæ magis efficax, quam vt Senatu regente prouincias, ordinis equestris autoritas saltem iudiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera Respublica in exitium suum merces erat, & à Senatu in equitem translata iudiciorum potestas, vectigalia, id est, imperii patrimonium supprimebat, & emptio frumenti, ipsos Reipublicæ neruos, exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros, vnde poterat sine possidentium euersione, qui ipsi pars populi erant? & tamen relictas sibi à maioribus sedes ætate, quasi iure hæreditario possidebant.*

Quid enim aliud vnquam Cnæus & Caius Gracchi fecerunt? Leges Agrarias ille tulit, & frater defendit, vterque celeriter à nobilitatis factione occisus est, Cæsar eadem viâ progressus longiore discrimine ad 23. vulnera deductus est. Gracchanas leges Apuleius acrius vrsit, sed cum jam triennio dominatus esset, & Caium Memmium consulatus Candidatum occidisset, à populo saxis, fustibusque post obsidionem coopertus, in ipsa quoque morte laceratus est. Drusus omnia largitus, cum obtinuisset, quod intenderat, moritur. Omnes illi idem, eodem modo quo Julius egerunt, hoc solum defuit, quod in prouincias non abierint, vnde emere Magistratuum fauorem poterant.

Longissimæ præsidum imperia periculosa.

§. 5. Porro longissima præsidum imperia, & simul magna non probo. Ex illis enim potentes redduntur, imo etiam sæuiores, & minus dicto audientes. Diuidendæ itaque prouinciæ, quod olim prudenter à Romanis factum. Consulares prouinciæ fuêre; Hispania citerior, Hispania vlterior, Gallia cis Alpes, Gallia trans Alpes, Illyricum, Dalmatia, Cilicia Syria. Prætoriæ vero. 1. Sicilia. 2. Sardinia, & Corsica, 3. Africa, & Numidia, 4. Macedonia, & Achaia, & Græcia, 5. Asia, & Lydia, & Caria, cum Mysia, & Ionia. 6. Pontus & Bithynia. 7. Creta. 8. Cyprus. Hæc si distributio seruata fuisset, haud facile quisquam potentior Republica euadere potuisset: Nam extra has erat Roma, & robur Italiæ. Deinde omnes habebant vicinos præsides æmulos. 3. Si aliqui exercitum habuerunt, illi à vicinis barbaris infestabantur; hoc in Cæsare violatum est jus, cum tres prouinciæ in vnam conflarentur.

Pluriũ prouinciarum coniunctio periculosa.

Augustus etiam prudenti diuisione securitatem sibi peperit, Dio libro quinquagesimo tertio p. 341. Ἔθνη τε μὴ ἀδενέστερα ὡς καὶ εἰρωνεύεσθαι καὶ ἀπολεμα, τῷ δήμῳ ἀπέδωκε, τὰ δὲ ἰσχυρώτερα ὡς καὶ Φαλερεῖς ἐπικίνδυνα ἔντοι πολεμίους ἔναντα προσοίκους ἔχοντα, ἢ τε αὖ καθ' ἑαυτὰ μέρα τινὰ νεωτερίσαι δυνάμενα, κατέσχε, *Prouincias imbecilliores, vt pacificas, & belli securas reddidit populo, validas, vt dubias & periculo propiores, aut quibus hostes finitimi essent, aut quæ possent res per se nouas moliri retinuit.*

Sic in sua semper potestate exercitum habebat.

Populi & Senatus erant; Africa, Numidia, Asia, Græcia, Macedonia, Dalmatia, Cyrenaica, Sicilia, Creta, Sardinia, Bætica, omnes pacatiores. Cæsaris fuerunt reliquæ. Prudentissime sequentes Imperatores amplius diuiserunt, vt singulorum minuerent potentiam. Itaque decem fuere in Ægypto prouinciæ, in Asia vndecim, in Pontica totidem, in Thracia sex, totidem in Macedonia, seu Græcia. In Dacia quinque. In Africa tres Consulares, Carthaginensis, Byzacena, & Tripolitana, nec illæ tantum, sed & aliæ. Justinianus Africam in septem prouincias diuisit, quæ præsidibus parebant. Notitia imperij; septendecim in Italia, quarum octo Consulares fuêre. In Gallia etiam septendecim fuêre. In Hispania septem, quam multiplicationem experientia docuit, ne præsides facile vires rebellandi contrahere possent. Non aliâ ratione nunc Hispaniarum Rex vtitur, qui Indiam Occidentalem diuersis Proregibus tribuit, quorum alter Limæ, alter Mexici residet, Orientalem tribus dispertijt præsidibus. Si enim singuli sint mediocriter potentes, nemo vnquam æquabit alios præsides, nedum ipsum Regem.

Caput XI.

Tales creandos Magistratus minores, qui possint promoueri ad dignitates maiores, & non contemnendos honores inferiores ab iis, qui gesserunt maiores.

§. 1. Dvæ leges saluberrimæ omnino, & quarum neglectus Rempublicam sæpe afflixit.

Prima est: Nemo officio quamuis exiguo adhibeatur, in quo honor est, & dignitas, nisi spes sit ad majores dignitates eum idoneum fore, præsertim ad aulam, & conuictum ne admittatur. Nam reuera magnis se & alios, atque illos ipsos malis objiciunt, qui fauore aut precio inducti homines improbos, imprudentes, aut animi pusilli ad initia Reipublicæ gubernandæ adsciscunt; Eos enim vel cum Reipubl. damno ornare pergunt, atque euehere, vel suo loco relinquunt; quorum alterum bono communi aduersatur, alterum reddit inimicos. Cum n. juniores adeoq; subditos pferri ni animaduertunt,

Initio deligatur amicus, ne eiici eum sit necesse.

omnium beneficiorum obliti, de vindicta cogitant, cujus aliquam copiam habent, potestatis participes, consciij secretorum. Deinde in officio sedulos, fidosque facit spes crescendi, quæ in illis non est, qui crescere non possunt. Tertio, non melius potest vitari turba inutilis, præsertim in aulis Regum. Si enim nemo ad obsequia priuata, nisi cui potest in parte Respublica gubernanda relinqui, admittatur, pulcherrima regni constitutio fuerit; nam præsidum optimorum erit copia. Talis erat Dauidis tempore consiliariorum senum cœtus, tales Philippi Macedonis tribuni & centuriones, ex quibus tot reges exorti sunt.

In aulam admittendi, qui idonei ad gubernationẽ.

Vetustissimum porro est, Principum familiares ex palatio ad prouinciarum gubernationem dimitti. Socij Danielis constituuntur super opera Babylonis, Dan. 3. Educati autem erant, vt starent ante Regem, Dan. 1. Quâ quidem in re mirari conuenit, in Rege Babylonis tàm solertem curam educandæ juuentutis, quæ ad gubernacula admoueretur. Ecce Rex ille vastator orbis, Dan. 1.3. conquirit de hostium filijs. *Et ait Rex Alphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio & tyrannorum, pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma & eruditos omni sapientia, cautos scientia & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio Regis; vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.*

Selecti dignitatẽ formæ virilis & ingenij; nam hebræos vocat משכלים intelligentes, ingeniosos, deinde cautos scientia ידעי דעת scientes scientiam, γινώσκοντες γνῶσιν. Tertiò, διανούμενοι φρόνησιν, prudentia præditos, est autem φρόνησις τῶν πρακτῶν, eorum quæ agenda sunt dexteritas, ac scientia.

His constituit Rex v. 5. annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse: vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

Aula Principis debet esse Schola præsidum.

Barbarus Rex ex toto regno collecta ingenia excoli mandat, nempe, vt non nisi prudentes, atque eruditi in ejus stent conspectu, cum interim aulæ quorundam Principum Christianorum, & rei & morum sint corruptrices. Retentus ille est apud Persas mos, 1. Esd. 4. 14. *Nos autem memores salis, quod in Palatio comedimus.* Principes igitur trans Euphratem ex aulâ Regiâ venerant, eâque causâ obstrictos se amplius arbitrantur. Multo prudentius Romani, si prima instituta spectes; nam postea populus dissolutus ipse peccauit; neminem enim in prouinciis imperare voluit, nisi qui domi inter tot Magistratus, & in oculis ciuium suorum magistratu functus esset. Id autem moris fuisse etiam apud Imperatores tum multa alia, tum nomen Comitum nos docet. Quia namque Imperatorem comitabantur, comites dicti sunt, & quidem adhuc stante Republicâ. *Atq; inter eos, quos tibi Comites, & adiutores dedit ipsa Respublica, his finibus præstabis, quos ante præscripsi, quos vero ex domesticis coniunctionibus, aut ex necessarijs apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta præstanda sunt.*

Comites deinde etiam dimissi ab aulâ nominati sunt, cum prouincias administrarent; hinc orta Comitum dignitas, quæ etiam illis tributa est, qui nunquam Imperatores in comitatu fuerunt, imò Imperatorem nunquam viderunt. Hinc Comites Italiæ, Africæ, Illyrici, Hispaniarum, Orientis.

Summi Principes in imperio sunt aulici imperatoris.

Manet hodieque consuetudo, vt maximi post Cæsarem Principes, quasi domestici Imperatoris officia Palatina habeant, & obeant, Moguntinus Archiepiscopus est Archicancellarius per Germaniam, Colonienſis per Italiam, Treuirensis per Galliam, & regnum Arelatense. Rex Bohemiæ Archipincerna, Comes Palatinus Archidapifer, Saxo Archimareschallus, Brandeburgicus Marchio Camerarius, qui publice officijs suis aliquando fungũtur. Quemadmodum igitur Principes illi non ad miscenda vina, fercula offerenda, aut auenam diuidendam, quod aliqui eorum nunquam, plerique semel duntaxat officium Imperatori exhibent, in tam celso gradu collocantur, sed vt summa Imperij negocia cum Imperatore sustineant, eodem plane modo omnes Reges, & Principes conuenit rerum domesticarum habere eos administros, qui regere alios, & capessere Rempublicam possint. Et profecto Josuæ filius Nun minister Mosis erat, eum Deus ducem populi constituit, Samuel minister Heli summi Sacerdotis, Elisæus fundebat aquam super manum Eliæ, qui consortio potestatis, etiam à Deo amplius honorati sunt.

§. 2. Secvnda Lex. Vt qui majoribus magistratibus functi sunt, non dedignentur minores deinde suscipere. Insigne in Republicâ exemplum dedit Scipio Africanus, qui fratrem consulem, cui bellum Syriacum contra Antiochum mandatum est, voluntariâ legatione comitatus est. Pompei castra Senatum appellabant, in quibus ait Cicero fuisse decem consulares, Philipp. 13.

A magnis mediocria optime administrantur.

Venetorum legibus cautum est, vt munus in exercitu recusare possit, qui ante majore cum dignitate militauit. Quæ lex sapienter de bello constituta est; neque enim Reipublicæ expedit, viros magnos, & cum auctoritate viuentes, in bellis offensos, inuitosque versari. At in ciuilibus conueniens est, vt prætor sit, & ædilis, aliaque obeat, qui consulatum gessit. Qui Indias, Neapolin, Belgiumque rexit, minorem prouinciam regat, consilijs præsideat. Si enim præsides potentes mutandi sunt, quamuis recte administrent partem Reipublicæ sibi concreditam, præstat cum imperio eos manere, quam penitus priuatam vitam agere.

Præsidibus officio functis honor augendus.

Verum in hoc genere sapienter constitutum fuit in Constantinopolitano imperio, vt ijs, qui in dignitate fuissent, bella gessissent, honores & tituli conferentur, quibus ipsis præsidibus honoratiores essent. Alij quidem Reges, & Cæsares eximios quosdam viros Patrum nomine dignati sunt. Mithridates Theodorum Scepsium in Patrem adoptarat, vt auctor est Plutarchus in Lucullo. Verum Leo, qui dictus est Philosophus, statam dignitatem fecit, & βασιλεοπάτορα Regis patrem appellauit, ita Zonaras. Ἐτίμησε βασιλεοπάτορα, αὐτὸς τὸ ὄνομα ἐφευρών, honorauit Regis Patrem, cum ipse nomen hoc inuenisset. Sic intelligendus Cedrenus, cum ait, *Eum amore Zoes filiæ Tzautzæ socerum sic decorasse.* Τὸ ἀξίωμα καινουργήσας μὴ πρότερον ὄν. Nouans, quæ prius non erat, dignitatem. Optime sane; Erat prius nomen honoris, amoris, vt cum Sejanum Tiberius, Iulianum Cajus, Corbulonem Nero, Gordianus Misitheum patrem appellaret, cum quæstori suo Prætor quasi pater censeretur. Cum Honorius Stiliconem, Arcadius Eutropium sic compellaret. Sed Leo peculiarem esse dignitatem voluit, plane sic olim titulus erat honorque, Comitem esse Imperatoris, nunc etiam peculiaris est in regnis Europæ status. Olim omnes patricii vocabantur Imperatoris patres; dicuntur enim ἐν τοῖς βασιλείοις πατράζειν, vel ἄγειν; inter patres Imperatoris agere. Magnam fuisse dignitatem constat ex Nouellâ 81. *Quicquid ad vtilitatem & ornatum respicit à Deo nobis traditæ Reipublicæ, hoc semper cogitantes, ad effectum deducere festinamus. Igitur etiam dudum legem scripsimus super gloriosissimis nostris patritiis: quæ liberos eos, dignitatis collatione, paterna potestate demonstrat. Non enim decens putauimus,*

Patritiorũ dignitas.

uimus, vt hos quos in officium nos patrum prouehimus nostrorum, hi sub aliena sint potestate. Nam si emancipationis actio dudum quidem & per eas quæ nuncupantur legis actiones, facta cum iniuriis, & alapis, liberabat eos huiusmodi vinculis; quomodo futuri essent Codicilli omnium honestissimi dati à præsidente vniuersis imperio, non eos posse paterna potestate liberare? Nunc autem clementius aut etiam honestius in Republica cogitantes: Sed super gloriosissimis consulibus, qui proprium nomen ipsi post imperium præbent, & solis consularibus Codicillis honorantur: & super cingulis quæ liberare à curia possunt, hoc est, præfecturæ & magistri militum: dicimus autem in ipsis sedibus & operibus agnitis hoc ipsum sancimus esse, vt omnis talis dignitas, aut etiam cingulum huiusmodi acquisitum aliquibus quoscunque nos probauerimus, quod eos liberet, à curia hoc valeat, & vt potestate eos liberet patrum & auorum. Nam si sanciuimus, vt si quis seruus sciente Domino mereatur militiam, aut quamlibet dignitatem adipiscatur, repente ab imperio liberetur, & in ipsam rapiatur ingenuitatem, quomodo non est iustum, tantos promerentem Codicillos, non etiam paterna potestate liberum fieri?

Verum nusquam tanta copia est honoratorum Ducum, & qui sine magistratu magni sunt, quam in Hispaniâ, præter commendas enim, aliaque dignitatum præsidia, sunt equites aurei velleris, sunt quos vocant Los grandes, alijque, quorum dignitas non minor est eorum, qui in negocijs imperiisq; versantur, quin & illi in consilio, & partium gubernatione vtilissimè versantur.

Caput XII.

Generalis Magistratuum diuisio ex modo practico Reipublicæ.

Circa homines regẽdos versantur magistratus & iudices, circa alias res quæstores.

§. 1. Magistratuum, qui subordinati sunt, & parendi necessitatem cum imperandi jure conjunctam habent, in regnis & Rebuspublicis duplex ordo constituitur. Nam alij in hominum gubernatione, alij in opum publicarum administratione versantur. In hominum gubernatione sunt, qui eos ad finem Reipublicæ dirigunt, vt secundum virtutem viuant, felicesque euadant, quorum varia sunt munia, quot scilicet actiones honestæ, quæ ad bonum publicum imperantur, & prauæ, quæ vetantur. Cum autem frequenter controuersiæ, litesque oriantur, nec constet, quid æquum bonumue sit, in omni bene constitutâ Republicâ cognitores judicesque sunt constituti. qui ambigua definiant, qui quidem reuera publicam habent, eamque magnam potestatem. Qui igitur cætera disponunt, & patriæ consulunt, simpliciter Magistratus vocantur, quales erant Romæ Consules, qui controuersias decidunt, tantum eos subditos habent, qui jure consertum manus veniunt, & in eâ duntaxat causa, quæ illis commissa judicibus est. Eos Iuridicos, Iudicesque dicimus, ejusmodi Romæ Prætores erant.

Quæcunq; sunt patrimonij publici ad quæstorem pertinent.

Alterum genus Magistratuum est, quod rebus patriæ acquirendis, augendis, conseruandis occupatur, quod generatim ad Quæstores, quod quæstui Reipublicæ curam impendunt, pertinet. Patrimonij itaque publici, hoc est, vectigalium omnium, reditumque, ædium publicarum, portuumque sunt curatores. Omne igitur regnum, omnis Respublica, Consulari, Prætorio, Quæstorio magistratu perficitur, atque ad hæc genera omnia officia ac dignitates referuntur. His igitur more antiquo constat ciuitas, & hæc cura Monarchæ, optimatibus, populo incumbit, vt designati Magistratus recte justeque gubernent, ius accurate dicant, opus integre, purèque tractent. De his igitur ex antiquis, nouisque moribus & legibus dicam. Verum quia opus est in tantâ rerum varietate, stabili, sapientique consilio, quod in Aristocratia, & Politiâ Senatum, in Monarchia consilium communi nomine dicimus, alibi Consistorium, alibi Parlamentum vocatur, inter quæ si omnia legitime administrentur, non est alia distinctio. Nisi quod consilia Monarcharum ab illis pendeant, in Aristocratia libera sint, in Politiâ populi suffragijs firmentur. Hæc inquam, si legitime omnia administrentur, Respublica bene geritur. Nam ex vitijs consulentium, & sententijs dicentium multa discrimina nascuntur. Proprium liberi Senatus malum est, populi oppressio, nobilitatis euectio, nec minus est in Senatu populari periculum popularitatis, quâ primum Athenæ, deinde Roma perijt. In consilio Monarcharum hactenus obfuit metus, & adulatio. Rempublicam consilio, deinde suis Magistratibus, hos suis legibus instruamus.

Caput XIII.

Senatum idoneum legendum esse, eiusque leges, itemque de Consiliarijs.

Senatus in omni Republica necessarius.

§. 1. Senatus tàm in liberâ Republicâ, quàm in Monarchia dignitas præcipua sit, & potestas. Dignitas quidem ex genere & censu, sed magis prudentiæ, virtutisque delectu. Senatum Moysi dedit Deus, quamuis enim eum ipse edoceret, quamuis bis quadraginta dies, noctesque in monte instruxisset, quamuis facie ad faciem velut amicus illi loqueretur, Septuaginta tamen Seniores illi adjunxit, quibus dedit de spiritu suo, vt ostenderet, se eos, qui ad consilium publicum legitime vocarentur, singulari numine, ac benignitate fouere. Id adeo verum est, vt improbissimorum hominum egregia decreta, sanctissimasque sententias & leges videamus, & vtamur quotidie Republicâ, quam illi instituerunt. Cum vero in consilio publico opus sit summâ auctoritate, hinc antiquitus factum est, vt Regibus à consilijs sint illi, qui proximi sunt dignitate; Ita septem Principes Persarum fuêre, de quibus scribit Artaxerxes 1. Esdræ 7. versic. 14. *A facie enim Regis, & septem consiliatorum eius missus es, vt visites Iudæam, & Ierusalem.* Et versic. 15. *Rex & consiliatores eius munera afferunt.* Itaque Esdras ait, *Deum inclinasse misericordiam suam coram Rege, & consiliatoribus eius, & vniuersis Principibus regni potentibus.* Inter summa bona Deus recenset consiliarios, Isaiæ 1. vers. 25. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.*

Et Prouerbiorum 15. versic. 22. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium: vbi verò sunt plures consiliarii confirmantur.* Verissime etiam Aristoteles, *Consiliarios eorum, quæ inter homines sunt, esse diuinissimum.* Romanus Senatus etsi esset de fæce Romuli, Cynea tamen consessus Regum videbatur. Orbis terræ consilium, ordo amplissimus, decus imperij vocabatur; verum in illo Senatu, si vtcunque laudationes illæ speciem veri habuerunt, in hodierno imperio verissimæ sunt.

Imperij Germanici Senatus regius est.

Quis n. neget Senatum Germanici imperij concessum esse Regium, in quo Imperator Romanorum præsidet, septem electores quorum vnus potentiam, & insignia Regis præfert, cæterorum est pene Regia potentia, & trium Sacerdotii majestas. His accedunt

tot

tot Principes, Comites, & plurimarum potentium-que ciuitatum legati, ex Senatu illarum delecti; vt nullo modo credam his parem fuisse Romæ etiam florentissimæ Senatum. Nam vetus ille sub Regibus ex collectitio populo, & asylo conferri cū hodierno vllius ciuitatis curia nō debet. *Olim centum illi inpratis sæpe Senatus erat, cum Curia Pellitos habuit rustica corda Patres.*

Primum centum, deinde ducenti, à Prisco trecenti constituti sunt, tempore Cæsaris millenarium numerum excesserunt, intrusis ex omni gente facinorosis, sordidisque. Senatus ergo imperij dignitatem egregie repræsentat. Adde quod ad ejus temporis vtilitatem, bono concordiæ temperamento, ex plebe, & per suffragia plebis Senatores legebantur. Non dissimilis olim fuit in alijs regnis Principum, & Senatorum dignitas, sod in sola penè Germania perseuerat.

Indigni Senatu arcēdi sunt.

§. 2. Vt majestatem Senatus suam retineat, cura adhibenda est, ne indigni legantur; quocirca maturè exercendi, qui in eum ordinem aliquando venturi sunt. Cicero lib. 3. de legib. *è magistratibus Senatum esse vult.* Optimo sanè consilio, nam ad consilium de Republica dandum maxime ille idoneus est, qui Rempublicam, aut partem ejus gubernauit. Non tamen admittendus, si quis magistratum malè gessit; itaque si majestatis, aut repetundarum, ambitusué factus est reus, non nisi judicio absolutus in ordine amplissimo consideat. Deinde cum periculosius sit imperare imperitum, quam esse Senatorem, non videtur magis conueniens, vt functus Magistratu in Senatu sit, quam vt imperaturus ex Senatu sumatur; hinc supra maximè eos probaui, qui consultationibus maturè adhibent eos, qui in spem gubernandæ Reipublicæ educantur. Et mecum facit magnus Imperator Augustus; ille quamuis inutilem turbam arcuit curia, tamen liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ assuescerent, protinus virilem togam latum clauum induere, curiæ interesse permisit. Ita Augustus, sententiam tamen dixisse juniores illos vix puto, auditione aliorum eruditos fuisse arbitror.

Mature Senatui interfint.

Indigni Senatu moti.

Olim nomina indignorum albo eradebantur; à censore cum præteriebantur, moueri Senatu dicebantur. Non tamen perpetuo carebant curia, sed aliquando à sequenti censore legebantur, imò aliquando censores creati sunt, vt dicam postea de Salinatore. Priscis temporibus magnam in Senatoribus virtutem fuisse, ex eo discimus, quia facile mouebantur. M. Valerius Maximus, & C. Junius Bubulcus, Brutus L. Antonium Senatu mouerunt, quod vxorem, quam virginem duxerat, nullo amicorum in consilium adhibito repudiasset. Val. libr. 2. cap. 9.

Caussa cur Senatu moti.

Sic M. Porcius Cato *L. Flamininum è numero Senatorum sustulit, quia in prouincia quendam damnatum securi percusserat, tempore supplicii ad arbitrium & spectaculum mulierculæ, cuius amore tenebatur, electo. Et poterat inhiberi respectu consulatus; quem is gesserat; atq; autoritate fratris eius V. C. T. Flaminini: Sed & censor & Cato duplex seueritatis exemplum, eo magis illum notandum statuit: quod amplissimi honoris maiestatem tam tetro facinore inquinauerat: nec pensi duxerat, iisdem imaginibus adscribi, meretricis oculos humano sanguine delectatos, & Regis Philippi supplices manus.*

Quid de Fabricii Luscini censura loquar? narrauit omnis ætas, & deinceps narrabit, ab eo Cornelium Ruffinum duobus consularibus & dictatura speciosissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset; perinde ac malo exemplo luxuriosum; in ordine Senatorio retentum non esse. Ipsæ mediis fidius mihi literæ seculi nostri obstupescere videntur, cum ad tantam seueritatem ministerium accommodare coguntur; ac vereri ne non nostræ vrbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti, & inuidiosum fuisse censum, & inopiam haberi contemptissimam.

M. autem Antonius, & L. Flaccus censores Duronium Senatu mouerunt, quod Legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus plebis abrogauerat, mirifica nota caussa.

Quam enim imprudenter Duronius nostra conscendit, illa dicturus, freni sunt iniecti Vobis Quirites, nullo modo perpetiendi, alligati & constricti estis amaro vinculo seruitutis. Lex n. lata est, quæ vos esse frugi iubet: abrogemus igitur istud horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium, etenim quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet?

Justissima caussa, cur ille motus Senatu sit. In Flaminio justior fuisset, si ob scortationem motus fuisset.

Augustus Senatum purgare aggressus.

Augustus, vt narrat Dio libro 52. numerum minuit, & repurgauit; cohortatus enim est, vt quisque ex conscientiâ generis, & vitæ sibi ipsi judex esset, ita persuasit quinquaginta, vt sponte in ordinem se redigerent. Non rectè hoc Augustus: non enim purgauit eâ ratione Senatum; nam primo quis monitus ab Augusto, in curiam inuitus intrare ausit, si non pœnas daturus, certè contumelias auditurus? Deinde mille erant, ex his, qui verecundiores erant, cessêre, jam hoc ipso, manentibus, & contra monitiones obduratis meliores. Quocirca paulò post, alio & efficaciore remedio curiam reformauit.

Τελικοῦτο ἄνδρας τοὺς ἀρίστους, inquit idem Dio libro 54. ἐξελέξατο, καὶ ἐκείνους ἐκέλευσε καθ' πέντε εἰς πινάκια γράψαντες ἐλέσθαι. *Triginta viros optimos elegit, & eos iussit per quinq; in tabellis nomina scribere, & eligere.* Non sic intelligo, vt tantum fuerint à singulis quinque scripti, hoc est, centum quinquaginta, atque ex illis optimi electi; nimis magna est illa paucitas. Sed cum supra mille essent Senatores, omnium nomina ex albo, quem publice proponi jusserat, in tabulas seorsum referri voluit, quina, & quina, vt de singulis pentadibus censores triginta judicarent.

Potestas liberi Senatus summa.

§. 3. Potestatem Senatus maximam esse veteres æquum esse judicarunt: *Quodcunq; Senatus creuerit, agunto.* hoc tamen limitatum est; nam postea immutat; *Imperia, potestates, legationes, cum Senatus creuerit, populusq; iusserit, ex vrbe exeunto:* Et: *Omnes magistratus, auspicium, iudiciumq; habento: eq; his Senatus esto: eius decreta, rata sunto. Ast ni potestas par, maiorq; prohibessit, S. C. perscripta seruanto. Is ordo omni vitio vacato: cæteris specimen esto.*

Belli autem potestas, legationum, fœderumque penes Senatum fuit, Februarius mensis audiendis legationibus attribui solebat. Decreta Senatus vim legis obtinebant, postea populus rogabatur; vellent, juberent Quirites, sed translatâ in Principem potestate populi, solebat ille leges ferre, sed ex auctoritate Senatus. Mali tamen Principes in Senatum contumelioſi fuêre, Julius consul, nondum dictator metu eum curia arcuit; Antonius nondum triumuir Ciceroni minatur, se cum fabris ad disturbandam ejus domum venturum, ni adsit, Philip. 11. Nero Senatorem capite multauit, eo titulo, quod infrequens esset. Idem Antonius armatus Senatum sepsit, vt liberè sententiæ dici possent. Verum turpe est consilium publicum habere, & illud opprimere. Olim nihil agi cum populo nisi ex auctoritate Senatus potuit, postea seditiosi ciues obtrectando Principibus Patrum, populum sibi demeruerunt, facti potentiores ipsum populum oppresserunt.

§. 4. In

Turba vitanda est.

§. 4. In Senatum legi nimium multos non conuenit, fieri enim non potest, quin multi eo ordine indigni adsciscantur. Itaque cum Romanum imperium latissime pateret sub Augusto, mille Senatores nimia turba censebatur. Deinde haberi ille numerus, rogarique sententiæ, haud commode possunt. Neque ideò Veneti reprehendendi tamen, quod cum vicesimam imperij Romani partem non habeant, duplo tamen copiosiorem Senatum confecerint, duo millia enim numerare in albo dicuntur. Verum dicendum est, consilium illud magnum comitia potius, quam Senatum repræsentare, quamuis non plebeia, sed nobilitatis comitia sunt. In magno enim illo nobilitatis conuentu creantur magistratus, dignitatesque & officiorum munera conferuntur, alijs consilijs in quibus Seniores consultant, supplementa dantur. Nam varia sunt consilia instituta, ex quibus vnum, quod Pregradi appellant, constituitur, quod ex grandi consilio seliguntur, qui prudentia, & experientia valent, nec fere nisi ducenti viginti habet Senatores: hoc proprie Senatum refert, omnia pacis & belli maximaque negocia tractant, potestateque magna decernunt. Quamuis demum ad pauciores reditur; nam quod decem Sapientes cum sexuiris, & quindecimuiris consensu ducis constituunt, id ratum habetur.

Iura senatoria.

§. 5. Senatori jus erat, non modo de re propositâ quid, & quamdiu vellet dicendi, verum etiam de Republicâ verba faciendi, quamuis eâ de re magistratus non retulissent. Lato clauo tunicam ornabant, Rhedis argentatis postea vsi sunt, vt est in concessione Aureliani apud Vopiscum. Olim accusari apud populum tribunos, aliosque poterant, postea eorum judex solus erat vrbis præfectus. Alexander Seuerus non nisi à Senatu Senatores puniri voluit. Spartianus in Seuero.

Multa quoque suis dare Senatoribus Imperatores, Regesque priuilegia consueuerunt, nec immerito: Consilium enim dare plus est, quam pecuniam;

Βελῆς γὰρ ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.

Bono enim consilio nihil tutius; Vis enim consilij expers mole ruit suâ, eo celerius, quo majore pondere. Consilio non impetu opus est ei, qui errare non vult.

Consilii error magis nocet, quàm minorum magistratuum.

§. 6. Principem moneo, vt non minorem curam consiliarijs summis adsciscendis, quam magistratibus mandandis minoribus adhibeat. Imò si multi inidonei legantur, grauius, vt à primo principio, mouetur Respublica. Rectè Vopiscus in Aureliano. *Jam primum nimia licentia, deinde rerum copia, amici præterea improbi, satellites detestandi, Eunuchi auarissimi, aulici vel stulti vel detestabiles, & (quod negari non potest) rerum publicarum ignorantia, sed ego à patre meo audiui Dioeletianum Principem, iam priuatum dixisse, nihil esse difficilius quàm bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinq, atque vnum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator qui domo clausus est vera non nouit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur, facit Iudices quos fieri non oportet, amouet à Republica quos debebat obtinere. Quid multa? vt Diocletianus ipse dicebat. Bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc Diocletiani verba sunt, quæ idcirco inserui, vt prudentia tua sciret, nihil esse difficilius bono Principe.*

Fortiùs virorum exercitus habentur, prudentiùs vix singuli.

Considera lector nostri sæculi acta, & fieri eadem in omni pene aula dolebis. Semper vero in omni Republica, omnique imperio, plures manu promptas, belloque claros, quam consilio bonos inuenire licuit; estque miseranda Principum sors exercitus habere pro majestate imperij pericula adire paratos, qui recta prudenter suadeant, cui tuto credant paucos experiri; adeo vt multi ternos, aut quaternos, aliqui ne singulos quidem habuerint & prudentes, & fidos. Quocirca prudentissimus Consul libr. 1. officiorum, bellatoribus consiliarios præfert. Et benè Eurypides. Vnius consilium multorum superare manus.

§. 7. Signa autem dotesque boni Senatoris, & Consiliarii sunt.

Ætas consiliarii.

Primum in Senatore, & Consiliario requiro ætatem stabilem, aut potius senectutem, negociis exercitam.

A senibus nomen mite Senatus habet.

Consilijs adhiberi juuenes, sed audiendis, disputandisque non decernendis volo. Maximæ Respublicæ per adolescentes labefactatæ, per senes sustentatæ, & restitutæ sunt. Cum enim ad gubernacula iuuenes temerarii, atque audaces accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt. Quod de Imperatore Paulus Æmylius dixit; eum si non ætate, saltem moribus senem esse debere; id etiam consilio Imperatoris conuenit. Nam Alphonsi magni prudentissima vox est. *Consiliarios Regum, aut Reges esse oportere, aut Regum animos habere.* Si enim Regem regunt, animo regentis esse præditi debent. Tanta virtus in animum iuuenilem si incidit, non facile perseuerat, mollis est, & ætate fluxus, dolis opportunus. Senibus corpus infirmum annis, ingenium sapientia validum est. Est in iuuenibus, vt verbo dicam, νεᾶ φρονῖς, cura iuuenilis, quod si indoles bona, manet tamen illud:

Αἱ ἀρίστου δοκοῦσαι φύσεις, μάλιστα παιδείας δέονται.

Optima indoles maxima disciplina indiget.

Secreti tenax sit senator.

Altera virtus est. Silentium est secretorum fides. Neque enim dubitare debemus prodi à suis consiliarijs Principem, & Rempublicam, cujus consilia enunciantur, quæ pleraque per hoc irrita redduntur, & nocent. In multitudine rarum est silentium. Ideò multi paucis vtuntur consiliarijs. Hoc remedium est, vt quid faciendum sit, judicent multi, quid facturus sis, sciant pauci, & aliquando præter Principem nullus. Hanc ob causam res secretas interdum paucissimis viris committunt Respublicæ. Aureum præceptum est. Tace, Taciturnitas optimum atque tutissimum rei administrandæ vinculum.

Ob hanc causam Principis curia, in qua consultabatur dictum, silentium puto; Paulus Diaconus histor. miscell. libr. 22. Compronymum *fecisse silentium per singulos dies aduersum imagines*, ait. Idem libr. 21. *Leonem celebrasse silentium in tribunali decem, & nouem accubituum contra sanctas imagines.* Et lib. 23. *Irene facto silentio in Triclinio Iustiniani remisisse tributa.* Locus ille vocabatur silentiarium, Diacon. libr. 16. silentiarij, qui ibi excubabant, ex quibus senatores legebantur. Silentium itaque, & silentiarium locus vocabatur, vt omnes secreti admonerentur. Cedrenus de Phoca. *Phocas in silentio Mauricio contradicebat.* Apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos & fidos, apud quos silentij quoque colitur Numen. Ammian. lib. 21.

Contumacia aliorum consilia turbat.

Tertia virtus, vt opinionis suæ tenax non sit, lubens eam cum meliore sententia commutet. Procul sint à curia, ab aula Lacones isti (Tacitus) *qui consilia quamuis egregia, quod non ipsi attulere sunt, inimici, & aduersus peritos peruicaces.* Errant illi, quod libertatem in pertinacia, non in moderatione positam esse judicent. Spartianus refert Seuerum à Græco interrogatum, quid Romæ ægerrimè ferret? Respondisse, cum suæ sententiæ obstinate contradicunt ministri, idque nullo fundamento nisi.

Cum exterorum legatis vitent consortium

Quarta vt caueant, ne cum legatis aliorum Principum priuatim agant. Facile enim paruo precio sibi emunt

bi emunt eos æmuli. Supra dixi crimen majestatis habitum apud Romanos, hostium legatos, aut Duces priuatim excepisse. Scipioni Asiatico nihil æquè inuidiæ fuit, quam Antiocho quædam præstita obsequia. Nunc etiam Barneueltio quid objectum, præter quandam cum Hispanis consuetudinem? quam ille tamen excusat.

Ne aliis Principibus sint obnoxii.

Quinta est, & maxime necessaria animi libertas, ne vicinis, inimicis, æmulis Principibus sint obnoxij. Quod maxime judicabit, si jure feudi illis astricti sint, si possessiones in eorum territorijs possideant, si muneribus, & honoribus augeantur ex aduersa parte, si exteras amicitias ambiant; signum est enim eos suo Principi nequaquam fidere, ideoque, quia fides astringit fidem, nec fideles esse. Quod si optima consilia metu premere cogitur, perinde est, ac si miles animo promptus, corpore robustus, liberare vagina glaudium prohibeatur ab imperatore, cum impetum hostis facit: non minore detrimento peccant Principes, qui consilia bona in curia, quam qui arma in acie condi jubent.

Consilii mali pœnã ferunt consultores, & interdum boni.

Sexta virtus est, vt statum suum norint ipsi. Consilij mali euentum certo ipsi ferent; neque enim hactenus inuentus est, cui mala consilia non malum exitum dederint; quamuis ad tempus aliqua felicitatis vsuram hauserint. Ita in Eutropium rediisse mala consilia gloriatur Claudianus lib. 1.

Quam bene dispositum terris.
Fructus consilij primis auctoribus instet,
Sic multos fluuio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem,
Inuentæ primum Busiridi imbuit aras;
Et cecidit ferui, quod dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumq; repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno,
Sensit opus docuitq; suum mugire iuuencum.

Sodales Neronis Burrho, & Senecæ inuidentes, Principem pessum dederunt. *Tu hæc pateris? tu hos times? Ignoras te Cæsarem esse? teq; in illos habere potestatem, non illos in te?* Hæc illi apud Neronem; qui deinde cruentæ bestiæ contumelias, & sæuitiam primum experti sunt.

Hoc igitur fixum sit, vt quicunque ad alicujus perniciem dedit consilium, velut noxius repellatur. Mater Neronis causa tot flagitiorum, extremum ipsa filii sæuitiem perpessa est, Nunquam hoc, ne nostro quidem tempore fefellit.

Opportuna consilia.

Septima est, vt opportuna sint consilia. Optima fere videri solent, quorum tempus præterijt. Post cladem dare consilium, qua vitari potuisset, est exprobrare Principi stultitiam. Perseus in fuga consiliarium sero dantem consilia confodit: barbare etiam & pro crudelitate Ottomannica Selymus, qui auctorem consilii, cujus malus euentus fuit, occidit. Consiliarii est de re agenda constituere, quæ mala oritura, quibus modis caueri possint, prænunciare. Quilibet esse potest post facta Prometheus.

Studio, & labore exquirenda consilia.

Octaua virtus, diligens rerum Politicarum studium, historiæ, & exemplorum magna cum judicio cognitio. Summæ enim est vel arrogantiæ vel negligentiæ negligere bonorum judicia. Oraculum est apud Tacitum libr. 1. hist. suadere Principi, quid oporteat, multi laboris. Itaque inter pocula malis Reipublicæ remedia non inueniuntur, oratione, studio, exercitatione opus est. Omnia summa ratione, consilioque acta, fortuna etiam sequitur. Liu. libr. 5. *Quod si illa agentem destituat, boni tamen consilii fructus per se saluberrimus est.*

Subitũ rogatus consilium, meditatum da responsum.

Nona, præcipitationem vt caueant, celeritatem tantummodo, cum in mora est periculum, adhibeant. Quicquid impetu agitur, raro inualescit. Ideò Tiberium ajunt, nunquam bis de re eadem consultasse, quod primum consilium maturum, absolutumque esset. Non est regium temere agere. Nicet. Μὴ βασιλικὸν τὸ αὐτόματον, καὶ ἀνακριβὲς ἐν πάσῃ πράξει· τὸ δὲ πρεσκεκεμμένον καὶ χρόνιον. Non est regium, inconsulte, & inaccurate agere, sed considerate, & tarde.

Decima virtus est affectus omnes mature ponere; non enim mutato animo etiam reuocare licet id, quod suasum est. Præcipue auaritia ponenda est. Vnde affulsit lucrum sine respectu salus publica addicitur. Rerum priuatarum respectus semper officit, officietque publicis consilijs. Liu. lib. 2. Huc spes pertinet:

Affectus ponendi.

Pauci reges, non regna colunt:
Plures fulgor conuocat aulæ.

Alterum est fauor, aut odium; omnes homines majore studio inimicis aduersantur, quam amicis auxiliantur, acrior est enim stimulus iræ, cupiditasq; vindictæ inimica consiliis. Tertium est inuidiæ malum, quod aliorum incrementis alios obsistere liuor imperat, malum ingens, & quod miseris, proprijs interdum commodis potentius.

Vndecima virtus est Sinceritas, quæ requirit, vt id quod verum ac salutare judicat, in medium profe-rat. Non enim optima consilia sunt, quæ jucundissima, sed quæ vera ac salutaria, vt sapienter Solon. Fredericus optabat in consilio dando duas res abesse, simulationem, & dissimulationem. Itaque consiliarii loco habendus non est, qui ita verba moderatur, vt quicquid euenerit, recte dixisse videatur. Improbi hominis est, initio verum celare, & cum fortuna Principis loqui, non Principi consulere, tandem quo res inclinat, eo sententiam torquere. Sinceritas itaque spectanda, non enim quia aliquando bene suasit, semper audiendus est. Imo non melioris fidei habendus, qui prudentius suaserit. Magna est principum, sed crebro voluntaria infelicitas, qui cum omnia agant, vt sinceros habeant cõsiliarios, & amicos, sæpissime tamen falluntur. Causa, quia non satis eos probant.

Multi id dicunt, q̃ audire vellè Principẽ coniectant.

Duodecima, vt sit fama honesta; nam primum de Principe judicium concipitur, si consiliarios eligit bonos, bonum: si malos, malum. Eligat ergo consiliarios bonos, Deum timentes, & veritatis amantes, denique prudentes; non enim omnis amicus consiliarius esse poterit. Consiliarius malæ famæ, optimum consilium dedecore suo imbuit. Lacedæmones proinde, cum homo improbus optimum consilium dedisset, idem ab alio proponi jusserunt, & mutato auctore consilio vsi sunt. Principis fama, & multo magis Senatus in existimatione singulorum consistit. Manet in hominum animis illud perpetuo:

De principis vita ex consiliarijs iudicant. Si amouet Senecas, ibi Nero est.

Τοιοῦτος ἑκάστου διατρέχει ἥδεται ξυνών.

Talis quisque est, qualis illi quorum consortio delectatur. Principis vitam pauci, consiliariorum omnes spectant assidue, atque ex ea de Principe libentissime, & periculosissime loquuntur.

Decima tertia Fortitudo. Facile est in curia inter pares fortiter dicere; at si vultus Tiberij, aut sæuities Cai dicentem infestet, jam vix inuenias, qui recta suadeat, Xerxes Demarato gratias egit, quod solum vera dixisset, sed ejus hoc vitium fuit, qui jucunda quam vera audire hactenus maluerat. Timorem demant Principes, si bona consilia audire cupiunt. Theopompus rogatus, quæ ratio seruandi regni esset? Respondit; si justam dicendi libertatem Princeps amicis permittat, & subditorum quantum fieri potest, vindicet injurias. Si fortes erunt, nec ad frontem regiam sententias dicent, nec plurium consilijs exagi-

Fortis consiliarius regem seruat.

exagitati à recto discedent. Interim perijt rex, cui bona consilia dare periculosum est,

Fortis igitur sit, proque bono publico priuata incommoda toleret.

Corrigere sententiam, quam recte sensisse, non minus laudabile.

Decima quarta virtus est, vt auditis aliis, si eorum meliora consilia iudicet, lubens volens mutet, idq; putet esse sapientis. Non enim est leuitas, malum in bonum, bonum in melius commutare. si via te recta incedentem alius compendii facilioris admoneret, mox sequerere; id non faceres pro salute Reipublicæ? supra monui, ne alieno consilio sit inimicus. Hic iterum, iterumque inculco, ne mutationem consilii, viro graui, gnaro, experto, etiam in summa senectute putes indecoram; summæ felicitatis est optima primo intuitu vidisse, & elegisse, sed potior ille est, qui se minus alio vidisse profitetur. Nullus fidelior ad consilium dandum esse potest eo, qui suo abdicato, alienum approbat. Et principis saluti potius, quam existimationi suæ consultum vult. Rara & ardua virtus est; citius inuenias, qui recte suadeat, quam qui consilium suum improbari æquo animo ferat. Achitophel, cuius consilium erat, quasi consilium Dei, sibi ipsi non nisi suspendio consulere potuit. Ne Seneca quidem Stoicæ sectæ probat *illud superbum promissum* l. 4. de benef. c. 24. *nunquam sapientem facti sui pœnitere, nec vnquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium.* Et c. 28. *Non est leuitas à cognito, & damnato errore discedere: & ingenue fatendum est; aliud putaui, deceptus sum.* Hæc vero superbæ stultitiæ perseuerantia est: Quod semel dixi, qualecunq; est, fixum ratumq; sit.

In periculis sit monitor sollicitus.

Decima quinta, vt frequens sit, nec in causis odiosis diuerticula quærat. Pignora capiebant. Cicero legem ponit l. 3. de legibus, *Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto.* Imo vero si fidelis est, vltro se ingerat, moneat, vrgeat, pro salute Reipublicæ molestus sit. sic fecit Cato, de quo Plutarchus in Cæsare. *Catoni autem, qui impendentia crebro vaticinatus est, hoc reliquum fuit, vt importuni tunc & curiosi, post prudentis quidem, sed infœlicis nomen consiliarii sortiretur.*

Infelicior Catone Harpagus, qui recti consilii pœnas dedit *Sen. lib. 3. de vita cap. 15. Accesit itaque ad numerum eorum, qui magnis cladibus ostenderunt, quanti constarent regum amicis bona consilia. Non dubito, quin Harpagus quoque tale aliquid regi suo Persarumque suaserit, quo offensus liberos illi epulandos apposuit, & subinde quæsit an placeret conditura. Deinde vt satis illum plenum malis suis vidit, afferri capita illorum iussit, & quomodo esset acceptus interrogauit. Non defuerunt misero verba, non os concurrit; Apud regem, inquit, omnis cœna iucunda est, quid hac adulatione profecit? ne ad reliquias inuitaretur.*

Suo loco sapientiam promat.

Decima sexta virtus est, vt extra senatum de republica, in circulis, in conuiuiis non disputet. Recte Cicero: *Loco senator, & modo orato.* Hoc est legitimo in senatu, legitime conuocato, suo ordine, perspicue, breuiter suam sententiam exponendo, alios cum modestia, si opus sit, refellendo. Locus senatus erat curia, aliquando templum, extra vrbem, vel in vrbe. Postea locus, in quo principum consiliarii de grauibus imperii rebus disceptabant, consistorium dicebatur. Quin & consistorium erat ipse senatus principum. Lampridius consistorium principis vocat Jurisperitos quinquaginta doctissimos in Alexandro, quorum ope senatusconsulta, & edicta faciebat. Vocant & θεῖον συνέδριον, & βασιλικὸν συνέδριον senatum illum, vt Hesychius. Magna eorum dignitas fuit; Primicerios notariorum, qui de consistorio erant lib. 2. Cod. Theodos. Inde frequens est consistorianorum mentio. Nouell. 13. Hinc comites sacri consistorii, & comites diuini consistorii. Postea & sacrarium dictũ est. His ergo locis, & hoc modo senator sententiam dicat. sententiam suam vbiq; venditare stolidæ vanitatis est.

Ad locum & modum pertinet, vt is, qui potestatem habet, senatum consulat. Hoc ius olim erat penes Regem, Interregem, Dictatorem, Cõsules, Prætores, Tribunos, præfectum vrbis. Cicero; *cum populo patribusque agendi ius esto Consuli, Prætori, Magistro populi, equitumque, eique, quem produnt patres consulum regendorum ergo, tribunisque quos sibi plebs rogassit, ius esto cum patribus agendi: idem ad plebem quod sensus erit ferunto, quæ cum populo, quæ cum patribus agentur modica sunto.* Vbi & magistrum equitum nominat. Consultare de republica iniussu principis, inter crimina maiestatis merito recensetur. Quia supremæ potestatis est, vel cui illa commisit, consilium summum conuocare. Deinde cum inuito principe de summa rerum consultant, hoc ipso principem quodammodo abdicant; nam ius statuendi sibi sumunt, siue id principi placitum sit, siue omnino displiceat.

Rempublicã nosse debet.

Decima octaua virtus, vt iuris, & Reipublicæ bene sit peritus. Lex aurea est apud Ciceronem. *Causas populi teneto.* Augustus quindecim sibi viros peritos, & prudentia claros adiunxit, vt Xiphilinus refert; quibuscum negocia quotidie orientia composuit. Tiberius viginti senatores per sex menses sorte delegit. Non recte sorte, quæ in pessimos sæpe incidit; nec per sex menses oportuit: multæ enim lites, multaq; negocia ad diuersos perueniunt, indigentq; noua instructione. Nam audire eos, qui præcesserunt, necessarium est. Optime consultant, qui rerum futurarum exempla ex præteritis sumunt. Dio libr. 10. Biantis laudat dictum Stob. 94. μιᾶ ἔστιν ἀρχὴ ἔ καλῶς βουλεύεσθαι ἔ γνῶναι περὶ ὅτου λόγος. Vnicum est bene suadendi principium, si noueris qua de re sermo sit. Non rem modo ipsam, sed rei quoq; circumstantias.

Suas partes grauiter agat, non aliorum.

Decima nona virtus est, vt inter summum & infimum gradum intermedius sit, itaque nec Pedaneus sit, quia nec Reipublicæ prodest, & contemnitur, nec omnia suscipiat, quia omnium pericula in se deuocat. Proedri dicuntur, qui consilio principis præsidebant, eam dignitatem Phocas instituit, summus προεδρεύων dicebatur, qui interdum omnia moderabatur, specie penes principem manente. Verum hoc difficillimum esse perpetua experientia docuit. Summa gratia, summaque existimatio haud diu perseuerat; itaque maxime medium teneat. Licet illi inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione, & periculis vacuum. sequantur medicos cordatos, & fidos, quorum vnicum est propositum sanitatem principis tueri, aut recuperare, aliarum rerum immunes, & incuriosi, aliud cui propositum est, per patriæ clades ad opes & honores grassabitur.

Qui supplicãt, vt dare principi consilium possint, non facile admittendi.

Vicesima virtus consiliarii est, ne se principi offerat, qui enim per intercessiones, precesque agit, dare vt principi consilium possit, amare magis aulæ splendorem, opesque, quam Rempublicam conuincitur. Hos ergo suspectos habeat necesse est, qui precio consilia vendunt; nam eodem precio in abrupta principem trahent. Si igitur vera consilia quærant, Joiadas, Isaias, Ambrosios, viros sanctos inquirant. Qui consiliorum, & orationum prodigi non rogati, sed vltro rogantes sese ingerunt, vtilitatem suam miscent. Mirum sane, cum dare consilium maximi operis sit, in multis esse audaciam dandi, in paucis patientiam accipiendi. Inter turbas consilia vendentium, paucos esse video emptores.

Expertus cõsilia dare debet.

Vicesima prima virtus est, experientia, exque illa cognitio. Hannibalem malo de exercitu, quam centum philosophos audire. Auctoritas enim experientiæ est. Magna vis est ad persuadendum scientia & vsus: Nam reuera summis imperii moderatoribus pia & decora suadentes instrumenta sunt boni sæculi, vt Symmach. ep. 16. Tales sunt summæ principis opes.

Σύμβουλος ἀγαθὸς χρησιμώτατον, καὶ βασιλικώτατον ἁπάντων κτημάτων ἐστίν. Consiliarius bonus vtilissima, & regalissima est possessio.

Vicesima secunda virtus est pietas, qua omnia humana recte gubernantur, qui enim absq; Deo in vnũ conueniunt, & aduersus Dominum, & Christum eius, meditantur inania.

Inexperientiæ facit audacem.

Hic principem moneo, vt eos qui nec experientia, nec lectione, nec auditione ue res norunt, non facile audiant, fidentissime enim pronunciant, ne ignorare videantur. Nulla his retundẽdis efficacior ratio, quam rationem dictorum exigere. Imprudẽtis enim sententiæ ratio solet esse multo imprudentior.

Mutationis sint inimici.

Vicesima tertia est, contentum esse præsenti Statu, mutationis, nisi conspectissime in melius vergat, inimicum. Multa enim incõmoda prodit mutatio, quæ antea latebant. Mutationis auidi sunt, pauperes, obærati, ambitiosi, inuidi, imprudentes, his tentandis interdum proponendæ dubitationes sunt, vt animum aperiant. Interim serio reprimendi, & si inquieti sint, ablegandi.

Assentatores coercendi.

Vicesima quarta virtus est, ne sit adulator. Medicum, si semel venenum miscuit, semper auersaris; cõsiliarium, si aliquando tua vitia laudando, vel virtutes supra verum extollendo deliquat, ad secundum consilium ne admittas, multo minus solos adulatores audias. Vitanda est conuersatio vitia principis assentatione alentium, multo minus itaq; eorum consilia audienda. Quamuis vero inter initia lateant, tamen quod celant in radice, in ramis declaratur, & quod latet in folijs, enitescit in pomo. Vnicum fructum putant placere principi.

Audacia temeraria est.

Vicesima quinta virtus, ne nimium sit audax. Cõsilia enim audacia mutandis rebus, quam seruandis aptiora sunt. Audacium consiliorum auctores retundentur, si quod ore suadent, manu prosequi cogantur. Malo itaq; consiliarium nimis cautum, quam nimis audacem, eo enim tutius vtetur princeps. Quin illi qui cautiores sunt, & timidi videntur, cum ad rem ventum est, fortiores sunt audacibus, cuius rei causa est; quia parati ad euentus, & difficultates veniunt, temeritas, quia improuiso iaculo feritur, animum citius deijcit, quam sumpserat. Timidissimi enim sunt iactatores, quemadmodum enim vtres inflati speciosius tument, quam pleni, sed leui punctiuncula flaccescunt, ita verbis feroces, ad primum periculi ictum expirant, in pace leones, in prælio sunt cerui.

Re iuuet cõsiliarius cũ potest.

Vicesima sexta virtus, & consiliarij verissimi criterion; si, cum potest, non consilio modo, sed re quoq; iuuat principem.

Πᾶς λόγος ἐστὶ μά πιος, ὁ μὴ τετελέσμενος ἔργῳ.
Καὶ πᾶσα πρᾶξις τὸν λόγον ἔργον ἔχει.

Nempe princeps Germaniæ bellum in Turcas suadet imperatori, si commeatu, milite, nummo iuuat, is vere amicus est, qui in re dubia, re iuuat, cum re opus est. Consilio, & auxilio iuuare ciues laudatissimum est. Quod si belli suasor est dux militiæ veteranus, & pro opera sua stipendium ingens exigit, quis dubitet eum rem suam agere, non publicam?

Atq; hæc de consiliariorũ dotibus & officio, nunc quid hac in causa principi faciendũ sit consideremus.

Princeps qui suo consilio vtitur, cito perit.

§. 8. Principis summa prudẽtia est, vt certo sibi persuadeat, consilio se egere, hanc esse magnam prudentiæ partem, prudentiæ non fidere propriæ. Prudentia enim vera aliunde sibi præsidia quærit. Deus, quia omnia omnium rerum nouit, & præuidet, consilio nõ eget, hominum sapientissimi aliena prudentia vti debent, quod adeo necessarium est, vt veteres diuinæ maiestatis ignari, de numine tamen aliquid suspicati, Jouem concilium diuum cogere comměti sint, multo magis illi regibus necessarium consilium duxerũt. Etenim si in rebus priuatis cum dubia oriuntur, amicos quisque consulit, quanto magis in ipsa republica id necessarium est, vbi & maiora, & intricatiora negocia sunt? Neque putet princeps se satis sibi sapere. Homo est, hoc est, multarum rerum ignarus, de multis non recte instructus, affectus si temperat, nondum tamen exuit; Priuati multi principem prudentia superant; vt igitur aliorum opera vtitur, minores magistratus facit, proreges, præsides, legatos, prætores, consules, ita quoque in hisce omnibus dirigendis alienam prudentiam adiungat suæ. Summæ maiestatis est non tam exercitu septum esse, satellitij, & habitationis splendore gloriari, quam clarissimorum virorum, sapientissimorumque prudentiam suam facere; Nulli principes periere, nisi qui prudentum consilia neglexẽre. Vere Aristoteles, sed quia ad stolidum iuuenem scripsit, incassum monuit, ἔτι δὲ τὸ βουλεύεσθαι τῶν περὶ τὸν ἄνθρωπον θειότατόν ἐστιν. ὥστε δὲ εἰς τὰ πράγματα, καὶ μηδενὸς ἄξια τῷ ἀπαιδεύτῳ ἐστὶ σοι καταγελαστέον, ἀλλὰ τῷ μεμελετῶμεν αὐτῷ καλῶς βουλεύεσθαι μαθεῖν βελτίονι, τίς δ' ἂν ἀμφισβητήσειε τῶν νοῦν ἐχόντων, ὅτι τὸ μὴ πράττειν μὴ βουλευόμενον, σημεῖόν ἐστιν ἀνοίας. τὸ δὲ κατὰ τοὺς ὑφηγησιν ἢ λόγε, σωτελεῖν τι τῶν ὑπ' ἐκείνου παραγγελλόντων, παιδείας; ἰδεῖν δὲ ἔστι παῦτας τὰς ἀρίστας τ' Ἑλλήνων πολιτευομένους, λόγῳ πρῶτον, ἢ τοῖς ἔργοις συγγενομένους. πρὸς δὲ τούτοις, καὶ τὰς μεγίστου ἀξίωμα τῶν βαρβάρων ἔχοντας, τοῦτο πρὸ τῶν πραγμάτων χρωμένους, εἰδότας καλῶς, ὡς ἀκρόπολίς ἐστι σωτηρίας, ἡ διὰ τὸν λόγον νομοθεσία καὶ συμφέροντος θεωρία.

Rerum est præterea humanarum augustissimum, consultatione vti. Quare nec in superuacaneis & vulgaribus rebus studium tibi terendum est, sed pro virili potius parte elaborãdum, vt ipsam bellè consultandi artem & perdiscas, & teneas. Quis enim sanæ mentis dubitarit, si quis incõsultò quid egerit, amẽtiæ quidem: sin autem ratione duce, sapientiæ signum esse? Intueri etiam licet eos omnes, qui optima inter Græcos Republica vtuntur, oratione prius, quam rebus conuenire. Itemque apud eos, qui inter Barbaros dignitate præstant, orationem rebus anteire: quippe qui bene norint eam, quæ ratione, oratione q, perspectio vtilitatis, cognitioq; fit, esse quandam salutis arcem.

Digna itaque imperantis maiestate sententia fuit Antonini Pij, *Aequius est vt tot, & tantorum amicorum consilia sequar, quam vt tot, & tanti me vnum.* Nemo prudentissimorum principum, sine magnis adiutoribus tantam rerum molem digessit. Ego ita comperi, omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupêre, post paullo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremo seruitus regnis imposita est, regem mors vel exilium abstulit.

Primo consilia, deinde regna pereunt.

Nescio, inquit in horologio principum Greuara l. 1. c. 43. *Cur principes & magnates, cum adeo solliciti sint in quærendis medicis optimis ad curam corporis, adeo negligentes sint in quærendis viris sapientibus ad gubernationem regnorum, ditionumque: cum infinitis modis, grauius profecto sit damnum mala in republica gubernationis, quam principis ipsius, aut gubernatoris morbus. Hactenus sane neque legimus, neque vidimus medicorum penuria, vel regem, vel regnum ipsius periisse: At sapientum penuria consiliariorum innumeros reges, & regna plurima vidimus desolari, corruere, & euerti. Medici penuria vnus homo periclitari potest. At viri sapientis penuria magna inuehi in populum potest discordia. Etenim gliscente aliquo inter ciues tumultu, plus vnicum prodest consilium maturum, quam centum de rhabarbaro purgationes.*

Et paulo post: *Hæc eo fine dicuntur, vt his persuasi rationibus principes & præsules, summateſque partem aliquam diligentiæ, quam in quærendis adhibent medicis maximam, & pecuniarũ quas in illorũ salaria & congiaria expendunt plurimas, ad inuestigãdos conferãt viros sapientes, quos & ipsi*

ipsi consulant, & aulico adiungant senatui. Nam si intelligerent homines, quanti interfit habere sapientem domus rectorem, vel vnicum sapientem, omnibus redimerent opibus. Commiseratione magnopere digni videntur principes & magnates, qui multos in mense dies, multasque in die horas perdunt, sermocinantes de bellis, de ædificiis, de armis, de epulis, de bestiis, de venationibus de medicina, & alijs, ipsa prudentium consilia negligunt.

Temerarius est miles qui inermis in aciem procedit, nec minus princeps imprudens, qui absque consilio Rempublicam capessit.

Præstantissimum opus consilium.

§. 9. Hoc principem scire, & agere conuenit, omnia obsequia vinci ab eo, qui bono consilio iuuerit. Gueuara hor. l. 3. c. 55. ita Aurelium loquentem inducit. *Commodo filio mando, vt obsequiorum tibi mercedem persoluat. Deos autem immortales rogo, vt pro consiliis gratiam tibi referant. Nec frustra illud me filio mandare; hoc à diis petere dico. Multorum enim obsequiorum mercedem homo vnus persoluere potest. Ad remunerandum vero vnum consilium bonum, omnibus diis opus est. Maximum & præstantissimum beneficium, quo amicum potest amicus afficere, illud est, si in dando ipsi bono consilio, in negotio difficili felix sit. Nec sine causa felicem esse, non dare tantum illum volo. Non raro enim vsu venire solet, vt qui consiliis suis mederi nobis volebant, in maiora etiam pericula nos coniiciant.*

Quod si omnia princeps ipse tribuere sibi velit, meminisse tamen debet, etiam sapientissimo sæpe consilium deesse, *καὶ κυβερνήτην ἀγαθὸν ἐνίοτε ναυαγεῖν.* Gubernatorem peritum naufragium quandoque facere. Sæpe adeo abdita negocia occurrunt, vt inueniri exitus non possit. *πολλὰ καὶ παράδοξα αἱ καὶ ἄνθρωπος τυχαὶ καινεργάσι.* Quæ hominibus accidunt, multa & inopinata efficiunt. Cur in illis princeps nõ titubet, imo cur non vtatur summâ sapientia, quæ in eo cõsistit, vt alios sapientiores se ipso arbitretur. Qui si sapere sese arbitretur, ne credat expertos, seneſque desipere. Hoc saltem sibi persuadeat, adeo sapientẽ esse neminem, vt nõ maior illi sapientia necessaria sit. *οὐδεὶς ἄνθρωπος αὐτὸς ἅπαντα σοφός. Nemo ipse per omnia sapit.* Vsus igitur responso Biantis, qui interrogatus, quâ de re omnes maxime sollicitos esse oporteret, respondit, vt quærant bona consilia, bonosq; consultores, ipse quoq; consiliariorum sapientum cœtu se muniat.

Multorum consilia audienda.

§. 10. Denique vt omnia rectius succedant, princeps cum multis consultet, cum secretum res non exigit. Multa sunt ea in re commoda. Nam cum alij commoda, alii detrimenta adducunt, alij pericula, alij pro iustitia, alij pro dignitate principis sermonem faciant; cum alij timidi, nonnulli audaces sint, inter se etiam æmulationes habeant, non potest in tantâ agitatione latere veritas. Imo omnium affectus princeps ipse cognoscet. Deinde cuncti omnes intendent neruos, vt ita consilia dent, ne ab alijs in tanto consessu culpari possint. Quod si consulta male cesserint, omnium culpa fuerit. Pauci conspirare possunt, sibi vtiliter ambitioseque, non Reipublicæ amice consulere: in multis diuersisque, quibus diuersa conducunt, non est eadem ratio. Idcirco melius omnibus, quam singulis creditur, vt monuit Plin. in paneg. Confirmantur autem bonorum consilia, cum sentiunt prudentibus, fideliterq; suadentibus idem videri. Cic. ep 13. ad Cœl.

Cum in speciem ad cõsilia venitur, tanquã ad tortorem veniunt senatores.

§. 11. Caueant reges ne consilium tantum in speciem conuocare videantur, vt refert Bellus discursu 23. fieri in Anglia. *Verum quoniam aliquando materiæ quædam publicæ accidunt, quæ ad bonum, siue etiam detrimentum regni ac subditorum spectant, verbi gratia, legem nouam constituere, alias examinare, vel reprobare, pecuniam ad bellum aliquod iam statutum imperare, vel similia ad Remp. pertinentia prouidere, tunc & in similibus casibus consueuerunt Reges modestiæ gratia antiquam consuetudinem seruare, vt scil. Parlamenta conuocent; in quibus regni status & ordines tres cõgregantur, hoc est, clerus, nobiles, & populares, vt ab hisce examinato negotio, quo de agitur, à Regibus deinde decreta eorum confirmentur, aut reprobentur. Et quanquam antiquitus hæc Parlamenta auctoritate ac libertate potiebantur, vt Reges potius politica, & ciuilia capita fuerint, quam Domini, & Monarchæ; tamen ab Eduardo III. ad hæc vsque tempora Regum auctoritas adeo munita est, vt hodie Parlamenta regiarum magis cupiditatum larvæ quædam sint, quibus in rerum dubiarum constitutionibus laborem, & incommoda, in periculosis autem rebus damnum subterfugiunt, quam vt per ea potestatem suam moderari velint: nam in iis quicquid consulitur, aut decernitur, nihil validum est, nisi regia accedat cõfirmatio. Quin etiam non modo quicquam decernere, aut quẽcunque actum facere nequeunt, sed ne congregari quidem possunt, nisi nutu regio, solentque Reges ad ea quoslibet admittere, atque ab iisdem remouere, nempe ita formidabiles cunctis facti sunt, vt nemo in Parlamentis, aut extra ipsa, audeat sese ne minimo quidem verbo regiæ voluntati opponere, nisi tamen sibi damnum ac ruinam velit accersere. Adeo vt quemadmodum serui ac subditi sunt ii, qui Parlamentis interfunt, ita actiones & consilia inde prodeuntia seruilia esse, necesse sit.*

Ita ille, vereat tamen vt hyperbolice, constat enim proceribus Britanniæ sua libertas. Verum vtcunque res habeat, moris causa proceres conuocandi non sunt. Hi enim si in dignitate sunt, & magni animi, cum indignatione rideri se sentiunt, & iocũ esse crudelem, cum vel ad gratiam regiam oĩa dicenda sunt, vel subeundum periculum. Familiares etiam regis eos contemptui & ludibrio habent, crebroque iactant, iam sibi constare, quid decerni oporteat.

Monarchiæ Hispanicæ consilia prudentius sunt constituta quam Romanæ.

§. 12. In magnis regnis, vbi variæ nationes & populi in vnum corpus coalescunt, varia consilia, & collegia institui necesse est. ita in Rebus publicis variis res habet, sed optime nunc in vastissimis Hispaniarum regnis obseruatur. Hæc vero notaui, quæ Romanam industriam fugerunt. Primum est. Ad senatum Romanum omnes omnium nationum causæ deferebãtur, atque inter peritos, imperitosque iactabantur, in Hispania singularum gentium consilia sunt separata. Hinc illa diuersitas est. Nam est consilium Italicarum rerum, quo res Neapolitanæ, Siculæ, Mediolanenses diriguntur. Consilium Belgicum, Indicum, Bellicum, singula regna Hispaniæ sua diuersa consilia habent. Est consilium Status, quod est honoratissimum, consilium religionis, quod est potentissimum. Consilium commendaturarũ, vectigaliumq;. Hoc itaq; summæ fuit prudentiæ vni collegio vnum populum tribuere, sic enim rerum gnari facile euadunt, nec varietate obturbantur. Qui in India ordines duxit, aut vrbes gubernauit, facile de regẽdis barbaris nationibus consilium dederit, non tamen idem peritus rerum Belgicarum, aut Neapolitanarum habebitur, ob diuersitatem legum, & ingeniorum.

Alterum est, quod ego puto consiliorum animam esse. Vt nempe rex in consilio Status, in quo de summis regni negocijs agitur, magnos principes, aut principum æquales habeat, quorum maxime interest auctoritatem regis manere sartam tectam. Sunt vero in eo consilio non modo principes, sed Archiepiscopi etiam, & antistites, vt in Hispania Commendator Alcantaræ, aliorumque ordinum, vt S. Jacobi, Calatrauæ, qui etiam ius habent Bellici consilii adeundi.

Tertium est, quod in his plerunq; consiliis ordinatissime, quamuis non celerrime res peragantur. Nam habet rex secum peritissimos consiliarios, qui præsentes regi causam verbis, aut scripto, plerunque & verbo, & scripto proponunt. Rex deinde priuatim relegens illa scripta perpendit, & ad Collegium aliquod discutiendum dimittit, consiliariorum deinde sententiam audit, vel illi cum rege coram definiunt' aut ad eum scripto mittunt. Hanc ob rem constantis-

sime ius dicitur, nec vllam monarchiam fuisse hactenus arbitror, in qua minus in gubernatione sit erratum.

Consilia scripto offrre vtile est.

§.13. Quod si generatim dicendum sit, quid maxime in consilijs requirere debeat princeps, dicam breuiter. Summum fore momentum, vt consilia sua, rationesq; scribere iubeantur, ex scripto breuiter legere, & si omnium auditis sententijs demere, addere, mutare quippiam voluerint, id liceat; modo certa forma modoque consilium suum emendatum principi offerant, vt in vnum libellum omnia compingi facile queant. Nunc dictata à notarijs vitiose, cum iactura temporis excipiuntur, mentem non recte semper percipiunt, in cõsistorio, hoc est, in arena cõsilium capiunt. Si scribere iubeantur, id domi, meditatique facient, celeriter sententiam exponent, deinde cum in archiuio, & in mente, manuque principis seruari sententias suas norint, magna cura id sentient, quod posteritati tanquam fidei, & prudentiæ monumentum relinquere se intelligunt. Litera enim scripta manet, & errorem post multos annos arguit, eiusmodi sententiæ Ciceronis, aliorumque supersunt, ex quibus licet colligere, quo studio sententias dixerint. Nec tenerum consiliarium volo, cui labor scriptionis sit grauis, si enim familiares literas in re priuata scribit, cur non pro salute publica accurate, diligenterq; stylo sententiam exponat? Augustus id egit, vel hac de causa dignus imperio. Sueton. c. 84. ita recenset. *Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima cupidè & laboriosissimè exercuit. Mutinensi bello in tanta mole rerum, & legisse, & scripsisse, & declamasse quotidie traditur: Nam de inceps neque in senatu, neque apud populum, neq; apud milites locutus est vnquam, nisi meditata & composita oratione, quamuis non deficeret ad subita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Sermones quoq; cum singulis, atq; etiam cum Liuia sua grauiores, nõ nisi in scriptis, & è libello habebat, ne plus minusue loqueretur ex tẽpore. Pronuntiabat, dulci & proprio quodam oris sono, dabatq; assiduè phonasco operam: sed nonnunquam infirmatis faucibus, præconis voce ad populum concionatus est.*

An fidelis consiliarius non poterit, quod tantus Imperator fecit? Atq; hæc de senatu, & consiliarijs.

Caput XIV.

In Monarchiâ Magistratus qui esse soleant post regem

Vetustissima profanæ historiæ, si cum sacra conferãtur, recentia sũt.

§.1. Cvm vetera historiæ profanę, si cum sacra cõferantur, antiquitatem non censeantur habere, mihi ex scriptura de magistratibus disputare initio constitutum est, vt primæ Monarchiæ, quæ est Chaldęorum, formam, magistratusq; spectemus. Describuntur illi apud Danielem c. 3. v. 2. *Itaque Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos Satrapas, Magistratus, & Iudices, Duces, & Tyrannos, & Præfectos, omnesque principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem Statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor Rex. Tunc congregati sunt Satrapæ, Magistratus, & Iudices, Duces, & Tyranni, & optimates, qui erant in potestatibus constituti, & vniuersi principes regionũ, vt conuenirent ad dedicationem Statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor Rex: Stabant autem in conspectu Statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor Rex.*

Ex hisce vtcunq; vetustissimæ Monarchiæ constitutio intelligitur; nam Græcorum scriptores variant, & fallunt. Hanc probatam esse rationem nos docet ipse Daniel, qui cum dicat *in se sapientiam esse, plus quam in cunctis*, fueritque *princeps sapientum & magistratuum*, probare eam administrationem voluit. Hanc rationem Darius quoq; c. 6. 1. instituere cogitauit. Hanc ergo spectemus instructam magistratibus primam Monarchiam, arborem illam magnam, statuæ mysticæ caput Aureum.

Daniel vnus post regem summus.

§. 2. Hoc in imperio vnus post regem summa auctoritate fuit, tres alij sub rege, & sub illo, qui tamen diuersas prouincias subditas habuêre. Explicatur hoc c. 2. 48. *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis: & præfectum Magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. Daniel autem postulauit à rege: & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.*

Quanquam autem dicatur constitutus super prouincias Babylonis, & super sapientes Babylonis, idq; restringi posset ad solam prouinciam Babylonis, de omnibus tamen magistratibus totius regni accipio, quam latè patet; fuisse vero Monarchiam maximam ex eo intelligimus, quod Persicum minus fuerit. Daniel. 11, 37. vocat illum regem regũ, & 4. Reg. 25. 27. regnis multis imperat. Vbi cum ait Dan. אנתא מלכא tu rex, מלך מלכיא rex regũ, inter duo verba Chaldæa ponit hebræum, vt ostenderet insignem regem esse, etiam populi Dei. Multos fuisse reges cum eo in Babylone constat ex eisdem verbis, nam posuit thronum Joachin super thronum regum, qui erant Babylone. Ex Jere. 37. docemur fuisse reges Edom, Moab, Ammon, Tyri, Sidonis, Ægypti, gentes multas, & reges magnos. Hisce omnibus præfuisse Danielem affirmo. Nam Babylonis magistratibus & sapientibus præerat, illi aũt totius Monarchiæ caput erant, quemadmodum si quis omnibus Romanis magistratibus præesset, censeretur etiam proconsulibus, & prouincialibus magistratibus imperare. Talis erat Põpeius, cum annonę procuratio, & Piraticum bellum illi demandatum esset, nam teste Cicer. ex rogatione populi plus potestatis in omnes prouincias habuit, quam illi qui cum imperio eas obtinebant. Si igitur princeps eorum, qui omnia regebant, erat, non dubium, quin & omnium princeps fuerit. Deinde hoc verba Chaldæa indicant, ורב-סגניו & principem magnorum principum. Nam סגן magnum principem significat, quod verbum à Chaldæis acceptum Hebræi quoq; vsurparũt. Rabbi Dauid interpretatur principem magnum. In Isa. 42. 25. idem Dauid interpretatur reges gentium. & in Jer. 20. 1. R. Sadaria principes exercitus. Deniq; Perso-Medicum imperium ex Chaldæo, seu Babylonio ortum est, & Danielem legislatorem sapientissimum habuit, vt constat c. 6. 1. Placuit *Dario, & constituit super regnum Satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat: vt Satrapæ illis redderent rationem, & rex non sustineret molestiam.*

Diuisio regni Persici.

Consilium autem Danielis sapientissimi viri tale fuit sub Dario, quale sub Nabuchodonosore, nempe vt tres constituerentur super omnia negocia, & horum vnus esset princeps. Eorum potestas in omnes regni partes diffundebatur. Plurima autem à Babyloniis mutuatos Persas nemo est, qui dubitet. Fecitq; Deus, vt cum Persæ, & Medi gentium ferocissimi essent, ne omnino crudelitate imperandi societatem humanam violarent, vt Danielem haberent rectorẽ, quo factum est, vt Persarum imperium initio optimis legibus fuerit constitutum.

Surenas Persarum potens.

Merito itaque Josephus Danielem vocat ἀφάσης ὁπίτροπον βασιλείας. Totius regni curatorem. Confirmat hanc sententiam consuetudo Persarum, qui Surenam constituere solebant, qui à Sar שר quod principem significat, nomen habet. Eius dignitatem in Crasso describit Plutarchus. ὃδὲ γὰς ἦν τῶν τυχόντων οὐ συρήνας, ἀλλὰ πλούτῳ μὲν, καὶ γένει, καὶ δόξῃ, μὴ βασιλέα δευτερος, ἀνδρεία δὲ καὶ δεινότητι τῶν καθ' αὐτὸν ὐπάρξαι πρῶτος. ἔπ δὲ ἐξήλαυνε δὲ καθ' ἑαυτὸν ἀεὶ χιλίους σκευοφορούμενος καμήλοις, καὶ διακοσίας ἁπήκτο παλλακίδιον

κίδιον, ἱππεῖς δὲ κατάφρακτοι χίλοι, πλείονες δὲ τῶν κέφων, πυρέπεμπον, εἶχε δὲ τὰς συμπάντας ἱππεῖς ὁμοῦ πελάτας τε καὶ ἀλλας, μύριον ἂν ἀποδέοντας,

Neque è vulgaribus erat Surenas, sed diuitijs, genere, gloria, à rege secundus, fortitudine, & acrimonia eorum, qui circa ipsum erant, Parthorum primus. Supellectilem mille cameli ferebant, ducenti currus concubinas, mille erant equites cataphracti, leuis armaturæ plures, equites seruosque non minus decem millibus. Surenem igitur facere Danielem Darius cogitabat, eaq; illum potestate ornare, quam ante sub Nabuchodonosore, cuius celebris tũ erat memoria, habuit. Ostendunt & illa verba v. 49. Daniel autem erat in foribus regis, בתרע מלכא *in porta*, 70. ἐν τῇ αὐλῇ, *in aula*, non fuit supremus admissionalis qualis postea apud Imperatores Constantinopolitanos, nec quales Persarum φύλακες, vel ἀγγελοφόροι, sed princeps erat eorum, qui iudicabant, qui regi consilia dabant. Erat itaq; caput principum domesticorum, atque exterorum, non satelles aut custos corporis regij. Vetusti quippe moris erat, vt principum maximi circa regem essent, tum ad dignitatem, tum consilia, & securitatem. apud Xenoph. l. 1. & 2. παιδ. Principes Persarum, quos ὁμοτίμους appellant, semper erant in atrio regiæ, & l. 8. ἐντίμους ἀεὶ παρεῖναι ὅτι δύσχρις, καὶ παρέχειν ἑαυτοὺς χρῆσθαι ὅτι βούλεται, ἐὰν ἐφίῃ κύρος, id que σὺν ἵπποις καὶ ἁρμαῖς.

Honoratos semper ad ostium adesse, atque sui copiam præbere ad ea, quæ vult, si Cyrus desiderat, & quidem cum equis, & armis. Eodem modo secundus à rege Assuero & Aman. Hesther c. 3. 1. *Post hæc Rex Assuerus exaltauit Aman, filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium eius super eos. Cunctique serui regis, qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman, sic enim præceperat imperator: solus Mardochæus non flectebat genua, neque adorabat eum.* Et eius successor c. 10. *Rex vero Assuerus omnem terram & cunctas maris Insulas fecit tributarias, cuius fortitudo, & imperium, & dignitas atque sublimitas, qua exaltauit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum atque Persarum, & quomodo Mardochæus Iudaici generis secundus à rege Assuero fuerit, & magnus apud Iudæos & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.*

Aman & Mardochæus primi post regem.

§. 3. An Monarchæ expediat vnum aliquem tam magna potentia munire non sine causa disputatur; sæpe docui non vni omnia concedenda, non vnius consilio operaue vtendum; verum hic de magistratu agitur aliquo proximæ dignitatis à rege, qui esse potest, quamuis non magnæ potentiæ, quâ rebellare possit. Ego ita censeo.

Nabuchodonosorem, & Darium prudentissimo consilio Danielem, quem plenum spiritu Dei, sapientiaq; cognouerant, toti regno præposuisse, cum nullam ex eo rebellionem formidarent, & certi essent Danielem sapientissimè omnia ordinaturum. Idem de Mardochæo sentio.

An vnus regi proximus magistratus

Deinde Persarum reges bono exemplo modum hunc secutos, euidentem enim hac in re vtilitatem esse, tum quod ab vno ratio exigi potest, atque ad regem referri de omnium negociorum summa, tum quod omnibus maior cura iniiciatur officio fungendi, cum sciant multis reddendam rationem. Rex enim omnibus etiam magnis interesse non potest, vices eius itaque facilius obit alius, cui plurimum rex fidit.

Ne vero in regem ille insurgere, aut tyrannidem occupare possit, haud difficulter prospicietur.

Si rex ipse viuat, non timebit præfectum supremum.

Si enim rex ipse viuidus, prudens, actuosus sit, ipse præsides prouinciarum audiat, exercitus, ciuitatesq; adeat, non facile moliri quicquam generalis præfectus poterit. Quod si exemplo regum Assyriorum, quod Ninyas Nini & Semiramidis filius dedit, raro visatur à suis, inter domesticos consenescat, responsa per internuncios det. Non modo præfectus à rege secundus, sed etiam τῶν εἰσαγγελίων χιλίαρχος, qualis est apud Ælianum l. 1. c. 21. regem haud difficulter opprimet. Sic Francorum reges ignauia periere, maiore domus post vsurpatam potentiam regni etiam titulum occupante. Aman sane nunquam regnum ad Macedonas transferre cogitasset, nisi Assuerum trucem, exosum, luxuriosum, stolidum regem existimasset. Deinde quid venit Assuero in mentem, vt Macedonem inimicæ gentis hominem ad tantam potentiam eueheret?

Minimum itaq; periculi imminere ab eo arbitror: neq; enim, si summa ipse dignitate vtatur, facile ad alium regnum transferret, cum maiorem capere honorem non possit. Cum enim cum dedecore, & proditionis nota in alium transferet imperium, cuius ipse secundum fructum capit? Ne vero ipsemet sibi potestatem arroget, cauere facile prudens Imperator potest; si neq; exercitu illum instruat, neq, immodicis opibus, si maiorum rerum nihil, nisi ex consensu, iussuq; regis statuat, si ab eius imperio aula ipsa sit immunis, si denique virum modestum, senem, & eruditum legat. In Hispania plerunq; Archiepiscoporum aliquis est supremi consilii præses, aut in summa potestate. Carolus Adrianum postea pontificem, discedens Hispaniæ præposuit. In Ecclesiasticis plerunq; administratio integra, & periculi nullus est metus.

Talis constituatur qui rebellare nõ possit.

In Romano Imperio vix vsus huius dignitatis fuit, Cæsares dicti sunt inclinante iam imperio, sed qui in spẽ regni educabantur, aut successionis spem proximã acceperũt. Primũ ita Ælius Verus in Hadriani familiã adoptatus dictus est Cæsar. Diocletianus Maximianum, & Constantium Cæsares dixit. Verum potius erant imperii consortes. senatus tamen cum Titum & Domitianum Cæsares nominauit consortium regni non dedit. Constantinus tres filios, Constantius, Gallum, & Julianum Cæsares creauit. Non absre est honor ille à prudentibus constitutus, cum vt improbas ambientium spes absciderent, tum vt magni viros animi, quiq; iure aliquo nituntur, ad Reipublicæ salutem honoris lenocinio allectent.

Cæsares proximi Augustis.

§. 4. Vnum igitur summum esse conuenit, huic proximi fuêre apud Chaldæos tres, vt constat Daniel. 3. 49. Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago. Intelligo autẽ opera עבידתא, quodlibet officium, opusq;, simulq; eos prouinciæ Babylonicæ ita præpositos, vt tota Monarchiâ eorum potestas extensa fuerit. In solatium enim Iudæorum toto regno exulantium Deus hoc concesit, vt à captiuis tantum imperium ordinaretur. Darius postea ternos constituit, quibus in omni regno potestatem permisit c. 6. Postea septem fuere. atq; hinc est, quod Monarchiæ primæ illæ initio melius constitutæ fuerint, quam Romana.

Post Danielem socii ei? tres viri.

§. 5. Ordinatissimam Monarchiam Chaldæorum fuisse, verba Danielis ostendunt, nec enim ociose ponũtur, in his ergo Magistratus Chaldæos spectemus.

Primo loco ponuntur אחשדרפניא, quod si separatim exponere Achaschdarphenaio placeat, ad verbum erit, Magnus habitans facies, quod habitent coram facie regis. Vno verbo, magnus comes regis seu familiaris regis significatur; 72. vertunt ὀπάτους, consules, potentes, quorum magnus erit honos, & potestas; à potestate enim Græcis ita appellati sunt Consules. noster Satrapas vertit, alii magnates, alii principes. Hoc vnum obstare videtur, quod Satrapæ in prouinciis, quibus erant præpositi, non *coram faciebus* regis habitarent. sed falluntur qui ita ratiocinantur. Nam Satraparum magna erat dignitas, & plerunque à facie

In chaldaica monarchia Satrapæ seu proconsules.

regis mittebantur eo modo, quo de comitibus dixi, deinde ius accedendi regem, cum eoque prandendi habebant, quemadmodum de ὁμοπίμοις indicaui. Neque enim nostris satrapis comparandi sunt prisci illi, sed proregibus & principibus, seu Turcarum Bassis, veterum Romanorum consulibus, proconsulibusq;, vnde merito 72. verterunt ὑπάτους. Eorum potentiam l.4.Reg.18.24. Rabsaces deprædicat, quod Judæi nõ possint resistere ante vnum satrapam de seruis Domini sui minimis. Quamuis eo loco Hebræus פחה, Chaldæus שלטנים & 72. τοπάρχους appellet, qui minores erant, quam Achaschdarphenaio, adeo tamen potentes, vt Rabsaces eos præferat Ezechiæ regi Juda.

Satraparũ potentia.

Eorum etiam potentiam Herod.lib.7. Ctesias in Persicis, Xenophon l.1. ἀναβάσεως ex eo demonstrãt, quod regum filiis satrapiæ conferebantur. Et Justin. lib.5. Cyrum à Dario patre Ioniæ, & Lydiæ præpositum satrapam. Diodorus Siculus lib.11. Hystaspen filium Artaxerxis in Bactris satrapam fuisse; quin Cyrus moriens ita apud Xenophontem lib. 8. Pæd. loquitur. Σὺ μὲν ὦ καμβύση τὴν βασίλειαν ἔχε, σοὶ δὲ ὦ παναξάρη σατεράπαν εἶναι δίδωμι μίδων τε, καὶ ἀρμένων, καὶ λείτων καδουσίων. Tu quidem ô Cambyse regnum habe, Te vero ô Tanaoxare satrapam Medis, & Armenis, & Caduſiis constituo. Sic Alexander teste Plutarcho Porum regni sui Satrapam effecit. Æmylius probus in Datame; vnus est Lydiæ, & Joniæ Satrapas. Harum regionum & Phrygiæ similiter Oroetes est satrapas, Herod.lib.3. At Phrathrophernes apud eundem Herodotum παρθυαίων, καὶ ὑρκανίων, Parthorum, & Hircanorum, hoc est duorum magnorum regnorum. Josephus libro vndecimo, capite octauo. Syriæ, Phœnicis, Samariæ vnum satrapam fuisse tradit. Erant igitur in hac Monarchia magna cum potestate ἔπαρχοι; sic enim & eos vocat in Apoph. Plutarchus. Nec late duntaxat imperabant, sed fidei illorum & potestati prouinciæ committebantur. Hæc enim prima illis, & summa lex erat; Rempublicam administrare, vt ex re communi, fide, & religione illis videretur. Magna etiam illis addita maiestas, Oroetes apud Herod. libro tertio. mille hominum satellitium habet: alij maiora multo. Singulis annis visitator illis mittebatur, quem fratrem regis, vel oculum regis nominabant; ipsi satrapæ ad aulam frequentes conueniebant. Visitatores autem ἐξάρχους seu veteres satrapas fuisse constat, qui in consilio regis fuerunt, quæ omnia fuisse sapientissime constituta ex dictis constat.

Visitatores satraparũ erãt veteres satrapæ, cõsiliariiq;.

§. 6. Tantam Satraparum potentiam cum aliquot regnis præponuntur periculosam supra dixi, nisi alio modo frenetur, salutarem tamen contra hostem externum. Et sane non ex instituto Danielis. Nam eo consultore Darius Monarchiam diuisit in centum viginti prouincias, & tot satrapas posuit super regnum suum. capite sexto, primo. vbi & græci, & latinus vertit satrapas, estque hoc verbum Achaschdarphenaio. Persicum autem regnum adeo latum non fuit, vt centum viginti tam late imperantes satrapas habere posset, cũ Asia non totâ, Ægypto, & quibusdam Europæ regionib. cõtineretur. Hoc tamen constat, fertilitatem Asiæ, populositatemque spectantibus, si prouinciæ in 120. diuidantur, singulos satraparum mediocribus regibus æquales fore. Tot enim reges Asia aliquando & potentes quidem habuit, quorum singuli ducenta trecentaue millia in aciem eduxerunt.

Nimia satraparum potentia periculosa.

Secundo loco sunt סגניא qui hebraice cap. 2. 48. vocantur סגניז noster vertit magistratus, & præfectos, alii eodem modo. 72. σατράπας duces belli. Erat apud Persas, vti & Romanos honoratissimum, exercitum habere, itaque à fortibus, & ambitiosis prouinciæ bellicæ expetebantur. Hos autem magistratus bellicos fuisse textus ipse nos docet, סגנין tentoria, סגנס vexillum significat. Magnos igitur belli duces, qui suis in prouinciis omnia tuebantur, indicat. Non erant illi à satrapis constituti, nec illis subditi, imo illis coercendis idonei, Memphi in muro albo 120000. in præsidio erant tempore Persarum. Hoc singulare vt Persarum, ita & huius Monarchiæ videtur fuisse nonnullis, vt satrapæ & militares duces diuersi essent; verum quamuis in Persicâ Monarchiâ id fuerit ex parte seruatum, non tamen eam consuetudinem fuisse in Chaldæâ constat ex verbis Rabsacis, qui satrapas militare indicat, & Persarum satrapæ quoque bellum administrabant. Deinde fieri non potest, vt magistratus vnus militaris, & alia togata par potestas in eadem prouincia concorditer, vtiliterque rem administrent. Erat igitur hoc peculiare τοῖς φρουράρχοις, scil. illis, qui munitiones tuebantur. in illos enim satrapis potestas non erat.

Belli duces à satrapis distincti.

Hos sequuntur פתיחא phathauata, τοπάρχαι, iudices, alii præsides, alii duces, nonnulli vertunt præfectores. fuere illi non sub satrapis, quin principes fuerunt, sed minores. Communis vox est Syris, Chaldæis, Persis. Hagg.1.1. Zorobabel dicitur פחת יהודה Phachath Iehuda, Dux Juda. Et Nehem.5.14. Nehemias constituitur, & is vocat duces priores. Cũ vero Nehemias petat Epistolas ad duces trans flumen capite 2. 7. plures fuisse constat, per quorum ditionem iturus erat. Item Esdr.8.36. Et Hesther 8.9. & 9.3. coniunguntur cum Achschdarphenim, ad eos enim literæ dantur à rege. Eos ego Romanis præsidibus, & nostris comitibus comparandos censeo, nostris comitibus inquam: olim enim maior comitum, quam ducum fuit dignitas.

Duces minores satrapũ.

Hisce iunguntur ארדגזריא Adargazraio. Quod officium proprie ad iudices pertinet, dicuntur enim quasi sententiæ, decreti, statuti, roboratores, vel fortes & magnifici sententia, seu decreto, quorum decreta rata erant. Erant igitur iudiciorum præsides, qui ius dicebant, & in singulis prouinciis tribunalia constituta erant, quemadmodum nunc quoque per Europam vidimus. Græci vocant hoc loco, ἡγεμόνας, alii νομοφύλακας, noster *duces* vertit, quorum officium non bello, sed pace etiam vsurpatum.

Iudicum honos apud Chaldæos.

Tyrannos noster vertit, quos Chaldæus vocat גרבריא, gedabraia, consentiunt, & septuaginta interpretes. גדר gadad, est excurrere, prædari, secare, diuidere. גדיד turma, latrunculi. Sunt igitur præfecti vectigalium, ex decumis, pastione, syluis colligendorum, quare militari manu agros, vrbesq; obibant; hinc & גדברין gedabrin, nominantur qui τὸ בר bar, frumentum imperabant aliaque dispensant. Præcipuè autem pro exercitu frumentum imperabant. Horum officium præcipue odiosum fuit.

Tyrannidi frumentatores.

Non admodum diuersus magistratus fuit eorum, qui רתבריא detabraia, μεγάλοι ἐπ' ἐξουσιῶν nominantur à 70. quos χαζοφύλακας, & quæstores, curatoresq; ærarii, fuisse non est dubium. Maloq; sequi interpretationem Septuaginta quam Rabbinorum quia רח dath lege, & בריא berhia, *puritate* deducunt significationem, vt R. Sadaiah. A frumento igitur, hoc est, omni fructuum vectigali quod canonem, seu statutum exigant dictos arbitror; sed noster accepit pro optimatibus in vniuersum coniungitq; רתבריא תפתיא detabraia diphthaia, & optimatibus qui erant in potestatibus constituti, addit deinde Principes regionũ, שלטנים Schultenim, qui vrbes & earum territoria gubernabant. Totaitaque respublica magistratibus suis instructa hoc loco descripta breuiter habetur, & hunc ad modum, si quis Persicas has res expendat, facile inueniet omnia disposita.

Quæstores ærarii.

CAPVT

CAPVT XV.

Cæsares alijque magistratus proximi Monarchis.

CÆsarum nomen retenta dignitate Constantinopolitani mutarunt. Etenim Cæsares vocabantur, vel filij Imperatorum, vel quibus illum titulum contulissent; Drusum vocat Tacit. lib. 1. Cæsarem. Titus & Domitianus à senatu dicti sunt Cæsares, Galba Pisonem, Nerua Traianum, Adrianus Ælium Verum, Diocletianus & Maximinianus Constantium, & Maximinianum, & Dalmatium, Pius Antoninus Marcum Antoninũ, Seuerus Bassianum Carus filios, Philippus filium, Copronymus duos filios, alij alios Cæsares dixerunt. Postea Despotas appellarunt eos, qui proximi fuerunt Imperatori, filios, præcipue primogenitum hæredem regni, item generos, ita Ducas teste Gregora l. 2. Michael Palæologus filium suũ supradespotas extulit. Quod Cæsar nobilissimus ab Imperatore dictus, hoc est in Gallia Delphinus, nisi quod plures Cæsares, Delphinus vnus est. Delphinatum Allobrogum prouinciam, Humbertus Regi Francię donauit anno salutis 1349. ea conditione, vt primogenitus regis & successor ea cognominaretur. Olim filij regũ ipsi reges quoq; dicebantur, & Franciam in Regna diuidebant, quod sapienter Ludouicus III. ne singulorum vires exhauriret, mutare voluit, Lothario regnum, Carolo Lotharingiam reddit. Apud Cedrenum à Monomacho Stephanus dux copiarum statuitur σεβαστοφόρος, quasi Imperatorem ferat, dum sc: prudentia & fortitudine tuetur imperium. Decrescente imperio, augente ambitione, etiam Σεβαστοκράτωρ quasi *augustipotens* constitutus est. Dignitas ea minor fuit despotica, apud Gregoram l. 3. Frater Michaelis Commeni σεβαστοκράτωρ constituitur. apud Nicetam. Isacius lib. 1. Corona cingebatur, nomen dignitatis sine imperio tenuit. Alexij inuentum fuit Σεβαστοκράτωρ, πρωτοσέβαστος, σέβαστος, & ne quid superesset titulorum πανυπερσέβαστος, quod sonat, *quasi plane supra augustum, aut plane venerabilem*. nomina mera erant ista, nõ imperia. Omnia tamen ista infra Cæsarem fuêre. Magnum etiam nomẽ ὁ μέγας ἄρχων, καὶ ὁ ταῖς, sed ὑδὲν ὑπερέτημα κέκληται, ait Codinus. Nullum ministerium habet. Eadem pene ratio patriciatus fuit, non nobilitatis, sed dignitatis & beneficij nomẽ erat. Vocabantur ita quasi imperatorum patres; potentia etiam par nomini. Belisarius octodecim millia militum cum dignitate patriciatus acquisiuit. Æmon. l. 2. cap. 6. Carolus Magnus Patricius Romanus factus est antequam Imperator; Vtile hoc fuit ad conseruandam nobilitatẽ, quemadmodum, vbi illa premitur, ad officia seruij assumũtur. Hoc video priscis placuisse Francis, quod & nunc Turca probat, vt reges in aula mancipijs vterentur. Marilesus Archiatrus mancipium erat Ecclesiæ Turonensis, Proatuflus educator regis ad opus rusticum amandatur, Septiminia ad Pistrinum; ita Gregor. Turon. sed hoc supra reprehendi, interim Græci posteriores in honorum nominibus nimij fuêre.

Cæsares augustis proximi.

Delphini Galliarum.

Σεβαστοφόρος.

Titulis sine re vsitati deficiente Imperio.

Patricij.

Aulici Frãcorum olim multi mancipia.

§. 2. Curopalates initio Architectus erat, eius officium circum sarta tecta palatij, substructione sq; versabatur. Cassiod. l. 7. *Sublimitatem tuam curam palatii nostri suscipere debere censemus, vt & antiqua in nitorem pristinum contineas, & noua simili antiquitate producas. si frequenter legas Geometren Euclidem, si schemata eius mirabili varietate descripta, &c. Archimedes quoque cum Metrobio tibi semper assistant. Si autem ciuitatem reficimus, aut castellorum volumus fundare nouitatem, vel si constituendi nobis prætorii amanitas blandiatur, te ordinante ad oculos perducitur, quod nobis cogitantibus inuenitur: Quicquid aut instructor parietum, aut sculptor marmorum, aut æris fusor, aut camerarum votator, aut gypsoplastes, aut musiuarius ignorat, te prudenter interrogat.* Creuit exinde æstimatio gradusq; Curopalatæ. Aëtius n. ex comite domesticorũ curam palatij gerere cœpit. Quin soceris & cognatis imperatorũ conferebatur, prouincijs præficiebantur. Iberiam n. Adranaser gubernauit. apud Luithprandũ frater Imperatoris est Curopalates, apud Photium in biblioth. nullius maior gloria, quam Curopalatæ. Ita quoque apud Corippum lib. 1.

Te dominum sacræ firmauit auunculus aulæ,
Dispositorq; nouas sacræ Baduarius aulæ
Successor soceri, factus mox cura palati.
Te dominum sacræ quis non prædixerat aulæ,
Cum magni regeres diuina palatia patris?
Par extans curis, solo diademate dispar,
Ordine prorerum vocitatus Cura palati.

Curopalates olim Architectus, deinde magnæ dignitatis.

Curopalates etiam dictus vir spectabilis Castrensis sub quo omnia palatij ministeria fuêre. Pædagogia, chartularij, fabularij, dominici, cum enim comitatus principis στρατόπεδον, castra dicerentur; hinc omnes ministri Castrensiani dicti sunt, quamuis nulla vnquam castra vidissent. Videtur tandem hoc munus omnino mutatum, & dicti apud Græcos Curopalatæ, qui apud Francos *Maiores domus* dicebantur, ijdem enim & præfecti palatij dicebantur. Proximi itaque Imperatoribus fuêre. *Seneschallum* eodem loco fuisse deinceps constat. *Seneschallum* eundem esse, qui apud Græcos dicitur *magnus domesticus*, testis est Guilielmus Tyrius l. 4. c. 5. Magnum autem domesticum ab Imperatore secundum cum dicat, eam etiam dignitatem Seneschallo tribuere videtur. Apud Francos certe eadem ratione creuit officium Seneschalli, vel Seneschalci. Ille enim à Pipino mensæ præpositus est, bella gerebat Rex ipse gnarus, id tutelæ regni noui, & auctoritati opportunum esse. Curam totius domus, & ornamentorum, etiam equorum gesserunt. Dapifer itaque erat, atque ita vocatur à Roberto Abbate Remensi, sceptrum gessit insigne iurisdictionis, Vicarius regis & secundus à rege dicitur. Signabat edicta, constitutionesque Regum, & quæcunque maioris momenti erant. Creuit itaque huius authoritas, vt parum abfuerit à potestate maioris domus. Theulphus in Chronico Monasterij Marigniaci, eundem facit cum maiore domus, & belli administrandi eidem tribuit officium, itaque & Regi equum adducebat. Posteriores tamen Reges potentiam eam minuerunt.

Palatiũ castra. Aulicæ sirenses.

Seneschallus initio sine potestate

Potentia inferioris temperãda.

§. 3. Eodem pene fastigio est magister officiorum, à paruis enim initijs ad summam potentiam peruenit. Magister officiorum Scholis Scutariorum, agentium, atque alijs præerat, disciplina palatij eidem commissa erat.

Magister officiorum.

Eius munus in Scholis ordinandis, promouendisque Scolasticis versabatur, c. 1. de officio Magistri officiorum t. 31. *Priuilegiis dudum Scholæ vestræ indultis, & integris reseruatis ad ducenariam, centenariam, & biarchiam nemo suffragio, sed labore vnusquisque perueniat: principatum vero adipiscatur matricula decurrente: ita vt ad curas agendas, & cursum illi exeant, quos ordo militiæ vocat, & eius laborum adiutor. Præterea in quo totius Scholæ status & Magistri securitas constituta est, idoneus probitate morum ac bonis artibus præditus nostris per Magistrum obtutibus offeratur, vt nostro ordinetur arbitrio.* Curabat etiam ne militiam præuerteret ambitio, Ita Valẽt. Theodos. August. ad Patricium Magistrum officiorum. *Nemo agentium in rebus ordinem militiæ atque stipendia præuertat, etiam si nostri numinis per obreptionem detulerit indultum. ac si quis formam admissi istiusmodi docebitur obtulisse: in locum, ex quo indecenter emerserat, reuertatur. Vt is gradu cæteros*

Ordo militiæ non præuertendus.

teros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire. Ius verberandi Senatores & Ducenarios Theod. & Valent. Augusti tribuunt Pleitio magistro officiorum. *Scholarium nostrorum deuotio probata à nostris parentibus, circa maximæ Serenitatis nostræ affectionem enituit. Vnde quicquid ad fouenda, seruandaque eorum priuilegia postulatur, statim credidimus admittendum. Ideoque suggestionem tui culminis approbantes, viris spectabilibus Comitibus Scholarum verberandi, degradandive Senatores & Ducenarios licentiam denegamus: Ea namque, quæ tali commotione digna sunt, ad tuæ sublimitatis voluimus referri notitiam.* Imperium eiusdem ad castra ijdem extenderunt; *Curæ tui perpetui culminis credimus inungendum: vt super omni limite sub tua iurisdictione constituto, quemadmodum se militum numerus habeat, castrorumq; ac clausurarum cura procedat, quotannis significare nobis propria suggestione procuret. Dat. 2. Septemb. Constantinop. Maximo II. & Paterio Conss.* 443. Hoc ideo factum, quod omnium consiliorum particeps erat, vt monet Priscus in hist. Gothica. Tandem inter summas dignitates haberi cœpit. Longinus Zenonis frater magister officiorum factus est, Euag. l. 3. c. 9. Ex quo constat, quantæ fuerit dignitatis hoc officium.

Magister officiorum Senatores verberare poterat.

Imitati sunt & ista Gothi, Cass. l. 6. form. 6. *Ad magistrũ officiorũ pertinet palatii disciplina. Ipse insolentiũ Scholarũ mores procellosos moderationis suæ terminis prospere disserenat. Tam multi ordines sine aliqua confusione componuntur, & ipse sustinet onus omniũ, quod habet turba discretũ: per eum Senator veniens nostris præsentatur obtutibus, componit loquentem, quin etiam solet verba inferere, vt nos decenter deberemus omnia audire. Aspectus Regis haud irritus, promissor collocutionis nostræ gloriosus, donator aulici consistorii, causarum præterea maximum pondus in eius audientiæ finibus optima securitate reponimus. Veredorũ opportunam velocitatem custodit, vt sollicitudines nostras, quas consilio iuuat, beneficio celeritatis expediat. Per eum nobis legatorum quamuis festinantium prænuntiatur aduentus, per eum nominis nostri datur euectio. Nemo iudicum per prouincias fasces assumit, nisi hoc & ipse decreuerit. Molestias non habet exigendæ pecuniæ, per æquatores victualium rerum in vrbe regia propria voluntate constituit. Officiales eius militiæ munere perfuncti dicuntur principes, & primatum tenẽt inter prætorianas cohortes & vrbanæ præfecturæ milites. Adiutor Magistri nostrii præsentatur obtutibus, vt vicaria sorte beneficii eligamus eius præsidiũ, qui nobis præstat fidele solatium. Hinc factum est, vt tot negotiis in vnum coaceruatis adiutor seu βοηθὸς à principe illi constitueretur*, ille vice Magistri officiorum iudicabat.

Disciplinæ custos magister officiorum. Alia eius munera.

Adiutor Magistri officiorum.

Proximi itaque sunt primo throno, olim Cæsares, deinde vocati Δεσπόται; vt successuri parentibus in Hispania, Principes dicuntur, in Gallia Monsieur proprie, & stricte, denique Delphini, post datum coronæ Delphinatum. Paul. Æmyl. l. 9. Allobroges etiam suos Principes Delphinos nominarunt.

Caput XVI.

Aulæ Regiæ constitutio.

Amici principum sunt munimenta.

§. 1. Quanti interfit Principis, imo totius Reipublicæ, viros fortes, fidos, prudentes circum se habere, calumniatores, auaros, ambitiosos procul amouere, multorum sæculorum series & notissimorum regum exitia docuerunt.

In aula sunt duplices principum comites, vel enim consilio & gubernatione adiuuant industriam regnantium: vel circa principis personam, resq; versantur. Officiorum enim hæc est, non hominum distinctio; nam in vnum, eundemque multa crebro officia conferuntur.

Præcipuus quidem in aula imperatoria erat præfectus prætorio, de quo alibi dictum.

Nimia præfecti prætorii potẽtia, & postea maioris domus.

Præfecto Prætorio par erat in Frãcia maior dom⁹, vel maior Palatij, parua eius officia principio, ius domi inter aulicos dicere, disciplinæ Palatinæ attendere. Hinc auctoritas apud pares acquisita, & quia cõmuni suffragio eligebãtur, æstimatione apud Regem, apud quem cum assidui essent, sensim ad Rempublicam admoti sunt, donec segnitie Regum totam regni potentiã in se deriuarunt. Hinc Pipinus Regnum tenuit, & non maiorem domus, sed comitem diiudicandis domesticorum controuersijs constituit. Varia de his scripsit Cedrenus in Leone Iconomacho, qui consuli poterit.

Iustinianus recuperatæ Africæ Præfectum prætorio dedit, eius officio 396. ministros deputauit. C. I. *de officio Præfecti prætorio Africæ*, t. 25. l. 2. G. Et: *Ab ea (auxiliante Deo) septẽ prouincia cum suis iudicibus disponãtur: quarũ Tingitana, quæ proconsularis antea vocabatur, Carthago, & Byzancium, ac Tripolis rectores habeãt consulares: reliquæ vero, id est, Numidia, & Mauritania, & Sardinia, à præsidibus cum Dei auxilio gubernentur. Et in officio quidem tuæ magnitudinis nec non pro tempore viri magnifici præfecti prætorio Africæ, trecentos nonaginta sex viros, per diuersa scrinia & officia militare decernimus. In officiis vero cõsularium æ præsidum quinquaginta homines per singula officia esse sancimus.*

Quæ vero emolumenta siue magnificentia tua, siue consulares, & præsides, & quod vnusquisque ex officio eorum de publico consequi debeat, notitia subter annexa declarat.

Optamus ergo, vt omnes iudices nostri secundum voluntatem, & timorem Dei, & nostrã electionem atq; ordinationem sic suas administrationes gubernare studeant, vt nullus eorum aut cupiditati sit deditus, aut violẽtias aliquas vel ipse inferat, vel iudicibus, aut officiis eorum, aut quibuscunq; aliis collatoribus inferre permittat. Licet n. per omnes prouincias nostras (Deo iuuante) festinemus, vt illæsos habeant collatores: maxime tamen tributariis diœceseos Africanæ consulimus, qui post tantorum temporum captiuitatem meruerunt (Deo iuuante) per nos lumen libertatis adspicere. Ergo iubemus omnes violentias, & omnem auaritiam cessare, & iustitiam, atque veritatem circa omnes nostros tributarios reseruari. Sic enim & Deus placabitur & ipsi possunt celerius, sicut collatores alii nostræ Reipublicæ, releuari atq; florere.

Magistratui subditi cõmendati.

§. 2. Imperatoris aula administros magnos habet Principes. Prima est Pincernæ, ὁ ὑπὶ τῦ κεράσματος, magna & gratiosa apud Reges dignitas. Fide n. magna opus est, vt in quorum manu vita sit Principis. Nehemias eo officio fungebatur apud Ataxerxem, apud Constantinopolitanos Pincerna maior erat Curopalate, & nunc qui inter septem electores Rex Bohemiæ excellit, est Pincerna Imperatoris.

Pincerna.

§. 3. Domestici varii, vt domesticus mensæ, Scholarum, murorum, &c. Præpositus mensæ non minore dignitate.

Domestici varii.

In Romano Imperio Marchio Brandeburgensis Archicamerarius est, de quo sic habet Bulla aurea t. 25: de offic. Princ. Sollen. curiis Imperatorum. *Deinde Marchio Brãdeburgẽsis, Archicamerarius, accedat super equo, habens argenteas pelues, cum aqua in manibus, ponderis duodecim Marcharum argenti, & pulchrum manutergium, & descendẽs ab equo, dabit aquam Imperatori, vel Regi Romanorũ manibus abluendis.* Camerarius in Francia, quẽ Camerlenum & Camerlingum appellare solent, qui tanto in honore fuêre, vt Regũ etiam affines, & cognati in ea dignitate fuerint. Sub Ludouico Pio Bernardus Reginæ frater hoc munus administrauit.

Camerariorum dignitas.

In eodem Imperio Palatinus Archidapifer est. Saxoniæ elector ensem fert, quod olim præstitit ἀξιγυμνόσπαθος qui nudo capite, proximus consanguineis Imperatoris ferebat ensem. vt apparet, hoc voluisse maiores, eos oportere esse circa principem, qui & ipsi principes sint.

§. 4. Palatij siue aulæ permulti sunt alii magistratus, qui omnes vno nomine Palatini appellãtur: Minores ita dicebantur, vt memoriales, agentes in rebus

bus, apparitores, obsequium dicebatur totum apparitorum agmen, quod tutelæ pariter & honori erat. Quia vero in aula crebra est mentio Scholę, Scholasticorum, de illis nonnihil agendum censeo.

Obsequium quid.

Scholastici quidem quasi eruditioni & philosophiæ vacantes dici solent, Serapionem Hieronymus testatur ob elegantiam ingenij Scholasticum esse dictum, Saluianus Scholasticos & discretos cõiungit, Aug. de Dial. proprie & primitus dictos Scholasticos eos ait, qui adhuc in Scholis sunt, omnes tamen, qui in literis viuunt, hoc nomen vsurpare.

At Scholæ & Scholastici in Republicâ aliam plane significationem habebant: Scholastici Præfectis Prætorio, Prouinciarumque Præsidibus in Concilio aderant.

Scholastici in Consilio Præsidum erant.

Scholæ ordinum militantium fuêre, ita dictæ per antiphrasin, quod minime ociosæ sint, vt multi arbitrãtur, ego reveraob ocio dictas arbitror, exercitatio enim armorum nõ erat tanta, vt videri possent, non esse ociosę. Magnam partem in ocio miles agit. Scholа Vegetio centuria est, l. 2. c. 21.

Scholarum vna.

Non fuisse autem nimios Scholarum militarium labores, satis ipsæ leges indicãt. Nam vndecim Scholarum militia facilior fuit, q̃ eorum, qui sub excelsis Magistris militum tolerabant militiam, & quidem duæ Scholæ inermes militabant, quæ erant Silentiariorum, & agẽtium in rebus, cœteræ armatæ, & quasi in militia prætoriâ, hoc est, abundanti, molli, ociosâ, quæ magis in pompâ, q̃ periculis cernitur. Hinc duæ Scholæ Candidatorum, Seniorum, & Iuniorum, quos posterior ætas Ostensionales vocauit, quod ad ostentationem Maiestatis proceritate, & formâ cõmendati regnantibus astarent. Varius tamen diuerso tempore Scholarum numerus fuit.

Ostensionales.

Huc pertinent Ducenarij, & Centenarij, quæ legionum dignitates sunt, sed ad officia Palatina translatæ. Centum & ducentis cohortalibus præerant. Ducena, & Centena ipsa dignitas dicebatur, Paulus Samosatenus Ducenarius potius, quam Episcopus dici voluit. Erant illi in Schola agentium in rebus; Procuratores Ducenarios primus Augustus instituit. Dio l. 53. qui tributa colligebant, ita dicti, quod ducenta Sestertia in censu haberent. Qui autem ordinem regebat Primicærius dicebatur, Primicerius aulæ ἐνλακλεῖ τῶς ἐν αὐλῇ πᾶσιν. ordinat omnes in aula.

§. 5. Erant & hæc officia in aula regia præcipua. Protouestiarius præerat Vestiario quod interius erat, cimeliaque preciosa seruabat, at protouestiarites ærarij præses erat, magna eius dignitas, & comiti largitionum non impar. Sub eo erat Vestiarius, & qui in triremi Imperatoria dicebatur Auestiarius.

Protouestiarius.

Scutarius, Strator.

Magnus Scutarius strator est Regis, equum ascẽdenti, & descendenti baltheum, ensemque, olim etiam scutum porrigebat.

Protallogator.

Protallogator, qui præerat equis ad cursum publicum destinatis, subest magno primicerio.

Λογαριασὶς.

Λογαριασὶς omnium aulicorum gerebat curam, ne cui stipendium deesset.

Saccellarij.

Saccellarius eleemosynis præerat. Zon. t. 3. p. 76. sed exigebat tamen, & supplicia decernebat. Eunuchi fere erant & potentes.

Magnus Magister hospitij.

Magnus hospitij magister sub se habet octo mensæ structores & prægustatores.

Præpositus hospitij.

Præpositus Hospitij animaduertit in eos, qui delinquunt in aulico ministerio, vel vbi Rex agit.

Proceres alij in palatio versabantur, & codicillis fiebant, honore & titulis sine labore, & emolumento gaudebant. Cassiod. l. 6. Var.

Rex Ribaldorum.

Aulis purgandis præest apud Gallos Magistratus, quẽ Regẽ Ribaldorũ dixêre. Ribaldi homines validi, σακκοφόροι, baiuli, quales olim Ægyptij, itaq; ita vagabundos, atque errabundos, vappas, & nebulones appellarunt; omne igitur hoc genus Saburræ Rex ille aula abigebat, ne tanquam muscæ Regiis epulis inhærescerent, palatiumque fœdarent.

Multitudo in veteri Aula.

§. 6. Culpa veterum aularum ordinaria erat nimia hominum multitudo. Apparitores quadringentos Proconsul Africæ & Legati eius habuêre. Arcad. & Honor. Cod. 12. tit. 56. *Apparitioni tuæ & legatorum quadringentos censuimus deputandos, de his duntaxat, quos esse sibi detractos Reipubl. membra non queruntur.*

Comes orientis sexcentos Theod. & Arcad. *In officio Comitis Orientis non amplius quam sexcenti apparitores habeantur, quos quidem publicis necessitatibus nouimus abunde suppetere.*

§. 7. Franci multi moderatiores fuerunt, centum nobiles, quibus menstrui aurei centum, centum alij illis additi sunt.

Quicquid Aulici acquirũt, peculium Castrense censetur.

Omnium Palatinorum priuilegium est, à Constantino datum, vt q̃ acquisierint, quasi peculium castrense habeãt. *Omnes (inquit c. 12. t. 31. (Palatinos quos edicti nostri iam dudum certa priuilegia superfundunt, rem si quam, dum in palatio nostro morãtur, vel parsimonia propria quæsierint, vel donis nostris fuerint consecuti: vt Castrense peculium habere præcipimus. Quid n. tam ex Castris est, quam quod nobis conscijs ac prope sub cõspectibus nostris acquiritur? Sed nec alieni sunt à puluere, & labore Castrorum, qui signa nostra comitantur: qui præsto sunt semper actibus: quos intentos & eruditos studijs, itinerum prolixitas, & expeditionum difficultas exercet. Ideoq; Palatini nostri, qui priuilegijs edicti vti potuerunt, peculia sua præcipua retineant, quæ dum in Palatio nostro constituti sunt, aut labore (vt dictum est) proprio, aut donatione nostra quæsierint. PP. X. Kal Iun. Constantino A. VI. & Constantio Cæs. Coss.*

Denique erat & Tribunus rerum nitentium, qui id muneris habebat, vt palatium, & publica curarentur omnia, ac niterent.

CAPVT XVII.

Comitum consideratio.

Comites qui Principem comitabantur.

§. 1. COmitum dignitas nunc in immensum creuit, olim ita dicebantur, q̃ Principẽ comitarẽtur. Ipsa aula Principis Comitatus dicebatur; nec aliud erat, quam mitti ad Principem, si quis diceretur mitti ad Comitatum. Soc. hist. Ecc. l. 2. c. 23. Ammian. l. 28. sacrum Comitatum vocat Symmachus l. 2. c. 8. l. 9. c. 8. Comitatenses Legiones aut Vexillationes inde dictæ sunt. L. nemo c. de re militari. Comes etiam dicebatur, qui Comitatum ordinabat.

Comitum dignitas magnis & paruis communis.

§. 2. Comitum dignitas partim in magnis nunc Principibus, partim in vilissimis hominibus residet, partim mediocribus. Magni Principes sunt Comes Palatinus Rheni elector, Comes Flandriæ, Tirolis; Viles quidam, qui Codicillis Cæsarũ Comitatus, seu Palatinatus honore donati, vagabundi discursant, & titulo honoris sese iactant, multi tamen viri honesti & militares ea dignitate insigniuntur. Fuere quidem illi vere Comites quandoque Imperatoris, sed nunc cum tanquam dignitatem præferant, Comites ex sola consuetudine appellari non debent.

Origo Comitum.

Quamuis ex ea consuetudine initium nominis sit & origo. Adrianus enim Senatum in aulam transtulit, optimatum selectissimis in cohortem amicorum adscitis, qui Comitatus Cæsaris dicebatur. Spartian. in Adriano. Postea honoris titulus datus aliis etiam est, vt professoribus, qui viginti annos publice legerunt. Nunc vero cum sint in Germania Pfaltzgrauij, Landgrauij, Marckgrauij, Burgrauij, hoc est, Comites Palatij, Limitum, Burgorum, id est, arcium, aut oppidorum, errones illi Comitum Palatinorum duntaxat nomen vsurpant,

Comes autem Palatinus ita dicitur à Palatio, *non*

à Regione

à Regione Capellatiana, quæ à Palas nomen habet, cui præest Comes Palatinus, quæ patrio nomine dicta est Pfaltzia, vt putat doctissimus Petrus Georgius Tolos. l. 6. Syntagm. c. 8. Vere enim Comes Palatinus à Palatio Cæsaris atque ab ea, quam habet in eo dignitatem, appellatur. Nam primo Archidapifer est, quod officiū est Palatinum, deinde vacante Imperio, est vnius partis Vicarius. Tertio Iudex in causis, quibus Imperator impetitur, quæ est eximia dignitas. Ita est in aurea Bulla t. 5. de iure Comitis Palatini Rheni, & Ducis Saxoniæ. *Electoris Palatini dignitas.* *Quoties insuper, vt præmittitur, sacrum vacare contiget Imperium, Illustris Comes Palatinus Rheni, sacri Imperii Archidapifer, ad manus futuri Regis Romanorum, in partibus Rheni & Sueuiæ, & in iure Franconico, ratione Principatus seu Comitatus Palatini priuilegii, esse debet prouisor Imperii, cum potestate iudicia exercendi, ad beneficia Ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus, & prouentus, & inuestiendi de feudis, iuramenta fidelitatis, vice & nomine sacri imperii, recipiendi, quæ tamen per Regem Romanorum, postea electum, suo tempore omnia innouari, & de nouo sibi iuramenta ipsa præstari debebunt, feudis principum duntaxat exceptis, & illis, quæ* Fahnlehen *vulgariter appellantur, quorum inuestituram & collationem soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reseruamus. Ipse tamen Comes Palatinus omne genus alienationis, seu obligationis rerum imperialium, huiusmodi prouisionis tempore expresse sibi nouerit interdictum. Et eodem iure prouisionis Illustrem Ducem Saxoniæ sacri Imperii Archimareschallum frui volumus, in illis locis, vbi Saxonica iura seruantur, sub omnibus modis & conditionibus sicut prius est expressum. Et quamuis Imperator siue Rex Romanorum super causis, quibus impetitus fuerit, habeat, sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, sacri Imperii Archidapifero, Electore principe respondere: illud tamen iudicium Comes ipse Palatinus non alibi, præterquam in Imperiali Curia, vbi Imperator, seu Romanorum Rex præsens extiterit, poterit exercere.* Eadem Electoris Saxoniæ potestas. Florente Gallorum & Germanorum imperio vrbibus præerant Comites, qui Iudices, & quasi Prætores erant, Beat. Rhen. l. 2. rerum German. Cum autem vel ob merita, vel euentus bellorum interdum comitatuum administrationes perpetuæ fierent, & hæreditariæ, inde nati sunt Comites & Marchiones, quorum nunc in imperio magna est multitudo, dignitas & potestas.

Comites Consulibus æquati. §. 3. Arcadius & Honorius Comites Proconsulibus æquarunt. *Eos qui (c. 12. t. 10.) tranquillitatis nostræ consistorii dici Comites meruerunt, spectabilibus proconsulibus æquari generaliter decernimus. Dat. VII. Kal. Octob. C. P. Theodoro V. C. Coss.* Hoc de Consistorianis, de Comitibus rei militaris t. 12. Honorius & Theodosius adorandi Principis potestatem firmarunt: *Præpositos ac tribunos Scholarum, qui inquietudinis epulis adhibentur, & adorandi Principis facultatem antiquitus meruerunt: (inter quos comites etiam sacri stabuli, & cura palatii numerantur) si primi ordinis Comitiuam cum Præpositura meruerunt, & casu ad altiora non peruenerint, depositis sacramento inter eos, qui Comites Aegypti, vel Pontica diœceseos fuerint (quorum par dignitas est) haberi præcipimus, alios qui honore Comitiuæ regimen fuerint nacti, absolutos militiâ inter eos, qui Duces fuerint prouinciarum, numerari iubemus. Dat. 7. Kal. Apr. C. P. Lucio V. C. Coss.* Decuriones palatij post emensum fideliter obsequium poterant inter Comites taxari. Cod. 12. *de Silentiariis & Decurionibus. Decuriones nostri palatii post emensum fideliter obsequium, postque deposita sacramenta militiæ, electionem habeant, siue ex magistro officiorum, velut agentes dignitatem consequi à nostra Maiestate maluerint: siue inter viros illustres Comites, domesticorum videlicet inter agentes taxari: vt tam in adoranda nostra Serenitate, quam in salutādis administratoribus, & reliquis prædicti honoris priuilegiis, nec nō nostro cōsistorio his honor omnifariā reseruetur, Dat. Prid. Kal. Nou. C. P. Honorio X. & Theodosio VI. AA. Coss.*

Hac dignitate donati etiam sunt Archiatri Palatij, ita Honorius & Theodosius. *Medici facti comites.* *Archiatros intra palatium militantes, si comitiuæ primi ordinis nobilitauerit gradus, inter vicarios taxari præcipimus, siue iam pridē deposuerunt militiā, siue postea deposuerint: ita vt inter Vicarios Duces, qui administrauerint, & eos qui comitiuam primi ordinis meruerint, nihil interfit, nisi tempus, quo quis administrauerit, vel comitiuæ adeptus est insignia. Dat. 12. Kal. Apr. C. P. Lucio. V. Coss.*

Comes stabuli in Gallia potens. §. 4. Comitem stabuli magnæ authoritatis fuisse cōstat; nam Valentinianus fratrem Valentem ea dignitate ornauit. In Germania ordinaria dignitas est inter mediocres. In Gallia inter summas, imo periculosissimas. Constabularium vel conestabilem appellant voce corrupta. Olim, cum bellum erat, equitatus illi committebatur, postea totus exercitus, ius in milites omnes habebat, stratibus etiam Regis & Cognatis imperabat. Tum creuit auctoritas, cum officium factum est perpetuum. Huius itaque dignitas maxima est, cui Mareschalli cæteri subsunt. Ideoque & Regem in potestate habet. Mareschalci sunt vice Comitis stabuli, & Magistri equitum, olim quatuor fuēre, postea diuidendæ potentiæ numerus auctus, vt octo essent. Magister peditum vicarius est proprie Conestabuli.

§. 5. Ducum, Comitumque à Carolo Magno non erat auctoritas singularis, erant instar præsidum Romanorum, quos Imperatores arbitrio suo vel amouebāt, vel reponebant in locū dignitatis, quemadmodum amici Regum nunc talentum, nunc denarium valent, prout locum illis Rex illis assignarit.

Pares consanguinei, & fratres Regum dicebantur, postea duodecim ita vocati sunt, alioqui & parentes sic vocantur.

Ordo dignitatum olim scriptus. Refert Bullingerus legisse se in veteri Codice, Regem duos Patricios, hunc quatuor Duces, Ducem quatuor Comites, illum quatuor Barones, Baronem quatuor Castellanos, hunc quatuor Vasallos habere oportere. Alio in Codice: Comitem præesse decem Marchionibus, Marchionem decem Baronibus, quod scriptum esse credo, seruatum arbitror nunquam. Marchiones à limitibus esse non dubito, Marc Germanis non est equus generosus, sed Maer equa est, & forte equus. Marckantem siue March est limes.

Comes largitionum. §. 6. Comes rerum priuatarum, initio procurator Cæsaris, & deinde Comes rei Dominicæ, alius & sub eo fuit Comes largitionum priuatarum. Postea de bonis caducis, de incestu, de violatoribus sepulchrorum iudicauit. Comes sacri patrimonii ab eo etiam distinctus fuit, sub eo tamen fuisse videntur.

Postea idem officium, quod fuerat Comitis sacrarum largitionum, datum est Protouestiario, qui omnia preciosa, atque adeo ipsum ærarium custodiebat, id enim & postea additum est.

Barones dicti Patres. §. 7. Barones quidam putant Varones esse, hoc est, seruos militum lixas, qui stolidissimi hominum sunt; Germani eos viros vocasse aiunt Barones, qui sapientes veteribus. Nunc Germani eos Freyherrn appellant, non quod superiorem non agnoscant, sed quod sub summo tātum Magistratu sint: Dictionem Germanicam esse reor, rem sumptam à Romanis: illi Senatores vocabant Patres, erat nomen dignitatis, vnde & Patricij. At priscis Germanis & nunc quoq; pater dicitur Vaar contractione ex Vader / nam Vatter recentius est. Baron. igitur seu Varones quasi patres dicti sunt. *Germanis vsitatum est ex P. facere b. ex T. vero d.* Non ignoro alias esse aliorum de Baronibus sententias. Quidam eos à βαρεῖν, aut potius βαρύνειν dictos arbitrantur, quod grauitate & dignitate præstent. alij ab arcibus, quas Graeci posteriores ex hebræo dixēre βάρεις. A ברא, hoc est, creando qui deriuant, longius à recto abeunt. Quid enim Germanis

manis & Gallis in mentem veniret Hebræo nomine, & quidem tam generali nouam dignitatem insignire? Si tamen ab Heber vsque nomen est quærendum, rectius dicemus Barones ברירים Barionim, dictos quasi à ברר, electos, serenos, puros, hoc enim significatu vsitatius vtuntur Hebræi. Sed cum inter Germanos & Gallos ea dignitas sit, malo ex eorum lingua, & quidem antiqua, quam exteris petere significationem. Quibusdam in vrbibus, vti in aurea Moguntia, quidam opificum Magistri, quorum cura est, operas peregrinos aduenientes curare & dirigere, Patres appellantur. Audire tamen & alios iuuat, Vassos esse eosdem nonnulli putant, sed ostendit Petrus Greg. Tolos. diuersos esse, l. 6. Synt. c. 10. *Barones apud Germanos & Scotos dicti idem quod Vassos Regios, testatur Hector Boethus. Et eo nomine contineri Blondus voluit. Eoque nomine aliqui putant Regni capitaneos dictos & magnates, omnes Duces, Comites, Marchiones. Et Otho Frisingensis Guillelmum Marchionem de Montiferato inter Italiæ Barones refert. Et antiquis quoque in Gallia, Barones, Comites dici placuit aliquando, vt pluribus docet Rhenatus Chopinus. Baldus autem hunc à Langhardis magnum Castellanum vocari notat, & in Gallia quoque Boerius, eumque esse qui infimæ, mediæ, & summæ coercitionis ius in arce quadam concessione Principis obtinuerit. Suspicantur alii Baronem eum dici, qui Valuassor magnus & Capitaneus Regis in feudis dicitur, quem de plebe aliqua, vel de parte Princeps inuestiuit. Aliis autem placuit quemlibet infra Comitem habentem aliquam dignitatem dici Baronem: Voluerunt enim digniorem esse Comitatum Baronia. Neq; vulgo probatur sententia eorum, qui has dignitates confundunt, eo quod sæpe vtræq; nominentur in iure simul vt diuersæ. Quidam & supremam post Regiam potestatem Baronis, quod ad clitelaria iura pertinet, eosq; Barones à Græco verbo βαρεῖν dictos autumant, q̃ gratiuate, dignitateq; cæteros Dominos Beneficiarios anteire debeant: eiusq; rei testimonium ex Cicerone citant ad Atticum. Apud Patronũ, & reliquos Barones te in maxima gratia posui, &c. Vbi tamen alii Varones legunt. Alii Barones à forma edificii clientelaris deducunt, q̃ domus vndiq; occlusæ, & substructæ turribus, Bareis à Palestinis dicantur teste Rhodigino. Sed si ex aliis linguis nostram interpretari liceat, mihi verior declinatio videtur ex Hebraico sermone, vt Baro dicatur, veluti creatura noua, & creatio quæ nõ sit nec Dux, nec Marchio, nec Comes, sed nouum quid. Sic n. Hebræi dicunt, bara ברא creauit, & בריאה figmentum, creaturam nouam, vel à barach ברח elegit, vt dicatur Baro, electus. Et apud Rabinos etiam ברירין Barion dicitur satelles, qui dicitur vulgo spatharin, spadacin.* Et c. 11. Vassos ostẽdit maiores Principes dici, & Valuassores, & Valuasinos. Verba eius. *Valuassores putant dictos, q̃ ad valuas starent Dominorum: sicut & apud Reges Hebræorum fiebat. Minores Valuassores, Valuasinos quoq; dixerũt. Et iterum qui à minoribus Valuassoribus feudum accipiebant, dicebantur minimi Valuassores. Sic itaq; tres gradus Valuassorum, Maiorum, minorum & Minimorũ. Eratq; liberum communi iure minoribus, auferre à minimis feudum pretio restituto, si illud illis vendidissent: non tamen licuit Mediolanensi consuetudine, quia eiusdem iuris sunt minimi ac maiores. Horum omniũ respectu Seniores dicuntur Duces, Comites, Marchiones, qui à Rege feudum accipientes aliis dederint, quasi primi Feudatarii ante maiores Valuassores. Ex voce hac, Seniores, deducta vox Seigneur. Valuassores etiam milites dicuntur Seniorũ. Itan. sæpe Conradus I. in lege addita Francicis, & Longobardicis, titulo de beneficiis, & terris tributariis vsurpat. Sic vsurpauit Pipinus in lege, quam de re intertiata hoc modo tulit: Vt nullus comparet Caballum, Bouẽ, Iumentum, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui eum vendiderit, aut de quo pago est, aut vbi manet, & quis est eius Senior. Dicebant Franci Vasallos & Vassos, vt extat tit. de Vassis Dominicis & Ammonius ait, Carolum Magnum ordinasse per totam Aquitaniam Comites, Abbatesq;, nec non alios quãplurimos, quos vulgo Vassos, inquit, vocãt, ex gente Francorum. Et alibi tradit, Tassilonem Ducem Baioariorum venisse cum Primoribus gentis suæ, & more Francico in manus Regis, in Vassaticum manibus suis semetipsum commendasse: fidelitatemq; tam ipsi Regi Pipino, quam ipsis filiis Carolo, & Carlomanno iureiurando supra Corpus S. Dionysii promisisse, &c. Similiter & omnes primores ac maiores natu Baioarios. Quidam dicunt, appellatos Vasallos à vas vadis, eo quod in forma fidelitatis obligationem iurauerint Domino, alii dicunt à nomine Francico Vassi, quod fortem significat. Nempe quod Domini feuda delectis fortibus militibus concederent. Bassalar lingua Turcica homines præcipui dicuntur, vt si liceat ita loqui, capita, qui propter Consilium semper Principem comitantur: Sic Satrapæ & maiores dignitatis homines, Turcis etiam appellantur Bassæ, quorum & alii aliis maiores. Sic Bassæ à bassis aliis pro dignitate honorantur.* Itaque forte & βάσσαι quasi Vassi dicti sunt.

Vassi qui dicti.

Valuassor.

Vnde Barones dicti.

Valuassores.

CAPVT XVIII.

Romani Consulatus consideratio.

Leges Romanorum ex contentione latæ quietem impedierũt.

§. 1. IN ciuitate Romana primaria exactis Regibus dignitas fuit Consulatus, quo quidem in Magistratu creando, ornandoq; multa sapientissime, aliqua minus prudenter instituta inuenio. Non q̃ sapientiâ deficerentur, sed quod metu, æmulatione, cupiditate recti metas transilirent.

Primi Consules pulsis Regibus.

§. 2. In Consulibus creandis principio integerrime actum est; Duo à Præfecto vrbis ex commentarijs Seruij Tullij creati sunt, anno vrbis conditæ ducentesimo quadragesimo quarto. L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, idq; Comitijs Centuriatis.

In Comitiis Centuriatis diuites prævalebãt.

Centuriata Comitia prætulit Seruius, ne in humilimorum manu essent Comitia. Nam cum esset maior pars pauperum, nihilominus in ditissimorum potestate erant Magistratus; Sex classes erant, prima erat ditissimorũ, altera diuitum. Centuriæ erant centum & nonaginta tres, in prima classe erant Centuriæ 98. secundâ viginti; Duæ igitur illæ classes consentientes Magistratus designabant. Cæteri Magistratus minores tributis Comitiis creabantur, in quibus cum plus valeret populus, Q. Fabius, & P. Decius turbam Forensem quæ mista fuerat omnibus tribubus in quatuor vrbanas coniecit tribus. Atque ita semper in præcipuorum potestate fuêre Comitia, quod magnopere curandum est in liberâ Republica, ne improbi & egentes eum designent Consulem, cui affligi & euerti Rempublicam expedit.

Tributorũ Comitiorum vis ad diuites translata.

Matura ætas Magistratuum sit.

§. 3. Ætas Consularis, annorum erat 42. nec nisi decem annorum spacio ordinarius ad eum reditus; quin & hoc seruatum, vt per gradus, & alios Magistratus bene gestos ad summam dignitatem aditus fieret. Hæc tamen omnia quandoq; vel ambitione, vel necessitate Reipub. mutata sunt. Postea ætatis ratio neglecta, Honor. Puer ad Consulatũ euectus est.

Claudian. *Inter cunabula Consul*
Proueheris posito signans modo nomine fastos,
Donaturq; tibi, qui te produxerat annus.
Ipsa Quirinali paruum te cinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare curules.

Signa honoris sella curulis.

§. 4. Consulum magnus honos erat. Nam primo, sella ei erat eburnea, plane regia. Hinc amplissima dignitas dicitur, omnibus dignitatibus anteponitur, & ipsis est Imperatoribus expetitus honos. Statius l. 4. Syluarum.

Lucemque à Consule ducit
Omnis honor.

Toga prætexta.

Deinde toga prætexta. Ab Imperatoribus ea dari solebat æuo posteriori. Vopiscus in probo. *Te manet Capitolina palmata.* Valerianus scripsit ad Aurelianum. *Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, &c. togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictã, subarmalem profundã, sellam eboratam: nam te Consulem hodie designo, scripturus ad Senatũ vt tibi deputet scipionẽ, deputet etiam fasces.*

Hæc

Imperatores Consulibus vana reliquerũt, potestatem ademerunt. Consulum annus erat.

Hac in re illi largi, seruato Mœcenatis præcepto. *Consulibus honorem seruato, robur adimito.*

Tertio, Consulum nomine annus inscribebatur, quocirca interdum improborum nomina è fastis abrasa: & merito queritur Claudianus.

Trabeata per vrbes
Ostentatur anus, titulumque effœminat anni.

Libanius eam describit dignitatem, quæ diu post sine potestate mansit. *Quid venerabilius esse posset, quam vniuersum orbem terrarum Solis instar nominis appellatione continere, & omnium hominum in ore esse nomen, à parentibus positum, cuius memoria multas habeat necessitates, iudicia, nuptias, forum, portus, debita, venditiones, contrahentes, paciscentes, litigantes, fidem per literas facientes, communicantes, dissidentes, filiorum opulentorum natales.*

Priscorum Consulum potestas regia.

§. 5. Potestas Consulum plane fuit regia. Liuius vere l. 2. *Libertatis autem originem inde magis, quia annuum imperium cõsulare factum est, quam quod diminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres. omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere. id modo cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus prior concedente collega fasces habuit, qui non acrior vindex libertatis fuerat, quam deinde custos fuit. Omnium primum auidum nouæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus, aut doni regiis posset, iureiurando adegit, neminem Romæ passuros regnare.*

Summum Imperium Reipublicæ necessariũ.

Primum tamen potestatis fastigium ad gerenda bella delatum est, Exemplo Laconum, apud quos Rex, & duo annui erant Imperatores. Hinc fasces, & Lictores; omnia regio more. Postea tempore Imperatorum vix vlla Consulibus permissa bella sunt. Extra ordinem fuit, quod Belisarius Consul factus bellum in Sicilia gessit, Magistratumque in prouincia deposuit. Quamuis iam non Magistratus, sed vani honoris larua erat.

Duo pari potestate se mutuo cõpescunt.

§. 6. Potestatem minuit primo additus socius pari potestate, vt si vnus improbus esset, aut seditiosus, à collega compesceretur, cum alternis fasces haberent.

Deinde Imperium annuum, vt modestius imperarent illis, quos aliquando Magistratus essent habituri. Quod nunc quoque multis vrbibus moris est, sed alio, quam apud Romanos, & feliciore modo.

Omnis potestas seipsã semper auget.

Verum cum ne sic quidem quorundam imperiosa superbia satis compesceretur, postea constitutum, vt ex Senatus sententiâ iudicarent, agerentque, quin etiam à Consulibus ad populum concessa est prouocatio. Tandemque eo contentionis deuenerunt, vt Consulum frangerent fasces, vt ad nomen non responderent Liuius l. 11. A. Virgino. T. Veturio Consulibus.

Tandem Tribuni illis oppositi. Hinc enim omnes illæ cõtentiones ciuitatis diuisæ. Hinc vincula Claudio minantur, Liu. l. 2. & l. 5. Tribunos militum in potestate Senatus esse iubent, & l. 7. Manlium dictatura se abdicare cogunt. l. 4. Populum in Consules concitant. Atque inter hæc patrum plebisque certamina, magnam partem ciuitas egit. Quia imperia inter se concertantia habuerunt.

Summam potestatem inermem esse voluerunt.

§. 7. Exercitum non nisi Senatusconsulto, aut plebiscito habuêre. Iulius Cæsar in decem annos Consul, & Dictator renuntiatus est, quod coacti facere, cum primum potestas fuit, vindicarunt. Augustus etiam, quemadmodum tribunitiæ potestatis esse cœpit, ita Proconsulare etiam Imperium habuit. Dio ait: ἀνδύπαλος εἰσαεὶ καθάπαξ, ὥσπερ μήτε ἐν τῇ εἰσόδῳ τῇ ἔσω πωμηρίου καλαλίθεσθαι τὴν ὀχὴν. *Proconsul creatus, hoc est, consulari potestate semper in perpetuum, vt nec ingressu in Pomerium potestatem deponeret.* Alioqui ingressus vrbem Imperium Proconsulare perdebat. Africano superiori ob ingentia in Rempublicam merita perpetuum Consulatum quidem plebs detulit, sed ille maiore modestiâ recusauit. Domitianus decem & septem Consulatus non sine irrisione numerauit.

Augustus omnium potestates ad se traxit

§. 8. Pecuniæ publicæ tractatio penes Consulem erat, vnde & Cæsar Consul aureos lateres suffuratus æneos auratos in eorum locum substituit. Hoc quidem magnum fuit, sed postea ea cura aliis commissa est. Cæsar primo ingressu ærarium aperuit, & Tribuno vetanti mortem minatus est. Protulit vero aureorum laterum 26000. & 300000. in numerato: summa est 26. millionum.

Pecuniæ custodia nõ facile vni committenda.

§. 9. Consuli ius erat ordinarium, Senatum consulere. Id adeo seruatum est, vt Imperator non nisi speciali priuilegio, Senatum conuocandi potestatem haberet. Itaque Senatusconsulto datum hoc legimus Vespasiano. *Vtique ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatusconsultum per relationem, discessionemque facere liceat, &c. Vtique cum ex voluntate, auctoritateve, iussu, mãdatuve eius, præsenteve eo Senatus habetur, omnium rerum ius perinde habeatur, seruetur, ac si è lege Senatus edictus esset, haberetur.*

Concilium conuocare licet supremo tantum Magistratui.

Solebat itaque hoc ius Principibus dari. Consul autem ille referebat, qui eo mense fasces habuit. Atque hoc ordinarium, solebant tamen Senatores interdum petere, vt ad Senatum referrent, ipsique de rebus vrgentibus perorare. Magnum tamen in Consule momentum fuisse constat ex Philipp. 8. initio, aliisque.

Consulatu iam exoso alio nomine Magistratus creant.

§. 10. Creati sunt Tribuni militares, consulari potestate Anno vrbis 309. post Annum 396. esse desierunt, nec eo tempore continuo, sed pene alternatim cum Consulibus Magistratum inierunt. Causa creandi Tribunos militares consulari potestate, quia Consules plebeios facere patres recusarunt, Tribuni expetierunt. Maluerunt itaque Tribunos, qui ex plebe & patribus essent, & primo quidem ex patribus tres electi sunt, *contenta plebs fuit, quod sui habita ratio esset*; deinde quatuor ac tandem sex partim patritij, partim plebei sunt facti. Tandem octo Liu. l. 5. initio, miror autem quosdam mendum putare eius loci, nec octo fuisse vnquam, cum id Liuius refutet. *Pace alibi parta, Romani Veiique in armis erant, tanta ira odioque, vt victis finem adesse appareret. Comitia vtriusque populi longè diuersa ratione facta sunt. Romani auxere tribunorum militum consulari potestate numerum. octo, quot nunquam ante creati, M. Aemilius Mamercus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Crassus, M. Quintilius Varus, M. Iulius Tullus, M. Postumius, M. Furius Camillus, M. Postumius Albinus.*

Tribuni consulari potestate octo.

Verum magna in eâ re fuit plebis moderatio, quod Annis 44. nemo è plebe creatus sit Tribunus militum in castris, quamuis de Consulibus contenderent, vt appareat nobilitatis superbiam, non plebis maleuolentiam causam fuisse, vt Magistratus communicarentur infimis.

Annua administratio parum auctoritatis habet.

§. 11. In hac Magistratus summi creatione, & administratione multa sunt, quæ requiro. Nam reuera male veteri consultum Reipublicæ fuit. Fons mali, quod potestas annua semper nouas spes cupidis mutationum injciens ad continendum populum parum auctoritatis, parum virium habuit. Id mihi Romani ipsi concedunt. Liuius l. 2. *Liberi iam hinc populi Romani, res pace belloque gestas, annuos Magistratus, Imperiaque legum potentiora, quam hominum peragam, quæ libertas vt latior esset, proximi Regis superbia fecerat. nam priores ita regnârunt, vt haud immerito omnes deinceps conditores partium cœptæ vrbis, quas nouas ipsi sedes ab se auctæ multitudini addiderunt, numerentur: neque ambigitur, quin Brutus idem, qui tantum gloriæ superbo exacto Rege meruit, pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturæ cupidine, priorum Regum alicui regnum extorsisset. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum, conuenarumq;*

plebs

plebs transfuga ex suis populis, sub tutela inuiolati templi aut libertate, aut certe impunitate adepta, sublato regio metu, agitari cœpta esset tribunitiis procellis? & in aliena vrbe cum Patribus serere certamina, priusquam pignora coniugum ac liberorum, caritasq; ipsius soli cui lõgo tempore assuescitur, animos eorum consociasset? dissipatæ res nondum adultæ discordiæ forent: quas fouit tranquilla moderatio Imperii, eoq; nutriendo perduxit, vt bonam frugem libertatis maturis iam viribus ferre posset. Fatetur ille sane liberum populum ita crescere non potuisse, quin Tarquinio tam sæuo, tam superbo Rege adhuc viuo Dictatorem esse voluerunt, metu belli Latini. Egregie id Liuius exposuit l. 2. *Creato* (is Lartius fuit) *Dictatore primum Romæ, postquam præferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, vt intentiores essent ad dicto parendum, neq; enim vt in Consulibus, qui pari potestate essent, alterius auxilium, neque prouocatio erat: neque vllum vsquã, nisi in cura parendi auxilium.* Paulo post Posthumius Dictator cum Tarquinio depugnat. Deinde sublatis Regibus geminata tyrannis, & plebis mox seditio coorta est. Liuius l. 2. Appio Claudio, & P. Seruilio Consulibus ea cœpit. Iam prope erat, vt ne Consulum quidem maiestas coerceret iras hominum. Et paulo post: *Sæuire inde vtriq; Consulum alter, Patresq; sed plebi creuerant animi, & longe alia, quam primo instituerant via grassabantur: Desperato enim Consulum, Senatusq; auxilio, cum in ius duci debitorem vidissent, vndiq; cõuolabant: neq; decretũ exaudiri Consulis præstrepitu & clamore poterat: neq; cum decreuisset, quisquã obtemperabat, vi agebatur, metusq; omnis & periculũ libertatis, cũ in conspectu Consulis singuli à pluribus violarentur, in creditores à debitoribus verterat.* Tandẽ secceditur, & ne Sacramẽto tenerẽtur occidere Cõsules cõstituũt.

§. 12. Causa cur Consulatus non sit Magistratus idoneus, est multiplex; nam ambientium est, annuus est, imperitorum est, æmulorum, & in eos quos timet, quos multas ob causas offendere non potest.

Consulatus infirmus Magistratus.

Fons primꝰ infirmitatis est in eo Magistratu, quia etsi aliquando virtuti, constantiæ, integritati præmium est datus Consulatus, sæpius tamẽ blanditijs, & ambitioni cessit. Primo frequentissime datus est disertis, Cicero de petitione Cõsulatus. Non potest qui dignus habetur patronus Consulariũ, indignus Consulatu putari præsidia, itaq; etiam per summam iniquitatem parabant, & priuatim fauorem. Idem Cicero. *Deinde & amicorum multitudo, & genera apparent: habes enim ea, quæ noui non habuerunt, omneis publicanos, totum fere equestrem ordinẽ, multa præterea municipia, multos abs te defensos homines, cuiusq; ordinis, aliquot collegia: præterea studio dicendi conciliatos plurimos adolescentulos, quotidianam amicorum assiduitatem, & frequentiã. Hæc cura vt teneas & commendando, & rogando, & omni ratione efficiendo, vt intelligant, & quid debent tua causa, referendæ gratiæ, & qui volunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore.* Monet deinde vt optimatibus, & nobilibus sese commẽdet. Hinc videmus nullum adeo improbum, qui ob scelera spem consequendi Consulatus amiserit. Admirãda sunt, quæ de Antonio & Catilina, Galba & Cassio scribit Cicero, & tamen Competitores erant Consulatus. Tribus vt haberent, promissione, spe, munere eas inducebant. Hinc salutatores, deductores, assectatores, amici, qui omnia ad ambitionẽ candidati, nihil ad Reipublicæ salutem referebant. Hinc in populari petitione, & prẽsatione, illæ illecebræ, & fuci, nomenclatio, blanditiæ, assiduitas, benignitas, rumor, spes; Hinc illa candidatorum lex, ne committerent, vt dicere quis posset, se non esse rogatum, aut non valde, & diligenter rogatum. Promissiones honorificæ, & largæ, largitiones effusissimæ hoc sæpe effecerũt, vt Consulem facerent, quem habere filium nemo bonus vellet. Hinc pestes illæ Reipublicæ, Sequestres, Interpretes, Diuisores. Cum igitur pecunia, & sceleribus ad dignitatem venirent plurimi, non potuerunt illi cum dignitate, aut bono publico administrare Rempublicam, quam virtute obtinere non potuerunt. Cœcati itaque pecunia viros insignes repulerunt.

In Consule designando errores.

Q. Ælius Tubero q̃ lectulos punicanos hædinis pellibus strauisset, & pro argenteis vasis samia exposuisset, à Prætura repulsus est. Paulus Æmilius repulsis suis campum fatigauit, nec nobilitatis splendore, aut animi bonis efficere potuit, quo minus aduersos haberet Quirites. Metellum eadem inuidia mœstum è campo depulit. Summum vero populi Romani dedecus fuit, Vatinius in Prætura Prælatus Catoni.

Maius malum hac ex re ortum est, vt Magistratus illi sæpenumero egentibus conferrentur, qui in largitiones opes omnes effuderant. Quomodo ergo in his auctoritas, vigor, existimatio esse potuit, qui nisi ex iniuria, venditis sententijs, corruptisque iudicijs, ex Prouincialium spolijs tantum rapinarum congessissent, quod sibi, & iudicibus satis esset, mox deposito Magistratu in nexum trahendi essent.

Sine auctoritate imperat, mox priuatus futurus.

§. 13. Quod si boni, fortes, æqui, rerumque periti essent Consules; omnem nihilominus vim Consularis Imperij breuitas temporis eludebat. Nam hoc ipsum quod annuus tantum esset Magistratus, fortitudinem & fiduciam imperantis retundebat, & qui inuiti parerent, vel offensi essent, singulos dies in numerato habebant, designatus etiam Consul sæpe infestus, aut quamuis beneuolus, successor tamen imminebat. Sed nihil æque oberat, quam imperitia eorum qui creabantur, nam in singulos annos nouum Rectorem deligebant, quod perinde est, ac si Princeps quispiam, aut ciuitas singulis annis nouum medicum, qui nullum vnquam sanasset, sibi deligerent, & eius artem vitæ suæ discrimine periclitarentur, quæ insania maior etiam censeretur, si fauore aut muneribus capti imperito committerent sanitatem. Quocirca pleræque vrbium liberarum in Germania Consulatum quamuis mutent, in viris expertis tamen permanere permittunt. Optime cautum est legibus Coloniæ Agrippinæ, vt inter sex maneat continuus Consulatus, ita vt tertio quoque anno ad vnumquemque redeat. Quã ex re hoc commodi consequuntur, vt nec vnius sit nimia potentia, nec ab imperitis rerum gubernentur: in locum defuncti Consulis Senatusconsulto exploratæ fidei Senatorem, virtutis, prudentiæ substituunt, ille suo anno cum collegã vetere Magistratum init, à consuetis itaque gubernantur, nemo ad Consulatum aspirat per ambitionem, quia vnicus aditus est, si Senatui prudentiam, vigilantiam, constantiam, iustitiam, in regẽdo dexteritatem approbarit.

Contra potentes Consulatus erat infirmus.

§. 14. Verum quod omnium cladium origo fuit, in Consulatu Romano nullæ vires fuêre, quibus potentium iniuriæ comprimerentur. Nam inprimis magnis simultatibus agitabantur, vt interdum patriam atque exercitum proderent. Sic actum ad Veios, vt testis est Liuius lib. 5. *Tribuni militum Consulari potestate erant Sergius & Virginius, alteri alter inuisus, infestusque. Is cum pleraque Castella oppugnata, superatas munitiones, vtrimque inuehi hostem nunciaretur, in armis milites tenuit: si opus foret auxilio, collegam dictitans ad se missurum. Huius arrogantiam pertinacia alterius æquabat, qui ne quam opem ab inimico videretur petisse, vinci ab hoste, quam vincere per ciuem maluit. Diu in medio cæsi milites, postremo, desertis munitionibus perpauci in maiora Castra, pars maxima atque ipse Sergius Romam pertenderunt, vbi cum omnem culpam in collegam inclinaret, acciri Virginium ex Castris, interea præsse Legatos placuit. Acta deinde in Senatu res est, certatumque inter Collegas maledictis: pauci Reipublicæ, huic atque illi, vt quosque studium priuatim aut gratia occupauerunt, adsunt.*

Non potuisse coerceri vllum Senatorem à Consule, si quis modo animum obsistendi haberet, multa docent exempla. Nam factio Patriciorum pro commodis plebis nihil agi sinebat, atque hoc agebatur, vt Consul Dominatum nobilitatis firmaret. Si quis vero gratiam plebis captaret, næ ille facilem contra omnia Imperia patricia receptum habebat. *Consules infesti plebi* Aderant deinde alia, quibus iustitia defendi, iniuriæ inhiberi non poterant, conspiratio nobilitatis, agnationes, affinitates, aliorum in eandem dignitatem successiones, spes reciprocæ dissimulationis. Nec vnquam nobilis inuentus est Consul, qui ita Magistratum gereret, vt æquabili iustitiâ, & plebe defendendâ parium in se odia concitaret, neque enim deerant, qui clam ac palam insidias, necemque machinarentur. Magis itaque laudo Veientes, qui tædio annuæ ambitionis, quæ discordiarum causa fuit, Regem creauerunt.

Sumptus Cõsulatuũ, & aliorum. §. 15. Nimij quoque in Consulatu sumptus facti, vnde ad inopiam multos vnius anni purpura redegit. Ne vero quisquam immerito reprehendi terrarum Dominos arbitretur, audiat prudentissimum iudicem Lipsium. l. 2. de Magnit. Rom. c. 11. *Capita impendiorum dicam. De quibus vniuerse sic Lactantius: Quid dicendum est de iis, qui populari leuitate ducti, vel Magnis vrbibus suffecturas opes, exhibendis muneribus impendunt? Item Ambrosius: Magistratus in theatris, mimis, & athletis, gladiatoribus, aliisque huiusmodi generibus hominum totum Patrimonium suum largitur, & prodigit, vt vnius horæ fauorem vulgi acquirat. Merito damnant patres damnosam hanc insaniam, & quæ priuatos homines bonis per ludum exuit; Principes ipsos attenuat, & delibat Atque id discere cum ex frequentia eorum potes, tum ex apparatu. Vnus Augustus fecisse ludos se dicit, suo nomine quater & vicies; pro aliis Magistratibus, qui aut abessent, aut nõ sufficerent, ter & vicies. Ego vix arbitror, vllos ex istis Principalibus ludis minoris quingenties, aut & millies sestertio stetisse: quod Apparatus & Pompa facile persuadebunt. Nam ecce in ipso Theatro, Amphitheatro, aut Circo adornando qui sæpe sumptus? cum semper gratia aliqua, & illicium nouitatis in ipsâ formâ quæreretur: Et Nero (pro exemplo) Theatrum totum, non Scænam eius tantum, auro illeuit & obtexit. Sed & quidquid illatum fuit, & omne instrumentum, ac choragium, aureum: itemque vela quæ supernè contra solem obumbrabant, purpurea tota, & aureis stellis interstincta. Ex quo & dies ille Aureus appellatus. Dio Cassius hoc in Nerone. Et Plinius idipsum adsignificauit: Nero Pompeii Theatrum operuit auro, in vnum diem, quo Teridati Regi Armeniæ ostenderet. Quid Iulius Cæsar, ante Neronem, & nondum Princeps? Is primus in Aedilitate, munere Patris funebri, omni apparatu arenæ Argenteo vsus est: ferasque argenteis hastis lacessere, tum primum visum. Mox, quod etiam in Municipiis æmulantur, C. Antonius ludos scænâ argentea fecit.*

Principes imitati ciues. Et deinde. *Sed dices Principum virorum modo hæc fuisse. Erras: De Milone hoc iam olim Cicero, tria patrimonia in has res effudisse; de Messala quodam Vopiscus, cum Stomacho ista narrat. Legat hunc locum Iunius Messala, quem ego libere culpare audeo, ille enim patrimonium suum scœnicis dedit, hæredibus abnegauit, matris tunicam dedit mimæ, lacernam Patris mimo: & rectè si auiæ pallio aurato atque purpurato prosyrmate tragœdus vteretur. Iam quid lineas petitas Aegypto loquar, quid Tyro & Sidone tenuitate pellucidas micãtes purpura plumandi difficultate pernobiles? Donati sunt ab Atrebaticis, birri petiti, donati birri Canusini, Africanæ opes in scœna non prius visa. Et hæc quidem iccirco ego in literas misi, vt futuros editores pudor tangeret, ne patrimonia proscriptis legitimis hæredibus mimis & blateronibus deputarent.*

Omnium fuit ingens sumptus; in morem enim abierat conuiuium consulare, & triumphale. Plin. l. 14. c. 15. *Quid non & Cæsar dictator triumphi sui cœna vini Falerni amphoras Chii cados in conuiuia distribuit. Idem Hispaniensi Triumpho Chium & Falernum dedit, Epulo vero in tertio Consulatu suo, Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum, quo primum tempore quatuor genera vini apposita constat. Postea ergo omnia alia in Nobilitatem venerunt, circiter septingentesimum vrbis annum.*

Hoc tamen amicorum gratulationi detur. Ludos dabant Consules summo suo & publico damno. Id vero superat oẽm furorem, q̃ etiam cum honor tantum esset, non etiam potestas Consulatus, multi tamen iactura patrimonij emerent laruam demortui Magistratus. Ludorum impensas qui nescit, Romanę antiquitatis ignarus est. Venationem exhibebant Consules. Claud. l. 3. de Laud. Stilic.

Retibus, & claustris dilata morte tenendæ,
Ducendaq; feræ, cupidas arcete sagittas,
Consulis in plausum casuris parcite monstris.

In Comitiũ empta Prouincia, & deinde vmbra. Magnarum res impensarum, nec eius qui ad priuatam vitam rediturus erat. Dum itaque domi sumptibus certatur, empta sunt in Comitio spolia Prouinciarum, multo ardentius quam ferarum monstra.

Tum virides pardos, & cætera colligit austri
Prodigia, immanesque simul Latonia dentes.

Neque ego sine causa insaniam sumptuum reprehendo, nam eam Imperatores populares leniuerunt; Aurelianus sumptu publico Consulatum dedit, non daturus beneficium, si non sumptum priuato pernicioſum ipse sufficeret. Alij deinde Imperatores prudentiores sumptum contraxerunt, vt Alexander Seuerus. Nec defuit tamen cupidini sua miserrima ambitio, euerti sumptibus multi tolerabilius duxere, quam Consulatu carere. Leges ipsę mecum sentiunt. Valentin. & Marcianus vetuêre. Cod. 12. t. 3. *Ordinem Consulatus ad antiquam reduximus sanctionem, vt sellam nostri honoris merito non rapiendi studio populorum agmina sectentur, ac lucrandi cupiditate deposita venerabilem parentum habitum, & felicissima antiquitatis ornamenta conspicentur. Hoc ergo exemplo etiam cæteros procedere Consules volumus, nec expendere eos sine effectu patimur. Cessante ergo ista spargendi vtilitate amplissimi Consules procedentes, deinceps abstineant hoc errore perdendi, optimoq; Consilio operi necessario proficiat, quod eratincompetenter proiiciendum. Ad restaurationem itaq; aquæductuum huius amplissimæ vrbis centena pondo auri præstentur per singulos Consulatus: vt & Consul patriæ se dedisse nouerit, & data notum sit mansura esse perpetuo. Dat. Asporatio & Herculabio Coss.*

Non potuit ne quidem vetustas pati, *vt ablata bellandi, & pacificandi,* (vt Nouell. 105. loquitur Imperator) *potestate*, sola largitate se Consules exhauirent. Spargere omnino nummos Marcianus vetuit; Iustinianus concessit, vt argentum spargerent, aurum vetuit. Verum audite leges expedit. *Quid autem oporteat spargere in septem his processionibus populo Consulem, melius nos designauimus, quam sicut Marciani diua memoriæ constitutio dicit, Illa quidem abnegauit omnino munificentiam, nos autem corrigimus eam causam, voluntate eius, qui Consulatus habet honorem, disponentes, siue enim nihil voluerit spargere, non cogimus. siue rursus ad hoc venire voluerit, & ex argento muneribus honorare populum, nec hoc interdicimus, non tamen aurum spargere sinimus, non minoris alicuius non maioris omnino, non medii characteris aut ponderis. Sed argentum, sicut prædiximus.*

Atque hæc de Consulum officio, honore, & potestate dicta sint, quam potestatem cum deficeret, dictatura fulciebant Romani, de qua suo loco dicam.

CAPVT XIX.

Magistratus Consulatui similes.

Tribuni militares. §. 1. TRibuni militares omnino Consulibus pares fuêre, ideoque vocati Tribuni militares consu-

consulari potestate. Eâdem absolutâ potestate vsi sunt Decemuiri legum scribundarum, quanquam illis maior potestas data est, quâ leges conscriberent, & ferrent. Sed horum potestas tumultu abrogata est, quod cum æquissimas leges promulgarent iniuriosissimè ciues tractarent, iniquissimè iudicarent.

Præfectus uices Regũ & Consulũ tenuit.

§. 2. Consulibus pene par, postea superior fuit Præfectus vrbis. Vetustus Romæ Magistratus, & à Regibus ipsis institutus, nam cum Reges ad bellum proficiscerentur vrbi Præfectum constituerunt, idque postea durauit, nisi quod sub Imperatoribus maior illis fuit potestas, & præsente Augusto officio fungerentur. Tacitus l. 6. annal. *Per idem tempus L. Piso Pontifex, rarum in tantâ claritudine, fato obijt. Nullius seruilis sententiæ sponte autor, & quoties necessitas ingrueret; sapienter moderans. Patrem ei Censorium fuisse memorauit; ætas ad octogesimum annum processit. Decus triumphale in Thracia meruerat. Sed præcipua ex ea gloria, quod Præfectus vrbi recens continuam potestatem, & insolentiâ parendi grauiorem, mire temperauit. Namq; antea profectũ domo Regibus, ac mox Magistratibus, ne vrbs sine Imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac subditis moderaretur. Feruntq; ab Romulo Dentium Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Spuriũ Lucretium impositos. Dein Consules mãdabant, duratq; simulacrũ quoties ob ferias Latinas præficitur, qui Consulare munus vsurpet.*

Caterum Augustus bellis ciuilibus Cilnium Mœcenatem equestris ordinis cunctis apud Romam, atq; Italiam præposuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumsit è Consularibus, qui coerceret seruitia; & quod ciuium audaciâ turbidum, nisi vim metuat; primusq; Messalla Coruinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi ne scius exercendi. Tum Taurus Statilius quamquã prouectâ ætate egregiè tolerauit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex Decreto Senatus celebratus est.

§. 3. Liberâ Republicâ non fuit diuturnus Præfecti vrbis vsus; nam creatis Prætoribus, Imperium, cum abessent Consules, ad eos deferebatur. Mansit tamen, cum Latinarũ causa Consules ab vrbe essent profecti. De Latinis feriis Dionys. l. 4. *Vt sempiternum maneret id fœdus, Tarquinius proposuit aßignare cõmune fanum Romanorum, Latinorum, Hernicorum, Volscorum, dũtaxat in Societatem receptorum, quoad mercatũ conueniẽtes, quotannis vna epularentur, fruerenturq; sacris communibus. Gratum id fuit omnibus: locus conuentui præstitutus est in meditullio fere harum gentium, mons altus Albanis imminẽs, vbi singulis annis feriæ celebrarentur, & eo temporis spatio propter loci religionem legemq; de hoc latam, ab omni temperarent omnes: sacraq; communiter Ioui Latiali facerent, & vacarent epulis, constituto prius, quantũ quisq; populus in ea sacra præbere, quantamve portionem recipere debeat. Earum feriarum atq; sacrificij participes fuerunt tribus minus, 50. populi, quas nostra quoq; ætate Romani agitant, Latinas vocatas: conferũtque in eas populi sacrorum participes, quidam agnos, quidam caseos, quidam lactis certum modum, quidam liba lactaria. Victima est taurus vnus communis omnium, de cuius visceribus cuique populo sua portio tribuitur. Sacrificatur autem pro omnibus, & Romani præsunt sacrificio.*

Præfectus Latinarum causa larua Magistratus.

Tanti vero erat illa superstitio, seu potius fœderis renouatio, vt Consulibus ire in prouincias nefas ac ominosum haberetur, nisi prius ferias Latinas in mõte Albano indixissent. Liuius id frequenter monet. de Latinarum instauratione Liuius l. 32. & 37. & 41. Præfectus igitur vrbis Latinarum causa creatus dicebatur, & potestatem initio cõsularem, & ante Consules Viceregiam habuit. Prætura deinde constituta tantum Religionis causa Præfectus vrbis cõstitutus est, quod Tacitus vocat Simulachrũ. Hinc est, quod Agell. l. 15. c. 8. memorat; an Præfectus vrbi Latinarũ causa, habeat ius, cum Patribus, populoue agendi. Olim habuit, at cum Simulachrum Magistratus erat, non habuit, imo ideo Simulachrũ Magistratus erat, quia ius Senatus cogendi, populiq; Quiritiũ calandi negabatur. Magistratus erat primo quidem pauciorum dierum, nam dies vnus erat à Tarquinio institutus. Deinde plures. Dionys. l. 6. *Supplicationes Senatus decreuit ob plebis ingratiam reditum, & feriis Latinis diem tertium addidit, cum prius duo tantum fuerint, primus consecratus à Rege Tarquinio, quotempore deuicit Hetruriam: alter à populo additus, quãdo Regibus pulsis libertatẽ adeptus est: tunc vero tertius accesßit post reconciliatam plebẽ Patribus.*

Postea compositis dissidijs ob Consulatũ plebis additus & quartus; itaq; si Consulum discessum, reditumve spectes, senos dies Præfecto illi imaginario tribues. Atq; hanc quidem curam superstitionis merito oẽs reprehendunt; Sed hoc etiam addo, quamuis legitima causa renouandæ amicitiæ, firmandique per conuiuiorum hilaritatem fœderis, Consules abfuissent, non tamen expedire subitum, breuemque Magistratum. Tum quia nullis suffragiis, sed Consulum voce nominabatur, tum quia nõ poterat in tam breui Imperio cõstare auctoritas: causa igitur ea Romanos mouit, vt vrbis gubernandæ curam Prætoribus delegarent: nam annuus erat Magistratus, & Consuli proximus. Verum in eo erratum, q; nomen postea Magistratº Præfecto Latinarum causa tribuerunt, nam Simulachra mortua Magistratuũ nomine dignitatum recensere, insignia illis aptare, non modo ridiculum est, sed in veras etiam potestates contumeliosum, cum primum n. vis alicuius Imperij minui, aut Imperio animus impar obtingere cœperit, mox habent, cui id comparent, & necessariam Reipublicæ dignitatem in Simulachro irrident. Nec minus ridiculus dictator, Latinarum constituendarum causa, Q. Oguluius cum M. Lætorio Planciano Magistro equitum, quam Præfectus vrbis earundem Latinarum.

Paucorum dierũ Magistratus nõ priuato, sed proximo Magistratui mandandus.

§. 4. Præfectus vrbi ab Augusto constitutus est Consilio Mœcenatis; nam Consulibus honorem relinquere, potestatem adimere visum est, cum tamen vrbem ἄνακτον relinquere non oporteret, nouus ille, & tunc ordinarius Magistratus est creatus. Fuit primus, seu Mœcenas auctor Consilij, seu Aggrippa, deinde Messala, Taurus, Piso: Iudicabat ille causas, quibus prouocatio competebat, & res capitales, Patronorum, Libertorum, Seruorum, Dominorum querelas audiebat, de tutorum & curatorum criminibus cognoscebat, rem nummulariam, & argẽtariam iudicabat, carnis curam gerebat, quietem in populo procurabat, illicita collẽgia coercebat, spectaculorũ disciplinam curabat. Ius habebat Italia, & vrbe interdicendi, in Insulam deportãdi. Dignitas eius par honori Præfecti Prætorio, & Magistro militum c. 12. t. 4. *Præfectum vrbi, & Præfectum Prætorio, & Magistros equitum, ac peditum, indiscretè ducimus dignitatis: vsque adeo videlicet, vt cum priuatam secesserint vitam, eum locum velimus esse potiorem, qui alios promotionis tempore, & codicillorum adeptione præcesserit.*

Potestas Præfecti vrbis.

Verum officia eius nobis pandectarum, l. 1. t. 12. describit. *Omnia omnino crimina præfectura vrbis sibi vendicauit; nec tantum ea, quæ inter vrbem admittuntur: verum ea quoque quæ extra vrbem intra Italiam Epistola D. Seueri ad Fabium Cilonem Præfectum vrbi missa declaratur.*

Officia alia Præfecti vrbis.

Seruos qui ad statuas confugerint vel sua pecunia emptos, vt manumittantur de Dominis querentes audiet.

Sed & Patronos egentes de suis libertis querentes audiet: maxime si ægros se esse dicant, desiderentq; à libertis exhiberi.

Relegandi deportandique in Insulam, quam Imperator assignauerit, licentiam habet.

Initio eiusdem Epistolæ ita scriptũ est: cum vrbem nostram fidei tuæ commiserimus, quicquid igitur intra vrbem admittitur, ad Præfectum vrbi videtur pertinere.

Sed & si quid intra centesimum miliarium admissum sit, ad Præfectum vrbi pertinet.

Si vltra ipsum lapidē, egressum est Præfecti vrbi notionem.

Si quis seruum suum adulterium commisisse dicat in vxorem suam, apud præfectum vrbi erit audiendus.

Sed & ex interdictis, quod vi aut clam, aut interdicto, unde vi, audire potest.

Solent ad Præfecturam vrbis remitti etiam tutores siue curatores, qui male in tutela siue cura versati, grauiore animaduersione indigent, quam vt sufficiat eis suspectorum infamia: quos probari poterit, vel nummis datis tutelam occupasse, vel præmio accepto operam dedisse, vt non idoneus tutor alicui daretur: vel consulto circa edendum patrimonium quantitatem minuisse: vel euidenti fraude pupilli bona alienasse.

Quod autem dictum est, vt seruos de Dominis quærentes præfectus audiat, sic accipiemus: non accusantes Dominos: (hoc enim nequaquam seruo permittendum est, nisi ex causis receptis) sed verecundè expostulent: si saeuitiam, si duritiam, si famem, qua eos premant: si obscenitatem, in qua eos compulerint vel compellant, apud Præfectum vrbi exponant, hoc quoque officium Præfecto vrbi à D. Seuero datum est, vt mancipia tueatur, ne prostituantur.

Præterea curare debebit Præfectus vrbi, vt nummularii probe se agant circa omne negotium suum: & temperent Ius, quæ sunt prohibita.

Cum patronus contemni se à liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertū queratur, vel conuiciū se ab eo passum, liberosq; suos vel vxorem, vel qd huic simile obiicit: Præfectus vrbi adiri solet, & pro modo querelæ corrigere eum, aut cōminari, aut fustibus castigare, aut vlterius ꝓcedere in pœna eius solet.

Nam & puniendi plerumq; sunt liberti. Certe si se delatum à liberto, vel conspirasse eum contra se cum inimicis doceat: etiam metallipœna in eum statui debet.

Cura carnis omnis vt iusto pretio præbeatur, ad curam præfecturæ pertinet, & ideo forum suarium sub ipsius cura est: sed & cæterorum pecorum, siue armentorum, quæ ad huiusmodi præbitionem spectant, ad ipsius curam pertinent.

Quies quoq; populariū & disciplina spectaculorū ad Præfecti vrbi curam pertinere videtur. & sane debet etiam dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem, & ad referendum sibi, quid in vrbe agatur.

Et vrbe interdicere Præfectus vrbi, & qua alia solitarum Regionum potest, & negotiatione, & professione, & aduocationibus, & foro: & ad tempus, & in perpetuum interdicere poterit, & spectaculis. & si quem releget ab Italia, summouere eum etiam à prouincia sua.

Diuus Seuerus rescripsit eos etiam, qui illicitum Collegium coisse dicuntur, apud Præfectum vrbi accusandos.

Præfectus vrbis oppositus Magistratibus aliis.

Erat itaq; Præfectura Vrbanus Magistratus, qui etiam ad centesimū lapidē extra vbem cognoscebat, Dion l. 52. vbi recte pro πενλήκοντα καὶ ἑξακοσίων σταδίων legit in com. ad Tacitū doctissimus Lipsius, πενλήκοντα καὶ ἑπτακοσίων, quinquaginta, & septuaginta stadia. Curæ videtur, initio, & crudā adhuc seruitute, ꝓcerum fuisse Imperatorib⁹, vt fidos, & rebus nouādis haud quaq; promptos deligerēt, ita Agrippa, & Mœcenas Supinus, Placidus ēt Messalla quē Eusebius in Chronico vult primū fuisse, & sexto se die abdicasse, ꝙ Magistratum illum esse inciuilē causaretur, eam ob causam omitti ab aliis eum puto. Tiberius Pisonem fecit, ꝙ perpotando id meritus illiuideretur. Ea commendatione ait Plin. l. 14. credere L. Pisonē vrbis Romæ curæ ab eo delectum, ꝙ biduo, duabusq; noctibus perpotationem continuasset apud ipsum Principem. Eadem Suet. c. 42. Piso Præfectus vrbi fuit annos 20. vel vt corrigit Lipsius decem. Eius successor ebrius ēt fuit pene semper, Senec 84. *L. Piso vrbis custos ebrius ex quo semel factus fuit, maiorē partē noctis in conuiuio exigebat, vtq; in horam sextā fere dormiebat. hoc erat eius matutinum. Officiū tamen suum, quo tutela vrbis continebatur, diligentissime administrauit. Huic & D. Augustus dedit secreta mandata, cū illū præponeret Thraciæ, quā per domuit: & Tiberius proficiscens in Campaniā, cum multa in vrbe, & suspecta relinqueret & inuisa. Puto q. illi bene cesserat Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit vrbis Præfectum, virum grauem, moderatum, sed mersum vino ac madentem.*

Potestas itaque Præfecti vrbis erat sub Principe, quemadmodū Consulis sub Senatu, populoq;, non annua, sed ad nutum Principis, semper fere longior annua. Honor tamen Consulatus maior habetur, quamuis sine robore. Non autem dissimilem fuisse, quamuis in nonnullis differentē ex eo constat, quod Sidonius Præfectum Senatus dicit, Patres enim consulebat, de illis iudicabat, eos tuebatur, Cassiod. l. 6. Sidonius Præfecturam gessit.

Capiens honorem
Qui patrum ac plebis simul
Vnus olim iura gubernat.

Et Rutilius. *Si non displicui regerem cum iura Quirini,*
Si colui Sanctos consuluiq; Patres. Proximus Imperatori P.V.

Præfectus vrbi proxim⁹ Imperator habebatur. *Statius*
Stat proxima ceruix
Ponderis immensi.

Et Ausonius. *Aut Italū populos, Aquilonigenasq; Britānos.*
Præfecturarum titulo tenuere secundo,
Quique caput rerum Romam, populumq; patresq;
Tantum non primo rexit sub nomine.

Cassiod. l. 6. form. 4. *Ditionitua non solum Roma cōmissa est, quamuis in illa cōtineantur vniuersa, verum ēt centesimā milliariū potestatem te ꝓtendere antiqua iura voluerunt. Tu etiā ex designatis lege Prouinciis ab appellatione cognoscis. Supra oēs Cōsulares sentētiā primū dicis, & in illa libertatis aula Reuerēdus aspiceris, in qua cōmissos habere primarios approbaris.* Hinc sellam, fasces cæteraq; ornamenta habuit.

§. 5. Interregum potestas eadem, quæ Regum, quæq; Consulum fuit, nisi ꝙ extra ordinē dum Magistratus ordinarius crearetur, officio fungerentur. A Romuli morte cœpit. Dionys. l. 2. *Sequenti anno nemo Romæ regnauit ad nouū interregum Magistratū delata administratione Reip. in modum hunc: Ducenti Patres Cōscripti, ex quibus Senatus Rege Romulo cōstitutus erat, distributi in decurias, Decēuiris sorte cōmittebāt vrbis Imperiū. Hi nō simul, sed vnus post aliū quinis diebus lictores habebat, cæteraq; insignia Regia, quæ ceu per manus tradebātur à primo deinceps vsq; ad vltimum: tum Quinqueduanus ille Magistratus migrabat ad sequentem Decuriam, & inde rursum ad aliam.* Crebra etiam interregna Consulum tempore erant, impeditis Comitiis, aut vitio creatis Consulibus. Quod si quispiam quærat, qd de Præfecto vrbis sentiam, Respondeo melius, moderatiusq; eius quam Consulum Imperium fuisse, quamuis omnino minus, & magis obnoxium alteri Magistratui. Prudentius Lacones Lycurgi instituto, Regem sed consulari potestate, & Præfecturali elegerunt. De illis Xenophon: Præfectivrbis apud Lacones. Καὶ ἔδοξε δὲ πᾶσιν ὑπανίστασθαι βασιλῆ πλὴν τοῦτον ἔφοροι τοῦτο τῶν ἐφορικῶν δι' ὅρκου. κατὰ ὅρκιος δ' ἀλλήλοις τῷ μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως βασιλεῦσι δ' ὑπὲρ ἑαυτοῦ ὁ δὲ ὅρκος ἐστὶ τῶ μὲν βασιλεῖ, καὶ τὰς τῆς πόλεως κειμένας νόμους βασιλεύσειν τῇ δὲ πόλει ἐμπεδοκλῆ ὅπως ἀνεύθυνον τὴν βασιλείαν παρέξειν. αὖτε μὲν ἂν αἱ τιμαὶ εἶεν ζῶντι βασιλεῖ δεδόσθαι, ἐάν τι πολὺ ὑπὲρ φέρωσι τὰ ἰδιωτικά. ὅτε δὲ ἐξελήφθη ὅτε τὴν βασιλεύσιν ἀνόν φρόνημα παρεσκεύασεν, ὅτε τοῖς πολίταις φθόνον ἐμποιήσει τὰ δυνάμεως.

Athenienſium quidem ſemper turbulentum fuit Imperium, quia infra Conſulum Romanorum poteſtatem omnis erat Magiſtratus, ideoque populi vitiis impar. Athenienſium infirmi Magiſtratus, populus inſolens.

§. 6. Carthaginienſium Magiſtratus erat ſupremus Sufes, Liuius l. 30. Senatum ita; Suffetes, quod velut conſulare Imperium apud eos erat, vocauerūt. Ius dicunt, l. 34. In alijsquoque vrbibus Pœnorum mutatione Magiſtratus ſummos Suffetes nominarunt. Liuius l. 28. Gaditanis tribuit Suffetes; *Maga cum Gadeis repetiſſet, excluſus inde ad Cimbim (haud procul Gadibus*

dibus is locus abest) classe appulsa, mittendis Legatis, querendoq; quod portæ sibi socio atq; amico clausæ forent: purgantibus iis multitudinis concursu factum, infestæ ob direpta quædam ab conscendentibus naues militibus, ad colloquium Suffetes eorum, qui summus Pœnis Magistratus est, cum quæstore elicuit, laceratosq; verberibus Crucі affigi iussit.

Ego ita dictos arbitror, quasi סוֹפָא, quod finem, extremitatem, angulum, Isa. 43. Iosue 22. significat, est enim extremum fastigium Magistratus, eodem modo Persarum Sophim dictos non dubito: nec male à סם quod oram, ordinem, limen significat, vnde Persarum Sophiat, vt multi efferūt. Quod tamē si ab Hebræo סמם quod etiam, addere, vel abundare est, deduci placet, non equidem pugnaro.

Athenien-sium πρυτανεία.

§. 7. Πρυτανεία Athenienſium erat Magiſtratus, & quamuis plures eſſent πρυτάνεις, quam Conſules, eadem tamen pene erat poteſtas, hoc eſt, ſuprema, ſed dependens à populo. Demoſtheni πρυτανεύειν eſt regere, moderari. Nazianzenus Deum vocat τῆς ἀληθείας πρύτανιν, veritatis moderatorem. Πρυτανεῖον dictum volunt, quaſi τὸ πυρὸ ταμιεῖον, quod ſiue ita eſt, ſiue Grammaticorum ſomnium eſt, conſtat in Prytaneo Prytanas epulari ſolitos, & ſummum honorem fuiſſe, ſi cui cibus in Prytaneo decerneretur. Cimon ob magnificentiam, hoſpitalitatemque domi quaſi πρυτανεῖον habuiſſe dicitur. Plutarch. in eius vita.

Luculli quoque domum ὅλως ἑστίαν, καὶ πρυτανεῖον ἑλληνικὸν fuiſſe confirmat idem Plutarchus. Sed ad Prytanas redeamus. Eiectis triginta tyrannis, decem conſtituti ſunt, à Thraſybulo; illis reprobatis, deinde quinquaginta alij Præpoſiti vrbi. Harpocration: πρυτάνεις πεντήκοντα ἄνδρες ἀπὸ μιᾶς φυλῆς, οἱ διοικοῦντες πάντα τὰ ὑπὸ τῆς βουλῆς τασσόμενα. *Prytanes quinquaginta viri ex vnâ tribu, qui omnia à Senatu decreta administrant.* Rhodiorum Magiſtratus etiam πρύτανις dicitur Liuio lib. 42. quem tum ferebat Hegeſilus. Cyziceni etiam Prytanem habuiſſe teſtatur idem lib. 41. vocatque penetrale vrbis; ſed tamen idem illius vſus, qui Athenis fuit, in eo enim quibus is honor datus fuit, veſcebantur, Perſeus in eo vnius menſæ vaſa aurea poſuit.

Athenienſium illa ratio regendæ Reipublicæ penitus inutilis fuit, vt oſtendit Xenophon in eorum Politia, & Ariſtoteles lib. 2. Polit. cap. 12. *Solonem autem nonnulli quidem latorem legis fuisse bonum putant. Nam & paucorum dominatum sustulisse, qui merus erat, atque immoderatus: & populum seruientem liberasse: Et populi libertatem, potentiamque patriam, atque auitam constituisse, aptè collocatis atque inter se ordine permistis variis Reipubl. administrandæ generibus. Senatum enim Areopagiticum, ad paucorum Principatum seu Oligarchiam pertinere; Magistratus electione creari, ad Optimatium Imperium, seu Aristocratiam: iudicia esse popularia. Videtur autem Solon illa quidem, quæ ante fuerant, non sustulisse, Senatum & Magistratuum electionem: populi vero libertatem de integro constituisse, rerum iudicandarum omnibus ciuibus, si sortiti essent, potestate facta. Quapropter etiam reprehendunt eum nonnulli. Alteram enim Reipubl. partem dissoluisse, atque eneruasse, ad iudicium, quod sorti permittitur, omnium rerum auctoritate ac potestate delata. Posteaquam enim hoc valuit, populo, tanquam tyranno, gratiæ causa largientes omnia atque indulgentes, Reipubl. statum in eam, quæ nunc est, populi potentiam redegerunt. Et Senatum quidem Areopagiticum Ephialtes & Pericles mutilarūt, ac decurtarunt: iudicia autem mercenaria reddidit Pericles. Atque hoc sane modo vnusquisque ex blandis populi ductoribus, populi maiestatem augens, ad eum, qui nunc est, popularis potentiæ statum promouit, & prouexit. Videtur autem hoc non ex Consilio Solonis natum esse, sed potius casu euenisse. Nam quod populus Imperii & victoriæ naualis causa bello Persico fuisset, maiores solito spiritus sumsit, & blandos Ora-*

Athenien-sium inutilis πολιτεία.

Solon in iudicibus legendis delirat.

tores, quasi ductores ac Magistros, cepit improbos ac turbulentos, pro bonis & moderatis administratoribus. Nam Solon quidem maximè necessariam populo potestatem tribuere videtur Magistratuum eligendorum, & rationum ab eis reposcendarum. Si enim ne huius quidem rei potestas sit penes populum, præterquam quod seruus sit, etiam hostis sit. Magistratus autem omnes ex illustribus & locupletibus ciuibus creauit, nempe ex iis qui quingenta medimna quotannis ex agris suis perciperent, & ex iis, qui iugo astricti essent, qui Zeugitæ dicuntur, & ex equestri ordine, qui tertii census, & tertiæ classis est. Quartæ autem classis ciues, mercenarii & operarii sunt, nullius Magistratus participes. Latores porro legum fuerunt Zaleucus Locris ad Occidentem incolentibus, quos Epizephyrios appellant Græci: & Charondas Cataneus suis ciuibus, & aliis Chalcidicis circum Italiam & Siciliam ciuitatibus.

Merito igitur in hiſce reprehenditur multitudo, res quæ efficiendæ rei, & ſeruandæ concordiæ inimica eſt, deinde de his omnibus iudicabant, qui ſorte delecti eſſent. quod erat Magiſtratum obiicere viliſſimi cuiuſq; arbitrio. Hoc itaq; agendum erat, non vt bene adminiſtrarent, ſed populo ne diſplicerent.

Si igitur rem ſpectemus, multo melius conſtitutum Magiſtratum Carthaginenſium, q̄ Athenienſium reperiemus. Nam plura habet ſeſe tuendi contra hoſtes, & ſeditiones adminicula. Et neſcio, an vlla Reſpublica eius cum libertate, & potentia diuturnitatem æquauerit. Ariſtoteles eam Rempublicam, l. 2. Pol. c. 11. deſcribit, hunc in modum. *Videntur autem etiam Carthaginienses Reipub. administrandæ ratione vti recta ac præclara, & multis in rebus eximia atq; egregia, si cum aliis comparetur: in nonnullis autem Lacedæmoniorum Reipubl. consimili, & penè gemina. Hæ enim tres Reipubl. administrandæ formæ, cum inter se quodammodo sint similes, tum aliis longè præstant: Cretensis, inquam, & Laconica, & tertia Carthaginiensis: multaque eorum, quæ apud Carthaginienses constituta sunt, præclarè habent. Argumento autem est, hanc Rempubl. bene esse descriptam, quod cum populum habeat rerum compotem, maneat in descriptione & ordinatione Reipub. neque aut seditio vnquam in ea coorta sit, memoratu quidem certe digna, aut tyrannus extiterit. Habet autem hæc Laconicæ Reipub. similia: primum Sodalitiorum conuiuia, Phiditia; deinde centum quatuor virûm Imperium Ephororum potestati: nisi quod centum & quatuor virûm Imperium potestate illa melius est. Illi enim ex hominibus casu & fortè fortuna oblatis constant: Hi autem ad hoc Imperium eliguntur, vt quisque virtute & dignitate præstat. Postremo Reges & Senatum habet comparatione & proportione quadam Lacedæmoniorum Regibus & Senatui respondentes. Et vero satius est Reges, neq; ex eodem perpetuo genere esse, neq; ex quouis, & forte fortuna oblato, sed ex aliquo præstanti sumi: neq; eos eligi, qui ætate, sed qui virtute antecellant. Nam magnarum rerum domini & compotes effecti, si sint contempti, atq; abiecti, nullius-que precii, magna damna inferunt, & magna iam intulerunt Lacedæmoniorum ciuitati. Plurima igitur eorum, quæ reprehensa sunt propter declinationes à rectâ Republ. communia huic fuerunt cum aliis Reip. administrandæ formis, quas commemorauimus. Eorum autem, quæ optimatium principatum & politiam finem sibi propositum habent, hæc quidem ad populi potentiam, illa vero ad paucorum dominatum magis declinant. Reges n. cum Senatoribus potestatem habent aliud ad populum deferendi, aliud non deferendi: & si omnium vna sit in aliqua re decernenda sententia, id ratum est: sin minus etiam penes populum arbitrium & potestas est. Quæ autem hi afferunt ad populum, non modo renuntiant populo, vt audiat quæ fuerint à Principibus ciuitatis decreta, verū etiam cuiuis de populo contra ea, quæ afferuntur, dicere licet: q̄ non est in aliis Reip. administrandæ formis. Quod autem quinq; viri, qui sunt multarum magnarumq; rerum compotes, atq; arbitri, & à se ipsi eliguntur, & Centumuirûm Magistratum, qui amplissimus eligunt: præterea q̄ quod hi diutius gerunt Magistratum, quam ceteri (nam & defuncti Magistratu, & antequam ineant Magistratum, Reipub. præsunt) hoc ad potē tatum pau-*

Carthaginiensium melior Respublica.

A Tyriis illa esse, & Hebræis videntur.

corum pertinet. Quod aũt sine mercede, & sine sortitione fiunt, hoc ad optimatium Principatũ pertinere statuendum est, & si quid tale aliud est. Tum lites & cõtrouersias oẽs ab ijs, qui Magistratum gerunt, disceptari, non alias ab aliis, quẽadmodum Lacedæmone, hoc quoq; optimatiũ principatum attingit. Deflectit aũt maxime ab optimatium Principatu ad paucorum Potẽtatum Carthaginiens. Reip constitutio ex quadã cogitatione & opinione vulgi. Non n. ex virtute solum, verum ẽt ex diuitiis eligi Magistratus putant oportere. Feri n. non posse arbitrantur, vt is, cui desunt rei familiaris facultates, rectè fungatur Magistratu, & ocietur. Si igitur Magistratus ex diuitiis, & censu eligi, ad paucorũ Potentatũ pertinet: ex virtute vero, ad optimatium Principatum: Hæc tertia fuerit Reip. administrandæ ratio, ac descriptio, qua Carthaginiẽses in sua Rep. administranda vtuntur. In eligendis n. Magistratibus, iisq; maximis, Regibus, scilicet, & Imperatoribus, hæc duo spectant.

Regum quidem non est alibi mentio, sed Suffetes eorum ita vocat Arist. quia cum Regio quasi Imperio erant, quemadmodũ Consules Romæ Regium Imperium habere dicebantur.

§. 8. Lacedœmoniorum Rempub. præter Senatum, & Ephoriam, habuisse ẽt Reges in confesso est. Sed Rex erat Consulari potestate. Nam Spartanorũ Reges fuisse potestate tenui, & accisa tũ historiæ docent, tum causam Aristot. adducit. Καὶ διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι λίαν μεγάλην, καὶ ἰσοδύναμον, δημαγωγεῖν αὐτοὺς ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς. *Quia vero hic Magistratus Ephorum magnus erat, & Regno non impar, ideo blandiri ipsis oportebat etiam Reges.* Nam Ephori omnium rerum rationes ad se pertinere arbitrati, eas ab omnib. exigebant. Ephori erant quinq;, præter eos erat Senatus, Rex quasi Dux belli erat; Itaq; si Ephoros prudentia, probitateq; insignes elegissent, bene Remp. constituissent. Sed id nõ poterat fieri populi suffragiis corruptis. Arist. l. 2. c. 9. Polit. *At porro etiam ea, quæ ad Ephoriam pertinent, minus bene se habent. Cum n. Imperum Ephorum ipsum potestatem habeat rerum maximarũ, Ephori omnes de plebe creãtur. Itaq; sæpenumero homines valde pauperes, atq; egentes insperatò ad hanc potestatem proueh̃untur, qui propter egestatem numarij & venales erant. Cum autem sæpe antea hoc declararint, tum vero ẽt nuperrimè in virorum cõtiuiis, quæ Andria appellabant. Corrupti n. pecunia nonnulli Ephori, quantum in eis fuit, totam ciuitatem perdiderunt.*

Lacedæmoniorum Respublica quomodo corrupta.

Ex quo constat ex primo instituto prudentius ordinatã Rempub. Lacedœmoniorum, q̃ Romanorũ. Nam Senatum habebant more Romano, deinde Ephoros qui Consulum quodammodo, Censorum, Iudicum, Quæstorum potestate erãt præditi, deniq; Ducem belli, seu Regẽ, qui omnia foris administrabat. Itaq; tanta mutatio non erat, quanta Romæ, nec seditionibus agitabantur, nec in periculo tyrrannidis erant. Pulchre id ostendit Aristoteles. Δεῖ γὰρ τὴν πολιτείαν τὴν μέλλουσαν σώζεσθαι, πάντα βούλεσθαι τὰ μέρη τῆς πόλεως, εἶναι καὶ διαμένειν ταυτὰ, ὁ μὲν ὀλιγαρχῶν βασιλεῖς ἀεὶ τοὺς αὐτοὺς τιμᾶν οὕτως ἔχουσιν. οἱ δὲ καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ διὰ τὴν γερουσίαν, ἀθλον γὰρ ἡ ἀρχὴ αὕτη τῆς ἀρετῆς ἔστιν. ὁ δὲ δῆμος, διὰ τὴν ἐφορείαν. *Oportet enim eam Reip. administrandæ formã, quæ si salua futura, velle omneis ciuitatis parteis, & esse & manere easdem. Reges igitur ꝓp honorem, quo ornati sunt, ita animis affecti sunt: honesti autem & boni viri, ꝓp senatoriam dignitatẽ. Præmium enim virtutis hic Magistratus est. Populus vero ꝓp Ephoriam.*

§. 9. Verum nihil similius Romano Magistratui, quam Cretẽsis. Habebant illi Senatum, quem βουλὴν appellabant. Deinde decem erant summà potestate κόσμοι, qui res ordinarent, dicti, quemadmodum apud Carthaginienses Suffetes, apud Romanos Cõsules, aut Tribuni militares consulari potestate. Deinde Regem habuerunt, qui bella gereret. at Regiâ potestate sublata, quemadmodum & Romani κόσμοις in bello Ducibus vsi sunt. Senatus vtilissime legitur ex illis qui κόσμῳ munere sunt perfuncti. Deniq; Crẽtenses ijsdem incommodis conflictati sunt, quibus Romani. *Quam autem (l. 2. c. 10.) illud ad Reip. statum vtile est, hic non est. Illic n. propterea q̃ electio fit ex omnibus, populus, qui Imperii maximi sit particeps, Remp. manere studet. Hic aũtẽ non ex omnibus eliguntur Cosmi, sed ex quibusdam generibus: Senatores ex iis, qui Cosmico munere functi sunt: de quibus eadem quis dicere posit, ac de iis, qui Lacedæmone creantur. Nam rationũ inferendarum iudicio nõ teneri, & per totam vitam gerere Magistratũ, maior est honos quam pro eorum dignitate: eumq; nõ ex præscripto iuris scripti imperare, sed suo arbitratu Magistratum gerere. periculosum est. Quod autem quiescit populus, etiamsi huius Magistratus nõ sit particeps, nullum est argumentũ Reip. bene ordinatæ. Nam neque vlla Cosmis vt Ephoris quæstus faciendi ex Magistratu facultas datur, vt qui in Insula longe absint ab iis, qui corrupturi sint. Quam aũt adhibent ad hoc erratum corrigendum ac seruandum medicinam, cum absurda sit, tum ne ciuilis q̃dem est, sed potentiæ vnius, ac paucorum, hoc est, dynastiæ, aut oligarchiæ consentanea. Sæpenumero n. nonnulli, aut ex collegis, aut priuatis, coitione facta eos exturbant. Licet etiam ei ante tempus abdicare se Magistratu. Hæc igitur omnia præstat fieri ex lege, quam ex hominum voluntate. non est n. tuta hæc regula. Omnium autem remediorum pessimum est Magistratus huius amplissimi vacuitas, totiusq; Reip. statũ perturbatio, quã sæpenumero potentes inducunt, cum Iudiciũ subire aut pœnas dare nolunt. Ex quo intelligere licet, in hac Reip. administrandæ descriptione, aliq̃d esse ciuilis Reip. administrationis, id est, politiæ, non tamen esse ciuilem Reip. administrationem, sed potius paucorum potentatum, hoc est, oligarchiam seu vnius potentiam, id est, dynastiam. Consueuerunt autem populum & amicos suos distribuentes ac disponentes, sub vnius Imperium totam Remp. subiungere, & seditionem excitare, & inter se digladiari, ac decertare.*

Cretensium Respublica.

§. 10. Nunc etiã in liberis Rebusp̃ublicis sunt Magistratus Consulem repræsentantes, sed alio atq; alio modo. Venetiæ Ducem habent, sed cui nec aula insignis, nec potestas: vrbe n. exire, literas aperire, decernere agenda non potest, omnia pendent à Senatu, qui quadraginta Senatorum est, ex quibus Rex, qui Procuratores S. Marci dicuntur, primarij sunt. Illi etiam perpetuum Imperium obtinent, ideo summa sunt in auctoritate; etenim quod cito desinit Imperium, etiam dum est, deseritur. His alij iunguntur Magistratus, & maius Consilium hos fere constituit. Prudenter Ducem suum potestate priuant, quia sic tyrannidem inuadere non potest, perpetuitas sex Procuratorum etiam efficit, ne rerum inexperientia peccetur. Hoc periculosum est, quod per conductos Duces bella gerunt, qui cum pecuniæ causa, non pro patria dimicent, lentè omnia geruntur. Princeps igitur loco Consulum est, quamuis minore potestate, cæteri tanquam Senatus assident, & iudicant.

Venetiarũ prudentissima Respublica.

§. 11. Genuensium Respublica accuratius etiam omnibus prospexit. Ducem eligit, non annuum, nec perpetuum, sed ad biennale Imperiũ, tanto tempore etiã octo gubernatores, quos illi iungunt, rerum potiuntur. Ducis officium similimũ consulari muneri, Senatum cogit, ad eum refert, omnia per ipsum agũtur, multoq; in vrbis regimine maioris est auctoritatis, quam Venetus. Etenim Veneto auctoritatem ademerunt, quia tempori addiderunt, Genuati multa permittunt, quia ob Imperii breuitatem tyrannidem occupare non potest. Duo vero gubernatores cum Duce in Palatio habitant per vices, ita vt bini tribus mensibus domo absint, & anno vertente suas vices omnes obeant. Eligendi ratio magnam cautionem habet. *Tertio die Ianuarii, Consilium Maius, & Minus congregantur: quibus is qui præcedentibus annis Dux fuit, non interest: elapso enim biennio, is Calendis Ianuariis domum suam se se abdit, & tanquam priuatus aliquis tota vita*

Genuensiũ etiam accurata est Respublica.

Procu-

Procurator tantum audit. Ex vtroque horum viginti octo Nobiles, singuli scilicet ex vnaquaque familia, eliguntur; electi in Palatii quodam loco includuntur, & vna cum illis Senatoribus, qui aut per ætatem, aut familiæ contumaciam ad Ducalem dignitatem non sunt habiles, octodecim è suorum numero, non tamen plures vno ex vna familia, eligunt: qui octodecim rursus alios viginti octo eligunt; qui vna cum prædictis Senatoribus eos, quos Maiori Cõsilio ad Ducalem dignitatem euehendos proponere volunt, legunt. Sed hic notandum est Maiori Consilio plures quam quatuor proponi non posse: & in electione necesse est, vt viginti octo illi viri cum prædictis Senatoribus, in duas partes consentiant. Hoc actu finito, priusquam conclaui egrediantur, iidem alios viginti octo, è singulis familiis vnum eligunt; qui simul de quatuor illis suffragia ferunt, & è sua electione duas tertias remouere, & in locum eorum qui reprobati fuerint, vnum aut plures, qui tamen Senatores sint, substituere possunt. His peractis Consilium siue Senatus conuocatur, & quatuor illi proponuntur: & qui plura suffragia tulerit, Princeps siue Dux creatur.

Breuitatem imperii, & experientiã optimo modo cõiunxerunt Genuenses, qua in re pares vix habent.

Neque tamen omnino gubernatio mutatur. Nam ex gubernatoribus procuratores, atque etiam ex ducibus fiunt; sed eo modo, vt qui sunt procuratores ex gubernatoribus biennio, qui ex ducibus tota vita procuratorum in collegio censeantur; quo fit vt magno semper virorum experiorum numero respublica abundet; cum primo in maiori, deinde in minori cõsilio sint, tandem gubernatores, & duces designentur, denique auctoritate procuratorum, qua omnia negocia tractantur vel biennio, vel in perpetuum fungantur.

Heluetii Rhati populares sunt.

§. 12. Athenienſium Reipublicæ maxime ſimilis eſt, Heluetorum & Rhætorum communitas, qui in Alpibus habitant, quorum maiores à nobilitate exagitati populare regimen induxerunt. Eorum hiſtoriæ ita habent. *Heluetii montani adeo populares sunt, Vzii, inquam Suitenſes, Vndervaldi, Tugii, Glazenſes, Abbaticellani, vt non modo penes vniuerſos, modo puberes, ſumma ſit Reip. poteſtas, verum etiam magiſtratus omnes, ac maxima quæq; imperia ſellulariis, & opificibus, tribuantur; ac ne mœnibus quidem, aut vllis propugnaculis ciuitates muniantur. cæteri minus ſunt populares. Tametſi enim Bernates ac Tigurini ex opificibus, pleriſque ſenatum conſtituunt, maximos tamen in Rep. magiſtratus ex patriciis, aut certe ex iis, qui generis antiquitate clariores ſunt, creare ſolent: quo fit vt hi ſtabiliores ſint, ac ſeditionibus, quam illi, minus opportuni; Rhætorum vero comitia, nimis illa quidem popularia, difficillime reguntur, & commota vix placantur. Nam libertatis popularis hæc ſumma eſt, vt omnes omnibus æquari poſſint, nec aliter parere velint, quam ea conditione, vt viciſſim imperẽt iis, quibus paruerunt, ac ne ſic quidem in officio contineri poſſunt, niſi valde neceſſaria inſtaque præcipientibus, aut largitionibus, aut verborum illecebris demulceantur. Quum vero multi multis virtutibus, opibus ac nobilitate excellere nequeant; fere fit vt nobiles, locupletes, & virtute præſtantes, multitudo inuidia quadam, & animo maleuolentia ſuffuſo inſectetur: tum ſi quis generoſo, ac præſtanti animo plebis intemperanter libertate abutentis, libidini frenos iniicere audeat, hunc multâ, exilio, proſcriptione, morte denique damnare non dubitent, eoque magis ſi locuples ſit, vt imperium affectare videatur.* Quod ſtudium à corruptiſſima Athenienſium Republica promanat.

Ostracismus Rhatorum.

Conſulũ itaq; locum obtinẽt Satrapæ ſiue Amptmanni, qui in comitiis leguntur, non more Romano, ſcil. centuriatis, ſed χειροτονίᾳ Athenienſi, vt in viliſſimi cuiuſq; arbitrio ſit patriæ magiſtratum dare. Hinc tradit eadem hiſtoria pecunia, aliiſq; modis facile illecto conſule totam gẽtem duci. Hinc fit, vt cum magnates eorum admodum diuites non ſint, reges finitimi qui obtinere aliquid deſiderant, muneribus pugnent. Atq; hæc de conſulibus, & magiſtratibus, qui conſulum legibus conſtituti ſunt, aut non multum conſulatui diſſimiles. Nec ignoro egregia alibi ſtatuta eſſe, ſed ad politices cognitionem iſta ſufficiunt.

CAPVT XX.

Dictaturæ & cenſuræ conſideratio.

Dictatoribus dubiis lectus eſt.

§. 1. DIctator maius conſule habebat imperium, cenſor honorarius, & nonnullam quoq; in conſulem poteſtatem. Dictator nominatus eſt etiam magiſter populi. Cauſa dicendi dictatorem erat magna Reipublicæ neceſſitas. Cicer. l. 3. de Leg. *Aſt quando duellum grauius, diſcordiæque ciuium eſcunt, vnus ne amplius ſex menſes, niſi ſenatus creuerit, idem iuris quod conſules teneto, iſq; aue ſiniſtra populi magiſter dictus eſto. Equitatum quicunque regat, habeto par ius cum eo, quicunque erit iuris diſceptator.* Liuius l. 11. Dionyſ. l. 5. *Cum bello Latino, & domeſtica ſeditione reſpublica premeretur, viſum eſt, omnes magiſtratus imperium deponere Vnum autem virum à ſenatu electum, & ſuffragiis populi probatum habere ſemeſtrem poteſtatem rerum omnium maiorem, quam ſit conſulum.* Liu. etiam lib. 4. *Quæ vbi tumultu maiore etiam, quam res erat, nunciantur Romam, ſenatus extemplo (quod rebus trepidis vltimum conſilium erat) dictatorem dici iuſſit.* Inuiſus deinde dictator eſſe cœpit tribunis plebis, & populo. Queruntur Tribuni in ſe dictatorium fulmen intentari. Cum enim Tribuni interceſſionibus ſenatum vexarent, cum delectus eſſe non ſinerent, eoque telo contra nobiles acerrimo vterentur, oppoſitum eſt illis dictaturæ fulmen. Dictatoris iſta erant. Secures viginti quatuor proferebantur. Hoc primus Sulla fecit, vt eſt in Epitome Liuiana lib. 89. Decemuiri, cum primum penes vnum eſſent faſces, altero anno prima die initi magiſtratus ſinguli cum duodenis faſcibus prodierunt, & centum viginti lictores forum impleuerunt, Liu. l. 3.

Ius dictatoris.

Imperium ſine prouocatione habuit. Nam à cæteris magiſtratibus ad ſenatum, ad Tribunos, ad populum erat prouocatio. Quo conſtituto confuſio Athenienſi ſimilis oriebatur: quam merito patres ſemper timuêre. Neque ea lege vlli nobili, aut viro bono Romæ manere licuiſſet. Ducebatur à conſule, interdum à ſenatu poſtulabatur nominatim quiſpiam ſpectatæ virtutis.

Magiſtrum equitum dicebat, qui iure Tribuni celerum, & quo poſtea præfectus prætorio, vſus eſt. Cicero facit eum parem illi, qui iuris eſt diſceptator, hoc eſt, prætori. Quanquam magiſter equitum cum primum è plebe creatus eſt, excuſauit ſe dictator, quod non eſſet maior ille magiſtratus Tribuno conſulari.

Hoc noui, nec boni exempli, nec euentus fuit; quod Minutius magiſter equitum æquatus Fabio dictatori fuit. Et niſi Fabius, hoc eſt imperator patriæ amans, & contumeliarum patiens dictaturam geſſiſſet, forſan irremediabile vulnus Reſpublica accepiſſet. Nam Minutius in periculum exercitum deduxit, Fabius liberauit.

Optime inſtitutam dictaturam conſtat; nam centies Reſpublica ſi abſq; dictatore fuiſſet, vel ſeditione, vel bello periſſet. Conſulum enim imperium, vt oſtendi, ſufficiens rebus gerendis, & ſeditionib. comprimendis non fuit. Fuere etiam dictatores vſq; ad Syllam modeſtiſſimi. Nam Lartius deſignatis conſulibus dictaturam depoſuit, nemine ciuium à ſe occiſo, nec in exilium pulſo, nec grauius multato. ita Dionyſ. libro quinto. Eſt vero hoc admirabile cum ex conſulatibus, & tribunitia poteſtate tam multi tumultus concinerint, tyrannidem affectarint, nullum vnquam dictatorem, licet omnium poteſtas in vnum collata fuerit, ſe inciuiliter, aut crudeliter geſſiſſe. Ne tyrannidis quidem initium dediſſe. Sylla quidem eam tyrannice exercuit

Sylla ante dictaturam crudelis.

sed tamen ante dictaturam crudelior fuit. Ante dictaturam hæc egit quæ habet Epitome *Liuiana l.88. Sylla Carbonem exercitu eius ad Clusium, ad Fauentiam Fidentiamque caso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli Italicorum populorum nondum arma deposuerant, iuxta vrbem Romanam, ante portam Collinam debellauit; recuperataque Republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine vnquam fuit, inquinauit. Octo millia deditorum in villa publica trucidauit: tabulam proscriptionis posuit: vrbem ac totam Italiam cædibus repleuit: inter quas omnes Præneſtinos inermes concidi iussit: Marium senatorii ordinis virum cruribus brachiisque fractis, auribus præfectis, & effossis oculis necauit. C. Marius Præneste obsessus à Lucretio Ofella, Syllanarum partium viro, cum per cuniculum captaret euadere, septus ab exercitu, mortem sibi conscisit in ipso cuniculo, cum sentiret se euadere minime posse, cum Pontio Telesino fuga comite stricto vtrimque gladio concurrit: quem cum occidisset, ipse saucius impetrauit à seruo, vt se occideret. Dictator vero (inquit epit. libro 89.) factus, quod nemo vnquam fecerat, cum fascibus viginti quatuor processit, rebus nouis Reipublicæ statum confirmauit, tribunorum plebis potestatem minuit, & omne ius legum ferendarum ademit. pontificum, augurumque collegium ampliauit, vt essent quindecim, senatum ex equestri ordine suppleuit. proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit, & bona eorum vendidit: ex quibus plurima rapuit, redactum est sestertium ter millies quingenties.*

Nec Cæsaris dictatura perpetua tam immitis fuit, vt non præstiterit eam manere, quam maiorem deinde crudelitatem experiri. Sylla profecto si non causam & excusationem habet, certe *prætextum habuit, vt omnia omittam. Epitome Liuiana 87. L. Damasippus prætor ex voluntate C. Marii consulis, cum senatum contraxisset, omnem, quæ in vrbe erat, nobilitatem trucidauit, ex cuius quidem numero Q. Mutius Scæuola pontifex maximus fugiens, in vestibulo ædis Vestæ occisus est.*

In horum auctores quid mirum est Syllam exarsisse? Et ille tamen dictaturam deposuit, quod Julius non fecit, nec tutum erat, post tot commissa scelera legibus subesse.

§. 2. Prudenter itaque Julius, cum iam sine interitu videret abire magistratu se non posse, dictaturam retinuit. Augustus nomen dictatoris refugit, vim omnem retinuit, Suet. in Octauio c. 52. *Dictaturam magna vi offerente populo genu nixus deiecta ab humeris toga nudo pectore deprecatus est.*

Nec dictaturam modo, sed initio etiam tribuniciam potestatem, cum alioqui tribunorum potestas à dictatore non tolleretur. Satis autem perfectæ Monarchiæ est dictatura perpetua cum tribunicia potestate. Dictator est δικτάτορος duorum Consulum potestate præditus, μονάρχης περίοδος, ἀνεύθυνος, Monarcha temporarius, sed postea perpetuus, qui corrigi à nullo possit, reddere rationem nemini teneatur.

Comitia magistratuum impediri non debēt

§. 3. Comitiorum causa sæpe dictator dictus est. Liu. libro 8. & 25. atque alibi. Id necessarium fuit, ne per interregna, magistratuum cura destitueretur respublica. Nunquam enim committendum est, vt aliquorum tanta sit potentia, vt ordinarij magistratus creationem impedire possint; Prudenter itaque Veneti legem tulerunt, ne quisquam magistratu prouinciali ante datum successorem abiret, cum enim discordia senatus laboraret ille, qui grāde consilium dicitur, cuius est mandare magistratus, sine rectoribus erant vrbes, & cum detrimento Reipublicæ iustitium.

§. 4. Quæsitum crebro est, cur dictatura fuerit populo Romano salutaris, at decemuiratus exitio? nam par in vtrisque potestas sine prouocatione, magis collecta & ideo efficacior in dictatore. Quidam causam arbitrantur esse, quod maior fuerit decemuirorum potestas, nam consules, tribunique nulli erant sub decemuiris, at dictatore constituto maiestas magistratuum, etsi obedire dictatori cogerētur, nomenque manebat.

Verum eo quidem tempore, si rem spectemus, & circumstantias, non decemuiratus, sed Claudij ingenium tyrannidem inuasit. Nam primo vt Liu. lib. 3. *Regimen totius magistratus penes Appium erat fauore plebis, adeoq; nouum sibi ingenium induerat, vt plebicola repēte omniſq; aura popularis captator euaderet pro truci sæuoq; insectatore plebis. Decimo die ius populo singuli reddebāt. eo die penes præfectum iuris fasces duodecim, Collegis nouem singuli accensi apparebant, & vnica concordia inter ipsos, qui consensus priuatis interdum inutilis esset, summa aduersus alios æquitas erat. Moderationis eorum argumentum exemplo vnius rei notasse satis erit. Cum sine prouocatione creati essent defosso cadauere domi apud P. Sextium patricia gentis virum inuento prolatoque in concionem, re iuxta manifesta atque atroci C. Iulius decemuir diem Sextio dixit, & accusator ad populum extitit, cuius rei iudex legitimus erat; discessitque iure suo vt demptum de vi magistratus populi libertati adiiceret, cum promptum hoc ius velut ex oraculo incorruptum pariter ab his summi infimique ferrent tum legibus condendis opera dabatur: Ingentique hominum expectatione propositis, decem tabulis populum ad concionem aduocarunt. Et quod bonum, faustum felixque Reipublicæ, ipsis liberisque eorum esset, ire & legere leges propositas iussere, se, quantum decem hominum ingeniis prouideri potuerit, omnibus summis infimisque iura æquasse, plus pollere multorum ingenia consiliaque. Versarent in animis secum vnamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atq; in medium, quid in quaque re plus, minusue esset, conferrent, eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium non iussisse latas magis quam tulisse videri posset, cum ad vumores hominum, de vnoquoque legum capite edito satis correcta viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ sunt, qui nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias aceruatarum legum cumulo fons omnis publici, priuatique est iuris. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas quibus adiectis absolui posse velut corpus omnis Romani iuris. Ea expectatio cum dies comitiorum appropinquasset, desiderium creandi decemuiros iterum fecit. Iam plebs, præterquam quod Consulum nomen haud secus quam regum perosa erat, ne tribunitium quidem auxilium cedentibus inuicem appellatione decemuiris quærebat.*

Decemuiro rū æquitas ficta.

Æquitas iu dicantium populum in officio tenet.

Ecce tibi decemuiros iam populares, ecce Demagogos, & via vsitata ad tyrannidem tendere. Captat auram popularem, quasi commodis studeat plebis, tanto artificio vt persuadeat, nec patribus reddatur suspectus; hæc enim tendere eo rebantur, vt plebi præsidia sua tollerentur, h.e. tribuni plebis. Deinde ius dicebāt decimo die, summo cōsensu, sūma æquitate, & apud vnum fasces erant, cæteri accenso vno magistratum magis ostendebant, quam gerebant. Populo cedebant, & plus quam tribuni adulabantur. Tabulas decem populo iudicandas proponunt. Hæc omnia ad salutem patriæ referri putantur, solus Claudius aliud meditabatur, vt ipse refectus decemuir plus omnibus posset. Itaque iam ad ingenium redit. Postquam ait Liuius *Comitia decemuiris creandis in trinum nundinum indicta sunt, tanta exarsit ambitio, vt primores quoque ciuitatis (metu credo, ne tanti possessio imperii vacuo ab se relicto loco, haud satis dignis pateret) prensarent homines, honorē summa ope ab se impugnatum, ab ea plebe, cum qua contenderant, suppliciter petentes. Dimissa iam in discrimen dignitas, ea ætate, eisque honoribus actis, stimulabat App. Claudium, nescires vtrum inter decem viros, an inter candidatos numerares. propior interdum petendo, quam gerendo magistratui erat, criminari optimates, extollere candidatorum leuissimum quemque, humillimumque; ipse medius inter tribunitios Duellios, Icilioſque in foro volitare, per illos se plebi venditare: donec collegæ quoque, qui vnicè illi dediti fuerant ad id tempus, coniecēre in eum oculos, mirantes quid sibi*

Artepatres, & plebem Claudius decipit.

Claudius populum sibi demulcet

sibi vellet: apparere nihil syncri esse: profecto haud gratuitam in tanta superbia comtatem fore: nimium in ordinem seipsum cogere, & vulgari cum priuatis, non tam properantis abire magistratu, quam viam ad continuandum magistratum quærentis esse.

Non decemuiratus, sed ingenium Claudii inocuit.

Hæc acta Claudij, qui id egit, vt collegas haberet asseclas, & obnoxios; ea re solum errauit, quod cum tanta moliretur, patres, non plebem satis coleret. Hæc consideranti planum est; non decemuiratum, sed popularitatem quemadmodum Mario, Cæsari, Saturnino, Gracchis causam fuisse potentiæ, vt scilicet refici, vt claros viros repellere, impares adsciscere posset. Hæc Appius decemuir fecit, multo plus potuisset Dictator, aut Consul, sine periculo dictator equitum magistrum sibi addere potuisset, acerrimum fortissimumque Tribunorum plebis, curare vt dictatura continuaretur, donec legibus libertatis æqualitas constituta esset. Nec minora Consul moliri potuisset, vt cui potestas cum populo patribusque agendi summa fuerat. In decemuiratu poterat multitudo collegarum obsistere, in dictatura omnia penes vnum erant. Cum enim consulum nomen, non minus quam regum exosum esset, & senatorum cœtum non aliter quam Tarquiniorum progeniem plebs oppressa detestaretur, nihil facilius consuli, aut dictatori, quam summam potentiam adipisci, senatum opprimere. Cum enim esset nobilitatis superbum, asperum, auarum in ciues imperium, ideoque odium plebis ingens, vt *negarent se illa ciuitate mansuros, in qua nullius boni participes essent*, in continuo omnes erant periculo, quicunque enim Consulum aut dictatorum se plebi ducem contra Patres præberet, is rerum potiri poterat. Neque eius potentiæ aliter senatus obsistere potuit, quam vel interficiendo, vel populum demerendo, vt senatum potius, quam vnum hominem commodorum suorum auctorem venerarentur, & amarent. Cæsar iuuenis plus potuit, quam totus senatus, & postea quam populus. Fallitur igitur Machiauellus, qui libro primo de Republic. Magnitudinem potentiæ, tempus annuum, aliorum magistratuum cessationem causam insolentiæ decemuirali putat fuisse. Dictatoris enim fuit æqua, & maior, quia magis vnita potentia, tempus aliquando annuum, Camillus, Papirius, Fabius Maximus longiorem semestri dictaturam habuerunt, & lege cautum esse vult Cicero, *Vnus ne amplius sex menses, nisi senatus creuerit.* Causa igitur potentiæ fuor in Appium, quo collegas pro arbitrio adsciuit, si enim vnus rem indicasset, aut dissensisset, initio magistratus factum esset, quod tandem post acria certamina euenit.

Appianæ tyrannidis causa fauor populi.

§. 5. Censore opus est Reipublicæ, si à consulibus, aut principibus hoc munus peragi non potest. Romæ initium censuræ Liuius describit libro quarto. *Idem hic annus (nempe 310.) censuræ initium fuit, rei à paruæ origine ortæ. quæ deinde tanto incremento aucta est, vt morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitumque centuriæ decoris dedecorisq; discrimen subditione eius magistratus, publicorum ius, priuatorumque locorum, & vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Ortum autem initium rei est, quod in populo per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam, ac minimè consularem suo proprio Magistratu egere: cui scribarum ministerium, custodiæque & tabularum cura, cui arbitrium formula censendi subiiceretur.*

Censuræ officium.

Primarium opus censorum fuit censio, numerum enim ciuium, & facultates censebant. Vt vero labor censorum appareat, aliquot census dabo. Liuius libro tertio, & deinceps refert 124214. 132319. 262000. 273000. 278222. 221224. 317227. 251222. diminutio illa bellis, & colonijs deductis facta 270020. 137108. occisis multis bello punico secundo 265029. 143704. finito bello secundo punico. 268308. 269015. 327022. 324000. 428342. 323000. 825000.

Hinc consequebatur, vt cum ex censu classes constituerentur, vt totam Rempublicam partirentur in sua membra partesque. De sex classibus à Tullio constitutis nemo non scripsit, qui antiquitatem attigit. Postea diuisio illa neglecta fuit Tert. de pallio capite quarto. *Enim vero tam dubium censoriæ intentionis Episcynio diuerso, quantum denotaui pæsiuitas offert, libertinos in equestribus, subuerbustos in liberalibus, dedititios in ingenuis, rupices in vrbanis, Scurras in forensibus, paganos in militaribus. Vispillo, leno, Ianista, tecum vestiuntur.*

Vestium diuersitas sublata.

Epischynio pro supercilio vtitur, ostendit vestitum fuisse eundem, & postea in senatum Syri & Pœni venerunt, nec indignum videri poterat, cum Felices & Narcissi adorarentur, etiam à consulibus.

Quia vero etiam morum honestas in Republica requirebatur, ideo sine ea censura ordines constitui non poterant. Itaque morum examen agebatur, & extant multa insignia documenta censuræ, quæ hodie inter Christianos aliquando desiderantur. Liuius libro vigesimo quarto. *Censores vacui ab operum locandorum cura propter inopiam ærarii, ad mores hominum aduerterunt, castigandaque vitia: quæ velut diutinis morbis ægra corpora ex se segignunt, nata bello erant. Primum eos citauerunt, qui post Cannensem pugnam Rempublicam deseruisse, Italiaq; excessisse velle dicebantur, princeps eorum L. Cæcilius Metellus, qui quæstor tum forte erat: iussu deinde eo, cæterisque eiusdem noxæ reis causam dicere, cum purgari nequissent, pronunciarunt; verba orationemque eos aduersus Rempublicam habuisse, quo coniuratio deferendæ Italiæ causa fieret. Secundum eos citati minus callidi exsoluendi iurisiurandi interpretes: qui captiuorum ex itinere regressi clam in castra Annibalis solutum, quod iurauerunt, redituros rebantur. His superioribusque illis equi adempti, qui publicum equum habebant: tribuque moti, ærarii omnes facti. Neque senatu modo aut equestri ordine regendo curæ se censorum tenuit.*

Moribus censura necessaria.

Ad censuram itaque pertinebat ex censu & moribus senatum legere. Absoluto censu senatorum nomina legebantur, qui præteriti essent censebantur indigni eo ordine, non tamen infames erant; nam fama interdum sola notabantur, qui postea tamen non modo ad magistratum, sed consulatum, atque adeo censuram promouebantur, quæ res sine dubio magnam labem intulit ciuitati, dedecori enim non erat improbis censura, quæ optimis viris obijci poterat.

Censuræ auctoritas minuta, cum immeritos perstringit.

Indignos itaque senatu mouebant. Dio censuram plurimum posse; ἐκβαλεῖν δὲ ἐξεστι συγκλήτου τὸν ἀπρεπῶς ζῶντα, καὶ σφᾶς αὐτὸν ἀεισον. Pellere senatu indecore viuentem, & adscribere optimum. Imperatorum æuo id mansit. Trebell. in Valeriano. *Tu æstimabis qui manere in cura debeant*, &c. excipit tamen præfectum vrbis, consules ordinarios, sacrorum regem, maximã virginum vestalium, si tamẽ incorrupta permanserit. Equum adimere, si macilentus equus, si parum nitidus, si eques non bonorum morũ. Ouid. de Augusto.

At memini vitam, mea, mores, probabas,
Illo, quem dederas, prætereuntis equo. &
Carminaq; ediderам, cum te delicta notantem
Prætereii toties irrequietus eques.

Tribu mouebant. Magna erat ignominia, qua suffragii iure priuabantur. Id vero ex moribus factum, si mali essent, nec eum tantum senatu mouebant, sed & tribu. & quidem integras tribus aliquando notabant.

Tribu mouent.

Ærarium

Aerarium faciunt.

Ærarium faciebant. Apud Agellium lib. 4. cap. 12. *ærarium faciunt, qui agrum sordescere permiserit, qui vineam neglectui habuerit.* Plus erat facere ærarium, quam in Cæritum tabulas referri. Nam ærarium facere, erat nullum in vrbe, vel tribu ius relinquere, nisi vt pro capite suo æra conferret, non modo ille suffragio, sed stipendio etiam spoliabatur, Cærites ciuitatem & omnia habebant, præter suffragij lationem.

Tribus addebant. Primo quidem tres fuêre, Rhânensis, Titiensis, Luceres. Tullius quatuor esse voluit. aliæ deinde additæ ante censores, sed anno vrbis 366. & 395. & 421. Magna erat illa potestas qua etiam aliorum magistratuum officia, & comitia in manu habebant. cum censura sua, non modo senatum legerent, sed consules etiam, magistratusq; alios notare possent.

Ex rustica in vrbanam transferri ignominiosum erat.

Templa, vias, portus, aquarum ductus curabant, omniaque publica ædificia. Hæc omissa bello Punico secundo inopia ærarii, sed ordinum magnificentia & liberalitate sunt peracta, cum ante finem belli negarent se pecuniam accepturos.

Vectigalia elocabant. Continet hæc quoque oratio ad Valerianum, *Tu censibus modum pones, vectigalia firmabis, diuides statum, respublicas recensebis.*

Leges condebant. Treb. *Tibi legum condendarum auctoritas dabitur.* Leges ferri oportebat à magistratibus, non omnibus tamen, sed maioribus, vt consule, prætore, dictatore, censore, interrege, Decemuiris, Tribunis militaribus, consulari potestate, Tribunis plebis.

Lustrũ condunt.

Lustrum condebant, cœptum id à Seruio, de quo Liuius lib. 1. *Censu perfecto, quem maturauerat metu legis de incensis latæ, cum vinculorum minis mortisque edixit, vt omnes ciues Romani, equites peditesque, in suis quisque centurijs in campo Martio prima luce adessent. ibi instructum exercitum omnem sue, oue, taurilibus lustrauit. idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est.*

Census aliquando actus, & lustrum tamen conditum non est. Liuius l. 3. Jus cum populo, patribusque agendi, id quod omnibus commune fuit maioribus magistratibus, etiam censores habuerunt.

Cognoscebant etiam de moribus coniugum. Exigebat enim censor solenne iuramentũ à maritis. Varr. l. 5. de lingua latina. *Tu ex animi tui sententia vxorem habes?* si respondisset, non habere. Censoris cognitio de moribus erat. Nec pactum fieri poterat, ne de moribus cognosceretur. Si vir & vxor mutuo accusarent, neuter audiebatur. De matrimonio spreto etiam cognoscebant. De fenore agebant. In priuatos itaque maximum ius censori fuit.

§. 6. Nimium ius censorum in libera Republ. fuit. Quod ostenderunt Marcus Liu. & C. Claudius apud Liuium l. 29. *Lustrum, inquit, conditum serius, quia per prouincias dimiserunt censores, vt ciuium Romanorum in exercitibus, quantus vbiq; esset, referretur numerus; censa cum ijs* 265. *millia hominũ. condidit lustrum C. Claudius Nero. Duodecim deinde coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus censoribus, censum receperunt; vt quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent. Equitum deinde census agi cœptus est. & ambo fortè censores equum publicum habebant. cũ ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Liuij nomen erat, & præco cunctaretur citare ipsum censorem; Cita, inquit Nero, M. Liuium, & siue ex residua & vetere simultate, siue intempestiua iactatione seueritatis inflatus; M. Liuium, quia populi iudicio esset condemnatus, equum vendere iussit. Item M. Liuius cum ad tribum Narniensem, & nomen collegæ ventum est, vendere equum C. Claudium iussit, duarum rerum causa: vnius, quod falsum aduersus se testimonium dixisset: alterius quod sincera fide secum in gratiam non redisset. Itaq; ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum suæ famæ damno, factum est. Exitu censura cum in leges iurasset C. Claudius, & in ærarium ascendisset, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit collegæ nomen. Deinde M. Liuius in ærarium venit, & præter Metiam tribum, quæ se nec condemnasset, neq; condemnatum consulem aut censorem fecisset: populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus, ærarios reliquit: quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum consulem & censorem fecissent: neq; inficiari possent, aut iudicio semel, aut comitijs bis ab se peccatum esse, inter quatuor & triginta tribus, & C. Claudium ærarium fore. quod si exemplum haberet bis eundem ærarium relinquendi C. Claudium nominatim se inter ærarios fuisse relecturum. Paruum certamen notarum inter censores, castigatio inconstantiæ populi censoria grauitate temporum illorum digna. In inuidia censores cum essent, crescendi ex his ratus esse occasionem, C. Bebius tribunus plebis diem ad populum vtriq; dixit. Ea res consensu patrum discussa est, ne postea ea obnoxia populari aurę censura esset.*

Censorum fœda dissensio.

Primo quidem fœda fuit insectatio collegarum, & mutua infamatio. Deinde populi fugillatio, de iniquo iudicio, quasi vero suæ ipse causæ iudex idoneus esset. Denique exprobratio, quod honorem contulissent, quæ omnia feueræ stultitię plena fuêre, illud insanum totum populum ærarium facere vna tribu excepta, improbis enim & infamibus solatium erat inter omnes latere.

Totum populum ærarium facere, & omnes ærarios tollere.

Judicauit hoc ipsum populus Romanus cum annuam, & semestrem faceret, Æmilius Mamercus dictator eam minuit. Liu. l. 4. *Tum dictator, nequicquam creatus esset, materia quærendæ bello gloriæ adempta, in pace aliquid operis edere, quod monumentum esset dictaturæ, cupiens, censuram minuere parat, seu nimiam potestatem ratus: seu non tam magnitudine honoris, quam diuturnitate offensus. Concione itaq; aduocata, Remp. foris gerendam, ait, tutaq; omnia præstanda, deos immortales suscepisse: se, quod intra muros agendum esset, libertati pop. Rom. consulturum. maximam autem eius custodiam esse: si magna imperia diuturna non essent: & temporis modus imponeretur, quibus iuris imponi non posset. Alios Magistratus annuos esse: quinquennalem censuram grauem esse: ijsdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios viuere: sed legem laturum, ne plus quam annua ac semestris censura esset.*

Cẽsuræ moderatio non admodum iniqua.

Cum igitur tam multa inique constituerẽtur, tam multi in ærarios referrentur, non adeo fuit iniqua lex Clodii, qua vetuit quemquam mouere senatu, aut ignominia afficere, nisi apud Tribunos dicta causa accusatus est. Tum desiit esse summa potestas; sed Metellus consul eam restituit, eratque tempore Dionis. Τιμητὴν αἰτ ἀρχὴν πασῶν εἶναι ἱεροτάτην, καὶ διωκομένων μέγα. *Censuram esse imperium sanctissimum, & multum potens*; sed vt iudicarent de moribus, non suo arbitrio sæuirent.

Sed tollere improbum.

Merito itaque Cicero in Pisonem. *Centum pene annos legem Aeliam, & Fusiam tenueramus, quadringentos iudicium notionemque censoriam, quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo vnquam conuellere, quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris, quinto quoquo anno iudicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est.*

Traianꝰ cur censuram recusauit.

§. 7. Censoriam dignitatem gesserunt etiam imperatorum plerique, Augustum ait Dio, ὀπμελητὴν καὶ πμητὴν τὸς πεντετηρίαν χειροτονεῖσθαι, morum curatorẽ, censoremque in quinquennium esse electum. Claudium idem Dio l. 5. Domitianum Suetonius censorem fuisse tradit. Traianus sero censuram suscepit, non fuga honoris, vel vt illi Plin. blanditur, quod beneficiis potius, quam remediis ingenia experiri placeret, sed conscientia suæ vitæ; quamuis enim alii nequiores Traiano fuerint, & censuram acceperint, verecundior tamen Traianus exstitit.

Hanc

Censura penes magistratum sit.

Hanc igitur censuræ rationem pleræq; tenent respublicæ, vt iudicium de moribus penes magistratum sit. Id quod etiam in Ecclesia fieri assolet, sunt enim morum magistri ipsi Episcopi, atq; antistites Ecclesię; cum enim finis principis sit beata vita subditorum, ea vero sine virtute esse non possit, eius maxime curam ipse habeat oportet. Quid vero non efficeret potestas tam magna, tam seuera? Valerius libro secundo, capite nono. eam bellicis laudibus exæquat. *Castrensis disciplinæ tenacissimum vinculum, & militaris rationis diligens obseruatio, admonent me, vt ad censuram pacis magistram custodemque transgrediar. Nam vt opes popul. Roman. in tantam amplitudinem imperatorum virtutibus excesserunt: ita probitas & continentia censorio supercilio examinata est. Opus effectu par bellicis laudibus. Quid enim prodest foris esse strenuum, si domi male viuitur? expugnentur licet vrbes, corripiantur gentes, regnis iniiciantur manus, nisi foro & curiæ officium, ac verecundia sua constiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus sedem stabilem non habebit, ad rem igitur pertinet nosse, atq; adeo recordari acta censoriæ potestatis.*

Censura ne cessaria.

Quod si censuræ vigor perdurasset, nunquam magni imperatores metu egestatis patriam occupassent, mirati sunt Romanorum posteri veterum seueritatem: *Quid*, inquit Valerius *de Fabricii Luscini censura loquar? narrauit omnis ætas, & deinceps narrabit ab eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus, & dictatura specioſissime functum, quod decem pondo vasa argentea comparasset; perinde ac malo exemplo luxuriosum, in ordine senatorio retentum non esse. Ipsæ Medius fidius mihi literæ seculi nostri obstupescere videntur, cum ad tantam seueritatem reuerendam ministerium accommodare coguntur, ac vereri ne non nostræ vrbis acta commemorare existimentur. Vix enim credibile est intra idem pomerium decem pondo argenti & inuidiosum fuisse censum & inopiam haberi contemptissimam.*

Seueritas priscæ censuræ.

Ne vero paucos putemus, plurimos notatos ostendit idem Valerius. *Equestris quoque ordinis bona magnaque pars quadringenti iuuenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt, quos V. Valerius, & P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionem opus explicandum ire iussi, facere id neglexerant; equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerunt.*

In meticulosos seuitia

Et deinceps. *Turpis etiam metus censores summa cum seueritate pœnam exegerunt. M. enim Atilius Regulus, & P. Furius Philus, L. Metellum quæstorem, complureſque equites Romanos, qui post infeliciter commissam Cannensem pugnam cum eo abituros se Italia iurauerant, direptis equis publicis, inter ærarios referendos iurauerunt, hosque graui nota affecerunt, qui cum in potestatem Annibalis venissent, legati ab eo ad senatum missi de permutandis captiuis, neque impetrassent, quod petebant, in urbe manserunt: Quia & Romano sanguini fidem præstare conueniens erat; & M. Atilius Regulus cēsor perfidiam notabat; cuius pater per sūmos cruciatus expirare, quam fallere Chartaginenses satius esse duxerat. Iam hæc censura ex foro in castra transcendit, quæ neq; timeri, neq; decipi voluit hostem.*

Duo egregia veteris Reipublicæ censoria monumenta: Nam plurimos notarunt cum Metello, de quibus Liuius lib. 22. Deinde notati graui ignominia sunt affecti, qui ex castris redierant, de quibus eod. l. Liuius. Cæterum *proximis censoribus adeo omnibus notis ignominiisq; confectos esse, vt quidam eorum mortem sibi ipsi ex templo conscuerint: cæteri non foro solum, omni deinde vita, sed propè luce ac publico caruerint.*

Censuræ violentia.

Qua quidem in re maior erat censorum, quam consulum potestas. Imo ipsos consules notare poterant.

§. 8. Viget & olim viguit apud Venetos censura nobilium præsertim, qua magis quam bello Rempublicam illam conseruatam constat. Apud Lucenses grauis, & matura, meliorq; quam olim Romę censura exercetur. *Septimana illa proxima ante Paſcha, quæ sācta dicitur, qui in hoc cōsilio sunt, certo quodā loco cōgregātur. Ex iis vnusquisq; schedulam, in qua nomen eius, quem ille pro homine flagitioso, & ciuitate indigno habet, scriptum est, in arcam ad id præparatam immittit. Quo facto, schedulæ promuntur: ac si fortè alicuius nomen aliquoties iteratum legatur, res ad Maius Consilium refertur, ibiq; rursus suffragia inеuntur: quibus si damnetur, is talis pro homine nefario & ciuitate indigno iudicatur, statimq; exulare eo adhuc vespere publica præconis voce iubetur. Proscriptionis vero hic modus est, vt intra triennium quinquaginta miliarib. ab vrbe absit: cui si contrauenerit, capitis pœnam incurrit. Finito triennio si is reuersus vitam non emendarit, rursus eodem modo in exilium pellitur.*

Lucensium censura.

Huc etiam pertinet, quod Octouiri ibidem, qui diuersoria & hospites obseruant, fallaces & mendaces corrigunt: nam multarum vrbium corruptelæ ex cauponarum incuria oriuntur, cum in ea loca fæx ciuitatum confluat, & vitia sese primum intendunt illis in locis, vbi lucro sunt eorum fautoribus. Apud Genuenses munus censorum partim iis, quos censores appellant, partim Magistratui S. Georgii datum est.

§. 9. Addam pro coronide, Censores olim vnctos, Varro l. 5. de Lingua Latina. *Nunc primum ponam de censorijs tabulis, vbi noctu in templum censura auspicatur, atque de cœlo nuntiatum erit: præconi sic imperato, vt viros vocet. Quod bonum, fortunatum, felixque salutareque siet populo Romano Quirit. Reique publicæ Quiritium, mihique collegæque meo, fidei, magistratuique nostro. Omnes Quirites, pedites, armatos, priuatosque curatores omnium Tribuum, si quis pro se proue altero dari curationem volet, voca in licium huc ad me. Præco in templo primum vocat; postea de more item vocat. Vbi lucet, Censor, Scribæ, Magistratus, murrha vnguentisq; vnguntur.*

Censores vncti.

CAPVT XXI.

Magistratuum prouincialium ordo, & officia.

§. 1. DE maioribus magistratibus vel extra vrbem imperantem, vt sunt proconsules, prætores, vel extra regnum, in quo sedem rex constituit, vt Proreges, Magni Prætores, agendum est. Qua in re cum non modo diuersæ Respublicæ, sed eædem etiam, atq; adeo Romana crebro variarit, serio docendum est, & veterum sapientium praxis producenda est, erroresq;, & euenta pensanda sunt.

Prouincialium magistratuum summa ratio habenda

§. 2. Proconsules dicti, siue pro consule, quibus Reip. causa magistratus finito anno continuabatur, quiq; vel è magistratu, vel priuatis in prouincias mittebantur. Eadem ratione Proprætores, qui è prætura, vel in Prætorias prouincias mittebantur. Primum prorogatus magistratus est Publilio Philoni apud Liuium l. 8. *Publilio triumphus decretus, quod satis credebatur obsidione domitos hostes in fidem venisse. Duo singularia hæc ei viro primum contigere, prorogatio imperij, non ante in vllo facta, & acto honore triumphus.*

Prorogatio imperij ra.

Factum hoc anno vrbis conditæ 428. in obsidione Palæpolitana. Ex priuato proconsul factus est Scipio. l. 26. Ordinarii cōsules gesto magistratu ibant in prouinciam proximo anno, si vero sequētib. annis id fieret, priuati ire dicebātur. Verum vtcūq; mitterentur, opus erat magistratib. bonis, & fortibus. optime Nouell. 24. præf. *Nunquam sane credidimus veteres Romanos ex paruis, adeoque minutissimis principijs tam amplam constituere remp. & totum exim de terrarum orbem (pene dixerimus) sibi adiungere & premere ac tueri imperio potuisse, nisi maioribus in prouincias magistratib. missis, plus ea re dignitatis sibi cōparasset. simulq; illis armorū iuxta ac legū potestatē fecissent,*

sent, neque non ad vtrumque accommodatos & idoneos habuissent, quos quidem prætores vocabant, appellatione illis ex eo indita, quod cæteris omnibus præirent, & præponerentur permissa sc. eis tam rei bellicæ administratione, quam legum præscriptione. Vnde & ea loca, in quibus publicè Magistratus, vel ius reddere, vel habitare solebant Prætoria appellare, & vt pleraque in remp. leges ex vsu prætorum voce inferrentur, constituerunt. Et multi prætores partim Siciliam, partim Sardiniam Insulam, partim Hispaniam, partim terra mariq; alij aliud vel imperio adiecerunt, vel rexerunt.

Sicilia prima prouinciarum.

§. 3 Initium prouinciarũ Sicilia & Sardinia, postea duæ Hispaniæ, aliæque successerunt. Primum harum rectores centuriatis comitijs constituti sunt, & dicti prætores, Consulibus deinde etiam commissæ ob bellum gerendum. Prætores si prorogato imperio in prouincia mansissent, dicebantur proprætores. Verum postea rectius visum est, vt qui præturam in vrbe gessissent, sub anni finem in prouincias proficiscerentur. Horum quidem non minor potestas fuit, quam proconsulum, sed tamen non duodecim, sed sex lictoribus duntaxat, vtebantur. Augustus vt sensim omnia ad se traheret, eos, qui nec cõsulatum, nec præturam in vrbe gessissent, in prouinciam mittebat, & proprætores appellauit.

Belli gerendi ius lege curiata dabatur.

§. 4. Lege curiata mittebantur, quia sine ea belli gerendi ius non habebant, itaque illa lex in pacata euntibus necessaria non erat. Verum ad sumptus & ornamenta prouinciæ necessaria erat populi iussio. Nam vt viaticum in legatos, & cohortem, comitatumq; decerneretur, legis auxilio consequebatur. Capitolinus in Alexandro argentum de publico datum testatur præsidibus. Leges proficiscendi erant: *primo, obseruare autem proconsulem oportet, ne in hospitij præbendis oneret prouinciam: vt imperator noster cum patre Aufidio Seueriano rescripsit. Nemo proconsulum stratores suos habere potest, sed vice eorum militum ministeria in prouinciis fungunter. Secundo, Proficisci autem proconsulem melius quidem est sine vxore, sed & cum vxore potest, dummodo sciat senatum, Cotta & Messala Coss. censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur. Tertio. Antequam vero fines prouinciæ decretæ sibi proconsul ingressus sit, edictum debet de aduentu suo mittere, continens commendationem aliquam sui: si qua & familiaritas sit cum prouincialibus, vel cõiunctio, & maxime excusantis: ne publice vel priuatim occurrant ei: esse enim congruens, vt vnusquisque in sua patria eum exciperet.* Vide libro primo. ff. de offic. proconsul.

§. 5. Potestas itaque proconsulum erat, & imperium; Potestas erat cognoscendi, iudicandique; imperium erat rerum bellicarum. Jus hyeme communiter, & in conuentibus dicebant, bellum æstate gerebant. Belli causa proconsules missi sunt, Primus in Africam, deinde in Asiam, & Achaiam. Primum anno V.C. 605. statutum, vt qui functi essent in vrbe cõsulatu, potestate consulari in prouincias irent. Non potuit ante aduentum legato mandare, nisi forte in itinere necessariam moram pateretur. Vlp. lib. 4. de off. proconsul. *Post hac ingressus prouinciam mandare iurisdictionem legato suo debet: nec hoc ante facere, quam fuerit prouinciam ingressus. Est enim per quam absurdum, antequam ipse iurisdictionem nanciscatur, (nec enim prius ei competit, quam in eam prouinciam venerit) alij eam mandare, quam non habeat, sed si & ante fecerit, credendum est, videri legatum habere iurisdictionem, non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo prouinciam proconsul ingressus est.*

Ius cognoscendi, & belli gerẽdi.

Quod limitat Papinian. libro primo. quæst. *Aliquando mandare iurisdictionem prætor potest, etsi nondum in prouinciam peruenerit: quid enim si necessariam moram in itinere patiatur: maturissime autem legatus in prouinciam peruenturus sit?*

Vectigaliũ curã habẽt.

Nec minus vectigalium illis cura, annonæque & nauium incumbebat. Itaque & frumenti numerum imperabant, idque vendebant, aut recondebant; vectigalia interdum imponebant, prætorium ipsi habebant. Quæ omnia nunc quidem concedi præsidibus non solent. Nam nimium ad exhauriendas prouincias abusi potestate sunt. Verum clarissime hæc iura ipsa exponunt locis ante citatis. *Solent etiam custodiarum cognitionem mandare legatis, sic vt præauditas custodias ad se remittant, vt innocentem ipse liberet, sed hoc genus mandati extraordinarium est, nec enim potest quis gladij potestatem sibi datam, vel cuius alterius coercitionis ad alium transferre, nec liberandi igitur reos ius, cum accusari apud eum non possint. Sicut autem mandare iurisdictionem, vel non mandare est in arbitrio proconsulis, ita adimere mandatam iurisdictionem licet quidem proconsuli, non autem debet inconsulto principe hoc facere.*

Magistratibus etiam apud alienos est suus honos.

§. 6. Honos plane regius illius impendebatur; Bonis quidem templa, statuæ, dies festi, legationes honorificæ ad senatum, eadem etiam impensius malis, vti ne tantum, quantum possent, nocerent.

Honos proconsulis latius quam eius potestas sese extendebat, ita ff. de officio procons. *Proconsul vbique quidem proconsularia insignia habet, statim atque vrbem egressus est: potestatem autem non exercet, nisi in ea prouincia sola, quæ ei decreta est.*

Nonnulla tamen potestate vtebatur etiam extra suam prouinciam, sed honoraria magis, quam imperiali. ita l. 1. ff. t. 16. *Omnes proconsules statim, quam vrbem egressi fuerint, habent iurisdictionem: sed non contentiosam, sed voluntariam: vt ecce manumitti apud eos possint tam liberi, quam serui, & adoptiones fieri. Apud legatum vero proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem.*

Jurisdictio voluntaria de plano est, contentiosa ex tribunali, vt Cuiac. & alij.

Prouinciæ Romanorũ nõ ad cõmune bonum, sed paucorũ vtilitatem instituta.

Verum quod præcipue spectabant, erat occasio immensos colligendi thesauros. Rapinis etenim & concussionibus socios vexabant, immunitates donabant, vendebantque, Strabo lib. 12. de Paphlag. ὕστερον δὲ οἱ τῶν ῥωμαίων ἡγεμόνες ἄλλως καὶ ἄλλως ἐποίησαν μεϊσμοὺς, βασιλέας τε καὶ δυναστὰς καθιστάντες, καὶ πόλεις τὰς μὲν ἐλευθεροῦντες, τὰς δὲ ἐγχειρίζοντες τοῖς δυνάστοις τὰς δὲ ἀπὸ δήμων τῶν ῥωμαίων ἐνοῦντες. Postea alias diuisiones Romanorum duces instituerunt, regesque & dynastas constituentes, & vrbes quasdam liberas quasdam dynastis subditas fecerunt, quasdam sub potestate populi Romani reliquerunt. Hinc magnæ opes, aliæ ex muneribus vrbium, ne debita soluerent, ne in hyberna militem reciperent; aliaque de quibus alio loco actum est.

Sors in lectione rectorum vitanda.

§. 7. Errores in hoc genere plures supra memorani; Nam quod sorte legerentur, nemo prudens probare poterit, ipse Augustus cum in populi prouincias sorte legisset proconsules, postea mutauit. Deinde nimium breue erat imperium; *Quid nobis inquit Apuleius cum istis proconsulum vicibus? Quid cum annis breuibus, & festinantibus mensibus? dum eunt, & redeunt annus absumitur.* Quam ob causam multo aliter hodierno tempore magistratus mandantur, & ipse quoq; Augustus fecit, vt nepe eius præfecti ad arbitrium permanerent, & mutarentur. Quod nunc quoque in Gallia aliisq; seruatur regnis. Maximam vero perniciem attulit, quod legum iubsidio destituti prouinciales, postquam omnibus iniuriis afflicti, exhaustique essent, per speciem iurium & legum damnabantur, quod si causam obtinerent rerum tamen minimam partem recuperabant, perpotabant magni illi rei;

Celeres imperantium intendunt cupiditatẽ.

at tu victrix prouincia plorabis.

Recuperatio rerum difficilis.

Nec victrici prouinciæ melior spes allucebat, damnatorum familiares, amici, participes, liberi, & nepotes iterum erant imperaturi. Vindices itaque imminebant,

uebant, nec quicquam patroni proderant, vtpote qui alia in parte prædati præsidio egerent, qui vel connubiorum affinitate, vel rapinarum societate juncti essent.

§. 8. Modus erat corrigendi leges Majestatis, peculatus, repetundarum. Sed leges illæ adeo in abusum abierant, vt prouinciales eis ipsis, quæ pro eorum salute latæ erant, affligerentur. Lex quidem majestatis & peculatus seuere exercebatur, de repetundis, nisi in atrocibus & inimico debili lente agebatur. Lex ergo ea sociorum causâ data est, & aliquando effectum habuit; de ea videri potest Petrus Gregor. in Syntagm. lib. 36. cap. 28. §. 15. & seq. *Iulius Cæsar repetundarum conuictos ordine mouit. Et quando Marius Priscus, accusatus fuit ab Afris lege Iulia repetundarum, quibus pro consule præfuerat, placuit Senatui septingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda. Mario autem vrbe & Italia interdictum. De Hostilio Firminio legato Marii, placuit quoque, quod ei ad turpissima ministeria operam suam accommodauerat, ne in sortitione prouinciæ eius ratio haberetur. Cornelius Gallus, vt author Ammianus Marcellinus Octauiano res tenente Romanas procurator AEgypti, exhausit ciuitatem plurimis interceptis, reuersusq; cum furtorum arcesseretur, & depopulatæ Prouinciæ metu nobilitatis acriter indignatæ, cui negotium spectandum dederat Imperator stricto incubuit ferro, metu certe pœnæ capitalis, quam inde se subiturum putabat. C. Seruilius Glaucia legẽ Romæ tulit, qua Latinis ius erat ciuitatis assequendæ, in locum eius quem accusando damnassent repetundarum. Vult etiam lex Iulia repetundarum, eum reum esse eius etiam, qui accepit, quo magis minusve ex officio suo faceret. Damnatus à populo Athenienſi quinquaginta talentis Demosthenes, Orator, quod cum dixisset Harpalum ex Asia ab Alexandro profugum, postea ab Harpalo calice & viginti talentis delinitus, destitisset à cœpto, vt ait Dinarchus contra Demosthenem, Plutarchus, Iustinus, & Athenæus. Ea ratione qui ob accusandum vel non accusandum accipiunt, lege repetundarum tenentur. Et si in innocentium accusationem coierint aliqui, qui ob denunciandum vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperint, vel ob militem legendum, mittendumve: ob sententiam in Senatu consiliove publico dicendam. Aliud caput legis Iuliæ repetundarum ab Vlpiano notatur. Si proconsul ante se de prouincia dimittat legatum suum. Aliud caput, ne Senatores nauem maritimam habeant. Et nauem ædificare vel habere in ea prouincia, quam quis administrat, prohibetur Præsidi: nec aliud quicquam ibi emere. Lege repetundarum damnatos apud Græcos etiam legimus, teste Xenephonte, in reddenda ratione præteriti temporis, prætores Philesium, & Xantichlem, quod est Gauletica pecunia, quam seruandam acceperant, minas viginti suppilassent, & tantundem reddidisse iudicio.*

Nobilibus furib. parcebatur.

Magna furta ærario illata, 700000.

Repetundarum rei capitis arcessebantur

§. 9. Post annum quintum initi consulatus aliquando primum in prouincias mittebantur, hinc factum, vt multi nunquam puincias sortirentur. Hoc factum sub Tiberio, & deinceps crebro, vt nomen Consulum sensim euilescceret, cum alios majore loco esse cernerent.

§. 10. Prætores dicti initio, postea Proprætores, de quib. ante dixi. Cæterum cùm multis modis variatum fuerit, Justinianus ad antiquas leges reuocare conatus est. Idq; tum in alijs, tum in Prætore Pisidiæ, Thraciæ, Lycaoniæ, & maxime Paphlagoniæ, nouel. 29. c. 1. & c. 2. *Enimverò qui totius prouinciæ imperium tenet (appellatur autem tota prouincia, quemadmodum & ante, Paphlagonia) etiam aberrando vrbes lustrabit, nulla id factum prohibente formula olim sacra forte ad talium prohibitionem composita, sed neq; vicarios in locum suum hinc inde per vrbes dimittens. Omnino n. hoc ipsum prohibemus: siquidem turpe est, vt quà diu ipse in prouincia ius reddit, interim alteri quoq; vices suas contra legem committat. Sed ipse omnia dispensabit, & publica tributa summa cum animi promptitudine profligabit, neq; plus, neq; minus exigens. Iustitiæ præterea consentaneã æquabilitatem retinens, simul prouidentiam adhibebit, vt si quid damni fiscus acceperit, id corrigat: simul vrbes illæsas tam publicè quam priuatim conseruet. Annonã quoq; quam vicarij Magistratus habebat surgentem in septingentos viginti quinq; aureos capiet, tum adsessorem habebit, qui 72. ferat aureos, & cohortem vnam ex ambabus compositam, procedentem vsq; ad centum virorum numerum, & quadringentos quadraginta septem aureos, & tremissem percipientem è publico, cumq; gratis officium suscipiat, gratis item hoc ipsum obeat. Nos enim in hac quoq; parte subditos nostros redimemus, & his qui ex consuetudine per occasionem suffragii (vt vocant) aliquid percipiunt dabimus ipsi, hoc enim tum illis per thronum tuum erogantes ex publicis eius Prouinciæ tributis: neq; patiemur, vt sub specie & velamento auctionis subditi nostri in seruitutem adigantur.*

Præses obit puincia m.

Gratis officio fungatur.

§. 11. Præsidis nomen generale est, nam & Proconsul præses erat, ita l. 1. ff. t. 18. *Præsidis nomen generale est: eoq; & Proconsules & Legati Cæsaris, & omnes prouincias regentes, licet Senatores sint, Præsides appellantur: Proconsulis appellatio specialis est.*

Præsidum potestas.

Ejus jura & potestas. 1. apud se adoptatio, emancipatio filii, manumissio serui. Vlp. l. 6. & ff. de officio præsidis. 2. In homines suæ puinciæ potestatem habet. Paul. l. 3. Extra puinciam priuatus est. 3. Majus imperium habet omnib. post principem, vt Proconsul. Vlp. l. 36. ad edictum. 4. De omnib. causis, quibus vel præfectus vrbi, vel præfectus prætorio, itemque consules & prætores cæterique Romæ cognoscunt, correctorum, & præsidum puinciæ est notio. Hermogen. l. 2. juris Epitomarum. Recte itaq; Marcian. l. 3. Inst. *omnia prouincialia desideria, quæ Romæ varios iudices habent, ad officium præsidum pertinent.* Omnium itaq; negociorum ratio ad præsidem pertinet; & notandum est contra eos, qui præsidum minorem, q̃ proconsulum potestatem esse arbitrati sunt. Plura ejus officia, l. 1. ff. t. 18. describuntur. Vbi notandæ nonnullæ leges aureæ, nempe 12. *Sed licet is, qui Prouinciæ præst, omnium Romæ magistratuum vice & officio fungi debeat: non tamen spectandum est, quid Romæ factum est, quam quid fieri debet.* Et 13. *Congruit bono & graui præsidi curare, vt pacata atq; quieta prouincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, vt malis hominibus prouincia careat, eosq; conquirat: nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisq; deliquerit in eum animaduertere: receptores q; eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest.* Et 18. *Plebiscito continetur, vt ne quis præsidum, munus, donum caperet: nisi esculentum, potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur.*

Non exemplo alieno, sed suis legib. præses administret.

§. 12. Agæ officium apud Turcas partim Præfecti Prætorio, partim Proconsulum muneri respondet. Nam militum Ianizerorum caput est, & judex, & in bello primas obtinet. Alioqui Bassæ & Billerbegi, & Sangiarbegleri, varias functiones bello, & pace exercent. Verum cum illud imperium sit tyrannicum, latrones fere, & fures regionibus immittit, quos deinde diuites mactare Turca; & expilare assolet. Id verò difficile, quod illi, per quos administratur imperium, & foris leones agant, & domi vulpes; summa est enim Bassarum auctoritas apud Turcas; nam antiquitus rebus adhuc tenuibus, consilijs adhibebantur, nunc & consilia moderantur, & potentissimis præsunt regnis, eo periculosius, quod Imperatores assueti delicijs, Reipub. attendere non magnopere soleant, nisi cum pericula bellorum, vel & frequens est Janizerorum seditio veternum excutit.

§. 13. Diœceta est, qui certas diœceses administrat, sed varia fuit Diœceseon distinctio. Antiquitus n. prouinciæ partes vocabantur Diœceses. Cicero l. 3. Epist. Ciliciensi prouinciæ ait fuisse tres Asiaticas Diœceses attributas. At posterioribus imperij temporibus prouinciæ fuêre partes Diœceseon. Quinque Orientis diœceses erant. Ea quæ propriæ orientis diœcesis dicebatur, quindecim puincias comple-

Prouincia pars Diœceseos.

ctebatur, Asiana decem, Pontica sex, Ægyptiaca sex, Dacia quinq;. Occidentis quoq; Diœceses erant sex Italica, Illyricana, Africana, Gallicana, Hispanica, Britannica. Ex quo in Ecclesiæ vsum venit, vt Episcoporum diœceses nominentur.

Proreges vbi multa regna.

§. 14. Proreges nunc eadem potestate præditi sunt, quorum multos habet Hispania, alijs regnis non ita vsitata dignitas, quia nec tam dissita, nec tam multa regna per vicarios administrant. Viceregum & Proregum dignitas potestasque non est eadem, quæ erat Vicariorum, nam Vicarij ciuilem jurisdictionem habebant, Vicereges vtramque. Vicarij Comitibus comparati sunt 1. Cod. tit. 38. *In ciuilibus causis vicarios comitibus militum cõuenit anteferri: in militaribus negotiis Comites vicariis anteponi, quotiens societas in iudicando contigerit, priore loco Vicarius ponetur, Comes adiunctus accedat. Siquidem præfecturæ meritum cæteris dignitatibus antistet: & vicaria dignitas ipso nomine eius se trahere iudicet portionem & sacræ cognitionis habeat potestatem iudicationis nostræ soleat repræsentare reuerentiam.*

Augustales tamen Vicarij, qui à Principe creabantur, Chlamydem, & carpentum habebant, tributa procurabant. Cassiodorus libro nono variar. lection.

§. 15. Princeps Dalmatiarum tribunalibus præsidet, causasque cognoscit, non autem est prouinciarum præses, proconsulari, aut aliâ potestate. De ipso quoque Comite prouinciarum judicabat, *Comiti quidem prouinciarum potestas data est, sed tibi iudex ipse commissus est*, inquit Cassiodorus libr. 7.

§. 16. Pontici tractus Vicarius dicitur etiam Comes Ponticæ diœceseos, qui vices agebat Præfecti Prætorij. Vicarium, inquit Justinianus, visum est nobis imponere omnibus prouincijs Ponticæ diœceseos, ita vt non solum impleat locum Præfecti Prætorio, sed & glorioßissimi magistri officiorum, & glorioßissimorum Ducum, & magnificentißimorum Magistratuum, qui diuino patrimonio, & ærario, & domesticis protectoribus præsunt. Erant illi Propræfecti & diœcesin aliquam vice Præfecti regebant. Imperium tamen à Principe habebant. Vicarius Præfecti prætorio septem in prouincijs Italiæ jus dixit. Erant verò non modo Vicarii Prætorio, sed etiam magistri militum. Apud Eutropium libro septimo capite sexto sub Vicario Italiæ sunt, Venetiarum, Æmyliæ, Flaminiæ, Liguriæ consulares. Præses alpium Cottiarum, & vtriusq; Rhœtiæ.

Consulares sub præfectis.

Tetrarcharum nomẽ à Thessalis.

Tetrarchæ Satraparum pene vices obierunt, & Vicariorum, quanquam nostris Comitibus, & Baronibus sunt similiores. Nominis origo à Thessalis: eorum enim regio in partes quatuor diuisa fuit, quarum vnaquæque τετραρχία vocabatur; nomina earum Thessaliotis, Phrotis, Pelasgiotis, Estiæotis. Hinc factum, vt qui in parte aliqua imperarent, τετράρχαι vocarentur. Sic Antipas, & Philippus Tetrarchæ constituuntur ab Augusto. Josephus libro decimo septimo capite decimo octauo. Gallogræcię plures fuisse Tetrarchas, constat ex Hirtio de bello Alexand.

§. 17. Hoc imprimis sapienter constitutum est, vt Consulibus & Prætoribus designatis, antequam Magistratum inirent, prouinciæ decernerentur, quas designati vel inter se compararent, vel sortirentur. Hac enim ratione antequam Magistratum inirent, nouerant quibus foris imperaturi essent, & prouinciales ex consulatu vel præturâ de sui quoque præsidis moribus judicabant. Imperatorum tempore cum vnius arbitrio præsides mitterentur, id seruari non potuit.

Verum de hisce satis dictum est. Hoc vnum repeto, iterumque repeto, Magistratus prouinciales crebro visitandos, eorumque acta examinanda, alioqui ipsa potestate deteriores fore.

Proconsules sub Augusto.

§. 18. Proconsules Augusti tempore alio modo etiam dicti, nam quos in prouincias pacatas, quarum curam vt Senatui commiserat, cum imperio mittebat, etiam Proconsules vocabat. *Annuas præfecturas*, inquit Dio, *Augustus esse iussit, nisi quis multitudinis liberorum, aut nuptiarum ratione priuilegium haberet: vtque de communi Senatus consilio mitterentur, neque gladio accincti, neque militari habitu vtentes. Proconsules autem eos dici voluit, non modo duos istos Consulares, sed reliquos etiam Prætorios, aut qui Prætoriorum loco haberentur: vtque lictores vtrisque tot, quot in vrbe permissum est legibus habere, adessent, vt imperii insignia statim atque extra pomerium venissent, adsumerent, & vsque ad reditum in vrbem ea seruarent.* Est postea: *Senatus autem, & sorsim quidem Consularibus Africam atque Asiam concessit: & Prætorijs reliquas prouincias adscripsit. Vtrisque autem ex æquo interdixit, ne ante quintum annum à gesto in vrbe Magistratu prouincias sortirentur: ita fiebat, vt etsi eorum numerus, quàm prouinciarum erat maior, tamen ad omnes tandem imperium peruenire. Post Cæsaris autem Octauiani tempora, cum nonnulli eorum male gessissent Magistratum suum, Imperatori istæ quoque prouinciæ adiectæ sunt, ac sic his etiam ipsis quodammodo is prouincias assignabat. Cæterum & Legatos,* *Cautè Augustus potestatẽ proconsulum eneruat.* *seu Assessores quosdam sibi adscisebant, quorum consilio in administratione prouinciæ vterentur, vnicum quidem Prætorius, ex sui aut inferioris ordinis hominibus, tres autem consulares, ex eiusdem dignitatis viris accipiebat eos, qui ipsi Imperatori probarentur. Erat etiam hoc generaliter de omnium prouinciarum potestate constitutum, ne quem delectum militum agerent: ne pecuniam, præter eam, quæ constituta erat, exigerent, Senatus, Imperatorisue iniussu: Cum Successor missus esset, is vt statim ex prouincia abiret, ac ne in redeundo domum tempus tereret, sed intra tertium mensem Romam reuerteretur.*

Nimii sumptus magistratuum erant.

§. 19. Comitatus erat magnus & sumptuosus, & vehementer Reipublicæ grauis, erat Quæstor, Legati, Tribuni, Centuriones, & præter officia militaria accensi, lictores, totaq; cohors amicorum. Alexander Seuerus, alijque modum statuerunt, necenim aliam ob caussam tantos sumptus in Magistratus Senatus decreuit, nisi vt publicæ opes eo modo in patricios effunderentur. Quamobrem modus merito constitutus est.

Sine iure cingulinon bene missi in prouincias.

§. 20. Quod Augustus Proconsules, sine cingulo & jure militari in prouincias misit, idque sensim intermissum est, nonnulla enim incommoda peperit, multoque magis cum in eadem prouinciâ duo Magistratus, togatus & sagatus erat: nec satis accurata ratio eos in officio continendi; quocirca Justinianus vtramque potestatem conjunxit. Nouell. 21. capit. 1. *Hæc nos permouerunt, vt hunc quoque Magistratum, quemadmodum apud Pisidias fecimus, coadunatum redderemus, & nostro opposito nomine prætoris ei appellationem inderemus. Volumus enim & hunc Prætorem Iustinianeum Lycaoniæ appellari, quomodo sanè & Pisidiæ & aliorum. Deinde etiam vtramque cohortem in vnam concontrahimus, & cui ciuili & cui militaris Magistratus præfuit, ac prætorianam illam appellamus, constituendam ex probatoriis: more solito ex sacro libellorum scrinio, ex quo olim & Duciani eas ferebant procedentibus, mensuramq; illius ad centum vsq; virorum numerum extendimus, & vtriusque Magistratus annonas illi adsignamus, sed Assessori & reliquis.*

Iustinianus correxit.

Pisidiæ itaq; rectorem, quæ & Præsidem & Prætorem appellauit, proconsulari imperio præposuit; Eadem deinde animi inductione Lycaoniæ prætorem

Duplex magistratus dissensionē parat.

rem dedit, Nouell. 25. *in vnum contrahens duos Magistratus, & duos contemperans*, vt ipse loquitur. Multis verò se locis id feciſſe profitetur Nouell. 26. idq; ob diſſenſionem. Verba valde penſanda ſunt Regibus, quæ Juſtinianum mouerunt. *Duos, inquit, ſane vicarios nomine ad longum murum ſedere omnes ſcimus, quorum alter militares cohortes regit (eſt enim magna vis militum eo in loco) alter Præfectus eſt negotiis ciuilibus. At cum ambo vtrilibet impleant, hic quidem glorioſiſſimorum Præfectorum, ille verò magnanimorum Magiſtrorum militiæ, nunquam tamen inter ſe conſentiunt: tametſi ſuas vnicuiq; annonas fiſcus ſeparatim ſuppeditat, & alia præbet ſalaria, nihilominus vnum hoc ſibi negocii perpetuo & indefinenter ſumunt, vt contentiones inter ſe immortales exerceant. Recte igitur atq; ordine viſum nobis eſt, hic quoq; facere, quod apud alias gentes, quanquam non ita efferas, non ita militaris cuſtodiæ indigentes fecimus: & vt non hic quidem ciuilibus negotiis præſit, ille verò inter milites & ſolos imperitet, vtrumq; officium in vnum contrahere, & præficere ei loco grauem aliquem & reuerentia dignum magiſtratum, qui ex æquo tam ciuilia illic negocia curet, quam de venuſto & decenti ordine militum ſolicitus ſit. Nam qui prouinciam moderatur, is in aliis verſatur locis, vix illis ſufficiens.*

Eadem lex dicta eſt de Prætore Siciliæ Nou. 104. *Habeto Sicilia Prætorem, qui & res ciuiles tractet, & curam gerat militaris impenſæ, Publica tamen tributa ad eius ſollicitudinem non pertinent.*

CAPVT XXII.

Iudicum in Republica ratio conſtituta.

Iudicis ſeruare in Repub. æqualitatem.

§. 1. IVdiciorum æquitas Rempublicam præcipuè continet, eâ neglectâ, nec bellum quidem recte adminiſtrari poteſt. Quemadmodum ſine juſtitiâ ſtare ciuitas non poteſt, ita nec ſine judice; eſt judex jus animatum: ὁ δικαστὴς εἶναι βούλεται οἷον δίκαιον ἔμψυχον. Eſt verò μεσίτης mediator, qui partes conjungit æqualitate. Eſt δικαστὴς, qui lites ſecat, vt Ariſtoteles 5. Mor. c. 7. *Iudicium alii definiunt eſſe iuris alieni obſcuri per legitimos tramites explicationem, alii iuſtitiæ adminiſtrationem in cauſa per iudicem cognita.* Vera definitio eſt: *Iudicium eſſe legitimam definitionem iudicis poteſtatem habentis, vt eius ſententiâ lis finem accipiat.* Juriſdictio latiſſime patet. ff. 2. t. 1. l. *Ius.* Eum qui judicare jubet magiſtratum eſſe oportet. In judice autem conſtituendo id ſeruandum eſt, quod in regula, normaque ædificiorum, vt quam rectiſſima, atque inflexibilis omnino ſumatur, ita judicem regere oportet, qui nec ad iram, nec cupiditatem facile impellatur, perinde enim eſſet, ac ſi quis regulam incuruet, vt muro quadret.

Iurisdictio latepatet.

Iudex ſit immobilis.

§. 2. Multos de variis litibus legendos judices eſſe nos vſus Rerumpublicarum docet. Ariſtoteles l. 4. polit. c. 16. ita cenſet. *Iudiciorum autem differentia tribus finibus continetur, ex quibus, de quibus, quomodo. Ex quibus, hoc eſt, vtrum ex omnibus, an ex quibuſdam iudices ſumantur: de quibus, quot ſint genera iudiciorum: quomodo, vtrùm ſorte, an ſuffragio iudices fiant? Ac primum ſanè exponamus, quot ſint iudiciorum genera, vt ſit explicata iudiciorum partitio. Octo igitur ſunt iudiciorum genera, vnum eſt, quod ad repetendas rationes à magiſtratibus pertinet: alterum, quod ad delicta publica, eaque, quæ in perſonas publicas iniuſtè commiſſa ſunt: tertium, quod ad peccata in Reipublicæ ſtatum: quartum, de controuerſiis & magiſtratuum, & priuatorum, cùm ambigunt de multarum irrrogationibus: quintum, de priuatis rerum magnarum contractibus, & præterea de cædibus, & de criminibus interficiorum, & de rebus peregrinis. Maleficiorum autem ad cædeis pertinentium genera, ſiue apud eoſdem iudices res agatur, ſiue apud alios: alia ſunt ſponte & conſultò admiſſa, alia inconſultò atq; inuite: & alia conceduntur illa quidem, & de facto conſtat inter eos qui litigant, ſed de iure ambigitur. Quartum maleficium eſt, cuius crimen iis infertur, qui ob eadem non voluntariam exulabant, ab exſulio reuocatis, vt capitis cauſam dicerent: quale dicitur Athenis eſſe etiam id iudicium, quod exercetur in Phreattone. Sed talia hæc in omni æternitate pauca eueniunt, eaq; in magnis ciuitatibus. Iudiciorum autem eorum, quæ ad res peregrinorum pertinent, vnum genus eſt, quo peregrinus cum peregrino litigat, alterum, quo peregrinus cum ciue. Præter hæc omnia autem ſunt & iudicia de paruis contractibus, ab vna drachma vſq; ad quinq;, & paulo amplius. Oportet enim etiam de his iudicari, neq; tamen cadunt in iudicum multitudinem.*

Iudicū varia electio.

Octo iudiciorum genera.

De minimis etiam eſt iudicandum.

§. 3. Iudicum igitur ordinem exequi in animo eſt. Prætores hoc vnicè officio functi ſunt Romæ, quamuis enim Varro libr. 4. de lingua latina à præeundo dictos eſſe arbitretur, idque confirmet Juſtinianus, quod *tàm in re bellica, quàm legum præſcriptione præirent*, functio tamen eorum Romæ intra juris dicundi metas conſtitit; Conſules frequenter auocabantur, ne jus dicere poſcentibus poſſent, itaq; prætor, jurisdicundi cauſâ factus eſt Sp. Fur. Marci filius Camillus Anno ab V. C. 386. Eodem quo L. Sextius Primus de plebe Conſul, quamuis certamina inteſtina ſpectantibus, non tàm juſtitiæ, quàm ambitioni Magiſtratus ille originem ſuam debere videatur.

Prætores primo iuris gratia creati.

Prætor primus ambitione delectus.

Conceſſum eſt enim ab nobilitate plebi de Conſule plebeio, à plebe nobilitati de prætore vno, qui jus in vrbe diceret, ex patribus creando; verba Liuij ſunt lib. 6. & lib. 7. addit. *Annus hic erat inſignis noui hominis conſulatu, inſignis duobus magiſtratibus, prætura, & curuli ædilitate, hos ſibi patricii quæſiuêre honores pro conceſſo plebi altero conſulatu. Plebes conſulatum L. Sextio, cuius lege partus erat, dedit: patres præturam Spur. Furio M. Filio Camillo, ædilitatem Cn. Quintio Capitolino, & Publio Cornelio Scipioni ſuarum gentium viris gratia campeſtri dederunt. L. Sextio Collega ex patribus datus Lucius Æmilius Mamercus.* Et paulò pòſt: *Cum de induſtria omnia, ne quid per plebeium conſulem ageretur, proferrentur: Silentium omnium rerum, ac iuſtitio ſimile otium fuit: niſi quod non patientibus tacitum tribunis, quod pro conſule vno plebeio tres patricios magiſtratus curulibus ſellis prætextatos conſules tanquam ſedentes nobilitas ſibi ſumpſiſſet, prætorem quidem etiam iura reddentem, & Collegam conſulibus atq; iisdem auſpiciis creatum: verecundia inde impoſita eſt Senatui ex patribus iubendi ædiles curules creari.*

Primò vt alternis annis ex plebe fierent conuenerat: poſtea promiſcuum fuit. Additus deinde alter, qui peregrinis diceret, qui peregrinus, & minor prætor dictus eſt, vt prior Vrbanus & Maximus, electi centuriatis comitijs jurisdictionem ſortiebantur. Poſt creſcente non magis vrbe, quam fraude & ſceleribus, quatuor creati ſunt Prætores. Liuius Epiſt. 20. & deinceps ſex creati ſunt, vt habet Liuius l. 37. Tandem à Sulla additi quatuor, vt decem eſſent, & primi quidem duo priuata judicia exercuerunt, cæteri publica; & ne mireris mores veterum, duo interficarios jus dixerunt, vnus de repetundis, alij de alijs quæſtionibus.

Alius deinde creatus, qui peregrinis ius diceret.

Tandē decē prætores.

§. 4. Quamuis autem dicendi juris cauſâ creati eſſent, in bella tamen deinde ſunt miſſi. Sic apud Liuium lib. 23. duo mittuntur in Siciliam & Sardiniam. Id poſtea etiam vſus obtinuit, vt non minus prætores, quàm conſules prouincias ſortirentur. A tribunalibus igitur ad caſtra deducti ſunt Prætores.

Poſtea ſortiti ſunt prouincias.

§. 5. Contrarium in præfecto prætorio vſu venit. Principio quidem conſtituti ſunt, vt eſſent ἔπαρχοι αὐλῆς, *præfecti aulæ*, teſte Herodiano, vocanturque ὕπαρχοι & ἔπαρχοι τῶν δορυφόρων τῷ στρατῷ, τῷ στρατοπέδῳ.

Præfecti prætorio à bellica dignitate ad tribunalia veniunt.

τοτέλη. Eusebius vocat τὸν καθ' ὅλα ὕπαρχον. Augustus duos constituit, qui prætorianis cohortibus præessent. At postea magna eorum fuit in judicijs potestas, imò Constantinus Magnus, à bello ad tribunalia, & vectigalium eos curam reuocauit. Tanta porro fuit auctoritas judicantis, vt ab eo appellatio non permitteretur, ita π. tit. 11. *Breuiter commemorare necesse est, vnde constituendi Præfectorum Prætorio officio origo manauerit. Ad vicem magistri equitum Præfectos Prætorio antiquitus institutos esse à quibusdam Scriptoribus traditum. Nam cum apud veteres dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur, & magistros equitum sibi eligerent, qui adsociati participales curæ ad militiæ gradum secundam post eos potestatem gererent, regimentis Reipub. ad Imperatores perpetuos translatis ad similitudinem magistrorum equitum Præfecti Prætorio à Principibus electi sunt, data pleniore licentia ad disciplinæ publicæ emendationem. His cunabulis Præfectorum authoritas initiata in tantum meruit augeri, vt appellari à Præfectis Prætorio non posset. Nam cum ante quæsitum fuisset, an liceret à Præfectis Prætorio appellare, & iure liceret, & extarent exempla eorum, qui prouocauerant: postea publice sententia principali lecta appellandi facultas interdicta est, credidit enim Princeps, eos qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & grauitate ad eius officii magnitudinem adhibentur, non aliter iudicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret iudicaturus. Subnixi sunt etiam alio priuilegio Præfecti Prætorio: ne à sententijs eorum minores ætate ab aliis magistratibus, nisi ab ipsis præfectis prætorio restitui possint.* Nimium creuerat illa dignitas, vt omnia dirigeret vnus Præfectus, vt de Manlio Claudian.

A præfectis prætorio nõ licuit appellare.

Præfecti prætorio nimia potestas.

Non te parte sui, sed in omni corpore sumpsit
Imperium, cunctaq; dedit tellure regendos
Rectores. Hispana tibi, Germanaq; Tethys
Paruit, & nostro diducta Britannia mundo:
Diuersoq; tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanusq; celer, & dines Iberus.
O quoties doluit Rhenus, qua Barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur iudice ripis.
Vnius sit cura viri, quodcunq; rubescit
Occasu, quodcunq; dies deuexior ambit.
Tam celer assiduos expleuit rursus honores.
Vna potestatum spatiis interfuit ætas,
Totq; gradus fati iuuenilibus intulit annis.

Periculosum hoc docuerunt *Maiores domus* in Francia; Sejani, Rufini, Stilicones, alij, sed de judicibus dicere pergamus. Post Prætorem & Consulem in prouincijs jus dicebat legatus, in vrbe etiam ædiles, alijque, de quibus ordine dicemus, vbi hoc monendum est. Omnium judiciorum perditissimam fuisse rationem, ꝙ ad populum magistratus crimina publica deferebat, de quib. nequissimus quisq; sententiam dicere solitus erat. Nusquam judicia turpiora; agrum inter Aricinos, & Ardeates controuersum in suam rem vertit populus Romanus obnitente Senatu. Liuius libr. 4. sic Galbam absoluit misericordia liberorum, qui in Lusitania multos contra fidem datam interemerat. Gabinius absolutus est, ꝙ filius ejus humi jacens ab accusatore contemptus est. Claudium, qui classem amiserat, imber liberauit. Q. Flauium Augurem justius seruauit, cum enim jam à quatuordecim tribubus damnatus esset, exclamauit, *Innocentem se perire*, ad ꝙ accusator violenter respondit; *suâ nihil interesse nocens, an innocens pereat, dummodo pereat.* quâ atrocitate populus offensus reo fauit. Sic Æmylius Scaurus absolutus est, cum 120. in prouincia nominare non posset, quibus nihil abstulisset. Scipio Asiaticus inuidiâ damnatus est. Sed vt alia taceamus Coriolanum, Camillum, denique Ciceronem videmus populi temeritate afflictos.

Abusus summus prouocatio ad populum.

Populi Romani fœda iudicia.

Semper alii homines, sed iidem mores.

§. 6. Romana Respubl. minime omnium in judicijs ciuitati prouidere potuit. Idcircò creberrime judiciorum rationes mutauit. Senatus ad annum vrbis 630. judicia habuit, ad solos equites ea Gracchus transtulit, at anno 647. lege Seruiliâ iterum communicata est judicandi potestas Senatoribus, ita tamen vt major esset equitum numerus; postea enim Consule Cæsare Anno 662. numerum equitum Senatorumq; æquauit M. Liuius Drusus, vt vtriusq; ordinis trecenti essent, illæ leges eodem anno abrogatæ sint. Cum equitum judicia iniqua, quincias opprimerent, fortunasq; præsidum in potestate haberent. C. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone Consulibus, rogante Syluano constituti sunt judices 450. qui eo anno lites deciderent, idque ex omni ordine etiam plebeio, Anno 683. Sylla judicia integre Senatui restituit. An. 673. Cotta iterum inter Senatores, equites, tribunos ærarios judicia distribuit. Iulius Cæsar Consul tribunos ærarios sustulit. Pompeius secundùm Consul judices ex censu legendos ex Senatu, equestri ordine, Tribunis ærarijs censuit, legemque pertulit. His tribus decurijs contentus non fuit Antonius, sed pro Tribunis ærarijs, centuriones, Antesignanos, Alaudas, manipulares substituit; Augustus quartam decuriam addidit, ex ducenarijs, qui de rebus leuioribus judicarent. Hæc tanta judicum subitaq; mutatio signum est, nullos non modo placuisse, sed nec defendi quidem potuisse; Appianus refert, tempore L. Drusi corruptelam munerum inter crimina haberi desiisse, ita palàm frontem perfricuisse.

§. 7. Iudex, aut arbiter, aut recuperator à Prætore dabatur. Cum enim ante judices selecti essent, Prætor ex delectis numerum, quem lex præscribebat, sorte educebat, tàm reus autèm, quàm accusator poterat, quos volebat, rejicere, in eorum locum alios Prætor aut Iudex quæstionis sortiebatur. Actor ex 450. judicibus 100. reus 150. edebat lege Seruiliâ. Quod si judices se non excusarent, in leges jurabant, & nomina eorum excipiebantur, ne suppositicij possent intrudi. Nimia erat in illa sortitione libertas; quis enim dubitet, eum qui iniquam causam fouet, non infestos modo, sed omnes quibus cordi esse integritatem existimat, rejecturum? Itaque c. 3. de Iudicijs, aliisque legibus illa libido rejiciendi frenata est. *Apertissimi iuris est, licere litigatoribus iudices delegatos, antequam lis inchoetur, recusare, cum etiam ex generalibus formis sublimissimæ tuæ sedis statutum sit, necessitatem imponi, iudice recusato, partibus ad eligendos arbitros venire, & sub audientia eorum sua iura proponere. Licet enim ex imperiali numine iudex delegatus est: tamen quia sine suspicione omnes lites procedere nobis cordi est: liceat ei, qui suspectum iudicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, vt ad alium curratur, libello recusationis ei porrecto: cum post litem contestatam, neq; appellari posse, ante definitiuam sententiam iam statuerimus, neq; recusari posse ne lites in infinitum extendantur: eodem sc. executore necessitatem partibus per ordinarium iudicem & omne ciuile auxilium imponere, & arbitros eligere, & ad eos venire: & sic litem appetere, quasi arbitri fuerint ab imperiali culmine delegati. Quod si ab imperiali maiestate iudex delegatus non sit, sed ab alio culmine obtinere censemus. Dat. V. Kal. Maii. Constant. Lampadio & Oreste VV. CC. Coss.*

Sortitio iudicum recte institutaiterum depraua.

Lite contestata nõ licet reijcere iudicem.

Arbitros admittere cogitur, qui iudices recusat.

Ea de causa intra triduum arbitrum legere jubetur. Nunc hoc seruatur, vt lite contestatâ judicem recusare non liceat. Imò etiam causa, cur suspectus sit, judicanda est. In jure itaque postea illa omnia mutata sunt in melius, certumq; ordinem, vt recusare judicem non sit pro arbitrio rejicere, sed legitimas causas adferre, cur merito sit suspectus, quæ omnia sine calumnia infamiaq; sunt facienda. Leues fateor sæpe causæ admittuntur, vt judex recusetur; non modo, quia facile plures habentur, sed etiam quia hoc ipso, quod rejectus est judex, censetur inimicus. Si igitur est cognatus aduersarij vsq; ad septimum gradum, rejici potest, quia ad eum vsque est successio; potestq;

Durum est habere iudicem, etiã eum, quẽ iuste reiecerit.

potestque judex credi in eum esse pronior, cui potest esse hæres, q̃ causa valebit, etiam in remotiore gradu, si hæres esse potest: si affinis est pro ratione affinitatis merito rejicietur. Si domesticus & familiaris est aduersarij, non committet se illi pars altera. Non extendunt jura hoc ad Procuratores, vel Aduocatos alterius partis, quamuis judici sint familiarissimi, non tamen ideo rejicere licet. Item dominus aduersarij, patronusque recusari potest. Alia adduntur, vt si sint in eodem Collegio Canonici, ex eadem patriâ, si judex sit aduersarij subditus, aut vasallus. Si judex similem habeat causam, si fuit Aduocatus, vel consultor aduersarii, si sese ingessit, si fuit pro aduersario fideiussor, si inimicitiæ præcesserunt. Quin totum Consistorium potest rejici, si is qui præst, imperare alijs potest, & suspectus est. Alioqui ex integro collegio tantum suspecti remouentur, non etiam alij. Naturalis autem juris est remotio judicis merito suspecti, sed vt initio monui, pœna recusanti temere, imponitur. Optime in Syntagmate juris lib. 49. c. 4. Georg. Tolosanus. *Debent iusuper istæ caussæ recusationis edi in scriptis, & libello comprehendi, vt cogitatè non temerè proponantur imminente pœna temerè proponenti ex Constitutionibus etiam regiis, pro singulis causis temerariis in curiis interioribus 10. libræ turon. In supremis 20. libræ. Et ita cogunt vel pœnam luere, vel probare causas propositas, ideò debent decidendarum recusationum causa iudices seu arbitros deligere litigantes intra certum præscriptum à iudice recusato terminum: vel si non conueniant de illis, iudex ex officio dat, coram quibus probatio fiat causarum, si illæ manifestæ, & omnino notoriæ non sint, & iudex neget. Nam nullum iudicem sortiri, vel subsortiri velle, in reo summæ est diffidentiæ: in accusatore calumniæ argumentum. Omnino certe graue est iudicem recusare temere. Et id multis ad damnationem plurimum adiumento fuit, quod Catonem, eum qui postea dictus est Vticensis, iudicem in causa sua reiecissent: etenim illi innocentes videri non potuerunt, imò satis de se confessi, qui adeò recti, religiosi iudicis, virig̃ optimi ac integerrimi iudicium recusassent. Neq̃ hodie recepta est Bartoli glossa: nec aliorum sententia, ad l. apertissimi. C. de iudic. quæ statuunt iure ciuili sine causa suspectum dictum iudicem recusari posse: sed sequimur ius Pontificium, vt non prius iudex esse desinat, quam causæ fuerint suspicionis probatæ.*

Cur iudex reiiciatur?

Causa reiecti iudicis ab arbitris iudicatur.

Centumuiri.

§. 8. Optime in Republica constitutum videtur judicium centumuirale. Ex tribubus 35. lecti sunt 105. viri, qui numero rotundo dicti sunt centumuiri, è singulis tribubus tres constituti sunt, numerus & jurisdictio postea aucta est, Plin. l. 6. Ep. 33. fuisse 180. testatur. Quatuor eorum erant consilia. Iudicabant de causis ciuilibus Cicero lib. 1. de Orat. Prætor vrbanus illis præsidebat, duæ hastæ ponebantur, quatuor consilia vnam eandemque causam cognoscebant. Plin. Epist. 21. l. 5. & c. 2.

§. 9. Triumuiri capitales tributis comitijs legebantur, quorum erat judicare de vilibus, & abjectæ conditionis hominibus, de maleficis, seruis nequam, Creati sunt Curio Dentato Consule, an. vrbis 465. Inter cætera etiam carcerum, & latomiarum curam habebant, deprehensâ Bacchanalium conjuratione: Triumuiris capitalibus mandatum est, vt vigilias disponerent per vrbem, seruarentque, ne qui nocturni cœtus fierent: vtque ab incendijs caueretur. Liuius lib. 39. Ijdem incusantur à Senatu, quod aduenarum, & populi superstitionibus non resistant. Liu. l. 25. *Incusati grauiter à Senatu ædiles, triumuirig̃ capitales, quod non prohiberent: cum emouere eam multitudinem è foro, ac disiicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur. Vbi potentius iam esse id malum apparuit, quam vt minores per Magistratus sedaretur. M. Æmilio Pr. vrbis negotium ab Senatu datum est, vt his religionibus populum liberaret. Is & in concione Senatusconsultum recitauit, & dixit, vt quicunq̃ libros vaticinos precationesue, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasq̃ ad se ante Calendas Aprilis deferret: neuquis in publico sacroue loco nouo aut externo ritu sacrificaret.* Videntur autem capitalium rerum executioni præfuisse, ita Sal. in Catil. & Plaut. Amphyt.

§. 10. Duumuiri Perduellionis à Tullo creati, & postea crebro extra ordinem, de perduellione judicarunt. Labienus Tribunus plebis intermissum magistratum restituit. Quo ipsius facto, Cicero pro Rabirio ad accusatoris inuidiam vtitur. *Porcia lex*, inquit, *libertatem ciuium lictori eripuit: Labienus homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium R. iniussu vestro iudicaretur: hic popularis à duumuiris, iniussu vestro, non iudicari de ciue Romano, sed indicta caussa ciuem Romanum capitis condemnari coëgit. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cuiusquam denig̃ hominis popularis mentionem facis, qui non modo suppliciis inusitatis, sed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem huius populi, tentare mansuetudinem, commutare disciplinam conatus es?*

Duumuiri perduellionis extra ordinem lecti.

Magnæ autem dignitatis viros præfuisse his judicijs, ex judicio Rabirij constat, nam duumuiri tum erant Iul. & L. Cæsares, à quibus damnatus ad populum prouocauit.

Magnæ auctoritatis viri in magnis causis legendi.

§. 11. Quæstores rerum capitalium à populo constituebantur, qui quæstores, vel quæsitores parricidij nominabantur; Parricidæ enim dicebantur, quicunque hominem interemissent. Legis Numæ verba sunt: *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.*

Quæstores rerum capitalium.

De exilio judicabant Quinqueuiri, vt Plinius testatur, erant illi ex optimis Senatoribus lecti. Postea statutum est, vt sorte legerentur, ita Hon. & Theodosius. Quod tamen alijs deinde legibus mutatum est, cum sors non facile in tanto negocio sit admittenda.

§. 12. Prætor qui Constantinopoli dicebatur, πραίτωρ τῶν δήμων, quem ait Simocatta, τὸ θέματος δικάσην, judicem thematis, tantum judicandi partes habuit, quemadmodum etiam Iuridicus Alexandriæ. Iudicia porro Constantinopoli fieri solebant ad puteum sacrum templi S. Sophiæ, vbi velum tendebatur. Plures fuisse δ' βήλα judices auctor est in Alexio Nicetas. Alii putant judices veli dictos, q̃ ad Imperatoris Cameram judicarent. Velarij vero, qui assistebant, & loca tribunalium tutabantur.

Prætor populi.

§. 13. Decemuiri Stlitibus iudicandis in iudicio centumuirali erant, hastam centumuiralem cogebant. Donatus putat ex centumuiris non fuisse. Dio lib. 54. vocat τὰς δεκὰ, τὰς ὅθι τῶν δικαστηρίων, τῶν εἰς τὰς ἑκατὸν ἀνδρας κληρωμένων. Sueton. in Octauio ait inter alia constituisse Augustũ, *Vt centumuiralem hastam, quam quæstura functi consueuerant legere, decemuiri cogerent.* Decemuirale itaque & centumuirale iudicium idem omnino fuit. Læuinus Torrentius in eum Suetonii locum. Pomponius libr. 11. *De origine Iuris, decemuiros litibus iudicandis, qui hastæ præessent. Centumuirali, eodem fermè tempore constitutos tradit, quo prætor peregrinus primum factus est; quog̃ triumuiri monetales & capitales: circa annum D X I I. ab V. C. An igitur alios creauit Augustus? quod ego sanè non existimo. iidem enim fuere, & quidem (ni fallor) ex corpore centumuirorum, quanquam alios conuocandi ius habebant. Augusto enim priores fuisse, non solum Pomponii euincit auctoritas, sed ipsa nominis scribendi ratio: cum hodieq̃ extent antiqua marmora, in quibus X. viri* STLITIBVS IVDICANDIS *scribitur: vt stlocum, & stlatum, & stritauum, dicebant veteres. Contigerat autem medio tempore, vt quæstura functi eorum muneri præficerentur: quod Augustus abrogauit.*

Decemuiri stlitibus.

Centumuiri.

Decemuiri ex centumuiris fuêre.

Dio lib. 54. *Ideo prius absente Augusto decretum fuerat, vt XX. viri ex equitibus crearentur. Vnde nemo eorum in*

Senatum allectus erat nullo gesto magistratu, qui in Senatum aditum præbet. XX. illi viri sunt ex XXVI. viris, tres scilicet viri capitales, Tres viri monetales, Quatuor viri viatorum in vrbe curatores, vel Decemuiri litibus iudicandis, quæ sorte à Centumuiris iudicandæ sunt. Duo enim viarum extra vrbem Curatores, & Quatuor in Campaniam missi sublati erant.

Transcribenda hæc arbitratus sum, quia eandem ferè iudiciorum rationem video Rebuspublicis plerisque placuisse. Decemuiri creabantur singulis annis. Quotannis viri viginti sex creabantur, qui deinde munia sua distribuebant, vt essent Triumuiri capitales, monetales, Quatuoruiri, curatores viarum, decemuiri Stlitibus judicandis, duumuiri viarum extra vrbem, quatuoruiri in Campaniæ Præfecturas mittendi. Ex Senatu sumebantur, & initium honorum erat; Augustus vigintiuiros creauit sex posterioribus omissis, & ex equitibus sumpsit, vt Dio libr. 54. Sed tamen etiam ad Senatorum liberos reditum constat. Nam apud Tacitum ann. 3. Tiberius à patribus petit, vt Nero Germanici filius munere capessendi vigintiuiratus soluatur. Ad Principum igitur filios ea quoq; functio pertinebat.

Iudices in prouincia rationem reddunt.

§. 14. Hoc quoque sapientissime cautum est, vt iudices in prouincia rationem reddant. Judices quinquaginta dies in prouincia maneant c. 1. tit. 49. *Nemo ex viris clarissimis Præsidibus Prouinciarum vel consularibus aut correctoribus, vel qui administrationis maioris insulas meruerint, id est, viri spectabiles, Proconsules, aut Præfectus augustalis, aut Comes Orientis, aut cuiuslibet tractus vicarius, aut quicunq; Dux vel Comes cuiuslibet militis vel diuinarum Comes domorum, postquam sibi successum fuerit, audeat excedere de locis, quos rexisse noscitur, antequã 50. dierum constitutus numerus finiatur. Sed per id tempus Præsides quidem & consulares, nec non correctores in metropoli, spectabiles vero iudices tam ciuiles, quam militares in ciuitatibus administratæ diœceseos illustrioribus publicè, non domi, vel intra sacrosanctos terminos, vel regiones aut potentes domos latitantes, sed in celeberrimis locis ante omnium, quos nuper gubernauerant, ora versentur: vt pateat omnibus facultas libera super furtis aut criminibus querimoniam commouendi: ita vt ab omni defensus iniuria prouisione post eum administrantis, ac periculo officii, nec minus curialium & defensoris ciuitatis, iuratoriæ tantum cautioni commissus, postquam fuerit in querimoniam deuocatus, pulsare volentibus (vt dictum est) pro legum ratione respondeat. Nec vllam ante præfinitum tempus de prouincia discedendi excusationem ei tribuat, vel diuinæ vocis copia, vel codicilli alterius administrationis oblati, vel præceptum amplissimæ tuæ sedis, vt alterius prouinciæ moderatoris vices obtineat, aut præceptum præfatæ, vel alterius ciuilis vel militaris cuiuscunq; potestatis, vt quamcunq; sollicitudinem publicam gerat, aut exhibeatur, aut deducatur, aut postremo cuiuslibet artis astutia, cuiuscunq; occasionis excogitata calliditas excludatur, vt modis omnibus, quæ pro vniuersarum prouinciarum salute sancimus sortiantur effectum. Quod si quis temeritate punienda saluberrimam legem circumscribendam vel violandam crediderit, licet & maiestatis reus non immerito iudicetur, attamen 50. librarum auri multam publicis calculis inferre cogetur: Simili pœna plectendo eo, qui post eum administratione suscepta minimè eum curauerit, honeste retinendum, aut super eius fuga protinus referendum.*

Lex repetundarum facilimæ executionis.

Qui iudices esse nõ possint.

§. 15. Judicare prohibentur muti, surdi, impuberes; surdum & mutum Principem, cum per literas satis causam intelligere possit, & scripto sententiam judicare, non prohiberem judicandi potestate, nisi cum quædam voce exponenda sunt. Parentes nostri judicem absq; infamia esse voluerunt, itaq; Senatu motum, nisi vel restitutum, vel elapso tempore condemnationis judicare vetuerunt. l. cum prætor. §. penul. de judic. P. Aurea lex Ciceronis est, *Hominibus turpi iudicio damnatis in perpetuum, neq; vllum ad honorem, neque in curiam aditus est.* Si quis igitur acceptâ pecuniâ testimonium dixit, vel denunciauit, vel judicauit, vel judicio supersedit, vinxit aut non vinxit aliquem, huic portæ dignitatis clauduntur. I. Si quis precio, non vitæ commendatione ad honores venit. Postulatus criminis non potest eo anno honores adipisci, nisi se purgauerit, non amittit tamen quos habet, qa inauditus damnari non debet. Vetiti sunt olim mercatores, præsertim rerum vilium, quod ex parte probandum, sed non in vniuersum alibi ostendi. Copiosi enim negociatores & honesti cum laude regunt multas & magnas ciuitates.

Improbi præfecturas emunt.

§. 16. *Valde tamen lugendum esse*, docet Toloss. l. 47. Syntag. c. 10. *eos, qui pecunias vsuris, fallaciis, circumuentionibus q; congregauerint, Rerump. & dignitatum mercari officia, ex quibus iterum lucro assueti misera cum subditorum iactura negotientur. Quod si prisci Romani admississent non mirarentur tantopere, quod Varro ex Macellaria patris taberna ad consulatum conscenderit, & largitione sordidissima duodecim fasces & dictaturam consequutus fuerit. Quod Titius Aufidius partis exiguæ Asiæ antea publicanus, postea proconsulare cũ imperio dignitate Asiæ obtinuisset: & Pub. Rutilius, qui antea publicanis operam dederat in Sicilia: Siculis vniuersis leges dederit consul effectus.* Præcipua conditio judicis est, vt sit peritus causarum, de quib. judicat, de quâ scientia dixi l. 4. Alia diuersis legibus est agitata conditio, ne quis magistratum gereret, aut judicaret in prouincia, in qua oriundus esset, de qua re sunt leges Romanorum non consentaneę Reip. ipsorum, cum Romę judicarent tantummodo Romani; aliquando idem visum est Francis, vt legem de alienigenis judicibus Philippus Pulcher, & Carolus V. ferrent. Dicitur & vsitatum esse in Castellæ regno; nam de vrbib. Italiæ supra dixi. Viros tamen bonos pferendos puto, alioq & Reges pegrinos & Principes eadem ob causas adoptarent, q in sua Repub. Deus improbauit, qui vetat alium Regem constitui, qui non sit frater.

Index causarum sinarum sit peritus.

Peregrinus iudex non est probandus.

§. 17. Iudicum in Galliâ rationem eruditissime descripsit Consultis. Toloss. lib. 47. c. 33. in hunc mod. *In Gallia, quia diuersum sermonis idioma est, & diuersus regendæ Reip. modus, Rectoribus prouinciarum exemplo Romanorum omnino non vtimur, ex parte quamuis cum Romanis consentiamus. In ea iurisdictiones & potestates ex nutu & Principis voluntate distinguuntur. Sunt tempore belli maxime Rectores prouinciarũ, quos dicimus, Gouuerneurs du pays: qualis Gubernator noster Tectosagum, aliusAquitaniæ, Picardiæ, & similes, qui pro Proconss. existunt. Quidam & Legati cũ potestate regia vicarii Regis, quos vocant etiam Viroys, quorum potestas Præfectis Prætorianis comparari potest. Etsi non diffitear Rectores vel Gubernatores etiam vices Regis agere in militarib. causis, & in prouinciis sibi commissis. Magna olim erat horum authoritas: concedebant n. veniam & abolitionẽ criminum, nundinas & mercatus nobilitabant, legitimabant seu restituebant natalib. auocabant à iudicib. ordinariis causas ad se. Quæ tamen omnia postea adempta, & restituta regiæ soli potestati, edicto Ludouici XII. Hodie Rector Delphinatus omnia officia concedit, pluraq; potest: exceptis Curiæ supremæ Parlamenti officiis, & indulgentiis seu veniis criminum. Falluntur qui putant vicarium generalem Regis, quem vocamus Lieutenant general pour sa Maiesté. Proconsulib. similem dici. Nam melius hic, qui vices agit in vniuersis prouinciis Galliarũ, diceretur Magister militum, qualis sub dictatore vel Præfectus Prætorio sub Impp. vel tempore priscorum Regum Francorum, Meier vel Magister domus: ex cuius authoritate tota militaris opera regeretur, qui secundus post Regem in ea potestate, maior Proconsul & Gubernatoribus, Præsidibus ue prouinciarum. Et certe hoc etiam munus vix conceditur, nec non concedi debet alii, quam Principis fratri, vel filio, vel ei qui designatus est successor imperii. Periculum n. est, ne qui hac inuestitur dignitate, allectus dominandi dulcedine, & quia iã omni manu militari armatum se videt, inuadat principatũ eius, cuius vicariatum gerit: saltem ita olim contigit, quando Meieri & domus Franciæ maiores vsurparunt imperium. Est itaq; iste Vicarius Regis generalis maior, qui etiam sub se alios habet Galliæ Polemarchos, quos vocant Mareschaux, syllabis priorib. Polemarchi decisis. Subduntur & illi gubernatores prouinciarum, qui &*

Galliarum varii iudices.

Locum tenens Generalis in Gallia.

habent alios sub se, veluti Toparchas, i.e. certorum locorum gubernatores: qui interdum præter morem antequam Senarchijs & Bailliuis additi sunt, & interdum cum Seneschallis, & gubernatores in Seneschallia adduntur, & regunt secundũ Principis voluntatem. Verum senarchi sunt legitimi Toparchæ, & antiquiores istic singularib. gubernatoribus addititiis. Sunt n. senarchi veluti proprii & naturales locorum gubernatores, non tantum paludatis, sed etiam togatis gubernatoribus adscribendi. Vt etiam Philippus VI. cognomento Valesius eos nominauerit in Constit. an. 1344. Rectores prouinciarum: dum ait, tempore appellationum agitandarum in diebus ordinariis suæ Seneschallæ eos in Parlamento interesse debere, (vt, inquit, apparere possit de ipsorum gestu, vita, & morib. & quo modo per ipsos digne regantur prouinciæ eis traditæ sub eorum regimine, &c.) Militari namq; opera & iurisdictione sibi commissos regunt: duces nobilium tempore belli suæ Toparchiæ sunt, & bannum & heribannum sub illis solis pugnat ducibus. Et ex Const. Henrici II. diei 9. Feb. 1547. art. 3. Si modo ipsi Toparchæ militiæ regendæ & ducatui idonei sint. Nam illis non idoneis ex nobilib. Toparchiæ eligitur vnus ex Rectoris prouinciæ decreto, si Rector sit: sin minus, per delegatum ea de causa per Principẽ in locũ Seneschalli qui ordines tempore militiæ Toparchiæ ducat. Eaq; de causa vidi aliquando conqueri Cadurci strenuum certe toparchum seu Seneschalchum, q̃ fuisset Præfectus singularis à Principe in sua Toparchia Gubernator, tanquã putans sibi id dedecori esse, cuius cõtrouersiæ causæ etiam in varias sciãt ciues sententias & simultates, vt verear, ne quid inde grauius postea ortum fuerit. Senarchia vel Seneschalchia quã vulgari nomine seneschalchiam & Bailliuam dicimus, inde & Seneschal & Baillif, pro Toparcha & Præfecto declinationem nominis habent ab vna significatione, Siquidem Senarchia dicta videtur ex compositione nominis Latini & Græci senum ἀρχία, senum Principatus: Et Senarchus, siue Senescharchus, qui huic concilio senum præfectus est. Vel si malimus integram compositionem dictionibus græcis constare, Coenarchiam dicemus ex græco κοινὸν & ἀρχία, i.e. communis Principatus, vt Perionius obseruauit. & Cœnarchus Princeps eius administrationis dicetur. Potest dici à German. idiomate Seneschalcia, à verbo Seken & Schalk, indagatio & perquisitio, seu censura hominis pessimi, & veteratoris, q̃ in ea sede de iudiciis agatur maxime virorum iniquorum. Quidam etiam dicunt vetus verbum Sen iustitiam significare, & scalcũ præfectum: atq; dicunt inde senescalcos iustitiæ præfectos, sed diuinare id dicit Lupanus. Dicitur & Bailliua, quasi βουλή, i.e. consilium. Noluit n. Princeps omnino ciuitates præclaras solis Toparchis committere sine cõsilio prudentum virorum, qui eis assiderent, sicuti & iuridico Alexandriæ, Seuerus, teste Spart. in eius vita adiecit ordinem Decurionum. Præsides certe prouinciæ iuridici isti non possunt dici, quia nec vni prouinciæ præficiuntur, & plures in eadẽ prouincia sunt Seneschalli: vt in Aquitania plures apud Tectosasages, plures & alibi similiter, Sicuti nec potestas Præsidis illis conuenit: nam ab iis prouocatur, à Præsidib. nequaquã. Extat & Constit. Car. VI. cognomine Pii, anni Dom. 1138. qua prohibentur alia nomina quam vulgata, & præpositi. Sic n. statuit (Nullius seneschalliæ, Bailliuiæ, aut alterius iudicaturæ regimen volumus gubernari, vel alio nomine præterquam Seneschalli, Bailliui, vel præpositi: sicut antiquitus fuerit concessũ.) Itaq; prouinciæ diuisæ sunt in Gallia, in has præfecturas etiam locorum, vt facilius res tum ciuiles tum militares regerentur: quemadmodum & Plin. l. 5. c. 9. refert Thebaidem in Asia diuidi in præfecturas oppidorum, quas nomos dixerunt. Fidem facit, q̃ senarchorum institutio primaria exigebat, vt per seipsos suum munus exequerentur, neq; vicariis vterentur, aut Subpræfectis, nisi ob grauem & necessariã absentiam, ex Const. Car. VII art. 86. In Const. Philip. Pulchri, 1302. Atq; iubetur Const. Car. VI. anni 1388. & alius plurib. Constitut. vt ipsi sint assidui, seu vt dicunt, residentes in præfectura: quemadmodum aliis statis curiis principalib. & inferiorib. necessitas assiduitatis & residentiæ imposita est à Principe pendentib. dieb. iuridicis, Senatoribus etiam & Præsidibus Senatus. Extat q̃ Constitutio Francisci I. Sur la residence des officiers, conseilliers, Presidens, Baillifs, &c. Et Const. anni 1539. art. 129. Et Const. Car. VIII. art. 3. & 77. Car. VII. art. 2. Lud. XII. ar. 23. & 25. Quinimo nec ex Principis consilio possunt esse, vt absint pendente præfectura, ex Const. Car. VI. an. 1388. Sunt senarchiæ iudices maiores & minores seu Subpræfecti aliquando, si tractus iurisdictionis paulo latior sit, & si populo suo locus sit, vocãt Lieutenans & sieges de Seneschaux. Sed Subpræfecti à Principe non à senescharcho instituuntur & præficiuntur, nec delegati, sed ordinarii iudices sunt: sub ditione, nomen & potestate eiusdem Senescharchi. Et ideò iudicia eorum nomine senescharchi proferuntur. & negotia eodem nomine expediuntur: quamuis ipse per seipsũ non iudicet. Nam iudices illi additi in hac parte operam pstant, ipse à nomine & potestate eius iudicia authorat & tuetur, & executioni mandari iubet. Et ideo placuit Ludov. XII. art. 48. suæ constitutionis, ne alii Præfecturæ vel Subpræfecturæ regendæ iudiciorum Senarchiæ pficiantur, quam qui gradum Prolytatus seu licentiaturæ, vel doctoratus in aliqua famosa vniuersitate adepti fuerint. Prohibitum aliquando, ne iuridicus quis patriæ suæ fieret à Philip. Pulchro, & à Carolo V. vt olim in l. fi. de off. rect. provin. C. apud Rom. sunt & Constit. Regum, quæ statuunt de qualitate pficiendorum & de examine illorum, & aliorum officialium, vt constitutio Henr. II. an. 1547. & 1548. Omitto etiam, forsan quia abiit in dissuetudinem constitutionem vetantem mercari vel emere officia, cuiuscunq; curiæ maioris vel minoris regis Caroli VIII. art. 68. quæ publicata. ann. 1463. cui alia consentit Lud. XII. art. 40. De quibus notio sit, senarchis & curiis illorum, satis liquere arbitror ex Regũ vulgaribus constitutionibus, eam esse rerum Domanii Regis, luitiũ nobilium, dationis tutorum, vel curatorum, de conseruatione vel curæ ædium sacrarum, vt sartæ tectæ ve sint, vtq; priuilegiatorum criminum illorum examinatio, si agatur de læsa aut imminuta maiestate, de fide publica violata, de vi armata, de feudorum adnouatione tradenda per vasallos Regi, de executionib. obligationum factis virtute cuiusq; sigilli secundum consuetudinem. Et proclamationes armorum faciunt: nisi in terris Baronum & aliorum habentium hanc iurisdictionem. De pontium, itinerum, murorum refectionib. statuunt, si proprii Magistratus sint negligentes: de sacerdotiorum querimonia, dominii res, quæ olim prima actione seu in prima instantia in Parlamentis tractabantur, vt ait Imbertus l. 1. Inst. Forens. §. porrò, nunc etiam pertractant. Cognoscunt & de aliis quorum iurisdictio illis concessa est, de quib. stylus & constitutiones satis admonent pdictorum Regum, & Francis. V. 16. Apr. 1537. art. 3. 4. 5. 6. 7. &c. Senescharchi, antequã possessionem nancisc̃atur pfecturæ, coguntur iurare in verba cõcepta sacramenti hac de administratione constituti in curia suprema Parlamenti, ad quam ex eorum iudicibus prouocatio est, se ius Regis conseruaturos & Domanii, suum cuiq; sine discrimine personarum reddituros, dona munerave, nec xenia, imo nec edulia à sibi commissis accepturos, neq; vxores, famulosve aut comites accipere passuros, non subditos oneraturos, idipsum suos iudices efficere curaturos. Et proinde dum statis dieb. anni causæ prouocationis ordinariæ cuiusq; senarchiæ agitantur in Parlamẽto, ad q̃ ab illis prouocatio est, singuli Toparchæ in causis suis Bailliuiæ interesse auditorio debent, reddituri gestorũ, si opus sit, rationem, & vt inibi triumuiros regios moneant & instruant de iurib. regiis & Domanii suæ senarchiæ, & de abusib. officiariorũ regiorum, vt q̃ curent negotiorum gestorum, & quæ appellatione agitantur ex sua Toparchia acta pferri, aliaq; similia gerant, quæ pscripsit Carolus VI. an. 1388. & Carol. VII. 1453. Senarchiæ aliquando non habuerunt officium perpetuum seu administrationem perpetuam, nõ iuridici illorum semper perpetui, vt neq; alii officiarii in Gallia, & ideò pendente administratione vel officio non licebat eis, vt liquet ex Constitutionibus prædictorum proximè Regum & aliorum, emere, contrahere, vel vxorem ducere, vel beneficium Ecclesiasticum assequi sine licentia Principis, prò se vel pro suis habere vel impetrare exemplo administrantium prouincias Romanorum vel officia prouincialia, non mutuo accipere supra viginti libras. Eratque conuentus illorum iuridici non stati, vt nunc, sed per Toparchiam in locis præstantioribus indicti vocabant Assises, idest, Sessiones: Vnde Sieges. Quare & exemplo Romanorum Magistratuum ex Constitutione Caroli Sexti

Seneschalchi.

Bailliuiæ.

Præpositi.

Subpræfecti.

Examinãdi officiales.

Rationes reddant.

Quinquaginta manent in prouinciâ.

post depositam administrationem Senarchiæ & iudicaturæ per quinquaginta dies in Senarchia tenebantur residere, vt iuri starent, & responderent coram Successoribus, libellis, petitionibus, conquestionibus aduersus illos propositis summarie, & de plano iudicandis. Cæterum quemadmodum cognitiones Senarchorum Curiæ supremæ examini appellationis caussa subiiciuntur: sic & Iudices quidam ordinarii sunt, à quibus prouocatio ad Senarchiam defertur. Et nouit quælibet Senarchia suos sibi hac de causa fines. Sunt & cum his in quibusdam ciuitatibus vicarii, quos Viguerios Tholossæ & alibi dicimus, quorum iurisdictio aliquando suppressa reuixit. Viguerius in quibusdam cum Decurionibus & Seneschallo concurrit, Iudex tamen ordinarius est, minimarumq; causarum & minimorum criminum. Vt ridiculè lapsi sint, qui putant Viguerios dici, quasi Vergobretos. Erat enim Vergobretus maior & regiæ propemodum authoritatis apud Heduos, authore Iulio Cæsare, à quo maximè Viguerius. Arbitror autem, quantumuis dilatent philacteriæ Viguerii, Viguerios dictos esse, vel à nomine composito Vices gerentis, vt dicimus idiomate communi (Vichancelier, Viroy, Vigerand.) pro Vicecancellario, pro Vicario Regis, & pro Vices gerente alicuius, Et Viguerium pro Vicario accipiendum Seneschalli: Sic me monet constitutio Philippi Quarti dicti pulchri Anni 1302. dum ait (Volumus insuper & ordinamus, quod nullus Seneschallus, Bailliuus aut iudex quicunq; habeat præpositum Viguerium seu iudicem, qui eidem consanguinitatis, affinitatis, vel naturæ vinculo teneatur, ne personæ prædictæ in causis, quæ ad ipsos per appellationes peruenire debeant, minus fideliter iudicent) Alicubi isti Viguerii se dicunt exornatos custodia arcium, vnde arcium loci dicuntur custodes, Castellani & Sigilli interdum & Præpositi, Preuosts. Et idcirco iurisdictio illorum secundum definitam à Regibus, & Seneschallis naturam distinguenda est. Cognoscunt vt plerunq; de tutelis non nobilium, de suspectis tutoribus & curatoribus, de annonæ profligatione, de abusibus cauponum, hospitum, pistorum, lanionum, Pharmacopolarum, propolarum, & negotiatorum intra vrbem seu suam iurisdictionem, de pactionibus, & obligationibus sub sigilli certi rigore transactis, de aliis criminibus quoque iniuriarum, inuasionum, nisi vel contraria prohibeat iurisdictio, vel consuetudo, quæ in potestate forensi considerandæ aliàs monui, ne transgrediantur terminos, quos Patres & maiores eorum posuerunt & obseruarunt.

Nunc alii iudices cõstituti sunt.

Viguerii. Vergobreti.

Locum tenentes Seneschalchorũ.

Sunt & nouissimis temporibus Senarchis additi Subpræfecti paludati, quos vocant Lieutenans de Seneschaux de robbe courte, alicubi, & qui latronum grassantium prehensiones & iudicia exequerentur: quales præpositi Mareschalchorum vel Subpræfecti fuerunt, sed dicti nomine Vicesenescalchorum, Vicesenescaux, proprie Latrunculatores. Sic enim variatio temporum mutauit nomina rerum, auxit, & minuit iurisdictiones Præfectorum ex nutu & arbitrio Regis pro necessitate prouincialium. Et ita etiam Præfecti prouinciarum locis facti perpetui Senarchi, & iudices illorum togati aucti, & perpetuæ βυλαὶ seu Concilia, eaque statæ & iudicum officia cum titulo à Principe concessa iis, qui pro Senarchis ipsis iudicarent, sportulasq; reciperent, manu armata Senarchis concessa. Additæ etiam prærogatiuæ istis consiliis, iurisdictiones rerum omnium ciuilium, exceptis dominialibus Principis de aquis, & nemoribus eiusdem statuendi diffinitiue, sine prouocatione ducentarum quinquagintarũ librarum Turonensium, & quingentarum, quarum executionem non obstante prouocatione, sine præiudicio tamen illius possent prosequi, vt habetur in Constitutione Henrici Secundi mensis Martii 1551. vbi de origine illorum. Fuit aliquando & summa iurisdictionis ampliata, cum primum nouus Magistratus creatus est, dictus Præses Præsidialis: nempe Magistratus in eo consilio Toparchico, primus, qui præsideret Præsidibus siue iudicibus introductis: non quidem prouinciæ, hoc enim falsissimum est, & temere Præsidis prouinciæ nomen & purpuram quidam sibi arrogant hoc falso prætextu. Neque Rex eos nominat Præsides Prouinciæ, sed Præsides & Præsidiales: Iam enim Præsidiales scilicet iudices & Consiliarii dicuntur & dicebantur olim, qui præsidebant cæteris Seneschalliæ sedib. Nam fere singulæ Seneschalliæ habent duas vel plures eiusdem Senarchi in diuersis locis classes, sed vna fuit electa præ & ante alias sedes, quæ aliis præsit, appellationes aliarum terminando: Vnde qui in illa sede, quæ præcipua inter alias est, constituuntur, iudices præsidiales dicti sunt, & in quantum de appellationibus iudicant sedium inferiorum; Et iidem quoque dicti ordinarii in quantum de sibi subditis & suæ iurisdictioni, in prima actione extra caussam edicti, quo prouocatio interdicitur iudicant. Quare iidem iudices & ordinarii in causis extra edictum & Præsidiales & Superiores dicuntur in causis edicto permissis huic iurisdictioni. Et proinde Præses Præsidialis statuitur inibi, non vt prouinciæ præsideat, nam nec præsidiales ipsi iudices, neque Seneschalli ipsi prouinciam habent, sed partem prouinciæ, seu diœcesin: at potius, vt Præsidialibus præsit, & absente Seneschallo prosiciat in curia sibi commissa, vt probe ex iure omnia à iudicibus gerantur, præcedit hunc honore veluti suum Vicarium ipse Senarchus: Præses verò prouinciæ Romanorum nullum superiorem habebat in sua prouincia, & primus erat post Principem. Præsidere autem & iudici maiori hunc oportere satis nomen & officium indicat, quamuis viderim hac de re controuersias, sed hæc iustior sine affectu est sententia. Neque etiam æquum est, vt qui caput constituitur consilii, membrum quod subiicitur sequatur: quamuis repugnet misera Magistratuum quorundam ipsius seculi ambitio. Itaque aucta curia nouo Magistratu, & quodammodo Senarcho togato iurisdictio Præsidialis creuit, in his quæ refert Rebuffus in primo tomo Constitutionum regiarum tit. 12. art. 11. Veruntamen quia posteà imminuta maximè videbatur Senatuum inde authoritas ad suam rediit originem ex edicto Caroli Noni Molinensibus habito 1566. artic. 15. & Parisiis mense Martio 1568. & fuerunt, qui existimarunt hoc munus, hancque nimiam iurisdictionem superfluam, vbi Parlamentorum tot nempe septem adsunt supremæ Curiæ: Cum Magistratuum multiplicatio videatur litigandi occasio, vt aiunt. Vix enim possunt assuescere grauitati Senatoriæ, qui in ordinariis & primis actionibus coguntur pragmaticis & vilioribus negotiis consenescere. Ego tamen in his non immorabor, audiuit namque in Comitiis Aurelianensibus, & Blesensibus, & alibi subditorum hac de re libellos Princeps statuet, vt opinor, quod è Republica, & ad salutem populi sibi à Deo commissi videbitur, parcetque ærario, quod tot salariis geminatorum officiorum penè exhauritur. Scit enim melius paucis bonis Rempublicam regi, quam plurimis malis, quorum forsan maior pars potius proprio lucro quam Reipublicæ saluti studet. Intelligit namque forum ita sancte, vt iustitiæ & Dei sedem tractari oportere, vt non præda petenda sit inde, vnde prædatores & latrones supplicium debitum Maleficijs accepturi sunt. Sed hæc hactenus de Magistratibus prouincialibus Gallicis dicta sunt. Omitto plura de Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Castellanis, & aliis Iuridicis Dominis locorum: quod iam de illis dixerimus in feudis libr. 6. Syntagm. huius cap. 7. 8. 9. 10. 11.

Præses præsidialis.

Magistratuum multitudo occasio litigandi.

§. 18. Sunt non dissimilia Romanis licet varie diuersa judicia, & qui illis præsident. Hinc Bailliui, Castellani, Præpositi, auditores Castelleti, Curiæ Præsidiales, judices & consules mercatorum, inquisitores, Majores, Schabini, Secretarij mandatorum, Secretarij domus Franciæ, seu Cancellariæ. Aurea est constitutio nouellæ de judicibus sine suffragio creandis, quæ omnes Respublicas ita instruit, vt si quæpiam sequatur de justitiâ optime sibi prospectura sit. Quod multi optarunt, pauci perfecerunt. Sed Nouellam audiamus, Nouell. 8. Coll. 2. tit. 2. in præfat. Cogitatio igitur nobis facta est, quod agentes omnia quæcunq; in nostris prouinciis sunt, vno actu communi ad meliora migraremus. Hoc enim omnino euenturum credimus, si præsides gentium quicunq; ciuiles administrationes prouinciarum habent, puris procuremus vti manibus, & ab omni abstinere acceptione: pro illis solis contentos eis, quæ à fisco dantur,

Egregia institutio præsidum.

Sine pretio dandi magistratus.

dantur, quod non aliter fiet, nisi & ipsi cingula sine mercede percipiant, nihil omninò dantes, nec occasione suffragiorum, neq; iis qui cingula habent, nec alii omnium vlli. Consideranimus enim quia licet quæstus immodicus imminuitur imperio, attamen nostri subiecti incrementum maximum percipient, si indemnes à iudicibus conseruentur: & imperium & fiscus abundabit vtens subiectis locupletibus: & vno hoc introducto ordine, plurima rerum & innumera erit vbertas. An certè non omnibus manifestum est, quoniam qui aurum dat, & ita administrationem emit: non dat hoc solum quantum occasione adinuentum est suffragiorum, sed & aliud extrinsecus addit amplius occasione commodi administrationem aut dantib. aut spondentibus? & sic vno principio illicito dato plurimas necesse est manus circumire eum, qui donationem facit: & hoc non de suo fortè præbere, sed mutuatum, & vt mutuare posit damnificatum & computare apud se, quia conuenit eum tantum ex prouincia percipere, quantum liberet ei quidem debita sortes & vsuras & damna pro ipso mutuo: computabit a. & in medio expensas largiores, iam & iudici, & qui circa ipsum sunt conuenientes: & quendam etiam sibimet recondet quæstum in tempore sequenti, in quo fortè non administrabit. Quapropter eius q̃ ab eo datum est, triplum, magis autem si oportet verius dici, decuplum erit, quod à subiectis nostris exigitur: & ex hoc etiam fiscus imminuitur. Nam ea quæ oportebat in fiscum inferri, eò quod administrationem habet puris vtentem manibus: hoc ad propriam vtilitatem redigens, qui administrationem habet, & inopem faciens nobis collatorem, inopiam ipsius, quæ per ipsum agitur, nobis reputat: & quanta impie talia fiunt, ad horum furtorum merito relata occasionem? Administrationes nanq; habentes prouinciales ad hanc acceptionem respicientes multos reorum dimittunt, vendentes eis delictum: plurimos a. innoxiorum condemnant, vt noxiis præstent, & hoc non solum in pecuniariis causis agitur, sed & in criminalib. vbi de anima est periculum, fugæq; fiunt ex ꝓuinciis, & confluunt huc omnes ingemiscentes, Sacerdotes & curiales & officiales & possessores, & populi & agricolæ iudicum furta merito & iniustitias accusantes, & hæc non fiunt sola, sed etiam ciuitatum seditiones, & publicæ turbæ plerunq; pecuniæ causæ fiunt atq; sedantur, & omnino vna quædam est hæc omnium occasio malorum: & accipere suffragium à iudicibus totius nequitiæ est principium & terminus. Est quoq; hoc sacrorum eloquiorum mirabile, & verum, q̃ auaritia omnium sit mater malorum, maxime quando non priuatorum, sed iudicum inhæret animabus. Quis n. sine periculo non furetur, quis non latrocinabitur sine reatu ad administrationem respiciens? Illum nanq; videns omnia auro vendentem, & præsumens, quia quicquid egerit illicitum hoc pecunias dando redimet, hinc homicidium & adulterium, & inuasiones & vulnera & raptus virginum, & commerciorum confusio, & contemptus legum & iudicum, omnib. hæc venalia ꝓposita esse putantib. tanquã aliquot vilium mancipiorũ. Sed neq; sufficimus considerare & exponere, quanta ex furto ꝓuincialium iudicum fiunt pessima: nullo eos præsumente cum fiducia redarguere, cum illi repente se emisse cingula ꝓnuncient, &

Emptor officii in eo negociatur.

Quæ omnium occasio malorum.

c. 1. Hæc omnia apud nos cogitantes, & hic quoq; participem consilij sumentes eam, q̃ à Deo data est nobis reuerendissimam coniugem, & tuæ celsitudini causam communicantes, & q̃dam etiam à tuo sumentes consilio, ad hanc sacram venimus legem: per quam sancimus, neq; ꝓconsulariam vllam, neq; hactenus vocatam vicariam, neq; comitem Orientis neq; aliam quamlibet administrationem, neq; ꝓconsularem, neq; præsidialem (quam consularitias & correctiuas vocant) quarum expressim meminit subiecta huic S. legi nostræ descriptio, quasq; solas sub hac lege ducimus dare aliq; suffragium; neq; pro administratione quamlibet donationem, neq; iudici vlli, neq; horum, q̃ circa administrationem sunt, alicui, neq; alteri p occasionem patrocinii: sed gratis sumere q̃dem administrationes: pauca v. præbere occasione eorum, quæ pro cingulis dantur, & chartis, nam subiecimus etiam descriptionem huic sacræ nostræ legi declarantem q̃d competat vnamquamq; administrationẽ nostram præbere in sacro nostro laterculo, aut in foro tuæ celsitudinis occasione Codicillorum, aut præceptorum, vnde & illud abbreuiatum est, ne præstet illi maximum damnum.

§. 19. Lites triennio definiendas Iustinianus dixit. (cap. 3. titul. 1. de judicijs) *nobis visum est, ne lites fiant pene immortales, & vitæ hominum modum excedant: (cum criminales q̃dem causas iam nostra lex biennio concluſit: & pecuniariæ causæ frequentiores sunt, & sæpe ipsæ materiam criminib. creare noscuntur) ꝑsentem legem sup his ꝓ orbem terrarum nullis locorum vel temporum angustiis coarctandã ponere. Censemus ita q̃; omnes lites sup pecuniis quantæcunque quantitatis, siue super conditionib. siue super iure ciuitatum, siue priuatorum fuerint illatæ. siue sup possessione vel dominio, vel hypotheca, seu sup seruitutib. vel ꝓ aliis q̃busdam causis, ꝓ q̃bus hominib. inter se litigandum est: (exceptis tantummodo causis, q̃ ad ius fiscale pertinent, vel quæ ad publicas respiciunt functiones) non vltra triennii metas post conteſtatam litem esse ꝓtrahendas: sed omnes iudices, siue in hac alma vrbe, siue in ꝓuinciis maiorem seu minorem peragant administrationem, siue in magistratib. positi, siue ex aula nostra dati, vel à nostris ꝓcerib. delegati, non esse eis concedendum vlterius lites, quam triennii spacio extendere. Hoc n. iudicialis magis esse potestatis, nemo est q̃ ignoret. nam si ipsi noluerint, nullus tam audax inuenitur, qui posit inuito iudice litem ꝓtelare. Et si q̃dem pars actoris cessauerit, quatenus multiplici dilatatione reus fatigetur, & triennii metæ post litem conteſtatam iam ꝓpè finem veniant, vt semestre tempus ei tantum supersit: licentia erit iudici, ꝓ executores negotii actorem requirere, parte fugiente ex vna, parte actoris absentiam incusante, & iudicib. omnimodo suas aures huiusmodi quæstionib. referantibus & si ꝓ tres vices fuerit hoc subsecutum 10. dierum spatio ꝓ vnumquenq; introitum destinato, & ita nec pars actoris fuerit inuenta, & neq; per se, neq; ꝓcuratorem instructum ꝓuenerit: tunc iudicem negotii acta apud se confecta conspicere censemus. Et si quidem nihil sufficiens actitatum est: ex quo posit termino certæ causæ fieri coniectura, volumus non solum partem fugientẽ ab obseruatione iudicii relaxare, sed etiam in omnes expensas, q̃ consueto modo circa lites expenduntur, eum condemnare vera quantitate earum sacramento fugientis manifestanda, & omni cautela, quam sup lite reus exposuit, reddenda: q̃ & si remanserit viribus euacuabitur. Sin a. ex gestis apud se habitis, parte actoris minime inuenta, posit inuenire viam, qui manifestum ei fiat, quid statuendum sit, etiam absente actore, si eum meliorem causam habere perspexerit, ꝓ eo ferre sententiã non moretur, & præsentem reum absenti actori condemnare: expensis tantummodo litis, quas reus se legitime expendisse iurauerit, condemnatione excipiendis, quia hanc pœnam actori & meliorem causam habenti, ꝓpter solam absentiæ contumaciam imponimus, nullo penitus ei regressu ad eandem litem conseruando. Sed actor contumax cadat omnino de lite, si reus absoluatur. Sin v. aliqua condemnatio contra reum ꝓ absente actore ꝓferatur, quã forsitan non sufficientẽ sibi putauerit actor fugitiuus: nullo modo iterum eandem litem resuscitare concedimus, & hæc quidem pœna actori fiat imposita. Sin autem reus abfuerit & similis eius processerit requisitio, quemadmodum ꝓ persona actoris diximus, etiam absente eo eremodicium contrahatur: & iudex (secundum quod veteribus legibus cautum est) ex vna parte cum omni subtilitate causam requirat, & si obnoxius fuerit inuentus, etiam contra absentem ꝓmere condemnationem non cesset, quæ ad effectum perducatur, & ꝓ res & facultates fugientis victori satisfiat: siue ipse iudex ex sua iurisdictione hoc facere potest, siue per relationem ad maiorem iudicem hoc referatur, & ex eo legitima via contra res contumacis aperiatur: nulla licentia ei vel alii personam eius solam prætendenti concedenda contradicendi, cum in possessionem huiusmodi ex causa actor mittitur, nec si reuersus ipse fuerit, & voluerit fideiussores dare, & possessionem recuperare, audiatur, in huiusmodi etenim casibus omnem ei contradictionem excludimus.* At nunc vbiq; gentium multo diutius viuunt lites. Itaq; communi consensu tot judices constituendi sunt, vt omnes veteres semel absoluantur, & nouæ cito decidantur, nunc enim multi litigant, quia litem superstitem relicturos se sperant.

Nihil magis Europam affligit, quam litium immortalitas.

Nulla lis vltra triennium protrahenda.

Omnes exceptiones differentiũ lites excludendæ.

§. 20. Summa est, vt judicatarum rerũ examen instituatur, olim vsitatum fuit. discussores dicebantur: Illi

Iudicia examinanda sunt.

Illi pene nimiam potestatem habuerunt, & maximam peccandi licentiam. Mittebantur in prouincias, vt quocunque titulo res ad fiscum pertinentes exigerent, tractarent, rationes conficerent. Ius quidem est, vt *Quotiens* cap. 10. t. 30. *in disceptatione constiterit inique discussionem fuisse confectam, & fidem facti non poterit approbare discussor: ipse in eodem titulo, & in eodem modo ad soluendum protinus vrgeatur, in quo alterum perperam fecerit debitorem. Dat. Prid. Id. Martii Valentiniano N. B. P. & Victore Conss.* Sed tamen lege 4. eodem titulo, securitatem omnibus dare potest; *Nemo fiat discussor aliter, quam ex iussione Principis specialiter discussoris faciente mentionem, non præfectorum iussu, non ex præcepto alterius cuiusquam iudicis, non ciuilium operum vel pecuniarum frumento comparando destinatarum, vel portuum, vel eorum quæ impenduntur in aquæ ductus murorumue constructionem, vel ad vias sternendas, vel ad pontium & aggerum instructionem, sed neq; pecuniarum ad lauacra destinatarum, vel alio quocunq; modo ad ciuilem rationem pertinentium. At Princeps siue ex ærario pecunias miserit ad mœnium vel alterius operis constructionem, siue ab alio relictas ciuitatibus pecunias inuenerit, semel vel etiam sæpius, cum ei sederit animo, mittat discussorem, qui opus admetiatur, & rationes putet exacte, & ad se referat; vt si certe sumptus facti sunt iis, qui fecerunt sacra securitas conficiatur, qua freti nullam ii postea, vel hæredes eorum aut bonorum possessores quæstionem patiantur. Valeat & ab discussore post rationum discussionem emissa securitas, nec sacra apocha, nec alia qualibet cautione indigens.* Discussori itaque plena fides habetur, quocirca à nullo præside, sed à solo Imperatore poterit legari.

Discussor à solo Principe constituitur.

Insignia iudicum.

§. 21. Iudicum seu vt in Græco Imperio vocati sunt τῶν δικαιοδοτῶν insigne erat δικαιϋκιον, virga argentea inaurata, aut etiam ξύλον λεῖον, lignum læue & politum. Vetus consuetudo, vt non modo σκηπτοῦχοι essent, βασιλεῖς, sed etiam δικάσπολοι, judices, itaque & centumuiri posità hastâ judicia exercebant.

CAPVT XXIII.

Aliarum Rerumpublicarum iudicia, Tribunalia.

Cameræ iudicium vnde originẽ habeat.

§. 1. IMperij Romani non locus modo, sed leges etiam pleræq; mutatæ sunt, vt plurimum in melius, alia enim veterum tempora alias leges requirunt, vt supra dictum de legibus. Anno Christi 1495. Wormatiæ constitutum est judicium Cameræ Augustæ, quæ vice sacrâ judicaret, ita habet constitutio. Primo judicium Cameræ instruitur judice summo, qui Princeps sit Ecclesiasticus, vel Sæcularis, vel Comes, vel Baro. His adjungendi sedecim judices, qui postea etiam Assessores dicuntur, eligendi illi ex natione Germanica, ex ipso Imperio, dimidia pars eorum docta, & Academicis honoribus ornata, dimidia ex Nobilitate sit, moribus integris honestisque, scientia præditi omnes. Eorum judicio omnes causæ committuntur, si paria sint suffragia, supremi judicis sententia prærogatiuam habet. Si abesse judicem contigerit, suo loco Comitem, vel Baronem, ex judicibus ex consensu cæterorum constituet.

In locum Assessorum noui deliguntur in Principum conuentu. In locum judicis à Cæsare datur Successor, atque ad proxima Comitia, si longius absit Cæsar, ipsi judices ex sese aliquem constituunt, qui vices teneat, donec in publico conuentu aliquis constituatur.

Restitutum Anno 1500.

Verum aliquamdiu tribunal illud cessauit. Nam Anno 1500. iterum restitutum est, & decretum, vt Nurnbergæ haberetur. Hoc etiam decretum, vt Comiti Bernardo ab Eberstein, alius Comes aut Baro adjungeretur, vt esset, qui in causis Principum absente vel ægro judice præesse posset. Simul statutum, vt octo Assessorum & judicis sententia rata sit. Quin & illud prudenter ad suspiciones euitandas adjunctum, ne Assessores domi suæ procuratorem, oratorem, sollicitatorem habeant, neque in horum conuictu vllus Assessor sit.

Ne verò in electione esse querela posset, Anno 1507. Cæsar duos, sex electores singulos, Circuli sex constituerunt octo Assessores, ita Comitijs Constantiensibus decretum, in quibus etiam noui electi sunt Assessores.

Cameræ visitatio instituta.

His Carolus Quintus Anno 1521. Wormatiæ addidit duos, vt iam octodecim essent Assessores. Simul etiam visitationem singulis annis constituit. Alia Anno 1523. addita sunt. Deinde Anno 1527. abusus sublati. Reformatio Anno 1532. confirmata, & emendata, ordo visitationis constitutus. Simul institutum, vt sententiæ latæ examinentur, & iudices iudicentur. Visitatio verò notissima fuit Anno 1533, in qua multi abusus emendati, multa egregie constituta sunt; Annis deinde sequentibus ob religionum discordias plura incommoda exorta sunt, de quibus Anno 1544. actum est, sed dissentientibus ordinibus iterum Annum 1546. ea res tenuit. Anno verò 1551. decem extraordinarios Assessores ad veteres lites terminandas lege additos, qui biennio, aut etiam triennio, si litium multitudo id requireret, iudicarent, in aliud biennium confirmarunt Anno 1557. iterum extraordinarii sedecim constituti sunt Assessores. Anno 1566. multa grauamina sublata, ob causarum vero multitudinem eodem anno viginti quatuor Assessorib. ordinariis adiunguntur alii octodecim ordinarii, vt in vniuersũ quadraginta duo fuerint. Anno 1570. iterum sex noui additi sunt Assessores, idque in sexennium, Cæsar etiam Comitem vel Baronem alium addendum censuit, vt tum fuerint 48. Assessores non annumerato Comite.

Iudicũ numerus auctus.

Nec minor in rebus, & modo procedendi facta est in eo tribunali mutatio, singulis enim Comitiis, & visitationibus ab experientia longa, vsuque iam eò res deuenit, vt addi nihil posse videatur, nisi quod vetustissimarum litium multitudo indecisa maneat, & iudicatorum executio potentiâ partium impediatur. Contra quæ incommoda præclarè multa sunt Anno 1600. constituta. Atque hæc de Magistratu iudiciali, qui est in Germania, vtitur in sententiis edictis Augusti nomine & sigillo. Quod si quispiam etiam Aduocatorum, Procuratorum, aliorumque officia, ordinem, leges que consideret, necessario fatebitur in nullo vnquam regno tàm perfectam iudiciorum rationem fuisse. Sed vt dixi iudicatorum executio suspenditur in potentibus.

Assessores iudici ex vetustissimo more.

§. 2. Neque tamen hæc forma Iudicii imperialis, Assessorumque sine prisco exemplo; Imo ne quidem Græcis defuit. Aristoteles libro 2. Politicor. λαμβάνυσι δὲ καὶ παρέδρους ὅτε ἄρχων, καὶ πολέμαρχος δύο ἑκάτερος ἃς ἂν βούλονται. *Capiunt & Assessores tàm Archon, quàm Polemarchus duos vterq; quos volunt.* Getarum gens Barbarorum extrema, Regi suo Consiliarium Assessoremque iudicandi adiungebant, quem ob dignitatem θεὸν appellare consueuerant, vt Strabo testatur. Dio in Augusto vocat eos συνέδρους consessores. Τὰ μὲν ἄλλα αὐτὸς μετὰ τῶν συνέδρων διεσκέψατο, καὶ ἐδίκαζεν ἐν τῷ παλατίῳ ὅπου βῆμα καὶ πρόεδροι ἦσαν. Alia ipse cum Consessoribus disceptabat, & in Palatio pro tribunali sedens iudicabat. Tiberius iudicantibus adiungere se solitus erat Consiliarium, assidebatq; mistim, vel ex aduerso, primori.

Hinc

Hinc celebritate nominis & honore apud posteros vicerunt Imperatores ipsos. Vlpianus Assessor Alexandri, vt Eutrop. libr. 8. juris primatum adhuc obtinet. Marcus Scævola mente, & prudentia jus gentibus dixit, vt Capitol. Prudentissimè Commodus consilio Fescennini Nigri statuit, vt qui in Prouincijs assedissent, in ijsdem administrarent. Nam ante, quamuis Proconsulum & Legatorum essent Assessores, non tamen facilè succedebant.

Dabantur olim quidem παρέδροι τοῖς νεωτέροις, *Assessores iunioribus*; verum optime constitutum est, vt omnibus postea darentur. Ex peritissimis a. & probatissimis Aduocatorum sumebantur. Causam reddit Cassiod. Ep. 12. l. 8. *Decet tractatores habere doctissimos, quibus potestas submittitur, Aduocationis te campus exercuit, te iudicii nostri culmen elegit. Quando illius consilio te vides sociatum, qui nostri Imperij tractat arcanum. Hinc te Comitiuæ domesticorum illustratum honore decoramus.*

Iudices honorent eos, quorũ prudentia illis necessaria est.

Neq; tamen negandum est, multa in priscis Assessoribus fuisse diuersa ab illis, quæ nunc in vsu sunt. Nam à Magistratibus, quibus assidebant, salaria capiebant. Cod. 1. t. 51. *Studiorum labor meretur, vt hi qui in publicis administrationibus constituti, sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe præmiorum, atq; honorificentia sua prouocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam, non metu terribili & necessitate incongrua libertati.*

Alexander tamen de publico salaria illis constituit; Aureum illud dictum crebro vsurpans; Ad Remp. illos promouendos, *qui per se Rempub. gerere possent, non per Assessores*, ita Spart. in Alexand. Seuero. Subscribere libellis non potuêre. Constantinus enim Assessorem subscribentem exilio multat. c. 1. t. de Assessoribus. Si quid licitis honestisq; lucris coadunare potuerint, velut castrense peculium etiam post obitum patris vindicare possunt.

Assessori imputatur imprudentia.

Summa autem in Assessore Jurisprudentia requirebatur. Ideo n. Assessori imputatur imprudentia, non Magistratui, cui assidetur. l. 2. d. quod quisque.

§. 3. Judiciorum apud Turcas est celeris & expedita potius, quàm constanter justa ratio. Judicat de causis summus eorum Sacerdos Caldelescher, quem ferè ætate grauem & juris pro captu Barbariæ, gnarum habent, ab hoc ad Mophti appellatio conceditur, q. etiam in dubijs Cadi sententiam exquirit. Verum cum paucas habeãt leges, plerisq; in controversijs pro suo arbitratu affectuq; judicant. Nam raro in tàm immani Imperio rectè judicant. Nusquam sine muneribus prompta victoria; Thebis quidem statuas judicum sine manibus collocabant, vt ostenderetur ab accipiendis muneribus alienos esse oportere, verum in omnium partium litigantium loculis manus habent judices Turcici, nisi cum major metus à scelere reuocat.

Iudicia apud Turcas corrupta.

Anglicana iudicia.

§. 4. Britanniæ Iudicium publicum minus rectè constitutum *putat Bellus Discursu 23. Admirandum non est, inquit, q. solam Principis vtilitatem respiciant, subditorũ v. bonum desertum esse videatur, plenæq; sint tricarum, ambiguitatum, sibiq; contrariæ: fuerunt siquidem excogitatæ, ac sancitæ à Normandis, quib. nulla gens magis litigiosa atq; in controuersijs machinandis & proferendis fallacior reperiri potest. Hæ leges in illis iudiciis inuiolabiliter ac rigide obseruantur, & in Gymnasijs Londini publice idiomate Normanno præleguntur, quo idiomate paucis ante annis litigia agitabantur, & omnes iudiciarij actus, & publicæ Scripturæ conscribebantur; quodq; nouum videbitur, confertur gradus Doctoris in ea Facultate, vt in Italia aliisq; ciuitatib. conferri solet gradus in Iure Ciuili & Canonico. Quod si temporis angustia concederet, possem diuersitates quasdam & vere notabiles abusus, qui in forma iudiciorum frequentantur, referre, pʒsertim in iis iudiciis, quæ Inquestæ dicuntur, in quib. tam ciuilib. quam criminalib. magna subsequuntur incommoda. Hoc iudicium constat ex 12. viris, qui à iudice congregantur, vt ab iis sententiam suam exquirat, super re, de qua controuertitur: & oẽs conueniant necesse est, alias nequit iudex ad sententiam procedere. Sed ne tædium afferam, hoc totum argumentum postpono, addens tantum, in toto regno, atq; in omnibus consultationib. regiam solam voluntatem attendi, cum Reges absoluti domini sint atq; Monarchæ. Quamobrem ne soli esse videantur in regimine, aut propter inertiam, & maiorem commoditatem, vel ob superbiam, ac pompam, instar Turcici Imperij, induxere consilium præcipuorum officialium, ac ministrorum, qui instar Bassarum congregantur, & Principem vbiq; sequentes habent ad hunc effectum & mensam, & proprium in aulæ diuersorium, ac famulitia splendida, magnaq; dignitate regios labores minuunt, siquidem ad eos confugiunt pleriq; subditi ac ministri publici, & Principũ quoq; Oratores. Adeo vt in Principis aures, & persona dici possint, cum p totum regnum potentiam exerceant, & imperium in ministros, quos magna authoritate tractant, illiq; vicissim obedientiam præstant, deniq; vt Rex, ita ipsi, quæcunq; libet, iubere, ac decernere queunt. In huiusmodi consilium, quod Regium dicitur, vt plurimum admittuntur tria, vel quatuor præcipua regni officia, hoc est. Cancellarius, Thesaurarius, & quem vocant Brouizellum (custos priuati sigilli) & Amiralius, præter præstantiores Aulæ, domusque Regiæ officiales, veluti Stuardum, qui simillimus est Magno Magistro in Gallia, & in aula Cæsarea Maior domus; omnes vt plurimum Dominos, nobilesq; & eximios viros.*

Multi Itali peregrinis iudicibus vtuntur.

§. 5. Italicæ ciuitates in tanta judiciorum diuersitate & lubrico caussarum, peregrinis quæsitoribus fortunas suas credere, quàm inter affinium, & cognatorum judicum affectus jactari malunt. Ita judicium in illis constitutum est, q. Rotam appellant, constat illud tribus Iurisconsultis, qui magna sint eruditione, magnaque integritatis & justitiæ opinione, quorum patria ab vrbe, in qua juri dicundo præficiuntur, quinquaginta milliaribus distet. Primus vocatur Potestas, estq; ejus officium, vt sententiam suam de ciue scriptam consilio tradat, cujus est vltima decisio, sententiæque vel approbatio, vel correctio. De peregrinis verò solus ille Iurisconsultus decernit. Alter Iureconsultus de maleficijs quærit, & judicat, quemadmodum olim prætor, qui inter Sicarios quæstionem exercebat. Tertius est causarum ciuilium disceptator, nec perpetua tamen sua cuique functio, sed spacio semestri inter se commutant vices. Genuenses altero quoque anno ad ciuiles causas Iurisconsultos quinq; conducunt, qui sint extranei, quiq; ex legibus scriptis jus dicant in Palatio, apud Ducem ipsum habitant. Verum quamuis judices peregrini sine affectib. cognationum sint, durum est tamen Remp. ciuibus suis diffidere, nec sine externo auxilio justitiam posse tueri. Neq; illud ꝓbauero. Causas peregrinorum judici committere, cui nolis lites ciuium mandare. Cur de ciue non potest statuere potestas, nisi consilij interuentu atq; approbatione, peregrinus vt vile caput vnius arbitrio vitam fortunasq; obnoxias habet? Atqui peregrino jus celerius, sollicitiusq; dicendum est, cum ejus innocentia minora defensionis præsidia habeat, delicta verò nec deprecatores, nec facilem veniam obtineant. Diuina verò Misericordia omnibus peculiari lege curam aduenarum commendat.

Peregrini mollius habendi.

§. 6. *Difficilimum verò tribunalia rectè constituere, ac conseruare, vel hoc ipsum docet, quod ne apud Sinas quidem, vbi summa, vt est captus barbarorum, politiæ ratio tenetur, iudiciorum vitia vitari potuerint. Carent, ait Scriptor de Sinis, multis legibus: in iure dicundo animi sui sententiam sequuntur: in suis Prouinciis nouas ferunt leges, vt libet, easque plurimum ab aliorum legibus alienas. Potest enim quis vel ex eo conijcere, non optime hoc regnum administrari, quod non quisquis ornate scribere didicit, idem etiam habeat legislatoris prudentiam. Taceo quod sæpe lites in rem suam vertunt, ius violant, & qua licet, rapiunt. Muneribus nihil crebrius, neq; cuiusquam rei tam vulgata nundinatio quam gratiæ, & quanquam*

Vitia iudiciorum in Sina.

quam alteri non ignotum sit alterius scelus, dissimulant tamen inter se, quippe eorundem participes facinorum. Sed cum maxime latere student, produnt se maxime. Magna est in omnibus vrbibus Mandarinorum multitudo; at in regijs Pachini prope immensa. Vt n. præteream Mandarinos bello præpositos, qui non magno sunt loco; aliorum maior est hic quam vbiuis alibi numerus: nam præter eos, qui negotiorum causa assidue has vrbes celebrant, huius quidem vrbis assidui Mandarini sunt plus bis mille quingenti. Hi omnes quotidie consultoribus & litigatoribus dant operam: quis vero tantus sit causarum concursus, aut q̃ cuiuslibet iurisdictio, nondum satis nobis compertum est. E præcipuis totius Regni Mandarinis, sex in hac vrbe degunt, sex pari numero consilijs præsident, Supremus est, qui totius regni Mandarinos, vel euehit ad altiores magistratus, cum ita merentur, vel in ordinem redigit, atq; castigat. cum suo munere desunt, hunc Sinæ ꝓpter potestatis amplitudinem Mandarinum cœlestem appellant. Is causas omnes promouendorum ad dignitates & abdicandorum refert ad Regem, q̃ de singulis ita statuit, vt minimus etiam totius Regni Mandarinus suum honorem Regi acceptũ referat. Alter Mandarinus curam gerit rituum omnium, tum humanorum, vt eorum qui in omnibus Regis negotijs adhibentur, in oratione noui Regis & designatione Principis, in vtriusq; nuptijs; tum diuinorum vt qui vsurpantur in inferijs, & sacrificijs, quæ Reges cœlo & terræ facere mos est.

§. 7. Tanto igitur impensius in hanc curam Princeps incumbet, quanto difficilius est, Tribunalium integritatem sartam, tectam, inuiolatamque seruare. Quod tamen vbi negligitur regnorum mutationes adducit. Regnum n. de gente in gentem transfertur ꝓpter injustitiam. Judices quoq; moneo, non meis verbis, sed Episcopi, si non Augustini, vetusti tamen & sapientis. Ita ille (sermon. 35. ad fratres in Eremo) Rogatus à vobis, ô iudices, licet cum Fortunato Manichæorum presbytero longa disputatione grauatus, sermonem vestra dilectione deuictus facere, Deo auxiliante non distulimus. Ecce n. nunc congregati estis in domo Episcopi, conuenistis omnes in vnum, non vt sophismata audiatis, non vt Poëtarum curiositatem intelligatis, non vt beatos vos esse prædicem, sed solum vt, quid pro vestra salute necessarium fuerit, audiatis, & audientes operibus adimpleatis. Vos n. reputati estis ab hominibus duces populi, iudices terræ, Orphanorum patres, viduarum mariti, iustitiæ zelatores, Reip. amatores. Cauete ergo ne corrumpamini odio, amore, precio, precibus, vel timore. Decet igitur iudices non solum, q̃ diximus, adimplere, sed cum Dei adiutorio calcare superbiam, abominari luxuriam, abhorrere falsitatem, despicere auaritiam, q̃ nouerca dicitur esse, & summa inimica iustitiæ. Ipsa n. est, quæ patrem nescit, matrem ignorat, amicos perdit, & seipsam relinquit. Decet igitur iudices non auaritiam, sed largitatem sectari, & amare paruulos, pusillis, & orphanis faciem serenam non solum verbo, sed opere demonstrare. Non enim auertere faciem debent à paupere, nec priores dedignentur conseruare fideles, nec ceruicem erigere debent quosdam despiciendo: scientes, ꝙ moritur pariter doctus, & indoctus. Decet igitur iudices gratiam, quam diuinitus receperunt, solicita mente custodire, fidem ostendere, zelum rectitudinis conseruare. Decet etiam iudices clementiæ esse cultores, detestatores sæuitiæ, cunctis benignos, ad iram tardos, ad misericordiam festinos, in aduersis firmos, in prosperis humiles, & cautos, & quibuscunq; dignitatibus sublimatos seipsos agnoscant, & caueant, ne suos inferiores despiciant. Decet etiam iudices sapientes esse, & in lege doctissimos, ne dicere valeant, tanquam legem sanctam ignorantes, bonum malum, & malum bonum. Decet etiam iudices plus Deum timere, quam alij homines, plus de salute animarum curare, quam corporis; plus honorem Dei, quam marsupia plena diligere. Sed væ vobis, ô iudices, væ vobis in æternum, & vltra, quia non est in vobis veritas, non misericordia, non pietas, non iustitia, nec scientia Dei potest in vobis inueniri. Quid n inter vos regnat? Auaritia, mendacium, clamor, apparentia, peruersio sacræ legis, dicentes malum bonum, bonum malum. Ecce acceptio personarum. Non est n veritas in vobis. Diminutæ sunt à vobis veritates. O patres pauperum, ô vere non patres, sed prædones! Quare non patres? Quia vbiq; ꝓ vos opprimuntur, nec est q̃ misereatur pupillis Dei: sed si diues locutus fuerit, mox tacuistis, causas suas vsq; ad nubes duxistis. O iudices, scientiam, & iustitiam mundi amantes, attendite, quid agitis. Nam scientia mundi pleni estis, & in ipsa moriemini. Quæ est n. scientia mundi, nisi thesaurum congregare, lucrum terrenum acquirere, decipere ꝓximum, mentiri, iurare, iustitiam cautè peruertere, & similia in cunctis agere? Ista enim est sapientia huius mundi. In istis ferè quasi tota vestra vita consistit, & ideò attendite, qui iudicatis terram, ꝙ sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Sed dicitis, ô Episcope, hanc sententiam non amamus, furtum non committimus, ꝓximum non decipimus nec offendimus. Quare? Quia nihil aliud recipimus, nisi quantum nobis donare voluerit. Ego a. dico vobis, ꝙ tantum feci stis, quantum facere potuistis. Non plus vobis fuit datum, ideo non plus recepistis. Quantum potuistis, feci stis. Leues causas magnas feci stis. Nam etsi vi non rapuistis, & proximum in via non deprædati fuistis, latrones tamen esse potestis. Latro n. timet malum, & vbi non potest, non facit, & tamen latro est. Deus enim cor interrogat, & non manum. Lupus enim frequenter venit ad ouile, & quærit rapere oues, quærit lacerare, quærit deuorare. Vigilant tamen Pastores, latrant canes, & sic lupus timendo fugit. Nunquid non tamen lupum non esse dicimus? absit. Sic & vos facitis, quantum potestis; si plura posse tis, plura faceretis. Eia igitur, ô iudices, attendite ne cum falsis iudicibus Susannæ confundamini. Suscitabit n. Dominus spiritum Daniel, & ponet spiritum eius & sapientiam pueri sui Danielis in mentem alicuius iuuenis, & sicut fecit in Susannæ iudicibus, confundet omnes falsos testes cum iudicibus, & tunc scient quid profuerit sibi sua scientia. Considerate ergo ô iudices terræ, quid per Oseam seruum suum Deus loquatur. Ait enim: visitabo populum meum, & iudices, & vias eorum, & cogitationes eorum reddam eis. O quam horrendum est incidere in manus Domini! O quanta vltio! O quanta miseria malis erit in die nouissimo! Expellentur enim mali mercatores, falsi iudices de domo Domini, exulabunt à domo Dei, expellentur à paradiso, & ibunt in locum vbi semper erit fletus & stridor dentium. Ideò attendite ad consilium meum, aperite cordis portas. Surgite q̃ dormistis, legite Esaiam Prophetam, sequimini eum, non cras, sed hodie, non tantum hodie, sed & nunc. Ait enim Propheta: Deserelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, q̃ misericors est. Currite iudices, ne iudicemini ad patrem misericordiæ, quærite veniam: reddite ꝙ recepistis illicite. Quærite veniam, quoniam ꝓpè est omnibus inuocantibus eum in veritate. Ipse est, qui sanat contritos corde & humiles spiritu, & corde tribulatos saluabit. Ambulate dum lucem habetis, dum dies est. Ecce, ô iudices, veniet iam nox: q̃ a venit iam mors, in qua nonerit licitum ambulare. Cogitate q̃ d estis, quò ituri estis. Parentes n. vestri prædicant mortui, sepultura clamat, infernus vlulat, dæmones exspectant, Sacerdotes prædicant, q̃ d superbis terra & cinis? O iudex, qui Deum non agnouisti, dum iuxta tumulos patrum tuorum transis, scias ꝙ mortui clamant. Terra es, & in terram ibis. Homines n. fuerunt, sicut & nos, diuitias possidendo. Vbi modo ipsi sunt, sic & non erimus. Vbi superbia eorum, vbi conscientia, vbi cathedra magistralis, vbi honor discipulorum vbi indumenta serico & pelle decorata? O cinis & puluis! O iudex quid es, & quid eris considera. Non ergo tardes conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem. Subitò n. venit ira eius, quia iuxta est dies perditionis, & adesse quidem necesse est, & festinant tempora. Nemo ex vobis tamen desperet, nemo diffidat de Dei misericordia. Sed attendite, q̃ a nulla culpa tàm magna est, quæ non habet veniam. Et ne aliquis desperet, Mariam illam peccatricem, dominam luxuriæ, vanæ gloriæ matrem, sororem Marthæ & Lazari in exemplum assumite, quæ postmodum Apostolorum Apostola meruit nuncupari. Adiuuet autem nos ipse Deus, & homo, qui pro nobis nasci, & mori dignatus est, Amen. Hæc & his consentanea noctu & interdiu judices, si memori mente voluerent, minus litium, minus querelarum esset apud superos, minus tormentorum apud inferos.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Iudicum administri.

Aduocati primum amici fuerũt

§.1. ADuocatorum nõ idem initium, & deinceps officium fuit. Principio nanq; quando iure consertum manus ibant, amicos qui auctoritate, cõsilioq; iuuarent, aduocare solebant. Postea cum parum hoc esset inter argutias præsidium, iuris & legũ peritos aduocabant, quorum munus erat, de iure respondere. Nõ iudicabant ipsi, sed consulti de iure respondebant, causas orabant, aderant magistratibus.

Multitudo aduocatorũ

Comes oriẽtis quadraginta in foro suo habebat. Eorum dignitates incipiebant, cum officio decederent. Sidon. l.1.ep.2. *Aduocatorum more, quorum cum finiuntur actiones, tunc incipiunt dignitates.* Ex illis enim comites consistoriani creabantur. c.de aduoc.diuers.iud. Alij ad amplissimas dignitates perueniebant, certe Romę tam facile magistratum consequebantur defensione reorum, & causis agendis, quam bellorum periculis,

Dignitates consequebãtur aduocati.

Scipionis Scriba prælatus est eius filio. Atq; vtinam nunc quoq; aduocatorum esset summus delectus, & selectorum ad summa promotio. Vtinam pragmatici, rabulæ, vultures foreses, voragines, vrbium pestes, murices subselliorũ, latratores, fraudum architecti, qui omnia obsident, lites nectunt, iustitiam premũt, tandem aliquando coerceantur, & veris aduocatis honos magnus habeatur.

Aduocatorũ bonus.

§.2. Multa illis olim concessa sunt, quæ studia iuris decorant. Quæsita ab aduocatis ad instar Castrensis peculii sunt, id honori studiorum datum, vt filii familias dominium sibi vindicare queãt c.2.t.7. De aduocatis diuersorum iudiciorum.

Nulla illis prouinciæ sollicitudo potest iniungi, ita Theod.& Valent. idque concessum, licet multi essent: nam Aduocatio prætoriana 150. togatis finiebatur. Quin & Examen olim subibant, & nunc quoq;. velut lex est: Nemini (c.2.t.7.)

Biennium illis tribuitur, cum ante essent annui, eodem t.8 Priuilegia aduocatorum, & patronorum fisci multa sunt. Quodque est mirabilius: Agentes in rebus etiam principum honoribus afficiebantur cod. 12.t.22. Agentes.

Notarii pro curatores.

§.3. Aduocatis proximi fuere, Notarii, Procuratoresq;. In imperio Germanico statutum est, ne vllus ad iudicium Cameræ notarius admittatur, nisi, aut à sua Rep. testimonium habeat, vel à iudicio Cameræ examinetur. ann. 1500. Augustæ. eisdem comitiis omnes reformari, & examinari iubentur. Procuratores vetantur esse aduocati, & è cõtrario. In comitiis August. ann. 1500. Eodem loco statutum, vt Procuratores & Aduocati contenti sint mercede ab assessoribus Cameræ constituta, si plus accepissent partibus redderent; idq; se facturos iureiurãdo asseuerarent. Procurator nemo suscipitur, nisi bene examinetur. Procuratores fisci vetantur priuatorum causas suscipere, & è contrario.

Iuramentum aduocatorum Spiræ propositum an. 1535. præcipuæ iustitiæ est. Aduocati omnes sententias, Protonotarii Cameræ cum nominibus iudicantium describent in libro ad id designato.

Id sane permirum inter tot iuramenta partium, aduocatorum, procuratorum adhuc litibus locum esse. Procurator facit iuramentum calumniæ; Existimare suam causam esse iustam, dilationem nõ necessariam,

Causa cur tot iurisperiti damnẽtur.

& periculosam non petiturum. Grauius est iuramentum aduocati, vt vehementer mirer, quomodo tam docti ignorantia peccare possint.

Scribarum dignitas.

§. 4. Scribas apud nos preciosos fecêre multa certamina. Nec minor apud externos dignatio. Esd. 4.8. loco secundo ponitur Sampsai Scriba. Apud Alexan. Eumenes in dignatione erat. Romæ viles fuerũt scribæ, tanquam rem indignam refert Valerius lib. 4. c.5. Ciceronem scribam Africani in petitione præturæ eius filio prælatum. Sed maior in reliqua Italia eorum æstimatio, Scribam purpuratum, cum Porsena rege sedentem occidit Mutius Scæuola; tanta similitudine regis, vt regem ipse putaret. Romæ digniores erant, qui consilijs intererant, vt nunc cancellarij, & Secretarij, alii vulgares.

§. 5. Scribarum insolentiam Cato retudit, ita Plutarc. ἴδιον ἐνθυς εἰς τλὼ ἀγχλὼ καταβὰς μεγάλω ἐποίησε μεταβολὴν τῶν περὶ τὸ ταμιεῖον ὑπηρετῶν καὶ γραμματέων, οἳ δημόσια χειρὸς ἀεὶ τὰ δημόσια γράμματα καὶ τὰς νόμους ἔχοντες εἶτα νέος ἄρχοντας παραλαμβάνοντες δι' ἀπειρίαν καὶ ἄγνοιαν ἀτέχνως, διδασκάλων ἐπέρων, καὶ παιδαγωγῶν δεομένους ἑαυτῶν ἐξουσίας χρῆναι, ἀλλ' ὅταν ἄρχοντες ἀυλοί. *Cato inquit, quod erat quæstorii muneris diligenter edidicit, quare quamprimum quæsturam iniit ministros & Scribas quæstorios refinxit ac reformauit, qui cum præ manibus semper publica monumenta, & leges haberent, si in nouos magistratus incidissent, quorum imperitia & ignoratio doctoribus egeret, non eos magistratu vti sinebant, sed ipsi magistratus erant.* *Scribis vtendum, non parendum.*

Valde considerandum & imitandum principi, nihil enim formulariis illis superciliosius, auariusque, cum in potestate habent principis imperitiam.

Commentarienses, Optio, Subadiuuæ.

Scribarum genus Commentarienses, qui acta apud Fiscum manu subnotant, quiq; custodias annotatas habent. Quin & vinctos custodiebãt: adiutor Commentarienium erat *Optio*, quod ad cætera quoq; officia extenditur, quemadmodum & *Proximi* dicebantur iidem, *adiutores*, & *subadiuuæ*.

Actuarii.

Actuarii non coram iudice contendentium, sed contrahentium acta scribebant, militum etiam nomina in album referebant.

Formularii.

Diuersi ab his erãt Formularii, qui populo formulas actionum præibant. Spartianus in Geta ex formulario delectum aduocatum fisci refert. Atq; illi nunc ferè sub cancellario stipendia merent.

CAPVT XXV.

Cancellariatus consideratio.

Cancellata ostia prætorii.

§.1. CAncellariorum nunc honorificum munus, olim inter minora obsequia fuit. Κιγκλίδες Græcis sunt θυρὰι διάλυτοι, διάφανεις, reticulata ostia, & transparentia. ita Polyb. appellat l.15. Etymologicon vocat τὰ κάγκελα. & Glossa κάσεις οἱ ῥωμαῖοι τὰ δίκλυα λέγουσι, καὶ ὑποκοικὰς κάγκελλον. Cassses Romani vocant retia, & diminutiue Cancellum. Et Scholiastes Aristophan. in Vespas. κιγκλὶς ἡ θύρα ἢ διακεκομένη, ἵνα καγκελωτὴν καλῶσι. Cinglis est ianua prætorii, quã & cancellatam appellant. Eam Codinus καγκελοθύριον nominat. Cancellis itaque circumdatum erat tribunal, ne iudex & assessores premerentur à turba circumstante, cumque perpetuo alii recederent, alii aduenirent, ostia cancellata erant, vt facile aperiri, claudique possent, videriq; & interrogari, si qui admitti cuperent. Intra eas ianuas qui stabant, earumque curam gerebant, Cancellarii vocabantur. ἔνδεν, inquit Glossa, Καγκελλάειοι οἱ ἐν αὐτῷ ἑστηκότες, δυὸ δὲ εἶτοι μόνοι. Cancellarii qui in ipsis stabant, qui duo solierant. Vile ministerium fuisse constat ex Vopisco. Qui ait à Numeriano præfectum *vrbi factum vnum ex cancellariis, quo nec fœdius cogitari quippiam potuit nec dici.* Quin etiam sub imperatoribus Christianis nõdum magna dignitas erat. ita de illis edicunt Honorius & Theodos. *Nullus iudicum* (c.1.51.) *ad prouinciam sibi commissam quemquam secum ducere audeat, cui domestici, vel cancellarii nomen imponat, nec profectum ad se vndecunq; suscipiat, ne famæ nota cum bonorum publicatione plectatur. Periculo enim primatum officii, cancellarios sub fide gestorum ex eodem officio electos iudicibus applicari iubemus. ita vt post depositam ad-* *Cancellarii olim ostiarii iudicum torqueri iudices poterant.*

miniſtrationem nec militiam deſerant, & prouincialibus præſentiam ſui exhibeant, quo volẽtibus ſit accuſandi eos facultas. Si enim idonea cauſa exegerit, ad detegenda iudicis flagitia, & quæſtioni eos ſubdi oportet. Dat. prid. Kal. Iul. Aſclepiodoro & Mariniano Coſſ. 423.

Cancellarii dignitas ſenſim aucta.

Torqueri itaq; in iudices cancellarij poterant, velut adminiſtri, ideoq; plebeię conditionis erant. Munus eorum poſtea, dignitaſq, creuit, vt nimirum ipſa acta & ſecreta cuſtodirent. Caſſiod. l. 11. *Præfectus Prætorio tibi domeſticam militiam cancellorum decus attribuit, vt conſiſtorii noſtri ſecreta, fideli integritate cuſtodias.* & idem l. 11. epiſt. 6. *Reſpice quo nomine nuncuperis. Latere non poteſt, quod intra cancellos egeris. Tenes quippe lucidas fores, clauſtra patentia, feneſtratas ianuas.*

Cãcellariorũ eximia dignitas.

§. 2. Verum non modo temporum ratio, ſed ipſa neceſſitas dignationem cãcellarijs peperit, vt iam ſit aut ſummus, aut ſummo proximus, honor cancellarij. Ita in Polonia magnus Cãcellarius regi proximus eſt, & in Germania tres principes Electores Cancellarij ſunt, quorum ea de cauſa peculiaris eſt dignitas. Prima Moguntini, qui eſt Archicancellarius per Germaniam; ſecunda Colonienſis, qui per Italiam: tertia Treuirenſis, qui per Galliam & regnum Arelatenſe. Eſt tamen & alius Vicecancellarius nomine Moguntini Electoris, & alius Cancellarius aulæ Cæſareæ, quibus vti & apud cæteros regum præcipua negocia incumbunt. Neque priſcis temporibus Cancellarij magna dignitas erat in Gallia, verum quia ipſa rerum moles magnos viros ac fidos requirebat, factũ eſt, vt talibus committeretur, qui ferẽdo eſſent. Tempore Caroli Magni penes Epiſcopos ea functio erat. in edicto Carolino iſta leguntur: *Gauzelinus notarius, Vice Rogerii Archiepiſcopi, ſummiq; cancellarii recognoui, indictione octaua, anno viceſimo octauo, regnante Carolo rege glorioſo.* Poſt ad eam dignitatem ſæculares euecti ſunt, ex curia enim Pariſienſi duo, treſue lectiſſimi proponebantur, quorum vnus ſenatus auctoritate, ſuffragijſque Cancellarius creabatur, creſcente deinde regum potentia ius Cancellarij conſtituendi penes ipſos remanſit, quod minoris æſtimatum fuit, cum pro amanuenſi ipſo vterentur, nam Comiti ſtabuli, Magiſtro equitum, Camerario literas ſignandas tradebat; at poſtea iuris principatum tenuit, ſigillum regium tenet, edicta nomine regio ſcribit, ipſa diplomata examinat, ne quid contra bonum publicum, principiſq; dignitatem euulgetur, attendit. Budæus ad tit. de off. proconſ. Cãcellariatus ſummum eſt hodie honorum faſtigium, vltra quod nihil ſperare licet, homini togato, quaſiq; quoddam ſumma quæq; ambientis animi ſolſtitium. Cuius ore facundi reges moribus noſtris eſſe ſolent, cuius oculis omnia circumſpiciuntur, cuius auribus plenam ac iuſtam operam poſtulatoribus dare dicuntur.

Cãcellariis honorẽ neceſſitas auxit.

Cancellario ſimile officium habuit λογοθέτης τῶν σεκρέτων, idemq; Secretarij munere fungebatur. Alius tamen ab eo qui dictus eſt *primus à ſecretis*, quem Procopius l. 2. perſic. vocat τῶν ἀπορρήτων γραμματέα.

Vicecancellarii.

Vicecancellarii in omnibus ſunt Galliæ Parlamẽtis, qui omnia, quæ ad ius attinent, exequuntur.

Myſtici.

Myſtici vocati ſunt ſecreti conſiliarii, & alii ſecretorum conſcii.

Libellorum præpoſitus, ſupplices libellos recipiebat.

Referendarii ſupplicum preces Imperatori offerebant. Juſtinianus decreuit, vt cum decem eſſent, ad octonarium numerum redigerentur.

Scriba vocati viri docti & prudentes, non qui acta ſcriberent.

Scribarum extra iudicium variæ dignitatis officium fuit. Apud Hebræos ſummæ venerationis fuit. Inter primos principes Dauidis Scriba nominatur, 2. Regum 8. 16. Joab autem filius Saruiæ erat ſuper exercitum.

Et 4. Reg. 22. 10. *Cum pontifice ararii ſacri curam gerit. Cumque viderent nimiam pecuniam eſſe in Gazophylacio aſcendebat Scriba regis & Pontifex, effundebantq;, & numerabant &c.* Scriba etiam cum Eliacimo filio Helciæ, qui erat præpoſitus domus, ad Rapſacem mittitur. 4. Reg. 18. 18. *Vocaruntq; regem; egreſſus eſt autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpoſitus domus, & Sobna Scriba, & Ioahe filius Aſaph à commentariis.*

Et cap. 18. 2. *Et miſit Eliacim præpoſitum domus & Sobnam Scribam, & ſenes de ſacerdotibus opertos ſaccis, ad Iſaiã prophetam filium amos.* Quin & Eſdras vir princeps, ſacerdos dicitur & Scriba. 2. *Eſd.* 8. 4. *Stetit autem Eſdras Scriba ſuper gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum.* & v. 2. *Attulit ergo Eſdras ſacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctiſque qui poterant intelligere, in die prima menſis ſeptimi.* Creuit tamen ſemper Scribarum potentia; nam & militari dignitate ornabantur Jerem. 52. 25. *Et ſeptem viros de his qui videbant faciem regis qui inuenti ſunt in ciuitate: & ſcribam principem militum qui probabat tyrones: & ſexaginta viros de populo terræ, qui inuenti ſunt in medio ciuitatis.* Atque hi adiutores & adminiſtri Cancellariorum ſunt.

CAPVT XXVI.

Ædilium magiſtratus & officia.

Aediles olim potentes.

§. 1. ÆDiles olim reges fuerunt, publicorum operum opulenti curatores; & Barbarorũ quidem faſtus in pyramidum molibus, hortorum penſilium miraculis, ciuitatibuſque celeriter exſtruendis ſeſe iactauit; Eorum vero, qui ad humanitatem, politiamque exculti fuerunt, ædilitas vtilioribus, magiſque neceſſariis in ædificationibus verſata eſt, vrbes ſenſim exſtruxerunt, ampliarunt, muniuerunt, arces, pontes, vias, aquæductus, cloacas, & vel ex ſuperſtitione, vel pietate templa & dominica ſibi ſtruenda ſumpſerunt. Hinc immenſa illa opera ſubterranea Romæ contra tot vndarum eluuiones, incendia, & ruinas valida.

Ædiles plebis.

§. 2. Ædiles plebis Tribunorum erant adminiſtri, inter cætera tamen officia curam ædium ſacrarum, & ciuilium agebant, quod commune etiam fuit ædilibus Curulibus, vt templa, theatra, ſtadia, porticus, fora, ipſa mœnia, Baſilicaſque conſeruarent. Ludos facerent. Priuatarum aliquando ædium curam ſuſceperunt. Liu. l. 6. *Et Roma cum frequentia creſcere, tum tota ſimul exſurgere ædificiis, & Republica impenſas adiuuante, & ædilibus velut publicum exigentibus opus &c.*

Ædilesinanes ſumptus fecêre.

§. 3. Romana in ædilitate pernicioſum fuit, quod vtilibus relictis ſumptus in ludos facerẽt nimios. Hac enim ratione plebeculam ſibi demerebantur, & exempla profuſionum admodum multa paſſim inueniuntur. Itaq; ſenſim ſub Imperatoribus cum à principe omnia penderent, ea inſania deſiit.

§. 4. Loco ædilium poſtea inſtitutus eſt curator operum publicorum. Erant vero Romæ plurima. Circus, mœnia, amphitheatrum Caſtrenſe, Campus Viminalis, Campus Martius, Portus, Thermæ, Aquæductus, horrea, ſtabula, curſus publicus, pontes, viæ, Baſilicæ, obeliſci, Bibliothecæ, Luci, ſtadia, Nymphæa, tabulæ, & ſigna, Arcus, piſtrina, fora, ſenacula, columnæ, templa, ſacella. In prouinciis tertia reditum pars mœnibus & balneis ciuitatum impendebatur. Alius erat curator vrbium, pecuniam enim tractabat, & ad quæſtoriam dignitatem eius munus pertinebat.

§. 5. Ad ædiles pertinebat cura eorum, qui erant curatores Aluei Tiberini, & Cloacarum. Sub eiſdem erant quatuoruiri viarum curandarum, & Curatores viarum extra vrbem. Quiq; poſtea dictus eſt comes formarum, cuius erant aquæductus, quos formas vocabant, curare.

§. 6. Q-

§.6. Olim curæ cunctis erat, vt opera publica magnifica & supra priuatum modum essent. Omnes ad ea contribuere tenebantur, aliquando excepti senatores, lib.5.in Cod.Theodos. Curator non se tantum, sed etiam hæredem obligabat, imo vt solida fierent, de vitio intra quindecim annos tenebatur, nomen inscribere, non nisi qui suis sumptibus extrueret, vetitum; in publicis ædificiis priuato habitare non permissum. Nouum inchoari non debet nisi vetus absolutum sit. Itaque pecunia ad nouum legata, ad vetus restaurandum adhibere ædilis potest, modo sit operum publicorum.

CAPVT XXVII.

Annonæ præfectos magna cura constituendos.

Præfectus annonæ magnæ dignitatis.

§.1. ANnonæ præfectus primus lectus est L. Minucius, qui Sp. Melium de regno consilia molientem senatui detulit. ita Liu.l.4. Pompei præfectura omnium fuit potentissima, maius enim imperium in prouincias habuit, quam illi, qui eas sortito administrabant.

Augustus præfecturam ipse gessit, senex iam Turranium sibi substituit, deinceps ordinarius magistratus fuit; officium illius describit Cassiod. l. 6. Var. 18.

Officia præfecti annonæ.

Tui studij, vt sacratissimæ vrbi præparetur Annona, vbique redundet panis copia. Per officinas pistorum, cibosque discurris; pensum & munditiam panis exigis. Carpentum Præfecti vrbis mista glorificatione conscendis. Tu illis in spectaculis coniunctissimus inueniris. Si querela panis, vt assolet, concitetur, tu promissor vbertatis seditiones ciuicas momentanea satisfactione dissoluis. Non immerito Pompeius fertur copiæ quantitate prouisa vsq; ad rerum peruenisse fastigia. Dignitati tuæ pistorum iura famulata sunt, quæ per diuersas mundi partes possessione latissima tendebantur. Sicarij quoq; reperti tuo deputari videntur examini. Triticeas quidem copias Præfectura prætoriana procurat, Præfectus Annonæ dispensat, panis pondera examinat. Apparitoribus instructus erat, & canonem exigebat per eos, quos ab officio vocabant *compulsores*. Quantum cura frumentaria populum iuuerit, ostendit bello, quod cum Porsena gestum est, ciuitas. Liu.l.

Cura annonæ vinculũ ciuitatis.

2. *Non vnquam ante tantus terror senatum inuasit: adeo valida res tum Clusina erat, magnumq; Porsenæ nomen. nec hostes modo timebant, sed suosmet ipsi ciues, ne Romana plebs metu percussa, receptis in vrbem regibus, vel cum seruitute pacem acciperet. Multa igitur blandimenta plebi per id tempus ab senatu data. annonæ imprimis habita cura, & ad frumentum comparandum missi, alii in Volscos, alii Cumas. Salis quoq; vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumptu ademptum priuatis: portoriis quoque & tributo plebe liberata, vt diuites conferrent, qui oneri ferendo essent; pauperes satis stipendii pendere, si liberos educarent. Itaq; hac indulgentia patrum, asperis postmodum rebus in obsidione ac fame, adeo concordem ciuitatem tenuit, vt regium nomen non summi magis quam infimi horrerent: nec quisquam vnus malis artibus postea tam popularis esset, quam tum bene imperando vniuersus senatus fuit.*

Neque querelæ crebrius, & murmura, atque adeo seditiones, quam ob frumenti inopiam, Suet. in oct. Sym. l.2. epist.6. Marcellin. l.21. Primum cum alienis messibus Roma suam multitudinem, & inertiam sustentauit, horreum Sicilia erat, accessit Sardinia, Africa, postremo Ægyptus. Græcia, Macedoniaque aliquando in partẽ venẽre, cum messes Libycæ fallerẽt.

Victor horrea recenset, & pistrina in hunc modũ. *In prima regione ad portam Capenam, horrea 13. pistrina 20. In regione secunda ad Cœlimontium horrea 13 pistrina 12. In tertia regione horrea 18. pistrina 12. In quarta regione horrea 8. pistrina 12. In quinta horrea 23. pistrina 12. In sexta horrea 18. pistrina 20. In nona horrea 22. pistrina 20. In decima horrea 48. pistrina 20. In vndecima horrea 16. pistrina 12. In duodecima horrea 26. pistrina 20. In decima tertia horrea 26. pistrina 20. In decima quarta horrea 22. pistrina 22.* Nec dubito plura aliquando fuisse, & notitia Imperii Romani id indicat. Hæc summa horreorum est.

§.2. Horreorũ duplex erat structura; alia erant subterranea, vt Vitr. l.5.c.9. Fodiuntur & exinaniuntur, quam altissime structiles cloacæ, cum tabulis, complentur ea loca carbonibus, deinde insuper sabulo eæ ambulationes sternuntur, & exæquantur, vt sint siccæ. in his sunt thesauri ciuitatis. Eo enim facile sal importatur, frumenta publice, priuatimque expeditius congeruntur. Apud Philonem, non in hisce speluncis, sed in cœnaculis frumẽtum aceruatur, eorum parietes amurca inungebantur, & solum ipsum. plures fenestras ad Boream habebant, & illis retia præpansa.

Horreorum erant non modo curatores, sed præpositi etiam, & comites, magnoque in honore erant; neq; enim minoris est dignitatis annonam vrbis seruare, quam ærarium. *Comites horreorum.*

§.3. Præfectura annonæ à Græcis originem habuit, Athenienses vocant ὁ ἀλφίτου, & σιτώνας, Suidas appellat σιτοφύλακας, aitque fuisse quindecim in vrbe, quinq; in Peiræo. Ætoli ἀγερνόμον dicebant, vt est apud Plautũ. Nunc principes, qui solidum imperium spectant, magno animo insistunt, ne annona desit, omnia enim quæ patiuntur, ad magistratus infamiam trahunt subditi. Venetus senatus curãda annona plebis amorem redimit, neque enim maiorem annonæ curam facile inuenias. E contrario Turcarum Imperator, cum latissimas habeat, fertilissimasq; regiones, quæ olim extera quoq; regna cibabant, perpetua fame populum subiectum castigat. Cum enim imperii duritia, & ministrorum rapacitate terram redigat in solitudinem, non nisi ignaue colitur; id enim quod sibi necessarium est, tantum serunt: superflua, aut quæ in vsum reponi solent, aufert Canonicarius, & Satelles.

§.4. Partem annonæ curare honorificum olim habebatur, *Magnus panetarius* dictus est, seu *Præpositus panis*, qui pistores corrigere, pondera examinare, precium tritico ponere consueuerat.

CAPVT XXVIII.

Tribunorum plebis consideratio.

§.1. TRibunorum plebis sacrosanctus erat magistratus. Jus conuocandi senatus habuêre, impediendiq; quicquid obstare commodis plebis iudicabant, præcipua enim eorum potestas erat in obsistendo, intercedebant enim & vetabant. Temporis deinde successu contentionibus perpetuis ita Tribunorum vires inualuerunt, vt consules in carceres duci iuberent, patriamq; sæpe in extremum discrimen coniicerent. Hanc ob causam Tribuniciam potestatẽ Augustus, aliiq; imperatores continuam retinuerũt, vt imperii annos ex repetita potestate tribunicia numerarent. Quanquam autem magna incommoda, perpetuaq; dissidia ex hac Tribunorum & nobilitatis concertatione nascerentur, pertinax tamen populi studium eos semper retinuit ac defendit. quin & leges imperatoriæ in ciuitatibus defensores cõstituunt. & nunc quoq; in plerisq; liberarum vrbium versantur, nisi vbi patriciorum potentia sibi cuncta subiecit. Defensorum officium quinquennale fuit, vti apud Romanos censorum. *Tribunorũ potestas in impediendo consistens.* *Augusti non Tribuni, sed Tribunicia potestatis.*

§.2. Potestas eorum varia. Primo, de rebus minoris momenti, & inter tenues iudicabant, vsq; ad solidos quinquaginta. ita Imper. Valent. & Valens Senecæ defensori, *Si quis de tenuioribus, ac minusculariis rebus interpellandum te esse crediderit, in minoribus causis, id est, vsque ad quinquaginta solidorũ summam, acta iudicialia conficiat, scilic. vt si quando quis vel debitum iustum, vel seruum, qui per fugam fuerat elapsus, vel quod vltra delegationem dederat, po-* *Defensores ciuitatum.*

ſtulauerit, vel quodlibet huiuſmodi, tua diſceptatione reſtituas. Cæteras vero, quæ dignæ forenſi magnitudine videbuntur, ordinario inſinuato rectori.

§. 3. Ex decurionum ordine non eligebantur, ſed ex ciuibus; iidem ad Probum. *Defenſores ciuitatum, non ex decurionum ſeu cohortalium corpore, ſed ex aliis idoneis perſonis huic officio deputentur.* Merito ſane; nam Decuriones in ciuitatibus erant inſtar Patriciorum Romæ, aduerſus quos cæteri ciues plebei defenſionē poſtulabant. Itaq; ex aduerſariorum corpore nō oportebat dari defenſores, ſed ex eis, quorum intererat, plebis commoda ſeruari ac defendi. Illuſtres tamen, & ſpectabiles viri magnis dignitatibus functi honorem capeſſere poterant, modo ex decurionibus non eſſent.

Nemo honorem illum fugere poterat.

§. 4. Nemo honorem eum ſubterfugere potuit, nō illuſtres, nō milites, Nouell. 15. *Interim illud ſciendum eſt prius, vt nulli hominum ſit licentia defenſoris ordinationē declinare, ſed inuicem vniuerſi nobiliores ciuitatum habitatores hoc miniſterium eis adimpleant. hoc n. & in prioribus temporib. valuiſſe, & in Rep. geſtum didicimus. Nulli, nec ſi honoratus ſit magnificentiſſimorū illuſtrium dignitate, hoc declinare concedimus, nec ſi militiam habeat honeſtam: neq; ſi proferat priuilegium ſuū ex diuinis formis: vel ſi pragmatici ſint collati: ſed ſecundum circulum habitatorib. ciuitatis, quorum aliquā ratio eſt, hoc implentibus: & dum circulus expletur, rurſus reuertentibus ad ſolicitudinem, & ciuitati prædictam curam miniſtrātibus: vt in vnaquaq; ciuitate defenſor, iudex potius quam defenſor eſſe videatur: decreto quidem cum iureiurando factus omnium poſſeſſorum in illa ciuitate conſiſtentium, ſed nō in hac vrbe degentium. Iuſiurādum vero præbens, q̄ omnia ſecundum legem ac ius agat, & omnium cōmuniter, confirmandus autem ſicut nunc ex præcepto glorioſiſſimorum noſtrorum præfectorū in biennio vero adminiſtrans ſolo, & remouendus à cura nō habente licentiā clariſſimo prouinciæ iudice remouendi eum: ſed ſi quid videntur agere nō recte, nunciare ad glorioſiſſ. præfectos, vt inde ei fiat curæ priuatio, vnde ēt datur. Nulla exiſtente licentia adminiſtratori, aut ipſis defenſorib. vices agentes defenſorū facere: ſed ēt hoc omnib. eis interdicimus modis. Sed neq; aprias vices agētes per ciuitates clariſſimos iudices deſtinare, niſi ipſos defenſores, quos iudicum officium cōplere in ciuitatib. volumus: ipſos quoq; in omnib. diligentiā adhibere ciuitatib. in quib⁹ ſūt.*

§. 5. Tanti putarunt leges eſſe tenuiorū defenſionē ita Valent. Valens, Gratian. aaa. ad ſenatū. *Vtili ratione proſpectum eſt, vt innocēs & quieta ruſticitas, peculiaris patrocinij, defenſorū locorum beneficio perfruatur, & apud eum in pecuniarijs cauſſis litigandi habeat facultatem.* Plebi erant vice parentum Gratian. Valen. Theod. AAA. *In defenſoribus vniuerſarum prouinciarum erit adminiſtrationis hæc forma, & tempus quinquennii ſpatij metiendum: ſc. vt inprimis parentis vicem plebi exhibeas: deſcriptionib. ruſticos vrbanoſq; nō patiaris affligi: officialium inſolentiæ, & iudicum procacitati (ſalua reuerentia pudoris) occurras: ingrediendi, cum voles, ad iudicem liberam habens facultatem: ſuperexigendi damna, vel ſpolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas: nec patiaris quicquam vltra delegationē ſolitā ab his exigi, quos certū eſt, niſi tali remedio, non poſſe reparari.* itaq; hoc vnicum remediū contra tot quæſtores, exactores, agētes in rebus pauperib. conſtitutum eſt. Jus prehenſionis habuerunt, Nouell. 5. c. 6. Hæc enim defenſioni neceſſaria eſt, quam ob cauſam, & tribuni plebis eam ſortiti ſunt. Imo diſciplinam curabant. vt Valent. Theod. Arcad. AAA. *Per omnes regiones, in quib. fera & periculi ſui conſcia latronū feruet inſania, probatiſſimi quiq; & diſtrictiſſimi defenſores adſint diſciplinæ, & quotidianis actib. præſint, qui non ſinant crimina impunita coaleſcere, remoueant patrocinia, quæ fauorem reis, & auxilium ſceleroſis impartiendo maturari ſcelera fecerunt.* ¶ Deprehenſos ad iudicē dirigūt. Arc. Hon. The. AAA. *Defenſores ciuitatū oblatos ſibi reos in ipſo latrocinio vel cōgreſſu violentiæ, aut perpetrato homicidio, aut ſtupro, vel raptu, vel adulterio deprehēſos, & actis publicis ſibi traditos, expreſſo crimine cū his, à quib. fuerint accuſati, mox ſub idonea ꝓſecutione ad iudicē dirigant.*

Officia defenſorum.

Poteſtas turbandæ ciuitatis defenſoribus auferitur.

§. 6. Ne tamen more Tribunorum prætor officium ſæuirent, proſpectum fuit. *Defenſores nihil ſibi inſolenter, nihil indebitum vendicantes, nominis ſui tātum fungantur officio. Nullas inſligant multas. ſeueriores non exerceant quæſtiones. Plebem vel decuriones ab omni improborum inſolentia, & temeritate tueantur: vt id tantum, q̄ eſſe dicuntur, eſſe non deſinant.* ¶ Præcipuè cōtra ſuſceptorū fraudes, & rapinas officialium incumbebant. Honor. & Theod. *Defenſores ita præcipimus ordinari, vt ſacris orthodoxæ religionis imbuti myſterijs, reuerendiſſimorum epiſcoporū, nec nō clericorum & honoratorū, ac poſſeſſorum & curialium decreto conſtituantur. de quorum ordinatione referendum eſt ad illuſtriſſimam prætorianam poteſtatem: vt literis eiuſdem magnificæ ſedis eorum ſolidetur auctoritas. Quod ſi quid à qualibet perſona contra publicam diſciplinam in læſionem poſſeſſorum fieri cognouerint defenſores, referendi habeant poteſtatem ad illuſtres ac magnificos viros præfectos prætoriis, & illuſtres viros magiſtros equitum & peditum, magiſtros etiam officiorum, & comites tam ſacrarum largitionum, quam rerum priuatarum.*

Defenſores etiam conſenſu epiſcorum conſtituti.

§. 7. Cū vero aliquando fieret, vt præuaricarentur, & pro defenſorib. hoſtes fierēt, vel auaritia, vel potētiorū metu, & affinitate, magna cura quęſiti ſunt idonei; adeo vt epiſcoporū ēt ſuffragiis ſtatuerentur. ita iidem imperatores decreuerunt. *Iubemus cura ac ſolertia defenſorū, minime poſſeſſores maiorib. menſuris & ponderibus à ſuſceptorib. prægrauari: ſed eos deprehenſos, ad iudicium dirigi cum ipſo commiſſæ fraudis indicio. Illud etiam fieri permittimus, vt ſi prouincialibus noſtris conteſtari iniurias, ſeu læſiones ſuas cupientibus, actorum confectio à defenſoribus denegetur, licētia eis tribuatur querelæ propriæ libellum conſcriptū, eo tēpore, quo fuerat conteſtandum, in frequentioribus ciuitatū locis, ꝓponendi conueniendiq; ſcribas, tabularios, & cætera officia publica cōmonendi, per quæ libellū colligi oportebit, vt q̄ inuitis ſupra memoratis perſonis ſub actorū confectione ingerēdi, quorū q̄ſtione fides poſſit inquiri, qua ꝓbata, in eos, quos geſtorū petitā cōfectionē negaſſe cōſtiterit, vigor iudiciarius exeratur.*

Defenſorib. ſublatis reſpubl. periit.

§. 8. Denīq; ne more Tribunorū Remp. turbarent, ita eorum officia agitata ſunt, vt poteſtas tandem deſierit, & afflictis tenuibus Reſp. perierit. Defenſores etiam rerum Eccleſiaſticarū conſtituti ſunt, quos ἐκδίκους & ſyndicos dixerunt, quorū hodie in Rep. & Eccleſia magna eſt auctoritas. horū officiū eſt, ἐκπάσης τῆς ἀδικίας τὰ πεῤ́γματα ἐκδικεῖσθαι καὶ δεῖν, vt negotia, cauſas ab omni iniuſtitia liberent. Nunc perpetuū eſt munus ſyndicat⁹, olim erat θεοδικὸν πολίτευμα, in orbem rediens magiſtratus.

Syndici.

§. 9. Nulla re alia magis fatalis olim Rerump. interitus, q̄ hoc defenſorū magiſtratu. Principio ne infirmiores à validiorib. opprimerētur reges populi creārūt, magno eos potētia & honore inſtruxerūt; Poſtq̄ illi beneficia in ei⁹ pnicię verterūt, ab optimatib. cōtra reges ꝓſidia q̄ſierunt, cū illi quoq; nihilo regib. viderentur eſſe mitiores, è ſuo corpore tribunos fecere, vt quib⁹ cōmune eſſet periculū, accuratior eſſet cura defendendi. ſed duplex in illis error; vel n. reguntur à multitudine potius, q̄ regūt; vel in gratiam potentiū plebis libertatē opprimi ſinūt. Ita nuſq̄ tuta fides, niſi vbi mores boni. Tribunis plebis adiūcti ſunt. Ædiles plebis, quorū p miſſu iudicāt, plus q̄ p legē liceat, poſſidentibus diē dicunt, cōtra luxū fœminarū leges ſtatuunt, fœneratores coercent, frumēti ēt curā habent.

Ædiles plebis.

§. 10. Magiſtratus ſuos habebāt municipia, & alię ciuitates, cōſtabant è curialib. & principalib⁹, q̄uis principales ꝓpriè dici ſolebāt, q magiſtratu functi eſſent. Sub extrema imperii tempora cōſules ſuos habuere. Priſcis ſęculis duūuiros vocarūt, quorū loco alii quinque viros maluerūt. Demarchos & ἄρχοντας græci ferè appellarūt, Italicorū nōnulli dictatores, vel ędiles. ab his, niſi ꝓſides, atq; adeo ipſe impat. animaduerteret, grauiſſime reſp. affligebātur, nā è nobilitate ferè creabātur, & egenis erāt infeſti. Hinc factū eſt, vt quēadmodū Romę Tribuni, ita in vrbib. defēſores eligerentur, q plebeculā tuerētur. Vt vero lector animaduertat, quanti referat defenſorum habere multitudinem, & ſincere defendi infirmos, quæq; fuerit, ſub imperio Juſtinian. defenſorum conditio, legenda eſt Nouell. 15. *Niſi velociter reuocemus curam defenſorum, per*

Cauſa defenſorum creandorū.

per competens officium: nec ipsam vlterius antiquorum nominum habebimus veritatẽ. aliis siquidem alia data sunt ab antiquitate nomina significatiua à parte rerum: hoc autẽ defensorum nomen pure demonstrat antiquitatẽ aliquos præposuisse rebus, quatenus ex omni eas iniustitia vindicarent liberas. Siquidem & propter hoc paterna voce, defensores eos vocamus, quatenus eripiant à malis iniustitiam patientes. Nunc aũt hoc defensorum nomen valde conculcatũ est in multis nostræ reip. partibus: Et ita contemptum, vt in iniuria quidem potius quam in qualibet taceat honestate: siquidem fiunt viri quidem obscuri, decreta vero super eis misericordia magis quam electione cõficiuntur, quibus n. non est victus & vita sufficiens, isti defensorum emendicantes ordinationem, ad hanc accedunt curam: & pro aleæ quodam lusu, iudicium subiacet voluntatibus. Deniq; remouet eos quando voluerint, aut nihil, aut paruissimum delinquentes: & alios in illorum prouehunt officium quasi loci seruatores eos defensorum facientes: & hoc in anno frequenter in pluribus hominibus agentes, vt & officiales, & ciuitatum iudices, & harum habitatores, in nouissimo contemptu defensores habeant; Quæ vero aguntur ab eis, ad instar nõ actorũ sunt. si enim impetrauerint prouinciarum iudices, nequaquam præsumunt quædam gesta, monumentorum conficere apud semetipsos per omnia seruientes eis defensores, & illorum nutibus intendentes solis. Si vero quædam cõficiuntur, primum quidem etiam hæc venundant: deinde cum nullum habeant archiuum, in quo gesta apud se reponant, deperit quod cõficitur, & nequaquam inuenies apud eos plurium temporum poni monumentũ vllum penitus: sed ad hæredes eorum, aut alias successiones his monumentis agentes, gesta quærunt: & horum quæ quidem inueniuntur nulla fide sunt digna: alia vero etiam pereunt, & in tantum cadunt, vt in similitudine non actorum sint. Nos igitur quoniam de iudicibus bene disposuimus, & maiores potestates eorum in gentibus fecimus, & procul ab eis est inspectio ciuitatum: propterea credimus oportere etiam de defensoribus constituere. sit enim sic congruentia vtilis, si iudicum sumant officium, ciuitatum defensores: & prouinciæ præses videbitur quidem iudex iudicum potius esse, & hoc honestior, præcedentium apparere. quanto enim quilibet præest melioribus, tanto maior ipse & honestior est.

Defensores iustitiæ vindices.

Defensores patriciatus.

§. 11. Eam ob causam in vtraq; India prudentissime constituti sunt à regibus Hispaniarum defensores, & Patroni Indorum, qui eos à militum, præfectorum, præsidumq; rapacitate, & crudelitate tuerentur. Quam in causam Episcopi, & prælati vehementer, & serio incubuerunt.

CAPVT XXIX.

Quæstorum & administratorum ingens cura.

Quæstorum varia genera.

§. 1. QVæstorum apud veteres fuêre duo genera, Vrbani, & Prouinciales; Vrbani dicti sunt, vel ærarij, vel parricidij, seu capitales. nos hoc loco, non de criminum quæsitoribus, sed de Ærarijs magistratibus agimus, qui patrimonium Reipub. tractant. Nulla in re maius est periculum, nusquam facilior etiam viris constantibus lapsus. Sapientissime dixit Sapiens. *Beatus vir qui inuentus est sine macula, & post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Magnã pecuniam, magna lucri occasione, longo tempore accipere, expendere, sine culpæ suspicione arduum est; non vsurpare vnam ex mille artibus prædandi, quæ sunt in promptu animi est integerrimi. Cum ea quæ vel lego facta, vel audio fieri, in nullo genere officiorum plures admitti fraudes, maiores aut frequentiores pœnas infligi animaduerto.

Lubrica est pecuniæ tractatio.

Rex pauperibus est quæstor.

§. 2. Quæstura anno vicesimo septimo dabatur, post denas stipendia. Initia alij ad Romulum, alij ad Tullium Hostilium referunt. Verum initia exigua vt in paupere regno fuisse necesse est. Sibi enim quæstores esse poterant duo illi pastores, cum

Vnus erat fratrum, maxima regna, focus.

Valerius cum ærarium constituisset, duos quæstores comitijs curiatis creauit, Sig. l. 2. de antiq. iure ciuium Romanor. Vide π. l. 1. t. 13. *de offic. Quæstoris.*

Officia Quæstorum.

§. 3. Quæstorum officia erant omnia quasi priuata, imperium enim nullum habebant, non vtebantur sella curuli, non fascibus & lictoribus, neminem ad dicendam causam citare, neminem prehendere illis licuit, à priuato quolibet in ius vocari poterant. Hoc solum commune cum magistratibus habebant concionem vt conuocare possent. Dionys. l. 8.

Curæ quæstorum committebatur ærarium, & vectigalia populi Romani, pecuniam publice priuatimque erogabant, in ærarium recondebant, in tabulas accepti, & expensi referebant.

Legatos excipiebant, hospitium, & Lautia præbebant, munera commeatumq; præstabant, etiam vestimenta, curabantq; ne quid ipsis, comitibusue deesset. Ægrotãtium etiam curam susciebant, & si morerentur, funus publico sumptu faciebant. Senatusconsulta etiam conseruabant, sed hoc ad eos munus sero translatum est.

Duo quæstoribus honorifica concessa fuêre; Primum quod consuli in bellum ituro signa militaria ex ærario depromebant; Alterum quod triumphum petituros oportebat apud Quæstores iureiurando asseuerare de hostium occisorum numero, ciuiumq;, vere ad senatum esse relatum.

Patricia dignitas fuit.

§. 4. Quæstores primum creati sunt ex patricijs, postea communicata plebi potestas. Liu. l. 4. insigne memorat exemplũ populi contemnentis tribunos suos, & nobiles eligentis. Doluere hac contumelia accensi omnis tribuni; *Ante omnes Pompilius, Antistiusq;, Quidnam id rei esset?* (inquiunt) *non suis beneficiis, non patrum iniuriis, non deniq; vsurpandi libidine, cum liceat quod antea non licuerit, si non tribunum militarem, ne quæstorem quidem quenquam ex plebe factum: non valuisse patris pro filio, fratris pro fratre preces, tribunorum plebis, potestatis sacrosanctæ ad auxilium libertatis creatæ.*

Consules comitati sunt

Postea creati quæstores qui consules in bellum comitarentur, quiq; necessaria exercitui præbebãt. Locus illi designatus quæstorium dicebatur; apud Liu. l. 10. *A tergo castrorum decumana porta factus impetus; itaq; captum quæstorium. Quæstorq; ibi L. Opimius Pansa occisus.*

Quæstorum in prouincia dignitas

§. 5. Proconsules, & Proprætores suos in prouinciis quæstores habuêre. Eas etiam sortiebantur quemadmodum ipsi consules. Lictoribus illi ad maiestatem imperij repræsentãdam vsi sunt. Toga etiam prætexta vtebantur, ius dicebant, recuperatores dabãt, Prætores aliquando imperium illis mandabant; Alioqui proprium illorũ munus erat pecuniam ex ærario acceptam, stipendia exercitibus, cohorti prætoriæ, legatis viatica dare. Pecuniam vectigalem exigere, atq; in ærarium referre. Non eodem tempore semper eum Proconsulibus & Proprætoribus prouincias adibant. Hinc apparet, quanta abstinentia, quanta integritate quæstores præsertim Prouinciales esse oportuerit, qui cum tanta potestate fortunis sociorum imminebant.

Comes sacrarum largitionum.

§. 6. Nomen quæstorum postea mutarunt Imperatores, officium enim potestatemq; quæstoris comites sacrarum largitionum tenuerũt, Huic enim cura thesaurorum principalium erat demandata, hæc ratio principi ad liberalitatem exercendam suppetebat. Ex thesauris enim omnes principis liberalitatem exspectant, & principem decet opes ad liberalitatem, non ad auaritiam tenere. Arcad. & Honor. scribunt Limenio comiti sacrarum largitionum c. 1. t. 32. *Breues etiam quadrimenstruos ad officium palatinum nouerint dirigendos, aurumq; exactum ad sacras largitiones, sine vlla dilatione esse mittendũ.* Habebat ille plures comites per prouincias dispositos, qui pecuniæ conquirendæ præerant. Nam

Officium comitis sacrarum largitionum.

comites metallorũ,cõmerciorũ,vestiariorũ,ita rationales summarum,thesaurorum ppositi,procuratores monetarum,procuratores Gynæciorum, (ita textrinas sacras vocabant) item procuratores Baphiorum, & quicquid pecuniæ faciendæ opportunum erat, ad comitem largitionum pertinebat.

Monetæ cudendæ præerat;agebat enim vt vultus principis metallis vsualib.imprimeretur Cass.l.6.for.

7. *Huic sacræ mandantur opes, orbisq; tributa*
Possessi,quicquid fluuiis euoluitur auri,
Quicquid luce procul venas rimata sequaces
Abdita pallentis fodit solertia Bessi.

Plures quæsti. res esse cõuenit,ne furta celari possint.

§.7. Aliarũ gentium nõ dissimilis erat consuetudo. Magistratus apud Athenienses erant Ταμίαι decem numero. Eorũ officiũ describit Harpoc. Παραλαμβάνουσι δ' ἕτοι τοῦτο ἅλαλμα παῖς ἀθηνᾶς, καὶ τὰς νίκας, καὶ τὸν ἄλλον κόσμον καὶ τὰ χρήματα τἐναντίον τῆς βουλῆς, εἰσὶ δὲ τίνες καὶ τῶν τειηρῶν ταμίαι. *Accipiunt* (illi quæstores) *statuam Minervæ & victorias,aliũq; ornatum,& pecuniam in conspectu senatus. sunt autem & triremium quæstores*; Hinc illæ Romanæ leges. Hinc aliarum gentium ταζοφύλακες, ἐπιμεληταὶ τῶν θησαυρῶν, καὶ δημοσίων χρημάτων, θησαυρῶν ἀφεσεῖς ὄντες, ὅπι τερπένοντις τὺς θησαυρὺς, ἔπαρχοι καταλόγων. Talis l.2.Mach.c.3. Heliodorus. ὁ ἐπὶ τῶν χρημάτων δ' βασιλέως. *Qui erat præpositus Gazæ regis.* Nomen quæstoris postea non exoleuit,etsi officium in alios translatum fuerit.Codinus ait suo tempore quæstorem officium non habuisse, olim habuisse. Apud Menandrum de legat. Gaianus mittitur ad Persas inter regios patres existens, καὶ τῶν λεγομένων καὶ κάσρῳ διέπων ἀρχῶν. *& quæstoris exercens imperium.* An tum forte restitutum? an ἀρχὴ fuerit sine functione, & nomen duntaxat dignitatis? Constat sane comitem largitionum & quæstorem eodem tempore fuisse. vt l.12.cod.t.6. *Qui ex quæstura honore,aut officiali magisterio, aut comitiua vtriusque ærarii nostri attonito splendore viguerunt : acclamatione excipiantur solita, nec prætereantur vt incogniti. Dat.8.Kal. Iul.Thessalonicæ Gratiano V. & Theodosio I.AA.Coss.* ita decretum est à Gratian.Valent.Theod.Augustis.

Quæstorii ævo medio dicti.

§.8. Quæstorij erant,partem aliquam quæsturæ tractantes; λογοθέτης ἔ στρατιωτικῦ, qui latinis nominatur *rationalis ærarii militaris.* Zonar.T.3. Deinde dicti *Thesaurienses*,qui pecunias in singulis prouinciis asseruabant, donec statotempore ad comitem sacrarum largitionum transmitterent; Eorum fidelitati præcipue prospectum erat,quod satisdare oporteret.

Tertio omnibus prouinciarum rectoribus id vnice incumbebat, vt tributa curarent, tutoque ad comitem largitionum mitterentur,vt Nouell.134. Imo ne asyla quidem tueri quemquam poterant, vt est à Justiniano decretum Nouell.17. *Publicorum vero tributorum exactiones etiam intra templa decenter fieri procurabis : quoniam fiscalium ratio & militibus, & priuatis, ipsisque templis, & cunctæ Reipublicæ vtilis & necessaria est. Auxiliabuntur tibi etiam amabiles Deo Ecclesiarum defensores,& œconomi : nullum horum,qui fiscaria tributa exigunt, abripientes exactioni, sed neque permittentes violentum aut seditiosum aliquid pati exactionem inferentes : scientes, quia si quid tale gesserint,de suo satisfacere fisco cogentur.*

Diœceta.

Quarto,quia colligendis tributis præsidibus erant additi *Diœcetæ.* διοικηταὶ nominabantur, magnus autem Diœceta ad quem collecta vectigalia deferebãt. Magnus Diœceta qui Constantinopoli versabatur, videtur Quæstor generalis fuisse, & forte comitis largitionum officium aliquãdo tenuit,aut eius vices.

Quinto. Quandoquidem fraudum finis nunquam erat, & fiscus multos assertores habebat, constituti fuere & alii λογοθέται, quos discussores vocabant, qui rationum publicarum erant disceptatores, inique grauatos subleuabant, modum vectigalium interdum definiebant. Theodosiana de illis lex exstat.l.2.c.de Judæis.

Discussores.

Eadem de causa exactores, seu executores, quocunque iure missos omnia insinuare præsidi oportebat. Ita statuerunt Arcad.& Honor.AA.c.12.t.61. *Ne per diuisas prouinciarum partes aut palatinus exactor accederet,aut illustrium virorum apparitor vagaretur, vel militaris terror inferret formidinem, hac lege sancimus, vt omnes memorati intenti sint ad prouinciæ rectorem, & cum eo agant : illo insistente, disponente, & agnoscente, & suo periculo rem peragant,& impleant vniuersa. Dat.17.Kal.Iul.Mediol.Olybrio & Brobino Coss.*

Imo iudici quoq; probare causam suam debet. ita iidem statuerunt. *Siue ex prætoriano officio,siue illustris comitiuæ sacrarum largitionum, nec non & rei priuatæ nostræ militiæ, vel ex quacunq; apparitione ad quamcunq; necessitatem profligãdam quis fuerit destinatus, sciat se intra anni metas debere collectis ratiociniis ad proprium iudicẽ remeare, eiq; suam efficaciam ostendere,& quid in eius instantia exactũ fuerit,quidue in debitis habeatur,& penes quos resederit,vel cuius culpa,aut qua causa in eadem prouincia fuerit derelictũ. Quod si exactio spatio anni in eo regionis viscerib.prædator insidians, deprehensus fuerit remorari:tunc absolutus cingulo militiæ abiicietur,primoribus eius militiæ decem librarũ auri multa proposita,si redire dissimulet:& per vices officiorum ligatus ferreis nexibus, cura prouincialis officii, ad debitũ mittatur examen : nec ei liberum sit,vt hoc se priuilegio aut occasione defendat, q̃ sibi aliud negotiũ,vel aliam necessitatẽ post iniunctam esse causetur, cũ iisdem licentiã auferamus in eadẽ prouincia cõtinuare exactionẽ. Dat.10.Kal.Oct.DN.Theo.A VIII.& Palla.Coss.*

Iudex de fraude quæstorum cognoscit.

Sexto.Eisdẽ legibus obnoxii erant,qui mittẽdarii, & canonicarii dicebãtur.Arcarii quoq; nõ custodiendis modo,sed exigẽdis quoq; tributis instituti fuere.

Mittẽdarii, Canonicarii, Arcarii.

Septimo. Varietas negociorum etiam alium magistrum in hoc genere constituere coegit;erat ille *Magister census*, apud illũ professiones,testamẽta,donationes publicabantur. Cẽsuales illi parebant. Eorũ erat publicis actibus adesse, ea seruare, editores munerũ apud eos pecuniam,& præmia deponebant. Qua in re vero maxime occupati fuerint censuales, ex Nou.17. cõstat. *Coges aũt publicos exactores in suis de susceptis manifesta facere omnia in quibus ea dederunt, nempe quantitatem zygocephalorum,aut iugorũ,aut iugalium,aut quolibet modo per regiones nuncupantur:& pro quibus hæc & quælibet prædiis exigantur,& datorũ quantitatem, siue in speciebus,siue in auro.Et interminaberis eis,& magnum damnum,& manus imputationem,si hoc ꝙpracipitur quidem semper,vsq; nunc autẽ non custoditũ est,non deinceps omnib.seruent modis.Si vero (vt assolet) declinationem inueniant aliquã, dicentes non posse iugorũ poni quãtitatem:maxime quidẽ eos malignari putamus: sed tamen nihil hinc ladatur fiscus,nec collatores fiscus n.sine præiudicio oĩa sua percipiat,& solẽniter celebrata suscepta percipiant ii,qui hæc exoluerint,nihil exigẽdi amplius.Causa vero in nullo ladatur,& secundum cõsuetudinem quidẽ tributa soluantur ab eis,& inferantur fisco.Nuntietur aũt ad glorioſissimos nostros præfectos de istis primitus cogendis censualib. nuncupatas expositiones subtiliter dare,vt ex hoc fiat causæ diiudicatio: Et sic interim secundum consuetudinem quidem datis fiscalibus inculpabiliter inferendis, quicquid in iis quæ dubitãtur,glorioſissimi nostri præfecti iudicauerint,in iis quæ controuersa sunt, hac valere : necessitatem habentibus exactoribus, post cognitam veritatem super his quæstionibus, & in illis de cætero quantitatem zygocephalorum, & aliorum omnium describere secundum quod à nobis iam ordinatum est.*

Agrorũ magnitudinem cognoscebãt

Magister.

§.9. Curialium officia non oĩa diuersa erant:quãuis n.honoratiſſimi ciuitatum essent,senatusq;&nerui vrbium,exigendi tũ tributa onus sustinere cogebãtur,quin & crebro dum festinatur fisci vtilitas pro tenuioribus soluere cogebantur.Decuriones etiam vocabantur, adeo imperium nummis congregandis incubabat,vt omnes pene essent in magistratu quæstores,aut eorũ adiutores. Hanc ob causam oĩs prædandi rimas sectabantur, & vestigabant Decuriones, vt ne damnum facerent. Vere Saluianus lib.4. *Romana respubli-*

Curiales tributa exigebant.

Tributis mortua Respublica.

Respublica, vel iam mortua, vel certe extremũ agẽs Spiritum, ea parte, quâ adhuc viuere videtur, tributorum vinculis, quasi Prædonum manibus strangulata moritur. Anastasius Imperator vindices constituit, vt iniquas Decurionẽ exactiones inhiberet, & ipsi exigeret, sed illi prædæ dulcedine illecti importunius grassati sunt, vt merito eos Iustinianus amouerit, Decurionum honos erat, non posse plebeiorum tormentis subijci: Si pecuniam publicam interuertissent, plumbatis vapulabant. Susceptorem Decuriones suo periculo nominabant, qui tributa conquireret, pro quo satisdare cogebantur, qui eum nominassent, aut consensissent. Ille non modo pecuniam, sed frumẽti quinquagesimam, hordei quadragesimam, vini & lardi vicesimam in horreis recondebat. Veram quæ fuerit ratio Decurionum & Vindicum explicatur Nouell. 38. *Qui Rempublicam, olim nobis disposuerunt, existimauerunt oportere secundum Regiæ vbis instar adunare in vnaquaque Ciuitate nobiles viros, & vnicuique Senatus dare curiam, per quam debuissent agi quæ publica sunt, atque omnia fieri secundum ordinem. Sic itaque res floruit, sic fuit clara, vt magnæ & populosæ domus curialium essent multitudine quidem existente curialium. Quod autem functionum videbatur esse onus, nulli omnino intolerabile existebat. Nam quod in multitudinem diuiditur, onus insensibile propemodum facit eis, qui hoc sustinent. Quando autem per partes quidem cœperunt se eximere albo Curiæ, & occasiones inuenire per quas liberi his efficerentur, sic paulatim diminutæ sunt Curiæ innumeris excogitatis occasionibus, per quæ potuissent specialia quidem bene habere, communia autem & publica diminui. Propterea ad paucos viros redactæ functiones, & illis facultates commouerunt, & ciuitates ita diminutæ sunt, vt sub istos perditos Conductores, quos Vindices vocant, redacta Curia, contigerit Respublica plena quidem defectibus, plena vero omni iniustitia fieret. Hæc nos sæpe perscrutantes, æstimauimus oportere medelam rei adhibere, & quantum nos in hoc laboramus, tantum omnem adinuenerunt curiales artem aduersus ea, quæ rectè iustèque sancita sunt, & contra fiscum. Dum enim vidissent compelli se omnimodo Curiæ seruare quartam partem, & hoc vix per nostras leges impositum, cœperunt discerpere propriàs facultates, quatenus minus idonei deficerent, & non quartam portionem, sed omnem continuo paupertatem suam Curiæ derelinquerent. Denique quoniam ipsis corporibus Curiam defraudare voluerunt, rem omnium impiam adinuenerunt, à nuptiis legimus abstinentes, vt eligerent magis sine filiis, quam sub lege deficere, aut generi suo vel Curiæ inutiles apparere.* Dura fuit omnino Decurionum conditio, ita vt multi armatam sequi militiam mallent, vt constat ex cap. 12. t. 34. Interdum latebant pertinaciter, actum bona eorum his qui ad duumviratus munera pertinebant, permittebantur; cum igitur tot modis ad Decurionatum cogerentur, constat eius administrationem perdifficilem fuisse.

Abusus per vindices inductus.

Decurionũ onera.

Fures publica sibi nõ sumunt.

§. 10. Hodie commodius hisce rebus prouisum est, maxime vbi inter multos tractatio nummaria diuiditur; nam inter eos semper aliqui inueniuntur, qui fallere nolint, & propter eos alij, vel non possunt, vel non audent. In Regno Franciæ est Consilium, quod vocant *Financiarum*, in quo Quæstores, & Superintendentes; Est etiam curia auxiliorum, seu oblationum. Carolus Sextus Franciæ Rex vectigal vino, aliisque mercibus imposuit, quod vt leuius ferrent populi *auxilium* vocauit; illi præposuit duos Clericos, & duos Laicos notæ integritatis ac fidei; deinde ortis controuersijs Episcopus Præses, tres Consiliarij cum Procuratore, & Aduocato generali adiuncti sunt. Postea in alios translata sunt ista iudicia, auctus numerus Consiliariorum, ac Præsidum, à Carolo Septimo, Ludouico Duodecimo, Henrico Secundo. Interim Magistri computorum, receptoresque pecuniarum rationem reddere tenentur in camera, cuius Procurator de criminibus rationalium, & Thesaurensium cognoscit.

Consilium Financiarum.

Rationes optime Consiliarijs reddantur, quæ omnes corrumpi non possunt.

Recte etiam constitutum est, vt quatuor Thesaurarij generales Domanij peragrent Prouincias commissas, & de minoribus Thesaurariis cognoscant.

Nihil pernicioſius quam habere Thesaurarios partium casualium, qui pecuniam pro officiis, & dignitatibus expensam recipiant. Hoc iam felici initio sustulit Ludouicus XIII. *Thesaurarii casuales.*

Nec præteriri debet, quod ærarij præses, & quasi supremus Quæstor, seu Comes largitionum apud Francos vocatur Thesaurarius parcimoniæ; vt indicent nulla re magis crescere Thesaurum Regium quam parcimonia, & frugalitate Principis. Illius munus est, Thesaurariis belli stipendia soluenda mandare. Qui id per Commissarios, & solutores faciunt, quibus adiuncti sunt Antigrapharii. *Thesaurarius parcimoniæ.*

§. 11. Ἀντιγραφέων seu Antigrapharium vti nunc appellantur vetustissima est origo. Monet Aristoteles, vt pecuniæ publicæ præsentibus ciuibus tradantur, & Antigrapha conscribantur, ne interuerti possint. *Publicæ pecuniæ sit publica custodia.*

Hi perpetuo adhærent Receptoribus, Thesaurariis, Susceptoribus, Peræquatoribus, vt fraudes impediant. Parum itaque à vetere Republica recessit Gallia, & vbi mutauit, rectius statuit. Primo quidem Thesaurarium habet, deinde de tributis non iudicat Præses, aut Quæstor, sed Consilium, cuius in hac causa semper est sincerior sententia. Deinde quatuor habet generales receptores indictarum contributionum, in singulis Electionibus duo sunt Receptores, qui ad Generales pecuniam suæ Prouinciæ deferunt. Hi quoque iuuantur à Peræquatoribus, qui ex æquo bonoque per parœcias pro cuiusque facultate tributa partiuntur, colliguntque. Quæ si omnia per viros integræ vitæ, & iniquitatis osores administrentur, ingens pecunia, sine subditorum molestia colligi potest.

Neque dissimile est Belgij quæstorium: Rem enim pecuniariam tractat Consilium Financiarum, in quo Thesaurarius, & Receptor præcipuæ auctoritatis sunt. Omnes publicos sumptus illud Consilium dirigit. Habetque annexam cameram rationum, in qua septem Magistris rationum omnes alij, quibus pecunia commissa est, reddere rationem coguntur.

§. 12. Hispanis in variis Regnis diuersæ quæsturæ sunt, in ipso Palatio est Consilium, quod vocant Haziendæ, in illud conueniunt per hebdomadam aliquoties, tres Quæstores, quos vocant Cantadores, & à dignitate vocantur Maiores, quibus totidem Quæstores minores adiunguntur, cum Secretario, Relatore, Consiliarijs Cameræ. Materia deliberationum sunt omnia vectigalia, debita, eorumque solutiones, hypothecæ, alienationes, recuperationes. *Hispaniæ Quæstores.*

Ab eisdem Quæstoribus, adiunctis aliis quatuor Auditoribus, & vno Secretario controuersiæ de pecunia deciduntur. Atque illud Consilium dicitur Cantadoriæ. *Cantadoria.*

Alios habent ijdem Officiales, cum in Consilium conueniunt, quos vocant Cantadores de Cuentas, in eo enim omnium Prouinciarum, Regnorumque reditus consignantur, rationesque dantur accepti, & expensi.

Genuensiũ Quæstores Reipublicæ sunt Conseruatores.

§. 13. Genuensium Quæstores Rempublicam conseruant, & augent, in hunc modum rationem descriptam inuenio. *Quo vero (Bell. T. 3.) ad erogandam Reipublicæ pecuniam ciues alacriores redderent, creditoribus, assignatis certis hypothecis & reditibus, è frumenti, vini, aut aliarum rerum vectigalibus, &c. cauebatur. Et hic quasi Reipublicæ cum priuatis hominibus contractus, Compera dicebatur, additumque, vt qui centum libras mutuo dedissent, in hac velut Societate nouum locum, qui ducentas, duos locos teneret, & sic deinceps: adeo vt Compera, siue Societates eiusmodi valde multiplicatæ fuerint, quarum aliæ dicebantur Capituli, aliæ S. Pauli, aliæ salis, &c. Harum vnaquæque à ciuibus quibusdam administrabatur, quorum erat operam dare, vt creditoribus recte satisfieret, & rationes inter hos & Rempublicam iuste seruarentur. Quum vero, vt fieri solet, è multitudine magna nata esset cõfusio, decretum fuit, vt omnes in vnum corpus redigerentur, cui Compera siue Camera à D. Gregorio nomen indutum, eiusque cura quibusdam itidem Ciuibus commissa est: qui cum singulari industria & prudentia munus sibi iniunctum administrarent, publicæ vero necessitates, magnos requirerent sumptus, Locatiorum (sic enim supra diximus nominari eos, qui in hanc Societatem admittuntur) numerus valde creuit, adeo vt oppignorata magna publicorum redituum parte, Officii huius curæ & negotia mirum in modum aucta sint, & oppida etiam & territoria eius dictioni accesserint. Inde factum vt Societas hæc primum ab ipsa Republica, deinde à Pontificibus, Imperatoribus, & aliis ciuitatis dominis multa priuilegia impetrarit, sic vt quamuis hoc officium ab ipsa Republica, & iis qui palatium gubernant, dependeat, nihilominus tamen Vrbano Magistratui subiecta non sit, sed omnes etiam, qui partem aliquam Reipublicæ capessunt, eius priuilegia inuiolata se seruaturos promittere & iurare cogantur. Vt vero in aliis fere rebus principia valde tenuia sunt, & contempta, temporis vero successu paulatim ad perfectionem contendunt. Ita in hoc quoque officio siue Magistratu accidit, cuius hodie multo melior & perfectior est forma quam olim fuit. Quantum enim ad comparationem vtilitatis siue emolumenti à Locatorio percipiendi attinet, non iam certum quid est præfinitum, aut determinatum, vt olim sed pro ratione reditus, & sumptuum, itemque ad conseruationem earum rerum quarum cura Officio huic commissa est, & prout vectigalia fructuosa fuerint vel minus, omnia diriguntur, quin etiam ipsa redituum percipiendorum, quæ hodie in vsu ratio multo seuerior est, & ad conscientiam accommodatior: præterquam quod, vt diximus hac ratione dominia aliquot, & territoria ei sunt acquisita, ad quorum faciliorem administrationem nouas regulas & nouas leges condere oportuit. Huius quidem Officii siue Magistratus respectu Genuẽsium ciuitas in duas quasi communitates diuidi potest: quarum prima Maior est, & ab iis, qui in palatio ius dicunt, gubernatur, & integram fere ciuitatem comprehendit. Altera parua est, cui Sangeorgianus Magistratus præest, & ad Locatorios siue redituum participes spectat. Illa quidem multis mutationibus obnoxia, & tyrannicum Imperium nonnunquam experta est; hæc vero libera semper & ad certos ciues adstricta, ac proinde firma fuit.*

§. 14. Olim viliores interdum pecuniam tractabant, nec in hunc modum crescere poterant. Rationales dicebantur, & actores crebro erant serui, aut liberti Cæsaris, qui rationes patrimonij tractabant, dicti & illi sunt λογισταὶ & λογοθέται. Dicti & actores Dominici. Tertull. de Corona militis, Castrenses ministros appellat. Biennium militabant, nec deinde ad idem officium redire poterant, t. de Castrensianis & Ministerianis cap. 12. *In officio spectabilitatis tuæ secundum formam diualium responsorum post completum tempus præfinitum, ideſt, biennium prioribus decedentibus insequentes ad locum pro merito laborum stipendiorumque succedant, nec vlla licentia tribuatur his, qui impletum deposuerint officium, denuo ad eãdem militiam, vel sollicitudinem remeandi.*

Ad idem officium redire, quibus vetitum.

Primiceriorum non in profanis modo, sed in sacris quoque frequens est mentio, ita dicti sunt, quod cum in suo ordine essent Principes, primi in cera, seu in prima cera scriberentur. Suidas definit primum τῆς τάξεως τυχόντας, primum cuiusque ordinis. Primiceriatus dignitas Senatorem efficit, Cassiod. lib. 6. c. 7. Allectis ex Consulibus æquatur l. 19. c. Theodos. de Palatin. sacr. largit. Magnus Primicerius dictus est Princeps Thebarum. Erant igitur Primicerij Cubiculariorum, Priuatorum, Scriniorum, Notariorum, Deputatorum, Augustalium, Singularium, id est, eorum, qui notis scribebant.

Primiceriatus.

§. 15. Quæstoris adiutores seu Boethi constituuntur viginti sex, Nouella 35. *Viginti sex adiutoribus Quæstoris, quos Boethos dicunt Quæstoris, licebat in suo loco alios substituere, idoneos tamen, & quos pro tempore Quæstor elegerit, propositis sacris Euangeliis. Hi autem qui fiunt in locum eorum, qui suo loco cecidерunt, centum solidis præstitis fiant. Istorum autem trium graduum viri, id est, Scrinii memoriæ, & duorum qui proximi futuri sunt, quamuis non ex viginti sex adiutoribus, tamen licentiam habeant surrogare in locum suum. Habeant igitur ius vendendi militiam suam, & non vltra centum solidos, dummodo & is, qui subrogatur, electione Quæstoris fiat. Prærogatiuas autem constitutio dat Theodosio & Epicteto, & Quirillo, & Sabbatio, & Perigeno. Illo videlicet obseruando, vt si quis ex viginti sex Adiutoribus defunctus fuerit, ad hæredes eius centum Solidi dentur, & electione Quæstoris militent. Sin autem liberi sint defuncti, idem iuris habeant, quamuis hæredes Parenti suo non exstiterint. Dat. C. Bilis.* Delegationes vocabant, quod in quaque Prouincia vel vrbe frumenti, auri, aliarum rerum debebatur. Delegatorium Epistola erat, quâ illa dabantur, & interdum ius conferebatur prædia inuadendi. De Susceptoribus vide titulum 70 l. 10. Codicis, *Susceptores publicos absque omni mora aurum censemus suscipere, ne quis per hanc occasionem sumptus facere compellatur. Nam si soluere volens à suscipiente fuerit contemptus, testibus adhibitis contestationem debebit proponere: vt hoc probato, & ipse securitatem debitam commissi nexu liberatus, cum emolumentis accipiat, & qui suscipere neglexerit, eius ponderis, quod debebatur duplum fisci rationibus per vigorem officii Præsidis inferre cogatur. Quod autem Susceptores iudice, cuius interest, negligente violauerit, ex ipsius iudicis facultatibus sarcietur. Dat. 14. Kal. August. Paulino & Iuliano Coss.*

Quæstorum adiutores.

Atque ita fisco multis modis cauetur, sed plures artes sibimetipsis cauendi norunt Quæstores, qui raro pauperes ex officio, sæpe diuites ex prædâ discedunt. Vtinam tanta sit cura pauperum, quanta est publicarum diuitiarum. Exempla prisca haud quaquam desunt. Non enim memoria duntaxat, sed etiam imitatione dignissimum, quod magni etiam Principes ὀφανοτρόφοι esse voluerint, Zonoras in Michaele Paphlagone refert fratrem eius fuisse ὀφανοτρόφον, Idem Cedrenus.

§. 16. Exactorum fraudes multæ leges vetant, paucæ compescunt. Interim vtiles illæ, quæ prohibent, quicquam inscio Rectore Prouinciæ agere. c. 12. t. 61. & vt infra annum rationem reddant. Denique vt nihil agant, quod sibi commissum non est. Ita Arcad. Honor. (c. 12. t. 61.) *Quicunque ex palatio nostro cuiuslibet tituli ad Prouincias cõmeauerit, compulsor, Exactor, Admonitor, Portitorve Præcepti, agens in rebus, vel Palatinus, vel Apparitor illustrium potestatum: hoc tantum potestatis arripiat, quod mandatum curiæ suæ specialiter approbatur, ne quod iniunctum alteri fuerit, Collegij iure præsumat: ne dum hoc sibi inuicem mutui officii licentia partiuntur, agant cuncti, quod singulis credebatur. Dat. prid. Iul. Mediol. Olyb. & Probin. Coss. Siue ex Prætoriano Officio, siue illustris Comitiuæ sacrarum largitionum, nec non & rei priuatæ nostræ militiæ, vel ex quacunque apparitione ad quamcunque necessitatem profligandam quis fuerit destinatus, sciat se intra anni metas debere collectis rationibus ad proprium iudicem*

Fraudibus Quæstorum obuiũ itum.

cem remeare, eique suam efficaciam ostendere, & quid in eius instantia exactum fuerit, quidve in debitis habeatur, & penes quos resederit, vel cuius culpa, aut qua causa in eadem Prouincia fuerit derelictum. Quod si exacto spatio anni in eius Regionis visceribus prædator insidians, deprehensus fuerit remorari: tunc absolutus cingulo militiæ abiicietur, primoribus eius militiæ decem librarum auri multa proposita, si redire dissimulent: & per vices officiorum ligatus ferreis nexibus, cura prouincialis officii, ad debitum mittatur examen: nec ei liberum sit, vt hoc se priuilegio aut occasione defendat, quod si aliud negotium, vel aliam necessitatem post iniunctam esse causetur, cum hisdem licentiam auferamus, in eadem Prouincia continuare exactionem. Dat. 10. Kal. Octob. D. N. Theod. A. VIII. & Palladio Coss.

Omnimodo prædatoribus aulicis obuiã eundum.

In vsum reducendæ leges tituli 62. c. 12. *Si quis à ducenariis, vel centenariis, vel fisci aduocatis læsum se esse cognoscit, adire iudicia, & probare iniuriam non moretur: vt in eum qui conuictus fuerit, competenti seueritate vindicetur.* Dat. Kalend. Nouemb. Treuir. Constant. A. IV. & Licinio V. Coss.

Præter solennes & canonicas pensitationes, multa à prouincialibus indignissimè postulantur ab officialibus Scholasticis non modo in ciuitatibus singulis, sed etiam mansionibus, dum ipsis & animalibus eorundem alimoniæ sine pretio ministrentur. Prouinciales itaque cuncti iudices tueantur, nec iniurias inultas transire permittant. Dat. 3. Kalend. Iul. Leontio & Salusto Coss.

Quoties compulsor arguitur in depræda tione conuictus, etiam non consulta clementia nostra pœnam subeat legibus competentem. Dat. prid. Kalend. Ian. Stilicone & Aureliano Coss.

Curialibus & nauicularijs, omnibusq; corporibus ita subueniri volumus, vt nihil apparitoribus vniuersorum iudicum liceat, quod ad prædam prouincialium pertinet.

§. 17. Absoluo hanc de Magistratib. tractationem, & adijcio; Recte facturos si in singulos dies iuramẽtum suum cum vero seruandi proposito repetant, & perpendant, quod Nouell. 8. tit. 3. proponitur. *Iuro ego per Deum Omnipotentem, & Filium eius vnigenitum, Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum Sanctum, & per sanctam gloriosam Dei Genitricem & semper Virginem Mariam, & per quatuor Euãgelia, quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, puram conscientiam germanumque seruitium me seruaturum sacratissimis nostris Dominis Iustiniano & Theodoræ coniugi eius, occasione tradita mihi ab eorum pietate administrationis: & omnem laborem ac sudorem cum fauore sine dolo & sine arte quacunque suscipio in commissa mihi ab eis administratione de eorum Imperio atque Republica: & communicator sum sanctissimæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ: & nullo modo vel tempore aduersabor ei: nec alium quemcunque permitto, quantum possibilitatem habeo. Iuro quoque idem iusurandum, quod nulli penitus neque dedi, neque dabo occasione datã mihi cinguli, neque occasione patrocinii, neq; promissi, neque professus sum de prouincia mittere, neq; mittam, neq; occasione Dominici suffragii, neq; famosissimis præfectis administrationem habentibus, neq; iis qui circa eos sunt, neq; alii hominum vlli: sed sicut sine suffragio percepi cingulum, sic etiam pure me exhibebo circa subiectos piissimorum nostrorum Dominorum: contentus iis quæ statuta sunt mihi de fisco annonis. Et primum omne habebo studium vt fiscalia vigilanter inspiciam: & indeuotos quidem & indigentes necessitate, cum omni exigam vehementia, nequaquam subinclinatus, neque ob hoc lucrum ipsum omnino considerans, aut per gratiam vel odium exigens aliquem citra quam competit, aut concedam alicui. Deuotos autem paterne tractabo, & subiectos piissimorum nostrorum Dominorum illæsos vndique quantum possibilitatem habeo, custodiam. Et æquis in causis vtriq; parti, & in publicis disciplinis ago: nulliq; parti citra quã iustũ est præstabo: sed exequar vniuersa delicta, & omnẽ æquitatem seruabo secundum quod mihi visum fuerit iustum. & eos quidem qui innoxii sunt, vndique innoxios illæsosque conseruabo: noxiis autem imponam supplicium secundum legem, & omnem iustitiam (sicut iam dictum est) in publicis & priuatis contractibus ius seruabo: & si comperero fiscum iniustitiam pati, non ego solum hoc ago, sed etiam semper mihi assidentem talem studebo assumere, & circa me omnes: Vt non ego purus quidem sim, qui vero circa me sunt: furentur & delinquant. Si quis autem inueniatur circa me talis: & ꝙ sit ab eo, me sanare & eum expellere. Si vero non hæc omnia ita seruauero: recipiam hic & in futuro seculo in terribili iudicio magni Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: & habeam partem cum Iuda, & lepra Giezi, & tremore Cain: insuper & pœnis quæ lege eorum pietatis continentur, ero subiectus.*

Insigne iuramentum Magistratuum.

CAPVT XXX.

Ministri Magistratuum.

§. 1. INter Ministeria Magistratuum nominatissimus est accensus, ab acciendo ita dictus; silentium faciebat, quod Illicium dicebatur, horam tertiam, meridem, & nonam esse clamabat. Libertis id muneris fere committebatur. Honestior erat Præcone, hic in Concione, in Comitio, si quid recitandum erat, pronunciabat. Accensus priuatos ad Magistratũ accibat. Omnes illi apparitores dicti, quemadmodum Ministri officiales. Plures præconum decuriæ fuerunt. Viatorum munus erat prehendere, ligare: quod & Lictorum; hos à ligando alii, Tiro à Lino seu Licio dictos, quo transuerso cincti erant. Statores ijdem dicebantur, nec alij fuisse videntur ab apparitoribus. Totum hoc genus in Prouincijs dicti Brutiani, quibus non militia imperatur, sed seruilia opera, quod omnium primi ad Hannibalem defecissent.

Acceſſorum officium.
Præcones.
Viatores.
Lictores.
Statores.
Brutiani.

Interpretes etiam Romani habuerunt, non modo cum Prouincias administrarent, in quibus diuersa lingua vtebantur, sed etiam in ipsa Italia, & quamuis Græce nossent, in Sicilia, atque Græcia. Hoc Imperij maiestatem decere arbitrati sunt, vt non modo fasces proferrent, sed etiam linguam, vt totus orbis non modo Romani iuris, sed idiomatis etiam esse videretur,

Interpretes.

Cornicularij non Cornicines erant, sed cornibus Secretarij præerant, atque prætorium custodiebant ex militibus veteranis ad hanc quasi quietam, curiosam, honoratamque militiam assumebantur. Sym. c. 10. Epist. 56. Græca glossa interpretatur ῥαβδίτην & πρόμαχον, spectabilitatis insignibus decorabantur.

Cornicularii.

§. 2. Officia Minora aulica fuêre, quæ tamen & in vrbibus priuatorum ædibus vsurpata inscriptio vetus narratur habere. *Diophantus Tiberii Cæsaris ornator* Glabrarius: ijdem & Glabratores & Pumicatores dicebantur fœda consuetudine depilandi corporis. Ornabant & Brambaricarij & Argentarij, qui auro, argento, ære inducebant, qui in auro, argento, ære cælabant. Nec vllum genus artificum erat, quod non obnoxium Imperatori, Collegia eorum corpora & ipsi corporati dicebantur; habebantque Præfectos & Magistratus suos, quin ipsa vilissima Præfectos habuere: calcis præpositura, dignitas erat. Cassiodor. Epist. 7. lib. 7. coctilis calx niuibus concolor, spongijs leuior. Te ad coctionem distributionemque calcis nostra præponit auctoritas.

Alia officia.
Glabrarii.
Brambaricarii.
Corpora, Corporata.
Præpositus calcis.

Nomenclatores, vel Nomencalatores multitudo & ambitio genuit, cum candidatis singulorum ciuium nomina infercirent, ex quo & fartores dicti sunt. Post lex scripta est, ne candidatis Nomenclator adesset.

Nomenclator.

Cur-

Cursor. Cursores constituendi sunt, vt certa cognitio omnium habeatur partium, Hemorodromi fuere, qui ingens spacium vno die transmitterent. Mandatores etiam posterius vocati sunt, qui mandata ad Præsides ferebant.

Mandatores.

Transuectionum & Bastagarum tota dispositio, itemque nauigationes olim multo aliter constituta sunt, in maximo Imperio, nunc fere per collybum, & mercatores facilius, celerius, minore sumptu transuehuntur.

Stationarij. Curiosi. Stationarij & Curiosi per Prouincias constituti omnia ad Magistratum, tam iudicum, quam militiæ delicta referebant. Hoc etiam officium fuit eorum, qui dicuntur agentes in rebus, olim ijdem erant

Verhedarii. Frumentarii. Verhedarij, & Frumentarij, πυροφόροι enim dicti sunt. Sed & frumentariorum nomen pro exploratoribus vsurpatum est: Athenienses ἀγγέλους vocabant, quod explorarent, quis domi frumentum moleret. Ἐφεσυνῆται ita quas erant, hoc est, inuestigatores omnium rerum, quas ad Principē referebant. Milites etiam fuere, & Saiones nominati; quorum vsus maxime necessarius est, sed caute credendum, & in magnis præsidum delictis occulte, ne timore pœnæ rebellent.

Agentes in rebus. Verum Agentium in rebus varia officia fuêre, perfuncti laboribus suis, inter Consulares numerabantur. Eorum Princeps litigantes ad Præfectum citabat. Tributa exigebat.

Stationariis aliis vetatur carcerem habere. Constantinus Cod. 12. t. 58. *Omnes Stationarii neque supra exactionem audeant, neque carcerem habeant, neve quis personam, licet pro manifesto crimine apud se habeat in custodia sciens, quod si quid tale fuerit commissum, capite puniendus est. P. P. Id. Maij. Cartha. Constantino A. 4. C. Luinio 4. Coss.*

Numerarios & Tabularios valde legibus exercendos, prudentia Principum censuit. (Constant. c. 12. t. 50.) *Vorax & fraudulentum numerariorum propositum, qui diuersis obsequiis Rectoribus obsequuntur, ita inhibendum est, vt antea sanciuimus, & nunc itidē sancimus conditionibus subdi tormentorum, & eculeis atque lacerationibus subiacere. Dat. 14. Kalend. Iun. Optato & Paulino Coss.*

Eosdem consuetudine actuariorum abstinuit lex 8 Hon. c. 12. t. 50. *Ne diutius ad cunctorum perniciem actuarij numerariorum consortiis adiuuentur illustris auctoritas tua cunctos ex numerariis actuariorum præcipiat abstinere, atque ab eorum communione discedere, quod si hoc moniti custodire neglexerint, hisdem pœnis se quibus actuarios non dubitent subiacere. Datum 4. Kalend. Iun. Niciæ Honorio A. IIII. Et Euthychiano Coss.*

Apparitores deinde admodum honesto loco fuêre. Valent. & Valens immunes fecerunt, c. 12. t. 55. *Qui sese in officiis Magistrorum equitum ac peditum militare monstrauerint ab omni nominationis iniuria excusentur Dat. 13. Kalend. Octob. Aquil A. C. C. 15. Kalend. Nouemb. Salerni Diuo Iouiano & Varroniano Coss.*

Et ordinis militaris. *Qui in officio Magistrorum equitum ac peditum militiam sortiti sunt, ordinis sint militaris.*

Denique eos sociant tribunis militaribus. *Numerarios virorum illustrium Magistrorum militum tam præsentialium, quam Orientalium, qui ordine & stipendiis militiæ fuerint decorati, exeuntes tribunis prætorianis partis militaris sudoribus eorum beneficium deferentes sociari præcipimus: ita videlicet, vt post completam militiam, ab omnibus indictionibus, tam militarium, quam ciuilium iudicum semper habeantur immunes. Principatus vero munere functos tribunis vigilum militaribus aggregari volumus.*

CAPVT XXXI.

De Regno Sinensi.

COronidis loco visum fuit adiūgere, quæ ex cōmentariis P. Matthæi Riccij, & experientia scribit P. Nicolaus Trigautius Sinensium institutor, de Republica eorum, legibusque, & Magistratibus; multa n. sunt, quæ principibus vsui esse possint. Sunt vero l. 1. c. 6. De expeditione Christiana ad Sinas.

De hoc argumento non plura attingam, quam quæ ad huius Commentarij finem, omnino necessar a esse iudicauero; Si enim id pro dignitate persequi in animo esset, non nisi quam plurimis capitibus, aut etiam libris res tota clauderetur. Imprimis igitur in hoc regno ab omni temporum serie, sola ea gubernatio ad Rempublicam gerendam probata est, quæ in vni⁹ Imperio Monarchicam sustinet maiestatem, Aristocratiæ porro vel Dimocratiæ, vel alterius cuiuslibet Policratiæ, vel ipsum nomen apud Sinas est inauditum. Olim quidem sub vno Monarcha, non pauciores erant inferiorum tituli, quam apud nos Ducum, Marchionum, Comitum, atque cæterorum huiusmodi. Verum ab annis proxime mille octingentis hi peculiarium Dominorum tituli, potestasque est omnino sublata.

Administratio Reipub. Monarchia

Ac licet ab omni memoria, ciuiles tumultus bellaque minimè defuerint, siue priusquam hæc ratio mutaretur, siue ex quo mutata est, tametsi etiam hoc Imperium esset in varia Regna minora diuisum, quod nunc in Iaponicis Insulis esse audiuimus; nunquam tamen prius ab externis populis legitur vniuersum esse subactum, quam Anno nostræ Salutis 1206. cum è Tartaria Dux nescio quis, Regnorum domitor, in hoc Regnum se se cum exercitu victore immisisset.

Eum Ducem nonnulli è nostris, nec leuibus, meo iudicio, coniecturis Tamerlanem, vel è Successoribus eius aliquem fuisse arbitrantur. Eum enim Sinæ Tiemor appellant, eumque scribant subacta primum Perside ac Tartaria, ad Sinas sibi adiungendas animum adiecisse. Quisquis is fuerit. Tartarum appellabo. Is immisso exercitu, breui sibi Sinas omnes subegit, & acceptam tanti Regni Tyrannidem eius posteri ad annum vsque 1368. propagarunt: quo tempore cum iam Tartari Imperii vires deficere cœpissent, neque iam vltra Sinæ externum Imperium, & Barbarum ingenium ferrent, variis in Prouinciis sub diuersis Ducibus iugum excussērunt.

Qui cæteros Duces, rebus præclare vel virtute, vel dolo gestis superauit, fuit vnus è familia Ciu, quem Sinæ postea Ham Vu, insignem Ducem, aut armorum potius Diluuium appellarunt. Is pellectis ad se auxiliaribus aliorum quorundam strenuorum Ducum copiis, breui è gregario milite tantum viribus excreuit, vt non Tartaros solum, Regem, ac Duces, Imperio exutos expulerit, sed non minore fortuna reliquos etiam rebelles, toto regno superarit, & vnus Sinense Imperium occuparit, quod etiam eius posteri in hanc vsque diem felicissime propagarunt. Hinc suæ Monarchiæ magnæ claritatis nomen, vt supra dixi, Tamin indiderunt.

Imperium Sinense. Sinense porro Imperium à parente in filios, vel ad propinquos Regios, more nostro deriuatur. Duo solum tresue Reges antiquissimi, regnum morituri, non filiis quos ad regendum ineptos iudicabant, sed aliis, tametsi nullam haberent inter se sanguinis necessitudinem, commendarunt. Accidit quoque non semel, vt is qui impotentius imperitabat, & ab impatiēte iugi populo, fascibus exueretur,

Sinenses impatientes Tyrannidis.

&in

& in eius locum eum, qui viribus ac virtute, populique gratia emineret, subrogarent, ac pro legitimo deinceps Rege venerarẽtur. Hoc vero in laude apud Sinas ponendum, quod complures honestam potius mortem eligere optant, quam in intrusi Principis verba coniurare. Etenim apud Sinenses Philosophos celebre dictum. Matrona casta duos nescit Maritos: nec fidelis cliens duos Dominos.

Leges Reipublicæ nullæ antiquæ.

In hoc Imperio nullæ sunt leges antiquæ, quales apud nos duodecim tabularum, iurisq; Cæsarei, quibus perpetuo Respublica gubernetur. Sed qui primus è familia quapiam Regnum capit, is nouas pro arbitratu leges condit, quas ex eadem familia posteri obseruare coguntur, nec facile immutare permittũtur. Quapropter leges illæ, quæ hodie ab Sinis obseruantur, nõ sunt Humovuio antiquiores, omnes ille aut è veteribus acceptas, confirmauit, eum sibi maxime scopum præfigens, qua ratione regno pacem, sibi ac posteris Imperium quam diutissime propagaret.

Rex Sinarum cœli filius appellatur.

Ex eo quod huius Regni fines ita longe lateque proferantur, & ex ignoratione transmarini Orbis, arbitrantur Sinę Regem suum orbi vniuerso imperare, ideoque speciosо illum nomine Cœli filium Thiencu dicunt, & hodie, vt olim semper, appellant, quia porro Cœlum ipsi pro supremo numine colũt, idem est Cœlũ ac Dei filium nominare. Vulgo tamen non hoc nomine sed Hoamsi appellatur, hoc est, supremum Imperatorem, aut Monarchã. Cæteri vero Reges longe inferiore titulo ab Sinis Guam appellãtur.

Humovuij Imperatoris statuta.

Humovuius ille quẽ dixi, non virtute solum bellica, sed ingenio quoq; & solertia, insignis fuisse perhibetur. Id persuadent statuta legesque complures, quibus Rempublicam Sinensem stabiliuit. Ex ijs nobiliora quædã seligam, memor semper instituræ breuitatis. Quod (vt ex annalium serie constat) omnes familiæ Regiæ, propinquorum regiorum, vel regni procerum factionibus Imperio exciderunt, propterea quod regni habenas magnam partem moderarentur. Statuit, ne quisquam è regio sanguine publicum deinceps munus attingeret, siue illud vrbanum esset, siue militare. Illis porro Ducibus, quorum auxilio regnum à Tartarorum Tyrannide liberaret, eorumque posteris militaret, hæreditario iure attribuit præfecturas. Ne vero regium genus ab omni publico munere reiectum ferret se impotentius, Regum filios, titulo Guam, id est, Regulorum appellatione insigniuit, annuosq; census amplissimos assignauit. Sed eos non in prædijs agrisve, ne clientes obtinerent, sed in annuo stipẽdio, quod ex ærario regio ab Magistratibus penderetur, collocauit. Voluit etiã vt eos Magistratus pro Regulis, oẽs venerarentur, sed nemo illis subderetur. Regulorum deinceps filios ac Nepotes variis titulis ita honestauit, vt paulatim decrescerent, cum annuo censu, prout à Regio Trunco longius per ætatum gradus descendissent. Cum vero ad certas ærates peruenissent, non amplius ijs ex ærario publico præberetur, quam quantum ad vitam commode tuendam, sine vllo vel opificio, vel negotiatione esset satis. Prouidit etiam vt Regij sanguinis puellæ pro dignitate ac Regij Trunci propinquitate collocarentur, & speciosis plus minusve titulis optimoque censu eundem in modum dotarentur.

Immunitates Ducum regnique liberatores.

Sociis porro Ducibus, regnique liberatoribus, annuos census liberalissime & honorum titulos speciosissime impertiuit, militares item præfecturas, aliasque immunitates largitus est, sed Vrbanis Magistratus non secus ferè ac reliqui subduntur. Ex ijs immunitatibus vna est primogenitorum apud nostrates inaudita. In lamina ferrea ad instar pateræ exsculpta visuntur præclara illa facinora, quæ à familię Capite sub Humovuio Rege ad regni liberationem patrata sunt. In horum gratiam, delicti cuiuslibet impunitatem, & iam morte plectendi, impetrabit etiam tertio, si eam laminam Regi obtulerit; quâ visa Rex quoties condonat, in ea cælari iubet indicium quoddã, ex quo intelligatur quoties ea lamina veniã impetrarit. Id porro intelligendum est, excepta perduellione, eius enim conuicti, omni mox dignitate ipsi totaque posteritas in perpetuum exuuntur. Eius generis honores & census, cum ea quam dixi temporis imminutione, Generi Regij ac soceri obtinent, & alij etiã nonnulli, qui de Sinẽsi Republica, regione, statu, insigni facinore benemeriti fuisse reperiuntur.

Reipublicæ gubernatores soli Doctores & Licentiati.

Ad regendam porro Rempublicam, totiusque regni gubernacula, soli Doctores ac Licentiati in examinibus renunciati adsciscuntur, nec eam ad rem ipsi gratia vel Magistratuum, vel ipsius etiam Regis indigent, omnia enim Reipublicæ munera ab explorata cuiusque scientia, virtute, prudentia, solertiaque dependent, siue nunc primum gerere incipiant, siue iam alios gesserint Magistratus. Id porro Humvuij leges ita præcipiunt, & magnam partem obseruantur, excepto eo, quod humana malitia à Gentilibus minime religiosis quotidie contra iura legesque peccatur.

Magistratuum nomina.

Magistratus omnes, siue philosophici, siue militaris fuerint Senatus, Sinensi lingua Quonfu (Præsides dixeris) appellantur. Sed honoris ijdem non officij causa Lauye, vel Laufie nuncupantur. Id Dominum ac parentem sonat. Lusitani Magistratus illos, à mando fortasse, Mandarinos vocant, quo nomine iam etiam apud Europæos Sinici Magistratus intelliguntur.

Monarchia admixta Aristocratia.

Etsi dixerim initio, Monarchiam esse huius Regni administrandi rationem, tamen è dictis facile constat, & è dicendis constabit, Aristocratiæ non parum admisceri. Quanquam enim omne, quod à Magistratibus statuitur, necesse sit, ab Rege libellis ei datis confirmari; nihil tamen vlla in re decernit prius, quam à Magistratibus ante solicitetur aut moueatur. Si porro priuatus quispiam Regi libellum obtulerit (quod ideo pauci faciunt, quia omnes ab certo Magistratu excuti prius & approbari necesse est, quam ad Regem transmittantur) si Rex se velle præ se ferat prima concessione, ita fere subscribit; Excutiat hunc libellum tribunal, cuius interest, meque moneat, quid faciendum videatur. Indubitatum illud omnino haberi debet, quod ego studiose exploraui, ipsi Regi omnino non licere cuipiam pecuniarum munus largiri, aut Magistratum conferre, aut augere, nisi ab aliquo Magistratuum fuerit rogatus. Id porro non ita intelligendum, quasi Rex priuata authoritate ijs, qui intra Palatij fines commorantur munera largiri non possit; facit enim id frequenter ex antiqua consuetudine, ac velut lege, qua cuique licet è sumptu domestico amicos cohonestare, sed id inter beneficia publica minime ponitur. Siquidem Regis hæc dona non è publico, sed ex priuato censu fiunt.

Vectigaliũ reditus.

Vectigalium reditus, atque tributorum, qui sine dubio centum quinquaginta milliones, vt vulgus vocat, excedunt, in singulos annos, non in palatij ærarium inferuntur, nec eos Regi expendere suo arbitratu licet; sed omnia siue argentum, gentis moneta, siue oriza eiusdem commeatus, in ærariа & horrea publica toto Regno congeruntur. Ex ijs Regis, coniugum, filiorumque, sumptus, nec non Regiorum Propinquorum, & Eunuchorum, & vniuersi famulatus Regij, suppeditantur, Regio semper splendore & copia, nil tamen plus minusve quam legib⁹ præscribitur. Inde Magistratuum Militum-

Militumque stipendia, & cæterorum toto Regno curialium ministrorum soluuntur, quæ summa maior est, quam nostrates sibi persuadere possint, hinc etiam ædificia publica, Regis Palatium & Regiorum Propinquorum, Vrbium muri, artium propugnacula, bellicus denique omnis apparatus instauratur; in hac Regni amplitudine vnquam deest, quod erigas aut instaures. Et quod incredibilius videtur, annis quibusdam contingere solet, vt ne hac quidem tam ingens vectigalium summa sumptum exæquet, sed noua etiam tributa imponi necesse sit.

Magistratuum ordines.

Verum ad Magistratuum ordines priuatim descendamus, quorum in vniuersum duo esse genera reperio. Alterum est eorum, qui non solum in Regia, Magistratus aulicos gerunt, sed ex ea velut ex specula Regnum moderantur vniuersum. Alterum est Prouincialium Magistratuum, qui singulas vel Prouincias, vel vrbes gubernant. Vtriusq; ordinis quinque aut sex volumina iustæ magnitudinis, toto regno venalia extant, & in vrbe Regia Pequinensi bis, mensibus singulis recuduntur, quod ex eorum ratione Typographica perfacile est. In his voluminibus aliud legitur nihil, præter nomina, patriam, & gradum eorum, qui toto Regno id temporis Magistratus gerunt. Toties porro recudi omnino necesse est, nam in tãta eorum multitudine, quotidianæ sunt vices, nam alios mori, alios priuari, alios demitti ad inferiora munera, aliorum denique parentes diem suum obire contingit; ex quo postremo casu fit, vt ad luctum triennem, domum necessario, abdicato quolibet extemplò Magistratu, reuertantur, de quo infrà suo loco: Et ad eorum, qui desunt, loca supplẽda, nunquam non in Regia Pequinensi permulti fortunam præstolantur. Ex hac tanta multitudine, solum eos Magistratus attingam, quos ad insequentium librorum intelligentiam necessarios esse iudicabo. Militarem porro Senatum vniuersum silentio inuoluam, ne præscriptos institutæ breuitatis fines excedam.

Voluminibus quinq; aut sex cõtinentur.

Officia Magistratuum sex.

Dicam primum de Curialibus, deinde de Prouincialibus officiis. Curialia ergo tribunalia primaria sex numerantur. primum Li Pu vocant, Pu enim Sinis idem est ac tribunal Li Pu Magistratuum tribunal. Id supra cætera tribunalia eminet, ex eo, quod eius interfit, omnes omnino totius Regni Philosophici ordinis Magistratus, qui potiores habentur, nominare, quæ nominatio prima Scriptionum præstãtia, cuius iudicium est penes hoc tribunal, definitur. Et ab humilioribus omnes officijs initium sumentes, ad vnum omnes, paulatim per præscriptos legibus honorum gradus ascendunt. Siquidem in inferioribus virtutis ac iustitiæ specimen dederint: contra si fecerint vel ad humiliores Magistratus abijciuntur, vel omnino priuantur. Certum enim est, eum qui literarum gradus obtinuit, ad ipsam vsque senectutem continuo ascensu ad summa quæque aspirare, neque vnquam nisi sua culpa reijci à regenda Republica. Porro si eum reijci omnino ex culpa contigerit, vna cum Magistratu, spem quoque ad Rempublicam regendam redeundi deponit.

Primum tribunal.

Secundum Quæsturæ tribunal.

Alterum tribunal Ho Pu vocant, quod apud nos Ærarij aut Quæsturæ nuncupatur. Huius interest regia vectigalia exigere, stipendia persoluere, sumptus publicos facere, aliaque huiusmodi.

Tertium Rituum tribunal.

Tertium Lypu vocant, nos rituum tribunal possumus appellare, ab hoc sacrificia publica, fana, fanorumque sacerdotes, Regia coniugia, Ludi litterarij examina, vt rite & ex ordine fiant, publice festiui dies, gratulationes certis temporibus & cuentis communes, Regi exhibendæ, tituli bene meritis deferendi, Medici, Mathematicorum Collegia, Legationes excipiendæ, remittendæ, earum ritus, munera, literæque curantur. Indignum enim Rex arbitratur sua maiestate, per seipsum litteras cuipiam scribere, vel intra vel extra Regni fines.

Quartum militare tribunal.

Quartum tribunal Pimpu, id est, militare vocant. Huic omnes militares præfecturæ subsunt; nam & auferuntur ignauis, & strenuis conferuntur, & pro facinorum magnitudine, dignitatis ab eo datur incrementum. Huius etiam interest, rei militaris examina curare, graduſque conferre.

Quintum ædificiorum tribunal.

Quintum Cumpu vocant, nos ædificiorum publicorum tribunal possumus appellare; Huius munus est huiusmodi moles delineare, Palatia scilicet, vel Regis, vel Regiorum Propinquorum, aut Magistratuum; nauiagia quoque confici curat, quæ in vsus publicos, aut classes necessaria sunt; pontes item, Vrbiumque muros facit ac reficit, omnem denique alium curat apparatum.

Sextum criminum tribunal.

Sextum porro, quod à repetendis criminum pœnis Himpu vocant, de criminibus inquirit ac iudicat. Publicæ quoque toto Regno Custodiæ huic tribunali subduntur.

Tribunalis cuiuslibet vnus præses.

Omnia totius regni negotia ab his tribunalibus pendent; quapropter in vnaquaque Prouincia, & Ciuitate sibi subiectos habent Magistratus atq; Notarios, à quibus de singulis magna fide admonentur; atque ita non parum tanta negotiorum mole distinentur; sed multitudo, Collegiorumque illorum ordo leuius hoc onus facit. Nam inprimis vnus est totius tribunalis Præses, quem Ciam ciu vocant; is assessores habet duos, à dextris alterum, alterum à sinistris; hi Cilam appellantur: horum trium dignitas in Vrbe Regia, regnoque vniuerso inter supremas numeratur. Secundum hos tribunal quodlibet in varia eius officia distribuitur; quibus singulis plures præsunt Collegæ. His accedunt Notarij, Curiales, apparitores, alijque famuli complures.

Præter hæc tribunalia, aliud est toto regno & aula maximum, Colaos vocant, ij fere sunt tres quatuorve, nõnunquam sex; qui nihil peculiariter sibi cõmissum habent, sed Reipublicæ inuigilant vniuersæ, & in omni negotio Regi sunt à secretis. Hi quotidie in Regium Palatium admittuntur; & cum Rex hodie definiẽdis publicè regni negotijs (quæ olim ipse cum his Colais definiebat) non interfit, in Palatio totos dies hærent; & libellis, ad Regem magno quotidie numero missis, pro arbitratu respondent. Cum hoc responso ad Regem redeunt, à quo pro nutu approbantur, antiquanturve, aut immutantur. quod vltimum responsum Rex sua manu libellis adscribit, vt deinde quod iusserit, executioni mandetur.

Præter hos, quos dixi Magistratuũ ordines, aliosque complures, quos attingere non licet, ideo quod à nostratibus vix discrepent, alij duo sunt ordines, nostris fere inauditi.

Magistratus extraordinarius.

Prior Choli, posterior Zauli dicitur: in singulis ordinibus supra sexaginta numerantur, selecti omnes Philosophi, viri cordati ac prudentes, qui iam Regi ac regno fidem suam prius egregie probarunt. Hi duo ordines Curialibus & Prouincialibus ab Rege magni ponderis negotiis extra ordinem adhibentur, cum magna semper ac Regia potestate, quæ venerationem illis auctoritatemque conciliat: sed præ reliquis peculiare illorum munus est, quale apud nos Syndicorum.

Quod in eo versatur, vt libellis, quoties voluerint, Regem admoneant, si cubi contra leges in vniuerso Regno peccatur: qua in re non solum Magistratibus minime veparcunt, etiamsi supremi fuerint, sed ne cum ipso quidem Rege, aut regia domo dissimulant; hoc mihi munus non multum à Lacedæmoniis Ephoris discrepare videretur, si plus aliquid possent hi monitores quam loqui, aut potius scribere, & si non

si non à Regis admoniti nutu dependere cogerentur. Verum hoc suo munere ita exacte funguntur, vt externis gentibus stupori esse possint & exemplo. Nullis enim vllo vnquam tempore Magistratibus, imò nec ipsi Regi (tãta est eorum libertas & integritas) parcunt. Et quanquam non raro stomachari Regem, & in eos atrociter etiam sæuire contingat (plerumque enim vbi acrior est doloris sensus, libellorum suorum aculeum figunt, Magistratuum maximorum ac Regis nullo delectu vitia carpentes) nunquam tamen à monendo carpendoque desistunt, quam diu malo communi remedium opportunum minime adhibetur.

Hoc ipsum etiam reliquis Magistratibus per leges licet, nec Magistratibus solum, sed priuato etiam cuique illorum, tamen quos supra memorani, libelli pluris fiunt, quoniam ex officio peculiari illud præstant. Libellorum ad Regem transmissorum exemplaria, Regiaque responsa à compluribus excuduntur. Hinc fit vt quam celerrime per omnes regni angulos aulica negotia peruagentur. Nec desunt qui hos deinde libellos in libros compingant: & si quid posteritatis memoria dignum detur, in regni annales scribunt.

Paucis ab hinc Annis cum vellet Rex, qui nunc imperat, natu secundum, sibi & Reginæ charissimum filium, excluso primogenito, contra leges in Principem inaugurari, tantus libellorum numerus conscriptus fuit, quibus factum Regis reprehendebatur, vt furore incitatus Rex, supra centum vel officijs priuârit, vel humilioribus addixerit. Nec tamen hoc metu territi sibi temperarunt, sed die quadam omnes, qui tum aderant, Magistratus in vnum conspirantes, se se in Regium palatium contulere, & munerum suorum insignia deponentes miserunt, qui Regem moneret, si in hoc negotio contra leges instare pergeret, se omni imposterum Magistratu se se abdicare, priuatosque donum repetere; ipse regnum suum quibus vellet commendaret. quo audito Rex ab ea re vel inuitus abstinuit.

Nuper etiam cum Colaorum maximus, minus legitime suo munere fungeretur, intra bimestre centum fere libellis ab his Regiis monitoribus est accusatus, tametsi non nescirent eum Regi gratiosum in paucis: nec diu post extinctus est, & quidem (vt fama est) præ doloris magnitudine.

Collegia varia.

Præter hos in aula Magistratus, sunt etiam ibidem non pauca Collegia in varios fines instituta, sed omnium nobilissimum est, quod Han Lin Yum appellatur; in illud non nisi selecti Doctores inditis supra examinibus adsciscuntur.

Doctores Collegij Regij.

Qui in regio illo Collegio versãtur, nihil omnino publici muneris attingunt, & eos qui Rempublicam regunt, superant dignitate. Vnde magno studio ad illud Collegium aspiratur. Horum munus est scriptiones regias componere, regni annales concinnare, leges ac statuta scribere. Ex his Regum ac principum Magistri eliguntur.

Toti studiis incumbunt, & in ipso Collegio suos habent honorum gradus, quos scriptione consequuntur. Inde ad grauissimas dignitates, non tamen extra curiam, assumuntur. Nemo ad Colai grauissimum munus eligitur, nisi ex hoc Collegio. Magnum etiam quæstum faciunt scriptionibus, in amicorum gratiam condendis, huiusmodi sunt epitaphia, inscriptiones, ac similia, quæ omnes ab iis certatim impetrare gestiunt; quæque hoc solo nomine, quia ab illis proficiscuntur, elegantissima habentur.

Examinibus demum Licentiatorum, & Doctorum, (à quibus pro Magistris habentur, & muneribus donantur) præsides sunt & arbitri.

Nanquinũ olim sedes regia nunc Pequinum.

Hi omnes Pequinensis aulæ Magistratus, exceptis Colais, Nanquini quoque reperiuntur, sed inferiores omnino ex Regis absentia. Huius rei causam hanc fuisse scribunt. Humvus Regni sedem Nanquini fixerat: Eo mortuo, è nepotibus eius vnus Yunlo dictus, qui in Borealibus prouinciis cum exercitu Regni fines à Tartaris recens pulsis cum Reguli dignitate tuebatur; is inquam, cum aduerteret, Humvui primogenitum regni hæredem, parum industrium ac strenuum, statuit illi Regnum eripere, sibi comparare; Cum itaque Boreales prouincias sibi facile adiunxisset, Nanquinum venit cum exercitu, & quà vi, quà dolo, largitionibusque reliquas sibi prouincias aggregauit, & patruum Nanquino expulit: quo facto vniuersum sibi Regnum, nullo renitente subiecit. Et quoniam in Aquilonaribus prouinciis plus habebat virium ac fidei, & Tartaros inde ad recuperandam Regni tyrannidem credibile erat erepturos, iis in partibus considere statuit; & quidem eâ in Vrbe, in qua Reges Tartari, cum Sinis imperitabant, morabantur. Eam Vrbem ipse Pequim, id est, Borealem curiam, ad similitudinem australis, quæ dicitur Nanquim nominauit. Eam mutationem vti moderatius ferrent Nanquinenses, eosdem iis Magistratus ac immunitates, quibus prius fruebantur, reliquit.

Administratio Prouinciarum & vrbium.

Venio nunc ad publicam in prouinciis administrationem. Vrbes quæ Curialibus prouinciis, Pequinensi ac Nanquinensi sunt attributæ, eodem, quo cæteræ prouinciarum reliquarum, Vrbes, ordine gubernantur; sed tamen appellationes ad suam cuiusque curam diriguntur. Cæterum tredecim prouinciarum regimen pendet à Magistratu, quodam, quem Pucinsu, & ab altero, quem Naganzasu vocant; prior de causis ciuilibus, posterior de criminibus iudicat: horum sedes est in prouinciæ Metropoli cum maximo apparatu. In vtroque porro tribunali, varij sunt Collegæ, & ipsi quoque Principes Magistratus, qui Tauli appellantur; hos sæpe contingit extra Metropolim morari, ideo quod aliquot vrbibus præsint, eosque deceat non procul à commisso sibi munere abesse.

Prouinciæ in varias regiones distributæ.

Prouinciæ omnes, vt supra dixi, in varias Regiones distributæ sunt, quas ipsi Fu appellant, Regionis cuiusque proprius est gubernator, quem Cifu vocant.

Regiones porro iterum in Ceu & Hien subdiuisæ, ac si dicas, oppida nobiliora & vulgaria; nec ea minora nostratibus vrbibus non maximis. Singulæ suum quoque habent præfectum illum Ciceu. hunc Cihien vocant; Ci enim apud Sinas gubernare innuit. Hi omnium vrbium ac regionum præfecti, suos habent Collegas, ac velut Assessores, numero quatuor, qui eos, velut auditores, ac iudices, in cognoscendis ditionis suæ causis adiuuant.

Cõfutatur error circa Regionum ac vrbium appellationem.

Verum hic breuiter notandum arbitror, confutandumque errorem, qui in aliquos scriptores irrepsit. Nam ex eo quod Gubernator, eiusque curia nomen accipiant ab vrbis, in qua residunt, nomine; verbi gratia in vrbe Nanciam, ipsa Regio tota, eiusque gubernator, & curia eodem nomine appellantur Nanciam Fu; arbitrati sunt hinc aliqui, has apud Sinas solas vrbes esse, quæ Fu appellantur, reliquas Ceu & Hien oppida vel pagos haberi. Quod omnino falsissimum esse non è locorum duntaxat amplitudine & frequentia colligitur, sed ex ipso etiam publicæ administrationis modo. Nam illa ipsa vrbs, in qua totius regionis præfectus commoratur,

nomen etiam Hien obtinet, & proprium habet gubernatorem, quem Cihien vocant; suos item, instar reliquarum, Collegas & assessores. Ipse vero Regionis præfectus in hac sua sede nihilo plus habet autoritatis, quam in reliquis ditioni suæ attributis. Id autem ius est primæ ad eum appellationis, cum causa ob Ciceu & Cihien iudicatæ, ad eum velut superiorem in prima appellatione remittuntur. Secunda enim appellatio eaque in grauioribus causis duntaxat, ad Metropolis summos Magistratus Pucimsu & Naganzasu, eorumque Collegas, pro ratione causæ remittuntur. Immo ipsæ quoque Metropoles suum habent Cisu & Cihien, non minus quam eis subordinatæ Regiones. Inter omnes vero Magistratus incredibilis est bene ordinatæ Reipublicæ Symmetria.

Alii duo Magistratus, aliis Magistratibus superiores.

Quoniam vero omnis Reipublicæ administratio in Prouinciis, in Regiam Pequinensem est referenda, ideo in qualibet prouincia, præter hos Magistratus, alij sunt duo dictis superiores, ex vrbe Regia transmissi: Eorum alter in prouincia sedem figit, & Tutam appellatur. Alter quot Annis ab Vrbe Regia mittitur, & Cia Yuen nominatur. Prioris auctoritas, quia magna est in Magistratus omnes ac subditos, & quia rei bellicæ præest, & primaria Reipublicæ munera attingit, cum Proregibus nostris posse videtur comparari. Posterioris dignitas est velut Comissarij ac Visitatoris. Is tamen, quia ex Regis mandato totius prouinciæ causas reuidet, Vrbes Arcesque visitat, de Magistratibus omnibus inquirit, & aliquos etiam è non maximis plectit, & in ordinem redigit, de reliquis Regem monet, quo quisque modo suo munere perfungatur: & quia vnus ex omnibus Magistratibus in prouinciis capitales pœnas exequitur, ideo eum omnes merito venerantur ac metuunt.

Præter hos Magistratus, alij quoque sunt complures, qui varia in vrbibus, ac etiam pagis & oppidis munia exercent. Et præter hos complures militum Præfecti ac Duces, in toto Regno, sed maxime in locis maritimis & conterminis, vbique excubant, pro muris, Portis, pontibus, arcibus, ac si omnia bello arderent, cum pax vbique sit altissima; nam & suos delectus habent militumque lustra & palæstras prope quotidianas.

Nouem ordines Magistratuum totius regni.

Omnes omnino totius Regni Magistratus ad nouem ordines reducuntur, siue philosophicum spectes, siue militarem Senatum. Pro horum ordinum ratione stipendium ex ærario publico, cuique vel pecuniarum vel oriza singulis mensibus penditur. quod reuera exiguum est, in tanta Magistratuum maiestate; neque enim vllius stipendium, vt è supremo fuerit ordine, ad mille aureos in annos singulos excrescit. Et in hoc stipendio omnes qui eodem ordine censentur, sunt plane plures, siue ij sint Philosophici, siue militares; nam in re bellica supremus ordo par accipit stipendium cum supremo literatorum ordine. Id autem intelligas velim de statuto cuique ordini per leges prouentu, nam quod extra ordinem lucris acquiritur, longe maius est, quam quod stipendio persoluitur. Nihil autem de aliis ago, quæ cuique sua industria, cupiditas, fortuna, largitioque ratione dignitatis parit, nam his ad magnas opes ferè peruenitur.

Stipendium Magistratus.

Ornamentum Pilei omnium Magistratuum.

Omnes quoque Magistratus, siue Philosophici, siue Militares, infimi, iuxta ac summi, eodem pileo insigniuntur; is est è velo nigro, & vtrimque duas velut alas habet, ferè supra aures, ouatæ figuræ; eæ ita pileo adhærent, vt tamen facile excidant: hoc aiunt modo se ad modestè rectaque incedendum cogi, & à capite leuiter inflectendo prohiberi, quod si fecerint, Magistratuum violant maiestatem. Idem est etiam vestitus omnibus; eædem ocreæ, quarum est peculiaris figura & materia, è pelle nigra eleganti. Insigne quoque Magistratuum omnium est cingulum quoddam ipso corporis ambitu, & quatuor plus minus digitos latum; id insigni opere, quà circularibus figuris, quà quadratis, exornatur. In pectore quoque & à tergo duos quadratos pannos opere phrygio eleganter intextos assuunt: Sed in his quadrangulis, aut cingulis magna est varietas, & pro varietate maiestas.

Vestitus.

Insigne Magistratuum cingulum.

Ex his enim mox intelligitur à peritis, è quo sint Senatu, Philosophicone, an militari, & in eo quam quisque obtineat dignitatem. Nam in pannis illis peristromatum opere, quadrupedum, aut volucrum, ac florum etiam figuræ effictæ visuntur. Zonæ vero illæ Senatoriæ è materiæ dignitate, indicant maiestatem. aliæ enim è tornatili stipite, è cornu aliæ, ex vnicornu quædam, vel è Calamba ligno inprimis odorifero, nonnullæ ex argento aurove, sed omnium nobilissimæ è marmore quodam pellucido, cui Iaspis nomen imposuimus, sed omnino Iaspis non est, ac forte Sapphiro marmori similius, ipsi Yu ce vocant: ab Saracenis autem ab occasu, è Regno Cascar, negotiatoribus importatur, & ab Sinis habetur inprimis in pretio. Sed de eo erit infra aliquis dicendi locus. Internoscuntur etiam apud Sinas Magistratus ex Vmbellis ad arcendum Solem expansis, quibus tecti solent in publicum prodire: alias enim è cœruleo color habent, alias è flauo; alijs binæ gestantur ad pompam, alijs ternæ, alijs non nisi vna vti licet. Distinguuntur etiam ex apparatu, quo in publicum prodeunt: Nam infimi quique equitant, maxime gestatoria sella, in baiulorum humeris vehuntur, sed & in baiulorum numero est maiestas; aljs enim non nisi quaternis vti licet, alij etiam octo adhibere possunt.

Zonæ Senatoriæ.

Vmbellæ variæ Magistratuũ.

Magistratus distinctio ex apparatu publico.

Sunt etiam alia permulta dignitatis ornamenta, Magistratuumque insignia, vexilla, catenæ, thuribula, satellitium frequens, cuius clamoribus arcetur in vicis turba, & tanta est eorum veneratio, vt in vicis etiam frequentissimis nemo compareat, sed secedant ad hos eiulatus omnes, idque pro Magistratuum dignitate maius minusve factitatur.

Prius hoc de Reipublicæ Sinensis administratione caput quàm claudam, operæ pretium facturus videor, si nonnulla singulatim commemoraero, in quibus ab Europæis Sinæ discrepant. Atque inprimis illud admirabile videri potest: tametsi hoc Regnum & limitum amplitudine, & gentis frequentia, & commeatuum copia, omniq; materia redundet, è qua nauigia cæteraq; omnia bellica armamenta conflantur, quibus auxiliis facile vicina saltem regna sibi aggregent; neq; Rex tamen, neq; subditi de eo laborant, nec ijs in mentem venit: sed suis contenti, aliena nec ambiunt quidem. qua in re mihi videntur lõgissime ab Europæis gentibus dissidere, quas sæpe videmus proprijs regnis exturbatas, dum ad aliena aspirant, quæ inexpleta dominandi libidine omnia deuorant, nec à maioribus accepta norunt conseruare, quod Sinæ multis annorum millibus potuêre.

Memorabilia quæda, quibus Sinæ ab Europæis discrepant.

Error quorundam Scriptorũ.

Hinc ego quidẽ arbitror cõmento simillimum, q Scriptores nostri nõ pauci de Sinis cõmemorant; eos sub Imperij sui exordia, non vicina solum sibi Regna subiecisse, sed etiam in Indiam vsque peruenisse. Cum enim Sinarum annales à quater mille annis ad hæc tempora studiosissime euoluerim, ne vestigium quidem tantæ rei reperio, nec vnquam eos audio hanc imperij latitudinem ostentantes: quin potius

tius cum hoc ipsum à nonullis litteratis sæpe quæsierim, in eo conspirant omnes, id nec vnquam fuisse, nec esse potuisse.

Error excusatur.

Hic error scriptorum (vt eorum authoritatem tueamur) inde potuit irrepere, quod nonnulla Sinicæ gentis in exteris locis vestigia reperiantur, ad quæ eos sua voluntate, non Regis authoritate nauigasse, credibile est, vt hodie in Philippinis Insulis est cernere.

Philosophorum potestas ac authoritas.

Alterum quoque notatu dignissimum, vniuersum Regnum, vt supra dixi, à suis Philosophis administrari, & in ijs merum mistumque Imperium reperiri. Hos, milites ac Duces omnes magna animi demissione ac ritu singulari venerantur, eisque subijciuntur: & non raro contingit illos ab his non secus vapulare, quam apud nos pueri à Ludimagistro. Ab his etiam Philosophis, omnia quæ ad rem bellicam, cui interssunt & præsunt, gubernantur, eorumque consilia ac sententiæ plus auctoritatis apud Regem habent, quam cæterorum rei militaris Præfectorum, quos non nisi paucos, & raro in bellicas consultationes admittere mos est. Hinc fit vt ex ijs qui altos spiritus alunt, nemo ad res bellicas animum adiungat, & ad infimas potius philosophici Senatus dignitates aspiret, quam ad maximos in re bellica Magistratus: vident enim Philosophos quæstu, & hominum opinione, & veneratione longo præire interuallo. Sed quod in hac re admirabilius exteris videbitur, est, Philosophos illos nobilitate animi, in Regem ac Rempublicam fide, periculorum ac mortis in patriæ causa contemptu, palmam sine dubio de illis ferre, qui rem bellicam ex proprio instituto profitentur. Id inde fortasse habet originem, quod studijs litterarum hominis animus nobilitetur, aut ideo quod iam inde ab ipsis huius regni primordijs litteræ mansuetiores pluris semper fuerint, quam professio militaris, apud gentem minime cupidam imperij proferendi.

Philosophorum amor in patriam & Regem.

Magistratuũ Superiorũ symmetria.

Non minus administranda est Magistratuum inter se superiorum ac inferiorum symmetria; siue prouincialium cum curialibus, & horum cum ipso Rege; quam ipsi non solum ad amussim parendi studio, sed externo quoque cultu profitentur. Visitationes enim certis temporibus in morem inductas, ac donariorum officia nunquam intermittunt. Inferiores quoque superioribus siue pro tribunali, siue alibi, vix nisi flexo poplite colloquuntur, verbisque eos compellant honorificis. Idem præstant subditi vrbium præfectis ac præsidibus; tametsi constet. eos ante adeptum litterarij muneris gradum intosque Magistratus, ex infima plebe esse progenitos.

Dignitatũ mutatio.

Nemo etiam intra triennium dignitatem vllam gerit, nisi denuo à Rege confirmetur, sed fere ad maiorem euehitur, verum non in eodem loco; quod ideo fit, ne quis amicitias facile contrahat, & à iustitiæ rigore auertatur, aut prouinciæ alicuius animos admodum sibi conciliet, potissimum si summas gesserit dignitates; cuius fauore fretus, res nouas moliatur, quod superioribus sæculis contigisse commemorant. Primaria quoque Prouinciarum, Regionum ac Vrbium capita, quæ supra nominaui, Pucinsu, Naganzasu, Cisu, Ciceu, Cihien, & similes Magistratus oportet tertio quoque anno simul omnes in Regia Pequinensi assistere, Regique solemnis clientelæ officia deferre. Eoque ipso tempore de Magistratibus toto regno per Prouincias sparsis inquiritur; siue ij sint, qui adesse coguntur, siue cæteri; idque summo rigore. Ex hoc examine deinde statuitur, qui in Republica conseruandi, qui amouendi, qui euehendi, qui deturbandi, qui etiam plectendi, nullo habito ad personas respectu. A me quoque obseruatum est, ne Regem quidem ipsum audere quicquam ex ijs mutare, quæ in hac publica disquisitione à nominatis iudicibus sunt constituta. Qui porro plectuntur, nec infimi sunt, nec pauci. Anno quidem nostræ salutis 1607. in quem incidebat huiusmodi disquisitio, quater mille Magistratus legimus condemnatos. Eorum enim series in vnum volumen refertur, quod excusum toto regno publicatur.

E Magistratu condemnati.

Damnati porro ad quinque classes rediguntur. Prima cupidos continet, qui largitionibus iura vendidere, qui è publico censu vel hominum priuatorum fortunis quicquam sibi vsurparunt: hi ab officijs excluduntur, & omnibus Magistratuum insignibus & immunitatibus in perpetuum exuuntur. In secundam classem conijciuntur ij, qui atrocius ab reis supplicia exegerunt: hi quoque suis dignitatibus, eorumque insignibus aut priuilegijs exuti, domum priuati remittuntur. Tertia classis numerat Seniores, & Valetudinarios, Remissiores etiam in pœnis exigendis, aut munere suo peragendo: his vsus insignium & immunitatum, licet priuatis, per totam vitam permittitur. In quarta classe censentur præcipites, & parum considerati in sententijs ferendis, quibusque in publicorum munerum administratione ratio consiliumque defuerunt: hi ad humiliora munia destinantur, aut in ea loca remittuntur, vbi facilior esse Reipublicæ administratio iudicatur. Vltima classe comprehenduntur, qui se, aut suos, vniuersamque familiam minus caute regunt; & indignam Magistratu viuendi rationem ducunt; hi & officijs, & immunitatibus in perpetuum priuantur.

Magistratus damnati ad quinq; classes rediguntur.

Eadem de Curialibus quoque Magistratibus, sed quinto solum quoque anno, instituitur inquisitio. Quæ ratio quoque cum rei bellicæ Præfectis eodem tempore ac ordine, nec dissimili austeritate obseruatur.

Nemo in vniuerso regno, ea in prouincia, in qua natus est, Magistratũ gerit, nisi fuerit præfectura Militaris. Id vero fit, ne priores, qui ius administrãt, sanguini & amicitiæ succumbant; posteriores vero vt amore patriæ incitati, fortius eam intueantur. Domino Magistratum gerente, filiorum aut domesticorum famulorum nemo domo egrediatur, ne largitiones procuret; sed obsequium quodlibet externum, à famulis Magistratui publice attributis, præstatur: ipse vero domo egressus, sigillo fores munit, siue priuatas, siue publicas, in quibus iudicia exercentur; ne cui è domesticis, se inscio exitus pateat.

Natus in prouincia ad Magistratum aditum nullum habet.

Domesticis è domo exire non licet

Aduenam etiam nullum intra regni fines viuere sinunt, qui reditum in patriam meditetur, aut qui cum externis regnis quicquam commercij habere intelligatur. Quin etiam nulli omnino aduenæ in regni interiora permittunt aditum. Cuius rei tametsi nullam legem viderim, qua id interdicatur, à multis tamen sæculis consuetudinem hanc, metu quodam seu horrore erga exteras gentes, irrepsisse animaduerto. Id autem non de aduenis illis solum intelligi velim, quos longa terræ marisve spatia Sinis ignotos reddiderint, aut de ijs, quibuscum inimicitias exercent, sed de amicis etiam suoque regno vectigalibus: quales sunt Coriæ contermini, & ferè Sinarum legibus vtentes. Talem ego nullum hactenus in regno vidi, præter mancipia quædam, quæ belli Dux nescio quis, inde secum adduxerat, postquam Annos eo in regno plures resedisset. Porro si quis externus clam in Sinarum regnum penetrarit, eum neque seruitute, neque morte plectunt; sed reditum ei in patriam interdicunt, ne forte apud suos res nouas in Sinensis Regni perniciem moliatur. Hinc seueriss. mis pœnis animaduertunt in eos, qui cum externis absque Regis voluntate quicquam commercii habent.

Aduenis nullus in regnum ingressus conceditur.

Aduenis reditum in patriam interdicũt.

bent. Etsi necessitas postulat aliquem extra regni fines cum mandatis mitti, nemo fere est, qui adduci possit. Proficiscentem vniuersa familia, quasi ad mortem raptum, deplorat: redeuntem vero Magistratus aliquo dignitatis munere in præmium afficit.

Arma nec foris gestat, nec domi habent.

Arma nemo gestat in vrbibus, ne ipsi quidem milites, aut rei militaris Duces ac præfecti, nec etiam litterati; nisi cum delectus aut palæstras suas, aut in prælia prodeunt: aliqui tamen nobiliores Magistratus cum armis comitantur. Sed neque domi suæ quisquam arma habet, nisi forte ferrugineã aliquam ficam, qua nonnunquam in itineribus vtuntur contra latrocinia. Vsque adeo armatos horrent & fugiũt. Inde nullæ apud eos factiones aut rixæ, nisi quæ vnguium impressione aut capillitij laceratione dirimuntur: nulla iniurias plagis aut morte reprehendi libido est; sed qui alterum fugit, & ab iniuria inferenda abstinet; is à prudentiæ fortitudinisq; laude commendatur.

Lex post obitum Regis.

Extincto Rege (ne factiones oriantur) nulli, excepto regni hærede, alij filio aut propinquo Regis licet in vrbe regia commorari: quin imo capitale est, per varias vrbes diuitis, pedem efferre. Ortæ inter illos lites ab vno è nobilissimis inter ipsos dirimuntur; à quo etiam gubernantur. Sed si quid eis negotij cum alio qui Regis propinquus non sit, ortum fuerit, Magistratuum publicorum tribunalibus & pœnis, vt quiuis è plebe, subijciuntur.

CAPVT XXXII.

Catalogus Magistratuum, & Officiorum imperij Romani, aliarumque Rerumpublicarum quarundam.

ACCENSI.
Accubitor cubiculi.
Accubitor fundæ.
Accubitorum duo Constantinopolitani.
Actuarij militares.
Actuarij
Actuarius.
Actus quadratus.
Adiutor Magistri Officiorum.
Adiutores omnes domestici.
Admissionales.
Admissionum Magistri.
Adnumiastes magnus.
Adscensio.
Adscriptitij.
Adscriptiui.
Adscriptiui milites.
Asscriptitij & Allecti Honorarijs oppositi.
Assessores & Consiliarij.
Aduocatus fisci.
Ædiles.
Alithri.
Allogator.
Allitarchæ.
Angelraphorus.
Annonæ præfectus.
Annonæ diuisor.
Antisagitator Dux Sagittariorum.
Apparitores varij.
Apparitor.
Apparitores & Prætoriani milites.
Apparitores in exigendis vectigalibus.
Aphoplistæ.
Apocrisiarij.
Arcarij.
Archiatrorum Comes.
Archidiaconus.
Architecti statuis euertendis deputati.
Archon magnus.
Archontes.
Arithmetici.
Armigeri.
Auertarius.
Auestiarius.
Augusta regina.
Augustus.
Aulici.
Aulici Scholares, Cæsaresque.
Auscultatores.

BAIVLVS, MAGNVS PÆDAGOGVS ESSE creditur.
Baphiorum procuratores.
Baracurius, Rex Iberorum.
Bastargarum præpositi.
Beneficiarij.
Bicolytæ.
Biglæ Drungarius magnus.
Blachernarum præfectus.
Breuiatores.

CABALLARIVS.
Cæsar.
Cæsariani Aulici.
Caligula primus dictus Dominus.
Camillus primus prætor.
Campidoctor.
Cancellarius.
Candidati principis.
Canonicarij.
Capitularij.
Castrenses.
Cellarij.
Censitores.
Censitor.
Censuales.
Census magister.
Centumviri.
Centuriones.
Chartularius magnus.
Chartularij sacri cubiculi.
Chartularij spectabiles.
Clarissimi præsides.
Clarissimi.
Coactores tributorum.
Cognitor sacer.
Cohortales.
Collectarij.
Comes Africæ.
Comes Britanniæ.
Comes Italiæ.
Comes Illyrici.
Comes Hispaniarum.
Comes Argentoratensis.
Comes domesticorum.
Comes domesticorum equitum, & peditum.
Comes rerum priuatarum.
Comes sacri patrimonij.
Comes sacrarum largitionum.
Comes metallorum per Illyricum.
Comes domorum Principis sub cubiculario.
Comes domesticorum & excubitorum.
Comes & Magister equitum præsentialis.
Comes sacri stabuli.
Comites consistoriani.
Comites duo in Oriente.
Comites Scholarum.

Comites

Comites portus Romæ & Rauennæ.
Comites horreorum.
Comites illustres.
Comites & Rectores.
Comites ærarij, viri illustres.
Comites sacræ vestis.
Comites primi, secundi, tertij ordinis.
Commerciorum Comites quatuor.
Commissarij.
Conostaulus magnus.
Consiliarij.
Constantinopoleos Imperator.
Consul Philosophorum.
Consulares.
Correctores.
Correctores clarissimi.
Cortelini.
Cortinarij.
Comicularius.
Curator diuersorum negotiorum.
Curator operum publicorum.
Curatores Vrbium.
Curatores Liberij & Cloacarum.
Curatores horreorum.
Curatores viarum & vicorum.
Curiales.
Curopolates.
Curopalatissa.
Custodes ex Illyrico.

DALMATIARVM PRINCEPS.
Decadarchæ.
Decani.
Decuriones.
Defensores Ciuitatum.
Defensor Orthodoxus.
Demosthenes mensæ Regiæ præpositus.
Despotæ.
Diathretarij.
Diribitores.
Discussores.
Distributor obsoniorum
Dissignator conuiuij.
Di Zabulus Chaganus magnificus in excipiendis Romanorum Legatis.
Domestici stipatores.
Domesticorum Comes nobilissimus.
Domesticus mensæ.
Domestici Equites.
Domesticus Scholarum.
Domesticus Ecclesiæ.
Dorixenus Legatus.
Dromitutor.
Dromonarij.
Drungarij.
Drungarius.
Duumuiri nauales.
Ducenarij tributorum exactores.
Ducenarij procuratores.
Duces perpetui.
Duces præfecti militum.
Duces rei militaris duodecim.
Duumuiri Magistratus municipales.

ECCLESIARVM DEFENSOR.
Eparchus proximus à Papia.
Episcopi.
Equites vexilliferi.
Etæriarcha magnus.
Eunuchi sacræ vestis Comites.
Eunuchi Imperatorum.
Eunuchi Cubicularij.
Exactores.
Exactores vectigalium.
Exarchon Tribunus excubitorum.
Exceptores.
Excubitores.

FILII IMPERATORVM.
Fisci Comes exaduocatus dictus.
Forum Præfecti.
Frumentarij.

GALLIARVM PRÆFECTVS.
Germani custodes Romanorum Principum.
Germanus Prætor.

HELA GABALVS.
Heliogabalus.
Herarchus Coronatus.
Honorarij.
Honorius, qui refecit muros Romanos.
Hypatius Imperator.
Hyprostrategus.

IANVS CORONATVS.
Illarches primus centurionum.
Illustres.
Illustres illustrissimi.
Imaginarij, & Imaginiferi.
Imperator Constantinopolitanus.
Imperatores Captiuorum.
Imperatores Germanici dicti.
Imperatores consecrati.
Imperatores Maximi item Optimi.
Imperatorum Præceptores.
Imperatorum filij.
Imperatrix dicta Domina, item Augusta.
Inclyti.
Infectores.
Institutores Regij.
Interpres magnus.
Inuitatores.
Iudices rerum capitalium.
Iudices vectigalium actributorum.
Iudex Castrorum.
Iulianus Augustus.
Iulius Cæsar primus Præfectus perpetuus.
Iuridicus.
Iuridicus Alexandrinus.
Iustinianus Triumphator.
Iustinus Thrax.
Iuuentutis Prætor.
Iuuentutis Princeps.

LAMPADARII.
Latinarum Præfectus.
Legati.
Legati municipales.
Leo filius Constantini.
Libelli Præpositus.
Librarij.
Linificiorum Procuratores.
Logoriastes magnus.
Logotheta magnus.
Logotheta secretorum.
Logotheta militaris ærarij.

MACEDONIÆ REGES.
Magister census.
Magister Epistolarum.
Magister Officiorum.
Magister peditum.
Magister scriniorum, memoriæ, Epistolarum, libellorum, &c.
Magister equitum Galliarum.

Magisteriani.
Magistratus minores ordinarij.
Magistratus minores extra ordinem.
Magistratus municipales.
Magistratus maiores ordinarij.
Magistratus maiores extra ordinem.
Magistratus Prouinciales.
Magistri census.
Magistri lineæ vestis.
Magistri municipiorum loco Duumvirorum.
Magistri officiorum.
Magistri priuatæ vestis.
Mancipes cursus publici.
Mandator.
Megaloalogitæ.
Mensæ Præpositus.
Metallorum Procuratores.
Metaxarius.
Milites ostensionales.
Milites adscriptitij.
Milites ordinarij.
Milites Imperatorem creantes.
Milites stationarij.
Ministeriani sacræ vestis; Magistris officiorum subiecti.
Ministri à à pugione.
Ministri Magistratuum.
Ministri linteis succincti in conuiuijs.
Ministri ad pedes.
Mittendarij.
Monocaballi.
Munuscularij.
Musiuarij.

NOMARCHÆ.
Notarij.
Numerarchæ.
Numerarij, Calculones Arithmetici.

OBSONIORVM EROGATOR.
Officiales Clarissimorum.
Officiorum Princeps.
Optimates Ministri potestatum.

PÆDAGOGIANI PVERI.
Pagi Princeps.
Palatini.
Panum Erogator.
Panyperisebastus.
Papflagones.
Pareuerhedi, Parafredi, & Parrippi.
Patricij.
Pecuarij.
Pocillator.
Porcinarij.
Portitores.
Præcones, & Oratores.
Præfecti ærarij.
Præfecti præt.
Præfecti limitis.
Præfectus Annonæ.
Præfectus Castrorum.
Præfectus frumenti diuidendi.
Præfectus Caniclei.
Præfectus Prætorius.
Præpositus Castri à Præfecto Castrorum.
Præpositus horrei Rom.
Præpositi laborum.
Præpositus Calcis.
Præpositus mensæ Regiæ.
Præpositus sacri cubiculi.
Præsentialis Magister equitum.
Prætor populi.
Primates Regionum vrbis.
Primicerius aulæ.
Primicerius priuatorum.
Primicerius Notariorum.
Primicerius cubiculi.
Primicerius Domesticorum.
Primicerius protectorum tribunus.
Primicerij quatuor in corpore Decanorum.
Primicerius sacri cubiculi.
Primicerius Singularium.
Primiuirgius, Clauarius.
Prior palatij.
Proceres.
Procubitor cubiculi.
Procurator ad bona damnatorum.
Procuratores Baphiorum & Linificiorum.
Procuratores Cæsaris.
Procuratores Gynæciorum.
Procuratores rei priuatæ.
Propræcones.
Proprætores.
Prosecutores.
Protallagator.
Protectores & Domestici.
Prolegati.
Proto comes.
Protocynegus.
Protoierarcarius.
Protomæstor.
Protonotarij.
Proto papa.
Protospatarius.
Protosebastus.
Protostator & Mareschallus.
Protosyncellus.
Protouestiarius, & Protouestiarites.
Pueri Mimentarij.

QVADRVPLATORES.
Quæstores.
Quæstores parricidij.
Quæsitores.
Quincunx.
Quinquennij Magistratus.

RABDVCHI, PROIMI à IVDICE SECRETI.
Rationales.
Rationalis summarum.
Rationalis rei priuatæ.
Rationalis vinorum.
Rationarius.
Rectores Prouinciarum & Diæcesis.
Referendarij.
Referendarij pro Chartularijs Ecclesiæ.
Regerendarius & Subscribendarius.
Reges purpurati.
Responsales.
Rogatores.
Romanus Pontifex.

SACELLARII.
Saccarij.
Satrapæ.
Scholares.
Scholarij.
Scholasticus.
Scribæ ab actis.
Scrutatores Imperatorum.
Secretarij.
Securigeri.
Senatores clari & clarissimi.
Senatus Romanus.
Seuiri militares.
Silentiarij.
Spatharius.
Spatharocubicularius.
Spatharocubicularij.

Specta-

Spectabiles magistratus.
Speculatores militum.
Statores vel apparitores.
Stipatores.
Strategus.
Stratopedarches.
Stratopedarches monocaballorum.
Stratopedarches murtatorum Tzaconum, Tzangratorum.
Stratores Imperatorum.
Subscribendarius.
Sultanus.
Superillustres.
Supplicantes.
Susceptor.

TABELLIO EXCEPTOR ET SCRIBA PVBLICVS.
Tabelliones.
Telonarii.
Tesserarij.
Testis purpuratus.
Tetrarchę.
Thraciarum consulares.
Tribuni laticlauii.
Tribuni militum.
Tribuni notarij.
Tribuni plebis.
Tribunus primanus.
Tricaballi.
Triclinii aurei præfectus.
Triumphatores.
Triumuiri ad delectum, alii mensarii, alii ad transuectionem equitum.
Turmarii.
Turranius primus præfectus annonæ apud Romanos.
Tzangratores genus sagittariorum.

VEctigalium conductores.
Vectigalium iudices.
Vectarii.
Vestiarii præfectus.
Viarum curatores.
Viatores Tribunorum.
Vicarii Augustales dicti.
Vicarii præfecti.
Vicarii præfecturæ Galliarum.
Vicarii præfectorum.
Vicarii.
Vicarius Hispaniarum.
Vicarius Romæ.
Vicarii Tribuni.
Vicorum curatores.
Villicus vrbis.
Vindices.
Vini susceptores.
Viri Epistolares.
Vir spectabilis Castrensis.
Vnguentarii in officiis Imperatorum.
Vrbaniciani.
Vsurarij seu fœneratores.

Finis Libri Septimi.

POLITICORVM

LIBER OCTAVVS.

DE

POTENTIA REI-PVBLICÆ.

CAPVT I.

Potentiæ humanæ definitio; eius imbecillitas.

Quid potentia?

POTENTIA *est ad sua conseruanda, & alterius obtinenda idonearum rerum facultas*, ita nobis orator Romanus potentiam describit. Res illa multis rebus constituitur, opibus, armis, viris, commeatu, vrbibus, arcibus, & prudentia his omnibus recte vtente.

Omnis potentia impotens.

§. 2. Omnis humana potentia comparatè dicitur. quicunque enim inferiorum collatione est potens, ille si maiorem aggredi velit, se sentiet esse imbecillum: concurrant inter se arietes, & de imperio gregis decertant, at lupo tam victor quam victus in prædam cedit; ille quoque cum molli pecore ingluuiem farserit, Leonis aut vrsi dente peribit: Septuaginta reges Adonibezec mutilos reptare sub mensa sua vidit: sed passus est à potentiore, quod infirmioribus ipse malum intulit. Messanam premunt Siculosque, Pœnifortiores, sed Romanum hostem potentiorem concitant, donec ablato mari, raptis insulis, tributa dederunt, deinde vrbem quoque & libertatem amiserunt. Philippus Macedo non vetus ille, sed quem Romani vicerunt, Athenas tyrannico dominatu infestat, abusus in nobilem vrbem potentia, sed eam Romana vis, iam Carthaginis domitrix elisit, vt Macedonia tanti imperii possessio modica fuerit.

Potentes à potentioribus elisi.

Vires suas victi agnoscunt.

Nec fere illi, qui vicinis potentiores videbantur, vires suas agnoscere potuerunt, donec eos fero citer grassantes grandior aliquis monarcha compescuit. Fere enim illa omnia gentium fata fuerunt, vt dum potentiæ augendæ insistunt, libertatem amittant. Auorum quoque tempore dum cunctæ ciuitates Italiæ bello se impetebant, cumque de potentia certarent, & superba Carrocia educerent, in paucorum potestatem concesserunt.

Magna potentia non nisi in magna republ.

§. 3. Potentia magna non nisi in magna Republica esse potest. Maxima tamen regna crebro infirma sunt, & mediocria potentiora. Quemadmodum enim non sunt corpora validissima, quorum est procerior moles, sed quæ symmetriam ac vigorem habent, ita quoque vasta illa corpora terrarum, indole, situ, aliisque rebus, non spatiis æstimanda sunt. Hoc in magnis regnis potentiam vehementer infringit, cum vna pars debilitatur, aut rebellat; quèadmodum vnius membri dolor, non modo suo malo torquet artus, sed animum quoque corporis rectorem deiicit, & cæterorum officia membrorum corrumpit, ita quoque in hac vasta mole prouinciæ vnius alienatio, tumultusue, fidas quoque ciuitates commouet. Atque olim fieri audiuimus, & nostro tempore experimur, vnius prouinciæ rebellione, quæ vix centesima regni pars sit, quietem omnium partium turbari, omnes sumptus in vnam impendi.

Vasta corpora incõmodis obnoxia.

§. 4. Sed quid est potens? quod non potens? Quis tanto nomine dignus, vt non modo potens, sed etiam potentissimus? Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Dñi. בִּי-לֹא יָדַע סִפְרוּת, non cognoui γεμματείαν, vt 70. vel vt alii ψεγματείαν, humanam & subdolam sapientiam, quæ sibi imperia moderari videtur, *introibo in potentias Domini*, quæ omnem potentiam fecerunt, *Annuntiabo mirabilia eius, potentiam & iustitiam Dei vsque in altissima.* Hæc est enim vera potentia, hominum est misera potentia, quæ ex minimis momentis pendet.

Potẽtia humana est imbecillitas

Si exiguis finibus constringitur, tota in se collecta est, & cum in vicino bellum oritur, de tota salute, & de capite dimicat. si lata ditione populos subiectos habet, multis partibus vulneri patet, perpetuo labore, innumeris periculis intricatur, quæ enim regio addita, non secum noua pericula ducit? Multis imperas? at multis displices, multi oderunt, in te tuosque, sine quibus saluus esse non potes, multa licent multis. Demosthenem dixisse ferunt: si duæ viæ paterent, altera ad inferos, ad solium altera, se eam esse electurum, quæ ducit ad inferos; credo sincere non esse locutum; sed tamen miserrimam eorum ambitionem esse ostendit, qui per labores, pericula, vulnera conscendunt in cacumen lubricum, nutabundum, fulminibus ventisque agitatum, vbi nec consistere, nec inde discedere possunt, sine conspectissima, & in qua fortuna imperium exercere gaudet, ruina. Quot enim non modo reges, sed populi etiam in celso culmine steterunt, vt aliud non videantur habuisse emolumentum, quam vt longius audiretur

Ambitionis malum.

Regificæ sonitus ruinæ?

Momentanea potẽtia.

Nam magna sit potentia, certa non est diuturna. Thebanorum breuis fuit Epaminonda viuente in Lacedæmonios dominatus, de quo gloriantibus dicebat Cotys. Thebanorum potentiam esse instar torrentis qui cito exarescit, Spartanorum fluuii perennis more perdurare. Vere de Thebanis dictum; de Spartanis ex comparatione magis, quam ex vero. Nam torrens ille quamuis persæuerantior fuerit Bœotio, non diu tamen fluxit. Vidit Eurotas Spartam emergentem, periclitantem, dominantem, seruientem,

tem, demum exciſam, & nunc myricas, vbi Sparta fuit.

Imprima de ſenſum expellunt.

Regnorum veterũ iam pridem nomina deſierunt, & vbi retinentur, aliæ ſunt gentes, nulla eſt fixa potentia, migrant magna imperia. In oriente cœpit monarchia, & in Nabuchodonoſore apicem tenuit, caput aureum deſinit in pectus & brachia argẽtea, hæc vtero, & femoribus æreis excipiuntur, quæ deſinunt in tibias ferreas, & luteas, Dan. 2. Interim non fortuna, ſed Deus rotat hunc orbẽ, in quo ſi quis ſuperiora tenet, neceſſario iam deſcendit, nulla eſt, aut breuis quies.

Maximorũ ſplendor exiguus.

Dum vero lentius tota regna mutantur, quot interea regum pereunt? quotus quiſque ſuo fato fungitur? & potens eſt, quem febris exurit? angina ſtrãgulat? aqua inter cutem ſuffocat? & vt breui dicam tot morborum centuriæ, quot membra ſunt, exanimant? Zoroaſter potens videbatur, ſed ſpectante ſua potentia occiditur, Ninus eo victo ſagitta transfixus eſt, Cyrus de vtre Thomyris ſanguinem bibit. Xerxem Artabanus, Darium amici, Alexandrum domeſtici hoſtes, Antiochũ cõiuratores occiderunt. Quin noſtro tempore, ſapientia, bello, quodque caput eſt, clementia magnus rex, Henricus IV. cùm collecto magno exercitu totam Europam terrore, aut ſpe impleſſet, ab homine fanatico inter ſtipatores ſuos trucidatur.

Prudens vſus potentiæ.

§. 5. Cum igitur potentia omnis breuis ſit, cum inualida, parce vtendum ea eſt, non vt ſit diuturna, vt monebat Cato, ſed ne ſit breuiſſima. Aureum dictum Pertinacis eſt. *Sanctius eſt P. C. inopem Rempublicam obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcrimina, atq; dedecoris veſtigia peruenire.* Primum igitur potentiæ bonũ eſt, moderatus vſus. Alterum ne maiora audeas viribus, & fortunam ſperes adfutricem, quod quamuis aliquando non male cedat, nunquam tamen ſine culpa temeritatis committitur. Deniq; ne ſine cauſa potentiam conſumas in eas res, quæ illam non augent, vt Cyrus cum diuideret Gynden in 365. riuos, tẽpuſq; bellandi incilibus fodiendis abſumeret; vt Cæſar cũ neglecta ſumma rei ad Maſſyliam exercitum atterit;

Quamuis Heſperium mundi properemus in axem
Maſſyliam delere vacat.

At ſane non vacabat, ſi illa occaſione Magnus vti potuiſſet. Hoc moneo, quia ſemper factum eſt; In ſe magnaruunt; Vide Romanam potentiam, poſtquam parem habere deſiit, in ſe diuiſa eſt. Illa Roma

Potẽtia Romana in ſe corruit.

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit, quæ luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
Armorum, legumq; Parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primiq; dedit cunabula iuris.
Hæc eſt exiguis quæ finibus orta, tetendit
In Geminos axes, paruaq; à ſede profecta
Diſperſit cum Sole manus. hæc obuia fatis,
Innumeras vno gereret cum tempore pugnas,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum,
Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas maior Trebiamq; fremebat.

Illa tamen vires non in ventos, quod ſtultum eſt, ſed in ſua viſcera, quod immaniſſimũ eſt, omnes abſumpſit, donec barbaris, Erulis, Alanis, Gothis, Wandalis, Longobardis ſeruitum iuit.

Minima momenta mutarunt regna maxima.

§. 6. Quam ſit infirmis innixa columnis humana potentia, vireſque attritæ nullum certius eſt ſignum, quam quod non violenta manu, ſed exiguis momẽtis, leuique occaſione maxima ſemper imperia conciderunt. Quod vero ab occaſione mutabili dependet, infirmum eſt. Romanum imperium à ſenatu in Cæſares Curio tranſtulit, nec illi cauſa belli alia, quã magnitudo æris alieni, inde tranſitum ad Auguſtum, quia Ciceronem aiebant dictitaſſe; *Puerum laudandum, & tollendum*; Eo verbo offenſus Octauianus à ſenatu ſe abalienauit; quod negaret *ſe commiſſurum, vt tolli poſſet.* Claudius deinde Imperator factus cũ eum è latebris pauci milites protraxiſſent; atque ita fere ſanguinolenta tragœdia per orbem Romanum durauit. maxima prœlia vna voce, oſtentoue in alteram partẽ inclinant. Vix igitur videtur eſſe locus potẽtiæ, quæ occaſionibus tam multis eſſe deſinit potentia.

Dei prouidẽtia occaſiones ſubminiſtrat.

§. 7. Mihi illa omnia cogitanti in mentem venit, nihil eſſe in rebus humanis admirabilius, quam Dei prouidentiam occaſiones moderantem, nam ipſa potentia rerum humanarum cum maxima eſt, occaſione parua ſubuertitur. Hannibal in Italiam venit, exercitus à ſole, & meridie veniens perfractis alpibus facile vinci potuit ab Romanis, ſed omnes occaſiones intermiſſæ ſunt; nullius cura prohibitus eſt, ne tranſito flumine Italiam intraret, exercitumque recrearet. Omnes occaſiones Hannibal captat, diem frigidum, equitem nebula & virgultis occulit, demũ etiam ad Cannas puluere, vento, ſole pugnauit. Ecce nihil iuuerat potentia, & exercitus, niſi occaſione veprium, nebularum, imbrium, frigoris, venti, puluerisque viciſſet. Jam ſumma in trepidatione Roma fuit, & vltimus dies, ſi Hannibal vti victoria voluiſſet, ſed occaſionem neglexit; nec ſuis Roma viribus, ſed hoſtis imprudentia ſeruata eſt. Multis formidabile Turcæ imperium videtur, ſed reuera occaſione ſola inualuit, & nunc quoque noſtra diſſenſione ſe tuetur. Mahometi occaſionem dedit Heraclius, cùm Saracenico militi, cuius fida opera vſus erat, pro ſtipendio contumelias inferret, Saraceni deinde creuerunt, quos Turcomanni ſubegerunt; Tandem Ottomannorum familia Aſiam occupat, cum duo Adronici Auus, & nepos inter ſe decertarent, facile autem erat vincere diſcordes. Orchanem deinde eorundem Græcorum, & Cantacuzeni, & Palæologi diſſidia potentem fecerunt. Amurathi Palæologus Græciam tantum non in manum dedit; oderant Imperatorem ſuum Græci rebelles, ille, vt eos compeſceret, Amurathen aduocat, qui veniens ſeditionis vindex, imperium Græciæ obtinuit, pro auxiliatore raptor. Baiazethen Tamerlanes ſubegit, Calepinus cum ex fuga ſe collegiſſet, deſperatas res Ottaminidarum proceres Græcorum adiuuerunt, cum vno prælio imperium illud tolli potuiſſet, itaque mox Machometes Græcorum vires in ipſos conuertit; at Amurathe ſecundo regnante Græci illi primum patruum, deinde fratrem puerum aduerſarium inſtruunt. Tanta erat veſania, mollitieſq; Conſtantinopolitanorum, vt barbaros armis, pecunia, viris inſtruere mallent, quam ipſi ſe firmare. Hinc deinde cùm opibus abundarent, victi ſunt, quod eas in militem conſcribendum impendere nollent. Nobis iam hoſtis ille timetur, quia occaſionem, ſeditionibus, bellis ciuilibus, hæreſibus, diffidentia præbemus. Nec deeſt illi animus, ſed à Perſis fatigatur. Nec quicquam promptius eſt, quam vt ab aliquo diſcordium in auxilium vocetur. Fecerunt id Græci, fecerũt Hungari, & excidio culpam luerunt; ante Alphonſus ſecundus, & Ludouicus Sforcia contra Gallos, & Venetos Baiazethen vocauerunt, quin Franciſci I. Franciæ regis, & Henrici 2. tempore claſſem eius diſcordię noſtræ in Liguſticum mare, prædaſq; accerſiuerunt; Extat oratio Britannici apud Turcam imperatoris, qua eum hortatur cum ſua regina arma in Hiſpanum vertere. Tot ergo occaſionibus aduerſitatum expoſitum regnum, potens dici non poteſt.

Turcicum imperium occaſione diſſenſionum creuit.

Græcorum inſania.

Queruntur dudũ Turcæ in pectore à multis geri.

§. 8. Sed neq; Turcicum regnum potens eſt, ſi bellum Vngaricum continuatum fuiſſet, facile mediocri apparatu regno pulſus fuiſſet. Haidones ſeſe contra eum tuentur in Pannonia, Coſacci in Polonia vltro arma inferunt; Arabes omnia infeſta habent; nec vlla re nunc in Europa ſubſiſtit, quam noſtra deſidia, qui occaſione non vtimur.

CAPVT

Caput II.

Potentiæ acquirendæ, & augendæ princeps studere debet.

Omni consilio potentia est augẽda.

§.1. IN rebus tam incertis & fluxis consilio, & ratione est vtendum, quanquam enim nunquam Respublicæ intereant, nisi cum consilia corrupta sunt, possent tamen etiam bona consilia esse inualida, & carere successibus. Sed vt dixi, nulla Respublica perijt nisi corruptis consiliis; huius enim rei exemplum nondum inueni. Hinc ad principem, senatumque pertinet, de stabilienda, firmandaque & augenda potentia semper cogitare, idq; agere, vt nulla dies sit, qua non adijciatur aliquid virium Reipublicæ. Quãquam enim pleraque ex occasionibus pendent, infirma tamen maxime percelluntur, quoque minus potes, hoc plura exigeris. Plaga quæ languidum deijcit, fortem excitat, quæque preces extorquet ab ignauo, suscitat robur irati. Nihil rerum mortalium tam fluxum, quam potentia, sed multis modis tenenda est, ne de manibus effluat, fluxa res sanitas, quæ sine tot artuum humorumque legitima contemperatione, & integritate, aeris insuper, ciborumq; salubritate constare non potest, nec ideo tamen negligitur, sed magna cura, impendioque seruatur.

Non est exemplum vbi respub. bonis consiliis vsa perierit.

Iusta potentia.

§.2. Potentiæ comparandæ ratio iusta ineunda est; nam qui inferioribus iniuriam inferunt, deinde eorum viribus auctiores ditioni suæ alios subiugant, iniuriam prorsus faciunt. Et potentiam fragili fundamento, hoc est iniuriæ superstruunt. Multa enim mala facit effrenis potentia, ideo facile corruit.

Necessaria est potentia.

§.3. Causa cur paranda sit potentia est in promptu, quia sine illa patriam tueri non possumus, cum enim numerus cupidorum, atque improborum sit maximus, iniquitatem sine potentia perfringere Respubl. non potest. Prædæ igitur subditi erunt, omnium petulantiæ, rapacitati, violentiæ, crudelitati obnoxii, nec ipsi tuti principes, sed contemptui erunt, & precario regnabunt, ius enim regni sine potentia perinde habet, vt sine anima corpus; & statua est, non vita. Cum igitur imperium sit institutum ad omnes & singulos ab iniuria defendendos, & si læsi sint, vindicandos, atq; in integrũ restituendos, societatem ciuium conseruandam; hunc finem princeps eneruis, & inualidus assequi nequaquam valet. Non ergo prudenter faciunt illi, qui ita ciuitatem instituunt, vt nec à vicinis principibus, nec piratis, & latronibus, nisi aliena potentiâ tuti esse possint. Iustitia sane patronum fortem, & antistitem inuictum desiderat.

Iustitia sine magna potentia non defenditur.

Exemplum comparandæ potentiæ sit nobis rex ille secundum cor Dei, rex & propheta Dauid, cuius potentia in regno non maximo mihi pene maior omnium regum viribus videtur. Nã præter populum, magnum numerum militum aluit, ita describitur 1. Par. c. 27. *Filij autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui ministrabãt regi iuxta suas turmas, ingrediẽtes & egrediẽtes per singulos menses in anno, 24. millibus singuli præerant. Primæ turmæ in primo mense Iesbiam præerat filius Zabdiel, & sub eo viginti quatuor millia. De filijs Pharis, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo. Secundi mensis habebat turmam Dudia Ahobites, & post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus viginti quatuor millium. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banaias filius Ioiadæ sacerdos: & in diuisione sua viginti quatuor millia. Ipse est Banaias fortissimus inter triginta, & super triginta. præerat autem turmæ ipsius Amizabal filius eius. Quartus mense quarto, Asahel frater Ioab: & Zabadias filius eius post eum, & in turma eius viginti quatuor millia. Quintus mense quinto princeps Samaoth Iezerites: & in turma eius 24. millia. Sextus, mense sexto, Hira filius Acres Theuites: & in turma eius 24. millia. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim, & in turma eius 24. millia. Octauus, mense octauo, Sobochai Husathites de stirpe Zaiai: & in turma eius 24. millia. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Iemini, & in turma eius 24. millia: Decimus, mense decimo, Marai, & ipse Netophathites de stirpe Zarai: & in turma eius 24. millia. Vndecimus, mense vndecimo, Banaias Pharathonites de filiis Ephraim, & in turma eius 24. millia. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophatihtes de stirpe Gothoniel: & in turma eius 24. millia.*

Dauid 288000. satellitum habuit.

En tibi aulæ regiæ præsidium; præter satellites ordinarios, ministros, turbamq;, viginti quatuor millia. Quorsum ista copia? 1. Dignitati regiæ asserendæ, quis enim rebellet, cum tot præsidia in vrbibus, & in regia exercitum videret? 2. Vt à vicinis timeretur, erant enim viri fortissimi; *nam quemcunque virum fortem & industrium viderat, eum sociabat sibi.* 3. Vrbem regiam eo modo illustrem efficiebat. 4. amorem tribuum sibi conciliabat. 5. armorum studium fouebat, in illa enim regni luce, in conspectu fortium Dauid sese in illa acie, prætorianæ militiæ exercebant. Et mirum in modum studium rei militaris accendebatur, cum de ornatu armorum, dexteritateque tribus concertarent. 6. Hac etiam occasione in vrbe regia, vbi sacerdotum, & virorum doctorum copia erat, in religione facilime instituebantur. Nec contra præceptum diuinum peccabat Dauid; nam opes, & satellitium ad tutelam subditorum, & compescendos populos, quos bello subiugarat, sine Israëlitarum damno collegerat. Sed quid ego de Dauide loquor? Ecce tibi Iosaphat regem duarum tribuum, Juda, & Beniamin, eius potentia describitur in hunc modũ. 2. Par. 17. 14. *Viri quoque bellatores & robusti in Ierusalem erant, quorum iste numerus per domos, atque familias singulorum. In Iuda principes exercitus, Ednas dux, & cum eo robustissimi viri trecenta millia. Post hunc Iohanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia. Post istum quoque Amasias filius Zechri consecratus Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium. Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum, & clypeum ducenta millia. Post istum etiam Iozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in vrbibus muratis, in vniuerso Iuda.*

Dignitati, & præsidio exercitus est opus.

Exercitatio armorum.

Iosaphati potentia.

Quis non miretur in tantillo regno vndecies centena & sexaginta millia? Nec miles ille in præsidiis, sed ad manum regis; nam per vices aderat aulæ, & ad subita negocia mittebatur. Diserte enim excipit vrbium præfectos, eosque in vrbibus, & in vniuerso Juda.

Numeratio ciuitates, & singulis 100 præsidiarios impone.

Eodem capite v. 2. alii præsidiarii sunt in captis vrbibus. *Constituitq; militum numeros in cunctis vrbibus, Iuda quæ erant vallatæ muris.*

Mihi hæc consideranti incredibile pene videretur nisi Scriptura diceret; deinde parum esse, quod de magnitudine Romana dicitur. Hos enim milites sine tyrannide rex alebat, nec tributis subditos exhauriebat, sed omnium rerum abundantia eos implebat. Quin etiam *ædificauit in Iuda domos ad instar turrium, vrbesque muratas.* Hanc tantam potentiam Deus vnico regno contulit, quod deinde vnius prouinciæ Syria fuit appendix, pars quota imperii Romani? Verum ille qui vere potens est, in tam paruulo regno, tam magnam potentiam ostendit. Tantum enim abfuit, vt tanto exercitu ærarium exinanierit, æs alienum contraxerit, oppida oppignorarit, iura, immunitatemque vendiderit, vt insuper thesauros cumularit, nam v. 13. *Et multa opera parauit in vrbibus Iuda.* Hebræus: *& fuit ei multum opus,* καὶ τὰ ἔργα πολλὰ ἐγένετο αὐτῷ. Vocat autem ædes בירבירות, nam sunt palatia, templa, ædificatio. Sic Esdræ 8. 2. ἐν τῇ βάρει τῶν μίδων, & Daniel.

Summa potentia Iosaphati.

Daniel c.8.2. *Erat in Susis, ἐν βάρει*, sæpe etiam ciuitas dicitur. De insignibus ædibus dicitur, 1.Paralip.19. Non enim est hominis בירה palatium itaque בירניות perinde est ac si dicat, ædificauit Palatinas ædes, altas, turritas: volunt dici ab אבר, quod fortes sint. Deinde vrbes muratas ὀχυρὰς, Hebr. משכנות thesaurorum, nam in munitis thesauri condebantur. Deinde milites illi non erant barbari, aut imbelles, sed גבורי חיל robustis viribus vers. 14.& 16.& v.17. ducenta millia arcu & clypeo armatorum. Vers.18. הלוצי צבא. Accincti seu expediti ad militiam, quibus verbis milites fortes, exercitati bene armati designantur. Quid igitur si pugnandum ei contra Alexandrum Magnum, aut Romanos potentissimos fuisset? Sane par aut superior fuisset; nam his omnibus potentior erat, quod tanto milite munitus, erat tamen diues, Vers.7. *Factaque sunt ei infinitæ diuitiæ & gloria.* Quin & filiis dedit dona multa argenti, & auri, & rerum preciosarum, cum vrbibus munitis עים ערי מצורות, *cum vrbibus munitionum.* Perseueranter igitur præter vrbium præsidia alere potuit vndecies centena sexaginta millia virorum fortium; idque fecit tempore pacis, dum opes colligit, quid igitur belli tempore? sed tamen audito vicinas gentes insurgere, *timuit, ieiunium prædicauit, oratione vicit.* 1.Paralip.cap 20. Hoc est quod moneo regem tam potentem, non fisum suæ potentiæ, sed faciem suam posuisse ad quærendum Deum, qui pro ipso pugnauit, illi laborem legendorum per tres dies Spoliorum tantum reliquit. Timuit ne si Dominus non esset cum eo, omnis illa vis in se corrueret, quemadmodum factum est in castris hostilibus. Ita enim Scriptura. 2. Paralip. cap. 20. v.22.

Opes Romanæ cuncto mi litum non sufficerent.

Tantæ potentiæ inimicus non est Ioſaphat.

§. 4. De potentia id magnopere monendum, vt eius vsus sit tempestiuus, nec exspectetur donec imminuatur, vt si hostis infestet toto conatu repellatur. si rebellent improbi ciues in ipso aggressu, dum consilia in incerto nutant, compescantur. Grauiter olim in virium suarum æstimatione errarunt Romani, bello punico secundo, sed magno animo errorem, quem multo sanguine luerunt; tandem correxerunt. Rem bene Florus expendit. libro 2. cap.6. *Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma non erant, detracta sunt templis, deerat iuuentus, in sacramentum militiæ liberata seruitia, egebat ærarium, opes suas libens senatus in medium protulit: nec præter quod in bullis, cingulisque & annulis erat, quicquam sibi auri reliquere. Eques secutus exemplum, imitataque equitem tribus, denique vix sufficere tabulæ, vix scribarum manus, Læuino, Marcelloque Consulibus, cum priuatæ opes in publicum deferrentur.*

Mature est exercenda potentia.

Romani tãdem vires exeruerunt.

Quid autem in eligendis Magistratibus, quæ centuriarum sapientia, cum iuniores à senioribus consilium de creandis Consulibus petiuere? quippe aduersus hostem totiens victorem tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Primaredeuntis, & vt sic dixerim, reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit: qui nouam de Annibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc illi cognomen nouum, & Reipubl. salutare, Cunctator. Hinc illud ex populo, vt imperii scutum vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos, Gauranosque saltus sic macerauit Annibalem, vt qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello Duce etiam congredi ausus est, cominus venit, & pepulit è Campania sua, & ab obsidione Nolæ vrbis excussit. Au. & Sempronio Gracho duce per Lucaniam sequi, & premere terga cedentis: quamuis tunc (ô pudor) manu seruili pugnaret. O horribilem in tot aduersis fiduciam: ô singularem animum, ac spiritum populi Romani! tam arctis, afflictisque rebus cum de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diuersa respicere. cumque hostes in iugulo per Campaniam, Apuliamque volitarent, mediamque tam de Italia Africam facerent, eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, diuersa per terrarum orbem arma mittebat. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim, vrbe in vna, insula superata est. Grande illud, & ante ad tempus inuictum caput Syracusæ, quamuis Archymedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ, quid, nisi hactenus profuere, vt pulchritudini victæ vrbis parceretur? Sardiniam Grachus arripuit, nihil illi gentium feritas, insanorumque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sæuitum in vrbes, vrbemq; vrbium Caralim, vt gens contumax, vilisque mortis, desiderio saltem patriæ soli domaretur. In Hispaniam missi Cn. & Subl. Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerant, sed insidiis Punicæ fraudis oppressi rursus amiserunt, magnis quidem illi præliis, cum Punicas opes cecidissent: sed Punicæ insidiæ alterum ferro castra metantem, alterum cum euasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in vltionem patris, ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreuerant, bellatricem illam, viris, armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum, recuperauit, nescias citius, an facilius, quam velociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel vna ciuitas probat. eodem quippe, quo obsessa est, die, capta est: omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago. Certum est tamen ad profligandam prouinciam maxime profecisse singularem Lucis sanctitatem: quippe, qui captiuos pueros, puellasque præcipuæ pulchritudinis, barbaris restituerit, ne in conspectum suum quidem passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis, videretur. Hæc inter diuersa terrarum populus Romanus: nec ideo tamen Italiæ visceribus inhærentem summouere poterat Annibalem. Pleraque ad hostem defecerant: & dux acerrimus, contra Romanos Italicis quoque viribus vtebatur. Iam tamen eum plerisque oppidis, & regionibus excusseramus. Iam Tarentus ad nos redierat, iam & Capua, sedes & domus, & patria altera Annibalis, tenebatur: cuius amissio tantum Pœno duci dolorem dedit, vt inde totis viribus in Romam conuerteretur. O populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore, & admiratione hominum, ac Deorum? Compulsus ad vltimos metus ab incepto non destitit; & de sua vrbe sollicitus, Capuam tamen non omisit, sed parte exercitus sub Appio Consule relicta, parte Flaccum in vrbem secuta, absens simul, præsensque pugnabat. Quid ergo miramur? mouenti castra à tertio lapide Annibali, iterum ipsos deos, deos inquam, nec fateri pudebit, restitisse. Tanta enim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est, tanta ventorum violentia coorta, vt diuinitus hostem summoueri, non à cœlo, sed ab vrbis ipsius mœnibus, & Capitolio videretur. Itaque fugit, cessit, & in vltimum Italiæ se recepit sinum, cum vrbem tantum non adortam reliquisset. Parua res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax: quod illis ipsis, quibus obsidebatur diebus, ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romæ fuit: hastaque subiectus inuenit emptorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari; subiecitque Argentarias vrbis tabernas, nec sector inuentus est, vt scias etiam præsagia satis fuisse. Nihil actum erat tãta virtute, tanto fauore etiam deorum. Siquidem ab Hispania Asdrubal frater Annibalis cum exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se cum fratre iunxisset: sed hunc quoque castra metantem Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in vltimos Italiæ angulos summouerat Annibalem. Liuius in diuersissimam partem, & ipsas nascentis Italiæ fauces signa conuerterat. Tanto, id est, omni, qua longissima Italia, solo interiacente, quo consilio, qua celeritate, Consules castra coniunxerint, inopinanteque hostem collatis signis compresserint, difficile dictu est. Certe Annibal re cognita, cum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset, Agnosco, inquit, infelicitatem Carthaginis. Hæc fuit illius viri, non sine præsagio quodam fati imminentis, prima confessio. Verum nihil mirabilius quam hærente in Italia Hannibale mitti in Africam Scipionem.

Romani de se sollicciti Capuanam obsidionem vrgent.

Opibus se defendunt, nec a hostis capiat.

Toties victi Romani plures exercitus alunt.

Hæc

Hęcille in laudibus Romanorum suorum, & multus, & verus. At vero si initio vel dimidiũ curæ, sumptuumq; impendissent, facile erat illis Hannibalem profligare, imo Africam occupare. Capta Sagunto, amissis ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, Cannas exercitibus, alienatis, captis, versis contra Romanos vrbibus Italiæ, vastatis agris, incensis villis, tum demum serio pugnant, exercitus in Africam mittũt. Nonne hoc oportuit initio fecisse? Audito Sagunto obsideri, parare exercitum pro Hispania fortem, ad excipiendum Hannibalem fortiorem, ad Africam oppugnandam fortissimum; hoc rebus integris facile erat, accisis arduum, sed tamen factum est. Maior error Constantinopolitanorum imperatorum toto tempore potentiæ Turcicæ crescentis, nunquã enim serio restiterunt, sed corrigi tamen potuit circa tempora obsidionis Byzantinæ. Si enim vel decimam auri partem expẽdere Palæologus voluisset, exercitum ex regnis Christianis Turcico parem efficere potuisset; sed defosso incubabant auro, quo deinde non modo exuti sunt, sed multi etiam ad id indicandum tormentis concisi. Nec minor error Christianorum regum; sex millia Græcorum militum, tria Venetorum, & Genuensium erant, in portu naues septem Genuensium, tres Cretensium, & aliquot ex Chio, classis Veneta spectatrix erat, & omnes principes Christiani, qui deinde suæ negligentiæ magnas pœnas dederunt, amissis tot regnis. Tum vero si singuli reges, tres; singuli principes, vnam nauem; singulæ vrbes, duos milites auxilio misissent, Græciam, Macedoniam, insulas, Vngariam teneremus. Sed eodem in errore pergimus, nec tempestiue partem opum arcendo hosti damus, mox omnia daturi. Quam lenta, accisa, nec sine duris conditionibus subsidia bello Hungarico ante annos aliquot decernebantur? (de illis qui clam cum Turca conspirabant non ago.) Neque tamen nunc quisquam dubitat, quin occupata Pannonia, immissisq; in Germaniam Heidonibus, cæterisque Vngaris, omnes de omnibus fortunis & libertate dimicaturi simus.

Nimis lenti in obsidione Sagunti.

Miserrima auaritiæ pœna.

Semisaucij pugnare coguntur, qui integri nolunt.

Si enim potentia necessaria modo pro limitaneis principibus non conficitur, illorum prouinciis occupatis, per raptas opes, & victas gentes nos opprimet; nec illæ in nos mitiores erunt, sed negati auxilij pœnas exigent, & quæ primum scutum erant Germanici imperij, incipient esse spinæ in lateribus nostris. Hæc generatim de potentiæ necessitate, vsuq; iusto, & tempestiuo sufficiant.

Caput III.

Potentia duplex: domestica, externa.

Potentia duplex.

§. 1. Dvplicem potentiam distinguũt politici; domesticam, & externam. Domestica est contra seditiones, conspirationes, rebelliones ciuium, quæ sunt contra Rempublicam, principem, senatum, aut partis alicuius contra alteram partem. Externa contra vicinas Respublicas, aut reges ad vim propulsandam, aut inferendam.

§. 2. Non potest esse firma potentia contra hostem externum, nisi sit etiam contra internum. *Omne enim regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.* Tantum enim valet contra hostem ciuitas vnita. Quocirca Romani, qui semper domi imbelles fuere, si periculum ingrueret, dictatore facto omnes in ordinem redigebant. Verum hac de re egi, cum de Monarchia, deque concordia tractarem.

Domestica potentia difficilior.

§. 3. Domestica potentia difficilius acquiritur, seruaturque, quam externa. Quia multo facilius inuenias, qui hostem vincat, quam qui ciuem regat. Hostis enim robore, stratagemate, ira, vigilantia, fraude superari potest, ciuis non nisi prudentia & virtute regitur.

Domestica potẽtia fundamentum amor & timor.

§. 4. Hinc nulla est potentia domestica, nisi timearis, & ameris. Timeri necesse est, quia amore nemo officium facit, si ipse se magis amet; vnusquisque autem sibi magis conciliatus est, quam alteri. Cum igitur se res dabit, vt suo periculo, sumptu, labore tua prosperitas quærenda sit, à se quisque charitatem inchoabit, & principem postponet. Amari tamen necesse est. Si enim in periculo sit princeps, senatus, respublica, nemo metuet; nec enim timemus eos, qui sibi timent, & magnis in rerum difficultatibus versantur: cum igitur per contemptum est sublatus metus, si non fuerit amor, omnino deserent, quem nec amant, nec metuunt, & si forte oderunt, persequentur.

Sibi potentiam optare damnabile.

§. 5. Mihi si vera libere proloqui necesse est; Videtur stultissima omnium cogitatio, qui potentiam ambiunt, nam si ad publicam tantummodo salutẽ, aut diuinam gloriam potentes esse cupiunt, vt bonos tueantur, improbos compescant, regium animum laudo; quia iustitiæ vitam impendit. *Omnis enim potentatus breuis vitæ.* Ecclesiastici cap. 10. v. 11. Pauci principum non Christianorum à suis tuti fuerunt, plerique occisi, nullus omnino, qui modo gustarint imperium, qui non insidias multas, conspirationesque pertulerit. Quod ego multis demonstraui, nunc itaque de potentia acquirenda, augendaque pertractemus.

Caput IV.

Potentia in quibus consistat, & de eius capite, quod est auctoritas.

§. 1. Vires Reipublicæ in pietate, & virtutibus consistunt. Deinde in illis quæ virtutes consequuntur in principatu. Quorum primum est auctoritas, seu fama & maiestas, deinde amor ciuium. Tertio, opes, arma, viri, arces, vrbes; hæc enim prudentissimi regum ad præsidia subditorum instituerunt. Nunc de actu auctoritate agamus.

Auctoritas magnum adiumentũ Reipublica.

§. 2. Auctoritas cum presse apud Romanos accipitur, est iudicium senatus, cum vel ob paucitatem senatorum, vel tribunitiam intercessionem, aliamue ob causam senatusconsultum fieri non poterat, Græcum nomẽ habere negant; nam αὐθεντία maius quiddam est, & αὐθέντης plus quam auctor. quandoquidem, & in iure ciuili, & in communi sermone αὐθεντικὰ dicuntur ea, quę nõ semiplenam auctoritatẽ habent; seu quæ à summo magistratu confirmata, & rata sunt. nam reuera αὐθεντία in iure, si non sit ἐκ τῆς αὐτεξουσίας ex plena potestate, inanis est: perscriptæ enim auctoritatis nulla hodie est, vt ita dicam, auctoritas.

Maiestas principis vera.

Auctoritati affinis est maiestas, non enim stricte de maiestate agimus, quæ quinque capita amplectitur, ius legum ferendarum, antiquandarũ, belli & pacis; tributorum, monetarum; conferendorum magistratuum. Sed auctoritatem, & maiestatem principis pro eius æstimatione, fama, & vt nunc loquuntur, bona reputatione accipimus, quæ quidem contemptui opponitur, sed tamen plura complectitur, amorem, famam, laudem, timorem, reuerentiam, & bona quibus ista gignuntur. Est vero potentissimus ille princeps, qui subditos suos potestate paterna, alienos fama & existimatione addictos habet.

§. 3. Fa-

Principi fama curanda.

§. 3. Famam etiam priuatus qui negligit crudelis est, princeps vero tam famæ quam salutis suæ custos est. Vere in hanc sententiam dictum; *Regnantis facultas tunc fit ditior, cum remittit, & acquirit thesauros famæ, neglecta vtilitate pecuniæ.* Et Augustinus. *Qui fidem conscientiæ suæ famam negligit crudelis est.* Nam reuera Homicidij genus est famam impetere, qui vero Reip. famã corrumpit, crimine maiestatis tenetur. Famæ igitur sollicitus sis oportet, si principem agere delectat. *Non est laus culpanda, sed propter eam operari,* inquit Hipponensis antistes, at ego tibi, ô princeps, hunc scrupulũ eximã. Principi operandum est etiam propter laudem, nõ vt in re inani sistat, quorsum enim tam magnus vmbrã captaret? sed vt fama bona ad populi salutem vtatur. Si enim pecuniam conquirere, homines occidere ob publicum bonum possumus, cur non & in eum vsum famam quæret princeps? Ager laudando non fit melior, & vmbra corporis comes non facit illud tutius; sed fama tamẽ sæpe sola principem tutum, & saluam Rempublicam efficit.

Princeps operibus famam, fama salutem ciuiũ quæret.

Plura opinione, quam re geruntur. Quid enim si de te tanta opinio, vt præsentia prælia dissipes, vt inimicus lacessere non audeat? vt solo terrore bella cõficias? Cum Curiones, & populares regum & optimatum vitæ obtrectando Rempublicam labefactẽt, & euertant, cur tu eam tua laude non seruabis? Nec clam est principum famam odiorum flammis amburi, inuidẽtiæ nube obscurari; semper enim sunt, quos necessario princeps offendit, qui bene de eo, cui merito se irasci putant, loqui non solent; Laborandum est itaque Principi, vt fama publica voculas priuatorum opprimat. Celerrime paratur, amissa non reaccenditur, semel firmata etiam contra vitia perdurat. Salomon opinione sapientiæ regnum iam degener tenuit tamen, & si Roboam prima regnandi præcepta discere voluisset, filio quoque integrum tradidisset. Est fama virtutis comes, Dei beneficiũ, cuius respectu fere regna dantur, & auferuntur. Cura enim maiestatis tam ad virtutem pertinet, quam politia, quæ sine maiestate esse non potest.

Fama necessitas.

§. 4. Amplitudinem igitur suam, celsitudinemque quam Græci σεμνότητα vocare consueuerunt, tueatur; & augeat princeps, vt reipsa sit σεβαστὸς, hæc enim dignitas Reipublicæ sine incolumitatis dispendio non tollitur; nisi enim sit animis obtemperantium insita veneratio maiestatis, & opinio principem ea dignum esse, iam opinione maius vulnus ciuitas accepit: mox enim personabunt illæ voces: *Num saluos facere nos poterit iste?* ita nec saluum eum cupiunt, cum morte eius res suas meliores fore sperent, nec pericula pro eo subeunt, cum se illi præferant. Omnibus modis ita sit affabilis, vt tamen seruet dignitatem, modo ne sit sub dignitatis nomine tumor. Qui in illis est, qui per suas, alienasque clades ad inanem gloriam grassantur, de quibus alio dixi loco, qui propter pauca lauri folia integras delere gentes non exhorrescunt.

Dignitas cõiuncta est saluti.

Dignitatis tuendæ cura est vicina superbiæ.

§. 5. Famam autem potentiæ, quæ pene tam necessaria est, quam ipsa potentia, parabis illo, quem hoc libro tradam, modo, vt scilicet, quæ conquiris in publicum, sint nota. Conscientia te quietum, virtus bonum, fama optima notum, venerabilemque faciet. Primum igitur est, vt vita sit talis, qualem desideras famam; quia vt velis aliam videri, aliam esse, difficile est in principe, qui est in conspectu multorum, & si forte aliquando aliquos, nunquam omnes decipiet. Hinc nullius improbi diu bona fama fuit. Magnum frenum est male acturis fama, cum leges negliguntur. Pluris famam Alexander quam gesta sua fecit, sed tamen quam magnam, tam malam consecutus est. Quid non fecit Augustus ad famam, ingenia sui sæculi omnibus modis fouit, componi tamen aliquid de se, nisi serio, & à præstantissimis offendebatur, vt refert Tranq. sed tamen quid effectum? Illa præstantissimorum de Augusto elogia perierunt. de vitijs eius & probris plura supersunt. Ad principem itaque pertinet etiam hæc famæ pars, virtutem colere, famam non ambire, nisi qua salutaris est patriæ; tam enim inhonestum est virtutem gloriæ, quam voluptatum esse seruam, nisi per gloriam patriæ seruiat, aut Deo. Nec probo Themistoclem quem Miltiadis trophæum excitabat, mallem id faceret amor ciuium, sed quia procul ille erat à vano pectore, incitatur ad pericula à trunco, qui non poterat ab Athenis virtutum altricibus. Fugienda est etiam hæc ipsa substantia gloriæ, pusilli animi nota, qua se Traianus, non inter malos alioqui numeratus Imperator, contemptibilem fecit, priscorum enim ædificijs vtcunque restauratis nomen inscribebat suum, adeo vt non immerito herba parietaria magni Imperatoris iudicio dictus sit. Hoc igitur famæ est fundamentum, quemadmodum & imperij, sine famæ mercede virtutem sequi, nec aliter famam, quam publicæ salutis instrumentum sectari.

In fama quærenda errores.

Virtus sine mercede colenda est.

§. 6. Hanc apud domesticos, exterosque existimationem diuina prouidentia conciliat. Est enim donum Dei, vt omne genus potentiæ, ita hæc quoque pars, quæ in aliena opinione consistit. Hac Deus seruum suum Abrahamum inter ferocissimas, robustissimas gentes communijt; dicebat enim illi populus Heth. *Princeps Dei es apud nos.* Sic Israelem post cædem Sichimorum tutatus est, Gen. 35. *Cumq; profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Sic & Josue inualuit c. 5. 1. *Postquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam & cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel, donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus timentium introitum filiorum Israel.* Sic Josaphat tutus fuit, 2. Par. 20. 29. *Irruit autem pauor Domini super vniuersa regna terrarum, cum audissent, quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel. Quieuitq; regnum Iosaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.*

E contrario destituta Dei præsidio regna maxima, regesque in perpetuo metu vixerunt; Vel Romanum imperium aspice, domi insidiæ, foris bella, miserrimæ gentes Triballi, Thraces, aliæque carpserunt: nunc Turcicum imperium, Haidones, Cosacci, Arabes, Cilices, Piratæ deuastant. Babylonium imperium, atq; adeo caput gẽtis, mundi miraculum Babylonem aggressi sunt Persæ, gens hactenus serua & rusticana; Persas iam in fastigio positos deturbant Macedones gens fœda, & non nisi de contemptu nota, nisi quod Philippo rege, latrocinio, & fraude creuerat.

§. 7. Vt æstimationem suam quoq; princeps tueatur, magnopere conferet, ita iudicare, ita leges ferre, ne quid retractet, qua in re Justinianus, quantumcunq; profuerit, sibi magnopere obfuit, cum eius iurisconsulti leges figerent, & refigerent. Deinde in publico semper grauiter & pro dignitate agat: valde enim ad auctoritatem confert, cum magnates, quos populus miratur, & suspicit, tam humiliter principi seruiunt. Tertio. Raro vel in publico, vel in senatu, vel etiam in priuato cõcilio, nisi meditato loquatur; ita tamen vt superbiæ, & stuporis opinionem non incurrat. Ne Pallantem ex nequissimo seruo superbissimum dominum imitentur, qui nulli domesticorum loqui dignabatur, nunquam domi quicquam nisi nutu, vel manu significauit, vel si plura demonstranda essent scripto, ne vocem sociaret. Quarto. Si vultu non sit venerabilis, id agat tamen vt semper serio sit, nunquam in risum facilis. Quinto. Vox grauis, iocus, nisi acutus, nullus, vestis sine cura, preciosa infra modum

Fama virtute paratur.

dum dignitatis. Incessus grauis,tardus; vectio cum austera dignitate, vt & in ministris sit maturus omnium agendi modus, non inordinati discursus. Sexto. Familiares intimos habeat paucos,quibuscum iocetur, arcana promat, idque caute; nam plerique talium,vel indicant alijs,glorianturque de familiaritate principis, & inuidiam sibi, principi imprudentiæ opinionem conciliant; maxime si boni non sint, & rara est ea felicitas, vt bonos multos circum se habeant. Attalus Rex imagines ex longinquo spectandas dicebat; & sane raritas admirationem parit, satietas familiaritatis minus verendos facit. Septimo. Magnopere caueat,quod pauci etiam boni principes cauerunt,ne ab vno,alteroue regi videatur. Hunc enim pro principe venerantur, principem pro statua habent. Hinc odium omnium regum in illos reges,Seianum, Plautianum, & quos nostro tempore potentiæ pœnas dedisse videmus: quidquid enim administratur etiam recte, odiosum optimatibus est; quia auctor consilij inusus est. Octauo. In legationibus quoque recipiendis splendida sit modestia, vt videatur luxum fugere, dignitatem amare. Mulierculam est toto Thesauro lucere. Augustus consueta veste, & habitatione contentus erat, Alexander Seuerus gemmas vendidit,quod diceret, in virtute, non decore imperium esse. Thesauros nullo modo legatis aduenis ostentet: nam superbiam interpretantur,& inuidiam concipiunt,si ingens sit,si mediocris,contemnunt. Et principem stultum arbitrantur, qui parua magni æstimet.

Caput V.

Diuitias Principi quærendas esse.

Principi honeste opes quærendas.

§.1. Avarvm principem, iam supra cum de liberalitate agerem, detestatus sum, nunc quoque eum detestor: sed tamen prouidum, & bene nummatum requiro; imo vnam ex primarijs principum virtutibus esse affirmo, diuitiarum cumulandarum industriam; nec parum delinquunt, qui eam gubernationem instituunt, vt ærarium semper vacuum sit. Hoc igitur nunc mihi ostendendum est,pium, ac sanctum id esse, principisque & Reipublicæ officium, vt sequentibus deinde disputationibus de ratione colligendi opes tractare possim.

§.2. Initio hoc tanquam fixum,ratumque statuo; Non probandos diuites, *qui desideriis vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt.* hæc enim hominum vitia sunt,tam in paupere, quam mediocri,& diuite. Sed diuitias principi,& reipublicæ necessarias affero; Donum Dei sunt, vt docet Augustinus, gratum cum datur priuatis, necessarium, cum principi. Itaque & illas propter supplementa necessitatis, vt loquitur Augu.in Ps.66. desiderabit princeps. Ad formicam mittitur piger,& tempestiui laboris admonetur,ne hyeme esuriat,quo mittenda est respublica, ne se deserat? Habentes pecuniam non peccant,sed nimium amantes. Imo tanto tutius, & melius habentur, quanto minus amantur. Nec mihi opponant apostolicam comminationem. *Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem.* Pro me enim respondet Augu.l.1.c.10.de ciuit. *Profecto in diuitiis cupiditatem reprehendit,non facultatem.* Nam quãquam priuati difficulter opes tenent, & non diligũt, Respublica tamen facilius vt instrumenta virtutis, & præsidia defensionis vsurpare potest; *Nescio*, inquit Augu. *quomodo cum superflua, & terrena diliguntur,arctius adepta, quam concupita constringunt. Sed hoc ex eo est, quod pecuniæ priuatis ad sua desideria implenda petuntur, principi ad salutem Reipublicæ.*

Diuitiæ publico necessariæ.

Auaritia nõ opes dãnatur.

§.3. Regum omnium sapientissimos habemus ab orbe condito Dauidem,Salomonem,Iosaphat,Ezechiam,Iosiam. Opes Dauidis ostendunt ea,quæ pro templo collecta sunt. 1.par.22.14. *Ecce ego in paupertate mea præparaui impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: æris vero, & ferri non est pondus,vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui ad vniuersa impendia.* De eius Thesauris multiplicibus.1.Par.27.25. *Super thesauros autem regis fuit Azmod filius Adiel. his autem thesauris, qui erant in vrbibus,& in vicis, & in turribus, præsidebat Ionathan filius Oziæ.* Ecce 1.thesauri regis, 2.in vrbibus, 3.in vicis,4. in turribus.adde agros,& pecus. Ecce regem tot thesauros possidentem, nec auarum tamen, imo liberalem, mãsuetum, qui canere coram Domino consueuerat. *Beatus,qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus.* Nam thesaurus egenis, pauperibus,toti populo seruabatur.

Dauid & alii reges probatithe. sauros collegerunt.

Liberalis Dauid, & diues.

De Salomone frustra pauca dicuntur, quia multa passim habentur.2.Reg.10.26.*Congregauitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.*

Et 2. Par.9. dicitur fuisse ditior vniuersis regibus, & præbuisse tantam copiam argenti in Ierusalẽ quasi lapidum.

De Iosaphati diuitijs supra dixi, deque eius exercitu.

Ezechiæ diuitias Scriptura prædicat, 2.Par.32.27. *Fuit autem Ezechias diues,& inclytus valde, & thesauros sibi plurimos congregauit argenti, & auri, & lapidis pretiosi, aromatum,& armorum vniuersi generis,& vasorum magni pretii. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasq; pecorum,& vrbes ædificauit sibi: habebat quoque greges ouium & armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei* Dominvs *substantiam multam nimis.*

Ezechias diues.

Iosiæ quidem pietas, & zelus magis probatur in Scriptura, quam opes, diuitem tamen fuisse ostendit potentia, qua omnes abominationes sustulit de terra,atque ipsa excelsa,quod nemo regum hactenus fecerat. Et phase tale restituit, quale nunquam fuerat, in quo ipse de substãtia regis dedit triginta millia pecoris, & tria boum millia. Nec exiguum est signum potentiæ, quod Pharaoni Necao contra Assyrios pergenti occurrit; nam sine dubio Necaonis exercitus,quem contra potissimum regem ducebat, ingens erat, nec tamen eo se imparem Iosias putabat,& forte vicisset, nisi Dominus expeditionem improbasset. Tantos viros rerum male gestarum accusare dementiæ est, multumque aberrant, qui regium esse putant aurum dare,non seruare. Dandum est,& seruandum, vtrunque necessarium est. Sed cum ratione dari non potest, nisi seruetur. Quod si tamen hos arguere libeat, quid Iosepho faciemus? qui immensis redditibus regiam Pharaonis instruxit? nam & pecuniam accepit, & pecora & agros, ac deniq; quintam annuarum frugum partem. Cur tanta opum abundantia regem instruxit? si ex arte regnandi non erant illæ diuitiæ? Ego vero arbitror, omnem Romanorum reditũ publicum exiguam esse partem opum Pharaonicarũ, si frugum omne genus spectetur. Nam primo in terra Gessen virorum habitabant sexcenta millia, illiq; Israelitæ erant, totidẽ fuerũt Ægyptij, vt in vniuersum fuerint duodecies centena millia, totidem adde fœminas æui maturi,erunt vicies & quater centena millia, quem numerum ex pueris, & puellis teneræ ætatis,& seruitijs duplicabis, vt sint in sola Gessen quadragesies & octies centena millia, cuius pars quinta fuerit minimum nouies centena millia,quæ ex solius terræ Gessen quinta parte Pharao alere potuit. Si enim tota terra toti populo sufficit, ergo & pars quinta quintæ. Imo plurimum tritici efferebatur in vicina

Iosias diues.

Ioseph rempubl. diuitẽ fecit.

vicina & longinqua regna. Si igitur tantus reditus ex sola terra Gessen, quantus ex tota Ægypto?

Omnia pecuniæ obediunt, etiã hostes.

§. 4. Nec aliud ratio suadet; Tanti enim es, quantum habes, si opes desunt, deerunt amici; nemo se facile ad infelicem parietem inclinat; multi enim congressum principũ egentium, obæratorumq; deuitãt; quia ne à se pecuniæ mutuæ petantur formidant. Vere dixit Mucianus; Pecuniam esse neruum imperij, opus sunt opes, sine illis nihil fiet, quod est opus. Omnia venalia sunt nummis, & Roma emptorem inuenit, vt Jugurtha prædixit. Si nummos habeas in hostium castris, consiliisq; amicos, si non sinceros, at vtiles habebis; quid enim sapientius illo dicto;

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχε, καὶ πάντα κεκτήσεις;

Argenteis hastis pugna, & omnia vinces. Victoriæ itaq; compendio se priuat, qui pecuniam non collegit. Nec te moueat vetustæ simplicitatis oratio:

Pecuniæ emere victoriam præstat, quam sanguine.

Non cauponantes bellum, sed belligerantes.

Imo bellum redimentes; cur enim non potius vincam impensis pecuniarũ, quam sanguinum? si asinus auro onustus arcem capere potest, exercitum integrum seruabo. Sed nec bello tantum, sed pace necessariæ sunt diuitiæ; qui enim se principi applicant, multi honorari, plerique inaurari cupiunt. Donare igitur principem oportet, & quia multorum fida opera indiget, largiter donare. Liberalitatis autẽ fons est parsimonia.

Virtus aurata omniũ potẽtissima est.

§. 5. Qui virtute sola se dicunt niti, & auro fidendum negant, speciosa oratione vtuntur, sed fallace. Non est virtus principis se facultatibus, Rempublicam præsidiis nudare. Auro fidendum non est, sed vtendum; & quo vti possis, habendum est. Cum enim multorum obsequia, fidesque sit principi necessaria, illique virtutem auro posthabeant, muneribus tenendi sunt. Atque hoc virtutis est, sua quemque voluptate, tanquam esca trahere ad officium præstandum.

Circumfertur etiam, & cum adolescentulorum plausu dictatur, vetus sententia Cyri, & aliorum qui prudentiæ laude floruerunt. *Thesauros esse amicos*; ita enim & Alexander Dario respondit; *Ipsum thesauros arcis inclusisse, se vero nullos habere thesauros præter amicorum animos.* Verum hæc in speciem, & fiduciæ generosæ ostentatione, magisq; ad conciliandos amicorum animos, quam ex animo dicta esse euentus ostendit.

Alexander auro incubans.

Nam Alexand. in ista insania aurum collegit, *triginta millia mulorũ tibi captiuum aurum vehunt*, objicit nobilis reus. & cum tam multa rapuerit, mirum est tã pauca dedisse. Sed videamus eius thesauros quis amicorum ei non insidiatus est? quis principum non fuit particeps stirpis eius exstinguẽdæ? Ne vero de illis dicam, quos vitia regis irritauerant, militum animos non tenuit, cum opũ spes decollasset, legatur apud Curtium itineris ex Indiã cõuersio. Intelligent omnes eum sine spe pecuniarũ nihil omnino, sine pecunia parum effecisse. Quid enim? an tu existimas vllum è Macedonia sequuturũ sine illo illicio fuisse, cum legamus toties eius milites, cum largitiones, & suas prædas decoxissent reditũ postulare? cum Argyraspides vt impedimenta redimerent, imperatorem suum Eumenem traderent hostibus? Idem quod inter signa agitur, in foro, & curia quæritur. Inopem rarus defendit. Militi arma, principi pecunia in campum proferenda est, in tot populis vix vna fides, nummo mentes auctorandæ sunt; quod vt fieri possit, ærario consulendum est. Quod si quis sine spe pecuniarũ amicus est, qui sane rarus est, ille tamen ditandus est; tum quia principi expedit, tam fidi animi virum esse quam potentissimũ, tum quia tam generosæ voluntatis pœna non debet esse paupertas. Thesauri itaq; sunt amici, sed fouendi sunt, euehẽdi sunt, ne melior apud principem cõditio inimicorũ esse videatur. At vbi amicos ditauero, ipsi mihi egenti succurrent. *Iulianus nunquam augendæ pecuniæ cupidus fuit, quam cautius apud dominos custodiri existimabat.* Verum hæc nõ nisi pueris persuaderi possunt. Ego seria quæro. Nec Marcellino credo Julianum laudanti, nec Constantinum agenti reum. Non credam Julianum pecuniæ non fuisse cupidum; vt quem sciam ex persecutione Christianorum, confiscationibusq; loculos stipasse, verbis, & factis interdum philosophiã simulauit, alias Christianis illudere solitus, cum de iniuria quererentur; *Christũ suasisse paupertatem, beatos illã fore.* Quod si Remp. qualis esse solet, constitutam consideremus; non facile præsidium quæret ab amicis in periculo princeps, quibus in prospera fortuna diuitias dedit. Nã ne tum quidem amicos nisi donando effecit, & nunc petendo, aut spoliando faciet inimicos. Multos etiã inueniet, qui mallent principem non esse, quam se eius causa pauperes esse. Caligula, Nero, largitionib⁹ & luxu omnia prodegerunt, an ideo amicũ inuenerunt? si de bonis & æquis principibus loquamur, vnius hactenus exemplũ quæro, quem amici beneficij memores in integrum restituerint, nisi vel spes maioris emolumenti liberalitatem prolexit, vel timor maioris damni nummos extorsit. Ita igitur sperandum in amicis, vt sciat plus præsidij esse in illis, qui noua beneficia sperant, quam in illis, à quibus gratiæ postulantur.

Iulian⁹ verbo liberalis, re parcus.

Principi pauperi in periculo ab amicis petere intutum.

§. 6. Nec principi colligendarum opum duntaxat cura incumbit, sed etiã illi ad quem successio spectat, qui iure aliquo ad principatum venire potest. Cum enim pecuniæ obediant omnia, certum est nihil esse quod non obediat, excepta virtute. Omnia inquam pecuniæ obediunt, etiam pecunia accepta, illi quæ sperabatur, præcedens, secuturæ; omnia obediunt, etiã arma hostilia, etiã pecunia hostilis ærarij, si maior à te speretur. Hinc pecunia multi sunt principatum assequuti. *Et genus, & regnum regina pecunia donat.* Thucydides l. 1. Pelopem Asiatica pecunia quam peregrinus aduexerat inter pauperes famam, & gratiam, deinde regnum obtinuisse narrat. Didius Julian⁹ imperium à militibus coëmit, Herod. l. 2. Manlius olim idem tentarat, & quod mireris, Bruti filios spe cõmodorum Tarquinij suos fecerunt. Tarquinius Priscus honesto pecuniarum vsu neglectis Anci filiis imperio potitus est; nec aliud deinde in Rep. factum; Ambitus tot legibus, iudiciis, pœnis oppressus nullis comitiis abfuit. *Annua venali redeunt certamina campo.*

Acquirendo imperio pecunia est necessaria.

Causa est, quia omnes sibi potius, quam Reip. principem quærunt. Eum plurimum optant posse, à quo plurimum sperant.

Hac potentia ad salutem vtatur.

Virtus, fama, decus, diuina humanaque pulchris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex,
Et quicquid volet, hoc, veluti virtute paratum
Sperauit magnæ laudi fore.

Sic iudicant etiam prudentes; si enim in priuata fortuna rem fecit, & amicis benignus fuit, largusq;, quid faciet in principatu? *Nam facito cogites, vt cuiq; homini res parata est, ita firmi amici sunt, si res labant, itidem amici collabascunt, Res amicos inuenit.* Res ad regnum prouehit. Non hæc eò dico, vt malis artibus, & largitionib. imperium quærendum doceam. sed vt principi inculcem, quantam vim habeat res domi bene constituta ad ius suum obtinendum. Iisdem autem artibus imperium tenetur, & acquiritur. Sunt enim opes rerum ciuilium insigne instrumentum. ita Arist. l. 1. pol. c. 8. Cum dixisset τὼ κτητικὴν acquirendi artem, esse œconomiæ partem, cui res ad vitam necessarias, & ciuitatis communionem vtiles suppeditat. Addit καὶ ἔοικεν ὄν᾽ ἀληθινὸς πλοῦτος ἐκ τούτων εἶναι, ἡ γὰρ τῆς τοιαύτης κτήσεως αὐτάρκεια, πρὸς ἀγαθὸν ξωὴν ἱκ ἀπειρός ἐστιν ὥσπερ Σόλων φησὶ ποιήσας,

Πλούτου δ᾽ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.

Cupidi spe, vel re tenẽdi sunt, amiciditandi, quia merẽtur.

πᾶσαι γὰρ, ὥσπερ καὶ ταῖς ἄλλαις τέχναις. οὐδὲν γὰρ ὄργανον ἀπείρων ὠφελιμώτερον ἐστὶ τέχνης, οὔτε πλήθει, οὔτε μεγέθει. ὁ δὲ πλοῦτος ὀργάνων πλῆθός ἐστιν οἰκονομικῶν καὶ πολιτικῶν. *Videntur vero ex his veræ diuitiæ constare; quæ est enim ex hac possessione sufficientia ad beatam vitam non est infinita, quēadmodum versu Solon expressit:*

Diuitiarum terminus nullus constitutus est hominibus. Est enim terminus, vt cæteris artibus; Nullum enim vllius artis est infinitum instrumentum, nec multitudine, nec magnitudine. Diuitiæ autem sunt multitudo instrumentorum œconomicorum, & politicorum. Plurimis autem instrumentis Resp. opus habet, quocirca nisi prædæ esse malit, tempori illa comparanda sunt.

Expedit administros esse diuites.

§.7. Nec modo principem siue Rempubl. esse diuitem debere cōtendo, sed administros quoque; non quod diuites inidoneos ad gubernacula adhibendos iudicem, hinc enim mala illa sequuntur, quæ prudēter Gregor. Tolosan. notauit l.5.c.1.§.25. *Paucorum rursum reipubl. institutionem, dixit Plato eam potentiam, in qua magistratus à census æstimatione ciuibus tribuuntur, & in qua diuites dominantur, pauperibus vero nulla est reipub. communio: sic quo magis pecuniæ & census honores dant, eo magis vilis virtus efficitur, & alii aliorum exemplo magis cumulandis pecuniis quā bonis moribus, intenti sunt: & boni pauperes excluduntur. hinc & sequitur illius reipub. corruptio, non secus ac tuta nauis à periculo naufragii nō est, in qua diues gubernationi præficitur, ignarus artis, & inops gubernandi peritior nequaquam admittitur. Incipiunt & deinceps breui esse ex vna duæ respub. vna diuitum, alia pauperum: & semper accidit ita homines intra eadem mœnia habitantes sibi inuicem insidiari. Sequitur & malum aliud, quod semper diuites tenuiorum facultatibus inhiant, vsuris premunt, cogunt vendere, reddunt omnino mendicos, fures, latrones, prædatores, & tandem coniuratores seditiosos, & rempublicam occupantes.* Sed institui, seligiq; velim; nam illi possunt iuuare Remp. & quia honoris, gubernationisq; sunt participes, etiā volunt.

Caput VI.

Varij modi diuitiarum conquirendarum.

Principes etiam auaros pecunia deficit.

§.1. Cvm sit naturale acquirēdi studium, faciliusque multi principes inueniantur, qui auaritia, & cupiditate prolabantur, quam qui ad liberalitatem propendeant, etiam illi, qui liberales & magnifici haberi desiderant; nā tales importunius exigunt, quæ non bene collocant, mirum tamen est, frequenter fieri, vt maximis imperijs pecuniæ desint; de angustijs ærarij Romani perpetuæ querelæ legūtur. Persarum reges inter montes aureos in bello cōtra Græcos pecunia deficiebat, & qua vna re superiores erāt, ea vna vincebantur, nunc quoq; idem nostro tempore accidisse videmus pecuniosissimis Hispaniarū regibus, multæ occasiones omissæ, multæ clades acceptæ, militum varię seditiones ob dilata, vel non soluta stipendia, cum tamen interim Hollandiæ ordines plerunq; militem in officio continuerint. In imperio quoq, Romano didicimus experiētia quosdam principes, non magnis finibus imperantes collegisse thesauros, cum alij interim quæ multis partibus latiora sunt dominia, perpetua inopia conflictentur. Considerentur acta duorū insignium in Germania præsulum, & Principum; Julii Wirtzburgensis, & Theodori Paderbornensis, vterq; arces, Academias, templa erexit, ærarium pecunia, apothecas commeatu instruxit. oppignorata recuperauit, noua adiecit; vtriusq; enim Episcopatus incremēta tanta sunt, vt ex eo quod addiderūt, ali princeps alius possit. Cum interim alii, nec maiore splendore excedētes aulæ, nec pressi bello, ditiones opulentiores alieno ære grauarint. Mirandum magnopere circa annum Christi 800. accisō iam admodū imperio orientali, regnante Basilio, tantas tamen diuitias fuisse, *quantas vix in toto imperio Romano nisi valde florente. Zonaras refert implesse totum Aerarium, & ipsos aditus, viasq; pecuniis cōfertim stipatis. Habuit, inquit, in thesauris ducenta millia talentūm auri. Nam alterius pecuniæ nec numerus iniri poterat, adeo vt terræ eam infoderet, ærariis aut repositoriis vtiq; repletis. Quin & arculas habuit lapillis gēmisq; pretiosis splenas, cum aliis, tū illis, quæ candent, & quas margaritas proprie appellamus.* In quibus ducenta illa millia talentūm auri, quid reddunt? ipsos mille & ducentos milliones. Mille & ducentos milliones si quis nunc rex possideat, facile si vti velit mūdi imperium obtinebit. *Beniamin Iudæus circa an. 1200. Constantinopolim vidit, & narrat. In ea vrbe, inquit, vidi res atq; opes inenarrabiles. Deferuntur enim in Principis palatiū quotānis tributa, quibus turres implentur coccineæ purpureaq; veste, & auro: ita vt nullibi terrarum par congestæ pecuniæ exemplum reperiri possit. Affirmatur etiam ipsius solius vrbis vectigal, ex foris vænalium, & portu ac mercatorum pensionibus collectum, ad viginti millia aureorum in singulos dies accedere.* Hæc considerans ratione ἀ χρηματοπολίας conficiendarum opum tradere animus est, nō quod quæstores, & consiliarii principum non plures norint, sed quia non meliores; dum enim festinant ęrarium, ac sese ditare, Rempubl. exarmant, cum enim sumptus magni sint, cum Resp. maximo præsidio egeat, tanquam vastum corpus copioso alimento, id accelerare studeant, efficiuntq; ex voracitate, & tuburcinatione morbos, & quidē multo periculosiores, quā sint ex abstinētia, & parcitate. Nūmus decim⁹ in Belgio rebellionis occasio fuit, at nūc si quæras ex fœderatis de 10. nūmo, vere respondebūt; bene secū agi, si 10. nūmū retineāt.

Lipsius de magnitud. Imp. Rom.

Tantum opum in paruo imperio, quantum olim vix in magno.

§.2. Ratio augendi ærarii vel est honesta, vel inhonesta. Honesta quoq; triplex est; Honesta & onerosa subditis, vt tributa. Honesta, & non onerosa subditis, vt accurata acceptorum, & expensorum ratio. Honesta & vtilis subditis; vt leges sumptuariæ, agricultura, mutuum. Improba quoq; praxis & fraudulēta χρηματιστικὴ triplex est. Alia enim aperte iniqua est, & publicum furtum, vt vsura, iniquæ oppressiones; alia non quidem iniqua est, sed odiosa tamen, nec decet principem. Vt si legem feras, ne quis vestem sericam tulisse velit, deinde dissimules, donec violari libere lex incipiat, interea trāsgressores per Coryceos tibi annotatos multâ punias. alia nec iniusta, nec odiosa, sed sordida, & contemptum adducens. vt cum Vespasianus vectigal vrinarium collegit. Possunt quoq; in honesto tributo, aliisq; aliqua interuenire, quæ iniustitiam adferunt, imo in illis quæ nec grauia, & vtilia sunt, fieri quædam odiosa, & videri velut sordida.

Honestissimū lucrū quædam interueniunt inhonesta.

Hinc generales regulæ principi seruandæ sunt.

Regulæ generales exigēdæ pecuniæ.

1. Nunquam per iniuriam à subditis teruncium exigendum: nam ad restitutionem tenetur & princeps, & consiliarii auctores. 2. Cum iuste exigitur pecunia, sed odiose, & cum infamia, & nota aliqua, nō nisi necessitate eo modo vtendum est; plusenim odio nocetur, quam compendio proficitur. 3. Cum lucrum est sordidum, mediocri necessitate, fit honestū. cur enim non vendas lotium vt subditus defendatur, ne pauper moriatur? 4. Inter honesta genera ærarii ditandi, id primum amplectēdum est, quod publice & priuatim conducit, vt eadem opera, princeps, & subditi ditescant. 5. Secūdo amplectendus ille modus, qui prodest Reip. & nulli priuato obest, qualis est ille de rationibus exigendis. 6. Vltimo deniq; veniendum ad hoc, vt etiam subditi grauentur, ne resp. detrimentū patiatur. ita tamē vt omnes cognoscant, non cognatis principis, aut eius voluptatibus, sed vniuscuiusque cōmodis impendi. Grauissimas exactiones in Hollādia suasit Barneuelti⁹, cū diceret: *præstat grauari patriā, quam amitti*, vt fatetur in Apologia, cum inter illa grauami-

Par nobile principum nostri sæculi

uamina, & ex grauaminibus opes immensas & ille, & alij collegerint. Sed nunc singula videamus.

CAPVT VII.

Tributa legitime pendi, eorumq; modus.

Ad accipiendum citi, ad dandum tardi.

§. 1. ARGVTE veteres pecuniæ custodem posuêre Saturnum, pigrum, tardum, morosum, qui anno magno vix semel arcam recludat; collectioni vero quemadmodum omni lucro Mercurium; ille enim superis pariter gratus, & imis, rapido velocior Euro cum plantaria induit, terras, maria, inferos ad ipsos excurrit, interdum cœlos ipsos licitatur, vndiq; congerit, quod nunquam saturata auiditas Saturni recondat. ita est, ad omnem motum, ad omnem occasionem tributa dictitant rerum auidi aulici; & cum virgula sua discurrunt Mercurij: de hoc igitur præsidio, non exspoliatione Reipublicæ dicamus.

Communis opera communi impendio fit.

§. 2. Tributa imperandi potestas Reipublicæ est concessa, hoc est illi, quæ suprema est. Romæ senatus ius monetæ cudendæ vsurpabat, ideoq; & inscriptio erat, S.C. Hoc est, Senatusconsulto, commissa deinde res triumuiris monetalibus, nummum illi sua auctoritate signabant, indicabantq; hisce elementis III. viri A.A.A.F.F. Triumuiri auro, argento, ære flando, feriundo. Huic facultati olim erat additū ius tributi imperandi. Est autē hoc ius maiestatis, nemo enim præter summum magistratum tributa, aut exactiones potest exigere. l. 3. c. noua Vectig. instit. non posse. Hoc ius olim nequaquā ciuitatibus communicatum est. Nunc prope omnes principes, & liberæ ciuitates ea vtuntur. Sed mihi non de iure, quod liquidum est, sed de modo agendum.

Seruanda vectigalia iusta.

§. 3. Vectigalia consueta, mediocria, agri publici, tributa, non sunt dimittenda, quamuis decuplo amplius annue conferant, quam in vias, pontes, magistratus, proemia virorum fortium insumatur. Nam vnius belli apparatus plus auferet, quam multorum pax annorum. Cicero ad Atticum vectigalium imminutionem queritur, portoria Italiæ sublata, instante campani agri diuisionem, etiam vicesimam auferendam. Honorius, & Arcadius, Theodosius, & Valentinianus, ne vectigalia minuerentur, prouiderunt. Nero impetu iuuenili tentauit, sed à prudentibus repressus est, Tac. l. 13. ann. dictitabant enim fore, vt vis imperij frangeretur; at illam cogitationem facile excusserunt liberti, qui ad prædam eum inflammarunt.

Iusta causa vectigaliū est, defensio patriæ.

§. 4. Causa vectigalium debet esse iusta, ita Nouell. 149. *Si quis illorum, scilicet magistratuum, aut in publicorum tributorum exactione negligenter se gesserit, aut collatores nostros damnis, contumeliosisue oblæsionibus inuoluerit, simul bonis excidet, simul summo subiicietur supplicio. Etenim Deo auspice, hoc vnum nobis studio est, vt prouinciæ bonis legibus regantur, tutoq; habitentur, atq; præsidum iustitia fruantur, & publica tributa citra querelam inferantur. Impossibile enim est vt sacris tributis non illatis alioqui Respublica conseruetur. Militares namq; copiæ, assignato sibi salario inde percepto, hostibus resistunt, & collatores à barbarorum incursionibus & truculentia vindicant: deniq; agros atq; ciuitates à latronum alioquemodo incompositam vitam sectantium, vt & irruptionibus, agendis excubiis defendunt: ex illis etiam reliquæ cohortes, ea quæ ipsis attributa sunt, accipiunt: muri atque ciuitates itidem instaurantur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt: postremo spectacula, aliaque omnia, quæ ad delectationem singulorum inuenta sunt, ex iisdem curantur: vt quæ ab illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos insumantur & impendantur: nobis autem nihil præter istarum rerum curas habere contingit, non tamen eas mercede vacuas, cum magnus ille Deus, & seruator noster Iesus Christus magnitudine clementiæ suæ, permultis propter hoc nos bonis remuneretur.*

Spectacula non est legitima causa.

Minuenda vectigalia.

Et Nouel. 161. t. de prouinciarum præsidibus c. 2. §. *Atq; vt hæc ita caueremus lege, ex eo nobis in mentē venit, quod pluris à nobis sit subditorum opulentia & medela quā reditus, qui exinde inferuntur imperio. Contrahimus enim vna cum largitionib. præsidum in arctum ipsa etiam suffragia, quæ imperialibus inferuntur rationibus: & magnum reddebant pecuniarum cumulum: quo magis hæc causa & respublica meliore successu potiatur, & locupletior redeat aliquot retro temporibus, à nonnullis excogitatis præstationibus liberata. Vna enim hæc res potentiæ nostræ studio est, vt prouinciæ & bonis gubernentur legibus, & tuto inhabitentur, neq; nō ex præsidum iustitia fructum capiant, & tributa publica sine querela inferantur: neq; enim aliter conseruare licet Rempubl. nisi pientissime præstationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriātur copiæ, vt resistatur hostibus, & per agros ac vrbes agantur excubiæ: perfruuntur item reliqui ordines attributis sibi salariis, reparātur quoq; muri & vrbes, deniq; omnia alia prouenīūt, quæ communē subditorum vtilitatē conseruāt.*

Princeps enim cum præsideat corpori tanquam caput, ratione, & amore in accipiendis à cæteris mēbris annona vti debet; meminisse, se à membris portari, illis languentibus esse se casurum.

Non enim aliud conferre tenentur subditi, quam quod honestæ principis sustentationi, & Reip. præsidio satis est. Nam magistratus tributum accipiunt, vt præsides, & defensores iustitiæ, nec enim voluntas ea est populi, nec prudenter esse potest, vt tantas opes, nulla, vel exigua sua vtilitate conferant. Recte autem monet & Theologiæ & iuris scientissimus Joannes de Salas de legib. tract. 14. disp. 15. sect. 10. Difficilimum esse iudicare de iustitia tributi. *Difficilimum autem est iudicare, iniustum esse tributum à legitimo principe subditis non exemptis, quia non possunt priuati omnes iudicare de causa, quæ principem mouit ad imponendum tributum: sæpe enim est occulta, & iusta: sæpe etiam videri potest cessasse, quia temporalis erat, vel certe quia non mandatur executioni, prout statutū vel promissum erat, & nihilominus tributum non statim est iniustum, vel quia alia causa exorta est: vel quia Princeps aliis actionibus, vel oneribus vexatus cogitur cessare ab vno opere, vt aliud magis vrgens efficiatur. Deinde ex defectu solius distributionis difficile est damnare tributum, tum quia vix constare potest de forma distribuendi, quando tributum in aliqua materia simpliciter imponitur, & accidentarium est ab illis, vel illis vendi, aut emi: tum etiam, quia si quid maioris oneris redūdet in quasdam personas ex aliquo tributo, solet per alia compensari, vt augendo pretium aliarum rerum. Vnde sola incertitudo causæ, & aliarum conditionum ad iustitiam tributi requisitarum non satis est, vt cesset obligatio soluēdi tributum, quia cognitio horum non pertinet ad personas oēs particulares, & Princeps, qui habet prudentiam vniuersalem, multis iustis rationib. moueri potest, quæ non facile possunt cæteris innotescere: vnde dico, dubiū mere negatiuū per se nō satis esse ad excusandum à solutione tributi. Sæpe enim fundatur in sola ignorantia rationū vel cōditionū tributi, q̄ satis non est ob rationem factā, & quia in dubio præsumitur pro principe, nisi aliàs cōstet esse tyrannū: & aliàs populares homines obligari nō poterunt: quia ex se semper dubitabunt, nisi in fide maiorū fundentur.* Itaq; non incommode cauit Julian. ne per indulgentias tributa concederentur. Si enim nihil vnquam contribuant, vix bellum geri poterit.

Difficile est damnare vectigalia.

Iudicium de iustitia tributorum.

Crebra sint potius quā grauia.

§. 5. Cum opus est tributo nouo, paruis potius summis diuidatur, ita n. nec graue est, & minor est causa sagacibus ad furta ministris. Cypselus impio se voto obstrinxerat, omnes Corinthiorū fortunas se sacraturum, leni tamen imperio id fecit, nam decimam sacrauit, atq; ita decimo demum anno se voto exoluit. itaq; iniustum tributum fuit etiam ex modo petendi, quod Antonio pendebatur ab Asia, cum ait: *Ne vrbib.* (Appiā. l. 5. ciuil.) *agrisq; pellamini, pecunia dāda est in vsum militum: nec ea maxima, sed qua audita libenter acquieſcatis. Dedistis hostibus nostris, Cassio & Bruto, in duob. annis tributa decem annorum: ea suffecerint & nobis, nisi quod danda sunt in vno anno.* Exemplo fuit C. Sulla, qui bello Mithridatico imperauit quinque annorū vectigalia, sed statim

danda. Hic annorum proportio non seruatur,& necesse est pauperes omnibus bonis euerti. Aurea sententia est Soarez l.15.c.16.1. *Nam si imponatur, super rem immobilem, non debet excedere quantitatem moderatam, consideratis fructibus eius, & laboribus, ac expensis, quæ circa illam fiunt: nam si in hoc tributum sit nimis onerosum, plane erit iniustum. Si autem imponatur super res mobiles, quæ venduntur & emuntur, vel arte fiunt, obseruari debet, ne tales sint huiusmodi res, vel tantum & non magnum tributum, vt redundet in maius onus pauperum, & artificum, aut mercatorum, quam possint sustinere commode ad vitam & familiam sustentandã.*

Onera cuiq; pro facultate imponenda.

§.6. Vectigal pro ratione census, facultatum q; cuiusq; exigatur. Alioqui necesse est pauperes deglubi, non tonderi, quod ne Tiberius quidem auarorũ crudelissimus, crudelium auarissimus voluit. nã radices excidũt tales, ne recrescãt olera. Hinc & Seruius apud Romanos cẽsum instituit, vt est apud Liu. Florũ, alios. Prima classis, centum millium æris, secunda 70000. tertia 50000. quarta 25000. quinta 11000. Minor census siue sexta classis reliquam turbam continebat. Equester census alius erat. Eadem ratio apud Athenienses. Demosth. de munerib. Cato auare cẽsum egit. l.39. quãquam quædam recte, vt ornamenta censeret. Nã id nunc quoq; recte facit, qui ornamenta, & vestem muliebrẽ potius censebit, quam agellos, & saxa ruricolarum; nam ad facultates & ista pertinent. Hic etiam habẽda ratio rerũ, quibus vectigal imponitur, nam vectigalia, quæ rebus, quæ causa negociationis deferuntur, imposita sunt, extendũtur per iniustitiam ad ea quæ in vsu sunt, quod prohibetur l. vniuersi & l. omnium. c. de vectig. Turca in speciem paruum tributum exigit, cum bellum in Christianos meditatur, à singulis ducatum, sed alio suos onere premit.

Aerarium est cor reip.

§.7. Ærarium est bonorum publicorum collectio, fiscus interdum dicitur; nã priuatum principis patrimonium dici ærarium raro solet. Ærarium publicum non est proprie principis patrimoniũ, nec pleno iure eo põt vti, nisi ad vsum publicũ. Magna laus principis priuato fisco detrahere, & publicũ augere. ita Hadrian. teste Spartiate, Dãnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit, omni summa in ærarium publicum recepta. Minyas rex vt testatur Plin. l.33.c.3. Pausan. Bœot. l.9. primus ærarium ædificasse dicitur, sed inter barbaros; iam olim constructa erant ærraria in Ægypto. itaq; recte Soarez noster l.5. de leg. c.13. Soluenda tributa realia censet ex iustitia commutatiua. Imo recte docet ibid. §.9. Quia debitum alendi regis, & onera publica sustentandi est naturale, & tributum lege iusta impositum est medium iustitiæ.

Potius opera, & commeatus, quã nummi exigendi.

§.8. Cum belli immanes & incerti sumptus sustinendi sunt, viros, equos, naues iniungi præstat; omnia enim hęc facilius tolerant, quam pecunię collationẽ. Angariam vocant hoc genus tributi, cum labor personarum, equorum, boum postulatur. Qua tamen in re cauendum, ne operę publicę tempore arationis, messis, vindemię, nundinarum exigãtur, q̃ crebro faciunt ministri, vt pecuniã eliciant. Deinde ne procul vehere cogãtur vina, frumẽta, aliaq;; qua praxi Veres vtebatur. & nunc nõ nesciunt principũ mercuriales. v.g. debẽtur principi cẽtũ vini plaustra, æstimãtur carissime, vinũ nõ pecuniã tradere subditi volũt, at in longinqua vehere iubẽtur, tẽpore occupatissimo aut pluuio.

Fraudes sẽper publicis interueniunt.

§.9. Cauendum ne furta ministrorum interueniant; nusquam grauius delinquitur. Ducẽta millia talentũm Asiæ Antonius, & Dolabella imperarunt, alterum tantum accreuit auaritia, fraudibusq; publicanorum. Hodie quoq; cum in contributionem cõsentiunt, additamenta pro collectoribus nimis grandia adijciuntur. Quantus error in his rebus committatur docent oculi; ministri enim pleriq;, qui rei pecuniarię admouentur, quamuis instar ficcissimarum spongiarum tenues sint, & exsucci, instar boũ quas vidit Pharao, deformes, & macie confectas, vt nunquam similes viderit in Ægypto, breui tamẽ impinguantur, quãuis ad incitas princeps redigatur. Arbitratur Lipsius principum quo publicanos in Cæsarũ prouinciis non fuisse, nimium enim sæuiebãt, Julius eorum iniurias, & iniurios ipsos sustulit, & permisit fructus colligere ab agricolis, & tributa induxit. Exẽpla Verrina multa sunt, quæ hodie maiore exitio repetuntur.

Proceres auari sanguinem reipub. exigunt.

§.10. Maior etiam error est, cum oppignorantur vectigalia, aut proceribus donantur. Correxit eam rẽ Henricus 3. rex Castellæ. Historiã, quia hodie eadem executio necessaria est, sic habe ex Mariana l.3.c.7. *Id factus Henricus eo nomine tertius Castellæ rex, cui excelsus animus fuit, maior ætate, prudẽtia, vectigalia à proceribus occupata, memorabili exemplo liberauit. Burgis, quæ vrbs in veteri Castella est, minor annis morabatur, seq; aucupio coturnicum oblectare solitus erat. Accidit vt ad multam diem aliquando in aulam rediret fessus mora, fessus labore, nihil obsonij paratum erat. appellatus de ea re regius obsonator renuntiauit, non tantùm pecuniam regiam, sed fidem etiam consumptam. Rex in præsenti dolore dissimulato, oppignorato pallio, arietinas carnes emi iubet: ex ijs & captis coturnicibus prandium omnino parari. Audit inter prandendum meliori conditione proceres agere. quotidie inter se lautissima conuiuia frequẽtare omni alia cura solutos, certare luxu & splendore mensarum. Forte ea nocte apud Toletanum Archiepiscopum Petrum Tenorium cœnabatur. adest inuoluto capite rex. omnia videt lætitia & deliciis redundare. peracta cœna pro se quemcunq; narrare, quãtum redituum ex paternis oppidis, quantum ex regijs vectigalib. quotannis perciperet. Postera die rex vindictæ auidus, & certus fingit graui se morbo implicitum teneri, suprema mandata velle dare, ea denuntiatione proceres festini & pauidi, diuersi in arcẽ conueniunt, ij exclusis famulis, vt erat iussum, admittuntur, consistuntq; ad multam in cœnatione diem, moræ causam mirãtes. Rex tandem ad proceres ferro tectus, districto ense ingreditur. Cum pauefactis eo aspectu omnibus assedisset, truci similis toruo aspectu rogat ex proceribus, quot singuli reges in prouincia vidissent, quibusdam duos, alijs tres aut quatuor, vt cuiusq; erat ætas, respondẽtibus. Equidem inquit, verum est quod dicitis, cum ego hac ætate viginti nihilominus in Castella reges nouerim? mirantibus dicti causam atq; suspensis animis quorsum res euasura esset, exspectantibus, Vos, inquit, omnes, vos, inquam, reges estis. regni arcibus & copijs occupatis mihi inane nomen, sordes & egestatem reliquistis. an idonea causa videatur cur nos ludibrio habeatis? Sed ne amplius faciatis vestrũ omnium capitibus sanciam. Simul quæ ad supplicium postulabat, parari afferriq; iubet. Contenta voce lictores euocat, milites q; sexcẽtos, quos arcano paratos habebat. Aliis attonitis metu, Toletanus Archiepiscopus, vt erat magno animo, in genua procumbens lachrymis toto ore manantibus veniam precatur: idem eius exemplo cæteri faciunt. Mortis metu perfusis & supplicibus veniam dat: neq; ex arce tamen ante vnum & alterũ mẽsem dimittit placuit. Quo spacio arces & vectigalia regi tradere compulsi sunt. ita ille supra annos animum q; gerens, curãque virilem.* Nec minus turpe est in principis voluptates assumi, quam in luxum procerum. Publicum est enim non principis patrimonium.

Oquẽ multis hoc principibus est faciendum!

Salubris est pœna, cum luxus tributis accidit

§.11. Multorum est & prudentissimorũ consilium, vt vectigalia patriæ cõmodo instituantur, q̃ eã moderatione fieri potest, vt sint magna, nec vllũ tamen grauent, aut molestent. Si in merces cõmunes, necessarias, vtiles, portoria nulla vel exigua statuantur, in res inutiles, noxias, pretiosas, sine quibus hoc vitæ quodcunq; est bene degitur multa & grauia, imo in ipsos artifices. Vere Bodin. l.6. de rep. c.2. *Vectigal Deo gratissimũ, regi honestissimum, subditis vtilissimum, q̃ vis reb⁹ imponitur, quæ ad mores corrumpendos faciunt.* Memini vidisse me in locis, vbi cereuisiæ vsus est, & vini raritas, tertiam vini partem Reip. pendi; quia vinum necessarium ciuibus suis esse negant. Graui itaq; tributo eos, q̃ saccarũ, aromata non necessaria, illecebrosas Indicarum

tarum delitiarum condituras vendunt, premere, est è re ciuitatis, nec minus dulciarios, cupediarios, vini peregrini caupones, cum moribus obsint plurimum exactionibus tenuare iustum est. Quin purpurę, panno bombycino, fericis segmentis, attalicis peristromatis, auratis vasis nunquam iniquum facile vectigal imponet Respublica, cum melius pecunia impendatur ad iuuandam publicam salutem quam ad deprauandos luxu mores. Sane Romani Arabicis mercibus, vnionibus, & margaritis ingentia vectigalia imposuerunt. Hoc à Romanis præstitum. Cicero in Verr. queritur socios ex Verris exportationibus perdidisse sexaginta H S. (Lipsio 1500. Philippæi) idque ex vicesima portus tantum Syracusani. En vicesimam in portorio. Apud Iustin. octaua datur, & octauarij vocantur, qui exigunt. In Quinct. & Symmacho, quadragesima. Optime Lipsius grauius vectigal soluisse quæ ad delicias magis & pompas inuectæ, quam vsum. Cæsar peregrinarum mercium vectigal instituit, credo ante fuisse, sed portoria aucta à Cæsare. Hac mente fuit Alexander Seuerus, qui Bracchionum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum & aliarum artium vectigal instituit; si inutilium, recte. Vtinam & Citharœdorum, & aliorum qui iuuentutem corrumpunt.

§. 12. Omnibus etiam peregrinis mercibus non necessarijs, non tamen inutilibus, maiora vectigalia imponent; sic enim pecunia in prouincia manebit, nempe panno Anglicano, pellibus sarmaticis, vinis Valsoniacis, similibusque, nam si vera audire, & dicere volumus, quid est quod exteræ regiones Germaniæ adferunt, quo carere non possit, si forte pisces, & caseos Hollandicos excipias, cur igitur tot milliones hinc aufferunt peregrinarum mercium institutores? Animosum principem quæro, qui ista tollat, aut parcum, qui inde diteſcat. Plin. l. 11. c. 1. Arabiam, Indiam, Seras millies H S. imperio auferre, (duos milliones & semis) idem l. 6. c. 23. eas merces centuplicato venire. Causæ plures, sed primaria portorij magnitudo. Quid enim si centuplicato venibant, nonne ex illis ducenti quinquaginta milliones conficiebantur? Quod in iter quinquaginta milliones impenderent, ex duobus & medio centum lucrarentur, quid magni si Reipub. centum milliones conferant; non potest de hac re queri luxus eorum, qui illa ad ostentationem centuplicato emunt, nec negotiatoribus labor improbus, qui stultorum vitijs alimenta peregrina ministrat. Per luxum in precia illa itum est.

Tributorũ collectores centum oculis custodiendi.

§. 13. Cum autem tributa per harpyias, & hirudines populi crebro augeantur, cum labores populi, sudoresq; in sua præmia vertant, in principẽ odia & execrationes concitent, cura adhibenda est, vt querelas suorum cognoscat princeps; & rationem à procuratoribus exigat, minutatimq; describi curet, quid sit à singulis impensum. Quod si quis plus exegisse inuentus sit tanquam proditor principis puniatur. Quod non modo de magnitudine pecuniæ ac retum intelligo, sed etiam de monetâ, quam asperam, ad libellam cum fastidio exigunt, nec communi precio, vt pauperes vix inuenire nummos, quos habent, furibus illis idoneos queant. Verum contra hos omnia regna clamant, & illi tamen diteſcunt. Itaq; Consilium meum est, vt ad certos delectos à populo viros integrę fidei deferantur omnia, illique præsente magistratu Regi tradant.

Hoc consilium integrum Franciæ regnum probauit, vt refert Bodinus, se n. comitijs interfuisse apud Tectosages, cũ supplicaretur Henric. II. Galliarũ Regi, vt fraudatores, & æruscatores remoueret: se integra fide, ad diẽ omnia tributa repræsẽtaturos, in eam etiam regni partem, quam rex designaret, delaturos; hoc regi, & populo expedire. Probauit consilium rex, sed fucatis argumentis à sententia abductus, ærarium, & subditos coactoribus reliquit agitãdos; nam non modo plus exigebant, sed minus etiam reddebant, regi, & regno ex æquo infidi. Multo animosius Rithardus Britanniæ Rex, qui eos noxæ conuictos vltimo supplicio affecit. Antoninus Pius eam moderationẽ suis præcepit. *Procuratores enim suos modeste suscipere tributa iussit: excedentes modum, rationem factorum suorum reddere præcepit: necvnquã lætatus est lucro, quo prouincialis oppressus est. Contra procuratores suos conquerentes libenter audiuit.* Contrarium fecit pro ingenio suo Caligula. *Vectigalia noua atq; inaudita primũ per publicanos, deinde, quia lucrum exuberabat, per centuriones tribunosque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliqd imponeret. Pro eduliis, quæ tota vrbe venirent, certum statumq; exigebatur. Pro litibus atq; iudiciis vbicunq; conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur, nec sine pœna. si qs composuisse, vel donasse negotium conuinceretur. Ex gerularum diurnis quæstibus pars octaua, ex capturis prostitutarum quantum quæq; vno concubitu mereret. Additumq; ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretriciũ quæve lenocinium fecissent, nec non & matrimonia obnoxia essent.* Ingens bellum dura & iniqua exactio dedit, de quo Tacitus l. 4. ann. *Tributum iis Drusus iusserat modicum, pro angustia rerũ: vt in vsus militares, coria boum penderent. non intenta cuiusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura: donec Olennius è primipilaribus, regendis Frisiis impositus, terga Vrorum dilegit, quorum ad formã acciperentur. Id aliis quoq; nationibus arduum apud Germanos difficilius tolerabatur, qs ingentium belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. ac primo boues ipsos, mox agros, postremo corpora coniugum aut liberorum, seruitio tradebant. Hinc ira & questus. & postquam non subueniebat, remedium ex bello, rapti qui tributo aderãt milites, & patibulo adfixi. Olennius infensos fuga pũnit, receptus castello cui nomen Fleuũ: & haud spernenda illic ciuium, sociorumq; manus litora Oceani præsidebat.* Nec minore fuit periculo Claudius, de quo Suet. Tranq. Clau. Cæsar: *Partem etiam census omnes ordines conferre iussit, & insuper inquilinos priuatarum ædium atque insularum pensionem annuam repræsentare fisco. Exegitque ingenti fastidio & acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum obryzum, vt plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, à debitoribus potius reuocanda præmia quæcunque cepissent.*

§. 14. Placet veterum Romanorum in prouidendis temporum difficultatibus sapientia; Triplex illi ærarium habuerũt, primum ϕ & sacrum dixerunt in æde Saturni, loco munitissimo, cuius auctorẽ laudãt Valeriũ Publicolam, in eodẽ loco tabulæ, signa militaria, leges, & senatus consulta seruabantur, in hoc ærarium vicesimæ conferebantur, eratq; ad extrema Reipub. tempora reseruatum, nam tempore Punici belli secundi apertum est, Fabio quintum, & Flacco quartum Coss. Deinde tempore ciuilis libelli. Æternum erat tantum bello Gallico destinatum App. l. 2. de bell. ciuilib. Tertium erat opulentissimum, in quo ciuium, sociorum tributa, vectigalia, prædæ, census populi, hoc Cæsar spoliauit, vt Lucanus refert.

Aerarium multiplex, vt clarius constet, ratio.

Tunc conditus imo
Eruitur templo, multis intactus ab annis
Romani census populi, quem punica bella,
Quem dederat Perses, quem tuti præda Philippi
Quod tibi Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quod te Fabricius regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores seruastis auorum.
Quod dites Asiæ populi misêre tributum.
Victorię dedit Mimoia Creta Metello:
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
Tunc orientis opes, captorum que vltima regum
Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis
Egeritur, tristi spoliantur templa ruina.

Sed nec sanctioti ærario pepercit, cũ pecuniâ egeret, & summa pericula instare non ignoraret; supererat enim Hispanica, Pharsalica, Africana pugna, & vltima ad Mundam prœlia. Recte omnino fecerint Respublicæ, si loco munito quem adire sine procerum consensu, ne principi quidem liceret, thesaurum in vltimos casus reconderent.

Timor furum cautos non negligentes facit.

Frustra itaque disputatur à politicis recens natis, an expediat in Republica thesaurum asseruari. nam quemadmodum in familia multum prodest præsente pecunia tempestiue omnia comparare, nec deesse occasionibus, ita in Republica est necesse. Hac de causa Dauidis thesauros non arce modo, sed in vrbibus, vicis & turribus legimus, Ezechiæ quoque, & aliorum: Pharaoni qui non nouerat Ioseph, Hebræi ædificarunt vrbes משכנות tabernaculorum, seu thesaurorum; nam in quibus thesauri, in ijsdem erant & militum præsidia seu tentoria. Nam quod aiunt posse ab hoste, vel seditiosis occupari opes publicas, & patriam suis diuitijs opprimi, dilutum est; Neque enim quisquis ideo pecuniam negligit, quia furibus domus obnoxia est; Eo argumento conuincerent, non oppida, non arces, non portus muniendos, imo nec priuatim opes habendas, ne habeat hostis aut malus ciuis quo patriæ noceat. Vigilandum est, & cum pericula instant, muniendæ vrbes thesaurorum, quæ fortes fidæque esse debent. Athenienſium consilium non probo, qui Delphis thesaurum habebãt, qui sola superstitione tutus erat, quem hostis vel atheus, vel facetus facile mutuo ab Apolline acciperet. Brenno, vel Dionysio, aut certe Diagora opus erat. Nam commune ærarium Græciæ in Delo tenue erat, singulæ vrbes sibi prospiciebant.

Militare ærarium quod diu sorbuit simul euomit

Augustus prudentissime seorsum ærarium militare constituit; Suetonius c. 99. *Quicquid autem vbique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam astrinxit, definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ & commodis missionum: ne aut ætate aut inopia post missionem solicitari ad res nouas possent. Vtque perpetuo, sine difficultate sumptus ad tuendos eos, prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit.*

Prudens consilium, nam cæteræ expensæ in magistratus, in opera, in munera ordinaria erant, & perpetua, bellum magnos, subitos, incertos sumptus postulat, atque vt erat late patens imperium, diuersis in partibus eodem tempore bellum gerebatur. Hoc ærarium primo constabat collatione Vicesimarum, quæ ex legatis, & hæreditatibus dabantur, nisi essent sanguine iuncti, aut pauperes. Magnum hoc tributum fuit in tam magno Imperio, sed iniquum, quia alia vectigalia sufficiebant alendo exercitui, sed in ludos, saginam, populum, arenæ crudelitatem absumebantur. Addita vicesima quinta mancipiorum, quod minimum etiam omnino, inter tot myriadas venaliticrum, & crebra mutatione, & precio quæ optime considerat Lipsius l. 2. de magnitudin. Roman. addita his centesima rerum venalium. Aerarij illa separatio probanda est, sed nouæ exactiones necessariæ non fuerunt. Persarum Reges liquefactum aurum, & argentum fictilibus vasis infundebant, Herod. l. 3. nec diuersum ærarium habuerunt militiæ & pacis. Ne autem rationes conturbentur, atque vt maneat quod destinatum est ad extremos casus integrum, expedit esse separata quæ extra ordinem impendi debent.

Decimæ frugum.

§. 15. Romana vectigalia Lipsius docet fuisse è decumis, è pastione, è portoriis. Primum frumenti decumam accipiebant, App. 1. ciuil. & constat ex Verrinis. Hæc fere in victis populis & agris. De plantarijs & arboretis, quintam carpebant. De pastione certo precio conueniebant, nam publicanus agrum elocabat, & rationes conficiebat, ideo ager scripturarius, & vectigal illud scriptura dicebatur. Ex rebus inuehendis aut euehendis, magnum compendium etiam conficiebatur; Hæc iusta erant, si hostium victorum agris imposita, & iusto bello. Hispani inter hos & Afri, quin & Galli pessima conditione fuêre, agri ipsorum censi grauius, & capita.

Quintæ arborum.

Victis dura seruitus imposita.

Capitationem vocabant, graue fuisse constat, Lampridius ait eos qui sub Heliogabalo decem aureos præstiterant, sub Alexandro tertiam aurei partem præstitisse. Ex censu illo numerum capitum nouerant. Iosephus in Ægypto 750. myriadas hominum ait, idque ex tributo quod in capita singuli pendebant, liquere. Augustus illa omnia adornauit, & auxit. Vespasianus omnibus prouincijs tributa auxit, quibusdam duplicauit; vt Suetonius ait. Hæc magnam partem iniquissima fuerunt, cum non modo tanta darentur; sed acerbissime exigerentur.

Capitatio grauis census.

§. 16. Principi igitur Christiano agendum est, vt tributa partim tollat, partim moderetur, atque ad veterem rationem deducat. Seruij instituto tenue tributum erat, auxit Tarquinius, sed iterum ad priscam formam redactum est. Diu deinde obseruatum, vt diuites censum, pauperes operas conferrent. Nunc in Germania tributa crescunt, quia in magna diffidentia, se muniunt singuli: quod si eam pecuniam iunctis animis contra Turcam impenderent, quâ se mutuo terrent, omnes duplo sibi ampliores ditiones comparare possent. Itaque & subditi grauantur, nec tamen ærara implentur, cum ille vnus sit finis tributorum, ne tempore belli pauperes grauentur.

Germanis tributis grauatur.

§. 17. Cum vero legitime tributa exiguntur, negare illa iniustum est; itaque pœna à Seruio statuta vincula, & mors, vt ait Liuius, Halicarnassæus, lege cautum fuisse, vt publicatis bonis verberati venderentur, si professionem eluisissent, aut minoris bona sua existimari voluissent. Zonaras ait eos, qui se, aut bona ad censum non detulissent, ipsos à Consulibus, bona à Censoribus venundata. Herodotus Persas eadem cautela egisse testatur lib. 3. Darius enim tributa distinxit, & annua 14560. talenta Euboica corrasit, forte non magna ea summa exercitui alendo. sed facile excusantur qui iusto bello victis gentibus tributa imponunt, sic Ioatham Ammonitis imperauit centum talenta argenti, & tritici hordeique decem cororum millia.

Pœna negantis tributa.

§. 18. Tres conditiones sunt tributi, vt iustum sit. Potestas, causa, proportio. Horum si quippiam desit, non obligabit tributum. Potestas est in Principe supremo, causa est necessitas publica; proportio vt tributum respondeat facultatibus. His positis conditionibus iudico cum nostro Ioanne de Salas tract. 14. disput. 15. sect. 10. *Omnes obligari ad soluenda tributa, ita sentiunt, quos ille citat, Gabriel 4. dist. 15. quæst 5 articulo 2. Antoninus 2. parte titul. 1. c. 13. Syluester verbo gabella. quæstio. 8. Medina de restitut. quæstio. 13. & sequentibus. Castro 1. de lege pœnali c. 10. versus finem, Corduba in summa q. 95. Hostiensis 3. summæ tit. 1. c. 13. de censibus, §. ex quibus causis Panormitanus cum aliis in cap. innouamus de censibus. Couarruuias regul. peccatum parte 2. §. 5. nu 5. vbi ideo obligat mercatores, vendentes, ementes, & transportantes merces ad se manifestandum & offerendum publicanis & exactoribus. Fundamentum est, quia tributum non est pœna, sed verum debitum fundatum in vero titulo iustitiæ: quisquis autem tenetur soluere debitum sine vlla coactione, vel exactione, imo*

Ante sententiam omnes adstrictum tributum obligantur.

imo licet occultum sit, tenetur manifestare creditori, vel soluere: vnde Matth. 17. reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, scilicet tributa, vt omnes intelligunt, & Rom. 13. reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, &c. Item tributa sunt velut stipendiũ iustum, quod Regi datur propter ministerium, & expensas necessarias ad defendendam & gubernandam Rempub. Dignus autem est mercenarius mercede sua, nec alligandum os bouis triturantis: eadem ratione decimæ debentur, licet non petantur, quia sunt iustum stipẽdium, & debita sustentatio ministrorum: Rex autem est minister Dei pro Repub. Rom. 13.

Non exspectanda coactio.

Et ratio manifesta conuincit. Princeps enim ius habet imperandi, ergo cum legitimum est imperium, parendum est; nam quod multi contendunt, tum demum, cum rigorose exigitur, soluẽdum, quia cum pœnas adiungant, videntur esse pœnales duntaxat, deinde alioqui conscientijs magnus laqueus iniceretur. Hæ, inquam, rationes nihil efficiũt; nam etiamsi pœna cum lege ponatur, nihilominus tamen conscientiam obligat; absurdum sane foret, principem legitimum, vectigalia iusta ad Reipub. necessitates eo adducere, vt non pareatur, nisi rigorose, armata manu, rigidis minis exigat; Hoc est, principes nolle clementes esse, & comes. Bono principi nullus sat magnus honor exhiberi pôt, & tu eum pro te excubantem deseres, nec nisi malo coactus adiuuabis? Deinde si legitime debes, non ergo est expectanda exactio rigorosa. Vt enim ipse rigorose exigat, tu efficis resistendo, & velut malum nomen non pateris expungi, nisi vi, aut iure agatur. Denique periculum in mora est, crebro, cum non succurritur mature, alij qui prompti sunt, offenduntur. Itaque auctores qui aliter sentiunt periculose, & forte seditiose errant, si de iure quæratur; sed credo potius eos, ita sentire de tributis quæ passim sine necessitate imponuntur, de quibus accusari solent consiliarij principum, populi hirudines, sed vere damnantur ipsi principes.

A tributis eximere nõ licet sine iusta causa.

§. 19. A tributis iustis exẽptio sine iustâ causâ darinullo modo debet. Nam id dupliciter fieri potest; Primo, vt princeps tributum illi remittat, quod cum sine iusta causa facit, partim prodigalitate, partim iniustitia delinquit, quia debito præsidio Rempublicam priuat, quod posterius genus maxime locum in eo habet vectigali, quod non principi, sed Reipublicæ impendendum est. Quod si vero certa summa toti Reipublicæ, vel ciuitati imperata sit, princeps non potest aliquos eximere, & in reliquos onus inclinare, etsi enim singuli parum detrimenti sentiant, omnes tamen læduntur, immo omnibus contra ius summa imponitur, atque ex eo peccatum mortale oritur. Nam si quis per metum ab incolis alicuius ditionis centum aureos extorqueat, quamuis illa multitudo sit, vt singuli tantum denarium pendant, iniuria tamen grauis est, & centum aureos restituere tenetur. Par est hic, quantum ad obligationem pertinet, ratio. Nam princeps quod vnus soluere tenetur, à cæteris exigit. Multum autem sane refert, eiusmodi exemptiones non concedi, quod si princeps quorundam importunitate vrgetur, ipse vel obligationem suam ostendat, vel de priuato patrimonio satisfaciat. Quod moneo propter quosdam, qui principes ad colligenda tributa semper excitant, & cum ad rem ventum est, immunitatem suis prædijs impudentissime postulant. Quanquam & alio scelere huius criminis infamiam redimunt, nam in tributis colligendis id agunt, vt semper aliquid pro honorario principis superfit, quod deinde ipsis donatur, qui ex suis possessionibus vectigalia pependisse gloriantur.

Vnius onus in alios inclinare non licet.

Fraudes immunitatum.

§. 20. Non modo causam requirunt tributa, illa quæ publicæ rei causa dantur, sed etiam cessante causa cessant, ni alia causa successerit; nam quæ principi ad sumptus, & pro laboribus dantur, libera manent. Damnabilis omnino est continuatio tributi, cum causa cessarit. Soarez noster ita definit l. 5. de leg. c. 15. §. 5. 6. *Circa hanc conditionem est considerandum, si loquamur de tributis; quæ penduntur ipsi Regi ad suos sumptus, & propter suos labores, & vigilias: talium tributorum iustitiam non pendere ex vsu: nam siue male, siue bene Rex postea expendat tales reditus, non erit iniustus accipiendo tributa, quia vere est Dominus illorum, & de illis potest liberè dispensare, sine iniustitia, dummodo suo muneri satisfaciat, gubernando, & defendendo Rempublicam, sicut tenetur. Alioqui si in hoc deficiat, iniustè accipiet, & retinebit hæc tributa, quæ propter officium dantur, & sunt tanquam merces operis, quam iniustè accipit, qui non laborat. Si vero loquamur de tributis impositis ad opera communia Reipublicæ, de his clarum est, debere expendi in talia opera, aliàs committi fraudem & iniustitiam, quæ potius est in acceptatione & retentione illius, quam in impositione. Nam hæc potuit esse iusta, si revera causa fuberat; postea vero acceptio vel retentio fit iniusta ex defectu debiti vsus. Necessarium ergo est, vt tributum expendatur in opus, propter quod impositum est, nam illius tributi non fit proprie Rex Dominus, sed dispensator. Vnde ad summum poterit interdum, quando vera necessitas occurrerit, commutare illud in aliud opus, pertinens etiam ad communem regni, vel populi vtilitatem. Nam quoad hoc habet supremam potestatem, & administrationem. Ex quo vlterius infertur, tributum pendere (vt sic dicam) à causa in fieri & conseruari. Nam si causa necessaria ad iustitiam tituli, non potest plus durare tributum, quam causa. Quia cessante causa (vtique necessaria, & in suo genere adæquata) cessat effectus, cap. cum cessante, de Appellat. Quod ita fere explicat Glossa, citans variatura in capite. Post translationem, de Renunciat. verb. cessante, & notant Doctores in l. cum Pater, §. Dulcissimi. ff. de leg. 2. Sed in præsenti, causa est necessaria ad iustitiam tributi, vt dictum est; ergo illa cessante, cessat iustitia, & consequenter debet cessare tributum. Et confirmatur, quia si cessante causa tributum exigatur, iam plus exigitur, quam sit necessarium; ergo in eo non seruatur æquitas, nec iustitia, quia, vt diximus, proportio inter quantitatem tributi, & exigentiam causæ est necessaria ad iustitiam tributi; ergo si causa sit perpetua, tributum poterit esse perpetuum, si autem sit causa temporalis, tributum debet etiam esse temporale, ita vt illa cessante, hoc etiam cesset.*

Cessante causa cessant tributa.

Princeps male gubernans tributa accipere non potest.

Causa tamen iusta est, si consensu ad ærarium augendum vtilia sunt, eique inferuntur, nec alios in vsus expenduntur, ideoque expedit omnium in conspectu inferri. Ita Aristoteles l. 5. Polit. c. 8. Vt ne igitur ærarium compiletur, pecunia publica tradatur præsentibus ciuibus omnibus: & rationum exempla diligenter cum exemplari comparata, per curias & centurias & tribus distributa reponantur. Vt autem sine quæstu gerantur magistratus, ijs, quorum fides & industria in magistratu fuerit probata & spectata, honores oportet lege lata esse decretos. Iam vero in democratijs quidem, locupletibus parcendum est, non solum eorum fundis & prædijs, sed etiam fructibus non diuidendis viritim, atque ad alios transferendis: quod fit in nonnullis Reipub. administrandæ formis, neque tamen animaduertitur.

Minuenda vbique tributa.

§. 21. Vltimum est, monere omnes, vt minimum tributorum accipiant: nam odio se grauant, mercimonia minuunt, agriculturam tollũt, precia rerum, præsertim prædiorum valde reddunt vilia. Et quamuis suada, & violẽtia armetur princeps, est tamen inexpugnabilis inopia. Imo libere clamat cum populo Rom. *Diabolus auferat noua vectigalia, & auctores cum eis.* Marcus Aurelius Antoninus cum vetusta oppida diruta cerneret, raras incolas, remissis vectigalibus omnia restituit. Quis nunc principum quæstor, qui non plus fisco, quam iustitiæ faueat? Quam

Modus oppida restituendi.

multi

multi qui ærarium faciunt spoliarium, & cruentarum prædarum receptaculum? Nunquam maius periculum, quam cum propter tributa tumultuatur ignobile vulgus. Romani Hannibale imminente tributa renuerunt, nec nisi Senatus exemplo Rempublicam iuuerunt, cum tamen necessitas præ oculis esset, quanto magis si fastum aulicorum sustineri suis damnis intelligant, vt Carolo Sexto Parisiensis ciuitas obijcit? Achæum tributis omnia exhaurientem Lydi suspenderunt. In gratiam vero eorum, qui nouos exigendi pecuniam, hoc est prędandi modos principibus suggerũt, adscribam ex Erasmo sane miserabilem, seu historiam, seu fabulam. *Ostenditur, inquit, Lutetiæ in foro frumentario os cloacæ, in qua sepelivi se iussit quidam, quem sero pœnituit mali Consilij. Viderat Regem tristem & sollicitum: causa mœroris erat angustia rei pecuniariæ. Is quo Regem subleuaret, suasit, vt ex minutis etiam rebus, quas rustici deferunt in vrbem, vnum aut alterum æreum nummulum exigeret, idque in biennium duntaxat. Et cum viderent, ex eo in vrbe frequentissima colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt. Qui dederat Consilium, cum videret, se non idem authoritatis habere in dissuadendo, quod habuerat in suadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeo, vt de salute quoq; sua desperaret, & vt de seipso pœnas sumeret inconsulti Consilii, simulq; moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, testamento cauit, vt in ea cloaca sepeliretur, in qua totius illius fori sordes confluunt, in quo manet etiamnum in hunc vsque diem exactionis executio.*

Contra hostem vix libenter conferunt, quanto minus pro luxu aulico.

Consilii temerarii pœna.

Sed hæc parum mouent eos, quos auaritia obcæcauit, qui eo peruenerunt demẽtiæ, vt sordidissimorum lucrorum sint interdum administri, *Chrysargyrõ*, vt ait Cedrenus, *pensio fuit talis, vt, quisque mendicus aut pauper, meretrix siue iam emerita, omnis seruus item q; libertus, inferrent in ærarium pro vrina & stercore, iumentorum etiam & canum: siue in agris, siue in oppidis habitarent. Et homines quidem vtriusque sexus numisma argenteum; equus, mulus, bos tantumdem, asinus, & canis, folles sex.*

Chrysargyrum exigebant honesti viri.

Sed tamen hoc munus colligendi tributi ambibant, non aliter quam militarem præfecturam, aut ciuilem Magistratum, vt Euagrius ait. Foricarios vocant eiusmodi conductores iurisconsulti. O quam nihil turpe putant, quibus opes imperant. Qui auaritiâ cœcati sunt. Nunquam sua Lusciniæ deest cantio, nunquam illis auri cupidis obtentum, quasi præsidium regno quæratur. Principes sua sponte rapaces & auidi, & qui Magistris non egerent, plura tamen semper à nobis contra nos didicerunt. Verum cum omnia egerit Princeps, aliqua non omnia emẽdabit, multi in periculis apertis furandi, ad calliditatem, & impostura animum conuertent.

Nõ possunt rapacium artes omnes abscindi.

CAPVT VIII.

Munera personalia non minus vtilia tributo.

Operæ vtiles, si moderatæ.

§. 1. ALiud genus tributi est, quod parum vsitatum, sed tamen vtilius est collatione pecuniariâ. Nec admodum graue, si moderate adhibeatur. Nam opere non difficili efficiunt subditi, quod magno sumptu per conductos agendum esset. Maxime vsitata sunt opera. 1. Vt ad restauranda publica ædificia, arces, Xenodochia, Ecclesias, ad noua ædificanda cum opus est, materiam conuehant, quâ in re videndum, vt in plures diuidatur labor. 2. Vt vias, ripas, pontes reparent. 3. Suis quique in ciuitatibus mœnia reficiant. 4. Syluam cædant. 5. Syluam plantent. 6. Agrum communem, seu Reipublicæ colant. 6. Ad metalla adhiberi durum est, sed nihil obstat, ea quæ faciliora sunt, imponere, vt terram, quæ in superficie est, remouere.

Operæ publicæ.

§. 2. Legitimæ etiam harum impositionum, cum operæ exiguntur, causæ requiruntur, vt sint à legitimo principe, ex necessitate publicâ, sine grauamine magno subditorum. Ius Regis ostendit Samuel maxime his in rebus. 1. Reg. 8. 11. *Hoc erit ius Regis qui imperaturus est vobis, filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorũ suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoq; vestras faciet sibi vnguentarias & focarias & panificas, Agros quoq; vestros, & vineas, & oliueta optima tollet, & dabit seruis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. Seruos et vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoq; vestros addecimabit, vosq; eritis ei serui.* Olim iure, seu potestate illa abusi sunt plurimi. Et hoc ipsum ius iniquum esse supra ostendi. Vsi sunt, inquam, eâ operâ pleriq; regum tyrannice, nec, quod sciam, quisquam Pharaonẽ superauit, nisi forte Romani, qui non modo filios Israel oppresserũt, sed Ægyptios quoq;, nam & illi pyramidas extruere sunt coacti. Sed studiose hoc actum, vt res miraculi similis appareret.

Operum duri exacto res.

Pharao operibus afflixit.

Primo magnitudine ipsa, Pyramis fuit 80. iugerum, vt refert Herodotus, Plinius, & Theodorus asserunt *trecenta & sexaginta hominum millia ad hoc opus deputata fuisse, perfecisseq; annis viginti, ex saxis durissimis æternumq; permansuris, dolatis tamen artificiosissime, licet difficiles tractatu, & firmissime coagmentatis, quorum nullum fuisse ait, minus triginta pedum, ex Arabicis montibus excisa, & terra longo admodum itinere vsq; ad Nilum protracta, ibique nauigiis imposita, & ad montem Africum vectа: atq; ibidem in terra vndiq; arenosa exstructam. Vbi postea nulla neq; aggeris vestigia, neq; cæsorum lapidum ramenta apparuerunt, tanquam ab ipsis Diis tanta moles congesta esset: in ea extruenda pecuniam pro apio, cæpis & allio duntaxat expositam ad mille & sexcenta talenta excessisse, quæ efficiunt nonagies centena & sexaginta millia coronatorũ. Herodotus literis Ægyptiacis moli adscriptum esse tradit. In fundo tumulũ esse, cui moles hæc tanta imposita sit, huic per fossam Nilum intromissum fuisse. Quartus à Cheope Rex Aegypti Asichis cupiens antecessores rerum gestarum gloria antecellere, lateritiam construxit Pyramidem, cuius lateri hæc verba inscripsisse testatur Herodotus. Ne me cæteris Pyramidibus compares, quæ tantum illis præcello, quantum Iupiter cæteris Diis. Nam fundum, Lacus Conto verberantes, quod Luti conto adhæresceret, id colligentes, me composuerunt, & in talem mensuram redegerunt.*

Insana crudelitas Pyramidum.

Pensiles horti Babylonis, murique immensæ magnitudinis indicto opere facti sunt, quamuis innumerabilis multitudo seruientium in id coacta sit. De Nabuchodonosore enim dicitur, quod vinctis non aperuerit carcerem. Ille autem Babylonem ita ampliauit, & muniuit, vt extructor eius censeri posset. Fuit igitur olim prima pars tyrannidis premere operibus subiectos, & seruitiorum instar laborum præstationes exigere. Atque in statua Nabuchodonosoriana Regnum Babylonicũ est aureum, Persicum argenteum, Græcum æreum, Romanum ferreum. Non est inter Monarchias illa cõparatio, vt Romanum tanto deterius sit Babylonico, quanto ferrum est auro, nec illa quidem est distinctio inter Persicum & Babylonicum, quæ inter aurum & argentum. Est enim decupla vt Pollux ex Menandro, & Ep. ad Commodum docet, vel duodecupla, vt Plato in Socrate, & ex 2. Reg. 24. & 1. Par. 21. vers. 24. & 25. probare conatur noster Villalpandus. At Babylonica Monarchia duodecim Græcis non potuit æquari. Præcipuum itaque fuit, in eo, quod in ratione regnandi, seu potestatis, maior, potentior, glorioſior, & quasi imperioſior esset Babylonica. Hoc autem in ea barbarie præcipuè quæsitum est, non tam vt aurum colligerent, quam vt nationes seruientes habe-

Babylon tyrannice exstructa.

Argenti ad aurum duo decupla proportio.

haberent. Neque Nemrodus Babylonicæ turris auctor pecuniam quærebat, sed nominis gloriam, ex tam celebri monumento, nec singulæ familiæ ad domos, & vrbes condendas secedebant, sed ad insanissimam illam substructionem animis intenti erãt. Hoc igitur vere regnare putabant, operas & corpora subiecta habere. Hinc & Sesostris currus regum cerũicibus egit, nec aliter Romanus ille rusticulus imperator, *malle se imperare diuitibus, quam diuitem esse.* Hinc Nabuchodonosor terras gentium desolatas reddidit, & congregauit *quasi arenam maris captiuitatem.* Falsa quidem puto, quæ Berosus, Abydenus, alij de operibus referunt, sed hyperbolas tamen illas indicare maximas res ab illis effectas. Nabuchodonosorem refert Berosus, nouam Babylonem, veteri addidisse, tres intra, totidemque extra περιβόλους posuisse, ex latere, & bitumine, & addit: πλὴν ὅσα γε ὑπερβολὴν ὡς μεγάλα, καὶ ὑπερφανα συνελέσθη ἡμέρας δεκατέσσε. Describit deinde hortos pensiles, in quibus montes, & siluas, fluminaque effecerat, in gratiam vxoris, quæ nata ex Media patriorum collium similitudinem in planitie Sennar concupierat. Babylonem aiunt in quadro positam, cuius singula latera stadiorum 120. fuerint, id est, 15 milliarium Germanicorum. Latitudo murorum 15. cubitorum regiorum, altitudo ducentorum erat, superat autem cubitus regius communem tribus digitis. Nunc quidem omnes Europæ Reges vt hodierna sunt imperia, tantam vrbem condere non possent, multo minus tam celeri opere, nam opus fuit tricies centenis millibus artificum, præter baiulos, fossores, alios-que, quos duplo plures esse oportuit, vbi altitudo tanta murorum, montium, deriuatio riuorum & amnium. Alii in metallicis occuparunt; Romani tum in alijs, tum in venatione, illa scilicet priculosissima leonum, tigridum, leopardorum.

Olim magis seruitia quam aurũ exigebant.

Diebus 15. perfectum murum Babylonis.

Opera Babylonis.

Verum omnium tyrannorum sæuitiem exuperauit Tarquinius Priscus frustra inter bonos reges numeratus. De eo Plin. l. 36. c. 15. *Sed tunc senes aggeris vastum spatium, & substructiones insanas Capitolii mirabantur: præterea cloacas, operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque (vt paulo antea retulimus) vrbe pensili, subterque nauigata. A. M. Aggrippa in ædilitate post Consulatum, per meatus corriuati VII. amnes, cursuque præcipiti torrentium modo rapere atque auferre omnia coacti, insuper mole imbrium concitati, vada ac latera quatiunt: aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus: pugnantque diuersi aquarum impetus intus: & tamen obnixa firmitas resistit. Trahuntur moles internæ tantæ, non succumbentibus causis operis: pulsant ruinæ sponte præcipites, aut impactæ incendiis: quatitur solum terræmotibus: durant tamen à Tarquinio Prisco annis D. CCC. prope inexpugnabiles: non omittendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omissum est: cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, esset que labor incertum longior an periculosior, passim conscita nece Quiritibus tædium fugientibus, nouum & inexcogitatum anteà, posteaque remedium inuenit ille Rex, & omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda ciuibus, simul & feris volucribusq; laceranda. Quamobrem pudor Ro. nominis proprius, qui sæpe res perditas seruauit præliis, tunc quoque subuênit, sed illo tempore imposuit, tum erubescens cum puderet viuos, tanquam puditurum esset extinctos. Amplitudinẽ caueis eam fecisse proditur, vt vehem fœni largè onustam transmitteret.* Nimis atrox, & iniusta tyrannis illa fuit, nulli principi imitanda.

§. 3. Humaniter pieque princeps faciet, si vbi iusta est pecuniæ exactio, eam in operas conuertat, sed ea conditione, vt qui operas præstare nolunt, certam precij summam pendant, quæ cedat laborantibus; Leniissima illa ratio tributi, & in vrbibus muniendis crebro vsurpata. Diuitibus facile est quædam soluere, pauperibus cum aliquo lucro laborare. Quamuis Valens, & Valentianus edixerint, cauendum, ne quis hanc, quæ personalis est functio, precio putet esse taxandam. c. 10. t. 47. *Illud conuenit præcaueri, ne quis hanc quæ personalis est functio, pretio putet esse taxandam. Maximarum culmina dignitatum, consistoriani quoque comites, notarii etiam nostri & cubicularii omnes, atque excubicularii ab omnibus sordidis muneribus vindicentur, cæteros autem palatina, vel militari intra placitum prærogatiua munitos, ita demum priuilegium simile contineat, si prioribus statutis se ad huiusmodi exceptionem docuerint pertinere. vt non singulis indulta personis, sed in communione dignitati vel corpori huiusmodi beneficia doceantur fuisse concessa, circa Rhetores atque Grammaticos eruditionis vtriusque vetusto more durante.*

Olim personalis functio non facile remittebatur.

Leuitas in operibus exigendis.

§. 4. Olim priuato sumptu multi opera publica curabant, ideoque & nomen inscribebant. Nota est hac in re magnificentia Periclis, & populi Athenien-sis. Merito eum iura honorant, qui Rempublicam ipsam cohonestat. *Qui liberalitate, non necessitate debiti reditus suos interim ad opera finienda concesit, munificentia sua fructũ de inscriptione nominis sui operibus si quæ fecerit, capere per inuidiam non prohibetur. Curatores operũ cum redemptoribus negotiũ, Respub. autem cum his, quos efficiendo operi præstituit. Quatenus ergo & qs, & cui obstrictus est, æstimatio præsidis prouinciæ est. Nec eius nomine, cuius liberalitate opus exstructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur, & propterea reuocentur similes ciuium in patrias liberalitates, præses prouinciæ auctoritatem suam interponat.* Quodq; magis mirẽre cohibenda aliquando illa liberalitas fuit, ita eodem loco. *Opus nouum priuato, etiam sine principis auctoritate facere licet, præterquam si ad æmulationem alterius ciuitatis pertineat, vel materiã seditionis p̃beat, vel circum theatrum, vel amphiteatrũ sit. Publico vero sumpto opus nouum sine principis auctoritate fieri non licere, cõstitutionibus declaratur. Inscribi autem nomen operi publico alterius, quam principis, aut eius, cuius pecunia id opus factum est, non licet.* Fuisse etiam in opera publica legatam pecuniam ostendit ibidem lex, quæ mauult eam in tutelam eorum quæ sunt, conuerti. *Pecuniam, inquit, quæ in opera noua legata est, potius in tutelam eorum operum, quæ sunt, cõuertẽdam, quam ad inchoandum opus erogandã;* Diuus Pius rescripsit: *scilicet, vt si satis operũ ciuitas habeat, & vũ facile ad reficienda ea pecunia inueniatur. Si qs opus ab alio factũ adornare marmoribus, vel alio modo ex voluntate populi facturum se pollicitus sit, nominis proprij titulo scribendo, manentibus priorum titulis, qui ea opera fecissent, id fieri debere senatus censuit. qs si priuati in opera, quæ publica pecunia fiant, aliquam de suo adiecerint summam, ita titulo inscriptionis vti eos debere iisdem mandatis cauetur, vt quantam summã contulerint in id opus scribant.* Hanc publici emolumenti rationem si princeps excitare posset, vt in turres, põtes, arces, aliaque ædificanda, tutanda honoris ergo priuati conferrent, magno sumptu Respublica leuaretur; consequetur vero illud, si parcus in tributis fuerit, ea suadendo tantum acceperit; Nunc magnæ opes, in opera illa impenduntur, & operæ plurimorum exiguntur. Multo vehementius animaduertendum, ne in venatione opera agricolarũ vtatur; nam seque & iumenta fatigant, à nobilibus agricolæ duriter tractantur, principem execrantur. Qui autem potest principi placere recreatio, inter miserorum gemitus, iratorum execrationes?

Laudandi qui priuato sumptu Rempublicam iuuãt.

Opera noua publica sine principis voluntate ne fiãt.

Opera publica conseruanda.

Nec venationibus vexandi.

§. 5. Interim exemptio concedi non potest, nisi bene merito, & dignitas non eximit, c. 8. t. 12. *Ad portus, aquæductus & murorum instaurationem siue extructionem, oẽs certatim facta operarum collatione instare debent, neq; alius ab huiusmodi consortio dignitatis priuilegiis excusari.* Merito oẽs qui bonis cõmunibus vtuntur, ad cõseruationem adiuuabunt. Hoc nunc agendum; nam olim ex fundis Reip. curabantur vt Arcad. & Honor. AA. sanxerunt c. 8. t. 12. *Ne splendidissimæ.* Milites tamen

men etiam finitis stipendijs eximuntur à Valent. Theodos. Arcadio. c. 10. t. 48. de excusat. item illustres personæ, sed tantum à sordidis muneribus. Item studiosi, maiores 55. annis, c. 10. t. 49. si cœcus pater, morbo auriculari, vel podagra conflictantes, t. 50. ibidem.

CAPVT IX.

Honesta ad opes via, nec cuiquam molesta, bona Oeconomia.

Oeconomia facilis ad opes via.

§. 1. REges, omnesque Principes satis sunt diuites, si boni Oeconomi fuerint. Si parsimonia, sed regali vtantur. Prudens dictum Chilonis apud Laertium l. 1. *Non posse præesse Reipublicæ, qui non præsit suæ domui recte:* Est enim domus maxime similis ciuitati quæ gubernatur. Sed grauis mihi hic paratus aduersarius Megalonymus Parophæus. Ille omnem Oeconomiam à generoso Principe remouet; Quid tu nummularium ex Rege facis, vt instar Euclionis circumspectet? amicos omnes offendat? Illum ad granaria, ad cellam vinariam, ad cœpas, & allia æstimanda deduces? Sit libera mens Principis, ad maiora fastigia rerum. Bella, pacem, fœdera, iustitiam administret, esse multa quæ sibi pereant, gaudeat: humiliores sublimitate suâ curas in alios conijciat. Sit discrimen inter Principem, & eius Procuratorem.

Oeconomia an sit contra dignitatem regiam.

Princeps liberalis esto, sed iudicio.

§. 2. Plus mali illa adulatio, quam cogitari possit, adfert Reipublicæ, & Principem euertit. Principem magni animi, & quod inde sequitur liberalem esse volo. Ad liberalitatem autem pertinet, non vt temere profundat; sed accipiat, à quibus oportet, loco, tempore, modo quo oportet, conseruet, expendat, donet secundum rectam rationem. Hæc principem facere posse, nisi accuratam Oeconomiæ rationem habeat, dico neminem. Nam si negligens sit rerum suarum hæc incommoda oriuntur; 1. Vt ipsi ad incitas redacto, callidissimi furum nummos ad fœnus locent. 2. Deinde vt insçius ditet hostes, eosque infensissimos efficiat. Caue enim credas eos, qui tuâ socordiâ abusi, vario peculatu rem fecerunt, tibi vnquam bene precari, mortuum te vellent, quamdiu timent. Deinde priuatis laboribus principem non occupo. Sed ostendo animaduertendi necessitatem. Inter tot oculos petentium, manus rapientium, linguas mentientium, principem velut aureum pecus constituis, & præcipis eum nescire à quibus expiletur. Nec audio cum dicis Oeconomiæ viros bonos esse præponendos; Faciet enim eos socordia principis malos, magna lucra, maior impunitas, nihil moderabile suadent. Tertio Oeconomia principis facilis est, ea neglecta curas adauget, &, quod indignum est principi, facit anxias. Qui enim affatim habet, vnde viuat, alijsque tribuat, iucunde ætatem transigit, cui in dies crescit æs alienum mordacibus animum sollicitudinibus subdere cogitur. Equidem permulta sibi perire, si cognoscit, nec indolet, nec iubet melius expendi, vix hominis nomine dignus est. Si ignorat, quid acceperit, quid habeat, quid cuique datum sit, sed tantum nouit panem quem edit, & quem dat parasito depeculanti, non nisi titulo tenus princeps est, exteris risui, subditis oneri, ministris quæstui, & seruus est seruorum suorum, præda furum purpuratorum.

Depeculatores timet & oderunt principem.

Princeps ignarus rerum suarū miser est.

§. 3. Cum igitur viderim, nouerimque homines, qui eadem vt videtur, agentes, & eâdem curâ, diuersissimo euentu res administrant suas, cœpi mecum, cur ita fieret, cogitare. Ad diuinam quidem benedictionem rei familiaris augmenta, ad maledictionem detrimenta referre ex Scripturâ didici; quia tamen ordinaria miracula non sunt, de medijs, & industriâ hominum tam contrarios effectus esse deprehendi. Caius & Titius Agriculturam, & pecuariam exercent; alter opes accumulat, alteri retro semper res labitur. Duo negotiantur, huic res crescit, illi decrescit; Duo habent rerum agendarum instrumenta, alter ordine collocata statim depromit ad vsum, alter agendi tempus quærendo impendit. Nonnulli magno sumptu ædes extruunt, quæ inutiles sunt, quia ratio architecturæ neglecta est, alij minore expensa domos ad omnes vtus idoneas concinnant, in quibus nullus angulus est, non accommodatissim⁹. Causa igitur est, quia alij arte quadam, ordine, & methodo negotia tractant, alij temere, vt vt sub manum veniunt, omnia transigunt, Qui canere organis discunt, magno labore vix leuem harmoniam efficiunt, instrumenta ipsa, quæ concinnare nesciunt, facile corrumpunt, ita priuati patrimonium, principes prouinciam suam, dum Oeconomicen nesciunt, aut contemnunt, magnis detrimentis afficiunt.

In eodem opere diuersi effectus.

Noscenda œconomia.

§. 4. Oeconomia quadruplex est, vt distinguit Arist. Oeconomicorũ 2. Οἰκονομίαι τέσσαρες δὲ εἰσὶ αἱς ἐν τύπῳ διελέσθαι τὰς γὰρ ἄλλας εἰς τοῦτο ἐμπίπτουσας εὑρήσομεν βασιλικὴν, σατραπικὴν, πολιτικὴν, ἰδιωτικὴν. τούτων δὲ μεγίστη μὲν ἡ ἁπλουστάτη, ἡ βασιλικὴ. ποικιλωτάτη δὲ ἡ ῥᾳστη, ἡ πολιτικὴ. ἐλαχίστη δὲ ἡ ποικιλωτάτη, ἡ ἰδιωτικὴ. ἐπὶ κοινωνεῖν μέν τὰ πολλὰ ἀλλήλαις ἀναγκαῖον ἐστιν. ὅσα δὲ μάλιστα δι' αὐτῶν ἑκάστοις συμβαίνει, ταῦτα ἐπισκεπτέον ἡμῖν ἐστι.

Sunt autem formæ administrationis domesticæ, vt informatione quadã res distinguatur, quatuor: nam cæteras in istas incidere reperiemus: Regia, satrapia, ciuilis, priuata. Harum maxima & simplicissima est Regia. Varia autẽ præ cæteris ac facilima, ciuilis. At priuata, minima illa quidem est, sed & ipsa admodum varia. Atq; esse multa inter has communia necesse est: quæ aũt per se in singulis eueniãt, ea nobis sunt considerãda.

Quadruplex œconomia.

Regiam diuidit in nummariam, Εἰσαγώγιμα & ἐξαγώγιμα, & ἀναλώματα. de illis quæ importantur, & exportantur capite de tributis actum est, de sumptibus iam dicetur. Quod si regium est, denarijs, & aureis modum statuere, si omnibus rebus & reculis tributa imponere, si fraudare eum non potest, vel frixi ciceris emptor, si scrutatur vili vendentem scruta popello, cur contra dignitatem fuerit, sic comparata tueri? rationem exigere? scire quó perueniant? Impostores igitur se produnt, qui regibus omnes sinus, omnia prædãdi vocabula suggerũt, centesimas, quinquagesimas, quadragesimas, vicesimas, decumas, quintas, columniaria, hostiaria, Chrysargyron, fumarias, cumq; tot curis collecta ista fuerint, regem attendere vetant, indignum esse dictitantes paruis rebus adesse Iouem; quasi vero dignum sit Ioue paruis rebus ostiarim, & manipulatim corradendis adesse, ex omnibus cumeris sua granaria, ex omnibus zonis gazophylacia sua stipare, deinde ne Gryphis illis qui sunt ἁρπαλικώτεροι χαλκοῦ, *furaciores felibus*, desit occasio harpagandi, oculos claudere. Quid vero Aristoteles nonne diserte ponit τὰ ἀναλώματα, impendia, & sumptus. Hi, nisi fallor, principem suum magnanimitatis specie eo ducent, vt cum ratione insaniat; nam stultissimo eum labore consumunt, vt nempe omnes neruos ad colligendum intendat, collecta non seruet, quod perinde est ac si in dolium pertusum labore improbo aquas infundat; quodq; Danaidum apud inferos supplicium esse finxere poetæ, hoc illi dignitatem interpretantur; ne quisquam dubitare possit; hoc eos velle; vt princeps suo periculo, labore, odio emungat pecunia subiectos, quas ipsi deinde nescio principe in sua compendia vertant.

Parasiti Regem volunt in congregando esse diligentem, in custodiendo negligentẽ.

§. 5.

Summa œconomia.

§. 5. Satrapica etiam ad Regem pertinent, hoc est, vt monet Aristoteles, quæ ἐκ τῆς χώρας, è terra nascuntur, de quibus accuratissimam rationem subducet. Omnibus verò in vnum redactis, hæc summa est œconomiæ, ne plus impendatur, quam accipitur, hinc enim mutuæ pecuniæ, oppignorationes, & majestatis omnis decor diuitum fastui addicitur. Sed parum est, non plus impendere, quam accipias, si nihil ex industriâ reponas, quod ad incertos temporum casus assumatur. Cum enim magnos reditus possideant, magnos quoq; aceruare thesauros possunt, non imminuto principali splendore, sed ordine constituto. Qui semel in vsum productus efficit, vt absq; vllo labore rationes constent. Multa in λόγῳ οἰκονομικῷ Xenophon de ordine, qui si adhibeatur, tam facile numerosa palatij phalanx, quam parua domus regetur.

Ad temporum incerta multa reponenda sunt.

Ordo accuratus.

§. 6. Primo laborandum est, vt ministri fideles habeantur, quod quidem in paucis consequetur; nam in tot populis vix vna fides. Paucorum tamen fida pectora multorum rapacitati obsistere poterunt. Deinde ne vllus sit otiosus, cuiq; sua munia assignentur, cujus rationem plerique eodem die, plurimi eadem hebdomade reddere teneantur. Tertio purget aulam, & contrahat; ab inutilium turbâ hominum, qui nec prosunt Principi, nec eum muniunt, nec splendorem adaugent, penitus liberet. Fecerunt magni reges & principes, qui magnam, decoram, regiam aulam habere, q̃ populosam maluerunt. Inutilem turbam judico, qualis est apud Turcarum Imperatorem. Primo n. sartores aulici trecenti sunt in aulâ, signum magni luxus in vestitu. Item fabri ferrarij trecenti. Janizari noui 500. arci purgandæ, ministerijsq; vilibus addicti. Quadringenti qui canes, & Falcones curant, triginta luctatores, has aliasq; hominum quisquilias ad numerum moderatũ redigere posset. *Fecit hoc olim Antoninus Pius. Salaria (inquit Iulius Capitolinus) multis subtraxit, quos otiosos videbat accipere, dicens, nihil esse sordidius, imò crudelius, quam si Remp. arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent. Vnde etiam Mesomedi lyrico salarium imminuit. Rationes omnium prouincialium apprimè sciuit, & vectigalium. Patrimonium priuatum in filiam contulit: sed fructus Reipublicæ donauit: species imperatorias superfluas & prædia vendidit: & in suis propriis fundis vixit variè ac pro temporibus: nec vllas expeditiones obijt, nisi quod ad agros suos profectus est ad Campaniam, dicens, grauem esse prouincialibus Comitatum Principis etiam nimis parci.* Aureus sermo, *Grauem esse Comitatum Principis, etiam nimis parci.* Nam Comitatus preciosus est, & de quo publice magnifica est ciuitas, in eo priuatim est tyranna. Quod splendide effunditur, acerbissime exigitur.

Officii ratione reddant.

Turba inutilis in aula Turcæ.

Insigne œconomiæ exemplum.

Alexander Seuerus: *Malum dicebat esse Principem, qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec vtiles Reipublicæ aleret.* Circumspiciat Princeps aulam, quantumque hominum ad ocium & delicias sustentat, tantum se Reipublicæ pestem alere sibi persuadeat.

§. 7. Omni in re immodicos vitet sumptus, vt in gemmis, ædificatione, similibus. gemmas, vt capillos pueriles contemnat. *Egregiè Alexander Seuerus, vt refert Lampridius, Gemmarum quod fuit, vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas viris vsui non esse: matronas autem Regias contentas esse debere vno reticulo, atq; inauribus & baccato monili, & corona, cum quæ sacrificium facerent, & vnico pallio auro sparso, & cyclade quæ sex vnciis auri plus non haberet. Prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri, & vxorem eius matronæ prænobiles.*

Augustæ parsimonia exemplum.

Caligula è contrario nihil, quo prodigi solet pecunia, neglexit, itaque cum inuenisset aureorum ducenties tricies centena millia, ea ante annum tertium dilapidauit, vt Dion in Caligula. Sunt autem sex aginta sex milliones nostrorum aureorum, duplo enim majores erant Romani, quod eo mirabilius erat, qa eo tempore rarior, & carior erat pecunia, plusq; vno aureo, quam nunc decem, efficiebatur, bouem enim aureo emere poterant. Sed & quidam studiosè omnia perdebant, vt monstrum illud, de quo Cornel. *Ipse sola perdendi cura, stabula aurigis extruere, Circum gladiatorum ferarumq; spectaculis opplere: tanquam in summa abundantia pecuniæ illudere. Quin & natalem Vitellii diem, Cæcinna ac Valens, editis tota vrbe vicatim gladiatorib. celebrauêre: ingenti paratu, & ante illum diem insolito.*

Prodigi Principes odia omnium incurrunt.

Verum hoc fuit in quarta illa bestiâ, hoc est, Romano imperio, vt comminueret, & reliqua pedibus conculcaret, quocirca semper fuit publica egestas, & virorum. & pecuniarum, exemplum cape. Vopiscus in Probo. *Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus euulsæ connexis longe lateq; trabibus affixæ sunt, terra deinde superiecta, totusq; circus ad syluæ consitus speciem gratia noui viroris effronduit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cerui, mille apri, mille damæ, ibices, oues feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inueniri. Immissi deinde populares, rapuit quisq; quod voluit. Addidit alia die in amphitheatro vna missione centum iubatos leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant: qui omnes contificiis interempti sunt, non magnum præbentes spectaculum cum occidebantur. Neq; enim erat bestiarum impetus ille, qui esse ab eis egredientibus solet. Occisi sunt præterea multi qui diripere volebant sagittis. Editi deinde centum leopardi Libyci, centum leænæ, & vrsi simul trecenti: quarum omnium ferarum magnum magis constat spectaculum fuisse quam gratum. Edita præterea gladiatorum paria trecenta, Blemiis pleriſq; prægrandibus, qui per triumphum erant ducti, plerũq; Germanis, & Sarmatis, nonnullis etiam latronibus Isauris.* Verùm de impensis postea dicturus sum, quæ in munera, & donationes factæ. Nunc alia videamus.

Rom. imperio veteri ppria prodigalitas.

CAPVT X.

Mercaturam augendam.

§. 1. DE negociatione duplex mouetur quæstio. Quidam enim mercaturam omnino prohiberi mallent in Republica. Vitia enim inuehit; alij tantum Rempublicam vetant negociari. Habent illi rationes suas; Egregium esse, non quærere externa, propriis esse contentos. Cic. Brut. Deinde importatis rebus ad luxuriam pertinentibus, relanguescunt animi, virtusq; remittitur. Cæsar. l. 2. bell. Gallici. Constat autem πλεῖστον κακίας μᾶλλον, ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτην εἶναι. *Opes vitiorum potius, quam virtutis esse administras.* Deinde ciuitatem mercatura facit egentiorem; quia sumptuosiorem. Ex Hispania & Peruuia ingens auri, & argenti vis adfertur, nec aliud tamen effectum est, quàm vt ex abundantia pecuniæ rerum precia creuerint, quam ob causſam postquam Indicum aurum ad nos peruenit, censuum antiquæ tabulæ, quæ frumentum, vinumq; continebant soluendum, mutatæ sunt. Deinde ante Conciniglia, Aniro, Xylo, Sandaracha, Saccharo, cana fistula, margaritis, argento viuo non egebamus, jam ambitio legem fecit, vt illis deliciis & venenis impleri ciuitates oporteat. Pulchrè hac de quæstione loquentem Danubianum agricolam inducit Gueuara l. 3. c. 4. horologii. *Quod nullam in patria nostra Rempublicam, nullam politiam esse dicitis; sed brutorum nos instar syluestrium viuere; non magis, quam superiora illa, ratione vlla nititur. Nos enim in terra nostra negociatores mendaces, & turbulentos, aut qui ex peregrinis locis instrumenta inuehunt vitiorum & luxuriæ, minimè ferebamus. Itaq; cum in vestitu honesti essemus, & in victu sobrietate gauderemus; commerciis multis minimè indigebamus. Quanquam autem non sunt*

Negociationis incommoda sunt, vt omnium rerũ, quarum vsus, & abusus esse potest.

Mercatura facit, vt multis egeamus, quæ ante ignota fuerunt.

in patria nostra mercatores Carthaginenses, oleum Mauritaniæ, negociatores Tyri, chalybs Cantabricus, aromata (& vnguenta) Asiatica, aurum Hispanum, argentum Britannicum, electrum Sidonium, sericum Damascenum, frumentum Siculum, vinum Creticum, purpura Arabica: tamen nec belluæ sumus in terra ista, nec omni prorsus Rep. caremus. Illa n. & id genus alia, magis vitiorum incentiua, quam virtutum stimuli sunt hominibus. Idem Gueuara l. 3. c. 28. M. Aurelium inducit, grauiter exprobrantem viro nobili, ꝙ relictis honorib. publicis, ad negociationes sese plebeias abjecerit. *Mirari satis nequeo, Cincinnate, cur hostes, equitis Romani more deseris oppugnare, & mercator, tanquam ex plebe factus sis.* Ille quidem indecorum arbitratur, sed loquitur tamen de injustâ negociatione, quâ relictis extraneis nocetur domesticis. Ita enim ait. *Sic habeto Cincinnate, non damnari à me commercia & negociatores, nõ vituperari ementium vendentiumq; contractus: vt n. sine equitibus benè geri bellum nequit; ita sine mercatoribus non potest stare ciuitas. Verum non aliam inuenio desertæ militiæ, & institutæ mercaturæ causam, quam vt otiosè sedens in foro rapias quæ pessimum latrocinari in saltib. nequis. Emito ergo vili Cincinnate miserrime, & pluris vendito; multa ꝓmittito, & pauca præstato; mensura in accipiendo dando q; diuersa vtitor; ne quis te decipiat, vigil, imò peruigil esto; ꝙ in huiusmodi rebus solenne est iis, qui mercaturam exercent. Ego v. iuratus affirmo, iustiorem fore mensuram, quâ vitam tuam dimetientur, quam tabernæ tuæ vlnam.*

Nobili an probrosa mercatura?

Fraus & auaritia negotiantium reprehenditur.

Negociatores vetustis fuere honorati.

§. 2. Negociationem legitimam, qualem diuinæ, & humanę leges ꝓmittunt omni ope cõservandam, augendamq; censeo. Gen. 37. v. 28. Ismaëlitæ sine reprehensione negociantur, *ferentes resinam, stacten, aliaq; aromata in Ægyptum.* Quin & Gen. 34. 21. Israëlitæ; *Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum, negocientur in terrâ, & exerceant eam, quæ spaciosa, & lata cultoribus indiget.* Quamuis de culturâ accipi possit, Hebr. tamen verbum סחר negociationem significat, erant igitur & Patriarchæ סוחרים mercatores. Quin & Salomoni 3. Reg. 10. 16. negociatores, & scruta vendentes aurum adferunt. Et 2. Par. 1. 16. Negociatores Regis dicũtur. Et 2. Esd. 3. 32. In porta gregis ędificant artifices & negociatores. Tyri a. negociatores Principes erant, & institores inclyti terræ. Isa. 23. 8. sed & Babylon negociosa fuit, Is. 47. 15. Ez. 17. 4. in Chanaan vrbs negociatorum. *Verum omnes Tyrus illa dies superauit* Ez. 27. 8. *Habitatores Sidonis & Aradii fuerunt remiges tui: sapientes tui: Tyre facti sunt gubernatores tui. Senes Giblii & prudentes eius habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ: omnes naues maris & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ. Persa & Lydii & Libyes erãt in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum & galeam suspenderunt in te, ꝓ ornatu tuo. Filii Aradii cum exercitu tuo erant sup muros tuos in circuitu: sed & Pygmæi q erant in turribus tuis pharetras suas suspẽderunt in muris tuis p gyrum: ipsi compleuerunt pulchritudinẽ tuam: Carthaginenses negotiatores tui multitudine cunctarũ diuitiarum: argento, ferro, stanno, plumboq; repleuerunt nundinas tuas. Græcia, Thubal, & Mosoch ipsi institores tui: mancipia; & vasa ærea adduxerunt populo tuo. De domo Thogormæ, equos & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum. Filii Dedan negociatores tui: insulæ multæ negociatio manus tuæ: dentes eburneos & hebeninos commutarunt in pretio tuo. Syrus negociator tuus ꝓpter multitudinem operum tuorum, gemmam & purpuram, & scutulata, & byssum, & sericũ, & chodchod ꝓposuerunt in mercatu tuo. Iuda & terra Israël ipsi institores tui in frumento primo: balsamum & mel & oleum, & resinam ꝓposuerunt in nundinis tuis. Damasc. negociator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuersarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi. Dan & Græcia & Mosel in nundinis tuis ꝓposuerunt ferrum fabrefactum fiacte & calamus in negociatione tua. De dam institores tui in tapetibus ad sedendum. Arabia & vniuersi Principes Cedar, ipsi negociatores manus tuæ: cum agnis & arietib. & hædis venerunt ad te negociatores tui. Venditores Gaba & Reema ipsi negotiatores tui: cum vniuersis primis aromatib. & lapide precioso, & auro, q ꝓposuerunt in mercatu tuo. Haram, & Chenne, & Edem, negociatores tui Saba: Assur & Chelmad venditores tui. Ipsi negociatores tui multifariam, inuolucris hyacinthi, & polymitorum, gazarumq; pretiosarum, quæ obuoluta & astricta erant funibus: cedros quoq; habebant in negotiationibus tuis. Naues maris, Principes tui in negotiatione tua: & repleta es & glorificata nimis in corde maris.* Quin & vastissima Niniue *plures fecit negociationes suas, quam sint stellæ cœli.* Itaq; q inclytas ciuitates & regna q̃runt negociationem augeant necesse est. Mores fateor ꝓ negociationes, & diuitias jacturã facere, verũ non rerum, sed hominũ illa vitia sunt; alioq nec terræ fœcunditatẽ q̃rere oporteret; illa n. etiã fœcunda vitiorũ mater est; Deus tamen populo suo terrã ꝑstantissimã donauit, non ignarus eâ liberalitate ad nequitiã plurimos esse abusuros. Atq; hæc ita refero quasi certa sit illorum ratio, qa negociationi mala illa tribuunt; quâ tamen in re mihi haud leuiter errare vidẽtur. Neq; n. minus doli fraudumq;, inuidiæ etiã, & liuoris plus in pauperũ tugurijs inuenitur. Barbararum gentiũ, ad quas negociatores nõ cõmeabant, vitia haud leuiora fuerunt, neq; hodie etiã minora reperiuntur. Nam imprimis longissimè ab humanitate abierunt, legẽ naturalẽ pessũ dederunt, anthropophagiã, aliaq; horrenda legib. sanxerũt, & vti nunc in Brasiliensib. alijsque Americæ populis apparet, & historiæ docent, pene obbrutuerũt, cum tamen odiorũ, superbiæ, libidinum non minus sit inter eos, q̃ opulentissimos quosque, tam n. sub pannis illi, q̃ hi sub serico inardescunt.

Niniuitæ negociatores.

Sine negociationis malis fraudatio.

Negociatio ex naturâ hominis fluens.

§. 3. Quæstura, seu χρηματιστικὴ duplex est, alia est naturæ consentiens, & ex ipsâ naturâ orta. Nã κλητικὴ, h. e. facultas conquirendi ejus, ꝙ vitę necessarium est nobis à natura insita, quemadmodum omnibus animalibus, & appetitio & conquisitio p abuli diuersissimis modis innata est, instrumentaque data, quo se singula pascant, vt 1. Pol. c. 8. demonstrat Aristot. Et bestiæ quidem vnam rationem obtinendæ ejus rei, q̃ necessaria est, tenent, vt illã consequãtur, atq; re ipsa apprehendant, vt bos fœnum, ossa canis, cervum leo. Hominibus v. altera data etiã ratio, vt cum vni superest, ꝙ alteri deest, vicissim ꝓmutent; ꝙ quidem duobus modis fit; Primo, cum res rei succedit, mutatur calceus pileo. Si Hispania vinum ꝓmutat tritico Polonico, simplex est illa commutatio. Secundo, cum res cum re non commutatur, sed nummo; ꝙ necessitate est inuentum, & jure gentium; cum n. res transferri non possint semper, factus est nummus, q̃ morali lege vim omnium rerum continet. Deinde raro fit, vt eodem numero ac valore alter habeat, ꝙ alteri necessarium est, ita nummus illa omnia liquida facit; nec differt ab alijs rebus, ꝙ aliarum rerum vsus sit duplex; vino enim ad sitim restinguendam vtimur, & commutamus alijs mercibus; nummi verò omnis vsus in commutatione cernitur. Τὸ νόμισμα ὃ συγχέον, καὶ πέρας ἐς ἴσ τῆς ἀλλαγῆς. Nomisma n. elementũ & finis est commutationis, vt Aristot. lib. 1. pol. c. 9. Hinc constat artificialem quoq; mercaturam â naturâ ꝓxime esse; nam quemadmodum Polonus triticum serit, non modo, vt panem coquat, sed etiam vt commutet cum nummo, illo vero alia vitæ præsidia conquirat, ita quoq; negociator emptum in Hispaniâ vinum in Poloniam deuehit, vt nummo alia necessaria comparet, vterq; operam impendit, vterque periculum subit, minus operæ, sed plus periculi est in negociatore. Natura igitur & hanc vitæ tuendæ rationẽ docuit; Ego sanè Abrahamũ mercatorẽ fuisse nihil ambigo; habuit n. oues, & boues, & camelos, argentum, & aurum, ꝙ fodisse eum non credo, cum pegrinaretur ꝑpetuo, sed ex commutatione pecorũ, & venditione acquisiuisse. Ad hoc ergo pecora aluit, vt venderet, familiam emeret, pecuniam cumularet.

ἀλλαγμάτων περισσὸν ἀνπῶν δώρων.

Nummus moraliter omnia pretia continet

Tyrus negociatrix nobilissima

Abrahamus negociator fuit.

§. 4. Ho-

Quod carius vendi sæpe melius est reddituum fraus in emendat.

§. 4. Honesta est igitur illa ratio, quemadmodum eum ex arte mechanicâ, vel terræ laboribus victus quæritur, vel ex pastu pecorum, quę est mobilis & viua agricultura. Neque in eo opprobrium est, quod rem minore precio emptam carius distrahant, quamuis facta non sit melior. Nam id fieri Reip. interest, ideoq; res ordinarie ratione loci, temporis, aliarumq; circumstantiarum melior censetur, præcipue ratione impensarum. Si nihil horum sit, non erit legitima negociatio, vt cum pecunia datur, & nihilo deterior accipitur, nec minus tamen precium augetur. Honestum est rem precio distrahere, id omnes etiam Reges faciunt, cum re quapiam abundant. Non minus honestum est rem emptam, & meliorem factam majore precio diuendere. Vt si pullos equorum educes, & care diuendas. Hoc autem est negociatorum; Honesta igitur eorum ars est atq; exercitatio.

Res preciosior censetur etsi deterior sit facta.

Melior autem res censeri debet, etsi aliquando facta sit deterior. Nam ibi cujusq; rei precium est, vbi vsus est; vinum Rhenanum in Suecia melius est morali æstimatione, quamuis passum vectiones & mare deterius est, quàm in solo natiuo. Magnō enim precio impensa, & pericula vectionis æstimantur. Nam reuera vt necesse est facere sumptum, qui quærit lucrum, ita merito accipit lucrum, qui fecit sumptum. Est autem hoc verum lucrum; quia justum; prudenter enim Jambus ille:

Τὸ κέρδος ἤν γε κέρδος, ἐν δίκαιον ᾖ.
Lucrum putato lucrum, si iustum sit.

Castra spe lucri petuntur.

At dices lucri cupidine periclitari turpe est; nec magnum virum decet. Tu igitur mihi castra ntuere, & ex triginta legionib. vnam cohortem delige eorum, qui non lucri, & prædarum spe, quotidie mortualem vestem induant; cur hos laudas, negociatores vituperas?

§. 5. Non igitur prudenter factum ab illis, qui negociatores ab Republ. remouerunt. Thebani quidem nisi negociatione decem annos abstinuissent, ad gubernacula Reipubl. non admittebant, quod etjam Lacedæmoniorum morib. & legibus receptum fuit; sed errore vtriusq; ciuitatis; Thebanos in consilium de Republica vocare operæ precium non est,

Bœotum in crasso iurares aëre natum.

qui vnius Epaminondæ virtute torrentis instar brevi inualuere, & cum illo desiêre. Lacedæmonij initio solam bellicam virtutem professi, & paupertatem, latronum auarissimi euasêre; habuitq; illa ciuitas, vt nonnulla bona, ita plurima mala, vt non facile potenti aduersario resistere potuerint. Esse autem ad consilium Reipublicæ, administrationemq; admittendos mercatores demonstro.

Instrumentum rē domesticam constituendi.

Primo ex naturâ rei, cum enim τῆς χρηματιστικῆς pars sit, ἡ μελαγολική, & τῆς μελαγολικῆς μέγιστον ἡ ἐμπορία. *Conficiendarum opum maxima est ratio commutatio, & præcipua pars commutationis est negociatio.* Consequitur hoc præcipuum instrumentum esse rei domesticæ constituendæ, adeoq; Reip. quæ ex familijs bene constitutis nascitur. Quod si quis ista consideret, videbit Venetias, Florentiam, Messanam, Noribergam, aliaque emporia, & maxime abundare, & Rempubl. optime constitutam habere. Olim tanto in honore fuerunt, vt etiā belli tempore essent inuiolabiles, imò nostris temporibus, cum inter Belgas & Iberos feruebat bellum, non tamen ablata est mercatura.

Secundo. Quo plures sunt, & potentiores in vrbe negociatores, eo plura sunt subsidia Reipub. multiq; modi ciuitatem conseruandi. Nam variarum rerum copiam ad omnes euentus habere vtilissimum est. Lucrum habet, sed lucrum indigentiæ auxilium est, vt monet Arist. Eth. 8. Lucrum, h.e. cum emolumento Reipub. sine damno alterius, vel etiam cum lucro.

Tertio. Vtiliores etiam sunt Reipub. si præsideant negociatores diuites, & splendidi. Nam ita censuerunt Tyrij, Carthaginenses, aliæq; opulētissimę Respublicæ. 2. Magna emolumenta adfert illorum industria; tum quia, variarum nationum ingenia, opes, conditionesq; norunt; tum quia facili negocio, moderato precio, quæ ad Reipub. tutelam pertinent, etjam arma, puluerem pyreum, tormenta bellica comparant. 3. Agendi etiam dexteritate, humanitateque pollent; nam quo veniunt, etiam eam inferunt, & inter causas, cur prisci Belgarum fuerint incultiores, Tacitus adfert, quod rari ad eos commigrent mercatores.

Proficit Reipublicæ, quæ opes inuehunt.

Emporia sollicite curanda.

§. 6. Inter gentes humanas ac ciuiles, h.e. quæ vere prudentiâ, victu moderato vtūtur, quemadmodum omnes viuere necesse est, q verum Dei cultum retinent, mercatura necessaria est. Quid n. nunc tuetur Rempubl. Christianam, ac Regum dignitatem, nisi mercatorum industria? Sola Hispalis opes vnius regni, sola Vlyssipona magni regni opes confert. Vbi igitur negociatio, ibi & magnæ vrbes, vt Hispalis, Vlyssipona, Londinum, Antuerpia, Hamburgum, Lubeca, Amstelodamum; quo fit vt hominum multitudine exundante, multi haberi, & conduci ad patriæ defensionem possint. Quin si verum fateri volumus sine mercatoribus non modo bellum gerere, sed nec aulam retinere Reges commode possunt. Gentes etjam exteras conciliant, dum grata atq; opportuna inferunt; Tria sunt quib. Lusitano Regi Indiæ quæsitæ sunt, Religio, bellum, negociatio. Religio caput fuit, reliquis Deus, vt instrumentis vti dignatus est. Interim nunc Indiarum censu ipsæ tenentur. Dixit Innocentius VIII. Hispanos ad gubernandum natos esse, vt hac in re nihil erroris committant; itaque tot gentes in officio nunc continent. Verum publica illa laus est, post illud dictum forte errores priuatim commiserunt, non consilio publico, sed cupiditatib. præfectorum. Ego v. eos ad negociandum natos puto; nam Principes, Marchiones, Nobiles tantâ decentiâ p alios negociantur, vt seruent dignitatem prę omnibus gentibus, & rem augeant. Imò cùm omnia cum florente Romano imperio confero, assero illud regnum magis negociationum opportunitatibus quam vi armorum consistere. Roma quoq; stare sine negociatione non poterat, primarij ciues in orbe negociabantur, & nunc eandem viam insistunt Hispani.

Hispania, & Lusitania auro Indico defenditur.

§. 7. Negociatores non modo singuli fouendi sunt, sed honestum quoq; est more prisco Reges, Respub. nobiles, Senatores, publice priuatimq; negociari, & illorum nomine splendidos, & copiosos ciues. Hoc vsitatum fuisse priscis, docet, Sidon, Tyrus, ante illos Ninive, Babylon, postea Carthago. Non æquant tamē Romanos, Martium populum, cuius dignitas ex censu, census autem mercatorum maximus esse assolet. Romanam Rempub. spectemus. Primas tenebat Senatus, consilium orbis terræ, Regum consessus etjam hostili testimonio judicatus, primo centum, deinde trecenti; tandem sexcenti agente Liuio Druso, tandem mille tempore ciuilis Belli fuere; Augustus ad sexcentos redegit. Capita erant imperij, & lumina prouinciarum, à censore legebantur, & quamuis ingentium vitiorum probris non vacarent, multis tamen virtutibus hæc compensabantur, donec vitia vicêre, & libertatem abstulerunt. Secundo loco erat equester ordo, nobilis sanè, & magnam partem è senatoribus: Ipse etiam seminarium Senatorum, vt vocauit eum Alexander Imperator. At magna horum pars negociabatur. Crassus cui ex diuitijs nomen, Architectos & fabros ad quingentos in seruis habuit, quorum operam elocabat, in vrbe ruinis, vel incendijs obnoxiâ. Collegium mercatorum Roma institutum fuisse, auctor est Liu. factum est Appio Claudo, & P. Seruilio Coss. Erat Romę potentissima societas publicano-

Regius consessus Romanorū ex negociatoribus erat.

Equites Romani toto mundo negociabantur.

licanorum, erant equites Romani, q̃ in prouincia auctoritate valebant, Cicer. ad Lent. ad Appium, ad Q. Fratrem; ijdem ipsi mercatores erant, & negociabantur p̃ prouinciam. Quid Cæcina tanta dignitate, genere, ingenio, nonne ille Ciceroni scribit, l. 6. famil. Ep. 7. *De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas premebat, vt imperasti, feci.* Et Cic. Ep. 8. Indicat eum quæsisse consilium, *An in Sicilia subsidat, an ad reliquias Asiaticæ negotiationis p̃ficiscatur.* Asiaticus negociator erat igitur Cæcina. Cuspium etiam commendat Cic. Valerio, q̃ maximis societatis negocijs in Africâ præfuisset, l. 13. Ep. 6. Sed quid nos de Romanis dubitamus? *Audiamus Ciceronem pro Fonteio. Hoc prætore oppressam esse ære alieno Galliam. A q̃b. verò suras tantarum pecuniarum factas esse dicunt? à Gallis: nihil minus, à quib. igitur? à ciuibus Rom. q̃ negociantur in Gallia. Cur eorũ verba nõ audimus? cur eorum tabulæ nullæ p̃feruntur? Insector vltro, atq̃ insto accusatori iudices: insector, inquam, ac flagito testes. Plus ego in hac causa laboris, & operæ consumo in poscendis testibus: quam cæteri defensores in refutandis. Audacter hoc dico, iudices: non temerè confirmo. Referta Gallia negociatorum est, plena ciuium R. Nemo Gallorum sine ciue R. quicquam negotii gerit: nummus in Gallia nullus sine ciuium R. tabulis cõmouetur. Videte quo descendam iudices, quam longè videar à cõsuetudine mea & cautione, ac diligẽtia discedere. Vnæ tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, q̃ significet, pecuniam Fonteio datam: vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant.* Hic primo loco negociatores, & Romanos quidem; quid in aliis p̃uincijs? An pauciora negocia Romanorum? Mithridates vno edicto 80000. ciuium R. inter quos præcipui equites, in Asia occidit, nec occisi tamen omnes, multos latebræ, multos amici texerunt; Plutarch. in Sulla, hominũ 150. millia interfecta recenset; Appianus etiam liberos eorum occisos auctor est. Hi igitur negociabantur, & omnem quæstum in sua commoda vertebant, ideoq̃ exosi erant prouincialibus, Cic. orat. 7. in Verrem, Siculorum erga R. amorem magnoperè commendat, q̃ non oderint publicanos; & negociatores; *Sic porro nostros homines diligunt, vt his solis neq̃ publicanus, neq̃ negociator odio sit.* Quid his solis? omnibus alijs igitur odio erant, ideo vero odio, quia summa libertate pollebant, q̃a magistratus ciues habebant, eosquib. suffragio fauissent, quibus p̃ amicos commendati erant, vt difficile esset contra R. jus obtinere. Hæc q̃ considerarit, inueniet, plus negociationum, q̃ bellicæ rei in p̃uincijs fuisse. Quid est n. sine ciue R. nihil negocij geri? nullum nummum commoueri? His in negocijs plebei, equites, Senatores versabantur, & q̃ omnium grauissimum erat, vsuras exercebant. De Seneca notum est. Verres de pecunia publica fœnerabatur. Pompejus magis fœnore, q̃ bello prouincias pressit. Nec alio modo ingentes Romanorum diuitiæ consistere potuerũt, quomodo n. sine negociatione tot equitum & patriciorum luxus & splendor esset diuturnus?

Cæcina negociator.

Nemo sine Roman. negociabatur.

Non modo negociabãtur, sed vsuras quoq̃ exercebant Principes Romani.

§. 8. Nostro tempore magnorum quoq; Principũ negociationes videamus. *Prima est in Lusitania, de qua Bellus 7. 1. disc. 12. Ex Indijs Orientalib. quotannis ingentes piperis acerui aduehuntur, q̃ simul & cuncta aromata Regis esse solebant, confluerat n. certo p̃tio ea in Malacca, aliisq̃ insulis cõmere; quorum p̃tium in domo Indiarum Vlyssippone augetur adeo, vt q̃ aureis trib. emptum est, 40. distrahatur. Zinziberum, cinnamomũ, massix, garyophylla, nuces muscatæ ad summam 200. millium aureorum quolibet nauium appulsu apportantur. Ad tullonicam Eudolii aduehuntur pro summa circiter 100000. aureorum, & quoniam ijs in Hispania haud ita pridem p̃ tingendis pannis vtuntur, cariori, & eodem atq̃ aromata, distrahũtur pretio. Boraſſum, camphoram, sandala, aloem, hebanum, condimenta & aromata alia singulis p̃ 40. millib. ducatorum afferuntur. Gossypiorũ varij generis massæ à priuatis cõducuntur ad precium 60. millium, ex q̃b. lucrũ sit 80. p̃ quolibet centenario. Ambra, & muscum affertur p̃ 20. millib. aureorum. Vnionum & gemmarum, & amethystorum, & adamantum non mediocris copia affertur, sed quanta, nescitur, quoniã à priuatis clam habentur, ne Regi vectigal q̃ est 5. p̃ centenario exsoluant. Ex China, Malacca, Maluio, Bengalla, Pegri, Lambaca, aliis illarum partium locis aduehuntur serica alba, fictilia porcellana, & reculæ multæ delicatissimæ, q̃ Vlyssippone, Brincos appellãtur, in magno numero. Adducũtur etiã vniones paruæ ex China, & deliciosissima, ac minutiss. opificia, q̃ Lubone 100. aureis, singula nonnunquam æstimantur, & à Lusitanis tanquam superiores vestes feruntur, vt Itali presbyteri ornantur suis rochetis, & Dalmaticis. Afferuntur ex China cubilia q̃dam, mensæ, cathedræ, scabellæ ex quodam ligno confecta nigro & splendido, vt hebanũ, affabre elaborato & inaurato, aliaq̃ res pulcherrimæ: vnde intelligimus, Chinenses populos esse deliciis affluentes acutissimiq̃ ingenii. Ex Persia afferuntur operosissima tapetia, ex serico & auro & lana optima elaborata. Naues a. q̃ veniunt ex Indijs, saburræ vice gerunt, conchylia quædam parua, & alba, quæ in littoribus q̃busdam reperiuntur, mox Lisbonæ mercatorib. q̃busdam in regno negociantib. venduntur.* Quantum lucri potuit parari, si rex fidos haberet ministros, & totum publicè lucrũ ad sese traheret? Quid de opulentiss. Venetijs dicam? Nonne & ipsi, & ciues & nobiles negociantur? Sane negociationi debet illa Respub. q̃ potentissimis Monarchis sæpè restiterit; neruum n. domi habuit, pecuniam; q̃ si non obstaret aliorum potentia, jamdudum magnũ parasset imperium, sed contra tam potentes assurgere difficile est. Ordines Hollandiæ mercaturam tanq̃ vitam, ac sanguinem prouinciarum suarum tuentur, nec minore curâ Indicas nauigationes, q̃ patrios muros defendunt, quamuis magnis priuatorũ damnis; si n. intermittant, nautæ aliò se conferent, ac emorientur, vt omnino desinere sit necesse. Germaniæ ciuitates, aut negociantur, aut negociãtium sociæ sunt. Nam q̃ nonnullæ vsuras p̃ Judæos exercent, execrabile facinus est; Nescio sanè an vrbes vllæ rectius emporijs illis gubernentur, p̃sertim in quibus omnes ciues publici consilij participes esse possunt.

Regum Lusitaniæ negociationes.

Lusitanos reges ob infidelitatẽ ministrorum negociari.

Venetia negociationũ potentes.

Hollandi Indicas nauigationes tuentur

§. 9. Nihil horum est, q̃ non honestissime fieri queat. si exhaustum est ærarium, si insuper contractum ęs alienum. nonne honestius ex negociatione, q̃ vrinâ, aliisq; reb. colligetur? Nec apud sapientem quæstio difficilis est; An honestius sit subjectos tributis premere? an mercandi industriâ subuenire Reipublicæ? parcere pauperibus? *At quis fidus erit Principis institor?* Quid hoc ad rem? Quis fidus est tributorũ exactor? Nemo hercule, nemo? Vel duo, vel nemo. Minor est cura negociandi, q̃ omnia particulatim colligendi Tot legib. coërcetur collectãtium rapacitas, nec vlla vis satis obstat cupiditatibus. Vtatur publicanis, q̃b. nunc vtitur. *Quid a. est peius publicanis? Chrysost. quærit. Quid peius Publicano? dic mihi: alienarum calamitatum minister, & negociator est, alienos labores partitur, & cum sudoris non sit particeps, lucrum ex alieno labore p̃cipit. Nihil enim aliud est Publicanus, quam violentia licenter sæuiens, legitima offensio, auaritia honesto prætextu.* Nunc omnia negociantium scrinia, fasces q; excutiuntur, vt de magnis opibus pars fisco imferatur, eâdem operâ, etiam lucrã possunt integra conquiri. Τελώνης, inquit Suidas, ἀλλοτρίων πραγμάτων μερισὴς, πεπαρρησιασμένη βία, ἀνεπιλήπτῳ ἁρπαγῇ, ἀναισχύντῳ πλεονεξία, πραγματεία λόγου μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία. *Publicanus alienorum negociorum particeps est, ac diuisor, libera ac licita violentia, rapina impunita, auaritia impudens, negociatio ratione carens, mercatura inuerecunda.* Hanc cum paulo verecundiore commutet, & Principis merces vehat. Hoc igitur vtere in mercibus, minus mali poterit in negociatione, q̃ in collectione, nã ibi sola calliditate, hic etiã vi pollet, ibi cum Cretensibus, hic cum Bœotis rem habet.

Ærarium exhaustum negociatione repletur.

Publicani, & fœneratores potius negocientur.

Negociator periculacõtemnit.

§. 10. Commerciorum finis est comparare necessaria, distrahere superflua, sine fraude, doloq;. Hoc per

suos Princeps si faciat, non video cur dignitatem non seruet; omnia despicit negociator, sub Sole torrido, monstra natantia, &

Negociator pericula contemnit.

Luctantem Icariis fluctibus Africum,
Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat iura sui; mox reficit rates
Quassas indocilis pauperiem pati.

Regum quoque & Principum est pericula capessere, pro patriâ, non timidorum mori. Stare in prima acie, inter tela versari, obire excubias, fodere vallum, ambulare per pruinas, vitam fragili rati committere, quam mox hostilia rostra incursabunt, in tantâ majestate summum decus censetur; de hostico militem alere, colonias ducere prouidi ducis est; Hoc in speciem majus; at reuera sapientius, rectiusque, si industria acquirat opes, regnum tueatur; si India, si Asia ærarium auget. Salomonis sanè naues ibant in Tharsis, nec sine negociatione regiâ merces referebant. *Quia ibat classis eius 3. Reg. 10. 22. per mare cum classe Hiram semel per tres annos in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pauos: magnificatus est ergo Rex Salomon super omnes Reges terræ diuitiis & sapientia.*

Opes augere negociatione bonestius, quam bello.

Simiæ & paui in negociatione Salomonis.

Aurum & argentum absque dubio à classis præfecto emebatur, aduectis alijs mercibus; deinde dentes Elephantorum quorsum numerarentur, nisi magno numero adferrentur? nec video, cur tantam eboris copiam Rex conuehat, venditum igitur est ebur per institores Regios, sicut olim piper & aromata Indica in Lusitania. Simias etiam, & pauos, quid attineret nominare, si pro solâ regiâ curarētur, non autem pro vniuerso regno, in quod distrahebantur? sine vtilitate ludicra animalia allata non credidero, sed vt greges illi per opulentissima Asiæ Emporia distraherentur. Quod verò quidam arbitrantur sordidum esse ex negociationibus facultates augere, falluntur. Nam vbicunque non est sordidum accipere à mercatoribus, rusticis, olitoribus, pauperibus vectigalia, non est etiam sordidum commutatione rerum lucrum facere, modo publicum bonum quæratur.

Aurū & alius mercib. Salomon accipit.

Theophilus imperator negociationem reginæ damnat.

Magnanimitatem Theophili in ore ferunt; *Nauem onerariam cum mercibus vxoris allatam, cum priuatorum eximi imperasset, græco igne combussit; conuitiis, & maledictis Imperatricem infectatus; Mercaturam esse priuatorum, eorum emolumenta, non esse à Principibus eripienda, sed permittenda tenuioris fortunæ hominibus.* Præclara in speciem oratio, re ipsâ euanida. Theophilum igitur consideremus, & factum eius æstimabimus. Curopalata vitam ejus scripsit, illo ex fonte cæteri hauserunt. 1. Justitiam simulat. *Post Michaelis mortem filius eius Theophilus, qui ad virilem iam peruenerat ætatem, patrium excepit Imperium Octobri mense, Indictione octaua, verbis, iustitiæ vehemens amator vocari studens, legumq; ciuilium perfectus obseruator; sed reuera seipsum ab externis, qui eum nollent, custodiens, ne fortè quis facinus in se aliquod auderet, hæc simulabat. Statim igitur à principio omnes, qui cum patre in Leonis necem conspirauerant, è medio tollendos, & cæde afficiendos curauit. Quare edictum proposuit, vt omnes quicunq; ab Imperatore beneficium aliquod accepissent; & insuper quicumq; Imperatoriæ cuiuscunq; dignitatis fuissent participes effecti, in Magnauram, aut Pentapyrgium cogerentur. Quod vt factum est, omnibus, vt iusserat, congregatis, quasi antea seritatem, veluti in tenebris occultasset, mitis ac submissâ voce ad eos, qui simul coacti erant: Volebat (inquit) & in animo habebat parens meus, ô populi, eos qui sibi auxilio fuissent, & pro obtinendo imperio propugnationem suscepissent, multis beneficiis afficere, & aliis honoribus honestare: verum fato occupatus, me imperii successorem, ne ingratus videretur iis, qui de se bene meriti essent, debitorem reliquit. Idcirco quilibet à multitudine separatus, seipsum apertè nobis ostendat, vt nos cognitos amicos dignis eos præmiis remuneremur. His verbis decepti miseri, & à mente deducti, singuli quicunq; Leonis cædi operam nauarant, seipsos indicabant.*

Theophilus omnia simulat.

Simulatoris igitur hoc dictum fuit, & simulatoris auari, qui famam magnifici aucupabatur. Nam reuera Iconoclasta fuit; & persecutor acerrimus auarissimusque: ita habent Acta S. Joannicij Anachoretæ. *Sceptra quidem Romanorum tenebat Theophilus. Ille autem cōgerendo auro totus inhiabat, & ab eo superabatur, & alioqui non ferens esse Christianus, & se impiè gerens in diuinas imagines, & quomodo potestate, ita etiam Iconomachorum dogmate alios superans, talem laqueum abscondit omnibus Christianis, Scribis & exactoribus omnem simul vicum occupat, volens facere duo, quæ sunt pessima, nempe & auaro suo gratificare animo tributorum exactionibus; & sibi fieri manifestum vnumquemq; qui doctrinam sequebatur Orthodoxam, vt eos vi caperet, & efficeret, vt vel inuitè adiungerentur hæresi Iconomachorum.*

Theophilus negociationis osor, rapinis sæuit.

Nonne miraris tam rapacem exactorem capitationis, in negociatione tam esse seuerum? sed vxori Theodoræ fœminæ eximiæ indignabatur. Non consentiebat, nec mater ejus Theoctista Iconoclasmo, vt recensent Curopalata, inde ira, & quauis ex causâ, quæsita occasio vindictæ. Narrat historiam de Benderi nouo Therstitâ Curopalata.

Laudanda igitur Theodora heroina imperatrix magnæ virtutis, monstri illius conjux, quæ seruitio virum enixa, qui omnia templa imaginibus spoliabat, omnes carceres Episcopis, Pastoribus, Monachis complebat. Montes & speluncæ plenæ erant interfectorum fame & siti; qui S. Methodium sepulchro viuum clausit, qui Joannem Magum ipse magicis delectatus Patriarcham Constantinopolitanum fecit. Crudelis igitur, & auarus, & sub ipsâ morte sæuiens, in exemplum liberalitatis, & magnificentiæ produci non debuit. Hæc ideo monere oportuit, quod multi Scriptores ex vno aliquo ambitioso dicto, vel etiam simulato de rebus serijs judicant.

Odio vxoris orthodoxæ Theophilus eius merces exurit.

Maior auctoritas est in edicto Honor. & Theod. Cæsarum. Nobiliores natalibus & honorum luce conspicuos, & patrimonio ditiores, permitiosum vrbibus mercimonium exercere prohibemus, vt inter plebeios & negociatores facilius sit emendi, vendendiq; commercium. Cod. l. 4. titul. 63. l. 3. Non ideo arcentur, quod illicita sit mercatura, sed quod difficilius in eadem ciuitate tenuiores cum illis contrahant, cujus rei nunc nullum est periculum. Mercatura autem postea concessa videtur nobilib. diuitibus, quiq; sunt in magistratu. Nam teste Harmen. 2. tit. 5. §. 19. omnibus integrum esse commercia exercere. Certè olim vsitatum fuisse potentibus docet lex 1. tit. 63. l. 4. Cod. *Negociatores, si qui ad domum nostram pertinent, potentiorum quoq; homines necessitatem debitam pensionum, vt honestas postulat, agnoscere moneantur: vt per cunctos qui emolumenta negociationibus captant, tolerabilis fiat agnoscendæ deuotionis affectus.*

Nobiles mercatores esse leges vetant.

Causa quia cum illis difficilius contrahere possunt plebei.

Potentes negociari permittuntur legib.

Tempore Henricorum, & sequentibus magna pars nobilitatis Germanicæ ad latrocinia, & rapinas versa erat, vt historiæ & adhuc diruta castella docent; causa tanti mali erat, nobilibus vel interdicta, vel probro data negociatio, & nunc quoque multi è nobilitate egere malunt, creditoresque fraudare quam negociari, cum tamen Hispaniæ, Italiæque magnates, quemadmodum & Belgici, commercia magno studio, continuoque exerceant, idque æmulatione Emporiorum, in quibus habitant; nam se contempros esse vident, si penes se tantum genus, penes alios res sit. Genus, & virtus, nisi cum re vilior alga est, opinione hominum, malâ illâ quidem, sed quæ in gubernandâ Republicâ plurimum momenti habeat.

Nobilitatē negociari, quam prædari præstat.

Non damnari mercaturam in viro nobili, & militari leges imperatoriæ manifestum faciunt. Nam militibus prohibetur, qui scilicet singulare Sacra-

Solis militibus, qui aluntur à repub. prohibetur negociatio.

mentum habent, t. 35. c. 12. causa verò additur lib. 15. *Milites, qui à Repub. armantur & aluntur, solis debent vtilitatibus publicis occupari: nec agrorum cultus, & custodiæ animalium, vel mercimoniorũ quæstui, sed ꝑpriæ munitis insudare militiæ, nullum præterea ex militibus posthac prædictis obsequiis vacare magnitudo tua patiatur: sed frequentes in numero suo esse iubeat; vt armorum quotidiano exercitio ad bella se præparent. Quod si quis ex militaribus iudicibus vllos militum tàm diuinis quàm regiis, vel priuatis domibus vel possessionibus, diuersisq; aliis obsequiis, contra interdictum serenitatis nostræ crediderit deputandos: sciat se ab eo, qui contra vetitum fecerit, & ab eo qui ausus accipere militem fuerit, per singulos milites singulas libras auri protinus exigendas.* Ecce pari loco mercimonia & agriculturam ponit, vtrumque prohibet, quia aluntur ab Republicâ, & quotidiano armorum exercitio ad bella parari debent.

Merces vetitæ.

§. 11. In mercibus varia prohibentur, hoc tempore omnia Turcis vendi prohibentur, quibus contra nos iuuari possunt, vt arma omnia, quæq; ad arma pertinent. Olim etiam efferre aurum non licuit. Ita Grat. Valent. Theod. aaa. t. 63. *Non solum Barbaris aurum minimè præbeatur: sed etiam, si apud eos inuentum fuerit, subtili auferatur ingenio. Sed si vlterius aurum ꝑ mancipiis vel quibuscunq; ꝑ speciebus ad Barbaricum fuerit translatum à mercatoribus non tam damnis, sed suppliciis subiungentur. Et si iudex repertum non vindicat, tegere, vt conscius criminosa festinat.* Nunc in Sicilia & Hispania equi militares mitti prohibentur.

Merces noxiæ.

§. 12. Non permittantur inferri merces, quibus patria, & natiua viliora fiunt; itaque nec in Germaniâ Creticum, aut Hispanicum vinum, nisi cum ingenti portorio permittent Principes, nec Anglicanum pannum, cum tantam vestium varietatem texant ipsi Germani; Franci autem cum serici multum habeant, domesticum facile diuendi patientur, externum portorijs grauabunt.

Princeps fautor negociatorum cito dues erit.

§. 13. Mihi demum Princeps ille prudentissime facturus videtur, q̃ honestissimum quenque, ad negociationes excitabit potius, q̃ ociari sinat, si eos, q̃ opes per negocia augent, ad munia publica vocet; si mercatoribus non modo immunitates, & priuilegia præstet; sed constanter etiam eorum securitati consulat. Si suis cum ad varia regna proficiscuntur omnia cognoscere jubeat, si peregrinis jus accurate, citoq; dicat, illis suos consules, & magistrat⁹, si multi sunt, concedat. Si fraudes, Monopolia, aliaq; quæ bono publico obstant, diligenter impediat.

Omnib. iniusta negociatio interdicitur.

§. 14. Quæritum etiam hoc sæpè est, an clericos negociari fas sit? Primo, non modo Clericis, sed omnibus Christianis negociatio illicita vetatur jure Canonum, & lege diuinâ. Ita dist. 88. c. 11. *Eiiciens Dominus vendentes & ementes de templo significauit, q̃ a homo mercator vix, aut nunquam potest Deo placere. Et ideò null⁹ Christianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, ꝑiiciatur de Ecclesia Dei; dicente Propheta. Quia non cognoui negociationes; introibo in potentias Domini, quemadmodum enim, q̃ ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens, & se commendare, sine multiloquio esse non potest: (necesse est enim vt isti male loquantur de illo, & illi male de isto) sic qui emit & vendit, sine mendacio, & periurio esse non potest.* Et can. 13. *Quid est aliud negotiatio, nisi quæ possint vilius comparari, cariùs velle distrahere? negociatores ergo illi abominabiles existimantur, q̃ iustitiam Dei minime considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus periuriis onerando, quam pretiis. Tales eiecit Dominus de templo dicens: nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.*

Deinde dissuadentur omnibus negociationes periculosæ, de pœnit. dist. 5. can. 2. *Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est & honestus quæstus, & turpis. Verumtamen pœnitenti vtilius est etiam dispendia pati; quam periculis negotiationis obstringi: quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium non interuenire peccatum.*

Negocia sæcularia & cupiditas clericis prohibita.

Tertio, Clericis negociatio sicut alia sæcularia negocia prohibentur. Ita dist. 88. c. 2. *Consequens.* & c. 8. *Inutile.* & c. 9. *Negociatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.* Et c. 10. *Fornicari omnibus semper non licet: negotiari verò aliquando licet; aliquando non licet. Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto iam, non licet.* Et q. 14. q. 4. *Clerici aut ab indignis quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negociationis ingenio, vel cupiditate cessandum, aut in quocunq; gradu sint positi; si cessare noluerint, mox à clericalibus officiis abstinere cogantur.*

Clericus bono fine, & modo negociari, & sæcularia tractare potest.

Quarto, negociationibus temporis aliq̃d impendere clericus potest, si non cupiditate, sed animo iuuandi miseros id agat. Ita 88. c. *Decreuit sancta Synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum & orphanorum ac viduarum, aut si forte Episcopus ciuitatis Ecclesiasticarum rerum solicitudinem habere præcipiat. Vbi liquido patet, quia alia sunt negocia sæcularia, alia Ecclesiastica. Nonne Moyses in sæculo erat, cum crebro tabernaculum intraret & exiret, qui intus contemplatione raptus foris infirmantium negotijs vrgebatur.* Et c. 7. *Episcopus gubernationem viduarum, & pupillorum, ac peregrinorum non per seipsum, sed per Archipresbyterum, aut per Archidiaconum agat.*

Si vidua negocietur, aut pupillus?

Quemadmodum superiori libro de Clericorum dominio sæculari & causis audiendis diximus, ita quoq; de negociatione ratiocinandum est; nec hac in parte periculum est, qui enim ad pauperes subleuandos negocijs se implicat, cum res naturâ sit indifferens, ex bono fine sancta efficitur; nec facile fraudem faciet, aut mentietur, quem pietas non auaritia ad commercia adduxit.

Clericus pauper honestius negociatur, quam alius grauat mẽdicando.

Quinto, si in pupillorum, & pauperum causâ negociatio permittitur, multo magis in suâ causa, si inops est, præstat negociari, quam mendicatione alios grauare. Hinc apparet Platonem cum vrbes longius à portubus remouendas arbitratur, ne turba ingruat incondita, vitijsq; deformentur, ἀπεροφαπίζειν. & ideas separatas, Chimerasque, & Outopias condere. Non se hominum studiis, affectibusq; accommodare, & docere id quod in vsu esse potest.

Platonis puerile consilium.

Cur enim si portu opportuno sit ciuitas, vt onerarię subire pontes, & in mediam vrbem inuehi possint, eam in montem subducam, vt magno labore exonerari naues, magno sumptu aduehi merces oporteat? Hoc merito in magistro suo reprehendit Aristoteles; opportunitas enim rerum humanarum non est negligenda. Ego verò vitiosiorem talem vrbem, quæ à portu abest longiuscule; quam eam, quæ in sinum onustas opibus classes admittit, fore existimo. Nam illa remotior ingenti copiâ nautarum, cymbarum, bajulorum, agasonum, jumentorum, aurigarum indiget, qui magnis vitijs vrbem inficiunt, & primo aditu excipiunt appellentes. Mihi hoc sanè ad arcendam mercaturam tale consilium videtur, quale esset, si quis Ringauianis nostris, qui fœlices Rheno colles incolunt, suadere conaretur, vt in vicinos montes migrarent, eoq; vina sua adueherent, ne facili exterorum appulsu mores vitiarentur; sed hæc non sunt ejus qui Remp. instituere velit, sed metaphysica speculantis. Ego factum probo imperatoris, qui suo tempore habitus est optimus. Nam prouincias quatuor consulares ante rexerat, vita moderatus, disciplinæ militaris peritissimus, quem non honore modo, sed veneratione quoque dignissimum judicarunt, cujus designati fama barbari metu virtutis spectatæ & fiducia justitiæ quam in eo esse norant, se vltro illi dediderunt, qui in periculo extremo nihil nisi imperatorie dixit, aut egit, quem prætorianorum injuriâ cæsum populus Senatusq; adeò ægrè tulit, vt furentib. simili discurreret, tumultu, luctuq; omnia compleret, hæc enim de illo Herodianus atq; alij. Pertinax

Vrbs à portu remotior magna hominum fauce indiget.

Pertinax insignis imperator.

ille

ille est, qui priuatus Grammaticem docuit, ordines duxit, & habitus est parcior, quæ & necis caussa illi fuit. De illo refert Julius Capitolinus. *Tam parcus autem, & tam lucri cupidus fuit, vt apud vada Sabaria, mercaturas exercuerit Imperator per homines suos, non aliter quam priuatus solebat.* Hæc Capitolinus parum sincere, nam manifestus est falsi, cum ait: nec multum tamen amatus est. Quomodo n. non multum amatus, quem Senatus populusque ita Imperatorem factum lætatus est, vt de nullo omnino tam sincerum gaudium fuerit? quem tantum luxerunt, quantum nulla mater filium? ipse Capitolinus ait populum ejꝰ mortem indignissime tulisse; milites quidem eum & aulici odio habuerunt, & causa odij iniquissima; qa rapinas & libidines eorum compescebat. Deniq; Seuerus Successor nomen Pertinacis asciuit, vt boni Principis mores æmulaturꝰ videretur. non facturus, nisi carus fuisset Pertinax. De auaritia eum non excusoꝰ: ipse se, cum recusaret imperium, purgauit. *Ad hæc quicunq; enormibus Tyrannorum atq; immensis largitionibus insuerunt, vt, si frugalius paulo aut continentius ex pecuniæ inopia agere instituas, non tam id moderatæ cuidam dispensationi prudentiæq; attribuunt, quam auaritiam continuo tibi, & sordes exprobrant: neq; cogitant neminem posse magna cuiuis dilargiri, qui se à vi atq; à rapinis abstineat. Qui autem recte ac pro cuiusq; dignitate dispensat non modo nihil cuiquam iniuste eripit, sed & cæteros frugi esse docet & parcere parto.* Et hanc ad normam facta ejus fuerunt. *Vectigalia, inquit Herodianus, quoq; omnia quæ ad contrahendas pecunias tyranni excogitauerant, in fluuiorum ripis, in vrbium portibus, perq; vias & itinera, penitus remisit, atq; in antiquam libertatem reuocauit. multaq; item ad idem exemplum facturus videbatur. Nam & delatores vrbe exegerat, & vbi inuenirentur puniri imperauerat, cauens, ne cui iniuria fieret, aut de vanis criminibus periculum conflaretur.*

Pertinax defensus.

Frugalitas Pertinacis odiosa militi.

Pertinax negociationem exercet, vectigalia imiquatollit.

Egregium factum si rectè perpendatur, omnia dilapidauerat Commodus, decies HS. Pertinax inuenit, h. e. vix 30. millia; donatiua tamen erogare, Remp. regere, aulam constitui oportuit, inter hæc tamen vectigalia tyrannica abrogat, legitimos opum quærendarum modos exquirit, inter eos & mercaturam habet, quam priuatus exercuit, nec illi vitio datum est, quod post tot bella confecta feliciter, prouinciasque administratas Senator summæ dignitatis jam sexagenarius negociaretur, populo venerabilis & Senatui, Imperatoribus, & exercitui carus erat, dignus qui ex negociatore fieret Imperator. Quæ Historia satis ostendit, quod supra dixi. Martium illum populum impensius etiam Mercurium, quam Gradiuum patrem stirpis, vt putabant, auctorem coluisse.

Senatui & populo venerabilis mercator.

Hinc opes illæ Crassi, quibus exercitum alere posset. Plinius tamen Crasso ditiores libertos fuisse meminit. L. Domitius militibus promittit quaterna jugera, quæ pro militum numero erant quadraginta octo millia. Plin. l. 18. sex Dominos Africæ semisses possedisse. Non igitur milites duntaxat Romani, sed & Aratores & Mercatores, & vtrumque inter arma. Sed de agricultura jam dicam.

CAPVT XI.

Agriculturam ante omnia curandam, & ornandam.

Artium omnium fundamentum est agricultura.

§. 1. AGricultura inter omnes artes primatum obtinet, nam Protoplastus in Paradiso ad hortum colendum positus est, & Noë vir agricola post cataclysmum cœpit *exercere terram, & plantauit vineam.* Causa est, quia agricultura artium omnium est fundamentum. Πρῶτον μὲν ἅπ., inquit Aristotel. l. 7. c. 8. Polit. ὑπαρχεῖν δεῖ τροφὴν, ἔπειτα τέχνας. Primum suppeditari oportet alimentum, deinde artes. Et explicatius de ea disserit l. 1. Oeconomiæ c. 2. *Hoc autem est, vt prouisum sit, qualem illam esse conueniat. Facultatum verò ea cura prima est, quæ naturam sequitur. Naturæ autem ordine prior est agricultura, secundumq; locum obtinent, quæcunq; à terra proferunt aliquid, qualis est metallorum ars, & si qua alia eiusmodi est, Maximè sanè agricultura iusta est: non enim pendet ab hominibus, vel volentibus, vt quorum sunt cauponæ, & qui mercede operas dant, vel nolentibus, qualis tota res bellica est. Maximè præterea naturalis est, Naturaliter enim à matre cunctis nutrimentum suppeditatur, itaq; & hominibus à terra. Ad hæc plurimum confert agricultura fortitudini.*

Agricultura naturalis.

Hæc igitur pars omni in genere curanda est Reipubl. siue agrum vberem habeat, siue minime, nam & sterilis cultu fit vtilis, & suis amatur, ideoq; Vlysses, qui prudens fingitur, Ithacen asperam, & saxosam diligebat. Hæc itaque consectanda est; Quia maximè naturalis est, & justa. Arist. 1. Pol. c. 10. *Quare ea pecuniæ quærendæ ratio, naturæ consentanea omnibus est, quæ est à fructibus & animalibus. Cum sit autem ea duplex, quemadmodum diximus, & altera quidem sit cauponaria, altera ad rem familiarem tuendam pertinens: & hæc quidem necessaria sit, & laudetur: illa autem, quæ in permutatione nummi consistit, merito vituperetur (non enim naturæ consentanea est, sed in ea alter ab altero lucrum aucupatur) optima ratione omnibus in odio est ratio fœneratrix, quod ab ipso nummo quæstus fiat, & non ad quam rem paratus est vsurpetur. Permutationis enim gratia natus est: fœnus autem eum auget & multiplicat. Vnde etiam apud Græcos hoc nomen reperit (τόκος enim à pariendo, quod illi dicunt τίκτειν manauit.)* Quod etiam Turcica Barbaries censuit, quanquam enim Ottomanni agricolis vitam reddunt non vitalem, de quo errore post dicam; Agriculturam tamen magni faciunt, vt constat ex consuetudine, quâ receptum est, vt Imperatores ex horto viuant, ita narrat Leonicenus. Turc. hist. l. 1. c. 20. *Est quoq; in Imperatoris palatio hortus maximus & amœnissimus, cuius qui curam gerunt, Bostangieler, hoc est, hortulani vocantur, suntq; eorum 200. iuuenes à 15. anno vsq; ad vicesimum. Horum est officium pastinando, & irrigando hortum colere & inundare. Stipendio indies donantur trium vel quatuor asprorum, & vestitu annuo. Qui primus fructum, vbi maturauerit, præfecto obtulerit Imperatori exhibendum, is mille asprîs donatur. Hortulanorum Præfectus Bostangi Bascia vocatur, cuius stipendium est 200. asprorum singulos dies. Hic reliquis Eunuchis dignitate minimè æquipollet, sed solummodo seruus est Imperatoris. Fructus, qui ex horto isto colliguntur, ab hortulanorum Præfecto venduntur, pecunia ea Imperatori offertur, nec in alium vsum adhibetur, quam vt cibaria pro ipsius Imperatoris mensa inde coemantur. Lucrum enim è fructibus terræ acceptum, honestum & diuinum iudicat Imperator, quippe quòd non ex subditorum grauaminibus, sed ex diuina benedictione colligatur, ideoq; vetat ex ea pecunia, quæ ex vectigalibus, decimis & exactionibus conquiritur, cibaria pro sua mensa comparari.*

Cauponariam, & fœneratoriã Aristoteles reiicit.

Ottomanni agriculturam magni faciunt.

Turcæ mẽsa ex venditis fructibus.

§. 2. Omnes qui prudenter Remp. instituerunt, aut gubernarunt, agriculturæ primas dederunt Atq; ab illis incipiam, quorum est in tuto gloria, Iosephus ex agricolatione ditauit Pharaonem; Dauid ipse ejus rei summam curam habuit: Postquam enim Scriptura opes ejus & potentiam recensuit, curam quoq; rei rusticæ describit 1. Paralip. 27. 26. *Operi autem rustico, & agricolis, qui exercebant terram, præerat Ezri filius Chelub: vinearumq; cultoribus, Semeias Romathites: cellis autem vinariis Zabdias Aphonites. Nam super olueta & ficeta, quæ erant in campestribus, Balanam Gederites: super apothecas autem olei, Ioas. Porrò armentis quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Sethrai Saronites: & super boues in vallib. Saphat filius Adli: super camelos verò, Obil Ismaelites: & super asinos, Iadias Meronathites: super oues quoque Iaziz Agarœus. Omnes hi Principes substantiæ Regis Dauid.*

Dauid agriculturæ deditus.

Iosias. Nec minus studiosus fuisse agriculturæ videtur Josias, qui populo in epulum dedit minoris pecoris 30000. boum tria millia de Regis substantia. Principes templi dederunt pecorum duo millia sexcenta, boues trecentos. Deinde Chonenias & cæteri fratres ejus dederunt Leuitis quinque millia pecorum, boues quingentos. De Ezechia dubitare fas non est. 2. Paral. 32. 28. *Apothecas quoq; frumenti, vini, & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasq; pecorum, & vrbes sex ædificauit sibi, habebat quippe greges ouium, & armentorum innumerabiles, eò quòd dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.*

Ezechias.

Ozias etiam inter belli curas agriculturæ deditus fuit, 2. Par 26. 10. *Exstruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas eo quod haberet multa pecora tam in campestribus, quàm in Eremi vastitate. Vineas quoq; habuit, & vinitores in montibus, & in carmelo; erat quippe homo agriculturæ deditus.*

Egregium plane regem & optimis conferendum, nisi familiari potentibus superbiâ lapsus, dum Sacerdotio inhiat, regno excidisset. Romani quoq; ab initio agricolæ fuerunt; nam agri colendi, & militandi leges illis Romulus præscripsit. Hinc consulares & Triumphales agricolæ, Cicerones, Fabij, Marci, Dentati, Catones, Serrani, quin etiam ex Imperatoribus Diocletianus, atq; alij.

Romani agricolæ.

Annus 50. auaritiæ aduersus, agriculturæ cõducens.

§. 3. Deus ipse populo suo terram diuidi imperauit, leges constituit, ne possessiones miscerentur, annum quinquagesimum, quo ad dominos pristinos redirent, sanctum instituit, ne pauci latifundia occuparent, pauperesque pellerent. In paucas enim particulas agrum diuidi expedit, vt melius colatur. Laudabilem consuetudinem Aphytæorum refert Aristoteles l. 6. Polit. c. 4. *Nunc autem in Aphytæorum lege hæc omnia dirigere nos oportet. Est enim ad id, quod dicimus, vtilis. Nam illi, quamuis & multi sint, & agrum angustum habeant, omnes tamen sunt agricolæ, non enim censentur totæ possessiones neq; fundos integros in censum referunt, sed in tot particulas diuidunt, vt etiam pauperes censibus diuites superare possint. Secundum eam multitudinem, quæ ex agricolis constat, populus ille est optimus, in quo sunt pastores, & qui ex repecuaria vitam tolerant.*

Diuidi agros expedit.

Hæc etiam ratio fuit legum Agrariarum apud Romanos, quâ contendebant, publicos agros viritim diuidendos esse, tum vt necessitatibus ciuium succurreretur, tum vt agri diligentius excolerentur. Lycurgus etiam omnib. agros diuisit, vt laborum quisque & fructuum terræ particeps esset, eandem rationem secuti sunt Athenienses. Veteranis suis Romani in subsidium vitæ agros dabant, quâ occasione ad seditionem vsi multi, & ad militem concitandum Cæsar, cum quereretur negari terras, *quas noster veteranus aret*, cum tamen Pompeius magnus Piratis victis dederit.

Bellorum præmia agri.

An melius fient Piratæ Magne coloni?

Hinc & victos agris discedere jusserunt. Innumera exempla sunt, de Gallis Cicero pro Fonteio testatur. *Huic Prouinciæ, quæ ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius: (vt dixi) præfuit: qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex iis agris, quibus erant multati, decedere coegit: ceteris, qui idcirco magnis sæpe erant bellis superati, vt semper populo Romano parèrent, magnos equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum à populo Romano gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispanienſe bellum tolerandum.*

Coloniæ deducebantur diuisis agris. Solos Thracas, & Thespienses agriculturæ osores nouimus. De Thracibus narrat Herodotus: *Ocioſum esse, laudabile apud eos fuisse, contemptißimum esse cultorem agrorum.* Sed barbaros & latrones fuisse constat, nec Rempublicam habuisse, sed cædibus & rapinis vixisse.

Pœna negligentis Coloni.

§. 4. Respublica primum, agrorum, vinearum culturam præter fructum, quem magno fœnore reddit terra, etiam præmio, pœnaque promouebit. *Romanorum si quis agrum sordescere sinit, ærarius fit.* Gellius l. 4. cap. 12. Suadeam sane singulis annis bis inspicia agros, hortos, vineta, sedulis cultoribus laudem, interdum partis tributi remissionem dari, ociosos argui, agrum bonum, sed negligenter cultum magis grauari.

Agri deserti, semel suscepti non relinquendi.

Valentinianus & Valens prudenter, qui ita statuerunt c. 11. t. 58. l. 3. *Quicunq; deserta prædia meruerint sub certa immunitate, ad possessionem impetratorum, non prius finantur accedere, quam vel fidei iussoribus idoneis periculo curialium datis, vel fundis patrimonii sui maxime vtilibus obligatis, idonea cautione firmauerint susceptam à se possessionem nullo detrimento publico relinquendam.*

Agrorum cura Romanis ingens.

Hoc posterius diffidentia genuit; nam olim satis erat colonum esse, cum publice agricolis faueretur; ita magna in gloria erat agrum bene coluisse; familiam magnam alere regium. Abraham, cæteriq; Patriarchæ, & diues ille Jobus patientiæ exemplum, exercitus pastoritios, & egregie fortes habuerunt.

Magni igitur honoris ea res fuit: Eumolpus Petronianus *per Numidiam tam magnam familiam sparsam habuisse dicitur*, ex more Romanorum, vt capere Carthaginem posset. cur sparsa? nonne ad agriculturam, & pastiones? Arabant vtiq; Romani, pascebant, fœnerabantur, negociabantur. Et his artibus bellum sustentabant.

Noui agri quærendi.

§. 5. Nouos agros, seu noualia instituit, ve tribus excisis, siccatis paludibus, interdum excisis syluis, deductis riuis, & incilibus. Hoc olim facile erat, cum spaciosa terra delectum sui paucis habitatoribus præberet, nunc arduum optimis occupatis in sterili sudare solo. Verum hortor Principem, vt circumspiciat, quid negligatur, quid coli possit?

Palestina nunc millesimam partem populi non habet.

Nam ignauia cultorum & desuetudine multa fertilia terrarum inculta & horrida jacent. Quid cultius Ægypto, sed tamen Augustus purgatis Nili fossis, *quæ oblimatæ erant feraciorem illam fecit, vt annonam Romæ certiorem haberet.* Veteranis etiam non semper agri culti assignabantur; ita queruntur seditiosi Tiberiano tempore, Vligines paludum nomine agrorum assignari. Sic desertos agros cum immunitate assignabit, vt fecit Constantinus cap. 11. t. 58. l. 1. *Cum diuus Aurelianus parens noster ciuitatum ordines pro desertis possessionibus iusserit conuenirì, & pro his fundis, qui inuenire Dominos non potuerunt, quos præceperamus earundem possessionum triennii immunitate percepta de solennibus satisfacere: seruato hoc tenore præcipimus, vt si constiterit ad suscipiendas easdem possessiones, ordines minus idoneos esse, eorundem agrorum onera, possessionibus & territoriis diuidantur accepta.*

Ratio colendi solt.

§. 6. Hoc inprimis ipse Princeps faciat, vt exemplo Oziæ cisternas fodiat in deserto, turres ædificet, greges alat, agros colat. Insigne exemplum est Pertinacis inter raros Principes. Ita de illo Herodianus: *Postremo nondum bimestri imperio expleto, quum quidem ille iam non dubium suæ probitatis specimen dedisset, vniuersis in optimam spem erectis, inuidit repente mala fors, quæ omnia funditus euertit, sic vt egregii illi conatus vehementer omnibus profuturi, in medio quasi cursu prolaberentur. Nam primum quidem quicquid in Italia, aut alibi inculti gentium soli, etiamq; sub Regibus vacaret, id totum occupationibus, & colentibus adiudicauit, decemq; annorum immunitatem ac perpetuam dominii libertatem agricolis concesſit.*

Aurea lex est Valent. Theod. Arcad. 6. 11. t. 58. l. 8. *Qui agros Domino cessante desertos, vel longe positos, vel in finitimis, ad priuatum pariter publicumq; compendium excolere festinat: voluntati suæ nostrum nouerit adesse responsum: ita tamen, vt si vacanti ac destituto solo notus cultor insederit, ac vetus dominus intra biennium eadem ad suum ius voluerit reuocare, restitutis primitus, quæ expensa constiterit, facultа-*

cultatem loci proprii consequatur. Nam si biennii fuerit tempus emensum, omnis possessionis & domicilii carebit iure, qui siluit. Tanta cura colendis agris boni, & prudentes Imperatores institerunt.

Germania olim infœcunda, inculta, nunc terrarũ est ultissima.

§. 7. Quantum referat Agriculturæ studiosos esse, docet nostra Germania; quæ olim aspera cultu, nec vrbes, nec panem habebat, pulribus vtebantur; consulantur Cæsar, Tacitus, Strabo l. 7. Ab Istro irrigari desertas regiones scribit Procopius, Sueui hoc laudi sibi ducebant, longissime vacare regiones circum quaque, itaq; sexcenta milliaria Cæsaris tempore sine cultore squalebant. Cæsar lib. 4. bell. Gall. nunc verò cultissima tot vrbibus est, vt nulli regioni cedat. Neque dici potest optima quæq; esse occupata; nam & olim ita videbatur, cum saltus vnus esset Germaniæ, nunc quoque quod de herbis dixerunt nonnulli; optimas calcari, de Germania quoque vsurpare possumus; *optimas glebas calcari*, non coli. Vidi priuatos, vidi Nobiles, Prælatos, aliosque, qui repurgatis collib. vites plantarunt, aut fruges seuerunt, pascua læta effecerunt. Quantas opes Reipublicæ parare posset Princeps, si vel coli suo sumptu, vel colendos priuatis pro decimis assignaret?

Adhuc tota ferilitas Germaniæ nondũ tentata est.

Quis verò Principum est, qui non aliquot millia jugerum in mediocri ditione colligere possit? Det libertatem subditis, vt si opportunis locis culturæ idoneum locum occuparint, datâ Reipublicæ pensione annua sibi retineant, atque ad hæredes transmittant. Veteres Germani agriculturæ non studuerunt, Strabo libro 7. *Sueuorum natio, vt superius dixi, partim intra, partim extra, syluam (Herciniam) habitat, Getarum contermina gẽti. Sueuorum quidem gens amplissima, à Rheno siquidem vsq; ad Albim peruenit fluuium, eorum portio etiam trans Albim loca depascitur, quemadmodum Eumoudori, Lancosargi; nunc autem isti trans fluuiũ in fugam compulsi exciderunt. Commune a. est omnibus, qui hunc tractum incolunt, vt aliò facile migrent, & propter victus tenuitatem, & propter agrorum ignauiam colendorum, & propter inopiam pecuniarum. Cumq; in tuguriis habitent, in diem habent suppellectilem, plurimamq; è pecoribus trahunt alimoniam. Sicut & Nomades, eorumq; instar domestica in carris tollentes instrumenta, quocunq; fors tulit & opinio, suis cum armentis conuertuntur. Sunt autem & alii Germaniæ populi indigentia magis laborantes, Cherusci, Chatti, Gamabrini, Chattuarii, ad Oceanum præterea pertingentes Sugambri, Chaubi, Bructeri, Cimbri, Chauci, Chaulei, Gampsiani, cæteriq; quam plurimi.*

Vbi inculta ager est, ibi non est cara patria

Singulis annis etiam agros mutabant, quod magnæ negligentiæ caussam dabat, ita Julius l. 6. *Agriculturæ non student (Germani) maiorq; pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit. Neq; quisquam agri modum certum, aut fines habet proprios: Sed magistratus ac Principes in annos singulos gentibus cognationibusq; hominum, qui vnà coierunt, quantum eis, & quo loco visum est, attribuunt agri, atq; anno pòst alio transire cogunt. Ciuitatibus maxima laus est, quam latissimas circum se vastatis finibus sedes habere. Hoc proprium virtutis existimatur, expulsos agris finitimos cedere, neq; quemquam propè audere consistere.* Contraria cultis populis tenenda est ratio, vt agri vndiq; colendi quærantur.

Vastati agri laus barbarũ vrbium.

Belga olim fera natio.

§. 8. Quid fecerit priorum industria facile conspicimus, & fruimur. Cæsar libr. 3. de Belgis nostris ita loquitur: *Vbi Oceano, inquit, appropinquat* (Rhenus) *in plures diffluit partes, multis, ingentibusq; insulis effectis: quarum pars magna à feris barbarisq; nationibus incolitur, ex quibus sunt, qui piscibus, atq; ouis auium viuere existimantur.* At nunc toto orbe terrarum locum cultiorem an inuenire possis? Cultura hoc fecit. Olim tota ditio Fuldensis saltus erat, jam nulli Germaniæ parti, excepta Rhenana & Istriana, cedit.

Victus olim in Belgio Germaniaque miserrimus, nec alius esse posse putabatur; Tac. de German. *In omni domo nudi ac sordidi in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur, excrescunt: sua quemq; mater vberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac seruum nullis educationis deliciis agnoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt. Est tegmen omnibus, sagum, fibula, aut si desit, spina consertum, cetera intecti totos dies iuxta focum atq; ignem agunt. Peucinorum, Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis, an Sarmatis ascribam dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnos vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germani agunt, sordes omnium ac torpor, Procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur,* Et mox: *Fœminis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus.*

Victus & sordes Germanorum veterum.

Domus vix vllæ, specus, & antra fuerunt. Tacitus. *Suam quisq; domum spacio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum vsus: materia ad omnia vtuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt, terra ita pura, ac splendente, vt picturam, ac lineamenta colorum imitetur. Solent & subterraneos specus aperire, eosq; multo insuper fimo onerare, suffragium hyemi, & receptaculum frugibus.*

Domus germanorum.

Et Seneca: *Germani, inquit, errant incertis sedibus; sunt apud eos perpetuæ hyemes, solum infœcundum, nullæ ædes, venationibus viuunt: victumq; nox fessos laboribus deprehendit, cubant sub frondibus, aut in speluncis foueisue: non habent domos, sed casas foliis & culmis contectas. Incolæ circumagũtur chorizantium more in congelato mari, victitantes carne ferina, gens nuda, & pellibus solum ferarum vestita, & propterea vilis despectaq; ab omnibus.*

Germani despecti.

Manserunt hæc vsq; ad Christiana tempora, Carolum, Bonifacium, donec cultura ostenderet, omne solum esse fertile. Hæc idcirco attuli, vt discamus adhuc loca superesse culturæ. Nam quemadmodum olim infrugifera loca illa putabantur, quæ nunc cultissima, fertilissimaque sunt; ita nunc quoq; insignes agri sunt, quos aratra nondum violarunt; paludes sunt, quas siccari posse multorum industria docuit.

Tributa faciunt agros steriles.

§. 9. Agros non modo tempestas, & bellum, sed maxime onera ciuica faciunt steriles, quibusdam in locis depascuntur eos greges ceruorum, in alijs miles amicus, sed concussor, in plurimis & tributa. Ita vt colere non libeat. Imò ipsi tributorũ magnitudine compulsi sterilitatem mentiuntur, vt exactores euitent; ita factum colligimus ex lege Grat. Valent. Theod. aaa. c. 11. t. 57. *Quisquis vitem succiderit, aut feracium ramorũ fœtus vitiauerit, quo declinet fidem censuum & mentiatur callida paupertatis ingenium: mox detectus competenti indignationi subiiciatur, illo videlicet euitante calumniam, qui forte detegitur. Laborasse pro copia, ac pro reparandis agrorum fœtibus, non sterilitatem aut inopiam procurasse. Datum Prid. Non. Ian. Constantinop. Eucherio & Syagrio Coss.*

Timore tributorũ sterilitate efficiunt.

Quæ enim cura fuerit agrorum, si melior putatur sterilitas, quam crudelitas lauernionum, malo, sed specioso jure grassantium? Hinc lege, Qui grauatos, & l. Peræquatores, benigne succurritur miseris. Bellis ciuilibus magna etiam cura agricolarum habita, sed posteriora tempora omnia in pejus vertêre.

Bello agricolæ immunes.

§. 10. Reuocanda lex antiqua de pace agricolarum, quam Cyro tribuit Xenophon libr. 5. *Cumq; cogitasset fore vt qui ad se defecerant, quoniam essent Babyloni finitimi, malo afficerentur, nisi ipse adesset semper: Ita vt quoscunq; ex hostibus missos faciebat, iis iussit Assyrio dicerent, & ipse caduceatorem ad eum hac dicturum misit, se paratum esse sinere agricolas terram colere, nullaq; iniuria afficere. Sic etiam ille vellet agrum colere agricolas eorum, qui ad se defecerant. Quanquam tu, inquit, si etiam possis prohibere, paucos quosdam prohibeas: (parum enim est agri eorum, qui ad me defecerunt) at ego multam tibi regionem coli permittam. Quod autem ad perceptionem fructus attinet, siquidem bellum fuerit,*

fœderit, ille fructum percipiet, qui superior fuerit: Si pax erit, perspicuum est te percepturum. Quod si aut ex militibus meis arma inferant tibi, aut ex tuis mihi, de iis vtriq; pro virili vltionem capiemus. Hæc vbi caduceatori iussisset, eum misit. At Assyrii his omnibus auditis suadebant Regi, vt hæc concederet, & quam minimum belli relinqueret. Et Assyrius siue à suis persuasus, siue quod ipse ita vellet, hæc concessit: ac fœdera percussa sunt, vt terram colentibus pax esset, armatis vero bellum.

Hoc quoque consilio, saltem publico, imitati sunt Belgæ; multi enim agricolarum, qui in finibus erant, partis vtriusque protectionem habuerunt, sed consilio publico; nam vtroque à milite damna passi sunt. Quin jam ante Cyrum ea humanitate vsi sunt reges, Nabuzardan Præfectus Babylonij Regis vinitores & agricolas reliquit, Indorum etiam eam fuisse consuetudinem auctor est Arianus l. 5. de reb. Alexandri Diodor. Sic. lib. 2. c. 10. Sunt enim tam victori quam victo necessaria opera agricolarum. Hoc igitur genus hominum, nunc omnium primo prædis objicitur. Quocirca ad belli rumorem annonæ caritas crescit. Agricolæ necessitate compulsi, ipsi quoq; belligerantur, aut ad latrocinia sese conuertunt.

Defendere agricolas est pascere ciuitates.

§. 11. Magnæ quoque fuerit prudentiæ agricolas immunes conseruare ab aulicorum, nobilium, potentium, rabularum injurijs, illæ enim efficiunt, vt nec agrum colant diligenter, nec de augendâ re cogitent, vt ille dum

Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Nec igitur dominos plures sentiant in villulis suis, nec rure in vrbem extrahantur. Eorum etiam simplicitati consulatur, dum ingratis vrbibus necessaria inferunt, ita constituerunt Clemens V. & Pius V. qui vectigalia exigi ab agricolis annonam importantibus vetuit. Hinc illa præclara; ne bouem aratorem pignori accipere liceat, ne pro repressalijs liceat agricolas molestari. Olim potentes vrbani onera in rusticos deriuabant, quod vetuit Imperator Constantinus c. 11. tit. 57. *Quoniam tabularij ciuitatum per collusionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt: iubemus, vt quisquis grauatum se probauerit, suam tantum pristinam possessionem cognoscat. Datum 15. Kal. Febr. Romæ Constantino A. III. & Licinio Coss.*

A militum etiam molestia vindicantur c. 11. t. 60. *Prata prouincialium nostrorum, & præcipuè rei priuatæ nostræ, perniciosum vel periculosum est militum molestia fatigari. ideoq; lege ad amplissimam præfecturam promulgata, censemus, ne hoc deinceps vsurpetur. Super qua re vniuersos quorum interest conuenire tua magnificentia non moretur, neq; permittat possessores vel colonos pratorum gratia qualibet importunitate vexari. Dat. Non. Sept. Honorio X. & Theodos. VI. AA. Coss.*

§. 12. Sua vnumquemq; non aliena colere valde expedit. Apud Romanos toties definitus est agri modus, quem vltra tenere nemo posset, semper tamen leges illæ violatæ, etiam ab ipsis legislatoribus; nam inde fit, vt opprimantur agricolæ, hinc postea pulsis agricolis ergastula omnium possessiones occupabant, inductaque in nobilem terram seruitute sterilitas secuta, qualis nunc apud Turcas est. Tanta enim est in vastis terrarum fertilium spacijs sterilitas, inopia colentium, vt bellum domi sustinere nullo modo possit eorum Imperator. Quia enim Turcorum subditis persuasum est, omnia sua esse propria Imperatoris, atque ille hoc jure vtitur, hinc agricultura destituitur terra, ideoque hominibus, hoc est, fundamento virium. Nam primo Europæi tyrannice habentur, & in maximâ desperatione versantur, nec ad rebellionem tyrannidi tantæ concitandum, quicquam deest, præter occasionem; Imperium igitur hoc incultum est, & vastum, solitarium, debile. Prouerbio dicitur, vbi Ottomanni caballus figit pedem, *ibi nunquam herbas enasci.* Cujus causæ multæ sunt, sed præcipua, quod vel illi è fundis auferuntur, vel fundi ab ipsis, pro regnantium arbitrio.

§. 13. Agricultura simplicior est, & facilior pastio; Facilimam vitam pastores ducunt. Aristoteles Polit. lib. 1. c. 8. *Victus enim ab animantibus cicuribus sine labore eis contingit & cessantibus. Cùm porrò necesse sit pecoribus locum mutare propter pascua, ipsi quoq; vnà sequi coguntur, veluti viuæ agriculturæ operam dantes. Alii ex venatione viuunt: Sed alii ex alia, exempli gratia. Hi ex latrocinio, illi ex piscatu, quicunq; lacus & paludes & fluuios, aut mare piscationi opportunum accolunt: alij ex aucupio, aut præda ferarum bestiarum. Plerique autem homines è terra viuunt, & ex fructibus mansuetis.* Hæc maximè curæ fuit Orientalibus, & regia planè, nunc contemptissima est; sed Princeps addet dignitatem, siquidem facile, & sine injuria ditescere cupiat.

Rusticani domi ius dici debet.

§. 14. Quieti rusticanæ conuenit, & ad securitatem pertinet, vt in villis pagisque suos habeant judices; nam multa inde commoda oriuntur; non coguntur in vrbes, non auocantur à labore, facilius litem componunt, breuiori compendio jus dicitur. Nec imperitia objici potest, habent illi lites non intricatas, & leges paucas, ex quibus sententiam dicunt, quod si res difficilior agitetur ad vicinas vrbes consilij causa mittitur. Justum verò est, vt mercatorum causæ mercatoribus, ita rusticorum rusticis committi, & fabrorum fabris, modo à perito dirigantur, ne à communi jure recedant. Nam reuera multi nunc διασείουσι concutiunt miseros, auctoritate, minis magistratuum terrent. Id olim præsides, publicani, eorum familia, milites cum aperte in pacato solo prædari non possent, in more habebant, vt per calumniam opprimerent. Hæc causa olim Varianæ cladis, cum imperium eorum Germani accepissent, sed mores ferre non possent; præcipuè verò in causidicos sæuierunt, vnius linguam excisam manu tenens Germanus *Eia vipera*, inquit, *etiam nunc sibila.*

Concussiones rusticorum impediendæ.

§. 15. Optanda quidem esset omnium agrorum fœcunditas, sed quia eam Deus dare justâ causâ noluit, arandus est & ager exsuccus. omnis Respublica sibi talem deligeret, qualem lib. 7. cap. 5. Politic. describit Aristoteles: *Similiter autem & de agri natura se res habet. Nam quod ad illud attinet, qualis esse debeat, nimirum omnes eum laudauerint, qui sit rerum omnium copia refertus atq; instructus, suiq; ipse bonis contentus: talis autem sit necesse est, qui sit omnium rerum ferax. Omnibus enim rebus abundare, & nulla egere, hoc est, suis ipsum bonis contentum esse, omniumq; rerum copia refertum atq; instructum esse: multitudine autem, & magnitudine talis, vt qui in eo habitent, possint viuere ab omni opere vacantes liberaliter simul & temperanter.*

Magnus, & fertilis ager optandus, sed qui habetur arandus est.

Sed rarus ejusmodi est ager, *non omnis fert omnia tellus*, quædam valde pauca. Itaque jura, quæ agriculturam constituerunt, miscèri agros jussere, vt qui infœcundum fastidiret, fertili priuaretur, ita de publicis agris leges: *Quisquis* (c. 11. tit. 58.) *conductor fuerit inuentus possessor fundi fertilis, qui ex publico vel templorum iure descendit, huic ager iungatur inutilior, quod si contra id reluctandum existimauerit, alius possessor sub eadem præstatione quæratur: vel si voluntarius, qui sit conductor non inueniatur, tunc ad possessores antiquos, id est, decuriones vel quoslibet alios loca iuris prædicti adiunctis inutilibus reuertantur idoneis fideiussoribus præstitis.*

Miscendi agri fertiles & infœcundi.

§. 16. Quin & illud sagax antiquitas prouidit, vt munire, & colere limites posset, ne inculti jacerent agri, sed si eos milites colere vellent, immunes esse jusserunt, ita Theod. & Valens AA. c. 11. t. 59. *Agros limitaneos vniuersos cum paludibus omniq; iure quos ex prisca dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare pro suo compendio atq; arare consueuerant: & si in præsenti coluntur, ab his firmiter ac sine vllo concussionis grauamine*

Limitanei agri omnino liberi fuere.

mine detineri: & si ab aliis possidentur (cuiuslibet spacii temporis præscriptione cessante) ab vniuersis detentoribus vindicandos iisdem militibus sine vllo prorsus (sicut antiquitus statutum est) collationis onere volumus adsignari: in his etiam contra eos, qui præceptionibus nostris obuiam venire tentauerint, proscriptionis pœna valitura. Nam si quis forte (quod minimè audere debuerat) emptionis titulo, memorati iuris possideat prædia: competens ei actio contra venditorem intacta seruabitur.

Milites veterani nouis colont.

Imitare animose Princeps, firmabis opes, & regnum; Ecce gentium Domini per militem agros limitaneos, hostium excursibus obnoxios colebant, nec tum pudebat Veteranos arationis, qui pro extremo præmio agros exspectabant, qui nouerant maximos Imperatores post trabeam, ad stiuam triumphalem rediisse. Denique hoc age, vt vbique tuus ager, tuum pecus videatur. Miror Romanam industriam. Augusti imperio, C. Asinio Gallo, C. Marcio Censorino Coss. C. Cæcilius Claudius Isidorus testamento edixit, Plinius lib. 33. cap. 10. Qu • uis multa ciuili bello perdidisset, tamen relinquere seruorum 4116. juga boum tria millia sexcenta, reliqui pecoris, ducenta quinquaginta millia, in numerato sexcenties decies quinquies centena Philippicorum millia, computatione Lipsianâ. Hæc priuatus, & bellum passus. Cur non Princeps, si omnes occasiones inquirat, idem poterit?

Iuga boum tria millia.

Ad Agriculturam refero piscinas, saltus, omniaque quæ terra & aqua proueniunt. Quorum fructus si Princeps sequatur, nihil opus fuerit, quotidie noua vectigalia, noua tributa imponere. Terra ipsa satis fœcunda fuerit ad dignitatem tuendam, hostemque arcendum. Quod si Turca, qui tantum terræ desertæ & fertilis possidet, vel millesimam aliquam partem in Græcia, in Asia, Palæstina seriò colendam susciperet, facile tantos greges, quantos Iosaphat, Ezechias, Josias, in sumptum exercitus alere posset, sed noluit Deus tantæ fœuitiæ addere prudentiam politicam, ne viribus suis totum orbem occuparet.

Turca si fertiles agros coleret orbem totum occupare posset.

Caput XII.

Principi fossilium rerum precia conquirenda esse.

§. 1. Germanis nostris *argentum, & aurum propitij, an irati Dij negauerint*, dubitat Tacitus; sanè nunc quam plurimum auri, argenti, gemmarum possident. Multi etiam laborem improbum, τῶν μεταλλάντων, metalla exquirentium valde reprehendunt, *aurum irrepertum*, ajunt, *melius situm*, dolent cum

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Metalla scrutari opus est principis.

Plinius libro trigesimo idem studium, quod docet, insectatur, *Metalla nunc, ipsaque opes, & rerum precia dicentur, tellurem intus inquirente cura multiplici modo: quippe alibi diuitijs foditur, quærente vita aurum, argentum, electrum, æs: alibi deliciis gemmas, & parietum digitorumque pigmenta: alibi temeritati ferrum, auro etiam gratius inter bella cædesque. Persequimur omnes eius fibras, viuimusq; super excauatam, mirantes dehiscere aliquando, aut intremiscere illam, ceu verò non hoc etiam indignatione sacræ parentis exprimi possit. Imus in viscera eius, & in sede Manium opes quærimus, tanquam parum benigna fertilique, quaquà calcatur. Inter hæc minimum remediorum gratia scrutamur. Quoto enim cuiq; fodiendi causa medicina est? Quanquam & hæc summa sui parte tribuit, vt minimè parca, facilisq; in omnibus quæ prosunt. Illa nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit atq; demersit, illa quæ non nascuntur: vt repente mens & inane euolans reputet, quæ deinde futura sit finis, seculis omnibus exhauriendi eam, quousq; penetret auaritia. Quam innocens, quam beata, imò verò & delicata esset vita, si nihil aliud, quàm supra terras, concupisceret, breuterque, nisi quod secum est! Eruitur aurum & chrysocolla iuxtà, vt pretiosior videatur nomen ex auro custodiens. Parum enim erat vnam vitæ inuenisse pestem, nisi in pretio esset, auri etiam sanies. Quærebat argentum auaritia: boni consuluit interim inuenisse minium, rubentisq; terræ excogitauit vsum. Heu prodigiosa ingenia, quot modis auximus pretia rerum? Accessit ars picturæ, & aurum argentumq; cælando carius fecimus. Didicit homo naturam prouocare. Auxère & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare iuuit, ac per obscœnitates bibere. Abiecta deinde sunt hæc & sordere cœpere: & auri argentiq; nimium fuit. Murrhina & crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere, quod posset statim totum perire. Nec hoc fuit satis, turba gemmarum potamus, & Smaragdis teximus calices: ac temulentiæ causa tenere Indiam iuuat: & aurum iam accessio est.*

Opum abusus est, sed non nisi opib. defendi Respubl. potest.

§. 2. Hæc omnia auaritiæ sunt conuitia, non facultatum, vt initio dixi; Deus enim hæc quoque donauit in vsum humani generis, quod abundare, & splendere voluit; nec alio modo subterraneæ diuitiæ vituperantur, quam ea, quæ foras ipsa producit, vinum, & fruges, animalium deliciæ, formarum venustas, his enim omnibus stultitia abutitur. Metallorum itaq; opes sapiens Princeps inquiret, & ea Rempublicam iuuabit. *Aurum per bella quærere, nefas est; per maria, periculum; per falsitates opprobrium, in suâ verò naturâ, iustitia*, vt monet Cassiodorus. Ratio triplex ejus inueniendi. Apud nos, inquit Plinius libro 30. cap. 4. tribus modis; *Fluminum ramentis, vt in Tago Hispaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ; alio modo scrobibus puteorum effoditur, aut ruina montium.* In fluminibus licet præstantissimum dicatur, & absolutissimum cursu ipso trituque perpolitum, non tamen jam amplius inuenitur, aut potius non quæritur.

Vitia vituperantur, non facultates.

Tribus modis aurum quaritur.

Cum verò ex metallis, gemmis, marmoribus, omnibus metallicis, & sanie metallorum ingentes vtilitates oriantur, non sunt negligendæ, sed tanquam Reipublicæ data beneficia cum gratiarum actione vsurpanda. Quod si jam olim venæ compatuerint, inuestigandæ porrò; de nouis quoque sedulo cogitandum. Neque existimandum ita, Deum dispensasse, vt veteres omnia eruerint; Immensæ diuitiæ latent abditæ sub montium molibus, aliæ profundis, aliæ penè in propatulo. Tanta est eorum varietas, vt certare videantur cum illis, quæ enascuntur. In summâ tellure Principatu Neronis in Dalmatiâ inuentum est aurum, singulis diebus etiam quinquaginta libras fundens, cum jam inuentum in summo cespite, ait Plinius.

Aurum in summo cespite.

§. 3. Statuendum omninò plurimas esse passim venas metallorum per Europam, & Asiam, quæ negliguntur, cujus signum est fluuiorum arenæ aureæ, quæ indicant vicinas ripas abundare auro. Neque vllum Principem arbitror esse, qui non eas diuitias habeat, sed deesse industriam scrutandi. non affirmo vbique aurum esse, sed speciem aliquam metallicarum, seu fossilium rerum. Aurum, argentum, electrum, æs, ferrum, stannum, plumbum, argentum viuum, sandaracham, minium, cadmiam, alumen, sulphur, bitumen, terram Samiam, Eretriam, Eliam, Selinusiam, Pignitidem, Ampelitidem, Cimoliam, Sardam, Vmbricam, tot lapidum genera. Nam quotidie noua hujusmodi inueniuntur, quod signum est esse. Priscis temporibus nihil horum erat in hac nostra Septentrionali Europâ, nunc pluribus locis plurima sunt; quia olim aliæ erant curæ mortalium, nunc illa quæruntur. Tacitus; Argentum negat esse in Germania, at nunc inuenitur, & hoc, & aurum.

Omnib. in terris aliqua metallica inesse.

Nulla

Locis horridis metalla non desunt.

Nulla pars Germaniæ est, in qua non aliqua effodiantur; In Comitatu Tirolensi, Bohemiâ, Saxoniâ, Pannoniâ, Transyluaniâ, Poloniâ, Hassiâ, Eisliâ, dotes illæ sunt. Imò in ipsa Norvvegiâ sub frigore arctoo propè Ringaricham argenti venæ sunt, & in Suundhalangio cupri abundantia; In Suecia quoque montes auri, argenti, æris, plumbi numerantur, sub gradu 62. Ipsa Britannia stannum argenti ꝓpè æmulũ gignit. Electrum mittit Borussia, Gemmas Herciniæ saltus. Caussa cur minus in hoc genere elaboretur, est vel mutatio dominorum, & gubernantium, vel bella, vel sanè sumptuum magnitudo; hinc priuatorum vix opus est, olim publicani conducebant, plures simul, & diuites. Rarus jam in Hispania fossor auri est, quia noua Hispania, & Peruuia fertilior est; negare tamen non possumus in Hispania metallicos esse montes, cum Scriptura, & experientia id ostenderit; propè Carthaginem nouam quadraginta non minus hominum millia perpetuo in opere versata sunt, vt auctor est Polybius; quis credat vicinos montes aurum non habere? aut Carthaginenses penitus exhaustos?

Cur minor metallis sit cura.

Nullum tamen Principem plures metallorum fodinas habere arbitror, quam Turcarum Imperatorem, qui cum tamen sit auri sitientissimus eo bono non vtitur, & penuriâ peritorum, & Dei prouidentiâ, ne tantis opibus contra reliquias Christianorum instruatur. Deuteron. 8. 9. Deus promittit terram cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus metalla fodiuntur. Copiam magnam indicat, cum dicit אבניה ברזל *lapides eius ferrum*; quasi ferri sit ea copia, quæ lapidum, & hoc mirum cum sit, eadem est ratio argenti, vt supra dixi. Æris quoque multitudinem significat, cum ait תחצב excides, quasi instar saxorum æs excidatur de montibus. Auri verò abundantiam fuisse ostendit Deut. 1. 1. *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem, in solitudine campestri, contra mare rubrum inter Pharan, & Tophel, & Laban & Haseroth, vbi auri est plurimum.* Vbi noster, & Chaldæus ררי רחב vertunt abundantiam, seu sufficientiam auri, LXX. καὶ καταχύσεα, vel vt alij, καὶ κατὰ χεύσεα ad aurifodinas, siue quis verè intelligat esse sufficientiam auri, siue autem loci nomen, parum effecerit contra id quod dixi; nam si nomen est loci, inditum est ab auri copiâ, siue Scriptura dicit aurum esse plurimum, conuincimus metallorum esse multitudinem. Est in eo tractu vrbs, de qua Genes. 36. versic. 39. מי – רחב aquæ aureæ, quanquam potest esse nomen fœminæ. Et 33. v. 25. *Ferrum & æs calceamentum eius* dicitur, seu ὑπόδημα, quod interpretantur æris & ferri fodinas, quasi dicat, ferrum & æs calcatio tua, hoc est, sub pedibus tuis vbique fodinæ ferri, & æris, hinc Sarepta Sidoniorum à שרם conflando dicta est.

Palæstina metallis diues.

Sed ad καταχύσεα redeamus, de quibus Christianus Adrichomius ita habet in Theatro terræ sanctæ de Pharam Numer. 16. *Aurifodinæ Hebraicè Dizahab; Græcè catachrysea dicta; vbi auri est plurimum. Sunt autem montes auri fertiles in deserto, itinere vndecim dierum de Oreb, iuxta quos Moyses Deuteronomium scripsisse perhibetur: Sed & metalli æris, quod nostro tempore corruit, montesq; venarum auri plenos olim fuisse vicinos existimant. Deuteronom. 1.* Hieronym. in loc. Hebr. & Epist. ad Fabiolam manss. 42.

Arabia auro abundans.

De Arabia quoque constat auri ditissimam esse. *Auri quoque,* ait Adrichomius in Manasse, Numer. 12. *& argenti venis ac glebis vsque adeo scatet, vt omnis pene gentis huius suppellex, alia auro, alia argento splendeat. Vendunt & aurum finitimis triplo æris precio, argentum duplo, ac quondam, vt Ezechiel nos docet in Tyri mercatibus præstantissimas aromatum, auri & pretiosorum lapidum merces proponere solebant, quæ hinc in vniuersum mundum auehebantur. Preciosissimarum siquidem ac selectissimarum gemmarum, sardonichum videlicet, adamantum, margaritarum, baccarum, aliorumq; diuersi coloris ac clarè splendentium lapidum felicis huius Arabiæ terra admodum ferax est. Nec terra tantum, sed & quod adiacet ei, mare huiusmodi lapidibus affluit. Nam hic ostreæ seu conchylia capiuntur, in quibus margaritæ nascuntur, & maturescunt. quæ quòd nullæ duæ indiscretæ reperiantur, etiam vniones dicuntur, Quarum tam nobilis natura est, vt nullo æquari precio possit. Vnde de Cleopatra Ægypti Regina legitur, quòd hic inuentam margaritam ducentis & quinquaginta aureorum millibus redemerit.*

Nunc tamen nec magna cura est opes illas emendi, nec potestas; nam latrociniis, vastitate, timore tyrannidis omnia plena sunt.

Metalla per damnatos eruenda.

§. 4. Omni generi metallicarum rerum conuenit, vt administrentur quidem per homines idoneos, sed laborum maxima pars à damnatis ad opera perficiatur. Ita olim sapienter à Romanis, alijsque factum, nec peccatum est, nisi iniqua judicis olim sententia, quâ Christiani Episcopi, Sacerdotes, laici fideles ad metalla pro pietate damnabantur. Qui jure merito ita per flagitia meriti sunt, huic pœnæ subjiciendi sunt, & crebro mortis pœnam, in hanc commutari fas est. Ægyptij vt Pyramidum, deductionum Niliacarum barbara opera per damnatos, & captiuos effecerunt, sic quoque ad aurum effodiendum improbos destinabant. Diodorus libro 1. *Quorum Reges omnes criminis damnatos, item ex hostibus captos, siue quis Regem offendisset, ipsum & totam cognationem interdum, auro effodiendo deputabant: simul & facinorum pœnam sumentes, simul & quæstum vberem ex eorum labore capientes.*

Cauendum ne innocentes addicãtur.

Non ignoro innocentes plurimos magna tyrannide attritos omnia dira subiisse, sed moneo Principem, vt verè reos, verè nocentes, vel ad totam vitam velut pœnæ seruos, vel pro delictorum mensurâ ad certum tempus in tenebras istas ableget, mirum enim est, quantum exercitatio illa modestiam adjuuet, vbi omnis lassitudo exigunda est è corpore. Nec difficilis custodia, tum quia in speluncis continentur, tum quia totum hoc genus ferratile est. Quid enim? Prosint Reipublicę pœnæ eorum, quorum scelera obfuerunt Nunc in carcere multi multos annos continentur publico sumptu, truncantur auribus, publicè flagellantur, exilio multantur, interim cum vitæ ciuiliter degendæ copia denegetur, ad furta, latrociniaque iterum accinguntur. Nusquam enim ob infamiam possunt consistere. His tamen interponi alij tum præfecti tum mercede conducti debent, vt fugiendi occasio desit. Multas miserorum centurias hodie carceres continent, qui tam atrocia non admiserunt, vt morte puniendi sint.

Varia genera metallicorũ.

§. 5. Hanc ad industriam omnia cætera, vt Chrystallinas, vitriarias, lapidarias, aliasque officinas reuoco, salinas enim aliaque nominare superfluum est, cum jam acidularum quoque vsus lucrum adferre cœperit, & precio bibatur vnda. Salinas Ancus Marcius Romæ primus instituit; qui & sex modiorum milla in congiario dedit populo. Plinius libro 30. c. 7. Olim res rara difficilisque, nunc in promptu. Sed tamen nusquam quod meminerim ea copia, quæ in Italia, vbi Tarentinus lacus æstiuis

Solibus siccatur, & totus in salem
abit.

CAPVT

CAPVT XIII.

Parsimoniam summum vectigal esse.

Parcè & iudicio donãdum.

§. 1. DE liberalitate Principis vbi disserui, parsimoniam etiam commendaui, quę est fons, & firmamentum liberalitatis. Eadem de re dicendum fuit, vbi de Oeconomia actum est. Nunc verò de eâ agendum Parsimoniâ, ἣ τῇ χρηματιστικῇ necessaria est, & munera judicio, & moderate donat. Multi enim Principes largitionibus quibusdam, quæ curâ, œconomiâ, agricolatione corraserunt, omnia profundunt. Hos velim ista secum perpendere: & recta ratione cuncta dispensare.

Largitiones accendunt, non minuunt auaritiam.

§. 2. Hominum naturam accipiendi, habendiq; auidam considerent, atque id certo statuant, nunquam futurum, vt dona auaritiæ satisfaciant: Oraculum est Aristotelis lib. 2. Pol. cap. 7. *Præterea inexplebile quiddam est hominum improbitas. At primum satis habent duos obulos duntaxat accipere: vbi autem hoc patrium & auitum fuerit, semper eo amplius desiderant, donec in immensum progressi fuerint. Infinita enim & immensa est cupiditatis natura: ad quam explendam plerique homines omne studium atque adeò omnes vitæ rationes conferunt.*

Prodigus plurimos dando offendit.

§. 3. Nullum quidem Principem satis videri liberalem assentatoribus, sed nullum æque offendere, atque eum qui prodigus est, qui vt ajunt, clausis dat oculis, nec merita accipientium, nec dignitatem ponderat. Nam qui indignus est beneficio, etiam ingratus est. Et digniores qui paria, aut minora acceperunt, injuriâ se affectos putant.

Ingentia promissa Galbæ.

§. 4. Prodigos plerumque male perisse. Galbâ aulicis & prætorianis ingentia promisit, seque & plures perdidit. Prudenter Plutarchus, *Promisita eius reigratia aulicis, & prætoriis (vt vocant) militibus viritim denarios septies mille, iis qui in prouinciis militabant, MCCL. quam pecuniâ nisi plurib quam Nero maleficiis totũ humanũ genus afficisset, nullo modo comparare poterat. Ea promissio primum Neronem, mox Galbam perdidit: quorum alterum spe accipiendi prodiderunt, alterum quod non pendebat, necauerunt: ac postea quærentes eum qui tantundem daret, priusquam voto potirentur, inter defectiones & proditiones perierunt ipsi.*

Improborũ multitudinem daret.

§. 5. Si quid liberaliter donare velit, id potius eripiat iniquis, indignis, verbi gratiâ, Judæis, fœneratoribus, similibusque Christianis, multas improbis extortas det benè meritis, sic enim non modo præmia, sed pœnæ etiam erunt, & exempla colendæ virtutis. Præclare Galba, vt refert Plutarchus: *Munera, quæ Nero scenicis, & Xystricis dederat exigi seuere, decimâ tantum iis parte relictâ, iussit.* Hoc si in plerisq; Neronianis largitionibus fecisset, pecuniam magno exercitu alendo colligere poterat.

Salomon prodigus & auctor.

§. 6. Dixi multos Principum hac in parte delinquere; nec mirum: Salomon ipse, Regum ditissimus, *qui præbuit argentum sicut lapides in Ierusalem*; postquam jam senex deprauatus est per mulieres, hac solâ re prouinciam afflixit. Habebat Reginas septingentas, & concubinas trecentas; quas largitiones fuisse dicemus, vt septingentas Reginas ornaret? aulâ, reditu annuo instrueret? templa illis extrueret? Hinc merito illæ querelæ, 3. Reg. 12.4 *Pater tuus durissimum iugum posuit super nos.* Nam ad septingentas Reginarum luxuriantium aulas nullæ opes satis esse potuerunt, itaque quæ pessime impendit, injuriose extorsit; solent autem ista se mutuo comitari malè partum esse, & male expendi.

§. 7. Hoc quoque in Romanâ Republica factum. Nam vt cætera politicè constituta fuerint, certè flagitiosissime opes tanti imperij sunt expensæ. Agit hac de re Justus libro secundo de magnitudine Romanâ, cap. 10. & sequentibus. Diuidit sumptus in necessarios, & arbitrarios. Necessarij in militem, & magistratus. Pisoni centies octogesies in Macedoniam eunti datum nomine Vasarij. Centies HS. sunt 50000. Philippicorum. Populo prius minore precio, deinde lege Clodianâ gratis frumentum est datum, ex quo magna labes in Republicâ. Accipientium fuêre aliquando 320000. Ex Ægypto singulis annis ducenties centena millia modiorum frumenti aduehebant, ex Africa duplum, sexcenties igitur centena millia modiorum; in singulos dies centum sexaginta quatuor millia trecenti octoginta tres. Hi tanti sumptus, quibus poterant maximi exercitus ali, in plebem subrostrariam improbam, seditiosam, vt plurimum impendebantur, poterantque eo vel sex decies centena millia sustentari; Aurelianus & porcinam carnem distribuit, vt ait Vopiscus, Seuerus oleum. *Romani flagitiosissime pecuniam profuderunt.*

Largitiones deinde singulæ fuerunt, non admirandæ, sed stupendæ, vt ait Lipsius. Suetonius refert, militibus Cæsarem singula interdum mancipia, & prædia viritim dedisse. De mancipijs non miror vndecies centena millia Τέρας illud interfecit, plures in seruitutem redegit. De prædijs multum est, sed tamen ociosorum bona suis attribuit, sic in Senatum liberalis fuit. Suetonius: *Parte magnâ, Senatus gratuito, aut leui fœnore, obstrictus ex reliquo quoque ordinum genere vel inuitatos, vel sponte ad se commeantes, vberrimo congiario prosequebatur.* *Largitiones ex iniuria.*

Et *non minore studio Reges atque prouincias per orbem terrarum illiciebat: aliis captiuorum millia dono offerens; aliis quò vellent, & quoties vellent, auxilia submittens, superq; Italiæ, Galliarumq; & Hispaniæ, Asiæ quoq; & Græciæ potentissimas vrbes, præcipuis operibus exornans.*

Hæc ex prædâ, in Gallia enim fana, *templaq; Deum donis referta, expilauit, vrbes diripuit, sæpius ob prædam, quam ob delictum.*

Hinc L. Paulo Cos. 1500. talenta data, id est, nongenta millia Philippicorum. Plus Curioni, vt refert Appianus; is sexcenties HS. accepit, id est, Quindecies centena Philippicorum. In milites præter stipendia impendit bello ciuili quindecim milliones, vt probat Lipsius. Populo frumentanti denos frumenti modios, totidem olei libras, trecenos nummos, & centenos pro morâ; Erant autem eo tempore, qui è publico pascebantur trecenta viginti millia. Augustus vno donatiuo cum aduersus Antonium arma parasset, jamque de summâ rerum ageretur, centum quinquaginta milliones promisit, vt computat Lipsius. Aliorum Imperatorum plures largitiones fuêre. Donationes illæ totum imperium euertebant, & integrarum nationum opes ad alios transferebant. *Ciuilibus bellis largitiones creuerunt.*

Fuit imperium Romanum horribili illa bestia, quæ est quarta apud Danielem, præfiguratum, illa dicitur *comedens, & comminuens, & reliqua pedibus conculcans.* Quod postremum ad ludos pertinet, absumebat, comedebat, rapiendo, vectigalia colligendo, colonias deducendo. Pedibus conculcabat, dum per lasciuiam, & luxum perdebat. In ludos scenicos, in circenses, in gladiatores tanta pecunia impendebatur, qua defendi totum imperium posset.

In scena quis apparatus? in Agamemnone 600. muli; Nero theatrum Pompei in vnum diem auro operuit, Cæsar apparatum scenæ fecit argenteum in funere patris, & nondum tunc Cæsar erat. Docet & Plinius libro trigesimo tertio, passim in munici- *Sumptus inutiles.*

pijs & colonijs fuisse scenas argenteas. Heliogabalus teste Lampridio Circenses exhibuit in Euripis vino plenis, & miror cum in meraco naues decurrerent, an vnius anni vinum suffecerit tanto furori. Adde deinde pleno fluitantia vela theatro, & Arabes nimbos Romæ maduisse suis. Quin & missilia sparsa, omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia auium, cujusque generis multiplex penus, tesseræ, frumentariæ, vestis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia jumenta, atque etiam mansuetæ feræ, nouissime naues, insulæ, agri. His donationibus tàm cœcis, tàm noxijs, ne Oceanus quidem sufficere posse videtur, & munera hæc capiebat improbissimus quisque.

In bestiis capiendis, alendis magna impensa.

Sumptus etiam maximi imperij in solos gladiatores effundebantur, ducenta, aut trecenta millia fuisse arbitratur Lipsius. Ego plura omninò, si jungamus bestiarios, & bestias; & hæc propriè munera nominabant. Nunc causam Romani ærarij toties exhausti consideremus. Primo emendi gladiatores plerique, deinde saginandi, 3. exercendi, 4. custodiendi, 5. nobiliter armandi. Bestiarum venationi, custodiæ, escis, centum millium hominum alimenta deputo, Gordianus feras libycas centum, vrsos vno die mille dedit, alij alia, Seuerus è naui solutili quadringentas feras. Statuamus enim decem millia ferarum semper alita, absumunt illæ tantum quantum triginta millia hominum; singulis annis capta quina millia putemus; quot hominum millia, in leonum, vrsorum, tigrium venatione occupata censebimus? non quæro, quot perierint, cum vel vnum leonem capere sit arduum. Sed operosius & periculosius erat venationis opus, quod sagittis, & venabulis feræ conficiendæ non erant, sed viuæ fossis & retib. capiendæ, in naues imponendæ, per longa spacia Romam mittendæ, additis curatoribus, animalibusque mansuetis, quibus vescerentur, vt in bestiarum capturam, alimentaque expensæ tantæ videantur factæ, quæ integro exercitui sufficerent. Hinc publica ærarij paupertas, & sæpius integrarum nationum opes exhaustæ, ipsæ venditæ, sed pecunia in largitiones, & munera effusa.

Caput XIV.

Potentiam legibus sumptuarijs mirabiliter augeri.

Sumptuariæ leges variæ.

§. 1. Leges sumptuarias appello, quibus sumptuum moderatio præscribitur; Quas ad tria capita reuoco, aliæ enim conuiuiorum modestiam præcipiunt, quas Cato cibarias appellabat, aliæ vestium precia moderantur, aliæ ædificationes & familiam regunt. His legibus non modo parsimoniæ vtilissimam partem, sed salutem etiam Reipublicæ contineri arbitror. Si enim sibi suisque Princeps leges figat, easque sequantur subditi, necesse est ex omnium parsimoniâ, & frugalitate, publice vbertatem, diuitiasque nasci, minus contentionum, scelerumque esse, quæ ex prodigalitate plurima oriuntur, dum per injuriam quæritur, quod per lasciuiam effundatur. Legibus deinde illis pax, & tranquillitas, ordinum distinctio, decorumque conseruatur, & malesuada paupertas auertitur. Nam reuera sumptu nimium plerique prodeunt, & sese ipsi in extremam necessitatem conjiciunt. Magnæ olim prouidentiæ fuit, cum sumptus definirent. Numa alioqui superstitiosissimus legem tulit: *Vino rogum ne spargito*; ne sumptu Dij potius, quam animo colerentur. Cum enim semper luxuria augesceret, nec modum inueniret, legum repagulis opus fuit, quibus intra metas, atque orbitam continerentur.

Publica vbertas ex parsimoniâ nascitur.

Inter querelas de paupertate crescit luxuria.

§. 2. Humani generis maleuolentissimas querelas optimo jure miraremur, nisi jam vsitatæ essent. Quicquid ita meritis aduersi euenit, tempora, Magistratus, Deum aliquando, demum omnia potius quàm sua quisque vitia accusat; si robigo segetem exussit, si prata aruerunt, si pruina pampinos decussit, si miles pecora auertit, si tributa Princeps indixit, omnia querulosis, acerbis, tristibus, & interdum seditiosis vocibus resonant. Tempora esse grauia, omnia accidi, vitam vix esse vitabilem, ciuem nullum posse emergere, agricolas premi vndique, & vndique exhauriri, nobilitatem prope interitum esse.

Quibus tamen in terris tàm crebræ querimoniæ dictitantur, qui deprimi se, & exhauriri clamant? Illi ipsi, qui suorum damnorum caussam ipsi adferunt. Res ipsa loquitur, exempla centena hac ipsa hora ostendam. Agricola, cujus auus inemptis dapibus mensam priuatam, conuiuia, nuptias instruebat, non jam bubula, agnina, vitulina, anserina, gallinaceâ contentus est, pisces peregrinos, exotica vina, fructus Italicos, Hispanicos, aromatum omnium condituras, adulteriaque congerit, & rustica corda, insueta deliciarum, aratrum cum ipsâ glebâ absumere docet.

Causæ paupertatis.

Ciues qui manu victum quæritant, conuiuijs indulgent, nihil rerum preciosarum, quas in diuitum, & nobilium mensis viderunt, omittunt, nuptiali conuiuio æs alienum contrahunt, de quo liberi jam grandes fœnus exsoluere coguntur. De vestibus quid dicam? Vicanorum filij, opificesque, qui omnia sua bona secum portant, diuitum nobiliumque habitum imitantur, & superant.

Hæc autem magnam partem prauâ æmulatione faciunt, vt diuites videantur. Non adhuc insaniam istam, vt meretur, accusare audeo, & quærere, cur simulanda opulentia ad egestatem properent, cum frugalitate rem parare possint? Nondum hoc ago, sed impudentiam istorum retundo, qui de suis temporibus detrahunt, cum magna sint ipsi labes temporum. Rusticus, ciuis, sartor, faber, queritur ob temporum difficultatem emergere se non posse. Idem tamen vestitur vt nobilis, conuiuatur vt diues, ædificat vt Princeps, familiam alit quasi Magistratus, neq; animaduertit caussam esse paupertatis ex moribus acceptam.

Leges sumptuariæ Moguntinæ.

Laudas præteritos, præsentes despicis, imò execraris annos, caussas paupertatis enumeras; sed rusticus fericatus, annulatus, in domo pictâ, ad phasianos, turdos, perdices, ad vina preciosa, ad testudinem & musicam aulicam, forte & ebrius, querelas deponis. Non audio, nisi mores immutari, nulla tempora tàm felicia sunt, vt talem faciant beatum, ne ipsa quidem felicitas seruare te posset. Reuerendissimus Princeps meus Joannes Schvvickardvs S. Sedis Moguntinæ Archiepiscopus, Anno 1615. leges sumptuarias edidit, caussasque præfatur; *Se iam aliquot annorum experientia didicisse, subditos suos in superiori, & inferiori diœcesi, in oppidis, & pagis, præcipue in conuiuiis baptismalibus, agapis patrinorum, & nuptialibus, expensis magnis se grauari eâ in re, nullum velle postremas tenere, eos qui re tenui sunt, opulentiores æmulari, inde multos interdum ita premi, & ære alieno grauari, vt emergere non possint, nec debita obsequia Magistratui præstare.*

Ita plane est; certant inter se sumptu, omnes vincuntur, grauissime læditur, si quis superauit; deinde desperatis suis rebus, nec patriæ fidi sunt, nec Magi-

Magistratibus obsequuntur. Vetera sunt illa vitia, & nisi seuera manus rectoris obsistat, excutiuntur. Sammonic⁹ Seuerus de lege Fanniâ, eadem penè recenset. *Fannia lex, inquit, ingenti omniũ ordinum consensu peruenit ad populum, neque eam Prætores aut tribuni, vt pleraq; alias, sed ex omni bonorum consilio & sententia ipsi Coss. pertulêre, cùm Respublica ex luxuria conuiuiorum maiora quam credi potest detrimenta pateretur. Siquidem eo res redierat, vt gula illecti plerique ingenui pueri, pudicitiam, & libertatem suam venditarent: plerique ex plebe Romana vino madidi Comitium venirent, & ebrii de Reipublicæ salute consulerent. Hæc Sammonicus.* *Luxus Romanorum.*

Nostri etiam Principis lex omnibus plaudentibus lata est. Gaudebant frugales patresfamilias sine dedecore & obloquij apiciorum posse se esse sobrios, & frugales, nec modo periculum profusionis lege excussum, sed necessitatem etiam parsimoniæ indictam. Nec tamen desunt, qui contra tendant, in luxuriâ duntaxat diuites, in juuandâ Republicâ pauperes.

§. 3. Leges Moguntinæ sumptum definientes, in numero conuiuarum, ferculorumque, in tempore, & muneribus describendis consistunt, quædam verò conuiuia prorsus tollunt.

De his ita edicitur.

Sponsalium conuiuia sublata. I. *In sponsaliorum contractu, in pagis nullum conuiuium instituatur, qui verò contractui definiendo adfuerunt, tenuis illis ex pane, & vino refectio tribuatur. In vrbibus tamen, si opulentiores sint sponsus & sponsa, sumptu vtriusque familiæ, conuiuæ decem, aut duodecim vocari possunt, ita tamen, vt vltra tres horas conuiuium non extendatur, pœna transgressoribus decem libræ denariorum*, articulo quarto, §. tertio.

Numerus conuiuarũ nuptialiũ. II. Conuiuæ nuptiales ciuibus, & opificibus quinquaginta, Academicis, illis qui à consilio, aut in judicijs sunt, quemadmodum & opulentis negociatoribus septuaginta quatuor; Consiliarijs aulicis, & judicij aulici Assessoribus nonaginta quatuor permittuntur. articul. 4. §. 4. & 5. Multa in singulas personas, quæ superant numerum, dicta est, quatuor libræ denariorum. In pagis verò etiam ditioribus quadraginta tantum, cæteris triginta permittuntur.

III. Omnibus in hac lege dispensandi potestas aufertur, itaque à solo Principe illa peti debet, aut ipso absente ab ejus locum tenente. §. 7. art. 4.

Munuscula baptismalia. IV. Ratio ferculorum hunc in modum in baptismali conuiuio definitur. Primo. Qui primario aut mediocri loco sunt, mittere puerpuræ primo die baptismatis poterunt jentaculum, hoc est, vini amphoram, & duos albos, aut tantundem simulaginei panis, idque vbi in vsu sunt jentacula. Vbi moris non est ea sumere, duas amphoras vini, & duos albos mittere licet, non tamen id licet opificibus, & mercenarijs; multa decem libræ denariorum transgressori irrogatur. artic. 3. §. 7.

Refectio post baptismata. V. Si quispiam post Baptismum obstetricem, aut alias quæ puerperio interfuerunt, inuitare voluerit, nihil illis nisi jusculum cum carne, assaturâ, caseo apponet, non liba, aliaue. Multa 6. libræ denariorum. Nec mulieres supra duos batzios in refectionem impendent.

Fercula nuptiarum VI. Nuptiarum fercula ista sunt; Ciues, & opifices, quatuor tantum fercula proponent. Primo. Jusculum, cum carne lixa, vel gallinâ. 2. Olus cum carne lixa, vel petasone, vel farciminibus, pro ratione temporis. 3. Pisces. 4. Assatura, cui addi poterunt, vel grundelli, vel cancri, vel coaguium, vnum ex his, non plura; Medij status hominibus altera assatura permittitur, vt Academicis, diuitibus mercatoribus. At Consiliarijs & aulici judicij Assessoribus, bina alia fercula. multa 10. libræ denariorum. Quod si magnæ dignitatis quispiam adsit in solâ illius mensa plusculum honoris ergo apponi potest. Ita tamen vt picta eduliorum simulachra penitus tollantur. artic. 4. §. 19.

VII. Baptismo finito nullum virorum conuiuium est. artic. 3. §. 10.

Ebrietas vitanda. VIII. Tempus quoque definitum est, in pagis surgendum circa horam secundam à mensâ, in vrbibus horâ quartâ, aut quintâ. non quod vrbicis plus indulgeatur, sed quod tardiùs considere soleant. Omnes verò honestè, & composite redire domum jubentur.

IX. Altera die iterum, sed vndecimâ horâ conueniri poterit, sed in pagis hora quarta pomeridiana, vt tamen omnia hora octaua finiantur. Interim nec pueri, necalij non inuitati de familia adducantur, nec quicquam foras mittatur.

Munera patrinorũ. X. Munerum hæc ratio est. Ciues & opifices patrinis non nisi medium Philippicum; Academici, & ditiores integrum, vel florenum aureum, Consiliarij aulici ducatum donare poterunt. alia munuscula penitùs omittantur, sub pœnâ decem librarum denariorum. Si quis auratos, argenteosque scyphos dederit, quadringentis libris denariorum multabitur.

Munera obstetricũ & ædituí. Obstetrici honorarij loco duos albos, & ædituo tantundem offerent. Diuites 4½ donare poterunt.

Donaria patrinorũ. XI. Donaria seu strenæ inter patrinos, octauam floreni partem non excedent, liba, cætera dulciaria omninò tolluntur; pœna 5. libr. denar.

XII. In confirmatione quoque munus non excedet tres Batzios, si libellum precum donare maluerint, is precium quinque, aut sex batziorum non excedet, idque tantummodo primarijs concedetur.

XIII. In nuptijs nec indusia nisi parentibus, nec sudaria nisi paranympho, proximisque agnatis donentur. pœna 5. libr.

Munera nuptialia. XIV. Conuiuę precium statutum non excedent, nec Adolescentes, & Virgines medium philippicum.

Par Conjugum mediocrium dalerum imperialem.

Digniores florenum aureum.

Prælati è secundario clero, & sæculares in honoratis officijs ducatum. Qui plus dederit, 10. libris denariorum multabitur.

XV. Valde opulentis permittitur, vt pro memoria scyphum argenteum donent, verum id solis parentibus, fratribus, & sororibus, nulli alteri, sub pœna 50. librarum denariorum.

Nuptiæ liberæ. XVI. Liberæ nuptiæ, quibus nihil soluitur, penitus abrogantur; si tamen ex primarijs Consiliarijs quispiam eas velit vsurpare, quinquaginta aut sexaginta conuiuas tantum adhibebit, nec in publicâ domo, sed priuatâ prandium instruet, nec munera, nisi à parentibus, fratribus, & proximis agnatis accipiet, qui secus fecerit, centum libris multabitur.

Officialiũ merces. XVII. Inuitatori vbi sex mensæ sunt, floreni duo, vbi plures mensæ, floreni tres, nulla alia munuscula dabuntur.

Musicis duo floreni, qui si plus poscant, decem florenis multa dicitur. Adolescentibus insignia ne dentur, sub pœna octo florenorum. Coco vbi sex mensæ, quinque floreni, vbi decem, septem floreni, lotricibus 3 alb. Versanti veru 2. alb. amplius petenti multa 4. librarum denariorum constituta est. Si orator, musicus, cocus eo precio seruire nolit, toto anno ad nuptias non adhibebitur, si in illis contumacia appareat, etiam jure ciuium priuari poterunt, & vrbe proscribi. Ædituo jusculum cum particula carnis, & duabus vini amphoris donabitur. Eadem

dem cibaria cum vna vini amphora tubicini, qui in turri excubat, dabuntur. Qui nuptiale vinum cellæ inferunt præter ordinariam mercedem nihil accipient, vnam tantum amphoram donari illis licet; Vigilibus quoq; non nisi duæ vini amphoræ, & duo panes dabuntur.

Sponsorum munera. Denique inter sponsum & sponsam donaria, sudaria, aliaque prohibentur preciosa. Ciues itaque & opifices, quinque: mediocres, octo: majoris dignitatis homines, decem florenos non excedent. Delinquentibus multa quadraginta libræ denar. dicta est.

§. 4. Atque illæ leges sunt nuptiarum, quas ad alia conuiuia quoque extendi operæ precium fuerit. Atque ita majores fecêre.

Nam primo parsimoniam ciborum communium præscripserunt, precioſos & exoticos damnarunt. *Extant censoriæ leges*, inquit Plinius libro trigesimo sexto capite primo, *glandia in cœnis, gliresque, & alia dictu minora apponi vetantes.* Et libro octauo capite quinquagesimo septimo, *Mures cœnis ademptos*, ait; *quos censoriæ leges*, (Princeps M. Scaurus in consulatu) *non alio modo cœnis ademêre, quam conchylia, & ex alio orbe aduectas aues.* Quid autem? Vetuere tanquam delicias, quæ nunc velut rusticani cibi fastidio sunt. *Veterum temperantia.* Plinius libro octauo capite quinquagesimo primo de suibus agens. *Neque ex alio animali numerosior materia ganeæ: quinquaginta prope sapores, cum cæteris singuli. Hinc Censoriarum legum pagina, interdictaque cœnis abdomina, glandia, testiculi, vuluæ, sincipita, verrina, vt tamen Publii Mimorum Poëta cœna postquam seruitutem exuerat, nulla memoretur sine abdomine, etiam vocabulo suminis ab eo impositio. Placuere autem & feri sues. Iam Catonis Censorii orationes aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diuiso, media ponebatur lumbus aprugnus appellata. Apri integri.* *Solidum aprum Romanorum primus in epulis apposuit P. Seruilius Rullus, pater eius Rulli, qui Ciceronis Consulatu legem agrariam promulgauit. Tam propinqua origo nunc quotidiana res est. Et hoc Annales notarunt, horum scilicet ad emendationem morum: quibus notata quidem cœna, sed in principio, bini ternique pariter mandantur apri.*

Gallinæ altiles vetitæ. De Gallinis idem narrat libro decimo cap. quinquagesimo. *Gallinas saginare Deliaci cœpere: vnde pestis exorta; opimas aues & suopte corpore vnctas deuorandi. Hoc primum antiquis cœnarum interdictis exceptum inuenio ia~n lege C. Fannii Coss. XI. annis ante tertium Punicum bellum, ne quid volucrum poneretur, præter vnam gallinam, quæ non esset altilis: quod deinde caput translatum, per omnes leges ambulauit. inuentumque diuerticulum est, in fraude earum gallinaceos quoque pascendi lacte madidis cibis multò ita gratiores approbantur.*

Ea parsimonia Romanis regnantibus indicta est. An hoc persuadebis nostro sæculo post bellum punicum, cum Italia, Sicilia, Hispania, Græcia, magna pars Asiæ seruiret Romanis, tantam fuisse parsimoniam, vt sancirent lege, *ne quid volucrum præter vnam Gallinam poneretur, quæ non esset altilis?* O dignos rerum dominos, qui latissime imperantes ne rusticorum qdem nostrorum delicias gustauerunt. Legem fuisse obseruatam idem ostendit; *quia hoc caput per omnes leges ambulauit, quia gallinacei in locum matrum subiecti sunt.*

Quantū in diē insumi liceret. Quod Fanniæ legis mentionem facit Plinius, addita est illa legi Orchiæ, quæ numerum conuiuarum præscripsit; Fannia enim sumptus moderatur. Nam ludis Romanis, plebeis, & Saturnalibus, & quibusdam alijs diebus in singulos dies centenos æris insumi concessit, decemque alijs in singulis mensibus tricenos; cæteris autem omnibus diebus denos. Lex illa ingenti fauore omnium ordinum excepta est: quia igitur asses centum permisit, centussis vocata est à Lucilio.

Quantum verò lex permisit cum decem, aut centum asses permisit? Minima res as est, *non assis te facio*, est in Prouerbio contemnentium. Minimus itaque nummus as est cum de pecuniariâ re agitur numeratâ; Epicurus gloriabatur se asse non toto pasci. Metrodorum, qui nondum tantum profecerat, toto. Seneca Epistola decima octaua. Comedit autem, vt ipse gloriatur, panem duntaxat, ὕδατι καὶ ἄρτῳ χρώμενον, *aqua & pane vtens*, Seneca indicat panem hordeaceum fuisse. *Non enim iucunda res est aqua, & polenta, aut frustum hordeacei panis.* Epicurus μάζαν vocat, quam Plinius polentam. Fuisse hanc magnam parsimoniam ostendit idem Seneca. Liberaliora sunt alimenta carceris, sepositos ad capitale supplicium, non tam anguste pascit, qui occisurus est. Alimenta carceris erat libra farris in singulos dies. *Epicuri parsimonia.*

Exiguum autem erat, vt est apud Salustium, *mortem prohibebat, sed vires tamen eo senescebant.* Seneca: *exultabis dupondio satur.* Duos igitur asses ad satiandum pane ventrem impendebant. Hinc apparet seueritas legis Fanniæ, quæ die festo non nisi centum asses permittit conuiuijs apponi, quæ summa incredibilis videtur; nam centum asses dalerum imperialem minus quinta ejus parte efficiunt; faciunt enim nouendecim circiter batzios.

Conuiuia Romana. Hoc precio die toto, duob. in cibum & potum, tribus in condituram, non modo ciues, sed Principes Senatus in summis Festis contenti esse jubebantur. Eo modo conuiuia restringere non possumus, sed tamen quid factum sit, nosse expedit. Non ignoro eo tempore magnam fuisse rerum vilitatem, sed tamen quacunque æstimatione magna est parsimonia, & seuera lex. Quinque enim conuiuas patrisfamiliâs demus, vt ille sextus sit, vxor septima, in panem quatuordecim asses computo, vt quisque dupondio satur sit, in vinum, quod illo tempore rarum erat, pulsis per bella vinitoribus, viginti octo asses, jam asses quadraginta duos habes. Nec minus tamen potest; Nam qui parcissime hordeaceo pane saturabantur, assem insumebant, & Seneca dupondium, hoc est, duos asses requirit in conuiuio, vbi panis festo concolor, è polline nitidus requirebatur, minus consumi non potuit; Vinum etiam facile in duplum panis precium superabat, nec ignorabant Romulidæ ebrietatem, ad Comitia enim ebrij veniebant Quirites, & suffragia dabant, qua ex re etiam concludo ebrietatem eo tempore admodum probrosam non fuisse, cum publica esset, & comitio se ingereret. Pro reliquo apparatu sunt quinquaginta octo asses, quorum viginti nouem in prandij reliquum apparatum, totidem in cœnam impendendi. *Vitia cum inualuerint probrosa nō sunt.*

Quid verò decem asses vno die? Non sunt duo batzij nostrates. Quod si nunc simili aliqua lex in vsu esset, quot millium census annuos adferret? Neque tamen adeo seueram, & astrictam probo, quia non facile obseruatur.

Didius legem Fanniam ampliauit, vteâ Italici omnes tenerentur, deinde sanxit, vt non modo qui prandia cœnasué majore sumptu fecissent, sed etjam illi, qui ad eas vocati essent, pœnis legis tenerentur.

Licinius Crassus, qui dictus est diues, sumptuariam & ipse legem tulit, non admodum diuersam à Fanniâ. Hoc ab ea differt, quod Kalendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses, edendi causâ consumere liceret: cæteris verò diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridæ pondo tria, & salsamentorum pondo. Ea verò quæ ex *Hinc apparet prisca temperantia.*

terra,

rerta, vite, arboreué natæ essent promiscuè largita est. Hæc summo studio, consensuque recepta est, sed mox à Sulla dictatore laxata, qui Kalendis, Idibus, nonis, ludis, & festis sestertios tricenos in cœnam, cæteris diebus non amplius ternos. Secutus est Antius, sed legi ejus obstinatio luxuriæ restitit.

Augustus corruptis moribus vtcunque luxuriam compescere aggressus est. Nam profestis diebus ducenti, Festis, vt Calendis, Nonis, Idibus, trecenti, nuptijs & repotijs sestertij mille permittuntur. Vide de hisce Macrobium lib. 3. Saturn. cap. 17. Agell. libr. 2. cap. 24.

Vestiũ luxus. Post ista luxuria inualuit, paupertas, & interitus omnium secutus ast, donec ablatum est sceptrum, & sobrietatem docuit necessitas. Id quod nobis quoq; contingeret, nisi legibus, perdendi licentia comprimatur. Nam si ea, quæ priuatorum mensis apponuntur spectemus, Metelli Pontificis cœnam facile æquabunt, de quâ vt sumptuosâ Macrob. libr. 3. Saturn. cap. 13.

§. 5. Altera pars legum sumptuariarum est, vt vestium luxus tollatur, qui nunc tantus est, vt discrimen ordinum omnium tollat, omnia misceat. Ne verò paruam insaniam putemus, aut paruum Reipublicæ detrimentum, vidi mercede laborantes, & opifices toto anno sedulos, genium suum defraudantes, vt nobiliter vestiri possent. Jam pagus majore sumptu vestitur, quam olim magna ciuitas. Dixi hac de re libro sexto nonnihil, verum nunc Principem fortem requiro, qui paterne subditis prouideat, ne sumptu excedant. Nam in parerga & vestium ornatum multi milliones impenduntur, qui in res vtiles conferri possunt.

Duobus modis hoc consequi Princeps poterit; *Superbia in vestiũ omnes pudet.* Primo, si ipse modeste vestiatur, & precia, varietatemque colorum, aliarumque rerum displicere demonstret; cum enim aulici omnes placere Principi velint, multi etiam adulenter, absque vllo præcepto aulam compositam, grauem, sine vestium insolentia videbit, hac compositâ, si Nobiles alijque negociorum causâ eo veniant, primò verebuntur, cum animaduertent, se omnibus cultiores, deinde in facetias, & irrisus aulicorum incurrent. Est enim vilissima vestium superbia; quia muliebris, & in paruis rebus occupatam mentem ostendit.

Hinc si adolescentem, aut virum curiose, & studiose componentem inopinus deprehendas, erubescunt; quasi aliquid turpe commiserint, & indecore virilem animum abjecerint, non minus, quam si nucibus ludere, aut equitare in arundine longâ inueniantur. Principem Satrapæ, & Prætores imitabuntur, & quos excedere ex subditis animaduertent contemptu vindicabunt. Quis verò non erubescet cultior esse domino suo? Quis preciosis gemmis & annulis digitos grauatus in conuiuio splendere audebit, cum præsidis puras manus intelliget? Quanti verò hoc sit, nemo ignorare potest, nunc enim opificum, mercenariorum, rusticorum digitis tantum auri teritur, quantum ad magnos exercitus alendos satis est. Et hac in re æmulatio est pernicioſissima, celerrimeque malum in omnes transuolat.

Vestiũ luxus crescit æmulatione.

Vestiũ excessus punitur multa.

Altera ratio est facilis, & lucrosa; vt Princeps cuilibet ordini vestium materiam, modumque præscribat, legemque pœnâ graui sanciat. Primo quidem, vt in legem committentes, pœnâ pecuniariâ teneantur. Deinde, vt si cui jus annuli, aut byssinæ vestis tribuatur, certâ pecuniæ summâ eam potestatem redimat.

Vtrumque æquum est; nemo enim in legem committet, nisi diuitiarum suarum jactator, quo ipso contemnetur ornatus, & fugietur à prudentibus. Duorum hinc commodorum alterutrum habebit. Vel vt superbia juuet ærarium, vel obedientia opulentet ciuitatem. Sit sanè ciuitas, quæ centum animarum millia contineat, omnes preciosius, quàm pro statu amiciuntur, & quidem in cunis, & inter vagitus fastus exultat. In singulas personas decem florenos, quos præter honestatem impendunt, computo; nec minoris luxus ille constat, quamquam enim aliqui non delinquant, plerique tamen majores summas perdunt, & centenos millenosque nonnulli dilapidant; Ecce, si legibus ciuitas illa regeretur, jam millione integro ditior esset. Legibus igitur sumptuarijs disciplinam Princeps sanciat. *Ingens reditus est parsimonia*

§. 6. Imperatorum Romanorum magna fuit in vetandis preciosis vestibus seueritas. Nam primo Valent. Valens, & Gratianus contexere eas priuatis vsibus noluerunt, cap. 11. tit. 8. *Auratas ac sericas paragaudas auro intextas viriles priuatis vsibus contexere conficereque prohibemus, & in gynæciariis tantum nostris fieri præcipimus.* *Auratæ, & sericæ vestes vetitæ.*

Hic tantum viriles ponit, nam Codex Theodosianus etiam muliebres vetuit, quas Justinianus indulsit. Sed deinde mitigarunt eandem legem, seu potius asperarunt, Gratianus, Valentin. Theodosius cum Principis ministris eas vestes concesserunt; nam concessio alios inuitauit, ita lex habet. *Nemo auratas habeat, aut in tunicis, aut in lineis peragaudas, nisi hi tantummodo, quibus hoc propter imperiale ministerium concessum est. non enim leui animaduersione plectetur, quisquis vetito se, & indebito non abdicauerit indumento.* *Ex aula ad alios manauit luxus.*

Theodosius vetuit purpuram, vt soli Principi debitam, & serica omnia. *Temperent vniuersi cuiuscunque sint sexus, dignitatis, artis, professionis, & generis, ab huiusmodi speciei possessione, quæ soli Principi eiusq; domui dedicatur: nec pallia tunicasque domi quis sericas contexat aut faciat. Quæ tincta conchylio, quæ nullius alterius permixtione contexta sunt, proferantur ex ædibus: tradanturque tunicæ aut pallia ex omni parte texturæ cruore infecta conchylii. Nulla stamina subtexantur tincta conchylio, nec eiusdem infectionis arguto pectine solidanda fila decurrant: reddenda ærario holoberа vestimenta virilia protinus offerantur. Nec est, vt quisquam de abiurato precio conqueratur: quia sufficit calcatæ legis impunitas. Ne quis verò nunc huiusmodi suppressione in laqueos nouæ constitutionis incurrat, alioqui ad similitudinem læsæ majestatis periculum sustinebit.* *Purpuræ ærario reddenda.* *Purpura sub pœnâ capitis vetita.*

Hic purpuræ priuatis interdicitur, & pœna grauis, nempe periculum ad similitudinem majestatis. Deinde reddenda est sacris thesauris precio non recepto. Eodem titulo & nundinæ purpuræ prohibentur, & Tyriorum seu Phœnicum officinas explorare jubet Theodosius & Valent.

Quod verò fucare purpuram vetat, id æquum est; nam magnis precijs fraudantur emptores. Vetuêre Theodosius, Arc. Honorius, Vellera adulterino colore fucata, in speciem sacri muricis intingere. Si igitur similem Principi vestem gerere crimen Majestatis erat, legibus & morte vindicatum, cur non suis modestiam Princeps præscribat, vt æris alieni, paupertatis, turbarum, æmulationum causam abscindat?

§. 7. Neque nouis opus est legibus, jam ante decreta sunt, quæ seruari oportuit, modo anima, & vigor à Magistratu legibus contra vitia indatur.

Multis in Comitijs Imperatorum & Principum actitatum est de re vestiaria, jam ante annos centum & quin- *Leges præclaræ de vestitu.*

& quinquaginta, sed contra edicta omnia semper luxus increuit. Testis ipse Principum Senatus. Anno millesimo quingentesimo Maximiliano Augusto ita decretum est. *Cum Comitiis præteritis de vestium superuacuo luxu, preciisque multifariam tractatum sit, præsertim in conuentu Friburgensi, legesque & constitutiones factæ, necdum tamen publicatæ fuerint, has nunc per nos, & ordines imperij nostri iterum renouauimus, & acceptauimus, quædam earum etiam vberius declarauimus, auximus, emendauimus vt sequentia indicant.*

Ordinamus, iubemus, statuimus, volumus, omnibus & singulis Principibus, Electoribus, Ducibus, aliisque Magistratibus, cuiuscunque dignitatis, generis, statusque sint sub pœna nostræ indignationis, & pœnæ serio mandantes, vt ipsi, & eorum quilibet, subditis, & ad se pertimentibus, hanc Imperii nostri constitutionem, & infra scriptam legem de vestium superuacuis preciis post mediam quadragesimam, Dominicâ Lætare, proxima, imperent obseruare, atque in vsum constantem deducere. Quod si Electorum, Principum, aut Magistratuum quispiam, in negocio pœnâvé huius caussæ lentus, & indulgens fuerit; tum regius Fiscalis postquam Electores, Principes, Magistratus eâ super caussa monuerit, potestatem habebit violatores citandi, puniendique, nec interloquendi, aut impediendi ius erit Magistratibus, quibus legis transgressores subiecti sunt. Nos quoque tanquam auctores legis, hanc constitutionem in aulâ nostrâ, & prouinciis hæreditariis inchoabimus primi, firmiterque seruari curabimus.

Leges verò istæ sunt.

Principio itaque iudicamus, ordinamus, instituimus, volumus id quod & in Comitiis Friburgensibus decretum ac sancitum est. vt vulgus rusticorum, & operarii tàm in oppidis, quàm alibi in pagis pannum ne induant, cuius vlna dimidium excedat florenum: Præterea quoduis genus auri, argenti, gemmarum, holoserici, serici, vestis acu pictæ omnibus, seu eorum vxoribus, seu liberis interdicimus. Hoc tamen decreto Principes, Prælatos, Comites, Dominos, Nobiles, vna cum Satrapis aut Officialibus suis exemptos volumus: quin eos annuè pro consuetudine, vti & alios suos famulos vestire ius fasq; esto.

Egregiæ leges, sed nũc plus sartori datur, quã talis vestis valeat.

Item opifices cum famulis & aliis quibuscunque mercenariis vtantur pro caligis aut vittis panno, cuius vlna quadrantes floreni tres non excuperet. Pro togis & palliis, panno patrio, cuius vlna dimidium florenum non excedat, contenti erunt. Neque aurum, argentum, vniones, sericum, holosericum vestem vndulatam aut acupictam gestabunt. De opificibus, fœminis, liberis eorum, quod attinet ad vestitum, idem esto iudicium.

Item Equites, aurum, argentum, sericum, immò nec pectorale, nec vllum auro, argentoq; intertextum habeant, nec vestes suas serico discriminent.

Sericum.

Item omnibus & singulis indusia plicata, pectoralia auro & argento distincta, argenteas & aureas quoque vittas prohibemus. exceptis Principibus, Magnatibus, Comitibus, Dominis & Nobilibus, quos hoc decreto solutos volumus. verum vnusquisq; pro statu suo mediocritatem siue modestiam diliget, luxumque superfluum deuitabit. Et inprimis Nobiles, qui nomen Equitis aurati Doctoriué non sunt sortiti, vniones, vel aurum suis indusiis pectoralibus, ne obtexant. Nobilibus tamen Equitis aurati, aut Doctoris titulo insignitis, binas argenti vncias, nec vltra mitris præferre concedimus.

Item ciuibus in oppidis, qui Nobiles, Equites, aut Doctores non sunt, vsum auri, vnionum, holoserici, purpuræ, pretiosarumque pellium suffulturas prohibemus, thoraces tamen sericos holosericosque vel pannum Damascenum in vestem indulgemus. Similiter vxorum filiorumque vestes holoserico sericoq; nõ tamẽ aureis & argenteis segmentis insignire liceat. Porrò filiabus eorum virginibus, spiris, gemmis, & vnionibus variis, ne sit interdictum, hac tamen lege, vt modestiæ mediocritatisq; leges non transgrediantur.

Item Nobiles non dum Equites aurati aut Doctoris titulo inaugurati, nec aurum, nec vniones palàm gerant, nec diuersicolorem vestitum, nec nimiopere acu elaboratũ, hunc tamen si curare est animus, ne quid nimis.

Item Nobiles, Equites aurati, Doctores veste Attalica abstineant, huiusmodi tamen thoracibus iis etiam vtendi copiam facimus.

Anno 1530. regante Carolo V. sic statutum

De Immodico vestium splendore.

Cvm honestum, decens, & æquum sit, quemlibet, cuiuscunq; ordinis ac generis sit, pro statu, dignitate, fortunis & opibus suis conueniente vestitu ac habitu vti, ad cuiusque statum facilius ac certius internoscendum placuit cum Electoribus, Principibus, Statibus de sequente vestium Ordinatione conferre, conuenire, concludere, id quod sub animaduersione pœnaq; adiuncta omnimodis obseruatum volumus.

De Rusticanis rvri vel in Pagis degentibus.

Et primo quidem sancimus, ordinamus, decernimus, ne vulgus rusticorum, operariorum mercenariorum, in pagis aut rure degentium, non exterum, sed patrium intra Germaniam textum & huiusmodi vsitatũ (excipe Londinensem, Mechlinien sem, Lyrensem) pannum in vestem adhibeant. Tunicæ non talares, non rugosæ sint, sed surarum tenus porrigantur, nec nisi sex plicas habeant. Femoralia tamen è Londinensi, Mechlinensi, Lyrensi panno commoda fuerint, quin gossypinum thoracem absque laxioribus manicis curare licebit, ita vt semper fenestratis, consectisq; vestibus abstineatur.

Præterea decernimus, ne aurum, argentum, gemmas, sericum, acu-picta collaria interulis assuta gestẽt, seu auro seu serico filo elaborata, nec pectoralia, cristas, fascias sericas, calceos fenestratos, pileos Doctorales, sed galeros ac vittas.

Similiter vxoribus ac liberis nihil amplius vlteriusue indultum, quibus & omnia collaria, mamillaria, calanticas, aureis fimbriis prætextas, aurea, argentea, byssina cingula, coralla, omne aurum, argentum, gemmas, byssum interdicimus, filiabus solummodo ac virginibus crinale sericum concessum esto.

Similiter vxores summum è Londinensi tela amiculum non alia, rhenones verò ex agninis, caprinis, & id genus vilioris notæ ac pretii pellibus subditiciis, sine tegmentis & fimbriis conficere & gestare possint.

De Civibvs et Incolis Ciuitatum.

Item cum in ciuitatibus & oppidis triplex potissimum ciuium sit & incolarum genus, videlicet vulgares ciues & opifices, mercatores & negociatores, & alii Senatorii, ac Patricii ordinis aut honestioris familiæ ac prosapiæ, suo censu reditibus & succo viuentes. Statuimus, ordinamus, decernimus, ne plebs opifices, mercatores, auro, argento, gemmis, holoserico, bombycinis, oculatu, fenestratis, dissectis, aut segmentatis vestibus vtantur, nec pileo Doctorali, nec Martium, aut id genus preciosis animalium pellibus habitum suffulciant, mediocri, decentiq; cultu, viuerræ vulpium, agnorum, & id genus parabilioribus contenti.

Eadem vxorum ac liberorum ratio. Illis tamen annulus aureus sex duntaxat florenorum sine gemma, collare bysso prætextum, calantica, aureola fimbria paruula, digitos lata duos, damascenum, aut sericum amiculum, cingulum non vltra decem florenos tantummodo argenteis non deauratis bullis distinctum permittitur. Virgines crinale holosericum argento non auro illusum præferant, licet.

Item opificum tyronibus ac famulis iam rude donatis vsum auri, argenti, byssi, cristæ aut plumæ vestimenti fenestrati vsum interdicimus, nec alio se habitu ferant, quã proxime de opificibus & mechanicis, in vrbanis est commemoratum.

Quod si verò quis ex opificum tribu & numero in Senatum adlegeretur, non alio, quam deinceps dicetur, Mercatorum cultu vti licebit.

De

De Mercatoribvs, et Negotiatoribus.

Mercatores, Negociatores vrbici, holoserica, damascenas, sericas, byssinasve togas ne induuntor. Aurum, argentum, gemmas, aurea, argentea capillaria vitanto, togæ vndulatæ, Bombycini thoraces, (non holoserici, non murice tincti) non segmentati, annuli item aurei permittuntur.

Tela 2. flor. pretio superante ne vtuntor. Martium, muris aranei, aut id genus nobilioribus ac varioribus pellibus vnà cum vxoribus abstinento.

Vxorum item, par in veste cultus, nec supra duas holoserici byssi, serici, damasceni vlnas in quoduis vestimentum impendant, fimbrias supernè attexere non vetitum.

Item vetitum illis cingulum 20. florenorum precium excedens.

Item fimbria aut sinus, in peplo aut calantica 5. digitos lata.

Item holosericum byssinumq; amiculum, cum spintere seu fibula aurea, 20. flor. excedens.

Cives Vrbani, qvi Senatorii, Patricii ordinis, aut præcipuæ familiæ, reditibus suis ac censibus viuunt.

Omnes hi eo prorsus vestitu, ac cultu sint, quo supra est de mercatoribus & negociatoribus indicatum, præterquam quod togas vndulatas tribus vlnis serici prætextas, similiter pelles martium (non tamen selectiores) vti & holosericos & byssinos thoraces, (non murice tinctos) byssina crinalia gestare possint.

Aureos itidem annulos non tamen 30. 40. florenorum precium superantes, iis permittimus.

Vxores eorum non dissimili mercatorum mulieribus sint habitu, præterquam quod 4. vlnas holoserici, aut byssi, non ostro tinctæ distinguendis ac variandis vestibus liceat impendere. Torquem item aureum 30. 40. 50. flor. cingulumque 30. flor. concedimus.

Nobiles.

Nobilibus porro holosericum, aut sericum conchyliatum interdicimus, summum Damascena tela, aut huiusmodi byssus conceditur, quas sex non amplius vlnis vermiculare possint. Similiter annulos aureos, discriminalia, torquem non maiora, quam 200. flor. precio, quem tamen tania obuoluant aut distinguant, pro vetere more ac consuetudine iis præferre liceat.

Qui Principis alicuius Aulæ Præfectus, Cancellarius, Marschallus, Consiliarius, Ignobilis tamen fuerit, non dispari ab Nobilibus cultu vti poterit.

Equites tamen aurati eximuntur, quibus torques publicitus absq; tania gerendi ius fasq; esto, at ne torques 400. florenor. precium excedat.

Pelles muris aranei, & id genus iis non prohibemus.

Nobilium coniuges 4. tunicas byssinas sibi curare possint, iisq; palam vti, vnam nempe holosericam, tres reliquas è panno damasceno, aut id genus bysso, nec plures quaternis. Attamen absq; gemmis, argento, auro. Quod si eas segmentis ac fimbriis insignire placuerit, licebit id quidem gemmis, aut argento superne, nec supra latitudinem quadrantis vlnæ.

Equitis aurati coniux hanc fimbriam, auro, superne tamen, & eadem latitudine attexere poterit. Et verò si quibus numerus maior vestium, quam modo commemorauimus fuerit, cumq; filiabus ac liberis seruent, non erit vetitum.

Vittas aureas aut pileos, quorum spira & ornamenta 40. florenos ne superent, vsurpent, licebit.

Nobili item fœmina, torques, fibulas, spintheres, monilia & id genus ornamenta muliebria, quæ omnia (exceptis annulis) 200. flor. ne excedant, gestare poterit.

Item segmenta & cingula aurea 40. florenis, ne sint maiora.

De Doctoribvs.

Doctores eorumq; vxores poterunt ornatam vestem, annulos aureos, & alia prostatu suo insignia præferre.

De Comitibvs et Baronibus.

Comites ac Barones vestæ Attalica ne vtantur, sed solum holoserico, ostro, aliaq; bysso, & serico, nec auro illusis, nisi sint Equites aurati.

Torques 500. flor. gerere liceat.

§. 8. Vltima sumptuariæ legis materia est in ædium exstructione & familia, ædificare enim domos & multa corpora alere εἰς πενίαν ἄτροπον ἐστὶν ὁδός. Recta est ad paupertatem via. Valde prouidendum Principi, ne domorum splendore ac magnificentiâ ita certent ciues, vt ad egestatem redigantur. Cum enim incerti sumptus ædificationis sint, nunquam tàm exactè rationes ducuntur, vt non destinatis majores impensæ sint faciendæ. Estque hoc superbe ædificantium solenne erratum, vt ædes relinquere, & migrare cogantur. Expedit itaque vt ratio constet publicis ædibus, ne dum ample, & magnifice habitant, patrimonia, & commeatum sibi coarctent. *Ædificationes.*

§. 9. Huic quoque errori, vel morbo, si sanitatis leges præscribi possunt, illæ seruandæ sunt. 1. Vt Princeps & Respublica sibi temperet. Curiam, aulam, omniaque habeat infrà majestatem, ne ciuium æmulationem accendant. *Ædificia omnia infra majestatem.*

1. Opera noxia, temporaria, inutilia omittant. Talia sunt, Theatra, Circi, Pyramides, Colossi, horti pensiles, arcus triumphales, & quicquid talium barbarus fastus adinuenit. Hac sanè in re Romani deliquerunt, Theatrum Scauri, quid juuit, de quo Plinius lib. 36. cap. 15. *Non patiemur duos Caios, vel duos Nerones, ne hac quidem gloria famæ frui: docebimusque etiam insaniam eorum victam priuatis operibus M. Scauri, cuius nescio, an Ædilitas maxime prostrauerit mores ciuiles, maiusque sit Syllæ malum, tanta priuigni potentia, quam proscriptio tot millium. Hic fecit in Ædilitate sua opus maximum omnium, quæ vnquam fuere humana manu facta, non temporaria mora, verum etiam æternitatis destinatione Theatrum hoc fuit. Scena ei triplex in altitudinem CCCLX. columnarum, in ea ciuitate, quæ sex Hymettias non tulerat sine probro ciuis amplissimi. Ima pars scenæ è marmore fuit, media è vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ. Summæ tabulis inauratis columnæ, vt diximus: imæ duodequadragenûm pedum. Signa ærea inter columnas, vt indicauimus, fuerunt tria millia numero. Cauea ipsa cepit hominum LXXX. millia, cum Pompeii amphitheatri tot ies multiplicata vrbe, tantoque maiore populo, sufficiat largè XL. millia. Sed & reliquus apparatus tantus Attalicæ vestè, tabulis pictis, cæterouè choragio fuit, vt in Tusculanum villam reportatis, quæ superfuerant quotidiani vsus delicijs, incensa villa ab iratis seruis concremaretur ad H-S millies.* *Theatrum Scauri.*

Quid Curionis? nisi vt ciues faceret pensiles? Quid pons Heliogabali? omnia illa perdendis opibus fuerunt. Nonne si ea pecunia in munitionem impensa fuisset, fieri inuicta Roma poterat?

3. Vtilia opera, vt munitiones, molendina, aquæductus, portus, nauigabiles fluuiorum alueos, judicio, & pro sumptu faciet. Talia sunt, quæ Q. Marcius Rex fecit, quæ eodem loco Plinius recenset. *Is iussus à Senatu aquarum, Appiæ, Aniemis, Tepulæ, ductus reficere, nouam à nomine suo appellatam cuniculis per montes actis intra Præturæ suæ tempus adduxit. Agrippa verò in Ædilitate sua, adiecta virgine aqua, cæteris corruatis atq; emendatis, lacus septingentos fecit: præterea salientes 105. castella centum triginta complura etiam cultu magnifica: operibus iis signa trecenta ærea, aut marmorea imposuit, columnas ex marmore quadringentas, eaque omnia annuo spa-* *Opera imensi sumptus, sed vtilia.*

cio. *Adycit ipse in Ædilitatis suæ commemoratione, & ludos vnde sexaginta diebus factos, & gratuita præbita balnea centum septuaginta, quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum. Vicit antecedentes aquarum ductus nouissimum impendium operis inchoati à Caio Cæsare, & peracti à Claudio. Quippe à lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, vt in omnes vrbis montes leuarentur, influxere Curtius atque Cæruleus fontes. Erogatum in id opus sestertium ter millies. Quod si quis diligentius æstimauerit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque aduenientis, extructos arcus, montes perfossos, conualles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Eiusdem Claudii inter maxime memoranda equidem duxerim, quamuis destitutum successoris odio, montem perfossum ad lacum Fucinum emittendum, inenarrabili profecto impendio, & operarum multitudine per tot annos : cum aut corriuatio aquarum, qua terrenus mons, egereretur in vertice machinis, aut silex cæderetur, omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo nisi ab iis, qui vidêre, neque humano sermone enarrari possunt. Nam portus Ostiensis opus prætereo : item vias inter montes excisas : mare Tyrrhenum à Lucrino molibus secluſum tot pontes tantis impendiis factos. Et inter plurima alia Italiæ miracula, ipsa marmora in lapicidinis crescere author est Papyrius Fabianus, naturæ rerum peritissimus : exemptores quoque affirmant compleri sponte illa montium hulcera. Quæ si vera sunt, spes est nunquam defuturam luxuriam.*

Celsitudo ædificiorũ.

4. Ædium priuatarum certus sit modus. Augustus ædificandi ambitionem coërcuit ; cum enim nimium attollerent, vt periculum ruinæ strue-rent, aërem interciperent, lucem excluderent, septuagintâ pedes definiunt, teste Strabone; Neto etiam idem fecit ; Trajanus sexaginta permisit.

Ædificandi insania cito crescit.

5. Sumptum ædificiorum in rebus inutilibus, quæ nec ad firmitatem, nec commoditatem facit omnino prohibeat. Nam finem insania ædificandi nullum habet ; Marci Lepidi domus pulcherrima fuit, at intra annos triginta quinque centesima non fuit. Ita Plinius libro trigesimo sexto capite decimo quinto. *Computet in hac æstimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrima laudatissimaque certantes centum domos, posteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas. Profecto incendia puniunt luxum : nec tamen effici potest, vt mores aliquid ipso homine mortalius intelligant. Sed eas omnes duæ domus vicerunt.*

Sumptuosa sunt marmora, sculpturæ, picturæ.

Hac lege tria præcipue inhibentur, marmora peregrina, sculpturæ, picturæ.

De marmore haud vana est Plinij querela libro trigesimo sexto capite primo. *Cædimus montes, trahimusque nulla alia, quam deliciarum, caussa, quos transcendisse quoque mirum fuit. In portento prope maiores habuere Alpeis ab Annibale exuperatas, & postea à Cimbris : nunc ipsæ cæduntur in mille genera marmorum : promontoria aperiuntur mari, & rerum natura agitur in planum. Euehimus ea, quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant : nauesque marmorum caussa fiunt, ac per fluctus sæuissimam rerum naturæ partem, huc illucque portantur iuga montium, maiore etiamnum vesania, quam cum ad frigidos potus vas petitur ; in nubila, cœloque proximæ rupes cauantur, vt bibatur glacie. Secum quisque cogitet, quæ pretia horum audiat, quas vehi trahique moles videat.*

Scaurus trecentas sexaginta columnas marmoreas ad theatrum menstruum contulit, sed ex rapinâ paternâ prouinciarum, & tabulis Sullanis. Lucullus marmori dedit nomen ad memoriam vanitatis, & fuere ex illis duodequadragenum pedum. Videmus celerem vitiorum triumphum. Lucius Crassus Orator primus peregrini marmoris columnas habuit, sed Hymetticas, & senas tantum, nec longiores duodenum pedum, nec sine opprobrio, nam idcirco Brutus eum Venerem Palatinam appellabat.

Multo magis cauendum, ne materiam superet opus, sculpturæ, picturæ, incrustaturæ, inaurationes vetandæ, quorsum enim tanti sumptus, & curæ ? cur lutum auro politur ? Aut quid Regijs palatijs amplius tribui potest, quam vt marmore, ære, ebore, electro, argento, auro adornentur ? Merito tantum fastum priuatorum obnoxium faciet seruituti, vt legatos, aut peregrinos excipere cogatur, atque vt alibi de foco, & tegulis, ita hic de auro tributum detur.

Familiæ multitudo.

Familiæ exercitus prisci habuerunt, multosque ad solitudinem redegerunt comitatus. Nunc quoque prouidendum, ne illi, quorum status mediocris est, familiam inutilem domi alant. C. Cæcilius, Claudius, Isidorus quatuor millia, centum & sedecim seruos habuit, sed plerosque vtiles, alij plures sine causâ, Romæ tanta erat ea in re studium, vt hac re priuati, & Respublica extrema passa sit. Seruile bellum ex gregibus mancipiorum, conflatum est; Roma in perpetuo periculo fuit.

Periculum Romæ à seruis.

In Senatu dicta est aliquando sententia, inquit Seneca libro 1. de clement. capite vigesimo tertio, *vt seruos à liberis cultus distingueret, deinde apparuit, quantum periculum foret, si serui nostri numerare nos cœpissent.* Demetrius Pompejanus libertus, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio, magnam familiam habuit, Seneca libro de Tranquillitate animi capite nono. *Numerus illi quotidie seruorum, velut Imperatori exercitus referebatur : cui iamdudum diuitiæ esse debuerant, duo vicarii, & cella laxior.*

Pompa seruorum.

De pompâ Demetrij narrat Plutarchus in Catone Vticensi. *Hic Antiochiam ibat, & videt extra portam in vtroque viæ margine, composite stantes, viros, iuuenes, pueros, cum discrimine ætatum in festo omnes habitu & veste : Magistratus præterea Candidatos, Sacerdotes etiam ipsos, coronatos. Cato stomachari, & putare sui honoris caussâ factum, & succensere iis, quos præmiserat, tamquam indicassent. Itaque propior, descendit vehiculo, & suos idem facere ac pedibus ire iussit : tanquam salutandus & pompa illa deducendus. At ecce senex quidam, coronâ & virgâ insignis (dissignator is erat) ne salute quidem dictâ rogauit, Vbi Demetrium reliquissent ? & quando venturus ? Demetrius is erat Pompeii libertus, & multum apud illum poterat, in quem omnes mortales tunc oculos habebant coniectos. Itaque hic comites Catonis & indignari, & risu emori : Cato nihil aliud prolocutus, quàm, O miseram ciuitatem! in eam ingredi.*

Seruorum multitudo, clientium, ministrorum scopulus est nobilitatis, & Principum. Quanquam exteræ nationes fere gloriolæ illius appetentiores, vt Turcæ, quo enim quæque gens magis barbara est, eo pluribus imperitare domi gaudet. Atque hæc de legibus sumptuariis.

Caput XV.

Aliæ honestæ, & subditis vtiles rationes, quibus opes Reipublicæ firmantur.

§. 1. Opes Reipublicæ necessarias docui, illæ honestè vel cum ciuium incommodis, vel absque eorum detrimento, vel denique cum vtilitate eorum congregantur ; de postremo modo

ago

ago, & rationes alias nonnullas, per se singulas quidem non magnæ rei, sed plures simul validas, vberesque adferam.

Mancipiorum vsus male desint multis Europæ locis.

§. 2. Ad opes congregandas plurimum conducit mancipiorum emptio, & legitimus, humanitateque temperatus vsus. Paulus hortatur seruos, *vt obediant dominis suis, non ad oculum seruientes.* Nec contra Christianam mansuetudinem est, seruorum opera vti; Abraham sanè mancipia plurima habuit, alij sancti, quorum seruis etiam vtilior fuit illa subjectio, quam periculosa libertas. Quin de seruitijs

Seruorum vsus licitus.

æquissimæ sunt leges Mosis Exod. 21. versicul. 2. & sequenti, & Leuit. 25. versiculo 6. & 42. & 44. Si enim jure occidi possunt, igitur, & seruitio mancipari.

Deinde jura ciuilia, vsusque perpetuus Christianorum hoc contestatur, nec Paulus Onesimum manumitti jubet, sed Philemoni restituit. Seruitus enim aliud non est, quam in aliena esse potestate, cujus consilio & voluntate regatur, vt operas ei præstet, nec proprium quicquam possideat, nisi domino concedente. Seruitus esse autem debet ex justa causa, æqua, clemens, secundum illud axioma:

Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Multis vtilis est seruire.

Vtile verò hoc est in communi; nam cum multi sint natura, neglectu institutionis, efficacia seductionis improbi, atque in vitiis contumaces, plane vtile est illis seruitutem seruire, qui ferre non possunt libertatem; Quot myriades vagabundorum, & erronum Rempublicam grauant, & cum est occasio produnt? nonne præstabat moderatis dominis eos seruire? laboribus exerceri? peculium colligere, vindicta prætoris manumissionem exspectare; si frugi non sunt, regantur δεσποτικῷ imperio; si prudentes & moderati, qualis Abrahami seruus, libertatem adipiscantur; nam duram istam & crudam seruitutem veterum, quia jus vitæ & necis in miseros vsurpabant, qui ægros, aut senes domo ejiciebant, ad bestias vendebant, jamdudum jura Christiana sustulerunt. Justa igitur est, & legitima ratio, nec quemquam in Republicâ grauat, nisi eum, qui merito seruus est, imò hostibus quoque timorem incutit, dum metu seruitutis bella fugiunt.

Vtilitates porrò quæ inde nascuntur plures sunt.

Seruorum manus opera celeriter perficit.

1. Opera magna publicè & priuatim celerrimè fieri possunt, quid enim non faceret suis operis Clodius, aut quingentis fabris Crassus diues? Causa est, quia obnoxij sunt, vrgeri, cogi, flagellari possunt, quâ tamen in re justitiæ & clementiæ habenda est ratio. Nec alio modo vrbes olim, grandesque substructiones, nisi seruili manu factæ; ita filij Israël ædificarunt Pharaoni Pithom, & Rhamesses, vrbes tabernaculorum. Qui liberi sunt pro arbitrio veniunt, abeunt, potant, negligunt.

2. Minore sumptu omnia conficiunt; operæ conductæ preciosæ sunt, tardius opus aggrediuntur, lautius viuunt. Itaque dimidium precij lucratur ille, qui seruis vtitur. Nullam illis mercedem pendit, & vilius quàm liberos pascit.

Mancipiorum vtilitas.

3. In metallis, fossis, aquæductibus, muris fundandis, lignis cædendis, agris colendis, etiam priuati multa per seruos commode efficere possunt, expeditque Principem seruos publicos habere, aut diuites esse quosdam, qui priuatis operas seruorum elocent.

4. Emolumenta plurima inde consequi, docet nos Pharao, qui post tot clades adhuc vtile præponens honesto. *Quare dimisimus Israelem, vt non seruiret nobis?* Turcæ quantâ sæuitia instant, vt Christiana mancipia abducant?

Cur non illorum seruitio nos vicissim vtimur? De justis, & mansuetis seruitijs semper loquor. Cur nobis id non liceat, aut commodet, cum Italos & Hispanos ex mancipijs diuitias congregare videamus?

5. Quam multi seruorum ingeniosi sint, & ad magnas artes, ad regendam Rempublicam, in necessitate, ad militiam, præterita sæcula docuerunt. Manlius Antiochus, Taberius, Eros alijque docti fuêre. Alij in omni artificiorum genere exercitati, quin etjam institui possunt, vt heris sint vtiles, & carius diuendantur.

§. 3. Artium omnium mechanicarum, quæ necessariæ aut vtiles sunt, cultura. Quod Respublica efficiet, si honoratos fecerit artifices, si priuilegia conferat; idque imitatione veterum legum. Ita enim Constantinus ad Maximum cod. 10. titul. 64. *Artifices artium breui subdito comprehensarum, per singulas ciuitates morantes ab vniuersis muneribus vacare præcipimus: siquidem in discendis artibus otium sit accommodandum: quo magis cupiant, & ipsi peritiores fieri, & suos filios erudire.* *Artifices honorati.*

Artifices, & immunitatem habent

Ex notitiâ autem sic eos recenset. *Architecti, medici, pictores, statuarii, marmorarii, lecticarii, seu arcarii, claticarii, quadrigarii, vel quadratarii, quos Græco vocabulo πήκτας appellant, structores, id est, ædificatores, sculptores ligni, musearii, deauratores, albini, quos Græci κονιατὰς appellant, argentarii, barbaricarii, diatretarii, ærarii, fusores, signarii, fabricarii, bracharii, particarii, atq; libratores, figuli, qui Græcè dicuntur κεραμεῖς, aurifices, vitriarii, plumbarii, specularii, eborarii, pelliones, fullones, carpentarii, sculptores, dealbatores, cusores, trigarii, cisiarii, bractearii, id est, πεπλέκται.*

Constantius, & Constans eadem immunitates confirmant (eodem titulo) *Mechanicos, Geometras, & Architectos, qui diuisiones partium omnium, incisionesq; seruant, mensuriq; & institutis opera fabricantibus stringunt, & eos, qui aquarum ductus, & inuentos modos docili libratione ostendunt, in par studium docendi atq; discendi nostro sermone compellimus Itaq; immunitatibus gaudeant, & suscipiant docendos, qui docere sufficiunt.*

Aristoteles eos quidem repellit à Republicâ, sed injuriâ; cum exercitatio prudentiaque illis sit, cum præsidia ad vitæ necessaria habeant. Hodie enim hæc est eorum ratio, vt non frangant laboribus corpora, sed firment, quæcunq; sunt in vrbibus honestissimæ artificum tribus; atque hoc ad veterum normam, & Rempublicam sacram institutum est. In Israëlitica enim Republica artifices DEVS ipse honorauit. Ex. 31. *Ecce vocaui ex nomine Beseleel Vri filii Hur de tribu Iuda, & impleui eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quidquid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum. Dediq; ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant cuncta quæ præcepi tibi, tabernaculum fœderis & arcam testimonii, & propitiatorium quod super eam est, & cuncta vasa tabernaculi, mensamq; & vasa eius, candelabrum purissimum cum vasis suis, & altaria thymiamatis & & holocausti, & omnia vasa eorum, labium cum basi sua vestes sanctas in ministerio Aaron Sacerdoti eius & filiis eius, &c.* *In Israelitica Repub. artifices honorati.*

Dignos iudicat, quibus Deus ipse inspiret

Hoc initio artium posito, magna semper fuit dignitas artificum, sed & opes; hoc ipsum calamitatum tempus ostendit, nam cum Joachin Rege Babylonius abduxit Principes, fortes, & artifices, & solum pauperes reliquit. 4. Reg. 24. 14. *Et transtulit omnem Ierusalem, & vniuersos Principes, & omnes fortes exercitus, decem millia in captiuitatem: & omnem artificem & inclusorem: nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. Transtulit quoq; Ioachin in Babylonem: & matrem regis & vxores regis, & Eunuchos eius, & iudices terræ duxit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem. Et omnes viros* *Artifices Israelitæ inter præcipuos.*

viros robustos, septem millia, & artifices & inclusores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxitq; eos Rex Babylonis captiuos in Babylonem. Et constituit Mathaniam patruum eius pro eo: imposuitq; nomen ei Sedeciam.

Inter diuites igitur & Principes erant inclusores, & artifices, adeò vt dicatur totam Ierusalem transtulisse, quia primarios in captiuitatem adduxit. Inclusorem vocant Hebræi המסגר LXX. συγκλείοντα, quidam ianitorem, alij custodem, alij stringentem enses, alij peritos castra metandi. Eadem habentur Jerem. c. 24. 1. & 29. 2. Sed malo ingeniosũ artificem ita vocari, qui faciat מסגרות artificiosas juncturas ædium, columnarum, instrumentorum, ita nonnulli fabrum metallicum interpretantur. Qui verò eos vocant magnos, vel magni æstimatos, vt R. Dauid in l. Radicum, quanquam à סגר quod est aurum obrizũ, purũ, seu מזוקק fusum, deducere videantur, eodem tamen modo accipiunt; nam hi tales magno in precio erant, quapropter & R. Dauid in Comm. Sapientes & Consiliarios vocat: nec mirum ita Beseleclem Deus appellat. Quod hic factum videmus, id Isaias jam ante prædixit, fore *vt auferat Deus sapientem de architectis* cap. 3. v. 3. Salomon etiam hæc æstimauit, 3. Reg. 7. 14. *Misit quoq; Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia & intelligentia & doctrina, ad faciendum omne opus ex ære.*

Inclusor quis sit?

Salomon architectos magni fecit.

Othonielis nobilissimi & fortissimi viri nepotes ex filio Saraia, ex nepote Joab artifices fuêre. *Nam fuit ille pater vallis artificum, ibi enim artifices erant*, 1. Paralip. 4. vers. 14. vbi Hebræus simpliciter, *quia artifices erant*, & LXX. ὅτι, *quod artifices erant*. Esr. 2. 3. 33. *artifices quoq; ædificant Ierusalem.* Nec minus Romæ æstimati sunt, nam & ad Magistratum admissi sunt, & jus ciuium, quod summum erat, victa factione patriciorum occuparunt. Romulus in curias, seu fratrias distribuit ciues, Numa Pompilius, vt Plutarchus ait, vt odiosum discrimen nationum tolleret, artium diuisionem, artificumque & architectorum sodalitates, & collegia instituit.

Artificum societates Romæ.

Maxima verò subsidia Reipublicæ conferunt artifices, nam negociatores alliciunt, ocium fugiunt, opes important, in bello vtiles sunt.

Quod si eorum industria honoretur, multo magis florebunt. cum enim sint compendiosæ rerum agendarum rationes, quæ in artibus valent; minore curâ & labore Rempublicam juuabunt.

§. 4. Primum igitur est, vt artes honorataæ sint; alterum quod inde sequitur, vt quædam ita honestæ habeantur, vt eas quoque diuites, & nobiles facti tent. Plato artes deseri, ait duas ob caussas; diuitias, & nimiam paupertatem, diuites enim ocio & luxu diffluunt, pauperes instrumenta, & materiam non habent.

Artes diuitiis & paupertate intercidunt.

Nec deerunt, modo Princeps velit. In oriente pastoritia vita honestissima, & regia habebatur, agricultura, nemorum, vitiumq; plãtatio magnæ dignationis, nunc equestris exercitatio, & venatio nobilitatem fere detinet. Accedere tamen & aliæ possunt. Imprimis quæ liberales sunt, vt picturæ, sculpturæ, architectonica, sclopetorum, arcuum, bipennium, ensium politura, omnia quæ ad aquarum medicarum distillationes pertinent, herbarumque curas; si enim irrito conatu tàm multa in Alchymiam opera impenditur, cur non potius certo eventu in res vtiles impendentur? Denique quicquid ad gemmarum, auri, argenti polituram pertinet, opulentis conuenit. De liberalibus supra dixi.

Artes nobilium.

Ad pauperes, & mediocres, qui censibus suis annuis viuere nequeunt, quod attinet, repeto legem quam alias dixi. Omnes examinandos, quaarte victum quærant, ocio locum non dandum. Pueros continuo ad leuiora artificia adhibendos, ita vt nemo vacet, vagabundos coërcendos, quibus verò non facultas, sed voluntas laborandi deest, ad opus cogendos; quod si fiat, decuplo minor erit pauperum numerus, quorum aliqui etsi debiles sint, nonnulla tamen sellularia officia præstare poterunt. Cæteri non difficulter eleemosynis sustentabuntur, qui verè pauperes sunt. Poteritq; id obseruari, quod olim populo Israëlitico dictum est, *non erit inter vos mendicus.* Nunquam v. opus deerit, si Princeps agros colat, noualia instituat. Quid fieri possit, docent ea, quæ fiunt. Belgæ lanificia tractant, pannos, lineos, laneos, aulæaq; contexunt, quibus Germaniam, Galliam, Hispaniam, Africam, Asiam, Indiam vtramque vestiunt, cur non imitantur, & hoc, & alia Germaniæ Principes? hinc lanam coëmunt, auehunt, reuehunt, & portoriorum, vecturæq; sumptus conduplicant. Hoc demum in Republicâ magnum est incommodum, quod cum artefacta ab externis emuntur, omnia majore precio veneunt, ciuitasq; exhauritur. Deinde artificum copiæ facile admiranda inueniunt, quale fuit Curionis illud inuentum, cum pensile theatrum fecit. Plinius libr. 36. cap. 15. *Theatra duo iuxta fecit amplissima è ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus vtriq; ante meridiano ludorum spectaculo edito inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repente circumactis, vt contra starent, postremo iam die descendentibus tabulis, & cornibus inter se coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis authoratum populum Romanum circumferens. Quid enim miretur quisq; in hoc primum? inuentorem an inuentum? artificem an authorem? ausum aliquem hoc excogitare, an suscipere? parere, an iubere? Super omnia erit populi furor, sedere ausit tam infida instabiliq; sede. En hic est ille terrarum victor, & totius domitor orbis, qui gentes & regna diribet, iura externis mittit, Deorum quædam immortalium generi humano portio in machina pendens, & ad periculum suum plaudens. Quæ vilitas animarum ista! aut quæ querela de Cannis! quantum mali potuit accidere!*

Artium multitudo pecuniam attrahit, & retinet.

Artifices varia excogitant.

Hos in castra ducas, si oppidum machinis defendendum sit, quid non efficient? In res vtiles ingenia exerant.

Artium mechanicarum contemptus ex superbia Græcorum Philosophorum, & Oratorum orta est. Et nunc quoque contumelioſe habentur à multis, tanquam sordidæ, cum tamen prima fuerint generis humani post agriculturam exercitamenta. Mihi magis Indorum placet industria, qui singulos singulas artes exercere permiserunt, sed Philosophis plures ob honorem sapientiæ, vnde colligimus Philosophiam Indicam non ociosarum argutiarum fuisse sectatricem, sed sapientiam communi & ciuili vitæ consulentem.

Artes non sunt sordidæ.

§. 5. Honesta quoque fuit, & vtilis ratio colligendæ in necessitate pecuniæ, quam Sabellicus libr. 6. & 7. ait Venetos secutos. Nam publice edixerunt, fore, vt qui Rempublicam pecunia juuissent, ex illis triginta in numerum Senatorum adlegerentur, maneretque ea rata dignitas eorum posteris, cæteris finito bello singulis annis quinque nummũm millia diuiderentur. Certatim dederunt opulenti, & ex æmulatione creuit ærarium. Factum id prudenter ab Republica, nec inter veteres & nouas familias æmulatio vlla publica est. Id cur non Reges imitentur? Certe Hispaniarum Rex aliquot ante annos dum ditissimos Italorum nobilitat, magna bellorum subsidia comparauit, honos verò nobilitatis in copiosos, ingeniosos, negociosos conferendus est, ne si in egestatem recidant, ordini sint opprobrio. Nulla hic Reipublicæ, nulla priuatis infertur injuria. Quod si nobilitas tantum virtutis esse debere objiciatur;

Nobilitas opib. data.

facilis

Diuites iuuantes Rempub. merito nobilitantur:

Facilis responsio, Eos qui pecuniâ patriam adjuuant, non inferiores esse alijs, qui fumosas imagines jactant; nec enim solius pecuniæ, sed virtutis etiam ratio habetur. Magno verò illos esse animo, vel hinc discimus, quod magnas pecunias minoris, quam mediocrem honorem æstiment. Hoc suaserim illis Principibus, quibus nobilitas subjecta est, & vbi illa quoque negociatur; Quod si multitudine nouorum vetus vilescat, minus id mali est, quandoquidem per virtutem recuperare dignitatem potest. In Gallia id quoque factum, & immunitatem magnâ summâ redimebant; id olim quoque factum, cum jus ciuitatis Romanæ integris nationibus datum, aut venditum. Ingens imperij tanti accessio. Actorum 22. versicul. 26. ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου ταύτην τὴν πολιτείαν ἐκτησάμην. Ego magnâ summâ ciuilitatem illam consecutus sum: Si multa millia ciuitate donabant, sed id magnâ summâ, multa millia magnarum summarum quantam pecuniam effecerint, non est dubium. Sic & jure ciuium mediocri aliquâ pecuniâ poterit Princeps, aliaque largiri, quæ honorifica sunt, nec aliorum tamen commodis, vel libertati præjudicant.

Romani ciuitatẽ precio dabant.

Nec dissimile huic est, quod Bizantij in necessitate fecerunt, cum enim lex esset. Ne quis jure ciuium frueretur, nisi vtroque parente ciue natus; edixerunt; si quis Reipublicæ triginta libras conferret; quamuis alterutro parente tantum ciue natus, ciuis eo, quo qui optimo, jure haberetur.

Non grauat suos, de capite tamen hostem.

§. 6. Tamerlani illud barbaræ crudelitatis fuit, in vrbem quam obsidere meditabatur mercatores cum preciosis pellibus mittebat, jubebatque facili precio distrahere, vt emerentur; deinde cum vrbem occupasset, pelles quas commode abscondere non poterant, recepit. Honesta ratio: sic enim ex hostium pecuniâ exercitum alebat, & merces deinde recipiebat, alijs vendendas. Ita Haimo Armenus.

Hæc ratio grauior est, nisi sit spes compensationis.

§. 7. Edouardus Quartus Britanniæ Rex, amicos rogauit, vt sponte sibi pecunias conferrent, ad expensas militiæ, se ex facto singulorum beneuolentiam æstimaturum; quare ipsa contributio nominata est beneuolentia. Idem Henricus Septimus imitatus est. Polydorus libr. 26. & 27. Si magna incumbat necessitas, est recta ratio, sed animadu ertendum, vt vicissim illis benefaciat, alioqui nihil durius, quam Principis priuatæ apud amicos preces; si enim negent aut parce donent, paratam sibi cladem putant. Si quis aut nolit, aut non possit dare, inimicus Principis efficitur; quia grauiter sibi offensum arbitratur.

Instrumenta deluciarũ sunt reiicienda.

§. 8. Antoninus Philosophus, vt pecuniam conficeret, omnia vasa aurea, argentea, murrina, crystallina, gemmas, omnem vno verbo suppellectilem, vxorisque ornamenta publice vendidit, vt pecuniam conflaret. Non dissimile est illud Ephesiorum, qui vt lib. 2. Oeconom. refert Aristoteles, cum pecuniâ egerent, lege sanxerunt, ne aurum ferrent mulieres, deinde vt ciuitati mutuum darent. Quidam hæc sordida putant, ego magnificum arbitror; nam ornatum externum contemnere regium est; deinde subditis parcitur, & nobilium, potentiumque animi ad Rempublicam adjuuandam inflammantur, quis enim è gemmâ diuite bibet, si Principis fictilem suppellectilem intueatur? Venetis parum illa res ex sententia cessit, cum ciuibus extorquere pecuniam vellent. Nam edixerunt, vt quicquid auri, argentiue cælati esset, id ad duumuiros deferrent, vt nummi cuderentur; decimæ partis lucra reciperent, qui non tulissent, eorum bona venderentur; sed cum recusarent, captis pignoribus & carceribus coacti sunt. Id factum bello contra Julium 2. Bemb. libro 7. & 10. hist. Venetæ. Hoc quidem durum, si fides erat; nam magnum lucrum promittebatur, nec poterant negare Reipublicæ, si satisdare poterat. Sed illi bellum & belli caussas execrati, suspectamque fidem Senatus habentes rerum suarum tenaces erant. Potest tamen eo modo Princeps vti, nec inter odiosa censendus est, si cautum sit dè summâ & lucro. Non enim decet vllum sibi tantum placere, vt periclitante Principe non nisi ex auro bibere velit, cum præsertim lucrum ex beneficio liceat exspectare.

CAPVT XVI.

Modi pecuniæ colligendæ ab Aristotele libr. 2. Oeconom. recensiti, alijque similes.

§. 1. DIGNVM arbitratur Aristoteles cognoscere, quomodo veteres pecuniam confecerint, cujus ego narrationem ordine, vt ab illo proponitur, prosequi decreui; Quædam improbandæ sunt, quædam, sed paucæ laude dignæ, nonnullas justas facit necessitas.

Cypselus.

Cypselus Corinthius cum votum fecisset Ioui: Si ciuitate illa potitus fuisset, Corinthiorum se dedicaturum facultates vniuersas: iussit censum describi: illis autem professis, decimam bonorum partem abstulit à singulis, de reliquis iussit eos negotiari & rem facere. Annoq; vertente fecit idem. Euenit itaque vt annis decem & ipse haberet omnia bona Corinthiorum, eaq; consecraret, & Corinthij interea quærerent, pararentq; alia. Improbum votum non oportebat explere, secundum tamen erat, vt humaniter exequeretur. Julius simili modo cum jurasset se piratas crucifixurum, prius occidit.

Mali voti executio humana.

Lygdamis.

§. 2. *Lygdamis Naxius, quibusdam in exilium actis, cum facultates illorum nemo vellet, nisi admodum paruo, emere, vendidit ea ipsis exulibus. Ea etiam quæ vt dona Diis consecrarẽtur in officinis non prorsus elaborata iacebant, vendebat tam exulibus quam aliis, permittens vt emtoris nomen in vnoquoq; perscriberetur.*

Causa cur paruo emere vellent, erat, quia incerta videbatur possessio per tyrannidem addicta, & odiosa in vulgus; Exules mediocri precio redimere, quam omnia perdere malebant; si justè expulit, non fuit iniquus in venditione, quâ etiam illud effecit, vt inter se exules committerentur, dum alterius bona alius emit.

Byzantii.

§. 3. *Byzantii in pecuniæ penuria publicos lucus & loca sacra vendiderunt. Fructuosa quidem ad certum tempus, sed infructuosa ad proprietatem perpetuam. Itemq; ea, quæ sodalitates possidebant, & quæ ad sacra gentilitia pertinebant, cum alia, tum in agris priuatis sita. Nam hæc magno emebant ii, quorum reliqua erat possessio. Sodalitiis a. tradebant publica alia, quæ erant circum gymnasium, aut forum, aut portum, nec non forensia loca, vbi aliquid vendebatur. Præterea salinas maris, & salis mercaturam. Item vbi quæstus faciebant præstigiarum artifices, vates, & qui medicamenta vendebant, & huius generis alii: constituerunt q; vt tertiam partem quæstus penderent. Iam permutandæ pecuniæ mensam tantummodo vnam elocarunt. Neq; licebat alio nummo, vel de altero emere, vel alteri vendere quicquam. Quod si quis fecisset, pecunia ea multabatur. Cum autem apud illos lex esset: Non habendum pro ciue, qui non vtroq; parente ciue natus fuisset: egentes pecunia scitum fecerunt: Qui altero tantum parente ciue natus esset, si persoluisset duodecim millia nummûm, pro ciue habendum. In caritate verò annonæ cum pecuniæ inopia laborarent, deduxerunt nauigia ex ponto. Quod cum mercatores iniquo animo ferrent, vsuras persoluerunt eis decimas. Qui emebant autem tunc, ab eis vltra precium ipsum*

illas

illas decimas exigebant. Cum autem ex incolis quidam fœnore collocassent pecunias, oppositis bonis, neq; esset vnde illæ persoluerentur, scitum fecerunt: vt qui tertiam partem debiti seu pecuniæ mutuæ, tributi nomine conferret, bona illa tanquam propria retineret.

Multa in hac Byzantiorum χρηματιστολία sunt notatu digna, nonnulla forte in necessitate imitanda. Primo vendiderunt τὰ τεμένη, hoc est, omnia loca Dijs consecrata, vt sunt luci, areæ, templa, sacella. Secundo, Loca fructuosa, vt lucos, agros vendiderunt ad certum tempus; Infructuosa, vt areas, sacella in perpetuum; alioqui emptorem non inuenirent; quis enim infructuosa emeret? vt fructuosa redderet, iterum dimissurus? Tertio vendiderunt τὰ διασωτικὰ, hoc est, loca quæ ad sacros conuentus pertinebant, seu ad sodalitates, διασῶται enim dicuntur, qui religionis ergo societatem iniuerunt, vt Bacchici, Eleusinij, alij διασωτικὰ, quæ ad hos pertinent, præsertim domus, & loci conuiuales. Erant autem vel πατριωτικὰ sacra, vel vt quidam legunt φρατριωτικὰ; Tum verò τὰ ἐντοῖς ἰδιωτικοῖς in agris priuatis sita. Vocantur domus ipsæ Polluci libro 6. φωληθέρα speluncæ, lustra, in quibus perpotabant. Erant ejusmodi multa in hortis priuatis, & agris, quæ tamen sodalitiorum erant, non eorum in quorum possessionibus inueniebantur, idcirco Domini magno emebant, vt agros liberos haberent. Quarto sodalitijs alia dabant, quæ publicè fructuosa non erant. Quinto salinas vendebant. Sexto. Cum opus esset permutatione pecuniarum, vnicum solum constituerunt, vt certo precio id faceret, nempe monetam magno exponeret, vili precio reciperet. Quæ res fuit manifesto injusta, præsertim cum alio nummo vti non possent. Vno itaque denario iureos permutare facile fuit. Nec minus injusta lex illa de fœnore, quæ omnia ex mala Reipublicæ administratione initium habuerunt.

Hippias. §. 4. *Hippias Athenienſis eminentia in ſuperioribus partibus ædium, & proiecta in publicas vias, itemq; ſcalarum gradus, & præmunita veſtibula, & ianuas quæ aperiendo extrorſum vertebantur vendidit. Emebant igitur hæc illi prædiorum Domini, & ita copioſa pecunia collecta eſt.*

Jure hæc fieri poterant, si projecturæ, & gradus contra legem erant; nam cum publicum occuparent, & contra leges esset priuatis ædificationibus vias impeditiores facere, jure sibi Respublica occupare potuit: Hippiæ in eo calliditas eminuit, quod dissimulatam legis transgressionem justitiæ summo prætextu puniit; nam Domini ædium hæc magno redimere cogebantur, nisi totjus ædificij immutatione, & deformatione majores sumptus facere vellent. Quod ait, καὶ θύρας τὰς ἀνοιγομένας ἔξω, januas quæ extrorsum aperiuntur, fuit hoc & olim vetitum apud Romanos. Neque enim hoc cuiquam facile, imò ne triumphalibus quidem domibus concedebatur, sed quorum cum insigni laude triumphus esset. Plinius libro 36. capit. 35. *Subit verò cogitatio, quota portio harum fuerint areæ illæ, quæ inuictis Imperatoribus decernebant publice exædificandas domos: summusq; illarum honos erat, ſicut in L. Valerio Publicola, qui primus Conſul fuit cum L. Bruto, poſt tot merita, & fratre eius, qui bis in eodem Magiſtratu Sabinos deuicerat, adiici decreto, vt domus eorum fores extra aperirentur, & ianua in publicum reiiceretur. Hoc erat clariſſimum inſigne inter triumphales quoq; domus.*

Periculosè autem Hippias, & odiose; nam malitiosæ, & astutæ tyrannidis hoc esse videbatur. Προφεράγματα vel vt alia lectio habet πεφεράγματα, (quamuis προφεράγματα malo, sunt enim loca ante scenam, vel septum, & hoc loco tutamina ædium, & septa in publicum extensa) vendebat, quæ nisi redimerentur, vt dixi, omnino pereundum erat domibus.

§. 5. *Nummum autem, qui tunc Athenis vſurpabatur, improbum eſſe iuſſit, & precio conſtituto ad ſe pecuniam omnem deferri imperauit. Cumq; conuenirent, qui alio ſigno vellent cudere, idem illud argentum elocauit.* Hippias.

Hic mera fraus, & impostura tyranni, vt fraude pecuniam colligeret, deinde reprobatam ante, denuò approbaret. Multæ nunc quoq; in moneta cudenda & recudenda fraudes versantur, sed ferè aliquo justitiæ prætextu.

§. 6. *Præterea, qui triremi aut tribui Magiſtri, aut ludis ſuppeditare impenſas, aut in aliud iſtiuſmodi munus publicum ſumtus facere deberent, conſtituta ſumma mediocri, ex his iuſſit eum, qui illam pendere voluiſſet, inter perfunctos ſuo munere perſcribi.* Hippias.

De triremibus, & necessarijs male constitutũ est, de ludis, conuiuijs, alijsque ordine & recte. Si enim in ludos impendendæ mille drachmæ, sexcentas publico dari præstabat, & ludos omitti. Magna hic occasio imitandi, vt Principes nostri omnes sumptus, qui inanibus pompis impenduntur, ad vera, & vtilia conuertant; nec ille stulte, licet auare, qui cum coronas statuas, & vana meditarentur, cauam manum ostendit, in quæ ea collocari voluit.

§. 7. *Sacerdoti (τῇ ἱερείᾳ) etiam Mineruæ, quæ in arce conſecrata erat, præcepit de vnoquoque mortuo afferri hordei ſextarios duos, & totidem tritici, & obolum vnum, id eſt, duos aſſes, ac tantundem ab iis qui ſobole eſſent aucti.* Hippias.

Interpres vertit χοίνικα sextarios duos, sed rectius noster Villalpandus apparatu in Ezechielem ex Fannio ostendit χοίνικα continere quatuor sextarios,

Qui (sextarios) *quater aſſumptus graio ſit nomine chœnix.*

Arbitratur verò quinque pondo panis contineri.

Magna contributio efficitur in populosa ciuitate, sed tyrannica, & sordida, mortuos & nascentes censere. Non dissimilis tamen capitationi Romanæ, quæ efficiebat, ne multi gauderent sibi filios nasci, quod aliquæ vrbes fecere.

§. 8. *Athenienſes in Potidea, indigentes pecunia ad bellum, iuſſerunt profiteri cunctos, cenſum bonorum non ſimul vniuerſorum, in tribu ſua ſingulos, ſed ita vt quoque loco quidque poſſideretur, vt pauperes æſtimationem ſubiicere poſſent. Si quis verò prorſus nihil poſſideret, eius capitis æſtimatio erat minarum duarum. Hinc igitur tributum, quod exigebatur à ſingulis integrum conferebatur.* Athenienſes

Hac in re nihil iniqui actum, fraudi non vere profitentium obuiam itum est.

§. 9. *Antiſſaus cum pecuniæ inopia premeretur ciuitas ipſius, & morem haberent, vt Dionyſia ſeu Bachanalia ſplendide celebrarent (quibus magnos ſumtus faciebant de totius anni apparatu, cum in alia, tum victimas pretioſas) quod ille feſtus dies tunc inſtaret, perſuaſit eis, vt votum nuncuparent, ſe proximo anno reddituros Libero duplicia: & quæ parata habebant, vt venderent vniuerſa ſimul. Atque ita pecuniæ non modicæ ad præſentem ipſis vſum collectæ fuerunt.* Antiſſaus.

Rectè ille, & quod idolo promittebatur, id quoque in caussa DEI fieri potest, in necessitate enim publica templorum ornamenta auelli, & vendi possunt, Idolorum verò debent. Monet Sanctus Maternus Imperatores, vt omnium templorum ornamenta dæmonibus sacrata in Reipublicæ vsum conuertant.

§. 10. *Lampſaceni cum aduentus exſpectaretur triremium multarum, & venirent polentæ ſex modii denariis quatuor, iuſſerunt in foro verſantes vendere eos ſex denariis. Et ad olei congium, qui veniret denariis quatuor, adiicere ſeres obolos, ſeu aſſes ſex. Idemq; facere de vino & cæteris. Priuati igitur* Lampſaceni.

igitur pretium accipiebant antiquum, quod autem superabat, id ciuitas retinens, copiam ita pecuniarum comparauit.

Ingens hoc vectigal fuit, nec imitabile; nam omnium rerum venalium tertiam partem accipiebant. Quanquam autem venditoribus ruinam non inferebant, ciuibus tamen, & ijs qui in triremibus erant, damna augebantur.

Heracleota. §. 11. *Heracleota, cum naues ablegarent quadraginta aduersus tyrannos in Bosporo, neque pecunia abundarent, coemerunt de negotiatoribus & frumentum & oleum, & vinum, & res alias venales vniuersas. Atque constituto tempore quo pretium persolueretur, & oportunum erat negotiatoribus, non ad heminã merces distrahi, sed venire simul vniuersas, & ipsi cum persoluerent per oportunitatẽ, non stipendia deuehebant, sed res venales in oneri ariis nauibus, & vnum quæstorem singulis nauibus præficiebant. Cumque iam in terram hostium ventum esset, emebant ab his omnia milites, & argentum collectum fuit, stipendiumque dederunt ductores. Et ita accidit, vt idem argentum daretur, donec domum redierunt.*

Iusta illa fuit negotiatio, si ad constitutum mercatoribus soluerunt, ex negociatione exercitum aluerunt, donec omnino dissoluere possent; Nam quod negotiatoribus difficile erat, scilicet κολαζειν; hoc est minutatim diuendere, Respublica fecit.

Lacedæmonii. §. 12. *Lacedæmonii, cum Samii ab ipsis peterent, vt pecunias sibi conferrent recuperaturi patriam, scitum fecerunt: Vno die debere & dominos, & familiam, & iumenta ieiunare, & quantum insumpsisset, si non ieiunaretur, quisque tantum tribuere Samiis.*

Exiguum, sed iustum hoc erat subsidium, quo ostenderunt facile posse defendi Rempublicam, si quisque iuuare paratus sit. Nec dubito, si millesima pars earũ quæ per luxuriam pereũt rerum, in bellum Turcicum impendatur, posse biennio Pannonias cum Græcia, Thraciisque recipi.

Carthaginenses. §. 13. *Carthaginenses, cum militum apud ipsos externorum multitudo cresceret, non habebãt vnde eis debita stipẽdia persoluerent. Præconium igitur factum est: si quis ciuium, incolarũve ius haberet prehẽdendi, vel ciuitatẽ, vel priuatũ quempiam, siue vellet prehendere, vt ꝓfiteretur. Profitẽtibus aũt permultis, ita nauigia cõtendentia in pontũ cõprehendebant, probabilem aliquã causam prætendentes, tẽpore quidem præfinito, quo de his causam dicturos se esse affirmarẽt. Copia vero tũc magna pecuniæ cum extitisset, & milites illos dimiserũt, & de comprehensione disceptarunt. Et quibus comprehensione esset facta iniuria, iis de vectigalibus suis satisfaciebat ciuitas.*

Libycum facinus & fraus punica, quæ tamen excusari potest, necessitate. 1. Milites mercenarij peregrini, & multi, nisi stipendia acciperent, vrbem adeoque portum diripuissent. 2. Naues comprehendebãt σύλων expilabant, vt est in Græco, non more pædonum, sed adductis testibus, scriptoq; quantum quisque abstulisset, imo apud Rempublicam depositio. 3. Dati deinde sunt iudices seu recuperatores, & quibus iniuste res ablata est, ex ærarij reditibus restituta est, sensim, scilicet, dato in præsens fœnore.

Cyziceni. §. 14. *Cyziceni, seditione orta apud ipsos, & plebe superiore, oppressisque ac captis diuitibus, cum deberetur militibus pecunia, scitum fecerunt: Ne capti interficerentur, sed pecuniis exactis vt exularent.*

Hic quoque misericordia, si iuste diuites occidere ciuitas potuit, interuenit.

Chii. §. 15. *Chii, cum esset lex apud ipsos: vt debita publice perscriberentur: indigentes pecunia scitum fecerunt: vt debitores ipsi quidem mutuas pecunias numerarent ciuitati, ciuitas vero creditoribus, vt fœnus ex vectigalibus penderet, donec sors persolvẽdo æquaretur.* Iniuria debitoribus illata est, quia damno suo soluere cogebantur. Fœneratores merito sic puniebãtur; nam iure sortẽ ipsam auferre licuit.

Mausolus. §. 16. *Mausolus Cariæ tyrannus, petente per legatos rege Persarum, vt tributa penderet, conuocatis in illa terra opulentissimis, ostẽdit eis: Regem petere tributa, se autem nequaquam abundare pecunia. Ibi tum subornati quidam statim pollicitisunt, se esse collaturos, & summam indicarunt. Hoc facto opulentiores partim pudore, partim metu, & plura sunt polliciti & contribuerunt.* Nihil hic iniquum, si vere tributum exigebatur, nec armatis precibus agebatur, si deniq; soluendo Mausolus non erat.

Mausolus. §. 17. *Rursus pecunia indigens Mylassensibus conuocatis demonstrauit oratione sua. Eam ciuitatem principem regni, ex qua ortus esset ipse, non esse mœnibus septam, Regem autem Persarum exercitum aduersus illam adducere. Iussit igitur Mylaßenses, quantum posset quisque pecuniæ conferre plurimum, affirmans, iis quæ tunc contribuissent, cæteras ipsos suas facultates esse conseruaturos. Collatis autem copiis magnis ipse quidẽ retinuit pecunias: mœnia vero extrui illo tempore Deum velle negauit.* Iam exerte impostorem agit, idq; efficit, vt nemo illi inposterum quamuis in veris periculis constituto quicquam crederet.

Condalus. §. 18. *Condalus Mausoli præfectus, si quando iter per regionem suam faciẽti sibi afferret aliquis donum, aut porci, aut vituli, iussit perscripto nomine eius qui donaßet, & die, domum abduci, & ali donec reuerteretur. Ac vbi tempus satis longum abiisse videbatur, repetit quod ille aluerat, subductis fructus quoque rationibus.* Simile domino mancipium. Τὴν ἐπικαρπίαν λογισάμενος, hoc est fructus rationem computans, si ouis periisset, si tonsa esset, hæc omnia exigebat. Sed ille impostorem, & histrionem egit, vt ex sequentibus patet.

Condalus. §. 19. *Arborum item eminentium aut procidentum in regias vias vendebat fructus. Militum quoq; si qui mortem obierant, copiam efferendi extra portam corpus denario vendebat. Atq; hinc simul argentum accipiebat, simul non fallebant eum duces indicio temporis, quo aliquis ex militibus esset mortuus.* Ex inferis ipsis, & Plutone ille nummos colligeret.

Condalus. § 20. Facetum est, quod de Lyciis iudicauit, posse eos per iocum nummis emungi: ita rem narrat Aristoteles. *Lycios etiam cernens capillis gestandis delectari, literas esse dixit allatas regias, quibus capilli ad crines iuberentur. Mandata igitur se habere à Mausolo, vt illi tonderentur. Atque promisit, si certam summam in capita contribuere vellent, ex Græcia capillos afferendos se esse curaturum. At illi libenter præbuerunt quod postulabat, collectaque est de magna multitudine pecunia copiosa.*

Interpres vertit προσκομιὰ vel προσκομίδ, crines, quod sensum aut nullum aut obscurum habet. Græce ait Aristoteles, eos gestasse Τείχωμα, hoc est, comatos fuisse, deinde dixisse Condalum, oportere ὑποτεῖλαι εἰς προσκόμια vel προκόμια, quid sit autem κόμας ὑποτεῖλαι εἰς τὰ προκόμια, an sit dimittere ad antias, vel quo mittendæ, non est valde difficile conijcere, cum ait oportere illos ἀποκείρασθαι, tonderi: capilli igitur abscisi mittebantur ad προκόμια, an προκομεῖα, loca vbi dedicabantur, nam hac in re superstitionem ingentem fuisse nemo ignorat. In locum horum promittit è Græcia adscititias comas pro Lyciorum comis deferendas, mittendi ergo illorum capilli aliquó erant; quo autem mitterentur nisi ad loca aliqua vbi consecrari Deis solebant?

Aristoteles. §. 21. Improbe etiam Aristoteles Rhodius, de quo Aristoteles ita narrat. *Aristoteles Rhodius Phocæ principatum obtinens, in pecuniarum inopia cernens duas esse Phocaensium factiones, verba vni illarum occulte fecit indicãs sibi dare alteros pecunias, vt rem ad ipsos inclinet: sese vero ab ipsis accipere malle, & administrationem ciuitatis eis tradere. Quibus auditis statim tantum isti pecuniæ dederunt, quantum iusserat. At hic alteri factioni rursum ostendit quæ accepisset ab alteris. Hi vero dederunt ne ipsi quidem minus. Atq; ita acceptapecunia ab vtrisque, gratiam inter eos reconciliauit.*

Non pauci hoc imitantur, & olim Romanus arbiter fecit.

Aristoteles. §. 22. Idem Rhodius *cum animaduerteret autem inter ciues multas esse controuersias, & magnas in iis propter bel-*

lum iniurias, iudicio constituto edixit: si qui lege non egissent intra tempus præscriptum, non amplius de prioribus criminibus iudicia iis datum iri. Tunc itaq; complurium causarum atque litium collationē, & prouocationes multis propositis, ad se referens, & ab vtrisque per diuersos aliquid accipiens, non parum pecuniæ contraxit. Altera fraus, & nimium quoque vsitata, cur enim tanta vehementia agitur, vt causæ ad certa tribunalia trahātur, nisi quia & commoda attrahuntur.

Clazomenii. §. 23. Clazomenii in penuria annonæ cum pecunia deficerentur, scitum fecerunt: Vt qui oleum haberent, commodarent hoc Reipublicæ cum fœnore. Exiſtit autem hic fructus in regione illorū copioſus. Cum igitur ita commodaretur oleum, conductis nauigiis euehendum illud in ea loca curarunt, in quibus fora exercebantur, vnde frumentum ipſis aduenit, pignore dato olei pretio. Legitima fuit illa negociatio, cōmutatio olei pro frumento. ſed quod imperet oleum habentibus, vt mutuum dent Reipublicæ, iniquum eſt.

Clazomenii. §. 24. Alterum fuit multo ingenioſius. Militibus (inquit) cū deberent ſtipendii nomine quadringenta & octoginta ſeſtertia, neq; poſſent diſſoluere, annis ſingulis fœnus pendebant ducibus ſeſtertia nonaginta & ſex. Quia vero hoc pacto de ſorte nihil decedebat, & ſumptus facere fruſtra ipſi pergebant, percuſſerunt nummum ferreum ad argenti rationem, ſeſtertiorum quadringentorum octoginta. Hanc deinde pecuniam dabant opulentiſſimis in ciuitate, pro eo atq; conſentaneum erat cuiq;, & tantundem ab eis recipiebant argenti. Habebant igitur priuati quod in cotidianos vſus impenderent, & debito liberata fuit ciuitas. Deinde ex vectigalibus & fœnus pendebāt illis, & diuidendo ſemper pro parte ſua cuique diſtribuebant, nummoſque ferreos recipiebant. Ariſtoteles ait debuiſſe viginti talenta, tuliſſe autem φόρον τέλλαρα τάλαντα; Ferrea autem pecuniâ non minus negociari poterant ciues quam argenteâ, cum iuſſu Magiſtratus valeret, Senatus nummos ipſos cum argenteis permutaret, donec intra annum quintum omnes reciperet.

Enicus. Multi in neceſſitate hanc rationem ſecuti ſunt; Enicus Lupides vt refert ex Nebuſſ. Toloſanus l. 3. c. 6. num. 26. Sic Enicus Lupides, comes Tondillanus, dux inſignis, in bello Granatenſi Almæ vrbi præfectus, in ſumma rei pecuniariæ deſperatione, dum expectaret pecunias à Rege Ferdinando, & regina Iſabella, ex charta panucea fecit ſchedulas ſua manu propria, atque ſubſcriptione ſignatas, quaſdam vocans aureos, argenteos nummos, æreos aſſes, ſemiſſas, trientes quadrantes, inſque inter ſe emptiones & commercia facta ſunt, pollicitus ſe daturum pro illis fictitiis, varias pecunias, poſt receptionem.

Et num. 27. Idipſum feciſſe tradit Sabellus. Dominicum Michaelem, Ducem Venetorum, cum procul abeſſet domo claſſe Tyrum obſidens, in expeditione Aſiatica: cum enim pecuniæ defectu ſtipendium reddi nequiret remigibus & ſociis naualibus, & ex loro pecuniam publica forma ſignauit, quam pro aurea & argentea certis diſtinctam characteribus, in ſtipendium naualibus numerauit turmis, pollicitus fore, vt mox domi pro alutinis, aurei & argentei pari numero habentibus repreſentarentur nummi. Quod & factum eſt.

Hæc ratio pecuniæ cum non precio metalli, ſed ſolâ æſtimatione, quæ ex fide, quæ conſtituenti habetur, rata habeatur, non eſt vſurpanda, ſi omnia in dubio ſint, nam eo caſu deſperationem inijcit, multo minus ſi fides non habeatur; nam eludi ſe putant. Itaque ſi Mauſolus, aut Condalus è loro, vel plumbo nummos cudat, nemo eos accipiet. Pecunia enim illa proprie non eſt, ſed teſſera potius dandæ pecuniæ veræ, vel chirographum, quod nihili facimus, ſi vel ab impoſtore, vel ab egeno detur.

Selybriani. §. 25. Selybriani in pecuniarum inopia, cum lex eſſet: Ne frumentum exportaretur famis tempore, vetere illo frumento reliquo, ſcitum fecerunt: Tradere priuatos debere frumenta ſua Reipublicæ precio conſtituto, ſic, vt quiſque retineret victum ſibi vnius anni. Poſtea euehendi poteſtatem fecerunt volenti conſtituto precio, quod æquum videbatur.

Fames iam erat, itaque cum efferre non liceret iure quodam videbantur poſſe petere, vt Reipublicæ venderetur quod ſupererat neceſſitati: ipſa deinde Reſpublica euehebat, cariuſque vendebat, quod iniquum erat, accipiebat enim res priuatorum, & illis negotiabatur, adempta illis opportunitate lucrandi.

Abydeni. §. 26. Abydeni, quod terra ipſorum per ſeditionem inculta eſſet, neque quicquam amplius impendentibus incolis, propterea, quod alia adhuc deberentur, ſcitum fecerunt. Qui pecuniam mutuam dediſſet agricolis, vt opus ruri facerent, eum percipere fructus natos primum debere, & cæteros ea demum, quæ reliqua fuiſſent.

Laudandum agriculturæ ſtudium, in quo dominis præponuntur, qui ſumptum colentibus ſubminiſtrant.

Epheſii. §. 27. Epheſii cum pecunia indigerent, tulerunt legem: Non licere vt mulieres aurum geſtarent, quicquid eo tempore auri haberent, id vt commodarent ciuitati. Conſtituta etiam argenti ſumma, quæ numeraretur, permiſerunt vt in templi columnis, nomen eius qui argentum illud numeraſſet, tanquam eius, qui illam conſecraſſet, perſcriberetur.

Hoc æquum erat, patriæ enim commodare debebant potius, quam ornamenta ſua nimium amando, & patriam, & ipſa amittere. Illud ſane prudens de nomine columnis inſcribendo, in quo nullius iniuria præſidium patriæ comparabatur: niſi forte iam ante aliorum nomina inſcripta fuerunt.

Dionyſius. §. 28. Dionyſij variæ fraudandi, colligendique pecuniam artes fuerunt: recenſet hos Ariſtoteles. Dionyſius Syracuſius cumulare pecunias volens, concione aduocata dixit: Viſam ſibi Cererem eſſe iubentem, mundum muliebrem in ſuum fanum deferri. Ac ſe quidem hoc de ſuarum mulierum mundo feciſſe. Poſtulare igitur, vt idem fieret ab aliis quoque, ne Dea iraſceretur. Qui non feciſſet, eum ſacrilegii reum forepronuntiauit. Cumque omnes quæ habebant, attuliſſent, & Deæ reſpectu & ipſius, re diuina facta abſtulit mundum, tanquam commodatum ab ipſa Dea.

Hæc quidem fœda, & indigna rege impoſtura fuit, abutens miſerarum ſuperſtitione ad lucrum.

Dionyſius. §. 29. At quod ſequitur ad muliebrem φυλοκαλίαν caſtigandam non inimitabile fuit inuentum, ſi abſit ſuperſtitio. Vbi vero, inquit Ariſtot. temporis aliquid præteriiſſet, & mulieres iterum ornatus ferrent, edixit: Vt quæ aurum geſtare vellet, ea in templo, quod tanti eſſet, dedicaret.

Dionyſius. §. 30. Aedificaturus triremes ſciebat pecunia ſibi opus fore. Concione igitur aduocata, prodi quandam vrbem dixit, & ad eam rem ſibi pecunia opus eſſe. Poſtulauitque, vt ſinguli ciues conferrent aureos duos. Hanc pecuniam illi contulerunt. Spatio autem interpoſito dierum duum triumve, quaſi fruſtrata res ipſum eſſet, collaudatis ciuibus, id reſtituit vnicuique quod contulerat. Quo facto voluntates illorum ſibi reconciliauit. Poſtea ſimili ſpe ſe eſſe recepturos, rurſum contulerunt. Dionyſius autem, quod tunc acceperat, retinuit ad triremium ædificationem.

Sic in paruis fidem præſtruunt, vt in magnis fallant.

Dionyſius. §. 31. Cum non abundaret argento nummum percuſſit ex ſtanno, aduocataque concione, copioſa oratione nummum eum commendauit. Syracuſii vero, quamuis inuiti, illum ſcito ſuo approbauerunt, & vnuſquiſque prætulit ſe habere argentum non ſtannum.

Cum ſtanneos nummos nec ipſe poſtea, nec alij reciperent, neceſſe fuit priuatos hoc damno affici præterius, perinde enim erat ac ſi commutaret χεύσεα χαλκείων ἑκαλόμβια ἑπταβοείων. aurea aureis, centena ſeptenis.

§. 32. Illud

Dionysius. §. 32. Illud etiam vafri fraudatoris, ciuibus suis illudentis. *Rursum in pecuniæ inopia postulauit à ciuibus, vt sibi contribuerent. Quibus negantibus se habere, protulit vtensilia sua, & venalia, quasi per inopiam hoc faceret, proposuit. Hæc cum Syracusii emerent, quid quisque emisset perscribebatur. Persoluto autem pretio, referre ad se vtensile iussit, quod emisset, vnumquemque.*

Dionysius. §. 33. Quin & illud tyrannicũ: *Syracusii propter crebra tributa desierant pecudes alere. Ibi Dionysius satis sibi collatum esse affirmauit ad tãtum vsum, quiq; posthac parassent pecudes eos fore immunes. Cum multi autem multas pecudes immunitatis spe parassent, nactus opportunitatem, quid quisque haberet, æstimari iussit, & imposuit tributum seu pensionem. Ibi tum Syracusii ægre ferentes se esse deceptos, pecudes iugulare & vendere. Cum autem ad hæc Dionysius edicto desiniisset iugulandarum pecudum indies numerum, illi mactantes sacrificare. Tunc Dionysius vetuit mactari pecudẽ fœminã.*

Dionysius. §. 34. Crudele vero illud, quod tamen imitatores inuenit. *Rursum in pecuniæ inopia professione apud sese describi iussit pecunias familiarum, quæcunque essent orbæ parentibus. Quo facto ipse pecuniis abusus fuit, donec singuli in suam tutelam venissent.*

Dionysius. §. 35. Et quod Rhegij fecit. *Rhegio occuptato, aduocata concione dixit. Quod diripere vrbem ipsorum iure posset, sed velle se, si modo auferat impensas factas in id bellum, & pro singulis capitibus tres minas, eos missos facere. Tunc Rhegini quicquid occultauerant, id protulerunt in conspectum. Et cum egeni quoq; pecuniam mutuo ab opulentioribus & externis sumsissent, ita illam summam persoluerunt. At Dionysius hac accepta, nihilominus & omnes sub corona vendidit, & suppellectilem, quam occultatam protulerant, abstulit vniuersam.*

Hic fur, & fœdifragus fuit. Sed auaritiæ nihil sanctum est.

Dionysius. §. 36. *Mutuo sumpserat pecuniam à ciuibus quam redderet. Cumq; illi repeterent, iussit afferri ad se argentum, quãtum posideret vnusq;, proposita pœna mortis, nisi facerent. Allato autem argento, percussit nummum, ita vt denarius vnus æstimaretur duobus, eoque, quod debebatur, quodq; attulerant ad se, persoluit.*

Dionysius. §. 37. *Cum nauibus centum in Tyrrheniam nauigasset, abstulit ex fano Leucotheæ & auri argentiq; plurimum, & nõ parum ornamentorum cæterorum. Quod non fageret autem ipsum habere multa, nautas quoq;, præconium fieri iussit: Vt dimidium eorum quæ quisq; abstulisset, ad se referretur, alterum dimidium retinere posse eum qui abstulisset. Qui non retulisset, ei mortis pœnam proposuit. Arbitrati autem nautæ, si dimidium retulissent, tuto se retenturos esse reliqua, illud retulerunt. At Dionysius his acceptis, rursus dimidium referre eos iussit.*

Hæc tam iste tyrannus, non modo potentiâ, sed mẽdacio, & fraudibus vsus, ad emungendã pecuniã.

Mendæi. §. 38. *Mendæi fructibus quos redderent portus & alia vectigalia, vtebantur ad ciuitatis administrationem. Sed quod ex solo & ædificiis perciperetur, id non exigebant, ac nomina tantum occupantium perscribebant. Qui quoties ciuitati pecunia opus erat, persoluebant quantũ debebatur. Lucrum faciebãt igitur ex tẽpore præterito, abusi illis pecuniis sine fœnore.*

Iustissima illa ratio fuit; nã qui occupabant illa ædificia pecunia vti poterant, atq; ita ditescere; si enim spacio viginti annorum nõ opus esset pecunia, nihil soluebant; nec tum quidem quantum debebant, sed quanto opus habebat ciuitas. Nec damnum inde sentiebat Respublica, tanto enim cãtius bona illa conducebant, cum viderent se ex fructibus non persolutis lucrari posse. Ne tamen decoquerent, singulis annis omnia perscribebantur.

Mendæi. §. 39. *Iidem bello aduersus Olynthios cum pecunia indigerent, & copia mancipiorum abundarent, scitum fecerunt: Vt vnusquisq; tantum duo retineret, marem & fœminam, & reliqua venderet vniuersa vt haberent priuati pecuniam, quam ciuitati mutuo darent.*

Magna dubio procul pecunia collecta est; ex numerosis, & caris mãcipiis. Causa tamẽ edicti, ne bello occupatis Mendæis mancipiorum multitudo periculosa esset, & vrbem, quod alibi fecerũt, alibi tentarunt, eiectis dominis occuparent; deinde vt sumptus ad onera belli sustinenda superesset.

Callistratus. §. 40. *Callistratus veneunte in Macedonia portorio plerunque ducentis octoginta sestertiis, perfecit vt perciperetur bis tantum. Nam cum animaduertisset opulentiores illud semper redimere, quod fideiussores oporteret Talantinos de illis ducentis octoginta constitui, per præconẽ edixit: potestatẽ fieri emendi quicunq; vellet, & constituendi fideiussores partis tertiæ, & quantæcunq; summæ persuadendo habere aliquis posset.*

Hoc crebro vsurpandum principi censeo, vt varijs res elocentur; nam revera sæpe persuadetur minoris commodi res esse, quæ summam ingentem conferre possunt.

Timotheus. §. 41. *Timotheus Athenienſis bellum gerens cum Olynthiis, in pecuniæ inopia æreum nummũ percussit, & militibus distribuit. Quibus hoc ægre ferentibus, ostendit à mercatoribus omnia & in foro venales eodẽ nummo ipsis venditum iri. Mercatoribus autem ostendit, quos nummos æreos accepissent, iisdem rursus eos emere & illa in regione venalia, & prædam actam debere. Et si quid æris superfuisset, id ad se referre, proq; eo accipere argentum.*

Eadem conficiendæ pecuniæ praxes supra vidimus. Hic tantum difficultas ex ea emergens tollitur. Ex quo patet, non valere eam rationem, nisi pecunia acceptetur, & spes sit eam recipi posse.

Timotheus. §. 42. *Ad Corcyram autem bellum gerens, & laborans inopia, militibusq; flagitantibus stipendium, & recusantibus imperium ipsius, & minitantibus se esse ad hostes transituros, aduocata concione illorum, dixit: Impedientibus tempestatibus argentum ad se non potuisse deportari: Nam tanta se copia abundare, vt trimestre iam ante tempus persolutum stipendium dono eis dare velit. Milites autem rati, nequaquam illum tantam factorum fuisse iacturam, nisi revera pecuniam expectaret ad se esse peruenturam, ita de stipendiis acquieuerunt, donec Timotheus ea, quæ voluit gerendo, expediuit.*

An donarit deinde non explicat Aristoteles, certe milites crediderunt, & periculosum fuit non dare. Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.

Timotheus. §. 43. Præclara eius ratio in oppugnatione Sami: *Cum Samum oppugnaret, fructus, & quicquid in agris erat, ipsis Samiis vendebat, vnde copia pecuniæ ad stipendia militibus persoluenda suppetebat. Postquam vero multis aduentantibus necessariorum pecunia esse cœpit in castris, edicto vetuit vendi frumenti farinam, & mensuram minorem modiũ VI. & humida omnia mensura minore congiis decem. Centuriones igitur, & qui ordines ducebant, ementes copiosa omnia, ita militibus suis distribuebant. Aduentantes vero, ipsi suum sibi victum apportabant, & discedentes si quid reliquum erat, diuendebant, vt iam victus copiâ abundarent milites.*

Primum laude dignum, quod cum fame eos expugnare non posset, vltro fruges vẽdiderit, quas care emerent, timore annonæ, cum ager ob bellum incultus iaceret; Claris ducibus exemplum, vt quæ ex hostibus capta ipsis vsui esse non possunt, etiam hostibus reuendi posse, vt militi stipendia comparẽtur. Deinde cum illi qui ad castra aduentabant, non nisi in vnum alterumq; diem comparare cibaria vellent, nec tamen coemere possent pauca, secum attulerũt, & paulo plura quã opus essent, quæ discedentes donabant, aut vili in castris vendebant; nec sic tamen mercatores & institores auertebantur à castris; cum multa simul sine κολυσμῷ minuta diuisione diuenderent.

Didales. §. 44. *Didales Persa, militibus quos habebat victũ quotidianum suppeditare ille quidem poterat ex hostiũ terra, sed pecunia, quam penderet, ei non erat. Cumq; dies venisset solutionis, tale quiddã comminiscitur. Aduocata concione militum, non esse se pecuniarum inopem dixit, sed habere pecunias quodam in loco, quem etiam indicauit. Et castris motis illuc*

Perrexit. Deinde vbi appropinquauit regioni illi, in locũ ipsum processit, deq; fanis, quæ ibi erant, abstulit, quicquid vasorum argenteorum reperit. Mox onustis mulis, quasi illi nihil nisi argentum portarent, cum eminentia hi vasa ostentarent, ita facere iter. Hoc cernentes milites, & arbitrati quicquid portaretur à mulis id esse argentum vniuersum, animum habuerunt bonum, tanquam stipendium accepturi. At ille Amisum peruenit, ibiq; signari argentum oportere dixit. Erat autem via Amisum vsque complurium dierum, & difficilis propter frigus. Toto igitur illo tempore abusus est exercitu, cum nihil nisi victum præberet. Idem opifices in castris, & caupones, & permutantes aliquid penes se habebat omnes, neq; licebat horum quicquam alteri exercere vlli.

Stratagema duce magno non indignum, si tamen bona fide ex ærario regio postea dissoluit.

Chabrias. §. 45. Chabrias Athenienſis Tao Regi Ægyptiorum varios modos conficiendæ pecuniæ tradidit, ita recenſet Aristoteles: Chabrias Athenienſis, cum Taos Rex Aegyptiorum educeret exercitum, & pecunia deficeretur, suasit vt demonstraret vtriusq; sexus sacerdotibus, sibi, pp sumptus belli, numerum ipsorum diminuere necesse esse. His illi auditis, & quiq; sacrorum administrationẽ volentes esse suam, ita singuli pecunias Regi dare. Hæc cũ accepisset, suasit Chabrias Regi, vt insuper iuberet: sacerdotes quos sumptus eatenus fecissent in sacra & sese, eorum deinceps, vt decimam tantum partem impenderent, & sibi reliquum darẽt mutuo, donec bellum aduersus Regem Persarũ finiretur. De vnaquaq; etiam colonia suasit, vt imperaret certã pecuniam tributi nomine, itemq; de singulis corporibus. Item de frumento q̃ veniret, vt exigerentur vltra pretium tam ab emptore quam venditore, de singulis artabis asses bini, nec non de nauigiis & officinis, & aliis, quicq; d negotii gereretur & fieret quæstus, quæstus illius pars decima. Iamq; copiæ extra terrã educturo regi suasit: vt iuberet q̃ quisque argenti aut auri nõ signati haberet, id ad se afferret. Cumq; esset allatum, suasit item: Rex eo vt vteretur. Et eos qui mutuo dedissent, commentaret Nauarchis, qui debita persoluerent ex tributis.

Melius Iphicrates. §. 46. Melius Iphicrates Athenienſis Coty suasit, vt imperaret omnibus suæ ditioni subiectis, vt cognoscerent singuli soli partem exẽptam regi XVIII. modiũ. Hoc facto magna frumenti copia fuit collecta. Qua in ea loca, vbi fora agebantur, exportata, abundans pecunia est confecta.

Ex agricultura itaq; belli sumptus tolerauit, quod si ante in pace audisset Iphricratem frumentorum, & pecuniarum aceruos in vsus belli parasset.

Cotys. §. 47. Perfidiæ plenũ illud Cotyos Thracis. Petebat is mutuo ab Perinthiis ad contrahendos milites. Eam Perinthii dare nolebant. Petiit igitur ex ipsorum ciuibus aliquot saltem ad se mitterent, qui certis locis præsidio essent, vt militibus ea tũc custodientibus alibi vti posset. Id Perinthii cito fecerũt, rati illa ita loca in sua potestate fore. At Cotys eos qui ad se missi fuerant, captos detinuit, iussitq; ad se mitti mutuo petitam pecuniam, & ita recipere suos ciues.

Mentor. §. 48. Mentor filius comprehenso Hermia, occupatis etiam iis locis quæ ille tenuerat procuratores constitutos ab Hermia non remouit. Itaque iam omnibus securis, & si quid dudum absconderant aut deposuerant apud externos, id rursum habentibus apud se, & ipsos comprehendit, & quicquid habebant penes se, id abstulit vniuersum.

Memno. §. 49. Memno Rhodius Lampsaco potitus in penuria pecuniæ magnã summã pecuniæ pscripsit, quam opulentissimi persoluerent, eamq; recepturos ipsos esse ostendit ex aliorum ciuium tributo. Cum vero ẽt cæteri cõtribuissent, iussit illã quoq; summam mutuo sibi dari ad tempus, idq; præfiniuit, quo ea pecunia restitueretur. Rursum pecuniæ egens contribuere eos iussit, & ex vectigalibus q̃ dedissent recipere. Illi, qui celeriter se recepturos sperarent, contribuerunt. Iamq; aderat tẽpus vt vectigalia perciperentur, at Memno sibi pecuniã tunc quoq; opus esse ostendit, seq; postea esse acceptã redditurũ cum fœnore. Quos in exercitu ẽt habebat, iis detraxit frumentũ & stipendiũ dierũ sex, per annũ. Pollicitus iis diebus ipsos neq; vigilias neq; itinera obituros, neq; insumpturos quicquã, nimirũ exẽptis illis.

§. 50. Superiore tempore etiam cum metiretur frumentum militibus, secunda post nouam lunam die, primo quidem ille mense dies præteriit tres, sequente vero quinq;, & hoc modo processit donec ad triginta perueniret. Hoc imitatinostro tempore sunt, qui mensem militarem fecerunt quinque, aut septem hebdomadũm.

Charidemus. §. 51. Charidemus Orita, tenens loca quædam Aeolidos, cum exercitum contra se adduceret Artabassus, pecunia deficiebatur, quæ militibus numeraretur. Ac primum contribuebant nonnihil. Mox non habere se quicquam amplius aiebant. At Charidemus, quem locum esse opulentissimum arbitrabatur, ex eo iussit incolas, si quid nummorum haberent, aut si qua vasa pretiosa alio ablegare. Additurumque se esse deductores. Ipsumque hoc agere erat manifestum.

Itaque illis fidem habentibus, non longe eductos extra vrbem excussit, si quid haberent. & quam multis opus erat ea abstulit, ipsosque eundem in locum reduxit. Per præconem etiam edixit: Ne quis in illa vrbe, suæ ditioni subiecta, arma haberet domi suæ: Quique habuisset, eum argentum debere persoluere, cuius summa fuit pronuntiata. Sed statim negligere ipse, neque respectum ad hæc habere. Illi vero homines præconium istud temere factum esse rati, retinebant ea quæ prius quisque habuerat loco suo. At Charidemus de improuiso excussis domibus, ab iis, apud quos armorum aliquid reperisset, multam constitutam exegit.

Prius rapina fuerat, alterum fraudulentia; nec enim lex ferenda est, vt multa transgressoribus ponatur. Nostri principes quotidie sic pecuniam copiosam colligere possunt. Nam leges eorum fere negliguntur. Itaque si clam notentur, qui leges sumptuarias prandiorum, aut vestium violant, cumque omnia tuta putãt, pœnę exigantur, magno commodo ærarium augebitur. Verum non est boni principis leges tanquam laqueos, & tendiculas ponere subditis.

Philoxenus §. 52. Philoxenus quispiam Macedo satrapes in Caria in pecuniæ inopia, ostendit se Dionysia celebraturum esse. Et Cariæ incolarum opulentissim. descripsit, qui choros instruerent, imperatis iis quæ appararentur. Ac cernens eos grauari, subornauit quosdam qui scisciterentur, quid dare vellent, vt muneris vacationem haberent. At hi plus etiam se daturos esse, quam impensuri viderentur promittere, ne interpellarentur, & abducerentur à suis negotiis. Ibi ille acceptis quæ isti dabãt, descripsit alios, donec etiam ab his accepit quæ voluit, & ita accipiebat aliquid à singulis.

Turpe quidem hoc lucrum, sed tamen magnum, & alia in parte vsitatum, cum ad militiam vocantur, qui omnibus illam modis vitare cupiunt, ideoque vacationem quouis precio redimunt.

Euæsus. §. 53. Crudelitati etiam auaritiam, & ludibria adiecit Euæsus. Syrus satrapes in Ægypto, cum enim sensisset præfectos prouinciis ab se velle desciscere, accersitos in regiam ipsos suspendit vniuersos. Iussitque dici familiaribus eorum & propinquis, asseruari illos. Singuli itaque laborabãt pro suis, & redimere cupiebant pecunia captos. Atque ipse pactus de vnoquoque & acceptis de quibus conuenisset, singulis mortuum restituit.

Cleomenes. §. 54. Cleomenes Alexandrinus satrapes in Aegypto, cum fames aliis in locis esset magna, in Aegypto autem mediocris, præclusit exportandi frumenta licentiam. Prouinciis autem præfecti negare se posse tributa pendere, si non liceret exportari frumenta. Tum ille vt exportare liceret concessit, sed vectigal imposuit frumento magnum. Itaque euenebat, vt cum frumenti exportaretur non multum, magnum vectigal acciperetur, & eriperetur præfectis id quod prætenderant.

Cum fames premeret Ægyptum iure euectionum frumenti, sed cum tributum negaretur, inuenit rationem, quâ & efficeret, ne negandi prætextus esset, & tamen parum frumenti eueheretur.

Cleomenes. §. 55. Ridiculum quod de Crocodilis definiuit. Cum quodam tempore eam prouinciam naugio transiret, in qua

in qua DEVS habetur Crocodilus, correptus fuit à Crocodilo vnus ex pueris ipsius. Tum sacerdotibus conuocatis: se, qui prior affectus esset iniuria, autores illius Crocodilos, velle vlcisci ostendit. Et mandata dedit vt illi caperentur. At sacerdotes, ne Deus ipsorum despiceretur, aurum quantum potuerunt colligere, ei tradiderunt.

Cleomenes. §. 56. At maleuolum quod deinde fecit. Dederat huic mandata Alexander Rex, vt conderet vrbem ad Pharum, vtque eo transferret forum rerum venalium Canobo. Ibi ipse nauigio accessit Canobum, & ostendit sacerdotibus eo in loco ac locupletibus, ideo se aduenisse vt traduceret eos alio. At sacerdotes & ciues collatas pecunias ipsi dederunt, vt forum apud se sibi relinqueret. Quibus acceptis tunc ille quidem abiit. Postea vero omnibus ad ædificandum præparatis, nauigio iterum Canobum accessit, pecuniasque ab ipsis ingentes multitudine postulauit. Nam hoc iam interesse, vt ibi sit forum & non illic. Cumque se nullo modo tantum persoluere posse affirmarent, tum traduxit ipsos.

Cleomenes. §. 57. Ingeniose tamen negotiatorem infidum circumuenit: Ablegato quodam ad emptionem quampiam, cum sensisset, eum nactum esse vilia, & velle expensum ferre quod pluris esset, dixit necessariis illius, audiisse se, quod ipsorum amicus merces emisset supra modum magno pretio. itaque se non esse assensurum. Simulque inertiam eius simulata ira cumulata insectari. At illi his auditis, non debere aiebant ipsum fidem iis habere, qui contra absentem aliquid dicerent donec reuersus hic rationem redderet coram ipso. Qui postquam redierat, narrauerunt ei, quæ ex Cleomene cognouerat. At ipse suis simul atque Cleomeni volens demonstrare omnia, retulit de precio quod mercando expenderat.

§. 58. Simile & illud. Cum frumentum veniret in illa regione denariis decem, accersitis iis qui vendendis frumentis faciebant quæstum, perconclatus est quantum à se accipere vellent. Qui cum dixissent: minoris ipsi se esse daturos quam cæteris mercatoribus, iussit quidem sibi tradi tanti frumentum quanti aliis, ipse vero pretium statuit frumenti denarios 32. & tanti vendebat.

Cleomenes. §. 59. Conuocatis sacerdotibus dixit: Perquam inæquales sumptus in ea regione in sacrificia impendi, itaq; & fanorum & sacerdotum numerum diminui oportere. At sacerdotes cum priuatas suas, tum publicas sacras pecunias illi dare, existimates revera eum istud facturum esse, quod vellet suum quisq; fanum saluum esse, & ipse sacerdos permanere.

Antimenes. §. 60. Antimenes Rhodius curatione ei lata viarum circum Babylona ab Alexandro, pecuniæ copiam ita conficit. Lex erat in Babyloniæ regione antiqua: Decimam pendi de iis, quæ importarentur, debere. Ea nemo iam dudum vtebatur. At ille tempus obseruauit, quo aduentus Satraparum omnium exspectabatur, itemq; militum, nec non legatorum haud paucorum, præterea artificum accersitorum & alios adducentium, quiq; priuato nomine peregrinarentur, quo tempore & munera multa solerent afferri. Tunc igitur decimam exegit secundum legem quæ extabat.

Antimenes. §. 61. Rursum laborans inopia, iussit mancipiorum, quæ erant in castris, nomina perscripta à volentibus, quanti videretur, æstimari: Et de singulis anno vno eos persoluere denarios octo. Quod si cuius mancipium aufugisset, precium illius restitutum iri promisit. Multorum igitur mancipiorum perscriptis nominibus, non parum argenti conflatum fuit. Si vero aufugisset alicui, iussit satrapæ in cuius loca peruenisset, vel reducendum illud in castra, vel precium Domino persoluendũ curare.

Ophellus. §. 62. Ophellus Corinthius, constituto procuratore prouinciæ Arthridisdos cum prouinciis præfecti illius loci ipsum accederent, & multo plura se tributuros pollicerentur, & peterent, vt procuratorem cõstitutum remoueret: interrogauit eos, possent ne facere promissum? Qui cum posse se affirmarent, non ille eodem loco mouit procuratorem, tributa vero, quæ æstimatione ipsi sua subiecerat, exigi iussit. Neq; igitur constituto abs se honorem detrahere videbatur, neq; præfectis maiora tributa imponere quam ipsi constituissent, cum ad se se multiplex pecunia perueniret.

§. 63. Pythocles Athenienſis, Athenienſibus consilium dedit, vt plumbum Tyrium respublica à priuatis ad se reciperet, eo precio quo venibat, nimirum duobus denariis, vt ciuitas deinde illud venderet constituto precio denariorum sex. Pythocles.

Ad menopolium vetitum fraus illa pertinet; neq; enim negotiari eo modo Rempublicam oportet, vt priuati emere cogantur.

§. 64. Chabria coactis ad naues centum viginti quantum satis esset hominũ, cum Tamen non pluribus quam sexaginta opus esset, iussit vt reliqui iis, qui in sexaginta nauibus essent, duorum mensium stipendiũ soluerent, aut nauigare ipsos. At hi cupientes remanere apud sua, dederunt quod imperauerat. Antimenes ea quæ condi solebant propter vias regias à satrapis compleri iubebat secundum regionis illius legem. Quoties autem inopia laborabat vel exercitus vel alia multitudo, absque Rege, aliquo abs se misso vendebat ea quæ condita erant. Chabria.

§. 65. Cleomenes vno mense milites defraudabat. Accedente luna noua cum stipendium esset dandum militibus, accessit de industria nauigio. Et deinde abeũte mense discedens nauigio stipendium persoluebat. Postea sequente mense differebat solutionem vsque ad alteram nouam lunam. Milites autem quod paulò antè stipendium accepissent, quieti erant: itaq; ille vnum in anno mensem præteriẽs, vnius mensis stipendium militibus subtrahebat. Cleomenes.

§. 66. Stabellius cum deberet militibus stipendium, cõuocatis ductoribus, sibi priuatis nihil prorsus opus esse dixit: & quoties indigeat militibus, si illorum cuiq; argentum dederit, ita ad conducendum externum militem eos posse ablegari. Et ea stipendia, quæ militibus persoluere cogatur, se eis libẽtius esse daturum. Iussit igitur dimittere suos vnumquemq;, ita vt manipulatim ex illa regione discedant. Ductores cum ea ex re lucri aliquid se facturos esse arbitrarentur, milites ita quemadmodum Stabellius præceperat dimiserunt. Modico autem interposito tempore, congregatis ipsis: neq; tibicinis absq; cœtu Musico, neq; ductoris absq; militibus vsum esse dixit, iussitque eos regione illa excedere.

§. 67. Dionysius circumsana obiens, sicubi cerneret propositam mensulam auream aut argenteam, Boni euentus, cum infundere iussisset, præcepit illam auferri. Quæ simulacra autem erant eiusmodi, vt extensa manu præferrẽt pateram, eam adimere iussit, quod diceret se accipere. Pallia etiam aurea & coronas de simulacris detrahebat, dicebatq; eis se & leuiora & melius odorata dare velle, atq; ita illis pallium linteum, & coronas violaceas circumdabat. Dionysius.

CAPVT XVII.

Modi inique congerendi pecunias.

§. 1. OMnia quæ hactenus dicta sunt de opibus colligendis, eo pertinent, vt æqua cõprobentur, iniqua repudientur, nam ex iniquitate diteſcere maximum est malum. Nihil vero adeo sanctum est, quod improbitas non violet. Omnis industria quæ in negotio tam lubrico versatur facile titubat, atque ex iusta iniusta efficitur. Sunt enim in tributis vt ostendi, multa iniquissima, vt in Chrysargyro, vt in vectigali leonum, in Caligulæ pstibulis. Nec sufficit priora sustulisse, nisi à nouis imponendis abstineas. Anastasius quidem Chrysargyron sustulit, sed χρυσολέκιον induxit tributum priore multo grauius, Nicephorus l. 16. c. 40. 41. *In pecunia quærenda iniquitas.*

Nunc itaque modos alios, quibus opprimuntur in Republica pauperes diuitesque, recensebimus. *Nummum iactare vetus malum.*

§. 2. Prima ratio præter iam dictas est in moneta publica minuenda, augendaque. Non veteri illa fraude, quæ patebat; sed noua, & subtiliore. Quis enim Hippiam imitatur, aut Leuconem, de quo recenſet Polyœnus l. 6. stratagematum; Eum iussisse vt quilibet adferret nummos aliâ formâ excuden-

dos, cum attulissent recudit, & nouam monetam duplici precio esse iussit, sibi itaque dimidium retinuit. Damno vero ciues affecit, quia apud exteros non nisi consueto precio accipiebantur, nec diuturna esse potuit, tam aberrans à communi æstimatione constitutio.

Nunc subtiliora monetæ sunt furta.

Romanæ Reipublicæ necessitas extorsit, vt aliquando fere dimidia, aliquando plane dimidia parte ciues priuarentur. Plinius l. 33. 3.

Hæc talia nemo nunc tentat, & frustra esset; non enim inter tot monetarios signi tantummodo, sed ponderis, & bonitatis rationem ducunt. Opus igitur artificiosa fraude permiscendis varie metallis.

Argentum purum quoque colligunt, opera etiam Iudæorum, idque permiscent, vt interdum dimidio maius precium efficiant. Hinc tot nummi adulterini, nummulique, qui passim vetantur, & obtruduntur. Romanos tamen imitatos Castellæ Reges, ait noster Mariana l. de ponderibus & mensuris c. 22. *Et quidem tantæ varietatis causam inueniebam inopiam ærarii extitisse, nam ea supplenda Reges sæpe pondus & bonitatem monetæ minuerunt valore antiquo retento. quod iniquum est, neque nisi asperrimis Reipublicæ temporibus vsurpandum: præsertim cum commercia impediantur moneta adulterata, neque diuturna respiratio sit, sed breuissima nouæ pecuniæ valore, cum pondere aut bonitate breui etiam imminuto. Quod omnibus temporibus, & apud omnes gentes contigisse obseruamus.*

Necessitas artes veteres repetere docuit.

Verum vt de nostratibus loquar monetis, continuas fraudes multæ leges latæ non tam impediunt, quam malas ostendunt. Nec aliud fortasse efficiunt, quam vt quorundam magnatum ἀδόκιμα τέχνια (improbæ artificia) liberrime perstringere liceat. De his leges comitiorum Anno 1442. Francofurti. Anno 1512. Augustæ. Anno 1500. ibidem. Anno 1512. Coloniæ, Anno 1511. Wormatiæ, Anno 1524. Nurnbergæ, Anno 1526. Spiræ, Anno 1529. ibidem. Anno 1530. Augustæ Anno 1532. Ratisbonæ ibidem 1551. & 1559. & 1566. & 1582. Anno 1570. Spiræ, & 1570. Hæc fere notatu digna sunt.

Ratio monetæ in imperio.

1. In aurea bulla Regi Bohemiæ & electoribus ius monetæ cudendæ concedi.

1. Anno 1442. Fredericus III. Francofurti iussit auream monetam vnius ponderis tantum cudi. Argenteam iubet recte cudi; pœnasque imponit aliter facientibus, aut eos recipientibus.

3. Anno 1500. constitutum est, vt Nurnbergæ certa, & constans monetæ ratio instituatur, interea omnes officinæ cessent.

4. Anno 1512. statutum, vt finitimi consimilem monetam cudant.

5. Cum in cudendis Batzijs magnæ fraudes committantur, & mali bonis misceantur Anno 1524. Noribergæ statutum, ne ante constitutam monetæ rationem noui cudantur.

6. Anno 1551. multa recte Augustæ constituta sunt, & precia nummorum definita.

7. Ne, qui ius monetæ habent, officinas aliis committant.

8. Sub pœna viuicomburij monetæ adulteratio prohibetur.

9. Post varias dilationes tandem Anno 1559. à Ferdinando ratio nummi constituta est, qua omnes fraudes cauentur, sed in vsu hodieque manent, vt iam pœnis tantum opus sit ad subtilia furta inhibenda.

Vsuræ pernicies.

§. 3. Huic affinis est fraus, & improbitas vsurariorum. Antiquum hoc Reipublicæ malum fuit, & nunc summum est, liberrime sub nomine lucri cessantis, damni emergentis, & collybistices pallio grassatur.

Statuendum autem est, omnem vsuram, cum *Nummus gignit per fœnora nummum*

Esse illicitam. Non tamen vsuram esse emptionem census; nam ius pecuniæ in aliam transfertur, & ius annui reditus accipitur. Mutuum autem est, cum ius repetendæ summæ remanet apud mutuo dantem; cuius causa quicquid exigitur, furtum est. Potest tamen exigi, cum ex beneuola concessione alteri facta damnum emergit, verum damnum, cuique alia ratione occurri non potest. Vel si lucrum verum, legitimum, quodque facturus erat, cesset. Nemo enim alterius commoda cum suo detrimento curare tenetur, manetque hic æqualitas, & iustitia, quæ non vult mihi esse fraudi, quod alteri lucrosum est.

Census non est vsura.

§. 4. Vsura omnino vetita est Exod. 22. Deut. 25. 19. Leuit. 25. 3. Psal. 15. 5. Ezech. 18. 17. Iure canonico 14. q. 3. & q. 4. *Si quis Clericus vsura*, nec in sola pecunia consistens, sed omni in re, 14. qu. 3. *putant*; in ipsa etiam negotiatione 14. q. 3. *Canonum* siue per se, siue per alium fœneretur, ne se minus turpes esse putent, qui per Iudæos fœnus exercent. Omnibus denique prohibentur. Clericus vsurarius, nec ad ordines admittendus 33. dist. *Maritum*, & 46. dist. *Seditionarios*. & 47. per totū. Si ordines habeat, est deponendus. 47. dist. Episcopus & seq. Imo ad vsuram accipere nisi tempore necessitatis crimine non vacat, 83. dist. *erret*. 24. q. 3. *non inferenda*. 26. qu. 1. *qui*. Denique qui vsuras accepit, non vere pœnitet, nisi vsuras restituat. Hæreticus iudicatur, qui id negat. c. *consuit. c. super.*

Iudæi fœnoris administri.

§. 5. Ciuilibus legibus etiam prohibentur, de quo videndus doctissimus Gregorius Tolosanus in Syntagmate iuris vniuersi, alijq; de quo mihi disputandum non arbitror. Neque enim vsuras nunc multi defendunt, sed plures exercent. Quemadmodum inter tot millia furum, & peculatorum vix vllum inuenias qui factum probet,

Iure ciuili prohibetur.

Sed meliora probant, deteriora sequuntur.

Mihi itaque monendus princeps, vt eas tollat. Causa prima est eius officium, nam impedire debet latrocinia, rapinas, furta, calumnias, tribunalium iniurias, ergo & furta vsuratum. Romani fœneratorem grauius, quam furem puniebant, nam hunc in duplum, illum in quadruplum condemnabant. Ex hac igitur causa iuste pecuniam colliget princeps, si enim Iudæos, & Iudaizantes in quadruplum condemnet, non poterit illis deesse pecunia. Vitia temporum cum diuitem facient.

Vsurarius quam fur, grauius punitur.

Hinc constat eos principes & ciuitates, qui Iudæos ita tuentur, aut vsurarios Christianos, & sinunt opprimi subditos, vt Iudæi ad ipsos habeant faciles aditus, sintque rei nummariæ procuratores, graui crimine se obstringere. Imo ad damna eorum neglectu contracta teneri. Hæc igitur officij obligatio ex natura principatus oritur, sed in Germania multo magis. Nam omnibus Magistratibus mandatum est, vt fœneratores esse non sinant. Anno 1500. in comitijs Augustanis ita consensu omnium Statuum edixit Maximilianus. §. de vsurariis contractibus. *Postquam etiam per contractus fœnebres, aliosque periculosos, & indecētes, quos hactenus, vt intellexim⁹, Christiani & Iudæi exercent, prouinciis, populisque magna damna illata sunt. Statuimus, ordinamus, & volumus omnibus imperii statibus serio mandantes, vt eiusmodi fœnebres, & periculosos contractus in eorum ducatibus, prouinciis, dominiis, territoriis, & vbique sub conuenienti pœnâ prohibeant, etiam violatores serio puniant: Per hæc etiam Ecclesiasticis, & secularibus iudicibus, arbitris, iudicū confessibus, vt se eiusmodi fœnebres, & inconuenientes & periculosi contractus ad eos deferantur, eos indignos, irritos, minimeque obligatorios esse decernant, & declarent, neque vllam executionem permittant, aut adiuuent.*

Nemini principum licet tolerare fœneratores.

Nec

Nec excusatio adduci potest, anno 1530. eisdem verbis omnia repetuntur, & criminis enormitas demonstratur. & additur.

Postquam intelleximus in sacro imperio multiplices fœnebres contractus, non modo immoderatos, sed etiam Christianæ religioni contrarios, contra diuinas, ciuilesque leges agitatos, atque etiamnum agitari. Vt cum octingenti floreni mutuo dantur, in literis census ponitur summa mille florenorum, atque ita plus, quam quinque de centum pendunt; alij ob exigui temporis dilationem immoderatum interesse accipiunt, summam augent, commutantq; contractum.

Vsuræ contra leges insalescunt.

Hæc tum constituta, anno 1532. & 1548. renouata, non satis virium habuere tantæ iniuriæ remouendæ: nam anno 1576. manet eadem querela. *Non esse leges obseruatas, plebem longo tempore iniquis vsurarum contractibus, & negociationibus contra diuinas, Cæsareasque leges, & specialiter ad contemptum ordinis politici, multis modis ad extremam egestatem redactam, angustiatam, coactam.*

Eadem quoque anno 1577. iterum inculcantur, vt nemo se magistratus excusare possit.

Oppressio populi infirma est ciuitas.

Alterum malum est ex paupertate nata seditio, & principum infirmitas, quamuis enim firma, succulentaque sint corpora, si pedes arthritide, aliaue ratione infirmentur, stare non possumus: ita Respublica, cum populus vsuris oppressus iacet, infirma est. Cum populus in sacrum montem secessit, infirma fuit Respublica, si vel exiguum hostem habuisset, de imperio actum erat. At secessionis causa erat, quod vsuriarum rapinis populus exhauiretur, & pars ciuitatis partem premeret. Plura exempla obuia sunt, nec hodiernis destituimur. Rem breuiter attingam, magistratus eam suo momento ponderet. In imperio Romano sunt vrbes liberæ, & principes. Liberæ vrbes non tantum ab iniuriis vsuriariorum affliguntur, sed ita habent affectos ciues, vt nisi imperatorem timerent, Judæos, vsuriosque Christianos, & quos ex magnatibus eorum patronos arbitrantur, vi eiicerẽt, vel etiam, si auctor esset, vita priuarent. Et quanquã nec ordine, nec iure vllo id populus faceret, occasionem tamen magistratus dedisse censeretur, non compescendo vsuras, imo executionem contra iura diuina, humana, contra tot leges comitiorum imperialium, vrgendo. Nec tuti principes, quos norunt à Judæis protectionis causa pecuniam accipere, præsertim vero illi, quorum quæstores familiares illis vsuratiis esse vident.

Si nõ timeretur imperator, ciuitates liberæ Iudæos cum vsuriis magnatib⁹ pellerent.

Vsuræ nomine interdũ legitimi cõtractus dicuntur.

§. 6. Cum vsuræ approbantur, id fit ratione alicuius legitimi contractus, non autem ratione mutui, cum permittuntur, id fit ad maiora mala euitanda. Ita Tolosanus libro 22. capite tertio. §. 20. *Cæterum in omni iure inueniuus, & aliquando vsuras permissas incertis rebus, & causis, & personis, & modis negociandi. Non tamẽ idcirco approbatas dicere oportet, sicuti Deus ob duram ceruicem Iudæorũ illis permisit repudium, sed nõ approbauit. Tanta enim hominum est improbitas, vt omnino à nomotheta tam bene emendari vel purgari non posit, vt scoria aliquid perpetuo non remaneat: aut, si omnino tollere velit, in peius vitium non degeneret: in quo discrimine peius malum euitandum est, & fugiendum. Hoc modo in vsuris, si vetantur omnino, facit diuitum pessima auaritia & crudelitas seu immisericordia, vt malint potius arca nummos rubigini committere, quam iuuare gratis indigentes: vel si mutent gratis, ita truculenter repetunt, vt omni inquietudine debitores infestent. Proinde & modus quidam fœnerandi permissus propter peruicaciam creditorum, & ad iuuandam inopiam debitorum. Consideramus itaque in vsurarum permissione, res, personas, & taxationem. Res in quibus permitti dicuntur vsuræ, comprehenduntur his versibus:*

Feuda, fide iussor, pro dote, stipendia cleri,
Venditio fructus, cui velles iure noceri.
Vendens sub dubio, precium post tempora soluens,
Pœna, nec in fraudem, lex commissoria, gratis
Dans, socii, pompa, plus sorte modis datur istis.

Quæ omnia late explicantur & probantur à glossa, & Henricho Bohic, in cap. conquestus de vsuris, Ioanne Fabro, Angelo de Clauasio Baldo, Fulgosio, & Iasone Hostiensi, Chassanco. Isti tamen casus non proprie pertinent ad mutuum, & ideo neque ad vsuram illam illicitam pecuniæ ex mutuo, sed vel ad iustam negociationem rationemque eius quod interest, vel ad pœnam, seu ad moram plectendam debitorum alio modo quam ex mutuo.

Cur permittantur vsuræ.

Remedia cõtra vsuras.

§. 7. Remedia tanto, veteri, communi, & pernicioso malo dudum quæsita, legibusque constituta, sed potentia vsurariorum, digladiationes aliorum, bella, & discordiæ principum, atq; nobilium quorundam, & optimatum egestas contra leges obtinuit. Sed tamen opponendæ leges, & pœnæ. Primo vsurarios patria pellendo. hæc efficacissima ratio est. Tabularum duodecim legibus cautum est, *ne vsura nisi vnciaria*, hoc est centesima pars, solueretur. vt ait Tacitus, postea res ad duodecimam, semiunciariam, redijt. Postea tota vetita est, & multis senatusconsultis itum obuiam. Maxima habita est centesima, quod singulis calendis centesima pars summæ capitalis daretur, hoc est centum mensibus totum, quod si ἀναπόκοπος fieret, vt vsuræ non solutæ in sortem computarentur, multo citius summa capitalis recipiatur. Sed res est, quæ moderationem vix capit, exscindendum est malum, itaque Judæos aut expellendos esse censeo, aut alijs rebus occupandos, nec permittendum, vt minimum fœnus accipiant. Sed ego pellendos arbitror Judæos, nec me mouet, quod multi principes eos retinent, quia multi iustissime pepulerunt. Itaque illis qui retinent non facio iniuriam; quia qui retinendos censent, eos, qui dimiserunt, non offendunt.

Vnus mod⁹ vt Vsurarii pellantur.

Vsura vsura.

Iudæi pellẽdi, aut laboreoccupãdi.

Rationes sunt multæ & graues.

Pestis Reip. pellenda.

1. Tanquam venenum, & pestes è visceribus Reipublicæ eijci, depellique debent, quorum vnum est, atque vnicum studium, ex furtis, rapinis, fraudibus, imposturis viuere, quique nullam rationem honeste viuendi habent, vel habere possunt, manente illo reipublicæ statu. At Judæi tales sunt; eliminandi igitur è Republica. Maior propositio verissima est, nec ab vllo negatur, nisi cum maius periculum oritur ex eorum exilio, vt si multitudine, potentiaque valeant, vt seditionem aut bellum mouere possint. Hic vero periculum illud adeo non est, vt maxima gloria futurus sit princeps, quicunque Judæos expulerit, in oculis ac manibus eum populus ferret. Assumptionem docet experientia. Nam imprimis tam acerbo Christianos odio persequuntur, vt quacunque in re possunt illis detrimento sint. Deinde licitum sibi arbitrantur, omni genere fraudum circumuenire Christianos, & quamuis aliquando prosint, hoc tamen eo faciunt, vt grauius noceant, quemadmodum & damnati spiritus, commoda quædam in speciem miserrimis hominibus offerunt, vt in vera exitia præcipitent. Tertio. Honeste viuendi, vel ex licito lucrum faciendi in Germania illis potestas negatur. Non agros, non vineas colunt, non artes exercent, non negociantur, quid igitur superest nisi fraudes? Hinc in omnem fraudandi occasionem sunt intenti, & vt inquit Joannes Pfefferkorn, *Omnia scrutantur, & quasi canes lucrũ ex qualibet re odorantur*, modos & praxeis exponit, qui illis vsus est, Joannes Pfefferkorn, qui non modo vidit, sed etiam exercuit.

Iudæo nõ est credendum.

Protectores Iudæorum inuisi.

2. Qui sua improbitate omnibus sunt odio summo, etiam principes suos protectores faciunt inuisos, si eorum contractibus patrocinium præstant, eiiciendi sunt. Tales autem esse Judæos omnium ætatum experientia docuit. Nec hodierna exempla diuersa sunt nobilissimarum ciuitatum, quæ in Judæos insur-

rexerunt. Nec magistratus tutus fuit, nisi metu Cæsaris, quo per bella ciuilia, aliasque occasiones sublato sunt in præsentissimo periculo, non modo fortunarum, sed etiam vitæ Judæi. Quin magistratui dura necessitas, vel eos deferendi contra pacta conuenta, vel contra omnia odia defendendi incumbit. Publicos itaque vsurarios, si sapit, mature fugabit, bona eorum quæ ex vsuris constant, veris dominis restituet, cætera sibi tanquam fisci retinebit. Furtum enim redhibitione, & confiscatione punitur.

3. Causa porro, cur tanto detrimento Reipublicæ pestis illa retineatur, triplex esse potest. 1. Principum, & ærarii vtilitas, quia vectigalibus onerantur. 2. Cõmodum subditorum, quia mutua pecunia egent. 3. Ipsorum Judæorum, vt ad veram religionem conuertantur.

Patrocinia Iudæorum.

At omni in causa falluntur principes. Primo enim si abessent Judæi & fœneratores, plus præsidii conferre possent ciues, nunc enim & hoc quod Judæi cõferunt, de iniuria ciuium est, quos dolo, fraudeque exhauriunt, & præterea, ipsos Judæos alere, & locupletare coguntur. Quæ enim ciuitas est, quæ non libenter id quod Judæi fisco pendunt, in duplum repræsentatura sit, si magistratus Judæos expellat? Non pertinet igitur ad vtilitatem publicam callidos illos fures alere, vt cum decem aureos contulerint, mille, & mille quidem modis furentur. Hic igitur error politiæ est ingens, ad publicorum fœneratorum rapinas, hoc est, hebdomadarios, menstruos, annuos census conniuere, atque hac ratione subditis extorquere fortunas, vt eæ in ius fœneratorum abeant, ærarium aliqua portione aspergatur. Abeant in quam vniuersã vt olim Romæ; & verissimum est, quod monet Gregorius Tolosanus, *Ita diuitum immisericordiam sæuire, fœnus fœnori, & lucrum lucro iniici, vt si ex arbitrio fœneratorum res ageretur, breui futurum, vt omnes facultates, patrimonia, atque ipsæ personæ in ditionem ipsorum venirent.*

Prudentiũ seueritas in fœneratores sancta.

Hinc viri prudentes sua commoda non æstimantes, imo vere de illis iudicantes, in fœneratores scueri fuerunt. Tabulas eorum combussit Agis dux Atheniensis. Alexand. ab Alex. l. 1. geneal. dierum. ô vtinam nunc multos ei similes habeamus. Seuerior Gallia, quæ olim Judæos regni finibus exterminauit, & fœneratorum immanium furaces dextras detruncauit. Cato omnes vsurarios Sardinia expulit, Liuius l. 32. Ego sane sententiam eorum Iurisconsultorum, qui vsurarios crimin aliter puniendos censent, improbare nullo modo possum; ita Molin. de vsur. n. 156. aliiq;. Nollem eorum conditionem esse meliorem, quam furis manifesti, eadem est iniuria, nisi quod hæc speciem iuris induit. Venenarius latrone grauius punitur, & cur artificiosi fures retinentur? Nec satis est omnes vsurarios, eorumque adiutores infames esse, nam infamiam bene diuitiis compensari putant; Iam

Plurimus auro-Venit honos.

Per populum, & famam nummos congerunt, & *sibi plaudunt*, cum eos *contemplantur in arca.*

Non igitur ærario consulunt, ne illi quidem, qui minore sub censu pecunias accipiunt, deinde maiore apud Judæos ponunt. Dicuntur enim esse Christiani quorum Judæi sint institores, & propolæ vsurarum. Legitimo censu & cautione accipiunt à Christianis pecunias, in singulos annos quinque pro centum, Judæis deinde eandem elocant, & accipiunt octo, vel decem, illi vero etiam lucellum suum sibi vindicant, vt sæpe 15. aut 20. in centum dentur. Nec tamen sic infamiam fugiunt, nam Judæi palam, clareque fatentur, Christianorum esse pecunias, & se vsurarum tantum esse administros. Non consulunt illi ærario suo, quia ciuitates opprimunt, odia colligunt, cum tamen honesta negociatione plus lucri facere possent. Nec dissimilis ratio est eorum ab ea, quæ fuit Tiberii imperatoris; Præsides ille egentes, callidos, auaros, rapaces constituebat, quos deinde spoliis prouincialium opimos trucidabat, & spolia fisco inferebat, qua quidem in re initio tanquam iustus, & seuerus imperator diu latuit, verum cum animaduersa fraude, omnia ad Tiberium redire cernerent, dixerunt; Eum præsidibus velut spongiis vti, quos aridos prouinciarum opibus immitteret, plenos exprimeret. Sic nostræ Germanię nonnulli Judæos Lauerniones, harpacticosque percursores libere grassari sinunt, ac deinde illos ipsos exprimunt, vt ærarium iniustis opibus stipent.

Aerariũ ex hausta ciuitate vacuatur.

Tiberiana artes relata.

Altera ratio vt pauperum necessitatibus consulãt, non modo falsa est, sed plane contraria. Pauperes enim bonis omnibus, quæ residua sunt, euertuntur. Nec affirmare dubito singulis annis in Germania aliquot millia ciuium fœnore exhauriri, maiusque id malum esse, quam si singulis annis insignis aliqua ciuitas euerteretur. Nunc enim sensim tanquam per febrim erogantur. Lucullus ex Asia sustulit, quia videbat fertilissimam prouinciam ad paucos redigendam. Quomodo igitur subditis vtilis est, quo inducitur

Fœnebripecunia pauperes non iuuantur.

Sceleri procliuis egestas:

Plusquam centum millia Judæorum in Germania omni fraudum genere vexant Christianos, in his fere nemo est, qui non aliquẽ ad incitas reducat, quod si aliquis id non facit, multi tamen plures affligunt, centum ergo millia ab his circumueniuntur, quomodo ergo pauperibus per Judæos consulitur?

Quomodo Othoni vtilis fuit vsura depensa, cum publicè fateretur, *se nisi principem stare non posse.* Nihil referre an in acie ab hoste, an in foro sub creditoribus caderet.

Verum non æquabat veterum sæuities immanitatem, qua hodie medulla Christianorum exsugitur. Hinc illæ querelæ multorum. Ideo Judæos fœnerari, quia nullus offert munera principibus, vt hoc scelus vetent. Jul. Clar. recep. sent. l. 5. §. vsur. num. 7. Videatur & Couar. l. 3. c. 1. nu. 8. Hæc etiam sententia est canonum exhauriri facultates Christianorum per vsuras Judæorum.

Vsura Iudæos reddũt obstinatos.

Tertia causa fuit, vt conuerti ad fidem possint. Verum hac ratione obstinatissimi reddũtur. Cuius causæ tres sunt.

Vsuræ causæ odiorum inter Christianos.

Prima. Quod humanum genus disiungit, bella litesque excitat, est odium, hoc inter Christianos & Judæos durat perpetuo, quia causa non tollitur; Causa odii Judæis est, quia Christum supra omnia oderunt, illique in dies singulos maledicunt; deinde quia sentiunt Christianis esse odio. Naturale autem est inimicos odisse, nouis autem quotidie facibus ignis ille accenditur, cum scommatis, sannis, conuitiis à Christianis excipiuntur, diuexanturque, Nec Christianorum odia cessant, cum n. quotidie eos ante oculos videant insultantes, pauperum spoliis lautos, suis inhiantes, non magis amare possunt, quam agnus lupum, aut columba accipitrem, itaque nec de conuersione illorum Christiani loquuntur, nec Judæi audire sustinent. si aliis laboribus agitentur; & ipsi ad mentem redibunt, & misericordia Christiani eos prosequentur.

Cupiunt videri nequã Christiani.

Altera causa est, quod nunc permissu, aut conniuentia principum fœnerandi, decipiendique, & rapiendi crimina habent impunia, imo quo maiore sunt odio, & opinione nequitiæ apud Christianos, hoc magis apud suos gloriantur. Quemadmodum miles ille gratissimus est Imperatori, & commilitonibus, qui plurimum nocet hosti; Hinc est atrocissimum illud, quod de Jerosolymis captis historiæ referunt, emisse Judæos à victoribus mancipia Christiana non ad vsum, & obsequium, sed vt in illis torquendis, & longa

longa morte ne candis crudelissima se voluptate oblectarent. Hinc eorum in Christianos pueros immanis atrocitas, cum anno 1236. Fuldæ, anno 1380. Hallæ Sueuorum, anno 1429. Rauesbergæ, anno 1475. Tridéti, alias alibi innocuos pueros multis, minutisq; vulneribus conciderunt, vt ostenderent, odium non esse nostrorum vitiorum, quæ eorum sceleribus vincuntur, sed generis, sed religionis. Hæc quamuis non tolerentur à Christianis principibus; non alia tamen puniuntur, cum longa fame, & pudenda tabe nõ modo pauperes, sed nobiles etiam familias occidunt. Christianum saltem fama, ignominia, separatio, excommunicatio à scelere publico reuocant; Judæos hæc omnia ad audendum incitant, & crimina fœnerandi, quia sibi apud improbos gloriæ esse vident, etiam in conspectu esse gaudent.

Judæi lenta morte multas familias enecant.

Tertia causa est omnium grauissima; qua sublata magna eorum multitudo Christiana sacra susciperet; Nempe restitutio male partorum. Neque baptismus aut religio alienarum rerum detentionem admittit. Zachæus cõuersus; *si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum*, inquit. Dura igitur conditio Judæis videtur, thesauros quos vel magna parte, vel vniuersos per iniuriam cõgesserunt, dimittere. Si licitis operis omnia lucrarentur, suscepta religione res sibi suas retinerẽt, & solum esset exuenda perfidia, nunc opes abijciendæ sunt, propter quas multi à fide, & pietate deficiũt. Hic ergo remora est, quæ magnam partẽ detinet, hæc igitur qui permittunt, pluribus eos vinculis perfidiæ, & contumaciæ illigant. Nam ne restituant ablata cõcedere Ecclesia non potest, quia Dei præceptum est. Vere Alexander 3. Episcopo Panormitano, in appen. Conc. Later. 3. par. 16. §. de vsuris c. 1. *Super eo quod à nobis tua discretio postulauit, vtrum possit in recipienda pecunia ad vsuram, fieri dispensatio, vt pauperes qui in Sarracenorum captiuitate tenentur, per eandem possint pecuniam liberari: præsentibus tibi literis duximus respondendum, quod cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam non vidimus admittendam, quia cum scriptura sacra prohibeat, vel pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendum est, ne quis in redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur.*

Restitutionis necessitatem ostendit, & nouam Iudæorum firmat.

Vsuræ restituendæ.

Eodem modo Concilium Basileense. sess. 19. quod tamen bona incerti Domini, cum ignorat bona fide Judæus, cui sint restituenda, in conuersionis fauorem illi permittit. *Si quis eorum ad fidem Catholicam conuerti voluerit, bona sua quæcunque habet mobilia & immobilia, ei intacta illæsaque permaneant. Quod si huiusmodi bona ex vsura, aut illicito quæstu fuerint acquisita, ac nota sint personæ, quibus foret de iure restitutio facienda, (quia non dimittitur, nisi restituatur ablatum) illis restitui omnino oportet. His vero personis non extantibus, quia talia per manus Ecclesiæ in pios esset vsus conuertenda, hæc sancta synodus vicem gerens vniuersalis Ecclesiæ, in fauorem concedit susceptæ baptismatis, tãquam in pium vsum apud ipsos remanere debere, sub pœna diuini anathematis tam ecclesiasticis quam secularibus interdicens, vt nullam super his, quouis quæsito colore, molestiam inferant, aut inferri patiantur, sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam, vt scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum, necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso? Si ipsi conuersionis tempore inopes aut indigentes fuerint, per viscera misericordiæ Dei nostri omnes tam ecclesiasticos quam seculares hæc sancta synodus exhortatur, vt ipsis conuersis manus porrigant adiutrices. Ipsi quoque diœcesani non solum Christianos ad subueniendum illis exhortentur, sed tam de reditibus Ecclesiarum, prout poterunt, quam de his quæ ad pauperum vsus per ipsos conuertenda deuoluuntur, huiusmodi neophytos sustentare non negligant, ipsosq; à detrectationibus, contumelijs, paterna affectione defendant. Et quoniam per gratiam baptismi ciues sanctorum & domestici Dei efficiuntur, longeq; dignius sit regenerari spiritu, quam nasci carne, hac edictali lege statuimus, vt ciuitatum & locorum, in quibus sacro baptismate regenerantur, priuilegijs, libertatibus & immunitatib. gaudeant, quæ ratione duntaxat natiuitatis & originis alij consequuntur. Curent insuper sacerdotes baptizantes, & hi qui de sacro fonte suscipiũt, tã ante baptismũ, quã post, illos in articulis fidei, ac legis nouæ præceptis, catholicæq; Ecclesiæ ritibus diligenter instruere.*

Bona incerti Domini conuersis permissa.

§. 8. Quid porro hac in praxi canones sancti cõstituant in gratiam magnatũ, & eorum qui illis à cõsilijs sunt, adiungam. 1. Nullus potest sine scelere cogere quempiã vt vsuras persoluat, ratio naturalis est; quia quod meum est, nulla legitima causa data, nõ teneor tradere alteri. Lex Ecclesiastica est: (in appen. Later. 3. par. 16. c. 4.) *Debitores* (inquit Alexan. 3.) *autem ad soluẽdas vsuras, in quibus se obligauerant, cogi non debent, nisi eas iuramento soluere teneantur. Si vero de ipsarum solutione iuramentum fecerint, cogendi sunt Domino reddere iuramentũ, vt à creditoribus absoluantur: & cum vsuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas Ecclesiasticâ, si necesse fuerit, cogendi sunt seueritate.*

Nemo cogere potest vllum ad soluendas vsuras.

Etc 15. *Cum sicut tu asseris, manifestos vsurarios, scil. qui in illo decesserunt peccato, communione altaris & Ecclesiastica, iuxta decretum nostrum nuper in Concilio promulgatum, præceperis sepultura priuandos, donec reddant quæ tam prauè receperint: quidam eorum dicunt ad soluendas perceptas vsuras, proprias vsuras, proprias non sufficere facultates: alii vero promittunt se partes vsurarum quas habent præmanibus, reddituros: sed alias quas extorserunt vsuras, cum de his possessiones comparatæ sunt, & eorum filiis vel parentibus traditæ, se non posse reddere profitentur. Alii vero ad excusandas excusationes in peccatis, imprudenter affirmant, illas duntaxat vsuras restituendas, quæ sunt post interdictum nostrum receptæ, nec aliquos ad soluendas vsuras, quas ante interdictum receperant, debere compelli. Super his discretioni tuæ respondemus, quod siue ante, siue post interdictum nostrum vsuras receperint, cogendi sunt sub pœna quam statuimus in Concilio, eas his, à quibus extorserint, vel eorum hæredibus restituere: vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, vnde ipsas restituere possint, cum iuxta verbum Beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus, de quibus vsuras valeant restituere, non debent pœna illa mulctari, cum eos nota paupertas excuset. Possessiones vero quæ de vsuris comparatæ sunt, vendi debent, & ipsa precia his à quibus vsuræ extortæ sunt, restitui, vt sic non solum à pœna ista, sed etiam à peccato, quod per vsurarum extorsiones incurrerunt, possint liberari.*

Nullæ excusatio est, ne vsuræ restituantur.

Et hæc curare principum est, nã ideo gladiũ portant.

Et cap. 6. ad Wintonienſem Epiſcopum. *Super ea quod nos consulere voluisti, vtrum clericus sit cogendus vsuras creditori soluere, prudentiæ tuæ taliter respondemus, quod cum periculosum sit omnibus Dei fidelibus vsuras recipere: ad earum solutionem nullus Christianus est cogendus, nisi iuramento vel fide eas soluere teneatur: sed potius creditores ab vsurarum exactione, Ecclesiastica debent coerceri sententia.*

Denique prolixius ad Archiepiſcopum Cantuarienſem. *Ad nostram noueris audientiam peruenisse, quod cum Petrus de Vrſion tempore guerræ, quæ fuit inter charissimum filium nostrum Henricum illustrem regem Anglorum, & filios eius, quibusdam hominibus pro tuitione regni Francorum, pecuniam certa summa permutasset, ab eis quasdam possessiones & reditus recepit in pignus. Ipsos etiam sibi iuramenti religione adstrinxit, quod ei super possessionibus & reditibus illis donec sibi mutuatam soluerent pecuniam, nullam molestiã vel grauamen inferrent. Licet autem de possessionibus illis & reditibus præfatus Petrus nondum sortem suam sicut asserit, deductis expensis, receperit: quia tamen tu frater Archiepiscope propter hoc eum vinculo excommunicationis adstrinxisti, exinde cogimur literas nostras vobis destinare, præsertim cum ipse sicut asserit, forte velit esse contentus. Inde est quod fraternitati tuæ consulenti &c. quatenus percepta à præfato P. sufficienti cautione, quod exinde mandato vestro debeat parere, ipsum*

ipsum contradictione & appellatione cessante, à sententia qua tenetur, authoritate nostra penitus absoluas: & deinde debitores qui sibi prædictas possessiones & reditus contra iuramentum suum subtraxisse dicuntur, si ita est, Ecclesiastica censura compellas, vt possessiones illas & reditus eidem Petro dicto, appellatione cessante, restituant: nec sibi de cætero contra iuramentum molestias inferant, donec ei pecunia soluatur. Quia non est tutum cuilibet, sed periculosum potius religionem infringere iuramenti. Cum autem prædicto P. pecuniam suam, sicut iurauerunt, persoluerint, vos ipsum ad restituendum quicquid eum nouis deductis expensis, vltra sortem recepisse constiterit, studiosè monere curetis & diligenter inducere: & si commonitus id non fecerit, ipsum remoto appellationis obstaculo, in eandem excõmunicationis sententiam reducas: quia sicut periculosum est debitoribus suum infringere iuramẽtum, ita non minus periculosum est creditoribus, retinere quod pro vsuris receperunt, cum sit vsurarum crimen detestabile plurimum & horrendum, & vtriusque testamenti pagina condemnatum.

Vsuræ soluendæ cum iusiurandũ intercesit, sed vsurarij cogendus vt reddat.

Has pœnas conuenire in magistratus & Respublicas, quæ vsuras reddere compellunt, certissimum est. Quin etiam ipsi magistratus ad restitutionem tenentur. Qui enim contra legem mea dat alteri, aliumue quo minus reddere compellatur, potentia defendit, ad compensationem damni tenetur. Hoc autem mãdatum est principibus, vt grauari nõ sinant Christianos, legibus ciuilibus, & totius Ecclesiæ iussu. Concil. Lateran. sub Innocentio III. c. 67. *Quanto amplius Christiana religio ab exactione compescitur vsurarum, tanto grauius super his Iudæorum perfidia inolescit, ita quod breui tempore Christianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne à Iudæis immaniter aggrauentur, synodali decreto statuimus, vt si de cætero quocunque prætextu Iudæi à Christianis graues, & immoderatas vsuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato grauamine satisfecerint competenter. Christiani quoque, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur ab eorum commerciis abstinere.*

Principibus autem iniungimus, vt propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius à tanto grauamine Iudæos studeant cohibere.

Ac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos ad satisfaciendũ ecclesiis pro decimis, & oblationib. debitis, qua à Christianis de domibus, & possessionibus alijs percipere consueuerant, antequam ad Iudæos quocunque titulo deuenissent, vt sic ecclesiæ conseruentur indemnes.

Hoc mandatum etiam in Concilio Viennensi sub Clemente 4. repetitur. *Adijcientes vt si de cætero quocunque prætextu Iudæi à Christianis graues seu immoderatas vsuras extorserint, Christianorum eis participatio subtrahatur, donec de immoderato grauamine satisfecerint competenter. Vnde Christiani, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur, ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem iniungimus, vt propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius à tanto grauamine Iudæos studeant cohibere. Si vero Sacramentum altaris ante domos eorũ deferri contigerit, ipsi Iudæi audito sonitu præuio, intra domos suas se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant, hoc etiam in quolibet die Parasceues per Prælatos Ecclesiæ facere compellantur. Ne præsumant de fide Catholica cum simplicibus disputare, nec filios & vxores Iudæorum ad fidem Christianam venientium inuitos audeant detinere. Nec Christianos ad Iudaismum alliciant, aut aliquo ausu temerario circumcidant, nec Christianos infirmos visitent, vel circa ipsos exerceant opera medicinæ. Synagogam nouam non erigant, & si quas erexerint, eas remoueant aut deponant. Vetustam, si opus fuerit, reficiant, non ampliorem, pretiosiorem, seu etiam altiorem. Carnes in Quadragesima quando Christiani à carnibus abstinent & ieiunant, apertè vel publicè non deportent. Præcipimus autem Episcopis, vt ad hæc omnia obseruanda in singulis articulis Iudæos per abstractionem cõmunionis Christianorum compellant. Ipsos quoque principes ac iudices eorundem districtius admonemus, ne Iudæis Statuta nostra seruare nolentibus alicuius protectionis seu defensionis fauorem impendant, sed si aliqua eis à Prælatis Ecclesiasticis iniungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum Ecclesiæ & communionem diuinorum officiorum sibi nouerint interdictam. Volumus etiam & sub pœna excommunicationis præcipimus, vt Dominus electus Saltzburgens. eiusque Suffraganei nec non & Episcopus Pragensis has constitutiones nostras sigillo nostro sigillatas habeant, easque singulis annis in Synodis Episcopalibus & in prouinciali Concilio faciant recitari, & diligentius obseruari, & ea quæ tangunt laicos, faciant per parochiales Ecclesias suarum diœcesium publicari.*

Verum omnia ista, & minutatim persecutus est, Joan. 22. in Conc. Rauen. 4. Rubr. 15. *Vsurarum Voraginem vtriusque testamenti paginæ reprobatam, in nostra prouincia reprimere cupientes, denunciamus, seu declaramus, hoc sacro approbante Concilio, omnes vsurarios manifestos, donec de vsuris, prout patiuntur facultates eorum, plenariè satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum, idoneam præstent cautionem, fore communione altaris, & Ecclesiastica sepultura priuatos; eorumque oblationes recipi non debere, nec ipsos absolui posse: testamenta quoque ipsorum non valere, sed esse irrita ipso iure. Omnes etiam, qui huiusmodi vsurariis communionem altaris, ac corpus Christi tradiderint, aut eos ad Ecclesiasticam admiserint sepulturam, donec ad arbitrium Ordinarii loci satisfecerint, ab officii sui executione decernimus seu declaramus esse suspensos. Adiicientes, vt pœna huiusmodi subiaceant omnes, qui tales vsurarios absoluerint, aut ad communionem altaris admiserint, siue testamentis, aut sepulturæ interfuerint eorundem. Tabelliones quoque de mutuis & contractibus vsurariis, vel in fraudem vsurarum initis, instrumenta conficientes, vel recipientes scienter, quibus vsurarii pœnis, subiaceant, ipso facto. Cæterum in recipienda ab vsurariis pœnitentibus, de vsuris restituendis, cautione prædicta, hanc haberi volumus, & obseruari cautelam, vt anteomnia per confessionem vsurarii, vel per librum, vel libros rationum eius, aut per testes, siue instrumentum, vel aliquo alio modo fiat certa, & manifesta, si poterit, receptarum quantitas vsurarum, non earum tantum, quæ ab incertis, verum etiam quæ sunt à certis vniuersitatibus & personis extortæ. Si vero id non sit possibile, arbitretur, & moderetur quantitatem huiusmodi, is, qui ex vigore præsentis constitutionis recepturus fuerit cautionem huiusmodi, secundum rectam conscientiam, ex fama, seu vicinorum testimoniis, aut ex coniecturis aliis verisimilibus informandam. Vbi vero per postas libri vsurarii non apparuerit, per petentem sibi vsuras restitui de vsuris solutis, si petens habuerit instrumenta originalia vel exemplaria sumpta de originalibus communis ciuitatis, vel loci illius, in quo contractum fuerit debitum mutui recepti ab vsurario, aut alterius obligationis cum illo cõtractæ, vel cum alio pro eodem, & instrumentum solutionis, seu liberationis, vel confessionis, solutio vsurarum præsumatur & iudicetur: & ipso mutuo, vel obligatione à die cõtracti debiti seu oblationis, vsq; ad diem instrumenti confecti solutionis: & ab illo extorsisse vsuras, tot denarios pro libra singulis mensibus, quod declarare voluerit Diœcesanus Episcopus, aut eius Vicarius, vel Pœnitentiarius, si ipse vsurarius in dicta cautione non declarauit, & dixit quot denarios accipiebat pro libra singulis mensibus. Quando autem solutionis instrumentum, aut scriptura non apparuerit, tunc iudicetur, vsuras per sex menses vsurarium extorsisse ab illo, ex illo mutuo, seu obligatione secundum rationem & taxationem prædictam, pro mense quolibet: dummodo appareat per postas libri, vel alio modo legitimo mutuum, vel obligationem fuisse contractam: Quo facto, permittat solemniter, & iuret vsurarius, ei, qui; vt permittitur; hanc receperit cautionem curiæ Ordinarii loci, vbi vsurarius fuerit, omnium quorum interest, vel intererit nomine, quod ipse, per se ipsum, si poterit, vel alium, seu alios, & in præsentia Vicarii ordinarii prædicti, vel eius pœnitentiarii, vel alterius de curiæ licentia, sine difficultate qualibet, de vsuris à se receptis, & à parte sua, cæterisque personis, quorum hæreditas ad ipsum peruenerit, & de alijs male ablatis, & illicitè acquisitis per vsurariam prauitatem,*

Pœnæ vsuriarorum.

Pœnæ imũtium vsurarios.

rem, vsque in quantitatem æstimatam, & etiam maiorem, si de maiore constiterit, satisfaciet eis, à quibus eas ipse, vel illi receperunt, aut eorum hæredibus, si potuerint reperiri: & residuum, de quo, cui restitui debeat, non constabit, Ordinario, vel Vicario, seu Pœnitentiario ipsius Ordinarij liberè assignabit, pauperibus erogandum, iuxta Ordinarij arbitrium, sine strepitu iudicij, & figura. Et quod nihil dicet, vel allegabit, vel faciet per se, siue per alium, propter quod ipsius curiæ processus, sententiæ, vel præcepta impediantur, aut quomodo-libet retardentur circa ipsarum vsurarum, & illicitè acquisitorum modo prædicto restitutionem: speciali pacto se, & suos hæredes, & bona obligans ad prædicta, & renuncians expressè, specialiter & generaliter omnibus exceptionibus, iuribus & defensionibus, secundum libitum, & expressionem recipientis huiusmodi cautionem. Sed pro his attendendis, & restitutione, & assignatione; vt præmittitur, faciendis; obliget omnia bona sua, illa se constituens precario nomine dictæ curiæ possidere: omnimodam licentiam concedens, & liberam potestatem ipsi Curiæ, & recipienti cautionem prædictam, pro ea, apprehendendi, distrahendi, & alienandi de ipsius bonis libere, ac impune, auctoritate propria, & contradictione non obstante cuiusquam, quicquid & quantum, & vbi voluerit ipsa Curia, vsque ad integram restitutionem, & satisfactionem prædictorum. Et eorum occasione renunciet etiam vsuris, & sibi promissas remittat, ac iuramenta sibi pro eis soluendis, vel non recipiendis, seu repetendis præstita, relaxet, reddat, aut saltem reddere promittat: & iuret, quod libros, & quaternos rationum suarum, & instrumenta vsuraria, quæ habebit, vel habere poterit; absque dolo vel fraude, diminutione, siue subtractione, Ordinario, vel eius Vicario, seu certo nuncio dabit, & consignabit per se, vel alios, pro eodem. Assignet etiam pecuniam quam habet, vel faciat depositum, si poterit, ad arbitrium Ordinarij, seu Vicarij, vel Pœnitentiarij ipsius: quod quidem in cautione ipsa venire censemus.

Damnet etiam hæredes suos futuros, sub pœna hæreditatis amittendæ, ad eadem facienda: ipsi hæredes, si præsentes fuerint, eadem se facturos sub pœna, & sub religione promittant, & iurent: Det præterea, si poterit, pignora, vel saltem fideiussores idoneos, qui ad prædicta eodem modo, & sub eisdem pœnis, & tenoribus obligent principaliter se, & sua, constituentes se principales debitores in prædictis, renunciantes epistolæ D. Hadriani, beneficio nouarum constitutionum de fideiussoribus, & omni alij defensioni, & iuri, ad arbitrium recipientis cautionem eandem, ex pacto speciali: præstantes simile iuramentum. Hæc autem præcipimus fieri coram sacerdote parochiali, & testibus fide dignis, ac notario publico, de Ordinarii, vel Vicarii, aut Pœnitentiarii ipsius mandato, qui recipiat prædictas promissionem, & obligationem, renuntiationem & cautionem, & cætera suprædicta, de his conficiens instrumentum. Denique cautionem ipsam per singulas ordinariorum Diœceses, vbi Ordinarius, vel Vicarius præsens non adesset, recipiat Rector parochialis Ecclesiæ, in qua Vsurarius habitabat, vel notarius publicus in sacerdotis defectum: qui infra mensem teneatur hæc denuntiare loci Ordinario, vel eius Vicario. In ciuitate vero nullus omnino absque Ordinarii, vel Vicarii, seu Pœnitentiarii ipsius licentia speciali, nisi forte parochialis sacerdos, vbi non poterit requiri adhac cura Ordinarii, superueniente subito casu mortis, de illa recipienda se intromittere præsumat: alioquin pœnam X. libr. Rauenn. incurrat, absque satisfactione debita minime relaxandam: Illos namque, quoad prædicta, declaramus vsurarios manifestos, de quibus per parochiam, quam inhabitauerint, vel vbi morerentur, fama fuerit extorsisse vsuras, vel ipsorum confessione, aut per idonea argumenta, seu alio modo legitimo apparebit. Constitutionem quoque præsentem, omnes parochialium Ecclesiarum Rectores; etiam si collegiatæ fuerint; habeant, legant, & intelligant: vsurariorum pœnas prædictas frequentius in suis Ecclesijs publicantes, & suas cautius euitantes, si Diuinam, & nostram effugere cupiunt vltionem.

Multa etiam de hisce sunt in Germania constituta; Concil. Salisburgense sub Euerardo Episcopo tempore Martini 5. eadem statuit. atque insigne statutum D. Pilgrini Episcopi renouat. *Vsurarii, postquam à suis rectoribus trina monitione fuerint nominatim moniti, si infra mensem non desiterint, eo ipso excommunicationis sententiam incurrunt. Et Ecclesiarum Rectores & Prælati tenentur suos subditos, manifestos vsurarios monere, & inducere, vt infra mensem ab huiusmodi prauitate desistant, & de perceptis satisfaciant cum effectu: quod si non fecerint, eos excommunicatos denuncient, certificates nihilominus eos, quod si in hoc peccato decesserint, Ecclesiastica sepultura carebunt. Quos si Rectores scienter sepeliuerint, similiter ipso facto excommunicationis sententia sunt ligati. Et manifesti vsurarii dicuntur, de quibus est publica vox & fama, & certa sunt indicia & argumenta, quod pecunias mutuant ad vsuras, easque recipiunt, vel fructus rei pignoratæ ex pacto, vel alias sibi inbursant, nec computant in sortem pecuniæ mutuatæ.* Prælati tenentur monere vsurarios.

Nouam etiam fœnerandi rationem refert, & damnat. *Vsurarios actus diuina & humana lege satis nouimus exprobratos, & contra exercentes vsuras nouissima constitutio Lugdunens. Concil. pœnas statuit exquisitas, quibus addendum aliquid non videmus. Sed quia nouo quæsito fœnerandi colore, nonnulli sub titulo venditionis exercent vsuras, emendo pignus pro Quantitate, quæ mutuo petitur, & vendendo eodem redemptionis tempore pro Quantitate adaucta numero vsurarij, huic fraudi sic prænuidimus obuiandum: quod constitutio sanctæ recordationis Gregor. Papæ X. contra vsurarios edita in Conc. Lugdun. in singulis Cathedralib. & Collegiatis Ecclesiis, vna cum præsentibus constitutionib. nostris publicetur, statim lecto Euangelio semel in an. in Quadragesima publicè coram populo; & tunc fœneratores huiusmodi, & alios, qui contra tenorem huiusmodi Concil. Lugdun. exercent vsuras, & retinentes eos in domibus propriis excommunicati nominatim publicè nuncientur. Quod si Ecclesiarum Prælati in huius publicatione, quam per se ipsos & alios facere debent, negligentes fuerint, vel remissi; & in dicto tempore publicatio ipsa non fiat; eos æterni mittimus iudicis vltioni. Et si vsurarius die claudit extremum, qui occultè vsuras exercuit, & trium, aut duorum testium fide dignorum testimonio constiterit, exercuisse vsuras, nisi pro eo satisfactum fuerit de receptis vsuris, nullus ipsum recipiat ad Ecclesiasticam sepulturam. Alioqui si contra factum fuerit, præter pœnam latam in Lugdun. Concil. contra tales volumus, vt locus seu Ecclesia; in cuius cœmeterio de voluntate Prælati seu Capituli sepulta fuerint corpora talium, ipso facto Ecclesiastico subiaceant interdicto, quamdiu eadem corpora per eos non fuerint exhumata.*

§. 9. Mihi quoq; hoc leges agere videntur, vt omnino Judæi pellantur; nam primo qui eorum perfidiam fouent, excommunicantur ex Conc. Tolet. 4. & Meldensi c. 58. *Tanta est quorundam cupiditas, vt quidam eam appetentes, iuxta quod ait Apostolus, etiam à fide errauerint. Multi quippe hucusque ex sacerdotib. atque laicis accipientes à Iudæis munera, perfidiam eorum patrocinio suo fouebant, qui non immerito ex corpore Antichristi esse noscuntur, quia contra Christum faciunt. Quicunque igitur deinceps Episcopus, siue clericus, siue secularis illis contra fidem Christianam suffragium vel munere, vel fauore præstiterit, vt profanus & sacrilegus anathema effectus, ab Ecclesia Catholica & regno Dei efficiatur extraneus: quia dignum est, vt à corpore Christi separetur, qui inimicis Christi patronus efficitur.* Fauorem præstans Iudæis excommunicatur. At vero qui eorum vsuras adiuuat, defendit, ex illis partem capit, alios ad soluendum compellit, ille fouet perfidiam, si non aliam, certe hanc, qua sibi persuadet, fœnerari licitum esse. Quod enim tam largiter à suprema auctoritate concedi animaduertunt, cur sibi illicitum arbitrentur? Deinde Christianum seruire Judæis vetant leges, ita Greg. l. 7. ep. 13. & 114. & in Conc. Meld. c. 56. *Greg. Papa Theodorico & Theodeberto Regibus Francorum, & Brunechildæ Reginæ: Mirati sumus, quod in Regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt omnes Christiani, nisi membra Christi? Et post pauca: In hoc vos amplius petimus Dei cultores demonstretis, quod fideles eius ab inimicis eius absoluitis. Item idem ad Fortunatum Episcopum: Christiana, inquit, mancipia, quæ à Iudæis adducuntur, aut possidetur, aut mandatorib. contradantur, aut certè Christianis emptorib. intra diem quadragesimum venundentur, & transacto hoc dierum numero, nec* Christiani Iudæis seruire non debent.

apud

apud eos quolibet modo remaneant. Si autẽ quædam ex ijsdem mancipijs talẽ agritudinẽ fortasis incurrerint, vt intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda solicitudo est, vt dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur, & inde fraudis tollatur cuncta occasio, ne Christiana mãcipia in domo Iudæi habitare sinantur.

Christiana itaque mancipia à Judæis empta libera fiant. ita Constantinus Flauius Imperator Augustus: Si quis Iudæorum Christianum seruum, vel cuiuslibet alterius sectæ emerit & circumciderit, à Iudæi ipsius potestate sublatus, in libertate permaneat.

Theodosius & Valentinianus Augusti: Iudæis vel paganis causa agendi, vel militãdi licentiam denegamus, quibus Christianæ legis nolumus seruire personas, ne occasione Domini sectam venerandæ religionis immutent. Omnes igitur personas erroris infausti iubemus excludi, nisi his emendatio matura subueniat.

Item ijdem Imperatores Augusti: Hac victura in omne æuum lege sancimus, neminem Iudæum ad honores, & dignitates accedere, nulli administrationem patere ciuilis obsequij, nec defensoris saltem fungi officio. Nec fas quippe credimus, vt supernæ Maiestatis & Romanis legibus inimici, sub specie cuiuslibet officij Christianos, vel etiam sacerdotes, sub quacunque occasione, iniurijs audeant fatigare, vel legis nostræ aliquos aut condemnare, aut adiudicare præsumant: nec carceralis custodiæ præsint, ne Christiani (vt fieri assolet) nonnunquam abstrusi, custodum odijs alterum carcerem patiantur. Nullam denuo audeant struere synagogam: nam si fecerint, nouerint hanc fabricæ Ecclesiæ Catholicæ profuturam, & quinquaginta pondera auri aut hores fabricæ esse mulctandos, ruinas tantum synagogarum suarum permissa licentia reparandi. Quicunque Iudæus seruum seu ingenuum, inuitum vel suasione plectendæ ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectã ritumue traduxerit, amissis facultatibus, capite puniatur, iustissimæ pœnæ sanguinis destinatus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina. Quicunque ex his ad honores irrepsit, habeatur, vt ante, conditionis extremæ, ne videamur hominibus execrandis contumelioſum immunitatis beneficium præstitisse.

Childebertus Rex Francorum. Iudæis à cœna Domini vsq; in primum Pascha per plateas aut forum, quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur.

Eodem in Concilio Meldæ & ista renouantur. Priscus Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, Arthemius Senonicæ, Remedius Bituricæ, & sanctus Siagrius Heduorum Episcopus, cum cæteris pluribus statuta Ecclesiastica renouantes, ita definierunt: Ne Iudæi Christianis populis Iudices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis (quod Deus auertat) Christiani videantur esse subiecti. Vt Iudæis à cœna Domini vsque primum Pascha, secundum dictum bonæ recordationis Domini Childeberti Regis, per plateas, aut forum quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur. Et vt reuerentiam cunctis sacerdotibus Domini, vel clericis impendant, nec ante sacerdotis consensum, nisi ordinati habere præsumant. Quod si facere fortasse præsumpserint, à iudicibus locorum, prout persona fuerit, distringantur. Et vt nullus Christianus Iudæorum conuiuiis participare præsumat. Quod si facere quicunque (quod nefas est dici) clericus, aut secularis præsumpserit, ab omnium Christianorum consortio se nouerit coercendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus. Et licet, quid de Christianis, qui aut captiuitatis incursu, aut quibuscunque fraudibus Iudæorum seruitio implicantur, debeat custodiri, non solum canonicis, sed & legum beneficiis iampridem fuerit constitutum, tamen quia nunc ita quorundam querela exorta est, quosdam Iudæos per ciuitates, aut municipia consistentes, in tantam insolentiam & proteruiam prorupisse, vt nec reclamantes Christianos liceat, vel ad precium de eorum posse seruitute absolui: idcirco præsenti Concilio, Deo authore, sancimus, vt nullus Christianus Iudæos deinceps debeat deseruire, sed datis pro quolibet mancipio duodecim solidis, ipsum mancipium quicunque Christianus, seu ad ingenuitatem, siue ad seruitium licentiam habeat redimendi. Quia nefas est, vt quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si acquiescere his, quæ statuimus, quicunque Iudæus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipio ipsi cum Christianis, vbicunque voluerit, habitare. Illud etiam specialiter sancientes, quod si quis Iudæus Christianum mancipium ad ritum Iudaicum conuictus fuerit persuasisse, & ipso mancipio careat, & legali damnatione plectatur.

Iudæi iudices ne sint.

Tertio Judæorum familiaritas & conuiuia vetantur. ita in eodem Concilio recensentur veterum dicta. Sanctus Alchimus Auitus Ecclesiæ Viennensis Episcopus, & sanctus Apollinaris Ecclesiæ Valentinæ, & sanctus Gregorius Lingonicæ Ecclesiæ Episcopus, & sanctus Viuentiolus Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, cum aliis viginti Episcopis in nomine Domini congregatis, ita sanxerunt. Si superioris loci clericus, hæretici cuiuscunque conuiuio interfuerit, anni spatio Ecclesiæ pacem non habebit: Quod iuniores clerici si præsumpserint, vapulabunt. A Iudæorum conuiuiis etiam laicos constitutio nostra prohibuit: nec cum vllo clerico nostro panem comedat, quisquis Iudæorum conuiuio fuerit inquinatus.

Christiani, qui Iudæorũ cõuiuiis interfunt, excommunicantur.

Idem cauetur Concilio Basileensi. sess. 19. Sacros insuper Canones renouantes, præcipimus tã diœcesanis, quam potestatibus secularibus, vt modis omnibus prohibeant, ne Iudæi, aut alij infideles, aut Christianos, aut Christianas in familiares, seu seruientes, aut filiorum suorum nutrices habeant, ac ne Christiani cum ipsis in eorum festiuitatibus, nuptiis, & conuiuiis, aut balneis, seu nimia conuersatione communicent, aut medicos, vel matrimoniorum proxenetas, seu aliorum contractuum mediatores de publico constitutos assumant, nec aliis publicis præponant officiis, aut ad gradus quoscunque scholasticos admittant, nec eis locentur prædia vel alij reditus ecclesiastici. Prohibeantur etiam, libros ecclesiasticos, calices, cruces, & alia Ecclesiarum ornamenta, sub pœna peditionis rei emere, aut pignori sub pœna amissionis pecuniæ mutuatæ accipere. Sub grauibus quoque pœnis cogantur aliquem deferre habitum, per quem à Christianis euidenter discerni possint. Quorum vt euitetur nimia conuersatio, in aliquibus ciuitatum & oppidorum locis, à Christianorum cohabitatione separatis habitare compellantur, & ab ecclesijs longius quantum fieri potest. Nec diebus Dominicis, aliis solemnibus festiuitatibus apothecas tenere apertas, vel in publico laborare præsumant. Et Viennensi sub Clemente 4. eadem statuuntur.

Quarto. Vestitus illis singularis præscribitur, & habitatio, vt constet ad Rempublicam non pertinere. Concil. Salisb. Non ambigui iuris, & Hebraicam gentem à fidelium Crucifixi populo, aliquo discretionis extrinsecæ signaculo debere esse separatam. Vnde, sanctæ memoriæ Guido Titulo S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis in hanc nostram Prouinciam à sacrosancta Apostolica Sede Legatus, prouidè decreuit statuendo, vt Iudæi in publicum se exhibentes, pileum deferre debeant cornutum: non portantes pœna pecuniaria præcipimus mulcta puniri. Nos autem volentes prædicti legati, bonam intentionem, quantum in nobis est, effectui mancipare, omnibus secularibus potestatibus, cuiuscunq; conditionis & præeminentiæ existant, quocunq; nomine censeantur, siue communitates, siue singulares Reipubl. Præsidentes existant, sub excommunicationis sententia præcipimus, & districtè iniungimus, vt per se, vel per alios suos familiares, quemcunq; Iudæum pileum talem in publico non deferentẽ, pecuniaria pœna, iuxta eorum arbitratum taxanda, quacunq; conditione prouocatione, vel excusatione, friuola non obstante, protinus puniant.

Vestitus Iudæorum.

Non potest esse ambigui iuris, quia iam ante in Lateran. sub Innocent. 3. c. 68. decretum fuit. In nonnullis prouincijs à Christianis Iudæos seu Saracenos habitus distinguit diuersitas: sed in quibusdam sic quædam inoleuit confusio, vt nulla differentia discernantur. Vnde contigit interdum, quod per errorem Christiam Iudæorum, seu Saracenorum, & Iudæi, seu Saraceni Christianorum mulieribus commisceantur.

Et Viennense sub Clem. 4. Item cum in tantum insolentiæ Iudæorum excreuerint, vt per eos in quamplurimis Christianis tam dicatur infici puritas Catholicæ sanctitatis, non tam

tam noua cudentes, quam Summi Pontificis statuta vetera renouantes districtè præcipimus, vt Iudæi, qui discerni debent in habitu à Christianis, cornutum pileum, quem quidam in istis partibus consueuerunt deferre, & sua tenuitate deponere præsumpserunt, resumantur, vt à Christianis euidenter discerni valeant, sicut olim in generali Concilio extitit definitum.

Viennense quidem cornutum pileum, Rauennas secundum Rubr. 23. rotam crocei coloris in superioribus pannis gestandam viris, & idem signum mulieribus in capite. Paulus IV. Judæos in vna parte ciuitatis recluſit, quibus ne vsuram exercerent, vetuit, Crocei coloris pileum, quo à reliquis internosci possent, ipsos ferre voluit. ita in vita eius.

Intermittere nequaquam possum, quin saluberrima statuta Concil. 1. Mediolan. sub sanctissimo viro Carolo Borromæo de Judæis proponam.

Fugienda familiaritas Iudæorũ.

Vt quantum possumus, Iudæis corrumpendi Christianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occasionem adimamus, ipsosque ad viam salutis traducere studentes, ex sacrorum etiam canonum decretis, edicimus.

Vt Iudæi semper, & quocunq; iter faciant, viri pileum seu birretum crocei coloris, mulieres impositum reliquo capitis integumento pannum eiusdem coloris ferant.

Ne Christiani ad conuiuia, nuptiæ, vel dies festos, & synagogas Iudæorum accedant; aut cum eis ludant, vel quod detestabilius est, choreas cum Iudæis agant.

Ne Iudæis Christiani in famulatu esse possint.

Ne Christiani, si in diem, vel horam, Iudæis operas suas locauerint, apud illos cibum capiant.

Ne Christianæ mulieres, Iudæorum nutrices in eorum domibus esse vllo pacto possint. Ne vero extra eorum domos, nisi cum necessitas, Ordinario probanda, postularit.

Ne Christiani Iudæos medendi causa ad se accersant.

Ne in coniungendis inter se matrimonijs eorum opera vtantur.

Ne Christianæ mulieres Iudæis fuci, pigmentorum, aut ornandi se causa adhibeant.

Agros, prædia ecclesiastica Iudæis locari; vestes, vasa, aliaue sacra, vel ad vsum Ecclesiæ destinata, vendi, aut pignori dari non liceat.

Ne in ædibus, quæ Ecclesiæ vicinæ sint, Iudæi habitent. Et si qui in eis nunc habitant, intra certum tempus omnino migrare cogantur.

Ne Christiani cum Iudæis in diebus festis, emptionis, venditionis, vel alio nomine contrahere audeant.

Ne tribus ante Paschа diebus Iudæi in publicum prodeant; neq; quidquam palam, vel secreto in contemptionem Christianæ religionis facere audeant.

Ne dignitatem, vel publicum officium, quod ad Christianos pertinere aliquo modo possit, Iudæi obtineant.

Hæc, & reliqua, quæ de Christianorum cum Iudæis consuetudine sacris canonibus constituuntur, curent Episcopi, & principes, ac magistratus, pro suæ quisq; auctoritatis munere, pœnis contra Christianos, & Iudæos acrioribus constitutis, vt inuiolatæ seruentur.

Vehementer etiam à principibus petimus, vt in singulis ciuitatibus certum locũ constituant, vbi Iudæi separatim à Christianis habitatum conueniant. Et, si quas proprias ædes Iudæi in ciuitate habent; intra sex menses, eas verè, non autem simulato contractu, Christianis vendi iubeant.

Illud præterea pro sua pietate principes statuere debebunt: vt Iudæi quibuſuis contractibus, & negotijs, quæ cum Christianis habuerint, in libris suis conscribendis, literis, & lingua vulgari nostra, non autem sermone aut characteribus Hebræis vtantur. Si secus fecerint seuerè puniantur: nullumq; inde ius eis esse possit agendi, vel excipiendi.

Omni denique diligentia illos in eo eniti æquum erit, vt fraudulentam & insidiosam Iudæorum cum Christianis contrahendi rationem, & eorum facultatibus inhiantem auaritiam comprimant, & coerceant.

Monemus vero Episcopos, vt ab hominibus piis, ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Iudæorum, vel, si huiusmodi non reperiantur, ab aliis doctis, ac bonis viris curent, fidem ac doctrinam Christianam Iudæis prædicandam.

Ad eas conciones Iudæi omnes iussi conueniant; sed pueri, ac puellæ seorsum à parentibus, atq; illis maioribus natu concionatorem audiant: qui ipsos familiariter instituat; & interrogantibus benignè satisfaciat.

In quo signum aliquod conuersionis cognitum fuerit, is ab aliis separetur: & in domum aliquam cathechumenorum ad id paratam, deducatur; vbi diligentius omnia, quæ scire Christianum oporteat, doceatur.

Cathechumeni ne baptizentur, nisi prius diligenter instructi, & examinati fuerint, præsertim si grandiores sint.

Baptizati curæ alicuius probi viri, saltem per annum committantur, qui vitam illorum iis rationibus regat ac moderetur.

Vt diebus festis Missam, conciones, ac vesperas obeant.

Aliis diebus aliquo artificio, quo victum quærere possint, vtantur.

Ne cum Iudæis vllam omnino consuetudinem habeant.

Neue cum Christianis, quorum vita flagitiosa sit.

Curet Episcopus, vt Iudæus, qui ad fidem se conuerterit, omnia bona sua habeat: ac si filius familias sit, legitima, & quæcunq; alia bonorum pars, ei iure debita, à patre etiam viuente, detur. Vel si mulier fuerit, ei dos à marito restituatur, vel à patre constituatur, vnde ali possit ex præscripto constitutionis Pauli III. summi Pontificis: præsertim in iis, quæ ille statuit de iis facultatibus, quæ ex vsuris comparatæ sunt.

Quinto etiam magistratibus prohibentur, quod signum est, alienos esse eos omnino à republica. ita Lateran. sub Innocent. 3. c. 69. *Cum sit nimis absurdum, vt Christi blasphemus, in Christianos vim potestatis exerceat, quod super hoc Toletanum Concilium prouidè statuit: nos propter trãsgressorum audaciam in hoc capitulo innouamus, prohibentes ne Iudæi officiis publicis præferantur, quoniam sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti.*

Si quis autem officium eis tale commiserit, per prouinciale Concilium (quod singulis præcipimus annis celebrari) monitione præmissa, districtione qua conuenit compescatur. Officiali vero huiusmodi, tam diu Christianorum communio in commerciis, & aliis denegetur, donec in vsus pauperum Christianorum, secundum prouidentiam diœcesani Episcopi conuertatur, quicquid fuerit adeptus à Christianis occasione officii sic susceptι: & officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit: Hoc idem extendimus ad paganos.

Cum igitur vestis, habitatio, omniaque eo collata sint, vt Christiani cum Judeis non agant; idque interesse Reipublicæ, & Ecclesiæ omnes iudicent, melius hoc obtineri non potest, quam vt omnino pellantur; venenatæ bestiæ nunquam sine periculo domi sunt, etsi non semper venenum exerant, id enim non faciunt, vel quia timent, vel quia torpent. Judæis obnoxium esse, cum illis familiariter versari, conuiuari, in aula principum, consulum, senatorum eos versari, sine magno publicæ salutis, decori, iustitiæ, morum detrimento non credo.

Caput XVIII.

Alio modo eos qui mutuo egent, adiuuandos.

Liberalitatẽ impedit debitorũ perfidia.

§. 1. IN magna multitudine diuitum, & beneficorum non deesset, qui mutuam pecuniam liberaliter offerret egentibus, sed negligentia, & sublata fides facit omnes timidos.

Si quis mutuum dederit, fit pro proprio perditum;
Quum iam repetas, inimicum amicũ beneficio inuenis.

Nihil promptius, quam ex beneficio inimicos facere.

Nam maxima pars, morem hunc hominum habet:
Quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt: sed id vbi iam penes se habent.

Ex bonis pessimi, ac fraudulentissimi sunt. Plaut. Trin. Quorundam peruicacia, perfidia, ingratitudo debitorum facit, vt omnes, quos opprimit inopia, luant. Creditor interdum est molestus, & onerosus, præcox, & sæuus, quod lege prohibetur. Sæpius tamen debitor delicatus, & fraudator, fere enim humaniter postulant, quod debetur, qui vero debent, quantũcunque molliter appelles, quamcunq; dilationem præstes, indignantur; si tenues sint; tyrannum proclamãt, si magnates quasi suo iure minantur; neq; præsertim hac in re quicquam tam fontem benefaciendi occludit, quam beneficiorum abusus. Nec caueri satis potest, nec solet, quamuis sit hypotheca, iudicesque; hoc tamen graue est, conserta manu repetere, quod amico dederis? Hæc igitur serio constituenda sunt magistratui, & liquida debita celeriter, & de plano iudicanda, & debitor contumax puniendus est.

Iure repetere, quod amico datũ fit, graue est

§. 2. Princeps, aut ciuitas quæq; suis ciuibus ex ærario mutuum det, condicta die quo reddendum est, acceptaq; hypotheca. Hoc sine inuidia, & odio exigitur, nec sinit debitorem spe iudiciorum esse negligẽtem, & obligat eos, qui indigent. Multi principes eâ ex re magnam laudem consecuti sunt, & firmissimo præsidio maiestatis, hoc est, amore se munierunt.

§. 3. Perpetuum est vsurarum remedium, mons, quem vocãt, pietatis. Itaq; & hoc inprimis curæ fuit, Carolo Archiepiscopo Mediolan. in Concil. 1. *Episcopt omnem curam & operam suam conferant ad erigenda & instituenda ex auctoritate Summi Pontificis loca pia, quæ Montes pietatis appellantur, in singulis ciuitatibus, & insignioribus oppidis; vnde mutuas pecunias pauperes possint accipere. Eaque & quæ iam cõstituta sunt, studiose & fideliter administrãda curent. Principes aũt, & magistratus obsecramus, vt ea in re Episcoporum studium, & diligentiam omni ope adiuuent. Nec in eis quidquam præter sortem, nisi pro ministris, & aliis necessariis sumptibus, idque ex Summi Pontificis auctoritate, accipiatur.*

Mons pietatis.

Ortam de montibus disputationem Leo X. finiuit. Eius edictum ita habet. *Leo Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Inter multiplices nostræ solicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, vt quæ salubria, & laudabilia, ac Catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia, nostro tempore nõ solum enucleentur, verumetiam ad posteros propagentur: & quæ materiam scandali præbere possent, penitus succidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vsquã sinantur, ea in agro Dominico & vinea Domini Sabbaoth dũtaxat censeri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicatis zizaniis & oleastri sterilitate succisa. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios S. Theologiæ Magistros, ac I. V. Doctores, controuersiam quandam non sine populorum scandalo & murmuratione exortam & nuper his diebus innouatam esse compereremus circa pauperũ releuationem, in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui Montes Pietatis vulgo appellantur, quiq; in multis Italiæ ciuitatibus ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vsurarum voragine deglutiantur, à ciuitatum magistratibus & aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque à sanctis viris diuini verbi præconib, & laudati, & persuasi, ac à nonnullis etiam summis Pontificib. prædecessoribus nostris probati & confirmati sint, ne præfati montes à Christiano dogmate dissonantes, vel non vtraque parte diuersimode sentiente atque prædicante. Nonnullis enim magistris & doctoribus dicentibus eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore per ministros huius montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vsurarum crimine, iniustitiaue, seu ab aliqua certi speciemali mũdos non euadere, cum Dominus noster, Luca Euangelista attestãte, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu res, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nulloue periculo lucrum fœtusq; conquiri studetur. Addebant etiam iidem magistri & doctores, in his montibus neque commutatiuæ neque distributiuæ iustitiæ fieri satis, cũ tamen iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere nõ debeãt, si debeãt approbari: idq; præterea probare nitebantur, quia impensæ pro huiusmodi montium conseruatione à pluribus, vt aiunt, debitæ à solis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur: pluraque interdum vltra necessarias & moderatas impensas, non absque specie mali ac incentiuo delinquendi, quibusdam aliis personis, vt inferre videntur, exhibeantur. Aliis vero pluribus magistris & doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiæ Gymnasiis verbo & scripto conclamantibus pro tanto bono, tamque Reipublicæ pernecessario, modo ratione mutui nihil petatur, neque speretur: pro indemnitate tamen eorundem montium, impensarum videlicet ministrorum eorundem ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium, absque montium huiusmodi lucro, idque moderatum & necessarium ab his, qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licite vltra sortem exigi & capi posse non nihil licere, cum regula Iuris habeat, quod qui commodum sentit, onus quoq; sentire debeat, præsertim si Apostolica accedat auctoritas. Quam quidem sententiam à felic. record. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. & Iulio II. Rom. Pontificibus prædecessoribus nostris probatam, à sanctis quoque ac Deo deuotis, & in magna ob sanctitatis opinionem existimatione habitis, euangelicæ veritatis prædicatoribus prædicatam esse ostendunt. Nos super hoc, prout nobis est ex alto concessum, opportune prouidere volentes, alterius quidem partis, iustitiæ zelum, ne vorago aperiretur vsurarum, alterius pietatis & veritatis amore, vt pauperibus subueniretur: vtriusque vero partis studium commendantes, cum hac ad pacem, & tranquillitatem totius Reipublicæ Christianæ spectare videantur, sacro approbante Concilio, declaramus & definimus, montes pietatis antedictos per Respublicas institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorũ impensas, & aliarum rerum ad illorũ conseruationem, vt præfertur, pertinentium, pro eorum indẽnitate duntaxat, vltra sortem absque lucro eorundem montium recipitur, neq; speciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præstare, neq; vllo pacto improbari, quinimo meritorium esse, ac laudari & probari debere tale mutuum & minime vsurarium putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentijs à sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis: ac deinceps alios etiam similes montes cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse: multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte huiusmodi montium ministrorum soluantur impensæ, vt ad leniorem æris soluendi portionem medio hoc pauperes grauari contingat, ad quos, cum huiusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, CHRISTI fideles maioribus indulgentijs inuitandos esse decernimus. Omnes autem religiosas & ecclesiasticas, ac sæculares personas, qui contra præsentis declarationis & sanctionis formam de cætero prædicare verbo vel scriptis ausi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam, priuilegio quocumque non obstante, incurrere volumus: non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisq; contrarijs quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, definitionis, decreti & excommunicationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.*

De morte pietatis cõtrouersia.

Impensæ in ministros licitæ.

In montibus igitur illis, hoc necessariũ est; 1. vt mutuum detur omnino gratis. 2. vt ratione ministrorum aliquid detur, qui operas gratuitas non impendũt. 3. Domus ẽt constituenda est, pignora asseruanda, q̃ sine aliquo sumptu non põt fieri. 4. Sũptus illi æquãdi sunt, vt pauperes nõ magis grauẽtur quã diuites. 5. Nihil in his vsurariũ est, nã si quis mutuũ dat, testes, notarium

tarium adhibet, pignus inſpici, aut adduci iubet, nec æquum eius ſumptu qui dedit mutuum iſta fieri. 6. Conandum tamen vt montes omnino gratis conſtituantur, ſic enim omnis cauſa ſuſpicionis tolletur. Hoc autem duorum modorum alterutro fieri poteſt, vel vtroque. Primo, vt cenſus ematur annuus, quo ſumptus neceſſarij tolerentur. Secundo, vt magni viri, fidi, diuites, ſcribarum, numeratorum, cuſtodum officia gratis præſtent. Nec in re tam pia labor infra vllius dignitatem eſt. Si enim in Italia, & Hiſpania, & nunc quoque in Gallia, & Germania, viri nobiles, & ſenatorij eleemoſynas pro pauperibus petitum eunt, nec eſt contra exiſtimationem eorum eſſe pauperum legatos, ſed plus quam vlla purpura amplitudinem eorum exornat, quin & ad magnam Chriſti cedit gloriam pauperum ſuorum vicarios & procuratores eſſe purpuratos, & diuites huius ſæculi altum non ſapere, ſed timere; nec paupertatem in Domini ſui vita omnium ſceptris antepoſitam, opprobrioſam putare. Si reges & principes pauperibus miniſtrant; cur non & pauperum ſcribam, & atrienſem agat dies; Quod vni ex minimis iſtis faciunt, Chriſto faciunt. omne officium Chriſto exhibitũ, ſupra omnem dignitatem eſt, & omnino regium eſt, quia Deo ſeruire, regnare eſt.

CAPVT XIX.

Aliæ quoque rationes cogendæ pecuniæ, vſitatæ, & damnatæ.

§.1. SVETONIVS de Nerone iſta refert. *Verum vt ſpes fefellit, deſtitutus atque ita iam exhauſtus & egens vt ſtipendia quoque militum & commoda veteranorum protrahi ac deferri neceſſe eſſet, calumniis, rapiniſque intendit animum. Ante omnia inſtituit vt è libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dodrans cogeretur ei, qui ſine probabili cauſa eo nomine eſſent, quo fuiſſent illæ familiæ, quas ipſe contingeret.* *Hæreditates libertorum.*

Erat hoc ingens prædæ augmentum; nam cum ante ſemiſſem, hoc eſt, mediam partem hæreditatis vindicaret fiſcus, Nero dodrantem, hoc eſt, nouem vncias ex duodecim, ſeu tres quartas accepit. ſi hæreditas erat duodecim millium, nouem imperator, tria hæres adibat.

§. 2. *Vt ingratorum in principem teſtamenta ad fiſcum pertinerẽt: ac ne impune eſſet ſtudioſis viris, qui ſcripſiſſent vel dictaſſent ea.* *Hæreditates ingratorũ.*

Ingens ſub latrone principe vorago. Omnium præſertim locupletum teſtamẽtis inſcribebatur princeps, quod magnum erat. deinde non parua illi portio aſſignanda, ne priuatis poſtponeretur. Tertio teſtamenta primipilarium, ẽt qui ſub Tiberio teſtamenta feciſſent, vt ingrata reſcidit, ita Suet. c. 38. Erant autem diuites primipilares, quorum hæreditates ille rapiebat. Ex quo patet, eos ingratos eſſe vocatos, quibus ipſe non eſſet hæres.

§.3. Occidere eos à quibus dictus hæres. Hoc Cai inuentũ Suet. *Quo metu iniecto, quum iam & ab ignotis inter familiares & à parentibus inter liberos palam hæres nuncuparetur, deriſores vocabat quod poſt nuncupationem viuere perſeuerarent, & multis venenatas mactas miſit.*

§.4. Jura ciuibus tollere, cogere ita iterum redimant. Suet. *Negabat iure ciuitatem Romanam vſurpare eos, quorum maiores ſibi poſteriſque eam impetraſſent, niſi filii eſſent. Neque enim intelligi debere poſteros vltra hunc gradum. Prolataque diuorum Iulii & Auguſti diplomata, vt vetera & obſoleta deflebat.* *Iura ciuiũ iterato redimi iuſſit.*

Plus in eo lucri fuit, quam quiſquam etiam rerum Romanarum gnarus intelligere queat; nam hoc in cenſu, erat Romanorum pars ſi non maxima, certe ingens, & multarum myriadum quæ donatione, aut emptione, non ortu eam habebant. magna autem ſumma emebatur præſertim ſub illo prædone, & ab aliis, qui iam ea fruebantur; nec tutum erat non iterato emere, quod poſſidebant, ne & vitam ipſam perderent.

§.5. *Arguebat & perperam editos cenſus, quibus poſtea quacunque de cauſa quicquam incrementi acceßiſſet. Teſtamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque ſe hæredem reliquiſſent, vt ingrata reſcidit: item cæterorum vt irrita & vana, quoſcunque quis diceret hærede Cæſare mori deſtinaſſe.* *Reuocare editos cẽſus.*

Cur vero illud? Quia multis multa acceſſerunt, fraudem vero in edito cẽſu feciſſe, aut morte, aut exilio, vel libertatis amiſſione, certè publicatione puniebatur; conſidera in tanta multitudine decem millibus hominum aliquid acceſſiſſe, tot igitur patrimonia monſtrii illius vna calumnia, ſed exquiſitiſſima calumnia, deuorauit.

§.6. Cognitio relata ad lucrum. Suet. *Cognoſcebat autem de talibus cauſis, taxato prius precio, mora impatiens, ſuper XL. reos quondam ex diuerſis criminibus vna ſententia condemnauit, gloriatuſque eſt ex pergefactæ ſomno Cæſoniæ, quantum egiſſet dum ea meridiaret.* *Sententias vendere.*

Quadraginta enim hæreditates vno elogio adeptus eſt, & vt videtur luculentas; nam diuitibus tum calumniæ ſtruebantur; deinde credibile eſt ſplendidos fuiſſe reos, quib. iudicandis ipſe Caligula ſederet.

§.7. Cogere vt res viles immenſo emant. Suet. *Auctione propoſita, reliquias omnium ſpectaculorum ſubiecit & venditauit: exquirens per ſe pretia, & vſque eo extendens vt quidam immenſo coacti quædam emere ac bonis exuti, venas ſibi inciderent. Notare eſt, Aponio Saturnio inter ſubſellia dormitante, monitum à Caio præconem ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem ſibi præteriret: nec licendi finem factum quoad 13. gladiatores H-S. nonagies ignoranti addicerentur.* *Emptiones iniquos inſtituere.*

§.8. Omnes fraudes venditioni admiſcere. Suet. *In Gallia quoque, cum damnatarum ſororum ornamenta & ſupellectilem, & ſeruos atq; etiam liberos immenſis pretiis vendidiſſet, inuitatus lucro, quicquid inſtrumẽti veteris aulæ erat, ab vrbe repetiit, cõprehenſis ad deportandum meritoriis quoq; vehiculis, & piſtrinenſibus iumentis, adeo vt panis Romæ ſæpe deficeret, & legatorum plerique, quod occurrere abſentes ad vadimonium nõ poſſent, cauſa caderent. Cui inſtrumento diſtrahendo nihil non fraudis ac lenocinii adhibuit: modo auaritiæ ſingulos increpans, & quod non puderet eos locupletiores eſſe quam ſe: modo pœnitentiam ſimulans quod principalium rerum priuatis copiam faceret.* *Omnes fraudes mercatorias vſitare.*

§.9. Litium ſummas defalcare. Suet. *Pro litibus atq; iudiciis vbicunq; conceptis, quadrageſima ſummæ de qua litigaretur, nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium conuinceretur, defalcabat.* *Litium partem ad ſe trahere.*

Quanta illa præda omnium in tãto imperio litiũ? fuere illa tẽpora litibus refertiſſima, inter maximos, & ditiſſimos, vt ſummam omnium rerum litigioſarũ magno regno æqualem fuiſſe non immerito putem. Imo nunc quoq; ita eſſe puto, quadrageſimam ergo alicuius regni partem ea lege rapiebat.

§.10. Omnia lucra turpia ſequi. *Ex gerulorum diurnis quæſtibus pars octaua, ex capturis proſtitutarũ quantum quæq; vno concubitu mereret. Additumq; ad caput legis, vt tenerentur publico, & quæ meretricium, quæue lenocinium feciſſent, nec non & matrimonia obnoxia eſſent.* *Lucra turpia.*

Parua dictu res, ſed ob gerulorum multitudinem toto imperio magnum vectigal. De capturis dicere pudor vetat. nec dubitare tamen quiſquam debet, in cæca gentilitate, in tanta morum corruptione ſub Auguſto, Tiberio, Caligula potuiſſe ex ſceleratorum libidinibus multas legiones ali. Corinthi in ſolo Veneris templo quatuor ſcortorum millia merebant. Sed præſtat hanc Camerinam immotam eſſe.

§.11. Hæc indicere, nec proponere, vt ignorantia legis peccetur. Suet. *Huiuſmodi vectigalibus indictis, neq; propoſitis cum per ignorantiam ſcriptura multa commiſſa fierent,* *Ignaros legis multare.*

rent, tandem flagitante populo Romano proposuit quidem legem, sed & minutissimis literis & augustissimo loco, vti necui describere liceret.

Hæc indicta sunt, nec tamen proposita, executionem tamen fuisse præsentem, & pœnas committentibus in legem, ostendit efflagitatio. sed reliqua Caligulæ videamus.

§. 12. Lupanar domesticum erigere. Suet. *Ac ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit: distinctisq; & instructis pro loci dignitate compluribus cellis, in quibus matrona ingenuique starent.* Misit circum fora basilicas nomenclatores ad inuitandos in libidinem iuuenes, senesq;: præbita aduenientibus pecunia fenebri, appositiq; qui nomina palam subnotarent, quasi aduuantium Cæsaris reditus.

Aleâ & periurio lucrabatur.

§. 13. Alea ludere, peierare. *Ac ne ex lusu quidem aleæ compendium spernens, plus mendacio atq; etiam periurio lucrabatur.*

Rapere.

§. 14. Locupletes confiscare. *Et quondam proximo collusori, demandata vice sua, progressus in atrium domus, cum prætereuntes duos equites Romanos locupletes sine mora corripi confiscariq; iussisset, exultans rediit, gloriansque nunquam se prosperiore alea vsum.*

Stipem cogere.

§. 15. Stipem cogere. *Filia vero nata, paupertatem, nec iam imperatoria modo, sed & patria conquerens onera, collationes in alimoniam atq; dotem puellæ recepit. Edixit & strenas ineunte anno se recepturum: stetitque in vestibulo ædium Calend. Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.*

§. 16. Delectus acerbissimos agere; id quoq; fecit Caligula, & vsitatum erat, eos adolescentes ad nomina adigere, qui vacationem magno essent empturi. Neque eas artes nunc ignorant illi, qui rusticanos in arma cogunt.

Omnia delicta facere maiestatis.

§. 17. Neronis illa lex quantas rapinas effecit. Tum inquit Sueton. vt lege maiestatis facta dicta q; omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur. Suet. cap. 32.

Immane quam lex illa barbara, nam & vita priuabantur ob omnia dicta, nō modo facta, & quod auarus, & egens tyrānus quærebat, bona fisco cedebant.

Aurum coronarium.

§. 18. *Reuocauit & præmia coronarum, quæ vnquam sibi in certaminibus ciuitates detulissent.*

Itaque quod semel amice datum erat, quasi debitum, iterum reuocat. De coronis, & auro coronario Lipsius eruditissime l. 2. de magnitudine Romana c. 9 primo ducibus victoribus honoris causa datum est, deinde seuere exactum, & varijs collatum occasionibus, non ad solum triumphum constat ex eodem Lipsio; nam Sullano funeri bis mille collatæ fuerunt. Neroni autem in certaminibus theatricis magni precij coronas omnes vrbes miserant. Has repetit, vel aurum earum.

§. 19. Per calumniam spoliare officinas mercatorum. Suet. *Et cum interdixisset vsum Amethystini ac Tyrii coloris submisissetq;, qui nundinarum die pauculas vncias venderet, præclusit cunctos negotiatores.*

Quantum hoc spolium fuerit, is cogitare poterit, qui Romanas nundinas æstimauerit.

§. 20. Ob vnum delictū bonis exuere diuites. *Quin etiam inter canēdum animaduersam matronam è spectaculis, vetita purpura cultam, demonstrare procuratoribus suis creditur, detractamq; illico non veste modo, sed & bonis exuit.*

§. 21. Omnes magistratus intermedios ad rapinas impellere. Suet. *Nulli delegauit officium, vt non adiceret, scis quid mihi opus sit: & hoc agamus, nequis quicquā habeat.*

§. 22. Suet. *Vltimo templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro vel argento fabricata conflauit, in his penatium deorum, quæ mox Galba restituit.*

Mendicare.

§. 23. A sociis emendicare pecunias: ita Julius in Hispania. Suet. c. 54. *Abstinentiam neq; in imperiis, neq; in magistratibus præstitit. Vt enim quidam monumentis suis testati sunt, in Hispania à proconsule, & à socijs pecunias accepit emendicatas in auxilium eris alieni.*

Diripere oppida.

§. 24. Sine causa oppida diripere. Suet. in Julio. *Et Lusitanorum quædam oppida, quamquā nec imperata detrectarent, & aduenienti portas patefacerent, diripuit hostiliter. In Gallia fana templaque deum donis referta expilauit: vrbes diruit, sæpius ob prædam quam ob delictum: vnde factum vt auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale, per Italiam prouinciasq; diuenderet.*

Furari.

§. 25. Furari. Suet. in Julio. *In primo consulatu tria millia pondo auri furatus è capitolio tantundem inaurati æris reposuit.*

Vendere res alienas.

§. 26. Vendere aliena. Suet. *Societates ac regna pretio dedit: vt qui vni Ptolomæo propè sex millia talentorum suo Pompeijq; nomine abstulerit.*

§. 27. Sine prætextu rapere. Suet. *Postea vero euidentissimis rapinis ac sacrilegijs, & onera bellorum ciuilium & triumphorum ac munerum sustinuit impendia.*

Nō soluere.

§. 28. Creditoribus nō soluere. ita Vitellius: vt narrat Dio Nicæus. *Deinde cum tanta militum manu conscendere in Capitolium, quem nemo ante videre poterat in foro propter multitudinem creditorum: postremo coli ab omnib. quem nē amplexari quidem libenter voluerat quisquam: tenere non poterant quin riderent. Cum autē ij qui ei proficiscenti in Germaniam grandem pecuniam crediderant, instarent, eumq; vix datis fideiussoribus dimitterent, tunc non modo non ridebant, sed etiam eum misericordia permoti occultabant. At Vitellius requisitis postea creditoribus dicebat se reddidisse salutem pro credita pecunia, reposcebatq; tabulas contractuum. Crebro veniebat in theatra, vt ad se plebis animos alliceret. Cœnabat familiariter vna cum optimatib. vt eos sibi maiorem in modū deuinciret. Sæpe mentionem faciebat veterum sodalium, eosq; habebat in honore. Neq; enim turpe aut indignū se putabat, si aliquem ex ijs agnoscere videretur: quod pleriq. faciunt, qui elati maximis & insperatis honoribus oderunt eos à quibus se intelligunt humiles antea & abiectos cognitos fuisse.*

§. 29. Amicos hostiū proscribere. ita Seuer. Cum n. Albinum superasset, militum & ducum eius amicos proscripsit, *tantūq; pecuniæ filijs reliquit, quantū nemo alius.*

Milites exhaurire.

§. 30. Militem ipsum habere vectigalem. Tac. modum innuit. *Namq; gregarius miles, vt tributum annuū pēdebat. Pars manipulis, pars per cōmeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolueret, neque modum oneris quisquam, neq; genus quæstus pensi habebat. Per latrocinia & raptus, aut seruilibus ministerijs, militare otium redimebat. Tum locupletissimus quisque miles, labore ac sauitia fatigari, donec vacationem emeret. Vbi sumptibus exhaustus, socordia miser elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro strenuo, in manipulum redibat. Ac rursus alius atq; alius, eadem egestate ac licentia corrupti ad seditionem & discordias, & ad extremum, bella ciuilia ruebant.*

§. 31. Pactum cum Piratis societatemque habere. ita solet Prorex Algeriæ.

Turcarum tyrānis præcipua in administros.

§. 32. Occidere eos, qui magistratus gesserunt. Turcarum imperator hoc in more habet. Præcipua eius sunt ex cōfiscationib. & donatiuis. ita Thesaur. polit. de Turcarū imperio. *Et si autē ordinarii in Turcico imperio reditus eam quam diximus summā non excedunt, credi tamen vix potest, quantū extra ordinem Principis ærario accedat, præcipuè ex confiscationibus & donatiuis. Bassæ enim aliique ministri Turcici subditorum sanguinem & fortunas tāquam hirudines exsugunt, & thesauros accumulant inæstimabiles: qui tandem vt plurimum, fisco Principis cedunt. Ibrahimus Bassa Alcairo sexagies centena aureorum millia, id est, sex milliones auexisse fertur. multo maiorem summā sibi acquisiuerat Mahumetes Vezir. Ochialis præter alias immensas diuitias tria mancipiorū millia habebat. Selymi II. soror Sultana quolibet die percipiebat bis mille & quingentos zechinos siue coronatos, capitq; ad peregrinorū cōmoditatē Aquæductū ab Alcairo Mechā vsq; perducere. Opus profectò incredibile. Sultano facile est causā aliquā inuenire cuiq; p libitu vitā cū fortunis auferēdi. Iā & Donaria magna sunt & immēsa. Nullus n. legatus eū adire ausit*

ausit sine dono. Nemo munus aliquod aut dignitatem consequi potest, nisi pecunia interueniente. Nullus à prouincia cui præfuit, aut ab expeditione quã fecit, vacuis manib. in tanti Principis conspectum venit. nec vero tanto Principi titiuillitia donantur, aut teruncii. Moldauiæ, Valachiæ, Transyluaniæ, Vaiuodæ Principatus suos donatiuis redimunt & seruant. Et Moldauiæ quidem & Valachiæ Principes sæpissime mutantur. Dantur enim ii Principatus plus offerentibus: qui vt promissa exoluant, non tondent sed deglubunt populos, & prouincias ad inopiam redigunt. Vidimus nihilominus superiori tempore bello Persico Turcarum exhausta æraria, & thesauros propè omnes consumptos. Proximis annis & Constantinopoli & in vniuerso imperio Turcico auri precium supra quam credi potest, auctum fuit, ita vt aureus nummus duplo plus quam prius valuerit. Ipsa insuper auri & argenti materia sic fuit adulterata, vt Ianizari occasione hinc arrepta, ignem Constantinopolitanæ vrbi iniecerint & ingentem non ciuibus solum, sed ipsi etiam Sultano incusserint pauorem. Tunc quidem Sultani nomine à mercatoribus Alepiensibus 60. aureorum millia mutuo erant petita.

Honores vẽdere.

§. 33. Honores & sententias vendere. ita Vespasianus Suet. cap. 16. *Sola est in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus omissa sub Galba vectigalia reuocasse, noua & grauia addidisse, auxisse tributa prouinciis, nonnullis & duplicasse, negotiationes quoque vel priuato pudendas propalam exercuit, coëmendo quædam tantum vt pluris postea distraheret. Nec candidatis quidem honores reisue tam innoxiis, quam nocentibus absolutiones venditare cunctatus est.*

§. 34. Diuitum possessiones vendere. Dio in Caligula. *Ibi publicum crimen fuit diuitem esse: atque horum possessiones cum venderet ipse, inde multo maiorem pecuniam redegit, quod omnes cogebantur pluris, quam res essent, emere.*

CAPVT XX.

Nobilitatis defensio principem potentem facit.

De nobilitatu diu disputatum.

§. 1. MVLTVM est olim, & nunc agitata quæstio, An potenti principi expediat; nullum sub se habere principem potentem; nobiles & plebeios indistinctos, ita vt sola nobilitas sit honoratum esse à rege. An vero natæ nobilitatis ratio ducenda? Nec verbo duntaxat disputatur, sed re ita geritur, vt dissensio regnantium ostendit. Vt alia taceamus; in Europa pleraque per nobilitatem aguntur, seruaturque præsertim in Germania matrimoniorum seria distinctio. At è contrario Turcarum imperator omnes etiam supremos Bassas tanquam mancipia habet; nec vlla nobilitas agnoscitur, nisi gratum esse Domino, quæ proprie est felicitas serui, cum enim totus sit Domini, & vsu, & possessione, nulla re alia, quam eius beneuolentia niti potest. Hæc igitur administratio multis placuit, & tutum est visum, post principem omnes esse seruos, aut pares, nullum cẽseri nobilem, quod etiam apud Sinas obtinet. Si non sint nobiles, nullum fieri; si sint, eos sensim in ordinem redigere. De isthoc igitur negocio meam quoque sententiam proponam, vt quid in his imperandi varietatibus sequendum sit, manifestum reddatur.

Nobilitas Turcarum, seruitus est.

Nobilitas virtutis est.

§. 2. Non ignoro nullam Appietatem, aut Lentulitatem virtuti anteponendam, nobilitatem esse solam atque vnicam virtutem. *Omnes pari sorte nascimur sola virtute distinguimur*, vt monet Minut. *Qui genus iactat suum, aliena laudat.* Quod optimum est, idem nobilissimum; imo recte Euryp. πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσὶν κακοί. *Multi nobiles sunt improbi.* Quare & optime Nazianzenus.

Κακὸς δ' ἀκούων, αἰσχύνεσθαι δὲ σιγᾶν,
γένος γὰρ εἰσὶν οἱ πάλαι σεσηπότες.

Si improbus audias, non, si ignobilis, erubesce, Genus enim quod putatur, sunt illi, qui olim putruerunt; forte qui fures, adulteri, latrones fuerunt. ἀδὲ ἴσον ταχὺν ποιεῖτὸ ἐκ πὼν ταχυτάτων φῦναι. *Neque equum pernicem facit, ex pernicissimis ortum esse.*

Omnium genus est lutum.

Aureum itaque præceptum Agapeti est. ὁπὶ πεζόνων εὐγενεία, μυδεὶς ἐναβρεύεθω. πηλὸν γὰρ ἔχεσι πάντες ὁμῶς πεπάτοις. καὶ οἱ ἐν πορφύρᾳ καὶ βύσσῳ καυχώμενοι, καὶ οἱ ἐν πενίᾳ καὶ νόσῳ τεθραμμένοι. καὶ οἱ διαδήματα πεφορεικέμενοι, καὶ οἱ ῥάκη πεφορημένοι. μὴ τοίνυν εἰς πήλον ἐγκαυχώμεθα, γῆ γὰρ ἀλλ' ὅπη χρὴ σὺ μνονόμεθα τεθνῶτες. *Maiorum nobilitate ne quis insolentius se efferat. Omnes enim limum habent generis auctorem, tam qui purpura & byssо magnifice & gloriose vestiuntur, quam qui egestate & morbis atteruntur: tam ii, quibus diademata sunt imposita, quam qui ante domos positi versantur custodiæ causa. Ne igitur nos de luteo genere iactemus, sed morum innocentia probitateq; nos venerabiles præstemus & commendemus.*

Quanti itaque sit nobilitas non disputo, sed hoc quod ad rem pertinet; An expediat nobilitatem foueri, ad dignitates prouehi, plebeis neglectis, an vero premenda sit, & plebei tollendi in altum, atq; omnia adæquanda.

§. 3. In Republica Turcica tantum sunt distinctiones officiorum, cætera seruilia, adeo vt ipsæ imperatoris concubinæ non cẽseantur liberæ, & præcipuum robur sit penes infimos. In Romano imperio præter officia sunt dignitates hæreditariæ, vel electiuæ.

Nobilitas imperii Romani.

Ordo nobilitatis est; dux, comes, baro, nobilis. Nobilitatis, inquam, non dignitatis, nec officiorum. Nam imperatorum nobilitas infra ducis esse potest, deinde dignitas electorum, archiducum, nõ sola nobilitate definitur. Comitum quoque dignitas diuersa est, alij comites simpliciter, alij Marchiones, alij Lãdgrauij nominantur. Ex nobilibus genere atque etiam alijs equites aurati fiunt, cum in prælio se fortiter gesserunt: tum enim dignitatem illam consequuntur. Ex his Barones fiunt, virtutum, & potẽtiæ respectu; Qui primo prælio se heroicè gessit, creatur nobilis, qui altero tribunus militaris, ex tertio baro. Deinde comes, Marchio, Landgrauius, dux, rex. Quod vero aiunt, nobilem oportere esse diuitem, equitem etiam ditiorem, tribunum militarẽ vero debere posse suo stipendio turmam 50. nobilium educere, Baronem oportere iurisdictionem infimã, mediam, & bassam, ac quatuor nobilium castra, comitem Marchionem tres Baronias, Landgrauium quatuor baronias in vno ducatu. Vicecomitem, seu principem comitem quinque comitatus, ducem oportere habere quatuor comitatus principales, & cuilibet adiunctum comitatũ, aut baroniam, id sane non obseruatur. Rex coronatur si quatuor ducatus habeat coniunctos, & in vnoquoq; quatuor ciuitates, in quas nemo alius habeat iusvllũ, in his vrbibus archiepiscopum vnum, & sub quatuor archiepiscopis, prouincias Episcopales quadraginta. Verum ista nec firmo iure, nec consuetudine recepta sunt. Inter hos non est nobilitatis paritas, Imperator est enim fõs nobilitatis c. de decuri. L. Imperatores, & ducum genus maius est comitum. Est igitur nobilitas quasi noscibilitas, nimis arcte à Græcis dicta εὐγένεια, quod bene nati sint; nã nobilis esse potest, qui virtute primordia stirpi suæ dedit, qui honores gessit, qui sine administratione per honorarios codicillos illam consecutus est. Nec enim in posteris est solummodo, sed crebro in prima radice melior; nam posteri interdum, nihil à maioribus, quam imagines habent, virtutum, & rerum inanes; quorum nobilitas poetæ veteri vilior alga est.

Imperator ex stirpe ignobili nobiles facit.

Nobilitas fouenda, & augẽda est.

§. 4. Agendum hoc est Regibus & principibus, vt minores principes, regulos, comites, nobiles habeant, quorum opera domi, militiæque perpetua vtantur; hoc est enim firmum Reipub. præsidium; cum in-

ter Regium apicem, & ancillæ filium, quæ sedet ad molam, non est medius quisquam, magnus hiatus est, hosti opportunus. Rationes meæ sunt, vt in his esse possunt, validæ.

Respublicæ bene institutæ nobilitatē coluerunt.

Prima ratio. Rerumpublicarum recte conditarum omnium ea forma fuit, vt nobilitati esset sua dignitas. At in Republica versanti, deque ea disputanti magnum hoc momentū esse oportet; non enim Platonicam, aut Idealem ciuitatem instituo, sed qualis esse potest, & solet.

Certe num. 1. 16. lego ex recenti seruitute nobilissimos principes קריאים *vocatos*, & Deut. 1. 15. nobiles ירעים *notos*, itaque hinc statim nobilitas in eadem gente, domoque. Samuel 1. Reg. 9. 6. vocatur vir ἔνδοξος נבבר honorabilis, grauis. Sic Psalmo 149. 8. Job. 14. 21. Prouerb. 31. 23. Isa. 3. 5. & 5. 13. & 34. 12. Jerem. 39. 6. quin & Joseph nobilis decurio laudatur Mar. 15. 43 εὐσχήμων βουλευτής. Verum de nomine ne laboremus. Quoties audimus principes Israël, viros nobiles & optimates intelligere oportet. Erāt & principes Ægypti magna dignitate, pariq; modo Persarum, & ante eos Medorum. De Romana Republ. clarius est, qui sero in Monarchiam desijt. Nabuchodonosor annos septem bestiæ vitam agens tandem restitutus est regno, optimates mei inquit, & magistratus requisierūt me, Dan. 4. Seruili non erant ingenio, qui annos septem amisso rege omnia gubernarunt. De Medorum Monarchia clarissime constat ex Dan. cap. 6. v. 12. & v. 15. præcipue v. 7.

Europæ nobilitas.

Macedonum regnum multos, & magnos principes, nobilesque habuit. Nec fere aliter in Græcia libertatis amantissima regione; Athenis vt refert Plutarchus in Theseo ea distinctio fuit, nobiles enim εὐπατρίδας nominauit, & magistratuum gerendorum curam demandauit. Nobilitas Germaniæ vnicum Cæsaris est fulcrum, & si cōcordia esset, ex ea aliquot millia equitum selectissimorum celeriter habere posset. Eoque res deuenit, vt sine nobilitate nihil etiam principes possint. In Gallia bella gerunt, Rempublicam administrant, in Hispania eorum sunt etiam præcipuæ in tam vasto imperio partes, creuitque mirandum in modum nobilitas tot ducum, comitum, præfectorum, nauarchorum officijs aucta, vt nisi noui nobilitate donati in subsidium venissent, antiqua nobilitas tantis negocijs impar fuisset.

Britanniæ regnum etiam nobilitatis labore, curaque stetit, sed præcipue Poloniæ, vbi nobilitas populosissima est, & magnæ in Republica eminentiæ. Venetos fouere nobilitatem non est mirum, Aristocratiam enim habent. Nulla nauigatio sine nobilium comitatu permissa. *Lege Venetorum* inquit Gregor. Tolos. l. 4. cap. 2. §. 13. *etiam ab antiquo ad hæc vsque tempora seruatum, vt Galeariæ seu triremis cuiusque nauarcha, octo nobilium pauperum filios, ad quamcunque partem proficiscatur, cum septuaginta nummorum aureorum stipendio secum ducat. Illisque victui necessaria, qualia nobiles habere debent, impertiatur: simul vt aromatum libras quatuor mille sine nauali alicuius solutione & gratuito, singulis importare permittat. Veruntamen per senatus suffragia, hi nobiles de multis pauperibus supplicibus deliguntur.*

Magnum est hoc nobilitatis priuilegium, quare hoc magis mihi mirum videtur apud eos nobiles esse pauperes, tanta ditescendi occasione.

Quod omnes bonæ Respubl. tuentur, bonum est.

Hæc cum ita sint, defendenda, augendaq; est omni modo nobilitas, nec ferendi politici, qui aliud suggerunt, boni enim viri est, eum statum Reipublicæ, qui est, tueri, & si non esset, suadere.

Tyrannis exosa nobilitas.

Secunda ratio. Ex contrario si mores Rerumpublicarum turbatarum, aut pereuntium aspiciamus, ijs odiosam nobilitatem animaduertemus, qui tyrānidem vnius, vel confusionem multorum moliuntur inducere. Eminentes spicas tollere vetus est scitum tyrannidis. Nec Turcæ maior cura est, quam vt in occupatis regionibus nobilitatē exscindat. Romæ quoque qui libera Republica seditiones mouerunt, id institutum habuerunt, vt nobilitatem opprimerent. Postquam vero lege regia ad vnius arbitrium res illa recidit, nemo in senatum crudelior fuit illis, qui tyranni importunissimi extiterunt. Adeo vt quosdam impetus cœperit vniuersi senatus delendi. Causa cur tyrannus oderit, princeps legitimus amet nobilitatem, est duplex, ex diuerso vtriusque proposito. Tyrannus metui vult, alios esse seruos æquum arbitratur, iuxta illud; *memento tibi omnia, & in omnes licere.* huic præcipue obsistit nobilitas, quam ideo timet, & veretur. Neque enim generosæ mentes, & militares seruiliter subiici patiuntur; neque potest tam impudens esse tyrannus, vt de sceleribus apud graues, prudentes, magnates nō erubescat. Cum autem esse nolit, quos vel timeat, vel erubescat, nobilitatē è medio sublatam cupit. Princeps vero, quia iuris & æqui seruator esse decreuit, nobiles viros amat, tanquam fidissimos iustitiæ aduocatos, in conspectu Pœtorum, Thrasearum, Corbulonum, Senecarum gubernationem ponit; Deinde ipso principatu honorificentius esse ducit, administrationem suam tantorum virorum testimonio, atque approbatione firmari. Hinc magnifica, & regia illa edictorum præfatio. De principum agnatorum, nobilitatis, & consiliariorum nostrorum iudicio statuimus &c. Nero Senecam occidit, ne vitam turpem magistri verecundia oneraret. Magna auctoritas viri boni & magni apud animum deploratum. Famam humani generis præsentem, & posthumam contemnere Nero potuit, conscientiam suam supprimere, adulationes vitiorum omnium lenas audire didicerat, vni Senecæ erubuit.

Perditissimi tyranni magnates reuerentur.

Leges in cō. munisunt, non vero in raro cōtingentibus.

Ratio tertia. Bello nobilitas necessaria est; sine ea nec fides, nec fortitudo, nec prudentia bellica præstatur. Non nego aliquos esse, qui bello pepererint sibi nobilitatem, sed nego diuturnum id esse; Respublica autem ita instituenda est, vt inter magnorum, mediocrium, infimorum, magna, & mediocria vitia consistat, nec vnius casu pereat, quemadmodum factum est Thebis mortuo Epaminonda.

Seruorum infida & infirma manus.

Fidem supra omnes gentes patriæ præstiterunt Romani, idque tribunorum, primipilarium, equitum, hoc est, nobilium, præsidio. Seruiles dexteræ haud facile toto periculo pro Domino pugnant. 1. Non acquiritur illis quicquam, nisi forte tolerabilior seruitus. 2. Crebro etiam duriorem Dominum experiuntur, cum victoria superbiens, eos quorum vulneribus vicit, acerbius & contumeliosius tractat. 3. Qui seruiliter educati sunt, nec nominis, nec generis bonum æstimant, facile igitur metu vel precio vincuntur. Itaq; hac in re vel maxime Turcæ errant, omnes enim metu, nemo spe, aut caritate Domini pericula subit. At vero vbi nobilitatis decus in dignatione est, accipiendæ, cōseruandæ, augēdæ prosapiæ cupiditate in mortem ruunt. Documentū huius rei præbet, quotidiana nobilitatis vitiosa illa quidem, sed ad id quod proposui ostendendum, apta pugnacitas. si nobilem mendacem, infidelem Domino suo, nebulonem, imbellem, timidum, fugacem appelles, sine mora ad duellum prouocant, gladio litem secāt, prouocatum tergiuersari turpe ducunt. Vnde hoc tantum famæ, honorisque desiderium? Ex auita institutione, vitæ militaris disciplina, in qua summum flagitiū est perfidia, & timiditas. Hinc illi in acie stare; ordines deserere, læsis non succurrere contra honorem suum arbitrantur, maiorque est decoris, & fidei, quam vitæ cura.

Furtis, mēdacijs, flagris assueti serui, non facile periculo sunt constantes.

Fidem igitur nobilitas seruat, ac proinde fortis est; nam

Fides, & fortitudo in nobilitate.

nam duo illa in bello semper sibi mutuo hærent, nemo rebus in arduis, inter volantia pila fidem seruat, nisi fortis, & nemo fortiter pugnat, supraque pericula fertur, nisi cui constitutum est, fidem, & iusiurandum nec morte proposita violare.

His igitur rudimentis instituta nobilitas prudentiam militarem etiam præ cæteris excolit, est enim hoc eius quasi opificium, quo Reipublicæ nauat operam. Nec aliud sentiunt qui nostro sæculo cautissime gerere bella censentur Hollandiæ status, bello enim nobiles, barones, comites, præficiunt, cum tamen cõsilium domesticum & togatum hominum plebeorum habeatur.

Quare insolentes, & auari.

Ratio quarta. Qui subito, nulla spe nobilitatis permanentis ad dignitates perueniunt, facile insolentia efferuntur, & impotenter in omnibus se gerunt, opes tanquam semel data occasione colligunt cupidissime; nec vlli ditiores libertis fuere. Crassus dives habitus est. *Ex eadem gente*, inquit, *Plin. l. 33. c. 10. M. Crassus negabat locupletem esse, nisi qui reditu annuo legionem tueri posset. In agris suis sestertium CIↃ CIↃ. possedit, Quiritum post Syllam ditissimus. Nec fuit satis, nisi totũ Parthorum esurisset aurum: atque vt nomen quidem optimi occupauerit (inuat enim insectari inexplebilem istam habendi cupidinem) multos postea cognouimus seruitute liberatos opulentiores, pariterque tres Claudii principatu, Pallantem, Callistum, & Narcissum.* Ecce ditissimi Romanorum serui, vnde nisi ex rapinis? Multi tales fuêre, sed hoc peculiare sub vno Claudio tres fuisse, & hoc agente Claudio. De Rufino, Eutropio, alijs non est opus quicquã agere. Hodierna tempora nobis ignobilium census per administrationẽ Reipublicæ auctos ostendũt.

Ignobiles quomodo censum augeant.

Quæ res vt intelligatur, proponam verba Politici nostri temporis famosissimi Ioannis Barneueltij Statuum aduocati. Is in Apologia ita scribit. *Ex his quinq; regis legationibus & tractatibus accidit, vt prædicti Reges statibus vniuersim plus ducenties & quinquagies centena millia librarum suppeditarint; quarum solutione confœderatæ prouinciæ (me potissimum augurante) absolutæ sunt, obligationesq; cum oppignoratis ciuitatibus atq; arcibus restitutæ.*

Et: *Cum adirem officium meum, summis laboribus ac difficultatibus Domini Status Hollandiæ & Frisiæ Occid. constare vix poterant decies octies centena fl. millia annue, pro generalitate ad belli onera sustinenda: at in præsens soluunt plus minus bis & quadragies centena millia librarum. Sed hic notandum est, quod grauamina belli in his 32. annis, quibus in officio fui, tanta tamq; enormia fuerint, vt necesse vobis sit in præsens amplius pro oneribus solius Holandiæ & Frisiæ occid. comparare, quam anno 1586 potuerit colligi, tam pro oneribus generalitatis, quam pro Hollandia & Frisia orientali in particulari; videl. plus quam duos milliones fl. in annos singulos. Qui nihilominus præter antedicta 42. centum millia librarum è Patriæ prouentibus deducuntur & soluuntur. Et quamuis expediat magis grauare Patriam quam amittere: sapienter tamen ac prouide animaduertere oportet (quemadmodum Collegia Summi & Prouincialis Concilii & rationem præfecti anno 1604. scripto docuerunt) dum vltra prouentus excrescunt onera. Prouincias necessario tandem ad extremam delabi ruinam. Et si postremis decem annis pares sumptus faciendi fuissent, cum iis qui annis decem præcedentibus facti sunt: facile solius Holandiæ & Frisiæ occid. onera hoc tempore circa quatuor milliones florenorum annuatim absumpsissent. Cui malo (aliis multis præuisis æque ac incognitis periculis ac molestiis præteritis,) inducarum confectio medicinam adhibuit.*

In his ergo patriæ difficultatibus, tantoque ære alieno, an existimas eius rectoribus opes esse imminutas? Vide quid ille narret.

1. Tantum se bonorum habuisse ab vxore, vt facile se alere posset.

2. Ex praxi sua quatuor millia aunuatim initio accepisse.

3. Hæreditatibus accepisse 400. iugera Hollandica, duo millia flor. annua.

4. Iugera quadringenta siccatis paludibus lucri fecisse.

5. In societatem Indicam paulo amplius quingẽtis millibus contulisse.

6. Possessiones coemisse. Animaduerte dum onera patriæ crescunt, celerrima diuitiarum incrementa. Sed in illo tolerabilia ista fuerunt; aduerte quæ sequuntur. *Quod si modo complacitum vobis fuerit in subditorum vestrorum bona inquirere, eaque censere. id ego quidem facile patiar. Compertum namq; habeo, quod ii, qui in Generali censu anno 1599. bona sua vniuersa non pluris quã quinquaginta aut sexaginta millium florenorũ æstimabant, nunc sese duplo me opulentiores esse iactare audeant: qui iidem tamen eodem anno, deteriore affectu iis me annumerarunt, quibus summa contributio persoluenda; & ducentis florenorum millibus censuerunt.*

Ecce vide quid faciunt ignobiles, in extrema patriæ necessitate, quantas opes cumulent, vt mirum non sit pacem odisse, quibus bellum tam felix est.

Primo Barneueltij bona Anno 1599. æstimata sunt 200000. aliorum quorundam 50000. aut 60000. at illi nunc duplũ possidẽt, nempe 400000. Barneueltij bona fuêre anno 1599. ducenta millia: iniq; vt ipse queritur æstimata. Interea sibi parauit multa, vt anno 1618. haberet. præter agros quingenta millia. At alij qui ann. 1599. habebãt 50000. vel 60000. decem & septem annorum spacio tantum compendij fecerũt, vt duplo ditiores essent Barneueltio. Hoc est, haberet mille sexcenta iugera, auri millionem, &c. nam plura habuit Barneueltius, quam agros, & aurum Indicum. Ecce non vni, sed aliquot talibus tantas opes contulit patria, hoc gubernando consequuntur. Atque hæc est præclara illa libertas patriæ, quæ exhaurit ciues, implet agentes in rebus, & pro rebus. Quia enim occasionem mercatores patriæ acceperunt, negotiati sunt, postea alibi caute victuri.

Quinta ratio. Quemadmodum cæterarum in ciuitate artium, ita patriæ defendendæ ab hoste, gubernandæ domi, componendæ quædam debet esse professio, certumque genus hominum, quod in tam præclara exercitatione versetur, hoc est, nobilium, qui ad bella, & regnandi disciplinã erudiantur. Hanc fuisse perpetuam nobilitatis exercitationem omnia monumenta nos docent.

Nobiles olim dicti milites.

Hinc enim nomen Germanicum, vt vocentur nobiles Vom Adel, de aquila, quod victrices aquilas, Romanaque signa sequãtur, & Knaben von Schild/ à Scuto nomen habent, quin præcedentibus sæculis simpliciter milites vocabantur. Militia porro duplex, armata, & pacatior, quæ immunitates, & priuilegia habentium fuit. Ne vero pacis tempore bellicæ exercitationes intermitterent, variis ludis belli simulacra ciebant, hastiludia, seu torneamenta vocabant, quæ propter pericula crebro vetita sunt, si exercitationem sine sanguine habeant, prodesse & excitare viriles animos possunt. Dici nec potest, nec credi, quantum res illa nobilitatem iuuerit, cum præsertim honestissimæ leges certantium ponerentur. Excludebantur enim vno verbo nobiles improbi.

Hastiludicrum leges.

1. Christianæ religionis hostes, aut præuaricatores & apostatæ. 2. Qui reus maiestatis fuisset. 3. Qui virginem constuprasset, aut viduam, & adulteri. 4. Periuri Chirographorum, pactorumque inficiatores, proditores, desertores militiæ, auctores fugæ in prælio. 5. Iniuriosi in subditos, oppressores, homicidæ. 6. Sacrilegi. 7. Viduarum & pupillorum spoliatores. 8. Latrones, Piratæ, Sicarij.

9. Auctores nouorum vectigalium. 10. Qui Reipublicæ detrimento fuissent. 11. Fœneratores, mercatores, opifices. 12. Qui nobiles à proauo non fuissent. Qui aliquo istorum vitiorum notati essent, ad ludicra prœlia non admittebantur, & magnum erat audaciæ, iactantiæ, cupiditatum frenum, illique inter nobiles quodammodo infames erant; hinc ignominia notati, Schelmen dicebantur. Et ordinem amittebant. Quàm autem ad defensionem patriæ faciat, eiusmodi diuites, prudentesque complures esse, quibus ingenita ad bellum indoles, domesticis præceptis, hortamentis; exemplis, æqualium studiis ad iustitiam, fortitudinemque prouehatur, tum solum apparet, cum ad subitos impetus in promptu miles est.

Nobilitas ad subitos impetus parata.

Opus est bello nobilitas.

Sexta ratio. In bello summa est opus auctoritate; cuius causa est prima, quia difficillima præcipiuntur, tenere locum in acie datum, quamuis certo mors incubet, conscendere vallum contra tela hostium, ire in mortem. Altera, quia magnâ opus est auctoritate, vt imperetur armatis. Tribuni vero, centurionesque nobiles plus auctoritatis habent, tum quia claro sanguine, tum quia tota familia in dignitatibus, & cum imperio domi versatur, ab illis etiam plura sperantur, vt felicibus, qui vero conserui sunt, qui omnes ex eadem cellâ, vel ergastulo prodierunt, contumacius parent æqualibus, vel etiam in pace subiectis. Hanc ob causam nobiles duces, & centuriones fere conquirunt. Scitum est illud, tempore Claudij. Narcissus Claudij libertus, quem Roma venerabatur, Senatus pauebat, cum ad milites tumultuantes mitteretur, iam in concionem ascendenti acclamatum est; 10 *Saturnalia*, tanto plus libertatis erat in castris, quam in curiâ.

In vno corpore nõ debet consistere salus Reipublicæ.

Septima ratio. Cum in Republica post principem nemo est in dignitate, aut æstimatione, in vno corpusculo tota Respublica periclitatur; id autem contra rectam rationem est. Perfidum imperium iam senescens nobilitatem corruptam habuit, omnes seruos, omnes adulatores, quocirca occiso Dario, & quidem à suis, nemo restitit; Macedonicum vero, quod multos Alexandros haberet, diu stetit, & multos Reges habuit, quorum singuli potentes fuerunt, & nisi inter se commissi vires attriuissent, singuli æquare Alexandrum potuissent. Ipse Machiauellus nobilitatis inimicus, fatetur occiso Turcarum imperatore, nullum superesse timendum. Et res ipsa docuit; capto Baiazete à Tamerlano, nemo Turcarum de imperio restituendo spem concepit; nam Calepinum Baiazetæ filium, cum profugisset Hadrianopolim, non Turcæ, sed Græcorum proceres infensi Palæologo Imperatori suo armis, pecuniâ, milite instruxerunt, & imperium in exitium patriæ, opprobriumque desperanti dederunt. Erat tamen eo tempore aliqua cura nobilitatis, quæ nunc, cum omnes pariter seruiunt, nulla est. Sed quia veteres historiæ multum auctoritatis habent, gesta Philippi Macedonis, & Alexandri magni Politicus perpendat. Philippus nobilitatem coluit, & ornauit, inde comitati filium sunt in Asiam, & Philippum tamen prætulerunt; nam cum nobilitatem suam Alexander reiecisset, Persisque & victis gentibus se applicuisset, multis periculis iactatus est, deque eius morte principes & tota nobilitas lætata est; nec dubium est, si diutius illis moribus vixisset, deserendum, aut occidendum fuisse. Quanquam potior historiarum auctoritas Babylonio veneno periisse tradat, & constet matrem eius, filium, & totam familiam ab eius principibus interfectam, quia iam viuos eos irritauerat.

Turca occiso nemo resistit.

Octaua ratio. Machiauellus regnum ait facilius teneri, in quo omnes seruiunt. Sed regnum in quo Principum est multitudo facilius occupari. Verum eius discursum proponere, & examinare oportet, miscet enim vera falsis, & tandem omnino fallit. c. 4. in principe. *Admiratione quis duci posset per spectis difficultatibus, quæ haberi videntur, quo super partum imperium retineatur, vnde ortum habuerit, Alexandrum Asiæ paucis annis potitum esse, vixque illo occupato diem obiisse: vnde merito videri poterat, totum illud imperium ad defectionem fuisse prolapsurum, cum tamen eius successores sibi illud conseruarint? Nec vlla alia difficultate ad illud tuendum laborarunt, quam quæ inter ipsosmet præcipua eorum ambitione orta fuit. Respondeo principatus, quorum memoria adhuc extat, duplici, eaque diuersa ratione administratos inueniri: aut vnius principis arbitratu, cuius gratia & permissu reliqui omnes, qui conditione sunt serui, ad regni procurationem veluti administri adhibiti fuerunt; aut principis & procerum consilio, qui non gratia, sed sanguinis vetustate, illum gradum obtinent. Huiusmodi proceres ditiones habent, & qui sibi subiiciuntur, populos, qui eos vt dominos agnoscunt, & quodam naturali erga eos afficiuntur amore. Qui vnius principis ductu, seruorumque ministerio reguntur principatus, illis princeps præest maiori cum auctoritate. Nemo enim in tota prouincia est, qui præter illum superiorem alium cognoscat, & si alii morem gerit, id tanquam administro, adscriptoque facit, nec sunt illi vllo peculiari amore affecti. Horum duorum regni procurandi generum exempla in hac nostra tempora incidunt: Turca & Galliarum Rex: Turcæ tota imperii summa potestas, vnius principis nutu regitur, cæteri conditione serui: atque in præfecturas distributo regno, diuersos allegat administratores, & pro animi sui voluntate abrogat, subrogatque. Verum Galliarum Rex positus est in medio antiquæ multitudinis dominorum, quos agnoscunt populi eius subiecti, & beneuolentia complectuntur: retinent suam authoritatem, quam ab eis Rex sine periculo auferre non potest: Quocirca vtrumque eius generis statum, quo animo reputat, is Turcæ imperium occupaturus difficultates offendet: sed eo deiecto, nulla est difficultas, quomodo retineatur. Difficultatem causæ, quo minus Turcæ imperium occupari possit, in eo verturtur, quod qui illud occupare molitur, haud potest à principibus illius regni eo vocari, nec in spem adduci, eorum, qui illum circumstant, defectione, inceptum facilius effectui reddere, quod ex his, quas attigi superius rationes proficisci videtur. Nam cum omnes sint eius mancipia, eique deuincti, multo difficilius corrumpi possunt: & si quidem corrumperentur, parum tamen inde vtilitatis sperari posset, cum ipsi ex allatis superius rationibus populos secum tractare non possint. Quapropter Turcarum Imperatori bellum illaturo cogitandum est, collectũ se illum inuenturum, & magis proprius viribus, quam aliorum studiis, & seditionibus superandum, eo autem debellato, acieque fusa, sic vt exercitum reficere nequeat, nihil est, quod præter principis stirpem sit præterea timendum: qua extincta, nemo est (cæteris apud populos fide & auctoritate carentibus) de quo quisquam timeat reliquum. Et quemadmodum ante partam victoriam nullam in eis sibi ascisciendis poterat victor spem collocare, ita secundum illam, non est quod amplius de illis reformidet. His contrarium accidit in regnorum (vti Galliarum est) procuratore. Facilis enim tibi ascisceti aliquem ex primariis regiis patebit in illa accessus: in eis enim nunquam non inueniuntur, qui animo offensi res nouas moliri studeant. Hi ob eas, quas supra diximus, rationes, ad illud regnum viam tibi aperire, atq; victoriam expeditiorem reddere possunt, ad quam postea tuendam difficultates iam adsunt pene infinitæ, non modo cum eis, qui tibi fuerunt auxilio, verum & cum illis, quos oppressisti. Non satis habet principis sanguinem extinxisse, supersunt etiam primarii illi, qui nouarum status conuersionum authores sese constituunt, quibus cum sufficere non possis, nec extinguere, illud, quandocunque sese occasio obtulerit, amittis. Nunc si spectes quo in genere administrationum fuerit illud Darii regnum, Turcæ admodum simile inuenies. Hac de causa Alexandrum oportuit in illud totum impetum facere, eumque castris exuere. A qua victoria mortuo iam Dario, secutum illud imperium, ex his, quas supra collegimus causas, ad eum concessit. Successores vero eius, si concordes fuissent, plane otiosi eo frui plane*

Turcæ imperium semel occupatum, non facile amittitur.

plane poterant: nam nihil tumultus in eo subortum est, quam quod ipsimet inter se excitarunt. Verum qui instar Gallici regni sic constituti sunt dominatus, fieri non potest, vt tam pacate possideantur. Hinc crebræ Hispaniarum, Galliarum & Græciæ à Romanis defectiones, quod frequentiores essent in illis principum ditiones, quarum memoria quamdiu viguit, de earum possessione Romani semper incerti fuerunt. At potentia & diuturnitate imperii deleta earum recordatione, securum ius possidendi securi habuerunt. Atque deinde secundum quam quisque illorum sibi in partis prouinciis peperisset authoritatem (etiam inter se bellum gerentes) illarum quoque partem secum trahere potuerunt: idque propterea, quod veteris principis sublata stirpe, quam Romanos agnoscebant neminem.

Regnum igitur in quo præter Regem sunt omnes serui, oppressum semel ab hoste, non potest in se libertatem vindicare. quod fatetur Machiauellus, at Respublica ita instituenda est, in qua habeat fortuna recursum. Quod vero ait difficilius occupari in eo fallitur.

Regna in quibus multi principes difficulter capiuntur.

Hæc enim iam olim experiētia refutauit. Nam regiones in quibus multi principes fuere, non modo difficilius alieni imperii iugum retinent, sed etiam recipiunt. Romani Gallias per multos annos oppugnarunt, & particulatim, nunc hac, nunc illa parte captâ, cum reliquijs bella gesserūt; at Antiocho victo celerrime præcipuam regni partem occuparunt, & trans Taurum regnare iusserunt. Idem quoque in Græcia contigit, nunc Ætoli, nunc Macedones, alias quoque sub Nabide suo Lacedœmon restitit, in Asia victo Antiocho, serui eius, domini post terga sequentis ierunt, serui degeneres. Neque multum referre putant cui seruiant, imo mutationem dominorum optant, mitigationemque seruitutis sperant. Turcarum etiam vires victo sæpe imperatore, non tamen Græciam nisi longo tempore occuparunt, quod principes, etsi non satis, multum tamen resisterent. Nonne idem in Vngaria videmus, cuius maiore parte Turcis prodita, & subacta iam olim, reliqua tamen portio principum, & nobilium virtute resistit, imo & libertatem tuetur, hos tolle, cæteri nil magnæ laudis agentes, pacti agellos suos, & ædiculas magni illius imperij accessio fient.

Seruitus affuunt ad hæredem.

Hungarica nobilitas regnum tuetur.

Quinquam vero modis omnibus eos tyrannus tentauerit, nunquam tamen vicit.

At facile est vnum aliquem principem in suas partes allicere, quod non est in monarchia Turcica expeditum. Hoc igitur sentit, vbi nobiles sunt & principes, facilius proditiones esse & rebelliones.

Serui crebrius proditores, quam nobiles.

Mihi vero secus videtur, nisi Rex in tyrannum mutetur. Nam hominem seruili ingenio, auarum, nullo vinculo principi suo iunctum ad illa facinora impelli posse ratio ostendit, & exempla docuerunt. Quis pecunia Pyrrhum vendidit? quis Darium vulnerauit? Quis tot imperatores perdidit, nonne vt plurimum seruuli? Taceo eos qui cruda adhuc seruitute ciuitatis ab vltimis Romanorū occisi sunt. Imperiorum proditores sunt, Eutropij, Rufini, Stiliones, Andragathij, omnes serui, & è seruis, aut barbaris sordidissimis.

Heu! heu! quam breuibus pereunt ingentia causis,
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Seruatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
Proditor vnus iners angusto tempore vertit.

Principes mutari Remp. cum periculo vix cupiūt.

Proditus est Priamus, proditus Agamemnō, sed à vili adultero, Pompeius magnus ab Eunucho, Roma à Curione, eadem ante à puella, Assuer⁹ ab Eunuchis, Proditores fuere Phryno, & Philocrates Lenones, Eurybatus prodidit Regem Persarū, nam pecuniam ab eo acceptam Cyro tradidit. Vulpinam in duere animorum sordidorum est, nō principum; nam multas habent serui causas infidelitatis, principes vero paucas. Quod si exempla perpendamus, principes, vrbes, regna fere à sordidis, & obæratis prodita intelligemus.

Rebellare & tumultuari non facile possunt, qui sūt omnino obnoxij dominis, vbi imperiū est despoticum; quia desunt vires, nulla est eorum auctoritas, hac itaq; sola ex causa, periculū creari potest illi regi, qui multos habet & potentes principes. Verum si pericula periculis, præsidia præsidiis comparare libet, præferendam principum & nobilium multitudinem intelligemus. Imperator, aut Rex vnus est, eius salus, securitas, potentia in aliorum animo, viribusque consistit, estque semper in aliorum potestate; si principes ex genere lectos non habet, est in potestate infimorum, quorum armis cingitur, qui facile mouentur, & spectant res nouas, quibus ibi fas, vbi maxima merces. Si principes habet, nihil audent infimi; facilius autem insidiæ principum cauentur, quam infimorum, hinc videmus, quamuis fuerint varij in Gallia motus, regum tamen parricidas fuisse homines viles, nec à principib. subornatos. Denique caueri possunt insidiæ; si moderate, si æquabiliter regantur, si non vni omnia committantur, qua de re alibi actum.

Rex semper est in aliena manu, vel principum, vel infimorum.

Nona ratio. Vltimo non omnem nobilitatem, sed gnauam, integram, incorruptam ad societatem imperij adsciscendam censeo. Atq; hoc esse firmamentum imperij, quod que aduersum antiquum nobilitatis malum, superbiam, & iniurias plurimum valet. Nam revera vt arbores ætate deficiunt, ita quædam familiæ longo æuo, nec vigorem, nec puritatem retinent, nec præter insignia quicquam habent, leues, marcidi, stupidi de fortibus & magnis crebro nascuntur. Ea facies erat Romanæ nobilitatis cum Marius peroraret Salut. in Iugurtha. *Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis: quam rem nobilitas egerrime tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, & nullius stipendii; scilicet, vt in tanta re ignarus omnū trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. ita plerumque euenit, vti, quem vos imperare iussistis, is sibi Imperatorem alium quærat. At ego scio, Quirites, qui postquam consules facti sunt, acta maiorum, & Græcorum militaria præcepta legere cœperint, homines præposteri. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re, atque vsu prius est. Comparate nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem nouum. Quæ illi audire, & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi. quæ illis literis, illa ego militando didici. Nunc vos existumate, facta, an dicta pluris sint. Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam. Mihi fortuna, illis probra obiectantur. quanquam ego naturam vnam, & communem omnium existumo, sed fortissimum quemq; generosissimū esse. ac si iam ex patribus Albini, aut Bestiæ quæri posset, me ne, an illos ex se gigni maluerint: quid responsuros creditis, nisi, se se liberos quā optumos voluisse? Quod si iure despiciunt me, faciant idem maioribus suis, quibus vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit inuidere honori meo: ergo inuideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis: quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbia, ita ætatem agūt, quasi honores vestros contemnant: ita hos petunt, quasi honeste vixerint. ne illi fasi sunt, qui diuersas res pariter expectant, ignauiæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, plerique oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores esse putant: quæ contra est. nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. & profecto ita se res habet: maiorū gloria posteris lumen est; neq; bona, neq; mala eorum in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiā patior, Quirites. Verūm id quanto pclarius est, meamet facta mihi dicere licet nūc videte, quam iniqui sint. quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea*

Nobilitas educanda, & virtute formanda.

mea non concedunt: scilicet, quia imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est: quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam, & compositam orationem fore. Sed in maximo vestro beneficio, cum omnibus locis me, vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem, ex animi sententia, nulla oratio lædere potest. quippe veram, necesse est bene prædicet: falsam vita, moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem & maximum negotium imposuistis: etiam atque etiam reputate, num id pœnitendum sit. Non possum, fidei causa, imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorum ostentare: at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia dona militaria, præterea cicatrices aduerso corpore. hæ sunt imagines, hæc nobilitas, non hæreditate relicta, vt illa illis, sed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæsiui. Non sunt composita verba mea: parum id facio: ipsa se virtus satis ostendit: illius artificio opus est, vt turpia facta oratione tegant. neque literas Græcas didici. parum placebat eas discere, quippe quæ ad virtutem, doctoribus nihil profuerunt. at illa multo optuma Reipub. doctus sum, hostes ferire, præsidia agitare, nihil metuere, nisi turpem famam, hyemem, & æstatem iuxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. his ego præceptis milites hortabor: neque illos arte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam. hoc est vtile, hoc ciuile imperium. namque cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, hoc est, dominum, non imperatorem esse. hæc, atque talia maiores vestri faciundo, seque, remque publicam celebrauere. quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum æmulos, contemnit; & omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos, à vobis repetit. cæterum homines superbissimi procul erant. Maiores eorum omnia, quæ licebat illis relinquere, diuitias, imagines, memoriam sui præclaram: virtutem non reliquere; neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me, & incultis moribus aiunt; quia parum scite conuiuium exorno, neque histrionem vllum, neque plurispretii coquum, quam villicum, habeo. quæ mihi lubet confiteri, Quirites. Nam & ex parente meo, & aliis sanctis viris ita accipi munditias mulieribus, viris laborem conuenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam diuitiarum esse; arma, non suppellectilem, decori esse. Quin ergo, quod iuuat, quod carum æstumant, id semper faciant: ament, potent: vbi adolescentiam habuere: ibi senectutem agant, in conuiuiis, dediti ventri, & turpissimæ parti corporis: sudorem, puluerem, & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iucundiora sunt. Verum non ita est, nam vbi se flagitiis dedecorauere turpissimi viri, bonorum præmia ereptum eunt. ita iniustissima luxuria, & ignauia, pessumæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt, Reipublicæ innoxiæ cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi; pauca de Republica loquar.

Qua nobilitate utendum.

§. 5. Hanc nobilitatem non probo. nam improba est; sed Marianæ nostri consilium sequendum statuo. *Erit quidem*, inquit ille l. 4. c. 4. *me auctore, Principi tuenda nobilitas, & aliquid posteris dandum ob præclara maiorum merita: ita tamen, si ad natalium splendorem mores haud dissimiles, industriam, virtutemque ipsi adiecerint. Ignaua nobilitate nihil turpius: qui maiorum gloria tumidi opes hæreditate susceptas in nequitia & leuitate consumunt: consisque auorum laude, ignauia ipsi atque socordia marcescunt, præmia virtutum vitiis adipisci contendentes, virorum fortium locum per nobilitatis fucum segnitia & inertia occupare. dupliciter adeo repellendi à Principe geminoque probro fœdi, quod & se turpitudine contaminent & generis claritatem turpitudine maculent. quo enim clariores aui extiterunt, eo maiori odio digni sunt, qui splendorem nobilitatis libidine & impuritate obscurant. Ac præsertim tanta temeritate & amentia plerique ex eo numero sunt, vt nominibus inanissimis superbientes, obscuro loco natos, quamuis industrios, fortes & strenuos, ita præse contemnant, vt homines esse non putent. multisque honoribus affecti maiora expetunt: omniaque præmia virtuti debita, nobilitati suæ deberi contendunt malis artibus ambitiosi, vacordesque. Sunt præterea non pauca diuitibus concedenda, quoniam magnum Principi præsidium est à pecuniosis hominibus, ad omnem Reipublicæ partem constitutum. multaque mouere possunt, nisi sint Principis beneficio constricti. sed ita demum in pretio habeantur, si bonis artibus studeant, si pecunias opesque ad honestatis studium conferant. Si diuites quamuis omni virtute vacui, præmiis & honoribus augentur, auaritia, insolentia, ignauia in populo sancietur: soloque beatos credent, quorum erit ingens census, ampla possessiones. egeni in sordibus perpetuo iacebunt nulla emergendi spe: Vnde desperatione concepta, concitati in diuites impetum facient. rixæ, contumeliæ, latrocinia existent. Resp. in contrarias partes distracta funditus peribit. Si igitur Princeps suæ dignitati & saluti publicæ seruiri cupit, non opes ingentes, si virtute nudatæ sint, respiciat, non generis nobilitatem fouebit, si fuerit honestatis luce destituta: sed potius virtutem amplectetur & industriam, vbicumque erit: retentaque statuendi libertate nullius hominis inanem fremitum timebit: ad nullius offensionem mouebitur: nullus erit tantis opibus nixus, vel tanta nobilitate clarus, qui leges imperanti imponat, tantumque sibi sumat, vt ab studio ordinandæ virtutis abducere Principem audeat.*

Non tamen illustres familias etiam desides princeps abijciet, sed omni ratione ad virtutem excitabit, & quemadmodum veterum vrbium ita quoq; familiarum conseruationem, & augmenta cordi habebit.

Excitanda nobilitas.

Vtetur vero eâ præcipue ratione, quam Plato maximi fecit, vt, scilicet, pacatis familijs bellicosas inserat; est nobilis familia in oppidis, aut arcibus deliciarum sectatrix, diues tamen, & quieta, ex illa vxorem quærat nobili nauarcho, tribuno, viro forti, & feroci, addet affinibus animum, & secum in labores, & dulce decus victoriarum trahet. Iuuenem nobilem domi delitescentem, aut pompis aulicis occupatum, socero tradat militari, sic enim vnius virtus & generum, & nepotes excitabit.

Nouos nobiles creabit

Deinde princeps nobiles circum se nullos habeat, nullos æstimare se indicabit, nisi quos prudentia, temperantia, labor delectet. Quod autem caput est, magno delectu virtutis, prudentiæ, opum, in singulos annos bene meritos nobilitabit, Reipublicæque adhibebit. Duo hinc consequetur, primum vt nobiles, deinde vt idoneos magistratus habeat.

Nouos homines, seu recens creatos nobiles multi veterum sæpe irridenr, quos contra Cicero l. 3. Ep. disputat, ostenditque posse esse εὐγένειαν sine nobilitate, & nobilitatem sine εὐγενείᾳ quod etiam Eurypides egregie expressit.

ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς εὐγενὴς ἐμοί γ' ἀνήρ·
ὁ δ' οὐ δίκαιος, κἂν ἁμείμονος πατρὸς
ζηνὸς πεφύκει, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.

Vir bonus nobilis mihi videtur, qui ni iustus est, etsi patre nobiliore natus sit, quam ipse sit Iupiter, ignobilem duco.

Agnoscant illos licet nouos, quia & ipsorum maiores noui fuerunt, & horum posteri antiqui stemmatis dicentur. Prudenter Seneca Ep. 44. *Si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem reuocentur, à diis sunt. Eques Romanus es, & ad hunc ordinem tua te perduxit industria: at me hercule multis quatuordecim sunt clausi. Non omnes curia admittit: castra quoque, quos ad laborem & periculum recipiunt, fastidiose legunt. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles nec reiicit quemque philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit: Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus: Platonem non accepit nobilem philosophia sed fecit. Quid est quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum. Geres autem, si hoc protinus tibi persuaseris à nullo te nobi-*

nobilitate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt. nullius nō origo vltra memoriā iacet. Plato ait: Neminem regem non ex seruis esse oriundum, neminem non seruum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsum fortuna versauit. Quis ergo generosus? ad virtutem bene à natura compositus. Hoc vnum est intuendum. alioquī si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. A primo mundi ortu vsq; in hoc tempus, per duxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacunque conditione supra fortunam licet surgere. Puta itaque te non esse equitem Romanum, sed Libertinum: potes hoc consequi, vt solus sis liber inter ingenuos. Quomodo? inquis. si mala bonaque non populo auctore distinxeris.

Omnis nobilitas aliquando noua.

Totam nobilitatem si spectemus pauci vltra ducentos, pauciores vltra trecentos, paucissimi quadringentos extendunt insignia. Quotus enim quisq; nobilium in actis & historiis ante eos annos celeber inuenitur? Ridendæ igitur Arcadum Lunulæ, si eas ad antiquitatis iactationem in calceamentis ferebāt, tanquam essent luna vetustiores, laudandæ, si pro symbolo mutationum.

Noui nobiles cur gnaui sint.

Insignem vtilitatem nouorum promotio Reipublicę adducit: cum enim vetus nobilitas illos partim contemnat, partim eorum incremētis inuideat, duo necessario noui spectare debēt, vt sint extra contemptum, dein extra inuidiam. Extra contemptum erūt; si rebus magnis, honestis, laboriosis, sumptuosis fidelem, gnauamq; operam principi exhibeant, illiq; accepti sunt; quemadmodum Daniel & socij eius in regia Chaldæorum. Hæc tamē faces inuidiæ inflammant. Ita in aura Darij factum, Dan. 6. 1. *Iacuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centum & viginti, vt essent in toto regno suo; Et super eos principes tres, ex quibus Daniel vnus erat: vt Satrapæ illis redderent rationem & rex non sustineret molestiam. Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas, quia spiritus amplior erat in illo. Porro Rex cogitabat constituere eum super omne regnū: vnde principes & satrapæ quærebant occasionē vt inuenirent Danieli ex latere regis: nullamq; causam & suspicionē reperire potuerunt, eo quod fidelis esset, & omnis culpa & suspicio non inueniretur in eo.*

Hæret rectis successibus inuidia, magis vero cum obstrui suis luminibus alij animaduertunt. Inuidiam vero effugient, aut minuent, modestę, ciuiliterq; viuendo: itaq; nec fastu, nec sumptu prodibūt. Veteres nobiles horū virtus exstimulabit, vt Themistoclem Miltiadæ trophæum, vt eadem via ad fauorē principis per benefacta tendant. Deinde alios ex eadem familia aliisq; excitabit, vt se quoq; audeant tollere humo. Nec vilior nobilitatis erit æstimatio, deligētur n. tales, qui ornamento sint Reipublicæ, non quorum nobilitas Cicadæ sint, aut prætextæ, sed qui eruditionem, prudētiam, agendi dexteritatem, magnanimitatem ad gubernationem adferant. quibus non nobilitas velamen vitiorum, & ignauiæ, sed cos, & calcar industriæ est. Succrescet itaq; noua nobilitas veteris æmula ipsa mox futura vetus, decrescet & vt remediorū præstantissima cū putruerunt nocentissima venena fiunt, sic generositas stirpis cum in degeneres mores est corrupta, Rempublicam grauiter inficit.

Nobilitas sui exilii causa.

Vitia illa serio corriget princeps, præsertim si iniurias inferant, nam ferendo augescunt, quo facto vel nobilitas Rempublicam turbabit metu iudiciorum, vt Rhoti factum est, vel populus insurget, vt factum in Heluetia, vt ante annos centum in multis Germaniæ locis factum est. Idem factum anno 1514. in Vngaria; Genuenses anno 1505. nobilitatem eiecerunt. Nobilium Polonicorum tyrannidem Casimirus Rex opportune correxit, populo iam in conspirationem propenso. Cromer. l. 6. de gestis Polonorum.

CAPVT XXI.

Potentiam commeatibus in vsum comportatis stabilem esse.

Fames omnia infirma facit.

§. 1. DE viris, armis, aliisq; dicendum, sed hæc ad libitum de bello melius conferam, nunc de reliquis agamus, inter quę primarium est, vt horreis, & annonæ princeps prospiciat. Omnem potentiam domat fames, multas vrbes & regna hosti tradidit inopia. sed nec in pace vllum firmius præsidiū principi, quam commeatus, nec quicq̄ periculosius fame, si eam sedare princeps nō potest. Sine ferro vincitur, qui frumenta, aliaque cibaria tempori non præparat. Imo in pace periclitatur, ieiunus milesnu llivtilis est, ieiunus ciuis nulla maiestatis reuerentia tenetur.

In fame si liberalis sit princeps potēs efficitur.

§. 2. Horrea igitur publica frumenti, vini & olei apothecas Respublica instituet, quod facere poterit non magnis impendijs, si agros publicos habeat, si in vilitate annonæ triticū coemat, quod fecit Iosephus in Ægypto. Potēs est ad alliciendam plebem frumētaria largitio, Melius eo modo ad regnum tendebat, pane dato Romanum Imperium ad se tracturus, nisi optimates obstitissent. Parum sibi princeps consulit, qui eam occasionem negligit. Quantum Romę frumenti conditum fuerit dictu incredibile est. Pulchre, & erudite hac de re Lipsius in admirandis l. 2. c. 10. *Frumentatio igitur vetus Romæ, & ab ipso etiam Senatu. Ille in rebus & annona arcta, quasi benignus pater, miseritus plebis, frumentum aliquando diuisit, non tamen nullo sed modico ære. Accessere Tribuni statim, & hoc tam populare sibi vindicarunt, variis Frumentariis legibus latis. Vltimus in hacre Clodius Annonariam legem tulit, vt frumentū, quod antea populo semisse æris ac trientibus in singulos modios dabatur,* GRATIS *daretur. Ita Asconius: atq; hæc origo deinde continuatio gratuiti frumenti fuit. Senatus quidem statim à coniuratione Catilinæ, largitione hac tali vsus erat, auctore ipso Catone: sed nescio an sine vllo pretio. In Plutarcho hoc sic narratum, sed verbis quæ pensitanda sunt. Ait, C. Cæsarem in Praetura res nouas tentasse, populo suspēso & mobili, ob Catilinarias illas turbas. Cato igitur, vt præueniret,* ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυτοῦ χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων. *Suasit Senatui assumere egenum & in diuisum populum ad frumentationem, & si sumptus esset mille ducentorum quinquaginta talentorum. Id sit trecenties H S. more Romano; nostro, septingenta quinquaginta millia Philippicorum. Vides igitur impendium in hanc rem, quod illo æuo fuit.*

Et *deinceps mansit sub Imperatoribus nisi quod per ciuilia bella numerus accipientium cum immensum creuisset, Iulius Cæsar recidit. de quo Suetonius: Ex viginti trecenti sq; millibus accipientium frumentum è publico, ad centum quinquaginta retraxit: aut si Dionem audis, ad centum sexaginta: quia dicit ad mediam partem redactos. Paruum discrimen: sed Augustus deinde auxit, & ducenta millia fecit. an & Tiberius? et si ille minime popularis: tamen recenset in Senatu (apud Tacitum) quibus è prouinciis, & quanto maiorem quam Augustus, rei frumentariæ copiam aduectaret. Ergo & in plures, nisi fallor distribuendam.*

Sed hoc genus iam supra improbaui, hic tantum ostendere volui ad populi colligendam gratiam, hoc fuisse semper vsurpatum. Nec potest quisquam, nisi de annona prospectum sit, tuto bellum gerere. Cæsar Augustus, & Antonius tanto Potentiores Pompeio ob famem populi periclitati sunt. Rem narrat Dio. *Tum Romanos, (quia Sardinia occupabatur, vexabaturque maritima regio) res frumentaria defecit. Quāmobrem quum ingens fames esset,*

eaque

eaque grauiter affligeretur, hortabantur Cæsarem & Antonium ad pacem cum Sexto faciendam, ob eamq; rem multum clamorem profundebant. Sed vt nihil proficere se intelligunt, celeriter ad eos interficiendos contendunt. Qua re animaduersa Cæsar, etsi iam suos vulneratos habebat, tamen vestem discidit, supplexque eorum fidem obtestari & misericordiam implorare cœpit: Antonius maiore vi adhibita restitit. Tandem vero legatos de pace ad Sextum mittere coacti sunt.

Nec tamé in posterum prospectum fuit vrbi, nam & postea sub finem vitæ Augusti tanta fames fuit, vt Cæsar ipse famulorum turbam dimittere cogeretur, & maior sub Claudio, quamuis illa Claudiana fuit vniuersalis.

Itaque omnibus in locis opportunis instituenda sunt arma contra famem, vt vastatis agris, aut impedito cultu, ex recondita annona subditi viuant. Si enim fame laborat regnum facile captu fuerit. Ideoque omnia fortia, caduca sunt. Quocirca si boreale frumentum ab Batauia auertere Hispanus posset, facile ditiones illas subigeret, & si non omne, saltem difficilem illis commeatum redderet. Nullum enim regnũ firmũ est, in quo non nascitur ea frugũ copia, quæ sufficiat incolis alendis. Hanc ob causã Romanę vires domi semper imbecillæ fuerunt, si quis enim mare infestum haberet, si Africam, aut Ægyptum in ditionem potestatemque redegisset, fame pereundum erat vrbi æternæ, norant internum illud malum Romani principes, & ipsa fatetur apud Claudianum.

Exitium iam Roma timens & fessa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat olympi,
Non solito vultu, nec qualis iura Britannis
Diuidit, aut trepidos submittit fascibus Indos.
Vox tenuis, tardique gradus oculique iacentes,
Interius fugere genæ, ieiuna lacertos
Exedit macies humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum, laxata cassideprodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis hastam
Attigit vt tandem cœlum, genibusque tonantis
Procubuit, tales orditur mœsta querelas:
Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci
Iupiter, Auguriis fistant immota Sibyllæ
Carmina, Tarpeias si necdum despicis arces
Aduenio supplex, non vt proculcet Araxem
Consul ouans, nostræque premant Pharetrata secures
Susa, nec vt rubris aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc ante dabas, nunc pabula tantum.
Roma precor, miserere tuæ, pater optime, gentis.
Extremam defende famem, satiauimus iram,
Si qua fuit lugenda Getis, & flenda Sueuis
Hausimus. ipsa meos horreret Parthia casus,
Quid referam morbive luem, tumulosque repletos
Stragibus, & crebras corrupto sidere mortes?
An fluuium, per tecta vagum, summisq; minantem
Collibus? ingentes vexi submersa carinas.
Remorumque sonos, & Pyrrhæ secula sensi.
Heu mihi quo latiæ vires, vrbisq; potestas
Decidit? in qualem paulatim fluximus vmbram?
Armatis quondam populis, patrumq; vigebam
Consiliis, domui terræ, hominesq; reuinxi
Legibus, ad solem victrix vtrumque cucurri.
Postquam iura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, elapsi mores, desuetaq; priscis
Artibus in gremium pacis seruile recessi.
Tot mihi pro meritis Libyam, Nilumq; dedere
Vt Dominam plebem, Bellatoremq; senatum
Classibus æstuis alerent, geminoque vicissim
Litore diuersi complerent horrea venti.
Stabat certa salus Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Getulis Mesibus annum,
Frugiferas certare rates, lateq; videbam
Punica Niliacis concurrere Carbasa velis.
Cum subiit, par Roma mihi, diuisaque sumpsit
Aequales aurora togas, Aegyptia rura
In partem cessêre nouam. Spes vnica nobis
Restabat Lybiæ, quæ vix ægreque fouebant
Solo ducta Notho nunquam secura futuri.
Semper inops ventique fidem poscebat, & anni.
Hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis
Autumni, pauido metimur cœrula voto,
Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
Vel pudor extorsit Domino vel præda reliquit.
Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,
Sed sua concedi iactat, gaudetq; diurnos,
Vt famulæ præbere cibos, vitamq;, famemq;
Librat Barbarico fastu, vulgique superbit
Fletibus & tantæ suspendit fata ruinæ.
Romulias vendit segetes & possidet arua
Vulneribus quæ citra meis,

Vnaquæq; igitur Respub. vires suas ex commeatu & annona æstimabit, quem domi habet, qui nascitur, quique foris aduehitur, an is impediri possit? Hinc Venetæ Reipublicæ id maxime necessarium est, vt in multos annos annonam reconditam habeant; Nam omnis ora maritima, insulæque ita expositæ sunt armis Turcicis, vt facile si non occupari, & sub ditionem redigi, saltem vastari, vri, spoliari possint, ideoque ex illis belli tempore non possit haberi annona, & si vel maxime abundarent, nauigatio tamen facile intercludi potest, aut, quod satis est ad famem, periculosa reddi, nam ad timorẽ periculi negotiatores se continẽt, & mercium precia crescunt periculis. Vrbs ipsorum populosissima ex subiectis sibi regionibus ali non põt; sed cibum ex finitimorũ agro aduectum absumit; negociatione autem opes Reipublicæ, & singulorum ciuium constãt, quã sublatã vel imminuta, necesse est multitudinem minui, vrbem deseri, opificum enim collegia à mercatoribus aluntur, quorum si lucra cessent, operum Mechanicorum industria nullo emptore, concidet. Hinc est, quod nisi & publice, & priuatim in aliquot annos de annona vrbi prouisum sit, quantacunque pecunia, militeque, aut classe polleat, non possit esse potens. Parare tamen potentiam valet, si, cum opibus valeat, puplicis granariis in biennium frumenta recondita, habeat, Senatores iubeat singulos habere pro familia in triennium, eodemque modo ditiores ciuium, opifices in biennium, vel annum.

Eadem difficultate Belgicæ ditiones premuntur, si in vnum fœdus coeant Danus, & Iber, si Polonus offendatur, si Suecus Hispana cum gente connubia societ, tantam populosarum vrbium multitudinem vnde alent? Rhenum hostis obsidet, trans Mosam aduersa sunt, ab arcto panis aduenit; nonne multæ rationes sunt, quibus illa, quæ videtur potentia, nisi multo ante prouiderint, conteri possit? Et populus ille nauticus par esset Romano, qui dixit

Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis
Supplicium, nulloque palam circumdatus hoste,
Obsessi discrimen habet, per singula lethum
Impendet momenta mihi, dubitandaque pauci
Præscribunt alimenta dies, heu prospera fata,
Quid mihi septenos montes, turbamque dedistis,
Quæ paruo non posset ali? fœlicior esset
Angustis opibus mallem tolerare Sabinos,
Et Veios. breuior duxi securius æuum.
Ipsa nocet moles Vtinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.
Sufficerent Etrusca mihi campanaque culta
Et Quinti, Curiique seges, patriæq; petenti.
Rusticus inferret proprias dictator aristas.

CAPVT

CAPVT XXII.

Potentia præcipua in ciuitatibus firmis, & populosis.

Respublica potens vrbes habeat, oportet.

§.1. NVlla Respublica censenda potens, nisi alta habeat, & firma vrbium propugnacula. Hodie quidem habendas muniendasque vrbes, & oppida nemo est, qui ambigat, sed de modo, ratione q; tãtum ambigitur. Nam olim derisa Spartanorum iactantia fuit, quod mœnia sua virtutem, iuuẽtutis dicerent. *Si scuto scutũ hæreret, densus q; viro vir.* Magnus & pernicios us error, vel Spartanorum iudicio, qui mœnibus vrbem postea cinxerunt, deinde ipsi iudicarunt eas vrbes esse potentes, quæ mœnibus, turribus, fossisque præcinctæ essent. Athenas enim æmulam ciuitatem muris nudauerunt, ita enim suadente Lysandro Ephori iudicarunt faciẽdum, sicque exarmatam triginta tyrannis presserunt. Arci præsidium imposuerunt, & Pyræo. Cur mœnia nobilissimæ vrbis diruêre, nisi vt vires eneruarent? Huius eiusdem iudicij insigne monumentum, sed plenum inuidiæ, & iniquitatis Sparta parũ generosa, parumq; grata dedit, vt auctor est Probus in Themist. & Plutarch. Diodorus Sicul. l. 11. Front. l. c. 1. Cum enim victo Xerxe ad Salaminem, cuius victoriæ prima gloria, & principatus penes Athenienses fuit; redeuntes in patriam mœnia reficerent, imo potius omnia deiecta restituerent, Spartani inuidia gloriæ, & metu futuræ potentiæ, legatos miserunt, qui docerent contra omniũ Græcorum salutẽ fore, si mœnia exstruerẽt, si enim Persæ redirent, & vrbes occuparent, ex ijs facile posse Peloponnesum, totamque infestari Græciam, & obtinuissent, nisi Themistocles consilio & arte conatus occultorum hostium elusisset. Hoc dictum volui propter adolescentulos, quibus illud oraculum Enthusiasticon est in ore.

Spartani vrbem suã muniuerũt, Athenas nudauerũt.

ἀσπὶς ἀϱ' ἀσπίδ' ἔϱειδε, κόϱυς κόϱυν, ἄνεϱα δ' ἀνήϱ.

Scutum firmet scutum, galea galeã, virum vir. Quod veluti veteres irriserunt, ita nunc etiam noxium est; nam murum illum hodierno tempore pauca tormenta disijcerent. Qui igitur parua manu, nullo periculo, magnas opes defendere in animos habet vrbes sibi munitas, omni genere commeatus, & belli instructissimas ædificabit. Cui enim vrbium propugnacula nulla sunt, is perpetuo in periculo iactatur, minusque quam feræ in syluis, & volucres sibi prospiciunt, quæ tutelæ prolis tutissima syluarum, & rupium deligunt.

Vrbium vetustas.

§.2. Vrbium ædificandarum cura vetustissima fuit, nam primam exstruxit Cain, & de nomine filij Henochiam dixit. secuta est post diluuium Babel, (tempora enim Antediluuiana in obscuro sunt) plurimæ deinceps ædificatæ sunt, vt constat ex Abrahami historia, qui annos nondum trecentos à diluuio natus est, quo tempore non vrbes modo, sed vrbium excidia, gentium lõginqua bella & regum seruitia fuerunt, Gen. 13. In Chanamitide vrbes firmæ & ad cœlum vsq; muratæ, quæ maxime filios Israel terrebãt, conditæ erant tempore Mosis. Dauid deinde ciuitates ædificauit, & muniuit, Salomon etiam lõginquas, vt Palmyram in deserto, & Iosaphat quãuis in exercitu præter vrbium præsidia numeraret vndecies centena, & sexaginta millia fortissimorum militum. vrbes tamen muratas in Iuda ædificauit. *Si* nostra tẽpora respiciamus, vrbibus exstructis Hispanus nouum orbem tenet. Colonias enim plurimas maximasq; ducit, habet vrbes populosissimas, pauci ssimis tamen, si Orientalẽ Indiã spectes, in tam vasto spacio munitionibus nauigationum principatum tuetur.

Vrbes Germaniæ.

§.3. Ciuitatum cura, & tutela, populi multitudinem, artes, opes, aliaq;, quibus potentia crescit, & firmatur, principi confert, & quod caput, amorem patriæ defendẽdæ. Olim in Germania, & Britannia oppida non erant. *Oppidum vocant Britanni, cum syluas impeditas fossa, vallo q; munierũt.* Strabo lib. 4. ait eos *exstructis tuguriis in nemoribus* cum armentis stabulari. Itaq; nulla tum fuit Germanorum potentia, nisi cum vno aliquo impetu in prœlium ferrẽtur, & si retunderentur, quiescebant, domi cum quærerentur inter syluas, & paludes latuêre.

Eadem de causa Wandalis, Gothis, Hunnis transeuntibus extrema omnia passi sunt. Translato ad nos imperio, tum opum copia, & potentia efflorescere cœpit. Auctor Germanus ita de hoc statu loquitur. *Habeo autem persuasissimum ea ætate (Cæsaris) non ciuitates extitisse, vix villas ac pagos retulisse. Dum enim Argentinensium literas antiquitate etiam modesta præditas, perlegimus, videmus eam vrbem vix tantum spatii in recessu habuisse Otthonum temporibus, quantum oppidum ignobile. Eadem ratio de Moguntia, Vuormatia, Spira, Noremberga vulgatur, quæ tamen Henricorum temporibus incrementa sumpserint. Traianus, vt Dion Prusiensis auctor Græcus testatur, duas copiosissimas vrbes Daciæ, quæ & hodie Danubio adiacent, exorsus est, ac facile inducor illas primas Danubii ciuitates extitisse. Inde Constantini ac Iuliani temporibus, vt annales fide digni asserunt, à ducibus Sueuiæ oppida temere munita sunt, quæ nunc imperio parent, in quorũ numero Rauenspurg, Vlma, & alia. Inde Attila vniuersæ Germaniæ destructor, Basileam, Vuormatiam, Argentinam, Ratisponam, Nurembergam, Iuuauiam, Coloniam, Iuliacum & alia oppida penitus destruxit. Quæ partim à S. Ruperto Episcopo auspiciis Theodonis Bauariæ ducis & aliorum Episcoporum restituebantur. Pipinus inde atque Carolus Magnus ciuitates in tantum auxerunt, tot Episcopatibus præditas effecerunt, quemadmodum ante eos Dagobertus. Maior ita q; pars totius Germaniæ à Francorum Regibus, sub quorum Imperio erat, atque à Caroli progenie Germania incrementum & initium sumpsit, vt priuatim de qualibet ciuitate, dum mentio erit, copiosius exequemur. Tempore etiam translationis Imperii ad nos, ciuitates Germaniæ copiosiores redditæ sunt.*

Nunc vero tot, tamq; munitis, & opulentis vrbibus abũdat, vt nulli penitus regioni cedat, omnes omnino vincat, non modo Asiam, & Africam; sed reliquam ẽt Europam; Neq; n. vel Hispania, vel Italia numero magnarum & opulentarum vrbium nobiscum certauerit. Quamuis n. Vlyssiponam, Venetias, Parisios nulla ciuitas Germaniæ vincat, multitudine tamen superant cæteras. Nullum enim regnum vrbes habet, quas pari magnitudine, opibus, firmitate hisce opponat: Sunt vero Antverpia, Insulæ, Gãdauum, Colonia Agrippina, Dordracum, Amstelodamum, Brema, Hamburgum, Lubeca, Dãtiscum, Noriberga, Augusta, Vienna, Basilea, Argẽtoratum, multas hisce maiores esse noui, vt Louanium, Luneburgum, Brunsuicum, Brandeburgum, Erfurtum, Pragam, multas pares; verum illis quindecim quas primo loco nominaui totidem in vllo regno pares inueniri nego.

Germaniæ vrbibus cũctas gentes superat.

§.4. In condendis ornandisque ciuitatibus habenda semper sunt ea præ oculis, quæ l. 7. Polit. monet Aristoteles, in condendis, & ornandis, inquam. Hodie paucæ conduntur, tum quia multæ sunt, tum quia opportuna loca occupata sunt, vt iam præcipua cura esse debeat vrbium conseruandarum. Agri, fluminum, portuum opportunitas quærenda est.

Quales vrbes, vrbium que loca.

Vti igitur eiusmodi occasiones animaduertit princeps eam vrbẽ priuilegijs & beneficijs prosequetur, vt breui euadat in magnam vrbem. ita creuit nostro tempore Insularum inclyta ciuitas, ita portu suo crescere potest Dunckerka. ita Grauelinga. ita Goa in India, sic posset crescere Cõfluentia, duorum fluminum negotiosorum affluxu opulenta, sic nostra Moguntia superiorum, inferiorumque commercijs op-

portuna, Gallicis etiam, & Thranſthenanis diuitijs plena, vino & frugibus abundans. His, inquam, opera vtiliter impenditur. nam quæ commoditatibus quæ locorum propriè ſunt deſtituuntur, fruſtra ſumptus abſumunt, Hanouia iam dudum creſcere deſijt à mœno ſeiuncta, & qui primi eam ædificarunt damno ſuo temeritatem luerunt, celeriter creuit Francfkentalia, nunc tamen ſiſtit, à Rheno ſeiunctior, & vbi Wormatia Spiraque negociandi auxerint induſtriam inter eas intercepta creſcendi ſpem amittet.

Loci opportunitas quæ renda.

§.5. Eas vrbes commodo ſitu ædificatas facile iudicabimus, quæ ſæpius aduerſa paſſæ refloruerunt, locus enim rapit animos, & ſuis vtilitatibus detinet. Fertilem in primis locum requiro, quia paupertas ſeditionis eſt ſcaturigo, & ſuo populo fertilem terram Deus dare voluit. Stulte Dinocrates Architectus in monte Atho Alexandriam meditabatur, cui rectè Alexander: *Vnde cibum habere poterit?* Quod ad plagas cœli attinet in Germania exigua huius rei habita ratio eſt. Quamuis Moguntia noſtra orientem, & aquilonem ſpectet, agri, fluminum, fontium, montium habita ratio eſt.

Montes vrbibus non ſunt opportuni.

§.6. Duo illa difficulter obtineri poſſunt, vt facilis ſit in aliena egreſſio, difficilis vero aditus hoſti. olim multæ erant in montibus poſitæ ciuitates, facilis erat deſcenſus, difficilis ingreſſus; Verum quia ratio belli mutata eſt, atque etiam annonæ; nec firmæ ſunt quæ in montibus, & commeatui, omnibuſque rebus parum opportunæ, itaque nunc quoq; arces in Rheni & Moſellæ collibus poſitas magna parte deſertas videmus. Iam vero quod nonnulli aiunt periculoſas eſſe ciuitatum munitiones, quod hoſtes ea capta tuti ſint, id iam ſupra in pecuniaria re confutatum eſt. Virtute enim & prudẽtia defendi ciuitas debet. Quis enim dubitat Alexandro vnam Tyrum plus reſtitiſſe, quam totum Darij regnum? Eadem ciuitas Nabuchodonoſori portas clauſit, & victorem gentium detinuit, ita Ezech. 29. 18. *Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam.*

Vrbs vna regni inſtar

Facilius igitur totam Ægyptum, hoc eſt, centurias vrbium cepit, quam Tyrum, quia facilius eſt mercedem accipere, quam laborando mereri. ſic patrum memoria plus reſtitit Ottomannis vna, ſed fida Vienna, quam dimidia Vngariæ pars, quam tota Peloponneſus.

Vrbes magnæ iuſto imperio regendæ.

§.7. Opulentas vrbes vbi rem pararunt facile rebellare aiunt, ſatietatem enim, & diuitias ſequi libertatis & honoris deſiderium. Verum huic malo remedium feret, iuſtum & lene principis imperium, fidorum ad magiſtratum electio, eorundem per honores, & beneficia obligatio. Neq; hoc negligendũ, vt qui auctores eſſe poſſent motuum, alijs in locis poſſeſſiones obtineant, quarum amittendarum timore gratiam principis omnib. anteferant. Priuilegia quoque ea concedet, quæ, ſi mereatur ciuitas, continuo auferre poſſit. Aquiſgranum nobilis vrbs, & regia ſedes immunitatẽ vectigalium à Carolo magno accepit, ingẽs beneficium ſi ciues ſpectes, ſed viciſſim arcta obligatio ne imperatorem offendãt, qui vno verbo, vna ſcheda fortunas euertere poſſet, itaque ciues eiuſmodi nullos Manlios, nullos Clodios, aut Curiones, ne Brutos quidem audient. Sic nobile Emporium Francofurtum ius nũdinarum tuetur, quod beneficio imperatorum tenet, magnum eſt quodq; vnicum vrbem conſeruat, ſed idem tamen eam imperio fidam vrbem efficit; vno enim edicto ſpoliari eo poteſt. Nulla in vrbe Europæ maiores diuitiæ ſunt, quã Vliſſiponæ, quæ eſt totius orbis Emporium, portu, ædibus, numero hominum inſigne. ſed nullum defectionis periculum, quia vno edicto merces eorum per oẽs vrbes regias, portuſq; diuiſæ confiſcari poſſunt. Hancetiam ob cauſam rebellionem Antonij deteſtati ſunt, quod viderent ſe domeſtico bello impeditos facile Indias eſſe amiſſuros.

Magiſtratus vrbium in aliis locis poſſeſſiones habeant.

Vrbium priuilegia quæ vno verbo poſſunt tolli

Caput XXIII.

Arces ad potentiam conſeruandam vtiles, & neceſſarias eſſe.

§.1. De arcibus exſtruendis politici variant, imo nonnulli eas diruunt, quas alij exſtruxerũt. Machiauellus incertus eſt. Hoc enim eſt eius conſilium c.20. in principe. *Conſuetudo inualuerat apud principes, vt quo tutius principatum obtinerẽt, arces erigerent, quæ tanquam habenis & frenis compeſcerent illos, qui in ſe aliquid molirentur: atque ad ſe repentinum quemq; impetum ſecurum haberent, quo ſe reciperent, perfugium. Equidem cõſilium hoc, quod iam peruetuſtum & vſitatum ſit, improbatum nolim. Nihilo ſecius ætate noſtra vidimus Nicolaum Vitellium duas, quæ Tipherni erãt arces, vt ditionem illam retineret, diruiſſe. Guidus Vbaldus Metaurenſium Princeps in principatum, vnde à Valentino fuerat eiectus, reſtitutus, omnes illius Prouinciæ arces funditus euertit. Illis enim ſic euerſis, exiſtimauit difficilius prouinciam illam iterum amitti poſſe. Bentiuoli, Boxoniam recuperatam cum rediiſſent, eadem conſilia ſunt ſecuti. Ex temporum itaq; conditione arces ſunt, vel non ſunt vſui: ſi qua autem in parte quid boni inde ad te redit, in altera maxime lædunt. Hoc ſane ſic examinari licet.*

An arces vtiles.

Arces liberarum vrbium inutiles.

§.2. Vrbibus liberis arces inutiles eſſe iudico, ſed omnem ſumptum, qui arci ſeparatim impendendus eſt, mœnibus, foſſis, propugnaculis dandum eſſe, itaque & Romani capitoliũ æquare ſolo, & Athenienſes arcẽ Minerue diruere debuerũt, nam opportunũ eſt, improbis ciuibus, ac mãcipijs eas occupare, hoſti tradere. Pacis tẽpore ẽt cuſtodiendæ ſunt, bello flagrante miſerum eſt ſolatium ciuibus, relictis ædibus in arcem confugere, quam tamen diu tueri non poſſunt, multitudine ſe impediente, & defectu commeatus, periculoq; morborum in multitudine cõferta. Hinc arces demoliuntur tanquam ergaſtula, & ſeruitutis firmamenta, cum primum ad libertatem aſpirant, Simõ Maccabæus arcem, quã triginta annos Græci inſederãt, deiecit. Arces itaq; exoſę ciuitatib. ſunt, tanq̃ compedes libertatis, quam diu manẽt, ſub ictu ſe poſitos ciues arbitrantur; & quanq̃ non noceat, formidabilis eſt tamen cuſtodia. Romam tamen arx ſeruauit, ſed magno animo erant illi qui mori maluerunt. Meſſenij quoque victi à Lacedœmonijs in arce montis Ithomes ſe viginti annos defenderunt, Pauſan. in Meſſeniacis.

Prouincia occupata arcibus tenenda ſunt.

§.3. Qui ſuo imperio prouinciam aliquam bello adiecerunt arcibus in officio populum continere debent. Ea nunc omnes ratione vtuntur toto mundo, & ſi contrarium quiſpiam ſuadere inſtituat, id agere videbitur, vt cum ratione inſaniat, & ſi verum dicendum eſt, inſanit. Machiauellus igitur cum arces inutiles & noxias proclamat, hoc agit, vt exotica ſapientia principem ſuum imperio exuat. Iam millies Hiſpani Occidentales Indias, Luſitani orientales amiſiſſent, ſi abſq; arcibus fuiſſent. Paucæ enim arces frenum tot populis injiciunt. Verum tota res intelliget, ſi Machiauelli ſapientiam perpendamus, lib. 2. de Rep. c. 24. ſic ratiocinatur. *Mirum forte cuipiam videatur cum victi, debellatiq; Latii populi, toties rebellarẽt: cur populus Romanus, ad eos in officio continendos compeſcendoſq; non arces aliquas, aut Priuerni, aut in aliis eorũ ciuitatibus conſtruxerit: ſecus n. certe fecerũt, quã Florentini noſtri faciendũ putent, qui exiſtimãt ipſas, cæteraſq; ciuitates arcibus cõpeſcẽdas eſſe. Equidẽ ſi populus Rom. noſtris hominib. ſimilis fuiſſet, perinde feciſſet, vt noſtri. Sed q̃a in eo alia virtus, alia potẽtia, & aliud de reb. iudiciũ inerat, idcirco aliter faciẽdũ putauit: nec libera*

libera existente Republica vnquam vel ad vrbes compescendas, vel ad prouincias defendendas, arces aliquas extruxit: ex iis tamen, quas conditas ab aliis occupauit, aliquas conseruauit. Quæ cum ita sint, ac longe aliter sentire videantur nostri temporis principes: idcirco non abre facturum putaui, si quærerem hoc loco, vtiles ne an invtiles, sint auctoribus suis, tantæ moles.

Romani arcibus imperium tenuerunt.

Respondeo vehementer eos falli, qui Romanis arces negãt, totum enim imperium arcium præsidiis tenuerunt, quam rem vt antiquarijs miram, ita politicis veram esse facile probabo. Obseruandum est, quosdam à Romanis victos in vrbem receptos, sic pax facta. Flor. l. 1. c. 1. *Sic pax facta cum Tatio, fœdusq; percussum. Secutaq; res mira dictu, vt relictis sedibus suis nouam in vrbem hostes demigrarent, & cum generis suis auitas opes pro dote sociarent.*

Et c. 3. *Albanos adsciuit; Itaque hoste victo, ruptionem fœderis Metium Fusetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: Albamque ipsam quamuis parentem, æmulam tamen, diruit, quum prius oẽs opes vrbis ipsumq; populum Romam transtulisset, prorsus, vt consanguinea ciuitas nõ periisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur.*

Colonia, & arces firmamenta imperii.

Alios funditus deleuere, alios vendidere, alios in deditionem accepêre, vt vel ita eneruarent, ne rebellare possent, vel præsidijs continerent, quæ duplicia Coloniarũ, & arciũ. Hæc, put belli causa, obstinatio, vel obsequia obsessorum. Falisci se sua spõte dediderunt, cremati suo igne Fidenates, rapti, funditus deletique Veiẽtes, Sabini, & qua Nar ambit multum hominum agrique captum, vrbes Samnitum ita deletæ vt Samnium in Samnio quæreretur. sed de arcibus mihi dicendum est.

Primum genus erant colonię, cum locis opportunis oppida antiqua munirent, vel noua construerẽt, quas gentes rebellaturę omnium primum oppugnabant, magnarum instar arcium erant initio, postea in magnas vrbes excreuerunt, describit hunc morem Lipsius l. 2. const. c. 23. *Vnum tibi instar omnium exactionum rapinarumq; sit, de Coloniis. Quo inuẽto vt nihil ad vim imperii firmius, ita nihil in subditos cogitari potuit tristius. Deducebantur passim legiones cohortesq; veteranæ in agros & oppida: miseriq; prouinciales momẽto temporis bonis & fortunis omnibus prouoluebãtur, idq; nihil ausi, nihil meriti: sed pro crimine omni, opes aut opimi agri. In quo profecto gurges quidam calamitatum omniũ apparet. Miserum est nummis spoliari: quid etiam agris tectisq;? Graue istis pelli: quid tota patria, quid templis arisque? Distrahebantur ecce aliquot millia hominum, liberi à parentibus, domini à familiaribus, vxores à viris; & in varias terras, vt cuiq; sors sua fuit, spargebantur: alii in sitientes Afros, vt poeta in hac ipsa re ait. Pars Schythiã aut toto diuisos orbe Britãnos. Solus Octauianus Cæsar in sola Italia duodetriginta colonias collocauit; in prouinciis quot libuit. Nec alias res magis, vt ego scio, exitio fuit Gallis, nobis, Hispanisq;.* Coloniæ oppida erãt ciuium Romanorũ, aut Latinorũ deductorum. Causæ Coloniarum à Sigonio illæ referũtur; vt priores populi coercerentur, qui prius inhabitarant, militaris ergo erat alter populus, qui vt in munitionem inducebatur. 2. Vt hostes vicini repellerentur. 3. Plebs vrbana exhauriretur. 4. Stirps tamen Romana augeretur. 5. Seditiones tollerentur. 6. Veterani præmia acciperent. Colonis igitur ex primo instituto, nam postea etiam alio modo actum est, cum victis gentibus, & vicinis hostibus res erat. Sic Coloni in Vbios deducti contra Gallos impacatos, & Germanos in perpetuis excubiis erant. Verum de arcibus proprie dictis agendum, eas complures fuisse affirmo.

Coloniarũ causæ.

Arces tam ex cespite, quam saxo

Nempe castra, vnde & arces nostræ; seu castella nomen habent, nam Citadellæ Italis dicuntur, quod instar paruarum vrbecularum sint, quales initio Coloniæ fere erant. Sed de castris ago, quæ affirmo arces fuisse, arces temporarias, & interdum perpetuas, sed arces appello munitiones militares, siue ex saxo, siue ex cespite & materia, nam nunc quoq; cespititiæ arces magis probantur. Quod de Gallis suis docet Nicolaꝰ Bellus rerũ Polit. T. 1. *Quod ad munitiones attinet: Non est alia regio, in qua earum maior numerus sit, q; ex pluribus causis fit. Vna est, quod cum regnum in plura dominia & Principatus diuisum erat, nempe Burgundiam, Britanniam, Andegauensem Ducatum, Normanniam: vnusquisque suos fines muniuerit. Creuit numerus munitionum bellis Anglorum, qui magnæ Franciæ parti imperarunt. Situs & natura locorum, fortificationi oportunorum, nec minus diligẽtia & aptitudo populi ad has res, reddit faciliorem munitionem locorum. Non alia natio est magis industria in muniendo, & quæ laboribus & sumptibus minus parcat. Nec Francia minus fortis est intus, quam in extremis finibus. Bellouacum, Trecæ, Aurelia, Andegauum, Biturigum ciuitas, quæ vernacule Bourges dicitur, Limogia, San, Florum, Carcassona, Suessionum, nec cedunt fortitudine Caleto, Peronæ, Narbonæ, & aliis locis limitaneis. Aptaque est vnaquæque huius regni pars, vt reliquo regno pro limite sit.* Hoc quoque in Belgio, & Germania probatur. Tales arces erant Romanorum, neque enim de materia arcium disputamus, sed de fine & modo. Arces igitur Romanas videamus. Primo quidem omnia castra Romanorum etiam ad vnius noctis quietẽ instar artium erant, locus ad prospectum, aquationes, pabulationes eligebatur aptissimꝰ, vallo & fossa cingebatur, ordine summo omnia distincta erant, vt eruditissime Lipsius exponit: sed his castris similia erant illa, quæ in finibus perpetua erant. Deinde erant copię perpetuæ in tutelam imperij ab Augusto constitutæ. Facit. ann. 1. *Legiones, prouincias, classes, cuncta inter se connexa*, in limitaneis enim præcipua pars militum.

Castra Romanorum.

Tertio. In Hispania legiones 3. In Gallia ad Rhenum 7. In Africa 2. In Ægypto 2. In Syna ad Euphraten 4. In Moesia ad Danubium 2. In Dalmatia 2. erãt Augusti tempore. Sed postea in Ægypto tres, vna Alexandriæ, teste Strabone, item nouem cohortes, tres in vrbe, tres ad Syenem, tres alijs locis. Beryti etiam duæ legiones, quia clausirum matis. Fuisse etiam sociorum cohortes constat, auxilia, alas, equites. In Rhœtia, Iudæa, alijs solæ cohortes, Lugduni in Gallia cohors 18. *Foro Iulii ligurum cohors, vetus loci auxiliũ.* In Gallia 120 o. milites, ait Agrippa apud Iosephum, Postea in Britannia legiones tres à Claudio locatæ, duæ in Cappadocia à Vespasiano, duæ in Dacia à Traiano. Quin Romæ dena millia, aut nouena, & deinde plura fuere Prætorianorum ad Principis tutelam, & subitos casus. Istis, inquit Lipsius, castra Prætoria fuêre, ad portam Viminalem; vt arctius, & in disciplina haberentur, secreti à ciuibus, & vrbe. Præter hos erant Vrbanæ, & vigilum cohortes tres, Dio 4. Lipsius arbitratur quatuordecim cohortes.

Romæ castra arcis instar.

§. 4. Hæc omnia dum mecum perpendo, simul, q; negare solent, arces Romanorum astruo. Castra Prætorianorum fossa, valloq; cincta erant, eodem modo ad Rhenum omnia; Nec quicq; à nostris castellis discrepabãt, nisi q; maius præsidiũ erat. Munitio, qualis iam in nostris extemporaneis castris esse solet, qualem maximus belli ducum Ambrosius ad Rhenum fecit, imo fortiora erant illa vetera Romanorum hyberna; fortiora, inquam, si tempora spectes, cum n. tormentis carerent, manibus conscendere, & reuellere vallos, aggeres, & loricã planare oportebat, tunc itaq; tutiores erant in illis suis castris, quam nunc in arcibus. Quamuis n. paruo labore fierent, facile tamen defendebantur. Seianus Romæ castra instituit, valloque muniuit. Tacit. an. 4. *Vim præfecturæ modicam antea, intendit, dispersas per vrbem cohortes vna in castra cõducendo, vt simul imperia acciperent, numeroq; & robore, & visu inter se. fiducia ipsis, in cæteros metus dideretur. Præterdebat lasciuire militem diductum: si quid subitum ingruat, maiore auxilio pariter subueniri, & seuerius acturos, si vallũ statuatur procul vrbis illecebris.*

Munitiones Hybernorũ fortes.

Munc quoque tales arces malo.

Quanquam igitur arces non putentur habuisse non est tamen dubium castra ipsa arcium instar fuisse. Arcem enim definio propugnaculum populis coercēdis, hostibus arcendis ædificatū; ab arcendo itaque arces dictæ, hinc & nomen castrorum multa oppida retinuerūt. sed Machiauellum porro audiamus.

Arces causæ securitatis, inde iniuriæ, hinc odium, & tandem rebellio nascitur.

Cuius disputationis hoc principium esto, quod arces extrui soleant, vel ad arcēdos hostes, vel ad subditos compescendos, & in officio continendos. Ego vero pronuntio, ad priorē vsum necessarias nō esse, ad posteriorem inutiles, & noxias existere. Ad compescendos subditos noxias arces existimo, quoniam rebellionis periculum, quod metuitur, oriri soleat ex odio subditorum aduersus dominos concepto: odere autem principes, dominos q3 suos subditi pp acceptas iniurias: principes iniurias afficere solent subditos, eos q3 male tractare tunc maxime, cum se illis pro arbitrio dominari, eos domare, ac compescere, pro animi libidine posse sperāt. Id vero tunc potißimū cogitant, sperant q3, cum in medio illorum ingenti mole extructas habuerint arces munitißimas: q3 aduersus eas, neminem quicquā ausurū credant. Quæ cum ita sint, non inutiles modo sunt arces huiusmodi ad continendos in officio subditos: sed ēt noxiæ, cum iis, plus quam conueniant, confidentes principes, subditos male tractādi plectendique occasionem arripiant, eo q3 odium illorum aduersus sese concitant, ex quo rebelliones, cædes, & infinita mala dependent. Argumentum Machiauelli sic breui cōcludi potest. Arces sunt causæ vt princeps securus imperet, ex securitate sequitur tyrannis, qua dure & contumelioſe tractentur subditi, inde odium, & rebellio, non igitur faciendę arces. Quis vero hunc consiliarium princeps audiet? Ne tyrannus fias potens esse noli? Imo vero vt potens sis labora, vt tueri bonos, malos euertere queas. securitas principi quæritur ex arce, ex opibus, ab exercitu, quæ omnia non minus facere animos, quam arces possunt. Nasci ex arcibus securitatem credo; Ideo ædificandas censeo, vt princeps sui securus, iustitiam intrepidus administret, vt hostem & ciuem animo hostili, desperatione victorię à rebellione deterreat. Alioqui si securitas fugienda est, miles dimittatur, sine corporis custodibus solus princeps incedat, inuitet ad parricidium improbos, quod nullo periculo patrabunt. Ex æquo autem inuitant hostem, princeps sine stipatoribus, & prouincia sine munitionum præsidiis. Ego è contrario concludo. Principi hoc agendum est, vt vere sit princeps, vt sui securus, imperata facere cogat, vt noua molientibus spem præcidat, arcibus muniendis propositum hoc præcipue tenere potest, arces igitur muniendæ sunt.

Machiauellus principem securū esse vetat.

Timidus & sollicitus princeps facile fauit.

Quin & illud non recte suadetur, ne princeps securitatem quærat, sed vt in metu agat vitam, ac sollicitudine, quo mitius agat: nam reuera nihil crudelius principe timido, omnia paueſcit, omnia aduersa credit, & suspicionibus indulget; itaque calamitosa est optimatibus timiditas principis, multoque plures metu, quam securitate crudeles fuēre. Augustus dum metuit sæuissimus extitit, & si primis vicennalibus mortuus esset, inter odioſissimos principum fuisset, at vbi iam rerum potitus pericula discussit, mansuetudinem induit. maneat hoc alta mente repostum. *Si timidus est, & crudelis est.* Si timet, sæuit. Exemplum magnum Claudius. Ne igitur timeat, & sæuiat, securitati arces ædificet. Pergit Machiauellus.

§. 5. *Sed neque cum bella ingruunt, tantam vim habent arces, quantam illis attribuere homines solent. Duo enim soli sunt modi, subditos per vim in officio continendi, compescendique. Alter vt in promptu habeas exercitum egregium, vt populus Romanus habebat, quo motos liceat cōponere fluctus. Alter vt rebelles plane deleas extirpes q3, ne amplius deficere, aut arma aduersus te capere queant. Nam si bona illorum diripias: spoliatis arma superſunt. Si arma quoq3 ademeris: furor arma ministrat. Si ducibus interemptis, cæteris vitæ vsum concedas: renascentur subinde alii duces, veluti Hydræ Lernææ capita. Si arces habueris, tempore pacis audaciorem iniquioremq3 te erga subditos efficient: bello aduenient, cum ab hostibus, tum subditis tuis oppugnabuntur: nec fieri poterit, vt vtriq3 resistas.*

Arces tuta sumptuum compendia sunt.

Scio nihil tyranno firmum esse, quem subditi, exteriq; oderūt, quos ipsi seuitię administri detestātur; Duo illi modi, diuitum sunt, potentum, & crudelium. Nam habere semper in promptu egregium exercitum, non est nisi principis potentissimi, deinde exercitus perpetui magnis stipendijs alēdi sunt, quæ cum subditis extorquentur, tum demū arma capiūt, aut quocunq; gentiū confugiunt, & prouinciæ cultura deseritur. Deinde exercitus, quam facile tumultuetur, centum mortes imperatorum demonstrant. Tertio plus ad continendos hostes duo millia in arcibus, quam dena millia in aperto valent. Arces itaq; sumptuum compendia sunt. Quod vero ait hostibus non admodum nocere arces, falsum est, nam arcem firmam, milite, & commeatu instructam, nemo nisi ad tædia longæ obsidionis instructus aggreditur. Interim subdsidia comparari possunt, dum cōtra saxa, cespites, & vimineos textus depugnat hostis, vireſq; & opes effundit. Verum callidissimi Imperatoris arces paululū spectemus. Illo anno quo Britannos Cęsar sollicitauit, ob siccitates frugum inopia fuit, diuersis in locis legiones collocare coactus est. Vna in Morinos ducta, altera in Neruios. Tertia in Hednos. Quarta in Remos. Tres in Belgiam, vnam in Eburones, & 5. cohortes. Ipse interea, quoad legiones collocatas, munitaq; hyberna cognouisset, in Gallia morari constituit. Quam vero munita castra? censent tribuni, & primorum ordinum centuriones, *Quantas- uis magnas copias, etiam Germanorum sustineri posse munitis hybernis. Rem esse testimonio, quod primū hostium impetum, multis vltro vulneribus illatis, fortißime sustinuerint. re frumentaria nō premi.* Non possumus hic negare totidem castella, seu arces, quot sunt castra legionum. Non egreditur Galliā Cæsar nisi audito hyberna esse munita. Munitio ea fuit, vt Centuriones & Tribuni iudicarent contra quasuis copias posse defendi, & sua castra multos dies contra plurima millia Cicero defendit, quamuis hostes testudines, turresque agerent, & tribus horis decem millia passuum muniendo perfecerint, quamuis septimo die castra incenderint, iacto intra vallum igne. sed tota spes in muniendo, & resistendo fuit. Cæsar ita scribit. *Hostes postero die (l. 5.) postea quam ex nocturno fremitu, vigiliisque deprofectione eorum senserunt collocatis insidiis bipartito in syluis opportuno atque occulto loco à millibus passuum circiter duobus Romanorum aduentum expectabant. Et cum se maior pars agminis in magnam conuallem demisisset: ex vtraque parte eius vallis subito sese ostenderunt, nouißimos premere, & primos prohibere ascensu, atque iniquißimo nostris loco prælium committere cœperunt.*

Arcem instructam nemo facile aggreditur.

Iulii Cæsaris arces.

Munitio castrorum.

Ciceronis castra.

Quod nisi firma castra habuissent vna die omnes legiones deleri poterant; Multo sane prudentius fecissent initio Romani, quod postea facere sunt coacti, vt statiua, hyberna, atque etiam æstiua certis locis communirent. Hinc trans Danubium Traianus castella posuit, & pōtem fecit, vt succuri posset si oppugnarentur. Quin & Decebalus victus iubetur diruere propugnacula.

Perpetua castra facta

Hoc solum loco quæri potest, vtrum sit consultius, temporaria castra, an perpetua habere? At nemo prudens dubitare potest perpetua esse vtiliora. 1. Firmiora sunt, longo opere munita. 2. Non opus est singulis annis laborem iterare. 3. Exercitus victus, aut fugatus refugium habet; Hinc legiones, de quarum distributione dixi supra, cohortesque suis in munitionibus ætatem agebant. Quæ Alexandriæ erat legio ordinaria, sua seorsum castra munita, quasi arcem habuit, cohors etiam, quæ

quæ Ierosolymis erat, sua castra habebat, quæ ad ruinam vsque durauit; quid hoc aliud erat, quam arx quædam continendæ ciuitati.

Herodes ipse non contra disciplinam Romanorum, tribus arcibus vrbem populosam, & sibi infestam continuit. Nec aliter fortissimi regum fecere, Dauid n. Sionem muniuit, & ex eâ securus populum rexit, cui præter Cerethi, & Phelethi legiones semper 24. millia lectissimorum militum præsidio fuerunt, vt sacra Scriptura testatur. l. 1. par. c. 27. Verum nostra tempora spectemus, de quibus hunc in modum Machiauellus. *Quod si vnquam inutiles fuere arces ad compescendos subditos: nostra profecto ætate, non inutiles tantum, sed etiam pernitiosæ sunt propter bellicarum machinarũ vsum, quarum impetum neque arces, neq; vlla loca exigua sustinere possunt. quod ad illas sustinendas subinde retrocedere oporteat: & ruinas murorum ab iis factas, nouis fossis intrinsecus aggeribusque compensare. Hæc cum ita se habeant, expende porro, num per huiusmodi arces compescendus sit populus, qui iam ante ditionis tuæ fuerit, an qui nuper imperio tuo sit adiectus? Certe enim si principatum à maioribus acceptum possideas: arces ad subditos in officio continendos, non proderunt: propter causas iam explicatas: cum audaciore te, & posteros tuos efficiant, ad inferendas populo iniurias: ac proinde exponant te illorũ odio: nec possint te postmodũ defendere: pp hasce ergo causas, & ne vel ipse, vel eius hæredes, occasionẽ habeant tyrannidem exercendi, sed populi sibi beneuolentiam conciliare conentur, sapiens princeps arces nunquã extruere debet.* Hęc ratio superioris repetitionẽ habet, additq; hoc tẽpore arces inutiles, q̃ machinarum impetũ diu sustinere nõ possint. Hoc argumentum si vim habet, nulla omnino munitione vtendum fuerit; nec more Romanorum vallanda castra, non n. diu tormẽtis possunt resistere. Verũ plane diuersum sentiunt Reges & principes, nec non fortissimi ducũ nostri temporis, quos ego nequaquam robore animi, & prudentia veteribus cædere existimo. Nam primo arces multæ natura loci munitæ, arte ẽt adiutæ, si militem gnauũ habeant, sunt inexpugnabiles, quæ flumina, portus, vias tutas præstant. Deinde quæ hosti aliquando cedunt, tamen morando spaciũ colligendi militis præbent, aduersarios sumptu, labore exhauriunt, auctoritatemq; minuunt: dum in rupem, aut paludẽ vnam interdum regnorum thesauri impenduntur. Quod si sine munitionib⁹ omnia plana inueniat hostis, si vna sit victoria potitus, eaq; vtatur, ac variis locis munitiones excitet perpetuæ seruitutis frenum imponit: inermem n. prouinciam inuenit; Albertum Brandeburgicum ferro, rapinis, incẽdiisq; grassantem, qd ab inferiore Germania prohibuit, nisi arx Cõfluentibus opposita: cum eam nec transire auderet, & oppugnare, suis rationibus alienũ putaret. Quod Sfortiæ posteri Mediolanum perdiderunt, nõ arx in causa fuit, sed mores, odium populi, potentia Gallorum. Quod si arcem nõ habuisset, multo citius imperium amisisset, & nunc multos annos arx illa, & aliæ tutelæ sunt istius ducatus. Melius omnium gentium constitutis Franci regnum suum arcibus muniuerũt. Vere itaque Nicolaus Bellus. T. 1. rerum Polit. de Francia. *Quod attinet ad munitiones: Non alia est regio, in qua earum maior numerus sit, q̃ ex pluribus causis sit. Vna est, q̃ cum regnum in plura dominia & principatus diuisum erat, nempe Burgundiam, Britanniam, Adegauensem Ducatum, Normãniã: vnusquisq; suos fines muniuerit. Creuit numerus munitionum bellis Anglorum, qui magnæ Franciæ parti imperarunt. Situs & natura locorum. fortificationi oportunorum, nec minus diligentia & aptitudo populi ad has res, reddit faciliorem locorum munitionem.*

Arces quædam inexpugnabiles.

Arces quæ vincuntur hostem morantur.

§. 6. Quod vero addit Machiauellus, ad rem nihil facit. *His accedit,* inquit, *q̃ arces facile amittãtur vel fraude eorum, qui illis præficiuntur vel hostium vi, vel fame, & longa obsidione. Quod si amissam quampiam vrbem, arcis ope, quæ sola in fide permanserit, recuperare velis: exercitu nihilominus opus habes, perinde, ac si arcem non haberes, & quidem tanto maiori, quanto verisimilius est, ciues magis infensos tibi esse ob iniurias ex arce acceptas, quam fuissent futuri si arce caruisses. Experientia ipsa docuit Mediolanensem arcem, neq; Sfortianis, neq; Gallis tempore belli, quicquam profuisse, pacis tempore vehementer nocuisse: quod vtriq; tanti operis moli confidentes, non cogitarint de humaniori aliqua ratione conseruandi illius principatus. Guido Vbaldus certe, Fœderici Vbini Ducis filius rei militaris peritißimus: postquam imperio pulsus fuisset à Cæsare Borgia Alexandri VI. filio, idemq; Imperium postmodum ex casu quodam recuperasset, omnes arces atq; propugnacula illius demolitus est.* Iam enim supra simile argumentum de ærario confutaui; si enim timore furum, non est seponẽdus thesaurus, nec patrifamilias suadenda est œconomiæ ratio; at miserum est spoliari, miserrimum nihil esse, quo spolieris; miserrimum dico in principe, in Republica; non enim solitarios, & votiuæ paupertatis alumnos, sed Rempub. instruo, cui opus sunt opes, arces, aliaq; necessaria sunt, quibus improbos terreat, compescat. Arcium præfecti transfugere possunt, & arces tradere, sed multo facilius castra non munita, oppida, & pagos, ideoq; nec castra, nec arces sine fide hominum prosunt. Extorquet aliquando hastam militi fortior hostis, & proprio gladio prostratum iugulat, non tamen ideo nõ est armandus exercitus. *At Guido Vbaldus Frederici Vrbini ducis filius, rei militaris peritißimus, postquam imperio pulsus fuisset à Cæsare Borgia Alexãdri VI. filio, idemq; Imperium postmodũ ex casu quodam recuperasset: omnes arces atq; propugnacula illius demolitus est. Nam quia beneuolos subditos habebat, ad eos compescendos iis opus non habebat: aduersus hostes: illas sine exercitu defendere se non posse videbat.*

Non nego aliquando conuenire, vt arces deijciantur, si videlicet, tanta sit beneuolẽtia subditorum, vt ijs compescendis necessariæ non sint, si desit alendo præsidio pecunia; si tueri non possint. Nec ea de re disputamus, magnos belli duces nouimus oppida, pagosque, fruges, aliaq; omnia flammis absumpsisse, quæ tueri non poterant, ne hosti prodesse possent. Guido Vbaldus nõ diu deinde principatum tenuit, experientia docuit, populi fauorem aura citius commutari; quos principes cupidissime adsciscunt, velocissime odisse incipiunt, cum præter expectationem, tributa, vectigalia, operasque imperari vident.

Non facile arces diruenda spe beneuolentiæ.

De Genuensium arce non recte philosophatur, quamuis enim illa vrbs teneri non potuit, nõ tamen ideo oẽs arces demoliendæ sunt. Alioqui nec mœnibus cingendæ vrbes, cum Babylonem, & Niniuen prodigiosa mœnia non defenderint; nam aliæ causæ pereundi erant. Sed Machiauellum ex verbis eius & & historia reuincamus. *Id vero,* inquit, *& recentißimum, & euidentißimum exemplum est, ad demonstrandum, inutilem esse arcium structuram, ruinam earundem vtilem: quod Genuæ accidit ante paucos annos. Nouimus enim postquam ea vrbs, anno salutis M.D.VI. à Ludouico Galliæ Rege defecisset: isque cum magno exercitu ad eam recuperandam in Italiam venisset: recuperata vrbe, condidisse Regẽ ingentis molis arcem, quantam nullam eo tempore fuisse constat: Nam & loci natura, & arte inexpugnabilis videbatur: Gondefæ promõtorio super mari eminenti, insidebat, vt illic portus vniuersus, Ielis feriri posset, & magna etiam vrbis pars. Nihilominus tamen, cum deinde anno Domini M.D.XII. Galli omnes Italia pellerentur, Genua quoq; arcem nihil formidans, ad Octauianum Fregosium defecit, qui illam obsidione cingens, sedecim mensium spatio, fame coactam, ad deditionem compulit. Postquam eam Fregosius occupasset, omnium consiliis qui suadebant, vt illam tanquam refugium quoddam reseruaret, contemptis, funditus diruendam curauit: existimauitque populi beneuolentiam, virtutemq; suam, melius fore fundamentum imperii eius, quo etiamnum potitur, quam vllas arces aut propugnacula.*

Arx Genuensis Gallo vtilis fuit.

Mihi vero exinde firmissime probari videtur magna arcium vtilitas. Nam cum Galli Italis exosi morbis, fame, & innumeris calamitatib. affecti tota Hesperia pellerentur, non mirum, quod ciues quoque Genuenses diu liberi, & principes Italiæ in libertatem consensêre, & prius non fuerint, arx effecit. Neque hoc parui æstimari debet; nam menses sedecim arcem & portum Galli tenuerunt, si interea firmum exercitum confecissent, obsidionem soluere poterant, adde fame coactam esse se dedere; Quod si igitur de cõmeatu eius satis prospectũ fuisset, duorum triumve annorum obsidione opus fuisset, quo tempore & Franci parare subsidia poterãt, & fatigari obsidentes, & animi populorum mutari. Verum progreditur Machiauellus. *Eadem est ratio earum arcium quoq; quas condere solent in vrbibus Respub. nuper occupatis, ad ciues illos in officio continendos. Id enim si ex adducto iam Genuensium exemplo, minus sit manifestum, ex Florentinorum, Pisanorumq; acie notius euadet. Nam cum Pisas toties rebellantes Florentini vidissent: existimarunt constructa arce se illos compescere posse: parum animaduertentes eam vrbem, quæ libera esse consueuisset, & Florentinorum nomini semper infesta fuisset, non posse alia ratione in officio contineri, quam si Romanorum more, eam aut in societatem suam recepissent, aut plane destruxissent. Ad quid artes illis profuerint ad institutum finem, ex Caroli Galliæ Regis aduentu apparuit, cui statim traditæ sunt, sine præfectorum desidia, sine maioris mali metu. Si illas Florentini prius non condidissent, neq; illis tantum tribuissent, vt per illas conseruari vrbem putarent: de alio vtique modo cogitassent, quo vrbis imperio non tam facile à Rege spoliari potuissent.*

Cur Florẽtini Pisas amiserint.

Nihil hic quoque contra arces concluditur; Pisæ & Florentiæ diu æmulæ ciuitates fuerunt, tandem Pisæ succubuerunt, sed quia nec præsidio satis firmo, nec arce tenebantur, cum occasio data est, rebellarunt. Arce deinde eas continuerunt, donec aduentu Caroli Regis, cui omnia cedebant, cum arx parum firmo, infido, & lãguido præsidio defenderetur, maluerunt præfecti se Regis gratiæ tradere, quam sine causa periclitari, si Florentini arcem firmassent, valido præsidio & cõmeatu impositio, Pisanorũ infestos animis mitigassent, vt vicinos & cognatos, quã longinquos dominos mallent, diu exercitum Caroli sustinere potuissent, & atterere, ne successus alios haberet.

Reliqui modi difficiles erant, Pisas transferre Florentiam, aut delere omnino. Maluerunt enim alteri vrbi imperare, quam nullã esse; Non excuso Florentinos, si imperandi superbia, aut auaritia peccarunt, contra magna odia, nulla potentia durat, arces tamen & exercitus aliquamdiu obsistunt. si arcem

Pisanæ arcis vtilitas.

Pisis non extruxissent, iam ante aduentum Caroli Pisani excusso iugo, Florẽtiam excursionibus, depræ dationibusque vexassent.

§. 7. Quod autem per arces sint vrbes recuperatæ concedit, sed respondet in hunc modum. *Quod si quis nobis obiiciat, aut olim Tarentum: aut ætate nostra Brixiam, per arcem recuperatam, postquam incolæ defecissent: Respondeo ad recuperandum Tarentum arcem nequaquam sufficisse: quod ad id occupandum Q. Fabius Consul cum maximo exercitu missus fuerit: cum quo procul dubio id expugnare potuisset: etsi nullam arcẽ illic habuissent. Quid igitur arx populo Romano profuit, si nihilominus exercitu consulari indigebat, ad vrbem recuperandam? Capuæ nullam arcem habebant Romani, eandem tamen vrbem, exercitus virtute recuperarunt. In Brixiensis vrbis rebellione, nouum ac rarum quiddam accidit. Nam raro euenire solet, vt deficiente vrbe, qui in arce sunt, in fide permaneant, nisi vicinum habeant exercitum: cuius opẽm implorare queant. Deficientibus Brixianis, erat Foilleus princeps Bononiæ cum exercitu Regio: eaque reperceleres nuntios cognita, statim se itineri accinxit: ac tertio die eo perueniens, arcis auxilio opem recuperauit. Ergo neque Brixia per solam arcem recuperari potuit. sed exercitu Regio opus habuit: nec si ea sola recuperari potuisset.*

Respondeo arcem plurimum profuisse. Etsi enim non sine exercitu, facile tamen recipi ciuitas potuit, cui arx incumbebat. Recipiendo enim Tarento arx occasionem dedit. Quantum in arcibus momẽtum sit, Belgicæ discordiæ ostenderunt. Quin & Brixiam arcis auxilio receptam fatetur. Quod ipsa ratio bellorum docet; quantum enim à ducibus periculorũ, ac laborum impẽditur, vt dum vrbem obsidẽt, vnam turrim, vnum propugnaculum hostibus eripiant? Et cum hoc obtinuerunt, operæ se precium fecisse arbitrantur. Cum Ierosolymæ obsiderentur, (fuit autem illa nobilissima inter omnes à mundo condito obsidio) Titus primum cepit murum exteriorem, deinde secundum, denique tertium, idque per interualla temporum, & nouas suorum strages; quarto Antoniam arcem ab Herode extructam; quinto templum, quod arcis firmitatem, & situm habebat, denique montem Sion munitionem plane regiam. Quod si Romani mature sibi prospexissent, atque vnam earum arcium occupassent, antequam pellerentur, facile vrbem obtinuissent. Prudentius itaque Græcorum Reges, quod arcem tenuerunt.

Tarentum faciliusper arcem receptum est.

Si turrim obtinuisse operæ precium est, quanti est arcem tenere?

§. 1. Sed neque arcium omnem modum probo, sed eas tantum triplices. Primo quæ separatæ sunt ab vrbibus, aut vrbeculas adiunctas habent, quibus tamen in officio continendis non sunt exstructæ. Illarum finis est fluminum, portuum, limitum, viarumq; tutela: quam ob causam eas vtiles reddit locorũ opportunitas. Hinc vtilis arx Hermensteiniana Rheno ac Mosellæ Confluentibus imposita. Eodem modo in Rheni diuortio arx quam Schenckianam appellant, illam enim proprie arcem dici, quod hostem arceat, iam supra ostendi. Secvndo. Magnis vrbibus coercendis & defendendis conduntur arces, quarum triplex est modus. Quædam enim vrbem ferire possunt, & commeatum auertere, vt illa Genuatũ, quam Rex Franciæ exstruxit. Atque hæ maximæ probandæ sunt, quia duarum rerum metu animos ciuium stringunt, iaculationis & eruptionis in vrbem, & impediendi commeatus. Aliæ alterutrius tantum incommodi timore valent, vt Pragensis, Lutzenburgensis, quæ verberando vrbes, & inuadendo nocere possunt. Quæ in portubus sunt, fere ad inuectiones tutandas, aut impediendas seruiunt, talis est munitio Africana Rachiana, quam forti stratagemate ante annos aliquot Hispani in suam ditionem redegerunt, quamque diu summis viribus Æthiopes obsederunt.

Tertium genus arcium est, quod principes, nobilesque exstruere solent, quod munitionis nomine non venit, sed habitatio est paulo honestior, & contra subitos impetus munita. Harum in Germania, Galliaque est innumerabilis multitudo, olim munitissimæ multæ erant, rupibus impositæ, nunc pleræq; desertæ sunt.

De arcibus contra hostes multo grauius errat. *Illæ arces autem, quæ ad propulsandos exteros hostes extruuntur, & ad populi Imperiique tui defensionem: ne illæ quidem sunt necessariæ: Et si viris fortibus ac strenuis militibus abundes, non modo necessariæ non sunt, sed prorsus inutiles. Nam sine exercitu nihil prosunt egregius exercitus absque arcibus te defendere potest. Id experientia ipsa satis intellexerunt, quicunque vel in politicis, vel bellicis artibus excelluerunt, veluti Romani, Spartanique, quorum illi nullas arces vnquam ædificarunt: hi ne mœnia quidem circa vrbes ab se se occupatas, habere volebant: solam militum virtutem, propugnacula esse credebant. Quo factum vt Spartanus quidam interrogatus, num Athenienses vrbs pulchris mœnibus instructa videretur? responderit, perinde ac si à mulieribus habitaretur. Et ergo principi, qui bonum habet exercitum, prodesse*

prodesse queunt solummodo arces aliquæ in finibus imperij, locis præsertim maritimis positæ, ad sustinendos hostes per dies aliquot, donec exercitus instruantur: sed neque hæ quidem ei necessariæ existunt. Si careat forti exercitu, arces in finibus imperij aut nil prosunt, aut etiam nocent. Nam facile amittuntur: & vbi hostis illas occupauerit, aduersus te ijs vtetur. Quod si quas tam fortes munitasque arces esse concedas, vt occupari nequeant: pergit tamen nihilominus hostis, hisce post se relictis: quod potentißimi exercitus, hostium fines inuadant excurrantque nulla habita ratione vel vrbium, vel arcium munitißimarum, quas à tergo relinquant. Et constat hoc ita se habere, cum veteribus, tum nouis exemplis: Franciscus Maria ante paucos annos Vrbinum inuasit, nec quicquam curauit, quod post se decem vrbes infestas sibi omnes reliquisset. Quicunque ergo princeps potentem exercitum habet, facile carere potest arcibus: qui eo caret, non debet arces extruere, sed vrbem in qua habitat, quam maxime potest, communire, & ciues armis instruere: vt aduentantium hostium impetum aliquamdiu saltem possit sustinere, donec vel cum eo paciscatur, vel exteros in auxilium aduocare queat. Quæcunque præterea ædificantur arces, ac propugnacula, pacis tempore nimijs sumptibus aggrauant cum principes, tum subditos: tempore belli nil prosunt. Vt igitur cæteris in rebus summa prudentia senatus populi Romani omnia administrabat, ita hic quoque sapienter fecit, quod victos debellatosque Latinos, ac eruernates, non arcibus quibusdam compescendos existimauit, sed alia commodiori, ac virtuti magis consentanea ratione, in officio continendos.

Arces hostē aut impediunt, aut remorantur.

Hæc iam supra refutaui, nec me Lacedæmonij mouent, cum omnium gentium iudicio ἀεχαϊσμὸς, hoc est, stolida simplicitate egerint, vt ne quidem vrbem muro cinxerint. Quo quidem nihil stolidius esset, Nam si locus apertus sit ad omnem iniuriam, magnis copijs, magno labore, & periculo excubandum est. Quocunque loco Romani etiam in pacato castra muniebant; quæ enim sapientia est, exhaurire ciuem vigiliis, cum parui obiectu muri tantum laborem, possis lucrari?

At muri Athenensium erant perinde ac si à mulieribus habitarentur. Verum hoc scomma Laconis fuit, & eius, qui muratas Athenas metuit. Nos nouimus viros fortissimos mœnia fortissima condidisse, atque defendisse, arces etiam in Europa, India aque nostro tempore insigni virtute defensas, & si Romanas vires laudamus, certe nostra tempora admirari conuenit; maius est enim militum robur, contra tormenta ferrea, quam contra sagittas euntium.

CAPVT XXIV.

Fœdera ad potentiam facere plurimum.

Fœderum necessitas.

§. 1. FOEDERA intelligo pacta conuenta, quo sese plures mutua obligatione deuinciunt, συμμαχίαν, & societatem ineunt, vt eosdem amicos, & hostes iudicent. Qua re nihil ad potentiam est efficacius. Plus enim fœderibus sociorum, quam bellis proficitur, & Romani sociorum copijs non pauciora quam suis auspiciis gesserunt.

§. 2. Fœdera externorum principum domi securitatem constituunt, adferuntque auctoritatem. Magni enim quisque principem facit, quem ambiunt reges, & magnates, ad quem splendidæ legationes crebro ventitant.

Fœdera iurando sanciuntur, & publice.

§. 3. Fœderum sanctissima debet esse pactio. Nam iuramento sanciuntur, & publice. Iurisiurandi cum execratione formæ multæ passim apud historicos inueniuntur. Deinde quia publice fides data, magis obligat quam quæuis priuata promissio. si enim nemo fidem seruaret, regibus tamen illa seruanda esset. Nihil vero magis obesse regno potest, quam violatio fœderum, hinc nemo Turcis amicus est, quia fœdera sola vtilitate metitur.

Fœdus nisi omnib. fœderatis sit vtile, breue est.

§. 4. Cum plures in vnum fœdus conueniunt, oportet, vt vtrique vtile sit, aut necessarium: alioqui diuturnum non est. Imo ex querelis sociorum oriuntur bella grauissima, vt cum Rhodij inhonoratam militiam, & societatem cum Romanis fuisse queruntur. Nam fere omnes suam spectant vtilitatem. Quæ res adeo præualet sæpe honestati, vt fœderati fœderatis obsistant. Fugato Xerxe cum classis Græciæ victrix staret in ancoris, subiit Themistoclem improba, & digna exilio cogitatio, vt sociorum classem incenderet, quo illi exuti potentia maritima Athenienses in potestate essent, quod cum Aristides vtile, sed non honestum affereret, populus Athenienses vetuit; Et merito; nam tanto odio se onerasset, vt nulla par potentia cogitari posset, qua euaderent.

Improba Themistoclis cogitatio.

Vtilissimum fœdus actitatum est inter Venetos & Hispanum anno 1571. serius conuentum est, quàm conuenichebat; nam capta Nicosia est. Venetorum omnino intererat fœdus properari, & auxilia celeriter decerni, nam Venetus non nisi fœdere defendi potuit, & eo victo tota Italia in periculo futura erat, sed tamen postea irritum fuit, ex causis priuatis; quod Veneti mercaturam intercedere, ac proinde se ad paupertatem redigi viderent. Itaque semper aduigilandum est, vt cum eo paciscaris, quem subita necessitas non cogat, cum hoste paciscì; nam cum maximi sumptus essent facti, Veneti commerciorum damnis affecti, pacem cum Turca detrimentosam fecerunt.

Fœdus Venetum irritū.

Inter Aristocraticos & Democraticos, Monarchas que nō sunt firma fœdera.

§. 5. Fœdera inter diuersos admodum firma non sunt. Vt inter respublicas, & principes; Diuersa enim studia sunt, & diu nemo regum in vrbem Romanam admissus est, quanquam enim reges fœderatos haberet populus Romanus, eos tamen præcipue pressit.

Hinc neque Veneti cum vllo rege firmum fœdus obtinent, neque admodum optare videntur, & proximo bello ab Hollandis magis, quam ab vllo alio principe defensi sunt. Nec Hollandi principum fœderibus fidunt. Vere id sensit, qui hisce diebus Belgis adulatus est, historicus alioquin mendacissimus. Regum societates, *quibus magna ex parte libertatem debemus, magna odia sequentur, & Gallica, Britannicaque auxilia, cessante cōcordia, cessabunt. Sociæ ad Orientem vrbes, ne factiosis Belgarum imperijs accedant, mox in libertatem se restituent, quam cum retinere sua imbecillitate non possint, ferè ad Septentrionem genti se submittent. Germaniæ Principes Austriaca imperia noua patientia simulabunt. Turcæ P. C. præter sola in Mediterraneo commercia, Nobiles Venetiæ, quæ hisce bellis florem nostri sanguinis prodegerunt, solas gazas aperient.*

Aristocratiæ suspecta regū familiaritas, & è contrario.

Causa mihi huius rei videtur; Quod Democraticæ, aut Aristocraticæ Reipublicæ nolint suos magistratus regium splendorem admirari, aut appetere. Summum enim periculum est, ne illi, qui tanto ambitu annua imperia affectant, vt etiam tota patrimonia effundant, ne illi, inquam, ad perpetuas dictaturas & regiam stabilitatem omni conatu tendant. Existimo vix tres Romanorum fuisse, qui si potuissent, quod Cæsar, quod Pompeius, quod Augustus, non fecissent. Nec minus regibus est suspecta suorum principum, cum liberæ Reipublicæ senatoribus familiaritas. Libertatem enim illi obtinent, pleruq; minus potentes, cum principes sint multis modis obnoxii, ex eorum itaq;

legibus, consuetudineque possunt consilia suæ libertatis capessere. Verum omnibus consideratis plus est in Republica periculi. Qui enim Reipublicæ præsunt, vt Venetijs, vt in Hollandia, vt in Grisonibus Alpinis, vt in Heluetia, à regibus facile munera capiunt, & operas suas illis venditare solent. Vbi enim nunc Fabricios inuenias? Et palam nunc in Hollandia, & Alpibus περὶ δωρεδοκίας iudicia agitantur. Nam inter pares Reipublicæ senatores ambitio magis accenditur, dum sibi succedunt, dum auras populares captant, dum facta, & leges rescindunt; hinc cura opum & potentiæ; hæc à regibus præstatur, dum ad eorum commoda, sua consilia dirigunt, aut aliorum impediunt.

Optimates facile regũ auro inescantur.

Nec possunt Respublicæ regios ministros sibi tam facile auro deuincire. Quia priuati id non faciunt, quia superat eorum facultatẽ; nec ipse senatus commode potest, quia rationes reddendæ sunt; ideoque largitiones illæ clam esse non possunt, quapropter & periculosissimæ sunt.

§. 6. Multo vero maximam, & potentiam, & auctoritatem, quæ fundamentum est potentiæ, adferunt honorata potentium connubia. Quapropter principi soceri generique quærendi sunt potentes, aut ad res gerẽdas opportuni. Et ita fieri videmus: odia regia finiuntur amoribus, & gentibus saluti fuit pronuba. Profecto nulla re bella felicius, quam nuptijs finiuntur.

Connubia regum pax populorum.

Verum cauendum ne occasione nuptiarum bella nascantur. Quod fieri assolet, cum non fide conciliantur. Tale regnum nobis Daniel. 2. 43. describitur. *Quod autem ferrum vidisti mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ.* Causa ex rei natura petenda est; Nec calore, nec frigore miscere possunt testis metalla. Testæ calore coguntur, & in lapideam duritiem firmantur, frigore molliuntur; metalla frigore concrescunt, calore soluuntur, & liquescunt, quod igitur vni prodest, alteri obest. Metalla inter se facile coalescunt, quia simul fluunt calefacta, & simul frigefacta durantur. Hæc regum conditio spectanda est, vt nuptiarum fœdera pacem prouinciarum efficiant. Hinc igitur quærenda ratio cur non cohæreant animi regum affinitatibus colligati. Daniel Chaldaice ita loquitur. regum fore מערב בחסף טינא mistum in testa luti; ערב est spondere, pignorare, negociari, miscere; miscebuntur igitur in illo regno per modum mercium coniugia, vt non amore coniugali, sed regnandi vtilitate fœdera contrahantur, miscebuntur etiam semine humano, sed vt inquit Chaldæus: זלא לחון רבקין רגא עם רגא *sed nõ ad existendum conglutinatos alterum ad alterum.* καὶ οὐκ ἔσονται συγκολλώμενοι ὅτ@ μ@ τότε. vt Septuaginta vertunt. Quid igitur in his præcipue considerandum est?

Cum finis connubiorũ peruersus est, maiora bella nascũtur.

§. 7. Primum in hisce matrimonijs spectandum est, vt finis matrimonij sit verus, coniunctio maritalis, sobolis susceptio, educatio, mutua auxilia coniugum, amorque perpetuus. Qui enim hoc sancto fœdere, quod Deus instituit, peruerse ad fraudes vtuntur, maiora inde sibi mala adsciscunt. Hoc modo Saul filiam Dauidi promisit. 1. Reg. 18. 15. *Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, & cœpit cauere eum, omnis autem Israël & Iuda diligebat Dauid; ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos. Dixitque Saul ad Dauid. Ecce filia mea maior Merob. ipsam dabo tibi vxorem, tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat,*

Finis matrimonii.

dicens. Non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philistinorum.

Non adhæserunt sibi, nam & Saul persecutus est generum, & alteri filiam collocauit, & filia marito fidelior, quam impio patri fuit. Non potuit igitur hos matrimonium conciliare, cum nihil aliud quam mortem Dauidis quæreret, ideo dos data centum præputia Philistinorum. Similis fraus Antiochi de quo Daniel cap. 11. 17. *Et ponet faciem suam vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius, & recta faciet cum eo, & filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illud, & non stabit, nec illius erit.* Cum Ægyptij regis tutores insidias Antiochi cauerent, Cleopatram illi despondit, pacem simulauit, Cœlosynam, Judæam, Samariam, Phœnicem, dotis nomine illi dedit. Non tamen illa omnino dimisit; nam Josephus ait: *tributa vtrique regi depensa fuisse.* Filiæ mandarat, vt maritum, quo posset modo interimeret, sed illa mariti magis, quam patris partes fouit. Polybius cui forte animus regis parricidialis ignotus fuit, aliam causam nuptiarum putat; vt nempe Ptolomæum affinitate deuinciret, ne pugnaturo contra Romanos obsisteret. Hæc omnia ingentium calamitatum initia fuêre, dum ius patris in filia, ius soceri, ac denique generis humani societatem violat, in omne genus hominum sceleratissimus.

§. 8. Non possunt concordiam stabilire matrimonia, quum vnusquisque diuersum propositum habet, quamuis ex proposito non pugnent. Tandem eo venietur vt rumpantur illa fœdera. Prima Reipublicæ seditio de matrimonijs fuit, & misto patricio plebeoque sanguine occasio fuit nata petendi magistratus plebi, donec omnia ad plebem, & quod inde sequi solet, ad vnum deuoluta sunt. Postea in triumuiratu idem est tentatum, Antonius duxit Octauiam, sororem Augusti, Augustus Claudiam priuignam Antonij, sed potentior regnandi libido, omnia illa vincula disrupit, & orientem, atq; occidentem inter se commisit. Postea Seuerus Caracallæ & Getæ filijs regnum stabilire Plautiani affinitate voluit, sed nuptiæ vtriq; parti exitio fuerunt. Tentatum idem in Stilicone, a-lijsque, sed irrito conatu. Quia Augustis nuptijs ille ad transferendum imperium vtebatur. Non poterant conglutinari, quia supra modum impius Stilico, & perfidus omnia alia potius, quam imperii salutem quærebat. Hinc nuptiæ in dispari cultu religionis, diuturnæ & vtiles diu esse non possunt.

Patricii cõnubia miscuerunt, ne plebs magistratum peteret, plebis vt aditus ad magistratũ pateret.

In dispari cultu non sunt diuturna.

§. 9. Fœdera siue nuptiarum, siue alia quæcunque cum longinquis inita, nec admodum iuuant, & vicinos offendunt. Si enim quispiam principem Romanorum stante republica filiam Antiochi, aut Ptolomæi regum fœderatorum duxisset, nec adiuuari à Socero potuisset, & cæteris ciuibus exosus omnino ad nullam administrationem admissus fuisset. Ita nunc quoque principibus cauendum, ne potentium matrimoniis videantur noui aliquid moliri, Wilhelmo Juliæ duci noxia fuerunt, cum Franco fœdera, pactaque sponsalia. Ratio est propalam nota. Cum enim vicini principes negliguntur, & exterorum matrimoniorum splendor accersitur, simultas, suspicioq; nascitur, quæ potentiã recens auctam semper comitatur. Domi itaque inter suos odia, alienationes, diffidentiam habet in promptu, auxilia longinqua.

Cætera quæ ad potentiam faciunt, cum bellica sint, de eis suo dicam loco.

Finis Libri Octaui.

POLI-

POLITICORVM

LIBER NONVS.

DE

INTERNIS REI-PVBLICÆ MALIS.

CAPVT I.

Damna Rerumpublicarum multa, & grauia esse, & quæ ad Politicum præcipuè pertineant.

Multa cladium genera humanum genus exercent.

QVEMADMODVM IN HVmano corpore tot sunt morborum cohortes, quot artus, & membra; ita quoq; in magno Reipublicæ, Regnorumque systemate innumeræ sunt calamitatum, pereundiq; species, integras aliquando nationes pestilentia depopulatur, quemadmodum Galli tempore illa, quæ totum orbem obiuit. Pestem antecedere, aut sequi fames solet, quæ ipsa quandoque gentium reliquias depascitur. Solum ipsum peccatis hominum irritatur, & concutitur, anno CHRISTI 366. totus fere orbis terræ motu violatus est. His adde diluuia, incendiaque, & quicquid alicui obtigit mali, quod omnibus iure timeatur. Quædam ab inualidis euersæ sunt vrbes. Plin. l. 8. c. 29. *Nec minus clara documenta exitii sunt etiam ex contemnendis animalibus. M. Varro author est, à cuniculis suffossum in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia: ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa: ex Gyaro Cycladum Insula incolas à muribus fugatos: in Italia Amyclas à serpentibus deletas. Citra Cynamolgos Aethiopas late deserta regio est, à scorpionibus & solpugis gente sublata: & à scolopendris abactos Trarienses author est Theophrastus.* Horum malorum grauitatem quamuis sapiens Princeps, industria, humanitate, liberalitate temperare, ac leuare possit, non tamen ad Politices considerationem veniunt, cum auerti, gubernarique nulla ratione nisi precibus, & emendatione morum valeant.

Nihil tam infirmum, quod non aliquando validum.

§. 2. Cæterum damna Reipu. circa quæ prudentia Principis versatur, duplicia sunt; vel enim ex ipsa ciuitate nascuntur, & in visceribus hærent, vt in homine febris, vt hydrops, vt pestis. Vel aliunde inferuntur, vt grando, fulmen, sagittæ. Interna mala sunt odia, contemptus, factiones, proditiones, seditiones, rebelliones. Externa, bellum. Quanquam autem ex illis quæ docui discordiarum causæ, & seditionum anteuerti, atque excludi possint, visum est tamen singularibus libris disputare de seditione & bello, ne quicquam, quod ad perfectam Reipublicæ gubernationem pertinet, deesse videatur.

CAPVT II.

Seditionem grauissimum malum esse.

§. 1. SEDITIONEM quasi seitionem, seu secessionem dicimus, cum pars reipublicæ contra partem, aut contra Principem insurgit: Græci στάσιν appellant. Grande malum, belloque calamitosius. Vnius enim corporis membra, quæ nisi consensu salua esse non possunt, inter se colliduntur, mutuoque pressu sese interimunt. Maiora sane in seditione scelera, quam bello committuntur. Itaque omnium sapientium iudicio nihil est bello ciuili detestabilius, cuius causæ variæ sunt; sed illa præcipua, quod odia ciuilia sunt acerrima; magnis enim agitata causis videntur, & cum inualuêre à furore parum absunt; palam sane furere dicimus eos, qui in sua membra sæuiunt. Itaq; cognatæ acies, cum in partibus sunt fratres, & parentes, infestius concurrunt. Hinc odiorum ardentissima fuisse fraterna etiam fabulæ tradiderunt, hinc cœnæ Thyestææ, & Thebanorum rogorum in contraria tendentes fumi, hinc Turcicorum fratrum iam quasi ex lege mortes. Cum hoste externo de libertate, de gloria, de opibus certatur, cum ciue de vita. Consulatur historiæ Romanæ vetustas, hostes victos in vrbem receperunt, sub iugum miserunt, in seruitutem vendiderunt, & cum sæuierunt, securi aut gladio percusserunt; at in ciuili bello lucro deputabat victus, si sine tormentis & contumelijs mori liceret. Hostium ducibus regibusque sæpenumero pepercerunt, suos imperatores excruciatos occiderunt, mortuos omni ludibriorum genere diuexarunt. Nullum quod memini exemplum horribilius mundo dedit furor ciuilis eo, quod in Andronico. Describit historiam Nicetas l. 1. *Itaque in Anemæ castellum* (Andronicus captus) *duabus grauibus catenis cum ferreis seris superbo collo iniectis, & compedibus oneratus, vt captiuos tractari moris est, coniicitur, eoque habitu ad Isaacium perducto contumeliosis verbis insultatur, alapæ impinguntur, nares pulsantur, barba vellitur, dentes excutiuntur, capilli euelluntur, publicè omnibus ludibrio expositus, etiam à mulieribus pugnis cæditur, iis præsertim quarum maritos aut occiderat, aut excæcauerat. Deinde præcisa dextra in idem castellum reducitur sine cibo, sine potu, sine vllo cuiusquam officio. post aliquot dies altero oculo effosso, scabioso camelo impositus, per forum triumphi specie traducitur, calua glabra instar aridæ quercus, & ouo nudiore, & breui tunicula tectus, spectaculum miserabile, quod riuos lacrymarum elicere queat ex oculis non inhumanis. Sed stolidissimi & petulantissimi vrbis incolæ, præsertim sartores, coriarii, opifices, & circumforanea sordidaque turba, muscarum instar*

Seditio grauc malum quia magnam causam habere videtur.

Odiorum ciuilium atrocitas.

Ciuilia odia humanitatis iura violant.

Fortunæ turba fuit non Principis.

instar verno tempore, ad mulctras, & pinguia cymbia conuolantium, nulla ratione habita, quod is nudiustertius Imperator, regio diademate ornatus, ab omnibus laudatus, celebratus, adoratus esset, quodque sanctissimo iure iurando fidem, & beneuolentiam suam erga illum testati essent, efferatis animis sine vlla ratione ruentes, nihil mali prætermiserunt, quo Andronicum per nefas non afficerent. Alii claues in caput eius impegerunt, alii stercore nares eius fœdarunt, alii spongias excrementis hominum & pecudum fœdatas in faciem eius expresserunt, alii verbis obscœnis parentes eius infectati sunt. Erat & qui verubus latera eius pungerent, impudentiores quidam lapidibus coniectis rabidum canem eum appellabant. Scortum quoddam impudens ollam feruenti aqua plenam è culinaraptam in faciem eius effudit. Nemo denique erat quin malefaceret Andronico. Ita ignominiose in theatrum ridiculo triumpho perductum, ac misero illo Camelo detractum iuxta duas columellas quibus super ne lapis incumbit prope æneam lupam & hyenam, quæ inflexis ceruicibus quasi altera in alteram impetum facturæ, concitatæ astant, pedibus suspendunt fune alligatis. Tot mala perpessus, & alia sexcenta, quæ prætermisimus, tamen generoso adhuc animo illata mala tolerabat, ac mente integra ad affluentem turbam, & iacentem conuersus, nihil dicebat aliud, nisi, Domine miserere: & quid calamũ contritum infringitis? Cæterum dementissima populi turba, netunc quidem afflictissimo pepercit Andronico, postquam pedibus suspensus fuit. sed direpta vincula, virilia eius vexauit, & quidam homo nefarius longum ensem per fauces eius vsque ad intestina adegit. Duo vero latini generis, enses, ambabus annexi manibus in nates eius adegerunt, vt periculum facerent vter esset acutior, ictus dexteritate gloriati. Post tot ærumnas & clades ægre vitam abrupit, dextera cum dolore ad os admota, vt multi putarent, eum calidum ex ea sanguinem, ob recentem plagam adhuc destillantem, exsugere.

Crudelia militum iudicia.

§ 2. Quin & illud ciuilium bellorum crudelitatem multis modis ostendit, quod omnia victis solatia auferuntur, metu, odioque victoris; in bellis externis crudelitatis aciem obtundit vtilitas seruitutis; malunt enim ex hostibus habere seruos, agrorum cultores, operumque obnoxios curatores, quam calcare cadauera: itaque quibus misericordia non indulget vitam, eos auaritia seruando seruos facit: bella ciuilia seruitutem nesciunt. Persas & Getas ad Cyathos statuunt, Æthiopas faciunt Atrienses, Alemanni equites currum anteambulant, ciuis capti nullum censetur officium, sola morte securum reddit victorem. Ne hostibus quidem peregre venditur, quia quamdiu viuit, non creditur quieturus. Hinc Marius ciuili sanguine cruentus, hinc vindicta Syllana, quæ pernicios ior fuit, quam si scelera impunita relinquerentur. Luc. l. 2.

Barbarus seruiture, ciuis morte luit.

Exceſit medicina modum, nimiumq; ſecuta eſt,
Qua duxere manus: periere nocentes;
Sed cum iam ſoli poſſent ſupereſſe nocentes.
Tunc data libertas odiis, reſolutaq; legum
Frenis ira ruit.

Ira ciuilis nec legem, nec modum nouit.

§. 3. Nobilitati & virtuti parcere sæpe hostes solent; Causa duplex; vel enim miserantur rerum humanarum communem sortem, eosq; quos à summa fortuna ad infimam recidisse intelligunt, mitius habendos arbitrantur. Nabuchodonosor quidem victos reges mẽsæ suæ adhibuit, captiuorum nobilium filios Danielem & socios ad honores prouexit. Alexander Porum victum regnare iussit; Darij filias matremq; consolatus non inferius sua dignitate matrimonium sperare iussit. Romani quas gentes bello infestissimas habuerunt, easdem deinde socios fidelissimos experti sunt. Sen. l. 11. de ira. cap. 34. hac re ad vincendam iram hortatur, sed in hoste valere solet, non in ciue. *Quos populus Romanus fideliores habet socios, quam quos habuit pertinacissimos hostes? quod hodie esset imperium, nisi salubris prouidentia victos permiscuisset victoribus! Irascetur aliquis? tu contra beneficiis prouoca. cadit stantem insultas, ab altera parte deserta. nisi par, non pugnat; si vtrinque certabitur, ille est melior, qui prior pedem retulit: victus est qui vicit. percussit te, recede. referiendo enim, & occasionem sæpius ferendo dabis, & excusationem. non poteris reuelli, cum voles. Nunquid velit quisquam tam grauiter hostem ferire, vt relinquat manum in vulnere, & se ab ictu reuocare non possit? atqui tale ira telum est, vix retrahitur.* Altera causa est, quod virtutem hostium multi reueriti, vitam donarunt illis, à quibus maximas clades acceperunt. Ciuilium bellorum rabies his bonis accenditur, nemo inimicior nobilibus, & diuitibus censetur, quam victus ciuis: illis proscriptio præcipue intentatur, diuitiæ ad cædem ciuium incitamento sunt. Virtutem in seditione tanquam veneficia persequuntur. Catulos, CiceRones, Antonios, Catones seditio persequitur; Clodij & Curiones securitate fruuntur. Causa vero est, quod vbi inimicitiæ, odiaq; animum occuparunt, vbi mutuis damnis mentes exasperatæ sunt, nihil facile creditur, diciturue, nisi quod ad augendas inimicitias efficax est: quos enim ciues inimicos suos putant, etiam iniuriosos, ideoque iniquos & impios arbitrantur, cum hac opinione iungitur altera, nempe nullam esse pestem efficaciorem ad nocendum, quam sit familiaris inimicus; itaque quicquid in ciue bonum apparet, instrumentum ad nocendum sibi esse suspicantur.

Ciuile bellũ irreconciliabile.

In bello extero virtus, in ciuili vitia honorantur.

§. 4. Disciplina militaris pessum datur; quippe in vtraque acie noti, consanguinei, præmia corruptelæ, fraus vtrinque impunita. Ciuium & rusticorum fides in omni genere contractuum fluxa: si enim soluere æs alienum non libeat, si negare depositum, in aduersa castra migrabit, vbi securus erit. Causa tanti mali est, quia militem regere, victoriam temperare duces nequeunt, obnoxij tæterrimo cuique, ita canunt Cæsareani milites.

Bellum ciuile omnem disciplinam recusat.

——— *Rheni mihi Cæsar in vndis*
Dux erat, hic socius, facinus quos inquinat, æquat.

Victoria ciuilis misera.

Augustũ miles C. Antonius non audiebat, postquam senatum contempsit. Parendum est illis per quos vicit. *Cæsar à me pecuniam? cur potius quam ego ab illo: an ille sine me vicit? at ne potuit quidem. Ego ad illum belli ciuilis causam attuli: ego leges perniciosas rogaui: ego arma contra consules imperatoresque populi Roman. contra senatum populumque Rom. contra Deos patrios, aras que & focos, contra patriam tuli: num sibi soli vicit? quorum facinus est commune, cur non sit eorum præda communis? ius postulabas.* Augustus Antonio Ciceronem, Antonius Augusto auunculum donare coactus est, quia alter sine altero non vicit. Quin & Lepidus Triumuirorum postremus fratrem Liuium hostibus donauit. Solimannus in ciuili bello filiorum, alterius qui profugerat mortem pretio emit, cum vitam pecunia emere tantum imperatorem vix decuisset. Neque mirum suos donare, contra omnes affectus, parentum, filiorum, fratrum seditio fortis est. Huc spectat illa nobilis de duobus inimicis fabula, quorum alter in prora, alter in puppi sedebat, cumque ob tempestatem nauis conuelleretur, intellecto ex nauarcho proram primo mergendam, gaudebat ille qui in puppi confidebat, quod interitum inimici conspecturus esset.

§. 5. Denique finis bellorum & seditionum est exitium per tyrannidem, vel externum hostem. Nulla pene tam parua natio est, quæ ab hoste vincatur, nisi tumultu & factionibus seipsam atterat. Exemplis non est opus, totus orbis exemplum est, adeo vt callidi bellatores discordiam hostium inprimis exoptet. Nec seditione bellatores euadunt, quæ res fere tumultuum authores fefellit: qui enim conciliandæ seditioni acerrimus est, bello est inutilis. Pugnare pauci, conspirare quilibet potest. In contentione timidissimus præualet, in prælio fortis. Atq; hæc causa est, cur seditio, cum datum est initium, celerrime crescat;

Prudentis imperatoris aiunt, discordiam hostium curare.

Seditiosi non sunt fortes.

crescat; quia ab vilissimis & nequissimis hominibus intenduntur lites, cum autem adest verus hostis, cuncti diffugiunt. Quod si externo hoste vires attritæ non absumuntur, victoria ciuilis tamen finito iam bello viuentibus inimicitiis crudelius grassatur. Cum Mariani non modo victoriam, sed etiam salutem desperarent, cuncta suis alienisque cædibus impleuerunt. *Vrbem deinde Sylla* (inquit Augustinus libro tertio de ciuitate capite vigesimo octauo.) *Victor intrauit, qui in via publica, non iam bello, sed ipsa pace sæuiente, septem millia peditum vndecunque inermia, non pugnando, sed iubendo prostrauerat. In vrbe autem tota quem vellet, Syllanus quisque feriebat. Vnde tot funera numerari omnino non poterant, donec Sylla suggereretur; sinendos esse aliquos viuere, vt essent quibus possent imperare, qui vicerant. Tunc iam cohibita quæ hac atque hac passim furibunda ferebatur licentia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione posita est, quæ hominum ex vtroque ordine splendido, equestri scilicet atque senatorio, occidendorum ac proscribendorum ad duo millia continebat: contristabat numerus, sed consolabatur modus. Nec quia tot cadebant, tantum erat mœroris quantum latitiæ, quia cæteri non timebant. Sed in quibusdam eorum qui mori iussierant, etiam ipsa licet crudelis cæterorum securitas, genera mortium exquisita congemuit. Quendam enim sine ferro laniantium manus diripuerunt: immanius homines hominem viuum, quam bestiæ solent discerpere, cadauer abiectum. Alius oculis effossis, & particulatim membris amputatis, in tantis cruciatibus diu viuere, vel potius diu mori coactus est. Subhastatæ sunt etiam tanquam villæ quædam nobiles ciuitates. Vna vero velut vnus reus duci iuberetur, sic tota iussa est trucidari. Hæc facta sunt in pace post bellum, non vt acceleraretur obtinenda victoria, sed ne contemneretur obtenta. Pax cum bello de crudelitate certauit, & vicit. Illud enim prostrauit armatos, ista nudatos. Bellum erat, vt qui feriebatur, si posset, feriret; pax autem, non vt qui euaserat, viueret, sed vt moriens non repugnaret.* Magnum itaque malum est seditio, & quod dolendum etiam frequens, & vsitatum.

Pax bello ciuili finito sæuit.

CAPVT III.

Seditiones esse frequentissimas

Quicunq; punitur ferentis insitiam accusat.

§. 1. TAM graue malum etiam frequens est. Causa est, quia querulum est genus humanum, & quia facile pessimo cuique est murmurare. Populum Israël ex Ægypto, de fornace ferrea, de domo seruitutis DEVS eduxit, per tot & tanta miracula, vt Pharao ipse obstupesceret, & tamen intra spatium mẽsium quindecim decies contra DEVM seditionem mouit. Numerorum decimo quarto, vigesimo secundo. *Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, & cætera.* Mirum videri posset, vel vnam sedetionem esse potuisse. Nulla erat Magistratus iniuria, *Tu scis*, inquit Moses, *quod ne asellum quidem cuiusquam acceperim*, nulla indigentia, vestes non atterebantur, quotidianum erat mannæ miraculum, mare rubrum cesserat, hostesque hauserat, aquæ in dulcedinem versæ, nouæ productæ, inter hæc admiranda contra DEVM murmurant, Mosen ducem, & Aaronem persequuntur, non beneficiis mitigati, non plagis territi. DEO teste quadraginta annorum fuit illa seditio. *Hodie si vocem* DOMINI *audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto; vbi tentauerunt me Patres vestri, probauerunt, & viderunt opera mea, quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hi errant corde, ipsi vero non cognouerunt vias meas.* Illa igitur à DEO dilecta & electa Respublica, populus ille, cui benedixit DOMINVS in ipsa sua liberatione, in exitu de Ægypto, de populo Barbaro, in ipsa pompa & traductione triumphali, præsente DEO decies seditionem intra quindecim menses mouit, & crebrius per annos quadraginta. Quid de gentium populis iudicabimus? Fuere & illis sui tumultus & exitia. Atque vt ne longe à Palæstina recedam, eo ipso tempore, quo filii Israël in deserto errarunt, finitimi reges inter se bella gesserunt, Sehon Amorrhæus regnum Moabitarum obtinuit ab Arnon vsque Jeboc. Chananæorum reges quorum possessio Israëlitis assignata fuerat, inter se concurrerunt, vt iam factis viribus electo populo obiicerentur. Si enim Adonibezec septuaginta reges subegerat, qui sub mensa eius amputatis manuum & pedum extremis micas colligebant, quis dubitare potest reges eos plurimos cognatos fuisse, cum in medio Chananæorum habitaret? Quis etiam dubitare potest, reges illos bello & seditione victos, & internecione multorum? cum vero post mortem Josue ea contigerit clades crudelissimo tyranno, omnino constat eo tempore, quo Israëlitæ sub Mose & Josue fuerunt, tanta bella in Palæstina iam peritura fuisse. Vide lib Jud. capite primo, sexto. Nunc quoque dum ista scribo ante fores Turcorum depugnant Christiani. Ne vnquam negare possint se perire velle.

Populus electus annos quadraginta murmurat.

Chananæi inter se bella gesserunt ciuilia.

Etiam imminente periculo tumultuantur.

§. 2. Porro ex vna eademque potentissima & notissima Republica Romana, si insigniores seditiones collegero, exemplum humanæ malitiæ, quæ nec imperium, nec libertatem ferre potest, clarissimum demonstrauero, omnibusque regibus insigne documentum dedero, vt sint ad sedandas discordias, tollendosq; tumultus egregie cauti, instructique. Contentiones igitur dimicationesq;, vnius vrbis in se diuisæ perpendamus, atque vt ab exordio omnia grauiora accersamus

Summa ars principis seditiones cauere.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Romanum imperium domi fragile ob seditiones.

Hac indole ciuitas adoleuit, quam illi fratrum ingenia indiderunt. Nec Romuli felicior exitus, *Patrum manib. discerptum*, aiunt, *ob asperius ingenium.* plebs credidit, & Patribus infensa fuit. Contentio deinde inter veteres Romanos, & Sabinos fuit, quanam ex factione reges eligerentur, eaque annum perdurauit, quo & interregnum fuit, donec plebs indignata fremeret: *Multiplicatam seruitutem, centum pro vno dominos factos.* verba Liuii sunt. *nec vltra regem nisi ab ipsis creatum videbantur passuri, cum sensissent ea moueri Patres, offerendum vltro rati, quod amissuri erant, ita gratiam ineunt, &c.* Seditio itaque tum inchoata fuit, sed prudentia patrum discussa est. Numæ imperio nulla seditio memoratur, Tullo regnante Fidenæ colonia Romana defecit. Metius Suffetius proditionem molitus est. nec quieta, nec turbulenta deinde pleraque fuere vsque ad Tarquinium, qui sollicitato senatu Seruium socerum regno expulit & occidit. Nam & Tarquinium Priscum filii Anci occidi curarunt, licet fructum sceleris, hoc est regnum non obtinuerint. Quod populus nihil mouerit, causa erat immanis seruitus. & cum rem perpendo non felicior videtur fuisse eo tempore status Romanæ plebis, quam sub Pharaone fuerit, filiorum Israël in Ægypto, & inter bonos tamen reges à Liuio, Floro, cæterisque numeratur. De illo Liuius. *Maiore animo pacis opera inchoata, quam quanta mole gesserat bellum: vt non quietior*

Regno & interregno populus seruit.

Sub regib. quis populi status.

quietior populus domi esset, quam militiæ fuisset, nam & muro lapideo, cuius exordium operis Sabino bello turbatum erat, vrbem quam nondum munierat cingere parat: & infima vrbis loca circa forum, aliasque interiectas collibus conualles, quia ex planis locis haud facile euehebant aquas, cloacis è fastigio in Tiberim ductis siccat: & aream ad ædem in Capitolio Iouis, quam vouerat bello Sabino, iam præsagiente animo, futuram olim amplitudinem loci, occupat fundamentis. Hæc Liuius laudi patriæ seruiens. Qua vero tyrannide id actitatum sit, docet Plinius libro trigesimo octauo, capite decimo quinto. *Non omittendo memorabili exemplo, vel eo magis, quoniam celeberrimis rerum conditoribus omissum est: cum id opus Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, esset que labor incertum longior an periculosior, passim conscita nece Quiritibus tædium fugientibus, nouum & inexcogitatum antea posteaque remedium inuenit ille rex, vt omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora spectanda ciuibus simul & feris, volucribusque laceranda.*

Tædio laborum mori malunt.

Atque hæc causa est, cur plebs quieuerit oppressa regio metu. Sequitur Tarquinius Superbus quem rebellione concita vrbe eiecerunt ob filium adulterum tumultuati, quem tamen legibus forte punire non erat difficile. Verum occasio, ira læsorum, alienatio à rege superbo, seditionem vno impetu mouit, vrsit, perfecitque, quod ausi fuerunt. Pulsis regibus quamuis magnus ab illis metus, hostesque diuersi imminerent, non tamen absque seditione ætas agitabatur, Bruti progenies cum nobilibus adolescentibus in patriam conspirauit, Tarquiniosque reducere conati sunt. Valerius in suspicionem regni affectati venit, nec nisi domo deiecta, quam inchoauerat, fascibusque populo submissis tutus fuit. Et quidem timida fuit ab Anno V. C. 244. ad Annum 257. quies domi, postea continuæ seditiones, aut seditionum consilia fuere. Anno post reges exactos decimo sexto post mortem Tarquinij altero, ingens Romæ discordia exorta est. Liuius libro secundo. *Sed & Volscum bellum imminebat, & ciuitas ipsa secum discors intestino inter patres plebemque flagrabat odio, maxime propter nexos ab æs alienum. Fremebant se foris pro libertate & imperio dimicantes, domi à ciuibus captos & oppressos esse: tutioremque in bello quam in pace, inter hostes, quam inter ciues libertatem plebis esse: inuidiamque eam sua sponte gliscentem insignis vnius calamitas accendit. Magno conatu quidam cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit. Obsita erat squalore vestis, fœdior corporis habitus pallore ac macie perempti, ad hoc promissa barba, & capilli efferauerant speciem oris: noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse aiebant, aliaque militiæ decora vulgo miserantes eum iactabant, ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices aduerso pectore ostentabat. Sciscitantibus vnde ille habitus? vnde deformitas? cum circumfusa turba esset prope in concionis modum: Sabino bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, as alienum feciſſe. id cumulatum vsuris primo se agro paterno auitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem ad corpus ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum, & carnificinam coniectum esse, inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigijs verberum. Ad hæc visa auditaque clamor ingens oritur. non iam foro se tumultus continet, sed passim totam vrbem peruadit, nexu vincti solutique se vndique in publicum proripiunt, implorant Quiritium fidem. nullo loco deest seditionis voluntarius comes, multis passim agminibus per omnes vias cum clamore in forum curritur. Magno cum periculo suo, qui forte patrum in foro erant, in eam turbam inciderunt, nec temperatum manibus foret, ni propere Consules P. Seruilius, & Ap. Claudius ad comprimendam seditionem interuenissent. At in eos multitudo versa, ostentare vincula sua deformitatemque aliam, hæc se meritos dicere exprobrantes quisque suam alius alibi militiam. Postulare multo minaciter magis quam suppliciter, vt senatum vocarent: curiamque ipsi futuri arbitri moderatoresque publici consilij circumsistunt. Pauci admodum Patrum, quos casus obtulerat, contracti ad consules, cæteros metus non curia modo, sed etiam foro arcebat. nec agi quidquam per infrequentiam poterat senatus. Tum vero eludi atque extrahi se multitudo putare: & patrum qui abessent, non casu, non metu, sed impediendæ rei causa abesse, & consules ipsos tergiuersari, nec dubie ludibrio esse miserias suas. Iam propeerat, vt ne consulum quidem maiestas coërceret iras hominum, cum incerti morando, an veniendo plus periculi contraherent, tandem in senatum veniunt, frequentique tandem curia, non modo inter patres, sed ne inter consules quidem ipsos satis conueniebat.*

Regum metus seditionē coercuit.

Ciues Romani tutiores apud hostes, quam ciues.

Discordia plebis etiam senatum in partes diuidit.

Erant vero tot nexi, vt bona pars exercitus inde conficeretur. Creuere autem adeo discordiæ, vt Sabini non fiducia virium, sed contemptu litigantium ciuium arma caperent. Plebs enim nocturnos cœtus celebrare in Esquilinis, in Auentino conuenire. Tandem aperte resistere, & in sacrum montem secedere, factum hoc Anno 260. quo Tribunos plebis crearunt, seminarium perpetuum discordiarum, donec primum à ciuibus, deinde à Barbaris oppressi sunt.

Anno deinde 262. Coriolanum expulerunt, qui post duos annos patriæ bellum intulit. Nec longa in medio mora Anno 267. victis Volscis Sp. Cassius agraria lege & reddenda pecunia pro Siculo frumento regnum affectans, perduellionis reus occiditur. Non tamen desijt seditio plebis, quæ externum anno sequenti bellum excitauit, & eo finita est. sed recruduit mox post victoriam, vt monet Liuius. acerrima vero fuit seditio Anno 271. eo vero insaniæ venit exercitus, vt cum equites hostem venientem fugassent, pedites insequi noluerint, & iniussu consulis mœsti, & ab equite nouatam operam execrantes in castra redierint; nec tamen anno 273. à tumultu cessatum, impediti delectus, donec Consilio Appii Tribunos inter se commiserunt. statum vrbis eo tempore Italici populi veriſſime describunt. Liuius libro secundo. *Aeternas opes esse Romanas, nisi inter semet ipsos seditionibus sæuiant. id vnum venenum, eam labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia essent. diu sustentatum id malum, partim patrum consiliis, partim patientia plebis iam ad extrema venisse, duas ciuitates ex vna factas: suos cuique parti magistratus, suas leges esse. primum in delectibus sæuire solitos, eosdem in bello tamen paruisse ducibus, qualicunque vrbis statu, manente disciplina militari, sisti potuisse: iam non parendi magistratibus morem, in castra quoque Romanum militem sequi: proximo bello in ipsa acie, in ipso certamine, consensu exercitus traditam vltro victoriam victis Aequis: signa deserta: imperatorem in acie relictum, iniussu in castra reditum; profecto si instetur suo milite vinci Romam posse, nihil aliud opus esse, quam indici, ostendique bellum; cætera sua sponte fata & Deos gesturos.* Quis vllam horam sine seditione Romam dicat fuisse, cum tali statu contra se fureret? cum vinci mallet, omniaque perdere, quam patricio duce vincere?

In seditiosos hostis inuadit.

Seditiones Romam perdunt.

Nec alia ratione nisi dolo factum, vt pugnare vellent cum crederent id nolle duces. Perseuerauit illa ordinum alienatio, certaminaque, donec Anno 280. Tribunus domi occisus cæteros timore afflixit. sed tamen maius odium concitauit, de consulibus tollendis cogitationem suscipiunt. Liuius libro secundo. *Dicere actum esse, tum primum tributis comitiis creati Tribuni sunt: numero etiam additos tres, perinde ac duo ante fuerint, Piso auctor est. nominat quoque Tribunos Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Mecilium. Volscitum, Aequique inter seditionem Romanam*

Odio ducū pugnant & vincunt.

Cōsul plebē magis quā hostē odit.

nam & bellum coortum, vastauerant agros, vt si qua secessio plebis fieret, ad se receptum haberet. Compositis deinde rebus castra retro mouere. Ap. Claudius in Volscos missus. Quintio Aequi prouincia euenit. Eadem in militia sæuitia Appii qua domi, eo liberior, quod sine tribunitijs vinculis erat. Odisse plebem plus quam paterno odio, quod se victum videbat ab ea: & se vnico consule electo aduersus Tribunitiam potestatem perlatam legem esse, quam minore conatu, nequaquam tanta patrum spe, priores impedierint Consules, Hac ira indignatioq, ferocem animum ad vexandum seuo imperio exercitum stimulabat. nec vlla vi domari poterat, tantum certamen animis imbiberant. Segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia gerere, nec pudor, nec metus coercebat. Si citius agi vellet agmen, tardius sedulo incedere. Si adhortator operis adesset, omnes sua sponte motam remittere industriam. præsenti vultus demittere, tacite prætereuntem execrari: vt inuictus ille odio plebeio animus interdum moueretur, omni nequicquam acerbitate prompta, nihil iam cum militibus agere: à centurionibus corruptum exercitum dicere, tribunos plebis cauillans interdum, & Volerones vocare. Nihil eorum Volsci nesciebant: instabantque eo magis sperantes idem certamen animorum aduersus Appium habiturum exercitum Romanum, quod aduersus Fabium Cos. habuisset. Caterum multo Appio quam Fabio violentior fuit: non enim vincere tantum noluit, vt Fabianus exercitus, sed vinci voluit productus in aciem, turpi fuga petit castra, nec ante restitit, quam signa inferentem Volscum munimentis vidit, fædamque extremi agminis cædem. tum expressa vis ad pugnandum, vt victor iam à vallo submoueretur hostis: satis tamen apparet, capi tantum castra militem Romanum noluisse. alij gaudere sua clade atque ignominia. Quibus nihil infractus ferox Appij animus, cum insuper sæuire vellet, concionemque aduocaret. concurrunt ad eum legati, tribunique monentes, ne vtique experiri vellet imperium, cuius vis omnis in consensu obedientium esset. negare vulgo milites se ad concionem ituros, passimque exaudiri vocespostulantium, vt castra ex Volsco agro moueantur: hostem victorem paulo ante prope in portis ac vallo fuisse, ingentisque mali, non suspicionem modo, sed apertam speciem obuersari ante oculos. Victus tandem (quandoquidem nihil præter tempus noxæ lucrarentur) remissa concione iter in sequentem diem pronunciari cum iussisset, prima luce classico signum profectionis dedit. Cum maxime agmen è castris explicaretur, Volsci, vt eodem signo excitati, nouissimos adoriuntur. à quibus perlatus ad primos tumultus, eo pauore, signaque & ordines turbauit, vt neque imperia exaudiri, neque instrui acies possent. nemo vllius nisi fugæ memor: ita effuso agmine per stragem corporum animorumque euasere, vt prius hostis desisteret sequi, quam Romanus fugere. Anno v.c. 282. hoc contigit.

Odio ducis fugit exercitus.

Manente discordia 284. vltima vis timebatur, Comitijs deinde consularibus plebs interesse noluit, semper sollicita, semper infesta.

Tres causæ seditionum nouarum. Munera seditiosi faciunt.

Anno 286. agrariæ legis iterata certamina, & Volscus ager Coloniæ Antium deducendæ datus, sed plerique fastidiebant. Quietem nonnullam ingentia pericula attulere, quibus defuncti Anno 291. omnia recruduere mala domestica, vt Consul reuocandus fuerit: nam absentia Consulum actionibus suis tempus tribuni quæsiuere. Magis asperata Anno sequenti pugna, Consules delectum habent, si quem comprehenderent Tribuni mitti iubebant. Pulsus metu iudicij cæso, & mox pro vno mille Cæsones, sed qui arte toto anno eludunt Tribunos.

Hactenus dissensiones, at vero Anno 293. cum Capitolium duce Herdonio manus seruilis occupasset, rebus in extremo discrimine constitutis Tribuni ab armis populum auocant. Vim vltimam apparebat futuram, spectaculoque seditionem Romanam hostibus fore: nec lex tamen ferri, nec ire in Capitolium Consul potuit; nox certamina cœpta oppressit, tribuni cessere nocti, timentes consulum arma. Amotis inde seditionis Auctoribus, patres circumire plebem, inferentesque se in circulos, sermones tempori aptos serere: admonere, vt viderent in quod discrimen Rempublicam adducerent: non inter patres ac plebem certamen esse, sed simul patres, plebemque arcem vrbis, templa Deorum, penates publicos priuatosque hostibus dedi. Quam mirum ciues Romanos tam pertinaci discordia cœcatos, vt cum Tusculanorum dictator Mãlius auxilio veniret, ipsi tamen suo periculo non mouerentur; rogandique essent vt contra mancipia sua se defendere vellent. Id vero quod Tribuni, etiam tum reclamant, omnem furorem superat. Merito itaque L. Quintius Cincinnatus consul Anno insequenti Tribunos hostes Herdonio deteriores esse affirmauit. Sed tamen illi delectum impedire conantur, & plebs eosdem Tribunos reficit.

Seditiosa plebs contra sua mancipia arma sume re recusat.

Anno 295. Quintius Cincinnatus dictator auctis hostibus pericula externa discussit, plebs Tribunos eosdem quintum refecit. Itaque Anno 296. ad extremas contentiones deuenissent, nisi Æqui, Sabinique exitia maiora intulissent. Æquorum nocturno impetu Corbione præsidium amissum erat, Sabini agros Romanos populabantur, nec mi[illegible]tare tamen ciues voluerunt, nisi extorsissent, vt decem Tribunos creare liceret. Durauit hæc pertinacia in annum 302. cum missi legati in Græciam, & decemviri constituti, quorum opera leges scriberentur. Sed ne sic quidem nisi vnius anni Alcedonia fuerunt, Claudij libidine, & datis pro seruitute contra libertatem vindicijs plebs offensa in Auentinum è castris, deinde in sacrum montem ascendit; Decemviros abdicant, Consules & Tribunos restituũt. Decemviros ad rogum poscunt, maior seditio hactenus non fuit; armati n. erant. Satiata supplicio patrum plebs nonnihil quieuit, nec concordia tamen fuit; nam quieta plebe iuniores patrum ab iniuria non cessare. Liuius ita describit. *Inde M. Geganius Macrinus, & C. Iulius Coss. facti conciones Tribunorum aduersus nobilium iuuentutem ortas, sine insectatione potestatis eius conseruata maiestate patrum, sedauere plebem decreto ad bellum Volscorum & Aequorum delectu sustinendo rem ab seditionibus continuere: Vrbano quoque otio foris omnia tranquilla esse affirmantes, per discordias ciuiles externos tollere animos, cura pacis concordiæ quoque intestina causa fuit. sed alter semper ordo grauis alterius modestiæ erat. quiescenti plebi ab iunioribus patrum iniuriæ fieri cœptæ. vbi Tribuni auxilio humilioribus essent, inprimis parum poterant: deinde ne ipsi quidem inuiolati erant, vtique postremis mensibus, cum & per coitiones potentiorum iniuria fieret, & vis potestatis omnis aliquando posteriore anni parte languidior esset: iamque plebs in Tribunatu aliquid ponere spei, si similes Icilio Tribunos haberet: nomine tantum se biennio habuisse. Seniores contra Patrum, & nimis feroces credere iuuenes esse, ita malle, si modus excedendus esset, suis quam aduersarijs superesse animos. adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando, ita se quisque extollit, vt deprimat alium, in difficili est, cauendoque ne metuant homines, metuendos vltro se efficiunt: & iniuriam à nobis repulsam, tanquam aut facere aut pati se necesse sit, iniungimus aliis. T. Quintius Capitolinus quartum, & Agrippa Furius Coss. inde facti, nec seditionem domi, nec foris bellum acceperunt, sed imminebat vtrumque. Iam non vltra discordia ciuium reprimi poterat, & tribunis, & plebe incitata in patres, cum dies alicui nobilium dicta nouis semper certaminibus conciones turbaret: Ad quarum primum strepitum velut signo accepto arma cepere Aequi & Volsci.* facta hæc anno 306. mansitque, vti tum Cincinnatus dicebat, *discordia ordinum, venenum ciuitatis, dum nec nobis imperij, nec vobis libertatis est modus.* Anno 308. noua seditionis flamma exarsit; nam Canuleius legem tulit, de connubio patrum & plebis, & sensim mentio illata, vt alterum è plebe consulem facere liceret, & rogatio perlata est. Quod tam graue visum est patribus, vt tria bella eodem

Noua veme dia seditionis quæsita.

Cum duæ sunt Reip. partes, non manet æqui librium.

Bellum externum cõparatione seditionis lætum.

tempore oriri lętis animis audirent, plus enim felices plebi seditiones, & seditionum authores honoratos oderant, quam bella externa; verissimeque dixerunt: *plus belli concitari domi, quam foris.*

Tandem Anno 309. Tribuni militares potestate consulari post aceiba certamina creantur, cumq; pacatior Resp. videretur, subito Sp. Mœlius regnum affectat, & largitione frumentaria populum subleuat, is à Seruilio Ahala occiditur, anno 314. Seruilius in exilium pellitur. Cum autem à plebe se contemni Tribuni & plebis principes cernerent, multa in annos sequentes mouerunt, maxime anno 329. sed irrito conatu; nam quod anno 330. actum est contra Sempronium, quamuis malo animo, inter seditiones non numero. Post duos deinde annos, cum quæstorum numerus duplicandus esset, ortum certamen, vt aliqui ex plebe crearentur, quod cum obtinuissent & plebei præteriti fuissent, repulsâ accensi Tribuni furere cœpere. Anno 334. seruitia in vrbem coniurauerant, sed deprehensi pœnas dederunt.

Tribuni plebis in pace contempti semper rixas mouẽt.

Anno 336. iterum in extremum periculum deuentum est, ob leges agrarias, quod Patres traductis in suam partem Tribunis quibusdam discusserunt eos Tribunos collegæ ad populum velut commodorum proditores accusauere. His omnibus itaque annis vel seditio fuit, vel parabatur.

Anno 339. Seditio Romæ incepta, in castra peruenit, in quibus Tribunus militum ab exercitu lapidibus obrutus est. offensa ex voce T. Posthumii: *Malum militibus meis nisi quieuerint.*

Annum 341. seditionis plenum pestilentia modestum fecit.

Hinc cõstat animo alios in alios sẽper infestos fuisse.

Anno 344. exarsere studia patrum & plebis, quod tres quæstores plebei creati essent, quo spes plebis erecta, metus patribus iniectus est. Liu. l. 4.

Anno 347. cum præda capta Anxuris diuisa esset exercitui, cum stipendium decretum, maior fuit inter plebem senatumque caritas, quam vllo vnquam ante tempore, cum tamen eodem anno iactassent Tribuni: *Maximum bellum patribus cum plebe esse.* Eam de industriâ vexandam militiâ, trucidandamque hostibus obijci. Cum vero stipendia decreta. *Nihil*, inquit Liu. l. 4. *acceptum vnquam à plebe tanto gaudio traditur, concursum itaq; ad Curiam esse, prensatasque exeuntium manus, & patres verè appellatos: effectum esse fatentibus, vt nemo pro tam munifica patria, donec quicquam virium supereſſet, corpori aut sanguini suo parceret: cum commoditas tuuaret, rem familiarem saltem adquiescere eo tempore quo corpus addictum atque operatum Reip. esset.* Tribuni tamen obganniunt, sed spernuntur.

Beneficia patrũ Tribuni extenuant.

Verum mox cum ad Veios tabernacula facerent hybernaturi, Tribuni plebis insurrexere, sed frustra; cum enim clades ad eosdem Veios esset accepta, magna iterum concordia ordinum nouus miles missus, cum equites se suis equis stipendia facturos promitterent, deinde pedites operam offerrent. Dum autẽ pecunię ab inuictis conferuntur, iterum Tribuni occasionem nacti discordias moliuntur: Liu. l. 5. *Vnum bellum annum iam tertium trahi, & consulto male geri, vt diutius gerant, in quatuor deinde bella vno delectu exercitus scriptos, & pueros quoque ac senes extractos. Iam non æstatis, nec hyemis discrimen esse, ne vlla quies vnquam miseræ plebi sit: quæ nunc etiam vectigalis ad vltimum facta sit, vt cum confecta labore, vulneribus, postremo ætate corpora retulerint, inculta q; omnia diutino dominorum desiderio domi inuenerint, tributum ex affecta re familiari pendant, æraq; militaria velut fœnore accepta multiplicia Reip. reddant.*

Vetustissima causa discordiæ tributum.

Noua deinde discordia ob Tribunos plebis, & maior ob Tribunos militares; nam anno 353. cum dari tributum Tribuni plebis vetarent, cum vt ex plebe Tribuni militares crearentur, vrgerent; vrbem, & pene castra seditionibus impleuerunt. Vnus Tribunus è plebe creatus, deinde vnus patricius, quo factum, vt an. 355. patres tanquam amissum imperium omnes conniterentur, & impetrarent. Tandem anno sequẽti conuentũ, vt maior pars ex plebe crearentur.

Victoria plebis maiorũ discordiæ incitamẽtum.

Captis Veijs an. 358. iterum ingens seditio fuit; Veios ducendam coloniam dictitantes, agrosq; petẽtes. Fœdior erat hæc cæteris seditionibus. Anno 360 Cõsules creati, omniaq; acta summa acerbitate, maiusq; bellum domi, quam foris fuit. Et Camillus tandem an. 362. exulatum iuit. Secuta deinde clades Allienſis vrbisq; incendium, arcis obsidio. Nec ingenium ipso vrbis excidio mutarunt, omnibus enim viribus actũ, vt Veios migrarent.

Anno deinde 368. cum ad extrema ventum esset, & senatus quasi in acie cõtra plebem staret, Manlius coniectus est in carcerem, liberatus tamen, at cum regnum affectasse diceretur, de saxo deiectus est.

Anno 373. iterum seditio ob nexos, quam solum hostis prope mœnia cõpescuit, & iã oppressi videbãtur, nec posse vllo modo se opponere patrib. plebei.

In seditione sine summo magistratu manet ciuitas.

An. 376. ex parua re ingens ortum certamẽ; quinque annos nullus factus est magistratus curulis, intercessione Tribunorum impeditis Comitijs. Seditio itaq; illa quinquennalis fuit. Tandem Camillo dictatore, & Manlio, aliisque ne quicquam obstantibus L. Sextius primus de plebe consul factus est. Liu. l. 6. *Dictatori (Camillo) consensu patrum, plebisque triumphus decretus. Vix dum perfunctum eum bello atrocior domi seditio excepit, & per ingentia certamina Dictator Senatus q; victus, vt rogationes Tribunitiæ acciperentur: & Comitia consulum aduersa nobilitate habita, quibus L. Sextius de plebe primus Consul factus. Et ne is quidem finis certaminum fuit, quia patricij se auctores futuros negabant, prope ad secessionem plebis res, terribiles q; alias minas ciuilium certaminum venit: cum tamen per Dictatorem cõditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessum q; ab nobilitate plebi de consule plebeio: à plebe nobilitati de prætore vno, qui ius in vrbe diceret, ex patribus creando.* Quies deinde aliquamdiu, donec an. 397. C. Marcius Rutilus de plebe dictator, Magistrum equitum de plebe dixit.

Cõsul è plebe, prætor è patricijs.

Anno 399. tanta contentio fuit, vt dicat Liu. *Aliquoties frustra in campum descensum, multosque per seditiones actos comitiales dies: postremo victæ per seuerantia Cos. plebis eo dolor erupit, vt Tribunos actum esse de libertate vociferantes, relinquendum q; non campum iam solum, sed etiam vrbem captã atq; oppressam regno patriciorũ, mœsta plebs sequeretur.*

Militaris seditio ciues etiam inficiens.

Anno tamen 401. inclinati in concordiam animi, nec magnus in vrbe motus, vsq; ad ann. 411. cum milites qui Capuæ fuerant, conspiratione sua fere exercitum totum infecerunt.

Ne vero singula persequar, in compendium cuncta mittam. Ab an. 412. ad 432. Latini, & Campani rebellarunt, atq; ex suo corpore alterum legi consulem iusserunt. Priuernales quoq; rebellarunt, nec facile tot annos absq; seditione inuenies, sed erãt causæ ingentes, bella asperrima, ideoq; plurimos dictatores annis illis crearunt. Quia tamen illa bella subditorum erant desciscentium, recte seditiones, & rebelliones nominari possunt.

Anno 439. erupit ingens factionum coitionumq; terror, non Romæ modo, sed Capuæ etiam, aliisque locis, adeo vt Caius Mœnius dictator quæstionibus designatus sit, finis tamen fuit vt quæstio, potentia factionis, aduersus quam comparata erat, opprimeretur. Longiusculam deinde pacem excepit grandior seditio, de ea pauca referuntur, quia historia interiit, contigit anno 467. de illa Sigonius in fastis ita scribit. *Adjcit Zonaras seditionem hoc tempore lege de nouis tabulis à tribunis plebis promulgata, & à creditoribus impedita excitatam esse, neque ante compositam quam hostes vrbem inuaserint. de eadem autem re sic scribit Augustinus libro tertio, de Ciuitate* DEI. *post graues & longas Romano-*

Grauis seditio ob nouas tabulas.

manorum seditiones ad vltimum plebs in Ianiculum hostili direptione secessit. Cuius mali tam dira calamitas fuit, vt eius rei causa dictator creatus Hortensius sit, qui plebe reuocata in eodem magistratu expirauit, quod nulli dictatori ante contigerat. Notandum est, quod ait post graues & longas seditiones, ne vnius anni duntaxat motum arbitremur.

Ad annum 512. vsque Tarentinorum, Pyrrhi, Carthaginisque, Ligurum, Sardorum bella domesticas seditiones minuerunt, quanquam magis scriptores seditionibus; quam seditiones Romanis defuisse putem. Signa sane multa sunt, atque euidentia. Quid quod nec Hannibale Italiam vastante sincera Romæ pax fuit? Liuius libro vigesimo secundo. *In eius interregno comitia habita, magno certamine patrum ac plebis: C. Terentium Varronem, sui generis hominem, plebi in sectatione principum popularibusque artibus conciliatum, ab Q. Fabij opibus & dictatorio imperio concussis, aliena inuidia splendentem, vulgus etiam extrahere ad consulatum nitebatur. patres summa ope obstabant, ne se insectando sibi aquari assuescerent homines. Bibius Herennius Tribunus plebis, cognatus C. Terentij criminando non senatum modo, sed etiam augures, quod dictatorem prohibuissent comitia perficere, per inuidiam eorum fauorem candidato suo conciliabat. Ab hominibus nobilibus per multos annos bellum quærentibus, Annibalem in Italiam adductum, ab ijsdem cum debellari posset, fraude id bellum trahi.* Nec postea certamina deficere, cum comitia Tribuni impedirent, ne Fuluius dictator designaretur consul, octauo post pugnam Cannensem anno Coloniæ duodecim, auxilia, militem, pecuniam nagauere, quo tantus pauor animis hominum iectus est, vt plerique de imperio actum esse dicerent.

Cum Hannibal est in Italia, Romæ seditionibus certatur.

Marcellum Tribunus accusat, & totam nobilitatem. Liuius libro vigesimo septimo. *Fraude eorum & cunctatione fieri, vt Annibal decimum iam annum Italiam prouinciam habeat, diutius ibi quam Carthagine vixerit. habere fructum imperij prorogati Marcello populum Romanum. bis casum exercitum eius, æstiua Venusiæ sub tectis agere.* Hæc anno decimo belli Punici, vt appareat quã nulla fuerit in ciuitate concordia, nisi si quam crudelissimi hostis metus efficeret.

Inde est quod sub idem tempus Liuius plenus iræ contra Asdrubalem ducit. *Memoriæ proditum est*, Liuius lib. vigesimo septimo. *plenum adhuc iræ in ciues M. Liuium ad bellum proficiscentem monenti Q. Fabio, ne priusquam genus hostium cognosceret, temere manũ consereret, respondisse: vbi primum hostium agmen conspexisset, pugnaturum. cum quæreretur quæ causa festinandi esset: Aut ex hoste egregiam gloriam, inquit, aut ex ciuibus victis gaudium, meritum certe, etsi non honestum capiam.* Quid non turbarum animus ille daret, cui ciues militesq; pari cum hostibus loco erant? imo deteriore, ex hostibus ex ciuibus cæsis lætitiam capturus erat. Quamuis enim Hannibal seditiones compressit, non tamen caritate mutua ciues deuinxit; anno sane 549. pulso iam Italia Pœno nobiles inimicitiæ M. Liuij & C. Claudij in censura apparuere. Vt vero nihil mutatos videas Tribunos, lege quæ anno 552. contra bellum Macedonicum declamant, vide apud Liuium libro trigesimo primo. *Bæbius Tribunus plebis viam antiquam criminandi patres ingressus: incusauerat bella ex bellis seri, ne pace vnquã frui plebs posset.* Cuius etiam signum est, quod Scipio Africanus vexationes Tribunicias exilio vitauit, Asiaticus eius frater tantæ summæ damnatus est, quanta non est in eius bonis inuenta; cum in ea publice possidenda quæstores prætor misisset. secuta deinde solita certamina, & Bacchanaliorum coniurationes corruptionesque, de quibus Liu. l. 39.

Cõsuli perinde erat ciues an hostes prælio caderent.

Clarorum virorũ exitus ex seditione.

In delectibus quoque fuisse easdem difficultates constat, quod A. Posthumium & Albinum seuere delectus habentes Tribuni in carcerem coniecerunt, quod vacationem pro cognatis impetrare non valerent. Atque hæc est illa ætas, de qua Florus l. 3. cap. 12. *Cuius ætatis superiores centum anni, sancti, pij, & vt diximus, aurei, sine flagitio, sine scelere, dum sincera adhuc & innoxia pastoritiæ illius sectæ integritas, dumq; Pœnorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat.* At postremi centum à Carhaginis excidio ad Cæsarem domesticis cladibus miseri, & erubescendi fuerunt. Quod tamen de annis præteritis dixi, sic intelligendum, non defuisse sociorum defectiones, proditiones, dissidia, sed maiore cura tenente animos, discordias in curia & vrbe languisse. Nam in Hispania contra subditos per viginti annos res gesta, contraque Ligures & Alpinas gentes, Illyricosq;. Quin & Macedoniam subditam Andriscus eripuit, & Alexander aliam eius partem deinde occupauit. Anno deinde 606. discordia ob Scipionis consulatum fuit, qui in Africam profectus Carthaginem deleuit. deinde Numantiam, quæ certa ob rebelliones subditorum orta bella sunt.

Anni posteriores etiam deteriores fuêre.

Anno 618. Eunus & Cleon in Sicilia seruile bellum gesserunt, nec sine ingenti damno Reipubl. nam quatuor prætorum castra, Manlij, Lentuli, Pisonis, Hypsæi ceperunt. Quæ porro maior seditio & infestior, quam cum in dominos serui insurgunt?

Bella ciuilia & seruilia.

Anno 620. seditio cæpit, quæ causas dedit sequentium malorum, quibus Resp. tandem omnino perijt. Epitom. lib. 58. *Tib. Sempronius Gracchus Tribunus plebis, cum agrariam legem ferret aduersus voluntatem senatus, & equestris ordinis, ne quis ex publico agro plusquam decem iugera possideret, in eum furorem exarsit, vt M. Octauio collegæ causam diuersa partis defendenti, potestatem lege lata abrogaret: seque & fratrem Caium & Ap. Claudium Socerum Triumuiros ad diuidendum agrum crearet. Promulgauit & aliam legem agrariam, qua si quis latius agrum patefaceret, vt idem Triumuiri iudicarent qua publicus ager, qua priuatus esset. deinde cum minus agri esset, quam quod diuidi posset sine offensa etiam plebis (quoniam eos ad cupiditatem amplam modum sperandi incitauerat) legem se promulgaturum ostendit; vt iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quæ Regis Attali fuisset, diuideretur. Hæredem autem Populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus grauiter senatus, ante omnes T. Annius consul, qui cum in senatu in Gracchũ peroraſſet, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Cum iterum Tribunus plebis creari vellet Gracchus auctore P. Cornelio Nasica in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus primum fragmentis subsellio-rum, & inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen proiectus.* Hac accepta clade sequentes anni funesti fuerunt, Romæ omnia quæstionibus contra Gracchi sectatores erant atrocia, in Sicilia crudelitate seruorum. Secutum deinde Aristonicianum bellum desciscente magna parte Asiæ, vt externo intestinoque malo Respublica conflictaretur.

Agrariæ leges tandem Remp. perdiderunt.

Anno 623. Carbo cum rogationem ferret, vt eundem Tribunum quoties vellet reficere populus posset, à Scipione victus perferre non potuit. sed anno insequenti omnes seditiones Triumuiris agri diuidundi concitantibus, acrius exarserunt; Scipio dissuasor altera die mortuus est inuentus, in patricidium nemo inquisiuit. Durante autem seditione Gracchiana M. Fuluius alias leges pernicioſas tulit, & Italicos ad petendam ciuitatem incitauit. Hinc anno 628. Fregellæ dirutæ, anno 632. C. Sempronius Gracchus occisus est, caput occisi auro redemptum est.

Anno 642. Iugurtha bellum parat, Hispania citerior rebellat. Manere inter hæc odia populi & senatus, quæ paulo post in Cæpionem bello Cimbrico victum effuderunt. seditionem enim fuisse Cicero docet libro secundo de Oratore, in ea fuisse vim, fu-

Sæuæ seditiones in ipsis iudiciis.

gam, lapidationem, crudelitatem Tribuniciam, in qua M. Æmylius princeps ciuitatis & Senatus, lapide percussus est.

Anno 650. in summo belli Cimbrici metu per seditionem Marius quartùm consul designatur, qui nullum aliud crescendi initium, nisi ex insectatione nobilitatis habuit, itaque totis præcedentibus consulatibus certamina durauerũt. Vix Marius de Cimbris triumphauit, cum ingens seditio erupit, ea sic narratur à Liuij Epitomatore. l. 69 *Cn. Apuleius adiuuante Caio Mario & per milites occiso A. Nonio competitore, Tribunus plebis per vim creatus non minus violenter Tribunatum, quàm petierat, gessit. & cum legẽ Agrariam per vim tulisset, Metello Numidico eò, quod in eam non iurauerat, diem dixit. qui cum à bonis ciuibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in voluntarium exilium Rhodum profectus est, ibique legendo & audiendo magnis curis vacabat. Profecto C. Marius seditionis auctor, qui sextum consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua & igni interdixit. Idem Apuleius, Saturninus Tribunus plebis C. Memmium candidatum consulatus, quem maxime aduersarium actionibus suis timebat, interemit. quibus rebus concitato Senatu in eius causam, & C. Marius homo mutabilis, & varii consilii, ingeniique, qui semper secundam fortunam transierat, cum eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia Prætore, & aliis eiusdem furoris socijs, à Rabirio quodam interfectus est. Q. Cæcilius Metellus ab exilio ingenti totius fauore ciuitatis reductus est. M. Aquilius Proconsul in Sicilia bellum seruile concitatum confecit.* Eodẽ tẽpore Athemio fugitiuus in Sicilia bellũ gessit. Inter hæc certatũ est Romæ, donec anno 658. Italicum bellum incepit. Ingens vero discordia fuit quod equites iudicarent, & viros innocentes damnarent. *P. Rutilius*, inquit Epitom. 70. *vir summæ innocentiæ, quoniam legatus C. Mucij Proconsulis à publicanorum iniurijs Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. C. Geminius contra Thraces infeliciter pugnauit, Senatus cum impotentiã equestris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, vt ad se iudicia transferrẽtur, sustinẽte causã eius M. Liuio Druso Tribuno plebis: qui vt vires sibi adquireret, pernicioſa ſpe largitionis plebem concitauit.* Hæc Romæ in Mutiũ. Asiani dies festos illi instituerũt, quos Mutia appellarunt. Anno 662. Drusiana seditio, quæ sociale bellum traxit, excitata est. Epit. 71. *M. Liuius Drusus Tribunus plebis, vt maioribus viribus Senatus causam susceptã tueretur. socios, & Italicos populos spe ciuitatis Romanæ sollicitauit: iisque adiuuantibus per vim legibus agrarijs frumentarijsque latis, iudiciariam quoque pertulit; vt æquâ parte iudicia penes Senatum & equestrem ordinem essent. Cum deinde promissa sociis ciuitas præstari non posset; irati Italici defectionem agitare cœperunt.* De illo scribit Epit. 72. *Italici populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani: initio belli à Picentibus moto. Q. Seruilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est: Saga populus sumpsit, Seruius Galba à Lucanis comprehensus, vnius fœminæ opera, ad quam diuertebatur, captiuitate exemptus est: AEsernia & Alba Coloniæ ab Italicis obsessæ sunt.*

Tandem in cædes & latrocinia seditio exit.

Innocentia per iudices oppressa.

Sociale bellum maximum omnium.

Fuit vero periculosissimum bellum illud, & grauissimum, cladibus vtrinque magnis acceptis, datisque, quo finito ciuile crudelius successit, quo nihil in Romana historia notius est.

Nec solum inter socios illa patricidia fuêre. Fimbria Valerium Flaccum imperatorem occidit, interim Asia Mithridati vastanda obijcitur

Bellum ciuile Sullæ & Marii.

Anno 669. Sulla Marianas partes premit, multi pereunt, anno insequenti Italiam ingressus est, anno 671. dictatura illa cruenta fuit, quâ.

— — — — periere nocentes
Sed cum iam possent soli superesse nocentes.

Regnum deinde Sullæ fuit, Nolam & Volaterras recepit, Mytilenas euertit, legiones 47. in captos agros diuisit.

Anno 673. bellum Sertorianum in Hispania gestum est, quod ex Syllanæ proscriptionis reliquijs fuit, quo duces Romani victi sunt.

Nec finis partium, cùm Sylla se dictaturâ abdicauit, Lepidus eius inimicus Consul eo mortuo acta rescindere, exules reducere tentauit, sed victus est. Recruduit etiam Sylla mortuo seditio. Salustius Tribunum sic querentem inducit. *Nam spem frustra fuisse intellexistis Sylla mortuo, qui scelestum imposuerat seruitium, finem mali credebatis; ortus est longe sæuior Catulus, tumultus intercessit Bruto & Aemylio Cõsulibus; deinde C. Curio ad exitiũ vsque insontis Tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quãtis animis ierit in L. Quinctium, vidistis.*

Sylla mortuo manent dissidia.

Anno 676. Lepidus cum exercitu patriæ infestus venit, sed à Catulo & Pompeio Italia pulsus est, & Catulum tamen magis quam Lepidum populus Romanus oderat. Anno 678. Hic status erat quem describit Salustius. *Consules* (ita Cotta ait) *nos feciſtis Quirites domi bellique impeditiſſima Republ. namque imperatores Hiſpaniæ ſtipendium, milites, arma, frumentum poſcunt, & id res cogit, quoniam defectione ſociorum, & Sertorii per montes fuga, neque manu certare poſcunt, neque vtilia parare. exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur. Macedonia plena hoſtibus eſt, nec minus Italiæ maritima, & prouinciarum, cum interim vectigalia parua, & bellis incerta vix partem ſumptuum ſuſtinent, ita claſſe qua commeatus vehebantur minore quam ante nauigamus, hæc ſi dolo aut ſocordia noſtra contracta ſunt, agite vti libet, & ita ſupplicium ſumite, ſin fortuna communis aſperior eſt, quare indigna vobis, nobiſque incipitis.*

Status Romani imperii.

Anno 680. Spartaci bellum cœpit, quo quidem anno Sertorius occisus belli hæredem reliquit Marcum. His confectis bellis anno 683. Pompeius Magnus, & Crassus Diues consules tribunitiam potestatem integre restituerunt, & suam potentiam stabilierunt. Res vero eo deuenit, vt anno 687. per dissidia & ambitionem nonnulli coniurarent, Piso, Catilina, Antonius Pætus, quo tempore inter Lucullum & Pompeium apud exercitum Mithridatici belli magna dissensio fuit.

Verum coniuratio Catilinæ anno 690. Cicerone Consule detecta est. Anno sequenti coniurati victi sunt. Semina tamen inter optimates belli mansere.

Catilinæ coniuratio.

Anno 693. inter tres principes Pompeium, Crassum, Cæsarem facta est coitio; nam cum inter se essent inimici, & potentes, Pompeium odisset populus, Cæsarem Senatus, Crassum plerique, ipsi amicos pariter & inimicos eluserunt. Suetonius illa scribit in Iulio. *Cæsar omnibus officiis Pompeium assectatus est, offensum patribus, quod Mithridate rege victo cunctantius confirmarentur acta sua, Pompeioque M. Crassum reconciliauit, veterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant; ac societatem cum vtroque iniit, ne quid ageretur in Rep. quod displicuisset vlli è tribus. Iuliam in consulatu Pompeio dedit Calpurniam Pisonis consulis futuri ipse duxit.*

Trium principum coniuratio.

Cæsar Consul agrarias leges tulit, Clodium ad plebem traduxit, Bibulum collegam domi continere se coëgit. Clodius iam plebeius Tribunus plebis factus Ciceronem expulit, post cuius reditum Clodium Milo occidit. Populus Romanus Ptolomæum sine causa proscripsit. Anno 701. candidati consulatus armati & contentiosi comitia impedichant. Tum Pompeius Consul factus vix seditionem compressit.

Legem deinde tulit, vt Cæsaris absentis ratio haberetur, quam infringere Anno sequenti Marcellus est conatus, quæ contentiones deinde magis annis sequen-

sequentibus inualuerunt, cum per occasionem belli Parthici duæ legiones à Cæsare abducerentur, donec ciuile bellum Anno 704. inceperit, quo bello Pompeius Italia pulsus, eius legati in Hispania victi; Pompeius in Pharsalia cæsus, ab Ægyptio occisus, Pompeiani in Africa victi, & tandem

Vltima funestâ concurrunt prælia Mundâ.

Cæsar vero Anno 710. occisus, Mutinensia, Philippensia, Perusina, Sicula bella reliquit, & cædes Triumuirorum. Donec ad Actium victo Antonio rem Romanam vnus Augustus obtineret. Atque hic status Romanæ Reipublicæ per annos amplius septingentos fuit, quæ continuis dissentionibus agitata senatum plebemque exercuit. Et domi plura mala, quam foris dedit. Hæc si principes considerent, causasque seditionum expendant, ad eas sedandas, impediendasue magna subsidia comparabunt.

CAPVT IV.

Seditiones & coniurationes tempore Monarchiæ.

Principum prima cura est seditionē vitare quæ omnia honesta impedit.

§. 1. SEDITIONES ostendi grauissimum esse & frequentissimum Reipublicæ malum, quod tam in Aristocratia, quam Democratia Romana apparuit, vt vero magis principem ad suam, imperijque tutelam, vitandasque seditiones excitem, in Monarchia Romana hoc quoque ostendere mihi constitutum est, hisce enim lectis ad causam tantorum malorum remediaque, & exitus, prudens & amans patriæ suæ princeps facilius attendet.

Inter mille enim seditiones nulla est, quæ non singulari aliquo principem documento faciat cautiorem, prudentiorem, modestiorem. Causæ enim singularum facile apparent. Augustum igitur principem spectemus, qui primos duodecim annos perpetuo bello ciuili, aut metu transegit, post victoriam Actiacam, Ægyptiamque, multas seditiones, coniurationesque pertulit. Suetonius capite decimo nono. *Tumultus post hæc ac etiam rerum nouarum initia, coniurationesque complures priusquam inualescerent, indicio detectas compressit, & alias alio tempore: Lepidi iuuenis, deinde Varronis Muranæ, & Fannij Cepionis, mox M. Egnatij, exin Plauti, Rufi, Luciique Pauli progeneri sui, ac præter has L. Andrasii falsarum tabularum rei, ac neque ætate, neque corpore integri, Themasini Epicadi ex gente Parthica Hybridæ, ad extremum Telephi mulieris serui nomenclatoris. Nam ne vltimæ quidem sortis hominum conspiratione & periculo caruit. Andrasius atque Epicadus Iuliam filiam & Agrippam nepotem ex insulis quibus continebantur, rapere: ad extremum Telephus quasi debita sibi fato dominatione, & ipsum & senatum aggredi destinauerant. Quin etiam quondam iuxta cubiculum eius lixa quidam ex Illyrico exercitu, ianitoribus deceptis noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus: imposne mentis, an simulata dementia, incertum. Nihil enim exprimi quæstione potuit.* Ecce præter bella extera, & ciuilia, quot hostibus vita regnantis appetita est?

Augustus seditionibus agitatus est.

Nec paucas rebelliones sustinuit (idem capite vigesimo primo. *Neque crebrius aut perfidiosius rebellantes grauiore vnquam mulctauit pœna, quam vt captiuos sub lege venundaret, ne in vicina regione seruirent, neue intra tricesimum annum liberarentur.* Quanto vero in metu vixerit, Dio docet; In senatum enim veniens sub veste thoracem gerebat. Idem Dio capite decimo septimo. *Cæsari multi insidias fecerunt atque inprimis Gneus Cornelius Pompei Magni ex filia nepos: quos cum nollet occidere, propterea quod morte eorum non magis se securum esse intelligebat: neque liberare, ne ob eam rem ceteros contra se incitaret: adeo in magnam dubitationem venit, vt dies noctesque curis angeretur.* Quoniam autē de bono principe, scriptorum quidem iudicio, agimus, apponā quæ de eo Plinius libro septimo, capite 45. refert. *In Diuo quoque Augusto quem vniuersa mortalitas in hac censura nuncupat, si diligenter æstimentur cuncta, magna sortis humanæ reperiuntur volumina. Repulsa in Magisterio apud auunculum, & contra petitionem eius prælatus Lepidus: proscriptionis inuidia, collegium in Triumuiratu pessimorum ciuium, nec æqua saltem portione. sed prægraui Antonio: Philippensi prælio morbus, fuga, & triduo in palude latebræ ægroti: & (vt fatentur Agrippa & Mecœnas) aqua subter cutem fusa, turgida latera: naufragia Sicula, & alia ibi quoq; in spelunca occultatio. Iam in nauali fuga vrgente hostium manu, preces Proculeio mortis admotæ: cura Perusinæ contentionis: sollicitudo Martis Actiaci. Pannonici belli ruina & terror, tot seditiones militum, tot ancipites morbi corporis: suspecta Marcelli vota, pudenda Agrippinæ ablegatio, toties petita insidiis vita, incusata liberorū mortes, luctusque non tantum orbitate tristes: Adulterium filiæ & consilia patricidæ palam facta: contumeliosus priuigni Neronis secessus: aliud neptis adulterium: iuncta deinde tot mala; inopia stipendii, rebellio Illyrici, seruitiorum delectus, iuuentutis penuria: pestilentia vrbis: fames sitisque Italiæ, destinatio expirandi, & quatridui media maior pars mortis in corpus recepta: iuxta hæc Variana clades, & Maiestatis eius fœda sugillatio, abdicatio Posthumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationem. inde suspicio in Fabium, arcanorumque proditionem: Hinc vxoris & Tiberii cogitationes supremæ eius curæ. In summa, Deus ille, cœlumque nescio adeptus magis, an meritus hæredē hostis sui filio excesit.* Similia Sen. de breuit. vitæ cap. 5. vbi indicat ad senectutem mansisse illa terriculamenta, *nondum horum effugerat insidias, filia, & tot nobiles iuuenes adulterio, velut sacramento adacti, iam infractam ætatem territabant: postquam & iterum timenda cum Antonio mulier.*

Augusti miseriæ.

Tiberium non exiguæ procellæ mirum in modum exagitarunt. Primo eius ingressum Gallicæ legiones turbarunt, cum Germanicum imperatorem dicerent, & filium eius Caligulam detinerent. Eo viuo vitia Tiberius continuit, Dio. Tandem Germanicus, & Drusus tollitur, cum seditiones in Pannonia, & Germania sedatæ essent. Interim Libo Drusus nouarum rerum ex parte conuictus occiditur. Clemens Agrippæ seruus seditionem mouet. Bellū in Africa & defectio. Piso & Sentius præses Syriæ dissentiunt, pugnātque ciuili bello. Tota deinde vita Tiberii carnificina fuit, donec ægerà Macrone suffocaretur. Caligulam breui tempore regnante tumultus sustulit.

Tiberius vexatus.

Claudium plures seditiones proditionesq; vexarunt. Suet. cap. 13. *Nec tamen expers insidiarum vsquequaque permansit, sed & à singulis & per factionem, & denique ciuili bello infestatus est. Epiebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est: reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone ac venatorio cultro præstolantes: alter vt egressum theatro; alter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. conspirauerant autem ad res nouas Gallus Asinius & Statilius Corunus, Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assūptis libertis ipsius atq; seruis. Bellum ciuile mouit Furius, Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus: verum intra quintam diem oppressus, & legionibus quæ sacramentum mutauerant in pœnitentiam religione conuersis, postquam denunciato ad nouum imperatorē itinere, casu quodam ac diuinitus, neque aquila ornari, neque signa conuelli moueriq; potuerunt.* Et c. 35. Timor eius ingenium Romanorum ostendit. *Sed nihil aque quam timidus ac diffidens fuit. primis imperii diebus, quanquam (vt diximus) tactator ciuilitatis, neq; conuiuia inire ausus est, nisi vt speculatores cum lanceis circumstarēt, militesq; vice mimistrorum fungerentur: neq; ægrum quenquā visitauit, nisi explorato prius cubiculo, culcitrisque & stragulis prætentatis & excussis. reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos.*

Claudii insidiæ.

mos. Sero enim ac vix remisit vt fœminæ prætextatiq; pueri ac puellæ contrectarentur, & ne cuiuis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerẽtur. Motu ciuili cum eum Camillus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumelioſa & minaci & contumaci epistola cedere imperio iuberet, vitamq; otiosam in priuata re agere, dubitauit, adhibitis principibus viris, an obtemperaret. c. 36. Quasdam insidias temere delatas adeo expauit, vt deponere imperium tentauerit. Quodam (vt supra retuli) cum ferro circa sacrificantem se deprehenso, senatum per præcones propere conuocauit, lachrymisque & voce feratione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti vsquam esset: ac diu publico abstinuit. Massalinæ quoque amorem flagrantißimum, non tam indignitate contumeliarum, quam periculi metu abiecit, cum adulteri filio adquiri imperium credidisset. Quo tempore fœdum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota via quam esse ne sibi saluum imperium quæritans.

Nero quoque multis seditionib. agitatus, tandem hostis iudicatus sua se manu peremit. Prima seditio Puteolis exarsit. Tac. l. 13. Deinde grauior in Britannia, ob spolia auaritiamque præsidum, alia ob Octauiam, Tac. 13. Demum multis coniurationibus pene inter vindictam occisus est. Confusus deinde orbis, dum Galba, Vindex, Nymphidius imperium affectant, dum Otho, Piso, Vitellius omnia cõtra patriam moliuntur, donec ad imperiũ euectus est Vespasian⁹.

Vespasianus insidias passus.

Vespasianum inter initia victorem turbæ exceperunt, Mucianus æmulus, Sabinus imperij affectator, Allienus & Marcellus cõiuratione facta insidias struunt. Batani duce Ciuili deficiunt, præsidia Romana eijciunt, castella euertunt. Piso in Africa occiditur, atque inde oritur tumultus. In Gallia vero Treuiri, Lingoneſq; deficiunt, totæ Galliæ nutant, Legiones ad defectionẽ inclinant, & Gallis iurant. Bellũ quoq; in Judæa prouincia dudũ pacata ciuile censendum est.

Titus.

Titum vix vlla breui tempore imperantem, populoq; charum seditio afflixit, cauendus illi frater fuit, à quo etiã dicitur interfectus. Domitianus semper pauidus, à coniuratis occiditur.

Nerua.

Nerua suo anno pacem nullam vidit, initio gratias agere coactus est viris fortibus, qui Domitianum interfecerant, quibus apprime fauebat, sed cum eos milites contra iussum imperatoris occidissent, interfectoribus amicorum gratias agere coactus est. adeoq; deiecto animo fuit, vt fortẽ suam lacrymis ipse prosequeretur, ideoq; Traianum Cæsarem dixit, addiditq; *πόσιαν δανάοι ἐμὰ δάκρυα. Luant lacrymas meas Danai.* Nihil enim imperio suo egit, quam vt fleret infelicitatem, coniuratos eluderet, Traianum adoptaret.

Traianus.

Traianus inter optimos principes nominatus initia pacata habuit, nisi quod contra deficientes Dacos sæpius pugnandum fuit, sed finis omnino miserabilis fuit, deficientibus enim populis, seditionemq; mouẽtibus in Syria, Ægypto, Cypro, Judęis, atq; in Græcos immaniter sæuientibus, toto imperio præsertim in oriente turbato, morbo non vno moritur.

Adrianus.

Adrianus statim vt adeptus est principatum, insidiatores occidit, Celsum, Nigrinum, Lucium, quod insidias in venatione tetendisse illi dicerentur. Moriturus quoque, ex suspicione sæuus fuit, & ad extremum etiam mortis auidus, insidiarum metuens.

Antoninus.

Antoninorum tempore quietior resp. fuit, Philosophum tamen tum Cassius, tum alij exagitarunt, donec veneno interijt.

Commodus

Verum hanc qualemcunque quietem, Commodi flagitia, seditionesq; compensarunt. Eum tollere conatus est Perennis, Quadratus conspirauit, Maternus eum spoliat, tandẽ à fidissimis occiditur. Secutus Pertinax qui à socio proditus, per seditionem occiditur.

Pertinax.

Mox Julian⁹, ne deesset discordiarũ causa, imperiũ pecunia emit, Niger eligitur imperator. Seuerus vtrũq; de medio tollit. Is quanquã victor ciuilium bellorũ, nequaquã absq; cladibus & seditionib. regnũ administrauit; Niger, Albinus, Plautianus, Britanniæ, Saturnin⁹, demum filij omnia, qua bellis, qua dolis turbulenta & funesta reddiderũt. Imperium reliquit discordibus fratrib. quorum alter Caracalla, alterũ Getam mox occidit, & ipse merito suo, sed magna clade Reip. à Macrino occisus est. Macrinus ab Halagabalo, hic à seditioso exercitu, Alexãder Ouinij defectionem leuiter ferens, à Maximino, adeoq; exercitu proditur. Maximinus grauissimas seditiones passus, ab Afris, Tito, Gordiano, Maximo, Balbino, demum à suis militib. cum cruciatu, & ludibrio interficitur. Milites quoq; Maximũ & Balbinum trucidant. Mox senatus Marcianũ & Seuerũ Hastilianũ Gordiano substituit, Gordianũ Philippus, hunc Decius occidit, itaq; eo tẽpore plures fuerũt cõtinuæq; & sanguinariæ seditiones. Decium cum Valens exercuisset, Gallus prodidit barbaris. Gallũ & Volusianũ milites obtruncant, & quem elegerant Æmylianũ post trium mensiũ imperium interficiunt. Non melior aut quietior Resp. sub Valeriano, miserrima sub Gallieno, quo in triginta acies diuisum vnũ corpus contra semetipsum pugnauit. Tyranni fuere, Trebellio auctore; Cyriades, Posthumus senior, & iunior, Lollianus, Victorinus senior & iunior. Marius, Ingenuus, Regillianus, Aureolus, Marianus vterq;, Quietus, Odenatus, Herodes, Mæonius, Balista, Valentes duo, Piso, Æmylianus, Saturninus, duo Tetrici, Trebellianus, Herẽnianus, Timolaus, Celsus, Zenobia, Victoria seu Victorina, Titus, Censorinus. Tantis motibus publice agitatum imperium; nam vrbium quarundum seditiones vt mala priuata omitto. Excepit hæc Claudius qui defectione Ægyptiorum in discrimen omnium rerum deuenit. Quintillum tyrannum occidit, Victorinus tandem, & Aurelius victor in partibus fuere. Aurelianus modestior videbatur, sed cũ esset in senatores sæuus, maximis discordiis conflictatus est. Ab eo defecerunt Palmyreni & radicitus excisi sunt, magno omnium dolore, quod causas rebellãdi graues habuissent. Eodem imperãte Firmus, Quintillus Claudij frater, alij perduelles per Reip. viscera trucidati sunt, Alexãdrini rebellarunt, & ne quid mali deesset, bellum Monetariorũ exortum est, quorũ ad septena millia cæsa sunt. Mihi aliquando in mẽtem venit admirari, quomodo viuere inter continua mala homines potuerint. Occiso per intimos Aureliano Tacit⁹ fit imperator, & non multo post necatur, deinde Prob. & Florian⁹, quorũ hic celeriter occiditur; alter Saturnini familiaris sui rebellione, Britanniarũ seditione, Lydii latronis furiis, Ptolemaidis in Thebaide tumultu, Frãcorũ in Sicilia & captis Syracusis tyrannide, gladiatorũ Romanorũ audacia, Proculi & Bonosi apud Agrippinã proditione vexatus, ab exercitu trucidatur. Hinc Cai⁹ exiguo tempore, inde Numerianus arripit imperium. Cõtra hos Diocletianus pugnat, alia stat parte Carinus, qui Julianum imperatorem obtruncauerat, & non nisi post multa prœlia occubuit. Diocletianus seditionum, & rebellionũ anxius multitudine, Maximinianũ adsciscit. Interim varii tumultus, sed tres primarii, Caruisii in Britannia, Juliani in Africa, Achillei in Ægypto. Quod aũt pacandæ tutandæq; Reip. constitutum fuit, vt plures Cæsares dicerentur, id exitio pene fuit. Nunq; fœdius lacerata est Resp. quã trium Galeriorũ, Cõstãtii, Maxẽtii, Licinii, Alexãdri, Constãtini inter se bellis, & nisi in moderatũ & religiosũ imperatorẽ lacera mẽbra imperii recidisset, à quo foueretur, finis haud dubie fuisset tãtæ moli, tã grauiter cõcussę.

Multi imperatores seditione pereũt

Seditiones toto orbe

Seditiones varię.

§. 2. Inquietum itaq;, turbulentũ, diuisum in semet desæuiens fuit imperium vsq; ad Cõstantinũ & Christiana tẽpora. At neq; deinceps omnino pacatũ, Cõstãtinus omnium seditionũ & bellorũ ciuilũ victor authoritate sua, & pietate paulũ improbos coẽrcuit,

Sub Cõstãtino orbis respirauit.

vtre-

vt respirare oēs posset. Sed filiorū ei⁹ tēpore in mores rediit, Cōstās fratrē Cōstantinū interficit, Dalmatius Cæsar perimitur, alijq; viri clari & bene meriti. Magnētius per iocū imperator dicitur, Constās interficitur. Nec vna seditio, nec simplex malum, Veterannio in Illyrico tyrannidem occupat, Syluanus in Gallia, quæ tota tumultuatur, Nepotianus Romæ Augustalia insignia circumdat. Palmam inter hos obtinet Iulianus, qui mortuo Constantio imperium quod arripuerat dilatare satagēns, pene prodidit. Tum quidem sub Iouiano, & initijs Valentiniani metu externi hostis pax à seditione fuit; at cum Valens impie regnaret summam cladem Procopius attulit. secuta deinde Theodosij & Gratiani temporibus, Maximi & Eugenij ingentia bella, sub Theodosij liberis Arcadio & Honorio, inter Barbarorum arma erant, Stilico, Rufinus, Eutropius, Gaines, Tarbigildes, Gildo, Alaricus, deinde mortuo Arcadio, Attalus, Heraclianus, Ioannes Subscriptor, Castinus, Bonifacius, Britanniæ & Hispaniæ seditiones, defectionesque. sub Valentiniano iuniore Aëtius, Maximus; qui vero deinde consecuti sunt Imperatores, suorum ludibria, & mancipia fuerunt. Maximus, Auitus, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, qui Ricimeris mancipia fuerunt; perierunt que ferro, veneno que, cum vix imperij dulcedinem gustassent. Itaque reliquiæ occidentalis imperij in annos pene imperatorem mutarunt. Qui enim secuti sunt, Olybrius, Glycerius, Nepos, Augustulus, partim Asparis & Ardaburij, partim aliorum arbitrio solio impositi, solioque deiecti sunt, dum interea tamen Respub. principum debilium ambitione atteritur, quamuis enim ad hostem vincendum essent impares, seditiones tamen domi excitabāt grauissimas. Hæc igitur Romani Imperij facies, hæc discordiarum constantia, & seditionum theatrum, principes omnes consiliarioſq; monere debet, vt operam dent, quo omnia tumultuum odiorumque semina tollantur.

CAPVT V.

Constantinopolitanum imperium seditione rebellioneque agitatum esse.

Græcorum imperium factoribus seditionibus agitatum.

§. 1. PRincipium à Leone Magno ducā, is enim desinente iam seu ruente occidentis imperio orientem rexit, Asparem & Ardaburium inter initia post cōpressam seditionem interfecit. Zeno deinde cum omnia turbasset à Basiliſco pellitur, nec inulta proditio fuit, Basiliscus cum familia captus fame perire cogitur. Zeno rediens ab exilio ad imperium, illustrium cædibus fœdatus ipse tandem viuus sepelitur. Anastasium magnæ seditiones exceperunt. Longinum aduersarium nactus de vita periclitatus est. Logothera eius, & præfectus vix populi manus, ne discerperentur, effugerunt. Iustinus cum arte imperium accepisset, Amantium Eunuchum, Theocritianum, Andream cubicularium insidiatores habuit; Vitalianum deinde imperatori imperantem Constantinopolitani occiderunt. Nobile fuit Iustiniani imperium, sed tamē multis bellis ciuilibus agitatum. Gilimer defecit, & Africam traxit. Samaritani etiam tætra bella mouerunt. Constantinopoli grauis seditio exorta est. Recensēt Ammianus. *Hypatius Pompeius & Probus genere consobrini, Anastasii imperatoris nepotes, q̄ imperium sibi singuli indigna ambitione exoptarēt, Idibus Ianuarijs cum plerisq; nobilium coniuratis, omniq; seditiosorum turba armis, domiq; ministratis illecta, dolis inuadere tentauerunt: atq; per quinq; integros dies vrbem regiam rapinis, ferro, igneq; per scelerat os ciues sine certo interrege percurrentes hostili impietate ipsi se fideles Reip. in palatio dissimulantes, depopulati sunt. Quinta vero huius nefandi sceleris die dum de foro Hypatius sceleratorum comitantiū manibus torque redimitus aureo & Pompeius Comes sua sub veste loricatus ad inuadendum tenendumq; ascendunt palatium: vterq; eorum ante fores palatij captus est: statimq; piissimi principis nostri nutu, catenatus, trucidatus pœnas luit, & ante imperū perditum quam haberet, innumeris pœsim trucidatis in Circo populis, & tyrannorum sociis continuo proscriptis.* Postea vero cū Orientem Barbari, Galliam Franci occuparent, Artabanes cum Arsace aliisq; in Iustinianum cōiurant, quamuis idem Artabanes nuper Guntharidem tyrannum in Africa occiderat. Merito hæc passus est Iustinianus mutatus in peius, adeo vt discordias domesticas & vrbanas quæreret. Euagrius l. 4. *De alio item Iustiniani facto mihi dicendū est: q̄ quidē siue ex natura vitio, siue ex formidine & timore ortum sit, non habeo dicere, eius tamen generis fuit, vt omnem beluinam immanitatē longe superaret. Duxit aūt initium ab ea seditione populari quā Nica, hoc est, Vince, vocant. Placuit Iustiniano ita vehemēter in alterā factionem eorū, qui Prasini dicūtur, ꝓpendere, vt impune possent ipso meridie aduersarios, in ciuitate trucidare, & nō modo non pœnas metuerent, verū ēt dignarentur honoribus: adeo inde multi homicidæ existerēt. Licebat n. illis in ædes alienas irrūpere, thesauros diripere in illis reconditos, hominibus suā ipsorum salutem ac vitam diuidere, & si qui Magistratus illos cohibere moliretur, suo ipsius capiti creauit periculum. Vnde certe vir quidam qui gessit in Oriente Magistratum, quoniā nonnullos eorum qui nobis studebāt, neruis coercere voluit, quo modestiores efficerētur: per mediā vrbem circūductus fuit neruis grauiter cæsus. Callinicus porro præfectus Ciliciæ, cū duo Cilices Paulus & Faustinus, homicida vterq; in eum impetū facerent, occidereq; in animo haberent: quoniā pœna ex legibus constituta eos multauit, in crucem actus est, hocq; supplicio prorecta conscientia & legum obseruatione affectus. Inde factū est, vt qui alterius erant factionis, cum domiciliis suis fugissent, & à nemine vsquā exciperentur hospitio, sed velut scelera exagitarentur, tendere insidias viatoribus, compilare, cædes facere cœperint, vsq; eo vt omnia loca nece immatura, direptione, & reliquis id genus maleficijs redundarent. Interdum animo in contrariam sententiā mutato, eius generis homines interfecit, permisitq; legum potestati etiam eos quos ante passus esset more barbarorum in ciuitatibus impia scelera conscisciere. Sed ad ista singillatim prosequenda mihi nec tempus suppetit, nec facultas dicēdi.* Ea causa Euagrius ait cum omnia omnino turba ac tumultu compleuisset, ad supplicia apud inferos luēdā raptum. Nicephorus pœnituisse ait; contra senem mota est seditio, cuius & Belizarius conscius fuisse dicitur. Iustinus imperium discors primum pacare conatus, Alexandrinam seditionem initio compescuit. Narsetem dignitate priuat, Marcianæ irascitur, omniaq; sibi infida reddit, incantationibus tandem magicis affligitur. Tiberius cellega & suscептor Iustini optimus princeps, prima coronationis die insidias à Iustiniano Iustini nepote passus est, Sophia deinde maiore periculo eundem pene circumuenit. Secutus Mauricius quem milites occiderunt, Phocas etiam pœnas parricidij dedit, iterata conspiratione, & Heraclius ex Africa nouus Imperator Phocā interimit, & concremat. Eo regnante per Asiam & Ægyptum in Africam vsq; Persæ venerunt, Carthaginemq; occuparunt, cum interim Caianus, alijq; barbari non quiescerent Victo Persa Saraceni Syriam finitimaq; occupant. Hunc secuti, Constantinus quatuor mensium, & Heracleonus trimestri spatio deijciuntur, & Constans imperat, contra quem mox Valentinianus patricius tyrannidem molitur. Dum autem in Orthodoxos sæuit, in discrimen se conjicit maximum, Africam amittit, Armenia deficit, adeo vero exosus suis euasit, vt in Sicilia degens in balneo suffocaretur. Constantinus Pogonatus initia cruenta habuit, fratrum naribus abscissis, Mizizium rebellantem occidit, omniaque intuta expertus est. Iustinianus vexatum imperium accipens statim Sabbatij prætoris Armeniæ defectione agitatus est; Ingens odium contemptumque sui contraxit, in eum pro-

Iustinianus

Cruenta seditio Constantinopoli.

Iustiniani iniustitia.

Iustinus.

ceres conspirant, & abscissis naribus & lingua in Chersonesum relegatur. Leontius Imperium arripit, qui prodita Lazica à Sergio naribus mutilatus Absimaro traditur. Is Iustiniani exulis insidijs circũuentus, cum Leontio in pompa ducitur & Iustiniani pedibus calcatur. Iustinianus enim horrenda crudelitate in omnes sæuit, vt Rauennates, Cheronenses, Bosphoranos proceres, Philippicus Imperator eligitur, qui Iustinianum cum Tiberio obtruncat. Philippicum coniurati excœcatum regno pellunt, Artemius deinde à Theodosio pellitur, is Leoni cedit. Leoni coniurationem inter ipsa initia passus est, atque ita imperauit vt Italia ab eo desciuerit; Ecclesiam & imperium scinderet, inde bella ciuilia & à Græcorum iugo Italiæ libertas. propter Iconoclastiam Oriens seditionibus iactatur. Grauius illa omnia sæuierunt Imperio Copronymi; principio enim in vitæ præsentissimo fuit periculo, Artabasdus imperator salutatus est, filij eius partim occisi, partim in monasteria detrusi, omnibus hominibus sanæ mentis Regem tætrum detestãtibus, inde ciuile bellum luctuosum, in quo Copronymus victor crudelitatis exẽpla edidit. sed manfit in victorem odium, hinc Bulgarorum seditiones, & tandem miserrima mors desperantem aufert.

Nouum schisma imperii.

Iconoclastia causa multarum seditionum.

Secuta sunt tempora Irenes & Constantini non modo seditiosa, sed etiam in propriam sanguinem sæua. Initio enim coniuratũ contra Irenen, illa Constantinum in ordinem redigit, exercitus illum restituit, & imperium mulieri abrogat, sed ea mox reponitur in solium, Armeniacarum legionum seditiones comprimit, & tandem oppressis inimicis, filium per milites excœcat, itemque affines. Stauratius deinde seditionem mouens morbo interijt, complices occiduntur, Aëtius tyrannidem molitur. At Nicephorus dolo circumuentis satellitibus Irenen exilio multat, quamuis iusiurando affirmarat, id non facturum. Nec regno per scelus porro diu fruitur Nicephorus. Nam Bulgarorum seditione excitatus, cum exercitu internecione deletur. Eius filius Stauratius mox à Michaële Rangabe imperio exuitur. Michaëlem Leo pellit, Leonem Michaël Balbus, inde aliæ seditiones, præsertim Euphemij, qui Siciliæ proditionem Amyræ Africano promisit. Theophili imperium vtcunque pacatum, sed cruentum fuit, adeo vt iam moriturus Theophobum occiderit, addito elogio; *iam neque ego ero Theophilus, neque tu Theophobus.* Michaël Theophili filius in matrem improbus, à Basilio interficitur, illi insidiantur Sabbatius & Georgius. Leo deinde sequitur, qui contra rebelles Bulgaros fidem Turcarum implorat, inde consecutæ cædes variæ, etiam in templo. Leoni Constantini filius succedit. Samonæ dolis detectis, Alexander Constantini tutor occiditur. Pupilli imperium Constantinus domesticus occupare nititur, sed in pugna lapsus equo decollatur. Deinde discordiæ ducum contra Pazinacas exercitum affligunt. At multi tum imperium affectabant, præcipue Leo Phocas, quem imperatoris pædagogus euertit: deinde Romanus, sed generum ille in ordinem redegit, qui tamen multis molitionibus fatigatur, vt Bardæ & sociorum, deinde Mystici, Micetæ, Pseudo Constantini. Denique qui in pupillum tam perfidiosus fuerat, à filijs pulsus est. Romanus alter conspirationes reprimit, sed paulo post mortuus Nicephoro Phocæ relinquit imperium, quem cogunt alij id suscipere: ciuitas autem ea de causa tumultuata est, & ille quoad vixit summo in odio fuit, semperque occasio vindictæ quæsita, donec eam Theophane vxor, & Zimisces peregerunt. Zimiscen Eunuchus veneno tollit, cum prius vix Phocæ & Leonis seditionem repressisset. Basilius Porphyrogenitus imperium deinde accipit, Bardas deficit, & fit Imperator, pugna inter Sclerum & Petrum Spadonem, prodit exercitum Cõto Stephanus, Xiphias & Nicephor⁹ seditiosi, opprimuntur, Frater Basilij Cõstantinus sequitur luxu & crudelitate grauis Reipu. sine vlla re memorabili, nisi quod Naupacti vrbis seditionem crudeliter vltus est. Romanus Argypolus delirus prope senex domesticis malis laborauit, & risu magis vulgi quam seditionibus est agitatus; Zoë vxor in balneo eum suffocat, & ad imperium promouet adulterum, qui eam mox in ordinem redigit, tum Antiochenorum seditio, cladesque, multæ defectiones, grassationesque, Sicilia amissa. Zoë Ioannem mariti fratrem è medio tollere frustra nititur, sed maritum tamen publico abstinere cogit, & Michaëlem Calaphaten adoptat, ille in viros illustres crudelis Zoën expellit, sed populi tumultu reuocare cogitur, atque tandem excœcatur. Zoë & Theodora restitutæ in integrum. Zoë Constantinum Monomachum reducit, illique nubit. Monomachus vxorius Georgium Maniacen hostem fortem experitur, deinde Theophili, Erotici, Orphanotrophi, Leonis Tornicij, Aplespharis, Romani Boilæ insidijs petitur. Theodora imperatrix Michaëlem Stratioticum designat imperatorem, vno anno ille regnauit, seuerus in milites fuit, inde orta seditio. Theodosius eius auctor relegatur, duces Orientales varijs acti iniurijs imperium affectant, Bryennius excœcatur, Isaacius Commenus tandem imperium occupat. Hic cum omnibus exosus esset, imperium deponit, & Constantinum Ducam designat, eum insidiatores mergere statuerant, sed casu euasit.

Irene.

Tutores & filii seditionẽ mouent.

Tres liberos cum Eudocia Constantinus Ducas reliquit, quæ Diogenem Romanum, vt contra Persas Imperatorem haberet, maritum sibi esse voluit. ille ad tempus fœminæ dominationem fert, deinde fortiter bella gerens ab Andronico deseritur, Ioannes tandem eum oppugnat, oriturque ciuile bellum omnium grauissimum, quo captus exoculatusque vitam mœrore finiuit. Nicephorus deinde Eunuchus sub Michaële Duca administrat omnia. Ioannes proinde imperator salutatur, Nestor deficit, Nicephorus Bryennius seditionem excitat, quo profligato tandem Botoniates imperator creatur, quem contra Barangi motum cient, Nicephorus Basilius seditionem periculosiorem meditatur, maximam Constantinus Ducas, item in suspicionem venit Logotheta. Tandem Commeni ad imperium aspirant, Alexius imperator proclamatur, & proditione Byzantium occupat, & diripit, & plures quam alij hostes sibi quæsiuit, redeuntem Constantinopolim, ducum, patrum, popularium insidiæ exceperunt. Deinceps vero Vmbertopolus, Ariebes, Nicephorus, Anemas cum militiæ ducibus. Vxor imperatoris cum aditum ad eum cunctis intercludere conaretur, Aulici, Pseudo Alexius, Cilix vitam illi vix vitabilem reddiderunt. Alexio succedit Calo Ioannes inuita matre, qui coniurationes cõtra se initas pacauit, matremque & sororem reconciliauit. Fratres etiam aduersos sensit, imo filius eius Isaacius ad Sultanum defecit, Trapezunte vexatur à Tyranno & domi. Secutus Manuel Commenus, qui contra Christianos plus quam contra barbaros valuit. Nobilis enim fuit artibus, quibus Germanorum expeditionem frustratus est, omnibus enim modis Conradi exercitum afflixit, contra Rogerium bella gessit, Corcyrenses expugnat, qua in obsidione inter Græcos Venetosque cruenta est orta seditio. Inter ipsum & duces simultates, & si fieri potuisset bella fuissent. Alexius puer improbitate ministrorũ suorum periit. Præcipue illi insidiatur Andronicus, nec vnus mali modus, Maria

Omnes in vnum conspirant.

Cæsariſſa

Cæsarissa coniurat in Protosebastum, qui imperium administrabat, populum ad arma concitat, certamen cruentum oritur. Post aperte imperium appetit Andronicus, contra eum classem instruit Protosebastus, sed ab eo omnes pirncipes desciscunt, Andronicus habenas imperij rapit, eum affligit Ioannes Commenus. Primæ Andronici in Imperatorem insidiæ in cassum ceciderunt, alteræ successerunt.

Andronicus ab Isaacio Commeno & Siculorum rege vexatus, inter omnes imperatores tristissimum exitum habuit. Isaacius Angelus bella ciuilia gessit, Siculum, Cyprium, contra Blacchos desciscentes, contra Branam, à quo Byranti obsessus est. à fratre Alexio captus & excœcatus est. Nec is diurna gaudia perduellionis tulit. Seditio Pseudo- Alexij Cilicis & Isaacij Commeni, Blachorum, Asanis eum exanimauit. Alexius Angelus nihil præter seditiones & timores expertus est. Sub Alexio Commeno magnæ discordiæ ob Eucharistiam Græcos tenet. Præter hæc Ioannes Commenus Crassus seditionem concitat, alij multi seditiosi insurgunt. Alexius Angelus Isaacij filius Venetis comes venit Constantinopolim oppugnatum, vrbs obsidetur, incendio deformatur, Alexius exulatum abit. Alexij Ducæ breuis fuit tyrannis, fugit Ducas qui & Murzuflus dictus est. verum in cineribus vrbis noua oritur inter Lascarem & Theodorum Ducam contentio. Tandem rerum Flandri potiuntur, Theodorus Lascaris tamen Niceæ imperator salutatur, & Constantinopolim reuersurus videbatur, sed socer eius Alexius eum per Turcas impediuit, ne recuperaret gener imperium, quod ipse tenere non potuisset. Alexius tamen collectis copijs Trepezuntinum imperium condidit, cui Cappadociam & Colchidem adiecit, Thessaliam accepit Michael Angelus, hanc postea Michael Palæologus occupauit, neque enim derant inter ipsa membra lacera seditiones & bella. Palæologus Constantinopolim recuperauit, regnauitque familia Palæologorum Michaelis, duorum Andronicorum, Manuelis, Ioannis, Constantini, idque in magno metu, bellisque Turcarum, & mediocri concordia. si tamen vicinorum præsidio muniti fuissent, haud difficulter Turcam sustinuissent.

Perantes esse concordes non curant.

Ecce tibi quam est difficile hominem regere, quam in se magna ruunt. Tota itaque cura principis eo vertenda est, vt seditionem caueat, vnde bella maxima oriuntur. Quis enim tutum se arbitrabitur, cum has carnificinas intuetur?

Caput VI.

Aliarum Rerumpublicarum seditiones.

Omnium vrbium annales reuolue, inuenies eadem.

§. 1. Vix vlla tam Romanis seditionibus mota est ciuitas, quam Louanienſis; omnia enim similia sunt, causæ, modi, effectus, quia scilicet eadem hominum vitia, affectusque. Iustus Lipsius eas recitat, l. 2. c. 10. 11. 13. Adnoto, inquit, primos motus fuisse Anno ∞ CCCXL. cum plerique nobilium (ij ad hoc tempus Rempub. soli rexerant) in obsidione Tornaci essent, Anglo regi hanc operam gratificantes. Sed dum, inquam absunt: plebs suum tempus rata, Rempub. inuadit; & cum alia mutat, tum in primis exules quosdam sui corporis, superiore anno legibus pulsos, reducit. Patricij cum rediissent, querelæ, iurgia, arma: & pugnatum atrociter in foro medio, sed vicerunt Patricij, manu clientium subnixi, & longa armorum tractatione superiores: Fuga tamen maior quam cædes fuit. nisi quod in victoria sæuitum, & abstracti ædibus suis atque etiam sacris, qui in eas fugerant, gladio, carcere, exilio pœnas dederunt. Quies deinde per vicennium, sed infida: quippe animis exulceratis, & plebeiorum non occulto fremitu: qui in motum turbasque iterum erupit à principio, vnde non timebatur. Petrus Couterellus Prætor erat Anno ∞ CCCLX. qui homo etsi nobilis, & è Patricijs, tamen, prauitate ingenij vel ambitu, iam à prima Prætura (nouennium tenuerat (omnem ansam lacessendi aut lædendi Patres quærebat. Oblata est, aut arripuit, anno iam dicto, istam. Ciuis quidam pisces venales in vrbem carro aduehens, cum is in luto hæsisset, equum subito pascuis eductum, subiunxit & carrum extraxit: statimque equum bona fide & illæsum reduxit. Couterellus hominem vt furti reum, in carcerem conijcit: Scabini appellantur, cognoscunt, insontem pronunciant. & cum Prætor non remitteret, iurisdictione ei interdicunt, quod contra leges ciuem in vinclis haberet. Prætor illico Bruxellam, ad Principem, qui tunc Wenceslaus erat Ioannæ maritus, gente Bohemus, frater Caroli Quarti Imperatoris: quem produnt cæso matris vtero in lucem veniſſe. Hunc neque pace, neque bello optimum, certe non felicissimum fuisse licet dicere: & Louanienſibus causa nō est cur valde ament. Ad rem. aures iste Prætori credulas præbuit, potentiam Patriciorum calumnianti, & reprimendam à principe bono suo asserenti. Neque fautores talium deesse in aula poterant: inter quos Sconuorstius quidam, vir præpotens, sed animi aut consilij parum rectus. Is palam dicere cornua Patricijs (verba eius sunt) minuenda, qui nimium iam ferocirent. Posse id Principem sine sua opera aut inuidia, plebe efferri permissa. Princeps in aperto sententiam non tulit: hoc tamen Couterellus facile vidit, non iniquis auribus animisque se auditum. Itaque alacer domum redit, ad suos refert, & factiosissimo cuique faces subdit. Iam in eo erat vt seditio erumperet: neque nescire Patres poterant, sed remissius agebant, siue mitigare bonitate parantes, siue fatali, vt solet, ignauia. Aderat fortè per hos dies Gerardus Vorselarius, vir & miles nobilis cum selecta equitū alâ: qui operam suam Patribus vltro obtulit, & suasit vti: illi dimiserunt. At non incepta sua Couterellus, qui die quodam Senatus habendi, suos conuenire sensim in forum iubet: idque cum armis. Adsunt & iam turba est, atque ipse concionabundus excitat, & superbiâ Patrum, & dura imperia inculcat. Hos esse qui soli Rempublicam occupent, qui honores, qui pecuniam, sua faciant, qui tot fortissimis viris imperent vt seruis. An excidissent ante paucos annos, tot innocentes sui corporis, gladio, laqueo, exilio puniti, ob liberiores quasdam voces & facta? Eadem manere ipsos nisi viri sint: sed essent, & quem timerent? In manu, inquit, vestra est, finem malis facere: audete tantum, multi in paucos, parati in improuidos; læsi in lacessentes; Deus hominesque fauebunt. Ipsum Principem, diuina benignitate, mitem animi habemus, & æquo eo laturum, si quid illi patiantur, vos faciatis. Iniurias vestras in oculis habete, Libertatem in ore, & hæc tessera esto: ite, istam asserite, illas propulsate. Dixerat, & loquente adhuc eo fremitus, clamor, minæ, & ad curiam versi manus & voces intentant: Prodirent ciuium oppressores, ærarij prædones, pœnas daturi scelerum, aut iniuriarum. Et iam se quisque hortari, & vim parant. Curia clausa erat, & trepidi Patres, neque ad resistendum pares. cum Couterellus prouolat, & quasi benignitate deditionem suadet, & nihil vltra mali passuros adfirmat. Prudentiam esse, credere huic tempestati. Cedunt & se dedunt. At statim irruit, manus & vincla injcit, & in Arcem captiui deducuntur.

Tum

Tum armaria & archia Senatus frangũt aut teserant, armamentarium pariter compilant, dilacerant, aut vsui suo quod erat, tollunt. Extant nomina & numerus captorum, paulo minus ducentis: interque eos equites viginti quinque: reliqui in proximas vrbes dilapsi, aut in prædijs villisque suis latebant. Couterellus sedato tumultu, & vt forma aliqua Reipublicæ esset, nouum Senatum legit, mixtum è plebe & Patricijs; nam & ex illis molles aut ignauos quosdam reperit consilijs suis opportunos, quique communem iniuriam præsenti honore mutarent. Tum ad captiuos submittit, qui periculum à plebe denuntient; ipsos quosdam è plebe, qui turbidis vocibus circum arcem, ad cædem eos deposcant. Ita illi trepidi Couterello supplices fiunt: & denique grandi pecunia, seorsim quisque pacti, dimittuntur. In Leucis Wenceslaus erat, dum hæc geruntur, casu an consilio longinquus: sed adeunt statim exsules, & facta docent, & remedium atque vltionem exposcunt. Cum frigore audiuntur, etsi nobilitas pleraque faueret, & è consiliarijs quibus æqui honestique cura aliqua esset. Venit & ipse Couterellus qui auro multos suos fecerat: & res dilata est, dum Princeps redire,. Quod factum sequenti anno, & interea imperium Couterellus continuauit. Iam Bruxellam Wenceslaus venerat, atque ibi agminatim nobiles adeunt, orant, vrgent, rem pessimi exempli vindicare, neve seditioni aut licentiæ campum aperiret. Instant seorsim & Bruxellenses, ac pro socia vrbe acriter nituntur. Denique perpellunt vt conductis in vnum copiis, Louanium moueret: venitque Bancum. Dum ibi est, statim Couterelliani, quibus aduersus Principem nec vis, nec animus erat, ad eum veniunt, & imperata facturos spondent. Ita Princeps admissus exsules reducit, sed in turbatores iram aut vindictam non ostendit. Ipsum Couterellum, caput malorum, Prætura dumtaxat abdicatum, in nouo Senatu Scabinum creat; & eius instituto Senatum ipsum mixtim è Patribus & plebe legit, seminarium deinde turbarum. Amor pacis & concordiæ prætexebatur: sed prudentioribus eo facto apparuit, non imprudente, certe non illibente principe priora illa administrata. Ita quies vrbi, sed parum certa aut longa, restituta: nam plebs exultare, & illis vt victis insultare; ipse Couterellus dominationem exercere, & augere, donec tædio præsentium, & futurorum etiam metu, Patricij plerique sponte vrbe cedunt. Lætum id Couterello fuit, & iam libere agere, amotis æmulis, seque in sequentem annum consulem, cum Geldolpho Rogga textore designat. Et quia præsidium in auro expertus esse sciebat, vndique illud quærere; nec domi tantum, sed apud exteros, fide ciuitatis publica, corrogare, nam sigillum in eius manu erat. Eoque opum & potentiæ venit, vt Henrico Dynastæ Hooghstratano filiam suam cum grandi dote elocaret, & quantam iste poposciſſet. Sed inuidia etiam comitata, & crebræ apud Principem querelæ, neque gener aut Sconuorstius excusare satis, aut tueri poterant: eoque ventum vt iterum castra ad vrbem moueret. Fiunt & iterum eadem, illi Principem admittunt: iste vtramque partem in pacem iuramento adigit, & obsides etiam capit; è Patricijs duodecim, è plebe quadraginta. Couterello consulatus mansit, & in communione honorum nihil mutatum. Tamen ipse, conscentia terrente, & quia alienioremiam principem sensérat, sponte, rebus collectis, vna cum aliquot factiosorum antesignanis, aufugit in agrum Leodicensem. Ibi cum infesta itinera haberet, & mercatores Louanio Germaniam petentes, sisteret, aut in vincla daret, pecuniæ extorquendæ: iram Wenceslai serio mouit, qui ipsum ac viginti quinque textorum proscripsit. Nec sic quidem quieuit, sed conatus vrbem irrumpere, & suam facere, subsidio clam conspiratorum, successum non habuit, & supplicium de illis sumptum. Ita rebus desperatis, ad preces versus, & Hooghstratani, maxime opera, veniam exsilij impetrauit, rediitq; Louanium Anno ∞ CCCLXIX. vbi vitam ingloriam, & in publica execratione, finiuit. Miteris vel ausum talia, tam magno animo, vel desijsse tam vili, cap. 11. Iam exitialis seditio narranda est, ait, quæ nouem annis posterior, ab illo fonte manauit. Wenceslaus, vt dixi, honores cum plebe communicauerat, & sic aliquot annis habuerat: donec bello Iuliacensi infausto, ipse captus, & multa nobilitas cæsa, etiam Louanienſium, esset. Hocigitur bello cum Patricij fidem & animum approbassent, plebs tarda aut refractaria fuisset, nec nisi sexaginta Sagittarios dedisset, Princeps è custodia reuersus Louanium, illis honorem pristinum & Magistratum restituit, tantum, quod duo deinceps Senatores è plebe essent. plebs ægre tulit, sed tulit sexennium, ad comitia vsque Anni ∞ CCCLXXVIII. quibus ipsis, cum ex formula dicta Senatus creatus esset, sed Patres inter se discordes palam agerent, plebs diu occasioni intenta, arripuit, & ipso Magdalenæ sacro die, regionatim, tres quatuorve textores, tota vrbe discurrentes, clamore, & peluium sonitu, ad arma ad arma, reliquos concitauerunt. Concurritur & statim capta curia Consules cum Scabinis in vincla dantur: Waltherus Leidanus textor, Præfectus vrbis dictus. Placuit mox, Gandensium exemplo, albos Galeros, siue caputia, insigne factionis assumi: factumque est, & adeo proni in res nouas turbidasque tum ferebantur, vt Patriciorum non pauci denegarint, & idem insigne capiti, animo factionem induerunt. Interea Wenceslaus è Francia redux (eo iuerat) ista edoctus, Louanium venit: ordinemque Senatus, iterum plebi placandæ, mutauit, & in dimidiam partem admisit. Mireris inconstantiam: & magis si non temporisolum, sed pecuniæ hæc data, scribentibus credas: quam è publico aliquam multam sane accepit. Cæterum ciues iure iurando adegit, pacate inter se agere, & vt membra vnius corporis deceret: quod tamen Patriciorum quidam abnuerunt, & patria carere, quam subijci iniurijs aut contumelijs plebis elegerunt. Ita Areschoti, aut Namuri, plerique horum agentes, hanc infestabant, & in agris aut vijs deprehensam abducebant, redimias poscebant. Contra isti, prædijs illorum ignem inijcere, item quos possent capere; & quosdam gladio carnificis subiecêre. Denique in ipsa vrbe, qui reliqui Patriciorum essent suspecti agere, aut suspectantes: vtique post cædem Waltheri Leidani, qui inter capita Haleritorum erat. Is forte Bruxellam missus, Reipublicæ gratia, noctu à cœna reuertens interfectus est, insidijs vt putatur Ioannis Calsterij, & Guilielmi Wilrei, Patriciorum, qui tunc in ea vrbe versabantur. Re perlata, turbatum Louanium, plebs minari & fremere optimates timere: atque hi, vt insontes inscioſque se ostenderent, Legatos ad Ioannam mittere (nam maritus in Gallia etiam aberat) qui peterent inquiri in authores cædis, & vindicari. Illa tardante, plebs ludibrium rata, aut ex compacto geri arma corripit & in forum venit. vocantur & in curiam Patres: quorum aliqui venere, quidam triste & ferale ominantes mutato habitu vrbe profugere. Statim apposita Senatui custodia: & seditiosi furioſo

rioso animo ad fores prouolant, & adsistunt: pars etiam, nemine prohibente ingressa. Ibi auditæ voces, Cedo nobis illum, & illum statim, statim. Atque ij qui intromissi ad nomen singulos capiebant, & præcipites è fenestris (horreo dicere) datos, plebs inferne lanceis spiculisque excepros laniabat. Periere hac rabie ad septendecim: additusque vnus è plebe, quod is Platuotium, misertus veteris patroni, scamnis abditum, veste contexerat. Hæc facta XVI. Kalend. Decemb. & qui Patrum reliqui domi reperti sunt, in custodiam dati. Post factum frigus, & mox pœnitentia aut metus subijt. Nam quomodo Principem hæc laturum? qui breui rediturus, pœnas de sontibus insontibusque caperet.

Itaque deprecatores parant Levvenses, Tillæ montanos, Diesthemienses, Liranos, Bruxellenses, Eburones quoque & Tungros: & citius, ecce, opinione Wenceslaus Bruxellam venit. Arma & machinas ille parabat, vltioni intentus. cum legati à prædictis ciuitatibus adsunt, & veniam supplicit er petunt, expiationem cædis, quam vellet, offerentes. Tandem diu deliberato, præscriptum vt quatuordecim è plebe, præcipui auctores, in Cyprum relegarentur; agnatis cæsorum, certa pecuniæ summa daretur. Mitis transactio, & intra magnitudinem noxæ omnibus visa: tum illud turpe, quod ipsis relegatis pecunia in viaticum quasi legatis à Republ. attribueretur. Itaque non fuit animis placandis. Nam Patriciorum iuuentus fremebat, sanguinem parentum vænalem non habere, nec modica ista pecunia redimendum. Iamque vicinis locis aut arcibus occupatis, bellum in suos ipsi ciues gerebant, & prædas vndique agebant.

Nec cessare etiam plebeij, quin vim & maleficia reponere, vel augere; & denique longius ire, & contra Principem fœdera occulta cum Gandensibus (qui arma in Comitem tunc habebant, & tota pœnè Flandria dominabantur) ferire. Denique post mutuas vtrimque cædes, doctus tandem Wenceslaus frustra & temere plebi indultum, arma cepit, vrbemque assedit. Illi repugnant, propugnacula erigunt, & auxilia à Gandensibus, à se impares expectant: Sed cum ea fallerent, & ipsi à Ludouico comite ac Francis premerentur: decursum iterum ad preces, quas Arnoldus Hornanus, Leodicensis Antistes, ipse in castra veniens, ad Principem tulit, & veniam certis legibus impetrauit. Pauci pœna affecti; plures indignatione aut metu, patriam mutarunt. & præsertim lanifices, qui in Angliam iuerunt. *cap. 13 sic habet.* Necdum finis, à lanarijs ad lanios imus: atque ex isto etiam corpore fuere, qui Rempubl. turbarent. Paulus Loënkenus, ex infima plebe lanius, post cædem Caroli Audacis, & dum de matrimonio Mariæ cum Maximiliano deliberatur, partem se Reipub fecit, & plebem suam. Rumores dissipat, falso expectari Maximilianum, illudere sic Senatores: & melius tutiusque ipsos imperium habere & exercere. Concitat deinde dictam populi fœcem, capit & abducit ex improuiso quosdam è Senatu, & gladio subiecturus erat, nisi lictor publicus se subduxisset. Iam & Academiæ primores se miscuerunt, & auctoritate sua tumultum sedarunt. Superuenit paulo post ipsa Maria, vt auspicia capesseret de more principatus: neque seditiosi admiserunt aut agnouerunt, nisi noua iura & immunitates extorsissent.

Quin etiam cùm illa, ad compescendum, Sagittarios ipsius vrbis (honestiores populi) armasset, isti & Sagittariorum quosdam impetu facto cepe-

runt, & quattuor forte obuios Senatorum. Nec nisi ægre sedari à Paullo ipso potuere, quin ita eos mulctarent. Tum & in arcem, vbi diuersabatur Maria, incurrunt, & adigunt tot malis trepidam virginem, anteacta condonare, & alia pro arbitrio suo sancire. Iam vt species etiam publicè noui popularis imperij esset, additi Paullo, custodiæ causa, viginti Satellites, & menstruum ex ærario stipendium. Atque ex eadem deinde publica pecunia lasciuiebant, potabant, conuiuia velut ad societatem & fidem stabiliendam, agitabant. Sed agitantibus, opinione maturius Maximilianus aduenit: quo propinquo, minui potentia Paulli cœpit, & stipatores à Senatu adempti. Tamen ipse Maximilianus præsens, nihil etiam pro principe agere, neque vlcus hoc tangere, nisi compos nuptiarum decreuit. Ergo iterum post abitum insolescere Paulliani, stipatores reposcere & res miscere. Sed edoctus de tota re & periculo denique Maximilianus, Engilbertum Nassouium, Brabantiæ Seneschallum, cum equitatu Louanium præmisit, ipse mox secuturus.

Diffugiunt ad Solem nebulæ & nebulones, Paullus in Zelendiam, atque ibi agnitus capite luit. Pleraque horum & certe initia absente Ludouico Pinnoccio Prætore gesta, (is in Germaniam inter legatos iuerat) qui vt vir erat, animo promptus, manu strenuus, oppressisset, aut quidem repressisset: DEO & fato aliter visum. Sed vt finiam, hæc quoque seditio vrbem minuit, multis non è plebe solum, sed optimatium in agros aut prædia sua dilapsis, atque illic sedem locantibus, tædio tot turbarum. Videtis causas & tempora quibus florentissima olim vrbs defloruit, & ex veteri gloria & copia non nisi vmbram istam habet.

Primum per absentiam nobilitatis Aristocraticæ, quæ, vt Romani Patricij, imperabat, exorta est; vt & Romanæ seditiones, quod multi nobiles bello ceciderant, cæteri iniquo ciues imperio premebant, quod factum quoque Louanij fuit; alioqui nobilitas iusta innocens inuisa non esset. *Nobilitas, opes & fastus causa seditionis.*

Deinde exules reducti. Hinc cædes & fuga, & insolens victoria nobilitatis, ciuium exasperatrix. recruduit deinde in carcerem coniecto rustico, vt olim Romana, facinore Claudij contra libertatem in seruitutem vindicias dantis; sed hic iustior causa penes nobilitatem. Facta pace regnat Couterellus, Nobilitas cæsis suis bellum parat. Tandem finiuntur obsidione, & pœna, qua facultatem sæuiendi amiserunt.

CAPVT VII.

Osmanidarum seditiones

§. I. DE imperio Turcico sæpenumero feci mentionem, eosque monui errare, qui ob communem omniū seruitutem, illud seditione, ac tumultibus vacare contendunt. Quos historia refutat ipsa rerum Turcicarum, & natura Monarchiæ, quæ cum sit sæua atque aspera, etiam in perpetuo metu periculoque versetur necesse est. Anno ab incarnatione 1328. mortuo Osmane, filius eius Vrchan, præfecturas principibus suis eripuit, eamq;, quæ nunc est, seruitutem induxit; magnis deinde malis conflictati sunt. Nam cōtra Gilderunē Principes conspirarunt, Ægyptiumq; inuocarunt. Quin idem etiam à Tartaris auxiliaribus desertus, in Temiris potestatem venit, & in ferreā caueā coniect⁹, proceres eius dignitatib. restituti. Soleimanē deinde exercuit frater eius Musa, quē exercitus imperatorē dixere. Eo extincto inter *Vide annales Leonclauii Turcicos.* *Turcarum imperium cognato sanguine sæpe cruentum est.*

inter Mahometem & Musam bellum fuit, à Duce suo desertus Musa, & fratrem fugiens à ministro obtruncatus est. Interim dum fratres in se bella cient, Caramanir præfectus desciuit, & arma infesta intulit Mahometi, sed pace facta cum Caramano, maiorem seditionem Mustapha concitauit, ac deinde Torlaces, iterumque Mustapha, quibus facillimum fuit homines rudes ad sese allicere. Murates deinde per Dusmen Mustapham desciscentibus fere proceribus omnibus imperio non tantum deiectus est, sed Mustapha illo suspenso, frater victoris, alius Mustapha, nouas turbas exorsus est. Et ne quidquam malorum deesset, Walachus defecit. Inter hæc etiam Ibrahimus, Caramanus rebellauit, quem in gratiam accipere coactus est. Machometes sine multis seditionibus imperauit, eo mortuo Ianizari Constantinopolim diripuerunt. Baiasetes ac Zemes fratres depugnarunt, Victorem inuasit Ægyptius, non sine procerum conspiratione. Sed horum & aliorum victor à Chasane Calisa, homine solitario & sanctitatem mentito, agitatus est; ille enim simulatione sanctitatis facile populos digna, indigna passos ad seditionem pellexit, quo vix dum extincto Selimus in patrem arma sumpsit, coniurantibusque Ianizaris senex imperium deponere coactus est. Ille & Achmeten fratrem occidit, & magno metu regnauit, Solimannum deinde Ibrahimes regno deijcere cogitauit, qui eo vsque miseriarum venit, vt orto inter filios dissidio, magnis promissis impetrarit, vt ab hospite Techmasi Selymus filius cum nepote interficeretur, quo nihil in patre & auo turpius cogitari potuit. Dragutes etiam iam seni rebellauit; nihil itaque facilius, quam in eo regno in quo subditi opprimuntur, proceres in metu sunt, insignem seditionem concitare, quod videmus hominum vilissimos facere potuisse.

CAPVT VIII.

Seditionum & tumultuum causæ ex parte Rectorum.

Seditionis causæ fere Rectorũ & populi delicta sunt.

§. 1. CRebras esse in Repub. perturbationes, motusque damna quotidiana ostendunt, causas inuestigare animus est, vt caueantur & si forte cautio adhibita nulla fuerit, remoueantur. Causę vero vel sunt ex vitio principum, & optimatum, vel populorum, vel vtrorumque, si enim vnquam vlla in re vtraq; pars rea est, id fit in tumultibus, & bellis ciuilibus, ibi enim

Reuera muros intra peccatur, & extra.

Causæ vero tot sunt, quot vitia: quamuis enim crudelitate, auaritia, superbia, homines præcipue ad rebellandum impellantur, crebro tamen aliæ quoque causæ fuerunt, metus, libido, luxus, aliaque. Quemadmodum enim omne malum corporis, si ingrauescat, vitæ euertendæ idoneum est, ita quicquid in Reipub. corpore odium, inuidiam, contemptum aliorum inducit, discordiam, factiones, tumultus, bella ciuilia parare assueuit.

Ad seditionem sufficit omne vitiũ si crescat.

Nam importunitas & inhumanitas omni etati molesta est.

§. 2. Prima ac potentissima rebellandi causa est, Magistratuum crudelitas. Nam cum homini vita nihil sit carius, contra Sanguinarios & crudeles quo possunt modo se tuentur: In leones, lupos, vrsos, serpentes, semper arma gerimus, & aliorum nos præsidio munimus, eorum enim rabiem in nos semper armatam esse nouimus. Non alia mens est totius regni, cum regem esse crudelem animaduertunt; clementia reges facit Deos, crudelitas facit dæmones. Vetera exempla sunt, impia & sæua Mezentij acta. vnde.

Surgit furiis Hetruria iustis.

Terribilis multis, caueto multos terribilis proximis, caueto proximos.

Et capite de crudelitate id satis ostendi. Nam crudeles à proximis maxime timentur; Alexander Phereus cuius celebris sæuitia fuit, ab vxoris fratribus dormiens, ipsa prælucente est interfectus.

Augustum plurибus seditionibus agitatum nouimus, sed cum eius crudelitatem cogitamus, miramur euasisse, Suet. c. 27. *Triumviratum Reipub. constituendæ per decem annos administrauit, in qua restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret porscriptio, sed inceptam vtroque acerbius exercuit. Namque illis in multorum sæpe personam per gratiam, & preces exorabilibus, solus magnopere contendit, ne cui parceretur: proscripsitque etiam C. Toranium tutorem suum, eundemque collegam patrui sui Octauii in ædilitate. Iunio Saturninus hoc amplius tradit. Quum peracta proscriptione M. Lepidus in Senatu excusasset praterita, & spem clementiæ in posterum fecisset, quoniam satis pœnarum exactum esset, hunc è diuerso professum, ita modum se proscribendi statuisse, vt omnia sibi reliquerit libera: in cuius tamen pertinaciæ pœnitentiam postea T. Iunium Philopœmenem, quod patronum suum proscriptum celasse olim diceretur, equestri dignitate decorauit. In eadem hac potestate multiplici flagrauit inuidia. Nam & Pinarium equitem Romanum cum concionante se admissa turba paganorum apud milites, subscribere quadam animaduertisset, curiosum ac speculatorem ratus, coram se confodi imperauit. Et Tedium Afrum Cos. designatum, quia factum quoddam suum maligno sermone carpsisset, tantis perterruit minis, vt is se præcipitarit. Et Quintum Gallum Prætorem in officio salutationis, tabellas duplices veste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere, nec quicquam statim, ne aliud inuentretur ausus inquirere, paulo post per centuriones & milites raptum è tribunali, seruilem in modum torsit: ac fatentem nihil, iussit occidi, prius oculis eius sua manu effossis: quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, comitemque à se in custodiam, deinde vrbe interdicta dimissum, naufragio vel latronum insidiis periisse. Tribuniciam potestatem perpetuam recepit: in qua semel atque iterum per singula lustra collegam sibi cooptauit. Recepit & morum legumque regimen aquè perpetuum: quo iure, quanquam sine censuræ honore, censum tamen populi ter egit, primum ac tertium cum collega, medium solus.*

Immane est quantum odium crudelitatis opinio adferat. Iustinianum secundum Philippicus summo omnium gaudio occidit, quod Chersonenses penitus delere statuerat, classem etiam ad infantes occidendos miserat, ciuium aliquem quoties truncatum nasum emungeret, trucidari iuberet. Diac. l. 19. Dionysij crudelitatem maiore immanitate, atque iniustitia Locrenses vindicarunt, vxorem enim eius prostitutam cum filiabus, acubus intra digitorum vngues compunctas occiderunt, ossa contuderunt, qui carnem non gustarent, execrati sunt. Ælia. l. 9. Verum hac de re sat actum c. de crudelitate.

Auaritia imperantiũ & ministrorum turbat Rempub.

§. 3. Nec minus efficax & multo frequentior est causa seditionum, auaritia imperantium. Notauit hoc Aristoteles l. 5. Politic. cap. 3. τούτων δὲ τὰ μὲν κέρδος, τίνα ἔχειν δυνάμιν, ἢ πᾶς αἴτια κακὸν ἐστι φανερὸν ὑπερίζόντων τε μάρτων ἐν ἴσῳ καὶ πλεονεκτούντων σωτίζουσι, καὶ πρὸς ἀλλήλους, καὶ πρὸς τὰς πολιτείας τὰς διδούσας τὴν ἐξουσίαν.

Harum autem rerum commoda & lucrum quam vim habeant, & quomodo sint seditionum causæ, propemodum apparet. Nam cum ii, qui Magistratus gerunt, contumeliosi sunt in priuatos, & plura atque ampliora omnia per iniuriam & auaritiam sibi sumunt, seditionem concitant illi tum inter se, tum in eas Reipub. administrandæ formas, quæ hanc licentiam præbent ac permittunt.

Quod

Quod si omnia in Romana Republ. perpendas, pleraſque ſeditiones ex auaritia nobilitatis ortas inuenies: hinc enim & Tribuni plebis inuenti, vt contra fœneratorum iniurias adeſſent infirmioribus: hinc leges agrariæ toties tentatæ, cum plebs gentium victrix inopia contabeſceret, nobilitas latifundia poſſideret.

Nimium multi ſunt hodie Cleones, qui
τὴν χεῖρ' ἐν αἰγιαλοῖς, τὸν δ' ἐν νῶν ἔν κλωπίδων

Manus habent in Aegialis ſeu pretorio, mentem in Clopidum prouincia, ſeu furtis.

habent. Caligula omnes commouit cum ſibi teſtamenta legari cogeret, pro edulijs pretium ſtatueret. Galba ob auaritiæ opinionem, ab exercitu proditus eſt. Eadem de cauſa Didius Iulianus deſertus, atque in Palatio occiſus eſt. Mauricium eam ob cauſam ſui prodiderunt, dum auari principis cuſtodiam negligunt, & Phocam Parricidam eadem de cauſa ſuſtulerunt. Conſtantinus ob eaſdem ſordes & rapacitatem in Sicilia à ſuis interfectus eſt, rapinæ eius à Saracenis in Africam auerſæ ſunt. Perſa Macedonum rex fraudatis ſtipendio militibus, deſertus, cum auro captus, & à Paulo Æmylio in Triumphum ductus eſt. Heraclius etiam dum Saracenos ſtipendio priuat, Orientis imperium perdidit.

Tributa fontes querelarum.

§. 4. Ad auaritiam pertinent iniquæ tributorum exactiones, quæ raro principes ditant, crebro illis ſunt exitio, officialibus lucro. Darium, qui primum tributa Perſici regni ordinauit καπηλεύς ſeu caupo dictus, mores quoque corrupit, & odio gentis fuit. Lydi Achæum Regem in tributis exigendis auarum pedibus ſuſpenderunt, ita vt caput Pactolo mergeretur, vt ſic aurifera aquâ eius ſitim explerent. Libera voce Tiberio Battus Dalmata exprobrauit, belli cauſam Romanos dare, qui non canes ſed lupos pecoris cuſtodes mitterent. Quod ſi præſentia ſpectemus, Tributorum exactio bellum in Belgio peperit, aut occaſionem dedit. Itaque magnopere cauendum, ne ſupra modum, aut morem grauentur, cum enim ſpoliari ſe ſentiunt, grauiter inſurgunt. Quamuis enim ſint extraordinariæ neceſſitates, vt cogatur interdum princeps pro vtilitate publica indictiones, & ſuperindictiones imponere, populus tamen ita affectus eſt, vt quod pro ſalute fit, dari alijs interpretetur. Acerbiſſimæ vero ſeditiones ſunt, quæ negato tributo oriuntur, & miniſtros præcipuè impetunt. Sic populi Iſraelitici furor in Aduramum, qui erat ſupra tributa, ſingulariter fæuijt, eumque lapidauit.

Tutiſſime itaque rex faciet, ſi tributa parua, per partes, conſentientibus ſtatibus demonſtrata rei nummariæ neceſſitate exigat; ordinaria conſeruet, noua haud facile imperet. Tempore Caroli Sexti noua vectigalia pene regem & regnum euerterunt, plebs enim tumultuata obtinuit, vt ea abolerentur, occiſis primum è magiſtratu clariſſimis viris. Eadem de cauſa tota Flandria Galli expulſi ſunt, cum initium Brugenſes dediſſent. Plebs quidem humiliter ſeruit, & quandiu cõſueta imperantur, quieſcit, cum inuſitatis modis ſe ſpoliari intelligit, ad arma vertitur.

Non mirũ eſt tumultuarios ſubditos cum iudices latrocinantur.

§. 5. Iniuſtitia, vel quæ reuera legibus & iuri obſiſtit, vel quam iniuſtitiam arbitrantur illi, qui deteriore conditione viuunt. Nam cum omnes ius, hoc eſt, æquum poſtulent, idque prætendant, non tamen veram æquitatem agnoſcunt. Qui enim aliqua in re ſunt æquales, in omnibus pares eſſe, & hac ratione iuſtitiam, hoc eſt, ipſam æquitatem violant. Populus & optimates cum pariter liberi ſunt, non tamen etiam par honor plebeio & nobili debetur; illa enim καὶ ἀριθμοῦ ἰσότης, non eſt ἰσότης καὶ ἀναλογίαν. Rurſum qui aliqua in re ſuperiores ſunt, nulla in re parem ferre volunt. idque iuſtum exiſtimant. Vt cum nobiles oneribus ciuilibus exempti ſunt, æquum cenſent creditoribus non ſoluere, ad iudicum citationes non comparere, nulli honorem exhibere, minorum ſeruitia exigere.

Cum igitur ius ſibi negari, aut inique dici animaduertunt, ad vim conuertuntur. Magnus imperator Iulius Cæſar nunquam maius periculum adijt, quam cum iudex inter Cleopatram & fratrem lectus, indigens amori reginæ, contra fratrem iniquam ſententiam pronunciaſſet, tum enim in ſeditionem & pene rabiem verſi Ægyptij vno animo in eum conſurrexerunt, adeo vt nudus flumini ſe committere ſit coactus, atque ita ad ſuos euaſerit, nec minus tamen eius veſtimenta Alexandrini per ludibrium circumtulerunt. Regnum enim propter iniuſtitiam de gente in gentem transferri nos ſacræ literæ docent.

Qui malũ metuunt anteuertere ſolent.

§. 6. Magnum etiam ad ſeditionem incitamentum eſt metus; cum enim peccarunt, & legum timent vindictam, vel cum innocentes proſpiciunt iniurias, malunt anteuertere. ita Aurelianus à ſuis pœnam partim merentibus, partim ab innocuis trucidatus eſt. *Incidit autem*, inquit Flauius Vopiſ. *vt ſæpe res fataliter agunt, vt Mneſtheum quendam, quem pro notario ſecretorum habuerat, libertum, vt quidam dicunt, ſuum infenſiorem ſibi redderet, quod neſcio quid de quodam ſuſpicatus eſſet: Mneſtheus, qui ſciret Aurelianum neq; fruſtra minari ſolere, neque ſi minaretur ignoſcere, breue nominum conſcripſit, mixtis iis quibus Aurelianus vere trascebatur, cum iis de quibus nihil aſperum cogitabat, addito etiam ſuo nomine, quo magis fidem faceret ingeſtæ ſollicitudinis: ac breue legit ſingulis, quorum nomina continebat: addens, diſpoſuiſſe Aurelianum eos omnes occidere: illos vero debere ſuæ vitæ, ſi viri ſunt, ſubuenire. Hi cum exarſiſſent timore, qui merebantur offenſam, dolorem miſcentes beneficiis atque officijs, quibus Aurelianus videbatur ingratus, in ſupradicto loco iter facientem principem ſubito adorti interemerunt.* Recte itaque Ariſtot. l. 5. c. 3. διὰ δὲ φόβον εἰσὶ στάσεις οἱ ἠδικηκότες, δεδιότες μὴ δῶσι δίκην. οἱ μέλλοντες ἀδικεῖσθαι βουλόμενοι φθάσαι πρὶν ἀδικηθῆναι. *Propter metum autem tumultuantur, qui iniuria affecerunt, ne pœnas dent, aut qui iniuriam paſſuros ſuſpicantur, malunt enim præoccupare.* Ita Rhodij metu iudiciorum contra plebem conſpiraruntMetus enim vehemens cum ignoſcentiæ deſperationem facit, omnium affectuum eſt fortiſſimus. Vide Heroinam illam

Memet ſuper ipſa dediſſem.
Quid metui moritura?

Fortunas ex aliena poteſtate pendere miſerum eſt.

Quorum vita, fortunæ, fama in aliena eſt poteſtate, ſæpius cogitant, quid poſſit dominus, quam quid facere debeat; quod ſi ita ſibi conſcij ſint, vt iudicent, non poſſe tantum, ſed iure etiam poſſe, & debere dominum aſperius agere, iamque promptum videant ad cruciamenta, & exitia apparatum, omnia tentabunt vt euadant; quod ſi multi timent, nulla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Hinc celeris & inconſulta rebellio, & quidem multorum, quia nemo illi fidus eſt, quem timet. Athenæ cum Alciabidẽ ob rem in Sicilia male geſtam, ad tribunal citant, ciuitatem euerterunt; ille enim deſperans veniam cladis acceptæ, ab infenſa plebe ſe conſecuturum, cum eos qui optime meriti fuerãt, extrema paſſos videret, hoſtibus ſalutem quam ciuibus credere maluit. Lacedœmonem enim profectus auctor fuit, vt Syracuſanis Gylippus auxilio mitteretur, bellum in Atticâ inſtauraretur, Chijs, Lesbijs, alijs, qui ab Athenienſibus deſciuerant ſuppetiæ ferrentur, ipſe in Ioniam nauigans in alienandis ciuitatibus ab Athenienſibus felix fuit. Verum nec apud Spartanos fides fuit, contumelia iniuriaque ſua Alcibiadem patriæ reconciliarunt, cum enim Ephori

Deſperans omnia ſecum rapit.

ducibus imperassent vt Alcibiadem occiderent, iterum Lacedœmonios in odium adduxit, tum apud vrbes, tum apud Tissaphernam Persam, deinde Mindarum, & Pharnabazum ingenti prælio vicit, & imperium maris, Spartanis ereptum Athenienſibus tradidit, à quibus cum iterum in ordinem redactus esset, patriam videre captam exul coactus est.

§. 7. Timori affinis est spes, Nam & qui aduersis conflictantur, meliora, & quibus prospere res cedunt, optima sperant. Sic multo tempore imperium Romanum venijt, cum spe impletos militares animos ad facinus seditiosi impellerét. ijdem quoq; spe frustrati principes destituerent. De Vespasiano refert Dio. *Neque tamen Alexandrinis gratus erat, cui adeo grauiter infensi erant, vt ei priuatim publiceque illuderent atque maledicerent. In causa erat, quod quum sperauissent se ab eo, quem primi omnium imperatorem fecerant, magnum aliquod munus accepturos, non solum nihil eis largitus est, sed etiam ab iis pecuniam exegit, atque tam multam collegit nullo genere tributi omisso, vt ne mendicis quidem pepercerit, ac de diuinis humanisque rebus pecuniam fecerit. Multa enim vectigalia quæ iam soluti desierant, renouauit, auxitque multa ex iis, quæ obtinebant, idque in cæteris prouincijs subditis imperio Romano, ac postea in vrbe fecit. Hanc ob causam Alexandrini multa conuitia in eum iactabant, dicebantque præter cetera: eum sex obolos exigere.* Spes itaque Ægyptios concitat, & destituta furit, norunt hoc illi, qui noua moliuntur, nihil ad seditionem magis impellere, quàm spe meliorum animos inflare. ita Cyrus Persas induxit, vt à Medis deficerent. Antiochus simili modo cum Cypsela obsideret, nobiles Cypsalenses, quos in castris habebat, torquibus, argenteisque armis ostentabat, itaque eorum cognati ad eum defecerunt, & quod consecutum est, vrbem tradiderunt. Crudelis est metus, & mali facinoris conscientia. Bagoas metu crudelitatis Ochum regem Persarum occidit. Arsamen filium in regnum extulit, & eodem modo ne iste paternam cædem vlciscetur, interfecit, & ad Darium Imperium transtulit. Itaque non magis Senatui quam Reipubl. M. Duellius Tribunus plebis consuluit, cum damnatis decem viris, omnibusque timentibus edixit; Ne eo anno cui diem dicere liceret: at spes acrior, quia actuosos facit, metus torpidos.

Scelera maiore scelere defendunt.

§. 8. Multas seditiones excitauit Magnatum & principum licentia in fœminas: nam & bella externa inde orta; regia coniux & externi thalami, & rapinæ pactarum plurium bellorum causa fuerunt. Sed de seditionibus agimus. Liuius l. 4. Apud Ardeates ortam ait ciuilem discordiam, inter plebem & optimates, ob nuptias virginis cuiusdam plebeij quidem generis, sed formæ maxime notæ, quam iuuenes duo plebeius alter, alter nobilis expetierint, fretus ille tutoribus, hic vero & matris, quæ quam splendidissimis iungi puellam volebat nuptijs, & optimatium studio. Cum igitur intra parietes peragi negotium nequisset, ventum in ius est, postulatu audito matris, tutorumque, secundum parentis arbitrium Magistratus ius dant nuptiarum. Sed vis potentior fuit. nam tutores de iniuria decreti inter suæ partis homines in foro concionati, manu factà virginem è domo matris rapiunt, aduersus quos infestior coorta optimatium acies accensum iniuria iuuenem sequitur. fit prœlium atrox. pulsa plebs armata ex vrbe profecta colle quodam capto in agros optimatium ferro ignique excursiones facit, vrbemque ipsam obsidere parat. nec vlla abest belli clades. Patum parti vtriq; armorũ, in vrbe belliq; visum est esse, sed & optimates Romanos ad auxilium vrbis adesse, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos excuere.

Roderici Hispaniæ regis libído adeo ad vltionem inflammauit Iulianum Tingitanum, cuius filiam cõtumelia affecerat, vt Mamolinum Saracenum in Hispanias euocaret. Vnius itaque intemperantia primo rebellionem, deinde bellum ac seruitutem multorum sæculorum nobilissimis regnis attulit. *Infausta libido.*

Reges quoque Romanos pepulit populus, dum aliter pudicitiam vlcisci se posse desperant. Decemviros quoq; hac ratione vlti sunt. Pandolphus Tyrannus ob filiam Bellantij abductam conspiratione cognatorum oppressus est.

Aristoteles quoque inter paruas causas, sed frequentes hanc recenset. Sane in populo Dei vnius tribus interitu fere libido expiata est. Regum potentissimus Xerxes dum fratris vxorem, familiamq; infanda libidine incestat, fratremq; amicissimũ trucidat, ab Artabano patruo interficitur. At nihil fœdius quã inter Artaxerxem & Darium filium de concubina certamen. Amabat Artaxerxes Aspasiam, Darium filium regem creat; moris erat vt die inaugurationis filio à patre donum petenti quod vellet, negari non liceret; Darius impudens & ingratus Aspasiam, perit; Artaxerxes iuxta leges donat, & paulò post, cupidine victus eripit. Darius patri necem machinatur, deprehensus capite luit. Quemadmodum vero vetustissimæ bellorum causæ sunt, virginum, matronarumque raptus, ita quoque integras Respublicas procerum riualitates turbauerunt.

§. 9. Honorum cupido & ambitio vix ab vlla absunt rebellione; plurimarum autem causæ sunt solæ. Clara res Aristoteli videtur l. 5. c. 3. δῆλον ὡς ἡ τιμὴ καὶ τὶ δύναλαι, καὶ πῶς αὐτία σάσεως καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀτιμαζόμενοι, καὶ ἄλλους ὁρῶντες τιμωμένους σασιαζουσι, ταῦτα δὲ ἀδίκως μὲν γίνεται, ὅταν παρὰ τὴν ἀξίαν ἢ τιμῶσι τινες, ἢ ἀτιμάζονται. δικαίως δὲ ὅταν κατὰ τὴν ἀξίαν. *Clarum est quid honor possit, & quomodo causa sit seditionis, qui enim sine honore sunt, videntes alios honorari, tumultuantur ad iure aliquãdo, iniuria nonnunquã contingit.* Dominandi sane libido, vt bellorum, ita seditionũ fax est. Romæ grauis erat Senatus plebi, & plebs Senatui, iuniores patrũ plebi insultabant, seniores nimis feroces credebant suos iuuenes: malebant tamen si modus excedendus esset, suis quam aduersarijs superesse animos. Primo æquari volunt, deinde ne libertatem & æqualitatem amittant, alios deijcere, alijs imperare volunt, itaque iniuriam repellere vt alijs inferant. Quæ res omnia conturbat. Neque enim tutos se putant, nisi alios qui iure pares sunt, ita prostrauerint, vt resurgere nequeant. Boni etiam principes hoc modo perierunt, sed mutati. Pausanias modestiæ, & temperantis animi in victoria exemplar, secundis rebus elatus, pacem Persicam adornabat, nuptias regias pactus, vt ipse rex Græciæ fieret, quocirca cum in templum fugisset muro inclusus est, ibique fame perijt, cum mater eius Alcithea in obstructione primum lapidem posuisset. *Ambitio rebellionum plerumque comes, sæpe causa.*

In Romana ciuitate spe dominationis plurimæ seditiones concitatæ sunt. siue sacra spectes, siue profana in hoc genere plurima inuenies; Reges Israëlitarum pene omnes ab insidiatoribus occisi sunt, & reges Iudæorum quoque coniurationes pertulerunt. Sennacherib filij, alijque alios: ad regnum enim cædibus venientes, eodem fere modo deijciuntur. Hoc itaque agunt, vt nemo sibi par, nemo superior sit, & vt aliquorum sint domini incerto euentu innumeros occidunt.

§. 10. Reipub. euersiones vt plurimum eueniunt, cum vnius nimia potentia alitur, & firmatur, de quo sæpius actum, sed malum est quod renacissime haret. Vnius excellentia libertati populorum, & regum maiestati ex æquo noxia est; Prudenter Aristoteles: *Propter excellentiam porro seditio oritur, cum aliquis vnus, aut* *Vni fere credunt principes & ab vno perduntur.*

aut plures, ampliores opes, maioremque potentiam obtinent, quam fert ciuitas, aut Reipub. administrationis potentia, ex talibus enim rebus monarchia, aut dynastia nasci solet. Quocirca in nonnullis locis præstantiores viros per testam ad certum tempus relegare solent, quod Græci dicunt ὀστρακίζειν, vt Argis, & Athenis. Atqui præstat ab initio prouidere, ne viri tam excellentes in ciuitate possint existere, quam malo ex patientia & negligentia nato posterius mederi.

Hinc Roma trium principum conspiratione, tribus dominis communis facta. Hinc oligarchiæ, coniurationes, cæteræque pestes. Si vero vnus apud principem omnia possit, inuidiam ferre non valet; Si pauci rerum potiantur, inter se conuenire nequeunt, potiusque principem produnt quam conseruant; quia ab aliorum amicitia & societate principem auertunt. Denique ex tot millibus, de quorum potētia prouinciæ questæ sunt, vix decem moderate vsi sunt potentia, sed eam in plebis, nobilitatis, principis, ac suam postremo perniciem verterūt. Causa vero est, quia nec in populi, aut procerum, nec in regis voluntate spem habent.

Contumelia potentibus facta, vindictam inuenit.

§. 11. Par est error imperantium cum magnos viros contumelia afficiunt. Illi enim cum potentes sint, magnosque spiritus gerant, insueti contumeliæ, non facile amittunt vltionis occasionem. Isboseth dum Abnero obijcit regiæ concubinæ amplexus, magni animi virum & regni stabilimentum offendit, vt continuo desciscereret ad Dauidem. & Dauid quoque dum Ioabum in ordinem redigere nititur, substituto in eius locum Amasa, qui nisi dolo cecidisset, non immerito timendus erat Ioabo. Coriolanus ignominiam iudicij excidio patriæ vindicasset, nisi preces matris obstitissent. Hippiam Athenienses ita meritū eiecerunt, sed redeuntem cum centum peditum, decem equitum millibus horruerunt, quem tamen vndecim millibus instructus Milciades vicit, in quem tamen ingratissimi fuere, ingentique pecunia multatum in carcere mori coëgerunt. Quod si ille ad Persas profugere voluisset, paruis viribus Athenas euertere potuisset; quid enim non faceret, si centena dena millia haberet contra vndecim millia, qui vndecim millibus centena dena millia deuicit? stulta itaque ciuitas, quæ in viros claros semper iniqua, & maleuola, suis se præsidijs destituebat. Baldilus Gallus quod iniustè à Childerico vapulasset regem ipsum & coniugem prægnantem interemit, & Colas pædagogus tres discipulos ad Galeatij Sfortiæ necem incitauit, quod plagas quas puer ab eo præceptore acceperat, rependisset. Andreas Lamponianus Galeatium Sfortiam occidit, quod sibi non fauisset cōtra Episcopum Comensem. Integræ Resp. aliquando in hoc genere delinquunt. Mathō cum exercitu multatus exilio Carthaginem profectus, ingratam patriam obsedit, nec nisi precibus mitigatus est. Vir magnus patriam occupare & perdere, quam cum tot fortibus ciuibus aduersam fortunam innocens luere maluit.

Duobus vero modis in his peccatur, cum nimios honores princeps admittit, vel alios proceres contemnit, illo fastu Cæsar amicissimos fidissimosque quondam milites abalienauit, & principes in sui exitium armauit. Suet. in Iulio. c. 76. & seqq. *Prægrauant tamen cætera facta dictaque eius, vt & abusus dominatione, & iure cæsus existimetur. Non enim honores modo nimios recepit, vt continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum, insuper prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum in orchestra, sed & ampliora humano fastigio decerni sibi passus est: sedem auream in curia, & pro tribunali thensam, & ferculū Circensi pompâ, templa, aras, simulacra iuxta Deos, puluinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis è suo nomine, ac nonnullos honores ad libidinem cepit,*

Principum superbia causa exilii

& dedit. Tertium & quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturæ potestate decretæ cum consulatibus simul: atque vtroque anno binos consules substituit sibi in ternos nouissimos menses, ita vt medio tempore comitia nulla habuerit præter tribunorum & ædilium plebis: præfectosque pro prætoribus constituerit, qui præsente se res vrbanas administrarent. Pridie autem Calend. Ian. repentina Cos. morte cessantem honorem in paucas horas petenti dedit. Eadem licentia spreto patriæ more, Magistratus in plures annos ordinauit. Decem prætoriis viris consularia ornamenta tribuit. ciuitate donatos, & quosdam è Semibarbaris Gallis recepit in curiam. Præterea monetæ publicisque vectigalibus peculiares, seruos præposuit. Trium legionum quas Alexandriæ relinquebat curam Rufini liberti sui filio, suo exoleto demandauit.

Cap. 77. Nec minoris impotentiæ voces propalam edebat, vt T. Amprius scribit, nihil amplius Rempub. esse, appellationem modo sine corpore & specie. Sullam nescisse literas, qui dictaturam deposuerit; debere homines consideratius iam loqui secum, ac pro legibus habere quæ dicat. Eoque arrogantiæ est progressus, vt aruspice tristia, & sine corde exta sacro quodam pronunciante, futura diceret latiora quum vellet, nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset.

78. Verum præcipuam & inexpiabilem sibi inuidiam hinc maxime mouit. Adeuntes se cum pluribus honorificentissimisque decretis vniuersos P. C. sedens pro æde Veneris genitricis excepit. Quidam putant retentum à Cornelio Balbo, quum conaretur assurgere: alii ne conatum quidem omnino, sed etiam admonentem C. Trebatium vt assurgeret, minus familiari vultu respexisse. Idque factum eius tanto intolerabilius est visum, quod ipse triumphanti, & subsellia tribunicia præteruehenti sibi vnum è collegio Pontium Aquilam non assurrexisse adeo indignatus sit, vt proclamauerit: Repete ergo à me Aquila Remp. tribunus: & nec destiterit per continuos dies quicquam cuiquam nisi sub exceptione polliceri, si tamen per Pontium Aquilam licuerit.

79. Adiecit ad tam insignem despecti Senatus contumeliam, multo arrogantius factum. Nam quum sacrificio Latinarum zeuertente eo inter modicas ac nouas populi acclamationes, quidam è turba statuæ eius coronam lauream, candida fascia præligata imposuisset, & tribunus plebis Epidius Marullus Cæretiusque Flauus coronæ fasciam detrahi, hominemque duci in vincula iussissent, dolēs seu parum prosperè motam regni mentionem, siue (vt ferebat) ereptam sibi gloriam recusandi, tribunos grauiter increpitos potestate priuauit, neque ex eo infamiam affectati etiam regii nominis discutere voluit: quanquam & plebi Regem se salutanti, Cæsarem se, nō Regem esse responderit: & Lupercalibus pro rostris à Coss. Antonio ad motum sæpius capiti suo diadema repulerit, atque in Capitolium Ioui Opt. Max. miserit. Quin etiam varia fama percrebuit migraturum Alexandriam, vel Ilium, translatis simul opibus imperii, exhaustaque Italia, delectibus, & procuratione vrbis amicis permissa. Proximo autem Senatu percrebuit fama L. Cottam XV virum sententiam dicturum, vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi à rege non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur.

Hæc in noua & cruda seruitute intoleranda videbantur, postea virtutes haberi cœperunt. Neq; sane finis esset, si exempla virorum fortium enarrem, qui contemptu sui indignantes ciuicos motus excitarunt. Coriolanus, Belisarius, Narses, alij testimonio sunt. Victor quidem Pisanus cum à Veneto Senatu in vincula coniectus, à plebe liberatus, moneretur ab insigni viro, vt iniuriam vindicaret, colaphum illi impegit, adiunxitque vocem maiorem omnibus gestis; An ego patriæ decreta vnquam contempserim? Verum tanta virtus rara est, quod si alibi sit, non tamen esse eam confidere patria potest, aut debet: quia & mutari facile potest.

§. 12. Propter minas multi principum euersi sunt, vt supra de Aureliano docui. minari itaque Magistratus non facile debet, nisi vt delictum vitari possit,

Minæ perdunt vindictæ locum.

sit, certissimo enim se periculo exponit. Si enim necem alicui minetur princeps, ille vel de fugienda, vel facienda cogitat, idque agit vt princeps potius quam ipse pereat. Ad metum hoc pertinere non dubito. Quia tamen metum potentissimum & violentissimum comminationes efficiunt, facillimeque efferuntur in vulgus, & augentur, omnino est minis abstinendum. Tutius est nocentem occidisse, quam mortem minari. Minæ enim vel sunt potentis, & quas euadere nequeas; & sic præmaturæ sunt; vel imbecilli, & sic vanæ sunt, vtroque modo executionem faciunt difficiliorem. Minantis, si potens est, inuidiosa est atrocitas, si infirmus, nulla est auctoritas. Qui minatur inimicum admonet, non nocet. Facillimum namque illi est tibi irrogare malum, quod alteri minatus es. Addo etiam illud. Illum cui malum minatus es videri iustam habere causam, vt se tueatur, & velut bello indicto sese ad defensionem paret. Quam vox imprudens fuit imperatoris Romani, qui tribunus tum erat militari potestate; *Malum militibus meis nisi quiescant!* Hoc enim verbo inflammati, cœdem fecerunt. Qui enim minatur affectu & ira videtur efferri, atque iudicare cum nondum cognouerit.

Oppositi Magistratus in Rep.

§. 13. Cauendi oppositi in Republ. Magistratus. Itaque insciti ssime fecerunt Romani, cum tribunos plebis dederunt, perpetuum seminarium omnium seditionum, multo sapientius consulem alterum de plebe creassēt. Nam tribuni plebis primo eos adegerunt, vt tribunos militum consulari potestate eligere cogerentur, deinde matrimonia, tertio alterum cōsulatum, tandem vtrumq;, deniq; censuram, dictaturam, omnia extorserunt. Contigit itaq; Romanis vt per Δημαγώγους & tribunos suos interirēt, quod narrat Arist. plurib. euenisse l. 5. c. 5. *Democratia igitur mutantur maximè propter leuem tribunorum petulantiā. Nam partim locupleteis calumniis onerantes, eos coire & conspirare faciunt, (conciliat enim & coniungit vel inimicissimos communis metus) partim communiter multitudinem in eos incitantes. Atq; hoc in multis qui ita euenire videat. Nam etiam in commutata democratia est, exorientibus in ea improbis populi ductoribus. Nobiles enim coiuerūt, & Rhodi: stipendium enim militibus populares concionatores præbebant, & Triremium præfectis ista persoluere vetabāt. Illi autem propter iudiciorum grauiū, (quæ qui ex lege non nauigarent, erant subituri,) metu coacti sunt, coitione facta populi potentiā euertere. Heracleæ quoq; opes populi fractæ & dissipatæ sunt, statim post coloniam eo ab Athenien sibus missam, culpa popularium & leuium populi ductorum. Cum n. nobiles ab iis iniuria afficerentur, exire è ciuitate coacti sunt; deinde qui eiecti fuerant in vnum conducti & contracti copiis, in ciuitatem, ab exilio reuersi, Democratiam sustulerunt. Similiter & quæ Megaris erat democratia, dissoluta & conuulsa est, nam populi ductores vt bona priuatorum publicare possent, multos nobiles è ciuitate exterminarunt, vsque eo, donec magnum exulum numerum fecerunt. Illi aūt in ciuitatē ab exilio reuerti cupientes, signis collatis populum superarunt, & oligarchiam ex Democratia fecerunt. Idem porro & Cumis accidit: quam vrbe democratiam Trasymachus funditus deleuit. Atq; in aliis fere ciuitatibus, si qui animaduertere & considerare velit, rerump. conuersiones, & mutationes hoc eodem modo fieri videre possit, Interdū n. vt à populo gratiam ineant, nobilibus iniuriā inferentes, eos ad cōsensiones & coitiones faciendas impellunt, dum aut eorū bona legibus agrariis populo diuidūt, bonorumq; æquationem inducunt, aut vectigalia functionibus munerū publicorum exhauriunt: interdum falsis criminib. in iudicium adducentes, & inuidiam vocantes, vt diuitū fortunas & facultates rei familiaris publicare possint. Priscis quoq; temporibus cum idem populi ductor fieret, & imperator democratia in tyrānidem verteba-*

Externo dū fidunt, imperium amittunt.

tur; fere n. pleriq; tyrāni antiqui ex populi ductorib. facti sunt.

§. 14. Imperia etiam plurimi perdiderunt, cum exteros in ciuitatem ad sciuerunt. Arist. l. 5. c. 3. *Ad seditionem excitandam valet etiam id, quod nō est eiusdem gentis & generis, donec consenserit & conspirarit. Quemadmodum enim nō ex qualibet & fortuito oblata multitudine fit ciuitas, sic neq; quouis tempore. Quapropter qui inquilinos aut aduenas in ciuitatem receperūt, ij fere oēs, aut certe plurimi, seditionibus conflictati sunt. Exempli causa cum Troēzeniis Achiui Sybarim incoluerunt: deinde Achiui numero aucti Troēzenios eiecerunt. Vnde scelus Sybariticum natum est. Et Thurīs cum Sybaritæ populos vna secum habitanteis, & in ciuitatem receptos iniuste læderent, & maiorem agri tanquam sui partem, superioraq; adeo omnia sibi assumerent, exacti sunt. Et cum Byzantij aduenas sibi insidiari cōperissent, & manifeste quasi in ipso furto deprehendissent, eos prælio commisso superatos exterminarunt. Et Antissæi Chiorum exsules in ciuitatem receptos cum eos res nouas moliri sensissent, signis collatis eiecerūt. Et Zanclæi cum Samios in ciuitatem suam recepissent, ipsi ab eis victi & expulsi sunt. Et Apolloniatæ qui in ponto Euxino habitant, cum aduenas quosdam inuitassent, seditionem inter se concitarunt. Et Syracusani post tyrānos exactos, peregrinis & mercenariis militibus ciuibus factis, dissenserunt ac discordarunt inter se, & prælium commiserunt. Et Amphipolitæ Chalcidensium colonis receptis, ab his eiecti sunt eorum pleriq;.*

Prudenter itaque Romani Gallos, qui Alpes innoxii transierant, recedere iusserunt, Causam Galli agunt. *Se superante* (Liu. l. 39.) *in Gallia multitudine coactos inopia agri, & egestate, ad quærendam sedem Alpes transgressos, quæ inculta per solitudines viderent, ibi sine vllius iniuria consedisse, oppidum quoque ædificare cœpisse: quod indicio esset, nec agro, nec vrbi vlli vim allaturos venisse. nuper M. Claudium ad se nunciumi misisse: bellum se cum iis, ni dederentur, gesturum, se certam, etsi non speciosam pacem, quam incerta belli præoptantes, dedisse se prius in fidem, quam in potestatem populi Romani. Post paucos dies iussos & agro & vrbe decedere, sese tacitos abire quo terrarum posent, in animo habuisse, arma deinde sibi ac postremo omnia alia quæ ferrent agerentve adempta. orare se S. P. Q. R. ne in se innoxios deditos acerbius, quam in hostes sæuirent.* Populus Romanus arma reddidit, abire iussit.

Gentes diuersæ in vnum miscenda.

Non facile gentes inter se coalescunt, nisi matrimonio, vestitu, lingua, paulatim similes reddantur. Bebryces admiserunt in ciuitatem Phocenses, qui cum armis opibusque florerent, hospitibus illi inuidere cœperunt, eosque tollere de medio cogitabant, quo cognito Phocenses insigni stratagemate victos Bebryces occiderunt, & vrbem soli possederunt. Vtinam id illi feciss ent, qui primum barbaros in imperiū vocarunt, agrosq; dederūt, qui deinde Turcas Europæ immiserunt. Et nunc quoq; dum hæc scribo, quid aliud agunt illi, qui comparatis vndique exterorum auxilijs, Ferdinando Imperatori rebellant, idque in conspectu Turcorum, amico etiam & Vasallo Turcorum adiuti, quam vt in Germaniæ possessionem tyrannum inducant? sed eas principum discordias peccata pereuntium efficiunt: & eædem tamen principum seruitute, vel exitio sopientur.

§. 15. Arma populo data ad defensionem, nisi caute Respubl. administretur, facile eam euertunt. Ideoque illa non omnibus, sed nonnullis & selectis permittenda sunt. Rebelles Aquensium cum armati essent, Senatum eiecerunt. Id multis olim imperij ciuitatibus contigit: quin & rustici quandoque arma ceperunt. Reducenda itaque nouella 85. t. de armis. *Magnum Deum & Saluatorem nostrum Iesum Christum, & eius auxilium semper inuocantes, studemus omnes subiectos nostros, quorum regimen credidit nobis Deus, illæsos & sine calumnia custodire & inhibere bella, quæ per suam considerationem suscipientes aduersus alterutros operantur dolores, duplex ex hoc contra se supplicium inferentes, tam quod sibimet inferunt, quam q ex legibus vesaniam eorū punientibus patiūtur.*

Arma cautissime permittenda.

Cap. I. Volentes igitur huiusmodi motib. homines liberare, prospeximus armifacturæ, opus nullum primatum operari. solos autem illos arma facere, qui in publicis deputati sunt armificatoriis, aut qui dicuntur fabricenses, eos autem,

qui

qui operantur arma nulli vendere priuato, sed neque qui in numeris constituti sunt a: misactores, quos etiam deputatos appellant, qui de fisco annonas accipiunt, permittimus operari, aut alicui vendere arma: sed solum diligentiam habere armorum militum in numero constitutorum, in quibus militant. Si vero nouum aliquid faciunt, hoc auferri ab eis & in sacro nostro inferri armamento adiiciendum ibi repositis publicis armis.

Cap. 2. Hoc autem obseruare volumus & eos, qui in ordinibus ballistariorum sunt, quos per diuersas statuimus ciuitates, ordinantes eos & arma facere sancientes, vt & ipsi sola publica arma in armamentis publicis vniuscuiusque ciuitatis recondita corrigant, atq; renouent. Si qui vero vni aliquid armorum instruxerint, hoc similiter & ipsis inter publica arma præstent, & nulli alteri penitus vendant. Hoc quoque custodiant, qui in Ballistariis deputati sunt, periculo patrum, ciuitatum, sub quibus & ipsos ballistarios statuimus, & publicorum armamentorum diligentiam atque custodiam constituimus: quatenus si qui visi fuerint aut deputati, aut fabricensii vendentes arma, prouideant per loca iudices, eos suppliciis subdere, insuper etiam arma ab iis, qui ea comparant, sine pretio auferre, & publico vindicare.

Cap. 3. Hanc igitur gubernante nos Deo cogitationem, per præsentem sancimus legem, in nulla ciuitate aut prouincia nostræ reipublicæ habere licentiam priuatos, aut alium quempiam arma facere, aut vendere, aut quolibet mercari modo: sed solos eos, qui inter fabricenses referuntur, hæc instruere & deferre ad sacrum nostrum armamentum. & hoc à tua celsitudine, & qui post te susceperint cingulum, custodiri sancimus, deputantibus nobis aliquos chartulariorum qui sub tua celsitudine in scrinio sunt constituti fabricensium, periculo quinque inter eos priorum bonam opinionem habentes & oportunos, qui in hac felicissima ciuitate, & aliis ciuitatibus nostræ Reipublicæ arma faciunt, requirentes prohibeant priuatos, aut etiam alios quosdam, citra eos qui deputati sunt inter fabricenses, armifacturæ agere causam, & in quibuscunque comperierint locis, aliquos priuatos hoc audentes, hæc offerre, & fisci applicare armamento. Si autem inter operarios priuatos, opifices oportunos inuenire potuerunt, hos si voluerunt in militiis statuere, & in descriptione nomina eorum facere, & destinare nobis descriptionem artificum, vt per sacrum nostrum rescriptum in illis statuantur locis, in quibus sunt publicæ fabricæ, quatenus illi operantes arma & de fisco annonas accipiant. hoc enim facto & subtiliter obseruato à prædictis personis, licentia penitus nulli dabitur, neque ciuitates inhabitantibus priuatis, neque villas incolentibus rusticis armis vti aduersus alterutros, necesque præsumere, & ex hoc plurimos homines occidi, publicas vero perire functiones, dum terræ cultores vitam amittere metuentes, fuga propter timorem vtuntur; oportet ergo eos qui diriguntur à tua celsitudine ex memorato fabricensium scrinio ad prohibendos priuatos armorum factores, confessionem accipere etiam per loca iudicum, & subiectorum eis officiorum, & ciuitatum defensores & patres, quia nihil valebunt de cætero horum, quæ à nobis prohibita sunt, aliquid agere, sed quæ per præsentem sancita sunt legem custodient, pœnam & in pecunis & in ipsum formidantes caput. Sancimus enim magnæ quidem Alexandriæ iudicem negligentem, quæ à nobis sancita sunt, viginti auri librarum exsoluere pœnam, & cingulo cadere, & huius officium similiter auri librarum viginti, dare pœnam, & capitale subire supplicium: aliarum vero prouinciarum iudices damnum decem librarum auri sustinere, similiter autem casui cinguli subiacere & eorum officia. Defensores autem & patres ciuitatum, trium librarum auri multari pœna & in capite sustinere periculum, si quod tale factum comperientes non punierint, aut hoc agere volentibus non nuntient, sed latere permiserint.

Cades ex armorum cõcessu promiscuo.

Cap. 4. Vt autem palam fiant, quæ à nobis prohibita sunt, à priuatis & aliis quibusdam, citra eos qui in sacris nostris fabricensibus referuntur, fieri aut priuatis vendi arma: & hoc per præsentem legem significari curauimus. Prohibemus enim priuatos fabricari & emere arcus & sagittas, & spathas, & enses quæ vocare consueuerunt semispathia, & quæ vocantur Zabæ siue loricæ, & contos & quolibet modo vel figura factas lanceas, & quæ apud Isauros nominantur monocopia, & appellatos sitinnos seu missilia, insuper & aspidas siue scuta, & galeas seu cassides; non enim ista alii cuidam instruere sinimus, præter eos qui deputati sunt in sacris nostris fabricensibus, solos autem fieri & vendi à priuatis, & priuatis vendi permittimus cultellos minores, quibus nullus in præliis vtitur. Præsentem igitur legem generalem tua celsitudo, in hac proponat regia ciuitate, nec non & per alias ciuitates nostræ Reipublicæ, vt omnes agnoscentes quæ placuerunt nobis, hæc obseruent.

Qui verò exercendi sunt, melius publicis armis exercentur, vt factum apud Romanos.

CAPVT IX.

Seditionum causæ ex subditis.

Seditiones interni morbi sunt.

§. 1. SEDITIONVM origo, quemadmodum morborum ex constitutione corporis, ita ex imperij amplitudine, diuersisq; partibus oritur. Aug. vere l. 19 de ciu. c. 7. *Quamuis desint hostes, tamen ipsa imperii latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet & ciuilia quibus miserabilius quatitur genus humanum, siue cum belligeratur vt aliquando conquiescant, siue cum timetur, ne rursus exsurgant.* Oriuntur igitur discordiæ populi crebro nulla causa, nequitia tantum & lasciuia populi, & eorum qui populum ducunt. Huiuscemodi fuêre seditiones populi Israëlitici in deserto, contra Mosem & Aaronem, contraque Deum ipsum infestæ. Quid enim æquius benigniusq; Mose, quid magis propitium quâ Deus, qui quotidianis miraculis beneficisque rebellium ingratitudinem obruebat? Nulla etiam seditionis causa in Samuele fuit, & consurgentes tamen eum abiecerunt, regemque petierunt. Quid mouit furiosos vt Absolonem, deinde Sebam duces secuti impia arma Dauidi inferrent? Alia cogitare non possum, quam felicia bella sancti regis, gentiumq; vicinarum prædas, indeque luxum, qui plurimos merserit. Hinc Absolon populi vitijs magis idoneus quam Dauid, & Seba omnia permissurus, vt qui esset vir Belial, & tæterrimo cuique obnoxius, fautorque.

Seditiones sæpe nulla ex causa.

Ad hoc genus reuoco stultissima ludicra, ob quæ seditiones frequentes motæ sunt. Histriones & Pantomimi à Nerone ex Italia pulsi sunt, quod eorum causa variæ factiones orirẽtur, adeo vt ad contentiones fautorum militem theatro assidere oporteret. ita Suet. male Nerua restituit, bene Traianus iterum abstulit.

Sine causa etiam & occasione in Leonem tertium Romani, in Vitalem Michaëlem Veneti, quod reducta classe pestis vrbem inuasisset causati; In suos Magistratus, & Neapalionem legatum Bononienses. itaque crebro existunt, quarum nulla in rectoribus causa, nec causæ prætextus vllus.

Seditionis causa mutua inuidia, & prætextus in principem amor.

§. 2. Belli quidem Sebani causa fuit factio; & inuidia, quod tribus Iuda non præsentibus alijs Regem reduxisset. *Quare* (inquiunt 2. Reg. c. 19.) *te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem, & domum eius Iordanem, omnesque viros Dauid cum eo.* Et. *Decem partibus ego maior sum apud regem, magisque ad me pertinet Dauid quam ad te, cur feci sti mihi iniuriam, & non mihi nunciatum est priori, vt reducerem regem meum?* Durius autem *responderunt viri Iuda filijs Israel.* Quid hic aliud quam merus amor in regem? & vide tamen mutabile ingenium populi c. 20. F. *Bochri cecinit buccina, dixitq; non est nobis pars in Dauid neque hæreditas in filio Isai, reuertere in tabernacula tua Israel: separatusque est omnis Israel à Dauid, secutusque est Seba filium Bochri.* Tam facile animos mutat inuidia contentiosa. Pars contempta se mox applicat non nobili alicui & forti duci, id

Sebæ filio Bochri viro Belial. Inuidebant itaque Tribui Iuda, cui regnum perpetuum promissum fuit, felicitatem; & vnius hominis contagione insaniunt; nam illo cæso omnes conquiescunt. Malignum sane vulgus, limis semper oculis procerum felicitatem intuetur, & cũ potest, aduersatur. Ærugo illa Remp. exsugit quam frangere & sternere nemo pŏt. deinde exsanguem hostibus suis dilaniandam contradit.

Talis erat illa nobilis in Anglia seditio rusticorum: nõ enim tam oppressos se queruntur, quam nõ esse pares nobilibus. Anno 1381. Cantij iugum omne detrectabant, nobiles de medio tollendos dicebant. Ab eodem Adamo omnes sine discrimine natos, pares omnes esse. Itaque arreptis armis multos è magistratibus nobilibũsq; factio interemit, bona eorum diripuit, regem ad iniquas conditiones adegit, donec tandem auctores puniti sunt. Huiuscemodi fuere conuentus Athenienſium, cum viros claros, & optime meritos exilio multarent.

§. 3. Causa seditionum etiam esse solet, cum potentes patrimonia absumpserunt: Causam eam sapientissime notauit Arist. l. 5. Pol. c. 6. *Fiunt & oligarchiæ conuersiones etiam, cum pauci potentes qui Remp. moderantur, rem suam familiarem consumserunt, intemperanter viuendo. Etenim tales homines rebus nouis student, & aut ipsi tyrannidem occupant, aut alium tyrannum parant: quemadmodum Hipparinus Dionysium Syracusis, & Amphipoli quidam cui nomen erat Cleobino, Chalcidensiũ inquilinos in vrbem adduxit: eosq; cum venissent locupletibus infensos reddidit, atq; in eos incitauit. Et in Aegina is, qui negotium illud, q; ad Chareten attineb at, gessit, Reipub. administrandæ formam mutare conatus est propter talem causam. Interdũ igitur aliquid mouere & nouare conantur: interdum pecuniam publicam furantur, ex quo aut inter se dissident & discordant, aut qui his Remp. depeculantibus aduersantur & repugnant: quod Apolloniæ accidit, eam dico quæ est in Ponto.* Hæc prisca exempla, noua memorare nihil attinet, quibus res mala, aut nulla domi, spes multo asperior, seditiosi sunt. Foris subsidia viuendi quærunt. Omnino ita fieri assolet, communi interitu sua mala sopire conãtur. rebus turbatis alacres sunt, quia aliqua spes affulget, in pace illis turbæ sunt. hinc tumultum & incerta pericula malunt, quam certa domus suæ mala. Certum itaq; esse statuat Magistratus, tot esse in Republ. hostes, quot sunt qui nequitia & libidine rem decoxerunt. Iulio regia pecunia opus erat, vt nihil haberet, omnia enim in largitiones effuderat. Catilinæ sunt, & Cethegi, quibus ex luxu probra paupertatis ad facinus sunt incitamento. Demades Athenienſium orator ante opulentissimus, tandem pauper ciuitate pulsus est, septies falsi accusatus. At nihil opus est externa quærere, Curionem, Milonem, ceteroſque miseros & turbatores, præsertim Iulium. Cæsarem & Antonium Triumvirum historiæ exhibent.

Dilapidatores remp. turbant.

§. 4. Euertitur etiam Respubl. cum paulatim eo vsque res deuenit, vt potestas magistratus imminuatur, & potentiores sint illi quos parere leges iubent. Illi enim non parent dicto, nisi animo collibitum est. Hinc Romanum Imperium infirmum redditur, cum duo tresve principes pares sunt imperatori, cui si se opponant sine dubio magnas difficultates inferrent Reipubl. causa est, quia potestas sine viribus contemnitur. Sic teste Aristotele mutata est Respubl. Thebanorum, quod plures, meliores, fortioresque essent, qui non admitterentur ad Reipubl. administrationem. Idem Megarensibus euenit, Syracusijs, Rhodijsque. Necaliud perdidit imperium Constantinopolitanum quam principes ab imperatore dissidentes, tanta potentia vt eos in concordiam redigere non posset: Hac enim ratione contingit, vt ea sit potentia diuitum, quæ vigorem magistratus prorsus tollit. Eodemque modo in magno imperio, principum. Athenienſium quidem Remp. magistratus sortito electi, & plebei perdiderunt. Turpe est enim eos eligi vt præsint alijs, quos cognatos, parentes, filios nemo præ pudore nominare auderet. Hinc viri nobiles, & magno animo præditi, contemptu vilium præsidum, qui & vulgo ridentur, facile conspirare, & in se transferre potestatem valent.

Magni viri extra magistratum nõ relinquẽdi.

§. 5. Dissimilitudo etiam facile seditiones concire potest, vt cum sub vno rege sunt diuersæ nationes, quarum alias aliæ ferre nequeunt. Quod Clazomenis & Athenis factum memorat Aristoteles. Nostro etiam tempore frequenter vidimus exercitus ex varijs nationibus collectos inter se tumultuari. Vidimus & vrbes clarissimas exterorum admissorum seditionibus agitari. Aquisgranum præcipuè; Belgæ inquilini, qui errorum & rebellionis causa, patria excesserant, exercitati iam malis ciuilibus, turbauere, pulsis Catholicis. Idem Wesaliæ & Bremæ fecere in ordinem redactis Lutheranis. Olim maius ex hac re periculum fuit, cum coloniæ deducerentur interdum ex diuersis gentibus, maxime si miscerentur antiquis ciuibus. Crebro itaque legimus initium cædis in coloniis factum. Plus autem ad discordiam valet regionum, quam nationum diuersitas.

Diuersæ gentes facile tumultuantur.

§. 6. Quod si rem ipsam spectemus, eadem ex populo causa seditionum oritur, quæ ex rectoribus, cum vt in hominibus eiusdem naturæ, sic vitiorum quoque sit affinitas. De Roma sua fatetur Florus l. 5. c. 12. *Quæ enim res alia furores ciuiles peperit quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit. mox Asiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atq; diuitiæ afflixêre seculi mores. mersamque vitiis suis quasi sentina Remp. pessum dedere. Vnde enim populus Romanus à Tribunis agros, & cibaria flagitaret, nisi per famem quam luxus fecerat? Hinc ergo Grachana & prima, & secunda, & illa tertia Appuleiana seditio. Vnde regnare iudiciarijs legibus iussus à Senatu eques, nisi ex Auaritia, vt vectigalia Reipub. atque ipsa iudicia in quæstu haberentur. Hinc rursus & promissa ciuitas Latio, & per hoc arma sociorum. Quid autem bella seruilia: vnde nobis ex abundantia familiarum? Vnde gladiatorii aduersus dominos suos exercitus, nisi ad conciliandum plebis fauorem effusa largitio, cum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit? Iam vt speciosiora vitia tangamus, nonne Ambitus honorum ab iisdem diuitiis incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempestas. Aut magnificus apparatus conuiuiorum & sumptuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem? Hæc Catilinam hostem patriæ suæ impegit. Denique illa ipsa principatus & dominandi cupido, vnde nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem & Pompeium furialibus in exitium Reip. facibus armauit. Hos igitur omnes populi Romani domesticos motus separatos ab externis, iustisque belli ex ordine prosequemur.*

Idem in populo sunt fontes malorum, qui in rectoribus.

Adiuuant hæc omnia magisq; intenduntur, cum in populo grassantur, tum quia vulgantur in plurimos, tum quia populus haud facile vitijs resistit, plus in eo est animi quam consilij, instabilis est, & sententias, vt tempestates aura commutat. Motuum & mutationum cupidus est, quia multi in eo sunt agentes, multi nouarum rerum appetentes. Quemadmodum enim nautis fame ac siti laborantibus quælibet terra grata est, ita pauperibus, inquietis, afflictis omnis mutatio melius aliquid allatura videtur. Oraculum est Platonis in Axioch. *Populus ingratus est, rerum facile fastidiosus, mutabilis, crudelis, inuidus, ineruditus, vtpote ex plebis colluuie, & violentis impostoribus collectus. Id honestum putat quod à plerisque laudatur.*

§. 7. Maximum est, & pene incurabile seditionis genus, quod ex superstitione oritur. Ratio enim eius ex intimo oritur animo, & ad omnia fanda, infanda propellit, neque cessat quamdiu mentes obsident superstitio-

perstitiones. Libet hoc loco admonere quod vir clarissimus, nostri sæculi magnum decus, Justus Lipsius facit, l. aduersus Dialogistam. Verba eius sunt. Serio ego vos Principes moneo, cauete. A nulla re maĩ⁹ periculũ imperijs & sceptris, quã ab innouata, aut insidiose simulata religione. Hi. n. tales cõmouent animos plebis maxime & per speciem pietatis impellunt quo volunt. Exempla dabo? Ecce hæc pauca. Eunus (Flor. 3. c. 19. & Diod. Sicul. in Fragm.) olim in Sicilia fuit conditione seruus: qui fanatico furore simulato, dam Syriæ Deæ comas iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinum imperio, concitauit. & LX. amplius millium exercitu coacto, palam Regem se ferens, Siciliam totam subegerat, nisi ægre, ægre coërcuissent Romana arma. Quid Pseudopropheta ille Ægyptius sub Claudio? qui in Judæa (Joseph. 2. belli Jud. c. 12.) per hanc ipsam speciem pietatis ad triginta M. hominum sibi adiunxit, cum ijs Hierosolyma petijt, arcem illam & sedem regni habiturus: nisi à Floro præside qui obuiam egressus, acie victus cæsusque esset. Haud dissimile Marici illius factum sub Vitellio: qui (Tac. 2. hist.) assertor Galliarũ & Deus (id sibi nomen indiderat) concitis octo millibus hominũ, proximos Æduorum pagos trahebat, maiora & ipse ausurus, cum fanatica multitudo delecto milite oppressa vel disiecta est? Quid Elmaheli in Africa? is (vt refert Joh Leo l. 2.) mira sanctimoniæ opinione conciliata gente, bellum suo & Maroccensium regi (Abrahamus tunc erat) palam intulit, acie vicit, regno & vita spoliauit.

Nouatores periculosi in omni statu.

Exẽplis doctum. Euni.

Pseudopropheta Ægyptij.

Marici.

Elmahelis.

Nec dissimilis fraudis & fati in eadẽ Africa (idem Leo l. 3.) impius alius (Chemen Mennal vocant) qui rituum & religionis vanitate illectum populum in Regem Fessæ concitauit, pendere tributum vetuit; denique per aperta eo adegit, vt pacto sibi traderet Temesinæ regnum. Apud Turcas ipsos (vt referunt annales Tur.) nonne aliquoties res motæ hoc prætextu? fuit Schæcoculis quidam simulatæ sanctimonię vir, & hoc fine in solitudinibus plerumq; agitans: cui ipse Princeps Turcarum Baiazites munuscula annua mittere in speluncam veneratione pietatis solebat. Is vbi maturum visum, post septẽ annos prodit, sectam nouam proseminat, fautores, assecla sq; reperit. Cum jis vrbes aliquot Asiæ inuadit & diripit, ipsum Bassam Anatoliæ iusto prælio vincit. Imo paulo post Corcutem quoque Baiazitis filium, & mox Ali Bassam cum robustis veteribusque copijs aduentantem. Quid multa? in discrimen summum rem Turcicam adduxerat: cum visum ei deflectere in Persarum fines, quorum Rex eiusdem illius sectæ. Nam hæc est Sophilariorum secta. quæ præcipua causa etiam nunc inter vtramque istam gentem belli. Sed cum in via Caruanam quandam Perficam (agmen viantium ita vocant) milites eius inuasissent ac diripuissent, plerisque viatorum cæsis: ita ægre Ismaël Sophi Persarum id tulit, vt ipsum, præfectosq; eius omnes, illico trucidandos satellitibus suis obijceret: reliqua multitudine in seruitutem adiudicata & diuisa. Hæc iusta Nemesis nebulonẽ illum assecuta est. In eadem Asia iã nuper Suleimanne Principe (vt referũt Annal. Turc.) quidã Calendër Zelebis insurrexit ad res nouãdas, tectus hoc ipso pietatis velo. Is cũ aliquo Deruisiorũ numero Sangiacos plures fudit, & Anatoliam totam vocauit ad arma. Sed. n. missu aspicijsq; Suleimãnis, Ibrahimes Bassa, ancipiti plio ipsum, factionẽque deleuit. Quid in Creta insula (veniendum ad ridenda est) Judæus quidã (vt Socrat. Eccl. hist. 7. c. 37.) Theodos. Imperatore, quã sceleste & periculose gẽti suæ imposuit? Finxit se nouũ Mosem adesse, cælitus missũ, vt eriperet eos è diutina seruitute. Oppidatim ergo circũit, hortatur opes, amicos relinquere; se sequi in terrã illam promissionis, & addebat (veteris illius Mosis exẽplo) per ipsum mare se eos traducturũ. Credunt, cõueniunt, immẽsa multitudo, omnis ętas, omnis sexus ad promontoriũ, illo duce properant, itur in beatam terrã. Ipse insilire iubet, quod factũ insana cõfidẽtia à plurimis: qui statim mersi, paucis eorum scaphis piscatoriis exceptis. Caput ipsum sceleris nusquã cõparuit, siue homo, siue humana specie Genius malus fuit. Deniq; nostro aut patrũ ęuo nõne talia monstra? Joan. Leidensis ille nobilis, vibex & macula suæ vrbis. Qui opificio sartor, regna & sceptra somniauit: & adeptus capta Monasterio vrbe, nisi potẽte exercitu Principes imperii obsedissent, recepissent, ipsum & asseclas cõdignis suppliciis affecissent, vt iure hæc concludã Liuiano (l. 39.) dicto, nihil in speciẽ fallacius, quã praua religio est, vbi Deorũ numẽ prætẽditur sceleribus. Quod si tu insanias religionũ & superstitionũ q̃as, nostri sæculi historias lege, intelliges nihil esse ad tumultum, cædes, tormenta efficacius.

Schæcoculis anno Christi M. 10. IX.

An. M. 10. XXVI.

Calenderis.

Judæi avaquam.

Ioann. Leidani.

§. 8. Solent etiam collegia & societates crebro esse semina discordiarũ, cum nõ vt mẽbra totius Reip. sed propriæ quædã ciuitates magnæ ciuitati insertæ plus potestatis sibi arrogãt, quam bono cõmuni expedit. Hinc ἑταιρείαι & cõuentus in legibus imperii prohibẽtur, eaq; occasione interdum contra Christianorũ ecclesias persecutio sæuiit. Augustꝰ vt autor est Sueton. omnia collegia prẽter antiqua abrogauit. Omnia scil. præter antiqua. Nã illa permanserunt à Numa constituta, vt Plutarch. auctor est. Distributi erant artifices varii, vti nunc in vrbib. cõtingere solet. Lex omnibus cõmunis erat. *Vti sodalib. qui coeundi ius haberent, potestas esset, pactionẽ quam vellent, sibi ferre: dũ ne quid ex publica lege corrũperet.* Hæc lex maxime tenenda est, omniaq; illicita cẽsenda, quæ auctoritate magistratus nõ coaluerint, ideo dissoluenda vt Martian. cõstituit: cum vero quocunq; modo suspecta ẽt alia redduntur, cõtinuo sunt vetanda, vt factum est in Italia collegiis philosophorũ Pythagoreorum, in quos tamen olim barbare sæuitum est, exustis cum scholis suis publico iudicio philosophis: nisi forte magi pleriq; erant. Quod quidem mihi verisimile videtur.

Cheminis.

Legib. ergo regenda collegia, vt publico bono seruiant, aut si quid priuatim cõtra bonũ publicũ agitur, seruanda lex Martiani Jurisc. 47. t. 22. *Mandatis principalib. præcipitur præsidibus prouinciarũ, ne patiantur esse collegia, sodalitiaue; neue milites collegia in castris habeãt, sed permittitur tenuiorib. stipem mẽstruam cõferre, dum tamen semel in mense coëant, ne sub prætextu huiusmodi illicitũ collegium coëat: quod non tantũ in vrbe, sed & in Italia & prouincijs locum habere D. quoq; Seuerus rescripsit. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc nõ fiat contra Senatusconsultũ, quo illicita collegia arcentur. Non licet aũt amplius quã vnum collegium licitũ habere, vt est cõstitutum, & à Diuis fratribus, & si quis in duob. fuerit, rescriptũ est, eligere eũ oportere, in quo magis esse velit, accepturũ: ex eo collegio à quo recedit, id q̃ ei competit ex ratione quæ communis fuit.* statutum est de pœna. *Quisquis illicitum collegiũ vsurpauerit, ea pœna tenetur, qua tenentur qui hominibus armatis loca publica, vel templa occupasse iudicati sunt.* De collegiis specialiter nõ cõcessis lex est; *Collegia si qua fuerint illicita mãdatis & cõstitutionib⁹, & Senatusconsultis, dissoluũtur; Sed permittitur eis cũ dissoluuntur, pecunias cõmunes, si quas habẽt, diuidere, pecuniaq; inter se partiri. In summa aũt nisi ex Senatusconsulti auctoritate, vel Cæsaris, collegiũ, vel quodcũq; tale corp⁹ coierit, cõtra Senatusconsultũ, & mãdata, & cõstitutiones collegiũ celebrãt.*

§. 9. Bellum in Græcia funestius nullum fuit Peloponesiaco, ciuile erat, inter victores Persarum certabatur, annos 27. durauit, vrbes multæ exciſæ, omnes cædibus funestatæ, agri flamma, ferroque vastati, de Athenis excidendis deliberatum. At quæ belli causa? Megarenses Lucum incenderant, ea re moti Athenienses portu suo, & Attica Megarensibus interdixerunt. Illi negotium ad Spartiatas referunt, Spartiatæ

Peloponesiaci belli causa leuis.

tiatæ legem abrogari volũt. Pericles non magni momenti causam esse confitetur, sed agi libertatem, tentari patientiã Athenarũ, Si n. nunc imperiũ accipiant, tolerandum deinceps esse. Idque non modo vt orator maximus, sed etiam vt fidus consiliarius persuasit. Nam reuera omnium libertati imminebant Lacedæmonij, & cæteræ ciuitates imperium appetebant, quare & omnes perdiderunt.

§. 10. Seditio leuissima Othonis tempore nota est, ex incommoda armorum distributione. Tacit. l. 1. hist. recenset in hunc modum. *Paruo initio vnde nihil timebatur, sub Othone orta seditio prope vrbi excidio fuit. Septimam decimam cohortem colonia Hostiensi, in vrbem acciri Otho iusserat. Armandæ eius cura Vario Crispino Tribuno è prætorianis data. Is quo magis vacuus, quietis castris, iussa exequeretur, vehicula cohortis, incipiente nocte, onerari aperto armamẽtario iubet. Tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum eualuit. Et visa inter temulentos arma cupidinem sui mouere. Fremit miles, & Tribunos centurionesq; proditionis arguit, tãquam familiæ senatorum ad perniciem Othonis armarentur. Pars ignari & vino graues, pessimus quisq; in occasionem prædarum, vulgus, vt mos est, cuiusq; motus noui cupidum, & obsequia meliorũ nox abstulerat. Resistentem seditioni tribunum, & seuerissimum cẽturionem obtruncant rapta arma, nudati gladij, insidentes equis vrbem ac Palatium petunt. Erat Othoni celebre cõuiuium, timet ipse & timetur à cõuiuis. Dilabitur magistratus & senes fœmineæ per tenebras, & diuersa vrbis itinera incertas latebras petunt. Militum impetus ne foribus quidem Palatii coërcitus, quo minus conuiuium irrumperent: ostendi sibi Othonem expostulantes. Vulnerato Iulio Martiale Tribuno, & Vitellio Saturnino præfecto Legionis, dum ruentibus obsistunt, vndiq; arma & minæ, modo in Centuriones Tribunosq;, modo in Senatũ vniuersum lymphatis cæco pauore animis, & quia neminem vnum destinare iræ poterant, licentiam in omnes poscentibus: donec Otho contra decus imperii thoro insistens, precibus & lacrymis ægre cohibuit. Redieruntq; in castra inuiti.* Fecit id Otho in seditione Romanæ vrbi periculosissima, castra seditiosorum post primum tumultũ ingreditur, milites blãda oratione mitigat aut perstringit, neque in plures quam duos (qui perditi & temulenti) animaduerti iussit: atque seueritatis modus grate acceptus, compositiq; ad præsens milites, qui coërceri nõ poterant.

§. 11. Inconsulta principum liberalitas etiam discordiarum crebro dat causam, cum enim alicui donatur, quod alter suum esse contendit, lites eo vsq; crescunt, vt ne donator quidem sopire eas possit. ita factum in Belgio an. 1007. Balduinus Barbatus comes Flandriæ, post multa obsequia in Henricum II. Imperatorem, & conciliatum fauorem, dono ab illo obtinuit Wallachiam cum alijs Zelãdiæ insulis, & materiam simul discordiæ, rixarũ & bellorum inter Flãdros & Hollandos, quæ tam aspera & diuturna fuere, vt spatio quadringẽtorum annorum per interualla durauerint, Hollandis ius suum & liberalem donationem, ad Ludouicum Cæsarem, Ludouici Pij filium, referentibus. Flandris verò à recentiore Henrici donatione nullatenus cedentibus.

Cum capiti oculisq; non credit corpus, malè resp. geritur

§. 12. Mihi quoq; difficile videtur libertatem custodire, vbi dux est vnus quidẽ, sed cui parua, & quasi precaria potestas, quem dum honoris causa eligunt, quasi suspectum custodiunt, vt nec ipsi, nec dux tutus videatur. Marinus Faletrus à Venetis dux electus, delere senatum statuit, & nisi per cõscios detecta res fuisset, flagitium perpetrasset. Quod etiam Biamontis Teupoli perfidia instituerat facere, factaque magna cæde tandem victus est. Egnat. l. 4. Hinc consultum est, vel nullum ducem, vel talem eligere, qui per custodias & ætatem nihil possit, nam leges parum fortes continendæ ambitioni, animi hominum parum sunt stabiles.

CAPVT X.

De seditionibus ex Religione vberius disputatum, & Reipublicæ ac religionis status anno 1617.

§. 1. MAGNA pars bellorum, calamitatumque, & seditionum, aut ab religione est, aut prætextu religionis; quapropter pluribus eã de re agendum: quod quamuis l. de pace Germaniæ, & coronide Jubilorum egerim, eadẽ tamen sibi hic liber deposcit. Nullius n. rei tam auidos fore posteros existimo, quam vt cognoscant, quid celebratissimo sæculo nostro actum sit, si quis vberiora desiderat, Jubilum Jubilorum consulat.

Deum verũ eligere nesciunt, athei fiunt.

§. 2. Duplex est omnino genus hominum quod negocia religionis iudicat; Quidam multitudinem ac varietatem opinionum, crebramque mutationem considerantes, omnem penitus religionem contemnunt, libros tamẽ eristicos, & certamina comparant, ac legunt, vt alienis litibus animos pascant. Horum expertus sannas, & irrisiones Sibrandus Lubbertus, sese vlciscitur, atq; ita eos describit præf. contra Faustum Socinum. *Maxima pars hominum siniſtrè iudicat de laboribus & curis, quas Doctores in explicanda & defendenda doctrina Christiana ponunt. Multi enim Religionem tanquã inanes fabulas, & terriculamenta ad hominum animos percellendos excogitata rident, & subsannant: hi putant omnes contentiones de dogmatis Christianæ doctrina tantum esse logomachias, & quia ipsi in corde suo omnem Religionem rident, eamq; nullum alium ob finem prætendunt, quam vt emergant, suis animis metiuntur aliorum animos, indignanturq;, & fremunt, cum vident aliquem esse, qui ipsorum cupiditati subseruire, iudicioq; applaudere recusat. Hi homines mũdana gloria inflati conqueruntur communem tranquillitatem diuersitate religionis perturbari; cum tamen ipsi sæpe tam petulanti ingenio sint, vt versutos homines supponant, qui noua dogmata cudant; vt dum pij doctores se illis opponunt, ipsi se his spectaculis oblectent, & doctrinam, quam oderunt, & fouere videri volũt, populo exosam reddant; accidit etiam, vt cum omnia sursum & deorsum voluere in animo habeant, certamina in doctrina concitent; vel eos, qui ea mouent, foueant, impediant q;, ne lites in doctrina motæ legitimo iudicio componantur, aut decidantur, & quod omnium miserrimum est, cum sint dogmatũ doctrinæ Christianæ imperiti, summum de illis iudicium sibi arrogant, perinde ac si cæcus de coloribus rectè iudicare posit: qui paulo moderatiores sunt, delectantur quidem doctrinæ puritate, sed non putant eam tanti momenti esse, vt propter eam tantas contentiones, tantaq; certamina subire debeamus.*

Politicorũ de religione sensus.

Irrisorescentium de religione impij.

§. 3. Hi quidem impij sunt, & Deo abominati, quos לוצים Illusores, vocat Psal. 1. Propheta Dauid. Sunt illi omnibus hæreticis pestilentiores; nam hæretici in vnum errorem, aut plures impellunt, hi verò omnem fidem, omnemq; errorem spernũt, & planè in atheismum abeunt, itaq; χλευασταί sunt, *reprehensores, irrisores*, vt Aquila Ponticus vertit, sunt παραβάται νομοι *transgressores*, vt quinta, & sexta editio: ὑπερήφανοι, *impostores*, vt Symmach. R. Dauid לוצים ait *esse homines astutos in scientia ad malum, & versutos, & loquentes mala supra filios hominum, & dantes opprobrium & malum supra filios hominum.* Hanc ob causam vetus Bibliorum interpres vertit, pestilentes, cum dixit: *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Ita & 72 interpretes καὶ ἐν καθέδρᾳ λοιμῶν, *& in cathedra pestilentiarum*; Imò & Symmach. Prou. 20. 1 λοιμὸς ὁ οἰνος, *pestis est vinum.* Et Prou. 9. Vbi nostri לץ vertit, *illusor*, & 72. κακὸς, Symmach. ait κακὸν λοιμὸς γένῃ, & si pestilentia fias. Voluit tot modis S. S. irrisores cõpescere, vt certo cõstaret nihil esse præsertim in causa religionis pestilentius irrisione, & contemptu. Omnia enim naturæ iura illi violant, & celeri me venena spargunt, magisq; veritati, quam vlli hæretici, obsistunt. Cuius duplex causa est.

Religio falsa videtur, quia difficulter intelligitur.

§. 4. Prior rerum, quæ credendæ proponuntur difficultas, & sannis rudium obnoxia profunditas. Judæos olim & Christianos subsannabant gentiles, cum de innocente protoplastorum nuditate, de fraude serpentis, de orbis diluuio narrarent, quæ omnia sarcasmis, & blasphemis dicterijs eludebant. Quando serpentes loqui desijssent? quo cultro costam Adamo Deus excidisset? Hinc pari modo fabulas suas credi, aut hæc nō credi volebant. In nostrâ religione quam multa contra sanctissimam Trinitatem, Incarnationem, Crucem DOMINI impiè iocati sunt irrisores? Altera causa est, quia omnis vera religio leges, & cærimonias habet aliquas, quibus animi demissio, & patientia grauiter & religiosè exercetur, quæque libertati, & superbiæ humanæ, quæ suæ dignitatis est retinentissima, repugnare videtur. Huiusce modi erat apud Judæos circumcisio, ob quam ludibrio gentibus erant, verpi, apellæ, recutiti per contumeliam, vocitabantur, hinc apud Aristophanem cum multa in senem conuitia dixisset seruulus, ea claudit quasi coronide, & iurat se existimare Ἀποφίλωτον εἶναι, circumcisum esse; Plura sunt apud Christianos, vt baptizari, inungi, confiteri, sanctorum pedes lauare, aliaque, quæ vt nobis sunt Dei virtus, ita illusoribus sunt stultitia. Magnam autem vim habent amarulenta dicta, & ioci ad animos frangendos, hinc multi Judæorum, quos pudebat signaculi fœderis, præputia adducebant, vt quocunque modo se impijs infidelium facetijs subducerent.

Vera religio cærimonias habet modestas iudices.

Irriso venerum pietatis.

Irrisores sūt coriarii.

Inter hos etiam numero illos, qui certam religionem profitentur, sed tantum sui commodi gratia, aliam verò religionem, à quâ capitalissimè consortes suos differre norunt, interdum infestissimè persequūtur, interdum verò tanquam veram agnoscunt, ita olim Bucerus, alij fecêre.

Anno 1617 irrisiones inualuerunt.

§. 5. Exempla τῆς χειμασθείσης κυβείας imposituræ irrisoriæ annus 1617. dedit innumera; omnium enim cōcionum jubilatiarum argumenta ad irrisionem pertinent Catholicorum, quibus tamen tota martyrum Ecclesia, cum sanctis patribus contumelia afficitur. Sed de illa vituperandi, laudandique eandem religionem inconstantia, accipe lector duo insignia documenta, Abrahamum Scultetum Haidelbergensem, & Matthiam Hoe ab Hoeneg Dresdensem concionatorem. Abraham in Epistola ad Illustrissimam Loysam Julianam Illustrissimi Friderici quarti viduam, inter principes Euangelicos numerat, serenissimum Christianum Daniæ regem, Illustrissimum Joannem Georgium Saxoniæ Electorem, item Illustrissimos Joannem Casimirum, & Joannem Ernestum Saxoniæ duces; item Braunschuicenses, Wirtembergenses, aliosque principes, qui Lutherani sunt, nec in suis ditionibus ipsum Scultetum ferrent. At in concione sua enumerat multos principes, qui illam fidem, quam Danus, Saxo, alijque profitentur, ditionibus suis eiecerunt, Lutheranos prædicantes proscripserunt, ideoque DEVM laudat, & Lutheranis insultat.

Capita irrisorum Matthiæ Hoe, & Abrahā Scultetus.

Eadem penitus impostura Matthias Hoe, & principi suo, & auditoribus imponit. Nam in epistola sua ad Joannem Georgium Illustriss. Saxoniæ Electorem p. 2. ita fatur. Ja Ew. Churf. Gn. haben vngezweifelt mit jhrem Christ-löblichste Exempel viel andern Potentaten / vnd fürnehme Euangelische Stände im vnd ausserhalb deß Römischen Reichs angereizet / daß in vnderschiedenen Königreichen / Chur- vnnd Fürstenthumben / Landen vnnd Herrschafften / die Euangelischen ehe vmb die Zeit / jhr Jubelfest auch außgeschrieben / vnd mit grosser Andacht gehalten haben. Dan so viel nun mit der Zeit Nachrichtung zu kommen / so ist dergleichen geschehen / in den beyden Königreichen Dennenmarck vnd Schweden / dergleichen ist geschehen in der Chur-Pfaltz / vnd Brandenburg.

Hoe laudat Palatinum iubilum.

Ecce Palatinum, & Brandeburgicum jubilum vocat Euangelicum, & quod magna deuotione sit peractum. Itane Matthia, tu quoque Caluinizas? Tibi jubilæum Caluinianum videtur Euāgelicum, & deuotum? Si ita est, verum igitur est; si Euangelicum, si deuotum, vestrum igitur est falsum. An tu es ex occultis illis Caluinianis, quos Saxones pertimescunt?

Nullo modo, inquies, odi Caluinistas ego ἶσον αἰδοῖο πύλησιν, nam in tertia concione, pag. 115. Inter fanaticos statui Sacramentarios, verba mea sunt. Hieher gehören insonderheit die Sacramentirer / Zwinglianer / vnd Caluinisten. Dieses Geschmeiß / ihr meine geliebte im Herrn / hat in Warheit grosse Zerrüttung vñ Verwürrung / hat ein grosses Gestenck in die Hochzeit Gottes gemacht / vnd der reinen Göttlichen Lehr sich böslich muthwillich vnd halßstärrig widersetzet.

Hoc laudat, & culpat Caluinianos.

Huc etiam pertinent præcipuè Sacramentarij, Zvvingliani, & Caluinistæ. Hæc colluuies; carissimi mei in Domino, magnam profectò conturbationem, & confusionem, magnum etiam fœtorem in nuptias Dei intulit, & se puræ doctrinæ malitiosè, petulanter, contumaciterque opposuit. Hæc tu quidem dicis, & in eadem approbas omnia, quæcunque Lutherus in Zvvinglianos dixit. Sed impostorem, & irrisorem te probant verba eodem ore calida & frigida. Jubilant Caluinistæ, eos tu in aula velut politicus piè facere profiteris, in templo condemnas. Si in Palatinatu & Brandeburgica prouincia malitiosè, petulanter, contumaciter puræ doctrinæ obsistunt, non igitur piè in tāto malo iubilare possunt: supremus est gradus malitiæ de malitia gloriari. Hi sunt igitur לֵצִים pestes, irrisores, quorum alius est in palatio, alius in templo sermo.

Zelotæ homines sunt periculosissimæ superstitionis. Artes mollium Caluinianorum.

§. 6. Alterum est genus hominum vehemens, asperum, zeloticum, opinionum suarum perdite amans, propagandæ religionis, ad quam impegit, auidum. Huius generis sunt fere hodie Lutherani, qui vbiquitatem tuentur, Caluiniani, quos Rigidos vocant, eos enim alij fere Zelotas appellant. Sed tamen tales etiam nobis depingit molles in Belgio Sibrandus Epistola ad Ecclesiam quæ est Londini, p. 2. *Sunt etiam arrogantes & superbi homines, qui omnia vana gloria, & inani fastu honoreque metiuntur, cum vident doctis laudi duci, si quid noui in alijs disciplinis inueniant; etiam sibi laudabile fore putant, si quid in sacra Theologia innouare possint. Hi quia veræ Theologiæ imperiti sunt, desperant se Orthodoxæ doctrinæ explicatione aut defensione decus & nomen parare posse: quia tamen vana gloria turgent, & laudis cupiditate ardent, omnia perturbant, vt innotescant; maluntque turbandis ecclesijs inclarescere, quam in vera Orthodoxaque Religione sine gloria consenescere. Cum animaduertunt doctos viros sibi præferri indignantur? & cum illos neque scientia, neque pietate, neque eruditione, neque eloquentia, neque agendi dexteritate, neque vlla honesta arte superare possint, conuertunt se ad artes malas, insinuant se Aulæ, vt quos virtute vincere nequeunt, ope auxilioque Aulicorum opprimant: & quod omnium fœdissimum est, simulant orthodoxam religionem, præ se ferunt studium defendendæ doctrinæ sanæ, iurant in confessiones, & Catecheses receptas, hoc ipsum iusiurandum propriæ manus subsignatione testantur: & tamen omnibus viribus sanam doctrinam eamque publicè receptam oppugnant, prauam & nouam suis discipulis callide inculcant, Orthodoxos Pastores & Doctores per calumniam deferunt, concitant in illos Magistratus ciuiles, pellunt illos suis sedibus, & in illorum locum errorum suorum (quos seminauerunt) alumnos substituunt.*

Inter hos igitur religio iactatur, vtraque enim pars piis, & orthodoxis imminet, zelotæ iurgiis, calumniis, bello premunt, irrisores in sinum gaudent, de euentu securi.

§. 7. Re-

Pleriq; principes sequuntur.

§.7. Religionis & politicę gubernationis magnam esse affinitatem libris de pace Germaniæ ostẽdi. Alia enim aliam trahit, & crebro commutat, omnes religione ducuntur, sed in Germania, principum apud multos, quam Dei venerabilior est præscriptio. Hinc sæpius in plerisq; Germaniæ partibus mutata est religio, etiam in liberis quibusdam imperii ciuitatibus, quæ tamen, quod ex vnius voluntate non pendeant, reliquis perseuerantiores esse solent in ꝓposito. Brema, Wesalia, aliæq; nonnullæ vrbes, cum auidè Lutherismum hausissent, breui eum fastidio, non sine regiminis concussione, & magnatum exiliis eiecerunt; aliæ è cõtrario cum initio Zvvinglianismum professæ essent, vt Memminga, Lindauium, Argentoratum, Orlamunda ad Lutherismum deinde inclinarũt. Verum hæc alias, & alibi. Vt verò quasi in synopsi statũ principum quoad religionem videas, sic habeto omnes Reges & principes Europæ, si Turcam excipias, vel antiquam fidem profiteri, vel Lutheranam, vel quam vocant reformatam, cuius primipili Carolstadius, Zvvinglius, Calumnius fuêre. Reges & principes Euangelicos in hunc modum recenset Abrahã Scultetus in epist. ad Illustriss. viduam Loysam Julianam.

Liberæ ciuitates lentius mutarunt religionem.

Miscentur hic Lutherani, & Calviniani, de quo vide Hoe, Trewherzige Warnũg cõtra Scultetum.

§.8. Haidelbergæ 11. Nouemb. ann. 1617. quo tempore in viuis erant, regnumq; tenebant sequentes Euangelici Reges, Electores, Principes Magnates.

Jacobus Magnæ Rex Britanniæ.
Christianus 4. Rex Daniæ.
Gustauus Adolphus, Rex Sueciæ.
Fridericus 5. Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Elector.
Joannes Georgius, Dux Saxoniæ, Elector.
Joannes Sigismundus, Marchio Brandenburg. Elect.
Archiepiscopi Magdeburgenses & Bremenses.
Joannes Comes Palatinus Rheni, Dux Bipontinus.
Joannes Casimirus, Dux Saxoniæ.
Joannes Ernestus, Dux Saxoniæ.
Georgius Wilhelmus Marchio Brandenburgensis, Dux Juliæ, Cliuiæ, Bergiæ, Borussiæ, &c.
Joannes Georgius Marchio Brandenburg. Dux Borussiæ, Silesiæ, &c.
Joachimus Ernestus, Marchio Brandenburg. & Anspacensis.
Christianus, Marchio Brandenburg. & Colmbacens.
Fridericus Vlricus Dux Brunsvicensis.
Joannes Albertus, ipsiusque Dominus frater Duces Mechelburgenses.
Joannes Fridericus, Ludouicus Fridericus, Fridericus Achilles, Magnus } Duces VVirtembergenses & Deckenses, Comites Mompelgardenses.
Duces Holsatiæ, Pomeranię, Luneburgi & Lauburgi.
Mauritius, Ludouicus, Philippus } Landgrauii Hassiæ.
Georgius Fridericus, Marchio Badensis.
Joannes Georgius, Christianus, Augustus, Ludouicus, Rudolphus, } Principes Anhaldini.
Heinricus VVẽceslaus, Carolus VVenceslaus } Duces Monsterbergenses & Olsnicenses.
Joannes Christianus, Georgius Rudolphus } Duces Silesiæ, Berg. & Ligni.
Dn. Mauritius, Princeps Orangiensis.
D. VVilhelm⁹, Comes Nassauiæ, Gubernator Frisiæ.

IN GALLIA RELIGIONIS REFORMATÆ lumina & columina, erant præcipuè.

Heinricus, Dux Bullionęus, supremus Mareschalcus, duorum filiorum parens, quorum alter Fridericus Princeps Sedanensis, alter Henricus Vicecomes Turaine.
Heinricus Dux Thours & Tremoille, vnâ cum fratre Domino de Soubize.
Dux de Sully, & filius ipsius Marchio de Rosny.
Dux de Desdiguiers.
Marchio de Candale, Ducis de Espernon natu maior filius.
Comes de la Suse.
Comes de Russy.
Dominus Vidame de Chantres.
Dn. Philippus de Plessis Mornay.
Dn. de la Force. multiq; alii proceres, vt in numerum non veniant nobiles magno numero.

PER VNGARIAM ET TRANSILVANIAM Ecclesiarum Reformatarum Nutricij.

Gabriel Bethlen Princeps Transsyluaniæ, partium Regni Vngariæ Dominus, Siculorum Comes.
Stephanus Bethlen, Capitaneus Husztienſis, Præfectus Marmarossiæ.
Franciscus Redoi Comes Comitatus Bichorienſ. Capitaneus Varadien.
Franciscus, Georgius, Gabriel } Perini Comites Abaui varienses.
Stephanus Török Comes Hunyadiensis, Hæres & Capitaneus Papensis.
Georgius Rakoci Comes Sarosiensis, Capitaneus Onodiensis, eius Frater.
Sigismundus Rakoci.
Franciscus Battyani Comes Comitatus Sopronienſ.
Nicolaus, Georgius } Zerini Comites Szaladienſ.
Paulus Nadazdi Comes Castriferrei.
Thomas Nadazdi.
Stanislaus Turzo de Bethlen falua, Comes Scepusiensis.
Emericus Turzo Comes Aruensis.
Petrus de Reua Comes Turociensis.
Stephani Illyeshazi vidua cum filio Comite Tricinienſi.
Petrus Forgats de Gimes Lib. B.
Nicolaus Forgats de Gimes Lib. B. Capitaneus Sethenienſis.
Michaël Karoli Lib. Baro.
Stephanus Nyari Lib. B.
Stephanus Tôkôli Lib. B. in Keszmarck.
Thomas Szetzi Lib. B. & filius Georgius Szetzi.
Sigismundus Præpostvani Lib. B.
Joannes, Stephanus } Listius Lib. B.
Nicolaus Botskai Lib. B. in Köuerd.
Franciscus Banffi à Lossonez Lib. B.
Stephanus Kakoni Lib. B.
Dauid Zolyomi L. B. in Szekelyhida.
Franciſci Pacrot Vidua.
Sigismundus, Paulus } Mariasi.
Andreas Kapi.
Stephanus Korlat Capitaneus Szenderôuienſis.
Joannes Bakos in Ozgyan.
Ladislaus Barkoci Vice Comes Comitatus Zẽleniẽſ.
Stephanus Pethnehazi Comes Szarandienſ. Capitaneus in Zenô.
VVolfgangus Kamuti.
Caspar Petô Capitaneus Geszteliensis.
Balthasar Kouats Capitaneus Galankienſ.
Thomas Oknai Capitaneus Szodenienſis.
Et alii quamplurimi nobiles Vrbium, Ciuitatumque ciues spectatissimi Orthodoxi.

POLONIÆ IN REGNO EVANGELICÆ VERITATIS SESE ASSECLAS PROFITEBANTUR.

Dn. Raphael, Comes Lesno, Castellanus Bisslickenſ. Comi-

Comites Ostrorodij, Domini Latalcij.
Dn. Firleij, Sienekij, Vrotoscij, Goraiscij, Sbanscij, Przyemscii, Orzechorii, Goluchouii, Reii, Sieniutæ, Bronieuii, Dunikonii, Potokii, & inumeriali.

IN LITHVANIA CVRSVI EVANGELII calcaria admouebant, omni laude cumulatissimi Principes.

Dn. Janusius & Christophorus Radziuilii. Nã alioqui adiutabilem Ecclesiæ Euangelicę nauabant operam.

In Bohemia D. VVēceslaus de Budouuitz,
In Moravia Dn. Carolus de Zeroten.
In Silesia Dn. Georgius de Schonaich.
} Barones.

§. 9. In his tamen magnoperè obseruandum est, principes illos, prouinciasq; partim esse Lutheranas, partim reformatas vt vocant. Deinde subditos Reformatorum magnam partem Lutheranos, atq; existimare se magna in persecutione versari, & hactenus quidem liberationem ab Euãgelicis Lutheranis frustra exspectarunt, nunc spem suam damnare coguntur, & sensim frenum recipiunt: de eorum irritâ spe testantur Saxones motiua 12. cur non sit pax ineunda cum Caluinianis: *Exiguam Protestantes inituri essent gratiam, imo execrationes potius, & gemitus aduersum se excitaturi apud eos, qui inter Caluinianos habitant, & à statibus Augustanæ confessionis breui sese liberandos, & Caluinismum abolendum esse confidunt, serioq; exspectant, siquidem isti auditione perciperent, eos cum Caluinistis eandem iam tibiam inflare, & quinq;, quod dicitur, esse paria concedere. Quo facto, sane turbis & motibus haud exiguis in Ecclesia Dei apud Christianos infirmos ansa, causaq; præberetur.*

§. 10. Catholicam Religionem colebant ac tutabantur, & verum constantiæ Jubilæum celebrabant hi principes.

IN GERMANIA, EX DOMO AVSTRIACA.

Matthias Imperator Augustus.
Ferdinandus Rex Bohemiæ, Hungariæ.
Maximilianus Archidux Austriæ Ordinis Teutonici magnus Magister.
Albertus Archidux Austriæ, Dux Brabantiæ, &c.
Leopoldus Archidux Austriæ Episcopus Argentor. & Passauiensis.
Carolus Archidux Austriæ Episcopus Brixiensis, Vratislauiensis.
Joannes Svvickardus Archiepiscopus Moguntinus Elector &c.
Ferdinandus Archiepiscopus Colonien. Elector &c. Dux Bauariæ &c.
Lotharius Archiepiscopus Treuirens. Elect. &c.
VVilhelmus Senior Bauariæ Dux Comes Palat. &c.
Maximilianus Dux Bauariæ Comes Palatinus, &c.
Albertus Dux Bauariæ, Comes Palatinus.
VVolffgangus VVilhelmus, Dux Bauariæ Neoburgens. Juliacens. &c.
Emmanuel Philibertus Saubaudiæ Dux.
Henricus Lotharingiæ, &c. Frãciscus Lotharing. &c.

Episcopi in Germania plurimi.

Marcus Archiepiscopus Salisburgensis Romanæ sedis Legatus.
Joannes Godefridus Bambergens. & Herbipolensis, Franciæ Orientalis Dux.
Philippus Christophorus Spirens. Supremus Cameræ Augustæ Judex.
Rd. Curiensis.
Georgius Godefridus VVormatiensis.
Theodorus Paderbornensis.
Jacobus Constantiensis.
Henricus Augustanus.
Guilhelmus Basiliensis.

Alios Principes, Comites, Barones, Magnates omitto, vti & ciuitates liberas, ac Respublicas in Germaniâ, Heluetiaque.

In Italia.

Paulus Quintus primæ Sedis, & Ecclesiæ omnium matris Pontifex, cum statu Ecclesiastico quem vocãt. Deinde regnum Neapolitanum cum Sicilia, Sardinia, Corsica, Liguria. Magnus in his ducum, comitum, nobilium numerus.

His si nobiles ditesque Venetias adiungamus, regna earum, & insulas, tantum Romani sanguinis virorumq; Illustrium exercitum producemus, vt dimidiam aduersariorum partem ex vna Republ. simus adæquaturi.

Quid vero si Hetruriam, & magnum ducem Florentiæ filiosq;, & iam insitam domui Austriacæ familiam, recenseam? quorum insignis in fide & religione tuenda pietas illustris est, quorum classibus Ottomanicæ vires acciduntur.

In Gallia plerique Catholici sunt: mihi ab amico hæc nomina sunt missa.

Le Roy.
Monsieur le frere du Roy.
Monsieur le Prince de Condé prince du Sang.
Monsieur le Conte de Soisson prince du Sang.

Autres Princes.

Monsieur De Guise.
Monsieur Du-Maine.
Monsieur De-Neuers.
Monsieur De Longueuille.
Monsieur De Vandosme.
Monsieur le cheualier De Vandosme.
Monsieur De Sainct Paul.
Monsieur De-Nemours.
Monsieur le Prince D'Auuergne.
Monsieur Darbeuf.
Monsieur le Prince De Ginuille.
Monsieur De Cheuereusle.
Monsieur le Conte D'Arcour.
Monsieur D'Alles.
Monsieur De Lauragne.
Monsieur le Duc de Ratelois.
Monsieur le Duc de Fronsac.

DVCS.

Monsieur le Duc de Pernon.
Monsieur le Duc de Monbayoy.
Monsieur De Candelle Duc D'Aloin.
Monsieur le Duc de Mommorancy.
Monsieur De la Vallette coronel general de France.
Monsieur le Grand, Escuyer de France.
Monsieur le Duc de Vantadouë.
Monsieur le Duc De Raiéts.
Monsieur le Duc De Rones.
Monsieur le Duc Duzes.

MARESCHAVX DE FRANCE.

Monsieur le Mareschal de Rognelaure.
Monsieur le Mareschal de Brissac.
Monsieur le Mareschal de Boiss-Daulphin.
Monsieur le Mareschal de Souuray.
Monsieur le Mareschal de Vitry.
Monsieur le Mareschal de Tamines.
Monsieur le Mareschal de la Chattre.

MARQVIS.

Monsieur le Marquis de Rouillac.

Monsieur

Monſieur le Marquis de Mirebeau.
Monſieur le Marquis de Mortemard.
Monſieur le Marquis de Trans.
Monſieur le Marquis de Caniſy.
Monſieur le Marquis de Vieuille.
Monſieur le Marquis de Villaine.
Monſieur le Marquis de Ruffec.
Monſieur le Marquis de Tamine.
Monſieur le Marquis de Sable.
Monſieur le Marquis de la-Verdun.
Monſieur le Marquis D'Eternel.
Monſieur le Marquis de Beueron.
Monſieur le Marquis de Cuure.
Monſieur le Sainct Chaumont.
Monſieur le Marquis de Mony.
Monſieur le Marquis de Ville-roy.
Monſieur le Marquis de Cortaubau.
Monſieur le Marquis de Villars.
Monſieur le Marquis D'Oraiſon.
Monſieur le Marquis de Marigny.
Monſieur le Marquis de Portes.
Monſieur le Marquis D'Allegre.
Monſieur le Marquis D'Eſtin.
Monſieur le Marquis de Rauel.
Monſieur le Marquis Domtefort.
Monſieur le Marquis Dalluy.
Monſieur le Marquis de Sidul.
Monſieur le Marquis de Fimarcon.
Monſieur le Marquis de Mirepoix.
Monſieur le Marquis de Timbrune.
Monſieur le Marquis D'Araigny.
Monſieur le Marquis de Breſſieulx.
Monſieur le Marquis de Ceſſac.
Monſieur le Marquis de Gimolz.

CONTES.

Le Conte de la Rochefaucoult.
Le Conte de Sainct dignan.
Le Conte de Gramont.
Le Conte du Lude.
Le Conte de Lauzun.
Le Conte de Torigny.
Le Conte de Termes.
Le Conte de Grampe.
Le Conte de la Marque.
Le Conte Chomberc.
Le Conte de Treme.
Le Conte de Sanſerre.
Le Conte de la Voute.
Le Conte de Curſon.
Le Conte de Carton.
Le Conte de Mauleurier.
Le Conte de Cars.
Le Conte de Tonnerre.
Le Conte de Cremail.
Le Conte de Suſſe.
Le Conte de Grignan.
Le Conte de Vertu.
Le Conte de Breme.
Le Conte de Pegnillem.
Le Conte de Tornon.
Le Conte de L'Eſtrange.
Le Conte de la Vedan.
Le Conte de Fraſque.
Le Conte de Mauret.
Le Conte de la Roche Gnion.
Le Conte de Carſſes.
Le Conte de Criſſe.
Le Conte de Granſay.
Le Conte de Maille.
Le Conte De Maran.
Le Conte D'Aubigon.
Le Conte de Sanzay.
Le Conte de Chantel.
Le Conte de Chaſteau-Vilain.
Le Conte de Chaſteau-neuf.
Le Conte de Monranel.
Le Conte D'Ax.
Le Conte de Chinerny.

VISCONTES.

Le Viſconte Duza.
Le Viſconte de Pompadoun.
Le Viſconte de Brigul.
Le Viſconte de Poulignac.
Le Viſconte D' Ambeterre.
Le Viſconte de Pomy.
Le Viſconte de Foncande.
Le Viſconte de L'Arbouſt.
Le Viſconte de Sainct-Girons.
Le Viſconte de Bordes.
Le Viſconte de Poiſe.
Le Viſconte de Cere.
Le Viſconte de Chanemy.
Le Viſconte de Clere.
Le Viſconte de Marcoſſy.
Le Viſconte de Dune.

LES CARDINAVLX.

Monſieur le Cardinal de Guiſe.
Monſieur le Cardinal de la Roche-faucault.
Monſieur le Cardinal de Pourdy.
Monſieur le Cardinal du Perron.
Monſieur le Cardinal de Rautz Eueſque de Paris.
Monſieur le Cardinal de Vernul Eueſque de Metz.
Monſieur le Duc ſe Joyeuſe fils de Monſieur de Guiſe Abbé de Feccan & coadiuteur de L'Archeueſque de Marbonne.

EVESQVES.

Monſieur l' Archeueſque de Tholouſe fils de Monſieur de Pernon.
Monſieur l' Eueſque D'agde fils de Monſieur le Cõte D'auuergne.
Monſieur l' Eueſque de L'andeue fils de Monſieur de Dantadouë.
Monſieur l' Eueſque de Cammaige fils de Monſieur le Mareſchal de Souuray.
Monſieur l' Eueſque Du-mans fils de Monſieur le Mareſchal de la Verdun.
Monſieur l' Eueſque de Vimers fils du Conte de Suze, nepueu de Monſieur Dumaine.
Monſieur l' Eueſque de Marſeille frere de Monſieur de Sainct Luc.
Plus quarante cheualiers du Sainct Eſprit.

Plus pluſieurs Seigneurs de qualité portants tiltres de Lieutenant du Roy, dans toutes les prouinces de France, que ie ne vous ſaurois nombrer; Cõme Meſſieurs de Goudrin, De Cregny, De Pralin, Baſſompierre, Dorlame, D'alincourt, Montauban, qui eſt prince de Gnimemie, de Bordeille, d'Ambleuille, de Montpeſſart, Denis frere de Monſieur Dumaine, Deliaucourt premier eſcuyer de du Roy, Dandelot de Sainct-geran, De Sainct-luc; Et plus de quatre mille ſil y faillot mettre le tout.

Plus tous les Parlemens de France qui ſont tous Catholiques: Comme, le Parlament de Paris, Parlement de Tholouſe, Parlement de Roüans, Parlemẽt de Bourdeaux, Parlement de Raines en Bretaigne, Parlement de Dijon, Parlement D'aix, Parlement de Grenoble, Sens.

Quod ſi etiam è Gallia ad occidentem procedere animus eſt, & ſpectare magna trans Pyrenæos regna, regna nunc duplici matrimonio Franciæ confœderata, plurimos antiquę religionis cultores inueniemus.

Primo

Primo Philippum Tertium Catholicum regem, Tres eius filios, duas filias. Deinde potentissimos principes, quorum Catalogum eo modo, quo mihi ab homine doctissimo, & amicissimo transmissus est, hic tibi lector lubens reddam.

Relatio Titulorum Hispaniæ, quanti vniuscuiusq; reditus annui, & vbi quisq; suum habeat Statum.

DVx Fiatæ, Marchio Berlangæ, Comes de *Haro*, domus *de los sieti*, Infantes de Lara septem filiarum Dominus, Comestabuli Castiliæ & magnus Juris præses, Caput domus *de los Velascos*, Domus originaria illi est in Burgos, status in Castilia vetere, syluis Biscaiæ & Soriæ, Reditus annui 80.m.Ducatos.

Dux Medinæ *de Rio seco* (fluuij torridi) comes Modicæ & Melgaræ Vicecomes de Esterlin, Almerante (Thalassiarchus) Castiliæ hic sanguine regio natus est patre Don Fridrico Magistro S. Jacobi, qui filius regis Alfonsi XI. fuit & frater nothus regis Petri crudelis cognomine, Caput familiæ de los Henriques, Domus huic Vallisoleti, status in prouincia de Campos, in Catalaunia & Seuilia, Reditus sũt 100.m.duc.

Dux Albanus & Huescæ marchio Soriæ, comes Saluaterræ, vicecomes de Saldires, Dominus de Valde Corneia (vallis cornicum) Caput domus de Toledo, Domus originaria est Salamancæ, Status in Castilia vetere, & regno Granatensi & finibus Portugaliæ, Reditus ille habet 80.m.duc.

Dux de Infantado, marchio Zenetæ & Santilanæ, dominus (*del Real de Mançanares*) regaliũ (quæ ex pomis & eo spectantibus) Caput domus *de los* Mendoças, Domus in Guadalaiara, Status in regno Toletano & saltubus Castiliæ veteris & prouincia de *Alaua*, Reditus 80.m.ducat.

Dux Alcalæ *de los ganzules*, marchio Tarifæ, Comes de Burno & de Villamartin, Adelantado maior Andaluziæ, Caput domus de Riberas, Domus origo illi Seuiliæ est, Status in eodẽ regno, Reditus 150.m.duc.

Dux de Albuquerque, comes Budinæ, caput familiæ de los Cuebas, habet suum Statum in Albuquerque, Domum in Estramadura & Castilia vetere, 40. m.ducat.

Dux Escalonæ, marchio Villenæ & Moyæ, Comes S. Stephani, Caput familiæ de los Pachecos, Domus illi Toletæ, Status in regno Murciæ, habet annuatim 130.m.duc.

Dux Ossuriæ, marchio de *Penafiel*, Comes Vrennę, Caput domus de los Girones, Habet domum aut sedem suam in Penafiel, Statum in regno Seuiliæ, In annum 100.m.duc.

Dux de Arcos, marchio de Lara, comes Marchenæ, caput familiæ de los ponces de Leon, Domus ipsius in Seuilia, Status ibidem, In annum 80.m.duc.

Dux de Baiar, marchio de Gibraleen, Comes de Benalcacar, caput de los Zunegas de Sotomaiore, Domus in Seuilia, Status ibidem & Castilia vetere, 70.m.ducatos annuos.

Dux Gandiæ, marchio de Lombaii, Caput de los Borias, domus Valentiæ, Status in eodem regno, 60. m.ducat.

Dux Sesæ, comes de Cabray de Vaena, caput de los Cordouas & de Aquilar; Domus illius est Corduæ & Granatæ, Statum habet in eodem regno Granatensi, 70.m.ducati annui.

Portus S. Mariæ.

Dux Medinæ cœli, marchio, *de Cogolludo*, comes de *Puerto de Sancta Maria*, Caput familiæ de los Cordas, Domum habet Medinæ cœli, Statum in regno Toletano, 50.m.duc.

Dux de Medinacidonia, marchio de Sanct Luca de Barrameda, comes *de Niebla* (nebulę vel vapores,) caput de los Guzmanes, Domum habet in Seuilia & in portu de S. Lucar, Statum in regno Seuiliæ, ducatos annuos 130.m.

Dux Maquedæ, marchio de Elche, Caput familiæ de los Cardenas, statum habet in regno Toletano & Valentiæ per annum 40.m.duc.

Dux de Nagera, comes de Treuino de Valencia, & Don Iuan, Caput domus de Manriquez de Lara, domum habet in Nugera, statum in prouincia de la Rioia, 50.m.duc.

Dux Feria, marchio Cafræ, caput de los Figuerroas, Statum refert in Estramaduran, domum in Cafra, 50.m.duc.

Dux Cardonæ & de Segorue, marchio de Comares, dominus in Lucena, Alcayde de los Donzoles, sanguine iunctus regibus Aragoniæ & de la Cerda, Domum habet Valenciæ & Cardonæ & Barcelonæ, Statum in regnis Valenciæ, Catalauniæ & Cordouę, reditus annuos habet 110.m.duc.

Dux Somæ, marchio de Palamos, Almiranta Neapolitanus ex domo de Cordoua, domum habet in Belbuche, 40.m.duc.

Dux de Villahermosa (καλοπόλις:) comes de Ribagorcæ, ex familia & sanguine regum Aragoniæ, Domum habet Saragoçæ, Statum in regnis Aragonię & Valentiæ, annuos 25.m.ducat.

Dux Pastranæ, Princeps de Euoli caput domus de Silua regni Portugaliæ, vnde in Castiliam venit Ruy Gemez de Silua, Domum habet Madriti & Pastranæ 50 m.Ducat.

Dux de Francauila, Princeps de Melito, ex domo de los Mendoças, Domum Toleti, Statum in eodem regno, & numerat in annos 40.Ducatorum millia.

Marchiones maiores.

Marchio de Astorgæ, Comes de Trastamaræ, Dominus domus de *los Villalobos*, caput de los Ozorios, domum habet in Astorga, statum in regno de Leon, & prouincia de Campos habet 50.m.ducat.

Marchio de Aguilar Comes de Castaneda, ex domo de los Manriques de Lara, habet domum Originariam in Carrien & Aguilar de Campos, Statum in montib⁹ & prouincia de Cãpos, Reditus 40.m.duc.

Marchio de Denra, Comes de Lerma, Caput de los Roias, Domus illius in Denra & Valencia, Status in regno eodẽ & in Castilia veteri, Reditus 25.m.duc.

Marchio de Mendeiar Comes de Tendilla, ex domo Mendocæ, Domum habet in Mondeiar, Statum in Alcarria, Reditus 36.m.duc.

Marchio de Nauarres, Magister de Montesa, Principalis & caput domus de los Borias, habet domum in Valentia, Statum ibidem, Reditus 20.m.duc.

Marchio de Pliego, Dominus domus de Aguilar & de Cordua, Domũ ibidem habet Corduæ, Statum in prædicto regno in reditib. habet 50.m.ducat.

Marchio de Sarria, Comes de Lemos, de Castro & de Villalua, dominus de vlloa, Caput Domus de Castro, domum habet in Lemos & Sarriæ, statum in regno Galiciæ, Redit. 80.m.duc.

Marchio de los Veles Adelantado de Murcia, ex domo de los Faiardes, domum habet in los velez, Statum in regno Murciæ, In reditib. 60.m.duc.

Marchio de S. Cruce ex domo de Bacan creatus Judex cum summa auctoritate die 23. Januarii Anno 1584. domum habet Granadæ Annuos 36. mille ducat.

Marchio de Villafranca, ex domo de Toledo habet annuẽ 30.m.ducat.

Marchio de Volade, ex domo de Auila Toledo, dœnum habet Auilæ & velade de renta 20. millia ducatorum.

Marchiones minores.

Marchio de Ajanounte, ex domo de los Sunegas, domus illius Originaria est Seuiliæ, status in eodem regno, & sunt in redit. 26. m. Ducat.

Marchio de Altamira, ex domo de los Rojas, domus in Altamira, reditus 12. m. ducat. habet.

Marchio de Viana, ex domo de los Pimentales, domus Vallisoleti, status in regno Galiciæ, 14. mille ducatos.

Marchio de Camarata & de Sabroso, Comes de Rula, Adelantado de Caçorla, ex domo de los Cobos & Mendoçæ, domus Vallisoleti status in Catalunia, ducati illi annui 50. m.

Marchio de Cortes, ex domo de Toledo, domus illius originaria in Cortes, status in regno Nauarræ, 16. m. ducat.

Marchio de Monte maior, ex domo de filua, domus in monte maiore, reditus 15. m. ducat.

Marchio de la Guarda de sancta Eugenia, Caput domus de los Mexias, domus illius Salamanticæ, status in regno de Jaen, reditus 40. m. ducat.

Marchio de montes claros, ex domo de los Mendoças, domus in Gadalajara, 16. m. ducat.

Marchio de las Nauas, caput de los Auilas, domus in ciuitate Auila, status in finitimo illius tractu, annue 16. m. duc.

Marchio de Possa, ex casa de Rojas, domus Vallisoleti Pozæ & Madriti, status in Castilia antiqua, 20. m. ducat.

Marchio de Estigra, ex domo de los Centuriones de Genua, domus illius in Estipa, status in regno Seuiliæ 25. m. duc.

Marchio de Ibara, ex domo de los Pimenteles, domus Vallisoleti, status in Castilia antiqua 16. mille ducat.

Marchio de Villamanrique, Caput de los Portocareros, domus illius Seuiliæ, status in Estremadura, 16. m. duc.

Marchio de Villanueua del Ris, Caput de los Hériquez, domus est Seuiliæ sita annuè duc. 25. m.

Marchio de la Drada ex domo de la Cueua, dom⁹ sita in la Drada, status in regno Toletano, annue habet 10. m.

Marchio de Cauete, ex domo Mendoçæ, domus in Cueua, status in ipsius tractu & finibus, annuè 15. m. ducat.

Marchio de Fromista ex domo de Benauides & Henriquez, domus in Fromista, status in Prouincia de Campos & Castilia vetere, annue habet ducat. 10. m.

Marchio de Falces, Caput de los Peraltas, domus illius in Vrbe, status in Regno Nauarræ, 8. mille ducatos.

Marchio del valle, ex domo de los Cortes, domus Seuiliæ, status in Hispania noua 50. m. duc.

Marchio de Ardales Comes Leuç, Caput de Guzman, domus in ciuitate de Melaga, status in regno Seuiliæ ducat. 16. m.

Marchio Alcalæ de la Alameda, ex domo de Portocareros, domum habet Seuiliæ, ducat. m. quolibet anno.

Marchio de Alcauizos, ex domo de Henriquez, domum in Alcauises, status in ipsius tractu habet 16. m. ducat.

Marchi de Auilafuente, ex domo de Zuniga, domus in Raltanas, status in Castilia vetere, Reditus 12. m. duc.

Marchio de Pioxa, ex domo Wolla, domus Vallisoleti, & 12. m. duc.

Marchio de Villamanrique, ex domo de Suniga, domus est Seuiliæ, status in eodem regno, 16. m. duc.

Marchio de Aunon, ex domo de Herrera, domus Madriti, status in Alcarria, 25. m. duc.

Marchio Molinæ, in eadem domum habet, in reditib. 6. m. duc.

Marchio de Cerraluo, ex domo de Castro, domus in Ciudadradrigo, status in eiusdem finib. aut ditione, 8. m. duc. habet.

Comites Primæ Classis.

Comes de Benauente, Caput domus de los Pimenteles, domum Vallisoleti habet, statum in regione de Campos, Prouentus illius 100. m. duc.

Comes Albę de Lista, ex domo de los Henriquez, domum refert Samorram, statum in Castiliam veterem, prouentus 40. m. duc.

Comes Mirandæ, Caput domus Aucunnæ & de los Auellanedas, domum refert in Pennarandam, statum in Castiliam veterem, prouentus 35. m. duc.

Comes tabuli regni Nauarræ, ex domo de Toledo, domum in Pamplona, statum in Axuel regni Nauarræ, prouentus in 25. m. ducatis habet.

Comites secundæ Classis.

Comes Salinarum & de Ribadeo, ex domo de Auellanda, & Mendoçæ, sedes stirpis in Burgos, status in Biscaia & eius montibus, hic ob fortia maiorum suorum facta regi Castiliæ in expugnanda vrbe Toletana, priuilegium habet prandendi simul cum rege Castiliæ diebus Paschæ & Natiuitatis, illique cedunt vestes regiæ. Item equus & patera, quibus Rex ijs diebus vtitur, habet ducat. 20. millia.

Comes de Aguilar, Caput de los Arellanos, sedem habet in ciuitate Demanda, statum in la Riosa, & ditione de Horria, de renta 15. m. duc.

Comes de Aranda, ex domo de los Vrreas, Dominus de Almormo, sedem aut domum familię seu gentilitiam Arandæ habet, statum in Aragonia, De renta habet 16. m. duc.

Comes de Alcaudeta ex domo de Cordua, sedem gentilitiam Alcaudetæ habet, & in annua numerat ducat. 8. m.

Comes de Aytona, ex domo de Moncada, sedem Barcelonæ habet originariam, statum in Catalaunia, 14. m. duc.

Comes de Altamira, ex domo de Moscoso, sedem habet in Altamira, de renta 8. m. duc.

Comes de Buiendia, Dominus de Duennas ex domo de los Acuenas, sedem habet in Duennas, statum in terra de Campos, numerat annuè 20. m. ducat.

Comes de Ayllon, ex domo de los Ayllones & de Cordoua, sedem habet in Ayllon, de renta 8. m. duc.

Comes de Belchite, ex domo de Texar, domum Caragoçæ, statum in Aragonia, habet de renta 10. m. ducat.

Comes de Castellar, Caput de los Sapauedra, sedē Seuiliæ, statum in eodem regno, de renta 14. m. duc.

Comes de Castro, ex domo de los Mendoças, & Manriquez, domum in Castro habet, & annuè duc. 10. mil.

Comes de Chrachon, Caput de los Bouadillas, sedem habet Madriti, statum in regno Toletano, habet annuè 40. m duc.

Comes de Cisuentes, Caput de los siluas, domum habet Toleti, statū in eodē regno Toletan. 25. m. duc.

Comes de Cornua, ex domo de Mendoça, domū habet in Guadalajara, in redit. duc 20. m.

Comes de Fuensalida, Caput de los Ayalas, domū Toleti, statum in eiusdem regno, in reditib. habet ducat. 20. m.

Comes de Canimo, domū ibid. in Canimo habet 6. m. duc.

Comes de Gelues, caput dom⁹ de Portugal, domū

Seuiliæ

Seuiliæ & statum in regno Seuiliæ, annuè habet 22. mille ducat.

Comes de Gomira, ex domo de Ayala, domum Gomiræ habet, annuè 16.m.duc.

Comes de Oliuares, ex domo de los Guzmanes, domum Seuiliæ habet, statum in eodem regno, de renta 40.m.ducat.

Comes de Corentayna, Caput domus de los Corellas, domum habet Valenciæ, statum in eodem regno Valenciæ 14.m.duc.

Comes de Fuentes in Aragonia, Caput domus de Heredra, statum in d. regno habet, domum Saragoçæ, 10.m.ducat.

Comes de Medellin, ex domo de los Portoramros, domum habet in Medellin, statum in Extremadura, 35.m.ducat.

Comes de Monte agudo, marchio de Almaçan ex domo de los Mendoças, domum in Almaçan, statum in Aragoniæ regno habet, annuè 18. mille ducat.

Comes de Montorrey, ex domo de Azeuedo, domum Salamançæ habet, statum in regno Galiciæ, de renta 18.m.ducat.

Comes de Oropesa, & de la de leytosa (delectabili) Dominus de Segulla, ex domo de Toleto, domum habet in Talauera, statum in regno Toletano, 35.m. de renta.

Comes de Iserno, ex domo de los Manriquez, domum habet Vallisoleti, statum in Castilia veteri, de renta 20.m.ducat.

Comes de Onanto, Caput de los Gueuaras, domum habet in Onanto, statum in prouincia de Alaua, de renta 10.m.ducat.

Comes de Morata, ex domo Lunæ, domum Maratæ habet, statum in Aragonia, In reditibus, 12. mille ducatos.

Comes de Orgaz, ex domo Mendoçana, domum in Orgaz habet, & annuè 12.m.duc.

Comes de la Puebla, ex domo de Cardinas, domum habet Clerenæ, statum in Ettremadura & regno Granatæ, 18.m.duc.

Comes de Pliego, ex domo de los Carrillos & Mendoçana, domum habet Gradalajaræ & in Pliego, statum in Saltubus de Cuenca, 12.m.duc.

Comes de Puno ex rostro, Caput de los Arras, domum Madriti habet, statum in regno Toletano, de renta 20. mille ducatos.

Comes de Paredes, ex domo de los Manriquez, domum in Paredes habet, statum in prouincia de Campos, 14.m.duc.

Comes de Riuadetura, ex domo de Auellaneda, domum habet Vallisoleti, statum in regno Galiciæ, 10.m.duc.annue.

Comes de Sastago, ex domo de Alagon, domum Saragoçæ, statum Aragoniæ, habet in reditibus 18.m. ducat.

Comes S. Stephani, Caput de los Benauedes, domum habet Vbedæ, statum in regno Aragoniæ, de renta 15.m. dnc.

Comes de Gelues, ex domo de la Cerda, domum in Gelue habet, & annue 8.m.duc.

Comes de Baraias, Caput de los Sapates, domum Madriti, statum in regno Toletano habet 12. mille ducat. de renta.

Comes de la Puebla de Montaluan, ex domo de los Girones & Pachecos, domum Pueblæ de Mataluan habet, statum in Extremadura, & in reditus 20. mille ducat.

Comes de Baylen, ex domo de los Ponces de Leon, domum habet in Baylen, statum in regno de Jaen, & 16.m.ducat.

Comes de Nieua, ex domo Valascorum, domum in Niena habet, statum in Rioia, ex reditu annuo numerat 12.m.duc.

Comes Saluæterræ, ex domo de los Ayalas, domũ in Saluaterra habet, statum in prouincia de Campos, ex annuo redit. 10.m.duc.

Comes de Luna, statum habet in Leon, & ibidem domum, & 20.m.duc.

Comes de la Guerra, ex domo de los Carrillos, de renta 60.m.duc.

Comes Vcedæ de domo de Mexias, domũ Auillæ habet, & ex reditu annuo numerat 10.m.duc.

Comes de Fuensaldana, domum Vallisoleti habet, statum in Castilia veteri, 8. mille ducat. ex censu annuo.

Comes Lodosæ, ex domo ..... domum in regno Nauarræ habet, vna cum statu, in censu habet 8. mille duc.

Comes de sancta, Gadca, Adelantado Castiliæ, ex domo de los Padillas & Acunas, domum habet in sancta Gadca, census 20.m.duc.

Comes Almenaræ, ex domo de los Proxitas, domum Valentiæ habet, statum in eodem regno. Census 8.m.duc.

Comes Oliuæ, Caput familiæ siue domus de los centellos, domum Valenciæ, statum in eiusdem regno habet 18.m.duc.

Comes Albaydæ, caput familiæ, siue princeps de los de Lapellido de Milan, domum habet Albaydæ, statum in regno Valentiæ, Census illius 10.m.duc.

Comes Eldæ, Princeps familiæ suæ, domus de los Colomas, statum in regno Valenciæ, domum Eldæ, habet 8.m.duc.

ViceComites.

ViceComes Peraltæ, in censum habet annue 6. mille ducat.
ViceComes de Guebuli, in censum 8.m.duc.
ViceComes de Chelua in censum habet 6.m. duc.

Almirantes seu Thalassfarchi.

Almiranta Castiliæ, in censum habet 40.m.duc.
Almiranta Aragoniæ, in censum 80.m.duc.
Almiranta Valenciæ, in censum 10.m.duc.

Adelantados.

Adelantado Caragoçæ 12.m.duc.
Adelantado Galiciæ 8.m.duc.
Adelantado Cananæ 10.m.duc.
Adelantado Castiliæ 12.m.duc.

Priores Sancti Ioannis.

Prior S. Joannis Regnorum Castiliæ & Leonis, Censu 100.m.duc.
Prior S. Joannis Catalauniæ 14.m.duc.
Prior S. Joannis Valenciæ 7.m. duc.
Prior S. Joannis Aragoniæ, in reditus annuos habet 6.m.duc.
Princeps de Ascoli, caput de los Leyuas, domum habet in ciuitate S. Dominici, statum in Prouincia de la Rioia, & in Ducatu Regni Neapolitani, census 50.m.duc.

Magistri.

Magister S. Jacobi, qui ipsemet Rex est, annuè habet 200.m.duc.
Magister Calatrauæ habet 100.m.duc.
Magister Alcantaræ 100.duc.
Hos tres Magistratus sua Regia Maiestas sibi vẽdicat.

Archiepiscopi.

Toletanus 200.m.duc.
Seuiliæ 100.m.duc.
S. Jacobi 60.m.duc.
Granatensis 50.m.duc.
Saragocæ 50.m.duc.

Valenciæ 60.m.duc.annue.
Tarragonæ 20.m.duc.
Burgensis 40.m.duc.

Episcopi.

De Leon 16.m.duc.
De Vbredo 12.m.duc.

Episcopi suffraganei sub Archiepiscopatu Toletano.

De Ciguença 40.m.duc.
De Cuenca 36.m.duc.
De Cordoua 40.m.duc.
De Segouia 20.m.duc.
De Palença 30.m.duc.
De Hozma 20.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus S.Iacobi.

Plasenciæ 40.m.duc.annue.
Salamancæ 20.m.duc.
Coriæ 25.m.duc.
Astergæ 20.m.duc.
Badajazæ 20.m.duc.
De Gudaemdrigo 14.m.duc.
Orenses 8.m.duc.
De Juy 7.m.duc.
De Mondonedo 7.m.duc.
Samoræ 16.m.duc.
De Lugo 6.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscatus Caragoceni.

Pampelonæ 16.m.duc.
Calahorræ 6.m.duc.
Huescæ 12.m.duc.
Balbastri 8.m.duc.
Tarraçonæ 16.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Seuilæ.

De Cadis 14.m.duc.
De Jaen 30.m.duc.
Aulæ 20.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Valenciæ.

Cartagenæ 12.m.duc.
Origuelæ 8.m.duc.
Secorbe 8.m.duc.
De Albarazen 8.m.duc.
Malloriæ.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Granatensis.

Malagæ 30.m.duc.
Almeriæ 13.m.duc.
De Guadiæ 12.m.duc.

Episcopi suffraganei Archiepiscopatus Tarragonensis.

Gironæ 10.m.duc.annue.
Leridæ 10.m.duc.annue.
De Vrgel 8.m.duc.annue.
Eluæ 7.m.duc.annue.
De Vrque 6.m.duc.annue.
Barcelonensis 8.m.duc.annue.
De Cerduna 4.m.duc.annue.
Tortosanus 12.m.duc.annue.

Quod si Indiarum quoq; regna animo obire placeat, nationes, populosq; potentes, duplo maiorem numerum, quam sit eorum, qui in varias sectas sparsi sunt, conficiemus. Tot Prætorum, Gubernatorum, Nauarchorum nomina recensenda forent, vt tædium & inuidiam facturum me putem.

Sed nunc Boream reuisamus, atque illam viris, armisque, & quod caput est, eruditâ generositate nobilem Poloniam ingrediamur; In qua primum animo pio, fortique, & rebus gestis exercito, Rex Sigismundus, & patriæ virtutis æmulator Vladislaus filius, occurrunt, Cæteraque proles regia.

Sequuntur Principes & Domini Aulæ Serenis. Archiducis Alberti.

Dux de Oranges, obiit constantissimus in fide Catholica Anno DOMINI 1618. die 20. Febr.
Dux de Arischot Comes de Arenberg, Eques velleris aurei.
Dux de Chimay Comes de Beaumont, Dominus de Auennes & Comes de Zonegsen.
Eques de Arenbergk.
Dux de Croy Marchio de Haure, Comes de Fontinoy velleris au.eques.
Baro de Fine tranges frater ducis de Croy.
Princeps de Legne, velleris aurei eques Gubernator & Capitaneus Artesiæ Comitatus.
Marchio de Roboys filius istius.
Comes de Egmont, velleris aurei eques, gubernator & Capitaneus generalis Comitatus Namurci.
Princeps de Baure filius illius.
Fridericus Comes de Berge, Comes de Boermer, Eques velleris aurei, Gubernator & Capitaneus generalis Geldriæ, Ducatus & Comitatus Zutphanienſis.
Comes Henricus de Bergen, Dominus de Steuenſvvert frater illius.
Comes de Berlaymont & de l'Alaing Eques velleris aurei Gubernator & Capitaneus generalis Ducatus Luxenburgensis, & Comitatus de Chiny.
Comes de Champlite Eques velleris aurei Vice-Capitaneus Generalis Burgundiæ & Charlois.
Marchio de Veranbon Eques Vel.aur.
Baro de Balancon frater illius.
Marchio de Marney, Comes de Ponrevaule Eques &c.
Comes de Solre, Eques aur.velleris.
Comes de Hochstraten.
Comes de Bossuit.
Comes de Bucoy Eques velleris aurei Lieutenente locum tenens & Capitaneus generalis & magnus Baillii Hannouiæ & Comes de Hautequersque.
Princeps de Barbançon.
Comes de Reux.
Comes de Meghen.
Marchio de Renty.
Marchio de Tresegmes.
Comes de Vertain.
Comes de Henin Dux de Borneuille.
Comes de Beaurieu.
Comes de Fresin.
Comes Sanctæ Aldegondæ Gubernator, & Capitaneus Ducatus Limburgensis, de Faulquemont, Dalhem & Rodeleducq.
Comes de Norelles.
Comes de Vbalfuze.
Comes de Middelburgh.
Comes de Henghien.
Comes de Falays.
Comes de Croix.
Comes de Esterres.
Comes de Willerual.
Comes de Bailleul.
Comes de Bassigny Baro de Boertel.
Baro de Grimbergh.
Dominus de Bredam.
Dominus de Marlec penes quem summa rei quæstoriæ.
Dominus de Coppigny & hic quæstor.

Marchio

Marchio Spinola Capitaneus & Præfectus gubernator generalis Belgii nomine Regis Catholici & Archiducis.

Comes de Aneuer dicti Marchionis Aulæ Præfectus & Archiduci à poculis.

Marchio de Wedere Præfectus generalis equitum.

Comes de Furstenberg.

Marchio de Malaspina, Ordinarius in Aula Serenissimi Archiducis.

Cum viro nobili, doctoq; è Polonia oriundo Abrahami Sculteti Catalogum ostenderem, hunc in modum ille mihi rescripsit: Verba enim eius ponere consultum duxi.

Ex omnibus istis familiis, quas pro se Hæresiarcha citat, nonnulli degenerarunt, Principaliora tamen capita eorundem stemmatum Rom. Cathol. ab antiquo illatæ fidei tempore incorrupta permanserunt, & hucusque constanter perseuerant: Nam de familia Lesniouiorum de Lesno, & eorum stemmate, quã pro se citat, etiam hac tẽpestate tot existunt feruentes Rom. Catholici; quot nec iste qui citat, nec qui ab illo citatur, capillos in capitibus suis numerare valent.

Comites verò ab Ostrorog (excepto citato) omnes Roman. Catholicæ Religionis non solum assertores, verumetiam acerrimi propugnatores fide, sapientia & potentia insignes existunt. Quorum caput, & princeps Palatinus Posnanienſis recenti iudicio in publica disputatione Lublini nouum Euangelium, & illius sectatores grauissimo iudicio condemnauit.

De Fierleorum tam numerosa prosapia, si duo solummodo funesta noui Euangelii caligine offusi, ad publici muneris officium in Religione aut Repub. erumpere nequeunt cum summo dolore suorum; non idcirco de vniuersa familia, de qua tot Principes viri Palatini & Episcopi, tot cæteri potentes Senatores, omni tempore in Rom. Cath. fide floruerunt, & nunc florent, quot annalibus recensentur, & quibus nunc Illustrissimus & Reuerendissimus Episcopus Plocẽsis, paulò ante Vicecancellarius Regni, noui Euangelii assertores, & doctrina & potentia ita coercet, vt in tota Diœcesi sua eis, non modo noui Euangelii Scholas, sed ne os quidem aperire liceat.

Nicolaus autẽ Fierlei Senator Regni dignissimus, publicè in prædicta Lublinensi disputatione, seductores noui Euangelii authoritate, & prudentia sua compressit.

Cæteri quos refert Hæresiarcha sui Euangelii erroribus irretitos, tales sunt, vt in tam numerosis Prosapiarum suarum familiis, & ordinibus, quæ Roman. Cath. Religionem semper sunt professę, & iam profitentur, ne cernantur quidem.

Quod vero vnum & alterum Principum & Comitum Hæresiarcha pro se adduxit; facile ea ipsa inopia conuincitur, quod satis exiguam copiam ex innumero ferè Principum, Ducum, & Comitum numero recensere potuit.

Nos autem pro adductis possumus Rom. Cathol. Religionis tot oculis illius turmatim obiicere, quot ille terris Euangelii sui tenebris nunquam vidit, aut videre poterit.

In primis autem sese offert Minor Polonia, in qua Marchionum de Mirou, Gonzagarum domus vniuersa Rom. Cath. fidẽ ab antiquo tuetur & defendit.

Arauiæ Liptouiæque Comitum Komorouiorum familia tota.

Comitũ à Teczyn peruetusta prosapia tota quãta.

Comitum de Wisnicza Lubomirsciorum Gens vniuersa.

Ipse Palatinus & Castellanus Cracouiẽsis, Principes viri potentia & autoritate, cum omnib. Senatoribus Rom. Cath. Religionem profitentur & tuentur.

In Maiori vero Polonia Comes de Zgorka Generalis Maioris Poloniæ.

Comes de Zgorka Stanislaus Carncouius, cum omnibus familiæ suæ ordinibus eandem religionem profitetur.

Palatinus Posnanienſis Comes ab Ostrorog.

Comites à Tarnovv. Senatorum quoque omnes quotquot in eo Ducatu reperiuntur, omnes Roman. Cathol. Religionis sese Assertores & propugnatores feruentissimos quotidiano experimẽto profitentur.

Ex Ducatu Masouię non expedit quempiã Principum, Senatorum aut Nobilium recensere, cum omnes & singuli adeo ab antiquo complexam Romanã Ecclesiam foueant ac defendant, vt noui Euãgelii seductoribus, non modo verbis influere callidis, sed ne iter quidem illuc facere tutum experiamur.

Ex Magno Ducatu Lithuaniæ non negamus duos Radziuilios, sæpius calcaria nouo Euangelio admouisse, sed multo potentiores eiusdem prosapiæ Duces, iisdem admotis calcaribus scimus ita propulisse & concitasse illud ipsum nouum Euangelium cum Assertoribus suis ad ipsos vsq; inferos ablegando.

Ex eodem Ducatu, vt iam libenter admota calcaria remouerent, si possent, ne toties inquietudine, & noui Euangelii admotis calcaribus protruderentur & conculcarentur. Nam Radziuilius Dux, Palatinus VVilnensis. Dux Radziuilius Palatinus Procensis. Dux Radziuilius Adalbertus in Otyka & Niesvvies. Dux Nicolaus Radziuilius non solum Rom. Cathol. Religionis ab antiquo fuerunt, verumetiam augusta templa permulta, & magnifice dotata exstruxerunt, Collegium quoq; Societatis Jesu dignum suo nomine & Religione erexerunt.

In eodem Ducatu, Duces omnes de Jagellonia Regia familia.

Duces omnes à Magnorum Ducum Lithuaniæ stirpe originem trahentes noui Euangelii caliginem hucusq; etiam aspicere dedignantur.

Comes Chotkievviez, Dux Generalis copiarum, eiusdem Magni Ducatus, tantopere nouum dogma pestilentis Euangelii, quãto Patriæ hostem cum ampliſſimæ familiæ suæ potentia, & toto Senatorum ordine, quorum nemo in eo Ducatu nouo Euangelicus reperitur, persequitur.

Ex Ducatu VVotyniæ & Russiæ Dux de Ostrog Januſſius, Dominus Cracouienſis.

Dux de Ostrog Januſſius eiusdem nominis Palatinus VVolyniæ.

Dux de Ostrog Alexander Palatinus Braczlauiæ.

Dux Georgius Zaslauiæ.

Duces Sanguski omnes.

Duces Czartoniski in Czartori omnes.

Duces de VVisnovvice omnes.

Dux Constantinus in Jaroslavv.

Dux Januſſius in Jaroslavv.

Duces Koretcii omnes, de Korec.

Duces Koszerscii omnes.

Et reliquæ Ducum familiæ, trahentes originem à Magnis Ducibus Lithuaniæ, Russiæ, Masouiæ, Nalatiæ, VVolodimiriæ, quorum numerum recensere, esset innumera folia otiose replere: Rom. Cathol. fidem profitentur, & noui Euangelii inuectoribus, non minus quam Turcarum, Tartarorumq; perfidis excursionibus sese reipsa opponunt, vna cum Regia Maiestate, & vniuersis senatorum dignitatũq; ordinibus, pietate, studio, armis, & si quando expedit vita ipsa Roman. Religionem roborando & propugnando.

Neque nobilissimis Hungariæ, Bohemiæq; regnis desunt, quibus vetus Cathol. religio, pietasque cordi sit, qui magna constantia eam defenderunt: ostẽdunt hoc ipsa comitia, & pro principibus suis impensus labor, sumptusq;, & inter clades seruata fides.

5. Hic igitur cum sit status religionum, si defensores attendas, non facile alia aliam vi & armis opprimere poterit, quod si Catholicos in parte premant arma & bella, non tamen victores diuturna frui pace valebunt, cum inter se acerbe dissideant, nec desint, quibus victoriæ societas futura sit grauis.

CAPVT XI.

Status Religionum Europæarum, si doctrinam & doctores spectes.

§.1. DOCTORES, & antistites discrepantium sectarum, quorum præcipuè nomina in catalogo nundinarum vernarũ anni 1618. inueni, & scripta comparaui, (quanquam aliquorum haberi non potuerunt, vel quod nondum prodissent, vel quod eorum typographos puderet) illi ferè nominantur.

Argentoratenses Academici.
Andreas Finnolot.
Anonymus vnbekant gegẽ Christian Gottliebs.
Argentoratenses Prædicantes.
Anonymus de Jubilæo.
Andreas Cramerus.
Abraham Schultetus.
Adrianus Smoutius.
Arminiani & Gomorriani in Hollandia.
Balthasar Meisnern.
Caspar Hofstenius.
Caspar Melissander.
Caspar Finckius.
Christophorus Schleupnerus.
Christophorus Zieglern.
Conrad Diethrich.
Christophorus Adolphi.
Christophorus V Valpurger.
Danici Prædicantes.
Daniel Angelocrator.
Dauid Pareus.
Ehrhardus Lautterbach.
Ægidius Strauch.
Fridericus Halbachius.
Friederich Franck.
Fridericus Balduinus.
Georgius Engelman.
Georgius Zeæman.
Gaudentius de Jubilantibus.
Guilielmus Barret Anglus.
Heildelbergenses Academici.
Hartmannus Braun.
Henricus Altingus.
Henricus Eckardus.
Henricus Hopffner.
Henricus Hirtzvvigius.
Jacobus Martini.
Joannes Gisenius.
Joannes Simonius.
Joannes Grocius.
Joannes Tarnouius.
Joannes Affelmannus.
Joannes Staden.
Joannes Schröder.
Joannes Heinrich Hiemern.
Joannes Schneider.
Joannes Pandocheus.
Joannes Salmuth.
Joannes Joachim Beutherus.
Joannes Michaël Beutherus.
Joannes Leibius.
Joannes Georgius Siegwart.
Joannes Rostensis contra Robert. Bellarminum.
Joannes Schreiter Annæberg.
Joannes Scharpius.
Maximilianus Rittern.
Martinus Rober.
Matthias Hoe von Hoheneck.
Matthias Haffenreffern.
Melchior Schærerus.
Michael Mulingus.
Mercatus Popisticus autoris. M. M. D.
Nicolaus Hartkopfius.
Nicolaus Martini.
Nicolaus Pomeranus.
Nicolaus Greuinchouius.
Paulus Laurentij.
Polycarpus Leyser.
14. Predig diuersorum vom Jubelfäst.
Rosthockienses Academici.
Robertus Sarisburiensis.
Sibrandus Lubberti.
Sigismundus Fuenius.
Simon Gediccus.
Scholastici Neuhusianij.
Tubingenses Academici.
Thomas V Veinrichius.
Thomæ Tuki Angli index fidei & religionis.
Vincenz Schmucken.
V Vihelmus Alardus.
V Vittebergenses Professores & Doctores.
V Virtenburgenses Prædicantes.
V Volffgangus Frantzius. Et
Alii quos fama obscura recondit.

Catholici huius tẽporis doctores nominare multitudo vetat; ipsæ Academię, & collegia tum Canonicorum, tum Religiosorũ multas paginas implerent.

Errantium nunquam est vna via.

§.2. Ad doctrinã quod attinet, ea omnibus Catholicis vna est. quæ Concilio Tridentino, & aliis in Synodis explicata est, ab hac vbi recesseris, ingẽtem turbam omnium sectarum cõspicies, quarum vnaquæq; certissimam veritatem, exploratissimam sanctitatem sibi vendicat, audacissimè alios cõdemnat. Quia igitur postera ætas mirabitur de varietate, absurditate, blasphemiis hæreseon, breuirer de illorum auctoribus, sententiisque dicendum est.

Catalogum variarum hæreseon olim S. Augustin. Philastrius, & ante hos Epiphanius contexuerunt, nostro autem tempore, Lindanus, Prateolus, Sanderus, & compendio noster in tabula Chronographica Jacobus Gualterus qui nouas veteribus composuit.

Hæresiarchæ aliam causam habent, aliam prætendunt.

§.3. Primus nouitatem orsus est, & ambitioni, ac libidini libertatẽ quæsiuit Martinus Lutherus, cui occasionem indulgentiarum proclamatio, causam verò interna mala, quæ res quietas semper mouerunt, auaritia, illiciti amores, inquieti ingenii superbia dedit. Sed cum non haberet omnia constituta, & non modo vera falsis, sed & falsa repugnent, non potuit opus illud vnquam apte contexere, & concinnare, quin alia atq; alia destrueret, vt si quis magnum ædificium sine hypodigmate fabricetur, necesse habet multa diruere, quia manus consilio velociores fuerunt. Hinc inter ipsa initia non modo conciones, & scripta, sed mensarum etiam hilaritudines, & Eutrapeliæ, de quibus integros libros Lutherani scripserunt, nouarum hæreseon fœcundæ fuerunt. Et sanè vt ipse Lutherus, & Matthias Hoe conc. 3. Jubil. fatetur, triginta fanaticos Sp. ipse expertus est, quemadmodum ingens illa *sub ilicibus sus*

Triginta capitum fœtus enixa iacebat.

Hæreses multa mutare coguntur.

Fatetur hoc vel ingenuè, vel necessitate veri adactus Joan. Gisenius Giessenus professor, thesi 7. *Quãuis vero in primis scriptis, quædam, quæ postea manifeste fauent, propugnauit, in sequentibus tamen abiecit & improbauit. Successiuè enim, assidua Oratione, Meditatione, &*

Varietatis fœcunda hæresis.

Tenta-

Tentatione in veritatem est introductus, & impietates pontificias agnoscere, & solidè refutare didicit. Exponit id ipse in præfat. To. 1. Ien. Lat. Ante omnia, inquiens, oro pium Lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, vt ista legat cum iudicio, imo cum multa miseratione: Et sciat, me fuisse aliquando Monachum, & Papistam insanissimum cum istam causam aggressus sum. Et paulo post: *Ita inuenies in istis meis scriptis prioribus, quam multa, & magna humilimè concesserim Papæ, quæ posterioribus, & istis temporibus pro summa blasphemia, & abominatione habeo, & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie Lector, vel (vt ipsi calumniantur) antilogiam tempori, &c.*

Lutherus rerum suarum ignarus.

Cum igitur inter initia non Dei spiritu, non gratia cœlesti loqueretur, sibi contradixit. Nam si Deus verbum posuisset in ore eius, nihil abominandum, nihil contra manifestam veritatem tam certo affirmasset: Errant quidem sancti, & docti interdum, sed eum, qui totam Ecclesiam, atque antiquitatem damnaret, nouum se Eliâ profiteretur, in cunctis errasse, omnia permutasse non oportebat.

Lutherani omnis multæ sectæ fuerunt.

§. 4. Porrò qui fidem à Luthero prædicatam immutarunt, alij à Luthero penitus defecerunt, eumq; condemnarunt, alij sub famoso, & apud Germanos gratioso nomine sectiunculas fecerunt.

Carolstadius Luthero oppositus.

Infestissimus illi fuit eius promotor Andreas à Bodenstein Carolstadius, qui emptus est, vt clientem oppugnaret, quemadmodũ historiam narrant multi iubilantes, inprimis concione 3. Matthias Hoe pag. 116. Huic Sacramentariam, & Anabaptisticam hæresim tribuunt Lutherani, vt Erasmus Alberus *l. de maledicta Carolstadianorum doctrina*, & Melanchthon in comm. ad colosſ. *ait eum Pædobaptismum negasse.* Alij Zvvinglio Anabaptismum acceptum referunt, quod is libro de baptismo scribat: *Vtiluis esse pueris baptismum non conferri:* quin & Balthasar Pacimontanus quem plerique parentem Anabaptistarum esse affirmant, scripto Zvvinglij Pædobaptismum improbantis se tuebatur. Sed de auctore mali non est magnopere laborandum, malo auertendo rationes quærẽdæ sunt. Thomas Muntzerus, & Nicolaus Storckius illa in tragœdia primas tenuêre.

Zvvinglius Balthasar pacimontanus. Thomas Muntzerus Nicolaus Storck. Anabaptismus.

Primus igitur Lutherismi ramus, sed ab arbore reuulsus est Anabaptismus, in plurimas ille sectas diuisus est: Filium Dei negãt ex virgine carnem sumpsisse, promiscuos concubitus probant, imperant, magistratum non agnoscunt, externis laruis opinionem innocentiæ quærunt, somnijs indulgent, magiæ student; interimi putant eos posse, qui sectam eorum non sequuntur, multa cum cæteris communia, multa peculiaria habent. Eorum dux fuit Christophorus Schaplerus qui rusticos in bella concitauit. Huic affinis Campanus etiam hoc addidit, vt personarum in Trinitate distinctionem negaret. Ad hos pertinere arbitror, Scripturanos, Paulinos, Batemburgicos, Pastoricidas, Sanguinarios, Ægidianos, Daemoniacos, Sabbatarios, communia habentes, etiam uxores. Condormiẽtes, Eiulantes, quorũ sunt tot sectę, quot capita. Alia parte obstetricante Carolstadio, parente Zvvinglio, adiuuante Oecolampadio natus est Sacramentarijsmus, quem Zvvinglianismum, & Caluinismum nuncupare solent Lutherani, quem præcipue detestantur.

Christophorus Scaplerus. Campan.

Oecolampadius.

Zvvinglius Berengarij errores imitatus est, sed plures addit, eum Carolstadius, & Oecolampadius adiuuerunt. Peccatum Originale, & gratiæ necessitatem cum Pelagianis reiecit. At Nestorianismum illi Lutherani oẽs objiciũt. Zvvinglium secutus est Caluinus, additis multis erroribus, vt fidẽ non esse vnã, non esse sine incredulitate, implicitam nullam esse, scripturam incertã esse, intellectu facilem, fidem non posse amitti, Deum ad mala & peccata prædestinasse, in diuina essentia esse realem distinctionem, Trinitatem non esse adorandam, Christum secundum humanam naturam fuisse ignorantem, officium mediatoris refugisse, desperasse, pœnas damnati hominis sustinuisse, nihil sibi meruisse, gloriam piorum ante diem extremũ non dari, Ecclesiã posse deficere. Quidã Lutherani trecẽtos & plures errores Caluinianorum enarrant: Fasciculus Ekkardi, & Cramerus. alij.

Errores Caluiniani

Bucerani, Melanchthonici.

§. 5. Hæresis sacramentaria in multas est diuisa sectas, vt monuit Lutherus: Hinc enim orti Bucerani & Melanchthonici in perpetuis conciliationibus versati, quamuis peculiares errores defenderint. Martyr quoque singularem sententiam docuit. Castellio religionem quam quisque vellet, permittebat, Canticum canticorum è canone tollebat, quod impudicam cantionem esse diceret.

Castellio.

Lasco.

Lasco baptismum penitus reiecit. Valentinus gentilis Alcoranum cum nouo testamento miscuit. Ludouicus Alemannus negauit corpus Christi etiam fide percipi. Petrus Richerius negauit Christus in humanâ carne adorandum, tandem censuit solum patrem adorandum esse. Sunt & alij quos vocant, Significatiuos, Tropistas, Energicos, Arrhabonarios, Adessenarios, Metamorphistas, Iscariotitas, Metaphoristas, Antipuritanos, Pseudoirenicos, Arminianos, Sibrãdianos, Vorstianos, Venatorianos, horum errores maximè posteriorum varios, pernicioſos eristica scripta Belgarum ostendunt.

Varia hæreses.

Vide Synodum Mansfeldicam.

§. 7. Atque hi sunt, qui omnino se Luthero opposuêre, nec tamen pauciores sub eius nomine inter se acria bella gerunt, contra se mutuo fulminant; partes fuêre, Rigidi & molles; horum caput Melanchthon, Wittebergẽses, & fere Academici. Illorum Illyricus Flaccus, horũ errores etiam ad exilia, & proscriptiones incruduêre. Deinde inualuêre Brentiani seu crassiores Vbiquitarij. Eodem tempore maxime in Borussiâ Osiandrini, qui essentiali Dei iustitiâ nos iustificari docuerũt. Huic se ita opposuit Stãcarus, vt humanitati soli vim iustificandi tribueret, diuinitatẽ negaret, hac in parte Arianus. Vtrunq; Andreas Musculus Vbiquista insignis oppugnauit, vtrique enim naturæ, diuinæ & humanæ iustificationem tribuit, & vt vehementius faceret, diuinam naturam in cruce mortuam dixit. Tubingenses in parte adhæserunt Osiandro, vt dicerent, iustitiam Dei essentialem imputari nobis. Magna lite deinde Saxoniam distraxerũt Nicolaus Ambsdorffius, & Mansfeldici, dum operibus bonis Maioristis, Antinomis, liberi arbitrij defensoribus, Adiaphoristis, Stancarianis seſe obiecerũt, eosq; habitâ Synodo damnarũt. Errores in varijs partibus, Chytręus, Functius, Pastillarij, Interimistæ, Antidiaphoristæ, Lutheropapistæ, Lutheroz wingliani, Heshusiani, Hutitæ, varijs opinionb. instaurarunt, & ita multiplicarunt, vt vix in vllis sit consensus.

Lutherani Rigidi & Molles.

Brentiani.

Osiandrini.

Stancariani.

And. Musculus.

Mansfeldici.

Iactata est circa annũ Domini 1580. cõcordia Bergensis, & annis sequentibus in eam coniuratum est à pleriſq;, sed eo fine, vt mox Lutherani pleriq; ab ea deficerent, & à Lutheranis pleræque prouinciæ.

Concordiæ liber interitus est Lutherismi.

§. 7. Qui vero contra Lutheranos, Caluinianos, Anabaptistas manifestè pugnãt, sunt Ostorodiani, siue mauis Sociniani, Christi meriti, redẽptionis, & diuinæ iustitiæ negatores, Ariani per Poloniã, Hungariam, Transsyluaniam. Seruetiani, qui Sabellianismum, Eutychianismum, Anabaptismum miscent. Effrontes qui frontem donec sanguinem elicerent, tadebant, deinde oleo eam perungentes se Christianos sine baptismo esse iactabant, Spiritum sanctum motum quendam esse dicebant, ideoque sine idololatriæ crimine non posse adorari. Ochinistæ qui polygamiam admittunt. Noui Sabelliani, Bacularij, & quorum maxima turba est, Epicuræi, Athei, Libertini. Hic status est pugnantissimarum in Europâ religionum, populus magnam partem contro-

Ostorodiani.

Europæ hæreses ad Atheismum inclinant.

uersiarum vel non curat, vel sane ignorat. Doctiores in partibus sunt partim alienis, partim suis, fere enim altercandi vehementiâ veritatem amittunt, & in hæresin aliquam impingunt. Multi igitur sunt, & varij commatis Lutherani, multi Caluiniani, & forte non pauciores Anabaptistæ, Sociniani; sed plurimi qui religiones in vnam omnes conflare constituerunt.

Hæresis summa est omnium chaos.

§. 8. Fecerunt hoc olim Nouatiani, vt auctor est Aug. hæres. 38. & Epiphan. hæres. 59. qui eadem se & Catholicos fide imbutos ferebant, sed in doctrina tamen discrepare, culpabãt & Catholicos Ariani tẽpore Valentis; *Vos contenditis propter exiguam dogmatum subtilitatem.* Fuêre & Rhetoriani, qui docebãt omnes hæreses recta via incedere, & docere veritatem; ita refert Philastrius in Catalog. & Augustinus hæres. 72. miraturque *posse cuiquam in mentem venire, vt ita iudicet.* Inualescit semper ea opinio cum in multiplices labyrinthos errorum incidunt prouincię. Eo enim homines profani inducuntur, vt modo pacẽ Reip. teneant, non vereantur in vnum errorem conspirare. Docuit illam pacem Zenonis ἑνωτικὸν πρόσταγμα, *pacificatorium*, seu *vnitiuum edictum*, quo voluit Eutychianos, Dioscorianos, & Catholicos de sua sententia aliquid remittere, vt in vnam conspirarent religionem, quæ res tamen maiores dissensiones peperit, quemadmodum nulla re magis se Lutherani infirmarunt, quam cum in vnum Concordiæ librum insanabiles alioqui errores compegerunt. Non dissimili ratione Ioannes Sturmius, an. 1578. mediam viam instituit, nouam enim religionem ex Protestantium & Catholicorum sententijs, iudicio virorum septuaginta conflari volebat: qui omnium Theologorum in se iras concitauit. Refert doctissimus noster Gaulterius tab. Chrõ. pag. 380. col. 2. Ioannem Serranum ministrum Araucanum potenti cuidam Catholico Domino dixisse: *Suam religionem à Romana non nisi cæremonijs discrepare, suamq; paucas nimis cærimonias habere; Romanã nimis multas: neq; difficile esse vnam alteri conciliare: nempe illarum numero adaucto, harum imminuto*, qua de re inchoatum librum morte præuentus, non absoluit. Idem tentauit quidam *Christianus Constans* ficti nominis conciliator, qui Romanam, & Caluinianam religionem, nõ duas esse religiones, sed vnã asserit, si verè & Germane iudicandũ sit, vt in an. 1600. p. 824. col. 1. multis exponit idem Gaulterius, qui si Parei Irenicon, & Lutheranorum Polemica vidisset, quæ omnia post eius tabulas Chronographicas edita sunt, multo magis quam Augustinus de Rhetorianis admiraretur.

ἑνωτικὸν Zenonis diuisit Ecclesias.

Concordiæ liber omniũ errorum tartarus.

Hodie quoque multi sunt Rhetoriani.

§. 9. Cum igitur tot sint hæreses, eæque indies augeantur, augmento suo Respublicas in partes trahant, membra Europæ diuellant, alia alijs, vniuersa Turcis obijciant: Agnoscite ô reges & principes statum religionis vestræ, animabus vestris, subditorũque saluti Reipublicæ & Politiæ prospicite, ad vnam religionem redeundum est, vel enim suas quisque opiniones obfirmate propugnabitis, atque ita tot erũt dissidia, quot homines; vel cuique opinandi & docendi potestatem facietis, & sic vno verbo Rempublicam euertetis, venient enim qui negabunt Magistratui quicquam esse iuris, qui omnia communia dicẽt, & efficaciam errorum lenocinante voluptate in mores inducent.

Consulite acta Belgarum.

Nulla spes pacis nisi in vna religione.

Hæc mutatio religionis, multis seditionibus, bellisque in Europam inducta est, stetit omnino sanguine multo, quo potuit Africa, Asia, India parari, ex eaque nunc quoque dum hæc scribo, multis locis ciuilia bella grassantur, pluribus apparantur, omnibus timentur. Eheu posteri negabitis? Inter tot fides an filius hominis veniens, inueniet fidem?

CAPVT XII.

Seditionum improuisa, & ex paruis rebus origo.

§. 1. MOnet verissime Aristoteles l. 5. c. 4. Politic. Γίγνονται μὲν οὐν αἱ στάσεις οὐ περὶ μικρῶν, ἀλλ' ἐκ μικρῶν. *Oriuntur seditiones non de paruis rebus, sed ex paruis, dissident enim homines & seditiones excitãt de rebus magnis.* Ih his tamen obseruabis, tum cum parua res magnum incendium conflauit, id fere ortum ex corruptis moribus populi, vel in re paruaostendi magnum contemptum, nequitiamque.

Ex parua scintilla magnum incendium.

§. 2. Pulsus est Roma Tarquinius ob filij adulterium. Non parua res est vxorum puducitia, sed magna, pro qua tanquam pro re sacra maritum pugnare fas est, sed inter gentilium & barbarorum regum libidines haud tanti æstimata, vt Brutus & Collatinus, si hoc solum fuisset peccatum, commouere Romam Collatiamque non possent. Erant vero exacerbati scelere, superbia, tyrannide regis. Nam de eo Liuius l. 1. Conscius deinde male quærendi regni ab se ipso aduersus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit: neque enim ad ius regni quidquam præter vim habebat: vt qui neque populi iussu, neque auctoribus patribus regnaret. Eo accedebat vt in charitate ciuium nihil spei reponenti, metu regnum tutandum esset. quem vt pluribus incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consilijs per se solus exercebat. perque eam causam occidere, in exilium agere, bonos mulctare poterat. non suspectos modo & inuisos, sed vnde nihil aliud quam prædam sperare posset. Cum vero Capitolium, cloacam maximam aliaque exstrueret oppressæ plebis manibus magno in odio erat, quod occasione duntaxat egebat.

Tenuis est valetudo Reip. quæ leui occasione moritur.

Aristoteles non dissimilia narrat. Syracusis tumultum exortum ob duorum flagitia, quorum alter adulterij, alter tætrioris criminis reus erat: Sed cum singuli ciuium partem sibi adiungerent, seditionem, qua forma Reipub. mutataest, concitarunt. Verum corruptos tam magistratuum, quam populi mores, indicat seditio; his pro adulterio, illis pro παιδερασίᾳ pugnantibus; in vitioso enim populo cum pessimus quisque in tumultum sit pronus, facillime seditio nascitur.

Seditio quo modo signũ corruptæ Reip.

§. 3. Histæę orta est seditio ob duorũ fratrum in diuidunda hæreditate contentionem, vt testatur Aristoteles. Cum enim locupletior frater alteri iniuriam faceret, paternasque opes detineret, alter frater pauper, pauperes ciues in auxilium vocauit, alter locupletes, factaque est pugna pauperum contra diuites, quæ nulla fuisset, si vel vmbra iustitiæ in tribunalibus apparuisset.

De seditionis Delphicæ historia constat, vtrimq; fuisse speciem recti. Mytilenorum enim seditio originem ex iustitię neglectu habuit. Timophanes duas filias opulentas reliquit superstites, eas filijs suis poscit Doxander, fert repulsam, & Athenienses concitat ad impium bellum.

Roma Plebeius consul vnde?

§. 4. Parua etiam res erat quæ cõsulatũ plebi communicauit, quod soror plebeio nupta, ab sorore quæ in patriciam domum venerat, irrisa est: quia ad insolitum lictoris ianuam percutientis sonum expauit, quæ sanè irrisio ad seditionem nullas vires habuisset, si in pacata Reipu. tempora incidisset. At iam præcesserant Tribunitiæ contentiones de consulatu plebi communicandõ, quærebaturq; auctor, qui intermissa certamina instauraret.

§. 5. Suetonius in Augusto refert magni periculi ludicram

Iudicram causam. *Nam cum spectaculo ludorũ gregarium militem in XIV. ordinibus sedentem excitari per apparitorem iussisset, rumore ab obtrectatoribus dilato, quasi eundem mox discruciatum necasset, minimum abfuit quin periret concursu & indignatione turbæ militaris. salutifuit, quod qui desiderabatur repẽte comparuit incolumis, ac sine iniuria.* Philippus Macedo quam parua in speciem causa interijt, quod contumeliam adolescenti factam nõ vindicaret. sed magno ex vitio erat, & errore gubernationis, quod rex bellis intentus, iusti & honesti negligens erat.

Loco imperator electus.

§.6. De Regilliano narrat Trebellius Pollio per iocũ esse factum imperatorẽ. *Nam cum milites,* inquit, *cum eo quidã cœnarent, astitit Valerianus Tribunus qui diceret, Regiliani nomen vnde credimus dictũ? Alius cõtinuo, credimus q̃ à regno. Tũ is qui aderat scholasticus cœpit quasi grãmaticaliter declinare & dicere, Rex, regis, regi, Regillianus. Milites, vt est hominũ genus pronum ad ea quæ cogitãt, dixerunt, ergo põt rex esse? item alius, ergo põt nos regere? item alius, Deus tibi regis nomen imposuit. Quid multa? his dictis, quũ alia die mane processisset, à principibus imperator est salutatus. Ita q̃ aliu vel audacia vel iudicium detulit, huic tocularis astutia.* Ridicula plane principis delignatio, at si statũ Reip. spectes, intelliges plane nihil esse mirũ, de summa rerum tam leuiter actitatũ; ludicra n. militibus res videbatur imperatorẽ facere & occidere: hoc tempus erat quo Gallieno imperante triginta tyranni orbem Romanum lacerarunt. Nec dissimili olim leuitate Claudius protractus, in solium, pauẽs dum mortem expectat, collocatus est. & ante duo manipulares suscepere transferendũ imperium Romanũ, & transtulerũt vt auctor est Tacitus. Proculus ad aleam factus est imperator, cum n. decies exisset imperator, inclamauit vnus. Aue Auguste, & reliqua turba simili væcordia imperatorem salutauit.

Ex scena rex.

§.7. De Magnẽtio Zosimus refert. *Magnẽtius quasi rei necessariæ causa de mensa surgens, quũ perexiguũ ad tẽpus à conuiuio secessisset, eis se rursus amictum stola regia quasi in scena spectandum exhibuit. Ibi cum eum conuiuæ regem appellassent, similiter oẽs incolæ vrbis Augustoduni (quæ hac in vrbe gesta sunt) in eandem sententiam venerunt. Et quoniã rei famatendebat vlterius, extra vrbem rustica quoq; plebs consuebat.* At ægra tũ erat Resp. & militi ex seditione lucrũ, alioqui personatũ regeni irrisisset omnis vicinia. Nũc magnas ille clades dedit, magna potentia grassatus.

§.8. Innumera talia sunt. Ludicro certamine ad castellum Taruisium sub Othone IV. cum Venetũ vexillum laceratum est, ingens seditio concitatur. Florentiæ cum adolescentes Donatus & Cerchius alterum equos turbant ad choreas, magnã ciuitas ex tumultu calamitatẽ accepit. Causæ vero iam præcesserant. Nam Venetorum & Italorum animi exulcerati erant, & Florẽtinorum factiones quamlibet causam sufficientem putabant, inimicos opprimendi. Hæc igitur indicia sunt Reip. pessime constitutæ, cum ad minimum impulsum concidunt, lubrico stetisse loco argumentũ est. Pronæ n. ad lapsum sunt, quæ subducto impedimento, aut addito in alteram partem quouis momento, ruunt.

CAPVT XIII.

Fortuita interdum seditionis causam præbere.

Fortuitæ seditionis causa.

§.1. FOrtuita appello, quæ principum aut populi vitio nõ committuntur, nec natura sua habent vllam rationem cur seditionem concitent. Deo sua cõstat ratio, cur illa inferat, aut esse sinat. Nihil æternæ prouidentiæ, quę capillos capitis nostri ante mũdi constitutionem numerauit, fortuitum est. Nos casu factum iudicamus, quia præter opinionẽ. Seditionum aũt causæ fortuitæ sunt calamitates, vt fames, incendia, eluuiones, aliq; quę animos tristes efficiũt, multuoq; odio imbuũt. Cum n. in Rep. malorum sit maximus numerus, calamitatibus asperantur, & ferociunt, vt agrestes belluæ, non cicurantur. sic irritati in magistratum alios q; facile impetũ faciunt, quamuis non læserunt. Prudentes sane principes id conabuntur, quod faciebat Fabius:

Hos mulcens questus Fabius deforme docebat
Cladibus irasci, vulgumque arcebat ab ira;
Aduersis etenim frangi non esse virorum.

Clades irã, hæc seditiones gignit.

Hebræi in deserto, si Pharao sequiat, si aqua desit, si carnem exoptent, non precibus agunt, sed cõtra Deum Mosemq; murmurant, & cladibus irascuntur; boni aduersis, vt ignibus aurum, probantur, mali vt palæ exuruntur. Huius rei causa est, quod infelices cum impatienter mala ferant, irascantur, comparatione suæ fortunæ felicibus inuideant, tristenturq;. hinc facile cunctis, à quibus non adiuuantur, & præsertim magistratibus indignantur.

Caluiniano rum in fame malitia.

§.2. Inter cætera incommoda, vnde seditiones oriunrur, præcipuũ est fames, cuius rei causa est, quod ea corporibus exinanitis humores cõmouet, maleuolos reddit, & bilioſos. Narrat Lerius in histor. Brasilicæ nauigationis, cum Caluiniana Ecclesia re male apud barbaros gesta, in reditu fame affligeretur, feroces, morosos, iracundos factos. Verba eius sunt pag. 325. *Antequam sermoni huic finem imponam, id obiter obseruare libet, quod in aliis quidem, maxime in me ipso animaduerti, qui binas fames expertus sum, ea sq̃ eiusmodi, vt nullum vnquam horridiores euasisse credam. Corporibus inedia debilitatis, & deficiente natura sensibus alienatis, spiritibusque dissipatis, non modo feroces, sed & morosi & iracundi fiunt homines. Illa porro iracundia merito rabiei genus dici potest. Quo fit vt appositè vernaculo nostro sermone is fame dicatur furere, qui fame premitur. Præterea quoniam experientia res omnes expressius edocet, video non sine causa Deum, populo suo minantem famem, nisi suis pareat præceptis diserte exprimere futurum, vt viri illius qui fuerat mollis, & delicatus, valde malignus sit oculus in fratrem suum, & in vxorem suam carissimam, atq; in filios suos, adeo vt non det vlli ex eis de carne filiorum suorum quam comedat. Nam præter ea quæ hist. Sancer: commemorauimus exempla de parentibus, qui ex liberis suis vnum comederũt, deq; militibus quibusdam, qui postquam cadauera eorũ, qui bello vsi fuerant, degustassent, se decreuisse si malum illud diutius perstrisset, viuis manus afferre, affirmare possum non durãte illa nautica fame vix ac ne vix quidem pacate alii cum aliis colloqui potuisse, licet Dei timore cohiberemur, imo quin (quod Dominus condonet nobis) malignis oculis alii in alios fuerimus.* Hinc igitur amaritudo animorũ, querelæ ac tumultus oriuntur. Ingens Claudio Imperatore fames in Romano imperio fuit, inde Romæ tumultus recenset Dio, *frugum quoque egestas, & orta ex ea fames, in prodigium accipiebatur. Nec occulti tantum questus, sed iura reddentem Claudiũ circumuasere clamoribus turbidis, pulsumq; in extremam fori partem vrgebant, donec militum globo infestosperrupit. Quindecim dierum alimenta vrbi non amplius superfuisse constitit. Magnaq; Deum benignitate & modestia hiemis rebus extremis subuentum. At Hercule olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias cõmeatus portabant, nec nũc infœcunditate laboratur, sed Africam potius & Aegyptum exercemus, nauibusq; & casibus vita populi Romani permissa est.* Hinc immanitas qua sese mutuo vorarunt. Id factum in obsidione Ierosolymitana, cum matres ipsæ liberos coxerunt. Iam Cyri exercitus in Scythia in suos hoc modo sæuierat, & vt Herod. lib. 3. Cambysis exercitus decimum quemque sorte delectum comedit. Seditiosi milites Carthaginensium sola fame domiti sunt, cum ante tamen captiuorum & seruorum corpora absumpsissent. Sabel. Enn. 4. lib. 9. factum hoc etiam Numantiæ, Saguntí,

Fames nimia beluinos efficit.

gunti, Caliguri, Tauromini, Romæ tẽpore Gothicæ obsidionis, & cum inclamarent; *pretium pone carni humanæ.* Eadẽ passa sub Totila, Byzantini quoq; & Placentini, Neuomantini, & Samanduni in obsidione Sinderouiana manus suas ipsi roserunt. Anno 1315. in Polonia factum narrat Cromerus l. 11. Quid mirum igitur seditiones oriri ex fame, cum homines in beluas commutet? Altera causa est, cur ob famem tumultuentur, quia prouidentia principis mature colligi fruges, aut aliunde aduehi posse arbitrantur. Itaque Octauius & Antonius, multique alij ob famem periclitati sunt. Improbi vero ciues ea occasione ad inuadendam Rempub. abusi sunt, vt Sp. Melius, alijque. Prudenter itaque Tiberius, alijque principes annonæ curam in se susceperunt, ne quid per ministros negligeretur.

Nunquam maiore in periculo fuit Senatus vniuersus, quam cum Pompeium nollet præfici classi contra Piratas, plebs enim tanta iracundia exarsit, vt ad delendum Senatum properaret. causa erat quod Piratarum potentia impedita nauigatio famem peperisset. Dio in Pompeio.

Victo principe subditi facile rebellant.

§. 3. Bellicæ clades etiam domesticas seditiones commouent, vel timore, vel contemptu. Cum in castris Mithridatis nunciatum est; duces eius à Lucullo cæsos esse, tantus de repente terror exercitum incessit, vt relicto rege castra egrederentur, sublataque imperij reuerentia ex alieno raperent, quantum quis posset, regis ipsius pretiosam supellectilem diriperent, præfectum occiderent, vt eius pretiosam vestem acciperent.

Propter contemptum timenda semper est seditio principi, si clades bello accepta nuncietur, si grauis sit, periculosa, & reparatu difficilis. Principem enim periculo constitutum, afflictumque infra se putant. Si vero ante oderant, vehementer exultant, iugumque excutiunt. Vrbe à Gallis incensa, contemptu eius Latini alijque bellum mouent. Post cladem Canẽnsem sociæ ciuitates defecerunt, sublata principis auctoritate & metu, odia liberrime prorumpunt, & cum ex aduersa parte sperant, eo inclinant. Facit huc quod Herodotus refert l. 2. de Aprie Ægyptiorum rege à Cyrenensibus victo. *Quum aduersus Cyrenaos Apries exercitu misso magnam cladem accepisset, id ei imputantes Aegyptii rebellauerunt, opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse demissos, vt his internecione deletis ipse cæteris Aegyptiis imperitaret securius. Hæc perquam grauiter ferentes tum ii qui redierunt, tum eorum qui interierant amici, ingenue desciuerunt. Id vbi resciuit Apries, mittit ad eos verbis sedandos Amasin. Qui cum peruenisset, reprehendensque dissuaderet, ne talia facerent, quidam Aegyptiorum ei à tergo stans galeam circundat: eaque circundata, inquit se illam ob regnum imposuisse. Neque hoc eo inuito factum fuit, vt ostendit. nam simulatque ab iis qui desciuerant, Aegyptiis declaratus est rex, sese apparabat tanquam aduersus Aprien moturus. His cognitis Apries mittit ad Amasin ex iis, qui secum erant Aegyptiis, spectatum quendam hominem nomine Patarbemin, iussum vt ad se viuum Amasin perduceret. Hic vbi peruenit, Amasin ad se vocat. Amasis (sedebat autem in equo ad suos cohortandos insolenter) stolide iubet hunc ad se adducere Aprien, & cum Patarbemis eum rogaret, vt regem adiret, accitus; respondit se iam dudum dare operam vt id ageret: nec de seipso Aprien esse questurum, se enim illi præsto futurum, & alios adductarum. Patarbemis non ignarus propositi illius, tum ex oratione, tum ex apparatu quem videbat, statuit suæ diligentiæ esse, quam celerrime regem rerum quæ agerentur facere certiorem. Huic redeunti, quod Amasin non adduceret, nullo verbo edito Apries ira percitus, præcidi aures nasumque iussit. Id intuentes ceteri Aegyptii, qui eum eo hactenus senserant, virum inter eos probatissimum ita fœde indigneque affectum, ne tantisper quidem differentes ad cæteros transierunt, seseq; Amasi tradunt. His quoque auditis Apries armatis auxiliariis (habebat autem circa se auxiliariorum ex Iombus & Caribus triginta millia) in Aegyptios tendit. Erat autem ei regia in vrbe Sai ingens ac spectatu digna. Itaque vtrique aduersus alteros Apriani & Amasiani in Memphi vrbe constiterunt, tentaturi pugnæ discrimen.*

Clades causa seditionis

CAPVT XIV.

Ordo & via seditionum concitandarum.

Malorum fraudes principibus cognoscendæ sunt.

§. 1. ARtem concitandæ seditionis docere, cum tanta improbitas magisterio non egeat, hominis insani arbitror, quæ autem historiæ suppeditant, quæque noscenda sunt principibus proponere in medium, politici; sic enim signa seditionis, & prognostica indubia cognoscet, & cum eo tendi sentiet, mature occurret. Cum igitur vel populus ipse, vel optimates, vel vnus aliquis è turba ea agit, quæ multitudini vel optimatibus odium præsentis status incutiunt, vel ostendunt, non est res seditione procul. Quæ plerumque non creditur, nisi cum sæuire cœpit. Et quidem cum populus ipse ad tumultum propendet, non potest esse clam machinatio, verba enim libera & inconsiderata cum attentione, & applausu audita in proceres, aut principem indicant alienos populi animos, aliquid ausuros si auctorem sint nacti. Cum Mimus illa repetere iubetur, *Magne, miseria nostra tues*, quis dubitet iam fauorem à Pompeio in Cæsarem trãslatum, & occasione data Pompeium deferendum, at cum priuatus quispiam, aut procerum res nouas molitur, secreta consilia agitat, nec cognoscitur proditio, nisi cum omnia comparata, atque ordinata sunt.

Populi seditio multa signa habet.

§. 2. Qui igitur populum procereſve ad seditionem commouere conantur, id faciunt, vt in odium magistratum inducãt. Deinde quia odium cum spes & metus abest, elangueſcit; nihil enim magnopere præter conuitia audet, metum pœnarum demunt, metum vero, si quieſcant, multorum incommodorum inijciunt. Denique spem rerum meliorum adferunt, animos leues inanibus implent. Interdum etiam pecunias proditionis præmia repræsentant.

Odium quo modo excitent.

§. 3. Odium magistratus conciliant, vera narrando, calumniando. Calumniarum duplex genus est, vel enim artificioſe falsa confingunt, vel illa quæ vera sunt supra modum adaugent.

Periculosissima est seditio cum ex veris nascitur malis, nunquam enim nisi alterutrius partis exitio finitur, aut mutatione Reipub. Scriptura exemplum exhibet, 3. Reg. c. 12. Queruntur enim vere: *pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui, & de iugo grauissimo quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Nec diffitetur Roboam. *Pater meus aggrauauit iugum vestrum.* Factum id à sene, cum sumptus in septingentas reginas, & trecentas concubinas immodici fierent. Hic itaque facile Ieroboam decem tribus abduxit, & vt defectio sanguine sanciretur, lapidibus obruitur Aduram, quæstor Roboami. Et reuera vt plurimum ex vero principio, verisque malis seditiones oriuntur, vt illa, quę de causis seditionum docui, demonstrant. Nam vel reges improbe & tyrannice grassantur, vel subditi inique bonis regibus obsistunt.

Vltio semper augetur

Hocvero pessimum est, quod cum seditio in principio sanari possit, paruo tempore, dum mali vitandi vel vleiscendi non est modus, iniuria augetur. Atque ita dum vtraque pars non ratione, sed ira vltionem expedit, grauius semper infert malum, quam patitur. Quod ideo fieri solet, quod ciuilis iniuriæ vindicta duas res præstare videtur, nempe solatium ei, qui iniuriam

iniuriam accepit, & in reliquum securitatem. Primum semper præstat iratis, non alterum. Primum quidem quia dulce est reddere. In ira est enim mistio doloris; & voluptatis. Excusatum se putat qui dolorem regerit, etsi maiorem quam accepit. Vere & philosophice Hom. illud.

ὣς ἔρις ἔκλε θεῶν, ἔκλ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,
ἣ χόλος: ὅτ' ἐφίηκε πολίφρονα περ χαλεπῆναι.
ὅς ῥ' πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο,
Ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται ἠύτε καπνός.

At contentio & ira à Deû, hominibus pereat,
Quæ sapientem etiam excandescere cogit,
Quæ multo dulcior est melle stillante,
Virorum in pectoribus fumi instar crescens.

Iniurias igitur non æquali pondere pensant, sed dolorem dolori, vt quasi legem talionis æquauerint, pro offensa maiorem ingerunt. vt qui pilam exceptam repercutiunt, fortius repellunt, impetu venientis adiuti, adeo hoc visum multis, vt vindictam morte bene quæri putent.

Dij me etsi perdunt, tamen adiutum esse expetunt,
Quod priusquam intereo, spacium vlciscendi dabunt.

Malum igitur hoc dulce est, & vsu augetur, & quamuis *verbum inhumanum est vltio*; res tamen maxime appetitur, & supra modum excrescit. Hinc non barbarorum modo populorum, sed cultissimorum mos est vlcisci, adeo non distant ab illis quos procul omnis iuris humani societate proxima beluis vitia efferarunt. Inter leges & Magistratus sui quisque doloris vindex est, & assiduæ scelerum cautelæ refellunt, dum vltio crimen non tantum imitatur, sed exsuperat, dum omnes quos læserunt, & à quibus læduntur, oderunt. Alterum vero, hoc est, securitatem raro adfert, quia victus raro quiescit. Et vidimus in orbem iusse cædes, donec ad exteros potestas delata sit.

Improuisæ seditiones infestæ sunt

§. 4. Interdum opus est arte summa, & industria, vt præuideri defectio possit. Ions qui Asiam habitabant à Dario subito defecerunt, contractis in Græcia & Athenis præcipue auxilijs, Sardes incenderunt. Causam defectionis dedit, Darij securum, vt videbatur, sed iniustum consilium; Iones in Phœniciam transferre, Phœnices in Ioniam cogitarat, vt sic Græcos a Græcorum consuetudine & συμμαχία diuelleret, & in medio aliam gentem neutri amicam collocaret. Hoc Istiæus Græcus cum in Persida intellexisset, raso nuncij capiti literas inussit, quibus rem indicat Aristagoræ Græcorum duci, ille raso iterum nuncij capite, cum literas legisset, atrox bellum quasi pro aris & focis molitur. Hanc seditionem alia ratione præuidere non poterat, quam suspicando propositum suum tacitum non fore. & Aristagoras quidem interfectus, Istiæus in crucem actus, gentium tamen migrationem perficere Darius non potuit.

Calumnia instar nouacula concordes animos discindit.

§. 5. Calumnias aperte serunt, vt quietos sollicitent, Seditionesque concitent. Exemplum datum à Tarquinio Superbo in concilio Latinorum: In Aureliano cum scriba scedulam ostenderet, cui nomina morti destinatorum inscripta diceret. Manifesta etiam calumnia patrem circumuenit Absolon 2. Reg. 15. *Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat, constitutus à rege.* Dicebatque Absolon. *Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniat omnis qui habet negotium, & iustè iudicem.* Cum tamen à Dauide iustitiæ summa ratio duceretur. Ita Valerius ob ædes exstructas in suspicionem regni affectati venit, nec diluere nisi demolitione calumniam potuit. Aulus Albinus ob suspiciones falsas, quas sparserant inimici, lapidatus est ab exercitu. Val. l. 9. c. 8. Nimium sunt ista iam nostris temporibus vsitata, quibus omnia principum acta ac dicta in peius accipiuntur.

Olim exemplum eorum qui reges insectabantur, & seditionem mouebant, Thersiten proposuit Hom. Hostes quoque cum verbis calumniari non possent, reipsa viris fortibus obtrectarunt. Coriolanus plebeiorum agros vastabat, patriciorum intactos relinquebat, vt discordias notas accenderet. Hannibal quoque Fabij Maximi agris abstinuit, vt eum suspectum redderet, sed is calumniæ vim ægro publicato elisit, non fecerunt ista Romani sine exemplo. Lacones Periclis agros intactos reliquerunt, vt ei inuidiam suspicionemque proditionis crearent. Sed ille Reipubl. dono eos dedit, quare magnam laudem consecutus, fidem magis populo Athenienſi approbauit.

Calumniæ genus est exaggeratio vitiorū.

§. 6. Aliud genus calumniarum est, cum omnia in maius attolluntur, quæ vitiosa sunt, aut videntur, & quæ bona, in deterius accipiuntur. Id adeo Romæ in Tribunis plebis manifestum euadit, vt alio documento non sit opus. Nihil vnquam tam plausibile ab Senatu Romano factum, quam cum militi stipendia decreuit, nihil tanto gaudio acceptum: concurrunt, laudant, manus prensant, vere patres appellatos aiunt. Quid Tribuni? Soli communis ordinum lætitiæ, concordiæque expertes *negare tam id* (Liuius l. 4.) *lætum patribus vniuersis, nec prosperum fore quam ipsi crederent, consilium specie prima melius fuisse, quam vsu apparitur um. Vnde enim eam pecuniam conficī posse, nisi tributo populo indicto? ex alieno igitur aliis largituros. neque id etiam si cæteri ferant, passuros eos, quibus iam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare, quam ipsi militassent: Et eosdem in stipendia impensas feciſſe, & in aliorum facere.*

Cum vero etiam in Veienſi obsidione hyemandum audirent, omnia adaugent, atque in peius detorquent. *Hoc illud* (Liuius l. 5.) *esse dictitantes, quod æra militibus sint constituta. nec se fefelliſſe, id donum inimicorum veneno illitum fore. Venisse libertatem plebis: remotam in perpetuum, & ablegatam ab vrbe & ab Republica iuuentutem: iam ne hyemi quidem aut tempori anni cedere, ac domos & res inuisere suas. Quam putarent continuatæ militiæ causam esse? nullam profecto aliam inuenturos, quam ne quid per frequentiam iuuenum eorum, in quibus vires omnes plebis essent, agi de commodis eorum posset. Vexari præterea & subigi multo acrius, quam Veientes. Quippe illos hyemem sub tectis suis agere, egregiis muris, situque naturali vrbem tutantes. militem Romanum in opere ac labore, niuibus pruinisque obrutum sub pellibus durare, ne hyemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terra marique sit quies, arma deponentem. Hoc neque reges, neque ante tribunitiam potestatem creatam superbos illos consules, neque triste dictatoris imperium, neque importunos decemviros iniunxisse seruitutis, vt perennem militiam facerent, quod tribuni militum in plebe Romana regnum exercent, quidnam illi consules dictatoresve facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sæuam ac trucem fecerunt? Sed id accidere haud immerito. non fuisse ne in octo quidem tribunis militum locum vlli plebeio. Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: nunc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire: & ne in turba quidem hærere plebeium quenquam: qui, si nihil aliud, admoneat collegas, liberos, & ciues eorum, non seruos militare, quos hyeme saltem in domos ac tecta induci oporteat, & aliquo tempore anni parentes liberosque ac coniuges inuisere, & vsurpare libertatem & creare magistratus.* Quid potuit turpius esse, quam cives ita contra ciuium concordiam insanire? sed factum, nec à patribus dissimulatum est. Horum enim calumniatorum naturam natiuis coloribus nobis Appius depingit: *Si vnquam dubitatum est, Quirites, vtrum tribuni plebis vestra, an sua causa seditionum semper auctores fuerint, id ego hoc anno desisse dubitari certum habeo, & cum lator tandem longi erroris vobis finem factum esse, tum quod secūdis potissimum vestris rebus hic*

error

error est sublatus, & vobis, & propter vos, Reipubl. gratulor. An est quisquam qui dubitet, nullis iniuriis vestris, si quæ forte aliquando fuerunt, vnquam æquè quam munere patrum in plebem, cum æra militantibus constituta sunt, tribunos plebis offensos ac concitatos esse? Quid illos aliud, aut tum timuisse creditis, aut hodie turbare velle, nisi concordiam ordinum? quam dissoluendæ maxime tribunitiæ potestatis rentur esse. Sic Hercule, tanquam artifices improbi, opus quærunt qui & semper agri aliquid esse in Republ. volunt. vt sit ad cuius curationem à vobis adhibeantur. Vtrum enim defenditis, an impugnatis plebem? vtrum militatium aduersarii estis? an causam agitis? nisi forte hoc dicitis: Quicquid patres faciunt, displicet: siue illud pro plebe, siue contra plebem est. Et quemadmodum seruis suis vetant domini quicquam rei cum alienis hominibus esse, pariterque in iis beneficio ac maleficio abstineri, æquũ censent: sic vos interdicitis patribus commercio plebis: ne nos comitate ac munificentia nostra prouocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens atq; obediens sit. Quanto tandem, si quicquã in vobis esset nõ dico ciuilis, sed humani, fauere vos magis: & quãtũ in vobis esset, indulgere potius comitati patrũ atq; obsequio plebis oportuit? quæ si perpetua concordia sit, quis non spondere ausit, maximum hoc imperium inter finitimos breui futurum esse? Hos tanquã pestes è Republica eliminandos esse nemo dubitat: Causa vero est, quia optimi principes habent etiam multa emendanda, multa peccant eorum administri, plura peccare videntur, nonnulla ipsi principes; quæ si omnia colligantur, exaggerentur, siniſtro animo intelligantur, maleuolæ linguæ veneno inficiantur, necesse est Remp. concidere.

§. 7. Calumniæ quidem ad odium concitandum efficaces, verum interdum ijsdem metum efficiũt, vt in morte Aureliani. Sosis Syracusanus hac arte cõtra Dionem insidias, tumultumq; machinatus est. Sanguine fœdatus, & voce lamentabili se in multitudinẽ dedit, *ea se passum à Dione asserens, ea omnia omnibus exspectanda*; & seditio tum quidẽ cõposita est, auctor postea Athenis pœnas dedit. In eundẽ metum iam olim populũ Athenienſem Pisistratus cõiecerat, vt n. Megaclem & diuites opprimeret, in cõcione grauiter in eum est inuectus, altero die vulnerib. affectus venit, quæstus se ab optimatibus tam iniurioſe & cõtumelioſe tractatum. Populus irâ, metuq; agitatus, cum omniũ corporib. eam imminere sæuitiã crederet, trecentos Pisistrato Satellites dedit, ad vitæ tutelã, quibus ille tyrannidem occupauit. Eodẽ metu Dionys. satellites impetrauit, & inuasit. Cum n. metus efficacissimus sit affectus, quiq; sollicitos, suspicioſosque faciat, facile illo ad seditionem vtuntur.

Omnia principis impedire, via est ad seditionem.

§. 8. Omnibus in rebus aduersantur, ne quo cunque modo aduersa pars fortior reddatur. Herodian[9] de Antonino Caracalla, & Geta id ostendit. *Sed gliscebat in dies odium atq; discordia. Nam siue duces ac magistratus aliqui eligerentur, vterq; amico suo potissimum suffragabatur: siue ius diceret, semper diuersa sentiebant, magno interdum illorum periculo, cuius res agebatur. Pluris enim studium suum, quam ius aut æquum faciebãt; etiam in ludis ipsis diuersarum semper factionum. Nihil præterea insidiarum omittebant, coquos identidem & pincernas conati ad veneficia impellere.* Hoc pene perpetuum fuit Tribunorum Romanorum opus, delectus, magistratus iudicia inhibere.

Rempublicam in discrimen cõiiciunt vt odioſos reddant reges.

§. 9 Sceleratius agunt, qui Rempub. & exercitum in discrimen adducunt, vt odioſos efficiant magistratus, atque euertãt, qua fraude Philippus Gordianum Iuniorem, vt auctor est Capitolinus, imperio vitaq; exuit. *Verum artibus Philippi primum naues frumentariæ sunt auersæ: deinde in ea loca deducti sunt milites, in quibus annona haberi non posset. Hinc Gordiano infestos milites statim reddidit, non intelligentes artibus Philippi iuuenem esse deceptum. sed Philippus etiam addidit, vt rumorem per milites spargeret, adolescentem esse Gordianum, imperium non posse regere: melius esse illum imperare, qui militem gubernaret, qui Rempublicam sciret. Corrupit præterea etiam principes, effectumque vt palam Philippus ad Imperium poscretur.* Eodem modo Stilico barbaris pepercit, vt filium ad Imperium eueheret.

Cum viri magni id agunt vt inclarescãt.

§. 10. Cum hominem prudentem, gnauum, acrem, hoc agere cernunt, vt inclarescat, sumptu prodire, clientes ducere; cum id non prodigalitate faciat, aut vecordia, certo statuere debet magistratus maius aliquid his cœptis strui. Ita Cæsar egit. Plutarch. in Cæsare. *Ad hæc cœnarũ & mensæ, & in summa reliquo vitæ splẽdore colligebat paulatim in Republ. opes: quas inuidi eius breui existimãtes deficientibus sumptibus euanidas fore, securi inclarescere illum in Repub. permisere: sero autẽ vbi euasissent iam ingẽtes & prævalidæ, atq; apertè in rerũ mutationẽ sensẽrũt eas erumpere, animaduertunt nullum censendum esse rei alicuius paruum exordium, quod nõ illico grande reddat continuatio, quodque ex eo & contemnatur, assequitur ne impediatur. Itaq; ille, qui primus suspectã habuisse & timuisse eius in Repub. gerenda, sicut in mari serenitatem & latentem sub humanitate, blanditiaq; cõsiderauit acrimoniã, Cicero, dicebat in aliis eius cœptis & actionibus considerare se omnibus ingenium tyrannicum: sed cum comam eius, inquit, ita videam compositã accuratè, ipsumq; vno digito caput scabentem, contra non videtur iste mihi tantum mali animo concepturus, vt Romanam Rempub. euertat.* Hæc quoq; veterum ars fuit; Manlius debitores liberauerat, & fauorem iacturâ opum coemerat, quas occupatâ Repub. se recepturum cogitabat, Spurius lege agrariâ populum adsciuit, Melius largitione; egregij omnes animi, & imperio non indigni, sed futuri forte reges lectissimi, si absque scelete ad sceptra venire potuissent.

Largitio via efficax ad regnum.

§. 11. Præter spes ingentes etiã nummos spargunt. Herodian[9] in Elagabulo. *Dabat utẽ furtim pecunias mater, quas ille inter milites clanculum diuideret, vt eorum beneuolentiam etiam pecuniæ pignore (hanc enim illi potissimum spectant) haberet auctoratam.* Multi Romanorum vt in seditione primas tenerent, partesque premerent aduersas, patrimonia effuderunt. M. Liuius Drusus Tribunus plebis, Senatui iudicia, equitibus curiã, agros plebi, Latinis ciuitatem promisit, adeo vt diceret, *nihil se ad largitionem cuiquam reliqui fecisse, præter cœlum atque cœnum.* Aggrippa etiam in suspicionem venit, quod populo multa largiretur, Romam ornaret, oleum & salem omnibus daret. Seianus muneribus ciuium, & præcipuè militum animos tentauit. De illis qui pecuniâ ciues, hosteſque superarant, longa est, nec necessaria disputatio, pecuniæ homines dant omnia. Seleucus cum centum talenta in caput Theodoti, qui Sardium thesauro præerat, pronunciasset, iam omnia plena suspicionibus essent, ipse Theodotus arcem illi aperuit. Cum enim videret pecuniam fide valentiorẽ esse inter suos, aduerteretque inter bella ciuilia se tutum non esse, maluit ipse & totum thesaurum, & se ipsum tradere, quam honestè mori, & fidem suo principi probare.

§. 12. Pacis studium præ se ferre solent, vt mollius omnia accipiantur. Tacit. *Paucis post Kalend. Ian. diebus Pompeii Propinqui procuratoris, è Belgica litteræ afferuntur, superioris Germaniæ legiones, ruptâ sacramenti reuerentiâ, imperatorem alium flagitare, & Senatui ac Pop. Rom. arbitrium eligendi permittere, quo seditio mollius acciperetur.* Vidimus Galliarum, Belgij, Boemiæ rebelliones, nihil mollius, nihil pictius, aut fucarius dici vel agi potuit; reges se suos amare, obtemperare omnibus, contra occultos hostes agere, regiam maiestatẽ omnibus velle defensam, *pro Rege, & lege*: inscribebant vexillis. At neq; Cæsar aliud q̃ Reip. salutem, neq; aliud Pompeius præferebat. Et merito militib. exprobrat Cato.

Pompeiana fuisti
Non Romana manus.

§. 13. Impudens quoq; multorũ audacia se ad concitãdas gentes extulit, dum gratioſæ & claræ familiæ

sese

Magnis familijs se inserunt.

sese inserunt. Smerdes Cyri filium se finxit, fratrem Cambysis quem ille interfecerat, & odio Cambysis, qui crudelissimè imperauit cupidè acceptus est: donec deprehensâ fraude à septem magnatibus interfectus est. Herod. lib. 1.

Eodem modo Prompalus à ciuitatibus adiutus est, quem Antiochi Epiphanis filium esse finxerunt, qui adeo increuit, vt Demetrium Soterem occiderit, & nisi fortunæ benignitate corruptus, intemperantius egisset, diu obtinere regnum potuisset. Simile genus fraudis Archelaus, Andriscus, Anarhates, Alexander, Herophilus, Chamaces, falsi Nerones, Scriboniani, Commodi, Frederici, Henrici, Richardi. Verum non facile illis creditur, nisi jam mutatio ametur, itaq; ea pericula incumbunt, cum odio est præsens Reipubl. status: Hic quoque curandum, ne potentiâ inualescant, sic enim magis opinionem firmant, & quibus lucro ille error est, eum etiam scientes volentes tutantur, atq; defendunt.

§. 14. Quædam Reip. ita institutæ sunt, vt motus ciuiles facilè non capiant, vt Chinenses; Neque enim populus mouere se facilè potest, oppressus gubernatorum ingenti potestate; neq; ipsi qui præsunt Mandarini; nam è vulgo sunt; deinde manu militari carent. Tertio ministros habent à Rege attributos, magistratus militares subsunt ciuilibus. describit hæc in Thesauro Indico Iarricus noster T. 2. libr. 2. *Tertium quod ex hac Reipublicæ forma nascitur bonum, quod bella ciuilia, ac motus intestini, qui hinc inde insurgent, penitus hæc præsecentur, ac tollantur. Regij quippe filij, ac fratres, regno inhiando nullos excitare queunt. nam quamuis lautè habeantur, loco tamen quo relegantur, propositâ capitis pœnâ, pedem efferre nefas, nisi Regis impetratâ, quam nunquam ille dabit, facultate. Nullis adhæc rebus præsunt, sed Mandarinis solis commissum imperium; nec his motus aliquos excitare facilè est. nam qui perpetui sunt, & militares, Togatis subditi sunt, atque hi non nisi trienne habent imperium. Quoniam verò doctrina plerunq; ac virtute ad hoc honorum culmen pertingunt; cum plebei ac viles plerique sunt, idcirco amicorum, consanguineorumve niti ope nequeunt: &, si fortè affines instarent, aut animos suggererent elatiores, incassum id foret. Semper enim in extero solo Mandarini constituuntur. Porrò ita à se inuicem distincti sunt, vt, qui rebus bellicis præsunt, politicis ciuilibusq; se non immisceant; qui verò Rempublicam curant, nullam regii ærarii curam habeant; Præfecti autem ærarii, de rebus tum vrbanis, tum bellicis non laborent. Denique quod Magistratibus alios sibi adscisere ministros non liceat, quam quos REX attribuit; hinc nulla motuum occultorum, aut bellorum ciuilium excitandorum, ansa cuiquam datur.* Veruntamen ea ratio, vt in China jam probata, longâ pace laudatur, ita in Europæis, Asiaticis, & Africanis regnis omninò est inutilis, imò valdè pnicios̃a. Nam hâc formâ Reipublicæ constituta nemo, vir alicujus ingenij & prudentiæ se ad militiam confert. hinc viribus suis nequaquam tuti sunt. Documento est, q̃ Japones quorum opes centesimam partem Chinensium non adæquant, collectis centum quinquaginta hominum millibus regnum aggressi sunt, & quamuis accepta clade repulsi sunt, nemo tamen non videt, quanto in contemptu sint Chinenses, si rem militarem spectes, q̃ insulsæ illius Dominus classe tantum regnum aggredi ausus est, & obtinere se posse putauit. Quæ spes non minus stolida esset & improba, q̃ si Britanniæ Rex virib. insularum suarum totam Europam sub vno rege concordem in suam potestatem redigere se posse confideret. Imbelles ergo Chinenses facit forma Reipublicæ, & si vnus aliquis acri vir ingenio proximorum regum auxilio rebellaret, facile Chinam occuparet, vel diuelleret. Non itaque ea Respublica magnopere laudanda est, quæ est seruorum & quasi fœminarum, certè imbellium, ideò bellatricibus gentibus obnoxiorum.

Chinensis Reipublicæ quies.

China in periculo.

§. 15. Aliæ sunt vel suis legibus, vel populi consuetudine ita institutæ Respublicæ, vt facili momento sursum deorsum ferantur, vt Ægyptiorum regnum. Populi ergo ingenium cognoscendum: quidam nanque ita affecti sunt, vt absq; seditione agere non possint, nec velint. Trebellius Pollio de Ægyptijs testatur. *Et hoc familiare est populo Ægyptiorum, vt vel furiosi ac dementes de leuibus quibusque ad summa Reipublicæ pericula perducantur. Sæpè illi ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem & olera sequestrata, calceamenta seruilia, & catera talia, vsque ad summum Reipublicæ periculum, eo seditionis, ita vt armarentur contra eos exercitus, peruenerunt. Familiari ergo furore, quum quodam die cuiusdam seruus curatoris, qui Alexandriam tunc regebat, militariter ob hoc casus esset, quod crepidas suas meliores, quam militis esse diceret, collecta multitudo ad domum Æmiliani ducis anceps fuit, atque eum omni seditionum instrumento & furore persecuta est, ictus est lapidibus, petitus est ferro: nec defuit vllum seditionis telum. Quare coactus Æmilianus sumpsit imperium, quum sciret sibi vndecunque pereundum. Interim Iudæi, qui circum Cyrenem habitabant, Andrea quodam duce, Romanos, pariter atque Græcos concidunt, vescuntur eorum carnibus, intestinis se redimunt, tum oblinuntur eorum sanguine, & pellibus induuntur. Multos à vertice serris discidêre medios, multos obiecêre bestiis, multos etiam certare inter se coëgerunt, ita vt interierint hominum ad ducenta viginti millia. Præterea in Ægypto Cyproq; Artemione duce Cypriorum cades consimilis facta est, vbi desiderata sunt hominum ducenta quadraginta millia. Ex quo fit vt Iudæo in Cyprum venire non liceat. Quod si forte vi tempestatis in insulam appulerit, interficitur, sed Iudæi & ab aliis, & maxime à Lucio, quem Traianus miserat, subacti sunt.* Sui igitur populi naturam, & mores nosse Principem oportet.

Genius populorum quorundã seditiosus.

Crudeles seditiones.

CAPVT XV.

Remedia contra seditiones, & bella ciuilia.

§. 1. REmedia omninò duplicia sunt, alia enim sunt procathartica, quæ causas amoliuntur, & præseruant; alia quæ rebus agitatis in medio feruore adhibentur. Prioris generis sunt, ea quæ de recta institutione jam dicta sunt; si enim illa seruentur, nec oriri facile tumultus, & parua opera sedari poterit. Si enim auctoritatem, potentiamque tueatur Princeps, si saluti subditorum consulat, facile quietam Rempublicam legibus temperabit. Hinc pertinet seditionum, causarumque tumultuandi enumeratio, vt earum consideratione, prudens Magistratus suam vrbem reddat immunem illis malis, quibus alias vidit periisse. Verum quandoquidem vel ex natura deprauata populi, vel quorundam vitijs etiam sanctissimis, justissimisq; Magistratibus insidiæ struuntur, de illis cauendis, & pace reuocanda agendum est.

Remedia seditionum duplicia.

§. 2. Primum ac tutissimum remedium est, initijs occurrere; hic enim planè,

Serò medicina paratur,
Cum mala per longas conualuêre moras.

Primi motus remedijs modicis consident, cum impetum fecêre, cuncta deuastant. Et constat facilius esse excludere pernicios̃a, quàm regere; & non admittere, quam admissa moderari; admissa tamen initio cum parua sunt, & necdum se in quieta possessione posuerunt, facile se recidi patiuntur. Causa cur initio facile corrigantur omnia, est; quia plures non corripuit contagio; deinde pauci, qui auctores sunt, omnia timide administrant, multi causas ignorant, & per vecordiam se adjungunt. Vt in causâ S. Pauli,

Initiis obsta

Seditio initiis ferè est inualida.

cum Ephesina ciuitas impleta est confusione, & plures nescirent, quâ ex causâ conuenissent, & clamant tamen duas horas; *Magna Diana Ephesiorum.* Quam facile tantos motus compescit scriba? Act. 19. 35. *Viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse Magnæ Dianæ, Iouisq; prolis?* *Cum ergò his contraduci non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere. Adduxistis enim homines istos, neq; sacrilegos, neq; blasphemantes Deam vestram. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia poterit absolui.* Nisi principio occurrisset magistratus, ad cædes & rapinas deuentum esset, tum verò metus quæstionum & judiciorum in plura mala eos præcipitassent. Plerasq; seditiones initio oppressas historiæ docent, cum n. in singulos Imperatores, Regesq; multæ conspirationes initæ, insidiæq; structæ fuerint, non tamen nisi vltimis è medio sublati sunt, plurimas itaque suppresserunt. Verbo periculosissimam seditionem Spartani sedauerunt. Parthenij signum statuerant, vt lutum in medio foro projicerent, ad tumultum inchoandum, Ephori re cognita, per præconem pronunciari jusserunt. Qui lutum tollere vultis è foro discedite. atque ita seditio dissipata est. Polyæn. libr. 4. Si lutum tollere cœpissent, internecione Magistratuum, ac Reipub. tumultus ille grassatus fuisset.

Interdum cedendum est necessitati.

§. 3. Omnibus quidem tumultibus statim medendum est; non autem mox impetu occurrendum, qa cum obsistitur malo, q̃ vinci non potest, irritatur & longius grassatur. Cum populus in motu & furore est, curanda sunt q̃ sedant, molliterq; interrogandi. ita in secessione Romana factum. Nec aliud in singulis consilium. Cæsarem jam legionibus subnixum, magistratib. emptis securum, populo gratum, Pompei, & Crassi conspiratione validum, irritare non oportebat, sed permittendæ illi vires, quas detrahere non poterant. Tiberius cautè, & sensim Sejanum aggreditur. Nicolaus Vtranus contra Cosmum Mediceum jam roboratum quicquam agi vetat. Itaq; seditio cum magna causa feruet, vel cum p moram roborata est, non machinis, sed cuniculis est oppugnanda. Pulchrè Seneca. *Medicum aiunt, cum Regis filiam curare deberet, & non sine ferro posset, dum tumentem mammam leniter fouet, scalpellum spongiâ tectum induxisse. repugnasset puella remedio palam admoto: eadem quia non exspectauit, dolorem tulit, quæ clam non nisi decepta sanatur.* Id in seditione cruda agendum, cum magnas tumultuandi causas habent, aut habere sibi videntur. Plebis enim primus impetus cauendus est, mox vbi ille consedit, metu singuli diffugiunt, nemo alteri fidit, omnes de salute solliciti sunt.

Cuniculis oppugnanda valida seditio.

Nihil in seditione periculosius, quam dare tempus se confirmandi.

§. 4. Hac tamen in re nihil periculosius, q̃ tarditate & negligentia dare tempus consilia conferendi, sese firmandi, auxilia contrahendi, & q̃ ad spem veniæ frangendam plurimum facit, & quieti ac paci impedimento est, peccandi; quo enim longius p̃grediuntur, eo grauius delinquunt, quia sui tutandi causa pl⁹ alijs nocent. Hac etiam lentitudine, dum p̃aris & focis digladiantur, audaces redduntur, & periculorum contemptores, atq; omninò militares, quapropter non nisi magnis impensis, bellisque ad officium cogi possunt. Cæsar monuit, periculosa & magna gerenda esse, de illis non consultandum, quod de seditionib. maximè dicendum est. Hic sanè locum habet illud: *Impetum, quo velocior est, eo valentiorem esse.* Hinc in Capitolio, in foro, in ipso concursu populi occisi sunt à Romanis seditiosi: nec contra vim judicia sederunt, sed strictum est ferrum.

Spes danda veniæ seditiosis.

§. 5. Nunquam rebellantib. desperatio injicienda est; *qui sperat nihil, desperat nihil*; audet omnia; potiora omnia putat, q̃ cum ludibrio, & inimicorum insultatione perire, semper periculosa est desperatio, post q̃ enim salutem despondit, exitij solatia quærit, comitesque mortis. Eo igitur modo seueritate vtendum est, vt non vana spes resipiscentibus ostendatur. Tam atrocibus bellis Romana Respublica est jactata, qa victi in misericordia victoris nihil repositum habuerunt præsidij. Reparant bellum in Africa, in Hispania, in Pharsalia, in Sicilia, quia trahere per infelicia bella animam maluerunt, q̃ ouium ritu mactari. Mariana & Syllana tempora recordabantur. Benignitate conspirationem vicit Alexander Seuerus. Narrat facetam historiam Lampridius: *Quum quidam Quintius Camillus Senator antiquæ familiæ delicatissimus rebellare voluisset, tyrannidẽm affectans, eiq; nuntiatum esset, ac statim probatum, ad palatium eum rogauit: eiq; gratias egit, quod curam Reip. quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet: deinde ad Senatum p̃cesit, & timentem ac tanta conscientia tabe confectum participem imperii appellauit, in palatium recepit, conuiuio adhibuit, ornamentis imperialibus & melioribus quam ipse vtebatur, affecit. Et quum expeditio barbarica esset nuntiata, vel ipsum si vellet ire, vel vt secum proficisceretur hortatus est. Et quum ipse pedes iter faceret, illum inuitauit ad laborem. quem post quinq; millia cunctantem, equo sedere iussit: quumq; post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpento imposuit. Hoc quoq; seu timore, seu vere respuentem, quin etiam imperium abdicantem, & mori paratum dimisit: commendatumq; militibus, à quibus Alexander vnicè amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit, in quibus diu vixit.* Pari modo Athenarum tyrannus seditiosos amicos reuocauit. Pisistratus cum amici ab eo recessissent, cum stragulis ad eos venit, mirantibus dixit; se ideò venire, vt si p̃suaderet, reduceret eos, sin autem; cum illis maneret. Rectius omninò Seuerus, quam si in hominem delicatissimum, & laboris ignarum sæuijsset. Pericula enim & metus additis aliorum consilijs, exemplisq; ignauos quoq; excitat; Otho mollis erat, & perditus delicijs, fortiter tamen pugnat, & sua manu mortem peragit, non fortiter quidem, sed obstinatè tamen, ostendensq; quid porro agere posset tam paratus mori. Sardanapalus etiam, luxuriæ exemplum, regiæ ardentis flammam non expauit. Ad desperationem itaque redigendi non sunt, etiam inermes, spoliatis arma supersunt, & si illa desint, furor arma ministrabit, q̃ si furor deferbuerit, in vltionem alij accendentur. Campani ciuis oratio hoc satis ostendit. Liu. l. 26. Vbium Virium sic loquentem inducit. *Quid vos, inquit, eam deditionem fore censetis, qua quondam, vt aduersus Samnites, auxilium impetraremus, nos nostraq; omnia Romanis dedidimus? Iam è memoria excessit, quo tempore, & in qua fortuna à populo Romano defecerimus? Iam quemadmodum in defectione præsidium, q̃ poterat emitti, per cruciatum & ad contumeliam necauerimus? quoties in obsidentes, quam inimici eruperimus? castra oppugnauerimus? Annibalem vocauerimus ad opprimendos eos? hoc quod recentissimum est, ad oppugnandam Romam hinc eum miserimus? Age contra, quæ illi infeste in nos fecerint repetite, vt ex eo quid speretis, habeatis Cum hostis alienigena in Italia esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderẽt, omissis omnibus, omisso ipso Annibale, ambos COSS. & duos consulares exercitus ad Capuam oppugnandam miserunt. alterum annum circumuallatos inclusosq; nos fame macerant, & ipsi nobiscum vltima pericula, grauissimos labores perpessi: circa vallum ac fossas sæpè trucidati, & propè ad extremum castris exuti. Sed omitto hæc. Vetus atq; vsitata res est, in oppugnanda hostium vrbe labores ac pericula pati. Illud iræ atque odii execrabilis indicium est. Annibal ingentibus copijs peditum, equitumq; castra oppugnauit, & ex parte cepit: tanto periculo nihil moti sunt ab obsidione. Profectus trans Vulturnum perussit Calenum agrum: nihil tanta sociorum clade auocati sunt. ad ipsam vrbem Romam infesta signa ferri iussit: eam quoque tempestatem imminentem spreuerunt. transgressus Anienem, tria millia passuum ab vrbe castra posuit:*

Desperatio fortes facit.

Sæuitia victoris facit seditiones magnas ex paruis.

Humanitas quosdam vicit.

Postrema

postrema ad mœnia ipsa & ad portas accessit: Romam se adempturum eis, nisi omitterent Capuam ostendit: & non omiserunt. Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas, si ad cubilia & catulos earum irepergas, ad opem suis ferendam auertas. Romanos Roma circumsessa, coniuges, liberi, quorum ploratus hic quoque prope exaudiebantur: aræ, foci, Deûm delubra, sepulchra maiorum temerata ac violata, à Capua non auerterunt. tanta auiditas suppliici expetendi, tanta sanguinis nostri hauriendi est sitis. Nec iniuria forsitan. Nos quoque idem feciſſemus, si data fortuna esset. Itaque quando aliter Diis immortalibus visum est, cum mortem ne recusare quidem debeam, cruciatus contumeliasq; quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte praterquam honesta, etiam leni possum: non videbo Ap. Claudium & Q. Fuluium, victoria insolenti subnixos: neque vinctus per vrbem Romam triumphi spectaculum trahar: vt deinde in carcere aut ad palum deligatus, lacerato virgis tergo, cruicem securi Romanæ subiiciam: nec dirui incendique patriam videbo: nec rapi ad stuprum matres Campanas, virginesq; & ingenuos pueros. Albam, vnde ipsi oriundi erant, à fundamentis proruerunt, ne stirpis, ne memoria originum suarum extaret: nedum eos Capuæ parsuros credam, cui infestiores quam Carthagini sunt. Itaq; quibus vestrum ante fato cedere, quam hæc tot & tam acerba videant, in animo est: is apud me hodie epulæ instructæ paratæq; sunt. Eum comitati 27. Senatores post epulas venenum sumpserunt. Quantum Roma lucrari potuit, si mitius bella gessisset? Ideò tàm diu rebellarunt, quia cruciatus timuerunt.

Fortuita multũ adferunt momenti.

§. 6. Porrò quemadmodum aliquando ex fortuitis seditio oritur, ita quandoque sedatur. Exemplum exhibent annales Taciti. *Noctem minacem, & in scelus erepturam fors leniuit. Nam luna clariore pœnè cœlo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem siderũ adsimulans, prospereq; cessura quæ pergerent, si fulgor & claritudo Deæ redderetur. Igitur æreſono, tubarum cornuumq; concentu strepere, prout splendidior obscuriorue lætari, aut mœrere, & postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris, vt sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, sibi æternum laborem portendi, sua facinora auersari Deos lamentantur.* Hæc si verum interpretem, aut dextrum sortiuntur, maximam in rudi vulgo mutationem efficiunt, si malignum, magis efferare consueuerunt.

Officiũ demereri eos, qui auctores seditionum esse possunt.

§. 7. Vsitatum est auctores seditionum, si tolli non possint, demereri donis, & spe veniæ mitigare. Si enim veniam sperent, si legitima via, id se consecuturos confidant, facile retrorsum vela dabunt, & Reipublicæ conciliabuntur. Si verò illi concitatos destituant, omnia mox tranquillabuntur; Vento enim posito, placidum stagnat mare. Nec contra auctoritatem Principis est, vnius improbi salute publicam pacem firmare, ciuilia bella tollere, & vt multi boni seruentur, nonnulli etiam improbi seruentur. Nemo facilius huic vulneri medetur, quam is, qui fecit. Neque tamen id eo modo, quo Sophista dicebat fieri velim. Cum enim lex esset, *vt qui seditionem mouisset, moreretur, qui sedasset, præmium ferret*; eamq; ipse concitator sedasset, quæsitum est de præmio. Respondit Sophista. *Vtrum prius est, mouere seditionem, an sedare?* Cum responsum esset; *mouere. Moriatur igitur*, inquit, *primum, deinde, si fieri potest, præmium ferat.* Absit à Republica fraus publica, qua humani generis societas omninò dissoluitur. Meminerit multo pulchrius esse ac laudabilius, ex hoste amicum facere, quam hostem occidere. Cimonem populus in exilium pepulit, sed vrgente Reipublicæ necessitate vt reuocaretur, egit. Gracchus ne Scipio in carcerem duceretur inhibuit, cum antea inimicissimi vixissent.

Verum hoc loco monendus ille, qui læsus est, vt reuera non fictè reconciliationem proponat, & tueatur. Perfide Antigonus promissis persuasum morte puniuit. Leucon quoque vindictam distulit, sed grauiter exercuit. Trierarchi nonnulli proditionem moliebantur, eos quiescere iussit, ne si hostis vicisset, ipsis calumnia strui videretur, eorum interim familiares dignitatibus & præfecturis ornabat, finito bello omnes interfecit. Agathocles in conuiuio suspectos omnes, ad quingentos occidit, cum ipse ante in conuiuio tibia cecinisset, & saltasset. Polyan. libr. 5.

Fraus in seditiosis improba est.

§. 8. Si auctores vel prosperis elati, vel metu suppliciorum, ad officium reduci nequeant, inter ipsos discordiæ & diffidentiæ occasiones quæritæ, seditiosos exarmant. Nimis hoc vsitatum est, hostium duces reddere suspectos. At validum est præsidium maxime, cum tumultuantes plurium vel optimatum vel populi imperio reguntur. Quam facile legati Tarquiniorum nobiles adolescentes, ipsos etiam Brutos ad Reges inclinarunt? *Regem esse hominem*, Liu. lib. 1. *à quo impetres vbi ius, vbi iniuria opus sit: esse gratiæ locum, esse beneficio; & iracti & ignoscere posse: inter amicum atq; inimicum discrimen nosse. Leges rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem, meliorem q; inopi quam potenti: nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris. Periculosum esse, in tot humanis erroribus sola innocentia viuere.*

Inter seditiosos discordia facilis.

Hoc verò in seditione, quàm in bello multas ob causas promptius est. Ecce quantum facinus, non agere, vt saltem æquis conditionibus Reges superinducantur, sed cum è diuerso præmium est, omnia, pdere. Ecce illi eo potissimum anno patriam liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Juniâ, patres, plebem, induxerunt in animum, vt superbo quondam Regi, tum infesto exuli proderent. Facient idem aliarum gentium rebelles, si precium sit operæ, si non facient, at mutuo sibi suspecti reddi possunt; cum alij contra alios simultates aluntur, cum inimicitias priuatas exercent. Cum ad honores alij veniunt per ambitum, alij rejiciuntur, nec merita pensantur, sed opes, aut affinitates. Hinc offensæ & inclinatio multorum ad Reges.

Seditiosi inter se commissi.

§. 9. Cum aliquid subditi à Magistratu petunt, naturâ non iniquum, nec improbum; ita concedendum est, vt non vi, aut metu coactus videatur, aut est sane cedendum; præstat enim exire ictum, q̃ lædiari. Senatus Romanus cum populo potestatem creandi tribunos militares concessisset, omnes Patricij creati sunt: nec tam in executione, quàm jure tuendo plebis se acrimonia exeruit. Quod si Rex aut Senatus cum vnũ aliquem largitione vti videt, suo populum beneficio allicere velit, etiã conatum aliorum irritum reddet. Multo enim plura plures, & de publico dare possunt, quam priuati. Xenophon gregali obmurmuranti equum concessit, & in montem pedes excurrit. Indignati commilitones, atque periculo animati, Xenephontem hortati sunt, vt ad ducis munia sese seruaret, obtrectatorem execrati sunt.

§. 10. Crebro nouarum rerum cupidis objiciendum est; non esse, quos rebus ipsi præficiunt alijs meliores: hoc si commodè & opportunè fiat, omnibus seditionibus facile frenum potest imponere. Cum enim seditionem tæterrimi concitent, haud facilè imperio digni possunt judicari. Insigne exemplum est apud Liuium libr. 26. *Inde Capuam flectit iter, luxuriantem longa felicitate, atque indulgentia fortunæ. Maximè tamẽ inter corrupta omnia, licentia plebis sine modo libertatem exercentis, Senatum & sibi & plebi obnoxium Pacuuius Calauius fecerat, nobilis item ac popularis homo, cæterum malis artibus nactus opes. Is cum eo forte anno, quo res male gesta ad Thrasymenum est in summo Magistratu esset,*

Seditiones vix vnquã melior status efficitur

Insignis prudentia Senatus seruandi.

iam diu infestam Senatui plebem ratus per occasionem nouandi res, magnum ausuram facinus, vt si in ea loca Annibal cum victore exercitu venisset, trucidato Senatu traderet Capuam Pœnis, improbus homo, sed non ad extremum perditus, cum mallet incolumi, quam euersâ Republica dominari, nullam autem incolumem esse orbatam publico consilio crederet, rationem iniit, qua & Senatum seruaret, & obnoxium sibi ac plebi faceret. Vocato Senatu, cum sibi defectionis ab Romanis consilium placiturum nullo modo, nisi necessarium esset, præfatus fuisset: quippe qui liberos ex Appii Claudii filia haberet, filiamque Romam nuptum Liuio dedisset: Cæterum maiorem multo rem magisq; timendam instare: non enim per defectionem ad tollendum ex ciuitate Senatum plebem spectare: sed per eadem Senatus vacuam Rempublicam tradere Annibali ac Pœnis velle, eo se periculo posse liberare eos, si se permittant sibi, & certaminum in Republica obliti credant. Cum omnes victi metu permitterent; claudam in curia vos, inquit, & tanquam & ipse cogitati facinoris particeps, approbando consilia, quibus nequicquam aduersarer, viam saluti vestræ inueniam, in hoc fidem quam vultis ipsi, accipite. Fide data egressus, claudi curiam iubet, præsidiumque in vestibulo reliquit, ne quis adire curiam iniussu suo, neue inde egredi posset. Tunc vocato ad concionem populo: Quod sæpè, inquit, optastis Campani, vt supplicii sumendi vobis ex improbo ac detestabili Senatu potestas esset, eam nunc non per tumultum expugnantes domos singulorum, quas præsidiis clientium seruorumq; tuentur, cum summo vestro periculo, sed tutam habetis ac liberam. Clausos omnes in curiam accipite, solos, inermes: ne quicquam raptim, aut fortè temerè egeritis, de singulorum capite vobis ius sententiæ dicendæ faciam, vt quas quisque meritus est, pœnas pendat. Sed ante omnia ita vos iræ indulgere oportet, vt potiorem ira salutem, atque vtilitatem vestram habeatis. Etenim hos (vt opinor) odistis Senatores, nam Senatum omnino non habere non vultis. quippe aut Rex, quod abominandum, aut quod vnum liberæ ciuitatis consilium est, Senatus habendus est. Itaque duæ res simul agendæ sunt vobis, vt & veterem Senatum tollatis, & nouum cooptetis. Citari singulos Senatores iubebo, de quorum capite vos consulam: quod de quoque censueritis fiet. Sed prius in eius locum virum fortem ac strenuum nouum Senatorem cooptabitis, quam de noxio supplicium sumatur. Inde consedit, & nominibus in vrnam coniectis citari, quod primum sorte nomen excidit, ipsumque è curia produci iussit. Vbi auditum est nomen, malum & improbum pro se quisque clamare, & supplicio dignum. Tunc Pacuius: video quæ sententia de hoc sit data, eiicitur pro malo atque improbo, bonum Senatorem & iustum eligite. Primo silentium erat, inopia potioris subiiciendi; deinde cum aliquis omissa verecundia quempiam nominasset, multo maior extemplo clamor oriebatur, cum alii negarent nosse, alii nunc probra, nunc humilitatem sordidamque inopiam, & pudendæ artis, aut quæstus genus obiicerent. hoc multo magis in secundo ac tertio Senatore factum est, vt ipsius pœnitere homines appareret; quem autem in eius substituerent locum, deesse, quia nec eosdem nominari attinebat, nihil aliud quam ad audienda probra nominatos, & multo humiliores, obscurioresque cæteros erant eis, qui primi memoriæ occurrebant.

Et sane inter tot omnium gentium seditiones motusque, hoc maxime notandum est, rarissime meliorem fuisse Reipublicæ constitutionem. Qui enim contra magistratus, ciuesque insurgunt, si vincuntur, manet antiqua Reipublicæ forma, si vincunt, cum deteriores sint victis, pejus illam administrant. Hæc est ordinaria seditiosorum clades, atq; liberrime ad omnem historiam appello. oraculu mdicet, quisquis euentus consiederarit.

Caput XVI.

Variæ rationes coercendarum seditionum à diuersis vsurpatæ.

§. 1. Simul jungere varias rationes quibus seditionibus occurrerunt viri Principes, & quasi in satyram infercire visum est, non quod probandæ vsurpandæque sint omnes; quædam enim dolo malo, perjurio, crudelitate omnia miscent, sed quod ad eum modum sine scelere tamen pro salute publicâ, similia imitatione effingere liceat.

Fortes mihilites ægrorū specie mitteret.

Pompeius, vt refert Front. libr. 2. c. 11. *Cum suspectos haberet Catinenses, & vereretur, ne præsidium non reciperent, petiit ab eis, vt ægros interim apud se refici paterentur: fortissimis deinde, habitu languentium missis, ciuitatem occupauit, continuitque.* Moderatè quidem quod non occiderit; simulatè & fraudulenter, quod fortes pro ægris miserit.

Auctores disiunctos cædere.

Simulatè & fraudulenter Cæsar, qui seditiosos exauctorauit, deinde auctorib. cæsis exautoratos recepit. Improbè penitus & fide Punicâ Hanno, Quatuor millia ob non soluta stipendia tumultuari aggressa; primò promissis fefellit, deinde Romanis prodidit. Nam dilationis injuriam liberalitate compensaturum pollicitus, ad quietem, ad obsequium eos reduxit, quo facto ad prædam dimisit, simulq; per procuratorem specie transfugæ Octacilio indicauit; Gallos exituros prædatum; ab illo positis insidijs omnes trucidati sunt, & Hanno seditionis periculo, & stipendij solutione liberatus, sed majore scelere perfidiæ obstrictus fuit.

Hostis tradere.

Pari perfidiâ Cassander Nicanorem alienum à se, cum Munichiæ Præfectus esset, circumuenit. Multo crudelior Lysimachus, quia contra innocentes & miseros sæuijt. Antariatæ sexcenti impedimentis exuti erant, eos vtpote exacerbatos seditionem moturos suspicabatur, itaq; per fraudē eductos omnes interfecit. Jure cœsi videri possunt à Pinario Ennenses, q defectionem jam moliebantur: cum enim claues reposcerent, conuenire in theatrum, & deliberare jussit, vbi cum in sententia præstarent, interfici jussit. Nec crudelitatis accusari Spartani possunt, cum insidiatorem in insidias sine fraude & mendacio mitterent.

Specie consultandi occidere.

Ephoris insidias Cinadon struxerat, illi eum in Laconicam quandam regionem miserunt, quasi arcani negocij causa, vbi ab equitibus ad hoc præmissis tortus conscios indicauit, quos statim Ephori interfecerunt. Polyæn. l. 2. Antigonus cum tria millia defecissent, Leonidam illis simulato transfugio misit, qui primò suasit, ne cui alteri se jungerent, deinde eos ipsos prodidit.

Negocii præsentu dimittere.

§. 2. Cum Macedones crebro contra Alexandrum tumultuarentur, Persæ eum amarent, hos extulit, duces illis Persas dedit, & supplementa Persica Diod. Sicul. lib. 17. compescuit ille apertam violentiam illa transitione ad Persas, non tamen odia immania, quibus deinde oppressus venenum bibit.

Aliosin æmulationē aduocare.

Audacia discuteret.

§. 3. Julius Cæsar felici temeritate seditionem discussit, quod tantum fieri potest, si magnæ auctoritatis est, in quem fremunt. Idem fecit & Cæsaris gener Pompeius: magni is vir animi, cum milites minarentur, se pecuniam, quæ in triumpho ferretur, direpturos, suadentibusq; amicis, vt eam ipse potius illis diuideret, respondit: moriturum se potius, q̄ licentiæ militari succubiturū, castigatisq; graui oratione militibus, fasces laureatos objecit, vt ab eorū inciperent direptione. Hi ꝓ sua id salute egerunt, ꝓ aliena Antigonus: seditionem n. militum contra Antipatrum arte sedabat, stipendia poscebant, sed ab egeno, jamque parum aberrat, quin eum lapidarent, Antigonus per

pontem

Orando militem detinere.

pontem concionaturo similis processit, & cedebant de via, & sequebantur audituri quid vellet. Interim dum longa oratione defendit Antipatrum, ille euasit. Polyan. lib. 4.

§. 4. Insigne Amilcaris erat contra transfugas, & seditionem molientes stratagema, præcipue quia malitia Punica carebat. Cum Galli frequentes ab eo ad Romanos deficerent, ille fidissimos suos jussit simulare transfugium, & Romanos, qui eos exceptum venirent, occidere: Itaque nec alij profugerunt, nec Romani profugos exceperunt.

Pecuniam credito accipere.

§. 5. Ciuiliter etiam Eumenes; nam accipiendo mutuam ab æmulis pecuniam, salutem suam defendit; illi enim ne pecunias amitterent, magna eum fide tuebantur. Eo modo in Germania in societatem belli quædam ciuitates pertractæ sunt, ne id quod jam expenderant, amitterent. Leucon eodem se modo seruauit, sed mendacium addidit. Insidijs enim appetitus à mercatoribus pecunias mutuas accepit, causatus proditione sibi dedi hostes, illis acceptis insidias fassus est, eosque custodes corporis accepit, & insidiatores vicit.

Fictis literis fallere.

§. 6. Impostorum magis videtur, quàm Principum fictis literis tanquam falsariâ manu seditionibus, tum ciuicis, tum castrensibus obuiam ire, sed tamen & hoc vsurpauere multi. Solent enim duces ipsi falsa consilia, insidias, proditiones, perfugia, panicos terrores fingere, vt miles ad omnia paratus sit, vt omnium cogitationes pernoscat. Cum literæ in castris Eumenis de vita ejus jactæ essent, gratias egit, *quod nemo sceleris pretium appetiuisset, adiecitq; se literas experiundi gratia sparsisse. Caterum Antigonum non sic vincere velle, vt in se pessimum exemplum statuat.*

Periculosũ Alexandri factum, quo animos abalienauit.

Miror Alexandrum Magnum, tantam animi fortitudinem professum, ad tam vilia se abjecisse, vt omnium suorum, qui literas in Macedoniam scripsissent, arcana rimaretur. Cum enim in Hircania constitutus, monuisset, vt cum Legatis, quos in Macedoniam mittebat, literas ad suos scriberent, ex itinere eas reuocari curauit, legitque, & quos contra se aliquid scripsisse inuenit, cum eis inimicitias gessit. Periculosa omninò res, & quæ coëgit Regem esse crudelem. Polyan. lib. 4. Curtius, alij.

Mutare habitũ classis.

§. 7. Ingeniose Iphicrates classem hostili habitu instruxit, & cum acciperetur à suspectis effuso studio, ciuitatem diripuit, alieno habitu & suos, & hostes Datames fefellit, nam cum strui sibi insidias sciret, in prælio alieno habitu pugnauit, atq; ita latere & notare insidiatores potuit.

Adulterare

§. 8. Nefaria sunt, quæ tyranni in hoc genere fecerunt. Augustus matronarum adulterijs polluebatur, quem tamen fœdius excusabant ejus amici, quod cum multis insidijs peteretur, secreta virorum per illa flagitia exquireret. Crudelior hoc in genere Dionysius: nam musicâ fœminas, & meretrices conscripsit, & ijs tortis quid amatores de tyrannide dixissent, inquirit, periculose locutos deinde occidit.

Scorta torquere.

Mortem aut periculum simulare.

§. 9. Mortuum etiam, & ægrum se aliquando finxit, vt voluntates hominum exploraret. Dionysius famam sanè sparsit se à militibus occisum. deinde qui ea ex re gaudium senserant, interfecit. Idem quoque fecit, cum in extremo se versari periculo diuulgasset; multis enim lætantibus egressus cum satellitio, eos interfici mandauit. Arte etiam ludicra, audito circumforaneo vera pericula deuitauit, & seditionem molitos exterruit. Quidam Syracusis artem se nosse professus est, qua insidiatores noscerentur, cauerentur, admissus ad Dionysium, *si*, inquit, *dixeris te prænosse insidiatores.* Dionysius magnis Doctori datis præmijs, admirabilem artem insidias fugiendi didicisse jactauit, & tutior ea re fuit. Verum hæc impostura hominis vesani fuit; idem enim ille, qui Dionysium tale secretum docuit, etiam alijs indicauit; neq; enim verisimile est à Dionysio proditum, quo tacito duntaxat, esse tutior potuit.

Profiteri occultam notitiam insidiatorum.

Milites specie captiuorum mittere.

§. 10. Ad impediendam seditionem crebro profuit eam dissimulare, aut ostendere se ipsis fidum. Fredericus intellecto Samminiatenses ad rebellionem spectare, significat, thesauros & captiuos apud eos collocare velle, loco thesauri misit arma tecta, & captiuis milites fortes vinctos, qui occupatum oppidum in Frederici ditionem redegerunt. Sic Eumenes cum ab Antigene & Theumate Ducibus Argyraspidum negligeretur, neque enim ad ejus tabernaculum veniebant, ne hoc malum ad alios manaret, somnio duplici se monitum dicebat, vt Alexandro tabernaculum erigeretur, omniaque in eo agerentur, ita obtinuit, vt etiam æmuli venire cogerentur. Polyan. libro 4.

Religionem obtendere.

Dissimulare seditionem, & transfugia.

Apud motos etiam, & potentes prodest dissimulare. Cautè Antipater priore Naxiorum exercitu, (q audita morte Alexandri ad infestandum imperium ejꝰ confluxerant) dissimulans se scire, qua mente veniissent, gratias hic egit, quod ad auxilium ferendum Alexandro aduersus Lacedæmonios conuenissent: adjecitq; id se regi scripturum. Cæterùm ipsos, quia sibi opera eorum in præsentiâ non esset necessaria, abirent domos, hortatus est: & hac assueratione periculum, quod ex hac nouitate imminebat, discussit. Front. l. c. 11. hoc maximè locum habet, cum alij in periculo sunt, ne exemplo deficientium tumultuetur. Agesilaus noctu curabat adferri scuta fugientium, ne constaret militibus tantam esse perfidiam, multitudinemq; transfugarum.

Diuidere turbulentos.

§. 11. Quanquam in hostium discordia multum sit momenti, non tamen facile tentandi sunt; nam facile syncretizant. Itaque potius agendum, vt separentur, vti fecit Dionysius, cum veteranos priuare stipendio vellet, seditio concitata est; at ille professus est, senioribus se in custodiendis munitionibus vsurum, tumultum in præsens composuit; deinde verò postquam in præsidia diuisit, distractis stipendia ademit.

Populos luxu frangere

§. 12. Improba quoque ratio seditionum impediendarum est, populos in luxum frangere, q̃ multi regum fecere. Vbi Xerxes jussit Babylonios delicijs vacare, arma ponere, Cræsus Lydos, Phalaris Leontinos, eodem vinculo voluptatum continendos esse putauit, at neq; secura est; nam eo vitæ genere corruptis moribus multi sua dilapidant, ideoque res nouas moliri coguntur. Accedit quod imbelles fiant, & pauperes, vt nec opera, nec pecunia Principem juuare valeant.

Sanctorum auxilio cõpescere.

§. 13. Seditio composita interuentu Sanctorum & Religiosorum virorum sæpe fuit. Wallachrienses cum ope D. Willibrordi nobilem & miraculosam victoriam obtinuissent, contra Robertum Juniorem Balduini filium, Flandriæ Comitem, tum dein ciuili ac intestino bello (causa non exprimitur) in partes factionum scissi, mutuo in se sæuierunt, vt primates Insulæ nobiliores occiderint, libera nulli intrandi vel exeundi copia fuerit, nulli, sacras ædes aut sacrificia, etiam ipso die Parasceues adeundi facultas sine armorum apparatu, cœtu contribulium, & satellitum manu. Nec finis aut modus tanti furoris & dissidiæ fuit, priusquam, post multa suorum funera communi consilio & Legatione Ygumenus Thiofridus Philochristus (verba Victoris sunt) accitus Efternaco, ciuium animos miraculis, precibus, & auctoritate componeret, & magno labore pacem repararet. Ita R. D. Efternacensis Abbas, cujus Floris Epitaphij Sanctorum Noster P. Joannes Roberti post annos ferè DL. Lüxenburgi Anno 1619. primum edidit, & doctissimis suis Notis illustrauit; ac prædi-

Abbas Esternacensis.

In vita S. Willibrordi cap. 36.

dictam Historiam copiosissime descriptam vitę Thiotridi subnexunt, quæ digna, vt ab Walachrien-sibus Hæreticis & Catholicis legatur, in confusionem perfidiæ, aut fidei confirmationem. Quod in Christianis religio, in Gentibus aliquando superstitio potuit. Cum Ægyptij odio crudelitatis Persicæ defecissent; Darius cum venisset eo tempore, quo Apin lugebant mortuum, promulgauit, se centum auri talenta daturum, qui nouum Apin inuenisset; illi mirati Regis pietatem ad obedientiam redierunt. Polian. lib. 7.

Proditore deprehenso fidos eius loco ponere in acie.

§. 14. Proditionibus occurrendum; vel vt suspecti alliciantur precio & spe ampliore. Sic Marcellus Battenum Nolanum, ad Pœnos inclinantem, & popularium animos sollicitantem, ad se traduxit. Maximæ industriæ est, proditionem in suum commodum vertere. Proditioni pariter & seditioni, sic Arsames ipse seditiosus obuiam ijt. Præfectus equitum in conflictu se transiturum spoponderat: Arsames noctu de eo habita quæstione inuenit facinus; itaq; alium ejus vestibus induit militesq; fidissimos equitum armis munitos, cum daretur ab hoste signum, transire, & terga eorum cædere jussit, quo stratagemate insignem victoriam consecutus est. Polyæn. l. 7.

Præcipuum est odium proditoris inculcare animis. Antigonus & Cæsar proditionem amabant, proditores oderant. Philippus prodituros amabat, eos cum jam prodiderant, maximè oderat. imò & prodituros oderat, sed amare simulabat. Lysimachus Andragathum Amphipolis proditorem magnifice donauit, postea verò cum cruciatu necauit, in hos enim præcipue conuenit, vt

Nulla illos tellus, nulla æquora posſint
Accipere.
Queis neq; apud Danaos vsquam locus, insuper ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.

Caput XVII.

Pax publica non à Catholicis, sed à sectarijs seditionibus turbata est.

Diffidentia plena querelis est.

§. 1. De seditionibus patriæ componendis plurimis agere, & institutum & temporum arbitras cogit. Tantam esse in Imperio turbationem, tantam Principum diffidentiam, tantam erga Cæsaream Majestatem simultatem, quanta etiam exulceratissimis temporibus non fuit, docent Comitia atque conuentus publici, quorum omnium pene exordia de discordia, contentione, litibus, diffidentiâ querelas habent, tractatores autem hactenus remedia quærunt. Mirum autem exteris nationibus apparet, & posteri vix credent; Jam annos nonaginta inter Collegas Principes, Cognatosque in conspectu Cæsarum pacis amantissimorum, de pace tractari, animorum abalienationem tamen & minuta bella durare, præsertim cum vtrique parti ex æquo bellum futurum sit exitiale, ac luctuosum, cum nemo ad Comitia illa veniat, nisi qui pacis se cupidissimum profiteatur. Causam tanti mali inquiro, nam vt in medicinâ nouisse causam morbi est necessarium ad remedia, sic cognoscendus est, in hoc vasto corpore Augustissimi imperij inclusus noxius quidam humor, varijs locis, & diuerso effectu temperatam artuum, ac membrorum harmoniam consensionemque conturbans, alia præter naturam inflammat, alia tabefacit, alia arrosione diuellit, dumque singula tentat, omnia pariter infestat. Hoc malum, quâ parte situm regnet, aperiam.

Sic igitur statuo. Omnium discordiarum, odiorum, bellorum ciuilium, rebellionis in Romano Imperio causas esse Prædicantes Lutheranos & Caluinianos, quocunque nomine appellentur, quacunque in secta viuant, nec innocentes Anabaptistæ, sed quia semel audacia eorum facta est, nunc deest vis, & arma malitiæ; itaque nunc vulpinâ se tegunt, donec leoninam adipiscantur, atque ad rem agendam inualescant. Rationes, quæso vt lector ita aspiciat atque perpendat, ne ex occupato judicio sententiam proferat.

Causas discordiarum esse prædicantes.

§. 2. Ratio prima. Ad Imperium conseruandum, pacemque tuendam necessaria est auctoritas Imperantis, omnibus arcibus, quin & armis illa firmior est aduersum rebelliones & contemptum; Majestas, imperij est tutela, ejus omnem vim resoluerunt, quantum in ipsis fuit, prædicantes nouatores, eoq; rem deducere conati sunt, vt nec admiratio, nec metus esset summæ potestatis, quibus duobus auctoritas, quæ est imperiorum fulcrum, continetur, neruos igitur Imperij concidere aggressi sunt, vnde spe impunitatis pacem rupit audacia, & illecebra illa multos sensim traxit, vt jam auctoritatem in se traherent. ἐγὼ δὲ περὶ φύλακα μὲν οὐδὲν πρόθυμον ἔχειν, ἀλλὰ φίλον. ἐὰν δὲ ἀπέχεσθαι τῶν φαύλων μᾶλλον ἢ αἰσχρόν, ἀλλὰ μᾶλλον τὰς πονηρίας. Non enim ita nati sunt, vt pudori obsequantur, sed vt metui, nec vt prauis abstineant ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnam. Quo modo autem ostendam Nouatores aciem auctoritatis Augustæ hebetasse? Majestatem detraxisse? contemptu vilissimi cujusque fœdasse? id quidem haud operosum fuerit: in Tomis Lutheri integræ sunt in Principes inuectiuæ, etiam à Catholicis collectæ. Mihi non est mens illa omnia referre, imò vix aliqua, quia nondum ex animis omnium est abolita Lutheri auctoritas, & plusquam oportet, legitimæ potestatis æstimatio languet. Vno alterove exemplo docuisse sufficit. Libello de bello contra Turcas. *Cæsarem* negat *caput esse Reipublicæ Christianæ, & defensorem Euangelij, aut fidei. Oportere sane Ecclesiam alium habere defensorem, quam sint Imperator & Reges, eos namque esse pessimos hostes Christianismi & fidei.* Libello, *de potestate secularj, Principes*, ait, *vt plurimum esse vel præcipuos moriones, vel deterrimos nebulones.* Ne autem hæc solius Lutheri feruori tribuamus, Ecce hominem formidolosissimũ Philippum. Epistol. ad D. Burchardum Mithobium. *Etsi sæpè magno cum dolore expertus sum, admodum esse inconstantes τῶν ἀχόντων animos, de suis* loquitur, quorum diligentiam in direptionibus Monasteriorum etiam taxat. *Plerig; Principes etiam ante hoc tempus, multo fuerunt in diripiendis Monasterijs diligentiores, quam in constituendis παροικίαις & Scholis. Sed exspectemus venientem annum, qui fortasis excutiet nostris heroibus veternum, ludos, voluptates, amores, rixas. Hactenus alij sæuierunt in Ecclesias, alij finxerunt corruptelas doctrinæ, certarunt obscenis libellis, finxerunt insulsos dialogos, oblectarunt se venereis voluptatibus, neglexerunt Ecclesias, & Scholas, certarunt ambitione, nunc nemesis attrahit non contemnendum hostem.* Epistola verò ad Milichium. *Vrbes*, ait, *ab ignauis Principibus desertas, & proditas esse.* Quid Caluinistæ censeant de Principibus Imperij, atque ipso Imperatore, satis ostendi, jam sæpius, nempe *Imperium esse bestiam Apocalypticam, sanctorum interfectricem, Imperium nimium admirari, illud Augustum vocare, esse adorare Diabolum, seu Draconem.*

Dissoluere conantur auctoritatem imperij.

Lutherus Imperatorẽ & Principes traduc-it.

Hæc autem doctrina euertendo imperio inuenta est. Itaque Prædicantes imperium euertere moliuntur: cum autem sine sonitu orbis ille inuerti non possit, cum sine dissolutione tantum corpus transferri nequeat, necesse est tantam ruinam plurimas & violentissimas concussiones antecedere.

§. 3. Ratio secunda. Quorum artibus potentia Imperij acciditur, atque infirmatur, illi tumultuum, atque

Nouatores vires imperij accidit.

atque seditionum causam præbent. Quid enim sine viribus ira? quid magni nominis vmbra? Non potest stare illud Imperium, quod solâ opinione multitudinis, & vetustatis æstimatione nititur, necesse est adsit potentia, opes, arma, consilia, fœdera, alioquin luxatam basi suâ columnam, qui primus impellere ausus fuerit, euertet. Nouatorum a. insidiosis atque etiam apertis machinationibus, apparatibus, pugnis, potentia imperij afflicta est, & quod nec dum cecidit, Imperatoribus suis, Catholicis Principibus, & nonnullis tum Principibus Protestantibus, tum liberis Rebuspublicis debet, nulli prædicanti acceptam refert incolumitatem. Quid? Illi miseri imperium turbarent? Quasi non periculum sit fortissimis etiam ab inualido. Non opus est ad magnas fraudes magno animo, sed malo. Turbatis rebus victor Sinon incendia miscet. Quod leones & vrsi, hoc etiam viperæ possunt & cantharides. Virium imbecillitatem compensat acrimonia veneni. Hac in culpâ esse prædicantes probo.

Quomodo tributa imperij minuerint prædicantes.

Nam primo conati sunt opes, belli neruos, pacis ornamenta, atq; arma auertere, atterere, pessundare. Plurimarum enim Ecclesiarum prædia, possessiones, ornamenta in alios vsus conuerterunt, & teste Melanchthone *in diripiendis Monasteriis fuere diligentes.* Opes autem illæ Imperio sunt ereptæ, quia fidelibus imperij subditis, sine jure, sine legitimo ꝓcessu, jussi migrare veteres coloni, Monasteria, Canonicatus, Prælaturæ, Episcopatus præda Principum sæcularium fuêre, nomina & loca, & censum dicent, ad quorum aulas annuæ rationes de spolio Domini referuntur. Duplex hinc imperio damnum ortum est, neq; enim subsidia pecuniaria à spoliatis missa sunt, & cæteri, qui exemplo spoliatorum terrebantur, pendentibus in ancipiti, atque ex vicinitatis affectu fortunis, ad tuendam Rempublicam in quâ se opprimi videbant, consortio Collegarum destituti, erant imbecilliores. Multum itaque hac ratione potentiæ pristinæ decessit consilio prædicantium, quos tamen sua fefellit cupiditas, ipsi enim sese, cum viderent pronis aurib. à Principibus audiri, à populo coli non dubitabant in dignitates dejectorum Prælatorum recipiendos, & è mendicabulis circumforaneisque Poëtastris lauros fore, verum falsi sunt, cum ad rem ventum est, præualuit fiscus, ipsi tenui portiunculâ aspersi sunt, ne oblatrarent, non vt satiarentur. Hac igitur concussione tributa imperij & vectigalia sunt imminuta, hoc est ornamenta pacis, & subsidia belli. Nec enim quies imperij sine armis, nec arma sine stipendijs, nec stipendia sine tributis haberi queunt. Quæ verò ratio tributorum erit, si in illis, qui aliorum possessiones ad se transtulerunt, non sit voluntas conferendi, spoliati à πενία & ἀπορία, infausti ominis diuis protegantur?

Magnæ impensæ in lites.

Deinde, In tot Comitia & dietas quæ jam annos nonaginta multiplicantur, in lites & contentiones, in mutuas velitationes tantum sumptus impensum est, quantam bello Turcico sufficeret. Appello ad ipsas Principum rationes, atq; in itinera, legatos, comitia factas impensas.

Tertio. Accensum est auctore Luthero, actore Müntzero bellum rusticorum, in quo arces, Monasteria, Ecclesiæ subuersæ sunt, postremo rustici contumaces internecione deleti, hæc inter damna, si quis referre non didicit, nescit ille agros, & agricolas ærarij fundum esse.

Quarto. Lutherus atque asseclæ intestina bella concitarunt, in ea expensæ factæ, & sanguis fusus, quo potuit cum Hungariâ & Thraciâ, etiam ipsa Constantinopolis parari. Nempe post varias clades, tota penè Germania non Catholica in Cæsarem conspirauit, 80000. peditum, 10000. equitum in castris rebellium memorant fuisse præter oppidorum præsidia, & reliquum apparatum. Quid deinde alia minora, vt vastationem Brandeburgicam, bella Colonienſia, Alsatica, cætera enarrē? omnium illorum initia à Nouatoribus, dum vetera extorquere orthodoxis conantur, concitata sunt. Nec tamen hic consistit inquieta, & pacis impatiens nouitas, quoties pecuniâ, virisq; adjutum Belgium? quoties contra suos Reges confirmati in Gallâ Hugonottæ? pinguent adhuc Germanorum cadaueribus Francici atq; Belgici agri. Quis miretur exhauriri potentiam ac vires imperij secum depugnantis? totiesq; sanguinem mittentis? Quis miretur nec animum esse, nec opes contra Turcas, cum domi omnia insumantur? Inspice vel statum præsentem, quotidianis sumptibus exhauriri Germaniam est necesse. Ecce enim signa, pares aquilas, & pila minantia pilis, in occassionem intenti aduersarij, subitis expetitionib. Catholicos aliquando terruerunt, tandem inter se conspirarunt, fœdera cum exteris inierunt. Itaq; Catholicos vt sanctâ, & rebus, quæ supersunt, tuendis necessariâ confœderatione probante Cæsare se mutuo deuincirent, impulerunt. Vtrinq; motus igitur, inde bellum, hinc defensio paratur, confertur etiam in pace pecunia, dubelli eliguntur, centurionibus in futura bella stipendia dantur, annona, atq; armatura conquiritur, gratulandum esset felicitati Germanicæ, si sic in hostem sese armaret, nunc timore vicinorum qui ad classicum suorum prædicantium, bella volunt atq; arma fremunt, & Sacerdotales togas militi promittunt, sumptus illi expendendi sunt. In se igitur mole suâ ruit imperium, & sibi componitur, ideoq; aduersum externos inualidum, atq; effusis in domestica certamina viribus ab imbelli, ni caueatur, vincendum. Quæ autem tanti mali origo? vnde tàm diuturna simultas, aliquando bellans, semper minax, nunq̃ bene cogitans? Ab illis, qui Catholicorum bonis incubant, quibus nimium est, quod Episcopi viuunt, q̃ ineſcati Ecclesiæ direptionibus, ereptum sibi putant, quod negatur. Valuit olim imperium Germaniæ non suâ tantum Majestate, & robore, sed vicinorum etiam amore & fœderibus, hæc adjumenta præcidere, & Sociorum auxilijs nos omninò nudare nouatores instituerunt. Validissima auxiliorum contra Ortomannos semper præbuit fida Italia, atq; Hispania, quæ regna Turcicas inducias, & pacem dedignantur, è Belgio promptam manum, quamque Turcæ præcipue formidant, legimus, nec de Francicâ dubitandum est, cum amicitiam Reges affinitate sanxerint. Quid hic Nouatores? *Pontifex est bestia, Florentinus, Mantuanus, Hispanus cum Babylonicâ meretrice scortantur, tu Britanne insciende Italiam, occide, carnes deuora.* Quid verò? Pontifici, Italiæ Principibus, Ibero dum partim corpora sua ꝓ imperio opponunt, partim suo stipendia militem alunt, pecunias conferunt, vota faciunt, vos insidias struitis? Accusant Caluinianos Lutherani de inclinatione ad Turcam, monent suos Principes vt potius Catholicis adhæreant, q̃ Zvvinglianis, q̃ Papa pro Imperio bella gerat, Caluiniani subsidia Cæsari negent, & *sub pectore gestent Antichristum Orientem*, vt probant libro de Syncretismo seu falsâ pace. Quis igitur pacem turbat, an q̃ fidissimos socios in amicitiâ continendos dicit? An is qui nec ipse in bellum conferre cogitat, & propugnatoribus Imperii toto mundo hostem quærit?

Quæ vires imperii exhauriant?

Origo vnionis Catholicæ.

Vicinos omnes offendunt.

Vide præfationē Plessei, in suo mysterio.

§. 4. Ratio tertia. Pacis violatæ rei sunt, qui injuria alienas possessiones occupare docuerunt, aut si juris aliquid, & æquitatis in illa vsurpatione prætendunt, nullo judicio, nullo ordine possessionem adierunt, qui judiciorum sententiam fugiunt, vi, aut dolo possidere & perseuerare suadent. Hæc sunt prædicantium studia, hi conatus ab ipsis incunabulis.

Et de Zvvinglianis quidem palàm est, in ipsis Comitijs Augustanis, exercitus, fœdera exterarum gentium, Episcopatuum diuisiones jactabant, vt est in Epistol. Melanchthonis ad Philippum Hassiæ Principem. Verum quid opus meâ probatione? Inspiciantur acta Cameræ Spirensis, supplicationes, juris contestatione s, appellationes, lites pendentes, lites inueteratæ queruntur injuriâ Ministrorum sibi erepta per vim, & dolum, qui juris remedia experiri volunt, actores sunt, & fuerunt Catholici, de repetundis postulant aduersarios, recuperatores dat Cæsar, non igitur dubium est, quin initium litis dederint, qui possessionem bonæ fidei, possessorem pacificæ, & indubitatæ hæreditatis, fundis auitis exturbarunt. At injusti erant possessores Catholici, vendicanda igitur dominia, & ad nos deferenda erant. De jure posterius videro, si jus appellant, ex jure, consertum manus veniant, jure res decidatur, ne solida vi vadant. Cur autem injusti possessores, qui ex Caroli Magni, Henrici, aliorumque piorum Imperatorum, Principumque donatione, fundatione, legibus erant possessores? Communis erat legum Imperatoriarum interpretatio, communis intellectus municipalium, communis vsus, & praxis juris, & tribunalium decisiones secundum hoc jus legitimi possessores erant, quiete & sine interpellatione dominia rerum suarum occupantes, consilio nouatorum, jus aut juris interpretatio immutata est, & mutati animi Principum, nouâ religione vetus Reipublicæ desiit forma. Confiscatione, multâ, exilio, rapinâ, nouâ, eaque iniquissimâ lege itum in eos, quos vsitata legum & diuturna præsidia tuebantur. Tot Episcopatus, Abbatias, Collegia, Monasteria, Hospitalia, Scholas rapuit priuatus fiscus, nam ipsis rapinarum ministris, vt canibus venaticis ad acuendam sagacitatem exiguæ particulæ de præda diuidebantur. Quis bellum mouit, an is qui leges, Magistratumque inuocabat, dum pelleretur? an verò qui veterem colonum sine lege deturbabat? Antiquis omnia dominis eripis, quia opinionem nouam antiquis legibus, moribusque pugnantem non amplectebantur, & violatæ pacis illos accusas? *Fierent Euangelici*, dices, *& res suas sibi tenerent*. Nescio an mutatione fidei tueri possessiones possent. Hoc scio, nullâ lege priscâ cautum esse, non nisi ijs, qui se dicunt Euangelicos, possessiones esse tutas, & sartas tectas. Hæc igitur lex noua, quæ aduersatur omnibus veteribus juribus, moribus, priuilegijs, caussa discordiarum fuit.

Initiũ dederunt turbis, qui possessores spoliarunt.

Noua lex rapinæ.

§. 5. Quarta ratio. Caussam seditionum ac tumultuum illi dederunt, quos violatæ pacis legitimus Magistratus damnauit, quibus coërcendis conuentus indicti, latæ leges, instituta judicia, non illi ad quorum lachrymas, precesque hæc data sunt, quorum subleuandis calamitatibus, mitigandis exilijs, hæc præsidia comparata sunt. Mea tu me possessione, tuâ lege pepulisti, bonis, annuisque censibus exuisti, famâ etiam multasti, ad pedes Cæsaris jaceo, nobile judicis officium, auxilium legum imploro. Quid restat, nisi vt tuo jussu me Cæsar tanquam publicæ violatorem pacis duci jubeat? Veteri lege, & fide possidebam, nullâ lege pulsus sum, hoc queror Cæsari, & ecce seditiosius audio. Quid igitur Cæsar atque ipsum imperium Romanum? Me Pandectæ, Codex, Nouellæ tuentur, me Aurea Bulla Caroli IV. data Anno 1356. Me Frederici tertij Anno 1442. Reformatio, me Maximiliani Primi facta An. 1500. declaratio defendit.

Damnati sunt iniuriarum aduersarii.

Te verò Carolus V. Wormatiæ Anno 1521. Augustæ, Anno 1521. & 1530. Spiræ Anno 1526. & 1529. & Anno 1542. & Anno 1544. atque innumeris alijs locis discordiarum auctorem indicat, judicium Cameræ firmat, explicationes & spolia vetat. Concilium Generale quæritur, & à cunctis exspectatur, interim ante Concilium pulsus, nec post Concilium restituor, spoliatus antequam reus, in pœnâ, in exilio sententiam Concilij exspecto, ad quod tu quoque appellasti, liceat hæc mecum mihi dolere, quid insultas jacenti & violatæ pacis in me culpam conferre conaris? Ad Concilium adire noluisti, merito, quia sine jure possedisti. Ad Colloquium Wormatiense Anno 1557. inuitatus tuorum discordiâ & odio mutuo victus discessisti, interim de prædâ meâ vtraque pars, etsi sibi aduersa viuit, An ego caussa discordiæ, quia non continuo emortuus sum?

Variè spoliati Catholici.

§. 6. Ratio quinta. Acta ipsâ spectemus. Postquam multa Catholicorum bona occuparunt, Anno 1541. ne bellum oriretur, Catholici actiones quas contra inuasores habebant, suspendere coacti sunt, vt est in Ratisbonensi Decreto constitutum, sed eâ lege, vt jam sisterent manus Euangelicorum, nec noua spolia agitarent. Sed quis sistat ad alia properantes nouâ semper siti? Quid enim Principes ab illis Harpyis non didicerunt? Lucrum ex omni occasione odorati prædicantes, ita pennas nobis incidere suadebant, ne possent renasci, omnes sinus, omnia prædandi vocabula sunt inuenta. Nam interea Episcopatus Magdeburgensis, Bremensis, Halberstadensis, Verdensis, Osnaburgensis, Mindensis, Lübecensis, Vltrajectensis, Caminus, Svverinus, Gedanensis, Brandeburgensis, Ratzenbergensis, Sleuicensis, Hamelburgensis, Libusensis, erepti, Monasteria, item & celebria & parua. Nec aliud restabat, nisi vt omnia cum puluisculo auferrent. Pulsi Sacerdotes, vastata templa, contra pacta conuenta, Cæsarisque mandata Spiræ Anno 1544. edita. Itaq; Cæsar edixit, *se Commissarios deputaturum ob iurisdictiones & bona Ecclesiastica inuasa*. Certè à nobis inuasa non erant, sed à pacis violatoribus. Secuta est deinde clades Germaniæ, cum aperte contra Cæsarem rebellarent, nos sanè Saxoniam, & Hassiam non armauimus. Nos neque reuisiones Cameræ impedimus, neque potestatem Cæsaris in dubium vocamus, & vltimis comitijs factitatum à legatis Correspondentium. Quâ de re videantur ab ipsis edita acta, & auctor qui de Turbato imperij statu scripsit.

§. 7. Ratio Sexta. Quorum consilio bellum factum est Cæsari, insidiæ, proditiones, illi pacem violarunt, at fecisse hoc Nouatores Anno 1544. 1545. 1546. & sequentes docent.

Sleidan. l. 17. Auctores sunt discordiarum qui legitimo Magistratui bellum indixerunt.

Merito igitur etiam Catholici pro se bellum gerunt. Si enim Lantgrauius rectè Cæsari dixit Anno 1546. *Francofurti nihil aliud actum esse inter protestantes, nisi, quomodo & in religione suâ permanere, & vim iniustam depellere possent*, quis dubitet Cæsari necessario bellum fuisse gerendum, vt à tot subditis vim injustam depelleret? Quis neget Catholicis justam bellandi caussam datam, cum se exui bonis contra Cæsaris edicta & leges, priuari exercitio antiquæ religionis experirentur?

Nonne quidam Principes Cæsari cognomen Majestatis Augustæ negabant? Alioqui cum eo belligerari non licere putabant? Sleidan. lib. 17. Quasi verò vbi auctoritatis nomen ademeris, tum pugnare contra Magistratum liceat. Eodem tempore & Regem Galliæ in Cæsarem concitabant, & Heluetios, sed à Gallo elusi, ab Heluetijs rejecti sunt.

Verum nec me opus est bellorum culpam in aduersarios conferre, nec decet Nouatores ipsos negare, cum confessi rei caussa agenda non sit. Vlrichus Wirtenburgicus Cæsaris misericordiam implorat, atque petit, *vt propter Christum sibi condonet*, neq; in suâ innocentiâ præsidium ponit, sed quod *Cæsaris habeat exploratam clementiam, quâ soleat in supplices vti; nimirum eius rei non vnum extare documentum, & quidem ante paucos an-*

vos annos, editum in quosdam ex ordine Principum, qui forte non paulo maiorem, quam ipse causam offensionis ei præbuerint, & legati ejus. Illum profiteri culpam palàm, & dolere vehementer ob admissum facinus. Sleid. l. 18. Venit & Halam Fredericus Palatinus *veniam petitum*. Paulo pòst veniunt ad Cæsarem *legati Vlmenses, & cum supplices facti culpam agnoscerent, ac deprecarentur reconciliati fuerunt*. At Memmingenses, Bibracenses, Raueſburgij, Campodunenses, Isnenses legati, *partim suo errore, partim aliorum culpâ factum aiunt, quod in Cæsarem deliquerint*. Quin & Argentinenses, & alij veniam petunt, quos legati Cæsaris accusant Vlmæ Ann. 1547. *Non ipsos modo rebellasse, verum alios etiam vt idem facerent, impulisse, & violatis legibus atq; iure omnia conturbasse per Germaniam*. Neq; Lantgrauius Cæsari supplex id negat. Habemus ergo auctores tumultuum jam suo judicio accusatos. Causa autem omnium malorum est dissidium religionis, de quo Imperator Anno 1547. rectè dixit. *Nisi componatur, pax omnino constitui non potest*. Inde secutum est vt jus *non administretur. Ad infamiam autem, & detrimentum Germaniæ pertinere, quod per aliquod tempus nullum ius dictum sit*, merito censet Imperator. Quis autem injustitiæ auctor, nisi qui causſæ diffidebat, nisi qui sonante classico silere leges coëgit?

Obstant ne ius dicatur

§. 8. Ratio sexta. Pacis violatæ reus est, qui obstat ne jus dicatur, ne justitia vindicem, aut executorem habere queat. Quantum verò laboratum est à sectarijs ministris, vt omnia tribunalia, nisi quæ ipsi erigerent è medio tollerent? initio An. 1521. Lutherus jus Canonicum exussit, quasi omni metu judiciorum liber esset, si membranas exussisset, deinde ne contra ipsos Camera Imperialis pronunciaret enixissimè postularunt, reuisiones impedierunt, quâ arte sententias plerasque eluserunt. Ad aulam Cæsaris cum est prouocatum, negant ejus jurisdictionem, mandari causas Principatuum, & Comitatuum ordinibus imperij volunt. Ad comitia cum ventum est, nolunt valere majora suffragia, sed quæ sibi tribuunt, saniora. Quorum illa? Paucorum qui se Correspondentes appellant. Quid igitur faciendũ miseris Catholicis, si eos inuadat quispiam ex Caluinianis? ad Cameram confugiat? Reuisio petetur, nec dabitur. Ad tribunal Cæsaris? Sine ordinum consensu negabunt Cæsarem decernere posse. Sententiam retractabunt, vt in Aquensi negocio actum esse inuictissimus Imperator Matthias pronunciat. Ad comitia imperij venerabilem Illustrissimorum Principum Senatum prouocas? Standum erit, non majore suffragiorum parte, sed minore, aut minimâ. Quid si illa minima, quæ sanioremse esse vult, omnia Caluiniano more judicet? Catholicos esse Antichristianos, exurendos, deuorandos, & nos Plessæo contradat, qui nostris supplicijs præ gaudio immoriatur? Quid si hoc contra jus gentium clamet esse pars major, quod sanius esse putat pars minor? Mirum si absq; rubore hæc proponere potuerunt.

Credetis hoc posteri, fuisse homines in Imperio Romano tàm legibus fundato, tàm dignitatibus ordinato, qui omnibus legibus, & judicijs eximi voluerint, & omnium Principum, atq; adeò ipsius Augusti jurisdictionem inauditâ oligarchia ad sese trahere? Nemo habet quod tali statu speret, si inter correspondentes non est, nemo quod metuat, si factionis suæ homines habiturus est judices. Quod si porrò hæc suo cursu properent, quid erit tandem hoc sacrosanctum Imperium, nisi grande latrocinium? Vbi enim conculcatæ sunt leges, sublata judicia, victa Magistratuum auctoritas, quid jus fas erit imposterum, nisi omnia acta superioris! tituli fortioris!

Fas enim censebitur, quod ipse fecit,
qui vicit.

CAPVT XVIII.

Pacem ciuilem in Romano Imperio obtineri vix posse, quamdiu Prædicantes pacem Ecclesiasticam turbant

§. 1. DE verâ pace sermo est, hanc in Germaniâ patriâ nostrâ carissimâ, inter vnius Imperij diuersa membra, firmam, tutam, diuturnam, sine suspicionibus & offensionibus, sine anxia exspectatione belli, vix esse posse existimo, nisi Ministrorum, præcipue Caluinianorum, importuna, ac furiosa rabies coërceatur, & ad modum calumniandi, ac omnia turbandi, redigatur. Sic illi namque pacem Ecclesiasticam turbant, vt cluilem pacem è medio tollant. Cui rei probandæ multæ sunt, & grauissimæ rationes.

Ex naturâ religionis.

§. 2. Ratio prima. Vera religio pietasq; acres habet stimulos cruciatuum etiam, & mortis victrix, cùm diuinâ gratiâ adjuuatur, ac regitur. Vehemens etiam res est, & timiditate suâ præceps superstitio, quæ cum inualuit, hæresin, & magiam gignit, semper inquieta, & si obsistatur, atrox. *Omnes* (inquit Tullius act. 6. in Verrem) *religione mouentur: & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos esse arbitrantur*. Omnes omnino, non modo quos vero, & soli colendo Deo vera pietas conjungit, sed & illi, quos error obnoxios detinet, & falsorum numinum simulachris fascinat, quos opinionum suarum amor, ne veritatem aspiciant, occœcat. Causa est, quia omnes salutem temporariam, vel æternam, pleriq; vtranque in religionis controuersiâ agi arbitrantur. Itaq; videmus injectâ religione, leuissimo momento concitari vulgus, & eâdem commotas jam seditiones cõponi. Fremunt populi cum nouam sibi religionem imponi vident, vt nuper Berlini. Christum sibi eripi, in dæmonis se potestatem tradi, æternis ignibus se mancipari credunt, quoties religionem immutari vident: nisi vbi jam mutationibus, & cauponationibus assueuerunt, & fidem inter adiaphora habent, de Principum suorum voluntate pendentem. Hac populorum inclinatione, & persuasione Zelotica abutuntur prædicantes, atque hoc agunt, vt omnes in suam opinionem traducant, primo blanditijs, deinde edictis generalibus, mutatione exercitij, & rituum Ecclesiasticorum. Quantum egerunt in Palatinatu Lutherani, vt Catholicos pellerent? Quam pulchro stratagemate Lutheranos ejecerunt Caluiniani? Quanta ira ab exilio reduces Lutherani Caluinianos proscripserunt? Quam solerter de proscriptoribus suis se proscripti Caluiniani tandem vindicarunt? Atque hæc non sola disputatione, sed Illustriss. Principum auctoritate, & potestate transacta sunt. Quæ in his turbis vel Lutheranorum erga Fredericum, & Casimirum, vel Caluinianorum erga Ludouicum fiducia, caritasq; esse potuit? Nonne animarum suarum hostes arbitrãtur Principes, p quos veris se Doctorib⁹ spoliari, falsis ac seductorib. addici psuasissimum habent? Videantur Supplicationes Heidelbergensium ciuium ad Casimirum Administratorem. Fierine potest, vt Caluiniani, quos pepulit Ludouicus Elector, amare eum potuerint, potentem & securum esse voluerint? Cujus imperio, & virib. se, & veritatem opprimi clamitabant, cujus morte sibi redire salutem persuasum habebant? Ministri hinc inde, tàm Lutherani, quàm Caluiniani in suam quisque opinionem subditos impellebant, de summa salute, de vita & morte æterna damnationem institutam vociferabantur. Oderant apertè consiliarios, & prædicantes aduersarios, quorum instinctu Principes religionem immutabant. An Principem amarent, sine quo nihil illi poterant? Principem amarent, q alienis cupiditatibus salutem subditorum, & quidem æternam

dona-

donaret? Cum igitur in annos, & in dies mutationem religionis Prædicantium curiositas, vanitasque affectet, fieri non potest, quin tot sint causſæ abalienationis, discordiæ, diffidentiæ, quot sunt mutationes attentatæ. Mutauit Lutherus Religionem, mutatam iterum interpolauit Melanchthon, Flaccus Illyricus, Osiander, Major, Vbiquistæ, omnes cum turbis, & conuulsione partium Imperij.

Ex præpostero zelo prædicantium.

§. 3. Ratio secunda. Ex illo irrequieto & præpostero zelo Ministrorum noui Euangelij, oritur lucta grauis, & contentiones perpetuæ. Quod enim in Orthodoxis laudabilis efficit caritas, vt omnes venire ad veritatis cognitionem exoptent, hoc conatur in tribunitijs turbonibus corrupta prauitas, vt contagione sui omnes afficiant. Quod cum viâ aliâ nequeunt, lenibus remedijs contemptis, exilia, confiscationes, proscriptiones, tormenta meditantur. Fieri hoc queruntur liberi nouem Atminij in præfat. ad ordines Hollandiæ. Exemplo sit nobis, secta illa, quæ mansuetudinem, innocentiamque, plusquam humano artificio mentitur. Quam effreni libidine, q̃ barbarâ crudelitate tyrannidem exercuit? Quam clare demonstrauit, quæ rabies sub mansuetæ pecudis vellere delitesceret? Quid simile Arianorum, aut Circumcellionum insignita crudelitas patrauit? Et illa tamen hæresis vnius oppidi fiduciâ, orbis terrarum imperium, missis quaquauersum legatis, non sperare tantum ausa est, quod ad Germanicæ nationis dedecus nimium est, sed attentauit. Mihi sanè non tam admirabile, visum est portentum illud Anabaptisticum, cum flagitia illa consciuit, habuit enim hæreticos, habuit tyrannos, quos imitaretur, quam cum tanto ardore in sectæ suæ ppagationem incumberet. Habet hoc omnis error, vt fœcundus sit, omnis hæreticus suæ opinionis est importunus propagator, nec facile cessant, nisi vicerint. Omnes eo tendunt, vt dominentur corpori, à quo sunt abscissi. Odia sua maledictis, & cum possunt, gladio promouent. Ecce tibi in Imperio, Caluinianos molles, Rigidos, Socinianos, Anabaptistas diuersarum superstitionum, Lutheranos puros, Lutheranos interpolatos, Vbiquistas, Majoristas, Osiandrinos, Flaccianos, omnes suæ sectæ zelotas, nemo ex illis est, qui non omne imperium sub leges suæ hæreseos ire peruelit, qui non id quantum potest perficere conetur. Quæ igitur pax esse potest, tot sectis inuicẽ de capite, fortunis, animaq; ipsâ quotidie dimicantibus? Moderatio igitur prædicantibus præscribenda est, & ne quid noui monstri pariant, atq; educant, præcauendum. Quanquam quid illis præscribas? Quid leges ponas? Anno 1530. Confessio Augustæ oblata est Carolo V. Imperatori, multa ejus tum erant exemplaria edita, at illa confessio quoties mutata, imò quoties conuentum Principes, & ciuitates, ne mutaretur, egerunt, at nihil actum, plus potuit vnus Melanchthon, quam vniuersum corpus Protestantium. Itaq; nunc illam nemo integram tenet.

Vnam Imperij partẽ tollunt.

§. 4. Ratio tertia. Poterunt forte regna extera sine turbis aliquandiu sustinere religionum diuersitatem, at manente hac Ministrorum præcipue Caluinianorum proteruiâ, in Romano Imperio ordinum inter se connexio, societasq; ciuilis sine metu periculi, sine suspicione durare non potest. Nam prædicantes omnino, prætextu religionis Imperium tollere è medio conantur.

Imperium Romanum non minus est in Ecclesia, quam Ecclesia in Imperio, & si verum fateri volumus, Imperium in Germania est per Ecclesiam, primaria membra Imperij suam dignitatem habent, quia sunt Ecclesiastici. Tres Cancellariatus Imperij, atque Electoratus, sunt Ecclesiarum. Itaq; pax Ecclesiæ pax est Imperij. Qui igitur statum Ecclesiasticum auferre ex Imperio conantur prædicantes, Imperium euertunt. At negant Caluinistæ Puritani Episcopos posse Principes esse, nec nostris modo Episcopis regimen suarum prouinciarum ereptum eunt, sed Anglis etiam indignantur, quod politicas dignitates in aula Regia obtineant. Tollunt igitur Imperij pacem, quia ex tot Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, qui Principes Imperij sunt jure antiquissimo, neminem Principem agnoscunt. Suos hortantur, vt sedes Collegarum tanquam vacantes inuadant, hoc suæ religionis non infimum caput asserunt. Hoc sanè pacem Ciuilem non turbat modo, sed omnino è medio tollit. Hinc cum volent, eâdem arte Imperatorem ipsum aggredientur, si enim qui eum eligunt, qui Comitia indicunt, non sunt Electores, non igitur electio legitima est. Hæc cum ita sint, dubium non est, quin ea doctrina omninò ex finibus Imperij eliminanda sit, quæ occasione pietatis, Imperij omnia membra bello internecino committere elaborat.

Dices forte: Principes diuersæ, à nostra, religionis, aliter sentire. Merito sanè; non credunt illi suis, mendaces sæpè experti? at ego non considero, quid Principum generosus animꝰ, & prudentia præstet, sed quid susurrones, siue vt Lutherani dicunt, in historia mutatæ religionis in Palatinatu, *Serpentes*, in aurẽ illis sibilent. Quid enim si quandoq; Principem nanciscantur, cujus juuentuti imponant? Pax firma non est, vbi tot machinis ingenium Principis, & bonitas, qua sola nititur, oppugnatur.

Ex missione iurisdictionum.

§. 5. Ratio quarta. Non potest esse imperturbata Respublica, vbi contrarijs voluntatibus, & legibus administratur, at tale Imperium efficit prædicantum intemperies. Bellum erit perpetuum spiritale, quomodo igitur esse potest pax temporalis, si eam quoque spiritale bellum affligit? Nempe leges Ecclesiæ ad concionem, ad mysteriorum celebrationem, ad processionem, precesque, & jejunia vocabunt? Qui faciet hic Princeps, si Prædicantem πάρεδρον audiat? Nempe ad curiam, venationem, viarum refectionem, cædenda ligna, aliaque coget, quibus à templo penitus auocetur. Hic cui Domino parebit conscientia oppressorum? Si enim Principis auctoritatem subditus negligat, jam pax interibit politica, si legem Ecclesiæ postponat edicto Principis, labesceet conscientia. Rem exemplo declaremus. Sit Princeps Caluinianus, Superintendens Lutheranus. Hic Anathematismos, ille exilia, carceres, gladium intentet, vterque partes populi trahat, scisso studia in contraria vulgo, pacem ciuilem penitus intercidere necesse est. Princeps doctrinam Lutheranam impiam, hæresin Diabolicam, Superintendentem turbulentum veritatis hostem, omnibus viribus persequendum, exterminandum, excidendum. Superintendens jussa Principis tyrannica, facta crudelia pronunciabit, exterorum Principum Lutheranorum opem serio exspectabit: curia & Ecclesia collidentur, ad Lutheranos impellet ὑπερεπίσκοπος, ad Caluinianos coget Prætoris edictum. Princeps contemptum sui non feret, ne prætor quidem, tanto Principe sæuior, quanta ejus ira ignobilior. Quid hic supereſt, nisi vt arma expediant, hi pro aulâ, illi pro templo. Si Principi pareant, quia jussa religio est, non Dei, sed purpuræ cultus, qui exprimitur ab inuitis. Quæ verò pax est, si cogi te sentias, vt opinioni Principis vitam, atque salutem impendas? Itaque illa non est animorum consensio, & gemitus oppressorum, execratio atque odium victoris, atque in vltionem intenti animi occulta machinatio.

§. 6. Ratio quinta. Belli Prædicantici quotidiana exempla cernimus. Est etenim ea Imperij Romani constitutio, ea jurium, & jurisdictionum permistio,

stio, quæ Ecclesiastrei & Politici status summam concordiam exigit, quæq; facile turbulentorum hominum machinationibus conuellatur. Diuisa sunt inter diuersos, & sæpè æmulos jura, ita cum vna est religio, vix imperturbata pax consistat, nunc verò quum jura communia, & priuilegia in diuersas religiones sparguntur, quæ tribunalium concussiones, quæ pestes justitiæ, puincias letali contagio inuadunt? Quoties illa Germaniæ probra videre cogimur? Hic jurisdictionem ciuilem habet, ille Ecclesiasticam, alius vtramq; prætendit, Lutheranus Lutheranum, Caluinista suæ communionis ministrum obtrudit, interdum alternis vicibus hocagunt. Hinc violentæ immissiones, minaces concussiones, & cum de majoribus agitur prælaturis, cruenta bella. Hic consensio animorum esse nulla potest, nulla confœderatio, cum sæuo & seuero supercilio, prædicantes pacem omnem, imò cessionem aliquam, & ad mitiora consilia inclinationem, quasi conscientiæ aduersam abrumpendam censeant. Inter hæc miserrimi populi, omnium ancipites, ex concertatione dominantium, ambiguam fidem, salutemque suspensam gerunt.

Ex potestate quam Principibus tribuunt Caluinistæ.

§. 7. Ratio sexta. Pacem ciuilem, atque Ecclesiasticam inseparabili nexu, & societate ministri Caluiniani ita deuinciunt, vt separari, si eorum arbitrio res agatur, nullo pacto queant. Reges enim illi, & Principes auctoritate ac potestate Pontificiâ insigniunt, vt potentiæ Politicæ seruiat spiritalis, & spiritalem fulciat Politica. Nam rerum spiritalium judicandarum & gerendarum facultate Principatum donant, & Ecclesiasticam jurisdictionem armant sæculi legibus, exercituque: vt veniant geminâ vi formidabiles. Pareus præfat. in Oseam, cum omnia Episcoporum officia, potestatemque in Illustrissimum Hassiæ Principem contulisset, hisce eum verbis animat, excitatque: *Macte Heros* DIVINE, *age opus Domini, quod agis, fideliter.* Hoc est: Pelle Lutheranos, substitue Caluinistas: hoc enim tum Princeps ille, & seriò quidem, agebat. Hac potestate agendum Principibus suis judicant Caluiniani, hac duplicata vi, & templi, & curiæ, & si obsistatur, castrorum. Non igitur ciuilem pacem seruare possunt, qui ciuilem potatem ad rerum commutationem impellunt, atque eo adigunt, vt præcipuos subditos functionibus, reditibusque exuant, possessione dejiciant, in exilium ire jubeant. Quæ enim inter violentiam propellentium, & gemitum, querelasque migrantium potest esse pax? At bellum non mouerunt Marpurgenses. Prudenter sanè, infirmiores se esse non ignorabant. Mouerunt autem Berlinenses, seu subito furore, seu q victoriam sperarent: Et Marpurgenses aliquando mouebunt, si verum est, quod Consiliarij Saxonici referunt: Omnes Lutheranos, qui sub Caluinistis agunt, seriò exspectare, vt à statib. Confessionis Augustanæ liberentur. Motiua 12. Verba sunt eorum. *Exiguam protestantes imituri essent gratiam, imo execrationes potius, & gemitus aduersum se excitaturi apud eos, qui inter Caluinianos habitant, & à statibus Augustanæ Confessionis breui sese liberandos, & Caluinismum abolendum esse confidunt, serioq; exspectant, siquidem isti auditione perciperent, eos cum Caluinistis eandem iam tibiam inflare, & quinque quod dicitur, esse paria, concedere: quo facto sanè turbis, & motibus haud exiguis in Ecclesia Dei apud Christianos ansa, causaq; præberetur.* Exspectant igitur seriò Lutherani, qui inter Caluinistas habitant, liberationem, & quidem à statibus Augustanæ Confessionis, quæ liberatio, sine pacis violatione fieri non potest, *exspectant seriò abolitionem Caluinismi*, quæ abolitio, an sine bello fieri possit Principum Consiliarijs discutiendum relinquo. Contra Status Augustanæ Confessionis gemerent, execrarentur eos, si pacem inirent cum Caluinistis, ergo nunc Caluinistas execrantur, & contra eos gemunt. Propter q enim vnum quodque est tale, illud est magis tale, Lutherani inter Caluinistas habitantes, execrantur status Lutheranos propter Caluinistas, ergo magis execrantur Caluinistas. Deniq; pax inter Lutheranos & Caluinistas, *turbis & motibus haud exiguis ansam causamq; daret.* Cur autem? Quia Lutherani scil. per eam pacem, spe, & exspectatione suâ exciderent, ideoque à seipsis consilium, auxiliumque peterent. Huc prouecta res est, vt si sibi prædicantes relinquantur, ne pacis quidem mentio, sine belli periculo fieri possit. Quid porrò facturos putemus eos, qui execrantur Principes suos, & liberati ab illis exspectant, si occasionem nanciscantur? Neque ego crediderim Saxonicos Consiliarios hæc temere, & conjecturâ dicere de Lutheranis inter Caluinistas habitantibus, sed habere rem ex occultis fœderibus, &, vt nunc loqui amant, correspondentijs exploratam. Hæc Lutherani. Quid porrò his cognitis machinari Caluinianos suspicemur? Ministros Caluinianos tàm vigilantes, tàm acres injuriarum vindices? tàm cautos pericula præuertendi? tam celeres occupare facinora? tàm in fallendis Lutheranis exercitatos? Hoc nimirum, vt exspectantes, & exspectationem omnem aboleant, id verò quamprimum, ne suam securitatem morentur, ne sit spacium succurrendi confœderatis. Quin idcircò omnia atrocius exequentur, ne in periculis principum suorum lenti esse videantur.

§. 8. Ratio septima. Qui hodie Respublicas, quas vocant Euangelicas, maximè Zvvinglianas, obsident Ministri, ex instituto odia, & contemptum Imperij, excitare enituntur, quæ duo adeò sunt efficaces ad euertendam Rempublicam caussæ, vt nisi Deus ordinis & Magistratuum conditor, ac custos, conatus improbos ac nefarios reprimeret, jam dudum in Germaniâ nullam Imperij speciem haberemus. De Anabaptistis clariùs elucet, quam vt doceri oporteat; gladium enim omnibus Magistratibus, quem illi non frustrà portant, extorquere conantur. De Caluinistis demonstro. Illi odium, & contemptum Imperio conciliare conantur, atque illud omninò euertere, qui hæc consequentia verbis, scriptis, & cum possunt, ACTIBVS docent.

1. *Draconem, seu Dæmonem, dedisse Imperio virtutem & potestatem suam magnam.*

2. *Ecclesiam ab Imperio affligi necessario.*

3. *In Imperio habitare plenitudinem Diabolismi.*

4. *Imperium quod nunc est, esse bestiam septicipitem, Apocal. 13. 3.*

5. *Admirari bestiam, esse, Imperij successum, & felicitatem admirari, Augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale prædicantes.*

6. *Draconem ornamenta sua affingere Imperio.*

7. *Admirari nimium Maiestatem, & felicitatem Imperii Romani esse dæmonem adorare.*

8. *Pontificem dum Imperium tuetur, retinere homines in cultu prioris bestiæ Apocalypticæ.*

9. *Adorare bestiam nihil aliud esse, quam velle Imperium sacrosanctum, Augustum, & Venerabile esse, vti olim sub gentilibus fuit.*

At verò hæc docent Caluiniani, Graserus in plagâ regiâ, Benedictus Aretius in 13. Apoc. &c.

Ex instituto igitur Imperium Romanum euertere conantur.

Non igitur, nisi turbones illi, & Gracchi coërceantur, potest esse stabilis in Imperio Romano pax. Minor propositio ex eorum scriptis patet, loca citata libello *de incremento hæreseon*, quo lectorem remitto. Majorem si quis neget, non dubito, quin eum omnes aut insanum, aut summe impudentem judicaturi sint. Nec tamen alio modo probare necesse est, quàm

quam experientia. Nam si doctrina illa non est contumeliosa in Cæsares Augustos, si non est seditiosa, & paci, atque concordiæ inimicissima, age conuerso nomine de alijs Rebuspublicis illa narret quispiam. Dicat *Draconem seu dæmonem dedisse potestatem suam magnam Tigurinis, Bernatibus, Britanno, Bullionio, Batauis, ab illis necessario affligi Ecclesiam. In illis habitare plenitudinem diabolismi. Admirari bestiam esse successus, & felicitatem illorum admirari*, hæc, atq; alia, Tiguri, Bernæ, Londini, Sedani, Hagæ-Comitis concionetur, atque typis euulget, nonne in illum toto mundo concita tormenta tuent? Nonne in illum hominem velut pestiferam Reipubl. facem Oceanum ipsum ruptis aggeribus effundere conarentur? Vix mihi securus videor, q. docendi causâ exemplis hisce vtor, quanquam quæ mea hic culpa est? Dicunt hæc contra Imperium Caluinistæ, ajo seditiosa esse dicta, quia si in Heluetios, Batauos, Britannos dicerentur, seditiosa esse censerentur: ergo sunt etiam seditiosa, cun dicuntur contra Imperatores, Electores, Principes q; Imperij. Tollenda igitur illa doctrina, si pax quæritur ciuilis, & Ecclesiastica. Non tolerandi illi, qui his dictis ostendunt, res suas nisi ruinâ imperij saluas esse non posse.

§. 9. Ratio octaua. Quem tandem Imperatorem, aut quem omnino Principem ferre posset, hujusmodi beluæ? Cuius ille professionis, aut fidei esse poterit? Sed finio, & concludo. Pacem Reipub. Germanicæ, pacem nationis imperantis ciuilem non posse consistere nisi turbatoribus illis ministris frenum injiciatur, aut si quæ constituatur, eam fore breuem, intutam, infidam, plenam suspicionibus, odijs, inimicitijs, quæq; à bello haud multum absit, cum sit perpetua quędam belli exspectatio, atq; præparatio. Eâ solum causâ, quod Ministri Caluiniani, non contenti præsentibus, nec legum, & juris communis patientes in omnem occasionem intenti, aduigilent, vt res suas augeant, Lutheranos circumueniant, Catholicos exurant, ac deuorent.

Caput XIX.

Experientia docet religionum dissidia pacem Reipublicæ turbare.

Aegyptii cur tot nouos Deos habuerint?

§. 1. Non prauo duntaxat, sed stulto etiam consilio, tristissimo euentu, Reges Ægyptiorum varia Deorum, & opinionum monstra induxerunt, vt perpetuò dissidio, & pugnis inter se dimicantes, conspirare nunq̃ possent. Diod. Sicul. l. 11. Prauum planè, & tyrannicum, subditorum sanguine, & quasi gladiatoriis spectaculis sceptrum stabilire velle, & regiæ Majestatis causa, quæ saluti & iucolumitati omnium instituta est, vitam populi salutēq; euerti. Verè erant illi Δημοβόροι βασιλεῖς, Reges populi voratores, quorum diadema sine sanguine suorum stare non poterat. Imò & miseræ gentes, q̃ ne conspirarēt, pugnare cogebantur. Tot cadauera raptabantur, ne fatalis fascia concideret. Stultum etiam fuisse consilium, & de vertiginoso Spiritu, quem Dominus miscuit Ægypto, cum ex natura rei constat, tum euentu. Illi quidem vtranq; factionem crudeli calliditate regibus obnoxiam reddere studebant, sed vtrisq; reges exòsos fecerunt, & cum perpetuis inter se factionibus dissiderent, eo rudimento contra Reges inuisos conspirare didicerunt. Rex enim cum omnium voluntati obsequi non possit, necesse est, vt alteram partem offendat: quod si modo hanc, modo illam foueat, victricem deprimat, victam subleuet, vt semper, & vires, & animus pugnantibus suppetat, quis dubitare potest, quin vtraq; se læsam arbitretur, & regem non justitia, sed libidine, subjectorum fata librare judicent? Itaq; nullo in regno fuere frequentiores, & fœdiores regum lanienæ, donec ipsa Ægyptus in duo regna aduersa est diuisa, & facillimo semper negocio subacta est, quanquam omnibus regnis natura loci, multitudine bellatorum, commeatuum abundantia præstaret. Plus vna Tyrus restitit, quàm tota Ægyptus, nam Ezech. 29. 18. Ægyptus datur pro mercede exercitui Nabuchodonosoris, pro labore quem ad Tyrum exantlauit. Deinde facilè à Persis, Græcis, Romanis subacti atq; exhausti sunt, nam Ægyptum intrasse, vicisse erat. Hic conatus est Stentorium hujus æui, semper aliquid moliri, semper alteri parti nocere.

Vide lib. 2.

Dissidijs Ægyptus perijt.

§. 2. Multo sapientius in suo, quem ad boni Principis exemplum scripsit, Cyro, judicauit Xenophon, l. 8. pæd. ἐλογίζετο ὡς εἰ πάντες οἱ κοινωνοῦντες θεσμῶν εἶεν, τίνων ἂν αὐτοὺς ἐθέλοι πρὸς ἀλλήλους ἀνοσιώτερα ποιεῖν, ἢ πρὸς αὐτόν. *Existimabat Cyrus, si omnes familiares pij essent, minus eos aut inter se aliquid impium patraturos, aut in ipsum.* Sapienter profectò, & politicè, imò etiam sanctè, si de vero Deo loqui illi datum esset. Quid n. si Deum fandi atq; nefandi vindicem putet, ac metuat, non facile manus abstinebit injuria? At quomodo ciuibus suis aut regib. parcent, si eos impios judicent, & patronos impiorum, conrra quos bella non justa modo, & licita, sed jussa etiam & sancta arbitrantur?

Religio mutata semper imperia traxit.

§. 3. Et ne singula persequar, Orientem, & Occidentem primo religio, deinde orta ex disputationib⁹ bella separarunt, & quod in Germania imperium habemus, de fidei prærogatiua, deficientib. Græcis, accepimus, à Caroli Magni tempore vix hæresis aliqua robustior fuit, quæ non bella excitarit. Quas clades dedit Henricorum temporibus hæresis Simoniana? deinde Albigenses, cæterique, & proauorum memoria Hussitę? nonne magis etiam ecclesiā afflixerunt? De nostris malis silere præstat, q̃ verbis renouare dolorem. Agrestium accensus furor, & suo sanguine exstinctus. Principum in Cæsarem bellum, & pœna, *ciuitatum liberarum*, vt inquit Melanchthon, *à suis Principibus desertio & proditio.* Brandeburgica vastitas, Bella Argentinēsia, Colonienſia, Belgica, Francica, Hugonoticæ crudelitates, Anglicanæ lanienæ, & Scoticæ, Suecica rebellio. Transyluanicæ vastationes, Vngaricæ clades, & quas primo loco nominasse oportuit Zwinglianæ in Heluetici s acies. Alia exspectare non possumus, maxime cum Pareus in c. 13. Epist. ad Roman. & Braumbomus lib. 10. Florum Flaminiorum, neget cum Papa & Papistis esse posse fœdus, bellum æternum à Deo jussum.

Caput XX.

Concordia religionum Principi commendata.

Aduersa paci.

§. 1. Ea de re l. 2. partim egi, partim hic agendum. Ibi concordiam suasi, hic de seditionibus ex discordia natis verè solideq; sedandis tracto, quæ etjam de pace Germaniæ suasi. Caritati contrarium est odium, atq; auersio à proximo, ex quo aliæ pestes, & flagitia oriuntur, nempè *discordia, contentio, bellum, rixa, seditio, schisma*, quæ pacem omninò è medio tollunt, & cum vrbem inuaserunt, malitia sua bonitatem pacis ostendunt. *Quid in nostrâ doctrinâ præstantissimum est? Pax, addam etiam vtilissimum. Contra verò quid turpissimum, & pernicioſissimum? voluntatum diuunctio.* Gregor. Nazianzen. de moderatione in disputationibus habenda.

Sunt ex eodem fonte illa omnia, odio scilicet: discordia voluntatum, contentio verborum, cætera rerum pugnæ sunt.

§. 2. Discor-

Discordia quid.

§. 2. Discordia graue omninò vitium est, ea enim dissensio est voluntatis à voluntate proximi circa bonum diuinum, vel proximi, quod velle & optare illi tenemur. Actus odij, & quidem primarius, cum quispiam id cui proximus optimâ voluntate amplectitur, quodq; ei velle, vel etiam tribuere & procurare tenetur, id malitiosè, quantum in se est, si opere non potest, voluntate oppugnat: Itaq; Apostolus (Gal. 5. 20) dissensiones inter *manifesta opera carnis*, quę regno cœlorum excludunt, recenset. *Quoniam qui in discordiâ fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à filio, nihilominus à sancto Spiritu alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, q. datæ legis contempserit bonum, nec poterit ad hæreditatem Domini peruenire, qui testamentum noluerit obseruare nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano. Contumaciæ enim crimen est, quod iubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imperatum est declinare. Quid tibi commune cum discordia Christiane? Quid simultates amas, quod auctori pacis placere non potuit? Quid exerces inimicitias, quas euadere nec potuit ille, qui primus inuenit?*

Pax naturalis.

§. 3. Verum concordiam maximè nobis commendat, & dissensiones arguit, si ratio taceat, ipsa natura. *Nihil enim est quam hoc genus (humanum) tam discordiosum vitio, tàm sociale naturâ. Neq; commodius contra vitium discordiæ, vel cauendũ ne existeret, vel sanandum cum exstitisset, natura loqueretur humana: quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare voluit vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas seruaretur.*

Ex animo odijs imbuto, atq; æstuante ebullientis discordiæ spuma quædam, & pestifer halitus est contentio, cum is qui discors est ad oppugnandam veritatem cum proximo altercatur. Contra veritatem, inquam, nam quæ pro veritate suscipitur dimicatio, si modestè & instruendi studio comitata sit, non modo laudabilis est, sed sæpenumero necessaria, vel ne justitia opprimatur, vel ne religio indefensa deseratur. Nullum vitium hodie vulgatius, nullum majore in laude, & apud aduersarios nostros in precio. Quid n. innumeri libelli famosi? quid picturæ? qd alia, nisi de contentione & oppugnatione veritatis? Quid aliud agunt, quam vt de religione altercando, nomen etiam Christianitatis amittant? Quis enim ex illis est, qui loquatur cum diuinis Scripturis sine contentione pacatus, non inani ac puerili animositate studens alterum vincere? cujus in corde pax vincit? Sed de contentionib. hæreticorum satis dictum libro: De *Vnione Euangelicorum*, & altero, qui est, *de Syncretismo*.

Discordia, & contentio cum inualuerint, bella, rixas, seditiones, schismata pariunt. Bella cum inter Principes & Respublicas pugna est, cum inter priuatos rixa, inter ciues seditio, in Ecclesia Schisma, quod ferè semper in hæresin desinit. Quæ omnia vtinam explicanda sermone essent. Vtinam esset ea temporum nostrorum felicitas, vt è libris potius mala esse disceremus, quam facto ipso sentiremus.

Principis circa Religionem officia.

§. 4. Principis vel prima cura est sacra tueri, religionem augere; non tamen vt sit controuersiarum judex, sed agnitæ & probatæ veritatis patronus: nec enim in templo posse debet, quod in prætorio, nec fidei subditorum dominari, sed perfidiam persequi. Qui enim sic Principem suum formant, vt nec ipse religioni sit certæ deditus, nec aliorum curam suscipiat, Epicuræum, aut Diagoræum aliquem Reipublicæ imponunt, in quo primum nunquam id cui sibi proponunt, consequentur, vt hominem Atheum vel amet, vel suspiciat populus. Deinde pacem, de qua agimus omninò perturbabit hæc, quam permittet Princeps, licentia. Incerta enim omnia, sacras cærimonias, & quicquid certissimum esse debebat, faciet

Princeps politicus omnia incerta facit.

Principis Politicismus. Equidem merito miseros judicamus populos, quos intra vnius hominis ætatem, ter, quaterq; in varias sectas suorum dominorum imperia traxêre. Dum Principis errores partim sponte, partim inductione, & minis vulgus amplectitur. Sunt n. illi necessario sine religione, quos sola Principum mouet auctoritas, vel impellit potentia. Multo tamen est deterior illorum conditio, quos Machiauelli institutis premit contemptor diuum tyrannus. Princeps hæreticus ex errore suo diuexat subjectos, Machiauellicus ex rationib. lucri, vel dispendii, hos auaritia, ambitio: illos superstitio gubernat, nemo suæ religionis securus esse potest, quæ ex tot casibus dependet, plus tamen est in Machiauellico Princip. vu mutabilitatis. Superstitionis enim & hæreseon ferè tenaciores sunt, cum verò ad emolumenta sua & dignitatem, populi religionem sui referunt, necesse est, si status, aut ratio vtilitatis mutetur, Religionis etiam mutationem sequi. Si n. politicus imperet Lutheranæ plebi, & sit ipse non fide, sed commodi sui causâ subjectis concors, quia expediat Principem Lutheranorum, videri Lutheranum esse: nemo non intelligit mutata ratione vtilitatis, mutaturũ non fidem, quam nullam habet, sed simulationem fidei, quæ solâ vtilitate mouetur. Huic tali affer spem majoris dignitatis ac potentiæ, subitò non Caluinista modo, & atheus, sed Turca etiam euadet. Non potest sub tali Principe esse pax vel Reipublicæ, vel Ecclesiæ, cui ad suam vtilitatem omnia referenti nemo fidem habere potest. Cui cũ expediet, formas omnes religionum induet, imò in suæ etiam religionis consortes sæuiet. Nec modo varietatis, & inconstantiæ periculo obnoxij sunt populi, cum vera vtilitas Principem aliò detorserit, sed etiam cum falsa ejus species oblata fuerit. Publico igitur pessimo semper Principes irreligiosi regnum tenuerunt, & seipsi, Deo stultam faciente sapientiam hujus mundi, subuerterunt. Merito sanè: quibus quæstui sunt animæ suorum, quibus ludibrio est Deus. Perfidiosi sunt, & nefarij tales, etiam in humanâ societate, nam ἀκύρων γιγνομβύων τῶν ζωθηκῶν ἀνήρηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων. *Irritis pactis tollitur inter homines mutuus vsus.* Arist. lib. 1. Rhet. c. 15. At illi hæc omnia tollunt, cum numen esse negant, nempe

In Principe atheo summa mutabilitas.

οἷσιν ἔτι βωμὸς ἔτε πίστις, ἐδ' ὅρκος μόνος:
Quibus nec ara, nec fides, nec iusiurandum firmum est.

Aristoph. in Acharn. *Qui omnia recta, & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur.* Nunquam illos causa deficiet, cur veterem simulationem abjurent, nouam simulent, non erit difficile latebras perjurio quærere, cum jam didicerint cupiditatibus suis, fraudibusque, justi & honesti speciem imponere. Oportet igitur Principem religiosum esse, verum de Deo sensum tenere, verum Deo cultum exhibere, & gentem sibi commissam non armis modo tueri, justitiâ componere, clementiâ fouere, sed religione etiam, quod summum est humani pectoris bonum, instruere ac confirmare.

Cur enim non colant Principes, quum norint regnum à Deo sibi datum? ab eodem cum voluerit, auferri posse? A Deo enim

Regna in manu Dei.

Condita pergunt
Ordine quæq; suo, rerumq; à Principe cursu
Fixa manent.

Idem est Deus magnorum imperiorum, & mapalium arbiter, tàm facili nutu marmorea palatia, quam humiles casas euertit. Eodem à filo pendent fortia, & infirma, lapsura si manum remiserit is, qui montes ponderat in statera. Hinc inopinato plerunq;, & improuiso exitu regna concidunt, quia prouidentiam Numinis spernunt. Magnas res à minimis pendere voluit rerum creator, ne quispiam suâ magnitudine

elatus parua negligeret, multo minus eum à quo magna sunt, & parua. Colendus ergo Principibus ille, per quem regnant & viuunt. Solius igitur Dei consilio, non humanis artibus ô Principes dominatio vestra nititur, nec cautio, nec timor negocioſus ad rem facit.

Humana prudentia ad ea seruanda non sufficit.

Multi ad fatum venêre suum
Dum fata timent.
Multos in summa pericula misit,
Venturi timor ipse mali.

Monet Principes ipse Deus: *Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* (1. Regum c. 2. 30.) Quam nobilis Dauid colendo Deum? quam Jeroboamus ignobilis? Videmus itaq; *omnia prosperè euenire colentibus Deum, aduersa spernentibus*, pijs enim etiam ipsæ calamitates conuertuntur in bonum, impijs prospera sua causæ sunt miseriarum.

Tolluntur enim in altum
Vt lapsu grauiore ruant:

§. 6. Non modo necessum est Principem esse religioſum, & ad colendum Numen exemplo, edictisque ciues suos inducere, verum decorum imperio, ac planè regium. Δεῖ γὰρ τὸ ἄριστον ὑπὸ τοῦ ἀρίστου πρᾶττω, καὶ τὸ ἀγεμονεῦν ὑπὸ τοῦ ἀγεμονευμένου. *Optimum, Numen scilicet, ab optimo & præstantißimo quod in rebus creatis est, at eum qui gubernat, ab illis qui gubernantur honorari oportet.* Sunt a. Reges & Principes optima pars mundi, per quos etiamsi mali sint, plurima tamen mala præpediuntur, q humani generis societatem, atq; in columitatem tuentur, proximi sunt Deo, quapropter & dij vocantur, & merito Dij, si per eos diuina Majestas vindicatur.

Finis imperii salus atque ideò religio.

Quod si verò etiam ciuium salus, & Reipubl. tranquillitas curę est, vt esse debet, & vel præcipuè debet, non potest non in eam incumbere Christianus Princeps, at illa sine religione, non modo nulla esse potest, sed ne desiderari quidem, vsq; adeò vt etiã impij negatores, populos feroces & rudes, religionis metu continendos esse censuerint; sine religione & metu Deorum enim non putabant sibi jura sua fore salua. Quid igitur regi pio & Ecclesiæ nutricio faciendum, ratio docebit.

Mutata religione Monarchia tollitur, & alia imperia.

§. 7. Accedit quod si religio absit, vita hominum stultitiâ, scelere, immanitate compleatur, (Lact. de ira cap. 8.) è mundo tollatur promissorum veritas, juramentorum sanctitas, omnis pactionum & commerciorum fides, quæ impietas, atque audacia in ipsos tandem Mezentios, atq; Numinis contemptores insurgit. Nam religio & timor Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem. (Lactantius de irâ c. 12.) Aurea sententia est Mecœnatis ad Augustum, si à superstitione ad veram religionem traducatur. Τὸ μὲν θεῖον πάντῃ πάντως αὐτός γε σέβου καὶ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε. τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ καὶ κόλαζε μὴ μόνων τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας, ἴσως ἄλλο ἄν τι καὶ περὶ μικρὸν ἁμάρτοι· ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀνῆσι φέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν. Κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ ξυστάσεις ἑταιρίαί τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει. *Diuinum Numen omni modo, atq; omni tempore secundum ritus patrios cole, atq; ad eius cultum alios compelle, eos verò qui circa illud aliquid innouant, odio habe & coerce, non Deorum solùm causâ, quos qui contemnit, nihil aliud magni fecerit. Sed quia noua quædam dæmonia introducentes, multos impellunt ad rerum mutationem. Vnde conjurationes, seditiones, conciliabula existunt, res profectò minimè conducibiles Monarchiæ.* Hæc si homo voluptarius, & impius de vero veri Dei cultu pronunciaret, consilium tum prudens, tum sanctum daret. Vera enim religione in rebus humanis nihil præstantius, ideò summa cura eam defendi oportet.

§. 8. Quantum odio sint athei semperq; fuerint non exteris modo, & vicinis, sed subditis etiam, & familiaribus, qui tyrannidis participes sunt, & vetera, & recentia nos multa docent. Tota Jeroboami familia à Baasa Rege deleta est, Baasæ omne genus à Zambri, hic desperato regno & vita, se ipse cum palatio exussit, instante victore Amri, cujus familia penitus excisa est, Jehu etiam, quamuis ad quartam generationem posteritas ejus regnarit, in Zacharia tandem punitus est, Sellum à Manahemo occisus, Phaceia filius Manahemi à Phacee, hic ab Osee interfectus, ille vltimus Regum Israël fuit. Ecce tibi omnes Reges non Persarum, aut Scytharum, sed Israëlis à Juda diuisi, ad vnum omnes impij, omnes vel occisi, vel posteritate deleta pœnas dederunt. Habuerunt præfectos, & subditos infideles, quia Deo fidem omnes violarant. Hæc satis Principi, plura si quis volet, consulat eos, quorum hac de re Commentarij extant.

Mouere hæc merito Principem magnoperè debent, maximè quod hæresis res inquieta est, & concionatores ejus administri turbulenti veritatis hostes, horum superstitio perpetuò augetur, donec in omnia fœda exeat, adeò vt seipsam ferre nequeat, hinc olim & illa monstra errorum, hinc Circumcelliones in sanguinem suum sæui, hinc nostri temporis Libertini & Anabaptistæ, verum de hisce libello, *de hæreseon incremento* satis à me actum est.

Cura religionis inprimis habenda.

Neque excusant Principes effusæ in Reipublicæ gubernationem, & justitiam administrandam occupationes, cum regiminis legitimi caput, sit pietas, moresq; ciuium, quibus si quasi secundarijs animum adjiciant, eosq; Doctores qui nouitate aliqua placere malunt, quam veritate ædificare, importunè foueant, aut dissimulent, quasi non magna Reipub. detrimenta, magnis se calamitatibus inuoluunt, sic Constantinus Princeps bonus, Imperio, & posteris incautè nocuit, sic multi nostro tempore serpentes alunt, quibus mox integræ prouinciæ letaliter venenatæ occidant. Nonnè vnus Peucerus cum duobus Saxonici Electoris Confessarijs inscio Principe penè totam Saxoniam Caluinismo repleuerat? Nonnè vnus nuper Crellius etiam eandem ferè sanguine ciuium, & nobilium profuderat?

Caput XXI.

Discordiarum suarum incommoda ipsos Sectarios sentire.

§. 1. De illis ita canit is, qui vel flagitio concordiam suadere studuit.

Incommoda discordiæ, Euangelicorum.

Non mihi si centum linguæ sint, oraq; centum
Schismatis insandos valeam memorare dolores.

Meritò igitur perorat:

Nulla salus bello, pacem deposcimus omnes.

Equidem cum omnis ira acerbior, intimo odio, & corde concepta, atque ex ea natum, actumque bellum tætrum sit, atque nocens, tum verò illud de religione dissidium pertinacissimum, & furiosissimum esse consueuit, quod homines præcipuè audacia, scelere, atq; immanitate planè efferos reddere jam dudum cernimus; nam omnia facinora religioni deputant, & quod in capitalibus bellis gentiles olim barbarum judicarunt, hoc in litibus suis hæretici putant esse sanctum, prævaricator habetur, quisquis non furit, pro transfuga est, si moderationem pacemq; suadere quispiam audeat. Hinc

Æterna semper odia Caluinistæ agunt,
Nec cœptus vnquam cedit ex animis furor,
Sed arma felix retinet, infelix parat.

Nihil

Nihil relinquit bella, iam vastiùs ager
Hinc squalet arvis, subdita tectis face
Altus sepultas obruit gentes cinis.

Sed belli Euangelici incommoda narrantem audiamus Syncretistiam.

Discordiis hæreticorũ crescit Ecclesia.

Incommodum primum. *Papistæ funestis Euangelicorum dissidiis absterrentur à doctrinâ Euangelicorum, ceu hæreticâ, Satanicâ, seditiosâ.* Fortè est illud, hæreseos in omnia grassantis, & opportunũ frenũ, magnũ Ecclesiæ Catholicæ emolumentum, quæ etsi æternæ veritatis reuelatione illustretur, nec fidei suæ firmamenta esse judicet errores pereuntium, æstimatione tamen alienæ discordiæ, suam sibi consensionem gratulatur, & cognitis aberrantium bellis, suorũ pacem auidius amplectitur, arctius custodit, seuerius exigit. Non nititur vestris malis causſæ nostræ bonitas, sed clarescit tamen, & comprobatur. Causam Euangelicorum probare non possumus, quam semper Euangelicorum pars aliqua, sæpenumero præcipua, & numerosior execratur. Agnoscimus ô magne concertationum furiosarum judex, & arbiter Deus, tuam in nos beneuolentiam, qui eâ fidei soliditate Ecclesiam fundasti, *vt aduersus illam inferi non modo præualere non possint*, verum etiam portas illas in se mutuo collidi permisisti, & duritiam frangere, vt minore impetu, molliore concussu Ecclesiæ muros verberent. Ita est, ô increata, Creatrix sapientia, fluctum aduerso fluctu retundis, vt domito furore Petreiæ ratis latera sic incurrant, vt simul euehant. Nec timenda hæresis in vnum Syncretismum omnis conjurata, quia Ecclesiæ suæ victoriam cœleste oraculum addixit.

Hæreses mutuo consistu pereunt.

Satanicam doctrinam tuam à nobis haberi doles? Vnde igitur iræ tantæ, calumniæ, execrationes, cædes, lanienæ, si non ab orco? Quid verò Luthero facies, *qui vos Diabolos incarnatos esse*? Quid Albero, *qui obsessos à dæmone*? Quid vestris Doctoribus, qui se mutuo *Atheismi, Turcismi, Manichæismi, Borborismi reos peragunt*? Redite in gratiam, & vestram in animis nostris existimationem recuperate. De domo vestrâ opprobria extulistis, quod dicimus domi semper audiris.

Caluinistæ seditiosi.

Seditionum suspectos jam vos olim Lutherani fecerunt, qui vestros Principes, te teste accusarunt. *Quod cum Turcâ aduersus imperium non dissimulanter colludant.* Epist. dedic. ad controuersiam Eucharisticam. Sed de turbato imperij statu agere non est meum, præsertim cùm Lutheranis tu gladium mineris. Malo igitur Lutherum, quem tu *Euangelij vindicem, & Dei seruum* appellas, tibi testem ferte, ejus tibi testimonium recipiendum est, cum testem ipse laudaueris: Jam senex Anno scil. 61. sic testatus est. *Ego qui alterum pedem iam in sepulchro habeo, hoc testimonium, atq; gloriationem hanc ad tribunal Domini ac Liberatoris mei Iesu Christi perferam, quod Fanaticos, & hostes Sacramenti Carolstadium, Zvvinglium, Oecolampadium, Stenckfeldium, eorumq; discipulos Tiguri, aut vbicunq; tandem sint loci toto pectore damnarim atq; vitarim.*

§. 2. Incommodum secundum. *Quid Iudæis scandalum posuit nisi ipsa?*

Hæresis Iudæos auertit à fide.

Jam olim infelicibus Judæis, & gentilibus offensionem exitiosam variarum hæreseon colluuies attulit, earum spurcities Christianum nomen vniuersum ab incunabulis religionis mundo exosum reddidit, Nicolaitarum, Menandrianorum, Carpocratianorum, Marcionitarum, Montanistarum, Manichæorum turpitudines, paradoxa, veneficia, parricidia, Enthusiasmi omnibus imputabantur, quique innocentiam, suam Deo probarant, alieni sceleris odio, apud homines flagrabant, manent illa, vel reuiuiscunt in nouis sectarijs scandala, semperq; vt facto, ita exemplo peccatur. Obdurantur Judæi non vestra magis dissensione, quam absurditate dogmatum. Deum vnum esse illi vtcunq; agnoscunt, illi Deo perpetuò ingeminant: *Quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*, cùm vero à vobis audiunt eum ad flagitia esse *decretorem, procuratorem, motorem, impulsorem, coactorem*, mox Lutheranis credunt dicentibus: *Deum illum esse sanguinarium Moloch, ipsissimum Diabolum.* Iterum cum audiunt; *vos omnibus in sceleribus, iustos, sanctos, Deo caros esse*, bestias vos esse suspicantur. Credunt Arminio, Bertio, cæteris vestris Doctoribus, *Caluinismum rigidum ob paradoxa sua apud omnes gentes infamem esse.* Hinc igitur à vobis scandala sunt, non tàm dissensionis in errore, quàm ipsius erroris. Non enim quia in tanto opinionis flagitio non consentitis, illi offenduntur, verum omninò indignantur, hominem inueniri vel tàm amentem qui ista credat, vel tàm audacem, qui proferre non reformidet. In principio aberrare nõ oportuit, sera est in exitio querela, τὸ πραχθὲν ἐστιν ἀνυπένθυνον, ꝙ factum est, corrigi non potest, tàm diuersa sectatos in vnum errorem aberrare vos non posse cognoscunt, in tenebris palabundi discurritis, & quomodo in vnum scopulum potestis impingere? Non igitur diuersitate peccati, sed ipsa absurditate, grauitate, immanitate sceleris scandalum Iudæis ponitis.

§. 3. Incommodum tertium. *Quid Turcarum, & Tartarorum Acinaces aduersus Christianum orbem exacuit, & adusq; Germaniæ, & Italiæ limina pertraxit, nisi inde quidem horribilis Papistarum Idolomania, hinc verò Euangelicorum, tùm peccata alia, tùm fatales rixæ, atq; conflictus, quibus caritas fraterna conculcata, pax intestina conturbata, Erinnys furialis attracta, animi omnium ordinum dissociati, & exulcerati, consilia salutaria dissipata, afflictissima deniq; Ecclesia domi forisq; prodita hostibus fuit?* Hæreses Turcis prosunt.

Causam Turcicarum virium, & victoriarum contra Imperium obtentarum geminam adducit. *Papistarum*, vt vocat, *Idolomaniam, & Euangelicorum scelera ac furias.* De primâ negamus: nullius Idolomaniæ nobis conscij sumus, idola non modo detestamur, verum magnis periculis, assiduo labore eam ex vtraque India, Africa, Sinis, Iaponiâ exterminare conamur. De alterâ cum ipsi fateamini, nõ est nostrum inficiari, cur enim verba pro reis confessis, atque suo ipsius judicio conuictis faciam? Habent domesticum, & continua munitione vellicantem testem, conscientiam: Contra eam dicere nec mei instituti est, nec ipsi supprimere, nec silentium imponere illi possunt. Et si tortor ille domesticus aliquando cesset, non tamen Lutherani conquiescere eos permittunt. *Ex quibus*, (vt ipse Pareus queritur præfation. in controuersiam Eucharisticam) *nuper aulicus quidam Stentor publico scripto non erubuit auctor esse, vt in comitiis potius sese Papistis, quam orthodoxis Caluinistis coniungeret, duabus allatis rationibus, vna Theologica. Quod Lutherani cum Papistis in pluribus consentiant, quam cum Caluinianis, quos vocat: Alterâ ciuili, quod cum Papa pro tuendo imperio Romano vires conferat: Principes verò Caluiniani cum Turca aduersus imperium non dissimulanter colludant: quarum posterior quidem longe aliter quàm meo calamo refutari meretur.* Se reos fari, cur ea verba pro reis confessis, atque suo ipsius judicio conuictis faciam? Habent domesticum, & continua munitione vellicantem testem, conscientiam: Contra eam dicere nec mei instituti est, nec ipsi supprimere, nec silentium imponere illi possunt. Et si tortor ille domesticus aliquando cesset, non tamen Lutherani conquiescere eos permittunt. Ex quibus, (vt ipse Pareus queritur præfation. in controuersiam Eucharisticam) nuper aulicus quidam Stentor publico scripto non erubuit auctor esse, vt in comitiis potius sese Papistis, quam orthodoxis Caluinistis coniungeret, duabus allatis rationibus, vna Theologica. Quod Lutherani cum Papistis in pluribus consentiant, quam cum Caluinianis, quos vocat: Alterâ ciuili, quod cum Papa pro tuendo imperio Romano vires conferat: Principes verò Caluiniani cum Turca aduersus imperium non dissimulanter colludant: quarum posterior quidem longe aliter quàm meo calamo refutari meretur. Lutherani tentur Caluinistæ. Caluinistas Turcismi accusant.

Quas ad rei tàm grauis, tàm periculosæ probationem rationes adferant Lutherani, mihi curæ esse non debet, memini tamen legere me responsum Principum Germanorum ad legationem Segurianam; *Innotuisse iam non Christianis tantum, sed & ipsi Turcarum Imperatori ausus vestrorum, quos etsi in perniciem Christianorum omnium furere cupiat aduersus Hispanum, non posse tamen rei æquitate clamante probare.* Responsio Protestantium ad legationem Segurij. Et paulò pòst ijdem Principes: *Et vidistis* (inquiunt) *ne vnquam ex Caluinistis vnum, qui ensem strinxerit pro Christiana Republica, vel in nauali illa classe, quam Romanus Pontifex, Hispanus, & Veneti comparârunt aduersus Turcam: vel cum Melita à*

Dracute oppugnabatur? Quin verò contra potius peruolarunt ad Mauros excitandos, vt in Hispaniam traijcerent: atq; ad Turcas impellendos, ne Christiana Respublica conquiesceret: ac deniq; ad Reges variis artibus obtruncandos. Et paulò pòst: *Vnde autem aduersus Turcam præsidia comparabimus, si Pontificii nobis desint, qui semper hac in re nobis affuêre, &c. A Caluinianis autem quid exspectandum sit, & N. dixit, & facilè intelligunt omnes, aut eos irritare Turcas aduersus Christianos, &c.* Hæc Principum judicia quo fundamento nitantur, non est meum inquirere, scio vitanda præluſtria,

Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

Interim quid miniſtri Caluiniani ſentiant ſine fraude, ſine noxâ in medium proferre mihi quoque integrum eſſe debet. FREDERICVS BRAVNBOMVS in prolegom. Florum Flaminiorum, cum dixiſſet p. 15. *Etiam Sultanica arma iam nunc ab Eccleſia faceſſitura*, mox ſubjungit. *Præparemus nos ad bellum, non tam Turcicum, Hungaria nunquam potietur Sultanus: quia ea ex prouinciis Romanis nunquam fuit ditionis Conſtantinopolitanæ, aut Babylonicæ, aut Arabicæ, quàm ad inſtans bellum Romanum, & expeditionem omnium acerrimam.*

Hoc Selymus velit, & magno mercentur Ottomanni. O Salus Germaniæ, quam ſtas in lubrico, quam graui odio impeteris? Quæ monſtra ſinu tuo complecteris? quas viperas educis? Turca Græciam tenet, Tranſyluaniam enerauit, Vngariæ partem magnam oppreſſit, Auſtriam pulſat, & Stiriam, Marchionatui Brandeburgico imminet, & Propheta PHAEHOFFENSIS in hoſtem tam atrocem, tam inquietum, tam ingenio callidum, alieni appetentiſſimum, Chriſtiano nomini infeſtiſſimum, in omnem occaſionem nocendi intentiſſimum, fœderibus, vt aſtragulis ludentem, qui nihil turpe ſibi ducit, quod lucroſum eſt, in eum, in quam, hoſtem armari nos vetat, in Pontificem, Epiſcopos, Principes, Regesque Catholicos, & ipſum Imperatorem ſubditos irritat: quis neſciat,

Quid ſtruat his cœptis, quem ſi fortuna ſequetur,

In ſeſe mutuo vires, arma, ſanguinemque inſument Germani, vt attritis, ſparſis, diſcordibus, ſemiſaucijs victor, & exultabundus jugum Turcus imponat, opesque, vxores, & liberos, atque adeo eam, quæ ſupereſt, fidem, ſine pugnâ & labore auferat. Doleo iſta dicenda fuiſſe, nec tacendum tamen fuit, vt orthodoxis manifeſtum fiat, de Caluinianis, quid Lutherani ſentiant.

Offendunt infirmos.

§. 4. Incommodum quartum. Offenſiones infirmorum. Ego verò etiam addo grauiſſimos lapſus, horribiles exitus fortiſſimorum, quos vel Zvvingliana crudelitas in aciem rapuit morituros, vel Lutherana licentia fregit in voluptates. *Hinc enim ſcandala, & praui mores, luxus, auaritia, ſcortatio, contentio, ebrietas, & id genus vitia cum ſummo Chriſtiani nominis dedecore paſſim graſſantur*, vt ipſe aduerſarius queritur proœmio in 1. Cor. *Hinc* vt idem agnoſcit eodem loco, *Doctorum ambitio, auditorum leuitas, profaniſſima vita, ſecuritas, contemptus Dei, contemptus omnis ordinis, Epicurea profanitas.*

§. 5. Incommodum quintum. *Tot prouinciarum, & fidelium Doctorum, & confeſſorum condemnationes, exilia, carceres, perſecutiones, cædes deniq; & ſepulchrorum vaſtationes.*

Hæretici in ſe mutuo ſæui.

Perſequitur tandem & apprehendit Nemeſis ſuperbum, ſuis exemplis petitur hæreſis, crudeles in nos fuerunt Lutherani, immaniores Caluiniani, illi enim fæuitiâ poculis temperabant, hi verò ebrietate, & libidine iras exacuunt. Sed nunc in ſeſe mutuo ruunt, eaq; in ſe mutuo dicunt, ac faciunt, quę nos dicere, & facere pudor, & Chriſtiana caritas prohibet. Lutherum initio, & deinceps fidiſſimus quiſq; deſeruit, Carolſtad. Oecolampadius, Crucigerus, Melanchthon, alij. Zvvinglius bello ciuili, quod ſuaſerat, occidit. Caluinum morborum tuimæ vitæ intemperantis effecta deſperantem oppreſſerunt, aucta deinde diſcordia Lutherani opprimuntur, Palatinatu, Bipontinatu, Haſſia, Aſcania, Heluetia, Rhetia, Hollandia, Selandia, Friſia, multis Germaniæ comitatibus pelluntur, nũc etiã Brandeburgici frenũ momorderunt, ſenſimq; ſe intelligent nullum niſi Caluiniani commatis habere concionatorem. Nec verò Lutherano hoſte contenti ſunt Caluiniani, ciuilia bella, quam diu vixerunt, hoſtiliſſime, perfidioſiſſimeq; exercuerunt. Nonné, acies iſtius nationis adhuc pugnantes ſpectamus? Audite eos qui etiamnum in caſtris illis merent, Arminij, qui dux alterius partis fuit, liberos Orphanos nouem, præfatione ad curatores Academiæ Lugduno Batauicæ, *Deus bone*, inquiunt, *quo non vſq; prorumpimus, qui in eadem ipſa Chriſtiana religione alii ab aliis diuerſam ſententiam ſequimur, calamis nocentius, quam ferro inter nos decernimus, neq; intra diſſidia, odia, atq; æternas inimicitias ſe noſtræ lites coercent, à religionis noſtræ cultu alii alios arcemus, alii aliis ſalutem abiudicamus, imò v. vſq; ad reſtes, atq; exquiſitiſſima ſubinde vſq; ſupplicia, annuentibus nobis cœco zelo Magiſtratibus odia noſtra promouemus: Eſtq; huius rei nimis recens adhuc memoria, quam vt eam refricare opus ſit: Zelo ſcilicet* CHRISTI, *quoties eorum ſanguinem fudimus, qui totiipſimet Chriſto ſtuduerunt, pietati & ſaluti incubuerunt, innocentiſſime ſemper vixerunt; neminiq; nocuerunt, cum ne ſanguis aliorum funderetur, ſuum pro illis Chriſtus effuderit.*

Hæc Caluiniſtarum ſunt inter ſeſe certamina, eadem totâ Britannia tument, & majus ordirentur aliquod nefas, niſi Regia potentia comprimerentur, in Hollandia enim tanto impetu feruntur, vt vix Illuſtriſs. D. D. Ordinum edictis cohiberi poſſint, vt teſtis eſt Coryphæus primariæ factionis Petrus Bertius in hyperaſpiſte. Hic pro Arminio ſtat, ille pro Gommaro, huic ſanctus eſt Caluinus, illi Borborita, & Manichæus. Pro opinione ſua laborant omnes, pro veritate integra nemo, nam & qui vera defendunt, ne hoc illis ſolidum ſit bonum, multa admiſcent falſa. Hæc inter ſe Caluiniani; quid fiet Lutheranis?

Catholicos alii in alios armant.

§. 6. Incommodum ſextum. *Cruenti Theologi (Lutherani) tragicis libellis, non atramento, ſed ſanguine ſcriptis, eos qui à Catholicis in Gallia occiſi ſunt*, Diaboli Martyres, *traduxerunt, non Theologorum ſtylo, ſed carnificum gladio refutandos, ideò Catholicos in eos inflammarunt.* Incommodum illud tale eſt, vt multa ſecum commoda perpendenti conferat. Nam primo, Lutheranos ſuæ ſententiæ approbatores habent Catholici, cum enim in Hugonottas multarum cædium, & ſacrilegiorum reos, incendiarios, crudeles tortores orthodoxorum, lege agi Magiſtratus imperaſſet, mox homines in ſceleribus flagitijsque obfirmati, ne cæteri, quorum ad ſuas cupiditates vſui ſibi fore videbatur audacia, ſuppliciorum metu à maleficijs deterrerentur, Martyrum elogio eos, quorum capitaliora erãt facinora, decorabant, cumq; Lutheranorum arma concire, & allicere in Gallias, quaſi Martyrum, & confeſſorum cauſſam defenſura tentarent, Lutherani publicis ſcriptis, & Concionibus eos non quidem Martyres eſſe negarunt, ſed *Diaboli Martyres* eſſe comprobarunt. Quo in judicio Catholicos abſoluerunt, & Caluinianos condemnarunt.

Lutherani vocant Caluiniſtas Martyres Diaboli.

Ea cauſſa quando Caluinianos pios, & ſanctos Chriſti Martyres per adulationem Lutherani quidam appellarunt, ab ijs conuitio rejecti ſunt. De Oſiandro Epiſtola ad Gallic. Eccl. hunc in modum queritur Danæus pag. 12. *Nam quos hic adulandi vobis ſtudio pios & ſanctos, & Chriſti Martyres appellat, tum ipſe, tum ſocii quidam in publico ſuggeſtu Diaboli Martyres contumelioſiſſime vocant.* Et paulò pòſt: *Imò verò, fratres, hæc eſt tam crudelis iſtorum hominum erga nos caritas, & veſtrorum ſuppli-*

suppliciorum commiseratio, vt cum nuper nos omnes, nostras q; Ecclesias, in noua quadam nouæ discordiæ formula atrocissime anathematizassent, & propterea ab aliquot Illustriss. Germaniæ Principibus, & plerisq; bonis viris Germanis (id est Caluinissantibus) *de ea tollenda admonerentur, quod hac ratione Pontificiorum gladios in nostras Ecclesias acuerent, ipsi ridiculè, imò etiam crudeliter responderent, & iocarentur, se per accidens tantum nostrorum suppliciorum causas esse.* Denique addit, *hunc esse affectum, hanc caritatem, hunc amorem sincerum Osiandri, vt sauissimarum persecutionum, & flammarum in vos incendia excitare non vereatur.* Hæc igitur de Martyribus Gallicis est sententia Lutheranorum.

Deinde quia causa, non pœna facit Martyrem, causas pœnarum inquirere operæ precium est, vt constet de nomine, si enim dixero causam, cur quisq; occisus sit, appellationis arbitrium lectori deferam, vt ipse statuat; *Diabolinè, an Christi martyres censendi sint.*

Quales martyres Hugonotæ.

Heluetij crudele bellum consanguineis cum inferrent, acie cum ipso Lanista Zwinglio cecidêre, non vt Martyres, sed alieni juris inuasores. Anno 1562. quæ jam ante conceperant, & Geneuæ, alijsque locis ediderant scelera, communi consilio aggressi sunt, vt toto regno templa spoliarent, eaque perpetrarent vbique, quorum aliquot locis exempla reliquerunt. Initium sæuiendi in Aquitaniâ fuit, latè vagatus furor, Parisijs cum gladijs in obuios quosqtemerè injurij, homines nefarij volitarunt, Sacerdotes passim ad ipsas aras mactabantur, templa sanguine fluebant, statuæ Sanctorum non odio idololatriæ, quæ nulla erat, sed auaritia, quæ ingens erat, confringebantur, ossa Franciſci II. Franciæ Regis exurebantur, ne dubitare quis posset, quo animo in viuum fuissent, qui sic in mortuum sæuirent. Quid v. non auderent, quos Pictaui viderunt ossa S. Hilarij veteri tumulo eruta exurere, quos nec Irenæi, nec celeberrimi Antistitis Martini reliquiæ fugerunt? Impias flammas sacra pignora depascentes Lugdunenses, & Turones ingenti mœrore conspexêre. Quid referam, quam Aurelia ab illis pertulit crudelitatem? non ætati, non sexui parcitum, idque toto quo velut procella incumbebant regno, senes cum ludibrio, & tormentis enecti, tenera ætas cum turribus quas præsidio quærebant, incensa, ad martyrum ossa prodenda homines tormentis adacti, mutatæ in bombardas campanæ, baptisteria in cloacas versa, putei de Catholicis repleti, ventres, viriliaque excisa, hæc, & omnia crudelitatis Caluinianę theatro digna, cum facerent, cum multo plura tentarent, ipsi repressi, & cæsi martyrologia Caluiniana, & fastos valde nefastos signant. Hæc martyria sunt Caluinistica.

Cur verò Lutheranis succenseant Caluiniani de Martyrum suorum appellatione, causæ nihil est, ipse Bertius Caluinista Martyres illos non agnoscit, verba ejus sunt in Hyperaspiste pag. 172. & 173. *Nec verò minoris illa* (Confessio Augustana) *Germaniæ vestræ stetit, quam ista, quæ licet multo Belgarum sanguine dicatur esse firmata, nulla tamen hactenus Procerum nostrorum auctoritate est in Rempublicam, aut in Ecclesias introducta.* Primo quidem, ait, *dici firmatam*, non esse firmatam, illique opponit Confessionem Augustanam, at paginis sequentibus Confessionis Belgicæ articulos ad Manichæos refert, qui illum vigorem olim experti sunt.

Confessio Belgica.

CAPVT XXII.

Posse pacem Religionis constitui in Germania.

§. 1. NOn intelligo pacem illâ, quę Syncretismis, contentione, diffidentiâ, insidijs plena, bellandi opportunitatem exspectat, sed veram Germanamque, quæ idem de Deo, & cultu illius sentiat. Magnum fateor est illa, & arduum bonum, imò rarum, sed tamen bonum, quod adipisci possumus. *Pax rarum sed magnum bonum*

Difficile bonum est in tanta dissentientium contumaciâ, in tam magnâ diuersa cupientium audaciâ, sed quia donum est diuini Numinis, sperare licet, fore, vt aliquando etiam apud indignos, immensa illa misericordia pacem tot modis agitatam jubeat consistere. Natura enim nostra cum ad amicitiam mutuam pacemque facta sit, cum etiam bello pax petatur, fine suo frustraretur humana societas, si nulla esset via consequendi pacem. *A solo Deo sperandæ.*

Quin etiam ad consensionem, & pacem nos Scripturæ nequicquam hortarentur, si vel naturâ, vel nostro vitio litibus mancipati essemus. Cum Dominus asserit (Ioan. 14. 27.) *pacem relinquere se nobis, pacem suam se dare nobis,* & (16. 33.) id egisse *vt in ipso pacem habeamus.* Cum toties Apostolus pacem nobis DEI promittat & optet, (Rom. 1. 7. & 2. 10. 1. Corinth. 13. 2. Cor. 1. 2. Gal. 13. Ephes. 1. 2. Philip. 1. 2. 2. Thess. 1. 2.) cum toties inquam pax promittatur, quis credat solam Germaniam jam centum penè annos pacis exortem, ad pristinam pacem non habere regressum?

§. 2. Ad concordiam conciliandam plurimum etiam indoles, atque natura Germanicę nationis valet: sunt enim Germani, tùm suapte natura, tùm institutione, atque vsu comes ac benigni, à litibus, ac bellis abhorrentes, & instar tranquilli maris, nisi ventorum flabris concitentur, quieti. Itaq; & maximas discordias sine sanguine sopiuerunt frequenter, & vt plurimumodiæ cum armis ponunt. Quamuis autem hæreses cum inualuerint, & potestatibus se sæcularibus armarint, vt Ariana, Monotheletica, ferè atrociter sæuiant, mitior tamen fuit in sua viscera Germania, Galliam duntaxat, aut Britanniam, imò Belgium spectemus, plus sanguinis Catholici dedit, plus Martyrum cœlo dedit anno vno, quàm integro penè sæculo Germania, quanquam in rebellione contra Carolum Cæsarem, & furore agrestium crudelis fuit, sed non prætendebatur causis illis sola religio. Ciuilia erant odia, ab hæreticis quidem turbonibus prædicantibus conceitata, non tamen ad hæresis propagationem à cunctis exercita. Cur ergo de patria nostra desperemus, quæ præcipuè pacis est alumna? *Germanorum indoles pacii idonea.*

§. 3. In magnam etiam spem nos erigunt recentia exempla conuersarum in Germania prouinciarum: cum enim videmus Bauariam, Franconiam, Stiriam, Magnos circa Rhenum tractus, optimam Belgij partem, in libertatem filiorum Dei, de tenebris errorum esse ereptam, cum per Gallias in singulos annos multa millia in possessionem antiquæ Religionis reduci, ac collocari videamus, cur cæteros in eandem vnitatem consensuros non putemus? Pacem crescere quotidie cernimus, & de integro ejus augmento spem abjiciemus? Aurora jam rutilat lucis plenæ prænuncia, cur de claro die fiduciam deponamus?

§. 4. Idem penè sensus est errantium, qui ignoratione, spe, metu, aliove affectu, hæreticos sequuntur, non quod veritatem apud eos consistere arbitrentur, sed quod id, quod semel arripuerunt, dimittere, judicent esse leuitatis, & inconstantiæ. Existimant

illi ad veterem majorem nostrorum, atq; Apostolicam fidem postliminio sese redituros, neq; finem errandi fore, donec in viam, quâ cœlos primæua Ecclesia conscendit, regrediantur.

Hæreses deficiunt.

Itaque experientia docemur, nunc pauciſſimos Catholicorum etiam minis, exilijs, bonorum confiscatione, ad deserendam veterem pietatem vix impelli, cum principio tumultus, vnâ concione Epicuræâ, vel tribunicia greges populorum ad Lutheranismum, aut Caluinismum præcipitarentur. Grassabantur hæreses, donec agnoscerentur, nunc vires perdidêre, elanguit impetus, orbem suum peregerunt, nunc retro labuntur. Lutheranismum aspice.

Lutheranismi defectus.

Primo. Quis nunc ea opinione Lutheranus est, qua fuit Confessio Augustana? omnes ab ea recessisse jurati asserunt Caluinistæ Sed hæc missa faciamus. Quis est omninò Lutheranus? An Vbiquitarij? An Synergistæ? an Osiandrini? an Flacciani? sed neque hæc discrimina inquiro. Quæro vires Lutheranorum. Nemo illis accedit, multi ab illis abeunt. Vnicum duntaxat Electoratum habent, & ipsum vehementer Caluinismo interpolatum, adeo quidem, vt non in Academias modo, & consilium Principis, sed in ipsa conscientiæ arcana se insinuarint energemata Zvvingliana, Confessurij enim Electoris ipso teste, fuêre Caluinistæ. (*Acta Peuceri*) Amiserunt autem Palatinatum Rhenanum, & Bauaricum, Bipontinatum, Hassiam, Heluetæ cœtus, Rhetiæq;. Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ, Angliæ Ecclesias, in Pólonia, Lithuania, Suecia, pleraq, in Hungaria, & Boëmia indies imminuuntur. Amiserunt Belgij partem Catholicam, Bauariam, Stiriam, Troppauiam, Franconiam, in Electoratibus Catholicis luculentas conditiones deserere coacti sunt. De Brandeburgica, & Prussia laborant. Ciuitates Lutheranæ quædam exercitium Caluinianum jam admiserunt, vt Hamburgum, &c. aliæ sensim eò delabuntur, in angustum itaque illi coguntur, ac breui in alia omnia transibunt. Cum verò nemo ex illis nisi coacti Caluinismum amplectatur, aut certè pauciſſimi, sperandum multo maximam partem ad veritatis cognitionem posse traduci. Sic & olim fuit, curriculum suum hæreses tenuêre, deinde conciderunt, atque exspirarunt. Simoniani, Nicolaitæ, Cherinthiani, Ebionitæ, Menandriani, Basilidiani, Carpocrat. Cajani, Martionitæ, Valentiniani, Archontici, alijq;, intra duo prima sæcula ferè intetiêre, Montanistæ, Manichæi, Nouatiani, Donatistæ diutius sæuierunt, omniũ grauissime Ariani, & nunc quoq; rediuiui Iconoclastæ. Verum distinguenda sunt tempora quibus floruerunt, ab ijs, quibus latenter creuerunt, aut decrescentes latuerunt, furor & tempestas omnium citò exsæuiet, reliquiæ diutius vixere.

Causſa cur hæreſes non diu perſeuerent.

§. 5. Causſa est ex ipso hæreseos ingenio, ac natura sumenda. Principio namque Scripturarum adscititijs ornamentis decorata, & stibio quodam veritatis dealbata, cum sese mundo nouitatis auido, veterum fastidioso prostituit, facilè animos virtutis ignaros, imagine boni allicit: plures enim lenocinia, quam veritas trahit. Cum verò defluente fuco, ablatis ornamentis, sua in cute apparet, veluti scortum exoletum, ac morbidum, amatores suos longe fugat, ac repellit.

Quanti, quamque multi orientis Thaidis fores pulsabant amatores? Nunc verò quam multi decrepitam deserunt, atque aliò amores transferunt? Quam magno studio, quam exquisitis blanditijs paucos retinet? Ad interitum igitur hæresis illa vergit & jamdudum interijsset, nisi nouitate aliqua subinde curiosos animos percelleret, hinc Osiander, Major, Flaccus, Concordibergenses noua quædam pigmenta vetulæ ac rugosæ addidêre, nomina etiam mutarunt, vt nouitate aliquâ tenerent, quos veritate conuincere non poterant. Cum igitur omnium hæreseon quædam senecta appareat, non longè à pace absumus. Quod verò nonnulli crescere Caluinismum arbitrantur, quia callidis aulicorum consilijs præcones quosdam Sectæ illius Lutheranorum cathedris imponunt, & Principum quorundam bonitati illudunt, valdè aberrant à vero, odia enim, & execrationes importunitate sua concitant, & desides populos ad spem, desideriumque libertatis erigunt. Itaque & Consiliarij Saxones, eos, qui sub dominis Caluinistis degunt, Lutheranos, *serio se liberandos à Lutheranis* sperare, atque *exspectare* confirmant, imò *omnes, qui inter Caluinianos habitant, Lutherani Caluinismum abolendum esse confidunt*, vt ijdem Consiliarij, Motiua 12. Finem ergò Caluinismi instare putant, non imperiti modo, sed exercitati & prudentes Consiliarij Cum igitur Hispaniam, Italiam, Gallias, Germaniam ab Arianis, Pelagianis, Priscillianistis, Albigensibus, cæterisque hæresibus quondam latè regnantibus perpurgatas esse manifestum sit, populosque ad vnitatem redisse, id nunc quoque post centum penè annorum spacium, post horrendas blasphemias, & cruenta bella, sperare de bonitate diuina merito debemus.

Nouitate valent hæreſes apud curioſos.

§. 6. Neque id aduersarios nostros negaturos esse arbitror, certè fidei suæ si consequenter agant, id etiam credere debebunt. Lutherani enim *à statibus Augustanæ Confessionis breui se liberandos, & Caluinismum abolendum esse confidunt, serioq; exspectant*, vt ajunt Saxoniæ Consiliarij Motiua 12. Ijdem Pontificem interiturum arbitrantur: sibi igitur sublatis hostibus suam pacem fingunt, ac spe jam deuorarunt: Caluiniani eadem sentiunt, & tàm Lutheranis, quàm Catholicis suam se pacem putant posse imponere, imò verò inter tot hæreses vnionem, & Synodum nonnulli fieri posse non desperant, cur non igitur pij, & fideles tandem veram pacem exspectent?

Rectè quidem pax speratur, etiam ab inimicis pacis, non tamen potest esse pax in malo, non consensio in errore, in quo etsi aliquando aliqui conspirent, non tamen diuturna, nec omnium, imò nec multorum illa pax esse potest. Nulla enim falsitas tam latet, vt non aliquando patescat, nullum mendacium vel semper, vel omnibus tegitur, nihil tam probabiliter fucatum est, vt cunctis imponat, tandem impostura, cum secura est, deprehenditur.

Caput XXIII.

Non posse esse pacem in mistione Religionis, & politicâ quadam moderatione.

Politicorũ pacificationes.

§. 1. Pacis & concordiæ studium, vtros interdum prudentes, & Reipublicæ amantes eò adducit, vt turpem etiam, ac periculosam pacem discordiæ præponant, quodque vident in politicis vtiliter fieri, id etiam religioni accommodandum censeant. Dum positis armis per inducias de pace legationes agitantur, primo congressu ferè illa petuntur, quæ vtraque pars summo jure postulare se arbitratur, sæpè etiam iniqua poscunt, vt æquum obtineant. Agendo tamen, cedendo, concedendo, deprecando, eo deueniunt, vt pacem conficiant, cum videlicet id, quod conuentum est, vtraq; pars justum, vel tolerabile judicat, aut saltem tale, quod bello sit anteponendum. Eadem in arbitrariis judicijs, & priuatis conuentionibus ratio tenetur, & nescio an vlla sine tali moderatione pacificatio constituta sit. Hunc ad modum exigunt religionis consensionem atq; vnitatem

rem. *Concedatur hoc Lutheranis, illud Caluinianis, aliud Anabaptistis, & ipsi vicissim tum Catholicis, tum aliis multa concedant, rigidum quæstionum examen intermittatur, sit pax in diebus nostris.*

§. 2. Posse sic in concordiam mundum reduci: sic remissione qualitatum elementa contraria in firma ac solida corpora contemperari, sic ex sonis disparibus jucundissimam effici harmoniam, nec quicquam animalib. in pastum cedere nisi à natiuo rigore deflexum, atque alienæ naturæ attemperatum. Si vtrinque duris dura collidas, omnia frangi, lenitate, & indulgentiâ plus profici apud obfirmatos. Plura concessuros, si à te factum sit principium. Summum jus esse summam injuriam, extrema omnia etiam in bonis periculosa esse.

Quales sint moderatores. §. 3. Hæc atque alia dicuntur vel à maleuolis insidiatoribus, vel à simplicibus, vel tenuiter in pietate instructis, & ciuilis prudentiæ opinione turgidis, quos si Theologi sequantur Marcionis Pontici exemplo vniuersum Christianismum breui tempore abolebunt. Marcion ex omnibus, quę in qualibet hæresi fœda, crudelia, delira, atq; impia erant, selegit, atq; ex tot malis monstrum vnum conflauit. Quod si nunc in vnum omnia misceamus, tanto detestabilius, ac pernicioſius erit monstro Marcionico, quanto tætriores, ac pestilentiores hæreses sunt, ex quibus venenum hoc componetur, quod enim in quaq; hęresi capitalissimum erit, & virulentissimum, id in hoc *σφὸν φάρμακον* totam saniem suam effundet; eritque hoc malum malorum summum, de malorum omnium medulla sublimatum. Rem ipsam videamus. Concedendum Caluinianis: *Deum nos ad peccata destinare, incitare, impellere, cogere.* Concedenda Lutheranis *Vbiquitas.* Concedendum Osiandrinis *nos essentiali Dei iustitia iustos.* Concedendus Memnonistis *Anabaptismus*, ijsdem concedendæ scortationes, & in cætibus nocturnis *adulteria*, concedenda Libertinis *flagitia*, & dicendum. *Non ego, sed Deus fecit.* Pauca nominaui, infinita esse, illi ipsi fatentur. Ex hisce quæ moderatio, quæ religio conficietur?

Marcionis hæresis.

Cur mistio religionum fieri non possit.

Rectè Musonius apud Strab. Serm. 7. *Improbos non posse alere concordiam. Lignum curuum non recto, nec ligno aliter curuo conuenit*, neq; lux tenebris conuenit, sed quantum lucis accedit, tantum abscedit tenebrarum. Pax illa igitur esse non potest, nec moderatio illa, q̃ nos à moderatore omnium rerum abducit. Veram Religionem tenemus, sine scelere eam inquinare erroribus alienis non possumus. An ego mentiar, vt Caluinianus aliquis, aut Osiandrinus, de meo mendacio discat verum loqui? Deum ego auctorem peccati adorabo, Christum Vbiquitarium confitebor, preciũ sanguinis ejus cum Socinianis abjurabo, decem articulos negabo, ne illi de purgatorio, indulgentijs, & aqua benedicta suo more nugari pergant? Totum Christum negabo, cum Vorstio & Osiandro, vt dimidium Christum de eorum benignitate possideam, quem totum cum haberem, illis prodidero? Neq; hic tenenda est illa, quæ in fœderibus Regum pangendis ratio seruatur, ibi de jure suo remittere, fundo cedere, bello parta dimittere; humanitatis est, & nimia in jure suo retinendo firmitas peruicacię deputatur. At de religione quando controuertitur, non est in potestate litigantium de victoria paciſci, veritatis enim caussa agitur, & ejus veritatis, de qua summæ, atque increatæ veritatis æternum decretum habemus. Quicquid de illa veritate mutaris, sacrilegium est. Quicquid addideris, abominatio est. *Contestor enim omni audienti verba Prophetiæ libri huius: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus patrem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* Hæc de vniuersâ do-

Non est in nostra potestate fidem mutare.

ctrinæ Christianæ Oeconomia, & credendi normâ tàm accipienda sunt, quàm de Apocalypsi Joannis, quandoquidem eâdem auctoritate dictata sunt. Spiritum sanctum corrigit, quisquis ista commutat, diuinam sapientiam negat, quisquis humano ingenio supremi judicis sententiam moderatur.

§. 4. Quicunque igitur verè Christianus, & dogmatum sacrorum à Deo rationem expetit, non de suo fabricatur, satis intelligit, minimâ à veritate cœlesti declinationem, si voluntaria sit, in mortem esse lapsum, cum DEVM erroris arguat, qui doctrinam ab ipso traditam suo magisterio moderari præsumit.

Nec tamen sic paci consulitur errantium, si errantib. indulges, sed animus additur, vt majora moliantur, alium pręsecuti, fidentius ad exitium properent. Vna meta est veritas, ad eam errando non peruenitur, vnus finis credentium, salus æterna, ad eam negando DEVM, consentiendo erroribus, & iter non pertingitur. In barathrum incides, si de vertice rectæ doctrinę moueri te sines, in declivi stare non poteris, si in summo non steteris. Nihil Deo credis, si in vno fallacem arbitraris, nulla tibi credẽdi supereſt ratio, si auctoritatem reuelantis vel repudiasti, vel exitiali hæreticorum paci condonasti, non est illa pax, sed cum perfidia, sacrilegio, impietate, cum ipso inferno pactio. Simulata religio duplex est impietas, nam & impius est, & pietatem simulat.

Inutilis est mistio religionum.

§. 5. Duplici igitur malo laborat, ideoque est incurabilis, qui fuco regit impietatem. Sed & hoc loco experientia docuit, quàm consilium illud miscendæ religionis inutile sit. Notæ sunt in Belgio fœderato prædicantium concertationes. Illis sequestrem, & pacificatorem se interposuit Grotius vir doctus, Politicus, Jureconsultus, sed quid Bogermannus Prædicans? pacificatorem Grotium oppugnat. Bogermannum Caspar Barlæus, *in Bogermanno ἐλεγχόμενον*. Tota quæstio versatur in eo, quod Sibrandus, & Bogermannus ordines Hollandiæ, qui tolerantiam mutuam dissidentibus imperarunt, LÆSÆ PIETATIS accusant. Quâ verò in re pietatem læserint, Sibrandus exponit. *Ordines Hollandiæ* scribit, *ab homine indocto, & stupido decipi velle, pati illos Ecclesias distrahi, & perturbari, omnes eos electis Episcopis, politicam potestatem, ad se transtulisse, tergiuersantibus patrocinari, hæresiarcham publico stipendio alere, hæreses Socini in Ecclesias introducere velle, & similia multa, quæ audacter ille, & intrepide effutiuit.* Hæc Sibrandus: at Bogermannus tantum abest, vt illa improbet, vt potius Paroxysmum Apostolicum esse definiat.

Non igitur fieri potest, vt Rigidi consentiant in vllam moderationem, aut mistionem. Nec sanè fieri potest. Cur igitur homines Politici suâ prudentia legem æternam moderandam censent? quia sine lege esse sese arbitrantur, ideo scita sua effatis anteferunt creatoris, quia fide non valent, qua sola æstimatur Majestas ejus, qui offenditur.

Petrus Apostolus vocat *Sectas perditionis* (2. Pet. 2.) quis adeò demens igitur, vt Sectis illis communicet? atque inde salutem exspectet, vnde non nisi exitium hauriri potest? Sunt hæretici (de vere hæreticis loquor, non errantibus, & hæreticorum Sectatoribus incautis) *falsi Prophetæ, lupi rapaces, Pseudochristi, fures, & latrones.* Matth. 7. & 24. Joannis 10. Sunt *Pseudoapostoli, operarii subdoli, homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemi, scelesti, sine affectione.* 2. Corinth. 11. 1. Timoth. 1. 3. Sunt *Pseudoprophetæ, Magistri mendaces, serui corruptionis, indocti & instabiles.* 1. Petri 2. *Antichristi & Seductores.* 1. Ioannis 2. Tales manent, etiamsi vnum alterumvé errorem abjiciant, si in cæteris manent pertinaces. Non potest cum illis iniri societas à CATHOLICIS, nisi tantorum

sceleratum consortium amplectantur. Illa inquam societas, quæ in moderatione religionis quæritur, qua scilicet veritas falsitati jubetur attemperari.

§. 6. Potius itaque S. Cyprianum audiemus Ep. ad Corn. quæ est 55. *Declinent fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba, & Colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* Nec Colloquia modo, in quamcunq; probandi erroris illorum occasionem, sed alia quoq; p q̃ trahi in communionem hæreseos solent. *Nulla*, inquit, *cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla Colloquia misceantur, simusq; ab illis tàm separati, quàm sunt illi ab Ecclesia profugi*, hæc vitent, cum periculum est contagij, quærant, si spes est alios conuertendi. *Magnus Antonius*, vt testatur in ejus vita Magnus Athanasius, *Manichæis aut aliis hæreticis nunquam amica verba largitus est, denuncians eorum amicitiam, atq; sermones perditionem esse animæ. Sed Arianos detestabatur, vt omnibus diceret: Ne iuxta quidem eos esse accedendum. Et ipse Antonius iam moriturus, hæreticorum, inquit, & schismaticorum venena vitate, meumq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi quod nullus mihi pacificus sermo cum ipsis vnquam fuerit.* Nos si vitare illa non possumus, & interdum non debemus, id serio agamus, ne nostra conuersatio illos in erroribus confirmet, dum eos putant à nobis vel probari, vel tolerabiles judicari.

Caput XXIV.

Non posse seditiones ex religionibus ortas Syncretismo tolli, ex natura fineque eius docetur.

Pro pace insidias molitur Pareus. Vide lib. de falsa pace.

§. 1. Dissensionibvs annorum nonaginta, odijs p multas injurias asperatis, bello, dictorum, factorumq; acerbitate funesto, bello Euangelico pacem ex Synodo Generali quærunt Caluiniani: sed quoniam fida pax, alumna veritatis, inimica simulationis, insciа fraudum, hæreses, fucum, dolosq; execratur, & fugit, ijdem sinceræ concordiæ spei dejecti, pedissequas ejus, inducias assectantur, falsæ pacis imagines architectantur, Syncretismos moliuntur. Quamobrem cum de *Vnione & Synodo euangelicorum* lib. singulari tractarim, nunc de Syncretismo agere constitui. Est verò *Syncretismus* falsa, simulata, insidiosa pax, odiorum callida dissimulatrix, in occasionem vltionis intenta malitia, ignis suppositus cineri doloso, periculum ingeniosè tectum, inimicitiæ ostentatione officij blandientes, vmbra fœderum, discipula Machiauelli, filia Epicuri, pestis humanæ societatis, mors pietatis. Hoc monstrum tot Lutheranorum libris, colloquijs, Principumque imperijs confossum, atque concisum, iterum obstetricante Sapientia Heidelbergensi, edidit partu infelice Pareus. De illo discursum potius, quam judicium meum proponere est animus, causam ergo examino, sententiam illi, ad quos pertinet, Respublicæ, & Principes ferent.

Pacificorũ est insidias amoliri.

§. 2. Quod si quis eorum qui discursum meum lecturi sunt, fortè miretur, cur ego Societatis Iesv, & sacrorum studiorum alumnus, quorum omne curriculum, omnes partes officij pacem efflagitant, pace vigent, bello debilitantur, ac franguntur, qualicunq; paci minus æquus esse videar? Eum ego, semper pacis suasor, & auctor, quæso oroque, vt sine offensione institutj mei rationem audiat, auditamque expendat, qua in censura, nec amici beneuolentiam imploro, nec inimici judicium subire recuso, satis æquitate sua hæc causa consistit. Intelligent omnes non me paci, sed bello tæterrimo, quod sub nomine pacis latitat, non inducijs, verum Syncretismis, insidiarum & bellorum seminarijs aduersari. Pacem veneror, inducias quasi pacis quasdam præambulas, & dominæ suæ pacis insignia, oleam præferentes, toto animo excipio, atque amplector; Easdem verò si veræ pacis exuuijs indutæ bellum occultent, si tectam paciferâ fronde foralem hastam injiciant, vt infidam simulationem, venenum concordiæ, pestem sinceritatis, dedecus ac labem Germanicæ, hoc est, Imperantis nationis, abominor. Incertum bonum pax est, etiam cum seriò petitur, & sincerè datur, cum pacisscentium, mutuo amore animi fœderantur non literis tantum, & jurejurando fides obstringitur, *quoniam corda eorum cum quibus eam tenere volumus, ignoramus.* Si igitur in verâ amicitiâ nemo securus est, quantâ nobis curâ fugiendus est *Syncretismus*, qui re, & nomine, fraudem includit. Qui hoc ipso, quod *Syncretismus est*, simulati ad tempus amoris, & futuri odij professionem habet expressam? *Syncretismus* enim cum astutissimè pacem fingit, hoc agit, vt hostem, quem palàm sternere non potest, occultis insidijs euertat. Rectè de hisce vir Sanctissimus, & Doctissimus judicauit August. libr. 19. c. 5. de Ciuit. Dei. *Nullæ sunt*, inquit, *occultiores insidiæ, quam quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palàm est aduersarius, facile cauendo vitare possis. Hoc verò occultum, intestinum ac domesticum malum non solum existit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atq; explorare potueris. Propter quod etiam diuina vox illa. Et inimici hominis, domestici eius, cum magno dolore cordis auditur: quia etsi quisq; tam fortis sit, & æquo animo proferat; vel tam vigilans, vt prouido consilio caueat, quæ aduersus eum molitur amicitia simulata: eorum tamen hominum perfidorum malo, cùm eos esse pessimos experitur, si ipse bonus est, grauiter excrucietur necesse est: siue semper mali fuerint, & se bonos finxerint, siue in istam malitiam ex bonitate mutati sint. Si ergo domus commune perfugium in his malis humani generis tuta non est, quid ciuitas, quæ quanto maior est, tanto forum eius litibus & ciuilibus & criminalibus plenius, etiam si quiescant non solum turbulenta, verum etiam sæpius & cruentæ seditiones, ac bella ciuilia: à quorum euentibus sunt aliquando liberæ ciuitates, à periculis nunquam.*

Augustinus Syncretismum detestatur.

Omnium itaque incolumitati consulo, dum paucorum fraudes detego, nec classicum cano, sed *Syncretismum* dissuadeo, suspiciones, simulationesque amoueo, vt veræ pacis impedimenta. Quia aliter animorum conjunctio concordiaque iniri non potest. Suaderi quidem potest credulis, imperari debilioribus, exprimi subscriptio â metuentib⁹, signari pactio cum inuitis, pax sine animorum beneuolentiâ mutuâ, & consensione esse non potest. Quod si meus discursus suspectus est Lutheranis, qui sunt Augustanæ Confessionis, conscientias ipsi suas, quas ego appello, inspiciant, cõsulantque. An Pareus ad decus, augmentumq; Confessionis Augustanæ, & Lutheranæ religionis, an verò ad propagationem Caluinismi, exitium Lutheranismi, *Syncretismum* proponat, obtrudat, vrgeat?

Iniurius est in principes Protestantes.

§. 3. Quanti verò Imperij, & Reipublicæ interest, fraudulentissimorum hominum artes eliminari, atq; obteri, quis est, qui ignorat? Quis adeò ignarus est, non dico Germanicæ generositatis, & sinceritatis, sed in vniersum rerum humanarum, vt non miretur fuisse hominem, qui eo impudentiæ peruenerit, vt rem turpissimam, insidiosissimam, periculosissimam Sereniss̃imis, Illustrissimis Regibus, Principibus, Amplissimis Rebuspublicis non dubitarit offerre? Tantæ leuitatis perfidiæ, fraudulentiæ vatem, librum benè magnum edere? an nimium pauca fœderum & amicitiarum imitamenta noui Machiauelli passim concinnant? Parumne perfidiæ peperit, atq; in horas parit tam multiplex fides? Adeoné mundum suis vitijs destitui, vetus, & veterator Theologus putas, vt ipse fallendi Doctor, syncretizandi artifex

fex, fraudum exempla ab infami gente, in nostri seculi mores deducenda arbitreris? Quid vetera, quid aliena scelera, mundo, quasi recentibus perire non possit, obtrudis? sed demus obtinuisse te quem suasisti, Syncretismum. Dubiumne est, quantum dedecoris in Germaniæ Principibus, si infidâ & vulpinâ tuâ pacificatione illigari se sinant, hæsurum sit? Jubes eos Συγκρητίζειν, syncretissare. Te igitur si audient, erunt.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.
Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri.

Ex Germanus facit Cretenses.

Si quis eos viderit, vetus verbum vsurpabit. ὁ κρὴς κρὴς τὸν κρῆτα. aut: κρὴς κρῆτα κρητίζοντα. aut certè: ὁ κρὴς κρὴς αἰγινήτην, aut clarius: Αλωπεκίζων πρὸς ἑτέρην ἀλώπεκα. Tune vetera, & jam penè intermortuæ sordidissimæ, & fallacissimæ gentis opprobria in Teutonicos Proceres transferre paras? Adeonè viles illę tibi sunt, in quibus est Germana constantia, grauitasque, Romana Majestas, ac jus Imperij Augusti, vt Cretensibus assimilare non verearis, Συγκεκρησμένους enim, hoc est, Concretissatos, h.e. fraudulentia, & odiorum plena pace conglutinatos esse desideras, vt cum ad Comitia conuenerint, pereat illud ex formula fiduciæ; *Inter bonos benè agier.* Suprema tum lex sit concretizantium: *Cum vulpe vulpinari.* Rideant nos exteræ nationes, dicantque, *Ecce Cretensis cum Cretensi, Cretensis cum Ægimetâ.* Verum dicta exterorum contemnamus: quis enim superesse poterit, in re tam flagitiosâ pudor? Annè poterit vel sic esse pax? quid lenocinia verborum, qd frontium mendacia proderunt Syncretismum professis? amicitiam enim in speciem simulare se fatentur, vt occasionem exspectent, qua absq; suo periculo concretissatis incommodent. Videre vellem ipsos Principes, aut saltem legatorum vultus ad gratiam compositos, audire mollia verba eorum, quorum scopus est, pacem ostentare vultu, animis odia reponere. Qui n. syncretissat verborum tenus amicus est, ore blandiendi artificia moderatur, Νοῷ δὲ κακὰ βυσσοδομεύει, mente intima struit malum. Vicerit tamen & hic Pareus: omnes Germanicæ sinceritatis venas impleuerit Cretensi sanguine Caluinismus, naturamq; Circeo Pharmaco immutarit, vt jam sint non Germani, fidi, generosi, sed potius Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Quæ fœdera, quæ commercia cum Regibus populisq; exteris sperare poterunt? Quis cum illis sermonem miscere sustinebit? quis legatos vel mittere, vel excipere, quorum fraudulentiam, aperta fronte, Syncretismi titulus ostentat? Quis tàm stultus vt illis credat, qui professa fraude, contra domesticos, insidias machinantur?

Omnia fœdera suspecta facit.

§. 4. Hæc fugite, ô Reges, ô Principes, ô Respublicæ, quæ de Euangelio nominari gaudetis, non est sanguinis vestri, non dignitatis, sed neq; vtilitatis, patriam nostram, Cretensium, & Oxydracarum fraudib. imbuere; q. ni maturè cauetis, periculũ est ne nõ modo fides vestra, sed & fidelitas in dubiũ vocetur, ne omnia promissa, scripta, juramenta quasi fraudulentæ simulationis artificia, non veri & constantis animi indicia, Collegæ vestri, & exteri Principes aspernentur. Imò jamdudum susurros audio multorum, qui sæpius cogitant, quid aliquando statuere & facere, de consilio Cretensium ministrorum possitis, quam quid officij vestri sit. Timent illi, ne eos, quos toties orantes, de Syncretismo & fraudibus aditis, aliquando probetis. Quod quanquam alienum esse à vestro ingenio existimant, suo tamen periculo experiri non necessarium esse ducunt. Verum de hisce deinceps speciatim agemus.

§. 5. Syncretismi notionem naturamq; hactenus exposui, in eorum tamen gratiam qui vberiorem explanationem desiderant, exemplo rem vniuersam declarabo. Illud nobis Hollandia omnibus Syncretysmi numeris absolutũ dedit, eoq; plani⁹ & pfecti⁹, q. Syncretismus ille non Caluinianorum fuit, & Lutheranorũ, q. è diametro pugnant, sed in gente Caluiniana, Rigidos inter, & Molles coaluit. Res hunc in modum gesta est. Atrox initio, Caluinismi in Belgium inducti, inter Reformatores dissidium fuit, vicêre tum Rigidiores, sed in Arminio socijsque reualuêre Molles, & Anno 1606. in Synodo Gorcomiana Cathechismi Palatiniani, & Confessionis Belgicæ censuram obtinuerunt, eoque rem labore, & ordinum fauore deduxerunt, vt alios penè depresserint. Post multa colloquia, scriptaque jussi sunt vtrique sententiam suam de concordia ineunda proferre, atque in medium consulere. Mollium, qui se ex libelli editi titulo Remonstrantes vocitant, hoc consilium fuit.

Syncretismus Hollandorum.

Media ad pacem.

Primo, *Caritatem, & beneuolentiam mutuam colendam.*

Secundo, *Conuitiis, & condemnationibus supersedendum.*

Tertio, *Synodo controuersias decidendas.*

Quarto, *sibi suæ sententiæ defensionem, & ordinationes ministrorum, qui secum sentirent, permittendas. Ad hæc se paratos esse.*

Rigidi vero qui ex alio scripto se nominant Contra-Remonstrantes, ita censuêre.

Primo, *Exacerbationibus, & dissidiis solâ Synodo nationali occurri posse.*

Secundo, *Synodi, in annum vicesimum, dilatione, offendicula tanta esse nata.*

Tertio, *Synodo, vtriq; litigantes, semet submittere oportere, omnes, qui Ecclesiarum Reformatarum esse, & dici ministri velint.*

Quarto, *Si Synodus haberi nequeat, exterarum Academiarum iudicio standum.*

Quinto, *Aliam viam pacis bonâ conscientiâ seligere se non posse, si ipsi aliam tentarent, cæteros tamen pastores non consensuros, auditores etiam à se discessuros.*

Sexto, *Non esse vtriq; parti edicendũ, ne ea de re doceant, disputentue, hoc enim interdicto veritatem oppressum iri.*

Septimo, *Non tamen vtriq; parti permittendum, vt liberè doctrinam suam proponat, id enim futurum cum ingenti scãdalo, & offensione, si vna in vrbe hoc, in alia alio modo, imò in vno eodemq; templo, inq; eadem cathedra, ante meridiem quidem sic, post meridiem verò contra doceatur. Hinc secuturas noxias confusiones, scandala, schismata ad Ecclesiarum vastationem.*

Mollibus fidendum volunt Rigidi.

Octauo, *Itaq; aduersarijs Remonstrantibus seu Mollibus edicendum, vt de quinq; articulis controuersis sententiam intra se contineant, neq; eam pro concione, aut alioqui scribendo proponant, vel vrgeant siue publicè, siue priuatim: nec sententiam Rigidorum seu Contra-Remonstrantium cum his articulis pugnantem insectentur, vel refutent.*

Nono, *Mandandum tamen Contra-Remonstrantibus, vt contra Molles, seu Remonstrantes moderatè disputent, eosq; oppugnent.*

Decimo, *Interea neminem ordinandum, qui cum Remonstrantibus sentiat.*

Ordinum decretum fauens Mollibus.

§. 6. Ordines tandem pro pace Ecclesiarum suarum Anno 1614. mense Januario decretum fecerunt. *Quo vsq; ad Synodum futuram quietos esse iubent, sapere ad sobrietatem, alios tolerare, & pati,* vno verbo Inducias agere, *eodem iure omnes esse, Remonstrantes Religionis suæ causa nullam molestiam pati.* Vetant etiam horrida Rigidorum scita docere, vt, *Aliquos à Deo ad damnationem creatos esse. Necessitatem peccandi alicui impositam. Aliquo à Deo inuitari ad salutem, quibus salutem dare omnino non decreuerit, &c.*

Ecce

Ecce tibi lector post tot annorum acerrimas disputationes, scriptiones, anathematismos, fulminationes, digladiationes, à Magistratu jussus inter duas vnius Caluinismi acies Syncretismus, nunc quæ consecuta sunt, videamus, ita tamen vt leges Syncretismi à Rigidis latas simul expendamus.

§. 7. Primo, Synodum præcipuè vrgent, quia multitudine superaturos sperant, quos Remonstrantes eloquentiâ, industria, & fauore Magistratus vincunt.

Secundo, Iniquissima lex à Rigidis proponitur, vt Mollibus non publicè, non priuatim liceat doctrinam suam proponere, non libris, non concionibus sententiam suam defendere, vel alios oppugnare, nullum è suo grege ordinare. Negant Rigidi, *Molles amplius tolerandos esse, plus satis aiunt toleratos. Iniquum esse asserunt, quod nobilium potestatum, (ordinum) tutelam aduersus omnem censuram Ecclesiasticam implorent.* *Rigidi sunt duri in Molles.*

Tertio, Syncretismi vera illa facies est: Silentium imponunt Mollibus, accusare æquum censent, vocem respondentis intercludam volunt. Haud stultè sapiunt, facilis victoria, si cum muto decertes, si quæ omnium gentium diuino semper jure concessa est, accusatis defensio denegetur. Quomodo enim tot calumnijs debilitata, tot odijs agitata veritas æquitate judicum recreabitur, & consistet, si inaudita, atq; indefensa damnatur? Barbarum omninò facinus, nec Lugdunensibus, nec Scythicis cognitum aris, vt veluti reus pereat, cui negatum est innocentiæ patrocinium.

Quarto, Ordinatio Mollium vetatur, astutissimo consilio, duo commoda paucis verbis sectæ suæ procurant. Nam & studia Mollium, spe honoris, & fructus sublata, imminuuntur, & ad paucitatem eos redigi negata successione necessum est. Sed edictum ordinum de mutua tolerantia & moderatione causam Remonstrantium seu Mollium fecit meliorem, vt dixi. An verò edicto Rigidorum durities flecti posset? Ea de re ita scribit Nicolaus Greuinchouius vn⁹ è sex disputatoribus delectis, *Epist. dedic. disputationis de duabus quæstionibus.* *Sed, vt eadem purpura*, inquit, *homines delectat, tauros offendit, sic edictum aliorum quidem animos conuertit ad consilia pacis, alios autem ad pugnam irritauit, atq; exacuit magis: scio edictum hoc quibusdam vel eo tantum nomine suspectum, adeoq; exosum fuisse, quod ab Illustribus ordinibus, non à Synodo promulgatum esset: alii, contra quam Rex magnæ Britanniæ suaserat, lites istas, neq; auctoritate publicâ, neq; moderatione vlla sopiendas; sed Theologicis decisionibus & Synodalibus anathematismis, in alteram partem terminandas esse iudicabant. Itaq; nihil minus ab eo tempore tumultuatum est, quam antea, nec ab illis fratribus segnius inuolatum in Symmistas, & Ecclesias moderatiores, quam ab insensissimis, & iuratissimis hostibus: Testis hæc ipsa Ecclesia (Roterodamensis) Vestra, cui seruio in Domino & vos amplissimi D.D. testes estis oculati, quanto conatu, quanta fictarum suspicionum, putidarum calumniarum, & falsissimarum criminationum mole, hoc vnum egerint, vt auersis auditorum animis, conciones nobis rariores, & templa deserta facerent.* Pergit deinde artes eorum exponere, *tribunitiis declamationibus populum turbandi. Presbyteros rurales idiotas dementandi, iudices atrocitate suspicionum occupandi, quadratos & simplices rurales presbyteros auribus ducendi.* Hæc ille pluribus. Eo tandem res deuenit, vt omni ordinum decreto contempto liberè volitarent Rigidi. Digna memoratu est historia, quam ibidem Greuinchouius recenset, referam ejus verbis. *Memini me*, inquit, *in vicina Ecclesia audita concione quam virulentissima, amicam super ea collationem cum ipso Ecclesiæ eius ministro, S. Grutero à presbyterio petiisse. Sed post multas acerbissimas contumelias tandem quid? Responsum peremptorium: si Turca vel Iudæ⁹ essem, posse me ac debere, ad colloquiū admitti, Hæreticū verò istis nequiorem, non audiendum, sed vitandum esse ex mandato Pauli.* *Edictum ordinum exosum Rigidis* *Quid Rigidi egerint.* *Rigidi iudicant Molles nequiores Turcis & Iudæis.*

Hæc post suaue colloquium, hæc post decretum Syncretismum, sed an hic finis? an mediocri clade contenta est ingens ira? effera rabies? Ecce aliud stratagema, ppriū ac naturale Syncretismo. Dum in ordinum conspectu placide disceptant, dum odia vultu, fraudes blandiloquentiâ tegūt, dum singulis penè periodis fratres appellant, dum spectatissimè syncretizant, dum astutissimè amicitiam fingunt, ijdem inimicissimè atq; infensissimè socios, & fratres oppugnant, quia namq; Ordines in Remonstrantes seu Molles videbant esse æquiores, quam vt Rigidorum cupiditati irisq; obtemperaturi, & indefensos illos damnaturi viderentur, dura illa Rigidorum natio, nescia cedere, tenax propositum vrgere, perniciem illis aliunde extremam machinatur, inimicum Remonstrantibus externum, validissimum, & feruentissimum parat, q in fratrum exitia ordines Hollandiæ oratione accendat, auctoritate permoueat, potentia penè compellat. Historiam ex Remonstrantium supplice libello refero. *Præterea*, inquiunt, *quum nemo nesciat, quid nuper titulo Regis magnæ Britanniæ scriptū sit ad præpotentes ordines Generales de pio & fideli quondam seruo Iesu Christi* D. IACOBO ARMINIO, *q quidem ipse in illis literis (haud dubie materia scribendi falso à maleuolis subministrata ex hisce regionibus, q quidem, cum Venia inclytæ ipsius Maiestatis, liceat summa cum submissione & debita reuerentia erga ipsum dicere, admodum abusivè factum esse) dehonestatur cognomine inimici Dei, ipsius verò discipuli, titulo sectariorum, pestium, hæreticorum, imò atheorum sectariorum, quorum hæresin expediat tempestiuè, & in ipsa herba opprimi atq; euelli: quibus verbis Remonstrantes se quoq; tangi & lædi iudicant, quum tamen non magis Arminiani sint, quam Caluinistæ, aut Lutherani: ipsi enim se Christianos esse profitentur, ministros Ecclesiæ Reformatæ, minime infectos hæresi, aut secta, nedum (quod horribile dictu est) atheæ secta, sed in fundamento doctrinæ & fidei consentientes cum Ecclesiis magnæ Britanniæ, fidos patriæ ciues, humiles, subditos, Ill. DD. VV. humillimos seruos Sacræ Regiæ Maiestatis, pro cuius salute, diuturna vita, incolumitate, & felici gubernatione ipsi Dominum Deum, Regem Regum ardenter orant: Visum est Remonstrantibus summa cum dimissione Ill. DD. Vestras rogare atq; obtestari, vt placeat Remonstrantibus concedere, vt cum bona Ill. DD. Vestrarum venia (vtpote quibus optime perspecta est in hac parte Remonstrantium innocentia) liceat ipsis viam aliquam tutam atq; honestam ingredi defendendi sui, & dictam iam Regiam Maiestatem humiliter admodum ac demisse commonefaciendi, tum de piæ memoriæ D. Arminio, quem confidunt non hostem Dei, sed amicum fuisse & esse: tum de se, vt quos velint à criminibus grauissimis neque vlli Christiano homini tolerandis, coram toto mundo purgatos esse atq; liberatos.* *Blande loquuntur Rigidi, & clam exitium struunt Mollibus.*

§. 8. Spectaculum ipsis vndis ac littoribus aspe- *Rigidorum atrocitas*
rum, Remonstrantibus verò inopinum, ac luctuosum, in patriâ, coram patrio magistratu, Theologi delecti, Ecclesiarum præsides, de fide, religione, caritate, sanctitate, mutua tolerantia disceptant, sese mutuo fraternis verbis instruunt, consilia pacis suo magistratui scribunt, ad Synodum se offerunt, ejus judicio staturos compromittunt, & dum hæc speciosa in Hollandia populo hianti ostentant, eosdem in Britannia crudelissimè reos peragunt, *sectarios, pestes, hæreticos, atheos sectarios, criminibus grauissimis, neq; vlli homini Christiano tolerandis obnoxios* asseuerant, *tempestiue, & in ipsa herba opprimendos, atq; euellendos* censent, tanto artificio, vt Rex crediderit, tanto affectu, vt celeriter sententiam dictauerit, Magistratum alienum ad opprimendos euellendosq; epistola hortatus sit. Iudicij euentus, sententiæ Regiæ seueritas, legatio transmarina, quæ fuerit accusatorum astutia atque atrocitas, ostendit.

Fortasse tàm atrocis, tàm perfidæ accusationis ad transmarinum tribunal delatæ, auctores non sunt

sunt Contra-Remonstantes, nec Rigidi funestam sententiam, cum domestica obstitit æquitas, ex Insulâ denocarunt.

Rigidi accusatores Mollium.

Vellem igitur se ipsi purgarent, aut qui solus potest, Serenissimus Rex suspicione eos exsolueret. Nam accusatores nominando certos, cæteros, si non communione criminis approbati, saltem facinore perpetrati immunes ostendet. Verum accusasse eos in confesso est. Qui enim fratres suos *indefensos perire* voluerunt, *qui silentium imposuerunt, qui intolerabiles, Turcis & Iudæis nequiores iudicarunt*, & quidem contra publicum magistratus edictum, quid mirum, *si defensori fidei*, quod ordines leniores viderentur, rem asperius retulerunt? Deinde articulos Remonstrantium illos, de quibus controuersia est, nemo nisi Rigidus Caluinista condemnat, soli igitur illi accusarunt, qui soli caussam accusationis habuerunt. Tertio, Regem prudentissimum ad incerti, aut ignoti accusatoris delationem, in causâ grauissimâ seuerissime judicasse, nec nos suspicari debemus, nec laudatores ejus concedent. Quis igitur accusauit? nonne Rigidorum Primates, qui Molles familiarissime nossent, qui certa, testata, visa referre possent? Illi, inquam, qui collocutionis exitium præsagiebant, qui vinci sese ratione & Ordinum judicio sentiebant.

Improbitas Rigidorum.

§. 9. Exemplum Syncretismi produxi, quod vel rudissimum quemque doceat. Quid vel in ipsâ Cretâ magis Creticum fingi potest, quàm præstiterunt nobis Rigidi in Hollandiâ? domi fraterne disputant, falsæ beneuolentiæ indices in amore simulato dant voces sanctas de sanctuario Scripturarum depromptas, pacis leges componunt, jussu ordinum inducias suscipiunt. Interim externi Regis auctoritate, potentiâ, in perniciem sociorum & fratrum abutuntur. Sperabant Regiæ gratiæ reos, quos vincere non poterant, donandos, neque ausuros negare Ordines, quid ad promerendam amicitiam fœderati Regis, tàm ardenter id exposcentis, paucorum famam, & vitam impenderent. Non ignorabant fœderatarum prouinciarum clauem teneri à Britanno, sine ejus auxilio intutas esse nauigationes. Zelandiam, & Hollandiam grauibus oppignorationibus illi obstrictas, vrbes Anglicano præsidio insessas, Anglos in Belgio esse complures, nec Belgarum paucos Regiam Majestatem præferre Ordinum suorum mediocritati. Omnibus hisce gratiæ, potentiæ, auctoritatis, vicinitatis, speciei, timoris præsidijs contra fratrum suorum, quibus concretissati erant, salutem vtendum sibi Rigidi arbitrati sunt.

Monitio ad Lutheranos.

§. 10. Aliam Syncretismi conditionem exspectare, alia fœdera sperare nolite Lutherani, aut si alia, multis modis deteriora. Nam articuli de quibus controuertunt, tàm vestri sunt, quàm Mollium. Docent enim illi: Primo, *Reprobationem non sine intuitu peccati factam.* Secundo, *Christum pro omnibus, & singulis mortuum esse.* Tertio, *Ita gratiam dari, vt tamen Spiritui sancto multi resistere possint.* Quarto, *an fides, & iustitia amitti possint*, demonstrari ex Scripturâ postulant, dubitare enim se ingenuè profitentur, aliam litem sibi cum fratribus suis esse pernegant. Ob eosdem articulos eadem contra vos judicia sustinere debebitis, *silentium vobis indicent, tolerandos esse negabunt, Turcis & Iudæis nequiores* declamabunt. Vtcunque verò blandientur Theologi, & fronte mentientur caritatem; verbis, & amplexu simulabunt fraternitatem, veniet tamen à blandientibus excitata tempestas, & procella regijs viribus armata vos feriet, *sectarii, pestes, hæretici, athei sectarii, criminibus grauissimis, nulli homini Christiano tolerandi obnoxii* eritis, simul atque illi fortiores euaserint, ideò *tempestiuè, atq; adeò in ipsâ herbâ opprimendi atq; euellendi*, ne fruticare possitis. Tanto porrò crudelius insurgent, quo plures illis vesti debellandi caussæ sunt, tanto cupidius quo majus victoriæ precium est, quo in luculentiores opes, successio, quod speratur, neque enim in vobis illa causabuntur errata, quæ in Remonstrantibus tàm longinquo judicio persequuntur, tàm crudeliter vlciscuntur, quæ vix Aulici Britanniæ, nedum rurales idiotæ, seu quadrati, vt eos vocat Geuinchouius, intelligunt, in vobis majorem sæuiendi habere rationem se arbitrantur, monstrosam nempe vbiquitatem omnium fidei articulorum debellatricem, Impanationem, ἀνθρωποφαγίαν, Osiandrismum, Flaccianismum, cætera hæreseon ab orco excitatarum horrenda atque nefaria portenta. Longè tùm erunt fraterna nomina, cum vos deteriores illis vocabimini, qui nunc *Turcis & Iudæis nequiores* judicantur. Nec queri poteritis; qui enim Syncretismum admittit, in pactum deducit fraudes, dolere de euentu non debet, qui fallendi conditionem in consilium attulit. *Quis miserebitur incantatoris à serpente percussi?* Cui mors inexspectata est, qui ora leonis licenter oberrat? Prælongas fugite Balenas, quæ ora Sirenum præferunt in Batauis, sed caudam Scorpionum habent in Britanniâ: si vos allicit vnius, alterius vé subdola fictio, deterreant exempla acerbissimarum persecutionum, quas illi qui parum sibi cauerunt subire coacti. Atq; hoc exemplum esto Syncretismi Caluiniani.

CAPVT XXV.

Scopum Syncretismi primarium esse, vt violatâ religionis pace, Catholici mactentur.

Finis exitium omnium Catholicorum.

§. 1. INfame est nomen Syncretismi, res multo tætrior, periculum in omnes intenditur, finis crudelissimus est, atque indignissimus. Exitium enim Pontifici Romano, Imperatori Augusto, Regibus, Principibus, Rebuspublicis Catholicis, totique nomini orthodoxo, per hoc nefariæ conspirationis consilium paratur, per veterum exempla scelerum, p famosas parœmijs fraudes in nostrũ sanguinẽ grassatur sitientissima Catholici sanguinis, & Catholicæ pecuniæ sacerrima sitis. *Pacem & vnionem Euangelicorum, Synodumq; generalem* sanguinariæ conspirationi prætexuit, vt latrocinio suo speciem honesti inderet, Euangelicos omnes conuocat, vt ad prædam obtinendam adjutores se ꝓfiteantur. Vestibulum splendidum efficit, vt latenter, & tuto per substructionem operosè fucatam, in carceres, latomias, libitinas, rogos abripiat. Blanda oratio: *Vnio & Synodus Euangelicorum.* Populare studium pacis, & liber *desideriis pacificorum dedicatus*, sed p hæc specioſa p hanc Chysocollam itur in vulnera, & sanguinẽ, in bella ciuilia, in theatra sæuæ supstitionis, in amphiteatra Caluinisticæ crudelitatis. Migrat n. tandem, serius, ocyus in naturam suam Caluinismus, & mendacia affectatæ mansuetudinis horrore suppliciorum prodit, atque infamat. Quid igitur Syncretismo, & pacificationibus molitur aduersarius? Quis tantæ turpitudinis finis? Ipsum audiamus?

§. 2. Capite 12. Jubet *pio Syncretismo aduersus communem hostem Antichristum studia, consiliaq; coniungi.* Capite 11. hoc ardentius agit, cui & titulum hunc præscribit: Quod dum Synodus & concordia plena concilietur, interim pio Syncretismo, mutuaque tolerantiâ coire, & contra Papatum simul stare debeant Euangelici.

Hostem igitur Romanis ex toto orbe Silesius ille Hannibal jam moriturus inquirit, hostem Romanis, hoc est, Pontifici, ejus defensoribus, amicis, clientibus,

bus, vndiq; auxilia circumspicit, etiam infida, & dubia, nosq; eadem opera cautionis admonet, ne bellum denunciatum esse nesciamus, quod tam notus fecialis indixit. Tria in hoc bello Principibus, eorumque consiliarijs consideranda propono.

Primum est, Antichristi & Papatus nomine non Pontificem modo, sed omnes Clericos, Laicosque Catholicæ, & priscæ religionis ab illo lanista designari. Secundum est, agere illum non de sua modo defensione, sed Catholicorum offensione, & armis vltrò inferendis. Tertium est, Bellum ab eo suaderi, omnium, quæ vnquam humanum genus concusserunt, crudelissimum.

In omnes omnino Catholicos bellum parat.

§. 3. Primum in confesso est. Papatum regnum Pontificium esse definiunt omnes, *Antichristi carnes esse clerum, ossa Reges, Principesq; seculares* ostendere conatur in plaga Regia fol. 54. Graserus. eadem penè Pouellus in thesibus de Antichristo, omnium infestissime Benedictus Aretius in Apocal. 13. 15. *Nomen bestiæ est esse filium Romanæ Ecclesiæ seu Catholicum, seu Romanæ Ecclesiæ membrum.* Bestiæ autem duæ ab Apostolo Joanne describuntur, quarum maximam, atq; immanissimam, Imperatorem seu Imperium; secundariam verò, primæ administram, Pontificem interpretantur. Latissimè igitur hoc bellum sæuiet, contra Reges, & Regum primogenitos, qui in solijs eorum sedent, vsq; ad primogenitos ancillarum in pistrino molentiũ, omnes n. Caluiniano pacificatori, cum irritari occeperit, Antichristiani sunt. In omnes, inquam, barbara immanitas grassabitur, sed primo in eos quos vicisse lucrosissimum fuerit, in Imperatorem, Reges Christianissimos & Catholicos, qui primogeniti sunt Ecclesiæ filij, & in tam diuino corpore membra nobilissima. Nec ad inuidiam hæc dico; nulla potest tantæ atrocitati oratio par inueniri, nec reprehensionem curant, qui ita docent, qui laudi sibi ingeniosam sæuitiem ducunt. Parum est illis visum generatim omnes in tormenta, mortemq; deposcere, ne quisquam suæ dignitatis, aut generis rationem habitum iri confidat; Cæsarem, atq; Imperij Principes nominatim lanienæ destinat Aretius Caluinista in Apoc. 13. 7. *Post acceptam*, inquit, *Christi doctrinam, mox impii hypocrita titulum Ecclesiæ ad se rapuerunt, & vera Christi mandata persecuti sunt, quam caussam adhuc strenue defendunt, sedis imperii successores.* Et: *Quam latè enim Romanum nomen patet, tam latè pii* (id est, Caluinistæ) *persecutiones patiuntur.* Cum hæc scriberet, nondum in Imperium tanta vi Caluinismus inuaserat. Et in versum. 1. *Admirari bestiam, est Imperii successum, & felicitatem admirari, Augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale illud prædicantes.* Et: *Draco enim Diabolus est, qui sua ornamenta affingit Imperio.*

Speciatim morti destinant Imperatorem & Principes.

Multo verò maledicentius in plaga regia Graserus: *Imperium* vocat *plenitudinem diabolismi.* Idem ipse cum fol. 55. omnes Catholicos *vocasset bestialitas*, deinde fol. 207. *Catholicos*, ait, *omnes cum meretrice magnâ scortari, & reges esse scortatores*, adiungitque: *In hoc ordine* REGVM SCORTANTIVM HISPANVM & HISPANIAM tenere primas.

Neque dissimulat ista Pareus, nec potest; contra Papatum enim, & quos contumeliæ causa vocat Papistas, stare jubet omnes sectas, neque adeò stolidus est vt nesciat, Basilicam Petri multorum Regum, & populorum præsidio fulciri, eorum vitam, potentiamque obstare, quo minus opimam prædam Sacerdotiorum Romanensium in sua præmia vertat, scit non nisi per fidelium Regum latera communem omnium Regum orthodoxorum in Christo Patrem posse peti: Prætoriam D. Petri nauem scit vniuersæ Christianitatis victrice classe præcingi, nec nisi illa disjecta expugnari, ac lacerari posse.

§. 4. Præcipuè verò dedi noxæ optaret, quos c. 29. mentitur *dolo & armis prouincias suas sub iugum Antichristi iterum cogere.* Qui verò illi? *Cuius rei*, inquit, *documento sunt, Francica orientalis, Austria, Stiria, Carinthia, Vngaria, Troppauia, Donauverda*, hac de injuria expostulationem æquissimam suo loco adferam, nunc satis est ostendere, quibus bellum Pareus indicat, nempe Imperatori, Domui Austriacæ, Principibus Bauaris, Duci Franciæ Orientalis. *His*, ait, *coniunctis votis, consilijs*, ACTIBVS *fortius, & temporius obuiandum.* Hæc præcipue quidem ad Reges, Principes, aliosq; seculares pertinent, de quibus cum probarim, de Ecclesiasticis quos acerbius oderunt, dicere nihil est necesse. De his contentus ero proferre calumniosissimam Caluini opinionem Epist. 2. *De Christiani hominis officio in Sacerdot. &c. Apud integros* (Caluinistas) *sanè & incorruptos iudices, non ita difficile fuerit palàm facere, totam illam Romanensis opulentiæ congeriem, ab ipsâ supremâ sede, ad minimam vsq; Capellaniam vt vocant, ex impostura, furtis, rapinis, sacrilegijs, pessimisq; artibus conflatam esse, & cuius nullam particulam attingere possis, quin multorum conscientia te scelerum obstringas.* Quomodo impostores, fures, raptores, sacrilegi, malarum artium vsurpatores, multorum scelerum conscientia obstricti, sint tractandi, jura docent, & leges, quas ad improborum audaciam frenandam constitutas, cum vicerint, ad innocentiam orthodoxorum oppugnandam vniuersas conuertent. Quid enim victores non attentabunt, qui cum multa necdum habeant, & quæ corrasêre, nondum securè possideant, bellum tamen in regna dissita, ita Principes alieni juris, in Cæsarem ipsum decerni vellent. Qui cum ad Neccarum vino & ira incaluêre, moleste ferunt, si in Francia orientali, Austria, Stiria, Vngaria, Troppauia, vibe Donauverdana, veritas antiqua, in quam primo regiones illæ baptizatæ sunt, contra nutum eorum, ditionemq; doceatur. Dixi & probaui omnibus illam belli calamitatem clademque denunciari, nunc alterum ostendam, non hoc eum agere, vt quocunque modo parta tueatur, & defendat, sed imperium augeat, infesta arma inferat, occidat, spolia detrahat.

Certos Germani a Principes accusat.

Bellum offensiuum cogitat.

§. 5. Primo enim, hoc praxis Gebennensis, Heluetia, Gallicana, Belgica, Britannica, & quam nunc subit Brandeburgica ditio, demonstrant. Deinde bellum perfidiæ suæ propagandæ, imaginibus frangendis, cæremonijs Catholicis abrogandis suscipiendum putat, at qui tanta molitur, non sufficit illi sola defensio, inferendum est illi bellum, non sustinendum modo. Sed præstat tartaream ciuilis belli tubam audire sua verba tonantem. In Rom. 13. dub. 4. Propositio 7. *Christiani Reges & Principes debent resistere tyrannidi Pontificiæ, etiam gladio, & vi eam impediendo, frangendo, idola tollendo, & Ecclesiam suæ libertati restituendo.* Nemo non intelligit bellum hic offensiuum mandari, aut si quis dubitat, sanè tres quas subjungit rationes, omnem scrupulum eximere merito debent.

Principes ait debere Pontificem oppugnare.

Ratio prima. *Principes debent esse terrori operibus malis, vltores ad iram iis, qui malè agunt; At opera pessima sunt Antichristi, coercenda igitur gladio eius malitia.* Quis vero dicat Principi solam contra maleficia defensionem mandari? Quis negat Magistratus esse munus, latrones, fures, maleficos sollicitè inquirere ac vestigare, è latibulis protrahere, legibus in eosdem conuictos, & judicatos agere? Quis verò non videt illa ratione, in Pontificem, Cæsarem, omnes status Catholicos Caluinianis non modo jus, & gladium dari, sed mandari etiam vltionem? Execranda profecto hæresis, quæ non modo in Collegas Principes, qui antiqua in Patrum religione perstitêre, permittit bellorum & rapinarum licentiam, sed crudelitatem etiam præcipit. Crudelior est etiam altera ratio.

Quia

Quia hoc illis mandatur. Apocal. 18. 6. *Reddite ei, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate ei duplum secundum opera eius: in poculo, quo propinauit, propinate ei duplum. Ergo regnum Papæ destruere debent.* Justum sanè mandatum, sed contra Antichristum, & ejus adjutores, quos contra à Deo dirigitur, impium & crudele, cum in Sacerdotes, & Christianos Reges ob perseuerantiam in veteri pietate supplicia maleficorum transferuntur. Quid autem fieri velit ratione tertia copiosius exequitur. *Quia prædicitur futurum,* inquit, *vt Reges & Principes Christiani odio prosequantur meretricem, & solam reddant eam, & nudam, & carnes eius comedant, & ipsam igni exurant, at prædictio habet vim præcepti, vt hoc faciant.* Injurias, calumnias, sacrilegia aduersariorum in hisce Scripturæ deprauandis verbis, & alibi exposui, nunc hoc solum volo, judicio eorum, bellum quod machinantur, nõ esse defensiuum, sed offensiuum. Hinc Fredericus Braubomus Caluinista, libr. 10. Florum Flaminiorum c. 5. toto probare conatur; *Mandatum diuinum de Pontifice euertendo omnes Reges Christianos habere, imò omnes Caluinistas. Tale,* inquit, *quale primatum Ehud habuit, nos publicum habemus.* Hinc bellica Graseri oratio in plagâ regiâ. Hinc Plessæi classicum ad Regem Britanniæ, in quo magna vociferatione flagitat; *Vt Rex Italiam petat, vltore gladio Pontificem transfigat, venationem orbi exhibeat, eum in ponte Miluio calcet, pessum det, exturbet, auerno instar molæ demergat.* Magno hoc affectu petit vir mitissimus, qui & ipse adesse, pugnare, gladios generoso tepentes sanguine lambere desiderat. *Ego,* (inquit, *in præfatione ad mysterium iniquitatis suæ*) *inter principia prælia miscebam, inter triumphos, præcinente Angelo,* CECIDIT *illud congeminem, sanctæ huic lætitiæ totus immergar, æternæ contiguus immoriar raptus.* Crudelitatem militis veterani de sanguine Catholicorum incrassati taceo, lætitiam sæuam animi in cruore cæsorum demersi, & tam gestientem ex carnificinâ lætitiam, vt vitam lætantis incidat, non arguo, qa Caluinisticæ pietatis est, non in spe filiorum Dei gloriari, non de consolatione cœlesti gaudere, non in sanctam lætitiam diuinæ dilectionis immergi, sed de cruore cæsorum supremum lætitiarum apicem figere, sanguini Catholicorum immergi, & de alieno vulnere, ac tormentis tantâ voluptate liquescere, vt crudelitati suæ immoriatur. Hoc votum est militis, hoc omnium Ministrorum Caluinianorum, qui Martium illum pullum sanguine aluerunt. Duo jam satis explicui, nempe bellum in omnes decretum, deinde bellum tale, quo vltro vis inferatur, non quo solum illata reprimatur. Supereſt tertium, scilicet, bellum, si Parei auspicijs geratur, omnium, quæ hactenus orbis terrarum subijt, fore immanissimum, tæterrimum, atque hanc truculentiam proprium finem esse Syncretismi.

Plessæus regem Britãnie ad bellum Italicum incitat.

Plessæi crudelitas.

Bellum fore crudelissimum.

§. 6. Crudelitatem, Plessæi lætitia & voluptas clarius, quam verba mea, demonstrare potest. Multos audiuimus fuisse, & sæuos tyrannos, qui è sanguine, & doloribus alienis voluptatem ceperint, supplicia cupide spectarint, nullum tam beluino, atq; effero ingenio meminimus, cui miserorum cruciat⁹ tantam lætitiæ vim obtulerint, vt mori coëgerint, nullum carnificem qui ex tormentis alieno corpori adhibitis tantum lętitię ceperit, vt in eo posset voluptas torquendi, quod in altero dolores, laceratioq; corporis efficiebat, vt sæuienti gaudij immensitas, torto autem cruciatus magnitudo animam exigeret, solus Plessæus profitetur lætitiæ illi carnificum se totum immersum, atq; immoriturum. Nos exercitum Plessæorum cogitemus, Ductores Pareos, cætera dicere animus cohorrescit, non discurrere de eo mens est, q nulla hactenus carnificum ingenia inuenerunt.

Cur sæuis Caluinistæ?

§. 7. Quæres fortasse quam sæuitiæ caussam prætendant Caluinistæ? Pleriq; iram, odium, omnes falsam opinionem, nonnulli eam quam percipiunt ex alieno cruciatu delectationem, quod crudelitati est proprium. Catholicos, quos illi Papistas appellant, Antichristianos esse opinantur, alij ita certo hoc sibi persuadent, vt etiam perjurio asserant, sic Pouellus *in thesib. de Antichristo,* alij dubitant, vt Serenissimus Angliæ Rex, sed tamen quia id opinantur, idcirco omnium hominum spurcissimos, tæterrimos, sæuissimos esse judicant, de sanguine Sanctorum ebrios, idololatras, Baaliticos, Bestialitas esse clamant. *Sub operosis illis laruis* (Catholicorum) inquit, *in plagâ regiâ* Graserus, *nihil aliud quam crudeles homicidas, sceleratos, veneficos, impuros scortatores, furesque, & latrones tegi & occultari,* Grauis accusatio, *nihil aliud latere, nihil humanitatis, nihil veritatis.* Cum igitur tam sceleratas laruas nos jam dudum judicarint, omnibus supplicijs vexandos, omnib. contumelijs lacerandos ex eo præjudicio constituunt. Antichristum omnia sæuitiæ genera in pios experturum sacræ literæ nos docent. *Est enim tunc tribulatio, qualis non fuit ab initio, quo gentes esse cęperunt,* ipsi Pontificem Antichristum, Catholicos Antichristianos satellites censent, & administros, ea causa omnẽ quam scriptura Antichristo tribuit, crudelitatem nobis imputant, eamque, quam ab vllis tyrannis exercita fuerit, majorem. Quod vero Apoc. 18. dicitur, *Reddite illi duplum,* sic interpretantur, vt dicant sibi à DEO imperatum, vt duplo asperiora tormenta nobis admoueant, quam ea sint, quibus sanctos Antichristus excarnificauit. Verba Parei, etsi immaniora sint, q̃ Plessæi voluptas, audiamus. *Nec præcipitur iniustitia, cum duplum ei reddendum præcipitur: sed nullum vltionis genus aduersus Papam iniustum, aut nimium esse significatur, duplum esse intelligitur non eius pœnæ, quam sit meritus, sed eorum malorum, quæ ipse prius inflixit pijs, & quibus Ecclesiam affecit.* Quam Emphaticè, *Nullum genus vltionis?* Nec in solam Pontificis personam supplicia decernuntur, Regum & Principum victore Plessæo erit eadem sors, multi namq; illorum plus multo Caluinistis, q̃ Pontifex obfuêre. Præsertim illi, quorum, piâ curâ, vitâ, monitione, puinciæ quædam ad pristinæ fidei cognitionem, verumq; Dei cultum sunt reductæ. Hæc nobis exspectanda sunt, si Syncretismus euincat, & Deus moderari genus humanum desinat. Carnificinæ præsidebit Pareus minister orcinus, in duplum, durus pœnarum arbiter supplicia exaggerabit, ne minus duplo dependant, studiosus, & gnarus torturæ cauebit; nam vt excedant, tortoribus, si libebit, per Pareum licebit; Quia *nullum vltionis genus, nimium aut iniustum.* Aderit *totus sanctæ lætitiæ immersus Plessæus.* Inueniet Pareus, quod Phalaris mirabitur, quod Busiris obstupescet, quod nondum ausus est, vel nondum potuit Caluinismus, dictabit non plebeis modo corporibus, sed Regum & Principum Majestati, Episcoporum sanctitati adhibenda supplicia, & tanto carnificinæ Magisterio gnauiter vsus, Catholicos tormentis, Plesseanum exercitum, lætitia de tormentis Catholicorum conceptâ, exstinguet.

Vt misericordiã negent, Laruas nos, non homines putant.

Sæuitiei Parei.

Sæuior es tristi Busiride, sæuior illo,
Qui falsum lento torruit igne bouem.
Quiq; bouem siculo fertur donasse tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas.

Nihil ad votum pacis Christianæ, & Syncretismi molitiones Hetruscus ille tyrannus, de quo canere pueri solent:

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis
Componens manibusq; manus atq; oribus ora,
Complexu miserο longâ sic morte necabat.

Hæc in nos duplabit Caluinista. Quæ tum facies orbis, quis locus excipiet timidos, quot pœnæ superandæ fortibus? qui gemitus? qui sonitus plagarum? q nidores ignium in vulneribus stridentium?

Quis prodere tanta relatu

Funera? quis cædes posset deflere nefandas?
Quid tale immanes vnquam gessisse feruntur,
Vel Scinis, Isthmiaca pinu, vel rupe profunda
Scyron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sylla?
Vel gladiis Bataui, vel gliribus Hugonottæ?
O mites Diomedis equi? Busiridis aræ
Clementes! iam Cinnapius, iam in Spartace lenis
Pareo collatus eris.

Non posse credi Caluinistis pacem offerentibus.

Quantus dolor erit, qui letale gaudium Caluiniano parere queat? Cujus etsi forte manus nondum Catholico sanguine maduerunt, calamum certe quo scribit, sanguine nostro tinxit, & fauces nostrâ morte cruentauit. Hæc consilia sunt tribunorum nostri temporis, hæc Theologorum scita: *Vincere causa non possumus, occidamus. Præceptum diuinum, quale habuit Ehud Iudex priuatum aduersus Moabitarum Regem, habemus nos publicum.* Quale hoc præceptum? *occide; virtus, an dolus quis in hoste requiret?* Potestne igitur esse pax tibi ô Paree cum illis, quos te jubet Deus occidere? si lex à summo Domino jussa est, qua cædes nostra vobis demandatur, vosq; ita esse judicatis, fœdus omne, spemq; concordiæ in æternum abrumpitis

Tecum, inquies, pacem faciam, sed contra legem Dei venire non possum, is jussit, vt te occidam. Mandatum habeo publicum tui occidendi, priuatæ pacificationes, fœdera, juramenta irrita facit imperium supremi Imperatoris. Jam te satis intelligunt nostri Principes, quorum potentiam, animosq; idcirco arctissimo fœdere diuina bonitas deuinxit, in sui defensionem, ne carptim singuli turbonum istorum insidijs perirent. Ab illis verò religionis pacem exspectare, quibus caput est omnis sanctitatis, aduersarios primo quoq, tempore occidere, stultum est, ab ijs, inquam, qui non modo fœdera gentibus vsitata, sed turpia etiam, & Syncretismorum fallacias in mundum inducunt: scilicet

Tantæ molis erat Romanam excidere gentem.

Caput XXVI.

Secundarium Syncretismi scopum esse duplicem, euersionem Lutheranorum, & seruitutem Principum Caluinianorum.

Pugnam vertent in Lutheranos.

§. 1. Pontifice cum defensoribus occiso, postquam carnes ejus deuorarint, multos exusserint, cadaueribus Tiberinum alueum obstruxerint, Syllana tempora reduxerint, quibus *in fluuium primi cecidêre, in corpora summi*, tum vertent in commilitones Lutheranos ferrum, & Cadmæâ pugnâ Romanis manib⁹ parentabunt. Si enim Papa simplex, simplicesq; Papistę tam erant conficiendi atrociter, quid meritos dicent *duplices Papas, duplicesq; Papistas*? Lutheranos enim ita appellare ministri Caluiniani solent, *vt libro de illorum vnione probaui.* Deinde causas easdem bellandi contra ipsos habebunt, quæ eos ad Syncretismum, & certationem aduersum Catholicos impulerunt. Principes suos dicent *oportere tyrannidi Lutheranæ resistere, etiam gladio, & vi eam impediendo, idola frangendo*, nam & Lutheranos idolis patrocinari Pareus existimat, in Rom. 1. dub. 18. Tertio, Lutherani Caluinistas bello persequendos censent, quis autem credat de hostibus suis benignius consulturos esse Caluinianos, quos de se non nisi crudelissimè cogitasse sunt experti? Joachimus Westphalus, *quoscunq; Caluinistas fauere compertum fuerit, toto orbe exterminandos clamitat: gloriatur se scripsisse: Caluinianos gladio potius Magistratus, quam stylo esse refutandos:* Auctor est: *vt non modo professoribus Zvvinglianæ doctrinæ, sed etiam approbatoribus interdicant aqua & igni*

Lutherani gladio agendum in Caluinistas aiunt.

Magistratus, ita Caluin. vlt. admon. ad Westphalum. Hanc partem leuiter nũc ordinis causâ attingo, ipsos Lutheranos causam suam agentes suo loco producam, inter omnes enim causas hæc præcipua est: De Lutheranorum itaque sententia rationes nouemdecim causam explicabunt. Ne tamen turbones Caluinistæ se ita tegere, atque opprimere purent posse animi sui propositum, vt non emanet in vulgus, atque innotescat, paucis cum illis agam, atq; ita leniter, vt offendi, ita verè, vt respondere non valeant.

§. 2. Agite; pax esto, coalescat Syncretismus; consulere Lutheranis vultis, scindi fraternitatem nefas esse ducitis. In omne æuum nobis occisis, pacificè cum illis viuere pollicemini. Si scientes volentes non fallitis. Agite, hoc vnum pro Lutheranis omnibus orator oro, quæsoque; Sinite illos vel ad vnum mensem in Marchionatu Electorali suum tenere locum, non vt semper maneant precor, nimium hoc est, spacium fugæ aliquod, & exiguam temporis vsuram postulo, pignus illud vestrę humanitatis. & Syncretismi habeât, ne pellite, quos tam conjunctos vobis peroptatis. Hoc si impetro, moderationis vestræ laudator existam, si negabitur, quid Lutherani sperare possint, non video. Fundos & hæreditates illis cedetis, quos tam præpropere, ita auide pellere cœpistis, vestra importunitate miseros in furorem egeritis? quibus nec precariam ad tempus possessionem indulsistis. Si potentia seculari premere illos pergitis, quid victi exspectent, cum adhuc, stante fato, tam dira patiantur? cum adhuc lenocinantibus Syncretismi blanditijs exilia, proscriptiones, carceres sentiant?

Ista hæc omnia nimis mostruosa non esse.

§. 3. Quid autem, si ex Pareo planum facio Lutheranos non modo tutos esse non posse, viuis Caluinianis, sed nec ipsos quidem Reges & Principes Caluinianos, nisi seruitutem seruiant, Ministrorum suorum fraudes, atque violentiam declinare posse? Tanta est Zvvingliani energematis prauitas, vt in sua viscera ferrum conuertat, cum materia crudelitatis in exteros intentatæ subtrahitur. Pareus in Rom. 13. ita docet. Prop. 2. *Subditi non priuati, sed in Magistratu inferiori constituti, aduersus superiorem Magistratum se, & Rempublicam, & Ecclesiam, seu veram religionem etiam armis defendere iure possunt. His positis conditionibus.*

Documenta ad perniciem Principum.

I. *Cum superior Magistratus degenerat in tyrannum.*

II. *Aut ad manifestam idololatriam, atq; blasphemias, ipsos, vel subditos alios vi vult cogere.*

III. *Cum ipsis atrox infertur iniuria.*

IV. *Si aliter incolumes fortunis, vita, & conscientia esse non possint.*

V. *Ne prætextu religionis, aut iustitiæ sua quærant.*

VI. *Seruata semper ἐπιεικείᾳ & moderamine inculpatæ tutelæ iuxta leges.* Ex hisce conficere sibi rationes suas possunt Principes Lutherani & Caluiniani.

Causa Caluinistica occidendi reges.

Primo. Si Caluinianum Consistorium me judicet Tyrannum, armare in me Prætorem, cum libebit, licere arbitrabitur. Tyrannum verò dicet, si Vbiquitarios rigidos, & fœuos veritatis hostes feram, ac foueam. Si Caluinianos exterminem.

Secundo. Quanta licentia suum illud decretum sanciet, licere Satrapæ Ecclesiam suam contra Magistratum majorem defendere? An si Ecclesiolam Witteberġæ, aut Lipsiæ Caluinistæ congregauerint, eam armis consul, aut Satrapas contra Electorem tueri jure bono poterit? Quam latè pateat illud: Ecclesiam defendo, Religionem veram tueor; nemo ignorat, nisi qui adeo in Europa peregrinus est, vt nesciat, quam multis religionibus vera fides jactetur. Si Magistratui inferiori aduersus superiorem in ea causa datus est gladius, à Crellio occidi potuisse olim Saxoniæ Principem concedant necesse est.

Tertio. *Si ad manifestam blasphemiam velit cogere.* Nempe impanationem, Vbiquitatem, si quis Lutherice

ricè docet, si subscribere articulis illis, aut cedere detestatione jubet, de sententia Parei, occidi Princeps ille à Prætore suo potest.

Quarto. *Si atrox inferatur iniuria.* Atrox sanè injuria est, pro pane cœlesti, pro salutari Eucharistiâ, subditis in Ecclesiâ dare *Excrementum, cuius ipsum Diabolum apud inferos pudere debeat,* hoc facere Lutheranos ait Beza: *vide defensionem Phortzheimensium pag.* 205. Ergo judicat Principes, qui ditionibus suis panes, offasq; Zvvinglianas excludunt, cœnam Lutheranam imperio, & armis tuentur, atrocem injuriam inferre.

Quinto. *Si aliter conscientiâ incolumes non possunt.* Quando verò se homines sanctissimi conscientiâ incolumes esse dicent? quando fortunis, & vita? Si optima illis fide ministeria sua Lutherani cedant, si omnia deserant, si suarum rerum occupatoribus graues non sint, si libere docere, reprehendere aduersarios, cogere concilia, armare consistoria concessum fuerit. Nunquam ego dubitaui, quin ipse Pareus id nunquam sibi ipse probarit, quod nos credere postulat. Prætorem quempiam Zvvinglianismo dementatum, si sese putet viuo suo Principe conscientia incolumem esse nō posse, jus ac potestatem vitæ ac necis in Dominum suum adeptum esse.

Ingens periculū Principi Lutherano à Caluinista.

Quid enim si conscientia ejus tàm cauteriata est, quam tergum Caluini? quid si fanatica est? quid si impia? quid si Caluiniana? Adeone vita Principis Lutherani de conscientia Caluiniani subditi pendebit? Quid si ille conscientiam lædi suam profiteatur, quod Sacramenta ritu Gebennensi non dentur? quod conciones suaues quæ scelera DEO transcribunt non audiat? Quod liberos suos erudire sacris Gebennensibus, atque initiare prohibeatur? An is incolumitatem conscientiæ, periculo Principis; sanctitatem; sanguine Magistratus; securitatem, morte Imperantium sibi parabit? Hæc Magistratibus consideranda relinquo, ad alia progredior. Quinque rationes probandæ propositioni suæ producit, quibus exceptionem de ἐπιχείρ. *inculpatæ defensionis euertit.*

Cur possit inferior Magistratus superiorem occidere?

§. 4. Ratio I. *Quia etiam superior Magistratus est subiectus legibus diuinis & suæ Reipublicæ. Esset enim manifesta impietas, & scelus, Magistratum quantumlibet sublimem se velle eximere legibus, quod patet, quia Rex iubetur legere Deuteronomium, seu legem diuinam.* Deut. 17. Jos. 1. 8. *Ergo Deus vult Regem legibus diuinis subiectum esse. At lex DEI non modo tyrannidem prohibet, sed etiam iubet legitimè eam coerceri:* Qui sanguinem hominis effuderit, &c. Item: *Imperator in Codice testatur,* se contra jus nolle, vt sua decreta in judicijs locum habeant, sed debere irrita fieri, si fortè cognoscantur à justitia discedere. Et libro 4. C. de leg. prin. Adeò. *Digna vox est Maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Ergo etiam superioris Magistratus tyrannis, aut latrocinia coerceri debent ab ordinaria potestate: quæ est in qualibet Politia vel Magistratus inferior, vel consensus populi.*

II. *Quia inferioris Magistratus non minus, quam superioris officium est defendere vitam, & salutem subditorum contra iniurias atroces, & vim iniustam latronum, & tyrannorum siue externorum siue domesticorum: quod probatur: quia etiam de ipsis dicitur:* Est minister Dei tibi in bonum: non est terrori bonis operibus, sed malis. Gladium non gerit frustrà: est vltor ad iram Dei, qui q malum est, facit. *Ergo cum superior Magistratus, quod malum est facit: & atrocibus iniuriis in subditos, aut blasphemiis in Deum, inferior debet esse vltor ad iram, &c. Item, quia ideò inferiores Magistratus adduntur superioribus: tum vt sint socij gubernationis, tum etiam vt horum moderentur immensam licentiam. Ergo cum istam frenant, vtuntur authoritate & gladio per legitimam vocationem sibi diuinitus tradito.*

III. *Quorum est constituere Magistratus, eorum etiam est enormiter grassantes coercere, aut tollere, nisi desistant grassari contra Deum, & contra Rempublicam. Constituuntur autem vel per populi consensum, vel per Senatum, vel per electores, vel per alios Magistratus. Ergò hi rectè faciunt, cum coercent, aut tollunt grassatores.*

IV. *A simili: Magistratus furiosus rectè amouetur authoritate publicâ: vt Nabuchodonosor in furiosam bestiam conuersus ab hominum consortio fuit abiectus, Daniel* 4. 31. *At furioso similis est grassator, & tyrannus atrox.*

V. *Idem exempla laudata confirmant tàm sacra, quàm profana. In historia Iudicum sæpè leguntur Israelitæ per suos iudices Deo approbante insurrexisse aduersus Vicinos tyrannos, à quibus crudeliter tractabantur. Ezechias Rex pius ab Assyrio tyranno defecit, cumq; bello ab eo peteretur, armis se contra eum defendit* 2. *Reg.* 18. *Nec refert, quod hi fuerunt tyranni externi: Domestici enim tyranni ab externis nihil differunt, imò magis sunt reprimendi, quia periuri & nocentiores. Sic populus restitit Sauli Regi stolido & sæuo Ionathan filium trucidare volenti* 1. *Sam.* 14. 15. *Ahikam defendit Ieremiam Prophetam contra Regem Ioiakim interficere eum volentem, Ierem.* 26. 24. *Athaliam tyrannum sustulerunt Centuriones & Principes* 2. *Reg.* 11. *Maccabæi contra tyrannos Macedonicos se & Rempub. armis tutati sunt. Trasybulus* 30. *tyrannos Athenis eiecit. Romani consensu publico expulerunt Reges flagitiosè regnantes: sæpè consules se abdicare Magistratu coegerunt: Neronem & Maximinum tyrannos hostes iudicauerunt & sustulerunt. Electores Wenceslaum ignauum & luxuriosum imperio abdicauerunt, suffecto in eius locum Ruperto Elect. Palatino ædis cathedralis huius oppidi conditore Anno* 1400.

Denique Traianus laudatur apud Dionem, quod præfecto prætorio gladium tradens dixit: Hoc pro me vtere, si iusta imperauero, contra me, si iniusta.

Facilis ansa Caluinistis in Lutheranorū Principum mores.

§. 5. Quomodo improborum sceleri, atque audaciæ ad securitatem Principum tollendam rationes præclaræ januam aperiant, quia res ipsa docet, dicere amplius non debeo. Quid enim? *Princeps Reipublicæ suæ legibus subiectus est?* sit sanè, non jam hoc disputo. An etiam ea lege vt pœnas dare Reipublicæ debeat? Vt in eum simul ac deliquerit lege agi debeat? Ita tu quidem sentis. *Quia,* inquit, *lex Dei iubet tyrannidem legitime coerceri, qui sanguinem hominis effuderit, &c. ergo coerceri debet superior Magistratus ab inferiori.* Si igitur princeps Lutheranus aliquo delicto, quod pœna capitali sancitur, obnoxius est, vigore legis diuinæ eum occidendum Pareus judicat. Eo enim pertinet illud. *Qui sanguinem hominis fuderit, eius quoq; sanguinem fundendum, homicidium enim aliter expiari non posse, nisi per eius sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit:* Et quemadmodum Principis munus est latrocinia, blasphemias, adulteria, multoque magis hæreses atq; idololatriam vi, & gladio etiam, si opus sit, compescere, sic Parei consilio, proceres Caluiniani in Principes Lutheranos gladio animaduertent, si vbiquitatem tueri & defendere, si idola seu imagines in templo statuere, si Cyclopicam viscerationem exercere, si credere quod Molles in Belgio, atque ita *sectarii, hæretici, athei sectarii, tempestiue in ipsa herba opprimendi videantur.* Nunquam deerit ita sentientibus, in suos Principes actio, nunquam tantæ audaciæ, conatus efficiendi.

Caluinismus in Principes est atrox.

§. 6. Quid verò secunda ratio, quid Principi Lutherano permittit in Caluinismum? Imò quid non in Principem permittit Caluinismo? *Cum superior Magistratus agit quod malum est,* inquit, *inferior debet vltor esse ad iram.* At verò si ad consistoriale tribunal ministerij Zvvingliani Princeps Lutheranus vel Caluinianus sistatur, difficile fuerit sub iniquo judice causam tenere. *Malum agis;* dicent Lutherano, *Ministros Caluinianos proscribis, turbulentos veritatis hostes, Vbiquitarios cuchis, veteres hæreses ab orco reuocas, Deum pana-*

ceum adoras, Cyclopicam facis, Deum tuum dentibus laceras. 1. lictor, caput obnubito, intra vel extra pomerium verberato, arbori infelici suspendito. Caue vllum supplicium nimium, vel injustum suspiceris, duplices enim sunt Papistæ.

Addere etiam non veretur *inferiores Magistratus additos, vt superioris immensam licentiam moderentur, ergo cum istam frenant, vtuntur auctoritate, & gladio per legitimam vocationem sibi tradito.* Hæc si vera sunt non adjutores modo sunt illi Principum, sed Principes Principum, imò Principum carnifices. Quid enim de Parei Musæo egrediens Satrapas Principi suo jurabit? *Esse videlicet socium se gubernationis, moderatorem eius licentiæ, gladio se contra eum, si deliquerit, vsurum.*

Prætores Caluiniani suorũ principum carnifices.

Quid verò Principi concedit in minores istos tyrannisco's? an illi vt Tribuni plebis inuiolabiles sunt, & sancti? Imperare possunt Principi, rapere in carceres, occidere? Exempti igitur illi sunt Principis imperio, qui Principis non modo auctoritatem, sed vitam in manu habent. At dices; Hoc ita esse, *si se Princeps scelere obstrinxerit. Si, q̃ malum est, egerit.* Nec illi tam amentes sunt, vt bonis factis, vt virtuti supplicia constituenda p̃siteantur, nec me necesse est, quamuis illi hoc sæpè fecerint, tantam illorum proteruiam accusare. Hoc assero, hoc confirmo. In illa regiâ Prætorum, consulum, Satraparum potestate, vitam Lutherani Principis vnius assis æstimandam non esse. Eum namque, quod malum est, agere, jam dudum decreuerunt, hostem judicarunt, *dum horribilium hæreseon defensorem, atq; Patronum, veritatis persecutorem esse dixerunt.* Idem juris sibi ex ratione tertiâ arrogabunt; *Lutheranos enim enormiter grassari contra Deum, & Rempublicam, cum occidere libitum fuerit, causabuntur.* Nec modo Lutheranos gladijs minutorum regulorum censura consistorij objiciet, verum nec Caluinistis ipsis parcet.

Exemplum dedit Guilhelmus Amesius Rigidioris Puritanismi assertor, librum ejus contra Episcopos Angliæ non vidi, quæ ex eo citat Nicolaus Greuinchouius in præf. asscribam.

Elogium Episcoporum Angliæ.

Reliqui verò (qui scil. Puritani Rigidi non sunt, sed Anglopapistæ, vt sunt Episcopi Britanniæ) *insignes aleatores, potatores strenui, religionis officia susq; deq; habentes, versati institores Papistarum ambitionibus prauis corrupti, iuratores impij, homines deniq; vani, iniusti, turpes, & omnes filij Belial. Et hi non Ducestantum agunt huius militiæ, sed & castra implent penè soli: simpliciores enim quos à se habent ex ingenuis Marianos sæpè faciunt mulos, dum eorum abutuntur operam ad ligna militibus, calonum instar subministranda: Euclionibus autem illis, qui Puritanismo pertinaciter adhuc obluctantur, & pectus & caput helleboro purgandum: leges verò illæ, quarum gratia, & vi ministri aliquot bonis & sedibus suis pulsi, &c. quæcunq; sint, in eãdem reprehensionem incurrunt, cum Athenienſium scitis, de quibus Xenephon conqueſtus est, εἴ τοὺς τοὺς ποιήσουσι ἀμείνον πράττειν, ἐᾶν τοὺς χρεστοὺς: Neq; vt scias, ista sunt vetera maiorum scita aut consulta, &c. sed Canones quidam in legum fraudem dolo malo confecti, à Parlamentario Senatu damnati, verè sontici, quos deniq; aduersus ministros inuiti, & non sine pudore, & in alios culpæ traiectione exercent autores ipsi, si truces quosdam & sæuos excipias, qui omninò depuduisse videntur: Pleræq; porrò istarum constitutionum de industria sancitæ, ad quietos terræ turbandos & illaqueandos: q̃ vel inde liquet, quod putidas quasdam Papistarum reliquias, non retinuerunt tantum, sed omni ratione munitas & densis anathematis ex ipso facto circũuallatis dederunt, eas corruptelas firmare satagentes maximè, quas omnes penè bonos auersari nouerant, adeò vt iam palam fecerint, non ignorare se vitia sua, sed amare, inhiantes prædæ desmophylakes, armati omnipotente Vulcano, pascuum opimum depascentes, quod reliquum pascuorum, conculcantes pedibus suis, pecudes morbo affectas impetentes cornibus suis, eousq; vt dispersierint iectas foras: per dispares Ecclesiarum & Ecclesiasticorum in iurisdictione gradus, sceleratam scalam Antichristi conscendentes, Antichristiano actu Spiritu, dum id sibimet arrogant, vt Pastorum habeantur Pastores, quos dubium Catones, an Draconesiure dixeris: adeoq; vel è medio tollendum ementitum hunc Episcoporum ordinem, vel denuò Papam reuocandum ab orco. Hæc ille quasi de plaustro coniiciens in eum ordinem, quem ipsa Maiestas Regia sanctum veneratur, quem Proceres Regni suspiciunt.*

§. 7. Audisti Amesium, qui *in Episcopis, adeoq; per eorum latus in rege ipso lacessendo prima maledicentiæ suæ rudimenta posuit.*

An hic dubitat Episcopos illos esse atheos, conscleratissimosq;? *An malum agere*, non est ista facere, q̃ scribit Amesius? An Rex innocens non modo istorũ defensor, sed restaurator, collator, auctor, ornator? An isti ista fine rege vel possunt, vel audent? Quid igitur hunc, si jure inferioris Magistratus vteretur, facturum putamus? Confecta est ratio. *Episcopi illi quod malum est agunt, rex eos constituit, veneratur, tuetur, adiuuat, in Regem igitur aduertendum est gladio diuinitus mihi tradito.* Quis n. sceleratam scalã Antichristi in Scotiâ cum jaceret, erexit, in Angliâ cum nutaret, regiæ potentiæ & auctoritatis objectu fulcit, nisi Serenissimus Rex Jacobus? *Quod malum est agit*, dicit Amesius. *Eius igitur Satrapas est vltor ad iram*, subdit Pareus.

Furiosos pelli iubet. At furiosos esse Lutheranos putant Caluinistæ.

Caluinistæ Lutheranos aiunt furiosos.

Nec furioso suo tumultu efficiet Westphalus, &c. inquit Caluinus in adm. vlt. ibid. *Phrenetico impetu insurgere, præfractam esse hominũ intemperiem.* Jacobum Andreæ, & Osiandrum *furere*, ex p̃fesso demonstrare conantur Heidelbergenses Consolatores, *Magistratum atrocissimâ contumeliâ per latera pie docentium affici*, in p̃grammate apologiæ existimat Grynæus: Omnia itaque in Magistratum referent, quæ delirauerint Prædicantes, eoq; morbo, qui inputari solet, Magistratum Lutheranorum impeti clamabunt. Nihil enim sanctum, nihil immune est, quo non perrumpat superstitionis impulsa malis audacia.

Pareus exemplis sancit supplicia Principum.

§. 8. Hactenus rationes audiuimus, Exempla videamus. *In historiâ Iudicum sæpè leguntur Israelitæ per suos iudices Deo approbante insurrexisse aduersus vicinos tyrannos, à quibus crudeliter tractabantur, ergo Magistratus minor potest occidere maiorẽ, quia tyranni domestici magis sunt reprimendi, quia periuri & nocentiores.* Audire videor Consistorij Latrocinantis effatum. Vnus judex occidit regem Israëlitas crudeliter tractantem, vnus Satrapas occidat Principem Lutheranum, Caluinianas cæremonias exterminantem.

Ezechias rebellauit Assyrio Regi, Minor ergo Magistratus pugnare potest contra majorem, si is *sceleratam scalam Antichristi sustentet, & Antichristiano actu Spiritu*, id sibimet arroget, *vt pastorum pastor*, hoc est, *caput Ecclesiæ habeatur.*

Centuriones occiderunt Athaliam, Prætor ergo Principem occidere iure potest: Thrasybulus 30. tyrannos eiecit, Romani Reges expulerunt, consules se abdicare coegerunt. Neronem, & Maximinum sustulerunt, cur non igitur Caluiniani Lutheranos Principes, *Vbiquitarios, criminibus grauissimis, nulli Christiano homini tolerandis obnoxios, medios diuident?* atque in illorum patrimonia, ditionemque pios, & suæ mentis dominatores immittent?

Wenceslaus ob ignauiam exutus imperio. Minor ergo magistratus maiori abrogare imperium poterit. Quid igitur? si Princeps Caluinianus parum acriter Lutheranismum expugnet? si clementiora edicta pro Lutheranis euulget? si in causam sectariorum, hoc est, mollium, vt Ordines faciunt, videatur esse propensior? si Regia monitio lentitudinem non excitarit? Par scilicet periculum illi imminet, quod Papæ, quod Lutherano, duplici Papistæ, q̃ Episcopis Angliæ *sceleratã Antichristi scalam conscendentibus, vt sint Pastores pastorum.*

Verum

Caluinista non potest permittere religionem Lutheranam.

Verum quid opus est pluribus? Testimonium Parei in auctorem ipsum produco. Negat ille Lutheranos tolerandos. *Magistratus Christianus*, inquit, in Roman. 13. *non debet confusionem in religione permittere, sed solam veram religionem tueri, atq; defendere.* At solus Caluinismꝰ rigidꝰ ex mente Parei est vera religio, eam ergo solam tueri debet atq; defendere. Et Prop. 4. *Principes Christiani debent edictis, & pœnis impedire blasphemias, hæreses, idola, sacrilegia, &c. Quia bonum & salutem subditorum impediunt, ideo ture Papatum exterminant. Quia sunt opera mala, debent ergo illis esse terrori.* Nolo diffidat hic Princeps Lutheranus, nisi Pareus dicat, Lutheranorum esse blasphemias, hæreses, idola, sacrilegia. C. enim 28. *Paradoxa, & dogmata longe horribiliora & falsiora ex ipsorum libris colligi posse, quam sint illa, quæ Caluinistis exprobrant. Appellatos à suis Lutheranos, Marcionitas, Manichæos, Nestorianos, Eutychianos, Capernaitas, Creophagos, Vbiquitarios, Flaccianos.* Nonne Marcionitæ blasphemi? Manichæi pluſquam hæretici? Capernaitæ, & Creophagi, idololatræ, siue vt Zvvingliani vocare consueuerunt κρεολάτρας; nonne Flacciani sacrilegi? & vel maxime Nestoriani, & Eutychiani? imò nonne omnes illi hæc omnia? Pœnis ergo eos coërcere Princeps debet. Hoc igitur cum primum facultas erit, efficient. Quisquis enim consistorio obstiterit gladio cadet.

Seditiosi multos habent defensores, quia multu prosunt turbæ. Widerlegung contra Fried. lieb & Vitgerfturff.

§. 8. Hæc adeò clara sunt, vt negare Pareus non possit, adeò turbulenta & seditiosa, vt defendere non tentarit. Inuentus est tamen homo lingua Germanus, animo Cretensis, qui non modo periculosa illa propugnet, sed etiam, quod moris est desperatæ malitiæ, me vltro accuset. Nomen suum subticuit, mores prodidit, & quamuis alios petit, me tamen insequitur. Tuum lector judicium est.

Non potest inter tot dissidentes concordia esse.

Primo. Pareus Irenici p. 316. ita loquitur. *Id verò est, de quo non nos modo laboramus, sed procul dubio pii & cordati omnes in hoc negocio potissimum laborandum esse intelligunt, vt omnium quot quot sunt, intra vel extra Imperium Romanum, Euangelicorum Ordinum atq; Theologorum, pia veraq; coitione tandem aliquando facta, horribile schisma, atq; exitialis discordia tollatur, cursus Euangelii Euangelicorum culpa diutius non impediatur, sed vbiq; locorum tantò expeditius promoueatur, calumnia Papistarum de* BELLO *quinti* EVANGELII *(qualibus chartas suas famosas integrosq; libros complent) ipsa veritate retundantur: deniq; tyrannidi Anti-Christi Romani, cuius potentia hactenus nulla re magis, quam nostra discordia creuit, indiesq; crescit in imperio Romano, vbi videmus modò hanc, modò illam ciuitatem, ditionem, prouinciam dolo & armis, nullo habito discrimine, Lutherani an Caluiniani ibi fuerint, sub iugum eius iterum cogi (cuius rei Francia Orientalis, Austria, Stiria, Carinthia, Vngaria, Troppauia, Donavverda, &c. documento omnib. esse possunt) coniunctis votis, consiliis, actibus q; tanto fortius atq; temporius obuiari queat.*

Caluinistæ prius desinant pellere Lutheranos.

Pareus ludibrio habet Lutheranos:

§. 9. Hic ego questus sum primo. Pareum Lutheranos pro fungis habere, vt qui nominando paucas regiones, quæ ad veterem fidem redierunt, non existimaret illis in mentem venire posse, tot Principatuum, qui ad Caluinismum ex Lutheranismo defecerunt.

Contra historiam accusat optimos Principes Pareꝰ.

Secundo. *Quod dolis & armis sub tyrannidem Antichristi coactas esse dicit*; crimination em esse ꝓbaui, & ante me ꝓbauit contra Vtzinger P. Schererus noster. Hic respondet Anonymus: *An absq; dolis & armis mutatio illa facta sit, ex historia colligendum.* At verò jam historia docuit, nec Iulium in Francia Orientali, nec cæteros Principes dolis, aut armis vsos esse. Insignis defensio. Pareus, *dolis & armis pronuncias ait sub iugum coactas*, Parei Hyperaspistes ait; *consulendas historias, vt sciatur*; an Pareus mentiatur. Ego si aperte loqui vellem, mentiri dicerem. Sed malo male ominatis parcere verbis.

Tertio, dixi has tribunicias esse conciones, & seditiosas. Respondet ille, cui quidlibet dicere est respondere. *Irenicimentem non esse Catholicorum molimina describere, sed monere vnionis hanc esse causam, vt ne Catholici illis bellum quinti Euangelii obiiciant, non vt vlli statui noceatur.*

Eucrtere Catholicos statuunt.

Protrahenda est in apertum tàm contorte loquens astutia. Verba Parei & de quinti Euangelij bello queruntur, & deinde bellum intentant Catholicis. *Deniq;, inquit, tyrannidi Antichristi Romani, &c. coniunctis votis, consiliis, actib. tanto fortius, & temporius obuiari queat.*

Obuiare tyrannidi quid sit Parco.

Sic obuiare tyrannidi, non est duntaxat sermonibus de bello quinti Euangelij obsistere, sed alia quædam agere. Francia Orientalis reformata est, hoc Pōtificiæ tyrannidos exemplum Pareus statuit, hanc sub jugum coactam queritur, huic tyrannidi per Julium Episcopum optimum exercitæ obuiandum docet. Itane impediendus fuit? & pax religionis violanda? Quid tu hoc Lutheranis suades? Regnum Sueciæ, Palatinatus, Marchionatus, Electoratus, Langtauiatus, aliæq́ue ditiones à Lutheranismo defecerunt, & non ibunt obuiam Lutherani? Caluinismum septulo Papismo deteriorem recipient?

Belli tuba Pareus.

Quarto. Dixi; *coniunctis votis, consiliis, actibus, seditiosum esse, & si Principes Parei consilium sequantur, breui Germaniam sanguine inundaturam.*

Respondet defensor. Conjunctis votis, consilijs, & actibus Ecclesiasticis concionum, disputationum, scriptionum Theologicarum, addit: Manifestum est itaque, verbum *Actibus, ab vtroq; calumniatore, sicut etiam à Contzen Iesuita Moguntino, omninò contra Christianam sinceritatem ad politicos, rebellesq; actus torqueri, &c.* Non torquentur eo, sed recto tramite feruntur. Nam primo. *Votis, consiliis, actibus*, seu, mit Raht vnd That/ hanc significationem habet, vt vota & consilia præcedant, & facta sequantur. Deinde conciones, scriptiones q; sunt consilia, potius, quàm actus; alij igitur actꝰ quærendi. Tertio non Theologorum modo, sed omnium coitionem requirit. Ordinum autem Euangelicorum actus non sunt conciones, disputationes, scriptiones; sed bella etiam, & bellorum minæ. Quarto. Pareus non hic de concordia Euangelicorum, sed syncretismo, vti cœpit à c. 12. tract. Ita enim ait. *Quod dum Synodus & concordia plena concilietur, interim pio Syncretismo mutuaq; tolerantia coire, & contra Papatum simul stare debeant Euangelici*; Ad Syncretismum verò non concionibus, disputationibus, scriptionibus, sed dissimulatione & silentio opus est. Nam his actibus Syncretismus impeditur, non conciliatur. Quinto. Consilijs obuiandum tyrannidi ait. Quorum verò Consilijs? Non modo Theologorum, sed etiam ordinum. Consilia verò ordinum Euangelicorum non videntur esse de solis Theologorum contentionibꝰ, sed fœderibus, sumptu, bello inuadendo, &c. Intra paucos annos Principum confœderatorum plures conuentus fuere, varia consilia agitata, vt obuiam iretur Pontificijs; Nunc quæro, an eorum consiliorum objecta fuerint actus, seu media ad finem exquisita? si respondeat Pareus *actus esse*; quæram qualesnam actus? an ibi disputatum, aut constitutum sit de concionibus, scriptionibus, disputationibus Theologorum duntaxat, an verò etiam alijs de rebus? Et an res eas etiam complexꝰ sit Pareus, cum dixit; Consilijs, actibus? De solis actibus Ecclesiasticis inter eos tractatum esse, etsi tàm impudens esse possit Pareus, vt dicat; non tamen id sinent agnati, ne contra omnium ordinum conscientiam mentiens, fiat intestabilis. Actus verò ordinum non Ecclesiasticos Euangelicorum Pareus approbauit, & hoc loco intellexit, *qui fœdus Principum* tanquam sanctum commendat. Deinde motiua quarta negant Saxonici conjunctionem cum Caluinianis faciendam, *vt Papistis fortiꝰ resistipossit.*

Propter cōciones non est instituta vnio Euangelicorū.

Actus ordinum confœderatorū non sunt tantum Ecclesiastici.

Pareus in præf. de Eucharistia. Coniunctis viribus & armis pugnatis, inquit.

possit. Idq; probant 2. Par. 19. 2. Et Pareus queritur responsione ad motiu. 16. *Lutheranos suos Principes à consortio Caluinistarum non modo dehortari, sed palam editis scriptis consulere, in comitiis, & tractatibus publicis Papistarum familiaritatem sectandam, Orthodoxorum verò* (Caluinistarum) *Principum conuersationem vitandam eis esse.* Hos ille oppugnat; & vult in comitijs & tractatibus publicis adhærere Caluinianis Lutheranos, & sine dubio in decretis consentire, & q̃ visa sunt exequi, Actus igitur ad omnia illa extendit. Et si consilium ej⁹ sequantur Principes, breui natabit Europa sanguine.

Lutheranos pellere fidẽter, est opus Domini.

Nec enim intra verba lis illa consistet, aut libellos.

§. 10. Alter loc⁹ est in Oseam, vbi Illustriss. Landgrauium Hassiæ pellentem Lutheranos sic alloqtur. *Macte heros diuine, age opus Domini, ꝙ agis fidenter.* Hic ego nec contra Landgrauium Illustrissimum, nec ꝓ Lutheranis quicquam dixi. Tantum monui cohortationem illam vetuli adulatoris Irenico non esse consentaneam. Quid n. tu pacem, tu Syncretismum, tu Tolerantiam suades? Lutheranis blandiris, & Principem eos omnibus officijs exuentem canonizas? vt pulsis Lutheranis, sit & heros? & heros diuin⁹? & agat opus Domini? dextrè pulsi sunt, sed ne tumultus oriretur. Respondent; *In illa reformatione tria duntaxat puncta fuisse.* Tria nominantur, sed in illis tribus, & ꝓ illa tria Caluinism⁹ induct⁹ est, pulsus Lutheranism⁹.

Tria illa sunt omnia

Deinde ajunt tres quatuorue Theologos cum gratia dimissos. Audio; *tres quatuorue.* Vbi igitur tot ministrorum centuriæ, qui ante erant Lutherani? Quo in angulo Prædicans Lutheranus, nisi recepto Caluinismo latere permissus est? Vbi exercitium Lutheranum? Quid opus verbis? res ipsa, hoc est, templa, & vrbes clamant.

§. 11. Tertius locus est in Com. ad Rom. 13. 1. Vbi docet *subditis non priuatis licere armis se defendere contra magistratum.* Hic primo respondet tenebris abditus defensor. *Quamuis hic error esset, nõ debere toti corpori Caluinismi imputari*; ꝙ verum est, nisi toto corpore defendatur. Secundo, *hæc anno 1604. in Scholis dictata esse, cum nondum essent in imperio illæ commotiones.* Ita sit sanè. Non erant, sed ex illis ortæ sunt. Etiam in pace verba seditionum periculosa sunt. Tertio ait, *hanc defensionem contra Papæ tyrannidem permitti tantum, non trahendam ad status imperii.* Hoc verò contra Pareum est; *nam in Francia, in Bauaria, in Austria, dolo & armis coactas prouincias calumniatur, & tyrannidi Pontificiæ obuiandum*; q̃ tamen si tyrannis fuisset, per Imperij Principes fuisset exercita; ideò illis resistendum fuisset, Satrapas igitur Catholicorum in suos Principes concitat. Quãuis igitur nominetur Antichristus Romanus solus, omnes tamen Pontificis amici, & clientes intelliguntur, quos Antichristi satellites, calumnioſe, seditioſeque appellare solent. Quarto. Affirmat Principes reformatæ religionis non velle ex alienis ditionibus religionem Papisticam exigi, cum de illis ratio ipsis non incumbat. Respondeo. Hoc seruent, & causſa dissensionum sublata fuerit.

Ex Scholis Caluinianis imperii commotiones oriuntur.

Respondeãt liberæ ciuitates, in quas sensim migrant Caluinistæ.

§. 12. Quartus locus est. Christiani Reges & Principes debent resistere tyrannidi Pontificiꝙ etiam gladio, & vi eam impediendo & frangendo, idola tollendo, & Ecclesiam libertati suæ restituendo.

Hic clarè & plenis turbis classicum cani verissime affirmaui. Eodem modo cum dixit: *Principes esse debere terrori operibus malis.*

Hanc pugnam Parei defensor restringit ad terras subditas, non enim Hispanus in Polonia, aut Francus in Germania terrori est malis operibus; alioqui horribiles orirentur confusiones.

Optima ac saluberrima interpretatio, sed contraria Pareo. Ille n. monet, *vt coniunctis votis, consiliis, actib. obuiam eant tyrannidi Antichristi, quæ dolis & armis Franciam, Bauariam, Styriam sub iugum cogit*, ergo in Principes exteros gladium stringere docet. Deinde ratione tertia dicit: Quia prædicitur futurum, vt Reges & Principes Christiani odio persequantur meretricem, & solam reddant eam & nudam, & carnes ejus comedant, & ipsam igne exurant. At prædictio habet vim præcepti vt hoc faciant.

Bellum in exteros vrget Pareus.

Judicat igitur omnib. Regibus præceptum esse, vt Papam mactent, deuorentq; igitur omnibus in Papam jus datum esse censet, & Papam omnium gladijs quasi ꝓscriptum objicit. Ideò & Plessæus ad iter Italicum hortatur Serenissimum Angliæ Regem. Falsa est igitur, & impostoria illa defensio, q̃ Pareus nunq̃ admittet; potius ipse tremula manu tentabit ensem, & sine grandi vulnere imbelle telum mittet. *Sicut Ehud mandatum habuit in Regem suum, ita omnes Principes habere ait in Papam*; si in Papam, ergo in carnes ejus, h. e. Ecclesiasticos, & ossa, hoc est, sæculares Papistas Principes, Duces, Reges, Cæsares, si enim in Papam datum est plenum jus sæuiendi, si justum bellum, si mandatum cœlitus prælium, ergo in omnes qui Papæ defensionem suscipiunt, qui festinantibus ad illam visceratione obsistunt. Si enim tibi à Deo imperatur cædes in Regem, etiam mandatur bellum in ejus militem. Adeò latè patet illa rerum confusio, vt nemo prædicantum dubitet, quemlibet esse Papæ, & ejus propugnatorum legitimum carnificem.

An non op⁹ est egredi in aliena, ad illam visceration.

An exspectandũ dũ Pontifex veniat Heidelbergam mactandus?

Bellum in Papam decretum omnes Catholicos inuoluit.

Tanta verò insania est defensoris, vt excusari Pareum putet eare, qua maxime accusatur. *De nostris Principibus* (Euangelicis) *nullo verbo sit mentio, sed in thesi de Christianis Regibus, Principibus, Magistratibus, inter quos sane Cæsar, Hispanus, & omnes Papisticæ ciuitates imperiales sunt, qui omnes non minus quam alii parati essent, in suis ditionibus Papæ resistere, si scirent esse Antichristum.* Itaque justum arbitratur omnes resistere Papæ, quem putant in omnium ditionibus grassari. Nec in suis tantum ditionibus; nam Aod Regem Eglon in regio cœnaculo occidit, *tale mandatum habere omnes Principes* ait Pare⁹, itaq; debent etiam cum Plesseo petere Italiã, atq; in ipso Laterano Pontificem confodere. Si Cæsar, si Hispanus, si Archiduces, si Bauarus, si Lotharingus obstabit, per eorum latera cædendus erit. Imò multi ex illis in religione vera ꝓmouẽda, erroribusq; exstirpandis sunt ipsis Pontificib. nõ indiligentiores.

Pontifex nũ nisi per latera Catholicorũ principum confodi potest.

§. 13. Locus quintus. *Nec præcipitur iniustitia: cum duplum ei reddendum præcipitur: sed nullum vltionis genus aduersus Papam iniustum aut nimium esse posse significatur. Et duplum intelligitur non ei⁹ pœnæ, quam sit meritus, sed eorum malorum, quæ ipse prius inflixit piis, & quib. Ecclesiam affecit.*

Hanc crudelitatem ad omnes Catholicos Papæ defensores pertinere dixi. Defensor negat; *sed tantum ad Babylonem, hoc est, Romanam Ecclesiam, & Papam caput eius Ecclesiæ.* Ac primo quidem nimium est, *in Romanam Ecclesiam*, hoc est, in Romanæ Ecclesiæ membra tantum licere. Si nomine Romanæ Ecclesiæ tantum ej⁹ vtbis Episcopatum intelligit, minus late patet crudelitas ejus, q̃ totam Romanam Ecclesiam; hoc est, omnes Catholicos. Sed ostendendum est ad omnem Ecclesiam, quę sub Romana est, pertinere immanitatem sanguinarij senis. *Imperatur* (inquit in Apocalyp.) *hic vindicta non priuata priuatis, sed publica Regibus & Principibus piis, quibus Dominus Deus hoc dabit in corda ipsorum & quorum opera vti volet ad euertendam Babylonem: Ad hos proinde & ad copias eorum militares ista hortationis pars præcipue pertinet, & modus exponitur, quo illud dederit Deus in corda eorum, quia videlicet expresso mandato hanc eis vindictam imperauit.*

Iudicio Parei Deus expresso mandato regib. vindictam imperauit.

Expresse ergo Reges & Principes Euangelici mãdatum de vindicta sumenda acceperunt. Non de sola Roma; nam multi sunt magis juncti Papæ, multi pl⁹ damnorum nouatorib. intulerunt, q̃ Romani. Sanè deterior erit conditio societatis nostræ, omnium religiosorum, ac inprimis Ecclesiarum collegiatarum, q̃ ciuium

Quo quis R. Ecclesiæ sanctior, eo grauius affligetur. Babylon Caluinistis est Papatus.

ciuium Romanorum; itaq; generale, h.e. Caluinismi præceptum, & contra omnes Catholicos, Babylon verò Caluinianis, quanq; inter se, & à seipsis dissidentibus, est non singularis Ecclesia, quæ Romæ est, & in regione suburbicaria; sed totus toto orbe diffusus Papatus. Ita Pareus in Com. in 17. Apoc. v. 4. cum interpretatur illa verba. *Exite ex ea populus meus.* Omnes enim Sectarij vrgent, vt non modo ex vrbe, sed etiam ex Papatu exeant. Et inprimis Pareus. *Moneri, ait, omnes fideles, non modo qui intra vrbis mœnia, sed intra iurisdictionis Romanæ pomœria sunt.* Et deinde: *Quoties igitur quærunt Papistæ, vbi fuerit Ecclesia ante Lutherum, si Papatus non fuit: quæramus nos vicissim, vbi fuerit Ecclesia Dei tempore captiuitatis Babylonicæ, si Babylon non fuit. Fuit, inquam, illa in Babylone, sed captiuitate oppressa: Ita hæc fuit in Papatu captiua, oppressa.*

Exite ex ea) *Vetus populus iubebatur exire Babylone primum corde, fugiendo idola & abominationes eius: post annos LXX. etiam corpore, redeundo in Iudæam sub Cyro. Vterq; egressus ex Babylone noua, etiam nobis imperatur, vt tum corde idola & abominationes eius fugiamus ac detestemur: tum etiam corporibus, quantum datur, Roma excedamus, iugo Babylonicæ tyrannidis excusso, vigore mandati: Exite ab ea.*

Quos deuorare cupiat Pareus.

§. 14. Parei igitur sententiâ Babylon est Papatus. Igitur cum reddere Babyloni duplum jubentur, cum eam exurere, carnes manducare, de vniuerso Papatu intelligunt. Non de Papatu in abstracto, ergo de Papistis in concreto, de illo Papatu qui ignibus vstulari, in cibum victoris assari, ense diuidi, cruore suo arentia carnificum guttura rigare potest. Falsum est igitur, Pareum non intelligendum de Papistis, Episcopis, Principibus, Cæsare; omnes vnum jugulum optat habere, vt citò sine periculo ferientis cadant, quamuis forte viuaces esse cupiat, vt extendenda per sæuitiem morte, crudeli voluptate fruatur. Omnes n. membra meretricis esse judicat, q. meretricem Papatum esse fingit. Verum Pareo succurrit Graser. quem, ô frontem, ô durum os, excusare conatur Hyperaspistes Parei. *Negat Cæsarem, & Principes Catholicos sæculares dici à Grasero ossa Antichristi, & Clerum dici carnem; quiq; hoc Grasero imponunt, esse calumniatores.* Imò Graserum contrarium docere: nempe Robustos ab Antichristo pendos, ex Dan. 8. 24. habetur: *Et perdet robustos, & populum Sanctorum.* Hic mihi pbandum est ex sententia Graseri, ossa esse sæculares, carnem verò Clerum.

Graseri impia doctrina palliari non potest.

Primo. fol. 54. *Adhuc ergo existimo: Eum* (Danielem) *hoc toto loco* (c. 8. 24.) *magis ad bisidam illam Antichristi familiam respexisse, cuius historiam explicabimus.*

Secundo explicat his verbis. *Audi ergo. Radix* עצם *ghazam, à qua vox hæc descendit, significat Robore præditus fuit. Quod de huiusmodi robore tibi intelligendum, quod soliditatis suæ vim in se habet & citra alterius adminiculum subsistit. Vnde nomen* עצם *ghezem, Os ossis, sic dictum Hebræis, quod solum in corpore sua soliditate subsistat, & reliquas partes sustentet. Latini hinc suum priscum Ossum videntur habuisse. Rabini etiam prædicamentum Substantiæ* עצם *ghezem appellant, vt vocem* עצומים *ghezúmim aliquis ex hac significatione, Substantiales, Essentiales, aut saltem Osseas interpretari posset. Sic igitur ratiocinabar, per hos* עצומים *Seculares indicari, quatenus illi in quartæ Bestiæ pedibus sunt de plantario Ferri, & sub regno Antichristi suo proprio robore subsistunt, sed ita, vt hoc osseum robur Bestiæ vsibus eatenus commodent, vt statum simul spiritualem, tanquam succulentam Papatus carnem, sustentent:*

Seculares ossa Papatus, spirituales caro.

Tertio, Antichristi vires omnes in his ossibus esse putat. *Is sanè, inquit, eodem versu de Regis huius regno mirabiliter coalescente sic loquitur* עצמתי רלא בכחי. *Consolidescet quidem potentia eius, sed non ipsius proprio robore. Hanc phrasin tu alias nusquam in Canone vsurpatam inuenies: Propheta autem noster hoc loco alterum priori non minus Antichristi mysterium per eam designat: quod ipsius regno ita proprium est, & peculiare, vt extra illud nec Antiocho (quodcunq; interim de typo fiat) proprie, nec cuiquam alteri mundano regno queat applicari. Dic enim tu mihi, de quo regno, Rege, aut Imperio verè dici potuerit, quod eius potentia non proprijs; sed alienis, & quasi mutuaticijs viribus constiterit.*

Papæ regnũ sæcularium potentia, vt ossibus nititur.

Quarto: Ait, *sæculares vnum consilium habere, viresq; & potentiam bestiæ tradere.*

Quinto. Hoc malis artibus Papam consecutum. Verba ejus sunt. *Hoc Daniel in allegatis verbis explicat, dicens: Mirabiliter corrumpendo perdet, & prosperos in eo successus habebit: hæc enim propria vis est verbi* הצליח *hatzliach, quod noster hic ita interpretatur. Deus enim dedit in cor eorum, vt exequantur sententiam eius, & vt consentiant dentq; regnum suum Bestiæ Apocal. 17. 17. hæc nempe tantorum successuum causa erit. Alias verborum Prophetæ hic sensus est. Tam occultum, subtile, & efficax corrumpendi artificium callebit, vt miris præstigiis & ipsos Robustos, quos nulla vi superare potuisset, quasi de gradu deijciat: Et ipsum præterea Populum Sanctorum, qui eius fraudem obseruare, aliisq; indicare, & sic populi Dei libertatem tueri debebant, decipiat.*

Sexto. *Robustos*, ait, *opponi carnosæ mollitiei.* folio 55. *Si hos Robustos à militari fortitudine, quatenus illa sub virtute censetur, commendare voluisset, voce* גבורים *geburim ei fuisset vtendum, cuius hæc propria significatio est. Sin huius excessum in eadem gente voluisset perstringere tyrannicam nempè ferociam, voce* ערריצים *gharitzim, vsus esset, cuius hæc valdè euidens notio est. Nunc verò omissis illis, quorum respiciendorum nulla satis prægnans caussa superesset, huiusmodi voce vtitur, per quam simpliciter illud brutum robur indicatur, cuius respectu gens hæc comparium suorum (Locustarum) carnosæ mollitiei opponitur. Cumq; Daniel in eodem versu radice hac verbaliter de externæ potentiæ neruis vtatur, ecquid hæsitamus, aut quã nobis obscuritatem imaginamur?*

Robustos opponit carnosæ mollitiei.

Deniq; hos Robustos Babylonis artus & membra vocat. fol. 56. *Est profectò, & quidem haud contemnendum, cuius tamen fermè oblitus eram: Quod videlicet Propheta noster cap. 19. 18. in historia ruinæ Babylonis inter eiusdem rudera, hos robustos, hos etiam Equos, Equorumq; Sessores, ceu Bestiæ truncatæ artus & membra, deprehendit sic loquens: Adeste aues cœli & congregamini ad Cœnam magnam Dei, vt edatis carnes* Regum *& carnes* Tribunorum, *& carnes* Robustorum, *& carnes* Equorum, *eorumque, qui ipsis* Insident. *Hæc sunt principalia membra, ex quibus Bestiæ regnum constitit, in quæ etiam tandem resoluitur. Inter quæ Robustorum illa mentio tanto plus admirationis habet, quod eorum per vniuersum Prophetiæ contextum antehac nusquam sub hac nomenclatura meminit. Capite quidem 6. 15. mentio fit potentum, sed illos ibi δυνατους vocat, cum hic voce ἰσχυρους vtatur, per quam Septuaginta apud Danielem Hebræum reddunt.*

Reges Catholicos artus Babylonis vocat Graserus.

§. 15. Nunc te per ipsam justitiam, lector, rogo, judicare digneris. An calumniator sit, qui Graseri sententia dixerit; Principes sæculares vocari, Babylonis ossa, artus, membra, membra principalia bestiæ, ex quibus regnum ejº constat, in quæ etiam resoluitur? Quid hinc Cæsari, Regibus Hispaniarum & Galliarum, cæterisq; Catholicis intentet Pareus, nemo non intelligit, nisi qui ignorat, Babylonem non posse exuri, & vorari, nisi ossa, artus, membra ejus truncentur, assentur, Cyclopico ore mandantur. Ecce tibi certamen inter duos socios, quorum alter contumeliosissime, dirissimeq; Principes Catholicos scindit, alter impudentissime negat eum dixisse, quæ omnium oculis patet esse dicta.

Exitus nimium demonstrauit

Hinc patet Babylonem secundum Graserum, & Pareum esse etiam in Germania, quia principalia ejus membra in Germania esse finguntur, & Anonymum calumniatorẽ frustra aliorsũ torquere verba Parei, & Graseri. Locus. 7. *Reges decem cum agno pugnant, q. tamen meretricem exurent, non igitur hoc de suis Principibus dicere possunt Caluiniani,* nisi fateantur eos bestiæ dedisse po-

Extremã impudentia est manifesta negare.

tentiam suam. Nam rectè fecerint apud Caluinistas dubium, vt constat ex postrema quæstione Parei in cap. 17. Apocal. Sanè Aretius refert illos puniuisse mulierem, à Deo flexos in sui obsequium, sic Attila dicebat se flagellum Dei, sic Alexander diuinitus vocatus in Asiam, &c. An igitur suos volunt Principes esse, sicut vnum ex illis? Nicolaus Collado in sua methodo in Apocalypsin hos Reges minimè conuersos, & recto animo fecisse arbitratur. Deinde ipse totum Papatum intelligit.

Suos Principes infamant.

Moderationes suorum collegarum procaciam merito castigant.

§. 16. Verum quid opus est nostro contra aduersarios labore? Christophorus Jungnitius Professor Heidelbergensis omnia illa satis refutat, qui etsi veritatem nondum attigit, falsitatem tamen redarguit. Qui non concedet Imperatores Christianos, & Reges pugnare cum agno, & bestias esse. Ex his concludo cum Caluiniani ipsi doceant, Reges illos impios esse, non esse me accusandum, si idem dicam, quod Joannes clarè asserit, & ipsi confitentur.

Areti⁹ nullo modo defendi potest.

Omnia, quæ in nocte opaca latua illa tenebrarum defensatrix proponit, toleranti possunt, quæ verò in Aretij exculationem adfert, nec ipsi Aretio placere possunt. Ille enim Bernæ residens inimicus Orthodoxiæ, perduellis imperij, ea dixit, & scripsit, quę Heluetij imperio fœderati improbauere.

Quis exprimit Diaboli truculentiam, an Principes?

Primo in c. 13. Apocal. v. 1. *Bestia autem rectè dicitur, propter Diabolum, qui truculentia omnem superat bestiam, cuius mores in Romano imperio adhuc probe exprimuntur, vt rectè à lupa se ortos & nutritos ipsimet fateantur. Bestia igitur est Romanum Imperium, quemadmodum Babylonicum, Persicum & Macedonicum in Daniele. Ascendit autem ex mari, hoc est gentium omnium confusione, nam ex aliis imperiis concussis natum est Romanum. Vt enim mare commune est omnium aquarum receptaculum, & sordium quædam sentina: sic in Romanum omnium nationum vitia congesta sunt, vt maris dominium adepti facile Romani alias nationes debellarint.* Notabis: *adhuc in imperio Diaboli mores probe exprimuntur.*

Secundo: *Habet capita septem, hoc est, consilio & prudentia singulariter pollet: caput enim domicilium est rationis, & septenarius numerus perfectionis & absolutionis est.*

Diabolus ornat imperium.

Tertio: *Nunc Spiritum agentem in hac bestia exprimit, propositis eisdem ornamentis, quibus bestiam hanc exornauit. Draco indubie est Diabolus. Is igitur dat bestiæ, hoc est, Romano imperio sua quædam ornamenta. Ac diligenter obseruandum est, Draconem non condere bestiam, sed ortam saltem exornat donariis suis, quod eo facit, ne Diabolum putemus Autorem imperiorum. Sed sciamus eorundem esse corruptorem: Magistratus enim à Deo est, vitia autem magistratuum à Draconeillo proficiscuntur.*

Mirari nimium imperium est colere Diabolum.

Quarto: *Stultitiam mortalium describit, qui fortunam imperii admirantes, illud plusquam par est, extollunt & adorant, tota terrâ admirata post bestiam, hoc est, in bestiæ admirationem est rapta tota quanta quanta est. Admirationis causa pendet ex superiori fortuna, quod mirabiliter curata est plaga tam lethalis.*

Quinto: *Illud est imperii successum & felicitatem admirari, augustum, sanctum, sacrosanctum, immortale illud prædicantes.*

Sexto: *Adorarunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ, hoc est, Diabolum in illius persona colunt & adorant: Draco enim Diabolus est, qui sua ornamenta affingit imperio. Vide quid sit colere Diabolum, hoc est, admirari nimium maiestatem & felicitatem Imperii Romani.*

Quid mirũ ex his rebelliones oriri.

Septimo: *Post receptam autem Christi doctrinam, mox impij hypocritæ titulum Ecclesiæ ad se rapuerunt, & veræ Christi mandata persecuti sunt, quam causam adhuc hodie strenue defendunt sedis imperij possessores.*

Quid superest, nisi arma in persecutores.

Octauo: *Datur bestiæ potestas debellandi & vincendi Sanctos, hoc est, vt hypocritarum conditio semper meliori loco sit, quam piorum, id omnium temporum historiæ testantur, vt hodie luce clarius verum esse deprehendatur. Quam late enim Romanum nomen patet, tam late pij persecutiones patiuntur, in omnibus tribubus, linguis & gentibus.*

Nono: vers. 8. Et adorabant eam.

Reformati imperii mores describit, bestia enim tum adorari volet, q. d. blasphemia illa non desinet, vsq; ad finem mundi, vt adorata est curata illius plaga, sic adorabitur data ei potestate debellandi Sanctos Dei. Itaq; eadem manet impietas ex eorum rerum successu, admirantur enim homines Principum successum, hinc in eorum partes transeunt.

Calumnia est, non adoratur imperator.

Decimo: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra. Consolemur igitur nos his mundi pœnis, ne fingamus nobis peculiarem fortunam. Hæc vocatio est nostra, per ærumnas & afflictiones ingredi in regnum Dei, imprimis sub hac imperii Romani senecta. Porrò imperii præfides aliam fidem requirunt à suis & commendant in comitiis magistratuum, quæ nihil ad Sanctos Dei, de quibus hic loquitur Ioannes.*

Vndecimo. *Deinde cogit (Pontifex) etiam homines adorare priorem bestiam, hoc est, Romani imperii titulum, & nomen non minus vult haberi sacrosanctum, quam olim sub Imperatoribus Augustum erat & venerabile nomen Imperii: sub Papis mansit Romana Ecclesia, & Catholica & adoranda, quæ si quis neget, hæreticus sit oportet.*

Duodecimo *Pontifex retinet imperii nomen vmbratile.*

Ita & illi, qui aquilam implumem, aliaq; infanda finxerunt.

Septem capita septem tiuratus.

Tertiodecimo in c 17.13. *Draconem habere septem capita ait, quia ad plenum sibi prudens videtur astutus, & callidus: Caput enim prudentiæ & rationis est sedes. Infra septem colles ei tribuuntur, vnde non male Papæ idea est, quia aliæ septem capita, h. e. regna tenuit. Et septemuiratum Romani Imperii suo iudicio subiecit.* Quib. verbis non obscure Draconis septem capitibus, septem electores quasi alterius bestiæ; h. e. Papæ capita designari ostendit. A Flacco Illyrico maledicentiam illam in Principes sumpsit. Ille in c. 12. v. 3. ita commentatur. *Aliqui hoc applicant potius ad Romam & eius imperium: quia illa fuit extructa super septem colles. Habuit etiam sub se septem primaria mundi regna, Africanum, Ægyptium, Asiaticum, Græcum, Germanicum, Hispanicum, Italicum: sicut & recentioribus temporibus ac etiamnum habuit, & habet adhuc aliquo modo totidem regna sub se: habet etiam septem præcipuos Principes. Omnino videtur hic Spiritus Domini respexisse ad Prophetiam Daniel. 7. vbi etiam quarta bestia, nempe Imperium Romanum cum decem cornibus, hoc est, regnis, aut potestatibus pingitur: vt non possit esse dubium, hic sub nomine Draconis, pingi etiam ipsam mundi potentiam, ipsi contra Christum, eiusq; Ecclesiam famulantem.*

Hæc illi rotundo & blasphemo ore contra imperium edisserunt.

Caluiniani non possunt aliam religionem ferre.

§. 17. Altera Parei Propositio, *Christianos Principes oportere publicis mandatis, & pœnis, blasphemias, hæreses, &c. impedire.* Item non permittendam in religione mistionem, aut confusionem, sed solam veram religionem tueri. Hanc dico esse ensem, quo & Catholici, & Lutherani jugulentur, quia eo Caluiniani abuntur. Nam blasphemias vocant, quæ pietas est, hæresin putant priscam fidem. Quod si dubitas, lege Parei defensorem, sacrificium Missæ similiaq; idololatriam vocat. Tu lector consistorium Caluinianum ingredere; non ages causam pro vllo veterum Sanctorum tàm accurate, quin atro calculo damnatus abscedat. Quem enim tutum putas. Ignatium Martyrem? sacrificium Missæ agnouit. Epist. ad Smyrn. ita Theod. Dial. 3. & ad Rom. Martialis, Cyprianus, August. in eadem culpa sunt: hic verò & pro matre defuncta Missam fecit. Iustinum, Irenæum? illi veritatem corporis Christi in Eucharistia docuerunt. Chrysostomum? Ille liberum arbitrium asseruit. Hieronym. Ille virginitatem matrimonio prætulit. Basil. Magn.? At ille Monachorum Patriarcha est. Pontifices Romanos triginta tres martyres? at illi de alijs Episcopis judicarunt. Athanasium, aut Hilarium? Sanctos illi

illi inuocarunt. Gregorium Nyssenum, Nazianzenum, aut Magnum? At reliquias illi venerati sunt. Ephræmum, Cyrillum, Ambrosium? Solam fidem justificare negarunt. Et quid pluribus? omnes hi Sancti, & alij omnia illa fecerunt, quæ vocant opera mala ministri Caluiniani; omnibus igitur illis parata pœna; jam dicta sententia est. Nullam enim ob causam in nos sæuiunt, quæ non sit nobis cum Sanctis communis.

In Principem male agentem permittit vindictam.

Locus octauus. *Cum superior Magistratus degenerat in tyrannum, inferiori coercitionem concedit.* Sed tyrannidem pro suis affectibus interpretantur Caluiniani; eo modo quo ille dixerat. *Si malè agant.* Hujus rei jam fructum carpunt, qui Pareo obsecuti sunt. Imò multas causas adfert contra Principes, vt nunquam possit deesse causa eos dejiciendi. Si eorum impediat cupiditates, mox audiet. *In tyranno cessat relatio Magistratus.* At si quis Catholicus Princeps ditiones suas reformet, mox audit tyrannus, legatur seditiosissimus Vtzingeri contra Julium Principem Herbipolensem libellus. Itaq; ille ex Parei sententia nomen, & potestatem amisit, cum suos ad veram religionem adduceret, à suis igitur Satrapis occidi, ejus ministri præcipitari potuerunt.

In Catholicos Principes semper arma parata sunt.

Cætera exempla quæ Pareus adfert, eò seruiunt, vt nulli Principi Catholico securo esse liceat, vt in libro de pace docui, quia omnes Principes Catholici sunt scortatores cum meretrice magna, sunt illius scorti membra & artus, sunt persecutores, sunt illi tales, quales depinxit Aretius.

Synopsis doctrinæ sectaria de Principibus

Cum igitur Pareus, Aretius, Graserus, alij doceant.

1. Imperium esse à Diabolo ornatum.
2. Mirari & adorare bestiam, adorare Diabolum, esse imperium mirari nimium, augustum vocare, &c.
3. In imperio esse persecutiones quam latè patet.
4. Diaboli mores hodie in Imperio probe exprimi.
5. In imperio singularem adhuc regnare hypocrisin.
6. Draconem esse Spiritum agentem in bestia.
7. Draconem inspirare ingenium malignum Imperio.
8. Spiritum malignum esse σύνεργον, & efficaciter regnare in Imperio.
9. Stultos esse, qui Imperij successum admirantur.
10. Triplicem impietatem esse in Imperio Romano, rem ipsam loqui.
11. Causam hypocritarum strenue defendere Imperij possessores.
12. Adhuc reformati imperij bestiam adorari velle
13. Manere impietatem ex Principum successu, ideò ad eorum partes transire homines.
14. Bestiæ hujus, id est, Imperij cultores, ab æterno vasa iræ esse.
15. Cum Lutheranos in Catholicos reformatores Principes concitent.
16. Cum conuersos ad priscam martyrum fidem, tyrannide Antichristi sub jugum coactos mentiuntur.
17. Cum id dolis & armis Principum Catholicorum factum dicant.
18. Suos Principes hortentur, vt votis, consilijs, actibus obuiam illis reformationibus eant.
19. Cum actus illi non sint tantum conciones, & scriptiones prædicantium, sed consultationes, tractatusque conuentuum, & comitiorum & decretorum executiones.
20. Cum caput actuum & consiliorum Pareanorum sit Syncretismus contra Papatum.
21. Cum in illis consilijs de concionibus minima sit cogitatio.
22. Cum doleat Pareus Lutheranos adhærere Catholicis.
23. Cum pellere Lutheranos, vocent opus Domini.
24. Cum subditis magistratibus det arma, vt sint terrori Domino majori.
25. Cum omnibus Principibus mandatum dicat, vt exurant Babylonem, hoc est, Papatum, carnes ejus comedant.
26. Cum hoc mandato jurisdictionem in Papam, & Papæ asseclas, velut Antichristi, seu Babylonis membra datam asseueret.
27. Cum omnes Catholicos blasphemos, idololatrasq; judicet, & suis magistratibus publicè mandatum affirmet, vt resistant eorum operibus malis. Cum hæc inquam doceant.
28. Ex his consequitur, Catholicos seu Ecclesiasticos, seu Principes sæculares vel vnam horam securos non esse, si Parei consilium placeat Principibus Euangelicis. Imò neq; Lutheranos, si illi, qui se reformatos appellant, zelum Pareanum induant. Neque reformatos, si scalam sceleratam Antichristi erigant, vt Regem Angliæ facere clamant Puritani. Neque Arminianos, si aduocatos, & Syndicos in custodiam compingant Gommariam. Hæc summa est, perijt non modo fiducia, sed etiam mentio pacis, si latrocinantium Theologorum Curiæ animos Principum occupent.

Caput XXVII.

Exemplis Patrum, Catholicorum, Lutheranorum non probari Syncretismum.

§. 1. QVin etiam in nos causa conspirandi illa traditur, quia id fieri posse videtur exemplo multorum, qui deinde reconciliati sunt. Cur non igitur Euangelicorum, qui sic vocantur, controuersiæ concretizari, vel tolli poterunt? *S. Cyprianus & Stephanus, S. Basilius Magnus & Eusebius Cæsariensis, S. Hieronymus & Augustinus, S. Hieronymus & Rufinus, S. Hieronymus & Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, S. Epiphanius & Chrysostomus, Orthodoxi & Nouatiani, Catholici inter sese, Lutherani reliqui, & Concordibergenses dissenserunt, nec tamen pacem ruperunt, sed reconciliationem admiserunt, quidni igitur & nos Euangelici?* Hæc summa capitis 15.

§. 2. Est quidem argumentum hoc ab exemplis petitum, non inusitatum in Rhetoricis amplificationibus, sed in disputationibus infirmum, & nisi sint omnia paria, ac similia, vitiosum, captiosumque.

Exemplis non probatur Syncretismus.

Hoc v. loco cum omnia sint planè contraria, tàm res, q̃ personæ, stultum & ridiculum. Nunquam fateor tam felix Ecclesia fuit, vt omnes in omnibus penitus consentirent, sed neq; id aliquando futurum sperare audemus, nisi tum cum *Deus erit omnia in omnibus*, cum errore sublato increatam veritatem cœlesti lumine intuebimur. De genere tamen dissensionis, de animo contraria docentium, grauitate quæstionis, obscuritate rei judicium constituendum, item si quid in concilijs definitũ, si quid in Ecclesia semp creditum, neq; n. omnis dissensio facit hæresin, neq; ex discordia orthodoxorum æstimanda sunt dissidia, atq; odia hæreticorũ. Singula exempla retractemus.

Cypriani & Stephani dissensio.

§. 3. Cyprianus & Stephanus Romanus Pontifex de Baptismo hæreticorum dissensere. Cyprianus eum rejecit, Stephan. approbauit. Error Cypriani fuit, veritas penes Stephanum. Errori Cyprianus adjecit commotiunculam, nam ad Pompeium Sabratensem Episcopum de Stephano iracundius scripsit. Augustin. de ea Epistola dolet, excusare Cyprianum se posse negat, Epist. ad Pompeianum, & libr. 5. c. 25. contra Donatistas, de Baptismo. Errauit autem in illa

in illa quæstione, quæ *nondum eliquatissimâ perspectione discussa erat*, vide August. l. 3. contra Donatistas c. 3. Errauit igitur Cyprian. & ejus auctoritate impulsum concilium, non tamen diuersum sentientes damnauit. *Superest*, inquit, *vt de hac ipsâ re singuli, quid sentiamus, proferamus: neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes.* Interim Stephanus excommunicationem minatus est Africanis, nisi errorem correxissent. Paruerunt autem errantes recte sentientibus, vt constat ex Augustino l. 3. cap. 1. contra Cresconium, nam & in Catholicâ fide mortuus est Cyprian. & Episcopi contrario decreto priorem sententiam rescinderunt, vt auctor est Hieronymus contra Luciferianos, vide & August. in Epist. 48. Quin & Asiatici plerique in concordiam redierunt. Consuli potest Tom. 2. Baronius.

Quorsum igitur hoc adducitur? mutent errores, & palinodiam canant Zvvingliani, non erunt in recipiendis Lutherani difficiles, si modo sincere agere arbitrentur. Si errare perseuerent, non minus hæretici, quàm illi rebaptizatores judicabuntur. Quæ verò est vnius erroris ad innumerabiles hæreses proportio? At cur de mutatâ à Cypriano sententia nihil est scriptum? Quia mox Anno 259. Valerianus persecutionem intendit, cum in annum 258. controuersia incidisset, itaq; actiones Ecclesiasticas violentia tyranni suppressit.

Basilii & Eusebii dissensio.

§. 4. *Inter Basilium*, inquit, *& Eusebium Cæsariensem graui exorto dissidio, & inimicitiis flagrantibus adeò, vt ille Ecclesiâ desertâ in pontum secederet.* Mala fide & calumniosa exaggeratione gesta sanctorum Pareus commemorat. Res ita habet. Defuncto Hermogene à Cæsariensibus adhuc Catechumenus in Episcopum electus est Eusebius, nam Basilius, ne eligeretur, sese subduxerat, mox Electores suffragij sui pœnituit, sed Eusebius, ne alium crearent Episcopum, obstitit, & constantia periculum, quod Julianus intentabat, facile discussit. Interim Monachi, qui sub cura Basilij agebant improbare electionem Eusebij, ea causa suspectum Basilium Eusebius habuit, & præter ejus meritum eundem pressit, Basilius autem vt Monachi quiescerent, neue sui caussa Ecclesia scinderetur, in solitudinem secessit, non odio flagrante, nec inimicitijs, sed pacis & quietis amore, quæ ex Gregor. Nazianzeni ad Eusebium Epistola colligimus. Hæc acta Anno 362. Anno verò 366. certatum officijs, Eusebius vltro deprecatrices, & euocatrices ad Basilium literas misit, & Basilius remissa injuria Cæsaream redijt. Nõ igitur hoc loco dogmatum pugna, sed in Basilio virtus, modestia, prudentia, in Eusebio suspicio, simultas, & tandem seria pœnitentia, humilitas que spectatur. Quid hæc ad condemnationum fulmina? ad exilia, & tormenta, quibus in sese Euangelici sæuiunt? Ad acerrima de capitibus fidei, & salute certamina?

Hieronymi & Augustini controuersia.

D. Hieronymus etiam & Augustinus de loco D. Pauli Gal. 2. v. 11. disputarũt, nec sine verborum acrimonia, sed quid inde conficiet? an ideò omnium hæreseon fieri oportere Syncretismum?

Hieronym⁹ & Ioannes Hierosolymitanus.

§. 5. Controuersia inter Hieronymum & Joannem leuior erat, quam Ioannis vel imprudentia, vel malitia deinde fecit grauiorem. Pelagio n. fauere putabatur, vt habet Aug. Ep. 252. In suspicionem etiam venit, quasi auctor fuisset direptionis in Bethlehem factæ, vt clarum est ex Epist. Innocentij ad eum scripta. Verum causa cum dubia sit, nec Hieronymus, nec Innocentius eum absolutè damnarint, cum morte plenam rei cognitionem anteuerterit, non est tanto post tempore ad tribunal, dictionemq; causæ reuocandus, multò minùs ex vnius Episcopi, qui multos orthodoxos offendit, seque suspectum reddidit, facto, omnium religionum inducenda confusio.

Hieronym⁹ & Rufinus pugnant.

Quod ad Hieronymum attinet & Rufinum, fateor rem simillimam esse illis, quæ nunc inter Euangelicos controuertuntur. Hieronymini quidem innocentia testata est satis, & Apolog. 2. exstat juramẽtum calumniæ. *Testor Mediatorem Iesum inuitum me, & repugnantem in hac verba descendere, & nisi tu prouocares semper taciturnum fuisse. Denique noli accusare, & ego cessabo defendere. Quæ est enim audientium ædificatio, duos senes inter se propter hæreticos digladiari, præsertim cum ambo Catholicos se videri velint. Omittamus hæreticorum patrocinium, & nulla inter nos erit contentio.* Rufinus autem more hæreticorum sanis admonitionibus non restitit modo, sed etiam obduruit, judicium Anastasij Papæ recusauit, Pelagij fuisse præcursorem constat ex Aug. lib. 2. contra Pelagium c. 2. de illo Cœlestius in Concilio Carthaginensi sic profitetur: *S. Presbyter Romæ qui mansit cum Sancto Pammachio, id dixit. Ego audiui illum dicentem, quod traduc peccati non sit.* Itaque Cœlestius non Pelagium, sed Rufinum tàm nefariæ hæresis auctorem citat, sed hæc à morte ejus omnia patuerunt, quanquã & viuus ab Anastasio damnatus, à nullo deinceps absolutus est. Hoc exemplum, si quicquam efficit, eò valet, vt significet hæreticos inter & Catholicos in causa religionis pacem esse non posse, non autem hæreses contrarias in vnam posse conflari. *Rufinus hereticorum patronus, & hæreticus.*

§. 6. Dissensio Chrysostomi & Epiphanij Episcoporum, facti erat, & fori, non religionis & dogmatum. De Origenistarum damnatione agebatur, eos continuò quasi sufficienter auditos, & cognitos, damnandos censuit Epiphanius, Chrysostomus iterum audiendos judicauit, ideirco Epiphanius in Patriarchio habitare, & Chrysostomo communicare, apud quem hæretici diuersarentur, noluit, Chrysostomus sibi cum illis licitam cõmunionem existimauit, quos nondum auditos, damnatosq; arbitrabatur, hinc dissensio, cum in altero odium hæresis, in altero cura judicialis processus, & ordinis præualeret. De mutuis Prophetijs, quod scilicet Epiphanius dixerit Chrysostomo, *Tu non morieris Episcopus*, ille Epiphanio. *Tu non morieris in patriâ*, figmentum Baronius existimat, nam Epiphanius anno sequenti mortuus est domi suæ, quanquam Chrysostomus diuersa exilia expertus militum importunitate exstinctus sit. Iterum repeto, q fastidiosum videri posset quidem, sed causæ tamen est necessarium, nihil hanc dissentiunculam facere ad omnium, qui se vocant Euangelicos, faciendum Syncretismum.

§. 7. De Orthodoxis & Nouatianis mendacium est illis, qui in historia versati sunt, luculentum. Constat non ea, qua oportebat illos seueritate coërcitos, quod de Christo rectè contra Arianos sentirent, ideo factum, vt anno 326. Constantinus pro eis dederit rescriptum: *Nouatianos*, inquit, *non comperimus damnatos, vt eis, quæ petiuerunt, crederemus minime largienda.* Verùm vt Euseb. de vita Const. l. 3. c. 61. & 62. postea id comperit Magnus Imperator. Nam primo eos loco inter hæreticos recenset, & in Concil. Const. damnati sunt, vehementer infectatus eos est Chrysostomus, Roma pepulit Innocentius, & anno 413. Theodosius edictis proscripsit, & *deportatione*, vt verba legis habent, *damnauit*. An nunc tolerari Lutheranos paulisper aues, vt deinde id agas, quod factum est Nouatianis?

Deniq; de Catholicorum dissensionibus hoc vniuersè statuendum est, eum qui pertinaciter contra fidem Catholicam tuetur errorem, non esse Catholicum. Si error est ex eorum genere, quorum neutra pars damnata est, dissensio non tollit fraternitatem, nec scindit vnitatem. Verùm de his suo dicam loco.

Concludo argumentationem Syllogismo Antistropho. *Nullæ vnquam hæreses conspiratione, & tentato*

Syncre-

Syncretismo fidem Catholicam opprimere potuerunt, nec ergo Euangelicæ poterunt. Nulla Syncretissatio esse potuit diuturna, nec ergo Euangelicorum.

CAPVT XXVIII.

Lutheranos improbare Syncretismum, Catholicos ad toleranda mala paratos esse oportere

§. 1. MVlta sunt Lutheranorum contra Syncretismum cum Zvvinglianis, scripta, & decreta. Inter ea præcipue vnum sibi aduersarius oppugnandum suscepit, quod est Concionatorum, & Consiliariorum Saxonicorum, quos ille *Stentores aulicos* per contumeliam vocat. Principibus suis auctores illi sunt, ne cum Caluinistis contra Pontificem, Imperatorem, Reges, Principesque Catholicos conspirent, *sed Imperatori potius, & Catholicis se iungant*, atq; in eam rem rationes nouemdecim, quas motiuas vocant breuiter, & sapienter sunt complexi. De eorum consilio in hæc verba ringitur Pareus, cap. 19.

Lutherani iungi Catholicis, quam Caluinistis malunt.

Eius rei 19. rationes.

Verum enim verò remoram aliam insidiosam iuxta & pestilentem, per Principum quorundam aulas serpere compertum est. Circumferuntur enim, quædam MOTIVAE *sub hoc titulo:* Motiuen vnd Vrsachen/ warumb man mit den Calvinisten in Religions Sachen nicht kan oder soll wider die Papisten für einen Mann stehen/ *hoc est, rationes propter quas Principes Lutherani cum Caluinistis in negocio religionis contra Papistas simul stare nec possint, nec debeant. Hæc, inquam, pestilens remora non dubium, quin laudatissimorum Principum, & ciuitatum animos varie distrahat, & pacis consilia interturbet. Res ergo postulat breuiter etiam dispicere, sintne motiuæ seu rationes illæ veræ, & ita solidæ, vt Euangelicis Ecclesiis turbas mouere, pacemq; interuertere debeant. Sunt autem rationes nouemdecim, quas retento motiuarum vocabulo referam ordine, quidq; orthodoxi ad singulas respondeant, aperte ac placidè sine vllo stomacho subiiciam.*

Accusat Pareus Lutheranos,

Quæ Consiliarios illos præcipuè mouerint, rationes, ipse etiam ostendit Epist. dedicatoriâ ad Controuersias Eucharisticas, in quâ apud Polonos adolescentes ipse senex Lutheranos in hunc modum accusat. *Quicquid v. de Lutheranis hic dicitur, de nostris in Germania aduersariis Vbiquitariis rigidis, sæuis ac turbulentis veritatis hostibus est dictum, qui nullas pacis conditiones, nisi salua sua Vbiquitate & Maiestate recipiunt, qui Orthodoxos tanquam hæreticos ipsis Turcis deteriores traducunt & damnant, quiq; palàm profitentur, ad Papistas potius transeundum, quam cũ orthodoxis, quos Caluinianos vocant, fraternitatem colendam esse. Ex quibus nuper aulicus quidam Stentor publico scripto non erubuit Principi suo consultor esse, vt in comitiis potius sese Papistis, quam Orthodoxis Caluinistis coniungeret, duabus allatis rationibus, vna Theologica: quod Lutherani cum Papistis in pluribus consentiant, quam cum Caluinianis, quos vocat: altera ciuili, quod Papa pro tuendo imperio Romano vires conferat, Principes verò Caluiniani cum Turca aduersus imperium non dissimulanter colludant: quarum posterior quidem longè aliter quam calamo meo refutari meretur: prior si vera est, ipsa veritas facta est mendacium: nisi forte sicut inter consensus capita numerat gemiculationem in nomine Iesu (quã orthodoxi adiaphoram habent) ita ijsdem annumeret templorũ statuas, organa, casulas Phrygianas, & stolas, togas diffluentes, cæsariem calamistratam, choreas, encœnia, & id genus plurima, quæ pariter sunt his communia & illis. Si consilium probum est, quid scripsit Lutherus, Papatum esse ex Diabolo:* Daß das Bapstumb vom Teuffel gestifftet sey? *quid clamat Apostolus: Exite ex ea populo mi?*

Caluinistæ Turcis auctorati.

§. 2. Binas, quas retuli rationes in nouemdecim deinde partiti sunt, cum visum est singulatim omnia exponere. Neq; enim vel Principes adeò sunt leues, vel publicæ salutis, & decori negligentes, neq; consiliarijs vtuntur adeò vel imperitis, vel Caluiniana pecuniâ, pollicitisque in perfidiam deprauatis, vt opes, libertatem, vitam, subditorum salutem pro Caluinianorum dominatione in discrimen adducant. Multò minus adeo stolidi, vt Caluinianis ministris se regendos permittant.

Cur Principes sint in Catholicos mitiores.

Quæ cum Principes sine formidine, & simulatione ꝓfiteantur, periculum nullum est, ne in suos Collegas ꝓ nutu sanguinarij Caluinastri velint esse crudeles. Quis n. Germanici sanguinis, & animi Princeps, ad carnificinam Catholicorum turpissimo Syncretismo auctorari sustineat? Quis huic lanistæ operam carcerariam locare? Quid enim vel ad odium improbitatis suæ immanius, vel ad majorum suorum contumeliam facere possent indignius, quam si vicinos, quietos, amicos, cognatos Principes, trucidare, deuorare festinent, ob ejus religionis cultum, in quo omnes, à quibus ipsi nobilitatem, opes, imperium accepêre, & nati & mortui sunt? An adeò ferum esse quenquam vt contaminare se velit viuentium cædibus, quorum aliud nõ est delictum, quam majorum suorum, de quorum nobilitate generosus est? de quorum hereditate potens est? an in eos cãdem crudelitate vteretur, qui in alienis cruciatibus ostendit, quid patres suos meritos esse judicet? Tu me Illustrissime Princeps occides? occisum deuorabis? de gaudio tormentorum meorum morière? quia de religione auorum, atq; atauorum tuorum non recessi? quia altari seruio ꝓ majores tui fundauerunt? quia id credo, ꝙ vt crederem illi causam dederunt? quia id non damno, in quod illi doctores, & academias suas jurare voluerunt? Ecce meus sanguis in tuam inuidiam, in familiæ tuæ dedecus fluit. Vt igitur vel in me animum benigniorem accipias, vel pœnæ vniuersam familiam tuam, atq; antiquitatem accenseas, necesse est.

Liberæ ciuitates non occident Catholicos.

§. 3. De liberis imperij ciuitatibus, sine quarum nerno mouere bellum Prædicantium furor non potest, minus etiam formidandum censeo. A contentione, & sanguine abhorrent, negotiationibus, & artium exercitationibus florent, bello crescere non possunt, illo enim priuatorum fortunas imminui, commercia sisti experiuntur, nec spes est Rempublicam proferre pomœria sua posse, inter potentiorum imperia, ditionemq; inclusa.

Crudelitas Caluinistarum.

§. 4. Quis igitur ad vocem furiæ tribuniciæ, sonitum buccinâ dabit? quis efficiet, vt ciuili bello in se Europa collisa, reliquias fortunarum, & lacera membra Mahomedistis in prædam vertat? Conatus ille est Parei, qui tàm atrociter de nobis consulit, vt REMORAM INSIDIOSAM JVXTA AC PESTILENTEM censeat, quâ cædes nostra differtur. Cui nimium est, ꝙ Pontifex, Cæsar, Reges, Principes Catholici viuunt. Certe cui remora insidiosa, & pestilens videtur, eidem mortis acceleratio, tuta, salutaris, religiosa sit, oportet. Mansuetudinem Caluini ac Bezæ agnosco, nec miror aulici Prædicantis sæuitiam, de quo *Historia mutatæ in Palatinatu religionis narrat*, (de quinta mutatione loquor) dixisse eum in Gynæceo: *Se, si Cæsar esset, omnibus Lutheranis Prædicantibus caput amputaturum esse.*

Catholicos ad martyrium potius, quam bellum paratos esse oportere.

Si causam tamen aliquando obtineat pars deterior, si Ministri Euangelici, de cauterio sui Patriarchæ ardentes in agmine armatorum volitent, si quos sanguine scripserunt libros Martyrum cruore oblinant, si consistant aduersum nos castra Caluino-Lutherana, *adiutor noster in cælo, non timebit cor nostrum*, mortem, quam naturæ debemus, religioni impendemus, vitam quam tenere non possumus, Christo reddemus, non est miserum, ne acerbum quidem pro Christo mori. Miseriores illi quorum crudelitatem subibimus. Testem innocentiæ nostræ habebimus eundem,

eundem, quem fortunarum inuasorem, vitæ ereptorem, militem Lutheranum, qui quamuis infame officium præstet Caluinistis, negare tamen non poterit, *Diaboli se squamis* militare. Ne ignorare quidem grande bonum esse, quod tàm infestè *Diaboli corporati* (sic Lutherus in Symp. vocat Zvvinglianos,) oderunt, tamque atrociter persequuntur, omnes igitur certamini & martyrio paremur, casuri feliciter, si hostili conatui responderit, permissu æternæ prouidentiæ, successus. Casuri, inquam feliciter, quibus omnipotentem Deus manum supponet, vt ipsa mors vitæ nos inserat, propter quam *Filium Vnigenitum exaltauit Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Hanc ad omnes temporum vicissitudines piam mortis, beatitudinisq; meditationem, si adferamus, nec aduersariorum minas metuemus, nec ad quotidianas bellorum narrationes, & semestres historias, quas eorum falsarij mendacissime conscribunt, trepidabimus. Neque consolatione, quam viri prudentes adferunt, quique in Republica versantur, nimium erigemur. Sunt enim neque infimæ notæ homines, neque in rebus imperij parum exercitati, qui conspirationem illam, etsi felicissime conficiatur, timendam negent. *Deum æquissimæ Catholicorum causæ non defuturum, iustitiæ eum esse vindicem, non deesse legitimo Magistratui efficacia ad iustitiam contra improbitatem atq; audaciam media,* scire se vbi aduersarios calceus premat, communem esse illis, & nobis, quâ cadere possint, mortalitatem; ferratas acies stare luteis pedibus, tenui cardine moles ingentes versari, secuturum & de nostro vulnere sanguinem.

Consolatio Politicorũ.

§. 5. Quorum consilia hactenus quidem probare soleo, vt humana auxilia, & industriam, quando quidem diuina dona sunt, significem non esse aspernanda, potiorem tamen Christianæ perfectionis, constantiæ, gloriæ viam lubens demonstrem, horterque vt patiendo potius, quàm fortiter agendo, oppetendo mortem, quàm cædendo hostem, cœlesti in capitolio lubentius triumphos petant. Hoc animo si bellum exspectemus, alterutrum consequemur, vt vel moriendo in veterum martyrum fide, & communione lauream eandem, consequamur, quâ illi æternum coronati lætantur, vel si justæ causæ victoriam Deus concesserit, si conspirationem magnus ille consiliorum ponderator, magnus bellorum arbiter inhibuerit, in auitâ religione, sine tumultu nouatorum, & inimicorum infectatione viuamus. O felicem animæ Christianæ sortem, cui vita longior ad felicitatem est via, mors compendium, quæ nisi suâ sponte perire non potest!

Caput XXIX.

Ciuilem vnionem quorundam Principum non esse pro Syncretismo in Religione adducendam.

§1. Syncretismum etiam ducunt *ex vnione ciuili principum. Si enim inter eos pax est, cur non sit etiam Religionis Syncretismus?* Cur se mutuo Theologi persequuntur? Laudatissimæ ciuitates, inclyti Barones, Illustres Comites, Illustrissimi & Serenissimi Principes, vnionis & sanctæ pacis consilia inierunt, quid igitur prædicantes depugnamus?

Religio humanis pactionib. non debet temperari.

Principio quidem ad jura & fœdera humanarum pactionum curam pietatis, cæremoniasque accommodari, & de pace vel inimicitijs regnorum pendére Religionis sacrorumque & fidei concordiam atq; dissensionem, nemo nisi atheus & Epicureus dixerit. Quid enim? Tu legibus fœderum vel coactorum, vel turpium, certè semper instabilium, immensi numinis cultum temperabis? Si sese Princeps tuus Ottomannis junxerit, tu quoq; tolerandam Mahometis culturam censebis? omninò facies, toleras enim eos, quos Judæis & Turcis, cum ex animo loqueris, deteriores arbitraris. Quid Belgis suadebis, si fortè status generales, cum Indis & Chinis idololatris fœdus inierint? An Calecuti mensam Caluinisticam statui censebis æquum, & erigi patieris? Amstelrodami aram Deo Calecutano? *Non conueniunt nobiscum in fundamento*, inquies, at jam nec vos conuenire supra docui. Maneat tamen ciuiles pacificationes religionum, & fidei arbitras esse debere, nec credendi rationem ab Ecclesiâ, sed à palatijs, castrisque discendam, quid futurum existimas, si Principum amicitiam vel simultas dissoluat, vel injuriæ ruperint? an tum quoque pacem religionis pedissequam, pactorum ciuilium interitu violatam judicabis? An tubæ sonus, fulmina templorum, & damnationes cathedrarum simul conciet? & in arma viros vocabit? Si murum aries percusserit, mox hæreticus erit, qui ante frater? Hæc impia, Epicurea, Machiauellica, Satanica sunt decreta.

§. 2. Sed tamen qualis illa Principum seu vnio, seu liga, seu correspondentia? An in id consentiunt, vt patriæ incolumitatem, imperij dignitatem asserant, supremi Magistratus auctoritatem tueantur? in belli Turcici necessitates sumptum atque arma necessaria conferant? vt judicia habeantur? rerum judicatarum executiones, audaciâ atq; fraudibus hominum improborum non impediantur? Hæc si proposita habent, non opus erat pace nouâ, cum omnes omninò Principes Imperij & jure fidelitatis Cæsari ad hæc præstanda obligentur, & Collegis id suis promiserint prima dominiorum suorum additione. Sed aliud quippiam spectarunt, nemo non videt, quam necessaria fuerit, orthodoxorum inter se, & cum Regnis, Dinastijsq; Catholicis ad sui inculpatam tutelam vnio, atque confœderatio.

§. 3. Qui verò illi Principes? quot inter eos Lutherani? Et quomodo esse possunt Lutherani in pace religionis cum illis, à quibus pelli Lutheranos indies experiuntur? Imò cum vnione illa defectio à Lutheranismo incepit, concepta de non offendendo Caluinismo diplomata sunt, & Lutheranorum, sub nomine dimissionis, institutæ cautæ proscriptiones, tum cum fœdera illa icerentur, adeo vt nemini dubium esse possit, quorum fiducia Principes hucvsque Lutherani Caluinismum in ditiones suas inducant. Bellum igitur atque exitium Lutheranismo pax illa ciuilis, siue Correspondentia peperit, ostentatur miseris populis pax, atque defensio contra Papatum, ostentantur Ecclesiarum nobilium opes, & dignitates, ostentantur de alieno præmia, vt dum propenso hiatu nostris rebus inhiant Prædicantes Lutherani, suis nidulis inopinatò excutiatur. Quanta erat Vnionis illius apud Euangelicos cum primo gliscéret exspectatio? quæ chartæ, quæ picturæ ad terrorem Catholicorum nobis ingerebantur? annum vnum alterumvé negabant posse rem Catholicam stare, distributos Episcopatus, donatas prælaturas, Monasteria descripta esse asserebant, jam titulos nouos sibi Prædicantes fingebant, cum ecce subito dimidius penè concidit Lutheranismus, atque ex duobus Electoratibus alterum amittit. Necdum conjicere potestis, necdum videre atque sentire vos ô Reliquiæ Lutheranorum, vestram salutem his pactionibus peti, vestram quietem Caluinisticis artibus turbari? Roma fœderi prætenditur, & capitur Berlinum, opes & vires contra Papam Romanum vos conferre putabatis, & vestris præsidiis Papatum Saxonicum, vt Caluinistæ vocant, circumsidetis atque oppugnatis.

Qui Principes correspondentia.

Finis Correspondentia.

Laudat

Laudat ciuitates, Barones, comites, duces fœderis, & sanctæ vnionis consortes, sed laudat Caluinista, cum imperium suum amplificatum cernit, eadem arte omnes in paludes Gebenenses attracturum sperat.

Ad vniuersos Lutheranos hæc pertinent, magis tamen ciuitatibus liberis sunt metuenda, sed malo de ea re senatoris in Republica nobili, ad Syndicum alterius ciuitatis perscriptam sententiam ponere, quam meam.

EPISTOLA SENATORIS N. REIpub. N. ad N Syndicum N. ciuitatis N.

Tribus imperialibus datum consilium.

§. 4. Petis à me Clarissime & Consultissime Domine, amantissime compater, vt ciuibus meis auctor esse velim, quo cum principibus correspondentibus se aduersus Papistas vniant. Ego hic valde hæreo, valdeque miror, te id tuis suasisse. Nam multa video & grauia, quæ me valde deterrent. Vel enim vincemur vel vincemus, vel certe æquo marte vtrinque attriti pacem componemus. Si victi fuerimus, quis non videt quale Vę victis proponatur? Si pax facienda est post cladem, cur non potius eam retinemus? Ego vero sentio nos sine clade victores esse non posse, imo victoria ipsa nos interituros. De singulis meâ consideratione audi.

Incommoda Syncretismi.

Bellum parandum est, si fœdus inimus, toto in illo negotio directio est penes principes, comites, nobiles, illi delectus agent, nos pecuniam, vel pro nostra parte, vel mutuam pro alijs conferemus, in nostro territorio alendus miles, de ærario nostro danda stipendia, de nostro granario commeatus, scis enim vnde hæc peti soleant.

Secundo, Itinera intuta erunt, nego ciationes intercisæ, agri deserti, si enim Princeps N. vel mille equites pabulatum in nos mittat, vna hebdomade pauperes efficiet, hinc domi inopia, foris timor, artium mechanicarum contemptus, fames, ciuium ne tumultum conciret periculum est.

Tertio. Quod si etiam Cæsarea Maiestas arma ponere iuberet & contumaces proscriberet, non per Germaniam modo vniuersam, sed per Galliam, Italiam, Belgium, merces ciuium nostrorum fisco cederent, personæ caperentur, atq; exitium timendum esset extremum, atque adeo seditiones etiam internæ.

Quarto. Cum bellum geretur, cum nos nobiles, Barones, Comites non simus, tota non modo administratio erit penes alios, nos loco rusticorum habebimur, sed etiam erunt nostræ vrbes in illorum potestate, arma tenentibus omnia danda erunt, poterunt que nos, si velint ad quælibet sibi concedenda cogere, eo exercitu, quem nostra pecunia collegerunt. Respondebis, id eos non facturos, vt qui fœderum, & æquitatis sint amantes. Non facient fortasse, sed timeo tamen ne faciant, deinde non est nostrum committere, vt aliena potius benignitate & misericordia precariam libertatem teneamus, quam vt eam nostra prudentia, consiliisque, & Cæsareorum beneficiorum antiqua lege defendamus. Non est senatoris fideliter patriæ consulentis, id agere, vt cum vicinus princeps velit, possit vrbem subijcere. Libertatem ex alieno arbitrio nutuq; suspendere, non domesticis consilijs, præsidijsque firmare. Ego ne liberam quidem ciuitatem iudico, cuius fortunam vicinus potentior ex cingulo gerit. Certe durante bello, quod nostro sumptu geretur, vnus centurio nobilis plus poterit, quam senatus, populusq; noster.

Quinto. Si bellum trahetur, quomodo in annos quinque vel sex, vastatis agris, vexatis ciuibus, exhausto ærario; sublatis commercijs sumptum sustentabimus, qui nunc ne vna quidem hyberna ferre possumus? Nonne ciuibus nostris animus concidit, si nundinas Francofurtenses minus lucrosas fuisse audiant? quid futurum censes si omnia tollantur.

Sexto. Si vincemur, quod tam timere sapiens debet, quam sperare victoriam, omnium quidem aduerso marte victorum misera erit conditio, ciuitatum miserrima. Principes enim habent in aduersa parte cognatos, affines, amicos, deprecatores, conciliabunt cum victoribus nuptias, causam belli in consiliarios conijcient, ignoscetur huius adolescentiæ, illius senecturi, alterius meritis, nonnullorum maioribus. Ciuitates vero quæ vnius Cæsaris beneficio sunt liberæ, quis tuebitur? Libertas solo verbo minuetur, sumptus repetentur, noui Magistratus instituentur, multa exigetur, ipsi principes reconciliati executores constituentur, nos, inquam, in prædam à victore expetemur.

Septimo. Vincemus, inquies, hoc si oraculum esset, non hominis coniectura, mouere fortasse ad prælium militem posset, sed tamen ad bellum ineundum vrbis N. Senatorem inducere non debet. Victoriam enim timendam arbitror. Primo quia nihil commodi, deinde quia extrema pericula adducet. Quid porro vtilitatis nostra vrbs inde capiet, si princeps N. principem N. vicerit, eiecerit, ditionem eius occuparit? nosti me loqui de illis, quorum in confinio habitamus. An præfectura nos aliqua asperget, vt ex magna fortuna reliquiæ aliquæ ad nos defluxisse videantur? Primum, si hoc faciat, non tamen fructus annuus sumptum compensabit, quem fecimus. Deinde, Vix faciet, tot centuriones, nobiles, barones, comites, principes, per quos vicit, ci cumstabunt, vt nos rustici, vel si mauis, nobiles ciuitatenses ne aditum quidem simus habituri. Nos certo sumptu spem incertam ememus? Periculum quidem quantum nos etiam victores adeamus, quem latet? Nam periculum voco, quia victores, erimus in potestate potentioris, qui nunc ante bellum liberi fumus. Nosti non modo nos commercijs ex regionibus duorum principum, sed ex eorum agris, pascuis, syluis ali, pedem non posse foras ponere, quin simus in alterutrius territorio, nostra tamē libertas tuta est, quia Ecclesiasticus ille pacificus est, nec sinet alterum accessione nostræ vrbis fieri potentiorem. Ita illorum simultas, est nostra securitas, si nostra opera Ecclesiasticum secularis expulerit, nos cum volet, etiam sub iugum mittet. Et erit, mihi crede, tempus cum volet. Olim querebatur Melanchthon Epist. ad Milichium, *Vrbes ab ignauis principibus & desertas, & proditas esse*, sperabatque, *ideo modestiores fore, & rectiora consilia ineunda pacis quæsituras esse.* Prodere & deserere potuerunt infelices, an non volent, cum facultas erit, dominari felicibus.

Principes vrbium desertores & proditores iudicio Melanchthonis.

Octauo, Exempla me terrent, nam cum nos, & pleræque vrbes Lutheri doctrinam profiteantur, principes Caluinianam, non est dubium, quin sibi vicissim, & exercitium Gebennense inducere velint, atque ita inter medios, potentesque Caluinistas pauculæ erimus sparsæ vrbes Lutheranicæ, primum itaque sensim nostri ciues, & adolescentes vicinitate, & commercio Caluinismi amorem imbibent, Syndici, Secretarij, & nonnulli Senatorum Zwingliano fauebunt, neque enim nunc desunt, qui Caluinistis sese venditent, & sententias vendant, tum vero etiam exercitium petent, & intercessoribus magnis extorquebunt, videmus id nuper in celebri emporio effectum, vt etiam exteris ciuitas pateat, & exteris Caluinistis. Deinde lites inter vicinos oriri

solent, quis infirmiori ius dicet, aut iustam sententiam facto exequetur? Tertio. Nunc hoc ipso tempore, cum nostro auxilio egent, cum pecunias nostras prensant, cum aduersarios pertimescunt, an nobis quicquam indulgent? cogita, non Coloniam: quam quia Catholica est, affligendam putarunt, sed nostræ, hoc est Lutheranæ fidei ciuitates, nõne adductis, è Gallia, è Belgio exteris, illas alijs ciuitatibus premere atque vrgere ceperunt, vide noua oppida ad Mœnum, & Rhenum vetustissimis exhauriendis condita, vt in suos fundos negociationes, opes, vitam veterum vrbium transferant. Tu dubitas eos id facturos, cum se posse videbunt, cum videas conari cum nõ possint? Non cupient credo possidere opulentas vrbes, quas nunc transferre tanto sumptu, & inuidia satagunt. Non facient, inquies; malo cauere ne possint, quam expectare misericordiam eorum cum poterunt. Protocolla actorum tenes, in Republica tua peregrinus non es, perpende quid fecerint, facilius quid facturi sint ex regulis prudentiæ iudicabis.

Summa hæc est; belli moles nobis erit sustentanda, exitus incertus, calamitas certissima, si vincimur, præda erimus victoris, *prodemur*, vt olim esse factum Philippus, *ab ignauis principibus*. Si vincimus, accessio ad prædam erimus potentioribus. Cum ergo in hac confœderatione nobis vel exitium, vel seruitus proponatur, vtrunque grande malum, sed eo miserabilius quod nostra pecunia emendum proponatur, antiqua præferimus, libertatem nostram fide erga Cæsarem, quiete erga pares, humanitate erga vicinos ruebimur. Vale & ita tuis ciuibus consilia impertire, ne dubijs temporibus fides tua ergo Rempublicam vacillasse videatur. Ego quod meæ sententiæ erit, dixi. Hæc ille, atque has causas esse suspicor, cur pleræque ciuitates ab imaginario illo fœdere recesserint, aut occasionem honestæ discessionis exspectent. Verum talia, à meo instituto etsi non omnino aliena: non tamen mihi ad considerandum proposita, lubens prætermitto.

CAPVT XXX.

Ad pacem esse necessarium petulentiam ingeniorum coerceri.

Mala leuiũ ingeniorum

§. 1. QVod Oceano ventus est, hoc Ecclesiæ leuium ingeniorum inconstantia, fons hæreseon, mare quietum flabra concitant, & naufragijs infamant, ignem accensum auget in immensum ventorum afflatus, & extinguentium labores reddit inutiles. *Hæreses dictæ sunt Græca voce, ex interpretatione electionis, quâ quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur.* Tertullian. libr. aduers. hæreticos cap. 5. suo igitur arbitrio quod inducant, eligunt. Hinc *inserunt Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi, & destruendi versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit.* Hinc *illæ fabulæ, & genealogiæ indeterminabiles, & quæstiones infructuosæ, & sermones serpentes velut cancer, à quibus nos Apostolus refrænans, nominatim Philosophiam testatur caueri oportere.* Colos. 2. Hinc illa simplicitatis, qua dominus quæritur, abiectio. Hinc nouitij fati assertores, quique Stoicum, & Platonicum, & Epicureum Christianismum inducunt. Tam grande malum auertere, principum est. Hoc si tollatur, iam hæreses esse desinent. *Nobis enim curiositate opus non est post Christum IESVM, nec inquisitione post Euangelium, cui cum credimus, nihil desideramus vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus.* Tertul. aduersus hæres. Itaque iam olim querebatur Tertullianus *Philosophos esse Patriarchas hæreticorum, ex semine philosophorum nouitiolam paraturam esse, ex eorum ingeniis hæreses animari.* Totum hoc malum est de curiositate, & scientiæ ostentatione, dum suatum inuentionum malunt esse Magistri, quam discipuli veritatis, omnia mouent, & nihil tenent, pleni quæstionum nouarum, inanes fidei. Hinc series contentionum, exortus nouitatum, enormitas flagitiosarum sententiarum, crudelitas ciuilium bellorum. *Cum enim nihil per aliquod ingenium ita astruatur, quin ita acre ingenium è contra inueniat*, necesse est perpetuum fieri certamen de gloria memoriæ, solertiæ, acuminis, vt sit iam religio, pugna ingeniorum, non sincera colendi Numinis deuotio.

Sophistica tollenda.

A peruersa philosophia est periculũ fidei.

§. 2. Toleranda exercitatio, si in puerilibus rudimentis desudaret, circa dialectices spineta angeretur, aut in physicis luderet, aut de Matheſi admirationem sui struere: at nunc cum animarum periculo gloriam ingenij quærere, in consortium contentionis Rempublicam trahere, puluerem Scholasticum ciuium sanguine miscere, vt impium est, atque crudele, ita nostræ ætati vsitatissimum.

Ingenia regenda.

§. 3. *At magno est ingenio, & perspicaci, dignus quem sequantur multi.* Vtinam bono potius animo, quam magno ingenio, si non est vtrumque, vt & bona sit voluntas, & perspicax intellectus. Si ingenium est celere, vide ne sit versatile, callidum, & inconstans. Si velox, dirigatur ad virtutem, qui velociter currit, facile præcipitat. Si acutum, ergo debile, acuta facile franguntur. Et est quoddam acumen fallax, odiosum, sophisticum, inimicum sapientiæ, infestum religioni. *Quædam* (inquit Augustinus Epist. 1. ad Macedonium) *acutissima, & excellentissima ingenia in tanto maiori errant, quanto confidentius, tanquam suis viribus concurrunt, nec simpliciter, nec veraciter Deum, vt viam sibi ostenderet, petierunt.* Magna illa si indulgeant sibi, iam tument, & sana esse desinunt, & quod semel temere dixêre, semper defendunt, donec suo se tandem labore consumant.

§. 4. At libertatem prophetandi sibi concedi, fas, & ius putant: Hoc Vorstius, hoc Socinus, hoc cæteræ pestes allegant. Et eo allegant, non vt homines ad religionem instruant, sed turbent. Sunt illi apud Clem. Strom. 1. Ζηλωταὶ τεχνυδείων ἐριδάνεως, καὶ ἐμμανῖς λέχλεες, *Zelotæ paruularum artium, contentiosi, & litium flexuosarum sartores.* Libertas illa semper plus appetit, quam licet, indomita itaque licentia refrænanda est, alioqui nihil de fide præter nomen retinebitur.

Nimia licentia causa hæreseon.

Exempla enarrare nihil attinet, nostra ætas monstruosarum hæreseon mater, exemplum est. Libertate indebita vsus initio Lutherus, explicationem scripturæ, hoc est, fidei instrumenta nouauit, non mille Cypriani, non mille Augustini, non mille alij, vel sanctitatis auctoritate, vel eruditionis claritudine, hominem suæ imaginationis pertinacem à nouando reuocabant. Interpolare scripturas, nouo intellectu eas capere, monstrosa dogmata mundo obtrudere. Cur non liceat idem Zwinglio, quod laudi datum est Luthero? Vbi semel iacta est alea, vbi transierunt Rubiconem, matri Ecclesiæ nefarium bellum inferentes, sua quisque in scripturarum explanationibus auctoritate nititur, suo ingenio sapit, non tenetur iudicio totius Ecclesiæ, quam oppugnatum venit, non reueretur, antiquitatem, quam Antichristo transcribit. Liber igitur, & sui iuris est, soli sibi credit, solus ipse sibi, suæ religionis est auctor. Atque fieri cernimus, vt in singulos annos noui Magistri existant, quia suo arbitrio singuli docent. Nec reprehendi possunt illi, qui à primis hæreticis discesserunt, ab illis qui deserti

Necesse est oriri hæreses, vbi sua quisque auctoritate nititur.

deserti sunt, nam illi matricem, & originalem fidei, Ecclesiam reliquerunt. Si castrorum transfugæ sacramentum militare timori posthabuerunt, quid mirum, si nec hostibus sunt fidi, à quibus perfidiæ præmia se accepisse meminerunt? Itaque quotidiana transfugia ad nouas hæreses, aut veteres interpolatas, & nouo schemate in orchestram productas sentiunt, quia nouis inuentis inclarescere mundi vanitas amat. Nec finis vllus est nouandi, innouandi, fucandi, quia fingendi licentia non modo impunitatem habet, sed etiam gloriam, & si turbas trahat, ingens lucrum.

§. 5. Testes produco non quidem graues, sed cum in suam ignominiam nemo mentiatur, in hac causa duntaxat fidos. Sunt illi ex Conciliabulo Islebiano prædicantes, qui in præfatione ad confessionem Mansfeldicam queruntur. *In suas Ecclesias multas, & varias passim corruptelas doctrinæ Christianæ, & hæreticorum sectas de improuiso partim insidiose irrepere, partim audacter atque violenter irrumpere, diabolum excitare vndequaque superborum hominum, atque fanaticorum ingenia, qui inficiant gregem Dei pestilentissimis erroribus, atque dogmatibus falsis, quibus tam corpora nostra, quam animæ in æternum exitium præcipites agantur.* Et vaticinantur non vane: *Si succedat hoc negotium Satanæ, multo peius futurum de Ecclesia, quam vnquam fuit antea, sicut pulchre, & euidenter nos Christus docet in parabola, Lucæ vndecimo. Quod autem quotidie cumulantur fanaticorum hominum opiniones & sectæ, negant esse mirandum tantopere,* atque octo causas adferunt, ex quibus hæc secundo loco posita est.

Quales Lutheranorũ Ecclesia.

Cur sectæ augeantur,

Secundo, inquiunt, *Necesse est crescere sectas, quia omnes fere principes, & Magistratus officium suum in hac re negligunt, sed petulantiæ ingeniorum confirmant, quod cuilibet, pro suo arbitratu quamlibet falsam opinionem fingendi licentiam permittunt.* Hinc factum aiunt, *vt iam res eo redierit, vt multi hoc tempore turpitudinis, atque ignominiæ loco habeant, voce vel scriptis opponere se falsis fratribus, & sectarum auctoribus, imo etiamsi qui adhuc supersint sinceri doctores, nec dum infecti fanaticarum opinionum veneno, tamen sint languidi, meticulosi, & animo paulo abiectiori, quam vt veritatis causa periculum incurrere velint.*

Ita illi, vera querela, sed inani, imo & stulta. Vera quidem: Inualuerunt enim illi, quos contra Synodum collegerunt, Anabaptistæ, Seruetiani, Stancariani, Antinomi, Svencofeldiani, Sacramentarij, Osiandrici, Defensores liberi arbitrij, Assertores operum ad salutem, Adiaphoristæ, inter eos etiam posuerunt Iesuitas, noua iniuria, cum illorum religio sit veterum patrum, non fanaticorum noua opinio. Multo plures nominare de suis poterant, vt Flaccianos, Vbiquitarios, alia monstra, additi deinceps alij sunt, ex pandora Concordibergensi. Scinduntur itaque & variant, quia à se singuli dependent, sibi soli de suo quisque Spiritus instinctu est authenticus.

§. 6. Inanis querela est, quia principes, & Magistratus hominum non Catholicorum, fanaticorum ingeniorum petulantiam vel castigando, vel ne opus castigatione sit, inhibendo professionem suam ipsi eliderent, omnem licentiam interpretandi scripturas permisere sibi Patriarchæ Lutheranorum, nunc principes contra æmulos inclamant, Magistratus accusant, quod fanaticos non coerceant, cum dubitet Magistratus vtri fanatici censendi sint? Reciproca est illa accusatio, Mansfeldicos non fanaticos modo, sed phreneticos, & furiosos Sacramentarij, & Osiandrini appellant. Verum sint sane, vt vere sunt, Anabaptistæ, Seruetiani, Antinomi, cæteri fanatici, quid docebit, aut quid vetabit Magistratus? Nempe ne quilibet suo arbitratu licentiam fingendi quamlibet falsam opinionem habeat. Iustum imperium, lex æquissima. Verum ad quam normam exiget opiniones illas Magistratus? Versantur enim in scripturarum interpretatione; quid cum mente scripturæ consentiat, quid ab ea sit alienum, non est Magistratus iudicare. Aut si ad eius tribunal quoque causæ religionis pertinent, quis dabit omnes Magistratus in vnam interpretationem consentientes? Eandem opinionem ratam facient prætor Haidelbergensis, & Tubingensis? Quicquid delirant male sana ingenia, de limpidissimis scripturæ fontibus hausturn magna animositate iactant. Quid hic faciet officium principis? Aliam interpretationem imperet? quam vero? quæ sit, vel in Tomis Lutheri, vel Chartis Caluini. Quid hic fanaticum ingenium?

Non ego Caluinum, nec magnum curo Lutherum,
Verus vterque placet, falsus vterque iacet.

Hæretici suo arbitrio scripturas interpretantur.

Et cur eum ego curem, cum maiores ille non curarit? Mihi leges ponat, qui suo me exemplo docuit, nulla lege constringi liberam prophetandi, hoc est, scripturas interpretandi, potestatem? Intra suam me ille orbitam coerceat, qui

Auia perfidiæ peragrat loca, nullius ante
Trita solo?

§. 7. Inanis igitur hæc est querela; nam qui noua fingunt, quod didicerunt à maioribus, faciunt. Quod nisi facerent, hæretici non essent. Itaque & stulta est hæc querela. Nauem enim Consiliarij isti perforant, in qua nauigant, seque mergere occipiunt, ne συνεπιβάται, qui in eadem sunt naui, euadant. Nouatores sunt & ipsi, & quidem imprimis coercendi. Quæ enim portenta, & quo exitura, nisi iniecta armata manu Magistratus obsistat, nascentur? Docent illi cap. de bonis operibus ex Luthero, pag. 194. *Lubrica est oratio, & vana, sic pronunciare, Fidem quidem operibus, & meritis niti non debere, sed tamen necesse esse, habere bona opera, tanquam necessaria ad salutem. Hoc totum nihil est. Si enim sunt necessaria ad salutem, salus sine ipsis venire non potest, & ergo non sola fide saluamur: Sed hoc falsum est, & ab vniuersa scriptura dissentit.* Pergunt deinde monstris operam dare. *Non esse bonum, cum dicitur. Bona opera esse necessaria ad salutem. Imo nec causam conseruantem, nec conditionem sine qua non.* Quod si bona opera ne quidem est conditio sine qua non, quis dubitat, quin salutem sibi, suisque polliceatur, etsi nullum vnquam opus bonum cogitarint? Quis non videat, oportere principes, si in prouincijs suis boni, & honesti discrimen amant, monstra illa non iam ingeniorum, sed deliriorum profligare? Verum hæc omitto. Hoc, quod Cato studiose magistratum admonere solitus erat, vt delinquentes in Republica grauiter castigarent, sentiens nihil pernicioſius in Republica esse, quam Licentiam, quam adeo non ferendam in ciuitate putauit, vt iudicaret Magistratum lapidandum, qui coercere posset, non tamen faceret. Hoc, inquam, si vspiam valere debet, in licentia docendi, scribendi, pingendi præcipuè locum habere videtur: cum maiore interdum pernicie mala doceantur, quam fiant. Quid faciat licentia, tot millia errorum ostendunt, & errorum in Republica pestilentissimorum. Exemplum è finitimo petam. Lex est, quæ libellos famosos capitis proposita pœna prohibet: Eius legis Francofurti in nundinis adeo nulla habetur ratio, vt passim per compita, & naues, homines nequam, talium libellorum venditores volitent: Et vt reliqua taceam, famosæ picturæ ad me allatę sunt proximis nundinis quindecim (nec illæ tamen solæ fuêre,) quibus principum, & statuum Catholicorum fama, imo ipsius Imperatoris Augustissimi traducitur. Nempe in illis, Pontifex cum

Mansfeldici negant bona opera esse conditionem sine qua non, salutis.

Licentiæ coercendæ.

Libelli & picturæ famosæ nundinarum.

dœmone, Cardinales cum Morione pinguntur, omnis Episcoporum ornatus in lebete decoquitur, Imperator, & Reges Principesque humistrati Babylonicam meretricem adorant, Parmensis Princeps post mortem in theatrum producitur, Inducia Belgicæ cum Regis Catholici effigie ridentur, Griphus Aquisgranum, Duram, Wesaliam subigit, Mulhemium euertit, Inducia moriuntur ante diem, Hispani, & Archidux ridetur, Spinola septicipitem bestiam apocalypticam inequitat, terribilis prouinciis Iuliacensibus imminet, Coloniæ turris Babylonica ædificatur, Serenissimus Dux Neoburgicus prostratus diabolum in pontifice adorat, omnia quæ odium, inuidiam, contemptum Catholicorum parere valent, per varias Chartas afferuntur, nullius nisi Hollandorum, & fœderatorum nomen intactum manet. Iudicium de Imperio Romano, de mundo vniuerso damnatæ Chartæ euulgant, à Chartis maledicis nemo est immunis, quia iam audaciæ, maledicentiæ, improbitati præmium est, licentia allicitur, Calumniatores precio emuntur, & gaudent illi, qui leones præferunt, humili læsisse veneno, occultos morsus figere, quia si odia profiteantur, & ingenue sint inimici, maiore potentia victi, & vindictam perderent, & fidem. Hæc igitur pugnax audacia, nouatrix curiositas, infamatrix impudentia frenanda est, si pacis speciem aliquam inducere, imo si de pace tractationem aggredi volumus.

Caput XXXI.

Arbitros affectibus liberos in pacis tractatione eligendos esse.

Ad pacem solent adhiberi mediatores.

§. 1. Propius paci accedimus, quam vtinam comprehendamus, de pacificatoribus agendum est, videmus enim in ciuilibus contentionibus, aut bellis externis interponi pacis auctores, qui neutri parti sint addicti. Et sane pacis tractatio melius per alienos transigitur. Cum enim iræ, atque odij passionibus liberi sint, quas inter eos, qui mutua bella gesserunt, damna, iniuriæque exasperarunt, sola ratione, atque æquitate rem æstimant, in concordiam proni, quia discordiæ causas procul habent. Nimium sane sæpe euentus docuit, pacificos sermones, & fœderum contrahendorum ergo institutos congressus, atrocioris belli initia fecisse; & spem pacis irritam, acuisse odia; quod maxime fieri consueuit, cum ad pacem faciendam, qui hostiles adhuc animos gerunt, in mutua colloquia veniunt, ibi enim omnia suspecta sunt; leue verbum, facilis gestus, ordo considendi pacem turbat, suspicionum animal homo cuncta in deterius rapit, cum animum hostilem esse præsumit, ipse aspectus, atque collocutio inimici ægrum animum percellit, & necdum sopitos suscitat ignes. Per internuncios itaque agere de pace politici præcipiunt, aut arbitris cum plena potestate negocium committere. Ad arbitros autem in causa religionis perpetuo contra hæreticos à Catholicis appellatum est, hoc nisi fiat, finem controuersiarum nullum video. Qui vero vel arbitros recusant, vel iudicium, de causa sua diffidunt. Se quidem iudice victor est, qui iudicem nullum admittit, verum ita vincere, & in sua causa iudicem esse, omnium iudicio, est causa cadere.

Cur ad pacem faciendã opus sit internunciis.

Quales arbitri.

§. 2. *Quos vero arbitros, quos iudices nominas?* Quos sine verecundia reiicere non poteris. Quos si reieceris, victum te conscientia arguet, Iudices ἀδεκάστους, qui neutrius partis beneficia vel habeãt, vel sperent, Iudices quos supra metus, & affectiones humanas Deus collocauit, Iudices causæ gnaros, & æquitatis tenacissimos,

Fortes & tenaces propositi viros,
Quos non ardor ciuium prauа iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Tales, inquam, pro iustitia, pro religione alacres mori, contra quos si exceperis, causam prodideris.

Quinam igitur seu arbitri, seu iudices tanti, & tales?

Sunt Collegia SS. Patrum, Cõcilia Confessorum, & Martyrum priscorum. Quos de religione præclare meritos, pietati suę immortuos, proveritate vel suprema supplicia passos, vel ad patiendum profero paratos, quorum fuit tam diuina in docendo sinceritas, vt nec totius mundi pecio veritatem celare, nec fidem suam dissimulare voluerint, quorum fuit metus expers constantia, vt nullis minis, nulla rerum iactura, nulla tormentorum atrocitate proposita à falsitate exagitanda, atque eliminanda adduci potuerint. Hos testes adeo sanctos, iudices tam incorruptos qui recusat, suo iam iudicio se condemnatum profitetur. Hoc igitur statuo; iudices illos nec actori, nec reo esse recusandos.

Aduersarii de suis nominare arbitros non debent.

§. 4. Alterum ẽt dabunt ipsi mihi aduersarij. Non posse se quempiam nominare, cuius iudicio stare velint. Aut sane si ita volunt, age dum, id quod velle se asserunt, fiat, nominent, cuius iudicio stare audeant, nominent, sed alium, non se ipse quisque.

In sacra scriptura legimus. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, Genes. 15. 6. Roman. 4. 3. Galat. 3. 6. Huius interpretatio varia est. Quidam sic interpretatur. *Imputatum est illi opus, seu τὸ credere ad iustitiam, quod Deus ita acceptauit, quasi totã legem implesset.* Ita Bertius, alij. Quidam; *imputatum est illi Christi meritum ad iustitiam*, alij; *Imputata est illi Dei essentialis iustitia ad iustitiam*, alij; *Imputatus est illi habitus fidei ad iustitiam*, alij; *Imputata est illi sola fides ad iustitiã, ita vt nulla operum merita in iustificationem venerint*, alij; *Imputata est illi fides ad iustitiam, vt ne opera quidem fuerint conditio sine quâ non.* Atque hi interpretes ita inter se dissentiunt, vt se mutuo tanquam hæreticos Atheos, Socinianos, Antichristianos infestent.

Arbitris opus esse.

Omnes scripturam, scripturæque sensum, verbaque, & Analogiam fidei à se se stare asserunt, alios non intelligere sensum Spiritus sancti, aut deprauare. Necdum paci datum est initium. Iudicem nemo admittit, nisi hominem quem suæ sectæ nouit obligatum, auctoratum suis erroribus, nisi igitur ætatem in litibus conterere volunt, arbitros quærant sine affectibus sincere iudicaturos.

Idem amplius ostenditur.

§. 5. Procedat Episcopus Hipponensis & Paulum exponat, & dissentientes conciliet: *Quæ fides, nisi quam definiuit alio loco Apostolus plenissime dicens: Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur?* Veniat ille, & doceat; *fidem non solam esse iustitiam, sed fundamentum, atque initium iustificandi, à fide incipit homo*, inquit, *sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & caritatem*, Serm. 16. de verbis Apostoli, & Serm. 22. de verbis Apostoli, *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Veniat Augustini Magister Ambrosius Serm. 29. in Psal. 118. *Fides principium Christiani, plenitudo iustitia est.* Veniat ex Ægypto Cyrillus, l. 4. in Ioan. c. 9. *Ianua, & via in vitam fides erit.*

Fidem perire non posse, iustitiam nullis sceleribus interire docent Caluiniani, negant Lutherani. Quid de scripturis digladiantur, quas alij negant, alij euertunt, neutri credunt? Priscos audiant, audiant à sanctis Martyribus sententiam, discant à vetere Ecclesia veritatem. Videant se errare Caluinistæ, longe abire à sensu verbi, legant contra se, *Orthodoxum consensum Ecclesiæ in hac doctrina*, à Petro Bertio Caluinistarum disertissimo productum l. de Sãctorum perseuerãtia, &c. pagin. 89. Ibique Ignatium

tium, Irenæum, Clementem, Alexandrinum, Originem, Tertullianum, Theodoretum, Cyprianum, Athanasium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Prosperum Aquitanum, Gregorium, Bernardum, Acta Scholæ Parisiensis Anno 1354. Addit his testes etiam hæreticos. Hæc contra suos rigidos Hollandos, & Bremenses Bertius mollior Caluinista, qui si eâdem ratione cætera doctrinæ capita examinet, interpretationes nouitias ad veterum sententias exigat, recta via ad orthodoxam fidem incedet.

Hæc si considerent, facile perperam iudicata rescindent, & suas interpretationes habebunt suspectas, *si enim intelligant hanc Ecclesiæ Christi perpetuam fuisse doctrinam, neque tam infeliciter vnquam cum ea actum, qui semper ista in ea locũ habuerit,* (verba sunt Bertij) quæ poterit esse tam arrogantia pertinax, vt iudicet totam hactenus Ecclesiam, scripturam sine vera intelligentia legisse, se vero solos ea donatos scientia, quæ hactenus orbi incognita fuerit?

Christum reiicit, qui iudicio veteris Ecclesiæ recedit.

§. 7. Hanc igitur dirigimus præscriptionem: *Si Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quia nec alius patrem nouit, nisi filius, & cui filius reuelauit, nec alius videtur reuelasse* (scripturæ interpretationem) *quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua, quod aiunt voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Hæc Tert. de præscript. aduersus hæreticos cap. 21. Qui igitur aliam verborum dominicorum, & prædicationis Apostolicæ sententiam, interpretationi matricum & originalium Ecclesiarum contrariam superinducet, doctrinam de mendacio præiudicatam adducit. Qui Ecclesias illas arbitras suæ interpretationis recusat, veritatem Apostolorum, & Christi & Dei repudiat.

Calumniæ hæreticorũ.

§. 8. *Nos vero ad Dei iudicium appellamus*, inquiunt, *humana arbitria non moramur, immota veritas est, quæ canonicis scripturis continetur, eam nos amplectimur, iudicia hominum sæpe sunt inique fauentium, sæpe maligne inuidentium, sæpe deceptorum, semper mutabilium, nunquam infallibilium.* Dei tribunal appellamus; Dei verbum sequimur, nefas est, sententia numinis deserta, quasi dubia, veritatem à creatura petere, post *Dei enunciatum, qui infallibiliter verus est, qui immutabiliter bonus est, arbitrium ad humanum tribunal deferre sacrilegium est. Ibi enim frequenter veritatem, vel affectus, vel ignoratio opprimit, & innocentiam destitutam imperiosa damnat nequitia. In ius vocare Deum, plus quam sacrilegium est. Non igitur de nostris interpretationibus iudicare debet Ecclesia.*

Non iudicamus de lege diuina sed de interpretationibus humanis.

Iure optimo ista dicuntur, sed magna iniuria est, cum in nos retorquetur, quasi tam barbaræ quisquam insaniæ sit, vt nesciat, Deum immutabiliter bonum, & verum esse, hominum iudicia vel ignoratione fallacia, vel improbitate iniuriosa esse. Et si hac quidem in re dubium esse potuisset, id atrocissima illorum calumnia exemisset.

Quis enim à cœlesti tribunali, ad hominum censuras appellauit? quis effata DEI ad trutinam creatæ intelligentiæ examinauit? Non igitur de veritate diuinæ legis, de quâ qui dubitat, infidelis, qui examinat sacrilegus est. Illa sine controuersia nobis est sancta, sine examinatione probata: Hominum cogitationes in iudicium adducimus, quid illi de lege diuina doceant, exquirimus, non legis, sed factorum, & dictorum iudices.

Quis status controuersiæ.

§. 9. Grauis est aduersariorum accusatio, sed quæ multum habeat contumeliæ, nihil rationis, quæ etiam indecora censetur in ipsorum conuenticulis, ab Orthodoxis vero ita confutata atque conuicta, vt perditæ causæ indicium sit, ad veterum præsidiorum ruinas confugere & exoletas nugas recantare. Status nostræ causæ est.

Non ille: *Vtrum scriptura vera sit?* Sed, *Vtrum quod Nouatores dicunt, id etiam dixerit scriptura. Vtrum id scriptura dicat, quod eam dixisse ante annos centum nemo credidit? An nullam Ecclesiam olim Spiritus sanctus respexerit, vt in eam, quam Nouatores iactant, veritatem duceret? An Christus interim, dum apostataret Lutherus, & Caluinus, voluerit Ecclesias omnes scripturas aliter intelligere, aliter credere?* Interdum alia pro fide fideles mori, quam ipse per se, & Apostolos, prædicasset, & scripsisset? *An in scripturæ interpretatione tot, & tantæ, tam diuersis locis, & linguis variæ Ecclesiæ, tam ætati Apostolorum vicinæ, tot martyrum sanguine veritatem testatæ, non modo errauerint, sed in vnam etiam fidem, in eandem scripturæ intellectionem errauerint? Error vero tam diu regnauerit? An apud Nouatores interpretatio scripturæ tam varians, lectio tam multiplex, versiones tot capitum discrepantes in vnam veritatem conspirent, & ex quo angulo inter tam vastas tenebras lumen veritatis emicet.*

Quis adeo iuris, & moris ignarus est, vt nesciat apud Iudicem cum disceptatio instituitur, non examinari legum æquitatem, nec hoc agi, vt leges euertantur, sed vt ex legum præscripto controuersiæ decidantur?

In foro de sensu legis agitur.

Multis, & annosis litibus Germania laborat, & atteritur, atque in numerosa legum congerie nunquam deest iniquitati ad euertendam iustitiam prætextus, raro etiam iustæ causæ celer exitus, & indemnis victoria. Atqui in hac tanta iudiciorum difficultate, tarditate, varietate, quis est qui leges accuset? ius vsitatum aboleri suadeat? omnes se lege tuentur, totum iuris apparatum in rem suam venire contendunt. Nec priuati modo, & qui iure in vrbem extrahuntur, sed multo etiam magis rerum domini, qui iurisconsultorum, & consiliariorum agminibus obsidentur. Pluribus illi litibus implicantur, quo melioribus aduersum lites instructi sunt. Hæc vero tanta ira, tanta certaminum violentia, tanta ingeniorum calliditate peraguntur, vt in bella, & cædes frequenter exeant ciuiles de iure concertationes. De iure Ditionum Iuliacensium lis ingens hodierna die pendet, libri vtrinque editi sunt. Tres nobilissimi principes in solidum singuli hæreditatem vindicant, in solidum cæteros excludunt. Quid faciendum hoc loco sit prudens nemo dubitat, cauendum est bellum, neque enim eo lis sopietur, quandoquidem qui prælio succubuerit non iure se, verum viribus, aut stratagemate superatum dicet. Litium vero finis esse non potest, nisi legitimi iudicis auctoritate decernatur, quid iubeant leges. Mentem tot legum, & constitutionum, ille explicando sententiam suam, ostendet, controuersiam, quam legum multitudo intricauit, suo iudicio dirimet. Eius arbitrium qui recusarint, suæ causa diffidunt, & vana est vtrinque legum iactatio, si anima legis, hoc est, cognitoris sententia fugitur. Eodem est, sed plenore iure nostræ disceptationis conditio. Legem Dei immutabilem, verbum æternæ veritatis, sententiam Domini nusquam secum pugnantem in medio ponimus.

Quomodo finiantur lites ciuiles.

Legi addenda est sententia iudicis.

Eam secundum nos pronunciare singuli dicimus, aduersarios eadem damnatos asserimus, in eodem clamore iam annos prope centum persistimus. Singulis annis noui exsurgunt competitores, & sibi intelligentiam scripturarum, & veritatis vindicias arrogant, vt toties nobis fidei possessio vindicanda sit, quoties noua concussione tartareus prædo, immissis fanaticis ingenijs, eam aut turbat, aut inuadit. Hinc non est difficile nosse, à quo stet scripturæ vera intellectio. Ab illo scilicet, qui non modo, inani voce contendit, se mentem scripturæ tenere, sed etiam iure consertum manus venit. Nec modo dicit; mea est veritas, sed in iudicem etiam compromittit. Imo iam olim iudicatum esse demonstrat. Si fundum à vicino postules, ac dicas.

Nemo sibi iudex.

Lege meus est, quem tu possides fundus. Ille vero respondeat: *Haud quaquam, lex enim, quam producis, fundum tibi non addicit, sed eum mihi confirmat, aut sane, si ita tibi videtur, iudicio experiamur. Ambula in ius. Tu vero pergas, legem solus intelligo, lege meus est fundus, iudicem repudio, tu fundo cedito.* Quis te ferret in fundis, in agellis, in stillicidiis, tam importune iniurioſum? In salutis negotio tamen, in summa rerum hoc valere desideras, vt tibi iudicium in omnes interpretes sumas, tua interpretatio sit ἀνυπεύθυνος, & omnis censuræ expers. Insuper etiam calumniaris innocentes, quos cum vides à tuis deliriis ad veteres Ecclesiæ patres, & iudices appellare fingis infando mendacio. *Nos diuinam veritatem humanis arbitriis subiicere, Deum in ius vocare.* Ego vero ita concludo.

§. 10. Cum de scripturæ diuinæ interpretatione controuertitur, bonæ conscientiæ est, ad veteres patres, & concilia appellare, professæ autem nequitiæ est, sibi soli inniti. Cum autem nec Caluinistas iudices admittant Lutherani, & Caluinistæ indignos iudicio censeant Lutheranos: non potest hæc causa, nisi ad veteres patres referri, ex antiquorum scriptorum monumentis cognosci, ex conciliorum Ecclesiæ iudicijs definiri. Quis enim iudicabit? Indignos Lutheranos iudicat Ioann. Franciscus Astaspis contra Pouchenium pro Ioanne Palmerio, pag. 263. *Neque enim etiamsi pusillanimis fuerit, & meticulosus Melanchthon, neque si sententiam mutarit, neque si qui ipsius Collegæ, atque discipuli istis Vbiquitariis in VVittembergensi Schola aliquandiu restiterunt (ne hoc nouo dogmate Ecclesias Saxonicas infamarent) ideo nullæ sunt istorum inter se pugnæ, & rixæ, qui indigni redduntur, vt de pace inter Ecclesias Germanicas sanciendâ soli deliberent, vel de aliorum dissensionibus soli iudicium sibi & damnationem arrogent. Quomodo enim qui suas contentiones compescere nequeunt, aliorum dissidijs medebuntur? Quomodo, qui tanta inter se animositate, asperitateque conuitiorum conflictantur? Ad alios de rebus grauioribus dissentientes, ad concordiam adducendos, nedum damnandos fuerint idonei? Quibus singulis haud immerito, immo opportunissime vulgatum illud prouerbium obiici potest; Medice cura te ipsum: &, Tolle prius trabem ex oculo tuo, hypocrita, quam ex alienis oculis festucam euellere conaris.* Quod si iure merito Palmerius, *ob turpes ingratitudinis notas indignos* censet Lutheranos, *qui soli pro tribunali sedeant, ad omnes Ecclesias iudicandas*, vt ipse Palmerius ait, & probat Astaspis. *Iure* enim *ipso infames, & paternæ hæreditatis indigni, pronunciantur*, inquit, *qui se erga parentes tam ingratos exhibuerint, vt vel atrocem, & indecentem illis contumeliam ingesserint, vel contra eos calumniatores exstiterint, vel eos denique publico iudicio infamarint*, ita Nouell. Iustin. III. §. Iustas. At Lutherani, inquit, pagin. 270. *sunt merito inter ingratos, & infames recensendi, qui illas indignitates suis præceptoribus* (Melanchthoni & alijs) *irrogant. Parentum autem loco præceptores, atque doctores (præsertim Theologos, qui nos spiritualiter in Christo generant) colendos, non modo verbum Dei docet, sed & prophanorum Philosophia*: Si Lutherani ob contemptum Melanchthonis iudicio Caluinistarum sunt infames, nec ad iudicium admittendi, quid in vniuersum omnibus Nouatoribus fiet, qui non vnius homuncionis meticulosi, & versipellis contemptu deliquerunt, sed totam antiquitatem, Ecclesiarum Magistros, orbis Episcopos, martyrum exercitus, omnium præceptores, voce, scriptis, conciliabulis, iudiciisque infamant? Verum hæc omitto, vnde me illorum importunitas, abduxit, redeo, iterumque moneo; pestilentissimam esse imposturam, diabolicam calumniam, quâ imperitorum animas in nassa sua detinent, cum nos idcirco, quia de scripturæ interpretatione ad priscos Ecclesiæ Magistros appellamus, criminantur, *à verbo Dei ad hominum iudicia confugere, scripturas humano arbitrio iudicandas subiicere.* Nos enim, si quis vnum iota, aut vnum apicem de verbis Domini demutarit, mutilarit, si ad illa addiderit, anathema ei dicimus. De intellectu duntaxat inquirimus. Dixit Dominus: *Hoc est corpus meum.* Nos, quod dixit ipse, hoc intelligimus, hoc credimus. Nempe: *hoc esse Christi corpus.* Caluiniani, *Hoc, quod corpus suum*, dixit Dominus, negant *esse corpus* CHRISTI, *figuram, siue symbolum corporis* asserunt. Nos dicimus, *esse corpus, quod pro nobis traditum, & sanguinem pro nobis effusum*: Figuras & symbola scimus non esse precia nostræ redemptionis. Illi pergunt, ac perseuerant figuras Domini testamento affingere. Quis finis contendendi? Audiamus iudices incorruptos, de causa nota, de reis non notis sincere pronunciantes, iudices, inquam, non qui cognoscere, & pronunciare studeât, Verene Dominus dixerit: *Hoc est corpus meum*: In hoc enim se nobiscum sentire protestantur. Sed id quod controuersum est, definiant: Nos, an illi verissima Domini verba recte intelligamus? Quod si stare aliorum iudicio recusant, id ingenue faciant, calumnia abstineant. Non enim nos verbum Dei iudicamus, sed eorum versiones, interpretationes, deprauationes, deliriones ad veteris Ecclesiæ tribunalia citamus, hic gradum figimus, hic vincimus; quia vadimonium deserunt, quia calumnia congressum fugiunt, & examen errorum suorum respuunt, conscientiæ suæ testimonio conuicti.

Lutherani non possunt esse iudices Caluinistarum.

Lutherani infames ob ingratitudinem.

Calumnia Nouatorũ.

CAPVT XXXII.

Interim, dum de pace tractatur, mendacia, & calumnias Prædicantium esse coercendas.

§. 1. RES omnino necessaria, & digna principum curis est, calumniantium coercitio. Neque enim solum paci reducendæ venena illa linguarum obsistunt, sed pacis tractationem inchoatam etiam abrumpunt, nec raro pacem ipsam bene compositam, confirmatamque pessundant. Merito itaq; Anno 1613. in comitiis Ratisbonensibus Principes, ac status Orthodoxi insanam conuitiandi, calumniandiq; licentiam, qua causam desperatam prædicantium natio tuetur, inter cætera grauamina Cæsareæ Maiestati proposuerunt. Postquam enim confessionem Augustanam annihilari sensim, & tanta religionum diuersitate penitus tandem deperdi demonstrassent, atq; omnes videri in religionis Catholicæ perniciem conspirasse.

Tandem subiungunt: *Ipsam calumniandi, & criminandi licentiã adeo in suggestu alterius partis iam inualuisse, vt nec Romanum Pontificem, longe melius de ipsis, & vniuerso Imperio, vel proximo Hungarici belli tempore promeritum, conuitijs proscindere dubitent. De Catholicis Principibus quid fiat, &*

Prædicantes esse calumniatores.

fiat, & quomodo non ipsi solum, sed & Augustanam confessionem professi status alij, pacifice cum Catholicis viuere cupientes traducantur passim, famosisque libellis deboneſtentur, operæ precium non esse, vt prolixe demonstretur. Sperare tamen Cæsarem aliquando, de legitimis, & licentiam istam compescendi, & concordiam in imperio conseruandi mediis cogitaturum, &c. Hæc principes nostri, neque ignorant ista ipsi calumniarum artifices, cum isdem verbis suæ historiæ inserere audeant. Vtinam principum alterius religionis sit tanta potestas, vt θηριώδη ac fera pectora metu legum continere, ac domare possint, sed rumpunt illi omnia legum iura, ac nexus, inuidiâ, odio, iraque incensi volitant, nec aliud tamen consequuntur, quam vt maleuolentiam animis insitam mundo patefaciant, & suæ Reipublicæ exitio sint. Signum enim perituræ ciuitatis esse calumniandi licentiam sacræ literæ nos docent. Jeremiæ 6. v. 6. *Hæc est ciuitas visitationis calumnia in medio eius.* Ezechielis decimo octauo. vigesimo secundo. *Qui calumniatus est, & vim fecit fratri suo, Ecce mortuus est in iniquitate suâ.* Amos vero capite trigesimo nono. *Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Aegypti: & dicite; Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus suis. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Tribulabitur, & circuietur terra, & detrahetur ex eâ fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.* Salus enim Reipublicæ illius deposita, ac complorata est, non modo cũ vitia libere regnant, sed innocentiam etiam impune vexant, virtutemque opprimunt, in quâ tantum à recto degeneratum est, vt malum dicatur bonum, & bonum malum. Hoc verò vnicum est Ministerij noueuãgelici studium, vt cum veritate non possint, aduersam partem calumniando, imperitos teneant, sciunt calumniæ morsum esse immedicabilem, & cum fidem non meretur, opinionem tamen, quâ pars maxima ducitur, gignere. Quanquam autem falsum est, quod veteri dicto iactatur.

Perdita ciuitas, in qua valent calumniæ.

Νικᾷ γὰρ αἰεὶ διαβολὴ τὰ κρείττονα
Vincit semper calumnia præstantiora.

Sæpe enim veritas vincit: alterum tamen verum est:

Οὐδὲν διαβολῆς ἐστὶν ὁμοιότερον.
Nihil calumnia est intolerabilius.

Solis calumniis valet prædicantes.

Gladius quidem secat, teste Democrito, *sed calumnia separat amicos.* Sed frustra illos appello, habent illi, vt aspis in linguâ virus, vnicamque spem victoriæ, & si verum audire possunt, omnem nouitatis successum, omne hæreseos incrementum mendacijs suis debent. Hæc igitur arma de manibus extorqueri sibi non sinent, nisi eorum principes, & Magistratus veræ, & sinceræ pacis amantes, vi, & metu illos in orbitam modestiæ reducant. Quod nisi inprimis curent, nõ modo in eorum ditionibus pyrus super pyrum, ficus super ficum cõsenescet, verum etiam omnem fidem, ac spem pacis amittent. Nam qui calumniatur, eum, de cuius famâ detrahit, odiosum reddit, & se quoque cunctis inuisum. Quod Basiliscus attingit, occidit, & venenat, quem calumniator perimit, etiam cæteris execrabilem facit. Nos pacem, Synodum, fœdera, amicitiam quærimus, sed in tanta licentia, & impunitate fingendi, in tanta calumniarum atrocitate, agere cum prædicantibus non possumus. Nihil fidei, nihil humanitatis, multo minus religionis esse potest in delatoribus, ac sycophantis professis. Ecce enim tot annos simul disputamus, & in singulos annos, noua, horrenda, inusitata de nobis flagitia comminiscuntur, hisce chartas, picturas, libros, aures populorum adimplent. Quæ est conscientia, tam operose alienam innocentiam traducens? Quæ religio, quam opus est, tam infandis mendaciis fulciri? Catholici eos merito detestantur, cùm non modo supra fidem, sed etiam supra modum calumniari animaduertunt. Exemplis rem declarabo. In Polonia nefanda & fœda de quibusdam societatis nostræ presbyteris finxerunt, scripto euulgarunt, eos in oculis ciuitatis Cracouiensis examinatos, atque supremo supplicio affectos. Eadem crimina, & publice esse expiata Antvverpiæ de aliis mentiti sunt. Mendacia manifestaria Serenissimus Poloniæ Rex, Episcopus & Gubernator Cracouiensis, Senatus & Episcopus Antvverpianus testimonio refutauit. Alia de Vienna, Stiria, Bauaria mentiuntur, innocentiam Principes & Respublicæ publicis elogiis apud exteros tuentur. Nam illis in locis vbi crimina facta, & furca, rota, rogis, in omnium conspectu punita dicuntur, nihil opus est defensione, cùm tot hominum millia hæreticam mentiendi libidinem agnoscant, ipsamque pariter ac hæresin detestentur. Minora & quotidiana prætermitto, de hisce maioribus argumentum duco. Qui tam multa, tam falsa spargere non verentur, nihil cum illis, vel in Politia, vel religione agi potest, cum omnis familiaritas, omnis collocutio, non minus periculi habeat, quam si cum scorpio, vipera, regulo conuerseris. Non ignoro illorum excusationem: *defendendæ religionis, & aduersarios vincendi causa ista se fingere.* At religio si vera est, propria integritate, non alienæ pietatis obtrectatione niti debet. Scio aliter eos causam tenere non posse, verum præstat eam perdere, quam per tanta flagitia vincere. Anno 1613. instituta est Durlaci inter Catholicos, & aduersarios disputatio. Ministri solita sibi μεγαληγορία & confidentiloquentia, quædam suæ opinionis effata ex sola, clara scriptura probaturos iactabant. Ad rem cum ventum est, glossemata, & argutiolas loco solius, claræ scripturæ adferebant. Historia Latine, & Gallice edita est. Quid vero historicus Euangelicus? Contra duorum Illustrissimorum conscientiam, & testimonia, contra ipsorum Prædicantium programmata, & theses, rem gestam mentitur his verbis. Merc. Gallob. Tom. nono. libro quarto. *Sub initium Iulij Colloquium inter Protestantes, & Pontificios Durlaci institutum fuit, quo Lotharingici etiam ducis frater, cum duobus Iesuitis, vt Colloquio interesset, profectus fuerat. At vero cum Iesuitæ antiquum obtinentes, veterem suam cantilenam recantarent, & Papam iudicem eligendum, exque patribus, & quidem in lingua Gallica disputandum contenderent. Protestantes vero ad sacram scripturam prouocantes, ex ea sola, & quidem Latina lingua, more solito disputationem peragendam dicerent. Iesuitæ conditionem illam acceptare nolentes, eo quo aduenerant itinere, redierunt, & ad suos re infecta abierunt.* Hæc Gothardus Artus homo tam prostitutæ impudentiæ, vt postquam principes testati sunt, atque ipsi insuper prædicantes scriptis prodiderunt aliter rem habere, non Jesuitas modo, sed ipsum Serenissimum Vadimontium etiam probationem dogmatum ex sola scriptura, vt promissum erat, postulasse, Prædicantes, id se non posse fassos esse, ipse tamen mẽdacia tot Lutheranorum & Caluinianorum scriptis, etiam Parei oratione detecta, nõdum deleuerit. Non potest cum talibus esse de pace tractatio, qui mox vt victi fuerint, nebulonem aliquem, ad mendacia venditum, in promptu habent, cuius calamo historiæ veritatem euertant, qui iurare ausit; meridie non liquere. Sed desino iam ista mirari, cũ tæterrimas post homines natos in Reuerendiss. atque Illustriss. Cardinalem Bellarminũ calumnias legi, nihil olim simile ausa est impietas, nihil tale passa innocentia, apicem Euangelici archisycophantæ attigerunt, omnes vereres delatores, calumniatores, conuitia-

Exempla calumniarum.

Cum calumniatoribus agi non potest.

Vide Thomam VVitgelinum.

tores, maledicos, detractores vicêre, nunc in calumniâ Bellarminianâ seipsi vicerũt. Nisi igitur tales à cõgressibus arceantur, aut principum legibus, pœnisq; constringantur, pax esse non potest. Constituamus enim colloquium in aliquâ vrbium Rhenensium indictum, quid animi Catholicis esse potest, cum sciant Gedanensem calumniatorem paratum, vt publico mendacio quamuis celebrem veritatẽ oppugnet? cum timere debeant, ne interea, dum ipsi orationi, lectioni, doctrinę, disputationi incumbunt, totâ Germaniâ chartæ volitent, quibus mortui, & à diabolo flammis cincti per aëra ferri, atq; ingenti eiulatu cõplere vrbes, exanimare audientes, dicantur? Hæc enim cum sine exemplo, de plenitudine diabolismi contra Bellarminum finxerint, non facile erunt in nos mitiores, vt quos exemplum illud fecit eruditiores, impunitas audaciores, exercitatio promptiores.

Nunquam tantæ calũniæ fuere.

§. 2. Sed ne famâ nimium moueamur, quam tamẽ qui negligit, crudelis est. Quid? quod ne quidem sine summo periculo inter eos viuere possumus? non minore sane, quam Romæ olim tempore Tiberij, Claudij, Domitiani inter delatores viuebatur. Ad vnius enim, alteriusue calumniosum mendacium, si vires sint penes aduersam partem, sine defensione pereundum est. Docet illud Historia, quam idem mendaciorum propola narrat. To. 10. l. 3. *Cum Monasterii interea*, inquit, *Iesuitas comœdiam egisse fama percrebuisset de Mauritio perdito, repræsentantes nimirum in theatro personam ipsius inter pugnandum, cum Spinola subito, quasi euanescentis, dum scilicet sub mensâ sese occultaret, atque ita periculum imminens effugeret, militibus eius, à Spinolæ militibus, plane explosis, & plane tandem fugatis: Hac occasione moti Nassouici, Comœdiam in Tragœdiam paulo post conuerterunt. Septem enim statim equitum confœderatorum turmæ, cum non exiguo peditatu, requisitum eum in vicinia aduolantes, loca varia perreptarunt, & vbi non reperissent Mauritium, quicquid apprehendere bonorum poterant, scriniis, capsulisque excussis omnibus secum abstulerunt, colonis amissa sua bona frustra lugentibus.* Hæc idem ille Artus. Comœdia illa nunquam scripta, nunquam acta, nũquam visa est, neque vllus tam effrons nebulo exstitit, qui à se spectatam dicere auderet. *Sed fama percrebuit*: falsa illa fuit. Sed malum velox, & quod vires acquisiuit eundo, fama orta à prædicantibus, aut eorum satellitibus, certe ab illis qui & Catholicos oderunt, & nimium Catholicorum opes amarunt, qui etiam de miserorum expilatione rationem Deo reddent. Verum non est huius temporis ista queri, id proxime factum est comitijs Ratisbonensibus à statibus Catholicis. Nunc hoc asseuero, impunitâ Ministrorum licentiâ pacem nos sperare non posse. Iniqua certe pacis conditio: Si Ministrum biliosum atque irritabilem paululum commõris, continuo te de Mauricio Comœdiam fecisse mentietur, eam ipse artifex, vt in Tragœdiam conuertat, septem turmas equitum cum peditatu adducet, vicinas regiones, innoxios incolas prædabitur. Ecce quid tibi mali est ex vna linguâ? Quæ vipera, quis Basiliscus, diuturnâ grassatione tantum vastitatis attulit, quantam vna lingua calumniatoris, & verbis paucis & falsis, & absens? Recte olim dictum? Οὐδὲν θηρίον κακίων ὀπτέον τῆς διαβολῆς, *nulla belua nocentior est, quam calumnia.* Deus bone, quid vniuerso Catholico nomine fiet, si Principes armati credant Ministris suis de nostro sanguine mentientibus? Si quod ministri volunt, illi poterunt? si Orthodoxorum fortunæ, vitaque dependeat à re, omnium rerum pessimâ, linguâ prædicanticâ?

Effectus calumniarum prædicanticarum.

§. 3. Nec priuatos tantum calumniæ tangunt, in reges & principes eadem audacia consurgunt, nec *Catholicos modo, sed eos etiam, qui cum Catholicis pacisce uiere cupiunt.* Supra calumnias, & conuitia libellosq; famosos citaui: in illis, aquila fingitur implumis, & Cæsar dormiens, Pontifex Antichristus, & omnes Ecclesiastici, Catholicique principes Antichristiani, Rex Hispaniarum grypho comparatur, Spinola bestiæ Apocalypticæ septicipiti inequitat, nemo Catholicorum, nemo ex Catholicorum amicis est immunis. Non ignoro Hollandiæ Status ista vetuisse, sed rabies Ministrorum nititur in vetitum, Dei mandatum calumniam prohibentis, spreuerunt, non mirum si Magistratum contemnant. Quæ enim non sit vilis auctoritas illis, qui æternam Maiestatem veluti facinora non imputantem irridenť? Itaque omni lege postpositâ, non modo nundinas maledicentiâ, atque famosis libellis, picturisque incestant, sed quæ in singulas Hebdomadas typis excudunt noua, ad Catholicorum principum, contumeliam detorquent, vt est in diario 52. anni 1615. Vbi Rex Hispaniarum, atque eius legatus suspectus redditur, quasi conspirationis Sommersetanæ conscij, & in diario Anni 1616. die 22. refertur, In Austria ceptam esse religionis persecutionem, quo Cæsar, velut persecutor traducitur, in cæteris ea est narrationis series, & malignitas, vt causa Catholicorum suspicionibus, & contemptu grauetur. Quapropter si pacem quærunt, perpetuam bellorum materiem, & discordiarum seminarium de medio tollant, prædicantium maledicentiam scilicet, aut saltem ita frenent, ne ea, quâ hactenus, libertate grassetur.

Caput XXXIII.

Colloquia recte instituta ad pacem conducere.

Colloquia quid paci conferant.

§. 1. Non est tot collocutionibus constituta pax, inquies, quid igitur ad disputationes nos vocas? quid aliud inde consequetur, quam exacerbationes, atque vt quælibet pars se victricem prædicet? Non ignoro multas disputationes maiorum discordiarum causas fuisse, ignem gladio fossum, & exasperatos mutuâ agitatione crabrones, quin libro *de Synodo, & Vnione Euangelicorum*, non posse eos per mutua colloquia in concordiam redire argumentis euidentibus demonstraui, nunc id solum ostendam, colloquia inter orthodoxos, & errantes instituta, paci nonnihil proficere, neque enim sufficere affirmo, sed omnia ad pacem præsidia conquiro, non modo quibus eam tenere, sed etiam quibus appropinquare ad pacem nos posse confido.

Primo quidem, Actorum 6. 9. Libertini, Cyrenenses, Alexandrini, Cilices & Asiatici *disputabant cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur*, erant igitur continuæ cum infidelibus disputationes, quibus Ecclesia creuit, error defecit.

Disputationes Pauli.

Deinde cap. 9. 22. *Paulus multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.* Consuetudinem eam fuisse docemur Actor. cap. 17. versu 2. & 18. Thessalonicæ enim & Athenis, imo in ipso Areopagitico consessu *disputat Paulus.* Idem Corinthi *introgressus Synagogam, cum fiduciâ loquebatur per tres menses, disputans & suadens de regno Dei.* Actor. 19. 8. & v. 9. *Quotidie disputat in schola tyranni cuiusdam*, non modo cum discipulis, sed illis qui accedebant docendi. Imo Paulus captiuus coram Felice, & Drusillâ *disputat de iustitia & castitate, & futuro iudicio, ita vt Felicem iudicem suum tremefactum aspiciat.* Romæ etiam *in suo conducto toto biennio disputat*, & in libertate in fidei tubas, ipse captiuus asserit, *verbum enim Dei non est alligatum.*

§. 2. Nec

§. 2. Nec consuetudinem suam Ecclesia in posterum deseruit. Vt vetera omittam, quoties tempore Augustini in Africâ habita sunt colloquia? ipse Augustinus non scriptis modo, sed collatis sermonibus contra hæreticos disputauit. *Eodem tempore* (inquit Retr. lib. 1.) *presbyterij mei cõtra Fortunatum quẽdam Manichæorum presbyterum disputaui, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxeratque tam multos, vt propter illos ibi eum delectaret habitare. Quæ disputatio nobis altercantibus excepta est à notarijs, veluti gesta conficerentur, nam & diem habet, & consulem.* Exitus fuit, quem idem narrat Augustinus. *Consequenti die tandem confessus est* (Fortunatus) *nihil aduersus nos inuenire quod diceret, nec sane Catholicus factus est, sed tamen ab Hippone discessit.* Cum Donatistis etiam tres dies contulit, quorum longam disputationem in arctum redegit, & vocauit *breuiculum collationem.* Cum Fortunio etiam Donatistarum Episcopo collationem non modo suasit, sed modum etiam, rationemque præscribit Epist. 163. ad Eleutherium, & Glorium.

Disputationes Augustini.

Colloquiũ cum Pascentio.

Colloquium etiam cum Pascentio comite hæreseos Arianæ instituere, sed eâ conditione, vt à notariis verba differentium exciperentur, consensit, sed comes postquam conditionem respuit, merito Augustinus initio colloquium recusauit, comes enim volebat, vt diceretur, nolebat, vt teneretur, victus tamen caritate suscepit.

Collatio cũ Donatistis.

De nobilissimâ verò disputatione ita scribit in Augustini vita Possidius capit. 13. *Et de his omnibus pro pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hic palmam dedit, & apud se iustitiæ coronam reseruauit: ac magis, magisque, iuuante Christo, de die in diem augebatur, & multiplicabatur pacis vnitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas.* Et id maxime factum est per collationem, *quæ ab vniuersis Episcopis Catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum Episcopis postmodum facta est, adiuuante gloriosissimo, & religiosissimo Imperatore Honorio, propter quod perficiendum etiam à suo latere tribunum, & notarium Marcellinum, ad Africam iudicem miserat. In qua controuersia illi omnibus modis confutati, atq; de errore à Catholicis conuicti, sententia cognitoris notati sunt, & post eorum appellationem pijssimi regis responso, iuste inter hæreticos damnati sunt. Ex qua ratione solito amplius eorum Episcopi cum suis clericis, & plebibus communicauerunt, & pacem tenentes Catholicam, multas eorum persecutiones, vsque ad membrorum amputationem, & internecionem pertulerunt.*

Disputatio Augustini cum Emerito, cum Maximo.

§. 3. Cum deinde post celeberrimam illam collationem non deessent, qui dicerent, non permissos fuisse eosdem Episcopos apud potestatem, quæ causam audiuit, dicere omnia pro suis partibus, postea in Cæsariensi, Mauritaniæ ciuitate Emerito sectæ præcipuo defensori silentium imposuit. Maximum etiam cum Gothis in Africam venientem conuicit, cum Pelagianis frequentissime disputauit, adeo vt vel ex eo sæculo de cæteris coniectura fieri possit, neq; mei instituti est, rem tot iam sæculis in Ecclesiâ vsurpatam, exemplis demonstrare: verum ostendere, quantum aberrent, qui huiusce modi collationes in vniuersum condemnant, quia sæpe clamoribus, & iurgiis veritatis inquisitio magis impeditur, quam promouetur. Quod tum fere fieri contingit, cum impudenti ambitione victoria quæritur, non rerum intelligentia, cum videri, non discere interlocutores volunt.

Disputationes adhibẽdæ pertinacibus.

Cur verò disputationes exactæ, atque ad normam dialecticam perfectæ sint necessariæ, ratio est, quia multi pertinaciter resistunt agnitæ veritati, nec nisi manifestè conuicti cedunt. Rectè sanctissimus, & in eristicis scriptis, collationibusque exercitatissimus præsul Augustinus libro 2. de Ciuitate Dei capite 1. *Si rationi perspicuæ veritatis infirmus humanæ consuetudinis sensus non auderet obsistere, sed doctrinæ salubri languorem suum tanquam medicinæ subderet, donec diuino adiutorio fidei pietatis impetrante sanaretur, non multo sermone opus esset ad conuincendum quemlibet vanæ opinionis errorem, hisqui rectè sentiunt, & sensa verbis sufficientibus explicant. Nunc verò quoniam ille maior est, & tatrior insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos, etiam post rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, siue nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur, siue obstinatissima peruicacia, qua & ea quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipsam rationem, veritatemque defendunt, fit necessitas copiosius dicendi plerumque res claras, velut eas non spectantibus intuendas, sed quodammodo tangendas palpantibus, & conuentibus offeramus.* Hac causa seriò atque ἀναντιῤῥήτως irrefragabiliter conuincendi sunt aduersarij, vt procaciam suam, & impudentiam cogantur ipsimet intueri.

Qui fructus colloquiorũ.

Deinde quamuis rarò conuertantur sectarij, qui de colloquiis gloriam aucupantur, minus tamen animose defendunt illa, de quibus dubitare incipiunt. Tertiò, Ipsa agitatione cognoscuntur penitus intima errorum, discordiæ, & pugnæ sectarum, & vel præcipue calumniæ, quas contra absentes Catholicos confingere in more habent. Quarto, Detegitur eorum contumacia. Quis enim eorum à primo disputatore, vsq; ad Plessæum in regia, vsque ad Hailbronnerum in Neoburgica, manus veritati, & gloriam Deo sic dedit, vt non puduerit eum conuinci disputantem potius, quam placuerit à veritate melius doctum esse? nonne rem bene inductam ad discutiendum, vel inconditus peruicaciæ clamor explosit? vel si clamori contra veritatem negata est prærogatiua, simulatio morbi deseruit? Res plane puerilis, adeo subitaneum, adeoque sæuum morbum fingere, vt dena, vel vicena in alieno libro loca non possis ostendere, quæ alias exscripseris, & perpenderis? Et tamen sic duo nobilissima nostri temporis colloquia finiuerunt? Plessæus in Gallia ductor Cataphractorum, Jacobus Hailbronnerus in Germania Papa Lutheranorum, vterq; enim simulatione morbi ignominiam publicam præcidere, quam sua vitia audire, & discere veritatem maluit.

CAPVT XXXIV.

Scriptiones de controuersiis institutas, etsi eristicæ sint, ad pacem tamen vtiles esse.

Scribẽdum pro defendenda fide.

§. 1. SCRIBENTIVM atque contendentium multitudo efficit, vt multi prudentiores in controuersiam vocent: An omnino expediat de rebus fidei libros scribere? Verum non sunt audiendi illi, qui hac de re dubitant, nedum qui scriptiones in vniuersum abolendas censent. Adeo quidem vt Catholicorum pro fide scriptiones inhibere, sit perinde atq; fidem prodere. Certe Apostolus Paulus pleraſq; Epistolas contra sectarios conscripsit, de iustificatione, lege, prædestinatione ad Romanos, & Galatas, de variis Pseudoapostolorum erratis ad Corinthios, Philippenses etiam admonet, vt caueant *canes, malos operarios.* Colossenses, *ne quis eos decipiat in sublimitate sermonis, aut per inanem philosophiam.* Thessalonicenses instruit contra eos, qui dixerunt *instare diem* extremum, Epist. ad Hebræos tota est in oppugnatione Judaizãtium. Controuersias etiam tractant Joannes, Jacobus, Petrus in suis Catholicis: adeo vt qui morem receptum de controuersiis scribendi culpare audent, ijdem de Apostolis ac Spiritu S. sibi iudicium sumant. Veterum libri qui de multis pauci ad manus nostras venerunt, inspiciantur, magnam partem eristici sunt, & hæreses insequuntur, non opus est hoc docere, pa-

Apostoli cõtra hæreticos scripserunt.

Idem fecere patres.

ginæ ipſæ clamant, ſi cui graue auctores adire, conſulat indices Tertulliani, Cypriani, Athanaſij, Hilarij, Ambroſij, Hieronymi, Auguſtini, aliorum. Factum igitur hoc ſemper in Eccleſiâ, vt hæreſes clam ſerpentes, aut aperte graſſantes omni cura tollerentur, quod quia facilime ſcriptionibus fieri poteſt, illæ vſurpandæ ſunt, cum facilime in aliorum cognitionem veniant, meditate concinnentur, & teneri diutiſſime poſſint, præſertim cum ipſa colloquia ſcribi per notarios ſoleant, vt non modo præſentes inſtruantur, ſed longe diſſiti pacatiſſime intereſſe diſputationi, & de re iudicare poſſint.

§.2. Quid nî Catholici in hoc ſedulo incumbant, ne deſit ſua veritati defenſio, cum ſectariorum cruenta præla, & in ſcribendo rabies tantam imperitorum hominum ſtragem dederit? Conuitiis, Epigrammatis, famoſis libellis omnia miſcent aduerſarij, de Pontifice, Cęſare, cunctis principibus Catholicis atrocia, & infamia ſparguntur. An nos ad hæc omnia tacere conuenit? An noſtro ſilentio cauſam bonam prodere, calumnias aduerſariorum ſecuras reddere, & currentibus ſpe impunitatis calcar addere non cauebimus? Non quidem omnibus reſpondendum iudico. Vere Auguſtinus l.2.de Ciuit.Dei. cap.1. *Et tamen quis diſceptandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus.*

Non omnibus reſpondendum ſemper.

Nam vel qui non poſſunt intelligere quod dicitur, vel tam duri ſunt aduerſitate mentis, vt etiamſi intellexerint, non obediant, reſpondent vt ſcriptum eſt, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixâ fronte, ſtatuerunt non curare quid dicant, dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant, quam ſit infinitum, & ærumnoſum, & infructuoſum, vides. Non igitur omnibus reſponderi neceſſe eſt, ſemper tamen aliquibus occurrendum, ne victrix imperitia de veritate triumphet.

§.3. Quantum verò illorum malitiæ Catholicorum obſtent ſcriptiones, odia atque leges aduerſariorum ſatis oſtendunt. Quæ enim in Bellarminum, in ſocietatem vniuerſam non comminiſcuntur? quæ omnia eo pertinent, vt cum exoſos fecerint eos, qui Euangelium enunciant, ipſam etiam veritatem contemptibilem efficiant. Nunc verò etiam furentius iraſcuntur, cum indies ſe clarius cognoſci, ac confutari ſentiunt, tot enim famoſos libellos, & picturas in ſingulas nundinas protrudunt, vt nuper Hollandiæ proceres publico edicto homines nefarios coërcere debuerint; nam illic fere enormium conuitiorum, atque maleficarum chartarum eſt officina, vel quod talibus ibi plures delectentur, vel quod iſtic maior ſit, quam aliis prouinciis ſcelerum licentia. Vel denique, quod multis primoribus putent non diſplicere, nec abnuunt operam lucri cupiditate ad omnia parati artifices.

§.4. Alij ſcriptiones quidem neceſſarias iudicant, verum moderatas, & familiares, itaque nec hæreticos vocari ſuſtinent eos, quibus iam olim anathema dictum eſt, nec aſperius verbum admittunt.

Scriptiones moderatæ, ſed apertæ, & ſine diſſimulatione ſint.

Moderationem quidem, & humanitatem tum in cæteris, tum ſacris diſputationibus maxime ad rem facere iudico, & vbique adhibendam eſſe, ita tamen vt res ſuo momento, & grauitate ponderentur, ne hæreſes tolerentur, ne velut res leues, aut Philoſophicæ controuerſiæ æſtimentur. Si enim illa opinio inualuerit, mox conſequetur omnium Religionum commiſtio. Non igitur conuincendi ſunt duntaxat errores, ſed etiam diſcernendi, nec probo paſtorem, ſi cum lupum occidentem viderit, non audeat eum ſuo nomine appellare. Quod ſi lupus molli lanâ tectus caulas ingrediatur, proditor eſt ouium, qui non monet ſub agninâ pelle exitium latere. Ignauus eſt miles, qui vocare hoſtem formidat, à quo iugulum peti videt. Itaque ad exemplum ſanctorum Apoſtolorum, & inter eos, Joannis, qui de pectore dominico pleniſſime caritatem hauſit, deregendi, nominandi, fugiendi, deteſtandi ſunt hæretici, nec aue illis dicendum, de hæreticis loquor, non illis, qui per imperitiam, vel infirmitatem alieni erroris aſſeclæ ſunt, & id, quo primâ fraude illigati ſunt, non abijciunt, quia nondum aliud, quod melius teneant, acceperunt. His non modo humanitas, comitaſque, ſed etiam miſericordia impendenda, quia difficilime verum inuenitur à quærentibus, & innumeræ cauſæ ſunt, vt non quæratur.

At verò Tertullian. colloquia cum hæreticis improbat, & ſcriptiones: alij multi pernicioſa colloquia, & ſcriptiones inutiles dixêre. Reſpondeo, colloquia ſi libera, moderata, in forma ſyllogiſticâ tranſacta, ſine tergiuerſatione, addito etiam iudicio, quod arbitri præſentes pronuncient, vtilia eſſe. ſcriptiones etiam ad eam amuſſim exigendæ ſunt, vrgendique ſectarij, vt pede collato de ſententia Catholicorum diſputent, non ſua ſomnia, & quos ipſi ſibi fingunt aduerſarios, oppugnent. Itaque ad pacem etiam faciunt ſcripta illa bellica, & iam multa millia ad Catholicam redîêre, communione ſcriptorum, quibus colloquendi occaſio defuit.

Caput XXXV.

Certiſſimam & compendioſam ad pacem viam eſſe generale Concilium, oſtenditur ex ſcripturis.

§.1. Adiumenta pacis, & ea, ſine quibus componi pax non poteſt, hactenus produxi, omnia ad concordiam honeſtam, firmam, ac ſalutarem referens, nunc ad illud venio, quod ſolum ad pacem ſufficit, quod frequenter tumultuanti orbi pacem intulit, quod non niſi ignorantes, & extremè rudes, aut inflexibiliter contumaces, præfractè reſpuentes, in litibus, & exitio reliquit, nempe totius orbis Chriſtiani Generale Concilium: Ita nos ſacræ literæ edocêt, cum ſignificant errare illud non poſſe, & vocem Cõcilii, vocem eſſe Spiritus ſancti. Nam Act.15. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis,* inquiunt primi Concilii patres, neque enim ita illorum conſtitutionibus Spiritus ſanctus adfuit, vt poſterorum Eccleſias defereret, nec minus ſequentia tempora, quam prima ope ſancti Spiritus eguerunt. Si igitur vt in ſcripturis eſt infallibilis veritas, ita etiam in Conciliis legitime congregatis, ſi generalia ſint, certe qui ſcripturis credit, is quoque Concilii canonibus fidem adhibeat, eſt neceſſe, cum ſcripturæ in Conciliis veritatis auctoritatem, & veritatem auctoritatis commendent. Occurrere ſolent: *Hanc Apoſtolorum fuiſſe Synodum, ideoq; Spiritu ſancto duce ad normam veritatis, ſine erroris ſuſpicione directam, in poſteri certitudinem, & gubernandæ Eccleſiæ conſtantiam eſſe labefactatam.* Maligni ſunt huiuſcemodi æſtimatores diuinæ bonitatis, quæ cum Eccleſiâ ſuâ *manet vſque ad conſummationem ſæculi,* quæ fruſtra iuberet audire doctores, & paſtores, ſi ſimul omnes aliquando errare poſſunt. Qui cum gratiam Dei ad annos quadraginta, aut quinquaginta extendunt, intra breuiſſimum ſpacium conſtringunt. Qui iam pridem Eccleſiam deſiſſe ſomniant. Si enim docentium firmitas tollitur, ſi nihil definire poteſt, nulla eſt igitur auctoritas, quæ vel hæreſin damnare queat, vel confirmare orthodoxos. Contra omne iudicium exceptionem querit improbitas, vt cum omnem iudicantis ſententiam incertam fecerit, ſine metu damnationis volitet, & impune graſſetur.

§.2. De-

§. 2. Deinde, *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, &c. vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum, per omnem iuncturam submiſtrationis, secundum operationem, in mensuram vniuscuiusq; membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui, in caritate.* Ephes. 4. 11. &c.

Verba illa Spiritus S. ita clarè, atq; neruosè Ecclesiæ auctoritatē in decernendis controuersiis asseuerant, vt illa consideranti, luce meridiana manifestius appareat, contra hæreses esse dictata.

Quo per Deus Ecclesiam tuetur.

Nam Dei caritatem in omnes diuitem, & prouidentiam in Ecclesiæ gubernatione, & defensione suauissimam describit. *Dedit enim Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, Doctores*, non ad paucorum annorum vsuram, vt eos cæteris ætatibus subtraheret, sed ad perpetui temporis firmitatem, *ad consummationem sanctorum*, non eorum modo qui Apostolicis temporibus domino famulabantur, sed eorum etiam quos extremorum sæculorum tentationes, & pericula exceptura essent, & tempus diserte apponit, *In opus ministerii*, quod scilicet stante mundo non cessabit. *In ædificationē coporis Christi*, Corpus Christi Ecclesia est, hoc omnibus sæculis ædificatur, supremam manum imponet Deus, cum cœli ardentes dissoluentur, & terra, & opera, quæ in ea sunt, exurentur. Potestas igitur, atque auctoritas ad illum vsque diem perseueret, oportet, quia ministerij opus peragitur sine cessatione, quod sine auctoritate interquiesceret. Ædificatio etiam nunc perdurat. Scientia igitur, & industria architecti requiritur. Non igitur in Apostolis desiit ædificantium labor, & potestas, cum ædificatio ad eandem regulam exigatur in posteris. In hunc autem finem ædificant, *vt occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vt scilicet καταντήσωμεν perueniamus *in vnitatem fidei*, quod fieri nō potest, si nulla nunc auctoritas, quæ vnitatem tueatur, si veteres illi Religionis suæ certos habebant auctores, nostra fides incertis nititur coniecturis. Quomodo *occurremus in virum perfectum*, hoc est agnitione Dei, & caritate crescemus, vt perfectam & stabilem fidei ætatem consequamur, vt more virorum constantes simus, & immutabiles, si nulla est in Ecclesiæ iudicio certitudo, quâ fiducia nostra nitatur? Quomodo veniemus *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, si plenitudo Christi tollitur à nobis? Loquitur enim Apostolus de Christo, vt in nobis adolescit, vt in Ecclesia plenitudinem consequitur. Mensura igitur ætatis seu staturæ (ἡλικίας) Christi duplex est, prima qua ipse adultus, plenitudinem corporis, humano more incremēta sumentis est assecutus: Altera mensura plenitudinis est, qua Ecclesia crescit, donec corpus illud mysticum plenum sit, atq; perfectum, in eam nos mensurā crescere oportet, & nobis crescentibus augeri corpus Christi, donec πλήρωμα plenitudinem, cōsummationem, atq; omnibus numeris absolutā perfectionem induat. Hac causa dati nobis doctores, & Episcopi animarum nostrarum, in quorum vniuerso corpore, si non est certa veritas, perijt corpus Christi; propositū suum Dominus tenere nō potuit, abscissum est enim à capite suo corpus, ne plenitudinē suam assequi posset. Singula hinc inde mēbra emoriuntur, atq; à corpore auelluntur. Verum vniuersi corporis vita ex Dei promissione, & custodia fidei perennis est: Vniuersa igitur Ecclesia nunquam à Christo seperabitur, nec in letales errores incidet; est igitur in illa auctoritas infallibilis. Quam qui concedunt, in Concilio generali esse etiam dabunt. Vbi enim constans illa veritas inuenietur, nisi in Cōcilio legitime congregato, quādoquidem in pontifice eā non admittunt? Quid vero futurum est, cum *in virum perfectum* excreuerimus? *Vt iam non simus parvuli fluctuantes, & circūferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutia ad circumuētionem erroris.* Quod si nulla nunc est in Ecclesia auctoritas iudicandi, quam certam Deus esse voluit, necesse est omnes in multis rebus fluctuare, & circumferri, nam etsi Concilia omnia generalia, cum Pontificibus Romanis definiant, hanc vel illam scripturā, modo hoc vel illo intelligendam, cum non minus errare potuerint, quā singuli homines, nihil eorū definitio certi adferet, sed perpetua ἀποχῇ fluctuabit Ecclesia.

Tollitur auctoritate proponentis fides perit.

Auctoritas in Ecclesia est auctoritas infallibilis, illa est in Concilio.

§. 2. Quam vero explicate illam perpetuam in Ecclesia vitā veritatis, vegetationem fidei, incrementū caritatis, indissociabilem cum Christo coniunctionē nobis Dei Spiritus tradit? *Veritatem autem facientes, in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam submiſtrationis, secundum operationem in mensurā vniuscuiusq; membri, augmentū corporis facit, in ædificationē sui in caritate.* Quomodo *in illo per omnia crescimus*, si illo excidit aliquādo tota Ecclesia, doctrix errorū, aliena veritatis? Quomodo crescemus *per omnia*, si in nullo Ecclesiæ cōmeatu certus est cibus? si omne pabulū, quodcunque, etiam iudicio Christianæ vniuersitatis salutare, potest esse virulentum, & letale? Si denique Ecclesia est corpus compactum συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον concinne, & articulate coagmētatum per omnem iuncturam seu διὰ πάσης ἁφῆς per omnem contactum, non modo vt arcte domino capiti iungatur sponsa Ecclesia, sed nominatim διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, submiſtrationis, nā Christus quasi anima, vitali operatione in omnes artus, ac mēbra virtutem, ac gratiā diffundit, hoc est. n. καθ' ἐνέργειαν, ex vi quâ Christus intus operatur. Si natura sua ex illa suppeditatione alimenti & virium, vnumquodq; membrum crescit, & totū corpus auget, si facit ædificationem sui in caritate, quā facere non pōt, nisi cùm reliquo corpore cohæreat, nec reliquū corpus, nisi ex capite suo compactum, & connexū, cōtactus submiſtrationis habere potest: certe cōficitur perpetuo Ecclesiam sic Christo cohærere, ideoq; à fide nunquam posse recedere, ac proinde habere in decretis fidei infallibilem veritatem. Neque minus nunc habere auctoritatis Generale concilium, quam illud, in quo cum Apostolis præsedit pastor Ecclesiæ Petrus. Nusquam enim alibi auctoritas inuenitur. Quod si illa Ecclesia, certam doctrinam habuit, nostra dubiam, non est nostra Ecclesia cum illa, *vnum corpus, vnus spiritus.* Non viuit ex Christo, sed cadauer est Ecclesiæ. Omnis enim Ecclesia, cuius incerta est auctoritas, Christo insita non est.

Quale corpus Ecclesiæ.

§. 3. Audio, leuiore tamen, quam solebat murmure obloquentem hæreticum.

Primo. Infallibilem se auctoritatem in Ecclesia agnoscere, sed quæ sit scripturæ, qua Ecclesia vtitur, non Ecclesiæ. Deinde Ecclesiam esse quandam occultam, de qua Apostolus loquatur.

Non modo scripturā, sed etiam Ecclesiæ esse auctoritatē.

Non dicuntur hæc pristina grandiloquentia nunc à plerisque, nec λακύθως more solito proferunt, quandoquidem nuper, & Dordracenses Caluinistæ contra Tectandrum, negarunt *scripturam sufficientem esse*, & Durlacenses mystæ sponte confessi sunt, *non posse ex scriptura se fidem suam ostendere.* Præcipuè vero, quia nonnulli, de quibus alio loco à me actum est, concedunt, *sacros scriptores interdum scientes volentes à veritate recessisse.* Quæ si vera sunt, necesse est, vt nihil liqueat, sed præstet ἐπέχειν, & consensionē more Academico

demico continere, quam temere rebus ignotis, atque incertis consensum præbere. Sed hæc omitto, quamuis refutandis erroribus sufficiant. Hoc quæro: Quis auctoritate infallibili in scripturarũ explicatione iudicium ferre possit? Si nemo est, *iam ergo corpus hoc ex capite suo compactum, & connexum non est*, nec καθ' ἁφὴν συμβιβαζόμενον, vt loquitur Apostolus, vegetabilem vim spiritualis gratiæ Ecclesiæ Christus impertit. Nec quicquam certi in multis fidei articulis habebitur: Ex primariis, & capitalibus fidei Caluinisticæ scitis est: *Fidem, & iustitiam in omnibus sceleribus permanere.* Negant hoc Lutherani, dubitant molles Caluinistæ, Bertius, & doctiores Hollandi, imo ita dubitando loquuntur, vt contrarium sentire se ostendant. Non decidit illorum iudicio rem scriptura, quia vtrinq; eam in suam rem citare solent. Nec euidens sententiæ suæ explicatrix est scriptura, cur enim huius rei, quam citaui, euidentiam scriptura Lutheranis, & mollibus Caluinistis non allucet? Deinde scripturæ interpretationem se concedere illi aiunt: *Quis nostrum vnquam scripturarum interpretationem sustulit? Certe nemo. Nos enim omnes libenter fatemur, scripturas interpretatione egere*, ita Wittackerus, imo expresse adiungit: *Eos qui grammaticum scripturæ sensum intelligunt, debere tamen audire scripturæ explicationem, vt melius intelligant.* Hæc interpretatio in articulis controuersis cum his occurrit, quâ auctoritate tolletur? nulla, nisi Ecclesiæ, quæ nos docuit, scripturas nobis datas esse. Ecclesia autem suam nobis mentem per Christi vicarium, & Generale Concilium, quod sacram illam Rempublicam repræsentat, aperire solet. Sine cuius testimonio, etsi scripturæ veritas certissima sit, nobis tamen est incognita, vnde enim cognoscis hanc scripturam esse diuinam, quod Sinæ, & Canibales ignorant, nisi quia te ita docuit Ecclesia? illi autem etiamsi suâ linguâ Biblia legerent, diuinam tamen vocem esse non certò scirent. Facessat igitur illa hypocrisis, quâ laudando verbum Dei, à verbo Dei receditur, & omnibus hæresibus latibulum paratur. Quid enim si Apocalypsin primipili Caluinistarum, negant esse scripturam, & cum illis Lutherani? concedunt autem posteri Caluiniani? Quæ scriptura dicit: *Apocalypsis est liber diuinus*? At hoc credendum est, igitur firmâ auctoritate, falli, & fallere nescia proponendum est. Quod enim ex auctoritate creditur, non nisi ex veracitate referentis credibile fit, quicquid autem ab incertæ fidei auctore proficiscitur, audienti non immerito suspectum videri potest. Si igitur Ecclesia scripturarum vsurpatrix, & commendatrix, in proponendis illis aberrat, cui certum esse potest, bonæ fidei esse literas, quas exhibet? Si igitur Ecclesia fallitur, falsa est scriptura, quę illi perpetuæ infallibilitatis encomium tribuit, nec scripturæ credere teneor, cuius auctoritatem non nisi Ecclesiâ testatrice cognoui.

Ecclesiæ inuisibili tribuunt auctoritatem.

§. 4. Alterum ærumnosum, & tenebrosum effugium, quo se in opacam noctem recondere frustra laborant. *Non errare Ecclesiam inuisibilem* aiunt. At vero Apostolus de eâ Ecclesiâ sermonem instituit, in *quâ Apostoli, Euangelistæ, pastores, doctores audiuntur*, ad quam accessus est. Cui adhærentes non fluctuemus, nec circumferamur. Hæc igitur responsio in refutatam fallaciam recidit. Si enim aspectabilis Ecclesia non est, iudicium illa facere non potest, nec eius audiri decretum, quæ, an omnino sit, ignoratur. Deinde quam ridiculum est, si in re tam grauirisus esse potest, Ecclesiam, illam cui Biblia sacra nobis tradenti fidem habemus, nec de fallaciâ suspicamur, inuisibilem esse? Vnde donatricem agnoscis, si cum donaret inuisibilis erat? Apostolus de illâ loquitur, quæ mentes gentilium obtinuit, cuius nutricij reges, quæ in monte posita latere non potest. Quam mirantur gentes, etiam quæ non sequuntur. *Hoc factum est*, (inquit Augustinus libro de vtilitate credendi) *diuinâ prouidentiâ per Prophetarum vaticinia, per humanitatem, doctrinam q; Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes: per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis dignarebus tantis, atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus: dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede, per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum Maiestate damnatis culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam, salutemque animis via est, nisi cum eos ratione præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opi, atque auxilio diuino, quam tanto labore prædita auctoritati velle resistere?* Et si *vnaquæque disciplina, quanquam vilis & facilis, vt percipi possit, doctorem aut Magistrum requirit: Quid temerariæ superbiæ plenius? quam diuinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?* Merito cognoscere non volent, si omnes simul interpretes fallere possunt, nec certum est fundamentum, si extra illud in arenâ tota ædificatio construi potest.

Caput XXXVI.

Morem Ecclesiæ esse, vt contra hæreses concilia colligat, atque ita sentire Sanctos Patres.

Conciliorũ auctoritas & vsus.

§. 1. Necessario esse aliquam in Ecclesiâ auctoritatem, viuam, & clare, distincteque inter partes iudicantem ostendi, eum iudicem pontificem agnoscunt Catholici, siue in Concilio Generali iudicet, siue etiam sine concilio, quod nunc non disputo, cum enim hæretici pontificem oderint, atque in eum multis modis exacerbati sint, illum frustra iudicem nominare nolo, continuo enim apostolos petent. Itaque Concilium generale propono, cuius si non est infallibilis auctoritas, prorsus nulla est, quę interpretationes scripturæ nobis certas efficiat, vnde consequi ostendi tenebras, ac dubitationes religioni Christianæ penitus induci, & possessionem fidei miris iactari modis, multoque maiorem confusionem oriri, quam in ἀταξίᾳ imperiorum, cum legum æquitas callidorum hominum versutiâ agitatur, & iudiciorum sinceritas, ac metus sublatus est. Ingens est autem in Ecclesia Cõciliorum etiam prouincialium auctoritas, semperque vsus inualuit, vt ad mores recte formandos, hæreses infringendas, Episcoporum cœtus colligerentur. Exordium petunt à facto Christi Domini, qui conuocatos Apostolos de summâ fidei interrogauit; *Quem dicunt homines esse filium hominis? Et quem vos me esse dicitis?* Apostoli etiam Act. 1. & 6. & 15. Concilio collecto Ecclesiam gubernarunt, errores euellerunt.

Officium conciliorũ.

Finis enim Conciliorum est fidei, & morum conseruatio: *Ipsa Catholica Christi Ecclesia sedula & cauta dispositorum dogmatum custos, nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non vsurpat aliena. Sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter, sapienterque tractando, si quæ sunt illa antiquitus informata, & inchoata, accuret, ac poliat: si quæ iam expressa, & enucleata consolidet, & firmet: si quæ iam confirmata, & definita, custodiat. Denique quid vnquam aliud Conciliorum decretis causa est, nisi vt quod ante simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur? Quod antea lentius prædicaretur, hoc idem postea instan-*

instantius prædicaretur: *Quod ante securius credebatur, hoc postea sollicitius excoleretur. Hoc inquam semper, neq; quidquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis, Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius à maioribus solità traditione susceperat, hoc deinde posteris per scripturæ Chirographum consignaret, magnam rerum summam pauci literis comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando.*

Vsus Conciliorum perpetuus.

§. 2. Fuit ea igitur Episcoporum sollicitudo post Apostolos, vt quoniam persecutionis acerbitate præpediti Concilium generale facere non licuit, frequentes tamen in vnum conuenirent. Itaque Victor Papa Anno 198. imperante Seuero, Concilium indixit, & eodem fere tempore Ponticum, Gallicum, Osroënum, Asiaticum celebrata sunt. Anno 217. Africanum ab Agrippino Carthaginensi indictum. Anno 242. Labesitanum, Fabiano Pontifice, item Anno 149. Arabicum. Anno 253. Romanum sede vacante, & Carthaginense primum sub Cornelio Anno 254. Deinde eodem Pontifice 1. & 2. Romanum, item Italicum, & alterum Carthaginense. Stephano vero Papa Ecclesiam moderante habitum est Concilium, quod dictum Africanum primum, item Iconiense, Synadense, & tria Carthaginensia, sub Papa Dionysio Roma, Antiochena duo. Sub Marcellino, Cirtense, Sinuessanum. Sub Marcello Eliberitanum, & duo Donatistarum Carthagine habita. Sub Melchiade, Romanũ. Sub Siluestro Arelatense primum, Ancyranum, Neocæsareense, Romanum, Alexandrina duo, Laodicenum, & alterum Romanum, ac denique Nicænum generale. Quis non admiretur illo tempore, quo furor gentilis exerte, & palam sæuiebat, hæreses vndique pullulabant, tantum animi fuisse fortibus illis Ecclesiæ heroibus, vt veluti in summâ pace cœtus Episcoporum cogerẽt, fidei normam exponerent, hæreticos exscinderent? Non ignoro plures Synodos intra tempus illud fuisse, de illis loquor, quarum vel omnia, vel aliqua supersunt acta, nec tacere libuit etiam conciliabula damnata, & hæreticorum, nam illa ipsa nobis Ecclesiæ consuetudinem præposterâ æmulatione demonstrant. Sequentium temporum meminisse nihil opus est, ea habuerunt Generalia 17. prouincialium centurias, vt merito hoc amplecti auxilium debeat Ecclesia, quo semper vsa est, & eâ felicitate, vt hæreses damnatæ ita interierint, vt earum memoria nunc nulla pene nisi in Catholicorum libris, quibus refutantur, supersit. Lubet hic attendere, quæ in capite 13. Tertulliani contra Psyxicos doctissimus Pammelius commentatur.

Etiam in persecutione concilia habita.

Verba Tertulliani sunt. *Aguntur præceptæ per Græcias illas certis in locis concilia ex vniuersis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio* totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Verba ex commentario Pameliano ista sunt. *Atque adeo facit locus magnopere pro Conciliorum auctoritate. Quam confirmare solemus imprimis scripturis ipsdem, quibus Ecclesiæ auctoritatem; Matthæi 18. ac Lucæ 21. item illa Matth. 28. Vbi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Deinde pro eodem facit, quod in Apostolorum Concilio Hierosolymitano, Act. 15. diserte verbis Iacobus in hæc verba rescripserit: visum est Spiritui sancto & nobis. Quod ipsum tanti facit Beatus Irenæus libro tertio, capite duodecimo. vt ex illius Synodi verbis vnicum* DEVM *probet aduersus Marcionem. Si quis vero primas post* CHRISTVM *Synodos nosse desideret, ad tempora vsque Tertulliani; inueniet imprimis Apostolorum Hierosolymis celebratas, Act. 1. in electione Matthiæ, Act. 2. in Pentecoste, Act. 6. in electione 7. Diaconorum, Act. 15. iam citatam, denique & illam de qua Galat. 2. quum Petrus in Apostolatum est ordinatus circumcisionis, Paulus vero inter Gentes. Quibus adde Concilium, in*

Pamelius Synodorum vsum demonstrat.

quo Apostolorum Canones, & Constitutiones Apostolicæ, postea à Beato Clemente Romano recensitæ, sunt editæ. Item illud in quo electus fuit in Episcopum Hierosolymorum Iacobus frater Domini, iuxta quod scribit Clemens Alexandrinus 6. Hypotyposeon, citatus ab Eusebio libro secundo, capite primo. Deinde habes Actor. 13. Antiochenam, vbi segregati sunt à se mutuo BB. Paulus & Barnabas, ac Ephesinam, ad quam Paulus vocauit omnes Presbyteros, & Episcopos Ephesiorum, ac, quãtum apparet, totius Asiæ, Actor. 20. Videtur his adijcienda Corinthiacâ, in qua (iuxta quod Beatus Augustinus asserit Epist. ad Casulanum) iuxta promissum suum, quod dixerat 1. Corinth. 2. Cætera quum venero disponam; de ritu Eucharistiæ multa statuit Paulus. Quum autem Can. 37. Apostol. statuatur, vti de religionis dogmatis, & Ecclesiasticorum controuersijs singulis annis bis conuentus Episcoporum habeantur; non dubium quin in singulis prouincijs iam inde frequentes Synodi sint celebratæ; quarum statuta Romana, iam olim missa per Damasum Papam ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, ex Epistola eiusdem constat, quam suis Conciliorum Canonibus præfixit B. Isidorus Hispalensis, qua dicit se nullum prædecessorum suorum à B. Petro prætermisisse, de quorum statutis aliquid non miserit. An adludat ad Decretales Epistolas Romanorum Pontificum, quæ plerumque in Conciliis Romanis scriptæ sunt, etsi nobis ita videatur; Lectori tamen liberum relinquimus iudicium; eundem remittentes ad libros Francisci Turriani, quos pro earum auctoritate conscripsit.

Præteriri tamen non possunt Concilia Romana, sub Clemente (quod dicit Anacl. Epist. 1.) Alexandro 1. Sixto 1. & Telesphoro; quippe qui eorundem suis in Decretalibus meminerint. Certe sub Victore de Paschatis die penè infinita enumerat Euseb. hist. lib. 5. capite 20. fere 22. postque eum Nicephor. libro quarto. capite 30. & nominatim Romanum præsidâ Victore, ac Galliarum sub Beato Irenæo, in Occidente; item Cæsareæ Palestinæ, Pontiper Osroënum, & Corinthium siue Achaicum; quibus addere licet Alexandrinum, cuius ipse Victor meminit Decret. 1. & Asiæ illud, in quo Nicephorus libro quarto, capite vltimo. scribit etiam Asianos (qui suis in Synodis contrarium definierant) Victori Papæ cessisse, & idem Decretum publicasse. Atque hæc mihi videntur Concilia, quæ hic Auctor per Græcias actu commemorat. Facit præterea Eusebius eiusdem libro capite 23. mentionem, & post eum Nicephorus, (ex Apollinaris libro primo aduersus Montanum) Asiæ plurimorum conuentuum, in quibus Montanus, cum suis asseclis communione depulsus fuit.

§. 3. Quamuis autem Pontificem merito audire debeant, *cum, qui eius Cathedram deserit in Ecclesiâ non sit, cum Romana fides sit Apostolica; cum sit matrix Ecclesia, & principalis; & Cathedra Petri, cum ab eâ sit vnitas sacerdotalis exorta; cum ad illam perfidia non possit habere accessum, qui enim cum illo, cum Ecclesia Catholica communicat, qui cum illo non communicat, cum illa communicare non potest.*

Ipsius etiam contemptus schismatum, & hæreseon est initium. Has, inquam, ob causas, quas ex Cypriano refero, cum merito Pastorem suum audire oporteret errantes, malo tamen Concilium illis proponere si forte eo lecto, vel audito odium nominis minus obstet fidei addiscendæ.

Omnes porro SS. Patres, & ipsa Concilia huius rei testes sunt; Concilia enim omnia Generalia sibi iudicium infallibile tribuerunt, etiam Nicænum, aliaque, quæ à Nouatoribus recipiuntur, quorum si incerta fuit auctoritas, culpa etiam, atque error pernicioſus fuit. Verum auctoritates SS. Patrum Bellarminus libro secundo, capite tertio.

Quiẽ de re consuli poterit.

CAPVT XXXVII.

Commodissimam ad pacem viam esse Concilium ipsos sectarios sentire.

§.1. LIBENTER hoc argumentandi genere vtor, tum quia ad confirmandos Catholicos valet nonnihil, tum quia ad conuincendos aduersarios valet plurimum. Bona certe causa est, quam in suum detrimentum cogitur aduersarius promouere. Prōpta victoria quæ de castris hosticis vltro offertur. Sūmus ipsorum Imperator id concedit, quod iam probauimus: licet alterâ manu reuocet, quod prima donauit. *Nos certe libenter concedimus,* (inquit lib.4.instit. capit.9.§.13.) *si quo de dogmate incidat disceptatio, nullum esse, nec melius, nec certius remedium, quam si verorum Episcoporum Synodus conueniat, vbi controuersum dogma excutiatur. Multo enim plus ponderis habebit eiusmodi definitio, in quam communiter Ecclesiarum pastores, inuocato* CHRISTI *Spiritu, consenserint, quam si quisque seorsum domi conceptam populo traderet, vel, pauci homines priuatim eam conficerent. Deinde vbi collecti in vnum sunt Episcopi commodius in commune deliberant, quid sibi, & quâ formâ docendum sit, ne diuersitas offendiculum pariat. Tertio, hanc rationem præscribit Paulus in dijudicandis doctrinis. Nam cum singulis Ecclesiis attribuat dijudicationem, ostendit quis in grauioribus causis sit ordo agendi: nempe vt Ecclesiæ inter se communem cognitionem suscipiant. Atque ita nos ipse pietatis sensus instituit, vt si quis turbet Ecclesiam dogmate inusitato, atque eo res perueniat, vt sit periculum à grauiore dissidio, conueniant primum Ecclesiæ: quæstionem propositam examinent, demum iustâ discussione habitâ, definitionem ex scriptura sumptam, proferant, quæ & dubitationem in plebe tollat, & os obstruat improbis, & cupidis hominibus, ne pergere amplius audeant. Sic exorto Arrio coacta est Nicæna Synodus, quæ sua auctoritate & sceleratos impij hominis conatus fregit, & pacem restituit Ecclesiis quas vexauerat, & æternam* CHRISTI *diuinitatem contra sacrilegum os asseruit. Quum deinde nouas turbas mouerent Eunomius, & Macedonius, simili remedio eorum insaniæ occursum est per Constantinopolitanam Synodum. Ephesino Concilio profligata est Nestorii impietas. Hac denique ab initio fuit ordinaria in Ecclesia ratio conseruandæ vnitatis, quoties Satan aliquid machinari ceperat.* Hactenus Caluinus. Subiungit deinde: *Sed meminerimus non omnibus saculis, vel locis haberi Athanasios, Basilios, Cyrillos, & similes veræ doctrinæ vindices, quos tunc* DOMINVS *excitauit. Imo cogitemus quid Ephesi secunda Synodo acciderit: vbi Eutychiana hæresis obtinuit: sanctæ memoriæ vir Flauianus, in exilium electus cum aliquot piis viris, &c. At non erat illic Ecclesia. Fateor. Hoc autem perpetuum esse nego, vt vera sit, & certa scripturæ interpretatio, quæ Concilii suffragiis fuerit recepta.*

Caluinus ita esse docet.

Caluinus negat Ecclesiæ certitudinem.

§.2. Præter rationem omnino, & Concilium statuit, & erroris remedium esse concedit, definitionem ex scriptura proferāt, dubitationem in plebe tollant, improbis os obstruant, nec certam tamen de scriptura interpretationem teneant: liceatque Arrio, & cæteris liberrime omnibus obniti, quandoquidem nulla est in asseuerantibus certitudo, & errare possint non minus vniuersi, quam singuli. Verum hoc quod largitur accipiamus. Nullum esse nec certius, nec melius remedium, quam sit Concilium. Quantum verò erret, cum id remedium *quo nec melius, nec certius* agnoscit, incertum facit, id remittamus alium in locum.

Pareus concilium suadet.

§.3. Deinde locuples mihi testis est is, quo cum mihi negocium est, Pareus qui Principum Lutheranorum, quos odit, propositum laudat in petendo generali Concilio, quique de *Synodo Euangelicorum. & Vnione librum pacificum* scripsit, nam Synodo putat posse tolli controuersias, quæ inter Lutheranos, & Caluinianos multæ sunt, & magnæ, adeoque perdite Synodum amat, vt Synodi laruam Syncretismum, interea dum illa cogatur, ambabus vlnis amplectatur. Rem itaque confectam habemus. Verum quia omnibus omnium regnorum negociis misceri solent Hollandi, iniuriam illis fecero, nisi etiam huc aduocaro. Consilium itaque Remonstrantium, quod iussi sunt explicare, his est verbis comprehensum.

Hollandi Concilium optant.

Secundum hoc Apostolicum consilium (mutuæ tolerantiæ) *nobiles, potentes domini, ostendimus in statu controuersiæ, quem hic exhibemus ad singula capita controuersa, quâ ratione (nostro quidem iudicio,) pax in Ecclesia Dei, per mutuam concordiam coli posset. Ad quam rem humiliter rogamus, animos vestros mature intendatis: quandoquidem commodius remedium, quam vt alii alios tolerent, excogitare non possumus. Saltem hoc tempore, & donec animi iam plus æquo turbati, & forte nimis à se alieni, paulatim sedati, & inter se mutuo connexi, per colloquium verbale, in libero, præiudicijs vacuo, Synodali, Ecclesiastico cœtu, vestrarum nobilium, potestatum auctoritate, præsidio, iudicio, & moderamine suo tempore celebrando, totum negocium exactius perpendatur, & examinetur, & nos omnes in vnam sententiam perducamur, aut si opus est, iudicetur, vtra sententia veritati sacræ scripturæ, & ædificationi, quæ secundum pietatem, propinquior sit, vt posteà ordo instituatur, &c.*

Multo vero amplius Concilium vrgent Contra-Remonstrantes.

Eorum verba sunt. *Post longas ac maturas deliberationes expensis omnibus modis possibilibus & consuetis, non potuimus in timore Domini deprehendere, commodiorē vllam viam posse deligi, aut in manus sumi, per quam difficultates istæ penitus componi cum dexteritate possint, quam vt primo quoque tempore ex authoritate Illustriss. & Pot. D D. omnium Generalium euocetur, & celebretur Synodus nationalis, in qua cōtrouersiæ plenè aperiantur, examinentur, & ex verbo Dei diiudicentur: atque in qua porro talis mutuæ tolerantiæ, & conuersationis ordo de communi sententia sanciatur, vt per eam tandem aliquando Generalis aliqua ratio pacis & concordiæ stabiliatur, & exorituris porro dissidiis, exacerbationibus, offendiculis, schismatis, similibusque difficultatibus, tempestiuè occurratur. Est autem modus iste, iam olim inde ab ipsis Apostolorum temporibus perpetuo vsurpatus, nobisque à Spiritu S. ipso exhibitus, & indicatus, vt conuenientissimus, maximeque ad eam rem accommodatus, prout apparet ex Actis Apostolicis cap. 15. Etiam post Apostolorum tempora conseruatæ sunt hoc modo Ecclesiæ Christianæ durantibus multis, grauissimisque persequutionibus. Quorum exempla posteà quoque omnes pii Magistratus Ecclesiæq; Christianæ in similibus difficultatibus magna cum ædificatione & vsu Ecclesiarum quouis tempore secuti sunt, atque illud etiam vtilissimum deprehenderunt, quēadmodum id ex filo, & serie historiæ Ecclesiasticæ probari potest. Contra vero, quotiescunq; aliæ viæ prolatæ sunt, siue ambiguæ, & ancipitis tolerantiæ, siue indicti ex vtraq; parte silentij, siue controuersiarum in doctrina subortarum, sopiendarum: deprehensum est semper per experientiam, non potuisse eo modo tolli difficultates, sed post huiusmodi incrustationem semper posteà iterum lites erupisse cum maiore inquietatione, & damno Ecclesiarum. Si Ecclesiis harum regionum liberum permissumq; fuisset, istiusmodi Conuentum Nationalem debitis temporibus habere, non ita facile potuissent in Ecclesiis istiusmodi difficultates oriri, neque hucusque diffundi, aut capere incrementum: sed potuissent nullo negotio vel præcaueri, & præueniri isto modo, vel si fuissent exortæ, protinus sopiri, atque è medio tolli. Non deprehenderetur vbique in Ecclesiis, & regimine ipsarum tantum quotidiè ἀπ ξιας *, dissolutionis, ac difficultatis. Non tam parum profecisset in hisce regionibus reformata religio, neque tantum quotidie damni pateretur, prout pij omnes cum summo dolore, & mœrore animi*

Ecclesiæ per Cōcilia seruata.

Alios modos non esse vtiles.

* *Inordinationis.*

animi coguntur videre. *Quapropter, nulla ex re tantam iacturam in hisce regionibus patiuntur reformatæ Ecclesiæ, atque ex dilatione Synodi Nationalis, quæ iam vltra annum quoque vigesimum differtur: cum maximâ, neque vllis verbis exprimenda iactura reformatæ religionis, & Ecclesiarum in hisce regionibus, neque exigua cum debilitatione status istius Reipublicæ, ad cuius conseruationem plurimum refert, vt in doctrina reformatæ Religionis, & regimine Ecclesiarum in hisce regionibus certus aliquis & generalis constituatur, seruetur que tenor, quod quidem absque ope huiusmodi Synodorum Nationalium fieri non potest. Accedit; quod ea nunc sit Ecclesiarum in hisce regionibus constitutio, vt non ex solis illis quinq; Articulis à Remonstrantibus exhibitis difficultates ortæ sint, sed quod insuper quoque à variis Ecclesiarum pastoribus defendantur, & proponantur tum apertè pro suggestu, tum editis in lucem libris, varia & diuersa noua dogmata, de præcipuis capitibus Religionis nostræ Christianæ, cuiusmodi sunt. De plena satisfactione* JESV CHRISTI *pro nostris peccatis. De iustificatione hominis coram* DEO. *De fide salutifica, de peccato originali, de certitudine salutis, de perfectione hominis in hac vita. Denique aliis compluribus, quæ nos censemus ex diametro pugnare cum verbo* DEI, *& Catholica doctrina omnium Ecclesiarum reformatarum, quemadmodum videre illud est inter cætera ex edita typis declaratione Adolphi venatoris Alemariæ degentis. Adeo vt quinque istis Articulis non contineantur, vel omnia vel præcipua capita, de quibus hodie inter Ecclesiarum ministros in hisce regionibus disceptatur. Quapropter in primis necessarium est, vt tempestiue ope Nationalis Synodi istiusmodi controuersiæ tollantur, similesque aliæ præueniantur, vt ne earum causa Ecclesiæ communes harum regionum discerpantur, & schismate diuellantur.*

Omissione Synodi resp. Hollandiæ patitur.

CAPVT XXXVIII.

Sectarios nostri temporis Concilium Generale habere non posse.

§. 1. NON posse Synodum inter Caluinistas, & Lutheranos institui, argumentis certissimis libro de vnione, & Synodo Euangelicorum demonstraui cap. 8. & sequentibus. Habeoque consentientes non modo Lutheranos omnes, sed bonam etiam partem Caluinianorum, atque ipsum adeo Pareum παλινῳδοῦντα recantantem, & sese refutantem, qui fassus *Spem Synodi procul esse*, pacemque Synodumq; contulit in Cretensium Æginetarumque dolos. Docui etiam in Postcolloquio nullam Synodi fore vtilitatem, siue illa inter Caluinianos solos, siue Lutheranos instituatur, quia nulla est eius Synodi auctoritas nisi humana, semperq; quibus decreta displicuerint, negare poterunt; vera esse, clamare licebit: *Oracula Dei non esse hominum censuræ subijcienda.* Suam interpretationem, & priuatum instinctum omnibus Caluinianis Concilijs anteponent, qui iam didicerunt à Caluino, tot veterum Synodorum centurias contemnere, & condemnare.

Synodus Nouatorũ inutilis.

§. 2. Cur igitur Caluinianorum sententias nunc pro Synodo, nunc contra Synodum produco? Cur ipsi nunc pro Synodo, nunc contra Synodum loquũtur? Rationem suæ secum dissensionis exquirere oportebat, deinde cur eam ipsis domesticam pugnam obijcerem, à me rogandum erat.

Nouatores Concilia & concedunt, & negant.

Nunc vtrumque dicam. Synodum repudiant, nam veterum Synodorum auctoritate se premi nolunt, intelligunt suas opiniones sibi deferendas, lucra contentiosarum concionum desperanda, famæ naufragium subeundum, nisi priscæ Concilia oppugnent. Si priscas Synodos tuerentur, nec ingenio suo scripturas interuerterent, nec perfidiâ adulterarent, scripturæ enim lectionem, & intellectionem de iudicio grauissimo, de Senatu Ecclesiæ in Spiritu sancto congregato acciperent; non de leuissimis opinionibus suis dispungerent, & explicarent. *Fœcundam* vident esse *Scripturam, ad facultatem cuiusq; naturæ, sic ex Dei voluntate dispositam, vt etiam hæreticis materiam subministret, quâ fœcunditate in sui perniciem vti malũt, quam alieno magisterio ad salutem duci.* Non est illa culpa Scripturæ, etsi enim materias subministrasse videtur hæresibus, eædem tamen rectè intellectæ easdem reuincunt natas ex sui deprauatione hæreses.

Cum igitur in scripturarum disputatione suo ingenio, ac iudicio solo nitantur, cum moribus suis cõuenientem interpretationem vel à veteribus, & damnatissimis hæresibus mutuentur, vel nouo energemate de proprio instinctu deforment, necesse est ab omnibus antiquis Ecclesiis dissentire, ideoq; auctoritatem, quâ reuincuntur, odisse.

§. 2. Exemplum nobis sint, qui recens in Hollandiâ in arenâ depugnarunt bellè compositi Caluiniani, rigidi & molles, nec vereare, cum audis molles rigidis compositos, ne mox sine certamine sponte succumbant, mollitudo illa lenta est, & tenax, nec facile vulneri patet, rigoris violentiam dextrè excipit, & ruinę pronam ipso impetu frangi finit. Rigidorum est horribilis hæc sententia, (*in formato controuersiæ statu*) quem ordinibus obtulerunt. *Quod is qui semel vere credit, etiamsi deliberato animo, in magna, atq; atrocia peccata prolabatur, tamẽ à Iesu Christo ita conseruari, & in posterum conseruatum iri, vi æterni decreti electionis, & ex eo ἀμεταθέσιον & irresistibilis potentiæ Dei, vt nunquam totaliter & finaliter posit amittere; ac proinde, tum extra omne discrimen, &* METVM *esse condemnationis, atque hoc quidem vnicum esse fundamentum consolationis filiorum Dei.* Hæc adeo spurca, atque impia, etiam Gnosticis, & Carpocrati pudenda, non dicerentur, nisi perperam scripturæ intelligerentur, nisi funditus non modo symbola, & doctrinæ per Apostolos CHRISTI comites traditæ euerterentur, sed omnium Conciliorum decreta reijcerentur. Itaque omnino necesse est omnia euerti vetera, si hæc noua stabilienda sunt.

Impia sententia Caluinianorũ.

Cur Concilia recipiãt Caluiniani.

Necesse est igitur veteres Synodos, vt nouitias hæreses teneant, fugere, ac reprobare, rursum dum alia parte arctantur, ad spreta auxilia sese referre coguntur: Itaque Caluinus libro quarto. institut. capite nono. §. primo. *Antiqua Concilia se venerari ex animo profitetur*, atque vtinam, hoc: *ex animo*, diceret ex animo. Neque enim ex animo, sed ex necessitate prima quatuor generalia amplectuntur, Nicænum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, Chalcedonense, propter Seruetum, & Antitrinitanos. Quintam vero Synodum, & sextam coacti sunt recipere, propter Lutheranos, Vbiquitarios, hostes strenuos, qui naturarum in CHRISTO confusionem faciunt. At sua forte Concilia audient. Non audient. Exemplum ex eodem Belgio. Judicium Professorum Leidensium contra Remonstrãtes obiecerunt Remonstrantibus. Grauis est in Batauia auctoritas Lugduno Batauæ Academiæ. Sed quid Remonstrantes? *Cur autẽ plus valeat Gommari iudicium contra nos, quam Arminij pro nobis? aut quid attinet tale iudicium hoc loco proferre? quod neque veritatem firmiter demonstrare potest, neque vnitatem consensus cum Ecclesiis reformatis in genere?* Nonne hunc murum contra omnia suorum conciliabula opponent; quibus illa non probabuntur; *Quid attinet eorum iudicia proferre?* sunt enim humana, *nec veritatem firmiter ostendere possunt, nec vnitatem consensus facere.* Et deinde: *An fortasse in eo sunt fratres, vt ostendant, aliter de quibusdam articulis in Academia Leidensi definitum esse, quam nos nunc profitemur?*

Sectarij ne sua quidem audiunt.

Responsio ad omnia Concilia.

temur? Sed quid hoc ad rem? Et paulo post. *Neque fas esset, vt vel homo, vel cœtus vllus nobis in hac causa præiudicaret.* Itaque si rem spectes nulla penitus Consilia audient. Ad omnia respondebunt. Quid attinet hæc proferre? *Sed quid hoc ad rem, si aliter definitum est in Conciliis nostrorum? Nullus homo, nullus cœtus nobis præiudicare debet. Sufficit nobis conscientias nostras exonerasse, ad defensionem veritatis, & libertatis in Ecclesia.* Inconstanter itaque sentiunt, & opiniones suas alternant. Concilia fugiunt vetera, qui illa si agnoscant, damnatos se persentiscunt, eadem vsurpant contra nouas hæreses, noua Concilia cupiunt ex suis, vt fratres suos aliter sentientes affligant, noua suorum nolunt, quibus ipsorum causis præiudicetur. Vno verbo, cum ipsis obsistunt, vitiosa Concilia, si faueant, probata. Ex scripturâ iam dudum regulam Lesbiam fecêre, in sua sensa eam detorquentes, Concilia eodem impetu trahere peroptant. Hinc igitur fædissima opinionum iactatio, hinc illa tam multa male interpretari oportet eos, qui nolunt recte intelligere.

Responsio ad omnia Concilia.

§. 4. Quod vero eorum sententias ad veritatem contra eos probandam adduco, auctorem habeo Apostolum, qui Athenienses Idololatras ex ipsorum poëtis ad fidem instruit, Actor. 17. probatque ex illis veritatem quam illimet recte dictorum auctores, aut non cognouerunt, aut in iniustitia detinuerunt. Et imitati Apostolum sunt prisci Patres, Justinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Tatianus, Clemens Alexandrinus, Minutius Felix, B. Cyprianus, Arnobius, Lactantius, Origenes, Eusebius, Augustinus. Inprimis Tertullianus, qui eâdem ratione hæreses oppugnandas censet. *Hoc loco, inquit, licebit mihi argumenta, etiam ex aliorum hæreticorum parte conquirere. Firmum est genus probationis, quod etiam ab aduersario sumitur, vt veritas, ab ipsis inimicis veritatis probetur.*

Verum hæc quoque exemplo Belgico comprobanda sunt. Synodum serio à statibus petiuerunt Contra-Remonstrantes seu Rigidi, idem videtur Remonstrantium seu Mollium fuisse desiderium, vt in scripto de ratione pacis conciliandæ ordinibus exhibito tradunt. Verum cum ad rem ventum est, nullam Synodum se velle declarant, omnem ordinibus potestatem concedere. Eâ de re sic scribit Caspar Barlæus in *Bogermanno* ἐλεγχομένῳ. *Præscindit ergo omnem tolerantiæ spem Bogermannus, nisi legitimo iudicio caueatur, hoc est, nisi tota hæc, quæ hactenus agitata fuit, & adhuc agitatur controuersia, à Synodo fuerit definita. Sed quali? exponam, quam Holl. Ord. conuocari, & celebrari permittant, cui de loco, & tempore, nec non de sumptibus, & cœnarum impensis prospiciant; ad quam ex suis spectatorem vnum aut alterum delegent, qui rerum, quæ illic aguntur (ne de prodenda Hispano patria agi putent) conscij sint; denique cuius decreta sigillo suo ratissima habeant, & aduersus refractarios quàm possunt citissime & ἐμματέως effecta dent.* Reliqua Synodi & Theologorum sint, oportet. Conuenient ad hanc à Classibus siue Magistratu Ecclesiastico deputati. *Viri ad disputandum & μετὰ ἀντιλέγοντας redarguendum maxime idonei, testimonium habentes, quod sani sint in doctrina, & omni suspicionis labecula vacent, & rerum ad hæc ecclesiasticarum vsu* ἐδλά πε ἐν τῇ σχέσει *edocti. Sedebunt Patres. Præibit verba Præses aliquis, & longa oratione, Ecclesiæ cum tot errorum monstris conflictantis, labores & dolores enarrabit, & Deo gratias aget affulsisse nunc illum solem, quo de salutari horum malorum remedio liceat solito more cogitare, & hæreticas aduersariorum sententias communibus suffragijs simul ac semel condemnare; hortabitur idem fratres ad moderationis Consilia, ad serium Articulorum examen, ad iudicandum sanctè & sine* προσωπολημψίᾳ, *& quæ plura ad formalitates faciunt. Citabuntur more Remonstrantes, accusabuntur* ἐπεξδήλως, *quod priuata auctoritate, non consulta Synodo ausi fuerint à receptis Catecheseos, & Confessionis Belgicæ formulis recedere, & sanorum verborum summæ contradicere; quod si habeant, quo se defendere possint, iubebuntur breuiter illud & syllogistice proponere, vt si vera sunt quæ dicunt, iudicio Synodi probentur, si falsa, spiritibus prophetarum se subiiciant, & decreto illorum, nisi tanquam ethnici, & publicani haberi velint, morem gerant. Disputabitur acriter, an scripturis & veritati, quæ in Ecclesiis, & prout in Ecclesiis docetur, contraueniant articuli. Negabunt hi, affirmabunt illi. Tandemque Remonstrantibus exire iussis, & foris obambulare, deliberabitur, quid facto opus sit, dissentientibus vero opinionibus & Patrum sententiis, mittentur calculi, collectisque suffragiis decretum fiet in hunc fere modum. Decreuit & iudicauit Synodus, decernit & iudicat etiamnunc, quinque istos Remonstrantium articulos, tum ratione sui, tum ratione consequentiarum orthodoxos non esse, sed receptæ harum Ecclesiarum doctrinæ contradicere, ideoque in Doctoribus & Pastoribus ferendos minimè esse; qui vero Remonstrantium altum de iis silentium præstare velint, neque quicquam se orthodoxæ sententiam contradicturos sanctè spondere, eorum omnium, vxoris, & liberorum ergo misertum sit: qui autem supradictos articulos mordicus tueri volent, eosdem voce & scriptis profiteri, ministerio abdicantur, eorumque hæreditatem accipito alter; sed qui Ecclesiam hactenus editis in lucem libris oppugnarunt, eiusque doctrinam blasphemarunt, nisi velint* παλινῳδεῖν, *& facti sui culpam coram eadem Synodo humiliter deprecari, fulmine excommunicationis feriantur. Cum hoc decreto ibitur ad Ordines, eorumque ratificatio postulabitur, non quod ita facere necesse sit, sed quod conducat, qui si probauerint moderatum illud Synodi decretum, audient patriæ Patres, Ecclesiæ nutritii, Constantini, Theodosii, Christianissimi principes, vt qui Bogermanni votis, salubrandi expectationi, & tot piorum, quibus nunc macerantur, desideriis, satisfecerint: sin abnuerint, sibique eorum omnium iudicium deberi dixerint, ac ipsum Synodi decretum multum multiplicis nullitatis conuictum, rescinderint, redibunt ad antiquum patres, desperata pax est, tolerandi spes nulla, nec habebuntur Ordines, qui haberi volunt, religionis amantes, osores hæreseon, sed contra earum fautores, promotoresque. Hæc Synodi istius, cuius legitimo iudicio controuersias has transigi vult Bogermannus, ipsissima est Idea. Plato vocaret* αὐτοσυνοδον. *Barbari Philosophi Synodeitatem. Verum qui hac Synodi & iudicii Ecclesiastici lege constringunt Ordines, nec ante tumultuandi finem facere in animum induxerunt, priusquam de Remonstrantium articulis triumphum reportauerint. Videant cauti, ne dum fragili quærunt illidere dentem, infringant solido, & nimium instando rupturam faciant: Fit interdum, vt qui pacis conditiones legitimas detrectando, hostem profligatum vult, causa cadat, cum alteri quid concedendo seruari & ipse potuisset. Sed hæc* θεῶν ἐν γόνασι κεῖται: *Dei in genibus sunt posita.*

Synodus.

Dictum, factum.

Contradicentes.

Quod bonũ & quod malum est.

Personarũ acceptione.

Caput XXXIX.

Amplius ostenditur, Nouatores nec Synodum, nec pacem habere posse.

§. 1. Synodum tentarunt tandem aliquando, sed in qua nihil non modo secundum veteres, sed ne quidem secundum eas quas dixerunt ipsi, actitatum est. Hunc autem cœtum Concilium non esse ostendi cap. 56. coronidis.

Certum est ea prouidentia, & ἀυταρχείᾳ Rempublicam Ecclesiasticam à Deo constitutam, vt in ea veritatis agnoscendæ, errorumque deprehendendorum infallibilem normam collocarit, iudicemque litium ac controuersiarum finiendarum dederit. Neque enim vllo modo Reipublicæ nomine digna est illa ciuitas, in qua ita de iure manum conserunt incolæ, vt post multas expensas, & longa litigia, de causa sua maneant incerti. In qua nullus est, qui ita sententiam pronunciet, vt altera pars victricem,

Omnis Respublica bene constituta potest lites finire.

cem, altera se victam cognoscere possit. At vero tales Respubl. sunt omnes cœtus Nouatorum, sine normâ, sine iudice veri. Non sunt igitur Ecclesiæ CHRISTI.

Scripturam omnes iactarunt, sed omnes pro se cõtra aduersam partem vsurparunt. Et iam nunc fatentur Gommaristæ seu Rigidi in Hollandia non posse rem ex scripturis solis componi. Non enim illa hactenus inter litigantes eo modo sententiam dixit, vt vlla pars se causa cecidisse fateretur.

Nullus in Belgio se victum agnouit.

Supereſt vt Synodo concordiam sanciant; Verum nec hanc viam esse tollendis controuersiis, odiisque idoneam ipsi satis fatentur. Quanquam enim Dudlæus *Charleton* Regis Britanniæ apud ordines orator, Synodum nomine sui regis suadeat, ostendatque iudicem non esse, nisi Synodum, non persuasit tamen Arminianis.

Dudlæus orator Britanniæ Belgas oppugnat.

Ego quidem in thesi ostendi *Synodum* esse non posse, libro *de Synodo Euangelicorum, syncretismo, & pace Germaniæ*, sperare tamen se fingunt Rigidi, idcirco ex *Germania, Britannia, Heluetia* sui commatis demagogos euocarunt, vt Arminianos obruerent.

Verum contra excipiunt *Arminiani* esse non posse, nec vtilem esse. Quorum ego sententiam verissimam esse facile ostendam, & multis rationibus demonstrabo, & tu lector plures à nostro P. *Maximiliano Sandæo* petes.

Vbi multa sunt capita, nulli vni cõcessa est potestas in omnia.

§. 2. *Prima ratio est.* Non habent, qui legitime Synodum conuocent, non ergo legitima Synodus esse potest. Nisi enim auctoritate, & potestate magistratus cœtus congregatus sit, turba est, in qua nec ordo, nec iurisdictio, nec auctoritas vlla esse potest. Clara igitur est consequentia. Antecedens fatentur ipsæ Prouinciæ Belgicæ, neque enim Rex quispiam, neque Generales status indicere possunt Synodum, prouinciæ autem nolunt. non erit igitur Synodus. Non potest *Rex* vllus, quia nullum agnoscunt ordines. Non possunt ipsi *Ordines*: Nam singulæ prouinciæ eam libertatem religionis obtinent, vt penes ipsas, non penes generales status ius sit statuendi. Hoc

VVegschael. pag. 53.

probat ille qui eâ de re scripsit accuratè, & oratoris Britannici errorem demonstrauit §. 51. *Quia secundum Libertatem & patriæ Prouinciarumque priuilegia nulla omnino prouincia alteri, aut omnes vni, in rebus Religionis leges ponere vlla potestate aut iure possunt, nec suffragijs inuicem opprimere, tametsi vel vnica ab alijs omnibus dissentiret: sed necesse est singulas viritim, in id quod agitur liberè consentire. Nemo enim (nisi in Belgicis rebus planè hospes sit) nescit, Prouinciarum quamlibet absolutam habere iurisdictionem, & vnam alteri non magis esse subditam, quam aut Imperatori aut regi cuicumque extraneo, idque in omnibus, ad quæ ex vi pacificationis seu postremæ vnionis, non obligantur. Qua sanè pacificatione nullatenus dominium suum & absolutam iurisdictionem abdicarunt; sed quælibet suam retinuit, tam in gubernatione Reipublicæ, quam in iustitiæ administratione, ac speciatim religionis cura. Imo tantum abest vt per hæc pacta conuenta Prouinciæ suis Priuilegiis, & ex iis consequo absoluto Dominio renuntiarint, aut sibi inuicem in respectiuis specialibus ac particularibus priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, iuribus, statutis, laudabilibus & probatis consuetudinibus, aliisque iuribus præiudicare, aut impedimento esse voluerint: quin potius è contrario idcirco se coniunxerunt, vt se mutuo modis omnibus, quoad possent, adiuuarent, stabilirent, atque defenderent contra omnes, quicunque ii forent, qui prædicta illarum priuilegia & iura de facto quomodolibet violare attentarent. Quo igitur fundamento nunc sub prætextu religionis, (quod ipsum etiam olim ab Hispanis tentatum) aliis prouinciis autoritas sua diminuitur? Qua specie rationis seu æquitatis, post alias, prouinciarum potentissima Hollandia (quæ durante bello maiora reliquis grauamina sustinuit, easque magnis pecuniis collatis defendit) Dominationi aliorum ac velut tutelæ sub-*

Vide Emanuelem à Meteren lib. 20. fol. 422. A. & 423. B.

iiciatur, idque ab iis qui maximis ab ea commodis affecti sunt? Recte dictum à Lipsio, factiones vt plurimum ex ambitione pullulare, cum vnus alterum loco mouere eiusque sedem inuadere nititur. Deus nouit, & ego cuiusque conscientiæ relinquo, an non nostra calamitas eodem ex fonte ducat originem.

Polit. lib. 6. cap. 3.

Prouincias autem nolle omnes, & ipsæ profitentur. cogi autem non possunt. Quia illorum libertati iuramento cautum est.

Dudlæus negat ad magistratum pertinere agere de Synodo.

§. 3. Secunda ratio. Altera pars, scilicet Remonstrantes, nimium tribuunt magistratui. Quos accusat Charleton, *sæculari potestati hanc authoritatem deferre, dando Cæsari quod Cæsaris est, nimium in alteram partem declinare est. Et Deo auferre, quod est Dei.* Nam Remonstrantes à Classibus, & fratribus suis Rigidis immitissime agitati ad auxilium Magistratus confugerunt, quod orator illis exprobrat. Magistratum igitur iudicem illi volunt, non Synodum, ideoque Synodus esse non potest, quæ sine auctoritate futura est. Prius igitur statuendum est: sitne decidendi facultas penes Magistratum, an penes Synodum? Quæ controuersia finiri inter eos non potest. Quia nec à Synodo, nec à Magistratu. Quia partes non sunt iudices idonei. Ideo non possunt pro se iudicare contra aduersarios, nec enim ministri Batavi sunt tota Ecclesia: nec ordinum potestas est vniuersalis in omnes ministros. Deinde tandem causa cadent prædicantes, & ius erit penes eos, qui plus poterunt. Remenim contra famulum suum iudicauit Serenissimus Rex Britanniæ magnæ; vti patet ex *Summa conferentiæ Anni 1603.* in Camera Maiestatis suæ peractæ. & à *VVilhelmo Barlouu* Theologiæ Doctore & Cheltriæ decano editæ, & deinde Leidæ lingua Belgica excusæ pagina 38. 30. cum enim contingeret *Raynoldum* mentionem facere instituendæ *Synodi*, in qua Episcopus cum Senioribus suis puncta controuersa determinaret, quæ antea decidi non potuerant, commota Maiestas Regia est, existimans *illos Schoticam Senioritatem* (sit venia verbo) *intendere, aut id conari, quod tam cum Monarchia concordat* (vt ipse Rex loquitur) *quam cum dæmone* DEVS. *Ibi*, inquit idem, *Petrus & Paulus, Thomas & Matthias conuenient, & ex arbitrio suo me & consilium meum, omnesque processus nostros suæ subiicient censuræ. Ibi surget Petrus dicetque*, Ita erit: *& respondebit Paulus*, Non ita volumus, sed hoc modo erit; *ac propterea quod antea dixi repeto*, Le Roy S. auisera [Rex ipse deliberabit] *Amabo vos expectate etiamnum septem annos priusquam tale quid à me petatis; & si tunc asthmaticum me & præpinguem inueniatis & ventosis tubis obturatum, fortassis audientiam dabo. Qui certus sum, si vel iste regendi modus inualuerit, mihi tunc obturatum os iri.* Vnde etiam patet Regiam M. non ad Synodum confugisse, sed ad Secretam suam cameram in Hampton Court.

Rex Britãniæ aliter sentis, quã eius orator.

VVegschael. 50. &c.

Hæc igitur lis cum vtrinque magnis conatibus litigetur, ἀόριστος erit, & risum hostibus, commiserationem Catholicis exhibebit.

§. 4. Tertia ratio. Huc pertinet difficultas Synodorum Prouincialium, Geldriæ, Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltraiecti, Frisiæ, Transluaniæ, Groningæ.: Forsitan & speciatim Amstelodami: eorum ministri incentores, & approbatores fuere publice factæ direptionis Arminianorum, quæ crudelitas operosa disputatione pallianda est, ne cæteris non probetur: At Synodi præparatoriæ impedient generalem omnium prouinciarum; primo quidem quia diuersa sentient: Deinde quia ipsæ Synodi inter se diuisæ sunt. Synodus prouincialis Hollandiæ definire nihil poterit, quia Arminiani nihil nisi quod ipsi sentiunt, rectum iudicant, Gommaristæ nullum nisi Rigidum ablegabunt. Itaque altera pars contra alteram protestabitur, & tandem nemo tam stolide

Synodi præparatoriæ nõ rectè peragentur.

VVeg. 53.

se aduersariorum odijs exponet, vt se cum semiplena, hoc est, litigiosissima commissione sine spe det in periculum.

Synod⁹ Belgica sine miraculo colligi non potest.

§. 5. Quarta ratio. Synodalis ille consessus, & disceptatio, contra sententiam Caluinianorum ingens miraculum statuit, sine quo esse non potest. At Ecclesiæ conuentus, & disputationes miraculis nequaquam nituntur. Cur enim non potius angelum cœlo poscunt, quam Synodum moliuntur, quæ sine miraculo esse nulla potest? Miraculum vero in eo est, quod homines sibi infensissimos, diuturnis, pertinacibusque odijs exasperatos, ira, pudore, æmulatione, mendacijs plenos, subita metamorphosi, mites, placidosque fore arbitrantur: Et cum infestos præsentia incendat, armetque, hi mox vt se mutuo conspexerint, omnia vitia exuturos opinantur. Quasi vero Atreus, cum fratris aspectu stupefactus hæsit, feritatem posuerit, aut Thyestes regijs opibus non anteposuerit siluestres fugas, quia *videndus erat & frater.* Hocigitur assero sine manifesto miraculo non fore, sine irâ, iurgio, odio, maledictis, contentione, inuidia, mendacijs disputationem, si enim hactenus, vt de se mutuo testantur, omnia mendacijs impleuerunt, cur nunc subito vereantur fallere, quod hactenus didicerunt? Perinde igitur faciunt, ac si quis montanos latrones in teneram aliquam regionem immitteret, & data occasione putaret continuo bonos colonos, virosque euasuros.

Subita metamorphosis in multis fieri non solet.

Norma fidei deest Belgis.

§. 6. Quinta ratio. Nulla est regula & norma, ad quam dirigere disputationes fidemque possint, temere igitur in vasto controuersiarum oceano nauigent, & quo opinionis alicuius impetus egerit, ferantur necesse est. Non est scriptura, non traditio, non Conciliorum, non Patrum, non Ecclesiæ auctoritas. De primo probandum est, nam de cæteris sponte fatentur.

Scriptura vti non possunt.

Scripturam non posse esse illorum normam, & iudicem tam facile patet, vt negare ipsi non possint; vt supra ostensum est in Dordracensibus. Deinde scripturam singuli pro opinionis suæ analogia interpretantur, ex quo oritur, vt ea legenda anticipatas sententias vnusquisque confirmet.

Siue mutẽt Synodales sententiam, seu teneant, maior erit discordia.

§. 7. Sexta ratio. Eorum qui à prouincijs ad Synodum mittentur, duplex conditio fingi potest: Vel enim aduenient cum liberis mandatis, vt quod visum est in Synodo statuant. Aut sane in suarum prouinciarum sententiam iurati aduenient. Si libertas dabitur, non tamen ipsi legati facile sententiam mutabunt. Aut si mutent, non ideo sua transgressione totam prouinciam suam trahent. Imo maior hac ex re discordia orietur. Fieri enim potest, vt Arminianarum vrbium legati pedibus in sententiam Gommaristarum transeant, & Gommaristicarum deputati Arminianas opiniones amplectantur: quod si fieret, dissensiones omnes in duplum augerentur. Variæque Rerumpublicarum motiones consurgerent.

Omnia Synodus instituta confundet.

§. 8. Septima ratio. Prouinciarum ministri, magistratus, populusq;, quo iure viuet, durante Synodo? An omnia solita confidenti loquentia docebunt? an vero ex futuro iudicij decreto omnia pendebunt? Si docere pergent, vtrinque nihil iuuabit Synodalis definitio, cum sit paucorum, & quos errare facilimum sit. Si dubitare iubeantur, cœlum, & terram miscebunt: cum hactenus tam confidenter, tam furiose sua dogmata propugnarint. Itaq; si quid in fide mutarint illi, qui deputati fuerunt, ad suos nequaquam reditus permittetur.

Palinodia ministros infames.

§. 9. Octaua ratio. Palinodiam, & reuocationem opinionum impediet magnopere, is qui in Republica est, honoris, & famæ respectus. Cum enim alij alios non modo vt hæreticos, sed etiam vt infames, mendaces, calumniatoresque traduxerint, non possunt redire in gratiam, nisi se tales fuisse agnoscant. Quam rem illis perpetuo amici, inimici, atque nati, & nati natorum exprobrabunt.

§. 10. Nona ratio. Ordo Synodi nullus omnino futurus est. Nam vel præsidebunt Magistratus, vel Prædicantes. Non magistratus: olim magistratum Prædicantes non agnoscebant. Anno 1586. *Prædicantes multi*, inquit Oldē-Barneuelt in Apologia, *iam status vltra non agnoscebant. Postulabant (inscijs statibus) à comite Licestrio indictionem Synodi, quam nationalem appellabant.* Deinde orator Charleton id negat faciendum esse. Non prædicantes: nam eorum olim decretis obstiterunt status, & dissimulare tamen sunt coacti. Ita pag. 7. Oldē-Barneueltius. *Diuulgantur decreta prætensæ Synodi Nationalis. Generales Status difficultatem fecere in iis approbandis sine consensu Statuum respectiuarum prouinciarum, à quibus ipsi delegati, quo facto summam contraxerunt inuidiam, & offenderunt plurimum. Actum est contra illos scriptis, conatibus, publicis in templis concionibus. Status Hollandici nonnihil tempori cessere, bonum factum rati, si ad tempus decreta acceptarent: dummodo interea Status, Nobiles, & ciuitates suum quique ius retinerent Ecclesiæ ministros constituendi, amouendique.*

Prædicantes magistratibus infesti.

Cedunt Sta⁹ ministris, sed ius tamẽ suum recuperant.

Quod si tamen conueniant: parine iure, & merito dicent suffragia? Quis pares numero, & odio conciliabit?

§. 11. Decima ratio. Quis numerus Synodalium constituetur? sint sane ducenti, si centenos Arminianos totidem Gommaristis, paria componendo ex aduerso loces: deinde æquale suffragiorum ius vtrique parti conferas, centum opiniones alijs centum contrarias experiêre. Si vni Sectæ plures attribuas, de iniquitate querentur cæteri: Impari enim numero qui erunt, se multitudine opprimi dicent: sua suffragia etsi minora, tamen saniora esse iactabunt.

§. 12. Ratio vndecima. Multi ex deputatis sententiam suam publicis scriptis explicuerunt, alios damnarunt: Non refutabunt illi sua decreta: non enim erasse se duntaxat, fateri oportebit, quod humanum est, sed mentitos etiam, quod est impostorum.

Synodus acta publica rescindet, exules reducet.

§. 13. Duodecima ratio. Respublicæ, & ciuitates plurimæ carcere, exilio, mulctis, aduersæ religionis homines vexarunt: Amstelodamenses concursu facto publice expilari Arminianos viderunt: His non sufficit erroris agnitio, sed necessaria est damnorum, & contumeliarum compensatio, quam præstare & luere oportebit prædicantes, quorum turbulentis concionibus patria concussa est.

Ecclesia inuisibilis, Synodus inuisibilis erit.

§. 14. Decima tertia ratio. Ecclesia eorũ est inuisibilis, omnes qui eam constituunt, inuisibiles; Synodum igitur etiam inuisibilem esse oportet. Qualis Ecclesia, talis Synodus. Quid enim si in ea Synodo spiritum Dei, fidemque nullus habeat? Esse igitur Synodus non potest. Quis enim conuocabit Ecclesiam, quam videre, audire, cognoscere non potest? Synodus pars Ecclesiæ est; & quidē nobilissima pars, non formalis, sed integralis, itaque totius reconditi, & inaspectabilis, pars etiam inaspectabilis erit. Non igitur Synodus eorum Ecclesia dici potest.

Sententiam obligat, nisi constet esse à vero iudice dictam.

§. 15. Decima quarta. Hinc consequitur Concilij decreto nullius conscientiam stringi, nescitur enim an illa sit pars Ecclesiæ inuisibilis; atque adeo an sit Ecclesiæ quam proferunt sententia, an vero infidelium, atque Ethnicorum.

Lites ex peregrinis augescent.

§. 16. Decima quinta ratio. Synodo impedimentum ex aduenarum multitudine, & varietate maximum obijcietur. Si n. suffragij iure Galli, Germani, atque Angli donandi sunt, non potest id iudicio Arminianorum aliter fieri, quam vt ex vtraq; parte pari nume-

numero sententiarum partes iuuentur, quæ res non modo litem non sedabit, sed in peregrinas regiones etiam disperget. Quanquam nunc quoq; satis controuersiarum habeat tam Gallia, quam Anglia.

§.17. Decima sexta ratio. Exterarum gentium Theologi, suorum cœtuum, Principum, ac Regum opinionibus obnoxij sunt, nec aliter sentire, aut loqui poterunt, quam illi à quibus mittuntur. Nec si aliter faciant, ab cœtibus & principibus suis recipiẽtur vnquam. Si enim Auraicus princeps iam olim de his ordinabat, quid nunc reges facient? *De ordine,* inquit Barneuelt. pag. 43. *iam inde ab anno 74. quæstiones in his prouinciis motæ sunt: Asseuerantibus Domino meo Principe Auraico, piæ m. & Dominis Statibus, sui muneris esse leges & ordinationes Ecclesiasticas condere, vtpote penes quos legitima superioritas resideret, conformiter ritui in omnibus Regnis, Prouinciis, Rebuspublicis, Ciuitatibus, recepto, quæ Reformationem aduersus Idololatriam, hæresin & tyrannidem Papatus susceperunt.*

Principum exterorum sententias ferunt peregrini.

Ex alijs igitur partibus non nisi rigidus Zwinglianismus, aut Socinianismus, aut Lutheranismus erit exspectandus. Cur enim non in subsidium Lutheranos, & Catholicos vocent Arminiani, si Gommaristæ trahant Zwinglianos?

§.18. Decima septima ratio. Ne locum quidem ex æquittate constituerunt, qui Synodum quærunt. Dordracum nominarunt. Qua in re non pauca incommode accident. Primo ciuitas illa remota est à Phrisijs, Transisulanis, vt difficilius venturi sint, & non nisi tædio mansuri. Secundo, Insula est; ideoque minus liber, & pro arbitrio discessus. Tertio. Dordracum antiquam cum Hollandia, cui se crebro opposuit, æmulationem exercet, itaque nihil moderabile ea in vrbe possunt expectare, quos præter gentis odium commune, etiam religionis causa persequuntur. Quarto. Nec tutos puto futuros; Nam quamuis tumultum populi nondum in Arminianos conciuerint Dordracenses, nec more Amstelodamensium miseros diripuerint; non tamen defuerunt Ministri eorum, qui publicitus acerbissime contra eos scripserunt, idque egerunt, vt Dordracensium Arminiani latere, quam expilari maluerint. Quinto, Forte timorem nonnullis incutient priscæ clades eluuionum, nam cum à continente auelleretur, centum millia perierunt, vnius id hominis maleficium fuit. Sexto. Vino probando ea ciuitas aptior est, quam censendis dogmatibus; ideoque τὸ δοκίμιον δ' οἶνῳ non autem τῶν πνευμάτων ibi collocarunt maiores, quod tamen ipsum non sine lite tenuerunt, multis enim contra Geldros, & Transisulanos contentionibus ius illud tenuerunt. Septimo. Suspecta est etiam Brabantiæ, & Hispanorum vicinitas, quæ hisce litigijs excitata, de bello Quinti & sexti Euangelij classicum canet. Octauo. Dordracum plenum est Gallis, alijsque exteris, ideoque ciuitas magno strepitu personat, non poterunt tuti esse Arminiani. Quod si insidiæ nullæ struuntur, cur non Leida, Harlemium, imo ipsa Haga conceditur.

Locus Synodo non conuenit.

Stapula vini.

An hocagitur vt captiui Hispanis tradantur?

§.19. Decima octaua ratio. Nimia Synodi indicendæ contentio, magno prouinciarum aliter sentientium præiudicio vrgetur; Cur enim legem Hollandorum pars, & Zelãdorum præscribunt? cur Magistratus Arminianos in ordinem redigunt? cur alias prouincias quasi victas & seruas occultis molitionibus exarmant? deinde præsidiis premunt? Omnium horum causa est religio, pro cuius libertate se pugnasse putant Arminiani, & nunc grauissimas exactiones pendere, non vt conscientijs consulant, sed vt abominatissimis Borboritarũ, & Manichæorum insanijs subscribant. Sic igitur post tot contumelias etiam publico decreto Synodi condemnentur, cũ sit doctior, & honestior Hollandiæ, Belgicq; pars, quis dubitare poterit, patientiam tam indigne læsam in furores abituram, inde arma in promptu fore?

Synodus alias vrbes alijs subii-

§.20. Decima nona ratio. Gommarianismus sine armis induci non potest, ciuitates igitur præsidio firmandæ sunt, vt Rigidorum opinionibus obsecundent, aut si credere nolint, obsidione cingendæ. Atq; hac ratione versis in mutua viscera gladiis, seminecem patriam tradent illis, quorum imperium fugiendo in miserrimam seruitutem specie libertatis deciderunt. Quæ enim facies illius patriæ futura est, in qua vnica secta dominatur, cæteri opprimuntur? Aut quomodo pro aris, & focis, pro religione pugnabunt, qui propter religionem seruire coguntur? Qui ea solum causa, quia Zwinglianismo Rigido non credunt, cum infamiæ nota dignitate sua deijciuntur à cum ex vinculis apud inimicos causam dicunt.

Nimia libertas duplex est seruitus.

Nunc supereſt aliqua spes, ideo nondum extrema tentantur, quod si Synodalis violentia in desperationem eos egerit, qui nolunt esse Borboritis, & Manichæis magis insani, non poterunt se continere, quin quidliber malint, quam ad horridas illas opiniones accedere. Quod si sub idem tempus induciæ soluantur, qua concordia resistere poterunt?

§.21. Vigesima ratio. Synodi decretum quale futurum sit, iam ante prædixerunt Arminiani, & nunc præparatoriæ ostendunt. Nempe quo damnentur Arminiani, probentur Gommaristæ. Itaque nõ opus est tam operosa, tam sumptuosa conuocatione, cum iam ante Synodum executio synodalis sententiæ vigeat. In hunc enim finem Arminiani in patria, & ad Tribunal magnæ Britanniæ accusati sunt, præsidia vrbibus Arminianis imposita, Magistratus Arminiani in ordinem redacti, prædicantes coerciti, fugatiq;, templa restituta Gommaristis. Quæ cum vehementer animos offendant, si illa eadem publica Synodi nationalis sententia comprobentur, omnes qui causa cadent, experientur hac re Amstelodamensibus, aliisque rigidis dominationem quæri.

Exspectata Synodus sæuit, quid faciet regnãs.

Turbas igitur & tumultus ciebit Synodus; Eos enim qui iure æquales sunt, & in speciem hactenus æquales fuere, inæquales faciet; quod in libero populo sine magna commotione nunquam est factum, nunquam est futurum.

§.22. Vicesima prima ratio. Vindicta à Rigidis quæretur, qui enim grauiter se læsos arbitrantur, quique verentur, ne maioribus incommodis afficiantur, illi vbi potentiam, & auctoritatem nacti fuerint, sæuius grassantur; at vero Rigidi de summis mollium iniuriis iudicio queruntur, & integros libros conscribunt; nemo itaq; sperare potest, in ira, quam iustissimam existimant, tam lentos fore, vt nõ vtantur præsidio Synodi, qui ante Synodum hostilia omnia fecerunt. Coloniæ est impressa Epistola Hagensis, quæ Hollandiæ statum exponit. Initium est: Decimo quarto die Iunij è Phrisia secundo cursu huc appulit comes Wilhelmus.

Neque sperari potest rigidos victores fore mitiores, quam fuerint molles, nam & natura sunt ferociores, & sectæ suæ decretis ad crudelitatem, quam etiam Deo tribuunt, incitantur, accedit dolor, & ira, quod iniuriam se passos arbitrantur. Denique illis, per quos vicerunt, hoc est, ministris rigidis obsequendum erit.

§.23. Vicesima secunda ratio. Ne sumptuum quidem ratio Synodũ permittit. Nam primo multos esse oportet, alioqui auctoritas aberit, cum enim omnes hactenus sint æquales, pauculorum conciliabulum cæteris præiudicare non poterit. Deinde vocantur è Gallia, Anglia, Germania Coryphæi prædicantium, sine illis enim parum firma decreta opinantur,

In multitudine nimius sumptus, in paucitate nulla auctoritas.

impensas igitur numeroso hospitum exercitu crescere est necesse. Tertio, non soli conuenient ministri, familiam vxoresq; trahant, oportet. Cur enim, cùm dono castitatis careant, ad Synodalem cœlibatum adigantur? Prima igitur sessione sancient de adducendis, aut retinendis familiis. Quarto, Diuturna erit Synodus, nam supra quinquaginta articulos controuersos enumerant, cum autem hactenus ne vnum quidem decennio definierint, multos annos tam multis impendent. Sint igitur ministri Arminiani quingenti, totidem Gommaristæ, exteri ducenti, in vniuersum 1200. sint octingenti politici, & legati Prouinciarum, nam & illi sententiam dicent, ne ministri superent. Verum malo pauciores ponere, sint sane trecenti. Vt totus numerus Synodalis sit mille quingentorum, adde totidem vxores, famulos, & ancillas, filios, & filias, facile octona, vel nouena millia inuenies. His de hospitio, victu, vestitu prospiciendum est; verum ita numerum contrahamus, quatuor duntaxat millia ministri cum suis familijs efficiant. Sumptu tamen magno patriam grauabunt, faciliusque erit dena peditum armatorum millia alere, quam ministrorum præsertim exterorum, & vxorum lautitias instruere. Militum victus facili cõmeat via, doctores illi sericati, delicijs assueti, alias dapes exposcunt. Nec decet Synodales, & omnium ministrorum primospilos nimia frugalitate castigari.

Sumptu in Synodum expendendo exercitus alipoterit.

Sumptum vero illum grauem esse prouincijs fœderatis nemo dubitabit, qui penitius rationes eorum considerarit: omnia n. hactenus conturbata fuerunt. Docet hoc Apologia Barneueltij; qui refert, *cum ipse ad officium aduocati vocaretur, Collegia Magni, & prouincialis consilii, rationum præfectos, & Magistratus Hagæ eo fuisse erga Status animo, vt voce ac scriptis in dubiũ vocarẽt, essetne etiamnum Statuum Hollandiæ, & VVestphrisiæ reliqua tanta autoritas, vt censuum, & contributionum impositarum executionem facere possent.* Pro mutuo accepto necesse fuisse quotannis duodecim pensionis loco, & duos pro proxeneticis pendere addit: Maiora multo erant reditibus grauamina. Quam vero maiora fuerint, docet idem pag. 14. *Ex quo tempore Rex Galliæ cum rege Britannico, ac porro cum Hispano atque Archiducibus pacem iniit, nouem postremis belli annis excreuerant debitorum & expensarum grauamina, vt omne censuum ac contributionum pondus (tametsi non mediocriter adaucta essent) 26. millionibus florenorum excederẽt: vltimi etiam duo anni parua admodum gloria, magnoque cum detrimento decurrerant, quin & maioris periculi restabat metus (duabus interim expeditionibus hostium vigilanti studio amolitis) eo, quod per idem tempus exterorum subsidia, & minus certa, & cum maiore patriæ onere conuncta essent, quam antehac fuissent; & quod tantis grauaminibus incrementa sumentibus, Status patriæ totius tandem ad desperationem redigendus videretur: quemadmodum triennio ante Senatores, & calculorum præfecti monuerant.* Ecce tanta fuere grauamina, illa nunc in pace, assidentibus de Synodo conuocanda ciuitatibus aucta sunt. Dum aliarum libertati aliæ imminent, aliæ suam libertatem, religionemque ciuilibus armis protegere, & tueri conantur. Interim & illæ vrbes, quæ nunc militem legunt, ne in Synodum conuocandam consentire cogantur, multo difficilius ad sumptus præstandos inducentur. Nam prædicantium contentiones multo patientius permittent, quam nummos pendant. Ne bellum prædicantium geratur, bellum in Republica geritur, nec desunt tamen, qui putent, ciuitates pecuniam non collaturas, vt decertare possint prædicantes, cùm omnibus opibus eorum sedare certamina conentur.

Hollandia ære alieno oppressa.

Discordiæ, dum celantur, sanabiles sunt.

§. 24. Vicesima tertia ratio. Quædam sunt vulnera, quæ ventum, auramque non ferunt, ita & hæc mala Reipublicæ patefacta medicinam respuunt. Synodus vera illa non modo faciet notoria, sed etiam summo iure, & publice nota. Quo facto pudor nequitiæ amittitur. Recte hoc agnouit callidissimus senex Oldenbarneueltius, qui semper discordias illas celare conatus est. *Ex animo,* inquit pag. 27. Apol.) *dolui ob orta inter Remonstrantes & Contraremonstrantes dissidia. Semper & omnibus modis laboraui, ne illæ emanarent, aut in publicum erumperent. Procurato primum, vt præsidentibus diuersis Ecclesiasticis personis, causa Arminii intra priuatos parietes examinaretur: quem in finem negotium in domo Domini de Noortvvyck p.m. tanquam Senioris Curatoris vniuersitatis Leydensis, habitum deseruiit, & deinde negotium institutũ in summo Consilio inter Gommarum & Arminium Præsidibus Ministris diuersarum Ecclesiarum vtriusque partis. Ego neutram opinionum acceptaui, aut respui: cum intellexerim (conformiter ad sapientem admodum institutionem & iteratum scriptum Regis Angliæ) vtramque opinionum sine præiudicio veritatis, in Christiana charitate & vnione tolerari posse. Cauebo etiam, ne, qui harum tragœdiarum autores sint, iudicem. Sed malum potissimum ex Synodali quodam Decreto prorupisse arbitror, quo Leydensibus Theologiæ professoribus, & omnibus Prædicantibus præceptum fuit, vt cum timore Dei aduerterent ad ea, quæ confessione Batauica & Catechismo Heydelbergensi contenta sunt: & si cubi quippiam dubitarent, id singuli annotatum suas ad Classes transmitterent. Cuius decreti causam dederant omnes priores Ecclesiasticæ differentiæ & controuersiæ, quæ cum Caspare Coolhaes, H. Herbarts, Taco Sybrandts, Correlio VViggers, & aliis pluribus de intellectu, sensu, & varia interpretatione quorundam punctorum in supradictis duobus scriptis contentorum (præsertim Prædestinationis Diuinæ) originem traxerant: & quod propterea anno 1597. V. Ampl. Pot. intellexerant, Confessionem in Synodali congregatione reuidendam & corrigendam. Nam postquam Commissarii vestri vos de prædicto Synodali Decreto iam certiores fecissent, iudicastis, non expedire, vt dubia Professorum, & Prædicantium respectiuis eorum classibus traderentur; metuentes, ne sic inter Theologantes ingens dissensionis flamma suscitaretur.* Ex quo manifestissimum, & ordines, & Barneueltium hoc egisse, vt tegerent illa probra, nunc igitur aperiri profundius, & ostentari alienum est ab vtilitate publica.

§. 25. Vicesima quarta ratio. Nec modo controuersiæ, & errores, sed scelera ipsa nostrorum ministrorum per ora hominum traducentur; exemplo sint Greuinckhouius, & Adrianus Smoutius, qui vel sunt tales, quales se mutuo describunt; hoc est, omnium bipedum nequissimi; vel non sunt tales; & sic necesse est omnium calumniatorum esse pessimos. Quem vero in Synodum vocare poterimus, de quo non atrociora dicantur? Quid aliud erit illa Synodus, quam τῶν κερκώπων ἀγορὰ, hoc est, eorũ hominum, quorum pudere prouinciam merito debeat.

Nunquam est Synodi vtilitas, cum ante constat definitio.

§. 26. Vicesima quinta ratio. Dubius est Synodicæ disputationis euentus, aut certus. Si certo prædefinitum est, quod definiendum est, si præitum est iudicũ sententijs, frustra orbis Caluinianus in se commouetur. Si incertum; cur non timent, ne contra Rigidos, Amstelodamenses, atque excellentissimum Auraicæ Principem sententia feratur? Quod si fiat, quis non animaduertat, auctoritatem eius deiectum iri: & virum magnanimum contumeliam minime laturum.

Post Synodum bella redintegrantur.

§. 27. Vicesima sexta ratio. Peracta feliciter Synodo mox contra iudicia, scriptiones, famosi libelli, & in rem & in personas proferentur. Omnes in ea aliqd, multi multa, nõnulli omnia improbabunt. Iracundia partiũ sic accenderetur. Si voces liberæ supprimantur, ex occulto virulentius mordebunt. Exempla sunt in Germania, quę post colloquia omnia Lutheranorum inter se, & eorundem cum Caluinianis nouo paroxysmo tentata est, & bellũ redintegranit.

§. 28. Vicesima septima ratio. Norma disputandi ex eorum legibus sunt biblia, nulla vero sunt authentica,

tica, nisi hebræa in vetere, græca in nouo testamento. Cæteræ versiones auctoritatem humanam habent, vt illi sentiunt. Sola igitur Hebræa & Græca lingua in illa Synodo vsurpanda est, omniaque ad illam normam examinanda. At vnde inter illos tot Hebræi & Græci? Tot, inquam, doctissimi, quibus certo constet, se illas linguas ita percallere, vt interpretandi errorem à se abesse sciant?

Hebræa, & Græca linguæ imperitia Synodum impediet.

§.29. Vicesima octaua ratio. Statuamus tamen in natione Belgica tot Hebraice, Græceq; doctissimos esse, quis tamen nobis & alijs persuadebit, veros esse ignoti textus interpretes? Quicquid enim agetur, eorum verba non erunt nobis authentica.

§.30. Vicesima nona ratio. Quin nonnulli eorum vt Caluinus, vt Vorstius, in ipsis biblijs hebræis errores, & mendacia inuenerunt. Adeo vt hoc fundamento subruto, tota moles casura sit.

Ita blasphemant illi.

§.31. Trigesima ratio. Venient ex Gallia, vt Scharpius, qui negat, Magistratuum leges ad conscientias pertinere. Venient ex Anglia, qui Episcopos reducant, hoc est, vt Puritani iudicant, sceleratam Antichristi scalam exstruant. Hæc portenta dicent Belgæ.

§.32. Trigesima prima ratio. Si Synodales iuramento, quo suis opinionibus obligati sunt, placet solui; idem ius tribuendum est omnibus ministris, alioqui Synodo obtemperare non tenebuntur. Timendum vero, ne ea res ad milites, atque adeo Magistratus etiam perueniat.

§.33. Trigesima secunda ratio. Quanquam status Generales, principesque in Synodo constituenda adlaborent, nihil tamen vnquam inuitis prædicantibus conficietur. Inuitis canibus venari difficile esse nostrates recte dicunt. At inuitis omnibus Arminianis, hoc est, dimidia parte, sed doctiore parte Synodus instituitur; inuiti venient, ideoque tardi, omnia molientur, vt re imperfecta discedant. Et quam hoc facile est. De conditionibus & legibus disputabunt, excipient, protestabuntur. Si ad quæstiones responsio quæratur, dilationes iterum, iterumque postulabunt, valetudinem alij, occupationes nonnulli prætendent, multi propter nuptias dicent se non posse disputare, vt factum refert Greuinckhouius. Summa est, non potest esse Synodus, vbi dimidia pars non vult esse Synodum; violentia fortassis adhibebitur, & adesse cogentur. Vim depellere nequibunt, sed inutilis ea fuerit præsentia, nam ad disputandum, respondendumque adigi non poterunt, nisi volentes, nisi alacres. Synodus ergo esse non potest, nec ex ea concordia.

CAPVT XL.

Formam Concilij ad pacem faciendam colligi oportere sumi ex veteri Ecclesiæ consuetudine.

Cur vetera Concilia sequenda.

§.1. CConcilium ad pacem inchoandam ac stabiliendam vtile esse docui, nec aduersarij repugnant. Non posse etiam Concilium hæreticorum colligi, & cum vtilitate haberi libro alio demonstraui, & si parum firma mea argumenta arbitrantur: Ecce, cessent verba, & scribentium discursus, rem ipsam dent. *hic Rhodus est, hic saltent.* Synodum Caluinolutheranam, aut Rigidomollem colligant, & κατὰ βιασμὸν me experientia refutent. Quod si non possunt Generalem, at Nationalem saltem. Dum fecerint, fieri posse negabimus, nec immerito, quia velle se dicunt, & hanc commodissimam viam fatentur, alias vias reiiciunt, vt supra ex scripto Hollandorum ostendi. Si igitur opus est Concilio, nec ex nouitijs doctoribus colligi potest, quid dubitamus Concilia vetera, eorumq; formam, & auctoritatem adsciscere, ne tanta vtilitate, quam vtrinq; fatemur, ne ipsa pace priuemur? Tantumne in animo cuiusquam sanctæ & orthodoxæ antiquitatis odium parere potuit hæresis, vt ne remedia quidem, & beneficia ab illa accipere consentiat? An ignoramus ægrorum desperatissimos esse eos, qui aduersum remedia sunt contumaces? & sincere medentium manus arbitrantur inimicas? Absit à Christiano pectore ea durities, vt pacem nolit, absit ea cœcitas, vt ineundæ pacis aditum sibi ipsi præcludat.

Dordrechtana contra omnes Synodi leges fuit.

§.2. Quid igitur? an mihi per has ambages Concilium Tridentinum suadebis? Vellem equidem, sed vereor vt persuadeam, non quo veritas testimonio suo destituta sit, quam Concilium illud illustrauit, sed quia odio personarum, veritatem ab illis non facile accipies, nondum enim vulnera, quæ Sycophantæ, Concilij calumniatores fecêre, sanata sunt. Iraq; olim quidem istius tibi Concilij gratiam feci, forte sponte illud si cognoueris, amplecteris.

Mihi in hac religionum pugna & iactatione fieri videtur, quod in medicina: permulti namq; fastidio veterum remediorum, & inani spe meliorum agyrtas, & impostores circũforaneos cupidissime audiũt, interdum illis vitam, & sanitatem, pollicitationibus inducti, committunt. Et dum noua pro veris admirantur, rei, & valetudinis iacturam faciunt, qui cum sese proprio periculo, aliorum irriſu, alienæ temeritati in suo corpore experiundæ artis potestatẽ dedisse sentiunt, ad veteres se medicos, Hippocraticos & Galenianos referunt, probatis enim sine discrimine vti malunt, quam de nouis iterum, atq; incertis periclitari. Iam longo tempore à prisca animarum medela, à solito pabulo, clamoribus suis rerum nouarũm nundinatores magnam hominum partem auocarũt. Alio Lutherus, alio Caluinus, & in parte Lutheri sectę multiplices, Osiander, Maior, Flaccus, Vbiquitarij cæteri, Anomi, Anabaptistæ, nec vnius illi commatis, etsi omnes, mali, vocant. In parte vero Calu. Molles, & Rigidi, Libertini Anglopapistæ, Puritani. Omnes salutem, vitam, sanitatem, & montes felicitatem, & quidem absque labore promittunt, omnibus circumforaneis impudentiores, at falsos se, sero homines creduli, & leues experiuntur, nec plerisque ad reditum deest quicquam nisi vulnerum agnoscendorum, & detegendorum pudor. Omnia indies mutari non vident tantum, sed etiam palpant. Cur non igitur vetera consulunt, aut saltem aspicere dignantur? cur noua sectantur, à suis auctoribus damnata?

Leuitas hominum reseon.

§.3. Concilium igitur generale sit, qualia prima illa fuisse, etiam aduersarij concedunt, & sequentia fuisse nos docemus. Nempe in quo iudices sedeant Orthodoxi, & quorum iam est fidei possessio, & contra eos, qui inusitata dogmata inuehunt, longa præscriptio, nouitas enim probari debet, non autem iudicare vetustatem, & iuris indubitati est, possessorem suo priuilegio frui, nec ad probationem adigi: quanquam & hoc præstant Concilia, veterisq; fidei possessionem contra profanas nouitates asserunt. Cur enim in Nicæno sedeat iudex Arius, in sequentibus vero Eutyches, Nestorius, alij? Cur hoc tempore Libertini, Ariani, Sociniani, Anabaptistæ, & quidem eodem iure, numero, & merito dicendarum sententiarum? An illi in Spiritu sancto conuenient, qui Spiritum sanctum tota inferorum panoplia oppugnant?

Qualia Concilia.

Matthias Hoë docet non posse Concilium iniri cum Caluinistis.

§.4. Secundo. Sit in Concilio, nec pars Ecclesiæ, nec corpus sine capite, sed in senatu suo tota repræsentetur Ecclesia, nec vel pars contra totum conspiret, vel absque primariæ sedis Antistite causa iudicetur,

tur, quod nefas esse olim agnouit Augustinus, & ad Melchiadem Pontificem perscripsit.

§.5. Tertio. Concilium definiat, non quid de nouo credendum, nec articulos definiat nouos, sed veteres clarius explicet, scripturæ sensum tradat, & de quo dubitatur certum efficiat. Hoc enim munus illius est, nouitatibus ire obuiam, & vetera firmare.

§.6. Quarto. In rebus quæ ad fidem pertinent, Concilium habeat suffragium, cui nemini resistere liceat, adeoque extra Ecclesiam censeatur, qui superbiens noluerit sacerdotum obedire imperio.

§.7. Quinto. Libera sint, non infamata principum violentia, nec serua & obnoxia Magistratibus, vt non modo liberæ sint sententiæ, nec dicenda præscribat sæcularis potestas, sed nec libertatis pœna vlla timeatur, nec tale moderamen penes principes sit, vt caput rei ad ipsorum tandem arbitrium relabatur.

§.8. Sexto. Reorum causæ prudenter, suauiter, cum caritate, & sinceritate cognoscantur, nec vllo modo, cuius hæresis nota est, iudex sedeat, is enim sententiam iudicandus excipere debet.

§.9. Septimo. Omnium Conciliorum præcedentium Generalium, & approbatorum decreta tueatur.

§.10. Octauo. Sanctæ consuetudines precum, ieiuniorum, pœnitentiæ pro recepto more seruentur.

Alia Conciliorum ratio iniri non potest, si enim, vt in suo Concilio Pareus facit, omnes hæreses ad iudicandum admittamus, non video quam Concilij speciem teneamus, cum reos omnes in tribunali collocemus, nec iudicio auctoritatem, nec sententijs veritatem permittamus.

CAPVT XLI.

Rationes esse graues cur Catholici, non aduersarij Concilium probent.

§.1. APpellare eos ad Concilium liberum, pium, Generale iam frequenter audiuimus, reuera Concilium nolle multis ex rebus manifestum est, è contrario nobis Concilium est optabile.

Lucem fugiunt. Caluiniani, & cæteri sectariorum in angulis loquacissimi in luce publica, & cœtu vniuersali necessario obmutescent, & lucem perosi sese in lustra sua abdent, neque enim defendere sua valebunt, si aperte loquantur, neque solitis obscuritatibus & ambiguis verborum labyrinthis errores inuoluere in tanto eruditorum cœtu facultas erit. Hactenus id strenue egerunt, vt in Colloquio Wormacensi, atque alibi: adeo vt ipsi etiam Caluino intolerabilis visa fuerit Buceri, & Melanchthonis in fallacibus articulis fingendis vafrities. Quam insigniter vero deceperint discipulos suos in Gallia Caluinistæ libro *de Synodo, & vnione Euangelicorum*, ostendi: Primarius enim vir Baro Cleruantius in vno solo articulo suos, & Lutheranos dissidere putabat, idque ipse Pareus profitetur, quod quam luculentum sit mendacium, docui priore libro. Quid igitur in Concilio spei habent, qui ne apud suos quidem initiatos, palam omnia idoli sui mysteria pandere sunt ausi? Iudicium vniuersorum necesse est vt fugiant, qui discipulos doctrinæ suæ conscios reformidant. Nostra doctrina non modo totius orbis Christiani clara in luce refulget, sed veteri Ecclesiæ cognita fuit, ad Orientem atque Occidentem radios lucis suæ explicat, & quia nihil habet pudendum, nulla parte sui celatur.

§.2. Victoriam sperare, aut Concilio Generali, pio, libero probare doctrinam suam illi non poterunt, qui nulli vnquam Concilio particulari satisfecerunt. Horridam sententiam Caluinistæ rigidi ne suis quidem collegis, Symmistis, & fratribus persuadent, multo minus Synodo Generali, pio, & libero fidem facient, mentem illam esse Spiritus sancti, cum præiudicio fratrum suorum grauati causam dicturi sint, atque examinandi, sintne Manichæi, & Borboritæ? *harum enim non æquare modo, sed superare insaniam* Rigidorum arbitrantur Molles. Par est ratio Lutheranarum partium, & particularium. Venient Vbiquitarij seorsum, alia parte Flacciani, deinde Maioristæ, & Osiandrini, & suorum ciuium prædamnatione ignominiaque notati, solo conspectu se damnatos intelligent. Neque enim videbunt secum facientem vllum Iudicem, nisi ex sua paucitate Vbiquitarium, Flaccianum, Maioristam, Osiandricum. Non dissimulauit suorum ab omni orbe venientium dissensionem Lantgrauius Hassiæ anno 1546. Spiræ in congressu cum Carolo Cæsare. *Equidem*, inquit, *in Concilio non multum habeo positum spei. Sed prouinciæ Germaniæ conuentum arbitror futurum non inutilem: Nam sententiis atque dogmate, nimium adhuc à nobis reliqui populi dissident; In Germania vero sic est comparatum, eoque res deuenit, vt mutari non possit: Nihil ergo potius est, aut præstabilius, quam vt liberam permittas in eâ religionem, sic tamen vt pacem omnes colant.* Idem deinde apud Granuellanum repetit, plane ingenuè, & vt decebat principem, fatetur *quoniam Itali, Galli, Hispani, tantopere à Germanorum dogmate dissideant, Generalis, vel vt vocant, œcumenici Concilii non magnum vsum futurum esse.* Quis igitur nunc futurus est vsus in commodum alicuius sectæ singularis, cum vnicuique sectiunculæ non modo Catholica vniuersitas & consensio constante veritate obsistat, sed decem aliæ potentiores, aut non multo inferiores sectæ inimicissimè eam oppugnent?

Spem victoriæ in Concilio habent Catholici non aduersarii.

Sleid. li. 13.

§.3. Concilium optamus, quia eius sententia, non modo religionis antiquæ integritate restituendam arbitramur, sed ablata etiam occasione religionis, redhibenda, saltem ex parte, speramus. Auctores enim sunt Catholici, repetundarum postulant aduersarios, Concilio si causa definiatur, nihil difficultatem maiorem adferet, quam nullo iure parta, possessa, dilapidata reddere. Non igitur difficile est æstimare, quinam iudicium reformident, qui in eo præsidium collocent: Et acta si legantur, inueniemus quorum calamitates executionem, & ius postularint, quorum rapacitates comperendinationem, & dilationem, ac tandem actionum intentatarum abolitionem, precibus, rationibus, minis, armis exegerint.

Timent ne reddere ablata teneãtur prædicantes.

§.4. Faciamus ita esse vt ipsi volunt, sit Concilium generale, pium, liberum, sed Generalitate Gebennensi, pietate Zwingliana, libertate Libertina. Sit inquam Concilium ex Caluinistarum præfectis, qui cunctos Mithræ Gebennensis labores & probra tolerarint. Sanctum sit, quicquid hactenus in Caluino damnatum est. Ne hoc quidem Concilium vlla de causa, nisi veritatis amore, nobis est formidandum. Si enim vincant illi, si apud illos stet veritas, non est nostra deterior futura conditio, quam illorum, multo vero melior, si vitæ commoda spectemus, quam quâ nunc vtimur. Nunc enim in timore & tremore seruimus Deo, perseuerantiæ nostræ incerti, in diuino tamen beneplacito certam spem collocamus, at vero si ad eos traducamur, omnis anxietas, dubitatio, tristitia procul in mare creticum rapidis sublata notis abibit. Nos beatissimos, securissimos, omnium post hanc vitam pœnarum immunissimos, fiducia noua præstabit. Felices errore nostro ad tempus degemus, quos nec leti metus, nec iudicij diuini, ne inferorum vel leuiter stringet. Quam multi quos nunc

Quæ futura nostra conditio si imitamur.

in

in officio metus continet, ruptis repagulis in omnia facinorosa ruent? Atque vt vere se Caluinianos probent, inter rapinas, cædes, libidines exclamabunt. *Scio me iustum esse, iustitiam perdere non posse. Damnationis esse liberum. Nulla, nulla crimina me cœlo prohibent.*

Alij sibi gratulabuntur, confessionis, ieiuniorum, cœlibatus, eleemosynarum, omniumque operum se molestia immunes, cur enim bona opera, peccata mortalia faciant? Quid deinde peccata timeant, cum eorum & culpa & pœna tollatur, si coram Deo dicant in corde suo. *iustus sum, iustitiam amittere non possum.* Imo antequam hæc dicant. Iusti effecti sunt, quia semel crediderunt, quasi ἀλεξιφαρμάκῳ impenetrabili communierunt animum, vt omnia vitiorum venena sine noxa combibere possint. Hanc doctrinam tam carni gratam, tam atheis blandam, tam omnibus vitiis illecebrosam, Concilium Caluinistice pium proponet, nos si Antichristiani sumus, si omnibus flagitijs cooperti, vt ipsi nos apud imperitos rerum criminantur, eam promptissime amplecti conuenit, cur enim doctores tam blandientes nostris cupiditatibus non audiremus? Si delicias quærimus, cur non per ipsas suauitates, & quidem sine metu aberrandi in cœlum volamus? Quid nos detinet, quo minus hanc in sectam concedamus? Hoc solum, quia aduersa veritati, moribus exitiosa. Itaque nobis Concilium in vtramque partem optandum, nullam ob causam metuendum est: si vincimus, merito de fidei sinceritate per diuinam in nobis virtutem inter has lites custoditam, quam maximas, quam submississimas gratias agemus. Si vincimur, nullum erit, vt ille clamabat: Væ victis. Quid enim victores imperabunt victis? Viuite securi, lasciuite in rosa, perire vos non posse credite. Vtinam non multi sint, qui sic vinci malint quam vincere, quandoquidem & nunc multi vincuntur illecebris, quia volunt.

Non igitur causa vlla est, cur Concilium Generale etiam purum putum Caluinisticum metuamus. Decretum Synodale erit, non quale de Nicea, vel Epheso austeri patres, stigmata Christi corporibus suis deferentes, ediderunt, sed quale de hortis Epicuri Aristippus aliquis supina ceruice, languidula voce dictaret. Quanquam non credo delicatulos illos & politulos & μακαεισμῷ ἐπιδόπας tantum operæ sumpturos vt nouos Canones conscribant, sed ea quæ iam scripta sunt, approbaturos. Habent librum Ott. Casmanni delicioſissimo titulo blandientem, inscribitur enim; PVLVINAR SECVRITATIS CHRISTIANÆ. Iure optimo ac merito. Omnibus enim Christianis securitatē beatitudinis supremam imperat, quam nulla opera bona iuuent, nulla facinora minuant. Hoc puluinari suffertos omnes de Concilio dimittent, nec dicent illud solitum: *Ite in pace.* Sed; *Hoc puluinari dormite securi.*

Puluinar securitatis Christianæ.

Inutile Cōcilium putant Sectarii.

§. 5. Concilium prudenter desiderare non possunt, qui eius nullam vtilitatem agnoscunt, aut exiguam adeo ac dilutam, vt labori atque impendiis non respondeat. Quæstionem hanc proponit Matthias Hoe Electoralis archiprædicans aulicus, & inania concilia existimat, nam *& scripturæ præiudicium adferri, & Caluinistas nolle se sententiæ Synodi subdere, aut decretis obligari, sed eādem, quā ante velle libertate docendi in munere suo fungi.* Hinc recte suo sensu argumentatur. Si igitur instrui, & doceri recusant, quid opus Concilio? Plane si Concilium non minus errare potest, quam singuli, non deerit exceptio. Omnis enim auctoritas euanida est, si analogiæ fidei Caluinianæ nō est attemperata. Nos vero Concilijs Generalibus auctoritatem infallibilem tribuimus, nobis igitur proficiunt.

§. 6. Nobis omnia hactenus Concilia generalia recte, & ex animi sententiâ cessêre, nullo enim Concilio nostra doctrina damnata est, omnibus in controuersijs pro nobis iudicatum est, aduersarij omnium Conciliorum præiudicio causam amiserunt, non iniuriâ igitur toties icti in veteribus hæresiarchis aciem illam iudiciorum euitare laborant, & veluti infames scopulos, vbi exuuias de maiorum suorum naufragio natare cernunt, Synodos exhorrent. Quicquid ergo de Concilijs cogendis prætexunt, inane est, neque enim aliud quam effugium, & corrumpendis populorum animis opportunitatē quærunt. Si enim nouum ex animo Concilium postulant, cur vetera contemnunt?

Conciliū damnati sunt sectarii.

§. 7. Solent quidem audacter nobis illi obiicere, nos Concilium pium, & liberum refugere, ne errores nostri, abusus, & scandala patefiant. Ita sane homines acuti arbitrantur, liberos se fore, si ante occupent accusationem, & sua mala in alios deriuent. Nam quod de erroribus calumniantur, nullius erroris nobis conscij sumus, nec modo securi, sed læti etiam ad hanc partem causæ accedimus, sine sanguine & puluere victores euasuri. Quos enim illi velut errores nobis imputant, dogmata sunt Martyrum sanctorum, Episcoporum, qui olim in Ecclesiis floruerunt, Concilijs præsederunt, atque ipsorum Apostolorum, inter hos ergo reos stabimus, & de Magistris nostris illis antiquissimis sententiam audiemus. Imo coram paucis totus Christianus orbis stabit reus. Si ex aduersariorum sententia res agetur.

Abusus & errores non faciunt nos Concilium timere.

Plerosque offendit (, inquit Caluinus de scandalis) *quod totum fere mundum nobis aduersum esse vident. Nec vero sibi desunt malæ causæ patroni, quin rudes, & infirmos huiscemodi machina percellunt. Valde absurdum esse, vt paucis hominibus habeatur fides, totum Christianum fere orbem negligi. Præcipue autem ad nos proterendos sacro Ecclesiæ titulo, quasi malleo se muniunt.*

Bene nouit Catholicos, sic plane obijcimus, & dicere pergimus, nec exemplo quod contra nos adducit mouemur, cum se & suos familiæ Noë comparat. *Quantum ad nos attinet (inquit) si vnus Noach cunctos sæculi sui homines sua fide damnauit, non est, quod magna incredulorum turba nos de gradu moueat.* At nondum se Noah probauit, nondum arcam exstruxit, ex qua totum Christianum orbem vt incredulorum turbam diluuio destinet, etsi præsens turba Christianorum, quæ nunc æuum non ex Caluini legibus agitat, tota illi exitio nata videtur. An & olim vita functos eodem Cataclysmo inuoluit? Errores igitur quos calumnioſe, maleuolentissimeque nobis imponunt, totius mundi sunt, quâ Christianus est, vt ipse noster Nouus Noah edixit. Ego vero ne ipsis quidem erroribus & blasphemiis Caluini tolerabile iudico. Sedere pro tribunali stigmatiam Caluinum, assidere factis suis & versibus infamem Bezam, stare sordidatos Cyprianum, Augustinum, Basilium, Nazianz. totamq; optimatum veteris Ecclesiæ nationem, & iudicum Sodomiticorū ora tremere, ad palinodiam cogi, idololatriæ & grauium errorū damnari. Si tamen inuerso rerum statu ista contingant, multo præstabilius est, in ordine reorum innocentissimorum nos iacere, quam tam iniquorum iudiciorum esse consortes. Non est igitur metuenda illa errorum nostrorum in Concilio patefactio. Aduersarij vero quo se vertāt nihil habent. Nisi hoc contumaciæ latibulum: *Se vt olim Noah fide sua gregem incredulorum Pontificiorum, Patrum, Martyrum damnare.* Etsi enim palam & exerte Martyres non damnent, cum tamen eorum fidem in nobis damnent, persequantur scriptis, ferro, & igne, nō potest eorum iudicium esse mitius in Magistros, quam in discipulos.

Caluinus totum mūdum damnat.

De abusibus & scandalis non est quod Concilium timeamus, cum nemo abusus, & scandala

prober,

probet, etiam illi qui scandalo sunt; omnino seueritatem Concilij in remouendis scandalis omnes orthodoxi imploramus, & à Concilio Tridentino, vbi eius obseruatio in vigore est, omnia pene scandala sublata sunt. Plurimum possunt scandala; sed apud rudes & infirmos, cæteri norunt prædictum esse à Christo; fore in Ecclesia scandala, ideo propter scandala ab Ecclesia non recedunt, quæ fore in Ecclesia didicerunt. Nullum igitur abusum, nullum scandalum excusamus. Si tamen grandia, & ex doctrina ipsa enata scandala videre desideras, Caluinistas adi, inuenies doctrinę ipsorum consectaria esse axiomata Libertinorum, inuenies mores, quales erant Manichæorum, & Borboritarum, & teste ipso Caluino vix decimum quemque sincerum. Pleroſque olim à veritate fidei doctores falli auertebant exagitatis tragice cleri vitijs, & occasionem dabat nonnullorum vita. Verum subito est elapsa è manibus illa accusatio, cum inter Caluinianos plura, maiora, atrociora scelera ex ipsa fide, sine metu amittendæ iustitiæ, & incurrendæ damnationis admitterentur. Itaque hæc considerans Caluinus librum de scandalis conscripsit, in quo causam scelerum agit, & ostendit Euangelio semper illa hærere. Quæ vero scandala ipse in suis agnoscat videamus. *Scandalorum molem oppositam*, Caluinismum ingressuris, ex ipso auctore eius opponamus.

Scandala Caluinismi

Primo *cum Euangelii professio longe lateque in Germania regnaret, timuisse se ait triumphale hoc Euangelium, quod ad insolentiam suos efferret.* Pergit deinde. *Nisi profanæ licentiæ dominus mature obuiam iuisset, morbus fuisset temporis successu propemodum incurabilis. Nulla doctrinæ, pisque monitionibus fuisset auctoritas. Mediocrem disciplinam, qui nondum admittere sustinuerant, iugum omne, non secus ac indomita belluæ, violento impetu rupissent.* Sentit igitur Caluinus de Euangelio, & Euangelicis abiectissime, scilicet nisi metu, & pœnis constringantur fore *indomitas belluas*. Ecce tibi: quæ facta Euangelicorum illi perspecta censes, ex quibus is qui eos genuit, qui in sanguinem suum clemens est, tam atrociter de futuris coniectat? Qualia erāt hominum illa scelera, quæ nisi malis coacti deseruissent, iam in belluarum indomitarum mores, ingeniumque migrassent, & tu hic mihi Catholicorum scandala ingeres, quem solus gladij metus à belluis separat? qui quod humanam naturam nondum per flagitia exuisti, hosti debes, & carnifici. Secundo fatetur Euangelio seditiones concitatas esse, *iustorum tamen in speciem scandali causam esse, quod simul ac publicari cœpit Euangelii doctrina: velut aperta scaturigine, multorum erupit impietas, qui religiosi antea visi fuerant.* Negat Euangelium causam esse, & credo. Sed doctrinam illam quam supra ex ipso proposui, causam esse quis negauerit? Quid mirum licentiosissimam esse vitam illorum, quibus peccantibus puluinat securitatis substernitur?

Scandala Caluinismi

Deinde cum vere & seuere dixisset: *Sed hæc plus quā sacrilega impietas, Euangelio ad scelerum prætextum abuti.* Subiungit. *Loquor de artificio iam vulgari, quo se perfidi & nequam homines, ad fallendum, fraudandum, modisque omnibus nocendum insinuant.* De suis autem ministris loquitur, *qui ministerii dignitatem extollunt plenis buccis*, ipse vero vulgi miratur patientiam, *quod non eos luto & stercoribus mulieres, & pueri operiant.* Tales igitur iam tum Caluini supercilium socios prædicantes, tam incaute turpes ferre cogebatur. *Eorum nonnullos* autem *queritur, virtutum odio, suis peræque, & aliorum vitiis libenter indulgere.* Atque hæc scandala ex ipsis fontibus & primipilis Caluinismi, quid vero populus? Populus ille suorum concionatorum contemptor, an ille melior? Dic Caluine, dic amabo te.

Populus Caluinianus solos improbos amat.

Populus autem vt gratiam referat, eos amat solos, amplectitur, fouet: atque vt suis delictis patronos habeat, suo patrocinio tuetur. Parumne scandali est, vbi soli improbi doctores amantur à populo, vt vitijs patronos habeat? Sic sane Sodomitæ & Gomorrhæi, sic Lemnij, qui prouerbio locum fecerunt immanitate scelerum, nequitiæ doctores amplecterentur, si viuerent. Agnosce lector, cur doctores Catholicos oderit populus Caluinianus, quia solos amat scelerum patronos.

Facinorum Caluinianorum Catalogus.

Forte speciatim heroica aut heroicis insigniora facta prædicantica aues cognoscere. Dabo ex Caluino. *Alii benigne hospitio excepti, vel furto onusti clam abeunt, vel aliis modis hospites defraudant: vel sollicitant ad stuprum ancillas, ac interdum etiam vxores tentare audent. Alii ad captandum miri artifices, nudatos relinquunt, quibus aureos montes pollicebantur. Alii in mutuo fallunt: alii abnuunt depositum. Alii in societate perfidi. Alii quam eleemosynæ nomine pecuniam, à bonis frugique hominibus abstulerunt, vel in scortationem consumunt, vel in aleam, vel in profusos alios luxus. Alii quod ad iuuandam eorum industriam, mutuo datum fuerat, audacter in otio heluantur.* Atque ad hæc flagitia nonnulli socias habent vxores. *Alii sacrosanctum coniugii vinculum, deceptis vxoribus & abiectis liberis, violare non dubitant. Plura sunt eiusmodi facinorum exempla, quam quibus recitandis breuis Catalogus sufficiat.* Plurima certo credo in illo Catalogo, quem accuratissimus cognitor Deus consignauit, supra omnia tamen est, hos tales à populo solos amari, in amplexu esse, foueri, patrocinio defendi, vt sint vicissim vitiorum patroni. Sed hoc tamē ipsū vincitur alio crimine: Cum enim hæc omnia fecerint, certissima, infallibilissima fiducia credunt, se iustos esse, non posse hac fide, & iustitiæ certitudine excidere, quod ego nec Sodomitas, nec Chananæos reliquos credidisse credo. Nunc ite, & veteris Ecclesiæ scandala sparsim colligite, & accusationem in Concilio meditamini.

Mutabilitas religionis.

§. 8. Quam tandem Concilio rationem reddent quotidianarum Euangelij cauponationum, & quasi in tabula depictam inconstantiam, quod nuper erat in Germania verbum Spiritus sancti, nunc sunt præstigia satanæ, mutantur in diem in die sacra, & pro voluntate principum est religio momentanea. Nihil se credere aiunt, nisi quod scripturis expressum est, & aliter atque aliter credunt in diem. Singuli suæ credulitatis sunt auctores, suæ opinionis inuentores, ideoque instabiles. De Germanis Caluinus lib. de Scandalis. *Magnifice omnes Euangelium sub vmbra iactabant,* (in Germania ante bellum) *Primas in multis locis tenebant scelerati hypocritæ.* An Saxonem, Hassum, Wirtenbergicum intelligit? *Post clademvero acceptam*, primo ad Danubium, deinde ad Albim, *quidam magni nominis principes protinus exanimati, nobiles, respublica, metu nescio quo attonitæ, sponte conciderunt.*

Accusatio illa in Lantgrauium, Wirtēburgicum, Vlmenses, Argentoratenses, Francofurtenses cuditur, aliasque vrbes, *quas* Melanchthon *ab ignauis principibus proditas esse affirmat. Hic se plusquam effœminata mollities, imo perfida ignauia aperte prodidit. Impias & sacrilegas à Christo defectiones intra biennium in natione vna plures vidimus, quam narrent omnium temporum, gentiumque historiæ.* At ille laudabiles erant multorum, ad Catholicam regressiones, conuersioneque, secutæ sunt deinde plures ad Caluinismum, atque alias sectas defectiones. Si fallo, Vna non dico Respublica, aut ciuitas, aut Ecclesiola ostendatur, sed vna anima, quæ cum primæua Augustana confessione in omnibus conueniat. Nullam dabunt: hæresēon enim est nūquam stare, semper ruere, atque impetu frangi, diuidique in nouas sectas, donec non modo omnis religio, sed nomen etiam religionis euanescat.

Quale Cōcilium colligendum?

§. 9. Aliquot controuersiarum exempla l. de pace Germaniæ protuli, de multis pauca, testes etiam ex omni genere excitaui, de vniuersitate Christianitatis

tatis paucos, sed ex quibus de Orthodoxo consensu constet, imo ita multos, vt si quis plures ad Concilium Generale, sanctiores ad Concilium pium, constantiores & doctiores ad Concilium liberum postuler, medico, non doctore opus habere videatur. Nondum autem causam tam bonam, tam euidenter victricem defero, tam inuictam aduersariorum iudicio iterumque, iterumque inculco, pudet illos sue paucitatis, cum enim aduersus illos ago, cum particula alicuius sectæ seorsum ago, quid illa, v.g. Vbiquitaria, vel Maioristica, vel Osiandrica, vel Illyricana contra tot legionum centurias, quibus veritas pugnat, vincit, triumphat, efficere queat? Quid enim præsidij in castris fugitiuorum esse potest, contra tot exercitus fortes, & bonæ causæ propugnatores? Quid obtendere poterit spuria nouitas, contra legitimi iuris & possessionis vetustatem? Scio veterem Patriarcharum tuorum, ô Nouator, responsionem. *Scripturâ vos vincere.*

Tanta multitudini pauci opponi.

§. 10. At nihil efficit illa tergiuersatio, nec effugit: speciem haberet, si in vnam interpretationē, possetis ad tempus aliquod conspirare, nunc non rem modo, sed vmbram etiam falsitas amisit, postquam instabili rotatu probata mutauit, & noua condidit. Dic enim amabo te, quo ingenio, inter tot opiniones legentium, vertentium, interpretantium, tu ista intelligis? de quâ sectiunctulâ errorem tuum incrustas? Respondebis quod Honoratus Augustino: *Cum legerem per me ipse cognoui.* Non respondebo tibi, quod respondebat Augustinus Honorato. Sed quādoquidem tu ita vis, tuo de te iudicio fruere. Certe mihi irasci non debes, si tibi ego non credo, si tot millibus te non præferam. Nam quod tu vno ex angulo clamas, id omnes sectæ è diuerso de se profitentur. Ita etiam olim fecerunt. Testis est Lyrinensis *cap. 37. libri de profanis hæreticorum nouitatibus. At si quis*, inquit, *interrogaret quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem. Vnde probas? vnde doces, quod Ecclesiæ Catholicæ vniuersalem & antiquam fidem dimittere debeam? statim ille: Scriptum est enim. Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo, & malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur.* Hoc igitur te gradu, quo securus insistis, facili conatu deijcio.

De interpretatione scripturæ.

Vt enim te solum recte scripturæ sensum percipere, cæteros omnes falli credam, aut sane non refellam, quid de ipsa scriptura dices? *An cum nondum legeresper te ipse, cognouisti sacrum esse quod lecturus eras? aut cum singula legeres, per singula, etiam quæ difficilia sunt, tibi reuelabatur diuina esse in singulis, quæ legebas?* Nulla te auctoritas mouet, vt interpreteris Euāgelia, sola tua scientia niteris, verum tamen necesse est, vt te moueat aliqua auctoritas, vt librum hunc Euangelicum credas. *Ego vero Euangelio non crederem*, inquit Augustinus, *nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas. Quibus ergo obtemperaui dicentibus, credite Euangelio, cur eis non obtemperem, dicentibus; Nolite credere Manicheo?* Caluino? *Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi.*

Itaque solius traditionis titulo, deinde consuetudinis patrocinio sine vllo scripturæ instrumento, scripturæ initio creditur. *Quis igitur tantæ audaciæ est, vt præter id quod annūciatum est apud Ecclesiam, annunciet? aut tantæ leuitatis, vt præter id, quod ab Ecclesia accepit, accipiat?* Quanta professio; *per me intellexi, meus verus est sensus, ita iure tota vniuersitatis, & antiquitatis consensio damnatur? Si enim verborum Apostoli, dogmatum, rerum, sententiarum nouitates, quæ sunt vetustati, quæ sunt antiquitati contrariæ, accipiantur, necesse est, vt fides beatorum patrum, aut tota, aut certe magna ex parte violetur: necesse est, vt omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes casti, continentes, Virgines, omnes Clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tot Confessorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas, & multitudo, tot insulæ, prouinciæ. Reges, Gentes, Regna, nationes, totus iam pene terrarum orbis, per Catholicam fidem, Christo capiti incorporatus tanto seculorū tractu ignorasse, errasse, blasphemasse, nescisse quid crederet, pronuncietur.* Vincentius Lyrinensis *cap. 33. de profanis hæreseon nouitatibus.* Hæc suo ille tempore: additi deinde sunt tot aliorum martyrum ad nouum Euangelium vsque exercitus, de quibus idem pronunciant, qui Tridentinum Concilium ob fidem istorum exercituum in Spiritu Sancto congregatum, condemnant. Quid dico condemnant? ignibus, & viscerationē persequuntur, quod vnus de Catholicis supersit, non est de eorum clementia, sed quia viribus deficiuntur. Quid vero mihi, si quis moderatius erret, respondebit? Quid causæ est cur tot non credis sanctis? Si tam superbus es, vt eos omnes errasse, te solum sapere opineris, an etiam tam es stolidus, vt tibi me crediturum esse speres? Si aliorum te mouet auctoritas, iam hoc ipso recedis à scopo, quod auctoritate duceris. Si tamen illa moueris, cur te noui, suspecti, pauci mouent potius, quam veteres & multi, qui fidem suam tormentis, & morte approbarunt? Confessionem sanguine consignarunt. Vide quantæ sit contumaciæ his non credere, quantæ immanitatis eorum discipulos velle deuorare, Antichristianos, bestialitas appellare, non enim in nobis sistunt conuitia, sed per secula sedecim, & multa Martyrum, ac Episcoporum millia ad Apostolicas vsque Ecclesias traiecta pertingunt. Moderate in re tam ardua age, quia cum tot sanctorum millibus litigas; si pacem amas, pacifice loquere. Si Concilium quæris, id quod datur, amplectere. Si nos impostores, quia his credimus, diuinæ maiestatis iudicium rescinde, ac tot Beatorum millia, quæ sanctitate, doctrina, dignitate Ecclesiastica, miraculis claruêre, cœlo deiecta, impostura damnata, orco deuoue, vbi tartarus tantum patet in præceps.

Arrogantia Sectariorū antiquitatum damnantium.

Sanctis non Nouatoribus credendum.

Quantus ad æthereum cœli suspectus olympum est.

Tu vero qui orthodoxus es, nouitates fuge. *Abscondita post Christum nobis sapientiam annunciant, rem lachrymis dignam. Si enim triginta* (nonaginta) *his annis fides originem habuit, cum quadringenti,* (mille quingenti) *fere anni ab eo tempore, fluxerint, quo Christus palam conspectus est, inane tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides nostra, & Martyres quidem frustra Martyrium subierunt, frustra etiam tales tantique Antistites populo præfuerunt.* Gregor. Nazianz. Epist. 2. ad Chelid.

CAPVT XLII.

Concilium Tridentinum suscipiendum esse, vt pax Germaniæ reddatur.

§. 1. NOn difficile esset hoc persuadere, modo absit nomen Pontificis, & odium Catholicorum, nunc, prô dolor, de religione, inuidia, ira, auaritia, disputat, tanta iniquitate, vt doctores in cœlum vehat, discipulos damnatione, exilio, carcere, gladio persequatur. Hoc glaucoma alienationis animorum auferatur, iam Concilium non difficilius Germania, quam cœteræ Europæ partes, suscipiet. Cur enim nō suscipiat, quod toties optauit? & quod meliore sui parte tenet? Principes certe vt in Confessionis Augustanæ præfatione loquuntur, Concilium generale petunt. Verba eorum sunt. *Cum etiam V. C. M. Electoribus, Principibus, & reliquis statibus imperii, non vna vice, sed sæpe clementer significauerit, & in comitiis Spirensibus,*

Germani Concilium petiuerunt.

Quæ anno Domini, &c. 26. habita sunt, ex data & præscripta forma vestræ Cæsareæ instructionis, & commissionis recitari, & publice prælegi fecerit. Vestram M. in hoc negotio Religionis ex causis certis, quæ vestræ M nomine allegatæ sunt, non velle quicquam determinare, nec concludere posse, sed apud Pontificem Romanum pro officio V. C. M. diligēter daturam operam, de congregando Concilio generali. Quemadmodum idem latius expositum est ante annum, in publico proximo conuentu, qui Spiræ congregatus fuit. Vbi V. C. M. per Dominum Ferdinandum, Boëmiæ, & Vngariæ Regem, amicum & dominum clementem nostrum, deinde per oratorem, & commissarios Cæsareos hæc inter cætera proponi fecit. Quod V. C. M. intellexisset, & expendisset Locum tenentis V. C. M. in Imperio, & præsidentis, & consiliariorum in Regimine, & legatorum ab aliis statibus, qui Ratisbonæ conuenerant, deliberationem de Concilio congregando. Et quod iudicaret V. C. M. vtile esse, vt congregaretur Concilium, & quia causæ quæ tunc tractabantur inter V. C. M. & Roman. Pontificem, vicinæ essent concordiæ, & Christianæ reconciliationi, non dubitaret V. C. M. quin Romanus Pontifex adduci posset, ad habendum generale Concilium. Ideo significabat se V. C. M. operam daturam, vt præfatus Pontifex Maximus vna cum vestra C. M. tale generale Concilium, primo quoque tempore emissis literis publicandum congregare consentiret.

In omnibus comitiis Concilium petitum ab Ann. 1520. ad 1530.

In euentum ergo talem, quod in causa religionis, dissensiones inter nos, & partes amice & in caritate non fuerint compositæ: nunc coram V. C. M. hic in omni obedientia nos offerimus, ex superabundanti comparituros, & causam dicturos in tali generali, libero Concilio; De quo congregando in omnibus comitiis imperialibus, quæ quidem annis Imperii V. C. M. habita sunt per electores, Principes, & reliquos status Imperii, semper concorditer actum, & congruentibus suffragiis conclusum est.

Ad cuius etiam Generalis Concilii conuentum, simul & ad V. C. M. in hac causa longe maximā, & grauissimā iam ante etiam debito modo, & in forma iuris prouocauimus, & appellamus. Cui appellationi ad V. C. M. simul & Concilium adhuc adhæremus, neque eam per hunc vel alium tractatum, (nisi causa inter nos & partes iuxta tenorem Cæsareæ proximæ citationis amice in caritate compositæ, sedatæ, & ad Christianam concordiam reductæ fuerit) deferere intendimus, aut possumus. De quo hic etiam solenniter, & publice protestamur.

Petitum est vt Pontifex Concilium indiceret.

§. 2. Verum est: nam Anno 1524. petitum est serio Concilium, actum cum legatis Pontificijs, qui tum Nurnbergæ præsentes erant, vt Cæsare consentiente Concilium Pontifex indiceret, huc omnia deinceps ordinata sunt, Spiræ anno 1526. & 1529. Augustæ 1530. Ratisbonæ 1532. & 1541. Spiræ 1542. & 1544. Wormatiæ 1545. Augustæ 1548. vbi etiam articulos quosdam vsque ad Synodum Generalem Imperator proposuit, iterum Augustæ 1551. hæc acta sunt, & vel Concilij sententia est expectata, vel certe parum Germano candore actum est. Testis ipse Imperator An. 1546. in recessu Ratisbonensi. Verba eius: *Cæsaream Maiestatem ad statuū Generalium submissas preces & postulata, per varias tractationes obtinuisse atque impetrasse, vt tandem Generale Concilium Tridenti vrbe Germanicæ nationis institueretur, atque inchoaretur.* De eodem Concilio sic idem Imperator Carolus V. *Generale Concilium cui se omnes status S. R. I. subiecerunt, absque dubio piam & zelosam diligentiam adhibebit, vt hac in causa multorum hominum conscientiis, & Catholicæ Ecclesiæ paci, quantum necessitas postulat, consulatur.* Cur igitur nunc homines male curiosi, pacis inimici, principes ac status, non à Concilio modo, sed à pristina etiam opinione, quam Concilio proposuerūt, abducunt? in Caluinismos, Osiandrismos, Sociniānismos conijciunt.

Status se Concilio submiserūt.

Pax sine Concilii approbatione esse non potest.

§. 3. Pacem omnes Imperij conuentus, omnes diætæ, omnia comitia poscunt, pacem, inquam, maxime vrbes, & principes, qui bello crescere nec sperant, nec volunt, pacem etiam prætendunt, qui non nisi turbatis rebus se tutos fore confidunt. At non nisi Concilij Tridentini approbatione atque acceptatione pacem politicam, vel Ecclesiasticam impetrare poterunt. Quoties iam post religionum notas varietates ciuilem pacem, & quietem, & quanto sumptu exquirunt? at nondum impetrarunt, simultates, inimicitiæ in annos singulos inualescunt. Cum enim Concilij decreta ab externis nationibus magno plausu atque approbatione sint accepta, cum nobilior Germaniæ pars illa sequatur, quæ poterit esse pax illis, quos à reliquo orbe Christiano, atque à suis collegis solitaria, & contumax opinio diuidit? quâ se solos recte sentire, cæteros impios & blasphemos idololatras esse arbitrantur? Idque eo magis, quod nec inter ipsos pax vlla, & consensio hactenus constitui possit?

Viæ ad pacem.

§. 4. Anno 1557. Quatuor ad pacem viæ proponuntur in recessu, seu decreto Imperij. *Generale Concilium, Nationale Concilium, Colloquium, Conuentus Imperii. Concilium nationale, & Imperii conuentum ad concordiam Religionis fatentur omnes principes senatusconsulto suo inutilem esse. Concilium Generale ordinatissimam, & rectissimam viam ad pacem esse decernunt, eam antiquitus à Christiana Ecclesia ad præsens tempus peruenisse, eam sine controuersia optimam, vtilissimam, commodissimam, quâ vsa sit in similibus casibus, & dissidiis Ecclesia, & felicitter causas deciderit, omni itaque cura incumbendum vt Concilium Generale colligi possit.* Interim colloquium proponunt, quia spem Concilij non habebant. At iam docuit experientia nullum colloquium paci sufficiens esse, nec potest, nam colloquium constituunt, *quod consultationem, deliberationem, in quo omnis tractatio suscepta ita se habeat, vt sine obligatione, sine præiudicio sit, nec confessionem, decisionem, determinationem, aut definitionem contineat.* Cum igitur colloquio pax facta non sit, nec fieri, vt iam res constitutæ sunt, possit, necessarium est Concilium, & quidem illud quod iam orbis terrarum amplexus est. Aduersarios eos habere non posse iam sæpe docui. Et ex professo probat Matthias Hoë aulæ Saxonicæ supremus Concionator. *Præterea si consideremus, quid generale Concilium requirat, omnes fatebuntur & dicent, impossibile esse tale Concilium institui.* Rationes adfert, quia Cæsarea auctoritate colligendū est, Cæsar id non faciet. Secundo nō posse cogi Theologos ad Concilium, sumptus deesse. Nunquam igitur pacem obtinebunt solidam, sed de erroribus in errores alios atque alios concedent, nisi Vniuersitati sese cōiungant, pax domestica infirma est, si tota ciuitas seditionibus conflictatur.

Colloquia paci non sufficiunt.

Ex legibus imperii probatur.

§. 5. Imperium Romanum, vt supra docui, sine Ecclesiastica pace consistere nō potest, eius leges ciuiles non modo nunc sunt Conciliorum, & Pontificum Canonibus temperatæ, sed olim fuêre, cum nondum Germanica natio imperaret, *Leges sæculi sacros* Canon. *sequi non dedignantur*, in authent. Vt Clerici apud proprios Episcopos §. penult. coll. 6. Nisi igitur Concilium suscipiatur, perennis erit legum Ecclesiasticarum & nouarum ciuilium conflictus, vt alibi ostendi, ac proinde nulla pax.

Imperatores Concilium susceperunt.

§. 6. Exēplo capitis sui, omnes status imperij, velut membra salutarem Concilij doctrinam, & reformationem sponte ac grato animo suscipere conuenit. At Carolus, Ferdinādus, Maximilianus, Rudolphus, Matthias, & qui nunc Augustissimi Imperij moderamē tenet Ferdinand. cōstanter veteri, Rom. Ecclesiæ adhæserunt, eius se aduocatos, & defensores profitentur. Concilium postularunt, impetrarunt, interrupti restaurationem ac continuationem vrserunt, ac promouerunt, absolutum suis subditis commendarunt. Decet quidem membra capiti esse conformia,

formia, subditos Magistratui obtemperare, sed dicent illi: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* At profecto tam sancto elogio seditiosè & impie vtuntur, non enim Imperatores illi Iudæi aut Gentiles fuêre, nec contra Deum insurgunt, vt imperent, quod Deus vetat. Quod si pro talibus eos habebant, cur populo Christiano suis suffragijs tyrãnos & persecutores imposuerunt? cur ipsi subiectu idololatræ principis stare maluerunt, quam de sua fraternitate Orthodoxum eligere? Cur Imperatorem ipsi damnant, cuius religionem tota antiquitas approbauit? Verum hæc iam supra demonstraui. Hoc vrgeo, vt planum faciam stabilem pacem esse non posse, vbi est tanta capitis, & membrorum ἀναρμονία, & ἀκοινωνία, quæ olim bello Germaniam concussit, cum principes in supremum Magistratum turbones pseudoeuangeli concitarent, quod bellum vrbium cladibus, agrorum vastatione, principum vinculis, vt nobile, ita patriæ fuit lamentabile, ac pernicioſum. Manent etiamnum qui ex Heluetia ac vicinis locis. *Imperatorem bestiam Apocalypticam* vocant, *Imperium plenitudinem diabolismi*, imo publice proximis nundinis vendita est pictura, in qua Ambrosius Spinola Heros incomparabilis, Imperatorij, & Regij exercitus dux, septicipiti bestiæ inequitat, hæc certe paci aduersa sunt. At vno ex fonte scaturiunt, quod Imperatoris religionem oderunt, cuius clementiæ, prudentiæ, iustitiæ sese commiserunt.

Ab Imperatore seiuncti sunt, qui Concilium non probant.

Graserus. & alii.

Sine Concilio se negant damnari posse Caluinistæ.

§. 7. Caluinistarum & Lutheranorum prælia inter se iam nota sunt. Caluinistæ se tuentur, quia nullo à Concilio damnati sunt. Sturmius in Antipappo. pag. 197. scribit. *Papisticam doctrinam veluti erroneam non esse diffamandam, & repudiandam, quandoquidem nullum legitimum Concilium generale hoc definiuit, nec Papistas cum doctrina sua reiecit.* Sic & Caluinistæ in Orthodoxo consensu, præf. sic Hospinianus, sic Pareus in suo Irenico. Itaque concionator Hoë hac in parte eos omnino ait *consentire cum Papistis & Iesuitis, qui aliud non possunt, quam Concilium, Concilium, Concilium clamare.* Pergit deinde aulicus ille Archiconcionator. *In quo igitur consistit Concilii necessitas? Nonne ex hoc sequitur plus in Concilio quam scriptura positum esse? Concilii auctoritatem maiorem & spectabiliorem esse quã scripturæ? Nonne hoc est omnino cingulo tenus in papatum recidere?* Si Cõcilio opus est ad damnationem falsorum dogmatum, ecce tot iam Concilia dedi, quæ ista damnarunt, cur igitur non obiiciunt Caluinistæ? Nam de scriptura sine alia auctoritate nunquam fanatici Spiritus consentiẽt. Nostra religio nullo Concilio damnata, illorum multis, damnatam igitur deserant: indemnatam, imo Concilijs approbatam, cum Cæsare capite suo sequantur.

Veteres Imperatores Concilia susceperũt.

§. 8. Quid porro faciendum sit principibus, & Rebuspublicis Germaniæ, vellem non à turbulentis veritatis hostibus, vel impostoribus discant, & apostatis, sed à priscis Imperatoribus, qui facto, & voce præiuerunt, quos æmulari decet Germanos, quos in hac vltima mundi ætate ad imperium DEVS euexit: Constantinus Niceni Concilij executionem auctoritate imperatoria suscepit. Theodosius Iunior Ephesini decreta tutatus est, Valentinianus & Martianus Chalcedonense defenderunt, nec orthodoxorum principum vllus operam suam deesse passus est, vbi ad ea quę Concilijs constituta fuerunt, requisita est. Aurea sane verba sunt in decreto Martiani Imperatoris: *Discessit iam profana contentio. Nam vere impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum reliquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen quærere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid vlterius discutit, mendacium quærit.* Multo vero impensius Tridentinum est defendendum, quia in illo & vetera Concilia inueniuntur, & piorum facta regum imitatione comprobantur.

Aliæ nationes Concilium susceperunt.

§. 9. Hoc in Concilio factum est, quod necessarium ad omnia Concilia omnes iudicarunt, nempe vt à Christi vicario conuocetur, dicant sententiam quibus ius est, securitas & libertas omnibus concedatur. Itaque Regum, Principum, & Rerumpublicarum legati adfuêre, & reges Cõcilium amplexi sunt. Cur non facient pauci in Germania principes, quod cæteros magna constantiæ, sinceritatis, religionis laude feciſſe sciunt? cur non amicos & affines exteros principes malunt, quam suspectos? Videmus quotidie animorum distractiones, occulta consilia, confœderationes, ex intima erga principes Catholicos inuidia, & odio. Hinc nationum alienationes, & hæreditaria dissidia, Itali, Hispani, Galli, à Germanis Lutheranis abalienantur, ipsi Germani perpetuis inuectiuis, calumniis, famosis libellis, contra nationes Catholicas incenduntur. Et tamen vt fragiles sunt res humanæ & fluxæ, fieri potest, vt mutuo subsidio indigeant, & quos hostes esse præsumunt, supplices illis fieri oporteat. Cur non igitur veram & antiquam religionem patrum suorum Germani principes amplectantur, Concilio Tridentino explicatam, vt amorem & fœdera cum externis gentibus ineant, innouent, confirment? Cur subditos suos à factiosis tribunitiisque concionatoribus in odium aliorum regnorum concitari permittunt, quæ regna melius de principibus Germanis, quam prædicantes ipsi merentur? Rem spectate. Nouatores principum maiores omnes id fuisse contendunt, quod nos esse ipsi fingũt, Antichristianos, hoc est, omnium hominum sceleſtiſſimos, atque hoc tam atroce crimine omnes Germaniæ familias infamant. Fidem, honorem, ius successionis, famam familiarum illustrium Concilium defendit, cur maleuolis obtrectatoribus in vestrum, & stirpis vestræ opprobrium attenditis? veros dignitatis vestræ & maiorum vestrorum defensores negligitis? Ecce Reges non minus Imperatore vestro potentes, Imperatori deferunt tamen & æquo animo secundas tenent, aut tertias, *Sacrosanctum* & *Augustum Imperium*, cuius vos nobilia membra estis, venerati. At vestri prædicantes, vt docui initio de Syncretismo, illud *Antichristianum, bestiam Apocalypticam, plenitudinem diabolismi* nominare & scribere non verentur. Hos ergo veritatis simulatione, ingenuæ, & ingenitæ nobilitati vestræ illudẽtes tandem agnoscite, agnitos deserite. An nondum agnouistis? nonne vos, & subditos vestros non sine tumultibus, pro arbitrio agitant, ac iactant? nunc in Lutheri, nunc in Caluini caulas, pecorum ritu cogunt, inde iterum in Vbiquitatis æquor immittunt? & Flaccianis ventis exponunt? nunc Episcopos auferunt, nunc restituũt? nunc mollescere cum Hollandis, nũc rigescere cum Gebennensibus adigunt? & tantum Constantes sunt in mutabilitate sua? Ad priscí igitur æui veritatem redite, nouandi enim finis non est, cum omnis nouitas veritate destituta celeriter alia nouitate tollatur.

Nouatores in suos principes sunt contumelioſi, Concilium principes defendit.

Priuati non debẽt commune ius facere.

§. 10. Nono. Errorem suum, miror, si non omnes palpare queunt. Quid enim obsecro inconsultius, quam de re communi, hoc est, de religione omnium regnorum Christianorum priuatas aliquot principum, & oppidorum leges conscribere, ordinem Ecclesiasticum constituere? Et de legibus municipalibus vnius partis ius vniuersum inuertere? Recte Augustinus in Psalm. 75. *Communis est veritas, non est mea, nec tua, non est illius, vel illius, omnibus communis est. Et nemo dicet; meum est, ne in parte sua velit facere, quod in medio est omnibus.* Quid obsecro Augustæ Anno 1530. pauci subscriptores Confessionis dicebant. *In nostra parte est veritas, reliquus orbis insanit, nos soli sapimus, alii* ὡς ὄνια ἀ πέτονται. *Nec illi modo, qui nunc viuunt, sed sacula omnia*

veritatem ignorarunt. Quomodo noui, pauci, dignum censent in suas leges migrare Christianos omnes, deserere probata, damnare salutaria? Cur non potius vniuersitati cedat paucitas, subditi suis Magistratibus, oues pastoribus?

Fidem iam sæpe mutarunt.

§. 11. Confessio opponitur æmula Concilio, Augusta Tridento, Philippus Melanchthon Pontifici. Vt Concilio credatis, Pontificem agnoscatis hortor, & rogo, nam vt à confessione recedatis ducem habetis ipsum Confessionis auctorem Philippum Melanchthonem, & iam omnes pene recessistis. Ipse suum auctor damnauit & odit opus. Regulam quam mundo obtulit, ipse infregit, quod leuibus ingeniis probauit, iam senior rescidit. Vide Rol. Pontanum l. 3. de rebus memorabilibus. Vide Epistolas Melanchthonis ad Fredericum Palatinum, vide lachrymas eius de ἀγιολατρεία.

Si Magister, & faber Confessionis tanti nominis, vt vnus Lutheri Spiritum mentemque hausisse videretur, ille nec precio, nec timore humano, nec spe illectus, confessionem deseruit, necdum Concilij decreta audierat, & sua decreta damnauit: *Non est discipulus supra Magistrum*, nolite tenere, quod is qui fecit, abiecit.

Caluinistæ igitur erimus, inquies, nam ad Caluinum ille transiuit.

Minime vero. Sequere mala damnantem, fuge deteriora sequentem. Nam ad quos Caluinistas abibis? ille mollior fuit, itaque nec sic quidem consistes, in maiore paucitate, in plurium offensione versaberis, propior tamen eris Concilio, quam sic in Rigidorum ἀυθαδείᾳ contumacia indurescas. Ad Caluinianos defecisse Melanchthonem tum eius Epist. tum Ioachimus Mörlin lib. quem anno 1565. Andreas Petri Eisleb. excudit, edocet.

At de Philippo sit vt voles. Nos confessionem opponimus Concilio. Verum nec illa certa est, nec vestris omnibus placet, mutata decies. Nec ego hoc solus, nec Caluinistæ soli dicunt, sed vestrates ipsi. Andreas Musculus *in pia & necessaria admonitione de crassis & plus quam Papisticis erroribus Maioris cauendis libr. 3. fol. 194. Auctores, inquit, confessionis tempori se accommodarunt, aut non satis considerate scripserunt.* Quid igitur, meo iudicio nouitiam, & hæreticam, censurâ Caluinistarum, facem quâ Galliæ conflagrent, Lutheranorum confessione tempori accommodatam inconsiderate scriptam confessionem præferes Concilio Tridentino, cui testimonium perhibent omnium temporum Concilia, & Patres? Quid inde vero concludit Musculus? *Ergo argumentum ab auctoritate Confessionis & Apologiæ sumptum non valet.* Merito sane; temporaria enim & inconsiderata confessio corrigi debet ad verba æternæ veritatis, ad Concilia consideratissima, ad quindecim sæculorum confessiones & martyria. Quid ad hæc Abdias confessionis assertor? *O miseram confessionem nostram, si hoc de ipsa vere asserri debet. Ea ratione quid aliud est, quam confessio inconsiderata & ad tempus accommodata, hoc modo desinet authentica esse, hoc modo præclarissima est aduersariis nostris, nos ipsos cum nostra confessione condemnandi occasio data. Hoc modo ne ipsi nos de religione nostra certi esse possumus, nec posteritati certi aliquid relinquemus, hoc modo insignia Lutheri & aliorum de Augustana confessione testimonia indignissime decidentur.*

Confessionis Augustanæ mutatio.

Hæc cum nunc facta videant, non est cur confessioni lubricæ & ancipiti adhæreant. Omnium sæculorum Orthodoxum consensum, Concilio Tridentino explicatum, traditumq; aspernentur.

Confessio ambigua.

§. 12. Non potest Confessio Augustana esse salutaris, quæ velut cothurnus vtrique pedi conuenit, quæ non duabus, sed viginti sellis sedet. Nam multis editionibus mutata, correcta, mutilataq; est, initio mutationis facto ab ipso eius auctore, vt nunc quæratur; cuius editionis sit, quisque professor.

Deinde quot hæreses sub illo pallio latitant? Caluinistæ sibi eam vendicant, sed *recte intellectam*, Vbiquitarij sibi soli illam arrogant; sed suo sensu explicatam, cæteri omnes tam diuersa sentientes, tam inimice dissidentes. Probare nititur Pareus à nemine eam defendi talem, qualis à principio est proposita. Si nemo talem defendit, cur ei mutatæ adhæret, cur non integre veritatem profitetur, qui falsitatis partem abiecit? Nonne vanam & mendacem arguit Melanchthonis, & collegarum eius de sola scriptura iactantiam, de infallibili veritate, & noua luce ampullationem, qui à confessione saltem ex parte discessit? Decepti sunt ordines Augustanæ confessionis hominum impiorum calliditate, in ipsa confessionis molitione, quia interpolata, mutata, deserta est à posteris confessio. Non igitur in confessione temporaria est æterna salus, in iactantia ἐφημερευτῶ, diaria, non est stabilitas fidei: sed in illa Petra super quam Christus Ecclesiam ædificauit, in quam Confessio Augustana dum impegit, fracta est, atque in particulas dissilijt, quas coniungere, & conferruminare illi, qui status Confessionis Augustanæ dicuntur, frustra tentarunt, non potest Spiritales nequitias connectere potestas sæcularis, nec nimium crescere Deus sinit concordiam errantium, ne pariat auctoritatem errori.

§. 13. Postremo omnes ad redeundum eo, vnde temere discessum est, mouere debet, quâ inexcusabiliter perdunt, salus. *Qui vos audit me audit, dictum est, qui vos spernit me spernit.* Dicere hoc Tridentini possunt, ex perpetua successione Episcopi, Apostolicæ Ecclesiæ coniuncti, ex traduce Apostolicarum Ecclesiarum fidem tradentes. Cyprianus Epistol. 9. l. 4. *Scire debes Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam in Episcopo. Et si qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non esse. Et frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus non habentes obrepunt. Cum Ecclesia, quæ Catholica vna est, scissa non sit, neque diuisa, sed sit vtique connexa, & coherentium sibi inuicem sacerdotum glutino copulata.* Frustra salutem exspectatis, dum sponte vos à consortio Ecclesiæ communis, & veteris, vnde salutaris doctrina ad nos deriuatur, separatis. Quæ enim excusatio deserere, & damnare doctrinam tot sanctorum, adhærere opinionibus illorum, qui eas ipsi damnarunt? *Patres Ecclesiæ fuerunt Apostoli, pro patribus nati sunt illi filii, constituti Episcopi. Ipsa Ecclesia patres illos appellat. Ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo putetis eam desertam, quia non videtis Petrum, non videtis Paulum, quia non videtis eos, per quos nata est. De prole Ecclesia venit paternitas, pro patribus eius nati sunt ei filii, constituet eos principes super omnem terram.* Principes explicandæ fidei, principes inserendæ pietatis, principes erroris abolendi.

§. 14. Vtinam illuminet oculos mentis vestræ, qui lucem habitat inaccessam, & animos roboret, vt dicere vestris nouatoribus audeatis, quod sui temporis turbatoribus dixit Augustinus, de vtilitate credendi c. 14. Christum ipsum quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi. Quibus de illo crediderim, vt ad te iam tali fide præstructus accedam, nullis me video credidisse nisi populorum atq; gentium confirmatæ opinioni ac famæ admodum celeberrimæ: Hos autem populos Ecclesiæ Catholicæ mysteria vsq; quaq; occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissime requiram, quid Christus præceperit, quorum authoritate cõmotus, Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi? tunc mihi melius expositurus es quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc com-

commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, vidixi, famæ celeritate, consensione, vetustate roboratã. Vos & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est, quin hic dignum authoritate proferatis. Quæ igitur ista tanta dementia est? Illis crede Christo esse credendum & à nobis disce, quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerẽt, nec me quicquam docere possent, multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo cuiquam, nisi ab his, per quos ei credidissem, discendum. O ingentem confidentiam, vel potius ineptiam: ego te doceo quid CHRISTVS præceperit, cui credis. Quid si non ei crederem, num aliquid de illo me docere posses? sed oportet inquit, vt credas. Num vobis eum commendantibus?

Non, inquit, nam nos illos, qui ei credunt, ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est. Vtrum per vos, an per alios? Per alios, inquit. Illis ergo credam, vt tu me doceas? deberem fortasse, nisi me hoc illi præcipue monerent, vt omnino ad te non accederem. Dicunt enim pernicioſas vos habere doctrinas. Respondebis; mentiuntur. Quomodo igitur ijs de Christo credam, quem nolunt videre? Scriptis ait, crede. At scriptura omnis si noua & indubitata proferatur vel commendetur à paucis, nulla confirmante ratione, non ei, sed illis, qui eam proferunt creditur. Quamobrem scripturas istas si vos profertis tam pauci & incogniti, non libet credere. Simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando quam reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem famamque reuocabis: Cohibe tandem pertinaciam: & nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem: & mone potius, vt huius multitudinis primates quæram, & quæram diligentissime, vt ab his potius de his literis aliquid discam, qui si non essent, discendum omnino esse nescirem. Tu vero in latebras tuas redi, nec quicquam insidiare nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus authoritatem ipse concedis.

CAPVT XLIII.

Exceptiones contra Concilij auctoritatem inanes esse.

§. 1. NON deest tamen in re clara, & reo conuicto, maximum melioris vitæ impedimentum, excusationis refugium. Causas habere se aiunt, cur ad auitam religionem redire non possint. Non est hoc solius hæreseos, sed commune humanæ prauitatis malũ, libendo peccant, peccata negando abscondunt. *Nemo*, inquit Seneca, *se auarum intelligit esse, nemo cupidum, cæci tamen ducem quærunt, nos sine duce errauimus: dicimus, non ego ambitiosus sum, sed nemo Romæ aliter potest viuere: Non ego sumptuosus, sed vrbs ipsa magnas impẽsas exigit, non est meum vitium quod iracundus sum, adolescentia hoc facit. Qui quidem nos decipimus, non est extrinsecum malum nostrum, intra nos est, in visceribus nostris sedet, & ideo difficulter ad sanitatem venimus, quia nos ægrotare nescimus. Epist.* 60. Hæc vitia sunt rerum humanarum, sed maxime errantium, nisi enim vitia sua amarent, non errarent. Imo ita fere errant, vt sanctitati & veritati errorem imputent.

Pontificis est Concilium colligere.

Prima itaque solet esse contra Concilium exceptio. Quia à Pontifice collectum est, cum id fieri debeat ab Imperatore.

Non est tamen illa legitima exceptio. Cur enim Germani, & Angli cum paucis nodũ in scirpo quærunt, cum reliquus orbis Concilium veneretur? Ipse Imperator caput Imperij hoc egit, vt à Papa indiceretur atque continuaretur, si honore sui principis tanguntur, ne eius sollicitudinem Concilium quærentis aspernentur. Cur Saxonicam confessionem Anno 1551. Concilio obtulerunt? *In qua*, aiunt, *se de concionatoribus suis non esse alicuius erroris, vel in doctrina, vel in Ecclesiæ gubernatione sibi conscios, attamen non dubitare eos tanta modestia, & pietate præditos, quin si testimoniis cœlestis doctrinæ, & vero consensu Ecclesiæ Catholicæ admoniti fuerint, ædificationi, & tranquillitati Ecclesiæ haud quaquam sint defuturi.*

Spem principum suorum ne fallant subditi, & orthodoxum consensum suspiciant eius Concilij, & vnitatem habet, & consensionem veterum Ecclesiarum. Si vero repudiant Concilium, quia Papæ auctoritate est collectum, cur recipiunt Nicenum, quod non modo à Syluestro Papa collectum est, sed suo etiam decreto definiuit, quis iure indicere Concilium possit? Athanasij *Epistol. ad Felicem de infestationibus Arianorum*, verba sunt. *Scimus in Nicena magna Synodo trecentorum & octodecim Episcoporum, ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Roman. Pontificis sententia Concilia celebrari.* Inde & Socrates lib. 2. historiæ. *Nullius roboris esse Concilia, quæ aliter celebrantur, quam regula Ecclesiastica iubeat, non oportere præter Romani Pontificis sententiam Concilia celebrare.* Tantum igitur abest, vt Pontificis auctoritas in celebratione Concilij interposita absterrere debeat status Augustanæ Confessionis, vt potius ea causa promptissime suscipi conueniat, cum sine tali auctoritate Concilium sit inualidum. Concilium enim ab eo colligendum est, qui Ecclesiæ præest, at imperatores non sunt Ecclesiæ præsides, imo sæpe fuerunt persecutores. Deinde mirari satis nequeo, quid rationis illi prætendant, qui imperatoris Caroli, Maximiliani, Ferdinandi, Rudolphi, Matthiæ auctoritate Concilia colligenda probare se dicunt, nam eorum doctores voce & scriptis hos Imperatores Antichristianos esse calumniantur, Decicornem bestiam esse Imperatorem vel Imperium contendit Aretius Apoc. 13. 2. & 15. *Nomen bestiæ est, esse filium Romanæ Ecclesiæ, seu Catholicum, seu Romanæ Ecclesiæ membrum.* Idem, *Draconem esse Diabolum qui sua ornamenta affingit imperio.* Idem, *Bestiam adorare, esse Imperatorem superstitiose colere, & id eos etiam facere, qui inuictum Imperatorem appellant.* Idem queritur vers. 8. *homines mirari principum successum, ideo in eorum partes transire.* Quomodo igitur Concilium auctoritate Imperatoria, hoc est, bestiali, draconina, Antichristiana, persecutoria, idololatrica, vt ipsi horrendum in modum Maiestatem blasphemando, fingere solent, pro Catholico & legitimo approbabunt? Quorsum igitur Imperatorem nobis obiiciunt, cuius si auctoritatem in Synodi congregatione agnoscunt, cur modestiam, prudentiam, fidem, religionem, zelum, quo in Concilij inchoatione, & continuatione Pontificem mouit, adiuuit, audiuit, sententiam Concilij amplexus est, non sequuntur? Secutus est ille in re maximi momenti Constantinum & alios pios Imperatores. Concilium quæritis Imperatoria auctoritate congregatum, quod dari non potest, cur quod auctoritate imperatoria defensum, probatum, cultum est, non sequimini? Denique & Pareus, & Archiconcionator Saxonicus auctoritate principali imperari Concilium posse sentiunt, vt integrum non sit illud quocunque modo recusare, quia potestatem etiam coactiuam ad Synodum esse necessariam iudicarunt. At qui Imperator coget Hispanos, Italos, Gallos, Anglos, Suecos, Polonos, alios? scilicet exteros, nec sceptro suo obnoxios, ad itinerum pericula, expensarum damna coget, quem vos adeo imbecillem putatis, vt paucos negotiatores Mulhaimenses, ab iniquo conatu, & insano

Nicena Synodus non vult absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari.

Hæretici non possunt Imperatorium Concilium approbare.

Imperator Concilium non potest colligere.

sano sumptu faciendo cohibere non possit? quem in ædibus illis imperatorij vigoris prouocatricibus dormientem pinxistis, cuius aquilam ἀπτερυγον & inplumem contumelioſe formastis. Qui igitur huiusmodi Concilium quærere sese simulant, omne Concilium reijciunt? Nonne initio Lutherus expresse docuit, l. von Hauptarticulen Christlichen Glaubens. *Papam teneri Generale Concilium instituere?* Quis eum credat ad hoc teneri, quod facere illi non licet? Si Concilium ab eo collectum irritum est, inualida auctoritate collectoris, quæ lex eum cõstringit vt incassum laboret? Irridendo conatu mundũ commoueat, quem vbi conuocauerit, præter expensas nihil effecerit? Imo idcirco res tota peritura sit, quia auctor Papa?

§. 3. De Luthero vero si quis parum sollicitus sit, is integri conuentus imperialis consideret vnanimẽ sententiam. An. 1524. ita est decretum Nurnbergæ.

Totum Imperium dat Pontifici potestatem Concilii colligendi.

Et ne bona pariter cum malis opprimantur, & demum definiri possit, quid hac in causa cuique faciendum sit: Visum est nostro Locum-tenenti, oratori, atque etiam electoribus, principibus, prælatis, comitibus, & statibus imperii hic præsentibus, tanquã summe necessarium, vt generale, liberum, vniuersale Cõcilium totius Christianitatis, quod per Pontificiam sanctitatem cum nostro consensu commodissime, si possibile est, fieri potest, opportuno loco nationis Germanicæ, vti decet, promulgetur, & conscribatur. Qua de re cum Pontificiæ sanctitati legatione hic actum est, quæ id ad referendum Pontificiæ sanctitati, & fidelissime promouendum acceptauit. Quorsum opus his imperij decretis, si Papa colligere non debet Concilium, aut si id quod Papa collegit ex sententia totius imperij, & postulatione, ideo irritum est, quia auctorem habet Papam. Quod si rectum est Imperij iudicium, facile videmus quam demens sit prædicantium audacia, qui sententiam Maiestatis Augustæ, atque omnium Electorum ac Statuum tum præsentium, priuata obtrectatione & malenolentia rescindunt. Fuêre autem præter Catholicos eo in Concilio, Ludouici Palatini, Frederici Saxonis, Ioachimi Brandeburgici Electorum legati, multorumque aliorum principum, quorum acta probauit, deinde, eorum qui misêre consensus. Sera igitur contra auctorem Concilij est exceptio, si auctorem ipsi elegerunt.

§. 4. Altera exceptio. Concilium Tridentinum non fuit liberum, nec Germanicæ nationis: nam Tridentinum est in Italia loco parum salubri, cuius Episcopus fuit Cardinalis.

Facile igitur se ab æstu tuerentur prædicantes, præsertim cum Imperator, & Iulius Pontifex, nisi impedimento prohibiti fuissent, eo se conferre parati essent. Cum tot hominum opulentorum, & principum fuerit idonea sedes, maxime cum inter Italicos soles, & alpium frigora quasi temperatâ aurâ tepeat. Nam frigus quod Tridento adscribunt Cosmographi Itali & Hispani, minus est boreali algore, & si tamen Saxonicam Balticamque hiemem vinceret. Tridentinum gelu, ea de re queri Italos, Siculos, Hispanos, Francos oportebat, quos ex natiuo calore in rigentes plagas Germanorum discordiæ attraherent, nonne illi mitius cœlum, pauloque quietius orarent?

§. 5. Quod de libertate negata queruntur, iniquissimum est, & falsissimum, solum ad inuidiam Catholicis ficta formidine concitandam. Nam ciuitas Germanicæ nationis est, Tridentum, sub ditione Ferdinandi tum erat, & nunc quoque Austriacæ domus est. Quomodo igitur oppidum Cæsareum libertatem imminuit, quam Cæsares ipsi sartam tectam seruabant? Nec Cardinalis obstitit, imo nec potuit, cum non ipse modo, sed vniuersum Concilium cum Pontifice & Imperatore omnibus Germanis cæterisque nationibus saluum conductum non semel sed iterum, iterumque ediceret? Tantum tot Ecclesia Christiana nationi Germanicæ indulsit. In sessione 13. sessione 14. & 18. Atq; vt illi quibus Concilium ad manũ non est, habeant, quo suorum prædicantium mendacia refutent, describam saluum conductum, qui datus est sessione 18.

SALVVS CONDVCTVS
concessus Germanicæ nationi.

In congregatione generali, die IV. Martij MDLXII.

SAcrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem sedis Apostolicæ legatis. Vniuersis fidem facit, quod omnibus & singulis sacerdotibus, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militaribus, Popularibus, & alijs quibuscunq; viris, cuiusque status, & conditionis aut qualitatis existant, Germanicæ prouinciæ, & nationis Ciuitatibus, ac aliis locis eiusdem, & omnibus aliis Ecclesiasticis, & sæcularibus præsertim Augustanæ Confessionis personis, qui aut quæ vna cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur aut profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore præsentium, publicam fidem & plenissimam, verissimamque securitatem, quam saluum conductum appellant, libere ad hanc ciuitatem Tridentinam veniendi, ibidemq; manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi vna cum ipsa Synodo de quibuscunque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, & omnia quæcunque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet tam scripto, quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis sacris & beatorum Patrum verbis, sententiis & rationibus declarãdi, astruendi, & persuadendi, & si opus fuerit etiam ad obiecta Concilij generalis respondendi, & cum ijs, qui à Concilio delecti fuerint, disputandi, aut caritatiue, absque omni impedimento conferendi, opprobrijs, conuitijs ac contumelijs penitus semotis; & signanter, quod causæ controuersæ, secundum sacram scripturam, & Apostolorum traditiones, probata Concilia, & sanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur; illo etiam addito, vt religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum, minime puniantur, impertitur, ac omnino concedit; sic etiam, vt propter illorum præsentiam, neque in itinere, aut quorumque locorum, eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa ciuitate Tridentina, à diuinis officijs quouis modo cesserur. Et vt his peractis, vel non peractis, quandocunque ipsis libuerit, aut maiorum suorum mandato, & assensu, ad propria reuerti optabunt, aut aliquis eorum optabit, mox absque vlla renitentia & occasione, aut mora saluis rebus eorum & suorum pariter honore & personis vice versa, possint iuxta beneplacitum libere & secure redire; de scientia tamen ab eadem Synodo deputandorum, vt tunc opportune eorum securitati, absque dolo, & fraude prouideatur. Vult etiam sancta Synodus, in hac publica fide saluoque conductu, omnes quascumque clausulas includi, ac contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate in eundo, stando, & redeundo necessariæ & opportunæ fuerint. Illud etiam ad maiorem securitatem, & pacis & conciliationis bonum, expri-

exprimens, quod, si quisquam, aut illorum aliqui, siue in itinere, Tridentum veniendo, siue ibidem morando, aut redeundo, aliquod enorme quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset huius fidei publicæ & assecurationis beneficium, eis concessum, annullari, aut cassari, vult & concedit, vt in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsis dumtaxat, & non ab alijs condigna animaduersione cum emenda sufficiente, per partem ipsius synodi merito approbanda, & laudanda, mox puniantur, illorum assecurationis forma, conditionibus, & modis omnino manentibus illibatis. Pariformiter etiam vult vt si quisquam vel aliqui ex ipsa Synodo, siue in itinere, aut manendo, aut redeundo, aliquod enorme, quod absit, egerint, aut commiserint, quo posset huius fidei publicæ & assecurationis beneficiū violari, aut quoquo modo tolli, in huiusmodi facinore deprehensi, ab ipsa Synodo dumtaxat, & non ab alijs condigna animaduersione, & emenda sufficiente per partem Dominorum Germanorum Augustanæ confessionis, tunc hic præsentium merito laudanda & approbāda, mox puniantur, præsenti assecurationis forma conditionib⁹, & modis omnino manētibus illibatis. Vult præterea ipsa Synodus, quod liceat ipsis Ambasciatoribus, omnibus & singulis, toties, quotiescūq; opportunum fuerit, seu necessarium ad auram capiendā exire de ciuitate Tridētina, & reuerti ad eandē, nec non nuntiū, vel nuntios suos ad quæcunq; loca, pro suis necessariis negotiis ordinandis libere mittere, seu destinare ac ipsos missos, seu destinatos, seu missum & destinatū suscipere toties, quoties eis videbitur expedire; ita q̄ aliqui, vel aliquis p̄ deputādos Concilij sciantur, qui eorum securitati prouideant, vel prouideat. Qui quidem saluus conductus & securitas stare ac durare debeat à tempore & per tempus, quo in ipsius Synodi, & suorum tuitionis curam ipsos suscipi contigerit, & vsq; ad Tridentum perduci, ac toto tempore mansionis eorum ibidem, & rursum post sufficientem audientiam habitam, spatio viginti dierum p̄missō, cum ipsi petierint, aut Concilium, habita huiusmodi audientia, ipsis recessum indixerit, à Tridento vsque in quem quisq; elegerit sibi locum tutum, Deo fauente, restituer, dolo & fraude prorsus exclusis. Quæ quidē omnia pro vniuersis, & singulis Christi fidelibus, pro omnibus Principibus, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus quibuscunq;, atq; omnibus aliis Ecclesiasticis, ac sæcularibus personis, cuiuscunq; status & conditionis existant, aut quocunque nomine censeantur, inuiolabiliter obseruanda esse promittit, & bona fide spondet. Insuper, omni fraude, & dolo, exclusis, vera & bona fide promittit, ipsam Synodum nullam vel manifeste vel occulte occasionem quæsituram, aut aliqua auctoritate, potentia, iure, vel statuto, priuilegio legum, vel canonum, aut quorumcunque Conciliorum, præsertim Constantiensis, & Senensis, quacumque forma verborum expressa, in aliquod huius fidei publicæ & liberæ audientiæ, ipsis per ipsam Synodum concessæ præiudicium quouis modo vsuram, aut quemquam vti permissuram, quibus in hac parte pro hac vice derogat. Quod si sancta Synodus, aut aliquis ex ea, vel suis cuiuscumque conditionis vel status, præeminentiæ existens præscriptæ assecurationis, & salui conductus formam & modum in quocunque puncto vel clausula violauerit, quod tamen auertere dignetur omnipotens, & sufficiens emenda non fuerit mox subsequuta, ipsorum arbitrio merito approbanda, & laudanda, habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas iure diuino & humano, aut consuetudine huiusmodi saluorum conductuum violatores incurrere possunt, absque excusatione, aut quauis in hac parte contradictione.

§. 6. Maiorem libertatem vel in Concilio, vel republica datam nemo facile dixerit. Itaq; dum timorem causantur, satis ostendunt causæ se diffidere, lucem vereri, malle se in Germania simplices fallere, quam Ecclesiæ conspectum subire. Cur enim locum & libertatem declinent, cum illum totum Imperium approbarit. In decreto Imperiali Anno 1548. Augustę promulgato habetur, quo Lectorem remitto.

§. 7. Cur hic vniuersum imperium, nihil de loco, de libertate, & conuocatore Concilij queritur? sed illius sententiæ sese subijcit? Quis autem fascinauit multos, vt nec veteri Ecclesiæ, nec recenti Concilio, cui omnis antiquitas consentit, crederent? Quis tam cito transtulit Germanorum constantiam, vt nec venirent ad Cōcilium, nec decreta eius tuerentur? Nempe illi qui à prima Ecclesia eos absciderunt, nunc hoc agunt, ne cum reliqua Christianitate coalescant, & ne hoc aliquando fiat, miseros in plurimas sectiunculas, & monstrosa tam nomina, quam dogmata diuidunt.

§. 8. Tertia exceptio. *Soli Episcopi, Cardinales, Monachi sententiam dixere, à iure suffragij Laici excluſi sunt. Non igitur fuit Concilium legitimum.*

Nemo excluſus est, cui ius est veniendi, & sententiam dicendi.

Omnibus potestas cōsidendi data est, quib⁹ iure competit.

Verba Pontificis Concilium indicentis ista sunt: *Omnes omnibus ex locis tam Venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos & dilectos filios Abbates, quam alios quoscunque quibus iure, aut priuilegio in Conciliis generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas est*, &c. Veteri religione standum est, ac proinde veteri iure Concilia indicenda, & celebranda sunt. Cum vero potestas detur vniuersis veniendi, sententiamque dicendi, quibus iure aut priuilegio concessum est, nemo queri potest se excluſum, nisi contra ius venire iustum esse quis iudicet.

Episcoporū est in Cōcilio iudicū.

Olim autem fuisse de fidei controuersiis iudicium sacerdotibus permissum clarius est, quam vt doceri oporteat. Quid enim clarius quam Nicenæ Synodi 318. Episcopos subscripsisse, nullum Laicum? Aut igitur vnicum ex omnibus Cōciliis det, cui cum Episcopis Laici subscripserint, & sententiam definitiuam dixerint, & de Tridentino querelas audiemus, aut si non potest, omnia vetera Concilia vnico nutu abijciat, seq; ad hostes omnium Conciliorum, hoc est totius Ecclesiæ, aperte & absque insidiosa simulatione conferat. Scimus quibusdam Imperatores subscripsisse, sed pium illi cōsensum ea re se testari sunt protestati, non iudicandi sibi partes arrogare.

Iusiurandū eorum qui in Concilio fuere pro sunt veritati.

§. 9. Quarta exceptio. *Prælati qui Concilio interfuêre iureiurando Pontifici obligati fuerunt, non igitur liberæ sententias dixêre.* Constituto hoc, quod verum esse fatentur omnes, legitimo iuramento Judicum, Consiliariorum, Senatorum, non tolli sententiæ dicendæ libertatem, sed firmari, disquirendum est de iuramento Prælatorum in Concilio Tridentino, anne veritati obstiterit? Potius profuisse docet Petrus Fontidonius oratione ad Germanos. Nam iureiurando *ad veritatem docendam, atq; acceptandā prout sciuerint, & potuerint adacti sunt.* Non autem obstat quo minus libere veritatem inquiras, si id te facturum esse iuraueris. Alioqui principes subditis quos sibi iuramento deuinciunt libertatem eripere censerentur. Cum vero *iuramentum non sit vinculum iniquitatis*, optime norunt omnes, se nullo iuramento teneri, vel ad mendacia defendenda, vel opprimendam veritatem. Quid vero? an Principes imperij, quia iuramento obligati sunt Imperatori, idcirco à veritatis confessione arcentur? Quis Theologorum Protestantium non multis, imo iniustis iuramentis obstrictus est? Adiuratus & adiurans in suæ Academiæ hæreses?

§.10. Quinta exceptio. *Concilij Tridentini definitiones, & Canones non sunt secundum verbum Dei, merito igitur illos recusamus, cur enim humanis nos subiiciamus legibus? solus* CHRISTVS *sententiam dicat, solum eius verbum audiatur.*

Non constat sibi incertus error, in seipsum impingit, seque elidit tandem falsitas, dum vndique veritatis manifestationem fugit. Paulo ante Laicorum suffragia æquabant sacerdotum decretis, nunc solum Christum, hoc est, scripturam audire dignantur, atq; vtinam audiant, sic enim audirent etiam sacerdotes, quos audiendos esse scriptura pronunciat. Quæ de scriptura sola dicenda erant, variis locis explicata sunt. Si enim sola scriptura sufficit, quid opus Concilio? Nam in eo agendum est, de vero sensu, & interpretatione scripturæ. Non ignorabant scilicet principes Imperij de hac causa agi, cum Concilium petierunt. Nec dubitasse de veritate diuinorum eloquiorum, sed interpretationum pacem quæsisse tanto labore constat.

§.11. Sexta exceptio. *Scandala sunt in Papatu, & mala sæpe vita Paparum, non igitur legitimum Concilium.*

Non vtar communi, sed vera, & quam Christus quoque probauit, responsione, Luc.18. nec vicissim regeram tibi trabem inhærere, qui euellere de Papatu festucam laboras, quia non debeo vitia errantium componere peccatis Orthodoxorum, iniqua est cõparatio Catholici cum hæretico, maxime imputatitio, cui nullum facinus iustitiam excutit. Hæc itaque mittamus, ne nos cum Luthero docere cogamur, Euangelicos septem diabolis in Euangelio obsessos esse, qui vnico solum antea vexabantur, ne cum Caluino queri, ex Caluinistis vix decimum quemque sincerum esse, &c. Hoc vnicum atque vnicè rogo. Ne illi accusent innocentes, atq; ex inuidia nominis, odioque communem causam faciant, ego nocentes non defendam. In Concilio multi docti, sancti, atque vita integri fuere Gardinales, Episcopi, Sacerdotes, doctores, si de moribus iudices ex vero, non ex detractorum maledicentia. Quis ex tanto numero παραδειγματίζομενος publiceque infamis instar Caluini & Bezæ? Ecce tantum Concilium in conspectu est, recense subscriptorum peccata, & proba, si accusas, aut probare te posse assere, si conuitiaris. *At parietibus tecta sunt.* Hoc tibi vnde notum sit quæro, quod tam sollicita cautione tectum est? Nam si absq; argumento accusas, calumniator es. Sint tamen & apud nos scandala, vt reuera sunt, atque vtinam in auctorum exitio, atque damnatione sisterent. Non tamen desinit Ecclesia esse, quamuis etiam intra septa sua malos teneat, nec Christus non erat caput Ecclesiæ, quia erat & Judæ, non amittit naturam triticum quamuis sit inter zizania. Episcopus non amittit dignitatem & officij potestatem, imo nec fidei veritatem, etsi non sint *opera eius plena coram Deo suo.* Alioqui cur principes sæculi peccando non excidunt sedibus suis, si in ordinẽ redigitur Episcopus, vbi lapsus fuerit? Quod si decreta de reformatione legeris, facile animaduertes Concil. recta docere, monere, hortari, reprehendere, siue illa Pontificum, & Romanæ curiæ, siue regum & magnatum sint. Nemo vel Simoniam, vel alia flagitia probauit, sed vero iudicio omnes amputanda censuerunt, licet multorum malis impares sint leges, quod solum illi nesciunt, qui humanum genus ignorant.

Scandala non debere ab Ecclesia arcere.

§.12. Septima exceptio. *Falsa est doctrina Concilii, ipsum igitur Concilium est repudiandum.*

Jam supra demonstraui Concilij decreta, atque dogmata ex veteri Ecclesia ad nos vsque perpetua, & nusquam interrupta serie peruenisse.

Hoc sane operæ precium fuerit, cognoscere, quinam sint, qui Concilium Tridentinum falsitatis accusant, qui medijs in discordijs, & de religione contentionibus, quibus Germania concutitur, vniuersalem Ecclesiam iudicant. Vestris dissidiis medelam à Concilio quæsitis, arbitros elegistis, nunc iudicem, postquam causa cecidistis rei, calumniari iuuat. Germani suis dissidiis agitati Christianum orbem implorarunt, Concilium rogarunt, ægro membro vno totũ concussum est corpus, vna pars Ecclesiam vniuersam fatigat, & eius pro se laborem vltro contemnit, consilium aspernatur, imitata phreneticorum insaniam, quorum furor primo contra medentium sollicitudinem asperatur. Pacem religionis habebat Italia, maiorum institutis viuebat Anglia, vt seruaretur Vngaria Pontifex & Cæsar annitebatur, Gallia quiescebat, nullus enim erat Caluinianus, Lusitania in Oriente, Hispania in Occidente fines imperij & Euãgelii propagabat, tanta bona turbauit, & spes maiores intercîdit noua fides Germanorum, quæ postquam in se diuisa & lacera, ferre amplius, quæ ipsa fecerat mala, non poterat, ad vniuersam Ecclesiam respexit, vt domesticas factiones vniuersitatis iudicio, & consensione componeret, atque vtinam in eo, quod recte institutum erat, perseuerasset. Sed iidem Curiones, tubæ ciuilis belli, restituendæ paci obstiterunt, itaque contempto Concilio dati in reprobum sensum, in se mutuo conuersi amplius etiam furere cœperunt. Quid enim audacius, stolidiusque, quam eos quos iudices omnes elegerunt, à reorum desperatissimis damnari, & quorum iam causa protrita atque euicta extremo suffragio damnanda erat, eos iudicum præoccupare subsellia & quæ sibi mala timebant, in indices conuertere? *Doctrina*, inquiunt, *Concilii falsa est.* Falsa igitur doctrina illa quam Concilio Tridentino veterа Concilia, Patres, tradiderunt. Si non est igitur in toto orbe veritas, in qua Germaniæ factione demum illa domicilium habet? Pacis omnem spem abscindit hæc accusatio, nemo est Memnonista, nemo Zvenckfeldianus, nemo Vbiquitarius, Socinianus, Trinitarius, Sacramẽtarius, Flaccianus, Maioristа, Anglopapista, Puritanus, qui non hac oratione omnia vetera, noua, maxima, minima Concilia irridere possit, atque eludere, si falsum id esse dicat, quod suæ opinioni est repugnans, suæ voluntati ingratum est, suæ gloriæ aut commodis aduersum.

Hinc illa immanis in nouitiis religionibus, & celeberrima Schismatum atq; nouarum sectarum propagatio, hinc æterna bella sunt, in quæ dæmon eos præcipitat, qui remedia pacis contemnunt. Nam quæ pax in regno, quæ ciuium concordia, quæ familię poterit esse coniunctio, mutaque officia, nisi aut Magistratus, aut paterfamilias finiendarum litium habeat potestatem? Quis ferre poterit eos, qui omnem iudicem, atq, iudicium prorsus fugiunt? Qui enim Concilium contemnunt, quem iudicem tandem admittent? De illis recte Cyprianus libro primo. Epistol. 3. *Quales putas eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec domini comminatione, nec futuri iudicii vltione terrentur? Neq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natа schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperetur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex* CHRISTI *vice cogitatur, cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersus collegium sacerdotum, quicquam moueret.* Itaque euidens est signum Schismatis, Concilii fuga atque obtrectatio.

§.13. Octaua exceptio. *Concilia raro prosperos euentus habuêre, non igitur Tridentinum est suscipiendum.*

Concilia legitimè instituta non sua culpa, sed hominum impiorum malitia, & calliditate interdum bella persecutionesque peperêre. Christus ipse docendo, recte viuendo, miracula edendo inuidiam Judæorum in sese armauit. Leges iustæ & seruandæ reipu-

Cuius causa indictum Concilium.

Cur Concilia sæpe causa discordiarum.

Reipublicæ prudenter latæ, multis exitio sunt, ipsa disciplina, monitio, atque correctio tumidis, & asperis ingeniis est detrimento. Nicenum Concilium quas dedit turbas, cum primum stylo, & voce, deinde armis munita hæresis Ariana se de Orthodoxis vindicaret? Nemo in accusationem legum vertitur, quia lege in maleficos agitur, nemo disciplinam accusat, quia sæpe irritat feroces animos, vt in abrupta vitiorum licentiosius, atque desperatius ruant, non sunt hæc vitia rerum bonarum, & quarum custodia ciuitatibus, & regnis necessaria est, ad frangendos improborum conatus semper retenta, sed hominum impiorum, qui legibus contineri, & regi nolunt. Ita nec Concilium Tridentinum paci consecratum, pacis studiosissimum, (quod ad vnius nationis pacem conciliandam, & reliquæ Christianitati coniungendam toto orbe conuenit Episcoporum atque doctorum multitudo, turbarum sequentium causa fuit) verum illi, propter quorum turbulentos conatus Concilium congregari oportuit.

Fructus Concilij Trid.

Verum plura de fructu tam magni, sanctiq; Concilij dicenda arbitror. Nam primo, Consensus Catholici orbis in eo patuit, non inter diuersorum regnorum Theologos duntaxat, sed cum primæua Ecclesia.

Deinde, Reformati mores cleri, & plebis, quæ reformatio etiam Germaniam magna parte illustrauit.

Tertio. Omnes hæreses Concilij anathemate, quasi fulmine ictæ deteriore conditione fuêre, quam ante, sensim ad vetustatem, & interitum tendere inceperunt, Anno 1564. confirmata est Synodus, cum vltima sessio inchoata fuisset Anno 1563. die 3. Decembris, absoluta die 4. Post illud tempus multo magis diuidi hæreses, & interire mutuis anathematismis cœpere. Vsqueadeo vt nunc vix vlla ciuitas in Germania inueniatur, quæ omnes eas hæreses tueatur, in quas tum, cum inchoaretur Concilium, coniurarunt. Nemo iam confessionem Augustanam integram profitetur, dimidia pars Lutheranorum interea ad Caluinismum defecit, vel ad Catholicam vnitatem redijt, Caluinismus inter Catholicos propagari desijt, ea quâ ante pollebat potentia, quin & ipse iam in pares factiones diuisus ruinam minatur.

§. 14. Nona exceptio. *Qui in Concilio consederunt, inimici sunt, & aduersæ factiones, non igitur audiendæ sunt nobis, nec est æquum nos hostium stare iudicio.*

Concilium Tridentinũ tam est inimicũ Germanis.

Vtinam vel Tridentinorum vos hostes non essetis, vel illos esse hostes vestros non fingeretis. Quomodo enim hostes, qui toties ad concordiam inuitarunt? Qui vestri causa sumptum fecerunt, molestias peregrinationis sustinuerunt? Errorum aduersarios fuisse nullus dubito, cum ipsi, ne dubitare quis possit, eos damnarint. *Sed tamen hostile Concilium.* Sed obsecro quodnam amicum Concilium vocas? Si Caluinianus es, Lutherani sunt tuo iudicio *turbulenti veritatis hostes.* Si mollis Caluinista, *Rigidi te quouis hæretico, Turca & Iudæo deteriorem iudicant.* Si Rigidus es, molles & Manichæum & Borboritam asseuerant. Si Maioristа es, aut Flaccianus, aut Osiandrinus, omnes habebis inimicos, qui tuæ factionis esse nolunt. Quale igitur Concilium eligis? an ex eo hominum genere, quod tibi addictum est, aut cui tu auctoratus es? Tali Concilio vinces, sine certamine, sine periculo, prudentissime enim iudices legisti, neminem enim admittis, nisi qui te iam ante absoluit, nisi cui eadem tecum est causa.

CAPVT XLIV.

Pacis ineundæ ratio.

§. 1. O Bona pax, ô sincera pax, disputationis meæ finis, Ecclesiæ felicitas, vbi te quæram? Me vas electionis Paulus Rom. 14. 19. *iubet sectari quæ pacis sunt.* Petrus Ecclesiæ petra Epist. 1. cap. 3. v. 11. *inquirere pacem, & sequi eam.* Et ipse Deus *non dissensionis est auctor, sed pacis.* Sed quem de pace compellabo? Imo quem compellant iam dudum mecum Catholici omnes? Non Theologos aduersæ partis; nam ἀσπονδον πόλεμον, æternum sine fœdere bellum nobis indixerunt. Quid illis faciemus? quid ab illis exspectabimus? nuper ex illorum cœtu vnus, Josephus Hallus Polemicen inchoauit, & primam eius partem, *Romam irreconciliabilem vocauit.* Vbi ait, *necesse esse ipsos & Romam disconuenire*, Sect. 21. & Sect. 22. *Citius Romam nouam creauit Deus, quam reformarit veterem.* Non tamen à pace maledictis arcebimur, si à Theologis reijcimur, ad Politicorum moderationem, principum æquitatem confugiemus. Forte facilius pacem dabunt, qui nunc callido stratagemate inducti bellum gerunt.

Pax omnib. optata, sed paucis quæsita.

Omnem agendi occasionem præcidunt, ne vera audita cogantur.

§. 2. Nunc itaque vos, ô Reges, & Principes, quamcunque religionem à Romana, Catholica, vetere diuersam fouetis; conuenio. Vos pacis arbitros, patronos, aduocatosq; supplex voco. Magnum est; fateor; & difficile; quod doleo. Sed magna tamen à magnatibus peti, fas est, & quæ natura sunt difficilia, potentia largientis efficit facilia.

Principum opus prima viũ est pax.

Sperandæ mihi pacis causa est, quæ & vobis dandæ; humani ingenij imbecillitas; quod vehementer quædam affectat, & eadẽ perniciter relinquit. Quod abeunte die fixum, ratumq; habuit, redeunte dãnat, & refigit. Hoc igitur indulgendum infirmitati, & vbi innocentiæ perseuerantia non fuit, sit pœnitentia: liceatq; eo redire, vt concedatur, quod inconsultè negatum fuit; & abdicetur, quod incautè admissum est.

Ambulatoria voluntas reconciliabilis. Ex errandi procliuitate facilis venia

Exempla in manu sunt, & in archiuiorum vestrorum actis, intra annos centum centies tentata pax, & inter nos, & vestros; sed & in partium vestrarum varijs partibus. Quæ enim regio, quæ ciuitas tenet eam fidem, quam primam post egressum è nostra Ecclesia recepit? Alii à Zvvinglio cœperunt, & ad Lutherum accesserunt; pleriq; post multiplices in Lutherismo commutationes ad Caluinum discesserunt.

Multæ mutationes ostendunt aliquas posse fieri in melius.

§. 3. Ecce autem cum hæc ipsa scribo anno 1618. calendis nouembribus, noua pax, noua Synodus inter Gommaristas, & Arminianos agitatur, hoc est, inter capitalissimos, quos Europa tenet, inimicos. Arminiani Gommaristas, *Manichæos, Borboritasq;* esse protestãtur, atque Dei loco ipsissimum Dæmonem adorare. Gommaristæ nunc militari manu fortiores in Arminianos eadem linea procurrunt. *Turcis, Iudæis, omnibus hæreticis, atq; ipsis adeo Iesuitis* aiunt *esse deteriores*, nec de pace tamen desperant, quamuis pacem nunquã consequentur, vtcunq; inducias, & syncretismos comminiscantur, quia vtriq; pacis stabilimento, hoc est, veritatis fundamento carent. Nec vnquam Deus errorum consensum permittit, quin sinat ex eius natura plures dissensiones fluere.

Consensus errantium multiplicat errores.

Si igitur inter tam infestas iras, inueterata odia, recentia vulnera pax sperarur, & tentatur; cur non etiã inter nos & illos, qui in sua opinione vehementes, sed tamen instabiles sunt? Bonus & misericors Deus miseratur errantes, forte dabit, vt illæ regiones, quæ ter, quater, quinquies, sexiesq; ad aliam religionem mutatæ sunt, aliquando mutentur ad veram. Quos dudum anfractus viarum in Labyrintho lassarunt, inuenire aliquando verum exitum possunt.

§. 4. In-

§. 4. Infelix sanè error, qui alio errore, vt fluctus fluctu truditur, nunquam veritate eliditur. Confessio Augustana duodecies mutata est, vt est in Colloq. Hertsb. fol. 91. 92. In cõuentu Naumburgensi exemplar sincerum frustra quæsitum est. In Altenburgensi Theologi Jenenses eam Cothurnum appellarunt. Omitto cætera. Si toties vestri Theologi errarunt, in tot sectiones diuisi sunt, possunt ẽt nunc errare; possunt damnata resumere, & ad Catholicam fidem redire. Hoc facile futurũ est, si vos ô principes, patrum vestrorum vestigiis insistere velitis, ad nutum enim principum videmus verti populorũ opiniones, dum potestati se omnes, (quod nunc in religionis negocio verbum proprium infelicitas temporum fecit) accommodant.

Sich) bequemen/ est religionẽ mutare.

§. 5. Difficultates autem causæ sunt innumerę, quæ difficilem, non tamen impossibilem pacem reddunt. Nam primo hoc est ingenium erroris, vt stare diu nequeat, nec tamen prius ad veritatem redeant errantes, sed dissipentur, sic Ariani, Macedoniani, in varias sectas abierunt, donec ex omnibus Mahometismus conflatus est, & ille quoq; in tam barbara gente, partes habet. Ita in Europa fieri videmus, omnes dissentiunt, omnes Christiani esse volunt, sed quota pars sana est? Causa est, quia cæcitate percutiuntur, qui veritatem reliquerunt. Cœci, si ambulare inceperint, maiora diuortia faciunt, quo progrediuntur longius. Causa cur in nouos errores vestri doctores incidant non vna est; sed præcipua tamen, quod non credant vera esse, quæ vobis tanquam oracula sancti Spiritus diuendunt. Refert Mathesius Conci. 12. de vita Lutheri fol. 147. narratum sibi ab Antonio Musa, cum diceret: *se dolenter Luthero questum esse, quod ipse ea credere non posset, quæ aliis prædicabat.* Respondisse autem Lutherum: *Benedictus sit ergo Deus, cum idem aliis, quod mihi vsu venit; adhuc enim mihi soli vsu venire credidi.* Quia igitur non credunt, quod credi ab alijs volunt, aliud, quod verisimilius apparet, mox eligunt, veritatem ipsam difficulter attingunt. Neque enim vniuersa, quæ credidisse videri volunt, simul reijciunt, ne victi videantur, & nouitatis laude delectantur, hinc tot in Belgio, & in Septentrione nouæ sectæ. Hoc nihilominus in malo bonum est, quod in particulas dissecti sese respiciant, & facilius veritatem amplectantur.

Facilius est aberrare, quam scopum tangere.

Errori iuncta hypocrisis.

§. 6. Deinde video eos, qui multo grauius inter se, quam nobiscum digladiantur, pacem moliri. Quid hodie vulgatius est, notiusque, quam Syncretismus prædicatorum vestrorum? Creditis eos inter se dissentire? audite Decanum & Theologos Tubingenses an. 1588. tuba terribili insonantes. *Secundo dicunt, errores Zvvinglianorum, & Caluinistarum, quos vocant, Pontificia idololatria longe horribiliores esse. Tertio dicunt, Zvvinglianos & Caluinistas abutentes doctrina, & professione Euangelii plus damni dare, quam pontificios. 1. exemplo Pauli ita-que* contra eos pugnandum, *2. exemplo Lutheri optantis Zvvinglium mansisse Papistam, 3. post defectionem à Papistis, plus damni dedisse, quam dare potuisset, si cum eis mansisset.* Quarto, *Caluinistas humanitate Lutheranorum abuti, & fraternitatem iactare. 5. Caluinistas nouos errores inducere, Ecclesiæ intolerabiles*, eosque recensent. ita disput. Heydelb. de Syncretismo. Hæc cum dicant, & anno 1588. dixerint, interea nihilominus magna pars Lutheranorum ad Caluinismum migrauit, etiam ipsi ministri vestri, quibus ad eiurandam fidem satis erat principum voluntas. Dicet quispiam hæc dici à Tubingensibus Lutheranis; negari ab Heidelbergensibus Caluinianis. Recte dicunt Lutherani, non recte negant Caluiniani; quamuis enim initio dicant, se à Lutheranis *non nisi in vno eoque non toto articulo dissentire*, hoc tamen in fine reuocant. *Quibus* (Tubingensibus) *nos* QVÆ *hoc loco, & quam* PORTENTOSA, & INDIGNA *Theologis vicissim obiicere possemus*? ita Heidelbergenses.

Infestius inter se, quã à nobis dissident ministri.

Eiurant fidem ad nutum principum ministri.

Sperari igitur prudenter ex DEI misericordia pax potest; sed de modo, & initio agendum est. Ille quidem verus, & vsitatus est, quem libro de pace Germanię proposui, vt Conciliorum priscorum scripturas interpretantiũ sententia sternus; sed cum nullum dari concilium, quod omnes amplectantur, in tanta dissentientium varietate possit, multa antecedant necesse est, rationesq; inundæ, quas omnes ex recto iudicio comprobare debeant.

Ratio pacis practica.

§. 7. Ratio prima concordiæ est: Vt status quæstionis & controuersiæ recte formetur: quem magna pars disputantium, & in pulpitis stentores vestri corrumpunt. Non enim quæritur; an purum putum verbum Dei sit docendum? an ex eo definiendum? An verbum Dei reijciendum? Itaq; calumniosè Bucerus in lib. de concord. inter prima dandum cẽset; *vt verum Dei verbum vbiq; libere prædicetur*, hoc enim iam olim dedimus. Hæc ergo controuersia est. Constituto in medio Dei verbo, quod omnes sacrosanctum dicimus, vtra pars verum, & genuinũ illius intellectũ habeat? Nec modo inter nos, & illos, sed inter illorum sectiunculas; veréne Lutherani, an Caluiniani, & Arminiani, an Gommaristæ verbum Dei interpretentur? Huius considerationis hæc est vtilitas; primo, quod saltem quibusdam in rebus conueniant, qui pacem facturi sunt, & communia principia habeant. Neque obstat, quod illi magnam partem agnoscunt solum verbum scriptum, nos scriptum & traditum, siue ἄγραφον. Hoc ipsum enim disputabitur ex verbo scripto; An repugnet ei esse traditiones? An sit traditio; libros illos, quos Ecclesia pro Dei verbo veneratur, esse canonicos? Nam Lutherus ipse fatetur, pædobaptismum ex scriptura euidenter non probari. Ochinus ita argumentatus est. Quicquid in scriptura euidenter non est, non est credendum, damnatio polygamiæ non est euidenter damnata, ergo: atq; ita ex illo principio, de solo verbo scripto, Polygamiam induxit.

De sensu verbi Dei disputatio tota est.

De traditionibus ex verbo scripto iudicabitur.

Neq; iniquum aliquid postulo, cum hunc statum proponendum pronuncio, & flagito. Omnes errantium centuriæ, vna voce ingeminant, *scripturam, verbum Dei, purum putum verbum Dei.* Et de sensu tamen disputant. Non ignoro plurimas disputationes esse inutiles, vt olim notauit Tertullianus; sed ad æquitatẽ & concordiam aliquã reduci posse cunctos arbitror, si omnes de sensu scripturæ disputemus, isq; Scopus vnicus proponatur.

Nulla tam mala causa est, quin legem appeller.

Tu, ô princeps, credis scripturæ? Ego quoq, credo, imo pro vno iota aut apice mori sum paratus. Hac igitur in re consensus est. Verum hoc ex initio aliud tu, aliud ego deinceps credo. Quia aliud loquitur scriptura in meo sensu, aliud in tuo; & aliud forte in eorum opinione, quibus tu credis. Hinc igitur oritur altera quæstio; Tune, & tui, an ego sensum verum habeam: propius igitur manus conserendæ sunt.

Verus sensus non priuato iudicio æstimandus.

§. 8. Secunda ratio concordiæ, vt simul omnes Deum omnipotentẽ oremus, vt cum de sensu sit cõtrouersia, suo Deus nos lumine dignetur, vt verum eruamus, in vero confirmemur. Deinde ex idiotismis scripturę, analogia, collatione aliorum locorum, euidenti deductione, vsu veteris Ecclesiæ, Conciliorum, & Patrum de vero sensu disceptemus. Multa cõmoda habet modus ille collationis, si inter humanos, & cum modestia fiat. Primo. Nemo nos apud ignotos, quasi scripturæ contemptores simus, redder odiosos. Secundo. Apparebit continuo detecto fuco morbus eorum, qui ad omnia, & nobis, & sibi mutuo scripturas opponunt. Tertio. Minus erit cõtentionum, cum omnes in scripturæ inuestigatione versentur; non in mutua pugna, in qua ad leuem tactum exardescunt, imo

Expositio scripturæ pacatior est.

imò vt arthritici ad suspicionem tactus exclamant. Quarto. Cum duplices sint ministri, alij clamosi, eristicique, qui omnia ad opinionem suam anticipatam referunt, alij pacatiores, doctioresque, horum commentarij magnam occasionem, facultatemque præstant, stentorum proteruiæ retundendę. Quinto. Ministri non cogentur agere impotenter, & iracundè, quia scripturam interpretantur; nam in disputatione eristica, nisi tota bile se proluant, cecidisse causa videntur, & patiens disputator pro præuaricatore habetur. Sexto. Quamuis autem non vincatur euidenter, hoc tamen aduertet, scripturam à se non facere, verebitur etiam agmen multorum, & magnorum in altera parte. Nec me damnare poterit, quem ex suo principio non vicit.

Modus collationis ex scriptura.

Exemplo rem demonstrabo. Prouerbiorum 16. dicitur. *Omnia propter semetipsum fecit Deus, impium quoque ad diem malum.* Hunc locum ita interpretantur Gommaristæ in Belgio, & qui eos sequuntur, rigidi, vt dicant. *Deum creare impios, vt in eorum pœna ipsius iustitia reluceat.* Videantur Piscatoris thesis 6.7.9. & disput. contra Vorstium. Theses sic habent.

1. Peccata fiunt Deo procurante, & fiunt eodem volente, imo omnino sic volente. Sect. 17. Item 6. & 64. & passim.

2. Vult Deus iniquitatem fieri, etsi ea non delectatur: sicut ægrotus amarum potum bibere vult, etsi eo non delectatur. Et sic dictum illud Psal. 5. Non es Deus, qui delectetur iniquitate, &c. intelligi Sect. 95.

3. Voluit Deus, vt Judas Christum proderet, & vt Judæi ipsum occiderent; quod tamen illis prohibuerat. Sect. 10. & 16. & 24.

4. Consentaneum est voluntati Dei, quod iniustum est, hoc est, præcepto illius contrarium. v.g. homicidium illud Judæorum, & proditio Judæ &c. Ibidem præsertim Sect. 16. & 24.

5. Omnia fiunt ex decreto Dei, etiam ipsa peccata: & quidem ex decreto absoluto, & speciali Sect. 56. & 58. & 130.

6. Quia Deus iustitiam, & misericordiam suã patefacere vult, ideo quoq; vult, vt peccata fiãt. Sect. 61.

7. Quia Deus procurat istam patefactionem iustitiæ, & misericordiæ suæ, ideo etiam procurat ipsa peccata. Sect. 64.

8. Deus procurauit, vt Absolon stupraret vxores patris suis, vtque Simei regi suo malediceret &c. Ibidem, vti & Sect. 17.

9. Deus destinauit omnes homines ad peccata: idq; propterea, vt alios ex misericordia seruaret, alios ex iustitia puniret, ac perderet. Sect. 89.

10. Quia Deus peccata permittere decreuit, ideo necesse est, vt illa fiant: quia secus frustra decreuisset permittere. Sect. 131.

11. Incredulitas Judæorum (& similiter omnium incredulorum) pender à prædestinatione Dei. Idque Apostolus Rom. 9. diserte docet. Sect. 133.

Hæc sunt ex mente Zvvinglij, Caluini, Bezæ, Gõmari, & aliorum. Ego alio modo interpretor, veriore & meliore. *Creauit Deus impios, non inferendo illis impietatem, sed homines, quos præuidit futuros impios; & eorum impietate,* quam non fecit, sed præsciuit, vsurus est ad suam iustitiam ostendendam. Creauit eum *iturum in diem malum,* non ordinauit, nisi expræuisa impœnitẽtia, in supplicium: Meam interpretationẽ sic probo. 1. Verba hebræa non indicant, Deum *ordinasse impiũ in diem malũ,* aut fecisse impiũ, & solus ille textus vobis est authenticus. וגמו רשע ליום רעה *etiam malum in diem malum,* vel vt alij. Et *malus,* vel *impius in die mala, decidet,* vel *peribit,* scil. cum enim dictioni רשע nõ sit appositus articulus את, tam potest esse nominandi, quã accusandi casu prolata. Deinde 70. interpretes sic exponunt. οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται. *Impij vero in die mala peribunt.* non igitur verba illa Dei ordinationem absolutam, & decretum damnandi sine culpa significant. 2. Nisi hanc interpretationẽ sequimur, Deum faciemus iniustum; nõ potest enim sine culpa præuisa ad supplicium destinare, sicut non potest sine commissa culpa damnare. Hoc igitur crudelitatis, non iustitiæ exercitium est. 3. Deus infinite bonus est, ergo abhorret infinite ab inferenda pœna iniusta; ergo etiam à destinatione pœnæ. 4. Multo crudelius est, etiam procurare peccata. Esset enim Deus Tiberianus qualem nobis Hollandi descripserunt. 5. Ita mecum interpretati sunt Patres. Augustin. Ep. 106. ad Paulinum. *Quamuis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, & in multis talia, quibus esset æterna pœna reddenda, quis nisi Deus creauit?*

Sine culpa nec dãnat, nec punit Deus.

Testes veri sensus.

Et l. 2. contra calumnias Pelagianorum, c. 3. Omnium quidem hominum Deus creator est; sed nemo ab eo creatus est, vt periret: quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Vt enim nascatur homo, conditoris est beneficium, vt autem pereat, præuaricatoris est meritum. In eandem sententiam conueniunt veteres patrum, totaque illa Ecclesia, quæ Augustini ætate, & deinceps fuit. 6. Sic etiam omnes Arminiani, quique in Germania, & Gallia mitius sentiunt, imo in Britannia contra Caluinum interpretantur, qui omnino Caluini in hac interpretatione errorem condemnant. Multo vero seuerius Lutherani, qui illam interpretationem adeo impiam funestamque arbitrantur, vt integris voluminibus probent, DEVM Caluinistarum esse ipsissimum cacodæmonem.

Hoc modo si à principio Geneseos vsq; ad finem Apocalypseos scripturas scrutemur, & de vero sensu controuertamus, clarissime apparebit, à nobis nullum iota, nullum apicem verbi diuini negari, mutilari, peruerti.

Interpretatio legis est eius anima.

Hæc nobis facultas à nullo negari potest, qui modo veritatis amator sit. Efficietur autẽ ex ea, vt quod ante contra legem videbatur, secundum legem, & mentem legislatoris inuoniatur.

§. 9. Tertia ratio concordiæ est, vt principes nostram doctrinam à nobis, aut è nostris libris, non à suis ministris, nostris inimicis addiscant. Nos enim coram omnium iudice, & calumniarũ vindice Deo, totoque mundo, toto pectore protestamur, plurima, grauissimaq; dogmata nobis falso imponi. Probarũt hæc alij, & postremo in sua contra Pareum Antithesi Maximilian⁹ Sandęus, & contra Jubilantes Andreas Forner⁹. Cur nobis errores, quos anathematizamus, affingũt? an errare nos cupiunt? an suos fallere? Hæc ratio concordiæ & necessaria est, & efficax; necessaria; quia in conciliis, in colloquiis, in iudiciis de religione statur professione eius, quo cum controuersia est. Hoc igitur, quod ego sentio, oppugnãdum est, non quod mihi per inscitiam, vel calumniam aduersarius imponit. V.g. aiunt, nos negare solum redemptorem esse Jesum Christum; Nos omni asseueratione, etiam iureiurando contestamur, solũ Jesum Christum nos redemisse. Calumnia igitur illa sopiatur, oportet, vt veritas audiatur. Efficacissima vero est hæc ratio; quia maxima pars controuersiarum concidet; imo materies famosarum concionum euanescet. Odium. n. nobis, si tantum vera de nostra doctrina loquantur, creare non poterunt. Ad vestra igitur tribunalia stamus, Illustrissimi principes, rogamusque, vt, quod magnæ fortunæ est, & principalis officij, patrocinium veritati præstetis; nec graue est, sed æquissimum; quod postulamus. Vt nimirum pro tot accusationibus, calumniisq;, quibus ad vestras aures traducti

Materia cõcionũ hæreticarũ sunt calumniæ.

Si rei sumus, audiamur, vt legitimè damnemur.

Deus non creat impium, sed hominem.

ducti sumus, quotidieq; traducimur, vnam, non vindictam, non talionem, sed audientiam præbeatis. Si pacem amatis, si Christianam caritatem tenetis, si naturæ legibus ducimini; audite, quid sentiamus, quid damnemus. Audite, sed à nobis, non ab inimicis nostris. Judicis officium est, diligẽter cognoscere. l. cum ij. §. si prætor. de transi. in π. Deinde ne temere rumoribus moueatur, nec immeritos, & fama aduersa notatos iudicet, sed plena disquisitione indaget. Cur nos accusant, vbi defensio nostra non auditur? Maledicunt vestri ministri, non accusant. Aliud est enim maledicere, aliud accusare, (Cicero pro M. Cœlio) *Accusatio crimen desiderat, rem vt definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet.* Si maledicimur, è contrario benedicemus; si accusamur, defensio audiatur. Violentissima enim calumnia opprimimur; malitiosè namq; & mendaciter nos infamant, de erroribus, quos vel morte fugere parati sumus.

bsoluit iudex, quem audire formidat.

Vbi nemo honestus esse putatur, sine verecũdia delinquitur.

§. 10. Quarta ratio concordiæ est, vt calumniarum de moribus sit modus. Antiquũ est Satanæ artificium optimos infamare, vt cum alij aperte sint mali, alij ficte boni, si eos quoque, qui vere & sincere virtutem colunt, criminum suspectos faciat, nemo credatur esse bonus, ideo nec esse posse, cum alioqui summum hoc sit solatium malorum, bonos carpere. Cato quadragies quater causam dixit, & semper absolutus est. Plin. l. 7. c. 28. Nunquam tam multa, tam fœda calũniarum genera audita sunt, quam nostro sæculo, de Bellarmino, de Pontifice, de Societate nostra. Si vera sunt; iudicium date; Heidelbergam, Hagam comitis, Londinum ibimus, compareat accusator, crimen probet, noxæ nos ipsi dabimus. Necessaria est illa ad Concordiam, & efficax ratio. Nam inimici nostri infamare nos conantur, ne audiamur; nam si audiamur, vicimus. Vbi Christiana mansuetudo, vbi iustitia est? Si non modo vt Antichristianus ob religionem, sed etiam vt adulter, fur, seditiosus, regicida traducor, & cum me offero iudicio, non audior? Si occidere vultis, damnate auditum, vt Reipublicæ, non calumniæ meum sanguinem impendisse videamini. Quid iustitia naturalis postulet, videtis. Non doctrinam modo Catholicorum doctorum, sed vitam infamant ministri vestri, extra ordinem vero, & insignite Societatis. Nullum crimen est, cuius nos reos non faciant; nullum supplicium, quod nimium esse censeant, nullum odium totius mundi, quod par sit nostræ malitiæ. Nunc Deum, hominesq; obtestor, in ius vocate, crimen probate, liceat mori, si non iure, saltem ritu, & processu damnatos. Inter tot maledicos, & conuiciatores quærimus accusatorem, forum eius sequemur, nullum erit, in quo non sit aliquod innocentiæ præsidium. Sunt Reges & Principes nostrarum rerum cõscij, sunt prælati, optimates, nobiles, Senatores, ciues, opifices, famuli, tot myriades studiosorum adolescẽtum, & virorum, inter hos Lutherani, & Caluiniani, imo à religione Apostatæ. Si his omnibus ignota sunt nostra crimina, quibus sunt tamen collegia peruia; vnde vobis cognita sunt? Si his nota, ecce producite testes, litem contestamini, conuincite. Mihi aliquando in mentem venit suadere P. N. Generali, vt quoniam tot contra nos calumniæ indies nascuntur, omnia Imperatorum, Regum, Principum, Præsulum, Rerumpublicarum, ciuitatum, curiarum diplomata, quæ de nostra innocentia testimonium ferunt, in lucem edi curet, & sane prudenter fecerit. Quæ enim erit frons tam ferrea, quod os tam durum, vt si videat mille Monarcharum, Principum, Rerumpublicarum aliorumque magnatum testimonia pro innocentia; & quidem eorum, qui nos familiariter norunt, qui in res nostras, vitamq; inquisiuerunt, adhuc calumniari ausit? Verum ista statuat, cuius id muneris est. Nunc accusari opto, è vinculis causam dicam, modo ad vincula, è quibus causam dicam, admittar. Non potest aliter pax fieri; nisi infamia dematur innocentibus. Cum enim sciant, famam vita præstantiorem esse, ne pugnare & differere cogantur, per infamiam sepultos volunt. Hoc vos, Illustrissimi Principes, ideo facilius concedetis, quia vel Lutherani estis, vel Reformatam, vt vocant, doctrinam sequimini, & si hanc; vel primo reformatam, vel nouissimè interpolatam. Si Lutherani; omnes Caluinianos ministros pessimos calumniatorum existimare debetis, si vestris creditis. Si Reformati, idem de Lutheranis iudicandum est. Si igitur omnium vestrorũ est illa querela, meam quoque admittite.

Infamant grauissimè, vt indigni auditione videamur.

Contra tot innocentiæ testimonia audiri detractor non debet.

Vinciri melius est, quã pati calumniam.

Lutherani & Caluiniani ministri se mutuo infamant.

§. 11. Sexta ratio concordiæ est, vt propria impedimenta remoueantur, propria voco, quæ in vestris hærent partibus, & tamen remoueri facile possunt.

§. 12. Primum impedimentum est, Præiudiciorum ἀντίληψις, & anteoccupatio, quæ ad aliena quæcunq; cohorrescit. Sed hoc tolli potest varietate, & altercationibus dissentientium, deinde mutationibus religionum; omnes certissimi erãt maiores vestri sed mutarunt tamen. Ipsi ministri vestri occiso Zvvinglio venerunt in Germaniã, victis Protestantibus Lutherani fugerunt in Heluetiam, & suos Lutheranos facti Caluiniani merito victos asseuerarunt. Nunc etiam vt quisq; principum in diuersam religionem abit, turbam ministrorum trahit, rettrahitq;, & creditis eos esse Dei cultores, & non potius potestatis vestræ assentatores? Quæ igitur est fiducia causæ toties desertæ? causæ, cuius assertores in altera parte steterunt?

Firmum nõ est, quod in diem mutatur.

§. 13. Alterum impedimentum est iam olim sublatum; nempe scandala vtrinq; data, accepta. Nam ante multos annos Bucerus in libr. de concordia Christiana, sui Euangelij impedimenta recenset, *impiam vitam Euangelicorum.* Si igitur Euangelicorum impietas nos ab eorum societate & consortio deterrere debet; non est, quod nostra peccata magnopere illos à veteri fide arceant. Præsertim cum ad morum malitiam accedant nouarum hæreseon inuentiones. *His omnibus accedit*, inquit Bucerus p. 65. *non exiguum esse eorum numerum, qui à cerimoniis Papisticis recesserunt, & de Euangelica reformatione gloriantur, eo prætextu & iactantia multas, malas, venenatas hæreses, & sectas, seditiones, & tumultus inceptarunt, hodieq; inceptant.*

Vtrinque sunt scandala, apud vos ex natura doctrinæ.

§. 14. Tertium impedimentum, ne nos ad vos accedamus, est; ne toti reliquo orbi Christiano dissimiles, & relicta vniuersali Ecclesia, vni vnius anguli occultæ particulæ similes simus: nobis vero obijciat Augustinus, quod Donatistis, qui in sola sua parte Ecclesiam mansisse gloriabantur. Vos autem, ô Principes, si vestros auditis, solitariam fidem tenetis. Quis enim Lutheranam cum vicinis fidem communẽ habet? Quis rigidam cum parte Geneuensium tuetur? Omnes vestri particulas faciunt, quia pacem cũ parte non tenent, quia contra totum bella gerunt. Hoc igitur vobis incitamentum esse debet, vt toti corpori coniungamini, à quo diuulsi estis.

Vna particula non est Ecclesia.

§. 15. Quartum impedimentum recenset Bucerus, timorem prælatorum Catholicorum, ne dignitatibus excidant. Quod grauissimum esse arbitratur. Verum hoc in vos retorquet ipse, ô Principes, plures enim prælaturas vos possidetis; ideoque tam vos timere, quam Catholici potestis. Verum hoc quoq; impedimentum neminem amplius remoratur. Nostri Prælati non modo dignitates, sed & sanguinem pro fide paciscisunt parati. Deinde quid magnopere mali accidet deficientibus à fide parentum? Si plures id faciant, & potentes, non opes modo retinebunt, sed hæreditarias facient etiam; vxor enim adijcietur; neque enim clam est, quid Alberto Brandeburgico Electori Moguntino suaserit Lutherus. Canonicis etiam, Parochisque nostris sua relinquetis, si ad vos venerint.

Impedimẽtum bona Ecclesiastica sunt.

nerint. Hoc igitur impedimentum à vestris ministris remouendum est, quorum centurias ad Catholicos breui migrare videretis, si esset, vnde eas cum familia aleremus.

Hoc agit Satan per varias sectas, ne vlla sibi cauetur, quæ est pessima sectarum.

Quintum impedimentum est salutis incuria. Magnum, & quo se homines occupati excusant. Quia enim melius aliquid nondum apparet, in eo, quod semel instituerunt iter, permanent. Non scientia boni, in quo sunt, sed ignoratione meliorum.

Multa sunt nihilominus, quæ ministros vestros mouere possunt, vt seriam aliquando salutis suæ curam suscipiant; atque de ea nobiscum tractent. Primo. Cum animaduertunt, se nullum habere fundamentum, cui insistant. Nam scriptura niti non possunt, nisi Hebraicè, Chaldaicè, Græcè doctissimi, cæteri authentica scriptura carent, vt supra, cum de scriptura agerem, docui. Secundo. Antiquitatem suam dubiam tuentur: nemo Lutherum, nemo Caluinum, nemo vllum in solidum sequitur, singuli sibi sunt Magistri, hac ratione quando eos luctari cum dubitatione est necesse, patique cruciatus, & conscientiarum lancinationes; magno quotidie tormento ad veritatem impelluntur, omnis fluctuatio vectores periculi admonet; & quomodo ministri certi sint, quando Lutherus ipse dubitauit; in colloq. Isleb. fol. 96. §. 3. *Sæpe sic mecum cogito; propemodum nescio, quo loco sim, & vtrum veritatem doceam, nec ne.*

Inanis fiducia semper fluctuat.

Ministri seruidi mutationis imperium, languidis heterodoxiæ sufficionem timent.

Tertio. Duo sunt, quæ maxime eos affligunt, & quasi retorto collo ad veterem religionem trahunt, inter sacrum enim & Saxum constituti, non nisi singularissimo adiutorio possunt euadere. In singulas namque horas imperium mutandæ religionis exspectant. Si vehementer id, quod nunc sentit princeps, tanquam Orthodoxum inculcent, maiore infamia paulo post mutandum est. Si languide; præuaricationis arguentur. Hinc igitur confidentiloquentia, inde perpetuitatis desperatio, duo pugnantissima mala animam vastant: vt vel idcirco ad religionē veterem, per annos mille sexcentos constantissimam redire velle debeant. Denique nisi maturo consilio, magno zelo, germana sinceritate de vera religione cōstituatur, initiumque conueniendi, audiendique fiat, in Turcismum paulatim perfidia desinet; inualescunt Arriani, Samosateniani, Ostorodiani siue Sociniani: Christi meritum, diuinitatemque negant, aliaq; docent, quæ cum Mahometanis eos facilius, quam nobiscum conciliabunt. Quæ cogitatio quicquid incuriæ, acediæ, negligentiæ animis dubitantibus inest, facile excutiet.

Quia itaque *nos Ecclesia derelicta foras exire, & ad vos venire non possumus, vt vos magis ad Ecclesiam matrem, & ad nostram fraternitatem reuertamini, quibus possumus hortamentis petimus & precamur.* Quod si non impetramus; hoc saltem date, vt causam nostram audiatis. Eamque vel probetis, vel quid probandum sit; intelligatis.

Christum solum verum Deum, Dei filium patremque eius, & Spiritum sanctum veneramur, scripturæ αὐτοπιστίαν auctoritatemque tenemus; de eius sensu cum vestris controuertimus, nihil non orthodoxum docemus, inauditi damnari non possumus, nobile iudicis officium imploramus, causam dicere, quacunque conditione parati sumus. Omnium reddere rationem & possumus, & volumus; tantum ne lingua vestrorum ministrorum, quæ est nostra fornax quotidiana, præiudicio occupet animos, alioqui iuste iudicaturos. Hæc Deum, hominesque contestamur, causam nostram probaturi, si audiamur; indefensi, sed innocentes morituri, si negligamur.

CAPVT XLV.

Pœnæ seditiosorum & rebellionum graues constitutæ sunt.

Varia seditionum genera.

§. 1. MVLTVM interest quomodo institutæ seditiones sint; aliquando inter se subditi discordant, aliquando contra magistratum insurgunt, interdum intra verba, accusationes, & conuitia consistunt factiones, ad pugnas, & cædes interdum animi exardescunt. Magni etiam refert inter vrbanos, & agrestes, an inter armatos seditio nascatur. Armatorū enim tumultus haud facile compescuntur sine ferro. Raræ in castris Romanis seditiones fuere, magna .n. erat reuerentia iuris iurandi. Posthumium consulem inficiantem, quas promiserat prędas, lapidauit miles; sub Appio Claudio vincere noluit. Posterioribus sæculis cum potestas magistratuum creandorum in castra esset translata, etiam seditiones eo migrarunt.

Seditionis pœna capitalis.

§. 2. Seditionum pœna ordinariè capitalis fuit, nisi multitudini parcendum misericordia dictaret. Hoc Dio Cassius de atroce intelligit. Si intra vociferationem, aut leuem militiæ querelam stetit, militię gradu deijcitur. si miles vitam tenuisset, militiam mutabat. Et quidem vltimum supplicium seditionem mouēti decretum est, ēt illis qui appellant; non n. appellationi defertur, sed statim debitâ pœnâ reus plectitur. Cū n. quatuor sint genera criminū maiestatis. Primū cum imperiū ambitur, aut persona principis impetitur, alter cū proditio agitatur. Tertius cū seditio instituitur. Quartus cū alia leuiora contra principē attentantur, moras non permittunt mala. Interim omnia crimina maiestatis, aut imediate, aut sane mediate ad turbandam Remp. grassantur. Hinc nullus in hac causa tormentis eximitur. Valent. Valens Gratian. statuerunt cod. 9. t. 8. *Nullus omnino cui inconsultis ac nescientib. nobis fidicularum tormenta inferūtur, militiæ vel generis aut dignitatis defensione vti prohibeatur, excepta tātum maiestatis causa, in qua sola omnib. æqua conditio est. Dat. 8. Id. Iul. Valētiano N. P. & Victore Conss.* Sic Tiberius & Caius Gracchus concursu hominum occisi sunt. Eodem modo Carbo quasi ab ipsa Republica interfectus est.

Seditio crimen maiest.

Omnes torqueri possunt.

Domus deiectæ.

§. 3. Domus etiam publicari aut deijci solent. Mœlij domus deiecta est, & locus appellatur Æquimæliū. Saturnini ēt ædes dirutę sunt. Nec modo dom⁹ eorū, qui seditionē concitarūt, sed ēt in quibus vetitæ coitiones fuerūt, dirutę sunt. Interdū monumēta scelerū statuūtur, vt Aquisgrani, & Frācofurti factū vidimus.

Excommunicantur.

§. 4. Jus Canonicum, si moniti ad pacem redire nolunt, seditiosos excōmunicat d. 90. c. fin. *Perlatū est ad sedem Apostolicam, aliquos vestrorum nocere fratrib. velle, & vt cadant, decertare: similiter in sacramentis, discrepare: & ob id contentiones, & æmulationes fieri inter vos: à quibus dissensionibus vos auertere, & in his omnibus cōcordare, & opem ferre vicissim mandamus. Nam si hoc agere cito neglexeritis, & vicissim reconciliari non studueritis; ab Apostolicæ sedis, & totius Ecclesiæ communione vos pelli non dubitetis.* Sacris initiari vetat d. 46. c. 8. *Seditionarios statuimus nunquam ordinandos clericos, sicut nec vsurarios, nec iniuriarū suarum vltores.* Initiati honore priuātur c. Conspirationū 11. q. 1.

Non ordinantur seditiosi.

Pœna seditiosorū furca, bestiæ, deportatio in insulam.

§. 5. Grauitas pœnę pro culpæ magnitudine, & personarum dignitate pēsatur. Autores n. seditionis, aut in furcam tolluntur, aut bestijs obijciuntur, aut in insulam deportantur iure veteri. In Germania in partes quadripartito secantur, & palpitātibus cor eximitur; Intelligenda ista sunt de seditione vere attentata, & cum aliquo affectu, aut præparatione ad agendū; nec n. lubricum linguæ facile ad pœnam trahendum est. Jure n. Roman. grauissima multa, non morte punitur qui tentauit seditionē mouere. l. 1. de seditiosis spectaculis illi interdicebatur. Demetrius Cynicus à Vespasiano relegatus est in insulam, quod de rep. parū cautè disputaret. Diogenes quidam idem ausus virgis cæsus

Dissectio.

Multa.

Spectaculorum priuatio.

est. Crates Cynicꝰ capite plexus, Dio in Vespas. Quod si sæpius tentarint, gladio feriuntur. Callistrat. c. 28. §. solent de pœnit. l. 48. tit. 19. quamuis interdum exilio, interdum fustuario puniretur. Lex ita habet. *Solent quidam, qui vulgo se iuuenes appellant, in quibusdam ciuitatibus turbulentis se acclamationibus popularium accõmodare. qui si amplius nihil admiserint, nec ante sint à præside admoniti: fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur. Quod si ita correcti, in eisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt. nonnunquam capite plectendi, sc. cum sæpius seditiose & turbulente se gesserunt, & aliquoties adprehensi, tractati clementius, in eadem temeritate propositi perseuerauerint.*

Fustuariũ.

Exilium.

Mors.

Nec aliud apud Christianos vsitatum fuit, anno 788. vt auctor est Sigebertus, Hardeneus, alijque nobiles ob seditionem, à Carolo Magno cæsi sunt. Quin Pipinus Caroli filius in monasterium quidem retruditur, sed qui illi auctores in patrem conspirandi fuerunt, supplicijs afficiuntur.

§. 6. Vbi à multitudine peccatum est, pars aliqua pœna inuoluitur, ita tamen vt metus ad omnes perueniat. Julius Cæsar ita militem composuit, vt sorte ad necem deligerentur ausuri quiq;: Macrinus quoq; decimauit: sic pœna ad paucos, metus ad omnes peruenit. Leontius præfectus cũ Auriga per seditionem peteretur, qui crimen admiserat, obuios quosq; corripi & suspendi iussit. Hoc sane magnopere improbatur, cum incautissimi, quamuis non innocentes, forte maximas dant pœnas. Melior itaque decimatio, vicesimatio, centesimatio, & vsitatior, quia pauco sanguine multum timorem adfert.

Sorte delectus ad mortem.

Decimatio.

Obuiorum occisio.

§. 7. Cum Æginetice cladis nuncius solus redux, omnes Athenienses interijsse narraret, inuidiâ viduarũ, quarum mariti interierant, acubus sibulisq; confixus est: Senatus Areopagiticus eo vestiũ genere, quo tunc indutæ fuerũt, postea vti vetuit. Muliebrẽ sed maleuolam seditionẽ ciuili pœnâ, & pro fragilitate sexus, graui tamẽ prosecuti sunt. Multitudini itaq; parcẽdũ est. id quoq; lex indicat l. 48. ff. l. 38. *Transfugæ ad hostes vel consiliorum nostrorum renunciatores, aut viui exuruntur, aut furca suspenduntur.* Et: *Auctores seditionum aut tumultuum populo concitato pro qualitate dignitatis aut in furcam tolluntur, aut bestijs obijciuntur, aut in insulam deportantur.* Ad hanc legem respicit etiam Codex l. 9. t. 30. *Si quis contra euidentissimam iussionem, suscipere plebem & aduersus publicam disciplinam defendere fortasse tentauerit: multam grauissimã sustinebit.* Et: *In nullis locis aut ciuitatibus tumultuosis clamoribus cuiusquã interpellatio contumeliosa procedat, nec ad solam cuiusquam inuidiam petulantia verba iactentur: sciturus his, qui huiusmodi voces emiserint, mouerintq; tumultus, se quidem fructum ex his quæ postulant, nullatenus habituros, subdendos autem pœnis ijs, quas de seditionis & tumultus auctoribus vetustissima decreta sanxerunt.*

Vestitu interdicere.

Rogus.

Crux.

Itaque seditionis participes moderatius, sed auctores grauius puniendi sunt. Cum auctores incerti sunt, multitudo leuius punitur, ita C. Curius fecit, Front. l. 4. c. 1. *Curio Cos bello Dardanico, circa Dyrrachium cum ex quinq; legionibus vna, seditione facta, militiam detractasset se cuturamq; se temeritatem ducis in expeditionẽ asperam & insidiosam negasset, quatuor legiones eduxit armatas, & consistere omnibus, detectis armis velut in acie iussit. post hæc seditiosam legionem inermem procedere, discinctamq; in aspectu armati exercitus, stramenta coegit secare: postero autem die similiter fossam discinctos milites facere, nullisq; precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne signa eius submitteret, nomenq; aboleret, milites autem in supplemẽtum cæterarum legionũ distribueret.*

Stramenta discinctos secare.

§. 8. Maledici in principem aliquando tolerantur. Modestinus. *Persona*, scil. in hoc crimine, *spectanda est, an potuerit facere, & an cogitauerit, & an sanæ mentis fuerit: nec lubricum linguæ facile ad pœnam trahendum est. Quanquam enim temeratrij pœna digni sint, vt insanis tamen, istis parcendum est, si non talesit delictum, quod vel ex scriptura legis descendat, vel ad exemplum iudicandum est.*

Persona rei causam meliorem vel deteriorem facit.

Theodos. Arcad. Honor. AAA. edictum c. 9. t. 7. leniſſimũ est. *Si quis modestiæ nescius & pudoris ignarus, improbo petulãtiq; maledicto nomina nostra crediderit lacessẽda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, neq; durum aliquid, neq; asperum volumus sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum est: si ab iniuria remittendum. Vnde integris omnibus, hoc ad nostram sententiam referatur, vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, cẽseamus.* Quod si tamen exempli sit pernicioſi, vel sane seditionum initia, spargant conuitia, insania illa graui pœna coercenda est.

Maledicta seditionum initia.

§. 9. Aliqui vero principum seuere eam quæstionẽ exercuerunt. Paconianus Tiberij tẽpore ob carmina in principẽ factitata in carcere strãgulatꝰ est. Caligula multos interfici curauit, qui blãdiendo dixerãt; *Iuuenis Auguste*, contemptũ se ratus. Harum rerum si quis Catalogum exquirat, Vitæ Cæsarum dabunt, apud quos plurima verborum supplicia legimus.

Verba interdum morte plectuntur.

§. 10. Jure merito maledici, conuitiatores, irrisores; principum grauiter puniuntur, & quamuis piũ sit diuiniſq; legibus cõsentaneum offensas iniurias; remittere, nec verba exilijs aut tormẽtis plectere, graui ẽt scelere se principes obstringant, cum temere ob prolata verba, in corpora sæuiunt. Interdum tamen punire licet, imo oportet. De hoc itaque negocio ita statuendum est.

Diuinitus cõuitia punita.

Primo. Graue scelus esse principi maledicere, de fama eius detrahere, occulta peccata prodere, vera augere, falsa affingere. ita diuina oracula: *Dijs non maledices, & principi populi tui non maledices.* Ex. 22. 9. & Num. 12. Maria soror Mosis lepra percutitur. *Quiratus abijt: nubes quoq; recessit quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix. Cũq; respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam leprâ, ait ad Mosen: obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum quod proiicitur de vulua matris suæ. Ecce iã medium carnis eius deuoratũ est à lepra.*

Peccati circumstantiam & grauitatem perpende, Maria æmulatione & contentione muliebri tracto in causam Aarone, locuta est contra Mosen: *Nonne soli Mosi locutus est Dominus? nonne & nobis locutus est?* Vera dicebat Maria; illa n. prophetis erat, & Aaron ꝓpheta; sed Mosi vt maiori honorem debebant. Maria tam seuerẽ punitur, vt medium carnis deuoret lepra. Quod Aaron pœnam euadat sacerdotio debuit, noluit Deus enim eum publico dedecore afficere, vt Mariam, quod nisi Moses pro sorore preces fudisset, dubio procul leprâ celerrime consumpta, morte pœnas luisset.

Secvndo. Morte punire eos qui maledici in reges sunt, licitum est. Canon Apost. 83. citatus: Εἴτις ὑβρίσει βασιλέα, ἢ ἄρχοντα πατρωϑέντα πενήτων, καὶ εἰ μὲν κληρικὸς καϑαιρεῖσϑω, εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσϑω, si quis contumelia afficeret regem, aut principem, pœnas luito, si quidem clericus, deponitor, si laicus, communione priuator. Hic inquam Canon mortem non decernit, sed depositionem & excommunicationem, ideo πμωείαν quidam non recte vertunt supplicium.

Græcis lex erat vt maledici in vincula ducerentur, eo more seruato Næuium poetam Triumuiri in carcerem coniecerunt. Gell. 3. c. 3. Dio refert iniurias omnes in principem commissas, impietatis fuisse censas. Paconius ob carmina in principem edita in carcere strangulatus est. Itaq; neq; simpliciter remittitur, sed principis est æstimatio, vt ille hominum *dicta penset ex personis, an prætermitti, an exquiri debeat.* Certe semper maledicta in magistratum inter crimina Maiestatis habita sunt, & sunt interdũ admodũ iniuriosa pariter & seditiosa. Cũ igitur magistratus, qui vicarius Dei est, ignominia afficitur, põt publicã iniuriam vindicare,

dicare, cum ex maledictis incitamenta tumultuum oriuntur, suam famam negligere non potest, vt cui salus subditorũ innititur. Causa est, quia Rempublicam grauiter lædit, dum capiti auctoritatem detrahit, eumque quem loco Dei omnes reuereri oportet, contemptibilem facit aut exosum. sunt enim illa omnia ad seditiones & secessiones incitamenta.

Amici cõiuratorum nõ puniendi.

§. 11. In amicos coniuratorum & liberos sæuire non licet. id enim diuina lege vetatur. Deut. 24. 16. & 4. Reg. 14. 6. *Cumque obtinuisset (Amasias) regnum percussit seruos suos, qui interfecerant regem patrem suum: filios autem eorum qui occiderant, non occidit.*

Mors amicorum periculosa.

In Persida itaq; crudelis erat, & iniusta consuetudo, vt eorum liberi & vxores, adeoq; familiæ occiderentur, qui in regem aliquid moliti essent. Justin. l. 10. Plutarchus in Artaxerxe. idem fecerunt reges Israel plerique, qui prædecessorum omnem familiam delebant, ne aliquis vltor existeret. Eadẽ lex apud Macedonas fuit, vt narrat Curtius lib. 6. Lex improba, & periculosa; vnius enim delicto totam familiam perire, nulla æquitas sinit. Periculum vero quantum inde regibus creatum sit, quis conijcere nequit, cum pro vno percussore multi viri fortes periculum fugâ, cœde, proditione discutientes omnia molirentur. Hinc regum continuæ cœdes, nihil obstante legis seueritate. Archelaus occidit Alcetam cum eius filio Alexandro, ipse interfectus est ab adolescente, cui illuserat; secuti sũt Orestes, Archelaus, Pausanias, quibus exstinctis breuissimo interuallo, iterũ ad Amyntam regnum delapsum est. Eius filius Alexander occisus est ab Alorite, Alorites à Perdica. Deniq; huius legis occasione occisa est tota progenies Alexandri, Cassander enim occidit Olympiadem Alexãdri matrem, Roxanen Alexandri coniugem, cum filio eius Alexãdro, Barsenem alteram vxorem cum filio Hercule. Demades etiam orator ab Antipatro occisus est, trucidato prius in eius amplexu filio. Verum nihil effectum tanta sæuitiâ, Filius Antipater occidit matrẽ, Alexander alter filius occidit fratrem Antipatrum, Demetrius Alexandrum. Ita eodem pene tempore Alexandri stirps sublata est à Cassandro, & Cassandri ab æmulis, & vtrinque in fœminas sæuitum.

Laudata est Mithridatis regis clementia, qui cum de Attilio insidiatore supplicũ & de coniuratis sumpsisset, seruos, quod nõ sponte, sed infelice necessitate deliquissent, dimisit. Hac de re exstant leges Arcadij & Honorij mites & æquitati consentaneæ. c. 9. 8. ad legem Juliam Maiestatis. *Quisquis cum militibus vel priuatis vel barbaris scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum, vel dederit, donec etiam virorum illustrium, qui consilijs & consistorio nostro interfunt, senatorum etiam (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cuiuslibet postremo qui nobis militat, cogitauerit: (eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri iura voluerunt) ipse quidem vtpote maiestatis reus, gladio feriatur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis. Filij vero eius, quibus vitam imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur) à materna, vel auita, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramẽta perueniant: sint postremo tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatium, & vita supplicium. Deniq; iubemus ẽt eos notabiles esse sine venia, qui pro talibus vnquam apud nos interuenire tentauerint. Ad filias sane eorum, quotlibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, siue testata, siue intestata decesserit, volumus peruenire, vt habeant mediocrem potius filiæ alimoniam, quam integrum emolumentum ac nomẽ hæredis. Mitior enim circa illas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus minus ausuras esse confidimus. Emancipationes, quoq; quæ à prædictis siue in filios, post legem duntaxat latã, siue in filias fuerint collatæ, non valeant. Dotes, donationes, quarumlibet postremo rerum alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude vel iurefactas esse cõstiterit, quo primum memorati de ineunda factione ac societate cogitauerint, nullius statuimus esse momenti.*

Bona hæredibus seditiosorũ auferuntur.

Vxores sane prædictorum recuperata dote, si in ea conditione fuerint, vt quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reseruare, tempore quo vsusfructus absumitur, omnia ea fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ iuxta legem filiis debebantur, & Flacidia ex his etiam rebus, filiabus tantum, non etiam filiis deputata videatur. Id quod de prædictis eorũq; filiis cauimus, etiam de satellitibus conscijs, ac ministris filiisq; eorum simili seueritate censemus. Sane si quis ex his in exordio initæ factionis, studio veræ laudis accensus, initam prodiderat factionem, & præmio, & honore à nobis donabitur. Is vero qui vsus fuerit factione, si vel sero (incognita tamen adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantum ac venia dignus habebitur. In quibus multa specialia ad auertendum facinus constituuntur.

§. 12. Si quis principem & magistratum subordinatum violet, si procõsules, si vicariũ principis, si filium designatum successorem, idem crimen maiestatis cõmittitur. Nam cum dicitur hoc crimen committi, si quis magistratum populi Romani violet, non intelligitur de solis consulibus vel Augusto. Sane si quis apparitores verberet, capite puniri solet, quod tamen intelligendum est, cum muneris sui functionem exercent. Alioqui sane Maiestatis rei non erant, qui se Neronis aut Cai satellitibus, præfectisq; noctu grassantibus opponebant, cum non ipsi ciues, sed familiares principum seditiones, & turbas mouerent. Neq; sacri Canones eos, vt clericorum percussores puniunt, qui noctu habitu sæculari, aut etiam discurrentes reprimunt. Diserte dictum est, si inferior magistratus officio fungatur, seditiosum, aut turbatorem videri, qui illi sese opponit, non autem si alia agat; Meretrix Romæ absoluta est, quæ Ædilem commessabundum exclusit, & vi irrumpere conatũ lapidis ictu vulnerauit.

CAPVT XLVI.

Bonum ciuem interdum alteri, interdũ neutri se parti adiungere.

Solon ciuẽ, qui nullarũ partiũ est, exulare cogit.

§. 1. SOLONIS lex à multis agitata est, quam Gellius recitat: *si ob discordiam dissensionemq; seditio atque dissensio populi in duas partes fieret, & ob eam causam irritatis animis vtrimq; caperentur, pugnareturue: tum qui in eo tempore, in eoq; casu ciuilis discordiæ non alterutra parte se cõunxerit; sed solitarius separatusq; à communi malo ciuitatis secesserit, is domo, patriâ, fortunisq; omnibus careto, exul extorrisq; esto.* Alij plane contrarium sentiunt, in ciuilibus bellis & seditione à turbis secedere.

§. 2. Mihi in re difficili, quæ tamen sæpe vsu venit, distinctione vtẽdum videtur. Distinctione Personarum, & controuersiarum, de quibus sigillatim dicendum est.

§. 3. Aliquando seditiones concitantur, vt anceps sit, quæ pars legitimam causam foueat. secedit populus, nexos liberat, sed contra ius ac fœdera à patriciis concitatus. De Cæsaris & Pompei bello longa disceptatio fuit. *Victrix causa Deis placuit, sed victa Catoni.* Itaq; magno se iudice quisquã tuetur, & posteri quoque Pompeiani fuerunt, etiam in regno Cæsarum.

Vadit adhuc magnus populis comitantibus exul.
Tam mala Pompei, quam prospera mundus adoret.

Cum causa dubia est, à partibus abstinendũ.

Hac ergo in cõtrouersia abesse à turbis consultũ fuit: ita fecit Pomponius Atticus Ciceronis amicitia, quã vlla alia re, clarior. Ratio in promptu est. Cum enim bellum dubium est, non licet in illud nomen dare illi, qui liber est, nisi alterius partis causam puret esse iustam. Id multo minus in seditione, & bello ciuili permissum est, atrocius enim est ciues opprimere, quàm

exteros. Rectè igitur Atticus. Eadem pene in sententia Iustus Lipsius cent. 2. ep. 24. Verum ille se non misereait, nec tamē rem definit. l. 6. polit. c. 7. etiam distinctione vtitur. Itaque quamuis omne bellum est triste, maximè ciuile, tamen necessitate aliquando gerendum est. Ciuile tamen magis fugiendum, quam externum, quia crudelius est. Hoc initio ostendi, vt nunc testimonio Augustini consignare iuuat, vt appareat quam rectè sentiant, qui illud fugiunt dum possunt. Aug. l. 3. de ciuit. Dei c. 23. *Sed iam illa mala breuiter, quantū possumus, commemoremus: quæ quanto interiora, tanto miseriora extiterunt: discordiæ ciuiles, vel potius inciuiles: nec iam seditiones, sed etiam ipsa bella vrbana, vbi tantus sanguis effusus est: vbi partium studia, non contentionum dissensionibus, varijsque vocibus in alterutrum, sed plane iam ferro armisque sæuiebant: bella socialia, bella seruilia, bella ciuilia quantum Romanum cruorem fuderunt, quantam Italiæ vastationem desertionemque fecerunt? nam antea quam se aduersus Romam sociale Latium commoueret, cuncta animalia humanis vsibus subdita, canes, equi, asini, boues, & quæque alia pecora sub hominum Dominio fuerunt, subito efferata, & domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis, libera vagabantur: & omnem non solum aliorum, verum etiam dominorum auersabantur accessum, non sine exitio vel periculo audentis, si quis de proximo vrgeret. Quod quanti mali signum fuit? Quod si hoc signum fuit, quod tantum malum fuit, quantum malum fuit illud, cuius hoc signum fuit? Hoc si nostris temporibus accidisset, rabidiores istos quam illi sua animalia pateremur.*

Ciuile bellum magis vitandum quam externum.

Rabies ciuilis belli.

Hæc tanta mala in causa dubia excitare, aut adiuuare, nequaquam boni ciuis est. Tot corruerunt Mariano & Syllano bello, tot in pace, & tamē adhuc disceptatur cuius causa iustior, Syllam optimates, Marium plebs defendit, crudelitatem vtriusque, vtrique detestantur, funera suorum lugent.

A iusto ciuili bello abstinendum.

§. 4. Boni etiam viri est à controuersiis ciuilibus abstinere, quamuis vnius partis iustam causam cernat, si altera pars iniquam tueatur, sed quam ipsa probabiliter iustam existimat, idque si videat fututurum, vt valde cruenta sit victoria, & clades maior quam pro delicto, quod in bellis ciuilibus ordinarium est. Itaque licet Sulla iustam causam defenderit, (ita enim esse finamus) boni tamen viri qui victoriam probabant, crudelitatem exhorruerunt. Non teneatur ille in castris Sullæ pugnare, quia victoriam cui tanta crudelitas est comes, & maius malum, quam bellum ipsum, promouere. Cum enim Mariani se causam publicam bene agere arbitrarentur, non sunt tantâ cæde delendi, vt vix supersint, quibus Sullani imperent.

Hoc quidem in negotio potest abstinere, non tamen tenetur, quia causam legitimam adiuuare potest. Quod si in magistratu est, si magnum ad victoriam allaturus est momentum, si Marium crudeliter victoria vsurum animaduertit, iustæ causæ non debet auxilium subtrahere. Itaque Atticus si Pompeianas partes putabat esse Romanas & iustas, Pompeio se iungere debuit: si dubitabat neutri.

Cum causa nota est, bellum gerendum est.

§. 5. Si altera pars aperte causam improbam tueatur, vel improbos, & latrones tuendo, vel bonos opprimendo, vt nec ipsi quidem sine crimine agere se fateantur, boni viri est, integræ parti, & iustæ causæ se adiungere; & si à patria vocetur pugnare, quamuis tristissimos, & crudelissimos victoriæ exitus videat futuros. Filij Israël cum bellum decreuissent contra tribum Beniamin, Iudicum 20. *iubent tradi sibi homines de Gabaa, qui hoc malum perpetrarunt, cumque vicissent occiderunt habitatores Iabes Galaad, quod non adfuissent bello, Grandi enim iuramento se obstrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.* Ciuilis belli causa erat, q̄ improbos ad supplicium dare nollēt, sub pœna mortis omnes ad bellum coacti sunt, Ciues Iabes Galaad omnes interfecerunt. c. 21. 10. *Miserunt itaque decem millia virorum robustissimos, & præceperunt eis, ite & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tā vxores, quā paruulos eorū.*

Quin & Beniamitas omnes cum vxoribus, paruulis, fœminis, & iumentis occiderunt. c. 20. Quamuis igitur victoria esset tristissima, & nisi Deo iubente, qui scelera Beniamitarum punire statuerat, crudelissima, nemo tamen abesse à ciuili bello potuit, quia cessatores, & detrectatores eodem modo, quo reos puniuerunt. Qui porro per nequitiam atque iniustitiam, causam impiam volentes scientesque tuentur, omnem victoriæ crudelitatem merito sibi imputabunt.

§. 6. Cum causæ seditionis vtrinque sunt, vt in Romana Republica v. 9. importunitas fœneratorum, & plebis contumacia nouas tabulas petentis, quamuis constet, vnde stet iustitia, boni tamen viri est, quātum fieri potest, neutri parti se iungere, sed pacem tentare, quæ quamdiu speratur, omnia præsidia eo conferre: melior n. quouis bello, & quauis victoriâ pax est; cū ciuili bello victoria sit bello miserabilior. Si pax desperata est, ad eos qui ius tuentur, accedendum est. Cum vero seditionum causæ admodum exiguæ sunt, quales supra quasdam enumerauimus, non est necesse vt quis iustæ se causæ adiungat, modo nec iniustam tueatur. Quia hoc parua de causa seditionem ciere, & bellum ciuile inchoare, iniustum est. Tum vero ciuis potens ad concordiam partes adigere, pacemq; efficere tenetur. & contra eos qui nolunt æquitati & cōcordiæ accedere, sumere arma. si enim ob leuem causam viri honesti exacerbati duellum tentent, mutuisque vulneribꝰ inhient, potest eos ad pacem princeps cogere, atq; adeo patria, vt qui contumaciter resistit, causâ cecidisse iudicetur, iniquum est enim ob exiguas nugas patriam pessum dare.

§. 7. Si rebellio sit vnius partis contra principem, aut magistratum, aut proditio agitetur, magistratui sese adiungere oportet, eūq; omni ope, qua fieri potest, consilio, auxilio, manu, pro se quisque defendere. Proditor enim principis censetur, qui in necessitate illi non succurrit: sed eum deserit, donec videat, quo res vergant, quod fecit Metius Suffetius Latinorum princeps, qui Tullum in media acie deseruit. Hoc in casu verissima est Solonis sententia. Quis enim non omni supplicio dignum iudicet, qui Dauidem contra filium Absalonem, vel Sebam non adiuuaret? Membra sane operam defendendo capiti impendere necesse est. Omnes enim in defensionem principis iurarunt. Hoc vero pro sua quisque facultate, studio, contributione, pugnando, aliis modis, quibus vitæ Principis consulatur.

§. 8. Quod si subditi contra magistratum insurgant, multi contra paucos, ita vt vix spes vlla sit melioris causæ victoriam fore. Imo si pars iusta in Republica contra partem iniustam ita pugnet, vt se vix tueri posse videatur, magna oritur difficultas. Iniquæ parti se adiungere nemo potest; Parti integræ adhærere vitæ & fortunarum discrimen habet. Itaq; fortioribus assistere non debent, qui eodem scelere inquinarentur, infirmioribus adesse nolunt.

Hac in causa ita sentio. Si aliquis est, qui sua prudentiâ, robore, opibus, partem iustam erigere potest, spemque victoriæ consequi, oportere eum sese & sua Reipublicæ liberandæ, constituendaque impendere. Sic fecit Ioiadas cum iam parem se fore speraret, ingenti periculo Athaliæ sese opposuit, & Ioam in regnum euexit. Quamdiu vero nondum spes victoriæ apparet, consilio, monitis, clandestinis conciliis, & auxiliis iustitiam fouebit, donec spes sit iustam causam esse triumphaturam. fecit hoc idem Ioiadas dum regium puerum clam educat, eiq; vires, & viros parat.

Erigere partes debet, qui sperat se posse.

Quod

Quod si priuatus quispiam sit, nec ad subleuãdam Rempub. possit adferre aliquid momenti, non tenebitur nulla spe publici commodi fortunas, & vitam hostibus obiicere, quiescet itaq; & votis, occultisque adiumentis oppressos fouebit. si enim se oppressis addat, ipse quoque opprimetur, opes & facultas adiuuandi eripietur; eritq; hac ratione pars iusta infirmior, iniusta fortior. Ita factum à multis in regia vrbe Aquisgrani: seditiosi & rebelles per summum nefas magistratum exautorarunt, contra Cæsaris mandata tam fuere contumaces, quam in magistratum iniurii. At viribus domesticis externisque longe superabant eos, qui iustam causam sequebantur, durauitq; supra annos viginti grauis bonorum omnium oppressio, si quis liberam vocem mitteret, iam calumniæ, contumeliæ, carceres, exilia, proscriptio ante oculos erant. Patientia tandem & occultis auxiliis quorundã, forti aliorum constantia recuperata Respubl. est, quod fieri non potuisset, si infirmiores & pauciores initio se armata manu fortioribus, pluribusque opposuissent, in primo enim conflictu omnes trucidati fuissent.

Qui neutri parti adsit ab vtraque vocantur.

§. 9. Cum ita res habet in Republica, vt bellum ciuile geratur; & de vnius partis iustitia constat, consultum fere semper est illi parti se iungere. Qui enim medius est, vtramque partem offendit, nam ab eo se lædi arbitrantur, se cum periculo rerum omnium propugnare Rempublicam, illos qui medios se tenent, nec labores pro bono communi suscipere, nec impensas velle facere. hinc durante bello vtriq; parti sunt prædæ; nã vtraq; acies subsidium ab illis postulat, vt à ciuibus, pro defensione ciuitatis: post victoriam sunt victimæ victoris. Pomponius Atticus Cæsare, & Põpeio pugnantibus quieuit, detrimenta tamen fortunæ sensit, quæ alii; At Pompeio victore, non meliore conditione futurus erat, quam Cicero, quam alii, qui in Pompeianis castris fuerunt. Cic. l. 11. ep. 6. ad Attic. *Me discessisse ab armis nunquam pœnituit. tanta erat in illis crudelitas, tanta cum barbaris gentibus coniunctio, vt non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata: vt iam omnium iudicio constitutum esset, omnium vestrũm bona, prædam esse illius victoriæ. Vestrũm plane dico. nunquam enim de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. quare volũtatis meæ nunquam pœnitebit: consilij pœnitet.*

Victus non continuo cedet.

§. 10. Cum in clade ciuili pars victa est, præstat tueri se reliquias, quam subito cedere. Itaque & Cato in Africa bellum reparauit; non ille quidem ad spem victoriæ, sed vt alii senserunt, ad *spem compositionis*. Cic. l. 11. ep. 12. ad Atticum. *Sed vt video multo magis nobis laborandum est de Africa: quam quidem tu scribis confirmari quotidie magis ad conditionis spem, quam victoriæ.* Nam reuera Cæsaris victoriam mitigauit nouum bellum in Africa, & Hispania, ne se magis exosum redderet. Nam quis Cæsaris animus fuerit, satis indicat Cœlius Cæsarianus ad Ciceronem Epistol. 11. lib. 10. ad Atticum. *Si existimas eandem rationem fore Cæsaris in dimittendis aduersarijs & conditionibus ferendis, erras: nihil nisi atrox & sæuum cogitat, atque etiam loquitur. Iratus senatui exiit. His intercessionibus plane incitatus est. non mehercule erit deprecationi locus. Quare si tibi tu, si filius vnicus, si domus, si spes tuæ reliquæ tibi charæ sunt: si aliquid apud te nos, si vir optimus gener tuus valet: eorum fortunam non debes velle conturbare, vt eam causam, in cuius victoria salus nostra est, odisse, aut relinquere cogamur: aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus.*

Pericula vitigant victoriam.

Nisi Hispanienſe & Africanum bellum pertimuisset, illum in victoria se exhibuisset, quem Cœlius depingit. Et sane breui se eum exhibuit, superbum omnibus & contumeliosum, nec deerat aliud quam ex superbia, & suspicione crudelitas.

Barbari in patriam vocandi non sunt.

§. 11. Cum eo vsque bella ciuilia exarserunt, vt gentes barbaræ magno cum periculo in auxilium vocentur, viri boni esse puto, etiam iustam potius causam deserere, quam eos adiuuare, qui barbaros aduocant. Iterum Cicero fecit, & causam reddit epistol. 7. lib. 11. ad Atticum. *Sed ex omnibus nihil magis tamen desideratur, quam quod in Africam non ierim. Iudicio hoc sum vsus,* Non *esse barbaris auxiliis fallacissimæ gentis, remp. defendendam, præsertim contra exercitum sæpè victorem. Non probant fortasse. multos enim viros bonos in Africam venisse audio, & scio fuisse antea. Valde hoc loco vrgeor. hic quoque opus est casu, vt aliqui sint ex eis, aut si potest, omnes qui salutem anteponant. Nam si perseuerant, & obtinent, quid nobis futurum sit vides.*

Qui igitur in auxilium Turcos vocarunt contra rebelles suos Græci imperatores imperium merito perdiderunt. Præstat sane aliquam esse Rempublicam, etiam aduersariorum, quam nullam esse. Interdum metus, interdum ambitio ad illa consilia magnos viros impellit, Bonifacium metus, Rufinum, Stiliconem, alios Ambitio. Nec desunt exempla nostrorum, pars Hungariæ sic periit, & hoc malum multi senserunt. Belgæ quidem rebelles bis in summo periculo seruitutis fuerunt; primo cum Alenzonium, deinde cum Lycestrium aduocassent, quorum hic Britannis, ille Francis prodere libertatem cœperat, quâ causa se mox sapientiores Politici in omnia verterunt, vt vtrunque depellerent, Alenzonium armis, Lycestrium arte; cui nisi cessissent, arma sensurus erat. Verum non de quibuslibet exteris loquor, sed Barbaris, quales Turcæ, Tartari, aliique sunt, & his perfidia, impietate, immanitate pares.

Nunc vero ad bella procedamus.

POLITICORVM

LIBER DECIMVS.

DE BELLO.

CAPVT I.

Togatum & Sacerdotem de bello disputare conuenienter posse.

Militia spiritalis, & externa.

MILITIA *est vita hominis super terram*; quocirca laborare me iubet Apostolus sicut bonum militem CHRISTI JESV, sed nunquid militiam illam, quâ vita eripitur inuasori, præcipit, cum ad nomen respondere imperat, & stare in procinctu? spiritualem militiam contra aëreas potestates, tenebrarum harum edicit; Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Rom. 13. 11. Quæ vocat 2.Cor.6.7. arma iustitiæ à dextris, & à sinistris. *Nam reuera secundum carnem ambulantes, non secundum carnem militamus, arma enim militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum.* 2.Cor.10.4. Quid igitur cũ armis carnalibus spirituali? quid armis illis, quibus interficitur inimicus, si pro illis orandum est? si bene faciendum his, qui nos persequuntur? Duo igitur de bello tractanti obijciuntur. ~~Primum nõ~~ posse belli inexpertem ex vmbra dare præcepta certantibus. Alterum id minime decere sacerdotem, & religiosum, vt cuius sit munus, libros & templa tueri,

Bella viri, pacemq; gerant, queis bella gerenda.

§.2. Ad hæc respondere, vt tam obtrectantium cõuitio, quam beneuolorum quæstioni satisfiat, in vestibulo huius libri mihi propositum est.

Consilia belli dare togatus potest.

Et quidem si obijcitur togatum de bello scribere alienum esse, atque absurdum, si dicant; *Tune hæc audebis homo vmbraticus? qui serio nunquam castra videris, nunquam denique partem vllius bellici muneris attigeris.* Respondit iam olim pro me maior inuidiâ, altior calumniis Justus Lipsius l.5.polit.cap.1. *Ego vero audebo, nec mei tamen ingenij aut virium fiducia, sed eorum à quibus iam diu mutuor & sumo. Quid enim hic meum? ordo aliquis & contextus fortasse? at verba sensusq; mihi præeunt illi, quos in hac ipsâ re (fidenter dicam) Annibal aliquis audire nihil abnuat, aut ipse Cæsar. Nam quid sapientes inclutosq; illos viros fugit? cur non hic quoq; rectum eorum & parum iudicium? qui partim interfuerunt, imo & præfuerunt, bellis: partim in senatu & populo illo versati sunt, vbi assidua materies & agitatio harum rerum. Viderunt igitur, audierunt; & quod caput est, cum iudicio obseruarunt, causas ipsas, originesq; rerum, nec πρόφασεις solum euentuum, sed αἰτίας ipsa. Alexander ille, in re quidem bellica verè Magnus, Homerum sibi militiæ magistrum assumere, & asserere nihil verebatur: non meliori iure ergo mihi istos? Nam vates ille (eximius sanè & supra hominem vates, sed tamen vates:) quid nisi vnum bellum, & idipsum fabellis aspersum decantauit? Nostri isti, (historicos me intelligere palam est) ab omni pœnè æuo bella, continuata serie, & intemerata fide scripserunt. Nec id tantum. sed sæpe in ipsa narratione, aut extra eam in concionibus, velut data opera saluberrima monita & consilia miscuerunt ad omnem rem Militarem. Quæ eius pars siue ars est, quam non ii cum exemplis subiiciant, tum verbis etiam delibent? vt de exercitu, de castris, de Agminibus, de signorum collationibus, de Oppidorum oppugnationibus, de Commeatu, de Insidiis faciendis atq; vitandis, de reliquis rebus, quæ sunt propriæ belli administrandi. In quibus cum tot iam annos verser, & curioso isto mẽtis oculo quotidie vager per latos & latos illos Historiarum campos: cur non mihi etiam fas intelligere & iudicare aliquid in istis? Non enim vidisti, inquiunt. Certè, ideoque nec vsum aut tractationem armorum mihi vindico; sentẽtiam & iudicium tantum, eaque ipsa astricta sententiæ alienæ. Ecce in circulis omnibus, atque etiam, si diis placet in conuiuiis, sunt qui exercitum ducunt; vbi castra locanda sunt, sciunt; quæ loca præsidiis occupanda; quando cum hoste manus conserendæ. quando quiescẽdum sit. Et hoc nemo carpit. ego canicula & impudens, si verbum his de rebus faciam ex veterum mente? Iphicrates olim interrogatus, τίς ὢν μέγα φρονεῖς; πότερον ἱππεύς, ἢ τοξότης, ἢ πελταστής, ἢ ψιλός; Οὐδεὶς ἔφη, τούτων, ἀλλ' ὁ πᾶσι τούτοις ἐπιτάττειν ἐπιστάμενος: Quis tu es qui tantos spiritus tibi sumis? vtrum eques, an sagittarius, an veles, an legionarius? nihil horum inquit: sed qui his omnibus noui imperare. Æmulabor in parte, & dicam; non ego dux aut miles, sed qui his in tempore consulere aliquid possim & suadere. Itaq; pergam audaciter, nec vacillanti pede in incepto, & ex veterum scriptorum velut hortis sententiarum flores legam, & intexam in has capitum corollas.*

§.3. Eadem hic quidem mea causa est, eademq; defensio. Cur enim in me exiguo reprehendatur, quod in illo viro magno laudatur? Et sane nimium quam à vera sapientia ac ratione abeunt, quia omnia experientiæ tribuunt, nihil studio, diligentiæ, ingenio, cum ratio certissima dux, experientia etsi vtilis, nunquam tam omnibus numeris absoluta: & si longæuum & felicem imperatorem audiamus; manet tamen illud, quod ipsi milites fatentur: *sana ratio omnibus præfertur exemplis:* quanquam omnia mea clarorum virorum exemplis docere, & firmare constituti, vt quod deest auctori, supersit integritati doctrinę. Quod eo minus nouũ videri debet, quod omnes fere de bello libros à togatis, historiasq; scriptas legimus, qui etiã de ducibus, regumq; bellicis consiliis prudentissime iudicant, cum bella tamen illi non gesserint; cum vero hunc in finem historiæ in Academiis explicentur lectissimæ iuuentuti, non vt hominum scelera, cœdesq; annalibus conditas intelligant; sed vt quid quaq; in re sequendum fugiendumq; sit, percipiant; nemo sanè prudens iudicabit, ab officio historici alienum esse, de belli gerendi ratione disserere, qui præcipuas historiæ partes bella continere primo aspectu didicerit. sine hac igitur tractatione historia intelligi nullo modo potest: nec recte eruditior iuuentus instrui; cur mihi igitur, quem vocatio mea, atq; adeo propẽsio animi, studiorumq; amor iuuentutis commodis iam olim consecrauit, deuinctumq; tenet, vitio quispiam vertat, si ex fideli historia optima pacis, & belli præcepta iuuentuti propono? Quæ si mala erunt,

Sana ratio præstat exemplis.

iam

iam irrita esse iubeo, si bona, laudare etiam inimici debebunt. Historiam itaque bellicam ordine digestam, norma rationis, adminiculis exemplorum compositam, firmatamque dabo, non meo ingenio, sed regum, ducumque magnorum institutis absolutam.

§.4. Altera pars obiectionis dilutior etiam euadit; quamuis primo aspectu absurdum videatur, de armis tractare sacerdotem. Mihi vero è contrario videtur bono fine, iustis de causis sacerdotes posse ac debere interdum belli esse desceptatores. Moses sacerdos erat, & bellator eximius, nec minus Iosue minister Mosis quanquam sacerdos non esset, pietatem tamen & cuncta belli decora coniunxit. Phineés Eleazari summi Pontificis filius, belli dux contra Madianitas à Mose constituitur. Machabæi Pontifices magna bella gesserunt, & cur mihi de bello loqui non liceat? Clericis quidem belligerare vetitum est legibus Canonicis, monet tamen D. Bernardus Eugenium bella non eius manu, sed tamen auctoritate gerenda.

Sacerdotes veteris testamenti bellatores.

Bellis interesse Clerici interdum possunt. Nam militem fide, & pietate erudire, eorum licentiæ obsistere possunt ac debent, solari vulneratos, morientibus sacramenta exhibere. Et hac quidem de re nemo sanus dubitat.

Alia quoque præstare possunt, vt ad fortiter pugnandum militem adhortentur, etiam crucem præferant, magnoque animo esse iubeant. Maiol. l. 5. cap. 49. Deus olim tubas esse in castris voluit, quibus clangerent sacerdotes, victoriamque bellatoribus conficerent. Num. 10. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo nostro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Ideo quoque Balaam vocat clangorem victoriæ regis, qui erat in tabernaculis Israel. Sacerdos nouæ legis si in periculo belli constitutus pro necessaria defensione occidat inuasorem, non redditur irregularis, quâ in causâ melior est eius conditio, quam militis, miles enim sponte nomen dedit, vt publica auctoritate occidat hostem, Clericus priuata se defendit contra inuasorem.

§.5. Sed neque bellum adeo grauiter vetitum est Clericis, vt in graui necessitate, aut pro magna vtilitate pugnare non valeant. Si patria sit in periculo, si speretur pax vniuersalis Ecclesiæ. Ban. 2.2.q.40.art.2. Henriquez. l.14. c.13. Omnes etiam concedunt Pontificis concessione pugnare Clericos posse. Episcopus sane bellum indicere, si id necessarium sit ad recuperandas vel defendendas Ecclesias suas, potest: itaque delectus habebit, militem coget, fœderibus principum, auxiliisque se muniet, ita Henriquez, Caietanus, Syluester, & ante hos S. Bernardus, S. Leo Papa.

Clerici pugnare aliquando possunt.

Nimium igitur iniqui sunt in nos iudices, qui vt facile nobis calicem extorqueant, accincti gladijs nos inuadunt, & sola breuiarij armatura contentos nos esse iubent, quasi vero nobis pro legitimis nostris, aris, & templis pugnare non liceat, cum in Domini familia duo gladij fuerint.

§.6. Docet recte S. Thomas 2.2.q.30.art.2. Non licere Clericis pugnare, quia bella valde repugnant officijs Clericorum. Executione ordinum illi priuantur, cap. Clerici, & cap. Quicunque 13.q.8. iubentur retrudi in monasterio. Quia tamen lex illa naturalis non est, nec diuina, sed Ecclesiastica duntaxat, non modo tolli à legislatore potest, sed interdum re ipsa tollitur eius obligatio, cum alia lex grauior obligat. Si enim Respublica sit in graui discrimine, possitque seruari, si in milites Clerici cooptentur, naturæ ius est, vt ipsi quoque manu pugnent; iuris enim naturalis obligatio requirit, vt suam quisque Rempublicam tueatur. Quod si in bello offensiuo Respublica est in grauissima necessitate, poterit & in eo clericus manu sua pugnare. De bello defensiuo concors est sententia in summa necessitate, vel maxima vtilitate licitum esse. De offensiuo negant, verum contingere potest, vt offensiuum sit æquè necessarium, in bello enim crebro occupare & præuertere oportet.

Ius naturæ interdum Clericos pugnare cogit.

§.7. Quæcunque initio de causis, cur politica tractanda susceperim, præfatus sum, eadem hic quoque locum suum habent. Nam ducem, Legatos, Tribunos, Centuriones omni prudentiâ politicâ adniti debent, vt exercitum regant, homines feroces, & arma tenentes, idque in magnis periculis, ex quibus facile motus, dissensionesque oriuntur; dum prospera sibi, aduersa ducibus imputant. Summæ igitur artis est militem regere: quod si recte fiat, hostem facile est vincere. Hæc igitur eo fine & modo tractaturus sum, vt legendis historijs, bellisque, iuuentus fructum capiat, & cum matura adoleuerit ætas, bella etiam necessaria gerere possit, fauere conatui debet etiam maleuolus, successum præstare ipse non possum.

Bene militem regere, est hostem vincere.

Omnes plurimum Lipsio debemus, qui intelligendis historiis, facem historicam, *non ex superbia, sed ex proposito appellatam accendit, id est, inquit, vt mores Romanos, publicos, priuatosque proferam, (alibi & Græcos) atq; eos ita illustrem, vt simul loca scriptorum veterum, qui alludunt vel tangunt. Hoc cum diffusum, imo & confusum sit (negare non possum:) placuit excerpere primum ex omni cumulo quidquid ad militiam facit, & id iunctum proponere, & serie aliqua ac cohæsione rerum. Ideo quæ ad militiam: quia ea non creberrimè sed assiduè in historia occurrit, & omnem in ea paginam, vt sic dicam, facit. Vt enim vita nostra publica est, sic scriptio: illa ab æuo in æuum, turbæ & bella: ergo & annales qui æuum repræsentant. Atque ego sciens & gnarus dico, nihil esse quod magis fistat aut remoretur iuuentutem quam militia priscæ ignorantia: cui malo ante omnia medemur, & hanc caliginem nostra face (pro copia quidem ingenii) imus depulsum.*

Hactractatio ad historiam necessaria est.

Mihi quoque propositum est, non modo intelligendis veterum gestis, sed imitatione quoque exprimendis iuuentutem exercere. Consilia enim de illis rebus dantur, quæ sunt facienda. Hoc enim pertinet ad bonum publicum, cui imprimis milites seruiunt.

§.8. Denique cum de bello omnium Politicorum, Iurisconsultorum, Theologorum, Scholasticorum, Canonistarum lucubrationes extent, cum multæ quæstiones ad tribunalia, & conscientiam pertinentes explicandæ sint, manifestum est, hanc à me partem negligi non oportere. siue Theologicas, siue Politicas tractationes spectes. His vero adiungere nonnulla polemica consilia magnorum ducum, mihi non laboriosum, iuuentuti vero gratissimum & fructuosissimum fuerit. Neque tamen hoc iudico ad bellum gerendum eos adhibendos, qui disceptare & perorare de bellis solent; ipsi enim in acie forte omnium suarum præceptionum obliti terga darent hosti: sed vtatur milite exercitato Respublica, qui exequi, non iudicare ducũ dicta norit, ducibus autem, qui & hæc legerint, eisque vti, vel hostem vtentem eludere queant. In prœliis enim, itineribus, obsidionibus præter opinionem varia eueniunt, quæ subitam prudentiam exigunt, tum vero exercitatus & legendo, & belligerando Imperator ad subita Consilia expeditus erit, hæc enim omnia eo pertinent, vt in periculo Consilium sit, & inopinatis casibus explicent se duces, aut hostes implicent; Magni enim Imperatoris est prudentiâ non sanguine vincere. Hoc enim supra omnes triumphos est bono stratagemate hostem decepisse

De bello disputant qui pugnare non possunt.

CAPVT II.

Belli definitio & deteſtatio.

Bellum eſt ferociſſima bellua.

§. 1. SEntiunt facilius bellum integræ ciuitates, quam pauci definiũt. Eſt verò belllum vt definit Lipſius, *vis & arma in principem aut populum alienum.* Sine dubio intelligit vim illatam à ſummo Principe, vel Republica, ſi enim à parte vel à paucis inferatur nullo publico Conſilio, latrocinia ſunt potius quam bella. Hebræi מלחמה לחם & לחם à מלחמה quod eſt comedere, deuorare. Eſt enim ὁ πόλεμος δημόβορος *bellum vorax populi.* Hinc diuinus Spiritus in ſcriptura os tribuit gladio, & perire dicuntur in ore gladij. Deuteronom. 32. 42. *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorabit carnes.* Bellum igitur horrenda belua eſt, quæ innumeris ſagittis ſugit cruorem morientium, & gladijs carnem ſecat, ac viſcerationibus pertuſum ventrem farcire conatur, nunquam autem etiam temulenta ſatiatur.

Summus honos ex ſanguine hominis.

§. 2. Belli innumera mala ſunt, nullum grauius, quàm quod tam magna decora & triumphi de hominum cæde petuntur. ferarum mutuos laniatus, venationeſque cernimus, ſed paſta ceſſat crudelitas, homini occidiſſe hominẽ glorioſum eſt. Et ſatis cauſæ videtur eſſe, vt tam ſacrum animal interficiatur, ſi victoris nomen acquiratur occiſori. Quot enim gentes nulla ſua culpa, ſed crudeliſſima ambitione perierunt? Non inficior, eos qui iuſtorum bellorum adminiſtri fuerunt, quique pro patria vulnera acceperunt, meritis præmiis decorandos; verum hanc humani generis calamitatem deploro, quod pro folijs lauri nationes integræ concidantur, quodque cupidine triumphandi bella ſerantur, & maior ſit gloria multos hominum occidiſſe, quam multos ſeruaſſe. Alexandrum, Cæſarem, Machometem, Tamberlanum admiramur. & ſummæ laudis habetur multos malos, & multos innocentes ſine diſcrimine occidiſſe: quo titulo Nemeæum, Leonem, Hydram, Lernæam, Aprum Caledonium laudare poſſis. Fœda eſt profeſſio Cæſaris, vndecies, nonaginta duo hominum millia à ſe occiſa; & de bello ciuili nondum loquitur. Pompeius in delubro Mineruæ inſcripſit; à ſe vicies ſemel centena, octoginta millia fuſa, fugata, occiſa, in deditionem accepta. Quid eſt hoc, ô DEVS meus, vt in ſocietate humana, inter erudita etiam ingenia faſtigium laudis teneat, multos occidiſſe? Nec velari prætextu iuſtitiæ tanta poteſt immanitas; in ea gloria fuerunt etiam, qui iniuſta bella geſſerunt. Fruſtra hæc querimur. Bella cum nato mundo fuerunt, & bellantes decretoria dies inueniet. Duobus fratribus anguſtus erat mundus, in quo Caino videbatur Abel fore beatior; ſecuta ſunt bella Gigantum, & diſcordes in vnum gurgitem cataclyſmus incluſit. Poſt diluuium primo familiam gubernauit Noe, & filij eius, donec diuiſa terra eſt, regnauitque Nemrod in campo Sennaar. Quin etiam bella grauia fuerunt, Noacho, Semo, Iapeto, ac Chamo viuentibus. Nec pacem conciliare inter poſteros proaui, aui, patreſque potuerũt. Bella illa narrantur Gen. 14. quæ contigerunt annos 344. poſt diluuium, quo tempore, Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reuſarag, Nachor vitam agebant, vt mirum fuerit, tam cito exſtitiſſe tyrannidas. Nam hoc prælium quod Moſes recenſet, primum non fuit, iam enim annos duodecim reges illi ſeruierant Chodorlahomor regi Elamitarum, victi igitur bello fuerant ante annos duodecim, & vſitata iam erant bella, cuius rei indicium eſt, quòd Chodorlahomor fœderatos habet reges, & cum regnet in Elymaide longo ſpacio à Chananæis, eos tamen ſeruitio pro-

Bella antiqua.

mit. Quin & crudelia bella fuerunt, Gen. 14. 5. *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percuſſeruntque Raphaim in Aſtarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim. & Chorræos in montibus Seir, vſque ad Campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine.* Hac diſciplina, ac ſerie bella ad noſtra vſque tempora continuata ſunt. *Mox à diluuio crudelia bella.*

Bello vitia aluntur.

§. 3. Bellorum etiam iuſtiſſimorum malum eſt commune, quod in illis diſciplina iaceat, vitia inualeſcant: Cum enim in bello maximi labores, cõtinua ſint pericula, voluptatum & omnium vitiorum dulcedine ſtolidos militum animos detinent, ne caſtra deſerantur. Hinc mores nulla res æquè corrumpit, atq; militia, quippe in quâ pleraq; impune cõmittũtur. Feros itaque, & omnium malorum cupidos bellum efficit. Quæ enim in Repub. & bene conſtituta ciuitate flagitia cenſentur, in caſtris ludi ſunt. Quæ namque facies malorum in captis ciuitatibus abeſſe ſolet? ita multo ſunt miſerabiliores, qui victoriam ſceleribus ingentibus contaminant, quam illi quos trucidant. Fere n. maiora ſcelera committuntur dum ciuitas capitur, quam ea ſunt, quibus meretur capi. Tantę impietatis indubium ſignum eſt, quod in præſenti periculo, inter ſtrages morientium de ſalute cogitationem ſeriam non ſuſcipiunt. Mortem in labris habent, experiunturque, quod ille ait

Κοινὸς ἐτυμώτατος ὁ θάνατος καὶ ἕκαστος.
Mors communis eſt, occidentem occidit.

Atque illud eſt, quod duratum malis animum, gratiæq; diuinæ contumacem oſtendit, non conſtanter mori, ſed vitiis ſuis immori. Nullo periculo moueri ad pœnitentiam, malis ipſis indureſcere. Cauſa eſt, quia tantorum certaminum finis ſunt diuitiæ. *Mors ſine præparatione ſubitur.*

Vſque adeo ſolus ferrum, mortemq; timere
Auri neſcit amor; pereunt diſcrimine nullo
Amiſſæ leges, & pars viliſſima rerum
Certamen mouiſtis opes.

Religio bello perit.

§. 4. Hinc nec Ethnicos à Deorum ſuorum delubris ſuperſtitio, nec Chriſtianos à ſacris ædibus violandis religio deterruit.

Laudatur Fabij humanitas, quod cum Tarentum euertiſſet, in Deos nõ ſæuiret, ſed diceret. *Relinquere ſe Tarentinis Deos iratos.* Laudatur ergo Fabius, q̃ ſimulachrorũ deprædatione abſtinuiſſe maluit, quam multa grandiaq; auferre. Veteres quidem ẽt in templis deorum nequiores erant. *Ipſa, vt dixi Troia (ait Auguſt. l. 1. de Ciuit. c. 4.) mater Romani populi ſacratis in locis deorum ſuorum munire non potuit ciues ſuos ab ignibus ferroque Græcorũ, eoſdem ipſos Deos colentium: quin etiã Iunonis aſylo*

Cuſtodes lecti Phœnix & dirus Vlyſſes.
Prædam aſſeruabant; huc vndiq; Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæq; Deorum
Craterεſq; auro ſolidi, captiuaq; veſtis
Congeritur. Pueri & pauide longo ordine matres
Stant circum.

Electus eſt videlicet locus tantæ deæ ſacratus, non vnde captiuos non liceret educere, ſed vbi captiuos liberet includere.

Non quidem ſcelus erat, idolia illa, & Lupanaria exſcindere, verũ immane ſacrilegium, cum videmus à Chriſtianis, ne quidem templis Chriſtianorum, ſacriſque parci. Athenæ illæ omnium literarum & humanitatis inuentrices, non iuſtitia, aut pietate bella geſſiſſe, ſed opum cauſa, illi qui auxilium petiuerunt, teſtatur. Ægeſtenſes ideo inſigni ſtratagemate Athenienſes eluſerunt, pecunia enim auxilia comparaturi, à vicinis accepto, mutuo, fana, & ædes ornauerunt, & falſa diuitiarum opinione auxilia habuerunt.

Incertus belli fructus certus labor.

§. 5. Principi bellum ſemper timendum eſt, quamuis hoſtes imbecilles ſint, minimeq; pares. Nam incerta eſt belli ſalea. Diogenes Cynicus Philippo exprobrabat: ſtultitię ſe illius ſpectatorem eſſe, qui tam multa poſſidens omnia in diſcrimen mitteret, idque nulla

nulla necessitate. Quid enim cogitari magis insanum potest, quam tot regnorum dominum ad incertum iaculum scopi instar propositum esse. Omnia incerta sunt in hominum vita, sed bello nihil incertius. Hora vna opes, decoraq; parta, & sperata euertit. Quod vero grauissimum est in bello peccare bis non licet: quin & illud ordinarium est, vt quorum principum est labor, eorum non sit fructus. Alij triumphant, & aiunt:

Qui sanguine fuso
Hanc patriam peperêre.

Bellum amici grauescunt.

Id vero in bello omnium grauissimum est Duci, aut Reipublicæ, quod à suis militibus, & Tribunis frequenter bonis exuuntur, atque in magnas calamitates incidũt. Sunt enim ex illis plurimi, quibus lucrosum est bellum duci, quod ignauia & negligentia sua facile consequuntur. Finierant bellum cõtra Romanos Pœni, pax atq; adeo fœdera inita erant, cum subito miles exauthorandus Mathonem Spendiumq; duces creat, bellum Carthaginensibus intulit multo periculosius, quam id quod aduersus Romanos gestum erat. Idem ante auorum ætatem in Italia pacatis rebus contigit, militum n. turmæ oppida, atq; arces occuparunt ac diripuerunt. Quin & Franciscus Sfortia bellator inclytus Mediolanum, pro quo pugnarat, occupauit. eodẽ modo milites pleriq; in Italia eo tẽpore affecti erãt, licet ducatũ non acceperint. Propriæ vires tam principi, quam alienæ sunt timendæ.

Proprie vires periculosæ.

Bellantium varia pericula.

§.6. Nec laudem victores quam optarunt, consequuntur. Nihil tam capax est malignitatis, & sermonum quam bellum. Damna semper eueniunt, & obdamna semper principes culpantur; ideo hinc seditiones facile oriuntur, quib. princeps impar est, cum foris hostes, domi tumultuantes insurgunt; quorum hi principi vires subducunt, illi frangũt. Prudentissime itaq; Martianus dicere solebat. *Imperatori arma capienda nõ esse, quamdiu colere pacẽ liceret.* Cum n. in imperio etiam moderato arduum sit, vel modicæ paucorũ expectationi satisfacere, quomodo fieri potest, vt per iniuriosa bellorũ omnibus placeat vnus, paucis vtilis, multis nocẽs, omnibus grauis? Hęc ex natura belli oriuntur. Nemo securè fortunis fruitur, omnibus omni hora mors imminet, & inimicus ensẽ, iam iam hæsurum iugulo rotat. Principem itaq; requiro pacis custodem. *Pax est bonum ab omnibus laudatum, sed quod pauci custodiunt*, vt ait Nazianz.

Clarissimi triumphi exitus multati sunt.

Experiẽtia docet, eos, qui spectatissime triumpharunt, victrice inuidia oppressos. Camillus direptis Veijs albis equis triumphans, deos æmulare visus est, verum expertus est quicquid cõmunem sortem excedit, inuidiæ aliorum esse obnoxium: superioribus enim oẽs inuident, nisi admodum boni sint. Inuidẽt etiam amicis, & illis qui prosunt. Saul salutem Dauidis fortitudine datam gauisus est, sed gloriæ vsq; adeo inuidit, vt vinci maluisse videatur, quam cum ducis sui laude vincere. Cęca enim inuidia est, nec quicquam aliud scit, quam detrectare virtutes, corrumpere honores, ac præmia laborum. Quid igitur laudem spectes, cum aliquando senatum, populumque videas obtrectare victori: imo quo maior apparet gloria, eo malignius eleuare, obloqui, lites nectere, exilia decernere. Hæc suadeo, nec tamen vt suspicor, persuadeo. Ingens enim dulcedo glorię, facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur.

Finis belli non est in potestate incipientis.

§.7. Facile incipitur, difficillime sedatur. Syluam scintilla è silice excussa accẽdit, eandem nulla vis restinguere potest. cum per densa arborum flamma victrix exultat. Ob interceptum canem Scotos & Pictos inter primũ rixa, deinde cædes exortæ sunt, tandem Rege Crachynto decertatum est iusto prælio. Hector Boeth. l. 6. Scot. histor. Vnius piscis causa, qui cuidam Feleſtagoræ donatus erat, afflicti multis cladibus sunt Naxij, stupris, cædibusq; sæuitũ, donec ex nimia libertate in seruitutẽ recidérent. Athen. l. 8. c. 7. & Arist. de Rep. Nax: Eam ob causam nec politicè nec ciuiliter fecit Archelaus Macedonũ rex, cum multam genti Thracum indixit Talentum, q̃ canem eius à via forte oberrãtem dijs immolassent, vorassentq;. Nam exiguâ causa ingẽs penè bellum conflauerant: modestius Thraces, qui in præsens rem dissimularũt.

Pacis mentio etiam inter tubas.

§.8. Quicunq; igitur pacem principi suadent, modo ne sub pacis nomine grauius bellum lateat, ẽt inter tubas audiendi sunt. Nec Hanno mihi displicet, qui post Cannẽsem victoriã cum annulis allatis equitum occisorum numerum nuncios admetiri videret, legatorum de pace mittendorum auctor fuit, cuius consiliũ, si eo tẽpore Carthago audisset, Romæ forte superfuisset. Mala igitur multa consequuntur certa, sed bonum, q̃ quæritur, est incertũ. Orosius. l. 1. *Quid aliud bella dicenda sunt, quam vrgentia in alterutrum mala? mala scil. huiusmodi, quæ fuerunt, vel quæ nunc sunt; in quantum sunt, aut manifesta peccata sunt, aut occultæ punitiones peccatorum.* Proclus in Com. in Alcibiad. ὁ δὲ Ἄρης τὴν ὀνομασίαν ἔσχεν, ἀπὸ τοῦ ἀίρειν, καὶ ἀναιρεῖν, ἢ ἀπὸ τῆς ἀρᾶς, ἢ ἐστὶ βλαβὴ, καὶ ἐναντιώσιν, ὡσανεὶ ἐκμαλιστὸμένων αὐτὸν τῶν πραγμαλευόντων, ἀπὸ δὲ ἄρσαι, ὅ ἐστιν ἁρμόσαι, ἡ γὰρ δραστικὴ δύναμις πρόσαρμόζει τὰ πράγματα. *Ares (l. mars) ab aírein & anaírein auferendo dicitur, vel ab arai Execratione, & damno, vel per contrarium, vt loquuntur mollius, ab arsai quod est concinnare; nam vis effectrix res concinnat & ordinat.* Falloran & hinc arma Latinis dicta? Aliorsum itaq; finis belli cadit, quam putarunt. Carthago pacem noluit, prælijs victrix, bello victa, excidio superbiam luit. Nec dissimilis Romæ victricis fuit ruina, alia tempora felices comprehenderunt, & oppresserunt.

Imperium dilatando perdunt.

Multa propositis aliena euenerunt, Augustus Istrum & Euphraten terminos imperij statuit, sed frustra. *Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum, & coniurato descendit Dacus ab Istro.* Euphrates quidem Asiam fertilem, & mollem inundat, Dacus & gentes Transdanubianæ Pannonicas, Thracias, Græciam, Italiam inuadunt, Transrhenanæ Gallias, Italiam, Hispanias, ipsamque Africam cum gelido suo Boote commutant. Historia casus veteres nos docuit, nos posteros docebimus.

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam patrio veniens iuratus ab Istro
Has arces æquare solo.

Laboriosè victi citò deficiunt.

Gentes omnes, teste Capitolino, ab Illyrici limite vsque Galliam conspirauerant, vt Marcomanni, Nariſci, Hermunduri, & Quadi, Sueui, Sarmatæ, Laringes, & Buri, alij, cum Victoriatis Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Basternæ, Alaui, Peucini, Costobocij. Magno igitur suo labore gẽtes asperrimas vicit; at sine fructu: Causa, diuersitas hostium, & tuorum: Multum sane refert quibusnam hostibus res agatur. Eudamidas Spartanus hortantibus, vt memor victoriarum contra Persas obtentarum, contra Macedones pugnaret, respondit. *Ignoras idem esse istud, ac si victor mille ouium, pugnet cum quinquaginta lupis.* Plutarchus in Apophth.

Paupertas è bello.

§.9. Bellum etiam fugiẽdum, quia comes eius est, ingens omnium paupertas, ærarium exhauritur, subditi spoliantur, militibus male parta, male dilabuntur, vastitate & incendijs viuendi adminicula absumuntur. Raro victor est beatior, victus semper est pauperior. Paupertas vero illa malesuada est, & sceletum concitatrix, dum latrocinijs recuperare tendũt, quod belli calamitatibus perditum est. *Pereunt bello pauperes*, vt recte dicebat Antistheni defensor bellorum: sed recte quoque respondit Antisthenes, *Plures fieri pauperes.*

§.10. Nec modo bellum ipsum, sed metus ẽt belli paupertatem & famem præmittit. *Non vllus aratro dignus*

dignus honor, fugiunt coloni, squalent arua, ciuitates deseruntur. Neq; imaginentur bellaturi multa damna se illaturos, pauca passuros; fieri enim solet, vt illi, qui multa inferunt alijs, multa & ipsi patiantur, cum defendere se difficile sit, nocere facilimum.

Præter illa damna etiam labor additur, quo conficiuntur ciues.

Egregio commento Phocion Athenienses à studio belli contra Thebanos abduxit; cum n. necquicquam dissuasisset, sed cõtra eius orationem esset bellum decretum, & Phocion ipse dux cõstitutus; Agite Phociõ sumptis quinq; dierũ cibarijs me sequimini; ꝙ cum senes detrectarẽt, studium belli remissum est.

Pax bello quæritur.

§.11. Quod si quippiam accidat, vt bellum suscipiendum videatur, id secum Resp. perpendat: finito bello nihil melius q̃ pacem se consecuturam. At vero iam pax est, quæ ciuiliter agẽdo, & parua dissimulando damna, retineri põt. Sane aurea sentẽtia est Senecæ. *Felicior est pax nunquã lacessita, quã multo reparata sanguine.* Intra paucos annos in Europa bella, & pacẽ vidimus, postquam oẽs fessi cladibus sunt, pace respirant. Egregium hac de re est S. Augu. iudicium l. 4. de ciuit. c. 15. *Felicitas est maior vicinũ habere concordem, quam subiugare bellãtem.* Annos quadringentos cum vicinis Roma belligerauit, clades intulit, & accepit, interea tot ciues cæsi, vulneratiq;, agri vastati ducenties, prędæ abactæ; quis ita ab omni ratione alienus est, qui non iudicet Romam beatiorem futuram fuisse, si cõtinuis bellis ciues non attriuisset? si concorditer cum vicinis vixisset? Athenienses non nisi pullati pacem optabant, & nunc etiam principes cum exhausta ærraria, & saucios è prœlio vident, ad pacem animum applicant. Prudentissime Gueuara l. 3. c. 15. horol. *Tam stolidus nemo est, & rudis, quin feliciorem pronunciet eum, qui linteolo ad detergendum vultus sudorem vtitur, quam qui ad exsiccandum capitis sanguinem idem scindit* Itaq; qui bellum non necessarium pro pace gerit, perinde facit, atque ille, qui cicatricem integræ cuti præponit; cum nunquam cicatrix nisi collata vulneri placeat.

Pax secundum naturam, bellũ contra naturam est.

§.12. Quid vero si naturam ipsam spectemus. Beluis vires & rabiem pro virtute natura insevit, ius homini dedit, magnumq; illud etiam latronum pectoribus insculpsit; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quid in mutuas lanienas ruimus? nullum animal in suum genus sæuit. Iuuenalis Satyra 15.

Sed iam serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sæuis inter se conuenit vrsis:
Ast homini ferrum lethale incude nefandâ
Produxisse parum est, cum rastra, & sarcula tantum
Assueti coquere, & marris, ac vomere lassi
Nescierint primi gladios excudere fabri.
Aspicimus populos, quorum non sufficit ira,
Occidisse aliquem: sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi.

Quid vero bellis agitur? Subditis licentia scelerum datur, homines trucidantur, insontes spoliãtur. Hæcque sine iustitia vt plurimum. *quid enim milites habebunt, si suum quisq; habuerit?* Sen. de benef. 4. Principes igitur si boni esse, & haberi volunt, id agant, vt non hostes attrahant, sed vt improbos repellant. Plato optime Spartiatis Lydos præposuit, qui opere rustico duratas manus haberent, eum Spartiatæ torquendis hastis brachia eneruata traherent. Natura igitur quæ societatem, eadem pacem nos docuit, & amicitiam cum omnibus, quibuscum esse potest. Sine amico enim visceratio leonis, & lupi, vita est. Hoc ipsa nos docet antiquitas, horrore quodam contra naturam bellatorem perfundens. Tertull. de pallio. *Cur istas non spectas? vel illos item habitus, qui nouitate vestitus religionem mentiuntur, cum ob cultum omnia cãditatum, & ob notam vitæ, & priuilegium galeri, Cereri initiantur, cum ob diuersam actionem tenebricæ vestis, & tetrici super caput velleris in Bellonæ montes fugantur.* Et aduersus gentes; *Hodie isthic Bellonæ sacratus sanguis de femore prosciſſo in parmulam exceptus suis datur signatis.* Quid aliud tetrica vellera, in montes fuga, sanguinis epotatio significat, quam eos qui belli malis gaudeant, ab hominibus migrasse in beluinam versos naturam?

Bello boni plus patiũtur.

§.13. Denique hoc in bello detestabilissimum est; quod non modo vbi bellum ingruit innocentes ac noxij iuxta cadunt, sed boni plus etiam patiuntur. Cum enim mali parui vitam, minoris conscientiam æstiment, in omnia iniuriarum genera proni sunt; at boni cum iniuriã nec inferre, nec rapere velint, damna sua mussare, & perferre cogũtur. Quod si mali malis concurrant, paruum detrimentum videri quibusdam solet; sed errant illi quoq;, quanquam enim in cæde improborum non magna censeantur; hoc tamen ipsum damnosum est, improbum alienâ furiâ, & ipsum furentem cadere, qui incruentâ morte sublatus saluari poterat. Magnum precium est animæ Christianę, quę dum inter cædes proijcit vitam temporariam, sæpe desperat æternam. Hinc fit vt etiam boni nisi cum necesse est, hostem non occidant. Ego plane auream sententiam hominis Ethnici iudico Tac. hist. 1. *Aequè apud bonos miserũ est occidere, quã perire.*

Commoda bellorum.

§.14. Commoda tamen & prædæ ex bellis oriuntur. ita est, imo ex victoria, & quidem incruentâ & felice; alioqui care emitur præda multo sanguine. Verum commoda vocemus, seruituti subditam prouinciam, militumq; è præda diuitias. commoda tamen non sunt, nisi collata detrimentis, seruos mauis habere vicinos, quam latrones & piratas, sed præstabat habere amicos. Nec felicior es aliena infelicitate, nisi necessario illos infelices feceris. Vere Orosius. *Quam feliciter Roma vincit, tam infeliciter, quidquid extra Romam est, vincitur.* Bene hanc rotam comparat modiolis haustorijs Gueuara, nisi enim illi qui ascenderunt euacuentur, non possunt alij pleni ascendere. Magna itaq; aliena est infelicitas, ex quâ tanta emolumenta nascuntur, vt vitæ periculis bene emi credantur. Nec sic tamen felix est victor, Roma orbis diuitias partim bello, partim præsidũ auaritiâ rapuit, sed pressa exuuijs deuicti mundi perijt. Natura inter Draconem & Elephantem inimicitias posuit, Draco deuicti Elephantis sanguinem tanta auiditate bibit, vt aut rumpatur, aut hostis cadentis mole obteratur. Id fieri solet cum prædarum multitudine sitientum animi militum subito implentur, atque ita farciuntur, vt fortunã suam cõcoquere nullo modo queant, imo nec fortiter amplius agere, nec viuere.

Felicitas bellorum ex aliena infelicitate.

Multorum periculum ducis solius gloria.

§. 15. Accedit ad hanc crudelem vanitatem in bella raptantem, aliud plane quod inique comparatum est, & merito deterrere à bello omnes oportebat. Ducis enim solius pene decora sunt, solius nomen principis trophæis inscribitur; male Græcos fecisse ait Curtius l. 8. quod trophæis regum duntaxat nomina inscripserint. Principem igitur scabies illa infestet, quid tu, ô miles, post victoriam speras? iacent tot millia commilitonum, & illi quidem cum laude, sed tamen sine nomine vulgus; multo maior pars oberrat, egens, mutilato corpore, & triumpho suo cum ignominia superstes. Imperator per vrbem vehitur curru sublimis, captat plausus, conspici desiderat, at Romanus quoque sapiens Cicero, qui ista desiderauit, inania ipsa delectamenta iudicat, & pene puerorum. Orat. in Pison. Quod si maxima iudicantur, certe militum non sunt. Milites hodie pene leguntur maximam partem ex infima plebe, aluntur vt victimæ, nec sane liberaliter, reguntur durissimè,

Militum misera sors.

sime, & ad bellum tamen aspirant. Olim sacramenti fugiendi causa in ergastulis latitabant, pollices sibi præscindebant, alias effugiendi occasiones quærebant. Nunc sponte accurrunt, quos desperatio, aut cupido licentiæ domi manere non sinit. Hinc aliud etiam & triste malum nascitur, vt bella optent, ingrata sit quies. Maleuolæ suspicionis est carmen Philemonis Comici, sed in bello verum.

Οὔτε γὰρ ἰατρὸς, οὐδὲ εἷς, ἂν ἐν σκοπῇς,
Τοὺς αὐτὸς αὑτῷ βέλτιστ' ὑγιαίνειν φίλους.
Οὔτε στρατιώτης πόλιν ὁρᾶν εἰρηνικήν.

Olim paulo melior post militiam pax.

Neque enim medicus vllus, si bene rem consideres, amicos suos bene valere peroptat, nec miles suam sine malo ciuitatem videre. Cupido porrò belli eos tenet, quia aliam vitæ honestè degendæ artem non didicerunt. Hinc Italorum prouerbio iactatur. *Bellum fures serere, quos pax gladio demetat, & laqueo.* Nam reuera otio, luxuriæ, crudelitati omnino dediti, ad latrocinia, furtaq; vertuntur. Horũ malorũ causa est, nostræ militiæ corruptio, olim ea erat disciplina militiæ, vt arma ponere vehementer miles optaret, vacationem maximi loco beneficij acciperet, ad agros redirent, etiam consulares, & triumphales, atque adeo bene secum veterani putabant agi, si absolutis stipendiis agri darentur: nunc multi omnia in arte militari collocant, itaque arma retinent, ac si cum bello vita quoque abrumpenda sit. Nihil magis cauendum est regibus, quam ne his de suscipiendo bello consiliarijs vtantur: animos enim illorum tumultu, & vana spe implent, non alio fine, quam vt necessitate vrgente, rebus ipsi admoueantur. Id sane contingit, vt vbi diuturna militia est, pauci Tribuni ac manipulares maximis imperijs sint potentiores. Prætoriani milites Romæ, pars quota, non dico totius imperij, sed vnius vrbis, quoties imperatores fecerunt, & factos occiderunt? Itaque cum bellum est, res domi incertæ sunt, foris afflictæ.

CAPVT III.

Bellum esse licitum.

Bellum licitum.

§. 1. VEtus illa disputatio est, non quidem an omnino gerere bellum liceat, sed an Christianis licitum sit? ita enim Iulianus Apostata per derisum exprobrabat, *alapam danti dandam & alteram maxillam, non igitur bello vindicandum.* Manichæi etiam omnino bellum vetabant, quos refutat S. Augustinus libr. 22. contra Faustum Manichæum c. 74. *Nec bella per Moysen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina secutus imperia, non sæuiens, sed obediens fuit: nec Deus cum iubebat ista, sæuiebat, sed digna dignis retribuebat, dignosque terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt domentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quæ plerumque vt etiam iure puniantur aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos, vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iustè ordo ipse constringit. Alioquin Ioannes, cum ad eum baptizandi milites venirẽt, dicẽtes: Et nos quid faciemus? respondet eis; arma abiicite, militiam ipsam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: respondit eis; Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis: sufficiat vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichæi Ioannem apertè blasphemare consueuerunt, ipsum Dominum IESVM CHRISTVM audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & DEO quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessaria militi stipendium præbeatur. Merito & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alii veni & venit: & seruo meo fac hoc & facit: fidem laudauit, non illius militiæ desertionem imperauit.*

Manichæi negabant bellum licitum.

Wicleffus eiusdem erroris insimulatur à Thoma Waldensi; Cornelius Agrippa archimagus in eadem opinione fuit. Et Erasmus. Lutherus affectu & impotentia iracundiæ rem iudicauit contra Turcas geri bellum vetuit, quod esset ipse flagellum Dei, contra Pontificem & Catholicos iussit, & vt bellaretur, effecit.

Deus bellũ licitum approbauit, & sancti gesserunt.

§. 2. Bellum natura sua non esse illicitum, neque à Deo vetitum, tota vetus scriptura docet. Abraham Gen. 17. bello vicit Reges victores; Moses, & Iosue Chananæam belli iure occuparunt, quamuis enim eam terram illis donasset Deus, armis tamen obtineri voluit. Imo belli leges quoque dictauit. Num. 10. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis & erit recordatio vestri coram Domino DEO vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Et capit. 21. 14. citatur liber bellorum domini, quæ sine dubio sunt gesta probante Domino. & Deuteronom. 20. 1. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem quam tu habeas aduersarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus DEVS tuus tecum est: qui eduxit te de terra Aegypti. Appropinquante autem iam prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum. Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: Quia Dominus DEVS vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo qui ædificauit domum nouam &c.* & post pauca. *Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, vnusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primùm pacem. si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam. Cumque tradiderit Dominus DEVS illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini, est, in ore gladii absque mulieribus & infantibus, iumẽtis & cæteris, quæ in ciuitate sunt. Omnem prædam exercitui diuides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi &c.* Libri quoque Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Machabæorum pleni sunt historia bellorum. Et Hebræor. 11. Apostolus ait. *Sanctos per fidem vicisse regna, fortes fuisse in bello* Ioannes quoque Baptista, non vetuit militare, nec CHRISTVS, nec Petrus centuriones sacramento soluerunt. Bellandi enim licentiam à DEO datam agnouerunt. Centurionis sane preces, & eleemosynæ ascenderunt ante Deum, & habuit ille quoque milites timentes DEVM. Fuere quoque olim in bellis Christiani milites. Legio fulminatrix notissima est, quæ imbre impetrato exercitum seruauit, & Thebæorum, quæ martyrium sæpius decimata pertulit. Tertullian. apolog. cap. 42. Christianos cum gentibus vna militare tradit. Quid vero ipse sentiat, non omnino liquet, constat enim sui temporis militiam sub Ethnicis imperatoribus, idololatriæ connexam improbasse. L. de corona militis, capit. vndecimo. *Etenim vt ipsam coronam coronæ militaris aggrediar, puto prius conquirendum, an in totum Christianis militia conueniat. Quale est alioquin de accidẽtibus retractare, cum à præcedẽtibus culpa sit? Credimusne*

Christus bella probauit.

mus ne humanum sacramentum diuino superduci licere? & in alium Dominum, respondere post Christum & eierare patrem ac matrem, & omnẽ proximum, quos & lex honorari & post Deum diligi præcepit? Hos & Euangelium solo Christo pluris non faciens, sic quoq; honorabit. Licebit in gladio conuersari Domino pronunciante: gladio periturum, qui gladio fuerit vsus? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet? Et vincula & carcerem, & tormenta, supplicia administrabit, nec suarum vltor iniuriarum? Iam & stationes, aut alii magis faciet quam Christo? aut & dominico die quando nec Christo? Et excubabit pro templis quibus renunciauit? & cœnabit illic vbi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit, incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoque portabit amulum Christi? & signum postulabit à principe, qui iam à Deo accepit? Mortuus etiam tuba inquietabitur æneatoris, qui excitari à tuba Angeli expectat? Et cremabitur ex disciplina Castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit? Quanta alia in delictis circumspici possunt Castrensium munium, transgressioni interpretanda? Ipsum de castris lucis in castra tenebrarum nomen deferre, transgressio est. Plane si quos militia præuentos fides posterior inuenit, alia conditio est, vt illorum quos Ioannes admittebat ad lauacrum; vt centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, & quem Petrus Catechizat: dum tamen suscepta fide atque signata aut deserendum statim sit, vt multis actum, aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduersus Deum committatur, quæ nec ex malitia committantur; aut nouissime perpetiendum pro Deo, quod æque fides pagana condixit. Nec enim delictorum impunitatem, vt martyriorũ immunitatem militia promittet. Nusquam Christianus aliud est. Vnum Euãgelium & idem Iesus: negaturus omnem negatorem, & confessurus omnẽ confessorem Dei; & saluam facturus animam pro nomine eius amissam, perditurus autem de contrario aduersus nomen eius lucri habitam. Apud hunc tam miles est, paganus fidelis, quam paganus est, miles infidelis. Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquẽdi, quibus vna est necessitas non delinquẽdi. Nam & ad sacrificandũ, & directo negandum, necessitate quis premitur tormentorũ siue pœnarũ: tamen nec illi necessitati disciplina conniuet: quia potior est necessitas timendæ negationis & obeundi martyrii, quã euadendæ passionis & implendi officii. Cæterum subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, vt etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Nam & voluntas poterit necessitas cõtendi, habens, scilicet, vnde cogatur. Vel ipse hæc præstruxerim & cæteras officialium coronarum causas, quibus familiarissima ista ducatio, necessitatis: cum idcirco aut officia fugienda sint, ne in delicta incidamus, aut & martyria toleranda sint, vt officia rumpamus. De prima specie quæstionis etiam militiæ ipsius illicitæ, plura non faciunt, vt secunda reddatur. Nisi omni ope expulero militiã, frustra iam de corona militari prouocarim. Puta denique licere militiam vsque ad causam coronæ.

Eadem sentit de idololatria c. 19. *At nunc de isto quæritur, an fidelis ad militiam conuerti possit, & an militia ad fidem admitti etiam caligata vel inferior quæque, cui non sit necessitas immolationum vel capitalium iudiciorum. Non conuenit sacramento diuino & humano, signo Christi & signo Diaboli, castris lucis & castris tenebrarum: non potest vna anima duobus deberi, Deo & Cæsari. Et virgam portauit Moyses, fibulam & Aaron: cingitur loro & Ioannes, agmen agit & Iesus Naue. bellauit & populus, si placet ludere. Quomodo autem bellabit, imo quomodo etiã in pace militabit, sine gladio, quem Dominus abstulit? Nam & si adierant milites ad Ioannem, & formam obseruationis acceperant, sic etiam centurio crediderat; omnem postea militem Dominus in Petro exarmando discinxit, nullius habitus licitus est apud nos illicito actui adscriptus.*

Doctissimus Pammelius Tertullianum arbitratur militiam non penitus, sed quia sine idololatria vix erat, reiecisse, non enim commilitones Christianos, sed coronæ impositionem reprehendit. Verum fuerit ille error etiam Tertulliani. Nobis certa ratione constat militiam ex se legitimam, & honestam, periculosam tamen, & vt plurimum corruptricem morum. Nihil Cẽturioni, cuius fidei nulla par fides erat in Israel, militia nocuit. In sanctis Ecclesia recenset Alexandrum, Theodorum, Mercurium, Florianum, Quirinum, Victorem, Ferreolum, Romanum, Iulianum, Modestum, Georgium, Exuperiũ, Anastasium, Gallicanum, Marcellum, Carolum Magnum, Arsacium, Ludouicum Regem, Vitalem, Vrsum, Longinum, Marcellum, Nicostratum. Deinde legiones integras, aut cohortes, vt Achatij, Mauritij, Gereonis, Castuli, Cytionis, Gregorij, & Mauri, Theodosij, Callistrati, aliorumq;, qui ita milites fuêre, vt tamen insigni laude pietatis, & martyrij floruerint.

Ius naturæ contra hostes defensionem permittit.

§. 3. Si quis serio atq; ex animo omne bellum improbet, eum ego non hæreticum modo, sed Reipub. etiam proditorem esse iudico; quorum primum ad Theologos, alterum ad Magistratũ pertinet. Cum n. belluæ omnes infirma sua norint, & qua ratione hosti ire obuiam possint, cum nos quoq; aduersus Leones, & Tygres armemur, natura quoq; nobis inseuerit defendendi vitam, hostesq; repellendi quendam impetum, sine quo vita degi non põt. negari non põt, quin aduersum latronem, furem, adulterum, sit iusta defensio. Neq; fides, neq; vlla lex diuina naturale ius sustulit. Sed defensionem vt contra serpentẽ, contra scorpium, contra alias beluas, ita cõtra impios latrones permisit: Peiores enim illi sunt, qui malitia & cupiditate, quam qui natura ad iniuriam feruntur. Si igitur Dauidi contra Vrsum & Leonem insurgere licuit, eosq; discerpere, cur non etiam funda Goliati frontem pertũdat, cum ille velut canis mortuus maledicat agminibus Dei viuentis? Quod si vnicuique priuato contra iniustam vim repugnãdi potestas datur, multo magis principi illi conuenit, cuius officiũ est subditorum defensio. Quis parens non affligit anguem filio insidiantem? Quis pastor non eruit ouem de ore lupi? & Princeps ciuitatem non defendet, cui hostis barbarus, in fortunas, in corpora, auaritia, libidine, crudelitate grassaturus imminet? Bella igitur sunt suscipiẽda, vt sine iniuria in pace viuamus. Non modo honestum est, sed etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur; hanc legem beluis natura, mos gentibus, ratio prudentibus, necessitas omnibus imposuit.

Respublica inermis præda est.

§. 4. In Republ. igitur & belli, & pacis ratio constare debet. *Oportet*, ait Arist. l. 7. cap. 14. *negotia quidem & bella gerere posse; sed magis agitare pacem, atque otiari posse. & rerum quidem necessariarum, & vtilium sed magis honestarum habere facultatem agendi.* Cætera itaq; in principe dissimulari possunt, sed ducem esse imperatoria est virtus. Nulla Respub. perseuerare potest, nisi quæ militarem artem excolit. Nam cum magna cupiditate ad aliena rapienda feruntur homines, vbi obstaculum non vident, coruunt. Si igitur princeps bellicosus non est, aut duces ignauos habet, hoc ipso bellum expectet. Impetum enim facient, vt Danitæ in Laisam, alij in alios.

Mansuetudo Christiana bello non repugnat.

§. 5. Vbi igitur mandata saluatoris de altera maxilla porrigenda? Matt. 5. vbi lex Apostoli Rom. 12. *Non vos defendentes, sed date locum iræ.* & Matth. 26. *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Nonne Deus ipse dixit; *Mihi vindictam, & ego retribuam?* Si igitur vltio prohibetur, si iniuriarum patientia imperatur, non potest à Christiano bellum geri. Respondeo. Hisce olim Gentiles abusos esse, vt dicerent: Christianam fidem Reipublicæ perniciosam esse. Ita vir Illustris Venusianus apud Marcellinum, vt est in Epist. 4. August. *Tum deinde quod eius prædicatio, atq; doctrina Reip. moribus nulla ex parte cõueniat: vtpote sicut à multis dicitur, cuius hoc consistet*

constet præceptum, vt nulli malum pro malo reddere debeamus, & percutienti aliam præbere maxillam, & pallium dare persistenti tunicam tollere, & cum eo qui nos angariare voluerit, ire debere spacio itineris duplicato: quæ omnia Reipublicæ moribus asserit esse contraria: Nam quis tolli sibi ab hoste aliquid patiatur, vel Romanæ prouinciæ prædatori non mala velit belli iure reponere: & cætera quæ dici ad rem posse, intelligat venerabilitas tua. Respondet S. Augustin. Epist. 5. Primo quidem; Reipubl. vtilem esse clementiam, quâ inimicis ignoscitur, sic enim ex parua & inopi magnam esse factam, & opulentam, quod ciues accepta injuria ignoscere, quam persequi maluerunt. Ciceronem quoq; Cæsari adulatum dixisse, eum nihil obliuisci, nisi injurias solere. Secundo. Vincendum in bono malum cum ad pœnitentiam deducitur victus, non viribus sæuientis, sed beneuolentia patientis. Itaq; faciendum, cum videtur ei, pfuturũ, propter quem fit, idq; eo animo faciendum, etsi alius exitus sequatur. Tertio. Curandum, ne vindictæ cupiditate auferatur patientia, quæ melior est omni eo, qp inuito potest auferre inimicus. Quarto. *Illa præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus est, pertinere, quam ad opus, qp in aperto fit, vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus.* Addit nec Christum prębuisse alteram, nec Paulum, sed insuper increpuisse iniquum judicem. Sunt ergo ista præcepta patientiæ semp in cordis prąparatione retinenda, ipsaq; beneuolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda. Ne verò putes Augustinum sophistice beneuolentiam in voluntate, in opere verò crudelitatem probare. Clarissime ostendit manente patientia, sine cupiditate vindictæ, imò præparatione patiendi cum beneuolentiâ corrigi alios posse, & bella geri. *Agenda sunt, inquit, autem multa etiam cum inuitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius vtilitati consulendum est, quam voluntati, qp in Principe ciuitatis luculentissimè illorum literæ laudauerunt. Nam in corripiendo filio quam libet asperè, nunquam, pfectò amor paternus amittitur. Fit tamen qp nolit, & doleat, qui etiam inuitus videtur dolore sanandus. Ac per hoc si terrena ista Respubl. præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine beneuolentiâ non gerantur, vt ad pietatis, iustitiaq; pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur.* Principem quidem ajunt omnia bona hostibus optare posse, præter bonam mentem: omnia n. bona, si mala mens sit, inimica fiunt. Ego vel prącipuè bonam mentem optari velim hostibus, eâ enim si prędîti sint, amici erunt, nisi sint jure hostes. Itaq; illa præcepta mansuetudinis Christianæ, nec judici manus ligant, ne in maleficos animaduertat, nec Principi, ne hostem perimat, sed hoc monet ne publicé, nec priuatim, ira, odio, vltionis dulcedine sæuiamus, aduersa patiamur, & si patientia nostra vtilis est inuasori, eam corde, & opere teneamus, si nostra patientiâ ad majorem injuriam ille irritatur: corde beneuolentiam teneamus, opere medicinam asperiorem admoueamus, quemadmodum pater tàm castigans, q̃ indulgens amorem retinet. Suum cuiq; jus manet, cedere Christianus in propria solet, im publica Princeps, interdum cedere consueuit, interdum opponere omnes vires regni, cum illud necessarium judicat. Nec mirum est hanc animi lenitatem regi à nobis, cum nec ciuitas, nec castra consistere possint, nisi multa multi condonent ciuibus & commilitonibus. Sed & in certamine atque ardore prælij ratio, non ira dominari debet, ita ipsi gentiles imperij Rectores decreuerunt. Senec. l. 1. de ira. c. 11: *Quid enim est aliud, qp Barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborũ comminuat, nisi ira infestissima sibi? gladiatoria quoq; ars tuetur, ira denudat. Deinde quid opus est ira, cum idem perficiat ratio? an tu putas venatorem irasci feris, vel cum & fugientes persequitur, & trementes excipit? omnia illa sine ira facit ratio. Quid Cimbrorũ, Theutonorumque tot millia superfusa Alpibus ita sustulit, vt tantæ cladis notitiam ad suos non nuncius, sed fama pertulerit, nisi qp erat illis ira, p virtute? quæ vt aliquando perculit, strauit q; obuia, ita sæpius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutriuntur q; : quorum vnica illis cura est, in alia negligentibus? Quid induratius ad omnem patientiam, vt quibus magna ex parte nõ tegumenta corporum, pvisa sunt, non suffugia ad perpetuum cœli rigorem. Hos tamen Hispani, Galli q; & Asiæ, Syriaq; molles bello viri, antequam legio visatur, cædunt: ob nullam rem aliam, quàm ob iracundiam.* Eam ob causam id quoq; periculosum est, pugnaturis potionem miscere, quo mente quodammodo alienentur, ne pericula sua sentiant. Turcæ opio vtuntur, quod assuetis furorem aliquem concitat, qp tamen pernicioſum est, cum ad curandum, accipiendumq; imperium minus idonei sint, quos rabies, non ratio ducit. Bellum ergò geret Princeps animosus; cum latrone enim armis, non decretis agendum est. Milites sunt vrbium munimenta, & nerui regnorum, sine arte militari qequid acqritur, ad hostem pertinet: quia defendi non potest. Cicero pro Murenâ id satis ostendit. *Rei militaris virtus præstat cæteris omnibus: hæc nomen populo Romano, hæc huic vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parére huic imperio coegit: omnes vrbanæ res, omnia hæc præclara nostra studia, & hæc forensis laus & industria latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis: simul atq; increpuit suspicio tumultus, artes illico nostræ conticescunt, quod sit ita est, cedet, opinor, forum castris, otium militiæ, stylus gladio, vmbra soli: sit deniq; in ciuitate ea prima res, propter quam ipsa ciuitas est omnium Princeps.* Quam cordi fuerit res militaris fortibus viris, & amantibus Reipub. docet Dauid ipse, qui triginta fortes, præter exercitus habuit. Oraculum diuinum est, nisi militiam colant Reges, regna interitura. *Auferam fortem, & virum bellatorem, iudicem Prophetam, & effœminati dominabuntur eis, & corruet populus.* Itaq; cum Principes imbelles plures sibi succedunt, aut vnus effœminatus acres habet aduersarios, diu stare Respubl. non potest. Signum etiam est pessimè Rempubl. constitutam, si in ea sit neglecta ratio militaris, vbi n. non sunt bonæ leges, bona arma esse non possunt. Rei itaq; militaris cura Principi necessaria est, omnis regio peragranda, montes, flumina, vrbes, portus considerandi; nam inermis inter armatos tutus esse non potest, inermem omnes infestant, armatum metuunt.

Hostium vtilitati seruiendum in bello.

Ratione nõ ira bellandum.

Caput IV.

Iustum bellum esse oportet, & ab eo, qui ius bellandi habet, indici.

§. 1. Sanctus Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. Tres conditiones requit, vt bellum sit justum. Prima est, vt sit legitima Principis auctoritas; altera, vt justa sit causa, quæ ad bellum impellit. Tertia vt justa sit intentio. Quas ego quæstiones ordine disputabo.

§. 2. Cum Principum varia sit potestas; alij superiorem nullum habent, alij ita mittuntur à Regibus, vt prouincias gubernent, vt tamen rem bellicam non attingant, merito quæritur in cujus potestate sit bellum decernere?

Constat autem belli indicendi jus in ipsa Repub. quæ perfecta est, nec ab alio superiore Magistratu jus accipit, residere. Respublica enim perfecta est; quæ sibi sufficiens est, seu αὐτάρκης, vt tueri se absq; aliena auctoritate possit; ad hoc autem necessarium est, vt arma inferre possit, cum alio modo jus obtinere non

Perfecta Respublica bellum indicere potest.

potest. Cum n. Romani impetuntur à Vejentib. assiduis, & anniuersarijs hostib. cum Falisci, & Fidenates impetum faciunt, cum contra Samnites socij opem implorant, cum Tarentini aduenis insultant, legatos violant, cum Picentes hostium socios domare placuit, opus erat, qui decerneret bellandum esse. Neq; enim ferri injuriæ illæ debuerunt, ne prorsus Respublica amitteretur.

Respubl. læsa iudex est.

Jus autem belli in perfecta Rep. esse, ex eo docetur, q̃ læsa repetundarum agere, satisfactionemq̃ exigere, potest: Priuati judicem adeunt, hic nemo judex, nisi pars læsa, quæ ideò superior est, quia qui injuriam intulerunt, hoc ipso obnoxij sunt læsis, crimine enim suo effecerunt, vt judicium subire debeant. Quemdmodum enim priuatus cum in alieno territorio crimen admitttit, judici subditur, in cujus prouincia peccauit; ita quoque cum Reipub. damnum infertur, ipsa injuriosos judicare potest, itaq; in alios bellum decernit, & boni communis impedimenta remouet. Cum autem bellum sit actus τῆς ἐκδικήσεως, justitiæ vindicatricis, eoq; ad magistratum pertineat, constat omnino judicem illius, qui injuriam fecit, esse eum, qui passus est. Alioqui nullus judex, nullum justitiæ præsidium ille haberet.

Ius belli penes Reges fere est.

§. 3. Reges ordinariè jus belli gerendi habent, & Senatus siue summum consilium. Interdum tamen eâ potestate regni legibus carent, & forte id expedit: ne velox Regum indignatio, bella pœnitenda, & populo luenda suscipiat. Reges primi Romæ ex auctoritate senatus bellum suscipiebant, postea eadem potestate senatus vsus est, donec fatigati continuis laboribus res ad populum deuoluta. Inuitus n. decreuit bellum suo periculo tolerandum. Spartiatæ q̃ pessime Remp. suam teste Aristotele, & Xenephonte instituerunt, q̃a ferè ad vnicam rem attenderunt; nempe bellum, Regibus suis jus inferendi belli cuicunq; concesserunt, neq; vlli jus intercedendi, aut ꝓhibendi fuit. Quæ res eos im magnas calamitates conjecit, dum solo vnius arbitrio bella concitant. Melius Romulus, Regesq; consecuti ad Patres, ad populum, aliquando retulerunt. Tarquinius Superbus ad se reuocauit omnia, itemq; Julius, & Augustus, q̃ vt jure facere viderentur, legem obtinuerunt, de qua Strabo lib. 15. q̃ vocant legem regiam, sanè vt bellum tardius decernatur, præstat requiri multorum consensum. Ego tamen leges eas sic temperandas censeo, vt aliquando concedatur, aliquando negetur illud jus regi: concedatur in subitis casibus, & cum periculum est in morâ, negetur cum tempus deliberandi sine periculo dari potest.

Princeps q̃ sub alio est, defendere se potest.

§. 4. Principes qui superiorem agnoscunt, itemq; Respubl. ab alio dependentes bellum defensiuum suis auspicijs, absq; supremi Magistratus licentia gerere possunt. Non enim minus juris habet se, ciuesq; suos defendendi, quam quiuis priuatus: at quisq; se contra inuasorem armare, vim vi depellere potest.

Inferre bellum non potest, nec socio Principi.

§. 5. Princeps qui sub alio Principe majore est, vel Respub. q̃ alij paret, bellum offensiuum prior alteri ordinariè indicere nõ potest. Fieri hoc potest duobus modis, vel enim alteri Principi ejusdem Reip. membro, vel extero bellum indicet: Principi q̃ ejusdem Reip. ciuis est, non potest bellum indicere, quia vterq; judicem habet, q̃ rem disceptet. Quemadmodum igitur ciues, non vi, & armata manu, sed jure res repetunt, ita nobiles, comites, duces oportet de controuersijs audire supremum judicem. Alioqui tota Respub. conturbaretur, & fortior opprimeret imbecilliorem. Martianus Juriscons. respondit ad Legem Iul. majest. *Teneri maiestatis lege, eum qui iniussu Principis bellum gesserit, delectum habuerit, exercitum compararit.*

Nec externo.

§. 6. Neq; externo Principi inferre bellum potest Princeps, si supremus magistratus non consentit, q̃ uis id facilius concedi possit. Nam si externus absolutus est, nec vllum superiorem agnoscit, non potest eum ad sui regis tribunal citare, quem ille non agnoscit. si externus Princeps etiam dominum habet, apud eum accusari, & per eum ad satisfaciendum potest cogi; q̃ si ille nolit, ne sic quidem Princeps sub alio constitutus, bello aduersarium sine consensu Regis sui petere potest. Ratio petenda est ex ipsâ membrorum Reip. inter se vnione & ordine, q̃ vetat membrum aliquod absq; consensu & voluntate totius moueri: Quanta enim damna, quamq; atrocia bella inde orirentur, si Princeps aliquis Galliæ, Principi Hispaniæ bellum inferret? nonné continuo tota regna concuterentur? Carolus Audax bellum Gallo indixit, & totum commouit imperium. Magna pars bellorum ex priuatis litibus, & injurijs ortum habuit. Deinde etiam regnis magnis periculosum est, vnum aliquem Principem exteros bello persequi, militem habere, exercere arma, facilè in vicinos armatur, qui bellis assueuit.

Extraordinaria potestas bellandi.

§. 7. Ordinariam potestatem negaui, extraordinariam concedo. Extraordinaria duplex. Prima quum illæ circumstantiæ sunt, vt; nisi anticipetur bellum, in magno sint omnes periculo. Deinde cum longe abest Princeps superior, & causa occasioq; frequenter concurrunt, nec consuli Rex potest, tum enim jus indicendi, & gerendi belli inferioribus committere solet. Hæc posterior ratio nullam difficultatem habet; Penes inferiorem enim arbitrium belli & pacis est, ex commissione superioris. Hac ratione Prætores Indiarum bellum gerere possunt, sociosque defendere, communi lege & potestate officij, quod gerunt. De priore modo est difficultas; nam facultatem belli offensiui negant Iurisconsulti, & Theologi. Verum ego certum statum excipio; nempe cum ea est rerum conditio, vt præuertendus sit hostis: Abigunt prædam & causam belli dant hostes Turcæ, Dux cui limes commissus, repetit res, irridetur, interim offertur insignis occasio alicujus vrbis occupandæ, quæ magnum momentum ad bellum adfert, quæque in hostium manens potestate, quia in ea arma sunt, & opes, in magnum periculum adducere potest Christianos. Hunc dico rectè facturum, si occasione vtatur; nam ad sui defensionem necessaria hæc est offensio, aut sanè vtilissima. Ad inculpatæ tutelæ defensionem priuatus etiam, dum in latrones incidit, cum videt alioqui pereundum, potest, si videt opportunum, anteuertere.

Contra internos hostes in periculo bellum permittitur.

§. 8. Contra hostes internos multis Principibus, vrbibusq; data est potestas bellum gerere absq; superioris mandato, & scientia. Sunt n. illi subditi, quos coërcere magistratus potest & debet: Primo quidem legibus & pœnis legum, quod si potentiores sint, q̃ vt legibus teneri queant, bello sunt domandi. Deinde quia plus est in his periculi, nisi celeriter compescantur, denique hac ratione hostis externus non irritatur, si suos Magistratus compescat subditos, sed magis, si seditio inualescat. Magistratus autem particulares, si cum supremo conferantur, quasi priuati censentur, si cum subditis Magistratus sunt, ac gladium gestant, non in omnes, sed in eos qui subditi sunt.

Vbi iure nihil obtinetur, vi agere licet.

§. 9. Si duo Principes inter se contendant, Rex v. justitiam negligat, injuriam passo non subueniat, sed opprimi sinat, multi putant, ne sic quidem bellum posse suscipi ab oppressis, sed tolerandam esse injuriam, quod absq; dubio graue est; cum subditorum corpora ac res vexantur, aguntur que, cum exui sic omnibus bonis atq; adeo vita possit Princeps. Ego aliter sentio; si atrocem injuriam Principi, qui sub Imperatore est, inferat Princeps extern⁹, nec justitiã administret Imperator, nec ali⁹ quispiam; posse bellum offensiuum geri. Ratio mihi quidem euidens videtur:

tur: Tunc licet gerere bellum offensiuum, quando sine eo non potest Princeps, aut pars Reipublicæ defendi, quæ gerit bellum: At sine hoc bello Princeps aut pars Reipublicæ non potest defendi. Exemplum est in Julio, Juliano, alijs, qui quidem belli gerendi potestatem habuerunt, sed tamen ei, qui non habet, in simili fortuna res ipsa dat. Rhenum singulis annis Germani transibant, prouinciam infestam habebant, defendere tantum sua parium erat præsidium, nec pro dignitate imperij, nec pro subditorum incolumitate; semper enim antequam recederent, magnis damnis affectam relinquebant prouinciam; itaque Romani Rheno transito inuicem eorum tuguria vrebant, cæde & vinculis sæuiebant. Valdè enim hostes insolescunt, cum repelli se tantummodo vident, domi esse sine periculo. Quemadmodum igitur priuatus, cui jus negatur, potest alia compensatione damnum sarcire, ita quoque Princeps facere potest, imò meliore jure; quia populi defensio illi incumbit.

Principes sub vno Rege bellare non possunt

§. 10. Olim in Romano imperio tàm vasto, ac potenti, non licuit vlli Principi, aut Regi subdito contra alios bellum gerere, nedum præfectis & proconsulibus, contra Collegas, cumque id fieret, ciuile & nefarium bellum censebatur; at neq; hoc tempore, vel in regno Galliæ, vel Hispaniæ permittitur, meritoque puniti sunt in Occidente Pizarri, qui tumultus & ciuilia bella inceptarunt. Nunc verò in Germaniâ sæpè inter se bella Principes gerunt, & olim gesserunt, adeò vt contendant quidam licitum esse Principibus Germaniæ sine consensu Cæsaris bellum indicere collegis. Quæ de re sic statuo. Illam potestatem, si est data Principibus, pernicioſam esse. Nam perinde est, ac si in corporis exiguis morbis, ante fomenta, & faciles medicorum operas ferrum, & ignis admoueatur. Deinde jus illud concessum, exercitum, Principes, & ciuitates exhaurit, dum contra vicinos omnes se muniunt. Signum verò est, Imperatorem satis potentem non esse, vt controuersias decidere ac sedare possit. Quanta verò damna inde exorta sint, experientia docet, & explicat FERDINANDVS Imperator Anno 1564. in Comitijs Wormatiensibus. Verum de potestate belligerandi, quæ Principum esse putatur, contra Collegas audire constitutiones imperij præstat. Aurea Bulla CAROLI QUARTI: *Incendia, spolia, rapinas prohibet, quæ fieri solent post diffidationem, nisi tres dies ante in loco consueto diffidatio fuerit significata*; est autem diffidatio amicitiæ renunciatio, discessioque. FREDERICVS III. pari modo statuit, Anno 1442. *ne quis damnum alteri inferat, nisi prius ad æquum, iustum, & vsitatum ius citarit*, queritur verò Fredericus ingentia damna hujus legis violatione imperio allata. Clarior verò est. Anno 1495. facta constitutio Maximiliani, seu totius imperij, nam fuêre eo in loco Principum plurimi. Eas leges hic ponere libuit, vt intelligamus, quid Principibus imperij Germanici concessum sit.

Principes Germaniæ ius belli nõ habent.

Lex prima ita habet.

MANDATVM DE PACE SERVANDA.

Nulli licet bellum inferre alteri,

VT ab huius denunciationis tempore, nullus, cuiuscunq; dignitatis, status aut conditionis tandem sit, aduersus alium hostilia exercere, bella mouere, alium spoliare, capere, inuadere, aut obsidere annitatur: idque nec per se, nec per alium suo nomine suppetias ferendo, vel vllam arcem, oppida, castella, munitiones, pagos, villas, territoria abstrahendo, aut vi citra alterius consensum adimendo, incendijs, & similibus nocendo. Neq; vllus hisce transgressoribus consilijs vel auxilijs adsit, domo excipiat, annona subleuet, toleretue. Quod si conuenire eos quis velit, id non nisi in iis locis & iudicijs fiat, vbi causæ, aut antehac, aut modo in cameræ ordinatione decisæ sunt aut decidendæ.

ABOLITIO OMNIS HOSTILITATIS.

QVamobrem omnem publicam hostilitatem per vniuersum imperium regia potestate, & vi huius edicti iustulimus.

POENA PACIS PERTVRBATORVM.

Proscribitur Collegarum perturbator.

ACsi quispiam cuiuscunq; dignitatis aut status, contra vnum plurave præcedente articulo memorata egerit, vel saltem agere præsumpserit, ipso iure præter alias pœnas nostro & imperiali banno subiacebit, quem & hoc ipso nostra & imperiali proscriptione ferimus, ita vt vitam fortunasq; illius omnibus & singulis communes faciamus, nec vllus temerarium quid eas sibi vendicãdo sic attentaturꝰ: quin & omnes syngraphæ, vbligationes fœderaq; illius, quibus fretus, omnem ex parte illius vim & valorem deperdent. Feuda etiam, quanta illa sint in proprietarium refundentur, illaq; nec tota, nec illorum partem quoad transgressor superfuerit, vel illi, vel hæredibus conferre, vel fructuum participationem indulgere proprietarius teneatur.

SI TRANSGRESSORES OCCVLTI, ET quispiam suspectus sit.

Suspectꝰ de damno illato purgare se debet.

QVod si etiam Electores, Principes, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, Vrbes, aut alius quivis cuiuscunq; Status, dignitatis aut condutionis sit, seu Ecclesiasticus, seu Secularis, eorumq; subiecti & coniuncti aduersus pacem hanc damni quid passi fuerint, nec transgressor manifestus, verum in suspicionem quis trahatur, accusatores quoq; conuincere eum non contendant, non ex friuola tamen delatione suspicionem alant, indultum sit lasis suspecto diem indicere, purgationemq; iuramento firmatam exigere. Sin v suspectus vlla ratione purgationem recuset, vel in diem condictum non compareat, damni censebitur illati reus, ac pacis perturbatoris pœnis prædictis afficietur: attamen debebit Elector, Princeps, Prælatus, Comes, Baro, Nobilis, ciuitas, alteri, iisq; qui in Comitatu eius erunt, de conductu saluo prouidere usq; dum in tuto constituatur: & si literæ, quibus dies indictus & condictus tradi illi forsan nequeant, in duobus eas aut tribus locis, vbi negotia expediturus putabitur suffigi & publicari oportebit. Etsi quidem contra mandatum hoc nostrum spoliatus quis, lasus, aliove damno affectus esset, tum ii, qui post recens commissum facinus admoniti hac de re erunt, aut alia ratione experientur, omni vi, studio & diligentia facinorosos insequantur, & tanquam sibi illatum esset damnum perquirant.

PACIS PERTVRBATORES DOMO non recipiendi.

Non recipiendi.

Non esset transgressor, nisi esset receptor.

NEq; vllus eiusmodi transgressores domo recipiat, alimenta & auxilia in iis, quæ superioris sui sunt, quin nec in propriis iurisdictionibus præbeat, verum eos detineat, seriosq; de causis illorum ad cuiusq; etiam accusationem cognoscat, nec est, quod vllam fiduciam, securitatem, priuilegium tales prætendant, cum horum omnium citra aduersæ partis consensum nulla ratione capaces existant, nam nos in omnibus, quæ concessimus priuilegijs, & securitatibus, pacis hanc perturbationem exceptam volumus.

DE PACIS PERTVRBATORVM tutela.

SI forsan transgressores & pacis hi perturbatores, munimine, auxilio, aliisq; adiumentis & fauore tanto vterentur, vt iusto aliquo exercitu, eosq; in campum educendo opus foret; aut quispiam in generali hac pace comprehensus cuiuscunque status, dignitatis, & conditionis sit, Ecclesiasticus, vel Secularis, vel non comprehensus diffamatus, accusatus aut damno quopiam affectus fuerit, vel etiam transgressores hosce foueat & iuuet, id à lasis, camerave iudicibus ad nos, nostrumve legatum, & annuum Electorum, Principum, Statuumq; imperij conuentum deferatur, vbi laso absq; vllâ morâ suppetiæ decernentur, quod si contingat ob inuasionem aut impressionem quandam conuentum illum annuum expectari non posse, potestatem facimus tam cameræ nostræ imperialis iudici nostro

nomine, tum Electoribus, Principibus & statibus imperij commodum & opportunum quempiam seligendi locum, quo tàm nos quàm illi, seu nostri illorumq; legati vi etiam deuenire valeamus, ac de re, vt dictum, statuere, semper tamen Cameræ nostræ iudicii vel ex officio, vel læsorum querelis & instantiis iure contra reos procedere liceat & eo incumbat.

Si personæ Ecclesiasticae contra hanc pacem quid moliantur.

Ecclesiasticorum pœna, si parũ violent.

Si in personæ Ecclesiasticæ, quod nunquam sperabimus, aduersus pacem hanc quid moliantur, à Prælatis quibus iudicii in illos immediata potestas ad læsorum instantiam & requisitionem absq; vlla tergiversatione damnorum in integrum quantum fieri potest restitutio vrgeatur, & rei ipsi grauiter mulctentur, & si negligentes, nec à reis pœnas exigant, vt reos ita & hos tanquam pacis violatores omni nostra & Imperii gratia, fauore ac protectione priuamus, nec vllum in aduersis à nobis sperent adiumentum, purgatio tamen iis, vt & de secularibus dictum, si suspicio tantummodo sit, non denegabitur. Quin & aduersus pacem hanc syngraphis & fœderibus vllis, durante pace, nemo tenebitur; ea namq; omnia vi, virtuteq; regiæ nostræ præeminentiæ irrita facimus & declaramus. Id verò quantum ad reliqua syngrapharũ talium & fœdera attinet, nihil penitus afficiet, nec publicè hac & vniuersalis Imperii totius pax & quies in cæteris honestis & licitis debitorum obligationibus quidquam immutabit.

Qui ob pacis pertvrbationem proscribuntur.

Proscripti non absoluendi, nisi satisfaciãt.

Qui v. ob hæc delicta, p scripti fuerint, absq; læsorum consensu & voluntate minimè à nobis absoluentur, nisi ius causam illis adiudicasset. Hinc ergò omnibus & singulis prædictis vobis etiam regali potestate mandamus, vt secundum iuramenta, obligationes quæ speciatim nobis imperii causa facta, nec non obedientiam, quam nobis vt Romanorum Regi spopondistis, hanc præscriptam pacem, nostrumq; mandatum cum omnibus punctis, articulis & summulis, quam constantissime seruetis, ni & omnibus nostræ gratiæ, priuilegiorum, iuriumq; quæ vel à nobis & sacro Imperio, vel ab aliis vobis obtigerunt, q; velit incurrere iacturã, q; & p. Principatus, Comitatus dominia vestra, & quicquid demum iurisdictioni cuiusuis subest, præcipimus, vt cum omnib. officialibus & subditis vestris cuiuscunq; etiam nominis illi sint, constitutam hanc pacem conseruare & promouere studeatis, nec vlla ratione quicquam aduersus illam moliamini, quo & pœnas in transgressores constitutas, & nostram offensam mereamini.

Abolitio omnivm privilegiorvm, quæ aduersus vniuersalem hanc pacem esse possunt.

Nulla priuilegia pacis turbatorem tuentur.

Seponimus etiam & reiicimus omnia priuilegia, securitates, consuetudines, fœdera à nobis aut prædecessoribus nostris indulta, quæ quoquo modo paci huic aduersari possunt, quibuscunq; etiam verbis, clausulis, intentionibus illa data sint, quæ omnia ex regia auctoritate & potestate cassa & irrita declaramus, nec vllum, cuiuscunq; dignitatis, status aut conditionis sit, per hæc priuilegia, consuetudines & fœdera patrocinium quoduis prætendere vlla ratione volumus.

Pax haec aliis Jvribvs nihil præjudicabit.

Neq; pax hæc & edictum nostrum vniuersali nostro & Sacri Imperii Iuri, aliisq; ordinationibus & mandatis ante hac editis in vllum, præiudicium, sed incrementum cedet, ac omnes omninò quam primum à promulgatione eam conseruare tenebuntur.

Hæc clarius explicata sunt An. 1500. Augustæ. An. verò 1512. Coloniæ Agrippinæ fœdus initum est inter Principes, & modus constitutus quo pacis violatores corrigi possent, & puniri; eadem eodem ordine An. 1521. à Carolo V. repetita sunt. Hæc consequentib. annis firmata sunt, Anno 1522. Norib ergæ. An. 1526. Spiræ. Anno 1530. Augustæ. Anno 1542. Spiræ, & eodem Anno Noribergæ. Anno 1544. Spiræ. An. 1545. Wormatiæ. Anno 1566. & 1567. Ratisbonæ. Anno 1548. Augustæ & ibidem 1551. & 1555. & 1559. Anno 1564. Wormatiæ. Anno 1570. Spiræ. Alijs etiam in conuentibus ista statuta sunt, at nequaquam seruata, vt queritur totum imperium Ferdinando Imperatore Anno 1564. Itaque semper contra leges peccatur, cum bellum offenduum, si vitari potest, suscipitur, cum legibus obtinere causam liceat. Manet igitur id, quod olim quoq; legibus cautum est, vt arma parare, pecuniam colligere, exercitum scribere, alios inuadere sit crimen Majestatis. Vide Paul. in l. amissione.

Veteres leges manent sed noui mores sunt.

§. 11. Cum bellum sine Principis auctoritate geritur, damna restaurare debent, & ipsi & hæredes, qui intulerunt. Nam quamuis legitima causa esset, non tamen jus habuerunt tantis detrimentis alios afficiendi; sic nec priuato licitum est, furem quamuis in flagitio deprehensum punire, sed magistratui tradendus est. Sua tamen recuperare possunt, sine obligatione restituendi, licet non sine peccato, nisi continuo persecuti hostes, eos perdomet. Deinde si hostes nocuerunt, damna sua sarcire prædâ acceptâ sine auctoritate Principis non debent, si tamen id fecerint, restituere non tenentur, nisi hostes satisfaciant.

Damna restituenda sunt, cum sine auctoritate bellum gestum est.

§. 12. Tribuni, Centuriones, Milites sua auctoritate hostem aggredi non debent, nec incendijs & vastationibus grassare, nisi à Principe facta sit potestas, vel specialis, aut communis, quâ hosti noceant, omni modo quo possunt. Grauiter itaq; delinquunt, cum hostilibus agris, vicis, oppidis inuito duce ignem injiciunt: non enim sunt judices, sed justitiæ executores, nec plus illis licet, quàm permissum; Miles igitur, q hostẽ, cui vitã dux concessit, occidit, homicida est, & qui vrbẽ incendit inuito Principe incendiarius est; & ad damni restaurationem obligatur: nec enim administer justitiæ vltra modum à Magistratu præscriptum sæuire potest. Olim ita imperia spectabantur, vt miles arma injussu ducis mouere non posset. Lex Modestini est. *Qui in bello rem à duce prohibitam fecit, vel mandata non seruauit, capite punitur, etsi rem bene gesserit.* Ea de causa Manlius & Posthumius in suos fuêre crudeles. Et vt est capitale, exercitum successori non tradere, aut vi & inuito Magistratu retinere, ita quoque capitale est, inuito Magistratu pugnare. Egregie T. Manlius à Gallo prouocatus Dictatorem alloquitur. *Iniussu tuo Imperator extra ordinem non pugnauerim, non si certam victoriam agnouerim: si tu permittis ero prouocatus.* Causa est, quæ jam supra exposita est, & grandia incommoda sequerentur, quilibet enim inimicum priuatum, quasi hostem publicum conficere posset.

Vltra præscriptũ sæuire non licet.

Caput V.

Causæ iustæ, ob quas bellum suscipi potest.

Bellum iniqua quum est grauissimũ malum.

§. 1. Nvllum grauius scelus esse potest, quam bella injusta indicere, indicta gerere. Si enim vnum homicidium, furtum, incendium, adulterium, diuina lege damnatur, quanti criminis reum esse arbitrabimur, qui tot hominum myriades trucidat, regna incendit, metit, nihil totis vrbibus intactum à libidine relinquit. Vetera recensere nihil attinet, Anno 1599. regnum Pegusianum latissimum populosissimumq; in solitudines redactum est, at rex ejus tantum auri gemmarumq; thesaurum habuit, vt Aracanius victor ex eo septingentos Elephantos, totidem equos onerarit, cætera neglexerit. De eo regno Bonesius scribit, & habetur tit. 3. Thesaur. rerum Indicarum. *Exprimere nequeo, quem sensi dolorem, dum ripas illas*

Vastitas regnorum ex bello.

illas fluminum consitas arboribus feracibus, cum desertas & incultas coram conspexi, & delubra elegantia, auratag; fundibus euersa. Desertum & incultum regnum vniuersum putes, & à nemine prorsus inhabitari; plateæ ac præsertim, quæ ad fana iter habent craniis cadaueribusque, tum fame, tum ferro domestico, dum in mutuas ruunt cædes, tum etiam iussu Regio necatorum, & in profluentem, vix etiam cymbis minoribus ob cadauerum multitudinem nauigabilem abiectorum oppletæ sordent vrbes, oppida, pagosq; cum incolis omnibus deletos hic taceo, vt null⁹ hoc vnquam extitisse credatur tyrann⁹ immanior. Eadem fortuna fuit regni Martananij florentissimi, quod per Sionios etiam ad vastitatem redactum, vti idem Thesaurus testatur. Rex secum triginta millia retinebat, ducenta millia per montes & syluas metu mortis Attoniti vagabantur, omnis ager incultus & horridus erat Anno 1599. Tot malorum caussam dedit, qui belli injusti consilium dedit. Omnes igitur animæ ab ejus animâ repetentur, quæ perierunt, eidemq; scelera militum, qui eas peremerunt, imputabuntur.

Iniustitia belli consideranda.

§. 2. Caussæ bellorum magna cura ponderandæ sunt, vt prima quæstio sit, Justené bellum apparetur, altera, an majus ex bello justo commodum, quam ex pace iniquâ haberi possit? Prima per Theologos & Jurisconsultos decidi potest; altera vsque ad fructum victoriæincerta manet. Athenienses de belli justitiâ Philosophos audire, & Oratores consueuerunt. Si autem injustè bellum susciptatur, quamuis victoria consequatur, felix tamen diu esse non potest victor improbus.

ὐδεὶς σρα[ό]ζας ἄδικα σῶς ἦλθεν πάλιν.
Nemo belligerans iniustè saluus redit.

Iniqua victoria breuis est.

Aliquando ad tempus iniquitas præualet, sed tandem grauius punitur; multa injustè susciptit, impotenter, superbeq; gessit bella Alexander, verum ipse cummatre, vxoribus, liberis, tota familia pœnas luit, quod factum non esset, si in Macedonia sua resedisset, & milites, ac centuriones ad tantam potentiam non evexisset.

Magnam verò esse diligentiam in disceptatione necessariam, vt constet belli justitia, ipsa rerum magnitudo declarat; judex enim sedet in grauissima causa, quæ integri regni fortunas, vitamq; multorum vno discrimine inuoluit.

Iustitia belli seriò consideranda est.

Regula juris est, eaque legitima. *Probationes in criminalibus luce meridiana oportere clariores esse:* dubia enim caussa, certa morte occumbere reum nulla æquitas patitur, quomodo igitur tot millia conciduntur, nec liquet, *quis iustius induat arma?* Judex non nisi probata sequi debet, & non nisi de quibus liquet judicare, l. illicitas. §. veritas de officio præsidis. ff. Hoc si priuato reo seruatur, vbi de hæreditate, & agellis; aut sanè vnius vili capite agitur, quid in magnis faciendum, integrisq; populis censebimus? Quod si æquè valent caussæ pro aduersarijs & contra eos, jam bellum suspendendum est, aut accuratius inquirendum seruandumque; quod monet in syntag. Tholosanus lib. 48. cap. 9. §. 14. *Quare si æquè probant reus & actor, & testes & aliæ prolationes sint æquipollentes, in dubium redit res, & in primum statum; vnde reus absoluitur: nisi fauorabiliorem caussam actor foueat. Pro rebus enim fauorabilibus, in dubiis iudicandum est: vt pro libertate, in causa inofficiosi testamenti, pro matrimonio, pro dote. In causis tamen criminalibus rarò concursus probationum accidit, in quibus reus ad probandum negatiuam non admittitur, quamdiu potest actor seu accusator probare. Non enim contra probationes inducitur probatio Canonica. Obseruatur tamen, vt si dum auditur reus in crimine, aliqua vt dicunt facta, vel casus attenuantes vel restringentes delicti qualitatem allegauerit; fiat de iis seorsim extractis probatio. Fit & ex officio iudicis, quando dubia vtring; probatio est, inquisitio noua, vt de veritate habeatur certa notio.*

In dubio reus absoluitur.

Multo major indagatio belligeraturo conuenit; neque enim valet hoc loco leuis, & perfunctoria cogitatio, non enim error nisi difficilis excusat auctorem. Non solùm autem per suos Consiliarios, sed per Academias, alios amicos, Principesque rem examinabit. Et si partium jura sint obscura, faciendum est reo, non actori.

Qui dubiâ caussa bellum infert, iuste repellitur.

§. 3. Si alicui Principi aut Reipublicæ bellum indicitur, caussam perpendere oportet; quod si aduersarius justam causam obtinet, illi satisfaciendum est, si omni diligentiâ adhibitâ manet causa dubia, offerre se ad exquisitiorem discussionem potest, si bello peratur, defendere se potest; non enim quia dubium jus habet, ideò dimittere illud tenetur. Deinde q dubio jure bellū infert, injuriam facit, deoq; jam ⟦justū⟧ bellum gerit ille, q antea dubiam caussam tuebatur.

§. 4. Hic quoque manet ea ratio; In dubio meliorem esse caussam possidentis. Hoc enim in omni causâ valet. At maximè in causa criminali, de capite enim sententia non fertur ex obscuris; at qui bellum indicit, jam de capite judicauit. Neque hic plus juris est Principibus in Principes, q̃ subditis in subdtos.

In dissimili dubio, non est melior causa possidentis.

§. 5. Potest tamen ille, qui non possidet, judicem postulare, ac jure petere, vt quoniam causa vtriusq; dubia est, communiter judicetur, & alteri, qui non possidet, pars detur, aut si res diuidi non possit, compensatio, id verò locum habet, si verissimilior sit causa non possidentis, jam n. pares non sunt, ideò nec melior conditio possidentis. Nec ju⟦s⟧ probabilius dimittere tenetur ille, q non possidet, alioqui si tenuissimam dubitationem haberet possidens, ⟦p⟧babilissimā alter, nihil agere posset, quod iniquum est. Quod si eâ in causâ, nihil dare possessor velit, injuriam facit, ideoque bello peti ab aduersario potest.

§. 6. Nec milites, præsertim Tribunos & Centuriones aliquâ inquisitione recti, & æqui excipio. Si enim bellum est manifestè justum militare omnes possunt; si injustitia clara est, nemo nomen militiæ dare potest. Si dubia est caussa, milites qui subditi sunt, stipendijsque certis addicti, vasalli, castra dubia sequi possunt. Ita S. Augustinus lib. 22. cap. 75. contra Faustum. *Si enim vir iustus forte sub Rege sacrilego militet, benè potest illo iubente bellare, cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruitutis.* Milites enim cum exequuntur sententiam judicis, tutiorem partem eligunt, cum sui Principis sententiam sequuntur. Denique tenentur sequi Principem milites, detrectando enim Sacramentum vires hostibus adderent; & Rempublicam proderent; at sanè in dubio patriæ potius quam inimicis fauere oportet. Deniq; moris non est inconditam multitudinem ad judicium causæ aduocare. Alia ducum est, qui, cum vt consiliarij aduocantur, seriò de justitia judicare coguntur. Quod si militibus, & vasallis constet Principem de justitiâ causæ dubitare, militiæ nomen dare non debent, quia sciunt bellum injustum esse. Injustum est enim de alterius vita judicare, cum est causa dubia.

Miles de causa sui Principis non iudicat.

§. 7. Milites qui subditi non sunt, dubiâ causâ militare non possunt. Quia bellum ad eos non pertinet, & sponte rei dubiæ immiscere se non possunt. Deinde sine vlla necessitate exponunt se periculo injuriam inferendi alteri Principi. at cessando piculum illud euitant. ordinariè tamen bonæ conscientiæ milites hic non delinquunt. Nam qui bella gerunt causas speciosissimas prætendunt, quæ planè necessariæ videantur. deinde cum Rex aut Princeps boni nominis est, merito præsumunt, eum iniusta bella non suscipere, causam accuratè examinasse, à prudentibus eam & integris viris comprobatam esse.

CAPVT VI.

Causæ iustæ, ob quas bella moueri possunt.

Pia sunt arma, cum in solis armis spes est.

§.1. PRIMA est, eaque omnium justissima, si bellum injustum inferatur. Duobus autem modis injustè infertur. Primo cum innocentibus, vt Moabitæ Judæis indixerunt bella non justa; itemq; Antiochus, alijq; quorum prô dolor, historia plena est. Altero modo, cum initio bellum fuit justum, sed non acceptatâ satisfactione redditur injustum. v.g. Ottomanicâ nauê côtra fœdº capiunt Veneti, Turca bellum indicit, Veneti nauem, merces, epibatas, damna omnium restituunt, pro honore, & auctoritate Imperatoris læsâ satisfacturos esse promittunt, idq; vel ad arbitrium ipsius, si æqua jubeat, vel arbitrorum, si eos dare velit. Quod si omninò bellum moueat, dediq; sibi Rempublicam nobilissimam velit, merito omnibus viribus resistent; quia peccatum tantum non est, vt crudelissimo hosti tradere se debeant, & cum libertate etiam religionem disperdere.

Hæc causa adeò non modo justa est; sed etiam necessaria; Tam enim Princeps qui Rempublicam non defendit, quam qui aliena inuadit, contra justitiam peccat. Itaque aduersum inferentem damnum non modo justa, sed necessaria est defensio. Hic audacter pronuncio. Qui desiderat pacem præparet bellum, Hic præcipuè locum habet illud Isocr. *οὐκ ἀθυμεῖν δεῖ τὰς ὑπὲρ τῶν δικαίων κινδυνεύειν μέλλοντας, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τὰς ὑβριζούσας. Non oportet deiecto animo esse eos, qui pro causa iusta periclitaturi sunt, sed qui iniuriam inferunt.* Chilon inter Principem bonum & tyrannum hoc interesse dicebat, & ex eo eos agnosci, de quo controuerterent. Tyrannum alieno incubare, Principem sua defendere.

§. 2. Altera causa est rerum ablatarum detentio. Nam vt ciues, qui judicem habent, cum aliquid ablatum est, id jure repetunt, aduersarioq; diê dicunt, ita Respubl. cum frustra repetitum res suas legatos misit, bellum parat, & indicit. Varia porrò est causa repetendi res, tàmq; diuersa, quàm in ciuitate. Nam vel furto vel rapina ablata, vel non reddita, quę depositа erat, vel jus negatum ciuibus, vel hæreditas detenta.

Justum bellum est, cum deprædationibus vicina fert, agitque hostis: tale cum Illyricis gessit populus Romanus, & Gallis, & Barbaris deinceps gentibus. *Pro rebus enim quas simul habere non possunt, infelici egestate depugnant, hanc pacem requirunt bella laboriosa, adipiscitur gloriosa victoria.* Nam ideò magni, diuitesq; impetuntur: quercus enim ventus euertit, quia glandibus & frondibus oneratur, salices immunes sunt. Sic tutiores diu Britanni fuerunt, quia vnciam auri in eâ negabant esse. Bellum etiam gerunt, cum jus ciuibus negatur, aut negociatores detinentur. Qualia inter Septentrionales multa priscis temporibus fuerunt, & atrocia prœlia. Cum inique hæreditas diuiditur, contra Jugurtham, qui cum Adherbale regni diuidendi jus adoptione acceperat, legatosque, & Imperatores Romanos precio corruperat, eam ob causam bellum gestum est, quia parricidium junxerat.

§.3. In hisce causis non modo magnitudo damni spectanda est, quæ interdum bello digna non est, sed hostium ꝓpositum bella quærentium; qui, si primis injurijs obuiam non eatur, ad secundas tertiasque erunt audaciores, actum majoribus damnis acceptis, animis tuorum debilitatis, cum fidentioribus depugnandum erit.

§.4. Bellum etiam crebro vindictæ causa sumitur, cum quacunq; in re hostis lęsit; nec bellatur, vt res recipiantur, quippe q̃ vel ablatæ non sunt, vel absumptæ; sed vt improbi puniantur, atq; hac ratione tutior sit Respublica. Vltionem quidem præstare sibi nemo debet, sed tamen Respub. injurias suas inultas finere non debet; siue illæ à priuatis siue ab alia Republica inferantur. Quia gladium habet in vltionem malefactorum, eo igitur cum ratione vti debet.

§.5. Bellum etiam geri potest, cum religio impetitur, & Deus blasphematur; duobus id fit modis. Primus si externi improbè viuunt, Deumq; contumelijs afficiant, nec alijs tamen noceant. Deinde cum dolo, fraude, vi in eadem peccata abducere alios conantur, atque id faciunt. Si sibi tantum improbi sunt, & blasphemi, bellum contra eos gerere non licet eâ solum causâ. Quia Respub. non est alterius Reipub. judex; peccata a. punire judicis est. Dei tamen monitu expresso, & jussu, inferre bellum possunt. Ita Josue Dei imperio Chananæos occidit, quia jam completæ erant iniquitates eorum: Moabitas & Idumæos non multo meliores non attigerunt, quia mandatum de puniendis illorum scelerib⁹ non habuerunt.

§. 6. Cum verò per vim aut fraudem sua vitia inferre Reip. conantur, justam etiam dant belli occasionem, ita contra Antiochum, aliosque ad Idololatriam vi impellentes justissima bella Maccabęi gesserunt.

Fraudes bello vindicantur.

§.7. Nec modo, cùm vi & armatâ manu, sed etiam cum fraude & blanditijs subditorum animos ad flagitia sollicitant. Moabitæ & Madianitę occuputa per Mosen Basanitide, regionibusq; vicinis cum bello se impares viderent, Israëlitas hospitaliter, vt fratres susceperunt, munera dederunt, filias hospitum curâ habituras miserunt, vt per speciem amicitiæ, jungendorumque matrimoniorum, illos ad scortationem adulteriaq;, deinde amore meretricio labefactos ad idololatriam pellicerent, quo facto, vt Balaam conjectauerat, Deus offensus illos aut penitus delerer, aut sanè auxilio destitutos cœlesti, vincendos hostibus præberet. Et dolus successit, Num. 25. *Morabatur autem eo tempore Israel in Setim & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua: At illi comederunt & adorauerunt Deos earum. Initiatusq; est Israel Beel-phegor: & iratus Dominus, ait ad Moysen. Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Israel: Dixitq; Moyses ad iudices Israel, occidat vnusquisq; proximos suos qui initiati sunt Beel-phegor.* Pro hoc crimine c. 31. grauis vltio expetitur. *Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligêris ad populum tuum: statimq; Moyses, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum. Dederuntq; millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam: quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis, vasaq; sancta, & turbas ad clangendum tradidit ei. Cumq; pugnassent contra Madianitas atq; vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui & Recem & Sur, & Hur & Rebe, quinq; Principes gentis: Balaam quoq; filium Beor, interfecerunt gladio. Ceperuntq; mulieres eorum & paruulos, omniaq; pecora & cunctam suppellectilem: quidquid habere potuerunt depopulati sunt: tàm vrbes quàm viculos, & castella flamma consumpsit. Et tulerunt prædam, & vniuersa quæ ceperant tàm ex hominibus quàm ex iumentis, & adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum Sacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Israel, reliqua autem vtensilia portauerunt ad castra in campestribus Moab, iuxta Iordanem contra Iericho. Egressi sunt autem Moyses & Eleazar Sacerdos, & omnes Principes Synagogæ in occursum eorum extra castra. Iratusq; Moyses Principibus exercitus, tribunis & centurionibus, qui venerant de bello, ait, cur fœminas reseruastis? Nonne illæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari*

vis fecerunt in Dominum super peccato Phagor, vnde percussus est populus? Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini etiã in paruulis, & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate. Bellum hoc ante Deus decreuit Num. 25 17. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepêre insidiis per idolum Phogor, & Cozbi filiam Ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ, pro sacrilegio Phogor.*

§. 8. Nec modo justum bellum esse necesse est, sed vt rectè geratur, dolendum sapienti dari causam justam bellorum, qui enim cupide etiam justam causam arripiunt, gaudentq; datam occasionem, aliud quiduis potius q̃ justitiam quærunt: ita comparati erant ante secundum bellum Punicum tàm Romani, q̃ Pœni, hi enim cum pacem & bellum ferre se diceret legatus. Vtrum mallet dare jusserunt, & ille bellum non sine terrore è sinu effudit. Melius Augustus, qui, vt scribit Suet. c. 20. nulli genti sine justis, & necessarijs causis bellum intulit. Non enim augendo, sed tuendo imperio inuigilabat. Ideò inferre bellum quietis noluit, & inferri doluit.

In socios hostiũ est bellum iustum.

§. 9. Justum etiam bellum est in eos, qui hostem in bello injusto adjuuerunt: ea causa Romani tum sæpè, tum verò Picentes, & Salentinos, quia arma pro Tarentinis gesserant, domuerunt. Contra Philippum Macedonem bellum decreuerunt, quod sibi fœdere dominantem in Italia Annibalem sociarat, quamuis & Athenarum preces eo impellerent. Ætolis quoq; bellum illatum est, quod ab Antiocho stetissent, eadem causa & Histri subjugati sunt, quia Ætolos adjuuerant. In eadem causa fuêre Gallogræci, qui in castris Antiochi fuisse dicebantur; sed causam belli non approbauit Senatus, quocirca & Manlio victori negatus est triumphus. Multæ itaq; gentes Syriaci belli ruinam secutæ sunt. Secundi belli Macedonici contagio traxit Illyricos, & hæc quasi catena dum omnes conscios persequitur, Romanus orbem sibi subdidit, causas præbentib. populis, aut exquirente Romano.

Verum ad hoc bellum, quo hostium σύμμαχοι, siue socij impetuntur, vt justum sit, duo requiruntur. Primum vt verè adjuuerint, non modo fauerint. Neq; enim si Spartani Athenienſiũ hostes sunt, ideo quoq; ab eorum amicitiâ recedere Thebanos oportet. Cum enim liberi sint, amare possunt, quos Spartani oderunt. Hanc ob causam bellum Creticum injustum fuit. *Creticum bellum, si vera fateri volumus,* inquit Flor. l. 3. c. 7. *nos fecimus, solâ vincendi nobilem insulam cupiditate. Fauisse Mithridati videbatur, hoc placuit armis vindicare, & quod iniquius fuit, sanè in captiuos consultum est, vt veneno sepleriq; conficerent.* Alterum est, vt subditi hostium non fuerint, & causa belli ipsis clara non fuerit. Si enim dubia belli causa ex fœdere socios, arma, commeatus præstare debuerunt, cum innocentes judicandi sint, finito jam bello vexari non debent.

Sociorum iusta causa defendenda

§. 10. Non modo justissima, sed etiam speciosissima causa bellandi est, cum socij defenduntur. Ita populus Romanus precibus Campaniæ motus, *non pro se, sed q̃ speciosius est, pro sociis Samnites inuadit.* Qua quidem in re hoc quoq; animaduertendum est, vt sociorum causa sit justa.

Pulchrè D. Chrysost. in Psal. 134. *Dextras à Deo habemus, vt & nobis ipsis, & alijs iniuria affectis opem feramus, vt scelera de medio auferamus, vt his quibus violentia, & detrimentum adfertur, portus simus & refugium. Quomodo igitur eis venia dabitur, qui his armis non ad salutem, sed ad aliorum perniciem vtuntur?* Atq; hoc est, quod lib. 4. de Rep. monet Cicero. *Nullum bellum suscipi ab optima ciuitate, nisi pro salute vel fide.* Fides enim socijs præstanda est, ne opprimi sinantur. Qua in re videndum, ne sociorum iniquas causas defendamus. Nonnulli v. militum adeò improbi sunt, vt susq; deq; ferant, justane, an mala causa agatur. Ipsis inferis, auctorati nummo, seruiunt; quibus haud temere Princeps vetetur, quia si ex aduerso pecunia ostendetur, mox transfugæ in hostilia castra migrabunt. Illis enim hoc in animo est:

Ibi fas, vbi maxima merces.

§. 11. Quamuis ita milites non æstiment suis momentis, neq; Principes, justitia tamen requirit, vt in bello injusto damna resarciant Dux, & milites. In dubio, ordinariè Princeps, quia accuratius rem exquirere debuit, si non sine sua culpa dubitauit. Deinde consiliarij, quorum ignorantia inexcusabilis est. Milites id solum restituere debent, quo facti sunt ditiores. Si quorum militum culpabilis fuit error, omnia, quæ abstulerunt, reddere tenentur.

CAPVT VII.

Causæ belli quædam specialius expositæ.

§. 1. OMnes causæ belli, vel ad defensionem, vel damni reparationem, vel vltionem injuriæ Deo hominibusq; illatæ, tam pro Republ. propriâ, q̃ pro socijs referri possunt. Quia tamen in his varia est species, grauitasque injuriarum: De quibusdam causis, ex quib. ingentia bella sunt orta, dicam. Legatorum injuria, grauium bellorum causa fuit, eaq; justissima, qa est contra jus gentium. Si n. legatus tutus non sit, pacis & reconciliationis spes absciditur. Tarentini legationem Romanã de læsis ciuib. ferentem querelam, fœde p obscœnam turpemq; dictu contumeliam violant. Flor. l. 1. c. 8. sed victi magnis prælijs, nequicquam impiam causam tutante Pyrrho, flagitium seruitute luerunt. Simulq; Picentes & Salentini in ditionem venerunt. Illyrij deinde legatos securi tanq̃ victimas ceciderunt, sed strictę post victoriam in Principum colla secures, legatorum manibus litauerunt. Corintho etiam exitium attulit, quod legati Romani, incertum an manu, certè oratione violati essent. Bellum grauissimum & funestissimum exitio gentis cum Ammonitis gessit Rex Dauid. Causa q̃ legatos amicitiæ & solatij causa, missos violauit Hanon 2. Reg. c. 10. 4. *Tulit itaq; Hanon seruos Dauid, rasitq; dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias usq; ad nates, & dimisit eos.* Quod verò detestabilius erat, conduxerunt contra Dauidem auxilia Syrorum, bellumq; intulerunt, nam præter eos, qui filios Ammon juuabant, quorum erant 33000. Adarezer ingentem multitudinem adduxit, ex quâ Dauid cecidit 700. currus, & 40000. equitum. Postq̃ autem vicit Rabbath filiorum Ammon valdè in victoria, Dei jussu tamen, seuerus fuit. 2. Reg. 12. 31. *Populum quoq; eius adducens serrauit, & circumegit super eos ferrea carpenta: diuisitq; cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon: & reuersus est Dauid & omnis exercitus in Ierusalem,*

Ob legatos violatos iustum bellũ.

§. 3. Caussa cur Roma filia cum Alba matre pugnauit, nulla fuit legitima, at vterq; populus, populꝰ cognatus afflictus est, vt fessi malorum, vt in tres Horatios, & Curiatios discrimen publicum imponerent, quinq; cecidêre, & sextus innocentem sororem p se victimam dedit. *Causa* (belli) *dicatur,* inquit S. Augustin. l. 3. c. 14. de ciuit. Dei, *sicut Troiæ adulterium dicebatur, nulla talis, nulla similis inuenitur. Tantum vt resides moueret, Tullus in arma viros, & iam desueta triumphis, agmina. Illo itaq; vitio tantum scelus perpetratum est, socialis belli, atq; cognati.* Turpe sanè latrocinium exercitij tantum causa bellare.

Exercitii causa bellare iniquum.

§. 3. Quidam etiam nulla alia causa mouentur ad arma, quam hostium imbecillitate, vel contemptu, alias quidem causas habent, vt velint, sed vt audeant, fortuna hostium facit. Si Princeps imbecilla sit ætate vel ingenio, si populus ab illo alienior. Si passa

incendium aut bellum ciuitas, ita postquam Gallos cæsos fugatosque Camillus Italia decedere coëgit, aut mori; cum Romanis maximas omnes gratias deberent, infestis animis vrbem miseram aggressi sunt, imprimis Latini cũ jus imperij, & partẽ magistratuũ poscerent. Atq; hæc vna causa est, cur merito Imperium Romanis sartum tectum manserit, cum vicinos tam ingratos experirentur.

Legati præter officium nihil moliantur.

§. 4. Legati quidem sacrosancti sunt, & penitùs immunes, ita tamen vt præter legationis officium nihil agant, nec moliantur in eos, ad quos missi sunt, & jussi abscedere, confestim pareant. Mortem itaque meriti erant legati Tarquiniorum, cum supellectilem Regiam auecturi per eam occasionem vrbi proditores emebant. Liuius lib. 2. *Interim cum in Senatu vicisset sententia, quæ censebat reddenda bona, eamq; ipsam causam moræ in vrbe haberent legati, quod spacium ad vehicula comparanda à Consulibus sumpsissent, quibus Regum asportarent res: omne id tempus cum coniuratis consultando absumunt.* Poterant in eos aduertere Romani, sed ne magis irritarent, quos timebant, Tarquinios dimiserunt. Adeo vero etiam Barbaris res illæ curæ fuit, vt Galli cum Clusinos bello peterent, seque fatererentur nullum j⁹ nisi in armis habere. Tamen ꝙ Romani legati in prima acie visi essent, vnusque hostium ducem transfodissent, eos sibi dedi postularunt, ꝙ cum non modo non impetrassent, sed etiam violatoribus juris humani tribunatum militarem datum intellexissent, confestim Romani aduolarunt. Tanti plures æstimabant legatorum factum, quam suum; illi possessoribus per vim & injuriam agrum extorquebant, legati pro socijs innocentibus, tresuiri in acie pugnauerant, nullâ aliâ culpâ, nisi quod id in mandatis non habuerunt: hanc tamen culpam incendio, & penè internecione Roma luit. Cauendum itaque legato, ne hostilia machinetur, clandestina colloquia habeat, ne speculatorem & exploratorem agere videatur.

Rapt⁹ multorum bellorum causa.

§. 5. Crebro bellorum externorum caussæ, sicut & seditionum fuerunt, mulierum raptus, impudicitiæ vindicatæ. Filij Israël præcipuè Simeon & Leui fororis Dinæ stuprum excidio Sichimorum vindicarunt, Fecerunt enim vna familia bellum integræ ciuitati, impium & perjurum; nam & pacem fecerant; & Sacramento Circumcisionis ad fallendum abusi sunt. Iusta quidem erat caussa belli, sed post fœdus, injustissimum bellum euasit. Trojanum bellum etiam ex adulterio natum est, & ex scortatione Messeniacum, quod Græciam in partes diuisit. Turnum quoque in arma concitauit abducta Lauinia. Et Romana arma primum ob raptas ludis equestribus virgines, inter generos socerosque fuêre. Iustè bellum intulere Vejentes, Cœninenses, Sabini, sed quia insigni arrogantiâ gerebant bellum, Romanorum armis cesserunt.

Caput VIII.

Causæ bellorum iniquæ.

Iniusta plurimùm sunt bella, vel iniuste geruntur.

§. 1. VT plurimùm vel iniqua bella geruntur, vel si justa sunt, iniquè administrantur. Cum inter duos populos furor belli exardescit, non nisi vna parte, & ab vna parte stat justitia; siue quis justam causam impugnet, siue injustam propugnet, nunquam victoria facit innocentem. Nemo conscientiam suam fallit, vt exitus eam soletur, quem caussa injusta reum tenet.

§. 2. Ego inter belli caussas injustas primam pono, prauum quorundam prudentium judicium, quo arbitrantur suam Rempublicam prudenter institutam, egregièque moratam merito sibi populos Barbaros seruituti subdere.

Homines natura nulli serui.

Distinguunt illi inter homines; vt alios dicant, seruos natura, natos scilicet ad parendum, alios verò natos ad imperandum. Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 5. Καὶ εὐθὺς ἐκ γενετῆς ἔνια διέστηκε, τὰ μὲν τὸ ἄρχεσθαι, τὰ δὲ τὸ ἄρχειν. *Et statim ab ortu hæc differentia, vt quædam ad imperandum, quædam ad parendum fuerint nata,* probat id in animalibus, ac tandem ad homines natura seruos sic procedit. ἔτι δὲ τὰ ἄρρεν πρὸς τὸ θῆλυ φύσει, τὸ μὲν κρεῖττον τὸ δὲ χεῖρον, καὶ τὸ μὲν ἄρχον, τὸ δὲ ἀρχόμενον. τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον ἀναγκαῖον εἶναι καὶ ἐπὶ πάντων ἀνθρώπων. ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον διέστασιν, ὅσον ψυχὴ σώματος, καὶ ἄνθρωπος θηρίου. (διακείνται δὲ τοῦτον τὸν τρόπον, ὅσων ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις, καὶ τοῦτ' ἐστὶν ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον· ἔστι μὲν γὰρ φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχὴν, εἴπερ καὶ τοῖς ἐρημένοις. ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος ὁ δυνάμενος ἄλλου εἶναι διὸ καὶ ἄλλου ἐστί. *Præterea mas cum fœmina comparatus, melior est, hæc autem imperio parere debet. Eodem modo se res etiam habeat in omnibus hominibus necesse est. Quicunq; igitur tanto cæteris hominibus sunt inferiores ac deteriores, quanto animus corpori, & homo feræ præstat (tales autem sunt ii, quorum opus in vsu corporis positum est, quorumq; hoc vnum est, quod ab eis optimum proficisci potest) hi sunt serui natura, quibus melius est huic imperio parere: si quidem & ius, quæ supra dicta sunt. natura enim seruus est is, qui alterius esse potest: ideoq; & alterius est.* Hæc sententia tum falsa, tum generi humano pernicosa est. Hinc enim superbissima Græcorum sapientia jus putabat, Barbarorum nationes imperio subdere, justumq; esse bellum, vt deteriores parerent melioribus; se se verò meliores judicabant: cum tamen constet multas barbaras nationes innocentius, modestiusque vixisse Græcis. Verum magnum aliquid præstitisse se arbitrati sunt, cum Lydos, Sarmatas, Scythas, Indos in potestatem redegerunt, & se vti sapientes, stultorum, vt putabant, Dominos fecerunt. Ac primum quidem nimium hoc arrogans est, tantum se extollere, tantum alios deprimere. Deinde primum videndum, an ille, qui in Barbaros ad seruiendum natos bellum suscipit, vt legitime eos gubernet, ipse quoque animum, domum, Rempublicarum ex virtute regat, alioqui Barbaris nequior est. Tertio erudiendi potius sunt, & monendi, quam debellandi Barbari, cur enim tibi seruiant, cur jus vitæ, necisque in eos habeas, quia callidior illis est.

Superbia & φιλαυτία, iustas causas belli fingit.

Barbara gentes excultæ sunt.

Non autem esse naturæ illam, sed institutionis diuersitatem Gentes omnes docuerunt. Romani initio Barbari fuêre, deinde Hispani, Galli, Germani, πᾶν τὸ ἑλληνικὸν. nunc verò cultissimi nationum habentur, & in Africam, Asiamque Barbaries migrauit.

§. 3. Fœminarum causa injusta etiam bella plurima gesta sunt, etsi raptus abesset. Darius Persa Iantino Regi Scytharum intulit ob filiam matrimonio negatam, quod erat tyrannicum, cum ne subditum quidem cogere posset, vt inuitus filiam sibi locaret. Vsitatum quidem fuit in vetusta barbarie rapere conjuges, aut earum causa bellum inferre. Subtilior ars Procerum Francorum, qui Regem ad bellum contra Carolum Audacem incitabant vt necessitate coactus filiam alicui, cum ampliſſima dote Burgundiarum ditionum nuptui daret. Antonius non quidem propter Cleopatram bellum gessit, ejus enim amoribus fruebatur, sed fœminæ ambitione in bellum impulsus est.

Superstitio causa bellorum.

§. 4. Ingentia bella sæpè ex superstitione sunt orta, quemadmodum de seditione supra dictum est. Propter Deos se bello ciuitates Ægyptiæ lacessere solent. Alani olim & Armeni cum ad ludos conueniſ-

nissent orta de diuis disputatio; vtri meliores haberent Deos? manfit in abeuntib⁹ rabies illa, cum enim sua cuiq; genti Numina sacra, ritusq; honestissimi viderentur, reuersi domum, quo quisq; magis pius videri voluit, eo infestius bellum vrsit. Hæc enim est natura superstitionis, vt aliena irrideat. Omnes, (inquit Philo de vita Mos. 2.) abhorrent ab externis ritibus, & tanto plus honoris putant suis accedere, quanto magis alienos proculcarint. Cujus rei fons ex insita malitia, contumaciaq; promanat, suos enim ritus propugnare honeste non possunt, infanda enim & indigna multa continent, in alienis irridendis, cum æquè sint absurdi, eloquentes, & faceti esse possunt. Nunc vix vllum bellum est, ꝙ non religionis caussa geri dicatur.

§. 5. Leuissimas causas fuisse bellorum maximorum constat. ἡ φαυλὴ τὶς αἰτία πολλάκις παρεμπεσοῦσα πολλῶν πραγμάτων ὠδινήσασα μεταβολὰς, καὶ συμφορὰς ἀπέτεκεν ὑστερούσας. *Et sæpè incidens nullius momenti causa multarum rerum mutationes peperit; & calamitates ingentes attulit*, vt monet Nicet. in Man. Commeno. Maximorum bellorum sæpè tenuissima, contemptissimaq; principia fuere. Cicero l. 2. de fin. *Frustra tanta conatum Xerxem fore dicit, si tantum mel ex Hymeto se ferre voluisse diceret.* Et tamen crebro non est major causa, aut fructus cruentissimorum bellorum.

Cupido opũ causa belli.

§. 6. Pleraq; bella injusta ex profunda opum, & honoris cupidine nascuntur. Quod si aliæ causæ quoque sunt justæ, hæc tamen se comites jungunt. Opum quidem cupiditas in primis Romanis tectior fuit, in alijs gentibus conspectior, & cum Persæ per totam Græciam legatos mitterent, terram, & aquam in signum subjectionis petituri. Facit auaritia inquietos; & omnes terras suis annecti æquum censet. Xerxes cum ficus Atticas gustasset, jurauit se terram occupaturum, quæ eum fructum ferret, non gulâ, emere enim poterat, sed auaritia, quia quamuis tantas opes, tantamq; potentiam, quantam nemo alius ante habuerit, non tamen animum præsentibus contentum habuit. Auaritia simul & luxuries Gallos ad Italiam inuadendam sollicitauit; nam qui in ea fuerant cùm popularibus vinum exhibuissent, ejus dulcedine ad expeditionem omnes concitarunt, sed plerique sanguinem in terrâ infeliciter quæsitâ effuderunt. Et qui aliena nimis cupidè appetiuerunt, sua omnia, vitamque amiserunt.

Eadem amœnitate, ac felicitate postea Longobardos eadem Italia inuitauit, in Pannoniâ enim cum essent, audito Italiam pomis dulcibus, succulentâ carne, vino odorato abundare, temperato cœlo omnium rerum varietate frui, magnis agminibus eo contenderunt. Hispania verò duorum populorum auaritiam in se, & in ipsos mutuo armauit; etenim Hispani tum gens simplex latentes benè in profundo opes & diuitias ignorabant, deinde Romanis quærentibus, sed ea re inflammati Carthaginenses contra Romanos arma mouent, quæ excidio Carthaginis quieuerunt, dum itaq; Hispanico auro, & suffossionibus inhiant, mœnia sua diruerunt: nam quidquid causæ prætenderint, certè

Aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloq; fatigant.

Nusquam id clarius, quàm in bello, quod contra Græcos Galli gesserunt. Brennus enim spe prædæ suos ad bellum hortabatur, cum enim ex captiuis audisset donaria Delphica non ex solido auro, sed ex ferro auro obducta esse, jussit eos affirmare ex solido auro esse, atque ita auaritia suorum ad prælium vsus est. Adeo hęc causa pugnandi legitima visa est, vt apud Pausaniam Persas dicerent, stultos esse, ꝙ cum pauperibus diuites pugnarent. Præmium enim victoriæ, non justitiam, sed opes oppressorum putabant. Itaq; hac in causâ se adeò injustos esse non negabant, vt Antigonus Rex cuidam Sophistæ librum de justitia conscriptum offerenti dicere non erubesceret. *Desipis, qui cum me videas armis alienas vrbes vexantem, tamen apud me de iustitia disseris.* Ridebat ista Antigonus, injustitiam, & magna latrocinia professus; at turpius populus Romanus sine vllo prætextu Cyprios occupauit, & ne aliquid indignitati deesset tanto flagitio Dux Porcius Cato fuit. Florus l. 9. ita rem narrat: *Aderat fatum Insularum: igitur & Cypros recepta sine bello. Insulam veteribus diuitiis abundantem, & ob hoc Veneri sacram, Ptolomæus regebat: & diuitiarum tanta erat fama, nec falso, vt victor gentium populus, & donare regna consuetus, Publio Clodio Tribuno duce, socii viuiq; Regis confiscationem mandauerit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit: Ceterum Porcius Cato Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium inuexit, quæ res latius ærarium populi Romani, quam vllus Triumphus impleuit.* Simili cupiditate, majore vecordia in Parthos mouit Crassus. Florus lib. 3. c. 11. *Dum Gallos per Cæsarem in Septentrione debellat, interim ad Orientem graue vulnus à Parthis populus Romanus accepit. Nec de fortuna queri possumus. Caret solatio clades. Aduersis & diis & hominibus cupiditas Consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, vndecim strage legionum, & ipsius capite multata est: & Tribunus plebis Metellus exeuntem ducem hostilibus diris deuouerat: & cum Zeugma transisset exercitus rapta subitis signa turbinibus hausit Euphrates; & cum apud Nicephorium castra posuisset, missi ab Orode Rege legati denunciauêre percussorum cum Pompeio fœderum, cum Syllaq; meminisset. Regis inhians ille thesauris, nihil ne imaginario quidem iure, sed Seleuciæ se responsurum esse respondit.*

Iustitia à bello exulat.

Romana auaritia.

§. 7. Auaritia quidem crebro causa belli, sed pertinaciorin eo est ambitio, & libido dominandi cum laude integræ victoriæ. Cur enim cum vitam pacti hostes omnia dedere parati sunt, non accipiuntur preces, sed instat exactor vindictæ, donec desperatio veniæ miseros eo adigit, vt res suas perdere, seq; insuper malint, quam crudeli ludibrio esse hostibus, nonne quia superbia absolutam victoriam cupiens auaritiæ præponderat? Hæc igitur bellandi causa, vt omnes historiæ ostendunt. Luc. l. 1.

Ambitio belli caussa creberrima.

Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis Roma, nec vnquam
In turbam missi feralia fœdera regni.
O male concordes, nimiaq; cupidine cœci,
Quid miscere iuuat vires, orbemq; tenere,
In medio?

Quamuis enim suæ quemq; rapiunt scelerata in prælia causæ, Principatum tamen obtinet dominandi libido. Ninus id primus fecisse dicitur. August. l. 4. de ciuit. cap. 6. *Iustinus qui Græcum, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium secutus, non Latinè tantum, sicut ille, verum etiam breuiter scripsit historiam, Opus librorum suorum sic incipit. Principiò rerum, gentium nationumq; imperium penes Reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populi nullis legibus tenebantur; arbitria Principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis quam proferre mos erat. Intra suam cuiq; patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Assyriorum, veterem & quasi auitum gentibus morem noua imperii cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usq; Lybiæ perdomuit.* Et paulò pòst: *Ninus, inquit, magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmauit. Domitis igitur proximis cùm accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæq; victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit.* Et libr. 3. c. 14. *Quod vitium (exercitii caussa & laudis amore pugnandi) Sallustius magnũ transeunter attigit. Cum n. laudans breuiter antiquiora commemorasset tempora, quando vita hominum sine cupiditate agitabatur, & sua cuiq; satis placebant. Postea vero,*

Ninus primus bellum intulit.

verò, inquit, quam in Asia Cyrus, in Gracia Lacedæmonii, atque Athenienses, cœpere vrbes atq; nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare, & cætera quæ ipse instituerat dicere. Mihi huc vsq; satis sit eiº verba posuisse. Libido ista dominandi magnis malis agitat & conterit genus humanum. Hac libidine Roma tunc victa Albam se vicisse triumphabat, & sui sceleris laudem gloriam nominabat.

Ira Regum causa bellorum.

§. 8. Bella ob subitam, & iniquam Regum ferociam, multa orbem contriuerunt. Seneca lib. 3. de ira c. 20. *Non enim Caii sæuitiam, sed iræ malum propositum est scribere, quæ non tantum viritim furit, sed gentes totas lancinat, sed vrbes, sed flumina, & tuta ab omni sensu doloris conuerberat. Sicut Rex Persarum, totius populi nares recidit in Syria: inde Rhinocolura loci nomen est. Prperciſſe illum iudicas, quod non tota capita præcidit? nouo genere pœnæ delectatus est. Tale aliquid passi forent Æthiopes, qui ob longissimum vitæ spacium Macrobii appellantur, in hos enim, quia non supinis manibus exceperant seruitutem, missoq; legatis libera responsa dederant, quæ contumeliosa Reges vocant, Cambyses fremebat: & non prouisis commeatibus, non exploratis itineribus, per inuia, per arentia trahebat omnem bello vtilem turbam: cui inter primum iter deerant necessaria, nec quicquam subministrabat sterilis & inculta humano q; ignota vestigio regio. Sustinebant famem primo tenerrimma frondium, & cacumina arborum, tum coria igne mollita, & quicquid necessitas cibum fecerat: postquam inter harenas radices quoq; & herba defecerant, apparuit q; inops etiam animalium soltudo, decimum quem q; sortiti, alimentum habuerunt fame sæuius. Agebat adhuc iram Regem præcipitem, cum partem exercitus amisisset, partem comedisset: donec timuit, ne & & ipse vocaretur ad sortem, tum demum signum receptui dedit. Seruabantur interim illi generosæ aues, & instrumenta epularum camelis vehebantur: cum sortirentur milites eius, quis male periret, quis peius viueret. Hic iratus fuit genti, & ignotæ & immeritæ, sensurus tamen: Cyrus flumini. Nam cũ Babyloně oppugnaturus festinaret ad bella, cui⁹ maxima momenta in occasionibus sunt, Gynden latè fusum omnem vado transire tentauit: quod vix tutum est etiam, cum sensit æstatem, & ad minimum deductus est.* Hac de re dixi cum de tyrannide, & crudelitate egi.

Ob miseros receptos. bellum gerere non licet.

§. 9. Propter eos, qui ex hostibus profugerunt, receptos, bellum indicere, nisi sint ipsi malorum auctores, iniquum puto, cur enim excisa patria reliquias perse quantur? Israëlitæ sanè sexcentis Benjamitis pepercêre, imo vxores etiam dedere. Jud. vltimo. Fatetur suorum improbum odium Florus l. 2. c. 18. *Non temerè, si fateri licet, vllius causa belli iniustior. Sedigenses socios & consanguineos, Romanorum manibus elapsos excepeperant. Habita pro eũ deprecatio nihil valuit, cum se ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi fœderis pretium iussi arma deponere. Hoc sic à Barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur. Itaq; statim Megara viro fortissimo duce ad arma conuersi, Pompeium prælio aggressi, Fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuissent. Hostilium deinde Mancinum. Hunc quoq; assiduis cædib⁹ ita subegerunt, vt ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quispiam sustineret. Tamen cum hoc quoq; fœdus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad internecionem sæuire potuissent.*

Omninò fateri licet, injuria facta est Numantinis, non modo, quia initium belli sine causa fuit, sed etiam quia fœdera violata, quia pro clementia crudelitas repensa est. Nam dedere se volebant, si toleranda viris imperarentur, sed cum Scipio veram vellet, & sine exceptione victoriam, eo miseriarum redacti sunt, vt tentata pugna, eruptione, fuga se ipsi tandem peremerint. Concludam insigni responso barbaræ nationis. *Bellum si iustum non est, latrocinium est.* Scytharum legatus hoc liberè Alexandro. *Tu qui gloriaris ad latrones persequendos te venire*, omnium gentium quas adiisti, latro es.

Caput IX.

Si hostis satisfactionem offerat, mitius agendum est.

§. 1. Duplex est hoc loco disputatio; nam quæritur; si hostis, qui injuriam obtulit, dicat nolle factum, & judicio æquo reparare damnum velit, an pars læsa cogatur eam acceptare satisfactionem, & bello abstinere? Deinde si liberum sit Principi vel acceptare satisfactionem, vel eos bello persequi, quid suadendum illi sit? siue quid expediat?

§. 2. In priore controuersia non idem sentiunt Doctores. Nonnulli enim oblatâ satisfactione, jubent abstinere bello, cum nondum sanguine fuso sacratum est, at si jam acies conflixerint, si murum aries percusserit, alij putant contempta satisfactione bellandum, alij abstinendum bello. Mihi magnâ distinctione vtendum videtur, atque his propositionibus res explicanda.

Iniuriarum diuersitas.

Propositio I. Injuria infertur, vel cum fortunæ auferuntur, vel cum corporibus vis infertur, vel cum per calumniam fama & honos læditur, & interdum omnia ista conjunguntur; Denique cum diuina majestas per sacrilegia, crimen infidelitatis, vel hæreseos læditur. De singulis dicendum est. Intelligo verò ista publico, hoc est, totius Respublicæ judicio fieri.

Restitutione facta bellũ omittendum.

Propositio II. In his facilima compensatio est, fortunarum ablatarum, & honoris. Pecunia enim pecoraque restitui possunt, aut æqua precia rependi. Honor recantatis conuitijs, & confessâ calumnia etiam redintegrari videtur. Verum duo faciunt hanc rem difficiliorem. Primum est, quod non modo res ablatæ restituendæ sunt, verum etiam detrimenta, quæ consecuta sunt, compensanda; hoc enim quod in judicio ciuili decernitur, vt sumptus, damna, lucri cessatio, omnia omninò ad æqualitatem rependantur, id etiam in bello requiritur. Alterum est, quod postquam omnia restituta sunt, pœna nihilominus injurianti, & quidem duplex infligenda sit, nempè vt rependat injuriam passo aliquid pro contumeliâ, quam intulit, cum res vi auferret, pro timore ejus, pro sollicitudine & molestiâ, quàm sustinuit, dum re suâ careret: Eam ob causam Exod. 22. 4. 7. 9. fur duplum cogitur reddere proximo. Hoc autem facto, aliam quoque pœnam exigit Respublica ob bonum commune seruandum. Itaque postquam reddita sunt furta, & recantata est calumnia, furtum furca, calumniam exilio, carcere, aliave ratione plectit. Itaq; Respub. quæ læsit, eo modo satisfacere secundum leges debet: Hoc enim juris naturalis est, vt æqualitas inter eos constituatur, qui alienâ injuria facti sunt inæquales. Neq; hæc alia lex est priuatorum & regnorum inter se. Nam vt in eodem regno vel ciuitate justitiæ æqualitas seruanda est à judice, ita in societate humani generis, cujus membra sunt regna, inter regna etiam æqualitas constituẽda, vt si vnum alteri aliquid abstulit p injuriam, p justitiam restituat. Hac tamen moderatione, & leni arbitrio, vt satisfactio recipiatur, non alia Respublica opprimatur: seruandæ enim leges, quæ in priuatis, in fauorem restituentis sunt.

Difficilis satisfactio, vbi mors illata est.

Propositio III. In pudicitia violata, & vita ablata restitutio difficilima est. Nam cum adulteria, raptus, violentiaque, & cædes morte puniantur, non videtur alia ratio satisfaciendi, quàm vt Respublica, quæ ista fecit, tota se morti offerat, & colla securibus submittat; omnes enim sunt homicidæ, omnes adulteri,

reri, raptores, atque satisfactio nihil aliud videtur, quàm plena deditio ad liberum victoris arbitrium. Exemplum est in sacris literis, cum enim Gabaonitæ vxore Leuitæ libidinando occidissent, *nuncios ad omnem Beniamin miserunt filij Israel ex Maspath, qui dicerent, cur tantum nefas in vobis repertum est? tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Israel.* Ecce dedi malefactores postulant, quod cum non fieret, omnes defensores, hoc est, tota tribus Benjamin morti destinatur. Idem autem jus videtur Respublica vna in alteram habere, quod omnes filij Israël in vnam tribum. Hinc dedi solent, qui priuata auctoritate alienam Rempublicam læserunt. Hæc quamuis requiri videatur satisfactio, non tamen exigi debet, vt omnes puniantur, neque si Rex alteri Regi nocuit, opus est, vt moriturus eum adeat, aut regnum tradat.

Ius gentium inter Resp.

PROPOSITIO IV. Satisfactionis itaq; moderatio, vt justitia seruetur, cum inter diuersas Respublicas agitur, non secundum leges scriptas, sed jus naturale, & jus gentium facienda est. In quo primum facilior redditur in famâ, & fortunâ læsâ, neque enim ad flagra, neque ad furcam tradere quenq; est necesse, cum naturali jure pœna mortis non sit illis delictis statuta, imò ne omnium quidem gentium legibus furtum capitale sit. Quando autem pudicitia violata est, quamuis raptus, & adulteria diuinâ lege mortis sententiam acceperint, non tamen ne sic quidem op⁹ est, vt se se dedat ad gladium Respublica, judiciales enim sunt illæ leges, & Hebræorum, non omnium gentium, & quamuis pars læsa possit pœnam mortis exigere, si habeat reum in potestate; non tenetur tamen Respublica rea se morti offerre. Alia ratio erat in Benjamitis, q. lege diuina tenebantur reos tradere, vel occidere. Potuissent n. alia ratione satisfacere alijs gentibus, si Channanitidi, vel Moabitidi injuria tanta fuisset irrogata. Dauid sanè adulterium, & homicidium commisit, nec mori tamen jus⁹ est, nec regno decedere. Absoloni quoq; cædem fraternam condonauit pater. Itaq; quamuis Rex aliquis auctoritate Senatus, jussu populi, omnium consensu, alium Regem aliquorum cæde, alijs vé modis læserit, si verè ipse, & populus, senatores q; pœnitent, si omni modo satisfacere sint parati, non debet ab illis exigi, vt omnes se dedant arbitrio lesorum, in mortem aut vincula, sed contentus debet esse ille, qui læsus est pœnâ aliqua mitiore, ꝓpter multitudinem, & plurimos innocentes, imò vel ipse judicare, vel ad arbitros rem remittere. Joab sanè multitudini etiam in acie parcendum putauit. Hujus rei causa est, q. a bellum tum non est necessarium, non a gerendum sine necessitate. Vel n. tum pugnabit, vt damna sua compenset, vel vt vlciscatur injuriam, at damna opum & honoris redduntur, pudicitiæ & mortis irreparabilia sunt; compensatio fiat ex æquo & bono. Injuriam cũ agnoscunt, & satisfactionem offerunt conuenientem, ea acceptari debet, cum autem grauissima sit pœna mortis & seruitutis, possit q; minor exigi, injustè faciet, si ad tam graues cõditiones totã Remp. redigere velit. Deinde judex est in hac caussa ob delictum alterius, sed cum satisfactio offertur, tanquam cum parte agit, & licet adhuc judicis partes sustineat, audire tamen etiam tenetur tanquam pars, aut judex partem. Máxime moueor, vt leniter agendum putem; quia alioqui nullus esset omnino bellandi finis, cum in hostis armati arbitrium, nemo se facilè committat, atque hæc de totâ Republicâ.

§. 3. Quod si Rex læsus exigat, vt omnes se morti offerant, aut deditionem faciant, vt liberum vitæ, & necis arbitrium penes ipsum sit, aut sanè, vt datâ vitâ se illi omnes subjiciant, Reipubl. formam immutent, id arbitror injuriantibus faciendum, si magna damna intulerunt, agros vastarunt, vrbes diripuerunt, hic enim æqualitas est compensationis, in minoribus id non facient, vt si legatos irriserunt, vt Ammonitę, quando Dauidis legatos cum ignominia remiserunt, tantam satisfactionem puto non oportere fieri, & iniquè exigi. Dauidis victoria crudelis fuit, quia vltra bellum pararunt vt eum euerterent. Nam multi innocentes, omnes posteri luere ista cogerentur. Poterunt igitur portas occludere, se se tueri, vt contra tyrannum majora delictis supplicia inferentem. Tota verò difficultas est in eo, ꝙ cum priuatus admisit, ꝙ morte dignum est, non potest se se contra ministros justitiæ defendere, sed latæ sententiæ judicis succumbere oportet; at hic Respub. rea est, Princeps læsus judex, sententia fertur, cum bellum decernitur, denunciatur mors reo, cum bellum indicitur, mori igitur & seruire Respubl. injuriosa tenetur, & hanc sententiam, quia justa est, potest Rex exequi, qualiscunque offeratur satisfactio. Verum hac in re dissimilia ita multa sunt, vt argumentũ reddatur infirmum. Nam Regis denunciantis bellum hostibus, & judicis addicentis reum est, & esse debet diuersa sententia. Judicis n. mens est, vt reus ꝓpter delictum moriatur. Regis verò vt vi hostem adigat ad satisfaciendum ꝓ damno, non autem Rex cui bellum indicit, ejusque Principes & populus nocens moriatur, multo minus, vt omnes seruiant, seruiant, etiam innocentes; sed vt ex æquo satisfiat injuriæ. Ita quamuis mors decernatur illis, quibus bellum indicitur, ea tamen non absolutè omnibus, sed cum ea conditione, nisi satisfecerint. Deinde reorum magna est diuersitas: Priuatus n. capite suo luit delictum, vxor, liberi, cognati immunes sunt, ac mortem nocentium in Repub. consequitur etiam interitus multorum innocentium, seruitusque; itaq; possunt, primo deprecari veniam, diuitias, aliaq; offerre, quæ salua vita & libertate sua, & suorũ possunt; si illa contemnantur, contra nimis duram sententiam armis tueri se possunt. Quid n. dicemus ciuibus, qui sic deliquerunt? Dicent illi. Peccauimus, pecunia ablata est, restituetur, conuitia jactata sunt, dolemus factum, cædes facta est, omnes sumus rei, quidam auctores, eos trademus; alia ratione faciemus satis. si jubet omnes mori, vxores viduas, liberos pupillos, patriam viris orbem relinquere, id grauius est, quam vt à moderato hoste imperari debeat, si jubet seruire, hoc ipsum morte grauius est. Supplices sumus, nec pœnam deprecamur, sed pœnam rogamus, at citra mortem, & seruitutem. Quod si non impetramus jam mutata causa belli victoriam sperare licet. Non licet contra tales bellum gerere, defendere illi se possunt. Fundamentum verò est, quod nemo lege naturali tenetur occidere, furem, aut homicidam, sed aliâ potest eum pœnâ afficere, vt ante dixi, imo leges ferri in aliqua Republ. possunt, ne homicida morte plectatur, præsertim si consensu tantum auxilioque peccauit. Non ergo ad hanc pœnam cogitur jure naturæ, nec etiam legibus hostilis Reipubl. cui non subest. Nec jure gentium, id enim lenius est, parci enim solet plurimis etiam bello crudelissimo victis.

Mors integræ Reipub. non debet inferri.

PROPOSITIO V. Cum jam bellum geritur, si labante acie hostili, veniam & satisfactionem offerunt, caritatis est parcere, non tamen ex justitia id facere tenetur, jam n. malefactorem in ipso actu deprehendit, nec nisi effugij causa preces prætendit. Si post aliquot prælia vtrinq; facta adhuc satisfacturum pollicetur, audire, & acceptare Princeps tenetur, modo ne fallendi temporis causa, & dolosè, donec auxilia veniant, id agatur. Ratio est: quia qui verè se offendisse dolet, & ad satisfactionem paratus est, iam incipit esse innocens, ac proinde ob causas, quas antea attuli, pro Republ. debet accipi satisfactio.

§. 4. Con-

Venia hostibus facile danda.

§. 4. Consilium Principi læso dederim, vt cum primum se hostis erasse agnouerit, & pro magno delicto paruam satisfactionem obtulerit, eam accipiat, imò ita agat, vt ipse suâ clementia pœnam mitiget, nihil asperum, aut contumelioſum imponat, damno eorum, quorum interest, quo ad ejus fieri potest, consulat; potius tamen quàm bellum sequatur ipse de suo satisfaciat, subditosque doceat, pro communi bono incommoda quædam toleranda esse. Sic enim bellum vitabit omnium periculosissimum, quod est futurum cum desperatis. Si enim extrema videant, acerrimè resistent, pro vita & libertate pugnaturi; deinde omnes eorum miserti, vt poterunt, succurrent; eumque, qui eos ad tam graues necessitates adigit, execrabuntur. Quod si omnia desint, in cujuscunque potentioris ditionem, & jus se dabunt. Fidenates cum misericordiam victoris desperarent, igne se cremarunt, Saguntini se ipsi confecerunt, & plus operæ fuit in vna ciuitate, nec ea populosa, quàm in vastissimis Asiæ regnis subjugandis. Cogitet & illud; esse multos innocentes, multos necessitate, multos leuitate, plerosque errore peccasse. Magnum causæ discrimen faciat, qui enim aperte improbi, contra jus gentium crudeles fuerunt, grauius puniuntur.

Caput X.

Maturo & lento consilio ad bella procedendum.

Primũ consiliũ in pugna, ne lædaris.

§. 1. Bellum indicturus omnia hostium, tuorum, vicinorum circumspice, & si omnia tibi fauere aduerteris, temporum mutationes exhorresce. Bellum facturus omnia tua prius communi, ne lædaris. Deinde vt vincas vide. Hannibal Gades oppugnaturus, in Africam tredecim Hispanorum millia mittit, & mille equites, vt eam tuerentur, ex vrbibus Africæ quatuor millia Carthagini custodiendæ dimittit, simul obsides, simul milites habens. Lysander Athenas obsessurus, omnes eo compulit, vt defectu commeatus premeret. Sed hoc anceps est; nam instrui posset illa multitudo, & castra castris opprimere.

Bello ardẽte omnia infirma sunt.

§. 2. Consilium itaque maturum adhibendum, nec bellum nisi summâ cura suscipiendum, vt & justitia causæ, & vires expendantur. Iterum itaque iterumque ad consilium veniatur; quid enim omnia prosunt, cum Respublica est bellicis difficultatibus implicita? Omnium parcitas in bella consumitur, nec tantum accipi potest à pacatis, quantum in bella absumitur. Vincenda consilio iracundia. Dictum sapiens est Nazianzeni:

Θυμὸν χαλίνα μὴ φρενῶν ἔξω πέσῃς.

Animum frena, seu iram frena, ne mente excidas, malim ego huic loco accommodare:

Θυμὸν χαλίνα μὴ θρόνα ἔξω πέσῃς.

Iram frena, ne throno excidas. Rex & Consiliarij sub aurato tholo inter peristromata de bello consultantes in acie se versari credant; atque eo animo sint, quo illi, quorum aures circa strident, emissa tormentis jacula: si consulentium interdum quies vnius sclopi globulo terreretur, multò sedatius bella decernerent.

Consiliarii quales in bellum.

Rectè Princeps Utopianus, cùm magno numero Consiliarij de bello consultarent, jamque Senatusconsultum ,p bello subscribendum esset, clàm constituit, vt ex opposita senaculo turri per vitreas fenestras in conclaue jacularentur milites, sine vllo periculo eorum, qui adessent, sed ingenti pauore, cum volitare specularium fragmina viderent, omnes diffugere, tuta quærere; monebat Princeps, vt in periculo interriti consisterent, sed frustra; vicit timor verecundiam, & solus in periculo, vt putabant, Princeps destituitur; ille ciuiliter timori ignoscens: Nemo, inquit, bellum suadeat, nisi qui & ferre pericula potest. Me in periculo destituitis, verbo leones, re lepores. Hæc errata quotidie cernimus; & olim fuisse docet Thucyd. μεῖ' ἀσφαλείας μὲν ἠοξάτουδν μὴ δέους δ' ἐν τῷ ἔργῳ ἐλλείπουδν. *Dum securi sunt fortes sententias pronunciant, dum in metu, in medio opere deficiunt.* Hac in re nihil periculosius Principe, qui cum homo sit, damna, contumeliasq; more humano, id est, ægro animo, & vt excelsæ mentis videatur, iracundo fert. Consiliarius fidus sententiam non ,p affectu, sed salute Principis dicet. Irato enim Principi Consiliarius pacatus maximè necessarius est; nam consilium dabit, quale pacatus Princeps ipse probaret. Multi hac in re falluntur, cum ad gratiam occupandam, iræ Principis adulantur, quàm mox Princeps ipse positurus est. Non enim semper eędem sunt voluntates Principum, vt monet Plinius, iratorum verò voluntates vanescunt celerrime. Memini me legere apud Eurypidem aurea verba in supplicibus:

Consulendum Principi non adulandum.

Σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασύς.

Lubrica res Princeps audax, seu jactator, cui si accedat subdolus adulator, qui in lubrico motum ciere norit, impetu præcipitabit omnia, & cum omnia defecerint, ad stultorum fiduciam refugient, quæ est, vt *fortunam sibi spondeant.*

Consilium igitur bellis tardum ac maturum requiro: vnicum consilium multas superat manus. Meminerint nullos prius sentire mala belli, quam qui mouent. Optime suadet, & peruincit Jurisconsultorum prudentissimus Petrus Georgius Tolosanus, l. 11. c. 2. §. de Repub. *Paucis momentis consilium ciuitatis non minus, quàm fortuna effecit maxima. Scribit & Aimonius Burgundiones omnes, plus consilijs quam armis tutasse suam Rempublicam. Saltem arma consilio temperanda sunt. Sunt enim quidam nimium præcipites, qui dum inferre pericula volunt, non cauent: cum tamen expendendum sit, vim fortunæ Martemq; communem & ancipitem: certa ,p incertis non esse mutanda, & vt ait Sallustius, omne bellum sumi facile, cæterum ægerrimè desinere: nec in eiusdem potestate initium & finem esse. Incipere cuiuis vel ignauo licere, sed non deponi, nisi cum victores velint: Princeps hac in consultatione de bello ineundo, debet quoq; consultores ipsos perpendere, qui sint, qui suadeant, quivé dissuadeant. Sunt in aulâ furiæ, facesq; belli, nobiles, quibus in pace durius seruitium est, quo tempore coguntur probis legibus obtemperare, & à quibus in belli licentia se liberant: sunt inquieti, qui neq; ipsi quiescunt, nec alios quiescere sinunt; sunt exules, qui in eos, à quibus pulsi sunt merito metu pœnarum cunctantem Principem in arma impellunt. Sunt qui prætextu publicæ causæ, vel se ipsos de inimicis vindicare, vel diteſcere stipendijs, & sumptibus Principum, & ex rapina in subditos, cupiunt. Sunt plures qui de bello peragendo consilium facile dant, sed periculum postea subire detrectant. Sunt qui præsentia tantum respiciant, & iram excandescentem implere desiderent, sed mala publica & priuata non considerant: quæ omnia tamen prudens Princeps vel Reipubl. gubernator, prius expendet, quam aggrediatur. Nempe bello instituto, vt ait Thucydides, Principes male audire & culpari ob damna.* Consilium bellicum verò in his constituo, vt quantum juuentus Mærte feroci exuperat, tantum omnes prouidere atq; euoluere casus omnes, Senatus esse sui muneris, arbitretur.

Quæ considerada sunt bellaturo.

§. 3. Hæc verò consideret. Primo. Quis hostis? an Pœnus? an Asiaticus? an tantum impetu, an verò etiam dolis & prudentia valeat? stultus est, si quis mille arietibus contra quinquaginta lupos bellum adornat.

adornant. Hæc merito considerandæ veniunt, ne temere quis suam, atque alienam fortunam spe, metuque vertet. Plus negotij Romanis tam prouide bellantibus, alijsque eis, qui non timebatur hostis nocuit. Andriscus vltimæ sortis homo, imaginarius Macedoniæ Rex Iuuentium prætorem cecîdit, Numantini vna ciuitas annos quatuordecim restitit, & cæsis exercitibus Romanis, pudendis fœderibus eos affecit. Cretes Marcum Antonium vicerunt, cùm fiducia victoriæ plures catenas, quam arma in manibus haberet. Bello sociali Rutilius, & Cæpio cæsi, fugati: Iulius Cæsar exercitu amisso in vrbem cruentus illatus est, tota Italia infestius, quam ab Hannibale spoliata. Bello seruili Euno duce Manilij, Lentuli, Pisonis, Hyspæi castra cæsa sunt. altero vero, Athenione Rege, Seruilij & Luculli castra capta sunt; quia minore Consilio contra hostem contemptum itum est. Spartacus quoque & Socij, Clodij, Glabri castra diripuere, deinde alia castra; in Apennino Lentuli exercitum Spartacus idem cecîdit, Caij Cassij castra deleuit, quibus victorijs elatus de inuadenda vrbe Romana deliberauit. Tandem vero totis imperij viribus contra Mirmillonem consurgitur. Ante neglectum; & temere bellum id gestum, donec periculo Consilia excitarentur. pauca narraui, sed nescio an toto imperij tempore, si bellum Punicum secundum excipias, tanto dedecore victi sint Romani, quam hisce in parergis, & contemptis hostibus, quibus se Imperatores sine maturo Consilio obiecerunt. sed cladibus didicerunt.

Βυλῆς γὰρ ὀρθῆς οὐδὲν ἀσφαλέστερον
Ἱερὸν ἀληθῶς ἐστιν ἡ συμβουλία.

Consilio recto nihil tutius, sacra reuera res est Consilium. Sinè eo sacro dum bella aggrediuntur: cecinerunt illud stultorum. Non putabam; quod in bello capitale est. Deinde id quoque pensandum: Neminem facilius opprimi eo, qui securus est. Nihil in bello contemni debet. Nec vocandi sunt timidi, qui cauti, ἀμαθία μὲν θρασύς, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. Imperitia audaciam, ratio timorem adfert. Omnia ante bellum timenda proponas. Secundo: Ideo laudandi Spartiatæ, qui ducem si temere, & sine consilio vicisset, morte multabant. Durius Cathaginenses, si errasset, in crucem agebant: quod tamen in solâ temeritate excusari supplicium posset. Nam temeritate ducis proditam patriam iudicabant, quamuis fortuna casum auertisset. Omnia enim prouidenda sunt, nec quicquam spernendum, cum paruis momentis agitentur casus regnorum. Fama constant bella, & ea sæpe conficiuntur.

Apud Romanos rei gesta ratio poscebatur, sed si quis ignorantia, aut casu rem male gessisset, nullo alio in periculo erat. Malitia pauci deliquerunt, Sergius & Virginius mutuo odio ad Veios magnæ claudi causam dederunt, Sergius à Virginio æmulo collega auxilium petere noluit, Sergio Virginius non rogatus ferre noluit. Tardè itaque consulendum, qui cum multa præuideris, ab infinitis lædêris, vnde non putabas. Consilia itaq; præeant. Consilio inito studiosè aggrediendum bellum, nam

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων ἐνὶ βουλῇ
In manibus finis belli, verborum in Consilio.

CAPVT XI.

Bellum etiam iuste gerendum esse.

§. 1. PARVM est iusta esse, necessariaque bella nisi etiam iura belli seruentur; habent enim & arma suas, quamuis aduersa legibus, leges. Primo quidem bellum ex iusto aliquando iniustum atque execrabile redditur, cum per milites geritur, quos aduocasse in auxilium non oportuit. Deinde hinc fieri potest, vt iure merito vicini principes, ac Respublicæ possint ac debeant eos, qui ante iniquam causam fouebant, adiuuare, & iudicare causam istam esse factam iustam alterius partis vitio.

Armorum etiam leges sunt.

Si enim princeps Christianus cum alio bellum gerat item Christiano, milites vero Turcos, Tartarosve, aut alios infideles, & Barbaros inducat, non dubium quin grauissime delinquat, quamuis iustam bellandi causam habeat. Ratio est firma; quamuis enim altera pars peccarit, atque ad satisfactionem obligetur; non tamen tenebitur se barbaris in potestatem tradere, quod summo non modo corporum, sed animorum detrimento fieri certum est. Neque potest vllus princeps aut Respublica ab vllo principe, aut Republica eam pœnam exigere, vt Turcæ portam aperiat, summo discrimini subditos committat. Possunt etiam principes Christiani obsistere, & contra eum, qui infideles, fœderum contemptores, publicos omnium Christianorum hostes aduocauit, insurgere. Non enim hoc modo iniquæ causæ patrocinabuntur, sed cõmune periculum auertent, & non modo illis, quos contra vocantur barbari, & vicinis principibus, sed ipsis quoque qui vocarunt, in perniciem verti solet.

Barbara auxilia non aduocanda.

Vsitatum est in seditionibus aduocare barbaros, & hac via Heruli, Alani, Gothi, Wandali, Longobardi imperiũ inuaserunt. Palæologus contra Marcũ Craconiciũ Bulgariæ principem, cuius fiducia proceres eius rebellarant, Amurathen vocauit, qui lætus occasione primum pro Palæologo vicit, deinde Græciæ magnam partem sibi subiecit. Bellum iustum gessit Palæologus, sed postquam barbaro & periuro milite vsus est, se, & regnum perdidit, & hostem validum Europæ immisit, qui nunc Italiæ, Germaniæ, & Hispaniæ claustra pulsat. Hanc ob causam cauendum est, ne principes magni animi & celsi eo per vicinorum iniurias redigantur, vt ad hostem se se communem applicent. Ita Baiazetes dum victis Christianis Palæologum ad extremam desperationem adegit, ille inuocato Tamberlane liberatus est, Baiazetes parricidij, (nam minorem natu fratrem occiderat) & crudelitatis pœnas dedit, caueæ inclusus, & per ludibrium circumductus. Verum ad arma barbarorum reuertamur, 2. Paralipom. capit. 16. *Asa iubetur exercitum ex Syria conductum dimittere; quin & iam Iosaphato cap. 19. dicitur; impio præbes auxilium & iis, qui oderunt dominum, amicitiâ iungeris?* Occurrunt tamen hoc loco, quæ subsidia illa tueantur. Nulla enim occurrit ratio, cur non omni genere militum vtamur, seu fideles sint, seu infideles, cur enim cùm equis, elephantis, canibus vtamur in hostes, non liceat vti milite infideli, cum sint administri iustitiæ, nec in illis pietas, sed obedientia requiratur? Maccabæi cum Romanis inîêre fœdus, & Demetrium Ionathas adiuuit. Quin & 1. Regum 18. 29. Dauid se iunxit Achi Palestinorum Regi. Denique in plerisque militum, qui Christiani vocantur, haud magna est religionis, & pietatis cura. Si igitur pios quærimus, castra deserenda sunt.

Turca nũc quoque nostris dissidiis inuitatur.

Responsum in promptu est. Natura ita comparatum est, vt in sui defensionem quælibet auxilia homines exquirant; neque attendant ad pietatem, vel peccata adiuuantis: ideoque per se, & ex natura non est scelus vti milite improbo, vel infideli, sed quia tot mala inde nascuntur, vt omnino reddatur bellum illicitum. Quocirca princeps Christianus ditione sua per iniuriam pulsus, exul potius

Exul agere nõ debet, vt Turcæ viribus restituatur.

tius vitam innocentem agere debet, quam ad Turcam confugere, vt eius viribus restituatur. Nam subditos bellando conijciet in seruitutem, & cædes faciet, quod quidem licitum est; meriti enim sunt, eo ipso quod desciuerunt. Id vero non modo caritati, sed iustitiæ etiam legibusque repugnat, vt eos subdat infidelibus vt diuendantur, ad Mahometismum cogantur, vt Christianum orbem vna ditione subducta, faciat infirmiorem, Turcarum vires adiecta augeat, nec bonum quod inde exspectat tanti est. Imperium enim precarium sub Barbari fastuoso sceptro tenebit, donec illi collibitum sit. Quod si certum sit barbaros infideles humaniter acturos, victoriaque ex mente principis vsuros, captam multitudinem non abducturos, exercitum deportaturos, nullum ius sibi vendicaturos, vti eorum operâ poterit, sed hoc idem est, ac si barbaros infideles esse barbaros neges. Id factum hactenus nondum est, ideo fore, non est sperandum. Nunquam itaque prudenter inducuntur in patriam, semper legitimè repelluntur.

§. 2. Vt in ipso bello iustitia seruetur, ea omnia damna inferre licet, quæ ad puniendos reos, satisfactionem & securitatem Reipublicæ stabiliendam pertinent, cum vltra eas metas progreditur vindicta, iam bellum iniustum est. DOMINVS DEVS sane crudelitatem prœliorum abominatur. Achaz Rex Iuda Dominum offenderat, & manibus Regis Israel traditus est. 2. Paralipom. 28. *Occiditque Phacee filius Romeliæ centum viginti millia, in die vno, omnes viros bellatores, eo quod dereliquissent Dominum Deum patrum suorum. Ceperunt q; filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam.* Sed quid Propheta Obed in tantâ lætitiâ? *Ea tempestate* (inquit Scriptura) *erat ibi propheta Domini, nomine Obed: qui egressus obuiam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus DEVS Patrum vestrorum contra Iudam: tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita vt ad Cœlum pertingeret crudelitas vestra. Insuper filios Iuda, & Ierusalem vultis vobis subicere in seruos & ancillas, quod nequaquam facto opus est. peccastis enim super hoc DOMINO DEO vestro: sed audite consilium meum, & reducite captiuos quos adduxistis de fratribus vestris: quia magnus furor Domini imminet vobis. Steteruntque itaque viri de principibus filiorum Israel, Azarias filius Iohanam, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Seilum, & Amasias filius Hadat, contra eos qui veniebant de prœlio & dixerunt eis, Non introducetis huc captiuos, ne peccemus Domino. Quare vultis adiicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel. Dimiseruntque viri bellatores prædam & vniuersa quæ ceperant coram principibus & omni multitudine. Steteruntque viri quos supra memorauimus: & apprehendentes captiuos, omnesque qui nudi erant vestierunt de spoliis: cum vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo ac potu, vnxissentque propter laborem, & adhibuissent eis curam, quicunque ambulare non poterant imbecillo corpore, imposuerunt eos iumentis, & adduxerunt Iericho ciuitatem Palmarum ad fratres eorum, ipsique reuersi sunt in Samariam.* Hic excessit medicina modum, & vindicta mensuram delicti; ideo ingens furor Domini imminebat, non quod iniustum initio esset, sed quod in bello iusto esset iniusta atrocitas. Itaque etiam principibus dum iusta bella suscipiunt, cauenda est militum sæuities, ne gens ad immania velox, in ipsa victoria Deum irritet.

Crudelitas prœliorum vitanda.

§. 3. Compensatio non est æstimanda damnis hostium, sed commodo victoris. Damna enim hostium ingentia esse solent. Quæcunque in prælio miles rapit, iure belli retinet, nec ad satisfactionem pertinent. Æqua plane lex est, vt quæ in prœlio capta sunt, iure capientium esse censeantur. Ad animandum enim militem necessaria est ducum liberalitas. Deuteronom. 20. *Omnis præda diuidenda exercitui dicitur*, hoc quidem hosti detrahitur, sed est merces militum, nam in bello iusto, pars, quæ iniquam causam defendit, stipendia militum, & quicquid sumptuum est, restaurare cogitur, armatos interficere licitum est, vrbes possidere, aliaque facere, quia omnia illa hostes faciunt, & conantur.

§. 4. Bellum etiam iniuste geritur in quo occiduntur innocentes: quamuis alioqui causam habeat iustam. Duobus autem modis occidi innocens potest. primo is qui cognoscitur esse innocēs, ille vt per se, & directe occidatur, sine peccato fieri non potest. Exod. 23. *Insontem & innocentem non occides*: & Deuter. 24. *Non occidentur filii pro parentibus.* Causa ex natura sumitur, quia pœnam sustinere non debet, qui est extra culpam, causa belli est iniuria, qui abest ab iniuria, belli expers esse debet, par autem est ratio ciuitatis subditæ, & externæ; nam si Thessalonica deliquit, non tamen Theodosius eadem pœna inuoluere iustos, & seditiosos potuit, nec plus iuris in exteros habet, quorum iudex factus est, non alia ratione, quam illorum noxa. Hinc Deuteronom. 20. *paruulis & innocentibus parcendum DEVS pronunciat.* Innocentes autem præsumuntur pueri, mulieres, clerici, nisi pugnarint, aut pugnantes iuuerint. Innocentes etiam aliquando integræ exercituum partes esse possunt; quicunque enim principem suum iustam causam tueri arbitrantur, quamuis arma gerant, si modo sit ignorantia inculpata, innocentes censendi sunt, ideoque occidi non possunt, quasi legitime damnati, per se, & directè.

Innocenti parcendum.

§. 5. Innocentes tamen occiduntur per accidens, vt loquuntur Philosophi. Hoc vero vel ideo, quia præsumuntur nocentes, vt cum omnes qui sunt militari ætate post victoriam occiduntur, quia armis, consiliis, auxilijs iuuisse iudicantur, nec miles causas audire singulorum & diiudicare potest. Hinc DEVS paruulis duntaxat parcit, & mulieribus procul dubio si viri æque innocentes esse cognoscerentur, deteriore conditione non essent.

Innocentes occidi quãdo possunt.

Deinde quamuis constaret multos esse innocentes, quia tamen sine illorum cæde, bellum geri non potest, possunt occidi, cum enim tormentis verberatur ciuitas, eodem in periculo sunt nocentes pariter & innocentes. Tertio. cum diripienda ciuitas datur, passim nullo discrimine obuii sternuntur, & cōcedere tamen prædam totius vrbis imperator potest; quamuis præuideat multos innocentes esse perituros; imo si innocentes mœnibus imponant, ius suum persequi potest. Pactum est in obsidione Niceæ vbi crudelitas, heroicus animus, & ars certarunt. Vrbem obsidebat Andronicus, cum arietes machinasq; concidi, incendi, dissipari videret, crudele consilium init, vt arieti matrē Isacij Angeli, qui tum Nicææ erat, imponeret, eoque modo oppugnatores liberos redderet. Historiam narrat Nicetas in Andronico; *Quare Andronicus cum sua Consilia successu carere videret, inhumanum facinus molitur, à paucis ante vsurpatum, matrem Isacii Angeli Euphrosynam, Bizantio accersitam, nunc vt propugnaculum machinis apponit, nunc ea arieti imposita mœnia ferit, vt eodem tempore & spectaculi nouitas, & iracundiæ immanitas à nullo scelere abhorrens, miserationem: & mulierculæ tolerantia, non ipso metu exanimatæ, in tanto tamque periculoso impetu admirationem haberet, ac tum primum videre mortales, teneram mulierculam defensionis ergo ferro præpositam, ac mirabiliter inuerso ordine, fragile corpus hominis firmissimis machinis*

Fortis animus inter pericula.

machinis adiunctum, vt qui ex iis pugnabant, incolumes manerent. Tela vero è mœnibus æquè ac prius, sed tanta cautione eiiciebantur, vt illæsa nobili muliere, quasi illa nutibus & manibus iacula à se auersa in hostium corda defigeret, hostes & ferirent & terrerent. Immane istud facinus adeo nihil Andronico profuit, vt Nicæenses facta noctu eruptione, & machinas incenderent: & muliere fune in vrbem attracta, eum tanquam Phineum ab Harpyis spoliatum, plorare sinerent, non habentem quo famem iracundiæ suæ expleret: Ita Nicæenses ab ipsius hostibus laudem fortitudinis consecuti, maiores animos conceperunt, atque audacius pugnauerunt non mœnia tantum strenuè defendendo, & Andronicum dicteriis incessendo, vt lanium, canem, sanguinarium, putre silicernium, malum immortale, hominum furiam, mulierosum, Priapum Tithono & Saturno annosiorem: denique nullo turpissimæ rei vocabulo abstinendo, sed etiam relictis propugnaculis portis erumpendo.

§. 6. Hinc fit, vt interdum vtraque pars gerat bellum iustum, cum nocentis Reipublicæ pars aliqua innocens est, quæ se iuste defendit, vt innocentem; altera eam vt nocentis Reipublicæ partem oppugnat. Hic quiddam simile est in eo, qui secundum allegata & probata, sed iniuste damnatus est, qui & iuste se defendere potest, & iuste eum damnat iudex, quia secundum leges, iniusta est damnatio, quia est innocentis.

§. 7. Innocentes tamen spoliare possunt, quia in bona potestatem habet maiorem Respublica, quam in vitam innocentis; propter commune commodum priuati bona potest auferre, vitam non potest. Leges tamen quæ positæ sunt obseruari debent, vt Anno 1570. articulo sexagesimo nono. *aratrum nemo spoliet, nec molendinum, nec furnum, & quicquid communi vsui accommodatum est, siue amicorum sit, siue hostium, absque licentia, nihil horum destruat, frangatue; nec vinum, frumentum, farinam proteruia effundant, corrumpantue. Violatori mors pœna esto. Eadem pœna vetatur, ne quis senes, sacerdotes, concionatores, mulieres inermes occidat.*

Pœna autem quæ in bonorum, & libertatis amissione consistit, ob magnas causas infligi innocentibus potest. Id vero omnibus bellis fieri solet; nam cum Deus spolia permittit militibus, cum iubet ciuitatem seruire sub tributo, pœna illa omnibus etiam posteris imponitur. Damni vero illati causa est princeps, qui iniquam causam tuetur, tenetur vero ille innocentibus sua restituere.

Ingens obligatio iniustè bella gerentis.

Caput XII.

Finem belli legitimum & honestum esse oportere.

§. 1. Finem belli bonum esse posse constat, quamuis bellum ipsum sit iniustum scelerateque geratur: Potest etiam in bello iusto finis esse malus; vtroque modo bellum malum est. Belli generatim finis est pax, nec quisquam hoc negat, sed in eo controuertunt, quia alteri alter pacem suam imponere nititur, commodam sibi, molestam socijs. Augustinus libr. decimo nono de Ciuit. capit. duodecimo, in plerisque bellis hunc finem notauit. *Quod enim mecum, inquit, quisquis res humanas, naturamque communem vtcunque intuetur, agnoscit, sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? Quod cum factum fuerit pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella. ab his etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando, atq; pugnãdo. Nam & illi qui pacem, in qua sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo vt sit pax nolunt, sed vt ea sit, quam volunt.*

Finis belli pax.

Nemo aliud sentit, sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe ocij sustentant. ita & recte dictum εἰρήνης ὁ πολέμος πρύτανις, pacis altor est bellum. Itaque & Cicero bellum ita iubet suscipi, vt nihil aliud quam pax quæsita esse videatur. Paci enim militari debet fortitudo debellandi.

§. 2. Bellum cuius finis non est rectus, si alioqui iustum sit, vt cum Romani specie Græcos adiuuant, animo Macedoniæ imperium destinant, iustum quidem est, si causa Athenienſium iusta sit; virtuti tamen mista cupiditas facit vt malum sit, & male geratur. neque enim tam commoda sociorum, quam regnum propositum est, auiditati Romanorum. Haud mediocriter hoc loco delinquunt etiam principes, Tribuni, & milites, qui quamuis iustam habeant bellandi causam, odio tamen suo obsequuntur, publica commoda negligunt.

Ac primo quidem peccant contra caritatem, cum meritas pœnas exigunt amore vindictæ, non Zelo iustitiæ; hinc crudelitas in corpora, incendia, contumeliæque nascuntur, nec æstimant hoc rudes animi, sed æmulatione mutua, vel cladibus exasperatæ belligerantur.

Deinde quamuis peccent, non tamen damna restituere tenentur, quia merito intulerunt, sed modo non licito.

Tertio. qui in bello alioqui iusto, mala intulit subditis principis, qui bellum iustum indixit, ad restitutionem tenebitur.

Caput XIII.

Bellum auxilio Dei, summaque pietate gerendum esse.

Dux belli iustus sit.

§. 1. Impia vox est: *Ducem belli non posse esse iustum;* quod adeo multa occurrant, quæ suadeant, vel cogant iniustum esse. Bello namque indicto laxantur vitia subditis, & militi. Si disciplinæ militaris diligens exactor sis, si prædas ex pacato, iniuriaque prohibes, stipendiaque soluenda sunt, & sine mora; si paululum indulges, si deest pecunia, non mediocres iniuriæ subditis inferentur. sed quantas concipere solet licentia militaris. Hoc igitur in discrimine constituta est innocentia Ducis. Sed tamẽ si bellum necessariũ susceperit, cum euẽtum præstare non possit, omnia damna in auctorem redundant. Si compescere militem non possit, ne satis subditos tueri, conscientia eum solabitur, si nihil omiserit, quo minus recte omnia administrentur.

Exercitus sit pius.

§. 2. Non modo in bello iustitiam, sed etiam in extremis periculis pietatem militum, & Ducis exposco. Cum enim magna mortis pericula impendent mortaliter delinquunt, qui se ad ea non comparant: itaque bellum Christianorum tale esse oportet, vt castra sint Ecclesiæ non dissimiles, sunt enim castra cœtus euntium in mortem. Hinc bello finis prosper, & singulis victoria à Deo pe-

tenda est. Cum in bello præter opinionem pleraque accidant, non vires modo considerandæ sunt, sed Numinis voluntas. Nusquam minus quam in bello euentus respondet: vtrimque ferrum & corpora; volitant inaspectabiles plumbi glandes, & merito ridetur, si quis vitabundo similis appareat. Bellum est eorum, qui sani agonizãt, ideoque à Deo petendum auxilium, & Deus præ oculis habendus: Vera est enim fortitudo, Deo nixa.

Quod ineuitabile est, ne conetris fugere.

§. 3. Bella precibus sustentata felicissima cesserunt; Moses Exod. 17. pugnantibus Israelitis orat, & vincuntur Amalecitæ. *Fecit Iosue vt locutus erat Moyses & pugnauit contra Amalec: Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paulum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus ipsius non lassarentur, vsque ad occasum Solis. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladii.* Et Numerorum capite 21. *At Israel voto se domino obligans, ait, si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudiuitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum quem ille interfecit subuersis vrbibus eius: & vocauit nomen loci illius Horma, id est, anathema.*

Iosue quoque Dominus apparuit, & eum confortauit, cui etiam sol auscultauit, ne occideret donec inimicos Domini persecutus esset. Dauidẽ, Iosaphat, Ezechiam, cæteros pios reges Deus adiuuit, maxime Maccabæos, qui contra copias veteranorum plurimas victorias obtinuerunt. Sed obseruandum est, eos tum facile exauditos, cum DEO consulto bellum inchoarunt. Nam vt pro sua quisque libidine bella conciliet, & ad arbitrium suum, DEVM trahere conetur, plus impudentiæ habet, quam pietatis. Si enim Consilium à Deo petere dignatus non es, quomodo auxilium petis? Deus bellorum exordijs, progressibus finibusque assistit moderator. Inter tot prœlia tam varijs locis gesta, vbi pie fideliterque auxilia à Deo postulata sunt, vix vllum inuenies, quo exauditæ non sint preces militares. Paucos belli duces Narseti pares Christiani habuimus, multis prœlijs hostes potentissimos vicit, potentia Dei, non fiducia exercitus victor semper exstitit. At ille cum in pauperes largus, in supplices clemens esset, tanta pietate DEVM coluit, vt totas noctes in basilicis versaretur; itaque quod verum erat, omnes etiam credebant, magis eum orationibus, quam armis victoriam obtinere. Fortiores sunt sane aduersum hostes preces quàm ferrum, & quamuis stultitiam dicat Romanus historicus, *Sedendo, aut votis debellari posse credere*, vicit tamen Totilam Narses, postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, & testes propemodum lacrymarum lacunas reliquit.

Bello iusto auxilium petendum.

Itaque Totilam deuicit, Theodobertum Francum excepit, & eius Duces Bucellinum & Aminghum oppressit, Suitaldum Brentorum Regem, vt in pace proditorem ex alta trabe suspendit; tantaque gessit, quanta pauci vetustiorum; CHRISTI enim præsentiam in omnibus expertus est periculis: meritoque eius expectauit protectionem, cuius coluit Religionem. Ipse DEVS iustæ causæ præesse solet; *Noster es, an aduersariorum?* quæsiuit Iosue Dux Israelitarum, & cuius sit victoria, responso Angelus demonstrat: *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Hic princeps si adsit, non est apud eum vlla distantia. *vtrum in paucis auxilietur, an in pluribus*, vt pie & fideliter dicit Asa Rex Iudæ. DEVS vltro etiam Amasiæ minatur: *Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuuare, & in fugam euertere.* De Cœlo itaque dimicatur contra hostes, stellæ manentes in ordine, & cursu suo aduersus Sisaram pugnant, cum in iusta causa, cum humilitate à DEO quæritur victoria, quæ sæpius fide imperatorum, & sanctorum virorum, quam robore militum quæritur. Sic Theodosius Maximum & Eugenium deuicit, retorquente vento in hostes spicula. Mirum & extra omnem belli morem, quod Honorio imperante, centena aut ducentena millia cum Rhadagaiso ceciderunt, nullo in Honorianis castris ne vulnerato quidem.

Precum mira vis.

Maschezil quinque millibus Gildonem fratrem, cæsis septuaginta vel octoginta millibus fudit, vix enim congressum ferre sustinuit. Theodosio iuniore regnante centum millia Persarum panico pauore in Euphrate periere. Burgundionum tria millia baptizati, Deumque precati, dena millia Hunnorum strauerunt.

Christiani Antiochiæ obsessi centum millia Saracenorum conciderunt. Hispani quoque in vtraque India, pauci ingentia regna vicerunt. Exempla obuia sunt.

Hoc moneo in prœliis etiam Gentiles Deos suos maxime comprecatos esse. Hinc Romani non nisi auspicato, & sacris factis egrediebantur. Maxime orationibus Constantinus Orientalis, & Carolus Germanici fundator imperij, orationibus hostem vicere. Constantinus noctes in oratione transigebat, Carolus per triduum supplicationes indixit.

CAPVT XIV.

Bellum parandum mature & in pace.

Duces in pace bellum meditãtur.

§. 1. MATVRE omnia bello necessaria comparanda sunt, diu apparandum est bellum, vt vincas celerius, longa enim belli præparatio celerem facit victoriam. Laudatus priscis nobis laudandus, & imitandus est Philopœmenes Achæorum, qui cum pacis tempore iter faceret, in belli cogitatione fixus erat, quomodo collis, quem transibant, superandus esset. Quantum distabat ille Vitellio, qui caris luxum obtendebat: *non parare arma, non alloquio, exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere, sed vmbraculis hortorum abditus, vt ignaua animalia, quibus si cibum suggeras iacent, torpentq; præterita, instantia, futura pari obliuione demiserat.*

Honor sit virũ bellicosis.

§. 2. Prima itaque ac laudatissima præparatio ad bellum est, viros fortes & bellicosos, magno in precio & honore habere, ciuiles dignitates illis credere. Ideo enim Roma seminarium optimorum ducum & bellatorum fuit, quia ciuiles honores bellicæ virtuti donabantur. Iustum enim censebat eos summo loco in patria potiri, qui summa pericula pro ea subiissent, illis bene vrbem credi regendam, quorum sanguine defensa esset. Nobilitas etiam Europæ ex bellica virtute originem ducit, hinc enim mediæ ætatis scriptores eos milites appellant, & Germani Knaben vom Schildt / inde & Scutum & Galeam omnes insignibus gentilitijs decorata gestant. Dignitates etiam præcipuas in aulis obtinent. Hos si honoratos iuuentus videat, eodem studio accendetur, maletq; in castris vitam agere, quam domi molliter educari.

§. 3. Ob hanc vnam causam Græci suam Rem-

Rempublicam grauitet afflixerunt, quia viros fortes & promptos Consilio, instar Platanorum habebant, quos pacis tempore negligebant, orta tempestate sub eorum vmbram trepidi refugiebant. Itaque facile vincebantur à Philippo Rege, is enim turmas optimorum, cautissimorum centurionum habuit. Pace igitur media belli cum Consilium in Republica floreat, audiaturque; nemo qui idoneus patriæ defensor, & ductor futurus est, suo honore careat, cum periculum abesse videtur.

Nicias in pace Athenis aiebat, se sibi multos anteferre, bello se esse primarium. Oritur hac ex re aliud etiam, & quo occultius, eo periculosius malum; cum enim viri celsi animi, & merita victoriarum laude tumentes, in pace contemptim habeantur; aut alio migrant; aut bellum optant, & si possunt, persuadent, quemadmodum medici egentes febres & vulnera: aut ad latrocinia, rapinasque vertuntur.

§. 4. Cum de viris prospectum est, arma etiam paranda sunt, si enim arma multa, magnaque armamentaria paret, absque viris, perinde facit atque is, qui variarum artium instrumenta comparat, artifices vero nullos habet, qui vti sciant. Optima ratione olim magni Reges armamentaria condiderunt, duo enim inde consecuti sunt commoda, primum vt arma contra hostes parata haberent, alterum, ne passim vulgus armaretur, & contra se se, aut Rempublicam armis abuterentur. Romæ locis publicis arma custodiebantur; nam Cicero pro C. Rabirio contra Saturninum ex ædificijs armamentarijsque publicis arma Romano populo, C. Mario consule distribuente data ait. Vetitum autem fuit priuatis habere arma, emere, vendere.

Romanorum in hoc genere industriam, impendiaque Vegetius libro 2. demonstrat. cap. 11. *Habet præterea legio fabros lignarios, instructores, Carpentarios, Ferrarios, pictoresque, reliquosque artifices ad hybernorum ædificia fabricanda, ad machinas, turres ligneas, cæteraque quibus vel expugnantur aduersariorum ciuitates, vel defenduntur propriæ, præparatos, qui arma, qui vehicula cæteraque genera tormentorum, vel noua facerent, vel quassata repararent. Habebant etiam fabricas, scutarias, loricatas, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides, omniaque armorum genera formabantur, hæc enim erat cura præcipua, vt quicquid exercitui necessarium videbatur, nunquam deesset in castris, vsque eo, vt etiam cunicularios haberent, qui ad morem Bessorum ducto sub terris cuniculo, murisque intra fundamenta perfossis improuisi emergerent ad vrbes hostium capiendas, horum iudex erat proprius præfectus fabrorum.*

Habebant fabricas non modo in legionibus, sed etiam in oppidis ac prouincijs, ita docet Vegetij doctissimus interpres Godescalcus Stewegius. *Neque ad fabricanda arma solummodo in legionibus istæ fabricæ, sed & in oppidis fuêre. Oppidatim certe Mithridatem illas instituisse testis Appianus de bello Mithridatico.* Cæsar lib. 1. de bello ciuili. *Frumētum ex finitimis regionibus atque omnibus castellis in vrbem conuexerant, armorum officinas in vrbe instituerant. Magnum fabricarum numerum sub principibus Romanum Imperium habuit, idque prouinciatim, in quibus ad vsum Reipublicæ à Frabricensibus omne genus armorum fabricabatur. Recensebo ex notitia imperii, vbi fabricæ Orientis. Quinque scutaria & armorum Danasci. Scutaria & armorum Antiochiæ, scutaria & armamenta Aedessæ, Hastaria Ironopolitana Ciliciæ. Ponticæ vero tres. Clibanaria Cæsareæ Cappadociæ, scutaria & armorum Nicomediæ. Asiana vna scutaria scilicet & armorum, Sardis Lydiæ. Thraciarum duæ scutariæ & armorum Hadrianopoli. Hæmimontis scutaria & armorum Marcianopoli. Illyrici quatuor, Thessalonicensis, Naissatensis, Ratiarensis, Scutaria Horreamargensis. At paulo maiore numero fabricæ occidentis in eadem notitia ac primam in Illyrico. Syrmiensis Scutorum, Balistarum & armorum, Acimensis scutaria, Cornutensis scutaria, Lauriacensis scutaria, Salonitana armorum. Mantuana loricaria, Cremonensis scutaria, Tecinensis arcuaria, Lucensis Spatharia. In Gallia vero Argentoratensis armorum omnium, Matisconensis Sagittaria, Augustodunensis loricaria, Suessionensis scutaria balistaria & Clibanaria, Remensis Spatharia, Triberorum scutaria, Triberorum Balistaria, Ambiacensis Spatharia, & scutaria, si propagandum Romanum fuerat imperium, vel si limites antiqui tuendi, contra inuadentes habebat in diuersis castellis suos milites limitaneos præsidiarios, & diuersis quoque in sedibus sparsas Romanorum legiones, quarum crescente paulatim imperio sensim quoque creuisse videtur. Cæterum adeo numeroso & sparso militi, vnde arma omnis generis suppeditata fuerint, iam discere à me potuisti, ex fabricis nempe istis prouinciatim institutis & quotiescunque nouis armis opus erat in expeditionibus, petebantur ex illis ipsis fabricis, & ad castra vel loca deputata angariis transuehebantur, quod me docuit constitutio Imperatoris Leonis & Anthemii C. de fabricensibus. Nunc ab omnib. priuatis non alia arma aut fabricari, aut vendi poterant præter cultellos breues, quos nemo in vsum belli adsumeret. Arcus vero, sagittas, spathas, semispathas, loricas, contos, lanceas, scuta, galeas & cætera id generis arma bellica, non alibi quam publicis fabricis, & à fabris publicis, id est, qui annona publica sustentabantur, fieri permisit Imperator Iustinianus, cuius hac de re Nouella 85. de armis. Frequens admodum de corpore fabricensium, & fabricensium munere, priuilegiis &c. mentio in posterioribus libris codicis, & inibi rubrica quoque de fabricensibus.*

Armamentaria occidentis.

Id maxime summam industriam nihil vtilem omittentem significat, quod etiam vehicula publica ferendis ad castra armis destinata erant.

Nec hac contenti erant diligentia, custodes etiam armorum erant, lib. 49. π. t. 16. de re militari. *Si miles arma alienauit, armorum custodi plerumque ea culpa imputatur, si arma militi commisit non suo tempore.* Hinc apparet in castris custodes fuisse armorum, si enim aliqui arma amitterent, si frangerentur, noua paranda erant, præterquam quod sagittarum, pilorumque vis ingens conuehenda fuit, quæ in castris custodiebantur. Nam lanceas, hastas, clypeos, scuta, parmas, loricas suas quisque asseruabat, nec pugnaturi à custode petebant. Nec dubium in vrbibus armamentariorum fuisse custodes. Merito sane, tempore belli & pacis requiruntur vigilię, leges, arma, l. qui excubias & l. officium de re militari π.

§. 5. Curam armamentariorum fuisse pijs Regibus ex sacris literis constat. Cant. 4. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Hinc. 3. Regum 14. 28. *est armamentarium scutariorum.* Quale vero fuerit, libro secundo, Paralipom. cap. 9. vers. 16. ostendit. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus legebantur singula scuta; *posuitque ea Rex in armamentario, quod erat constitum nemore.* Vocabatur autem domus Libani, cuius suppellex aurea fuerat, & in eo palatio armamentarium. Ipse Roboam primo triennio cum pacem haberet vrbes muniuit, & armamentaria fecit, libro secundo Paralipom. capit. 11. 12. verba ita habent, vers. quinto. *Habitauit autem Roboam in Ierusalem, & ædificauit ciuitates muratas in Iuda. Extruxitque Bethleem & Etam, & Thecue, Bethsur quoque, & Socho & Odolam, nec non & Geth, & Maresa,*

Vbi tot aurea, nec reliqua aberant longe.

& Ziph, sed & Aduram, & Lachis & Azeca: Saraa quoque & Aialon & Hebroa, quæ erant in Iuda, & Beniamin ciuitates munitissimas. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, id est, olei & vini. Sed & in singulis vrbibus fecit armamentaria scutorum & hastarum: formauitque eas summa diligentia, & imperauit super Iudam & Beniamin.

Nouæ diligentiæ causa erat, quia iam nouus hostis, & quidem potentior ortus erat, vrbesque quæ tempore Salomonis in meditullio regni erant, factæ erant abscessu decem tribuum limitaneæ, reliqua etiam armamentaria decem tribuum cesserant Ieroboamo. Apud Isaiam 22. 8. etiam mentio est armamentarij domus saltus.

Caput XV.

Arma quæ curanda.

§. 1. Factvrvs bellum princeps, præparare hæc præcipue debet: Fœdera, commeatus, arma, munitiones, pecuniam, militem. De singulis dicendum non est hoc capite, de fœderibus, commeatu, munitionibus, pecunia, dictum lib. 8. Pacis enim opera sunt magis, quam belli.

Arma maturè paranda.

§. 2. Plerique qui de bello scripserunt, de armis & viris, seu terra, seu mari bellaturis accuratè omnia tractarunt. Hoc tamen modo, vt alij vetera, alij noua, pauci causas & Consilia veterum & nouorum ostenderint. Mihi, quæ de nouis & veteribus intellexi, breuiter proponere est animus.

§. 3. Arma sunt, quæcunque necessitas suadet. Ferrum, oleum, lignum & alia. Arma sunt militis quasi membra, nam beluis dedit naturalia, quia prudentiam negauit, homini dat extera, quibus vtatur, addita ratione.

φύσις κέρατα ταύροις
ὁπλὰς δ' ἔδωκεν ἵπποις
λέουσι χάσμ' ὀδόντων
τοῖς δ' ἀνδράσιν σίδηρον.

Natura cornua tauris, vngulas dedit equis, hiatum dentium Leoni, viris autem ferrum, quo vincit tauros, domat equos, leones venatur, & demum quod difficillimum est, vincit & aliud ferrum. Magna itaque copia armorum paranda est in pace, quia facile habentur. Cum necessitas vrget, etiam omnia accipienda, æs campanarum conflari potest, vt finito bello reddatur.

Arma defensiua offensiua.

§. 4. Arma definio, instrumenta omnia bellorum, quibus ab hoste defendimur, vel hostem offendimus. Ea sunt itaque duplicia, vel enim ijs nos tutamur, vt est scutum, galea, ocreæ; vel hostem lædimus, vt gladius, hasta, sclopus: Hæc aliter quoque diuiduntur; vel enim corpori circumdantur, manibusque singulorum tractantur, vel machinis aguntur, & violentius agunt, multorumque viribus indigent, vt aries, testudo, tormenta maiora. Inter hæc media pono equos, elephantos, camelos, canes, porcos, serpentes, quibus velut armis nonulli interdum vsi, sunt vero arma animata, aut semiarma, & semimilites.

§. 5. Arma defensiua, seu tegumenta priora sunt offensiuis, Ducis enim laudati est, suos primum in tuto collocare, deinde hosti nocere, si enim mutuis plagis concidantur, nullius est victoria. Fortior itaque est, qui munitior: Qui sibi bene prouidit, vt incus sonitum mallei non metuit. Dum clauum tenet nauarchus, tempestates spernit. Miles bene tectus fidenter inuadit hostem & arte intrepide vtitur: ars autem absorbet omnes rerum difficultates: vt militari prouerbio iactant.

Galea capitis tegmen.

§. 6. Veterum tegmen capitis fuit galea. Ea fuit velitum ex pelle lupina, aliave. Polybius: προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ, ποτὲ λυκείαν, ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιδέλαι, σκέπης ἅμα, καὶ σημείου χάριν, ἵνα τοῖς κατὰ μέρος ὑγιεμόσι περικινδυνεύουσιν, ἐρρωμένως, καὶ μὴ διάδηλοι γίνωνται. Adornatur, (ita vertit Lipsius) *præterea & simplici tegmine capitis, atque est, cum lupinam, aut tale aliquid imponit, tutelæ simul, & signi causa, vt ductoribus ordinum, cum strenue, vel aliter pugnauerint, possint innotescere.*

De galeæ materia optimè Lipsius. Non ex ære, aut ferro, sed lana, tomento, corio; cassis de metallo fuit. Galea à γαλέη fele aut mustella dicta, à feris sumebant, inde ἰκτιδέη, κυνέη, παυρεῖν, αἰγεῖν, mustellina, canina, taurina, caprina. apud Homerum & Virgilium est etiam Leonina, Æneid. 7. *Tegmen torquens immane Leonis*, Lipsius in Traiani columna adnotat hoc omnes esse habitu, cum pelle leonis, quæ caput, humeros, tergumque tergat. Lupina est apud Propertium in eleganti carmine,

Et galea hirsutâ compta lupina iubâ.

Apud Statium Vrsina est;

Ille Lycaoniæ victu caput asperat Vrsæ.

Alijs placuit Vulpina. Thraces, Macedonesque similes habuere. Hoc vero est, de quo hæret auditor Lipsij, cum tutelæ & signi causa gestarint, an nudo capiti, an alteri galeæ imposuerint? Existimat Lipsius nudo capiti velites imposuisse, eos enim non tam cautè & custoditè armatos: Ego magis etiamnum dubito: quamuis Leonina & Vrsina sint tutelæ, non tamen video quomodo mustellinæ, vel caprinæ, vel etiam vulpinæ pelliculæ sagittas aut gladios morentur: multo magis resistunt ex tomento galeri nostrates, præcipue crassi illi, quos Brunsuicenses appellare consueuerunt. *Non sola pelle caput ornatierãt.*

Itaque illud quod λιτὸν vocat Polybius, vilem, nec operosè factam galeam significare, non autem simplicem fuisse pelliculam, sed lino lanave suffultam, ad frangendos actus, forte & duplicatæ pelles fuerunt. Agrestium arma describit Statius.

Tela rudes trunci, galeæ vacua ora Leonum.

Ipse Lipsius galeas è corio, vel simili materia ait esse, ferro aliquo per lineas, aut circulos inducto, corium igitur aut duplicatum, aut alia materia suffultum fuit. Imo magis probo pelles fuisse impositas pileis, vel ex duplicatis, aut sæpius densatis pellibus fuisse. Nam Vegetius libro primo, capite vigesimo. Pileos vocat. *Vsque ad præsentem prope ætatem consuetudo permansit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: quod propterea seruabatur, ne grauis galea videretur in prælio homini, qui gestabat aliquid semper in capite.* Graues ergo pilei aliqua proportione ad cassidem.

Porro horribiles formas galeis impositas discimus ex Virgilio apud quem Turnus libr. 7. describitur

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimeram
Sustinet Aethnaos efflantem faucibus ignes.

Cimbri quoque eo habitu fuere: Plutarch. in Mario. Galeas equitum Cimbrorum & plumis & horrentium animalium formis insignes fuisse ait Diodorus Siculus libro secundo. Reges Ægyptiorum leonum, taurorum, draconum capita suo capite velut principatus insignia gestasse, quod Christianis temporibus sensim desijt, & contra hostem notum

hi

his terriculamentis vti velle puerile est. Hæc, vt dicam, ad insignia familiarum venerũt: Hinc enim nobilium varietas, dum scutum & galeam exhibent.

Cassis ærea. §. 7. Cassis ærea aut ferrea, interdum argentea, & mistis metallis fuit. Camillus fabricatus est galeas plerasque totas ferreas, & læues in ambitu, vt gladij aut laberentur in ijs, aut frangerentur.

Ad latera erant bucculæ, quæ buccas, seu genas contegerent. Seruius cùm diuitibus imperat æreas galeas, satis ostenditur munimentorum æreorum prius, quam ferreorum vsum fuisse.

§. 8. Cristæ ornamento, & terrori erant, Polybius ait: super hæc omnia adornantur apice plumeo, pennisque puniceis, aut nigris, rectis tribus, ad cubiti longitudinem, quæ cum in summo vertice alijs armis addiderint, vir duplo maior apparet, & pulchra ea species fit, hostique formidulosa. Pro στεφάνῳ vertit Lipsius apicem, non enim de corona agit, quamuis aliquam coronæ similitudinem habeat.

Centus Galea. Summo autem galeæ infixus erat apex ille, seu plumea corona, Græcis & λόφος & φάλος dictus, quin & tubi erant, quibus immissæ cristæ. Centuriones transuersas & argentatas cristas habuerunt, vt facilius agnoscerentur, aliorum erectæ erant, & cum crebris pugnis sauciatæ pendulæ, & diffusæ.

Puniceæ dignorum erant, Turni cristæ rubentes erant; Hannibalis niueæ, deinde vsi etiam pauonum picturatis pennis.

Tres autem cristæ, plerumque erant, *triplici* enim *cristata tuba galea alta erat.* Mezentius apud Virgilium crista est hirsutus equina. Hinc in galeis & insignibus nobilium aut cristæ, aut alia signa, vt cornua, trabes, certi colores, nam alia quæ pro pennis gestasse constat ex historia Pyrrhi, qui agnitus est τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι, καὶ τοῖς τεταμένοις κέρασι, crista eximia, & hircinis cornibus. Verum quod ad hæc omnia, atque adeo arma pertinet, variè mutarunt, & mutanda omnia fuerunt propter hostes, qui aliis atque aliis armis, arma vetera faciunt inutilia, & ad noua cogunt.

§. 9. Cassis igitur ærea fuit, Polybius vocat περικεφαλαίαν χαλκῆν. *Aere caput tecti, surgunt super agmina cristis.* Camillus fecit æreas, & ferreas, læues in ambitu contra immanes Gallorum gladios. Loro sub mento ligabant, facies nuda erat; nunc faciem multi tegunt, vt solum vulneri pateant, qua oculis prospiciunt. Tales in Persis Marcellinus notauit. Et 1. Reg. 17. 38. & 5. & 1. Maccab. 6. 35. galeis æreis vtuntur. Nostri temperant nouo modo ferrum, vt glandes repellat.

Parma olim sufficiens, nunc nullius momenti. §. 10. Alterum tegmen corporis erat parma. ἣ δὲ πάρμη, inquit Polybius, καὶ δύναμιν ἔχει τῇ κατασκευῇ, καὶ μέγεθος ἀρκοῦν, καὶ πρὸς ἀσφάλειαν. Parma & firmitatem habet à structura, & magnitudinem securitati sufficientem. Hæc Velitum fuit.

Firmitas parmæ non à materiâ, non enim ex metallo, sed è corio, vel corio & ligno, idque vel solido, vel texto vimine, vel asserculis commissis, deuinctisque.

Forma parmæ rotunda. περιφερὴς: ita Polybius & Nonius. Iphicrates teste Æmylio probo, pro parma peltas dedit, vnde Peltastæ sunt nominati.

Magnitudo parmæ. Magnitudinem parmæ scribit Polybius τρίπεδον ἔχει διάμετρον, nouem igitur in circuitu pedes, inquit Lipsius, habet; at non est breuis illa parmula, & paruus Clypeus. Dubitat ille an nomine diametri intelligatur ipsa περίφερια. Tum sane exigua esset parmula, vera enim diameter vnius pedis esset. Matius parmulas sustulit, & substituit Brutianas, hoc est scuta quibus Brutij pugnare soliti. Sed fieri non potest, vt vnius pedis fuerint; quid enim hoc ad tutelam, seu ἀσφάλειαν, vt recte sibi ille obijcit. Stultum autem videtur, cum manum sinistram parma occuparet, tam paruam feciſſe, vt pugnantem non defenderet, & tamen impediret. Parmam esse, quæ Græcis pelta dicitur, ait Plinius, eamque cetram etiam appellant, sed vt breue vtrumque scutum erat, ita forma diuersa, semiplenæ lunæ speciem pelta habebat. Virgilius libro primo. *Pelta.*

Ducit amazonidum lunatis agmina peltis.

§. 11. Parmæ affine est scutum & clypeus. *Scutum Romanorum.*

Scuti magnitudo duorum pedum, & semis in latitudine, in longitudine quatuor, Maius vero palmum amplius habet.

Materia scuti ait Polybius ἐκ διπλοῦ συνδέσματος, ex duplici contabulatione. Itaque constat duas tabulas taurino glutine, cum linteo compactas. Sed addit Lipsius è minutis tabellis contextum; nam Varro à sectura deducit, scutum dictum, vel vt secatum, quod minute confectum sit tabellis. & Ammianus de Juliano. *Cum apud Parisios adhuc Cæsar Iulianus scutum quatiens in campo exerceretur, axiculis, quis orbis erat compactus, in vanum excussis, arsaremanserat sola.* Ego hic, vt fateor, hæreo, optaremque scutum vetus ostendi. Nam operosa est illa ex axiculis confectio, nec firmitudini accommoda: itaque cum tantus scutorum esset vsus, paratiora fuisse non dubito. Et primo quidem multo firmius & contumacius erat aduersum ictus, si duæ tabulæ transuersim conglutinarentur, quam si vna solum esset; ea enim secundum eam dimensionem, quâ fissilis est, facile transfigitur, at hic in diuersa tendunt lineæ fissiles, quod in vnam recipitur tabellam, in altera tenetur, moramque patitur, asseri enim agglutinatus asser diuerso ductu linearum, eum vincit, continetque ne rimis hiare, aut findi possit. *Et scu*

Quomodo fortius èduabus aut pluribus tabellis. Deinde certum mihi est asserculos alios longitudinem, alios latitudinem æquare debuisse, non enim ex duobus tribusue longitudo confici potuit, quod ea parte, quâ longitudo ligni abscinditur, conglutinari non possint. Quomodo tabellis confectum sit, haud satis capio, nisi longiusculis inter se commissis, glutineque compactis, ex axiculo quasi vinculo addito, ex Ammiano discimus. Ligna huic rei vtilissima nominat Plinius l. 16. c. 40. *frigidissima quæcunq; aquatica: lentissima autem, & ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, cluditq; suum vulnus, & ob id contumacius transmittit ferrum: in quo sunt genere, ficus, salix, tilia, betulla, sambucus, populus vtraq;. Leuissima ex his ficus & salix, ideoq; vtilissimæ.* Ex quibus etiam discimus illa scuta hodie penitus esse inutilia. *Ligna scutis apta.*

Forma scuti duplex, quod planum fere, & quod imbricatum, quale nobis Lipsius exhibet.

§. 12. Præter tabellas interdum nihil additum; Germani apud Tacit. 2. ann. Nec scuta quidem ferro, neruoque firmata, sed viminum textus, vel tenues, & colore fucatas tabulas esse. Verum Romani corio firmabant, & obducebant; tum ad firmitatem, tum quia corio defenderetur humor, quo contracto tabulæ salignæ soluerentur, gluten enim humoris impatiens est.

Crebro etiam tergora multiplicabant, leuia enim sunt & lenta. Hinc textu septemplice scuta firmabant prisci, etiam apud Traianos & Græcos. Hæc autem tum erant arma, ob precium æris & ferri, quod vulgus militum comparare illis in locis nõ potuit. Sane in sacris litteris apud vetustissimos clypeos, & scutã ærea legimus.

Ferro munitum scutũ. Præter hæc erat ferreum munimentum, Polybius

σάλωμα vocat, quod Suidas interpretatur σιδηρᾶν περιφέρειαν ἢ γωμαϊκὸν θυρεόν. Ferreum limbum, seu ambitum Romani clypei. Ferrum sero additum, Camillus enim auctor; qui tamen æream laminam addidit. Plutarch. in Cam. τοῖς θυρεοῖς κύκλῳ περιήμασι λεπίδα χαλκῆν ἢ ξύλα καθαυτὸ πρὸς πληγὰς μὴ ἔχοντος. *Scutis laminam ferream adaptauit in orbem, ligno solo ictus parum sustinente.* Contra Gallorum magnos gladios, forti robore vibratos, solers Imperator adinuenit. Ambitus ille interdum argenteus, & auratus aliquando fuit. Sidonius *Clypeorum lucem in orbibus niueam, in vmbonibus fuluam*, ait. Hoc in magnis & potentibus.

Vmbo. Vmbo est in medio clypeo protuberans ferrũ rotundum, græcis ἀμφιὸν, quod prominentias montium, aliarumque rerum significat, in vestibus etiam vmbonem agnoscit Tertullianus. ὀμφαλὸν ἀσπίδος græci interdum appellant. Polybius vocat σιδηρᾶν κόγχον, aitque auertere ὁλοσχερεῖς πληγὰς vehementes ictus lapidum, sarissarum, & vniuersi violenti cuiusq; teli.

Vmbone hostes etiam prottudebant, Acilius vmbone obuios agit. Optime notauit & Lipsius alam, ipsumq; brachium interdum vmbonem vocari. Rotabant autem, atque ita quatiebant scutum, vt ad omnes ictus vmbonem opponerent.

Infirmitas scutorum. §.13. Parum erat in scuto leui, plus in maiore momenti. Nunc omnia illa impedimenta potius in bello essent, quam adiumenta. Sed veterum vsum videamus. Primo Gallorum scuta Romani contemnunt, non ferro, neruoue firmata, sed viminum textus, vel tenues, vel colore fucatas tabulas esse. Itaque ante ferrum additum à Camillo, Romana quoque scuta infirma erant.

Deinde vmbo grauioribus ictibus obsistebat, reliquum ergo scutum his impar erat, & crebris ictibus fatiscebat, ita & Aiax de suo dicit, *Nouus est successor habendus.*

Tertio pilis & sagittis ita interdum onerabatur, vt graue esset ferenti.

Quarto eius agitatio vehementer militem fatigabat. ita vt non minus sinistra, quam dextra lassaretur.

Quinto ipsis in præliis videmus crebro traiecta scuta, etiam cum ipso viro, vt multæ historiæ ostendunt.

Scuta nostris militibus impedimẽta sunt. Quod si ergo ad bella nostratia veniamus impedimenta fuerint non munimenta. Nam vt de bombardis taceam, ne mediocris quidem vllius ictum sustinebunt; cum pilo iacto perforarentur, & sagitta; ne minoribus quidem resistere possunt armorum viribus; contra scuta enim maiores nostri ante bombardas inuentas, vsi sunt triplici potissimum armorum genere. Equitum lanceis, quibus scuta hominemque auferebant. Grandibus gladiis, quos vtraq; manu vibrabant, quibus scuta obiecta findebant, & è manibus gestantis excutiebant. Denique bipennibus quarum violentissimi ictus scuta omnia inutilia fecerunt. *Ante bombardas scuta inutilia.* Origo huius armaturæ à Germanis, Gothis, Lõgobardis, quorum vires magnæ scuta facile excutiebant. Scuta igitur nunc inutilia sunt. olim frequenter etiam mutata sunt. Ante Romulum Argolicis Clypeis vsi sunt auctore Plutarcho. Romulus scuta instituit, credo quod in pastoritio populo haud facile Clypei haberi poterant; hinc Seruius postea Clypeos reposuit, sed censum maiorem habentibus eos imperauit. Ad Veios Clypeis omissis scuta retenta sunt, quæ causa sit, non satis conijcio; an forte cum stipendia æqualia essent, peditibus etiam arma æquanda duxerunt? ita Lipsius sentit.

θυρεὸς Græcorum scutum erat, à similitudine θύρης ita vocatum, quod longitudo eius maior latitudine. Athen. 4. & 6.

§.14. Clypei Græcorum erant; ἀσπίδας vocabant. ἐυκύκλους vocat Homerus, quod rotundi essent.

§.15. Loricæ priscis variæ, & mirum tantæ curæ fuisse, cum bombardæ non essent. Titus apud Hegesippum describit l. 3. c. 14. *Progredimur in bellum muniti vndique, tegitur galea caput, lorica pectus, totum clypeo corpus. Vbi feriat hostis Romanum militem, reperire non potest.* Nec auxesis est. Claud. l. 2. in Rufin. *Loricæ fidũ munimentum.*

Coniuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu: credas simulachra moueri
Ferrea, cognatoq; viros spirare metallo.

Nec poeta sed historicus quoque Ammianus eodem modo loquitur. Praxitelis manu polita credere simulachra, non viros, quos laminarum circuli tenues apti corporibus, flexibus ambiebant, per omnia membra deducti, vt quocunque artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iunctura cohærenter aptata.

Verum de Loricarum genere dicamus.

Lamina pectoralis. Plerique milites Romani priore æuo totum corpus lorica non texerunt, sed lamina pectus tantummodo. οἱ μὲν οὖν πολλοὶ περισκελεῖς χαλκεμὰ σπιδαμαῖον πάντα πάντως, ὁ μὲν στῆθος τὸ στέρνον, καλοῦσι δὲ καρδιοφύλακα, τελείαν ἔρχεσι τὴν καθόπλισιν. *Plerique capientes æream laminam, quæ sit spithamæ, seu duodecim digitorum vndique, eam pectori apponunt; & vocant καρδιοφύλακα, Lascaris cordituum*, Lipsius *pectorale* vocat. Æream laminam dicit Polybius, Varro de crudo corio pectoralia facta ait. itemque alij. Sed credo desijsse pelleas loricas, quod parum tutarentur, & vehementer calefacerent pugnantes.

Qui honestiores erant, fortioresque, loricâ pectus, ventrem, & alia dorsum tegebant, vt testatur Pausanias l. 1. Vtramq; loricam ad latera fibulis connectebant, atque hæc vocabatur iusta ac plena armatura. Erant illi à prima classe, supra decem mille drachmas censi, vt ait Polybius.

Lorica triplex. Loricæ illæ triplices, vel enim ex integra lamina erant, quales hodie pleræque sunt, vel hamatæ, & catenulis contextæ, Græci θώρηκας ἁλιδισωτὰς appellant.

Loricam consertam hamis, auroq; trilicem Virgilius appellat. Tertium genus erat squamatarum, λεπιδωτῶν φολιδωτῶν.

Rutilum thoraca indutus aënis
Horrebat squamis.

Squamæ interdum catenulis connexæ erant, interdum linteo, aliquando corio superductæ.

Clibanarij Parthorum Apud Suidam Parthorum equites, quos postea imitati sunt Latini & Clibanarios vocant, sic armantur. Lorica Parthi equitis est talis. Prior eius pars pectus & femora & manus extremas & crura tegit: posterior, tergum & ceruicem & caput totum. Fibulæ vero sunt ad laterna, quibus vtramque partem iungunt, atque ita totum equitem ferreum dant videri. Prohibet vero nihil aut impedit ferrum membrorũ extensiones siue contractiones: adeo curiose factum fectumque est ad naturam membrorum. Armant autem & equum similiter ferro, totum quidem & vsq; ad angulas. hoc ideo, quia nihil ijs arma prosunt propria, si equus interficiatur.

Robur hoc erat olim, & nunc est militiæ. Ammianus ferreas laminas vocat in modum tenuis plumæ. & Virgilius.

Spumantemq; agitabat equum, quem pellit aënis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

Armaturam clarius describit Ammian. lib. 16. *Incedebant*, inquit, *hinc inde ordo geminus armatorum, clypeatus atque cristatus, coruſco lumine radians, nitidis loricis indutus: sparsique cataphractes equites (quos Clibanarios dictitant Persæ) thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, vt*

Praxite-

Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros: quos laminarum circuli tenues apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra deducti, vt quocunq; artus necessitas commouisset, vestitus congrueret, iunctura cohærenter aptatâ.

Quomodo illis obsisteretur docet l. 25. *Humanorumque vultuum simulacra ita capitibus diligenter aptata, vt imbracteatis corporibus solidis, ibi tantum incidentia tela possint hærere, quæ per cauernas minutas, & orbibus oculorum adfixas, parcius visitur, vel suprema nitatis narium angusti spiritus emittuntur.*

Magnatum squamæ fuerunt; nam habiles erant ferendo, & hoc ipso quod aliquantum cederent, ictibus obsistebant. Hoc admirabilius quod squamas ex vngulis equorum, & aliorum animalium faciebant: describit Pausan. l. 1. *Thoraces vero ita faciunt. Multos equos quos q; nutrit, ijs ad bellum non modo vtuntur, sed & dijs patrijs suis immolant, colligentes vero vngulas, eas purgâtes & dissecantes conficiunt ex iis quiddam draconum squamis simile, aut si quis draconem non viderit, vidit autē nucis pineæ fructum viridem, iis è nuce segmentis aut torulis si opus assimilârit, haud errarit. Has igitur squamulas perforantes, & neruis equinis aut bubulis consuentes, loricas ad vsum habent, neque decore Græcanicis inferiores, neque infirmiores. Nam & cominus percussæ, & iactu petitæ, resistunt & sustinent.*

Pilis, ensibusque obsistebant.

Lineos thoraces vetustissimi vsus fuisse Homerus ostendit, apud quem Aiax est λινοθώρηξ. & inter prima arma fuisse crediderim.

Linei thoraces adhuc in vsu.

Hoc tempore interdum vtuntur, sed parum ferro, aut globis resistunt, venantibus erant apti, dentes enim retundunt, aut frangunt. Loricæ hamatæ pene desierunt, cum enim glande annuli rumpuntur, plura vulnera faciunt, inhærentque corporibus frusta, nec educi facile possunt.

Lancos etiam subcoactos, seu coactiles thoraces habebant, acetum addiderunt, vt ferro resisterent, spongia etiam pectori tegumentum erat. Sed ne pluuia grauarentur, pellibus inducebantur. Valde autem talia nunc quoque probantur, nam si lorica mediocri defendantur, quâ vis glandis frangitur, hisce tomentis retinetur.

Tomenta ad loricæ vtilia sunt.

Interim hoc fere tempore in vsu sunt ferreæ, fortes, graues, qualis illa apud Plutarchum in Demetrio, quæ telum balistarium repulit, nec nisi leuem stricturam accepit, quasi à stylo strictorio. Sed hæc valde rara fuerunt: Nam communem armaturam etiam gladij vincebant. Diod. ait ὅτι δυσεὸς, ὅτε κέρνος, ὅτε ὀστοῦν τομεύς τὴν πληγήν. *Neque scutum, neque galea, neque os sustinet ictum:* nempe gladii Hispanienſis. Et Plutarchus in Perse, Gladios Romanorum grauitate & ictu per omnia arma ad corpora peruasisse tradit. Jam vero nemo arma tollere dignaretur, quæ ne gladio quidem resisterent.

Ocreæ.

§. 16. Vegetius ferreas ocreas pedibus tribuit, vnam in dextro crure, quod in pugna stataria antecedit; at qui iaculis pugnabant, in sinistro: Veteres tamen crus vtrunque tecti fuêre.

Loricæ equitum.

§. 17. Equites initio loricas non habuerunt, vt refert Polybius, id enim agebant vt facile equum conscenderent, cum stratores, seu ἀναβολεῖς non haberent. Id enim seuerè exactum. Vegetius lib. 1. cap. 18. *Non tantum autem à tyronibus, sed etiam à stipendiarijs militibus salitio equorum districtè est semper exacta. Quem vsum vsque ad hanc ætatem, licet iam cum dissimulatione, peruenisse manifestum est. Equi ligneî hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo: super hos iuniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere. Tantaque curæ erat, vt non solum à dextris, sed etiam à sinistris (partibus) & insilire & desilire condiscerent, euaginatos etiam gladios, vel contos tenentes. Hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet, vt in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.*

Scuta equitum ex mero corio, quod non satis duratum pluuia redderetur inutile. Cetram appellabant, scutum loreum sine ligno. Credo & ex alia materia, & interdum ex corio durato, cui aqua haud noceat. Sine dubio ridiculum foret, in nostram militiam eo munimento procedere.

§. 18. Pro coronide adiungam quæ Vegetius l. 1. c. 20. de armis habet. *Locus exigit vt quo armorum genere, vel instruendi vel muniendi sint tyrones, referre tentemus, sed in hac parte antiqua consuetudo penitus deleta est: nam licet exemplo Gothorum & Alanorum, Hunnorumque equitum arma profecerint, pedites (tamen) constat esse nudatos. Ab vrbe enim condita vsque ad tempus Diui Gratiani & cataphractis & galeis muniebatur pedestris exercitus. Sed cum campestris exercitatio interueniente negligentia, desidiaque cessaret, grauia videri arma cœperunt, quæ raro vtique milites induebant. Itaque ab Imperatore postulant, primo cataphractas, deinde cassides deponere: sic detectis pectoribus & capitibus congressi contra Gothos milites nostri multitudine sagittariorum sæpe deleti sunt. nec post tot clades, quæ vsque ad tantarum vrbium excidia peruenerunt, cuiquam curæ fuit vel cataphractas vel galeas pedestribus reddere. Ita fit, vt non de pugna, sed de fuga cogitent, qui in acie nudi exponebantur ad vulnera. Quid enim pedes sagittarius sine cataphracta, sine galea, qui cum arcu scutum tenere non potest, faciat? Quid ipsi Draconarii atque signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant, in prælio facient, quorum & capita esse nuda constat & pectora? sed grauis peditis lorica videtur, & galea fortasse, raro meditanti arma, raro tractanti. Cæterum quotidianus vsus non laborat, etiam si onerosa gestauerit. Sed illi qui laborem in portandis veteribus monumentis armorum ferre nonpossunt, detectis corporibus & vulnera sustinere coguntur & mortes: & quod est grauius (& turpius) aut capi, aut certe fuga Rempublicam prodere. Sic dum exercitium laboremque declinant, cum maximo dedecore trucidantur, vt pecudes. Vnde enim apud antiquos Murus dicebatur pedestris exercitus: nisi quod pilatæ legiones præter scuta etiam cataphractis galeisque fulgebant? vsque eo vt sagittarii sinistræ brachii manicis munirentur. Pedites autem scutati præter cataphractas & galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogerentur accipere. Sic erant muniti illi, qui in prima acie pugnantes principes, in secunda hastati, in tertia triarii vocabantur. Sed triarii genibus positis solebant intra scuta subsidere, ne stantes vulnerarentur venientibus telis: & cum necessitas postulasset, tanquam requieti vehementius hostes inuaderent, à quibus constat sæpe factam esse victoriam, cum hastati illi, & qui priores steterant, interijssent. Erant autem apud veteres inter pedites qui dicebantur, leuis armaturæ, funditores & ferentarii: qui præcipue in cornibus locabantur, & à quibus pugnandi sumebatur exordium: sed hi & velocissimi & exercitatissimi legebantur. Nec erant admodum multi qui cedentes, si prælii necessitas compulisset, inter principia legionum recipi solebant, ita acies immota consisteret. Vsque ad præsentem propè ætatem consuetudo permansit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: quod propterea seruabatur, ne grauis galea videretur in prælio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. Missilia autem quibus vtebatur pedestris exercitus, pila vocabantur, ferro subtili trigono præfixa, vncinarum nouem siue pedali, quæ in scuto fixa non possent abscindi, & loricam scienter & fortiter directa facile perrumpunt. cuius generis apud nos iam rara sunt tela. Barbari autem scutati pedites, his præcipuè vtuntur, quas Bebras vocant, ac binas etiam & ternas in prælio portant. Scendum præterea, cum missilibus agitur, sinistros pedes in ante milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est. Sed cum ad pila, vt vocant, venitur, & manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes in antè milites habere debent: vt & latera eorum subducantur ab hostibus, ne*

Exercitatio cessans exercitum perdidit.

Nudi caput & pectus deleti milites.

Pilei pannonici militum.

possint

possint vulnus accipere. & proximior dextra sit, quæ plagam possit inferre. Instruendos igitur ac protegendos omni arte pugnandi quocunque genere armorum constat esse tyrones. Necesse est enim vt dimicandi sumat audaciam, qui munito capite vel pectore non timet vulnus.

Exercitus Romanus corruptus.

§. 19. Neglectus eo tempore exercitus Romanus est. Nam Valens Gothos admisit & eorum præsidio fisus, militem suum despexit, nec omnino absq; causa, vt qui Imperatorum suorum nece clariores, quam victoria contra hostem solerent euadere. Gratianus autem Alanis errore eodem confidebat, suorum passus insidias. Cataphractas vocat Vegetius pectoris munimentum, & loricam, omniaque quæ corpus καταφράττουσι sepiunt ac muniunt. nudati hoc modo Gothorum impetu turbãtur. indicat Paul. Diac. l. 12. & Orosius. *Ad primum Gothorum impetũ, perturbatæ sunt Romanorum equitum turmæ, nudatosque pedites deseruêre, qui mox equitatu hostium septi, ac sagittarum nubibus obruti.* Postea Thoracomacho se munierunt, de quo Steenvvechius ex notitia imperij. *Inter omnia, quæ aduersum bellicum prouida posteritatis cogitauit antiquitas, Thoracomachum quoque mirâ vtilitate ad leuamen corporis, armorum ponderi & asperitati subiecit. hoc enim vestimenti genus, quod decoactili ad mensuram & tutelam humani pectoris cõficitur, de mollibus lanis timoris sollicitudo, solertiâ magistra, composuit: vt hoc inducto primùm, lorica vel cliuanus, aut his similia fragilitatem corporis, ponderis asperitate non læderent; membra quoque vestientis, inter armorum hyemisque discrimen tali solatio adiuta labori sufficiant. Sanè ne idem Thoracomachus pluuiis verberatus ingraueſcente pondere adficiat vestientem, de Libycis bene confectis pellibus ad instar eiusdem Thoracomachi faciem conueniet superinducere. Hoc igitur vt diximus, Thoracomacho inducto, cui græca appellatio, ex tuitione corporis nomen adsumpsit. soccis etiam, hoc est, calceamẽtis, & ferratis ocreis indutis, superpositâ galea & scuto vel gladio lateri aptato, arreptis lanceis in plenum, pedestrem subiturus pugnam, miles armabitur.*

Thoracomachi.

Verum hoc etiam mutatum, nec diu in vsu fuit. nã contra vim hastarũ, maximè quibus tenue ferrum nihil potuit, deinde in pellium paratura sumptus, & opera magna adhibẽda fuit. Grauissimum vero, quod textu laneo inuoluti sudore defluerẽt, & in acie debilitarent gestantem.

Arma fortia & leuia haberi vix possunt.

Hinc apparet omnia in eo posita, vt leuia essent, vt impenetralia tegumenta, quæ duo si quis Imperator iungere posset, ne ille facile orbis terræ imperium obtineat.

Hinc tot mutationes armorum, & in hodiernum vsque diem. Primum ferrea, seu ærea tegmina, deinde lignea & coriacia, iterum ferrea, atque ærea, aliquando leuia, quandoq; grauia. Dio ait Macrinum squammatos thoraces abstulisse, & scuta quæ canalium, sed imbricum instar erant, quo ad pugnam faceret expeditiores, sed vt habiliores, ita quoque infirmiores, & magis obnoxios fecit.

CAPVT XVI.

Arma, quibus hostem lædimus cominus.

§. 1. ARMA quibus hostem offendimus multiplicia sunt. Neque enim res vlla est, quâ non in hominum perniciem homines vti possint, & aliquando vsi sint. Non gladijs modo, & telis homines confectos, sed puluinis quoque & rosis suffocatos legimus. tuba etiam, tympanoque pugnamus, & sono hostem fugamus: Quin pars hostium de suo corpore præbet arma. 2. Reg. 2. 16. *Apprehenso vnusquisque capite comparis sui gladium defixit in latus contrarii.* Capilli itaque arma erant, vti & gladius. adeo vt minus ridiculum Thesei institutum videatur, qui capillum radi voluit, ne ansam hostibus præberet; quod Alexander Magnus in barbâ iussit imitari suos. Thascorum, & Carthaginensium fœminæ, capillos pro machinis nectendis, & nauium funibus dederunt. Polyæn. l. 8. Aquileienses in neruos arcuum impenderunt; Fulgos. l. 7. c. 6.

Arma itaq; quibus hostem ferimus, opprimimusque, sunt quibus cominus, vel quibus eminus pugnamus. Illa quibus cominus res geritur, non ita mutata sunt; alia valde diuersa sunt.

Ensis long⁹, & pugio.

§. 2. Arma quibus hostis læditur cominus multiplicia sunt. Enses pleræque gentium habuerunt. Primum singularem, deinde duos gestarunt, præter ensem oblongum paramerium, vel parazonium, siue pugionem, aliquando ad dextrum, quandoque ad sinistrum latus: dextri meminit Polybius, sinistri Josephus lib. 3. de bello Judaico. Romani post bellum Punicum secundum Hispanienses gladios gesserunt. Punctim eo potius, quam cæsim vtuntur. Nam cæsim pugnantes desisere Romani, raro enim plaga mortifera est, & latus nudat. Interdum tamen & cæsim; Seneca de benef. *Galeam machærâ hispanica diuisam* ait. Liuius l. 31. Postquam gladio Hispanensi, detruncata corpora, brachijs abscissis, aut tota ceruice desectâ, & fœditatem aliam vulnerum viderunt. Nunc diuersa genera gladiorum ad vtramq; pugnam habentur.

Gladius longus equiti.

Equiti gladius longus datus. Joseph. l. 3. de bello. Equitibus gladius est ad dextram oblongus, & contus item longus in manu. scutum ad latus equi transuersum, & in pharetrâ portantur tria, aut plura iacula, cuspide lata, & hastis magnitudine non cedentia. Galeas & loricas omnes habent, vti pedites.

§. 3. Hasta alia grandis est, qua cominus pugnatur, alia vero iaculatoria; Strabo lib. 10. Διπλᾶς δ' ἦν τῶν δοράτων χρῆσις, ἡ μὲν ἐκ χειρὸς, ἡ δὲ ὡς πάλτοις. καθάπερ καὶ ὁ κοντὸς ἀμφοτέρας τὰς χρείας ἀποδίδωσι. καὶ γὰρ συστάδην χρώμεθα, καὶ κοντοβολοῦντες ὥσπερ καὶ ἡ σαύνια δώναται, καὶ ὁ ὗσσός.

Nostri his solis hodie vtuntur cominus, iacula cætera vnæ bombardæ abstulerunt.

Securis.

Secures fuêre longiores, quibus nostræ bipennes seu Hallabardæ successerunt, hucreferunt salibam, vel Tricutim siue Martiobarbulum, quibus scuta perfringebant, Vegetius lib. 1. cap. 17. *In Illyrico dudum duæ legiones fuerunt, quæ sena millia militum habuerunt: quæ, quod his telis scienter vtebantur & fortiter, Martiobarbuli vocabantur. Per hos longo tempore strenuissimè constat omnia bella confecta: vsque eò, vt Diocletianus & Maximianus, cum ad imperium peruenissent, pro merito virtutis hos Martiobarbulos, Iouianos, atque Herculianos censuerint appellandos, eosque cunctis legionibus prætulisse doceantur. Quinos autem Martiobarbulos insertos scutis portare consueuerunt: quos si opportunè milites iaciunt, propè sagittariorum scutati mutuari videntur officium. Nam hostes, equosq; consauciant, priusquam non modo ad manum, sed ad ictum missilium potuerit peruenire.*

Martiobarbuli.

Apud Leonem tamen Martiobarbuli sunt iacula. Turnebus à piscibus barbulis dictos putat.

Ropala, cæstus.

§. 4. Aclides teretes erant, & cum in hostem iactæ essent, funiculo reuocabantur; Cateiam vel Caiam etiam dictam putant.

§. 5. Malleos etiam ferre consueuerunt maxime equites, quorum loco, nunc latos gladios gerũt. Huc pertinent, & ἔπαλα, cæstusque.

Laqueis etiam vsi sunt, quemadmodum reti, seu reticulari laqueo retiarij. Tyrij Macedones cum turres ad oppugnationem promouerent, retibus illaqueabant, sternebantq; Diod. l. 17. de Finnis, idem ait Olaus Magnus.

CAPVT

CAPVT XVII.

Arma quibus hostem lædimus eminus.

Pilum Romanorum.

§.1. PILVM vsitatum Romanis iaculum, fuit cubitorum quatuor & semis, siue septem pedum, paulo minus vt Lipsius docet. Ferrum par ligno, sed dimidia parte infixa, vel affixa ligno, ferrum aliquando quadratum aliquando trigonum, crassitudine digitali, Vegeti⁹ ait Scutatos pedites, & loricatos equites sæpe transuerberare. Vis ei tanta etiam à Tibullo tribuitur, *vt lento perfregerit obuia pilo.* ferrum latum ei tribuit Virgilius. *Lato crispans hastilia ferro.*

Pilum.

Florus ingentia pila, gladiis comparat; circa mucronem hamata erant, ne extrahi possent. in scutis itaq; hærebant, eaq; grauabant, quod impedimentū vt maius esset, Marius effecit, vt inflecterentur: Interdum duo scuta perforabant, & connectebant.

Pila alia erant ab hastis velitum, has græci γεσσους, illa ὀσσους appellant. Velites etiam γεσσομάχους dixerunt. Polybius ita describit. *Telum pili lignum habet longitudine plerumque bicubitali, crassitudine digitali. Spiculum vnius spithamæ, palmi inquam maioris, eò vsq; attenuatum & acutum, vt mox primum post iactum necessitr. ò flectatur, sitq; inhabile ad remittendum: alioqui commune fieret telum.*

Septena iacula.

Septena iacula quaternum pedum data sunt singulis; Ligni longitudo trium pedum, ferrum palmi magni, siue dodrantalis paulo minus pede. facile itaque fuit septenas hastulas ferre manu.

Partim pilo, partim hastæ velitari similis est Sibuna, siue Sybina, Græcis Illyrisque vsitata, in venatib. potissimum vsi sunt. Pilorum licet vis interdum exaggeretur, tamen constat ordinarie infirmam fuisse. *Nam plerumq; ex æquo & inferiore loco irrita cadebant.*

Liuius l.7. Præter virtutem locus quoque adiuuit, vt pila omnia, hastæq;, non tanquam ex æquo missa, vana (quod plerumq; fit) caderent; sed omnia librata ponderibus figerentur. At nostra tela quocunque ex loco efficacia sunt.

Inutiles equitum hasta.

§.2. Equitum hastas veteres, & nouas nobis Polybius describit *Hastæ etiam dupliciter inutiles iis erant. quod & graciles faciebant ac tremulas, eoq; nec collimare recte poterant & scopum tangere, & prius quam cuspidem in aliquo defigerent, concussæ ipso motu equorum plerq; frangebantur. Addo quod sine imâ cuspide factæ, solam plagam ictumq; primore parte dabant: eâq; defractâ reliquum inutile, & inefficax iis erat. At vero scutū habebant ex bouillo corio, vmbilicatis placentis simillimum, quas in sacrificiis solent apponere. quibus nec in pugnâ commodè erat vti, quia firmitatem non haberent; & ab imbre corio soluto aut vitiato, inutilia & olim & nunc fiat prorsus. Idcirco improba eorum vsio cum esset, statim assumpsêre Graecanicam paraturam armorū, in qua hastarum quidem primæ cuspidis plagam directam & validam esse cōtingit, quoniam stabile & immobile hastile est; itemq; ex transsumptione, imæ cuspidis vsum firmum ac violētum. Eadem ratio in scutis. Nam & in aggressione & oppositione stabilia & firmiter tensa manent. quod cum vidissent, imitati sunt statim.*

Optime Lipsius, cū Brutus & Tarquinius per parmas vulnerati conciderent, non hastas fortes, sed parmas infirmas fuisse docet. Non igitur magni fuit veterum armatura, quū ipsi principes eâ tuti nō essent.

Lanceæ equitum.

§.3. Hastam longam habuisse equites constat, quibus concurrerent, vt nostri lanceatij. Nostri nunc eas firmant ad latera, vt toto pondere & impetu ictū perferant. tum quia ferrū etiam à posteriore parte cuspidatum habebant, quem σαυρωτῆρα vocabant, putat Lipsius eo caruisse, quod si fuit, multo infirmior ictus inferebatur. Sed credo clauū, vncum aut simile quid fuisse, quo ad corpus sedentis firmaretur hasta, σαυρωτῆρα autem liberum fuisse. Nam obniti genibus poterant, vt Syluius air.

Sustentata genu per campum pondera coruī
Sarmatici prona aduersos vrgebat in hostes. σαυρωτῆρ.

Alia iacula quæ tria aut quatuor in pharetra gerebāt, infirma erant, & iacienti potius, quam cominus pugnanti idonea.

Cylindrorum etiam vsus & saxorum à Marcellino ostenditur: *Nonnulli, inquit, scalas vehendo, ascensuq; ex omni latere parantes, sub oneribus ipsis obruebantur, contrusis per pronum saxis, & columnarum fragmentis ac cylindris.*

§. 4. Tribulos Romani contra spargere soliti, Herod. l.4. *Romani quotiens pedem conferebant, facile scil. aduersarios superabant: postea vero quam ab equitatu & camelorum multitudine premebantur, fugâ simulatâ tribulos, aliaque machinamenta ferrea acuminata pronciebant. quæ sub arenis latentia, neq; cuiquam conspecta, perniciem equitibus, & camelorum insessoribus adferebāt. quippe illis calcatis equi, potissimum vero cameli (quoniam huic generi mollissimæ sunt vngulæ) succiduè claudicabant, excussis tergo insessoribus.* *Tribuli.*

CAPVT XVIII.

Arma viua.

§.1. EQuis bellatoribus vtimur, alijsq; animalibus, tanquam instrumentis animatis; itaq; & arma dici possunt: equidem siue bipalio, siue bubus terram euertat agricola, tam boues, quam ferrum instrumēta sunt.

§.2. Antiquissima priscorum arma fuêre equi curules, currus ferrati, falcati. Quadrigæ etenim falcatæ olim summo timori erant. In sacris litteris frequenter memorantur. Exod.14. Pharao iungit sexcentos currus electos. Deut.11.4. & 20.1. Iosue 11.4. & 17.16. ferrei currus. Jud.1.19. & 4.13. nongentos habet Sisara. Et 1.Reg.13.5. Philistijm habent triginta millia curruum, & sex millia equitū. 3.Reg.9.9. muniuntur ciuitates curruum. Item 2.Par.8.6. & 9.25. In illis robur & fiducia. Judith.9.6. Il.31.1. & 36.9. & 37.24. & 66.15. quasi turbo quadriga eius. Antiochus & Mithridates curribus etiam vsi sunt. Tandem euanuerunt, & nunc prorsus inutiles sunt ad pugnam: Vegetius causam reddit l.3. c.24. *Quæ vi primo magnum intulêre terrorem, ita postmodum fuêre derisui. Nam difficile currus falcatus planum semper inuenit campum, & leui impedimento retinetur: vnoq; afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maxime hac Romanorum militum arte perierunt. Vbi ad pugnam ventum est, repentè toto campo Romani tribulos abiecerunt; in quos currentes quadrigæ cum incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est quatuor palis confixum propugnaculum, quod quomodo abieceris, tribus radijs stat, & erecto quarto infestum est.* *Equi curules, & currus.* *Olim in curribus robur.* *Nunc inutiles.*

Erant & alij currus, seu currodrepani, qui duobus aut singulari equo trahebantur. quales exhibet nobis Vegetij interpres doctus, & diligens Godeschalcus Steenvvechius.

Essedarios nobis Cæsar ad miraculum prope audāces, expeditosque describit. l.4. *Genus hoc est ex essedis pugnæ: Primò per omnes partes perequitant, & tela coniciunt; atq; ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerumq; perturbant. & cum se inter equitum turmas insinuauêre, & ex essedis desiliunt, & pedites prœliantur. Aurigæ interim paululum è prælio excedunt, atq; ita se collocāt, vt si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos regressum habeant. Ita mobilitatē equitum, stabilitatem peditum in prœlijs præstant, ac tandem vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in declini ac præcipiti loco equos sustinere, & breui moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint.* *Essedarij.*

Currus falcatos describit nobis Curtius l.4. *Ipse ante se falcatos currus habebat, quos signo dato vniuersos in hostem effudit. ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nōdum satis prouiso impetu proterrerent. Alios ergo hastæ multum vltra temonē eminētes, alios ab vtroq; latere demissæ falces lacerauêre.* *Falcati currus.*

rauere. Iterum eod.lib. Ducentæ falcatæ quadrigæ, vnicum illarum gentium auxilium, secutæ sunt: ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant. Vtrimq; à iugo ternos direxerant gladios, & inter radios rotarum plura spicula eminebant in aduersum. aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demissæ quicquid obuiam concitatis equis fuisset amputaturæ. Ipse Alexãder ordinibus solutis excipi iussit, Sylla palos fixit. Heluetij cũ Gallias occupare statuissent, creuerunt ad inmentorum, carrorum maximum numerum, per biennium quam maximas messes fecerũt, fœdus cum vicinis ciuitatibus, deinde cum egressuri essent, singulos trium mensium molita cibaria habere iusserunt. Cæsar l.1. belli Gallici.

Erant currus illi ad munimenta, vt suo loco dicam, & simul necessaria conuehenda.

§.3. Elephantorum olim formidulosa fuit in prælium inductio. Pyrrhus primus in Italiam duxit.

Elephanti. §.4. Elephantos etiam inutiles fecere Romani; & nunc fere noxij sunt, quia facillime in suos vertũtur. olim cataphractos in curribus aduersum beluas collocabant, qui sarissas, hoc est, longos contos dirigebant. alij milites cataphractos, & vndiq; cuspidibus eminentibus munitos, ne apprehendi possent à proboscide immittebant, alij funditores, & sagittarios. Spacium inuadendi dabant, & circumdatas cum magistris capiebant. Balistis etiam curulibus eos oppugnabant: nunc contra eas tormenta omnia valent, vt vix in prælium ducantur. Elephantos Hannibal 80. ante aciem posuit, Scipio Numidas equites opposuit; communes autem hostes cẽlentur, quia facile in amicos vertuntur: nulla vi vulnerari potuisse, falsò refert Cassid.lib.10.c.30. Leuissimo alioqui negotio repelluntur.

Cameli. §.5. Camelos equis & elephantis opponere consueuerunt. Camelos equitatui Crœsus opposuit, quorum nouitate equi consternati, insidentes præcipitarunt. Front.lib.2.c.4. Meminit & Camelorum in bellis Plin.lib.7.c.18. Haliattes Lydus, Colophonij, Catastabalenses canibus in prælio vsi sunt, quod etiam Magnetes in more habuerũt. Poliæn.l.7. Ælian. l.14.

Canes. Philippus etiam Arbelios in densa syluarum fugientes per canes venaticos cepit. Polyæn.l.4.

Sues. De generosis bestiis minime mirum est, Sues etiam in bellum adduxerunt; animal propter conuiuia natum, & cui anima pro sale sit. Nam grunnitum suis, atque adeo immundum pecus elephas abominatur ac horret. Ideo contra turrigeras beluas interdum adhibitum est.

Megarenses Elephantos Antigoni, porcis quos pice illeuerant, auerterunt. Terrorem vsu alii ademerunt. omnia enim vsitata vilescunt. Perseus elephantos ligneos, ex quibus tuba stridebat, fieri curauit, vt equi illis assuescere & contemnere discerent.

Statuæ. Non mirum est autem bestiis vsos fuisse, qui statuas etiam ad oppugnationem attulerunt. Nimium rude videtur, quod de Sardibus à Cyro captis dicitur: Nam qua mons præruptus erat, eo malos impositis armatis statuis applicuit, alia deinde parte oppugnationem incepit, sed cum obsessi statuas viderent, iugum ab armatis occupatum existimarunt, atque ita vrbem Cyrus inuasit. Omne itaque quod in medio est prudenti Imperatori arma præstat.

In bestiis quoque artis est, naturas earum excitare, quo possunt modo. Nam cum arte careant, arte aliena regendæ sunt. Brachius cum fessi equi calcaribus agi non possent, equas præmisit, quas insecuti sunt.

Fulg. l.7.c.4. Victoria vero in eo sita erat, vt prior fauces montium occuparet.

CAPVT XIX.

Machinarum bellicarum consideratio.

Machinæ opus ingeni. §.1. QVOD in præliis, actionibusq; belli sunt stratagemata, hoc in operibus sunt machinæ, in his enim, & illis opus est ingenii, prudentiæ, sagacitatis, non virium aut sumptuum. Machina itaque opus est ingeniosè excogitatum, factumq; ad effectus, qui alias maiore sumptu, ac viribus egerent: ita dictam putant, ὅτι δεῖ μὴ χαίνειν, quod non ab oscitantibus, sed animum artemq; intendentibus fiat. Deut.20.20. Ex lignis felicibus DEVS vetuit machinas instruere quas vocat מצור quod muniant, seu fortes efficiant obsidentes. 2.Par.2.26.15. Ozias Jerosolymam machinis instruit. *Et fecit in Ierusalem diuersi generis machinas, quas in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent sagittas & saxa grandia.* Septuaginta vocant μηχανὰς μεμηχανευμένας λογισμοῖς, machinas ratiocinationibus artificis machinatas. Hebræus vero clarius; חשבונות מחשבת חרשב, hoc est, machinas machinationem machinantis: Est vero חשב intenta cura, artificioque cogitare, omniaq; animo voluere. Jnuẽtæ igitur antiquissimis temporibus sunt machinæ, quotidieq; nouæ inueniuntur; sed tamen si vera fateri volumus, machinæ machinarum sunt tormẽta bellica, vis pulueris pyrei in tormentis, petartis, suffossionibus. Itaq; nunc fere veterum machinæ quasi attonitæ cesserunt, & militari fulmini concesserunt. *Bombardæ ceteras machinas fugerunt.*

§.2. De antiquitate machinarum dubitant Philologi, arbitrantur tamen à Mose venire, & priscis illis. Statius Pyliis, & Messeniis bello Troiano attribuit. Romani regũ tempore illis vsi sunt, vt docet Lipsius l.1.poliorc. Perichi arietes tribuit l.12. Diodorus.

Verũ fuisse antiquas machinas docet Moses Deu. 20.20. vbi imprimis è ligno fiunt, & dicuntur מצור, quod obsidionem, munitionem, coarctationẽ significat. Itaque quicquid ad obsidendum, vexandosque obsessos pertinet מצור nominatur. Cum autẽ Mosis tempore, & quod præcessit, fuerint vrbes munitissimæ, & ad cœlum vsque muratæ, vt Scriptura loquitur, Deut.1.28. Eædemq; fuerint expugnatæ, vt constat ex bellis Regum Seon, Hesebon, Moab, & Palæstinorum, machinas fuisse constat; quis enim credat, dolabris tantum & ligonibus mœnia disiecta? aut fame captas? machinis igitur vsi sunt.

Deinde Ezech.4.2. & 21.22. & 26.18. meminit Machinarum tanquam suo tempore vsitatarum. Verba eius 4.2. sunt hæc. *Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem & dabis cõtra eam castra, & pones arietes in gyro.* Et 21.22. *Ad dexteram eius facta est diuinatio super Ierusalem, vt ponat arietes, vt aperiat os in cæde, vt eleuet vocẽ in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones.* Et 26.8. *Filias tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet: & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & eleuabit contra te clypeum.* *Arietes.*

Arietes vocat בריח & 70. βελοστάσεις quod inde tela mitterentur. At c.26.8. Quod noster vocat vineas & arietes, in 70. est λόγχας, in Hebræo מיחי קבלו, quod 70. ἐν λόγχαις ἀυτῶν, & lanceas eius, dicitur autem etiam aries Mechi à delendo, quod omnia disiiciat קבלו 70. vertunt ἔναντι contra, noster machinam interpretatus est, quod contra murum ponatur. Vtcunque accipiatur, de tormentis intelligendum est. Kimchi interpretatur ictum tormenti sui, alii balistã. Targum: רמיחת בנוזוחי, *Et ictum tormentorum suorum.* Habebat itaq; suas machinas Chaldæorum monarchia, credo & Assyriorum, imo iam ante diluuium vsitatas crediderim. Atq; hoc quoq; obseruatum est, eas gentes, quæ arte & ratione Rempub. instituerunt fere machinis, barbaros vi inconsultã vti. Parthi cum

Romani

Romani testudinem fecissent, rati eos fessos, ab equis descenderunt, & occisi sunt. Dion. in Aug.

§. 3. Vegetius has machinas recenset, Testudines, arietes, falces, vineas, pluteos, musculos, turres. Vitruuius l. 10. c. 20. & 21.

Testudo ex scutis, & militibus.

Testudo scutorum iunctorum est machina: Vsus testudinis, vt muro succederent, eum subruerent. Liu. l. 44. *Iuuenes quidam Romani, ludicro Circensi ad vsum belli verso, partem humillimam muri ceperunt.* Ascendebant autem & duplicem triplicemq; testudinem faciebãt, baliſtæ & catapultæ non nocebant ob vicinitatẽ. Primi super capita scuta leuabant, sequentes demittebãt, postremi genibus nixi erãt; hoc modo equitatũ & sagittarios repellebant. Dio in hunc modum describit. *Porro testudo talis est, & fit hoc modo. Impedimẽtis, & leui armaturâ, & equite omni, in medium acceptis; grauis armaturæ pedites, illi qui oblongis, & in tubi dimidiati modum factis scutis vtuntur, in extremis partibus, tanquam in latericio opere, pro muro ponũtur, & reliquos omnes ipsi extrà spectantes ambiunt. Cæteri qui latiora scuta gerunt, in medio densi locantur, & scuta cum super se, tum super alios attollunt; vt in tota phalange non sit aliud quàm scuta cernere, & à telorũ iactu omnes tutos esse, ob densitatem institutionis. Adeo n. valide firmant, vt & super eam homines aliquot ingredi possint, imo etiam equi & currus agi, quoties in cauo & angusto aliquo loco cõstipantur.* Quod equitem currusq; sustinuerit, vix fieri potuit, nisi forte pilis humi fixis adiuuarent. Nunc quia scuta desunt, fieri testudo non potest, nec expedit esse, cum conferti tormentis disijci possint. Equitem hastis sustinent vt suo loco dicturus sum.

Testudo ex ligni machina.

Vegetius Testudinem, arietem, falcẽ, hunc in modum describit. l. 4. c. 14. *De materia, ac tabulatis testudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis, vel cilicijs, centonibusque vestitur. Hæc intrinsecus accipit trabem, quæ aut adunco præfigitur ferro, & falx vocatur, ab eo quod incurua est, vt de muro extrahat lapides: aut certe ipsius caput vestitur ferro, & appellatur aries: vel quod habet durissimam frontem, quæ subruat muros: vel quod more arietum retrocedit, vt cum impetu vehementius feriat. Testudo autem à similitudine veræ testudinis vocabulum sumpsit: quia sicut illa modo reducit, modo profert caput; ita machinamentum interdum reducit trabem; interdum exerit, vt fortius cadat.*

Testudo itaque generale nomen est, quod arietem & falcem continet. Carthaginensium inuentum fuisse refert Vitruuius l. 10. c. 19. *Carthaginenses, inquit, ad Gades oppugnandas castra posuerunt: cum autem castellum antè cepissent, id demoliri sunt conati. Postea quam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum; idque manibus sustinentes, capiteque eius summum murum continenter pulsantes, summos lapidum ordines deiectebant, & ita gradatim ex ordine totam communitionem dissipauerunt. postea quidam faber Tyrus, nomine Pephasmenos, hac ratione & inuentione inductus, malo statuto, ex eo alterum trãsuersum vti trutinam suspendit, & reducendo & impellendo vehementibus plagis deiecit Gaditanorum murum. Cetras autem Chalcedonius de materia primum basim subiectis rotis fecit, supraque compegit arrectarias, & iugis varas, & in his suspendit Arietem, coriisque bubulis texit, vti tutiores essent, qui in ea machinatione ad pulsandum murum essent conlocati. Id autem quod tardos conatus haberet, testudinem arietariam appellare cæpit.* Verum ante in Palæstina fuit.

Testudinem Lipsius triplicem esse docet. χελώνη χώσεις erat ad fossas opplendas, vias æquandas. χελώνη ὄρυξ ad fodiendum comparata. arietaria, cui aries illigatus erat. Testudo dicitur à tardigrado processu; magna enim moles erat, & firma contra ignes, catapultas, & saxa grandia.

De Ariete Lipsius l. 3. poliorc. d. 1.

Duæ trabes Hagenoæ asseruantur, magna longitudine, ita vt facile à ducentis hominibus possint impelli: funiculi enim annexi sunt.

Maior testudo erat Helepolis, qua vsus Demetrius, qui Poliorcetes dictus est, Marcellinus l. 23. *Testudo*, ait, *compaginatur immanis, axibus roborata longissimis, ferreisque clauis aptata, & contegitur coriis bubulis, virgarumque recenti textura, atque limo asperguntur eius suprema, vt flammeos detractet & missiles casus. Conseruntur autem eius frontalibus trisulcæ cuspides præacutæ, ponderibus ferreis graues, qualia nobis pictores ostendunt fulmina, vel victores, vt quicquid petierit aculeis exsertis abrumpat. Hanc ita validam molem, palis & funibus regens numerosus intrinsecus miles languidiori murorum parti viribus admouet concitis; & nisi desuper propugnantium valuerint vires, collisis parietibus aditus patefacit ingentes.* *Helepolis.*

Vineæ.

§. 4. Vineæ ad subruenda mœnia, plutei ad depellendos propugnatores admouebantur. Veg. l. 4. c. 15. *Vineas dixerunt veteres, quas nunc militari, barbaricoque vsu causias vocant. E lignis leuioribus machina colligatur, alta pedibus octo, lata pedibus septem, longa pedibus sexdecim. Huius tectum munitione duplici, tabulatis, craticiisque contexitur. Latera quoque vimine sæpiuntur, ne saxorum, telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concremaretur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Istæ cum plures factæ fuerint, iunguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta.* *Plutei.* *Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis contexuntur è vimine, & ciliciis, vel coriis proteguntur, terniisque rotulis, quarum vna in medio, duæ in capitibus apponuntur, in quamcunq; partem volueris admouentur more carpenti: quos obsidentes applicant muris; eorumque munitione protecti, sagittis, siue fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis ciuitatis exturbant, vt scalis ascendendi facilior præstetur occasio.*

Vites pergulatas imitabantur, crates & tabulæ erant, terra insternebantur, & quandoque lateribus contra incendia. Dolabris porro fundamenta subruebant

Musculi.

§. 5. Musculi minores erant. Veg. l. 4. c. 16. Cæsar l. 2. de bello ciuili. *Duæ trabes erant primum in solo æque longæ, distantes inter se pedes quatuor, conlocantur: inque iis columellæ pedum in altitudinem quinque defiguntur: has inter se capreolis molli fastigio coniungunt, vbi tigna, quæ Musculi tegendi causa ponunt, conlocentur. Ea super tigna bipedalia iniiciunt, eaque laminis clauisque religant. Ad extremum Musculi tectum trabesque extremas, quadratas regulas, quatuor patentes digitos defigunt; quæ lateres qui super Musculos struuntur, contineant. Ita fastigiato atque ordinatim structo, vt trabes erant in capreolis conlocatæ, lateribus lutoq; [illegible] usculus, vt abigne, qui ex muro iaceretur, tutus esset, contetur. supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lapides diluere posset. Coria autem ne rursus igne ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur.*

Turres.

§. 6. Turres ambulatoriæ maioris operis erant, Veget. l. 4. c. 17. Vide Lipsium poliorc. dial. 4.

§. 7. Nunc omnia ista inutilia sunt, nostra enim tormenta paucis ictibus penitus disijcerent. olim vel eruptione facta incendebant. vel phalarica cui ignium nutrimenta indiderunt, exurebant.

Aries inutilis.

Arietem catenis comprehendebant.

Puluinos opponebant.

Murum altiorem faciebant, aut alium ducebant. Si inferior muro est, inutilis redditur. at obsidentes arte fallunt. *Constat*, inquit Vegetius l. 4. c. 19. *inefficax machinamentum reddi, si inuenatur inferius. Verum obsidentes eiusmodi dolum adhibere consueuerunt. Primo talem exstruunt turrem, quæ propugnaculis ciuitatis videatur inferior. Deinde secreto aliam de tabulatis intrinsecus turriculam faciunt, & cum muris fuerit machina sociata, subito funibus, trochleisque de medio turricula illa producitur, de qua egredientes armati (quia altior inuenitur) statim capiunt ciuitatẽ.* *Turricula in turri.*

Rhodius artifex clam terram suffodit cuniculo, accedens machina pondere suo, solo cedente, subsedit.

Callias Helepolim intra murum traxit. Diognetus sordium proiectu machinam impediuit. Malleolus *Malleoli.*

Malleoli. Marcellino sagitta est in modum coli, ignibus fœta. *Malleoli autem, inquit, teli genus figurãtur hac specie. Sagitta est cannea, inter spiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nẽtur lintea stamina, concauatur; Ventre subtiliter & plurifariam patẽs, atq; in alueo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento. & sic emissa lentius arcu inualido (ictu enim rapidiore extinguitur) si hæserit vsquã, tenaciter cremat; aquisq; conspersa acriores excitat æstus incendiorum, nec remedio vllo quam supraiacto puluere consopitur.*

Sambuca. *Sambuca dicitur*, Veget. l. 4. c. 21. *à similitudine citharæ. Nam quemadmodum in citharâ chordæ sunt, ita in trabe, quæ iuxta turrim ponitur, funes sunt, qui pontem de superiore parte trochleis laxant, vt ascendat ad murum, statimq; de turri exeunt bellatores, & per eum transeuntes mœnia vrbis inuadunt.* Turri igitur iuncta est.

Ex ostra pons qui de turri protẽditur. Veg. l. 4. c. 21.

Tollenon. *Tollenon dicitur*, Veg. l. 4. c. 21. *quoties vna trabes in terram præaltè defigitur, cui in summo vertice alia transuersa trabes longior dimensa medietate connectitur, eo libramento, vt si vnum caput depresserit, aliud erigatur. In vno ergo capite cratibus siue tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes vno attracto depressoq;, alio capite eleuati imponuntur in murum.*

Balista. De balistis aliisq; Veget. c. 22. l. 4. *Aduersum hæc obsessos defendere consueuerunt balistæ, onagri, scorpiones, arcubalistæ, fustibali, sagittarij, fundæ. Balista funibus, neruis (chordisq;) tenditur, quæ quanto prolixiora brachiola habuerit, hoc est, quanto maior fuerit, tanto spicula longius emittit: quæ si iuxta artem mechanicam temperetur, & ab exercitatis hominibus, qui mensuram eius ante collegerint, dirigatur, penetrat quodcunque percusserit.*

Onager. *Onager autem dirigit lapides, sed pro neruorum crassitudine & magnitudine saxorum pondera iaculatur. Nam quanto amplior fuerit, tanto maiora saxa fulminis more contorquet. His duobus generibus nulla tormentorum species vehementior inuenitur. Scorpiones dicebant quas nunc manubalistas vocant: ideo sic nuncupati, quod paruis subtilibusq; spiculis inferant mortem.*

Fustibali. Arcubalistæ. *Fustibalos, arcubalistas, & fundas describere superfluum puto, quæ præsens vsus agnoscit: saxis tamen grauioribus per onagrum destinatis, non solum equi eliduntur, & homines, sed etiam hostium machinamenta franguntur.*

Catapulta. Catapulta hastas, Balista saxa iaculabatur, sed interdum vtrumq; telum eadem machina. Nõ fuisse vim parem nostris etiam minoribus tormentis docet Valerius de serpente Africano. *Telorum iactu perforari nequiuisse, sed ad vltimum balistarum tormentis petitum, silicum crebris, & ponderosis ictibus procubuisse.* Deinde ictus illi ligneas turres, coriaq; non facile frangebant; nostra tormenta omnia transeunt. Scorpiones minora tela iaciebant, & vnius manu dirigebantur. Supersunt alia armorum genera, quæ quia obsidentibus fere propria sunt, in aliud caput distuli.

CAPVT XX.

Delectum magna cura habendum.

§. 1. IVSTVS Lipsius l. 5. polit. c. 8. Militiæ nostræ flagitia palam aspernatur. Delectus formam apud nos vllam negat esse. *Emunt militem non legunt. Ad sonitum tympani coëunt, ignoti inter se, ignorantesque purgamenta vrbium suarum, quibus ob egestatem & flagitia maxima peccandi necessitudo est, assueti latrocinijs, bellorum insolentes.* Ego sane delectum militum nostrorum meliorem esse optarem; sed tamen olim quoque vitiosus erat, & crebro pessimorum, certè inuitorum: neq; noster adeo vituperandus est. Veteres ergo videamus. Primũ non erat volonum, sed coactorum respõdere ad nomina. Qua ex re tota Romana ciuitas discordias experta est, cum acerrimum Tribunorũ telum esset impedire delectus, quod interdũ cum extremo patriæ periculo fecerunt. Quin etiam instar fugitiuorum mancipiorum stigmatis inusti sunt. Eodem modo notati sunt & Fabricenses, vt habet constitutio Arcadij & Honorii c. l. 11. Magna fuit omnium signatorum obligatio; Julianus legem tulit, ne ante expleta stipendia ad monasteria admitterẽtur. seruiles igitur milites & Fabricẽses erãt, quomodo igitur, plibertate pugnarẽt?

Veteris delectus incõmoda.

Volones præstant inuitis. Deinde cum inuiti sacramento adigerentur, timidius pugnabãt, domum respectabant. Volonum autẽ maior est alacritas. Docuit hoc quoq; Romana resp. seu potius eius calamitates. Bello secũdo Punico (Liuio l. 22.) *octo millia seruorum empta sunt, interrogati singuli; vellentne militare?* magno vsui miles ille fuit, & merito inter Quirites recensitus. Non iniucunda est historia quam recitat Liu. l. 24. *Legiones magna ex parte Volonum habebat* (Tib. Gracchus) *qui iam alterum annum libertatem mereri quam postulare maluerant. senserat tamen hybernis egrediens murmur in agmine esse querentiũ, nunquãne liberi militaturi essent? scripseratq; senatui, non tam quid desiderarent, quam quid meruissent, bona fortiq; operâ eorum se ad eam diem vsum: neq; ad exemplum iusti militis quicquã eis præter libertatẽ deesse. De eo permissũ ipsi erat, faceret quod è Rep. duceret esse. Itaq; priusquã cum hoste manum consereret,* *Pro libertate pugnant.* *pronunciat, tempus venisse eius libertatis, quam diu sperassent, potiundæ. Postero die signis collatis dimicaturũ puro ac patenti campo, vbi sine vllo insidiarũ metu vera virtute geri res posset. Qui caput hostis retulisset, eum se extemplo liberum iussurum esse. qui loco cessisset, in eum seruili supplicio animaduersurum. Suam cuiq; fortunam in manu esse. libertatis auctorem eis non se forte solum, sed COS. M. Marcellum esse, vniuersos patres, qui consulti ab se de libertate eorum sibi permisissent. Literas inde COS. ac S. C. recitauit. Ad quæ clamor cum ingenti assensu est sublatus, pugnam poscebant, signumq; vt daret extemplo, ferociter instabant. Gracchus præsto in posterum diem pronuntiato, concionem dimisit. Milites lati, præcipue quibus merces nauata in vnũ diem operæ libertas futura erat: armis expediendis, quod reliquũ diei fuit, consumpserunt. Postero die vbi signa cepere canere, primi oĩm parati instructiq; ad prætorium cõueniunt. sole orto Gracchus in aciem copias eduxit. Nec hostes moram dimicandi fecerunt. Decem & septem millia peditum erant, maxima ex parte Brutij ac Lucani: equites MCC. inter quos pauci admodum Italici, cæteri Numidæ fere omnes, Mauriq;. Pugnatum est & acriter, & diu. quatuor horis neutrò inclinata est pugna. nec alia magis Romanũ impediebat res, quã capita hostium precia libertati facta. nam vt quisq; hostem impigrè occiderat, primum capita ægre inter turbã tumultumq; abscindendo, tempus terebat. deinde occupata dextra tenendo caput fortissimus quisq; pugnator esse desierat: segnibus ac timidis tradita pugna erat. Quod vbi Tribuni mil. Gracchо nunciauerunt, neminem stantem iam vulnerari hostem, carnificari iacentes, & in dextris militũ prò gladiis humana capita esse: signum dari propere iussit, proicerent capita, inuaderentq; hostem. claram satis & insignem esse: nec dubiam libertatem futurã strenuis viris. Tũ redintegrata pugna est, & eques in hostẽ emissus.* Volones igitur, imo serui imperium seruarũt.

Dies delectus. §. 2. Delectum Romanũ hunc in modum Polybius exponit. *Cum vero Delectum habituri sunt, Consules publicè diem prodicunt, quâ die Romanos omnes adesse oporteat, quibus ætas sit militaris. Faciunt hoc penè quotannis. Cum igitur dies adest, & militaris omnis iuuentus in vrbe, & mox in Capitolio congregata, tum diuidunt se Iuniores Tribuni eo ordine quo à populo ab sue Imperatorib. sunt facti, in quatuor partes. Quia numerum quatuor apud eos legiones totam & præcipuam copiarum diuisionem faciunt. Et primos quidem designatos quatuor Primæ legioni dictæ attribuunt; tres proximos secundæ, quatuor alios Tertiæ, denique tres vltimos Quartæ. Seniorum vero Tribunorum duos quidem primos Primæ: tres alios Secundæ: duos sequentes Tertiæ: denique tres vltimos Quartæ. Facta autem diuisione Tribunorum eiusmodi, vt omnes legiones iam pari numero habeant duces, tum sedẽtes seiuncti, & seorsim Tribuni cuiusq; legionis, tribus sortiuntur singillatim, & euocant vt in quamq; fors cecidit. Ex ea eligunt quatuor iuuenes ætate & promptitudine propemodum æqua-*

Tribus sorte vocatæ.

æquales. Quibus productis, primi electionem faciunt Primæ legionis Tribuni; secundi Secundæ; tertij Tertiæ; vltimi Quartæ. Iterumq; quatuor productis, primi electionem Secundæ legionis Tribuni; & sic deinceps; vltimi vero Primæ. Posthæc denuo quatuor productis, primi capiunt Tertiæ legionis Tribuni; vltimi vero Secundæ. Atq; ita semper electione alternāte & in orbē eunte, fit vt pares admodum capiantur in quamq; legionem.

Legiones pares.

In Capitolio id agunt, quia opus erat sanctitate loci esse tutos. Tribus sortiuntur, ne vlla præterita, aut onerata videretur. In tribu interdum ipsi milites sorte lecti, quod Sacramentum detrectarent. Cum dux gratiosus, aut lucrosa militia, vltro nomina dabant. Sic Liu. l. 10. & 42. Quales vero erant milites, quos in vincula duci iubebant? l. 3. Liuius. *Cum collum torquerēt*, l. 4. *dum acerbitas delectus in damno, & laceratione corporum inuisa esset?* hoc est, quod aiunt inuitis canibus venari. Imo aliquando vendiderunt; Liuius l. 8. Valerius & Fabius consules id egerunt. Tali milite nemo nunc hostem aggrederetur: aut primo impetu cæderetur.

Coacti pugnare milites Romani.

Serui vero illi non mali milites, sed inter primos strenui erant. Quid si Spartacus, aut Eunus, contra barbaros duxissent conseruos, an non pro re Romana plurimum valuissent? Si enim auxilia & opes habuissent, plus quā Romani omnes effecissent. Nunc vt cętera adessent oia, sumptus sane deerat. De Philopœmene dixit Flaminius: *manus habet & crura, sed vētrē nō habet*; magno n. & strenuo viro sūptus bello deerat.

Spartacus si contra barbaros pugnasset insignis fuisset Imperator.

At improbi seliguntur: Fateor, etiam ad metalla fodienda, struendosq; muros improborum opera vtimur, suntq; eorum peccata Reipublicæ lucrosa. Nec tamen nulla est improborum vtilitas cum bella gerunt. Primum enim vrbes fœce inutili, noxiaq; purgantur, & remanet id quod est sincerius. Deinde improbos, inquietosque, & scelerum compertos in acie occumbere consultius est, quam bonos & quietos, frugiq; ciues; minore itaq; malo Reipublicæ cadunt mali, remanent meliores, qui vrbes tueri, & seruare possunt. Neque verum est ad disciplinam erudiri eos non posse: quemadmodum enim homines insigniter improbi sunt nonnunquam optimi artifices, nautæ, negociatores, ita & bellatores. Ordines seruare, pericula discutere, aduersa ferre possunt. Metus ducis, & assuetudo audaces efficit, interdum etiam bello pietatem addiscunt, cum bonos morum doctores sortiti inter incerta pericula salutis admonentur.

Improbus bonus sæpe bonus miles.

§. 3. Quod si optio detur, voluntarios sane mallem, & quibus res angusta domi. Qui enim inuiti ad nomen respondent, qui in ergastulis latent, pollices sibimet præcidunt, ne militare cogantur, domum semper respectant, vbi malunt copiose & delicate viuere, quam inter belli labores periclitari, non placent. Hinc crebræ veteranorum de missione querelæ, & tumultus. At voluntarij in solo bello spem habent. Potentissimi reges quibus ius cogendi erat, tamen voluntarios habere maluerunt. Xerxes magnus ille rex cum tot populos in bella coqeret, nec inuiti nomina darent, sollicitus erat; nam meminerunt fatalem Persis Græciam fuisse; vulpinā igitur induit, & dimisit passim qui diuulgaret, principes Græciæ prodituros esse patriam, oēs ad spolia vocari, non pugnā.

Xerxes effecit, vt haberet voluntarios.

Delectuum acerbitas quanta vero illa fuit, cum Darius Oeobazo seni vnius è tribus liberis vacationem roganti, tres relicturum spopondit, & occisos in conspectum patris abiecit? Herod. l. 4. Crudelior etiā Xerxes in hospitem Lydum, qui è quinq; vnū perijt senectæ suę solatium, cum diuisum tyrannus ad viam posuit, vt inter partes transiens exercitus ferali lustro inferis sacraretur. Romæ ad honores aditus clausi erant eis, qui non militassent, adeo ad militiam alliciendi fuerunt.

Xerxes crudelis in delectu.

§. 4. Quin interdum parum aberant à periculo cōquisitores, cum delectus inuitorum agerent. Liu. 21. Duos populos, ait, delectus acerbitate consternatos metum detectionis fecisse. Mittebantur enim per agros Triumuiri, qui ad militiam cogerēt. Liu. 23. l. Interdum Senatores, vt ab Attio, & Legati, vt à Catone. Ciuilis sane cū ad rebellionem Batauos inuitat, inter causas delectum adfert. *Inflare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut supremum diuidantur.*

Conquisitores.

§. 5. Hoc magnopere studendū, vt in singulos menses supplementa mittantur; sic enim paulatim dum pauci accipiuntur, maiore delectu veniunt: & immisti veteranis militarem artem addiscunt. Ita Romani militiam tolerarunt; quotidie enim etiam victor exercitus efficitur minor; Nihil enim copijs vllis magis obest, quam tempus.

Supplementa.

§. 6. Prima ratio delectus est ex gente. *Rerum ordo deposcit*, inquit Veget. l. 1. c. 2. *vt ex quibus prouincijs vel regionibus Tyrones legendi sint, prima parte tractetur. Cōstat quidem in omnibus locis & ignauos & strenuos nasci. Sed tamen, & gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli ad robur nō tantum corporum, sed etiam animorum plurimum valet. Quo loco ea, quæ doctissimis hominibus comprobata sunt, non omittā. Omnes nationes, quæ vicinæ sunt soli, nimio calore siccatas, amplius quidem sapere, sed minus habere sanguinis dicunt: ac propterea constantiam ac fiduciam cominus non habere pugnandi, quia metuunt vulnera, qui se exiguum sanguinem habere nouerunt. Contra, Septentrionales populi, remoti à Solis ardoribus, inconsultiores quidem, sed tamen largo sanguine redundantes, sunt ad bella promptissimi. Tyrones igitur de temperatioribus legendi sunt plagis, quibus & copia sanguinis suppetat ad vulnerum mortuq; contemptum, & non possit deesse prudentia, quæ & modestiam seruat in castris, & non parum prodest in dimicatione & consilijs.*

Equidem non inficias iuero, regionis naturam ad militem legendum idoneum; sed parui tamen esse momenti docet ipsa historia. Quæ enim terræ olim barbaræ, & inidoneæ videbantur, nunc sunt feraces virorum fortissimorum. Eos qui vicini sunt, *ardoribus solis timidos putat, quia parum sanguinis habent.* Nescio quam vere: Israelitæ viri fortissimi erant, & à calore solis ficci. Carthaginenses prudentiam audaciamq; in prœlia attulêre, & Africo tamen sole torrebantur, certe à sole venientes & meridie, Romanos Italicâ hyeme vicerunt, etiam pugnâ statariâ.

Genius loci aliquid sed non multū ad ingeniū facit.

Nam quod de sanguinis copia philosophatur Vegetius, nescio an philosophis sit probaturus, qui fortitudinem audaciamq; non multo in sanguine collocant, sed calore & spiritibus; nec vulnera metuunt tam propter sanguinem, quem sistere facile est, quam propter mutilationem, mortemque.

An exangues timidi?

Neq; verum est Septentrionales prudentiâ & castrorum disciplina destitui. olim ita fuit, cum barbari essent. at nunc constantissimi in acie, in castris modestissimi sunt; Itaq; in omni gente fortes eligendi, quos deinde disciplina formet, & firmet. Nam quāuis illi qui terrā fœcunda, & ad meridiem habitant, facile emolliantur, multi tamen inter eos fortissimi fuerūt. De Enacimis, Chorręis, Zonzōmæis diuina scriptura testatur. Nec verum dicit de omnib. Lucanus, quāuis de plurib.

Quicquid ad Eoos tractus mundiq; teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.
Illic & laxas vestes, & fluxa virorum
Velamenta vides.

Sed feritatem quidem exuunt, cultu autem & prudētia crescunt. Romani quidem Syros contempserunt. Scipio cū Antiochi varia arma esse, & nomina armatorum audisset; *cum essem*, inquit, *in Chalcide, hospes meus varias carnes proposuit, cumq; copiam mirarer, subiecit omnia esse domestica suis, sed diuersam condituram, sic illorum armatura diuersa est, sed ipsi omnes Syri sunt.*

At sane bellum Judaicum docuit, nullo modo contemnendos esse, si informentur. Longe enim la-

teq; dominati, & Græcos, Romanosq; fatigarunt.

Ciuicus & agrestis miles legendus.

§.7. Quæri solet à multis ex vrbe, an ex agro legendus miles. Veget. l.1.c.3 ita definit. *Sequitur vtrum de agris, an de vrbib. vtilior tiro sit, requiramus. De quâ parte nũquam credo potuisse dubitari, aptiorem armis rusticam plebẽ, quæ sub dio & in labore nutritur, solis patiens, vmbræ negligẽs, balnearum nescia, deliciarum ignara, simplicis animi, paruo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam mẽbris: cui gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetudo de rure est. Interdum tamen necessitas exigit, etiam vrbanos ad arma cõpelli: qui vbi nomen dedêre militiæ, primum laborare, decurrere, portare pondus, & solem puluereműq; ferre condiscant, parco victu vtãtur & rustico, interdum sub dio, interdum sub papilionibus cõmorentur. Tunc demum ad vsum erudiantur armorum: & si longior expeditio emergit, in agrarijs plurimũ detinendi sunt, proculq; habendi à ciuitatis illecebris: vt eo modo, & corporibus eorum robur accedat, & animis. Nec inficiandũ est, post vrbẽ conditam, Romanos ex ciuitate profectos semper ad bellũ: sed tunc nullis voluptatibus, nullis deliciis frangebantur. Sudorem cursu & campestri exercitio collectum nãdo iuuentus abluebat in Tyberi. Idem bellator, idem agricola, genera tantum mutabat armorũ. Quod vsq; adeo verum est, vt aranti Quinctio Concinnato (viro optimo) dictaturam constet oblatam. Ex agris ergo supplendum robur præcipue videtur exercitus. Nescio enim quomodo minus mortem timet, qui minus deliciarũ nouit in vita.* Mihi miles agrestris placet; quia laboribus aptior est. Sunt tamẽ in vrbanis multa, quibus illi præstant rusticanæ iuuentuti, nã ingenio sunt exactiore, exercitatioreq;, & ad omnia magis habiles, cum itaq; minima pars militiæ robore, & viribus peragatur, omnia vero summâ egeant industriâ, prudentia, dexteritate, ad eam vero facilius educentur Vrbani, malim eos legi. Nunc vero id eo magis necessariũ est, quia genus armorum, quod hoc tẽpore in vsu est, dexteritatem magis, quam vires exigit, non scuta, nõ vallos gerũt, nõ tot laboribus opprimũtur. *Habuit Roma milites ex agricolis lectos, eosq; fortissimos viros, & milites strenuissimos,* ait Plin. *minimeq; male cogitãtes.* Sed & Cõcinnatus Dictator à stiua, & Regulus pauperis agelli cultor adducitur pro rusticanâ iuuentute. Verũ dum rem accuratius cõsidero, video fuisse insignes, sed nõ ita multos imperatores, ideo eisdem crebro repetiti sunt consulatus. At postea cum nobiles imperarunt, plures fuerunt. Imo etiã priscis temporibus multi diuites rem strenue gesserunt. Sullanis & Cæsarianis tẽporibus, totoq; eo, quod bellum secundum Punicum subsequitur: innumerabiles viros fortissimos habuerunt: eosque ex vrbanis, diuitibus & lautis.

In vrbanis maior est dexteritas.

Ætas militaris.

§.8. Ætatem veterem probat Veget. pubertatem sc. incipientem; quia celerius imbuitur; & perfectius discit, quæ à pueris imbibit, corpus exercitio aptius est; tempus habet vniuersa discendi: Vix tamẽ minorem anno 17. legebant, nisi necessitas cogeret, nec maiorẽ annis quadraginta sex tirocinio imbuebant. Delectũ itaq; summâ cura institui par est, nec enim vnquã est exercitus infirmus, vbi bono delectu res acta est.

§.9. Delectum duobus modis instituunt, vel enim omnem exercitum in vnum contrahunt, & vires vniuersas ostentant, vt hosti terrorem incutiant, vel singulas legiones, & centuriones, vt incertum maneat, quãta sit multitudo, quod multo magis probandum est, quia ignorata plus sollicitos habent hostes, & vires demonstratę hostem cautum faciunt, vt se ad stratagemata, vel aliena auxilia conuertat.

Spartanorũ error in Republicâ.

§.10. Respubl. quæ ciues bellatores instruere desiderat, eos à puero ita formet. Modo seruet modũ; nã ita horridus miles instruendus est, vt nõ desinat bon⁹ esse ciuis. Spartani suos ad famis, sitis, laborũ, dolorũ, verberũ patientiã educabãt, durabantq;. Præcipue inflãmabant cupiditate vincendi. Cicer. 5. Tusc. Adolescentiũ greges Lacedæmone, ipsi incredibili cõtentione certantes pugnis, calcib. vnguibus, morsu deniq;, vt exanimarentur prius, q̃ se victos faterẽtur. Seniores contentiones serebãt, dimicationes suggerebãt. Verũ hoc mõ odia, ciuilesq; contentiones incendebãt, nec magnum tñ, nec diuturnũ imperium obtinuerunt. Et nimium de nobilitate gloriabãtur. Superbe itaq; magis, quam vtiliter Agesilaus, cũ socij quererẽtur fuorũ multos, Laconum pancos bellare, considere iussit, & per nomina opificiorũ euocauit plures, vbi apparuit socios plerosq; opifices esse, Laconum nullos; & tum magni æstimatum est; verum nostra tempora docuerunt, è fabris fieri optimos omnino milites.

CAPVT XXI.

Delecti militis virtutes.

Improbi milites nũ probandi, licet defectu meliorũ accipi soleant.

§.1. MILITVM virtutes vel in corpore vel animo cernũtur. Prima militis virtus est in Deum pietas, fides & spes: hic n. miles veræ fortitudinis fundamentũ habet. improbi, & malè cõscij pauidâ conscientia mortẽ contemnere non possunt; est n. semper timida nequitia. Itaq; militẽ nolim qualem describit Lucanus.

Populi quos despicit arctos
Felices errore suo quos ille timorum
Maximus haud vrget lethi metus: inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis & ignauum est reditura parcere vitæ.

Superstitio solidã fortitudinem nõ præstat.

Nunquã superstitio firmũ fundamẽtũ habuit, ideoq; impetus illis maior q̃ virorum, constantia minor quã fœminarũ fuit. Quãuis autẽ superstitio, ira, furor & similia in illis possint, quæ potest & veritas, cõstantia in his tñ esse nõ potest. Quocirca recte Tertullian⁹ fortitudinem Christianorũ ex eo ꝓbat, quod tam parati sint mori. Fieri n. nequit, vt prõpte in mortis periculũ sese conijciat, qui malè se moriturũ arbitratur. Quare ille Gallorũ error de reditura vitâ, nequaq̃ eos ita cõstantes effecit, vt contra Romana arma durarent. Nõ ignoro militum plerosq; impios esse, sed pugnant, aut ne vitam amittãt, aut cupiditate alia, quæ facile elanguescit accedente maiore metu. Improbos tamen legere non veto, cum magna sit raritas bonorum.

Prudentia militis.

§. 2. Prudentiam in milite mediocrem desidero, in duce summam. Vnius interdũ militis consilio pugna restituitur, vel ciuitas cõseruatur. Mali milites Eretrienses, qui vt gladioli cor non habebant, quare faciles vinci Themistocles cognouit. Multa ex tempore militari prudentiâ facienda occurrunt, quæ imperium ducis dum longius abest, vel cuncta turbantur, præsens habere non possunt. Deinde nisi prudentia mediocris sit, ad ꝓmotiones militares spẽ nõ habent.

Durus miles.

§ 3. *Delicijs sint alieni de cubiculo ad aciem, de vmbra egredientes ad solẽ corpus assuetũ tunicæ loricæ onus nõ sustinet, caput opertum limeo, galeam recusat, mollem ocio manum, durus exasperat capulus, fortior autem miles ex confragoso venit.* ita Hier. ad Theodor. monachum. Vegetius iubet durari ad tolerantiam mẽbra, cõmorari sub papilionibus, aut Ioue frigido. Ciborum deliciæ aberant, laridum, caseus, posca dabatur. Hunc in finem militi acetũ distribui solitũ fuit, vt eo aquæ saporem cruditatemq; corrigerent. Solem etiam, & aeris iniurias militem ferre voluerunt. Adrianus tabernacula ex frondibus facta diruit, quod militem vellet esse solis & imbrium tolerantem. Fulg. l.2.c.2.

Animosi.

§.4. Oportet & animosos esse, maximeq; de victoria cõfidentes, & præcipue faciunt, cũ duces suos peritos, facilesq; arbitrantur. Nihil æque militẽ animat, atq; bona de duce existimatio, si putent singulari aliquo stratagemate, aut prudẽtia suos seruaturũ, hostes vero debellaturũ. Fabius cũ animos suorũ cõtra Tuscos erigeret, multaq; adferret argumẽta victoriæ, vnũ addebat superesse, & nõdũ esset publice ꝓponendũ, ne iñotesceret. Milites itaq; cũ alioqui forti sunt animo fiducia ducis oĩa pericula liberrime obeunt; nã si galeati sint lepores, frustra ducis oratio trepidos consolabitur. Pauidos n. mentio periculi percellit. Oẽs animantes pauidæ ad pugnã sunt inutiles. frustra cerũ hortabere, vt pugnet in canes, qui nec videre canẽ, nec latratum audire sustinet. Sed ad mentionem canis inhorrescit. §.5. Au-

Audax. §. 5. Audacia vero frequenter felicem exitum dedit. Mautus quidam cornicularius Cæsaris excitauit quosdam vigiles, & per medias Cæsaris copias præsidium Pompei induxit. Audax igitur miles esto, sed ducis prudentia, animositate vtatur.

§. 6. Fortes potius quam grandes, oculis vigilacibus, erecta ceruice; Marius tironem exigit, qui senos pedes, aut quinos decemque vncias habet. Interim ttatura quoq; pēsanda est, quia vires addit; Imperatorie planè Pyrrus, *Tu grandes elige, ego exercitatione fortes reddam.* Et Brennus productis contemptissimis Græcorum, & cum fortissimis suorum componebat, atq; ita *Tantos, contra tantillos, vt pugnarent* hortabatur. Fortitudinem arte nonnulli probarunt.

Experimētum fortitudinis. Chabrias cum exercitum Tironum in prælium ducturus esset; edixit; vt qui ægri essent arma deponerent, timidi morbum simulant, eos ille ad præoccupanda loca quædam misit, vt multitudine hostem terrerent. Polyænus l. 3.

§. 7. Ipsa quoque duce experientia ignauos à strenuis secreuit Theagenes Athenienſium dux, cū enim multi ordines ab eo peterent, ad Megaram daturum respondit. Clam vero equites præmisit, eosq; hostium specie contra agmen suum redire iussit. Tum vero quasi sollicitus ad pugnam hortatur, & quemque quo vellet loco cōsistere permittit; Tum in primam aciem fortes & alacres prosiliunt, timidi post principia stant, Theagenes eo quo quemque inuenit loco, promouit. Et Iphicrates cum multos timidos sequi vidisset, edixit, vt si quispiam aliquid reliquisset, rediret, quo benè instructus in hostem iret, cumque occasione, multi vterentur, cæteros fidentiores reddidit, cum diceret; *viros fortes sine mancipijs pugnaturos.*

Velocitas militu. §. 8. Velocitas agilitasq; vt fortitudinis est indiciū, ita bello necessaria est. Velociorem Hasaele, de quo in quo scriptura est, nullùm meminimus: & fortem tamen virum fuisse res ipsa ostendit.

Multitudo vtanda. §. 9. Deniq; multitudo & turba vitetur; vires non habet, sed pondus, magis impedimentum est, quam auxilium, manibus opus est, non nominibus. In maximis enim pugnis pauci sunt, qui hostem profligant, si ordines seruent, recentesque mittantur, non potest vinci acies, nisi cuncti cædantur; aut nunc fere aliquo casu fit, vt pauculis cæsis omnes vertantur in fugam.

§. 10. Multitudo noxia est. Xerxis exercitus flumina siccauit. *Credimus altos*
Defecisse amnes, epotaq; flumina Medo.

Ingēs multitudo in plures exercitus diuidenda. Justin. Trecenta septuaginta millia, alij quingentas Myriadas, id est, quinquagies centena millia. Cresias in Nini exercitu pedites decies septies centena millia, equitum ducenta millia, currus paulo minus decem millibus, & sexcentis memorat. Darius octingenta millia contra Schytas duxit. Seipsa impedit, & hosti obnoxia redditur. Si multitudo habetur, diuidatur in plures exercitus.

§. 11. Milites idoneos Romani varia exercitatione pararunt: honores enim capere non licuit, nisi emeritis magna parte stipendiis, nec vxorem ducere antedena stipendia.

Obedientia. §. 12. Caput in milite est obedientia: quæ in re grauissima est exercita, cum iusso in mortem sit eundum. Itaque coercendi, qui ducum imperia interpretari, quam exequi malunt, qui regendo se ingerunt. Talis erat Romanus exercitus in Macedonia. Plutarch. in Galba. Pleriq; exercitū veluti corpus, nullo proprio impetu, sed ducis tantum motibus cieri debere asserunt. Quapropter ferunt Æmilium Paulum, cum is exercitum in Macedonia accepisset loquacitatis, & curiositatis plenum, & se curis muneribusq, imperatoriis ingerentem, præcepisse ei, vt vnusquisq; ei manum promptam, & acutū gladium præstaret; sibi reliqua curæ fore. Myronides edixit, vt Athenienses exirent, cumq; nondum omnes exissent, pugnam incepit, cunctationem interpretatus timorem. Agesilaus Ephesi diuitibus equum & virum imperauit, atq; ita pro ignauis strenuos accepit.

Caput XXII.

Ducis boni officium & artes

Imperator necessarius. §. 1. Dux exercitui præcipue necessarius est; est enim exercitus sine duce prudente, sicut vasta belua sine capite, sicut Polyphemus, monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumem ademptum. Quamobrem & Demades Alexandri exercitum Cyclopem appellauit, quod omnia adessent illi, prudentia deesset, quā moles illa regeretur.

Exercitus sine duce turba est, corpus est sine anima, remigum ordo sine gubernatore. Summa: Tanti est exercitus, quanti gubernator. Exercitus sine duce, Leo est sine oculis, dux sine exercitu firmo, caput sine corpore. Cæsar cum in Hispaniam contra Petreium & Afranium Pompei legatos tenderet; *vado*, inquit, *ad exercitum sine duce*, cum in Thessaliam contra Pompeium, *vado ad ducem sine exercitu.* Nam firmas legiones habebāt legati, Pompeius Tirones magnam partem. Duces bonos plus valere mediocri exercitu, quā bonus exercitus sine duce. Scipio, Pōpeius, Gracchus, Pelopidas, Epaminandas, alijq; docuerunt; nam bonus dux celeriter militem format.

Libertas ducis. §. 2. Duci bellorum magna est in re gerenda libertas permittenda: neq; puniendus ob rem male gestā. Cum enim tantæ occurrāt in bello difficultates, tam subitæ mutationes, vt humano cōsilio prouideri nequeant, in nouo periculo, noui cōsilij libertas relinquenda est. Deinde quæ in eisdē geruntur castris, sæpe vtriq; parti ignota sunt, tantū abest, vt hostium sæpe machinationibus occurri possit. Brutus contra Octauium in suo cornu victor, Cassius est victus, cum exercitum Bruti fugatū putaret, manus sibi attulit, quod nisi fecisset, pari marte res Romanæ stare poterant. Idem iam olim inter Æquos & Romanos contigit, Sēpronio consule, cum vtriq; se victos putarent. Cum igitur tantæ turbæ omnia confundant, non sunt viri magnanimi alijs periculis grauandi, sed in aduersis potius adiuuandi.

Prudentia & sagacitas ducis. §. 3. Prudens sit in primis, à quo tot virorū fortium, atq; adeo regni fortuna pendet. Ratio ducat agentem non fortuna, quæ tamen si inuitet occasione, eā quoque prudentia moderetur. Periculo enim & negociis compertum est, ingenium in bello plurimum posse, eam præsertim virtutem quam Græci ἀγχίνοιαν, sagacitatem latini appellant.

Magni duces plura consilio, quam vi perfecerunt. Carthaginenses duces bella prauo cōsilio rem gerentes, Val. l. 2. 7. etiā si prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebantur: q̄ bene gesserant deorū immortaliū adiutorio: q̄ male cōmiserant, ipsorū culpæ imputātes. Haud magni momenti fortunā esse cōstat. Vix periit exercitus, nisi vbi in consilio erratū.

Melior est dux prouidus, quā audax. Et vere Cæsar, *Non est minus imperatoris superare consilio, quam gladio.*

Vegetus, alacer sit. §. 4. Vegetus, alacer, non magni nominis vmbra. Periculis itaq; excitetur, alioſq; animet. Talis L. Marcellus cum inopinato se hoste circūdatum videret, in eos inuectus, etiam spolia opima tulit. Sempronius Tuditanus & C. Octauius Tribunus cum duodecim cohortibus per hostiū præsidia transierunt. Vigor animi, & confidentia victoriam peperit. Et cū Leonidæ diceretur, nubes sagittarum à Persis faciendas, respondit, in vmbra se pugnaturū. Aliquando ipse exemplo præeat, q̄ maximi Imperatores fecēre. Posthumius post exhortationem cum milites quærerent; quid imperaret, vt se imitarentur iussit, & sublato signo in hostem iuit, & vicit.

Innocẽs sit. §.5. Innocens, neminem iniuriâ afficiat, tantarũ copiarum dux. omnes honesti & decori æmulatione excitet. ita Alexãder Imperator, de quo historia eius testatur. *Quum igitur tãtus ac talis Imperator domi ac foris esset, inýt Parthicam expeditionem: quam tanta disciplina, tanta reuerentia sui egit, vt non milites sed senatores transire dicerentur. Quacunq; iter legiones faciebant, tribuni accincti, centuriones verecundi, milites amabiles erant: ipsũ vero ob hæc tot & tanta bona prouinciales, vt Deũ suscipiebant. Iam vero ipsi milites iuuenum Imperatorem sic amabant vt fratrem, vt filium, vt parentem: vestiti honestè, calceati etiam ad decorem, armati nobiliter, equis ẽt instructi, & ephippijs ac frenis decẽtibus prorsus, vt Romanam remp. intelligeret quicunq; Alexãdri vidisset exercitum. Elaborabat deniq; vt dignus illo nomine videretur, imo vt Macedonem illum vinceret: dicebat q; inter Romanum Alexandrum & Macedonem multum interesse debere.*

Alexandri Imperatoris exemplum. §.6. Famam vndiq; non ad vanitatem honoris, sed ad salutem aucupentur. Fama in bello validissima est, & pereunt, quos fama perisse retulit. Nusquã res magis euẽtibus iactatur, ad casum vnius castra vincũtur.

Pius. §.7. Pietatem in primis cordi habeat: Impio nete, & fortunas tuas crede. Posttemo enim tandem misere periêre, & exempla fuêre. Etiam cum miles impius est, ducem pium requirit

Diues. §.8. Diuites ordinarie deligendi sunt; nã nec prædæ ita inhiant, & opportunos ad sumptus sufficiunt.

Curiosus in hostium cõsiliis. §.9. Res hostium perspectas habeat; Epaminondas optimũ dicebat ducem, qui quãuis res hostium certo cognoscere nõ posset, saltem coniecturâ cognosceret.

Temperans, sobrius. §.10. Exemplo temperantiæ ac laborum sit exercitui. Imperatoris virtus magno exemplo esse solet. Cato vino quod remiges bibebant, cõtentus erat, Hannibal sub crepusculum cibum capiebat, Æmylianus, Scipio, Alexander in itinere ambulans cibum capiebat. Masinissa nonagenarius stans cibum capiebat.

Seuerus. §.11. Seuerus sit, & talis habeatur; vix credatur delictis ignoscere. Talibus enim propere, diligenterque parent, eos mirantur, & quamuis interdum irascũtur, tamen colũt. Militum enim lasciuiæ, improbitas, manus sanguine imbutæ, animus inhians rapinis, non nisi metu & seueritate compescitur. Opinio autem seueritatis facit vt delicta caueantur, pœnæ sint raræ, absint animorum exacerbationes.

Prudens seueritas. Interim duo sunt vitandi in hoc mari scopuli; Primus nimia sæuities; ne supplicia & contumelias disciplinam vocare videatur. Alter ne miles non sit in arbitrio ducum, sed duces militari violentiâ trahãtur. Quorum primum abruptas seditiones; alterum interitum accersit. Turcarum lege militari omne delictum morte punitur. Hoc quidem commodi inde habent, vt cæteri militum non facile tumultuentur, Janizaros tamen ea seueritate continere non audent.

Comitas ducis. §.12. Seueritatem multâ comitate reddet tolerabilem, imo amabilem; Si oportune beneficẽtia vtatur, si verborum atrocitatem in decernendis pœnis vitet. Si saucios visat, curetq;. Verũ nulla maior vis est, quæ arctius eos iungit, quam commune periculum. Quapropter in prœlio commilitones, & fratres appellare milites consueuerunt. Fidos enim sola beneuolentia facit. Ita insignis Imperator ille apud Tacit. l. 1. annal. *Vtq; cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorũ extollere, vulnera intuẽs, alium spe, alium gloria, cunctos colloquio & cura, sibiq; & prœlio firmabat.*

Audaculos foueat. §.13. Minores duces, Tribunos, cẽturiones habeat, qui impetu, & celeritate valeant, & si forte prudentia destituantur; Aliquos esse tales non omnes expedit, quædam enim subito, & periculo aliquorũ discutienda sunt, ad quæ audaces isti prouolãt. Eos ipse tamen moderetur, vt non nisi suo tempore vires effundant; quẽadmodum. n. canes venatici generoso impetu in hostem insurgunt, sed loris tenentur, dum momentum adest, ita hos magni facere, fouere, laudare, præmiis afficere oportet; nã maxima efficere solẽt, & alios ad paria decora excitare. Imo se quoq; talẽ existimari non indigne ferat; nam miles lætus est feruore ducis.

§.14. Ne duces mutet; Est sane q; in Romana militia reprehendam: Tribuni cum essent in legione qualibet seni, bini per duos menses imperabant, itaq; ad eosdem post sex menses redibat imperium. Polybius. *Vniuersam lateris probationem duo Tribuni faciunt. Similiter aliam etiam castrensem curam hi sunt qui gerunt. Nam in binos & binos se diuidentes, semestris spatii duos menses imperãt, & quos ea sors tangit, vniuersæ administrationi castrensi tunc præsunt. Idem imperitandi modus Præfectorum in socios. Equites & Centuriones cum primâ luce veniunt ad tentoria Tribunorum, Tribuni ad Consulis: atq; ille quidquid agendum Tribunis edicit: Tribuni equitibus Centurionibusque: isti vulgo militum, cum tempus cuique rei venit.*

Hoc quoq; malũ ambitionis Romanæ fuit. Hinc n. quæsita occasio nocendi æmulis, placendi militib⁹, cum duo vel simul, vel alternis diebus, vel mensibus, imperium haberẽt. Hoc laudabile, q; mane quotidie ad Imperatorẽ Tribuni, ad Tribunos equites & Centuriones mandata accepturi veniebãt. Imo milites ad centuriones vt Josephus l. 4. de bello. Vix tamẽ fieri potuit, vt milites omnes ad centurionem. Sed accipiendũ eos, qui subsignani, velites venisse nõ puto, Sparsi illi per vallum erat. Imperator Tribunis tum signum dat, & alia mandata. Cum autẽ signum petit, imperatori simul numerũ militum præsentium recenset. ita Appian. l. 5. Et apud Sen. de animi tranq. c. 8. *Numerus illi quotidie seruorũ, vt imperatori exercitus referebatur, cui iã diuitiæ esse debuerant duo vicarii, & cella laxior* Id prudentissime cõstitutũ esse, docẽt hodiernę fraudes, q̃ cæca nomina principib. offerunt, q; adeo nunc in consuetudinẽ abijt, vt pro industria habeatur, illo mõ furari.

Error in agmine vitandus. Summa omnium magistratuum eo tendebat, vt omnes sine errore, & celeriter imperiũ acciperent. Liu. l. 44. *Vt ordine ac sine tumultu omnia in agmine, ad nutũ imperium q; ducis fierent, prouidit. Vbi omnib. simul pronunciaretur quid fieret, neq; omnes exaudirent, incerto imperio accepto, alios ab se adiicientes plus eo q; imperatũ sit, alios minus facere. clamores deinde dissonos oriri omnib. locis, & prius hostes quã milites q.d paretur scire. Placere igitur Tribunũ militũ Primipilo legionis secretũ edere imperiũ, illũ & deinde singulos, proximo cuiq; in ordine Cẽturioni dicere q.d opus facto sit: siue à primis signis ad nouissimũ agmẽ, siue ab extremis ad primos perferẽdũ est.*

Nulla nota sit infamis. §.15. Hoc quoq; cauendũ, ne aliquâ notâ infames præficiat, quãuis egregij milites esse videantur. Quid mirum perijsse Elagabalum, de quo Herodian. *Quippe exercitibus saltatorẽ quendã præfecit, qui olim iuuenis publicè in theatro operas dederat. Alium itẽ è scena iuuẽtuti, alium senatui, alium ẽt equestri ordini præposuit. Aurigis itẽ & comœdiis mimorũ q; histrionibus, maxima imperii munia demandabant. Seruisq; suis aut libertis (vt quisq; turpitudine reliquos anteibat) procurationes tradebat prouinciarum.*

Nero quoq; per summam væcordiam ad exercitũ libertũ misit. Tac. l. 14. *Sed hostibus irrisui fuit, apud quos flagrãte etiam tum libertate, nondum cognita libertorum potentia erat, mirabanturque, quod dux & exercitus tanti belli confector seruitiis obedirent.*

Occasio arripienda. §.16. Diligens sit, & occasionem arripiat, quãcunq; agendi vincendiq;. Occasione egregie vsus est Fracischus Carmiola Venetorum Dux; cum enim vicina castra essent, & eques cum quodam hostium equite inimicitias haberet, & duello decernere vellẽt, cõstituto inter castra pugnæ loco; multis cõcurrẽtib. ad spectaculũ, Venetus robur suorũ militũ in castris instruxit, & derepente hostes inopinato inuadens vicit, fugauitq;. Quantum vero etiam aduersis ingenium valeat, id, quod addã, ostendit. Cleomenes & Argiui castra finitima habebant, Rex omnia per præconem edicebat, eum imitabãtur Argiui, ita vt cum pranderet, quiesceret, suos educeret, illi quoq; eadẽ quasi communi

muni signo dato factitabant, at quodam die clam suis denunciauit, cum signum prædij daretur, arma sumerent, quo facto prandentibus superuenit, & occidit. Tanti erat nosse, quid ferret occasio. Summo in timore erat Iphicrates Athenienſis, sed cum exploraſſet Thraces, è collib. per quos solos ad castra via erat noctu venturos, exercitū clam ad vię latera disposuit, ignes per paucos in castris aluit, deinde multitudinē decurrentem à lateribus aggressus occidit. Quā facile vir ingeniosus periculum summum in hostes conuertit. Et ex eorum consilio victoriam quæsiuit.

CAPVT XXIIII.

Princeps aut Rex magno bello ipse interfit.

Magno bello princeps ipse adsit.

§. 1. Qui regnum vnum aliquod quamuis grande gubernant, si bellum oriatur à pari, vel potentiore, illi præesse, atq; omnia administrare regem ipsum conuenit. Plurimum n. momenti habet boni regis præsentia: meritoq; Antigonus gubernatori de hostium multitudine admonēti dixit: ἐμὲ δὲ ἀ'λλὰ παρόντα πρὸς πόσους ἀγωνίζεσθαι; Me vero ipsum præsentē, quam multis anteponis. Augustus non modo ducis, sed militis quoq; officio functus est, atque in media dimicatione, aquilifero suæ legionis grauiter saucio, aquilam humeris subijt, diuque portauit. Prima vtilitas insignis regię præsentię est, quod summum ius pugnandi, pro occasione mutandi omnia secum vehit. Vbi enim dux summus est, ibi occasio præsens, vbi ille non est, multa aliunde petenda sunt.

Periculosa res sub regibus magni duces.

§. 2. Duces suos alioqui se potentiores efficiet; cum exercitum in manu habeant, sintq; exercitati, facile in ordinem redigere principem imbellē queūt. Ostendūt hoc multorum ducum, qui reges solio deiecerunt, exempla. Cum victoria enim non regibus, sed administris attribuitur, periculosum est regibus potentes, acres, & gratiosos habere duces belli.

Rex in prælio suæ securitati consulat.

§. 3 Interſit prælio, vbi de tota summa decernitur, in minoribus per duces suos belligeretur. *Heraclium admirabatur Sarbaras; quam audax, inquit, ad pugnam stat, & contra multitudinem solus decertat, & velut in cus iacula renuit.* Quod in necessitate fieri potest, alias nunquam committendū, vt in vnius capite exercitus periclitetur. Augustus, prout visum, bellis interfuit, aut per duces gessit. Suet. trāq. Oct. Aug. *Externa bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum adolescēs adhuc: & Antonio deuicto, Cantabricum. Dalmatico etiam vulnera excepit, vna acie dextrū genu lapide ictus, altera autem & crus & vtrumq; brachium ruina pontis consauciatus.* Reliqua per legatos administrauit: *vt tamen quibusdam Pannonicu atque Germanicu, aut interueniret, aut non longe abesset, Rauennā, vel Mediolanum, vel Aquileiam vsq; ab vrbe progrediens.* Cum igitur raro prælijs, & sine periculo interesse debeat, multo minus cum paucis se in viam dare, & explorare hostes conuenit, id q; fecit Theodosius, cum equitibus comitatus hostes, sed vt summa audacia ita summo periculo inuenit.

Imperator cum paucis non ibit exploratum.

§. 4. Regem dubijs prœliorum casibus, si quando in aciem descendat, esse necesse est: vel igitur sit aliquo in loco præsidio vallatus, vel vrbe vicinā, ita factum est 2. Reg. 18. 2. *Dixitq; rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum. Et respōdit populus: non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars eecderit è nobis, non satis curabunt, quia tu vnus pro decē millibus computaris: melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio.*

Temeritatem quoque Alexandri non immerito culpant scriptores, quod omnibus prœlijs interesse, sua manu in prima acie pugnare consueuerat. Nunc propter incerta tormentorum iacula, multo magis videndum est, ne ille saucietur, in quo est vniuersorum periculum. Glorioſe magis quam prudenter dictum est.

Primus inire manu, postremus ponere pugnam.

Et βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κραιπνός τ' αἰχμητής. *Rex bonus & fortis bellator.* Optandum id est, cum necessitas requirit, alioqui discrimina vt in cor ipsum, ita in regem, qui est cor prœlij, prouocanda non sunt. Alijs in rebus æqualitatem teneat. Nesciatur dux an miles sit, monstret tolerare labores, non iubeat; hac in re cautus esto. Specimen boni principis dedit Antonius Caracalla, sed constantia eidem defuit: Ea tamē quæ de eo scribit Herodianus bono duci vsurpanda censeo. *Ipse, inquit, vtique nullum non militiæ munus promptè obire: & siue quid fodiendum foret, primus foderc: siue pons flumini imponendus, aut extruendus agger, siue quod opus manuum faciendum, aut labor subeundus, primus omnia occupare: tenuiq; mensa, ac ligneolis poculis, vasisque esculentorum contentus esse, panemq; etiam temerè factum comesse: quippe tritico quantum satis vni foret, suâ manu molito, massaq; inde facta atq; in carbonibus, decocta, vesci solitus, omnia deniq; elegantiora aspernari, & vilißimis quibusque ac vel pauperrimo gregarioq; militi facillimis vti. Tum commilitonē quam principem vocari se malle, ac plerumq; iter facere, perinde atq; ipsi pedibus ambulans, raroq; vehiculum conscēdere aut equū: sibi ipse portare arma: nonnunquā etiam signa militaria longißima, & multis aureis ornamentis prægrauia, ac ne robustißimis quidem militibus facilia, ipse humeris subire.*

Boni ducis signa.

Traianus etiā pedibus semper cum militibus iter fecit; eaq; comitate cōsecutus est, vt contra eum miles nunquam tumultuatus sit, vt auctor est Dio. Mirifice enim miles ad opus accenditur, cum Imperatoris consortio labores suos honorari cernit.

§. 5. Deniq; euitat incommoda quæ ex aliorum in bellis ducatu eueniunt. Quæ rectè recensēt Machiauellus, sed pessime ac impie omnino definiuit. Verba illius describam. lib. 1. c. 30. *Si quis princeps huiusmodi suspicionum occasiones euitare velit, ne pro beneficiis erga suos ingratus esse cogatur: eum oportet ipsummet rebus gerendis interesse: quemadmodum primi Romanorum Imperatores olim & nostra ætate Turca, cæteriq; insigni virtute principes facere solent. Nam si præsentes sint, & rem præclare feliciterq; gerāt: ad eos omnis laus atq; gloria pertinet: Si ipsi absentes, per alios rem bene gerant: tunc quia videtur summa laudis penes eum esse, qui negotio interfuit, non putant se parta victoria ex animi arbitrio frui posse, nisi extinguant laudem illius, per quem res tam bene gesta est: atq; ea ratione iniusti ingratiq; euadunt. Et quamuis ipsi sibi videātur laudem lucrari eorum, quos hoc modo offendunt: tamen si quis rē diligēter expēdat: cōperiet illos plus amittere, quā lucrari. Quod etsi ita sit, tamen fieri non potest, quin in huiusmodi errores incidāt, quicunq; aut per imprudentiā, aut negligentiā domi otiosi manēt, rerum administrationem aūt aliis ducibus suis demandāt: nec vlla ratio est, eos iuuandi, quo minus eo, quo natura ipsos ducit, ferantur. Qui vero dux militaris, re præclare gesta, euitare vult sui principis ingratitudinē, duorū alterū faciat oportet. Nam postquam victoriam obtinuit, aut statim exercitui tradito alteri, ipse in sui principis clientelā supplex cōmittat oportet. sibiq; in omni superbia, atq; ambitione tēperet: qua sola ratione principis animū demulcere poterit, ne de illo quicquā suspicari queat, sed causam manifestā habeat illū præmio afficiendi, non aūt lædendi. Aut si facere non velit, sciat tamen ingratū principem se habiturum: vnicum habet præsidiū se aduersus ingratitudinem tuendi. si victoriā partam sibi reseruet forti animo, nec eam ad principem pertinere ostendat: militū & præcipuorum exercitus ducum animos vel sibi cōciliet, vel si quos nequit benigne conciliare, eos muniendi sui causa è medio tollat: cum vicinis populis amicitiā contrahat, loca munitiora subinde occupet, præsidijsq; confirmet. Hac n. ratione ingrato animo vicem rependere poterit. Hæ solæ sunt rationes quibus bene meritus cuius cauere pōt, ne ab ingrato domino opprimatur, sed quia ita cōparatum est, vt homines nesciant esse vel plane boni, vel excellēter mali: ita q; nec post victoriā partam exercitū statim reddere nouerunt, nec modeste atq; humiliter segerere: nec excellenti ac magnifica quadam malitia vti sciunt: ita q; dubii inter duo extrema hærentes opprimuntur.*

Imperator res dirigat, non ipse dirigatur.

Machiauelli improbū consilium.

Dux electus regi exercitum tradat

Primum Consilium videtur quidem tutum, & est reuera iustum, vt qui victoria potitus est, illi exercitum reddat, cuius auspiciis militauit. Quod hodie tot ducum centuriæ faciunt, & fecerunt; sed vt sese abijciant, & ne inuidiosi sint, fiant miseri non suadeo. Nam principi pusillanimitatem, inuidentiamque suâ illâ modestiâ ementitâ exprobrant, grauiusque offendunt. Alterum Consilium non est modo improbum, & seditiosum, sed etiam temerarium; Illa enim excellens & magnifica malitia, vix vnquam finem bonum sortitur, cum enim exercitus bene erga principem affectus sit, cum viri nobiles, & militares sacramenti religionem non continuo mutent, non poterit omnes transfugas vno momento efficere. Commeatus vero, & pecuniæ vnde suppetent? Itaque hodie raræ sunt illæ ducum defectiones; vix enim in Republica bene constituta esse possunt, si ea, quæ supra monui, seruentur.

§. 6. Nemo facile credat, quam conciliet animos præsentia imperatoris. Tacit. in Galba. *Ire in castra placuit, honorificum id militibus fore, quorum fauorem, vt largitione, & ambitu male acquiri, ita per bonas artes haud spernendum.* Hoc modo maxime vnus est Imperator, nam cæteri ab summo Rege, & alijs dependent; consiliaque alijs probare coguntur.

Vnus autem imperator est. Tres tribuni consulari potestate, cum olim ad sua quisque Consilia tenderet, occasionem aperuerunt hosti.

Cum paucis vero vnus Imperator tractat, ideoq; res secretiores tenentur, seruaturq; omnium bonorum Consiliorum fundamentum, silentium.

Quid fieri debeat, tractato cum multis, quid facturus sis, cum paucissimis, vel potius ipse tecum. Cum ex Metello quæreretur, quid altera die facturus esset? Respondit; Tunicam se suam, si id eloqui posset, combusturum.

Reges infantes aliquando in aciem duxerunt.

§. 7. Tanti vero existimarunt præsentiam ducis, vt interdum non modo imbelles, sed etiam infantes in prælia adduxerint.

Macedones infantem Regem in cunis in prima acie posuerunt, & vicerunt Illyricos. Francos etiam miseratio Clotharij regis fortes effecit, cum infantem ex vberibus matris pendentem viderunt præeuntem.

Persarum Reges pugnæ interesse non solebant, quamuis Darius contra Alexandrum steterit. Nimium est, si nunc Dux ad ictus exponatur, cum in eo salus exercitus periclitetur, aut si capiatur, expensis regnũ grauetur. Franciæ hoc sub Francisco contigit.

Anno 1381. Moscus arcem Liuoniæ Neuhusium trecentis millibus obsedit, præfectus arcis sagitta cor Ducis traiecit, & totus exercitus fugatus est. Per Ducem Iustinianus, Carolus VI. Galliæ Rex, Hispaniarum Reges, & olim Augustus plurima bella confecerunt. Regis plura sunt munia, quam vt circa Ducis labores debeat occupari, nisi cum magnum est periculum.

Caput XXIV.

Disciplina belli commendata.

§. 1. Ea est morum, & exercitationis, laborisque. Morum summa cura maioribus fuit; & signãter de bello dictum est, Deuteronomij 23. 9. *Quando egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnam, custodies te ab omni re malâ.* Id quidem etiam in pace faciendum

Peccata in bello præcipue vitãda.

esse nemo dubitat, sed in bello præcipue, quod in eo sit multiplex causa peccandi, & in extremo vitæ discrimine animus Deo parari debeat; ne si ceciderit corpus, secunda etiam morte impius miles damnetur. Militem itaque lectum bonus imperator seuere, & constanter conformabit ad virtutem, ad scientiam, fortitudinem militarem. Tenacissimum enim vinculum est disciplina, ex ea omnes triumphi. Hæc adeo Romanis culta fuit, vt liberorum caritatem vicerint. *Disciplina maiorum* (inquit Alexander apud Lampridium) *Rempublicam tenet, quæ si dilabitur, & nomen Romanum, & Imperium amittemus.* Quicquid enim sine ordine, & arte agitur debile est, perinde si arietis latere murum lædas, non capite.

Disciplina imperium tenet.

§. 2. Antiquitus morum disciplina fere in cibo, potu, alijs voluptatibus moderandis, furtisque cauendis erat constituta. Cibum parabilem habebant, laridum, panem. Interdum dimidiati, interdum totius mensis cibaria ferre cogebantur. Turcæ hac in re adeo præstant, vt si cætera adiungerent, efficerentur inuicti. Vino abstinent; cum orizæ est copia, pane facile carent. Quod si oriza desit, puluere quem ex salita carne commolita secum ferunt, sese sustentant; in aquam enim calidam immittunt, pulteinque inde corporibus roborandis efficacem conficiunt. Qui magis barbari sunt, equorum sanguine, & carne pascuntur.

Turcorum abstinentia.

§. 3. Potus erat Posca, aqua aceto mista. Vinum cum milites peterent, fortis imperator Nilum ostendebat.

Signa.

§. 4. Ordinarijs signis mouentur, non alijs nisi ad stratagema sit necessarium. Signa alia sunt vocalia, alia semiuocalia, alia muta. Vocalis est tessera, quam voce vulgant: semiuocalia sunt tubæ, tympana, fistulæ: muta vexilla, dracones, labarum, aquilæ. Tubicines ad opera, vel ad solos milites, Cornicines cum signa mouentur.

§. 5. Iurabant pariter liberi, & serui, se nihil furto ablaturos è castris, si quid inuenirent, ad Tribunum allatutos. Lex seuera; *nemo pullum rapiat*, ne sit vestigium, vt pacato nocuisse putetur. Frontinus 4. Strat. cap. 3. Pomiferam arborem, quam metatio castrorum complexa erat, postera die intactis fructibus mansisse narrat. Formam iuramenti Agell. lib. 16. c. 4. habet. *Cum delectus*, inquit, *antiquitus fieret, & milites scriberentur, iureiurando eos Tribunus militaris adigebat in verba hæc: IN MAGISTRATV C Lælii, C. F. Consulis, L. Cornelii P. F. Consulis in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos, extraque hastam, hastile, ligna, pomum, pabulum, vtrem, follem, faculam, si quid ibi inueneris, sustuleriſve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, vbi tu ad C. Lælium C. F. Consulem, L. ue Cornelium P. F. Consulem, siue quem ad vtrum eorum vis, erit, proferes aut profitebare in triduo proximo, quidquid inueneris, sustuleriſve, sine dolo malo; aut domino suo, cuium id esse censebis, reddes, vti quoad rectum factum esse voles.*

Furtum in castris cauendum.

Pœna furti erat fuste percuti Polyb. Tiberius militem, qui Pauonem sustulit, capite puniuit. Suet. c. 60. Pescennius ob vnius gallinacei direptionem decem commanipulones qui raptum ab vno comederant, securi percuti iussit. Spartian. in Pescennio.

Seuera furtorũ pœna.

Verum multum est crebro indultum militi. Aureliani epistola laudata est potius, quam seruata. *Si vis*, inquit, *tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine: nemo pullum rapiat alienum, auem nemo contingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De prædâ hostis, non de lacrymis prouinciũlium habeat: arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia: vestis noua vestem veterem excludat, stipendium in balisheo, non in pompa habeat, torquem brachialem, & annulum apponat, equum saginarium*

ginarium suum defricet, captum animal ne vendat, mulum centuriatum comiter curet, alter alteri quasi seruus obsequatur, à medicis gratis curentur, aruspicibus nihil dent, in hospitio caste se gerant, qui litem fecerit, vapulet.

§. 6. Modestia in cultu vt horridi potius, quam ornati videantur, Nam

—— *Horridus miles armatur.*

Vestitus militaris

Qui nimis spectate vestiuntur, ad opera militiæ segnes sunt, pluuiam timent, cauent & vestibus, & corpori. Veterem imperatorem hic imitabitur dux prudens. Chares cum sordida tempestate videret milites segniter opus facere, quod vestibus parcerent, iussit eas commutare inter se, & cum nemo alienorum vestimentorum rationem duceret, celeriter opus absolutum est.

§. 7. Arma tamen culta & fortia. Ita Argyraspides, & præcipuè hac in re luxus militaris, & non inutilis, sic enim minus facile ea abijciebant.

§. 8. Ipsa castra munda quoque erant, aspergi plateæ, & verri solebant.

Contra luem & contagionem erat illa mundities, quam iam vix vnquam obseruant. Ideoque non diu castra sine contagione sunt.

§. 9. Libidinibus abstineant, cum enim parui iudicii sint, plerique voluptatibus franguntur. Castitati ciuium consuluit Antigonus. Nam *cum filium suum*, Front. libr. 4. capit. 1. *duertisse audisset in eius domum, cui tres filiæ insignes specie essent, audio*, inquit, *fili, anguste habitare te, pluribus dominis domum possidentibus, hospitium laxius accipe: iussoque commigrare edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus, hospitio matris familias vteretur.*

Castitas.

Qu. Metellus contubernalem filium habere noluit, sed in ordine eum meteri. Idem quoque Rutilius fecit.

§. 10. Romanæ virtutis propria est exercitatio, quia illa nulla in gente maior. Ioseph. libro 3. belli. *Quod si quis alium Romanorum ordinem in militia inspexerit, videbit hoc grande imperium eos habere virtutis meritum, non fortunæ beneficium. Non enim initium illis armorum ipsum bellum est, nec solum cum vsus aut necessitas est manus mouent, in pace feriati: sed tanquam congenitis armis, nunquam pausam exercitii faciunt, nec exspectant occasiones. Meditationes autem illis siue exercitia nihil à vero vsu fortitudinis & audaciæ abeunt, sed quisque quotidie miles omni alacritate tamquam à bello exercetur. Quo fit vt facillime & pœnè sine laboris sensu pugnas tolerent. Neque enim vel confusio eos consueto ordine amouet, & dissipat, vel metus reddit attonitos, vel labor fatigatos. Sequitur vero victoria eos, cum in hos pugnet, qui non pariter confirmati. Nec sane errauerit qui dixerit, Exercitia eorum pugnas sine sanguine, Pugnas exercitia cum sanguine esse.*

Romanorū est propria exercitatio.

Hinc minimo exercitu maximas victorias obtinuerunt, quod etiam illi fecerunt, qui suos exercuerunt. Non itaque multitudinis, sed ordinis & disciplinæ est bellum. Xerxes multos se homines habere questus est, viros paucos, quod Thermophylæ ostenderunt. Quis vero non miratur Cyrum primo quatuordecim; Alexandrum quadraginta millibus tantas res incepisse? Epaminondas quatuor millibus ex quibus equites erant quadringenti, Lacedæmoniorum peditum viginti quatuor millia, equitum mille sexcentos vicit. Græcorum quatuordecim millia cum Cyro minore profecti, centum millia barbarorum vicerunt, & per viam inuiam inuitis barbaris redierunt.

Omnes etiam duces exercebantur.

Toto die exercentur, omnia militum genera exercentur, etiam Veterani, Iuniores bis in die, Veterani semel. Ipsi Duces exercebantur. Silius libro 8.

Ipse inter medos ventura ingentia laudo
Signa dabat, vibrare sudem, transmittere saltu
Murales fossas, vndosum frangere nando
Indutus thoraca vadum, spectacula tantæ
Ante acies virtutis erant. sæpe alite planta
Ilia perfossum & campi per aperta volantem
Ipse pedes præuertit equum. sæpe arduus idem
Castrorum spatium & saxo transmisit & hasta.

Agesilaus castra quotidie, ter quaterque circumduxit, vt scindendis lignis hosti noceretur, militemque exerceret. Hoc de omni exercitiorum genere censendum, vt supra quoque monui.

Alexander ad Tyrum, cum implere fossam, & vallum æquare vellet, primus ipse corbem arenæ attulit. Imo sic commilitones conciliabant, Liuius lib. 7. de Valerio. *Non alius militi familiarior fuit, omnia inter infimos militum haud grauate munia obeundo in ludo præterea militari, cum velocitatis viriumque inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci vultu eodem: nec quenquam aspernari parem, qui se offerret facilis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ quam suæ dignitatis memor: & quo nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat.*

Exercitatio conciliat imperatori militem.

Huc pertinet, quod Plutarchus ait Pompeium in bello ciuili iam senem, & duode sexaginta annos natum, peditem atque equitem, se inter suos assiduè exercuisse. Quod quidem nunc vsitatum non est, raro se ipsi milites exercent.

Pluuiâ sub porticibus canna aut stramine tectis exercebantur, campidoctores, ὁπλοδιδάσκαλοι postea orti sunt.

§. 11. Exercitia admodum varia fuêre, & semper exigi solita. vt seruare ordines. Veget. libro 1. capit. 11. *Nihil magis in itinere, vel in acie custodiendum est, quam vt omnes milites incedendi ordinem seruent.*

Doctores campi.

Multum ab exercendi diligentia recessum, nam Augusti & Adriani præceptum fuit, vt ter in mense ambulatum pedites & equites irent. Quamuis vnicum hoc genus erat exercitationis, constat tamen alias quoque rationes fuisse.

§. 12. Decurrere. Veget. lib. 1. cap. 9. *Ad cursum præcipue assuefaciendi sunt iuniores, vt maiore impetu in hostem procurrant: vt loca opportuna celeriter, cum vsus aduenerit, occupent; vel aduersariis idem facere volentibus, præoccupent: vt ad explorandum alacriter pergant, alacrius redeant: vt fugientium terga facilius comprehendant.*

Decursio.

Liuius lib. 27. Legiones in armis ait quatuor millium spacio decurrisse. Quinta quaque die decurrebant. Nero indicta decursione prætorianis scutum ipse prætulit.

§. 13. Decurrebant itaque armati & cum sarcinis. Exercitium onerum ferendorum graue, & quod fortes redderet Tullius agnoscit in 2. Tuscul. *Nostri exercitus primum vnde nomen habeant, vides: deinde qui labor, quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre est quid ad vsum velit: ferre vallum, nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. arma enim, membra militis esse dicunt, quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint.* Virgilius quoque laborem itineris describit.

Onera ferre.

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam dum carpit, & ante
Hosti exspectatum positis stat in ordine castris.

Inter onera erant ferre dimidiati mensis cibaria. Interdum integri mensis ferebant; Scipio Numantinus triginta dierum frumentum ferre coegit, Liuius Epitom. 57. Aliquando dierum

Cibaria ferre optimum.

dierum 22. ita Cæsar l. 2. belli Ciuil. *Frumenti copiam legionarii nonnullam habebant, quod dierum viginti duorum ab Ilerda frumentum iussi erant efferre, cetrati auxiliaresque nullam, quorum erant & facultates ad parandum exiguæ, & corpora insueta ad onera portanda.*

Alexander apud Lampridium mutauit, nam in mansionibus iussit accipere, in hostico more veteri dierum septendecim ferre cogebãtur. Interdum frumentum tulerunt, interdum farinam, aliquando panem buccellatum. De frumento constat; nam idcirco molas quoque ferebant, vt frangerent. Liuius lib. 24. *Scipioni ait data scuta, galeas, hastas, secures, rutra, falces, alueolos, molas*; Farinam quoque absque dubio dum in castris hærerent, vel dum ad iter pararentur, parabant, neq; enim in diem viuebant. Imo crediderim panes ordinarie, nisi festinato ad iter vocarentur, coxisse. Biscoctum enim, quem buccellatum vocant, secum ferre solebant. Spart. in Pescennio. Ammian. in Iuliano. Paxamadia Græci vocabant; saccis pelliceis, vel ferculis ferebant, quas Mulos Marianos vocitabant, cum vallis illigassent.

Equo descendere. §. 14. Equitare in longum tempus, conscendere, descendere. Nam quotiescunque id iussit Imperator, faciendum erat.

Pugna vmbratica. §. 15. Pugnæ instar concurrere, maxime vt ordines seruare discerent. Ordinum seruandorum cura prima Romanis fuit; nam illis turbatis spes quoque victoriæ cedit. Nec densari ita debent, vt locus pugnandi desit, nec laxari vt perrumpi possint, ad hoc quoque assuefaciendi sunt, vt aciei formam ex tempore mutare possint.

Opera. §. 16. Opera facere. Corbulonis insigne dictum, *dolabra hostem vincendum.* Galba inquit Suet. *Veteranum ac Tironem militem opere assiduo corroborauit.*

Munire castra. §. 17. Munire castra; quod non per seruos, aut lixas faciebant, sed suis manibus laborem perficiebant.

Natare. §. 18. Nando sese etiam exercebant. Vegetius lib. 3. cap. 4. Æstiuo tempore ad natandum cogendos omnes. olim in Tiberi natare discebant, piscinæ etiam publicæ hunc in vsum constitutæ erant. Cato filium, Augustus nepotes ista docuit. De Catone Plutarchus. *Filium suum præiuit & docuit ipse, non solum iaculari, aut armis depugnare, & equitare, sed & pugillatum exercere, & æstum ac frigus ferre, ac fluminum vorticosa ac rapida natando superare ac transmittere.*

De Augusto Suetonius cap. 64. Nepotes & litteras, & natare, & alia rudimenta per se pleraque docuit.

Natando vsum æstiuis mensibus omnis æqualiter debet Tiro condiscere, non enim pontibus semper flumina transeuntur. Campi aliquando inundant, vt opus sit natatu, si euadere velint. Front.

Palaria. §. 19. Ad palum sese exercebant. Palaria Vegetius exhibet lib. 1. cap. 11. *Antiqui (sicut inuenitur in libris) hoc genere exercuere tirones. Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant: ita vt duplum pondus cratis haberet, quàm scutum publicum habere consueuit. Idemque claua ligneas, duplicis æquè ponderis, pro gladiis tyronibus dabant. Eoque modo non tantum manè, sed etiam post meridiem exercebantur ad palos. Palorum enim vsus non solum militibus, sed etiam gladiatoribus plurimum prodest. Nec vnquam aut arena, aut campus inuictum armis virum probauit, nisi qui diligenter exercitatus docebatur ad palum. A singulis autem tyronibus singuli pali defigebantur in terram, ita vt nutare non possent, & sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tanquam contra aduersarium, tyro cum crate illa, & claua, velut cum gladio se exercebat & scuto: vt nunc quasi caput, aut faciem peteret; nunc à lateribus minaretur, interdum contenderet poplites & crura succidere, accederet, recederet, assultaret, insiliret, & quasi præsentem aduersarium, sic palum omni impetu, omni bellandi arte tenderet. In qua meditatione seruabatur illa cautela, vt ita tyro ad inferendum vulnus insurgeret, ne qua ex parte ipse pateret ad plagam.*

Nec claua modo palum petebant, sed pilo quoque graui, Vegetius lib. 1. cap. 14. *Sed ad inceptum reuertor. Tiro, qui cum claua exercetur ad palum, hastilia quoque ponderis grauioris, quam vera futura sunt iacula, aduersus illum palum, tanquam aduersus hominem iactare compellitur. In qua re armorum doctor attendit, vt magnis viribus hastile contorqueat, vt destinato ictu vel in palum, vel iuxta dirigat missile. Eo enim exercitio, & lacertus robur accrescit, & iaculandi peritia atque vsus acquiritur.* *Palum pilo etiam petebant.*

Non cæsim sed punctim ferire discebant, plaga enim illa vitalia aperit, & duas vncias adacta mortalis est. Veget. l. 1. c. 12.

§. 20. Armaturam docendam serio statuit Vegetius lib. 1. cap. 13. Itaque habendos doctores armorum, qui nunc fere desunt. Anno ab vrbe condita 648. Rutilius Consul bello Cimbrico è ludo Aurelij Scauri doctores gladiatorum ad tirones instruendos vocauit. At C. Cæsar Tirones neque in ludo, neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, ac etiam per Senatores armorum peritos erudiebat.

Quod punctim ferire docebantur. Res illa maxime formidabilem Romanum faciebat, cum scirent eum certo, & destinato ictu τὰ καιρία, hoc est, vitalia posse tangere. *Equites & Senatores Tyrones docebãt.*

Equos vero non in planis modo, sed etiam abruptis & fossis exercere iubebantur, Veget. lib. 3. cap. 2. Plurimum valet sic exercitatio à puero. Persæ venatu se equitatuque à iuuentute exercebant, Herod. libr. 1. Strab. libr. 5. gladio semper accincti, pharetraque onerati, & equis hærentes in summa pace bellum meditabantur. Galli olim bello exerciti, vt sine eis vix bellum gestum. Iustin. lib. 25. Nunc cum primum in Gallia belli mentio est, in Germania habetur pro illis delectus, & petitur equitatus. *Equi in abruptis.*

§. 21. Ire militari modo. Tertullian. ad martyr. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem deficcando. *Ire militari ordine.*

Vegetius lib. 1. *Præterea & vetus consuetudo permansit, & Diui Augusti atque Hadriani constitutionibus præcauetur: vt ter in mense tam equites quam pedites, educantur ambulatum: hoc enim verbo hoc exercitii genus nominant. Decem millia passuum armati instructique omnibus telispedites, militari gradu ire, ac redire iubebantur in castra, ita vt aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Equites quoque diuisi per turmas, armatiq3, similiter tantũ itineris peragebant, ita vt ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum cederent, & recursu quodam impetus repararent. Non solum autem in campis, sed etiam in cluosis & arduis locis, & ascendere & descendere vtraque acies cogebatur, vt nulla res vel casus prorsus pugnantibus posset accidere, quam non antè boni milites assiduâ exercitatione didicissent.*

Veget. l. 1. c. 11. Ordinem aliter seruari non posse, quam vt assiduò exercitati ambulare celeriter & æqualiter discant.

Eundo & redeundo faciebant 20. milliaria, id quinque æstiuis horis, citatiore gradu viginti quatuor.

§. 23. Syluam cædere. Id enim non modo ad machinas, focum, vias faciendas, sed ad robur & exercitationem necessarium. *Syluam cædere.*

§. 24. Fossas transilire. Pompeium cum alacribus saltu certasse auctor est Plutarchus. Vegetius hanc quoque exercitationem habet l. 1. c. 9. *Ad saltum etiam quo vel fossæ transiliuntur, vel impedimenta aliqua altitudo superatur, exercendus est miles: vt cum eiusmodi difficultates* *Transilire fossas.*

euene-

euenerint, posſit ſine labore tranſire. Præterea in ipſo conſlictu ac dimicatione telorum bellator cum curſu ſaltuque veniens, aduerſarii perſtringit oculos, mentemque deterret, priuſquam plagã inſligit, quam ille ad cauendũ vel ad reſiſtendum certè ſe præparet. De exercitio Gn. Pompe. Magni Saluſtius hoc memorat: cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat: Neque enim ille aliter potuiſſet par eſſe Sertorio, niſi ſeſe & ſuos milites frequentibus exercitiis præparaſſet ad prælia.

Ad ſcopum exerceri. §. 25. Deſtinata tangere. Qui leuis armaturæ erant, haſtilibus, iaculis, pilis, ſagittis, fundis exercebantur, quod vno nomine armaturam vocabant.

Vegetius lib. 2. cap. 15. ait eos armaturas dictos, & exculcatores; primum erat haſtilia iacere, ſudem torquere. faciebant id arbitris centurionibus, dicebanturque ſub vineam iacere.

Sagittariorum erat olim maximus vſus. Tertia vel quarta pars iuniorum his exercebatur, Claudius, & Scipio inſtitutis ſagittarijs vicerunt. Sed iam parum vtiles, vt & fundæ, quas Vegetius ſatis indicat ad barbaros pellendos eſſe. In his ſemper exercebantur, ne conſuetudo deficeret. Claudian. de Honorij Conſul. lib. 4.

Iacula, armatura.

Prius agmina duris
Exerce ſtudiis, & ſæuo præſtrue Marti,
Non brumæ requies, non hybernacula ſegnes
Eneruent torpore manus.

Vide leges Theodoſ. & Valentinian. l. duces. cap. de offic. milit. iud. Omnia autem exuperat exercitatio.

Teſtudinem deſiccare, robuſtiora ſic ligna reddebantur. De teſtudine ſuo loco dictum eſt.

Exercitatio commendata. §. 26. Exercitatio maxime conuenit ei, qui pro patria pugnat, & cui bis errare non licet: *Athleta*, inquit Vegetius libr. 2. capit. 24. *venator, auriga, propter exiguam mercedem, vel certè plebis fauorem, quotidiana meditatione artes ſuas aut ſeruare, aut augere conſueſcunt. Militem (cuius eſt manibus ſeruanda Reſpublica) ſtudioſius oportet ſcientiam dimicandi, vſumque rei bellicæ iugibus exercitiis cuſtodire: cui contingit non tantum glorioſa victoria, ſed etiam amplior præda: quemque ad opes, ac dignitates ordo militiæ, & Imperatoris iudicium conſueuit euehere. Artifices ſcænici ab exercitiis non recedunt pro laude vulgi. Miles ſacramento lectus, ab exercitiis armorum, vel nouellus, vel iam vetuſtus ceſſare non debet, cui pugnandum eſt pro ſalute propria, & libertate communi: præſertim cum antiqua ſit prudenſque ſententia, Omnia in meditatione conſiſtere.*

Hinc factum vt exercitatio caſtrorum antiquior Romanis fuerit, quam caritas liberorum. l. Poſtliminium, §. filius ff. de captiuis.

Non aliunde robuſtius, quam diſciplina armatum exercitus. Pompeius, Traianus ea re maxime valuerunt. Salutaris rigor vincit inanem ſpeciem clementiæ.

Hinc magni Imperatores præiuerunt. Marius in fodiendo laborando que ipſe alacer communem operam præſtabat. Antoninus in fodiendo, aggeribus, portubuſque conſtruendis primum ſe ſemper præbuit. Herod. l. 4.

Hinc etiam qui in vmbraticis hiſce negligentes erant, puniebantur.

In exercitatione victus puniebatur. Qui in exercitatione negligentiores, pro frumento hordeum coguntur accipere. Vegetius libr. 1. capit. 13. *Ita autem ſeuerè apud maiores exercitii diſciplina ſeruata eſt, vt & doctores armorum duplicibus remunerarentur annonis: & milites qui parum in illa prolusione profecerant, pro frumento hordeum cogerentur accipere: nec ante eis in tritico redderetur annona, quam ſub præſentia præfecti legionis, tribunorum vel principum, experimentis datis, oſtendiſſent ſe omnia, quæ erant in militari arte, compleſſe.* Plutarchus in Mario ſic laboribus duratos Romanos ait, vt nec ſudantem, nec ſuſpirantem quenquam cerneres: Idque in longa, & laborioſa pugna cum Cimbris. Hinc nomẽ habet, vt exercitus dicatur. Hippocrates vere. Ραθυμίη ὑγραίνει, καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει, πόνος δὲ ξηραίνει, καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει. *Deſidia humectat, & imbecillum facit corpus, labor ſiccat, & fortè reddit.* Magnus in caſtris & in itinere labor.

Ioſephus, ferunt haſtam & ſcutum; præter iſta, ſerram, & corbem, rutrum & ſecurim, amplius lorum, falcem & catenam. Denique ſeptenos, aut duodenos vallos: Et valli quidem ob tormenta noſtratia inutiles ſunt, niſi quod equitem morari poſſunt. Cætera ſi quis reducere poſſet, næ ille facile orbis imperium occuparet. Quantum enim præſidium in eo eſt, vt vnius menſis cibaria miles humeris vehat? Quo non penetraret ille exercitus, cui annona domi eſt. *Valli.*

Serui gregario militi vix vlli, vnum communem deni habebant, qui molam, qui alia ferret; nam cortinæ & pelles tabernaculorum, alia neceſſaria erant. Habebant & iumenta nonnulla, multa enim inſtrumenta bellorum conuehenda ſunt.

Longæ exercitationes. §. 27. Admirari libet veterum in hac re diligentiam, cum noſtrâ negligentiâ comparatam. Octauius Auguſtus, vt Sext. Pompeium ſuperaret, totâ hyeme copias exercuit. Suet. tranq. Oct. Auguſt. *Donec nauibus ex integro fabricatis, ac XX. ſeruorum millibus manumiſſis & ad remum datis, portum Iulium apud Baias, immiſſo in Lucrinum & Auernum lacum mari, effecit. In quo cum hyeme tota copias exercuiſſet, Pompeium inter Mylas & Naulochum ſuperauit.*

§. 8. Priſcus igitur exercitus, & quicunque nunc eſt recte conſtitutus, non mera multitudo eſt. Hæc ſæpius noxia eſt, pluribus caſibus ſubiacet ampliori multitudo. Vegetius lib. 3. cap. 1. *Itaque in leuioribus bellis vnam legionem, mixtis auxiliis, hoc eſt, decem millia peditum & duo millia equitum crediderunt poſſe ſufficere, quam manum prætores velut minores duces, ad expeditionem ſæpe ducebant. Quod ſi magna hoſtium copia diceretur, conſularis poteſtas cum viginti millibus peditum, & quatuor equitum, tanquam comes maior mittebatur. Quod ſi infinita multitudo ex gentibus ferociſſimis rebellaſſet, tunc nimia neceſſitate cogente; duo Duces, & duo mittebantur exercitus cum eiuſmodi præcepto: prouideant, ne quid Reſpublica detrimenti capiat, Coſſ. alter, vel alter, ambove.* *Multitudo noxia.*

Denique cum in diuerſis regionibus, contra diuerſos hoſtes, à populo Romano annis propè omnibus pugnaretur, ideo ſufficiebant militum copiæ, quod veilius iudicabant non tam grandes exercitus habere, quam armis inſtructos. Illa tamen ratio eſt ſeruata, ne vnquam amplior multitudo ſociorum auxiliorumve eſſet in caſtris, quam ciuium Romanorum. *Auxiliares ne ſuperent Romanos.*

Legionum alia præſidia admiranda ſunt, vt merito Vegetius iudicet eſſe ciuitatem ſibi ſufficientem. *Legio non tantum*, inquit libr. 2. capit. 25. *militum numero, ſed etiam ferramentorum vincere conſueuit. Primum omnium inſtruitur iaculis, quæ nullæ loricæ, nullæ poſſunt ſcuta ſufferre. Nam per ſingulas centurias, ſingulas carrobaliſtas habere conſueuit, quibus muli ad trahendum, & ſingula contubernia ad armandum vel dirigendum, hoc eſt, vndecim homines deputantur. Nam hæ quanto maiores fuerint, tanto longius (ac fortius) tela iaculantur. Non ſolum autem caſtra defendunt, verum etiam in campo poſt aciem grauis armaturæ ponuntur. Ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites ſcutati poſſunt obſtare. In vna autem legione quinquaginta quinque carrobaliſtæ eſſe ſolent. Item decem onagri, hoc eſt, ſinguli per ſingulas cohortes in carpentis bobus (duobus) portantur armatis: vt ſi forte hoſtes ad oppugnandum* *Carrobaliſtæ in legione.*

dum venerint vallum, sagittis & saxis possint castra defendi. Scaphas quoque de singulis trabibus excauatas, cum longissimis funibus, & interdum etiam ferreis catenis secum legio portat: quatenus contextis eisdem (sicut dicunt) monoxylis, super tectis etiam tabulatis, flumina, quæ sine pontibus vadari nequeunt, tam à peditibus, quã à equitatu sine periculo transeantur. Habet ferreos harpagones, quos lupos vocant, & falces ferreas confixas longissimis contis. Item ad fossarum opera cienda bidentes, ligones, palos, rastra, alueos, cophinos, quibus portetur terra. Habet quoque dolabras, secures, ascias, serras, quibus materia ac pali dedolantur atque serrantur. Habet præterea artifices cum omnibus ferramentis, qui ad oppugnandas hostium ciuitates testitudines, masculos, arietes, vineas (vt appellant) turres etiam ambulatorias faciant. Verum ne singula enumerando plura dicantur, vniuersa quæ in quoque belli genere necessaria esse creduntur, secum legio debet vbique portare, vt in quouis loco fixerit castra, armatam faciat ciuitatem.

Scaphæ.

CAPVT XXV.

Parato opus esse celeritate.

Cæsar celerrimus.

§. 1. CVm iã arma parata sunt, & viri; ante omnia opus est celeriter hostem aggredi, famam ipsam anteuenire. Dimidium enim victoriæ consecutus, qui hostem imparatum inuenit. Ita magnus Imperator si quis alius Cæsar, cui & orator maximus testimonium dat, *hoc τέρας*, inquit, *incredibilis est celeritatis.* Et rationem Plutarchus ostendit in Cæsare. *Quod autem videret cœptorum exordium & aggressionem non magnam manum requirere in præsentia, sed terrore potius audaciæ & temporis celeritate præcipiendam (quippe perculsurum citius inexspectatum se quam si cum apparatu ingrueret, impulsurum aduersarios) imperauit Tribunis & Centurionibus, vt gladiis modo accincti relictis armis alii Ariminum amplam Galliæ vrbem, quam maxime fieri posset sine sanguine & tumultu occuparent.*

Multa prudentia bellica in paucis verbis. Primo subitam aggressionem non requirere magnam manum. Quia fere est contra inermes.

Athenienses vrbem egressi, sacra Mineruæ celebrarunt, & armis sub veste celatis, de repente agrum Lacedæmoniorum vastarunt, onusti prædâ sine vulnere redierunt. Quia antequam armassent se hostes, iam vicerant. Deinde constat celeritate percelli eos, ad quos peruenitur inexspectati. Terrẽt enim improuisa. Caracalla non bonus imperator, Parthos alioqui fortes, improuiso dum nuptias expectant, magna clade cecidit. Hinc ortum illud: *Semper nocuit differre paratis.* Et Cæsar in re militari celeritatem cunctis antecellere, docuit, & verbis, & exemplo. Itaque proficiscens incendia vetabat, ne hostem adesse cognoscerent, & ne commeatus suis deesset. Itaque si omnia recte perpendas omnia celeritate confecit, in Hispania Pompei legatos lentius vicit, quia ad Massiliam hæserat, iracundia victus:

Quamuis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat.

Celeritatis insignia Exempla.

§. 2. Paratis si tardi sint, maxima pars apparatuum perit. Subitis ne apparatu quidem opus est, quia dormientibus superuenire licet. Celeritate Ariston Athenienses, Æmylius Veientes, Aruns Hannibalem vicit. Insignis fuit L. Martij in Hispania celeritas: Scipionibus enim in Hispania cæsis, bina eadem nocte castra occupauit, nulla erat statio, nullæ custodiæ, itaque vt in sua castra Romanus intrauit. Liuius l. 34. Sic Thrasybulus in tabernaculo suo, custodiarum negligentia interemptus est.

Laudem plerisque viris Amage regina barbara præripuit, & quidem vxor regis ignaui; Cum enim Gersonitæ à Scytharum Rege opprimerentur, illa sumptis secum 120. viris continuato itinere ad regiam profecta, ianitores, ac Regem cum amicis occidit, filiumque eius iuste regnare iussit.

Minus itaque mirum est, Solonem vno quasi impetu naues armasse, matronas hostium cepisse, ciuitatem expugnasse. Historiam ita scribit Ælianus. Insigne stratagemate Solon Salamina cepit; In Coliade matronæ Atticæ Cereris festum celebrabant, lætitia & choreis, id per simulatum transfugam Salaminijs nũciat; interim iuuenes imberbes muliebrib. vestibus indutos, & enses habentes sub vestibus loco fœminarum in littore choreas ductare iubet, ad eos veniunt Salaminij, & occiduntur, iuuenes conscensis nauibus, Salamina occupant. Ælian. lib. 8. Iulius secundus pari celeritate subito Bononiam aggressus est, & armatus terrorem intulit, antequam vicini capere consilia possent; itaque Hispanum, Gallumque sibi adiunxit, Venetos terrore suspensos tenuit. Victori omnes gratulati sunt, qui forte victum oppressissent, aut cunctantem deseruissent.

CAPVT XXVI.

Militares Magistratus.

§. 1. MAgistratus militares duplices à Lipsio dicuntur, l. 2. de militiâ Romana. Communes & proprij; Communes, Imperator & legati: Proprij Tribuni, & Centuriones & equitum præfecti.

Imperator vel suis, vel alienis auspiciis rem gerebat.

Imperatorem antea descripsimus; qui tamen apud Romanos duplex; vel enim suis auspicijs militabat, cum Rex, Consul, Dictator, Imperator esset, vel alienis, si Proconsul, Prætor, Consularis, Legatus, Prætor. Non habuisse eos auspicia testis est Cicero 1. de Nat. Deor. & 2. de Diuinat. Habebant tamen quædam auspiciorum imitamenta, vt facilis est in superstitione mutatio. Litato enim & auspicato in prouincias proficiscebantur; vnde Scipio apud Liuium 28. Auspicia sibi tribuit. Quamuis de illis ipsis auspicijs forte loquitur, quæ in legionibus vsitata erant.

Legati.

§. 2. Imperatoribus erant legati. Eorum institutum erat, vt imperatori operâ & consilio adessent: nam *πρεσβευταὶ* erant, & *σύμβουλοι*.

Aliquando eos Senatus, nonnunquam Consul eos nominabat, ipsi Imperatores eos sibi legebant, sed non absque Senatusconsulto, vt constat ex Cicerone in Vatinium.

§. 3. Munus legati erat, omnia, quæ ad rem pertinere putabat, in medium consulere. Cæsar lib. 3. belli Ciuil. Aliæ sunt legati partes atque Imperatoris. Alter omnia agere ad præscriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet.

Insignia imperij habuerunt, Liuius lib. 29.

Duo vt plurimum fuêre, interdum plures, prout Senatus censebat.

Principum æuo Consulares legati exercitibus totis præerant. Prætorij singulis legionibus, qui & legati legionũ dicti sunt, *ὑποστράτηγοι*, & *ὕπαρχοι*, quasi subprætores, & subpræfecti, qui ijdem postea duces dicti sunt.

Tribuni.

§. 4. Post legatos ordinaria dignitas erat Tribunorum. Erant in singulis legionibus seni, per vices imperabant bini, ius reddebant in principijs, signum dabant. Liuius l. 28. Tribunos & iura reddere in principiis sinebant, & signum ab eis petebant. Penes eos erat cura vigiliarum, munitionum castrensium, exercitiorum.

Non igitur vni cohorti, aut certæ parti imperabant, sed toti legioni. Horat. *Quod mihi paruerit legio Romana Tribuno.*

Initio à Regibus, deinde à populo creati sunt. Primo quidem vt populus sex nominaret, reliq nos

Impe-

Imperator constitueret, quos Rufulos vocabant. Anno v. c. 444. constitutum est, vt seni deni in quatuor legiones à populo crearentur, cæteri octoni à consulibus. Liuius libr. 9. Hinc duplices Tribuni Rufuli, & comitiati, & hi in precio præcipuo. Interdum Consulares Tribuni facti. Liuius libr. 42. Duo Consulares Tribuni militum cum eo missi. Et in magno periculo senatus vetat fieri Tribunum nisi qui magistratum gessisset.

Tribunorũ breuis magistratus est noxius.

Tribuni si rectè officio fungerentur in senatum facile adsciscebantur; Augustus senatorum liberis Tribunatum & præfecturam alarum dedit, & ius lati claui, qui ex eo vocati sunt Tribuni Laticlauij, sicut qui ex equitatibus Tribuni angusticlauij.

Nullo modo probandum, quod ambitiosè in singulos annos mutabant Tribunos; nam cum postea semestres Tribunatus facerent Imperatorum liberti, insaniæ simile fuit, ridet eos Iuuenal. Sat. 8.

Ille & militiæ multis largitur honorem
Semestri vatum digitos circumligat auro.

Tribuni Cohortis.

§. 5. Erant & Tribuni cohortis, & alarum. Suet. in Claud. Semestres militias ita ordinauit, vt post cohortem, alam; post alam Tribunatum legionis daret.

In Cæsare libr. 2. belli ciuil. Tribuni cohortium nominãtur. In Probo, Vopiscus vni Tribuno sex cohortes tribuit, sed optime Lipsius, Tribunatum in hisce pro præfectura accipit.

Tribuni ius annulorum aureorum habuerunt. Appian. *in Punic.*

Præfectus castrorum sub Augusto cœpit.

Centuriones.

§. 6. Centuriones in quaque legione erant sexaginta, hoc est, in singulis manipulis duo, duabus lectionibus creabantur, dignior habebatur, qui primus eligebatur. Centuriones sibi optabant ὀυραγὸς seu optiones, qui eorum erant adiutores, Vicarij, succenturiones; Qui prior electus erat dextræ centuriæ præerat, alter sinistræ.

Ita de hisce Polybius interprete Lipsio. *Ex quoque autem dictorum Generum, exceptis natu minimis, eligunt Ordinum ductores, secundum virtutem, decem. Post istos altera electione iterum decem: atque hos omnes appellant Ordinum ductores. quorum ũ, qui primus electus est, etiam consilii particeps sit. Isti autem rursus eligunt totidem Vragos quos dicunt, siue Tergi duces. Post hæc deinde vna cum Ordinum ductoribus diuidunt ætates singulas siue Genera, quamque in decem partes, exceptis Velitibus: & attribuunt cuique parti ex viris iam electis duos duces, & duos Vragos. Reliquos autem Velites, vti multitudo est, diuidunt æquabiliter in omnes partes. Atque harum quamque appellant Ordinem, & Manipulum, & signum: ipsos autem duces, Centuriones & ordinum ductores. Qui etiam in quemque Manipulum, ex reliquis eligunt duos, vigore corporis & animi præstantes Signiferos. Duos autem in quemque manipulum duces faciunt, meritò. quia cum incertum sit quid quisque facere aut pati possit, nec res bellica excusationem capiat, nunquam volunt manipulum sine duce esse. Vtrumque igitur præsente, qui prior electus est, præest dextræ parti manipuli; qui secundus, Sinistræ. Cum autem alter non adest, is qui relinquitur præest omnibus.*

Documenta militiæ.

§. 7. Insignia sunt hic documenta veræ militiæ, & animis roborandis. Primum documentum: Eligunt ex virtute ἀριστεῖον, non vt nunc aliquando, & labente imperio, ex fauore, pecunia, aliisve. Scæua apud Lucanum.

Ibi sanguine multo
Promotus latiam longo gerit ordine vitem.

Vitem libello poscebant, qui castra non viderant. Cum Centurionatus per amicos impetrarentur, cum

Præfectos Pelopeia facit, Philomela tribunos.

Ordines non nisi virtuti dandi.

Legionum robur, inquit Vegetius libr. 1. capit. 3. *per negligentiam superiorum temporum, infractum est, cum virtutis præmia occuparet ambitio, & per gratiam promouerentur milites, qui promoueri consueuerant per laborem. Deinde contubernalibus, completis stipendiis, per testimoniales ex more dimissis non sunt alii substituti. Præterea necesse est, morbo aliquantos debilitari, atque dimitti, aliquantos militiam deserere, vel diuersis casibus interire: vt nisi annis singulis, imò singulis pene mensibus in decedentium locum iuniorum turba succedat, quamuis copiosus exhauriatur exercitus.*

Militiæ Magistratus inexpertos faciunt.

Et quamuis à ratione alienum non sit ex censu fieri, & constet aliquando ab initio centuriones esse factos, vt constat ex oratione Mœcenatis, id tamen rarum est; nec nisi in fortissimis & prudentissimis conueniens, qui absque experientia militiæ rudimenta perceperunt; credo in illis fuisse, qui paruuli castra secuti, inter signa reptarunt, omnemque ordinem, & disciplinam perceperunt.

Secundum. Consules, & Tribuni ordinem assignabant, qui cum plures essent, cumque in exercitu res ageretur, non facile viris fortibus indignum præficere potuerunt.

Tertium documentum. Duplex erat lectio; vt magis virtutis ratio haberetur.

Quartum. Primus pilus summa in dignitate erat; nam primo ad Consilium cum legatis, & tribunis vocabatur, sed in rebus trepidis etiam primorum ordinum centuriones vocabantur. ita 1. bell. Gall. Cæsar. & l. 5. Et sine dubio tum etiam equitum præfecti, quorum maior erat dignitas, quam centurionum.

Quintum. Optiones dabant tribuni, sed postea id concessum Centurionibus, vt scilicet fortes, & fidos legerent.

Sextum. Vexillarios duos seligunt, grauia enim signa erant, vnum autem erat manipulis signum. Non erat ea dignitas aquiliferis, quæ nunc nostris est vexilliferis: Nam aquilam primus pilus regebat, qui apud Dionysium lib. 10. vocatur etiam præfectus legionis. *alio iterum prælio*, inquit, *in quo Præfectũ legionis nostræ contigit cadere, & aliquam venire in hostium potestatem, ego pariter pugnans & aquilam seruaui, & præfectum eripui. qui gratiam mihi auxilii eius referens, ducatum legionis cessit, & aquilam dedit.* Imo ipse aquilam reuellebat, & signifero dabat.

Vexilliferi.

Equitum præfecti.

Septimum. Censum equestrem consequebantur, qui primum pilum gessissent.

§. 8. Equitum turmæ sunt decem, in singulis tres sunt præfecti, qui primus nominatur toti turmæ præest, cum abest, secundus præest, ita Polybius. *Equites similiter in turmas diuiserunt decem. Ex vnaquaque tres sumunt futuros duces. Istiipsi tres adsumunt Vragos, siue Tergiductores. Qui igitur primus electus est, imperat toti turmæ: reliqui duo Decurionum locum tenent, atque adeo omnes Decuriones appellantur. Cum primus autem non adest, secundus præfecti turmæ locum adsumit.*

Sociorum præfecti.

§. 9. Socij pro Tribunis duodecim præfectos habebant. Polyb. *Iunctis congregatisque sociis vna cum Romanis, horum quidem ordinationem & gubernationem habent à Consulibus constituti Duces, qui Præfecti appellantur, duodecim numero.*

A Consulibus constituebantur, vt magis fidos seligerent, & beneficio obligatos tenerent.

Denique in contubernijs erant deni: qui his præerat, Decanus appellabatur.

CAPVT XXVII.

Alij in militia Magistratus.

Duces militiæ in omni Repub.

§. 1. APud vetustissimos Orientis populos erat proxima regibus dignitas Magistri militum, qualis est Genes. 26. qui in paruulis regnis erant, & præfecti prætorio, & castrorum magistratus. Habebat & Assyrius Holofernem militiæ ducem; Ioab erat super exercitum Dauid, qui & plurimos duces habuit, vnum in singulis tribubus. Ordinata enim semper in omni Republica fuit militia. Eosdem enim sumptus facit exercitus ordinatus, & inordinatus, imo his maiores, ordinatio autem in magistratu, eorumque officijs cernebatur. Apud Romanos sub Imperatoribus, vt magistratus ciuiles, ita quoque militares paulatim mutati sunt.

Ameralius, vel Admiralius.

Ameralius ἀμηρᾶλιος ἡγεῖται, inquit Codinus, ὅλου πάντος imperat toti classi. Hetæriarches magnus transfugis suscipiendis præest.

Præfectus legionum. Iudex legionis.

Præfectus legionum fere officium habuit, quod olim legati, Vegetius lib. 2. cap. 9. *Proprius autem iudex erat præfectus legionis, habens comitiuam primi ordinis dignitatem, qui absente legato, tanquam vicarius ipsius potestatem maximam retinebat. Tribuni vel centuriones, cæterique milites, eius præcepta seruabant. Vigiliarum siue profectionis tessera ab eodem petebatur. Si miles crimen aliquod admisisset, auctoritate præfecti legionis deputabatur à tribuno ad pœnam. Arma omnium militum, item equi, vestes & annona, ad curam ipsius pertinebant. Disciplinæ ius & seueritas, exercitatio, non solum peditum, sed etiam equitum legionariorum, præcepto eius quotidie curabatur. Ipse autem custos diligens & sobrius legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem deuotionem, ad omnem formabat industriam: sciens ad præfecti laudem subiectorum redundare virtutem.*

Præfectus castrorum.

Præfectus castrorum deinde additus est, de quo Vegetius libr. 2. cap. 10. *Erat etiam castrorum præfectus, licet inferior dignitate, occupatus tamen non mediocribus causis: ad quem castrorum positio, valli & fossæ destinatio pertinebat. Tabernacula vel casæ militum, cum impedimentis omnibus, nutu ipsius curabantur. Præterea ægri contubernales & medici, à quibus curabantur, expensæ etiam ad eius industriam pertinebant. Vehicula, sagmarii, nec non etiam ferramenta, quibus materies secatur vel cæditur, quibus aperiuntur fossæ, contexitur vallum aquæductus. Item ligna vel stramina, arietes, onagri, balistæ, cæteraque genera tormentorum, ne deessent aliquando, procurabat. Is post longam probatamque militiam peritissimus omnium legebatur: vt rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.*

Stratopedarches.

Tacit. an. 1. Maior erat eorum, quam Tribunorum dignitas. Stratopedarches magnus vniuerso exercitui præfuit, vt cibum instrumentaque curaret. Cantacuz l. 1. c. 17. Stratopedarches τῶν μονοκαβάλλων qui illis præerat qui vno equo merebant.

Stratopedarches Murtatorum, qui iaculatoribus stationarijs. Stratopedarches τῶν θεάκων qui hastatis; Stratopedarches τῶν τζαγγρατῶν qui sagittarijs præerat.

Præfectus fabrorum.

Præfectus fabrorum, omnes fabros, arma, vehicula, cunicularios aliosque habuit.

Magister militum.

§. 2. Magna dignitas erat Magistrorum militum, quorum in oriente erant quinque. Qui & Magistri armorum; in Occidente duo erant, aliquando vnus.

Drungarius.

In classe Drungarius soli duci parebat, Comitibus, amiralio, Protocomiti, & inferioris notæ Drungarijs imperabat.

Equitum magistratus olim dicti τύρμαρχοι, Leon. Const. 3. §. 43. qui & μεράρχας, & σκαλήλατας appellat.

Delectibus agendis aliquando creati triumuiri, L. 25 id bello punico secundo, cum magna esset militum inopia.

§. 3. Primipili erant alij, quorum magna erat dignitas, annonam exhibebant, Dionys. l. 9.

Primipili posteriore ætate.

Comites rei militaris ducibus prouinciarum æquati sunt. c. t. 12. de comitibus rei militaris.

Comites.

Plures illi erant, interdum pediti, interdum equitum turmæ præerant. Quidam magistris militum pares erant.

Comites scholarum, excubitorumq; ad palatina officia pertinebant.

§. 4. Duces dicti limitum præfecti, & militum. Ex his Crispus ducatus & imperia ludebat, quocirca eum Nero in mare mergendum curauit.

Duces.

Ducibus & Comitibus postea maiores habiti sunt Drungarij. Est autem Δροῦγγος τῶν ἐκ τριῶν μοιρῶν συγκείμενον ἄθροισμα. *Ex tribus Mœris seu partibus cœtus.* Mœros autem seu μοῖρα tres Drungos continebat aliquando. Nam variant nomina.

Multa horum mentio est apud Mauricium, & Codinum. Diaconus l. 25. Drungarium vigiliæ nominat.

Præpositus labari.

Præpositus Labari, vel λαβάρων dicebantur, qui illud ferebant per vices, quinquaginta erant, Euseb. lib. 2. de vita Constantini. Clarissimi erant, & consularibus pares. Diac. l. 11.

Præpositi sub Tribunis erant, & certo militum numero præerant, Suet. in Othone.

Tribuni prouinciarum.

Tribuni quoque prouinciarum erant, Cassiod. l. 12. c. 34. Tribunus Maritimorum. Tribuni cohortum prætorianarum.

Aphoplistæ.

Aphoplistæ homines priuatos exarmabant, ne cædes facerent, eos sustulit Iustinianus Nouel. 15. Nostri rubram virgam appellant. Magistratus post bella arcendis latrunculis necessarius.

Latrunculator.

Latrunculatores ijdem dici solent. His similes Irenarchæ, qui cædes inhibebant.

Metatores. Mensores.

Metatores, & Mensores locum castris idoneum capiebant.

Audax Hesperiòs veniam metator in agros.

Iudex castrorum κριτὴς φοσσάτου, deinde dictus est, inter milites iudicabat, quod olim Tribuni faciebãt.

ὁπλοδιδάσκαλοι.

Campidoctores ὁπλοδιδάσκαλοι, singulis in legionibus erant: in gestis Thebæorum.

Euocati.

§. 5. Inter milites, an inter Magistratus militares censendi sint euocati, incertum videri possit, sed dignitate centurionibus pares, statu priuati erant. Milites erant ex omni genere præstantissimi, qui stipendia absoluerant, sed in gratiam patriæ, aut ducum sponte militabãt. Ita Dionys. *Erat in his,* inquit, *L. Siccius, qui cohortem ducebat virorum octingentorum, qui iam supra ætatem militarem erant, nec in militiæ leges cadebant (vti nec ipse Siccius) honorantes tamen virum, & beneficijs pluribus ab eo affecti, euntem ad bellum noluerunt deserere. Atque erat hæc manus exercitus totius, siue præliorum peritiâ, siue in periculis constantiâ, longe princeps.*

Etiam ex socijs sumebantur, & magno numero. Quinctius tria millia collegit, & vocat Plutarchus σόμωμα, mucronem aciei. Hac parte valebant illi, qui beneficiarios multos habebant. Octauianus ex Campanis patris sui beneficiarijs dena millia collegit, vt Appianus. Hos vt corporis custodes sub vno vexillo habuit. Tacitus vocat vexillum veteranorum.

Immunes operum erant, nisi propulsandi hostis; multi spe ordinum ducendorum nomina dabant. Cæsar l. 1. ciuil. belli. Eos centurionibus æquare videtur. pollicetur quaterna in singulos iugera, pro ratâ parte centurionibus, Euocatisque.

Dio in Augusto, air Eos ῥαβδοὺς φέρειν, ὥσπερ οἱ ἑκατόνταρχοι. ferre vites vt centuriones.

§. 6.

§. 6. Corrupta Republica omnia pene officia militaria in dedecus & quæstum abierunt. Itaque virtutis nulla ratio habita, sed pecuniæ & vitiorum.

Quæ enim fuerit in castris disciplina, quæ ratio delectus demonstrat Tacitus libr. 4. histor. *Iussu Vitellii, Batauorum iuuentus ad delectum vocabatur: quem suapte naturâ grauem, onerabant ministri auaritiâ ac luxu, senes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent. rursus impuberes sed forma conspicui (& est plerisque procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Hinc inuidia, & compositi seditionis auctores, perpulere vt delectum abnuerent. Ciuilis primores gentes, & promptissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, vbi nocte ac letitia incaluisse videt, à laude gloriaque gentis orsus, iniurias & raptus, & cætera seruitii mala enumerat. Neque enim societatem vt olim, sed tanquam mancipia haberi. Quando legatum, graui quidem comitatu & superbo cum imperio, venire. tradi se præfectis centurionibusque. quos vbi sponsis & sanguine expleuerint, mutari, exquirique nouos finus, & varia prædandi vocabula. Instare delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, velut supremum diuidantur. Nunquam magis afflictam rem Romanam, nec aliud in hibernis quam prædam & senes. attollerent tantum oculos, & inania legionum nomina nepaueſcerent. esse sibi robur peditum equitumque; consanguineos Germanos; Gallias idem cupientes: ne Romanis quidem ingratum id bellum, cuius ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriæ rationem non reddi. Magno cum assensu auditus, barbaro ritu, & patriis execrationibus, vniuersos adigit.*

Caput XXVIII.

Militem internum præstare externo: nec tamen negligendum externum.

Hæc bella fere ex circumstantiis pendent.

§. 1. Difficillima non modo tractatu res, sed etiam ipso vsu. Auctores quidem video in diuersum ire; quidam omnino suadent τὸ ξενικὸν peregrinum militem; alij domesticum; Principes nunc hos nunc illos sequuntur.

Contra externum militem hæc fere dicuntur.

Vita militis externi.

Primo. Infidos esse, & maiore ex diuerso mercede ius fasque exuere.

Secundo non parere, non iuberi, non regi, idque propinquo discrimine.

Tertio, sine pudore fugere, non fide, non affectu, in principem, aut patriam teneri, mercenarius enim est.

Quarto. Causam non habere, cur alienæ dominationi sanguinem commodent. Epaminondas suos hortabatur, vt in Lacones ferrentur, aliorum his cæsis, nullam fore constantiam.

Quinto. Regionem cui veniunt auxilio externam arbitrari, ideoque cum possunt, eam populari, cui defendendæ conducti sunt.

Sexto. Neq; facile vtendum milite externo subsidiario, cum enim ab alio stipendia accipiant, non fore fideles illi, pro quo periclitantur, sed à quo alantur.

Septimo. Qui bella alieno auxilio gerit, est in manu illius à quo adiuuatur. Auxiliares Gothi orientem prædati sunt, occidentem inuaserunt. Saxones victis Pictis, & Scotis Britannias tenuerunt.

Octauo. Mercenarius miles est inutilis, quia propter exiguum stipendium non exponit vitam. Deinde vel fortis est vel ignauus; si fortis timendus; si ignauus, est proditor. Denique domestico quod dederis, in regno manet, quod extero, vicinos efficit fortiores.

§. 2. Mihi tamen multa hoc in genere consideranda sunt, & interdum exteri milites domesticis præponendi; neque hic semper quærendum, quid optimum sit absolute; sed quid fieri possit, quidque sit considerandis circumstantijs amplectendum.

Optandum omnes esse fortes in Rep. sed non sperandum.

§. 3. Itaque optandum quidem est, vt quemadmodum in Republica Romana tempore Romuli, aliorumque Regum omnes ciues milites erant, ita quoq; in regnis & vrbibus cura belli cum pacis artibus misceatur, vt semper parati sint omnes ciues ad sustinendum, inferendumque bellum; eo finito contenti triumpho ad ciuiles artes reuertantur. Sic Attilius Regulus à Senatu petiit, vt sibi prædijs curandis domum redire liceret, quod à colonis negligentius habita essent; aliique militum Romanorum cupidissime arma deposuerunt.

Verum eam Rempublicam stabilem esse non puto; quia nulla in hunc vsque diem talis apparuit; quæ longo tempore perdurarit. Nam Romæ quoque cum essent multa ciuium millia, pauci tamen qui in bella scriberentur, fuerunt? quid enim binæ, aut quaternæ legiones ad ducenta, aut trecenta ciuium millia?

Potentes Monarchæ variis ex gentibus militem scribunt.

§. 4. Qui ampla, & diuersarum nationum regna possident, non modo ex subditis militem cogere, verum ex alijs quoque gentibus conducere possunt. Nam quod hodie in plerisque regnis fieri videmus, causa non est, cur reprehendamus, nisi euidens ratio aliud persuadeat: nec enim probamus, quod Machiauellus putat, nullum regnum, nullam Rempublicam rei bellicæ habere legitimum ordinem aut peritiam. Cum igitur imperatori Romano bellum est in Turcas non modo Pannonico & Germano, sed Italo quoque & Franco milite vtitur, id ad victoriam mirifice conducere arbitratus ex quaque gente bellicosos in castris exercere. Quin etiam institutum Romanorum fuit, qui ex omnibus prouincijs delectum agebant, sociorum etiam regum auxilia perpetua habuerunt. Raro autem ab illis tumultuum sunt orta initia, sed si quid fuit aduersi à legionarijs incepit.

Romanorũ auxilia raro tumultuata.

Auxilia omnino reijcit Machiauellus in principe capit. 12. Quia non sit in illis beneuolentia, magno constant, principem euertunt. Carthaginenses fere ab auxilijs oppressi sunt; post bellum Punicum primum. alios adiungit. *Philippus Macedo à Thebanis post Epaminondæ mortem creatus imperator, parta ex hostibus victoria eorum libertatem sustulit. Mediolanenses, mortuo Philippo principe decreuerunt stipendium contra Venetos Francisco Sfortiæ, qui ad Caraudagium deuictis hostibus adiunxit se illis, vt Mediolanenses suos dominos opprimeret. Eius pater Sfortia cum Ioan. Neopolitanorum reginæ stipendia mereret, repente illam inermem deseruit, sic vt ne regnum amitteret, in Aragoniorum regis sinum coacta fuerit sese conijcere. Si quis obiiciat, Venetorum atque Florentinorum imperiũ his armis retroactis Imperatoribus fuisse propugnatum, nec illud eorum præfecti in suam potestatem redegerint: respondeo Florentinos suam quandam fortunam in ea re fautricem habuisse. Quandoquidem ex eorum ductoribus qui strenui essent, & à quibus sibi metuendum fuisset, nonnulli aduersis præliis sunt vsi, nonnullis fuit repugnatũ, reliquos ambitio alio deuoluerat: qui infeliciter bellum administrauit, is fuit Ioan. Acuthus: cuius fides amicta victoria, cognosci nõ potuit: at nemo non fatebitur si victoriã reportasset, Florentinorum rem suo arbitratu fuisse administraturum. Sfortiæ perpetuo Brachiani sunt aduersati mutuo sese obseruantes. Franciscum ambitio totum in Galliam Cisalpinam pertraxit: Brachius vero contra sacerdotum Rempubl. atque Neapolitanorum regnum se conuertit.*

Verum ad id accedamus, quod nuper contigit. Imperium

belli gerendi Florentini detulerunt Paulo Vitellio, viro insigni prudentia, qui ex priuata fortunæ conditione, maximum sibi nomen pepererat: is si Pisas expugnasset, nemo inficias fuisset iturus, Rempubl. Florentinorum eius imperium fuisse subiturum. Nam si in hostium partes stipēdia facturus transfisset, nullus erat euadendi locus: si vero eum retinuissent, illius iussa capessere cogebantur.

Venetorum si progressus examinentur, facillime quis intelliget, eos tutissimè ac felicissimè tūc se præstitisse, cum ex Veneta gente collecti eorum exercitus, bella gerebant. Qui mos eis fuit, antequam ad terrestres expeditiones sua studia conuerterent: quo quidem tempore patritiæ gentis & vrbanæ plebis instructi armis, fortissime se gesserunt. At vbi primum terra bellum gerere cœperunt, hanc virtutem neglexerunt, moresque Italicos sunt sequuti: atque in continenti augendi imperii initio, tum quod non ita longe Reipub. fines protulissent: tum etiam quod in magna essent existimatione, non erat quod valde à suis præfectis foret sibi timendum: at propagatis imperii finibus quod Carmignola exercitus imperator factus est, tunc eius erroris specimen ceperunt. Nam cum illum acerrimum ducem cognouissent, postquam eius ductu, Mediolanensium regulum verberassent, illum vero remissiorem in bello gerendo factum cernerent, nullius amplius victoriæ eo ductore se fore compotes sunt rati. Quare ne quod partum fuerat totum periret, eum missum facere nec volebant nec poterant. Vt tutos itaque ab eo se assererent, eum interfecerunt. Declararunt deinde suarum copiarum imperatorem Bartholomæum Bergomatem, Robertum Seuerinatem, Comitem item Petilianum, & id generis alios: quibus ducibus metuendum erat, ne detrimentum citius quam emolumentum suæ Reipublicæ importarent. Id quod in eo, quod gestum est ad Vailam bellum accidit: vbi vnico cum hostibus congressu id totum periit, quod CCC. annis tot laboribus fuerat quæsitum. His enim armis lentæ dant taxat, serè ac exiguæ fiunt rerum accessiones: at subitæ & repentinæ erumpunt iacturæ & calamitates.

Vsum omnium culpare non est prudentis.

Verum cum videamus nunc vsum esse vbique militis mercenarij, non est existimandum in tanta cupiditate vincendi nullam Rempublicam id sequi, quod consultissimum est. Moderate tamen auxilijs exteris vtendum. Veneti ducem mari è suis præficiunt, ipsi militi mercenario terrestri per suos stipendia soluunt, socios & consilia duci adiungunt, ipsi è curia bella dirigunt, maximeque trahere ea cupiunt, vt sumptu fatigent hostem, non facile in prœlij discrimen rem conijciant.

Auxilia à suspecto.

Auxilia quæ dantur à potentiore, nisi fidus ille sit, pernicioſa sunt, vt si Turcam voces auxilio, quod fecere Græci: at si à fido & cognato, salutaria. Iulianus Secundus Ferdinandum Hispanum, Philippum nunc Ferdinandus aduocat, & contra Venetos vocauit, nec pedem terræ suæ per eum amisit. Itaque vbi fides, DEI timor, commune commodum, amicitia, affinitas, & cognatio facile in communes vel inimicos, vel suspectos, arma sumunt. Tam enim interest Hispano Bohemiam, quam Italiam defendi.

In seditione exteris vtūtur.

§. 5. Primo, In seditione quidem & ciuili bello plerique extero milite vtuntur. Pompeius Asiæ barbaros adduxit, Cæsar Gallos, & Hispanos: Cæsares sibi fidissimos sensêre exteros. Nunc quoque in Belgio militant exteri, Germani, Galli, Angli, Scoti, Hyberni, Itali, Epirotæ. Heluetij quoque præsidio multis exteris conducuntur. Neque eam ob causam tyrannidis accusari principes debent; cum enim domestici factiones alunt, cum in salutem principis violandam conspirant, externo se tueri præsidio merito ac iure possunt. Nec modo id faciunt Reges, sed ipsæ Respublicæ, quæ libertatem ciuium externo præsidio tueri se dicunt. Batani Gallica, & Britannica præsidia suis ciuibus in officio continendis, per oppida nobilia disponunt; nullo id modo facturi, nisi id contra motus internos, externaq; bella consultum arbitrarentur. Neque vero magni momenti sunt, quæ à Machiauello alijsque adferuntur. Infidum aiunt esse πάντα τὸ ξενικόν. omne exterum fluxæ fidei. Equidem fateor, multa externæ perfidiæ exempla recenseri, & Romanum Imperium per Gothos, Alanos, alioſque, qui subsidio venerant, euersum: Verum plura sunt domesticæ perfidiæ exempla. Vnus Sylla plus detrimenti attulit, quam Alarici tota barbaries infusa vrbi. Imo non tam externa auxilia, quam cum illis ducum perfidia.

Externorū minora quam ciuiū scelera.

Quocirca non ex omni gente auxilia accersenda, sed ex illa, cui iura, & fœdera publicè, priuatimque sancta sunt. Itaque nemo Christianorum principum Turcas, Tartaros, Moscouitas in auxiliū vocat; ἄστοργοι n. sunt, & cū periurio fefellerunt, apprimè læti. Constantinus in Græciam 10000. Turcarum vocauit, victores excedere recusarunt, inde causæ multarum calamitatum fluxerunt. Hiero Syracusanus cum mercenarios insolescere videret, vt nec retinere, nec dimittere sine periculo posset, vsus stratagemate, omnes occidit. Crudele hoc & durum, sed meruerant.

Secundo, Parent fere promptius, pugnant fortius externi, vt qui in solâ principis beneuolentiâ, & victoria spem salutis habent.

Externi fortes.

Tertio. Pudor etiam externos à fuga retrahit, qui videri ignaui exteris, suisque, ad quos inglorijs esset redeundum, nollent.

Quarto. Nescio an facilius inuenturus sis, qui externi principis in alios dominationem asserere, quam sui principis in semet potestate dimicare paratus sit. Ita olim factum, exteri Romanam dominationem firmarunt. Romani cum potentia creuere, socios habuerunt, quos simul colligebant, vt ait Polybius. *Sub hoc ipsum tempus Consules denunciant magistratitibus sociarum in Italiâ ciuitatum, è quibus auxilia & commilitum habere volunt, significantque iis, & numerum & diem, & locum in quem conuenire debeant quos legent. At vero ciuitates similem facientes iam dicto delectum, itemque iuramentum adigentes, mittunt eos, Præfectum constituentes & Quæstorem.* Romani sane cum bello gratissimo Hannibalis premerentur, auxilia mercede, hoc est, Volones conduxerunt. Tom. lib. 2. Μεταξάντας δὲ, inquit, ἀπὸ καρχηδονίων γαλάτας, ᾗ ἄλλοις τῶν σφῶν συμμάχων τινὰς, οἱ ῥωμαῖοι ἐπὶ μισθοφορᾷ θεσσελάβουλο, μήπω πρότερον τρέφοντες ξενικὸν. *Deficientes à Carthaginiensibus Gallos, & alios quosdam socios, Romani stipendio conduxerunt, non ante peregrinum militem soliti alere.*

Romani mercenarijs vsi.

Quinto. Facilius prædantur exteri, qui minus affectu patriæ, & verecundiâ mouentur: peritius tamen ciues locorum, rerumque gnari. Contra auxiliarium militem itaque quæ dicuntur, vana sunt: Paruo enim negotio caueri possunt; etsi enim ab alio stipendia capiant, cum tamen ea tui causa accipiant, te magni quoque facient; cauendum autem ne auxilia petas ab suspecto, ne victori frenum imponat. Itaque is fidelissimus σύμμαχος est, cuius interest, te vincere, maximeque potentem esse.

§. 6. Valde cauendum imperatori, ne plus alieni, quam sui roboris in castris habeant. Expertus Scipio in Hispania, qui Celtiberos pecunia conduxit, sed cum eos hostis corrupisset aliâ pecuniâ, oppressus est.

CAPVT XXIX.

Ordinarios milites quosdam alendos esse.

§. 1. ROmani initio, licet ordinē classiū Seruius instituerit, militē tā ordinariū non habuerūt, sed

Romani ordinariũ militem non habuerunt initio.

sed cum patria defendenda, vel bellum gerendum esset, delectus agebant. at postea crescente imperio legiones ordinarias, & statas, atque adeo militem prætorianum pro tutela principis habebant. Idque iam olim Græci factitarunt, & suasit Athenienſium orator. Demosthenes enim quatuor perpetuo legiones alendas putabat, orat. 4.

§. 2. Magna cura adhibenda est, vt copia sit militis ordinarij: nam ordinarie subito bella consurgunt, & diu durant, itaque opus est celeri remedio, & perseuerante. Hinc totam imperij molem conspicatus Augustus, ordinarios milites constituit, seruatumq; hoc est à successoribus.

Augustus militem perpetuum constituit. In Gallia miles ordinarius.

De perpetuo milite video variatum admodum in multis regnis, præsertim Franciæ. Gregor. Tolet. libr. 11. de Repub. *Sunt multa alia quoque armorum exterorum incommoda, quæ considerans Carolus VII. Rex Franciæ pulsis regno Anglis, instituit ordinariam militiam quinquaginta millium peditum, qui stipendiis continuis militari scientiæ nauarent operam, & ad omnem incursum interim expeditius conuenirent, dum alij interim, si maioribus viribus opus esset, cogerentur: verum lacrociniis tales intenti, fuerunt à Ludouico II. sublati, qui asciuit in illorum locum sibi laterales Heluetios. Rursus tamen Franciscus I. Rex memor periculorum, quibus exposita fuerat Gallia ob auxiliares extraneos, anno 1534. Legiones restituit quinquaginta millium peditum: & cum illæ postea penitus ferè fuissent extinctæ, restituit easdem Henricus II. filius sine tamen magna regni vtilitate propter indisciplinatum ordinem.*

Non desunt qui iudicant etiã non expedire principibus, vti in bello subditis, eo quod arma, feroces efficiant subditos: & inde ad rebellandum facilius erigant cristas. omnia enim sibi cum robore ensis & armorum pollicentur, vt exempla adhuc extant in Gallia & Flandria.

Ratio ordinarii militis.

§. 3. Ordinario militi tanquam pro omnium ocio ac quiete sollicito honor habendus est. Hinc olim omnis nobilitas originem habuit. Sed ille alendus, qui præsidio sit, quique bona disciplina exerceatur, nec quiescere, aut ociari sinatur; nam mala inde orta, aliunde manarunt.

Totum, inquam, malum ex neglecta disciplina ortum est. Si enim diuersis in locis, aliquo operi detenti, mediocri stipendio alerentur, facile tantum regnum tutarentur; imo inuictum redderent.

§. 4. Continendi certe in officio, alioqui principibus euadunt graues, & subditis intolerabiles; nam arma animos ad inferendam iniuriam faciunt; cum autem de vitâ periclitentur, omnia mereri se putant, si quicquam non extorserunt, hostibus atrociores sunt.

§. 5. Exercendi sunt etiam pacis tempore, alioqui ocio celerrime elanguescunt; itaq; præsidia hodierna non sunt tirocinia militum, sed corruptelæ.

Agesilaus in Gymnasio milites exercuit, & virtutis præmia proposuit. Alex. ab Alex. libr. 1. capit. 20. Philippus quoque Macedones exercuit diligenter, cum armis sæpe trecenta stadia conficiebant, arma omnia, commeatum, vasa ad victum ferebant.

Præsidia diuersis in locis.

§. 6. Diuersis in locis habendi sunt, tum quia pluribus præsidio, & minus graues sunt, tum vero ne conspirare possint. Vires enim suas nisi coniuncti non vident. Cum agmen fecerunt, terribiles sunt.

§. 7. Consilium etiam prudens est, diuersa ex gente coniungere; sic enim nec commercia facile agitare, nec coniurare possunt.

§. 8. Conuenire tamen vna alterave ala interdum ad ostentandam virtutem, aut peritiam, mutuamque æmulationem conueniens est.

CAPVT XXX.

Romanorum militum diuisio.

§. 1. ORdinum diuisionem hunc in modum Polybius describit. *Tribuni vero Romæ cum sacramento dixerunt diem, & locum cuique legioni denunciantes in quem conueniant, id q, sine armis, tunc quidem dimittunt. At ii, cum adfuerint die dictâ, horum iuuenes, & pauperes maxime Tribuni seligunt in velites; istis proximos, in Hastatos; ætate florentissimos, in principes; ætate maximos, in Triarios. Tot enim & talia discrimina apud eos sunt & appellationum, & ætatum, & armorum, in quaq, legione. Diuidunt autem in hunc modum, vt maximi ætate, quos Triarios dicunt, sint sexcenti; Principes mille ducenti, totidem Hastati; reliqui, & ætate minimi velites. Quod si plures quatuor millibus sint, pro ratâ diuidunt, excepti Triarii, quos habent semper numero eodem.*

Triarii, Principes Hastati, Velites.

Causa cur eodem numero, quia magna dignitas, & rara pericula Triariorum; ne igitur potissimam militis partem sine operâ in acie tenerent, noluerũt eam augeri, quamuis cæteri ordines augerentur.

Hoc in loco tacitum non possum præterire, id quod ait, legi τῶν ἀνδρῶν τοὺς νεωτάτους, & πενιχροτάτους εἰς τοὺς γροσφομάχους, *virorum maxime iuuenes, & pauperrimos in velites.*

Error militiæ Romanæ.

Hic ætatis ratio, & opum; putat Lipsius pauperes, ætate fortes, & vsu in triarios lectos esse. Sed in valde pauperibus, seu pauperrimis id negauero: & consentit ipse; A censu sane legebantur, & id diu perduravit; Romanis id obijcitur, *à censu equitem, à censu peditem legi.* Liuius l. 37. itaque magis hac in parte placent instituta Laconum, in qua virtutis ratio præcipue ducebatur. Romanæ Reipublicæ id plurimum nocuit. Ex eaq; causa ortæ difficultates delectuum, cum ad nomen respondere nollent, militiamque detrectarent.

Quinetiam sententiæ meæ rationẽ habeo, & probatiorem maximi nominis Imperatorem. Ratio est: quia, quamuis cum stipẽdia darentur, humanũ erat, sextam classem feriari, nisi in magna necessitate & tumultu; magnus erat tamen error in Republ. militiæ studiosa, & inter hostes viuẽti perpetuos, tantæ multitudini vacationẽ dari, præsertim cum ipsa ius mandatorum magistratuum haberet. Quam multos in illis fuisse credibile est, viros fortes, gnauos, industrios, qui arma, Martemq; fremebãt? certe pauperum Romæ maximam multitudinem fuisse omnis historia testatur. At nunc paupertimi velites fiunt primi, & leuiter armati obijciuntur hostibus. Hanc ob causam Marius, vt Salustius in Iugurtha scribit; *Milites scribere non more maiorum, neq, ex classibus, sed vt libido cuiusq, erat, capite censos plerosq,.* Ecce tibi Marium magnum, & periculosissimis bellis imperatorem, morem legendi militem tot annis ambitione diuitum vsitatum immutat, & prætermissis diuitibus legit capite censos. Sunt vero illi, qui nullo, aut perquam exiguo ære cẽsebantur, Agellius lib. 16. c. 9. Plutarchus id etiam refert. *Consul declaratus splendide, statim Dilectum habuit præter legem, & morem, plurimos è pauperibus & seruili genere conscribens: cum antea Duces hos tales non susciperent, sed arma quoq, vt aliud aliquid honestorum, non nisi honestis dignisq, darent, cum quisq, velut pignus rem familiarem opponere videretur.*

Maximæ parti vacatio non danda.

Marius pauperes legit.

Addit libertos, & libertinos. Sociali bello seruatum illud, & factum fuisse operæ precium docet Macrobius Saturn. c. 11. *Bello Sociali cohortium duodecim è libertinis conscriptarum opera memorabilis virtutis apparuit.*

Libertinorum cohortes.

Imo postea pleriq; pauperes ibant militatum, &

rem, & nomen parabant. Quam rem ipsæ legiones indicant, quæ absolutis stipendijs agros accipiebant, ne post labores exhaustos inope senectute consumerentur. Hoc igitur modo melius Reipublicæ consultum est. Quam ob causam etiam voluntariorum delectus supra magis probaui.

Velites igitur, accensi, rorarij, non erant ex censu hoc modo legendi. Quia fortissimi, & promptissimi futuri in prælio, sic negligebantur.

Hastati in irritum hastas iaciebant.

§.2. Hastati ita dicti, quod antiquitus hastis pugnabant, postea pilis & gladijs: grauis ea militia, nec magno vsu, cum enim duo pila in vanum emissa, vel clypeis excepta essent, statim ad gladios ventum est. Hastati iuuenes erant, Liuius l.8. vocat florem iuuenum pubescentiũ. at principes viri erãt, robustiorem ætatem vocat Liuius; vnde colligas, diuites etsi tirones inter velites non fuisse.

Triarii rarò pugnabant.

§.3. Triarij dicti quod in tertio ordine, seu acie subsiderent, seu vt Varro loquitur, *extremis subsidio deponerentur*, ætate graues erant, & fortitudine. Sedebant presso altero genu, Pilani olim dicti, numero erant sexcenti, apud eos aquila, & Imperator, selecti & extraordinarij, atque etiam euocati. Video nostris ducibus aliud placuisse; nam in prima acie atque opportunis locis fortissimum quemq; collocant, apud Romanos fortissimi raro pugnabant; nam interdum velites, sæpe hastati, ordinarie principes profligebant hostem, summum periculum denunciabatur, cum res ad Triarios redijsset. Tutelæ igitur suæ magis hoc in ordine, quam bono publico diuites cõsulebant, & pauperum ac iuniorum pericula esse volebant. Hoc tamen commodi erat, vt rarissime tota acies fugaretur, iunioribus enim cæsis aut fugientibus, persistebant Triarij, robore & animis, qui si principio eladem accepissent, solo metu celeri diffugissent; Facilius est enim habere militem, qui fortiter pugnet, quam, qui clade visa non fugiat.

Legio.

Tota vero hæc multitudo apte composita legio Romanis dicebatur, in qua velites, hastati, principes 1200. Triarij 600. Numerus vniuersorum 4200. si maior esset legio, manebat status Triariorum numerus, cæteri proportione æquali augebantur, vt dictum est. Romuli legio trium millium fuit, velites non habuit seiunctos.

§.4. Altera diuisio est horum militum in manipulos, & cohortes. Polybius in hunc modum. *Post hæc vna cum ordinum ductoribus diuidunt ætates singulas siue genera, quamque in decem partes, exceptis Velitibus. Ipsos Velites, vti multitudo est, æqualiter distribuũt in omnes partes. Atq; vnamquamque harum partium appellant ordinem, & manipulum, & signum.* Manipuli sunt triginta, quælibet genera sunt in manipulos diuisa.

Inde patres centum denos secreuit in orbes,
Romulus hastatos instituitq; decem.
Et totidem princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quiq; merebat equo.

Manipulus.

Per hos æqualiter distributi erant Velites in singulis ordinibus quadringenti, in singulis manipulis quadraginta. Manipulus est hominum 120. centuria vero 60. Hoc in hastatis & principibus; nam Triarij numero dimidiato sunt. atque hoc sine additis Velitibus, quos si adiũgas in manipulis erunt 160. & in centuria 80.

Cohors.

Cohors constituitur ex tribus manipulis, vno hastatorum, altero principum, tertio Triariorum addito manipulo Velitum, suntque homines 420. quasi parua legio, omnia enim genera legionis habebat. Cohortes à rustica cohorte dictæ sunt; eæ interdum separatæ; & in præsidijs, vbi integram legionem residere necesse non erat. σπείρας Græci appellant, & interdum ἴλας, quasi dicas alas. Manipuli tamen initio sine distinctione, ac proinde etiam cohortes fuêre. Nam centum homines, quibus pertica manipulum fœni præferebant, manipulus dicebatur Ouid. 3. Fast.

Pertica suspensos portabat longa manipos,
Vnde manipularis nomina miles habet.

Decem igitur in legione cohortes. Romulus trium millium legionem fecit, deinde adscitis Sabinis duplicauit. Scipio, Marius, alijque maiores fecerunt.

Equites trecenti. Socij.

Equitum trecenti erant diuisi in decem turmas, quarum vnaquæque triginta continebat.

§. 5. Sociorum eundem numerum, si pedites consideremus, habuerunt, equitum duplo maiorem. Illi vtrinque ad dextram, & sinistram partem fuêre. Ex sexcentis Equitibus sociorum tertiam partem extraordinarios vocabant, ἐπιλέκτους. De his Polybius; *Præfecti primum ex omnibus socijs aptissimos eligunt ad proprium vsum Consulum, tam equites, quam pedites, quos vocant extraordinarios. Id valet interpretatum, Electi. Multitudo autem omnis sociorum est, peditum quidem par Romanis legionibus, vt plurimum; equitum dupla. Ex his accipiunt Equitum quidem in Extraordinarios partem admodum tertiam: peditum quintam. Reliquos diuidunt in duas partes, appellantque alterum Dextrum, alterum Sinistrum cornu. Extraordinariorum pars, qui dicti ablecti, semper cum Imperatore versabantur.* Prudenter factum primo, vt socios vtrimque diuiderent, securitatis causa. Deinde tam ex pedite, quam equite seligerent extraordinarios, hoc est, promptissimum quemque, & aliquid ausurum, ex his ipsis ablectos, qui specie honoris, quasi obsides circa consulem erant.

Extraordinarii.

Ablecti.

Postea multo maior sociorum erat numerus, & tandem ex Italia, tandemque toto imperio scriptas videmus legiones. Cornua sociorum, & alas appellant, etiam cum de pedite loquuntur.

Caput XXXI.

Ad victoriam equitem plus facere quam peditem.

Equitis interdũ summus, interdum nullus vsus.

§.1. Generatim res illa consideranda est; nam quibusdam in bellis vix vsus est equitis, in alijs eques omnia conficit; cum vrbes in montanis obsidentur, aut ad flumina, & maria, cum operibus agitur, non est equitis magnus vsus. De bello igitur agimus, & prælio, quo affirmo eum, qui equitatu abundat, facile superiorem euadere.

Causæ multæ sunt. Prima qui equitatu præpollet, & suam & hostium ditionem in manu habet. Commeatus libere conuehit, omnes hostium excursiones, pabulationesque inhibet, eumque quasi in laxâ custodia tenet. Otomanidæ omnem spem regni in Timarriothis repositam habent, qui eorum est equitatus, maximeque hosti nocere potest, cum magno numero, cui nemo resistere valet, in terram inimicam irruat, & vno impetu iusti belli cladem efficiat. Eodem Tartari, & olim Hunni plurimum valuerũt. Neque ad rem facit, quod in equitem graues sumptus impendi aiunt; nam minorum potius peditum numerus legendus est, & impensas celeritate belli compensant. Minuit etiam sumptus potest, si ex hostico viuere consuescant, quod est facile illis, qui superiores sunt.

Eques ex hostico facile alipotest.

In oppugnationibus vrbium, aliisq; statarijs prælijs, etiam descendere ab equis, & pedites pugnare solebant; quod nunc hac licentia militari haud facile ulux assequetur. At in prælio cum procella equestris immittebatur, cito fugam hostis capiebat. In ipsis prælijs cum equites cedere coguntur, pedites quasi destituti solam fugam spectant.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Castra composita more veterum.

§.1. CASTRORVM Romanorum ordinem pulcherrimum fuisse inter omnes constat, describit eum accuratissime Lipsius lib.5.de militia Romana, cuius hic est schematismus, in quo breuiter ista noto.

1. Prætorium commodissimum locum aspectui & imperio obtinet, estq; in medio ducum. Locum Imperatori capiunt quadratum, cuius latera ducentorum pedum.

Hic cõtubernales Imperatoris, impedimenta, aliaque metabantur. circa eum Quæstor, legati, Tribuni;

2. Quæstorium ad dextrum erat, longum ducentos, latum centum pedes.

3. Ad sinistrum Prætorij legati constituti sunt, iunctis tentorijs, cuius longitudo centum, latitudo quinquaginta pedum.

4. Tribuni & præfecti socium recta pone prætorium tendebant, singuli discretis tabernaculis, vt omnes suam legionem in conspectu haberent. Præfecti sociorum ad latera Lipsius locat, & causas reddit probas, sine interuallis tamen esse putat.

Euocati equites ad præfectos sociorum, & pedites illis vicini. Extraordinarij equites, & pedites ante spacium ad vallum collocantur. Prudentissime hoc Lipsius. En custodiam primarii Ducis, & Ducum, committere sociis voluerunt: quid nisi vt fide sic habitâ magis adstringerent eorum fidem? sed & causa occultior altera, quod præcipuos sociorum circa se & in ore atque oculis habebant, ne quid clam consulerent, aut innouarent? Etsi autem isti vndiq; cingũt Imperatorem & in custodia habent; non tamen ita vt non sit præsidium aliquod ciuile, si opus. Nam & Euocati vtrimq; sunt, veterani milites: sunt in contubernio eius centeni aliquot homines: adsident cum suis Quæstor & Legati: præsident Tribuni, ad quos ei semper receptus, & per eos in medias legiones. Consideratio altera, quod loca hîc magna & vacua. quare? vel quia decorè ibi, vel quia vtiliter. Decorè, vt Forum vtrumq;: vbi si quid litis aut iniuriæ, in propinquo qui soluant, aut vlciscantur. vtiliter, vt Quintana illa magna; quia si opus instruere exercitum in castris, ibi & in Foro vtroq; facillimè fiat. Item si educendus; sublatis Extraordinariis & in latus sepositis, grande spatium ad ordinandum. Reliqua distributio clara est conspectui, Velites Lipsius ad vallũ collocat, cuius & hic podismus valde notandus, sed non ad nostratia castra. *Podismos appello*, inquit, *Pedaturas siue mensiones pedales.* Sed cum pes duplex sit, simplex & magnus: vtriusq; nobis vsus erit. illius in mensuris longitudinis aut latitudinis; huius in vtriusque. Nam pes magnus Varroni est, qui aliis planus aut constratus, & vulgo nostro Quadratus aut superficialis. Qui à Pyrrho hanc rationem Romanos accepisse tradunt, errare mihi videntur; nam ante bellum quod cum Pyrrho gesserunt, castra, vallum, omniaq; lego. Id certum Persas seu Parthos potius à Romanis multa mutuatos; adeo autem excelluerunt, vt saccos vacuos secum ferrent, quos in locis sabulosis arena plenos pro vallo opponerent.

Castra nostra bene disposita.

§.2. Nostrorum castra omnino melius disponuntur, & summam locorum rationem habẽt, qui ea metantur. Bernardinus Mendoza parte 1. cap. 36. tantam inter legiones distantiam requirit, vt alii milites si necesse sit, induci possint. Castra vero ita collocat, vt certo spacio vexilla distent, quo quisque suum facile inueniat, deinde maiora spacia facit à fronte & lateribus, quã fuerint apud veteres c.36. Excubias octoginta pedes separat à vexillo. Regem in medio collocat. Circuitores nunc quoq; sunt certi, vtuntur tamẽ, & aliorum opera: qui generales sunt, & tota castra obeunt, linguas nationum cognoscere debent, quæ in excubiis versantur. *Circuitores.*

Magister machinarum propè Ducem habitat, atq; illi qui machinis destinati sunt. Forum etiam rerum venalium, nec procul à principe, nec Judice rerum capitalium abesse debet; quod ibi multæ cõtrouersiæ oriantur. Secundum nationes fere coniunguntur, ita vt singulę nationes loca separata teneant. Equitatum idem diuidi iubet, vt cataphracti, & leues equites seiuncti sint. facilè alioqui turbæ oriuntur. *Machinæ. Forum.*

Munitiones quas Mendoza describit, nõ multum cedunt priscis. primum enim fossam deprimi iubet, cui consentaneum est addi etiam ex terra egesta vallum, interiorem fossæ partem curribus munire iubet, quæ munitio veteribus vallis fortior est; nam vallum manibus rescindere poterant, currus nequaquam; deinde curribus tormenta imponi, oneraq; possunt, quæ sunt offendendo & defendendo; mirorque eos qui omnia vetera mirantur, non intelligere curruum fortiores esse & cõmodiores munitiones, quam fuerint veteres, non modo quia fortiores, sed quia mobiles, & in itinere vtiles. Custodiendus vero inter omnia maximè puluis pyreus, nec à bombardariis, qui fomite semper egent, sed hastatis, bipenniferisque. *Munitio castrorum nostrorum.*

Portarum magna cura habetur, vt integris ordinibus milites egredi possint, viam etiã quæ ad aquationem ducit, latam esse oportet, ne euntes, redeuntesue sibi obstent. Si per castra amnis fluat, id magnopere vtile est, sed tamen id agitur, vt loco inferiore, vel extra castra pecora adaquentur, superior pars munda ad vsus militum seruetur. *Portæ, viæ. Adaquatio.*

Excubiarum magna etiam ratio habetur, sub vesperum ad Ducem veniunt, quorum hoc officii est, imo plerique Chiliarchæ & Centuriones. Noctu ferè grauis armatura excubat, quia maior custodia necessaria est.

Apud prudẽtes & cordatos Imperatores ordo excubiarum valde ad securitatem, & sanitatẽ commodus est. Quarta pars castrorum vigilat, tres quiescunt. si igitur vicena millia sint in castris, quina millia excubant, quia autem inter eos sunt cataphracti, & veterani, ad subitos impetus satis magna manus est. Nec vlli graue quarto die cæterorum quieti suo labore consulere. *Excubiæ.*

Vesperi Excubię deducuntur, ne hostis cognoscat, quo loco procubitores consistant. Triginta passus à fossis valloque abesse solent excubiæ, ab his procubitores tanto spacio, vt in conspectu sint. *Procubitores.*

Circumquaq; equitum Excubiæ funduntur, adeo vt nemo castra intrare aut exire clam possit. Tessera procubitoribus non, nisi cum suis locis consistunt, datur.

Quia vero castra non eodem modo ordinantur semper, sed habetur ratio collium, fluminum, viarum, syluarũ, alia ratione prospectũ est, ne erretur in viis, aut inueniendo prætorio, aliisque locis opportunis, locatis enim per contubernia cohortibus, Tribuni centuriones, decuriones continuo animaduertunt, vt vias illas obeant, atq; obseruent, deinde milites alii, quod expeditissime peragitur, cum vexilla exponantur, nec sit magna varietas castrorum. *Viæ castrorum noscendæ.*

Hoc magnopere agendum, vt non modo locus bonus pro castris, sed optimus capiatur, nam eum si tu præterieris, hostis capiet, atque ita illo inferior eris, vt cui occasionem contra te dederis.

CAPVT XXXIII.

Castrorum munitiones necessariæ.

§.1. NOSTRIS Ducibus sæpe visum est indignum, *Castra fouere & Fidere vallo.*

Exercitus muniendus. Itaque maximos exercitus sine vllo munimine aperto interdum campo collocant; non ita Romani, de quibus Polybius. nam omnia instar oppidorum ordinata, & munita erant. Verba Polybij: *His ita constitutis, tota figura castrorum sit quadrata, æquilatera. Partes autem eius & in strigarum sectione, & in alio ordine, vrbi similem locationem habent. Vallum vero ipsum abiungunt à tentorijs quaquauersus pedes ducentos. Id vacuum multas & spectabiles vtilitates ijs præbet. quoniam & ad egressus ingressusq; copiarum conuenit (singuli enim iuxta strigas suas in hoc vacuum exeunt, nec confusi proterunt se & conculcant:) & pecudes adductas aut prædas ex hostico captas huc agunt ferũtq; & noctibus seruant. Præcipuum vero quod in nocturnis assultibus, neq; ignis, neque telum ad eos peruenit, præter pauca: eaq; ipsa innoxia fere fiunt, tum ob interualli spatium, tum ob tentoria circumposita.*

Fossæ vero ac valli struendi duo latera incumbunt socijs, ad quæ vtrumque eorum cornu metatur: duo alia Romanis, cuique legioni vnum. Diuiso autem latere vnoquoque per manipulos, curam partium Centuriones gerunt, ijsque assistunt: vniuersi autem operis habent probationem duo Tribunorum. Omnia hîc munita vides, ducentos pedes absunt à vallo, ipsum vallum & fossa spatium habet, vt omnino tuti sint.

§.2. Duo latera socij, duo legiones faciebant, centuriones decempedis metiebantur. Tribuni circumeunt, nec abeunt donec totum opus sit perfectum. Valli opus tale erat, fossam exterius præducebant. Tibullus, *Quo deceat tutam castris præducere fossam.*

Fossa. Deprimebant autem eam, vt esset octo pedum lata, totidemque alta, vt si hostis insiliret totus sub terra esset, latitudo erat, vt nemo posset transilire. Cum maior vis metuebatur, latior & profundior efficiebatur. Veg. l.3.c.8. ita vt interdum esset pedum nouendecim, non tamen tum par altitudo.

Vallum. Fossæ additur interius vallum, quod è sudibus & cespite, seu terra aggestitia, eius altitudo ternum aut quaternum pedum. Cespitis mensura, vt altus semissem, latus pedem, longus pedem, & semissem.

Verum in periculo, & credo in hybernis multo altior agger, idq; natura consequebatur, si fossa maior esset, ex ea enim agger crescebat. l.3. belli ciu. *Erat eo loco fossa pedum quindecim, & vallus contra hostem in altitudinem pedum decem, tantũdemq; eius valli agger in latitudinem patebat.*

Vallus. Vallus ramosus, & acuminatus erat, ne facile posset reuelli, vel transiri. itaque castra ponebantur, per modũ mucronũ præscutis sudibus fixis. Hanc

Castra sẽper munienda. firmandorum castrorũ rationẽ hodie quoq; resumi vtilissimum esset, aut parem aliam retinere: nam miles tuto conquiescit, nec ad strepitum turbatur, securus loci munitione, quod plurimum ad robur & valetudinem prodest. Deinde cum facile castra defendi possint, liberũ erit, ẽt cum vicinus est hostis, aliò pro occasione dimittere, vti facit apud Liuium Claudius Nero, qui relicto castris præsidio, longo itinere obuiã Asdrubali vadit, vincit, redit in castra. Quod facere non posset, nisi ea munita. Tertio multo pauciores excubijs atteruntur milites.

§.3. Portæ in singulis lateribus singulæ. prætoria, quæ post prætorium, & tendebat in hostem, per quã educebatur exercitus in aciem. Deinde duæ principales, quia principijs respondebant. Deniq; decumana, quia ibi decimæ cohortes tendebant. Nec cõtenti hoc munimento, turres etiam addebant aliquando. Hist. l.8. bell. Gall. Portis fores altioresq; turres impo-

suit. Joseph. l.3. bell. Jud. per ambitum turres dispositas ait; & Scipio ad Numantiam per singula iugera centenos pedes posuit. Deniq; sæpe duplex vallum, & duplex fossa.

§.4. Opera illa non erant difficilia, ob eorum, qui muniebant, multitudinem, latus vnum castrorum erat 2050. pedum, huic si legio integra muniendo cõstituatur, in vnum pedem duo milites erunt, si pauci immunes. Nam centuriones, equites, euocati, exauctorati, voluntarij munerum vacationem habuerũt. Verum horum in partem veniſſe lixas, calones, seruitia, & iuuisse non est dubium; cur enim seruos suos domini labore fatigati ociosos sinerent? Florus l.2.c.18. Seruilia vocat opera. Cæsar bello Alexandrino. *Cum more operis quotidiani magnam illam seruorum multitudinem, quæ aggerem portabat, militum esse credidisset.* Trebonius etiam l.2. bello ciuili ad ea opera ex prouincia homines euocat. Itaq; celeriter præducebatur fossa. *Multitudo munientiũ facilem efficiebat laborem.*

§.5. An vero rectius Lycurgus, qui rotunda, an alij, qui quadrata, aut quadrangula? Eum rotunda probasse ait Xenoph. de rep. Laced. *Dicam etiam quo pacto castra metandum esse Lycurgus censuerit. Nam quoniam quadrati agminis angulos inutiles esse duceret, in orbem castra ponebant, nisi aut monte tuti essent aut murum, aut fluuium post se haberent.* Causam reddit, quia anguli erant inutiles. Verum vt sint quadrata vel quadrãgula, commodius est ad defensionem, ex vno enim angulo duo latera videri & defendi possunt, deinde ad omnem in ędificandi rationem cõmodior est quadrata figura, quam rotunda vel oblonga. si tamen res vniuersim considereretur, nihil melius, quam situm loci perpendere, vt si fluuius, lacus, mons, vallis; murus, palus, sylua, aut aliud est, quod naturale munimentum prætendit, eo in compendium laboris vtantur. ad flumina in longum extendi expedit, ob commoditatem aquandi. *Quadrata meliora.*

§. 6. In Romana militia munitio desijt ob varias causas. prima fuit Imperatorum indulgentia, cũ multos beneficio suo facerent immunes; hinc consequebatur, vt illi qui munifices essent, magis premerẽtur, imo opprimerentur. Alterum genus militiæ, dum per oppida dispositi castrẽsium laborum inscii redderentur. Tacit. an. 13. *Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, nõ vigilias misissent: vallum, fossamq; quasi noua & mira viserent: siue galeis, siue loricis, nitidi & quæstuosi, militiâ per oppida expleta.* Vtraque ex causa Prætoriani ad summum ignauiæ deuenerunt; cum enim Didius Julianus eos in campum educere vellet, & exercere, vicarios operum mercede conduxerunt. Improbius etiam Ægyptii, qui cùm fossa & vallo castra munire iuberentur, succlamabant; *vt id publico sumptu faciendum locaretur.* Tertia causa fuit auaritia & sæuitia centurionum, qui cogebant emere remissionem munerum. Tac. hist. 1. *Flagitatum, vt vacationes præstari centurionibus solitæ remitterentur. Namq; gregarius miles, vt tributum annuum pẽdebat. Pars munipulis, pars per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolueret, neq; modum oneris quisquam, neque genus quæstus pensi habebat. per latrocinia & raptus, aut seruilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisq; miles, labore ac seuitia fatigari, donec vacationem emeret. Vbi sumptibus exhaustus, socordia miser elanguerat, inops pro locuplete, & iners pro strenuo, in manipulum redibat. ac rursus alius atq; alius, eadem egestate ac licentiâ corrupti, ad seditionem & discordias, & ad extremum bella ciuilia ruebant.* Postea ex publico solutum centurionibus, donec tandem castra munire desierunt. Vegetii tempore, qui sub Valentiniano iuniore vixit, iam desierat ea scientia. *Huius rei, inquit, scientia prorsus intercidit, nemo enim iam diu ductis fossis, fixisq; sudibus castra constituit.* Reuocatum tamen à multis per interualla. *Munitio in Romanis castris desijt.*

Munitio castrorum neglecta.

§.7. Castra munire, l.1.c.21. & sequentib docet Vegetius: *Castrorum, inquit, quoq; munitionem debet tiro condiscere:*

discere: nihil enim, neq; tam salutare, neque tam necessarium inuenitur in bello: quippe si rectè constituta sunt castra, ita intra vallum securi milites dies noctesq; peragunt, etiam si hostis obsideat, quasi muratam ciuitatem videantur secum vbique portare. sed huius rei scientia prorsus intercidit: nemo enim iam diu ductu fossis, præfixuq; sudibus castra constituit. sic diurno vel nocturno interuentu equitum barbarorum, multos scimus frequenter afflictos. Non solum autem confidentes sine castris ista patiuntur, sed cum in acie casu aliquo cæperint cedere, munimenta castrorum, quò se recipiant, non habent, & more animalium inulti cadunt. Nec prius moriendi finis fit, quam hostibus voluntas defecerit persequendi. Castra etiam inter summa pericula muniebant, Veget. l. 1. c. 25. *Sed facile est absentibus aduersariis castra munire: verum si hostis incumbat, tunc omnes equites, & media pars peditum, ad propulsandum impetum ordinantur in acie, reliqui post ipsos ductu fossas mununt castra: & per præconem indicatur, quæ centuria prima, quæ secunda, quæ tertia, donec opus omne impleuerit. post hoc à centurionibus fossa inspicitur, ac mensuratur; & vindicatur in eos, qui negligentius fuerint operati. Ad hunc ergo vsum instituendus est tiro, vt cum necessitas postulauerit, sine perturbatione, & celeriter, & cautè posit castra munire.* Bello Africano pars aciei in campo stabat, alia opus faciebat. Bello Hispaniensi contra Afranium, tertia acies opus occulte faciens fefellit hostes.

§. 8. Aliam & celerem muniendorum castrorum rationem tradit Mendoza, p. 1. c. 52. Trabeculas vertebris deuinxit, & breuissimo tempore, pegma quadratum, triginta pedes Geometricos altum, sexaginta latum erexit, talia quatuor nō modo tuendis, sed etiam toto campo infestādo sufficiunt; si idoneis locis collocentur, compleri enim mosquetariis, aliisq; militibus possunt. Ligna nō maiora requirit, quam vt collecta equis vel mulis vehi possint; super ea nihilominus specula alta quinquaginta pedes collocari potest. Hoc celeriter fieri potest; addenda tamen alia; nam machinis facile illa pegmata deijci possunt.

§. 9. Muniendis castris, & cingendis hostibus, quædam olim quasi barbarica fuêre, quæ vtilitatē exiguā habuerunt, alia necessariæ tutelæ profuerūt. Vtile omnino opus fuit, quod Cæsar l. 1. bell. Gall. fecit. *Cum vna enim legione quam secum habebat, militibusque qui ex prouinciâ conuenerant, à lacu Lemano ad mōtem Iuram, millia passum nouēdecim, murum in altitudinem pedum sedecim, fossamq; perduxit. Eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit. quò facilius, si se inuito transire conarentur, prohibere posset.* Sic Heluetios terruit, vt consilium & spem erumpendi abijcerent. Spacium erat quinq; milliariorum nostratium, quod castellis munitum Cæsar insedit. Verum si Heluetij ausū illo territi nō fuissent, non difficile fuerat murum aliqua in parte perrumpere & fossam complere. Idem Cæsar nō magno milite, cum Alesiam obsideret, contra multa millia hominū, quæ in vrbe erant, & ducenta quadraginta millia peditum, & octo millia equitum, munitus vrbem cæpit. Primo, in circuitu munitionem fecit, per vndecim millia passuū, fossam viginti pedū. ab ea recedēs quadringentos pedes alias munitiones fecit. *Eæ erant, duæ, fossæ quindecim pedes latæ, eadem altitudine: quarum interiorem aquâ ex flumine deriuatâ impleuit. post istas, aggerem & vallum pedum duodecim exstruxit: siue loricam pinnæque adiecit, grandibus ceruis eminentibus, qui adscensum hostium tardarent. Et turres toto opere circumdedit, quæ pedes octoginta inter se distarent.* Contra eos qui auxilio obsessis veniebant, alias munitiones similes exstruxit, quatuordecim millia passuum complexus. Barbarum & ad ostentationem, quod Pompeium muro qui ducēta, & mille stadia habuit, claudere conatus est, quod circiter 150. milliarium spacium, nostratium milliariū 37. Nec enim Magno oberat tātis machinationibus, & quam facile perrumpere ista poterat Pompeius militari manu? Lucanus hunc in modum describit:

Franguntur montes, planumq; per ardua Cæsar
Ducit opus, pandit fossas, turritaq; summis
Disponit castella iugis, magnoq; recessu
Amplexus fines, saltus, nemorosaq; tesqua,
Et syluas, vastâq; feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castraq; Cæsareo circumdatus, aggere mutat.
Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
Illic mersa suos: operumq; vt summa reuisat,
Defessus Cæsar, medijs intermanet agris.
Nunc vetus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatq; Deis: fragili circumdata tectâ
Mœnia mirentur refugi Babyloniа Parthi:
En quantum Tigris, quantum celer, amabit Orontes,
Assyrius quantum populos telluris Eōæ
Sufficit in regnum, subitum belliq; tumultu
Raptum clausit opus. quanti periēre labores!

Crassus contra Spartacum fossam 300. stadiorum, latitudine & altitudine pedum quindecim struxit, super fossam vero vallum struxit, altitudinis, & firmitatis admirandæ. Plutarchus in Crasso. Hæc ad munimenta pertinent, quæ nunc alia ratione fiunt, ob bellica tormenta, sed in castris negliguntur.

Melior Crassi murus.

§. 10. In castris ipsis erant tentoria, quæ firma fuisse videntur, quia vt ait Polybius, etiam tela arcebant. In hybernis & statiuis forte ex tabulis, stipitibus, contexta sepimenti. alioqui è corio erant, & funibus tendebantur, poterantq; hoc modo tela viribus defecta morari. Isidorus tabulas & cortinas addit, cortinæ è lino facile resistebant telis imbellibus, imo fortiter vibratis, maxime pendulę, Pellibus sane superiora tegebant. Tac. de Phrisiis. *Tributum iis Drusus modicum iusserat pro angustia rerum, vt in vsus castrenses coria boum penderent.* Cæsaris milites in bello Africano, alij ex vestimentis, arundinibus, Storeisq; tentoria faciebāt. Belisarius ex tabulis habet apud Procopium l. 2. belli Persici. Herodes apud Trebellium sigillata tentoria, & auratos papiliones. Ea vero erat magnitudo, vt omnes facile caperet, imo etiam aduenarū aliqua multitudo recipi posset. Si plures legiones, castra ampliora erant, si duo consules, singuli prætorium, ordinēq; duplicato spacio tenebant, vt tradit Polybius. Castra maiora & minora in Cannensi pugna legimus, iusto interuallo distincta, sine dubio iusta de causa, quamuis explicata non sit.

Tentoria firma.

Tentoria.

Mira Cæsaris opera.

Ingentia castra.

Inutilis Cæsaris murus.

CAPVT XXXIV.

Castrorum veterum leges & consuetudines.

SVMMA est in castris disciplina, summus ordo.

1. Duo manipuli curam habent loci, qui est ante Tribunos, sumuntur ex hastatis & principibus. Locus ille est principia, vbi conuentus, omniaq; transiguntur.

Ordo castrorum tenendus.

2. Tabernaculum Tribuni tres manipuli statuunt. Vegetius l. 3. c. 8.

3. Ex his & binæ excubiæ, alia ante, alia post tentorium.

Excubiæ.

4. Apparitorum loco illi erant; Alexander Seuerus apparitores nullos esse passus; Tribunis aut ducibus nisi milites, anteire noluit.

Apparitores.

5. Triarij equitibus, vt dignioribus ciuium excubiam præbebant. Polybius. Equos curabant, obseruabant.

Equites.

6. Imperatori vnus in diem manipulus excubabat.

Excubiæ Imperatoris.

7. Ad portas stationes erant, integræ nāmque cohortes, & equitum turmæ excubabant. Interdū procul castris, & cohortes plures. Eas stationes agrarias vocabant. Plures sane erant, & capitale erat

Stationes.

Stationes agrariæ.

cessisse,

A statione cessisse capitale.

cessisse nisi magnâ vi abriperentur. Ita Polybius, Suidas. Et Suetonius in Aug. Centuriones statione desserta, iudem vt manipulares capitali animaduersione punijt. Caput erat tesserarum cauta distributio.

8. Quanta cura sit habenda tesseræ Pamnenes docuit. Postquam enim cum paucis conclusus, euadere non posset, è castris hostium per transfugam tesseram cognouit, eaque fiduciâ, per media castra suos duxit, multisque hostium cæsis euasit.

Tesseræ magnæ.

9. Tesserarum ratio vetus diuersa à nostra est, tabella signabatur, & ante tenebras referebatur; interdum vtilia mandata eo ordine nunciabantur, nunc tantum enunciantur signa, Tribuni à duce, tesserarij à Tribunis accipiebant.

10. Manipulus ad prætorium noctu excubabat, tres vigiliæ deinde, ad quæstorem vna, ad Tribunos binæ instituuntur noctu.

11. Velites vallum complent, paruæ quoque vigilibus tesserulæ dantur.

Circumitiones seueræ.

12. Nihil seuerius circuitionibus. Equites circumibant noctu, interdum in periculo Tribuni, & ipse Imperator. Vigiliæ aliquando sine intermedio spacio constitutæ sunt. postea circumierunt & centuriones. Tãdem proprium officium fuit eorum qui circuitores vocati. Qui primus in Turma decurio erat, hoc munus obibat.

His scripto designabat Tribunus, quotam vigiliam, & quot obire oporteret. Cum amicis circumit. delinquẽti in nocturnis excubijs militi, aut circuitori, fustuarium pœna est.

13. Diligens cura excubiarum, tintinnabulis certo ordine, eodem tempore pulsatis exigitur. Alcybiades cum suorum negligentiam in excubijs timeret, imperauit, vt cum ex arce lumen ipse ostensurus esset, omnes lumina attollerent, pœnas daturum, qui neglexisset, dum ergo ad hoc signum intenti vigilant, periculum vitarunt.

14. Paulus Æmilius vt diligentius peruigilarent, inermes excubare iussit. Plutarchus in Paulo.

15. Omnes aduenæ interrogandi, vt de exploratoribus constet.

16. Vigilia nostra prima est à solis ortu ad meridiem; secunda ad occasum; Tertia ad mediam noctem; quarta ad ortum, bis obeunt ordinarie eas magistri excubiarum, interdum duces, & quibus illi committunt.

17. Si noctu hostis inuadat, classicum canunt excubitores, & indicant vnde veniat; Excubitores se iungunt, & hostem expectant. In ducis deinde custodia classicum canitur.

18. Crebra admonitione assuefaciendus exercitus, vt nulla re, nulla voce audita moueatur, nisi à ducib⁹, præfectisq; ,pficiscatur. Id vero vel maxime noctu cauẽdũ; quia illud tẽpus maxime terrorib. obnoxiũ est.

Caput XXXV.

Iter militare.

§.1. Veterum iter militare duplex fuit, vt monet Polybius. E castris suis discedũt hunc in modum. *Cùm primum signum datum est, tabernacula sua detẽdunt, & sarcinas componũt omnes.* Sed nec detrahere, nec constituere cuiquam tabernaculũ fas, prinsquã Tribunorum & Imperatoris erigatur, deponaturue. Cũ vero secundum signum sonuit, imponũt sarcinas iumentis. Cùm tertium, procedere oportet primos & mouere tota castra. Ad primum aũt agmen plerumq; ponunt Extraordinarios. his succedit sociorũ cornu dextrum. Post istos sequuntur iumenta prædictorũ. Horum agmini succedit & consequitur Romana prima legio, à tergo habens vasa sua & impedimenta: tũ secunda legio, quã subsequuntur iumẽta sua, & sociorum item impedimẽta, qui ad tergum locati sunt. Vltimum enim in agmine est sociorum cornu sinistrum. Equites porro interdum à tergo sunt, quisq; suæ parti, interdum ad latera iumentis adequitãt, continentes & coercentes ea & securitatẽ item præstantes. Cũ aũt suspicio à tergo est, reliqua quidem eodem modo atq; ordine manent, ipsi tantum Extraordinarij pro fronte tergum curant, eoq; traducuntur: alternis aũt diebus altera legio, & alterum cornu præcedunt, eademq; rursus sequuntur. Vt cõmodi scil. quod ex aquatione aut pabulatione integrã & illibata euenit, æqualiter omnes participes fiant, mutantes semper ordinem, vt alternatim primi incedant. Vtuntur & alio genere agminis temporibus intutis, cum patentes habent locos. Ducunt n. triplicem phalangem siue aciem æquidistantem, Hastatorũ, principum, Triariorum, iumenta primorum manipulorũ omnibus præponentes; post autẽ primos manipulos, iumenta secundorum, post secundos, tertiorum: atq; hoc modo semper alternatim iumenta collocantes. Ita agmine constituto, si quid hostile incidit, aliàs ad scutum inclinantes, aliàs ad hastam, producunt manipulos ex iumentis & impedimentis in hostium aspectũ. Cæterùm breui tempore armatorum corpus accipit pugnę ordinẽ: nisi q, euoluere Hastatos oporteat, & iumenta, ac subsequentem ijs multitudinẽ habere conuenientem locum ad discrimen. Cum verò appropinquauerint vbi castra ponenda, prȩeunt Tribunus & Centurionum illi, qui ad hoc munus semper electi sunt. Crebro ista mutata, occasione locorũ, hostium, auxiliorum. Joseph. l. 5. belli Jud. progredientem in hostilem terram Titũ præibant regia auxilia & omnes sociales copiæ: ac post eorum armatos ipse Titus, cum alios selectos, tum lancearios (siue speculatores) habens. post ipsum equites legionum, qui machinas anteibant: & post has, vnà cũ selectis Tribuni & cohortium præfecti. secundum istos, circa Aquilã signa, & ante eam Æneatores. post istos ipsa phalanx (siue legionum agmen) senũm virorum ordinibus dilatata. seruitia autem & Calones cuiusq; legionis retro eam, & ante ipsa iumenta. Vltimi vero omnium, Mercenarij, eorumq; custodes, Vragi, siue agminis coactores.

Triplex agmen.

Exercitum in duas partes fere hodie diuidũt, priorem vocant vsitato iam vocabulo, Auanguardi, posteriorem Retroquardi, cum maior est multitudo addunt mediam, quam appellant Bataillon; ita peditatus diuiditur, equites alio modo partiũtur periti duces. Quãuis autẽ eodem modo fere semper castra ponerent, tñ habuerunt, qui prȩirent, quia postea metatores dicti, Sili⁹: *Bolanus fusis iuga cõmoda quærere castrũ.*

Locorum exploratio.

Nostrorum in itinere omnia melius constituta sunt, maxime ob curiuum multitudinem.

Loco ignoto ducibus, transfugis, & interdum vinctis vtebantur: nota erat eos rectà ducere; si consentientia loquerentur.

§.2. Irinerum, cum in propinquo est hostis, maiora sunt, quam aciei, pericula. Hoc igitur agendũ, vt profectio aciei sit quam simillima. In acie oẽs animis, corporeq; armati sunt, locus cognit⁹, hostis ante oculos: contrarium in itinere contingit, quocirca ita instituendum est, vt cautissime omnia caueantur.

Itinerariũ.

Primum igitur est itinerarium omnium regionum, inquit Veg. l. 3. c. 6. Miserandi olim Franci, qui contra Fredegundem ducebant, vt ne in proprio quidem regno vias explorarent; Fredegunda n. triplicem frondium ordinem exercitui præmisit, cum tintinnabulis, vt hostis in sylua, & pascentia iumenta incidere se arbitraretur, lux enim adhuc maligna erat. alio modo Græcus suos attentos esse coegit. Vigilantiam enim Diocles insigni artificio excitauit; nam cum sine ordine incederent, tesseram sæpe commutauit, itaq; adesse hostem suspicati, instructa acie proficiscebantur.

Iter ignoretur.

§.3. Ratio itineris fere est, quæ aliarum rerum bellicarum,

licarum, vt aliud faciat, aliud hosti facturus videatur. Agesilaus cum Thebani in angustiis exercitū impedituri viderentur, ad mœnia Thebana duxit, illi soliciti abscedunt, Agesilaus nullo obstante per angustias euadit. Egregie Pericles intra abruptos montes compulsus, cum duo exitus essent, ab altera parte fossam ingentem duxit, velut hostes auersurus, ad alteram militem egit, tanquam perrupturus, ad quam partem cum hostes vniuersi conuenissent, arbitrati eam fossam non transiturum; ipse proiectis pontibus quos fecerat, fossam quietus transijt. Summa est: necesse est hostem facienda nescire. Alexander scalas in Ossa effecit, & cum Thessali angustias tenerent isthac transcendit. Pompilius arenâ tritas vias obruebat aut suffodiebat, nouas parabat.

Nō adeunda terra hostiū nisi de receptu sit prospectū.

§.4. Cum prouincia quæpiā inuaditur, omni modo agēdum, vt initio locus aliquis occupetur, & muniatur, vt in eo pedem firmare, & ad alia se extendere possit; Hoc nō modo vtile, sed caput rei quodammodo est. Nam in illum locum ægri, commeatus, prædæ deponi possunt; deinde si supplementa mittantur, habent quo se recipiant. Tertio hosti damnum infertur, & auctoritas minuitur, putantq; se captiuos, dum munito aliquo loco se tuetur. Deniq; si prælio vincatur, tutum receptum habet. Ante annos quindecim cum subito Rhenum Ambrosius Spinola traiecisset, cum nihil pacati haberet in ea prouinciâ, & Bercam hostis muniuisset, quod obsidionem exspectarent, Rhenum ponte iunxit; & munitiones temporarias excitauit, vt in omnia paratus esset, quæ res hosti vt inopina, ita tristissima fuit. Spinolæ vero cōmoda; nā turo sic à flumine recedens Lingam aliasque vrbes celeriter occupauit, postea cum Bercam in potestate haberet, munitiones priores diruit, pōtemque dissoluit. Nec alia mente Comes Bucquoius in Bohemia tāta industria, & fortitudine Budevvicium tenuit, vt si maiore exercitu totam Bohemiam occupasset, haud maiorem gloriam cōsecutus esset. Quin ipse Spinola postquam Wesaliam occupauit, eam operibus prædioq; muniuit, plurimū in eo positum arbitratus, quod sedē belli, Rheno Lupiæq; cōtinendo cōmodam haberet. Curruum vsus est in itinere & prælio, sed vt iungātur & valli instar sint, per trabes & catenas necti solēt, eis si bombardæ minores, quas vsus militaris falconettas appellat, imponātur, hostem arcent, tutissime tergum & latera claudunt, à duobus equis trahi possunt. Vsus est magno cōmodo in Belgio Albanus, & Turcæ semper vtūtur. id vtilissimum putarē, si plures eiusmodi currus sequerētur, & latera tegerent, quorū quisq; octona, vel dena tormenta veheret, q̄ duplo maiora essent mosquettis, haberentq; magistros eodem in curru, his enim nulla armatura resisteret, & multitudine hostem arcerent.

Curruum vsus.

Equites initio.

§.5. Equites si præeant magnam partem, sunt veluti exploratores, ita tamen vt etiam in postremo agmine sint nonnulli. Equites etiam initio collocat Vegetius, recto consilio, quia facile recipere, & agmini se iungere possunt.

§.6. Interdum coguntur in itinere vt pugnent, cum euadere alio modo nō possunt. Agesilaus cum videret socios tergiuersari per angustias profectus Lacones præire iussit, socios sequi, eos hostis inuasit, & fortiter pugnare coegit; dubia sine dubio alea illa fuit; quid enim si socij se hosti iunxissent? Polyæn. l. 2. Eodem modo etiam sanguinis sociorū largus fecit Leucon. Heracleotis namque egredientibus è naui cum armatos oppositisset, eos qui erant in subsidio, iussit occidere socios, nisi hostem egressu arcuissent. Cum hostis insequitur obstruenda arte via est, donec in tutum euadas. Pompeius omnes vias ad portum Brundusinum ferentes obstruxit, deinde dispositis sagittariis exercitum deduxit ad naues, sagittarij per itinera nota secuti scaphis adnauigarunt ad classem.

Via hosti obstruenda.

§.7. Per æstu osam regionem iturus Iphicrates noctu proficiscebatur, iussis militibus capere aquam in duos dies.

§.8. Mihi omnia considerāti militia hodierna accuratior videtur, & ad cauendum circūspectior. Hæc enim ratio itineris seruatur. Qui expeditionem suscipit, dum cum exercitu proficiscitur, alium colligere debet. si enim vincat, facile victoriam persequetur, aut recens lectum militem dimittet; si vincatur, fœderatos, subditosque in officio continebit, & fructum prælij victori eripiet. Nunc pecūliaris magistratus; qui ductorum & cursorum, atq; eorum qui viam, locaq; circum explorant, curam gerit. Magister machinarum tormenta, atq; ad illa pertinentia ordinat, cui subsunt cunicularij, æquādis viis, vbi ita vsus est. Præpositus supremus cōmeatus curam habet, proprium est illi vexillum, vt inueniri facile queat. Iter ita fere suscipiunt, vt exploratis viis, missisq; præcursoribus, procedat prius agmen, cui in periculo quædam tormenta campestria adduntur. Deinde tormenta sequuntur hoc ordine. Antecedunt currus onusti, palis, sarculis, ligonibus, omnibusque fossorum instrumentis. deinde minora maioraq; tormenta sequūtur, & pari modo fabrorum instrumenta; post quæ plumbum, & puluis, funes; & horū quasi præsidia lancearij, & bombardarii equites, quos claudūt currus, quib⁹ globi vehūtur. Currus demū Magistri machinarū, omniaq; ad machinas pertinentia, & cōmeatus, & vt vocant hospitale, ægros etiam & saucios curribus deuehunt. Ducis deinde currus & impedimenta vehuntur. Denique milites reliqui ordine, quo pericula & locorum situs requirit. Dux autem in medio collocatur, tum vt tutior sit, tum vt facilius ad oēs partes discurrere, & mādata mittere possit. Inter primos tamen aliquando ducem esse necesse est, vt narrat se vidisse Mendoza; cum enim sciret dux se quæri, & hostem præ manibus esse, festinauit, & locum pugnę idoneum delegit, & antequam vltima pars adueniret sese cōmuniuit, atq; aciem disposuit, vicitq;. Equitatus cum se diffudit, attēdendum an sub pedibus tenebrę, an lux sit? si tenebrę sunt, profunda est acies, si lux, sola frons est. si ex altiore loco conspiciatur, facile de toto numero coniectura erit. Cum in itinere viæ diuersæ occurrunt, custoditi solent, donec impedimenta transierint. si syluam transeant, eam præmissis sclopetariis insident, vt iter tutum sit. Vix hodie flumina transire possunt, nisi stratagemate, & furtim, nam bombardis vti in flumine vix possunt. In montibus castra ponere consultum nō est, quia facile cōmeatus impeditur, in campo fere amnis, aut syluа, aut collis, aut palus cōmodo est. Prouerbiū militare est. Nullam esse opportunitatem, vbi est alia melior, prę-cipua ergo inquirenda est. Locus castrorum metandorum est cōmodissimus, ad quem difficilis est accessus, facilis discessus. Equitatum ita collocant, vt non videantur munitiones, donec opus perfectum sit; si pagi intra castra sunt, non oportet in ædibus habitare milites, facile enim clam inuaduntur, & incēduntur. Verum huic rei facile attenditur. Cura castrorum ingens est, cū ea ingrediuntur, cōsistunt primi agminis oēs in ordine, donec mediū agmen ingrediatur, medium agmen cōsistit donec impedimenta omnia intrarint, tum omnes ad corporis curam vertuntur, exceptis excubiis. Excubiæ disponuntur, qua putatur, vel vi vel dolo hosti accessus esse. si ad syluam vel dumeta castra sunt, multi procubitores collocandi sunt, vt remotiores moneāt alios per ordinem, omnia Duci indicentur. Excubiarum hodie lex est vt consistant, donec vi pellantur, non pugnent, etsi fortiores, si impugnentur se tueantur, & suis omnia indicent, si inferiores se videant, seruatis ordinibus retrocedant.

Cura proficiscentis.

Exploratores.

Præcursores.

Ordo agminis.

Machinæ.

Commeatus.

Hospitale.

Medio Dux agmine.

Interdum initio.

Equitum numerus cognoscendus.

Custodiæ viarum.

Transitus fluminum.

In mōtenon ponenda castra.

Pagi.

Castra post iter.

Excubiæ.

Cum

Pabulatores. Cũ multis locis inuadere hostis potest, multæ fortesq; excubiæ constitui debent. Hinc apparet, quã castra munita esse oporteat. Pabulatoribus præmitti solent equites, qui eos tueãtur. Cum periculũ est tertia pars exercit⁹ excubat, & in extremo discrimine dimidia; inter ordinarias excubias, etiam extra ordinarias collocant, quas paruas vocãt, & duplices procubitores ordinant, vt vndiq; securitati sit prospectum.

In periculo excubia.

Exploratores. Interdum prope hostium castra collocant equitũ excubias, quas ob periculum vocant perditas. Noctu emitti solent exploratores, illis tessera non datur, ne si capiatur aliquis hosti indicare cogatur; si noctu redeundum est, miles vnus præmittitur ad procubitores, qui excubitorum præfecto id indicat, redire exploratores, ille duci indicat, ingressuris in castra comes additur ex eis, qui tesserã nouit, vt intromittatur. Idẽ seruari solet interdiu, cum redeunt peregre equites, ita vt maior sit cura iam excubiarum, quã olim; & sane dum ofa cõsidero, quæ quilibet inter milites notare põt, valde video prudẽtiã bellicã indies creuisse.

§. 9. Id magnopere notandum: Errare qui regionẽ aliquã ita fluminibus, syluis, mõtibus, aliisq; reb. munitam putant, vt hostis intrare nequeat. Moses per serpẽtibus inuias arenas, ductu ibidum exercitũ egit. Inuia loca tentant; Hannibal aceto fregit Alpes, nuper obsessa, & negata via in Bohemiam perruperunt. Bohemia nostra itaque testis est, vno anno toties via adaperta est ad eam infestandam. Itaq; venienti hosti resistendum est armis; cætera eum transmittunt.

§. 10. Tueri sese oppositis ad tela captiuis olim frequens fuit. Æmylius Paulus, cum in Lucanos exercitum duceret, atq; à Tarentina classe scorpionibus peteretur, latera suorum captiuis prætexuit. Idem ex Phrygia veniens Agesilaus Lacon fecit.

CAPVT XXXVI.

Fluminum transitus.

§. 1. QVATVOR modis flumina transeunt exercitus. Ponte, naui, deducẽdo in riuos flumine, natatu. Nãsi vado transire licet, noua arte nihil opus est. Tũ solũmodo aduertẽdum est, ne tenuem riuum noctu hostis obstruxerit, vt intumescente vnda meabilis nõ sit, q̃ in obsidione Ostẽdana Batani præsidarij fecêre. alterum periculum est, si murices proijciãt, qui facile turbata aqua fallunt.

§. 2. In fluminibus itaq; grauis est molestia, Vẽg. l. 3. c. 7. Difficile est, inquã, cum hostis est in propinquo; nam pontem facere maioris est laboris; Naues facile repelluntur, tormentis, fixis sudibus, nando transire hodie vix licet; quamuis Carolo 5. Albim quidã Hispani transnauerint. Verum occasionem illis dedit pauor hostilis, si enim vel quini equites ad ripam fuissent, repellere venientes poterant.

Flumina dissimulatione transeunt.

§. 3. Tota igitur ars in eo consistit, vt alio transituros se simulent, alio transeant. Labienus in transgressu fluminis vno in loco remis strepitum fecit, vt pertrãsire videretur, dumq; hostis sese cõparat, alio loco trãsiuit; id quoq; fecit Sinan Bassa an. 1594. cum enim pluribus locis se Danubium trãsiturum simulasset, vno in loco transijt, remoto à castris Christianorũ, & simul partem impedimentorũ illis eripuit. stolide omnino Tartari. an. 1594. Danubium transierunt vna manu caudam equi tenentes, altera gladium, sed cæsi sunt cum transissent; periculosũ illud est; quia equi facile grauantur, & si periculum sentiant, calcitrant.

Impetum fluminis sistere.

§. 4. Impetum fluminis equis, vel elephantis sistere solebãt. Cæsar equites supra infraq; disposuit, vt impetum fluminis frangeret. l. 1. belli ciuilis. *Reliquas legiones expeditas educit. magnoq; numero iumentorum in flumine supra atq; infra constituto, transducit exercitum.* Hannibal in Pado elephantos disposuit.

Glaciem hostium periculo probare.

§. 5. Glaciem transire caute oportet, paleam super ipsam sparge, aquam affunde vt concrescat, ne in lubrico iumẽta aut milites cadant; sic Julius Secundus Eridanum transijt. Tartari Istrum congelatum trasire formidabant, itaq; boum multitudinẽ cum tabernaculis reliquerunt, & quasi metuentes redierũt, Vngari qui ex altera parte erant armenta traduxerunt; q̃ vbi didicissent illi, cognito exercitum transire posse, secuti sunt, & Vngariam vastarunt. Fulgos. l. 7.

Curribus impositi currus.

§. 6. Datames curribus imposuit currus, ad cantos vero tabulas affixit, ne nimium limo mergerentur, viros valentissimos cum iumentis tranare iusserat, qui eos traherent, atque hoc modo exercitum traduxit. Faciliori tamen modo rates compingi possunt. Ponti disturbando incensas naues immittere solent, cuius rei nunc est summa occasio, egregie ad Antuerpiam ea arte vsi sunt, nec duabus in cassum cedentibus, desierunt, Tertia ingens damnum dedit.

Necessitas artis est mater.

§. 7. Quia difficillimũ est flumina transire, idcirco plurima in eo labore stratagemata inuẽta sunt. Autophradates dum Pisidæ angustias incolæ custodiunt, alio loco traiectionẽ molitur, quo cum illi occurrũt, noctu occupatis angustiis exercitũ traducit. Pompei⁹ exercitum pduxit, & reduxit sæpius in castra, quo facto cũ hostis se ludificari putaret, negligẽs factus est, & Pompeius subito impetu trãsijt. Alexander, Xenophon, alio loco traiectũ simulantes, alio transiuerũt. Jucũdo stratagemate Lacones per dispositã Carthaginensium classẽ Syracusas nauigarunt; decem naues Punicas habebãt captiuas, eas veluti victrices, primas agi, à latere iunctis, ac puppe religatis aliis, qua specie, deceptis Pœnis, trãsierunt. Operosus trãsitus Sertorii fuit; nã vallum per modũ lunæ cauæ duxit, materiaq; cõpleuit, & incẽdit, sicq; hostes exclusit, sed opus fuit multa materia, ne disiectis ignib. hostis inuadat. nunc facilius arceri possũt, ob pericula pulueris nitrati incendendi. Idem quoq; Pelopidas Thebanus fecit. Et inter duos mõtes Herculeius Sertorii legatus. Hanno clausus locum eruptioni cõmodum aggestis leuibus materiis incẽdit, hoste ad cæteros exitus auocato per flammas exiuit, ora scutis, crura veste militibus tectis.

Deriuare flumen.

Q. Luctatius Catulus cum fluminis ripam hostis occuparet, nec transire posset, finxit se castra collocatũrum, q̃ verum credentes Cimbri, ipsi quoq; idẽ fecerunt, quibus lignatũ ac pabulatũ pfectis trãsiit, & castra eorũ infestauit. Cræsus cũ Halim transire nõ posset, fossã post tergũ exercit⁹ duxit, eo fluuiũ deriuauit.

Dolia iungere.

§. 8. Necessitas multa sæpe adinuenit. Metellus cũ naues ad transportandos in Siciliam elephãtos deesset, iunxit dolia, & tabulamentis constrauit. Hannibal elephantũ sub aurem à milite vulnerari iussit, eũq; fluuium tranare, quem vindictæ cupida bellua est insecuta, reliquis idem audẽdi exemplum fecit. alioqui vi nulla poterant cogi elephantes vt transirent.

Per inuia eundum.

§. 9. Hoc quidem generale est, vt quã non expectatur, irrũpant; verum egregia est hac in re & necessaria, industria. Scipio apud Carthaginẽ irrupit secutus æstum maris Deum ducem sequi se significans. Ab aliis exemplũ cape, vt flumina transeas, nã quicquid solo fit minus est, eo q̃ per vndas transigitur. Marius per montem confragosũm milites in castellum immisit. Tu per vortices tentabis. Josue positis insidiis ad vrbẽ Hai, cũ fugerent milites, vrbem per eos qui in insidiis collocati erãt, occupauit. Id multis in oppidis Lucius Corneli⁹ imitatus est in Sardinia, Cato in Lacetanis, Lucius Scipio in Sardinia. Hannibal ad Hymeran & Saguntum. Himilco ad Agrigentum. Viriatus ad Segobrigã. Barca ad Lilybæũ, Scordisci ad Heracleam. Alia parte classicũ canunt, alia inuadunt; sic Alcibiades Cyzicum, Pericles Peloponesiorum castellum, Thrasybulus Milesios, Antiochus Ephesũ occupauit. Omnia ad flumina, portus, paludes, maiorem & necessitatem, & occasionem præbent. Fasces alii de cannis &

Cuppis colligatis trãseunt.

nis & vlua fecerunt, vt illis arma imponerent equites, ipsi natando transibant. De cuppis Appianus l. 8. Sed magna lignorum ac nauigiorum penuria, quibus inter se iunctis pontem fabricaretur: nunciarunt quidam è fabris esse permultas in agris illis desertis inanes cuppas, forma rotunda, quibus incolæ quondam ad vinũ importandum vtebantur. eæ cum essent ad nauium similitudinem concauæ, deuinctæ mox inter sese, scapharum more innatarunt videbantur. Etenim ire pessum vinculis inter se constrictæ, ac viminibus insuper injectis, & puluere multo saburatæ, non poterant, quod vbi factum est, facile milites in vlteriorem ripam transgressi. Et Lucanus libr. 4.

noua furta per æquor
Exquisita fugæ, neq; enim de more carinas
Extendunt, puppesq; leuant: sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namq; ratem vacuæ sustentant vndiq; cuppæ:
Quarum porrectis series constricta catenis,
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.

Pontes ex vtribus.

Pontes etiam faciebant ex vtribus, ne interdum necessario in itinere exercitus fluuiorum (quod plerumque euenit) cursus impediat, remedium ad hanc rem, & compendio facile, & vsu præcipuum reperit ingeniosa necessitas, quod tali ratione componitur. *Vitulinis pellibus Arabica arte mollitis: est enim apud eos præcipua confectionis cura, propter aquam de puteis sollibus hauriendam:* his igitur, vt dictum est, diligenter sutis, vt res in magnitudinem trium semis pedum, ita vt cum ijdem vtres spiritu inflati tumuerint, non extollant vterum, sed æqualitate quadam plenitudo ipsa vtriũ spatia plana perficiat, ex quorum lateribus, loris subter annexis, inuicem colligantur. Desuper autem vna parte circulis extantibus, & ex altera immittuntur vncini. Et ita in formam pontis adsociata partib. explicatur integritas. Sed hoc idem opus obliquo fluuio, propter impetum meatus, facilius vsque ad alteram explicabitur ripam, q̃ fixis in vtraque ripa ferreis palis & funib. validis in medio quidem sub ipsis vtribus, propter incedentium sustinendum pondus, in marginibus autem firmitatis gratia desuper extensis, transeundi per fluuium nouo quodam, & peregrino itineris apparatu; intra breue temporis spatium, præbebit liberam facultatem. Admonendi præterea sumus, quod super vtrium compaginationem cilicia sunt incedentiũ substernẽda vestigijs, ne lubrica pellium confectio insistendi deneget firmitatem. In vtraq; tamen ripa erunt manubalistæ dispositæ, ne hostilis manus pontem operantib⁹ impedimento consistat. Mithridatico bello sic Cyzicum seruauit Lucullus, Flor. l. 3. *Sed fiduciam, oppidanis resistendi nuntius fecit. Docens aduentare Lucullum, qui horribile dictu, per medias hostium naues vtre sustensus, & pedib. iter adgubernans, videntibus procul, quasi marina pistrix euaserat.* Quin & Cajus Cæsar innixus vtribus sæpè nuncios de se præuenit. Lusitanos ait Cæsar sine vtrib⁹ ad bellum non ire, l. 1. bell. ciuil. & Liuius de Hispanis, l. 30. qui etiam in vtres vestimenta conjiciebant. Scutis alij vtebantur. Lycij sub aquis per Xanthum nando clàm in vrbem redibant. Brutus eos retibus excepit. Tutior modus est monoxyla facere seu lintres ex vno ligno. Cæsar in Britannia & Hispania vsus, Liu. l. 30. Amm. l. 14. & 24. Scaphas etiam secum vehebant, ita Julianus in Perside, Ammianus l. 14. Semiramis solutiles naues habet, & camelis vexit. Diodor. l. 3. Monoxylis etiam pontem imposuit Alexander Imperator, cum Rhenum transiret. Naues Cęsar contra Sextum Pompeium ex cratibus salignis fecit & pellibus boum. Maximè oriri solent in transitu prælia. Cæsar libr. 2. de bell. Gall. Acriter in eo loco pugnatum est, hostes impeditos nostri in flumine aggressi, magnum eorum numerum occiderunt. Per eorum corpora reliquos audacissimè transire conantes multitudine telorum repulerunt. Primos qui transierant, equitatu circumuentos interfecerunt. Industria quoque fugabant hostem prisci. Diodorus libro 29. ὥστε διασπειρομένους δὲ σεσμὰς, καλάμων ὁμοῦ θεῖς, ἐμβάλλειν, εἰς τὸν λίμνην. ὅτι δὲ τετάτων ἀπικάθωτο ἀ πλείω τριῶν. οἱ μὲν ἔχοντες περσδεδεμένας πλάτας κωπηλάτειν. εἰς δὲ φορῶν τόξα, τὲς περσπλέοντας ὑπ' ἐ περῖν, ἢ βιάσεσθαι πολεμίους ἀμύνεσθαι.

Fascib. tam seunt singulis terni.

Egregiũ in mari stratagema.

Fortiter & jucunde Liburni cum vadosa loca obsedissent, capitibus tantum eminentibus, fidem hosti fecerunt alti maris, ac triremem, quæ eos insequebatur, implicatam vado cœperunt. Portus, & ostia fluminum obstrui solent. Transitum quocunque modo obstruere didicerunt nostrates. Hamburgi catenis Albim obstruxit Waldematus Dux Slesvicensis. Ponte Dantisci Stephanus Rex Poloniæ. Verùm hic fluuij & loca circumstantia consideranda sunt.

CAPVT XXXVII.

Acies instituenda.

Romana acies in parte vitiosa.

§. 1. ROMANA acies antiqua, vt mihi videtur sanè haud omninò commodè instituta fuit. Liuius libr. 8. bellum inter Latinos & Romanos describens, indicat initio pugnasse juniores, & infirmiores. *Fuit enim ciuili maximè bello pugna similis, adeò nihil apud Latinos dissonum ab Romana Republica, præter animos, erat.* Primos hastatos in pugna stataria pugnasse vult Lipsius, atque ita factum est; nam leues milites præcurrebant: Velitum enim ratio non ducebatur. Causa cur non rectè institutam aciem putem, est; quia in prima acie fortissimi quique collocandi sunt, vt primo impetu hostem sternant aut terreant. Duo enim incommoda sunt hujus aciei, primum, quod ciuium juniorum malè armatorum clade bellum inchoatur, illi enim victi, retrocedebant, nec sine clade vincebantur, nec sine summa necessitate locum deserere, & recipere seiẽ poterant; cum deserenti locum, mors pœna esset. Alterum incommodum, quod hosti animus crescceret, cum velites hastatos que profligasset, eo fortius insisteret. Certo bello Latino, vbi vtrinque eædem acies, apparuit potuisse facile eos vinci, si fortes initio oppositi fuissent infirmis. Nam cum Manlius accensos procurrere jussisset; Latini suspicati, Triarios esse, eo quod post Triarios locati essent, ipsi quoque suos excitarunt, qui atroci pugna dum vincunt Romanos, pelluntque, fatigati sunt, hastis fractis aut hebetatis, in quos demum Triarios immisit Manlius, vicitque. Quod si cum accensis eos emisisset, multos ciuium seruasset, quos eousque occidi, & vinci permisit, dum hostis fatigatus, integris opportunus esset. Quanta verò cædes facta sit, non falso narrat Numisius Latinorum Imperator, affirmans, *communem verò Martem belli, vtramq; aciem pari cæde prostrauisse, victoriaq; nomen tantum penes Romanos esse, cæteram pro victis fortunam & illos gerere: funesta duo Consulum prætoria, alterum parricidio filii, alterum Consulis deuoti cæde trucidatum exercitum omnem: cæsos hastatos, Principesque, stragem & ante signa, & post signa facta: Triarios postremò rem restituisse.*

Romana acies non optima.

Multò sanguine vincebant Romani.

Causa aciei Romanæ.

Quod si initio totis viribus obnixi essent, juuentutemque seruassent, Latini de bello reparando nequaquam cogitassent: sed quod supra monui vilem populum habuêre Proceres, nec exhauriri paupertatem multitudinem per bella ægrè faciebant. Eo-

dem modo nunc Turcus in vrbium expugnatione, & prælijs agit, imbellem enim turbam hostibus lacerandam objicit, donec fessis cædendo Janizaros immittat.

Græci optimos in prima acie collocarunt

Meam sententiam etiam antiquitas probauit; Homerus in media acie infirmos collocat; in prima & extrema fortes, optimo consilio, vt primo impetu frangatur hostis, vt medij incitentur à primis, cogantur ab vltimis & fugere nequeant. Homerum autem ex prisci temporis vsu loqui non est dubitandum, at ille fortes in principio ponit.

Ἵππῆας μὲν πρῶτα ζεύγνυσθαι ἵπποισι κελεύω,
Πεζοὺς δὲ ἐξόπιθεν σπεύδειν πολέμοιο καὶ ἰωλῆς
Ἔρυκε ἔμπεδον πολέμοιο. κακὸν δ' ἐς μέσσον ἔλαυνε.

Equites, & currus initio.

Equites quidem posuit cum equis & curribus in principio. Pedites à tergo multos, & fortes murum belli, infirmos in medium conjecit. Sanè equites, & curruum agitatores belli præcipua pars erat. Deinde ita olim apud Romanos fuit, vt ditissimi, qui ijdem optime erant armati in prima acie versarentur, pauperrimi in postremis. Lipsius l. 4. de militia Rom. dial. 2. *Nam de primâ cum censum & arma edidisset subunxit:* χώρην δὲ, κατέχειν ἐν τοῖς πολέμοις τὴν πρωταγωνιζομένην τῆς φάλαγγος ὅλης: *locum verò in bellis habuit primum, & ante reliquam totam copiam. Iterum de secunda:* κοσμεῖτο ἐν τοῖς ἀγῶσι μετὰ τοὺς πρωμάχους: *ordinabatur in acie post primos pugnatores. De tertia pariter,* χώρα, καὶ τάξις τῶν ἐν ταῖς μάχαις μετὰ τοὺς ἐφεστῶτας. τοῖς πρωμάχοις: *locus horum & statio in pugnis iuxta eos, qui post Principes. De quarta denique:* τάξιν ἔχει ἐν τοῖς ἀγῶσι τὸν ὕστατον: *locum in certaminibus vltimum habet. Quid ergo Quinta Dionysi? τέτοις,* inquit, ἔξω τάξεως ἑστάναι στρατεύεσθαι: *hos extra ordinem militare.* Eadem & totidem ferè verbis, postea iterat in judicio Coriolani. Quæ ego adduxi fusiùs, vt semel de origine & ordine militiæ priscæ constet, & quomodo is paullatim mutarit. Ergo Seruij institutio, ditissimi quiq; in primâ acie, & hoc est, quod Varro Principes deducebat, & olim à principio gladijs pugnasse adseuerabat. Sequebantur ordine opum alij, & in extremo denique ij viliores & pauperes, & qui leuib. telis pugnabant. Sed q. isti extra ordinem Quintiani? Accensi ex Liu. & qui justus etiam miles non erat. Olim hæc ita. sed cum multa in eo ordine damnanda vsus & ratio docuissent, tempore mutarunt. Quæ enim ratio, optimos ditissimosque omnes exponere periculis in primâ acie objectis? noluerunt, & Principes secundo loco statuerunt. Mihi fas sit cum veteribus sentire, atq; à Lipsio dissentire; non quod probem ordinem Seruianum, sed quod in prima acie fortiter pugnaturos, non autem morituros esse locandos putem. In fine autem subsidium firmum in omnes velim casus reponi. Velites tamen sagittarios, funditores illis adderem, sed quos fortes illi in stataria pugna defendant. Posteri Principes & hastatos mutarunt, Vegetius libr. 2. c. 20. *In prima acie pugnantes Principes, in secunda hastati.* Et lib. 1. cap. 15. *Prima acies principum, secunda hastatorum.* Lipsius hoc sub Trajano aut Adriano cœpisse vult. Optime sanè; jam enim ex æquo & bono, non patritiorum libidine acies disponebatur, ordo verò ille quem historia exhibet post Reges ejectos fuit. Nunc qualiter instituenda sit acies, si pugna immineat, declaretur vnius legionis exemplo: quod si vsus exegerit, transferri possit ad plures. Equites locantur in cornibus. Acies peditum à primâ cohorte incipit ordinari in cornu dextro. Huic cohors secunda conjungitur. Tertia cohors in mediâ acie collocatur. Huic annectitur Quarta. Quinta verò (cohors) sinistrum excipit cornu. Sed ante signa, & citra signa, nec non etiam in primâ acie dimicantes, Principes vocantur, hoc est, ordinarij, cæterique principales. Hæc erat grauis armatura, qui habebant cassides, cataphractas, ocreas, scuta; gladios majores, quos spathas vocant, & alij minores, quos semispathas nominant, plumbatas quinas positas in scutis, quas primo impetu jaciunt. Item bina missilia, vnum majus, ferro triangulo, vnciarum nouem, hastili pedum quinque (&) semis, quod pilum vocabant, nunc spiculum dicitur, ad cujus jactum exercebantur præcipuè milites, quod arte & virtute directum, & scutatos pedites, & loricatos equites sæpè transuerberabat: aliud minus, ferro triangulo vnciarum quinque, hastili trium pedum (&) semis, quod tunc verticulum, nunc verutum dicitur. Prima acies principum: Secunda hastatorum, armis talibus docetur instructa. Post hos erant ferentarij, & leuis armatura, quos nunc auxiliatores, & armaturas dicimus; scutati qui plumbatis, gladijs, & missilibus accincti, sicut nunc propè omnes milites videntur armati. Erant item sagittarij cum cassidibus; cataphractis; & gladijs; sagittis; & arcubus. Erant funditores, qui ad fundas, vel fustibalos lapides jaciebant. Erant tragularij, qui manubalistas, vel arcubalistas dirigebant sagittas. Secunda acies humiliter armabatur: in qua consistentes milites, hastati vocabantur. Sed in secunda acie, dextro cornu, cohors sexta ponebatur: cui jungebatur septima. Octaua cohors mediam aciem tenebat, nona comitante. Decima cohors in secunda acie sinistrum semper obtinebat cornu. Docet hoc Scipio insignis Imperator, cui & Lipsius consentit lib. 4. dial. 6. Scipio vsurpauit in Hispania, qui cùm aliquot diebus obseruasset, sic structam hostium aciem, vt optimi in medio essent, infirmiores in alis, ipse contra instruxit, & auxilia in medio posuit; ciues, & quod roboris erat, in alis. Denique quanti referat in prima acie fortes esse, duo summi Imperatores, Cæsar & Pompeius docuerunt. Cæsar in acie Pharsalica fortissimas legiones in principio constituit, ita ipse Cæsar superius institutum seruans, decimam legionem in dextro cornu, nonam in sinistro collocauerat, tametsi erat Dyrrachinis prælijs vehementer attenuata, huic sic junxit octauam, vt pœnè vnam è duabus efficeret, atque alteram alteri præsidio esse jusserat. Cohortes in acie habebat octoginta, quæ summa erat XXII ∞. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Sullam, mediâ acie Cn. Domitium præfecerat, ipse contra Pompejum constitit. Simul his rebus animaduersis quas demonstrauimus, timens ne à multitudine equitum dextrum cornu circumueniretur, celeriter ex ternâ acie singulas cohortes detraxit, atque ex his quartam instituit. Et Pompejus eodem modo libr. 3. bell. ciuil. Cæsar cum Pompeij castris appropinquasset, ad hunc modum aciem ejus instructam animaduertit. Erant in sinistro cornu legiones duæ, traditæ à Cæsare ex Senatuconsulto initio dissensionis, quarum vna prima, altera tertia appellabatur, in eo loco ipse erat Pompejus. Mediam aciem Scipio cum legionibus Syriacis tenebat. Ciliciensis legio conjuncta cum cohortibus Hispanis, quas traductas ab Afranio docuimus, in dextro cornu erant collocatæ. Has firmissimas se habere Pompejus existimabat. Reliquas inter mediam cornuaque interjecerat, numeroque cohortes centum decem expleuerat, hæc erant millia quinquaginta quinque. Euocatorum circiter duo millia, quæ totâ acie disperserat. Frontinus lib. 2. cap. ait Pompejum secundum virtutem cujusque in cornibus, & in medio legiones collocasse, spacia interposita tironibus suppleuisse. Fortissimos itaque primos esse voluit.

Pugnam: arma.

Cæsar fortes in prima acie.

Cæsares mutarunt aciem.

Ordo aciei veterū.

§. 2. Con-

In legione centum simul pugnant.

§. 2. Considerandum id, inprimis paucos esse, q in magnò prælio pugnent, in legione centum duntaxat simul, nisi quod cum primi hastas jecissent, genua submitterent, alij jacularentur. Id quod maximè faciendum cum hostis numero superat, qui facilè à paucis vinci potest, cum in locis angustis aut confragosis res agitur. Quocirca paucos illos fortes esse oportet, vt cladem inferant. Acies verò Romana tùm à multis, tùm verò à Lipsio accuratè exhibetur. Acies, vt Lipsius non varia admodum apud Romanos: & fuit ferè aut Duplex, aut Triplex. Duplex cum tota acies in cornua duo secta, Dextrum ac læuum. Ea sæpissimè obtinuit in exercitu Consulari: cum duæ legiones, & singulis sua auxilia adjuncta. Hanc sectionem certum est veterem esse, & alijs quoque gentibus vsurpatam. Polyænus quidem eam refert ad Pana auctorem. Διονύσε, inquit, στρατηγὸς ἦν ὁ πᾶν, ἔτ@ πρῶτ@ τάξιν ὅπλων, ὠνόμασε φάλαγγα, κέρας, ἔταξε δεξιὸν, καὶ λαιὸν. ταύτη τοι ἄρα κερασφόρον ἦν πᾶνα δημιουργῆσαι: Dionysij siue Bacchi Dux fuit in militia Pan. Is primùm reperit ordinem, nominauit phalangem, cornu instituit dextrum & læuum. Ex quo cornutum etiam Pana vulgò fingunt. Exempla aliquot ejus locationis apud Romanos quærere, & ponere, sit stillicidiū de situlâ sumere: sexcenta sunt. Triplex est, cùm præter cornua, alia etiam media exsurgit. Id quoque crebrum: non solùm vbi plures legiones, sed & cùm duæ: istis scilicet in medio positis, socijs ad vtrumque cornu. Res per se clara, & obuia exempla. Sed est & alia ratio Duplicis Triplicisq; aciei: cùm præter simplicem illam diuisionem, à tergo etiam sectio fit, & discrimen. Vt si quatuor legiones habeam, duas in fronte cum socijs suis pono; totidem à tergo, velut in subsidijs suppono. Idem in duabus quoque factum, & aut Ala vtraq; sociorum (siue cornu mauis) præposita, subjunctis legionibus, aut contra. In Liuio rem vide, pugnâ in Annibalem Marcelli: *Pugnatum amplius duabus horis est, cedere inde ab Romanis dextera Ala & Extraordinarij cœpêre, quod vbi Marcellus vidit, duodecimam legionem in primam aciem inducit. Dum alij trepidè cedunt, alij segniter subeunt, turbata tota acies est.* Iterùm alio prælio idem Marcellus: *Diu pugna neutrò inclinata stetit, primæ legioni tertia, dextræ Alæ sinistra subiit.* Sed & de legionibus ipsis sic dispositis, exempla. In Liuio: *Prætoris legiones in prima acie fuerunt*, Cornelius suas in subsidijs tenuit. Alibi: *In primam aciem suas legiones Sempronius induxit, in subsidijs locatæ P. Licinii legiones.* Et plura. Has autem secundarias aut tertiarias legiones siue copias; subsidia aut subsidiarias etiam vocabant. Idem Liuius: *Cedenti duodecimæ legioni, quæ in læuo cornu erat tertiam decimam legionem ex subsidijs in primam aciem firmamentum ducit.* Sallustius: *ibi commutatis ordinibus, in dextro latere quod proximum hostibus erat, triplicibus subsidijs aciem instruxit.* Nec totæ semper legiones, sed cohortes aliquot sic substituræ. Liuius: subsidiarias cohortes, quæ integræ ad longioris pugnæ casus reseruabantur, in primam aciem exemplo emisit. Ad has posituras Tibulli isti versus faciunt ad Messallam:

Duplex acies.

Quadrūplex acies.

Quadrata acies.

> *Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen.*
> *Rectus vt æquatis decurrat frontibus ordo:*
> *Seu libeat duplicem, seu iunctam cernere Martem,*
> *Dextraq; vt læuum teneat, dextrumq; sinistrâ*
> *Miles, sitq; duplex gemini victoria casus.*

Facit variam pugnæ faciem, vt appellat. Primo, Quadratam simplicem, fronte recta: Secundo, duplicem vtroque cornu: Tertiò, junctam, quam capiebam Triplicem, aliâ scilicet ad duas juncta, nam sic fiebat quod hic dicitur, vt dextrâ suâ miles, qui in læuo est, sinistram medij aspiciat, sinistâ suâ, qui in dextro ejusdem medij dextram. Inspice; intelliges, sed remoratur aut potiùs reuocat, quod sequitur, sitque duplex gemini victoria casus. Ita enim non duplex, sed triplex è triplici acie victoria sit & casus. An junctam igitur intelligit, subjunctam & duplicatam de quâ diximus? vt acies aciei sit supposita? Hoc opinor, & vtrobique sanè dexterâ suâ sinistram appositi cornu aspicit, & contrà. Nec mihi displiceat etiam scribi: duplicem sejunctum cernere Martem, vt duas modò posituras nominet, Quadratam simplicem, indiuisam: & hanc abjunctam, in duo cornua: facili ita sententia, Hæ præcipuæ sunt & receptæ Romanis instructiones: quas tamen leuiter variabant promouendo aut retrahendo. Quid velim, exempla docebunt. Plerumque enim æqualiter vtroque cornu & simul concurrebant, quod Cato apud Festum dixit, *Recta fronte*: Tibullus in citatis versibus, *æquatis frontibus*. Et de ea re Vegetius: *vna depugnatio est fronte longâ, quadrato exercitu, sicut etiam nunc & propè semper solet prælium fieri.*

Altera depugnatio obliqua, cùm cornu ante cornu promouetur. Græci Tactici: λοξὴ φάλαγξ, ἥ τὸ μὲν κέρας ἕτερον, ὁπόσον ἂν ἐπιῇ πλησίον τῶν πολεμίων ἔχει, καὶ, ἐν αὐτῷ τὸν ἀγῶνα ποιεμένη. τὸ δ' ἕτερον ἐν ὑποστάσει ὅλη ὑποστολὴν ἔχει: *Obliqua phalanx, quæ alterum cornu, vtrumcunque prædictum fuerit, iuxta hostes magis admouet, & eo prælium facit, alterum autem abiungit.* Vegetius de hoc genere: *secunda depugnatio est Obliqua, plurimum melior.* Hujus talis est modus, cùm instructæ acies ad congressum veniunt, tùm tu sinistram alam tuam (cornu intelligit, & mox ita vocat) à dextra aduersarij longius separabis, ne vel missilia ad eam vel sagittæ perueniant: dextram autem alam tuam sinistræ illius alæ junge, & ibi primùm inchoa prælium. Sed ipse à Dextra modò committi vult prælium, non æquè à sinistra, & damnat ideò, quòd, tunc, inquit, quasi mācus est impetus, & aperti cum difficultate aggrediuntur hostes. Benè monet, pro armatura veteri. Nam si cornu sinistrum tuum promoues aduersus hostile dextrum, profectò latus nudum objicis hosti, qui missilibus aut sagittis à sinistro suo tutò petet. Hoc est quod ait, apertos aggredi tunc hostem: quia scuta nempè in sinistris. Qui aliam causam quæsiuit, & ad infirmitatem sinistrarum partium retulit, næ ille Vegetium aut rem non cepit. Pro hac ratione Cæsar in Ariouistum pugnauit, & cum triplicem aciem instruxisset, tamen à dextro cornu (ejus verba sunt) quòd eam partem hostium minimè firmam esse animaduerterat, prælium commisit. Tertium genus, cùm in triplici acie, tertiam & mediam amoues ab hoste, & cornua modò immittis. Seneca tangit: Quemadmodum idem exercitus modò latiùs panditur, modò in angustum coarctatur, & aut in cornua sinuta media parte curuatur, aut recta fronte explicatur. Scipio vsurpauit in Hispania, qui cum aliquot diebus obseruasset, sic structam hostium aciem, vt optimi in medio essent, infirmiores in alis: ipse contra instruxit, & auxilia in medio posuit; ciues & quod roboris erat, in alis. Vbi igitur (ait Liuius) jam incipiendæ pugnæ tempus erat, Hispanos (ea media acies erat) presso gradu incedere jubet, ipse è dextro cornu nuntium ad Silanum & Martium mittit, vt cornu extenderent in sinistra patte, quemadmodum se tendentem à dextra vidissent, & cùm expeditis peditum equitumque prius pugnam consererent, quam coire inter se mediæ acies possent. Ita diductis cornibus sinus in medio erat, quia segniùs Hispanorum signa incedebant. Hæc prouisio & instructio certam victoriam dedit, cùm firmissimi cum infirmis concurrerent, & alij dum suum hostem expectant, in medio manent, otiosi denique

alienâ fugâ, & clade consternati. Quartum genus, huic aduersum, cùm scilicet ipsa media acies prominet & incurrit prima in hostem. Græci ἐπικαμπὲς, flexum dicunt, siue etiam κυρτὸν gibberum. Ælianus: Ἐπικαμπὴς φάλαγξις, ἐπὰν τὰ μέσα τοῖς πολεμίοις προπίπτῃ, λαὶ ἡ κέρατα ὀπίσω μερῶν ὀρθία ὑφ' ἑαυτῶν ἔχῃ τεταγμένα. Flexa instructio dicitur, cùm media hostibus incidunt, cornua autem retrò recta habet collocata. Hac Annibal in pugnâ Cannensi scitissimè est vsus: sed cum eâ quoque arte, vt cornua robustissima haberet, & integra seruaret; & medijs deniq; pulsis, sinu facto immitteret ea vtrimque legionibus, victoriæ suæ certam causam. Quàm vtiliter talia nostri Duces meditentur & vsurpent? & paullatim credo facturos, vt ingenia & institutionem quorundam video, qui succrescunt.

§. 3. Hæc acies ergo in cornua diuidi solita fuit, cum essent duæ legiones, & auxilia, quæ cornua obtinebant extrema.

§. 4. Aliquando duæ legiones in fronte cum socijs, dum à tergo positæ, ita Liuius lib. 27.

§. 5. Aliquando est acies lunata cornibus prominentibus vtrimque, quibus illa Scipionis.

Hac in acie obliquatio probatur à Vegetio, vt sinistrum cornu prius depugnet, sic enim fortius insurget, & minus apertum erit.

§. 6. Huic aduersa cum cornua auersa sunt, & media procurrunt.

Hannibal ita Romanos vicit ad Cannas, sed cum ante equestri prælio vicisset. Liu. l. 22. Sub equestris finè certaminis coorta est peditũ pugna, primo & viribus & animis cõstabant ordines Gallis, Hispanisq; ; tandem Romani diu, ac sæpè consilio agitabant, qua fronte acieq; densa impellerent hostium cuneum nimis tenuem, eoque parum validum, à cæteris prominentem acie, impulsis deinde ac trepidè referentibus pedem insistere ac tenore vno per præceps pauore fugientium agmen in mediam primum aciem illati, postremò nullo resistente ad subsidia Afrorum peruenerunt: qui vtrimque reductis alis constiterant, medijque Galli, Hispaniq; steterunt, aliquantum ꝓminente acie: qui cuneus, vt pulsus æquauit frontem primùm, deinde nitendo etiam sinum in medio dedit, Afri circa jam cornua fecerant: irruentibusq; incautè in medium Romanis circumdedêre alas: mox cornua extendendo, clausêre & ab tergo hostes. Hinc Romani defuncti nequicq; prælio vno, amissis Gallis Hispanisque, quorum terga ceciderant, etiam aduersus Afros integram pugnam ineunt; non tantùm eo inquam, quod inclusi aduersus circumfusos, sed etiam quòd fessi cum recentibus à Vegetis pugnabant.

Cannensis acies.

§. 7. Subsidiorum olim magna ratio fuit. Vegetius lib. 3. c. 17. *Sed optima ratio est, & ad victoriam plurimum confert, vt lectissimos de peditibus, & equitibus, cùm vicarijs, comitibus, tribunisq; vacantibus, habeat Dux post aciem (in subsidijs) præparatos: alios circa cornua, alios circa medium, & ſicubi hostis vehementius insistit, ne rumpatur acies, prouolent subitò, & suppleant loca: additaq; virtute inimicorum audaciam frangant. Hoc primi Lacones inuenerunt: imitati sunt Carthaginenses; Romani postea vbiq; seruauerunt. Hac dispositione nulla melior inuenitur. Nam directa acies hoc solum agere debet, si potest, vt hostem repellat, aut fundat. Si cuneus sit agendus, aut forfex, superfluos habere debes post aciem, de quibus cuneum aut forficem facias. Si ducenda sit serra, item ex abundantibus ducetur: nam si de loco suo ordinatum militem transferre cœperis, vniuersa turbabis. Si globꝰ hostium separatus, aut alam tuam, aut partem aliquam vrgere cœperit, nisi superfluos habeas, quos contra globum possis opponere, siue pedites, siue equites de acie tuleris, dum alia vis defendere, alia periculosius denudabis. Quod si bellatorum tibi copia non abundat, melius est aciem habere breuiorem, dummodò in subsidijs colloces plurimos. Nam circa medias partes campi, ex peditibus benè armatis debes habere lectissimos, de quibus cuneum facias, & statim aciem hostium rumpas. Circa cornua autem, de contatis, loricatisque equitibus ad hoc reseruatis & leui armatura peditum, alas hostium circumuenire te conuenit.* Galli initio impetus pluſquàm viriles, deinde languentes, minùs quàm fœminarum habebant, quia sine ordine & disciplina, totum in primum conatum contulêre, quo destituti animis cecidêre. Imò plerique hostium; bella impetu valida per moras euanescunt.

Cur Galli facilè vincerentur.

§. 8. Aciei instruendæ summa cura esse debet, nam vt lapides temerè congesti aquam non continent, nec murum efficiunt, ita nec viri fortissimi sustinere impetum hostilem queunt, nisi optimè ordinentur. Itaq; prudentissimus Græcorum Nestor aciem ordinat, Iliad. 4. Pyrrhus ea arte excelluit; Scipioni primas Hannibal tribuit. Hinc Reges dicti λαῶν κοσμήτορες ordinatores.

Ordo necessarius aciei.

§. 9. Priorem instrui aciem jubent. Quia plus animi videtur, & quia commodius potes. Ego cum castra munita sunt, aut cum ad pugnam cogi non potes, aliter sentio. Vt posterior instruas. Nam hostilem ordinem vides, quod magnum est commodum, & ille armatus te expectare cogitur. Animos tuis addes, si putent te prudenter instituere, etiam quod hostis sequatur, si lætus sis; attendendum an aduersarius celer, & temerarius sit, tum enim facilè vincentur, quod minus ille potest, qui prior in acie stat. Qui prior in acie consistit, cum regredi facilè non possit, alium expectare cogitur, Hasdrubal cum jejunum exercitum eduxisset; Scipio suis præcepit, vt quiescerent, cibum caperent; hora septima cum hostis inedia, siti, fatigatione castra repeteret, copias eduxit, & vicit.

Aciei posterior instruenda.

§. 10. Multum refert, quâ parte pugnam aggrediaris. Scipio cùm in dextro cornu Hispanos, Hanno in sinistro Africanos; cornu sinistrum aggressus est, victisque Afris, Hispanos pro aliena dominatione pugnantes in deditionem accepit. Philippus cùm Illyriorum frontem robustam, cornua infirma vidisset, ea aggressus, profligauit. Periculosius Permenes Thebanus, qui cum in dextro Persarum cornu fortissimos videret, ipse in suo opposito sinistro infirmos posuit, & fugere jussit, dextro autem suo cornu inuasit sinistrum hostium, & vicit; nam qui in suo sinistro erant, jussit in loca confragosa se conferre. Qui autem secundo loco struit aciem; eligit, qua parte oppugnet, & quos quibus opponat. Aciei itaque ratio constitui non potest, multò minùs eadem semper spacia; sed ex vsu, & eo quod hostis facit, aut commodo suo facere potest, disponenda. Scipio cùm videret Hannibali esse octoginta Elephantos, ordines raros constituit, & magnis interuallis, vt belluas excipere sine noxâ, & frustrari posset. Sulla, cum curribus abundaret Archelaus, palos defixit, vt hærerent. Ordines laxos fecit, & per eos equites emisit, qui aciem turbarunt.

§. 11. Interdum præstat ordinare aciem primo loco, vt terror injiciatur, sed id locum non habet, nisi contra insuetos, ita Turcæ cum classe contra Joannem Austriacum essent militaturi, persuadebant sibi, Christianos mox vbi viderent classem, fugituros. alioqui optimum est videre, quid hostis agat, vt obstacula ponas. Eodem modo Metellus Pius, cum æstuante die Herculeius vallo ejus militem admouisset, suos ad sextam vsque continuit, deinde fatigatos æstu vicit.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

Stratagemata pugnantium.

Stratagemata licita sunt.

§. 1. QVæ licita negant, nimium antiquè & superbè sapiunt. Vsus Stratagemate est Iosue, Dauid, alijque non modo magni Imperatores, sed viri etiam sancti. Nimium simplices, qui censent, οὐδεὶς ἀνὴρ δίκαιος ἀξιοῖ λαθραῖα κτεῖναι τὸν ἐχθρόν. *Nullus bonæ mentis clam hostem publicum occidere fas putat.* Improba potiùs quàm magnifica vox est. *Nolo furari victoriam*: Sanctum est & magnificum hoc furtum, quo ciues seruantur, quo gloria vana pro salute publica contemnitur. Venator validus feras dolo capit, optime Augustinus super 4. Iosue 9. 10. *Cum iustè bellū suscipitur, vt apertè pugnet quis, aut ex insidijs nihil ad iustitiam interest.* Imò si bono dolo seu stratagemate quæri victoria potest, non est vi agendum, quia sine causa periculum adiretur; Laudandaque est bellicosissimæ ciuitatis industria, quæ pro cruenta victoriâ Gallum; pro ingeniosa, bouem immolari iussit. Quin & illud cogitandum; paratissimo contra imbecilles non semper successus esse, minimâ re victoriam conuerti. Exemplo est, quæ contigit, in Perusina vrbe, pugna inter nobiles & æmulas familias Oddonum & Balionum, rem narrat Machiauellus lib. 3. de Repub. c. 14. Nam cum ea ciuitas ciuilibus discordijs laboraret, totaq; in duas factiones Oddonum & Balionum diuisa esset, quorum hi potentiores facti, illos in exilium expulerant: Oddi exules amicorum opera exercitum collegerant, & nocte quadam Petrusiam ingressi, clanculum ad occupandum forum contendebant, sed quia singulæ plateæ catenis transuersis præmunitæ in ea vrbe, equitibus transitum impediunt, præcedebat eos quidam cum malleo ferreo, qui seras catenarum effringebat: jamque præfractæ erant catenæ omnes, præter eam solam, quæ ingressum in ipsum forum claudebat: q̃ cum idem frangere conaretur magno conatu, & quo minus satis attollere malleum posset, impediretur ab ijs, qui sequebantur à tergo, & jam ad arma conclamauerant: Retrocedite, inquit, ad eos (vt liberius videlicet effringere catenam posset) sed hæc vox veluti Echo, à primis ad posteriores, atque ab his ad alios emissa, sensim vsque ad vltimos peruenit: causaque fuit, vt vltimi, qui non intelligebant, qua de causa emissa esset, effugerent magno cum impetu: quos reliqui sensim secuti, institutum deseruerunt, & causa ipsi extiterunt interitus sui: ex tam leui fortuitoque casu commoti. Salua fide, & dignitate omnia stratagemata licita sunt; omnia abominanda sunt, quæ perfidiam habent. Pompejus Mithridatem in Armenia vicit jusso equitatu suo cedere, donec ad locum insidiarum peruentum esset. Cassius eodem modo in insidias Parthum traxit, cum equitem ostendisset à fronte, peditem occuluisset. Eodē modo Ventidius eos afflixit, vt excedere prouincia cogerentur. Sic Pharnabazum vicit & interfecit. Cæsar contra Afranium colles præoccupauit. Juba Curionem in campum elicuit, & equitatum circumdatum fudit. Hannibal nunquam non insidijs vsus est, Fuluio paucos milites per nebulam objecit, & aduersam castrorum partem inuasit, contra Minutium in montibus pedites celauit, deleuisseque Minutium, ni Fabius succurrisset. Ad Trebiam insigni arte Hannibal Sempronioita imposuit; jejunum vt exercitum magno frigore fluminis transitu affligeret. Ad Trasymenum Romanos in montem euocauit, nec ante Flaminius insidias sensit, quam à fronte, à latere, à tergo circumdatus est, & interneciòne deletus. Iunij castra inuasit cum Romanos per sexcentos equites tota nocte inquietos reddidisset. Ad Cannas sexcentorum transfugarū simulatione Romanos afflixit, q̃ imitatur in Iapyges Licinius Coss. Cauendum sedulò ne doli patescant. Quorsum n. profuit Semiramidi Elephantum ornatu camelos producere? si Indis id cognitum erat? Quid Fidenatibus, cum peditem cum facibus in exercitum immitterent, commodi attulit, puerile stratagema? Doli non sunt doli, nisi astu tractes. Sanè præcipua Principis est prudentia dolos maximè bellorum cauere. Gladium allio illitum, à magnete separatum pingunt, & axioma adscribunt: nec vi, nec dolo, q̃ Principis inuicti symbolum est.

Ingeniosa victoria melior, quā cruenta.

Insignia casus belli.

Stratagemata cautè agenda.

§. 2. Sunt autem alia belli, alia præliorum stratagemata, belli generalia quædam, semperq;, cum fieri potest, tenenda. Populi Romani varia stratagemata fuerunt, quorum hoc primarium, vt non facilè bellum inirent, aut nouam prouinciam tentarent, nisi in eâ, aut vicinâ amicos haberent, quorum opera vti possent. Campanos amicos contra Samnium defenderunt, fuitq; ea causa Samnitum delendorum: Tusciam opera Camertinorum, Siciliam per Mamertinos occuparunt. In Macedoniam duxerunt Athenæ. In Asiam Rhodij. In Syriam fratrum Iudæorum contentio. In Ægyptum regia soboles. Eadem ratione in vtraque India maximas regiones Hispanus occupauit, cum semper magno studio, precio, spe, pararent aliquos, qui peregrina imperia præoptarent. Turca etiam dum alijs auxilium fert, omnes subuertit: etiam in media Europa fidos habet amicos.

Amicos habere in prouincia qu. oppugnas.

Inducia simulatæ.

§. 3. Alia fraus est, vt mentio induciarum & pacis inducatur, donec vires pariores sint, aut vt hostium animi relanguescant, & pacis dulcedine allecti, curam belli omittant.

§. 4. Hoc quoque vsitatum est, belligerantes adjuuare, ita vt debiliori subsidia mittantur; donec vtraque pars debilitata victori sese submittat. Quæ enim non suo, sed alieno adjutorio bellum sustinet Respublica, in auxiliatoris sui est potestate.

Multi fœderati in singulis vincuntur.

§. 5. Nunquam magnopere timendum est bellum, cum multi contra vnum conspirant, qui enim primos ferre impetus potest, facile superabit omnes. Anno 1484. Italici in Venetos conspirarunt, illi Ludouicum Mediolani Ducem muneribus ad se traduxerunt, & facilè omne periculum discusserunt. Sic cum Germani Principes contra Carolum Quintum conspirassent, primo impetu profligatum est bellum.

§. 6. Quidam munitis castris nocturnis tumultibus insomnem hostem fatigauêre. Epaminondas tota nocte per paucos leuis armaturæ equites castra Lacedæmoniorum vexauit, altera die fessos inuasit. Epaminondas Onion veniens exercitum quiescere jussit, manè ipsos vigilia confectos vicit. Titus Quintius cum Volscos castra oppugnaturos putaret, noctu cohortem in statione reliquit, æneatoribus autem præcepit, vt vallum insidentes equis circumirent, concinerentque: mane deinde fessos aggressus fudit.

Superstitio idonea stratagematis.

§. 7. Superstitione hostium multi ad sua commoda vsi sunt. Vnicum solum adferam hoc loco, quod insignem superstitiosorum miseriam mirifice ostendit. Panarmus & Gonispus Messenij equis pulchris, tunicis albis, purpureis lacernis, in castra Laconum profecti ab illis sūt putati Castor & Pollux, multos occiderunt, & superstitioni illuserunt, atque inde ad suos incolumes redierunt.

§. 8. Cum fuga simulatur, vel totius exercitus, vel partis, magna cura adhibenda, ne aliqui militum arbitrentur veram fugam esse, trepidatioque oriatur. Romani aliquando cum validum hostem cernerent,

vt inchoato prælio ad principia se reciperent velites, & hastati iusserunt, deinde inconsulto feruore sequentes occiderunt. Hannibal boum cornibus faces & fœnum imposuit, eosq; per syluas agens, cum attoniti aduerterent nocturni ignis discursum Romani, ipse aliâ via euasit. Violentius etiam Hispani stratagemate Pænos perculerunt, nam currus accensos bubus tractos in Amilcaris exercitum immiserunt, ordinesq; turbarunt.

§. 9. Scipio cum videret in acie media Asdrubalis esse robur exercitus, in ipsa acie hoc egit, vt ocioſi illi essent, nam cornua celerius, mediam aciem tardius procedere jussit, vt victis cornibus his quoq; animus caderet. Justinianus Tiberij Imperatoris Præfectus, dum exspectat, donec Persæ pharetras exhausissent, vicit, nam cum ad gladios ventum est, inferiores eos inuenit.

§. 10. Optimum stratagema est, vt caueantur aduersa stratagemata. Ignarus insidiarum Archelaidas, suos tamen instructos ire jussit, esse enim insidias, & reuera erant, itaq; eos facilè dissipauit. Alioqui & illi qui inciderunt, & qui subsidio veniunt, pari in periculo sunt. Sertorius Pompei milites in insidias conjecit, & legionem, quæ subsidio venerat, ipso spectante trucidauit, dena millia occisa sunt. Astutè subsidia alio vertuntur, q̃ magis hostem terreat. Parmeno, cùm videret Tyrios egressos, cedere Macedones, & premi non adjuvit illos, sed vrbem inuasit. Poliæn. l. 5.

§. 11. Si quis inter montes & flumina aut hostium præsidia conclusus euadere se posse desperat, omnia ostentet, quasi p auia euasurus, interim omnia clam, q̃ ad pontes, & tranandum flumen pertinent, peragat, atq; alia parte minat⁹, alia fugiat. Iphicrates errorem suum dextertime correxit: cum n. Sicyonem pergens insidias præterijsset, ex vrbe quidam proclamauit; Jam pœnas dabis; suspicatus non esse inanes minas, alia via celeriter recessit, & insidiatores oppressit.

§. 12. Insigne etiam stratagema Titi Didij, qui cum sciret legionem intercipiendam, simulauit se pugnare velle, producto que exercitu, hostem à cura legionis interceptæ auertit.

§. 13. Cum castra castris opposita sunt, multum p̃derit, si copias hostium distrahas, cui rei plurimum proderit, castra quam munitissima habere, vt multi hinc inde dimitti queant.

Spargere famam.

§. 14. Spargere quædam subito ad animandos milites terrendosq; hostes interdum solent. Vt ducem hostium cecidisse; Quintius cum cerneret alterum cornu cedere, p̃clamauit, alterum vicisse, atq; ita suis alacritatem, hostibus metum addidit. Vsitata illa via est, etiam hostes terrendi. Eduardus Anglus Philippum Pulchrum fraude ab oppugnando Belgio retraxit; sorori n. eius psuasit, Galliæ Principes conspirasse, vt eum in acie desererent. Memnon Rhodius hostib. psuasit, seditione suum militem laborare, atq; ita in campos elicuit. Plus simulationis in Antigono Hierace, is victus recepto in tuta exercitu mortuum se simulauit, missi quasi à militibus, q̃ corpus occisi peterent, & deditionem facerent, ad q̃ acceptandam cum quatuor millia missa essent, ea Antigonus interfecit.

Mendacia absint.

§. 15. Indigna est Imperatori ista mendaciolis nixa fraudulentia. Ingenij & prudentiæ ex naturæ consideratione fuit stratagema Crœsi, qui camelis equos opposuit, quorũ illi odorem ferre non possunt. Pyrrhus quoq; elephantos equitatui è regione locauit, vt belluarum terrore, equos equitesque compleret.

Absit & crudelitas.

§. 16. Crudele & temerarium factum Sertorij, cui cum in prelio ducis cujusdam mors nunciaretur, eum q̃ indicauerat, occidit, ne res emanaret, crudele, inq̃, & temerarium; quia jam alij nouerant, neq; soli Sertorio nuncius retulerat. Ira itaq; & terror inde natus auertere aciem poterat.

§. 17. Luctatius Consul, cum insequentibus Cimbris, flumen trajiciendum esset, pugnaturum esse se simulauit, castra munit, pabulatores emittit, deinde cũ idem Cimbri facerent flumen quiete transiuit. Qui plures in acie habet, cautissime vt pugnet est monendus, quia cum is, q̃ infirmior est omnia tentet, monitione non eget, magnæ vires superbiam, securitatem, negligentiam, cladem gignunt. Infirmior itaq; hostis timend⁹ est, q̃ a inexspectato ictu feriet. Multa a. præsidia ad stratagemata fortior habet, potest aciem extendere subito, potest multos in insidijs seorsũ ponere à latere, à tergo quasi nouum agmen immittere, ad oppugnanda castra in medio æstu pugnæ dimittere, hæc cum aliqua, aut omnia vsurpabit, non quasi timens hostem, sed vt cito, & paruo damno debellet. *Fortior ipſ⁹ periculi est, quia infirmior stratagemate pugnat.*

§. 18. Continua in meditatione stratagematum versetur Imperator, cum præliandum est, id enim optime agitur, q̃ hostis non exspectat. Epaminondas cũ exspectationem equestris certaminis fecisset, ingenti puluere concitato, subito in hostium inopinantium terga inuasit.

§. 19. Cladem tegere, & dissimulare prudenter, victoriæ nomen attulit. Titus Licinius suos humauit, hostes cum altero die multo plures ex suis cæsos viderent, continuo fugerunt, perfectam itaq; victoriam cadauerum nocturna sepultura attulit. *Clades tegenda.*

§. 20. Interdum hostis fallitur, dum sibi consuli putat. Milites Eumenis impedimenta hostium direpturi cum magno periculo erant, quib. cũ psuadere non posset, vt consilium mutarent, hostes monuit, vt melius custodirent.

§. 21. Cum hostis imminens, ad aliq̃, q̃ necessitas exigit, cogere te conatur, nec euadere necessitatẽ potes; sponte illud aggredere, & magno animo piculũ subi, sic n. ordinate, sine turbâ, & metu facies, & hostẽ magnanimitatis & audaciæ opinione terrefacies. Periculosũ est agros exurere, sponte p̃ beneficio concede. Timotheus regionis partẽ hostib. p̃misit, vetuitq; flamma aut ferro grassari. Chares Athenienſis cum timeret, ne despectu paucitatis castra oppugnarentur, noctu clam multos emisit, vt redeuntes mane, quâ hostes conspicui essent, auxiliorum speciem p̃berent. Ptolomæus cum prægressus cum exercitu, omni pecudũ generi carpenta alligauit, & agi p equites jussit, excitato puluere maximo speciem ingentis exercitus p̃buit. Cajus Marius, & Sulpitius Calones impositos jumentis inter pugnãdũ è mõte apparere, & specie alteri⁹ exercit⁹ p̃bere jussit, qua re hostũ aciẽ turbauit. *Ex necessitate virtutem.*

§. 22. Impetumne in hostem facere an sustinere melius sit? quæritur inter Duces. Decius hostem inuasit, Fabius impetũ sustinuit, animosior est miles, q̃ inuadit, prudentior, q̃ hostem excipit. Si spacia longiuscula sunt, p̃stat excipere, anhel⁹ n. hostis aduenit. Si hostis timidior, inuadendus: Si audax sustinendus, primo n. impetu fatigabitur. Verum nunc bombardæ vsum belli mutarunt. Qui, cum ad teli jactum ventum est, prior paratus est, damnum adfert, & aliquos nocituros occidit: sed pendet id ex alijs, tum ex loco. *Interdũ inuadendus interdum sustinendus est hostis.*

§. 23. Locorũ n. natura sæpè plus p̃dest, q̃ virtus pugnantium, aut vet⁹ Imperator. Locus sanè ad rẽ plurimũ momenti habet, Marcus Curius Pyrrhum vicit, Phalangem ad angustias trahendo. Ferè id agunt, vt ex edito pugnent, ita Pompejus Mithridatem, Cæsar Pharnacẽ, Lucull. Mithridatẽ & Tigranẽ vicit. Themistocles Xerxẽ in angustijs vicit, paucis multos. Datames pauco milite multos semper vicit, q̃ nunq̃ acie cõflixit, quin locorũ angustijs clausũ hostem teneret. Ita Æmil. Probus. Sertorius Romanorũ copias velitationibus attriuit. Hannibal ab vno latere vias p̃ruptas objecit, & Marcellum vicit, ad Cannas, amne Volturno p̃ munimento vs⁹ est. Hoc imitat⁹ est Romanus Hannibal Cæsar, l. 3. belli ciuil. Dextrũ cornu *Loci adiumenta.*

ejus

ejus riuus quidam impeditis ripis muniebat, quam ob causam cunctum Equitatum, sagittarios, funditoresq; omnes in sinistro cornu objecerat.

Locum parans idoneum.

§. 24. Locum aptũ multi arte fecerunt. Cleomenes Lacedæmoni⁹ planitiem arborib. impediuit, in qua cum Equitatu Hippiæ erat pugnatur⁹ eamq; inuiam equiti fecit. Xantippus Carthaginensium exercitum equis & elephantis validũ in planitiem adduxit, Romanosq; vicit. Clearchus hostium equitatum foueis excepit, derepente factis, Q. Sertorius scrobib⁹ factis equitatum hostilem afflixit. Rotis curruũ humi depressis, catenis, vallo, muricib⁹ castra munienda sunt, milesque junctus sit, Germani dum diuerso loco castra metantur in Gallia à Guisijs cæsi sunt. Ventum etiam ad Cannas Hannibal expectauit, & ea re vicit. Cimbri etiam in campo Caudio contra Marium eodem stratagemate pugnarunt. Cimbri quoq; solis auxilio vsi sunt, vt repercussu radiorum oculos hostium perstringerent, verum id paruum p̃sidium. Luna quoq; occidente Romani bello Pontico sunt adjuti, cum n. illa à tergo Romanorum jam propè occasum longas vmbras Romanorum jaceret, in eas errore magno Pontici tela consumpsêre. Eumenes cum equitatu valeret occupatione locorum hoc effecit, vt in plana seduceret hostem. Ita Hannibal, sed cautè, vt vtrinq; equestrium p̃liorum rationem haberet. Nam etiam sinistrum cornu Romanorum stratagemate vicit.

Ventus adiuuat.

§. 25. Quemadmodum igitur castra ad locorum commoditatem, sic aciem disponendam judico. Solet a. distribui generatim in varias formas. 1. vt sit oblonga. 2. lata. 3. Lunam referens aduersam, lunaris auersis cornib. nam cætera ferè vsitata non sunt, cum integra acie pugnatur. Extraordinaria tamen acies semper habenda est.

Subsidia educere.

§. 26. *Insigne documentum est* Bernardi Mendozæ, p. 1. c. 44. *Vtile, inquit, stratagema in prælio habetur, si ex dextro latere agminis cohors aliqua lãceariorum, & bombardariorum educatur, etiam si quinta pars agminis sit, q̃ feruente pugna à latere hostem impetat, ita vt si contra cohortẽ sic vertat latus nudum p̃beat agmini, si sese agmini opponat, nudet latus cohorti, q̃ stratagema magno adiumento est ad victoriam, nescio sanè an inter pedites vsitatum fuerit, mihi magno vsui fuit in equitatu, cum leuem armaturã ad hoc ordinarem, & animaduerti magno damno sic hostem affectum, etiam si in vna cohorte tantum 25 fuerint, atq; plurima agmina diuino auxilio dissiecit, & milites insignes victorias Regi nostro Tuæ Maiestatis Patri obtinui.* Huic consilio lancearios cõmodissimos esse docet; Nam turma centum lanceariorum, aut centum & viginti, potest turmam quadringentorum & quingentorum bombardariorum equitum dissipare, si in turmulas minores se diuidant, & impetuose plurib. locis inuadant, nam bombardæ eo modo inutiles redduntur, nec expediri possunt. In subsidijs non modo constituunt nostrates certos ordines; sed

Volatica agmina.

habent ad vsum, etiam inter initia agmina aliqua, q̃ vocant volatica, q̃ interdum lacessunt hostem, interdum subueniunt pressis, decertant etiam, si aciem hostis prior ordinarit, donec acies alia ordinata sit.

CAPVT XXXIX.

Aliæ formæ acierum.

Cunei, globi, forfices, turres, serræ.

§. 1. OMnes fermè præstantes Imperatores; quia sine opportunitate nõ pugnant, in acie ordinandâ noui aliquid inuenerunt. Hinc cunei, globi, forfices, turres, serræ. Cuneum vocant, cum trigona est acies, Veget. l. 1. c. 26. Græci ὖμβολον vocant, tempore Ammiani caput porcinum. Suidas ex Anglia interprete Lipsio. *Erat in forma aciei velut in rostrum. Litteræ enim Δ. assimilabatur. Et anterior pars quà in acutum desinebat, tecta & densa erat, quia scutis vndiq; muniebatur. Dixeris caput eos porci structurâ eâ efformasse. Crura a. vtrimq; secundum ordines & cohortes in p̃fundum composita, & pleraq; parte in obliquum extensa, coibant paullatim & diuiungebantur, donec in maximam latitudinem p̃gressa desinerent: ita vt medius locus vacuus relinqueretur, & terga militum nuda per ordinem conspicerentur.* Franci & Romani vsi, cum perrumpere aciem volunt. At tum vtendum, cũ necessario via facienda est; nam p̃iculosa omninò res est. Deinde tantum cum ordines hostium rari sunt, alioqui impingent solido. Tertio nunq̃, cum pugnatur contra peritos; illis enim facilè est, aut densam aciem opponere, aut ordines soluere, vt in medio claudant. Cuneus aliquando de phalange macedonica, aliaq; forma aciei dicitur, vt docet Lipsius.

Cuneus periculosus.

§. 2. Cuneus inuersus est forceps vel forfex; Cuneus eâ acie excipitur vel atteritur. Turris q̃ dicitur, & laterculum, non differunt à prioribus. Cum identidem acceditur & receditur. Legio Polybiana habuit in fronte centum viros, in latere introrsum triginta quatuor, triarij legionis dimidium. Olim tres pedes quaqua versum miles habebat, vt arma commode tractare posset, idq; minimum. Polybius ita recenset, sed Vegetius l. 3. c. 14. aliter. *Singuli autem armati in directum ternos pedes inter se occupare consueuerunt, hoc est, in mille passibus mille sexcenti sexaginta sex pedites ordinantur in longum: vt nec acies interluceat, & spacium fit arma tractandi. Inter ordinem autem & ordinem à tergo in latum sex pedes distare voluerunt, vt haberent pugnantes spacium accedendi & recedendi: vehementius enim cum saltu cursuq; tela mittuntur. In his duobus Ordinibus, & ætate maturi, & vsu confidentes, & muniti etiam grauioribus armis collocantur. Hi enim ad vicem muri, nec cedere, nec sequi alium cogendi sunt, ne ordines turbent; sed venientes aduersarios excipere, & stando pugnando q; repellere vel fugare. Tertius ordo disponitur de armaturis velocissimis, de sagittariis iuuenibus, de bonis iaculatoribus, quos antea fertentarios nominabant. Quartus item ordo constituitur de scutatis expeditissimis, de sagittariis iunioribus, de his qui alacriter veruis martiobarbulis (quas plumbatas nominant) dimicant, qui dicebantur levis armaturæ. Sciendum ergo est, stantibus duobus primis ordinibus, tertium, & quartum Ordinem ad prouocandum, cum missilibus, & sagittis primo loco semper exire. Qui si hostes in fugam vertere potuerint, ipsi cum equitibus persequuntur. Sin verò ab hostibus pulsi fuerint, redeunt ad primam & secundam aciem, & inter ipsas recipiunt se ad loca sua. Prima autem & secunda acies, cum ad spathas, & ad pila (vt dicitur) ventum fuerit, totum sustinet bellum. In quinta acie ponebantur interdum carrobalistæ, manubalistarii, fundibulatores, funditores. Fundibulatores sunt, qui fustibalis lapides iaciunt. Fustibalus fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio: & vtraq; manu impulsus, propè ad instar onagri dirigat saxa. Funditores sunt, qui fundis (ex) lino vel setis factis (has enim dicunt esse meliores) contorto circa caput brachio dirigunt saxa. Quibus deerant, siue lapidibus manu iactis, siue missilibus in hoc ordine dimicabant, (quos accensos, tanquam iuniores, & postea additos nominabant.) Sextus ordo post omnes à firmissimis, & scutatis, & omni genere armorum munitis bellatoribus tenebatur; quos antiqui Triarios appellabant. Hi, vt requieti, & integri acrius inuaderent hostes, post vltimas acies sedere consueuerant. Si quid enim primis ordinibus accidisset, de horum viribus reparationis spes tota pendebat* Et cap. 15. *Explanato autem qualiter debeant acies instrui, nunc podismum, mensuramq; ipsius ordinationis exponam. In mille passibus campi, vna acies mille sexcentos sexaginta sex suscipit pedites: propterea, quia singuli pugnatores ternos occupant pedes. Quod si sex acies in mille passibus campi volueris ordinare, nouem millia nongenti nonaginta. Sex pedites sunt necessarij. Si a. in ternos ordines hunc numerum volueris tendere, duo millia passuũ cõprehendes. Sed melius est plures acies facere, quã militẽ*

Ordo legionum.

spargere. Senos autem pedes à tergo inter singulas acies in latum diximus interpatere debere; & ipsi bellatores stantes singulos obtinent pedes. Ideoq; si sex acies ordinaueris, quadraginta duos pedes in latum, & mille passus in longum decem millium hominum tenebit exercitus. (Si autem in ternos ordinare volueris 21. pedes in latum, & duo millia passuum in longum, 10000. tenebit exercitus.) Ad hanc rationem siue 20000. siue 30000. peditum fuerint iuxta mensuram podismi, sine aliqua dubitatione difficultatis poterunt ordinari, nec Dux fallitur cum sciat, qui locus quantos capere possit armatos. Deniq; si angustior locus sit, vel multitudo sufficiat, inde etiam nouem, vel amplius acies ordinari (conuenit) Magis enim expedit, vt conferti pugnent, quam longius separati. Nam si nimium fuerit acies attenuata, citò ab aduersarijs facta impressione perrumpitur, & nullum postea potest esse remedium. Qui autem numeri in dextro cornu, qui in sinistro, qui in medio debeant ordinari, vel iuxta dignitates eorum, seruatur ex more, vel certè pro qualitate hostium commutatur.

Aciei forma pro nationibus diuersa.

§. 3. Forma aciei, nunc ex opportunitate locorum statuitur, & procul hostis suam instituit; habetur etiam ratio nationum, quarum aliæ ad alias formas magis affectæ sunt, ideoq; si ea fiat, pugnant peritius & fidentius. Cum lata frons est, volunt tertiâ parte superare profunditatem, cum acies est profundior, quàm latior, eandem proportionem requirunt, quod tamen ita intelligo, vt variari debeat, si hostium acies requirat, aut situs locorum. Latera verò incingunt alæ bombardariorum. Leuis armaturę equitatus turmatim pugnat, ordines magis seruant cataphracti. Aciem corpori humano comparat Mendoza, bombardarios similes ait manibus, & pedibus, equitatum leuem cruribus, & brachijs, cataphractos coxendicibus, legiones peditum pectori, ducem capiti, impedimenta ventri. Qui hostem aggreditur, dextram manum profert, si luctandum omnibus simul viribus nititur. Cum lancearij, & equites bombardarij sunt, hi acies obtinent, & paulo citius pugnam inceptant, quàm lancearij, turbatos illi dejiciunt. Hæc etiam in paucorum conflictibus vsurpant. Lancearios incommode jungi nonnulli putant, q̃ nihil eminus contingere queant; Sed juncti equitibus longas bombardas gerentib. & peditibus, quos vocant, mosquetarijs vtiles sunt Itaq; nullo modo negligendi sunt.

Caput XL.

Exempla acierum varia.

Varia acies pro opportunitate.

§. 1. Crassvs contra Parthos quadratam fecit, vt singula latera duodecim cohortes tenerent, & ad quamque cohortem turma equitum. Verum id trepide, & stupenti similis; Nam diuiso equitatu omnes partes infirmas reddidit, cum Parthi equitatu prævalerent.

§. 2. Triballi apud Stob. sermon. 52. aliter disponunt. Prima pars infirmos habet, qui lacessant ad pugnam. Altera fortissimos; Tertia Equites; Quarta fœminas.

Artificiosa Xantippi acies fuit; auxiliaribus enim leuis armaturæ præcepit, vt hostem lacesserent ac cederent, quem deinde fortissimi exciperent, dum inter hos fit prælium, à cornibus iterum illi erumperent.

Cyrus consilio Crœsi in regnum Tomyris processit, aliàs regnum perditurus. Herod. libr. 1. ibiq; nouam aciem instituit, qua & vicit.

§. 3. Quibus currus, & elephanti, in prima acie eos collocant. Nam hostium ordines facillimè turbant; & si in media acie sunt, id quod obuium est, prorerunt.

§. 4. Acies Vngarorum contra Turcas à Toroneo instituta, equites, & pedites permistos habuit, ne posset circumueniri; ordines enim sic dilatauit, vt magnæ multitudini par esset.

Nunc probant aliam rationem, quæ vsitata est. Contra lunatam enim Turcæ aciem in tres partes diuidendus exercitus, vt duæ contra cornua pugnent, media acies stet immota, donec jungatur hostibus, & pugnet.

§. 5. Alexander ad Arbela aliam quoque aciem instituit. Front. lib. 2. c. 3. *Alexander ad Arbela, cum hostium multitudinem vereretur, virtuti autem suorum fideret, aciem in omnem partem spectantem ordinauit, vt circumuenti, vndiq; pugnare possent.*

§. 6. Vegetius plura genera proponit lib. 3. c. 20. *Septem genera acierum.*

Depugnationum septem sunt genera vel modi, cum infesta ex vtraq; parte singa confligunt. Vna depugnatio est fronte longa quadrato exercitu, sicut etiam nunc & propè semper solet prælium fieri: sed hoc genus depugnationis periti armorum non optimum iudicant, quia cum in prolixo spacio tenditur acies, non æqualis semper campus occurrit, & cum in eius parte sinus, aut curuatura fit, in eo loco acies frequenter interrumpitur. Præterea si multitudine aduersarius antecedit, à lateribus aut dextram, aut sinistram alam circumuenit: in quo periculum magnum est, nisi supernumerarios habeas, qui procurrant, hostemq; sustineant. Hoc genere solus debet confligere, qui & plures & fortes habuerit bellatores, vt ex vtroq; cornu hostem circumueniat, & quasi in sinum sui concludat exercitus. Secunda depugnatio est obliqua, quæ plurimis melior: in qua si paucos strenuos loco idoneo ordinaueris, etiam si multitudine hostium & virtute turberis, tamen poteris reportare victoriam. Huius talis est modus: Cum instructæ acies ad congressum veniunt, tunc tu sinistram alam tuam à dextrâ aduersarij longius separabis, ne vel missilia ad eam, vel sagittæ perueniant: dextram autem alam tuam sinistræ alæ illius iunge, & ibi primum inchoa prælium: ita vt cum equitibus optimis, & probatissimis peditib. sinistram partem illius, ad quam te iunxeris, aggrediaris atq; circumeas, & detrudendo atque supercurrendo ad hostium terga perueniας. Quod si semel aduersarios exinde pellere cœperis, accedentibus tuis indubitatam victoriam consequeris, & pars exercitus tui, quam ab hoste submoueris, secura durabit. Ad similitudinem autem A literæ vel libellæ fabrilis, acies in hoc dimicandi genere constituitur. Quod si prior aduersarius hoc fecerit, illos quos post aciem supernumerarios diximus debere poni, tàm equites, quàm pedites, ad sinistrum tuum colliges cornu, & sic aduersario resistes magnis viribus, ne arte pellaris. Tertia depugnatio est similis secundæ: sed in hac deterior, quod à sinistro cornu tuo cum illius incipis dextro confligere. Nam quasi mancus impetus est eorum, & aperti cum difficultate aggrediuntur hostes, qui in sinistro dimicant cornu. Quod apertius (vt sit) explanabo. Si quando alam sinistram longè habueris meliorem, cum ea fortissimos equites, peditesq; coniunge, & in congressu ipsam primam applica ad alam hostium dextram, & quantum potest, aduersarii dextram partem pellere & circumuenire festina. Tu autem aliam exercitus partem, in qua deteriores bellatores habere te nosti, à sinistra illius longissimè separa, ne vel gladiis, inuadatur, vel ad eam tela perueniant. In hoc (genere) cauendum est, ne inimicorum cuneis transuersa tua acies elidatur. Hoc autem modo, vno casu vtiliter pugnabitur, si aduersarius infirmius dextrum cornu habuerit, & tu longè fortius sinistrum. Quarta depugnatio talis est: Cum ordinaueris aciem, ante quadringentos, vel quingentos passus, quam ad hostem perueniας, non sperante, eo subitò ambas alas tuas incitare te conuenit: vt ex vtroq; cornu improuisos hostes vertas in fugam, & celerius victoriam consequaris. Sed hoc genus certaminis, licet citò superet, si exercitatos fortissimosq; produxerit, tamen periculosum est: quia mediam aciem suam, qui sic dimicat, mutare compellitur, & in duas partes exercitum separat. Si primo impetu victus non fuerit inimicus, habet (postea) occasionem, quâ inuadat & diuisa cornua, & mediam aciem destitutam. Quinta depugnatio est quartæ similis: sed hoc

Signa. ucere es stem.

hoc vnum amplius habet, quòd leuem armaturam & sagittarios ante mediam aciem ponit; vt illis residentibus, non possit irrumpi. Nam sic de dextro cornu suo, illius sinistrum: & de sinistro cornu suo illius dextrum aggreditur. Quod si fugare potuerit, statim vincit: sin minus, media acies illius non laborat: quia à leui armatura, sagittariisq; defenditur. Sexta depugnatio optima est, propè similis secundæ: quâ vtuntur, qui de numero suorum, & de virtute desperant. Et si benè ordinauerint, quamuis cum paucioribus, sæpè victoriam consequuntur. Nam cum instructa acies ad hostem accedit, dextram alam tuam sinistræ alæ hostium iunge, & ibi per equites probatissimos, & velocissimos pedites incipe prælium. Reliquam autem partem exercitus tui, longissimè à dextra parte aduersariorum remoue, & in directum porrige, quasi veru. Nam cum partem sinistram illius, & à lateribus, & à tergo cœperis cædere, sine dubio vertes in fugam. Aduersarius autem nec de dextrâ parte suâ, nec de media acie potest suis laborantibus subuenire, quia acies tua extenditur, & totam porrigit ad similitudinem I. litteræ longissimèq; recedit ab hostibus. (Quo genere in itineribus sæpè confligitur.) Septima depugnatio est, quæ loci beneficio adiuuat dimicantem. In hac quoque, & cum paucioribus, & cum minus fortibus poteris aduersarium sustinere, hoc est, si montem, aut mare, aut flumen, aut lacum, aut ciuitatem, aut paludes, aut abrupta in in vnâ parte habeas, ex quâ hostis non possit accedere, & reliquum exercitum tuum directa acie ordines. Sed in illa (ala) quæ munitionem non habet, omnes equites & ferentarios ponas. Tum securius pro tuo arbitrio, cum hoste confliges; quia ab vna parte loci natura te munit, ab alia duplex propè ponitur equitatus. Illud tamen obseruandum est, quo nihil melius inuenitur, vt siue solo dextro cornu pugnare volueris, ibi fortissimos ponas: siue sinistro, ibi strenuissimos colloces: siue in medio cuneos facere volueris, per quos acies hostium rumpas, in cuneo exercitatissimos ordines bellatores. Victoria enim per paucos fieri consueuit. Tantum est, vt electi à Duce sapientissimo, in his locis, in quibus ratio & vtilitas postulat, ordinentur.

§. 7. Archelai & Sullæ acies à communi valdè recedunt. Frontinus libr. 2. cap. 3. *Archelaus aduersus L. Syllam, in fronte ad perturbandum hostem fulcatas quadrigas locauit; in secunda acie phalangem Macedonicam; in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitiuis Italicæ gentis, quorum pernicitati plurimum fidebat; leuem armaturam in vltimo statuit. In vtroq; deinde latere equitatum, cuius amplum numerum habebat; circumeundi hostis causa posuit. Contra hæc Sylla fossas amplæ latitudinis in vtroq; latere duxit, & capitibus earum castella communiuit: qua ratione, ne circumueniretur ab hoste, & peditum numero, & maxime equitatu superante, consecutus est. Triplicem deinde peditum aciem ordinauit, relictis interuallis, per leuem armaturam, & equitatum, quem in nouissimo collocauerat, vt cum res exegisset emitteret eum: tum prosignanis, qui in secunda acie erant, vt densos numerososq; palos firmè in terram defigerent; intraq; eos, appropinquantibus quadrigis, ante signa nostram aciem recepit: tum demum sublato vniuersorum clamore velites & leuem armaturam ingerere tela iussit: quibus factis quadrigæ hostium aut implicitæ palis, aut exterritæ clamore telisq; in suos conuersæ sunt, turbaueruntq; Macedonum instructuram: qua cedente cùm Sylla staret, & Archelaus equitem opposuisset, Romani equites subitò emissi, auerterunt eos, consummaruntq; victoriam.*

CAPVT XLI.

Hortatio militaris, & responsa exercitus.

Signa conicere in hostem.

§. 1. EXERCITVS consternatus, vel pudore, vel metu ad pugnandum impellitur. Pudore; vt cum Imperator signum in hostem conjicit; Quod Seruius Tullius adolescens sub Tarquinio fecit, imitati sunt Furius Agrippa, T. Quintius Capitolinus, M. Furius Camillus, Saluius Pelignus. Vel cum Imperator in aciem primam præuolat, sic Lucius, cum legiones Mithridatico exercitui cederent, stricto gladio in primam aciem emicuit, & dixit militibus, si quis quæreret, vbi Imperatorem reliquissent? responderent: In Bœotia. Julius etiam ad Mundam in primam aciem pedes prosilijt, atque ita milites dum deserere eum erubescunt, vicêre. *Imperator in prima acie.*

Metu fugientes tenuit Q. Furius minatus neminem se castris recepturum nisi victorem. Scipio ad Numantiam, fugientes sibi pro hoste futuros. Idem M. Attilius, & Philippus Macedo fecerunt. Priscus dictator, & Cossus Cornelius signiferum cunctantem interfecerunt.

§. 2. Efficax est breuis in periculo adhortatio. Iphicrates victoriam promisit, si vbi signum dedisset, vnum gradum processissent, idq; dedit cum res in inclinatione esset, & vicit. Epaminondas quoque eodem exhortationis genere vsus est. Alexander suos videns inclinare; *adhuc semel, viri Macedones, adhuc semel accedamus*; atque ita hostem impulerunt. Cùm itaque inclinatur acies, retine cedentes, si redeant, vicerunt. Cæsar sanè

Ipse manu subicit gladios ac tela ministrat
Promouet ipse acies impellit tergaq; suorum
Verbere conuersæ cessantes excitat hastæ.

§. 3. Plus est in timore exercitus periculi, qua quidem in re agendum est, vt insigni aliqua fiducia excitetur, quod ferè aliter fieri non potest, quam vt occultum subsidium, & stratagema esse arbitrentur. Fuluius nobilior contra Samnitas victorès pugnaturus suis animum addidit, cum diceret; *vnam hostium legionem à se pecunia corruptam ad proditionem*, imperauitque Tribunis, Centurionibus, & primis ordinibus, vt quod auri argentique haberent, conferrent ad repræsentandam proditoribus mercedem: Hinc alacritas & victoria. Hortari itaque non modo apertè, quod interdum est diffidentis, sed per cuniculos oportet, vt animus crescat. Lucullus edito ex loco viso Tigranis exercitu; *Vicimus milites, vicimus*, inquit. Cataphractorum crura & femora gladijs figebat, hastas gladijs concidebant. *Fiducia militis victoria est.*

§. 4. Vtile est æmulationem excitare: Cæsar contra Arioüistum se cum decimâ legione pugnaturum dixit; Illa gratias de judicio agit, cæteri pudore accensi sunt ad prælium. *Æmulatio ad victoriam.*

§. 5. M. Fabius & Cn. Manlius militem detrectantem prælium propter seditiones cunctatione accenderunt, cum hostium contumelias ferre non possent. L. Sulla operibus milites fatigauit, donec poscerent prælium, pro exhortatione itaque labor fuit. Agesilaus Lacedæmonius cum preciosissima milites Orchomeni deposuissent, oppidanis præcepit, ne quicquam reciperent, vt exercitus ardentius pro rebus suis depugnaret, hic auaritia in prælium adegit. Terror hosti vna voce interdum incutitur, animusque excutitur. Leotychidas cum dubij essent Jones sparsit famam, Persas ad Platæas esse victos, quo pacto eos animauit. *Vna sæpè vox hostem terret.*

Pan Bacchi Dux cum canum montem in vicino esse intellexisset, noctu clamorem tolli jussit, qui repercussu duplicatus hosti terrorem incussit. Aristomenes cum videt mistas triremes, & aciem ancipitem jussit suos milites clamare: sinite fugere. Hostes verè putantes suos fugere, fugerunt & ipsi.

§. 6. Vsitatum olim fuit, vt hostium superbia, iniquitateque exposita ad prælium hortarentur; ita Fabius cum legati Carthagine conditiones iniquissimas ferrent, indignationis exercitum impleuit. Epaminondas pronunciauit Lacedæmonijs constitutum; *si vicissent, omnes virilis sexus occidere, vxores & liberos in seruitutem adducere, Thebas delere, tantusq; erat ardor pugnantium, vt primo impetu aduersarios fugarent.*

Nimium

Nimium jam hujus impostura experimentum est, vt subditos contra Principes commoueat, omnia facta, atque infecta comminiscantur. Verùm horum apud imperitos vsus est, & si recte instituantur tota res in derisum abit. Quid enim facilius, quam vanissima eludere? Habet idem Frontinus libro 1. cap. 12. exempla multorum, qui omnia eluserunt.

Superstitio in prælio periculosa.

Facilè autem in auctores recidit si superstitione obnoxium militem habeant. Cæsar cum sciret legem esse Germanis non pugnare decrescente lunâ, impeditos religione acie vicit.

Impostura licet nunquam vsurpandæ sint, interdum tamen stolidos militum animos erexerunt. Sic Archidamus noctu clàm aram statuit, ornauit, & equos circumegit, vt Castor, & Pollux adfuisse putarentur.

Epaminondas noctu per artificem curauit, vt statua Palladis manu scutum teneret, quod initio ante pedes positum erat; Bœoti in crasso aëre nati, Ducem sumpsisse scutum, & protectricem fore rati fortiter pugnarunt. Idem quoque vatem Trophonium produxit. Alexander quoque superstitione suorum abusus est. Aruspicis enim manum literis, quæ victoriam portenderent inscripsit, qui tenens exta notas impressit. Hoc etiam accuratius fecit contra Gallos Attalus, Polyæn. libr. 4.

Caput XLII.

Antiquam aciem nostro tempore seruari non posse.

Non arma, nec acies priscæ restituenda.

§. 1. Machiavellvs eam reduci vellet, verum nullo id Reipublicæ bono, militiæ damno ingenti. In eo quidem rectè sentit, quod ita ordinandos censet exercitus, ne in paucorum timore, vel fuga omnes periclitentur. Quod verò antiquum Romanorum morem vrget, præter rem facit. Ratio enim pugnandi, qua nunc vtimur, multò melior est, multoq; firmior. Romanæ aciei ars erat prima, vt fessi, aut victi velites se in ordines hastatorum, hi in Principum interualla reciperent: nunc vero receptus ille non probatur; sed in locum fessorum alij, atque alij submittuntur. Multoque prudentius id egisset Romani, si ita statuissent, vt si premi vidissent hastatos, submisissent Principes, his Triarios. Nam quod turbas, & ordinum conuulsionem arbitratur orituram ex procursu eorum, qui in secunda, tertiaque acie versantur, non satis attendit grauiorem oriri ordinum turbationem ex recessu, & quasi fuga cedentium, aut pulsorum, quam procursu pugnantium, & succurrentium; plus enim rationis & animi est, in pugnaturis, quàm in fugientibus, & antrorsum procedunt illi, fugientes retrorsum. Quin ad animos erigendos, acuendamque audaciam plus valet, stanti & pugnanti, quàm cedenti succurrere. Hosti etiam confidentia tollitur nostro præliandi modo, veterum ordine augetur: cedentibus enim acrior incumbit, & antem timet.

Melius succurritur, sessis, quam cedentes recipiuntur.

§. 2. Quin & illud obseruandum tormentorum nostrorum rationem alium ordinem acici requirere. Ante aciem enim ducenda sunt, & magna cura disponenda, atque etiam vitanda. Hoc sanè constat, si in dirigendis tormentis industria adhibeatur victoriam esse pronam, de quo suo dicam loco; nunc satis est, si intelligatur non posse veterem aciem instituui. Fortissimi enim militum nunc sclopis vtuntur, illis præcipuè quas Mosquettas appellant, & raro cominus pugnatur, nisi cum altera pars fugit. Itaq; jaculatores sunt nunc præcipui, & corpus aciei Prius autem natura est, vt eminus quam cominus pugnetur, hic machinæ & mosquettæ, quæ sunt grauissimæ armaturæ initio disploduntur.

§. 3. Olim interdum sagittas illudebant celeri procursu, id nunc fieri non potest, scutis enim & loricis non impediuntur bombardæ.

Ventidius aduersus Parthos non ante exercitum eduxit, quàm cùm quingentis passibus abessent; & subita procursione sagittas elusit, & fiduciæ specie barbaros debellauit. Hoc nunc tentare insani est.

§. 4. Nunc tormentorum vsus ad latera aliam aciem requirit. Cùm timetur ne hostis circumdet aciem, extendendæ sunt frontes & ad latera ponenda tormenta, inter pugnandum verò contrahendæ, & emittenda jacula improuisa. Olim equitatus diffundebatur: nunc continetur, & cautissimè emittitur.

Caput XLIII.

Præcepta generalia aciei instruendæ, & prælij.

Prælium tarde ineundum.

§. 1. Non facilè certandum, nisi necessitas cogat, aut videas victoriam te in manibus habere. Exercitus pugnandi auidus sed impar, suaui ratione retinendus, vt animus maneat fortis, alacerque, & tamen prudentiæ Imperatoris se committat. Sertorius Lusitanos Barbaros exemplo docuit, Romanos non simul vinci, sed p partes atteri debere. Cum deinde cum clade pugnaturos cerneret, turmam equitum misit, quæ hostem prouocaret, laborantique submisit subsidia, & omnes recepit, ostenditque quis exitus pugnæ fuisset, si omnibus signis collatis fortunam tentassent.

Non nisi magno cõmodo vel magna necessitate præliandũ.

§. 2. Prælium haud facilè committendum, Vegetius libro 3. cap. 9. *Ideò omnia antecogitanda sunt, ante tentanda, ante facienda, quam ad vltimum veniatur abruptum. Boni enim Duces non aperto Marte prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, quantos possint hostes interimant, certe vel terreant: in quâ parte, quæ necessaria admodum sunt, ab antiquis reperta perscribam.* Paulus Æmylius, perraro nimis bonum Imperatorem signis collatis decertare, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data esset.

§. 3. Magnus itaque Imperator est, qui conuitia, & nomina cunctatoris æquo animo ferre potest, ne ante tempus, aut non suo loco & tempore dimicet. Potuit ferre Fabius, non potuit Pompejus, itaque Fabius consensu aliorum, Pompejus suo malè pugnauit. Nam Fabium Collega traxit. Pompejum imperiti flexerunt. Contra omnia inuictus Pericles stetit. Pericles hosti impar, sed à suis pugnandi cupidis, ad prælium etiam conuitio vocatus, respondit: cæsas arbores facillimè renasci, interemptos homines difficillime reparari. Plutarchus in Pericle.

Hostis prælii cupidũ facile est vincere.

§. 4. Probum consilium Cn. Sulpitij Dictatoris, cum vt ait Liuius libro 7. bellum traheret, nolens se fortunæ committere aduersus hostem, quem tempus deteriorem indies & locus alienus faceret. Quod putat Machiauellus, si hostis omnino prælium inire velit, non posse illud euitari, verum est, sed id si velit, prælium inibit prudens Imperator suo commodo, & certa victoria; quemadmodum enim qui omninò cupiditate emendi prolapsus fundum alienum emere gestit, tanti, quanti eum venditor indicat, emere tenetur, ita qui temerariè in prælium prope-

properat, ad alterius voluntatem tempus & locum acceptare cogitur, quod est periculosum, accipere ab hoste conditiones pugnandi.

Carolus Quintus cum Germanis pugnare noluit, quod non dubitaret exercitum eorum, breui dissipatum iri, nam in fœdere videbat ciuitates, quæ nervum suppeditabant, contemni, & merito queri, quare putabat à fœdere discessuras, quod fecerunt.

§. 5. Necessitas pugnandi vrget, si loco cedendum est, propinquo hoste. Qui enim subtilis impedimentis proficisci cogitur, si hostis sequatur, vix sine pugna euadit, hostis enim sequitur, & loca sibi opportuna occupãdo ad iniquam pugnam coget.

Pugnandum est cum commeatus, aut stipendia defutura videntur. Multo magis si agrum hostis vastet. Alias haud est indecorum cum saluti necessarium est, mœnia tueri, nec in aciem procedere; Cum Spartam Thebani obsiderent, omnes exire ad pugnam auerent, moratus est Agesilaus, quod diceret: *Athenienses etiam quandoq; à Lacedæmonijs in vrbem fuisse conclusos.*

§. 6. Nec reprehendero, si ad tempus cedat, si enim fuga strategematica, laudabilis est, quæ mox conuertitur in hostem securum, cur non & illa, quæ ad hebdomadas, aut menses durat? Metellus cum alacrem vidisset hostem, exercitum reduxit. Agesilaus quoq; cum eum videret ordinem & vires Atheniensium, vt vincere non posset, recessit. Polyæn. l. 2. Nec timendus contemptus, sed amandus. Quicunque enim hostem contemnit, ad pugnam imparatus est. Pugnandi auiditas in milite alenda est, prouidentia victoriæ duci conuenit.

Nec facile bellum in exercitatos sumendum est. Crœsum bella contra Insulanos molientem Bias dehortabatur, q. diceret, *Insulanos magnum numerum equorum contra eum parare.* Crœsus irridens, *vtinam*, inquit, *eos in continente capiam*: Tum Bias. Et illi optant Crœsum in mari capere. Tam enim difficile Crœso prælium maritimum, quàm Insulatibus terrestre.

§. 8. Non est pugnandum, si metus est amittendi regni; Dux Albanus cum Guisio in regno Neapolitano pugnare noluit; nam Galli victi duntaxat exercitum, Hispani regnum perdidissent.

§. 8. Interdum tamen prælium suaserim, si hostis tironum habet exercitum, qui vsu fit melior, tu veteranum, si hostis timet. *Timor vtilis, modo ne animum ad fraudem conuertat.*

Qui infirmior est, terreat, qui fortior, securum reddat. Pars victoriæ est hostem terreri. Qui metuit, dimidius viuit. Suspicio periculi tam prodest victoriæ, quàm ipsum periculum.

Leo rotarum strepitu, galli cantu, igne terretur, fugit hostis si laruam timoris objeceris.

Qui veteranum & victorem exercitum habet, vt Hannibal, vt Cæsar, facilè ad prælium pgredi potest, sed ne hosti sollicitudinem ingerat Imperatoris est timere videri velle, Thrasonis timeri. Itaq; par nunquam cum pare nisi commodo suo pugnabit.

Caput XLIV.

Hostem domi non exspectandum, sed in suo infestandum esse.

Sine regni periculo fortiùs pugnatur.

§. 1. Si omninò bellum decretum sit, viresq; pares, aut majores putentur, non est consultum exercitum in pacato detinere, sed protinus ducendus est in hostem, multa enim commoda eorum sunt, qui foris pugnant.

Nam animus magnus, & fiducia virium in eo formidabilis est, qui vltro lacessit.

Deinde ad existimationem auctoritatemque, quæ bellantibus necessaria est, plurimum valet, tantum pollere, vt non modo tua defendere, sed aliena etiam vindicare possis. *Auctoritas maior est Lacessenti.*

Tertio pericula propria in hostem sic transferre potes. Nam si domi bellum geratur, intra viscera hostis accipitur, omnia aguntur, feruntur, vruntur, miles amicus & hostilis ex æquo grauis est; hinc animi dejecti, querelæ, seditiones, tumultus, quæ omnia traducto milite in hostem transferuntur. *Pericula in hostico sũt.*

Hinc videamus Romanum populum domi laborantem, nec Hispanias neglexisse, & in Africam belli terrorem transtulisse, atque hoc demum modo Annibalem ex Italia auocasse potius, quàm pepulisse. Neque dubium est, si Hispanias omisissent Romani, quin Italiam suam defendere non potuerint, Carthaginenses enim quietam Hispaniarum possessionem adepti, ejus nationis viribus, opibusque facilè Romanos vincere poterant.

§. 2. Exercitu veterano timenti, non est pugnã permittenda. Quia certa causâ se videt infirmiorem. Timidusné sit, an alacer, ipsi dicent, etiam inuiti. Pallor & tremor timentem produnt. Assensu probabant, si manus extollerent, si clamorem ederent, scuta genibus illiderent, Luc. l. 1.

His cunctæ simul assensere cohortes,
Elatasq; alte, quacunq; ad bella vocaret
Promisêre manus. it tantus ad æthera clamor.

Discrimina vocum indicat Ammian. *Nemo post hæc finita reticuit: sed militares omnes horrendo fragore scuta genibus illidentes (quod est prosperitatis indicium plenum: nam contra quum hastis clypei feriuntur, iræ documentum est & doloris) immane quo quantoq; gaudio præter paucos Augusti probauere indicium.*

Caput XLV.

Non esse boni Imperatoris pugnandi necessitatem imponere.

§. 1. Inter cætera perdendæ Reipublicæ documenta, etiam necessitatem pugnandi adferendam putat Machiauellus lib. 3. c. 12. Verba ejus sunt. *Ostendimus alio loco quam vtilis sit Necessitas ad humanas actiones expediendas: simulq; monstrauimus, necessitate coactos homines sæpè res gessisse, quibus ad gloriam singularem sint euecti. Morales quoq; Philosophos prodidisse, linguam & manus, quamuis per se nobilissima sint instrumenta: nunquam tamen res humanas ad eam, in qua nunc sunt, perfectionem dignitatemq; promouere ac producere potuisse: ni necessitas quadam ipsas coegisset. Quæres antiquis Imperatoribus, cum ignota non esset, vg; facile intelligerent, animos militum necessitate coactos, ad dimicandum, sortes & obstinatos fieri: in id maximè incumbebant, vt suis necessitatem pugnæ, captata quauis occasione, imponerent: hostibus verò eandem de industria adimerent. In quem vtiq; finem, persæpè transitum hostibus per ea itinera aperuerunt, quæ custodiri facile potuissent: & suis iter clauserunt, quod facile potuissent aperire. Quicunq; ergo cupit, siue ciues vrbis alicuius fortes, audaces, & obstinatos ad sui defensionem efficere: siue alium exercitum fortem & pertinacem ad pugnandum in prælio reddere: is summo studio in id incumbere debet, vt necessitatem huius rei ipsis imponat, aut certe, vt eorum animi persuasi sint, talem sibi necessitatem incumbere.*

Mala & periculosa doctrina: summi periculi adeundi sibi necessitatem imponere non est prudentis, neque boni viri. Qui verò id fecerunt vel temerarij fuerunt, vel ante necessitate premebantur; nec in nouam ipsi se necessitatem conjecerunt, sed eam *Periculi necessitas non suscipienda.*

in

in quam conjecti erant, ostenderunt. Quis enim adeò vecors est, vt eo se demittat, vt ex hostium voluntate, & arbitrio rem gerere cogatur, at qui ad pugnam cogitur, is jam est in hostium potestate. Quis probarit Juliani temeritatem stolido consilio sibi, & toti imperio noxio, naues exurentis, vt miles captiuus fortius pugnaret? *Statimque*, ait Ammianus libr. 23. *transgressus, pontem auelli præcepit, ne qua militum ab agminibus propriis, reuertendi fiducia remaneret.* Et deinde. *Flumine læua relicto, infaustis ductoribus præuiis mediterraneas vias arripere cito proposuit gradu, & tanquam funesta face Bellonæ subiectis ignibus exuri cunctas iusserat naues præter minores duodecim, quas profuturas pangendis pontibus disposuit vehi carpentis: ida, putabat vtiliter ordinasse, ne relicta classis vsui hostibus foret, aut certè, vt ab expeditionis primordio factum est, armatorum fere, viginti millia in trahendis occuparentur ijsdem nauibus & regendis: Dein cum metuens sibi quisq; mussaret, monstraretq; perspicua veritas, quod repulsus forsitan aridtate vel altitudine montium ad aquas redire non poterit miles, tertiq; perfugæ apertè fatererentur se fefellisse, concursu maximo extingui iussæ sunt flammæ. Et quoniam ignis auctus immaniter pleraq; consumpsit, duodecim tantummodo potuerunt intactæ seruari, quæ vt possint custodiri, discretæ sunt.*

Hæc ipse exercitus, & Julianus culparunt, mœstitia enim pro fortitudine incessit omnes.

In hoc ergo periculum nemo prudens se conjicit, hoc potius agendum est cuique, vt suo commodo dimicare possit.

Quanto prudentius Hannibal cum Marcellum timeret, non conjecit se in necessitatem absolutam, vt victo nihil nisi mors superesset, sed aciem ita disposuit, vt in loca munita posset habere receptum.

Addo & illud: victum te esse, si hostis callidus in pugnandi necessitate te constitutum putet, si enim non nisi suo commodo pugnare velit, sine dubio vicit.

Caput XLVI.

Stratagemata obsidentium.

§. 1. Ad occupandas vrbes celeritas maximum momentum habet, nec enim obsessi parare necessaria possunt; & omnia trepidè faciunt. Cato iter quadridui duobus diebus clàm perfecit, & oppidum in Hispania firmum occupauit. Nulla ciuitas inopinato obsessa diu vim sustiner; quia necesse est aliquid necessariorum deesse. Nulla tàm infirma est, quæ non difficulter vincatur, si fatum suum præuidit, si parauit vires, si obstinauit repugnare. Sic tamen parati, nunquam securi esse possunt.

Inopinata obsidio felix.

Semper aliquid tentandũ est.

§. 2. Lucenses sanè à Domitio Caluino nimium facilè decepti sunt, cum enim frequenter cum exercitu muros circumiret absque oppugnatione; putarunt id eum exercitationis gratiâ facere, cumq; non cauerent, subito mœnia occupauit: Semper itaque aliquid Dux aget, quo in errorem eos inducat: & si non credent, varia tamen suspicabuntur.

Variæ bellorũ fraudes.

§. 3. Hannibal Romanorum habitu multos præmittens Latine scientes cœpit vrbes. Antiochus sic castellum Suendam in potestatem redegit; frumentatoribus enim occisis milites suos eorum vestibus induit, & cum frumento remisit. Thymarcas Ætolus occisi Charmadis chlamyde & galero vsus pro eo in Samiorum portum receptus est. Arcades castellum Messenorum obsidebant, audito ventura alia præsidia, arma habitumque similem illis sumpserunt, atque vt admissi omnia occuparunt.

Incendia eliciunt ciues.

Si incenderis aliqua in vicino, ciuesque ad restinguendum effundantur, ea in trepidatione vrbs capi poterit. Sic Cariæ vrbem luco & fano Dianæ incenso Cymon Athenienſis occupauit. Nunc ideò prouisum, vt pars ad incendia pars ad arma concurrat.

Milites alieno habitu vrbi immittere jam olim fuit vsitatum; Epaminondas in Arcadia cũ die festo mulieres circa vrbem vagarentur, muliebri veste milites suos immiscuit, qui sub noctem recepti in vrbem, occuparunt portas, suisque aperuerunt.

Capere solent quoque vrbes, militibus negotiatorum habitu missis. Aristippus Lacedæmonius sic Tegeam occupauit, cum jumenta cum saccis frumentarijs mitteret.

Thebani Sycioniarum portum occuparunt, clausis in naui militib⁹, cum supra tabulata merces essent.

Mainius Diepam cepit per simulatos transfugas. Alanſonius egressum simulans, cum seruorum quidam crus se fregisse clamaret, equites que ac pedites subsisterent, regressus pene Antuerpiam occupauit, sed ciuium viribus tandem pulsus excessit. Nimis prope rem tantam aggressus est.

Vrbem per aues domesticas etiam incendunt: de Haddingo narrat Ranzouius libro 4. cap. 2. *Quin & huiusmodi dolo vrbs capi poterit: Si aues, quæ vrbi obsessæ familiares ac domesticæ sunt, inque illius domibus nidificant, per aucupes capiantur, & pedibus pennisque istarum fungi igniti appendantur, & sic dimittantur. Istæ enim ad domorum consuetæ hospitia reuersæ vrbem passim incendent. Cæterum incendium non solùm ingentem vrbi cladem afferet: verum etiam oppidanos coget, vt ad restinguendum ignem vndique accurrentes, Stationes suas pro muris ac portis suis defendendis, relinquant: quæ propugnatoribus suis destitutæ tum expugnari poterunt. Hoc artificio Haddingus Grami Regis Daniæ filius, Dunam vrbem expugnauit. Cum enim ob altissima valla ac mœnia potiri ipsa non posset: diuersi generis aues loci illius domicilijs assuetas per aucupii peritos prehendi earumque pennis accensos igne fungos suffigi curauit: quæ nidos suos repetentes incendio vrbem compleuere. Huius exstinguendi gratia concurrentibus oppidanis, vacuas defensoribus portas Haddingus expugnauit, adeoq; totam vrbem cepit.*

Aues incendiorum administra.

Proditio vsitata.

Hæc quæ sine perfidia perjurioque fiunt, vtique imitari in tempore potest Imperator. At per fraudes, perjuriaque grassari impium est, & detestabile. Et ejusmodi tamen plura sunt, quam justi stratagematis exempla.

Milo Tarentum pactus salutem prodidit, Sosistratus Marcello Syracusas, Tarquinius patri Gabios, Eoneus Hannibali Tarentum, Mandro Pirata Ephesum Lysimacho, Zopyrus Babylonem Cyro, historiæ gentilium habent infinita exempla.

Fame ad deditionem munitissimæ vrbes compulsæ sunt, quæ aucta est stratagemate. Fabius tempore sementis è Campania recessit, vt plus frumenti in sationes conferrent, deinde rediens fata contriuit, sic Antigonus quoque Athenienses afflixit. Alij permisere multos in vrbes obsidendas confugere, vt frumentum citius absumeretur. Sic Alexander Leucadiam cepit.

Dolo malo per speciem pacis Dionysius Rheginos & Himeræos per famem domuit, pactus enim fœdus dataque pace, vt exercitui necessaria ministrent, exhausto frumento eos ad deditionem coëgit.

Phalaris argutiore nequitiâ loca quædam munita cepit; nam inita per simulationem pace, cum ad pignus, & fiduciam amicitiæ sua apud eos frumenta collocaret, effecit, vt propria frumenta oppidani absumerent, venderentque; Tyrannus autem data opera tectorum cameras aperiri jusserat, vt suum frumentum corrumperetur; itaq; initio æstatis obsedit, & mox cepit.

Nihil

Nihil vrbes æque conturbat, quam timor longæ obsidionis, neq; enim fere animus defendendi superest, nisi cum breui hostem abscessurum, vel subsidia ventura sperant. Hinc Clearchus Lacedæmonius cum sciret Thracas se ea spe tueri, quod obsidenti alimenta defore arbitrarentur, captiuum in legatorum aspectu occidi, & carnes eius per cõtubernia quasi ad escam distribui iussit; qua re aduersâ sese dediderunt.

Cum firmiore præsidio oppida tenentur, quam vt occupari queant, agendum est vt illa detrahantur, quod varie effici potest. Primo si timorem & desperationem simulans discedas, ita vrbes in Africa per Masinissam, & Numidas in potestatem Scipio redegit, ciues enim cum vix in summo periculo præsidium accipiant, discrimine perfuncti, vt eo leuentur, optant.

Deinde si vnam vrbem multi socij defendunt, si eorum agros populetur exercitus, aut terrorem inferat, mox ad propria defendenda dilabuntur. Eo modo Delminium Scipio occupauit, simulata enim eius oppidi capiendi desperatione, & ad alia se accingi, effecit, vt omnes qui consensu id propugnabant, euocarentur, & ipse vacuam defensoribus vrbem ingressus est. Eadem arte Illyriorum caput Pyrrhus cepit, & Com. Rufinus Crotonam, nisi quod hic perfugę periurio simul vsus est.

Fabius Maximus cum Etruscis, Vmbris, Samnitibus, Gallis pugnaturus, Fuluium & Posthumium iussit ire ad Sitium, ita ad sua defendenda Vmbros & Etruscos auocauit.

§. 4. Obsidentium concordia tenenda, vitandæ suspiciones.

Dominicus Michael Venetorum dux, cum in Tyri obsidione suspectus esset, carinarũ tabulas ad Varimundum in castra misit, vt se ostenderet de nauigatione non cogitare.

§. 5. Scitum quoq; est suum pro alieno subsidium inducere. Iphicrates cum intelligeret Corinthum noctu inducendum præsidium Laconicum ad portas exspectans cum vltimis ingressus est, eosque cecidit.

§. 6. Si frustra vrbs obsideatur cautissime recedendum est.

Philippus cum frustra Carras obsideret, nec facile tormenta reducere posset, iussit ea dissolui, sed eo sono, quo solebant compingi, Carrenses arbitrati muros verberandos acrius se muniebant, interim ille discessit.

§. 7. Dura necessitas cum villæ propriæ oppidaq; incenduntur, ne iuuent hostem: Persis id vsitatũ fuit, Biturigibus id adeo persuasit Vercingetorix apud Cęsarem lib. 1. vt vno die viginti amplius oppida exusta fuerint. Idem apud Ammian. l. 24.

§. 8. Nec minor querela cum infirmi dimittuntur, aliquando tamen necessario fit, Galli id faciunt, valetudine & ætate imbecilles exire iubent. Cæsar l. 7. itemq; l. 8. simul omnia impedimenta dimittunt.

§. 9. Aquæ penuria multis in locis dedere ciuitates inuictas compulit, Ita Betulia in extremum discrimẽ venit, vnius fœminæ prudenti pietate seruata.

Puteos Scipio Hispaniensi bello fodit, vt refert Appianus, sed salsa aqua crebro reperta est, Aquas inuenire docet Vitruuius l. 8. c. 1. Cassiodorus l. 3.

Miserum est, sed tamen vsitatum aquam ad mensuram dare. Joseph. l. 3. belli id fecit.

§. 10. Munitiones præcipuum est præsidium. Muros non directos sed anguloſos faciunt. Veg. lib. 4. c. 2. *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, ne adictus arietum esset dispositus, sed sinuosis anfractibus, iactis fundamentis clausere vrbes; crebrioresq; turres in ipsis angulis ẽ diderant propterea: quia si quis ad murum tali ordinatione constructum, vel scalas vel machinas voluerit admouere, non solum à fronte, sed etiam à lateribus, & prope à tergo, veluti in sinum circumclusus opprimitur.*

Nunc munitiones & propugnacula procurrentia efficiunt, & longiore spacio seiungunt, quia tormenta attingunt facilius eos, qui intermedia occupare volent.

Munitiones olim inuictæ multæ, nunc vix vllæ. Natura, aut arte, vel vtroque munitio constat. Vegetius lib. 4. cap. 1. *Vrbes atque castella aut natura muniuntur aut manu; aut vtroque, quod firmius ducitur. Natura aut loco edito vel abrupto, circumfuso mari siue paludibus, vel fluminibus. Manu, fossis, ac muris. In illo naturali beneficio, tutissimum eligentis consilium; in plano quaritur fundantis industria. Videmus antiquissimas ciuitates ita in campis patentibus constitutas, vt deficiente auxilio locorum, arte tamen & opere redderentur inuictæ.*

In obsidione vrbium fere hoc seruatur, vt omnes aditus & egressus claudantur, & præcipua sit in castris firmitas, sic enim interdum minore milite magnam multitudinem concludere possunt.

Per fossas adire mœnia solent, quia nulla arma possunt hosti resistere, si tormentis in subeuntes detonet.

Cum muri verberantur continuo id faciunt, vt vno die plus deijciant, quam duobus diebus reparare possint. Noctu etiam interdum eiaculantur, vt munientes impediant.

Cum oppugnatur ciuitas, omnes in ordine consistunt, vt si repellantur aliqui mature noui succedant. Dato signo oppugnandi, minoribus tormentis tam diu verberantur ruinæ deiecti muri, donec ad manus ventum sit, cumque pauci simul pugnare possint, si præsidium animosum est, vix capere vrbem, nisi fatigatione obsessorum valent.

Quod ad malleolos attinet, nihil est, si cum globis pyreis comparentur. In lusu latrunculorum, quocunque modo incipiatur, nunquam eodem modo finitur; Ita quoque in bello contingit & obsidione.

§. 11. Metu solo multa oppida capiuntur; Philippus ad Castellum Trinassum terram aggeri iussit, illi suffossos se cuniculis arbitrati, manus dederunt.

Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida obsidens, ab vno coronatos equites, captiuorumque habitu venire iussit, qui alterum captum affirmarent, itaque illud, quod obsidebat timore se falso, alterum vero, se dedidit.

Metu solo etiam obsidio soluitur. Cato cum Vergetibus auxilia nec mittere posset, nec negare vellet, militum tertiam partem naues ascendere iussit, & causari ventum, redireque, sola fama auxiliorum socios liberauit. Tynnichus Theudosiam vrbem tubarum sono liberauit, cum magnam classem aduentare hostis credidisset.

§. 12. Vegetius libro quarto, cap. vigesimo quarto. vsum cuniculorum magnum ostendit. *Aliud genus oppugnationis est subterraneum, atque secretum, quod cuniculum vocant: a leporibus, qui cauernas sub terrã fodiunt, ibique conduntur. Adhibita ergo multitudine ad speciem metallorum, in quibus auri argentique venas Bessorum rimatur industria, magno labore terra defoditur, cauatoque specu in exitium ciuitatis, inferna quaritur via. Quæ fraus duplicibus operatur insidias. Aut enim penetrat vrbem, & noctu non sentientibus oppidanis egrediuntur per cuniculum, reseratisque portis suorum agmen ducunt, hosteſque in ipsis domibus perimunt ignorantes: aut certe cum ad murorum fundamenta peruenerint, suffodiunt eorũ maximam partem, & appositis siccioribus ligni ruinam muri tumultuario opere suspendunt. Sarmenta insuper iungunt, aliaque fomenta flammarum. Tunc præparatis bellatoribus subter ignũ immittitur, combustisque columnis ligneis atque tabulatis muro subito corruente irruptione aditus reseratur.* Cuniculi.

Galli scientissimi cuniculorum fuere, quod apud eos ærariæ fecturæ sint, Cæsar l.3.

Alexander cuniculis Gazam cæpit; Fidenas & Veios sic oppugnarunt Romani. Fiebant cuniculi, vt ad interiora clam peruenirent. Sic à Castris in arcem Fidenarum itum est. Liuius libro quarto. Cuniculi ad Veios acti magno labore sterere. Liuius libro quinto. *Inde ad Veios exercitus ductus, densior aque castella facta: & à procursationibus, quæ multæ temere inter murum ac vallum fiebant, edicto ne quis iniussu pugnaret, ad opus militestraducti, operum fuit omnium longe maximum ac laboriosissimum cuniculus in arcem hostium agi cæptus, quod ne intermitteretur opus, neu sub terra continuus labor eosdem conficeret, in partes sex munitorum numerum diuisit, senæ horæ in orbem operi attributæ sunt nocte ac die, nunquam ante omissum, quam in arcem viam facerent.*

Hoc fere seruatur, vt cum cunicularij erupturi essent, alibi minas ostentarent, vt ad vana intenti vera pericula non sentirent.

Interdum murum solum suffodiebant & trabibus fulciebant, quibus exustis concidebant mœnia. Nostro tempore mœnia, turres, propugnacula suffossa in altum eiaculantur.

Interdum cuniculos simulant, cum effici non possunt. Carolus Neapolitanus Matronianæ arcis præsidio imposuit, cum enim cuniculos agere se simulasset, rudera aliunde aduehi curauit, & in conspectu eorum proijci, illi ex muri fundamentis esse arbitrati sese dediderunt. Fulgos. libro septimo, capite quarto.

Cuniculos irritos facere.

§. 13. Cuniculos contrariis fossis inutiles reddunt, Interdum saxis & pice incensa militem impediunt. Cæsar libro septimo belli Gallici. Trypho Alexandrinus in Apolloniæ obsidione vasis æneis suspensis explorauit, qua hostes essent ingressuri, sonant enim ad fodientium ictus, eos vero aqua, stercoreque feruefacto occidit, Temiscyrani vrsos & apum examina cuniculis immiserunt. Cognouisse autem cuniculum vicisse est. Æreum vas sonat, si subter fodias, sic faber ærarius in Barcę obsidione agnouit cuniculum, pelues & tympana nostra satis si pisum imponas loca illa indicant.

Flumina alio deriuare.

§. 14. Cuniculis affinis fluminum in alia loca auersio. Alexander, quod ante Semiramis fecerat, & de Cyro alij narrant, auerso Euphrate Babylonem cepit, id ne aduerterent agi hostes, Alexander aggerem struxit, cuius causa terram egeri Babylonij existimarunt.

P. Seruilius Isaurum auerso flumine ad deditionem coëgit; Cæsar Cadurcorum ciuitatem fonte per cuniculos siccato, & fluminis vsu per sagittarios intercepto.

Clisthenes improbius, cum enim aquæ ductum Crisæorum intercidisset, affectis siti restituit, sed vndam helleboro venenauit, eosque profluuio ventris occidit.

§. 15. Aliæ ignibus & fumo circumfuso captæ sunt. Turca Famagustam occupauit, magnum aceruum tædæ accensæ congesserunt, qua facillime ardet, & fumum pestiferum fœtidumque exhalat, additi fasciculi, & tigna, dumque quatuor dies ardet, nec extingui potest, cuniculos interim agunt, & ad conditiones compellunt.

§. 16. Alexandrini Cuniculos quos Fredericus foderat ingressi milites eius occidunt. Puteos alij contra cuniculos fodiunt.

CAPVT XLVII.

Stratagemata obsessorum.

§. 1. DVAS obsidendi species Veget. l. 4. c. 7. recenset. *Multa*, inquit, *defensionum, oppugnationumque sunt genera, quæ locis competentibus inseremus. Nunc sciendum est, obsidendi duas esse species. Vnam cum aduersarius opportunis locis præsidijs ordinatis continuis insultibus impugnat obsessos. Alteram cum vel aqua prohibet inclusos, vel deditionem sperat à fame, quando omnes prohibuerit comeatus. Hoc enim consilio ipse otiosus ac tutus fatigat inimicum. Ad quos casus, possessores, quamuis leui suspicione pulsati omnem alimoniam victus intra muros debent studiosissime collocare, vt ipsis exuberet substantia, aduersarios inopia cogat abscedere. Non solum autem porcinum, sed & omne animalium genus, quod inclusum seruari non potest, deputari oportet ad lardum, vt adminiculo carnis frumenta sufficiant. Aues autem cohortales, & sine impensa in ciuitatibus nutriuntur, & propter ægrotantes sunt necessariæ. Pabula equis sunt præcipue cõgerenda, & quæ apportari nequiuerint exurenda. Vini, aceti, ceterarumque frugum, vel pomorum congerendæ sunt copiæ, nihilque quod vsui proficiat, hostibus relinquendum. Nam vt hortorum cura in viridaryis domorum vel areis exerceatur, vtilitatu & voluptatis ratio persuadet. Parum autem proficit plurimum collegisse, nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos procuratores erogatio temperetur. Nunquam periclitati sunt fame, qui frugalitatem inter copiam seruare cœperũt. Imbellis quoq; ætas ac sexus propter necessitatẽ victus portis frequẽter exclusa est: ne penuria premeret armatos, à quibus mœnia seruabãtur.*

Comeatus, & parcitas.

Inca

Celeritas quoq; ad omnia vtilis est; quia vero in vrbibus vtcunq; firmis solent esse plures, quam excubiis occupentur, necesse est, vt omnem lapidem moueant, opera noua magna exstruant, omnia præparent. Nulla ætas, nullus sexus à labore excipiatur.

Lacenæ bello Epirotico abscedere à viris noluerũt, sed pulchrum esse dicebant, Lacenis cum viris viuere, aut mori, itaq; fossas ducebant, vulneratos fouebant, omniaq; seruitia pugnantibus exhibebant.

§. 2. Cum vi ciuitas oppugnatur, ad primos impetus est resistendum, sic enim facile crescit audacia obsessis. Veget. l. 4. c. 12.

Multis nunc opus est obsessis, puluere, cæterisq; ad machinas pertinentibus, de quibus alio dixi loco.

§. 3. Quæ sint obsessis paranda monet Veg. l. 4. c. 8. *Bitumen, sulphur, picem liquidam, oleum, quod incendiarium vocant, ad exurendas hostium machinas conuenit præparare: ad arma facienda ferrum vtriusque temperaturæ & carbones seruantur in conditis: ligna quoq; hastilibus, sagittisq; necessaria reponuntur. Saxa rotunda de fluuiis, quia pro soliditate grauiora sunt, & aptiora mittentibus, diligentissime colliguntur; ex quibus muri replentur & turres. Minima fundis siue fustibalis vel manibus iacienda. Maiora per onagros dirigũtur. Maxima vero pondere formaq; volubili in propugnaculis digeruntur, vt dimissa per præceps non solum obruant subeuntes, sed etiam machinamenta confringant. Rotæ quoq; de lignis viridibus ingentissimæ fabricantur, vel intercisi ex validissimis arboribus cylindri, (quas taleas vocant) vt sint volubiles læuigantur: quæ per pronum labentia subito impetu bellatores sternunt, equosque solent deterrere. Trabes quoq; & tabulata, vel diuersæ magnitudinis clauos ferreos esse oportet in promptu. Nam oppugnantium machinis per altas machinas consueuit obsisti, præcipue cum subitis operibus addenda sit muris vel propugnaculis altitudo, ne aduersariorũ mobiles turres super emineant, & ciuitatem capiant.*

Necessaria obsessis.

§. 4. Ciuitates eruptionibus opportunis maxime seruari possunt, quæ cum non possunt paribus viribus fieri, arte iuuandæ sunt; Plerunque enim obsessi aut numero, aut viribus inferiores sunt. Cum itaque erupturi sunt, id agere oportet, vt minime erupturi videantur, Romani cum Panormum tene-

tenerent, raros in muris defensores ostenderunt, & Asdrubalem incaute subeuntem ceciderunt. Eadem arte Asculani Pompeium fugarunt, & Popilium Lænatem Numantini. Apolloniates à Philippo Macedonum rege obsessi, noctu præsidium Romanum intromiserunt, & totum diem sequentem quieuerunt, securis deinde hostibus noctu superuenerunt. Liuius lib. 33.

§. 5. Catarrhactas ante portas ponere pensiles olim etiam vsitatum fuit. Veget. l. 4. c. 4. *Cauetur praterea, ne portæ subiectis ignibus exurantur. propter quod sunt corijs & ferro tegendæ. Sed amplius prodest, quod inuenit antiquitas, vt ante portam addatur propugnaculum, in cuius ingressu ponitur cataracta, quæ annulis ferreis ac funibus pendet, vt si hostes intrauerint demissa eadem extinguantur inclusi. Ita tamen supra portam murus est ordinandus, vt accipiat foramina, per quæ de superiore parte effusa aqua subiectum restinguat incendium.* Liuius de Salapianis. *Porta catarrhacta deiecta clauserat, eam partim vectibus leuant: partim funibus subducunt in tantum altitudinis, vt subire recti possent. Vix dum satis patebat iter, cum perfugæ certatim ruunt per portam: & cum sexcenti ferme intrassent, remisso fune, quo suspensa erat catarrhacta magno sonitu secidit. Salapiani alij perfugas negligenter ex itinere suspensa humeris, vt inter pacatos, gerentes arma inuadunt: alij è turribus portæ murisque saxis, sudibus, pilis absterrent hostem.*

Catarrhactæ nunc quoq; vsitatæ sunt.

Facile obsessi quocunq; loco, si primo quiescant, deinde subita audacia erumpant, possunt liberari. Furius Consul primo obsessus dum timere putatur, decumana porta erumpens hostem incautum cædit. Liuius libro tertio. & Cæsar (libro quinto. belli Gall.) cum adeo contemneretur, vt vallum manu scindere, fossas complere inciperent, omnibus portis pedites equitesque emisit, & in fugam hostes dedit. Sic à Labieno Induciomarus fugatus, sic in Africa Pompeiani. Marius etiam Cimbrorum petulantiam diu sustinuit, donec milites assuefecit eos non timere.

Cum murus ruptus est, facilis est nihilominus defensio, sit modo animus. Pluribus modis sese defendunt, maxime armis, quocirca cum fortes sunt propugnatores, parum est ostium aperuisse, si ferro obseptum est. Aliquando subito obturant interualla saccis lana plenis, doliis terra aut fimo plenis, trabibus, cistis, sportis terra plenis, palis ferreis, circumposito stramine vdo ac terra. Sarmenta proijciunt & incendunt, murices iaciunt, & loco muricum asseres plenos clauis, quibus se oppugnantes induant, machinam rotatilem dimittunt, & retrahunt, interdum catarrhactas erigunt. Optimum in vicino fodere, ne ex muro descendere in vrbem possint, & ad latera disiecti muri propugnacula ædificare; omnia vero ante oppugnationem comparanda sunt, vt in summa festinatione sint in promptu. Lapides etiam omnisque generis ignea fomenta iaciunt, qua in re mulieres etiam puerique auxilio esse possunt.

Defensores optimus murus.

Conon obsessus duas celoces misit, quæ cursum diuersum tenerent, quæ vesperi, cum ad littus plurimi hostium accessissent, euaserunt.

Hippodamas obsessus cum nuncium admittere non posset, stanti foris acclamauit, fœminam in æde Chalcioeci ligatam sibi molestam esse; Ea famis erat effigies, hostes etsi audirent, rem tamen non intellexerunt. Prodidit scortum Diognetum Naxium impetrata venia, vt fratribus bellatorum aliquid mittere posset, placentæ laminam plumbeam indidit, cui inscriptum erat, Milesios vino sepultos noctu inuaderent: Nuncio autem mandarat; diceret fratribus, vt ipsi placentam ederent. Harmostes Lacedæmonius cum bidui cibaria haberet, & præco Sparta missus ante mœnia dicere iuberetur, ab Athenien sibus obsidentibus, quæ in mandatis haberet; Dixit; Ephoros iubere magno animo vt esset, subsidio venturos, Respondit ille: Ne festinate, quinque mensium cibaria habemus, quo mendacio delusi Athenienses, cum hyems instaret obsidionem soluerunt. Polyar. l. 2.

§. 6. Neque minor industria in ostentando commeatus copia, ne hostis speret fame ciuitatem captũ iri. Athenienses & Romani triticum iactarunt. Casilinates, cum Hannibal locum vrbi vicinum, ne herbas peterent exarasset, semen eo iecerunt, vt ad messem vsque frumentum habere viderentur. Reliquiæ Varianæ captiuos tota nocte circum horrea duxerunt.

Commeatus vbi abest simulatur.

Segebergenses cum à Waldemaro obsiderentur, & frumento carerent, molaria tamen saxa exasperabant atque agebant, vt hostes eos abundare putarent.

Monasterienses anno 1535. ne destitui cibariis viderentur, arare suburbanum agrum ceperunt, quasi ad messem toleraturi obsidionem. Alij horrea inania arcte custodiri iusserunt.

Lucius Antonius crudelius egit, nam seruis carceres impleuit, & fame confecit, quod nollet in eos cibos impendere, nec dimittere, atque illa est Perusina fames.

Franciscus Barbarus Brixiam tenuit, donec Vicecomitum obsidio solueretur, quod mulos arena onustos inducens, speciem frumenti allati præberet, atque ita multitudinem animabat.

§. 7. Famem diutissime sustinuerunt multi. Petilini in fame parentes & liberos eiecerunt, coriis, foliis, omni animalium genere vitam tolerarent. Casilinates eodem modo, & Numantini. Sed fortiores Cyziceni, qui captiuorum morte ad deditionem perpelli non potuerunt, vti nec Æginenses, qui spectare pignorum supplicia maluerunt, quam à Romanis deficere. Cæsar sibi consilium esse dicebat, quod medicis, fame potius quam ferro vincendi.

§. 8. Commeatum inuehere variis artibus instituerunt. Casilinum Primo dolia farina plena: Secundo Vulturno, deinde nuces sparsere Romani, cum dolia excepta per catenam essent. Hircius Mutinensibus per Minturnum pecora misit.

Jucundum spectaculũ inducendis in vrbem porcis, Agmen porcorum cùm obsessi in vrbem inducere non possent, vno arrepto præcurrerunt, ad cuius grunitum tota cohors impetu sequebatur.

CAPVT XLVIII.

Fugere interdum licitum est, & quæ in fuga obseruanda.

§. 1. FVGA aut stratagematica est, aut vera; de hac agimus, quæ duplex est, vel totius exercitus, vel partis. De toto genere rem paucis propositionibus explicabo.

Propositio I. Cum toti exercitui periculum imminet in bello iusto melius est heroica fortitudine præliari quam fugere; quia in fuga est magnum dedecus. Exemplo est Judas Macchab. 1. c. 9. à v. 6. *Et viderunt multitudinem exercitus, quia multi sunt & timuerunt valde: & multi subtraxerunt se de castris, & non manserunt ex eis nisi octingenti viri. Et vidit Iudas, quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde: quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est. Et dixit his, qui residui erant: Surgamus & eamus ad aduersarios nostros, si poterimus pugnare aduersus eos. Et auertebant eum dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabi-*

Præstat præliari quam fugere.

Iudas cum paucis se dat in periculũ

gnabimus aduersus eos: nos autem pauci sumus. Et ait Iudas, Absit istam rem facere vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Fortissime Judas, quem optime defendit vir doctus iuxta ac pius Nicolaus Serarius. *Sed quæritur, an recte, tam paucos cum habuerit tantum in discrimen se coniecerit? Respondeo rectè, cum heroica fortitudinis opus ediderit, ad quod recte aggrediebatur, quia diuino auxilio à paucis magnæ hostium copiæ sæpe fusas sciebat, reque ipsa expertus fuerat. Hostilibus enim viribus vt obuiam irent, Abraham, Gedeon, Ionathas, Dauid, alij, quantos ipsi exercitus eduxerunt? Heroica fortitudo non communem tritamque fortitudinis viam, sed arduam magis, difficilioremque Deipotius quam suo ipsius robori confidens ingreditur. Ideoque supra 2. Machab. vltim. vers. 7. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Domino affuturum. Et ibidem vers. 19. allocutus est eos de lege & prophetis, admonens etiam certaminũ quæ fecerunt prius, siue vt in græco adhuc sonãtius est,* ὡς ὑπομνήσας αὐτοὺς καὶ ἀγῶνας, οὓς ἦσαν ἐκπεπλεκότες, *redigens ipsis in memoriam etiam certamina illa grauissima, quæ perfecerant. Sibi ergo etiam ipsi eadem omnia hæc in memoriam reuocans, simulque magnifica illa, quæ in lege & prophetis promissa sunt, de quibus Deuteron. 28. & hoc libro supra capite tertio, vers. decimo octauo, & decimo nono. capite 4. vers. 8., sicque in hostes heros fortissimus irruit.* Maluit Judas mori in prælio, quam pugnam detrectasse videri, ne videretur de Deo parum speraſſe. Et gloria ipsius ad gloriam Dei quoque spectabat.

Propos. II. Hæc fortitudo quamuis laudatissima sit, poterit tamen prudens imperator negare pugnãdi copiam, etiam copias infirmiores subducere, ne impar hosti congrediatur. Minus enim reip. nocet, illa cautione, quam præcipiti prælio. Nec prudenter periculum subitur, cum victoriæ parua spes est. Faciendum itaque, quod faciebat Antigonus, qui inani gloriæ vtilitatem præponebat; cedens enim dicebat: se victoriam retro positam quærere. Honestius quidem fit detrectando prælium, sed si subduci potest sine periculo exercitus, etiã in ipso prælio fieri potest.

Hæc de vera fuga, nam simulata laudabilis est, vt cum timorem simulauit Paulus Æmylius, donec Ligures castra adorti improuide cæsi sunt; Fimbria adeo timere visus est Mithridatis filio, vt equitib⁹ intra angustias munimẽtorum progressis, sex millia se occidenda præbuerint. Velius ab Asdrubale petiuit, vt sibi incolumi abire liceret, ea simulatione hostem ad securitatem perduxit, & cecîdit. Cæsar cum duabus legionibus auxilio Ciceroni veniens, metum simulans, militemque continens effecit, vt Galli securi ad castra accederent, itaque inordinatos occidit.

Fuga artificiosa.

Egregium factum Aristidæ Eleatæ fuit; Dionysius Cauloniam oppugnabat, Aristides duodecim triremibus subsidium ostentabat, sed cũ Dionysius quindecim opponeret, quasi metuens recessit, & noctu faces incendit, quas Dionysiana classis sequebatur; ille sensim alias faces suberibus magnis adaptatas in mare demisit, seq; per obliquum subducens Cauloniam appulit Dionysio faces sequente.

Si totus exercitus vere fugit, colligatur quam citissime, firmetur, muniaturq;, & insidiæ paretur hosti. Si pars fugata est, altera vicit, Victoriam sibi vindicet, omniaque prouideat, vt insidias struere possit, Tunc enim opportunus est & securus.

Solutis ordinibus non est fugiendum.

Propos. III. Nunquam conuenit statuere principem, vt dissolutis ordinibus effusa fuga exercitus se propiat. Nam in pugna pauci, in fuga pleriq; omnes pereunt. Nobilis fuit inter Campsonem & Selymũ pugna: vtrinque cecidere, sed fuga plures quam prælium abstulit.

Propos. IV. Militi fugere non licet quam diu ordines manent, aut signum, aut dux, aut centurio consistit, etiamsi videat se in præsentissimo mortis periculo. Nam iureiurando id promisit, Periurus igitur est, si fugit. Deinde bono publico fidem obligauit, fuga Rempublicam prodit, pugnando & moriendo seruat.

Propos. V. Si signa capta sint, si exercitus magna pars fugiat, nec in resistendo spes vlla est, potest miles fugere. Quia nulla publica vtilitate moreretur, cum tamen vir fugiens iterum pugnare possit. ἀνὴρ ὁ φεύγων πάλιν μαχήσεται.

§. 2. Prouerbio dici solet, maiorem esse artem fugiendi quam pugnandi; verum ingeniose fugere, atque alibi se qui victoriam laudis est.

Fuga stratagematum non est ignauiæ, sed industriæ, vt dixi.

Fugæ itaque consilia, cum eam necessitas facit, salubria sunt. Tryphon aurum sparsit, vt milites moraretur. Sertorius & Viriatus spargi milites voluerunt, & in locum conictum conuenire. Multi hoc modo seruantur; nam si hostis quoque spargat suos, cum periculo id faciet, & vbi milites conuenerint, facile dispersos nocere poterunt. Nunquam autem persequentes sparguntur, nisi victoriam amittere velint. Cononem Callicratides triremibus sequebatur, cum vero ille distractam classem cerneret, sublato signo persequentes inuasit & vicit.

Fuga expedita ne noceat hostis.

Afranius Cæsarem fugiens, cum euadere non posset, castra muniuit, id cum Cæsar faceret, & pabulatum misisset, itineri se dedit. Magna dexteritas, eoq; clarior, quod Cæsarem fefellit.

Antonius cum mane à Parthis infestaretur, vsque ad horam quintam moratus est, Parthi iam fessi, cum mansurum ea die putarent, retrocesserunt ad curanda corpora, ille iustum iter reliquo die sine interpellatione confecit.

Philippus in Epiro victus inducias sepeliẽdis mortuis petijt, & sic euasit, simulatione pietatis ad salutem viuentium abusus.

Pœni classe victi simularunt in vado hærere se, omniaque fecerunt, quæ solent hærentes, Romani vadosa loca rati flexerunt, & spacium fugientibus dederunt. Quod enim fugientibus saluberrimum erat, hostes euitabant loca, per quæ ipsi fugiebant.

Titus Vastus simulachrum in lecto deposuit, & fugit, custodibus simulachrum seruantibus. Poly. l. 8.

Astuta effugia.

Nicon hostem fefellit, cum suam nauem eodem modo quo illi texisset.

Multi autem eo modo vsi sunt, vt hostium insignia vestesq; sibi adaptarent.

Demetrius Phalereus in currum stramine plenum se abdens euasit. Miserrimum, sed in rebus pessimis salubre effugium.

Fuga in hiles.

In via angusta Idem cum hostes tergum inuaderent, omnes currus opposuit, & incendit, hostesque moratus est, donec euaderet. Polyæn. l. 4. Artemisia duo signa habebat, Barbarum & Græcum, quorum alterum vt opportunum erat, sustulit. Polyæn. lib. 8. Cum in periculo esset, ne à Græcis caperetur Persica signa detrahi iussit, & in nauem Persicam impressionem fecit, atque hac ratione in Cariam abnauigauit.

Ægyptus cum se quæri sciret, atque adeo in naue esse insidiatores; Nauclero dixit; iret & Ægyptum quæreret, iam soluendum esse. Hoc audito insidiatores in vrbem eum quæsitum irruunt, Ille resecto fune nauigauit. Polyæn. l. 6.

Themistocles cum Joniam delatus esset; Nauclero se aperuit, minatus, nisi abnauigaret, dicturum se, pecunia conductum, vt se aueheret. Timore itaq; calumniæ hostem patriæ in tutum auexit.

Diotimus cum decem nauibus velocioribus fugeret, viginti Lacedæmonias puppibus in eas aliquãto inuectus demergebat. Polyæn. libro primo. Ete o-

nicus

nicus Lacon cum obsideretur ab Athenienſibus, & audiſſet, ſuos ad Arginuſas victos, quaſi læto nuncio ſacrificauit, coronatos nuncios ire iuſſit, itaque conſternati Athenienſes quieuerunt. Ille effugit, exercitumque deduxit. Tanti eſt mature nuncios mittere. Si prior Callicratides Athenienſium dux rem percepiſſet, vtroque loco debellatum fuiſſet, Errorem hoſtibus iniecit, atque ita euaſit.

Braſidas alijque cum vallo includerentur, exſpectarunt, donec fere concluſus eſſet agger, atque ita in anguſto à latere & tergo ſecuri pugnarunt.

§. 3. Hoſtes ne fugientes perſequantur, vario ſtratagemate effectum eſt. Crœſus flamma Cyrum à perſequendo retardauit: Polyæn. lib. 7. Mithridates fugiens cuiuſdam vrbis ſupellectilem in publico poſuit, quæ perſequentes tardauit, adeo, vt nollent dicibus parere.

Froto Danorum rex victus ab Anglis, ſparſa pecunia, victorem remoratus eſt. Galli currus ſerico aliiſque oneratos reliquere, & Cæſarianis de præda contendentibus cladem intulerunt. Antigonus ſic Gallos quoq; decepit olim: valde enim cladibus eſt obnoxia auaritia.

Magna dignus laude Comminius Atrebas, cum enim victus Juliũ fugeret, ad naues venit, quę in ſicco ſtabant, ventus ſecundus erat, æſtus contrarius, itaque pandi vela iubet, quæ Julius ex longinquo ſpeculatus, cum proſpero curſu abire Comminium arbitraretur, receſſit.

Iphicrates à tergo foſſam fecit, ne fugere milites poſſent; At credo potius ne à tergo poſſent circumueniri, nam parua manu contra magnam multitudinem pugnabat; foſſam enim tranſire adeo arduum non fuit.

§. 4. Tutela fugientium eſt, celare cladem. Attabazus cladem celauit, cum Theſſaliam tranſiret, Nonnulli hoſtem igne ludificati ſunt.

Ammianus Marcellinus cum fugere & latere non poſſet, equum, cui lumen impoſuit per planiciem ad dextram miſit, eum ſequentibus Perſis, ipſe ad lævam in montes cum ſuis euaſit.

Calliditatis etiam bellicæ fuit dare ſignum fugæ publicum, interim priuatim monere, vt agmen extremum ſubſiſtat.

Cum à Thracibus Philippus fugaretur, iuſſit ad ſignum fugæ extremum agmen conſiſtere, vt alij viam præoccuparent. In tenui ſpe audacia tutiſſima eſt.

Eumenes cum fugiens Gallos lectica portaretur in collem ſe poni iuſſit, illi inſidias ſuſpicati à perſequendo deſtiterunt.

Fugæ ignobiles.

§. 5. Ignobilis quorundam ſed callida tamen fuga eſt viſa.

Seleucus è Cilicia fugiens armigeri habitum ſumpſit, & officium hoc Amyctioni duci præſtitit. Nicolaus Picininus ſacco incluſus à Todeſchino ſatellite ferebatur per medios hoſtium, & rogantibus, reſpondebatur; panem ferri. Fulgoſ. libro ſeptimo. cap. 3.

Lachares fugiendo felix fuit, Thebis captis in cloacã delituit, Sexto cum mulieribus mortuum lugentibus egreſſus eſt, Athenis veſte ſeruili & faciem atratus, calathum ſterquilinio tectum ferens egreſſus eſt, Deinde equum conſcendit & iactis Daricis perſecutores moratus eſt. Boëmundus per Alexij inimici ditiones tranſiens in loculo velut mortuum ſe ferri curauit.

§. 6. Cum recedendum eſt ab hoſte quia fortior eſt, id primo agendum, ne timore putet fieri, ſed prudentia, alioqui milites fugiunt. Deinde omnia facienda ſunt, ne hoſtis diſcedere animaduertat. Hinc equites ſolent initio ponere, noctu ignes accendere, pugnam ſimulare. Qui vero tantum receſſit, vt ſyluam, montes, fluuium tranſierit, facile reliquum iter conficit; nam poſito præſidio morari hoſtem poteſt, donec ad locum deſtinatum venerit. Græci, qui cum Cyro minore in Perſidem profecti erant, cum hoſtis inſequeretur, atque adeo noctu recederet, longiuſque caſtra poneret, ne per tenebras inuaderentur, ipſi noctu profecti ſunt, adeoque prægreſſi, vt quarta primum die eos aſſecuti ſint Perſæ.

§. 7. Finis autem fugæ, vt victoriam recipiant: cuius inſigne exemplum eſt Antigonus. Nemo facile inuentus eſt, qui victoriam tam generoſe receperit, ſicut is, de quo dixi, Antigonꝰ. Rem deſcribit Poliænus libro quarto. *Antigonus naues habebat centum & triginta, quibus præerat Nicanor. His aduerſus Polychoſti claſſem nauale prælium committebat, quam ducebat Clytus. In Helleſponto pugna conſerebatur. Nicanor ſuis ob imperitiam in aduerſos fluctus coactis, ſeptuaginta naues perdidit. Cum victoriam palam hoſtes in manibus haberent, ſub veſperam Antigonus aduenit, neque acceptam cladem metuit: ſed eos qui in reliquis eſſent ſexaginta nauibus, paratos & inſtructos ad pugnam naualem iterum ſub noctem eſſe iubet: & ex ſatellitibus fortiſſimum quemque ad nauigia conſtituit, iisq; dat præceptum, vt minentur, ſe mortem omnibus allaturos, qui non in pugnam prodiſſent. Et cum Byzantium in propinquo ſitam ciuitatem ſocietate & amicitia coniunctam haberet, inde confeſtim ad moderandos remos mitti imperat ſcutatos, & leuis armaturæ milites, milleq; ſagittarios, qui in hoſtium naues ſoluentes iacula ſagittasq; conicerent. Hæc per vnam noctem adminiſtrata ſunt. Incipiente vero diluculo, cum infeſta pila ſpiculaq; illi mitterent, hoſtes autem tum ſomno nondum ſoluti, tum recens excitati, ſine cautione vulnera acciperent, alii funes abrumpere, alii conſcenſorios aſſeres retrahere, alii anchoras leuare: breuiter omnes vociferationem ac tumultum ciere. Antigonus ſexaginta quoque nauibus ſignum dat, vt appellerent, cumque furore & impetu impreſſionem facerent. Sic ſtatim accidit vt alius è littore iaculantibus, alius naues infeſtas adducentibus, victores à victis ſuperarentur.* Huic par eſt illud Sertorij. *Cum in vrbe Caſtulone ſtatiua haberet Q. Sertorius ſub Didio prætore tribunus militum, atque per noctem Caſtulonenſes in vrbem Gyriſænos hoſtes accepiſſent, vna in Sertorianos inuehi, atq; eos occidere cæperunt. Sertorius exaudito clamore clam cum paucis ab vrbe egreſſus, haud longe à porta conſtitit, & fugientes ſuos colligere, atque in aciem ordinare cœpit. Cum autem iam ſatis magnam manum collectam videret, eadem porta, qua hoſtes iuerãt, in vrbem regreſſus, hoſtes inuenit in diuerſa loca ſparſos, vni prædæ intẽtos: itaque paruo temporis ſpacio eos fudit, atq; ipſorum arma induit. Inſtructa per hunc modum acie, ſub Gyriſænorum ſpecie, Gyriſſam contendit, vbi à nihil tale ſuſpicantibus, cum ſuos eſſe, qui redirent, arbitrarentur, portarum fores apertæ ſunt. Sic vrbem cepit, totamq; diripuit, vt hoſtibus quod Caſtulone malum dederant, cumulate referret.* Fulg. l. 7. c. 4.

§. 8. Ignes interdum alio dirigunt, qui nauigant, ipſi ſine lucerna alio curſum tenent. Fridericus Marabotus Guelfus, cum fugeret Auriam, iamque euadere poſſe deſperaret, noctu ſuas triremes monuit, quo eſſet nauigaturus, lucernam deinde ſcuto appoſuit, quæ in littus eiecta eſt, quã hoſtis perſecutus copiam effugiendi dedit. Fulg. l. 7. c. 4.

CAPVT XLIX.

Fugam hoſti non facile intercludendam.

Nihil ſpecioſius duci, quam videre hoſtem fugientem.

§. 1. PRVDENTER Scipio fugientibus viam muniendam dicebat, Themiſtocles etiam Xerxem de fuga admonuit, ne tãtam barbariæ multitudinem inter viſcera Græciæ contineret. Eadem Alphonſo mens, qui fugienti pontem argenteum eſſe ſternendum cenſebat. Iphicrates etiam ſenſim ſecutus eſt fugientes, nec ad flumina vrgebat, ne deſperarent; Vr-

be capta, cum in foro concurrerent, iussit aperiri portas, vt effusi sine periculo cæderentur. Causa est, quia necessitas cum peritos & fortes premit, omnia penetrat; durum telum, & raro victi sunt, qui extrema necessitate pugnarunt. Desperatio rabidos facit, qui nihil metuunt, aut vincũt, aut magna clade vincuntur. Monet illud Pontius Samnitum imperator, cum nec deditione noxiorum, nec vlla ratione Romanis satisfacere possent. Insignis prudentia legatorum Romanorum, dum Thuscis viam aperiunt. Liu. l. 2. *Manlius quoq; ad restituendam aciem se ipse coram offert, duorum consulum cognita dextra accendunt militum animos, simul & vanior iam erat hostium acies, dum, abundante multitudine freti, subtracta subsidia, mittunt ad castra oppugnanda. in quæ haud magno certamine impetu facto, dum prædæ magis quam pugnæ memores essent tempus: triarii Romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerant, missis ad consules nunciis, quo loco res esset, conglobati ad prætorium redeunt. & sua sponte prælium ipsi renouant: & Manlius consul in castra reuectus ad omnes portas milite opposito hostibus viam clauserat, ea desperatio Tuscis rabiem magis quam audaciam accendit, nam cum incursantes, quacunque exitum ostenderet spes, vano aliquoties impetu issent: globus iuuenum vnus in ipsum consulem insignem armis inuadit, prima excepta à circumstantibus tela: sustineri deinde vis nequit. Consul mortifero vulnere ictus cadit, fusique circa omnes Tuscis crescit audacia. Romanos terror per tota castra trepidos agit, & ad extrema ventum foret, ni legati rapto consulis corpore patefecissent vna porta hostibus viam, ea erumpunt, consternatoque agmine abeuntes in victorem alterum incidunt consulem, ibi iterum cæsi fusiq; passim.*

Summum cum inclusis periculũ.

Et lib. 4. cum Volsci circumuenti in orbem se voluerent, Messius eos adhortatus eduxit, ingentemq; cladem attulit Romanis. *Hic præbituri, ait, vos telis hostiũ estis indefensi, inulti? quid igitur arma habetis? aut quid vltro bellum intulistis? in otio tumultuosi, in bello segnes: quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem protecturum vos, rapturumque hinc putatis? ferro via facienda est. hæc, qua me prægressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, coniuges liberos estis, ite mecum: non murus, non vallum, sed armati armatis obstant: virtute pares, necessitate, quæ vltimum ac maximum telum est, superiores estis.* Hæc locutum exequentemque dicta, redintegrato clamore secuti, dant impressionem, qua Postumius Albus cohortes obiecerat: & mouerunt victorem, donec dictator pedem iam referentibus suis aduenit: eoq; omne prælium versum est. Vni viro Messio fortuna hostium initur, multa vtrimq; vulnera, multa passim cædes est. Iam nec duces quidem Romani incruenti pugnant. Vnus Postumius ictus saxo p̃fracto capite acie excesit. Non dictatorẽ, humerus vulneratus, non Fabium prope affixum, equo semur, non brachium abscissum consulẽ ex tam ancipiti prælio submouit. Messium impetus per stratos cæde hostes cum globo fortissimorũ iuuenum extulit ad castra Volscorum, quæ nondum capta erant. eodem omnis acies inclinatur. Consul effusos ad vallum vsque persecutus, ipsa castra uallumq; aggreditur, eodem & dictator alia parte copias admouet: non segnior oppugnatio est, quã pugna fuerat. Consulem signum quoq; intra vallum iniecisse ferunt, quo milites acrius subirent: repetendoq; signo primam impressionem factam.* Si fugæ occasionem præbuissent circumuentis sine vulnere delere hostem potuissent, nunc grauius quam initio prælium renouatur. Nam vnus desperatione iraq; rabidus & mortem cum cruciatu timens plus valet, quam tres, quibus nulla pugnandi necessitas incumbit.

§. 2. Fugientibus ergo caute instandum est, ne ex necessitate resistat, vt postea facilius fugiat, ratus non ad perniciem fugientibus instaturos victores, nam ancipiti malo oppressi memorabile tamẽ prælio edunt, ignauiam quoque necessitas acuit, & sæpe desperatio spei causa est. Curt. lib. 4. docuit. Exemplo suo animosus miles Sempronius Gracchus in insidias præcipitatus hocagit, ne inulti cadant. Liuius l. 34. Non esse includendum hostem Romani etiam Senatus prudentia nos satis docuit, Gallos nauigia desideranter transuehendos & commeatibus iuuandos censuerunt. Gallis etiam per agrum Pomptinum data est fugiendi potestas. L. Martius Pœnis desperatione repugnantibus cum essent circumuenti, fugæ spacium dedit, & fugientes sine periculo concidit, sic Cæsar Germanos, & Hannibal ad Trasymenum fecit. Antigonus Ætolos erumpentes fugere permisit, deinde auersos cecidit. Sic Agesilaus Thebanos emisit, Xerxem Themistocles. Pyrrhi præceptum fuit, non esse fortiter instandum fugientibus, vt alias facilius fugerent. Libenter enim cupit commori, qui se sine dubio scit moriturum. Vna salus victis, nullam sperare salutem. Lucullum etiam superauit eo modo Datames, de quo Front. l. 2. c. 7. *Datames dux Persarum, aduersus Authophradatem in Cappadocia, cum partem equitum suorum transfugere comperisset, ceteros omnes venire secum iussit assecutusque transfugas collaudauit, quod eum alacriter præcessissent, hortatusque est etiam eos, vt fortiter hostem adorirentur: pudor transfugis attulit pœnitentiam; & consilium suum (quia non putabant deprehensum) mutauerunt.* Dum enim desperat ob transfugia suorum vitam, victoriam adeptus est. Catonis sane insigne factum, cum enim Ambraciam Ætoli oppugnarent, lembo aduectus, voce, manu, gestu, visus est suorum naues aduenientes vocare, ab oppugnatione itaque Ætoli destiterunt. Lycurgi leges erant, hostes fugientes non occidere. Seruarunt itaq; hoc optimi militũ Spartiatæ, vt fugientem, quam resistentem videre mallent.

CAPVT L.

Nauale belli ratio.

Classium summa est potentia.

§. 1. THEMISTOCLIS olim fuit & deinde Pompeij Magni consilium, vt Classium peculiaris ratio haberetur: *Omnia enim ab eo possideri, qui mare teneat.*

Hinc Romani classem magnam semper, aut classes potius habuerunt, Veget. lib. 5. c. 1. *Romanus autem populus pro decore & vtilitate magnitudinis suæ, non propter necessitatem tumultus alicuius classem parabat ex tempore: sed ne quando necessitatem sustineret, semper habuit præparatam. Nemo enim bello lacessere, aut facere audet iniuriam ei regno, vel populo, quem expeditum & promptum ad resistendum, vindicandumque cognoscit. Apud Misenum ergo & Rauennam singulæ legiones cum classibus stabant, ne longius à tutela vrbis abscederent: & cum ratio postulasset sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes nauigio peruenirent. Nam Misenatium classis, Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Aphricam, Aegyptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo. Classis autem Rauennatium Epiron, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum Orientem, Cretam Cyprum petere directa nauigatione consueuerat.*

Classis Romanorum.

Maris ergo dominium plurimum ad potentiam facit; Hispani aiunt, *Regnum sine portu, esse sicut furnũ sine igne.* Et sane apparuit in Lusitaniæ haud magno regno, quomodo maris dominio Indias occuparint, hodieque tueantur. Lipsius plures numerat classes, de magnitudine Romana l. 1. c. 5. Quatuor in mari, tres in fluminib. esse arbitratur.

Cura nauiũ faciendarũ magna est habenda.

§. 2. Vegetius curam nauium faciendarum maximam requirit, quia maius est periculum nauem esse vitiosam, quam domum. *Excypresso ergo*, inquit l. 5. c. 4. *& pinu domestica siluestri larice, & abiete præcipue Liburna contexitur, vtilius æreis clauis quam ferreis configenda. Quãlibet enim grauior aliquanto videatur expensa, tamen, quia amplius durat, lucrum probatur afferre. Nam ferreos claues tempore & humore celeriter rubigo consumit; æreis autem etiam in fluctibus propriam substantiam seruant.* Materia cædenda à decima quinta luna vsq; ad vigesimã tertiam; Post solstitium æstiuum ad Januarium vsq; cædi põt. Naues variæ olim, maximæ senorum ordinum vel vltra remigum fuerũt, vt ait Veget. sed de ordinatio nauium modo loquitur. nam ab ea, qui vno remigum ordine

Nauiũ magnitudo.

ordine trahitur, vsq; ad quindecim & sedecim remigum ordines peruentum est, sed vsitatę sunt biremes, triremes, quadriremes; quæ tot habẽt ordines remorum, remigum & sedilium in quolibet ordiné. Romani quidem cum primo rem maritimam attingerent, difficilem putarunt, quinqueremium ædificationem; At postea Antonius, Augustúsque alta nauium propingnacula exstruxerunt; Antonius vero etiam δεκήρεις diciremes, vt habet Dion. Alexander Magnus duodecim ordines habuit, vt auctor est Plinius. Ptolomæus Philadelphus duas naues habuit ordinum triginta, vnam viginti; quatuor, tredecim; duas, duodecim; quatuordecim, vndecim ordinum; triginta hepteres, Hexeres quinque. quinqueremes decem & septem. Magna fuit & oppidi instar nauis, Ptolomæi Philopatoris, quadraginta ordines habuit, longitudo eius ducentorum octoginta cubitorum, altitudo triginta octo, nautæ erant in ea quadringenti, remigum quater mille, milites pene ter mille, rostra septem, gubernacula quatuor. Quæ tamen omnia magis ad ostentationem quam ad vsum fuere. Tanta enim multitudo nec viuere commode, nec administrare officia potuit.

Monstrosa nauis.

Magnarum nauiũ vsus.

§. 3. Pleriq; naues minores agilesq; magis probãt, quia & minores vento agũtur, & tam facile in Syrtes non impingunt. Turcicæ naues in conflictu contra Austriacum innoxia tela emiserunt, q̃ proræ earum multo altiores essent; Sed tamen si verum fateri volumus, Augustus contra Sextum Pompeium, & Antonius altis nauium vsus est propugnaculis. Et victoriam Christianis contra Turcas sex magnæ Christianorum naues, quæ ante Semilunã nostræ classis hostilem classem lacerarunt, magna ex parte reportarunt. Præsagia tempestatum obseruare, & obsequi illis omnino necessarium, plures enim classes tempestate, quam prœlio perierũt: Cum omnia prouideris in media aqua siti pereundum est. Itaque & de aqua prospiciendũ est. In mari pugnaturus prim⁹ in aciem progredi poteris; nam etiam parati milites quiescere cibumq; sumere poterunt. Nec fatigantur vt in terrestri prœlio, non tamen pugnare nisi hostis accedat. Timotheus dux Athenienſium in hostem velocissimas viginti naues eos iudificatum misit, quæ hostes lassarunt, lassatos deinde ipse cecidit.

§. 4. Nautici exercitus ingenti cura exercẽdi sunt, vt remos ducere, clauũ moderari, ancoras iacere, & reducere, funes collocare, vela pandere, contrahere, naues cõuertere, obliquare vela, malum cõscendere è carchesio speculari cõsuescant. Deniq; vt ad omnia pericula sint interriti: nam præter cõmunia belli mala, æquora ipsa & belluæ satis ad terrorem faciũt. Deinde ventorũ pugnæ, breuia, Eurypi, vortices, æstus, sinus, promontoria, scopuli, syrtes & quæ spectantib. maxime grata est, quies maris, seu ipsa malacia. Noctu facilius sibi omnia ignibus significant. Ignẽ semper præfert prætoria & viceprætoria, sed cum hæc adest, binos exhibet prætoria, hoc omnes imitantur, ne vicinitate impingãt. Cum turbo exoritur, bis magno tormento signum datur, opes non esse, vt sequantur naues prætoriam. Scripto autem consignata habent mandata, quo in loco, si dispersi sint, conuenire oporteat. Si hostes noctu appareant, nauis quæ eos animaduertit, signum dat. Nauium etiam tessera magna cura datur. Ad occasum Solis simulq; ortum naues omnes veniunt salutatum ducem in prætoria; accipiunt autem vesperi tesseram, q̃ si tempestate impediantur, habet quisque nauarchus scriptas totius hebdomadæ tesseras, quas distribuunt. Nihil periculosius est pugna maritima, nam ipsum mare inimicum est, naues facile perforantur & incenduntur, in naues inimicas insiliendum est, ibique pugnandum. Naues ipsæ interdum inter se implicantur seque impediunt, & victa victricem trahit. Ordo naualis pugnæ fere est, vt prætoria sit in medio, illique iungantur maiores naues, alas obtineant minores, quod ita intelligo, nisi hostis firmiores habeat in lateribus; id magnopere curandum, vt fortes sint illæ quæ primæ ventum excipiunt: nam fortissimæ possunt impressionem facere. Æquali ordine procedunt, quæ leuiores sunt ita vela temperant, ne velocius ferantur, quam grauiores. Duobus modis maxime hostis læditur, tormentis & harpagonibus, quibus nauigia coniunguntur. Olim tormenta, quibus nauigia lacerarent, non habebant, concitatis rostris in latera impingebant, nunc alia ratio est, nam qui celerrime dexterrimeque naues hostiles fulminant, qui malum, antennas aut gubernaculum tangere possunt, fere victores euadunt. Olim igne pugnabant quam maxime, Cassius onerarias accensas in hostium classem immisit, & accendit. Cn. Scipio amphoras pice & tæda plenas in naues hostium iaculabatur. Hannibal viperas. Contra bombardas minores se muniunt crassis asseribus, & interdum duplici funium sepimento, quorum distantia vnius pedis est. Interim magnis incommodis conflictantur, siue dum iunctis & connexis nauibus depugnant, siue dum ignes aduersariorum naui injiciunt, simul enim & ipsi periclitantur, ne simul exurantur. Imbellis omnis turba ad reparandas naues & curandos vulneratos adhibetur. Periculum ex eo augetur, quod cum ad manus ventum, vna nauis vnam, aut vnam duæ aggrediuntur, simul itaque tot acies, quot naues.

Noctu ignes accendunt.

Tessera duplex in classe.

Acies naualis.

Periculosa in mari pugna.

§. 5. Classis lentius eodem vento, ẽt cum eædem naues sunt, procedit, quam naues singulæ seorsum. Itaq; cum est proficiscendum, ad longius iter se præparabit Imperator, quam negotiator.

Classis lentior est, quã singulares naues.

Cum maritimus cõflictus habendus est, vexillum è prætoria proponitur: si aliunde nauis appareat, ea nauis quæ proxima est, vexillum suspendit, si duæ duo, monetque præfectum classis.

Signa pugnæ.

Cum exploratoriæ naues indicãt à se videri quippiam, si velit præfectus eas progredi, meliusque explorare, vexillum in prora suspendit; Et sane in mari multa per vexilla demonstrantur, quod longissime per æquor se visus protendat, qui in campis, dumetis, alijsque rebus impeditur.

Naues exploratoriæ.

Cum allisit nauis, aut hæret in Syrtibus, ter tormentum explodit, & è carchesio quispiam vibrato vexillo auxilium postulat. Si hostilis nauis in classem speculandi gratia irrepat, eiusque rei sit suspicio, certi aut varij coloris vexillum, quale omnes naues habent è prætoria extollitur, quod cum speculatoria nauis facere nequeat, mox deprehenditur; latere tamen posset, si ante de genere istorum vexillorum instructa fuisset.

Syrtes.

§. 6. Classi multo plura desunt, quam exercitui terrestri; ita enim comparanda sunt classium arma, vt terra etiam dimicare, & obsidere vrbes possint. In classe Hispanica multa fuisse recenset Ranzouius. *Hæc*, inquit, *classis* c. 8. l. 1. *collecta fuit ex* 130. *nauibus, & pondera siue (quod dicunt) lastas vexit* 57868. *Classiarios milites* 19295. *Nautas ac Remiges* 8052. *Tormenta maiora* 2441. *Pilas siue glandes tormentarias* 123090. *Pulueris nitrati centenarios* 5175. *Plumbi centenarios* 1238. *Fomitum igniariorum centenarios* 1151. *Ingentem præterea copiam aquæ dulcis, patinarum ilignearum, lucernarum, maiorum ac minorum lampadum, Clauorũ item & corii bubuli: lini stupæq; magnam vim, ad nauium hiscentium & perforatarũ obstructionẽ & instaurationẽ: nec non scuta, cerea cõplura, candelas sebaceas, saccos lõgiusculos. Insuper aderãt omnia ea, quæ ad tormẽta grandiora promouẽda faciunt, vt* 40. *muli, vehicula humiliora, rotæ aliaque id genus: ac inter cætera, quæ sufficerent* 20. *currulibus illis maioribus tormentis, quæ cartaunas appellant, in ictus exponendis: quibuscum vehebantur*

Multa ad classem requiruntur.

adhuc 21. alterius generis, quæ ab vsu, quem potißimum in campo aperto præstant, dicuntur Campestres serpentinæ seu Colubrinæ, & quibus hæ onerentur 3500. globi. Iam vero quod ad arma minora attinet, iis abunde classis erat instructa. In promptu erāt bombardæ manuariæ longiores 7000. furcatæ & ad capulum incuruatæ cum requisitis suis 1000. Hastilia oblonga 10000. Gæsa ac bipennes 1000. Hastæ breuiores 6000. aliaq; complura prouide comparata, quibuscum si res ferret, terrestre prælium aduersus hostem iniri, oppidaque obsideri atque capi possent. Assuere simul 700. Cuniculārii, apparatu suo, quo in cuniculis agendis vterētur, plus satis instructi.

Omnium autem personarum, quibus de commeatu prospectum erat, cuius generis fuere stipendiarii milites audaculi, Sclopetarii, Medici, Chirurgi, Sacrificuli, Monachi, Nobiles, & Ministri cæteri summi Classis præfecti, Iudices, Nautæ, Remiges, coqui & similes ad Classis apparatum necessarii fuerit numerus 30693. Ad horum sustentationem semestrem hic cōmeatus habebatur. Panis bis cocti Centēarii 11000. Vini amphoræ 21255. Carnis salsæ centenarii 6000. Caseorum centenarii 3433. Salsamentorum centenarii 8000. Oryzæ centenarii 3000 Fabarum ac Eruiliorum centenarii 6320. Olei mensuræ, quas vocant Bath. 11398. Aceti eiusdem mensuræ 13687. Fistulæ aqua potabili plenæ 11870. Illud quoque ab Hispanis, quos Angeli ceperunt, cognitum est: singulis diebus classi alendæ 12000. ducatos fuisse impensos & magnam præterea auri & argēti vim in belli subsidium per naues prætorias aduectam: in ipsam autem classem ab hostili Anglica decies millies tormenta fuisse exonerata. In classe Danica apparatum nauis prætoriæ hunc tradit. Bombardarii (c. 8. l. 1.) periti tormentorum maiorū onerandorum & displodēdorum 100. Nautæ 500. Milites Classiarii 700. Integræ & dimidiatæ cartaunæ 20. Serpētinæ seu Colubrinæ integræ 14. Serpētinæ dodrātales 14. Serpētinæ dimidiatæ 4. Falcones 15. Aenei pyroboli 2. Turrifragæ seu Phalaricæ murales 8. Arietes pyrii 8. Harpagones siue hamæ 8. Machinæ, quas vocant Barssen. 68. Machinæ vncatæ 100. Pulueris nitrati pondera siue lastæ 10. Præter plumbum, globulos, Ellychnia, siue fomites igniarios, magno numero. Commeatus in eandem nauim prætoriam fuit destinatus ad semestrem victum: Succidiæ 7400. Frusta carnium bubularum 3143. Carnium ouillarū quartæ 6248. Anseres fumo durati 6248. Butyri pondera, siue lastæ 30. Halecum conditarum lastæ 60. Asellorum minorum lastæ 60. Salparum siue Merlucarum vehicula 1480. Esocis saliti lastæ 4. Anguillæ salitæ lastæ 4. Albicæ Marinæ 4000. Pectines seu passeres marini sole siccati 8000. Asellorum longorum fasces 8. Asellorum maiorum siue capitonum fasces 8. Auenæ humano cibo præparatæ lastæ 24½. Eruiliorum lastæ 24. Panis lastæ 402. Cereuisiæ lastæ 700. Salis Lunæburgensis lastæ 4. Salis grassi peregrini lastæ 10. Aceti lastæ 4.

Commeatus classis Hispanicæ.

Prætoria Danicæ classis.

Cum naues desunt, vsitatum est, negotiatorum nauigia detinere, soluto vectionis precio. Quod Reges Hispaniarum Daniæque solent, qua in re ita agendum, vt iustitia in omnibus seruetur.

Commeatuum tamen cura prima sit.

Οὐχάρτοι συλλῆπτέον χαρίεν κύλικος ἄλλο
ἔπλετο, ἢτ' ἐκέλευσεν ἑῆς μνήσασθαι ἀνάγκη
χὴμαλὰ πειρόμενον, χὴ ἐπὶ φρεσὶ πείδος ἔχουλα.

Commeatus.

Non est improbo ventre damnosius aliud, qui necessario sui memoriam exigit, etiam si quis tristis sit & luctum mente volvat.

In exercitu id grauius malum est, quia ille ad vitiosos cibos & obscenos impulsus, pestilētiam aliosque morbos contrahit, & quia languet, spiritus deficiunt, timidusque efficitur.

Vt commeatus habeatur, commodum fuerit, non modo pecuniam imperare, quæ per manus Harpyiarum transiens acciditur, sed frumentum, succidiam, caseos, butyrum, oleum, pisces, aliaque, libentius enim hæc inferunt subditi, & vtilius seruantur.

CAPVT LI.

Exploratoribus vtendum esse.

Nota sint hostium consilia. Omnis ars ducis, si sciat hostis, noxia est.

§. 1. HOstium nosse consilia, sua celare summum ad victoriam momentum habet. Nec quisquam fere bello victus est, nisi qui propositum hostium ignorauit. Tomombeius fortissimum exercitum amisit, & regno exutus est, eam fere ob causam, quod omnia eius consilia proderentur.

Hostium consilia nouisse, est pene vicisse, Fuluius nobilior hostes intelligit extremum agmen carpturos, fortissimam legionem primo loco ire, impedimenta sequi iubet, hostes inuitati occasione sarcinas diripiunt. At Fuluius legionis quinque cohortes ad dextram, quinque ad sinistram viæ direxit, quæ hostem occupatum conciderunt. Idem non dissimili modo Iphicrates fecit. Epaminondas nihil magis in Duce laudabile esse, quam nosse hostium consilia.

§. 2. Germanicus etiam in tumultu & cæde militari, apud Germanos exploratores habuit. Tac. l. 1. ann. *Dilecta longiore via, cætera adcelerantur, etenim attulerant exploratores sestam eam Germanis noctem, ac sollennibus epulis ludicram.*

§. 3. Magni interdum Reges suo periculo varia loca adeunt, vt hostium apparatum cognoscant. Saladinus Christianorum apparatum audiens; Germaniam, Gallias & Hispaniam peragrauit. Egnat. lib. 9. cap. 8. Prudentior hoc in genere Mennon, qui cum legato alium misit, nempe citharœdum nobilem, ad quem multitudo confluebat. Polyæn. lib. 5.

Fortunam proprii exercitus nosse opus est.

§. 4. Multo minus proprij exercitus fatum est ignorandum, quod quandoq; exitio fuit. Interdum sane ignorant in eodem exercitu partium fortunam Brutus victor erat, in suo cornu victus Cassius; qui cum Brutum quoque victum putaret, mortem sibi consciuit. Rex Galliæ cum Heluetios in Insubria vicisset, integri quidam Heluetiorum ordines suos victores putauerunt, & prope ob eum errorem totus exercitus interierat.

§. 5. Exploratores semper, sed caute mittendi, ne intercepti, & torti consilia tua indicent. Heraclides specie transfugæ naualia Rhodiorum incendit.

Exploratores explorandi.

§. 6. Omni modo & nouis interdum stratagematis vtendum, vt exploratores noscantur. Cum in exercitu Charetis exploratores essent, iussit vnumquemque proximum apprehendere, & interrogare ordinem, vexillum, manipulum, contubernium, ad quæ cum respondere non possent, deprehensi sunt. Theognis cum iuberet omnes suis armis indui, exploratores deprehendit, sed cum inter lixas & negotiatores latent, illi quoque sunt examinandi, nam fere ab aliquo noscuntur.

Literæ pro exploratoribus.

§. 7. Literarum occultæ notæ, siue in baiuli corpore, siue alio modo scribantur, iam fere deprehenduntur. Tutissimum est, antequam seiungantur de notis conuenire. Olim Carthaginensis in tabella, quæ cera obducta erat, secreta Romanorum perscribebat in Patriam, & Demaratus Græcus de expeditione Xerxis monuit: Gell. 17. c. 9. attonsis nouacula capillis inscriptas vertici literas ijsdem renatis tectas ad amicos missas ait.

Scytala.

Scytala Laconica insigni artificio fit, vterque lignum eiusdem modi ac magnitudinis habet, charta oblonga instar lori circumligatur, deinde inscribitur, eam qui accipit suo ligno circumligat, & reddet eandem literarum coniunctionem, quæ in priore ligno erat, nec hostis expiscari potest vllum sensum, nisi magnitudinem lignorum cognouerit.

Callidissimus Regum Philippus literas Antipatro

trò scripsit, Thracias rebellasse, veniret omissis omnibus, quas cum Athenienses intercepissent, arcana Macedonum accepisse rati & securi classem abducunt. Philippi duces transeunt, nullo obstante. Magna sane occasio hostis eludendi, si ficta imperia ad duces mittantur, quæ tamen cognoscere, & distinguere vera à fictis non erit difficile, adiecto aliquo signo inter eos solos noto. Refert Mendoza in obsidione duobus datam chartam plumbo inclusam, quod deglutiuerunt, chartam autem ita scriptam, vt ipsi ignorarent, nec tormentis affecti dicere possent, specie autem transfugarum ad hostem venerunt. Nec modo literas intercipiunt, ad socios mittunt, sed hostium quoque ad hostes dirigunt, effingendo sigillum & characteras, vt aliquo errore eos afficiant. Transfugis puniendis solent literas scribere, quæ intercipiantur, vt fidem abrogent apud hostes, & vt exploratores videantur. Conon relictus à sociis transfugam misit, qui indicaret eos fugere, illi cum insidiantes præsensissent redierunt.

§. 8. Ad explorationem, omnis nunciorum literarumque ratio pertinet, Nunciorum emittendorum & reddendarum literarum varios modos excogitauit necessitas. Pontius Cominus per Tarpeiam rupem se demisit, & transnatato Tyberi Veios peruenit, deinde incolumis capitolio se reddidit. Campanorum miles baltheo inclusam epistolam ad Pœnos attulit. Et vaginarum interiori parti includunt. Cleonymus missis per sagitras literis captiuisque persuadet, se ad liberandam Rempublicam Troezeniorum venire, eaque ratione dissidentibus superuenit.

Cæsaris nuncius literas in castra iaculatus est, sed timendum ne non aduertatur, itaque melius per subornatos mittuntur, per eos, qui fœnum stramen, poma, similiàque castris inferunt. Per ignotos & viles facile deferuntur literæ. Ericus Sueciæ Rex Angliæ reginam literis baculo inclusis ambijt, sed eas intercepit Dani præfectus. Harpagus lepori inseruit.

§. 9. Explorandi insignem rationem Scipio secutus est, nam cum Lælio ad Syphacē legato seruorum loco lectissimos tribunos & centuriones misit, qui equum dimissum consectati per castra, omnia munimenta viderunt, & Scipioni facilem victoriam peperetunt. Carthaginenses Hamilcarem ad Alexandrum exulis specie ire iusserunt, & eius ad se consilia referre. Id quoque cum Romanis factum. Cato ex hostibus vnum exceptum tortumque interrogauit de hostium consilijs; quod anceps est, cum pauci illa cognoscere soleant.

Verum hac in re summa opus est sagacitate, summaque prudentia, Paulus Æmylius cum magnam auium multitudinem simul è Sybea euolare vidisset, esse ibi insidias Hetruscorum non vane arbitratus est. Quo etiam signo Tyamenus Horestis filius iugum ab hostibus insessum esse cognouit. Mihi omnium expeditissime Carthaginenses ex longinquo significasse videntur; Nam signum dare poterant, vt quid deesset, Carthagine videretur. Duas clepsydras æquali magnitudine fecerant, circulos etiam æqualiter constituerant, illis vero inscripserant varia, quibus egere aliquando poterant, verbi gratia, Machinis, auro, frumento, equite, pedite. Quod si igitur earum rerum aliquas peterent, cum ad circulum cui res illa inscripta erat, aqua descendisset, ignem excitabant, quo viso, inspectaque sua clepsydra subsidium mittebatur Carthagine. Hac in re duo diligenter obseruanda erant; primo vt clepsydrarum vertendarum diligens ratio haberetur, Alterum, vt ignis certo modo loco que fieret, ne si in vicino fortuitum aut hostile incendium esset, subsidia peti senatus putaret.

Cum per columbas literæ mittuntur, cauendum, ne in hostem incidāt, quod Sultano contigit, Ptolomaidem obsidentibus Christianis. Cum ignibus signum datur, contrarij ignes excitandi sunt, vt dubitent hostes, quorum illi sint. Ita Platæenses, cum à Lacedœmonijs obsiderentur fecerunt. Mutandis signis maxime hostis fallitur. Arabes cum fumo interdiu, noctu ignes adesse hostes significarent, id continuos dies fecerunt, sed cum hostis adesset, consulto signa omiserunt, quod illis signum erat, hostes latere se arbitrati omnia securius egerunt.

CAPVT LII.

Proditores quomodo tolerandi.

§. 1. PRoditionem plerique amant, proditores oderunt.

Proditores eos appello, qui patriam, principem, exercitum, secreta, aliaue hosti clam tradunt, aut in eorum perniciem, quibus fidelitatem debent, consilia cum hostibus communicant. Itaque qui portas aperiunt, qui aliquid hosti opportunum efficiunt, hoc nomine vocantur. Qui vero ab hoste veniunt, sese clam insinuant, & fraude vtuntur, proditores non sunt. Imo in bello iusto stratagema est non proditio. Tales sunt qui rusticano habitu alijsque rebus occulte hostium loca subeunt, exploratores potius, quam proditores. *Proditor est amicis est.*

§. 2. Proditione simulata crebro vtuntur, vt in exitium pertrahant eos, quos solicitare norunt militum animos, itaque nec proditoribus quidem facile creditur. Alcibiades vsus perfuga Syracusanis persuasit, vt vrbe exirent, quam mox ipse cepit. Catanæ habebat exercitum, asseuerat perfuga Catanenses velle Græcos opprimere, & posse, si à Syracusanis subsidia habeant, illi vniuersis viribus Catanam eunt, Syracusas indefensas cæpit Alcibiades.

Nimium creduli Romani, qui cum ad Pisonem in turri obsessum liberandum irent, audita ex perfuga fama, quam callide Mago sparserat, Pisonem captum territi abscesserunt.

Guido Foroiulij obsessus effecit, vt ciues nonnulli simulata proditione hostium quosdam inducerent, in vrbem ipse alia porta egressus, eos qui foris erant imparatos cecidit, deinde rediens eos qui per vrbem palabundi intenti prædis erant occidit aut cepit.

§. 3. Fredericus Aragoniæ Rex, cum nesciret, quo loco Robertus Neapolitanus Siciliā inuasurus esset, ciuibus quibusdam Drepanitanis imperauit, vt illi persuaderent, Drepanum obsideret, in quod forte ipse præsidium imposuit, & totam æstatem ibi hærere coēgit, atque etiam aduentante hyeme pacem facere. *In insidias deducere.*

Mentor Hermij victi sigillo literas mittens ciuitates multas occupauit. Fredericus comes ferrati Varruealensi præfecto literas Sigismundi manum imitatus misit; quæsiuitque an præsidio egeret, quo annnuente, suum misit.

§. 4. Variâ ratione curandum est, vt fides transfugis abrogetur; nam & transfugia inhibet, & hostis tua consilia ignorabit, & proditores puniet. Hannibal fidem transfugis detraxit: cum enim sciret in castris exploratores esse Romanorum, suos milites, qui transfugerant ad Romanos publice negauit transfugas vocandos, qui solertissimi milites hostium

hostium consilia excipere nt su o iussu. Creditum est Hannibali, & verti transf u gæ pro exploratoribus habiti abscissis manibus remi ssi sunt. Nec modo hostē, sed proprium etiam milite m c e lare & decipere boni Imperatoris est. M. Licinius C rassus quærenti, quo tempore esset castra moturus, respondit: Vereris ne tubam non exaudias? Pari c o nsilio Furius in locum iniquum coniectus spem vultu simulat, & agmen circumduxit, inscioque periculo exemit. Cl. Neronis audax & tum quoque anceps facinus, qui Hannibalem tam diu celauit, donec Asdrubalem occidisset. Mithridates Pompeium præter eius castra vadens latuit. Hamilcar cum Siciliam peteret, tabellas dedit, non legendas ni à prætoria aberrarent.

Proditor tantum occultandis consiliis fatetur.

§. 5. Interim proditoribus quoque vti ad celanda Consilia, atque in suum vsum cōuertere industrij est ducis. *Ventidius*, inquit Frontinus libr. 1. c. 1. *Parthico bello aduersus Pacorum Regem, non ignarus Pharneum quendam, natione Cyrrestēn, ex his, qui socii videbantur, omnia quæ apud ipsos agebantur, nunciare Parthis; perfidiam Barbari ad vtilitates suas conuertit. Nam quæ maxime fieri cupiebant, ea vereri se ne acciderent: quæ timebat, ea, vt euenirent optare se simulabat. Solicitus itaque ne Parthi ante transirent Euphratem, quam sibi superuenirent legiones, quas in Capadocia trans Taurum habebat studiose cum proditore egit, vt solenni perfidia Parthis suaderet, per Zeugma traiicerent exercitum, qua & breuissimum iter est, & omisso alueo Euphrates decurrit. Namque si illac venirent, asseuerabat se opportunitate collium vsurum ad eludendos sagittarios. Omnia autem vereri, si in patentes campos processissent. Inducti hac affirmatione Barbari inferiore itinere per circuitum adduxerunt exercitum: dumque fusiores ripas, & ob hoc operosiores pontes iungūt, instrumenta, quibus moliuntur, quadraginta amplius dies impenderunt: quo spacio Ventidius ad contrahendas est vsus copias: eisque triduo antequam Parthus aduenire receptis, acie commissa, vicit Parthos, & interfecit.*

Proditore vtendum.

Nunquam deest illa occasio, maxime cum inter vicinos bella sunt, itaque aliud atque aliud instituere, vt hostes fallat, debet imperator, nec dubiū, quin relaturi sint, qui præmium ex diuerso petunt. Prudens etiam T. Didij factum, *is paucitati suorum diffidens, cum in aduentum earum legionum, quas exspectabat, traheret bellum, & occurrere eis hostem reperisset, concione aduocata aptari iussit milites ad pugnam, ac de industria negligentius custodiri captiuos: ex quibus pauci, qui profugere, nunciauerunt suis pugnam imminere. At illi suspicione præcii ne deducerent vires, omiserunt occurrere eis, quibus insidiabantur: legiones tutissime, nullo excipiente ad Didium peruenerunt.* Front. lib. 1. cap. 8.

CAPVT LIII.

Stipendia moderata & certa constituenda.

Sine stipendio militia.

§. 1. ROmani trecentos prope annos stipendium militi suo nō dederunt, diuites enim in prælio mittebant, qui suo sumptu militiam tolerabant. Nec mirum ita fuisse, nam Reges eorum cum domi essent, varijs operibus eos mancipiorum instar attriuēre, vt in cloacis, vijs, muris, fanis exstruendis, adeo vt multi sponte mortem obirent. Optabile erat tam misere viuentibus bello oppetere, & pulchram per vulnera mortem adipisci.

Iustus Lipsius libr. 5. de militia Romana, aliquid tributum militi etiam ante arbitratur. Probat ex Dionys. l. 5. & Liuio l. 9. Sed publicum id fuisse putat in belli sumptus. Addo interdum pro præmio militum hæc exigi, vel in necessitate à ciuibus conferri solere.

§. 2. Postea cum nimium grauis esset militia, si de suo quisque militaret, bello Veiensi stipendia constituta sunt, quæ ὀψώνια vocantur, quod pro obsonio emendo darentur. Polybius *stipendium pedites duos obolos accipiunt singulis diebus, ductores ordinum duplum, equites drachmam.* Ex calculo Iusti Lipsij erant in mensem deni denarij, hoc est, Philippæus. Paruum nunc stipendium, eo tempore magnum, & quia nouum, etiam valde gratum in vulgus, ideo etiam diu mansit. Quod si rerum vilitatem spectemus, precium illud haud exiguum fuisse inueniemus.

Prima stipendia obsonia.

Daricus Græcorum stipendium.

§. 3. Tale fere stipendium apud Græcos erat. Lacedæmonij Daricum militi, duplum centurioni, quadruplum ductori στρατηγῷ promittunt. Xenoph. l. 7. ἀναβάσεως. Athenienses in diem soluebant, drachmā, quod largius erat; nam Daricus est viginti drachmarum.

Cibus dandus non tātū pecunia.

§. 4. Omnino agendum, vt quemadmodum olim frumentum, ita nunc panis detur. Olim sane probrosum erat frumentum vendere, panem emere, At nūc cum nec frumentum detur, nec panis, pecunia facile absumitur, tum ad rapinas vertuntur.

Demensum militum.

Militi Romano dabantur modij quaterni in mensem, seruorum hoc demensum erat, qui tamen aliquando & quinq; modios acceperunt. Senec. Ep. 71. Equitibus triplum dabatur, hoc est, duodecim modij, vt seruos duos alere possent. Equites sociorum modios octo, quia seruis paucioribus erant contenti, accipiebant.

Pecuniā ad signa deponebant.

§. 5. Interim aurea consuetudo fuit, ad signa pecuniam deponere, ne facile absumerent eas milites, atq; vt signa non facile desererent, de qua Veg. l. 2. c. 20. *Illud vero ab antiquis diuinitus institutum est, vt ex donatiuo quod milites consequuntur dimidia pars sequestraretur apud signa, & ibidem ipsis militibus seruaretur, ne per luxum aut inanium rerum comparationem à contubernalibus posset absumi. Plerique enim homines, & præcipue pauperes tantum erogant quantum habere potuerint. Sepositio autem ista pecuniæ primum ipsis contubernalibus docetur accommoda: (nam cum publica sustententur annona ex omnibus donatiuis augetur eorum pro medietate castrense peculium) Miles deinde qui scit suos sumptus apud signa depositos, de deferendo nihil cogitat, magis diligit signa: pro illis in acie fortius dimicat, more humani ingenii, vt pro illis habeat maximam curam, in quibus suam videt positam esse substantiam. Deniq; decem folles, hoc est, decem sacci per cohortes singulas ponebantur, in quibus hæc ratio condebatur. Addebatur etiam saccus vndecimus, in quem tota legio aliquam particulam conferebat, sepulturæ scilicet causa, vt si quis ex contubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco ad sepulturam ipsius promeretur expensa. Hæc ratio apud signiferos (vt nunc dicunt) in cophino seruabatur. Et ideo signiferi non solum fideles, sed etiam literati homines deligebantur, qui & seruare deposita, & scirent singulis reddere rationem.* Ingens sæpe ad signa pecunia. Suet. in Domit. Geminari legionum castra prohibuit, nec plus mille nummos à quoquam ad signa deponi, quod L. Antonius apud duarum legionum hiberna, res nouas moliens, fiduciam cepisse ex depositorum summa videretur.

Legumina data.

§. 6. Præterista dabant legumina, pisa, lentem, salem. Plutarchus in Crasso, mali ominis rem putat, initio cum necessaria emetirentur, datam lentem & salem, quod ista funebria haberentur. Caro Imperatoria, inquit Synesius τὸ δεῖπνον ἦν, πίσσινον ξύλον ἕτνος, ἐν αὐτῷ τεμάχια ἄττα ταρίχη κρεῶν ὑείων. Cœna erat e pisis pridianum pulmentum, & in ipsa frusta aliquot salitæ suillæ carnis. Spartianus inter cibos castrenses recenset, Laridum, caseum, poscam.

Coctam carnem vēdere Metellus vetuit; ipsi assabant aut elixabant. Hinc militum veru, & olla in supellectile. Panē milites ipsi coquebāt, inutili labore, cum facile à pistoribus coquantur pro ingenti multitudine.

§. 7.

Sociorum stipendia.

§.7. Hinc ita dabantur, vt tamen de stipendio aliquid detraheretur, certum scilicet precium, sociis vero donabantur, credo eos minus stipendium à suis vrbibus accepisse.

§.8. Actuarij cum militibus pacisebantur, pecuniam annonamq; mutuam dabant pro singulis solidis semisses accipere poterant, nec quicquam amplius, in omne tempus dilatæ solutionis l. quicunque c. de apochis publicis l. iubemus c. de erogatione.

Frustrari stipendiis militem varia arte solent.

§.9. Magnæ seditiones ob stipendia non soluta in exercitibus frequenter exortæ sunt. Multa etiam inuenta ad pacandum militem. Interdum arte mala vsi sunt. Iphicrates cum ob stipendia miles concionē peteret, peritos linguæ Persicæ, & eo habitu subornauit, qui dicerent, aduenire stipendia, se præmissos, sic intermissa concio est. Demetrius cum stipendio careret, duplicem numerū militum conscripsit, vt hostis citius victos stipēdia soluere cogeret. Antigonus victor, cum ante cuique Gallo se aureum esse daturum promisisset, illiq; pro pueris & mulieribus etiam flagitarent, quod dictum esset; Vnicuique Gallo; minarenturque obsidibus mortem; Antigonus datorum dixit, iussitque venire qui acciperent; at illos detinuit, donec obsides redderentur. Polyæn. l. 4.

§.10. Optimum cum fides est Reip. integra ex parabili materia, in necessitate nummos cudere. Perdicca stanneum numum cudit, & pro eo suæ regionis frumenta dedit. Veneti ad Tyrum pecunia scortea vsi sunt, publicam fidē postea præstante senatu. Cum externus miles est, & fides principis sublecta, illa ratio magis exasperat quam pacat exercitum.

CAPVT LIV.

Commeatus & stipendiorum ratio.

Commeatus ante omnia comparandus.

§.1. AD stipendia seu obsonia pertinet commeatus militaris, frustra enim omnia sunt, si miles esurit. Verum quia hic opus est immenso sumptu & cura, vt detur tempori, & ne corrumpatur commeatus, separatim ea de re dicere malui.

Potentia in commeatu.

§.2. Monarchæ alicuius potentia ex commeatuū multitudine & facilitate æstimanda est. Arte bellica Turca pollet, atq; hæc fere obseruat. Primo vt semper copias paratas habeat. 2. Vt præuertat hostem. 3. Vt fœdera cum hostium vicinis feriat. 4. Vt sensim regionem occupet. 5. Vtiles expeditiones capiat. 6. Quod maxime obstat regnantibus, vt fidem non seruet. Ea n. causa quos obsident ad extrema sese defendunt. Qui de eius potentia scribunt, vires eius supra modum attollunt. Ad bellicos apparatus q attinet, aiunt, habet sane ingentes ac pene incredibiles. Tormenta habet innumera. Et tota Hungaria quinque millia abduxit; quingēta è Cypro; E Guletto nō multo pauciora. Tam immani magnitudine apud Turcas sunt machinæ, vt strepitu nō ictu tantum muros demoliantur. Cum Rege Hispaniarum nunquam totis viribus certasse constat, quāuis vires ex prælio metiri non oporteat. Ego vero hanc potentiam quadruplo maiorem fore affirmo, si commeatuum, hoc est, agriculturæ rationem ducat, nunc enim sæpe destituitur, cum tamen ex sola Ægypto possit ducenta vel trecenta militum millia alere. Sed noluit Deus tam sæuum Tyrannum omnibus rebus pollentem esse. Tam sæuæ beluæ pabulum minuit.

Parca sint castra.

§.3. Hoc igitur agendum, vt militum mendicitas prohibeatur, cibum habeant, cæteraque quibus humana natura doleat negatis. Sed paruo contenta sint castra. Persæ pane & aqua & interdum nasturcio victitabant, nunc mendici cum pennam Galero affixerunt, insolentissime delicias quærunt. Auidius Cassius Imperator Laridum & Buccellatum tantum ferre permisit. Volcatius in Auidio. Scipio, vt Appianus ait, frumentationes magna industria faciebat, locum circumdabat, quem demessurus erat, ipse cum delectis turmis circum equitabat, qua ratione insidiatores Afros elusit. Annonam interdum à militib⁹ Tribuni accipiebant, quod Theodos. vetuit. l. septem. c. de erogatione annonæ militaris. Alexander capitali supplicio Tribunos affecit, qui id facerent, qui per stellaturas aliquid abstuliissent. Iustiniani quoq; lex est l. secūda §. pro limitaneis c. de officio Præp. africæ.

Messum ibant legiones.

§.4. Hostem fame vincere optimum Cæsar iudicauit. Corbulo dolabrā; Quod n. sudore effici potest, ad hoc sanguine non est opus. Cæsar diligentissime semper egit, vt inopia hostē ad pugnam cogeret. Marius semper sibi prospexit, ne inopia commeatus ad pugnam inuitus cogi posset.

Sanitas curanda.

§.5. Huc etiam refertur cura chirurgorum & vulnerationū, vt quam plurimi sint in castris, vt ægri foueantur. Cura sanitatis magna habenda, q arcte habitātes facillime pestem vulgent, itaq; aër, aqua, terra, frigora, calores, vestes, exercitia omnia eo referenda, vt miles sanus vegetusque persistat.

Sumptus ingentes.

§.6. Belli sumptus si quis considerare velit, quamuis indies augeantur, ex Catalogo Ranzouiano paradigma capere poterit. l. 1. c. 7. *Duci vnius legionis ad sui sustentationem singulis mensibus dati 400. flor. Pro comitatu ac ministris eiusdem, qui sunt: Satellitium octo prætorianorum, Equitatus totidem Equitum, Currus vnicus, tympanista, Tubicen, Concionator, Scriba, interpres, Eques emissarius, præuius & c. dati 200 flor. Prætori militari 40. flor. Præfecto rerum capitalium 40. flor. Præfecto vigilum 40. flor. Designatori diuersoriorū 40. flor. Scribæ legionario 40. flor. Administratori iudicii 32. flor. Scribæ iudiciali 32 flor. Decem ductoribus ordinum 120. flor. Calonum & lixarum præfecto 8. flor. Carceris præfecto 12 flor. Sex lictoribus 48. flor. Carnifici 16. flor Summa 1068 flor. Hæc summa data fuit singulis mensibus Duci ac administris vnius legionis, quæ constituit per integrum annum 12816. flor. Pecuniæ cursoriæ siue conductitiæ loco in singulas cohortes accepēre capitanei 500. flor. in singulos milites 1 flor. 10. Batziones. Quod ad militum stipendia attinet, idem Imperator (quod & in Romani Imperij decretis, de contributionibus vniuersalibus faciendis, obseruatur), in singulos menses constituit peditibus 4. flor. Equiti vero 12. floren. Prærogatiuæ autem siue extraordinaria stipendia ac honoraria potius in singulos menses ductibus ac præfectis singularum cohortium Equestrium, quas vulgo vexilla vocant, constituta sunt: Ductori Equitum 200. flor. Magistro equitum 100. flor. Legato 32. flor. Signifero 50. flor. Summa 382. flor. Porro duodenis equitibus assignatur veredus & quadriga: ex quibus illi simplex soluitur stipendium, huic duplex. Hinc igitur instituta supputatione colligere aliquo modo possumus, quanta summa pecuniæ ad menstrua aut ad annua stipendia, magni aut parui exercitus requiratur. Nam ponamus exempli loco, Regem quendam decreuisse bellum, ad quod gerendum conscribere velit exercitum. 46200. virorum, inter quos sint 6000. Equites, 40200. pedites: quantum fere exercitum Rex vnus contra alterum verisimiliter educit. Iam consultat cum suis de sumptibus menstruis, atque annuis, quos stipendia tot militum assumant. Itaque ex modo posito numerationem huiusmodi instituet.*

Pro peditatu 40200. virorum.

Numerus peditum constituit 134. cohortes, Cohors autem vna habet vulgato more 300. milites, inter quos plerumque sunt 96. dupliciarii, nimirum 82. hastati, qui loricati longis hastilibus vtuntur, & 10. Sclopetarii antesignani, quos voco eos, qui bombardas grandiores, & horridioris soni furculis impositas displodunt. Quibus dupliciariis (quod & nomen innuit) bina stipendia competunt. Igitur ad alendam vnam cohortem, præter capitanei ac cæterorum præfectorum stipendia, singulis requiruntur mensibus 1584. flor. totius anni spatio 19008. flor. Hinc ad 134. cohortes pro menstruis stipendiis numerabuntur 212256. flor. pro annuis 2547072. flor.

Nunc stipendia aucta sunt, ita multo maiores sumptus.

Pro

Pro equitatu.

Equites 6000. cohortes siue vexilla constituunt 20. Singulas cohortes complent 300. Equites. Hinc ita ratiocinabimur: Quoniam vni equiti soluuntur in singulos menses 12. floreni, ideo cohors vna requirit in mensem vnum 3600. flor. in integrum annum 43200. flor. Vniuersus vero equitatus, qui ex 20. constat cohortibus, sibi ad singulos menses vendicat 864000. flor. Ad annum integrũ 1036800. flor. Tanta igitur pecunia ad gregarios Equites nõ consideratis ducibus, Chiliarchis, Magistris, Centurionibus, Decurionibus, Mensoribus, Annonæ Curatoribus, aliisq; muniorum bellicorum administris, est conquirẽda. Quod si iam inuestigare libeat, quãta vis argenti ad totum exercitum requiratur: collectis stipendiis Equitatus ac peditatus, modo quodam rudi delineatione positis, efficiuntur pro mense vnico 1076256. flor. pro anno integro 12915072. flor. Porro pro ducibus primariis, & reliquis horum administris, in hunc fere modum stipendiorum calculus procedet. Peditatus 40200. efficit 8. legiones (singulis 5000. assignãdo) quarũ quælibet peculiare suũ caput siue ducẽ, ac cæteros superiores præfectos habet, ad quos, vt ex superioribus patet, menstrui sumptus sunt colligendi 1068 flor. annui 12816. flor. Pro singulis vero singularũ cohortiũ magistratib. si computẽtur menstruorum stipẽdiorum loco 100. floreni: efficietur sumptus, qui ad Duces ac Præfectos inferiores totius peditatus pertinet, menstruus quidem 13400. flor. annuus vero 160800. floreni. His si addantur primariorum ducum ac præfectorum aliorum legionariorum, quæ modo posita sunt stipendia: exit summa quæ ad superiores pariter ac inferiores peditum Magistratus requiritur, mense vno 14468. flor. Anno integro 173616 flor. Nec minori forte sũptu duces ac præfecti Equitatus seu 20. Cohortium Equestrium ali possunt. Itaque duplicata hæc summa dabit stipẽdia omnium eorum, qui cum Imperio sunt in exercitu 46200. hominum (ipso tamen belli summo Imperatori non assumpto) vno mense 28936. flor. anno integro 347232. floreni.

His deniq; si adiecta fuerit prior summa, quæ stipendia militum, peditum simul ac equitum continet: emerget qualitercunq; summa summarum, siue aggregatũ totius pecuniæ, quæ alendo exercitui 46200. virorum est assignanda: in singulos quidem menses 11051912. flor. In annũ vertentẽ 13262304. floreni. His tamen non includuntur sumptus tormentorum, vehiculorum, quibus pontes nauales, Scalæ, arietes, aliaq; ad expeditionem & vrbium expugnationem necessaria promouentur: neq; equorum hæc trahentium, pulueri nitrati, pilarum bombardicarum, explorationum: quarum summa aperitu rei bellicæ non minor æstimatur, quam ea quæ ad totum exercitum alendum pertinent. Sin tamen in arctũ quam maxime contrahantur rationes, tertiam illius, quam dixi, summæ partem superabunt.

Tabvlæ stipendiorvm decretorum exercitui contra Turcam conscribendo.

Anno 1594 *Nunc subiiciemus illas tabulas, quæ anno proxime elapso, cum de bello Turcico cõmunis inter ordines Imperii in conuentu Ratisbonensi, institueretur deliberatio, fuerunt compositæ. Primo propositũ est, Turcis opponẽdum esse exercitũ 60000. virorum, Germanorum & Vngarorum, inter quos sint equites Germani vulgares 12000. Equites bombardis longioribus instructi, quos vocant Archibusios 5000. Vngarici equites 12000. Germanorum peditum sex legiones, quæ singulu harum 4000. militibus, seu 10. signis assignatis faciunt pedites 24000. Satellites deniq; Vngarici 7000. Iam pro stipendiis huius exercitus, & magistratuum illius, huiusmodi institutus est calculus. Primum ad mille equites Germanos vulgares (cõnumerata pecunia quæ in Ducis, Magistri Equitum, Præfecti impedimentorum & decurionum sustentationem, auctoramenta item & viaticum siue argentum, quo milites primum conducuntur, est expendenda) decreti sunt in menstruum tempus 17000. flor. Ita 12000. equites singulis mensibus sibi vẽdicant 204000. flor. Anno vertente 2448000 flor. Porro 100. Equites bombardis oblongis armati necessario requirunt 1400. flor. menstruos, qua ratione 5000. huiusmodi equitibus assignandi sunt 70000. flor. menstrui. 840000. flor. annui. Tertio quoniam Vngaricis equitibus quini floreni singulis mẽsibus sunt numerandi: Ideo mille equitibus, incluso simul chiliarchæ demenso, & tibicinum ac satellicis stipendiis duplicatis 6100. flor. menstrui sunt ascribendi. Hinc in 12000. Equites huius generis numerandi 73200. flor. menstrui, 878400. flor. annui. Quarto si legionibus singulis vna cum ducum demensis assignentur in singulos menses 30000. flor. sex illæ legiones poscent 180000 flor. menstruos: 2160000 flor. annuos. Deniq; Vngarici satellitis menstruum stipendium sunt bini thaleri. Hinc consummato peculiariter calculo, si connumerentur ducum demẽsa, Decurionum item Signiferorum & Tympanistarum stipendia duplicata, in copias 7000. satellitum deputandi fuerint 20620. flor. menstrui 2247200. flor. annui. Iam vero sumptus vniuersi, qui in totum exercitũ, quinis illis militum generibus distinctum, sunt erogandi, in vnum aggregatum colligantur, proueniet summa in singulos menses 547820 flor. in annum vertẽtem 6573840. flor. Præter has impensas summo belli Imperatori, eius legato, Tribuno, ac cæteris summorum Magistratuum administris & præfectis atq; speculatoribus: præterea machinis æneis, & ad harum curam destinatis, aliisq; rebus compluribus ad bellum necessariis, sui quoq; ascribendi sunt sumptus: qui si quam parcissime compũtẽtur, singulis mẽsibus 10000. flor. anno integro 1200000. aquabunt. Neq; tamen omnia quæ ad bellicorum tormentorum vsus pertinent, præcedenti calculo comprehenduntur. Sed præfecti solummodo ac curatores istorum, & iumenta trahendis istis destinata. Sin omnia sumptibus suis vere definiantur, cæteras belli expensas tertia parte assequentur.*

§. 7. Commeatum hoc modo describit. *In singulos equos dantur pabulo nocturno sex libræ fœni: & nouenis Equis tantum auenæ, quantum vulgare illud vas, tonnam vocant, in quo haleces condiuntur, capit. In singulos homines quotidie distribuuntur. Panis libræ 2. Carnis libræ 1½. Halec vnum. Cereuisiæ mensuræ 3. Per integram septimanam lardi libræ 2. Caseitotidem. Butyri totidem. Per totum mensem salis cyathus vnus. Hinc pro numero hominum instituenda foret annonæ supputatio, nam vt, quod diximus, exemplo clarum fiat: proposita sit quæstio, quantum alimenti menstrui requiratur in vnam militum cohortem, quæ vulgato more continet 300. capita. Hæ quæstio per regulam proportionum soluta, commeatus calculum huiusmodi producit.*

Trecentis militibus pro victu menstruo competunt: Panis libræ 18000. id est, 180 cẽtenarii. Carnis libræ 13500. id est, 135. cent. Lardi libræ 2400. id est, 24. cent. Caseilibræ totidem. Butyri totidem. Haleces 9000. Cereuisiæ mensuræ 27000. id est, 306. amphoræ cum 72. mensuris. Salis Cyathi 300.

§. 8. Commeatus in classem ex eodem supra c. de belli naualis ratione recensui. *Tabulæ Classis Daniæ 1567. fuerunt Succidiæ 20854. Carnium bubularum fumo duratarum frustæ 6040. Carnium otiillarum infumatarũ quartæ 11560. Anseres fumo durati 29000. Butyri lastæ 104 cum 4½. tonnis. Halecum lastæ 206½. Asellorum minorum lastæ 206½. Salparum siue merlucarum vehicula 5104. Esocis salitis lastæ 16. Anguillarum salitarum lastæ 16. Albicæ marinæ 16000. Pectines seu passeres marini siccati 32000. Asellorum longorum fasces 32. Asellorum maiorum siue Capitonum fasces 32. Auenæ humano cibo præparatæ lastæ 87. Eruiliorum lastæ 81½. Panum, cum his coctis, lastæ 1366. Cereuisiæ lastæ 4741½. Aceti lastæ 10. Salis Luneburgensis lastæ 24. Salis grossi peregrini lastæ 31.*

§. 9. Vt de vna naui, quo opus sit, intelligatur, legatur caput citatum de apparatu prætoriæ Danicæ.

§. 10. Hoc merito quæritum, an agendum regibus sit, vt sumptus belli minuantur, an vero augeantur. Ego quidem augeri malim; ne si paruo sumptu gerantur, facilius ac promptius indicantur. Consultum est humanæ naturæ, vt sine magno sumptu occidi homo non possit, vt si non parcat humanitas, homini, retrahat saltem auaritia.

CAPVT

CAPVT LV.

Missiones militum Romanorum non probandæ principi.

Tempus stipediorum.

§.1. LEgitima stipendia erant peditibus anni viginti, equitibus decem, intra illud tempus si quis militiæ se subduceret, aut mortis reus erat, aut cæsus vænibat: Ita Matienus desertor exercitus virgis diu cæsus sestertio nummo vænijt. Prætorianorũ stipendia reuocata sunt ad annum decimum sextum, nauticorum dilata in vigesimũ quintum. Hæc temporis longitudo, quæ multis visa est stabilisse militiam Romanam, magno detrimento fuit. Nam odiosam eam quam maxime efficiebat, multisq; viris fortibus, vt se ab ea redimerent, occasionem præbebat. Præterquam enim quod laboriosum erat & periculosum, viginti ipsos annos aut viginti quinq; varijs objici hostibus; ne iustum quidem esse poterat tot centenis millibus domi in theatro sedentibus, aut in agris suis secure agentibus, paucos perpetua militia affligi. Loquor de eis, qui nõ volones sed coacti & ex lege nomina sua dabant. Illa inæqualitas Remp. male constitutam exhibebat. Quid enim ipsos viginti annos ad Rhenum vel Istrum ciues relegari, à suis abesse, dum interim domi aluntur in ocio vrbani adolescentes? Verum neq; vtile erat Reip. dum enim alij tanto tempore bellis detinentur, cæteros imbelles euadere necesse est. Viris itaq; fortibus Respubl. destituebatur. Imo cum multi vicenis aut tricenis prælijs interessent, ciuitates oppugnarent, velitationibus dimicarent, fame, peste, fugâ minuerentur, pauci omnino emeriti erant, quiq; ad vicena stipendia peruenirent. Multo minus ad vicena quina; cum in classe plures moriantur. Illi autem etsi domũ redirent, laboribus fracti, aut mutili paupereque, & rei domesticæ ignari, parum præstare Reip. poterant. Hinc ab illis seditiones non raro. Suet. c. 49. *Quidquid autem vbiq; militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumq; formulam astrinxit definitis pro gradu cuiusque, & temporibus militiæ & commodis missionum: ne aut ætate, aut inopia post missionem sollicitari ad res nouas possent. Vtq; perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos eos prosequendosque suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit. Et quo celerius ac sub manum annuntiari cognosciquè posset, quid in prouincia quaq; gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, de hinc vehicula disposuit Commodius id visum est, vt qui à loco eidem perferrẽt literas, interrogari quoq;, si quid res exigerent, possent.* Quis dubitet pessime consultum vrbi & regno, in quo illi, qui vicenos annos militiam grauissimam tolerarunt inopia periclitantur.

Odiosa militia Romana.

Multi Romæ imbelles.

Seditiones ex diuturna militia.

Sumptus in commoda militum

§.2. Hinc commoda inuenta, vt in colonias ducerentur, & agri darentur, & simul pecunia. Verum graue est quoq; Reip. milites quos viginti annos stipẽdio aluisset, missos ditare. Statuamus enim singulis annis 4000. Veteranorũ mitti. singulis dari quina iugera, instrumẽtum rusticum, seruulum, duplum in Centuriones, triplum in equites conficiuntur 25000. iugerum, quæ si multis annis donentur, necesse est intra breue tempus omne solum ad milites redire. Nec vlla Resp. potest sine aliorum iniuria tantas largitiones facere. Hoc adeo experientia docuit, cum enim præmia illa repræsentare Resp. non posset exauctorabantur, & sub vexillis tenebantur, omnium immunes præterquam pugnæ in hostem. Tiberius auarus imperator rarissimas fecit missiones, ex senio mortem, ex morte compẽdium exspectans. Hinc iusta apud Tacitum querela: *quod tricena aut quadragena stipendia senes tolerent.* Nec possunt esse fortes, qui tam inuito dolentique animo militiam sequuntur.

Missionum auaritia.

§.3. Hinc factum, vt milites, cum se solos laborare, & in se vires imperij esse intelligerẽt, cæteros vmbram tantum, ius nominandi Imperatoris ipsi arrogarint, atque ad se fere opes omnium rapuerint. Vnde & illud: *Cole milites, cæteros contemne.*

Multo igitur æquius, tutiusq; Volones accipere, aut stipendiorum tempus minuere.

CAPVT LVI.

Inducias interponi & seruari oportere.

§.1. INduciæ pax est castrensis, vt Varro definit, & Gellius l.1.c.25. *Inducia non sunt pax: bellum n. manet, pax cessat, & inducias in de arbitramur dictas, quasi inde vti iam. Pactum inducirum n. huiusmodi est, vt in diem certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea vti iam omnia belli iure agantur. atq; Aurelius Opilius in 1. librorum, quos Musarum inscripsit inducias definiuit, cum hostes inter se vtring, vtroq; alteri ad alteros, impune & sine pugna ineunt, vt nomen factum videatur quasi intus & introitus.* A pace differunt, quia pax perpetua censetur; Induciæ quamuis longæ certo tempore definitæ sunt. Veientes à Romulo centum annorum impetrarunt. postea quadraginta. Liuius lib. 2. Isdigerdes quoque Persa tutor Theodosij Iunioris constitutus inducias centum annorum pepigit. Niceph. l.14.c.1.

§.2. Induciæ dolosæ ne fiant, vt necessitatem euadat alter qui in periculo est, sed alia via salus quæratur. Lysander perfide Thasiorum eos, qui Atheniensibus fauerant, cum impunitatem promisisset, occidit. Polyæn. l.1.

Improbe Corcyræi, & more gentis, cum enim Argiui se iudicio populi Athenien sis submisissent, ita tamen vt fœdus initum fieret, si fregissent, Corcyræi fugam suaserunt, quod timerent, ne nimis leuiter populus Athenien sis iudicaret, itaque quasi fœdifragi Corcyræis dediti, & omnes occisi sunt. Polyæn. l. 6. Luculli insignis in Lusitanos perfidia fuit, cũ velut amicos arma deponere persuasisset, tribus locis constitutos occidit. Non satis honeste factum à Sulla, Archelao, Hasdrubale, dum per mendacia & simulationem indiciarum euadunt.

§.3. Fiant iustis & æquis conditionibus. Conditiones optimas proposuit Amphipolitanis Brasidas Lacedæmonius, cum enim videret vinci difficulter ciuitatem posse; Athenien sibus abeundi facultatem, Amphipolitanis, si cum Lacedæmonijs societatem inirent, libertatem promisit, Polyæn. l.1.

Virtute & æqualitate potius ad ineunda pacta pacemque faciendam vtendum est. Scipio virtute Hispanos adduxit, reddita sponsa & pecunia, quæ pro eius redemptione dabatur. Eodem modo Alexander quoque gentes sibi integras adiunxit.

CAPVT LVII.

Præmia viris fortibus distribuenda.

§.1. FEcêre hoc Romani, si vlli vspiam hominum, Polybius. *Pulchre autem iuuenes excitant ac prouocant ad pericula subeunda. Cum enim occasio se dat, & aliqui eorum fortiter aut animose fecerunt, conuocans Imperator in concionem omnes copias, & circumponens sibi eos, qui auctores egregii facinoris, primum quidem laudes eorum ediderit, & super hoc facto, & si quid aliud in omni vita gesserunt, laude & memoria dignum. Post hæc ei quidem qui hostem percusserit, hastam donat; qui vero deiecerit & spoliauerit, peditì quidem Phialam, equiti Phaleras, olim autem hastam tantum. Ista vero consequitur non qui iusta acie aut vrbe expugna-*

tione percussérit aut spoliauerit hostem, sed qui in excursione aut velitatione aut tali tempore, in quo nulla necessitas fuerit viritim periclitandi, qui tunc inquam se sponte & vltro se eo dederint. Similiter & qui ciuem aut socium defenderit ac seruauerit, eum & Imperator donis honestat, & Tribuni cogunt seruatos (nisi id quidem vltro faciant) seruatorem suum coronare. Colit autem nunc, qui seruatus est, per omnem vitam, vt parentem, & omnia ei conferre ac deferre debet, vt si genuisset. Hac tali incitatione porro non solum præsentes & coram audientes prouocant ad certamen & æmulationem in periculis, sed & eos, qui domi hærent. Nam qui adepti eiusmodi dona, præter gloriam in exercitu & domi etiam famam; cum redierint in patriam ludosque pompasque conspicui ineunt. quoniam solis iis licet ornamenta hæc gestare & imponere, qui ab imperatore virtutis causa, donati sunt. In ædibus vero conspectissima earum parte, ponunt spolia, indicia & testimonia suæ virtutis. Itaque tali cura & diligentia cum circa præmia, tum circa pœnas in castris, merito etiam successus militiæ felices & illustres apud eos existunt.

Præmia precium habent & honorem.

Quod in omni Republica valet plurimum, præmium & pœna, id in militia pollet vniuersa. In his vero præmijs precium est & honos, Hæc autem numerantur.

Laudatio.

Primum præmium. Laudatio publica, impetratoria, stantibus in circuitu ducibus, Tribunis, Centurionibus, totoque exercitu, quæ ratio nunc in desuetudinem abijt, neque enim Christiani & cultiores æque ac rustica corda illis encomijs capiuntur. Cum ergo par esset periculum timido & forti, imo maius timido, semper maximum illis periculum est, qui maxime timent, Audacia pro muro. Honos insuper fortes incitabat.

Hasta.

Secundum. Hasta pura. Polyb. γαῖσον vocat δόρας ἀσίδηρον erat, *Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta?* Cur autem sine ferro? quia honoris ergo non pugnandi causa dabatur. Hoc præmium eius, qui hostem deiecerat.

Phaleræ, phiala.

Tertium. Qui deiecerit & spoliauerit, pedes phiala, eques phaleris donabatur. Lipsius pro phiala λάτον armillas legendum suspicatur. Phaleræ & armillæ & torques interdum iungebantur. Fallor, an & olim inde dicti Enacim, seu Torquati?

Vexillum.

Quartum. Vexilla. apud Suidam ὑφάσματα, quod textus etiam alios significare potest. Apud Vopiscum in Aureliano vexilla quatuor bicolora donata leguntur. Augustus Agrippæ post victoriam nauale cæruleum vexillum donavit. Tæniæ seu insignia adhuc gestantur à milite, & donantur honoris causa: quæ sæpe mutatæ hostem fallunt.

Corona.

Quintum, variæ coronæ. Ciuica, quæ dabatur ei, qui ciuem seruarat, hostem occiderat. Obsidionalis è gramine, cum exercitus obsidione liberatus. Muralis, qui murum, Castrensis, qui castra hostium primus ascenderat, ea etiam vallaris dicta. Naualis, qui primum nauim hostium inscendisset. Rostrata, qui nauale aliquod magnum decus peperisset. Ciuica è quercu, obsidionalis è gramine, aliæ ex auro. Et aliæ aureæ crebro dabantur, ob alia facta. Interdum integris manipulis ista data.

Boues.

Quintum boues. Ita Scipio Lælium donat, Corona aurea & triginta bubus.

§. 2. Valebant ea præmia non solum precio, & honore, quũ dabantur, sed in posterum etiam vtilia.

Militia honestior.

Nam primo gradum faciebant ad honestiorem, lucrosioremque militiam. Quod nunc omnino seruatur, nisi vbi militia est corrupta. Præmia erant in promotionibus ingentia. Veget. l. 2. c. 21. Alexander certantibus præmia magna dedit, nempe Chiliarchias. Alex. ab Alex. l. 1. c. 20.

In triumpho prælatæ

In triumpho præferebantur, & semper quidem. De Sicinio refert Valerius lib. 3. cap. 2. *Nouem triumphales imperatorum currus secutus, totius ciuitatis oculos in se numerosa donorum pompa conuertit. Præferebantur enim aureæ coronæ octo: Ciuicæ XIV. muralæ tres. Obsidionalis vna: torques CLXXXIII. armillæ CLX. Hastæ XVIII. phaleræ XXV. ornamenta etiam legioni, ne dum militi satis multa.*

In equitum transuectione.

Nec in triumpho modo, sed in equitum transuectione. Imo in periculo, vt Manlius Capitolinus facit. Liuius lib. 6. *Decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda, spolia hostium cæsorum ad XXX. dona imperatorum ad XL. in quibus insignes duas murales coronas, ciuicas octo. ad hæc seruatos ex hostibus ciues produxisse, inter quos C. Seruilium Magistrum equitum absentem nominatum, & cum ea quoque quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica facta dictis æquando memorasset: nudasse pectus insigne cicatricibus in bello acceptis: & identidem Capitolium spectans, louem Deosque alios deuocasse ad auxilium fortunarum suarum: precatusque esse, vt quam mentem sibi Capitolinam arcem protegenti ad salutem populi Romani dedissent, eam populo Romano in suo discrimine darent: & orasse singulos vniuersosque vt Capitolium arcemque intuentes, ad Deos immortales versi de se iudicarent.*

Ad magistratum aditum præstabãt.

Ad Magistratum quoque aditum faciebant. Liu. lib. 23. Senatus suppletur ex ijs, qui ædiles, Tribuni, quæstoresve fuerant, aut ciuicam coronam accepissent. Denique in ludis publicis conspecti donis suis considebant.

Nostris non insignia modo dantur, sed ex plebeis equites fiunt, insignibus & nobilitate donantur. Ad præmia pertinet etiam prædarum legitima distributio.

Prædarum distributio.

Præda diuiditur vtilissime æqualiter, vti moris erat apud Romanos. Dionysius l. 7. *Scitis omnes quod spolia & præda ex hostibus, quamcunque virtute nostrâ adipiscimur, eam lex iubet publicam omnem esse. Nec solum gregarius miles aut priuatus aliquis ius in hanc non habet, imo nec ipse imperator. Sed Quæstor eam accipiens diuendit, & pecuniam in ærarium publicum refert. Quam legem, ex quo vrbem hanc incolimus, nemo non dicam soluit, sed nec culpauit.* Lycurgus spoliare hostes vetuit, ne miles diteresceret, & pugnam omitteret. Incommode prorsus, quia stimulum pugnandi ademit. Et Polyb. l. 10. *Est Romanis mos eiusmodi & administratio in expugnationibus oppidorum. Alias enim singulis diebus diuidunt copias iuxta vrbis magnitudinem, alias per manipulos distribuunt. Sed sic, vt nunquam plus dimidia parte ad hanc rem adsumant. Reliqui in ordinibus suis manentes sunt in subsidiis, interdum extra vrbem, interdum in ipsa, ita vt semper tamen se ostendant. Copiæ vero plurimum diuisis in duas legiones Romanas, in duas alas sociales (raro enim omnes quattuor legiones simul conueniunt) omnes qui ad prædam & raptus destinati sunt, ferunt quisque ea quæ ceperint ad suas legiones vel alas. Quo facto tribuni æqualiter omnibus diuidunt, non solum iis qui in præsidiis aut subsidiis fuerunt, sed & qui castra seruauerunt: itemque ægris, sauciis, aut ad munus aliquod alio missis. Quod vero nihil fraudaturi sint aut subducturi è præda, id omnes iurant, cum primum in castra veniunt ituri ad bellum. qua de re pluribus dictum est à nobis in iis quæ de Republ. scripsimus. Cæterum cum sic dimidio militum pars ad prædam discurrit; dimidia seruatis ordinibus iis curat & subsidiatur; nunquam euenit periclitari Romanos de summa rerum. Spes enim lucri certa inter omnes, siue maneant, siue prædas agant, nemo locum ordinemque deserit. quæ res sæpe noxæ aliis solet esse.* Ciues & socij æqua sorte prædam partiebantur; Tum quidem factum, at postea mutatum, & cupidine prædæ miles incitatus est, nunc fieri aliter vix potest, cum tam diuersæ sunt in vno exercitu nationes.

Prædæ cupidine ordines non deseruerunt.

* *
*

CAPVT

CAPVT LVIII.

Pœnæ militares.

In militia paruis delictis magnæ pœnæ.

§. 1. IN militia, hoc est, viris, quos nulla pietas, aut iustitia, à scelere retrahit, coercendis, opus est, magna seueritate pœnarum: nisi enim timor adsit, omnia pessum eant necesse est.

Primum genus pœnæ multa erat, & vt daretur, pignoris capiendi potestas erat penes Tribunum. Polyb. Eadem quoque in hodiernis manet; quamuis vix expediat ea vti, quia pessimus quisque egentissimus est.

Fustes.

Secundum. Si vigilias neglexisset fuste cædebatur Polyb. *Ea pœna est talis. Fustem capiens Tribunus condemnatum leuiter tangit & delibat, quo facto, omnes qui in castris sunt ferientes alius fustibus, alius lapidibus, pleroſque in castris occidunt. Quod si quis euaserit, nec sic saluus erit. quomodo enim? cui nec in patriam reditus, nec quisquã è necessariis eum tecto receperit. Itaque planissime pereunt, quos ea calamitas attigit.*

Lapides.

Gladii.

Tertium. gladiis obijciebantur, sed illud raro. Tacit. ann. 1. *Stabant legiones pro concione districtis gladiis, reus in suggestu per Tribunum ostendebatur, si nocentem acclamauerant, præceps datus trucidabatur. & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolueret.* Nunc bombardis commilitonum petuntur, eaque mors honestior existimatur.

Bombardæ.

Militibus vero occidendi traduntur, vt inuidia sit penes eos, non Duces. Alexander quos per cruciatus enecari volebat, cohorti tradebat, vt cæteri crudelitate, fidem suam probarent.

Varij cruciatus.

Quartum supplicium. Macedones saxis obruebant. Curt. l. 6. *Omnes à Nicomacho nominati, more patrio, dato signo Saxis obruti sunt.*

Securis.

Quintum. Securi percussi, qui reliquerant ordinem. Liuius lib. 2. Appius Consul Centuriones, dupliciarioſque qui reliquerant ordinem, virgis cæsos securi percussit. Integra legio, quæ Rhegium occuparat, securi percussa est. Gladio nunc percutiuntur, virgæ vsitatæ in militia non sunt.

Virgæ.

Sextum. ad mitigandam pœnam mortis inuenta est sanguinis missio, quæ ignominæ causa fieri solita fuit. Agell. l. 10. c. 8. *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduersio, iubere ignominiæ causa militi venam solui, & sanguinem dimitti: Cuius rei ratio in Veteribus literis, quas equidem inuenire potui, non exstat: sed opinor factum hoc primitus in militibus stupentis animi, & à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna, quam medicina videretur. Postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem, quasi minus sani viderentur, omnes qui delinquerent.*

Vena solutio.

Alia quoque delicta sunt punita. Polyb. de hisce in hunc modum. *Oportet attendere & auscultare milites Tribunis, Tribunos Consulibus. Tamen & tribunus ius habet potensque est mulctandi, pignoris capiẽdi & verberandi. Idem in socios præfecti. Fuste autem percutitur, & is qui furto aliquid abstulit è castris; & qui falsum testimonium dixit, & qui in flore ætatis, corpore suo deprehenditur abusus, itemque qui ter ob eandem culpam mulctatus fuerit. Hæc talia vt crimina puniunt: At ignauiæ & militari probro adscribunt ista. Si qui falso aliquod strenuum factum suum referunt ad Tribunos, honoris præmiique causa. Si qui in præsidio aut statione positi, per metum deseruerunt locum. Si quis armorum aliquid abiecerit in ipso discrimine per metum. Eoque fit, vt quidam in præsidiis certo pereant, pluribus ingruentibus, dum locum verentur deserere metu huius pœnæ. Quidam etiam in ipso conflictu, & excusso scuto aut gladio, aliove ex armis, casu fortuito, iaciunt se ipsi in hostes, certi aut recuperare quod amiserint, aut occumbẽtes effugere manifestam ignominiam, & opprobria suorum.*

Opprobria.

Septimum. Sortito interdum ad pœnam vocantur. Polyb. *Quod si plures peccasse contingat, & manipulos aliquot simul locum deserere: omnes quidẽ fuste percutere aut occidere nolunt, modum autem rationemq; repererũt, & commodam pariter & terribilem. Exercitum enim aduocans Tribunus, & in medium noxiis productis, acriter eos incusat, & interdum quinq;, alias octo aut viginti, & vt semel dicam, ad multitudinem semper respiciẽs, vt decima fere pars delinquentium sit, hos ex omnibus ignauis sortitur: & in quos ea sors cecidit, sine vlla deprecatione, fuste percutit ad modum iam dictum. Reliquis hordeum pro tritico admetiens iubet extra vallum tendere & tutelam castrorum. Ita periculo & metu à sorte æqualiter omnibus impendente, & exemplo item dati hordei ad omnes perueniente plurimum ex eo more capitur & terroris & correctionis.* Decimatio erat illa, Romanis vsitata, quam aliquando in vicesimationem & centesimationem mutabant. Capitolinus in Macrino: *Cum seditiones militares pateretur, multo sapius decimauit, aliquando etiam centesimauit, quod verbum proprium ipsius est, quod se clementem diceret, quando eos centesimaret. qui digni essent decimatione.*

Decimatio.

Vicesimatio.

Centesimatio.

Octauum. Fuste à centurione percutiebantur seu vite, interdum grauiter, Catilina M. Marium inspectante populo Romano per totam vrbem vitibus cecidit. Nunc quoque fuste percuti mos est, non prisco tamen more.

Vitis.

Nonum. Virgis cædebantur, si vel capite puniendi, aut id meriti, mitiori pœna defungerentur.

Virgæ absq; morte.

Decimum. Hordeo pasci; Augustus cohortes, qui loco cessissent decimatos hordeo pauit. Suet. lib. 24. Non est illa in vsu pœna, vti nec decimatio.

Hordeum.

Vndecimum. Ære dirui, aus æs resignari militi dicebatur, cum scilicet stipendiũ negaretur, & anni nõ procedebant. Val. l. 2. c. 7. *Age, quam grauiter senatus tulit, quod Q. Petillium Consulem fortissime aduersus Ligures pugnantem occidere milites passi essent? Legioni enim neq; stipendium anni procedere, neq; æra dari voluit.*

Aere dirui.

Duodecimum. Extra vallum tendere. Liuius l. 10. etiam tentorijs destitui eos ostendit. Et Val. lib. 2. c. 7. *Decreuerunt ne quis eorum intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret, neue tentorium ex pellibus haberet. Rucursum autẽ ius ad pristinum militiæ ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset.*

Extra vallum tẽdere.

Tertium decimum. Discincti stare ante prætorium, aut in principio, aut fossam fodere iubebantur, tunica induti ad omnium ludibria. Iulianus Cæsar indutos veste muliebri per castra deduxit, ratus viris eam pœnam morte grauiorem futuram. Charondas qui arma pro patria non cepissent, in foro tres dies in vestibus muliebribus sedere iussit.

Discingi.

Vestes muliebres.

Decimum quartum pœnæ genus inter mediocria grauissimum, mutare militiæ genus. Equites ad pedites, pedites ad funditores reijciebantur. Liuius l. 25. Val. l. 2. Ammianus l. 24. & 25. & 29. Quod si aliqua in parte officio deessent, ad inferiorem militiam detrudebantur. Captiui à Pyrrho remissi, eques ad peditem, pedes ad velitem redacti, iussi extra vallum tendere, donec singuli bina hostium spolia tulissent. Postrema pœna in missos sub iugum ab Hannibale vsus est Otacilius. Domitius Corbulo virtute ignominiam redimere iussit.

Decimum quintum. Stantes cœnam capere, nam prandebant semper stantes. Nunc quoq; stare multas horas grauati magnis bombardis coguntur, si quid deliquerint.

Stantes cœnam capere

Decimum sextum. Pœna quoq; militaris erat hastam dare. Festus censio hastatia dicebatur, cum militi multæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret.

Hastam dare.

Decimum septimum. Inter impedimenta iter facere. Ammian. l. 25. ademptis signis hastisque diffractis, omnes eos, qui fugisse arguebãtur, inter impedimenta, & sarcinas & captiuos agere iter imposuit.

Inter impedimenta ambulare.

Extra oppida hybernare. Decimum octauum. Extra castra etiam & oppida hibernare cogebantur, Liu. l. 35. Val. l. 2. c. 7.

Linguæ abscissio. Decimum nonum. Apud Ægyptios lege sancita lingua illi abscindebatur, qui hostibus secreta consilia prodidisset.

Manus abscissio. Vicesimum. Manus interdum apud Romanos incidebantur. Ammian. l. 29. Liuius lib. 35. Imo & crura exsecabantur. Ammian. l. 23. Signa propria quisq; sequatur sciens, quod si remanserit vsquam exectis cruribus relinquetur.

Crux. Vicesimum primum. Pœna grauior erat aliquando, vt in crucem tollerentur. Liu. l. 30. Nominis Latini qui erant securi percussi Romani in crucem sublati sunt. Qui ad hostes transfugit, torquetur, & ad

Bestiæ. bestias damnatur.

Vicesimum secundum. Sepultura etiam priuati aliquando. Val. Max. l. 2. c. 7.

Ignis. Vicesimum tertium. Desertores exustos ait Ammian. lib. 29. Hortarius Tribunus exustus est, quod quædam hostibus perscripsisset. Ammian. loco cit. & l. 21. Qui barbaris prædandi facultatem dedissent, aut cum illis prædam diuisissent viui comburuntur.

Fumus. Vicesimum quartum. Auidius Cassius Imperator stipiti centum & viginti pedes longo à summo vsque ad imum reos alligabat, alios igne, alios fumo, nonnullos metu necabat.

Crates. Vicesimum quintum. Sub crate etiam necabantur. Liuius l. 4.

Sagittæ. Vicesimum sextum. Sagittis etiam conficiebantur, vt nunc bombardis. Inusitata hæc fuere.

Carpentum Vicesimum septimum. Macrinus Tribunum, qui excubias deseri passus fuit, carpento rotali super annexum trahi viuum & mortuum iussit.

Arbores. Vicesimum octauum. Aurelianus militem adulterum devexis duarum arborum capitibus per pedes alligauit, inde arboribus demissis subito, scissus ille vtrinque pependit. Vopisc. in Aurel.

Boues. Vicesimum nonum. Macrinus etiam milites duos, qui ancillæ hospitis pudorem violarant, bubus inclusit, abscissis iumentorum capitibus, vt facilius colloqui possent.

§. 2. Magnæ sæpe pœnæ fuêre, etiam vbi non magnæ culpæ; finis tamen erat disciplina. Vetus est Clearchi dictum: Imperatorem potius, quam hostem metuendum. Miles detrectans pugnam capite punitur. Caius Vatienus ne militaret sinistræ manus digitos abscidit, & bonorum publicatione punitus est. Traiani tempore pater qui filium bello inhabilem fecit deportatus est. Ammian. l. 15.

Bonorum publicatio.

Negatus conspectus parentum. Auidius Cassius iussit in crucem tolli centuriones, qui paucis militibus Sarmatarum tria millia incautius agentia occiderunt, suo iniussu; quia dicebat insidias subesse posse. Attilius Regulus exercitum fugientem cædi iussit. Cato misit relictum, qui soluta classe, tolli petebat, supplicio affecit. Valerio Cos. victus exercitus iussus est hyemem sub tentorijs agere. Titus Scaurus filium, quod loco cessisset in conspectum venire vetuit, is verecundia ignominiæ mortem sibi consciuit.

In periculũ remitti. Metellus Macedonius quinq; cohortes, quæ hostibus cesserant, testamentum facere iussis, ad locum recuperandum remisit, missatus non nisi post victoriam receptum iri. M. Curius legionem, quæ bellum detrectauerat, discinctam stramenta secare iussit, signa eius nomenque aboleuit, & pro supplemento in

Signorum abolitio. alias legiones transcripsit. L. Piso præfectum Cohortis cinctu togæ præciso, soluta tunica, nudis pedibus in principijs stare iussit quotidie, conuiuijs & balneis abstinere. Corbulo Æmilium Rufum equitum

Stare. præfectum scissa veste stare in principijs iussit.

Scissa veste. In vniuersum ipsa militia pœna erat, cum etiam sine necessitate laborare cogerentur. P. Nasica enim ne in ocio hybernorum miles deflueret, aut corrumperetur, classem ædificarij iussit.

CAPVT LIX.

Vetus militia cum nostra comparata, quoad arma.

§. 1. SCitum dignum & vtile est, non modo iucundum, an vetus militia cum nostra comparanda sit? Multi omnia vetera mirantur, nostra contemnunt. Alij media via incedunt, nonnulli veterem militiam præ nostra asperhantur. Quinque autem sunt, quæ in militia consideranda sunt. Nempe delectus, Ordo, Arma, Acies, disciplina. De delectu dixi, nostrum expeditiorem, & si cætera accedant optimorum esse militum, quia volonum. Etsi autem ex fœce hominum magna pars militum sit, multi tamen principes, comites, nobiles, diuitesque nomen militiæ dant, efficiuntque vt colluuies illa vulgi regatur, ordinesque, & disciplinam ferat. De ordine etiam nulla quæstio est; veteres suum; nostri nostrum habent, sed accuratum & ex parte meliorem, qui optimos initio collocant, & pressos non cedere sed à succurrentibus iuuari volunt. De armis igitur quæstio agitatur. *Honesta nostra militia.*

§. 2. Iustus Lipsius prudentissimus harum rerum æstimatur, valde ad priscos inclinat. Nostris bombardis opponit fundas, & iacula. Primo inquit plumbum liquefactum. Lucret. *Fundarum violentia.*

—— *Plumbea vero*
Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.

Ouidius. *Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum*
Funda iacit. volat illud, & incandescit eundo,
Et quos non habuit sub nubibus inuenit ignes.

Lucanus. *Inde faces & saxa volant, spatioq; soluta*
Aëris & calido liquefactæ pondere glandes.

Statius. —— *Arsuras cœli per inania glandes.*

Imo idem cum fulmine comparat:

——*Volucres imitantur fulgura glandes.*

Poëtis fortasse fidem non habes? Philosophus accedat noster Seneca: Aëra motus extenuat, & extenuatio accendit. Sic liquescit excussa glans funda, & attritum aëris velut igne distillat. Et tale in Aristotele alibi scriptum. Nec id tamen perdit vim teli, sed sic igneum veniebat in corpus.

Virgilius. *Et media aduersi liquefacto tempora plumbo*
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

Vno ictu ecce interficit. Nec miror de Dauide, qui iuuenis & inter funditores hoc telo immanem Goliathum deiecit. Atque vt semel & plene vim eius noris, accipe Diodori Siculi ista de Balearibus: βάλλουσι λίθους πολὺ μείζους τῶν ἄλλων, ὥστε ἐυτόνως, ὥςε δοκεῖν τὸ βληθὲν ἀπὸ τόξου καταπέλτου φέρεσθαι: *iaciunt lapides (scio enim & hos, nec solum plumbum funda missum) multo maiores quam alii, ita intente & robuste, vt videatur ictus à catapulta quapiam deferri. Cum tormento, vt vides, comparat; atque addit:* τὰς τε θυρεὸς, καὶ τὰ κράνη, καὶ πᾶν σκεπαστήριον ὅπλον συντρίβουσι. *Et scuta & galeas, & omne armorum tegumentum perfringunt. Nego, nego bombardis his nostris maiorem vim esse posse, fortasse nec tantam: excipio Musquetta, quæ vocant. Iam parte vna certo vincunt funda, quod multo longinquius ferantur & ladant. Quæ nostra bombarda vltra ducentos aut trecentos pedes tenerem & vim seruat: languescit, aut aberrat, si protendis. At fundæ telum ad sexcentos pedes vim pertulit & permisit, quod ita in Vegetio clare scriptum. Sagittarii vel funditores, inquit, scopas, hoc est fruticum vel graminum fasces pro signo ponebant, ita vt sexcentos pedes remouerentur à signo, vt sagittis vel certe lapidibus ex fustibalo destinatis signum sæpius tangerent. Iungit hic cum sagittis, & spatium vtrisque dat, quod dixi: at alii* *Fundæ maior vis quã bombardis.*

at alii ante sagittas etiam ponunt, & longius volunt permeare. In Strabone leges, μακροβολωτέραν τὴν σφενδόνην ἢ τόξυ: *longinquius iacere fundam, quam arcum. In Dione.* ὀι σφενδονῆται μακροτέρων τῶν τόξων ἱέντες, πάντα καὶ τὸν καλάφραχτον ἰσχυρῶς ἐλυμαίνοντο: *Funditores longius quam sagittarii iaculantes, omnes etiam cataphractos ladebant. Hoc ille in rebus M. Antonii contra Parthos: quos tamen bene armatos fuisse constat, & eosdem sagittis scientißime vsos. Sed præualebant tamen iis funda, quod & Xenophon diserte scribit in Græcorum suorum rebus;* μακρότερον γὰρ ὀὶ τοξόται τῶν περσῶν ἐσφενδόνων, καὶ τῶν πλησίον τοξοτῶν: *Longius enim Rhodii quã Persæ funditores eiaculabantur, atque adeo, quam plerique sagittariorum. Longe igitur iaculantur: an & certo? Omnes affirmant, præsertim de Balearibus, & ab infantia didicisse destinatos ißos ictus. Quin etiam in Bibliis sacris lectum: Habitatores Gabaa ad septingentos, sic fundis lapides ad certum iecisse, vt capillum quoq; possent percutere.*

Fundarum vim extollit; quia plumbum liquefit, quia tempora diuidit, & frangit scuta, galeasque fundæ lapis, ictu ad sexcentos pedes perfert. Certus etiam est ictus, Gabaonitæ enim etiam capillum tangere poterant.

Funde bombardis impares.

Mihi vires illæ magnæ videntur, sed nequaquam bombardis nostris pares. Nam plumbum liquescere, aut arundinem ardere, non est indicium summę violentiæ, sed magnæ; Aceſtes in auras iaculatur, & ostẽto est, quod euenit.

Namq; volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signauitq; viam flammis, tenuesq; recessit
Consumpta in ventos.

Nec tamen ferebatur arundo illa violentius quam tormẽta nostra murifrangibula, quorum globi viam non signant flammis, quamuis interdum adsint, quæ vti possint; Sed me, vt verum fatear, dubium res habet, de flamma, de liquefacto plumbo. Motus extenuat aërem calidumque reddit, sed tanta celeritate tam breuiculo tempore, tam vehementem oriri calorem posse, cum duro corpori non illidantur, difficile est intelligere. Et profecto in contrarium est experiẽtia. Qui funda sagittisq; feriuntur, vulnere non vstione læduntur. At vero si liquefacto plumbo tempora finduntur, necesse est, vt vrãtur, & nidorem exusta fundant. Si plumbũ liquefit, ẽt ferrum cum violentius è tormẽto mittitur, incandescat oportet; maior est n. vis contortæ phalaricæ, quam glandis ex funda. At ferrum non esse calidum docet experientia; nam scuta, vulneraq; infixũ vreret, ingentiq; dolore conficeret saucios, nunc vero nemo de ardore, sed de vulnere quæritur. Quin & illi, qui mosquettis vulnerantur, quamuis hæreat in viscẽribus plumbea pestis, non tñ exuruntur, & tamen ardentiores oportebat esse ignivomorum torm ẽtorum glandes. Non igitur præponi veterum debent armaturæ, quia tela igneſcũt; alioquin cum silicis scintillam excutimus, maiorem impetũ credere oporteret, quam cum tormentum emittitur. Alia igitur horũ causa effectuum quærenda est, quæmei instituti non est. Hoc satis est, ignitionem non esse signum summæ violentiæ. Melior est illius ratio ex illis quæ de scutorum fractione dicuntur. Sed nec tamẽ ex hisce præponi nostris tormentis debet. *Liquefacto tempora plumbo diuidit*, apud Virgilium fortis bellator, Et

Ignitio non est signum summæ violentiæ.

Vidimus horrendum membris, animisq; Goliam
Inualida cecidisse manu, puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Traiectamq; cauo penetrauit vulnere frontem.

Infixus est lapis in fronte philæstæi, sed si tormento vsus fuisset Dauid, totũ caput penetrasset ictus, lõgeque euectus alium quoq; vulnerasset obuiũ: Et merito, maiorẽ vim Mosquettis Lipsius cõcedit. Quod Theodorus Siculus, de Balearibus refert, nõ mirum si ærea munimenta, quæ contra pila & sagittas ferebantur, frangerẽt, cum essent lapides magni, & tegumenta non admodum munita, interim nego fractis integumentis corpora penetrasse, ictus frangebatur tegumentis: Fundæ itaq; corpora mediocriter tecta nõ penetrabãt, sed percutiebant, atq; ita vt iactus lapidum lædebant, crates & pallia & cortinæ tentoriorum opponebantur. Quod vero ad sexcentos pedes funda iacere dicit Veget. certum est, bombardas longius ictum perferre, & ictũ qui penetret Asserẽ vnius digiti funda non traijciet, At glans ferrea multos simul transibit. Constat autem funditores longius, quam sagittarios iaculari. Nam sagittas non procul perferre ictum satis ostendit Homericus Vlysses:

Funda vires.

Si arborem sclopo petas, haret: si funda, repellitur glans.

Δυεῖ ἀκοντίζω, ὅσον τ' ἄλλος περ ὀϊστῷ
Hasta vero iaculor, quantum non alius sagitta.

Certe nemo hastam ita iaculatur, vt tormenti spatium præteruolet. Scutum & Loricam aliquando pilum trãsibat, aut sagitta, sed crebrius hærebat. Vt aũt plane cernas, quantũ nostræ bombardæ sagittis præstent, duo considerãda sunt; primo pila & sagittas in scutis hæsisse, adeo vt crebro grauarent ferentem. At scuta illa ex tabellis, ex cratibus, ex corio erant, quæ omnia ludibria sunt, si ad nostrã militiam referãtur, minimi sclopi palmæ magnitudine ista penetrarent. Itaq; duas Romanorum legiones veteranas, ordine dispositas, suo more armatas facile Mosquettariorũ duo millia vincerẽt. Quod si equitem opponere illis libeat, decem millibus seu duabus legionibus mille cataphracti suffecerint, quia bombardarum globos Romana tegumẽta nõ sustinent, & intra teli iactum venire equites non est necesse. Quantæ vires sint bõbardarum nostratium, docet Bernard. Mendoza, p. 1. c. 52. *Præsentaui eo tempore tormentum noui generis suæ Maiestati, ex metallo fusum, cuius precium est quadraginta coronatorum, pondus triginta librarum, glans quam eiaculatur est vnius libræ, tanta autem violentia fertur, vt murum duos pedes geometricos longũ pertranseat, quod admirabile est, cum adeo leue sit instrumentum, & eius proportione globus sit grauis, deinde haud facile incandescit, quod magni faciendum est.* Hæc tormenta in classe vsui esse possunt, quamuis paruæ naues sint, nec vlla nauium latera tam fortia videntur, vt non perforent. Si plura iungantur, etiam muris frangendis vsurpari poterunt. Tanta vis bombardæ. Denique quacunq; vi fundâ glandem in arborem torqueas resilit, omnis bombardæ globus figitur: alio signo opus non est. Negantem pro scopo destituere licet. Nihil est violentius Petarto, quod paucos ante annos inuentum est. portas enim aufert & perrumpit. Et puluis incensus, montes & valla cum propugnaculis proijcit.

Duo millia vincerent dena millia Romanorũ.

§. 3. Hinc & illud conficio, Romana arma nõ esse repetenda, aut nostris miscenda, quod quidem contra quosdam scriptores omniũ ingenia Ducum præstantia tuentur, qui nec sagittas, nec iacula, nec pila curãt. Nã primo pilũ cum videatur, facile vitari põt; deinde vix vltra quadraginta passus iaci possunt pila, occidi ergo possũt pilani, anteq̃ nocere possint hosti.

Vetera arma non reducenda.

§. 4. Romana legio præterquam quod nocere nõ potest, etiam nuda est, si bombardarijs nostris opponatur, nullo ergo modo consistere possunt.

§. 5. In Romana Græcaq; militia robur corporum requirebatur, in nostris pleriſq; potius dexteritas, modo enim scite rotare ensem, tractare bombardam norint, cætera facile addiscunt.

§. 6. Scutum vetustæ militiæ munimentum erat præcipuum, itaq; ἀσπίζειν & ὑπερασπίζειν, scuto protegere, Græco prouerbio ad omnes defensionũ species refertur. At vero nunc scutum fieri non potest, q̃ fidum sit, & glandes ferreas Mosquettarũ, aut plumbeas auertat. Cum n. longitudo Scuti sit, vt totum hominem tegat se leuiter inclinantẽ, vt docet Lipsius l. 3. de militia Rom. cum longitudo itaq; sit quatuor

pedum, cum maius palmo excedat, Latitudo duorum pedum & semis, non potest tale scutum manu ferre miles hodierno tempore; quia opus est, vt quadruplo crassius sit, quam fuerit olim. Vel enim fit ex salice, ficu, tilia, betula, sambuco, populo, ex quibus scuta olim fiebant: Vel ex lignis duris, quercu, robore, cedro. Si ex mollioribus oportet pedis vnius crassitiem esse, vltra enim glans Mosquettæ penetrat, si ex robore grauius illud lignum erit, quam vt commode gestetur, rotetur & defendat. Quod si ex ære, ferrove clypeus fuerit, ea laminam crassitie esse necesse est, quæ vnam manum nimium grauet, parum vero grassa fuisse veterũ scuta ex eo facile colligimus, quod ex vimine sæpe conficiebantur, corijsque tegebantur, & grauia illa censebantur. Theocritus.

Scutum cõtra bombardas nimis graue foret.

Ἀχθόμενοι σακέεσσιν βραχίονας ἰτείνοισιν.
Grauati brachia scutis vimineis.

At ridiculum fuerit hos opponere armatos nostris bombardis.

§.7. Milites nostri communiter muniri contra ictus bombardarum nõ satis possunt. Veterum n. armatura inutilis est, penetratur n. facile, ea si firmior efficiatur in duplum, aut quadruplum, inutilis erit ob pondus. Hinc visum est, potius expeditos quam immobiles habere milites; Itaq; nostra militia vetere periculosior est, & cum olim totos interdũ dies pugnaretur, nunc celerrime prælia absoluuntur, quia nudi nudis concurrunt. Ideoque opus est animis in ea constantioribus.

Contra bõbardas vix est munitio.

§.8. Hinc facile vincunt, qui plurimos cataphractos equites habent, quia namque munimentis fidunt, audacissime perrumpunt omnia.

§.9. Deniq; hoc vnicum in nostra militia deplorandum est, ꝙ cum olim omnibus armis quibus vita petebatur, arma contraria inuenta fuerint, quibus corpora tegerentur; nunc vero tot annis post inuentas in hominis necem bombardas, nondum inuenta sit lorica aut scutum, ꝙ pugnantem & concurrentem tutari possit. Tanto in sui perniciem q̃ salutem est hominũ indoles ingeniosior. Quod si in mediocri pondere aliqua metallorum mistura impenetrabile scutum, aut loricam efficere aliquis regum posset; næ ille vno exercitu facile imperium orbis obtineret.

Tegi miles nunc satis nonpotest.

Caput LX.

Comparata disciplina militum nostrorum cum Romanis.

§.1. Iustus Lipsius in commendatione disciplinæ Romanæ apud eos ait. *Iustitiam, Castitatem, Innocentiam habitasse in castris.* Neq; ego negare possum, multa præclare apud eos fuisse. Sed nego vsum legum disciplinæq; multo fuisse nostræ meliorẽ; quasdam sunt exempla integritatis, sed plura nequitiæ, & vigor ille disciplinę crebro interpolatus est. De Iustitia militum non est quod disputetur; de priscis dictum est: *Ibi ius, vbi maxima merces.* Marius negabat in strepitu armorum se leges exaudire potuisse. Castitatem eorum multo minus intelligo, quibus scortationes liberæ erant; Mulieres quidem castris arcebantur Romanorum. Et posteri seruarunt: Frederici primi lex est,

Iniustitia in castris veterum.

Impuritas etiam maior.

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris,
Qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit
Turpiter & naso mutilabitur illa resecto.

Sed tamen grauius crimen apud Gentiles fuit. Scipio ad Numantiam duo millia scortorum è castris eiecit, sed idem Lipsius mulieres fuisse negat. Quorsum attinebat commendare castitatem, quæ nefando crimine sexum deturpabat?

Innocentia alia nequaquam magnopere commendanda, etiam integra Republica, supereſt.

§.2. Nostra itaque non contemnenda videntur, quæ tot habet milites timentes Deum. Sunt enim plurima historiarum monumenta etiam hodierni temporis. Inno centiæ hoc argumentum, quod apud Romanos plurimi occisi ab exercitu duces, id apud nostrates vix audiatur. Ordo nunc quoque non inferior, etsi forte sumptuosior.

§.3. Si leges legibus comparamus, non est dubiũ, quin nostræ sanctiores sint. Si mores moribus, ex legum obseruatione sunt nonnulla, in quibus vincimur, in plerisque vincimus. Quod illi qui laudatores sunt temporis acti, fastidiosi præsentium ridebunt. At ego, nisi fallor, cum Deo bono probabo.

Leges igitvr militares svnt.

I.

Ne blasphement, blasphemos puniant, iurentq; se vbi deliquerint, multam soluturos, anno 1530.

Verum tota militia Germanica descripta est anno 1570. factæque ab Imperatore & principibus constitutiones, quas ordine articulorum seruato in libri calce producam, vt certo appareat, nobis bonas leges nequaquam deesse, sed interdum legum vsum.

Primum Equites, posteaquam præmissis exercitationibus benè milites suos erudierint, omnesque & singulos qua succinctorijs, manicis, sagis, pectoralib. chirothecis, galeisq; ad muniendum, tegendumque commodis, quâ binis etiam sclopis minorib. ad manum expeditis instruxerint, cum ijsdem ad recensendum Exercitum eo loco & tempore, quo id à Nobis sacro Imperio indictum, constitutumque fuerit, accedunto, vbi post acceptum pro auctoramento Menstrui dimidium, tribus à delectu proximis mensibus, alijsque deinceps consequentibus, fidelem, constantemque operam suam, quo ad Nobis Imperioque fuerit necessaria collocanto.

II.

Priusquam Exercitus in expeditionem educatur, in singulis ipsis equos N. & in singulos currus N. Crucigeri dependuntor. Sueuero profectionis exordium pro eo, quo tenentur, sacramento conquisitoribus indicanto, & omni quidem die ad quatuor milliaria promouento, quanto tamen ad nonnullam capessendam quietem liceat consistere.

III.

Ita prodibunt ad armilustrium, delectum præstolaturi: qui si differatur longius, quot diebus interim pro equo N. crucigeri, præter impensam curruum, superadduntor.

IV.

Et quo illis expeditio sit expeditior, nulla difficultate implicata, omnium locorũ, ad quæ diuerterint, Magistratus tolerabilem taxam publicis hospitibus constituet, vt hi nimirum contenti N. crucigeris pro equite & equo, & N. cruc. pro curru & equis, maius pernoctationis precium, aut non exigant, aut exactionis suæ pœnas dent. non minus interim equites nostros modestiæ volumus ita esse memores, vt suprà moderatam, & decentem satis mensam nequid amplius desiderent,

V.

Ad initium profectionis Ductor Exercitus, equitumque Magister turmatim equitatum distribuunto, singulisq; turmis Decurionem aut certum hominem præficiunto, cuius alterutrius nomen in omnib. locis, quacunq; proficiscentur, edici & adnotari curabunt, ex quo innotescat, si ob illatam vim ab equitibus, vel noxam indigenis depositæ fuerint querelę, in quem, pro genere delicti, vel corporis supplicio, vel stipendij diminutione vindicandum sit, vt illi, qui accepit, damnum infectum reddatur.

VI.

Equitibus post habitum delectum, mensis vnius stipen-

stipendium repræsentabitur, nempe & N. floreni, idque in singulos equos delectum probatis. Itemq; pro curru, impedimentis, decuriæ magistro, aliisque necessitatibus, vt ex pactis conuentis constat.

VII.

Vnà cum delectu protinus mensis meritorius inchoator, triginta dierum decursu complendus: Et, siue breui, siue longo tempore post, quo desinerent esse necessarij, à Nobis sacroue Imperio dimitterentur.

VIII.

A primo delectu, cui quemlibet cum suis paratum interesse volumus, postuenientibus neque secundus concedetur, neq; Nos aut Imperium quicquam debeb mus, nisi sicui ex illis manifestam moram coniugii impedimenta creauerint: quod si quispiam conscriptorum equitum, plures, quam ipsi præscriptus aut permissus numerus patiatur, quos nihilominus æquè atq; alios sustentari vellet, adducturus esset, intelligat is, nullo Nos sibi nomine obstrictos, nullo Imperium obligatum fore.

IX.

Si post recensitum exercitum intra vel ante trimestre spatium finitum primo alteroue mense, de quo perinde dies pauciores pluresq; defluxerint, eos tanquam superuacaneos Nos aut Imperium dimissuri essemus, trimestre quidem stipendium integrè illis persoluetur, computato tamen decessu: cuius è contrario peculiaris habenda erit ratio, si tertii mensis quolibet tempore missio detur.

X.

Quantum quisque à definito iugalium equorum numero abfuerit in delectu, tantum ei à commissariis de pecunia detrahetur. Defectum verò in huiusmodi equis omnem ipsorum erit supplere, siue fatiscentes vires deficerent, siue fractos vita relinqueret: ii tamen, qui ab hoste ceciderint, toto mense pro integris sospitibusque censebuntur, postmodum per alios omni vitio carentes restituendi.

XI.

Si quod belli fatum flagitaret currus equitum, eo præsertim tempore, quo ipsis sine notabili damno cauerent, eos libenter submittendo communi necessitati parento. XII.

Nemo lustratum opprobatumque cursorium equum curruì iungat, nisi necessitas postulet, & in id consensum conscius Magister præstet, ad quem non nisi permagno rei momento impelletur.

XIII.

Vnusquisq; Magistrorum sub suo vexillo plus minus 300. ducito, pro arbitrio & moderamine conquisitorum & Ducum.

XIV.

Magistro Turmę in mensem pro equo probato per delectum florenus soluetur.

XV.

Singulis quinquagenariis suus præficiatur Decurio, cuius erunt 25. floreni stipendium: Iterum 12. equis vnus adiungatur sarcinarius, & in hunc sex floreni impendantur; Legato autem 32. signifero 24. binis tubicinibus singulis, sicut & vni scribæ, vni tonsori, vni Mensori, singulis 12. supra stipendium, vni præterea scloporum artifici 12. vni Ephippiorum 6. vni vngularum 12. supra stipendium, etiam duobus satellitibus, si præsto fuerint in delectu, singulis 8. ac tandem vni sacrorum Ministro aut concionatori, si eius copia fuerit, 24. floreni annumerantor.

XVI.

Etsi Decanis ideo attribuitur, vt equitatum totum, eiusque Ductores militari disciplina & ordine informent, quia tamen eiusmodi peculium sibi hactenus nonnunquam Magistri reseruarunt, ac proinde certis decurionibus caruerunt, quos obseruarent equites, ad certa loca & stationes emittendi, hinc sæpius confusiones & turbæ extiterunt. Quare vt hæ imposterum caueantur, curanto Magistri, vt æqualiter sui vexilli Decurionib. distribuãt, eosq; singulos singulis quinquagenariis certis nominib. declarẽt, vt singulis decuriis cõstare possit, quẽ sequi debeant, quandocunq; ad quæcunq; loca seu stationes mittendæ fuerint. XVII.

Quicquid præterea Principes exercitus, equitumque Magistri acceperint in ordinum Ductores, Equitesque gregarios dispertiendum, nominatim, & bona fide distribuunto, secus si egerint, censuram examinis, & pœnam subeunto.

XVIII.

Quilibet Decurio vna cum quinquaginta sibi demandatis ex ordine, quo fuerint in libello delectus adscripti, dum lustratur miles, transeunto.

XIX.

In quibusuis profectionibus, in pabulationibus, aliasque, vbi necessarium fuerit, curiosè Decuriones obseruent, quos suæ curæ & custodiæ commissos habent, vt hac ratione facilius in postulatos reos inquiri, & animaduerti possit.

XX.

Quoniam longè porrectę series rei militari ex multis causis oneri sunt, & efficiunt, nulli equitum Magistro plures equi, quam 12. nulli Nobili plures, quam 6. aut 8. nulli etiam comiti, aut Domino supra decem duodecimue assignantor, nisi quis ex his opibus & authoritate potentior, maiori numero benè instructus, & ab omni re paratus ad delectum appareret, cui proinde plures concedere poterunt conquisitores. XXI.

Neque Duces, neque Magistri Equitum ferant, vt plures in vnum ordinem coeuntes prætexto vnius nomine, sed singuli eo loco & ordine, quem in catalogo suis nominibus & cognominibus annotatis, equisque adscriptis tenent, vt in delectu transeant, curanto. XXII.

Inter hos Equites Dominis, aut Nobilibus, qui quatuor tantum aut tribus merentur equis, nullo liceat famulo vti, iis verò, qui equos quinq; vel sex ducunt, vnius tantummodo copia esto, etiamsi senariũ numerum excesserint, duodenarium tamen non attigerint, quem si qui perfectè impleuerint, duorum famulorum potestatem habento.

XXII.

Quiuis aut Herus, aut Nobilis, qui sex aut pluribus militat equis, vnum de suis instituito, qui longiori sclopeto instructus illud peritè in hostẽ agere possit, quippe compertũ habemus, huiusmodi sclopum tam è re militari esse, quam ipsi Equitatũi plurimum commodare. XXIV.

Juxta has constitutiones Princeps exercitus, equitumq; Magistri nullum equitem in numerum cõscriptorum, aut in delectum, eiusque libellum venire sinant, si non ipse Dominus præstò in campo adsit, neque equos sub alieno nomine, quod mentiuntur, & persona, ad quam non pertinent, transire permittant.

XXV.

Quandoquidem & his temporibus is incessit mos, vt Nobiles viri quidam, cum suos equos vexillo cuiquam subiecerint, ipsimet vnà cũ vno alteroue cursorio, quem reliquum habere se prætẽdunt, viuere liberè, & nemini subiecti esse velint, quæ res pro eo, q; huiusmodi homines nulli alteri, quã animo suo, voluntatiq; morem gerant, inæqualitates parere, & quà rebellione, quà confusione militarẽ disciplinam, adeoq; ipsa prælia turbare solet. Idcirco Magistri nulli Domino, aut Nobili viro inter suos locũ relinquant, qui non peræquè, atq; alii, catalogo adscriptus, & iisdem obedientiæ legibus teneatur alligatus.

XXVI.

Magistri, quantum fieri poterit, suos Equites à Nobilibus, non gregarijs militibus conquirere & colligere studebunt. Porro ijs in delectu ne prolixi ordines, nisi forte solum veteranis emeritis, exploratæque virtutis militibus, ita eorundem singulariter intercedente Magistro, pauci equi, quot nimirum conquisitori visum fuerit, approbantor.

XXVII.

Singuli Domini, Nobilesque ita suos vestiant, vt à digressu domus & corpora sint à frigore, iniuriisque alijs cœli immunia, & sclopi sua quoque tegumenta habeant.

XXVIII.

Quilibet item Dominus, aut Nobilis ita suos constituito, vt operam suam addicant ad finem vsq; præfiniti temporis locandam, atque adeò Nobis sacroue Imperio, quoad vsus postulauerit, obnoxiam. Nequis verò ex illis, qui stipendiantur, à Domino suo missionem, durante adhuc militia, vel exigito vel elicito, siue sub ineuntis anni principium, siue sub circumacti extremum: sed omnes constantes permanento, neque interim, dum manent, auctius stipendium solicitanto, qui autem desertores militię, inuito Domino, sine missione vel honesta vel causaria discesserint, si deprehensi fuerint, ad supplicium deduntor, si fuga euaserint, publicè periuri proclamantor, quò nomine infames vbique habebuntur, nec vspiam tolerabuntur.

XXIX.

Nemo Domino petulanter insultet, nemo se refractarium exhibeat: eidem verò sclopum gladiumue intentare, res capitis esto.

XXX.

Nemo quempiam militum seu famulorum auertat alteri; quod si quis iniquo animo, vel alicuius delicti manifestus discederet à suo Domino, vel dimitteretur, eundem ne alius Dominus aut Nobilis, qui eandem expeditionem sequitur, suscipito, nisi ratum id fuerit priori Domino.

XXXI.

E contrario etiam hi in tractandis famulis suis & modum custodiant, & æquum colant: Secus si actum fuerit, accensis vtrinque per dissidia & querelas animis, in eam rem Magistri Equitum, aut Ducis exercitus erit, diligẽter inquirere, qui si nec ipsi litem componere potuerint, reijcienda ea erit ad arbitrium tribuni Militum, qui audita vtraque parte, & expensa pro veritate & æquitate, causam æstimabit.

XXXII.

Nemo Ductorum, aut Magistrorum vnum, pluresue equites Sacramento absoluat, aut discedendi potestatem faciat, insciente & non volente Archistratego, neque nouos aduenientes equites suscipere, vexillisque submittere audeat.

XXXIII.

Si qui vnus aut plures de equitatu ægrescerent, vel etiam in honestis negocijs Ductoris sui mandato susceptis ab hoste captiui ducerentur, ij quot mensibus, dum campos tenet exercitus, pro sanis & integris habebuntur, sed & eorum equi & armatura quauis lustratione producentur.

XXXIV.

Sicui de equitibus, equus aut famulus ab hoste ceciderit, vel alio belli manifesto infortunio caducus interierit, is, nisi substituat alium intra vnum, vel summum duos menses, posteaquam resciuerit commissarius, de amisso stipendium deinceps ne expectato.

XXXV.

Nemo, qui & fidem Sacramenti, quo se Nobis & S. Imperio adstrinxit, & suum honorem tueri volet, vel in armilustrio vel extra illud, vllum equitem, equum, armaturam, aliaque bello necessaria ab altero accipiat, vel alteri det mutuo, verum singuli ex omni parte diligenter se, & sufficienter muniant ipsos, parati prodire & inire vigilias ijsdem armis, quibuscum ad lustrationem comparuerunt. Huius autem constitutionis quicunque improuidus aut negligens fuerit, stipendio multator.

XXXVI.

Nulli, exemptis Magistri equitum 12. & Signiferi 6. equis, præter hos excubitus immunitas detur.

XXXVII.

Ductores & Magistri equitum diligenti animo & curaseria in id incumbant, in disponendis agminibus, vt equites, iuxta delectus libellum, & equos, & omnem apparatum perfectum, expletumq; suis numeris & partibus circum vexilla exhibeant.

XXXVIII.

Ductores & Magistri equitum, quotiescunque ad eos Commissarij venerint, vexilla seperatim singula inspecturi, vnum ab altero seorsim proponi, & singulorum numerum iniri patiuntor. quod si tum in aliquo vexillo notabilis, aut in numero suspectus occurrerit defectus, anquirendum erit in equites, tum vt rei ratio, & origo defectus constet, tum vt imposterum necessaria cura adhibeatur, ne qua fraude facta vel per exiguam imminutionem persoluto à Nobis numero Nos aut Imperium frustremur. Quocirca & volumus Ductores cum Magistris equitum omnibus lustrationibus interesse, & semper adesse conquisitoribus, qua possunt ope, subsidio, & adiumento, quo non solum illi res sibi mandatas ritè exequantur, sed & Nobis Imperioque fideliterque constanterque seruiatur.

XXXIX.

Dux, & quos subiectos habet, Magistri equitum, Ordinum Ductores, & Equites obseruanto Nos inprimis, supremũq; à nobis constitutum Legatum, militumque Tribunum, tum deinde sibi præposita Capita, quorum nutum ad omnes casus euentusque rerum fide debita, & obedientia præstolantor, parati diu noctuque, plenis aut semiplenis vexillis turmisque, quaque vniuersim, quaque sigillatim, prout res ipsa, vel nostrum nostrique Legati mandatum exiget, inferre se campo, locari in præsidiis, agere excubias, pabulationes, deductiones, insuper citra superiorum licentiam neque cum vexillis, turmis, aliterque ex ordine migrent aut castris, neque impedimenta vlla dimittant, neque etiam in vsu gradum cum hoste conferant, verum singuli ibidem persistunto, quò loci ab Archistratego, aut Ductore seu Magistro suo dirigentur, quibus proinde omnibus locis & temporibus, pro eo, quod veros milites decet, quodque ij si Ducibus & Capitibus suis iure, tum etiam vi harum constitutionum debent, morem gerunto.

XL.

Dictus item Militum Præfectus, eiusque Magistri equitum, ordinum Ductores, atque Equites, quantum curæ gerunt tum de generis sui, ordinisq; Equestris dignitate sustinenda, tum & de fide, qua se Nobis & Imperio adstrinxerunt, reddenda, tantum etiam faciunto, vt antiquitùs laudatum Equestre ius summo studio & diligentia constituatur, firmetur, proponatur, cui tanquam perfectæ Justitiæ regulæ subijciant se omnes, ac pareant, atque etiam iudicia & pœnas ferant delictorum, iuxta hasce constitutiones, Decreta Cæsarea, & laudabilem ad nos translatam belli consuetudinem.

XLI.

Nos D. G. Romanorum Imperator pro Cæsarea potestate, & Maiestate, tum ex authoritate officij nostri,

stri, tum consensu electorum Principum, generalium statuum, absentium consiliariorum, Legatorumque volumus ista equestria iura iam inde antiquitus magna cum laude vsurpata, in pristinum vigorem restitui, & conseruari, confirmantes insuper, & consultò præcipientes, vt, quicquid intra fines imperij, vel extra sub exterorum Dynastarum dominio, ritè legitimeque, iuxta sancitas constitutiones, non solum à Nobis, Imp. Roman. in aula nostra, in expeditionibus & præsidiis nostris, verum etiam per totũ imperium, perque omnes ditiones nostras hæreditarias ratum, firmum, & perpetuum habeatur, irrefragabiliter prosequendum, perficiendumque.

XLII.

Omnia, quæ pro iudicio equestri vbiq; locorum, quoadusq; duraverit expeditio, tractabuntur & decernentur, libro seu volumini, quò belli Acta referũtur, commendantor, vnde, posteaquam bellum sibi finem inuenerit, bina exempla describantur, vel Tribuni militum, si is præsens adfuerit, vel Ducis sigillo munienda. XLIII.

Et quoniam aliquot abhinc annis in germanicas copias irrepserunt inobedientiæ, & confusiones variæ, atq; liberior quædam efferatiorq; viuendi agendiq; ratio, quam à Maioribus non hauserunt (quippe qui præ ceteris nationibus & virtutis & probitatis palmam tulerunt, & disciplinæ militaris obseruantia inprimis clari fuerunt) ideò, vt posthac non solum ab his malis præcaueatur, sed & Christiana Pietas, Bonus ordo, Iustitia & obedientia, quibus hominum salus & incolumitas nititur, pristinum vigorem & indies maius incrementum recipiant, Equites omnem deinceps vitæ licẽtiam fræno rationis rectæ coërcento, sed inprimis à blasphemiis se, contemptuque diuini verbi abstinento, neque cuiquam molestiam aut vim inferunto, neque etiam cum impudicis mulieribus se aut castra sequentibus vllum commercium habento; si quæ tamen fœminæ adfuerint turpis notæ expertes, quarum honesta opera tum ad ægrotorum ministerium, tum lotiones, aliaq; citra iacturam honestatis conducitur & vsurpatur, eæ cum consensu Ductorum tolerari poterunt.

XLIV.

In id etiam Duces, Magistri, Præfectiq; pro ea curà, qua proprium honorem defendere, & fidem datam liberare sollicitantur, diligentissimè incumbunto, vt inprimis ipsi vitæ piè christianeque instituendæ studiosi, tum & acres iustitiæ, pauperumq; defensores, potius exempla & incitamenta præbeant suis equitibus ad imitandum bonum, quam vt ad malum eos moribus suis inuitent.

XLV.

Et Domini & Nobiles quiuis vnà cum suis diebus Dominicis, & aliàs quotiescunq; ad id signum dabitur buccina, vocati in concionem veniunto, diuinoq; officio intersunto. Quod si quis interim in comessationibus, tabernis, aliisq; leuitatis nota suspectis locis deprehenderetur, pœna afficitor, eo tamen discrimine, vt seruus compedibus illigatus attineatur carcere, nisi pro ratione delicti videatur alius puniendi modus; Dominus verò si fuerit, postulatus à Magistro suo, aut Ductore, dictis acriter castigetur primũ, tum deinde, si parum emendationis aut nihil ostenderit, castrorum Præfecto iudici sistatur reus, ad extremum etiam interminando illi equestria iura, quorum vno ac perpetuo tenore, siquidem per manifestam improbitatem sceleribus & flagitiis vitam deinceps impẽsurus, esset ad statuendum aliis exemplum exauthoratione puniendus.

XLVI.

Præterea vi harum constitutionum nemo Præfectorum annonæ, dum sacra peraguntur, & cõcio habetur, vinum, cereuisiam, aut simile quid promat, diuendatq;. XLVII.

Grauis item in publicè blasphemãtes animaduersio esto, & omnes, qui sacrum Dei nomen deliberata voluntate violauerint, cum ignominia morte multantor. XLVIII.

Cum turpis ebrioſitas apud Germanos, præsertim belli, adeo inualuerit, vt belluino more computandi nihil sibi prius, nihilq; potius ducant, quo proinde vitio gens tota non solum se in contemptum apud alios, & infamiam adducit, sed & parum felices rei militari, victoriæq; successus conciliare solent, idcirco Ducibus, Magistris, Præfectis, Dominis, Nobilibus, & Equitibus iuxta cõstitutiones has nostras seriò demandamus, vt & ipsi hanc animæ labem eluere, ebrietatique modum apponere satagant, & inprimis famulos suos huic vitio affines esse ne patiantur.

XLIX.

Si quis ex iis, qui in officiis sunt, ebrietati notaretur vsque adeò deditus, vt officium suum curare & explere quantum satis est, non posset, ei per castrorum Præfectum, & Ducem suum munus eripitor, & alteri digniori, qui magis sobrius sit, delegator. His autem neq; quisquam se opponito, sicq; quisquam illius causæ patrocinium defensionemque suscipito, ira vetante hac constitutione, & proprio, cuiusq;, quo tenetur, Sacramento.

L.

A castrorum Præfecto, Duce, & Iudicio Equestri in omni delicto, quod à Dominis, Nobilibus, famulis summis seu infimis viris commissum fuerit accusatione dignum, nomen ebrietatis ad facti excusationem, pœnæue releuationem nec affertor, nec approbator, imò hoc acrius & grauius iudicium pronunciator, pœnaque duplicata reus condemnator.

LI.

Qui ex ebrietate improuidus, aut temulento sopore profligatus, periculum ab hoste impendens neglexerit, supplicium dato.

LII.

Si qui de equitatu seu equitũ famulitio vsq; adeò se vino ingurgitarent, vt rationis impotes deprehenderentur, è vestigio carceri & vinculis mancipentur, neque absque consensu Ducis aut Magistri sui soluantur. His verò etiam arbitrarium esto, eosdem re cognita punire, & pœnam refugientes equestri iudicio relinquere. LIII.

Quicunque castrorum Præfecto, Tribunoue militum manus armatas iniecerint, aut quouis alio modo sese Ducibus suis, Magistris, vigiliarum præfractis, ordinum Ductoribus, præsertim in rebus, quas ipsi ex officio iniuncturi sunt, opposuerint, ij iuxta decretum iuris equestris, supplicio corporis, iactura honorum & bonorum luunto.

XIV.

Qui siue contemptu siue contumelioso verbo superiorum authoritatem contemerarit, equestri iudicio sistetur, pro re ei grauitate puniendus.

LV.

Qui contra Archistrategum aliosque superiores sibi constitutos seditionem conciuerit, arcessitus iudicio capitis pœnas expendito.

LVI.

In castris, tum quoad conuocationes & denuntiationes, tum quoad indicta & interdicta, omnes se ad iustitiæ, & castrensis disciplinæ rationes, prout debent, accommodanto & fingunto.

LVII.

Nemo iustitiæ executoribus, vti Præfectis rerum capitalium, seditionũ quæsitoribus, eorũq; Administris, aut Adiunctis quocũq; titulo insignitis, vel manum inferat, vel per vim seu per imprudentiam aduersẽ-

uersetur, vel vllum impedimentum obijciat, quo minus suum munus exequantur: quin potius eosdem contrà violatores tueri, & ab omni iniuria & vi asserere omnes adnituntor, omnia intelligendo sub pœna capitis.

LVIII.

Si quis equitum in castris, aut alibi, quicquam inaudierit, intellexeritque, quod nobis, sacro imperio, militiæ, aut nostris, aut imperij prouinciis, populisque damno, aut impedimento esse posset, aut suspectos viderit, scieritue, continuo magistro suo equitum, aut si grauitas negocij ita postulet, duci ipsi indicabit. Quod si vnus, alterue id non fecerint, ille, illiue, re compertâ, vti auctores culpæ, capite aut fortunis, sine veniâ luent.

LIX.

Et ordinum structores, & gregarij Equites diligenter curanto, vt agmina recto & perpetuo ordine proficiscantur, nemo ante vexilla volitet aut vagetur, sed in primis ne quis se impedimẽtis aut curribus immisceat, aut maturius exiens castris suum anteuertat vexillum. Sic enim bonus eques æstimare debet, qui æqui amans & honesti videri cupit, non solum ad sese, verũ etiam ad commilitones suos spectare, vt nõ alio loco, quam ad suum, cui est adlectus, vexillum præsens compareat, ac proinde caueat, tum per se, tum per suos famulos vaga equitatione dissijci ordinem, à quo nullo modo, nullaue de causa inscio Duce vel Magistro discedendum erit. Secus si fiat, pœna incurratur, pro arbitrio Tribuni, vel penes iudicium equestre.

LX.

Nemo quoq; citrà licentiam à Nobis, Legato nostro, eiusque subordinatis Ductoribus & officialibus acceptam vno pluriue equis à castris, vexilloue discedat; aut pabulatum egressus noctem emaneat. Secus qui fecerit, pro iudicio Marischalci & Ducis, atq; etiam tenore Juris Equestris multator.

LXI.

Qui stationem suam in campo citra consensum & veniam Ducis deseruerit, præter equestre iudicium, quod Marischalcus in ipsum tanquam perfugam & desertorem pronuntiabit, liberam quoque omnibus equorum, armorum, rerum denique omnium, quas penes se habuerit, direptionem sustineto.

LXII.

Quisquis ad hostes defecerit, turpi transfugii nota infamis à Marischalco & Equestri iudicio publice proclamator & declarator.

LXIII.

Qui relicto vexillo vel occultam vel apertam fugam molitus fuerit, ignominia & morte multator: si quis vero alius fugientem eodem & loci & temporis vestigio represserit sclopo vel ense, id ei ne crimini detur, quin potius meriti loco habeatur.

LXIV.

Absque Imperatoris Licentia neq; Tubicinem ad hostem ableganto, neque ab eo missum recipiunto, neque vllo siue negociorum, siue sermonis, siue litterarum commercio cum illo communicanto. Si quis vero ab hoste nuntii vel litterarum aliquid acceperit, rem suum Ductorem Magistrumque ne celato, sed protinus per illum litteras clausas, & tectas, nullique cognitas ad Imperatorem deferri curato.

LXV.

Nemini, qui hostium partes sequitur, vir sit aut fœmina, iuuenis aut senex, per excubias siue ingressus in castra, siue egressus inde pateat liber, quin, si notetur, ab excubitoribus intercipiatur, & ad quempiam ex Ducibus, aut supremum exercitus Principem adducatur.

LXVI.

Nemo in profectionibus & stationibus, nemo erectis iam & volitantibus bono ordine vexillis, nemo etiam apud collocatas excubias in alterum manus armatas intendito, aut pugnam singularem cum quopiam gerito. Facti reus protinus ab ordinum ductoribus præsentibus Marischalco captiuus tradatur, aut careeri mancipetur, mox iudicio sistendus, & capite pœnas daturus.

LXVII.

Nemo quenquam intra extraue castra, sclopo, aliisque lethiferis armis à tergo aggrediatur, inuadatue: nemo alterum ad equestre duellum prouocato, aliaue ratione violato, sub pœna Equestri iure constituta.

LXVIII.

Qui alterum in tentorio suo, vel hospitio petulanti audacia obruerit, & violauerit, summam pœnam, & equestris iudicii rigorem incurrito.

LXIX.

Qui equos aut iumenta diripuerit aratris, quique molendina, furnos, & similia in vsum communem reip. structa, siue amicorum ea fuerint, siue inimicorum, destruxerint aut confregerint sine licentia, quique vina, fruges, aut farinam effuderint, perdiderint, aliudue damnum ad libidinem intulerint, corpore multantor.

LXX.

Omnes caueant decrepitæ iam ætatis homines, sacerdotes, concionatores, fœminasque, quando inermes inueniuntur, sicut & infantes neci dare, sub pœna capitis.

LXXI.

Nullus priuatus aduersus alterum, nulla natio qualiscunque aut cohors militum, siue peditum, siue equitum, contra aliam vel conspirato, vel turbas cieto, vel gentem suam implorato, sub pœna capitis.

LXXII.

Nemo sclopum exonerando, cantus, clamoresq; tollendo, aliisque modis excubias inquietas reddat, qui fecerit, impunè ne ferat.

LXXIII.

Nemo simultates antiquas, & inueterata odia gerat tam in campo, quam in præsidiis, neque vltionem attentet, sed si qua ipsi cum alio litigiosa ratio intercedat, eam vel differat, vsque dum militiæ finis imponatur, vel per Marischalcum aut Officiales componi curet, vel iure communi definiri. Secus qui fecerit, pro æquo & iusto puniatur.

LXXIV.

Si qui conceptis iris inter se concurrerent, & certamen capesserent, spectatores, qui præsentes aderunt, turbas compescunto, & animos dissidentes reducta pace committunto: quam deinceps, quoadusque durauerit expeditio, constanter pars vtraque reconciliata, lubenterq; tueatur.

LXXV.

Nemo suum officium, & partes in habendis excubiis prætereat, aut agere recuset, neque maturius statione decedat, quam inde ducatur, quin imò, quo statuetur loco, immotus persistat: qui vero legem hanc neglexerit, postulatus ad campi Præfectum, Ducem, Magistrumque suum, nisi de negligentia sua satis purgare se valuerit, equestris iudicii sententiam ferto, & sine stipendio, honestaque missione exauctorator, aut alia ratione prout res exiget, punitor.

LXXVI.

Singuli cum armatura & armis sibi lustratione exercitus destinatis ad excubandum prodeunto, neque quisquam, extra singularem coniugii causam, qua diurnis excubiis, qua vigiliis nocturnis equo suo descendito. Secus qui egerit, equum, armaturamque suam campi Rectori cedet multam, cum Præfecto vigiliarum ex æquo dimidiandam, vltèrius interim re cognita puniendus.

LXXVII.

LXXVII.

In excubiis nemo ad arma sine causa conclamato, sed quisque munus suum excubandi quam diligentissimè obito, vt ne quid inde Imperatori, aut exercitui incommodum existat: Qui verò quippiam in hoc munere incuria sua neglexerit, coram Marischalco, & Equestri iudicio sese purgato.

LXXVIII.

Qui vsque adeo ebrius iniuerit vigilias, vt neque munus vigilandi, quantum satis est, aptè sustinere, neque tesseram edere possit, decreto Marischalci, & Ducis sui vel Juris Equestris plectatur.

LXXIX.

Nemo suspectas Personas aut hospitio excipiat, aut secum commorari patiatur, sed eosdem pro eo, quo quisque tenetur, Sacramento ad Principem exercitus, vel eius Centuriones deferto.

LXXX.

Si quis modum circumueniendi hostem, aut alienos præueniendi animaduerteret, vel sicui ratio & consilium siue atterendi hostis, siue damni præcauendi occurreret, is secretò ad Imperatorem, seu Marischalcum, seu Ducem suum referto, magnam inde, debitamque gratiam collecturus.

LXXXI.

Nemo incendium offerédo pecunias extorqueat, neque castra aut alia flammis depopuletur, nisi de mandato Imperatoris.

LXXXII.

Si prælio decertandum; aliaue ratione cum hoste confligendum foret, quisque loco suo, quem mandato superiorum occupat, persistat, neque inde citra eorundem voluntatem decedat sub infamiæ periculo: At licet interim commilitones ex alia parte victores existerent, ille tamen, qui huiusmodi obedientia iussa peregerit, in æquali pretio habebitur cum iis, qui alia ratione morem gerentes ad ipsius victoriæ patrationem opem suam contulerunt. Id enim spectare debemus, vt obedientia tanquam fundamentum cuiuscunque bonæ gubernationis ex omni parte stabiliatur, & è contrario inobedientia omnis eliminetur.

LXXXIII.

Quamuis bono Deo victoria ab hoste contingeret, nihilominus nullus absque venia, vel spe prædæ, vel persequendi hostis feruore abreptus, ordinem aut vexillum deserito, sed constantes in ordine singuli se ad nutum superiorum accommodanto sub periculo vel infamiæ contrahendæ, vel fidei temerandæ, ne qua confusione aut inobedientia partis nostræ versus hostis in totum exercitum damnum aut incommodum refundat.

LXXXIV.

Nemo alteri, quam ipse ceperit, vel iure sibi acquisierit prædam seu per vim, seu alia ratione eripiat: Lites verò & discordias, quæ ex illa causa orirentur, per Ducem aut Magistrum suum, aut à Marischalco, iudicio equestri discerni componiq; curanto.

LXXXV.

Nemo annonę structores intra extraue castra spoliato, aut manus iis inferto, nemo quoque in locum annonæ irruito, aut ibidem per vim quicquam deripito. Facti reus carcere constringitor; & per Marischallum seu Jus Equestre, corporis & fortunæ bonis, prout delictum exiget, punitor.

LXXXVI.

Nemo castris egressus maturius commeatum coëmendo præripiat aliis, sed eiusdem liberam in castris venditionem præstolantor.

LXXXVII.

Si quid pecorum, alteriusue commeatus hostibus adimeretur, totum id sine venia Marischalci aut Ducis sui nemo auertat aliò, sed in ipsis castris tolerabili pretio diuendat; de quo si litigium oriretur, ad eundem Marischalcum vt Arbitrum recurrendum erit.

LXXXVIII.

Quisquis ex prædicto iam Equitatu, siue in castris, siue aliis functionibus aduerteret quippiam, quod Nobis, Imperio, reique militari, vel Nobis, Imperioue subiectis ditionibus incommodo impedimentoue futurum esset, aut sicui de suspectis hominibus constaret, id omne citra moram Magistro Duciue suo, quin imo, si grauius momentum ac pondus res haberet, ipsi exercitus Principi patefaciendum curato. De quocunque verò innotuerit, hoc non fecisse, tanquam author culpæ, sine gratia bonis fortunæ & ipso corpore punitor.

LXXXIX.

Quod si Nos Romanorum Imperator, aut nostri Dux supremus exercitus, Legatusque, vni pluribusque Personis, Ciuitatibus, oppidis, Pagis, vicis, Domibus, & aliis bonis comitatum, commeatum, saluam guardiam, immunitates donaremus, aliasque gratias impertiremur, nostri Equites neque per se, neque alij eorum nomine priuilegia huiusmodi vllatenus impugnare aut labefactare ne attentanto.

XC.

Nullum ex iis, qui Nobis, Imperioue subditi sunt aut affines, qualescunq; ij fuerint, grauanto, nulli tributum, aut exactionem imponunto, neque expilationibus, modisque similibus cuipiam nocento, siue ineunte siue exeunte expeditione sua, siue aliàs quà transitum habent, vel vbi statiua ponunt, contra verò iustissimè omnibus & singulis, quod debent, persoluunto. Similiter illis publici Hospites æquam in pretiis rerum exigendis vicem exhibento. Cum verò in campis contra hostem & in procinctu futuri sunt, liberalioris eis pabuli copia esto.

XCI.

Si quando imperata suo tempore stipendiaria pecunia, ipsis hospitum & vulgi sumptibus viuendum esset, pro æquo & decoro sese gerunto, hospitibus suis, & tenuioris fortunæ hominibus, quantum fieri potest, parcunto, acceptorum diligentem rationem attestationibus per syngraphas factis & datis habento, sibique tantundem de stipendio detrahi postmodum permittunto.

XCII.

E contrario pauperibus pro damnis ob equitum, peditumque transitus per nostrum, & sacri imperij, quæstorem ordinarium soluetur.

XCIII.

Castris in regione hostium, si tamen illa fundus imperij foret, metatis, nemo egrediatur ad egenos expilationibus, exactionibus, aliisque iniuriis vexandos, neque hoc quisquam à seruis suis committi patiatur, quin potius impensa cura eosdem obseruet, & diligenti circumspectione curet, non tantum, vt nequid alienum iniqua ratione castris inferant, verum etiam vt, quod ad commeatum pabulumque attinet, taxam, Modum, & ordinationem, quam ipsis castrorum Præfectus & Mareschallus omni tempore præscripturi sunt, iuxta præstitum à se iuramentum sequantur. Et si qua inde querendi causa oriretur, Magistri subditis egentibus damnum restituunto pecunia de stipendio illatoribus damni subtrahenda. Insuper & Nobiles Domini famulos suos, vbi cognita causa inuenerint culpæ reos, ad restitutionem faciendam adigunto: quin etiam rei in iudicium vocantor, & veluti prædatores puniuntor.

XCIV.

Quod si diuini Numinis præsenti ope, Princeps

ceps hostilis exercitus, aut Ductores ab Equitib⁹ nostris caperentur, eiusmodi Personę vel Nobis, vel duci nostro præsententur, vel in eius, qui hoc sibi munus commissum geret, manus tradantur, non absq; lauti præmij & debiti largitione.

XCV.

Sin verò præter iam dictas Ducum, Ductorumq; personas captiuæ fierent aliæ, arbitrarium quidem esto ei, qui capit illas, sibique subijcit, exactionibus, & modis militari vsu receptis tractare, tamen etiam de singulis captiuis indicium Archistratego fiat, neque quisquam ex illis sine huius consensu liber dimittatur.

XCVI.

Et si quid ciuitatum, arcium, vicorum, ditionum & nationum bello deuinceretur, totum id vnà cum suis tormentis bellicis, munitionibus, & collecto cõmeatu, omninò in nostram cedito potestatem, & ad Imperium, non aliò auersum referatur. Deinde huiusmodi ciuitates deuictæ, & arces, vici, regiones gentesque subiugatæ, posteaquam præstito & accepto à nobis homagio in nostram tutelam fuerint receptæ, reliquâ omnem earum substantiam, quæ alioquin militari more prædæ foret, immunem ab omni iniuria & exactione, volumus, & vt nemo inuolare ausit, præcauemus.

XCVII.

Cum equites peditesque ortu & gente diuersi in vnum confluant exercitum, vt proinde, quas procliue est tanta varietate oriri & excitari, etiam leuibus de causis, lites & discordiæ caueantur, nullo pacto nationes peregrinæ se mutuò lacessere verbis, factis, moribus, aut contumeliosis dictis proscindere, aut ad disputandum prouocare prodireque attentent; Verum tamen si vni læsæ in alteram iusta competere actio videretur, pro Magistratu ordinario, & consueto Juris Militaris more ea constituenda & persequẽda erit.

XCVIII.

Si à quopiam aut pluribus de equitatu contra cõstitutiones hasce peccaretur, aut alio pacto aduersus leges, moresq; militares, etiam honorem proprium, fidemq; datam committeretur, ij pro iudicio castrorum Præfecti, Ducum, Magistrorumq;, vel ex decreto & more Juris Equestris, supplicio corporis, aut infamia, aut bonorum iactura, prout delicti ratio postulauerit, pœnas auferent.

XCIX.

Et si huic equitatui deesset ordinarius, aut præsens non adesset Marescallus, ac proinde ab ipso legitimum equestre iudicium agi non posset, occurrentibus tamen causis capitalibus, aliisque facinoribus, quæ culpæ affinia pœnæ moram dilationemque non paterentur, ipse interim Archistrategus vindicandæ iniquitatis partes sibi sumito, conuocatisque Magistris equitum, Legatis, vexilliferis, atq; etiam, si opus fuerit, aliquot de centurionibus, eorundem interposito iudicio, secundum has constitutiones, & renore iurium equestrium, non minus acrem se reis iudicem, vindicemque maleficiorum præbeto.

C.

Etiam inter Germanos equites, quanquam pauciora, pluraq; vexilla habituri, & certo Marescallo carituri sint, quæsitores nihilominus rerum capitalium constituantur, quos malorum vindices experiantur, siue dum in profectionibus castra sequuntur, siue quum in præsidiis collocantur, vi huius constitutionis, quam detrectare nulli ex illis fas esto.

CI.

Si quis vnus aut plures accepto à Magistro Auctoramento in numero, dum miles lustratur, præsentes non essent, sed vel ante vel post lustrationem, nondum castrensi ratione constitutâ, vix prehensis recederent armis, aut in alterius militiam adscribi se curarent, ij, pro eo quod æquum est, postulati ad equestre iudicium comparento, factum suum diluunto. Et si quis refractarius emaneret, nihilominus data in ipsum actione, & causâ cognita, tanquam de præsenti iudicium & sententia pronuntiator.

CII.

Si quis tum in hac expeditione, tum in aliis extrà spatia imperij sub alienis Dynastis, vel error, vel lis honoris causa suscepta, dum munia militaria obiuerunt, inter Germanos remansisset, quam iudicio equestri prosequi placeret, venienque accusator ius contrà aduersariam partem in exercitu nostro commorantem peteret, idipsum ei redditor, &, qui accusatur, legitimè in iudicium accersitus respondeto. Interim & ille, qui causam agit, Mareschallo & Principi Militiæ sese obstringet idonea cautela præstandi omnia, quæ oportet, in huiusmodi negotio, donec pertractetur, & iure absoluatur.

CIII.

Per omnia hæc dicti Duces, Magistri, & Equites sese gerunto, prout probatæ virtutis & bonæ fidei milites decet.

CIV.

Præterea iam commemoratus Dux subordinatis sibi Magistris, & equitibus non modo præsens ipse adesse & adhærere debebit, sed etiam neque legatum constituere suo loco, neque vicarias alteri partes demandare audebit, prout hæc ipsa, ceu ordinis equestris persona, dignitatis suæ memor, ritè perficiendi, & de iisdem interrogatus aptè respondendi modum tenebit.

CV.

Porrò prædictus equitatus in singulos menses, vel quoties id petitum fuerit, lustrationem sui admittito, quam stipendiorum collatio subsequatur, quæ tamen, si imparata pecunia, non semper & continuò exeuntem mensem sequeretur, moræ huiusce patientes, pro eo, quod faciunt iusti milites, partes muneris sui fideliter interim obeant, non intermittendo excubias, non profectiones detrectando.

CVI.

Hæ quoque constitutiones atque hi articuli prima lustratione publicè in patenti campo, sub erectis vexillis gregariis equitibus prælegentur.

CVII.

Hæc etiam constitutionum & legum prælectio ad equites, vt facilius secundum illas recentiore memoria dirigere & tractare sese norint, quotiescunq; deinceps militantium numerus inibitur, semper in circulo iterator.

CVIII.

Pari modo siqui, posteaquam in expedito fuerit exercitus, equites accederent, & authoramento accepto in militiam eandem adscriberentur, ad easdem has leges obseruandas tenebuntur, non secus, quam si à principio authorati contraxissent.

CIX.

In colligendo milite cauti sint & prouidi Magistri, ne qua leuis ingenio, turpi criminis, aut infamiæ notâ insignita persona suis equitibus sese immisceat, tũ vt eo longius omne periculum rebellionis, confusionis, & seditionum absit ab exercitu, tum etiam quò milites honesti & ingenui degere quietius, & suis muniis facilius vacare possint. Siqui verò huiusmodi inter vexilla latitantes innotescerent, maleficij nomine, quando id & vbicunque contra fas patrauerint, iudicio equestri sistentur, & pro ratione & modo delicti, vel ab exercitu exterminabuntur, vel alia pœna multabuntur.

CX.

CX.

Si porrò inter conscriptos milites deprehenderetur, vel publicus Dei, diuinique verbi contemptor & blasphemator, vel notorius virginum fœminarumq; violator, vel qui se iniusti homicidij crimine alligasset, aut perfidi transfugij, alteriusq; facti, quod alienũ indignumque sit viro nobili, dedecore infamasset, is coargutus & cõuictus pro iudicio equestri puniatur.

CXI.

Ad extremum in his articulis si hac vice Nos præterijsset aliquid, aut prætermissũ esset, quod ab equitibus obseruari cum ipse decor recti, tum mos, institutumq; maiorũ postulat, ad id perinde, ac si expresè positum foret, sequendum obseruandumq; tenẽtor omnes, & præuaricatores puniuntor.

De Constitvtione Jvris Eqvitvm.

I.

PRimùm omnes Duces, equitum Magistri, ordinũ Ductores, Domini, Nobiles vna cum aliis comilitonib. equitibus, ad explicatas constitutiones, quib. ordine articuli iuris equestris, & disciplinæ militaris à Nobis Rom. Imperatore, ab Electorib. Principib⁹, & generalibus imperij statib. compositi & sanciti comprehenduntur, conscribantur, & suscipiantur.

II.

Cum ergo conuentum fuerit, Archistrategus noster quippe qui Romani Imperatoris imperiiq; exercitum prima cura sibi regendum ducit, omnẽ equitatum, nisi fortè maior eius multitudo in partes dissecãda videretur, in vnum cõuocari curato, tum ipse, vnà cum Mareschallo & iis, qui in majorib. officiis sunt, eundem in circum adito, præferente interim denudatum ensem feciale, vbi dato buccinę signo, ad equites palam sermonem inprimis gratum, quod in Bonum nostrum, imperiiq; commodum vsque adeò suam operam liberali animo obtulerint, tum cætera perbenignum in hanc sententiam habeto.

III.

Quandoquidem obedientia & bona gubernatiõ tum ipsi Deo perquam grata, tum nobis adeo salutaris sit & vtilis, vt sibi Germani Maiores nostri semper in eam vigilantissimo animo incumbendũ duxerint, velle proinde se nomine nostro, imperii, etiã suo monitos omnes, vt disciplinam & obedietiam amplecti, iura & iudicia sequi, Christianam colere charitatem, mores honestos, & nobili dignos induere, hoc est pietatis in Deum studiosos, & vitæ honestatis amantes esse, atq; è contrario facinora, quæ similiora sint homini Ethnico rudi, & viro ignobili, quam equiti nobili sanguine claro, & christiana fide imbuto, deuitare & penitus fugere velint.

IV.

Et quò rectius hæc obseruari & certius possint, ipsis iam Nostras & imperij prælegi volumus constitutiones, quibus articuli antiquissimi & laudatissimi equestris iuris comprehendantur, quod Nos & Imperium in pristinum vigorẽ reuocari, stabiliri, & in rem gloriamq; nationis Germanicæ exerceri iussimus, atque ita prisco more merebunt.

V.

Nec dubium esse, quin hæc ipsa pro ingenuitate Germanorum equitum æqui boniq; facturi, neq; tãtum libenti & læto animo accepturi sint, sed eadem effecta daturi. His ita præmissis articulorũ prælectio subiungatur. VI.

Qua peracta, iteratò Archistrategus eosdẽ exhortator, vti, qua decet sinceritate, & Principes, & comites, & magnates, & Nobiles gregariiq; equites, cuiuscunq; status & quantacunq; ætate sint, alti seu humiles, adolescenrevergenteue, velint, prout debent, omnes prælectis accomodare sese, fideliter obedienterq; parere, atq; in fide manere datâ Ducibus suis, Imperatori Romano, Imperio, Legato nostro, eiusq; subordinatis officialibus, siue latè teneant campos, siue in præsidiis versentur, tam de nocte, quam die, pro virili quisq; portione sua, & pro more maiorum, spreto etiam periculo fortunarum & capitis sui, prodigi vitæ, negligentes bonorum suorum: neq; hac fide liberari se putent, priusquam isthæc soluatur militia (nisi morte interueniente, aut aliis grauibus & iustis causis intercidentibus) veruntamen animum & mores ingenuo Germano equite dignos gerant, æquum rectũque tueantur, rem totam militarẽ feruenti prece præpotenti Numini commendent, ac demum sese omni culpâ, flagitio, flagitiiq; pœna immunes præstent. Ad extremum hortationis suæ petet ab illis Archistrategus, vt iuxta veterem consuetudinem, hoc sacramento se obligent, erectisq; omnes manibus in has leges, & in omnia præstãda, quæ his legibus continentur, iurare velint. VII.

Lectis belli legibus & articulis, dictoq; sacramento, dux belli ordines legionum constituet, & equitibus eos qui præcipuos magistratus habituri sunt, indicabit. VIII.

Primùm de Fecialis manu sumptum ensem Mareschallo tradito, eiq; curam Justitię, seu Æqui & Recti, ad tuendum bonos & morigeros, è contrario etiam puniendum malos & reos, seriò inculcando, & communi omnium voce præstitit iuramentum, demandato. IX.

Deinde Archistrategus reliquas personas in maioribus aliis officiis cõstitutas nominato, iisq; simul diligentem iuxta ac fidelem munerum suorum curationem, quæ præstito iuramento respondeat, cõmendato; Adhęc ipsis equitibus vniuersim inculcato, vt huiusce modi officialibus, omnibus & singulis, quã par est, obedientiam præstent in rebus, quæ ad proprium cuiusq; officium pertinebunt.

X.

Hinc vicissim officiales, posteaquam gratias egerunt, debitam summissionem Archistratego, & Equitibus officium suum pollicentur.

Quibus peractis ad tubarum clangorem circulus dissoluitur.

Quà ratione constituendum ius Equitum.

Mareschallus virum nobilem vitæ probitate, iudicii maturitate, & rerum experientia insignem, Legatum suum constituito, cui præter cætera Justitiæ, & Juris Equestris curam commendet, adiuncta illi insuper persona, exercitatione benè perita, quæ munus Scribæ sustineat. Is primo equestri iudicio fidem suam publico iuramento obstringito.

Idem Ius quomodo obseruandum.

I.

VT ergo Jus equestre ritè obseruetur, primum de mandato Mareschalli per tubicinem in castra promulgator, aut, si commodius id visum fuerit, ordine ad partes singulas distributi exercitus diuulgator. II.

Inde Mareschallus, quippe cui iustitiæ præcipua cura & oneris commissa est, 3. Equitum Magistros, 3. Legatos, 3. vexilliferos, item totidẽ decuriones cum vno Hipparcho sumito, quibuscum iudicium ineat & compleat, imò pridie quoq; consilium capiat, si id præmitti & causæ necessarium, & vtile videretur. III.

Si equitatus copiosior fuerit, vt ex multitudine ad id facilè homines suppetant, aut si qua capitis, aliaue honoris causa grauis occurrerit, iudicium duplicator viginti quatuor personas constituendo, eoq; plures de vexillis Decuriones adlegendo. IV.

Hæ iam dictæ personæ, vbi ante vel in conclaue Mareschalli conuenerint, quum iam hic ad locum

futuri iudicij prodibit, is à Feciale, vel alio districtum sibi ensem præferri, & tubæ occẽtum, tum ad authoritatem iuri adijciendam, tum ad terriculum militib⁹ offerendum, præire curato, illę vero continuo ordine binæ subsequuntor gestantes suos etiam gladios humeris reclinatos mucrone in altum surgente (si causa fuerit pœnalis) accomodatos verò lateri, (si illa fuerit maleficii.) V.

Atq; in omni causa iudiciaria, præsertim si pœnam exposcat, aut famæ integritatem, rei seu disciplinę militaris custodiã spectet, ipsa persona Mareschalli præsens ius & æquum summo studio administrato, & authoritate defendito. Quod si occurrentibus lenioris momẽti ciuilibus causis, ipse interim grauioribus negotiis detineretur, vices suas ab Legato impleri perinde esto. VI.

Facto tum Mareschalli, tum cæterorum in loco iudicii pleno consessu, ipse primũ Mareschallus ensem suum Mẽsæ imponito, tũ deinde iudices gladios suos (si causa fuerit pœnalis) inuertunto mucrone ad terram vergente. VII.

Item Libellus constitutionum in mẽsa exponitor. VIII.

Post hæc Mareschallus postulatis & constitutis iudicibus primum proponito & mãdato, vti nec pecunia, donis & largitionibus corrupti, neq; pro veneno parando, remoto etiã odio, inuidia, & tum amicitiæ, tum inimicitiæ nomine iudicare velint, verum iuxta constitutiones & decreta cęsarea causas contentione & defensione disceptatas vtrinq; cognoscant, sentẽtiamque ferant, & pronuntient ea sinceritate iustitiæ, qua se iudicãdos à iudice Deo in extremo iudicio votum habent, tum deinde à singulis illorum fidem ad hanc æquitatem seruandam dextra data sancitam accipito. IX.

Porrò Mareschallus pro more inquirito de iudicio, num homines, penes quos illud est, idonei sint: item an habeatur legitimo tempore, intercedatne aliquod impedimentum, quod Cæsareum Equestre iudicium fieri prohibeat. X.

Deinde iudices adiurabit, per Deum omnipotentem, omnis iustitiæ fontem, deinde nostro vtpote supremi magistratus, & imperii, & nostri etiã ducis nomine: ne quisquam sine veniã, & suo procuratore loquatur, iudicio excedat, ne turba circumstans eos eliidat. XI.

Inde quærito, num ritè litigantibus dictus sit dies, & an citati sint. XII.

In capitalibus causis, & iis, quæ bonum militaris disciplinæ spectant, quæsitor rerum capitalium, & si ob grauius rei momẽtum ita Mareschallo visum fuerit, præter ipsum eius quoq; Legatus, in causis tamen ciuilibus, vbi pecuniaria lis infertur, Actor & Defensor prodeuntes vnam personam de iudicio etiam vnam vel alteram ex adiunctis petunto, quorum consilio causam suam agi & pertracturi curabunt. XIII.

In pœnalibus contentus in Equitum legibus articulus, & ius maleficii Imperatorium rectissima norma est, & regula iudiciorum. XIV.

Inquisitio dum agitur, Equites sub suo sacramento admonentor, vt quisq; votum suum teneat occultum, & perpetuo silentio inuolutum eodem secum condat sepulcro. XV.

Ante pronuntiationem iudicii, si maleficii vel honoris causa inter viros graues controuertitur, semper idipsum Mareschallus Archistratego detegito, ad ei⁹ quoq; animum percipiendum, qui proinde poterit, prout personæ dignitas, tẽporis ratio & rerum circũstantia feret, seueritatem pœnæ mitigare & lenire. XVI.

Cum ergo in Pœnalibus iudicium pronuntiatur, gladiũ Mareschallus manu teneto, sui sum mucrone recto. XVII.

Cæteri vero ad iudicãdum deputati, interim, dum inquisitio fit, & sententiæ feruntur, suorum gladiorũ mucrones demittunto, eosdẽq; propalato iam iudicio tum ipsi erigũto, tum Mareschallus bacillũ suum diffringito. Inde ex iudicio disceditor ad eum locum, vnde venerunt, gerentibus singulis iudicib. gladios humeris reclinatos, aut, si maleficii causa non fuerit, lateribus affixos. XVIII.

Quicquid demum vbiq;, dum militia decurrit, in huiusmodi iudiciis tractatur & concluditur, id omne bono ordine in libro ad id deputato perscribitor & adnotator, cuius, patrato iam bello, bina exemplaria Mareschalli sigillo consignentur, & alterum Nostræ, alterum dilecti Nobis Principis Electoris Mogũtini Cancellariæ transmittatur, vt eò quisquis in posterũ recurrere possit.

Articvli Copiarvm Germanarvm.

I.

COpiæ Germanicę Nobis Romanorum Imperatori, sacroq; Imperio primùm iurabunt, fida se militia Nostris, Imperiiq; tũ malis præcauendis, tum cõmodis promouẽdis seruituros, simili sese supremo Legato nostro, Ducib. suis, capitibus, Legatis, vexilliferis ordinum ductoribus, Mẽsoribus, aliisq, in superioribus officiis cõstitutis à Nobis obedientia obstringent, omnes Nobilis, ignobilisq;, tum sanguinis, tum status, curandi, sc. non obnitendo, neq; subterfugiendo, ea oĩa, quæ ab illis mãdata, æquâ militis cõditione, acceperint, cauẽtes offerre se illis animo mobili & seditioso, manibus violẽtis, & ore cõtumelioso, contra parati adire & deserere hostẽ, atq; omni parere necessitati, qualiscunq; illa, an profectionibus, præliis, incursionibus, excubiis die nocteq; acciderit. Si quis verò inobsequentem sese præbuerit, pro iudicio Ducis secundũ iura multator, prout infra scriptis articulis declaratur. II.

Omnis miles ab omni impietate tũ verborum, tum operum quam longissimè abesto, victoriam de hoste à Deo supplice animi prece flagitato, & quotiescunq; circũsonante tympano vocatur, ad concionẽ venito, quam nisi graui negotio impeditus ne prætermittito. Si quis verò blasphemo ore vel opere Deũ sibi offendere non verebitur, is decreto Ducis & Juris corpore & vita punitor. Et si quis sub concione & re diuina in cellis vinariis, in comessationibus, aliisue locis leuitatum & inuerecũdiæ hospitatibus deprehensus fuerit, in eum compediendum, & pro iudicio Ducis multãdum ius esto quæsitori. Neq; interim, dũ sacra fiunt, & concio habetur, quicquam vini, cereuisię aut simile à Præfectis annonæ promatur, vendatur que. III.

Quicũq; hastas & breuiores gladios gestaturi sunt, bene firmis ad defensionem gladiis, lateralib⁹ vtraq; scil. manu validis, aut idoneis frameis instructi ad armilustrium comparento, sed inprimis sclopetarii fidis se & habilibus frameis muniunto. Neq; quisquam arma sua qualiacunque permutato, sed diligenti custodia, & ratione asseruata non cædendis lignis, non ad alias res abutẽdo destruito, vt eadem integra ceu boni milites contra hostes ferre, vbi iam tempus feret, & vsurpare possint. Secus egisse qui deprehẽdetur, multam ideò dato, præsertim iminuto eius stipendio, cũ miles lustrabitur. IV.

Quiuis item superiora arma, sed inprimis sclopetarij maiores sclopos, & ea, quæ ad hos pertinent, in tuto & expedito posita habento, & omninò puluere tormentario, glandibus, & fomentis vacui ne reperiantur cauento. Si quis autem se adeo inermem in expedi-

peditionibus & excubiis offerret, vt neq; gladio neq; sclopo cum hoste congredi posset, is corpore pœnas ferto. V.

Quisque item chlamydatus aut palliolatim amictus esto, quo incursum pluuiarum & vim frigorum sustinere facilius, sed inprimis sclopetarij sclopos & pyxidiculas cooperire, iisq; commodius vti possint. VI.

Quodlibet vexillum siue coniunctim, siue separatim, siue etiam decurionatim, prout nimirum res tulerit, paratum se & promptum offerto, tum ad expeditiones suscipiendas, tum ad stationes & præsidia agitanda parendo præscriptioni nostræ & Ducum nostrorum, ipsique necessitati. VII.

Et si quando Capitaneus, vel alius, qui cum officio est, aliquid, quod virtuti militari non inuium imponeret necessitas, perficiendum vna cum alterius Capitanei signiferis, Ductoribus & militibus mandaret, parendum his erit, perinde ac si proprius Capitaneus iussum dedisset. VIII.

Puerperas, prægnantes mulieres, virgines, homines ætate confectos, sacerdotio initiatos, diuini verbi Præcones, & alios Ecclesiæ Ministros illæsos & indemnes præstanto, nulla iniuria sub pœna capitis afficiunto. IX.

Sub eadem pœna abstineto à templis, Monasteriis, Claustris, domibus & hospitalibus, & litterariæ disciplinæ consecratis, ea nullatenus affligendo. X.

Porrò triginta dierum decursus stipendiarium mẽsem expleto, pro more recepto, & singulis in singulos menses floreni 4. constantes 15. batziis, aut 60. crucigeris stipendium persoluuntor. Quod si imperata euoluto iam tempore pecunia mora solutionis fieret, ipsi nihilo segnius aut impatientius, tum vices excubiarum obire, tum contra hostem ire, prout milites decet, ne recusanto. XI.

Quisquis quocunq; tempore & loco vel accepto auctoramento profugus resiliret, vel postmodũ absque venia & missione honesta desertor exercitus abiret, is deprehensus indicta causa, nec in iudicium adductus capitis damnator, eius verò bona direptioni subijciuntor. Quod si deprehensus aut retractus non fuerit, publica infamiæ notâ inustus omni libertatis, securitatis, & comitatus fide orbator. XII.

Nemo in profectionibus discedat ex ordine, nisi graui vrgente causa. Quicunq; autem in hoc morem nõ gesserit, cum Duces, ordinum Ductores, & publici Ministri per vim in ordinem redigunto, si contrà obnitens iussa respueret, atq; ideò patrandæ in se necis causam præberet, interfector in crimẽ ne vocetur. XIII.

Quisquis in expeditionibus & stationibus ab alio Ductore iustas ob causas, eoq; quod contra se gerat, quam addeceat militem, increpitus in illum vel concitata turba stipatus, vel probris cõtumelioſus insurrexerit, is iuxta decretũ Ducis, & præscripta iuris multator. XIV.

Cum sententiæ rogantur, equites iuramenti & obligationis admonebũtur, vt cuiusq; suffragium ad sepulchrum vsq; tacitum seruetur. promptos se æquè offerunto, parati fide animosa ad eadẽ tuenda extremam vitæ aleam subire, quin imo pro honore suo & præstito iuramẽto de traditione neq; colloquiũ neq; consiliũ ineunto. XV.

Vi quoq; iuramenti sui, imminente ab hoste periculo & necessitate, cum id petet Capitaneus aut Ducum aliquis, ad laborandum & ædificandum se adhiberi ne recusanto. XVI.

In huiusmodi præsidio collocati etsi vno pluribusue insultibus ab hoste tentarẽtur, suo peræquè ordinario stipendio cõtenti viuunto, Nobis aut Imperio nihil hoc amplius debẽtibus. Atq; in arces, ciuitates, & alia præsidia, quæ sub conditionibus acciperentur, nemo deprædaturus inuolet, aut se per vim ingerat, nisi facta à Duce vel copia, vel præscriptione. XVII.

Omnes, qui à Nobis securitate donati sunt, vel in fidem nostram iurato venerunt, missos & intẽratos relinquunto, nihil contra eos machinando, sub pœna capitis absq; consensu & venia Archistrategi, vel eius, qui huius vice perfungitur. XVIII.

Loca quæ salua guardia gaudent, ne diripiant, expilent, vlloue damno afficiant sub pœna capitis. XIX.

Si quãdo Nos, seu Noster, quem constituimus, supremus Legatus secundo aduersus hostem vteremur prælio, aut si qua præcipua munitio valido impetu, quem Deus benè vertat, caperetur, tunc quidem singulorum militum stipendiarium tempus, quomodocunq; se interim habente mẽse, pro completo habebitur, ac denuò incipiet, vt Nos tamen aut imperium ad nihil vltra eis obstricti simus. Et si nondum parata pecunia hostibus amplius detrimentum inferri posse videretur, eundẽ ad imperium Ducis persequi, & qua possunt ratione deterrere ne recusanto. Quicũq; autem repugnauerint, tanquam periuri æstimabuntur, capitaliq; pœna afficientur. His tamen in rebus, in regnis & prouinciis hereditariis optimas cõsuetudines, & pacta mutari nolumus, neq; nobis præiudicari; sed omnia perseuerare immota. XX.

In præliis & incursionibus, eorumq; secundo successu nemo prædæ intentior esto, aut bonis diripiendis auidius inhiato. XXI.

Nemo inscio & inuito suo Capitaneo è castris ad prædãdum vel alias ob causas egreditor, aut noctem à suo vexillo abesto sub pœna & capitis, & alia, p Ducis decreto inferẽda. XXII.

Si quis vnus aut plures in prelio vel aliàs in fugam inclinarent, eos proximus vel transfodito vel ferito, quin imo si huiusmodi fugam texens interficiatur à quopiam, interfector nõ opus criminosum, sed opus singulari gratia persequendum patrarit. XXIII.

Quisquis verò fuga se abstulerit, eius primũ nomine Ducem delato, si deinde apprehensus fuerit, capite, sin minus, publicæ infamiæ notâ perfidiæ suæ pœnas dato. XXIV.

Caueant vi præstiti à se iuramenti conuentus agere, inscio & inuito Duce, qui egerint, tãquam perfida turba, præcisa omni spe gratiæ, morte multantor. XXV.

Nemo sub pœna capitis cum hostibus, aut eorum cum tympanistis, & tubicinibus, siue in castris, siue in profectionibus, siue præsidiis vllum sermonis, litterarumue cõmercium habeto, neq; nuntium in castra inimica vel mittito, vel inde accipito, citra Ducis mãdatũ & licentiã. XXVI.

Nemini hostium, aut iis adhærentium, cuiuscunq; fuerit sexus, & quantacunq; ætate, homo, permittitor liberè transmittentibus excubiis ingredi & egredi nostra castra, verum quisquis eos deprehenderet, etiam comprehendito, vel ad suum Capitaneum, vel supremum campi Ducem adducito. XXVII.

Si quis conscius fieret proditionis, & aliorum maleficiorum, quæ ab vno pluribusue vel detrimentosa ipsi exercitui, vel eius Principi noxia intẽderẽtur inferrenturue, is vel è vestigio vel nomina malefactorũ

apud Magistratum & Quæsitorem rerum capitalium vi sui iuramenti prodendo suam conscientiam exoneret, vel instar ipsius authoris tãquam perfidiæ reus luat. XXVIII.

Si quis viam inueniret ad hostibus incommodandum infestam, ad suis consulendum accommodam, is eam Duci aut supremo Archistrategio aperito & commonstrato, magnum huius facti gratiam tracturus. XXIX.

Omnes insolentia mutuæ contentionis iurgia diligenter euitanto, sub pœna capitis, pace inter se & sociante animo: tum concordia coniunctissimi. XXX.

Inter iurgia nemo vi præstiti iuramenti aduersus alterum vsurpet arma lethalia, cuiusmodi sclopi & longiores enses habentur, libero interim vsu lateralium gladiorũ ad vitam cœsim, punctimue tuendam. XXXI.

Inueterata odia si quos inter milites fuerint, tantisper iaceant, & dum laudabilis hæc expeditio peragitur, interquiescant, verbis & opere inulta, nisi iure vindicentur: quisquis contra egerit, is in iudicium vocatus, & iudicatus ignominia & morte multator. XXXII.

Ne quis alios contra alium turbato. Si qua tũ lis & discordia forte inter quosdam oriretur, proximi, qui adsunt, pacatos eos reddere studento vtrinq; pacem æquam exposcẽdo, quam bis terq; experitam qui reijceret, ideoque trucidaretur à quopiam, pacis terã se repulsæ iniuriam hoc modo expiasse censebitur. Et qui paci studentem aut armis nudum percusserit, iudicio sistitor, & iuxta decretum cum ignominia morte multator. XXXIII.

Quisquis alterum, ante se post pacis compositionem, armis sũis peteret, ea vel iaculando, vel proijciendo, corpore punitor. XXXIV.

Si qui duo aut plures coorto dissidio in verbera ruerent, ne quis factiosa cõcursione alteri tantum parti studeto, sed vt maius incrementũ malum non capiat, distrahendæ altercationis & pugnæ dirimendæ causę sese interponito. Secus qui egerit, pro arbitrio & decreto Ducis punitor, vel Archistrategi. XXXV.

Nemo sub pœna capitis sclopum exoneret eo loco & tempore, cum explosionis periculũ est & damnum timetur, siue fiat in castris, siue in ciuitatibus, siue arcibus, præsertim cum excubiæ dispositæ sunt, & nox est. XXXVI.

Quicunq; postulatus ad excubias non venerit, iuxta decretum Ducis multator: si tamen valetudinis causa non compareret, absentiæ suæ & rationem Capitaneo suo per commilitonem indicato, & veniam ab eodem petito. XXXVII.

Qui cum partes suas excubandi agere debet, sine venia de statione abscederet, præcisa omni gratia multator: atq; hoc ipsum commilitones eius indicare vi sui iuramenti tenentor. XXXVIII.

Nemo inuito & inscio Capitaneo suo vicarium excubitorem dato: vt inprimis diligentem curam tesseræ, quæ ipsis certa quouis tempore indicabitur, singuli habẽto. Hanc enim qui obliuioni dederit, aut alienam ediderit, iudicio sistitor, & cũ ignominia morte multator. XXXIX

Qui in excubitu somno oppressus inueniretur, vel ante, quã liberetur, discederet, supplicio punitor, extra omnem culpæ pœnæue remittendæ gratiam. XL.

Deductis vigilijs, similiter ad diurnas excubias, & in ordine neq; in plateis, neq; in hospitijs quisquam cum altero altercator sub pœna capitis. XLI.

Nemo in amica regione, & nostro imperiiq; fundo, siue cum itineribus, siue cum castris insistẽt, quidquam alteri per vim, aut insoluto pretio adimito, nemo plebem pauperem expilaturus inuadito: verum singuli hospitem, apud quem in ciuitatib. aut pagis hospitaturi sunt, æqua solutione cõtentũ relinquito. XLII.

Secus qui agens iustæ querelæ causam præbuerit, præter restitutionem, ad quam à Capitaneo suo & Duce adigetur, vita & corpore pœnas recognita dependito. XLIII.

Sub pœna corporis nemo aduersus peregrinã nationem, si qua in exercitu foret, seditionem atq; discordias concitato, aut tubam commouento, sed neq; dudum cum ea quisquam committito ob inanis incommoduꝫ cauendum. Verumtamen si qua de re cum illa controuersia oriretur, ad superiores illius referunto, qui ex vtraq; parte iustum & æquum trebũt. Et quando commeatus ad exercitum cõuehitur, ne qua Præfecti annonæ vi aut molestia afficiantur, nemo comeatum, siue ante, siue postquam inuectus in castra fuerit, inuolet aut diripiat, priusquã æstimatus sit. XLIV.

Nemo sub eadem pœna coemendæ maturius annonæ causa è castris procurat, sed singuli moram ferunto, quoadusq; in liberam castrorũ aream importata, & ei pretium impositum sit. XLV.

Præfectum rerum capitalium aut eius Ministros, cum legum & obedientiæ violatores apprehendunt, nemo impedito, factiosè contra illos concurrendo, vel plus æquo capiendis studendo, quin potius tueantur: quisquis verbis tantum mora & impedimenti attulerit, vt reus eorum manibus subtractus euadat, pœnã is, ipsi reo quæ illata fuisset, persoluito. XLVI.

Quisquis in flagitio aut clamore, manifestus vel ubi gratia cædis patratæ, furti, proditionis & similium deprehenderetur, non continuò quæsitore, aut eius Ministris præsentibus, proximi qui adsunt, rem, quoad ille cum suis aduenerit, pro disciplinæ militaris bono attinento. XLVII.

Nemo duobus Capitaneis nomen subscribito, aut bis lustrari se curato, nemo alterius nomine transito, neque alteri sua arma pro certo pollicetor, vel accommodato ad fallendum exercitus recensum. Culpæ reus qui fuerit, in eum supplicium constituitor. XLVIII.

In recensione singuli præter nomen, quo à sacro baptismatis fonte initium tulerunt, etiam cognomen suum proferunto, quin & ciuitatem patriam, vel ciuitati patriæ vicinum natalẽ solum nominanto, vt inscribantur. XLIX.

Nemo pro fide sacramenti præiudicium facito aut fraudem concipito, sed neque quisquam cum vllo auxilia & consilia consociato, &, qua ratione id demum fieri potest, Nobis & Imperio iniustis & illicitis stipendiis impositis onerẽmur & circumuenti fallamur. L.

In lustratione Militum tum ipsi Duces & ii qui in officiis sunt, tum & Nobiles omni sua armatura induti comparento. LI.

Si quando Equitibus & Peditibus simul vnis in castris residendum esset, & placidè vtrinque coniunctionem istam ferunto, & Pedites Equitibus de spatio, quantum satis est ad equos collocandos, libenter concedunto.

LII.

LII.

Singuli eo loco, qui ipsis à Mensore contigerit, contenti & pacato animo degunto.

LIII.

Sub pœna corporis nemo aratrum despoliato, nemo molas, furnos, & quicquid ad vsum Reip. constructum est, siue id amicorum, siue inimicorũ fuerit, absq; licentia vel destruito, vel diffringito: sed neq; quisquam mera libidine vina, frumenta aut farinam effundito, aliaue ratione pessundato.

LIV.

Nemo grandi ætate confectos homines, aut diuini verbi Præcones, aut mulieres, si inermes deprehẽdantur, sed neq; infantes trucidet, sub pœna capitis.

LV.

Nemo absq; peculiari Archistrategi mandato incendium offerendo exactionem imponat, sed neq; quisquam castrũ aut quid aliud incendat sub pœna capitis, præsertim iis locis, præter quæ, vel per quæ nostris copiis est liberum iter, ne quis obex commeatui ponatur. LVI.

Eum sibi quisq; comportandi modum statuito, vt & ipse sibi à temulentia temperet, & alium ad bibendum importune non vrgeat. Et si quis ebrius alteri vel vim vel manus inferret, aut aliam culpam committeret, pœnam non tantum æquè seueram, atque si sobrius peccauisset, sed & duplo grauiorem sustineto.

LVII.

Sed in primis caueto ebrietatẽ admittere, cuius erunt partes excubandi: si quis autem ita ebrius in excubiis deprehẽderetur, vt vices suas obire, quantum sufficit, non posset, is compedibus mandator, insuper iuxta decretum Ducis sui puniendus.

LVIII.

Si præterea quispiam in viis publicis, aut in ipsis profectionibus adeò vino solutus deprehenderetur, vt rationis, sensuum, membrorumque necessario vsu destitutus incerto gradu & erranti pede nec stare nec ambulare posset, eum Quæsitor aut eius Ministri apprehensum vinculis, & carceri mancipanto.

LIX.

Sub pœna capitis nemo nulla necessitate adductus inuito aut inscio Duce ad arma conclamato.

LX.

Cumque conclamatur, singuli quamprimum aream vel locum sibi assignatum corripiant, nemine citra grauem valetudinis causam domi sẽ continente, sub pœna capitis.

LXI.

Qui vino somnoq; pressus periculum ab hoste impendens aut classicum negligeret, capite punitor.

LXII.

Quod sibi quisque in præliis, & incursionibus raptum ab hoste acquisierit, pro iure & more militari possideto, præter tormenta bellica, puluerem tormẽtarium, munitiones, prouisum commeatũ & alia, quę ad sustentationem oppidi faciunt, præter etiam captiua hostium Magnatum, Principum, campi castrorũque Præfectorumq; capita in Nostram, vel Nostri Archistrategi Legatiue potestatem & arbitrium ventura, quibus proinde tradi debebunt, interim tamẽ meritum ei, qui cepit, grata vice iusti præmij compensator. Nemo quoq; liberũ vllum dimittito captiuum, sub pœna capitis, absq; Ducis concessione.

LXIII.

Et si quis vel ab hoste vel alia honesta causa læsus, infirmaretur, vel etiam Dei Numine incommodam ferret valetudinẽ, suo nihilominus expendio interim gaudeto. LXIV.

Qui pecora aliumue commeatum hostibus auerterint, ea ne aliò abducunto, sed in ipsis castris, quod gregario militi bonum sit atq; commodum, non arrogante sed tolerabili ad Quæsitoris aut Ductoris sui arbitrium imposito pretio diuendunto.

LXV.

Nemo, quam alter sibi peperit prædam, per vim ei eripito, vel auferto. Rei culpæ huius ad decretum Ducis puniuntor. LXVI.

Nemo libertatem carnificum, quam habent iuris communis, violare attentato, qui violauerit, morte multator. LXVII.

Dum profectionis ducitur ordo, nemo inter impedimenta exercitus proficiscatur, nisi qui graui valetudine infirmus sit, & à Capitaneo suo veniam huius indulgentiæ impetrarit.

LXVIII.

Singuli impedimenta sua vel appendiculas impudicarum mulierum, si quibus adhærent, vetè non cõiugibus, cum id mandatum ab Archistratego vel Capitaneo suo in ipso primo delectu, aut postea acceperint, pro fide sacramento præstita; & sub periculo famæ & honoris amittendi dimittunto.

LXIX.

Nullus ex Capitaneis alterius milites, si qui à vexillo suo deficerent, citra Capitanei alterius conscientiam & voluntatem suscipito; sed neq; eques, qui Dominum suum in eadem expeditione desereret, à quopiam Peditum numero adlegitor, neq; demum vllus alteri quempiam ex suis auertito.

LXX.

Nemo colludentem auctiore deposito prouocato, neque is, cui præsens est pecunia, ludum producito: quantumcunq; verò lucrum in futurum dandum alteri contigerit, ei tamen nihil alter debeto.

LXXI.

Si qui hosce conscriptos articulos non obseruarent, ij tanquã periuri & criminis rei pœnas pendunto, iuxta decretum iuris, & Archistrategi sententiam. Et si quid in enarratis legibus vel obliuione vel silentio præteritum esset, militari nomine & virtute non alienum, omnia tamen delicta & errata militum Archistrategi iudicio relicta, eiusdem vindice sententia puniuntor.

LXXII.

Porro omnes pedites, qui breui longoue tempore post in exercitu hoc Nobis & Imperio militare & mereri cæperint, nominibusq; datis suis peculium susceperint, licet præsentes in has leges cum iuratum est, nõ fuerint, earundem nihilominus pari necessitudine & obseruatione tenentor, perinde ac si coram adfuissent.

LXXIII.

Si quibus constitutionum harum obliuio surrepere-ret, ij quouis tempore Prætorem castrensem accedũto earundem relectionem & instructionem, quã ipse dare debebit, capturi.

LXXIV.

Ad tres menses iuranto, quos vltra si eorum fuerit opera necessaria, vi harum constitutionum ad omne tempus, quo opus fuerit, conscripti & susceptinec recusando, nec excusando militanto, omnia intelligendo pro horum codicillorum tenore.

ADNOTATIO ALIQVOT ARTICVLORVM SVPERIORIBVS ANNEXORVM.

I.

QVãdoquidem Germanis Ducibus, Equitũ Magistris, & Capitaneis non solum pro maiorum suorum ad se manãtibus priuilegiis & traducta libertate, verum etiam iuxta tenorem tum priorum, tum earum, quæ nunc sunt imperij constitutionum, licitum est & liberum, exteris Dynastis germanas adducere copias, & verò cum idem sibi ius hoc tempore alij, qui nati Germani non sunt, arrogare & vsurpare velint, nõ absq; præiudicio & detrimento, quod inde

in Germanicam nationem redundare posset; idcirco nemini extero deinceps, qui nec imperij, nec regionis fidei & tutelæ imperij cõmissæ indigena est, fas esto, Germanas copias, siue equestres siue pedestres eę fuerint, Ducis, Magistri equitum, aut Capitanei more colligere, scribere, & ducere. Quod si contrarium vnus pluresue peregrini Duces & Commissarij in imperio tentarent, omnis illorum conatus tum per generales circulorum Præsides, tum per Nos ipsos, vbi necessitas postularit, amoliendus erit, & prohibẽdus. Interim & in illos, siqui contra nostras, & imperij cõstitutiones nomina sua exteris Ducib. & Commissariis darent, Magistratus eorum, cui subditi sunt, vel intẽta actione postulatus vel officio ductus animaduertito & pœnam statuito, nunquam in posterum in Germanorum militum numero perferendos.

II.

Germanicæ copiæ, cæteriq; omnes, qui ab exteris Dynastis conscripti annuo stipendio merebuntur, in literis auctorationis suæ nominatim excipiunto, nolle se vnquam contra sacrum Germanorum imperium, & caram sibi patriam, eiusq; quamcunq; nationem arma sumere, siue ad offendendũ, siue ad defendendum sumenda fuerint, quin imò ante testantor, eiusdẽ inprimis salutis studio & incolumitatis amore militiæ se tradere, nullo ei modo repugnaturos, quocunq; tandem ab exteris Principib. proponi prę scribiq; possit. III.

Miles Germanus, & qui hunc regunt Ductores & Magistri, dum sub exteris Dynastis militant, ordinem & disciplinã militarem enarratis iam & à Nobis imperioq; constitutis legibus, præterea iuri Equestri, articulisq; iam positis conformem instituunto & tenento. IV.

Quod si quispiam ex Ducibus, Magistris equitum, Capitaneis aut aliis, qui in officijs erunt siue inter equites siue pedites, atq; vniuersim loquendo si quisquam militũ, dum exteris Principibus militant, contra nostras, & imperii has leges, contraq; iura equitũ, & supra positos articulos, recedẽdo ab ordine & disciplina militari committeret, aliaue ratione famam suam & existimationem labefaceret, tum verò inprimis si ordinum Ductores cum subiectis sibi militib⁹, quà hostium circumuentionibus, quà fraudulentis machinationibus, tum quoad commeatũ, tum quoad vestitum, vel etiam approbatis indebita arma imponendo, vel, quibus id fieri potest modis, stipendio suo, & debita contra hostes tutela fraudando perfidiosè & iniquè agerent, eos omnes, etsi impuniti inde loci recesserint, Magistratus tamen ordinarius, cui parent, cum primum id resciuerit, vel officio, vel intẽta alicuius actione ductus iudicio arcessito, & pœnis efficito: Et si quo in loco Magistratus deesset, factumq; interim manifestum castigationem exposceret, Nostrum erit, vt qui summam rerum potestatem gerimus, ex officio, aut quia ad nos querela defertur, causam cognoscere, iuxtaq; Nostras & imperii constitutiones, iura equitũ, & articulos, æquam in reum pœnam statuere & pronuntiare.

V.

Et quia res omnino ad omnis generis iacturas & detrimenta pręcauenda bonum ordinem exigere videtur, vti nimirũ vexilla instruantur & constent quã exercitatissimis & peritissimis militibus, tum etiam idoneo armorum apparatu, sed inprimis insignibus sclopetariis, quorum industria & virtus nostris hisce temporibus, quando præcipuè externæ Nationes ad hoc militiæ genus erudiuntur & exercentur, permagni omninò momenti est; idcircò statutum est, vt sub singulis vexillis quadringenti, & inter hos cẽtum apprimè armati cum oblongis hastis, quorũ singuli breuiore sclopo instructi sint, constituantur, inter quos centum armati dimidiata parte, ij nimirũm, quorum stipendium supra 8. florenos excrescit, plena armatura integrè loricatis manicis graues incedũto, & insuper 50. de veteranis & probè exercitatis militibus, qui & ipsi suam armaturam tum ad stipandum vexillum, tum ad alium, quẽ casus offeret, vsum circumferant, singuli præter romphæas & alia breuiora arma vt bipennes, etiam minorem sclopum silice ignipotentem de zona suspensum ferunto. Quinquaginta reliqui simplicem militum, qui hastas gerant, manum cõficiunto. Quæ omnia deinceps seriò Ducibus & Capitaneis in cõscriptionibus & auctorationibus cõmendabuntur. VI.

Ducenti, qui restant, sclopetarij sint galeis oppugnatoriis, frameis, & similiter venaticis sclopis, igniario silice benè instructi. Porrò singulis mensibus exercentor, & applicitum ad malas sclopum exonerare edocentor. Omnis autem artificiosæ explosionis indocilis, aut ignarus in pœnam à sclopo ad hastam ferendam deponatur, & in eius locum, qui ex gregariis militib. idoneus videbitur, substituatur, quo ad artẽ rectè explodendi discendam, & in mutuũ sui conspectum progrediendum, illis & alacritas, & animus addatur. VII.

Et quoniam exteræ nationes sclopetariis duplicato sclopo formidandis vti assuescunt, singula vexilla ex hoc genere decem constituunto.

VIII.

Ex prædictis sclopetariis memorati cẽtum 5. quinquaginta 6. quadraginta 7. vel 8. & reliqui decẽ, qui duplicato sclopo onerantur, 10. florenis in menses sustentantor. IX.

Sub quolibet vexillo minimum octo, decemque Nobiles, aut alij probatæ virtutis, & experientiæ singularis milites habeantur, qui ampliore stipendio cõducti equis suis, quos ipsorummet erit alere, Ducis sui aut Capitanei voluntati & necessitati pareant, sed inprimis rectionibus sclopetariorum seruiant.

Atq; leges illæ sunt militiæ Germanicæ, quæ si accurate, seuereq; custodirentur, haud sane arma Sultani timerentur; nec prisca Romanorum militia nobis admiranda videretur. Et præclarè tamen multa obseruantur. Sed crebro inopia stipendij, dissimulatio ducum, auaritia centurionum, militum licentia, ciuilibus præsertim bellis bonas leges non opprimit modo, sed ne vocem quidem earum exaudiri patitur.

CAPVT LXI.

Victoria serio, iuste, moderate vtendum.

§. 1. QVOD Maharbal Hannibali dixit, *Non omnia nimirum eidem dij dedere, Vincere scis Hannibal, victoria vti nescis*, id multis euenit. Tã in momẽto pendebat vti victoria, quam vincere. *Mora eius dici satis creditur saluti fuisse vrbi atq; imperio.* Sic Romani crediderunt teste Liuio: Nec vane, si enim vrbi perculsæ superuenisset, facile occupare eam potuisset. Victoria multo sanguine comparata facilime corrumpitur. Itaq; hoc agendũ est, vt debellent, non vt triumphẽt. Marius victis Teutonis tota nocte reliquias per pancos suorum territauit, postridie vicit. Securitati suorum cõsuluit Hermocrates Syracusanus, iniecto metu nouis hostis. Front. l. 2. c. 9. *Hermocrates Syracusanus, superatis acie Atheniensibus, veritus ne captiui, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parum diligenter custodirentur, quia cuentus dimicationis in epulas, & securitatem compellere victores poterant, finxit proxima nocte equitatum hostilẽ vẽturũ: qua exspectatione assecutus est, vt soluto attẽtius vigilia agerentur.* Primam victoriam diligenter vsurpauit L. Martius eques Roman⁹, Frõt. l. 2. c. 10. *Titus Martius eques Romanus, qui reliquis exercitus duorum Scipionum præfuit, cũ in propinquo bina castra Pœnorũ pauci milib. pas-*

Vtendum victoria.

sum

sum distarent, cohortatus milites, proxima castra intempesta nocte adortus est: & cum hostem victoriæ fiducia incompositum aggressus, ne nuncios quidem cladis reliquisset, breuissimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte raptim famam rei gestæ prægressus, altera eorundem castra inuasit. Ita bis simili vsus euentu, deletis vbiq; Pœnis, amissas populo Romano Hispanias restituit.

§.2. Serio igitur victoria vtendum, vrgendique successus, & trepidis instandum: Cum enim in magnis etiam prœlijs, vt res nunc agitur, pauci cædantur, cæteri facile se recolligant, plus plerunq; temporis quam damni est in recenti victoriâ; præsertim si & hosti sint sua funera, & habeat fortuna regressum. Victoria egregie vsi sunt Pisistratus & Conon, Duces Athe[illegible]nses. *Pisistratus*, inquit Front. l. 4. c. 7. *Atheniensis, cum excepisset Megarensium classem, qua illi ad Eleusin noctu applicuerant, vt operatas Cereri sacro fœminas Atheniensium raperent, magnaq; edita cade eorum vltus esset suos, eadem quæ ceperat nauigia Atheniensi milite compleuit, quibusdam matronis habitu captiuarum in conspectu locatis, qua facie decepti Megarenses, tanquam suis, & cum successu renauigantibus eff si obuii inermesq; rursus oppressi sunt. Conon dux Atheniesium victa classe Persarum apud Insulam Cypron, milites suos captiuis armis induit, & ipsi classem barbarorum nauibus ad hostem nauigauit in Pamphyliam, apud flumen Eurymedonta. Persæ quia & nauigia & habitum superstantium agnoscerent nihil cauerunt: subito itaq; oppressi, eodem die & nauali & pedestri prælio victi sunt.*

Cauta benignitate habendus victus.

§.3. Quod ad victum pertinet, ita ille tractandus est, vt aut nolit, aut non possit rebellare; imo vt nec velit, nec possit. Vt nolit benignitate, vt non possit, cautione efficiendum. Romani vtroq; modo Imperium stabilierunt. Benignitate initio vsi sunt, Tatium cum Sabinis victos in vrbem receperunt. Albanos et cum opibus vrbi intulerunt, atq; ita sibi & victis consuluerũt, cum id efficerẽt, vt ex hostibus amicos, ac ciues fidissimos haberent; neque enim postea discrimẽ Sabinorum, Albanorum, aliorumq; fuit, omnes Romani fuêre. Captiuum non repugnantem occidere non licet, quia dum capitur, fides datur vitæ, alioqui sese defendisset. Sæuire in captiuos non licet, vt Pœni fecerunt. Bona tamen captiuorum Victori cædunt. Lex est, πάντα τῶν νικωμένων ἀγαθὰ τῶν νικώντων γίγνεσθαι. Omnia victorum bona cedere victoribus. Quod si victis imperare obsides, tributa, deleq; operas voluissent, næ illi haud vrbes nobiles in officio continuissent; vel inter se, vel cum vicinis rebellassent. postea adulta potentia id fecerunt, & in victoria crudeliores fuere.

In captiuos non est sæuiendum.

§.4. Quod si in vrbem & iura ciuium admittere non placeat, quod Romani potentiores fecêre, socios & subditos faciant, postquam enim socios ciuesq; tot habuerunt, vt aliã nullam Remp. timerẽt, victos tributarios fecerunt & subditos. Hoc in genere curãdũ, vt subditi bene habeãtur, sic n. cõsequẽtur victores, vt nõ timeãt opprimi; hæc vero securitas fideles efficit. Itaq; in ipsa victoria sit clemẽtia, qa iure gentiũ deditis parcit. Vt post victoriã hostilitas desinat.

Victoria iusta sit.

§.5. Victoria quæ iusto bello contra iniurtiam obtenta, debet etiam iusta esse. Vt innocentibus grauis nõ sit, vt auxilijs grata, finitimis nõ onerosa. Tormentis extorquere thesauros, inermes impubereſq; cædere, libidinibus omnia fœdare iniustum est. Hæc maiore cura Imperator, quam hostium arma vitabit, per hæc enim victoriæ fructum perdet.

Superbia est pernitiosa victoriæ.

§.6. Moderata sit, ne superbe, crudeliter, intemperanter grassetur. Superbia quidẽ plurimos in ipsa victoria euertit. Romanos stratagemate, hoc est, nobilissima victoria sine sãguine ad ferculas caudinas Põtius Samnitũ Imperator vicerat; nam indagine cinxerat, cum parens eius vt vel oẽs dimitteret illæsos, aut omnes interficeret, sapienter suasisset, contumelia irritatos sibi infestiores effecit, sub iugum enim misit. Pari enim modo Sesostris Rex Ægyptiorum insolentia victoriæ orbem offendit, cum Pharios currus regum ceruicibus ageret, cum in regionibus, quas facile occupasset, ad exprobrationem ignauiæ, pudenda muliebria sculpta erigeret. Itaque breui regnum Ægypti concidit. Modestus erit, si sciat, se sola occasione victorẽ fuisse, facili occasionis mutatione vincendum. Vere Polybius κρατεῖ δὲ ἐπὶ πάντων μὲν τῶν ἀνθρωπείων ὁ καιρὸς, μάλιστα δὲ τῶν πολεμικῶν. *In omnibus rebus humanis, sed maxime in bellicis pollet occasio.* Sæpe plus quam virtus.

Conuersione iustissima vinci potuit victor.

§.7. Crudelitas etiam abest. In hostem supplicem ira indecora, clementia diuina est. Seruandi sunt, qui crudeles & immanes non fuerunt, Truculentum consilium Machiauelli l. 3. c. 31. Is enim, quamuis alios modos etiam probat, euersionem tamen liberarum ciuitatum præfert. l. de princip. c. 5. *Parte dominationis, si ex veteri consuetudine libera fuerit, & sui iuris viuendi ratio, in eo vt ius tuum retineas, triplex affertur modus. Primus vt illum penitus euertas: Alter vt eo ipse demigres ad habitandum. Postremus, vt suis legibus & libertate (annuã dumtaxat pensionem exigens) sinas illum vitã degere. Paucorum item ibi, qui illum dominatum tibi in amicitia conseruatum curent constituas: qui dominatus cùm à principe sit ibi locatus, nouit sine eius amicitia & potentia se non posse consistere, obnixeq; omnia propterea sibi agenda existimabit, quo illum illi tueãtur. Spartiatæ atq; Romani exemplo nobis esse possunt, Athenas Spartiatæ obtinuerunt & Thebas, ibiq; paucorum dominatu constituto, amiserunt tamen. Romani Capuam, Carthaginem, Numantiam censuerunt delendas, non amiserunt. Graciam fere ad Spartiatarũ modum retinere voluerũt, nec abrogatis eius legibus, eorum votis respondit: sic vt ad eam retinendam coacti sint multas in ea prouincia vrbes euertere. Quocirca nullum consilium tutius afferri potest, quo secure possideantur, quam euersio. In cuius enim potestatem venit ciuitas, suis legibus quæ sit assueta vitã ducere, nec is euertendam putat, illam se euersuram exspectet. Semper enim desciscendi tempore habet, quo confugiat, ad suos nempe illos priscos ordines, qui nec temporis diuturnitate, nec beneficiorum collatione vnquam obliuioni tradi possunt, & vt quibus fiat, quicquid prospiciatur (non distractis ac dissipatis habitatoribus) nunquam illud libertatis nomen institutaque ex eorum animis excidant, & ad omnem rerum euentum flatim eo fit reditio: veluti à Pisanis post tot annos à seruitute illa, ad quam Florentini eos adegerant. factum vidimus.* Nimis durum est & barbarum occidere, ne aliquando rebellent, cum tot sint rationes rebellionis arcendæ: vt migratio, abductio nobilium, coloniarum inductio, arcium adiunctio, armorum ademptio. Nec dubium Romanos pessime sibi consuluisse, cum Carthaginem, Numantiam, Corinthum delerent. Præterquam enim quod cum desperantibus magna clade certarunt, et commoda sua minuerũt: pecunia viriſq; quib. vrbes illas deleuerunt, integra regna comparare potuerũt. Nec alia causa quam insatiabile odiũ, aut nominis inane decus famosarum vrbium interitu ducibus quæsitũ. Nec sic tũ contra rebelliones securi fuerũt. Moderatio sit, quia vno ab ictu stetit, vno momẽto si præuertisset, tuo iugulo hæsisset hostilis gladius, qui tuũ ferum recepit. Pulchre nos poëta gentilis erudit:

Ρεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέπει δὲ βριάοντα γαλέπτει,
Ρεῖα δὲ ἀριζήλου μινύθει, καὶ ἄδηλον ἄϊζει.
Ρεῖα δὲ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κύρτει.
Σεὺς ὑψιβρεμέτης ὁδ' ὑπερφίαλα δάμαλλα γάιει.

Facile extollit, facile elatum deprimit.
Facile clarum minuit, & ignobilem auget.
Facile corrigit incuruũ & superbum in nihilũ redigit.
Iupiter altitonans supremas habitans domos.

Romani clemẽtius aliquando pro ingenio ducis victoriam exercuerunt. Mitis in victoria Marcellus. Silius l. 14. sed raro tales imperatores.

Ditmarsi ab Holsatis pressi, cum in templum fugissent, & religione se tutos fore sperarent, Holsati admotis ignibus viuos exurere tetabant; at illi eruptione facta impiam victoris crudelitatem vindicarunt, & duodecim Duces & Comites ac duo millia ceciderunt.

Victi admodum varia in causa.

§.8. Nihilominus tamen in hostes immanes & humani iuris ignaros vltio permittitur seuerior. Dauid serrauit populum Ammonitarum, & circumegit super eos ferrata carpenta, non absque diuino iussu, quia eiusmodi pœnas meruerãt. Alioqui valde agendum leniter cum eis, qui subditi principi suo seruiũt, nec belli causas examinant, nec possunt, imo etiam qui rebellasse videntur. Sthenius Mamertinos ad defectionem sollicitauerat, eos delere Pompeius cogitabat, Tum Sthenius. *Non equum facis Magne, quod propter me vnum noxium tot innoxios occidere paras:* quam animi magnitudinem incolumitate sua & ciuitatis donauit. Quanto truculentius Seuerus, qui omnes, qui ab Albini partibus steterant, nequicquam necessitatem temporis excusantes sine discrimine trucidauit?

Quin aliquando seueritas imperatur. Saul à regno deiectus est, quod pepercisset Agago mortem merito, Achab quia dimisit virum dignum morte, pro illo datus est, & populus eius pro populo Syro.

§.9. Romanorum in victoria aliquando pacatior animus, sed plerunque nimia crudelitas, & fastus fuit. Victos venundari ordinarium fuit, seruari ad triumphum, hoc est, certam mortem, solenne. Multi etiam ad ludum gladiatorium, aut bestias damnabantur, vt mirum non sit, acrius illis restitisse gentes. Romani alioqui donec receptui signum datum esset, omnes trucidabant, etiam canes & animalia, vt terrerent; Verum hæc causa est fortius resistendi.

§.10. Victor ne omnia frange, nam est & in clade præsidium, memineris iam tua te perdere.

§.11. Victori etiam pacem suadeo. Si Hannonem Pœni audissent post Cannensem victoriam, pacem à Romanis impetrassent æquam & honestam. Multo meliorem eâ, quam Hannibal à Scipione ante prælium poposcit. Multis contigit, vt pacem quam negarent in aliena calamitate inexorabiles, frustra deinde mutata sorte rogare cogerentur. Periculum semper est, ne potentiori se iungant victi, & nouum bellum concitent.

Miseri sunt victi, sed violentior est vltima virtus, quia pro salute illi, victores pro decore pugnant.

Pax æqua danda est; nam duram, cõtumeliosamque nemo seruabit diutius, quam necesse est. Quis enim Athenienſibus suadeat, vt pacem Minoi seruent, cum iuberentur dare

——— *Septena quot annis*
Corpora natorum.

Gratissima pax est, & durantissima, cum præter opinionem datur commoda, & inexpectata victis. Hæc enim facit, vt victi in partes victoris trahantur.

Victores cohibe ne spargantur. Fusa acies sequentes sæpe fudit. Prouide ne vincare, deinde vt vincas. Vbi viceris moderare animo, & pacis causa pugnasse te ostende. Pugnabunt qui fugere non possunt, pacemque negatam extorquebunt, aut suam victori imponent.

CAPVT LXII.

Victo quid agendum.

In clade magnus animus victoriam sperare potest.

§.1. PAcem accipere expedit victori, victo necesse est. Imo vinci interdum prodest, vt fracta ferocia discant pacem pati.

§.2. Quamuis magna clade perculsus sit, animum tamen imo & arma teneat: sub clypeo pax melius conficitur. Romani tribus ingentibus prælijs victi, clade Hispaniensi iuncta, hoc solo imperium tenuêre, quod animis non cecidêre. Conspirabant post Cannensem pugnam ciues, defecerunt socij, Hannibal tabernas argentarias venumdedit. Stetit tamen Romana seu virtus seu metus Punicæ crudelitatis & perfidiæ. Cladem fortiter accipiendo, gradum ad victoriam fecerunt. Imitati sunt eam virtutem aliquando barbari. Vercingetorix Auarico expugnato nec animo defecit, nec in occultum se abdidit, sed in oculis ciuium versatus auctoritatem laudemque in aduersis tenuit. Cæsar l.7.

§.3. Animos igitur spiritusque pristinos præferat; speret meliora, nam tristissima tra sierunt. Parum vnius horæ fortuna profecit, si animus erectus est. Bello victor esse potest, qui prœlio sæpe victus est.

Egregia cõstantia in aduersis.

Veneti grauissimo prœlio victi à Francisco Mediolanensium Duce, cum nullus pene euasisset, intra triduum exercitum repararunt, & hostem petere pacem coëgerunt; Franciscus Foscarus enim eorum Dux pecunia proiecta in medium monuit, vt suo exemplo omnes conferrent, effecit, vt quid magnitudo animi posset, omnes intelligerent. Egnat. l.3.c.2.

§.4. Victus omni vi, arte, vigilantia annitere, vt victoriæ fructum corrumpas, concute pectus, & omne genus honesti stratagematis inueni, dabit occasionem victoris securitas. Nec vetera duntaxat sectare. Noua semper inuenienda. Thar. l.1. ἤκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥᾳστοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' ἁτῶ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παραυτίκα τυχεῖν. *Minime bellum ex decreto geri potest, ipsum ex se multa artificiose molitur ad ea quæ eueniunt.*

§.5. Si moderata victor imperat, accipiãtur conditiones, si grauia, potenti se principi committant, tanquam deditij. Campani à vicinis pressi, Romanis se dedunt, eorum hostes deleti sunt. Florentini cum à Castrucio Senensi opprimerentur, Robertum Regem Neapolitanum accepetunt in vrbem. Castrucij, deinde & Senensium vires attritæ sunt.

Vires cum desunt vigilantia & ars compensat.

§.6. Arma etiam exere; Si enim post magnam cladem velitationibus, & paruis damnis victorem fecurum afficias, auctoritatem recuperas, & famam victoriæ laceras. Ignauiam tollat necessitas, cuius irritatæ sunt grauissimi morsus. Quacunque potes arte Martẽ repara in spem pacis. Pompeius victus in Hispania, Italia pulsus, clades illas non æstimauit, In Pharsalia victus Ægyptum petiit, Bellum reparatum est in Africa, Hispania, Philippis, Sicilia; Timuit Antonius, nec bellum reparauit, cum facile Ægyptum, multarumque gentium auxilia contrahere potuisset, sed perire solus maluit.

§.7. Clades quantum fieri potest, occultanda, ita tamen, vt remedia non differantur. Vrbes interim opportune occupandæ & firmandæ, ancipites in officio continendæ. Nunquam vires deerunt, si deliberes.

§.8. Hæc omnia eo tendunt, vt æquam & minime suspectam pacem ineas, illa inter eos qui pares videntur, optime conuenire solet.

Pace claudendũ bellum.

§.9. Pacem itaque & Victor concedat, & victus accipiat. Pax enim finis est belli. *Tantum est n.* ait Aug. l.19. de Ciuit. c.11. & 12. *pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri. De quo si aliquanto diutius loqui voluerimus, non erimus, quantum arbitror, oneroſi legentibus, & propter finem ciuitatis huius, de qua nobis sermo est, & propter ipsam dulcedinem pacis, quæ omnibus chara est. Quod enim mecum quisquis res humanas, naturamq; communem vtcunq; intuetur, agnoscit, sicut nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud*

quam

quam vincere volunt: ad glorioſam ergo pacem bellando volunt peruenire. Nam quid eſt aliud victoria, niſi ſubiectio repugnantium. Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella: & his etiam qui virtutem bellicam ſtudent exercere imperando atq; pugnando. Vnde pacem conſtat eſſe belli optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nam & illi, qui pacem in qua ſunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, ſed eam pro arbitrio ſuo cupiunt commutari. Non ergo vt ſit pax nolunt, ſed vt ea ſit quam volunt. Denique etſi per ſeditionem ſe ab aliis ſeparauerint, cum eis ipſis conſpiratis vel coniuratis ſuis niſi qualemcunque pacis ſpeciem teneant, non efficiunt, quod intendunt. Proinde latrones ipſi vt vehementius & tutius infeſti ſint paci cæterorum, pacem volunt habere ſociorum. Sed etſi vnus ſit tam præpollens viribus, & conſocios ita cauens, vt nulli ſocio ſe committat, ſociiſque inſidians & præualens, quibus potuerit oppreſſis & extinctis prædas agat, cum eis certe quos occidere non poteſt, & quos vult latere quod facit, qualemcunq; vmbram pacis tenet. Pax illa quamuis firma quæratur, non erit tamen ſine aliquo bello, aut ſuſpicione belli, Iniuriæ ſuſpicioneſq; vitam humanam, etiam amicorum omnino impleuerunt. *Sed neq; Sancti*, inquit Aug. l. 19. de Ciu. Dei, c. 10. *& fideles vnius veri Dei ſummiq; cultores ab eorum fallaciis & multiformi tentatione ſecuri ſunt. In hoc enim loco infirmitatis & diebus malignis etiam iſta ſolicitudo non eſt inutilis, vt illa ſecuritas, vbi pax pleniſſima atq; certiſſima eſt, deſiderio ſeruentiore quæratur.*

Ad hanc igitur pacem non modo per bella, ſed etiam per pacem humanæ ciuitatis aſpiremus. pacem ordinatiſſimam & concordiſſimam ſocietatem fruendi Deo, Pacem vbi nullum bellum, nulla contradictio, pacem ſecuram, perfectam, plenam, pacem, ſupernæ Ieruſalem; quam tu DEVS da in virtute tua, cum abundantia in turribus tuis.

FINIS.

INDEX

INDEX

RERVM MEMORABILIVM, IN QVO NVMERVS PRIMVS LIBRVM, SECVNDVS CAPVT LIbri, tertius paragraphum capitis significat.

Aaronicis sacerdotibus vino & sicera interdictum erat 6.10.7
Abbatis ineruditi de monacho indocto ordinando testimonium inefficax est 6.1.6
Ablecti ex sociorum legione sumebantur. 10.30.5
Abraham plurima mancipia habuit 8.15.2
Abrahamus negotiator fuit 8.10.3
Abusus priuilegiorum varii. V. Priuilegiorum abusus
Academia vnde ducatur 4.13.1
Academia Moguntina seueras examinandi leges habet 4.16.15
Academiæ erigendæ ius penes Pontificem & summos Monarchas est 4.13.2
Academiæ Franciæ in promotionibus variis titulis collatorum graduum causas explicant 4.16.17
Academiæ indignos promouentes, ipso iure priuilegiis priuantur. 4.16.9
Peccato mortali, periurioq; se obstringunt. 4.16.10.& 13.
Academia in locis amœnis, fœcundis, salubribus constituendæ sunt. 4.13.1.2
Academiæ iudicium præfertur iudicio prætoris. 4.14.7
Academiæ omnes visitationibus opus habent. 4.6.18
Academiæ quando obstant doctrinæ 6.13.4
Academiæ quomodo integritati restitui possint. 4.16.18.19
Academiarum nocitura statuta quidam mordicus tuentur. 4.6.16
Academias cur quidam oderint. 4.16.9.10.& 11
Academici honores cæteris politicis honoribus maiores æstimantur. 4.16.1
Academici honores publicæ eruditionis testimonia sunt. 4.16.2.10.11
Academici nihil sciri contendebant. 1.6.7.
Academicis honoribus nullus studiosorum insigniendus est, nisi in doctrina Christiana versatus sit. 4.8.9
Academicis testimonii Ecclesia multum tribuit. 4.16.11.& 12
Academicis vrbibus qualia priuilegia concedi debeant. 4.14.2.& 3
Academicorum graduum & facultatum ordo. 4.16.3.& 4
Academicorum in promouendis indignis temeritas corrigenda est. 4.16.17
Academicos gradus cur respuant nobiles. 4.16.11. 6.13.4
Accensorum officium. 7.30.1
Acclamationes & applausus magnificabant. 7.5.8
Acclamationum Ecclesiasticarum exemplum. 7.5.8
Achæus Rex à Lydu ob auaritiam pedibus suspensus est. 9.8.4
Aciei nauali ordo. V. Naualis belli ratio.
Aciei ordinem tormentorum nostrorum ratio requirit. 10.42.2.& 4
Aciei ordo necessarius est. 10.37.8
Aciei veteris ordo. 10.37.1
Aciem hostilem qua parte aggredi optimum sit, ex eius dispositione colligere debes. 10.37.10
Acierum varia genera & exempla. 10.40.1.& seq.
Acierum variæ formæ. 10.38.25 10.39.1.2.& 3.
Acies posterius, & contra hostilem instruenda est. 10.37.9
Acies priscæ non sunt reducendæ. 10.42.1.2.& 3
Acies Romana duplex præcipue, subinde etiam triplex aut quadruplex fuit. 10.37.2
Acies Romana in qua parte vitiosa fuerit. 10.37.1
Actiones ius vocatæ sunt. 5.2.7
Actionum humanarum varietas. 5.4.3
Actuariorum officium. 7.24.4
Adhortationes apud indisciplinatos infructuosæ sunt. 1.1.5
Administros principum & Reipublicæ, diuites esse expedit. 8.5.7
Adrianus gnauus fuit & laboriosus imperator. 3.5.5
Adrianus Cæsar in aggressu imperii insidias passus est. 9.4.2
Adolescentis ingeniosi & stupidi signa externa. 4.7.2
Ea sæpe fallunt. 4.7.3
Adulationis efficientia. 6.2.3
Adulatores comperti odio sunt. 6.2.4
Adulatores principibus spolia Ecclesiæ concedunt. 6.9.2
Adulatores principum, eorum sunt irrisores. 6.1.5.& 6
Quibus remediis contra hos principes se firmare possint. ibid.
Adulatores quasi adaulatores dicuntur. 6.1.3
Adulatoribus nihil dandum. 6.1.5
Adulatorum consilia noxia sunt. 7.13.7
Aduocati non plus accipere à partibus possunt, quam Assessores Cameræ constituunt. 7.24.3
Aduocati primum amici fuerunt. 7.24.1
Aduocati procuratores esse vetantur. 7.24.3
Aduocati Romæ dignitates facile consequebantur. 7.24.1
Aduocatis multa olim priuilegia concessa fuerunt. 7.24.2
Aedificando quidam omnes opes suas exhauriunt. 3.10.7
Aedificantium ambitio legibus sumptuariis coercenda est. 8.14.8.& 9.
Aedificantium solenne erratum. 8.14.8
Aedificationes domorum splendidarum, priuatos recta ad paupertatem ducunt. 8.14.8
Aedificia principis sint infra eius maiestatem. 8.14.9
Aedificiorum celsitudo est diminuenda. 8.14.9
Aediles olim potentes fuerunt. 7.26.1
Aediles Romani sumptus inanes in ludos fecerunt. 7.26.3
Aediles se & hæredes pro operis publicis à se erectis soliditate obligabant. 7.26.6
Aediles sub se viarum & aliarum rerum curatores habuerunt. 7.26.5

Aedilium plebis officium. 7.26.2.7.. 8.9
Aegri solitarie habitantes parua solatia habent. 6.17.13.
Aegyptia lex suribus propria. 5.12.1
Aegypti astuta fuga. 10.48.2
Aegyptii barbara opera per damnatos & captiuos effecerunt. 8.12.4
Aegyptii castra publico sumptu munienda censuerũt. 10.33.6
Aegyptii cur tot nouos Deos habuerint. 9.9.1
Aegyptii secreta hostibus prodenti linguam abscindebant. 10.58.1
Aegyptii seditiosi. 9.14.15
Aegyptii superstitiosi & in reges contumeliosi. 2.14.21.13. & 16.2.16.4
Aegypti regem propheta Daniel regem Austri nominat. 6.313
Aegyptus discidijs periit. 9.19.1
Aequalitas fundamentum est societatis humanæ. 5.12.4
Aeraria in loco munito sunt constituenda. 8.7.14
Aeraria quæstores spoliaria faciunt. 8.7.21
Aerarij augẽdi rationes tã honestæ quã inhonestæ variæ. 8.6.2
Aerari augendi sex regulæ. ibid.
Aerarij militaris separata constitutio laudatur. 8.7.14
Aerarij primus exstructor. 8.7.7
Aerarij sacri auctor. 8.7.14
Aerario census, tributa &c. omnium in conspectu inferre expedit. 8.7.20
Aerario priuato detrahere & publicum augere, magna laus principis est. 8.7.7
Aerario publico princeps, nisi ad vsum publicum, vti non potest. 8.7.7
Aerarium æternum tantum bello Gallico destinatum erat. 8.7.14
Aerarium censuum Cæsar spoliauit. 8.7.14
Aerarium censuum opulentissimum fuit. 8.7.14
Aerarium est cor Reipublicæ. 8.7.7
Aerarium exhausta ciuitate euacuatur. 8.17.7
Aerarium exhaustum mercatura repletur. 8.10.9
Aerarium Romanum immensi gladiatorum, ludorum spectaculorum sumptus exhauserunt. 8.13.7
Aerarium sacrum ad extrema Reipublicæ tempora reseruabatur. ibid.
Aerarium triplex apud Romanos. 8.7.14
Aes alienum in multis Germaniæ prouinciis principibus suo arbitrio contrahere non licitum. 1.24.8
Aschines virum propria negligentẽ, alienis insidijs dixit. 5.6.5
Aethiopes liturgia S. Matthæi vtuntur. 6.5.5
Aethiopes magistratus ex corporũ proceritate & forma creabant. 1.18.2. 1.25.19
Regem è popio eligebant. 5.12.1
Aethiopiæ Episcopus septimus in ordine patriarcharum. ibid.
Aethiopiæ præsul patriarchæ locum tenet sed caret patriarchali potestate. 6.36.9
Affabilitas. V. Humanitas.
Afri ebrietati addicti, à Christiana lege sobrietatem didicerunt. 3.14.4
Agæ apud Turcas officium. 7.21.12
Agentium in rebus, varia officia. 7.30.2
Agesilaus hosti fortiori cessit. 10.43.6
Agis dux Atheniensis fœneratorum tabulas combussit. 8.17.7
Agis matri iniqua postulata constanter negauit. 3.6.7
Agmina volatica. 10.38.25
Agrariæ leges Rempublicam Romanam perdiderunt. 9.3.2
Agri apud Romanos bellorum præmia erant. 8.11.3 & 16
Agricola in magistratu esse possunt. 1.4.1
Agricolarum immunitati multæ leges & statuta patrocinantur. 8.11.11
Agricolis belli tempore immunitas concedenda est. 8.11.10
Agricultura ars naturalis est & iusta. 8.11.1
Agricultura omnium artium fundamentum est. 8.11.1
Agricultura præmio pœnaq; promouenda. 8.11.4
Agriculturæ Germani veteres non studuerunt. 8.11.7
Agriculturæ omnes qui Rempublicam prudenter instituerunt, primas dederunt. 8.11.2. & 6
Agriculturæ nomine quænam complectantur. 8.11.16
Agriculturam Ottomanni magni faciunt. 8.11.1
Agri fertiles & infœcundi miscendi. 8.11.15
Agri insignes adhuc in Germania sunt ab aratro nondum violati. 8.11.8
Agri limitanei Romæ omnino liberi fuerunt. 8.11.16
Agri noui quærendi. 8.11.5
Agrippa opera immensi sumptus sed vtilia Romæ exstruxit. 8.14.9
Agrippa Rex sacerdotium regno maius esse fatetur. 6.43.3
Agrorum cura Romanis ingens fuit. 8.11.4
Agros & solum incultum excolendi ratio. 8.11.6
Agros limitaneos milites colebant. 8.11.16
Agros Romani viritim diuidebant. 8.11.3
Agros tributa aliaq; commoda steriles faciunt. 8.11.9
Alani & Armeni propter Deos bella inter se gesserunt. 10.8.4
Albanus Dux cum Guisio in regno Neapolitano pugnare noluit. 10.43.7
Albertum Brandeburgicum arx Hermensteiniana ab inferiore Germania prohibuit. 8.23.5
Albicerius magicus diuinator fuit. 1.6.9
Alcibiades de venia ab Atheniensibus impetranda desperans, multas ab illis ciuitates abalienat. 9.8.6
Alcibiades per simulatam proditionem Syracusas cœpit. 10.52.2
Alexander aciem in omnem partem spectantem ordinauit. 10.40.5
Alexander amicorum animos thesauros suos esse dixit. 8.5.5
Alexãder Aristoteli patriam solo æquatam exstruxit. 4.9.10
Alexander assessoribus iudicum de publico salaris constituit. 7 23.2
Alexander auerso Euphrate Babylonem cepit. 10 46.14
Alexander aurum vndiq; harpagauit. 8.5.5
Alexander cum tota familia extinctus est. 2.7.6. & 7.2. 5.4. 3.9.2. 9.45.11. 10.5.2
Alexander cur hirco comparetur. 1.7.2.3
Alexander famam suam pluris, quam gesta fecit. 8.4 5
Alexander Imperator belli dux egregius fuit, omnibus merito imitandus. 10.22.5
Alexander in laboribus & exercitijs militaribus primus esse solebat. 10 24.10
Alexander inter epulas Clytum sibi carissimum transfodit. 3.15.3
Alexander libidinosus fuit. 1.7.3
Alexander Macedonibus crebro rebellantibus duces Persas dedit. 9.16.2
Alexander Magnus barbam radere milites iussit. 10 16.1
Alexander omnium suorum literas in Macedoniam destinatas legit. 9.16.6
Alexander patrem negauit, eiusq; laudatores occidit. 1.7.2
Alexander Phereus dormiens ab vxoris fratribus interfectus est. 9.8.2
Alexander primus Asiæ Monarcha fuit. 1.7.5
Eius successores. 1.7.6
Alexander prodigus & simul auarus fuit. 3.10.2
Alexander prouinciarum præsides non ad beneficium sed ex iudicio dedit. 7.7.2
Alexander Rom. imperator senatui populoq; vniuerso amabilis fuit. 3.19.5
Alexander Seuerus artium inutilium vectigal instituit. 8.7.11
Alexander Seuerus benignitate conspirationes vicit. 9 15.5
Alexander Seuerus egregium parsimoniæ exemplum regibus & principibus dedit. 8.9.7
Alexander 600000. Persarum fugauit. ibid.
Alexander temere omnibus bellis interfuit. 10.23.4
Alexander temperantia militibus exemplo fuit. 10.22.10
Alexander veneno Babylonio sublatus est. 1.7.5. 2.5.4.1 8.20.4
Alexandri crudelitas & violentia in Pardo figurata est. 3.16.8

Alexandri in conficiendis bellis & subiugandis regnis celeritas. 1.7.2

Alexandri in hostium nobilitatem clementia. 9.2.3

Alexandri in militem frigore obstupefactum humanitas. 3.11.3

Alexandrini à Vespasiano multa sperantes, eum imperatorem fecerunt. 9.8.7

Alexandri Seueri laborandi constantia. 3.5.3

Alexandri Seueri nobilis de inutili aulicorum turba sententia. 8.9.6

Alexandro comitas salutifuit. 3.11.6

Almutiæ Clericorum quid significent. 6.6.11

Alphonsus Rex asinum molitoris onustum, è luto extraxit. 3.19.19

Alphonsus rex in Caietana obsidione Ciceronis villa pepercit. 4.9.12

Alphonsus hosti fugienti pontem aureum sternendum esse censebat. 10.49.1

Amage regina Schytarum Regem cum amicis interfecit. 10.25.2

Ambitio creberrima belli causa est. 10.8.7

Ambitio etiam in paruulo magistratulo est. 6.43.3

Ambitionis malum. 8.1.4

Ambitio plerumque rebellionum comes, sæpe causa. 9.8.9

Ambitiosis ad ordines sacros aditus non patescit. 6.12.9

Ambrosius controuersiarum dirimendarum labore occupatus erat. 6.8.5

Ambrosius inter forenses occupationes multa opera scripsit. ibidem.

Ambrosius solam fidem iustificare negauit. 9.26.17

Ameralius. 10.27.1

Americæ populi antropophagiam legibus sanxerunt. 8.10.2

Americæ populi vitiis dediti sunt. ibid.

Amici principum cupidi spe vel re tenendi sunt, sinceri vero ditandi. 8.5.5

Amicis carere mali animi indicium est. 2.11.1

Amicitia ciuium inter se Reipublicæ sanitas est. ibid.

Amicitia vera quæ dicatur. ibid.

Amicitiæ vinculum sunt boni mores. ibid.

Amilcaris contra Gallos profugos & seditionẽ molientes stratagema. 9.16.4

Anabaptistarum dux Christophorus Schaplerus. 9.11.4

Anabaptistæ omnibus magistratibus gladium extorquere conantur. 9.18.8

Anabaptismus in multas sectas diuisus est. 9.11.4

Anabaptismus ramus est de trunco Luthero. ibid.

Anacletus Romanæ Ecclesiæ primatum asserit. 6.21.5

Anaximenes ingeniosa versutia Lampsacum patriam liberauit. 3.4.3

Ancus Marcius salinas primus inuenit. 8.12.5

Andronicus ciuili furore crudeliter excruciatus, interiit. 9.2.1

Andronicus in obsidione Nicææ Euphrosynam machinis imposuit. 10.11.5

Andronicus principem hospiti non soluentem plagis fustuariis castigauit. 3.6.8

Angaria quale genus tributi, & quando qualiterve exigi debeat. 8.7.8

Angliæ Episcoporum elogium. 9.26.5

Angliæ reges peculiarem titulum habent. 7.5.1

Angliæ rex suprematum Ecclesiæ sibi arrogat. 6.37.1

Anglicana iudicia minus recte sunt constituta. 7.23.4

Anglicani ministri nomina vetusta hierarchici ordinis retinent, nostri reiiciunt. 6.37.1

Anglicanorum rusticorum seditio. 9.9.2

Animæ immortalitas ex eius natura concludi potest. 1.13.16

Annonæ cura vinculum ciuitatis. 7.27.1

Annonæ inopia Romæ crebras querelas ac seditiones dedit. 7.27.3. 9.13.2

Annonæ præfectus. V. Præfecti annonæ officium.

Annonam vrbis curare aut seruare honorificum. 7.27.2.& 4 9.13.2

Antichristi crudelitas non omnes Catholicos à fide absterrebit 6.28.4

Antichristi effusæ libidines. 6.29.1

Antichristi natale solum. 6.32.1

Antichristi præcursores sunt hæresiarchæ. 6.29.1

Antichristi præcursores libidinosi. ibid.

Antichristus à propheta Daniele describitur. 6.24.5 6.27.8 6.28.7

Antichristus Christum Dominũ humani generis redemptorẽ esse, factis & professione negabit. 6.28.11

Antichristus clam dæmonem adorabit. 6.30.1

Antichristus leges & tempora mutabit. 6.25.1

Adeptis totius orbis habenis, tyrannidem auspicabitur. 6.26.9

Eius regnum tres annos cum dimidio durabit. 6.26.2

Prorsus atheus erit. 6.28.9.& 10

Antichristus Deum Maozim colet. 6.30.3

Antichristus in monte Sion tentoria figet. 6.32.2

Antichristus qua ratione Iudæos sibi conciliaturus sit. 6.28.11.

Antichristus sanctos Dei conteret. 6.24.9.& 12

Antichristus vniuersalem apostasiam complebit. 6.26.10

Antigoni regis de diademate verissimum dictum. 7.3.7

Antigonus milite victo generose victoriam recuperauit. 10.48.7

Antigonus iniusta se bella gerere professus est. 10.8.6

Antimenes quo modo pecuniæ copiam confecerit. 8.16.60.& 61

Antinomi conscientias ab obligatione legum humanarum omnino securas pronunciant. 5.22.4

Antinomorum de lege Euangelica dogmata, errores & contumeliæ. 5.22.6.& seq.

Antinomorum origo. 5.22.4.12.& 13.

Antiocheni Christiani, Tyranni malitiam eluserunt. 3.2.9

Antiochi felicitas & crudelitas. 6.27.4. 6.28.4

Antiochi intolerabilis superbia diuinitus punita est. 6.27.5

Antiochi rabies in doctores populi præcipue grassata est. 6.28.5

Antiochus abominationem desolationis dedit. 6.28.2

Antiochus cur facie imprudens dicatur. 6.27.3

Antiochus Cypsalenses spe melioris boni ad deditionem pellexit. 9.8.7

Antiocho Danielis prophetiæ conueniunt. 6.27.3.& seq.

Antiochus Deorum cultor extitit. 6.28.9

Antiochus Epiphanes Romæ obses & pignus seruitutis fuit. 6.26.10. 6.27.1.& 3

Antiochus Epiphanes ruente Græcorum Monarchia regnare cæpit. 6.27.1

Antiochus luxuriosissimus fuit. 6.29.1

Antiochus templa spoliauit. 6.28.9

Antiochus typum Antichristi gessit. 6.26.9. 6.28.1.& 7. 6.29.1.& seq.

Antissæus indigens pecuniâ, optimam inuenit. 8.16.9

Antoninus Cæsar dictus philosophus veneno interiit. 9.4.1

Antoninus in militari excitatione se primum semper præbuit. 10.24.26

Antoninus philosophus omnem suppellectilem vendidit vt pecuniam conflaret. 8.15.8

Antoninus Pius insignis œconomus fuit. 8.9.6

Antoninus Pius prudentum consiliis obaudiendum dixit. 7.13.8

Antoninus Pius vectigalium collectoribus moderationem præcepit. 8.7.13

Antonius Caracalla optimi belliducis specimen dedit. 10.23.4

Antonius Magnus nunquam hæreticis pacifica verba dixit. 9.23.6

Aphoplistæ magistratus post bella necessarius. 10.27.4

Apicii immanis luxuries. 3.14.13

Apicius popinæ professor. 1.13.4

Quantum singulis commessationibus absorbserit. ibid.

Apocalypsin Caluiniani reiecerunt. 5.23.6. 5.24.4. 5.25.1

Apostatæ ad clericatum admitti non debent. 6.12.13

Apostatæ etiam suis viles sunt. 2.17.1

Apostatæ legibus testari vetantur. 2.8.7

Apostatæ sectarii pernicioſi sunt. 6.11.3

Apostatis Moguntinenses Theologi nullos honores conferunt 6.12.13

Apo-

Apostoli & dispersi & iuncti præsidem habuerunt. 6.37.9
Apostoli missam celebrarunt. 6.5.5
Apocalypsin à nullo intellectam dicit Pareus. 5.26.2
Apparitores honesto loco fuerunt. 7.30.2
Appianæ tyrannidis causa fauor populi fuit. 7.20.4
Appius Claudius decemvir arte patres & plebem decepit. ib.
Apries rex Aegypti ob acceptam cladem à suis reiicitur. 9.13.3
Aprum integrum in epulis P. Seruilius Rullus apposuit. 8.14.4
Aquæ penuria multas ciuitates inuictas ad deditionem coegit. 10.46.9
Aquensium rebelles, armati, senatum eiecerunt. 9.8.15.
Aquileienses fœminæ capillos in neruos arcuum impenderunt. 10.16.1
Aquisgranenses seditiosi magistratum exauctorarunt. 9.46.8
Arabia auri ditissima est. 8.12.3
Arabum bestialis vita. 5.12.1
Arcarii ad custodienda & exigenda tributa instituti fuerunt. 7.29.8
Arces & castra Iulii Cæsaris munita fuerunt. 8.23.5
Arces, Genuensis Gallo, & Pisana Florentinis vtiles fuerunt. 8.23.6
Arces instructas nemo facile aggreditur. 8.23.5
Arces quædam inexpugnabiles sunt. ibid.
Arces quæ vincuntur, hostem morantur. 8.23.5.& 8
Arces Romanorum castra fuerunt. 8.23.3.& 4
Arces spe beneuolentiæ non facile sunt diruendæ. 8.23.6
Arces tuta sumptuum compendia sunt. 8.23.5
Arces tam ex cespite quam saxo fiunt. 8.23.3
Arces vrbibus liberis vtiles non sunt. 8.23.2
Arces vtiles esse imprudenter negat Machiauellus. 8.23.3.4.5. 6.7.8
Archelai contra Sullã acies à cõmuni valde recedit. 10.40.7
Archiepiscopi aliquando dicuntur patriarchæ. 6.36.2
Archiepiscopi à Romana Ecclesia pallium accipiunt. 6.38.5
Eidem professionem fidei faciunt ibid.
Archiepiscopi & Episcopi regnorum Hispaniæ, quantos reditus quotannis capiant. 6.44.5
Archiepiscopi & Metropolitani pro iisdem accipiuntur. 6.38.1
Archiepiscopi intra biennium synodalem conuentum non indicentes, integro anno non audeant sacrificare. 6.38.7
Archiepiscopi moribus suorum diœcesanorũ inuigilare debẽt. 6.38.7.& 10
Archiepiscopi non vocandi primates. 6.38.4
Archiepiscopi omnes suis limitibus contenti esse debent. 6.38.6
Archiepiscopi vnde dicantur. 6.38.1
Archiepiscopis sine consilio Episcoporum, de horum causis nihil agendum est. 6.38.3.& 8
Archiepiscopum olim eligebant Episcopi ditionis. 6.38.2
Archiepiscopum sine consensu patriarchæ eligere, non licitum fuit. 6.36.4
Arcibus Franci regnum suum munierunt. 8.23.3.& 5
Arcibus Hispani & Lusitani vtrasq; Indias tenent. 8.23.3
Arcibus prouinciæ occupatæ tenendæ sunt. ibid.
Arcibus Romani imperium tenuerunt. ibid.
Arcis definitio. 8.23.4
Arcium tria genera probantur. 8.23.8
Archipresbyter Archidiacono subiectus est. 6.40.7
Archipresbyteri & Decani olim eadem, nunc diuersas habent functiones. ibid.
Arctoi audaces sunt. 1.14.8
Aretii Caluinicolæ blasphema stultitia. 6.2.6. 6.34.5. 9.25.3. 9.26.16. & 18. 9.43.2
Aretius imperatorem & principes speciatim morti destinat. 9.18.8. 9.25.3
Ariani quam Christo negarunt diuinitatem, imperatoribus tribuerunt. 7.4.2
Ariani suos Episcopos primarios, Patriarchas vocarunt. 6.36.2
Arietes machinæ bellicæ Ezechielis tempore vsitatæ fuerunt. 10.19.3
Arietes iam olim ẽt variis modis inutiles reddebãtur. 10.19.7
Arietes veterum nostra tormẽta paucis ictibus disficerent. ibid.
Aristocratia multarum improbitatum ac turpitudinum causa est. 1.21.13. 1.22.5
Aristocratia Romæ exiguo tempore durauit. 1.17.3
Aristocratia vt conseruetur, populo etiam munia quædam committi debent. 1.17.5
Qualia hæc munia esse possint. 1.17.5.& 6
Alia eius conseruandæ media. 1.17.7.8.9.10.11.12.
Aristocratiam diuersi ciuium ordines iuuant. 1.17.13
Metu conspirationum liberant. ibid.
Aristocraticam Reipubl. formam Monarchiæ præcellere nullæ rationes ostendunt. 1.22.2.& seq.
Aristocratiæ diuturnæ vnicum datur exemplum. 1.21.11
Aristocraticum regimen cui loco conueniat. 1.14.5
Aristides Cleates artificiosa fuga Dionysium à Cauloniæ oppugnatione abduxit. 10.48.1
Aristobulus fratrem Antigonum innocentem occidi iussit. 3.15.7
Aristomenes vna voce suos hostes terruit & in fugam conuertit. 10.41.5
Aristoteles Deum omnium etiam priuatorum administratorem esse docuit. 1.10.3
Aristoteles modos colligendi pecuniam varios honestos inhonestosq; tradit. 8.16.per totum.
Aristoteles Rhodius à duabus Phocaensium factionibus improbo modo pecuniam accepit. 8.16.21.& 22
Aristoteles tyrannis perniciosum consilium dat. 1.16.10
Aristotelis philosophia iam ab octingentis annis in scholis exponitur. 4.24.3
Arma defensiua multiplicia sunt. 10.16.1
Arma defensiua offensiuis priora sunt. 10.15.5
Arma defensiua veterum. 10.15.6.& seq.
Arma & armamentaria pro necessitate bellica mature comparanda sunt. 10.14.4. 10.15.3
Arma fortia & leuia vix haberi possunt. 10.15.19
Arma habere aut vendere nulli priuato licitum. 4.8.10
Arma in Gymnasium ferre studiosis prohibitum. 4.8.10
Arma militis membra sunt. 10.24.13
Armamentariorum etiam pijs regibus cura fuit. 10.14.5
Armamentariorum Romani maximam curam gesserunt. 10.14.4
Arma non omnibus permittenda. 9.8.15
Armis animatis quidam interdum vsi. 10.15.4
Arma offensiua cominus olim vsitata. 10.16.2.& seq.
Arma quibus eminus hostẽ veteres lædebant .10.17.1.2.3.4
Arma Romæ locis publicis custodiebantur. ibid.
Arma Romæ priuatis habere, emere, vendere vetitum fuit. ibid.
Arma vetera non sunt reducenda. 10.59.3.4.5.6.7
Arma veterum cuiusuis ordinis militum in acie decertantium. 10.37.1
Arma viua priscis vsitata. 10.18.1.& seq.
Armorum cura vrbium senatoribus committitur. 4.8.10
Armorum definitio & diuisio. 10.15.4
Armorum doctores ad tyrones instruendos constituendi sunt. 10.24.20
Armorum exercitatio cessans, exercitum perdidit. 10.15.18
Armorum promiscuam concessionem, multæ cædes consequuntur. 9.8.15
Arsames suorũ proditionẽ in suum commodũ vertit. 9.16.14
Ars regnandi maxima. 1.3.8
Ars regnandi vera, solida, humanis diuinisq; legibus consentanea, in his libris docetur. 1.1.8
Artemisia ne ab hostibus caperetur, duo signa pro opportunitate mutauit. 10.48.2
Artes diuitiis & paupertate intercidunt. 8.15.4
Artes in Republica tales habeantur, quæ nobiles quoq; & diuites faciant. 8.15.4
Artes liberales ingenium excolunt, & ad virtutem ducunt. 4.12.3
Artes liberales publice docendæ sunt. 4.14.3
Possunt tamen etiam in monasteriis, & à religiosis doceri. 4.14.4

Artes liberales quidam ob inane argutiarum studium infamant. 4.12.1.2
Artes mechanicæ non sunt sordidæ. 8.15.4
Artes mechanicæ Reipublicæ vtiles sunt. 8.15.3
Artes nobilium quæ olim fuerint. 8.15.4
Artibus omnes in republica, etiam pueri instruendi sunt .ibid.
Artifices à Republica iniuriosè repellit Aristoteles. 8.15.3
Artifices & architectos Salomon magni fecit. ibid.
Artifices in magistratu esse possunt. 1.4.1
Artifices in Repub. Israelitica & Romana honorati. 8.15.3
Artifices rerum inutilium & superuacui, noxii sunt Reipublicæ. 6.44.6
Artificibus barbaræ quædam gentes non egent. 1.4.2
Artificibus veteres priuilegia & immunitates cõcesserunt. 8. 15. 3
Artificum copiæ varia excogitant. 8.15.4
Artificum societates Romæ. 8.15.3
Artium liberalium minutiis quosdam inhærere, Reip. non est inutile. 4.12.4.5
Artium mechanicarum contemptus ex Græcorum philosophorum superbia ortus est. 8.15.4
Artium multitudo pecuniam attrahit facileq; retinet. 8.15.4
Artium mutatio Rebuspublicis multa commoda dedit. 5.13.1
Arx Mediolanensis totum fere ducatum tutatur. 8.23.5
Arx Tarento recipiendo Romanis occasionem dedit. 8.23.7
Asiæ magna fertilitas & populositas. 7.14.6
Asiæ reges supra omnes perfidi fuerunt. 3.7.4
Asiani C. Mucio Proconsuli festa instituerunt. 9.3.2
Assessores doctissimos & moribus integros esse oportet. 7.23 1. & 2
Assessorum imperialis camera numerus. 7.23.1
Assessores iudicibus ex vetustissimo more fuerunt. 7.23.2
Assessores olim iunioribus dabantur. ibid.
Astutia honesta stratagema est. 3.4.3
Astutia in vtramq; partem accipitur. 3.4.1
Astutiæ veteratoriæ definitio. 3.4.2
Astutiæ virilis exemplum. 3.4.3
Astuti aut finis aut medium malum, interdum vtrumq;. ibid.
Astutiam Deus homines q; detestantur. ibid.
Astutiam multi pro prudentia substituunt. 3.4.4
Asyla pro homicidis constituta, multarum cædium causa sunt. 5.7.5
Asyli ius cur datum sit. 5.7.3
Asylorum incommoda. ibid.
Asylorum iuri contraagentem comitem Bonifacium, Augustinus excommunicauit. ibid.
Asylorum licentia. ibid.
Athanasius sanctos inuocauit. 9.26.17
Athei cum corpore, & animam interire putant. 1.13.10
Per causas medias secundas, non per primam, quidvis fieri comminiscuntur. 1.13.14
Athei cum gentilibus Deo præscientiam auferre conantur. 1. 6. 8
Athei diuinam prouidentiam negantes, sacra scriptura impugnari possunt. 1.6.1
Athei fata è tenebris educunt. 1.5.2
Athei ex multitudine hæreseon nascuntur. 2.14.1
Athei non litasse dæmonibus, noxium Reipb. arbitrantur. 1.5. 3. & 1.6.1
Athei omnem religionem contemnunt. 9.10.2
Atheorum duplex genus. 2.14.1. & 2
Athei principes à subditis & extraneis odio habentur. 9.20.8
Athei pseudopolitici noxii sunt. 1.1.8
Ab vltimo fine aberrant. ibid.
Atheismus Politicen euertit. 2.14.1
Athei variis rationibus Dei prouidentiam impugnant. 1.13.1
Athei vnum solum crimen agnoscunt & puniunt. 2.14.1
Athenæ in viros claros semper iniquæ fuerunt. 9.8.6. & 11. 9.9.2
Athenienses in vnam vrbẽ causas vtiliter attraxerunt. 7.9.3
Athenienses Lacedæmoniorum agros ex insperato vastarunt. 10.25.1
Athenienses mediocre imperium habuerunt. 7.9.3
Athenienses thesaurum suum Delphis sub Apollinis custodia tutum credebant. 8.7.14
Atheniensium in necessitate bellica colligendæ pecuniæ mediũ. 8.16.8
Atheniensiũ leges carminice à Dracone conscriptæ sunt. 4.19.5
Atheniensium Magistratus infirmi, & populi vitiis impares erant. 7.19.5
Atheniensium politia inutilis. 7.19.7
Atheniensium Respublica cur pessime constituta. 7.7.6
Atheniensium ψευταναία. 7.19.7
Athenis studia floruerunt, ibique studuisse honestissimum fuit. 4.13.2
Athenis sub optimatum regimine perpetuæ discordiæ fuerunt. 1.21.12
Athenis tria Gymnasia fuerunt. 4.13.1
Attilius Regulus arma deponendi & prædia curandi veniam à senatu petiit. 10.28.3
Auaritia insatiabilis est. 3.9.7. & 13.
Auaritia malum pessimum & omnium malorum mater est. 7.22.18. 7.23.7
Auaritia, non opes damnantur. 8.5.2
Auaritia Rectorum, causa est seditionum. 9.8.3
Auarus auro immortuus. 3.9.17
Aues domesticæ incendiorum quandoq; administræ fuerunt. 10.46.3
Augustana confessio à suo auctore damnata est, ab aliis mutata & mutilata. 9.42.11. & 12
Augustana confessio cothurnus est. 9.42.12. 9.44.4
Augustana confessio duodecies mutata est. 9.44.4
Augustana confessio in nulla omnino Ecclesiola pura tenetur. 9.41.8. 9.42.12
Augustanæ confessionis subscriptores totum orbem damnant. 9.42.10
Augusti crudelitas. 9.8.2
Augusti imperatoris in addiscenda eloquentia egregia diligentia. 4.21.11
Augusti in successore deligendo peccatum. 1.24.6
Augustini cum hæreticis disputationes. 9.33.2. & 3
Augustini de fato sententia. 1.5.1
Augustinus Dei summam prouidentiam explicat. 1. 8.1. & 2. *De hac insignis eius discursus.* 1.13.18
Augustinus imperium Romanum fortuitum aut fatale esse negat. 1.8.1
Augustinus interdiu laborauit, noctu lucubrauit. 6.42.6
Augustinus iudicandis litibus occupatus fuit. 6.8.4. 6.9.4
Augustinus possessiones Ecclesiæ oblatas suscepit. 6.42.6
Augustinus pro matre defuncta missam fecit. 9.26.17
Augustinus syncretismum detestatur. 9.24.2
Augusto vultus serenitas salutem attulit. 3.11.6
Augustus ædificandi ambitionem coercuit. 8.14.9
Augustus ærariũ militare prudẽtissime seorsũ cõstituit. 8.7.14
Augustus annua imperia non probauit. 7.10.2
Augustus belligerans, & ducis & militis interdum officio functus est. 10.23.1. & 3
Augustus contra Sextum Pompeium altis nauibus vsus est. 10.50.3
Augustus cur vrbes libertate priuarit. 1.15.1
Augustus de rebus publicam salutem concernentibus scripto loquendum & consulendum putauit. 7.13.13
Augustus dum timidus, etiam sæuissimus fuit. 8.23.4
Augustus etiam eos, qui nec consulatum nec præturam in vrbe gessissent, in prouincias misit. 7.21.3
Augustus in acquirenda fama multus fuit. 8.4.5
Augustus in libello omnium ciuium, sociorum nomina, classes, prouincias, regna, tributa, vectigalia habebat. 7.7.4
Augustus ius & potentiam ad se callidissime traxit. 5.5.11
Augustus militem perpetuum constituit. 10.29.2
Augustus multa aduersa, continuasq; seditiones toto sui imperii tempore expertus est. 9.4.1
Augustus nepotes literas, & rudimenta militaria docuit. 10. 24.18

Augustus oblatam dictaturam deprecatus est. 7.20.2
Augustus patria & orbis pater intitulatus est. 7.5.1
Augustus proconsulum potestatem cautè eneruauit. 7.21.18
Augustus sauiens in metu, clemens in securitate vixit. 3. 16. 19.
Augustus senatorum filiis tribunatum & præfecturam alarum dedit. 10.26.4
Augustus senatorum liberis curiæ interesse permisit. 7.13.2
Augustus senatum Romanum purgauit. 7.13.2
Augustus suo & aliorum nomine quadragies septies ludos dedit. 3.16.9. 7.18.15
Augustus tria millia & quingentos feras vnis ludis dedit. 3.16.10
Augustus vno donatiuo 150. milliones promisit. 8.13.7
Aula castra, & aulici castrensiani olim dicti. 7.15.2
Aulæ Christianorum principum sæpe sunt officinæ scelerum. 2. 3.3
Aulæ Imperatoriæ primarii administri, principes sunt. 7.16. 2. & 3
Aulæ principum debent esse scholæ præsidum. 7.11.1
Aulæ principum improbis & ad gubernationem minime idoneis nepatescant. ibid.
Aularum magistratus minores. 7.16. 4.5.7
Aularum veterum vitium, nimia aulicorum multitudo. 7. 16. 6
Aulica licentia legem de non prouocando ad æquales haustus opprimit. 2.3.3
Aulici boni, principum sunt munimenta. 7.16.1
Aulici & parasiti principem in colligendo diligentem esse volunt, in custodiendo negligentem. 8.9.1.2. & 4
Aulici omnia quæ acquirunt vt peculia castrensia possident. 7.16.7
Aulus Albinus ob suspiciones falsas ab exercitu lapidatus est. 9.14.5
Auraicus princeps iconoclastas occidit. 6.24.11
Aureliani epistola de disciplina militari. 10.24.5
Aurelianus à suis partim pœnam merentibus partim innocuis occisus est. 9.8.6. 9.14.5
Aurelianus imperator maximis discordiis cõflictatus est. 9.4.1
Aurelianus plebi Romanæ præter frumentum etiam porcinam carnem distribuit. 8.13.7
Aurelius Antoninus oppida vetusta ac diruta vectigalium remissione restituit. 8.7.21
Aurum in Dalmatia principatu Neronis in summa tellure inuentum est. 8.12.2
Aurum tribus modis quæritur & inuenitur. ibid.
Auspicia damnat Christiana religio. 1.5.3
Austriacorum è familia multi optimiq; Imperatores extiterunt. 1.25.13
Auctor Clerum & Euangelicorum præceptorum obseruationem serio adhortatur. 6.48.1
Autor politicorum suorum criminatoribus respondet. 1.1.2.3. 4.5.6.7.8
Auctor quem ob finem de bello scripserit, ediderit. 10.1.7. & 8
Auctoritas magnum adiumentum Reipublicæ. 8.4.2
Authentica quæ dicantur. ibid.

B.

Babylonicæ turris auctor solam nominis gloriam quæsiuit. 8.8.2
Babylon Caluinianis est Papatus. 9.26.13. & 14
Babylonii ægros in foro deponebant. 4.25.10
Babyloni similem vrbem omnes Europæ Reges condere non possent. 8.8.2
Babylonis situs, opera, & magnitudo, & artificum multitudo. ibidem.
Babylon tyrannice exstructa est. ibid.
Baiazetem victum Tamerlanus caueæ inclusit. 1.21.7
Baldilus Gallus regem Childericum cum coniuge prægnante interemit. 9.8.11
Balista. 10.19.7
Baptismalium conuiuiorum fercula, donaria, conuiuarum numerus, patrinorum munera definiuntur. 8.14.3
Barbara auxilia non sunt aduocanda. 9.46.11. 10 11. 1
Barneueltius discordias prædicantium celare conatus est. 9. 39. 24
Barneueltius in extrema patriæ necessitate, ingentes opes collegit. 8.20.4
Barneueltius in Hollandia grauissimas exactiones suasit. 8.6.2
Baronum varias varii dant originationes. 7.17.7
Baronum vestitus ac ornatus qualis iuxta Caroli V. statutum esse debeat. 8.14.7
Barret nouus regum adulator est. 6.2.7. & 8.
Liberam eis tyrannidem permittit. ibid.
Basilcensis iconomachia. 6.24.11
Basilii cum Eusebio controuersia. 9.27.4
Basilius Magnus monachorum patriarcha est. 9.26.17
Basilius omnia sub diuinam prouidentiã cadere asserit. 1.8.1
Bassæ Turcarum magnæ auctoritatis sunt & potentiæ. 7.21.12
Bassæ Turcarum opulentissimi sunt. 1.16.11
Bassarum opes ad hæredes non transeunt. ibid.
Belgæ lanificia tractant. 8.15.4
Belgæ olim feri, nunc toto orbe cultissimi. 8.11.8
Belgæ rebelles bis in summo periculo seruitutis fuerũt. 9.46.11
Belgæ tempore induciarum seditiosi. 5.6.4
Belgarum dos præcipua humanitas. 3.11.8
Belgarum prisci cur incultiores fuerint. 8.10.5
Belgarum victus olim, habitatioq; miserrima. 8.11.8
Belgas comitate Nassouius ab imperio Hispano abduxit. 3. 11. 8.
Belgas Turcæ præcipue formidant. 9.17.3
Belgicæ ditiones frumenti inopia premuntur. 8.21.2
Belgii quæstorium. 7.29.11
Belgii totius Clerus non æquat vnius vrbis incolas. 6.44.5
Belgis norma fidei deest. 9.39.6
Belgu nummus decimus exactus seditionis occasio fuit. 8.6.1 9.8.4
Belgium totum iconoclastarum rabies peruasit. 6.24.11
Bella Alexander multa iniuste suscepit. 10.5.2
Bella alieno auxilio gerẽs, in manu auxiliatorum est. 10.28.1
Bella atrocia Deus abominatur. 10.11.2
Bella ciuilia atrocissima sunt. 9.2.1.2.3.4. 9.3.2. 9.46.3
Bella, cum arma virique parati sunt, in hostem accelerari debent. 10.25.1
Bella maturo & lento consilio suscipienda sunt. 10.10.2. & 3
Bella mox à diluuio crudelia fuerunt. 10.2.2
Bellandum ratione, non ira. 10.3.5
Bellantes in variis periculis sunt. 10.2.6
Bellantes sæpe loci natura plus defendit, quã pugnantium virtus. 10.38.23
Bella precibus auspicata & sustentata felicissime semper cesserunt. 10.13.3
Bellarminus atrocissimas hæreticorum calumnias sustinuit. 6.28.5. 8.32.1. 9.34.3. 9.44.10
Bella sine innocentiũ cæde vix geri possunt. 10.11.5. & 6. *Eis tamen iuxta leges tam in bonis quam in vita parcendum.* 10.11.4. & 7
Bellatores hostium discordias exoptant. 9.2.5
Bellatoribus etiam pacis tempore magnus honor habendus est. 10.14.2
Bellaturis potionem miscere, periculosum est. 10.3.5
Bellaturo quænam considerandæ. 1010.3
Bella vt plurimum iniqua sunt, aut inique geruntur. 10.8.1
Bellica clades domesticæ seditionis causa est. 9.13.3
Bellica exercitatio Romanis propria fuit. 10.24.10
Bellica scientia ad Rempublicam tutandam necessaria est. 10.3.4
Belli causa cum iniusta est, nemo militiæ nomen dare potest. 10.5.6
Belli causæ iustæ. 10.6.1.2.3.4.5.6.7.8.9.10. 10.7.1
Belli causæ magna cura ponderandæ sunt. 10.5.2.3.4.5.6.7 10.10.2
Belli ciuilis victoria, ipso bello miserabilior est. 9.46.6

Belli consilia etiam togatus & sacerdos dare potest. 10.1.2
Bellicosi imperatores literati & nunc sunt, & olim fuerunt. 4.12.6.& 7
Belli definitio. 10.2.1
Belli disciplina triplex. V. Disciplina belli.
Belli duces in primam aciem prosilientes, militem fugitiuum interdum retraxerunt. 10.41.1
Belli duces pios & innocentes esse oportet. 10.13.1. 10.22.5.& 7
Belli duces rem male gerentes, à Carthaginensibus in crucem agebantur. 10.10.3. 10.22.3
Belli duces sæpe grauiter peccant. 5.9.6
Belli duces serio de belli iustitia inquirere & iudicare coguntur. 10.5.6
Belli duces solos gloria manet, milites vero labores & pericula. (10.4.12 10.2.15
Belli duces vltra præscriptum sæuientes, grauissime delinquũt.
Belli ducis quænam debeant esse virtutes. 10. 22.3.4.5.& seq.
Belli dux magnus quinam dici possit. 10.43.3
Belli finis non est in manu incipientis. 10.2.8. 10.10.2.
Belli finis quis sit. 10.12.1
Belli fructus incertus, labor certissimus. 10.2.5.& 8
Bellis in ciuilibus qui neutri parti adsunt, ab vtraq; vexantur. 9.46.9
Belli indicendi ius penes quos sit, & esse debeat. 1.24.7. 10.42. 3. & seq.
Belli iniusti aut dubii damna quinam resarcire debeant. 10. 6.11. 10.11.7
Belli legitimi tres sunt conditiones. 10.4.1
Belli mala quam plurima sunt. 10.2.2.3.4.5.6.7.8.9.10
Belli naualis ratio. V. Nauale belli ratio. & Classi multo plura desunt quam exercitui terrestri.
Belli offensiui ius principibus subordinatis ordinarium non concedendum. 10.4.5.& 6.& 10.
Extraordinarium interdum conceditur. 10.4.7.8.& 9.
Belli quodnam grauissimum malum. 10.2.2
Belli socialis M. Liuius Drusus Tribun. plebis auctor fuit. 9.3.2
Belli sumptuum paradigma. 10.54.6
Bello boni plus patiuntur quam mali. 10.2.13
Bello captos Christiani Europæi in seruitutem non redigũt. 5.19.3
Bello Christiana mansuetudo non repugnat. 10.3.5
Bello ciuili durante quando & quibus partibus sit abstinendum. 9.46.3.& seq.
Bello ciuili finito etiam pax sæuit. 9.2.5. 9.46.3.& 4
Bello ciuili flagrante, barbari in patriam non sunt vocandi. 9.46.11. 10.11.1
Bello ciuili iusto, interdum abstinendum; aliquando, præuiso etiam crudelissimo exitu, minimè. 9.46.4.& 5
Bello ciuili victi omnes occiduntur. 9.2.2
Bellorum commoda & felicitas ex alienis incommodis & infelicitate proueniunt. 10.2.14
Bello cur & quando rex aut princeps interesse debeat. 10.23.1. 2.3.5.6.& 7
Bello hostem in suo solo lacessere, si vires pares sunt, multa commoda habet. 10.44.1
Bello literæ & paci ex æquo necessariæ sunt. 4.12.7
Bello necessaria maturè, & in pace comparanda sunt. 10.14.1 & seq.
Bello religio perit. 10.2.4
Bellorum causa sæpe mulierum raptus fuit. 10.7.5
Bellorum causæ iniustæ. 10.8.2. 3.4.5.6.7.8.& 9. 10.9.3
Bellorum duci magna libertas permittenda est. V. Duci bellorum magna libertas permittenda.
Bello si Imperator aut rex interfit ipse res dirigat, non dirigatur. 10.23.1.& 5
Securitati suæ consulat. 10.23.3.& 4
Bellorũ suasores & consiliarii quales vt plurimũ sint. 10.10.2
Bello vitia aluntur. 10.2.3.
Bellum à multis contra vnum attentatum, non magnopere metuendum est. 10.38.5
Bellum causa dubia inferens, iuste repellitur. 10.5.3.& 4
Bellum ciuile magis vitandum quam externum. 9.46.3
Bellum ciuile omnem disciplinam recusat. 9.2.4
Bellum ciuile Syllæ & Marii, crudelitate sua notissimum est. 9.2.5. 9.3.2. 9.46.3.& 4
Belli ciuilis Cæsareani & Pompeiani crudelem victoriam, pericula mitigarunt. 9.46.10
Bellum contra naturam est. 10.2.12
Bellum cuius finis rectus non est, iniustum est. 10.12.2
Bellum defensiuum propriis auspiciis Potestates quamuis defendentes gerere possunt. 10.4.4
Bellum Deus approbauit & sancti gesserunt. 10.3.2
Bellum facta restitutione omittendum est. 10.9.2.3.& 4
Bellum facturus omnia prius sua communire debet. 10.10.1
Bellum facturus quænam præcipue præparare debeat. 10.15.1
Bellum famem & paupertatem aduehit. 10.2.9.& 10
Bellum in exercitatos non facile sumendum est. 10.43.6
Bellum iniquum grauissimum est malum. 10.5.1
Bellum inter Flandros & Hollandos 400. annorum. 9.9.11
Bellum Manichæi licitum esse negarunt. 10.3.1
Bellum omnino prohibentes, hæretici sunt & Reipublicæ proditores. 10.3.3
Bellum Peloponesiacum funestissimum. 9.9.9
Bellum qui sine auctoritate principis gerit, damna restituere debet. 10.4.11.& 12
Bellum sociale omnium maximum & Romanis grauissimum fuit. ibid.
Bellum vt contra hostium socios iustum moueatur, duo requiruntur. 10.6.9
Benedictinorum monachorum opera imperatores vti sunt. 6.46.4
Benedictinorum monasteria amplis prouentibus dotata sunt. ibid.
Benedictinorum ordo multos insignes Antistites dedit. ibid.
Benedictinorum ordo totum Septentrionem conuertit. ibid.
Benedictinus ordo Imperio & Reipub. emolumenta dedit. ibid.
Benedicti ordinis Abbatem multi, principum ius in Imperio Romano consecuti sunt. ibid.
Beneficia animarum curam quænam habere censeantur. 6. 41. 3
Beneficia, cessante officio, subtrahenda. ibid.
Beneficia Ecclesiastica eruditioni rarissima, fauori pene omnia dantur. 6.13.8
Beneficia Ecclesiastica per concursum conferenda sunt. 6. 12. 7
Beneficia Ecclesiastica propter officia dantur. 6.41.2.& 3
Beneficia ingratis non sunt conferenda. 3.8.5
Beneficia nocitura negare, summum beneficium est. 3.9.5
Beneficia non curata petentes, in quibus examinandi. 6.12.7
Beneficia nondum vacantia petentes, biennio suspendendi. 6. 41. 3
Beneficia non elocanda, nec diuidenda, nec pensionibus grauanda sunt. ibid.
Beneficia non sunt ad nobilitatis aut iuuentutis alimenta fundata. ibid.
Beneficia optime meritis nulla dantur, & in malos aceruantur. ibid.
Beneficia opulentis olim non dabantur. ibid.
Beneficia plura bene de se meritis Ecclesia permittit. ibid.
Beneficia plura cum dispensatione possideri possunt. ibid.
Beneficia plura curata qui possidet, ipso iure priuatur. 6.41. 3
Beneficia plura sine legitima dispensatione multi possident. ibid.
Beneficia plurima si paucis conferantur, cultus diuinus minuitur & animarum cura negligitur. ibid.
Beneficia sine spe lucri temporalis aut muneris distribuenda sunt. ibid.
Beneficiati necessitas ex circumstantiis pensanda est. ibid.
Beneficiatis leges salutares præfixæ. ibid.
Beneficiis Ecclesiasticis eruditio multum iuuatur. 6.13.8
Beneficiorum Ecclesiasticorum collatores eruditionis rationem habere debent. 6.13.5. 6.41.3
Beneficiorum collatores nihil petere, nec oblatum sponte, accipere possunt. 6.41.3

Beneficiorum pluralitas vetita & detestabilis est. ibid.
Beneficiorum tertia pars graduatis danda. 6.13.4
Beneficium accepturi iureiurando se simoniace non egisse affirment. 6.41.3
Beneficium ante decimum quartum annũ nulli dandum. ibid.
Beneficium curatum petens quomodo examinandus. 6.12.7
Beneficium per laicum procurans & accipiens, priuilegio Ecclesiastico excidit & excommunicationi subiacet. 6.41.3
Berenice regina à Seleuco priuigno trucidata est. 1.7.7
Beza de fide exterũ & remotis gentibus prædicanda non multum laborandum dicit. 6.37.6
Beza ex ordine Hierarchico papæ primatum euincit. 6.37.9
Beza materiam calcis Domini mutat. 6.5.2
Beza sanctos viros ambitionis accusat. 6.8.6
Biblia. V. Scriptura sacra.
Bibliothecæ in cathedralibus constituendæ. 6.13.7
Bibliothecæ nominatissimæ. 4.16.20
Bibliothecariæ leges. 4.16.21
Bibliothecarum instruendarum modus. 6.13.7
Bibliothecas condere non est opum puuatarum. 4.16.20
Bibliothecas veteres non ad vsum, sed spectaculum & ornamentum extruebant. ibid.
Bigami non sunt ordinandi. 6.38.6
Bombardæ cæteras machinas bellicas fugarunt. 10.19.1
Bombardarum ictus omnem fere militum munitionem pertranseunt. 10.59.7
Bombardarum vis. 10.59.2
Bombardis fundæ Romanorum impares sunt. ibid.
Boni malorum impiâ vitâ ad virtutes excitantur. 1.13.7
Boni pro æterno præmio laborant. 1.13.8
Bonorum consortum, bonitatis indicium est. 6.10.30
Bonos Deus probat & tuetur. 1.13.6. 9.13.1
Bonosus imperator potator, vinum per corpus quasi per vtrem effundebat. 3.4.15
Bracchius equos fessos ad consequendam victoriam quomodo excitauerit. 10.18.5
Brambaricarii. 7.30.2
Brasilii munia militibus & agricolis diuidunt. 1.4.2
Brentiani. 9.11.6
Britannici ludiones Germaniam infestant. 3.13.6
Brutiani quinam dicti. 7.30.1
Brutorum domus tanquam triumphales extrorsum aperiebantur. 8.16.4
Bucerus sacramentarius. 9.11.5
Bucquoius ex Budovicii industria tuitione summam laudem consecutus est. 10.35.4
Byzantii in pecuniæ penuria publicos lucos & loca sacra vendiderunt. 8.16.3
Byzantii ius ciuitatis in necessitate precio conferebant. 8.15.5 8.16.3
Byzantium studiis claruit. 4.13.3

C.

CAecilius Claudius Isidorus homo priuatus H S. sexcenties, seruorum 4116. iuga boum 3600. reliqui pecoris 250000. testamento reliquit. 8.11.16. 8.14.9
Cæcinæ negotiatur am exercuit. 8.10.7
Cæritum tabulæ. 7.20.5
Cæremoniarum, & sacræ supellectilis externus decor magni faciendus. 6.4.9
Cæsar ærariaspoliauit. 8.7.14
Cæsar agrarias leges tulit. 9.3.2
Cæsar consul aureos lateres suffuratus, æneos auratos substituit. 7.18.8
Cæsar cruentis spectaculis maxime delectatus est. 3.18.2
Cæsar diadema recusauit. 7.3.6
Cæsares Augustis proximi fuerunt. 7.14.3. 7.15.1
Cæsares quinam olim & à quibus dicti. 7.15.1
Cæsar flagitiosissime prodigus fuit 8.13.7
Cæsar fortissimos milites in prima acie collocauit. 10.37.1
Cæsar hostem fame vincere semper conatus est. 10.54.4
Cæsar in Alpino oppidulo primus quam Romæ secundus esse maluit. 2.2.3
Cæsar in conficiendis bellis celerrimus fuit.
Cæsar in decem annos consul & dictator renunciatus est. 7.18.7
Cæsar in necessitate coëgit pecunias, à sociis emendicando. 8.19.23
Oppida sine causa diripiendo. 8.19.24
E capitolio aurum surripiendo. 7.18.8. 8.19.25
Res alienas vendendo. 8.19.26
Euidentissimas rapinas & sacrilegia exercendo. 8.19.27
Cæsaris arces & castra munita fuerunt. 8.23.5
Cæsaris continuati magistratus Romano imperio necessarii fuerunt. 7.10.2
Cæsaris crudelitas. 3.15.3. 3.16.11
Cæsari superbia plus quam tyrannis nocuit. 3.19.5
Cæsar militibus singula interdum mancipia & prædia viritim dedit. 8.13.7
Cæsar in funere patris apparatum scenæ argenteum necdum Cæsar fecit. 3.16.9. 8.13.7
Cæsar nimio fastu fidissimos milites & principes in sui exitium armauit. 9.8.11
Cæsar octingentos leones in circum produxit. 3.18.6
Cæsar peregrinarum mercium vectigal imposuit. 8.7.11
Cæsar Pompeium muro claudere conatus est. 10.33.9
Cæsar proditionem amabat, proditores oderat. 9.16.14
Cæsar Romanis clara tyrannidis indicia dedit. 7.10.2
Cæsar seditionis auctores disiunctos trucidauit. 9.16.1
Cæsar sociorum spoliator insignis de repetundis recte edixit. 7.9.1
Cæsar temeritate seditionem discussit. 9.16.3
Cæsar vndecies centena nonaginta duo hominum millia bello occidit. 10.2.2
Caius imperator naturam simulatam exuit. 1.16.4
Calcis præpositura dignitas fuit apud Romanos. 7.30.2
Caligula ad cogendas pecunias, lupanar domesticum erexit. 8.19.12
Alia lusit & peierauit. 8.19.13
Locupletes equites confiscauit. 8.19.14
Stipem coëgit, strenasq; petiuit. 8.19.15
Delectus acerbissimos egit. 8.19.16
Diuitum possessiones vendidit. 8.19.34
Caligula consulibus de natali suo edicere oblitis, magistratum abrogauit. 7.5.7
Caligulæ immanis prodigalitas. 3.10.6
Caligula in vnam cœnam quantum impenderit. 1.13.4
Caligula noua & inaudita vectigalia imposuit. 8.7.13
Caligula nullam vestem bis induit. 3.10.6
Caligula prodigus, rapax, crudelis fuit. 3.14. 11.12. 3.16. 11.28. 8.9.7.
Caligula se Deum faciebat, ipsusq; sibi sacrificabat. 6.30.2
Caligula sibi ab omnibus testamenta legari præcepit. 9.8.3
Caluiniani à Catholicis supplicio affecti, quales martyres sint. 6.24.11
Caluiniani alias religiones ferre non possunt. 9.26.17
Caluiniani diem aduentus Domini se cognouisse iactitant. 6.26.11
Caluiniani Germaniæ sunt turbatores. 9.17.3. & seq.
Caluiniani in cœna Domini magnos panes requirunt. 6.5.2
Caluinianorum in fame malitia. 9.13.2
Caluiniani in Lutheranos calumniarum plaustra prouehunt. 9.24.12
Caluiniani iustitiam nullis sceleribus interire posse docent. 9.31. 6.9.38.3. 9.41.4. & 7.
Caluiniani lege humana obligari nos negant. 5.8.16
Caluiniani Lutheranorum doctrinam calumniis proscindunt. 6.24.12
Caluiniani Ministri in suos principes Ecclesiasticam potestatem conferunt. 9.18.7
Caluiniani Ministri Episcopos principes esse posse negãt. 9.18.4
Caluiniani Ministri quamdiu Ecclesiasticam pacem turbant, imperii auctoritatem conuellunt, pax stabiliri non potest. 9.18.1. & seq. 9.25.5

Caluiniani Ministri pacem turbant, imperii autoritatem & societatem dissoluere conantur. 9.17.1. & seq. 9.18.4. & 8. 9.25.7

Caluiniani Ministri suæ hæresis defendendæ causa, multa de Catholicis fingunt & calumniantur. 9.32.1. 9.34.2

Caluiniani obstant ne ius dicatur. 9.17.8

Caluinianorum facinorum catalogus. 9.41.7

Caluinianorum fraus crudelis. 3.4.2

Caluinianorum mollium artes. 9.10.6

Caluiniani prædicantes falsarii sunt. 6.21.3

Caluiniani prædicantes sunt archisycophantæ. 6.21.2

Caluiniani prætores suorum principum principes sunt & carnifices. 9.26.5. & 18

Caluiniani reges ac principes, nisi seruitutem seruiant, à suis subditis tuti non sunt. 9.26.2

Caluiniani rigidi mollibus silentium indici volunt. 9.24.5 & 7

Caluinianorum rigidorum improbitas. 9.24.9

Caluinianispacem offerentibus credi non potest. 9.25.7

Caluiniani suos principes bestiæ decicornis apocalypticæ adoratores faciunt. 6.33.6.9.25.3.9.26. 16.9.42.9.9.43.2

Caluiniani VVicleffum angelico honore dignantur. 6.23.1

Caluinianus populus solos improbos amat. 9.41.7

Caluinianus quidam tollere Episcopatus magnum scandalum censet. 6.37.1

Caluinicolæ Societatem Iesu & Catholicos infamant, vt indigni auditione videantur. 9.44.10

Caluinismi scandala. 9.41.7

Caluinismus in principes est atrox. 9.26.5. & 18

Caluinismus ob sua paradoxa apud omnes gentes infamis est. 9.21.2

Caluini errores. 9.11.4

Caluinistæ ad concilium liberum, pium, generale appellant. 9.41.1 & 4

Caluinistæ Antiocho magis impii sunt. 6.27.8

Caluinistæ Apocalypsin reiecerunt. 5.23.6. 5.24.4. 5.25.1

Caluinistæ Arminiani & Gommaristæ nouæ synodo pacem agitant. 9.44.3

Caluinistæ bello offensiuo Pontificem oppugnandum docent. 9. 25.5. 9.26.12. & 13

Caluinistæ cum Turcis colludunt. 9.21.3. 9.28.1

Caluinistæ cur adeo sæui in Catholicos. 9.25.7

Caluinistæ eos, qui Imperium Romanum Augustum, Sacrum, dicunt, idolomaniæ damnant. 6.33.7. & 8

Caluinistæ ex scriptura se fidem suam ostendere non posse fatentur. 9.35.3

Caluinistæ Germani gentibus Christianis ludibrium debent. 6.33.7

Caluinistæ iconomachi sunt. 6.24.11

Caluinistæ imperatorem electum nihil à Pontifice accipere, frustra adlaborarunt ostendere. 6.33.7

Caluinistæ imperatorem & principes speciatim morti destinant. 9.18.8.9.25.3

Caluinistæ imperii maiestatem depressam cupientes, perduelles sunt, iugumq; Mahometanũ in votis habẽt. 6.33.8.6.34.3

Caluinistæ in omnes omnino Catholicos bellum parant. 9.25. 3.11.5.6.7.9.26.12. & 13.9.44.1

Caluinistæ Lutherani insidiantur, & nos interim accusant. 6.5.1

Caluinistæ Lutheranos aiunt furiosos esse. 9.26.6

Caluinistæ molles iudicem controuersiarum Magistratum volunt. 9.39.3

Caluinistas odium papæ trahit in amorem diaboli. 6.33.7

Caluinistæ papam ferro & igne persequendum docent. 6.28. 11. 9.25.5. 9.26.12. & 13

Caluinistæ ridigi clam exitium struunt mollibus. 9.24.7

Caluinistæ rigidi iudicant molles nequiores Turcis & Iudæis. ibid.

Caluinistæ rigidi mollium accusatores. 9.24.8

Caluinistæ sacramentorum sunt profanatores. 6.28.3

Caluinistæ seculares Catholicos essa, spirituales vero carnem papatus esse docent. 9.25.3. 9.26.4

Caluinistæ seditiosi sunt. 9.21.3

Caluinistæ se Turcicarum virium & victoriarum contra Imperium obtentarum causam esse profitentur. 9.21.3

Caluinistæ sine Concilio se damnari posse negant. 9.42.7

Caluinistæ, spreta Numinis sententia, veritatem à creatura petere Catholicos calumniantur. 9.31.8. & 10

Caluinistæ suæ sectæ Regem Sacratissimum, Diuum & Diuinum appellant, imperatori nomen Augusti inuident. 6.33. 8. 9.34.4

Caluinistæ suos principes infamant. 9.26.15. 9.42.9

Caluinistæ suos principes omnesq; Imperii subditos è libro vitæ delent. 6.33.6

Caluinistæ teterrimas in Bellarminum contumelias confinxerunt. 6.28.5. 9.32.1. 9.34 3. 9.44.10

Caluinistæ vt imperium Romanum Satanæ auctoretur, multum hactenus laborarunt. 6.33.7

Caluinistarum calumniis & famosis libellis non semper respondendum. 9.34.2

Caluinistarum cum Lutheranis contentio. 6.5.1

Caluinistarum de imperio & principatu impia doctrina. 6. 33.4.6.7. 6.34.5. 9.25.3. 9.26.2.16. & 18. 9.43 2.

Caluinistarum Deum cacodæmonem esse probant Lutherani. 9.44.8

Caluinistarum documẽta ad principũ pernicie. 9.26.2. & 18

Caluinistarum Hollandorum syncretismus. 9.24.5

Caluinistarum nobilis in conuitiando põtificem inconstantia. 6.34.6

Caluinistarum rigidorum atrocitas. 9.24.8

Caluinistarum rigidorum horrida sententia. 9.41.2

Caluinistarum scholæ monstruosos seditionis fœtus progignunt. 9.26.11

Caluinistas diaboli martyres vocant Lutherani. 9.21.7

Caluinisticæ blasphemiæ. 9.39.30. 9.44.8

Caluinisticæ causæ occidendi reges ac principes. 9.26.2

Caluinistici principes à verbi Ministris demandati, pontificios exulare iusserunt. 6.34.7

Caluinistarum errorum pigmenta. 6.5.1

Caluinisticus Magistratus non potest permittere religionem Lutheranam. 9.26.7

Caluinistis Babylon est papatus. 9.26.13. & 14

Caluinistis rigidis ordinũ Hollandiæ edictũ exosum. 9.24.6

Caluinus accusat Germanos Luthericolas. 9.41.8

Caluinus & assectæ eius sacram scripturam contemnunt. 5.23.3

SS. Patriarchas & Prophetas infamant. 5.23.5

Suo arbitrio libros scripturæ in canonem recipiunt & reiiciunt. 5.25.6.7

Caluinus sacramentarius. 9.11.4

Caluinus totum mundum damnat. 9.41.7

Caluisius Sabinus seruos emit, quorum eruditione doctus videri voluit. 3.2.4

Calumnia ad disiungẽdos cõcordes animos multũ valet. 9.14.5

Calumniæ ad odium concitandum, metumq; incutiendum efficaces sunt. 9.8.6. 9.14.5. & seq.

Calumniæ de Societatis Iesu presbyteris. 9.32.1. 9.44.10

Calumniæ genus est vitiorum exaggeratio. 9.14.6

Calumniæ materia sunt hæreticarum concionum. 9.44.9

Calumniæ pacis reductioni obsistunt. 9.32.1.2. & 3

Calumniandi licentia signum est perituræ ciuitatis. 9.32.1

Calumnia nihil intolerabilius est. 9.32.1.2.

Calumniarum prædicanticarum effectus. 9.32.2

Calumnius Pisistratus contra Megacem Syracusanus contra Dionem insidias ac tumultum machinati sunt. 9.14.7

Cambyses Cyro Dei cultum & pietatem commendat. 1.10.4

Cambyses iniquum iudicem excoriauit. 3.6.8

Cambysis ebrii certum sed crudele iaculum. 3.14.15

Cambysis exercitus in Scythia ingenti fame pressus est. 9.13.2

Camelos in prælio æquitatui & elephantis veteres opposuerũt. 10.18.5

Cameræ imperialis iudicium vnde originem habeat. 7.23.1

Cameræ iudicata partiũ potentia ab executione suspẽdit. ibid.

Cameræ iudices extraordinarii creati. ibid.

Cameræ iudiciorum ratio perfectissima est. ibid.
Cameræ iudicum ordinariorum numerus auctus. ibid.
Cameræ visitatio & visitationis ordo institutus. ibid.
Camerariorum dignitas. 7.16.3
Camillus galeas ferreas fabricauit. 10.15.7.& 9
Campani à vicinis oppressi Romanis se dederunt. 10. 62. 5
Campani ex desperatione impetrandæ veniæ diu Romanis rebellarunt. 9.15.5
Campi doctores. 10.24.10. 10.27.4
Cananæi inter se ciuilia bella gesserunt. 9.3.1
Cancellarij Academici post præpositum summa dignitas. 6. 40.10
Cancellarii olim ostiarii iudicum. 7.25.1
Cancellarius honorem necessitas auxit. 7.25.2
Cancellariorum nunc eximia dignitas. ibid.
Canendi certam rationem in Ecclesia constituere iubent concilia. 6.6.10
Canendi consuetudo in primitiua ecclesia viguit. 6.6.3
Canentes in choro voces moderari debent. 6.6.5. 6.7.2
Canentium animi, non voces DEVM oblectant. 6. 6.4
Canentium attentio requiritur. 6.6.6.& 11 6.7.2
Canibus quidam in prælio vsi sunt. 10.18.5
Canones nisi seruentur, frustra statuuntur. 6.11.3
Canones sacri maiori curæ quam leges ciuiles sunt obseruandi. 2.8.2
Canonibus neglectis templa corruunt. 6.4.7.
Canonicatus ab omnibus ambiuntur. 6.45.2.
Canonicatus cur beneficia dicantur. 6.41.3.
Canonicatus duplices sunt. ibid.
Canonicatus opum causa appetuntur. 6.13.8.
Canonici ante finem horarum excurrere non debent. 6. 6.11. 6.41.3
Canonici cathedrales, in censura morum, Episcopo subiacent. ibid.
Canonici clericorum honoratiores sunt. 6.41.1
Canonici conuiuentes multa commoda habent. 7.17.7.12 & 13
Canonici ex instituto primæuo simul viuebant. 6.17.6
Canonici insignium Collegiorum graduati esse debent. 6. 13. 4
Canonici iuniores abruptis studijs vitæ libertatem arripiunt. 6.17.13
Canonici iuniores sub probatissimo sene simul educandi. 6. 17. 5
Canonici maiori honore in choro fungentes, à cantu non eximuntur. 6.6.13.& 14. 6.41.3
Canonici plerique è monachis sunt. 6.18.2
Canonici qui pueri beneficiantur, cur vel optimi euadant, vel pessimi. 6.7.4
Canonicis canonicè viuendum est. 6 41.1
Canonicis nihil laborantibus, plus distribuere, quam vicarijs omnia exequentibus, pessima est & abrogandaconsuetudo. 6.18.4
Canonicis non residentibus, aut chorum non frequentantibus, totum corpus non est dandum. 6.41.2
Canonicus, quorum cessat officium, subtrahendum beneficium. 6.41.3
Canonici seniores ad communem vitam sensim sunt inducendi. 6.17.13
Canonici solum cum distributiones fiunt, frequentantes, fundatores defraudant. 6.6.14. 6.17.8. 6.41.3
Canonicis senioribus honestum est habere fratres conuictores. 6.17.10
Canonici tempore officij intra & circa ecclesiam deambulantes, pœnis subiiciendi. 6.41.3
Canonici triplicia stipendia accipiunt. 6.41.2
Canonici vnde dicantur. 6.41.1
Canonico iuniori nihil honestius, quam cum graui Prælato cohabitatio. 6.17.10
Canonicorum absentium notator, iuramento fidelitatem polliceri debet. 6.41.3
Canonicorum abundantia, vicariorum nomen peperit. 6. 17. 6
Canonicorum claustra olim fuere. ibid.
Canonicorum collegia multa reformata sunt. 6.28.6
Canonicorum in Ecclesia ambulantium & fabulantium damnata consuetudo. 6.6.14. 6.41.3
Canonicorum malitiam beneficijs alere Deus non solet. 6. 6.14
Canonicorum officium. 6.41.1
Canonicorum pessimas consuetudines Prælati signo dunt axat emendare & possunt & tenentur. 6.6.14
Canonicos doctos optimæ rarissimos numerant Ecclesiæ. 6.13.8
Canonicos nouos instituendi ratio. 6.12.5
Canonicos quantumcunq; etiam nobiles & illustres, omnia officia diuina peragere decens est. 6.17.6. 6.41.3
Canonicus ad cantum quomodo se parare debeat. 6. 6. 11.
Canonicus Ecclesiam contemnens, ab omnibus merito contemnitur. 6.6.14. 6.41.3
Cantadoria & cantadores. 7.29.12
Cantilenis sacris non spurcis christianus animus exhilarari debet. 6.6.8
Cantorum Essenorum ordo. 6.6.2
Cantu diuinas laudes celebrare mos vetustissimus. 6.6.1
Cantum Ecclesiasticum hæretici fugerunt. 6.6.4
Cantum Ecclesiasticum quæ corrumpant. 6.6.6
Cantus diuini dignitas. 6.6.11
Cantus Ecclesiastici fructus. 6.6.6
Capitatio grauis census. 8.7.15
Capitula cathedralia ad synodos admittuntur. 6.18.4
Capitula cathedralia sede vacante hæreticos excommunicare possunt. ibid.
Capitula delinquentes clericos corrigere tenentur. ibidem.
Capitula disciplinæ sunt obseruanda. 6.18.3
Capitula episcopos eligendi potestatem habent. 6.18.4
Capitula in horam canonicam extra necessitatem non sunt indicenda. 6.41.3
Capitula iureiurando suos interdum immoderate obstringunt. 6.18.4
Capitula ius suffragij solum capitularibus maioribus ordinibus initiatis concedunt. ibid.
Capitula minus in electione episcoporum errant, quam cæteri electores. ibid.
Capitula numerum capitularium augere possunt. ibid.
Capitula præbendas accidere aut diuidere non possunt. ibidem.
Capitula primario de spiritualibus, secundario de temporalibus agere debent. 6.18.3
Capitula quas leges in episcoporum electione seruare debeant. 6.18.4
Capitulares actuum capitularium labore grauari non debent. 6.41.3
Capitulares quam diu capitulis intersunt, non diutius, ab ingressu chori excusantur. ibid.
Capitularia statuta contra ius commune irrita sunt. 6.18.4
Capituli minor pars si cum ratione aliquid statuat, prævalere debet. ibid.
Capituli nomen vnde. 6.18.2
Capitulorum cathedralium ampla potestas. 6.18.4
Capitulorum cathedralium in episcopos magna est potestas. ibidem.
Capitulorum in ecclesia magna auctoritas. 6.18.3
Capitulum in disciplina negligens, episcopus corrigere debet. 6.18.4
Capitulum quid & quotuplex. 6.18.1
Capitulum refert concilium presbyterorum. 6.18.2
Captiuis contra hostium tela se tueri, olim frequens erat. 10. 35. 10.

Captiuum non repugnantem occidere non est licitum. 10. 61. 3
Caracalla Parthos improuisò cecidit. 10.25.1
Cardinalem vel per se, vel per alium lædens, maiestatis reus est. 6.35.8
Cardinales ad comitia pontificia proficiscentes, eâdem securitate gaudent, quâ Principes Electores. 7.2.3
Cardinales amicis indigentibus aliquid largiri, non vero eos saginare possunt. 6.35.5
Cardinales, bonos multos, malos vero paucos aut nullos esse præstaret. 6 35.3
Cardinales cunctis virtute præluceant. 6.35.5
Cardinales & nomine & re Ecclesiæ cardines esse oportet. 6. 35. 3
Cardinales ex omni natione docti, prudentes, probique legendi sunt. 6.35.3. & 4
Cardinales, Magnatum filij aut nepotes, paucissimi eligendi. 6.35.3
Cardinales modesti & frugales, non vero prodigi & ambitiosi prosunt Ecclesiæ. 6.35.8
Cardinales mortuo pontifice administrant Ecclesiam. 6. 35.7
Cardinalium numerus indefinitus est. 6.35.3
Cardinales officio suo fungentes facile offendunt. 6.35.8
Cardinales olim ducenti triginta quatuor. 6.35.3
Cardinales olim infra Episcopos fuerunt. 6.35.1
Cardinales partibus ne studeant. 6.35.5.
Cardinales periculorum suorum occasio esse non debent. 6 35. 8
Cardinales pontificis assessores sunt & consiliarii. 6.35.1
Cardinales pro diuini cultus augmento titulo suo aliquid relinquere debent. 6.35.5
Cardinales propter Ecclesiam, non propter opes, honores, potentiam eliguntur. ibid.
Cardinales quatuor ex ordinibus mendicantium eliguntur. 6. 35.3
Cardinales quinam esse possint aut non possint. 6.35.5
Cardinales solt pontificem eligunt. 6.20.3. & 5
Cardinales tituli sui loca annue vel per se, vel per Vicarium visitare debent. 6.35.5
Cardinales vnde dicantur. 6.35.1. & 3
Cardinalibus omnibus casu sublatis, pontificem episcopi aut clerus Romanus eligit. 6.20.3
Cardinalium de pontifice eligendo iuramentum. 6.35.6
Cardinalium distinctio in diaconos, presbyteros, episcopos, à titulis sumitur. 6.35.7
Cardinalium electio quomodo fiat. 6.35.2
Cardinalium excellentissimum officium. 6.20.3. 6.35.6
Cardinalis futuri pontificis ædes populus Romanus olim diripiebat. 6.35.8
Cardinalium in ecclesia minor est, quam Patriarcharum & primatum dignitas. 6.36.1
Cardinalium iuramentum. 6.35.2
Cardinalium nepotes à concilio Basileensi cardinalatu arcentur. 6.35.5
Cardinalium nomen quam diu vsitatum. 6.35.1
Cardinalium opes & dignitas firmato pontificis imperio, creuerunt. ibid.
Cardinalium purpura quid significet. 6.35.2
Cardinalium summa obligatio est, vt optimum pastorem eligant. 6.20.6
Caritatis effectus. 3.21.2. & 3
Caritas in Republica maximi facienda est. 3.21.1
Caritas omnium virtutum opera complectitur. ibid.
Caritas patriæ omnibus commendatur. 3.21.5
Caritas patriæ vitæ amorem superat. 3.21.3
Carmina suauius audiuntur, penitus inhærent, facilius permouent. 4.19.5
Carminum variæ species sunt. 4.19.2
Caroli Borrhomæi aureæ ad parochos monita. 6.45.8
Caroli Borrhomæi de cantu Ecclesiastico optima documenta. 6.6.11
Caroli Borrhomæi de cantu documenta, etiam in Germanorum ecclesiis suspendenda sunt. ibid.
Caroli Borrhomæi optimæ de locis sacris constitutiones. 6. 4. 9
Caroli Borrhomæi pulchra & prolixa clericos examinãdi ratio. 6.12.7
Carolo Magno ordinatio sedis Romanæ, & inuestitura episcorum concessa fuit. 6.39.4
Carolstadio Anabaptisticam hæresim tribuunt Lutherani. 9. 11. 4
Carolstadius Luthero oppositus. ibid.
Carolstadius Sacramentariismum iuuit. ibid.
Carolus Borrhomæus de sanctimonialibus sancte statuit. 6. 47.3
Carolus Magnus à Leone Papa inunctus est. 7.3.3
Carolus Magnus non facile damnanda censet, quæ Papa sancit. 6.28.8
Carolus Magnus patricius Romanus factus est, antequam imperator. 7.15.1
Carolus Neapolitanus cuniculorum simulatione arcem Matronianam in deditionem accepit. 10.46.13
Carolus V. à Francisco rege Galliarum ad singulare certamen prouocatus est. 7.6.2
Carolus Quintus cur contra Germanos pugnare noluerit. 10. 43. 4
Carolus V. de immodico vestium splendore prudentissimè statuit. 8.14.7
Carolus Quintus filium sedis Apostolicæ se professus est. 7. 6. 2.
Carolus Sueonum rex pœnam in hospitalitatis grauè tulit. 6. 10.10
Carrobalistas in vna legione quot habuerint Romani. 10.24. 28
Carthaginenses, belli duces, si errassent, in crucem agebant. 10. 10.3.10.22.3
Carthaginenses ex castris longe etiam disitis domesticis signum dare poterant, qua re egerent. 10.51.9
Carthaginenses militibus stipendia persoluere non valentes, modum friuolum excogitauerunt. 8.16.13
Carthaginenses Sathanæ nobilissimos pueros immolarunt. 1. 10. 1
Carthaginensis resp. Aristocratica fuit. 1.17.3
Carthaginensium fœminæ capillos pro machinis nectendis & nauium funibus dederunt. 10.16.1
Carthaginensium respublica optime fuit constituta, aliasq; in potentiæ & libertatis diuturnitate superauit. 7.10.7
Carthaginensium supremus magistratus sufes dicebatur. 7. 19. 6
Carthaginensium suffetes regium imperium habebant. 7. 19. 7
Carthusianorum religio à primo instituto nunquam defecit, nec de Vigore quicquam remisit. 6.13.8
Casibus æreis veteres vsi fuerunt. 10.15.7. & 9
Castellio sacramentarius, religionem quam quisque vellet permittebat. 9.11.5
Castiliæ veteris regnum præter metropolim, ciuitates habet cētum octoginta. 6.44.5
Castitas commendatur. 6.43.2
Castitas in regnis Germaniæ & Septentrionis olim integerrime custodita. 3.12.17
Castitatem plurimorum exempla suadent. ibid.
Castitatem sobrietas, fides & Religio muniunt. 3. 12. 16. & 17.
Castitatis cura Principi ac Reipublicæ perneccessaria est. 3.12.1. & seq.
Castra Ægypti sumptu publico munienda censebant. 10. 33.6
Castra Cæsaris ingentia & miri operis. 10.33.9
Castra Ciceronis & Cæsaris. 8.23.5
Castra munda seruari debent. 10.24.7
Castrorum nomen oppida retinuerunt. 8.23.4
Castra non sunt in monte ponenda. 10.35.8

Castra nostra melius quam Veterum disponuntur. 10.32.2
Castra parca esse debent. 10.54.3
Castra perpetua Romani fecerunt. 8.23.5
Castra perpetua temporariis vtiliora sunt. ibid.
Castra quadrata meliora quam rotunda. 10.33.5
Castra Romanorum. 8.23.3.& 4
Castra Romanorum hyberna fortia erant. 8.23.4.& 5
Castra semper munienda sunt. 10.33.2
Castra spe lucri petuntur. 8.10.4
Castrorum inter pericula muniendorum duplex ratio 10.33.7.& 8
Castrorum locus optimus eligendus est. 10.32.2 10.35.8. 10.38.23.& 24
Castrorum munitio in Romana militia defiit. 10.33.6
Castrorum munitio ob laborantium multitudinem facilis fuit 10.33.4
Castrorum nostrorum munitio. 10.32.2
Castrorum præfectus & eius officium. 10.27.1
Castrorum Præfectus sub Augusto cœpit. 10.26.5
Castrorum Romanorum descriptio. 10.32.1
Castrorum Romanorum munitiones. 10.33.1.2.3
Castrorum Veterum ordo & disciplina. 10.34. per totum.
Castrorum viæ militibus tribunisq; & aliis etiam officialibus noscendæ sunt. 10.32.2. 10.35.8. 10.38.23.24
Catapulta. 10.19.7
Cataphractæ pectoris sunt munimentum. 10.15.19
Cataphractas Romani abijcientes à Gothis deleti sunt. 10.15.18.& 19.
Catarrhactæ olim & nunc vsitatæ sunt. 10.47.5
Catechismo omnes studiosi instituendi sunt. 4.8.8
Catechisticam lectionem vitantes, vitijs insignes sunt. 4.8.9
Cathedrales præbendæ ordinem maiorem annexum habent. 6.41.3
Catholicæ Vnionis origo. 9.17.3
Catholici ab hæreticis variè spoliati. 9.17.6
Catholici hæreticorum in sanctos calumnijs, moueri non debent. 6.2.7
Catholici in canendo negligentes sunt. 6.6.6
Catholici moderni in prima religione constanter perseuerant. 6.25.4. 6.28.3.& 4
Catholicis Concilium generale etiam purum putum Caluinisticum non est timendum. 9.41.4.& seq.
Catholici sacram scripturam venerantur & soli rectè intelligunt. 5.23.2.3.6. 5.24.1.& 4.
Pro ea moriendum esse docent. 5.23.2
Eorum de versione & interpretatione scripturæ opinio. 5.24.13.4
Catholici theatrum crudelitatis Caluinisticæ sustinent. 6.28.4
Catholicorum conspirationes Caluinisticas metuentium consolatio. 9.28.4.& 5
Catholicorum omnium vna & inuariata doctrina est. 9.11.2
Catholicorum patientia tyrannorum crudelitatem & carnificum ingenia superauit. 6.28.4
Catholicorum Regum, Principum, ac Magnatum catalogus. 9.10.10
Catholicos ad martyrium potius, quam ad belligerandum cum Euangelicis paratos esse oportet. 9.28.4.& 5
Catholicos de sacræ scripturæ contemptu & interpolatione insimulant hæretici. 5.23.1
Solas traditiones eos sequi calumniantur. 5.28.1
Catilinæ coniuratio Cicerone consule detecta est. 9.3.2
Cato cum suo milite iter quatriduo duobus diebus perfecit. 10.46.1
Cato filium rudimenta bellica docuit. 10.24.18
Cato omnes fœneratores Sardinia expulit. 8.17.7
Cato quadragies quater causam dixit, & semper absolutus est. 9.44.10
Cato sobrius belli dux fuit. 10.22.10
Causa efficiens reipublicæ. 1.3.3
materialis. 1.3.3. 1.4.1
formalis & finalis. V. forma, & finis Reipubl.
Causidici absq; suo periculo idiotas bonis exuere norunt. 5.11.5
plus nocent quam hostis apertus. ibid.
Causidici ad Clericatum peruenire nequeunt. 6.12.10
Causidici cur ament legum multitudinem. 5.11.5
Celeritate bella conficienda sunt. 10.25.1.& 2
Celeritatis insignia exempla. 10.25.2
Cellarii ecclesiarum quid officii gerant. 6.40.10
Censores magistratuum constituendi. 1.19.8
Censores olim vngebantur. 7.20.9
Censoriam dignitatem etiam imperatores gesserunt. 7.20.7
Censorum fœda dissensio. 7.20.6
Censorum ius maximum fuit. 7.20.5.& 6
Censorum magna dignitas ac potestas. 4.6.2
Censorum potestatem Aemylius Mamercus minuit, Metellus consul redintegrauit. 7.20.6
Censualium munus. 7.29.8
Censuræ initium. 7.20.5
Censuræ seueritas & violentia. 7.20.7
Censura Lucensium grauis ac matura. 7.20.8
Censura necessaria & nunc est & olim fuit. 7.20.1.& 7
Censurâ Veneta respublica magis quam bello conseruatur. 7.20.8
Census non est vsura. 8.17.3
Census vestibus mulierebribus potius imponendus quam ruricolarum agellis. 8.7.6
Centumuirale iudicium optimè in republica constitutum fuit. 7.12.8
Centum viri ex triginta quinq; tribubus lecti, & è singulis tribubus tres constituti. ibid.
Centumuirorum iudicio in quatuor consilia diuiso, prætor Vrbanus præsidebat. ibid.
Centuriones quo modo electi, & quot in quaq; legione fuerint. 10.26.6
Chabrias Athenienſis Tao regi Aegyptiorum varios modos cõficiendæ pecuniæ tradidit. 8.16.45
Chaldæorum crudelitas. 3.16.6
Chaldæorum Monarchiæ forma, & magistratuum diuisio. 7.14.1.2.5.6
Chaldæorum prima Monarchiarum fuit & ordinatißima. 7.14.1.& 5
Chares in exercitu quomodo exploratores deprehenderit. 10.51.6
Charidemus per rapinas & fraudes multas pecunias collegit. 8.16.51
Childebertus rex Iudæis in septimana sancta per plateas deambulandi licentiam denegauit. 8.17.9
Chilo Lacedæmonius, tyrannus non fuit. 4.11.7
China in perpetuo periculo est. 9.14.14
Chinenses forma Reipublicæ imbelles facit. ibid.
Chinensis Reipublicæ constitutio Europæis Asiaticis & Affricanis regnis perniciosa esset. ibid.
Chinensis Reipublicæ quies. ibid.
Chirurgi in castris plurimi esse debent. 10.54.5
Chirurgus negligens ad restitutionem tenetur. 4.25.7
Chorepiscopi adiutores fuerunt episcoporum. 6.39.7
Chorepiscopi Archidiaconis inferiores fuerunt. 6.39.8
Chorepiscopi cur vetiti. 6.39.6
Chorepiscopi in terra Treuirensi perseuerant. ibidem.
Chorepiscopi manus imponere non audebant. 6.39.9
Chorepiscopi nomen retinentes SS. canonibus non aduersantur. 6.39.10
Chorepiscopis diœcesana synodus Dilingana Archidiaconorum & Decanorum ruralium officium tribuit. ibid.
Chorepiscopi tantum presbyteri sunt. 6.39.6
Chorepiscoporum nomen & ambitio mansit. 6.39.9
Chori præses, ne quicquam negligenter aut præpostere fiat, aduigilare debet. 6.6.12
Chori silentium. 6.6.11.& 13
Chorum accedentes, DEI conspectui se sistunt. 6.6.11

Chorum non frequentantes, aut serius aduenientes, distributionibus carent. 6.6.14. 6.41.3
Chorum properanter accedere, animi dissoluti indicium est. 6.6.11
Chorus publicæ orationis est locus. ibid.
Christiana religio damnat auspicia. 1.5.3
Christiana religio ex æquo æstimat seruitutem. 1.23.6
Christiana religio fortissimos efficit. ibid.
Christiani cur non horreant reges. ibid.
Christiani in primæua Ecclesia ministros DEI liberaliter alebant. 6.42.5
Christiani mundo, diabolo, & pompæ eius renunciant. 6.46.1
Christiani, qui Iudæorum conuiuijs interfunt, excommunicantur. 8.17.9
Christianis cum Iudæis die festo contrahere Borrhomæus vetuit. ibid.
Christiani vt ab Iudæorum commercijs abstineant, ecclesiastica censura compellendi sunt. 8.17.8
Christianorum multi per Iudæos vsuras exercent. 8.17.7
Christianorum quidam suis Principibus Mohometana consilia suggerunt. 1.21.6
Christianos exquisitissimis suppliciis barbaries excarnificauit. 3.16.30
Christianum Iudæis seruire leges vetant. 8.17.9
Christianus illi nemo est, cui martyres Christianichristiani sunt. 6.21.4
Christi facta non clericis tantum, sed & laicis imitanda proponuntur. 6.43.2
Christi facta non omnia obligant. 6.9.4
Christophorus Scaplerus anabaptistarum dux fuit. 9.11.4
Christus in suo Vicario honoratur. 6.20.7
Christus in vltima cœna sacrificauit. 6.5.4
Christus Ioannis Baptistæ vitam & ieiunia laudauit. 6.21.7
Christus sub vna specie sacramentali totus est. 6.5.3
Chrysargyron quale tributum. 8.7.21
Chrysippi & Philosophorum, pro diuinatione astruenda ratio. 1.6.7
Chrysostomi cum Epiphanio controuersia. 9.27.6
Chrysostomus liberum arbitrium asseruit. 9.26.17
Ciborum luxus etiam inter rusticos & plebeios summus est. 8.14.2.&3
Cicero castra sua multos dies contra multa millia defendit. 8.23.5
Cicero Deum mundi moderatorem esse agnouit. 1.10.1
Cicero diuinationem & fatum connexa putat. 1.6.8
Cicero eloquentiæ princeps habitus est. 4.21.5.&6
Cicero eloquentiam maxime exercitatione addidicit. 4.21.11.&12
Cicero finem legum optimè exposuit. 5.6.1
Ciceronem præ aliis eloquentiæ tyrones imitandum sibi proponant. 4.21.5.&6
Ciceronis orationes effecerunt, vt veterum volumina legi desierint. 4.21.5
Cicero populi patronus populare regimen culpat. 1.22.10
Cicero sine duce ad summum eloquentiæ fastigium peruenit. 4.21.3
Cidaris pileus regius. 7.3.5
Cinadon Ephoris insidias struens, negocii prætextu ab illis dimissus est. 9.16.1
Concinnatus ab aratro ad dictaturam vocatus est. 1.4.1. 6.43.3. 10.20.7
Ciues & Vrbani quanto hoc tempore cultiores sint quam olim. 1.19.6
Ciues omnes in Republica fortes esse optandum est, sed non sperandum. 10.28.3
Ciues opulenti nobilibus sunt delicatiores. 3.14.16
Ciues vt bellatores euadant, à puero ita formandi sunt. 10.20.10
Ciuibus & ciuitatum incolis vestituram Carolus V. præscripsit. 8.14.7
Ciuili bello nihil detestabilius V. Bellum ciuile.
Ciuilis ira nec legem nec modum nouit. 9.2.2
Ciuilis victoria misera est. 9.2.4
Ciuilium odiorum atrocitas humana iura violat. 9.2.1
Ciuis quis dicatur Aristoteli, & quæ ciuitas. 1.4.3
Ciuis sibi noxius, reipublicæ inutilis est. 5.6.5
Ciuitas Latinis quid. 1.3.1
Ciuitas rebus natura præditis annumeranda est. 1.3.3
Ciuitates delicioſæ exteris parent. 3.14.17
Ciuitates etiam sub regibus opulentæ sunt. 1.23.4
Ciuitates Germaniæ maximo suo incommodo bellum cum Carolo V. gesserunt. 7.6.3
Ciuitates Germaniæ victæ in potestate victoris, victrices in potestate sociorum erunt. ibid.
Ciuitates liberæ Germaniæ lentius religionem mutarunt. 9.10.7
Ciuitates liberas inter, & finitimos principes magna æmulatio. 7.6.3
Ciuitates liberas solas diuites esse posse, docet Machiauellus. 1.23.1.&2
Ciuitatibus liberis datum consilium cum correspondentibus fœdera pacisci. 9.29.4
Ciuitatum ædificandarum vetustissima cura. V. Vrbium vetustas.
Ciuitatum ditissimi, aduenæ sunt. 3.14.17
Ciuium & vrbanorum senatorii aut patricii ordinis, aut præcipuæ familiæ qualis amictus esse debeat. 8.14.7
Clades bellica domesticæ seditionis causa est. 9.13.3
Clades prudenter dissimulata, interdum victoriam attulit. 10.38.19
Classe in Danicâ nauis prætoriæ apparatus. 10.50.6
Classes duplicem tesseram habent. 10.50.4
Classes Romanorum. 10.50.1.&2
Classi multò plura necessaria sunt, quam exercitui terrestri. 10.50.6
Classis Hispanica commeatu, armis, milite, aliisque necessariis instructissima. ibid.
Classis lentior est quam singulæ naues. 10.50.1
Classium summa est potentia. 10.50.1
Claudius Cæsar multa aduersa pertulit in imperio. 9.4.1
Claudius crudelissimus fuit. 1.16.4
Claudius è latebris protractus, à militibus Imperator salutatus est. 8.1.6
Claudius nimiis exactionibus omnibus inuisum se reddidit. 8.7.13
Claudius stupidi ingenii fuit. 1.16.4. 1.25.13. 3.14.11
Claudius opera immensi sumptus, sed vtilia Romæ exstruxit. 8.14.9
Claudius vnius militis clamore Imperator factus est. 1.25.19
Clazomenii pecunia carentes, iustas negociationes exercuerunt. 8.16.23.&24
Clementia Christianum Principem decet, non crudelitas. 3.16.12.13.14
Clementiæ definitiones variæ. 3.16.1
Clementiæ effectus. 3.16.17.18.19.20
Clementiæ opponitur crudelitas. 3.16.2
Clementia & mansuetudo in quo discrepent. 3.16.1.&2
Clementia ficta est vni parcere, & in multos sæuire. 1.16.5
Clementia in principem quanam vere conueniat. 3.16.20
Clementia insignis virtus est & ὁμοιότης similis. 3.16.2
Clementiam cum seueritate quo modo princeps temperare debeat. 3.16.21.22.23.24.25.26.27.&seq.
Clementiam etiam hostibus exhibere Christianum principem decet. 3.16.31
Clementia Principi commendatur. 3.16.32
Clementia Reipublicæ commendatur. 3.16.16
Cleomenes Argiuos hostes prandentes occidit. 10.22.16
Cleomenes ridiculos maleuolosque medos pecunia cumulanda adinuenit. 8.16.45.55.56.57.58.59.&65
Cleopatra vnionem in Arabico littore inuectam, ducentis & quinquaginta aureorum millibus redemit. 8.12.3
Clericalium studiorum abusus. 6.13.2
Clericatus eo fine accipiendus, quo Carthusianismus. 6.13.8

Clerici ad labores vocantur. 6.44.2
Clerici arma portantes quando priuilegio excidant. 6.10.13
Clerici beneficiati quando & quamdiu in choro præsentes esse debeant, vt distributione gaudeant. 6.41.3
Clerici concubinarii non sola pecunia mulctandi. 6.4.7
Clerici corruptibiles, etiam corrigibiles. 6.11.3
Clerici cum scandalo beneficia possidentes, priuari debent. 2. 18. 16
Clerici ebriosi, officio priuandi & beneficio. 6.10.7
Clerici ebriosi inemendabiles morte multandi. ibid.
Clerici examinatores muneribus corrumpentes, simoniæ crimen incurrunt. 6.12.7
Clerici Germani, laicis crebro necessitatem potandi adferunt. 6.10.7
Clerici grassatores eliminandi. 6.10.13
Clerici grassatores, Vrbici sunt latrones. ibid.
Clerici in alterius stipendia non irrepant. 6.38.6
Clerici indigni ordinator, iure canonico deponitur. 6.12 3
Clerici in ebrietate deprehensi pœna. 6.10.7
Clerici infamia laborantes iuramento se purgant. 6.10.26
Clerici in Troade cur à iudicando prohibiti. 6.8.6
Clerici lusores, bonorum Ecclesiasticorum dilapidatores, deponendi sunt. 6.16.7
Clerici maioribus ordinibus initiandi, de quibus examinari debeant. 6.12.7
Clerici multi in patrimonio crucifixi mundum quærunt. 6. 13.8
Clerici ocio non torpere sed diuino ministerio gnauiter insistere debent. 6.44.2
Clerici officio non fungentes, rogandi, monendi sunt ac docendi. 6.48.1
Clerici olim pauperes, nudam crucem nudi sequebantur. 6. 17. 3
Clerici omnibus bono exemplo prælucere debent. 6.10.2
Clerici pastores, monachi oues sunt. 6.46.6
Clerici pauci mali, totum ordinem infamant. 6.44.7
Clerici priuilegiis Ecclesiæ concessis abutuntur. 5.7.5
Clerici secundum canones viuentes, ocioſi non sunt. 6.44.3
Clerici si aduersariorum calumnias audire nolunt, occasiones rescindant. 6.10.25
Clerici singuli officia & ordines quos debent per seipsos exercere tenentur. 6.41 3
Clerici spiritualis militiæ duces sunt. 6.10.35
Clericis belligerare vetitum legibus canonicis. 10.1.4
Clericis bello interdum interesse, interdum & pugnare licitum est. 10.1.4.& 5
Clericis de suis ecclesiis bene meritis, extranei non sunt præferendi. 6.38.6
Clericis diuitiæ sunt ignominiosæ. 6.16.7
Clericis ex patrimonio opulentis olim beneficia ecclesiastica non dabantur. 6.41.3
Clericis fœminarum cohabitationem canones interdicunt. 6. 4.7. 6.10.33
Clericis negociari interdictum. 8.10.14
Clericis nobilibus beneficia pinguiora, quibus suo statui conuenienter viuere possint, assignanda sunt. 6.41.3
Clericis sententiæ sanguinis cooperari non licet. 6.10.13
Clerici venationibus dediti, puniendi. 6.16.7
Clerici Vsurarii deponendi. 6.12.12
Clerici vt simul habitent, ad laborandum est. 6.17.5
Clerico contemptibili, si sapiens inter eos non sit, Christianorum causæ committendæ sunt. 6.8.4
Clericorum ædes fœmina ne ingrediatur. 6.17.9
Clericorum ædes laicis non sunt locandæ. ibid.
Clericorum correctio facilis. 2.18.16
Clericorum delicta grauius punienda quam sacerdotum. 6. 16. 1
Clericorum delicta leuia cur grauia putentur. 6.16.7
Clericorum doctores peritos esse oportet. 6.13.2
Clericorum & Monachorum instituta ex naturâ suâ discrepant. 6.46.6
Clericorum examini Conc. Trident. doctores præficit. 4.16.12
Clericorum examinis institutio, vtilis. 6.12.7
Clericorum examinatores munera à candidatis accipientes, officio priuandi. ibid.
Clericorum examinatores sine vllo affectu procedere debent. ibid.
Clericorum multorum coniunctio, celebriora reddit officia diuina. 6.17.11
Clericorum multorum tempore S. Cypriani pessimi mores. 2. 18.17
Clericorum nimia exemptio mala est. 6.18.6
Clericorum peccata nunquam sunt dissimulanda. 6.16.2
Clericorum peccata grauiora putantur quam laicorum. 6. 16. 4
Clericorum pessima vita multos, ne ad veterem religionem accedant, absterret. 2.18.16.& 17
Clericorum potentia & numerositas vtilis principibus. 6. 44.7
Clericorum quorundam vanitas & luxus vestium. 6.10.9
Clericorum seminaria instituenda. Vide Seminaria Clericorum.
Clericorum status dignior est, quam monachorum. 6.13.8
Clericorum vita à Paulo descripta. 6.10.3.& 5
Clericorum vita hæreses fecit. 2.18.16
Clericorum vitia cur potentius moueant. 6.10.2 6.16.4
Clericorum vitia vnde nascantur. 6.12.2
Clericorum vitijs corrigendis si prælati impares sint, Turca tollet. 2.18.17
Clericos ad præceptorum Euangelicorum obseruationem auctor serio adhortatur. 6.48.1
Clericos bonos paucos esse melius est, quam plurimos inutiles. 6.44.7
Clericos cupiditas præcipitat. 6.10.16
Clericos delinquentes puniendi potestas, penes episcopos est. 6. 28.8
Clericos examinandi modus. 6.12.6.& 7
Clericos ius naturale interdum pugnare cogit. 10.1.6
Clericos præsentes calamitates, vt ad bonam frugem redeant, assidue monent. 6.48.1
Clericos solos reipublicæ noxios esse, calumniantur religionis & pietatis osores. 6.44.6
Clerico virtutum fama necessaria est. 6.10.20
Clericum facilem & pacificum esse conuenit. 6.10.14.& 15
Clericum tabernam exhibentem leges deponi iubent. 6. 16. 7
Clericus adulter toto vitæ tempore in monasterium detrudatur. 6.4.7
Clericus beneficiorum pluralitate onustus, ecclesias ministerio fraudat. 6.41.3
Clericus bono fine & modo negociari & sæcularia tractare potest. 8.10.14
Clericus concubinarius beneficiorum fructu priuatur. 6.4.7
Clericus concubinarius deponendus est. ibid.
Clericus ebrietatis vitium vitare nolens, excommunicandus est. 6.10.7
Clericus eruditus plura beneficia cum dispensatione habere potest. 6.41.3
Clericus exemptus ab Episcopo qua tali, eidem vt Legato Apostolico subijcitur. 6.18.5.& 6
Clericus fornicator Ecclesiam ingredi non debet. 6.4.7 6.10.33
Clericus in bello occidens inuasorem, non redditur irregularis. 10.1.4
Clericus nemo nascitur, si malus eligitur, culpæ eligentis. 6. 12. 1
Clericus nullus ante præuium examen ordinandus. 6.12.3. & 6
Clericus pauper honestius negociatur, quam vt alios mendicando grauet. 8.10.14
Clericus sors Domini dicitur. 6.17.3
Clericus vsurarius ad ordines non admittendus, ordinatus deponendus. 8.17.4

Cleri reformatio facilima, si delectus ordinandorum habeatur. 6.12.3
Cleri reformationem magistratus secularis adiuuare debet. 6.4.7
Cleri reformatio sacris canonibus conformis exigitur. 6.11.3
Cleri vitiorum sæpe laici causa sunt. 2.18.17
Clero non associandi Neophyti. 6.10.19
Clerum ad pietatem reducendi, optimum medium. 6.14.1
Clerum infamat impudicitia. 6.4.8
Clibanarij Parthorum. 10.15.15
Clisthenes Crisseorum aquæductum helleboro venenauit. 10.46.14
Clodium Milo occidit. 9.3.2
Clodius Ciceronem vrbe expulit. ibid.
Clotharius rex Franciæ adhuc infans in prælium adductus est. 10.23.7
Clypeus. V. Scutum.
Cœnam stando capere, pœna militatis fuit. 10.58.1
Cœtus sacerdotum Domini pietate carens, mundus est. 6.13.8
Cogitationis occultæ suspicio, iuramento purgatur. 5.8.9
Cn. Piso ob vnius militis innocentiam tres feriri iussit. 3.15.17
Cogitationum homo non est iudex. 5.8.8
Cohors vnde dicta. 10.30.4
Cohortes singulæ quot militum fuerint. ibid.
Collegia communes bibliothecas constituentes, clericorum studia promouent. 6.13.7
Collegiorum disciplina tanta esse debet, vt omnes canonicos ad virtutes inducat. 6.13.8
Collegiorum solum graduatos admittentium, laudabilis consuetudo. ibid.
Colloquia cum hæreticis in Ecclesia olim frequentia habebantur. 9.33.1.& seq.
Colloquia recte instituta ad pacem conducunt. ibid.
Colloquiorum cum hæreticis quis fructus sit. 9.33.4
Coloniæ Agrippinæ consulatus inter sex manet continuus. 7.18.12
Coloniæ & arces firmamenta imperij Romani. 8.23.3
Coloniæ parochias selectissimi obeunt. V. parochi.
Coloniarum causæ. 8.23.3
Colonienses Episcopi causas olim etiam iudicarunt. 6.8.9
Colophone plures olim diuites, quam pauperes. 1.18.1
Comes Palatinus vnde dicatur, & quænam eius in imperio dignitas ac officium. 7.17.2
Comes stabuli in Gallia magnæ auctoritatis est, & potentiæ. 7.17.4
Comitas. V. Humanitas.
Comites in Romana Monarchia consulibus æquati. 7.17.3
Comites rei militaris. 10.27.3
Comitia ad publica imperii, tres ordines Germaniæ conueniunt. 7.6.3
Comitiorum centuriatorum & tributorum vis ad diuites translata. 7.18.2
Comitiorum imperii publicorum cur nullus fructus. 7.6.3
Comitis largitionum officium. 7.17.6. 7.29.6
Comitum à Carolo Magno non fuit singularis auctoritas. 7.17.5
Comitum dignitas magnis & paruis communis. 7.17.2
Comitum maior olim quam ducum potestas. 7.14.6
Comitum nomen & dignitas vnde. 7.11.1.& 2. 7.17 1.& 2
Comitum vestitus ac ornatus qualis iuxta Caroli V. statutum esse debeat. 8.14.7
Commeatum inuehendi varias artes obsessi inuenerunt. 10.47.8
Commeatus ante omnia comparandus. 10.54.1.& 3
Commeatus bellici descriptio. 10.54.7
Commeatus classium. 10.50.6. 10.54.8
Commeatus si deest obsessis, simulandus est. 10.47.6
Commentarii Iuristarum, causam dant iniuriæ. 5.11.1
Commenus præfectis, vt vel iniurias, vel vitam relinquerent, identidem inculcauit. 3.6.8
Commercia. V. Mercatura. Negociatio.
Comminius Atrebas pulchro stratagemate hostem à persecutione abstraxit. 10.48.3
Commodus anno duodecimo ætatis crudelitatem auspicatus est. 3.16.32
Commodus imperator gladiatorum fortissimus fuit. 3.18.2
Commodus imperator multas seditiones expertus est. 9.4.1
Communicantes indigne olim repentinam vltionem Dei senserunt. 6.4.5.& 6
Communionem sub vtraque specie necessariam, falso asserunt aduersarii. 6.5.2
Conciliabula hæreticorum Ecclesiæ consuetudinem præposterâ æmulatione demonstrant. 9.36.2
Concilia cur sæpe discordiarum causa. 9.43.13
Concilia etiam à priscis Imperatoribus suscepta sunt. 9.42.8
Concilia etiam in persecutione habita sunt. 9.36.2
Concilia generalia cur sancta & sanctissima dicantur. 6.20.7
Concilia generalia in religionis dissidio ad pacem reducendam commodissimam esse viam, docet Caluinus & eius asseclæ. 9.37.1. 9.40.1. 9.42.4
Concilia generalia legitima hodie non minus, quam olim illud apostolicum, à Spiritu S. diriguntur. 9.35.1
Concilia Nouatores & concedunt & negant. 9.38.2
Concilia Nouatores habere non possunt, nec si tentent vtiliæ sunt. 9.38.1. 9.39.1.& seq. 9.40.1.& seq.
Concilia prisca cur oppugnent Nouatores. 9.38.2.& 3
Concilii forma ad pacem faciendam ex veteri Ecclesia sumenda est. 9.40.1.& seq.
Concilii Tridentini fructus. 9.43.13
Concilio controuersias, inter Luthericolas & Caluinisequas existentes, tolli posse Pareus putat. 9.37.3
Conciliorum fuga atque obtrectatio euidens signum schismatis. 9.43.12
Conciliorum generalium legitimorum infallibilis est auctoritas. 9.35.1.& 2. 9.36.1
Conciliorum officium. 9.36.1
Conciliorum perpetuus vsus. 9.36.2
Conciliorum ratio qualis esse debeat. 9.40.3.4.5.6.7.8.9.10
Concilio subscribere & in eo sententiam dicere, laicis non est permissum. 9.43.8
Concilium colligere Pontificis est. 9.43.2.& 3
Concilium generale Germani à multis annis petierunt. 9.42.1.& 2
Concilium generale solum ad pacem firmam constituendam sufficit. 9.35.1. 9.42.3
Concilium Imperator colligere non potest. 9.43.2
Concilium in Belgio sine miraculo colligi non potest. 9.39.5
Concilium inutile putant sectarii. 9.41.5
Concilium Nicenum non vult absque Romani Pontificis sententia concilia celebrari. 9.43.2
Concilium pium & liberum catholicos, ob errores, & abusus, refugere, calumniantur sectarii. 9.41.7
Concilium principes Euangelicos, in quos Nouatores contumelios sunt, defendit. 9.42.9
Concilium Tridentinum cuius causa indictum. 9.43.12
Concilium Tridentinum cur reiciant Nouatores, causam non habent. 9.43.1.& seq.
Concilium Tridentinum Germanis non est inimicum. 9.43.14
Concilium Tridentinum Germanis saluum conductum concessit. 9.43.5
Concilium Tridentinum Imperatores vrserunt, susceperunt, subditisque commendarunt. 9.42.6
Concilium Tridentinum improbantes, ab Imperatore seiuncti sunt. ibid.
Concilium Tridentinum legitimum est, veramque religionem explicat. 9.42.9
Concilium Tridentinum maxime liberum fuit. 9.43.4.5.& 6
Concilium Tridentinum nisi approbetur, pax esse non potest. 9.42.3

Concionatorum examinis ratio. 6.12.7
Concordiæ liber Lutherismi interitus est. 9.11.6
Concordiæ liber omnium errorum tartarus. 9.11.8
Concubinarii ad Ecclesiastica beneficia inhabiles sunt. 6. 10. 33
Concubinarius publicus quinam censeatur. 6.4.7
Concubinarius sacerdos gradu deponitur. 6.16.6
Condalus Mausoli præfectus varios pecuniæ colligendæ modos inuenit. 8.16.18.19.20
Confessariorum examinis ratio. 6.12.7
Confessionem peccatorum menstruam Societas Iesu à suis auditoribus exigit. 4.8.3.& 5
Confessionis inimici frustrant verba Christi. 4.8.4
Confessio peccatorum etiam in primitiua ecclesia in vsu fuit. 4.8.3
Confitendi cura frenum est peccati. 4.8.5
Coniuges si alter leprosus sit, quo ad torum separari possunt. 4.3.1
Coniuratio trium principum Romanorum. 9.3.2
Connubia cum longinquis inita, non iuuant, & insuper vicinos offendunt. 8.24.9
Connubia cum vnusquisque diuersum propositum habet, concordiam stabilire non possunt. 8.24.8
Connubia patricii miscuerunt, ne plebs magistratum peteret, plebei vt additus ad magistratum pateret. ibid.
Connubia regum pax sunt populorum. 8.24.6
Connubiorum cum finis peruersus est, non pax sed maiora bella nascuntur. 8.24.6.& 7
Conon dux Athenienſium victoria egregie vsus est. 10.61.2
Conscientia hominem ad virtutem complectendam incitat. 2. 3. 6
Conscientia inter laudantes & reprehendentes sola iudex est. 6.10.2
Conscientiam nullæ latebræ tutam faciunt. 6.3.6
Consilia ex affectu non danda sunt. 7.13.7
Consilia iucunda raro salutaria. ibid.
Consilia magna paruis momentis cadunt. 1.13.13
Consilia non in speciem conuocanda. 7.13.11
Consilia principi scripto offerre, vtile est. 7.13.13
Consiliarii bellatoribus præferendi. 7.13.6
Consiliarii boni signa ac dotes. 7.13.7
Consiliarii prudentes & sidi vix singuli in singulis aulis reperiuntur. 7.13.6
Consiliarii silentiarii dicti sunt. 7.13.7
Consiliarius iusta dicendi libertas permittenda est. ibid.
Consiliariorum turba inutilis est. 7.13.6.& 7
Consiliarios principes magna cura legere debent. 7.13.6
Consiliarius bonus optima principis est possessio. & 8 7.13.7.
Consiliarius doctus malis Reipublicæ inexpertis mederi potest. 1.1.8
Consiliarius in periculis sollicitus & importunus monitor esse debet. 7.13.7
Consiliarius pedaneus Reipublicæ inutilis est. ibid.
Consilia quæ prudenter instituta videntur, sæpe perniciosa. 1. 13. 13
Consilia summa conuocandi quinam potestatem habeant. 7.13.7
Consilia variarum nationum varia in Monarchia instituere, optimum est. 7.13.12
Consilii mali pœnam consultores ferunt. 7.13.7
Consiliis summis principes regiæ dignitatis protectores adhibere, vtile est. 7.13.12
Consiliorum locus silentiarium dicebatur. 7.13.7
Consiliorum summorum præsides proëdri dicuntur. ibid.
Consistorium. 7.13.7
Consistoria in India varia sunt. ibid.
Constantini felicitas ex pietate fuit. 2.6.4. 2.7.1
Constantini in pauperes liberalitas. 3.10.8
Constantino Magno victoria prædicta est. 1.9.3
Constantinopoli cruenta seditio. 9.5.1
Constantinopolitana sedes ad Patriarchalem sero eleuata est. 6. 36. 7. & 8
Constantinopolitano Patriarchæ 26. archiepiscopatus subiecti fuerunt. 6.36.10
Constantinopolitanum imperium seditionibus fœdissimis agitatum est. 9.5.1
Constantinus Copronymus iconoclastâ multarum seditionum causam dedit. 9.5.1
Constantinus imagines suas specie supplicis & precantis pingi voluit. 7.5.3
Constantinus Imperator ab Hilario beatissimus vocatus est. 6.20.7
Constantinus Imperator Romanam sedem honoribus opibusq; ditauit. 6.8.9
imperatoriæ huius locupletationis quis finis fuerit. 6.8.10
Constantinus Magnus diui appellationem refugit. 7.4.4
Constantinus modum, pro Imperatore vota nuncupandi, docuit. 7.4.7
Constantinus ob auaritiam â suis interfectus est. 9.8.3
Constantinus omnium seditionum & bellorum ciuilium victor fuit. 9.4.2
Constantinus Augustus in tyrannide meticulosus fuit. 1.16.13
Constitutiones Imperij de monetis. 8.17.2
Consuetudines contra canones introductæ vitiosæ sunt. 5.19.7
Consuetudinis diuisio. 5.19.2
Consuetudinis malæ signum. 5.19.6
Consuetudinis suæ Reip. legislator summam rationem habeat. 5.19.1
Consuetudo à quibus induci possit. 5.19.4
quomodo perficiatur. 5.19.5
Consuetudo diuturna abit in legem. 5.2.6. 5.4.1
Consuetudo ius & legem facit. 5.19.1
Consuetudo ius gentium abrogare potest. 5.19.3
Consuetudo iusta esse debet, mala abroganda est. 5.19.4.6.7
Consularis ætas. 7.18.3
Consularis honoris signa. 7.18.4
Consulatu exoso, Tribuni militares consulari potestate creati sunt. 7.18.10
Consulatum Romæ pessimus quisq; sperare potuit. 7.18.12
Consulatus infirmus magistratus. 7.18.12.& 13
Consulatus prensatores, quandoq; opes omnes in largitiones effuderunt. 7.18.12
Consulatus primaria Romæ dignitas. 7.18.1
Consulatus Romanus contra potentium iniurias se defendere non valuit. 7.18.14
Consulatuum sumptus multos ad inopiam redegerit. 7.18.15
Consules ius conuocandi senatus habebant. 7.18.9
Consules Romani centuriatis comitiis creabantur. 7.18.2
qui post exactos reges primi fuerint. ibid.& 8.16
Consules vel è magistratu, vel priuatis in prouincias mittebantur. 7.21.2
Consulibus pecuniæ publicæ custodia commissa erat. 7.18.8
Consulibus primi imperatores potestatem ademerunt, & vanæ insigni a reliquerunt. 7.18.4
Consul primus de plebe L. Sextius creatus est. 9.3.2
Consultare de republica iniussu principis, crimen maiestatis est. 7.13.7
Consulum annua administratio parum auctoritatis habet. 7. 18. 11.& 13
Consulum potestatem collegæ paritas, & imperij breuitas imminuit. 7.18.6
Consulum priscorum potestas plane regia erat. 7.18.5
Contemptor Dei inexcusabilis est. 1. 11. 5
Continentia donum Dei est. 6.12.18
Contumaces moneri nolunt. 1.1.8
Contumacia in societate noxia est. 6.10.28
Contumelia potentibus facta, vindictam inuenit, seditiones q; causat. 9.8.11
Conuitia in principes diuinitus prohibita & punita. 9. 45.10
Conuitia seditionum sunt initia. 9.45.8
Conuitiatores principum interdum morte puniuntur. 9. 45. 10

Corinthus impudicitiæ famosa cultrix. 6.47.1
Coriolanus ad excitandas discordias, plebeiorum tantùm agros vastabat. 9.14.5
Cornicularij ministri magistratuum. 7.30.1
Corpus in duobus locis à Deo constitui potest. 6.5.3
Corpus in duobus locis à Deo positum quomodo à seipso distare dicatur. ibid.
Corpora symmetrica, non proceriora valida sunt. 8.1.3
Correspondentes Ecclesiæ opes, Episcopatus ac Prælaturas animo conceptas, inter se diuiserunt. 9.29.3
Correspondentes principes qui qualesque sint. 9.29.2.&3
Correspondentiæ finis. 9.29.2.&3
Correspondentia exitium peperit Lutheranismo. 9.29.3
Cotta Deo omnia neganda, aut omnia etiam mala attribuenda esse dixit. 1.13.1
Cotys perfidiâ pecuniam à Perinthiis impetrauit. 8.16.47
Cranium Corinthi phrontisterium, Athenienſium Gymnasio vetustate & celebritate pene par fuit. 4.13.4
Crasi diuitiæ. 8.20.4
Crassus contra Parthos aciem quadratam fecit. 10.40.1
Crassus, diues dictus, negociator fuit. 8.10.7.&14
Crassus Diues & Pompeius Magnus Cossi tribunitiam potestatem in integrum restituerunt. 93.2
Crassus 500. fabros in familia aluit. 3.16.9
Creaturæ natura. V. Natura creaturæ.
Cretenses inter tria cappa pessima censi sunt. 2.13.16
Cretenses mendaces sunt. 9.24.3
Cretensis Reipublicæ constitutio. 7.19.9
Criminum maiestatis quatuor genera sunt. 9.45.2
Crœsus Cyrum à persequendo flamma retardauit. 10.48.3
Crœsus Halim fluuium cum transire non posset alio deriuauit. 10.36.7
Crotoniatarum stratagema. 3.2.7
Cruciandi vsu nec ipse carnifex & tortor fortis redditur. 3.18.5
Cruciatus alienus naturâ terret. 3.18.3
Crudelis & timidi eadem sunt corporis signa. 3.18.5
Crudelitas & luxuries comites indiuisæ sunt. 3.13.1. 3.16.6
Crudelitas veterum immanissima. 3.16.4.5.6.7.8.9.10.11. 14.28.29.30
Crudelitatis descriptio. 3.16.2
Crudelitatis effectus. 3.16.17.18.19.20
Cuiacius leges Iustiniani contrarietatis absoluit. 5.11.5
Cuniculi quo modo cognoscendi & irritandi. 10.46.13 & 16
Cuniculorum apud priscos magnus vsus fuit. 10.46.12
Curatores aluei Tiberini, Viarum, formarum, sub ædilibus erant. 7.26.5
Curator operum publicorum loco ædilium institutus est. 7.26.4
Curiales nerui vrbium & senatus. 7.29.9
Curiales ordinandi non sunt. 6.12.10
Curiales tributa exigebant. 7.29.9
Curiosorum officium. 7.30.2
Curopalatæ officium & dignitas. 7.15.2
Currus falcati olim hostibus summo timori erant, nunc inutiles sunt. 10.18.2
Currus falcatos Romani milites tribulis suis inutiles reddiderunt. 10.18.2
Curruum falcatorum descriptio. ibid.
Curruum in itinere & prælio magnus vsus. 10.35.4
Cursus siderum & fortuna contemnendus. 1.5.3
Curtius pro legionum periculo se præcipitauit. 1.10.1
Custos Moguntinus Cancellarium Academicum constituit. 6.40.10
Custos sacristæ minister est. 6.40.10
idem etiam Thesaurarius dicitur. ibid.
Cypriani error de baptismo hæreticorum. 9.27.3
Cyprianus hæreticorum communionem inhibet. 9.23.6
Cyprum ob diuitiarum famam Romani occupauerunt. 10.8.6
Cyprus priuilegio donata, vt sine patriarchæ consensu, Archiepiscopum sibi eligeret. 6.36.4
Cypselus Corinthiorum facultates vniuersas Ioui impio voto deuouit. 8.16.1
S. Cyrillus solam fidem iustificare negauit. 9.26.17
Cyrus de agricolarum immunitate belli tempore legem tulit. 8.11.10
Cyrus Gyndi amni iratus, eum in 360. riuos diuisit. 3.15.11. 8.1.5
Cyrus Persas vana spe lactans, eos ad defectionem à Medis induxit. 9.8.7
Cyrus prater consuetudinem Persarum vnctus est. 7.3.1
Cyrus statuas ad vrbium oppugnationem attulit. 10.18.5
Cyzicenorum & Chiorum modi pecunias comparandi. 8.16.14.&15

D.

Daemones sola Dei prouidentia cohibere potest. 1.9.2
Daniel post regem Chaldæorum summus princeps fuit. 7.14.2
Danielis verba c. 7. & 8. nec Romanum Pontificem, nec Græcam monarchiam referunt. 6.24.2.&3.&6
Danielis visio de Antichristo interpretanda. 6.24.5
Danielis visio explicatur. 1.7.1.&seq.
Darii annuum tributum. 8.7.17
Darii Artaxerxis filii infanda libido. 9.8.8
Darii regnum vastissimum. 1.7.2
Darium equi hinnitus regem fecit. 7.7.9
Darius ab Alexandro debellatur. 1.7.5
Darius à Deo cur desertus. ibid.
Darius à Persis ob tributi impositionem caupo dictus est. 9.8.4
Darius in delectu crudelis fuit. 3.15.3.10.20.3
Darius octingenta millia contra Schytas duxit. 10.21.10
Darius Schytarum regi ob filiam matrimonio negatam bellum intulit. 10.8.3
Data mes pauco semper milite multos vicit. 10.38.23
Dauid agriculturæ summam curam habuit. 8.11.2
Dauid ducenta octoginta octo millia satellitum habuit. 8.2.3. 8.23.5
Dauidis potentia in regno non maximo, omnium regum viribus maior. 8.2.3
Dauid liberalis & diues fuit. 8.5.3
Dauid regis Ammonitarum diadema ob ponderositatem ferre non potuit. 7.3.6
Dauid regnandi peritissimus cur Leuitarũ opera vsus. 6.42.4
Danid viginti quatuor millia regiorum ministrorum & custodum habuit. ibid.
Debita ab amico iure repetere, graue est. 8.18.1
Debitor contumax à magistratu puniendus est. ibid.
Debitorum quorundam perfidia facit vt omnes inopia oppressi luant. ibid.
Decanatum ante annum 25. nemo suscipere potest. 6.40.4
Decani ætate & moribus maturi eligendi. ibid.
Decani & Archipresbyteri olim eadem, nunc vero diuersas functiones habent. 6.40.7
Decani & capituli negligentia & conniuentia punienda. 6.40.6
Decani graue officium, & si negligentes sint, periculosum sustinent. ibid.
Decani nisi resideant, fructibus decanalibus priuantur. 6.40.5
Decani officium & potestas. 6.40.6
Decani ruralis officium. 6.40.7
Decanorum licentia, clero liberiorũ vitæ causa. 6.40.5
Decanus diaconus electus, nisi presbyter ordinetur, honore priuatur. 6.40.4
Decanus in militiâ Romana. 10.26.9
Decanus ruralis ad synodi consessum admittitur. 6.40.7
Decemuiralis insolentiæ causam Machiauellus falsò assignat. 7.20.4
Decemuiratus populo Romano exitio fuit. ibid.

Decemuiri singuli cum duodenis fascibus prodierunt. 7. 20. 1
Decemuiri Stilitibus iudicandis ex centumuiris erant. 7. 22. 13
Decemuiri stlitibus iudicandis quotannis legebantur. ibid.
Decimas Deus Leuiticæ tribui assignauit. 6.42.1
Decimas triplices accipiebant Leuitæ quotannis. ibid.
Decurionatus difficilis administratio. 7.29.9
Decuriones plebeiorum tormentis subiici non poterant. ibid.
Decuriones si publicam pecuniam interuertissent, plumbatis vapulabant. ibid.
Defensores ciuitatum de rebus minoris momenti iudicabant. 7.28.2
Defensores ciuitatum ex ciuibus, non est decurionibus legebantur. 7.28.3
Defensores ciuitatum quinquennale habebant officium. 7. 28. 1
Defensores etiam consensu Episcoporum constituebantur. 7. 28. 6
Defensores & patronos in vtraque India prudentissimè constituerunt reges Hispaniarum. 7.28.11
Defensores iustitiæ vindices sunt. 7.28.10
Defensoribus potestas turbandæ ciuitatis fuit ablata. 7.28.6. & 8
Defensoribus sublatis Respublica perijt. 7.28.8
Defensoru honorem nemo, ne milites quidem aut illustres subterfugere potuerunt. 7.28.4
Defensoris officia. 7.28.5.& 6
Defensorum creandorum causa. 7.28.10
Delectus, corruptâ republicâ, vitiati. 10.27.6
Delectus diem Romani edicebant. 10.20.2
Delectus duobus modis institui potest. 10.20.9
Delectus Romani etiam inuitorum agebant. 10.20.1.2.& 4
Delectus veteris militiæ incommoda.. 10.20.1.& 2
Delectuum prima ratio ex gentium diuersitate est. 10.20.6
Deliciæ libidinum fomites sunt. 6.43.3
Deliciis dediti fortes esse nequeunt. 3.17.11
Delphinatum Allobrogum prouinciam à quo & qua conditione possideant reges Franciæ. 7.15.1
Delphinus Galliarum regi proximus est. ibid.
Demetrius Pompeianus libertus, Domino lucepletior fuit, seruorumq; exercitus habuit. 8.14.9
Democrates Alexandriam in monte Atho ædificandam stultè arbitrabatur. 8.22.5
Democratia cur nunquam diuturna. 1.20.1
Democratiæ definitio. ibid.
Democratiæ leges variæ contra optimates latæ. 1.20.5.& seq.
Democratiæ quatuor genera. 1.20.4
Democratiæ specierum vltima, pessima est. ibid.
Democratia in quo loco esse possit. 1.20.2
Democratia legibus suis putridis firmari nequit. 1.20.23
Democratia magistratum sæpe mutat, sed male. 1.20.6
Democratia nullum magistratu arcet. 1.20.5
Democratia nullum magistratum ab vno bis geri patitur. 1. 20.13
Democratia quando Romæ fuerit. 1.20.2
Democratia tyrannidem parit. 1.20.3
Democratici aduenas ad honores euehunt. 1.20.16
Democratici diuitum & nobilium criminatores sunt. 1.20. 8.& 19
Democratici raptores sunt. 1.20.7
Democratici sortito magistratus eligunt. 1.20.9
Democritus bonæ mentis onus diuitias putauit. 1.13.6
Demosthenes se malle viam ad inferos, quam ad solium calcare, dicebat. 8.1.4
Depeculatores timent & oderunt principem. 8.9.2
Desperatio fortes facit. 9.15.5
Depositionem in Academiis quia antiqua est, quidam retinendam putant. 4.6.16
Despotæ Imperatori proximi fuerunt. 7.15.1
Despotica Reip. forma iniqua est nec diuturna. 1.21.4.& 5
Dei arbitrio omnia regi tota scriptura demonstrat. 1.6.2.& 3
Dei leges arctius obligant quam hominum. 5.8.16
Dei legibus semper, vbiq;, & ab omnibus parendum. 6. 25. 2
Dei lex est immutabilis. 5.8.16
Dei maiestas rerum sordidarum contagio non polluitur. 1. 13. 15
Dei præscientia Politicorum atheismo repugnat. 1.6.6
Dei præscientiam & prouidentiam etiam humani generis historiæ probant. 1.9.1.& 2
Dei prouidentiam Augustinus insigni discursu demonstrat. 1. 13.17.& 18
Dei prouidentiam bonorum vita austera approbat. 1.13.5
Dei prouidentiam diuina vindicta ostendit. 1.12.1
Dei prouidentiam hominum in agendo libertas indicat. 1.13.9
Dei prouidentiam malorum feliciras non tollit, nec bonorum clades. 1.13.1
Dei prouidentiam statæ rerum vices asserunt. 1.13.16
Dei prouidentia occasiones subministrat. 8.1.7
Deo futurorum prænognitio concedenda est. 1.6.8.& 10. 1.7.1.& 9. 1.9.2
Deo imperium in reges esse, exemplo ostenditur. 1.7.1.& seq.
Deo nos egere impii negant. 1.13.1
Deo omnia in acceptis referenda sunt. 1.5.3
Deorum certa insignia fuerunt. 7.5.4
Deos animalia esse, multi putarunt. 1.11.6
Deus à bonis ea quæ verè mala sunt remouet. 1.13.6
Deus dat & aufert, auget & minuit imperia. 1.6.5. 1.7.1. 2.3.4. 1.8.1.2
Deus est vbiq;. 1.10.4.& 6. 6.6.11
Deus etiam animantium curam suscipit. 1.8.1
Deus etiam priuata & minima quæq; administrat. 1.10.3. & 5. 1.13.15
Deus in creaturas leges ferre potest. 5.5.1
Deus in æternum regnat. 1.6.2
Deus iniusta imperare non potest. 5.12.2
Deus ius suum quod habet in homines, regibus communicat. 5.8.16
Deus occulti criminis vltor est. 6.4.5
Deus omnia regna disponit. 1.6.6. 1.76. 1.8.1
Deus paruarum rerum magnus artifex est. 1.13.17
Deus principes in se confidentes tuetur. 1.6.4.
Deus probat quos diligit. 1.13.6
Deus quædam & mala & bona esse vult. 1.13.11
Deus sine culpa nec damnat nec punit. 9.44.8
Deum colendum esse gentes consentiunt. 2.9.4
Deum esse, anima intus testatur. 1.11.5
Deum esse, aut mundum regere qui negat, totum mundum dementem iudicat, aut solus demens est. 1.11.4
Deum esse omnium auxiliatorem, natura nos docet. 1.11.3
Deum in Eucharistia adorandum negant hæretici. 6.5.19
Deum omnium rerum esse auctorem & protectorem, SS. Patres docent. 1.8.1.& 2
gentes agnouerunt. 1.10.1.& seq.
oracula indicant. 1.9.2.& 3
naturali ratione ostenditur. 1.11.1.& seq.
Deum simlem suis ministris vulgus arbitratur. 6.10.1
Diacon aliquando Presbyteris & Episcopis se prætulerunt. 6. 10.23
Diaconis sinceritas cur adeo commendetur. 6.10.22.& 23
Diaconorum examen ex quibus fieri possit. 6.12.7
Diaconos Paulus in verbis & gestibus pudicos esse vult. 6. 10. 21
Diaconus ante 25. annum nemo ordinandus. 6.12. 5
Diaconus Cardinalis, nisi adsint 27. testes, non condemnatur. 6.35.1
Diaconus peccans quamdiu pœnitentiam agere debeat. 6. 16. 4
Diadema olim simplex & vulgare, nunc preciosissimũ. 7.3.4
Diadema omnibus regibus vsitatum est. ibid.
Diadema pileo circumdatum interdum gestabant reges. 7.3.5
Diadema regis Ammonitarum ponderosissimum Dauidi impositum. 7.3.6

Diadema spectabile est, sed infelix. 7.3.7
Dialectica. V. Logica.
Dictatoria potestas qualis, quam diuturna, & apud quas gentes floruerit. 1.15.5
Dictatoris dignitas ac potestas. 7.20.1
Dictatori viginti quatuor secures præferebantur. ibid.
Dictator Romanus plus potuit quam tota Respublica. 1.24.3
Dictatorum nullus tyrannidem exercuit. 7.20.1
Dictatura ex necessitate, sed optime instituta. 7.10.1.& 3
Dictatura initio monarchia tẽporaria, postea perpetua. 7.20.3
Didalus Persa, pecunia carens, militem stipendia postulantem egregio stratagemate compescuit. 8.16.44
Didius proditore ad celanda sua consilia vsus est. 10.52.5
Didymus grãmaticus quatuor millia librorum scripsit. 4.12.2
Dignitatis suæ custodem principem esse oportet. 8.4.4
Dignitatis tuendæ cura est vicina superbiæ. ibid.
Dilapidatores Reipublicæ sunt turbatores. 9.9.3
Diligentiæ descriptio. 3.5.1
Diligentia & cura Magistratuum etiam circa res minimas magna ac honesta est. 3.5.2
Diligentia omnibus principibus & magistratibus commendatur. 3.5.2.3.& seq.
Diocletianus seditionum ac rebellionum multitudine conflictatus est. 9.4.1
Diœceseon varia fuit distinctio. 7.21.13
Diœceses quæ nunc Episcoporum, à gentilitate nomen acceperunt. ibid.
Diœceta à diœceseos administratione dicitur. ibid.
Diœcetæ qui nam dicti. 7.29.8
Diognetus Naxius scortum prodidit. 10.47.5
Dionysii crudelitas magna immanitate à Locrensibus vindicata est. 9.8.2
Dionysii tyranni dictum ad nouos magistratus. 1.16.11
Dionysius in imperio hominis felicitatem consistere arbitratus est. 2.2.3
Dionysius mortem aut eius periculum simulando, hominum animos explorabat. 9.16.9
Dionysius occultam notitiam insidiatorum profitebatur. ibid.
Dionysius Syracusius pecunias cumulare volens, varias imposturas excogitauit. 8.16.28.29.30.31.32.33.34.35.36.37.& 67.
Dionysius tyrannus Deum delubra spoliauit. 1.13.2
Dionysius tyrannus Platonem cur coluerit. 4.9.7
Disciplina belli triplex. 10.24.1
Disciplina morum in bello, maioribus summæ curæ fuit. 10.24.1.2.3.& 5
Disciplina tenet imperium. 10.24.1
Discordiæ definitio. 9.20.2
Discordiæ Euangelicorum incommoda. 9.21.1.2.& seq.
Discordiæ plurimæ & maximæ sunt in Rom. Imperio. 9.17.1
Discordiarum in Romano Imp. causæ sunt prædicantes. ibid.
Discordiis hæreticorum crescit Ecclesia. 9.21.1
Discussores iudiciorum à solis principibus constituuntur. 7.22.20
ij nimiam olim potestatem habuerunt. ibid.
Dispensandi in pluralitate beneficiorum legitimæ causæ, in mediocritate manere debent. 6.41.3
Dispensatio in lege humana quando, & à quibus fieri possit. 5.16.7.8.9
Dispensationem improbitas plerumque extorquet. 6.41.3
Dispensationem inique à Pontifice obtinens, beneficio priuandus & insuper multandus est. ibid.
Dispensationes pro beneficiorum pluralitate, raro legitimæ sunt. ibid.
Dispensationis causæ iustæ esse debent, & quæ tales esse possint. ibidem.
Disputationes pertinacibus adhibendæ. 9.33.4
Disputationes & colloquia cum hæreticis olim in Ecclesia vsitata. 9.33.1.& seq.
Ditescendi modi tam honesti, quam inhonesti, vării. 8.6.2. 8.15.1. 8.16.1. per tot. 8.19.1.& seq.
Ditescere ex iniquitate, maximum malum. 8.17.1
Ditmarsi è templo irruptione facta, Holsatos victoriâ insolenter vtentes ceciderunt. 10.61.7
Diuinæ præscientiæ necessitas, non minuit omnipotentiã. 1.8.1
Diuinatio Ethnicorum vana. 1.6.7
Diuinationem veteres superstitiose concedunt. ibid.
Diuinationes dæmonum ope factæ, sæpe veræ sunt. 1.6.8
Diuinationis Ethnicæ defensores superstitiosi sunt. 1.6.7
Diuinitas impietributa est olim regibus & imperatoribus. 7.4.2
Diuinorum iudiciorum synopsis. 1.12.2
Diuites in necessitate iuuantes Rempubl. merito nobilitantur. 8.15.5. 8.20.5
Diuites pericula pro republ. sustinentes, ad honores etiam sunt promouendi. 1.14.5
Diuitibus multa sunt concedenda. 8.20.5
Diuitiæ ad bene agendum multis incitamenta fuerũt. 6.43.2
Diuitiæ clericis sunt ignominiosæ. 6.16.7
Diuitiæ curas pariunt. 6.43.4.
Diuitiæ non vituperantur, sed earum abusus. 8.12.2
Diuitiæ Principi & Reipubl. necessariæ sunt. 8.5.2.4.5.& 6. 8.15.1. 8.23.6
Diuitiarum abusus non tollit ipsas diuitias. 6.43.3
Diuitiarum colligendarum cura etiam principum successoribus incumbit. 8.5.5
Diuitiarum congregationi, mancipiorum legitimus & moderatus vsus plurimum seruit. 8.15.2
Diuitiarum luxus maior in sæcularibus, quam in Ecclesiasticis. 6.43.3
Diuitiarum luxus, vitium hominis non opum. ibid.
Diuitiarum magnus abusus. 8.12.1
Diuitias Dauid & alij reges probati collegerunt. 8.5.3
Diuitias medijs licitis cumulare principem decet. 8.5.1
Diuitias negociatione augere honestius est, quã bello. 8.10.10
Diuitiis non fidendum, sed vtendum. 8.5.5
Diuitiis omnia comparantur. 8.5.4.& 6
Diuitum filii cur pauperes reddantur. 3.14.17
Docendi labor maximus est. 4.22.1
Docentes bene, & viuentes male, se ipsos condemnant. 6.10.32
Docere ex aliorum experientia. V. Inexpertus ex aliena experientia docere potest.
Doctorandus sex dona habere debet. 4.16.16
Doctoratus nec ab indignis suscipi, nec ab aliis talibus conferri sine peccato mortali potest. 4.16.10
Doctor alicuius scientiæ promoueri non debet is, qui eam docere nequit. 4.16.14
Doctores Clericorum peritos esse oportet. 6.13.2
Doctores indocti, etiã pro ordinib. examinari possunt. 4.16.16
Doctores quo amictu ac ornatu vti possint. 8.14.7
Doctores titulares reprobari, iterum examinari & degradari possunt. 4.16.16
Doctoribus publice profitentib. salaria augenda sunt. 4.16.19
Doctorum hominum in Ecclesia magna copia est. 4.16.13
Doctorum priuilegiis non gaudent indocti. 4.16.16
Doctrina inexperti calumniis expositæ est. 1.1.2
Doctrinam quia ad eam difficilis aditus est, pauci veram consequuntur. 4.6.13
Doctrina sacerdotum insigne ornamentum. 6.13.2
Dolis Romani Deos delectari credebant. 3.4.3
Dolosi in astutia tandem deprehenduntur. 3.4.2
Dolus inuisus est. ibid.
Dolus triplex est, & quinam tolerabilis. 3.4.4
Domicellares inemendabiles, beneficio priuandi. 6.18.4
Domicellares praui & ignaui, à capitulis arcendi. ibid.
Domicellarium facilis & immatura admissio, Ecclesiæ pernicies est. ibid.
Dominandi libido creberrima belli causa. 10.8.7
Dominicus Michael Dux Venetorum, in expeditione Asiatica pecunia laborans, nummos è loro cudit. 8.16.24
Dominicus Michael Venetorum Dux in obsidione Tyri suspectus, se quomodo purgarit. 10.46.4
S. Dominicus plurimas animas conuertit. 6.46.5
Dominis etiam discolis obediendum est. 5.8.15
Domitiani Imperatoris mors patrib. grauissima fuit. 3.16.18

Eius imagines deturbatæ, tituli vbiq; erasi. ibid.
Domitianus decem & septem consulatus numerauit. 7.18.7
Domitianus crudelis & libidinosus fuit. 3.18.2
Domorum fores extrinsecus aperiri, magnus honor apud Romanos. 8.16.24
Domorum splendidarum exstructiones plebeios rectà ad paupertatem ducunt. 8.14.8
Donationis leges. 3.9.5.& *seq.*
Dordracensis synodus ridicula. 6.37.9
Dordrechtanus Caluinistarum conuentus, contra omnes synodi leges fuit. 9.39.1.& 18. 9.40.1
Draco & Elephas natura sibi inimicissimi. 10.2.14
Draco leges crudeles tulit. 5.12.5
Drungarij in classe dignitas. 10.27.2.& 4
Duces apud Chaldæos Satrapis minores fuerunt. 7.14.6
Duces audaculos Tribunos fouere debent. 10.22.13
Duces dicebantur, qui limitibus militibusque præfecti erant. 10.27.4
Duces hostium consilia nosse, sua vero celare debent. 10.51.1
Duces militiæ in omni republica fuerunt. 10.27.1
Duces quales virtutes habere debeant. 10.13.1. 10.22.3.4. 5.& *seq.*
Duci bellorum magna libertas permittenda est. 10.22.2
Ducibus hodie Tribum cæca nomina offerunt. 10.22.14
Duci in militia Romana Tribuni quotidie militum præsentium nomina recensebant. ibid.
Ducis boni signa. 10.23.4
Duci seuero milites propere diligenterque parent. 10.22.11
Ducis supremi præsentia mirum in modum conciliat animos militum. 10.23.6.& 7
Ducum à Carolo Magno non fuit singularis auctoritas. 7.17.5
Ducum olim minor fuit quam comitum dignitas. 7.14.6
Dudlæus negat ad magistratum pertinere, agere de synodo. 9.39.3
Dudlæus orator regis Britanniæ, Belgas oppugnat. 9.39.1
Duumuiri rebellionis extra ordinem legebantur. 7.22.10
Duumuiri rebellionis magnæ auctoritatis viri erant. ibid.
Dux benevolentia milites sibi fidos reddit. 10.22.12
Dux bonus exercitui necessarius est. 10.22.1
Dux bonus mediocri exercitu plus valet. ibid.
Dux exercitui homines infames ne præficiat. 10.22.13
Dux laudem reportat, milites vero laborem subeunt. V. Belli duces solos gloria manet.
Dux parata habens arma & viros, celeriter hostem aggredi debet. 10.25.1
Dux post victoriam illi exercitum reddere debet, à quo accepit. 10.23.5
Dux Tribunos & centuriones ne crebro mutet. 10.22.14

E.

Ebrietas contra docentium clamores, inhibentium leges exurgit. 3.14.1.3.4
Ebrietas non solius Germaniæ, sed totius orbis vitium est. 3.14.1.& 4
Ebrietas quibus legibus è Republ. tolli possit. 3.14.18
Ebrietas vitæ obest, corporiq; morbos adfert. 3.14.7.8.10.11.13
Ebrietatem diuinæ leges damnant. 3.14.5
Ius Gentium pœnis corporalibus subiicit. 3.14.6
Imperatores & Principes Germaniæ multis legibus interdicunt. 3.14.1.& 3
Ebrietatem Princeps & quilibet magistratus tollere tenetur. 3.14.18
Ebrietatem tollendi modus. 5.6.4
Ebrietates continuæ mentem efferant. 3.16.8
Ebrietatis horribile exemplum. 3.14.8.& 15
Ebrietatis patroni infames sunt. 3.14.18
Ebriosæ nutricis lac nocet alumno. 3.14.9. 4.3.5
Ebriosa Respublica diu sine miraculo stare nequit. 3.14.6.7. 8.& *seq.*
Ebriosi corpus, vliginosa palus est. 3.14.4
Ebriosi inemendabiles morte multandi. 6.10.7
Ebriosi in malo gloriantur. 3.14.4
Ebriosi spem vindemiæ intercipiunt. 3.14.19
Ebriosi stulti sunt. 3.14.11.12.13.14.15. 3.16.8
Ebriosorũ proles morbidæ & rebus gerendis inutiles sunt. 3.14. 8.9.10.13.& 16. 4.3.1
Ebriosus sacerdos res monstrosa. 6.10.7
Ecclesia ab antiquissimis temporibus prædia & possessiones habuit. 6.42.5
Ecclesia Academicis testimonijs multum tribuit. 4.16.11. & 12
Ecclesia Augustini tempore magnas possessiones habuit. 6.42.6
Ecclesia bene de se meritis plura beneficia permittit. 6.41.3
Ecclesia castrorum acies ordinata dicitur. 6.40.1
Ecclesia cur dicatur sancta. 6.20.7
Ecclesia dignitatis præsidia à Deo accepit. 6.42.4
Ecclesia disputationibus cum infidelib. habitis profecit. 9.33.1
Ecclesiæ auctoritas infallibilis est. 9.35.1.2.3
Ecclesia bona, non sunt vendenda. 6.42.7
Ecclesia bona sunt precia peccatorum, & patrimonia pauperum. 6.17.2
Ecclesiæ bona traducunt & cauillantur auari. 6.43.1
Ecclesiæ collegiatæ cum cathedralibus in cultu diuino & ministrantium ordine conueniunt. 6.40.6
Ecclesiæ & præbendæ propter possessorum corruptum vitam sæculares appellantur. 6.46.1
Ecclesiæ Hipponensis magnæ possessiones laicis inuidiosæ. 6. 42.6
Ecclesia inuisibilis, synodus est inuisibilis. 9.39.14
Ecclesiæ iudices contemptibiles sæpe, sed sapientes. 6.8.3
Ecclesiæ ministris paupertatis leges exemplo suo Christus non præscripsit. 6.43.2
Ecclesiæ ministros omnes pares esse, nulla lex iubet. 6.37.7
Ecclesiæ ministros omnes pares esse volunt Caluiniani. 6.37.1
Ecclesiæ monarchiam Sectariorum rationes non euertunt. 6. 37.9
Ecclesiæ nobilitatem Clericorum indagantes, virtutes negligunt. 6.10.25
Ecclesiæ nouæ sine episcopis constitui non possunt. 6.37.6
Ecclesiæ opes aulicorum auarissimorum ventres exinaniunt. 6.39.4
Ecclesiæ opes multis modis sunt stabilitæ. 6.42.5
Ecclesiæ opes necessarias, ipsa ratio docet, & ministrorum eius officium. 6.42.7
Ecclesia per fidem nouas regiones adunare volens, generalem illarum curam habere debet. 6.37.6
Ecclesiæ pingues, rarissimos doctores numerant. 6.13.8
Ecclesiæ potestatem sæcularem permittere, Reipublicæ vtile. 6. 8.10. 6.9.4
Ecclesiæ principibus, deliciis deditis, grandis ruina imminet. 6.10.7
Ecclesiæ publica negotia cum capitulo tractanda sunt. 6.18.4
Ecclesiæ spolia principibus adulatores eorum concedunt. 6.9.2
Ecclesiæ suæ inuisibili Nouatores auctoritatẽ tribuunt. 9.35.4
Ecclesiæ traditiones reiiciunt Sectarii. 9.44.7
Ecclesia excellentissimis Theologis semper opus habet. 6. 13.3
Ecclesia in Germania reformatione opus habet. 6.12.6
Ecclesia in sua paupertate plures hæreses experta est, quam in opum affluentia. 6.43.3
Ecclesiam iure constituendorum episcoporum priuare, aulicorum & imperatorum auaritia adlaborauit. 6.39.4
Ecclesia ius tribunalis habet. 6.8.1.& 9
Ecclesia leges sæculi probat. 5.3.7
Ecclesiam bonis exutam auari cupiunt. 6.43.1
Ecclesiam Deus semper tuetur. 9.35.2
Ecclesiam regere non potest, qui filios proprios exleges esse sinit. 6.10.18
Ecclesia per Concilia seruata est. 9.36.1.& 2. 9.37.3. 9.41.6
Ecclesia primitiua cur instrumentali musica rarius vsa. 6.6.7
Ecclesia primitiua dives fuit. 6.42.5
Ecclesia primitiua psallendi consuetudinem complexa est. 6.6.3
Ecclesia quale corpus sit. 9.35.2
Ecclesia Romana priscam fidem & statuta inconcussa tenet. 6.25.4. 6.28.4

Ecclesiarum bona à manu fisci intacta sunt. 6.42.7
Ecclesiarum expilatoribus reformationis nomen odiosum. 6. 11. 1
Ecclesiarum possessiones manu militari restituendæ. 6.42.7
Ecclesia si fallitur, etiam scripturam falsam esse necesse est. 9. 35. 3
Ecclesiastica beneficia hæreditaria non sunt. 6.12.1
Ecclesiastica beneficia petentes, etiam in cantu examinandi. 6. 12. 6
Ecclesiasticæ opes Reipubl. vtilissimæ sunt. 2.17.6
Ecclesiastica & ciuilia officia olim iuncta fuerunt. 6.9.4
Ecclesiastica hierarchia, summum mundi miraculum. 6.19.2
Ecclesiasticas functiones rude vulgus inter labores non reputat. 6.44.4
Ecclesiastici controuersias olim definierunt. 6.8.4
Ecclesiasticis cur iudiciaria potestas concessa. 6.8.8
Ecclesiasticorum bonorum iniqui possessores hæretici, iniuriarum damnati sunt. 9.17.5
Ecclesiasticorum bonorum restitutio Nouatores à fide absterret. 9.44.15
Ecclesiasticorum multitudinem ab ocij suspicionem accusant Nouatores. 6.44.1
Ecclesiasticorum opes superfluæ Christo restituendæ. 6.17.12
Ecclesiasticorum varij ordines. 6.19.1
Ecclesiasticos causarum cognitores constituit Apostolus. 6.8.1 5.& 6. 6.9.4
Ecclesiasticum secularis iudicare nequit. 6.8.2
Ecclesiis facultatum possessiones in quem finem datæ. 6.17.2
Edicta Romanorum quæ, & vnde dicta. 5.2.6
Edictum perpetuum Saluii, fuit saluberrimum. 5.11.1
Edom non est typus martyrum, sed reproborum. 6.31.5
Edouardus Anglus Philippum Pulchrum fraude ab oppugnãdo Belgio retraxit. 10.38.14
Edouardus I V. Britanniæ rex ab amicis, vt ad militiæ expensas sponte pecuniam conferrent, petiuit. 8.15.7
Edouardus rex exulare iussit reum ad templa confugientem. 5.7.3
Effectus proprius optimarum legum. 5.6.1
Electio in Germanico imperio prudenter valde instituta est. 1. 25.15.& 16
Electio in magno regno interdum commodum est. 1.25.15
Electio Principum hæreditariæ successioni posthabetur eaq; incommodior est. 1.25.3.& seq.
Electores, aulici sunt Imperatoris. 7.11.1
Electores de Reipublicæ summa & capite agentes, simultates priuatas seponere debent. 7.2.2
Electores, eorumq; numerum, Pontifex instituit. 7.6.2
Electores Monarcharum securos esse oportet. 7.2.2
Electoribus Imperialibus in ipsa electionis ciuitate securitatem præstat Imperator. 7.2.3
Electorum de idoneo Imperatore eligendo iuramentum. 7.2.4
Electorum Imperij ad Imperatoris electionem proficiscentium securitas, magnis pœnis sancitur. 7.2.2
Eleemosynis centuplum etiam in hac vita redditur. 3.10.8
Elephantem inter & Draconẽ natura inimicitias posuit. 10. 2. 15
Elephanti à veteribus in prælium inducti. 10.18.3
Elephanti etiam suis noxii sunt in prælio. 10.18.4
Elephantos quomodo Romani inutiles fecerint. ibid.
Eloquentem plurium & maximarum rerum gnarum esse oportet. 4.20.1
Eloquentiæ affectatores, quæ docti casu dixerunt, vndiq; conquirunt. 4.21.5
Eloquentiæ definitio. 4.20.1
Eloquentiæ dignitas & efficientia. 4.20.2.3
Eloquentiæ diuisio. 4.19.1
Eloquentiæ docendæ methodus in Societ. Iesu. 4.21.1.& seq.
Eloquentiæ finis. 4.20.4
Eloquentiæ præcepta Cicero sincera & optima tradidit. 4.21.3
Eloquentiæ præcepta & exercitatio aliis scientiis ornamento & adiumento sunt. 4.20.1. 4.21.1
Eloquẽtiæ schemata orationi vitiosæ attexere ridiculũ est. 4.20 1
Eloquentiæ tirones oratorem quempiam sibi imitandum proponant. 4.21.4
præ cæteris Ciceronem eligant. 4.21.5.& 6
ex historicis Liuium aut Salustium. 4.21.7
Eloquentia eloquenter docenda est. 4.21.3
Eloquentia maxime exercitatione addiscitur. 4.21.1.11.& 12
Eloquentia metrica Reipubl. vtilis est. V. Poësis.
Eloquentiam infantissimus quisq; affectat. 4.20.1
Eloquentia moribus populi accommodanda est. 4.20.4
Eloquentiâne excolantur improbi, principi attendendum est. ibidem.
Eloquentia non consistit in verborum vbertate. 4.19.1
Eloquentia Principi & nobilitati præcipuè colenda est. 4.20.2
Eloquentia quibus contineatur. 4.21.3.4.5.6.7.10.11.12
Emporia vnde floreant, Respublicasq; tam bene constitutas habeant. 8.10.5.& 6
Emporiis aut monarchia aut politia opus. 1.14.9
Emicus Lupides in summa rei pecuniariæ desperatione, nummos chartaceos fecit. 8.16.24
Ensibus pleræq; gentium in bello vsæ sunt. 10.16.2
Epaminondas quatuor millibus vltra 25. millia Lacedæmoniorum vicit. 10.24.10
Ephesii pecuniarum egentes, à mulieribus quod gestare legeretabant, accipiebant. 8.16.17
Ephororum in Republica Lacedæmoniorum potestas. 7.19.3
S. Ephræm solam fidem iustificare negauit. 9.26.17
Epicuri magna fuit parsimonia. 8.14.4
Epicurus omnia sui causa quemq; agere docuit. 2.11.1
Epicurus rempublicam & omnem humanam societatem è medio tollit. 2.2.2. 2.11.1
Episcopandi in cunis pueri non sunt. 6.41.3
Episcopatibus pluribus vnus præesse potest. 6.37.8
Episcopatum appetere olim gloriosum erat. 6.10.4
Episcopatus accepti natalis celebratus est. 7.5.7
Episcopatus olim gradus ad martyrium. 6.10.4
Episcopi à Clero eliguntur non à populo. 6.39.3
Episcopi ad secularia negotia tractanda, legitima electione vocantur. 6.9.4
Episcopi ad suos Episcopatus sunt alligati. 6.37.6
Episcopi ante 30. annum non ordinandi. 6.12.5
Episcopi bona Ecclesiæ abalienare sine capituli consensu non possunt. 6.18.4
Episcopi bonis benignitatem, malis austeritatem exhibent. 6. 10.30
Episcopi causas sufficientes habent, ob quas Clerum reformet. 6.11.2
Episcopi concubinarii puniendi. 6.4.8
Episcopi & clerici cognatos de ecclesiæ patrimonio saginantes, inferiis eos destinant. 6.10.6
Episcopi ex clericorum iudicio res ecclesiæ dispensent. 6.10.27
Episcopi Germaniæ aliarum nationum episcopos dignitate & potentia superant. 6.35.4
Episcopi hæretici principatibus (si quos habent) & iurisdictioni seculari non abrenunciant. 6.9.4
Episcopis honor magnus exhibitus. 6.39.5
Episcopi hospitales esse debent. 6.10.10
Episcopi in capitulum magna potestas. 6.18.4
Episcopi indigni electio scelus grauissimum. 6.12.4
Episcopi in patrimonio Christi luxuriantes, grauius peccant quam seculares in suis diuitiis lasciuientes. 6.43.3
Episcopi insigne ornamentum benignitas est. 6.10.30
Episcopi inter proceres Reipublicæ censentur. 6.43.2
Episcopi nisi fuissent, ecclesiæ olim periissent. 6.37.5
Episcopi nomine etiam presbyteri aliquando intitulati. 6. 39.2
Episcopi nomen etiam Papæ, Patriarchis & Archiepiscopis attribuitur. 6.39.1
Episcopi officia & finis. 6.39.6
Episcopi olim visitationes negligentes, precium nihilominus accipiebant. 6.14.3
Episcopi ornatus, modestia est. 6.10.9
Episcopi præsidum sententias rescindere possunt. 6.8.8

Episcopis prudentia & sæcularium negotiorum cognitio necessaria est. 6.10.8
Episcopi, quia Reipublicæ proceres, iis rebus priuandi non sunt, quibus Respublica defenditur. 6.43.2
Episcopi Reipublicæ rectores optimi. 6.8.10
Episcopi schismati occurrere possunt. 6.37.5
Episcopi scripturas iuxta veterem Ecclesiæ traditionem interpretari debent. 6.10.34
Episcopi sæcularibus secundario vacent. 6.9.4
Episcopi sine Archiepiscoporum consensu nihil innouare debent. 6.38.3.& 8
Episcopis ipsis, nisi alios idoneos substituant, docendi munus incumbit. 6.10.11. 6.13.2
Episcopis iurisdictionem temporalem nullum Christi factum negat. 6.9.4
Episcopis ius administrandæ Reipublicæ cur negent hæretici. 6.9.1
Episcopis non potestatem, sed eius abusum Christus prohibuit. 6.9.4.
Episcopis summa cura incumbit, vt parochos bonos constituant. 6.45.4
Episcopi subditos exemplo suo peccare facientes, multis mortibus digni. 6.16.3
Episcopi vitæ integritati studere debent. 6.39.1
Episcopi viri sint in fide probati, & virtutum fama conspicui. 6.10.19.& 20. 6.12.6
Episcopo Cathedrales Canonici quoad censuram morum subiacent. 6.41.3
Episcopo percutere, etiam delinquentes non licet. 6. 10. 13
Episcoporum cum sæcularibus collatorum, insignis moderatio est. 6.43.3
Episcoporum dignitas Canonibus Apostolorum probata est. 6.37.3
Episcopos eligendi potestatem iure diuino solus Pontifex habet. 6.20.3
Episcoporum est Ecclesias sæpe visitare. 6.14.2. 6. 15. 2
Episcopos & Pontificem eligendi potestas, cur aliquando Imperatoribus concessa. 6.39.4
Episcoporum & sacerdotum insigne ornamentum doctrina est. 6.13.2
Episcoporum famulitia & opes probant hæretici. 6. 43. 2
Episcoporum innocentia summa esse debet. 6.10.5
Episcoporum iurisdictioni ciuili nulla omnino lex contradicit. 6.9.3.& 4
Episcopum non generis sed morum nobilitas clarificat. 6. 10.32
Episcoporum odium, teste Caluiniano, plaga DEI est. 6. 37. 5
Episcoporum ordo quadripartitus. 6.38.1
Episcoporum perpetua ex dignitate deiectio, pœna grauissima. 6.16.1
Episcoporum tantam iustitiam esse oportet, vt & ab hostibus laudetur. 6.10.31
Episcoporum vita à Paulo describitur. 6. 10. 3. & seqq.
Episcoporum vitam sæculares pueri sciunt, clerici nesciunt. 6.10. 30
Episcopos omnes suis limitibus contentos esse oportet. 6. 38. 6
Episcopos, Pastores, totum Cleru huius sæculi, seria Autor adhortatione sanctorum prædecessorum vestigiis insistere iubet. 6.48.1
Episcopos principatus suos per latrocinia aquisiuisse, nec præscribere posse, calumniantur hæretici. 6.9.1.& 2
Episcopos, vt secum plurimos habeant Clericos, hortantur concilia. 6.17.10
Episcopum duplicem potestatem exercere posse fatentur Sectarii. 6.37.7
Episcopum Principem sacris officiis crebro fungi decet. 6.39.6
Episcopum virosum & contumeliosum esse non decet. 6. 10. 12.
Episcopus à cathedra non sanctificatur. 6.10.32
Episcopus à cunctis audiri debet. 6.39.5
Episcopus bono sensu dici potest princeps sacerdotum. 6.37.4
Episcopus esse nequit, qui domui suæ præesse ignorat. 6. 10. 17
Episcopus esse non potest, si plures vxores habuit. 6. 10. 6
Episcopus facilis & pacificus subditis charus. 6.10.14. & 15.
Episcopus is esse nequit, qui plane simplex est. 6.10.8
Episcopus in causa disciplinæ legatus Apostolicus est. 6. 18. 5
Episcopus in ipso capitulo sæpe de moribus agat. ibid.
Episcopus nisi cum 72. testibus non condemnatur. 6. 35. 1
Episcopus non corrigens cleri peccata, canis est impudicus. 6. 16. 4.& 7
Episcopus non est, qui Christi Euangelium erubescit. 6. 10. 37
Episcopus nullus populo inuito imponendus. 6.38.6
Episcopus omnes omnino capitulares delinquentes, corrigendi potestatem habet. 6.18.5
Episcopus peccans quam diu pœnitentiam agere debeat. 6. 16. 4
Episcopus princeps aliorum principum vtitur iure. 6. 43. 3
Episcopus quilibet per suam diœcesin visitationis ius habet. 6.14. 4.
Episcopus si quisquis in sua diœcesi papa esse velit, vnitas non diu conseruabitur. 6.38.10
Episcopus seruum ordinans, domino in duplum tenetur. 6.12.14
Episcopus Vagienses leges sæculi implorauit. 5.3.7
Eques ex hostico facile ali potest. 10.31.
Equester ordo Romæ seminarium senatorum fuit. 8. 10. 7
Equitatu qui præpollet in prælio, facile superior euadit. ibidem.
Equites in itinere agmen præire debent. 10.35.5
Equites Romani toto orbe negociabantur, vsuraque exercebant. 8.10.7
Equitis interdum summus, interdum nullus vsus. 10. 31.
Equitum apud veteres pacis tempore exercitium. 10. 15. 17
Equitum numerus quomodo cognoscendus. 10.35.8
Equitum præfecti in singulis turmis tres erant. 10. 26. 8
Equitum veterum arma offensiua cominus vsitata. 10. 16.2.& 3
Eremitarum vigilantia & victus. 6.46.13
Error qui crebro committitur, sæpe reprehendendus est. 6.6.14
Eruditi magistratibus sociantur. 4.9.9
Eruditi patriæ suæ sæpe saluti fuerunt. 4.9.10
Eruditio etiam in bello necessaria est. 4.12.6.& 7
Eruditio multorum, Reipublicæ honorifica est & necessaria. 4.11.1.2. 4.12.7
Eruditione Christiani longe superant gentes. 4.11.4. & 5.
Eruditionem multi sectantur, pauci consequuntur. 4. 6. 13
Eruditio non facit tyrannos. 4.11.6.& 7
Eruditio omnia in Republica magis, quam res bellicæ, firmat. 4.16.2
Eruditis ideo honor debetur, quia natura præcellunt. 4 9. 12
Eruditis olim magnus honor erat, variaq; præmia persoluebantur. 4.9.6.7.8.9.10.11.12

Essedarii in pugna audaces & expediti erant. 10.18.2
Essæni quales fuerint. 6.21.7
Essenorum in choro deuotio. 6.6.2
Ethnicorum vana diuinatio. V. diuinatio vana.
Euangelici infestius inter se, quam à Papistis dissident. 9. 44. 6
Euangelicorum discordiæ incommoda. 9.21. 1.2.3.4.5.6.7
Euangelicorum Regum & Principum recensitio. 9.10.8
Euangelicos omnes ad priscam veritatem auctor adhortatur. 9.42.13.& 14. 9.44.16
Eucharistiæ contumelia repentinis mortibus vindicata. 6. 4. 5
Eucharistiæ irreuerentia infantes quoq; mouet. 6.4.5
Eucharistiæ materiam mutant Caluiniani. 6.5.2
Eucharistiam ad ægrotos deferre prohibet Musculus. 6.5.2
Eucharistiam indigne sumentium supplicia. 6.4.5.& 6
Euæus crudelitate pecuniam à subditis extorsit. 8.16.53
Eumolpus Petronianus tantam familiam alebat vt Carthaginem ea capere posset. 8.11.4
Eunus seruus simulata religione seditionem concitauit. 9. 9. 7
Eunuchos quando ordinare liceat. 6.12.18
Eunuchi spontanei cur non ordinandi. ibid.
Eunuchos vetus Ecclesia non admisit. ibid.
Eunuchus voluntarius, suæ propriæ vitæ insidiator est. ibid.
Euocati milites erant præstantissimi. 10.27.5
Iidem operum immunes erant. ibid.
Europa tota in litibus est. 5.11.7
Europæ hæreses in Atheismum inclinant. 9.11.7
Europæi antipodas ingenio & politia superant. 1.14.8
Europæ nobilitas. 8.20.4
Europæ veterem religionem reddere facile est. 2.18.3
Excubiæ in periculo sunt. 10.35.8
Excubiæ perditæ. ibid.
Excubiæ quam procul à vallo castrorum abesse soleant. 10. 32. 2
Excubiarum in veteri militia diligens cura. 10.34. per totum.
Excubiarum maior iam, quam olim, cura. 10.35.8
Excubiarum ordo in militia, ad sanitatem & securitatem commodus est. 10.32.2
Excubitoribus pugnare vetitum. 10.35.8
Exercitatio imperatori militem conciliat. 10.24.10
Exercitatio militaris Romanis propria fuit. ibid.
Exercitatio militi pro patria pugnanti conuenit. 10.24. 26
Exercitationes veterum longæ fuerunt. 10.24.27
Exercitatio omnibus communis erat, etiam ducibus & veteranis. 10.24.10
Exercitia militaria veteribus varia fuerunt. 10. 24. 11. & seq.
Exercitum Romanum armorum exercitatio cessans perdidit. 10.15.18.& 19
Exercitus flumina quatuor modis transeunt. V. Flumina.
Exercitus vel metu vel pudore ad pugnandum impellitur. 10.41.1
Eximendus nemo, qui in ius vocatur. 5.11.8
Exitio quibusdam est, quod aliis saluti. 5.6.4
Experientia nisi ratione nitatur, ruina est. 1.1.8
Expertorum consilia optima sunt. 7.13.7
Explorandi artes insignes. 10.51.8.& 9
Exploratores explorandi sunt. 10.51.6
Exploratores semper sed caute mittendi. 10.51.5
Exploratoribus tesseræ non datur. 10.35.8
Exploratorum loco literis occultæ notæ vtuntur. 10.51.7
Exteros qui in ciuitates adsciscunt, imperia perdunt. 9.8.14. 9.9.5
Extraordinarii milites ex Sociorum Legione desumebantur. 10. 30
Exul potens & acer, res periculosa. 5.10.6
Ezechiæ regis diuitiæ. 8.5.3

F.

Fabii argumentum, quo suorum animos contra Tuscos erexit. 10.21.4
Fabiorum pugnam Machiauellus fato tribuit. 1.5.3
Fabius Tarentum euertens, Deorum delubris abstinuit. 10.2.4
Fabricii dictatoris frugalitas 1.13.4. 3.10.1. 6.43.3
Fabricius ad focum Samnitum legatos audiit. 1.13.4
Falx machina bellica. 10.19.3
Famæ custodia Principi necessaria. 8.4.3
Famæ quæsitores in multis errarunt. 8.4.5
Famæ sectatores non vanam gloriam, sed publicam salutem intendere debent. ibid.
Famagustam Turca igne & fumo circumfuso ad deditionem compulit. 10.46.15
Famam Alexander plurib, quam gesta sua fecit. 8.4.5
Famam & existimationem tam apud domesticos, quam apud exteros sola prouidentia diuina conciliat. 8.4.6
Famam impetere, genus homicidii est. 8.4.3
Fama male acturis magnum frenum est. 8.4.5
Famam Reipublicæ qui corrumpit, maiestatis crimine tenetur. 8.4.3
Fama quid. 5.10.6
Famam qui negligit, crudelis est. ibid.
Famam suam qua ratione Principes augere & conseruare possint. 8.4.7
Fama virtute paratur. 8.4.5
Fame hostem vincere optimum putabat Cæsar. 10.54.5
Fame munitissimæ vrbes ad deditionem compulsæ sunt. 10. 46. 3
Famem in obsidione multi diutissime sustinuerunt. 10.47.7
Fames ingens Romæ. 9.13.2
Fames nimia beluinos efficit. ibid.
Fames omnia infirma facit. 8.21.1
Fames seditionis causa. 9.13.2
Fallacia mos fidem omnibus abrogat. 3.4.10
Familiæ exercitus prisci habuerunt. 8.14.9
Familiæ multitudo priuatis non concedenda. ibid.
Fata sepulta Athei resuscitant. 1.5.2
Fati Mathematici necessitas arbitrium tollit. 1.5.3
Fati nomen rectè quidam vsurpant, sed periculose. 1.5.1
Fato etiam Dii subiecti censebantur. 1.5.3
Fato malos euentus asscribit Machiauellus. ibid.
Fatum ex astris inuentabile Machiauellus astruit. 1.5.3. 10.45.1
Fatum Mathematicum, & Priscillianistarum detestabile. 1.5.2
Fatum Montano flumini à Machiauello comparatur. 1.5.3
Fatum reiicitur. 1.5.1
Fatum si euenta, etiam eorum circumstantias inuehit. 1.5.3
Fatum si in vna re detur, ab alia non potest excludi. ibid.
Felices in hoc sæculo, infelices in futuro. 1.13.6.& 8
Felicitas ex bonis humanis non est æstimanda. 1.13.4
Felicitas in quibus consistat. 2.2.3.& seq. 2.3.1.& 5. 2.5. 1.& 2. 2.6.1.& seq. 2.7.1. 2.9.1.2.& seq.
Felicitas in Republica nulla est, à qua virtus exulat. 2.3.1.& seq. 2.5.1.& seq. 2.6.1.& 2.7.1. 2.9.1.2. 2.10.1.2. 2.11.1
Felicitas malorum summum est impiis scandalum. 1.13.3
Felicitas malorum, vmbra est. 1.13.7
Felicitas omnium finis est. 2.2.1
Felicitas primo homini consideranda est. 2.2.2
Felicitas terrena ad æternam dirigi debet. 2.2.9
Felicitatem Romani Deam putabant. 2.2.1
Fidei à philosophia peruersa periculum est. 9.30.1
Fidei doctrina vera quænam sit. 9.31.7
Fidei violatores Deo falsum affingunt. 3.7.4
Fidei violatoribus nemo credit. 3.7.6
Fidei violatorum malus exitus. 3.7.3.4.5.6.7
Fidem Apostoli & SS. Patres libris scriptis defenderunt. 9.34.1

Fidem mutare non est in nostra potestate. 9.23.3
Fidem perire non posse docent Calumistæ. 9.31.6. 9.35.3 9.38.3
Fidenates igne se cremarunt. 10.9.4
Fides à Rebuspublicis & principibus sarta tecta seruanda est. 3.7.1.& 2
Fides cum factis rumpitur, solutus est is qui infestatur. 3. 7.8
Fides etiam perfidis seruanda est. *ibid.*
Fides libris & scriptis defendenda est. 9.34.1.& seq.
Fides non sola iustificat. 9.26.17. 9.31.5
Fides sublata proponentis auctoritate interit. 9.35.1.&3
Filiamfamilias bibisse vinum,probrosum est. 3.14.16
Filiarum studia & mores quales esse debeant. 4.5.5
Filii delicati cur facile irascantur. 3.15.1.& 2
Filii diuitum cur pauperes reddantur. 3.14.17
Filii magnatum & opulentorum stupidi sunt aut stolidi. 3. 14.16
Filii magnatum qua ratione varias linguas expedite addiscere possint. 4.6.1
Filiis vinum nullo modo dandum. 3.14.9.10.16. 3. 15.1
Filiorum corruptos mores vt corrigant,parentes omnibus modis elaborare debent. 4.5.6
Filiorum innocentiam parentes defendere debent. 4.5.4
Filiorum pietati obsistere graue scelus est. 4.5.3
Filiorum primo quinquennio qualis debeat esse educatio & institutio. 4.4.2.& seq.
Filiorum tenera ætas pietate imbui debet. 4.5.3
Filios Germani Principes anno septimo magistro tradunt. 4.6.1
Filios sæpe malo exemplo parentes corrumpunt. 4.1.1.3.5. 4.2.2
Financiarum Consilium in Francia. 7.29.10
Finem tota hominis vita respicere debet. 5.6.2
Finis Reipublicæ quis sit,& esse debeat. 1.3.5. 2.1.1. 2.2.1. & 8.
Florentini à Castrucio oppressi, Neapolitanum Regem in vrbem acceperunt. 10.62.5
Florentinus arx Pisana vtilis fuit, & cur Pisas amiserint. 8. 23.6
Florentinus vt lenones Roma expelleret, vectigal quod fisco soluerent,prædii pensitatione sarcuit. 3.12.17
Flumina dissimulatione transire,magnæ artis. 10.36.3.& 7
Flumina exercitus quatuor modis transeunt. 10.36.1
Flumina transeundi varios modos necessitas adinuenit. 10. 36.7.8.& 9
Fluminum impetus equis aut elephantis olim sistebant. 10. 36.4
Fœdera ad potentiam plurimum faciunt. 8.24.1
Fœdera externorum principum domi auctoritatem adferunt. 8.24.2
Fœdera inter Aristocraticos, & Democraticos Monarchasque non sunt firma. 8.24.5
Fœdera iureiurando & publice sanciuntur. 8.24.3
Fœdera nuptiarum cum longinquis inita nil iuuant,sed vicinos offendunt. 8.24.9
Fœdera Turcæ vtilitate metiuntur. 8.24.3
Fœderum descriptio. 8.24.1
Fœderum violatio plurimum obest. 8.24.3
Fœdus nisi omnibus scleratis vtile sit,breue est. 8.24.4
Fœmina cum regni hæres est sponsum vtilem patriæ deligat. 1.26.7
Fœmellæ in omni animalium genere maribus sunt timidiores,imbecilliores, & crudeliores. 43.18.5
Fœmina nec seruiat nec regnet. 1.26.4
Fœmina nulla ambidextra est. 1.26.2
Fœminarum apud Achæos dominium & negotiorum tractatio erat. 1.26.3
Fœminarum & sceleratarum & heroinarum exempla. 1. 26.9
Fœminarum heroicæ virtuti interdum regni habenas commendare vtile est. 1.26.8
Fœminarum ius ac dominium in quantum se extendat. 1. 26.5
Fœminarum pro filiis hæredibus iustum vtileque imperium. 1.26.6
Fœminas barbari instar mancipiorum tractabant. 1.26.3. & 4
Fœminas decrepidas barbari viuas sepeliebant. 1.26.4
Fœminis Germaniæ modicum vinum est permittendum. 3. 14.9
Fœminis imperium in viros sine graui causa non est committendum. 1.26.1
Fœminis legibus Romanis etiam adultis & post mariti mortem tutor datur. 1.26.2
Fœnebri pecunia pauperes non iuuantur. 8.17.7
Fœnerandi noua & damnata ratio. 8.17.8
Fœneratores hominum pessimi sunt. 8.10.9
Fœneratores infames sunt. V. Vsurarii infames.
Fœneratoriam reiicit Aristoteles. 8.11.1
Fœnore singulis annis aliquot millia in Germania exhauriuntur. 8.17.7
Foricarii quinam dicantur. 8.7.21
Forma Reipublicæ. 1.3.4
Formulæ ius sunt vocatæ. 5.2.7
Formularii. 7.24.4
Fortitudini præmia proponi debent. 3.17.13
Fortitudinis acquirendæ media. 3.17.8.9.10.11.12
Fortitudinis descriptio. 3.17.2
Fortitudinis fundamentum Deus est. 3.17.8.9. & 10
Fortitudinis pars est, iniurias & contumelias tolerare. 3. 17.7
Fortitudo cruentis spectaculis non acquiritur. 3.18.1.2.3. 4.5.6
Fortitudo etiam timidos doceri potest. 3.17.7
Fortitudo inuictos reddit. 3.17.3.4.5.& 13
Fortitudo martyrum etiam Reipublicæ vtilis est. 3.17. 10
Fortitudo omnium virtutum custos est. 3.17.2.3
Fortitudo Reipublicæ maxime necessaria est. 3. 17. 1.3.4
Fortium virorum exercitus habentur, prudentum vix singuli. 7.13.6
Fortium virorum in aduersis desiderium, in pace est contemptus. 3.8.5
Fortuita seditionis causa quænam dicatur. 9.13.1
Francia lex egregia. 1.22.1
Franciscus Carniola Dux Venetorum occasione vsus, hostes vicit. 10.22.16
Franciscus rex Galliarum Carolum V. ad singulare certamen prouocauit. 7.6.2
Franciscus rex Galliarum fidem regibus vel maxime seruandam esse docuit. 3.7.7
Franciscus Sfortia Mediolanum pro quo pugnarat occupauit. 10.2.5
Francofurti in nundinis libellorum & picturarum famosarum copia venalis.V. Libelli famosi.
Francofurtenses optimatum imperium exosi,seditionem inceptarunt. 1.18.4
Francorum multi aulici olim mancipia erant. 7.15.1
Francorum reges, per Regis aut filiorum regiorum vitam iurare vetuerunt. 7.4.6
Frantzius austeram Ioannis Baptistæ vitam damnat. 6. 21.7
Frantzius Ioannem Baptistam Essæum dicit. *ibid.*
Fraus. V. Dolus.
Fredericus ad Samminiatenses rebellionem machinantes milites specie captiuorum misit. 9.16.10
Fredericus imp. assentatores, Ladislai pueri necem suadentes, insigni responso perculit. 3.6.3
Fredericus Marobatus igne aliò directo Auriam à persequendo retardauit. 10.48.8

Frumentariæ rei curam Romani gerebant. 8.21.2
Frumentariorum officium. 7.30.2. 8.21.2
Frumentatores apud Chaldæos tyranni dicti. 7.14.6
Frumenti inopia Romæ crebras querelas & seditiones mouit. 7.27.2. 8.21.2
Fuga duplex. 10.48.1
Fugæ astutæ varia exempla. 10.48.2
Fugæ finis victoriæ receptio. 10.48.7
Fugæ simulatio in prælio caute fieri debet. 10.38.8
Fuga hosti non est intercludenda. 10.49.1
Fuga simulata laudabilis est, vera ignominiosa. 10.48.1
Fugere quando militi liceat aut non liceat. ibid.
Fugientes ne hostis persequatur, vario stratagemate sæpe effectum est. 10.48.3.& 4
Fugienti caute instandum. 10.49.2
Fuldensis olim tota ditio saltus fuit. 8.11.8
Funda bombardis impares. 10.59.2
Fundarum violentia. ibid.
Fundibulatores & Fustibalus. 10.39.2
Furtorum in militia Romana seuera pœna. 10.24.5

G.

Galba ingentia promissa. 8.13.4
Galbæ sordida auaritia. 3.9.7
Galbæ temeraria audacia. 1.22.6
Galba imperator Romanis contemptui fuit. 1.25.8
Galba ob auaritiæ opinionem ab exercitu proditus est. 9.8.2
Galea capitis tegmen. 10.15.6
Galeæ conus. 10.15.8
Galeæ materia. 10.15.6.& 7
Galeacius dux Mediolanensium causidicum laqueo necari iussit. 5.11.5
Galenus decima quæstus parte familiam aluit. 4.25.5
Galeri Bruesuicenses. 10.15.6
Gallia de quæstoribus & thesaurariis rectissime constituit. 7.29.10.& 11
Gallia generalis magnæ potestatis & authoritatis. 7.22.17
Galliæ Reges Christianissimi intitulantur. 7.5.1
Galliarum varii iudices, & diuersorum diuersa auctoritas. 7.22.17
Gallicæ Academiæ ad nominationes beneficiorum multum temporis requirunt. 4.16.7
Gallicana consilia duplicia sunt. 7.6.4
Gallicana consilia publicæ olim nobilissima fuerunt. ibid.
Gallicana consilia quas res tractauerint, & vnde eorum auctoritas imminuta sit. ibid.
Gallicum imperium omnium totius Europæ rectissime constitutum fuit. 7.7.5
Galli cuniculorum scientissimi fuerunt. 10.46.12
Galli facile vincuntur. 10.37.7
Galli Iudæos regni finibus expulerunt & fœneratorum dextras detruncarunt. 8.17.7
Galli militem ordinarium habebant. 10.29.2
Galli olim bello exercitatissimi. 10.20.21
Galli opum cupidine contra Græcos Italosq; bella mouerunt. 10.8.6
Galli serici domestici multum habent. 8.10.12
Galli Siculos ad defectionem coegerunt. 7.7.5
Galli valetudine & ætate imbecilles è castris dimittebant. 10.46.8
Gallieni imperatoris inter extremas angustias stolidissima luxus cura. 3.14.12
Gallinas altiles in conuiuiis adhibere, vetuêre Romani. 8.14.4
Gallogræciæ plures Tetrarchæ fuerunt. 7.21.16
Garamantes sine Magistratu viuunt. 1.4.2
Genevenses Sectarii inter ministros æqualitatem vrgent. 6.37.1
Gens prisca sine legibus vixit. 5.3.4
Gentes Deum fabricatorem huius vniuersi, & parentem omnium prouidentem dixerunt. 1.8.1
Gentes diuersæ inter se non facile coalescunt aut consentiunt. 9.8.14. 9.9.5
Gentes Imperatores suos in Deorum numerum retulerũt templaq; iis constituerunt. 7.4.2
Gentes non in ratione formali, sed in re subiecta Numinis erauerunt. 1.11.4
Gentium consensus est Deum colendum esse. 2.9.4
Gentium conuersionem esse negligendam impie docet Beza. 6.37.6
Gentium historiæ in scripturis prædicuntur. 1.6.11
Gentium peraq; peculiaria errata ab omnibus exteris irrisa, ignorant. 1.14.8
Genuenses in constitutione magistratuum vix pares habent. 7.19.11
Genuenses iudices extraneos altero anno constituunt. 7.23.5
Genuensis arx Gallo vtilis fuit. 8.23.6
Genuensis ducis biennale imperium. 7.19.11
Genuensis Reipublicæ accurata constitutio. 7.19.11
Genuensium quæstores Rempublicam conseruant. 7.29.13
Germana nobilitas Henricorum tempore ob interdictam negociationem ad rapinas versa est. 8.10.10.
Germaniæ Archiepiscopi primates dici possunt. 6.36.10
Germaniæ Archiepiscopi sub se Episcopos habent, quorum vrbes etiam sub Metropoli non sunt. 6.38.1
Germaniæ ciuitates liberæ, absolutæ Respublicæ non sunt. 1.17.3
Germaniæ ciuitates liberæ lentius regionem mutarunt. 9.10.7
Germaniæ ciuitates liberæ nisi timerent imperatorem, Iudæos cum vsurariis magnatibus pellerent. 8.17.1
Germaniæ Episcopi principes sunt non Itali. 6.35.4
Germaniæ magnum vitium ebrietas. 3.14.1
Germaniæ nobilitas vnicum Cæsaris fulcrum est. 8.20.4
Germaniæ pars alia sobria, alia ebria, alia media. 3.14.16
Germaniæ Principes à multis annis Concilium generale petierunt. 9.42.1.& 2
Germaniæ principes certos accusat Pareus. 9.25.4
Germaniæ principes ius belli non habent. 10.4.10
Pacis violatoribus pœnæ constitutæ sunt. ibid.
Germaniæ tota fertilitas nondum tentata est. 8.11.7
Germania fidei tenacissima est. 3.7.7
Germaniam Itali magnam aliquam vrbem putant. 6.35.4
Germania multis & annosis litibus atteritur. 9.31.9
Germania olim infœcunda, inculta, nunc terrarum est cultissima. 8.11.7
Germania plurimas religionis mutationes patitur. 2.16.4
Germania suo bono perit. 3.14.19
Germania tributis grauatur. 8.7.16
Germania vnam religionem magna spe concepit. 9.22.3
Germania vrbibus cunctas gentes superat. 8.22.3
Germani centum pene annos pacis extortes. 9.22.1
Germanicus Cæsar clementissimus fuit. 3.16.18
Germanicus clerus reformatione opus habet. 6.12.6
Germani olim auro argentoq; carebant, nunc plurimum possident. 8.12.1.& 3
Germani summum iuris arbitrium Cæsari relinquunt. 1.24.3
Germanis ad synodum Tridentinam veniendi saluus conductus impertitus est. 9.43.5
Germanis ciuitatibus libertas vtilis. 5.6.4
Germani terra adhuc inculta, panem non habebant, sed pultibus vescebantur. 8.11.7
Germani veteres ab omnibus gentibus despecti fuerunt. 8.11.8
Germani veteres agriculturam non exercuerunt. 8.11.7
Germani veteres laudi sibi ducebant, quam longissime circa se vacare regiones. ibid.
Germanorum ante vrbes extructas potentia nulla fuit. 8.22.3
Germanorum & Gallorum vrbibus olim Comites præerant. 7.17.2
Germanorum indoles paci idonea. 9.22.2

Germanos ob superstitionem pugnare non audentes, Cæsar acie vicit. 2.14.14. 10.41.6
Germanorum veterum victus, habitatioque miserrima. 8. 11.8
Glacies exercitus caute transire debet. 10.36.5
Gladiatores. V. Spectacula cruenta.
Gladiatores fortes non fuerunt.
Gladiatores raro in bellum missi sunt. 3.18.5
Gladiatorum spectacula tollere difficile fuit. 3.18.6
Gladiatorum vile genus & infame. 5.6.4
Gladii Romanorum per omnia arma ad corpora peruadebant. 3.18.6
10.15.15
Gommarianismus sine armis in Belgicas ciuitates induci non potest. 9.31.20
Gommoristæ Caluiniani in fratres suos Arminianos tyrannidē exercent. 6.27.8
Gorgias Leontinus primus orationem Rhetoricis schematismis exornauit. 4.20.2
Gothardus Artus historicus Euangelicus, mendaciorum propola est. 9.32.1.& 2
Gothorum regibus titulus tranquillitatis peculiaris fuit. 7.5.1
Grachus Volonum & seruorum manu Romanam Rempublicam seruauit. 10.20.1
Graditatis personis tertia beneficiorum pars danda. 6.13.5
Gradus academicos cur aspernentur nobiles. 6.13.4
Græci barbaros stultos dicebant, eosque imperio subdere iustissimum putabant. 10.8.2
Græci imperatori suo rebelles, iugo Turcico colla submittere coacti sunt. 8.1.7. 10.11.1
Græci milites optimos in prima acie collocabant. 10.37.1
Græci suasu Demosthenis militem ordinarium alebant. 10. 29.1
Græcorum imperium fœdissimis seditionibus agitatum est. 9.5.1
Græcorum militare stipendium. 10.53.3
Græcorum Monarchia in se collisa est. 3.16.8
Grammatica ante turrim Babylonicam non necessaria erat. 4.18.1
Grammaticas institutiones Societatis Iesu optima & vtili methodo tradit. 4.18.2.& seq.
Grammaticorum duplex genus est. 4.12.4
Graseri impia doctrina palliari non potest. 9.25.3.& 7. 9. 26.14.& 18
Gratianus imperator Ausonium præceptorem consulem designauit. 4.9.12
Gratum in bene meritos principem esse decet. 3.8.6
Gregorius XIV. Papa in pietate & cultu diuino summus fuit. 6.28.11
Gregorius de Valentia operibus editis Germaniam illustrauit. 5.1.4
SS. Gregorius Magnus, Nyssenus, Nazianzenus, reliquias venerati sunt. 9.26.17
Gregorius Papa, tenacem in Episcopatu confirmare recusauit. 6.10.10
Gregorius V. Papa numerum Electorum Imperii constituit. 7.6.2
Gregorius Thaumaturgus controuersias dirimere solitus. 6. 8.5
Guilielmus Barret insignis adulator principum. 6.24.8
Gymnasia tria Athenis fuerunt. 4.13.1
Gymnasia vetusta & celebria. 4.13.2.3.4.5

H.

Haddingus vrbem Dunam per aures domesticas incendit & expugnauit. 10.46.3
Hadrianus damnatorum bona in fiscum priuatum redigi vetuit. 8.7.7
Hæresiarchæ aliam causam habent, aliam prætendunt. 9.11.3
Hæresiarchæ Antichristi præcursores sunt. 6.29.1
Hæresiarchæ quotquot extiterunt, Pontifici Romano sese opposuerunt. 6.20.1
Hæresiarcha Lutherus multa ex suis hæreticis dogmatibus mutare coactus est.
Hæresiarcharum amor abducit à Christo. 9.11.3
Hæreses apud curiosos nouitate valent. 6.5.1
Hæreses deficiunt. 9.22.5
Hæreses diu cur non perseuerent. 9.22.4. 9.41.8. 9.42.11
Hæreses Ecclesiam affligunt, bellaq; excitant. 9.22.5
Hæreses & sectæ cur augeantur. 9.19.3
Hæreses Europæ ad Atheismum inclinant. 9.30.5
Hæreses infirmos offendunt, & ad grauissimos lapsus inuitant. 9.11.7
9.21.4
Hæreses mutuo conflictu pereunt.
Hæreses omnes è vitiis originem trahunt. 9.21.1
Hæreses oriri necesse est, vbi sua quisque auctoritate nititur. 2.17.2 & 3
9.30.4
Hæreses post Lutherum variæ. 9.11.4.& seq.
Hæreses quædam lento, quædam celeri remedio sunt tollendæ. 2.18.2.& 4
Hæreses Turcis prosunt.
Hæresibus mature occurrendum. 9.21.3
Hæresis Iudæos auertit à fide. 2.17.7
Hæresis Reipublicæ statum turbat. 9.21.2
Hæresis varietatum fœcunda est. 9.11.9
Hæresum tollendarum variæ rationes. 9.11.3
Hæretici ad veram religionem à suis principibus cogi possunt & debent. 2.18.2.& seq.
Hæretici Concilium Imperatorium approbare non possunt. 2.17.9. 2.18.11.12.13.14.15
9.43.2.& 3
Hæretici docere vetantur.
Hæretici Ecclesiæ quam inuisibilem somniant auctoritatem tribuunt. 2.8.5
Hæretici Ecclesiasticos ocii accusant. 9.35.4
Hæretici Episcopu ius administrādæ Reipub. cur negent. 6.44.1
Hæretici Episcoporum opibus, quas eorum ministri probant, maxime offenduntur. 6.9.1
Hæretici ex Apocalypsi nihil agunt contra Pontificem. 6.43.2.& 3
Hæretici falsarii sunt. 6.22.1
Hæretici fraudum & technarum mille artifices. 6.21.3
Hæretici impias & turpes cantilenas in Ecclesia cantillant. 6.28.3
Hæretici in dissolutione Reipuclicæ, ordiuntur à prælatis, finiunt in principibus. 6.6.6
Hæretici in se mutuo seuiunt. 6.9.6
Hæretici Ioannis Baptistæ vitam damnant. 9.21.5
Hæretici iubilantes omnes in Pontificem insurrexerunt. 6.21.7
Hæretici iuuentutem suam in mendaciorum phrontisteriis actunt. 6.21.1
Hæretici lucem promittunt & tenebras condensant. 6.13.8
Hæretici mendaciis Pontificis auctoritatem oppugnant. 6. 21.2.& 3. 6.24.1.& 10. 6.22.1
Hæretici moderni omnes Nouati mores habent.
Hæretici Nouatores contra Cæsaris expressa statuta Catholicos spoliarunt. 2.17.3
Hæretici olim cantum Ecclesiasticum contemnebant. 9.17.6
Hæretici persecutores Ecclesiæ canonizant. 6.6.4
Hæretici Pōtificis doctrinā quibus fraudibus oppugnēt. 6.21.5
Hæretici Pontificis vnius peccata omnibus imputant. 6.21.1
Hæretici purgatorium nouum inuentum dicentes, omnia vetera ignorant. ibid.
Hæretici, quæ soluere non possunt, more oratorum dissimulant. ibid.
Hæretici regum vnctionem carpunt. 6.31.1
Hæreticis Christianorum priuilegia iure ciuili sunt ablata. 7.3.1
Hæreticis magna libertas & saluus conductus à Concilio Tridentino concessus. 2.8.5. 2.18.7
Hæreticis martyres Christi Antichristiani sunt. 9.43.4.5.& 6
Hæreticis pro Papæ iugo ligneo, ferreum datum. 6.21.4.& 5
Hæreticis Pontificis nomen odiosum. 6.23.1.6.27.8
Hæretici suo arbitr. scripturas interpretātur. 6.20.1
Hæretici suorum ministrorum fastum & ambitionem agnoscunt. 9.30.6.9.& 10
Hæretici tria præcipua Pontifici imponunt. 6.43.3
6.22.1

Hæretici veritatem mendaciis odiosam reddunt. 6.21.2
Hæretici vt Papatum euertant sanctos Dei accusant. 6.21.4.& 5.& 7. 6.22.1
Hæreticorum artes calumniandi Pontificem. 6.21.1
Hæreticorum bella pax sunt Ecclesiæ. 2.19.6
Hæreticorum clandestini cœtus prohibendi sunt. 2.18.10
Hæreticorum communio vitanda. 9.23.6
Hæreticorum contra Concilii Trid. auctoritatem, inanes sunt exceptiones. 9.43.1.& seq.
Hæreticorum defensores Leges infames pronunciant. 2.8.6
Hæreticorum discordiis crescit Ecclesia. 9.21.1
Hæreticorum in docendo, scribendo, pingendo, licentia coercenda. 9.30.7
Hæreticorum ingens insania conuiciandi & calumniandi. 6.21.3. 6.24.1
Hæreticorum mendaciorum plaustra. 6.24.10
Hæreticorum nunquam est vna eademq; doctrina. 9.11.2
Hæreticos dignitatibus fulgere indecens est. 2.18.7
Hæreticos veteres, Papæ hostes, damnat nostri hæretici. 6.21.4
Hæreticus quiuis in scripturæ interpretes iudicium sibi sumit. 9.31.9
Hæreticus sacerdos officio deponitur. 6.16.6
Hagæ comitis omnes statuæ deturbatæ & comminutæ. 6.24.11
Hagenoæ duæ trabes seu arietes bellici asseruantur. 10.19.3
Hannibal cõtra Romanos nunquã non insidiis vsus est. 10.38.1
Hannibal dux expertissimus in multis errauit. 1.1.8
Hannibal Fabii Maximi agris abstinuit. 9.14.5
Hannibalem in Cannensi victoria ventus adiuuit. 10.38.24
Hannibalis ad Cannas acies. 10.37.2.& 6
Hannibalis imprudentia Romam seruauit. 8.1.7
Hannibal militibus Romanorum habitu indutis vrbes capit. 10.46.3
Hannibal non tam potentia quam occasione Romanos vincit. 8.1.7
Hannibal octoginta elephantos ante aciem posuit. 10.18.4
Hannibal Phormionem prudentissimum dementiæ iudicat. 1.1.8
Hannibal Romanos vincere potuisset, nisi inurbanitate peccasset. 1.1.8
Hannibal Scipioni in ordinanda acie primas tribuit. 10.37.8
Hannibal temperans in bello fuit. 10.22.10
Hannibal transfugis fidem detraxit. 10.52.4
Hannibal victoria contra Romanos vti nesciuit. 10.61.1
Hanno milites ob non soluta stipendia tumultantes, hosti tradidit. 9.16.1
Harpagus boni consilii pœnas dedit. 7.13.7
Hasael vir velox simulq; fortis. 10.21.8
Hastæ veterum equitum inutiles. 10.17.2
Hastati vnde dicti. 10.30.2
Hastiludiorum leges. 8.20.4
Hebræi veteres sine punctis vocalibus scripserunt. 5.24 1. 5.26.4. 5.28.2
Hegesias eloquentia sua mortis oppetendæ cupidinem auditorum animis impressit. 4.20.3
Heliæ Episcopus maiori honore gaudet, quam reliqui Episcopi. 6.36.9
Heliogabali prodigiosa profusio. 3.10.5. 3.14.12
Heliogabalus adulatores rosis opprimebat. 6.1.4
Heliogabalus Alexandrum Cæsarem in suos mores corrumpere conatus est. 4.1.5
Heliogalalus homines infames ad dignitates euexit. 10.22.15
Heliogabalus in Euripis vino plenis Circenses nauales exhibuit. 3.14.12. 3.16.9. 8.13.7
Heliogabalus per scurras occisus est. 2.2.7
Heluetii Democratiam imitantur. 1.14.3
Heluetii moderata æquabilitate gaudent. 5.6.4
Heluetiorum regimen populare est. 7.19.12
Heluetios multi exteri præsidio conducunt. 10.28.5
Henrici Castellæ regis exemplo Principes oppignorata aut distracta vectigalia ad se retrahere debent. 8.7.10
Henrici secundi Angliæ regis humilitas. 3.19.14
Henricus IV. Galliarum Rex totam Europam tremefaciens, ab homine fanatico occiditur. 8.1.4
Henricus IV. Imp. ius constituendi Episcopos à Pontifice frustra extorsit. 6.39.4
Heracleotæ pecunia destituti, ex negotiationibus exercitum aluerunt. 8.16.11
Heracliti dictum de legibus. 5.3.6
Heraclius ob auaritiam Orientis imperium perdidit. 9.8.3
Hercules potator fuit & epilepticus. 3.14.8
Hermensteiniana arx Albertum Brandeburgicum ab inferiore Germania prohibuit. 8.23.5
Hermensteiniana arx loco opportuno sita. 8.23.8
Hermodorus legis XII. tabularum ferendæ auctor. 5.5.4
Hermogenes octodecim annorum, Rhetoricem scripsit, omnibus præmaturam eruditionem admirantibus. 4.7.10
S. Hieronymi cum Augustino, Ioanne Hierosolymitano, & Rufino controuersiæ. 9.27.4.& 5
Hieronymus Hebraice, Græce, & Latine doctissimus fuit. 5.24.1
Hieronymus scripturas sincere & erudite vertit. 5.24.1
Eius versio iam olim ab Ecclesiis celebrata est. ibid.
Quæ Conc. Trident. in eiusdem approbatione mens. 5.24.3
S. Hieronymus virginitatem matrimonio prætulit. 9.26.17
Hierosolymitanus Episcopus, licet patriarchalis dignitate & loco præemineat, Metropolitano tamen Cæsariensi subiectus est. 6.36.9
S. Hilarius Sanctos inuocauit. 9.26.17
Hippiæ modos colligendi pecuniam periculosos & tyrannicos excogitauit. 8.16.4 5.6.7
Hispanæ naues quatuor, ducentas barbarorũ vicerunt. 3 17.4
Hispani ad negotiandum nati sunt. 8.10.16
Hispania ducum siue magistratu magnorum & honoratorum copiam habet. 7.11.2
Hispaniæ quæstores. 7.29.12
Hispaniæ Regi titulus Catholici concessus. 7.5.1
Hispaniæ regna vndecim. 6.44.5
Hispaniæ regnorum Episcopi & Archiepiscopi quantos reditus annue capiant & similiter quantos sæculares regnorum proceres. ibid.
Hispaniæ Rex variis studiis sua regna excolit. 1.16.8
Hispaniæ totius Clerus vix vnius nobilis vrbis incolas æquat. 6.44.5
Hispania & Lusitania auro Indico defenduntur. 8.10.6
Hispania metallicos montes habet. 8.12.3
Hispaniarum principes marchiones mercaturam exercent. 8.10.6
Hispaniarum Reges in vtraque India defensores ac patronos prudentissime constituerunt. 7.28.11
Hispaniarum regibus pecuniosissimus nummorum defectus multas bene agendi occasiones sæpe ademit. 8.6.1
Hispanica auxilia Iulio II. & Ferdinando II. salutaria fuerunt. 10.28.4
Hispanicæ classis commeatus, arma, miles, aliaque necessaria. 10.50.6
Hispanicæ Monarchiæ consilia prudentius instituta quam Romanæ. 7.13.12
Hispanici imperii firmamentum vnde. 7.9.4.& 5. 7.13.12
Hispani facilius Indias, quam Belgii partem subiecerunt. 3.3.6
Hispanorum præsidum acta functo magistratu examinantur. 7.9.4
Hispanum cum meretrice magna scortari docet Graserus. 9.25.3
Hispanus paucissimis in nouo orbe munitionibus, nauigationis principatum tenet. 8.22.2
Hispanus per Episcopos in Indiam missos, prætorum iniurias coercuit. 7.9.2
Historiæ cur in academiis iuuentuti explicentur. 10.1.3
Historiæ gentium in scripturis continentur. 1.6.11
Historiæ humani generis apud Politicos authoritatem habent. 1.9.1
Historia legum exploratrix. 5.1.1
Historias multi scioli sine prudentia citant. 3.2.4
Histriones ab Ecclesiæ communione arcentur. 3.13.4

Histriones omnes sunt exterminandi. 3.13.6.& 7
Hogis Curetum rex ob ceruam nutricem eximiæ pernicitatis fuit. 4.3.8
Hollandia famosarum chartarum officina. 9.34.3
Hollandia ære alieno oppressa. 9.39.23
Hollandiæ Ordines edictum edunt Mollibus Caluinianis fauens. 9.24.6
Hollandiæ proceres singulari edicto picturas & libellos famosos prohibuerunt. 9.32.3. 9.34.3
Hollandiæ Respubl. synodi omissione patitur. 9.37.3. 9.38.4
Hollandiæ Status ad tempus Ministris cedunt. 9.39.10
Hollandiæ Status cautissime bella gerunt. 8.20.4
Hollandiæ Statuum aliqui in patriæ extrema necessitate, ingentes diuitias cumularunt. 8.20.4
Hollandicæ synodi idealis descriptio. 9.38.4
Hollandi Concilium optant. 9.37.3. 9.38.4
Hollandi libertatem sectando, in duplicem seruitutem inciderunt. 9.39.20
Hollandi mercaturam & Indicas nauigationes tuentur. 8. 10 8
Hollandi principum fœderibus non fidunt. 8.24.5
Hollandia sumptu in synodum expẽdendo exercitum alere poterit. 9.39.23
Hollandorum syncretismus. 9.24.5
Homicidæ ordinibus sacris non sunt initiandi. 6.12.10
Homicida sacerdos gradu deponitur. 6.16.6
Homines omnes origine pares sunt. 8.20.2
Homines sine magistratu vincere non possunt. 7.1.3
Homini clementia & miseratio à natura indita est. 3.16.16
Homini naturale lumen recta suadet. 1.10.1
Homo animal difficile. 1.2.1. 9.5.1
Honoris symbola ex mente pensanda. 7.4.5
Honorius in cunis ad consulatum euectus est. 7.18.3
Horæ certæ in oratione solennes. 6.7.1
Horæ diuinæ tractim & intelligenter canendæ. 6.6.13
Horæ dum publice canuntur, nemo priuatim officium dicere debet. ibid.
Horæ quando, cur, & in quantum auctæ. 6.7.1
Horæ sacramento Trinitatis distinctæ. ibid.
Horarum canonicarum modulatio quo modo in vigorem restituenda. 6.7.4
Horas negligenter persoluentes, maledictos scriptura pronunciat. 6.7.2
Horas posteriores sæculi patres non instituerunt, sed ordinarunt. 6.7.1
Horas qui teneantur persoluere. 6.7.3
Horis variis facta mysteria deuotionem augent. 6.7.1
Horreorum Comites Romæ magno in honore erant. 7.27.2
Horreorum duplex Romæ structura. ibid.
Horreorum publicorum Romæ multitudo. 7.27.1
Hostium tormentorum metus in extrema ætate in transuersum egit. 3.1.3
Hostem fallere aliud atque aliud agendo, optimi ducis est. 10. 52.5
Hostem prudentia non sanguine vincere, magni imperatoris est. 10.1.8
Hostem terreri, pars victoriæ est. 10.43.8
Hostem viribus parem aut inferiorem in suo lacessere, multa commoda habet. 10.44.1
Hostem vna sæpe vox terret & in fugam coniicit. 10.41.5
Hostes nobilitati & virtuti ob duas causas parcere solent. 9.2.3
Hosti ad tempus aliquando cedere, vtile est. 10.43.6
Hostiæ propeccato oblatæ, totæ sacerdotum erant. 6.42.1
Hostibus accessum, nulla regio est, quæ prohibere possit. 10. 3.5.10
Hostibus secreta consilia prodenti, Aegyptii linguam abscindebant. 10.58.1
Hostibus venia facile danda. 10.9.3.& 4
Hosti fugienti via non est intercludenda. 10.49.1
Caute instandum. ibid.
Hosti in itinere te insequenti, via obstruenda est. 10.35.6
Hostis consilia qui nouit, pene vicit. 10.51.1
Hostis infirmior stratagemate pugnat, & ideo timendus est. 10.38.17
Hostis interdum inuadẽdus, interdũ sustinendus est. 10.38.22
Hostiũ terra non adeũda nisi de receptu prospectũ sit. 10.35.4
Hugo Capetus auctoritatem Concilii Francici minuit. 7. 6.4
Hugonotarum tyrannis & idolomania. 9.21.7
Humanitas amicos parit. 3.11.1.3.5.& 6
Humanitas principem ornat gratumq; reddit. ibid.
Humanitas principis authoritati nihil derogat. 3.11.3
Humanitas vltimum principum in periculis constitutorum refugium est. 3.11.9
Humanitatis amans Princeps tria præcipua caueat. 3.11.10. 11.12.& 13
Humanitatis descriptio. 3.11.1
Humanum genus ad vitia pronum. 5.6.3
Humanum genus multa cladium genera exercent. 9.1.1
Humilitas Deo grata est. 3.19.3.& 19
Humilitas hominum animis quomodo inseri possit. 3.19.16. 17.19.& 20
Humilitas in potentibus miraculum est. 3.19.12
Humilitas propria est Christianorum. 3.19.13.14.15
Humilitas sapientiæ coniuncta est. 3.19.7
Humilitas virtus magnanima est, gloriosa, & maiestatis retinens. 3.19.1.& 8
Humilitatem tota scriptura sacra docet. 3.19.3
Humilitate Respublica seruatur. 3.19.1
Humilitatis descriptio. 3.19.2
Hungariæ nobilitas regnum tuetur. 8.20.4
Hus potestatem secularem in homine iniusto esse posse negat. 5.8.6
Hymni sanctorum in Ecclesia canendi. 6.6.9
Hymnos sacros reiicientes, anathematis vinculo cõstringũtur.ib.
Hypocritas subita pericula atrociores reddunt. 1.10.1

I.

Iacobus Britanniæ rex à Caluinistico parasito Iupiter Britannus dicitur. 6.28.11
Iacobus Hailbronnerus morbi simulatione disputationem declinauit. 9.33.4
Iacobus Rex Aragonum iurisconsultum regno eiecit. 5.11.5
Iaponii pueri admiranda in martyrio constantia. 3.17.8
Iconoclastæ puniuntur. 6.24.11
Iconoclastia Copronymi multarum seditionũ causa fuit. 9.5.1
Iconomachorum rabies. 6.24.11
Idololatria pudicitiæ violatrix est. 3.12.2
Ierosolymis plurima Gymnasia fuerunt. 4.13.5
Ierosolymorum obsidio inter omnes nobilissima fuit. 8.23.7
Ignatius Martyr sacrificium Missæ agnouit. 9.26.17
Illegitimi initiari non debent. 6.12.7.& 15
Illyricus in formam Reipublicæ Germanicæ impius. 6.34.4
Illyrii principes ob legatorum Romanorum necem capite damnati sunt. 10.7.1
Imperantis auctoritas & maiestas ad imperium & pacem conseruandam necessaria. 9.17.2
Imperare prudentibus est graue, fatuis gratum. 1.2.4
Imperator Concilium colligere non potest. 9.43.2
Imperator confirmationem, coronationem, aliaq; ornamenta habet à Pontifice. 6.33.7
Imperator Constantinopoli non nisi post vnctionem censebatur. 7.3.3
Imperatores creandi potestas in manu vulgi aut militum non est collocanda. 7.2.5
Imperatorem electum nihil à Papa accipere Caluiniani ostendere frustra adlaborant. 6.33.7
Imperatorem Romanum legendi potestas ad 7. Electores translata est. 7.2.5
Imperatorem Romanum non adorat vniuersa terra. 6.33.5
Imperator etiam Christianus leges omnibus Christianis ponere nequit. 5.5.9
Imperatores à militibus electi, scutis in altum tollebantur. 7.2.6
Imperatores antiqui varie signabant. 7.5.4
Imperatores à senatu Romano lecti, militibus crebro inuisi fuerunt.

fuerunt. 7.2.5
Imperatores Christiani titulum Diui, & Diuinitatis nõ vsurpare debent, quamuis participatione quadam illis conueniat. 7.4.4
Imperatores Concilium Tridentinum vrserunt, subditisque commendarunt. 9.42.6
Imperatores ethnici adorationem, quasi dii essent, exegerunt. 7.4.5
Imperatores etiam crudeles clementiæ & mansuetudinis titulos adamarunt. 7.5.1
Imperatores & principes speciatim, Caluinistæ morti destinant. 9.18.8. 9.25.3
Imperatores in bello legatos habebant, & quod horum munus fuerit. 10.26.2.& 3
Imperatores inungendi ritus vetustißimus. 7.3.1
Imperatores iureiurando Ecclesiæ obstringuntur. 6.3.10
Imperatores minima re temere multi facti sunt. 1.25.13 & 19. 9.12.6
Imperatores omnes magni criminis accusantur à Caluinianis. 6.33.4
Imperatores plurimi seditione perierunt. 9.4.1.& 2
Imperatores quibus olim titulis delectati. 7.5.1
Imperatores quibus præsidibus dißitas prouincias aut hostibus vicinas credere debeant. 7.7.5
Imperatores Romanorum primi, cõsulibus potestatem ademerunt, vana insignia reliquerunt. 7.18.4
Imperatores suos gentes in Deorum numerum retulerunt & pro Diis coluerunt. 7.4.2
Imperatores trecentorum annorum in Romana Monarchia omnes vno excepto violenta morte interierunt. 2.12.2
Imperatores veteres Concilia susceperant. 9 42.8
Imperator filius est Ecclesiæ. 7 6.2
Imperatoribus Christianis sacri olei vnctionem inuident sectarii. 7.3.1 & 2
Imperatoribus Diui & Diuinitatis titulos impie tribuit antiquitas. 7.4.2
Imperatoribus ethnicis, & Christianis Pietatis titulus diuersa ratione attribuitur. 7.5.1
Imperatoribus Romanis diu noctuq; faces ardebant. 3.5.5
Imperatoribus Romanis strenæ dabantur. 7.5.6
Imperatoribus tanquam Diuis vota nuncupare, idololatricum est. 7.4.7
Imperatoribus titulus Augusti perpetuo mansit. 7.5.1
Imperatoris aula primarios administros principes habet. 7. 16.2.& 3
Imperatoris electi & inaugurati pomposa deductio, curiæ, & mensarum ordo & ratio. 7.2.7
Imperatoris electio in Germanico imperio valde prudenter instituta est. 1.25.15.& 16
Imperatoris electio magna securitate & libertate fulcienda est. 7.2.2
Imperatoris imaginẽ portam Babylonis intrantes adorare solebant. 7.5.2
Imperatoris insignia à quibus & quo ordine præferantur. 7.5.5
Imperator militaris. V. Dux. & Belli dux.
Imperator omnium seruus est. 2.2.4.& 5
Imperator Romanus Aretio Caluinicolæ persona diaboli est. 6.33.6. 9.26.16
Imperator Romanus non est Bestiæ Decicornis apocalyptica. 6.33.3.& seq. 6.34.1.& 2. & 4.& 6. 9.18.8. 9.25.3. 9.42.6.& 9
Imperatorum Christianorum imagines specie supplicum & precantium pinguntur. 7.5.3
Nullus eis diuinitatis cultus exhibetur. ibid.
Imperatorum Christianorum vnctio vetusta est. 7.3.3
Imperatorum dextram osculandi mos. 7.4.5
Imperatorũ electio & inauguratio magnifice fieri debet. 7.2.1
Imperatorũ electiones nõ semper tãta põpa peractæ sunt. 7.2.5
Imperatorũ improborũ nomina ex antiquis tropæis, pyramidibus, arcubus triumphalibus erasa sunt aut mutata. 7.5.4
Imperatorũ insignia hieroglyphica in locum imaginum successerunt. ibid.
Imperatorum itinera singulari magnificẽtia ac maiestate varie honorata. 7.5.9
Imperatorum Romanorum crudelitas. 3.15.3.4. 3.16 11
Imperator supremum dominiũ lege regia obtinet. 3.5.4.& 10
Imperator vel suis vel alienis auspiciis bella administrat. 10. 26.1
Imperia absoluta quæ dicantur. 1.15.3
Imperia absoluta quãdo & quas ob causas legitima fuerint. ib.
Imperia diuturna magis probãtur quam annua. 7.10.2.& 3
Imperia magna à viris optimis & consultißimis loco Monarchæ visitari & gubernari debent. 7.9.3
Imperia non quibuslibet mandanda & prorogãda. 7.10.2
Imperia prorogata ad magnarum rerum molitionem excitant. ibid.
Imperia sacris seruiunt. 2.9.2
Imperii auctoritatem Prædicantes dissoluere conantur. 9.17. 2.& seq. 9.18.4.& seq.
Imperii constitutiones de monetis. 8.17.2
Imperii mala. 2.2.4.& seq.
Imperii mali definitio. 1.16.1
Imperii militaris, apud varias gentes, varia duratio. 1.15.5
Imperii principes Caluinistæ Bestiæ Decicorni, apocalypticæ adoratores faciũt. 6.33.6. 9.25.3. 9.26.16. 9.42.9 9.43.2
Imperii principes omnesq; subditos è libro vitæ expungunt hæretici. 6.26.16. 6.33.6
Imperii pax, quamdiu prædicantes Ecclesiasticam pacem turbant, & imperii maiestatem conuelliunt, stabiliri nequit. 9.18.1.& seq. 9.42.5
Imperii Romani discordiarum, turbationum, bellorumq; causa sunt prædicantes. 9.17.1
Imperii Romani turbationes, simultates, lites ac discordias exteræ nationes mirantur. ibid.
Imperii tributa minuerunt prædicantes. 9.17.3
Imperio ornamẽta à diabolo afficta docuit Aretius. V. Aretius.
Imperiorum annuorum mala. 7.10.2
Imperium dicere Augustum, sanctum, Idolomania est Caluinistis. 6.33.7.& 8. 9.25.3. 9.26.16
Imperium inter pares aut nullum est, aut tyrannis est. 6.37.9
Imperium mediocre vno in loco causas iudicans, vtiliter facit. 7.9.3
Imperium militare nunquam vtile. 1.15.5
Imperium militare quod dicatur. ibid.
Imperium non est causa sui. 2.2.3.& 4
Imperium per Ecclesias sustinetur. 2.8.2
Imperium quinam olim tenuerint. 5.3.4
Imperium res ardua est, sed necessaria. 1.2.1. 7.2.1
Imperium Romanum adhuc durat. 6.34.3
Imperium Romanum seditiosa scripta Caluinianorum diabolo adscribunt. 6.33.3.& 6.& 7. 9.18.8. 9.25.3. 9.26. 16. 9.43.2
Impii pro pietate testimonium dicunt. 2.9.1
Impiis infeliciter res cedere, 47. Imperatorum Romana Monarchiæ exempla docent. 2.12.2
Impius in Deum, erga homines iustus non est. 2.9.3
Improbus magna cura & dexteritate regendus est. 1.2.1
Indiæ Gubernatorum perfidia. 7.7.5
Indiarum prouinciæ Consistoria seu parlamenta suprema habent. 7.9.4
Iudicum regnum ob iudiciorum lentitudinem latronibus refertum est. 3.16.23
Indiis in remotioribus Resp. magno labore constituta est. 7.9.4
Indorum leges iniustißimæ. 5.12.1
Inducia æquis conditionibus, nõ dolose fieri debẽt. 10.56.2.& 3
Inducia quid sint & quomodo à pace differant. 10.56.1
Inexpertus ex aliena experientia docere potest. 1.1.8
Infamia grauis pœna. 5.10.6
Infantes post menses 21. verba formare solent. 4.6.1
Infantes quomodo institui & educari debeant. 4.4.2.3.& seq.
Infantum linguas formare ẽt magnorum virorum est. 4.4.4
Inga Brasiliæ tyrannus. 1.15.3

Ingenia lenta excitanda, ignea leniter habenda. 5.6.4
Ingenia magna timenda sunt. 4.7.9
Ingenia mediocria probantur. 4.7.8
Ingenia præcocia breuia sunt & euanida. 4.7.10
Ingenia quædam excoli non possunt, eaq; maturè scholis amãdanda sunt. 4.7.4
Ingenia velocia & acuta ad virtutem dirigenda. 9.30.3
Ingenii boni aut mali signa externa, crebro fallunt. 4.7.3
Ingeniis aëris temperatura seruit. 3.14.4
Vinum immoderatum obest. 3.14.11.12.13.14
Ingeniorum inconstantia, fons hæreseon est. 9.30.1
Ingeniosi adolescentis signa. 4.7.2
Ingeniosi melanchonici sunt & iracundi. 4.7.8.& 9
Ingenium in discipulo quantum requiratur. 4.7.7
Ingrati in bene meritos Romani extiterunt. 3.8.1.2.& 5
Ingrati in patriam multi extiterunt. 3.8.1
Ingratitudinis origo. 3.8.3
Ingratitudinis vitium an magis inter principes, an populos grassetur. 3.8.3.& 4
Ingratitudinis vitium late patens est. 3.8.3
Ingrato beneficia non sunt conferenda. 3.8.5
Ingratus in bene meritos, eos hostes sibi capitales efficit. ibid.
Inimicitia alitur calumniis. 9.2.3
Inimicus de inimici gaudet interitu. 9.2.4
Iniuriæ quando bello sint aut non sint vindicandæ .10. 9.2.3. & 4
Iniuria pudicitiæ aut vitæ illata, difficilime restituitur; fortunis aut honori, facilime. 10.9.2
Iniuriarum diuersitas. ibid.
Iniuriarum satisfactio inter diuersas Respublicas, secundum ius gentium moderate fieri debet. ibid.
Iniustitia naturam & regna dissoluit. 3.6.4.& 5
Innocentes in bello spoliari possunt. 10.11.7
Innocentes quando occidi possint in bello. 10.11.5.& 6
Innocentibus in bello parcendum. 10.11.4
Inobedientes peccant. 5.8.16
Inobedientia damnabilis est. 5.8.18
Insignia Deorum certa fuerunt. 7.5.4
Insignium hieroglyphicorum origo vnde. ibid.
Inuitus nemo ordinari potest. 6.12.9
Ioannem Baptistam damnantes, insigniter insaniunt. 6.21.7
Ioannes Baptista à Christo Domino laudatus. ibid.
Ioannes Leidanus sartor fœdissimo nouæ religionis auspicio bella & seditiones mouit. 9.9.7
Ioannis Baptistæ vita austera legi Mosaicæ non aduersatur. 6.21.7
Ioatham Ammonitis victis tributum imperauit. 8.7.17
Iones Asiam inhabitantes, à Dario subito defecerunt. 9.14.4
Iorami regis infelix exitus. 2.5.3
Iosaphati in paruulo regno summa potentia & diuitiæ. 8.2.3. 8.5.3
Iosaphati militibus opes Romanæ non suffecissent. 8.2.3
Iosaphatus non suæ potẽtiæ, quam summam habuit, sed diuinæ innixus est. ibid.
Iosaphatus vndecies centena & sexaginta millia militum in Ierusalem citra subditorum incommodum alebat. 8.2.3
Ioseph Rempub. Aegyptiacam diuitiis instruxit. 8.5.3
Iosephus ex agricolatione Pharaonem ditauit. 8.11.2
Iosias rex Iuda dines fuit. 8.5.3
Iouiniani Imperatoris fortissimum factum. 2.7.1
Iphicrates contra suspectos classem mutato habitu instruxit. 9.16.7
Iphicrates milites ignauos à strenuis secreuit. 10.21.7
Iphicrates pro parma peltas dedit. 10.15.10
Iphicraces Thraces hostes, occasione vsus, occidit. 10.22.16
Iracundiæ origo. 3.15.1.2. 6.10.29
Iracundia magnum vitium. 6.10.29
Iracundiores quinam sint. 3.15.13
Iræ causæ plerunq; leues sunt aut dubiæ. 3.15.7.8.9
Iræ commendationes falsæ sunt. 3.15.12.13
Iræ fœditas & damna describuntur. 3.15.10.15.& 17
Iræ sedandæ mediæ. 3.15.10.& 18
Iræ stultæ exempla. 3.15.11
Ira in iudice locum habere non debet. 3.15.15.16.17.& 18
Iræ multi mortui, multi in morbum coniecti, multi in furorem acti sunt. 3.15.10.& 17
Ira non est in pugnam ferenda. 3.15.13
Ira quid sit. 3.15.1.& 2
Iræ regum ac principum periculola est. 3.15.3.4.5.6.7.8.& 15
Ira regum bellorum causa est. 10.8.8
Irarum varia genera. 3.15.2
Ira summum est, ac publicum malum. 3.15.3
Irati excusationem licet veram non nisi inuiti audiunt. 3.15.8
SS. Irenæus & Iustinus veritatem corporis Christi in Eucharistia docuerunt. 9.26.17
Irenes imperatricis tempora sæua ac seditiosa fuerunt. 9. 5.1
Israelitæ ac Patriarchæ mercaturam exercuerunt. 8.10.2
Israelitæ hostes suos oratione potius quam gladio vicerunt. 10.13.3
Israelitæ ingentem gregum multitudinem habebant. 6.42.2
Israelitæ regem Saulem sortito elegerunt. 7.7.7
Israelitarum in deserto crebræ ac frequentes seditiones. 9.3.1
Israelitarum numerus. 6.42.1.& 4
Israelitarum seditiones ex populi lasciuia & malitia in deserto natæ sunt. 9.9.1
Italiæ Episcopi Germanis non æquiparandi. 6.35.4
Italiæ populi olim barbari erant. 1.23.4
Italiæ regnum sibi sufficiens est. 1.4.3
Italia salinarum copiam habet. 8.12.5
Itali Germaniam magnam aliquam vrbem putant. 6.35.4
Iter militum hostibus incognitum esse debet. 10.35.3
Iter militare veterum. 10.35.1
Itinerũ ratio in hodierna militia. 10.35.8
Itinerum cum in propinquo est hostis, maiora sunt, quam aciei pericula. 10.35.2
Iubendi potestas & obediendi necessitas, reciproca sunt. 5.8.17
Iubilatores Hæretici omnes contra Pontificem insurrexerunt. 6.21.1
Iubilatores hæretici, falsarii sunt. 6.21.3
Iubilatores hæretici mendaciis contra Pontificiam authoritatem pugnarunt. 6.21.2.& 3
Iudæa terra Dei voluntatis. 6.31.5
Iudæi aut pellendi, aut labore occupandi. 8.17.7
Iudæi Christianis nequam videri cupiunt. ibid.
Iudæi cur pellendi. ibid.
Iudæi Danielis verba c. 7.21. *Christo male applicant.* 6.24.4
Iudæi duplicem ignem habuerunt. 7.5.5
Iudæi in Persidem abducti ignem sacrum absconderunt. ibid.
Iudæi indices ne sint. 8.17.9
Iudæi lenta morte multas familias enecant. 8.17.7
Iudæi multos Christianos pueros immani atrocitate occiderunt. ibid.
Iudæi obstinatissimi. ibid.
Iudæi plures inter Christianos viuunt, quam Clerici. 6.44.6
Iudæi Poeseos vsum & poetas excellentes iam olim habuerunt. 4.19.2.& 3
Iudæi regem petendo peccarunt. 1.22.2
Samuelis ingrati fuerunt, Deoq; diffiderunt. 1.22.3
Iudæi Reipublicæ noxii sunt. 6.44.6. 8.17.7
Iudæis Christianum seruire leges vetant. 8.17.9
Iudæis conuersis bona incerti domini permittuntur. 8.17.7
Iudæis in septimana sancta deambulandi per plateas & forum licentiam, Childebertus rex denegauit. 8.17.9
Iudæis ius regni datum est. 1.22.3
Iudæis vestitus & habitatio singularis præscribitur. 8.17.9
Iudæorum apud & inter Christianos præcipuũ studiũ. 8.17.7
Iudæorum conuiuiis qui ex Christianis intersunt, excommunicantur. 8.17.9
Iudæorum familiaritas omnino interdicitur Christianis. ibid.
Iudæorum in Germania vltra centum millia. 8.17.7
Iudæorum nemini fidendum aut credendum. 8.17.7
Iudæorum obstinationem necessitas male parta restituendi firmat. ibid.

Iudæorum patrimonia. ibid.
Iudæorum perfidiam fouentes excommunicantur. 8.17.9
Iudæorum pleriq; hebraice nescierunt. 5.23.8
Iudæorum protectores sunt inuisi. 8.17.7
Iudæorum Reges cur oleo vncti sint. 7.3.1
Iudæorum Reges quibus cæremoniis inaugurati sint. 7.3.1
Iudæos hæreseon colluuies à fide auertit. 9.21.2
Iudæos omnino pellendos esse, etiam leges agere videntur. 8. 17.9
Iudæus neseruum aut mancipium Christianum habeat leges vetant. 2.8.8
Iudæus quidam ceu alter Moyses gentem suam è seruitute in terram sanctã per mare rubrũ se reducturũ p̃misit. 9.9.7
Iudex causarum suarum peritus esse debet. 7.22.16
Iudex ex lege iudicat, ex circumstantiis causam intelligit. 5. 11.8
Iudex immobilis & inflexibilis esse debet. 7.22.1
Iudex legum imperitus, inutilis est. 4.11.3
Iudex peregrinus non est probandus. 7.22.16
Iudex Romæ nemo nisi Romanus esse potuit. ibid.
Iudex sibi nemo esse potest. 9.31.9
Iudicandi potestatem Romani crebro transtulerunt, varijsq; communicarunt. 7.22.61
Iudicata à Camera, ne executionem habeãt, potentia partium impedit. 7.23.1
Iudicem ante, sed non post contestatam litem, tam reo quam accusatori reiicere licuit. 7.22.7
Iudices antequam prouinciis excederent, rationem reddebant. 7.22.14
Iudices Cameræ iudicandi, & eorum iudicia examinanda. 7. 23.1
Iudices in Gallia varii sunt, & diuersorum diuersa auctoritas ac potestas. 7.22.17
Iudices officii admonentur. 7.23.7
Iudices quas ob causas à partibus reiici possint. 7.22.7
Iudices quinam esse nequeant. 7.22.15
Iudices varios legis oportere, vsus Rerumpublicarum docet. 7. 22.2
Iudicia Anglicana minus recte constituta. 7.23.4
Iudicia de hominibus lata, sæpe falsa. 1.13.4
Iudicia de minimis etiam rebus habenda. 7.22.2
Iudicia legibus regenda. 5.10.4
Iudicia Sinarum corrupta. 7.23.6
Iudicia Turcarum corrupta. 7.23.3
Iudicibus peregrinis plurimæ ciuitatum Italiæ vtuntur. 7. 23.5
Iudicibus peregrinis Rempublicam tradi, ciuibus durum est. ibid.
Iudicii definitio. 7.22.1
Iudiciorum discussores magnam potestatem habuerunt. 7. 22.20
Iudiciorum examen instituendum. ibid.
Iudiciorum octo genera. 7.22.2
Iudicis est in Republica conseruare æqualitatem. 7.22.1
Iudicis reiecti causa ab arbitris iudicatur. 7.22.7
Iudicium centumuirale in quatuor consilia diuisum, prætorem Vrbanum præsidem habuit. 7.22.8
Iudicium centumuirale optime in Republica Romana constitutum fuit. ibid.
Iudicium Rotæ in Italia. 7.23.5
Iudicum honos apud Chaldæos. 7.14.6
Iudicum iniquorum frenum est princeps prudens ac doctus. 5.29.3
Iudicum insignia. 7.22.21
Iudicum sortitio recte semel instituta, iterum deprauata fuit. 7.22.7
Iudicum statuas Thebis sine manibus collocabant. 7.23.3
Iuliacenses in Dutiones, tres nobilissimi principes ius hæreditarium magni litis prætendunt. 9.31.9
Iulianus errorum licentia permissa, tollere religionem cogitauit. 2.17.8
Iulianus imagine sua apostasiam comprobauit. 7.5.3
Iulianus imperator rusticis litigantibus iratus, pugnis eos quatiebat. 3.15.6
Iulianus imperium à militibus coëmit. 8.5.6. 9.4.1
Iulianus stolide naues omnes exussit, vt miles fortius pugnaret. 10.45.1
Iulianus verbis liberalis, re parcus fuit. 8.5.5
Iulius Cæsar. V. Cæsar.
Iulius Herbip. Episcopus magnas opes sine suorum vexatione collegit. 3.10.1
Iulius secundus Bononiam magna celeritate inuasit. 10.25.2
Iulius V Virtzburgensis Academiæ suæ parem cum tribunali suæ cancellariæ potestatem dedit. 4.14.7
Iuramenta impia, & coacta etiam iura ciuilia soluunt. 6. 21.2
Iuramenta impia non seruanda. 6.18.4. 6.21.2
Iuramentum magistratuum insigne. 7.29.17
Iuramentum per genium Cæsaris Romæ sacrum erat. 2.15.7
Iurandi formula Cardinalibus Pontificem eligturis à Concilio Basiliensi exhibita. 6.35.6
Iurantes in capitulis contra Canones, excommunicantur. 6. 18.4
Iurare per nomen Imperatorum quando licitum. 7.4.6
Iurare per vitam Regis aut filiorum eius prohibitum est à Frãcorum regibus. ibid.
Iuris ciuilis origo vnde? 5.2.6
Iurisconsultorum Romanorum quanta auctoritas. 5.2.6
Iurisdictio late patet. 7.22.1
Iuris docendi sedes olim Roma, Byzantium & Berytus erant. 4.13.4
Iurisprudentiæ definitio. 5.29.1
Iurisprudentiæ operam dare principes, optimates, nobiles necessarium est. 5.29.2.3.4.5
Iurisprudentia pauperum, clades publica est. 5.29.5
Iuris Romani liber quando confectus. 5.2.7
Iuris scientia ex philosophia hauritur. 5.1.3
Iuris studiosis militares leges ponendæ sunt. 4.8.10
Iuristæ primi anni olim dupondii dicebantur. 4.16.4
Tertii anni Papinianistæ. ibid.
Quarti anni λύται. ibid.
Quinti anni ἀπολύται. ibid.
Ius ciuile moribus locorum conformari debet. 5.2.5
Ius ciuile naturali consentaneum est. ibid.
Ius ciuile Papirianum. 5.2.7
Ius ciuile rationi consonum esse debet. 5.2.5
Ius XII. tabularum triplex. 5.2.7
Ius & lex affinia sunt. 5.2.4
Ius gentium & naturale non plane diuersa sunt. 5.2.5
Iusiurandum omnibus Ecclesiis contra Simoniacos iniungendum. 6.41.3
Iusiurandum principum Electorum. 7.2.4
Ius naturale immutabile, non autem ciuile. 5.2.6
Ius naturale varie dicitur à iurisperitis. 6.21.2
Ius nisi æquale sit, ius non est. 5.12.4
Ius nisi moderatum est, iniuria est. 5.12.5
Ius peregrinis celerius solicitius q; dicendum est. 7.23.5
Ius prætorium temperatum. 5.2.6
Ius Sigonio bipertitum. ibid.
Ius varie diuidi tur. 5.2.5
Iustiniani imperium multis bellis ciuilibus agitatum est. 9. 5.1
Iustiniani iniustitia seditionibus causam dedit. ibid.
Iustinianus à Tribonio deceptus, se immortalem putauit. 7. 4.3
Iustinianus cultu SS. Trinitatis & sacerdotum precibus Rempublicam crescere, pie credidit. 2.8.2. & 4
Iustinianus immensam legum multitudinem minuit. 5.11.2
Iustinianus Prætores prouinciarum cum duplici potestate ciuili & militari constituit. 7.21.20
Iustinianus Secundus, magno omnium gaudio occisus est. 9. 8.2
Iustinianus vsus est diuinitatis titulo. 7.4.3
Iusti pueri in martyrio constantia. 3.17.8

Iustitiæ defensio, principatus est origo. 3.6.2
Iustitiæ dissimulator magistratus, violatæ reus est. 3.6.7. & 8
Iustitiæ diuisio & singulorum membrorum definitio. 3.6.1
Iustitia inter virtutes principatum tenet. 3.6.3
Iustitia magistratibus commendatur. 3.6.2. & seq.
Iustitia sine gladio tuta non est. 3.6.7
Iustitiæ sine magna potentia defendi non potest. 8.2.3
Iustitiâ solâ regna conseruantur. 3.6.4. & 5
Iuuenes ad senatum admissi, sententiam dicundi, non definundi ius habeant. 7.8.3. 7.13.2. & 7
Iuuenes in politica erudiendi, Legatis comites adiungantur. 7.8.5
Iuuenes post annum 20. ad senatum, erudiendi, admittantur. 7.8.3. 7.13.2
Iuuenibus magistratus non committendi. 7.13.7
Iuuentus delinquens, plagis corrigenda est. 4.10.2.3.4.5
Iuuentus relligiosis Societatis instituenda optime committitur. 4.6.8.9.10.11
Iuuentutem Plutarchus & Quinctilianus plagis exemerunt. 4.10.1
Iuuentutem turpium auctorum prælectio libere peccare facit. 4.6.9.10.12
Iuuentutem vitiorum domestica exempla cito corrumpunt. 4.1.1.3. & 5. 4.2.2
Iuuentuti instituendæ Persæ & Schythæ principes præposuerunt. 4.1.4. 4.6.4
Iuuentutis instituendæ exigua in plerisq; Rebuspublicis cura est. 4.1.3
Iuuentutis institutio ipsa natura potentior est. ibid.
Iuuentutis institutioni necessaria præcepta. 4. 2. 2. 3. & seq.
Iuuentutis mores corrupti vt corrigantur, omnibus modis laborandum est. 4.5.6
Iuuentutis recta institutio salus est Reipublicæ. 4.1.1.2.3
Iuuentuti vt idonei præceptores præficiantur, prima Reipublicæ & magistratus cura esse debet. 4.6.2. & 3

K.

Κόλασις qualis pœna. 5.10.5

L.

Laborem nullum, nisi sudoriferum agnoscit vulgus. 6.44.4
Labores pro æterno præmio subeundi. 1.13.8
Labor qui ingenii vi & animi attentione perfici postulat, acerrimus est, vitamq; erogat. 6.44.4
Lacedæmon ex principibus qui iuuentutem instituerent, constituit. 4.1.1
Lacedæmonii mercatores ad magistratus non admittebant. 8.10.5
Lacedæmonii Samiis à se pecunias petentibus, facilem sed iustum, eis siccurrendi modum inuenerunt. 8.16.12
Lacedæmoniorum Reipublicæ melior, quam Romanæ constitutio. 7.19.8
Lachares fugiendo felix fuit. 10.48.5
Laconum Rex consulari potestate pollebat. 7.19.5
Lacte è locis herbosis Arcades pro medicina vsi sunt. 4.25.12
Laici mali tolerandi & corrigendi. 6.16.2
Laicus sacrum erogare, potestatem non habet. 6.41.3
Lampsacenorum pecuniæ colligendæ modus. 8.16.10
Lanceæ veterum equitum. 10.17.3
Laqueis veteres in bello vsi sunt. 10.16.5
Lascus sacramentarius baptismum penitus reiecit. 9.11.5
Latinæ feriæ quo loco, quibus ritibus, & inter quas gentes celebratæ. 7.19.3
Latrunculator. 10.27.4
Laudis amorem quidam virtutem putarunt. 3.19.9
Laudis & gloriæ dulcedine multi mortui sunt. 3.19.12
Leænæ ferociores sunt Leonibus. 3.16.6
Legati Pontificii varii. 6.35.7
Legatis quales comites adiungendi. 7.8.5
Legatorum Apostolicorum auctoritatem perdit reipublicæ, ad quam mittuntur, ignoratio. 6.35.4
Legatorum munus ac potestas in bello. 10.26.3
Legatorum violatio grauium bellorum causa fuit, eaq; iustissima. 10.7.1
Legatos priuatim excepisse crimen maiestatis apud Romanos. 7.13.7.
Legem abrogare quinam possint. 5.17.2.
Legem de non adigendo ad æquales haustus, aulicæ licentiæ opprimit. 2.3.3
Legem D. Thomas quadruplicem ponit. 5.2.6
Legem gentes scriptis mandarunt. 5.4.1
Legem moralem nouam seruari non posse profitentur Sectarii. V. Antinomi.
Legem obligare conscientias negat Caluiniani. 5.8.16. 6.9.6
Legem ratio eius adæquata cessans abrogat. 5.16.3. & 4.
Leges Agrariæ Rempublicam Romanam perdiderunt. 9.3.2
Leges ab initio fuerunt. 5.3.4
Leges ad pacem inter ciues conseruandam necessariæ. 5.8.16
Leges ad paucitatem redigere, Imperatoris est & Principis Reipublicæ amantis. 5.11.3
Leges ad res leuiores etiam necessariæ sunt. 5.3.5
Leges breuius conceptæ, iustitiæ consulunt. 5.11.8
Leges ciborum modestiam præcipientes, Cato cibarias appellabat. 8.14.1
Leges ciuiles conscientias obligare, Apostolus testatur. 5. 8.16
Leges ciuiles cum periculo vitæ obligant. 5.9.5
Leges ciuitatum cum ipsis mœnibus condi debent. 5.3.3
Leges clericis beneficiatis salutares, & zelum diuini honoris habentes præfixæ. 6.41.3
Leges condere priuatus non potest. 5.5.3
Leges condere quando Principes subordinati possint. 5.5.10
Leges condere summi principis est. 5.1.1
Leges contra ebrietatis vitium Germaniæ Principes multas tulerunt. 3.14.1. & 3
Leges cum vitæ sunt, exitia propinquant. 6.11
Leges cur retia litium. 5.11.5
Leges de paruis rebus magni Principes tulerunt. 5.3.6
Leges diuinæ arctius obligant, quam humanæ. 5.8.16
Leges diuinæ maiori cura quam humanæ obseruari debent. 2.8.2
Leges eædem apud omnes gentes esse iustæ non possunt. 5.11.9
Leges æqualitatem in Republica facere debent. 5.12.4
Leges Ecclesiasticæ de Episcoporum electione sæpe mutatæ sunt. 5. 13. 4
Leges etiam ipsa iniustitia sibi fingit. 5.3.5
Leges etiam non abrogatæ, quandoque obligare cessant. 5.16. 1.2.3.4.7.8. & 9
Leges humanæ absolutè obligant conscientias. 5.8.16
Leges humanæ in se mutabiles, tribus modis dicuntur immutabiles. 5.13.2
Leges in creaturas etiam Deus condere potest. 5.5.1
Leges iniustæ leges non sunt. 5.12.1
Leges inter arma silent, iustitia inter leges. 5.11.5
Leges Iudiciales Iudæis datæ, cur à Christianis non seruentur. 5.21.5
Leges iustæ interdum abrogari possunt. 5.17.1
Leges Iustiniani ne sint contrariæ, subtiliter explicandæ sunt. 5.11.5
Leges Lycurgi & Romanorum crudeles, emendatæ sunt. 5.12.6
Leges malæ difficilimè abrogantur. 5.13.7
Leges militares difficilimæ. 8.20.4
Leges moribus accommodandæ. 5.6.4
Leges multæ de priuatis latæ. 5.7.1
Leges multæ iniustæ. 5.4.4. 5.12.1
Leges multæ, multam iudici dant libertatem. 5.11.8
Leges multæ sciri non possunt. 5.11.
Leges multæ, signa sunt morum corruptorum. 5.1
Leges mutandas censuit Aristoteles. 5.1
Leges ni æquentur, iustitia restitui nequit. 5.
Leges nō temporibus, sed hominum animis statutæ sunt
Leges nouæ pene omnes, multis priuatim pluri
5.13.5
Leges nouæ veteribus ordinariè derogant

Leges nouas condere in suo regno quiuis potest. ibid.
Leges obsoletæ sine euidenti bono reduci non debent. 5.13.5
Leges olim cur non desideratæ. 5.3.4
Leges per interpretationem interdum extenduntur. 5.15.6
Leges plerǽq; communes sunt. 5.7.1
Leges pœnales cur tot in Republica. 5.10.1
Leges pœnales quos, quando & quantum obligent. 5.10.4
Leges potius relinquendæ, quam iudicum æquitati fidendum. 5.11.8
Leges positiuæ necessariæ. 5.3.4.& 5
Leges præclare contra vestium luxum à principum senatu latæ. 4.14.7
Leges priuatis noxias prætextu boni publici ferre, periculosum est. 5.7.3
Leges regum iustas contemnens, contra Dei potentiam assurgit. 5.8.15
Leges Reipublicæ ab Ecclesia probantur. 5.3.7
Leges Romanæ. 5.2.6
Leges sæuæ corrigendæ. 5.12.6
Leges salubriter corrigunt. 5.3.7
Leges sine timore Dei non seruantur. 2.9.2
Leges singulis locis accommodatæ, non omnibus communes cõdi debent. 5.11.9
Leges stultissimæ gentibus publice placuerunt. 5.12.1
Leges sumptuariæ variæ sunt. 8.14.1
Leges sumptuariæ domorum magnificarum exædificationes splendidasq; familias inhibebunt. 4.14.8.& 9
Leges sumptuariæ Moguntinæ. 8.14.2
Leges sumptuariæ Moguntinæ baptismalium & nuptialium conuiuarum & ferculorum numerum, tempus, & munera definunt. 8.14.3
Eædem sponsaliorum conuiuia, liberasq; nuptias abrogant, officialium mercedem definiunt, ebrietatem in omnibus vetant. ibid.
Leges temperare omnes principes possunt. 5.5.6
Leges valde difficiles pro impossibilibus habentur. 5.12.5
Leges virtuti aduersæ, titulo legis indignæ. 5.6.1
Leges vitam totam, non tãtum admicula eius spectant. 5.6.2
Leges vrbium non mœnia propugnanda. 5.3.6
Legibus boni pauci indigent. 5.8.1
Legibus bonis obtemperans, acquirit grande præmium. 5.8.15.& 16.
Legibus causæ quantumuis iniquæ defendi possunt. 5.11.7
Legibus ciuitas carere non potest. 5.3.4.& 5.& 6
Legibus Dei semper, vbique ab omnibus parendum est. 6.25.2
Legibus euenta omnia comprehendi non possunt. 5.11.8
Legibus felices difficulter parent. 5.3.6
Legibus omnibus memoria nulla sufficit. 5.4.1
Legibus Philosophiæ & medicinæ homines negotia facessunt. 5.11.4
Legibus princeps quoq; tenetur. V. Princeps.
Legibus principum obtemperare Deus iubet. 5.8.15.
Legibus, quas doces, parendum tibi. 5.1.5
Legibus suis quoq; principes pareant. 6.25.2
Legibus sumptuariis coercenda est ædificantium ambitio. 8.14.8.& 9
Legibus sumptuariis Reipublicæ salus continetur. 8.14.1
Legibus sumptuariis vestium luxus tollendus est. 8.14.5
Legi addenda est iudicis sententia. 9.31.9
Legi cum vitæ periculo quando parendum. 5.9.6
Legi interpres necessarius est. 5.15.2
Legi pœnali obedientia etiam in ardua præstanda. 5.10.4
Legis acceptatio eius effectus est. 5.8.13
Legis æternæ definitio. 5.14.2.& 3
Eius natura explicatur. 5.14.4.5.6.7.8.9.10.11
Legis anima est cognitoris sententia. 9.31.9
Legis contemptus graue crimen. 5.9.4
Legis Ecclesiasticæ de eligendis Episcopis mutatio. 5.13.4
Legis effectus varii. 5.8.3.& seq.
Legis & præcepti discrimen. 5.13.2
Legis finem egregie exposuit Cicero. 5.5.6
Legis finis & media honesta sunt. ibid.
Legislatio immediate à Deo proficiscitur. 5.8.5
Legislatio penes quos sit. 5.5.3
Legislatuam potestatem multi principes à Deo constituti non habuerunt. 5.5.6
Legulator ad totius Reipublicæ bonum in condenda lege respicere debet. 5.7.2
Legulator consuetudines suæ Reipublicæ attendere debet. V. Consuetudo.
Legislatores, Deos legum auctores finxerunt. 5.5.2
Legislatores potestatem ad internos actus coactiuam non habent. 5.8.8
Legislator medicus. 5.6.2
Legislator multa bona deserit, vt mala auertat. 1.21.3
Legulator quæ attendere debeat. 5.6.3.& 4
Legislator quilibet obligare, sed non quilibet culpam remittere potest. 5.18.6
Legislator semper proponit, sed non semper assequitur finem. 5.6.3
Legis materia quæ sit. 5.4.3
Legis materia non sunt quæuis opera bona. 5.4.6
Legis naturalis definitio. 5.14.13
Legis naturalis materia semper honesta est. 5.14.16
Legis necessariæ est necessaria obseruatio. 5.8.18
Legis nomen etiam rationem iusti continet. 5.6.1
Legis obligatio quando dispensatione tolli possit. 5.16.9
Quis in lege humana dispensare possit. 5.16.8
Legis primarius effectus est, obligare. 5.8.4
Legis subiectum intellectus & voluntas. 5.4.1
Legis variæ officia. 5.8.1.& 2
Legis vera definitio. 5.2.3
Legum abrogatio considerate & raro fieri debet. 5.17.4
Legum antiqua multitudo, egena fuit. 5.11.2
Legum ciuilium finis, pax & felicitas. 5.8.7
Legum conciliatio docta non tollit lites. 5.11.5
Legum condendarum ius natura in Republica est. 5.5.4
Legum condendarum potestas ad varios translata. ibid.
Legum condendarum potestas ad vnum deoluta est. ibid.
Legum condendarum potestas cœtui sine culpa auferri nequit. 5.5.7
Legum condendarum potestas cur in omni Republica magistratui deferatur. 5.5.6
Legum condendarum potestas inter maiestatis capita primarium. 5.5.11
Legum condendarum potestas supremæ iurisdictioni natura non coniuncta est. 5.5.5
Legum condendarum potestatem Respublica sibi reseruare potest. 1.24.5. 5.5.5
Legum constantia sæpe præstat melioribus non stabilibus. 5.13.3
Legum contrariarum altera ad tollendas lites eliminari debet. 5.11.5
Legum dissidia vna vox mundi tollere potest. 5.11.6
Legum XII. tabularum ferendarum auctor quis. 5.5.4
Legum ferendarum quis modus apud Romanos. 5.4.2
Legum finis quis. 5.4.5
Legum frequens mutatio plebem rerum nouandarum cupidam facit. 5.13.6
Legum instituendarum causam Iustiniano multitudo dedit. 5.11.2
Legum interpretatio triplex est. 5.15.3.4.5
Legum vis ex natura sumenda est. 5.1.3
Legum ius manat à multitudine. 5.5.8
Legum latio & obseruatio vtilis Reipublicæ. 5.1.1
Legum minuendarum decemviri constituendi. 5.11.8
Legum multitudinem Lothariis reduxit. 5.11.3
Legum multitudo in Germania. 5.11.3
Legum multitudo noxia. 5.11. per totum.
Legum multitudo quibus amabilis. 5.11.5
Legum mutationi iusta sæpe causa subest. 5.13.1
Legum necessitas cœtum consequitur. 5.5.6
Legum nouarum damna latent, veterum patent. 5.13.4

Legum

Legum nouarum latio periculosa. 5.13.3
Legum obeditionem restringere, periculosum est. 5.8.16
Legum obligatio & transgressio grauis vnde oriantur. 5.9.4
Legum obscuritas origo disputationis & erroris. 5.11.6
Legum obscuritas tolli potest & debet. 5.11.5
Legum origo quæ sit. 5.3.3
Legum pœnalium obligatio. 5.10.4
Legum proprius effectus quis. 5.6.1
Legum pugna dat lites, & causidicis prædas. 5.11.5
Legum scriptores plurimi extiterunt. 5.1.3
Legum seruitus vera libertas. 5.3.6
Legum seueritas cum vitijs crescit. 5.6.4
Legum sine magistratu nulla est efficientia. 6.1.1. & 3. 6.2.1
Legum suarum multitudinem tuentur docti. 5.11.8
Legum superflua resecanda. 5.11.5
Legum vera scientia, litibus inimica. 5.3.5
Legione ex tota centum duntaxat simul pugnare poterant. 10.37.2
Legio integra securi percussa. 10.58.1
Legionem Romulus trium millium constituit. 10.30.3
Legiones sociorum equitum duplo maiorem numerum habebant quam Romanæ. 10.30.5
Legionum ordo. 10.39.2
Legionum Præfectus, & quodnam eius officium. 10.27.1
Legio Romana 4200. milites complectebatur. 10.27.3
Lemniorum crudelitas in prouerbium abijt. 1.22.10
Lenitate multi regi non possunt. 5.10.1
Leo igne, galli cantu, rotarum q; strepitu terretur. 10.43.8
Leontij furor in turpi amore. 6.12.18
Leotychidas suos milites vna voce ad prælium & victoriam animauit. 10.41.5
Lepidus Triumuir, fratrem Lucium hostibus donauit. 9.2.4
Leuconis fraus in aceruanda pecunia. 8.17.2
Leuitæ agros non colebant. 6.42.1
Leuitæ diuinarum humanarumq; legum periti erant. 6.42.4
Leuitæ ex oblationibus ditescebant. 6.42.2
Leuitæ in tabernaculorum festis ad conuiuia inuitabantur. 6.42.1
Leuitæ nobilissimas ciuitates & suburbana possidebant in Israel. 6.42.4
Leuitæ ocioſi præ nostro clero. 6.44.3
Leuitæ omnium immunes, legi studebant. 6.42.3
Leuitæ per vices seruiebant. 6.42.4. 6.44.3
Leuitæ præsides & iudices, imo & belli duces fuerunt. 6.42.4
Leuitæ triplices decimas accipiebant. 6.42.1
Leuitarum copiæ. 6.42.1.2.3.4
Leuitarum in veteri testamento viginti duo millia trecenti fuerunt. 6.42.1
Leuitarum labor exiguus. 6.42.4. 6.44.3
Leuitarum numerum Israelitæ maiori proportione superabant. 6.42.1.& 4
Leuitarum officium. 6.44.3
Leuitarum opera cur Dauid regnandi peritus, in regimine vsus. 6.42.4
Leuitarum opes Dauidis tempore. ibid.
Leuitica inter reliquas Israelis tribus ditissima. 6.42.1
Lex ab æquitate communi recedens, ob circumstantias potest esse iusta. 5.2.5
Lex actu voluntatis & intellectus perficitur. 5.2.3
Lex æterna absolutè necessaria. 5.3.1
Lex Anglicana de non vescendis carnibus die Mercurii. 6.9.6
Lex anima ciuitatis. 5.1.1
Lex annua prætorum. 5.2.6
Lex à Platone norma gubernandi definitur. 5.6.1
Lex arcka omni magistratui posita. 1.15.1
Lex cærimonialis abrogata. 5.13.2
Lex circa iustitiam præcipuè, non tamen solam versatur. 5.4.5
Lex ciuilis etiam conscientias obligat. 5.8.15
Lex ciuilis externos hominis actus dirigit. 5.8.8
Lex ciuilis multa impunita dimittit. 5.4.5
Lex ciuilis interdum conscientias non obligat. 5.9.1
Lex communitatis bonum, non priuati amare debet. 5.12.3
Lex corpori politico necessaria. 5.8.5
Lex de beneficijs pluribus non habendis, vehementer obligat. 6.41.3
Lex de beneficijs pluribus non habendis, dispensationem pontificiam patitur. ibid.
Lex Dei à nemine iudicari debet. 5.5.1
Lex Dei immutabilis. 5.6.16
Lex Dei scripta. V. Scriptura sacra.
Lex diuina & naturalis omnia prohibent. 5.4.5
Lex diuina in omni re consideranda. 5.1.2
Lex essentialiter iusta est. 5.12.2
Lex est iussio regis. 5.8.18. 6.9.6
Lex & ius pro eodem sæpe sumuntur. 5.2.4
Lex etiam non scripta obligat. 5.4.1
Lex & mos in quo differant. 5.4.1
Lex Euangelica à Christo tradita est. 2.22.1
ea triplicia præcepta continet nobis omnino seruanda. 2.22.2. & 3
Lex ex materia libera, facit necessariam. 5.8.16
Lex ex præsumptione obligat. 5.9.3
Lex Fannia contra Romanorum luxum lata est. 8.14.2.& 4
Lex hominum deorumq; regina. 5.3.5
Lex imperatoria quando obligare incipiat. 5.8.12
Lex ignorata non obligat. 5.8.11
Lex in impijs mali occasio. 5.6.5
Lex in imperio sine scripto non promulganda. 5.4.2
Lex iniusta non obligat. 5.12.2
Lex in materia graui sub mortali obligat. 5.9.4
Lex in Societate Iesu notandi nomina in exitu. 5.9.2
Lex interdum ad solam pœnam immediate obligat. 5.9.1
Lex iusta iustè imperare debet. 5.12.3
Lex iustè data, acceptanda est. 5.8.13
Lex Mahometana, vinum vetans, tyrannica est. 5.10.6
Lex mala ciuibus grata, non propterea honesta est. 5.12.1
Lex Mosi data sancta fuit. 5.21.2
solos Iudæos obligauit. 5.21.3
triplicia præcepta continebat. 5.21.4
Lex naturalis apud omnes gentes vna manet. 5.14.14
Lex naturalis immutabilis est. 5.13.2
Lex naturalis legibus Principum obedire iubet. 5.8.15
Lex naturalis semper obligat, nec Deus in ea dispensare potest. 5.14.19
Lex naturalis vniuersalis est. 5.3.2
Lex non obligat vltra voluntatem legislatoris. 5.9.1.& 2
Lex nulla ciuilis malum præcipere aut defendere potest. 5.4.4
Lex nulla ciuilis totum orbem obligat. 5.5.9
Lex nutriendi infantis. 4.3.8
Lex oculus & lux ciuitatis. 5.3.5
Lex omnes Christianos obligans, nulla à Christiano Imperatore ferri potest. 5.5.9
Lex omnis quodammodo conscientiam obligat. 5.9.2 6.9.6
Lex opus bonum præcipiens, etiam voluntatem faciendi requirit. 5.8.9
Lex possibilia & facilia iubere debet. 5.12.5
Lex præceptrix agendorum. 5.2.1
Lex præscriptionis dura sed necessaria. 5.2.5. 5.3.5
Lex priuata. V. Priuilegia.
Lex priuato imposita, ad publicam vtilitatem dirigenda. 5.7.2
Lex prudens quemque iuxta eius indolem ad virtutem ducit. 5.6.4
Lex quando mutanda. 5.13.3
Lex scripta perpetuum conseruabilis. 5.4.1
Lex variè definitur. 5.2.1
Lex variè diuiditur. 5.2.6
Lex variis ex partibus componitur. 5.2.3
Lex Veneta. 5.9.1
Lex vera non est, nisi præcipiat. 5.8.2
Lex virtutis actum præcipiens, non cessat cessante ratione. 5.16.6

Libelli & picturæ famosæ capitis pœnâ prohibitæ. 9.30.7
Libelli & picturæ famosæ de Catholicis regibus & principibus 9.30.7. 9.32.3. 9.34.2 9.42.6
Libellorum & picturarum famosarum copia in nundinis Frãcofurtensibus circumfertur. 9.30.7 9.32.3. 9.42.6
Liberalitas non est dare nocitura. 3.9.5
Liberalitas Principum inconsulta, crebro dat causam discordiarum. 9.9.11
Liberalitas quandoque etiam in indignos exerenda est. 3.9.9
Liberalitas subita, damnosa & periculosa est. 3.9.14
Liberalitas vera medium tenet, eaque Principi conuenit. 3.9.3
Liberalitas vnde dicatur. ibid.
Liberalitatem Princeps cum ratione exerceat. 3.9.4. 8.9.2 8.13.1
Liberalitatis duo sunt genera. 3.9.3
Liberalitatis leges, conditiones, & circũstantiæ. 3.9.5. *&seq.*
Libertas etiam sub principibus est. 1.22.8
Libertas in Politijs facile obtinetur, non vero æqualitas. 1.19.2
Libertas multis populis noxia. 1.14.7
Libertas politica in quo versetur. 1.19.2
Libertas res preciosa est. 1.23.6
Libertas varia est, & quænam ex omnibus deterrima. 1.23.3
Libertus ad clericatum accessum habet. 6.12.14
Liberum arbitrium S. Chrysostomus asseruit. 9.26.17
Libidine ingenia pereunt, intelligentia obmutescit, robur corporum deficit. 3.12.6.7. & 8
Libidines diuina iustitia graui supplicio vindicat. 3.12.3
Libidinis fomitem qui extinguere cupit, materiam incendij subtrahat. 3.12.16
Libidinis incitamenta è medio tollere, magistratui incumbit. 3.12.14. & 15
Libido hominem in beluam mutat. 3.12.4
Libidinum insolentia legum seueritate coerceri debet. 3.12.
Libido multarum seditionum causa est. 9.8.8. 9.12.2
Libido plurima regna euertit. 3.12.2. & 3
Libri manuscripti precioſi. 6.13.7
Librorum iuris 2000. *versuum tricies centena millia.* 5.11.2
Licentia nimia coercenda. 9.30.4.6. & 7
Licentia nimia hæreseon causa est. 9.30.4
Licentiati pro doctoratu iterum examinari quandoq; possunt. 4.16.16
Licinius adeo indoctus fuit, vt diplomatis nomen proprium subscribere nequiuerit. 4.11.1
Licinius Crassus, dictus dives, negociator fuit. 8.10.7. & 14
Licinius Crassus legem sumptuariam tulit. 8.14.4
Lictorum ethymon. 7.30.1
Lingua bisulca serpentum est. 6.10.23
Lipsius militiæ nostræ flagitia aspernatur. 10.20.1
Lipsius qualiter Rempubl. definierit. 1.3.2
Literas emittendi & reddendi modos varios necessitas excogitauit. 10.51.8. & 9
Literæ occultarum notarum in bello quandoq; vsitatæ. 10.51.7
Lites malis prosunt. 5.11.7
Lites non vltra triennium protrahendæ. 7.22.19
Litium multitudo. 5.11.1
Liturgiæ apostolorum omnes in substantia conueniunt. 6.5.5
Liturgiæ Apostolorum ostendunt eos Missam celebrasse. ibid.
Liuia Augusta à Numerio Attico decies H S. emit periurium. 7.4.4
Liuii commendatio. 4.21.7
Loci natura plus sæpe ad victoriam confert, quam virtus pugnantium. 10.38.23
Locum prælio aptum multi arte fecerunt. 10.38.24
Logicæ præcepta ab Aristotele solo accipiantur. 4.24.3
Logica, licet eam quidam philosophiæ partem negent, tamen necessaria est. 4.24.1
Logicum literis humanioribus imbutum esse oportet. 4.24.2
Loricæ fidum munimentum. 10.5.15
Lorica hamatæ nostris militibus nexium munimentum. ibid.
Loricæ squamatæ ex vngulis equorum & aliorum animalium veteres conficiebant. ibid.
Lorica triplex munimentum. ibid.
Louanienſis ciuitas diuturnis seditionibus conflictata est. 9.6.1
Lucanus versibus suis Neroni adulatus est. 4.19.5
Lucenses à Domitio Caluino, subito mœnia vrbis occupante, decepti sunt. 10.46.2
Lucensium grauis ac matura censura. 7.20.8
Lucius Sextius primus Consul Rom. de plebe creatus. 9.3.2
Lucrum pro impensis recipere turpe non est. 8.10.4
Ludi Romanorum toti orbi graues fuerunt. 3.16.9. & 10
Ludorum sumptus multos consularium ad inopiam redegerunt. 7.18.15
Luduico Hungariæ regi interitus prædictus. 1.9.3
Lupanaria tollenda sunt. 3.12.15. & 17
Lusitanarum nauium quatuor aduersus ducentas barbarorum victoria. 3.3.6. 3.17.4
Lusitaniæ regum negociationes. 8.10.8
Lusitania Indico auro defenditur. 8.10.6
Lustrum conditum. 7.20.5
Lutheranæ religionis in Caluinisticam sine tumultu mutandæ praxes. 2.18.6
Lutherani à Caluinistis tuti non sunt. 9.26.2
Lutherani à Statibus Augustanæ cõfessionis Caluinismum abolendum esse confidunt. 9.18.7. 9.22.5. & 6
Lutherani Caluinistas diaboli martyres vocant. 9.21.7
Lutherani Caluinistas Turcismi accusant. 9.21.3. 9.28.1
Lutherani calumniatores canonizant suos. 6.24.12
Lutherani Catholicis iungi quam Caluinistis malunt. 9.26.9 9.28.1
Lutherani Deum, quem in Eucharistia præsentem agnoscunt, adorandum negant. 6.5.2
Lutherani & Caluinistæ Vatiniano odio dissident. 6.24.12
Lutherani gladio agendum in Caluinistas docent. 9.26.1
Lutherani historiam Euangelicam de vita Ioannis Baptistæ vanissimè explicant. 6.21.7
Lutherani incendiarii. 6.24.10
Lutherani ministri de suo regno dimicant, non de Euangelio. 6.37.2
Lutherani nominis multæ sectæ. 9.11.4. & 6. 9.40.2
Lutherani non possunt esse iudices Caluinistarum. 9.31.10
Lutherani ob ingratitudinem infames. ibid.
Lutherani pauci angelicum volatum Luthero tribuunt. 6.23.1
Lutherani prædicantis noua de Pontifice somnia. ibid.
Lutherani probant Deum Caluinistarum cacodæmonem esse. 9.44.8
Lutheranismi defectio. 9.22.4
Lutheranismo exitium peperit Correspondentia. 9.29.3
Lutheranis principibus à subditis & ministris Caluinianis ingens periculum imminet. 9.26.3. & 5
Lutherani suos principes à Caluinistarum consortio dehortantur. 9.26.9
Lutherani syncretismum improbant. 9.28.1. *& seq.*
Lutherani vt Pontifici maledicant, credunt ipsi mendacio. 6.24.12
Lutherani vt sibi à Caluinistarum syncretismo caueant, admonentur. 9.24.10
Lutheranorum de Pontifice figmenta non cohærent. 6.31.5
Lutheranorum doctrina qualis sit Caluiniana. 6.24.12
Lutheranorum Ecclesiæ quales sint. 9.30.5
Lutheranos Caluinistæ duplices Papistas vocitant. 9.26.1. & 5
Lutheranos Caluinistæ miris insectantur calumniis. 6.24.12
Lutheranos pellere fidenter, Pareo est opus Domini agere. 9.18.7. 9.26.10
Lutheri Biblia à Matthesio virgis cæsa sunt. 5.25.3
Lutheri Synodi de suorum afflictione querelæ. 2.16.5

Luthe-

Lutherici decemuiri, assecla interim suis preßis ac pene oppressis, Iubilæum instituunt. ibid.
Lutherici nominis pars parua est. 6.23.1
Lutherico læ suos prædicantes contemptui ac ludibrio habent. 6.23.1
Luthers & angelorum doctrina contraria. 6.23.1
Lutheri & Lutheranorum varia & contraria de cœna Domini doctrina. 6.5.2
Lutheri in Danielis interpretatione error. 6.24.3
Lutheri mores porcis quam angelis similiores. 6.23.1
Luthero-Caluiniana contentio de cœna Domini. 6.5.1
Luthero multæ oppositæ hæreses. 9.11.4.& seq.
Lutherus angelus est Lutheranus. 6.23.1
Lutherus damnat Sacramentarios. 9.21.1
Lutherus Imperatorem & principes traducit. 9.17.2
Lutherus multos scripturæ libros è canone sustulit. 5.23.6
Lutherus nec Græce nec Hebraice nouit. 5.24.1. 5.25.2. 6.30.1
Lutherus nouas hæreses ædificando, suas veteres destruxit. 9.11. 3
Lutherus quæ docuit non credidit. 9.44.5
Lutherus timorem Dei pellere conatur. 6.23.1
Lutherus transubstantiationem concesit. 6.5.2
Lutherus Turcam non plura regna inuasurum prophetizat. 6.24.3
Lutherus vt Turca contra Catholicos bellaret, effecit. 10.3.1
Lutherus Zvvinglianos incorporatos diabolos vocat. 9.28.4
Luxum vestium princeps duobus modis tollere potest. 8.14.5
Luxuria & crudelitas comites sunt inuisæ. 3.13.1
Luxuries pauperiem facit. 6.46.2. 8.14.2.& 4
Luxuriosi fortes esse nequeunt. 3.17.11
Luxus in diuitis, vitium hominum est, non opum. 6.43.3
Luxus Romanorum. 8.14.2
Luxus summus in vestibus est. 8.14.5
Luxus vestium æmulatione crescit. ibid.
Luxus vestium ex aula ad alios manauit. 8.14.6
Lycurgiana hypocriseos exitus. 8.11.3
Lycurgus Apollinem legum suarum rogatorem esse ferebat. 2.13.15.18.& 19
Lycurgus omnibus agros diuisit. 8.11.3
Lydi Achæum omnia tributis exhaurientem suspenderunt. 8.7. 21
Lydamis Naxius vt pecuniam colligeret, exulum facultates illis ipsis vendidit. 8.16.2
Lysander perfidus, perfidia aliena periit. 3.7.3
Lysimachus Amphipolis proditorem magnificè donauit, postea horribiliter necauit. 9.16.14
Lysimachus dux Alexandri cum Seleuco concurrit decumbitque. 17.7
Lysimachus Telesphorum Rhodium vndiq; decurtatum caueæ inclusit. 3.15.3

M.

Macedones infantem regem in cunis, in prima acie posuerunt. 10.23.7
Macedonicum imperium nobilium & magnatum pluralitate diu stetit. 8.20.4
Machabæi contra Antiochum iustissima bella gesserunt. 10.6. 6
Machabæus totam gentem moribus gentilium corruptam reduxit. 6.11.3
Machiauelli contra Monarchiam inania obiectamenta refutantur. 1.2.3.3.4.5.6
Machiauelli pronunciata de Monarchia, & de libertate. 1.23.1.& 2
Machiauellus antiquam aciem vellet reduci. 10.42.1
Machiauellus arces inutiles esse, imprudenter docet. 8.23.3.4.5.6
Machiauellus atheus est. 2.15.1
Machiauellus auxiliares copias omnino reijcit. 10.28.4
Machiauellus belli ducibus improbum & seditiosum dat consilium. 10.23.5
Machiauellus decemuiralis insolentiæ causam nimiam potentiam, eamq; annuam falso putat. 7.20.4
Machiauellus fato calamitates adscribit. 1.5.3
Machiauellus fatum montano flumini comparat. ibid.
Machiauellus fortunam tenebras obiicere hominibus docet. 1.13. 13
Machiauellus fraudes admittit. 3.4.4
Machiauellus Gallicam, populi Rom. cladem in fatis ponit. 1.5.2.& 3
Machiauellus impium fatum comminiscitur. 1.5.2.& 3. 10.45.1
Machiauellus nullam rempublicam rei bellicæ legitimam peritiam habere putat. 10.28.4
Machiauellus ob magistratuum prorogationem Romam in seruitutem redactam contendit. 7.10.2
Machiauellus populare regimen commendat. 1.22.10
Machiauellus principem securum esse vetat. 8.23.4
Machiauellus principibus victoribus truculentum dat consilium. 10.61.7
Machiauellus principi ex alieno liberalem esse suadet. 3.9.2
Machiauellus Pseudopoliticorum Patriarcha. 1.13.13
Machiauellus Pseudopoliticus. 1.1.8
Machiauellus pugnandi necessitatem inferendam esse putat. 10.45.1
Machiauellus regnum in quo omnes seruiunt, facilius teneri docet. 8.20.4
Machiauellus scelera Reipubl. vtilia asserit. 5.4.4
Machiauellus sui iudicii est, non prudentis. 1.23.1
Machiauellus superstitionem in Romanis imperatoribus laudat. 2.15.1.2.3
Machiauellus trium Fabiorum pugnam, & Camilli exilium fato tribuit. 1.5.3
Machiauellus turpis vitiorũ doctor est. 2.4.1. 2.13.1. 3.16.19
Machiauellus Valentinum Italiæ tyrannum laudat. 3.6.4
Machina bellica opus ingenii est. 10.19.1
Machinæ bellicæ quænam priscis vsitatæ. 10.19.3
Machinarum bellicarum antiquitas. 10.19.2
Machinas omnes bombardæ fugarunt. 10.19.1
Machinationes puniuntur. 5.8.9
Machometus primus turcicã tyrãnidẽ aggrauare cepit. 1.21.7
Magistratibus locorum remotiorum, aut hostibus vicinorum quales præsides præfici debeant. 7.7.5
Magistratibus maioribus functi, minores suscipere non dedignentur. 7.11.2
Magistratibus officio functis in Constantinopolitano imperio honores augebantur. ibid.
Magistratibus virtus, vt summus Reipubl. thesaurus commendatur. 2.3.1.& seq.
Magistratui patria multum præstat, illi fidendo, & omnia abundantissime suppeditando. 1.24.9
Magistratui subditi commendati esse debent. 7.16.1
Magistratum liberè eligentes necessario ei parent. 5.8.5
Magistratum perditi homines negant & oppugnant. 6.2.2. 4.5.6.7
Magistratum Politia & Aristocratia electione constituunt. 1.25.2.& 3
Magistratus à Deo est. 6.2.7
ei subsidium & defensio debetur. ibid.
Magistratus ad pœnam spiritalẽ immediate nõ obligat. 5.8.16
Magistratus annui parum auctoritatis habent. 7.18.11
Magistratus an officio fungantur & iustitiam administrent, singulis annis inquirendum est. 7.9.1
Magistratus apud Romanos cum prouinciâ decessissent, multi criminum rei agebantur. 7.9.1
Magistratus à Republica designati mediate potestatem à Deo accipiunt. 5.8.5. 6.9.6
Magistratus bonus, excellentissimus est medicus. 1.2.2
Magistratus candidati Romæ apud senatum nomina profitebantur, & ab eodem interdum reiiciebantur. 7.7.3
Magistratus censores magnæ curæ constituendi. 1.19.8
Magistratus continuas difficultates habent. 7.2.1
Magistratus continuatos senatus Rom. nõ improbauit. 7.10.2
Magistratus cum vitia dissimulabit, peribit orbis. 6.11.2

Magistratus diuturni aspirantibus ad magnarum rerum molitionem animos addunt. 7.10.2
Magistratus ebrietatem tollere obligantur. 3.14.18
Magistratus ecclesiasticus clericos concubinarios non corrigens, puniendus. 6.4.7
Magistratus ecclesiasticus, vt sacerdotes sanctè sacrificent, attendere debet. 6.4.5
Magistratus electus legibus vinciendus est. 1.24.3
Magistratibus etiam minoribus boni & idonei administri præficiendi sunt. 7.7.1. 7.11.1
Magistratus exemplo populus trahitur. 2.3.2
Magistratus exteris non committendi. 9.8.14
Magistratus in administratione iustitiæ à populo non pendet. 1.24.3
Magistratus inferiores doctoribus cur interdum deferre teneantur. 4.9.5
Magistratus inferior secundum doctrinam Caluinistarum, in certis casus superiorem occidere potest. 9.26.4.& 5.& 7.& 18
Magistratus militares. V. Militares magistratus.
Magistratus multiplex est. 7.1.1
Magistratus multi suscipiunt, ne indigni imperent. 1.20.7 6.41.3
Magistratus non quibusuis mandandi aut prorogandi. 7.10.2
Magistratus obligatio erga patriam. 1.24.9.& 10
Magistratus omnes dirigere volentes, atroces exitus sortiuntur. 7.1.2
Magistratus oppositi in Republica cauendi. 9.8.13
Magistratus paucorum dierum, non priuato sed proximo magistratui mandandus. 7.19.3
Magistratus politici facilius, quam aristocratici puniri possunt. 1.19.8
Magistratus potestas in quibus sit restringenda. 1.24.4.5.6. 7.8
Magistratus prouinciales Romani annuos habebant. 7.9.1. 7.10.1
Magistratus quarum rerum rationem annuè reddere debeant. 7.9.1
Magistratus quibus imperari non potest, doctorum tamen monitiones audire debent. 2.17.5
Magistratus quotidie iuramentum suum repetant & perpendant. 7.29.17
Magistratus Reipublicæ alius togatus alius sagatus. 7.8.2
Magistratus Reipublicæ necessarius est. 6.2.1.& 3
Magistratus repetiti idem quod continuati periculum annexum habent. 7.10.2
Magistratus sine precio dandi. 7.22.18
Magistratus sortito non eligendi. 7.7.6
Magistratus spiritualis indirectè præcipit. 5.8.16
Magistratus subditis prouidere, nõ seruiliter eos premere debet. 1.21.4
Magistratus summa est potestas. 1.24.3
Magistratus summos hæreditarios esse præstat quam eligi. 1.25 4.5.6.7.& seq.
Magistratus varij vni non sunt committendi. 7.1.2
Magistratus venenum est adulatio. 6.1.1
Magistratus viris fortibus & magnis demandari debent. 9.9.4
Magistratus vrbium in alio loco possessiones habeant. 8.22.7
Magistratuum ac officiorum Imperij Romani aliarumque Rerumpublicarum catalogus. 7.32
Magistratuum continuatio non est causa seruitutis & ademptæ libertatis. 7.10.2.& 3
Magistratuum crudelitas primaria seditionum causa. 9.8.2
Magistratuum cura etiam circa res minimas honesta est. 3.5.2
Magistratuum egregia institutio. 7.22.18
Magistratuum insigne iuramentum. 7.29.17
Magistratuum laboriosa & periculosa prouincia est. 3.5.6.& 9
Magistratuum ministri. 7.30.1.& 2
Magistratuum multiplicatio, litigandi occasio est. 7.22.17
Magistratuum omnium nomina & salaria aliaq; in laterculo Romæ continebantur. 7.7.4
Magistratuum ordo licentiæ ac nouitati obstat. 6.37.1
Magistratuum potestatem qui imminuit, Rempublicam euertit. 9.9.4
Magistratuum prorogatio rara fuit. 7.21.2
Magistratuum prouincialium annua nouatio, non probatur. 7.10.2
Magistratuum pulchra functio est, sed nequaquam beata. 2.2.4.& 5
Magistratuum sortita electio quando valida & licita. 7.7.7.& 8
Magistratuum subordinatorum duplex ordo. 7.12.1
Magister non creandus qui docere nequit. 4.16.14
Magistri Census officium. 7.29.8
Magistri idonei quinam dicendi sint. 4.6.5.6.7.& seq.
Magistri impudicos libros prælegendo, adolescentes ea & loqui & facere docent. 4.6.9.10.12
Magistri officiorum munus & postmodum adepta dignitas. 7.15.3
Magistros artium promouere indignos, peccatum mortale est. 4.16.13
Magistros idoneos iuuentuti præficere magistratui incumbit. 4.6.2.3.& 5
Magistros plerique veterum principum improbos nacti sunt. 4.6.6
Magnanimitas honoris appetitum moderatur. 3.20.3
Magnanimitas humilitati non est contraria. 3.20.2
Magnanimitas in omnium virtutum genere versatur, earumque ornamentum est. ibid.
Magnanimitati pusillanimitas opponitur. 3.20.4
Magnanimitatis descriptio. 3.20.2
Magnanimus quinam vere dicatur. 3.20.3
Magnates imperii Turcici omnium periculosissimam seruiunt seruitutem. 1.21.6
Magnatum filii hos Politicorum libros lectitare debent. 1.1.8
Magnentius ex scenarex factus. 9.12.7
Mahometana lex, vinum vetans, tyrannica. 5.12.5
Maiestas diuina etiam minimis interest. 1.13.15
Maioris domus in aula Francica officium ac dignitas. 7.15.2. 7.16.1
Maleuoli bonorum conatus sugillant. 1.1.1
Mali felices æternis pœnis reseruantur. 1.13.8
Mali plerumque etiam in hac vita cruciatus sustinent. 1.13.12
Malleoli genus teli. 10.19.7
Malorum felicitas vmbra est. 1.13.8
Mancipiorum vsus licitus. 8.15.2
Mancipiorum vtilitas. ibid.
Mandatores ministri magistratus fuerunt. 7.30.2
Manichæi bellum omnino vetabant. 10.3.1
Manipuli originatio vnde. 10.30.4
Manipulus quot militum fuerit. ibid.
Mansfeldica Synodus Antinomorum de lege errores refutat. 5.22.5.6.7.& seq.
Mansfeldici alios Lutheranos damnarunt. 9.11.6
Mansuetudo in quo differat à clementia. 3.16.1.& 2
Maozim Deus Antichristi. 6.30.3
Maozim non est verus Deus, nec ipse Antichristus. ibid.
Maozim quid sit. 6.30.3
Marcianum dormientem aquila obumbrat. 1.9.3
Marcionis hæresis. 9.23.3
M. Aemylius in seditione lapide percussus est. 9.3.2
M. Antonius, quia ebrietatis patronum egerat, Romæ infamis erat. 3.14.18
M. Aurelius tempus optimo ordine distribuit. 3.5.5
Marius certam staturam in milite tirone exegit. 10.21.6
Marius in castrorum exercitatione alacer fuit. 10.24.26
Marius parmulas sustulit & Brutianas dedit. 10.15.10
Marius pauperum & seruorum delectum habuit. 10.30.1
Marmora sumptuosa sunt. 8.14.9

Marpur-

Marpurgi iconoclasmus tumultum dedit. 6.24.11
Martiobarbulus genus armorum. 10.16.3
Martyrem causa, non pœna facit. 9.21.7
Martyres Christi inferis addicunt hæretici. 6.21.4
Martyres primi in & pro fide Catholica mortui. 6.21.5
Martyrum constantia cœlitus roborata est. 3.17.8
Martyrum nostri sæculi multa millia. 6.28.5
Masinissa belli dux nonagenarius stans cibũ capiebat. 10.22.10
Mater esse desiit quæ filium lactandum aluenæ committit. 4.3.2. & 6
Matres filiorum suorum etiam nutrices & gerulas esse, naturæ consentaneum est. 4.3.2.4.5.6.7.8
Matres, ne filios lactent se ipsas torquentes, grauiter Deum offendunt. 4.3.2
Matrimonia leprosorum aliorumque contagioso morbo laborantium inconsulta sunt. 4.3.1
Matthias Hoë Concilium generale inutile iudicat & impossibile. 9.41.5. 9.42.4
Matthias Hoë laudat iubilum Palatinum. 9.10.5
Mausolus Cariæ tyrannus, tributa soluere Persis non valens, astutè magnam pecuniæ summam à diuitibus collegit. 8.16.16. & 17
Maximini immanis crudelitas. 3.16.11
Maximinus Imperator grauissimas seditiones passus est. 9.4.1
Medentium multitudo etiam in vicis inuenitur. 4.25.10
Medicamentariæ officinæ, & medicamentorum exhibitorum examen, annuè instituendum est. 4.25.15
Medicamentis olim res herbaria sufficit. 4.25.12
Medici diligentissime & seuerissime examinandi sunt, antequam ad curam ciuitatis admittantur. 4.25.8
Medici doctrina sedulo explorandæ est. 4.25.6
Medici Imperatorum, Comitum titulo & honore olim gaudebant. 7.17.3
Medicinæ diuisio. 4.25.8. eius caput est praxis. ibid.
Medicinæ loco Arcades lactè è locis herbosis vsi sunt. 4.25.12
Medicinæ nouæ ægris gratæ sunt. 4.25.13
Medicinæ nouæ ne introducantur, principi curæ esse debet. ibid.
Medicinam auaritia pretiosam fecit non meliorem. 4.25.11
Medicinam olim reges exercuerunt. 4.25.4
Medici officium est in morbo periculoso ægrotum de animæ salute admonere. 4.25.17
Medici olim ingentes opes habebant. 4.25.5
Medici quoad fieri potest viliora ægris remedia adhibeant. 4.25.11. & 15
Medici remedia flagitiosa proponentes pro ratione culpæ puniantur. 4.25.18
Medicis impostoribus & magis multi spe sanitatis se committunt. 4.25.10
Medici tanta sit dignitas, vt etiam nobiles ad eam aspirent. 4.25.3
Medico Deus honorem decreuit. 4.25.2
Medico magistratus committantur. 4.25.3.4.5
Medicorum in Rempubl. admittendorum fides iuramento obligãda est. 4.25.15
Medicorum scientia plane diuina est. 1.2.2
Medicorum sectæ olim illiteratæ fuerunt. 4.25.13
Medicum physicum esse oportet, & proinde ad medicinam nemo nisi philosophus admittendus est. 4.25.4
Medicus dues gratis facile curat. 4.25.5
Medicus imperitus, si ægros curandos suscipiat, morte plectendus est. 4.25.7
Medicus negligens ad restitutionem tenetur. ibid.
dubio vtens medicamento peccat. ibid.
Medicus noua medicina nisi multis probetur ne vtatur. 4.25.9
Medicus Reipubl. præcipuè honorandus. 4.25.1.2.3
Medi luxuriosissimi fuerunt. 5.12.1
Mediolanensem decatum arces tutantur. 8.23.5
Megarenses elephantos Antigoni porcis auerterunt. 10.18.5
Melanchthon Augustanæ confessionis auctor eandem damnat. 9.42.11
M. Ianchthon diuersam Sacramentariorum sectam defendit. 9.11.5
Melanchthon potestatem ecclesiasticam retinendam censet. 6.37.2
Memoriæ miracula. 3.2.4
Memoria nulla cunctis legibus sufficiens est. 5.4.1
Memoria præteritorum, præsentium magistra est, vatesq; futurorum. 3.2.4
Mendaciis ciuitates pereunt, societates dissoluuntur. 3.4.14
Mendaciis Reip. salutem adscribere, blasphemum est. ibid.
Mendaciolo vno multa millia Christianorum se à morte liberare potuissent, nisi veritatem tenere maluissent. 3.4.10
Mendaciorum octo genera apud Augustinum. 3.4.6
Mendacium ex nulla omnino causa licitum est. 3.4.4.5.6.7.8.9.10. & seq.
Mendacium iniuriam Deo grauiorem omnibus humanis incommodis infert. 3.4.7
Mendacium in necessitate iustissima ratio colligẽdi pecuniam. 8.16.38. & 39
Mendicantes validi ad labores cogi debent. 3.12.15
Mens humana testatur, esse diuiniorem mentem. 1.11.3
Mercatores ad consilium & administrationem reipubl. præ aliis sunt admittendi. 8.10.5
Mercatores pro impensis lucrum merito accipiunt. 8.10.4
Mercatores Reipubl. sunt præsidium. 8.10.5
Mercatoribus apud Lacedæmonios & Thebanos ad gubernacula reipubl. aditus non patebat. ibid
Mercatorum fraus & auaritia reprehenditur. 8.10.1
Mercatorum iuxta Caroli V. præscriptum, qualis esse debeat vestitus. 8.14.7
Mercatura ad omnia vtilis est ac pene necessaria. 8.10.6. & 9
Mercatura artificialis à naturâ proxime orta est. 8.10.3
Mercaturæ Romani plus studebant quam bellicæ rei. 8.10.7
Mercatura facit vt multis rebus antea ignotis indigeamus. 8.10.1
Mercaturam etiam Israelitæ & Patriarchæ exercuerunt. 8.10.2. & 3
Mercaturam exercere cur nobilibus leges vetuerint. 8.10.10
Mithridates Theodorum Scepsium in patrẽ adoptauit. 7.11.2
Mithridates 22. gentes, sua quãq; lingua alloquebatur. 3.2.4
Mithridatis exercitus victis ducib. seditiones commouit. 9.13.3
Mithridatis in coniuratos & insidiatores clementia laudatur. 9.45.11
Mæcenas Augusto religionem commendauit. 9.20.7
Mœnia rupta quomodo defendenda. 10.47.5
Moguntiæ magistratus curat se Academicæ priuilegia, personas, & eorum bona sarta tecta seruaturum. 4.14.8
Moguntiæ Magistri artium pro ordinibus non examinantur. 4.15.2
Moguntiæ nec temporis studiorum, nec ætatis, sed doctrinæ & morum ratio in promotionibus habetur. 4.16.8
Moguntia ob situm commerciis opportuna. 8.22.4
Moguntina Academia gaudet priuilegijs Bononiensis, Parisiensis & Colonienſis Vniuersitatis. 4.15.1
Moguntina Academia seueras examinãdi leges habet. 4.16.15
Moguntinæ Academiæ libertas. 4.14.7. immunitas. 4.14.8
Moguntinæ Academiæ priuilegijs quinam gaudeant. 4.15.2
Moguntinæ leges sumpturiæ sponsalium conuiuia, nuptiasq; liberas abrogant, officialium mercedem determinãt. 8.14.3
Moguntinæ leges sumptuariæ munera, tempus & numerum cõuiuarum ferculorumq; nuptialium & baptismalium, item donaria patrinorum definiunt, ebrietatem omnibus interdicunt. ibid.
Moguntinæ synodi de beneficiorum fruitione, & præsentiarum distributione seria constitutio. ibid.
Moguntina Theologica facultas infames, & apostatas à promotionibus arcet. 4.16.8. 6.12.13
Moguntinenses Archiepiscopi iudiciariam potestatem iam olim exercuerunt. 6.8.9
Moguntinensi Archiepiscopo quinam episcopi subiecti. 6.38.1
Moguntinensis Archiepiscopi in Imperatoris electione iusurandum. 7.2.4

Moguntinensis Theologica facultas pro singulis gradibus certum studij tempus requirit. 4.16.8
Moguntinus Archiepiscopus Ioann. Schvvickardus leges sumptuarias tulit. 8.14.2
Monachatum non assumunt diuites & nobiles ocij & deliciarum causa. 6.46.5
Monachi ad vitam sustentandam necessaria petentes & colligentes, à maleuolis voraces dicuntur. 6.46.10
Monachi clerici, Clericorum gaudent priuilegio. 6.46.6
Monachi docti & clerici etiam pascunt. ibid.
Monachi in Academijs hoc tempore studijs dant operam. 6.46.13
Monachi luxum pellere, necessitati autem nihil subtrahere debent. 6.46.9
Monachi mendicantes. V. Religiosi mendicantes.
Monachi mortuos, consummatos, & funeris elationem, pompam ac præmissionem dicunt. 6.46.13
Monachi oues sunt, Clerici pastores. 6.46.6
Monachi qualem ægrorum curam habeant. 6.46.13
Monachi Reipublicæ vtiles sunt. 6.46.3.& 4
Monachis egenis necessaria domum mittere decet. 6.46.9
Monachi temperate viuunt. 6.46.2.& 3
Monachorum Aegypti labores & parsimonia. 6.46.3
Monachorum Benedictinorum institutum sanctissimum. 6.46.4
Monachorum Benedictinorum multi principum ius in Imperio consecuti sunt. ibid.
Monachorum cantica diuinarum rerum studium spirant. 6.46.13
Monachorum & Clericorum instituta ex naturâ suâ discrepant. 6.46.6
Monachorum labores. 6.46.3
Monachorum opera vsi sunt Imperatores. 6.46.4
Monachorum opprobrium studio tollendum est. 6.46.13
Monachorum studia & exercitium. ibid.
Monachorum vigilantia. ibid.
Monachos ordinum mendicantium, principes & respublicæ magno affectu fouere debent. 6.46.5
Monachos vitæ sanctitas, non ambitio, ad dignitates in Imperio euexit. 6.46.4
Monachus sine cella, caret vitâ. 6.46.10
Monachus vere doctus, etiam obediens est. 6.46.13
Monarchæ boni plures quam optimates fuerunt. 1.21.14
Monarchæ hoc tempore duo, 1.16.8
Monarchæ maiori auctoritate & curâ iustitiam conseruant quam Optimates aut populares. 1.21.13. 1.22.5
Monarchæ multi & boni consiliarii adiumento sunt. 1.22.4
Monarchæ proximus vnus constitui magistratus potest, & quibus hic commendandus. 7.14.3
Monorcharum electio & inauguratio apparatus magnificentia & cæremoniarum pompa exornanda est. 7.2.1
Monarcharum electores securos & liberos esse oportet. 7.2.2
Monarcharum modernorum diuersa studia. 1.16.8
Monarchas populus amat timetq;. 1.21.15.& 16
Monarchia Aristocratiopolitica probatur. 1.21.9.10.11.& seq.
Monarchia Chaldæorum prima omnium fuit & ordinatissima. 7.14.1.& 6
Monarchiarum Chaldææ & Persicæ forma ac magistratuum distributio. 7.14.1.2.5.& 6
Monarchiæ Persicæ & Chaldææ vnum post Monarcham summum principem habebant. 7.14.1.& 2
Monarchiæ species quomodo discrepent. 1.15.1
Monarchiæ stabiles sunt. 1.21.11
Monarchiæ vires vnitæ sunt. 1.21.17
Monarchia Græcorum in se collisa est. 3.16.8
Monarchiam tyranni infamant. 1.22.1
Monarchia quæ dicatur, & quotuplex ea. 1.15.1
Monasteria ad primæuam regulam reformanda. 6.18.3
Monasteria Benedictinorum amplis prouentibus dotata sunt. 6.46.4
Monasteria multa sese reformarunt. 6.286
Monasteria olim ex scientiarum professione claruerunt, virosque doctissimos quam plurimos numerarunt. 4.14.4
Monasteria pestilentia exhausit. 6.46.12
Monasteria quæuis, etiam Carthusianorum, sacræ Scripturæ lectionem habeant. 6.46.13
Monasteria virginum libera, eorumq; vtilitas. 6.47.2
Monasteria virginum libera extra Germaniam non reperiuntur. ibid.
Monasteria virginum voto obligatarum duplicia sunt. 6.47.3
Monasterienses in obsidione commeatum simulant. 10.47.6
Monasterij in Vvestphaliâ quieta ratio legendi senatus. 1.19.7
Monasteriis Monialium puellæ sæculares quotannis quantum soluere debeant. 6.47.3
Monasteriis opulentis hospitalitas commendata sit. 6.46.4
Monasteriorum liberorum Abbatissæ professæ esse debent. 6.47.3
Monasteriorum bona immobilia à manu fisci intacta sunt. 6.42.7
Monasteriorum dissolutio ob terminos est. 6.46.10
Monasteriorum hospitalitatem auari cauillantur. 6.46.4
Monasteriorum in quibus moniales agunt, tota constitutio qualis esse debeat. 6.47.3
Monasteriorum opes in pios vsus, nec non etiam in priuatã vtilitatem insumi possunt. 6.46.9
Monasterium ingrediens vt abbas fiat, in prælatum non eligendus est. 6.46.8
Monasterium virorum bonorum, cœlum dicitur. 6.46.13
Monetæ adulteratorum pœna. 8.17.2
Monetæ ratio in imperio. 8.17.2
Monetam iactare vetus malum. 8.17.2
Monetam publice augere, minuereq;, iniqua est ratio congerendi pecunias. ibid.
Monetas bonas adulterinis permiscent fœneratores. ibid.
Moniales dies festos ocio ne transigant. 6.47.3
Moniales in officijs constitutæ, vltra biennium officio non perfungantur. ibid.
Moniales in officijs diuinis, precationibus, & lectionibus pijs frequentes esse oportet. ibid.
Moniales nouitia quo ætatis anno, & quibus requisitis ad religionem, ac postmodum ad professionem admittendæ sint. ibidem.
Monialas puellas sæculares intra monasterij septa quales admittere possint. ibid.
Monialibus conuersis 40. annorum facultas, septa monasterij egrediendi, concedi potest. ibid.
Monialis præfectæ officium. ibid.
Monialium concionatores, confessarios, visitatores, cappellanos quales esse oporteat. ibid.
Monialium labores. ibid.
Monialium numerus, quantus esse debeat. ibid.
Monialium per ambitionem præfecturas affectantium aut adipiscentium pœnæ. ibid.
Monialium præfectæ quales & cuius ætatis esse debeant. ibid.
Monialium præfecta sororem germanam ad nullum omnino ne ad tantricis quidem officium euehere potest. ibid.
Monialium præfecturas iure perpetuitatis donare, non expedit. ibidem.
Monialium totius vitæ conuersatio qualis esse, & quid agere, quid omittere debeant. ibid.
Monialium vitam sanctissimam carpunt hæretici. ibid.
Monitiones & bonis & malis proficuæ sunt. 6.48.1
Mons pietatis perpetuum vsurarum est remedium. 8.18.3
Monstra multa ficta. 1.13.17
Monstra non præter omnem naturam. ibid.
Monstra vniuersi varietatem enornant. ibid.
Monstrorum causæ quæ sint. ibid.
Montium pietatis ratio ac institutum. 8.18.3
de iisdem controuersiæ. ibid.
Morales disputationes sine dialecticis argutiis tractandæ. 1.2.5

Morbi magni sensim curantur. 5.6.4
Moresper negociationes & diuitias iacturam faciunt. 8.10.2
Morosi nullos habent amicos. 3.11.2
Moscorum nemini supra magnum ducem sapere licitum aut consultum est. 3.3.1
Moscouiæ dux subditorum stultitiam fouet. 1.16.8
Mosquettariorum duo millia, dena veteranorum militum Romanorum vincerent. 10.59.2
Motuum magnorum initia sunt à paruis. 5.3.5
Mulierculorum diuitum frœnanda bibacitas. 3.14.16
Mulieres imperium in viros sine graui causa ne teneant. V. Fœmina.
Mulieres opulentæ nobilibus sunt delicatiores. 3.14.16
Corrumpunt suorum filiorum ingenia. ibid.
Mundus propter hominem constructus est. 1.11.6
Mercaturam nobiles exercere præstat quàm prædari. ibid.
Mercaturam Romani senatores exercuerunt. 8.10.7
Mercaturam sine ciue Romano nemo exercere poterat. ibid.
Mercatura nobili non est probrosa. 8.10.1
Mercatura Rempubl. Christianam regumq; dignitatem tuetur. 8.10.6
Mercenariis Carolus V. vestituram præscripsit. 8.14.7
Merces quænam Turcis vendi prohibitæ. 8.10.11
Merces quibus patria & natiua viliora fiunt, non inferendæ. 8.10.12
Mercibus peregrinis non necessariis vectigalia maiora imponenda. 8.7.11.&12
Mercurius Gallobelgicus historicus mendacissimus. V. Gothardus Artus.
Metalla in locis horridis Germaniæ effodiuntur. 8.12.3
Metalla non vituperanda, sed eorum abusus. 8.12.2
Metalla nulli Principi desunt, sed sola scrutandi industria. 8.12.3
Metalla per damnatos eruenda. 8.12.4
Metalla scrutari, opus principum est. 8.12.1.&2
Metallica omnibus terris inesse aliqua, fluminorum aureæ arenæ indicant. 8.12.3
Metallicorum varia genera. 8.12.3.&5
Metalli fossorum numerus in Hispania quantus olim fuerit. 8.12.3
Metalli maximæ sunt vtilitates. 8.12.2
Metallis ne innocentes addicantur, cauendum est. 8.12.4
Metallis Palæstina dives est. 8.12.3
Metallorum cur minor in Germaniâ & Europâ cura. ibid.
Metallorum magnus est abusus. 8.12.1
Metatores. 10.27.4
Metellus hostem alacrem videns, exercitum reduxit. 10.43.6
Metropoles quæ sint. 6.38.1
Metropolitani Episcoporum opera abuti non debent. 6.38.9
Metropolitani & Archiepiscopi iidem sunt. 6.38.1
Metropolitani officio suo non fungentes corrigendi aut deponendi. 6.38.9
Metropolitani præcipua cura, circa, quam gubernat, diœcesin, esse debet. 6.38.10
Metropolitani vnde dicantur. 6.38.1
Metropolitanus in sua diœcesis visitatione, omnibus pontificum insignibus vti potest. 6.38.10
Metus mali vel pœnæ, extrema suadet. 9.8.6
Miles ad pugnam quomodo excitandus. 10.41.1.2.3.4.5.&6
Miles noster contra bombardas satis muniri non potest. 10.59.7.&9
Miles optimus in prima acie collocandus est. 10.37.1
Miles ordinarius vt habeatur, magna cura adhibenda est. 10.29.2
Miles qualis legendus ciuicus, an agrestis. 10.20.7
Miles qui scandalo est, exauctoratur. 4.8.12
Miles rem à duce prohibitam, & si bene, faciens, lege punitur. 10.4.12
Miles terram hostilem inuadens, primo de receptu prospicere debet. 10.35.4
Militare exercitium cessans, exercitum perdidit. 10.15.18
Militare exercitium ferendorũ onerum graue erat. 10.24.13
Militare iter Romanorum. 10.35.1
Militare nostrorum iter in omnibus melius quam Romanorum constitutum est. ibid.
Militares leges paruæ delicta magnis pœnis puniũt. 10.58.1.&2
Militares magistratus alii communes, alii proprii. 10.26.1
Militares magistratus non nisi virtuti dandi sunt. 10.26.7 10.30.1
Militares pœnæ variæ. 10.58.1.&2
Militaris ætas. 10.20.8
Militaris profectio hostibus incognita esse debet. 10.35.3
Militarium magistratuum ordo & officia. 10.26.1.&seq. 10.27.1.&seq.
Milite externo in seditione & bello ciuili non vtendum. 10.28.5
Militem auxiliarem petere à potentiore infido, perniciosum est. 10.28.4.&5
Militem bene regere, est hostem vincere. 10.1.7
Militem externum potentes Monarchæ scribunt. 10.28.4
Militem externum præsidiarium multi conducunt. 10.28.5
Militem frustrari stipendiis arte varia solent. 10.53.9
Militem ordinarium imitio Romani non habuerunt. 10.29.1
Militem ordinarium tractandi ratio. 10.29.4.&seq.
Militem superstitio fortem constantemq; non efficit. 10.21.1
Milites alieno habitu vrbibus immittere olim vsitatum fuit. 10.46.3
Milites bona de duce existimatio animat. 10.21.4
Milites etiam præsenti vitæ periculo suis legibus parere debent. 5.9.5
Milites externi cur, quales, quando, & quanto numero legendi. 10.28.5.&6
Milites fortes & audaces in omni gente reperiuntur. 10.20.6
Milites fortes potius quam grandes eligendi. 10.21.6
Milites ignaui à strenuis secernendi sunt. 10.21.7
Milites in prælio sani agonizant. 10.13.2
Milites in quâ belli causâ merere aut non merere possint. 10.5.6.&7
Milites leuis armaturæ ad scopum exercebantur. 10.24.25
Milites libidinibus abstinere debent, ne voluptatibus frangantur. 10.24.9
Milites magistratus gerere possunt. 1.4.1
Milites mortem sine præparatione subeunt. 10.2.4
Milites olim hostium superbiâ & iniquitate expositâ, ad prælium animabantur. 10.41.6
Milites ordinibus sacris non sunt initiandi. 6.12.10
Milites pauci exercitati, maximas sæpe victorias obtinuerunt. 10.24.10
Milites pios esse oportet. 10.13.2
Milites Romani aliquando coacti sunt pugnare. 10.20.1.2.4
Milites Romani in deligendo imperatore licentiam spectabant. 1.25.13
Milites Romani messum ibant. 10.54.3
Milites Romani pecuniam ad signa deponebant. 10.53.5
Milites Romani varia exercitia habebant. 10.24.11.&seq.
Milites Romani vnius mensis cibaria secum in militiam ferre debebant. 10.24.2.13.&26
Milites sine auctoritate hostem aggredientes, aut vltra præscriptum incommodantes & sauientes, grauiter delinquunt. 10.4.12
Milites si plures peccassent, sortitò ad pœnam vocabantur. 10.58.1
Milites volones præstant inutilis. 10.20.1.&3
Milites vrbium sunt munimenta. 10.3.5
Milite veterano timente, non est committendum prælium. 10.44.2
Militia duplex. 6.10.3. 10.1.1
Militiæ genus mutare, pœna grauissima erat. 10.58.1
Militiæ homines improbi accommodati sunt. 10.20.2
Militiæ insignia documenta. 10.26.7
Militiæ ordo non præuertendus. 7.15.3
Militiæ Romanæ error. 10.30.1.&3
Militiæ signa triplicia. 10.24.4
Militiâ in hodiernâ quæ itineris ratio & agminis ordo. 10.35.3

Militia nostra veteri quoad ordinem & delectum melior est. 10.59.1
Arma offensiua præstantiora habet. 10.59.2. & seq.
Disciplinam maiorem leges q3 sanctiores. 10.60.1.2.3
Militibus cur Romani acetum distribuerint. 10.21.3
Militibus fessis melius succurritur, quam cedentes recipiuntur. 10.42.1
Militibus mercatura & negociatio prohibita est. 8.10.10
Militibus multa priuilegia Romana Respubl. concessit. 5.18.4
Militibus missis Romani præter pecuniam agros dabant. 10.55.2
Militibus strenuè rem gerentibus varia donatiua Romani conferebant. 10.57.1
Militibus strenuis præmio donatis, Romæ ad magistratus facilis aditus erat. 10.57.2
Militibus veteranis in singulos menses supplementa mittenda sunt. 10.20.5
Militi in stipendium non tantum pecunia, sed & cibus dandus. 10.53.4
Militi pro patria pugnanti exercitatio commendata est. 10.24.26
Militis timor vnde colligendus. 10.44.2
Militum apud veteres quæ arma defensiua. 10.15.16. & seq.
Militum delectus. V. Delectus.
Militum duces magnæ auctoritatis esse oportet. 8.20.4
Militum erga studiosos & literatos animus. 4.12.6
Militum externorum vita. 10.28.1
Militum iuramentum de furto in castris cauendo. 10.24.5
Militum luxus in armis elucere debet. 10.24.7
Militum Magistri proxima regibus dignitas fuit. 10.27.1. & 2
Militum mendicitas commeatus comparatione prohibenda est. 10.54.3
Militum misera sors. 10.2.15
Militum multitudo & turba noxia est. 10.21.9. & 10. 10.24.28
Militum profectio aciei quam similima sit. 10.35.2
Militum quales debeant esse virtutes. 10.21.1. & seq.
Militum Romanorum cibus & potus. 10.24.2. & 3
Militum Romanorum diuisio. 10.30.1
Militum vestitus horridus potius quam ornatus esse debet. 10.24.6
Milo Clodium occidit. 9.3.2
Milo tria patrimonia in ludos effudit. 7.18.15
Minæ multos principum euerterunt. 9.8.12
Mindyrides delicatus, formidulosus, & iracundus fuit. 3.15.1. & 9
Minis abstinendum. 9.8.12
Ministri verbicrepi ænigmatum lusibus mundum conturbant. 6.31.2
Minoi simulatori nemo domi fidelis fuit. 2.13.16
Minos Cretensium rex à Ioue se leges accipere finxit. 2.13.15. & 16
Minyas rex primus ærarium ædificasse dicitur. 8.7.7
Miseratio homini à natura indicta est. 3.16.16
Misericordiam male definiunt negantq3 Stoici. 3.16.4
Misericordia Reipubl. commendatur. 3.16.16
& Principibus. 3.16.12.13.14
Missa cur non reiicienda. 6.5.5
Missa vnde dicatur. 6.5.4
Missiones militiæ Romanæ incommodæ fuerunt. 10.55.2
Mundus resp. quædam dici potest, quæ à Deo gubernetur. 1.13.1
Munera accendunt non minuunt hominum auaritiam. 8.13.1
Munera principes moderate & iudicio donare debent. 3.9.4. 8.9.2. 8.13.1
Munera Romani flagitiosissimè prosuderunt. 8.9.7. 8.13.7
Munitiones olim inuictæ multæ, nunc vix vllæ. 10.46.10
Munitiones præcipuum sunt obsessorum præsidium. ibid.
Musculi minores machinæ bellicæ. 10.19.5
Musculus Eucharistiam ad ægrotos ferre prohibet. 6.5.2
Musculus insignis Vbiquista. 9.11.6
Musicæ cura legulatoribus fuit. 2.19.2
Musica pia sanctitate voluntatem afficit, veritatem q3 suauiter docet. ibid.
Mystici dicti sunt consiliarij secretorum. 7.25.2

N.

Nabuchodonosor Deus dici, & adorari voluit. 7.5.2
Nabuchodonosoris statuæ altitudo. 7.5.2
Nabuchodonosoris summa potentia instabilis fuit. 8.1.4
Nabuchodonosor iuuentutem ad gubernacula admouendam solerter educauit. 7.11.1
Nabuchodonosor reges & nobiles victos ad honores prouexit. 9.2.3
Nando se milites Romani exercebant. 10.24.18
Narses oratione contra hostes potentissimos victorias obtinuit. 10.13.3
Natura creaturæ est, obedire creatori. 5.3.2
Natura, esse Deum, docet. 1.11.2
Nauali bello multa necessaria sunt. V. Classi multo plura necessaria quam exercitui terrestri.
Naualis belli ratio. 10.50.3.4.5. & 6
Nauales pugnæ signa. 10.50.5
Naues Hispanæ 4. barbarorum ducentas vicerunt. 3.3.6. 3.17.4
Nauis Ptolomæi Philopatoris monstrosa. 10.50.2
Nauium faciendarum magna cura adhibenda est. ibid.
Nauium magnarum vsus antiquus & probatus. 10.50.3
Nauium magnitudo. 10.50.2
Nauium materia quæ optima, & quando cædenda. ibid.
Nautici exercitus in quibus exercendi. 10.50.4
Necessitudo patronos inter & clientes sũma esse debet. 1.17.12
Negociantium fraus & auaritia reprehenditur. 8.10.1
Negociari etiam potentes leges permittunt. 8.10.10
Negociari more prisco reges, Respublicas, nobiles, senatores honestum est. 8.10.7. & 10
Negociari nobiles cur leges vetuerint. 8.10.10
Negociari principes non dedecet. 8.10.8.9.10
Negociatio ad omnia vtilis. V. Mercatura.
Negociatio commutatiua legitima & honesta est. 8.10.3. & 4
Negociatio & cupiditas Clericis interdicta. 8.10.14
Negociatio ex naturâ ipsâ orta est. 8.10.3
Negociatio iniusta omnibus interdicitur. 8.10.14
Negociatio legitima conseruanda & augenda. 8.10.2
Negociatione ærarium exhaustum expletur. 8.10.9
Negociatione diuitias augere honestius est quam bello. 8.10.10
Negociationem etiam nullam exercentes fraudulenti & corruptis moribus sunt. 8.10.2
Negociationem reginæ Theophilus Imperator ad speciem damnauit. 8.10.10
Negociationes Reipubl. multum prosunt. 8.10.5
Negociationes Hispaniæ, Italiæ, Belgii magnates exercent. 8.10.10
Negociationes Tyri principes exercuerunt. 8.10.2
Negociationes vbiq3 locorum exercentur. 8.10.8
Negociationi plus quam bellicæ rei in prouinciis studebant Romani. 8.10.7
Negociationis abusus mores corrumpit. 8.10.2
Negociationis finis. 8.10.10
Negociationis incommoda sunt, vt omnium aliarum rerum, quarum vsus & abusus esse potest. 8.10.1. & 2
Negociatio solis militibus legibus prohibita est. 8.10.10
Negociatores vetusti fuere honorati. 8.10.2
Negociator pericula contemnit. 8.10.10
Negociatorum ars & exercitatio honesta est. 8.10.4
Negociatorum qualis esse debeat amictus. 8.14.7
Negociorum causa cupiditas est. 6.10.16
Nemrodus Babylonicæ turris auctor, solum nominis gloriam quæsiuit. 8.8.2
Neophyti ad Episcopatus non euehendi. 6.10.19
Nero Crispum in mare mergendum curauit. 10.27.4
Nero cur Senecam præceptorem occiderit. 8.20.4
Nero exercitui libertum præposuit. 10.22.15

Nero Imperator primo quinquennio laudatißimus, postea flagitiosißimus. 1.14.4
Nero multis seditionibus agitatus est. 9.4.1
Neronianæ electionis excusatio. 1.25.13
Neronis crudelitas. 3.16.11
Neronis fucata clementia. 1.16.6. 3.16.23
Neronis initia quadantenus crudelia fuerunt. 3.16.20
Nero pecunias colligere volens, è libertorum hæreditatibus tres quartas accipiebat. 8.19.1
qui se hæredem non constituissent, ingratos vocabat, eorumque bona ad se rapiebat. 8.19.2
eos, à quibus hæres dictus, occidit. 8.19.3
iura ciues iterato redimere iussit. 8.19.4
Census editos reuocauit. 8.19.5
sententias vendidit. 8.19.6
emptiones iniquas instituit. 8.19.7
omnibus fraudibus mercatorijs vsus est. 8.19.8
Litium summas defalcauit. 8.19.9
ex sceleratorum libidinibus lucra collegit. 8.19.10
legis ignaros multauit. 8.19.11
Omne dictum factumq́, maiestatis crimen fecit. 8.19.17
amice semel oblatum, tanquam debitum reuocauit. 8.19.18
in nundinis mercatorum officinas præclusit. 8.19.19
ob vnum delictum bonis exuit. 8.19.20
omnes magistratus intermedios ad rapinas impulit. 8.19.21
templa spoliauit. 8.19.22
Neronis mors omnibus læta fuit. 3.16.18
Neronis sæuitiam eius suasores primum experti sunt. 7.13.7
Nero præceptori suo ingentes opes vltro congessit. 4.9.7
Nero scenæ suæ instrumenta, totumq́, theatrum auro obtexit. 3.16.9 7.18.15. 8.13.7
Nero senatorem infrequentem capite multauit. 7.13.3
Nerua toto suo imperio infelicitatem suam defleuit. 9.4.1
Nestor Græcorum acies ordinauit. 10.37.8
Nicæenses ab Andronico obsessi, masculè se defenderunt. 10.11.5
Nicena synodus non vult absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari. V. Concilium Nicenum.
Niniuitæ negociatores fuerunt. 8.10.2.&7
Niniuitæ pietate seruarunt, quæ peccando amissuri erãt. 2.6.2
Ninus bella finitimis primus intulit. 5.3.4. 10.8.7
Ninus decies nonies centena millia in exercitu habuit. 10.21.10
Nobiles ad bella & regnandi disciplinam eruduntur. 8.20.4
Nobiles apti & gnaui ad imperij societatem adsciscendi debent. 8.20.4.&5
Nobiles Clerici superfluas beneficiorum opes in vsus non pios impendentes, grauissime delinquunt. 6.41.3
Nobiles fide & fortitudine præcellunt. 8.20.4
Nobiles Germani egere & creditores defraudare, quam negociari malunt. 8.10.10
Nobiles Germani seriam matrimoniorum distinctionem seruant. 8.20.1
Nobiles maiorum claritatem turpitudine sua obscurantes, gemino probro digni sunt. 8.20.5
Nobiles negociari præstat quam prædari. 8.10.10
Nobiles nouos gnauos esse oportet. 8.20.5
Nobiles olim dicti milites. 8.20.4
Nobiles omnes aliquando noui fuerunt. 8.20.5
Nobiles quædam familiæ ita deficiunt, vt præter insignia nihil habeant. 8.20.4
Nobiles quasi noscibiles. 8.20.3
Nobiles sæpe rusticos venationibus miserè vexant. 8.8.4
Nobiles segnes ad virtutem excitandi sunt. 8.20.5
Nobilibus Clericis dandæ præbendæ tales, quibus statui suo conuenienter familiam instituere possint. 6.41.3
Nobilibus mercatura non est probrosa. 8.10.1
Nobilibus qualem amictum mundumq́, Carolus V. concesserit. 8.14.7
Nobili canonico sufficit beneficium, quo similes alij communiter statui conuenienter viuere possunt. 6.41.3
Nobilis, si prædicans fiat, iure suo non excidit. 6.9.4
Nobilitas Academicos honores cur aspernetur. V. Academia.
Nobilitas ad subitos impetus parata est. 8.20.4
Nobilitas bello necessaria est. ibid.
Nobilitas diuitibus Rempublicam iuuantibus merito donatur. 8.15.5
Nobilitas Europæ. 8.20.4
Nobilitas Europæ ex bellica virtute originem ducit. 10.14.2
Nobilitas exosa est tyrannis. 8.20.4
Nobilitas Germana Henricorum tempore ob interdictam negociationem ad rapinas versa est. 8.10.10
Nobilitas Germaniæ vnicum Cæsaris fulcrum. 8.20.4
Nobilitas multas ob causas fouenda & augenda est. ibid.
Nobilitas Romana Rempublicam oppressit. 9.8.3
Nobilitas Turcarum seruitus est. 8.20.1.&3
Nobilitas virtutis est. 8.20.2.&5
Nobilitatem Respublicæ veteres bene constitutæ omnes coluerunt. 8.20.4
Nobilitati & virtuti in bello extero parcitur; in ciuili in eam maximè sæuitur. 9.23
Nobilitatis ordo in Romano imperio. 8.20.3
Nobilium in Hispania & Gallia præcipuæ sunt partes. 8.20.4
Nobilium insignia & horum diuersitas vnde. 7.5.4. 10.15.6.&8
Nobilium nouorum creatio insignem reipubl. vtilitatem tulit. 8.20.5
Nomenclatores ambitio genuit. 7.30.2
Notarij ad iudicium Cameræ nulli nisi examinati admittuntur. 7.24.3
Nouati mores moderni hæretici omnes habent. 2.17.3
Nouatores biblia authentica non habent. 5.24.3. 5.25.1. 2.3.4.5
Nouatores Catholicos velut S. Scripturæ violatores traducunt. 5.23.1
Nouatores concilia & concedunt & negant. 9.38.2
Nouatores concilia ne sua quidem audiunt. 9.38.3
Nouatores concilia prisca cur oppugnent. 9.38.2.&3
Nouatores Concilium generale cur timeant. 9.41.3
Nouatores contra expressa statuta Cæsaris, Catholicos bonis suis spoliarunt. 9.17.6
Nouatores in Hollandia synodum tentarunt, sed sine fructu. 9.39.1.&seq.
Nouatores locum synodo aptum constituere non possunt. 9.39.18
Nouatores mysteria idoli sui pandere non audent. 9.41.1
Nouatores suas scripturarum interpretationes, non sanctorum & antiquorum patrum teneri volunt. 9.41.10
Nouatores synodum petunt, sed cum ad rem venitur, nolunt. 9.37.3. 9.38.4. 9.41.1.&6
Nouatorum calumnia. 9.31.10
Nouatorum consilio bellum Cæsari factum. 9.17.6.&7
Nouatorum principes & ciuitates, bellorum auctores & Germaniæ turbatores se confitentur. ibid.
Nouatorum synodi inutiles. 9.38.1. 9.39.1. 9.40.1
Numa artificum societates Romæ instituit. 8.15.3
Numa Deorum colloquia simulauit. 2.13.15.&17
Numæ regis libri senatu iubente publice exusti sunt. 4.23.1.
Numa ne in sacrificiis rogum vino spargerent, legem tulit. 8.14.1
Numantini iniustè oppressi sunt à Romanis. 10.8.9
Numerarij legibus coercendi sunt. 7.30.2
Nummos in necessitate ex parabili materia cudere, optimum est. 10.53.10
Nummum iactare vetus malum. 8.17.2
Nummus moraliter omnium rerum precia continet. 8.10.3
Nuptiæ principum in dispari religionis cultu, neq; vtiles sunt, neq; diuturnæ. 8.[illegible]
Nuptiarum fercula, donaria, conuiuas, determinauit legibus sumptuarijs Archiepiscopus Moguntinus. 8.[illegible]

Nuptiarum fœdera cum longinquis inita nihil iuuant, sed vicinos offendunt. 8.20.9
Nuptias liberas Archiepiscopus Mogonus sustulit. 8.14.3
Nutrices castas esse oportet. 4.3.5
Nutricis ebriosæ lac nocet alumno. 3.14.9. 4.3.5
Nutrices filios interdum permutarunt. 4.3.8
Nutricum apud alumnos sæpe maior, quam matrum auctoritas. 4.3.3. & 8
Nutricum conciliationes legibus vindicatæ sunt. 4.3.8
Nutrix vetula infanti perniciosa est. 4.3.5

O.

Obedientia mater virtutum. 5.8.15
Oblationes à fidelibus Ecclesiæ factæ, quadripartiendæ. 6.42.5
Obsessi nullam ætatem nullum sexum à labore excipere debent. 10.47.1
Obsessis quænam necessaria. 10.47.2. & 3
Obsessorum varia stratagemata. 10.47.5.6.7. & 8
Obsidendi duæ species. 10.47.1
Obsidentium concordia tenenda, suspiciones vitandæ. 10.46.4
Obsidentium varia stratagemata 10.46.3. & seq.
Obsidiones vrbium inopinatæ, felices sunt. 10.46.1
Ocij dulcedo studiosam iuuentutem infestat. 4.8.14
Ocreis in militiâ ferreis crura veteres tegebant. 10.15.15
Octauianus crudelissimus fuit. 1.16.6
Octauianus quanti vnum mullum emerit. 1.13.4
Octauius Augustus tota hyeme copias exercuit. 10.24.27
Oculi ebriosorum obtusi. 3.14.8
Odium hæreticorum in Roman. Pontif. vnde ortum. 6.20.1
Oecolampadius Sacramentarius. 9.11.4
Oeconomia cognoscenda est. 8.9.3
Oeconomia insigne exemplum. 8.9.6
Oeconomia facilis ad opes via. 8.9.1. & 2
Oeconomia non est contra principum regumq; dignitatem. 8.9.2. & 4
Oeconomia quadruplex est. 8.9.4
Oeconomia Regia triplex est. ibid.
Oeconomia sarrapica etiã ad reges & principes pertinet. 8.9.5
Oeconomus Ecclesiæ. 6.40.10
Officiales ante & in officio de administratione examinandi sunt. 7.22.17
Officialis. Vide Vicarius Episcopi.
Officia sine precio danda. 7.22.18
Officijs etiam minoribus adhibere non idoneos aut improbos periculosum est. 7.11.1
Officiorum ac magistratuum in Imperio Rom. aliisq; rebuspublicis catalogus. 7.3.2
Officiorum emptores negotiantur in illis. 7.22.18
Oligarchiæ definitio. 1.18.1
Oligarchiæ pessimæ leges. 1.18.4
Oligarchiæ quatuor genera. 1.18.3
Oligarchiæ quartum genus perniciosissimum, & non diuturnum. ibid.
Oligarchiæ suspicio Francofurtensibus causa tumultus. ibid.
Oligarchiæ tyrannis orta inter optimates, dissensione facillime euertitur. 1.18.4
Oligarchia interdum Aristocratia dici potest. 1.18.2
Oligarchia quando iusta, quando iniusta. ibid.
Onager machina bellica lapides dirigens. 10.19.7
Onagros in vna legione quot habuerint Romani. 10.24.28
Operâ agricolarum in venationibus princeps ne vtatur. 8.8.4
Operæ publicæ cum lenitate quadam exigi debent. 8.8.3
Operæ publicæ tributi genus. 8.8.1
Operæ vtiles sunt, si moderatæ ibid.
Operæ immensi sumptus sed vtilia Romæ exstructa. 8.14.9
Operæ publicæ multi olim priuato sumptu curabant, nomenq; inscribebant. 8.8.4
Operâ publicâ pyramides AEgypti, horti pensiles Babylonis & muri extructi sunt. 8.8.2
Opera publica sine principis voluntate à priuatis fieri non debent. 8.8.4
Operarijs Carolus V. vestituram præscripsit. 8.14.7
Operibus subiectos premere, prima pars tyrannidis fuit. 8.8.2
Operis publici impositio legitima ex causa fieri debet. ibid.
Operum exactores plerique tyrannice egerunt. ibid.
Operum in publicorum exstructionem, priuati etiam pecuniam legabant. 8.8.4
Optimates regum auro facile inescantur. 8.24.5
Optimates in tenuiores liberales esse oportet. 1.17.8
Optimates nec iustitiam recte administrant, nec concordiam custodiunt. 1.21.12. & 13. 1.22.5
Optimates quomodo Aristocratiam conseruare possint. 1.17.4. & 5
Optimates suorum commodorum sunt studiosi. 1.21.13
Optimates superbia ciuibus inuisos reddit. 1.17.7
Optimates vt optimi sint eniti debent. 1.17.4
Optimatibus populus inuidet eosq; contemnit. 1.21.15. & 16
Optimatum bonorum maior quam Monarcharum raritas. 1.21.14
Optimates ciuibus suis de annona prospicere debẽt. 1.17.5. & 6
Optimatum filii, ne contubernales contemnere assuescant, cauendum. 1.17.7
Optimi cur sæpe nobiles & diuites habeantur. 1.17.2
Optimi qui dicantur. ibid.
Opum abusus est tam in sæcularibus quam Ecclesiasticis. 6.9.5
Opum cupido bellorum causa est. 10.8.6
Opum magnus abusus est. 8.12.1. & 2
Orario vtebantur applaudentes regibus. 7.5.8
Orarium Ecclesiasticum quid sit, & quibus vtiliceat. ibid.
Orationis mira in bello vis. 10.13.3
Orationis sacrificium cum Christi meritis offerendum. 6.6.11
Ordinandi omnes examen subeant, etiam graduati, si titulares tantum sint. 4.16.16
Ordinandorum delectus, reformatio est Ecclesiæ. 1.13.1
Ordinandorum probatio neglecta, causa est, cur improbi ordinentur. 6.10.25
Ordinatio improborum hæreses creauit. ibid.
Ordinatorum malorum peccatis examinatores vt suis damnantur. ibid.
Ordinem mendicantium nemo ocii & deliciarum causa ingreditur. 6.46.5
Ordinem relinquentes in militia Romana securi percutiebantur. 10.58.1
Ordines mendicantes principes & respub. magno affectu fouere debent. 6.46.5
Ordines minores ad castitatem perpetuam non obligãt. 6.12.5
Ordines minores post annum duodecimum non nisi idoneè instructis dentur. ibid.
Ordinibus maioribus initiandi quomodo, & ex quibus examinari debeant. 6.12.7
Ordinibus minoribus initiandi, quomodo, & in quibus examinandi. ibid.
Ordinibus sacris quinam initiari nequeant. 6.12.8. & 2. 6.38.6
Ordini magistratuum inimicus est, quisquis iniquam causam fouet. 6.37.1
Ordinum mendicantium vtilitas. 6.46.5
Ordinum prælaturæ nihil habere debent propter quod ambiantur. 6.46.8
Ordinum primæua institutio manutenenda est. 6.46.7
Ordo & Harmonia totius vniuersi à Deo est. 1.8.1
Ordo hierarchicus in Ecclesia summum est mundi miraculum. 6.19.2
Ordo reipublicæ necessarius. 1.2.1
Ordo S. Benedicti Imperio & rebuspublicis vtilis fuit. 6.46.5
Organorum sonus tantũ spiritualia cãtica sonare debet. 6.6.7
Origenis eruditio. 4.11.5
Orphanotrophi etiam magni principes esse voluerunt. 7.29.15
Os bilingue quodnam dicatur. 6.10.23
Osiandrinorum hæreticorum dogma. 9.11.6
Osmanidarum seditiones. 9.7.1
Ostrodianorum hæreticorum dogma. 9.11.7
Othonis imperatoris submissio. 3.19.14
Otto Episcopus Augustanus clericos ebriosos inemendabiles morte multandos censuit. 6.10.7

Ottomannica domus carnificinam à se incipit. 1.21.8
Ottomannicæ domus miseriæ. 1.21.8
Ottomannicæ tyrannidis ætas. ibid.
Ottomannicam Monarchiam DEVS in scelerum nostrorum vindictam stabilit. 1.21.7
Ottomannici imperij diuturnitas. 1.21.6
Ottomannici imperij initia & progressus vnde. 1.21.7. 8.1.7. 10.11.1

P.

PAcem Ecclesia ex sectariorum dissidiis firmam sperare potest. 9.44.2.3.4.5.& 6
Pacem & concordiam ipsa natura nobis commendat. 9.20.3
Pacem in Germaniam religionum permistione reduci posse, quidam somniant. 9.23.1.& 2
Paci constituendæ colloquia inter orthodoxos & errantes recte instituta conducunt. 9.33.1
Pacificationes politicorũ sæpe turpes sunt ac periculosæ. 9.23.1
Pacificorum est insidias amoliri. 9.24.2
Paci Germanorum indoles idonea est. 9.22.2
Paci quænam aduersentur. 9.20.1
Pacis arbitri in religionis dissidio quales eligendi. 9.31.2.& 3.& seq.
Pacis arbitros in religionis negocio aduersarii de suis nominare non debent. 9.31.4
Pacis ineundæ rationes practicæ. 9.44.7.& seq.
Pacis reductioni calumniæ & infamationes obsistunt. 9.32.1. 9.44.10
Pacis suasores etiam inter tubas audiendi sunt. 10.2.8
Pacis tractatio per internuncios fieri debet. 9.31.2.& 4
Pacouius ob carmina maledica in carcere strangulatus est. 9.45.10
Pactalitium fœcunda mater. 5.11.9
Pactorum conditiones variæ esse solent. ibid.
Pacuuii Calauii, seruandi senatus Capuani, insignis prudentia. 9.14.10
Pacuuii insigne stratagema. 1.17.11
Paganorum templa clausa leges volunt. 2.8.9
Palæologus Græcorum Imperator miserrimam auaritiæ & desidiæ pœnam luit. 8.1.7. 8.2.4. 10.11.1
Palæstina metallis dives est. 8.12.3
Palare exercitium Romanorum. 10.24.19
Palatinatus administrator, vt Caluinismũ, pulso Lutheranismo, sine tumultu introduceret, egregia praxi vsus est. 2.18.6
Palatinatus intra breue spacium religionem sæpius mutauit. 9.18.2
Palatinus Comes vnde dicatur, & quænam eius in imperio dignitas ac officium. 7.17.2
Pallium plenitudinis officii pontificalis insigne. 6.36.6
Pammelius synodorum vsum demonstrat. 9.36.2
Papa à lege humana quomodo soluatur. 6.25.2
Papa à nemine iudicatur. 6.48.1
Papa contra leges quasdam ecclesiæ dispensare potest. 6.21.3
Papa cum litem decidit, quod optimum & naturæ rei magis consentaneum est, determinat. 6.28.8
Papa Deum se non dicit. 6.24.6
Papa Deus est, vti principes & sacerdotes. 6.28.10
Papæ in pluralitate beneficiorum dispensatio, interdum inualida est. 6.41.3
Papæ iugum ligneum excutientes hæretici, ferreum admiserunt. 6.23.1. 6.27.8
Papæ non quoduis facere licitum est. 6.28.9
Papæ primatum ex ordine Hierarchico euincit Beza. 6.37.9
Papæ primatus ad componendas patriarcharum lites omnino necessarius est. ibid.
Papæ regnum multo diuturnius est, quam antichristi erit. 6.26.1.& 2
Papa & eius æsseclæ scriptis & factis supra omnes sectas erga Dei maiestatem reuerentes. 6.28.12
Papa in beneficiorum pluralitate dispensare potest. 6.41.3
Papa lege Dei non soluitur. 6.25.2
Papa leges diuinas immutare non potest. ibid.
Papam atheum esse calumniantur hæretici. 6.28.9
Papa matrimonium nulli prohibet, nisi voto castitatis obstricto. 6.29.2
Papam ferro & igne persequendum docent hæretici. 6.28.11. 6.33.6
Papæ non est Antichristus. 6.26.2.& 9. 6.27.8. 6.28.7. 8. 10.11.& 12. 6.31.3.& 5. 6.32.1. 6.34.6
Papa non est bestia bicornis Apocalyptica. 6.34.2.& 3.& 4.& 6.& 7
Papa non facit adorari Imperatorẽ cultu latriæ. 6.34.3.& 4
Papa non habet in terris iudicem superiorem. 6.24.7.& 8. 6.28.7. 6.35.1
Papæ non potest omnia, quæ Deus potest. 6.28.10
Papa scortationes & adulteria vetat. 6.29.2
Papatus ossa sæculares, carnem vero spirituales esse, docent Caluiniani. 9.25.3. 9.26.14.& 18
Papistica doctrina à nullo concilio est damnata. 9.42.7
Papisticam doctrinam vt erroneam non diffamandam esse, docent Caluinistæ. ibid.
Papyrii Dictatoris in Fabium Magistrum equitum seueritas. 1.24.3
Parei angelus cæcutiit. 6.23.1
Parei de cœna Domini antiquus fucus. 6.5.1
Parẽ in Catholicos crudelitas. 9.25.7
Parei iudicio Deus expresso mandato regibus & principib. vindictam de Catholicis sumere mandauit. 9.26.13.& 18
Parens indulgens tyranno sæuior est. 4.2.6
Parentes, qui filios nimis delicatè educant, eos corrumpunt & contumaces efficiunt. 3.15.2
Parentibus filiorum vitia imputantur. 4.5.4
Parentum exempla sæpe filios corrũpunt. 4.1.1.3.& 5. 4.2.2
Parentum multi pro filiis mortem optauerunt. 4.3.9
Parẽtũ partus suos exponẽtiũ, grauissima est crudelitas. 4.4.1
Pareo Lutheranos fideliter pellere, opus Domini est. 9.18.7. 9.26.10.& 18
Pareus Apocalypsin à nullo ait intellectam. 5.26.2
Pareus Babylonem dicit esse Papatum. 9.26.13.& 14.& 18
Pareus bellum offensiuum contra Catholicos principibus suis suadet. 9.25.5. 9.26.12.& 13
Pareus certos Germaniæ principes noxæ dedi optat. 9.25.4. 9.26.8.11.& 12
Pareus contra historiam optimos principes accusat. 9.25.9
Pareus dat documenta ad principum perniciẽ. 9.26.2.& seq.
Pareus exemplis sancit supplicia principum. 9.26.7
Pareus ex Germanis Cretenses facit. 9.24.3
Pareus in principes protestantes iniurius est. ibid.
Pareus interdum sui parum memor est. 5.8.16
Parẽ inter Lutheranos & Caluinianos cõsiliũ suadet. 9.37.3
Pareus ludibrio habet Lutheranos. 9.26.9
Pareus mendaci ore Græsero næuum abstergere conatur. 9.26.14.& 15
Parẽ mira de Antichristo sõniat, & hæc ipse oppugnat. 6.26.9
Pareus omnia fœdera suspecta facit. 9.24.3
Pareus Pontificem Antichristum proclamans se insanum pronunciat. 6.26.3
Pareus Scharpio contrarius est. 5.8.16
Pareus suos à Lutheranis in vno tantum articulo dissidere, mendacissime profitetur. 9.41.1
Pareus syncretismum infelice partu regenuit. 9.24.2
Pareus verbum verum eloquitur. 6.22.1
Pareus VVicleffum angelico honore dignatur. 6.23.1
Pareus VVicleffum à se & Caluinismo dissentientem canonizat. ibid.
Parlamentum generale Galliæ, quod olim fuerit, quæ eius auctoritas, & quæres in eo tractatæ. 7.6.4
Parmæ magnitudo. 10.15.10
Parma olim sufficiens, nunc nullius momenti. ibid.
Parochiæ doctis tantum & graduatis sunt collocandæ. 6.13.5. 6.45.6
Parochiæ nulli, antequam vigesimum quintum annum attigerit, conferendæ. 6.45.6
Parochiæ pingues facile acceptantur. 6.45.5
Parochialium ecclesiarum curam suscepturi, in quibus exami-

minandi. 6.12.7
Parochiani per tres Dominicos sacrum negligentes, promotori sunt deferendi. 6.45.8
Parochias augendi ratio. 6.45.5.& 6
Parochias Coloniæ selectissimi obeunt. 6.45.5
Parochias opimiores, nobiles aut ditiores Clerici obtinent. ibid.
Parochias plerasq; propter tenuitatem nunc etiam grammatici & Rhetorculi negligunt. 6.45.6
Parochos constituendi summa cura collatoribus incumbit. 6.45.4
Parochi bono exemplo parochianis suis præire debent. 6.45.8
Parochi Collegiatarum Ecclesiarum Prælatis in omnibus æquandi. 6.45.6
Parochijs tenuioribus simplicia beneficia sunt incorporanda. 6.45.5
Parochi cur dicantur Curiones. 6.45.1
Parochi nomen vnde. ibid.
Parochi onera sustinent, labores subeunt; canonici vero fructum & vtilitatem capiunt. 6.45.2
Parochi pauperes in maiore periculo agunt, quam diuites. 6.45. 6
Parochi sæpe visitandi sunt & excitandi. 6.45.4
Parochis magis cauenda sunt scandala, quam clericis aliis. 6.45. 7
Parochis omnia conceduntur, solæ præsentiæ negantur. 6.45.5
Parochis oppidanis & paganis in Germania non satis prospectum. 6.45.2
Parochis paupertatem suadent illi, qui plurium canonicatuum reditus in ocio abliguriunt. 6.45.6
Parochis reditus debentur. 6.45.5
Parochi subditos frequenter monere, & incorrigibiles communione arcere debent. 6.45.8
Parochi verbo & opere laborant. 6.45.3.& 6
Parochorum labori fructus respondere debent. 6.45.3.4.5
Parochorum munia. 6.45.8
Parochorum onera plerique fugiunt. 6.45.2
Parochorum residentia personalis necessaria. 6.45.8
Parochos egregie adlectatur, ac officij commonet D. Carolus Borrhomæus. ibid.
Parochos indoctos nominantes, irrite nominant & iure suo priuantur. 6.45.6
Parochos paupertas viles reddit. 6.45.5
Parricidam Numa dixit, quicunq; hominem interemisset. 7.22. 11
Parsimonia communis subditorum, publicam vbertatem parit. 8.14.1
Parsimoniæ augustæ egregium exemplum. 8.9.7
Parsimonia Epicuri. 8.14.4
Parsimonia ingens est reditus. 8.14.5
Parsimoniam ciborum veteres præscripserunt, preciosos & exoticos damnarunt. 8.14.4
Parsimonia post bellū Punicū summa Romanis indicta est. ib.
Parsimonia principibus commendatur. 8.9 7. 8.13.1
Parsimonia principi & reipubl. necessaria est. 3.10.1.2.3
Parsimonia sine subditorum damno pecuniam conficit. 3.10.1
Parthorum clibanarij. 10.15.15
Pastio agricultura simplicior & facilior est. 8.11.13
Pastio orientalibus maximè cura fuit, ac regia plane; nunc contemptissima est. 8.11.13. 8.15.4
Pastores in adulatores versi, terribile iudiciū sustinebunt. 1.1.4
Pastorum vita facilima. 8.11.13
Patauini Archiepiscopi in philosophicis argutijs scrutandis & explicandis inane studium. 4.12.1
Patriarchæ causas non audiunt, nisi ex appellatione. 6.36.6
Patriarcha Constantinopolitanus 26. archiepiscopatus subiectos habuit, Antiochenus tredecim. 6.36.10
Patriarcha Constantinopolitanus sero factus. 6.36.7
Patriarchæ dicuntur primates. ibid.
Patriarchæ Metropolitanos inobedientes segregare, & contumaces deponere possunt. 6.36.5
Patriarchæ nomen vnde. 6.36.2. 6.38.1
Patriarchæ officium gubernare Episcopos & Archiepiscopos. 6.36.2.& 3. 6.37.9
Patriarchæ proximi sunt Pontifici. 6.36.1
Patriarchæ synodi conuocandæ ius habent, ad quas vocati Metropolitani venire tenentur. 6.36.5
Patriarcha Hierosolymitanus Cæsariensi Metropolitano subiectus est. 6.36.7
Patriarchales sedes tres à Petro institutæ. ibid.
Patriarchas Pontifex confirmat & pallio donat. 6.36.6
Patriarchas Ariani suos Episcopos vocarunt. 6.36.2
Patricii Romani connubia miscuerunt, ne plebs magistratum peteret; plebei vt aditus ad magistratum pateret. 8.2.5.8
Patricii vnde dicti, & quæ eorum dignitas. 7.11.2. 7.15.1
Pauli Laurentij prædicantis noua de Pontifice somnia. 6.31.1
Paulus AEmylius inermes excubare iussit. 10.34
Paulus AEmylius oppositis ad Tarentinæ classis tela captiuis, se tutatus est. 10.35.10
Paulus Apostolus plerasq; Epistolas contra sectarios scripsit. 9.34. 1
Paulus, cum Ecclesiæ iudicandi dat potestatem, etiam iudicare potest. 6.8.1. 6.9.4
Paulus leges sæculi suo exemplo implorare docuit. 5.3.7
Paulus Samosatenus hymnos Ecclesiasticos in fœda carmina mutauit. 2.19.2
Paupertas in republ. non minus vitia gignit, quam diuitiæ. 6.43. 3
Paupertas magnum sæpe fastum souet. ibid.
Paupertatem sibi acciri dum vulgus queritur, ipsum in luxuria crescit. 8.14.2
Paupertas singulis commendatur, nulli absolutè imperatur. 6.43. 2
Paupertatis plebeiorum causæ. 8.14.2.& 8
Pausanias ob ambitionem miserè interiit. 9.8.9
Pausanias parricida in cruce coronatus. 1.7.2
Pax à natura hominibus insita est. 10.2.12
Pax à solo Deo sperandæ. 9.22.1
Pax cum Calumnijs nulla inire potest. 9.25.7. 9.26.7
Pax finis est belli. 10.62.9
Pax firma, vt res hoc tempore constitutæ sunt, colloquio fieri non potest. 9.42.4
Pax in religionum permixtione nec vlla est, nec esse potest. 9.23.3.4.5
Pax inter tot dissidentes esse nulla potest. 9.18.1.& seq. 9.26.8
Pax omnibus optata est, sed paucis quæsita. 9.44.1
Pax paucorum damnorum dissimulatione vtilius retinetur, quam multo sanguine reparatur. 10.2.11
Pax per quatuor vias reduci potest. 9.42.4
Pax per sola concilia generalia firma constitui potest. 9.35.1. 9.37.1. 9.40.1. 9.42.4
Pax primarium est Principum opus. 9.44.2
Pax rarum sed magnum bonum. 9.22.1
Pax sine Concilij Trident. approbatione esse non potest. 9.42.3
Peccandi occasio ad alliciendum prepotens est. 6.1.8
Peccare cum metu, emendatiuum est. 5.6.3
Peccata causæ sunt calamitatum. 6.27.2
Peccata Christianorum Turcicas vires augent. 2.6.4
Peccata in bello præcipuè vitanda. 10.24.1
Peccator in perpetuo timore est. 2.5.2
Peccatorum variæ eæq; grauissimæ pœnæ. 2.5.2.3.& 4
Peccatum inferiorum superioribus dissimulantibus imputatur. 6.4.8
Peccatum non est faciendum vt bonū eueniat. 3.4.5.6.& seq.
Peccatum quoduis sibi pœna est. 2.9.1
Peculatus crimen frequens apud Romanos; & ab iisdem acerrime punitum. 7.9.1
Pecuniæ colligendæ modi ab Aristotele traditi. 8.16.1.& seq.
Pecuniæ custodem Veteres Saturnum, collectorem Mercurium posuerunt. 8.7.1
Pecuniâ egentes prisci, nummos ex ære, plumbo, loris, chartis, cudebant. 8.16.24.& 41
Pecuniæ exigendæ sex generales regulæ. 8.6.2
Pecuniæ in necessitate colligendæ honesta & vtilis ratio. 8.15.5. 8.16.4.& 12. 8.17.5

Pecunia omnia venalia sunt, ei etiam hostes obediunt. 8.5.4. & 6
Pecuniæ tractatio lubrica est. 7.29.1
Pecunia imperio acquirendo necessaria est. 8.5.5
Pecuniam in necessitate varii varie collegerunt. 8.15.5.6.7. 8. 8.16.1.& seq. 8.19.1.& seq.
Pecuniam sponte conferendam aliqui reges ab amicis petiuerunt. 8.15.7
Pecunia nervus Imperii. 8.5.4
Pecunia principes etiam auaros deficit. 8.6.1
Pecuniarum potentia ad salutem princeps vti debet. 8.5.6
Pecunias congerendi modi iniqui. 8.17.2.& 3
Pecunias iniquo modo colligere, maximum malum est. 8. 17.1
Pecunia victoriam emere præstat, quam sanguine. 8.5.4
Pecunius non fidendum sed vtendum. 8.5.5
Peditum Romanorum quæ amatura. 10.15.18
Pegustani regis thesaurus. 10.5.1
Pegustanum regnum populosissimum in solitudines redactum. ibidem.
Peloponesiana belli funestissimi causa leuis. 9.9.9
Pelops pecunia apud exteros famam, gratiam, regnumq; obtinuit. 8.5.6
Pelta. 10.15.10
Perfidia maxime nocet auctori. 3.7.3.4.5.6.7
Perfidorum amicitia incerta est. 3.7.6
Pericles à suo milite ad prælium etiam conuitio vocatus est. 10.43.3
Pericles eloquentia sua Athenas sibi seruire coegit. 4.20.3
Pericula bonos faciunt meliores, malos peiores. 1.10.1
Pericula pro patria capessere, regum ac principum est. 8. 10.10
Persæ à iuuentute se equitatu exercebant. 10.24.21
Persæ ignis cultores. 7.5.5
Persæ in viros doctos munifici fuerunt. 4.9.7
Persæ iuuentuti instituendæ principes præfecerunt. 4. 6. 4
Persæ regibus suis Ignem præferre solebant. 7.5.5
Persæ regum insidiatores cum tota familia occidebant. 9. 45. 11.
Persæ ritum ignem præferendi à iudæis acceperunt. 7.5.5
Persæ supra omnes gentes crudeles fuerunt. 3.16.7
Persæ villas proprias incenderunt, ne hosti subsidio forent. 10.46.7
Persa Macedonum rex ob auaritiam à militibus desertus à Romanis captus est. 6.8.3
Persarum in castris parcitas. 10.54.3
Persarum in regum augurationē ritus. 7.3.1
Persarum principes sine munere adire non licebat. 7.5.6
Persarum reges antiquitus regna obire & visitare solebant. 7.9.3
Persarum reges inter montes aureos pecunia deficiebat. 8.6.1
Persarum reges militiæ & pacis ærarium diuersum non habuerunt. 8.7.14
Persarum reges primo petenti nihil negabant. 3.9.4
Persarum reges pugnæ interesse non solebant. 10.22.7
Persarum reges sub matutinum crepusculum officii admonebantur & ad labores incitabantur. 3.5.8
Persarum Surenas potens erat. 7.14.2
Perseus Consiliarium in fuga sero consulentem transfodit. 7.13.7
Perseus equos elephantis assuescere docuit. 10.18.5
Persici regni diuisio. 7.14.2
Perfidus prælatus loco patriarchæ est, carens tamen patriachali potestate. 6.36.9
Persicum imperium ob nobilium penuriam interiit. 8. 20.4
Persicum regnum Medico maius erat. 1.7.2
Personalis functio olim non facile remittebatur. 8. 8. 3. & 5
Pertinacis frugalitas odiosa militi fuit. 8.10.14
Pertinax insignis imperator fuit. ibid.
Pertinax vectigalia iniqua sustulit, & negociationem exercuit. ibidem.
Pescennius ob vnius gallinacei direptionem decem commanipulones securi percussit. 10.24.5
Pestis anno 1348. dimidiam partem hominum absumpsit. 6.46.12
Petrus Apostolorum collegio præfuit. 6.37.9
Petrus Apostolorum & dispersorum & collectorum præses fuit. 6.37.9
Petrusina in vrbe insignis casus belli. 10.38.1
Phalaris loca munita fame expugnauit. 10.46.3
Pharao operibus Israelitas afflixit. 8.8.2
Pharao tyrannorum archetypus. 5.12.5
Pharis post primum furorem clementiam & iustitiam coluit. 1.21.5
Philippus Arabs parricidio adeptus imperium, ante Ecclesiam supplex stetit. 2.7.1.3.91.14
Philippus dux Græciæ tyrannidi affectator. 1.15.5
Philippus Gordianum iuniorem fraude imperio vitaq; exuit. 9.14.9
Philippus Macedo nobilitatem coluit. 8.10.4
Philippus Macedo ob leuem causam interiit. 9.12.5
Philo Deum regere mundum ex sepeudentem fatetur. 1.16.3
Philosophia Ecclesiæ censuræ subiicienda est. 4.23.5
Philosophiæ docendæ leges. 4.24.2.3.4.5.6.7
Philosophiæ professores alios contrarium sentientes cum modestia refellant. 4.23.9
Philosophiæ professores doceant discipulos, legibus & magistratibus obediendum esse. 4.23.8
Philolosophiæ professores quæ sententias doceant, magistratus & visitatores indagent. 4.23.7
Philosophiæ professores quales esse debeant. 4.23.14
Philosophiæ professoribus opinionum nouitas fugienda est. 4. 23.10
Absurdæ ne nominandæ quidem sunt. 4.23.11
Illustrium auctoritates citandæ sunt. 4.23.12
Philosophia exercitatione fere addiscitur. 4.23.13
Philosophia in scholis Societatis triennio absoluitur. 4. 16.6
Philosophia ita docenda est, vt aliis scientiis seruiat. 4. 23.5
Philosophia non progignit tyrannos, quemadmodum inerudite et affingunt. 4.11.6.& 7
Philosophiæ peruersa hæresum est magistra. 9.30.1
Philosophia virtutem docet. 4.23.3.& 4
Philosophi diuinationis assertores, superstitiosi. 1.6.7
Philosophi multi sancti fuerunt. 4.23.3
Philosophi sæpe vrbe pulsi sunt. 4.23.1
Philosophis tyrannidem occupare facilius est. 4.11.7
Philosophorum duplex genus est. 4.12.4
Philosophorum fidei repugnantia dogmata, serio refutanda sunt. 4.23.6
Philosophorum in Sina potestas & authoritas. 7.31.1
Philosophorum veterum flagitia modum excesserunt. 4. 6.6
Philosophorum veterum innumeræ sectæ fuerunt. 4. 23.7
Philosophorum veterum monstrosa diligentia. 4.8.15
Philosophorum veterum vitia. 4.23.2
Plerique magi fuerunt. ibid.
Aliter loquebantur, aliter viuebant. ibid.
Philosophos veteres nimia minimarum etiam rerum speculatio in errores abduxit. 4.12.1.& 2
Philoxeni modus conquirendi pecuniam. 8.16.5.2
Phocæ imperatoris lex, de non constituendo Episcopo citra imperatoris consensum. 6.39.4
Phocion Athenienses egregio commento à belli studio abduxit. 10.2.10
Pietas primus & optimus finis est Gymnasiorum Societatis Iesu. 4.8.1
Pietas Reipublicæ commendatur. 4.5.2
Pietate sublata societas humani generis interit. 2.9.5

Pietatis magna pars ab auitis religionis possessoribus ad barbaros migrauit. 4.5.2
Pietatis tepor ex neglecta teneræ ætatis institutione est. 4.5.3
Pilei Pannonici militum. 10.15.18
Pilum Romanis in bello vsitatum iaculum. 10.17.1
Pinarius Ennenses defectionem molientes, specie consultandi occidit. 9.16.1
Pincernæ imperatoris magna dignitas est. 7.16.2
Pincernam fidelem esse oportet. ibid.
Pisanus vir excellens & magnæ virtutis. 9.8.11
Pisistratus dux Athemensium victoria egregie vsus est. 10.61.2
Pistrinorum Romæ multitudo. 7.27.1
Placita principum quid sint. 5.2.6
Plato Aristoteli olim prælatus est. 4.24.2
Plato Deum & fortunam mundi rectores putauit. 1.10.1
Plato legem gubernandi normam definit. 5.6.1
Plato legem quadruplicem ponit. 5.2.6
Plato Lydos colonos Spartiatis bellatoribus præposuit. 10.2.12
Platonici Deum intra mundum constituerunt. 1.10.1
Platonis opus de legibus vetustissimum. 5.1.3
Platonis puerile Consilium de vrbibus longius à portubus remouendis. 8.10.14
Platonis Respublica impossibilis. 1.2.6
Plato poesi furorem tribuit. 4.19.6
Plato poetas Deorum filios & sapientiæ patres appellauit. 4.19.3.& 5
Plato Rempublicam sine Dei adiutorio gubernari posse negat. 1.10.2
Plausibus veteres & latis acclamationibus nouos principes excipiebant. 7.5.8
Plausu etiam concionantes prosequebantur. ibid.
Plausuum Ecclesiasticorum exemplum. ibid.
Plausuum veterum ratio. ibid.
Plebiscita quæ. 5.2.6
Plebs in politis nobiles honorare debet. 1.19.9
Plebs rustica olim melior quam vrbana. 1.19.6
Plessæi in Catholicos sæuities. 9.25.5. 9.26.12. & seq.
Plessæus Britannum ad bellum Italicum incitat. 9.25.5. 9.26.12
Plissæus morbi simulatione disputationem declinauit. 9.33.4
Plinii maioris in studiis plus quam humana diligentia. 4.8.15
Plutarchus qualiter Rempublicam definiat. 1.3.2
Plutei machinæ bellicæ. 10.19.4
Pœnæ à diuerso iure diuersæ infliguntur. 5.10.4
Pœnæ ad mentem reducentes, renouandæ sunt. 5.10.6
Pœnæ exempla, non vindictæ esse debent. 5.10.1
Pœnæ graues cur legibus constituendæ. 5.10.3
Pœnæ militares variæ. 10.58.1.& 2
Pœnæ principi arbitrariæ sunt. 5.10.4
Pœna infamiæ grauis. 5.10.6
Pœna inhospitalitatis à Carolo Rege Sueonum est constituta. 6.10.10
Pœnalium legum obligatio. 5.10.4
Pœnarum genus vtile nunc neglectum. 5.10.6
Pœnarum prima est, admonitio. 5.10.5
Pœnarum varietas. 5.10.2.& 6
Pœnas clementia temperare debet. 5.10.5
Pœnas exigunt delicta. 5.10.1
Pœnas læsis satisfacientes iudices negligere non debent. 5.10.4
Pœnis legum omnes subiiciendi, 5.10.3
Pœnitentes publice, cur non ordinandi. 6.12.11
Pœnorum à Romanis classe victorum, astuta fuga. 10.48.2
Poeseos antiquitas. 4.19.2.& 3
Poeseos ignarus non audet libere loqui. 4.21.2
Poeseos vsus etiam apud Hebræos fuit. 4.19.2.& 3
Poeseos vsus multiplex est. 4.19.4.5
Poesi furorem tribuentes in artem iniurii sunt. 4.19.7
Poesin qua methodo Societas Iesu doceat. 4.19.11
Poesis bonum ingenium requirit. 4.19.7
Poesis oratoriæ seruit. 4.21.2
Poesis Reipublicæ vtilis est. 4.19.2
Poetæ bonipauci inueniuntur. 4.19.8
Poetæ olim apud Reges in magno precio fuerunt. 4.19.3
Poetæ olim propter impura carmina ciuitatibus pellebantur. 4.19.9
Politia duplex significatio. 1.3.1
Politiæ fundamentum est virtus & religio. 2.3.1.& c.2.4.3. 2.5.1.2. 2.6.1.& seq.
Politiæ fundamentum est libertas & æqualitas. 1.19.2
Politiæ presse sumptæ definitio. 1.19.1
Politiæ variæ definitiones. 1.3.2
Politiæ vera & causalis definitio. ibid.
Politiam euertit nobilium afflictio. 1.19.9
Politia perfecta vult, vt optimi magistratum sortiatur. 1.19.6
Politia perfectissima omnium periculosissima. 1.19.3
Politiarum constituendarum diuersitas vndeoriatur. 1.19.4
Politia vt stabilis sit, medii Rempublicam administrare debent. 1.19.5
Politica Aristotelis graues commentatores habent. 1.1.6
Politicæ gubernationis & religionis magna affinitas. 9.10.7
Politicæ professorum princeps est Aristoteles. 1.1.6
Politice humanarum scientiarum est præstantissima. 1.2.4
Politice necessaria in Republica & vtilis est. 1.2.1
Politicen erudiendi quis modus. 7.8.3.& 4.& 5
Politicen erudiendi sunt iuuenes. 7.8.1.& 2.& 3
Politicen philosophi & historici profitentur. 1.1.6
Politices artium domina. 7.8.1
Politici varii. 1.1.8
Politicorum quorundam de religione sensus. 9.10.2
Politicorum scriptor idoneus quis sit. 1.1.2
Politicos excitatissimos in rebus arduis ratio quandoque deficit. 1.1.8
Politicum regimen vbi constituendum. 1.14.5
Politicum stratagema. 1.17.10.& 11
Politicus quomodo Rempublicam solidare possit. 5.1.1
Poloniæ nobilitas copiosissima. 8.20.4
Poloni, in eadem familia cum hæres fuit, regnum reliquerunt. 1.25.16
Etiam filiarum regiarum rationem ducunt. ibid.
Poloni regem eligunt. 1.25.1.14.& 16
Ea electio incommoda ingentia regno adfert. 1.25.16
Polygamia inter Christianos nunquam vsitata. 6.10.6
Polygamus sacris ordinibus initiari nequit. ibid.
Pompei castra decem consulares sectati sunt. 7.11.2
Pompeio ægrotante tota Italia vota nuncupauit. 7.4.7
Pompeio, qui nec tumulo tegitur, multa templa ædificata sunt. 7.4.4
Pompeius audaciâ seditionem discussit. 9.16.3
Pompeius Catinensium vrbem, fortes milites agrorum specie in eam mittendo, occupauit. 9.16.1
Pompeius crebras clades non æstimauit. 10.62.6
Pompeius cum alacribus saltu certauit. 10.24.24
Pompeius fortissimos milites in prima acie collocabat. 10.37.1
Pompeius hosti in itinere se insequenti viam obstruxit. 10.35.6
Pompeius in bello ciuili iam senex inter suos pedes & eques se exercuit. 10.24.10
Pompeius Magnus & Crassus Diues Coss. Tribuniciam potestatem in integrum restituerunt. 9.3.2
Pompeius Magnus sexcentos leones dedit. 3.18.6
Pompeius theatro suo Veneri ædem superposuit. 3.13.3
Pompeius victes semel centena, & octoginta millia hominum bello fudit. 10.2.2
Pompeius viris doctis fasces laureatos submisit. 4.9.8
Pomponius Atticus concertantibus Cæsare & Pompeio neutri parti addictus fuit. 9.46.3.& 9
Pontes antiqui, fluuiis exercitus impedientibus, variis modis constructi. 10.36.8.& 9
Pontes ex vrbibus plerique fecerunt. ibid.
Pontici tractus vicarius dignitate ac potestate pollebat. 7.21.16

Pontifex controuersias determinans, merito audiendus est. 9.36.3
Pontifex cur crucem gerat. 6.20.7
Pontifex cur sanctus & sanctissimus, cur beatus & beatissimus dicatur. ibid.
Pontifex Dei cultor est. 6.28.10.& 11.& 12
Pontifex Deum Maozim non colit. 6.30.3
Pontifex Electores Imperii instituit. 7.6.2
Pontifex fraudis & simulationis hostis. 6.28.3
Pontifex moneri & reprehendi potest. 6.24.8
Pontifex omnium optimus eligendus. 6.20.6
Pontifex protestatur, se nihil contra Dei leges statuere posse. 6.25.4
Pontifex Romanus, & Petro & Constantino successit. 6.8.9
Pontifex si curiam suam vitiis liberet, omnia facile curabit. 6.20.8
Pontifex sua & fraterna salutis negligens, damnatur. 6.24.7.& 8
Pontifex summus magna cura eligendus. 6.20.3
Pontifex vitæ innocentia omnibus prælucere debet. 6.20.6
Pontificem calumniandi artes. 6.21.1
Pontificem eligendi modi pro necessitate Ecclesiæ variati. 6.20.4.& 5.
Pontificem eligere quando Episcopi, aut Clerus Romanus possit. 6.20.3
Pontificem per Cardinales eligere, optima ratio. ibid.
Pontificem quadratissimi prædicantium de mutatione temporum accusant. 6.25.4
Pontifices Imperium à Græcis ad Francos, ab his ad Germanos transtulerunt. 7.6.2
Pontifices pauci improbam vitam vixerunt. 6.29.2
Pontifices plerumq; senes eliguntur. 6.35.6
Pontifices primos Christi martyres, hæretici antichristianissimi damnant. 6.21.4.& 5
Pontifices triginta tres primi, martyres fuerunt. 6.29.2
Pontificiæ potestatis finis. 6.20.2
Pontificiæ potestati summus honor annexus. 6.20.7
Pontifici bellum offensiuũ inferendũ docent Caluinistæ. 9.25.5.
Pontifici honor non defertur, sed Christo. 6.20.7
Pontifici Romano Danielis prophetiæ accommodari nequeunt. 6.24.6. 6.27.8
Pontificis aut Episcopi electio plebis non est. 6.20.3
Pontificis contptus schismatũ & hæreseon est initiũ. 9.36.& 3
Pontificis defuncti opes reseruandæ manent successoribus, non electoribus. 6.20.5
Pontificis est Concilium colligere. 9.43.2.& 3
Pontificis familia toti orbi exemplo esse debet. 6.20.6.& 8
Pontificis in Imperio partes sunt. 7.6.2
Pontificis nomen omnibus hæreticis exosum. 6.20.1
Pontificis officiales omnes sanctos esse oportet. 6.20.6.& 8
Pontificis officium sanctissimum. 6.20.7
Pontificis Romani dominia. 6.8.9
Pontificis sancita non facile damnanda. 6.28.8
Pontificis vnius peccata sectarii omnibus succedentibus imputant. 6.21.1
Pontificis, vt sui capitis exemplum, populus sequitur. 6.24.7.& 8
Pontificum honor inordinatus non est. 6.20.7
Pontificum nepotes à Concilio Basileensi cardinalatu arcentur. 6.35.5
Pontificum Romanorum multi doctissimi fuerunt. 4.11.5
Pontius Samnitum Imper. Romanos victos sub iugum misit. 10.61.6
Populare regimen laudabile esse, nullæ rationes conuincunt. 1.22.2.& seq.
Populari in Republica iudicia corruptissima sunt. 1.22.5
Populi definitio. 2.6.2
Populi intra tropicos, stupidi sunt & seruiles. 1.14.8
Populi prudentes quinam sint & quinam fortes. 10.20.6
Populi Romani iudicia turpissima fuerunt. 7.22.5
Populus crebro reges efficit tyrannos. 1.16.4.& 5
Populus libertatis acerrimus, sed incõsultus est defensor. 1.20.5
Populus primo dominus, postea Cæsari potestatem commisit. 5.5.4
Populus Romanus crudelior fuit imperatoribus. 1.22.10
Posthumius Dux milites exemplo suo animauit contra hostes. 10.22.4
Potentes à potentioribus elisi. 8.1.2
Potentia ad tutanda regna & Respublicas necessaria est. 8.2.3
Potentia domestica difficilior, quam externa. 8.3.3
Potentia duplex est. 8.3.1
Potentiæ comparandæ exemplum. 8.2.3
Potentiæ conseruandæ necessaria auctoritas ac maiestas. 8.4.2. fama. 8 4.3. dignitas. 8.4.4
Potentiæ definitio. 8.1.1
Potentiæ domesticæ fundamentum amor & timor. 8.3.4
Potentiæ etiam maximæ nihil impune esse debet. 7.9.2
Potentiæ, vt diuturna sit, prudens & maturus vsus esse debet. 8.1.5
Potentia externa firma esse nequit, si domestica imualida sit. 8.3.2
Potentia humana etiam maxima, occasione minima subuertitur. 8.1.6.& 7
Potentia humana imbecillitas est. 8.1.4.& 6.& 7
Potentia quæuis humana comparate dicitur. 8.1.2
Potentia inter discordes diuisa, Rempublicam euertit. 1.21.12.
Potentia magna nõ nisi in magna Republica potest esse. 8.1.3
Potentia mediis licitis comparanda est. 8.2.2
Potentiam fœdera firmant. 8 24.1
Potentiam sibi optare, & non Reipublicæ, damnabile est. 8.3.5
Potentiam summam & diuitias ingentes, diuina largitione in regno etiam minimo obtinuit Iosaphat. 8.2.3
Potentia omni consilio & ratione augenda est & stabilienda. 8.2.1
Potentia potentium connubiis, maxime stabilitur, si ea ob verum matrimonii finem fiant; si ob peruersum dissoluitur. 8.24.6.& 7
Potentia Reipublicæ in quibus consistat. 8.4.1
Potentia Romana in se corruit. 8.1.5
Potentia Turcarum ex vicinorum dissensionibus incrementa hausit. 1.21.7. 8.1.7.10.11.1
Pontentibus facta contumelia, vindictam inuenit. 9.8.11
Potentium Monarcharum subitus exitus. 8.1.4
Potestas à Deo ornamenta accepit. 1.2.4
Potestas ciuilis Ecclesiasticam honorat & defendit. 6.3.10.& 11
Potestas duplex est. 6.3.1
Potestas etiam in homine iniusto esse potest. 5.8.6
Potestas primò & immediate ex natura sua est in communitate. 5.8.5
Potestas Reipublicæ immediatè, & magistratus ab ea designati mediate, à Deo est. 5.8.5
Potestas sacra ciuili simpliciter præstantior est. 6.3.5.6.7.8.9
Potestatis sacræ & ciuilis discrimen. 6.3.3.4.5
Potestatis sacræ prærogatiua multiplex est. 6.3.7.8.9
Potestatum lenta debet esse mutatio. 7.6.1
Præbendæ Cathedrales ordinem maiorem annexum habent. 6.41.3
Præbendæ cur dicantur beneficia. ibid.
Præbendæ fructus quinam legitime suscipere possit. 6.41.1
Præbendæ gratis dandæ sunt. 6.41.3
Præbenda laxius patet, quam canonicatus. 6.41.1
Præbenda propter officium datur. ibid.
Præbendæ quæ olim, & quæ nunc dicatur. ibid.
Præbendæ si suo iuri adiunctum habeat ius suffragii in capitulo canonicalis dicitur. ibid.
Præceptor discipulis se promptum exhibeat. 4.8.16
Præceptores Deo & bono publico militant. 4.9.2
Præceptores idonei iuuentuti sunt præficiendi. 4.6.2.& 3
Præceptores idonei quinam sint. 4.6.5. 6.7.11.13 15, 16.& 18

Præceptores obscena prælegentes faciunt vt adolescentes eadem & loquantur & faciant. 4.6.9.10.12
Præceptores omnes Societatis, visitationis, admonitionis, reprehensionis capaces & amantes sunt. 4.6.18
Præceptores omni lasciuiæ nota vacare debent. 4.6.12
Præceptores plurimi veterum principum improbos nacti sunt. 4.6.6
Præceptores Societatis optimam docendi methodum tenent. 4 6.15.& 16
Præceptores suos olim principes vel ipsi adibant, vel magna honoris significatione accersebant, 4.9.8
Præceptori bono facta in eum inquisitio laudi cedit. 4.6.18
Præceptoribus & viris doctis olim varia præmia persoluebantur. 4.9.6.7.8.9.10.11.12
Præceptoribus honorem debent discipuli, eorum parentes, totaq; Respublica. 4.9.1.2.3.& 12
Præceptoribus nunquam stipendia nimia constituuntur. 4. 9.7
Præceptoribus publicè & priuatim etiam principes, reges, & Imperatores honorem tribuere tenentur. 4.9.3.4
Princeps in venationibus agricolarũ operâ vti nõ debet. 8.8.4
Princeps iustitiæ sit custos. 3.6.2.& seq.
Princeps iustus asylum est innocentum. 3.6.3
Princeps legibus diuinis & naturalibus in conscientia astringitur. 5.20.1
Princeps legum ciuilium pœnis quando teneatur. 5.20.5
Princeps male gubernans, tributa accipere non potest. 8. 7.20
Princeps mercatura æquius ac commodius quam tributorum exactione vtitur. 8.10.9.& 10
Princeps multorum consilia audiat. 7.13.10
Princeps negociatorum fautor cito dives esse potest. 8.10.13
Princeps nec ad legem naturalem, nec ad ciuilem obligatione coactiua tenetur. 5.20.2
Obligatione ciuili tam ad proprias, quam ad antecessorum tenetur. 1.22.1.& 7. 5.20.6.7.8.9.10. 11. 12 6.25.2.
Princeps nisi in ministros iniustos animaduertat, eorum scelerum socius est. 3.6.7.& 8
Princeps non est, quem populi cura non premit. 2.2.4
Princeps non omnia quæ accepit impendere, sed quædam ad tempora incerta reponere debet. 8.9.5
Princeps nullus assentatoribus satis liberalis esse potest. 8. 13.3
Princeps omnibus comem se exhibeat. 3.11.1.2.5.6.& seq.
Princeps omnium curam gerere debet, & quomodo id possit. 3.5.6.& 7
Princeps ordine quomodo tempora disponere debeat. 3.5.5
Princeps prouidus horreis & annonæ prospiciat. 8.21.1.& 2
Princeps prouinciarum opes in nepotulos congerere non debet. 3.9.12
Princeps prudens ac doctus, iudicum iniquorum frenum est. 5.29.3
Princeps prudens liberalitate sibi in pace conciliat, vt in bello fideles habeat. 3.9.14
Princeps prudens propriæ prudentiæ non fidit. 7.13.8
Princeps prudentum consilia negligens, sua sponte in exitium ruit. ibid.
Princeps quales præsides prouinciæ præficere teneatur. 7.7.2. & 5.& 9
Princeps quandoque indignis se liberalem exhibere debet. 3. 9.9
Princeps qui bonus œconomus est, sat dives est. 8.9.1
Princeps qui in fame liberalis est, potens efficitur. 8.21.2
Princeps quo modo ædificandi ambitionem coercere possit. 8.14.9
Princeps quo modo existimationem sibi parere, & partam conseruare possit. 8.4.7
Princeps religionem non innouare, sed veterem defendere debet. 2.16.1.2.3.& 4. 2.18.1
Princeps rerum suarum ignarus miser est. 8.9.2.& 4
Princeps si sacris initiatus sit, ideo principatum non amittit. 6.9.4
Princeps subditos in fide errantes, etiam vi reducere potest & debet. 2.17.9
Princeps suppliciis ne interfit, nec cognatos reorum spectare cogat. 3.16.28
Princeps violando leges diuinas, peccat; sed pœna temporali non punitur. 5.20.3
Princeps vestium luxum duobus modis tollere potest. 8.14.5
Princeps vnicum consiliarium nimium extollens, seditionibus causam dat. 9.8.10
Princeps vsuras ex officio tollere tenetur. 8.17.5
Principatus non est causa sui. 2.2.3.& 4
Principatus res ærumnosa. 1.24.10. 3.5.6
Principem Christianum clementem esse oportet, non crudelem. 3.16.12.13.14
Principem diligentem in rebus suis ac solertem esse decet. 3.5.2. 3.& seq. 3.6.6. 3.7.1
Etiam minimarum rerum curam gerat, rationemq; exigat. 3.5.2.6.7. 3.6.6
Principem doctum timent consiliarii. 4.11.3
Principem liberalem esse decet, sed cum iudicio. 8.9.2. 8.13.1
Principem non traducatis, qui ipsus non sine querela viuit. 3.2.12
Principem œconomum bonum oderunt aulici. 8.9.2.& 4
Principem parasiti volunt esse in congregando diligentem, in custodiendo negligentem. 8.9.1.& 2.& 4
Principem religio pietasq; ornat. 9.20.6
Principem securum esse vetat Machiauellus. 8.23.4
Principem sine ira agere conuenit. 3.15.3.15.& 16
Principes apud Romanos omnium, præfecti suorum nomina in laterculo habebant. 7.7.4
Principes athei domesticis & extraneis odio sunt. 9.20.8
Principes boni se filios Ecclesiæ nuncupant, mali dominos. 6.3.10
Principes Caluiniani à ministris verbi dementati, pontificios à Christiana Republica exulare iusserunt. 6.34.7
Principi quomodo, etiam propter laudem, operandum sit. 8.4.3
Principes Caluiniani Bestiæ Decicornu Apocalypticæ, quam sui prædicantes Imperatorem Romanum interpretantur, adoratores. V. Imperii principes.
Principes Christiani multos habent monitores. 1.22.6
Principes detestantur lites. 5.11.7
Principes & Marchiones in Hispania mercaturam decenter exercent. 8.10.6
Principes & prælati vsurarios vt desistant, nominatim admonere tenentur. 8.17.8
Principes Euangelicos, vt agnitis Ministrorum fraudibus ac nequitiis ad priscam redeant veritatem auctor adhortatur. 9.42.9. 9.44.2.& seq.
Principes ex ærario inopia oppressis mutuum dantes, magnam laudem consequuntur. 8.18.2
Principes ex nouorum nobilium creatione duo commoda habent. 8.20.5
Principes fallaces similes sunt dæmonibus. 2.14.2
Principes genuflexionem diuturnam non admittunt. 7.4.5
Principes Germaniæ ius belli non habent. 10.4.10
Pacis violatoribus pœnæ constitutæ sunt. ibid.
Principes hodie facibus vt olim non excipiuntur, sed festiuis tormentorum tonitruis. 7.5.5
Principes nobilitatem fouentes, firmum præsidium habent. 8.20.4
Principes omnes suos nosse debent. 7.7.4
Principes pleriq; in munerum largitione excedũt. 8.13.1.& 6
Principes præ omnibus indigent disciplina. 1.1.3
Principes publice non sunt monendi. 1.22.6
Principes qui sub aliis quasi pupilli degunt, miseri sunt. 4.11.2
Principes subordinati bellum defensiuum propriis auspiciis gerere possunt. 10.4.4
Offensiui belli ius ordinarium ipsis non concedendum. 10.4.5.6.& 10
Extraordinarium interdum conceditur. 10.4.7.8.& 9.
Principes subordinati in legibus ferendis à summo dependent. 5.5.10

Principes summi in imperio, aulici sunt imperatoris. 7.11.1
Principes temulenti etiam cum sobrij sunt, stulti sunt, & stolide administrant. 3.14.11.& 12
Principes Tyri mercatores fuerunt. 8.10.2
Principes viri etiam eruditionis famam amant. 4.11.1.2
Principes vt vsurarii male parta dominis restituant, curare debent. 8.17.8
Principe timido & sollicito, nihil crudelius est. 8.23.4
Principi amorem clementia conciliat. 2.19.7
Principi amor subditorum commendatur. 3.21.1.& 4
Principi à pecuniosis magnum est præsidium. 8.20.5
Principi bonorum professio cauenda. 3.9.2
Principibus acclamare & applaudere nunc fere inusitatum est. 7.5.8
Principibus Christianis celsitudinis titulus vsitatus. 7.5.1
Principibus contra adulatrices aulicorũ doctrinas firmamenta & remedia dantur. 6.1.5.& 6.
Principibus etiam sapientissimis interdum consilia desunt. 7.13.9
Principibus Germanis amplior potestas, quã Hispanis. 5.5.10
Principibus iurisprudentiæ studium commendatur. 5.29.2.3.4.5
Principibus magno sumptu multa millia statuarum erecta, sed à posteritate protrita. 7.5.2
Principibus pauperum cura commendatur. 3.10.8.& 9
Principibus similem vestem gerere, morte à Rom. vindicatum. 8.14.6
Principibus vota nuncupare tanquam Diuis, Christianum non est. 7.4.7
Principi leges quomodo subiectæ dicantur. 5.20.11
Principi nec firmius præsidium quam commeatus, nec periculosius quam fames. 8.21.1
Principi œconomiam curanti quid faciendum. 3.9.6
Principi opus sunt opes. 8.5.2.4.5.& 6. 8.15.1. 8.23.6
Principi patriæ amor commendatur. 1.24.9
Principi patria multum præstat illi fidendo, & omnia suppeditando. ibid.
Principi pauperi in periculo ab amicis petere intutũ est. 8.5.5.
Principi quietam & solutam vitam assentatores inculcant. 3.5.8
Principis arbitrium in hærede constituendo esse non debet. 1.24.6
Principis circa religionem & diuina, primaria cura esse debet. 2.16.1
Principis circa Religionem officia & cura. 9.20.4.5.6.7.8
Principis exemplum vim magnam habet, sed ad mala efficaciorem. 2.3.1.2.3
Principis incuria grauis est culpa. 1.24.10
Principis nomen apud Romanos summi honoris fuit. 6.37.4
Principis optima possessio bonus consiliarius est. 7.13.7
Principis optimi idea Valentinianus Imperator. 3.11.10
Principis opus est metalla scrutari. 8.12.1.& 2
Principis peccata non continuo regnum faciunt antichristianum. 6.29.2
Principis potestas in quibus restringi debeat. 1.24.4.5.6.7.8
Principis præsentia malorum præsulum frenum est. 3.5.7
Principis statuæ euersio maiestatis crimen erat. 7.5.2
Principis virtus duplicem mercedem, vitia duplicem pœnam habent. 2.3.2
Principis virtus tria habet insignia. 2.3.1
Principis vita famaq; in æstimatione consiliariorum consistit. 7.13.7
Principis voluntas lex est. 6.28.8
Principum administros diuites esse expedit. 8.5.7
Principum amici sinceri ditandi, cupidi vero vel spe vel retinendi sunt. 8.5.5.
Principum bonorum labores Deus remunerabitur. 1.2.5
Principum Christianorum imagines, supplicum & precantium specie pinguntur. 7.5.3
Principum cultus in statuarum honore eximius fuit & varius 7.5.2
Præceptoribus publicis ex communi ærario salarium constituendum est. 4.9.6
Præceptorum crebræ visitationes instituendæ sunt. 4.6.16
Præceptorum futurorum cœtui non nisi idonei associandi sunt. 4.22.2. iisq; ad pietatem instruendi. 4.22.4.5
Præconum officium. 7.30.1
Prædæ cupidine Romani ordines non deserebant. 10.57.2
Prædæ distributio apud Romanos æqualiter fiebat. ibid.
Prædicantem esse apud Lutheranos probrosum est. 6.23.1
Prædicantes bonæ fidei possessores bonis exuerunt, fundis auitis exturbarunt, nouasq; rapinæ leges sanxerunt. 9.17.4.& 5
Prædicantes Caluiniani [illegible]opos principes esse posse negant. 9.18.4
Prædicantes Caluiniani suis principibus Ecclesiasticam iurisdictionem concedunt. 9.18.7
Prædicantes calumniatores in orbitam modestiæ sunt reducendi. 9.32.1
Prædicantes cur imperii vires exhauriãtur, causa sunt. 9.17.3
Prædicantes de suis principibus scabiose loquuntur. 9.17.2
Prædicantes imperii auctoritatem dissoluere conantur, aut saltem accidere. 9.17.2.& seq. 9.18.4
Prædicantes imperii tributa minuerunt. 9.17.3
Prædicantes iurisdictionum mistione Remp perturbãt. 9.18.5
Prædicantes magistratibus suis sunt infesti. 9.39.10
Prædicantes magistratus auctoritatem tollunt. 5.8.16. 6.9.6
Prædicantes obstant ne ius dicatur. 9.17.8
Prædicantes omnium discordiarũ, turbationũ, bellorumq; in Romano imperio causa. 6.9.6.9.17.1.& seq. 9.18.1.& seq.
Prædicantes pessimi sunt calumniatores. 6.33.4.& 6. 6.34.5.& 6. 9.25.3. 9.26.2.13.14.16.18. 9.32.1.2.& 3.
Prædicantes quamdiu pacem Ecclesiasticam turbant, ciuilis in Imperio Rom. obtineri non potest. 9.18.1.& seq. 9.42.5
Prædicantes rusticos armarunt in prælia, totamq; pene Germaniam deformarunt. 9.17.3
Prædicanticarum calumniarum effectus. 9.32.2
Prædicantica lingua res est omnium rerum pessima. 9.32.2
Prædicantium auara pauperies irridetur. 6.43.4
Prædicantium consilio bellum Cæsari factum. 9.17.6.& 7
Prædicantium irrequietus zelus multarum contentionum causa. 9.18.3
Prædicantium proteruia & in societatis Iesu alumnos odium. 6.28.5
Prædicantium prouinciam nemo honestus ambit. 6.43.4
Præfecti annonæ officium. 7.27.1
Præfecti castrorum officium. 10.27.1
Præfecti equitum. 10.26.9
Præfecti prætorio à bellica dignitate ad tribunalia venerunt. 7.22.5
Præfecti prætorio officium ac potentia. 7.16.1
Præfecti sociorum. 10.26.9
Præfecti vrbis dignitas, & officia, & insignia. 7.19.4
Præfecti vrbis imperium moderatius quam consulum. 7.19.5
Præfecti vrbis sphæra actiuitatis, ad vigesimum extra vrbem lapidem se extendebat. 7.19.4
Præfectorum prætorio magna in iudiciis erat potestas & auctoritas. 7.22.5
Præfectorum vrbis magistratus paucorum dierũ fuere. 7.19.3
Præfecturã vrbis Piso biduana perpetratione obtinuit. 7.19.4
Præfectus annonæ apud Rom. in magna dignitate fuit. 7.27.1
Præfectus castrorum sub Augusto cœpit. 10.26.5
Præfectus legionum. ibid.
Præfectus prætorio. 7.16.1
Præfectus vrbis Latinarum causa, larua magistratus erat. 7.19.3
Præfectus vrbis vices regum & consulum tenuit. 7.19.2
Prælati ex ambitione Clericorum vitiis conniuentes, temporali & aterna pœna afficientur. 6.16.7
Prælati exemplum in subditos manat. 2.18.17
Prælati ex officio ad reformationem cleri tenentur. 6.10.2
Prælati hospitales sunto. 6.10.10
Prælatis absentibus distributiones non dandæ. 6.41.3
Prælatis honor est fratres conuictores habere. 6.17.10

Prælatorum delitias bella infidelium finiunt. 6.10.7
Prælatorum præsentia mores componit. 6.40.5
Prælatorum timiditas aut segnities in clericorum vitiis puniendis, pernitiosa est. 6.11.3
Prælatos, suorum vitia dissimulantes, reformandi potestatem Papa principibus concedat. 2.18.16
Prælaturis absentes Canonici non ornandi. 6.40.5
Præliandi necessitas non est imponenda. 10.45.1
Præliandi necessitas quando vrgeat. 10.43.5
Prælium contra hostes tirones suadetur. 10.43.8
Prælium nauale periculosissimum. 10.50.4
Prælium tardè, & non nisi magna necessitate vel commodo ineundum. 10.43.1.2.3.& 8
Prælium, vbi regni amittendi periculum est, non est ineundum. 10.43.7
Præpositi in Ecclesia duplices sunt. 6.40.2
Præpositi in Ecclesiis primum locum tenent. ibid.
Præpositi Monasteriorum & Ecclesiarum in ordinem redacti sunt. 6.40.3
Præpositi qui dicantur, & quales eos esse oporteat. ibid.
Præpositus sæcularibus substituti Ecclesiastici. ibid.
Præpositus labari. 10.27.4
Præpositus Metropolitanus Colonien sis, Cancellarius Academicus est. 6.40.10
Præsentiæ iis tantum, qui toti officio intersunt, distribuendæ. 6.41.3
Præsidibus officio functis, in Constantinopolitano imperio augebantur honores. 7.11.2
Præsidis nomen generale est. 7.21.11
Præsidis præsidialis dignitas in Galliis, & officium. 7.22.17
Prætores Caluiniani suorum principum principes sunt & carnifices. 9.26.5.& 18
Præsidum egregia institutio. 7.22.18
Præsidum prouinciarum iura & potestas. 7.21.11
Prætores functo magistratu in prouincias ibant. 7.21.3
Prætores iuris dicundi causa creati sunt. 7.22.3
Prætores iurisdictionem centuriatis comitiis sortiebantur. ibid.
Prætores primo à tribunalibus ad castra deducti postea etiam sortiti sunt prouincias. 7.22.4
Prætores prouinciarum cum ciuili & militari potestate Iustinianus constituit. 7.21.20
Prætorium ius temperatum erat. 5.2.6
Prætor populi etiam iudex veli dicebatur. 7.22.12
Prætor populi tantum iudicandi partes habuit. 7.22.12
Prætor primus ambitione delectus est. ibid.
Prætor quem minorem dicebant, ius peregrinis reddebat. 7.22.3
Prætorum annua lex. 5.2.6
Prætorum edicta. V. edicta.
Prætorum numerus, vrbe crescente, & cum ea fraude & sceleribus, auctus est. 7.22.3
Presbyter ante 30. annum nemo ordinandus. 6.12.5
Presbyter Cardinalis nisi cum 44. testibus non damnatur. 6.35.1
Presbyteri aliquando Episcopi dicti sunt. 6.39.2
Primates etiam sub patriarchâ esse possunt. 6.36.10
Primates qui sint. ibid.
Primates vnde dicantur. 6.36.7.& 8
Prima tonsura initiandi quomodo examinandi. 6.12.7
Primiceriatus dignitas. 7.29.14
Primicerii officium quale fuerit. 8.40.9
Primicerios officium non fungentes, Tullenses Canonici fusiulerunt. ibid.
Primicerius quis & vnde dicatur. 6.40.9. 7.29.14
Primicerius sub Archidiacono erat. ibid.
Primitiæ & primogenita sacerdotibus Israeliticis dabantur. 6.41.3
Primus pilus summa in dignitate erat. 10.26.7. 10.27.3
Princeps adulatione gaudens, bonis consiliariis eget. 6.1.5
Princeps agriculturæ fructus sequens, nihil opus habet quotidie noua vectigalia ac tributa imponere. 8.11.13
Princeps à Iudæis aut vsuriis subditos opprimi sinens, graui crimine se obstringit. 8.17.5
Princeps agricis iniusta ne concedat, ne parenti quidem. 3.6.7
Princeps atheus summe mutabilis. 9.20.4
Princeps auarus, non qui honeste diuitias cumulat, detestandus est. 8.5.1.& 2
Princeps bonus, bonos etiã ministros habeat. 7.7.1.& 2.& 9.
Princeps Christianus tributa partim minuere, partim tollere debet. 8.7.16.& 21
Princeps clemens ab omnibus amatur, crudelis odio habetur. 3.16.17.18.19.20
Princeps clementiam & seueritatem quomodo temperare debeat. 3.16.21.22.23.& seq.
Princeps cum Deo regnans inuictus est. 1.6.4
Princeps Dalmatiarum tribunalibus præsidebat causaq; cognoscebat. 7.21.15
Princeps delicias vanas aut illecebras, ad pauperum alimenta vertat. 3.10.9
Princeps domorum splendidarum exstructiones ciuibus inhibeat. 8.14.8
Princeps ebrietatem è Republica tollere grauissimo Dei mandato obligatur. 3.14.18
Princeps ex vsurariorum mulctis ditescere potest. 8.17.5
Princeps famæ ac dignitatis custos esse debet. 8.4.3.& 4
Princeps fidem datam illæsam conseruet. 3.7.1.2
Princeps humilis & modestus, humiles etiam habeat ministros. 3.19.20
Princeps improborum mulctis in bonos liberalitatem suam exerceat. 8.13.5
Princeps in administratione iustitiæ à populo non pendet. 1.24.3
Princeps in bello iusto ex hostico in duces ac milites liberalis sit. 3.9.2
Princeps in beneficentia modum ac rationem sequatur. 3.9.4. & seq. 8.9.2. 8.13.1
Princeps in bene meritos ingratus, capitales inimicos sibi efficit. Vide Ingratitudo. Liberalitas.
Princeps in comitate tria præcipue caueat. 3.11.10.11.12.& 13
Principum dextram osculandi mos viget. 7.4.5
Principum dominatio solius Dei consilio nititur. 9.20.5
Principum etiam Christianorum imagines in monetis cusæ gestantur. 7.5.3
Principum hæreditaria successio, electioni præponitur, eaque antiquior est. 1.25.4.5.6.& seq.
Principum hieroglyphica insignia in locum earum imaginum successerunt. 7.5.4
Principum inconsulta liberalitas crebro dat causam seditionum. 9.9.11
Principũ in nobiles familias depauperatas laudabilis & gratiosa est liberalitas. 3.9.11
Principum in paruis rebus legitima cura. 5.3.6
Principum itinera vario splendore & pompa honorata. 7.5.9
Principum iussa in remotis regionibus euanescunt. 7.7.5
Principum laboriosa & periculosa prouincia est. 3.5.6.& 9.
Principum liberi hoc tempore sollicite educantur. 1.25.18
Principum maledici, conuitiatores, irrisores, pro sceleris grauitate, grauiter puniendi. 9.45.10
Principum natales olim publicè, ex edicto, nunc in solis eorum aulis celebrantur. 7.5.7
Principum nostri sæculi nobile par. 8.6.1
Principum potestas in subditos varia fuit. 7.6.1
Principum potestas non nimis occidenda est. 1.24.8
Principũ prima cura est seditiones sedare. 9.3.1.& 29.4.1.
Principum promissis eludi petentes, turpe est. 3.11.12.& 13 & 2
Principum seueritas in Iudæos & vsurarios sancta est. 8.17.7
Principum superbia causa exitii. 9.3.11
Principum trium coniuratio. 9.3.2
Priuatis non esse inferendum damnum prætextu boni publici. 5.7.3

Priuilegia bene de Republica meritis concedenda sunt. 5.18.4
Priuilegia difficillime reuocantur. 5.18.7
Priuilegia difficulter abrogantur. 5.7.4
Priuilegia impia tuebantur gentes vt religionem. 5.7.3
Priuilegia locorum & personarum sunt. 4.14.1
Priuilegia militibus Romana Respublica multa concessit. 5.18.4
Priuilegia multa largientes, principatus sui neruos incidunt. 5.7.5
Priuilegia mutatione rerum ex iustis facta iniusta, tollenda sunt. 5.18.8
Priuilegia per vsum contrarium non facile amittuntur. 5.7.4
Priuilegia pro communi bono danda sunt. 5.7.2
Priuilegia quædam priuatis data, Reipublicæ noxia. ibid.
Priuilegia studiosa sapientia præcipuæ debentur. 4.14.1
Priuilegia studiosorum centum octoginta collegit Rebuffus. 4.15.2
Priuilegia studiosorum & professorum. 4.14.7.& 8. 4.15.2
Priuilegia tarde conferenda sunt. 5.7.3.&5
Priuilegia vrbibus Academicis qualia concedi debeant. 4. 14.2.&3
Priuilegiis concessis abutuntur clerici. 5.7.5
Priuilegiis doctorum non gaudent indocti. 4.16.16
Priuilegiis Moguntinæ Academiæ quinam gaudeant. 4.15.2
Priuilegiis non gaudent qui eis abutuntur. 5.7.5
Priuilegiorum abusus. ibid.
Priuilegiorum multi abusus & ingentia incommoda sunt. 5.18.5.6
Priuilegiorum varia genera sunt. 5.18.2
Priuilegium contra legem donare potest, qui condendæ legis potestatem habet. 5.18.3
Priuilegium quid sit. 5.18.1
Probus imperator multis seditionibus conflictatus est. 9.4.1
Proconsul Africæ repetundarum accusatus, septingenta millia ærario intulit. 7.21.8
Proconsules Augustus sine gladio & militari habitu in prouincias misit. 7.21.18.& 20
Proconsules quinam dicti. 7.21.2
Proconsules occasionem immensos thesauros colligendi habebant. 7.21.6
Proconsules prouincias ante earum ingressum Legatis mandare non possunt. 7.21.5
Proconsules repetundarum rei capitis arcessebantur. 7. 21.6.& 7
Proconsules sorte non sunt legendi. 7.21.7
Proconsules statim atq; vrbe egrediebantur, potestate vti poterant. 7.21.6
Proconsulibus prouincias adeuntibus leges propositæ. 7. 21.4
Proconsulum honos in prouinciis plane regius erat. 7. 21.6
Proconsulum officium ac potestas. 7.21.5
Proconsulum potestatem Augustus caute eneruauit. 7.21.18
Procubitores quam procul ab excubiis abesse soleant. 10.32.2
Procubitoribus tessera non, nisi cum in suis locis consistunt, datur. ibid.
Proculus ad aleam factus imperator. 9.12.6
Procuratores à partibus non plus accipere possunt quam assessores Camera constituunt. 7.24.3
Procuratores fisci, causas priuatorum suscipere vetantur. ibidem.
Procuratores notarii esse vetantur. ibid.
Prodigalitas perniciosa est. 3.10.5.6.& 7
Prodigalitas Romano imperio veteri propria fuit. 8.9.7. 8.13.7
Prodigalitatem strenue exercuit Caligula. 8.9.7
Prodigalitatis exempla. 3.10.5.6.& 7
Prodigorum principum plerumque malus est exitus. 8. 13.3
Prodigus etiam Salomon fuit. 8.13.6
Prodigus plurimos dando offendit. 8.9.7. 8.13.2
Proditionem in suum commodum vertere, magnæ industriæ est. 9.16.14
Proditio simulata visitata. 10.52.2
Proditores qui dicantur. 10.52.1
Proditoribus ad celanda consilia vtendum. 10.52.5
Proedri quinam dicantur. 7.13.7
Professoribus olim, qui viginti annos publicè legerunt, comitis titulus donatus. 7.17.2
Proedrorum dignitatem Phocus instituit. ibid.
Promissa nullo prætextu violari debent. 3.7.2
Prompalus Antiochi Epiphanis filium se fingendo, regnum obtinuit. 9.14.13
Pronunciationis exercitatio in Rhetoricæ classe necessaria est. 4.21.13.14.15
Propheta nomen multifariam accipitur. 5.23.8
quibus illud proprie conueniat. ibid.
Prætores sex lictoribus prodibant. 7.21.3
Prætorum officium. 7.21.10
Proreges Hispaniæ multos habet. 7.21.14
Proregum & Viceregum amplior quã vicariorum potestas. ib.
Protectorum nomen & ius antiquum mansit in Germania. 1.17.12
Protouestiarii officium. 7.16.5. 7.17.6
Prouidentia pars integrans prudentiæ est. 3.2.8
Prouidentiæ officium. ibid.
Prouincias remotas à rege amari nolunt mali præsides. 7. 7.5
Prouinciæ occupatæ arcibus tenendæ sunt. 8.23.3
Prouinciæ Romanorum Consulares quæ fuerint, & quæ Prætoriæ. 7.10.5
Prouinciæ, vt ante initum magistratum designarentur, sapienter constitutum est. 7.21.17
Prouinciales in magistratus, nimii sumptus expendebantur. 7.21.19
Prouinciales legibus pro suâ salute latis affligebantur. 7. 21.8
Prouinciales magistratus sæpe visitandi, eorumque acta examinanda. 7.21.17
Prouincia pars est diœceseos. 7.21.13
Prouinciarum duplicem magistratum, ciuilem & militarem, Iustinianus ob perpetuas dissensiones adunauit. 7.21.20
Prouinciarum plurium coniunctio, aut vnius longissima administratio, præsidi ad potentiam & rebellionem viam sternit. 7.10.5
Prouinciarum præsides duobus criminibus plerumque obnoxii sunt. 7.9.1
Prouinciarum præsidibus etiam alias probatis cur non fidendum. 7.9.4
Prouinciarum prima Sicilia fuit. 7.21.3
Prouinciarum rectores centuriatis comitiis constituebantur. ibid.
Prouinciarum rectoribus belli gerendi ius lege curiata dabatur. 7.21.4
Prouincias adeuntibus argentum de publico dabatur pro viatico. ibid.
Prouincias administrabant Proconsules. 7.21.2
Et Prætores. 7.21.3
Prouincias misere emunxerunt rectores. 7.21.6.& 7
Prouincias præsides obibant & lustrabant, officioq; suo gratis fungebantur. 7.21.10
Prouocare à præfecto prætorio non licebat. 7.22.5
Prouocatio ad populum, iudiciorum perditio fuit. ibid.
Prudens ciuis melius, quam stultus legitimo paret imperio. 3.3.2.& 3.& seq.
Prudentes consiliarii & fidi in singulis aulis desiderantur. 7. 13.6
Prudentes multa cogitant, de quibus ne alii suspicantur quidem. 3.2.8
Prudentia à variis variè definitur. 3.2.1
Prudentiæ defectu omnium gentium & regnorum interitus accidit. 3.2.12
Prudentia diligentia iungi debet. 3.5.1

Prudentiæ functiones. 3.2.2
Prudentiæ leges generales. 2.3.12
Prudentia octo partes integrantes. 3.2.4. & seq.
Prudentiæ principia omnibus insita sunt. 3.2.11
Prudentiam in principe, in subditis stoliditatem stolidi pseudopoliticirequirunt. 3.3.1.2
Prudentia multiplex est. 3.2.3
Prudentia omnis virtutis actiones dirigit. 3.1.4. 3.2.1
Prudentia Reipublicæ necessaria est 3.2.per totum. 3.3.1. & seq.
Prudentum consiliis obaudiendum esse, imp. Antoninus Pius asseruit. 7.13.8
Πρυτανεῖα Athenienſium. 7.19.7
Prytanarum suprema sed à populo dependens potestas. ibid.
Prytaneum locus, in quo Prytanæ bene de Republica meriti epulabantur. ibid.
Psalmorum argumenta vt intelligantur, affectusque eorum sentiantur, elaborandum. 6.6.11
Psalmorum versus quidam maiores habent affectus. ibid.
Psalmorum vsus & vtilitas. 6.6.8
Psaphon aues, vt se Deum dicerent, magno precio instituit. 3.19.8
Pseudopolitici pluris historiam humanam, quam diuinam faciunt. 1.9.1
Ptolomæi Philopatoris monstrosa nauis. 10.50.2
Ptolomæi potentia. 1.7.7
Ptolomæus regis patrem quam regem esse augustius quiddam arbitrabatur. 1.25.9
Ptolomæus Seleucum regem per insidias occidi iubet. 1.7.7
Publica vitia adolescentes etiam bonos deprauant. 1.1.5
Publicum bonum pauci quærunt, omnes prætendunt. 1.16.1
Pudicitiæ cura Principi ac Reipublicæ pernecessaria est. 3.12.1. 2.3. & seq.
Pudicitiam plurimorum castrorum exempla suadent. 3.12.17.
Pudicitiam sobrietas ac religionis cura adiuuat. 3.12.16 & 17.
Pudicitiam violatam & Deus & homines grauiter vindicant. 3.12.3.4.5
Pudor antiquæ Romæ profligatus erat. 3.12.2. & 3. & 9
Publicani hominum pessimi. 8.10.9
Publicani Principum institutores constituendi sunt. ibid.
P. Rutilius amico iniqua postulata constanter negabat. 3.6.7.
P. Seruilius Rullus integrum aprum in conuiuio apposuit. 8.14.4.
Puellæ vinum bibisse probrosum est. 3.14.16
Puellarum mores & studia qualia esse debeant. 4.5.5
Puer ad imperium euehi potest, sed senili prudentia regendus est. 1.25.20
Pueri beneficiati, cur vel optimi vel pessimi euadant. 6.7.4
Pueri bibaculi aut ebriosis parentibus progeniti, viri stulti euadunt. 3.14.9.10.13. & 16. 4.3.1
Pueri in grammaticalibus scholis ad versus non sunt vrgendi. 4.18.6
Pueri in tenera adhuc ætate pietate imbuendi sunt. 4.5.3
Puerilia corpora lacrymæ & eiulatus roborant & exercent. 4.4.7
Pueri primo quinquennio quomodo instituti debeant. 4.4.per totum.
Pueris vinum nullo modo dandum. 3.14.9.10.16. 3.15.1
Puerorum animi cur sapientia deficiantur. 3.14.16
Puerorum errata plagis corrigenda sunt. 4.10.2.3.4
Sed cum moderatione. 4.10.5
Puerorum mores corruptos corrigere, magni laboris est. 4.5.6.
Pueros improbatæ indolis barbari occidere solebant. ibid.
Pueros peregrinatio vagos efficit, non bonos. 4.2.5
Pueros Societas Iesu breui vtique methodo grammaticalibus præceptis informat. 4.18.2. & seq.
Puerulorum linguas formare etiam magnorum virorum est. 4.4.4
Pugnantes extrema necessitate, raro victi sunt. 10.49.1
Pulcheria Romanam Rempublicam rexit & seruauit. 1.26.8.
Puluis pyreus à quibus custodiendus. 10.32.2
Purgatorium esse, SS. Patres agnouerunt. 6.21.1
Purgatorium hæretici nouum inuentum dicunt. ibid
Purpuræ vsu sub pœna capitis priuatis interdixit Theodosius. 8.14.6
Pusillanimitas magnanimitati opponitur, graueque vitium est. 3.20.4
Pyramides Aegyptii per damnatos & captiuos exstruxerunt. 8.12.4
Pyramidum Aegyptiacarum magnitudo, sumptus, & laborantium multitudo. 8.8.2
Pyramidum exstructio insana crudelitas fuit. ibid.
Pyrrhus in arte acies ordinandi excelluit. 10.37.8
Pyrrhus primus elephantos in Italiam duxit. 10.18.3

Q.

Quæstorem concernunt, quæcunque patrimonii publici sunt. 7.12.1
Quæstores adiutores seu Bœthos viginti sex habebant. 7.29.15
Quæstores dum ærarium ditare festinant, Rempublicam exarmant. 8.6.2
Quæstores fisco plus quam iustitiæ fauent. 8.7.21
Quæstores Genuensium Rempublicam conseruant. 7.29.13
Quæstores in bellum consules comitati sunt. 7.29.4
Quæstores plures esse conuenit, ne furta celari possint. 7.29.10
Quæstores primum è patriciis, postea è plebe creati sunt. 7.29.4
Quæstores rerum capitalium. 7.22.11
Quæstorii quinam dicti. 7.29.8
Quæstorium Belgii Gallico non dissimile est. 7.29.11
Quæstorium dicebatur locus quæstoris in castris. 7.29.4
Quæstorium Galliæ prudentissime ordinatum est. 7.29.10 & 11.
Quæstorum fraudes multæ leges vetant, nullæ compescunt. 7.29.16. 8.10.9
Quæstorum in prouinciis dignitas & munus. 7.29.5
Quæstorum officia. 7.29.3. & 5
Quæstorum officium & potestatem in comites sacrarum largitionum transtulerunt Imperatores. 7.29.6
Quæstorum rapacium artes omnes exscindi nō possunt. 8.7.21
Quæstorum varia genera. 7.29.1
Quæsturæ exordium. 7.29.2
Quæsturæ in Hispaniæ regnis diuersæ sunt. 7.29.12
Quæstura officium lubricum est. 7.29.1
Quinqueuiri de exilio iudicabant. 7.22.11
Q. Aelius Tubero ob conuiuii inurbanitatem in comitiis prætoriis repulsam tulit. 3.11.4
Q. Metellus irâ prouinciam prodidit, triumphum amisit. 3.15.6

R.

Raptorum filii non sunt ordinandi. 6.12.17
Ratio legem bonam à mala diuidit. 5.12.1
Ratio recta optimus magister. 1.1.8
Ratio recta vera lex est. 5.3.2
Rebellionem machinantes, pacem præ se ferunt. 9.14.12
Rectores pauci extiterunt boni. 1.1.8
Referendarii. 7.25.2
Reformatio clericorum vt successum habeat, omnia media tentanda. 6.14.1
Reformatio Ecclesiæ optima, delectus ordinandorum est. 6.13.1.
Reformatio in eruditione magna intra sæculum facta. 6.11.3.
Reformationis cleri grauissima causa. 6.11.1
Reformationis nomen odiosum illis, qui de patrimonio Christi saginari volunt. ibid.
Regem sine irâ agere conuenit. 3.15.3.15.6
Reges ab Episcopis inunguntur. 7.3.3
Reges à Deo ad sacerdotes mittuntur docendi. 1.1.3
Reges boni se filios Ecclesiæ nuncupant, mali dominos. 6.3.10.

Reges Christiani vngendi ritum à Iudaïs & gentibus mutuati sunt. 7.3.1
Reges etiam illa quæ in bibliis non sunt, imperare possunt. 5.8.16
Reges Francorum per regiam vitam iurare vetuerunt. 7.4.6
Reges Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ peculiares titulos habent. 7.5.1
Reges Gothorum tranquillissimi dicti. ibid.
Reges interdum solum diadema, quandoq; pileo circumdatum gestabant. 7.3.5
Reges noui mansuetissimi omnia simulant. 1.16.4
Reges olim magis seruitia quam aurum exigebant. 8.8.2
Reges quales præsides prouinciis remotis præficere debeant. 7.7.5
Reges sacrosancti dicuntur. 6.33.8
Reges sæpe in tyrannos mutantur. 1.16.4
Reges Sellariorum in auguriationibus suis oleo vnguntur. 7.3.1
Reges seruebus Ecclesiasticis miscere non debent. 6.3.9
Sed sacerdotibus in his subesse. 6.3.12.& 13
Reges suorum principum cum liberæ Reipublicæ senatoribus familiaritatem suspectam habent. 8.24.5
Reges suos Iudæi cur oleo vnxerint. 7.3.1
Reges inungendi ritus vetustissimus est, & apud omnes nationes vsitatissimus. 7.3.1.& 3
Regiæ aulæ magistratus minores varii. 7.16.4.& 5
Regiæ dignitati & præsidio exercitus est opus. 8.2.3
Regia maiestas in itineribus maxime resplenduit. 7.5.9
Regiam dignitatem œconomia non dedecet. 8.9.2.& 4
Regia vnctio potestatis & magni honoris insigne est. 7.3.2.& 3
Regibus Christianis Diui & Diuinitatis tituli non nisi participatiuè conueniunt & attribuuntur. 7.4.4
Regibus Christianis sacri olei vnctionem inuident hæretici. 7.3.1.& 2
Regibus Deus Prophetas & Doctores attribuit. 1.1.4
Regibus diadema omnibus vsitatum est. 7.3.4
Regibus Diui & Diuinitatis titulos impie tribuit antiquitas. 7.4.2
Regibus ius Dei communicatur. 5.8.16
Regibus priscis ignis prælatus. 7.5.5
Regibus publici commodi cura est. 1.23.5
Regibus quales tributi honores. 7.4.1
Regibus qualis adoratio præstanda. 7.4.5
Regibus timendi principes regni potentes. 1.16.5
Regibus titulus Serenitatis nunc vsitatus. 7.5.1
Regibus vota tanquã Diuis nuncupare, idololatricũ est. 7.4.7
Regillianus ioco imperator electus est. 1.25.19. 9.12.6
Regios honores augendo minuit adulatio. 7.4.1
Regis potestas in quibus restringi debeat. 1.24.4.5.6.7.8
Regis tyranni descriptio. 6.2.9
Regi subsidium & defensionem debent subditi. 6.2.7.& 9
Regna absoluta quæ dicantur. 1.15.3
Regna à Deo dependent, eiusq; prouidentia gubernantur. 1.6. 6.1.7.1.& seq. 1.8.1. 9.20.5
Regna Christianorum sunt ferè Monarchiæ Aristocraticæ. 1.14.3
Regna interdum noua emergunt ad alia castiganda. 2.5.2
Regna magna, regibus sunt obeunda. 7.9.3
Regna maxima minimis momentis mutantur. 8.1.6.& 7
Regna mediocra maximis crebro validiora sunt. 8.1.3.& 4
Regnantium nobile axioma. 7.7.1
Regna non semper sunt præmia iustitiæ. 2.5.1
Regna olim pleraq; latrocinia erant. 3.6.4.& 5
Regna primæ erant, vt nunc, magnæ familiæ. 1.25.5
Regni & sacerdotii coniunctio. 7.6.2
Regni mala. 2.2.4.5.6.7
Regni tutelam ex cultu SS. Trinitatis & sacerdotum precibus esse, Iustinianus pie credidit. 2.8.2.& 4
Regnorum mutandorũ apud gentes vera variaq; ostenta. 1.9.3
Regnorum quæ legibus administrantur, sunt varia genera. 1.15.4
Regnorum varietas. 1.15.2
Regnum fame laborans fatile captu est. 8.21.2
Regnum in quo præter regem omnes serui sunt, semel oppressum, in libertatem se vindicare nequit. 8.20.4
Regnum sine sacerdotio diu stare nequit. 6.42.5
Regnum splendida seruitus est. 2.2.4.& 5
Regulæ morum à Societatis Iesu professoribus studiosis præscriptæ. 4.8.1.& seq.
Regulus agricola bonus Imperator. 1.4.1. 10.20.7
Regulus Dux Romanus patientiæ exemplum. 1.13.6.1.23.6
Regulus Neroni à consiliis, pessime ipsi suasit. 1.16.7
Regum adoratio in Oriente vsitatissima fuit. 7.4.5
Regum apud Iudæos qualis inauguratio. 7.3.1
Regum auro optimates facile inescantur. 8.24.5
Regum Christianorum potestas moderata, & non ad modum gentilium tyrannica est. 7.6.2
Regum connubia pax sunt populorum. 8.24.6
Regum cultus in statuarum honore eximius fuit. 7.5.2
Regum delicta sacerdotes puniunt, eosq; pro talibus interdum excommunicant. 6.3.13.& 14
Regum dextram osculandi vsitata consuetudo. 7.4.5
Regum diademata olim simplicia & vulgaria, nunc pretiosissima. 7.3.4
Regum & regnorum initia vnde. 1.21.10
Regum Israeliticorum sors vitæ eorum respondebat. 2.5.3
Regum iussa subditos non minus, quam dominorum seruos obligant. 5.8.15. 6.9.6
Regum iustas leges contemnens, Dei maiestatem contemnit. ibid.
Regum multi posito diademate religionem inierunt. 3.19.15
Regum plurimorum potestas à Statibus patriæ pendet. 7.6.3
Regum statuæ initium dederunt idololatriæ. 7.5.2
Regum successio hæreditaria, electioni præponitur eaq; antiquior est. 1.25.4.5.6.& seq.
Reipublicæ ad congregandas opes, artium mechanicarum cultura plurimum seruit. 8.15.3
Reipublicæ administros diuites esse expedit. 8.5.7
Reipublicæ capita, vti & ipsa, institutione egent. 1.1.8
Reipublicæ causæ efficiens & materialis. 1.3.3
Reipublicæ cuiusuis vires, ex annona & commeatu domestico extraneoq; æstimandæ. 8.21.2
Reipublicæ definitio. 2.6.2
Reipublicæ eruditio honorifica est & necessaria. 4.11.1.& seq.
Reipublicæ etiam martyrum fortitudo vtilis est. 3.17.10
Reipublicæ famam qui corrumpit, maiestatis crimine tenetur. 8.4.3
Reipublicæ finis quis. 1.3.5. 2.1.1. 2.2.1.& 8
Reipublicæ forma. 1.3.4
Reipublicæ forma despotica iniqua est, nec diuturna. 1.21.4.& 5.
Reipublicæ formæ omnes hoc tempore mistæ. 1.14.3
Reipublicæ forma est secundum populorum inclinationem cõstituenda. 1.14.6
Reipublicæ formâ mutatâ, magistratuum potestas lente mutari debet. 7.6.1
Reipublicæ forma quænam optima. ibid.
Reipublicæ forma qualis constituenda. 1.21.3
Reipublicæ forma quid sit. 1.14.1
Reipublicæ forma triplex. 1.14.2
Reipublicæ formarum quænam optima. ibid.
Reipublicæ institutor, non vni homini aut definito tempori, eam conformare debet. 1.21.3
Reipublicæ institutor tres eius formas certa analogia comparet. 1.21.2
Reipublicæ male præsidet, qui domui suæ præesse nescit. 8.9.1
Reipublicæ opes necessariæ sunt. 8.5.2.4.5.6. 8.15.1. 8.23.6
Reipublicæ pauci, litibus vero plurimi student. 7.8.4
Reipublicæ per commenta non consulitur. 5.5.2
Reipublicæ perturbatores orduntur à prælatis, finiunt in principibus. 6.9.6
Reipublicæ prima diuini cultus cura esse debet. 2.3.4

Reipublicæ quinam noxii sint. 6.44.6
Reipublicæ statum corrigentes sæpe errant. 1.14.4
Reipublicæ status melior est, si princeps malus sit, quam si eius amici mali sint. 7.7.1
Reipublicæ summa pernicies est vsura. 8.17.3
Reipublicæ tria hominum genera necessaria. 1.4.1
Reipublicæ tria vitia. 1.16.1
Reipublicæ vires in quibus consistant. 5.6.1. 8.4.1
Reipublicæ virtutum simulatio perniciosissima est. 2.13.1. 13. & seq.
Reipublicæ vnum fundamentum est fortitudo. 3.17.1.3.4. 5.6
Alterum humilitas. 3.19.1.2. & seq.
Religio facile ridetur, quia difficulter intelligitur. 9.10.4
Religio facilius seruatur, quam reducitur. 2.18.1
Religio ficta nunquam diuturna est. 2.15.10
Religio humanis pactionibus non debet temperari. 9.29.1
Religio in vno regno etiam sit vna tantum. 2.17.1
Religio mutata politiam aut turbat, aut mutat. 2.16.3
Religio mutata semper imperia traxit. 9.19.3
Religionem contra veterem rescripta, imperator irrita facit. 2.8.2
Religionem ingredi volentes, magna cura probari debent, antequam admittantur. 6.46.12
Religionem, in qua disciplina viget, omnes salutis auidi appetunt. 6.13.8
Religionem mutare non est in nostra potestate. 9.23.3
Religionem nouitiorum facilis & temeraria admissio dissoluit. 6.46.12
Religione sublata hominum vita scelere & immanitate completur. 9.20.7
Religionis certaminum irrisores impii sunt. 9.10.3
Religionis cura ad principem pertinet. 9.20.4. & seq.
Religionis & politiæ magna affinitas. 9.10.7
Religionis irrisiones anno 1617. inualuerunt. 9.10.5
Religionis irrisores primarii. ibid.
Religionis irrisores sunt cothurni. 9.10.4
Religionis mutationes plurimæ in Germania. 2.16.4
Religionis negotia duplex hominum genus iudicat. 9.10.2
Religionis optima reformatio est præsulum bona vita. 2. 18.16
Religionis sine tumultu mutuandæ praxes. 2.18.6
Religionis tam Romano-Catholicæ quam Euangelicæ cultorum nomina. 9.10.8. & 10
Religionis veræ conseruandæ rationes. 2.17.2.4. & seq.
Religionis veræ reducendæ modi. 2.18.2.3. & seq. 2.19.1. & seq.
Religionum dissolutio ob terminos est. 6.46.10
Religionum mistio, nec fieri potest. 9.23.3. & 5
Nec si posset, vtilis esset. 9.23.4. & 5
Religionum mistione pacem in Germaniam reduci posse quidam somniant. 9.23.3
Religionum prælati vitæ frugalitate omnibus exemplo esse debent. 6.46.8
Religionum prælaturæ nihil habere debent, propter quod ambiantur. ibid.
Religionum primæuus rigor extra vrgentem causam, nec minuendus nec augendus. 6.46.7
Religio quam D. Petrus docuit, in Republica colenda est. 2. 8.1
Religiosi discoli bonos corrumpunt. 6.46.12. & 13
Religiosi in omnibus vniuersitatibus operam dant studiis. 6. 46.13
Religiosi in virtute languidi, ruinæ proximi sunt. 6.46.13
Religiosi iuniores aut laici, ad quærendum emittendi. 6. 46.10
Religiosi labore manuum victitantes, Reipublicæ vtiles sunt. 6.46.3
Religiosi mendicantes in ordine nec quærunt delicias, nec inueniunt. 6.46.5
Religio simulata duplex impietas est. 9.23.4
Religiosi ordines non modo vitia extirpare, sed etiam ad virtutes serio incitare debent. 6.46.13
Religiosi ordines sese reformare incipiunt. 6.46.12
Religiosi qualem ægrorum curam habeant. 6.46.13
Religiosi quomodo sine cessatione orare possint. 7.46.3
Religiosis pauperibus necessaria domum mittere decet. 6. 46.10
Religiosi abbatem vitiis suis consentientem eligentes, ipsi sibi ad ruinam viam sternunt. 6.46.13
Religio sola hominum inter se societatem custodit. 9. 20.7
Religiosorum diuersos ordines vitasque, integri variique tractatus defendunt. 6.46.1
Religiosorum & Clericorum instituta ex natura sua discrepant. 6.46.6
Religiosorum familiæ efflorescere incipiunt. 6.11.3
Religiosorum mendicantium collegia in magnis vrbibus extruenda sunt. 6.46.11
Religiosorum mendicantium creber excursus, disciplinæ rigorem infringit. 6.46.10. & 11
Religiosorum mendicantium laboriosos discursus diuitum liberalitas tollere debet. 6.46.10
Religiosorum plerique pauperrime viuunt. 6.46.2
Religiosorum prælati austeritatem suo experimento asserant. 6.46.8
Religiosorum studia & officium. 6.46.13
Religiosorum suauissimi concentus. ibid.
Religiosus status Dei non honoris aut libertatis causa, amplectendus est. 6.46.12
Religio veræ cærimonias habet modestiæ indices. 9.10.4
Religio vera Reipublicæ fundamentum est. V. Respublica nisi in ea vera Religio vigeat, florere nequit.
Reliquias Sanctorum antiqui & SS. Patres venerati sunt. 9.26.17
Rempublicam accurate formare, ab instituto Societatis Iesu non alienum est. 1.1.3
Rempublicam, ad concitandum aduersus magistratus odium, in discrimen conijcere, maximum scelus. 9.14.9
Rempublicam magna arte regit, qui bene viuit. 1.3.5
Rempublicam multa cladium genera exercent. 9.1.1. & 2.
Rempublicam per sacerdotes & Dei ministros optime administrari Dauid iudicabat. 6.42.4
Rempublicam qui priuato sumptu iuuant, laudandi sunt. 8.8.4
Rempublicam sine iniustitia administrari non posse, falsa opinio. 5.6.1
Rempublicam superstitio euertit. 2.14.1. & seq.
Rempublicam vitia euertunt. 2.4.3. & seq.
Repetundarum leges Romani socijs salutares tulerunt. 7.91
Repetundarum rei capitis arcessebantur. 7.21.8
Republicâ turbatâ, priuata pereunt. 1.2.3
Rerum minimarum creatio maximam artificis sapientiam indicat. 1.13.17
Residentes in camera sua, non vere residents; nec fructibus beneficij sui gaudere debent. 6.41.3
Residentes quantum horis canonicis accipere debeant. ibid.
Residentia à beneficiato requiritur. ibid.
Residentiam omnia concilia vrgent. ibid.
Residentia sacramento vrgenda. ibid.
Residere quomodo debeant beneficiati. ibid.
Responsa prudentum vnde dicta. 5.2.6
Horum authoritas. ibid.
Respublica alieno adiutorio bellum sustinens, in auxiliatoris est potestate. 10.38.4
Respublica ciuium etiam onerosorum vitam protegere debet. 5.9.6
Respublica ebriosa, sine miraculo stare non potest. 3.14.6. 7.8
Respublicæ Aristocraticæ diuturnæ, vnicum datur exemplum. 1.21.11
Respublica Ecclesiasticorum multitudine non grauatur. 6. 44.5. & 7

Respublicæ omnes ad diuinam normam instituendæ sunt. 6. 42.4
Respublicæ veteres bene constitutæ omnes nobilitatem coluerunt. 8.20.4
Respublica ex hominibus variis coalescere debet. 1.4.2
Respublica florida quæ sit. 1.4.3
Respublica legum custodia seruatur. 5.1.1
Respublica immediate à Deo potestatem habet. 5.8.5
Respublica in electione regum, ius ferendarum legum sibi reseruare potest. 1.2.4. 5.5.5
Respublica inermis, præda est. 10.3.4
Respublica in qua omnes etiam pueri laboribus & opificiis applicantur, facilem ad opes aditum habet. 8.15.4
Respublica, nisi in ea vera religio virtusq; vigeat, florere nequit. 2.3.1.& 5. 2.5.1.2. 2.6.1.& seq. 2.7.1. 2.8.1. & seq. 2.9.1.2.3.4.5. 2.10.1.2. 2.11.1
Respublica nulla nisi corruptis consiliis periit. 8.2.1
Respublica nulla sibi absolutè sufficiens est. 1.4.3
Respublica perfecta bellum indicere potest. 10.4.2
Respublica perfecta quænam dicatur. ibid.
Respublica populo oppresso infirma est. 8.17.5
Respublica possibilis, non idea abstracta his libris docetur. 1.2.6
Respublica potens, vrbes firmas & populosas habeat oportet. 8.22.1
Respublica quando mutari dicatur. 1.14.1
Respublica sacerdotium inhonorans, florere nequit. 6.42.4. 6.44.5
Respublica sibi sufficiens quæ dici possit. 1.4.3
Respublica sine legibus ciuilibus administrari nequit. 5.3.4
Respublica suo iure quando priuari possit. 5.5.7
Respublica suos ciues quo modo ad fortitudinem instituere debeat. 3.17.8.9.10.11.12
Respublica varie à variis definitur. 1.3.2
Resp. vnam absolutam formã habens, facile mutabilis. 1.14.4
Rex à subditis non iudicatur. 6.24.8
Rex bonus, rara auis in terra. 1.2.1
Rex Britanniæ aliter sentit, quam eius orator. 9.39.3
Rex cur & quando bello interesse debeat. 10.23.1.2.3
Rex in administratione iustitiæ à populo non pendet. 1.24.3
Rex non est causa sui. 2.2.4
Rex non regno, sed virtute beatus est. 2.2.3
Rex potentiam non in vnum principem conferre debet. 1.16.5
Rex qua parte maior sit totâ republicâ. 1.24.3
Rex Ribaldorum in aula Francica. 7.16.5
Rex sacrorum apud Romanos cuius authoritatis. 1.15.7
Rex sæpe in alienæ manu est vel principũ vel infimorũ. 8.20.4
Rex si bello interfit securitati suæ consulat. 10.23.3.& 4
Rex si viuidus prudensque sit, præfectum supremum non timebit. 7.14.3
Rex subditos vt familiares reuereatur. 2.2.4
Rex supremum præfectum constituens, vtiliter facit, modo idoneum eligat. 7.14.3
Rex vetus, publicus seruus. 1.15.1
Rhætorum regimen populare est. 7.19.12
Rhetorianorum hæreticorum dogma. 9.11.8
Rhetoriani hodie aliqui inueniuntur. ibid.
Rhethoricæ definitio. V. Eloquentia.
Rhodii metu iudiciorum contra plebem conspirarunt. 9.8.6
Rhodiorum Gymnasium celebre fuit. 4.13.4
Rithardus Britanniæ rex vectigalium collectores fraudu conuictos, supplicio affecit. 8.7.13
Rhoderici regis Hispaniarum infausta libido. 9.8.8
Roma caput idololatriæ, facta est mater filiorum Dei. 6.36.7
Roma cur sub bestia comedente & comminuente in scriptura figuretur. 3.15.3.4. 3.16.9.10.11.14
Roma duos tantum clementes principes vidit. 3.16.18
Romæ filiis senatorum consultationibus interesse licitum erat. 7.8.3
Romæ plebeius consul vnde. 9.12.4
Romæ priuatis arma habere, emere, vendere vetitum fuit. 10.14.4
Romæ senatus ius monetæ cudendæ vsurpabat. 8.7.2
Romæ spe dominationis plurimæ seditiones cõcitatæ sunt. 9.8.9
Romæ sub Optimatum regimine perpetuo tumultuatum est. 1.21.11.& 12. 1.22.9
Romæ superstitio vehemens fuit. 2.14.7
Romæ triplex ciuium ordo. 1.17.13
Romæ viris fortibus præmio donatis ad magistratus aditus facilis erat. 10.57.2
Roma iurisiurandi dateq; fidei, quam aliæ gentes seruantior fuit. 2.15.2.& 6
Romana acies in qua parte fuerit vitiosa. 10.37.1
Romanæ aciei diuisio. 10.37.2.& seq.
Romana legionis arma & fortitudo. 10. 24.28
Romanæ militiæ error. 10.30.1.& 3
Romanæ nobilitati fraudes & superstitiones obfuerunt. 2. 15.8
Romanæ sedis dominia. 6.8.9
Romanæ vires ob frumenti penuriam domi semper imbecillæ fuerunt. 8.21.2
Romanæ vrbis olim prostigatus pudor. 3.12.2.& 3.& 9
Romanam in militia reprehenditur alternum Tribunorum imperium. 10.22.14
Romana militia ex diuturnitate stipendiorum odiosa fuit. 10.55.1
Romanam plebem qui sibi demerebatur, facile rerum potirè potuit. 7.20.4
Romana nobilitas auaritia suæ seditionum causas dedit. 9. 8.3
Roma non suis viribus sed Hannibalis imprudentia seruata est. 8.1.7
Romana plebs seditiosa contra sua mancipia arma sumere recusat. 9.3.2
Romanæ sedes in dignitate & ordine primas tenet. 6.36.6. & 7
Romanæ sedes præcipue omnia statuta ac leges custodit. 6.25.3
Romani ad comitia ebrii venerunt. 8.14.4
Romani ad tyrones instruendos armorum doctores habebant. 10.24.20
Romani agriculturæ primam curam habuerunt. 8.11.2.& 4
Romani ante dena stipendia vxorem ducere non poterant. 10.21.11
Romani Arabicis mercibus ingentia vectigalia imposuerunt. 8.7.11
Romani arcibus imperium tenuerunt. 8.23.3
Romani belli indicendi ius ad populum deuoluerunt. 10. 4.3
Romani contra Hannibalem milite stipendiario vsi sunt. 10.28.5
Romani cur regnum oderint. 1.22.10
Romani cur tanta copia politices peritorum abundarint. 7.8.5
Romani dolis Deos delectari credebant. 3.4.3
Romani equites toto mundo negotiabantur, & vsuras exercebant. 8.10.7
Romani etiam in ipsa Italia interpretibus vsi sunt. 7.30.1
Romani ex frugibus decumam, ex plantariis & arboretis quintam accipiebant. 8.7.15
Romani ex omnibus prouinciis delectum agebant. 10. 28.4
Romani Fidenas & Veios cuniculis oppugnarunt. 10. 46.12
Romani flagitiosissime pecuniam profuderunt. 8.9.7. 8. 13.7
Romani Gallos, Alpes transeuntes, recedere iusserunt. 9 8.14
Romani Hannibale imminente tributa renuerunt. 8.7.21
Romani imagines imperatorum adorandas, ad exteras vrbes miserunt. 7.5.2
Romani Imperatores suos Deos credebant, illisq; aras decernebant. 2.14.9
Romani imperatores trecentorum annorum vno excepto omnes violenta morte interierunt. 2.12.2
Romani Imperii ordines. 1.14.3

Romani imperii ſtatus. 9.3.2. 9.4.1.&2
Romani Imperii ſtatus minima occaſione mutatus eſt. 8.1.6
Romani imperium dilatando perdiderunt. 10.2.8
Romani in bella progredientes, quem itineris ordinem ſeruarint. 10.35.1
Romani in bene meritos ingrati fuerunt. 3.8.1.&2.&5
Romani in Cæſare futuræ & iam auſpicatæ tyrannidis certa indicia & præſagia habuerunt. 7.10.2
Romani in Deos (imperatores) ſuos crudeles fuerunt. 2.14.11
Romani initio militem ordinarium non habuerunt. 10.29.1
Romani in ludos ſcenicos & gladiatores ac inutiles immenſos ſumptus impenderunt. 8.9.7. 8.13.7
Romani in obſidenda Sagunto nimis lenti fuerunt. 8.2.4
Romani in prouinciis magiſtratus annuos habuerunt. 7.9.1. 7.10.1
Romani in victos crudeles erant. 10.61.9
Romani iudiciorum rationes creberrime mutarunt. 7. 22.6
Romani ius ciuitatis precio dabant. 8.15.5
Romani magiſtratuum vēditores, candidatorum tamen rationem habebant. 7.7.5
Romani militarem diſciplinam ſtrictè ſeruabant. 10.24 2.3.&5
Romani milites gregarii deni, vnum ſeruum communem habebant. 10.24.26
Romani milites in bella ituri dimidiati, interdum totius mēſis cibaria ſecum ferebant. 10.24.2.&13.&26
Romani milites interdum pugnare coacti. 10.20.1.&2
Romani milites varia exercitia habebant. 10.24.11.& ſeq.
Romani militibus frumentum & legumina dabant. 10.35. 4.&6
Romani multo ſanguine vicerunt Latinos. 10.37.1
Romani monſtroſos partus abiiciebant. 5.12.1
Romani nullum niſi in vrbe natum & educatum prouinciis præficiebant. 7.11.1
Romani ob ſeditiones domeſticas bella externa lætis animis audiunt. 9.3.2
Romani omnium ſenatorum, exercitus regnorum, prouinciarum, claſſium nomina, opes, vectigalia, tributa, & in laterculo deſcripta habebant. 7.7.4
Romani opibus, nè eas Pœni raperent, ſe defenderunt. 8. 2.4
Romani opum cupiditate Cyprium Parthiſque bella intulerunt. 10.8.6
Romani peculii caſtrenſis medietatem ad ſigna deponebant. 10.53.6
Romani plus negociationibus quam bellicæ rei ſtudebant, in prouinciis. 8.10.7
Romani potentiam ſuam in bello Punico ſecundo non mature ſatis exeruerunt. 8.2.4
Romani prouinciales negociari non permittebant. 8.10.7
Romani prouinciarum longinquarum præſides, eas vaſtabant & ad rebellionem cogebant. 7.7.5
Romani prouinciarum præſides ſorte eligebant. 7.7.9
Romani punctim ferire docebantur. 10.24.20
Romani rei frumentariæ magnam curam habebant. 8. 21.2
Romani ſenatus forma. 1.21.14
Romanis hoſtes contempti, maxima damna cladeſque intulerunt. 10.10.3
Romanis Imperatoribus ignis prælatus. 3.5.5. 7.5.5
Romanis in caſtris munitio deſiit. 10.33.6
Romani ſine ſtipendio militabant. 10.53.1
Romanis iuramentum per genium Cæſaris ſacrum erat. 2. 15.7
Romanis niſi militaſſent, ad honores aditus non patebat. 10. 20.3. 10.21.11
Romani ſociorum copiis multa geſſerunt. 8.24.1
Romanis poſt bellum Punicum magna parſimonia indicta eſt. 8.14.4
Romanis pro primo ſtipendio in menſem deni denarii dabantur. 10.35.2
Romanis quantum frumenti ſingulis annis aduectum. 8.13.7
Romanis quantum in diem inſumere licitum fuerit. 8.14.4
Romani ſupra omnes gentes fidem patriæ præſtiterunt. 8. 20.4
Romani toties ab Annibale victi, plures exercitus alunt. 8.2.4
Romani totum orbem nunquam obtinuerunt. 5.5.9
Romani victis duram ſeruitutem imponebant. 8.7.15
Romani victos benigne, ſed cautè habendo, imperium ſtabiliuerunt. 10.60.3 & 4
Romani viris fortibus varia præmia conferebant. 10.57.1. & 2.
Romani viritim agros diuidebant, & veteranis in ſubſidium vitæ diſtribuebant. 8.11.3
Romani voluptatem ex innoxiorum cædibus hauſtam, proprio dolore penſarunt. 3.16.15
Romano imperio veteri propria fuit prodigalitas. 8.9.7. 8.13.7
Romanorum Ariſtocratia diuturna non fuit. 1.16.3
Romanorum auxilia raro tumultuata ſunt. 10.28.4
Romanorum caſtra. 8.23.3
Romanorum caſtrorum deſcriptio. 10.32.1
Romanorum caſtrorum munitio. 10.33.1.2.&3
Romanorum circa armamentaria maxima cura, induſtria, & impendium. 10.14.4
Romanorum ciuium inuidia, eis bellum ciuile fecit. 7.10.2
Romanorum ciuium numerus & multitudo. 3.16.9
Romanorum claſſes. 10.50.1.&2
Romanorum conſuetudo in magiſtratibus prouincialibus annuatim notandis non probatur. 7.10.2
Romanorum crudelitas. 1.13.4
Romanorum ditiſſimi ſerui erant. 8.20.4
Romanorum gladii per omnia arma ad corpora peruadebant. 10.15.15
Romanorum in conuiuiis luxus. 8.14.2
Romanorum leges crudeles emendatæ. 5.12.6
Romanorum ludi toti orbi graues fuerunt. 3.16.9.10
Romanorum luxuriam paupertas ſecuta eſt. 8.14.4
Romanorum militum cibus & potus. 10.24.2.&3
Romanorum militum diuiſio. 10.30.1
Romanorum mores, quibus perierunt, eorum Dii non correxerunt. 2.6.2. 2.15.4
Romanorum opes militibus vnius Ioſaphati regis non ſuffeciſſent. 8.2.3
Romanorum Optimatum iudicia infamia erant. 1.21.13
Romanorum propria fuit bellica exercitatio. 10.24.10
Romanorum ſenatorum numerus. 8.10.7
Romanorum ſenatorum regius conſeſſus ex mercatoribus erat. ibid.
Romanos omnes paucorum conſpiratio ſeruire coegit. 7.10.2
Romanum exercitum armorum exercitatio ceſſans perdidit. 10.15.18.&19
Romanum imperium continuis ſeditionibus agitatum eſt. 9. 3.2. 9.4.1.&2
Romanum imperium horribili illa beſtia, quæ eſt quarta apud Danielem, præfiguratum eſt. 8.9.7. 8.13.7
Romanum imperium ſingulis decenniis plures ſeditiones, conſpirationes, peculatus vidit quam Hiſpanica Monarchia intra centenos annos. 7.9.4
Romanus populus crudelior fuit imperatoribus. 1.22.10
Romanus populus propter vſurariorum rapinas, in ſacrum montem ſeceſſit. 8.17.5
Roma optimorum ducum & bellatorum ſeminarium fuit. 10.14.2
Roma ſine negociatione ſtare non poterat. 8.10.6
Romulus firmato imperio crudelis fuit. 1.16.4
Romulus ſcuta inſtituit. 10.15.13
Rufinus hæreticorum patronus & hæreticus. 9.27.5
Ruſticæ tribus in vrbe honoratæ. 1.19.6
Ruſticanis Carolus V. veſtitum præſcripſit. 8.14.7
Ruſticis domi dicendum eſt. 8.11.14
Ruſtici venationibus vexandi non ſunt. 8.8.4
Ruſticorum concuſſiones impediendæ. 8.11.14

Sacer-

S.

Sacerdos Christi, eius Euangelium non erubescit. 6.10.37
Sacerdos concubinarius sacerdotio decedere iubetur. 6. 4.7. 6.16.6
Sacerdos ebriosus res monstrosa. 6.10.7
Sacerdos falsarius aut periurus officio deponitur. 6.16.6
Sacerdos hospitalis esse debet. 6.10.10
Sacerdos indoctus turpissimo vitio laborat. 6.13.2
Sacerdos in veteri lege incensum positurus, sorte deligebatur. 7.7.8
Sacerdos peccans, quam diu pœnitentiam agere debeat. 6.16.6
Sacerdos peccato suo infamatus, in pristinum gradum restitui nequit. ibid.
Sacerdos penuria laborans, ad muneris sui functiones inhabilis est. 6. 42.7
Sacerdos summus apud Iudæos omnibus præerat. 6.37.8
Sacerdotali functioni castitas vtilis & necessaria. 6.10.6
Sacerdotali sollicitudini sobrietas necessaria. 6.10.7
Sacerdotem de bello aut armis disputare non dedecet. 10.1. 2. & seq.
Sacerdotem inebriari graue est. 6 10.7
Sacerdotem vnum, si reditus spectes, centum aut ducenti alunt. 6. 44.5
Sacerdotes Christiani vbiq; sacrificium offerunt. 6. 4.2
Sacerdotes de Euangelio viuendi ius habent. 6.42.4
Sacerdotes in primæua Ecclesia opes amplas habuerunt. 6.42.5
Sacerdotes Iudaici magna viuendi præsidia habuerunt. 6.42. 1. & 2. & 3
Sacerdotes Iudæorum ex oblationibus ditescebant. 6.42.2
Sacerdotes Iudæorum omnium immunes, legi commodissime studere poterant. 6.42.3
Sacerdotes peccantes, canones officio deponunt. 6.16.6
Sacerdotes peccantes multis digni mortibus. 6.16.3
Sacerdotes regum delicta puniunt, eosq; pro talibus quandoque excommunicant. 6.3.13. & 14
Sacerdotes sincerius iudicant, quam seculares. 6.8.8
Sacerdotes vere pœnitentes, quando in pristinum gradum restitui possint. 6.16.6
Sacerdotes veteris testamenti bellatores fuerunt. 10.1.4
Sacerdotes V.T. hostias pro peccato totas accipiebant. 6.42.2
Sacerdotes vt sancte sacrificent, magistratus ecclesiasticus attendere debet. 6.4.5
Sacerdotibus Aaronicis vino & sicera interdictum erat. 6. 10. 7
Sacerdotibus diuitiæ concessæ sunt. 6.43.2. & 3
Sacerdotibus V.T. ex sacrificio pro delicto ingens reditus veniebat. 6.42.2
Sacerdotibus V.T. pelles holocaustomatum dabantur. ibid.
Sacerdotibus V.T. primitiæ & primogenita dabantur. ibid.
Sacerdotij & regni coniunctio. 7.6.2
Sacerdotij honor curam recte viuendi auget. 6 10.36
Sacerdotii multiplices sunt prærogatiuæ. 6 3.7.8.9
Sacerdotio initiari volentes, quomodo & ex quibus examinandi. 6.12.7
Sacerdoti præcinenti populus olim respondebat. 6.6.5
Sacerdotis contumacia prohibetur, humilitas commendatur. 6.10.28
Sacerdotis in ebrietate deprehensi pœna. 6.10.7
Sacerdotio officium est, docere subditos & magistratus. 1.1.3
Sacerdotio ornatus modestia est. 6.10.9
Sacerdotis primum munus quod sit. 6.4.1
Sacerdotis summi apud Hebræos præcipua dignitas erat in iudicando. 6.42.3
Sacerdotium Christianum regale est. 6.3.15
Sacerdotium regno maius est. 6 3.7. 6.43.3
Sacerdotium & iurisdictio ciuilis iure naturali non pugnant. 6.9.3
Sacerdotium Leuitarum honoratissimum & ditissimum erat. 6.42.1. & 2. & 3
Sacerdotium regno iunctum res est firmissima. 6.42.4
Sacerdotium regno venerabilius est. 6.3.2.5.6.7.8.9
Sacerdotum bonorum paucitatem præstat habere, quam malorum multitudinem. 6.10.32
Sacerdotum concubinariorum Missas audire, synodus Romana prohibuit. 6.4.7
Sacerdotum error populi pernicies est. 6.10.1
Sacerdotum impia vita, multorum malorum causa. 6.4.4. & 6
Sacerdotum leuia delicta, grauia putantur. 6.16.7
Sacerdotum magistratus ciuilis defensor est & aduocatus. 6. 3. 10
Sacerdotum mores trahunt populum. 6.10.1
Sacerdotum ordinationi maior ætas constituenda. 6.12.5
Sacerdotum pœna perpetuæ sunt, laicorum temporariæ. 6.16.1
Sacerdotum sanctitas duplex. 6.10.31
Sacerdotum spiritualis missio cum spirituali imperio ex se iuncta non est. 6.9.4
Sacramentarij impij auctores. 9.11.4
Sacramentarij impium detestantur Lutherani. ibid.
Sacrificanti vt minister adstet, canones statuunt. 6.4.9
Sacrificia à ieiunis participari debent. ibid.
Sacrificia in Ecclesia quotidiana esse oportet. ibid.
Sacrificia sancte offerenda. 6.4.3
Sacrificii contemptus in primitiua Ecclesia repentina morte vindicatus. 6.4.5
Sacrificii contemptus, reipubl. interitus est. 6.4.4
Sacrificiorum tria genera apud Hebræos. 6.42.2
Sacrificium Christianum puritatem requirit. 6.4.3
Sacrificium Christianum scurriliter irrident nouatores. 6.5.4
Sacrificium Missæ, crucis sacrificio consentit. 6.5.5
Sacrificium per ministri impuritatem non polluitur. 6.4.7
Sacrificium quid sit. 6.5.4
Sacrificium semper in Ecclesia fuit. 6.5.5
Sacrificium typicum contemptum, grauiter punitum. 6.4.4
Sacristæ officium. 6.40.10
Sæcularia negocia disputare quomodo religiosi possint. 1.1.4
Saguntini victoris misericordiam desperantes, se ipsi confecerunt. 10.9.4
Salas in Theologia & iure doctissimus. 5.1.4. 8.7.4
Salas omnes ad soluenda tributa iusta ante sententiam obligari docet. 8.7.18
Salinarum copia in Italia. 8.12.5
Salinas Ancus-Marcius primus inuenit. ibid.
Salomon architectos magnifecit. 8.15.3
Salomon in senectute prodigus fuit & exactor. 8.13.6
Salomonis equorum multitudo. 6.4.2.2
Salomonis holocaustorum multitudo. ibid.
Salomon negociationes exercuit. 8.10.10
Salomon, postquam libidinibus se dedit, male regnauit. 3.12.6
Salomon rex ditissimus fuit. 8.5.3
Saluus conductus Germanis à Tridentina synodo concessus. 9. 43. 5
Sambuca machina bellica turribus adiuncta. 10.19.7
Samnitum horrendus delectus & iusiurandum. 2.15.10
Sanctorum actis & doctrinis nihil fraudis subest. 1.9.3
Sanctos etiam antiqui sancti patres inuocarunt. 9.26.17
Sanitas nullis vel paucis medicamentis restituitur. 5.11.4
Sanitas res fluxa est. 8.2.1
Sanitatis magna cura in castris habenda est. 10.54.5
Sapientes Græciæ non fuerunt tyranni. 4.11.7
Sarauia ecclesiarum vniuersales traditiones, aut diuinas, aut apostolicas esse asserit. 6.37.3
Sarauia episcopatum solo vigore ecclesias fletisse fatetur. 6.37.5
Sarauiæ episcopis duplicem potestatem concedit. 6.37.7
Sarauia episcoporum dignitatem canonibus apostolorum probatam dicit. 6.37.3
Saratia episcoporum opes & famulitium probat. 6.43.2
Sarauia Gallicus minister vnanimem patrum consensum legem inuiolabilem dicit. 6.37.3
Sarauia in paritate pacem firmam esse negat. 6.37.5
Sarauia necessitat° à veritate, primatu Petri agnoscit. 6.37.9
Sarauia odium episcoporum, plagam Dei esse docet. 6.37.5
Sarauia vetusta ordinis Hierarchici vocabula defendit. 6. 37. 4

Satan Luthero persuasit, Missam idololatriam esse. 6.5.4
Satraparum in Chaldaica Monarchia dignitas ac potentia. 7.14.5
Satraparum nimia potentia, nisi frenetur, periculosa. 7.14.6
Satraparum visitatores erant veteres satrapæ. 7.14.5
Satrapiarum Monarchiæ Chaldæo-Persicæ numerus. 7.14.6
Saxoniæ Electoris in Imperio potestas. 7.17.2
Scaligeri duo, Iulius & Iosephus, ad Veronensium Scaligerorum prosapiam genus suum referre voluerunt. 4.19.10
Scandala neminem à religione Catholica arcere debent. 9.43.11
Scauri theatrum. 8.14.9
Scelerum tentamenta punita. 5.8.9. 6.9.6
Schœculis in Turcia simulata sanctimonia incurabiles seditiones concitauit. 9.9.7
Scharpianum dogma confusionem parit. 5.8.16. *reipubl. euersionem inducit.* 5.8.17. 6.9.6
Scharpij infamia argumenta discutiuntur. 5.8.16
Scharpio commissus Pareus. 5.8.16
Scharpium imbellem & maledicum nebulonem, Caluinisticus adulator Hersulem & Hercule maiorem indigitat. 5 23.7 6.28.11
Scharpius Cacus Britanniæ, lues Galliæ. 5.8.16
Scharpius canonem librorum scripturæ multis argumentis oppugnat. 5.23.7. *eadem soluuntur.* 5.23.8
Scharpius Ecclesiasticos iurisdictione temporali spoliare conatur. 6.9.1.& 2
Scharpius etiam à suis refutatur. 5.8.16
Scharpius Eucharistiæ materiam tollit. 6.5.2
Scharpius in dialectica non versatus. 5.8.16
Scharpius magistratui condendarum legum ius tribuit. ibid.
Scharpius principum leges conscientias stringere negat. 5.8.15.& 16.
Scharpius propriis retibus capitur. 5.8.16.& 17
Scharpius reuincitur. 5.8.18
Scharpius sibi contradicit. 5.8.16
Scharpius vnam rem duas præsentias habere posse negat. 6.5.3 8.23.8
Schenckiana arx opportuno loco sita est. 6.20.2
Schisma in pontificis electione abominabile est. ib.
Schismata ex multitudine pontificum nominatorum orta. ib.
Schismata plerumq; in hæresin desinunt. 9.20.3
Scholæ & scholastici qui olim dicti. 7.16.4
Scholarum fundatores & censores sunt Pontifex & Episcopi. 4.6.3
Scholarum militarium numerus & ocia. 7.16.4
Scholastici in consilio præsidum erant. ibid.
Scholastici officium. 6.40.8
Scholastico Metropolitano generalis scholarum inspectio commissa. ibid.
Scholasticus Cathedralis præsidet examini ordinandorum. ib.
Scientiæ ab vno formali obiecto vnitatem accipiunt. 4.17.1
Scientia rerum singularum vna peculiaris est, omnium vna generalis. 4.17.2
Scientiarum ordo duplex constituitur. 4.17.1
Scientiarum secundum naturas rerum diuisio. 4.17.2
Scientiarum tria genera, per ternas abstractiones plerisq; constituunt. 4.17.1
Scipio Africanus exploratores Hannibalis deprehensos benigne habuit. 3.17.6
Scipio Africanus fratrem belli Syriaci ducem & consulem, voluntaria legatione comitatus est. 7.11.2
Scipio Africanus delatum sibi perpetuum consulatum recusauit. 7.18.7
Scipio Asdrubalem militem ieiunum educentem, facile vicit. 10.37.9
Scipio fugientibus viam muniendam dixit. 10.49.1
Scipio hostium castra explorandi artem insignem intenuit. 10.51.9
Scipio in Hispania ob Celtiberorum perfidiam oppressus est. 10.28.6
Scipio Lælium corona aurea & triginta bubus donauit. 10 56.1
Scipioni Nasicæ dictum iocosum sed acerbum Aedilitatem abstulit. 3.11.5
Scipio Numantinus triginta dierum frumentum milites secum ferre coegit. 10.24.13
Scipionis Africani virtus militaris. 8.2.4
Scipionum exilia ex seditione plebeia. 9.3.2
Scipio populi Rom. nomina reddere potuit. 3.2.4
Scipio rempubl. definit rem populi. 1.3.2
Scipio simulatæ religionis pœnas dedit. 2.13.15.& 20
Scipio machina bellica. 10.19.7
Scorpius cum vitam desperat, seipsum occidit. 3.15.11
Scribæ apud Hebræos summæ venerationis fuerunt. 7.25.2
Scribæ dicebantur viri doctiæ ac prudentes. ibid.
Scribarum extra iudicium variæ dignitatis officium. ibid.
Scribarum insolentiam Cato retudit. 7.24.5
Scribarum magna olim fuit dignitas. 7.24.4
Scribarum opera vtendum, non vero eorum dictis obtemperandum. 7.24.5
Scriba Scipionis eius filio præfatus fuit. 7.24.1.& 4
Scipiones de controuersiis fidei moderatæ, sed apertæ & sine simulatione esse debent. 9.34.4
Scripturis fides defendenda est. 9.34.1.& 4
Scripturæ canonem Sectarij suo arbitrio mutant. 5.23.6.7
Scripturæ controuersiarum quis iudex constituendus sit. 9.31.3.5.7.8.& 10
Scripturæ lectio non est omnibus mandata. 5.27.1
hæreticis noxia. 5.27.5
Catholicis permissa, sed cum discrimine. 5.27.6.& 7
Scripturæ sacræ etiam in monasteriis sunt exponendæ. 6.13.5. 6.44.13
Scripturæ sacræ interpretes examinandi modus. 6.12.7
Scripturæ sacræ occulta vis. 16.1
Scripturæ sensum nemo per seipsum cognoscit. 9.41.10
Scripturæ versio latina S. Hieronymo facta, sincera est ac erudita. 5.24.1
ea iam olim ab Ecclesiis probata & celebrata. ibid.
quæ Concilij Trident. in eiusdem approbatione mens. 5.24.3
Scripturæ versiones ab hæreticis factæ, quales sint. 5.24.3. 5.25.2.& 3
Scriptura intellectu difficilis est & obscura. 5.26.1.2.3
eam à quouis opifice qui legere norit, intelligi, docent Sectarij. 5.26.1
Scripturam bono fine vertere & legere, interdum bonum est. 5.26.4. 5.27.7
Scripturam Catholici venerantur, & soli recte intelligunt. 5.23.2.3. 5.24.1.& 4
eam Sectarii contemnunt & mala interpretatione corrumpunt. 5.23.3.4.5. 5.28.4.& 5
authenticam nullam habent. 5.24.3. 5.25.1.2.3.4.5
Scripturam, si Ecclesia fallitur, falsam esse necesse est. 9.35.3
Scriptura non est sufficiens omnibus controuersiis decidendis. 5.28.3
Scripturarum controuersias solius Ecclesiæ auctoritas dirimere valet. 9.35.3
Scripturarum genuinum sensum quinam teneant, controuertitur inter Sectarios & Romano-Catholicos. 9.44.7.& 8
Scripturarum sacrarum lectio in omnibus academiis requiritur. 6.13.5
Scripturarum SS. verus sensus non priuato iudicio æstimandus est. 9.44.8
Scripturarum sana interpretatio per traditionem habetur. 9.41.10
Scriptura sacra 4. ob causas contra Atheos vsurpari potest. 1.6.1
Scripturas legendi, idiotæ à suis pastoribus facultatem petant. 5.27.7
Scripturas sacras quisq; hæreticorum suo arbitrio interpretatur. 9.30.6.& 9
Scripturæ vernaculæ versionis paucæ Ecclesiæ vsæ sunt. 5.26.1.2
Sculretus caput irrisorum religionis. 9.105.

Scurræ Oppenheimensis contra Pontificem calumnia. 6.21.2
Scuta etiam ante bombardas inutilia fuerunt. 10.15.13
Scuta nostris militibus impedimenta sunt. ibid.
Scuta Romanorum firma erant. 10.15.12
Scuta Romulus instituit. 10.15.13
Scutis quænam ligna apta. 10.15.11
Scutorum forma, materia, & magnitudo. ibid.
Scutorũ Germanorum & Gallorũ infirmitas. 10.15.12. & 13
Scutum contra bombardas factum, nimis graue foret. 10.59.6
Scutum vetustæ militiæ præcipuum munimentum fuit. ibid.
Scytalæ Laconicæ, literæ occultæ. 10.51.7
Scythæ iuuentutem seuere instituebant. 4.1.4
Σεβασοφοροι quinam dicti, & quæ eorum dignitas. 7.15.1
Sectæ Sacramentariorum variæ, earumq; varij auctores. 9.11.2. & seq.
Sectarij arrogantes antiquitatem damnant. 9.41.10
Sectarij conuitijs, epigrammatis, famosis libellis Pontificem, Cæsarem, principesq; Catholicos traducunt. 9.34.2
Sectarij cur Hierarchicum ordinem oderint. 6.37.1
Sectarii dum monarchiam fugiunt, singuli tyrannisci inueniuntur. 6.37.9
Sectarii idoli sui mysteria pandere non audent. 9.41.1
Sectarii legem diuinam Catholicos repudiasse, interpolasse, & oppressisse calumniantur. 5.23.1
solas traditiones suas sequi. 5.28.1
Sectarii nostri vetusta nomina officiorum ecclesiasticorum reiiciunt, rem retinent, Angli vtraq; amant. 6.37.1
Sectarii quicquid ex scriptura euidenter probari non potest, reiiciunt. 9.44.7
Sectarii scripta humana & confessionem suam legi diuinæ præferunt. 5.28.4. & 5
Sectarii scripturam authenticam nullam habent. 5.24.3. 5.25.1. & seq.
Sectarii se mutuo infamant. 9.44.10
Sectarii societatem ob iuuentutis informationem, infestissimè oderunt. 4.6.9
Sectarii Tetrarchiam in Ecclesia permittendo, monarchiam sine ratione denegant. 6.37.9
Sectariorum contra Concilii Trid. auctoritatem, inanes sunt exceptiones. 9.43.1. & seq.
Sectariorum inquieta ingenia. 6.5.1
Sectarios odium in Pontificẽ de hæresi suspectos reddit. 6.20.1
Sectarum discrepantium doctores & antistites. 9.11.1
Seditio Constantinopoli cruenta. 9.5.1
Seditio crimen maiestatis est. 9.45.2
Seditio ex superstitione orta, incurabilis est. 9.9.7
Seditio ex veris magistratus malis nata, periculosissima est. 9.14.3
seditio graue malum, bellogq; calamitosus. 9.2.1
Seditio grauis Romæ ob nouas tabulas. 9.3.2
Seditio Histiæ inter duos fratres de diuidũda hæreditate. 9.12.3
Seditio initio ferè est inualida. 9.15.2
Seditio malum frequens. 9.3.1. & 2
Seditionarii non ordinantur, ordinati vero honore priuantur. 9.43.4
Seditionarii persona rei causam meliorem vel deteriorem facit. 9.45.8
Seditionariorum & eorum complicum quales pœnæ. 9.45.2. & seqq.
Seditionem aut rebellionem cogitantes, largitionibus agunt, fucatumq; pacis studium præseferunt. 9.14.10. & seq.
Seditiones crudeles in AEgypto. 9.14.15
Seditiones & trãsfugia dissimulare quãdoq; prodest. 9.16.10
Seditiones ex paruis magnas sæpe victoriæ seuitia efficit. 9.15.5
Seditiones ex paruis rebus maximæ oriuntur. 9.12.9
Seditiones à castris Romanis raræ fuerunt. 5.45.1
In seditione sine summo magistratu manet ciuitas. 9.3.2
Seditiones Israëlitarum ex populi malitiâ ortæ sunt. 9.9.1
Seditiones multi falsis literis, aut accepta credito pecunia sedarunt. 9.16.5. & 6
Seditiones Romæ ex diuturna militia frequentes. 10.55.1
Seditiones Romæ in ipsis iudicijs sæuissimæ. 9.3.2
Seditiones Romanis bella externa læta fecerunt. ibid.
Seditiones sæpe nulla ex causa concitantur. 9.9.1
Seditiones sanctorum & religiosorum virorum interuentu sæpe compositæ sunt. 9.16.12
Seditiones sedare & vitare, prima cura principum esse debet. 9.3.1. & 2. 9.4.1
Seditiones vt præuideantur, summa arte opus est. 9.14.4
Seditione vix vnquam melior status efficitur. 9.15.10
Seditionibus imperium Græcorum fœdioribus, quam Romanorum agitatum est. 9.5.1
Seditionibus plurimi Roman. imperatorum perierunt. 9.4.1
Seditionibus Romanum imperium continuis agitatum est. 9.3.2. 9.4.1. & 2
Seditioni concitandæ sufficit omne vitium, si crescat. 9.8.1
Seditioni interdum ex necessitate cedendum. 9.15.3
Seditionis causæ fere Rectorum & populi delicta sunt. 9.8.1
Seditionis causæ fortuitæ. 9.13.1 & seqq.
Seditionis causa non minima, fames est. 9.31.2
Seditionis concitandæ artem docere, hominis insani est; media eam præcauendi tradere, politici. 9.14.1
Seditionis concitandæ efficax causa calumnia. 9.14.3. & 5
Seditionis initia sunt maledicta. 9.45.8. & 10
Seditionum auctores officijs demereri interdũ conuenit. 9.15.7
Seditionum causa cum anceps aut leuis est, à partibus abstinendum est. 9.46.3. & 6
Seditionum coercendarum variæ rationes. 9.15.2. & seq. 9.16.2. & seq.
Seditionis finis est exitium. 9.2.5
Seditionum primaria causa. 9.8.2. & seq. 9.9.1. & seq. 9.12.2. & seq.
Seditionum remedia duplicia. 9.15.1
Seditionum tempore quando, & quibus partibus sit abstinendum. 9.46.3.4.5.6. & seq.
Seditionum varia genera. 9.45.1
Seditio populi ex multis signis præcognoscitur. 9.14.1.2.3
Seditio rusticorum in Anglia. 9.9.2
Seditiosa plebs Romana contra sua mancipia arma sumere recusat. 9.3.2
Seditiosi non facile nec diu concordes. 9.15.8
Seditiosi non sunt fortes. 9.2.5
Seditiosi post monitionem ad pacem non reducentes, excommunicantur. 9.43.4
Seditiosis dare tempus se confirmandi, periculosum est. 9.15.4
Seditiosis spes veniæ danda. 9.15.5
Seditiosorum bona hæredibus auferuntur. 9.45.11
Seditiosorum domus publicari aut deiici solebant. 9.45.3
Seditiosorum & coniuratorum filii & amici, non sunt puniendi. 9.45.11
Seditio sub Othone periculosissima orta. 9.9.10
Seditio valida cuniculis oppugnanda. 9.15.3
Seditio vnde dicatur. 9.2.1
Segebergenses à VValdemaro obsessi, commeatum simularunt. 10.47.6
Seleuciæ Episcopus patriarchali honore & loco gaudet. 6.36.9
Seleucia præsul sextus in ordine patriarcharum. ibid.
Seleucus à Ptolomæo occiditur. 1.7.7
Seleucus vltimus ducum Alexandri, Lysimachum superat & necidat. ibid.
Selybriani in pecuniarum inopiâ, priuatorum frumento inique negociabantur. 8.15.25
Seminaria clericorum instituenda. 6.13.6. & 8
Seminaria redditibus ecclesiasticis fundanda. 6.13.8
Seminariis clericorũ sublatis, ecclesia ruinã minabitur. 6.13.8
Seminariis ociosorum beneficia distribuenda. ibid.
Seminariorum huiusmodi finis ac profectus. ibid.
Sempronius Gracchus in Capitolio occisus est. 9.3.2
Senatores principum magna cura legendi sunt 8.13.6
Senatores vsurarii dignitate deiicienti. 6.12.12
Senatoris boni signa & dotes. 7.13.7
Senator verus quis sit. 7.8.4
Senatorum turba vitanda. 7.13.4
Senatorum veterum iura. 7.13.5

Senatui interesse iuuenibus cur potestas concedenda sit. 7.8.3. & 4. 7.13.2. & 7

Senatui interesse iuuenibus olim Romæ, nunc Venetiis licet. 7.8.3

Senatu indigni arcendi, electi vero amouendi. 7.13.2

Senatu indignos Romani amouerunt. ibid.

Senatui Romano auctoritatem quo fine Stilico restituerit. 7.6.5

Senatum Romanum Augustus purgauit. 7.13.2

Senatus consultum lex dici potest. 5.2.6

Senatus è magistratibus legendus. 7.13.2. & 3

Senatus fama in æstimatione senatorum consistit. 7.13.7

Senatus imperii Germanici regius est. 7.13.1

Senatus in omni republica necessarius. ibid.

Senatus liberi summa potestas est. 7.13.3

Senatus magna dignitas & potestas esse debet. 7.13.1

Senatus principum consistorium dicitur. 7.13.7

Senatus Romani auctoritas pro arbitrio Imperatoris mutabatur. 7.6.5

Senatus Romani decreta vim legis obtinebant. 7.13.3

Senatus Romanus vrbe maxime florente, senatu imperii Germanici multis parasangis inferior. 7.13.1

Senarchi sunt veluti proprii & naturales locorum gubernatores. 7.22.17

Senatus statum patriæ olim referebat. 7.6.5

Senecæ insignis diligentia. 4.8.15

Seneca morborum origines describit. 5.11.4

Seneschallorum dignitas ac potentia quæ initio nulla erat, tandem post regiam maxima fuit. 7.15.2

Septentrionales vti & reliqui populi prudentiâ & castrorum disciplinâ clarent. 10.20.6

Serenitatis titulus vnde ortum habeat. 3.11.7

Sertorii diuinationes exitus elusit. 2.13.20

Sertorius ceruæ candidæ quasi fatidicæ circumductu Lusitanos fefellit. 2.13.15

Sertorius fuga victoriam recepit. 10.48.7

Serui ad hæredes transeunt. 8.20.4

Serui nec ad religionem, nec ad ordines sacros admitti possunt. 6.12.14

Serui non sunt pars reipublicæ. 1.3.3

Serui quidam nasci videntur. 1.21.4

Seruire, multis vtile est. 8.15.2

Seruitutis prima origo vnde. 5.2.5

Seruius apud Romanos censum primus per classes instituit. 8.7.6. & 16

Seruius diuitibus galeas æreas imperauit. 10.15.7

Seruorum infida & infirma manus. 8.20.4

Seruorum in republica habenda cura. 1.3.3

Seruorum magna vtilitas. 8.15.2

Seruorum metu ac multitudine Roma in perpetuo periculo fuit. 8.14.9

Seruorum olim miserrima conditio. 5.2.6

Seruos 4116. C. Cæcilius Claudius Isidorus habuit. 8.11.16. 8.14.9

Seruorum Romæ pompa. 8.14.9

Seruorum vsus licitus. 8.15.2

Seruus nemo nascitur. 10.8.2

Sesostris currus regum ceruicibus egit. 8.8.2

Sesostris victoriâ insolentissime vsus est. 10.61.6

Seueri imperatoris insignis frugalitas. 3.10.4

Seuerus ex milite gregario ad Augustum fastigium elatus est. 1.24.10

Seuerus imperator nomen & omen habuit. 3.15.4. 3.16.11. & 22

Seuerus vrbem ouans ingrediens, quadraginta consulares viros fictis causis necidit. 3.16.22

Sextius primus Consul Romanus è plebe factus. 2.15.8

Sibuna, genus armorum Græcis vsitatum. 10.17.1

Sybilla Erythræa de Christo multa prædixit. 1.9.3

Sibyllinorum librorum auctoritas. ibid.

Siderum cursus in libertatem humanam nullam efficientiam habet. 1.5.3

Silentium optimum rei administrandæ vinculum. 7.13.7

Silentiarium curia, & silentiarii consiliarii appellati sunt. ib.

Siluanus Episcopus cur clericis suis iudicandi potestatem ademerit. 6.8.6

Siluester multas leges iniustitiæ damnat. 5.4.4

Simoniacis ad ordines sacros aditus præclusus. 6.12.8

Simplicitas impedit ab Episcopatu. 6.10.8

Simulatio Deo odiosa est. 2.13.2. 3.4.2

Simulationis artificium in Tiberio imp. summum fuit. 2.13.6

Simulationis exempla. 2.13.15

Simulatio virtutis duo vitia copulat. 2.13.3

Simulatio virtutum res perniciosissima est, ac turpissima. 2.13.1 3.5. & seq. 3.4.2

Simulatores etiam Deo se imponere posse confidunt. 2.13.3

Simulatores etiam in hac vita puniuntur. ibid.

Simulator nec moneri nec instrui potest. 2.13.4

Simultatibus Romanum Imperium scatet. 9.17.1

Sinæ Academias non habent, sed singulos domi alunt magistros. 4.16.5

Sinæ aduenis nullum in regnum ingressum concedunt. 7.31.1

Sinæ arma nec foris gestant nec domi habent. ibid.

Sinæ eruditis magnos honores conferunt. 4.16.5. 7.31.1

Sinæ in honorandis præceptoribus pene sunt superstitiosi. 4.8.4

Sinæ literatis solum præfecturas vrbium conferunt. 4.16.5. 7.31.1

Sinæ tres literarum gradus habent. 4.16.5

Sina Mandarinorum copiam habet. 7.23.6

Sinapis grani natura Deum esse ostendit. 1.11.6

Sinarum imperium à parentibus in filios deriuatur. 7.31.1

Sinarum in examinandis Baccalaureis, Licentiatis, Doctoribus tam philosophicis quam militaribus ratio. 4.16.5

Sinarum iudicia corrupta. 7.32.6

Sinarum magistratus defuncto parente extemplo se officio abdicant. 7.31.1

Sinarum magistratus stipendium quotannis exiguum percipiunt. ibid.

Sinarum regis sedes olim Nanquinum, nunc Pequinum. ibid.

Sinarum regnum semel memoratur subiugatum. ibid.

Sinarum Rex cœli filius appellatur. ibid.

Sinarum respublica à Mandarinis administratur. 7.23.6. 7.31.1

Sinensis regni liberatoris familia à Rege quiduis obtinet. 7.31.1

Sinensis regni vectigalia centum quinquaginta milliones excedunt. ibid.

Sinensis Reipubl. soli Doctores ac Licentiati gubernatores existunt. ibid.

Sinensis Respublica leges antiquas nullas habet. ibid.

Sinensis Respublica Monarchica est, admixta Aristocratia. ibidem.

Sinensium Ducum immunitates. ibid.

Sinensium magistratuum anno 1607. quater mille condemnati. ibid.

Sinensium magistratuum idem corporis habitus. ibid.

Sinensium magistratuum nomina & ordines. ibid.

Sinensium nullus in prouinciâ, in qua natus, ad magistratus aditum habet. ibid.

Sinensium philosophorum celebre dictum. ibid.

Sinensium philosophorum potestas, authoritas, & in patriam ac regem amor. ibid.

Sinensium prouinciarum & vrbium administratio. ibid.

Smerdas Cyri filium se finxit. 9.14.13

Soarez profundi ingenii. 5.1.4

Soarez Theologiæ & canonum consultissimus. ibid.

Soarez tributa ex iustitia commutatiua soluenda docet. 8.7.7

Sobrietas pudicitiæ custos est. 3.12.16

Sobrietas Reipublicæ necessaria est. V. Ebrietas.

Societas Iesu à suis auditoribus exomologesin menstruam, Missæ quotidianam, & concionis per dies festos auditionem exigit. 4.8.3.5.6. & 7

Societas Iesu eruditionem ab initio complexa est. 4.6.14

Societas

Societas Iesu de Republica ex officio agere debet. 1.1.5
Societas Iesu grammaticas institutiones vtili breuiq; methodo tradit. 4.18.2.& seq.
Societæ Iesu hæreticorum calumnijs exposita. 6.28.5
Societas Iesu inimicorum multitudine à labore non deterretur. 1.1.7
Societas IESV iuuentuti castitatem & verecundiam instillat. 4.6.9.10.11.12
Societas IESV iuuentutis institutionem vtiliter suscepit. 4.6.8
Societas Iesu nouitios biennio probat. 4.22.4
Societas Iesu obscenæ auctorum à suis Gymnasiis remouet. 4.6.9.10.12. 4.8.19
Societas Iesu professores futuros, ne ad docendum rudes accedant, diligenter instituit & examinat. 4.22.6.7.8.9
Societas Iesu quales in suam religionem admittat. 4.22.2
Societas Iesu studia ad Theologiam dirigit. 4.12.3. 4.23.5
Societas viuendi necessaria. 1.2.1
Societatis Iesu alumni hæretica loca transeuntes, quomodo à prædicantibus & horum fœtu tractentur. 6.28.5
Societatis Iesu in suis studijs finis. 4.6.8.9.10.11
Societatis Iesu in eloquentia docenda methodus. 4.21.1. & seq.
Societatis Iesu primarius finis in erudienda iuuentute est. 4.8.1
Societatis professores ab inferioribus docere incipiunt. 4.22.10
Post humaniorum literarum professionem Theologiam audiunt. 4.22.12
Societatis professores nullum ex discipulis ad suam religionem allicere possunt vel audent. 4.8.1
Societatis professores optimam docendi methodum tenent. 4.6.15.& 16
Societatis professores visitationis, obseruationis, admonitionis, reprehensionis capaces & amantes sunt. 4.6.18
Sociorum legiones in equitatu superabant Romanos. 10.30.5
Sociorum stipendium. 10.53.4.& 7
Socrates tria hominum genera in republica requirit. 1.4.1
Solertia præcipua pars est prudentiæ. 3.2.6
Solimannus in ciuili bello filiorum alterius necem precio emit. 9.2.4
Solon Athenienſium legislator in iudicibus legendis delirauit. 7.19.7
Solon ciuem in factione neutra parti se coniungentem, exulare iussit. 9.46.1
Solon Draconis reges crudeles correxit. 5.12.6
Solon insigni stratagemate Salaminam cepit. 10.25.2
Solon non est habitus tyrannus. 4.11.7
Sorte magistratus cur non eligendi. 7.7.6.& 9
Sorte quando magistratus eligere licitum sit. 7.7.7
Sortiri pericula possunt fortes. 7.7.8
Spartacus si contra barbaros pugnasset, insignis imperator fuisset. 10.20.2
Sparta legibus libidines coercentibus caruit, ideo pudica esse cito desiit. 3.12.12
Sparta mœnibus vincta non fuit. 8.22.1. 8.23.8
Sparta multis vrbibus imperauit. 1.4.3
Spartani damno suo sapientiores effecti, vrbem suam muniuerunt, & Athenas nudarunt. 8.22.1
Spartani in iuuentute ad bella instruenda errarũt. 10.20.10
Spartanorum in patriam amor. 3.21.3
Spartanorum reges acciſæ potentiæ fuerunt. 7.19.8
Spartarum potentia non fuit diuturna. 8.1.4
Spartiatæ regibus ſuis belli cuicunq; inferendi ius concesserunt. 10.4.3
Spectacula cruenta non efficiunt fortes viros. 3.18.1.2.3.4.5.6
Spectacula cruenta etiam ipſi, qui furebant, damnabant. 3.16.14
Spectacula cruenta non fortitudinis excitandæ, ſed animi crudelis oblectandæ cauſa fiebant. 3.18.4.5.6
Spectacula cruenta quando cœperint. 3.18.5
Spectacula cruenta Romæ in ſingulos annos, ad trecenta millia abſumpſere. 3.16.9
Spectacula gladiatorum tollere, magni laboris fuit. 5.6.4
Spectacula ſcelera docebant, eorumq; ſpectatorum nemo caſtus erat. 3.13.2.3.4
Spectacula turpia inducere aut permittere, nec principi, nec Reipublicæ licet. 3.13.4.5 & 6
Spectaculorum Romæ quatuor genera erant. 3.13.1
Spectaculorum theatricorum leges. 3.13.7
Spe melioris boni multi magna audent. 9.8.7
Spinola in Belgio pugnaturus, primum de ſede belli commoda ſibi prouidit. 10.35.4
Spiritualia magiſtratus ciuilis indirectè præcipit. 5.8.16
Sponſaliorum conuiuia abrogant leges ſumptuariæ Moguntinæ. 8.14.3
Sponſorum munera eædem leges ſumptuariæ definiunt. ibid.
Stancariani hæretici, Oſiandrinis oppoſiti. 9.11.6
Statione ceſſiſſe, in veteri militia capitale erat. 10.34
Statores & ſtationarii miniſtri magiſtratus. 7.30.1.& 2
Statuæ ad vrbium oppugnationem à Cyro allatæ ſunt. 10.18.5
Statuæ principis euerſio maieſtatis crimen erat. 7.5.2
Statua imperatoris in porta Babylonis exhibebatur, & ab intrantibus adorabatur. ibid.
Statuarum cultus ferri & laudari poſſet, niſi latriæ adoratio adeſſet. ibid.
Statuarum regiarum cultus initium idololatriæ fuit. ibid.
Statuas principum milites acclamationibus, floribus & coronis honorabant. ibid.
Status bella incommode adminiſtrant. 7.6.3
Statutum lene ac vtile de vita clericorum communi. 6.17.13
Statuum conſilia quæ commoda, quæ incõmoda habeant. 7.6.3
Statuum diſcordia, magna parit incommoda. ibid.
Stipendia prima Romanis data, obſonia vocabantur. 10.53.2
Stipendijs fruſtrare militem varia arte ſolent. 10.53.9
Stipendiorum tempus in Romana militia. 10.55.1
Stipendium Græcorum. 10.53.3
Stipendium militi non tãtum pecuniarium ſed etiam alimentitium dandum. 10.53.4
Stipendium Romanis militibus initio non datum. 10.53.1
Stoici mũdum propter hominem conſtructũ vere docẽt. 1.11.6
Stoici omnes niſi ſummum ſapientiæ faſtigium attigiſſent, inſanos pronunciabant. 3.3.2
Stoici philoſophi magiſtratuum contemptores habebantur. 4.23.8
Stratagema optimum eſt aduerſa ſtratagemata cauere. 10.38.10
Stratagemata caute agi debent. 10.38.1
Stratagemata Imperator, cum præliandum eſt, continuo meditetur. 10.38.18
Stratagemata licita ſunt. 10.38.1
Stratagemata varia obſidentium. 10.46.4
& obſeſſorum. 10.47.5.6.7.& 8
Stratagemate hoſtes infirmi pugnãt, & ideo timẽdi. 10.38.17
Stratagematis ſuperſtitio idonea eſt. 10.38.7
Stratagematum varia exempla. 3.2.7. 10.38.1. 2.3.6.7. & ſeq. 10.46.3. 10.47.3
Strato pedarches. 10.27.1
Studere tardis & perditis maximus eſt cruciatus. 4.7.5
Studia liberalia ad virtutem ſunt præparamenta. 4.12.3
Studia ſolitaria nulli ſummam eruditionem pepererũt. 6.17.7
Studio literarum frangi animos, fortitudinem imminui, virũ Martii contendunt. 4.12.6
Studiorum labores nemo, niſi expertus, æſtimare põt. 4.14.6
Studioſæ iuuentutis hoſtis infeſtiſſimus eſt ocium. 4.8.14
Studioſi & profeſſores à iuriſdictione ordinariorum, iudicis ſeu prætoris exempti ſunt. 4.14.7
Studioſi qui aliis ſcandalo ſunt & incorrigibiles, à ſcholis amandandi ſunt. 4.8.12
Studioſis arma in Gymnaſium ferre prohibitum. 4.8.10
Studioſi ſine profectu ſcamna occupantes, mature relegandi ſunt. 4.7.4
Studioſis ingenium quantum eſſe debeat. 4.7.7
Studioſis Legum & iuris vel arma prohibenda, vel militares leges ponenda ſunt. 4.8.10

Studiosis libros obscenos aut hæreticos nec legere nec habere licet. 4.6.12. 4.8.19.20
Studiosis Societas JESV *morum regulas præscripsit.* 4.8.1. & seq.
Studiosis spectacula publica adire prohibitum est. 4.8.21
Studiosis vt peregrinis fauetur. 4.14.6
Studiosi vt malorum societatem fugiant, admonentur. 4.8.18
Studioso Christiano in doctrinam sacram maiori cura & diligentia quam vanam incumbendum est. 4.8.8.& 9
Studiosorum habendus delectus. 4.7.6
Studiosorum nemo Academicis honoribus insigniendus est, nisi sacræ doctrinæ præcepta calleat. 4.8.9
Studiosorum præcipuus finis pietas esse debet. 4.8.1
Studiosorum priuilegia. V. Priuilegia.
Studiosus diligens & in scholis attentus esse debet. 4.8.14.15.16
Studiosus duas dotes habere debet. 4.7.2
Studium literarum quidam ob inanes quorundam argutias ac subtilizationes infamant. 4.12.1.& 2
Subdiaconatus ordine initiandi, ex quibus potissimum examinandi. 6.12.7
Subditi magistratus contra rebelles, coniuratos, aut proditores defendere tenentur. 9.46.7
Subsidia educere, stratagema optimum est. 10.38.25
Subsidiorum olim magna ratio habita. 10.37.7
Sues contra elephantos in prælium adducti. 10.18.5
Sueciæ regno de bonis præfectis & visitatoribus prouisum est. 7.9.4
Sueui olim laudi sibi ducebant, quam longissime circa se vacare regiones. 8.11.7
Suffraganei episcoporum Germanorum eorum adiutores sunt. 6.39.6
Suffraganei moderni verè Episcopi sunt, & quando ad oues suas proficisci teneantur. ibid.
Suffraganei quales veteres, & quales moderni. ibid.
Cn. Sulpitij Dictatoris de bello trahendo prudens consilium. 10.43.4
Sumptus bellorum ingentes describuntur. 10.54.6
Sumptus ludorum & consulatuum Romæ immensi. 7.18.15
Sumptus qui in corporis tegumenta superuacua expenduntur immanes sunt. 6.44.6
Superbiæ in vestitu omnes pudet. 8.14.5
Superbia etiam in paupere esse potest. 3.19.2
Superbiæ vitium Deo inuisum est. 3.19.3.& 4
Superbia fons iracundiæ. 6.10.29
Superbia homines odiosos facit. 3.19.5
& stultos ac pueriles. 3.19.7.8
Superbia initium peccati fuit. 3.19.3
Superbia per scelera quærit quod concupiscit. 3.19.10
Superbia Rempubl. euertit. 3.19.4.5
Superintendentes etiam Generales & prouinciales habent Hæretici. 6.37.2
Superintendentes Sectariorum, Archiepiscoporum loco sunt. 6.37.1.& 2
Superpelliceum clericorum, puritatis insigne est. 6.6.10
Superstitio incurabilium seditionum causa est. 9.9.7
Superstitio ingentium bellorum causa fuit. 10.8.4
Superstitio in prælio periculosa est. 10.41.6
Superstitio interdum stolidos militum animos erexit. ibid.
Superstitio nec Regi parcit. 2.14.7
Superstitionem etiam ius ciuile vetat. 2.8.9
Superstitionis furor & crudelitas. 2.14.5.6.& 12
Superstitionis vanitas vulgata homines affligit. 2.14.9
Superstitio pueriles facit. 2.14.3
inquietos. 2.14.11
s. 2.14.15.& 16
rstitio Reipubl. plurimum obest. 2.14.1.& seq.
Superstitio Romæ vehemens fuit. 2.14.7.& 9
Superstitio stratagematis idonea est. 10.38.7
Supplicia indigne communicantium. 6.4.5
Supplicia noua, meditata, exquisita princeps Christianus ne excogitet, nec talibus reum addicat. 3.16.29.& 30
Supplicia noua veteribus crudeliora esse putantur. 3.16.29
Sylla ante dictaturam crudelis fuit. 7.20.1
Syllæ contra Archelaum acies, à communi valde recedit. 10.40.7
Syllæ religio simulata infelicem exitum sortita est. 2.13.15.& 20
Sylla etiam post victoriam crudelis fuit. 3.8.1. 9.2.5. 9.3.2. 9.46.3
Sylla Mario cruræ perfringi, oculos erui, manus amputari iussit. 3.15.3
Sylla milites operibus, dones prælium poscerent, fatigauit. 10.4.5
Syllâ mortuo mansere discidia. 9.3.2
Syncretismi descriptio. 9.24.1
Syncretismi finis omnium omnino Catholicorum exitium. 9.25.1.2.3
Syncretismi insidiarum & bellorum seminarium. 9.24.2. 9.29.4
Syncretismi secundarius scopus est exitium Lutheranorum. 9.26.1
Syncretismo seditiones ex religione ortæ non tolluntur. 9.29.3
Syncretismum Augustinus detestatur. 9.24.2
Syncretismum Euangelici exemplis probare conantur, sed contra se. 9.27.2.& seq.
Syncretismum Pareus è tenebris reduxit. 9.24.2
Syncretismus Hollandorum. 9.24.5
Syncretismus omnibus Regibus, Principibus, Rebuspublicis fugiendus. 9.24.4
Syncretizantes omnibus sunt exosi. 9.24.3
Syndici Ecclesiarum quid muneris gerant. 6.40.10
Syndicorum in Ecclesia officium & authoritas. 7.28.8
Syndicorum munus olim in orbem redibat, nunc perpetuum. ibid.
Synodi Dordracensis præses, patriarcha Hollandiæ. 6.37.9
Synodos contra veteres disputare, lege vetatur. 2.8.2
Synodum Nouatores ob plurimas causas habere non possunt. 9.39.1.& seq.
Synodus Dordracena contra hierarchicum ordinem collecta, eundem imitatione sua approbat. 6.37.9

T.

TAciturnitas optimum rei administrandæ vinculum. 7.13.7
Tamerlanus Baiazetem victum caueæ incluſit. 1.21.7
Tamerlanus barbarâ calliditate hostes decipiebat & ex eorum pecuniâ exercitum alebat. 8.15.6
Tarentini legationis Romanæ violationem seruitute luerunt. 10.7.1
Tarentinorum humanitas. 1.16.8
Tarentinus lacus æstiuis solibus in salem siccatur. 8.12.5
Tarentum recipiendi arx Romanis occasionem dedit. 8.23.7
Tartari caudas equorum tenentes, Danubium transierunt. 10.36.3
Tartari equitatu valent. 10.3.1
Tarquinius Priscus omnium tyrannorum sæuitiem exuperauit. 8.8.2
Temperantia veterum. 8.14.4
Templi suppellex mundâ esse debet. 6.4.9
Tempora prisca nostris sceleratiora fuerunt. 1.2.6
Tentoria priscorum. 10.33.10
Tertullianum maximis virtutibus præcellentem, sola superbia Ecclesiâ eiecit. 3.1.3
Tesseræ magnæ curæ habitæ in veteri militia. 10.3.4
Testudines triplices erant. 10.19.3
Testudinis descriptio. ibid.
Testudinum antiquus vsus. ibid.
Testudo machina bellica, quomodo & ex qua materia facta. ibidem.

Testudo maior helepolis dicebatur. ibid.
Testudo tanquam generale, etiam falcem & arietem continet. ibidem.
Tetrarcharum nomen à Thessalis ortum. 7.21.16
Thascorum fœminæ capillos pro machinis & nauibus dederunt. 10.16.1
Theagenes Athenienſium dux milites ignauos à ſtrenuis ſecreuit. 10.21.7
Theatra Romana impudicitiæ conſiſtoria fuerunt. 3.13.3. & 5
Theatricæ leges. 3.13.7
Theatrum penſile Curionis. 8.15.4
Theatrum Scauri. 8.14.9
Thebani mercatores, niſi 10. annos negociatione abſtinuiſſent, ad clauum Reipubl. non admittebant. 8.10.5
Thebani parentibus partus ſuos exponentibus, capitis ſupplicium decernebant. 4.4.1
Thebanorum in Lacedæmonios dominatus breuis fuit. 8.1.4
Thebarum princeps, magnus primicerius dictus eſt. 7.29.14
Themiſtocles flagitioſam egit iuuentutem. 3.14.15
Stultè rempublicam adminiſtrauit. ibid.
Themiſtoclis impium contra fœderatos conſilium. 8.2.4
Theodori adoleſcentis in martyrio conſtantia. 3.17.8
Theodoricus Arianus Diaconum apoſtatam occidi iuſſit. 2.17.1
Theodori Cyrenæi vecors aſperitas. 1.22.6
Theodorus Epiſcopus Paderbornenſis bonus œconomus. 8.6.1
Theodoſii imperatoris ſubmiſſio. 3.19.14
Theodoſius Ambroſium increpantem amauit. 2.17.4
Theodoſius imperator nobiliſſimam bibliothecam exſtruxit, multoſq; libros ſua manu deſcripſit. 4.16.20
Theodoſius imperator omnibus parentibus honorandi magiſtri exemplum dedit. 4.9.3
Theodotus Sardium theſaurum Seleuco prodidit. 9.14.11
Theologia in ſcholis Societatis quadriennio abſoluitur. 4.16.6
Theologi de legibus agunt. 5.1.1. & 5.1.5
Theologi mediocres eccleſiam ab hæreſibus tutari non poſſunt. 6.13.3
Theologis tam priuatos quam magiſtratus docere conuenit. 1.1.3
Theophilus iconoclaſta & Chriſtianorum perſecutor fuit. 8.10.10
Theophilus negociationis oſor, rapinis inhiabat. ibid.
Theophilus odio coniugis orthodoxæ eius merces exuſit. ibid.
Theſaurarii crebro ſerui aut liberti Cæſarum erant. 7.29.14
Theſaurarii eccleſiaſtici officium. 6.40.9. & 10
Theſaurarii generales in Gallia, peragrant prouincias, & de minoribus cognoſcunt. 7.29.10
Theſaurarii parcimoniæ officium. ibid.
Theſaurariorum optima in Gallia inſtitutio ac diſpoſitio. ibidem.
Theſauri ad incertos temporum caſus colligendi. 8.9.5
Theſauri iniqui vel raptorem vel furem expectant. 3.9.17
Theſauros publicos non abſcondendos eſſe, fruſtra politici recens nati contendunt. 8.7.14
Theſaurus publicus, publice in cuſtodiam tradendus eſt. 7.29.11
Theſeus capillum radere militem iuſſit. 10.16.1
Thoracomachi. 10.15.19
Thraces vltra quatuor numerare non poterant. 3.3.1. 3.14.13. 4.7.4
Thraſybulus in tabernaculo ſuo cuſtodiarum negligentia occiſus eſt. 10.25.2
Tiberii crudeliſſimi imper. mors omnibus grata fuit. 2.13.11. 3.16.18
Tiberii imperatoris fœnebres artes. 8.17.7
Tiberius annua imperia longiora fecit. 7.10.2
Tiberius auarorum crudeliſſimus, rectè de tributis & vectigalibus inſtituit. 8.7.6
Tiberius Cæſar quanti mullum vendiderit. 1.13.4
Tiberius callidiſſimè in imperium irrepſit. 7.6.5. 7.10.2
Tiberius conſules poſt annum quintum initi magiſtratus in prouincias mittebat. 7.21.9
Tiberius imperio neglecto ſe ludicris rebus dedit. 4.12.1
Tiberius imperator Romanis contemptui fuit. 1.25.8
Tiberius magnis crebriſque procellis in imperio exagitatus eſt. 9.4.1
Tiberius militem qui pauonem ſuſtulit, capite puniuit. 10.24.5
Tiberius multos quod mentem ſuam ab ipſis perſpectam ſciret, occidit. 2.13.6. 3.4.11
Tiberius ob ſimulationes multa mala, & tandem mortem ipſam perpeſſus eſt. 2.13.9.10.11.12
Tiberius omne ius aſylorum aboleuit. 5.7.3
Tiberius rariſſimas miſiones fecit. 10.55.1
Tiberius ſe præſente capram nominantes, vt maieſtatis reos puniuit. 3.15.9
Tiberius ſimulandi artem apprimè callebat. 2.13.6
Tiberius ſimulator egregius. 1.16.4
Timidi hominis ſigna. 3.18.5
Τιμωρία genus pœnæ. 5.10.5
Timotheus Athenienſis in pecuniæ inopia æreum nummum percuſſit, alioſque modos militi ſtipendia ſoluendi inuenit. 8.16.41.42.43
Tituli Imperatoribus, Regibus, Principibus qui nunc vſitati. 7.5.1
Titulis imperatores & principes delectabantur. ibid.
Titulo carentes cur ordinari non poſſint. 6.12.16
Titus Cæſar populo carus fuit. 9.4.1
Titus imperator clemens fuit, populoq; patribusq; gratiſſimus. 3.16.18
Titus Imperator in bellum progrediens, quem ordinem in itinere ſeruarit. 10.35.1
Togatus belli conſilia dare poteſt. 10.1.2
Tollenon machina bellica. 10.19.7
Tomenta cum lorica vtilia ſunt. 10.15.15
Tonſura prima initiandi, quomodo & in quibus examinandi. 6.12.7
Toparchæ dicuntur certorum locorum gubernatores. 7.22.17
Tormentorum noſtrorum ratio nouum aciei ordinem requirit. 10.42.2. & 4
Traditionibus Eccleſia ſemper vſa eſt. 5.28.2
Traianus cur herba parietaria dictus ſit. 8.4.5
Traianus impacatum habuit imperium. 9.4.1
Traianus inter principes optimos numeratus eſt. ibid.
Traianus ſua in bello comitate effecit, ne miles vnquam contra ſe tumultuatus ſit. 10.23.4
Traianus vanam gloriam auſupando, contemptibilem ſe fecit. 8.4.5
Transfugis nulla fides eſt habenda. 10.52.4
Treuirenſis Eccleſia ius tribunalis habuit. 6.8.9
Triarii raro pugnabant. 10.30.3. 10.39.2
Triarii vnde dicti. 10.30.3
Triariorum numerus in legione ſtatus manebat. 10.30.1. & 3
Triballorum aciei diſpoſitio. 10.40.2
Tribonianus Iuſtinianum imperatorem in errores induxit. 7.4.3
Tribulorum deſcriptio. 10.18.2
Tribulos Romani in prælio ſpargebant. 10.17.3
Tribunitiam poteſtatem Auguſti continuam retinuerunt. 7.28.1
Tribunitia poteſtas Democratiæ infeſta eſt. 9.8.13
Tribunitia poteſtas ſeditionum cauſa fuit. 7.10.4
Tribuni cohortis. 10.26.5. 10.27.4
Tribuni ius annulorum aureorum habuerunt. 10.26.5
Tribuni lati & anguſti clauli. 10.26.4
Tribuni militares conſularem poteſtatem habebant. 7.18.10. 7.19.1
Tribuni militares conſulari poteſtate ex patribus & plebe eligebantur. ibid.

Tribuni militares officio bene functi, in senatum facile adscisce bantur. 10.26.4
Tribuni patrum beneficia extenuant. 9.3.2
Tribuni plebis in pace contempti, semper rixas mouerunt. 9. 3. 2
Tribuni plebis ommibus modis conati sunt patres plebi inuisos reddere. 9.14.6.7.& 8
Tribuni plebis patrum calumniatores pessimi. 9.14.6
Tribuni plebis Rempublicam Romanam perdiderunt. 9.8.13
Tribunitia potestas populi causa instituta fuit à Romanis. 7. 6. 1
Tribuni prouinciarum. 10.27.4
Tribuni singulis legionibus seni per vices imperabant. 10.22. 14. 10.26.4
Tribuni militares duplices fuerunt. 10.26.4
Tribunorum militarium breuis magistratus, noxius est. 10. 22.14. 10.26.4
Tribunorum militarium dignitas & potestas. 10.26.4
Tribunorum plebis magistratus sacrosanctus erat. 7.28.1.
Tribunorum potestas in impediendo consistebat. ibid.
Tributa à Christianis principibus partim tollenda, partim sunt moderanda. 8.7.16.& 21
Tributa agros steriles efficiunt. 8.11.9
Tributa cessant, cessante eorum causa. 8.7.20
Tributa crebra potius, quam grauia exigenda sunt. 8.7.5 9.8.4
Tributa damnare, difficile est. 8.7.4
Tributa exigendi causa iusta, est defensio patriæ. 8.7.4. & 11
Tributa exigendi potestas penes summum magistratum residet. 8.7.2
Tributa iusta non sunt dimittenda. 8.7.3.& 4.& 19
Tributa legitima negantis pœna. 8.7.17
Tributa princeps male gubernans, accipere non potest. 8. 7. 20
Tributa qui ex collectoribus citra mandatum principis auxerit, tanquam proditor principis puniendus est. 8.7.13
Tributa realia ex iustitiâ commutatiuâ soluenda sunt. 8. 7. 7
Tributi iusti tres sunt conditiones. 8.7.18
Tributi noui suasor Lutetia temerarij consilij pœnam luit. 8. 7. 21
Tributis Germania grauatur. 8.7.16
Tributorum collectio quo modo instituenda. 8.7.13
Tributorum collectores centum oculis non satis custodiuntur. ibidem.
Tributorum exactionibus fraudes semper interueniunt. 8. 7. 9
Tributorum iniusti exactores, Cypselus apud Corinthios, Antonius & C. Sulla apud Romanos. 8.7.5
Tributorum vinculis Romana Respublica strangulata est. 7. 29. 9
Tributum iusto bello victis imponentes, facile excusantur. 8. 7.15.& 17.
Tributum iustum etiam ante sententiam soluere omnes obligantur. 8.7.18
Tributum iustum sine iusta causa, princeps nulli remittere potest. 8.7.19
Tributum pro ratione facultatum cuiusque est exigendum. 8. 7. 6
Tributum, quod angariam vocant, quando & qua ratione exigendum. 8.7.8
Tributum, quod chrysargyron vocant, exigebant honesti viri. 8.7.21
Tributum quoddam operæ publicæ dici possunt. V. operæ publicæ.
Tributum vetustissima seditionum causa. 9. 3. 2. 9. 8. 4
Tridentina synodus Episcopale iudicium stabilit. 6. 8. 7.
Tridentina synodus in clericos concubinarios pœnas statuit. 6. 4. 8
Tridentina synodus legitima. V. Concil. Trident. veram religionem explicat.
Triumuiri capitales tributis comitijs legebantur. 7.22.9
Triumuiri monetales ius monetæ cudendæ, & tributi imperandi habebant. 8.7.2
Triumuirorum capitalium officium. 7.22.9
Troiam mulier peregrina euertit. 2.10.2. 3.12.2. 10.7.5
Trophimus ob delictum aliquod, perpetuum sacerdotij honore priuatus est. 6.16.1
Turca ad aciei suæ instructionem Ioannem Austriacum fugiturum putauit. 10 37.11
Turca bellicos apparatus incredibiles habet. 10.54.2
Turca commeatu sæpe destituitur. ibid.
Turca cum bellum in Christianos meditatur, à singulis ducatum exigit. 8.7.6
Turca domi propter fertilis terræ sterilitatem, bellum sustinere non potest. 8.11.12
Turcæ agriculturam magnifaciunt. 8.11.1
Turcæ Belgas præcipuè formidant. 9.17.3
Turcæ bellaturi opio furorem in se concitant. 10.3.5
Turcæ fœdera vtilitate metiuntur. 8.24.3
Turcæ in regionibus fertilissimis, summa annonæ inopia laborant. 7.27.3. 8.11.12. 10.54.2
Turcæ perfidi sunt fœderum ruptores. 3.7.4
Turcæ tantum officijs distinguuntur, cæteroqui omnes paris, (seruilis) conditionis sunt. 8.20.3
Turca Famagustam igne & fumo circumfuso ad deditionem compulit. 10.46.15
Turca imbellem turbam primo hosti obijcit. 10.37.1
Turca in belli socium non est vocandus. 9.46.11. 10.11.1. 10.28.5
Turca in singulos annos plurimos vrbium præfectos, ob minimas etiam noxas trucidat. 1.21.13
Turca occasionem Europam inuadendi, ex seditionibus & bellis ciuilibus quærit. 8.1.7. 8.2.4
Turcæ occiso, nemo resistit. 8.20.4
Turca Polonos timet. 1.25.16
Turcarum abstinentia. 10.24.2
Turcarum acies lunata. 10.40.4
Turcarum Imperator ciuitates suas iure ciuium non regit. 1. 3. 4
Turcarum imperator ex confiscationibus & donatiuis ærarium præcipuè ditat. 8.19.32
Turcarum Imperator ex venditis horti sui fructibus viuit. 8. 11. 1
Turcarum imperator metallorum fodinas plurimas habet, sed Deus vsu harum eum priuauit. 8.12.3
Turcarum imperator rapacissimus est. 3.9.16
Turcarum imperium cognato sanguine sæpe cruentum est. 9.7.1
Turcarum iudicia corrupta. 7.23.3
Turcæ lege militari omne delictum morte puniunt. 10.22. 11
Turcarum non est propriè Respublica. 1.3.4
Turca si fertiles agros coleret, orbem totum occupare posset. 8. 11.16. 10.54.2
Turcia cur tam inculta. 1.21.8. 8.11.12
Turcicæ Monarchiæ firmitas iustæ numinis vindictæ tribuitur. 1.21.7
Turcicæ tyrannidis ætas. 1.21.8
Turcicâ in aulâ, turba inutilis versatur. 8.9.6
Turcicam tyrannidem Machometes primus aggrauare cepit. 1.21.7
Turcicum imperium annos 119. optimatum regimine temperatum est. ibid.
Turcicum imperium occasione dissensionum creuit. 1.21.7. 8.1.7. 10.11.1
Turcicum imperium trecentos annos stetit. 1.21.6
Turcicus imperator, vt in regimine securus sit, consanguineos perimit. 1.25.14.& 16. & 1.26.9. 9.7.1
Turci omnes omnino præter vnicum, serui sunt. 1.21.4. 1. 24.2. 8.20.1.& 3

Turcis in Sicilia & Hispania equi militares mitti prohibentur. 8.10.11
Turcis merces quibus contra Christianos vti possunt, vendi prohibentur. ibid.
Turcus misero iugo subditos premit. 1.16.8. 1.21.4
Turres ambulatoriæ. 10.19.6
Turriculas olim in obsidione ciuitatum secreto in aliis turribus ædificabant. 10.19.7
Tyrannicida iniustus à populo laudatur, & præmio afficitur. 1.16.13
Tyrannidis causæ. 1.16.4.& 5
Tyrannidis detestatio. 1.16.12
Tyrannidis odio potestatem tollentes summam tyrannidem inducunt. 6.37.1
Tyrannidis signa. 1.16.6.& seq.
Tyranni ministris vt spongiis vtuntur. 1.16.11
Tyranni Monarchiam infamant. 1.22.1
Tyranni nobilitatem quam metuunt, extinctam volunt. 8.20.4
Tyranni omnes in metu sunt. 1.16.13
Tyranni & optimates cur nunquam amici. 1.16.7
Tyranni plerumq; malum exitum sortiuntur. 1.16.12
Tyranni plurimi enumerantur. ibid.
Tyrannis Monarchiæ finem mutat. 1.15.2
Tyranni vix homines sunt. 1.3.3
Tyrannorum ministri de eorum nece gaudent. 1.16.13
Tyri principes negociatores fuerunt. 8.10.1
Tyrus Nabuchodonosori portas clausit, & Alexandro plus quã totum Darii regnum restitit. 8.22.6

V.

Valens præsidiarios milites Gothos habuit. 10.15.19
Valentia operibus editis Germaniam illustrauit. 5.1.4
Valentinianus omnibus boni imperatoris dotibus claruit. 3.11.10
Valentinus Italiæ tyrannus Machiauellum laudatorem inuenit. 3.6.4
Valerius Asiaticus tumultum ob tyranni cædem exortum, quomodo sedauerit. 1.16.13
Varro ex macello ad consulatum largitionibus conscendit. 7.22.16
Vasi & valuasores qui dicti. 7.17.7
Vates Gentium sæpe errant. 1.6.9
Vaticinia dæmonum interdum vera sunt. 1.6.8. 1.9.2
Vaticinia gentium à dæmonibus sunt. 1.6.9
Vaticinia sanctorum fraudis nihil habent. 1.9.3
Vectigal ex agris Romani scripturam dicebant. 8.7.15
Vectigal grauius soluebant Romæ, quæ ad delicias & pompam inuehebantur. 8.7.11
Vectigalia damnare difficile est. 8.7.4
Vectigalia iusta non imminuenda sunt. 8.7.3.& 4
Vectigalia mercibus non necessariis maiora imponenda sunt. 8.7.11.& 12.
Vectigalia ne à proceribus possideantur, correxit Henricus III. Castellæ rex. 8.7.10
Vectigalia non oppignoranda, nec proceribus donanda. 8.7.10
Vectigalia patriæ commodo sunt instituenda. 8.7.11
Vectigalia pro ratione facultatũ cuiusq; exigenda sunt. 8.7.6
Vectigalia quando iuste exigantur. 8.7.4
Vectigalia qui ex collectoribus in sua præmia auxerit tãquam proditor principis puniendus est. 8.7.13
Vectigalia Romanorum ex decimis, pastione, & portoriis fuerunt. 8.7.15
Vectigalium collectioni fraudes & ministrorum furta non raro interueniunt. 8.7.9.& 13
Vectigalium collectio quo modo instituenda. 8.7.13
Vectigalium collectores fraudis conuictos, Richardus Angliæ rex supplicio affecit. 8.7.13
Vectigalium remissione M. Aurelius Antoninus oppida diruta penè restituit. 8.7.21
Vectigal peregrinarum mercium Cæsar instituit. 8.7.11
Venæ solutio antiquitus pœna militaris fuit. 10.58.1
Venetæ Reipublicæ, vt in annos multos annonam reconditam habeat, necessarium est. 8.21.2
Venetiæ negociatione potentes. 8.10.8
Veneta Respubl. Aristocratica est. 1.17.3
Veneta Respubl. censurâ magis quam bello conseruatur. 7.20.8
Veneta Respublica melior est Romana. 1.21.11
Veneta Respublica speciem Monarchiæ tenet. ibid.
Venetiæ diuites in necessitate Rempubl. pecuniâ iuuantes, nobilitarunt. 8.15.5
Venetianis ex senatoribus sex primarii procuratores S. Marci dicuntur. 7.19.10
Iidem magnæ sunt auctoritatis. ibid.
Veneti Aristocratiam quo modo conseruent. 1.14.9
Venetiarum Respublica prudentissime constituta est. 7.19.10
Veneti cum nullo rege firmum fœdus obtinent. 8.24.5
Veneti ducis nulla est potestas. 7.19.10
Veneti hostem Mediolanensem victorem recollectis viribus pacem petere coegerunt. 10.62.3
Veneti in necessitate ciuibus inuitis pecuniam extorserunt. 8.15.8
Veneti in vrbium præfectorum gubernationem diligentissimè inquirunt. 1.19.8
Venetiis nobiles & ciues negociantur. 8.10.8
Venetiis nobilibus & patriciis post annum 25. curia patet. 7.8.3
Venetiis nulla nauigatio sine nobilitatis comitatu permissa. 8.20.4
Venetiipet externum ducem bella gerentes, pessime consulunt Reipublicæ. 7.19.10
Venetorum ducis auctoritas atq; potestas. 1.21.11
Venetorum lex de curiâ magnificentiore non extruendâ. 5.9.1
Venetorum nobilitas triplex. 1.14.3
Venetorum senatorum numerus. 7.8.3. 7.13.4
Venetus senatus maximam annonæ curam gerit. 7.27.3
Venditius aduersus Parthos non, nisi quingentis passibus à se distantes, exercitum educere voluit. 10.42.2
Verbum Dei latentem vim habet. 1.6.1
Verres angariam iniquo modo exegit. 8.7.8
Vespasianus honores & sententias vendendo, diuitias collegit. 8.19.33
Vespasianus insidias passus est. 9.4.1
Vespasianus in omne hominum genus liberalissimus fuit. 3.9.11
Vespasianus omnia petentibus pollicebatur, nihil exoluebat. 3.11.12
Vespasianus omnibus prouinciis tributa auxit, & quibusdam duplicauit. 8.7.15
Vestium precijs nonnulli se exhauriunt. 3.10.6
Vestes auratæ & sericæ vetitæ. 8.14.6
Vestes pretiosas Imperatores Romani magna seueritate vetuerunt. ibid.
Vestis purpurea sub pœna capitis vetita fuit. ibid.
Vestitum Carolus Quintus omnibus ordinibus præscripsit. 8.14.7
Vestitu opifices & pagani nobiles excedere volunt. 8.14.5
Vestium luxum multis in comitiis imperatores principesq; damnarunt, legibusq; vetuerunt. 8.14.7
Vestium luxum Princeps duobus modis tollere potest. 8.14.5
Vestium luxus æmulatione crescit. ibid.
Vestium luxus ex aulâ ad alios manauit. 8.14.6
Vestium luxus summus est. 8.14.5
Vestium materia cuilibet ordini præscribenda; & excessus mulctæ puniendus. ibid.
Vestium superbia vilissima est. ibid.
Veteres multa professi, in paucis fuere versati. 5.1.3
Veterum temperantia. 8.14.4
Vetus Ecclesia Eunuchos ad sacerdotium non admittit. 6.12.18

Vetusta cur laudemus. 1.2.6
Vetustalecollapsa,innouanda. 6.11.1
Vetustiora videntur meliora, sed peiora sæpe existunt. 1. 2. 6
Vexilliferorum veterum non tanta fuit, quanta nostratium dignitas. 10.26.7
Vicarius Episcopi, qui & officialis dicitur, iurisdictionem eius vice exercet. 6.40.10
Vicecancellarij in omnibus Galliæ Parlamentis sunt. 7.25.2
Vicedomini in Ecclesia quid muneris gerant. 6.40.10
Victis pax æqua gratissima est & durantissima. 10.61.11
Victi cautè benignitate tractandi sunt. 10.61.3.& seq.
Victo quid agendum. 10.62.1.& seq.
Victoriæ superbia perniciosa est. 10.61.6
Victoria ingeniosa melior quam cruenta. 10.38.1
Victoria iniqua brevis est. 10.52
Victoriam pecunia emere præstat, quam sanguine. 8. 5. 4
Victoria vtendum,& quo modo. 10.61.1.2.3
Victoribus in hostes humani iuris ignaros, seueritas aliquando præmittitur. 10.61.8
Victori pax suadetur. 10.61.11
Viduarum mariti non sunt ordinandi. 6.12.11. 6.38.6
Vienna Ottomannis fortiter restitit. 8.22.6
Vigiliarum neglectio in militia Romana fuste puniebatur. 10. 58. 1
Viguerius, magistratus est in Galliis. 7.22.17
Vindemiam vberem cur raram videat Germania. 3. 14. 19
Vindicta lenta, pœnitentibus dat tempus emendandi, impiis aufert excusationem. 1.13.10
Vineæ machinæ bellicæ, ad subruenda mœnia admouebantur. 10.19.4
Vinum immoderate sumptum morbos adfert. 3.14.7.8.9.10. 11. 13
Vinum immodicum menti plus, quam corpori nocet. 3. 14. 11.12.13.14.15
Vinum in Germania fœminis modicum est permittendum. 3. 14.9.& 16
Vinum paruulis nullo modo dandum. 3.14. 9.10.16 3.15.1
Vir bonus sibi lex est, malus exlex. 5.8.1
Virgines in Ecclesia multæ. 6.47.1
Virginibus voto obstrictis, mediocris labor conuenit, & quinam ille. 6.47.3
Virginitas apud gentes honorata, sed rara. 6.47.1
Virginitatem Sanctus Hieronymus matrimonio prætulit. 9. 26. 17
Virginum monasteria quædam libera sunt, eaque vtilia. 6. 47. 2
Virginum monasteria libera extra Germaniam non sunt. ib.
Virginum multitudo Ecclesiæ gloria est. 6.47.1
Virginum sacrarum cœtibus Carolus Borrhomæus optimam viuendi normam præscripsit. 6.47.3
Virginum sacrarum vitam sanctissimã aduersarii inigã traducunt. ibid.
Virginum voto obstrictarum monasteria duplicia sunt. ibid.
Vir moribus malus, ciuis bonus esse nequit. 5.6.5
Virorum bonorum conuersatio, animos prauos à malo abstrahit. 6.17.10
Virtus aurata omnium potentissima est. 8.5.5
Virtus facile laudatur, difficulter plantatur & augetur. 6. 47. 1
Virtus in principe tria habet insignia. 2.3.1
Virtus sine mercede colenda est. 8.4.5
Virtus spontanea sola laudatur. 1.13.9
Virtus tanquam summus Reipublicæ thesaurus ab omni statu coli debet. 2.3.1.& 5. 2.5.1.2. 2.6.1.& seq. 2.7.1. 2.9. 1.2. 2.10.1.2. 2.11.1. 3.1.1
Virtus vna solitaria est inconstans. 3.1.3
Virtutes ita inter se vnitæ sunt, vt nulla in suo statu absque alterius consortio perfecta sit. 3.1.2
Virtutes omnes morales in Republica rectè constituta vigere debent. 3.1.2.& seq.
Virtutes omnes vno sæpe vitio fugantur. 3.1.3
Virtuti Deus maxima præmia promisit, vitiis vero pœnas grauissimas. 2.5.2
Virtuti omnia seruiunt. 4.5.2
Virtutum causa non est res ficta. 1.11.4
Virtutum simulatio res perniciosissima ac turpissima est. 2. 13.1.2.3.4.& seq.
Visitantium ius, summum est. 6.15.2
Visitantium Notarius nulla omnino munera à visitatis accipere licitum. ibid.
Visitatio commessationem tollere, non adferre debet. 6.14.5. 6.15.1
Visitatio episcoporum, ad tollenda clericorum vitia efficacissimum remedium. 6.14.1
Visitationem ecclesiarum annuam ab Episcopo, aut eius delegato fieri volunt Concilia. 6.14.3. 6.15.2
Visitationes olim vtilissimæ. 6.14.2
Visitationis instituendæ regula. 6.15.2
Visitationis necessitas. 6.14.2.& 4
Visitatio parochialium sacerdotum, moderatè instituenda. 6. 14. 5
Visitator domesticorum curam negligens, visitationis fructum perdit. 6.14.6
Visitatores, quo modo clerici tempus transigant, inquirere debent. 6.44.2
Visitatores satraparum erant veteres satrapæ. 7.14.5
Visitatoribus duo summopere vitanda sunt. ibid.
Visitator virtutem quam docet, moribus ostendere debet. 6. 14. 6
Visitatorum comitatus quantus esse debeat. 6.14.5
Vita austera contra vitia antidoton est. 1.13.6
Vita communis ad studia litterarum vtilis est. 6.17.7
Vita communis antiquissima. 6.17.1
Vita communis clericorum sæpe restaurata. 6.17.4
Vita communis laudabilis. 6.17.1
Vita cõmunis pericula & occasiones peccãdi præscindit. 6.17.8
Vita communis prudentiæ magistra. 6.17.7
Vita hominis tota finem vltimum respicere debet. 5.6.2
Vitam communem Augustinus suis clericis non præcipit, sed suadet. 6.17.4
Vita multorum Reipublicæ parum prodest. 5.9.6
Vita sanctorum austera, Dei prouidentiam comprobat. 1.13.5
Vitellii crudelissimi imperatoris exitus. 3.16.18
Vitellii imperatoris sordida gula. 3.14.12
& crudelitas. 3.16.21
Vitellius amicos hostium proscribendo, creditoribus non soluẽdo, & militem vectigalem habendo, pecunias collegit. 8. 19.28.29.30
Vitia contra naturam sunt. 2.4.3
Vitia cum inualuerunt, exitium fortibus imminet. 6.11.1
Vitia inueterata difficulter tolluntur. 5.6.4
Vitia legum origo. V. Legum origo.
Vitia magistro & doctore opus non habent. 2.4.1
Vitia Rempublicam euertunt. 2.4.3. 2.5.3.& 4
Vitia Rempublicam quanam corrumpant. 1.3.5
In his tollendis potentia imperantis expendenda. ibid.
Vitia virtutum nominibus non sunt honestanda. 3.1.5
Vitiorum exaggeratio calumniæ genus est. 9.14.6
Vitiorum initius resistendum. 2.4.4
Vitiorum occasiones rescindendæ. 5.6.4
Vitium persona non vitiat officium. 6.9.5
Vlricus VVirtẽburgic⁹ Cæsaris misericordiã implorat. 9.17.7
Vltio dilata semper crescit. 9.14.3
Vlysipona totius orbis insigne emporium. 8.22.7
Vmbo quid. 10.15.12
Vnctio potestatis regiæ, victoriæ ac sanctitatis symbolum est. 7. 3. 2
Vngere reges & imperatores, ritus antiquissimus est. 7.3.1
Vnionis Catholicorum origo. 9.17.3
Vnionis Euangelicorum finis. 9.26.9

Vniuersitatis ordo à Deo est. 1.8.1
Vniuersum, & quicquid in eo est, ab alio est. 1.11.2
Vocationi diuinæ cito parendum. 6.9.4
Voluptatum blandis stimulis inimicum esse, viri fortis & prudentis est. 3.12.4
Voluptatum primis titillationibus obuiandum est. 3.12.16
Vota pro Christianis principibus nuncupandi modum, Constantinus Imperator docuit. 7.4.7
Vota pro principibus, non principibus nuncupare licet. ibid.
Vota publice nuncupari, magni honoris erat. ibid.
Vrbana plebs cur olim corruptior quam rustica. 1.19.6
Vrbes à portubus remotiores, magnâ hominum face indigent. 8.10.14.
Vrbes commodo situ quænam sint ædificatæ. 8.22.5
Vrbes firmæ & populosæ, ad potentiam multum conducunt. 8.22.1.& 3
Vrbes magnæ iusto imperio regendæ sunt. 8.22.7
Vrbibus Germaniæ omnes gentes superat. 8.22.3
Vrbibus liberis arces vtiles non sunt. 8.23.2
Vrbibus montes non sunt opportuni. 8.22.6
Vrbis defensores optimus sunt murus. 10.47.5
Vrbium conditoribus, ampliatoribus, quid præcipue considerandum. 8.22.4
Vrbium facilis egressio, sed difficilis aditus esse debet. 8.22.6
Vrbium magistratus in alio loco possessiones habeant. 8.22.7
Vrbium obsidio. V. Obsidiones vrbium inopinatæ, felices.
Vrbium priuilegia talia esse debent, quæ vno verbo possent tolli. 8.22.7
Vrbium vetustas. 8.22.2
Vrbs vna bene munita, instar regni est. 8.22.6
Vrsi crudeles sunt. 3.16.7
Vsuræ contra leges inualescunt. 8.17.5
Vsuræ cur, & in quibus rebus interdum permittantur. 8.17.6
Vsuræ ne restituantur nulla est excusatio. 8.17.7.&8
Vsuræ nomine interdum legitimi contractus dicuntur. 8.17.6
Vsurâ quot annis aliquot millia in Germania exhauriuntur. 8.17.7
Vsuræ soluendæ sunt, cum iusiurandum interceßit; sed vsurarius cogendus, vt reddat. 8.17.8
Vsurarii clerici deponendi. 6.12.12
Vsurarii criminaliter puniendi. 8.17.7
Vsurarii, & cum huiusmodi communicantes, non sunt ordinandi. 6.12.12
Vsurarii senatores dignitate deiiciendi. ibid.
Vsurarii sunt infames. 8.17.7
Vsurariorum & vsurarios iuuantium pœnæ. 8.17.8
Vsurariorum rapinæ causa fuerunt secessionis populi Rom. in sacrum montem. 8.17.5
Vsurariorum tabulas Agis dux Athenienßis combußit. 8.17.7
Vsurarios leges ciuiles infames habent. 6.12.12
Vsurarios liberæ ciuitates, nißi timerent imperatorem, cum protectoribus pellerent. 8.17.5
Vsurarios prælati monere tenentur. 8.17.8
Vsurarios prudentes principes seuere puniuerunt. 8.17.7
Vsurarius quam fur, grauius punitur. 8.17.5
Vsurarius sacerdos gradu deponitur. 6.16.6
Vsuratum in veteri & nouo testamento, tum in iure ciuili & canonico omnino vetita est. 8.17.4.5.7.& 8
Vsurarum perpetuum remedium est mons pietatis. 8.18.3
Vsuras accipiens non vere pœnitet, nißi eas restituat 8.17.4
Vsuras ad soluendas nemo quenquam cogere potest. 8.17.8
Vsuræ exercendi noua ratio. V. Fœnerandi noua & damnata ratio.
Vsuras & Vsurarios ex officio tollere tenetur princeps. 8.17.5
Vsuras multi Christianorum per Iudæos exercent 8.17.7
Vsuras pauci defendunt, sed multi exercent. 8.17.5
Vsuras tollendi remedium optimum. 8.17.7
Vsuratio peior rapina. 6.12.12
VVicleff multa catholica dogmata retinuit, ob quæ nos damnant sectarii. 6.23.1
VVicleff potestatem & imperium in homine iniusto existere posse negat. 5.8.6
VVicleff Caluiniani est Angelus Apocal. 14. descriptus. 6.23.1
VVicleffus qualis angelus fuerit, ex pennis & volatu (doctrinæ) eius cognoscere licet. ibid.
VVilhelmo Iuliæ duci noxia fuerunt cum Franco fœdera & pacta sponsalia. 8.24.9
VVilhelmus Nassouius Belgas comitate suâ ab imperio Hispanico abduxit. 3.11.8

X.

Xantippus aciem artificiose instruxit. 10.40.2
Xenophon gregali obmurmuranti equum concessit. 9.14.9
Xerxes consilia potius iucunda quam vera audire maluit. 7.13.7
Xerxes in delectu crudelis fuit. 3.8.5. 3.15.3. 10.20.3
Xerxes Pythio bene de se merito ingratus, eius filium secari medium iußit. 3.8.5. 10.20.3
Xerxes quinquagies centena millia in exercitu habuit. 10.21.10
Xerxes terram Atticas ficus ferentem occupaturum se iurauit. 10.8.6
Xerxes vt militem voluntarium haberet, effecit. 10.20.3
Xerxis infausta libido. 9.8.8

Z.

Zaleucus Thuriis paucas leges præscripsit. 5.11.9
Zamolxis leges suas Vestæ acceptas retulit. 5.5.2
Zanchii de Eucharistia error. 6.5.2
Zelotæ homines sunt periculosißimæ superstitionis. 9.10.6
Zenonis ἑνωτικὸν diuisit Ecclesias. 9.11.8
Zeno vivus sepultus est. 3.14.8
Zopyrus mendacio, vt in Babylonem intromitteretur obtinuit; intromißus vrbem sceleratißime prodidit. 3.4.11
Zoroaster dum se potentem putat, occiditur. 8.1.4
Zvvinglianos Lutherus incorporatos diabolo vocat. 9.28.4
Zvvinglius comedite *dicit* credite. 6.5.2
Zvvinglius inscius transubstantiationem corporis Domini probat. ibid.
Zvvinglius sacramentariißmi auctor. 9.11.4

Soc. Jesv Paderbornæ.

FINIS.

ERRATA INSIGNIORA EX HIS, LECTOR BENEVOLE, CORRIGES: SVNT ALIA, SED CVILIBET, FACILE OBVIA.

In hebræis sunt nonnulla, sed defectu literarum pleraque. Tu memineris politici munus esse, erratis ignoscere.

PAgina 1. columna 2. versu 9. obtrudatis. & versu 14. irridearis. p. 2. col. 2. v. 69. νόμιμα. p. 3. c. 1. v. 3. Thessalorum v. 7. Naxiorum. v. 28. periculosum. p. 4. c. 1. v. 6. post eum, adde niti. & col. 2. v. 2. iustitiæ vtilitatem. p. 5. c. 2. v. 38. ante non posse, adde esse. p. 7. c. 2. v. 11. rus. p. 8. c. 1. v. 2. liber. p. 10. c. 1. v. 53. pro nos, lege vos. & c. 2. v. 41. pro 18. lege 28. p. 11. c. 1. v. 15. pro suæ, lege tuæ. v. 61. post transferatur, adde regnum. v. 64. post minus te adde argenteum. p. 12. c. 1. v. 19. hebetudo. p. 13. c. 2. v. 4. hic. pro sic. v. 39. post Græcorũ, adde est. p. 14. c. 1. v. 56. ausura. v. 68. subegit. & c. 2. v. 23. quia. v. 61. voluisti. p. 15. c. 1. v. 8. pro armorum, lege annorum. p. 16. c. 2. v. 5. pro 9. lege 8. p. 19. c. 1. v. 11. nostros. p. 20. c. 1. v. 19. vnum. p. 22. c. 2. v. 11. fructificandi. v. 13. fundos. p. 23 c. 1. v. 43. cœlo. v. 65. Quomodo. p. 24. c. 2. v. 68. Capitolini, & eod. v. gremio. p. 25. c. 2. v. 12. Quem. p. 26. c. 2. v. 12. separare. v. 48. pro 13. lege. 11. v. 50. filius. p. 28. c. 1. v. 26. propemodum. v. 36. motibus. & c. 2. v. 68. ἔσων. p. 30. c. 1. v. 57. Eam. p. 31. c. 1. v. 37. cladium. & c. 2. v. 14. quædam. v. 29. detestatio. v. 46. definitionem. p. 32. c. 1. marg. 1. Tyrannis. p. 35. c. 1. v. 4. Respublica. & c. 2. v. 25. pro &, lege vt. v. 28. vsi. v. 60. ridetur. p. 38. c. 1. v. 13. dilapidarint. & c. 2. v. 42. post etiam, adde è. p. 42. c. 2. marg. 3. pro Calepinus, lege Machometes. p. 43. c. 2. v. 57 post regem, adde, vt iudicet nos. p. 44. c. 1. v. 10. præbita. c. 2. v. 49. pro ab, ac. p. 46. c. 2. v. 6. pro 11. lege 12. v. 21. hac. v 23. pro 49. lege 6. v. 63. pro Christianorũ, lege Philistinorũ. p. 47. c. 1. v. 3. pro nobis, vobis. & c. 2. marg. 2. seruatur. p. 50. c. 1. v. 11. lenius. v. 24. populus. c. 2. v. 37. detrimẽta. v. 44. austt. p. 52. c. 2. v. 32. pro 21. lege 20. v. 36. post n. adde inter. p. 53. c. 1. v. 1. totum. & in eod v. Aethnæis. c. 2. v. 22. aliqua. p. 54. c. 1. v. 45. auctoritatem. c. 2. v. 54. viuant. p. 56. c. 1. v. 43. mutandum. v. 59. pro 17. lege 16. & c. 2. v. 40. serie. p. 57. c. 1. v. 43. imperatur. & c. 2. v. 59. beneficia. p. 58. c. 1. v. 53. Alaricus. c. 2. v. 49. pro septem, lege quatuor. p. 60. c. 1. v. 16. præsiciebant. p. 61. c. 1. v. 51. eas. p. 63. c. 1. v. 22. Deum. p. 64. c. 2. pro §. 2. lege §. 6. & sic consequenter. p. 65. c. 2. v. 24. eam. v. 6. validius. p. 67. c 2. v. 34. accidisse. v. 69. potuerit. p. 68. c. 2. v. 52. versantur. p. 70. c. 1. v. 23. tribuit. v. 24. eam. v. 41. paricidio. & c. 2. v. 45. noluerunt. p. 71. c. 1. v. 11. innumerabiles. & marg. 3. imitator. c. 2. v. 15. Romanam. p. 72. c. 1. v. 51. periclitari. & c. 2. v. 52. Hormisda. p. 73. c. 1. v. penult. firmiter. c. 2. v. 19. omnium. p. 74. c. 1. v. 29. respiciens. c. 2. v. 45. hominem. v. 69. accendi. p. 75. c. 2. v. 44. Bias. p. 77 c. 1. v. 51. statuunt. p. 78. c. 2. v. 55. pro 7. lege 8. p. 79. c. 1. v. 57. frontis. & c. 2. v. 41. §. 7. p. 80. c. 1. v. 17. obiectaretq;. & c. 2. v. 30. Locrensibus. p. 82. c. 1. v. 33. busta. v. 50. mouere. & marg. 2. euertit. c. 2. v. 21. nouerant. p. 83. c. 2. v 11. Plutoni. p. 84. c. 2. marg. 3. pro nisi, lege si. v. 68. duce, & dele sub. p. 85. c. 1. v. 35. ferebantur. p. 86. c. 2. v. 17. causidicos. p. 87. c. 1. v. 22. pro &, lege est. p. 89. c. 1. v. 15. regni. v. penult, numinum. c. 2. v. 4. augustior. p. 90. c. 2. v. 39. terrerentur. p. 91. c. 1. v. 20. acrem. & marg. 4. politam. c. 2. v. 38. nulla. p. 92. c. 1. v. 38. canibus. p. 93. c. 1. v. 68. pro 19. lege 18. c. 2. v. 8. pro 15. 14. v. 96. Apostolum. p. 94. c. 2. v. 31. nouo. v. 64. læsus. p. 95. c. 2. v. 45. illa. p. 97. c. 2. v. 5. postes. p. 98. c. 2. v. 46. Zelatores. p. 99. c. 1. v. 15. periurare. c. 2. marg. 2. nõ possũt. v. 53. Sinæ. p. 101. c. 2. v. 31. delectu. p. 102. c. 1. v. 23. direxerit. v. 59. periculosissime. p. 104. c. 1. v. 2. habet. p. 105. c. 2. v. 23. psal. 5. 7. p. 108. c. 1. v. 60. facias, & c. 2. v. pen. offerret. p. 111. c. 1. v. 67. princeps. p. 113. c. 2. v. 29. genere. p. 115. c. 1. v. 13. nummulo. marg. 3. dissimulator. & marg. 5. scelera. c. 2. v. 7. Olaum. p. 117. c. 1. v. 54. Macc. p. 119. c. 1. v. 31. præberetur. p. 121. c. 2. v. 26. tractãti. vers. 40. latronibus. p. 122. c. 2. v. 17. donis. pag. 124. c. 1. v. 2. debilitari. v. 46. ratio. p. 125. c. 2. v. 65. Macc. v. 66. data. p. 127. c. 2. v. 6. armis. v. 44. triclinium. p. 128. c. 1. v. pen. ros. c. 2. v. 5. illicientem. v. 33. pro §. 8. lege §. 9. & sic conseq. v. 57. qualem Valentinianum p. 132. c. 1. v. 54. nollent. p. 133. c. 1. v. 48. Spartanis. p. 134 c. 1 v. 41. ingruant. p. 140. c. 2. v. 14. pro 2. lege, 1. v. 27. lege 1. Tim. v. 68. epilepsiam. p. 141. c. 1 v. 12. medicat. & c. 2. v. 25. accidere. p. 142. c. 1. v. 19. puniunto. p. 143. c. 1. v. 24. iocatur. v. 56. primipiliarii. & c. 2. marg. 6. potuisset. 144. c. 1. v. 60. obtorpescere. p. 145. c. 2. v. 22. pro 4. lege 3. v. 23. vtroq;. & 63. indictum. pro §. 3. lege §. 4. & sic conseq. c. 2. marg. 4. pro Pompeius, lege Metellus. p. 150. c. 2. v. 22. pro 4. lege 3. v. 23. vtroq;. & 63. indictum. p. 151. c. 1. v. 33. habitu. & c. 2. v. 20. μείζονες. v. 22. ὑγιαινόντων. v. 23. ἐνυχόντων. v. 31. sitienti. p. 152. c. 2. v. 54. speculatorem. p. 153. c. 1. v. 35. pro se, legete, v. 47. pro 3. 2. v. 68. post hunc, adde tu. p. 154. c. 1. v. 22. regum. & c. 2. v. 45. he. p. 156. c. 1. v. 7. vir manu. & c. 2. v. 35. muli. p. 157. c. 1. v. 60. reicula. p. 159. c. 1. v. 9. §. 15. & c. 2. v. 54. iter. p. 160. c. 1. v. 69. confectus. & c. 2. v. 8 quos p. 162. c. 1. v 62. credulitatem. & c. 2. marg. 5. post esse, adde maius. p. 163. c. 1. v. 32. pro nobis, lege vobis. v. 61. quod dignitas. & c. 2. v. 7. boni. v. 63. fœdus. 166. c. 1. vers. 1. manum. v. 3. post sed, adde ne p. 167. c. 1. v. 68. munimento. p. 168. c. 1. v. 5 pro nemo, lege quispiam. & c. 2. v. 5. lege militum, pro nihilum. v. 8. sint. v. 20. causa. p. 169. c. 2. v. 23. ἐνετρύφεισεν. v. 24. ἐκάλουν πᾶσαζεύγη. v. 41. κακηγόρα. v. 46. νομεῖς. & in eod. τοιαυτα. v. 64. venatores. p. 171. c. 2. v. 18. pro 15. lege 16. v. 25. tumultum. v. 37. detracta. p. 173. c. 2 v. 33. hominis. v. 66. Valer. p. 174. c. 2. marg. 1. senu. p. 175. c. 1. v. 54. pro Irain, lege fiam. p. 176 c. 1. v. 52. ante sibi, adde vt. p. 279. c. 2. v. 3. pro ex l. Et. vers. 4. Opinio. p. 181. c. 1. marg. 3. opponenda. p. 182. c. 1. marg. 3. ἰαχυρά. p. 185. c. 2. v. 24 καρδίη. v. vlt. animus. p. 186. c. 2. v. 57. affudere. v. 59. vũ p. 189. c. 2 v. 16. pro §. 5. l. §. 6. p. 190. c. 2. v. 20. monstrãdo. v. 66. qui. p. 192. c. 1. v. 68. quicquid. p. 193. c. 1. marg. 5. Societas. c. 2. v. 16. quam. p. 197. c. 1. v. 7. pro § 2. l. §. 3. & sic conseq. v. 35. physiognomices. p. 198. c. 1. v. 24. mollitiem. & c. 2. v. 24. creuit. p. 199. c. 2. marg 1. πρᾶξεις. p. 202. & c. 1. v. 66. dele aliquem p. 203. c. 1. marg 4. turbabunt. p. 204. c. 1. marg. 5. mentem. & c. 2. v. 49. cur. p. 210. c. 2. v. 65. ridebamur. p. 212. c. 2. marg. 1. Indoctus. p. 213 c. 2. v. penul. maximarum. p. 214. c. 2. v. 35. Liberos. v. 50. eloquentia. v. 60 Crotoniatas. p. 215. c. 2. v. 39. succisuis. v. 45. Cum. p. 217. c. 1. v. 79. ita & c. 2. v. vlt. prudentissime. p. 218. c. 1. v. 1. bis. p. 219. c. 2. v. vlt. Molshemium. p. 220. c. 1. v. 66. Prærogatiua. c. 2. v. 29. pro §. 4. lege §. 3. & conseq. p. 221. c. 2. v. pen. cohabitant. p. 222 c. 1. marg. 1. ante iurant, pone officia [illegible] 33 supradicta. v. 37. Plurima. c. 2. v. 22. monte, v. 31. institium. p. 224. c. 2. v 35. asseuerauerit. p. 226. c. 2. v. 63. possent p. 230 [illegible] 8. dele quam. & marg. 3. posthac, adde ab. p. 231. c. 1 v. 18. licentiatos. v. pen. põtificis. p. 232. c. 1. marg. 6. summum. p. 235. c. 1. v. [illegible] nus. & 62. prædicta. p. 236. c. 2. v. 37. ante sint, adde cum. v. 44. pro §. 18. l. § 21. p. 137. c. 2. vers. 16. Mirãd. v. 44 corruptibili p. 238. c. 1. v. 58. Perspectiua. c. 2. v. 4. Organopoëtice. v. 14. huic p. 239. c. 1. v. 63. instituendo. v. 67. recepi. p. 240. c. 2. v. 41. infima. v. 70. exhibebunt. c. 2. v. 52. Thecuitis. p. 241. c. 1. v. 6. illæ. v. 57. varia. p. 242. c. 1. v. 6 immittis. c. 2. v. 27. Pindari. p. 245. c. 1 v. 31 adnascuntur p. 246. c. 1. v. 5. gnauiter. v. 6. & p. 247. c. 2. v. 33. ὑπερίζουλα. p. 248. c. 1. v. 32. antitheta. p. 249. c. 1. marg. 1. eloquentia sua. v. 45. ἀντοὶ. v. 42. μασένομεν. & 50. τυγχάνειν. p. 250. c. 2. v. 14. ex. v. 66. Athen. p. 253. c. 1. marg. 1. dele infinita p. 255. c. 2. v. 62. Respublica. p. 260. c. 1. v. 4 inanium. c. 2. v. pen. Pantanus. p. 261. c. 2. v. 65. elapsu. p. 263. c. 1. v. 26. ἅμα p. 264. c. 2. successiuarum. p. 265. c. 1. v. 26. ἀποδυήσκειν. p. 266. c. 1. v. 17. examinandi. p. 267 c. 2. v. 46. & 47. mutatam. p. 268. c. 2. v. 4. transfuge. v. 16. examinantur. v. 41. preciosissimum. v. 43. post. inter, adde se. v. 53. minium. p. 270. c. 2. v. 17. monumenta. p 274. c. 2. v 38 ζωῶν. p. 275. c. 2. vers. 11. Tolosani. p. 277. c. 2. v. 9. possessor. p. 281. c. 2. v. 43. prudenter. v. 49. κεχρημένον. p. 282. c. 1. v 54. Gelasius. v. 69. crebrescebat. p. 283. c. 2. v. 69. nũmos. p. 284. c. 2. v. 47. adde §. 16. p. 285. c. 2. v. 7. syllogismi. p. 286. c. 2 v. 28. vaferrimis. p. 287. c. 2. v. 54 cõsessu. p. 288. c. 2. v. 24. Nos. p. 290. c. 2. marg. 1. 3000000. p. 291. c. 1. v. 51. publice. p. 297. c. 1. marg. 2. difficillimè. p. 299. c. 2. v. 27. oriretur. v. 35. nullum. p. 302. c. 1. v. 43. lege §. 5. &

§.5.& sic conseq.p.302 c.1.v.12.definitionis.v.63.contrariam.p.304.c.1.vers.24.interfector.v.54 vacat.& c.2.v.41.Ptochotrophio.p.308.c.2.v.45.patefaciunt.v.47.sua.v.60.Quid si.v.vlt.parricidio.p.309.c.1.vers.12.moriendum.v.25.fiduciarius esset.v.42.moneri.c.2.v.6.subditos.v.21.inferos.v.39.ac.p.310.c.1.v.21.Tunc.c.2.v.4.maxime.& marg.4 opere.p.311.c.1.v.3.conuellere.v.8.confessionis.v.65.Christi.p.313.c.v.5 pontificum.pag.315.c.1.v.12.veteres,& marg.2.rari.p.316.c.1.v.17.arbitrantur.c.2.v.49.Franzius.p.318.c.1.v.47.onomastico.p.320.c.1.v.13. Bibliorum.c.2.v.38.Spiritu.p.321.c.1.v.17.αὐλίγαφα.p.331.c.1.v.69.pro §.2.lege §.3.& sic conseq.332.c.2.v.11.crimine.pag.334.c.2.m.1.ἀνέφαλος.p.335.c.2.v.12.lege.p.336.c.1.v.19.sustentandus.c.2.v.69.telonia.p.337.c.1.v.50.cõstituta.c.2.m.1.venerabilius.p.339 c.1.v.25.muneribus.p.340.c.1.v.58.adduxerit.p.341.c.1.v.30.ἄμωλος.p.349.c.1.v.42.cõtemplatiua.p.350.c.1.v.23.accedendum.c.2.v.19.mulieres.p.353.c.2.v.61.Athanasius.pag.356.c.1.v.1.occurratur.v.24.est.v.50.incipiam.p.357.c.1.v.3. Tarantasia.p.360.c.1.v.11.§.p.361.c.2.v.11.simul p.362.c.1.v.56.sæcularium.p.365.c.1.v.69.cathedram.p.372.c.1.v.41.parochorum.v.44.Spiritualu.c.2.v.5.munerisue.p.374.c.1.v.56.ἄ.c.2.v.44.præfecto.p.379.c.1.v.26.Rauẽnat.p.383.c.1.v.31. Authenticam.c.2.v.14.communi.p.385.c.1.v.33.virtutis.v.71.laxiores.p.387.c.2.v.9.Metropolitica.p.388.c.1.v.23.querimoniã.p.390.c.1.v.23.dele, A quibus autem.p.391.c.1.v.21.excusationem.p.393.c.1.v.24.ἄναλος.p.397.c.1.v.3.Lutheri.v.21.peccato.p.398.c.1.v.58.adde §.2.v.59.interpretemur.p.401.c.2.v.70.resorbere.p.402.c.1.v.13. Logodædalos.p.403.c.2.v.64.Academia.p.404.c.1.v.5.adde §.1.v.9.particulamq3.p.407.c.1.v.56.ἄρχοντα.v.58.Resch.v.61.ἀ'χόντων.p.410.c.1.v.36.τεκμήραλο.v.43.νομιζομένον.c.2.v.69.post extrema, adde se.p.415.c.1.v.62.horrefco.p.417.c.2.v.13.consensus.v.54.competens literatura. p.418.c.2.v.58.consanguineos.p.419.c.2.v.27.presbyteri.v.35.multos.v.67.præsidia.p.420.c.1.v.13.Laudensem.p.421.c.1.v.3.Episcopum.p.422.c.1.v.35.Nicænæ.p.425.c.1.v.33.necessaria.p.440.c.1.v.48.ptochotrophia.p.441.c.1.m.2.egent.p.443.c.1.m.4.vnam.p.444.c.2.v.27.diligenter.p.446.c.1.v.49.pastorum.pag.449.c.2.v.45.Opes.p.451.c.2.v.68.dele.punctum.p.452.c.1.v.59.Ἐν δὲ ῥάμοι.v.60.φαεραὲ.p.455.c.2.v.43.ad.p.457.c.1.v.13.possint.p.458.c.2.v.44.esculentas.p.459.c.1.v.7.dele, cli possint.v.8.lege flecti possint.pag.461.c.2.v.60.consuli.p.463.c.1.v.37.Narsetem.p.467.c.1.v.54.oxygalactu.p.468.c.1.v.38.Carolum.v.41.vrbium.p.469.c.1.v.1.sterquilinio.c.2.v.14.vltima.v.41.ædificata.p.470.c.1.v.38.iudico.v.45.suos.c 2.v.60.literas.v.71.supprimimus.p.472.c.2 v.50.Germanicè.p.489.c.2.v.1.designati.v.65.confessũ.p.490.c.1.v.17.sed.c.2.v.16.Flaminino.p.494.c.2.v.20.βυλέυεσθαι.v.24.πάλας.v.25.πολιτευομένοις.& eod.v.συγγινομένοις.p.497.c.1.v.1.παλλακίδων.& eod.v.χίλιοι.p.499 c.1.v.4.§.1.c.2.v.56.Scholasticis.p.508.c.1.v.48.vrbem.v.64.Lipsius.c.2.v.59.τοῖς.p.511.c.1.v.41.minus.p 516.c.1.v.34.hospitiis.c 2.v.42.ἐγχειρίζονλες.v.43.ἐῶνλες.p.519.c.2.v.56.pro epist.lege lib.p.525.c.1.v.53.emisse.p.528.c.2 v.56.pro non, lege nos.pag.530.c.1.vers.vlt.pro 21 lege 12.c.2.vers.8.pro 18.lege 19.p.535.c.1.v.5.Decurionum.vers.18.vrbis.pag.536.c.2.v.29.Belisarius.p.538.c.2.v.44.Tartarici.vers.51.pellectis.pag.539.c.2.v 34.Monarchicam.v.36.Aristocratica.p540.c 1.v.5.arcium.p.541.c.2.v.1.muneribus.v.21.erepturos.p.543.c.1.m.4.Magistratuum.p.544.c.1.v.60.Antisagittator.p.549.c.2.v.32.Andronici.p.552.c.2.v.42.auctoritate.p.555.c.2.v.70.ζωὴν.p.558.c.2.m.1.exuguntp.559.c.2.v.55.belli.p.563.c.2.v.34.sumptu.p.566.c.1.v.2.chalybs.vers.54.post tui, adde à.v.58.Thogorma.p.568.c.1.v.66.fullonicam.p.590.c.2.v.50.dele il.p.577.c.2.v.45.post centena, adde millia.p.578.c 2.v.9.rubigo.p.581.c.1.v.40.adulẽtur.c.2.v.50.adde læsa.p.588.c.1.v.35.aureos p.589 c.1.v.51.prædonum.pag.593.c.2.v.5.Monopolium.p.594.c.1.v.39.Augustæ.p.595.c.1.m.2.oppresso.p.601.c.1.v.36.Iudæus.p.602.c.1.marg.3.monte.p.603.c.2.marg.3.iniquas.p 605.c.2.v.63.habes.p.609.c.2.v.36.Salust.v.63.næ.& falsi.p.610.c.1.v.40.accepi.p.611.c.1.v.33.aula.v.50.aliisq3.v.65.Rhodi.p.612.c.2.v.16.Romuleas.pag.615.c.1.v.17.Suffetium.c.2.v.24.arcũ.p.616.c.2.v.63.Andegauensem.c.2.v.9.Frederici.v.61.telis.p.618.c.2.v.25.§.8.pag.620.c.2.v.14.cælo.Syriam.p.622.c.1.v.52.post Qua, adde morbi.p.625.c.2.v.38.infectatione.p.626.c.2.v.54.Priuernates.p.627.c.1.v.31.negauere.p.629.c.1.v.41.Muræna.p.630.c.1.v.12.Messalina.p.631.c.2.v.3.imperium.v.49.collega.p.633.c.1.v.13.Byzantii.v.33 Trapezuntinum.p.634.c.1.v.1.archiuia.c.2.v.58 Galeritorum.p.637.c.2.v.10.indulgens.v.60.Alcibiadem.p.638.c.2.vers.32.ἀλιμαζόμενοι pag.643.colum.1.vers.11.dum.vers.14.dele ægre.vers.46.Baiazetis.vers.64.auspiciisque.pag. 647.col.2.post.vers.66.adde Monst.de Engolesme.pag. 653.colum.2.vers.61.folia.pag. 655.colum.2.vers.19. Christum.v. 28.§.6.pag.657.c.2.v.2.aliaq3.v.42.illi.p.658.c.2.v.52.vestrum.p.659.c.1.v.9.ὥστ.p. 661.c.1.v. 61.insulæ.p.664.c.2.v.1.CAPVT.m.1.mittere.p.665.c.1.v.54.flagitia p.666.c.1.v.47.ἀ'χόνλων.p.667.c.2.v.24.duces.v.52.incẽde.p.668.c.2.v.52.Sacerdotes.p.669.c.1.m.1.ius.c.2.v.13.cuilem.p.673.c.2.v.66.adde.§.5.p.681.c.1.v.56.auditis.c.2.v.pen.aliquos.p.683 c.2.v.49.Chrysocollam.p.689.c.1.v.27.pro §.8 lege §.9.& sic conseq.p.690.c.1.v.62.tubis.p.694.c.2.v.3.Hieronymi.p.695.c.2.v.10.Caluiniastri.v.50.Mahometistis.p.698.c.1.v.42.petulãtiã.p.700.c.2.v.7.adde.§.3.v.13.precio.p.701.c.1.v.13.adde.§.6.p.707.c.2.v.17.pro §.2.lege §.3.& sic.conseq.p.708.c.2.v.43.confusionẽ.p.709.c.1.v.50.Psychicos.p.711.c.2.v.20.pro §.2.lege §.3 p.715.c.1.m.4.subiicit.p.717.c.1.v.63.βίαιον.c.2.v.62. Arius.p.718.c.1.v.44.perosi.c.2.v.56.Mitræ.p.725.c.2.v.12.adde §.2.p.727.c.2.m.3.iusiuranda.p.728.c.2.v.50.mutuaq3.p.738.c.1.v.15.pro 11.lege 12.p.739.c.1.v.11.disceptatores.p.745.c.1.v.44.iniquitatis.c.2.v.32.si.p.747.c.2.v.3.huius.v.12.sit.p.748.c 2.v.penult.pro tit.lege tomo.p.749.c.1.v.pen.probatio.p.750.c.2.v.29.occupata.p.751.c.2.v.54.§.2.p.752.c.2.v.6.post τὰ, adde μέν.v.15.διακεῖνλαι v.16.χρεῖσις.& in eod.v.εσὶ.v.19.pro οἳ, lege εἶναι.v.20.post est, adde hæc autem deteriora;ille quidem imperans.v.30.permiciosa.p.753.c.2.v.10.Cyprus.p.754.c.1.v.15.pepercisse.p. 757.c.1.v.56.cladi.p.758.c.1.v.30.post Romeliæ, adde de Iuda. vers.46.pro Israel,lege Ephraim, & Iohanan. v.47.Zellum & Amasa.v.48.pro Hadat,lege Adali.v.58.post poterant.adde & erant.p.761.c.1.v.65. Fabricensibus.v.68. Damasci.c.2.v.62.tegebãtur.p.762.c.1.v.2.Hebron.v.6.firmauitq3.c.2.v.19.tegat.p.764.c.1.v.2.rẽ.c.2.v.55.latera.p 768.c.1.v.33.Cassiod.p.771.c.1.v.57.ne.p.772.c.1.v.23.Cincinnato,v.38.cincinnatus.p.773.c.2.v.25.Epaminondas.p.778.c.2.v.3.plagam.v.65.pro §.23.lege 22.& sic conseq.p.782.c.2.v.24.Præpositi.p.782 c.1.v.49.Iulius.p.785.c.1.v.15.Tolos.c.2.v.58.delectum.v.67.libertinis.p.788.c.2 v 55.manipulis.p.799.c.2.v.38.ferẽtarios.p.800.c.1.v.21.prout p 807.c 2.v.6 polyæn.p.808 c.1.v.17.pro 19.lege 9.p. 811.c.1.v. 8.propugnacula.v.9.deciremes.v.59.opus.p 812.c.1.v.24.Angli.p.817.c.2.v.40.inducarum.p 818.c.1.v.24.imperatoria.c.2.v.2.murales.pag. 822.c.1.v.13.crassa.v.51.quædam.p.823.c.1.v.44.approbatumq3.p.825.c.2.v.50.præfectis.v.58.rei.p.829.c.1.v.69.sic lege; cuiuscunq3 status,alti seu humilis,& quantacunq3 sint ætate,adolescente vrgenteve.p.832.c.2.v.18. duellum.p.835.c.1.v.69.furculas.


Th
934a